UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Reuerendi Patris P. Hieremiæ Drexelii e Societate Iesu Opera omnia

Duobus nunc Voluminibus comprehensa, & libellis ante hac non editis aucta ; Illvstrata, Indicibvs Moralibus, Locorum S. Scripturæ, Capitalium Mysteriorum fidei, Rerum, & Concionum quouis anni tempore habendarum ; Congestis Et Compositis Methodo prorsus, alijs Auctoribus inusitata ; Sed Theologis ...

Indicibvs Illvstratvs Et Avctvs Concionatoriis

Drexel, Jeremias

Antverpiæ, 1643

urn:nbn:de:hbz:466:1-77031

Visual Library

Th. 553 ce.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

BIBLIOTHECA

REVERENDI PATRIS

P: HIEREMIÆ DREXELII

SOCIET. IESV PRESBYTERI

TOMVS SECVNDVS,

INDICIBVS ILLVSTRATVS

ET AVCTVS CONCIONATORIIS.

Collegij Soc. Iesu.
Paderborne

Bf Epus Card.

J. XIII
10.

MANET IN BIBLIOTHECA
P. DREXELIUS T. II. TVI II

AVCTORIS INDICVM
AD BENEVOLVM
LECTOREM
PRÆFATIO MONITORIA.

BENEVOLE LECTOR,

Nolim cogites, dum in primo noſtro hoc abſoluto Drexeliano Volumine in omnes anni Dominicos, ſed non in feſtos dies, formatas reperis Conciones; quod tamen ſacro ſatis promiſſo, frontiſpicialis primi Tomi facies, ſpondet,

—— *Amphora cœpit,*
Inſtitui, currente rotâ cur urceus exit?

Promiſſa enim non reſcindo, ſed in hoc ſecundo opere exequor: loculos ſacerrimos ſine fundo trado, & indico quovis theſauro pretioſiores, è divite hoc Drexeliano penu apporto & ſiſto gazas. Quæ enim ab hoc noſtro Auctore hactenus hinc, indéque ſparſim ſuis in opuſculis gemmæ enitent, eas ligaculo quaſi in uno conſertas, unâ tibi expendo & commonſtro die. Vt & Tu aliquando, dum ipſa temporis ſic conſulit exigentia, avidis piorum Auditorũ & ſubditorum expendas auribus, ſicque & Regna, & Provincias, & Provinciarum ſingulas urbes non reddas ditiores; ſed (ita ô Deus voveo!) emendatiores. Demúmque tandem ſub hoc ipſo ſæculorũm fine tam petulci quàm rudes per orbem ſparſi mortales recta ſapere diſcant & facere. Dominici feſtivique dies per integrum occurrentes anni decurſum plus minus (nî fallar) nonaginta ſunt. Priori in Volumine, Dominicalibus ſymbola ſua moralia dedi, nunc verò Feſtivis, non ex uno, ſed ex utroque collectis Tomo Themata & ſua ſymbola præfigo. Ne verò tuo vel tædio, vel temporis diſpendio per folia volvendo, eadem & revolvendo fruſtrà curſites, dum ſcriptionis ordinem igno-

ras, eundem trado in hac noſtrâ præfatione monitoriâ, compendio. Poſt formatam Catecheſin noſtram Drexelianam, in quâ præcipua fidei noſtræ Catholicæ myſteria diſcurſu brevi illuſtrantur, quo ea faciliùs ipſa inerudita percipiat juventus. Virtutum dein & vitiorum exactæ traduntur definitiones & deſcriptiones per ſubjecta ſchemata, ſubinde ad quidditates ſuas redacta, aliâ prorſus methodo, quàm in priori Volumine digeſta. Ibi ſiquidem tradita Chriſtianæ fidei dogmata exemplis & hiſtoriis aſſignatis quaſi confirmantur, hîc verò diſcurſu augentur & exornantur. Conciones conformo in omnia Iesv Chriſti Salvatoris noſtri Feſta. Deinde Marianus ſum, & diebus Excellentiſſimæ D. Virg. Dei Matris conſecratis themata ſua moralia præfigo: Ponè in omnes reliquos anni dies Divis omnibus ſacros quædã utiliter è cathedrâ dicenda propono. Subjungo deinde Conciones aliquas honorarias, quas, ut vulgò vocant, in jubileis Epiſcoporũ, Abbatum, & Præpoſitorũm inſulationibus, ſubinde habendas exigit temporis ratio. Quadrageſimales verò Conciones, quibus & ingero raram & ſingularem Paſſionis Iesv Chriſti Salvat. noſtri concionandi methodum lâbori noſtrò hoc arduo (non enim ea tam ab uno menſe, hebdomade, aut etiam anno, ſed ab annis pluribus collegi & excerpſi, dum cathedra & alto digna dicere non levem poſcit apparatum) coronidem imponunt. Hoc tamen velim, benevole Lector, priuſquam te valere jubeo, ut accuratè in aſſignatos numeros oculos tuos defigas non enim te tantummodo, ut in prioris Tomi Indice, ad hoc unicum ſecundum Volumen, ſed ſubinde ad utrumque remitto, quò rectiùs cum fœnore dem, altum quod antè promiſi, Vale, mi Lector, & ut plura (quod brevi me facturum ſpero) ad totius Eccleſiæ bonum & progreſſum, ad hæreſium extirpationem, & in Tuum aliorúmque commodum edam & prælo committam, Deum Opt. Max. cui ſoli omnis honor & gloria precare. Dabam Brugis pridie ſanctiſſimi Patris noſtri Auguſtini 28. Auguſti 1643.

GYM-

GYMNASIVM PATIENTIÆ.

PARS PRIMA.

CAPVT I.

Quæ pœnarum genera, seu, quæ cruces sint in gymnasio patientiæ ferendæ.



VERCVS olim, sed saucia & fracta cum Arundine familiariùs cœpit fabulari. Initium colloquii Quercus à clade propriâ traxit. Fortunæ scilicet malignitas, & casus adversi Quercum fecere disertam. Me, ajebat, aspice, ô mea vicina, & calamitatis cernes speculum: vix ego mei dimidium retinui: adsto convulsa miserèque lacerata: sic Æoli fratres me tractarunt. Sed, obsecro, quid priùs mirer, te tam salvam, an me sic ægram? Tu mihi viribus, ô Arundo nequaquam par es. Ipsi oculi dicunt, me millies robustiorem esse quàm sint vel centum vel mille Arundines. Nihilominus cùm venti ac turbines me incursant, nullæ sunt vires meæ; convellor, laceror, frangor, dejicior. Tu verò ventorum vim omnem eludis; vacuo ventre pugnas, & nunquam non vincis; triumphas sola. Nos Ajaces vincimur, qui demum hoc fieri dicam? Arundo silere docta, nihil interpellans loquentem, vix demum sic orsa: Non est, inquit, quod mireris, ô mea optima vicina; tuum tibi robur exitio est: Si minùs esses, robustà, magis fores integra & sana. Pace tuâ dixerim, tu robori tuo fidis, vento resistis, atque ita vinceris. Adversarium habes qui cedere nesciat; illum hostiles vires animant; robur ci additur, quoties cum robustissimis congreditur; tantóque certiorem habet victoriam, quantò difficiliorem pugnam. Hinc ventus vel altissimas, vel densissimas quercus dejicit, ridétque insaniam frustra resistentium. Ego fragilitatis meæ non ignara cedo, & vel uno die sexcenties ventum veneror prono corporis flexu. Nec mihi grave est, ut vitam tuear, vel millies adorare tam potentem hostem. Proinde hîc non viribus agêdum est, sed dexteritate.

In calamitatibus dexteritate opus est.

Cùm earũ ventus neminem nõ incurset sub quo multi eruditur & frangũtur.

Ita prorsus est: Intutæ sunt vires, cùm consilium deest aut dexteritas. Calamitatis ventus neminem non incursat, nemini parcit; probos, improbos juxta habet. Et quis est qui nihil adversi sentiat? Sed multi adversis eruditur, & attolluntur cælo; non pauci franguntur, & dejiciuntur Erebo. In eo res sertitur, non quantum adversa sentiamus, sed quomodo id perferamus.

In unam eandémque scholam ducenti subinde discipuli compinguntur, sed non omnes hinc Apollines emergũt. Laurigeri multi, pauci Phœbi. E scholis aliqui ad castra transeunt; Alii hoc discunt ut cauponariam, aut mercaturam exerceant; Alii è ludo litterario vespillones aut æditimi, aut etiam tabellarii, vel frumentarii mensores & messores rusticani prodeunt. Refert, non quid discas, sed quid discendo proficias. Et quia varia discentium sors est, diversus etiam est profectus in scholis, his industria: ita nec illi, nec isti, nec hi doctrinam adipiscuntur.

Varia sors discentũ, diversus etiam est profectus in scholis,

Sicut & in scholâ Christi, in

Eadem pœnè ratio est in *Gymnasio Patientiæ*, seu *Scholâ Christi*. Varius hic discentium vel ardor, vel languor est, & hinc & profectus planè dissimilis. Illud tamen præclarissimum, & huic uni Gymnasio proprium, ut in eo nemo non proficiat, nisi qui proficere nolit: ingenium aut pecunia hîc nulli negatur, modò ille adferat promptum ac cupidum discendi animum. Sola hîc industria potest omnia. Hîc illud unum unicum inter deterrima censetur: NOLLE DISCERE.

quâ nemo non proficit, nisi qui proficere nolit.

Sed quibus libris hîc opus? quæ volumina in hoc gymnasio terenda? Præscorum mos non illaudatus fuit, convivis ante accubitum schedam porrigere, aut etiam domum præmittere, quæ omnium ferculorum in convivio apponendorum seriem ediceret. Ità convivarum quemque præmonebat: Hos missus habebis, hæc tibi fercula, hoc numero atque ordine ponẽtur. Proinde si quid è prioribus minùs ad palatum aut stomachum tuum fuerit, substringe famẽ, & locum melioribus serva. Consultũ omnino censuerunt, sciri à convivis, quid posituras esset paterfamilias.

Porrigere schedam ferculorũ convivis ante accubitũ mos Præcorum laudatus.

In Gymnasio Patientiæ non minùs expediet scire, quibusnam calamitatibus DEVS mortales premere consuerit. Primum discipuli munus est, libros nosse qui, prælegendi sunt, Iobus his ipsis curis agitatus: *Librum*, inquit, *scribat ipse qui judicat ut in humero meo portem illum.* Omnia quæ sibi patienda forent, in unum volumen redigi cupiebat, paratus hoc onus non invitis humeris asportare.

Iob. c. 31. v. 35. & 36.

Hoc igitur ante omnia agamus, & afflictionum genera (usitato nomine CRVCES appellantur) in certas classes distribuamus.

§. I.

1. In gymnasio patientiæ profectus est, scire nemine nisi patiendo proficere.

QVidquid pœnarum in hoc Orbe, quidquid afflictionum vel exercitationum est, sub hoc decemplici cruciatuum schemate continetur. Habet nimirum DEVS in Patientiæ Gymnasio:

Ejus decemplex schema.

1. VIRGAS. 2. SAGITTAS. 3. FACES. 4. STRAMINEVM SERTVM. 5. BACILLOS. 6. LAQVEOS & CATENAS. 7. NODOSOS FVSTES. 8. PALLIVM. 9. FLAGRA. 10. SACCVM.

Hæc strictim nunc exponamus, uberiùs singula suo loco explicaturi.

Quid virgæ.

1. VIRGÆ Morbos ac dolores significant. Morborum pœnè innumeri sunt; singuli aliquid amaroris à Morte participant. His Virgis initiamur ad Mortis sacra. Per morbos ad Mortem via est. Multorum mortem distulit Morbus; & salus illis fuit, videri perire. Et ei etiam virtuti in lectulo locus.

Quid sagittæ.

2. SAGITTÆ animi cruciatus repræsentant, sollicitudines curas, ægrimoniam, mœrores, pavores, suspiciones, & angores: anxiferos scrupulorum aculeos, illecebrarum ac tentationum impetus, occultos conscientiæ morsus, metus, fluctus, æstúsque sollicitudinum. *Sagittæ Domini acutæ, & omnes arcus ejus extenti.*

Isai. c. 5. vers. 28.

Quid faces.

3. FACES paupertatis signa sunt. Paupertas variè mortales urit, prout deme sit ignis urendi modus varius est. Subinde charta sevo illita, & dormientis calceo imposita incenditur; aliàs gracilis cereus supponitur digito; quandoque hypocaustum ita calefit, ut æstuantes thermas putes; nonnumquam quod charissimum est eripitur, & in ignem abjicitur. Satis uritur, cujus delitiæ ardent. Ita paupertate homines solent exerceri.

Quid sertũ stramineũ.

4. SERTVM STRAMINEVM derisus, illusionis, ac contẽptus signum est. Vix quidquam pleroſ-

que discipulorum in hoc gymnasio sic premit vexátque ac ludicrum hoc sertum. Quod tamen frequentissimum est supplicium. Pænè ubique *Iusti simplicitas deridetur. Ambulans recto itinere & timens* DEVM *despicitur ab eo, qui infami graditur viâ.*

Iob. c. 12. vers. 4. Prov. c. 14. vers. 2.

Hoc quadruplici pœnarũ genere, quidquid ferè patimur, cõprehenditur. Aut enim corpus, aut animus, aut corporis, aut animi bona calamitatem accipiunt. Ideo Virgas, Sagittas, Faces, Sertum Stramineũ assignavimus. Sed has miserias in alias rursus tribuimus.

Quid Bacilli.

5. BACILLIS adumbrantur miseriæ quotidianæ, fames, sitis, æstus, frigus, habitatio incommoda, vestis corpori non habilis, itio superflua, expectatio vana. Quemadmodum ludimagister bacillum vix unquam de manibus ponit, & modò hunc, modò illum discipulum, modò manus, modò caput ferit: sic à quotidianis illis miseriis ratæ sunt feriæ inter mortales. Nunquam deest, quòd abesse malis.

Quid catenæ ac laquei.

6. CATENÆ AC LAQVEI propriæ cujusq; status miseriæ sunt. Sua quemque sors vivendi ligat; hunc arctiùs, illum remissiùs. Conjugium arctissimum est vinculum, & verè ferrea, imò adamantina catena, quam nemo nisi mors ruperit. Sæpe conjuges non esuriunt, non sitiunt, non ægro corpore sunt, sed malè conveniunt: alter alteri objicit, nec possum tecum vivere, nec sine te. Ligatus usque fuit, qui dixit: *Vxorem duxi, & ideo non possum venire.*

Luc. c. 14. vers. 20.

Quid fustes nodosi.

7. FVSTES NODOSI, seu scorpiones, calamitates sunt plurimis communes, Hæresis, Lues, Tyrannis, Bellum, Incendia, Annonæ caritas, Eluviones fluminum, oppressio egenorum. Ecclesiastes questus *Verti me ad alia*, inquit, *& vidi calumnias quæ sub sole geruntur, & lacrymas innocentium, & neminem consolatorem: nec posse resistere eorum violentiæ, cunctorum auxilio destitutos. Et laudavi magis mortuos quàm viventes, & feliciorem utroque judicavi, qui necdum natus est, nec vidit mala quæ sub sole fiunt.*

Eccles. c. 4. v. 1. & 2.

Quid pallium.

8. PALLIVM vocamus eas miserias, quas nos ipsi nobis creamus, & nostris nosmet opinionibus aut suspicionibus in crucem attollimus, ac miserè sauciamus. Frequentissimum est propria vineta cædere; seipsum malis onerare, seu fictis seu veris. Contra seipsum Iobus queritur, &: *Factus sum*, inquit, *mihimetipsi grauis.* Nimirum, tam miser quisque est, quàm se esse credit.

Iob c. 7. vers. 20.

Quid flagra.

9. FLAGRA sunt afflictiones ab aliis quibuscunque provenientes, præsertim illæ quæ à linguâ, uti sunt calumniæ, probra, detractiones, exprobrationes, omnes verborum injuriæ. Huc refero, cùm ab altero negatur, quod ab isto votis omnibus expetebatur; aut imperatur, quod velis ac remis fugiebatur. Atque hi flagrorum ictus sunt, qui mox vibices & sanguinem cient. Sed solatur Gregorius, &: Nunc, inquit, *sortis per flagella tundimur, ut intus in templum Dei postmodum sine disciplinæ percussione reformemur.*

Greg. p. 3. pastor. admonit. 13.

Quid saccus.

10. SACCVS denique est plurium malorum cumulus. Æger subinde interrogatus, quâ parte corporis dolores sentiat: Vbique respondet; omnia dolor occupat. Ita sæpius malorum acervus premit, cacodæmoni insultat, homines adversantur, DEVS non solatur, morbus & paupertas cruciant, corpori & animo malè est, quidquid oculus incurrit hostile creditur. De tali homine non malè pronuntiem, *in sacco est*, sed usque ad collum: Vbi mors venerit, totum hominem involvet sacco, & è vivis ejiciet. De singulis afflictionum harum paullò post uberiùs dicemus.

Quod si alicui Deus eligendi copiam faciat jubeátque: Elige quam tibi maximè convenire judicas crucem. An linguis flagellari mavis, an paupertate uri, an virgis ægritudinum cædi, an mœrorum jaculis configi, an stramineo contemptûs sert coronari?

A Quis hîc illud Davidis & Susannæ non usurpet: *Angustiæ sunt mihi undique; coarctor nimis.* Inexplicabilis deliberationis res foret. Hoc tamen, puto, deniq; rogaret: Domine si regium tribuere vis beneficium, ab omnibus me molestiis & miseriis immunem præsta.

Dan. c. 13. vers. 22. 2. Reg. c. 13. vers. 14.

Ah, quàm erramus splendidè; Orbis ordinem, si liceret, turbaturi. In eum intravimus mundum, ubi his legibus vivitur, ut ad omnia patienda parati simus, Impares nascimur, pares morimur. Quidquid inter natalem & mortalem diem medium est, ærumnis plurimis agi necesse est. Et doleas oportet, & sitias, & esurias, & senescas: & si tibi longior contigerit inter homines mora, & ægrotes, & perdas aliquid, & pereas. Hæc vitæ lex est.

Quæ sit lex vitæ.

§. II.

O Culta sed planè stulta persuasio est: *Inoffenso pede vitam transigere.* Erratis, ô mortales, erratis amplissimè: *Quoniam per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei.* Et, *nonne hæc oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam?* Cur membra vilissima sub nobilissimo capite conditionis sint melioris? Illud cum primis sciendum, non esse mollem ad astra viam; non rosetis aut salicetis amœnam: aspera est, & confragosa, nec pede tenero calcanda. Certè Deus suos molliter habere non solet. Sed Hipponensis Præsul, gemma Præsulum, Augustinus solatia hîc adhibens: *Flagellat nos Deus*, inquit, *in istis laboribus, & erudit nos. Tota ista miseria generis humani, in quâ gemit Mundus, noveritis fratres, quia dolor medicinalis est, non sententia pœnalis. Videte quia dolor ubique, ubique metus, ubique necessitas, ubique labores.* Locupletissimus hîc testis Ecclesiastes: *Cuncti dies ejus doloribus*, inquit, *& ærumnis pleni sunt.* Sapiens ille Augustini discipulus: *Qualitercunque*, ait, *ordinavero de pace meâ, non potest esse sine bello & dolore vita mea.* Et quæ uspiam latebra est, in quam non intret calamitas? quæ tam munita & in altum subducta vitæ quies quam non dolor territet? *Quocunque te abdideris*, inquit Lucius Annæus, *mala humana circumstrepent. Multa extra sunt quæ circumeunt nos, quo aut fallant aut urgeant: multa intus quæ etiam in mediâ solitudine exæstuant.* Nulla domus in toto Orbe terrarum aut est, aut fuit sine aliquâ comploratione, nec ullam tam miseram nominabis domum, quæ non inveniat in miseriore solatium. Plena & infesta variis casibus vita est, è quibus nulli longa pax, vix induciæ sunt. Non est delicata res, vivere. Longam viam ingressi sumus, labamur oportet, & cadamus, & lassemur. Per ejusmodi offensas emetiendum est cõfragrosum hoc iter. Nusquam tota quies, nusquam secutum gaudium; ubique occurrit quod turbet. Quidquid agamus, vivendi ratio aliter non constat.

Actor. c. 14. vers. 21. Luc. c. 24. vers. 26.

Via ad cælũ aspera.

Aug. tom. 8. in Ps. 138. circa med. mihi pag. 654.

Eccles. c. 2. vers. 23. Thom. de Kemp. li. 3. cap. 12. lege totum cap. Seneca epist. 82. initio, & consol. ad Pelyb. c. 33. & cons. ad Marc. c. 12.

Et plena variis casibus.

Et omnem obsecro rerum ordinem mihi contemplamini? Nihil in Orbe tam excellens, cui suus à latere non hæreat adversarius. Quid fecundioris imò & honestioris lucri est agricultura? at unica cæli excandescentia sæpe omnes terræ fenus abstulit. Verissimè dictum: *Qui observat ventum, nunquam seminat, & qui considerat nubes, nunquam metet.* Quid pulchrius aut mirabilius sole? Habet & hic suas maculas, nubibus obtegitur, terrâ quotidie sepelitur, eclypses & deliquia patitur. Quid aëre, quo vescimur, magis necessarium? uno anno, vel imò mense uno sexcenties, millies mutat, jam humidus, jam siccus, jam serenus, jam turbidus; modò salubris, modò noxius, modò subtilis, modò crassus & qualis in Bœotia. Nobilissimus liquor est vinum, sed quantis innatat fæcibus? vix illud biberet, qui torcular cogitaret: Et quot à vino quotidie damna sunt? Zythus, seu cervisia, quæ plurimorum gulæ pro nectare est, ex impurissimâ plerunque aquâ coquitur. Macellum venales porrigit car-

Nihil in orbe tam excellens cui nõ adhæreat adversarius. *Eccles. c. 11. vers. 4.*

git carnes, sed unà cum ossibus. Pulcherrimæ arbores etiam nanæ, immitia, vermiculosa, fugacia, calculosa poma generant: Venustissimæ urbes vilissimis domunculis & tuguriis non carent; ornatissimæ domus obscurissimos recessus & latebras habent, quo retrimenta conjiciantur; artificiosissima ædificia non ab omnibus incommodis sunt eximia. Cælum respicimus? Vix ullus innubis est dies; serenissimo cælo sævissimæ tempestates: non iidem semper flant venti; Favonios & Zephyros sæpe plumbeus Auster, & imbricitor Boreas excipit. Nec oleum sine amurcâ est, nec sine lolio triticum. Et quantum sordium latet vel in formosissimo homine: & quoties idem vel uno die mutatur? Verè, *Nunquam in eodem statu permanet.* Ecquid tibi vis, ô homo, DEVS etiam *in angelis suis reperit prævitatem.* Vbique adversarius, ubique hostis est. Nihil beatum ab omni parte. Et nos omni die volumus ridere Phœbum? omnia ire tranquillè, atque ad votum omnia succedere? Hæc somniantium insania est, non vigilantium. Omnia Naturæ opera reclamant, & ubique hostem latere pronuntiant. Idem in moralibus videre est.

Iob. cap. 14. vers. 2. Idem c. 4. vers. 18.

Quæ somniantium insania.

§. III.

VIx ullus liber est, cui non suus sit error & nævus, aut ab auctore, aut à typographo. Vbi honor est sine onere? Si onus desit, verus honor non erit. Et ubi cætus ille hominum est, qui malos omnes excluserit? Et ubi vir ille tam sanctus est, in quo nihil sit quod jure reprehendere possis? quod prandium, quæ cœna est, cui non suum misceatur acetum? Edo satis & impleo me? gravor, jámque cuperem parciùs edisse. Substringo appetentiam, & tempero? jam gula in cruce est. Ita semper liberalibus proximus hæret dies Cinerum, & Paschati parasceve. Honoris templo proximum est laboris: ex hoc in illud transitur. Sic ubi uber, ibi, tuber; ubi mel, ibi fel.

Voluptas & dolor se invicem sequuntur.

Dicuntur Iove judice litigasse Voluptas & Dolor, neque illa huic, neque hic illi in ullo cessurus videbatur: Ad quos Iupiter: Bene est, inquit, ita comparo vos, ut dirimi nequeatis. Et adamantino vinculo colligavit dissidentes. Inde nunquam non simul sunt. Quid miramur?

Semper odoriferis proxima spina rosis.

Quocunque oculos convertas, mel felle temperatum reperies, nec quidquam adeo purum est ab omni fæce. *Ingenium hoc omnibus creatis est, ut insitâ quadam vi ad mutationem ferantur & casum. Vt ferro consumens quædam rubigo per naturam agnata est; ligno exedens caries aut teredo: sic animalibus, oppidis, regnis internæ & suæ causæ pereundi. Supera, infera respice: grandia, parva: manu facta, aut mente: ab omni ævo corruunt, & corrent in omne ævum. Atque ut flumina ad mare feruntur, perpetuo & pleno cursu, sic res omnes humanæ per hunc (ut sic dicam) claudium canalem labuntur ad suam metam. Meta ea mors, & interitus, quibus pestis, bella, cædes administri & instrumenta sunt.*

Lipsi. l. 1. de Const. c. cap. 15.

Res humanæ per claudium canalem labuntur ad suam metam.

Quid ergo sibi vult impatientia nostra? Triumphos ante victoriâ? lautissimam mensam ante labores? Quis servum ferat, qui domum rediens ex agro, conqueratur triclinium nondum stratum, nondum illatas epulas? Tu bone vir sterne, tu epulas infer. Ita patersamilias jubet: *Præcinge te, & ministra mihi, post hæc tu manducabis: & bibes.* Est tempus spargendi ac seminandi, erit etiam tempus colligendi. Illud præcedit istud. *Qui seminant in lacrymis, in exultatione metent: Euntes ibant & flebant, mittentes semina sua, venientes autem venient cum exultatione portantes manipulos suos.* Ad rem Chrysostomus: *Quemadmodum*, inquit, *semina opus habent imbribus, ita nos etiam lacrymis: & quemadmodum terra opus habet ut aretur & proscindatur, ita anima fidelis, pro ligone indiget tentationibus & afflictionibus, ne producat malas herbas, ut ejus molliatur duritiem, ne nimium efferatur & exiliat. Oportet nos prius laborare, & tunc animi remissionē & otium quærere.* In Orbe hoc labor & afflictio est, in cælo quies & feriæ sequētur. Cælum affectas, & de corporis quiete cogitas? Eundem audi Chrysostomum, qui non immeritò nostram nobis segnitiem sic exprobrat: *Quid dicis, ô homo, quid agis? cælum paras ascendere, & regnum cæli invadere: & interrogas, ne qua tibi difficultas occurrat in itinere, ne quid asperum tibi in viâ accidat aut laboriosum, & non erubescis? non pudore oppressus sub terrâ temetipsum defodis? Quidquid agas, ad cælum non evades, nisi probè compositus.*

Luc. c. 17. vers. 8.

Psal. 125. v. 5, 6, & 7.

Chrys. to. 1. in Ps. 125. mihi p. 981.

Anima fidelis indiget tentationibus, ne nimiū efferatur.

Vir ille religiosissimus verè dixit: Regnū cælorum est regnum tentatorum, afflictorum, contemptorum, & variè decruncatorum. Quomodo audebis tu timide, inter tot decantatos duces comparere? Deus vult te scire, pretiosum esse bonum quod quærimus, pro quo consequendo hæc toleramus.

Vita Alvarez. c. 40. §. 1.

Gens Hebræa in terras uberes illas transitura, Sehon regem Hesebon his precibus convenit: *Transibimus per terram tuam, publicâ gradiemur viâ: non declinabimus neque ad dextram, neque ad sinistram. Alimenta pretio vende nobis ut vescamur; aquam pecuniâ tribue, & sic bibemus.* Non annuit ex: itaque vi fuit aperienda via. Cuperemus & nos transire ad cælum sine turbis & hostibus; & multorum votum est, neminem lædere, modò nec ipsi lædantur. Fruſtrā sumus. Non admittit cælum tam effeminatè pavidos, & qui hoc unum satagant, NIHIL PATI.

Deut. c. 2. vers. 27. & 28.

Pavidos non admittit cælum.

Ergo quod prisci cum laude usurparunt: *Nulla dies sine lineâ*: Imitemur & nos, dicamúsque: *Nulla dies sine nubeculâ.* Lux nulla transeat, quâ non aliquid strenuè agamus, aut fortiter patiamur pro Christo. *Quoniam per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei.* Per multas omnino, per plurimas. Nec verè quidquam in Orbe dignioris admirationis est, quàm homo fortiter miser, & obfirmatæ mentis ad tolerandum. Et *ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis.* Primus in Patientiæ gymnasio profectus est, scire, neminem nisi plurima patiendo proficere.

Actor. c. 14. vers. 21.

2. Cor. c. 6. vers. 2.

CAPVT II.

Quare discipuli in hoc gymnasio tam duriter, & asperè habeantur.

MOtu & agitatione plurima conservantur, alioqui peritura. Frumentum nisi ventiletur, corrumpitur, non rarò cùm situm ducit, alas acquirit, & evolat. Vestis perpetuo cistarum exilio damnata tineis fit epulum. Ferrum si nullo teratur usu, rubigine deteritur, & vires perdit. Vitis nisi putentur, in silvam degenerant. Vvæ nisi torculari premantur, putrescunt. Cetacea talia capimus, nec fidem negamus experientiæ. Nihilominus miramur, & ægrè ferimus, homines à Deo tot támque variis calamitatibus exerceri, & agitari. Diximus priore capite, sic oportere fieri: Nunc porro dicemus sic optimè fieri.

Horat. l. 1. serm. 3.

Stragula vestis, blattarum ac tinearum epula, putrescit in arca.

§. I.

CVr suos DEVS non in paradiso, sed è cruce in paradisum transferre decreverit, sexcētas causas est assignare. Hic ego ipsam inter homines consuetudinem interrogo: Si quis inhonestæ domus odium non concipiat à plagis, aut inde per scalas præcipitatus, multò minùs domum illam detestabitur, si pro gratissimo hospite in eā habeatur: Ita prorsus si

paullò nobis suavius esset in hoc orbe, cælestes, delitias vix ullus ambiret. Millesimus quisque diceret: Bene mihi est, quid ultra cupiam voluptates incertas? Hic plurimorum sensus foret opibus & voluptatibus suis ebrii, nauseárent cælum, velut boves è suo prato saturi, ibi procumbunt ubi pascuntur. Ideo felle miscenda erant omnia, ne mel Mundi pro summis delitiis haberetur. Cur, oro Hebræi tam inimicam experti sunt Ægyptum? siquidem immitissimi erant præfecti, labor geminatus, flagella perpetuò intentata, & insuper necandi erant eorum parvuli. Quid voluit his DEVS? Ægypti & universæ idololatriæ ingens apud suos tædium & odium conciliare. Eò spectabant Mosis exhortationes ad terras fertilissimas desiderandas. Eò permissus sævire Pharao, ut populus Hebræus, odio tam ferocis domini aliam sibi patriam indagaret.

Cur permisit Deus Hebræos in Ægypto tam multa mala pati:

Pulchrè dixit Gregorius: *Pio Dei consilio agitur, ut hujus peregrinationis tempore electorum vita turbetur. Via est vita præsens, quâ ad patriam tendimus: & idcirco hic occulto judicio frequenti perturbatione conteritur, ne viam pro patriâ diligamus.* Viator, præsertim lentus ac desesin amœnis pratis, sub umbrosis arboribus, in opacis nemoribus facillimè detineri se patitur usque & usque moras nectit; modò hîc, modò illic sessitat, dum diem amittit. Addit Gregorius: *Electis ergo suis ad se pergentibus Dominus hujus mundi iter asperum facit: ne dum quisque præsentis vitæ requie, quasi amœnitate vitæ pascitur, magis eum diu pergere, quàm citiùs pervenire delectet: ne diù oblectatur in viâ obliviscatur quod desiderabat in patriâ.*

Gregorius lib 23. mor. c. 15. post med.

Sic & Christianos in hac vitâ.

Greg. l. 25. mor. c. 15. post med.

Quemadmodum verò divinum amorem acuit, vel primoribus labris gustasse, quàm suavis sit Dominus; ita prorsus delibasse nonnihil quanta rerum fluxarum sit amarities, in earundem odium non leviter impellet. Atque hoc agit afflictio; absinthium Mundi libandum porrigit; spinas pedibus substernit, ut ad concitatiùs eundum impellat. Eleganter Augustinus: *O infelicitas*, inquit, *generis humani! Amarus est Mundus, & diligitur; putas, si dulcis esset, qualiter amaretur?* Turbatur, & tamen amatur: quid si tranquillus esset? Flores Mundi quomodo colligeres, qui à spinis non revocas manum?

Augustin. to. 10. serm. 3. de Temp. circa med.

Ejusdem animi Chrysostomus: *Si*, ait, *cùm nos undique tristia circumeunt, tam libenter præsenti vitæ immoramur, si nihil horum esset, quando unquam futura desideraremus?* Adeo cæco nostri amore furimus, ut pro sanitate pharmacum, pro termino viam, pro conditore res conditas amemus. Hinc DEVS pænè cogitur calices ingerere amariores, ne poscam & absinthium pro nectare bibamus, & ne cœlo præferamus terram.

Chrysost. homil. 6. ad Pop. Antioch.

§. II.

AVreus ille, quem dixi, orator Chrysostomus, decem rationibus illud egregiè adstruit, *Vtile esse affligi*. Quâ in re illud penticulatiùs hîc cogitandum, ab intelligentiâ humanâ nec tenuissimam quidem umbram divinæ Majestatis capi: Reges nobis & Cæsares imaginamur, cum DEVM cogitamus. Ah, quàm viles, quàm & pueriles sunt vel sublimissimæ cogitationes nostræ. Atque hinc varius error. Sapientiæ vox est: *Deus tentavit eos, & invenit illos dignos se.* Adeo immensa Dei Majestas est, ut divino aspectu nemo dignus haberi possit, nisi calamitatibus variis exercitatissimus, velut generosus & fortis athleta, cui præmium non debetur, nisi post certamina. Ad rem dixit Nicetas Choniates: *Is solum miser est, qui in afflictione constitutus nimium tristatur, & Deo non se dignum præbet.*

Sap. cap. 3. vers. 5.

Nemo aspectu divino dignus nisi variis calamitatibus exercitatus; Gen. c. 27. vers. 21.

Isaacus senio jam pænè cæcus, ut filium attactu exploret: *Accede ad me*, inquit, *ut tangam te fili mi, & probem utrum tu sis filius meus.* Vix aliter Deus: Tangendus es, mi fili; calidas quidem manus habeo, & urunt, sed si filius meus es, patieris te tangi; qui uri non vult, meus non est, me indignus est. Vnigenam filium meum in crucem agi passus sum, & inveni eum dignum me; nec ferè antiùs egi cum Matre Virgine, in cujus pectore gladium doloris defixi, plurimis annis inhæsurum, & inveni eam dignam me; nec certè hactenus mihi amicissimos aliter tractavi, & inveni eos me dignos. Et quid tu jam, eximi vis hoc numero, & esse singularis? Si exceptus es à supplicio flagellorum, deletus es è numero filiorum. Sic ergo filios meos exerceo; sic exercendo, etiam honoro. Opulentior certè fuit & honoratior Ioseph in exilio, quàm in paternâ domo. Ezechiel captivorum medius, cælestibus ostentis, exhilaratus est. Tribus Hebræis juvenibus nunquam suavius fuit, quàm in flamarum ergastulo: nihil eis unquam honorificentius contigit, quàm in mediis ignibus habere socium aspectabilem angelum. Quisquis igitur inter Dei filios vult numerari, generosis vocibus se talem monstret; dicat impavidus: Affligor, sed patienter: bene est. Torqueor, sed pro Christo libenter: dulce est. Calumniis & falsis accusationibus obruor, sed pro Deo hilariter: rectè est. Vincior & uror, sed pro cælo fortiter: optabile est, non quod ignis me non urat, sed quod non vincat. Malo me Deus in castris suis, quàm in delitiis hîc habeat. Scio: mactandus vitulus ad pascua liber dimittitur, servandus jugo premitur: *Castigans castigabit me Dominus, & morti non tradet me.* Ita sentire, ita & loqui decet Christianum athletam.

Quia exceptus à supplicio flagellorum deletus est è numero filiorum.

Psal. 117. vers. 18.

§. III.

ATque ut hæc probiùs capiamus, ita ratiocinamur: Supremum elementum ignis tantæ nobilitatis, sed & roboris tanti est, ut quidquid comprehendit ac suum facit, pannum, corium, ligna, ipsos etiam silices redigat in cineres, perinde si dicat: ea mihi est innata generositas, ut hæc viliora omnia in gremium meum non admittam, neque enim invenio illa me digna: sed da argentum, da aurum metallorum nobilissima, his non noceo, hæc gremio meo dignor, hæc purgo, & nitidiora reddo, ista scilicet invenio me digna. Itáne ignis tam inter res creatas eminet, ut in amplexum non recipiat nisi se dignissima: quid de Deo sentiemus; Malachias admirabundus: *Quis poterit cogitare*, inquit, *diem adventus ejus, & quis stabit ad videndum eum? ipse enim quasi ignis conflans, & emundans argentum, & colabit eos quasi aurum & quasi argentum. Sedebit conflans*, neque enim levi brachio, & obiter, sed acurate argentum atque aurum in pristinos nitores recoquet; Tentabit scilicet eos, & inveniet illos dignos se.

Ignis eminentia inter res creatas.

Mal. c. 3. v. 2. & 3.

Hoc DEVS triplici fine agit. Nam quos affligit, hos aut castigat & punit, aut corrigit, & emendat, aut denique remuneratur & coronat. Primum, quid miramur, à Deo quotidie puniri nos & corripi? quotidie delinquimus: *septies enim in die cadet justus.* Quâ in re Deus humanam industriam imitatur, hæc ubi æs alienum conflare refugit, omne nomen præsenti monetâ expedit: ita Deus quotidianas noxas, miseriis quotidianis expiat. Et hoc magni favoris est. Nam *dum judicamur, à Domino corripimur, ut non cum hoc Mundo damnemur.* Hebræus rex David: *Priusquam*, ait, *humiliarer, ego deliqui.* Vbi noxa, ibi pœna.

Triplici fine Deus tentat electos. Primus.

Prov. c. 24. vers. 16.

1. Cor. c. 11. vers. 32.

Psal. 118. vers. 67.

Alter Dei finis est, cùm afflictione nos docet & corrigit. Seipsum, curtámque supellectilem suam nosse, maximæ felicitatis est. Atqui notitiam hanc inter adversa commodissimè docemur. Gregorius dilucidè: *exterius*, inquit, *percutimur, ad peccatorum nostrorum memoriam taciti afflictique revocamur, & per hoc sine quod*

Secundus.

Greg. l. 3. pastor. ad. mon. 13.

quod foris patimur, magis intus quod fecimus, dolemus. Gigas ille Goliathus in duello cecidit, lapillo dejectus, quia se invincibilem credidit. Petrus promissis animosissimus paratum se ajebat & carceres & mortem pro Domino tolerare. Ergo adsis, mi Petre, & sesquihorulâ excubias age. Ah, qualis excubitor! vix à statione dux abiit, & miles hic stertere cœpit. O vigilum Præfectum! in excubiis dormit, dein fugit & stationem deserit, ad ancillulæ vocem arma projicit, & militem se negat capti ducis. Sed hac ratione Petrus se nosse didicit. Augustino teste, *Profectus noster per tentationem fit, nec quisquam sibi innotescit, nisi tentatus.* Ignem in saxi venis latere quis sciret, nisi eum chalybe proliceret?

August. in Psal. 60.

Demum, coronat etiam Deus affligendo. Gregorius id observans: *Cùm innoxius*, inquit *flagello atteritur, ei per patientiam, meritorum summa cumulatur. Electorum anima nunc marcescit, quia in illâ postmodum aternâ exultatione virides cit. Modò eos dies afflictionis possident, quia dies lætitiæ post sequuntur.* Hoc ipsum divinus præco pronunciat: *Beatus vir qui suffert tentationem, quoniam cùm probatus fuerit, accipiet coronam vitæ.* Neque ideo tantùm affligimur, vt futuris præmiis paremur, sed ipsa quandoque afflictio præmium est.

Greg. præfatione in Iob c. 5. med. & lib. 20. moral. c. 20. post med.

Iacob. c. 1. v. 12.

Iustus Lipsius, sol ævi nostri, & quod de Plinio ferebatur, eruditionis facilè princeps, ita Musas coluit, ut pietatem non tantùm non neglexerit, sed Musis eam omnibus prætulerit. Annis compluribus octavo quoque die apud Leonardum Lessium Societatis IESV Theologum conscientiæ nævos absterserit, tenuitque constanter quam cœpit integerrimam vivendi rationem. Quid præmii à Deo accepit? Hoc ipsum quod nos supplicium nominamus. Habuit Lipsius bibliothecam, undequaque lectissimam, quæ librorum florem possideret. Nam ex omnibus Orbis partibus, quidquid rarioris aut venustioris litteraturæ pretio & precibus nancisci potuit, in hoc gazophylacium redegit. Sic optimorum voluminum thesaurus ingens, & contra omne aurum æstimandus in unam domum confluxit. Nec habuit Lipsius extra cælum quod ardentiùs amaret quàm litterarias has delicias. Dixisses cor omne Lipsii in bibliothecâ illâ altissimè sepultum. Sed ô fatum, Deus, acerbum! Quod maximâ curâ, quod annis pluribus studiosissimè congestum est, id omne subitus ignis unicâ rapinâ abstulit. Heu, dolor! Maluisset, credo, Lipsius seipsum perdere, quàm hæc sua longè sibi charissima. Sed hîc Dei mos est, hæc illius sunt præmia, quibus virtutem in hoc Orbe remuneratur. Atque hoc etiam favor interpretandus est. Sic Deus cum amicissimis agit: aut enim quod illis charissimum est aufert, aut quod innumeris precibus postulatum est negat. Est subinde, qui velut Deo persuasurus, ne suas sibi delitias auferat: O domine, inquit, affli e me prout vis, hoc solùm quod postulo, concede; aut hoc unum quod sic amo, non eripe. Surdus est hîc Deus; charissima tollit, desideratissima non concedit, atque sic ipsum cor hominis configit. Et hæc gratia, hoc Dei præmium est. Sic Angelus Tobiam solatus: *Quia*, inquit, *acceptus eras Deo, necesse fuit ut tentatio probaret te.* Perinde si dixisset: Vbi virtus, ibi & virtutis præmium afflictio. Afflictus est, quisquis Deo charus est.

Quomodo Deus cum amicis agat.

Tob. c. 12. vers. 13.

§. IV.

AT subinde Deus calamitates immittit, non ut noxas puniat, aut errantes corrigat, nec ut virtutem erigat, sed vt potentiam suam ostendat. De cæco apertè Servator: *Neque hic peccavit, neque parentes eius*, inquit, *sed ut manifestentur opera Dei in illo.* Quâ hoc æquitate, dixerit aliquis: an fas esse censeam, alterum spoliare, ut me vestiam? Respondemus, jus duplex statui; jus strictum, rigidum, summum, Theologis *Condignum* dicitur: & jus mitigatum, cùm quid bonâ fide decernitur. Sint igitur omnes homines Hieremiæ, Danieles, Baptistæ, moribus integerrimis, nihilominus Deus jure stricto punire hos potest, quâdoquid noxa primigenia, & inhærentis peccati contagio præcessit, quæ quidem miseriarum omnium scatu igo est. *Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors*: sed non sola; comites ea habuit calamitates innumeras. Igitur post præmissam labe nativam potest Deus æquissimè & omnibus juris apicibus servatis, vel innocentissimos quibuscunq; suppliciis non æternantibus (*de Condigno*) afficere. Hinc & infantum plurimi morbis ac morte puniuntur. Quantò autem jam magis puniendi sumus, cùm naturæ crimen nostris sceleribus augemus; Deinde, si puniat Deus subtrahendo ea quæ alioqui solitus est concedere, victum, valetudinem, facultates, & si quis hæc talia sibi adempta conqueratur, justissimè Deus respondeat: Nihil tibi debeo, quod hactenus dederim, tu meritissimam interpretare gratiam: dona mea sunt gratuita. Nunc illa subtracto, ut scias à me fuisse, nec me tibi quidquam obligarum. Hactenus ante liberalis fui; si nolim esse ampliùs, quâ lege contra me ages? An *non licet mihi quod volo, facere? Amice non facio tibi injuriam: tolle quod tuum est, & vade.* Hanc numinis æquitatem Augustinus explicans: *Subtrahit nobis aliquando*, inquit, *quæ necessaria sunt, & atterit nos: ut sciamus, quia pater & dominus est, non solum blandiens, & flagellans.* Et quis injuriolam vel levissimam hic objecerit? Principis arbitrium est, huic equum, huic torquem, huic præfecturam, huic nihil donare. Sed esto debeantur nobis vitæ necessaria, nihil tamen injuriæ inferretur, si ea Deus ob solum Majestatis suæ honorem adimeret. Quid querimur, subditi sumus, & ab opere clientelæ nequaquam immunes. Illos solùm eximios dixeris, qui *in labore hominum non sunt, nec cum hominibus flagellabuntur.*

Ius duplex condigni & mitigatum.

Rom. c. 5. vers. 12.

Præscindendo à præsciti Dei decreto, & absolutè loquendo, nõ de pœnâ culpæ, sed de pœnalitatibus, ut distinguunt Theologi. Vide Vasq. tom. 2. in 3. partem S. Thomæ quæst. 69. disp. 261. de Baptismo cap. 3. Matt. c. 20. v. 15. 13. & 14. Aug. tom. 8. in Psal. 62. mihi pag. 260 a.

Psal. 72. vers. 5.

Nec nescimus, vitam charioremesse valetudine, pecuniis, honore. *Cuncta quæ habet homo dabit pro animâ suâ.* Atqui Martyres testando in Christum amori, vitam impendebant alacerrimè; & nos eandem ob caussam minorem negabimus? Deinde, quod hoc genus est injuriæ, si cui depexum ac defflocatum palliolum adimatur, & detur novum atque melius? non nisi insanus reluctabitur, nec minùs tatuus sit qui pileum triobolarem sic æstimet, ut quinquaginta pro eo Philippeos respuat. Deus valetudinem, opes, dignitatem eripit, ut tantò plus reddat gratiæ, plus gloriæ. quid hoc iniuriæ? Eâ de caussâ beatus Iacobus hortatur? *Omne gaudium existimate, fratres mei, si in tentationes varias incideritis.* Optima commutatio, res fluxas æternis commutare.

Iob c. 2. vers. 4.

Deus valetudinẽ, & opes eripiendo nulli facit injuriam: Iac. 1. vers. 2.

Ignatius Antiochenus præsul eo ardebat patiendi desiderio, ut aliquòsè dixerit: Ignis, crux, bestiæ, ossium confractio, membrorum divisio, & totius corporis contritio, & tora tormenta diaboli in me veniant, tantùm Christo fruar. Nempe res maximi quæstus est, sic jacturam facere.

Refert Ioannes Climacus rem miram in monasterio à se suis & oculis & auribus observatam. Erat illius monasterii œconomus vir modesti prorsus mitisque ingenii, ut quis alius. In hunc cœnobii pater gravissimè invectus, eum velut ceterorum consortio indignum è templo jussit ejici. Climacus secreto alloquio abbatem conveniens, reprehensi hominis innocentiam impensiùs commendare cæpit. Cui Abbas prudenter: Scio, ait, mi pater, œconomum nostrum virum esse religiosum ac probum, neque hactenus id unquam commisisse, quod tam

Clim. gradu 4. ante med. mihi pag. 57. Probitas exemplo.

Ioan. c. 9. vers. 3.

tam mordaci aceto sit eluendum. Sed nosti, neminem nisi crudelem & barbarum ex infantis ore aut manu panem rapere: ita & cœnobiarcham eum nec sibimet nec aliis æquum censeas, cui curæ non sit suos singulis horis ad auctius in cælo præmium obtinendum evehere, quacunque demum id fiat ratione, sive reprehensionibus, seu contumeliis, sive ludibriis, seu accusationibus. Virtus adversis agitata crescit, vulnere viresci; inter injurias erigitur; inter miserias floret; Virtus sine adversario marcet. Religiosus ergo præses, qui horum negligès est, hos quidem tolerantiæ præmio privat, illis autem exemplum patientiæ subtrahit, iltis denique ansam præbet superbiendi, cùm illis desit exercitium tuendæ modestiæ; uti terris etiam fertilissimis infelix lolium innascitur, si cultura cesset, aut ros pluviæque non rigent. Quod si cœnobiarcha ritè ac ordine facit, quando insontes etiam contumeliis exercet, cur amplissimi monasterii pater, Orbis gubernator Deus, qui Oceano, & Cælo velut muris clausum continet monasterium suum; Cur hic, inquam, Magnus pater iniquè faciat, si filios suos fame, morbis, egestate, injuriis exerceat? Optima ratiocinatio. Et certè Virtus sine adversario marcet. Vel hoc Quinti Metelli tum gravis, tum etiam alta in senatu sententia commonstret. Metellus devictâ Carthagine, in frequenti senatu: Nescire se, ajebat, bonine plus an mali Reipublicæ attulisset illa victoria, quoniam ut pacem restituendo profuisset, ita Hannibalem submovendo, nonnihil nocuisset. Ejus enim transitu in Italiam, dormientem populi Romani virtutem excitatam dicebat: metuique debere, ne acri æmulo liberata, in eundem somnum revolveretur. In æquo igitur malorum posuit vri tecta, vastari agros, exhauriri ærarium; & prisci roboris hebetari nervos.

Valer. l. 7. c. 2. post init.

En oraculum longè certissimum: Virtus sine adversario marcet: sine cruce dormitat Patientia. Ergo salve ô pretiosa crux, quæ noxarum rubiginem detergis, quæ speculum opponis, ut nosipsos discamus nosse, quæ in theatrum producis ad exhibendum patientiæ specimen, quæ coronas non navales, non obsidionales, non civicas, non murales, non castrenses, sed cælestes porrigis, quæ ad omnigenam nos virtutem erudis, quæ deducis ad Deum. O ergo Domine hîc punge, hîc ure, hîc seca, hîc lacera ut in æternum parcas. Atque ubi deinceps amarior nobis calix ingeretur, quærebatur: *Potestis bibere calicem?* Animosè respondebimus *Possumus*, possumus; divinis freti viribus, non nostris. Neque verò *major est servus Domino suo.* Si Ioab dux belli sub pellibus degat, turpe prorsus erit Vriam domi suæ molli lectulo decumbere. Turpissimum, sub capite cruento & spinis redimito, membra delicata, rosis & armillis decorata cinnamomum & balsamum olere.

Beati And. Voces.

Matt. c. 20. v. 22.

Ioan. c. 15. v. 20.

2. Reg. c. 11. v. 11.

Nostrum igitur est, exactè scire. Deo sexcentas esse causas, cur discipulos suos in scholâ suâ exagitet, curis fatiget, doloribus premat, & prorsus asperè tractet. His plagis ad beatam immortalitatem erudimur: hâc itur ad vitam sempiternam. *Non itaque*, ait Augustinus, *in flagello deficiamus, ut in Resurrectione gaudeamus.*

Augustin. to. 10. de verbis Domin. serm. 23. cap. 3.

CAPVT III.

Cur discipulorum aliqui plus aliis in hoc gymnasio vexentur.

VEtus discipulorum in scholis, & civium in urbibus querela est, alios plus aliis exagitari; his plurimum indulgeri, nihil illis; corvos diuitti, cen-

A suris columbulas vexari. Non ritè hoc fieri; civibus æquali jure vivendum esse videri, cùm tamen immorigeri, contumaces, ac refractarii plerumque plus favoris obtineant & præmii, quàm optimus quisque. Non pauci hac de re conquesti sunt, & quidem sanctissimi viri. Hieremias vates: *Quare*, inquit, *via impiorum prosperatur? bene est omnibus qui prævaricantur, & iniquè agunt.* Iobus de eodem conquestus: *Quare*, ait, *impii vivunt? sublevati sunt, confortatique divitiis.* His non minùs queritur Propheta Habacuc, dum propemodum expostulat, hoc modo: *Quare respicis contemptores, & taces conculcante impio justiorem se?* Sanctissimus Rex David in has ipsas querelas devolutus: *Mei autem pænè moti sunt pedes*, inquit, *pænè effusi sunt gressus mei*, quia *zelavi super iniquos, pacem peccatorum videns. Et dixi; ergo sine causâ justificavi cor meum.* Fruſtra virtutem colimus, si nequitia virtute sit potentior, si amplioribus præmiis ornetur vitium quàm

Hier. c. 12. vers. 1.

Iob. c. 21. vers. 7.

Habac. c. 1. vers. 3.

Psal. 72. v. 2. & 3.

Vers. 13.

B virtus.

Quisquis es, oculos in Orbem emitte, & videbis eos hîc illic mori à quorum incolumitate plurimorum salus vertebatur; eos porrò superstites vivere, quos nunquam nasci, melius fuisset, cernes sanissimos rapere ac latrocinari, eos qui neminem lædunt, miserè conflictari morbis: non paucos improbissimorum emergere ad dignitatum apices, honestissimũ quemque cum durâ egestate luctari. Quis hæc satis miretur? quis non etiam indignetur, passim florere vitium, virtutem laudari, & algere? Ipse Augustinus: *Nescimus*, inquit, *quo judicio Dei bonus ille sit pauper, malus ille sit dives.* Hunc jam scopulum ad quem impegerunt tot integerrimi viri, amoliemur è viâ. Huic igitur quæstioni respondendum: Cur in gymnasio patientiæ dociliores & modestiores laboribus urgeantur granioribus, & plerumque durius asperiusque tractentur, hoc est: Cur sæpe bonis malè sit,

Aug. li. 20. de civit. cap. 2.

C & malis bene.

§. I

HVmanæ rationi difficile videtur captu, *Viam impiorum adeo prosperari.* Si quis innocens Abel, in Adami familiâ, occiditur, si quis in ædibus Iacob, obsequens Iosephus in foveam dejicitur, exteris venditur, in carcerem detruditur; si quis fervidus Elias, in exilium pellitur, fame cruciatur; si quis pius Daniel, ad leones damnatur; si quis patiens Iobus, à diabolo flagellatur; si quis sceleris purus Baptista, in Herodis vincula trahitur, si quis ardès amore Petrus, ad Neronis gladium rapitur. Evolve sacra oracula à primo Geneseos ad ultimũ Apocalypseos caput, nil pænè crebriùs spectabis, quàm proborum calamitates. Ite, mortales, per cuncta retro sæcula, sacram profanámque historiam omnem pervestigate, nusquam non lacrymas sanctiorum hominum deprehensuri. Athenis Sapiens Socrates, Phocion Bonus, Aristides Iustus, Miltiades Victor indigna patiuntur: Aristides exilio, alii morte puniti. Idem Romæ M. Cato sapientis viri exemplar, virtutum viva imago trahitur, vellicatur, truditur, sputis obruitur, prætura & toga ei detrahitur, è senatu in carcerem ducitur, & uti Socrates, in carcere mori cogitur; Rutilius & Camillus in exilio vivere; Pompejus & Cicero clientibus suis cervicem prebere jubentur. Bonorum exitus sæpe mali, sæpe pessimi. Ecquis virtutem colat, si tam iniqua sunt virtutis præmia? In vinculis gemit Ioannes Baptista, Herodes inter delitias tripudiat. Lazarus fame moritur, opulentus ille Lazari carnifex in purpurâ quot diebus splendidè epulatur? *Multæ tribulationes justorum*, multæ prorsus, multæ. Quid hîc Deus? an dormitat, an dissimulat? qui omnes capitis pilos, omnes æris passerculos, omnia

Sen. lib. de tranq. c. 15. post init.

Psalm. 33. vers. 20.

cujus-

cujuscunque arboris folia habet numerata, nec ullum ipsò non annuente in terram defluit: hâsne tot injurias spectare potest & tolerare? *Quomodo scit Deus, & si est scientia in excelso?* Hic ille scopulus est tot malè trepidantium diffidentia infamis.

Psalm. 33. vers. 11.

Ὕστερα πρότερον.

O mortales, nec rerum ignarus, nec injustus est Deus. Sapientissimè, justissimè rerum vices in Orbe mutantur, ut primi fiant novissimi, & novissimi primi, ut insontes puniantur, & dimittantur sontes. Hæc modò Saturnalia vivimus, improbi vigent, florent; probi jacent, gemunt, doléntque; domini serviunt, servi dominantur. Sed hoc quantillo tempore? Aliud decernet Æternitas. Nunc illi meliori vitæ præludimus. Ne mirenur in hoc lusu omnia susque déque verti, Virtutem pœmi catenatis laboribus, vitium delicato frui otio. *Nihil in terrâ sine causâ fit.* Aliquot causarum pandimus.

Job. cap. 5. vers. 6.

§. II.

Rom. c. 8. vers. 29. Prima causa, cur boni in hoc mundo flagellentur est: *Conformitas cum Christo.*

PRima: *Conformitas cum Christo. Nam quos præscivit; & prædestinavit conformes fieri imaginis filii sui.* Filium Deus ad nos misit: sed quam ille nobis, obsecro, imaginem sui exhibuit? Hominis contemptissimi, calamitosissimi, in crucem acti. En tibi, ò homo, quam æmuleris imaginem, cui conformis fias. Omnis vita Christi, crux fuit merissima. Et quam tu tibi vitam fingis quietam, delitiis affluentem, voluptatibus refertam? Christo, antequam nascatur, natalitia domus monstratur stabulum; vix nascitur, & ad mortem quæritur: natus non eburneas argenteásve cunas, sed stramineum præsepe occupat. Infantiam & juventutem inter labores & egestatem exigit. Testis ipsemet: *Pauper sum ego,* inquit, *& in laboribus à juventute meâ.* Vbi concionari cœpit, contumelias, irrisiones, omnis generis injurias excepit; non defuerunt qui saxa tollerent ad eum lapidandum; qui ad montis jugum ducerent, ad eum præcipitandum. Denique, ad omnium injuriarum coronidem, in cruce moritur; in tumulo non suo sepelitur. Et quemadmodum pati cœpit Christus, antequam natus est, ita pati non desiit, postquam mortuus est. Post mortem, jam sepultus audit, *Seductor ille.* De seipso Christus verissimè dixerit: In mè transierunt iræ tuæ, *& omnes fluctus tuos induxisti super me.* Hanc Deus imaginem filii proponit imitandam. Hic in palatinæ familiæ vestitu color est, hoc Principis colore insigniri est, variè affligi. Verissimè dictum: *Tota vita Christi crux fuit, & martyrium, & tu tibi quæris requiem & gaudium?* Academiis quibusdam mos est, ut qui in domo sapientiæ degunt, unius sint vestitûs: ita & Deus alumnis suis in gymnasio Patientiæ concolorem vult esse vestem; paribus cum filio insignibus vult eos amiciri; contemptu, irrisionibus, opprobriis, calumniis, calamitatibus velut veste operit; Prædestinavit conformes fieri imaginis filii sui.

Psalm. 87. vers. 16.

Matt. c. 27. vers. 63. Psal. 87. vers. 8.

Thom. de Kemp. li. 2. c. 12. nu. 7.

Quæ vestis in gymnasio patientiæ.

Altera causa: *Calamitas & afflictio ignaviæ stimulus est.* Plerique omnes laboris fugitantes, ad ferias & ad otium proniissimi sumus. Hinc quando cessant stimuli, in somnum ignavissimum delabimur, non sine noxâ salutis nostræ. Vestem semper otiosam perrodunt tineæ. Agrum ab aratro semper vacantem obtexunt spinæ. Aquam perpetuò stagnantem incolunt ranæ & rubetæ. Hominem extra calamitatis metas positum enervant delitiæ, occupant vitia. Nimirum dum dormiunt homines, venit inimicus homo, & superseminat zizania. Dum Samson sinum Dalilæ dormiendo implet, & capillos & robur omne amittit. Philistæi eum excitarunt, sed jam malè attonsum & viribus destitutum. Scipio Nasica, illud Sapientiæ corculum, vel ideo deleri noluit Carthaginem, ut essent qui Romanos dormire prohiberent. Deus ipse

Secunda causa. *Calamitas & afflictio ignaviæ stimulus est.*

Matt. c. 13. vers. 25.

A Hethæos, Gergezeos, Amorrhæos, Chananæos, Pherezæos, Hevæos & Iebusæos robustissimos hostes in medio Israëlis statuit, ne Israël vitiis indormiret, haberétque perpetuam pugnandi ac vincendi materiam.

Deus inimicos in medio Israëlis statuit, ne Israël indormiret,

Eo tempore, quo David nondum proclamatus Rex, ferarum latibula incolebat, nusquam ab insidiis securus, religioni sibi duxit, vel hostem capitalissimum Saulem attingere; partâ tranquillitate, jamque inter delitias otiosus fidelissimum Vriam litterulis occidere non reformidavit.

Ecclesia nunquam florentior, quàm cùm afflictior inter cruces & gladios suorum martyrum pugnas & victorias spectavit. Eadem cujusque hominis ratio est; cùm ab adversis quietus est, in somnum vergit, & vitia cogitat. Profectò ni fodiamur, vellicemur, pungamur, in ignaviam defluimus; nisi aliquid intervenit, quod humanæ sortis admoneat, pænè perpetuâ ebrietate sopimur. Sed observa hîc mihi, quid B quandoque in scholis faciat magister. Videt is duos suorum in diversis sedilibus dormientes, mox altum inclamans: Tu illic, inquit, dormientem puerum fodica, & somnum ei excute. Alterum dissimulat videre dormientem. Eccur non utrumque jubet excitari? In promptu causa est. Alter adolescens docilis ac disciplinæ capax brevi jubebitur repetere prælecta, linguæ ac ingenii prompti, atque hac notâ magistro charus: Ille alter Endymion, scholæ fucus est & merus stupor, nunquam ferè taciturnus aut bonus, nisi cùm dormit. Hunc talem neglectim præterit magister, eúmque mavult dormire quàm garrire, & ceteros turbare: ita Deus dociliores ceteris sibique commendatiores urget, excitat, exercet: flagellat omnem filium, quem recipit.

Sic hominem vellicat ne in ignaviam defluat.

Similis usus.

§. III.

Tertia causa: *Augmentum fidei.*

TErtia causa: *Augmentum fidei.* Discentem oportet credere. Elysias beatorum sedes, æternos C damnatorum rogos credimus, sed quâ fide, obsecro, & quàm vivâ? oculus eò nequit pertingere, nec ulli è cælo aut inferis remeant, qui narrent quis illic rerum status sit. Hæc cogitatio non neminem torquet. *Dixerunt enim cogitantes apud se non rectè, non est qui agnitus sit reversus ab inferis.* Enimverò utrumq; illud firmissimè credendum, nisi divinum Numen injustitiæ arguamus. Nam si Deus nec improbis supplicii, nec probis præmii, quod ex pacto vult debere, inter has mortales moras tribuit, certè loco meliore non differet virtutem liberalissimè remunerari. Atqui constat virtutis præmium hîc plurimis negari, quos dura paupertas, quos morborum series, & agmina malorum cingunt. Sed nec improbis sua stat merces hoc vitæ curriculo, si quidem aurâ secundâ navigant, ventósque habent faventissimos, cùm tamen procellosissimas maris procellas essent meriti. Illorum itaque spes in dies augenda; hi verò metuant, quem oderunt, futurum judicem. Nemo revera gratis bonus est, nec malus gratis est ullus. Quando igitur nemo tam improbus est, quin subindè, veluti per oblivionem nequitiæ, boni quid dicat faciátve, hoc quantulumcunque est, præmio suo quali extemporaneo non destituitur. At supplicia improborum ad æternitatem spectantia differuntur, non auferuntur: *Altissimus est patiens redditor.* Quapropter hîc fides animanda est, ut è pœnis istis ac præmiis brevioribus, altissimè imbibat æternitatis & præmia, & supplicia.

Tertia causa: *Augmentum fidei.*

Sap. cap. 2. vers. 1.

Fide tenèdum probis præmium, improbis supplicium Deum remunerarum.

Eccli. c. 5. vers. 4.

Quarta causa: *Intellectus illustratio.* Valde laborandum est magistro in scholis, ut pueri paullatim sapere discant, & nuces abijcere; ut incipiant scire quàm nihil sciant. Hoc ipsum in Patientiæ gymnasio laborat Deus, ut vexatio det intellectum.

Quarta causa. *Intellectus illustratio.*

Isai. c. 28. vers. 19.

Sanè quàm miseri, quàm & fragiles ac caduci simus, non satis capimus, dum ipsæ nobis miseriæ id persuadeant. Tantò insuper nosipsos amore deperimus, ut persuasissimum habeamus deesse nobis vires ad multa perferenda. Sed testis in nos experientia, vel invitis oculis ingerit, docétque quanta possumus, si velimus pro Christo ferre. Ægrotorum plurimi ea patiuntur, quæ sani nūquam credidissent se pati posse. Sed & hoc patiendo discimus, quàm tenuis & exigua sit nostra patientia. Facile cuivis est patientem se gerere, cùm quod patiatur non habet. Iessæus rex seipsum arguens: *Ego dixi*, ait, *in abundantiâ meâ, non movebor in æternum. Avertisti faciem tuam à me, & factus sum conturbatus.* Tam imbellum ac timidum Petrus se nunquam credidisset, nisi tam miserabili lapsu corruisset. In cænaculo magnificas sparsit voces: *Etsi oportuerit me mori tecum, non te negabo; etsi omnes scandalizentur, non ego.* Sed paullò pòst qui esset didicit. Hanc ob caussam Siracides hortatur: *Fili in virâ tenta animam tuam, & si fuerit nequam, non des illi potestatem. Qui non est tentatus quid scit?* Opus est ad notitiam sui experimento. Nemo sciet quid possis, ne tu quidem ipse, si nullam tibi difficilior casus det occasionem. Quousque tubæ sonitus progrediatur, tunc sciri potest cùm tuba inflatur. Piper integrum quàm sit odoriferum, tunc sentitur cùm teritur. Testudo aut chelys, quàm correctas habeat fides, tunc cognoscitur, cùm manus aut pecten admovetur. Quàm patiens fuerit beatissima Domini Mater, in stabulo Bethelemi, ex fugâ in Ægyptum, sub cruce Hierosolymis patuit. Benjaminus & Stephanus sanctissimi anachoretæ quàm & ipsi fuerint patientes, gravissimi eorum morbi pro testimonio dixerunt. Stephanus quidem cùm putridos artus chirurgo secandos præberet, ipse interim se quid temporis periret, manibus palmas contexit: támque constanti ore sectiones omnes pertulit, perinde si corpus nō suum secandum obtulisset. Cùmque alii vel spectando dolores alienos sentirent, Stephanus iis: O filii, ait, quidquid Deus facit, ad bonum finem facit. Patiamur, & luctemur dum in stadio sumus. Melius est breviculo dolore corripi, quàm supplicis æternis involvi. Benjaminus, qui annis 80. ad virtutis amussim omnia egit, & quibuscunque morbis vel attactu solo mederi potuit, ipse miserandum in modum hydrope intumuit. Ad hunc Dioscorus antistes cum Euagrio & Palladio revisens: Adeste, ejebat, & videte obsecro novum Iob, qui dolores incredibili condit patientiâ, sed & gratias agit, quod ægrotare sibi liceat. Quibus & ipse Benjaminus: Orate, inquit, filii, ne interior homo sit hydropicus. Corpus mihi non profuit cùm illi bene fuit; neque jam me lædit, cùm tabescit.

Experientia docet nos quanta possumus pro Christo perferre.

Psalm. 29. v. 7. & 8.

Matt. c. 26. vers. 35. & 33.

Eccli. c. 37. vers. 30.

Ibidè c. 34. v. 9. & 11.

Pall. c. 30. de Steph.

Pall. c. 13. & Heracl. in suo Paradiso c. 2. fine.

§. IV.

Quinta caussa: *Maximum profectus & argumentum, & incitamentum est afflictio.* Præceptores in scholis plus operæ ab iis exigunt, de quibus amplior spes est eruditionis. Præclarissimè Romanus Sapiens hâc de re disseruit in hunc modum. *Hos itaque Deus, quos probat, quos amat; indurat, recognoscit, exercet: eos autem quibus indulgere videtur, quibus parcere; molles venturis malis servat. Erratis enim si quem judicatis exceptum: veniet ad illum diu felicem sua portio. Quisquis videtur dimissus esse, dilatus est. Quare Deus optimum quemque aut malâ valetudine, aut aliis incommodis afficit? Quare in castris quoque periculosa fortissimis imperantur? Dux lectissimos mittit, qui nocturnis hostes aggrediantur insidiis, aut explorent iter, aut præsidium loco dejiciant. Nemo eorum qui exeunt, dicit,* Malè de me Imperator meruit: *sed,* Bene judicavit. *Idem dicant quicunque jubentur pati timidis ignavisque flebilia: Digni visi sumus Deo, in quibus experietur, quantum humana natura posset pati. Hanc itaque rationem Deus sequitur in bonis viris, quam in discipulis suis præceptores: qui plus laboris ab his exigunt, in quibus certior spes est. Nunquid tu invisos esse Lacedæmonios liberos suos credis, quorum experiuntur indolem publicè verberibus admoti? ipsi illos patres adhortantur, ut ictus flagellorum fortiter perferant, & laceros ac semianimes rogant perseverent vulnera præbere vulneribus. Quid mirum, si durè generosos spiritus Deus tentat? nunquam virtutis molle documentum est. Verberat nos & lacerat calamitas? non est sævitia: certamen est, quo sæpius hoc adierimus, fortiores erimus.* Quem diligit Dominus, castigat. Quo sensu Augustinus illustrissimè: *Boni laborant,* inquit, *quia flagellantur ut filii, mali exultant, quia damnantur ut alieni. Ergo ne timeas flagellari, sed timeas exheredari.*

Quinta caussa: *Maximum profectus & argumentum, & incitamentum est afflictio. Senec. lib. de provid. cap 4.*

Deus habet erga homines sicut magister erga discipulos.

Hebr. c. 12. vers. 6.

August. in Psalm. 93.

Ægyptius rex Pharao in Hebræos infantes iniquissimè decernens: *Si,* inquit, *masculus fuerit, interficite illum.* Origenes Manlianum hoc imperium sic exponit: Si rarum quemque videas, unum ex mille, ad dominum converti, & ea quæ æterna sunt quærere, odisse delitias, amare continentiam, &c. hunc quasi masculum necare cupit Pharao, rex Tartari, mille adversus eum machinis pugnat. Itaque nemini mirum videatur; corvis dari veniam, censurâ vexari columbas, improbos felices, miseros esse virtutis cultores. Demetrii vox olim erat: Nihil mihi videtur infelicius eo, cui nihil unquam evenit adversi. Simili sensu dicebat Bias, infelicem eum qui infelicitatem non ferret. Hæc sapientium effata Romanus Sapiens illustri testimonio firmans: *Brevem,* inquit, *tibi formulam dabo, quâ te metiaris, quâ perfectum esse jam sentias: Bonum tunc habebis tuum, cùm intelliges infelicissimos esse felices.* Quis ergo Christiani sanguinis non miserum se judicet, eo ipso quòd rariùs sit miser. Sexcentas hujus rei caussas est assignare.

Exod. c. 1. vers. 16.

Cur Deus amicos affligit, improbos autem nō.

Sen. lib. de provid. c. 3. & epi. 124. & hoc omnium epistolarum clausula est.

§. V.

Sed esto nullam indagare caussam possimus, cur jure miseri simus; nihilominus nec verbulo pugnandum est contra magistri imperium. An non scholarem morem novimus? Si præceptor è cathedrâ clamet: I, puer, virgis te para; jam adero. At verò discipulus contra mutire audeat, dicátque: *Quare domine præceptor? quid feci?* Mox opponet magister: Quid tu nequissime? etiam interrogas, cur pœnas des? I, cito, culpam quam interrogando geminasti, geminato lues supplicio. Optimè Salvianus, & velut ludimagistri loco: *Quid me interrogas,* inquit, *quare alter major, alter minor; alter miser, alter beatus? caussam Dei nescio, sed ad plenissimam rationem abunde sufficit, quod à Deo agi ista demonstro.* Ita satis sit pro universis rationibus, pœnarum omnium & calamitatum auctorem esse Deum. Ita vult sapientissimus ludi hujus moderator, quid nos miselli contra hiscimus?

Salv. lib. 3. de Provid.

De quo part. 2. c. 6.

Sionis Rex David aliquâ hic curiositate ductus, putabat arcani tam abditi reperturum se caussas: *Existimabam,* inquit, *ut cognoscerem hoc; labor est ante me.* Ergo abi curiosa cogitatio: *Si, dicebam, narrabo sic, ecce nationem filiorum tuorum reprobavi:* Abelem, Noëmum, Abrahamum, Isaacum, & Deo charissimos quosque graviter accusem, si dicam eos à Deo desertos, quandoquidem constat esse flagellatos, aut si judicem illos frustra studuisse virtuti. Quid igitur dicendum, cùm cernamus probos improbosque mixtim flagellari? *Labor est ante me, donec intrem in sanctuarium Dei, & intelligam in novissimis eorum.* Caussas, cur Deus his parcat, hos affligat, nunquam satis indagabimus, dum in orbe meliore pugillares Dei liceat inspicere. Quisquis ergo tam impares mortalium pœnas considerat, illud regium proclamet: *Justus es Domine, & rectum judicium tuum:* Ego quidem cùm punior, millies me id com-

Psal. 72. v. 16. & 17.

Psal. 118. vers. 137.

id commeritum fateor. Cur puniantur ceteri, meum non est, à Deo ejus rei rationem poscere. Hoc scio? *Iudicia Dei abyssus multa.* Vigilat semper divinus ille oculus, & cùm dormire eum censes, connivet.

Psalm. 35. vers. 7.

August. in Psalm. 97. post med. mihi pag. 453.

Ad arcanum hoc rectiùs intelligendum Augustinus attentionem excitans: *Videte*, inquit, *fratres mei, advertite: illi Deus irascitur, quem peccantem non flagellat. Nam cui verè propitius est, non solùm donat peccata, ne noceant ad futurum sæculum: sed etiam castigat, ne semper peccare delectet.* Quâ in re Deus medicum agit, sed talem, qui exploratissimè norit, quid cuivis ægrotorum expediat. Dic mihi, cur medicus huic plus absinthii aut ellebori misceat, quàm illi? nempe, quia morbus ejus postulat, aut natura. Idem cogita de Deo, qui Augustini ore sic alloquitur ægrotum: *Ego novi quem curo, non mihi det qui ægrotat consilium. Tanquam emplastrum mordax urit te, sed sanat te. Rogas medicum, ut tollat emplastrum; & non tollit, nisi cùm fuerit sanatum, quo posuerat. Virtus in infirmitate perficitur.* Hinc verissimè videtur dictum: *Unica & non fallax virtutis obrussa, & probatio est afflictio.*

Aug. ibid. p. 454. Lipsius l. 2. de Const. c. 8. Obrussa est aurea moneta per ignem examen & depurgatio.

CAPVT IV.

Quinque pœnarum & afflictionum genera singillatim explicantur.

IVsserat sibi Magnus Princeps symbolum pingi hunc in modum: Aquis innatabat cucurbita, & tanquam sortis suæ intelligens loquebatur conceptis his verbis: *Luctor, non mergor.* Nimirum cucurbitas natare docet corporis spongiosi levitas. Ad hoc symbolo non multum abludit, quod Claudius Paradinus refert, illustri viro Admirallo Chabotiò, symboli vice ventosam pilam seu follem fuisse, addita inscriptione, *Concussus surgo.* Nimirum hi folles verberibus volare discunt.

Plurimi hominum non aliter quàm plagis discunt sapere; tum cælum aspirant, cùm eis terra sordere incipit; mentem ad æterna erigunt, cùm illis inter caduca & fluxa malè est. *Concussi surgunt*, ut folles vento turgentes, qui quò gravius feriuntur, hoc altiùs volant. Atque hoc priore triplici capite demonstratum est. Nunc progredimur ad ipsas afflictionum & calamitatum formas seu species, quarum decem posuimus.

§. I. *VIRGÆ.*

In gymnasio patientiæ instrumenta cruciabilia. 1. Virgæ.

PRimum in Patientiæ gymnasio cruciabile instrumentum, quo discipuli castigantur, sunt VIRGÆ. Afflictio nemini non nota MORBVS est. Ecquis tam firmæ valetudinis, qui non subinde plagas sentiat ab his Virgis? Vix ullus hominum tam sanus est, qui se hominem morbis obnoxium oblivisci possit. Robustissimus quisque interdum morsus & vellicationes sentit. Vel enim caput, vel oculi, vel dentes, vel brachia, vel stomachus, vel crura doloribus tentantur. Et miramur hoc? morborum seminarium sumus, & novum sit nos ægrotare? In quovis vitæ genere ægritudini locus est. Mox ubi nascimur, ægrotare incipimus, quod Augustino credemus: *Quis enim*, inquit ille, *non ægrotat in hac vitâ: quis non longum languorem trahit? Nasci hic in corpore mortali, incipere ægrotare est.* Quid ergo ad morbi accessum trepidamus?

August. in Psal. 102. ante med. mihi pag. 473.

Idem serm. 74. Seneca epist. 76.

Hæc vita, morbus est perpetuus. Sed est etiam, mihi crede, in morbo virtuti locus. Hinc vera vox Ambrosii: *Infirmitas corporis, sobrietas mentis est: infirmitas, virtutum officina est:* Atque ut Hieronymus loquitur: *Satius est stomachum dolere, quàm mentem.*

Fuerunt, sed pauci, qui ad octogesimum annum integram valetudinem perduxerint, demum inclinare A cœpit domus, demum solvi, & collabi. Hoc sciamus, neminem ferè rectiùs ægrotare, quàm qui sanus apud ægrotos id sæpius discit, hîc quisque ex seipso quærat: Si tu hoc loco sis, quid facias, qui te geras, quàm sedatus ac placidus loquendo, quàm patiens dolores perferendo?

Illud desperatissimi hominis est & perditè vitam amantis, à magis valetudini subsidium quærere. *Nunquid non est Deus in Israël, ut eatis ad consulendum Beelzebub, Deum Accaron?* Ad Deum nos morbi trahant, non ad hostes Dei, non ad diabolum.

4. Reg. c. 1. vers. 3.

Hebræi à morbis immunes & cladibus, obliviscebantur Numinis: At ubi *Multiplicatæ sunt infirmitates eorum, postea acceleraverunt.* Cauterio collum, pes, brachium inuritur, ut melius habeat caput: ita Deus morborum cauterio perurit corpus, ut valeat spiritus: *Infirmitas gravis sobriam fecit animam*, dixit Siracides. Et sanè multò melius est ardere igne febrium, quàm flammis vitiorum.

Psalm. 15. vers. 4.

Eccli. c. 31. vers. 2.

B Multi tum demum veritam voluptatem nauseant, cùm ægri sunt. Rectè dixit Gregorius: *Divina dispensatione agitur, ut prolixiora vitia, ægritudo prolixior exurat.* Egent diuturno sæpe flagello mali & inemendati mores nostri. Quod si Deus tam asperè percurit ubi parcit, quàm asperè percutiet, ubi sæviet? Et quantâ illic districtione feriet quos reprobat, si sic cruciat quos amat.

Greg. Hom. 19. in Evang. propriùs finem.

Ioannem anachoretam (Ruffino Aquilejensi teste) quidam è religioso cœtu rogavit, à febri tertianâ se liberaret: At ille: Rem tibi petis, necessariam cupis abjicere. Vt enim sapone pânni lavantur, sic mentem morbi eluunt. Corporis morbus, animi salus. Virtus in infirmitate perficitur.

Ruffin. Aquil. c. 1. in vitâ Ioan.

Hanc ipsam ob caussam religiosissimus olim senex (uti complures memorant) discipulo suo ægrotanti dixit: Ne tristeris, fili, ob morbum corporis. Si ferrum es, per hunc ignem rubiginem exues; si aurum es, novum nitorem indues. Non igitur angaris animo, si C Deus torquere te velit, & in morbo esse, tu qui es, qui divinæ resistas voluntati, aut eam molestè feras? Itaque sustine, & roga Deum, ut quod ipse vult, & tu quoque velis.

Ruffin. l. 3. c. 17. Pelagius libell. 7. n. 16. Pasch. c. 20.

Profectò si rem ad vivum resecemus, Morbus tanti momenti à Deo munus est, ut id centum annorum obsequiis rependi non possit. In morbo invitamur ad faciendam pacem cum Deo, quem forsan antea bello impio lacessivimus. Beatus Gregorius: *Admonendi sunt ægri*, ait, *ut considerent quanti sit muneris molestia corporalis, quæ & admissa peccata diluit, & ea quæ admitti poterant, compescit.* Sapientissimè dixit Salomon: *Livor vulneris abstergit mala.* Nam Gregorio interprete, *flagellorum dolor vel cogitatas, vel perpetratas nequitias diluit. Quapropter admonendi sunt ægri, ut eò se filios Dei sentiant, quò illos disciplinæ flagella castigant. Nisi enim correctis hæreditatem dare disponeret, eruditre eos per molestias non curaret.* Ideo afflictus D & ægri corporis seipsum soletur & alicat: Satis est me amari, satis est spem esse securam: pereat corpus necessariò periturum, modò non pereat animus.

Morbus tantùm munus est, ut id obsequiis rependi non possit.

Prov. c. 20. vers. 30. Greg. p. 3. pastor. admonit. 3. med.

Ecquis doleat vetus tuguriolum eo fine destrui, ut domus extruatur nova? Ita nec æger, licet vicinus morti, mœreat: *Scimus, quoniam si terrestris domus nostra dissolvatur, quod ædificationem ex Deo habemus, domum non manu factam, æternam in cælis.*

2. Cor. c. 5. vers. 1.

Sed objeceris: Valenti ac sano facile est solari ægrũ; aliter loquimur, cùm aliud sentimus. Quis ægrotorum credat valetudinem fractam, integrę præferendam? Cum bonâ veniâ tuâ, mi homo, hac in re nimis te hominem fateris, & Christianæ disciplinæ planè imperitum. An illud Pauli ignoras? *Cum infirmor, tunc potens sum.* Hoc ipso sensu Gregorius dixit: *Adversitas vitæ dum asperitate suâ sanctos comprimit, valentiores*

2 Cor. c. 12. vers. 10. Greg. l. 29. moral. c. 15. propius fine.

lentiores reddit. Caro mollibus, anima duris nutritur; illa delectationibus pascitur, hæc amaritudinibus vegetatur; & inde spiritus in perpetuum moritur, unde ad tempus caro suavitèr vivit.

Sed sine, quæso, tuis hîc objectiunculis respondeam: Dura res est dolor, inquis. Sed jure respondetur: Imò tu mollis es.

Pauci dolorè ferre potuerunt. R. Simus ex paucis.

At imbecilles naturâ sumus. R. Naturam infamare noli, illa nos fortes genuit.

Ecquis dolorem non fugit? R. Sequitur ille fugientes. Si exiguus est dolor, feramus; levis est patientia: Si gravis est, feramus; non levis est gloria. Sed sanus plus laborarem, plus virtuti operarer. R. Imò minùs. Nam & in te puta verissimè dictum ab Augustino: *Quam multi scelerati sani sunt, qui innocenter ægrotarent.* Vitia reciduntur ægritudine.

Augustinus tract. 7. in Ioan.

O quàm dives est, qui sanus est! R. Iam incipis Deo gratus esse: Etiam hoc inter morbi commoda numerandum: Valetudinem tunc primùm æstimamus, cùm amissimus.

O quàm fractis jam viribus sum! Hîc tibi Bernardus respondebit: *Melius est frangi laboribus (& doloribus) ad salutem; quàm remanere incolumes ad damnationem.*

Bern. de inter. domo c. 46.

O quale doloris mancipium sum! R. A teipso oculos in Christum crucifixum flecte: aspice *virum dolorum & scientem infirmitatem. Verè enim languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portavit.*

Isai. c. 53. v. 3. & 4.

Ah quando tandem finis erit tam pertinacis morbi? R. Frigidi amoris indicium est, vix dum bene cœpisse, pro Christo pati, & mox finem suspirare.

Sed si sanus essem jam me in templo cœlestibus sacramentis expiarem. R. Optima, mihi crede, scelerum expiatio est, vel solùm mediocris in morbo patientia.

Ergo quod beatus Gregorius monet. Dicendum est ægris, ut si cœlestem patriam, suam esse credunt, necessariò hîc labores velut in alienâ patiantur. Quisquis in morbo est, divinæ bonitati se commendans dicat: *Virga tua & baculus tuus ipsa me consolata sunt.* Hîc pungar, hîc torqueat, hîc urar, modò non urar æternum.

Psal. 22. vers. 4.

Non pigeat, oro te, Lector, videre quæ noster Æternitatis prodromus ad componendos ægroti mores differat. Hîc nobis non licet esse prolixioribus.

§. II. *SAGITTÆ.*

2. Sagittæ.

ANimi mœrores & angores, SAGITTÆ sunt, omni gladio ancipiti penetrabiliores. Rex David nimiopere has sagittas sentiens: *Sagittæ tuæ*, inquit, *acutæ.* Solicitudines, tædia, mœstitiæ, pavores, ægritudines, animum ut sagittæ vulnerant. Omnium miseriarum pænè maxima est, animum habere saucium. Sicut enim animi voluptas, longo post se intervallo ceteras relinquit voluptates, sic animi dolor & ægrimonia dolores alios longè superat.

Psal. 44. vers. 6.

Christus reparator Orbis in clivo Olivario, & in monte Golgothæo, non flagellorum ictus, non vepribus aculeos, non clavorum cruciatus querebatur, sed animi mœstitiam, & se à patre derelictum in patibulo exclamabat. Ægrimonia Christi fuit inexplicabilis, hinc illæ voces: *Tristis est anima mea usque ad mortem.* Et: *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?* Animi vulnera omnem doloris acerbitatem vincunt. Hinc illud Siracidæ: *Omnis plaga, tristitia cordis est.*

Matt. c. 26. vers. 38. & 46.

Eccli. c. 25. vers. 17.

Suos quandoque Deus in eas angustias adducit, ut rebus omnibus urgeantur. Et quod supremum malorum est, videntur sibi offensissimum habere DEVM. Spem tamen non ponunt, sed usque & usque clamant: *Domine Deus in die clamavi, & nocte coram te. Quia, repleta est malis anima mea, & vita mea, inferno appropinquavit. Pauper sum ego, & in laboribus à juventute meâ.* Vel (ut alii legunt) afflictus sum ego, & expiranti similis; ab adolescentiâ tuli terrores tuos, & trepidavi.

Psalm. 87. vers. 2. 4. & 16.

De Hebræis ex Ægypto proficiscentibus narrant divinæ paginæ: *Et venerunt in Marâ, nec poterant bibere aquas de Marâ, eo quòd erant amaræ, &c. ibi constituit ei præcepta, atque judicia, & ibi tentavit eum.* Hîc quæsierit aliquis: Obsecro. Domine, num commodior locus sanciendis tuis legibus nullus erat? num deterrimus huic negotio visus est esse opportunissimus? Hîc sitim ipsæ aquæ exasperant.

Exod. c. 15. vers. 23. & 25.

Sed quid tibi vis argutatrix ratio? *Ibi constituit ei judicia atque præcepta, & ibi tentavit eum.* Commodissimus huic rei locus fuerat qui incommodissimus. In opimioribus terris, & inter delitias Lex Dei plerumque contemptui est:

Loc. citat.

Noverca virtutum omnium est felicitas.

In adversis Deum timere discimus,

Adversis pressi, & rerum suarum trepidi, timere Numen citiùs discunt, quàm quos felicitas ad lasciviam invitat. Pænè nunquam viciniorem habemus Deum quàm in arctò cõstituti. Eam ob caussam Nahum propheta: *Dominus*, inquit, *in tempestate, in turbine viæ ejus.* Inter fulgura, tonitura, & fulmina accedit ad nos Deus, tum plerunque nobis propior, cùm afflictionis turbo procellosior. Gregorio teste. *Mala quæ nos hîc premunt, ad Deum ire compellunt.*

Nahum c. 1. vers. 3.

Nobilissimum illud par amicorum Ionathas & David ita invicem pascisebantur. *Ego*, inquit Ionathas, *tres sagittas mittam, & jaciam quasi exercens me ad signum. Mittam quoque & puerum, dicens ei: Vade & affer mihi sagittas. Si dixero puero: Ecce sagittæ intra te sunt, tolle eas: tu veni ad me, quia pax tibi est, & nihil est mali, vivit Dominus.* Quotidie Deus, quovis momento sagittas suas emittit arcu, omne genus ægritudinum in homines effundit.

1. Reg. c. 20. v. 20. 21. & 22.

Et ad vulnus non expallescendum,

Quisquis hac tali sagittâ tangeris, non expallescas ad vulnus: Ecce Dei sagittæ intra te sunt; *pax tibi est, & nihil est mali.* Hæc vulnera sanitatis sunt signa. Sed fœdè, inquis, hæc jacula mentem lacerant. & dolores sæpe maximos inurunt. Angi, pœnitere, tristari, dolere, metuere, horribilia sunt animorum tormenta. Sint vera hæc omnia. Nihilominus si jacula hæc in te missa æquo animo admittas, ne formida, *pax tibi est, & nihil est mali, vivit Dominus.*

Regem Hebræum David aspice, qui seipsum plus simplici vice vulneratum sentiens: *Sagittæ tuæ*, inquit, *infixæ sunt mihi, & confirmasti super me manum tuam.* Non tantùm in se jactas, sed inhærentes & infixas sibi sagittas ingemiscit. Plurima erant quæ regem hunc sollicitabant, angebántque. Vix nascitur Bersabeæ filius, & moritur. Nubili filiæ Thamari ab Amnone filio vitium offertur. Ipse Amnon temulentus ab Absalone fratre in convivio trucidatur. Hunc ipsum Absalonem degenerem prorsus filium optimus pater, jam solio pulsus, jam diademate orbatus fugere ut hostem cogitur. Et quàm altis vulneribus infixæ sunt Davidi hæ sagittæ! nec una solùm alteráve; sed grandi numero in unius caput convolarunt.

Psal. 37. vers. 3.

Exemplo Davidis,

Et quàm aculeata fuit illa Nathanis concio apertissimè pronuntiantis: *Tu es ille vir. Quare contempsisti verbum Domini, ut faceres malum in conspectu meo? Quamobrem non recedet gladius de domo tuâ usque in sempiternum, eò quòd despexeris me. Ecce ego suscitabo super te malum de domo tuâ. Tu enim fecisti abscondite: ego autem faciam verbum istud in conspectu omnis Israël, & in conspectu solis.* Pænè tot sagittæ, quot verba. Nimium quantum hæc spicula ex alto missa penetrarunt cor regium. Sagittæ, & quidem numerosæ infixæ sunt illi. Nec tamen deest solatium; nec animum despondet rex David. Nam etsi sagittæ Dei penetrent, inhæreant, urant, lacerent, brevi tamen excidunt. Mors certè velut chirurgus omnes extrahit. *Etenim sagittæ tuæ transeunt, vox tonitrui tui in rotâ.*

2. Reg. c. 12. aliquot v.

Psal. 76. v. 19.

Quot-

Quotquot in nos Deus sagittas effuderit, brevi omnes auferentur à Machaonia manu: monumentum est paullò productius, quo affliguntur. At verò vox illa tonitrui: *Ite maledicti, ite in ignem æternum*, ite, ite; æternùm flete, æternùm ardete. Heu vocem istam æternitatis rota æternùm volvet; tonitruum istud nunquam cessaturum æternis fragoribus pavefaciet damnatos, & velut jaculis nunquam desinet reos configere. Nùc verò transeunt sagittæ Domini, quas ideo argenteas & aureas jure dixeris, nam & à Deo sunt, & citò transvolant, & immortali præmio donant vel mediocrem patientiam.

Brevique auferetur.

Dictamnum cervis capriscque notissima herba, quâ gustatâ sagittas è sauciis membris ajunt excidere. Ita Maronem exaudio:

Virgil. l. 12. Æneid.

—non illa feris incognita capris
Gramina, cum tergo volucres hæsere sagittæ.

Itáne feræ, cùm sagittis sauciantur sua norint pharmaca sponte nascentia? & nostræ desit ægrimoniæ medela? Hæc ipsa cogitatio, si paullò sit attentior, de sagittis Domini citò transituris præstans pharmacum est, quid enim dolores omnes magis mitigat, quàm illud seriò cogitatum

Quod sagittarum Domini pharmacum.

—dabit Deus his quoque finem.

Idem lib. 1. Æneid.

Quem excipiet Æternitas non finienda. Annæus philosophus Mecænatem in plumis jacentem, & miserum in cruce pendentem conferens: Mæcenati, ait, somnus per symphoniarum cantum, ex lõginquo lenè resonantium quæritur. Sed mero scilicet sopiat, & mille voluptatibus mentem anxiam fallat: tam vigilabit in plumâ quàm ille in cruce. Sed illi solatium est, *pro honesto* (nos dicamus, *pro Christo*) dura tolerare, & ad causam, à patientiâ respicit: hunc voluptatibus marcidum & felicitate nimiâ laborantem, magis his, quæ patitur, vexat causa patiendi.

Sen. lib. de provid. c. 3. post med.

Animus ægrimoniâ tabescens, voluptatibus nunquam ex solido sanabitur. Turbatæ menti maximum solatium est pro Christo dura tolerare, & post celerem mali finem, voluptates expectare æternas.

Turbatæ mentis solatium.

Ergo duremus, in vicino est beata ÆTERNITAS. *Quæcunque dura & molesta, quæcunque gravia & horribilia, quæ quisque patitur in hac vitâ*, ut Augustinus docet, *in comparatione æterni ignis, non tantùm parva, sed nulla sunt.* Suum hæc omnia jam finem prospiciunt; nullo claudetur fine Æternitas.

Aug. to. 10. serm. 190. de Temp. ante med. mihi pag. 298.

§. III. FACES.

3. Faces. Paupertas virtutis instrumentũ est, quo Deus vanè utitur in schola patientiæ.

ACcensæ FACES, Paupertatis symbolum sunt. Paupertas efficax virtutis instrumẽtum est, modò nanciscatur hominem, qui eo possit uti. Variè DEVS hoc instrumento utitur in Patientiæ gymnasio. Sunt, qui eo paupertatis redacti, ut nec pane quidem sat fami suæ mederi possint: Sed nec manu parare victum queunt: digni prorsus miserationę. De his illud Diogenis sumendum: Paupertas non parva ægritudo est. Alii difficultate domesticâ laborant, quibus fame potior est pudor, verecundi pauperes. Non minùs quàm priores digni misericordiâ. Alii ex egestate quidem pauperes sunt, sed non minùs ignavi; è mendicitate non difficulter emergerent, si priùs ex ignaviâ. Laborem fugiunt, ideo in mendicitatis casses incidunt, otiari malunt, quàm non esurire. Alii strenuè quidem laborant, sed domesticis malis impediti egestatem non effugiunt. Sunt quos opulentos putes, sed pænè animam debent, æs alienum grande conflarunt. His optimè dixeris: Dives est, qui obæratus non est. Sunt qui sibi ipsis videntur inopes, cùm tamen non tam inopiâ laborent, quàm avaritiâ: victus iis non deest, sed ei pompam etiam adjungere cuperent; non tantum esse ac vestiri, sed edere lautè, vestiri splendidè vellent: quos sæpius audias dicere: *quàm multa mihi desunt!* Hi non pauperrimi, sed pænè miserrimi sunt, quibus sorte suâ non contentis nil satis est. His proximi sunt, de quibus Chrysostomus dixit: *Paupertatis nomen reges non effugerunt.* Vnde demum sit paupertas, virtutis efficax instrumentum est, modò illo non malè utamur.

Chrysost. homil. 12. in epist. ad Tsmoth.

Verissimè dixit Seneca: *Paupertas nulli malum est, nisi repugnanti.* Chrysostomo, Egestas sanitatis mater est. Augustinus paupertatis encomiastes ausus est dicere: Omnis Philosophiæ magistra nobis inopia est. Effatum longè verissimum: quidquid paupertatis hostes contrà ganniant. Paupertas artium inventrix, nulli hominum probro est, nisi probroso, uti præclarè dixit Basilius: *Pauperem compellari non est probrosum.*

Seneca epist. 123. fine.

August. in Psal. 76.

Basil. in Hexam.

Paupertatis igne, hisque facibus adurit nos Deus; ut vel dormitantes excitet, vel peccantes castiget & purget, aut etiam constantes muneret. Iam olim id præmonens: *Et convertam*, inquit, *manum meã, & excoquam ad purum scoriam tuam, & auferam omne stannum tuum.*

Isai. c. 1. vers. 25.

Rogarat aliquoties per servos Absalon Ioabum belli ducem, veniret ad se. Nunquam venit. Quid faceret ergo juvenis regius? Fasti regum recensent: *Cúmque secundò misisset, & ille noluisset venire ad eum, dixit servis suis: Scitis agrum Ioab juxta agrum meum habentem messem hordei? Ite igitur, & succendite eum igni.* Haud aliter Deus plurimos, quos aut contumaces habet, aut certè (ni præveniat) contumaciam ostensuros prævidet, paupertatis facibus ad meliora compellit, docétque mitescere.

2. Reg. c. 14. vers. 29.

Id porrò in Patientiæ gymnasio cum primis dicendum, ne paupertas res minimè mala, nobis sit malum, eâ malè utentibus. Siracides cautos redditurus: *Propter inopiam*, inquit, *multi deliquerunt.* Vt edant, mentiuntur, fallunt, furantur, pudicitiam prostituunt, conscientiam vendunt. Hi paupertate re optimâ profectò pessimè utuntur.

Paupertate nõ malè utendũ.

Eccli. c. 27. vers. 1.

Aliter in Patientiæ gymnasio agendum discipulis, qui facibus inopiæ adurũntur. Quivis illorum dicere possit: *Igne me examinasti, & non est inventa in me iniquitas. Potiùs extrema omnia toleranda, quàm Deus offendendus: Melius est mendicare, quàm rapere.*

Psal. 17. vers. 3. Chrysost. homil. 71. in Matth.

Bernardus calido ad penuriam affectu: *Bonum mihi*, ait, *Domine, tribulari, dummodo ipse sis mecum, quàm regnare sine te, epulari sine te, sine te gloriari. Bonum in tribulatione magis amplecti te, in camino* (Paupertatis) *habere te mecum, quàm esse sine te vel in cælo. Quid trepidamus, quid cunctamur, quid refugimus hunc caminum? Sævit ignis, sed Dominus nobiscum est in tribulatione. Si Deus nobiscum, quis contra nos? Vt ergo Paupertas nemini noceat, illud animo altissimè imbibendum, omnem inopiam à Deo nobis immitti Bono nostro ut excoquatur ad purum scoria nostra.*

Ber. ser. 16. in Ps. Qui habitat. ante fin. mihi pag. 559.

Isai. c. 1. vers. 25.

Quemadmodum si quando mater filiolum suum purpureâ togulâ vestitum in domus areâ discursantem ac ludentem, & contra eum Africanos gallos & gallinas (Meleagridas) passis alis erectisque cristis insurgentes cernat, mox in aream desolat, & puerulum harum avium iræ subducit, eúmque amiculo rubro, cui Meleagrides irascuntur, quantumvis flentem exuit, idque parvuli bono facit, nec stultis lacrymis movetur: fleat puer, modò imminens malum exeat. Ita nos Deus sæpissimè devestit, facultates adimit, penuriâ premit, sed *Bono nostro*. Hac enim unâ ratione malis plurimis, & cacodæmoni jam imminenti, & insidiantibus vitiis subtrahimur. At nos infantes vociferamur, ploramus, ac querimur necessaria nobis subtrahi, ad extremam mendicitatem adigi. Quid, ô infantes stolidi, quid ploratis, quid queremini? Bono vestro hæc omnia fiunt. Opes non adimeret Deus, nisi prævideret eas vobis plurimùm nocituras; in egestatem non deduceret, nisi ab æterno prænosset, vos aliter cælo non potituros.

Facultatũ amissione nos à vitiis subtrahimur.

Has

Has igitur curas amantissimo patri, imò & matri providentissimæ reliquite. Sed quisquis tam invitè pauper es, quæso te, patere tuis iterum objectiunculis respondeam.

Paupertas, inquis, intolerabilis mihi videtur. R. Certè tu illi potiùs, quàm illa tibi.

Deseror & contemnor ab omnibus. R. Modò non à Deo; *oculi eius in pauperem respiciunt.* *Psalm. 10. vers. 4.*

O beati divites & opulenti! R. O miserabilem beatitudo! nam *opum collectio plena laboris; possessio plena timoris; amissio plena doloris est, divitiæ cùm amantur, inquinant; cùm agitantur, onerant; cùm minuuntur, cruciant.* *Bern. de Convers. ad Cleric. c. 12. & de quinque negotiationibus mihi pag. 174.*

Quid miserius mendicitate? R. An fortè nescis, nemini non notissima? Lazarus mendicus à morte in sinu Abrahæ; dives epulo, in medio gehennæ collocatur. Illum Angeli in limbo; hunc diaboli sepeliunt in inferno.

Qui pecunias habet, omnia habet. R. Imò nihil habet, si virtutem non habeat, quidquid facere te potest bonum, tecum est. *Dives cùm dormierit, nihil secum auferet: aperiet oculos suos, & nihil inveniet.* *Iob c. 27. vers. 19.*

Possumus etiam in divitiis esse pauperes. R. Certè magnus est ille, qui in divitiis pauper est, sed longè securior est, qui caret divitiis.

Heu quàm arca mea inanis est, & vacua? R. Quid ad arcam respicis? Conscientiam attende: sat dives est, cujus tranquilla conscientia est.

At necessaria mihi desunt. R. Fortassis tibi deest industria parandis necessariis? Natura minimum petit: sed animus & oculi sunt insatiabiles. Nam cupiditati nihil satis est, Naturæ satis est etiam parum.

Pauper ubique jacet. R. Res honestissima est, læta paupertas: Cuicunque cum paupertate bene convenit, dives est. Non qui parum habet, sed qui plus cupit, pauper est.

Paupertas tam mihi quàm aliis plurimum obest. R. Nec tibi, nec aliis quidquam obesset, nisi paupertas vestra non ex inopiâ, sed ex vitio eriretur.

Paupertas in rebus omnibus me impedit. R. Dic, *Provehit*: Si vis vacare animo, aut pauper sis oportet, aut paupere similis. Non potest studium salutare fieri sine frugalitatis curâ: frugalitas autem paupertas voluntaria est.

Quidquid dicas grande malum est paupertas. R. Da verbo veniam, obsecro, si te mentiri dicat Seneca, qui testatissimè affirmat, *Nihil mali esse in paupertate, modò quis nondum pervenerit in insaniam omnia subvertentis avaritiæ.* *Sen. Consol. ad Helviam cap. 9. post med.*

Ecquid videtur vobis, ô pauperes, quicunque estis, de hoc tali patre? Videt is panem in manu filioli, simúlque observat insidiantem pani morsum, jam jámque admorsurum pueri digitos. Atque ideo mox panem eripit infantulo, idque prudenter, non invidens cibum, sed præcavens damnum. Ita Deus subsidia vitæ subtrahit, non ut fame pereat, sed ut à vitiis abarceat. An non illinc plerunque virtus exulat, ubi generaliter estur ac bibitur, largè dormitur, otiosè dies ducitur; hîc certè vitia in regno sunt.

Ergo beati pauperes, qui paupertatem non reluctando, Virtuti amicissimam faciunt. Eò generosa vox Pauli spectat: *Quæ mihi fuerunt lucra, hæc arbitratus sum propter Christum detrimenta.* *Philip. c. 3. vers. 7.*

Nemo Deo dignus, quàm qui opes scit contemnere. Et verò dives est, cui bene cum paupertate convenit. Hinc optimè dixit Diogenes: *Paupertas virtus est, quæ per se discitur.* Res in aperto est: divitiæ innumeros, si non perderentur, perderent. Et quis ille tam cautus, qui has spinas tractet, & conscientiam non lædat? Sola paupertas ab hoc vepreto non sauciatur. At paupertatem non horret, qui beatam immortalitatem aspirat. Nam, ut verè Gregorius: *Quisquis, ait, in solo desiderio æternitatis figitur, nec paupertate conteritur, nec adversitate quassatur.* *Divitiæ, Christo spinæ sunt.*

§. IV. SERTVM STRAMINEVM.

OMne genus irrisionum, contemptus ac ludibriorum STRAMINEVM hoc SERTVM significat. Tam sæva hoc discipulis animadversio est, quàm aliis levis videtur. Fit subinde in scholis, ut magister puerum virgas manu tenere, certóque loco stare jubeat. Hoc puero grandius supplicium est, quàm decies virgis percuti. In Hispaniis pilcis charteaceis ad rogum ducendis imponitur in ludibrium. Sic Orientis Imperator Andronicus, allio in sertum contexto redimitus, & scabioso camelo impositus, miserrimâ triumphi specie per urbem ductus est. 4. Stramineum sertum. *Vide Considera. Æternitatis. Consid. 5. §. 3.*

Contemni, irrideri, ludibrio haberi, humana superbia inter pœnas omnium gravissimas numerat. Hoc è stramine sertum, merum aliquibus plumbum, acutissimis clavis undique confixum creditur; aculeatissimus videtur erinaceus. Nihil enim æquè horremus ac pudefieri, ignominiâ notari, aut cogi coram aliis erubescere. Hoc morte ipsâ sæpe gravius videtur. Hinc plurimi reorum seipsos in carcere necant, ne in spectaculum aut ludibrium produci possint. Superbia humana contemni, irrideri inter pœnas gravissimas numerat.

Supremo die, quo omnium sæculorum mortui revivisent, damnatos magis quàm inferorum incendia torquebit, cogi se sistere Orbi, aspici, judicis voce ac digito notari, oculis omnium devorari. Hinc illorum desperatissimæ voces ad alta collium & prærupta montium. *Tunc incipient dicere montibus: Cadite super nos; & collibus: operite nos.* Mitius illis videbitur, horribili montium mole sepeliri vivos, quàm cogi tribunal assistere, fatalem sententiam excipere, à beatis omnibus Dei hostes proclamari. *Luc. c. 23. vers. 30.*

Rex Hebræus Saul, hominis ex asse nequam nobile specimen, ubi rerum omnium jacturam, à Samuele denuntiatam, ubi regnum perditum, Dei gratiam amissam, seipsum à Deo exauctoratum, deplorata omnia inaudisset, illud unicum sibi retentum cupiens: *sed nunc*, inquit, *honora me, coram senioribus populi mei, & coram Israël.* Adeo rebus desperatis, hoc unum exhorruit, non ampliùs honorari. Saul hoc unum exhorruit, nè ampliùs honorari, 1. *Reg. c. 15. vers. 30.*

Et ut Saul instar struthiocameli calamitates maximas velut ferrum concoquere posset; sed in re, ut videri potest, minimâ succumbat: *Serto stramineo* notari acerbius morte judicat. Quæ demum istorum causa? *Superbus erat.* Ad superbiam contundendam, in Patientiæ gymnasio, nihil aptius quàm *Sertũ Stramineum.* Hoc omni arrogantiæ deprimendæ nobilissimum instrumentum est. Non potest altos spiritus non submittere, qui hoc serto redimitus est, nec tamen reclamat & indignatur. Idq; acerbius mortè judicavit.

At videte hem egregiam: Nos quidem summissi, ac noto nomine *Humiles* appellari cupimus, & submissionem suique despicientiam cane pejus & angue odimus. Pænè omnia nobis tolerabilia videntur, si removeatur ignominia, quæ vel sola solet opprimere animos; sed superbos, & nondum domitos. Modò abfit *stramineum Sertum*, cetera omnia, prout nobis vanè blandimur, toleraturos promittimus. Stultissima persuasio. Et Cassianus hanc refellens: *Volumus*, inquit, *absque castigatione carnis, castimoniam corporis obtinere, sine vigiliarum labore, cordis acquirere puritatem: cum requie carnis, spiritualibus virtutibus exuberare: absque ullius exasperatione convicii, patientiæ gratiam possidere; humilitatem Christi, sine honoris mundani exercere jacturâ; Christo cum hominum laude ac favore servire.* Rem verbo dicamus: Humiles esse cupimus, sed sine Humilitate. Modò *Stramineum sertum* non nostro capiti gestandum sit. Humiles videri cupimus sine humilitate. *Cassianus collat. 4. c. 12. initio.*

Hic neutiquam superbiæ parcendum; nec ullius capiti sertum hoc stramineum magis quadrat, quàm qui

qui illud maximè recusat, huic omnino diadema hoc convenit. Eleganter & eruditè Seneca: *Vnde possum scire,* inquit, *quantum adversus ignominiam, & infamiam, odiumque populare constantiæ habeas, si inter plausus senescis? si te inexpugnabilis & inclinatione quâdam mentium pronus favor sequitur.*

Seneca l. de Prov. c. 4. post init.

In religiosorum hominum ædibus Lectorem mensæ unicâ subinde voculâ *Repete*, plus excruciat, quàm omnis alius religiosæ disciplinæ rigor. Atqui luculentum hoc indicium est abstrusæ superbiæ, quę nihil minùs vult quàm videri errasse, aut juberi erubescere. Hinc plures tam doctrinâ quàm sui despicentiâ illustres viri, cùm prandentes ut cenantes legendo pascerent, studio nonnullas voces perperam pronunciarunt, ut ipsi suam erubescere inscitiam monerentur.

Martinus Delrius parentibus nobilissimis oriundus (quis fuerit vir iste, tot ipsius libri loquuntur) ubi Theologiam aliquot annis apud Eburones professus, Tornacum ire jussus est, ut ex legibus quibus se voto obligarat, nonnihil temporis ad quietem sacrásque commentationes à studiorum tumultibus subduceret. Hîc ille iterum philosophum Theologúmque exuens, inter religiosos tirones abjectissima quæque munia obiit, & etiam ambiit. Lacerâ interdũ & squalidâ lacernâ indutus œconomum comitabatur; & quæ ille in foro emerat, per mediam urbem spectante omni populo, ad Collegium deferebat Senatorius & Censorius bajulus, aliis admirantibus, aliis vicissim illudentibus. At ille *Stramineum* hoc *Sertum* non exhorruit, non rejecit, imò decorum sibi credidit. Post annos complures in Societate IESV positos, post cathedras Philosophiæ, Theologiæ, Concionum cum magnâ laude diu administratas, id unum præ reliquis, domestici omnes in eo stupebant, tantum virum, oculis caligantibus, & pænè cæcutientibus gnaviter & prompto libentique animo, dum alii mensæ assideret, stantem aut in loco anagostæ solito incommodè sedentem, librum aliquem pium de more prælegere, & ad alterius arbitrium accentus & tonos vel invertere, vel dirigere. *Stramineum sertum* Delrius obviis ulnis amplexus, hoc unum in seipso erubuisset, si vel senex erubescere noluisset.

Martinus Delrius sertũ stramineum non exhorruit.

Idem beatus Lantfrancus fecit, vir omni litteraturâ egregiè imbutus. Hic cùm in cœnobio lectorem mensæ ageret, & ab antistite illiterato, idque contra Grammaticæ leges repetere lecta juberetur, promptissimè repetiit, & pronunciavit omniâ, ut jussus fuerat. Ornamento scilicet, sibi duxerat *Stramineum* hoc *Sertum*: nec pudebat optimum virum, Christi caussâ pudore affici. Idem fecit beatus Aloysius Gonzaga, ut res gestæ ipsius testantur.

Idẽ Lantfrancus fecit.

Cùm semel animum virtus induraverit, undique invulnerabilem præstat: nec dolor illum, nec ignominia lædet. Num tu putas hominem divinæ Voluntati verè devotũ, ignominiâ moveri posse, qui à vulgi opinionibus jam secessit, qui suum honorem omnem jam in Christo reposuit? Plus etiam quàm ignominia, est mors ignominiosa. Hoc tamen tot millia sanctissimorum martyrum eodem vultu adierunt, quo alii diademata & purpuram admittunt. Rex ipse martyrum, Christus, mortem longè ignominiosissimâ vel ideo etiam tulit, ut doceret suos non refugere ignominiosa pati, sed facere. Nemo suaviùs ab alio contemnitur, quàm qui seipsum priùs contemnere didicit.

Animus virtute induratus involuerabilem se præstat.

Christus cur mortẽ ignominiosam tulit.

Verus sui ipsius contemptor contumelias has omnes infularum loco habet: & tum denique sibi plurimum applaudit, & gratulatur, cùm largissimè irridetur. Siquidem ea demum vera est gloria, pro Christo contemptum & probra omnia minima maxima, æquanimiter tolerare. Discipuli Christi stipulis priùs aut spinis coronantur, quàm auro & gemmis.

Rex David Amalecitas insecuturus servum Ægyptium fame & morbo pænè confectũ in campo reperit, cúmque de patriâ, domo, gente accuratiùs interrogavit. At ille: *Puer Ægyptius ego sum,* inquit, *servus viri Amalecitæ: dereliquit autem me Dominus meus, quia ægrotare cœpi nudiustertius.* Hunc David exacto jurejurando in comitem adscivit. Hęc secum beatus Gregorius expendens: *Hos,* inquit, *eligit Deus, quos despicit Mundus, quia plerumque ipsa despectio hominem revocat ad seipsum. Stramineum sertum* nemihem damnosà afficit ignominiâ nisi superbum & impatientem.

1. Reg. c. 30. vers. 13.

Gregorius in Evang.

Exeamus igitur (ut beatissimus Paulus hortatur) *Exeamus* ad Christum IESVM *extra castra, improperium ipsius portantes.* Ad cruentum Christi in cruce solium ducem habemus Paulum, qui hortatur sequi. *Per gloriã & ignobilitatem, per infamiam & bonã famam, ut seductores & veraces.* Comites in eadem hac viâ innumeros habemus fortissimos heroas, qui ludibria & verbera experti, insuper & vincula & carceres. Vt coronâ adipiscerentur aureâ, toleranter gestarunt stramineâ. Nondum felix, nondũ beatus est, qui contemni & irrideri nescit.

Hebr. c. 13. vers. 13.

2. Cor. c. 6. vers. 6.

§. V. *BACILLI.*

HVmanæ miseriæ quotidie vitam vellicantes BACILLIS repræsentantur. Nunquam profectò deest, quod patiamur: dum stamus, dum sedemus, dum ambulamus, dum edimus, bibimus, quiescimus, innumeræ sese molestiæ ingerunt; cum incommodis nostris quotidie rixamur. Dici potest: in hoc gymnasio magister nunquam *bacillos* de manibus ponit. Vix ullus est mortalium, cui non quotidie molestiarum aliquid tolerandum. Sed pleraque ista propter quæ indignamur, offendunt non magis quàm lædunt.

5. Bacilli.

Religiosissimi Thomæ illius verba neminem non spectant: *Miser es ubicunque fueris, & quocunque te verteris, nisi ad Deum te convertas. Dispone & ordina omnia secundum tuum velle & videre, & non invenies nisi semper aliquid pati, aut sponte aut invitè. Converte te supra, converte te infrà, converte te extra, converte te intrà: & in his omnibus invenies crucem: & necesse est te ubique tenere patientiam, si internam vis habere pacem & perpetuam promereri coronam.*

Imit. Christi lib. 2. c. 2. 2. inst. & l. 2. c. 12. nu. 3. & 4.

Hæ miseriæ licet toleratu faciles, quia tamen quotidiani census sunt, meritũ mirificè augent, modò Dei caussâ tolerẽtur. Ludovicus Blosius optimè docet, *non esse minimum quid, molestiam vel minimã pro Deo toleratam.*

Blos. institũt. spirit. c. 2. proprius finem.

De omnibus his talibus & molestiis & miseriis illud verissimè pronuntiarã: *Onerosum, sed meritorium:* modò is qui patitur, pro Deo patiatur, & animo volente. Nam, ut Augustinus loquitur, *Discutit Deus, quid quisque voluerit, non quid potuerit.*

August. in psalm. 61. prope finem.

Abigail feminarum prudentissima, cùm omne genus esculentorum ferret placando Davidi, munus hoc insuper egregiâ oratione commendans. *Erit anima Domini mei, custodita quasi in fasciculo viventium, apud Dominum Deum tuum.* Porrò inimicorum tuorum animã rotabitur, quasi impetu, & circulo fundæ. Hîc sapiens herois illustrissimâ comparatione discrevit vivendi rationem, quam improbi probique tenent, præsertim in tolerandis vitæ miseriis. Bonæ mentis homines instar recentium florum sunt, quos olitor paullò antè decerpsit, & ne diffluerẽt, in fasciculum colligavit filo. Flores hi arctè quidem stringuntur, clamore, si possent, testaturi suum dolorem. Verùm hac ratione flores cõjuncti manent, & diutiùs vivunt affusâ aquâ.

1. Reg. c. 25. vers. 29.

Probi ut flores astringuntur per miserias, ut conservẽtur.

Hoc florum vinculum, quotidianas miserias interpretor, quæ si non suaviùs, certè puriùs docent vivere. Res exemplo mõstratur: Esurio: Vt ergo fami opituler, coci benevolentiam ambio. Sitio: Sed cellarium agere non placet, ergo famuli operam adhibeo. Veste indigeo: At suere non possum, ego sartoris industriam quæro. His indigere, miseria quidem est, at sæ non-

sic nonnihil humanior fio, & alienâ operâ dêvinciorad amandum. Si essent qui neminis egerent operâ, neminem vel mitiore verbulo dignarentur. *Sic anima proborum custodita est velut in fasciculo viventium.*

Improbi autem ut lapides in fundâ rotantur ut abjiciâtur.

Longè dissimillima ratio est improborum. Sentiunt quidem miserias quotidianas & ipsi, sed eos esse lapides dixeris, quos funda rotat quo longiùs projiciantur. Nolunt improbi legibus stringi, laxissimam ambiant libertatem, cupidines suas sollicitè sectantur, nec arceri se sinunt à suis delitiis. Itaque in fundâ jacent non ligati, sed *rotantur* huc illuc, in omnes nequitiæ species vagi. Tandem post tot petulantiæ gyros excutiuntur, Repulsi sunt de manu Dei.

Psal. 87. vers. 6. Glossa Ordinaria.

Quapropter, ut vetus interpres loquitur, Fasciculus astringitur ut conservetur, lapis in fundâ ponitur, ut abjiciatur. Singuli secum despiciant, quâ ratione quotidianas miserias ferant, an ut flores ligati, an ut lapides rotati.

B

Luc. c. 9. vers. 23.

Rex crucifixus Christus, ad portandam Crucem invitans, non annuam, non menstruam, nec unius hebdomadis, sed quotidianam crucem offerebat, & teste Lucâ, dicebat ad omnes: *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suâ quotidie, & sequatur me.*

Chrysostomo valde assentior, qui vitam nostram onerariæ navi, quæ adverso flumine trahitur, simillimam esse dixit. Cogita turbas, tumultum, miserias in hac tali nave assiduas. Hîc clamores perpetuos diu noctúque audire cogeris: hîc somnus brevior & turbatior: hîc cibus nauticus, & qualis in ipso navigio incommodè coquitur. hîc progressus navis morosus & testudineus: hîc perpetuæ & aliæ ex aliis molestiæ oriuntur. jam funis rumpitur, jam carina saxo illiditur: jam equus concidit, jam ex equo auriga decidit, jam nauticus explorator periculum incidit: modò navis offendit & in vado hæret, & quia in ejusmodi navigijs plerumque multum vini vehitur, doliarius victor semper aures obtundit, dum dolia munit ne rimas agant, aut musto rumpantur? cùm in navi aliquantula quies foret, è cælo turbæ sunt: jam præceps nox hærere cogit, jam procellosus ventus jubet sistere, jam pluviæ, jam fœdissimæ tempestates aliæ aut morari, aut tardiùs progredi volunt. Hîc nûquam deest, quod molestum sit. Talis omnino vita nostra est, assiduis miseriis plena, nunquam non ingerit quod patiamur. *Adverso flumine*, ait Chrysostomus, *in cælum navigamus, & tu quæris, ne qua tibi difficultas occurrat.*

Quotidianas ergo molestias non nisi quotidiana vincet patientia. Vnusquisque *tollat crucem suâ quotidie.*

Pelag. libello 7. n. 11.

Hîc plurimum promereri licet non tam difficultate tolerandorum, quàm assiduitate. Recto pietatis sensu Mathois abbas dicere solebat: Malo aliquod leve opus & continuum, quàm grave quod citò finiatur. Non minùs patiens est censendus, qui quotidie suam patientiam velut ad palum exercet, quàm qui grandia fert onera, sed rarò. Imò fit quandoque ut magna vincamus, & in minimis succumbamus: injuriam gravem ferimus, & pulici aut muscæ impatientissimè irascimur. *O pæsi graviora!*

Virg. lib. 1. Æneid.

Narrat Dionysius Carthusianus, sui Ordinis tirorem principio alacrem, & ad omnia prôptum, paullatim cœpisse lassescere, & inter onera numerare, quæ initio facillima videbâtur. Illud præcipuè religiosum juvenem vexabat: niger ei cucullus, ut tironi, ferendus erat, hunc ille iniquissimis oculis intueri, & trabalem crucē credere, quod aliorum neminem fatigavit. Fuit ut huic juveni promeridianū somnū conciliaret altissimi filētii quies. Dum dormit, somniat Christum cum prægandi cruce per cœnobii ambulacrum incedere, & ascensum moliri per scalas, nec tamē progredi posse, ob immodicam crucis molem. Igitur ille ipse tiro, qui hoc somniabat, visus est sibi accurrere, & adA juvare velle laborantem. At eum Christus torvè intuens: Et tu, ajebat, impatientissime, in meâ mihi ferendâ cruce sis auxilio? Tuam portare nequis, & alios juves? Evigilavit tiro ad has voces, & resipuit, robustiora patientiæ specimina daturus.

Idem nobis frequenter venit: ardua quandoque perferimus, & à minutilis jacemus victi: Tironi illi dixissemus: Quid hoc vestimenti genus te cruciat? cucullus, quem horres, ater quidem est, sed levis est, & pro ritu familiæ, quâ amplexus es, tironibus omnibus gestandus. Dicamus hæc talia, obsecro, & nobis ipsis: Fames, sitis, frigus, æstus, malignum cælum, molesta statio, injucunda ambulatio, plena tædii fatigatio, importuni amici, turbātes liberi, ignavi famuli, uxor iracunda, miseriæ sunt non amœni coloris, sed facilis patientiæ; modò eas velimus ferre non repugnanter, ipsâ ferendi assuetudine molliuntur, & superantur. *Bacilli* sunt, non trabes, & eò plerunque minùs feriunt, quò feriunt crebriùs. Eruditè hîc submonens Tertullianus: *Absit à servo Christi*, ait, *tale inquinamentum, ut patientia majoribus tentationibus præparata in frivolis excidat.*

Tertul. l. de Patien. c. 6.

2. Reg. c. 7. vers. 14.

Deus Davidi regi amantissimè pollicitus: *Ego ero*, inquit, *ei in patrem, qui si iniquè aliquid gesserit, arguam eum in virgâ virorum, & in plagis filiorum hominum.* Nimirum ut pater aut præceptor discipuli manum ferulâ solet increpare: levis ictus, & brevis dolor.

Ita Deus virgâ virorum, & plagis hominum, miseriis inter homines non ignotis corrigit, ne paternâ labante disciplinâ exleges simus, in omne flagitium animosi. Tunc enim peccandi crescit audacia, cùm metus demitur dandi pœnas. Ideo Sionis Rex: *Virga tua*, inquit, *& baculus tuus, ipsa me consolata sunt.* Fassus se filium errantem, agnouit patrem leniter castigantem.

Psalm. 22. vers. 4.

Sen. de Consol. ad Polybium. c. 36

Eruditè dixit Seneca: *Non sentire mala sua, non est hominis; nō ferre mala sua, non est viri.* Esurire, algere, sitire, ceteráque vitæ molestias subire, *onerosum* quidem, sed tamen *meritorium.* Pergamus hæc tolerare. Hîc etiam à luctâ non gravi speradum est præmium immortale.

C

CAPVT V.

Alia quinque genera pœnarum singillatim etiam exponuntur.

Festivum apologum recēsens Suidas: Abies, inquit, & Rubus jurgio contendebant. Abies Rubo, Rubus Abieti multa exprobrabat; ad graves etiam verborum contumelias descendebant. Tandem Abies: Quid multis, inquit, opus est? Vltimū tuum hospitium est furnus, aut fornax, neque enim ad aliud quidquā usui es, quàm ut igni teipsum subjicias in pabulum. Hoc te fatum manet; hic tibi locus debetur; ab igne demum devocandus es. Ego quidē, neque enim nego, dariùs tractor, ferro succidor, ad molam serrariam devehor, dentibus ferratis dividor, exinde fabris dolanda & secanda trador, hîc etiam pelle meâ spolior: hæc tamen omnia mihi honori sunt & laudi, nā ex me sedilia, domus, navigia, templa fiunt; ubique sum usui.

D

Hæc vera (sic loquar) in Orbe fabula est. Hoc discrimine improbi probique vivunt; illi ut rubus demum in flammas abripientur, isti ut abietes rectæ in altum cælo crescunt. Variè quidem afflictionis ferro sauciantur, dejiciuntur, circumsecātur, fortunis ut pelle spoliantur. Sed non refert, sic ad ædificium cæleste aptantur, rubis ad ignem destinatis: Abietes dum leduntur ferro, poliuntur, ut jam suprà demōstravimus. Et istius quidem polituræ quinque instrumēta, *Virgas, Sagittas, Faces, Serum Stramineum, Bacillos* explicatè proposuimus. Addimus nunc quinque reliqua, *Laqueos, Fustes, Pallium, Flagra, Saccum*, utilitatem in Patientiæ gymnasio supellectilem, cujus singulas partes exponemus.

§. I. *LAQVEI*

§. I. LAQVEI ET CATENÆ.

Alia quinque instrumenta in gymnasio patientiæ cruciabilia: 1. Laquei & catenæ. Error in gymnasio patientiæ.

HIs adumbrantur afflictiones cuivis statui propriæ. Habet quælibet vivendi ratio suos *Laqueos* aut *Catenas suas*. Vbique vincula sunt, sive arctiora illa, seu laxiora, seu aurea, seu ferrea, vel etiam adamantina. Religiosorum hominum status triplici cohæret vinculo; conjugium simplici, sed illo arctissimo.

Hîc cum primis error ponendus est, qui multis miserè illudit. Cùm nemini crux desit, suam quisque crucem putat ponderosissimam. Oculorum dolorem omnium gravissimum judicat, qui ophtalmiâ laborat. Qui vivam in corpore lapidicinam alit, aut calculo uritur, neminem mortalium acerbiùs quàm se torqueri existimat. Qui dentium doloribus urgetur, omnes alios dolores mitiores putat. Quem stomachi rosiones, exulceratio, aut colica exercent, se unum gravissimis tormentis cruciari censet. Ita qui argoribus circumfluit, alia omnia mallet perpeti, quàm animo argi. Qui morsus & vulnera conscientiæ sentit, se unum ad inferos jam dejectum credit. Qui malè auspicatis nuptiis uxorem duxit imperiosam, se omnium miserrimum arbitratur, nec immitius esse pistrinum ullum quàm conjugium affirmat. Miles morbo & inopiâ pressus, sortem suam ut omnium iniquissimam damnat. Quem domi labor velut remigem scamno affigit, infelicissimæ conditionis se solum esse ingemiscit. Servorum ac subditorum querelæ, omnes alios præterquam servos, beatos pronuntiant. Magistratus, præsides, & qui ad clavum sedent, suam vivendi rationem judicant laboriosissimam. Mercator quem maria & itinera fatigant, civium quietem laudat, & mercaturam, ut turbatissimum vitæ genus accusat.

Chrysost. to. 5. homil. 67. propius finē.

Chrysostomus jam suo ævo in has ipsas querelas publicè facundus: *Oculum habens vitiatum*, inquit, *nullam agritudinem aliam talem esse censet qualem suam: rursum qui stomacho laborat, hoc omnium esse difficillimum asserit: itidem & in tristitiâ, quâ quis detinetur, hanc asserit esse difficillimam; cum propriâ enim experientiâ hoc judicat. Sicut qui filios non habet, nil ita grave putat, sicut filiis carere: qui multos habet cum paupertate, nil tam accusat quàm filiorum multitudinem. Privatus, nihil hujusmodi vitâ dicit inutilius esse, nihil abjectius. Miles nihil esse militiâ laboriosius, nihil periculosius asserit: satius enim pane solo cum aquâ vesci, quàm tot ferre molestias, &c. Quot senectam admirantur? Quot beatam vocant juventam? Quare non fuimus senes? dicimus. Cùm verò venit, exalbescit, rursum dicimus, Vbi juventa? Et omnino multas tristitiæ causas habeamus. Vna tantùm est ab hac inæqualitate libera via, quæ secundùm virtutem est.* Cùm igitur mala nostra magis sentiamus quàm aliorũ, nostris grandius inesse pondus credimus quàm alienis. Hîc ego cum Venusino vate interrogem:

Horat. l. 1. sat. 1. init.

Quî fit Mæcenas, ut nemo quam sibi sortem
Seu ratio dederit, seu sors objecerit, illa
Contentus vivat? ——

Cuique sua sors videtur miserrima: propria crux gravissima crux censetur. Idcirco ustissimus hic error in gymnasio Patientiæ corrigendus. Atque hoc nemini non persuasissimum sit, omne vivendi genus suis ligari vinculis, suas cuique statui hærere cruces. Elegisti vitæ genus illius? Illius etiam catenæ ac laquei te sequentur, ne dubita; qui reditus capit, expensas cogitet; qui hæreditatem adit, in partem solvendorum quoque debitorum venit. Vitam religiosam amplexus es? Nil nisi cruces cogita, eásque perpetuas. Hîc vivere non licet, nisi crucifixo.

Quomodo corrigendus.

Marti te consecrasti? extremam pauperiem, & vulnera, & mortem expecta.

Mercurio te adjunxisti? Non tantùm maria & tempestates, sed & naufragia, & fortunarum everſionem prævide.

Musis te addixisti? Quidquid laborum aut tædiorum occurrerit, devorandum erit, aut certè Musis renuntiandum.

Domini te servitio tradidisti? Expende durissima quæque servis toleranda.

Sors aut Natura te dominum fecit? Para te; curarum & sollicitudinum agmina tibi erunt sustinēda.

Vxorem duxisti? Habeas ut nactus. Ærumnæ te plurimæ expectant; hæc sacra aliter non constant. Teipsum sponte in vincula conjecisti quæ nemo nisi Mors solvat. Quapropter sumptuosum tibi bellum, familiæ procellas, quotidianum suppliciũm, tristia omnia imaginare. Nam, *tribulationem carnis habebunt hujusmodi.* Ecquid frustra luctamur? omnis vivendi ratio, status omnis plurimum amaroris habet, & ubique est, quod mordeat.

1. Cor. c. 7. vers. 28.

Divinâ lege sancitum est: *Omnis oblatio quæ offertur Domino, absque fermento fiet, nec quidquam fermenti ac mellis adolebitur in sacrificio Domini. Quidquid obtuleris sacrificii, sale condies.* Mel & fermentum à divinis sacrificiis exclusissima sunt. Neque verò tantùm flagitiis abstinendum, sed & voluptatibus, quæ ducunt ad flagitia. Vtrumque repudiatur & mel voluptatis, & fermentum nequitiæ. Sale condiendum est, quidquid Deo consecratum cupimus. Nihil enim illi placet, ut Hieronymus loquitur, nisi aliquid in se amaritudinis & mordacitatis contineat. Deus ipse pænè omnia perfundit amaritie, & multo sale defricat.

Levit. c. 2. v. 11. & 13.

Flagitiis abstinendũ & voluptatibus quæ ducũt ad flagitia.

Rex David hoc persentiscens: *Posuisti*, ait, *tribulationes in dorso nostro.* Et quis hanc acrimoniam non sentiat? Addit: *Induxisti nos in laqueum*, DEVS est qui certâ vivendi ratione nos vinciat, hos compedibus, istos armillis, illos torquibus, hos catenis, hos funibus: quosdam ferro ligat, loro aliquos, auro alios. Non tamen minùs ligatus est qui ferro, quàm qui auro ligatus est. In vinculis sumus, & compediti, quodcunque vitæ genus tuemur ille omnium peritissimus habetur in Patientiæ gymnasio, qui status sui seu laqueos seu catenas scitissimè gestare novit, qui Christianâ patientiâ se suis compedibus indulget. Certè ferenda sunt hæc vincula, non rumpenda. Plurimis prodest sic esse vinctos, ne manuum pedumve licentia exorbitet ab honesto.

Psal. 65. vers. 11.

Illum igitur errorem penitus damnemus, qui suam cuique crucem fingit omnium esse gravissimam. Imò hoc quisque sibi certò persuadeat, se nunquam tanta passum, sed nec passurum unquam, quin alii longè graviora passi deprehendantur.

Error dãnadus, qui suam cuique crucẽ fingit omnium esse gravissimam.

Ex illo autem errore primo enasci solet alius, cùm afflictiones nostras non tantùm maximas censemus, sed eas etiam fugere molimur, licet irrito conatu. Hinc agricola ligonem odit & stivam, cæmentarius trullam, faber ferrarius limam, tabularius pœnam, discipulus disciplinam: maritus execratur conjugem, famulus herum, puer magistrum; suum omnibus officium sordet; displicet incepta vitæ ratio. Nimirum, *propter frigus piger arare non vult.*

Prov. c. 20. vers. 4.

Hîc Paulus altùm inclamat omnibus: *Vnusquisque in quâ vocatione vocatus est, in eâ permaneat.* Quo tandem modo? Fortiter & agendo, & patiendo. Eam ob causam Paulus in preces etiam descendens: *Obsecro itaque vos, ego vinctus in Domino*, inquit, *ut dignè ambuletis vocatione quâ vocati estis, cum omni humilitate & mansuetudine, cum patientiâ.* Quid enim reluctamur miseri? quid vinculorum nodos rumpere tentamus frustra? Hoc certè unum agimus, ut arctiùs implicentur.

1. Cor. c. 7. vers. 20.

Eph. c. 5. vers. 1.

Feramus ergo injectos nobis compedes, dum suum capiti diadema veniat. Fors vicina jam dies est, quâ canamus assertori nostro: *Dirupisti vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis.*

Psalm. 115. vers. 17.

§. II. NODOSI FVSTES.

2. Nodosi fustes.

FVSTIBVS NODOSIS calamitates monstrantur plurimis communes, Tyrannis, Hæresis, Bellū, Pestis, Sterilitas, Fames, Oppressiones, Cædes, Inundationes, Morbi, Naufragia, Ruinæ, Incendia, Terræ motus, Terræ labes, ceteræque clades publicæ. Vtilia prorsus sunt hæc quæ patimur publica mala. Origo eorum à Deo bonorum omnium auctore, capite, & fonte, qui hæc aspera ingerit, ut medicamenta, sensu quidem tristia, re salubria & eventu.

Quod & suprà asseruimus. Triplex finis istarū cladium.

Fines cladium istarum præcipuè tres numerantur. Aut enim Bonos DEVS exercet; aut Lapsos castigat; aut Improbos punit, & hæc omnia nostro bono. Videmus quotidie optimos quosque aut seorsim premi cladibus, aut iisdem pariter involvi, cum malis. Videmus & miramur, quia nec causam satis capimus, nec attendimus ad finem. Causa est Dei in nos amor: finis, non læsio nostra, sed fructus. Iuvat enim exercitium hoc non uno modo. Si nantam velis agere, per tempestates doceare: si militem, per pericula: si verò virum, per afflictionis tolerantiam. *Doctrina enim viri per patientiam noscitur.* Atque hic exercendi; alter castigandi finis est.

Prov. c. 19. vers. 11.

Paterna manus est quæ lapsos crebrò verberat; carnificis quę tardè.

Clades quibus castigamur, aut flagelli loco sunt, cum peccavimus; aut freni, ne peccemus. Paterna manus est, quæ lapsos crebrò verberat; carnificis, quę tardè, sed semel punit. Punitio divina ad malos quidem spectat, non tamen mala est, quia non aliud est, quàm cohibitio quædā à sceleri & repressio. Sic pœna omnis bona, Iustitiæ aspectu, sicut impunitas mala, quæ efficit ut diutiùs sceleſti noceant.

Porrò clades publicæ, ut Bella, Fames, Pestis, aliæque justissimè à Deo immittuntur. Neque est quòd eas graviores priscis aut novas credamus. Et olim talia longéque graviora. Hoc quidem ævo ab Anno Christiano millesimo sexcentesimo decimo octavo, totam pænè Europam belli flamma depasta est, per duodecim jam annos: nec dubium quin aliquot centena millia hominum morbo, fame, gladio perierint. Sed nihil hoc novi. In unâ olim Hierosolymorū urbe, per omne tempus obsidionis mortui aut cęsi *decies centena millia*, capti nonaginta septem millia. Quo quidem tēpore in Iudææ diversis locis, *duodecies centena & quadraginta millia* Iudæorum occisi sunt. Præter innumeros qui fame, exilio, miseriis perierunt. En clades unius solummodo gentis! Quantula tamen illa hominū terrarúmq; pars, si conferatur cum Europâ nostrâ.

Quid jam alibi gentium? Vnum bellum Punicum secundum in solis Italiâ, Hispaniâ, Siciliâ, supra *quindecies centena millia*, non totis septemdecim annis consumpsit. Bellum civile Cæsaris & Pompeji ad *trecenta millia* hominum glutivit. Brutī, Cassii Sexti Pompeji largiorem sanguinem fuderunt. Vnus C. Cæsar (ô pestem perniciémque generis humani!) fatetur, & quidem gloriabundus, *Undecies centena & nonaginta duo millia hominum præliis à se occisa.* Pompejus Magnus in delubro Minervæ inscripsit, *Fusa à se, fugata, occisa, in deditionem accepta, hominum vicies semel centena octoginta tria millia.* Quibus velut in numerum addo Q. Fabium, *qui centum & decem millia Gallorum*: C. Marium, qui *ducenta millia Cimbrorum*: Posteriori ævo Aëtium, qui memorabili Catalaunico prælio *centū sexaginta duo millia Hunnorum* occidit. His jungo Mithridatem regem, qui unâ epistolâ *octoginta millia* civium Romanorum negotiandi caussâ per Asiam dispersa intermit.

Neque tantùm cadaverum strages in bellis, sed oppidorum ac urbium. Cato Censorius gloriatur, plura oppida se in Hispaniâ cepisse, quam dies in eâ egerit. Cepit autē quadringenta, si Plutarcho fides. Sępronius Gracchus, ut Polybius refert, trecenta in cadē delevit.

A Quid jam de morbis & variâ lue memorē? In Iudææ pestis una sub Davide rege septuaginta millia hominum absorpsit, die non toto. Sub Gallo & Volusiano Imperatoribus, pestis ab Æthiopia exoriēs, omnes Romanas provincias pervasit, per quindecim cōtinuos annos incredibiliter exhausit, & innumeros mortalium ad plures misit. Vix alia unquam major, seu temporū, sive terrarum spatio fuit. Sævitia tamen insignior illa, quæ Byzantii finitimisque locis grassata, Iustiniano principe, cujus vis tanta, ut in singulos dies quinque millia funerum daret, interdūm etiam decem millia. Nec minùs mirāda Africana pestis, quæ eversâ Carthagine orta, in solâ Numidiâ *octingenta millia* hominum delevit, in maritimâ Africâ *ducenta millia*, & apud Vticā *triginta millia militū*. In Græciâ, Michaëlis Ducis imperio, tanta pestis sęvitia fuit, ut vivi prorsus pares non essent sepeliendis mortuis. Deniq; Petrarchæ ævo, tam valida in Italiam pestilentia incubuit, ut B ex millenis quibusq; hominibus vix decē superessent.

Procopius l. 2. de bello Persico. Agathias lib. 5. hist.

Zonaræ verba sunt. Sub annum Christianum 1359.

Iam de fame nihil profectò nos, ut ætas nostra vidimus, si videmus antiqua? Sub Honorio Imperatore Romæ tanta caritas omnis annonæ fuit, ut homines hominibus jam imminerent, & in Circo palam audita sit illa vox, PONE PRETIVM HVMANÆ CARNI. In totâ Italiâ vastantibus eam Gothis, sub Iustiniano, iterum tanta, ut in solo Piceno *quinquaginta millia hominum* fame interierint, & passim in usum ciborum versæ sint carnes non solùm humanæ, sed humana etiam incrementa.

Ioan. Marian. lib. 1. rerum Hispanic. c. 13. fine.

Ævo regis Hispaniarum Habidis, terræ aëriſq; ficcitas vigiti sex annis tanta fuit, ut fontibus fluviisq; omnibus, præter Iberum & Betim, præ ariditate consumptis, humoréq; penitus exiccato, quo partes terræ pulvisque coagmentantur, agri in vastos hiatus abirent. Hinc facultas aliò commigrandi sublata multis, C qui vitæ sustentandæ necessitate adacti fugam meditabantur. Sic Hispania locis præsertim mediterraneis, herbarū & arborum honore nudata (paucas quasdam arbores ad Bacchi ripā conservatas ajunt) bestiis & hominibus fame consumptis, in solitudinem & in vastitem miserabilem redacta est. Regum nobiliúmque progenies à stirpe defecit, tenuioribus, quibus res angusta domi fuerat, neque in multos dies paratus commeatus, in vicinas provincias, locáque maritima tempestivè dilapsis. Exactis tandem viginti sex annis post maximam vim ventorū qui subsecuti sunt, & arbores omnes radicitùs convulserunt, copiosis pluviis depulsum est malū. Incolarum aliqui, sed aliis permixti gentibus, ad sedes pristinas reversi, Hispanorum gentem & nomen fermè ad interitum perductum instauraſſe creduntur. Sic Hispaniæ sentiunt Historię. Sileo notas.

Quid jam vetera tributorum exempla memorem? D Pleræq; omnes provinciæ sub Romano Imperio, fructum ex agro pascuo *Quintam* quotanis persolverunt, *Decimā* ex agro arvō. Nec defuere Asitonius & Cæsar, nōnum decémq; annorum tributa exigere in annum. Iulio Cæsare interfecto, cùm armā sumpta pro libertate, singuli cives *Vigesimum quintam* omniū bonorum deponere cogebantur. Et hoc amplius: Senatorii ordinis omnes, in singulas ædiū suarum tegulas, *sex asses* conferre jussi sunt. Tributū immensum nostriſq; censibus vix credendum. Octavianus Cæsar *octavam* omnium bonorum partem à libertis exegit, & accepit. Omitto quæ Triumviri, quæ alii tyranni patraverunt.

Ager arvus, qui arari solet & serit: pascuus, qui pascendo pecori aptus.

Porrò exactiones omnes ac rapinas longè superabant Romanorum coloniæ, quibus in subditos nihil cogitari potuit tristius. Deducebantur passim legiones cohortésque veteranæ in agros & oppida: miseri provinciales momento temporis, bonis & fortunis omnibus provolvebantur, idque nihil ausi, nihil meriti: pro crimine opes eorum, aut opimi

agri

agri fuerunt. Miserum est numis spoliari: quid etiam agris tectisque? Grave istis pelli: quid totâ patriâ? Distrahebantur, ecce aliquot millia hominum, liberi à parentibus, domini à familiaribus, uxores à viris, & in varias terras, ut sua cuique sors fuit, spargebantur; alii in Africam, pars in Scythiam aut Britanniam coacti sunt migrare. Solus Octavianus Cæsar in solâ Italiâ viginti octo colonias collocavit: in provinciis quot libuit. Hoc profectò gurges calamitatum omniũ fuit.

Tranquill. de Cæsar. Tacitus in Annal. Alii.

Quid jã Inundationes, Terræ motus, Incendia, Ruinas cõmemorem, quæ totas non rarò civitates hauserunt. Fidenis, Tiberio principe, collãpsi Amphitheatri ruinâ, viginti millia hominum & ampliùs perierunt.

Lips. l. 2. Const. c. 20. & 1497.

Clades in omni Orbe, & omni ævo fuerunt erúntque. Illud potiùs mirum, si exlex quisquam ab hac communi lege nec onus ferat, quod ferũt omnes. Solon amicum quendam Athenis graviter lugentem in arcem deduxit, & subjectas omnes in magnâ urbe domos ostendens: Cogita, inquit, quàm multi luctus sub his tectis olim fuerint, nunc versentur, posteà futuri sint: ac mitte lamenta vana, animúmque contra hæc obfirma. Idem omnibus ingerendum, qui nostra tempora ut omnium luctuosissima deplorant: Obfirmate animum. Quod damnum putamus, remedium est. Hac miti calamitatum ferulâ DEVS crimina nostra velut depurgat & expiat. Transeundum est per ignem & aquam, & educet nos in refrigerium. Obtinuisti primum, expecta secundum.

Psal 65. vers. 12.

§. III. *PALLIVM.*

3. Pallium.

ILlam afflictionem PALLIVM voco, quam quis ipse sibi creat, aut aliunde advenientem auget vanis persuasionibus. Nimirũ talis cuique quælibet res apparet, qualem ei vestem aut pallium ipse induerit. Incredibile dictu est, quantum hîc seu imaginatio, seu opinio possit. Opinione solâ ægrotamus, & etiam quandoque morimur. Fit nonnunquam ut duo quidam simillimâ & eâdem pænè cruce premantur: alter excitatioris animi suam putat esse chartaceam, alter objectioris & tristioris suam putat prorsus plumbeam. Hîc non res, sed opinio diversa est.

Crux tãtæ molis est, quantæ putat eam esse is qui portat;

Sæpissimè tantæ molis ac ponderis crux est, quanti eam putat is esse qui portat. Mala nostra ad opinionem nostram aut crescunt, aut decrescunt. Gravia patiuntur, qui hoc unum sibi jam persuasit, se pati gravia. Grande prorsus imperium est imaginationis in morbos & in omnia quæ patimur mala. Sunt qui imaginationem pluviæ assimilent, quæ suo in terram illapsu ranunculas sexcentas procreat. Hanc alii cum tonitru contendunt, quod oves abortire facit, & apum mel acore corrumpit.

Non malè Imaginatio Venetorum cõspiciliis conferatur, quæ turbam è viginti circiter militibus, aspectabilem repræsentant exercitum. Quidquid in Orbe magnum est, subsidet, si ei vanũ imaginationis rumorem ademeris. Cogitationes meticulosæ, suspiciones, æmulationes, & mille hujusmodi, quæ vitam miserè discruciant, imaginationis sunt lucubria. Imaginatio vigilantium est somnium, quod mille phantasmata, modò ridicula, modò horrida objectat. Vulgi verbũ est, *Imaginatio facit casum.* Hîc non minùs verè dixerim Imaginatio aut fabricat crucem, aut certè aggravat. Quemadmodum is, qui pontem angustum transit, aut altum scandendo petit, tum demum ruere incipit, cùm ruiturum se imaginatur, ita prorsus frequentissimè calamitosus fit, qui se talem esse arbitratur.

Exemplo confirmatur. *Climacus grad. 4. p. 7. ab initio quarti gra.*

Qualem rebus imaginem imponimus, aut quale iis pallium injicimus, tales nobis apparent. Id Ioannes Climacus tali narratione confirmans: Cùm in cœnobio, inquit, ad mensam consedissemus, cœnobii præses in aurem mihi insusurrans: Vis, inquit, pater, ostendam tibi religiosissimam cum extremâ canitie prudentiam? Cúmque id summis precibus orarem, nec quidquam me magis velle deberé, advocavit præses è proximâ mensâ sacerdotem senem octogenarium qui sacrario præerat, & quadraginta octo annos in monasterio cum laude posuerat. Vocatus hic senex promptissimè venit, & abbatis genibus advolutus solennem precationem expetiit, eáque datâ surrexit, & ad mensam, quid abbas mandaturus esset, stans expectavit; idque sub initium prandii. Abbas suavissimè omnia dissimulans, neque senem abire jussit, nec quid ipse vellet, imperavit, prandium autem omni studio contra morem protrahi curavit. Duabus ferè horis patientissimus senex stetit, immoto gradu, & quidem impransus. Climacus hæc secum tacitè admiratus, erubescebat vel obliquo oculo in canum illud & venerandum caput tangere. Itaque perstabat dignissimus cælo senex ad prandii finem. Remotis mensis, cùm omnes surgerent, jussus est abire, & initium trigesimi noni psalmi Isidoro recitare. Climacus in stuporem datus hoc spectaculo, & religiosâ curiositate actus, senem illum statorem ad colloquium secretum sevocans: Et quæso te, inquit, mi Pater, quid tanto tempore impransus & stans ad mensam cogitasti? Cui senex placatè: Imaginem Christi præsidi meo impositi, ait, neque enim hoc hominis jussum, sed Dei esse credidi. Quare non ad mensam, sed ad aram me stare persuasus, Deo preces adhibui nec ullam maligniorem cogitationem adversus præsidem admisi.

Expectans Expectavi Dominum, & intendit mihi. Psal 39. vers. 1.

En artificium nobile in patientiæ gymnasio planè usurpandum. Imaginem Christi, ait optimus senex, præsidi meo imposui. Talis scilicet unaquæq; res nobis apparet, qualẽ imaginem, vel quale nos ei pallium injecerimus, qualẽ scilicet eam nostra finxerit imaginatio. Si nos ei pallium lugubre ac nigrum circumdederimus, aspectu mœsto feriemur; si leve ac grati coloris, impavida eam æquanimitate complectemur.

Rei facies intuẽta, & nõ turbari debemus;

Subinde tamen, quisquis nimium dolere non vis, nudam rei faciem intuere, & quod priùs horrorẽ ac mortem intentabat, jam risum excitabit. Quod videmus accidere pueris, hoc nobis quoque majusculis pueris evenit, illi quos amant, quibus assueverunt; quibuscũ ludunt, si personatos videant, expavescunt. *Non omnibus tantùm, sed & rebus persona demenda est, & reddenda facies sua.* Inspice ero, penitiùs quid sit ægrotare, quid sine culpâ suâ pauperem esse, quid humanum favorem amisisse; vide quid sit immerentem injuriâ affici, quid virtute præditum contemni ac vituperari. & hæc omnia terribiles malorum larvas dices, sed pueris solùm formidandas.

Seneca epist. 24. mid.

In patientiæ gymnasio cruces sunt pretiosæ aut viles, ut discipuli pretium eis dant.

Plurimorum imaginatio morbum, ut malum maximum; paupertatem, ut extremum vitæ dehonestamentum, injurias, contemptum, vituperia, favoris jacturam, invidorum vexationem, ut rem longè deterrimã, velis remisque fugiendam intuentur. Ita è formicis elephantos; è canibus, pantheras & tigrides; è lepusculis nescio quos belluarũ, & terribilium portentorum exercitus effingimus. Ita centies morimur, antequam periculosè ægrotemus, ita nos Iro & Codro pauperiores credimus, paupertate vix à limine salutatã; ita quandoque victoriam amissam & desperata omnia proclamamus, antequam hostis in cõspectum veniat; vix absynthiten labris primoribus gustamus, & totos absynthii montes devorãdos esse metuimus; vix spinulam calcamus, & gladios ac vulnera somniamus. Ita malis nostris plurimum adjicimus, & nobis ipsis mentimur. Omnia quæ patimur, opinione nostrâ majora fiunt, & sæviora.

Quis hæc mortalitatis ludibria satis æstimet? Plura sunt quæ nos terrent, quàm quæ premũt, & sæpius opinione quàm re laboramus. Quædam nos magis torquent,

torquent; quàm debeant; quædam ante torquent, quàm debeant; quædam torquent, cùm omnino non debeant. Aut enim augemus dolorem, & fingimus, aut præcipimus. Plerumque enim suspicionibus laboramus, & illudit nobis illa, quæ conficere bellum solet, fama. Sic accedimus opinioni, nec coarguimus illa, quæ nos in metum adducunt, nec excutimus, sed trepidamus, & sic vertimus terga, quemadmodum illi, quos pulvis motus fuga pecorum, exuia castris, aut quos aliqua fabula sine auctore sparsa conterruit. Nescio quomodo vana magis perturbãt. Vera enim modum suum habent: quidquid ex incerto venit, conjecturæ & licentiæ paventis animi traditur. Inquiramus itaque in rem diligenter.

Liv. lib. 27. Fama belli conficit, & parva momenta in spem motúve impellit animos.

Quàm multa non expectata venerunt, quàm multa expectata nunquam comparuerunt! Etiamsi futurum est quod times, quid proderit dolori tuo occurrisse? satis citò dolebis, cùm venerit: interim tibi meliora propone, & noli sollicitus *esse in crastinum. Crastinus enim dies sollicitus erit sibi ipsi.* Sufficit diei malitia sua. Id quod metuimus, fortassis erit, fortassis non erit; interim dum non est, mittamus tam vanos metus.

Matth. c. 6. vers. 34. Seneca.

Non nunquam nullis apparentibus signis, quæ mali aliquid pronuncient, animus sibi falsas imagines fingit, aut verbum aliquod dubiæ significationis detorquet in pejus, aut majorem sibi offensam proponit alicujus quàm est, & cogitat non quantum iratus ille sit, sed quantum liceat irato. Sic dubia pro certis expavescimus, nec servamus modum rerum; statim in timorem venit scrupulus. Ergo spem ac metum examina, & perturbare te desine.

Præclarissimè dixit Epictetus: *Homines perturbantur non rebus, sed iis quas de rebus habent opinionibus. Verbi caussâ: Mors non est malum: alioqui enim & Socrati ita visum esset: sed opinio de morte, quæ malum eam facit. Cùm igitur impedimur aut distrahimur: non alios culpemus, sed nos metipsos, hoc est, nostras opiniones.*

Epictet. Enchir. c. 10.

Hoc ipsum Annæus explicatissimè confirmans *Opinio est ergo*, inquit, *quæ nos cruciat: & tanti quodque malum est, quanti illud taxavimus. In nostrâ potestate remedium habemus.*

Senec. Consol. ad Marciam c. 19.

Itaque in Patientiæ gymnasio cruces pretiosæ aut viles, ponderosæ aut leves sunt, prout discipuli pretium eis dant, aut pondus. Tam miser est quisque, quàm se esse credit.

§. IV. FLAGRA.

4. Flagra.

INter gravissimas afflictiones non immeritò censentur illæ, quæ à Linguâ sunt, Objurgationes, Convicia, Obtrectationes, Contumeliæ, Calumniæ, Exprobrationes iniquæ, Accusationes falsæ, & quidquid ab illâ malorum Lernâ, à Linguâ mali est. Huc referendum, cùm negantur petita, postulantur ingrata, imperantur dura. Atque hoc omne afflictionis genus FLAGRA nobis ob oculos ponunt. Graves hinc ictus, & plagæ prorsus acerbæ, quæ ossa vel ipsa comminuant, præsertim si ab iis exagiteris, à quibus id minimè expectes.

Psalm. 54. v. 13. 14. & 15.

Solymæus rex olim queritur: *Si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem utique. Et si is qui oderat me, super me magna locutus fuisset, abscondissem me forsitan ab eo: Tu verò homo unanimis, dux meus & notus meus, qui simul mecum dulces capiebas cibos*, jam etiam in me calces elidis? *Et tu fili*, dicebat Bruto Cæsar, cùm in curiâ confoderetur. Hîc breviter solatia, velut unguentum instillamus vulneri.

Solatia vulneri velut unguentum instillanda: Primum.

Primum: Hîc nemini parcitur, nec quidem cautissimis, nec etiam sanctissimis. Et hi quoque ceduntur ac flagellantur linguis. *Flagellum linguæ*, ait Siracides, *omnibus communicans.* Hieremias vates priùs sanctus quàm natus nihilominus queritur, & *Væ mihi mater mea*, inquit, *quare me genuisti virum rixæ, virum discordiæ in universâ terrâ?* Omnium jurgiis & pessimis imprecationibus expositus erat.

Eccli. c. 26. vers. 9. Hier. c. 15. vers. 10.

Parum erat Iobum à Satanâ immanissimè cruciari, nisi sua eum & uxor, & cognati linguis etiam dirissimè flagellassent. Vti aromata longè latéque odorem emittunt, si teras: sic virtutis fama diffunditur, si premas. Sunt & animalia quæ verberata gratissimum spirant odorem: talis omnino Iobus, qui quò plures accipiebat plagas, tantò suaviorem patientiæ odorem halabat. Illius carmen agnosce: *Beatus homo qui corripitur à Deo: increpationem ergo Domini ne reprobes.*

Iob cap. 5. vers. 17.

Alterum solatium: Diuina protectio, quæ quidem hoc efficit, non ut non sentias hæc flagra, sed ut ea tantopere non noceant. *A flagello linguæ absconderis*, inquit Iobus, *& non timebis calamitatem cùm venerit.* Huic rei hoc nomen ex asse convenit, siquidem flagellum linguæ, non dolorem tantùm, sed vibicem ac livorem facit, famæ ac nomini notam imprimit. Dein, uti flagra plerunque tergum petunt, sic obtrectationes à tergo lædunt. Sed quisquis hęc pateris, erige animum. Absconderis ab hoc flagello: tuebitur te DEVS, ne mendacium & calumniæ tibi noceant, aut certè si quid nocumenti ferant, id nobiliori bono farciatur.

Secũdum.

Iob c. eod. vers. 21.

Tertium: His flagris admoti maximam suorum criminum partem expiant, si se decorè ac patienter hîc gerat. Romæ olim Lupercalibus juvenes caprinis pellibus incincti per ludum currebant, obviámque turbam petebant loris: ultro iis mulieres occurrere, & palmas feriendas præbere assuerant, partus facilitatem ab his verberibus sibi dari arbitratæ. Hoc Romani mense Februario factitabant: apud nos Luperci quotidie modò huic, modò illi cum flagris imminent, percussuri etiam innoxios? Hîc expedit se iis non negare; imò verò sæpissimè non possumus, etsi velimus. Hæc autem flagellatio æquo animo tolerata, mortem beatam conciliat.

Tertium.

Alexander ab Alex. lib. 4. diver. gen. initio.

Res maximi momenti est, scisse de se alios malè locutos, & sustinuisse. Ideo Bernardus ad perferenda hæc flagra promptissimus: *Ego*, inquit, *plagis conscientiæ meæ nullum judico accommodatius medicamentum probris & contumeliis. Non est proinde quod commovear, homuncio sum omni opprobrio dignus & despectione.* Quod Seneca Romanis, id quisque suis obtrectatoribus dixerit: *Gemite, & infelicem linguam bonorum exercete convicio, instate, commordete: citiùs mulcò frangetis dentes quàm imprimetis.*

Bernard. in epist.

Sen. de beata vita c. 19.

Quartum. Improborum obtrectationes & calumniæ, nullius hominis caussæ ad tribunal divinum examinandæ vel minimũ obsunt, imò prosunt plurimum. Digna Hieronymo vox: Apud Christianos non est miser qui contumeliam patitur, sed qui facit. Christus luculentissimè: *Beati estis*, inquit, *cùm maledixerint vobis homines, & persecuti vos fuerint, & dixerint omne malum adversùm vos, mentientes propter me; gaudete, & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cælis.*

Quartum.

Matt. c. 5. v. 11. & 12.

Vocem Domini secutus Petrus: *Si exprobramini*, ait, *in nomine Christi, beati eritis.* Hoc nimirum Christo similem reddit, hoc Angelum efficit. Sapiens illa Thecuitis Hebræum regem impensissimè laudatura: *Sicut Angelus Dei*, ait, *sic est Dominus meus Rex, ut nec benedictione, vel maledictione moveatur.*

1. Pet. c. 4. vers. 14.

2. Reg. c. 14. vers. 17.

Adversùs hæc linguæ flagra insigniter quemvis erudiens Gregorius: *Inter verba laudantium, sive vituperantium*, inquit, *ad mentem semper recurrendum est, & si in eâ non invenitur bonum quod de nobis dicitur, magna tristitia generari debet. Et rursum si in eâ non invenitur malum, quod de nobis homines loquuntur, in magnam debemus lætitiam prosilire. Quid enim si homines laudant, & conscientia accusat? Aut quæ debet esse tristitia, si omnes accusent, & sola conscientia nos liberos demonstret?*

Greg. l. 8. epist. 45.

At,

Non debet quis dolere si calũniis temerè flagellettur: Sed cùm conscientia sibi opprobrat.

At, plusquam credi potest, dolet (dixerit quis) calumniis & mendaciis sic temerè flagellari. Doleat sanè: quid tum posteà? Dolere pro Christo & cælo, summum sit solatium Christiano. Doles de te hæc dici? plus doleas, si vera sint quæ dicuntur, si tua tibi conscientia opprobret: Et, ita te geris, ut in ora hominum abieris. Quem verò conscientia tutatur, affirmátque inania & falsa esse quæ à malevolis jactantur, ille non acerbè ferat quoscunque aliorum sermones. Cur enim dolent, si non nocent? quod si etiam noceant, Deus profectò quidquid hoc nocumenti est, præmio decupso pensabit. Qui deliquit, quisque sermonibus caussam dedit, is seipsum accuset, si malè audiat. *Iustus autem quasi leo confidens, absque terrore erit.* *Prov. c. 28. vers. 1. sic Biblia emendata.*

Babylonius rex Baltasar dum inter mille optimates ad epulum regium accubuit, manum vidit in proximo pariete scribentem; eâ re sic territus est, ut expalluerit, omnibúsque artubus contremiscere cœperit. Quæ, obsecro, tanti terroris caussa? Vidit manum. Ecqualem? Hominis. Ergo rex humanam manum sic timeat? Si leonis, aut ursi, aut draconis ungues vidisset, caussa formidinis aliqua fuisset. Sed unius hominis dextram quid tantus monarcha metuat, ad cujus nutum mox centenæ alæ equitum advolassent subsidio? Ecquid illa tam formidanda manus armorum tulit? Nihil nisi calamum quo scripsit. Ad pennam scriptoriam virum, ne dicam regem, expallescere? Si trigeminam Ioabi lanceam, si romphæam Cherubim ignitam in se unum vibrari vidisset, non sine ratione timuisset. Sed fortasse tanti pavoris caussa fuit Scriptura? Non intellexit Scripturam, & ob eam rem interpretes vocavit. Quid ergo manum unicam, quid calamum, quid scripturam metuit quam non intelligit?

Videte quàm crebrò fiant simillima. Adest maledicus, qui velut parieti linguâ inscribit ejusmodi voces: *Nemo fidat huic homini, non is est qui putatur esse, hæc atque hæc familiaria sibi habet vitia; foris nitet, intus & in cute alius est.* Hanc talem scripturam subinde sic expavescimus, ut eam inter gravissima supplicia numeremus: & morte acerbius videtur velle, nec posse hos ulcisci.

Sed quare, ô Christiani, vos sic exanimant obtrectatorum verba? Cur leviter læsi patientiam omnem in furorem vertitis? Hic quidem scorpionis genius est, qui tactu non provocatus acum virosam cõtinet: tangitur? caudâ quàm primum ferit: ita plurimi silent non læsi; tanguntur? ignes vomunt & venena.

Obtrectatorum voces surdis auribus transmittere cõsultissimum. *Psal. 37. vers. 14.*

Hic longè consultissimum est, obtrectatorum voces surdis auribus transmittere. Exemplum à sanctissimis licebit petere. Optimus regum David pessimè à multis traducebatur: *Ego autem*, inquit ille, *tanquam surdus non audiebam.* Et quamvis susurrones quandoque adrepant, dicántque: Hoc iste de te, vulgus spargit. Tu verò tanquam surdus non audias. Sermones hos omnes velle refellere, est seipsum operosè lædere. Plerumque hæc dicta tantò latiùs serpunt, quantò contentiosiùs refutantur. Sapientissimè monens Epictetus: *Si quis*, inquit, *nuntiarit, quendam tibi maledicere, nec refuta, quæ dicta sunt, sed responde, eum nescisse cetera tua vitia, nam alioquì non illa sola fuisse dicturum.* Qui sapit, sic loquitur. Imperitissimus quisque ubi se in fabulas & sermonem mitti comperit, mox vociferatur: Ego verò mendacissimos illos nebulones tractabo, ut par est: illi de me hoc spargant? faxo pœniteat illos tam improbi sermonis: & ego illis famam, quam merentur, inuram. Eho Christiane! Hoc sanè in Patientiæ gymnasio non docetur. *Epicte. Enchir. c. 48.*

Sur. tom. 1. die 30. Ian.

Beata Aldegundis regii stemmatis virgo, à teneris annis omnigenarum virtutum studiosissima, cùm inaudiisset, se ab otiosis fabulatoribus non sine quorundam offensione traduci, animo nonnihil angi cœpit. A At mox ei Angelus subsidio missus: Ecquid te turbat Virgo, ajebat, malevolorum loquax invidia, quid hominum inanissimos sermunculos attendis? sponsus & judex tuus in alto est: quid tu terram aspicis? Sanguinem pro Christo fundere parata es? contumeliosa priùs verba disce concoquere. Patientia vincit omnia. Te præmium manet cælestis gloriæ, illos supplicium gehennæ, nisi resipiscant. Patiendo vinces. Ab eo tempore Aldegundis in tantam se patientiam composuit, ut ultro posceret à sponso asperiùs haberi: Ego verò mi bone IESV, dicebat, moris tui ignara non sum: scio quòd omnem filium quem recipis, flagelles. Tuam ergo ancillulam flagellis acrioribus subjice. Injuriis, mœroribus, morbis me castiga & purga: suave mihi erit pati, modò sic liceat vitare patienda æternùm. Nec irritæ fuerunt preces: Annuit sponsus. Paullò post gangræna pectus invasit, & per totum deinde corpus se diffudit. Ampla hoc erat patiendi seges, ad usque obitum. B

Itaque discamus Spartanâ, imò Christianâ nobilitate hæc linguæ flagra tolerare. Vix verbera pro Christo feret, qui necdum illius caussâ verba didicit digerere. Dicat quisque sibi: *Dominus mihi adjutor, non timebo quid faciat mihi homo.* Augustinus hoc consignans: *Si exceptus es*, inquit, *à passione flagellorum, exceptus es à numero filiorum.* *Psal. 117. vers. 6. August. loco infrà fusiùs recitando.*

§. V.

Vide quæso quæ dicturi sumus in fine partis secundæ de hoc Linguæ flagello.

CVmulum malorum denotat SACCVS, è quo tamen aut tempus, aut Mors ipsa constrictum liberat. * *Saccus* apud Iaponas horribile tormentum est Christianis non ignotum: Ad hoc damnati, colloteque includuntur sacco, atque sub dio dies noctésque destituuntur, ad omnes injurias cæli excipiendas. Hic fames, sitis, frigus, æstus, insomnia torquent miserum. Ita non simplici cruciatu hoc genus torméti constat.

§. Saccus.

* *Vide Nicol. Trigautii tri̇ũphos apud Iaponas, mihi pag. 198. 199. & 202.*

C Saccus in gymnasio Patientiæ frequens supplicium est. nam ea subinde calamitatum varietas premit hominem, tantáque in eum incumbit mole, ut sibi undique constrictus, & velut in sacco esse videatur, aut in dolio Reguli.

M. Attilius Regulus illustrissimum fidei atque patientiæ documentum, primi Punici belli gloria, suis se hostibus stitit ex datâ fide. Illi Regulum in arcam ligneam infixis undique præacutis clavis & extantibus conjecerunt, palpebris priùs resectis. Fixerunt cutem clavi, & quocunque fatigatum corpus reclinasset, vulneri incumbebat, & in perpetuam vigiliam suspensa sunt lumina. Ita virum fortissimum vigilantiâ pariter & continuo doloris tractu necaverunt. Horribile tormenti genus, & quod usitato nomine *Brevis Infernus* appellari possit. *Sen. lib. de provid. c. 3. Valer. l. 9. cap. 2. Paullò aliter Gellius l. 16. Noct. Att. c. 4.*

D Et nos subinde Reguli sumus. Nam in eas quandoque angustias redigimur, ut in Reguli machinam inclusi videamur, & undequaque stimulis perurgeri: atque, quod gravius, solatio insuper omni destitui. Undique & undique omnia pontus, omnia undique mœror & dolor.

Zoërardum anachoretam narrant in somnum pugnasse hoc modo: Cavam ille arborem clavis introrsus adactis obarmavit, eâ maximè parte, quâ tergum & latera fulcire solitus esset; porrò ad caput circulum ferreum dependulis ex eo saxis suspendit, ut quaquaversus fessa tempora inclinarent, mox asperum monitorem sentirent, adeóque vigilare juberẽtur. Arcta domus; fatemur: sed multiplicis miseriæ præclarum symbolum: ita nos nonnunquam ærumnis cingimur, ut quocunque animum aut oculos intendamus, id solùm occurrat, quod torqueat.

Cùm Michæas non ad stomachum Achabo regi vaticinaretur, rex impius imperavit: *Mitte virum istũ in car-* *3. Reg. c. 22. vers. 27.*

in carcerem, & sustentare eum pane tribulationis, & aquâ angustiæ. Michæas expertus est *Saccum*, nam non solùm falsitatis damnatus, sed in vincula tractus, fame cruciatus, ludibriis affectus est. Hoc *Sacco* est includi.

Sanctissimus rex David hunc *Saccum* velut vestem indutui pænè assiduo gestans: *Ad meipsum anima mea conturbata est*, inquit; & licet eam amœnioribus cogitationibus ad hilaritatem conet perducere, identidem tamen in seipsam revolvitur, inque tristitias priores relabitur: *Abyssus abyssum invocat*: Undique in me nimbi ruunt: alius super alium me petit; clades ex cladibus ingruunt. *Omnia excelsa tua, & omnes fluctus tui super me transierunt.* Omne cælum in me pugnat, nusquam quies: bellum ex bello seritur; ubique hostes & pericula, vexationes & damna; ubique maxima malorum seges. En vatem regium *Sacco* concluſum!

Psal. 41. vers. 87.

Psalm. 41. vers. 8.

Ibidem.

Sanctissimi quique hominum hoc *Sacco* sæpius includuntur, non enim solùm sentiunt mala, sed advertunt pericula, æstimant animi damna, non ignorant cacodæmonis insidias, intelligunt quanti sit excidere divinâ gratiâ, & Deum habere adversarium. Cùm igitur solatiis divinis destituuntur, verentur ne fortè divinis etiam favoribus excluſi sint. Hac ratione in *Sacco* sunt, diversis mœroribus ægrescentes. Eam etiam ob causam rex David sic fatur lacrymans: *Deus repulisti nos, & destruxisti nos. Ostendisti populo tuo dura; potasti nos vino compunctionis.* O Domine merum meracum nobis absynthiten propinas è tuâ cellâ, ô potum nimis amarum!

Psalm. 59. v. 1. & 3.

Haud aliæ sunt Ezechielis voces: *Angustiâ superveniente requirent pacem & non erit. Conturbatio super conturbationem veniet, & auditus super auditum.* Calamitates scilicet è calamitatibus nascentur; nihil uspiam quietis; in *Sacco* erimus. Iobus, si quispiam hunc *Saccum*, seu calamitatum cumulum expertus: *Ego ille quondam opulentus*, inquit, *repentè contritus sum: tenuit cervicem meam, confregit me, & posuit me sibi quasi in signum. Circumdedit me lanceis suis, convulneravit lumbos meos; non pepercit, & effudit in terrâ viscera mea. Conscidit me vulnere super vulnus.* Patientissimus vir iste verè in *Sacco* fuit; sed reipsâ monstravit, quantum in Patientiæ gymnasio profeciſſet: certè jam non inter discipulos, sed magistros numerandus.

Ezech. c. 7. v. 25. & 26.

Iob c. 16. v. 13. 14. & 15.

Duo in mente reponenda ei. qui cladiû acervo premitur. Primum.

Quisquis hoc cladium acervo premitur, & *Sacco* se incluſum ingemiscit, altâ mente reponat hæc duo.

Primum est: Nosse, in gymnasio Patientiæ locum esse, cui nomen *Infernus*, & eò Deum consuesse suos mittere, *sacco* includendos. Nihil hoc novi est, sed divini favoris signum est, & amplioris causâ præmii. Sed nec æternus est *infernus* iste, neque hic *Saccus* omnibus horis aut sæculis gestandus. Deus est, qui *deducit ad inferos, & reducit.*

Tob. c. 13. vers. 2.

Secûdum.

Alterum est: Vult omnino DEVS, ut spem fiduciámque in se nostram tum maximè erigamus, cùm res videntur desperatissimè. Inscriptio psalmi quadragesimi primi est: *Intellectus filiis Core*, seu *Canticum erudiens*, siquidem docet, tunc animosissimè sperandum, cùm pænè nil spei affulget. Hinc illud plus simplici vice ingerit: *Spera in Deo.* Quid vanis angoribus consumeris? quid futurorum metu cruciaris? quid ad omnem maligniorem auram trepidas? Spera in Deo, modicæ fidei ac spei homo, spera in Deo. Spes hæc nec falli potest, nec fallere.

Philo Hebræus cum aliis suæ gentis apud Cajum Caligulam Imperatorem ab Appione accusabatur, quod divinos honores Cæsari non tribuisset. Cúmque jam etiam aulâ ejectus esset, dixit ad socios: Bono animo nos esse oportet, tametsi Cajus iratus sit nobis: quia necesse est adesse divinum, ubi humanum cessat auxilium.

Eusebius lib. 2. hist. Eccles. c. 5.

Quod si divinum etiam auxilium cunctari videatur, cũ Iosaphato rege opportunissimè precabimur in hunc modum: *Cùm ignoremus, quid agere debeamus, hoc solùm habemus residui, ut oculos nostros dirigamus ad te,* DEVS. Modò animi oculos nunquam avertamus à Deo. Quâ in re canis imitandus, hic tamdiu hero suo assidet, monet, mulcet, & hiando cibum flagitat, dum impetret: ita nos incluſi *Sacco*, variis ærumnis preſſi, divinam opem tamdiu flagitemus, dum impetremus. Desunt auxilia humana? necesse est, ut Philo loquitur, adesse divina.

2. Par. cap. 20. vers. 12.

Olim cùm omnes vitæ nostræ periodos uno aspectu cernemus, fatebimur quod olim dixit Theomistocles: Pericramus, ô pueri, nisi periissemus. Profectò plurimos naufragium servat, naufragaturos certò, ni mitius naufragium præcessisset. Quare, animo simus erecto, & vel in *Sacco* esse, dulce putemus pro Christo. Brevi pro se quisque cantabit felix: *Convertisti planctum meum in gaudium mihi: conscidisti saccum meum, & circumdedisti me lætitiâ.*

Psalm. 29. vers. 12.

CAPVT VI.

Quæ potissimùm culpæ in Patientiæ gymnasio cavendæ sint.

OBjecit quis Bioni philosopho, cuòd adolescentem, quem maximè volebat, suæ ferulæ subijcere non potuerit. Cui Bion: Mi bone, inquit, mirari desine; adolescens ille tenellus caseus est, nec hamo attrahitur. Quo dicto prudenter significavit, delicatos pueros parum aptos esse studiis. Vetulus quidem caseus non uno vitio laborat, sed tener recénsque multò pluribus, cui quosdam è scholasticis non iniquè compares. Siquidem in turbâ complurium discipulorum aliquos reperire est, qui, ut caseus recens, vitiorum divites, consuti è dolis & fallaciis, nil æquè sciunt ac fallere. Argus sit magister, non tamen omnes eorum astus deprehendet. Omnia scholasticorum vitia recensere infinitum foret. In compendium ea mitto, & in digitos. Octo potissimùm in scholis culpæ à discipulis admittuntur. Totidem ferè seu noxas, seu nequitias in Patientiæ gymnasio discipuli parum morigeri committunt. Hæ numerantur:

Laërt. l. 4. cap. 7.

Octo noxæ quæ in gymnasio patientiæ à discipulis cómittuntur.

1. Nescire prælecta.
2. Garrire ac fabulari.
3. Scriptionis pensum non habere.
4. Abesse sine causâ.
5. Rixari, aut discipulos percutere.
6. Pingere, dormire, aut nugas tractare, dum veterum scripta prælegũntur.
7. Simulare morbum.
8. Mentiri aut correptum obmurmurare.

Hæc octo sunt piacula, in Patientiæ gymnasio nunquam tolerata, nunquam tolerãda. Has octo noxias culpas brevissimè nunc eo explicabimus, ut caveamus.

§. I

PRima in scholis culpa. *Nescire prælecta*, aut tantùm simulare se scire. Iam notæ sunt magistri voces: *Recita puer, recita.* At discipulus deses ignavum illud mussitare: *Nescio.* Aut oscitanter incipere, & tertio quoque verbo hærere, libellum furtim inspicere, quædam omittere, plura corrumpere. Atqui sanè hoc nescire est.

1. Culpa. *Nescire prælecta.*

Religiosissimus ille scriptor Christum ita loquentem facit. *Pupliciter soleo electos meos visitare, tentatione scilicet & consolatione. Et duas lectiones eis quotidie lego, unam increpando eorum vitia; alteram exhortando ad virtutum incrementa.* Ita Christus solet prælegere. Sed quando recitanda

Thom. de Kemp. li. 3. cap. 3. fine

recitandæ sunt prælectiones iste? Vesperi potissimùm, cùm suum conscientiæ subeundum est examen. Hic præceptor imperat: Recita, Recita, quâ parte tui factus es melior? quam hodie virtutem didicisti? quem animi nævum correxisti, quod vitium tuum conatus es dediscere? Recita, Recita, & excute memoriam.

Vide Trismegistum meum l. 1. de Examine conscientiæ, per plura capita.

Non tantùm hominum religiosorum est, sed quorumlibet aliorum, sua dicta, facta, cogitata per diem diligentissimè recognoscere. Hoc etiam Annæus Seneca, hoc etiam Publius Sextius, hoc alii, jubente ratione fecerunt. Hoc viri sanctissimi exemplo suo docuerunt; hic hodieque mos est piorum hominum in seipsum quotidie diligenter inquirere, & omnes conscientiæ latebras explorare.

Ante somnum conscientia examinanda.

Et sanè id dictat ratio, priùs placare DEVM per diem offensum, quàm ordiri somnum: ut si sopor sociandus sit morti (quod prorsus incertissimum) non ad mortem detrudamur æternam. Et quàm hoc rationi conveniens est, quot debus Conditori vel semel saltem, de beneficiis agere gratias, admissàs deprecari culpas, statuere deinceps cautiùs, emendatiùs castiùs & cogitare, & loqui, & agere. Magis pecus est quàm homo, qui temerè ista negligit, & in plumas se abjicit, cùm sibi DEVM nec verbulo conciliarit.

Ergo, mi Christiane, recita, recita; de præterito die conscientiam examina. Prælecta nescit, qui somno se tradit, nec priùs cum Deo agit.

At subinde recitat discipulus, sed malè, & verba tertiat. Hoc ii faciunt, qui conscientiam quidem inspiciunt, aut preces fundunt, sed pleni aliarum cogitationum, ita lapsantia ac tertiata verba substrepit. Exemplo rem monstramus. Est qui dominicam precationem sic recitet. *Pater noster qui es in cælis.* Mens interim quærit, quid domi sit in culinâ, quid in cellâ, quid in horreo? *Sanctificetur nomen tuum.* Animus audit: gravi contemptu hac hebdomade notatus sum. *Adveniat regnum tuum.* Mira res, necdum belli finem ullum apparere! *Fiat voluntas tua sicut in cælo, & in terra.* Paupertas rigidè me tractat; si ditior essem, fortassis emergerem; ita jaceo miser, & contemnor.

O Christiani, quæ hæc oratio est? hoc verba tertiare, hoc prælecta nescire, hoc pessimè recitare est. At verò crucem nemo bene portaverit, qui oraverit malè. Videte mihi regem impiissimũ, sed demum resipiscentem Manassen, *Qui postquam coangustatus est, oravit Dominum Deum suum, & egit pœnitentiam valde; deprecatúsque est Deum, & obsecravit intentè.* Hoc sanè vult Deus; *Intentè* vult rogari & obsecrari.

2. Paralip. cap. 33. vers. 12.

§. II.

2. Culpa: Garrire ac fabulari.

ALtera in scholis culpa est, *Garrire ac fabulari.* Quid hoc aliud est, quàm à rebus creatis solatiola, & oblectatiunculas emendicare, & eorum hominum aures vanissimis querelis onerare, à quibus nec cõsilium speres nec auxilium. Impensissimus mendicorũ est, & artis suæ minimè gnarus, qui pauperrimas domunculas oberrat mendicando, quid hinc largè stipis expectet? Dea Inopia hîc habitat, & inquilinos suos mera mendicabula numerat. A mendicis autem mendicare absurdum & ridiculum. Ditiorum ædes, mi mendice, adi; hîc clama, hîc pulsa: opulentæ domus vel unicæ benevolẽtia largiores dare potest sportulas, quàm centum paupertinæ tribus tuguria.

Mendicus guarus nõ est qui paupertimas domos oberrat mendicando:

Sic graviter errat qui afflictiones vanis oblectatiunculis tollendas putat.

Ita prorsus graviter errant, qui sperant calamitates & afflictiones vanissimis oblectatiunculis tollendas. Cùm egrè illis est, socios sibi adjungunt, sympoſia instituunt, convivia & choreas adeunt, tempus ambulatiunculis & lusibus fallunt, horas optimas sterilissimis confabulationibus consumunt, itinera minimè necessaria intendunt.

O miseri! Ægrum in ligneo lecto, an in aureo collocemus quocunque illum transtulerimus, morbum suum secum transferet. Fundamentum pacatæ mentis est, *Vanis non gaudere.* Hilaritates illæ non implent pectus, sed frontem remittunt, leves sunt, nec afflictionibus è solido mederi possunt. Perfusoria est hæc voluptas & turbida, nec tollit morbũ, sed auget.

Non enim gazæ, neque consularis
Summovet lictor miseros tumultus
Mentis, & curas laqueata circum
Tecta volantes.

Horat. l. 2. carm. ode 16.

Solidum gaudium ex bonâ conscientiâ est. Nam neque peregrinatio, nec locorum varietas tristitiam gravitatémque mentis discutit. Animus mutãdus est, non cælum. Quocunque pervenerimus, nostra nos vitia sequuntur. Hoc idem querenti cuidam Socrates ait: Quid miraris, nihil tibi peregrinationes prodesse, cùm teipsum circumferas? Premit te eadem causa, quæ expulit. Quid terrarum juvare novitas potest? quid cognitio urbium aut locorum? in irritum cedit ista jactatio. Quæris, quare te fuga ista non adjuvet? Tecum fugis. Onus animi deponendum est. Non ante tibi ullus placebit locus. Bene vivere omni loco positum est.

Seneca epist. 28.

Itaque oblectatiunculis dolor aliquantisper sopitur, & silet; sed brevî robustior adest, tantóque jam pungit acriùs, quantò minùs ex intervallo sentiebatur. Iobus solatium tam vanum perosus: *Audivi frequenter*, inquit, *consolatores onerosi omnes vos estis.* Idem de rebus creatis dixeris: Onerosi consolatores sunt. Quid ergo cõfabulatiunculis vanissimis nos pascimus, quid rerum conditarum opem imploramus, en ipse conditor se ultro consolatorem offerens: *Ego, ego ipse*, inquit, *consolabor vos. Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos.* Mittamus igitur vana solatia, si sapimus, imò ut sapiamus, & ad patientiam perfectam totis viribus tendamus.

Iob c. 16. vers. 2.

Isai c. 51. vers. ult.

Matt. c. 11. vers. 28.

§. III.

3. Culpa: Scriptionis pensum non habere.

TErtia in hoc gymnasio culpa, *Scriptionis pensum non habere.* In eam rem sollicitus pater sic inhortatur filium:

Scribe puer, vigila, causſas age, perlege rubras
Majorum leges —

Iuv. sat. 14. vers. 192.

Quid autem hîc aliud scriptio tempore reddenda, nisi *Præmeditatio*? Instruendus est animus & parandus ad futura, ne clades improvisâ mole opprimat imparatum. Annæus prudentissimè monet: *In ipsa securitate animus ad difficilia se præparet.* Miles decurrit sine ullo hoste vallum jacit, & supervacuo labore lassatur, ut sufficere necessario possit. Quem in ipsa re trepidare noluĕris, ante rem exerce. Non deprehendat nos calamitas imparatos.

Seneca epist. 18. Ad arma per aliquot milliaria.

Tres Apostoli ad clivum Olivarum à magistro non simplici tantùm objurgatione moniti sunt. Quid ita? Rem gladio decernendam censebant, cùm quiescendum; fugiebant cùm standum; dormiebant cùm vigilandum; stertebant cùm precandum esset. Non se futuris pararunt, quantumvis Christus sollicitè hortatus sit: *Vigilate, & orate ne intretis in tentationem: spiritus quidem promptus est, caro autem infirma.* At illi nec orarunt, nec vigilarunt. Sic imparatos turbo subitus involvit.

Matt. c. 26. vers. 41.

Siracides præmeditationem hanc cumprimis commendans: *Fili*, ait, *accedens ad servitutem Dei, sta in justitiâ, & in timore, & præpara animam tuam ad tentationem.* Nam inexpectata plus aggravant, & novitas grande pondus calamitati adjicit. Quidquid expectatum est diu, leniùs accedit. Ideo nihil improvisum esse debet: in omnia præmittendus est animus, cogitandúmque non quidquid fieri solet, sed quidquid fieri potest.

Eccli. c. 2. vers. 1.

Itaque formetur animus ad intellectum patientiámque

tiámque sortis suæ, & sciat sibi posse contingere, alteri quidquid contigit. Præsume igitur animo, quisquis discipulum agis in hac schola, tibi quàm plurima esse patienda. Sed num quis hieme algere se miratur? num quis in mari nauseare? in vehiculo concuti; in viâ cœnosâ collutulari? Fortis est animus, ad quæ præparatus venit.

Vide quid hac de re part. 3 c. 5. dicamus infra, ubi hæc fusiùs, & fusiùs.

At sunt discipuli qui subinde scriptionis pensum dant, sed pessimâ fide: quidquid scripti magistro porrigunt, id priùs ab alio describunt. Hoc quidem inter Christianos hac ratione fit. Sunt quidem ignaviæ suæ tam fideles patroni, ut cùm monentur, aut corriguntur, continuò soleant objicere: Quid ego solus vapulo? neque hic, neque iste, nec ille aliter quàm ego. Nec iste talium sermonum patiens est, nec ille ludos se fieri sinit, neque hic omnibus dormit; & illi etiam opponere se audent; nec isti omnium genibus advolvuntur, idque meritò. Cur mihi non liceat quod istis, & illis? cur ego unus deterioris sim conditionis, quàm alii.

O malum argumentum, & ô pessimè descriptum! Ita mores alienos quasi describimus, eósque nostris exprimimus; sic ad prava nos exempla componimus, & in turbâ perire jucundum ducimus. O ridiculi! Quid aliena vitia impatientiæ nostræ patrocinantur? habemus priscæ sanctitatis illustriora exempla quæ imitemur.

Philip. c. 3. v. 17. & 18. Invitat Paulus: *Imitatores mei estote fratres, & observate eos qui ita ambulant, sicut habetis formam nostram: multi enim ambulant, quos sæpe dicebam vobis, nunc autem & flens dico, inimicos crucis Christi, quorum finis, interitus.* Ergo & clades præmeditandæ, & specimina virtutis nobiliora sunt imitanda.

§. IV.

4. Culpa: *Abesse sine causâ, & scholâ divertere.*

QVarta culpa: *Abesse sine causâ, & scholâ divertere.* Quid hoc aliud, quàm afflictiones fugere, sed modo minimè concesso. Morbo mederi licet, sed remediis legitimis: licet ex mendicitate emergere, sed sine fallaciis & alterius jacturâ: fas est dignitatem tueri, sed illam malè defenderit impatientia, aut superbia. Fit nonnunquam ut pueri metu virgarum è scholis erumpant & pallium in magistri manu relinquant: ita hi dignitatis gradum defendunt, sed humilitatis ac modestiæ vestem amittunt. O mi superbe Christiane, quàm longè fuisset consultius, aliquid existimationis perdere, & modestiam retinere.

1. Pet. c. 4. v. 12. & 13. Hortatur Petrus: *Charissimi nolite peregrinari in fervore, qui ad tentationem vobis fit, quasi novi aliquid contingat; sed communicantes Christi passionibus gaudete, ut in revelatione mysterii ejus gaudeatis exultantes.* Hoc monet: cùm fervet afflictio, nolite peregrinari, & à Patientiæ gymnasio divertere aliò: afflictiones fugiendo non effugiûtur. Quod religiosissimè facer ille scriptor submonens: *Multi*, ait, *quærunt tentationes fugere, & gravius incidunt. Per solam fugam non possumus vincere, sed per patientiam & veram humilitatem omnibus hostibus efficimur fortiores.*

Thom. de Kemp. li. 1. de Imit. Christi c. 13. n. 3.

Augustinus in Psal. 111. post med. mihi pag. 532. *Itaque*, inquit Augustinus, *qui hic non sua quærit, sed quæ Iesu Christi, labores patientissimè tolerat, promissa fidenter expectat. Paratum est cor ejus sperare in Domino; neque ullis tentationibus frangitur.*

Illud hac in re longè deterrimum est, cùm de morbis magi consuluntur, cùm incantamenta carminum, devotiones effascinantes, & vanitates magicæ usurpantur. Neque verò hoc aliud est, quàm cacodæmonem sub honesti larvâ medicum adhibere.

4. Reg. c. 1. vers. 16. Ochoziæ impio regi Elias vates in os dixit: *Hæc dicit Dominus: Quia misisti nuntios ad consulendum Beelzebub deum Accaron, quasi non esset Deus in Israël, à quo posses interrogare sermonem, ideo de lectulo super quem ascendisti, non descendes, sed morieris.* Iustissimè. Et verò etiam mortuus est. Dignum eo supplicium, qui maleficis artibus carminibúsque sanitatem sibi propitiam reddere voluit. Eleganter dixit Augustinus: *Vbi homo ægrotat, & Deus curat, magnum pietatis & sanitatis indicium est.*

Augustin. in Psal. 147. post init. mihi pag. 699.

§. V.

5. Culpa: *Rixari, aut condiscipulos percutere.*

QVinta culpa, *Rixari aut condiscipulos percutere.* Vsitatum hoc crimen est in scholis, alterum ab altero pugnis salutari, siquidem hic jurgiorum epilogus frequens est, verberibus confirmare verba. Et quoties illæ voces audiuntur: Nequissime proditor, tu caussa es, quòd cæsus sim; non gratis hoc feceris: præmium à me spera. Ex Adamo vitiorum traduces sunt, aliorum accusationibus seipsum purgare, omnem culpam à se in alios verbis quàm fucatissimis amoliri.

Homini impatienti Mars semper in manu est, nec ei unquam deest, quod in litem & certamen trahat. Sæpe sunt lævissima, propter quæ non leviter excandescimus, qualia quæ pueros in rixam, & jurgium cõcitant. Minimis sordidisque rebus exacerbamur. Parum agilis est servus, mensa negligentiùs posita, aut ruga vestis destructa? mœsta & impatientia se prodit. Imò & tussis alicujus, aut sternutamentum, aut musca parum curiosè fugata, aut clavis servi manibus elapsa, aut janua inurbanè clausa in rabiem nos agit. Et quomodo conuicia feremus atque maledicta, quorum aures tracti subsellii stridor offendit, & quomodo famem sitimque perpetiemur, quibus aduftum nonnihil onus stomachum omnem invertit? Animus malè affectus minimis offenditur, adeo ut quosdam aliorum salutatio, aspectus, silentium, risus, interrogatio in litem evocent. Nimirum ægra nunquam sine querelâ tanguntur.

Nec continet se impatientia nostra quin tempestatem ac cælum, quin tempestatis ac cæli dominum accuset. Iam immodicos imbres, jam frigoris insolentiam, jam nimios æstus, jam hiemis pertinaciam querimur. Nec consideramus suis istâ legibus peragi. Nimis certè nos suspicimus, si digni nobis videamur, propter quos cælum aliter moveatur. Nihil horum in nostram injuriam fit: imò cõtrà nihil non ad salutem. Sic frustra cum aëre litigamus, si serenitatem neget; frustra terram calumniamur, si segetes non surgant; frustra brutis animantibus indignamur, si imperium nostrum detrectent; non minùs frustra, & magis fatuè alios accusamus, cùm nobis malè est. Quoties jactantur hæ voces: Ille nebulo, trifurcifer ille, ille bipedum nequissimus hoc mihi malum misscuit, hoc mihi infortunium curavit, huic morticino cladem meam acceptum refero.

Sibi suum vitiũ imputãdum. *Epict. Enchir. c. 10.*

O ignari veritatis! quisque sibi calamitatis suæ auctor est, suæ quilibet faber fortunæ est: ergo & suum quisque vitium sibi imputet, non aliis. His talibus Epictetus respondens: *Alios*, inquit, *accusare ob calamitatem suam, hominis est ineruditi: seipsum, ejus qui erudiri cœpit: nec se, nec alium, eruditi.* Præclarissima virtus est, Accusatio sui ipsius, sed rarissima.

§. VI.

6. Culpa: *Pingere, dormire, nugas tractare, per fenestras prospicere.*

SExta culpa, *Pingere, dormire, nugas tractare, per fenestras prospicere.* Proprium puerorum est, talos, nuces, imagunculas, & id genus crepundia efflictim amare, & verò etiam lactymis ea defendere. Grandis hæc noxa in Patientiæ gymnasio, res fluxas & caducas tanto affectu deperire. Hinc illæ tot lacrymæ, hinc omnigeni dolores. Verissimè dixit beatus Gregorius: *Numquam sine dolore amittitur, nisi quod sine amore possidetur.* Iobus facultates omnes, insuper decem liberos, imò & seipsum amisisse dici potuit, adeo illum dolores & ulcera sibi rapuerunt; nihilominus suo jam pænè funeri

Greg. l. 1. moral. c. 3. med.

Iob c.21. vers.12. Greg. l.1. moral.c.3. med.

neri superstes hilariter cantat: *Sicut Domino placuit, ita* A *factum est: sit nomen Domini benedictum. Substantiam suam,* ait Gregorius, *mente reliquerat, quam sine delectatione possidebat.*

Aug.to 30. serm.105. de Temp. mihi pag. 294.

De hoc eodem egregiè dixit Augustinus: *Iustus naufragus evadit dives & nudus. His divitiis plenus erat sanctus Iob. Nihil in domo remanserat: omnia uno ictu perierant, quibus opulentus paullò ante videbatur: subitò mendicus in stercore sedet, à capite usque ad pedes vermibus scatens. Quid istâ miseriâ miserius? Quid interiore felicitate felicius? Perdiderat omnia illa, quæ dederat Deus. sed habebat ipsum, omnia qui dederat, Deum. O Virum putrem, & integrum! O fœdum, & pulchrum! O vulneratum, & sanum! O in stercore sedentem, & in cælo regnantem! Si amamus, imitemur: ut imitemur, laboremus. Adjuvat certantem, qui certamen indixit.*

Sed unde huic viro æs triplex circa pectus, unde illi patientia tanta? Sine dolore perdidit, quod sine amore possedit. Dolorem utique sentiebat, sed facilè B ferendum; amore ad sua trahebatur, sed moderato. Sic liberos, sic conjugem, sic & divitias habuit, tanquam non utique semper habiturus: & tanquam non futurus ob hoc miserior, si habere desineret.

Psalm. 61. vers.11.

Rebus creatis uti ac frui, non nimio tamen earum amore capi, hoc opus, hic labor. Ideo vociferatur psaltes regius: *Nolite cor apponere.* Mortale est omne mortalium bonum. Quidquid est, cui *dominus* inscriberis, apud te est, tuum non est: nihil firmum infirmo, nihil fragili æternum & invictum est. Tam necesse est perire quàm perdere: & hoc ipsum si intelligimus, solatium est, æquo animo perdere, quod periturum est.

Quid ergo adversus has amissiones auxilii inveniemus? Non tantopere ames amittenda: *Noli cor apponere.* Animus Dei æmulator supra humana se attollat, nihil extra se sui abjiciat: nobiliori origine genitum se sciat, quàm ut rebus perituris amorem impendat. Ah, C vani! pulchra & suavia sectamur, crepundia & pupas amamus, & cùm ludicra hæc nobis eripiuntur, grandi lacrymarum imbre certamus, ingenti scilicet dolore perdimus, quod tanto amore possedimus. Minùs amemus hæc fluxa cùm possidemus, minùs & dolebimus cùm perdemus. Quotidie hic amoris affectus substringêdus est, & uti Tarquinius rex horto suo inambulans summa papaverum capita baculo decussit; sic validioribus his affectibus assiduè resistendum, & quàm primùm erexerint caput, supprimendi. Vt minùs doleas, minùs ama.

§. VII.

7. Culpa: *Simulare morbum.* *Aug. lib.1. Conf.c.9. 10.& 11.*

SEptima culpa, *Simulare morbum.* Vsitatus scholasticorum dolus est, malle fictè ægrotare, quàm seriò laborare. Augustinus adolescentiæ suæ variè iratus, eámque deplorans: *Tantillus puer,* inquit, *& tantus peccator, ludebam pilâ puer, & eo ludo impediebar a quo minùs celeriter discerem litteras; peccabam faciendo contra præcepta parentum & magistrorum.* Aulus Persius etiamnum puer, si quando, quod à magistro præscriptum, nescisset, oculos inungebat, & argemate se laborare fingebat. Actum fatetur ipse:

Persius sat.3.v.42.

Sæpe oculos, memini, tangebam parvus olivo,
Grandia si nollem morituri verba Catonis
Discere.

Plurima fingunt pueri, ut è scholis evadant. Cùm ipsi eas negligunt, excusationes in parato habent, quas magistro obtrudant. Fuit ut magister interrogaret puerum, cur ad rem divinam tam serus venisset? Cui puer: Domine præceptor, debui expectare offam. Mox addidit magister: I nunc, & expecta betulam, Nil promptius pueris quàm excusationem culpis prætexere: Æger fui, non permissus fui, non potui, mille talia comminiscuntur.

Iussus est quidem Ionas propheta Niniven civitatem concionibus formare ad pœnitentiam. At Ionas velut morbum simulare, imperata dissimulare, iter aliò intendere, Niniven declinare, fugam suam Oceano commendare, omnia alia velle quàm concionari. Discipulus parum obediens, & qui nimis facilè sibi credidit, se non posse, quod potuisset, si voluisset. At mari sæviente, ventis furentibus, missus est ex imo gurgite magister Cetus, qui Ionam doceret posse, quod posse se negabat. Ni Iona quàm longè aliud est *Non velle*, & aliud *Non posse*. Nolle sæpissime in causâ est; Non posse prætenditur. Profectò plurima hoc ipsò non possumus, quia nos posse non credimus. Vitia nostra amamus ac defendimus, & malumus excusare illa, quàm excutere.

Ionas imperata dissimulans Niniviten non potis concionari ajebat.

Quod posse Cetus docuit.

Quoties ignavum illud audias: Non possum, quid urgetis, Non possum: Iejuniis vires meæ non respondent, inediam non fert meus stomachus; his laboribus ferendis impar sum; assueta relinquere non possum; rebus hactenus conceptis carere non possum; quid frustra me vellicatis? non possum.

Philip.c.4. vers.13.

Proscriptæ pridem sunt hæ voces è gymnasio patientiæ. Audite discipulum generosè clamantem: *Omnia possum.* Quâ tandem id ratione? *Ingo qui me confortat.* Germani fratres, Zebedæi filii, ad quæstionem Domini de amarissimo calice perhauriendo, animosè responderunt, *Possumus.* A nobis contrà, cùm patientiæ negotium agitur, plerumque illæ pigrorum voces sunt: *Non possumus, Non possumus.*

Matt.c.20. vers.22.

Credulitas nostra facit ut patientiam è solido non addiscamus.

Atque hoc est, quod patientiam vix unquam è solido addiscamus. Nimium nobis ipsis & in rem nostram creduli, cum aliquid difficulter & ægrè possumus, mox impudenter vociferamur: *Non possumus.* Eho teipsum tenta, vires tuas severiùs explora, age & conare, fac quod potes. Nil turpius in Patientiæ gymnasio, quàm ad omnium difficultatum occursus hoc unum opponere, *Non possum. Omnia possum*, clamat divinus Paulus, *Possumus*, respondent Apostoli. Verè amanti nunquam excidunt hæ voces: *Nolo, Non possumus.* Si verus amor est, omnia potest, aut verus non est.

§. VIII.

8 Culpa: *Mentiri, aut correptum obmurmurare.*

OCtava in scholis culpa, *Mentiri aut correctum obmurmurare.* Capitalia sunt hæc delicta in scholis, nec nisi virgarum supplicio eluenda. Quod autem in Grammatices aut Syntaxeos scholâ mendacium est, hoc in Patientiæ gymnasio est impatientia. Nam uti mendacium negat quod affirmandum, aut affirmat quod negandum, atque quod nigrum est, ait esse album; sic & impatiens levi molestiâ gravem, è gravi facit intolerabilem. Hoc autem origo est impatientiæ, credere, se nimium pati, tolerare non toleranda, meorem & immerentem vexari. Ita mentitur iniquitas sibi.

Psal.26. vers.12.

Non esse obmurmurandũ.

Quantò rectiùs quisque affligitur, apud animum suum sic ratiocinetur: Quid ais, homo impatiens? ideóne Patientiæ gymnasio nomen dedisti, ut cùm quid pateris, insontem te proclames? Apage has voces: quæcunque patiaris, tu ea centies, sexcenties, millies merebaris pati & graviora. Ignem ac flammas quomodo patieris, si stricturas ignis & scintillas non fers? Amice, non facit tibi DEVS iniuriam. Tolle quod tuum est: parere, quod tibi à Deo injunctum est. Túne ille insons, ille innocens quem optimus pater plus æquo vexet? O bone, quàm tibi blandiris ipse liberaliter, sed fatuè: & lupus cùm sis, ovem te esse, stulta tibi credulitas persuadet. Hinc illæ voces; Cur in me solùm procella omnis desævit? quæ mea tandem scelera? quid ego feci? Dicam; tu modò patienter me audi.

S. Antonin. par.3. t.13.

Divus Antoninus memorat, Petrum Monachum, pòst

Exemplo monstratur.

pòst & martyrem, apud præsides suos accusatum, quòd nescio qui profani homines in ejus cubiculo sint visi garrientes, & auditi. Eam ob caussàm Petrus in publico cœtu omnium justis est sui ipsius accusator esse, & pœnam ab aliis pronuntiandam, exactè dependere. Fecit; sed sanè amaro animo. Non enim conscius sibi erat quidquam hac in re deliquisse, nec ignarus solis hoc suspicionibus in se confictum. Vbi ab aliis digressus in cubiculum rediit, ante imaginem Christi crucifixi madidis sese oculis stitit, atque ut animum querelis exoneraret: Domine, inquit, quid ego feci, quod tam severè puniar quantumvis innocens? Tanto favens candori Christus mox reddidit has voces: Et ego Petre, quid feci? quòd tali morte afficiar, quantumvis innocens? Erubuit Petrus, jámque se reum pronuntiavit, si tã innocenti conferretur.

§. IX.

QVid jam ais, querule, quid toties ingeminas: Et ego quid feci? Dic obsecro: Et Christus quid fecit? Et Christi mater quid fecit? *Gladium doloris passa?* Petrus & Paulus Apostoli quid fecerunt? Tot centena millia martyrum quid fecerunt? Tot hominum sanctissimi calumniis gravissimis onerati quid fecerunt? Etiamnum tu tuas voces repetis: Et ego quid feci? Quantò rectiùs dices cum illo ad Domini latus crucifixo, sed resipiscente latrone: *Nos quidem justè, nam digna factis recipimus.* Luc. c. 23. vers. 41.

Non aliter & nos sentiamus. Affecti sumus pœnâ? succurrat non tantùm quid patiamur, sed quid fecerimus. Si volumus æqui rerum omnium judices esse, hoc primùm nobis suadeamus, neminẽ nostrum esse sine culpâ. Hinc enim maxima oritur indignatio: *Nihil peccavi, nihil feci.* Imò nihil fatemur. Indignamur ali- A quâ admonitione aut coërcitione nos castigatos, cùm illo ipso tempore peccemus, quo adjicimus malefactis arrogantiam, excusationem, contumaciam. Nam, ut optimè dixit Fabius, culpam admissam excusare, altera culpa est. Admoneri bonus gaudet; pessimus quisque correptorem asperrimè patitur. Quis autem est iste, qui se profitetur omnibus legibus innocentem? Sæpe in caussâ quâ innoxii fumus, punimur pro caussâ, quâ noxii extitimus.

Iosephi proregis Ægyptii fratres insontes erant, cùm in carcerem mittendi retraherentur ex itinere, quòd scyphum argenteum furati essent. Quid hîc dicendum? Si de scypho agatur, planè innocentes erant. Sed latet hîc anguis in herbâ. Furtum longè gravius commiserunt. Non enim poculum argenteum, sed ipsum germanum fratrem suum Iosephum parenti suo furati sunt. Atque hoc furtum ante annos viginti B & ampliùs commissum, vel serò tandem fuerat puniendum. Idem aliis sæpissimè contingit. Gen. c. 44. vers. 5. & seq.

Amemus igitur veritatem, & quidquid tandem patiar, cum Iosephi fratribus dicamus: *Meritò hæc patimur, quia peccavimus.* Veritatem amavit, qui dixit: *Iram Domini portabo, quoniam peccavi ei.* Gen. c. 42. vers. 21. Mich. c. 7. vers. 9.

Qui verò se insontes credunt, nec tam dira meritos, ii hoc solùm efficiunt obmurmurando, ut pœnas luant graviores, & nonnunquam geminatas: veluti cùm discipulus post virgarum supplicium murmurat, ad virgas jure repetitur. Reos ergo nos esse fateamur, quidquid demum injuriarum aut calamitatum sit tolerandum: Iram Domini portemus, quoniam peccavimus ei. Quisquis discipulum agit in Patientiæ gymnasio, quidquid cogatur pati, si discat loqui: Ego quidem justè, nam digna factis recipio. Hoc est proficere, extrema quæque sereritum non negare. C

GYMNASII PATIENTIÆ

PARS ALTERA.

CAPVT I.

Afflictio docet Fortitudinem & Fidelitatem.

DIximvs quæ pœnarum genera Gymnasiũ patientiæ usurpet. Nempe hoc declaratum est, quæ supplicia Deus soleat de hominibus sumere, dum in Orbe hoc degunt. Sic omnes afflictionum species percensuimus. D

Nunc porrò disserendum, quid è pœnis his, veluti libris, doctrinæ hauriendum, quod emolumentum ex afflictionibus capiendum, quæ virtutes inter adversa potissimùm discendæ. Nam revera in malis meliùs sapimus; secunda mentem auferunt.

E virtutũ choro primę occurrunt in adversis exercendæ FORTITVDO, & FIDELITAS. Quâ verò ratione geminæ virtutes istæ longè meliùs in rebus incommodis & asperis, quàm in lætis ac prosperis condiscantur, nunc explicabimus.

§. I.

LOngè aliter liberos educare solèt serius pater, & aliter longè blandiens mater. Patris voces sunt: *Ad scholas puer, ad scholas.* Vbi è scholis domum rediit, iterum urget pater, &: Recole, inquit, audita; memoriam exerce; stylum move; paullò pòst specimen mihi dabis eorum quæ dedicisti. Vbi verò puer ad examen patris citatus, jámque interrogatus hærere, ineptè respondere, Grammaticas leges non callere, insciti am tacendo prodere: hîc pater autem colaphis objurgare aut virgis castigare, aut acerrimè increpare verbis, aut lusus tempore in musæum velut in carcerem amandare, & acerbis vocibus instare: *Stude, piger, Stude: Stude tuis rebus, & omitte nugas.* Cúmque hic ipse puer, antis non nihil & litteris adoleverit, à matre abstrahis in exteras terras à patre amittitur. Hæc tamen omnia bono pueri fiunt. Sicut pater se gerit erga filios,

At verò mater nunquam non blanda & mulcens, cùm filioli madidos videt ocellos: Mi vir, ait, cur nostros liberos flere malumus, & frontem contrahere, quàm exporrigere? teneri sunt, cur in eos verberibus sævimus? non rarò deteriores fiunt à plagis. Hæ matris voces sunt. Neque tantùm his blandimentis masculam virtutem enervat, sed intempesti vis etiam munusculis, ac macteolis, irritamentis gulæ ac scitamentis filiorum indolem corrumpit, modò enim panem dulciarium, modò similagineum butyro fartum, modò placentas & popana furtim ingerit: ita dum mulcet & blan-

& blanditur, perdit. Quis ergo prudens non malit à patre ad bonam frugem austeriùs educari, quàm à matre blandiùs in perniciem dari? Ita omnino DEVS, parens ille magnificus, virtutum non lenis exactor, sicut severi patres, duriùs suos educat.

Ita Deus erga suos electos.

Seneca de Provid. c. 2.

Romanus Sapiens perquam eleganter hæc prosecutus: *Non vides*, inquit, *quantò aliter patres, aliter matres indulgeant? illi excitari jubent liberos, ad studia obeunda maturè; feriatis quoque diebus non patiuntur esse otiosos, & sudorem illis, & interdum lacrymas excutiunt: at matres fovere in sinu, continere in umbrâ volunt; nunquam flere, nunquam tristari, nunquam laborare. Patrium habet Deus adversus viros bonos animum, & illos fortiter amat, &: Operibus, inquit, doloribus ac damnis exagitentur, ut verum colligant robur. Non fert ullum ictum illæsa felicitas. Miraris tu, si Deus ille bonorum amantissimus, qui illos quàm optimos esse atque excellentissimos vult, fortunam illis, cum quâ exerceantur, assignat? Mavult illis esse malè, quàm molliter. Et nobis etiam interdum voluptati est, si adolescens constantis animi irruentem feram venabulo excepit, si leonis incursum interritus pertulit, tantóque spectaculum est gratius, quanto id honestior fecit. Ecce spectaculum dignum ad quod respiciat intentus operi suo Deus, ecce par Deo dignum, vir fortis cum calamitate compositus.*

Mala fortuna.

Nec ego, mi Seneca, video, quid habeat DEVS in Orbe pulchrius, quàm ut spectet Tobiam aliquem aut Iobum, inter tot liberorum funera, inter tantas facultatum omnium ruinas, nihilominus erectum, & stantem.

Actor. c. 26. vers. 16.

Christus è nube compellans Saulum: *Exurge*, inquit, *& sta super pedes tuos.* Perinde si diceret: Ideo te dejeci, ut fortior surgeres.

§. II.

ITaque cùm videris hominem probum acceptúmque Deo laborare, sudare, per arduum ascendere; malos autem lascivire & voluptatibus fluere: cogita filios disciplinâ tristiori contineri, & ad modestiam educari, mancipiorum autem ac vernularum licentiam ali & audaciam. Hic Dei mos est; sanctissimos quosque homines in deliciis non habet: Experitur, indurat, sibi illos præparat. Quemadmodum tot amnes, tot flumina, tanta imbrium ac nivium, tanta vis fontium non mutat saporem maris; ita adversarum impetus rerum virì fortis animum non vertit. Manet ille in statu, & quidquid evenit, in suum colorem trahit: ipse bonus, in bonum vertit, bene ferendo, bene interpretando. Vti vinum rubellum paucas albentes guttulas secum commistas suo colore tingit: ita bonus quidquid accidit, bene consulit, in bonum vertit, afflictionem omnem sibi reddit utilem tolerando. Est enim omnibus exterioribus potentior: nec hoc dico, non sentit illa, sed vincit, & alioquin quietus placidúsque contra incurrentia attollitur. Omnia adversa, aut tanquam exercitia, aut tanquam medicamenta habet. Illa, si sanus sit animus, ad robur tuendum vel exigendum sunt; ista, si languidus, & deliciis aut voluptatibus mersus, ad recuperandum. Planè ut in corporum curâ solet, cùm vulneramur & urimur, ut valetudo ac vires reparentur.

Amnes, flumina, fontes non mutat saporem maris, ita res adverse non mutat viri fortis animum.

Arboris genus est, cui Larix nomen: hæc arbor inter altissimas numeratur; folia illi non decidunt; vis ejus incorrupta, emori contumax: nec enim ardet, nec carbonem facit: nec ulla ignis vi consumitur, non minus quàm lapides. Inventum est hoc lignum pictorum tabellis immortale, nullisque rimis fissile, & quod nec cariem sentit, nec vetustatem.

Plin. l. 16. Nat. hist. c. 10. & alibi.

Cælius Rhodig. lib. 10. antiquar. lect. c. 10.

Cælius Rhodiginus visam à se turrim asserit è Larice structam, quam Iulius Cæsar subjectis flammis nequiverit dejicere. Huic tali arbori homo insigniter patiens rectissimè confertur: Ardet ille nonnunquam mediis calamitatum flammis, sed nullum in eo vel foliolum comburitur, nec enim verbulum edit, quod impatientiam oleat. Talis omnino Iobus, qui veluti lignum flammarum patiens, *In omnibus his non peccavit labiis suis.*

Iob c. 2. vers. 10.

En rubum flammis undequaque cinctum, & tamen illæsum: En turrim è Larice structam quam omnis Acherontica vis non dejecerit. Hoc nimirum in Patientiæ gymnasio discitur, æquo animo ea ferre, quæ non sunt mala, nisi malè sustinenti.

Isaaci conjux Rebecca cum geminos infantes in utero collidi persentiscret, *perrexit ut consuleret Dominum.* Responsum est: *Duæ gentes sunt in utero tuo*, &c. & *major serviet minori.* Hic Augustinus seriâ quæstionem injiciens, quâ ratione id factum fuerit percunctatur, Majorem enim nunquam minori serviisse, sed inferre necem voluisse compertum est. Siquidem Esau apud animum suum sic statuerat: *Venient dies luctus Patris mei, & occidam Iacob fratrem meum.* Qui ergo serviit, cùm occidere voluerit? Ad quæ optimè Augustinus: *Serviet*, inquit, *non obsequendo, sed persequendo, eo modo, quo mali serviunt bonis.* Quemadmodum lima ferro, & malleus auro, & mola tritico, & furnus deservit pani pinsendo.

Gen. c. 25. v. 22. & sequent. Gen. c. 27. vers. 41. Aug. to. 10. serm. 78.

Isaaci filius Iacob in eum virum nunquam evasisset, nisi à fratre sic exagitatus fuisset. In domo paternâ lautè habebatur, patri charissimus omnia pro libitu agebat. At cùm illi mortem minaretur frater, in Mesopotamiam ad Labanum avunculum profugiens opilionem egit ultra viginti annos. Sensit hic Iacob se domi suæ non esse, nam durissimè habitus, famem sitimque ferre, æstum gelúque tolerare, insomniam vincere, sub puro Iove pernoctare didicit: hîc ferrei prope corporis animique, hîc laborum ac penuriæ tolerantissimus evasit. Horum omnium caussâ, germani improbitas & invidia fuit. Quid hoc autem Iacobo profuit? Multum supra omnem modum. Nam mortem intentatam effugit, otium à maternis blandimentis artum excussit, laboribus & incommodis assuevit, robur sibi ac divitias comparavit, Liam & Rachelem conjuges acquisivit, è quibus duodecim patriarchæ ortum, sed & ipse Christus originem traxit. En, ut natu major serviverit minori, sanè non obsequendo, sed persequendo. Hæc una discendæ fortitudinis ratio; ita fortes efficimur. Nota vox fortissimi: *Cùm infirmor, tunc potens sum.*

Quomodo Esau servivit Iacob fratri minori.

2. Cor. c. 12. vers. 10.

§. III.

VIrtus, quò tendat, non quid passura sit, cogitat; quoniam & quod passura est, gloriæ pars est. Suis DEVS consulit, quos esse quàm modestissimos cupit, quoties illis materiam præbet aliquid animosè fortitérque faciendi: ad quam rem opus est aliquâ difficultate. Vnde possum scire, quantum adversus pauperiem tibi animi sit, si divitiis diffluis? Vnde possum scire, quantum adversus ignominiam & infamiam constantiæ habeas, si inter plausus senescis? si te pronus omnium favor comitatur? Vnde te obedientem scio, si tibi nulla nisi mollissima mandata veniant? Vnde te summissimum ac humilem pronuntio, si nullis injuriis ac calumniis impetaris? Vnde te verè patientem laudo, si nullis calamitatibus premaris? Calamitas virtutis occasio est.

Calamitas cur est causa virtutis.

Illos meritò quis dixerit miseros, qui nimiâ felicitate torpescunt, quos velut in mari lento tranquillitas iners & malacia detinet. Quidquid illis inciderit, novum & molestum veniet. Magis urgent sæva inexpertos; grave est teneræ cervici jugum. Vel ad suspicionem vulneris tiro pallescit: audacter veteranus cruorem suum spectat, qui scit se sæpe post sanguinem vicisse.

Considera Germanos, inquit Seneca, *& quidquid circa*

Seneca l. de

Provid. c. 4. Vbi de priscis Germanis loquitur

Istrum vagarum gentium occursat. Perpetua illos hiems, & triste cælum premit, malignè solum sterile sustentat, imbrem culmo aut fronde defendant, in alimentum feras captant. Miseri tibi videntur? Nihil miserum est, quod in naturam consuetudo perduxit. Quid miraris bonos viros, ut confirmentur, concuti? Non est solida nec fortis arbor, nisi in quam frequens ventus incursat: ipsa enim vexatione constringitur, & radices certiùs figit. Fragiles sunt quæ in apricâ valle creverunt.

Gregorius epist. 27.

Sic semina messium gelu cooperta lætiùs germinant, sic ignis flatu premitur, ut crescat. Quid officit argento & auro malleus? aliter certè moneta non cuditur: nec inde poculum formatur, ni metallum creberrimo ictu tundatur. Apage argentum & aurum quod impatiens est malleorum: ita quisque de seipso sentiat.

Virtutes sine patientiâ nullius sunt pretii.

Nonnunquam nobis ipsis virtute præditi videmur, & *Patientes* dici volumus. sed opportunè nobis ingeretur, quod non nemini Pythagoras dixit: Etsi argentum sis, & ex te tamen nec obolus probæ monetæ fiet, cùm tam impatiens existas. Ita pluribus jure dicatur quamvis sis argenteus, mi frater, sis aureus totus, dies totos in genua prosumbas, manus cælo attendas, Deo preces adhibeas, nihilominus (ignoscat mihi tuus genius) nullius pretii es. Cur obsecro? Quia malleorum impatiens es, & ideo velut inutile pondus, in arcam retrudendus es. Nam ubi malleolus vel solùm te libarit, ubi verbulum asperius te perstrinxerit, mox in turpem impatientiam erumpis. O argentum, ô aurum, sed improbum, sed falsum, sed adulterinum, quia malleis refractarium: nempe otio duntaxat natum, & in coronice collocandum.

Guilielmus Peraldus Lugdunensis Præsul festivè disserit, quâ ratione quis diabolo dêtes excutiat. Dentes diaboli sunt calumniatores, obtrectatores, vexatores, ad quos Hebræus Isaias: *Quare atteritis populum meum*, inquit, *& facies pauperum commolitis? dicit Dominus Deus exercituum.* His dentibus commordet cacodæmon homines probos. Sed quomodo hi dentes effingendi? PATIENTIA. Non rarò Christiani etiam unici patientia illustris, aliquot millia idololatrarum ad Christi sacra perduxit.

Isai. c. 3. vers. 15.

Patientiâ dêtes diaboli effingendi.

Romanus Præses Poncius Pilatus admirabilem Christi patientiam miratus, hominem illum supra hominem sapere, & alti sanguinis esse non immeritò suspicatus est. Quotidianum hoc est, ut gerro verbosissimus, solùm criminari doctus, taciturnam alterius patientiam observans, incipiat & ipse ad modestiam se componere, nullis alioqui conviciis exarmandus. Sed Christianum hoc robur, non discitur in choreo, sed patientiæ gymnasio. Afflictio Fortitudinis magistra est.

§. IV.

NOn solùm *Fortitudinem* gymnasium Patientiæ docet, sed & *Fidelitatem*, in sacris paginis laudatissimam virtutem. Nota sunt illa Domini verba: *Euge serve bone & fidelis.* Discipuli Christi errores compluſculos commiserunt, sæpius etiam reprehensi sunt: nihilominus cùm Christus in ultimâ cænâ tristissimum vale omnibus diceret, copiosè suos collaudans: *Vos estis*, inquit, *qui permansistis mecum in tentationibus meis. Et ego dispono vobis, sicut dispositi mihi Pater meus, regnum.* Perinde si diceret: Erroribus vestris, ô mei Apostoli, veniam do; præterita sint abolita. Hoc potiùs ago, ut vestram in me fidelitatem amplissimè remunerer. Vobis pænè unis Paupertas ac Humilitas mea non sordet: agnosco fidelissimos, non dicam servos, sed amicos. Itaque dispono vobis regnum, *ut edatis, & bibatis super mensam meam, in regno meo.* Hîc utique Apostolis pectus gaudio subsiliit: & quis eorum aliud cogitarit, quàm hoc ipsum: Vtinam jam suprà simus in hoc

Matt. c. 25. vers. 23.

Luc. c. 22. v. 28. & sequent.

Ibid. v. 30.

A regno. Vtinam unà jam edamus, & bibamus in hac mensâ! Sed eos Christus amanter erudiens, & certa gaudia non intempestivè præcipienda submonens: *Ecce*, inquit, *Satanas expetivit vos, ut cribraret sicut triticum.* Restant, ô mei, ardua de vobis sumenda experimenta: Vos velut campanæ estis, sonitum sparsuræ per Orbem; sed priùs experiendæ sunt hæ campanæ: hac ipsa nocte fiet initium. Nam sicut æramentarius fusor cum æramento manum ultimam imposuit, non illud protinus in turrim educit, sed malleo priùs explorat, quæ voces sint sui operis, quis sonus, & an nihil rimularum hjet: ita de omnibus, qui inter meos numerari volunt, experimentum capiendum est varium, num eorum patientia sit solida, an in rebus adversis fortes, an temporibus duris fideles sint. Nimirum ad hanc coticulam hoc Fidelitatis aurum exploratur.

Ibid. v. 31.

B Optimè dixit Annæus: *Quid quisque posset, nisi tentando non didicit.* Nemo sciet quàm patiens sis, nec tu quidem ipse, nisi varii te fatigent aduersarii. Languet sine antagonistâ Virtus. Tunc apparet quis tibi sit animus, quantum valeat pollicatque, cùm quid possit, patientia ostendit. Adeóque verissimè dixit beatus Gregorius: *Nemo quantum profecerit, nisi inter adversa cognoscit.* Thûris virtus in prunis sentitur: Aromata tunc maximè se produnt, cùm in mortario teruntur: unguenta suaviùs fragrant, cum moventur. Magdalenæ balsamum totas ædes penetravit, cùm in Christi verticem effusum est: sic in tempestate nauta, in acie miles, in arenâ pugil dignoscitur. Huc alludens Hieronymus: *Christianæ militiæ est*, inquit, *infelicitatibus feliciter ampliari, pressuris adolescere, & pressuras pubescendo calcare. Frequentibus procellis Christiana vita quatitur, atque tentatur, & pressuris innumeris lætatur ac crescit.* Sic vera Fidelitas non in ore pigrorum, sed in manu heroum cernitur; nam aliud est fidelitatem promittere, aliud fidelem esse.

Senec. lib. de Provid. c. 4.

Hier. to. 9. epist. 9. ad amicum cognat.

C Christus, ut suos animaret ad incrementum fidei petendum: *Si habueritis fidem*, inquit, *sicut granum sinapis.* Quænam obsecro hæc tanta fides est tâtilli granuli sinapis? minutum quidem ac vile semen est sinapi, vixque ullam ab oculis fert laudem: sed pistillo tritum, aut ore commansum, hîc acrimoniam, hîc odorem exerit, quis tantum ignis sub orbiculo tam modico latere credat? Hanc talem in se fidelitatem à nobis Christus exigit, ut tunc maximè amoris ignem, patientiæque odorem excitatissimum expiremus, cùm pistillis calamitatum tundimur. *Bonum*, inquit Gregorius, *quod in tranquilitate sumitur, in tribulatione manifestatur.*

Matt. c. 17. vers. 20. & Luc. c. 17. v. 6.

Cur Christus à nobis fidem in se exigat ut granũ sinapis.

Greg. lib. 1. moral. c. 4.

§. V.

HEbræum militiæ ducem sic laudat sacra pagina: *Cunctis regibus congregatis simul pariter, ut pugnarent contra Iosue.* His generosissimus heroes juratam Deo fidelitatem illustrissimis exemplis repræsentare, & provocare hostes: Adeste perduelles Dei: nec mihi, nec meis labant genua, cùm in vos pugnandum, & quamvis altero tanto sit major partium vestrarum numerus, non tamen formidamus: Adeste numerosissimi exercitus, nil trepidamus; à nobis DEVS est, totus nobis militat æther. Sic omnino & Christiana generositas, hostem provocat: Adeste afflictiones, & innumerabilium calamitatum agmina, fames, sitis, egestas, morbi, luctus, injuriæ, calumniæ & omnis generis ærumnæ; nec numerum, nec vim hostilem expavescimus: *si consistant adversum nos castra, non timebit cor* nostrum; fidè Deo datam non frangimus; omnia potiùs pati, & vitam vel centies prodigere parati sumus, quàm jusjurandum, quo DEVS nos obstrinxit, negligere.

Iosue c. 9. v. 1. & 2.

Psalm. 26. vers. 2.

Quisquis

Quisquis in DEVM pius ac fidelis est, sic animo sentit: Etsi Acheron in me moveat, etsi cælum in me ruat, etsi omnis in me unum calamitas desæviat, ego tamen, duce Deo, in fide stabo; uri, vinciri, cædi, necari pro Deo paratus. *Nam, si commorti sumus, & convivemus. Si sustinebimus, & conregnabimus; si negaverimus, & ille negabit nos.* 2. Tim. c. 2. v. 11. & 12.

Et quod probè sciamus, ô Christiani, non satis est nomen dedisse Christo, non satis est rei divinæ interesse, jejuniis & precibus vacare, stipem erogare non satis est; necesse insuper est, ut Deus nos semper inveniat *Fideles, & Dignos se*, uti Abrahamum, Iosephum, Iobum fideles verè atque *se dignos* invenit in adversis omnibus. Nam, quod Machabæa historia testatur, *Ioseph in tempore angustiæ suæ custodivit mandatum.* Fideles & dignos Deo oportet nos esse. 1. Machab. c. 2. v. 53.

Nos licet argentei simus & aurei, si tamen impatientes sumus, & malleos non ferimus, nullius pænè pretii sumus. Et quemadmodum in humano corpore cùm vel animi defectio, vel subitus terror hominem opprimit, sanguis omnis ad cor concurrit, opem laturus: sic in afflictionibus & angustiis quibuscunque, omnigena virtus ad hominem probum se recipiat, eúmque sic animet: Si nunc, cùm DEVS experimentum tui facturus, desertas; ubi Fides tua, ubi tuus est Amor? Vbi Obedientia, ubi Spes, ubi Patientia? Vbi Fortitudo, & Fidelitas? hoccine tuum patiendi desiderium? hoccine tuum erat perseverandi propositum? Memento sacramenti, quod velut miles dixisti, memento fidei quam Deo dedisti, & fidelem te præsta usque in finem. Fidelissimum habes promissorem; non negabit præmium, non differet coronam, tu modò non detrectes pugnam, non desperes victoriam.

CAPVT II.

Afflictio docet Commiserationem & Abstinentiam.

CVm Artaxerxi regi amicus primæ admissionis esset mortuus, rex Ioniam misit ad Democritum, ut si quid in eo artis esset, suum sibi amicum in lucem restitueret, aut si quod aliud remedium foret amici veteris reparandi, id porro tentaret. Democritus rem seriam & difficilem postulari respondebat, si tamen rex vellet possétque à se postulandis annuere, in opus deducendam. Promissa omnia liberalissimè. Ergo, inquit Democritus, defuncti tumulo hanc figite inscriptionem: Triginta nomina eorum, qui ad vicesimum ætatis annum nil dolorum sunt passi, sepulchro insculpantur. Quæsita sunt' sedulò hæc fausta nomina, sed necdum inveniri potuerunt uspiam, nec ullo ævo, ut credibile est, invenientur.

Ecquis ille, obsecro, mortalium est, qui non dicam viginti annis, sed vel diebus viginti nil sentiat adversi? Omnis vita nostra ærumnarum & calamitatum plenissima est; suam cuique portionem providentissimus DEVS jam ab æterno assignavit æquissimâ lance. Absinthium nemini non propinatur; sed huic calix, illi congius, isti caliculus miscetur, prout Deo visum; idque ob hanc etiam caussam, ut alter alterius miseratione & consensu tangeretur, atque unà Temperantia disceretur.

Quâ igitur ratione afflictio tam *Commiserationem* quàm *Abstinentiam* doceat, jam dissèremus.

§. I.

Pœnarum socios habere miseris est solatium.

MIseris solatium ingens est, pœnarum socios habere; scire, eadem aut graviora pati alios, neminem à cruciatibus illæsum transiri, neminem hic eximium esse. Hoc argumento Christus suos erudiens: *Beati eritis*, inquit, *cùm maledixerint vobis homines, & persecuti vos fuerint, &c. sic enim persecuti sunt prophetas, qui fuerunt ante vos.* Et ut argumentum sit illustrius: *Si me*, inquit, *persecuti sunt, & vos persequentur.* Eadem ratione Paulus Macedonas solatus: *Vos*, inquit, *imitatores facti estis fratres Ecclesiarum Dei, quæ in Iudæâ sunt, quia eadem passi estis à contribulibus vestris.* Sic Hebræis velut digito monstrat optimos quosque ludibria, verbera, carceres & vincula expertos; circumeuntes in melotis, in pellibus caprinis, egentes, angustiatos, afflictos; in speluncis, & montibus, in cavernis & solitudinibus errantes; alios tentatos, lapidatos, sectos, obtruncatos commemorat. Matth. c. 5. v. 11. & 12. Ioan. c. 15. vers. 20. 1. Thess. c. 2. vers. 14. Hebr. c. 11. vers. 35. & seqq.

Et quò magis aliorum exemplis ac generosâ patientiâ firmemur, monet beatus Iacobus. Ne cogitemus illos tanta passos, homines ferreos aut adamantinos fuisse: *Elias homo erat similis nobis, passibilis.* Doloris acerbitatem tam illi quàm isti æquè sensejunt ut nos, sed quia in scholâ Patientiæ plus didicerunt, patientiores quàm nos fuerunt. Iacob. c. 5. vers. 17.

Neque tantùm ab exemplis afflictorum, sed & à verbis, solatium afflictis accedit. Nempe inter adversa discimus, aliorum adversis indolere, solatio mulcere, & facilè fidem habere iis, quibus non dissimilia sunt perpetienda. Afflictis à verbis etiâ accedit solatium.

Atque hæc caussarum non postrema est, cur in Patientiæ gymnasium variè vexandi compingamur, ut sciliter alter alterius dolorem discat dolere. Profectò qui paupertatem expertus est, non difficilè miseretur esuriei & egestati; qui sæpius infirmâ & ægrâ fuit valetudine, misericordiâ ægrotorum citò capitur; qui reipsâ didicit, quid contemni, premi, & abjici sit, animum lenitate induit in contemptos, pressos & abjectos; qui fortunis omnibus evolutus est, facillimè commisereścit illorum, quos eadem sors facultatibus privavit. Ærumnis variis exagitati, cum Tyriâ reginâ sapimus, quæ dixit: Non theoriè tantùm aut speculativè.

Non ignara mali, miseris succurrere disco. Virg. 1. Æneid.

Sapienter Æschylus poëta: Infeliciter agenti, ait, quivis condolere, & unà suspirare promptus est; morsus autem doloris nullus ad hepar penetrat. Huic rectè Sophoclis dictum jungitur: Qui ipsi miserias experti, hi soli ex aliorum afflictionibus dolorem capiunt. Æsch. in suo Agamem.

§. II.

HInc optimè concludimus: Quisquis tam immitis, asper, inclemens, & durus est, is certè tristiora nunquam expertus, neque litteras, neque natare scit, & nec vidit quidem oleum, quo athletæ unguntur, consenuit in pulvillo, hinc tam inhumanus, & in miseros immisericors est. Atque hinc DEVS suos monuit, ne alienigenas & peregrinos læderent, quòd & ipsi tales fuissent: *Advenam non contristabis, neque affliges eum, advenæ enim & ipsi fuistis in terrâ Ægypti.* Vestra vobis experientia diceret, quàm miseranda sors sit, extraneum, servum, captivum, laboribus oppressum, verberibus oppletum esse. Qui tristia nunquam expertus est ideo in miseros inhumanus. Exod. c. 22. vers. 21.

Beatus Leo Apostolorum principem Petrum ideo tam graviter labi permissum autumat, ut summus antistes tantò esset indulgentior lapsis. Atque ita in principe Ecclesiæ, conderetur remedium pœnitentiæ. Hic servo gravissimè indignatus paterfamilias, quod paullò antè ex ære alieno laborasset maximo, & animam debuisset, nihilominus nec minimâ conservi debitoris misericordiâ frangeretur: *Nonne oportuit & te misereri conservi tui?* Cur princeps Apostolorum Petrus tà graviter labi permissus est. Matt. c. 18. vers. 33.

Hinc & Paulus solatium maximum instillans: *Non habemus*, inquit, *Pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris, tentatum autem per omnia. Adeamus ergo cum fiduciâ ad thronum gratiæ, ut misericordiam consequamur.* Hebr. c. 4. v. 15. & 16.

Hebr. c. 2. vers. 17. quamur. *Vnde debuit per omnia assimilari fratribus, ut misericors fieret, & fidelis Pontifex ad Deum.*

Vnde Beata Maria misericordiæ mater dicitur, dives Epulo barbarus,

Vnde Virgo beatissima, Domini Mater, tam misericors semper, & etiamnum misericordiæ mater? Non ignara mali miseris succurrere didicit, omnigenis vitæ miseriis exercita. Vnde Hierosolymæus Epulo in Lazarum tam barbarus, & crudelis fuit? paupertatis incommoda ignorans epulabatur quotidie splendidè.

Hanc ob caussam Deus in multos immittit afflictiones, ut aliorum discât misereſcere, & opem promptiùs adferre. Nō neminem audias, qui hac in re suam ipse culpam recitet: Ægroto illi fidem non habui; pauperis illius vicem non dolui; mœsto illi & afflicto misericordiam non tribui; illum funeribus suorum illacrymantem irrisi: jure igitur mihi nunc & morbus, & paupertas, & mœstitia, lacrymæque proponuntur gustandæ: ita discam in posterum aliorum miseratione permoveri.

Hier. c. 48. vers. 11. Hieremias vates Moabitarum improbos mores sic perstringit: *Fertilis fuit Moab ab adolescentiâ suâ, & requievit in fœcibus suis, nec est transfusus de vase in vas.* Confert Moabitas vino, quod suis fœcibus nimis diu permixtum, odorem contrahit inamœnum & ingratum. Hispani solent dicere: Hoc vinum etiamnum recens à matre suâ est, nec de dolio in dolium peregrinari sustinuit: Sic Moabitæ fertilissimis terris opulenti, nesciebant quid fames & penuria docerent; *Fertilis Moab ab adolescentiâ suâ, & requievit in fœcibus suis:* Nam Moabitæ Sodomitis vicini, rerum abundantiâ luxuriosi,

Et Moabitæ immisericordes.

divitiis ac vitiis innutriti casta paupertatis consilia spernebant; nec est transfusus Moab de vase justitiæ in vas Temperantiæ, Castimoniæ, ac Misericordiæ. Verbo dicam: in gymnasio Patientiæ minerval nullum dederunt: hoc unum sciunt, esse, bibere, jocari, ludere, omni voluptatum genere inebriari. *Bibentes vinum in phialis, & optimo unguento delibuti, & nihil patiebantur super contritione Ioseph:* cari prorsus immisericordes, & semper ægri caloribus impatientiæ. En, quanti sit in gymnasio Patientiæ mores & litteras accepisse: & ipsi discipulo, & aliis multis id prodest. Consensus & commiseratio hîc discitur.

Amos c. 6. vers. 6.

§. III.

Temperātia in gymnasio patientiæ discitur,

NOn minùs Abstinentiam & Temperantiam in Patientiæ gymnasio discimus. Plurima sunt quibus nos carere non posse persuademur, dum ea possidemus: cùm erepta sunt, quàm iis facilè careamus, nos ipsi miramur. Est mercator opulentus & magnificus, qui aliquot famulis comitatus incedit; cùm ad mendicitatem & saccum detruditur, tunc primùm experitur, quàm facilè sit incomitatum incedere. Est viator, cui tenebræ iter ad hospitium interdixerat: ita in campis sub arbore pernoctare cogitur, & quia vix unius trientis annonam secum habet, fateri tandem cogitur: Nesciebam me duobus numulis cenare posse. Est opifex, qui olim dives, & in mensâ lautus, sed quia laboris parcus, & ad rem non attentus, proteriviam fecit, ad incitas redactus; tandem in prandium habet ossus malè unctum, in cenam jejunium, aut jus exoculatum, cum frigidâ. At ille seipsum prædicans: Nesciebam, ait, me posse tam parcè vivere. Est tabellarius eques qui sua omnia in cauponâ sepelit, & ex equo in pedes dejectus: Deo gratias, inquit, qui me iterum in pedes erexit: nesciebam antea me pedum usum tam integrum retinuisse.

Ita DEVS cum plurimis agit; ad mediocritatem eos & ad temperantiam reducit penuriâ salubrimâ. Multi tam pertinaces suo stant judicio, ut dicant, iste quidem: Lautitiâ mensæ carere non possum; inediam tolerare non est mei stomachi. Iste verò: Somno brevi, ait, & parco uti non est mei capitis. Hic verò: Sine sociis, inquit, vita mihi nulla est. Alius: Sine potu & vino, piscis sum in sicco. Cùm verò pauperies aliáve calamitas cibum, aut socios, aut somnum adimunt, & vinum commutant aquâ, tum profectò experimur reipsâ, quàm facile sit nobis vigilare, suum, nec ultra, ventri dare, jejunium servare, vino & sociis privari.

Calamitas ejus magistra est;

Magistra temperantiæ calamitas est. Rebus in arctis sobrietatem & parsimoniam discimus; sæpe sera nimis est parsimonia in fundo.

Quàm multi magnatum, quos ipsi novimus, didicerunt in carcere septem numulis aut certè paucis assibus prandere, quorum antea mensa sub dapibus gemebat.

Ad hoc exemplum admirandum.

Audite mira, bis mira, & quæ valde faciant proposito. Pecchius Cisalpinus, homo industrius & magni animi in odium venit viri illustris & opulenti, cúmq; iter faceret, delatus in insidias & captus, atque instar felis in saccum conclusus, eáque ratione in hostis, sui castrum deportatus est.

Hîc in altum fœdúmque carcerem dejectus Pecchius. Et ceteris quidem domesticis quid rerum ageretur ignaris, vnico è fidioribus famulis commissa est cura ab arcis domino, eâ lege captivum aleret, ut in singulos dies non nisi panis frustillum idque gracile, & pauxillum aquæ deferret, quo miser non tam diutiùs viveret, quàm perdiu se mori sentiret. Interim Pecchius totis urbibus oppidisque queritur, nusquam reperitur ipse, sed jumentum, quo usus est, sanguine nonnihil aspersum. Quocirca cædis suspicione factâ strenuè in homicidam indagatum. Reperti sunt duo, quibuscum aliquando rixatus sciebatur. Miseri tormentorum sævitie adacti, Pecchium à se cæsum fassi sunt reclamante conscientiâ. Sceleris damnati, alter gladii, alter laquei supplicio addicitur. Ita insontes ducti sunt. *Iudicia tua, ô Deus, abyssus multa!*

Psal. 35. vers. 7.

Interea captivus animum trahit in teterrimo carcere, eáque seu vivendi dicas, seu potiùs moriendi ratione novēdecim annos exigit. Vestem nec deposuit, nec mutavit unquam; præter fontem & exiguam in dies Cererem nil penitus gustavit. Nihilominus (ipsius Pecchii narrantis verba sunt) Dei, ejúsque divæ Matris clementiæ memor, ingenti fiduciâ sibi semper constabat, spéque maxima erat, futurum ut ex illo Mortis spelæo emergeret. Interim filii captivo patri velut jam mortuo justa fecerunt, hæreditatem inter se partiti. Annis igitur novemdecim totis in tam diro ergastulo exactis, arcis dominus, captivi hominis capitalis hostis obiit. Successor hæres ut castrum in ampliorem nitoremque restauraret, hinc illinc muros dejici jussit. Ventum est ad hoc ipsum subterraneum cavum, quod nulla janua, sed foramen duntaxat idque angustum aperiebat. Dejectis hic futuri ædificii obstaculis, homo instar stygiæ umbræ apparuit, veste lacerâ, barbâ ad poplites promissâ, capillisin humeros largiter excurrentibus. Obstupuerunt operę ad hoc spectaculi tam inexpectati. Mox rumor in vulgus abiit. Accurrit ingens velut ad Faunum aliquem Satyrúmve, aut simile silvarum monstrum. Peritiores qui affluxerant, suasere hominem repertum non statim aëri exponendum, ne aut oculorum, aut ipsius vitæ usum subitâ mutatione perderet. Sic aliquot dies inter assuetas tenebras detentus, paullatim ad auram liberiorem educitur. Hîc plurimæ quæstiones velut ab inferis redivivo positæ: quis, quâ domo, quâ gente, unde illuc venerit, quamdiu illic latuerit? &c. Ad quæ ille ordine rei seriem recēsens, fidem narrationis omnibus fecit. Hinc ei non tantùm libertas data, sed & bona quæ filii jam diviserant, jussu Principis restituta. Illud ad rem omnino, & dignissimum notatu. Podagrâ

dagrâ laborabat Pecchius cùmin carcerem illum raptaretur. At tantâ mensæ frugalitate hoc impetravit, ut non solùm in carcere, sed & in omnem reliquam vitam ab omni prorsus podagrâ immunis degeret.

Simon Majolus Episc. Vulturar. In diebus Canic. colo. 4. mihi pag. 159.

Qui hæc posteris memoriæ tradidit: Cum hoc ipso viro, inquit, collocuti sumus, & hæc ex ore illius didicimus Mediolani, anno 1566. mense Novembri.

En ut DEVS ad inferos deducat & reducat: En, ut calamitosa inopia non solùm Abstinentiam & frugalitatem doceat, sed & sanitatem nullis alioqui pharmacis impetrandam tribuat.

At nos plerunque malæ indolis sumus, quod quædam ultrò discenda, nisi coacti non discamus. Tandem magister in scholâ Patientiæ jure his urget vocibus: Disce igitur vel invitus, quod noluisti sponte discere. Galenus arbitratur aliquibus subitas commotiunculas & ægrotationes prodesse. Credimus & neque discipulis Patientiæ eas sentire obest:

Galen. l. 6. de medic. facilib.

§. IV.

Horat. l. 2. serm. sat. 3. med.

VEnusinus vates festivum quid narrat in hunc modum: Opimius, vivis tam avarus quàm dives, grandi lethargo est oppressus. Iámque hæres circum claves & loculos lætus currebat. Erant qui Opimium vellicarent, traherent, agitarent, nec tamen lethargum pellerent. Medicus in rem ægri promptus ac fidelis. Opimium excitabat hoc pacto: Mensam jussit poni, & in eâ numorum saccos effundi, plures etiam accedere ad numerandum; denique hominem sic erexit: Opimi, ajebat, heus Opimi, ni tua custodis, jam hæc omnia avidi hæredes auferent. Hîc Opimius graves attollens oculos, & seriò evigilans: Quid hoc, inquit, rei est, istáne fieri me nondum defuncto? Apagite mali vultures: an vivum lacerare venistis? an superstitem efferre vultis, ut in hæreditatem venire liceat? Subjunxit medicus: Ut vivas igitur, vigila; hoc age. Ita hunc ægrum deseruit lethargus.

Capitis hoc Christiani? Cælestis animorum medicus innumeros videt Opimios jacentes, & lethargo pressos, salutis suæ incurios, multâ intemperantiâ corruptos. Quid hîc faciat fidelissimi medici peritia? Diversa tentat, ut ægrum sanitati restituat. Sed parum proficit. Tandem ergo charissima quæque aut adimenda simulat, aut omnino adimit, sed eo certè animo, ut excitemur, ut in rem nostram vigilemus; ut emendemus mores depravatos, & ita valetudinem recuperemus. Tandem æger fateri cogitur: Putabam sanè mearum virium non esse his carere, his abstinere, illud non obtinere: nunc autem, ut video, hæc omnia vel quia volo, vel quia debeo, possum: his careo, his abstineo, illud non obtineo, & tamen vivo. Magistra temperantiæ calamitas.

Deus aliquando charissima quæque adimit ut in rem nostram vigilemus.

Prodigus ille juvenis, & patrimonii decoctor, quàm opportunè didicit inediam tolerare, quàm pulchrè crapulam omnem discussit! Tam arcta urgebatur fame, ut panem averaceum, imò ut furfur porcinum inter delitias numeraret, qui ante dominicum nauseabat. Siquidem, *Cupiebat implere ventrem suum de siliquis quas porci manducabant, & nemo illi dabat.* Ideo cùm animo agitaret, quàm in paternis ædibus monstrum ignotum sit fames, quàm assiduus illic hospes habitet panis: non sanè auditus est exclamare: O quis mihi altilem gallinam, ô quis gallum spadonem pinguissimum, ô quis panem artoptitium? Sed ô quis mucidi panis frustillum dabit? Vbi obsecro, & à quo hanc tantam temperantiam didicit? A fame, idque in scholâ Patientiæ. Optimè dixit Eusebius: *Fames eum revocavit, quem Saturitas expulerat.* Nimirum accipitres non redeunt ad suos dominos nisi famelici. Nos famem credimus magnum esse malum, sed multò majus est intemperantia. Vt istud igitur effugiamus, illud quandoque DEVS in nos immittit: fame castigat, ut à vetitis temperare doceat. Ita calamitates in remedium cedunt.

Luc. c. 15. vers. 16.

Euseb. Emes. serm. 2. de Prod.

§. V.

Seneca l. de Tranquil. cap. 9.

ELeganter planè Annæus: *Levioribus, inquit, incommodis graviora sanantur, ubi parum audit præcepta animus, nec curari molliùs potest. Quidni consulatur, si & paupertas, & ignominia, & rerum eversio adhibetur? malo malum opponitur.* Si velis ut ægrotis cibum sibi minùs commodum non tangat, optimum est aut illum ei non proponere, aut sale vel pipere sic asperare, ut mox abdicet: Deus malæ valetudini nostræ consulit, cùm non tangenda ærumnarum sale ac pipere sic inficit, ut libido non sit iis frui. Hoc maximi beneficii loco interpretatus Augustinus: *Cui licentia, inquit, iniquitatis eripitur, utilissimè vincitur.* Idque in scipso expertus. *Non evasi, ait, flagella tua. Quis enim hoc mortalium? Tu semper aderas misericorditer sæviens & amarissimis aspergens offensionibus, omnes illicitas jucunditates meas, ut ita quærerem sine offensione jucundari.*

August. ad Marcellinum & lib. 2. Conf. c. 2. post med.

Hoc Deus agit, ne noxia nostro nobis damno sapiant. Hinc, ô beatuli vestras ego voluptates video, sed nec invideo, nam austerum salem & igneum piper sub iis latere non dubito. Tangat, qui vult uri. Deus ut cocus minimè cæcus, id quod noxii aut nimis frigidi est edulii, cucumeres, fungos, melopepones, betas sanguineas, tam ingrato spargit condimento, ut ab iis non inviti temperemus. Pro his autem tam damnosis cupediis cibum è suâ mensâ regium mittit.

Summi favoris argumentum poterat videri, cùm Ierosolymæus Rex David è mensâ suâ famulo Vriæ regias dapes mitteret, quod Regum fasti asserunt. *Secutus est eum cibus regius.* Pari ratione Rex Nabuchodonosor, quatuor Hebræis juvenibus *constituit annonam, per singulos dies de cibis suis, & de vino unde bibebat ipse.* Et quænam sunt regiæ Christi dapes, quod vinum illius dominicum? Penuria rerum omnium. Nasci, vivere, mori extremâ paupertate: *Meus cibus est, inquit Servator, ut faciam Voluntatem ejus qui misit me, ut perficiam opus ejus.* Quodnam hoc opus? Assiduè crucifigi. Nam Christus Dominus momento primo quo Virginis uterum habitare cœpit, se crucifigendum cognovit; hinc semper dum vixit, crucifixus fuit ob assiduam mortis memoriam. Hinc & Zebedæos fratres velut exploraturus: *Potestis, inquit, bibere calicem quem ego bibiturus sum?* Calicem quem dedit mihi Pater, calicem illum longè amarissimum? Qui negas se posse, in Patientiæ gymnasio id discet.

2. Reg. c. 11. vers. 8. Dan. c. 1. vers. 5.

Quæ Christi dapes. Ioan. cap. 4. vers. 34. Nec obstabat, Christi ut Theologi notum, cõprehensorem fuisse. Matt. c. 20. vers. 22.

Assuescamus igitur à nobis superflua removere; cibus famem domet, potio sitim. Discamus membra nostra in potestate habere, cultum victúmque non ad nova exempla componere. Assuescamus sine convivis & cupediis cenare, vestes parare in quod inventæ sunt, habitare contractiùs. Discamus continentiam augere, luxuriam coërcere, gulam temperare, iracundiam lenire, paupertatem æquis oculis aspicere, frugalitatem colere, animum ad futura & æterna mittere. Hæc omnia in Patientiæ gymnasio discuntur, sed à sedulis solùm & volentibus proficere. Interim teneamus hoc mordicùs; Adversis non succumbere, lætis non credere. Prudentis est, ne quid mali fiat, cavere; fortis autem, id quod factum est, moderatè ferre.

CAPVT III.

Afflictio docet Orationem, & Mortificationem.

Card. l. 13. de Subtil. pag. 284.

VIr eruditus Hieronymus Cardanus quæstionem ponit, Cur rosæ spinis armentur? Post fusam è Philosophiâ dissertationem, hoc demum concludit: Si rosa spinifera non sit, nec etiam erit odorifera. Hinc rosæ silvestres quæ quinis plerunque foliolis constant, minores habent spinas, quam quæ in hortis educantur, ideo suavi quidem, sed imbecilli sunt odore.

Oratio sine mortificatione stare non potest & è contrà.

Oratio velut nobilissima rosa est, sed nisi hæc suas etiam spinas habeat, *Mortificationem*, odoris est parum probati. Omnium in Christi Lyceo sapientum vox est: *Orationem* sine *Mortificatione* vix ullius esse pretii, alterum sine altero non constare, nec duo hæc sejungi distrahique posse. Hinc cùm religiosus vir quispiam beato Ignatio præsente laudaretur, dicereturque: Virum esse multæ orationis; Ignatius mutatâ voce subjûxit: Vir est multæ mortificationis. Eam porro Mortificationem (sic loquimur cum multis) designabat, quæ non tam corpus maceraret, quàm voluntatem ac judicium expugnaret. Atqui duo hæc, *Orationem*, & *Mortificationem* in Patientiæ gymnasio præclarissimè doceri, hoc capite ostendam.

Ribaden. in vitâ S. Ignatii lib. 5. c. 1. ante finem.

§. I.

Psalm. 97. vers. 5.

HEbræus rex David ad divinas laudes hortatus: *Psallite Domino*, inquit, *in citharâ, in citharâ & voce psalmi; in tubis ductilibus, & voce tubæ cornææ.* Optima ad Orationem exhortatio, & quę quatuor potissimum capita complectitur. Primum: Si cithara vel lyra pluribus instructa sit fidibus, necesse est ut eæ inter se solerter comparatæ assonent. Nam si fides vel unica sit discors, totus periit concentus. Nec aliud in re nostrâ: *Quicunque totam legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus.* Sis licet castus, & in stipem effusus, si tamen iracundus es & invidus, jam symphonia nulla est, factus est omnium reus. Et contrà, sis licet mitissimus, & invidus nulli, si tamen incastus es, harmonia periit, factus es omnium reus. Quare psallite Domino in cithara; in citharâ consonantibus fidibus, sociatâ nervorum omnium concordiâ. Talis sit oratio tua, qualis est vita tua.

Exhortationis ad orationem quatuor capita. Primum.

Iacob. c. 2. vers. 10.

Secùdum.

Alterum: *In voce psalmi.* Vult assam vocem instrumentis musicis conjungi, quod si verò vox una discordet, jam cantûs suavitas jugulata est. Qui orat, sciat quid dicat: orationem veram oportet esse attentam.

Tertium.

Tertium: *In tubæ ductilibus.* Tuba ductilis non nisi plurimis formatur ictibus, quod Mortificationem designat. Multò est operosius seipsum, quàm hostem potentissimum superasse. *Neque verò gloriosa est victoria, nisi ubi fuerint laboriosa certamina.* Tubam ductilem & formatam & inflatam, qui acriter sibimet imperat.

Ambr. l. 2. offic.

Quartum.

Quartum: *Et voce tubæ cornææ.* Instrumentum angustum, sed artificiosum & suave, si peritum habeat cornicinem. Hîc eleemosynæ atque jejunii monemur. Ergo, *bona est oratio cum jejunio & eleemosynâ.* Bona est oratio, quam comitatur mortificatio. Nos sæpe concentum Deo celebramus, sed inanem, & sine fidibus atque organis: Oramus, sed carnis petulantiam non castigamus. Hac fraude plurimi semet decipiunt, nam quia crebrò & multùm orant, ideo seipsos tanquam homines multæ orationis circumspiciunt. Itáne verò, mei, tam vos egregii cantores? Vox sola non ingrata est: sed ubi tubæ, ubi fides, ubi cornua? Bona est oratio: sed ubi est mortificatio? Hæc sibi jungenda sunt,

Tob. c. 12. vers. 8.

A alioqui concentus erit inanissimus. Psallite Domino sed in citharâ. Christus non solùm nos preces fundere, sed & animam odisse docuit; ad collem Olivifera rum non tantùm orare suos, sed & vigilare jussit, & somno non sine luctâ imperare. Vtrumque hoc in Patientiæ gymnasio docetur, & Oratio, & Mortificatio.

Dicite, oro, quot orantes vidistis nautas, tempestate jam sedatâ, cælo iterum sereno, evitato naufragio? quot vidistis milites qui pectus tunderent, dum hoste procul, ad ignem sederent, & sales facetiásque sererēt? Apud plurimos mortalium tanti est DEVS in prosperis, quanti nobis est calor fornacis in æstate, fax in meridie, miles in pace, tibicen, cùm saltare non licet; architectus cùm ædificare non vacat; quanti est opima mensa, cùm non lubet comedere: causidicus, cùm nihil est litigij; medicus, cùm omnes sunt sani. Quàm verè vates Italus:

Silius l. 7. bell. Pun.

—raræ fumant felicibus aræ.

B Languet oratio, languent sacrificia, nuda sunt altaria, florente fortunâ. At verò cùm hyems sævit, focum laudamus & ignem; cùm nox est, candelas & faces quærimus; cùm bellum ingruit, militem scribimus; cùm morbus urget, medicum vocamus; cùm tempestas furit, ad preces confugimus, & manus cælo attendimus. Sic ad officium suppliciis adigendi sumus.

§. II.

Psal. 82. vers. 17.

IDeo psaltes regius: *Imple*, inquit, *facies eorum ignominiâ, & quærent nomen tuum Domine.* Certè non quæsituri, nisi priùs ignominiâ impleti. Hoc ipsum confirmans: *Multiplicatæ sunt*, inquit, *infirmitates eorum, postea acceleraverunt. Et clamaverunt ad Dominū cùm tribularentur.* Cur antea non clamastis? Nulla nos calamitas premebat. Ergo clamores hi optimè extorquentur calamitatibus, perinde ut organorum fistulę non canunt, & sine voce sunt, nisi cùm follium flatu compelluntur. Ita Hebræi. *Cùm occideret eos quærebant eum, & revertebantur, & diluculo veniebant ad eum.*

Psal. 15. vers. 4. Psal. 106. v. 13. 19. & 28.

C

Psalm. 77. vers. 34.

Impiissimus Manasses orare nunquam didicisset, nisi in carcerem detrusus fuisset. Quid de viris sanctissimis dicam? Moses plurimis pressus ærumnis. Iacob fraternis agitatus insidiis, Samson illusus à Philistæis, Tobias amissis & opibus & oculis, Sara gravibvs lacerata conviciis, tres Hebræi juvenes in mediis flammis, Daniel in leonum cauo, Petrus in pelago, Paulus & Silas in ergastulo, aliique sexcenti precandi & occasionem & disciplinam hauserunt inter adversa. Ita Ionas propheta vim Obedientiæ in ceto didicit. Barbari Gerasæni amissis porcorum gregibus, Christum supplices accesserunt.

Apostoli mergendâ naviculâ clausi ardentissimè divinam opem expetierunt. Tunc scilicet fera latibulum petit, cùm canes à tergo insequuntur; Tunc arbor pauula victori charissima est, cùm aut sol urit, aut subitus imber defluit. Ita nos prorsus, quamdiu bene est, Deum importunis clamoribus non fatigamus: aut enim non oramus, aut segniter. At verò cùm canes venatici suis nos rictibus petūt, hîc properamus, hîc currimus, ubicubi asylum reperiamus, cùm ærumnarum æstus fatigat, cùm lacrymarum imbre perfundimur, hîc Deum, omnésque superos inclamamus. Huic tali Deus opportunè dixerit: Non venisses ad me, nisi ut pater virgis vocassem te. Tam ingenuæ indolis erat rex David, ut hoc ipsum fassus dixerit: *Ad Dominum, cùm tribularer, clamavi.*

Psalm. 119. vers. 1.

Pharao rex improbissimè pervicax ausus est dicere. *Nescio Dominum, & Israël non dimittam.* Tunc certè nondum sat senserat flagella Domini, quem ignorari à se ajebat. At ubi acrioribus flagris exceptus est, aliter loqui didicit, jámque non semel: *Orate*, inquit, *Dominum, ut desinant tonitrua Dei & grando.* Hem Pharao, novisti

Exod. c. 5. vers. 2.

Exod. c. 9. vers. 28.

visti jam Dominum ? Nimirum has voces in Patientiæ gymnasio vel invitus didicisti.

Et quamvis Pharao indocilis prorsus & nullus spei fuerit discipulus ; profecit tamen verberatus. Aliter sensit, sanius locutus est post plagas & verbera. Sed quid Pharaonem miramur ? Diabolus ipse Christum ut ignotum affatus : *Si filius Dei es,* inquit, *dic ut lapides isti panes fiant.* Sed audite ut vocem emendarit jam flagellatus. Nam, *Exibant dæmonia à multis, clamantia, quia tu es filius Dei.*

Matth. c. 4. vers. 3. Luc. c. 4. vers. 41.

Qui Deum vel verberatus nosse negat, durissimo Pharaone durior, & ipsis saxis magis saxeus, & vel ipso nequior est diabolo. Si quis hominem se gerat, in afflictione orare discet, si id antea nescierit. Afflictio precandi magistra est.

Pharaone durior, & diabolo nequior est, qui Deũ nosse negat.

§. III.

NOn tantùm Deum precandi, sed & se mortificandi artem in Patientiæ gymnasio discimus. Ad rem dixit Clemens Alexandrinus : Silvescit vitis, & in labruscas degenerat, nisi putetur ; exorbitat homo, nisi flagelletur. Nam uti palmitum luxuria, nisi coërceatur, in pampinos sese effundit ; botros fert raros, eósque acerbos : cùm autem ferro castigatur, mites dat uvas & crebiores & dulciores : Vix aliter homo, nisi enim laboribus, ærumnis, afflictionibus, assiduè, ut vitis falce, curetur, in vitia, velut in folia effunditur, ferocit, luxuriat, efferatur ; cùm autem ferreo calamitatis ungue carpitur, orationis, pœnitentiæ, patientiæ, mortificationis fert fructus. Appetentia nostra nunquam non in vetitum ruit, & effreni sæpe pruritu in noxia fertur. Subinde tanta se rabie concitat, ut non neminem audias dicentem : Non patior frenum, non admitto leges, consilia non audio ; quo mea me fert cupido, sequor : explebo animum. Atqui profectò seipsum præcipitat iste talis, nisi sit qui furibundos hominis impetus sistat.

Clem. Alex. l. 1. pædag. cap. 8.

Homo laboribus immunis ferocit, & luxuriat,

Hîc benignissimus Deus medium sæpe cursum tam efferi calcitronis reprimit, dum calamitates, dãna, & quidquid miseriarũ horremus, objicit, ut indomitus hic equus dometur. Et quemadmodum equi sessorem admittere recusantis caput pallio obvolvitur, sic ferocienti homini pallium mœroris DEVS injicit, ut admittat, quam spreverat, disciplinam.

Ideo Deus calamitates injicit vt dometur.

Augustinus insigniter : *Equus,* inquit, *non se domat, elephantus non se domat, aspis non se domat, leo non se domat : sic & homo non se domat. Sed ut dometur equus, bos, camelus, elephantus, aspis, leo, quæritur homo : ergo Deus quæratur, ut dometur homo.* At hic domitor noster profert etiam flagella, plerunque enim nos tractat, ut nos jumenta nostra, quæ frenis, fustibus, flagris, perticis etiam & furcis simariis mitiscere docemus. Si nobiscum sic agat DEVS, quid querimur ? Dei jumenta sumus. Apertissimè hoc Sionis rex pronùntiat : *Homo cum in honore esset, non intellexit : comparatus est jumentis insipientibus, & similis factus est illis.* In hæc sua jumenta Deus, non suo utatur jure, eáque flagris ; paupertate scilicet, contumeliis, luctu, mœroribus urgeat ?

Aug. to. 10. de verb. Domini ser. 4. princip.

Psal. 48. v. 13. & 21.

Non unum duntaxat Nabuchodonosorem, non Achabum, Manassen, aut Antiochum unum, sed complures ejuscemodi ferocissimos leones cicuravit flagris : desierunt illi ferocire, & immanissimis affectibus positis redierunt ad se, induerúntque hominem, quos priùs belluas esse dixisses. *Quod si jumentum tuum,* inquit Augustinus, *mansuefieri se patiatur, quid ei à te præmii est ? nec sepulchrum quidem das mortuo. Deus patientiam tuam remunerabit cælo, & mortuum ad vitam revocabit ; nihil tui peribit. Ad hanc spem homo domatur, & domitor intolerabilis habetur ? ad hac spem homo domatur, & contra istum utilem domitorem, si fortè flagellum proferat, murmuratur ?* Saltem sapiamus quantum feræ ac jumenta : hæc si vectabulo, rhedæ, pilento, currui, essedo, aratro jungantur, & objurgentur virgâ vel scuticâ, sciunt se ideo verberari, quod exorbitent, aut æquo lentiùs progrediãtur : quare mox in viam redeunt, aut certè celeriùs eunt.

Aug. ibid. cap. 4.

Tam sagaces saltem & nos, támque intelligentes simus, ut cùm quis à Domino corripitur, hoc mente & cogitatione versèt : Ergo erravi, & extra orbitam deflexi : en revocor flagello ; & quo abirem aversus, si sic sineret, progredi ? Sed esto, tenuerim viam, certè nimiùm lentus incessi testudineo gradu, jure mei me officii plagæ monent. Itaque jam gressu incedam contentiore. Hactenus videri poteram dormire ; nunc vigilabo, & operæ non parcam. Si non ita agimus, jumentis minùs sapimus, quæ saltem plagis in viam reducuntur.

§. IV.

CHrysostomus excellentissimè, & aureo prorsus ore rem oculis subjiciens : *Si vultis,* inquit, *duas nuptias describamus, hanc quidem nubentium, illam lugentium : ac mente utramque ingrediamur, videamus, utra melior. Invenietur enim lugubris, sapientiæ plena ; nuptialis autem plena confusionis.* Nam vide atque audi verba incõposita, petulantem risum, lascivas confabulationes, incessum turgidum, protervos gestus, epularum abundantiam, vestitum, pompam, rerum omnium luxum. Hîc Deæ, Saturitas, Protervitas, Ebrietas, hîc Bacchus & Venus habitant ; hîc omnium vox est : *Hodie licet insanire.*

Chrys. to. 5. homil. 62. ad pop. Antio. inter. mihi pag. 341. Idem habet tom. 3. in c. 19. Act. Act. no. 42. mihi pag. 615.

Ita homines in bruta degenerant, nam ut porci vorant, ut vaccæ potant, ut alini calcitrant, ut equi hinniunt. Diceres eos esse in schola Intemperantiæ, in gymnasio Lasciviæ, in palæstrâ turpitudinis & nequitiæ. *Non nuptias damno,* inquit Chrysostomus, *sed quæ sunt in nuptiis : diaboli pompam ; cymbala & tibias, & cantica fornicationis & adulterii plena. At non ita illic, ubi luctus est, ubi omnia composita, multa requies, altum silentium, mortis memoria, futurorum meditatio, vera sapientia, inordinatum nihil, nihil incompositum. Quisquis hic loquitur, summisse, breviter, modestè loquitur. Talis est natura luctus ; sapere docet, & ad omnem modestiam ac frugem se componere.*

Itaque longè : *Melius est ire ad domum luctus, quàm ad domum convivii.* Ex illâ modestiores, prudentiores, & sanctiores ; ex hac petulantiores, stultiores, ac nequiores prodimus. Et quemadmodum corpus succi & sanguinis plenum, & sua laborans obesâ mole, paratissimum morbis hospitium est : quod verò cum laboribus & fame luctatur, ad adversâ valetudine tutum est ; sic & animus inter delitias & tripudia enervatur, & in vitia promptissimus lascivit ; at ille quem sollicitudo & mœror occupant, à vitiis plerunque alienus, adversorum incursu crescit, fitque vegetus.

Eccles. c. 7. vers. 3.

En ut afflictio & luctus levitatem omnem, & quidquid sit immodestiam, coërceat ; ideo Deus & luctum & afflictionem in nos immittit, ut nobis velut aviculis aliò avolaturis alas præsecet.

Et quid negamus ? Nostra contra nos conscientia testatur : maximam partem nimium *vivaces* sumus ; ardent in nobis cupidines & affectus indomiti : quia verò Mortificationem, ut canis Nilum, parcissimè libamus, juvat nos optimus DEVS, & vel reclamantibus ingerit salubria, atque in eum modum nos molestiis ac miseriis exercet, ut magis magisque cicures ac compositi, & ad bonam mentem induendam faciliores reddamur. Atque ô si cognovisses, & tu, quàm tibi hoc utile, sic sensim mori, ut vita subtrahatur vitiis. Mala profectò quæ nos hîc premunt, ad Deum ire compellunt. Bona est oratio, sed cum jejunio & eleemosyna : bona est *Oratio,* sed cui juncta est *Mortificatio.* Vtrũque suavi magisterio docet Patientiæ gymnasium. Et hoc sanè Sanctorum omnium ardens assiduúmque fuit studium, partim precibus mollire

DEVM, partim quotidianâ hac morte frangere se-ipsum. Hoc discamus, & in Patientiæ gymnasio multum profecimus. Addo quod dicta firmet.

§. V.

Nicep. l. 7. c. 59 post med. Baron. ex eo tom. 3. An. 318.

CONstantinus Imperator verè Magnus Byzantinos non felici prælio aggressus, nec sine suorum clade, fatigatus ac mœrens ex acie redit. Iámque dies in noctem ibat, cùm Imperator multum de hostibus quid ageret, obtutu assiduo suspexit cælum, illúdque calidis suspiriis vocavit in vota. Et en auxiliare prodigium.

Dum Constantinus tam pios ac sollicitos in altum oculos tollit, scripturam è stellis observat, in hæc verba signatam: *Invoca me in die tribulationis, & eruam te, & glorificabis me.*

Psalm. 49. vers. 15.

Ad omen tam sublime principiò nonnihil expavit Cæsar, sed mox pavore in lætitiam vertente, avidissimo oculos eâdem viâ remisit ad cælum, ubi jam alarum vidit ostentum, expressam è stellis crucem, & circum eam hæc omnino verba: *In hoc signo vinces.* B His è cælo taciturnis vocibus animatus Imperator, paucis post diebus in aciem contra Byzantinos denuo exivit, & illustri victoriâ potitus est, simul & Byzantium expugnavit. Ab his cælestibus prodigiis majori deinceps veneratione Crux esse cœpit.

Quisquis, ó homo, tuis miseriis turbaris, erige vultum, suspice cælum, & exhortationis divinæ conceptissima verba perlege: *Invoca me in die tribulationis, & eruam te, & glorificabis me.*

Psal. 49. vers. 15.

Teipsum vince, Deúmque tibi precibus concilia, & quidquid hostium occurrerit, de facili superabis. Hîc

Aug. to. 8. in Psal. 43. post init. mihi p. 158.

Augustinus sollicitè monet, ne fortè cum Deo expostules, dicásque: *Illi speraverunt, & liberasti eos; ego speravi, & dereliquisti me: & sine caussâ credidi in te, & sine caussâ nomen meum scriptum est apud te, & nomen tuum scriptũ est in me.* Hoc nec orationem sapit, nec mortificationem, sed impiam contra DEVM exprobrationem.

Augustin. loco citat.

Tu si sapis, dic potiùs quod idem Augustinus suggerit: *Tu es ipse Rex meus, & Deus meus. Tu es ipse, non enim mutatus es. Tempora mutata video, creator temporum non mutatur. Tu me soles ducere, tu me soles regere, tu mihi soles subvenire. Tu refugium factus es nobis, Domine, ut nasceremur, qui non eramus: tu refugium, ut renasceremur, qui mali eramus: tu refugium ut pasceres desertores tuos: tu refugium, ut erigas & dirigas filios tuos: tu refugium factus es nobis. A te non recedimus, cùm liberaveris nos ab omnibus malis nostris, & impleveris nos bonis tuis. Bona das, blandiris, ne fatigemur in viâ. Corripis, cædis, percutis, dirigis, ne aberremus à viâ. Sive ergo blandiris, ne fatigemur in viâ, sive castigas, ne aberremus à viâ: Domine, refugium tu factus es nobis.*

Aug. to. 10. serm. 4. De Verbis Domini fin.

Chrys. ho. 3. de Pat. Iobi, & hom. 5. in Matt.

Sic precari docet patientia. Optimè dixit Chrysostomus: *Oratio merces est calamitatum: orationis adjutorium, jejunium est.* Efficacissimè rogat, qui seipsum illi, quem rogat, mortificatione crebrâ sacrificat.

CAPVT IV.

Afflictio docet Prudentiam, & Modestiam.

FVit è civibus Cæsaromontanis in Belgio vir laude dignissimus: Hic filiũ ad scholas ducturus primis litterarum elementis erudiẽdum, ut serium se patrem monstraret, ita rem aggressus est. Integrum scoparum fascem, velut ludimagistro munus, sub pallium accepit, & ad filium: Adesdum puer, inquit, ad scholas ducendus es. Scholarum tunc Rector fuerat Nicolaus Steeger, vir egregius; huic unà cum puero hic civis se sistens: Tibi domine, inquit, hunc filium meum trado, optimis disciplinis imbuendum, illúmque tuæ curæ commendatissimum esse cupio. Quod si minùs morigerum se gerat, virgis, obsecro, ne parcas. & cum A dicto pallium reduxit, obtulitque bene magnum virgarum fascem, addiditque liberali sponsione: Quod si has consumpseris, alteras à me accepturus es. Hoc est liberos seriò & ad bonam frugem educare. Narrat hoc celeberrimus è divi Francisci familiâ ecclesiastes Philippus Bosquier, qui tunc puer in eodem illo Houdano gymnasio litteris studebat.

Phil. Bosq. De Cure. Bapt. con. 2. mihi p. 60.

Salomon de indole puerili disserens: *Stultitia*, inquit, *colligata est in corde pueri, & virga disciplinæ fugabit eam.* Christus gymnasiarchus sapientissimus, cui nostra indoles perspectissima est, ut infantiam nobis ac petulantiam excutiat, non parcit virgis, *flagellat* enim *omnem filium quem recipit*, imò ut Siracides loquitur, *assiduat illi flagella.* Sed hoc inde fiiis sic flagellatis emolumenti est, stultitia in illorum corde colligata virga disciplinæ fugatur. Ita *Prudentiam*, & *Modestiam*, seu, *Humilitatem* discunt, uti iam ostendemus.

Prov. c. 22. vers. 15.

Hebr. c. 12. vers. 6.

Eccli. c. 30. vers. 1.

§. I.

Correptio docet prudentiam.

AC primò quidem *Prudentiam* nos docet correptio. Hebræus vates Ezechiel animal vidit admirandum, quod hominis, leonis, aquilæ ac bovis quadruplex vultus insignibat. Cúmque hoc idem iteratò vidisset, pro bovillo, Angeli Cherubici vultum vidit substitutum. Quid hoc rei? Quid bovi cum Angelo, cum Cherubino? Non idem, dices, animal fuit, sed aliud. Imò verò idem fuit. Testis Ezechiel ipse: *Ipsum est animal*, inquit, *quod videram juxta fluvium Chobar.* Quâ igitur ratione frons bovis, in faciem Cherubicam migravit?

Ezech. c. 10. vers. 15.

Quid significet Cherubim.

Hebræo idiomate Cherubim, idem est, quod Magister, quod cognitionis, ac scientiæ multitudo. Ecce res; jam mysterium evolvimus. Bos priscis symbolum laboris, cujus patientissimum est animal, nam & curribus, aratro, & rhedis jungitur, ad arandum, ad trahendum, imò etiam ad triturandum habilis, vera laboriosi hominis effigies. Atque huic tali bovi Spiritus divinus faciem Cherubicam assignat, quâ præceptorem & multæ experientiæ gnarum monstret. Et rationem addi à Siracidâ: *Vir in multis expertus cogitabit multa, & qui multa didicit, enarrabit intellectum.* Hic certè Siracides experientiam è plurimis afflictionibus acquisitam laudat, nam ipse sui optimus interpres: *Qui non est tentatus*, ait, *quid scit?*

Bos priscis symbolum laboris.

Hominis laboriosi effigies.

Eccli. c. 34. vers. 9.

Ibid. v. 11.

Ex his satis liquet, Afflictionem non tantùm æternæ voluptatis, sed etiam Christianæ Prudẽtiæ matrem esse. Afflictio facem Sapientiæ in manus tradit. Suo id exemplo firmans Siracides: *Multa*, inquit, *vidi errando, &c. Aliquoties usque ad mortem periclitatus sum horum causâ*: dum scilicet prudentiam quæro. En ut frontem bubulam aboleat Cherubica; en ut experientiam ab ærumnis haustam comitetur prudentia! Ex iis quæ quis tolerat, & seipsum, & alios, sed & Deum nosse incipit, dum rerum fluxarum vanitatem, ingenii humani varietâtem, inconstantiam ac mutabilitatem sortis; tum deceptiones ac fraudes innumeras, dum miserias & clades infinitas cogitat. Atque hinc paullatim discit *reprobare malum, & eligere bonum.* Quisquis non sæpius velut lana pectine ferreo pexus est, quid scit nisi otiari, & delitias sectari? Veriissimum est etiamnum illud Annæi: *Melius in malis sapimus.* Felicitate corrũpimur.

Ibid. v. 12. & 13.

Isai. c. 7. vers. 15. & 16.

Seneca epist. 95.

Iobus quæstionem maximè seriam ponens: *Sapientia*, inquit, *ubi invenitur, & quis est locus intelligentiæ?* Sibique ipsi hæc respondet: *Nescit homo pretium ejus, neque invenitur in terrâ suaviter viventium.* Profectò actuosa illa sapientia, quæ digito monstrat, quanti caduca, quãti sint æterna, non reperitur in ædibus quas Abundantia & Opulẽtia beant, ubi bachanalia vivere quotidiani moris est, hîc Abundantiæ & Opulentiæ, Incuria, Stultitia, Insania cognatę Deę semper sunt proximæ. Enimverò quid stultius, quàm rerum vilissima-

Iob c. 28. vers. 21. & 13.

rum

rum lucro lætari, & æterna bona perdere? Gregorius id asserens: *Tantò, inquit, verius stulti sunt, quantò majora perdentes in minimis lætantur.*

Greg. in illud Iobi.

Quod Romanus Sapiens de virtute dixit, idem affirmari potest de hac ipsa, de quâ loquimur Prudentiâ, seu Sapientiâ: *Altum quiddam est, regale, invictum, infatigabile, nec satietatem habet, nec pœnitentiam, immortale. In templo eam invenies, in foro, in curiâ, pro muro stantem, pulverulentam, coloratam, callosas habentem manus.* Sapiens Hebræus meliore spiritu calescens: *Virga*, inquit, *atque correptio tribuit sapientiam.*

Seneca l. de beata vita c. 7. & 8.

Prov. c. 29. vers. 15.

§. II.

IN Tobiâ oculorum tenebras fel piscis emendavit. Fellea calamitatis amaritudo nobilissimum & certum pharmacum est ad marcentem illum ac hebetem visum restituendum, qui non videt quàm omnis vita sit misera, brevis, errorum plena, ærumnarum refertissima, morti semper proxima, momentâ casura; qui non videt quàm sollicitè ac laboriosè melior & æterna vita sit quærenda: ad hanc, inquam, oculorum caliginem abstergendam non est potentius, non est salubrius collyrium, quàm Afflictio. Siquidem homo afflictus & æger tandem in se descendit, & ipse sibi objicit: En fallacias Mundi: hoc præmium ab illo est; hac sportulâ suos clientulos mundus donare solet: hoc ambiebas, hoc jam habeas ut nactus: tutè tibi hoc intrivisti, tibi exedendum erit. Et nunquid jam vides, jam sentis, quem & fœtorem, & amarorem post se relinquat turpis voluptas? quæ citò implet, & tædio est, & post primum impetum marcet, & sæpe cùm maximè delectat, extinguitur. Sed nunquid jam tandem vel experientiæ credis? Te hactenus Achillem esse autumabas, & inexpugnabilem heroëm, qui etiam provocare auderet adversa: Nempè talis es, ut video. Vix tangeris, & cadis. Túne ille magnanimus & patiens, tu fortis ille ac constans, qui cum Petro & vinculorum & mortis societatem jurabas, jam levi flatu dejiceris, jam hoste vix viso jaces. Hæc sui ipsius ad se ipsum in afflictione cohortatio est.

Calamitatis amaritudo est nobilissimũ pharmacum:

Nõ autem Mundi voluptas.

Videte obsecro, ut fel istud afflictionis oculos caligantes corrigat, ut clausos aperiat & diducat! Hieremias vates hoc ipsum dilucidissimè confirmat his omnino verbis: *De excelso misit ignem in ossibus meis, & erudivit me.* Hinc illud à beato Gregorio verissimè dictum: *Oculos quos culpa claudit, pœna aperit.* Hinc etiam ærumnosus cum Hieremiâ rectè dixerit: *Ego vir videns paupertatem meam in virgâ indignationis ejus. Castigasti me, & eruditus sum quasi juvenculus indomitus: quia tu Dominus Deus meus.*

Threnor. cap. 1. vers. 13.

Thren. c. 3. vers. 1.

Hier. c. 31. vers. 18.

Non rarò miseri ac miserabiles sumus, & quod omni miseriâ miserius est, miseros nos esse ignoramus, eúmque inter hostes numeramus, qui nos miseris annumerat. Hac in re par illis facimus, qui negant ardere domum suam, quamdiu ignem intra penetralia, posse sopiri credunt: at ubi flamma per fenestras vi eluctata, jam etiam in tecto grassatur, tum denique vicinorum auxilia implorantur; res amplius dissimulari non potest; incendium ipsum loquitur: ita nos tum demum in adversis sapimus, cùm ea sæpè sentimus. Ita, *sola vexatio dat intellectum auditui.* Nam & Siracidâ teste: *Pungens oculum deducit lacrymas, & qui pungit cor, profert sensum.* Siquis subitâ contumeliâ petatur, aut injuriâ lædatur inexpectatâ, aut calamitate quâvis aliâ ex improviso percellatur, hîc tempus est sui ipsius experiendi, hîc elucet quàm ille repentinâ clade perculsus homo sit mitis, quàm patiens, quàm modestiæ ac veræ Humilitatis memor. Et quamvis paullulũ offendat titubétque, tamen si sapit, mox animum recipit, sensúmque punctus elicit; monstrat patientiam, mansuetudinem exercet, exhibet modestiam. Nimirum,

Isai. c. 28. vers. 19.

Eccli. c. 22. vers. 24.

A *Flagella & doctrina*, inquit Siracides, *in omni tempore sapientia.*

Idem c. 22. vers. 6.

Annæi Senecæ scripta pleraque omnia divinum quid spirant, cedro & auro exarandâ: inter hæc tamen primas sibi & palmam videntur ea vindicare, quæ ab exilio ad matrem Helviam sunt missa. Adeo Romanus hic Sapiens tunc magis sapuit, cùm minùs quę solarentur, ad manus habuit. Ita discipuli in Patientiæ gymnasio quotidie proficiunt, fiúntque prudentiores plagis. *Verbera erudiunt.* Sic & piscator læsus sapit, fitque prudentior post ictum scorpii. Ajunt piscatorem prędæ nimis avidum, sagenæ præproperas manus injecisse, sed à latente scorpio percussum dixisse: In posterum non tam præceps verriculum invadam, sapiam ictus.

Non aliter nobis ratiocinandum. Nam ubi sanato calamitatis vulnere, impatientiâ nos peccasse deprehenderimus, mox in nosipsos versi dicamus: En bubale ferox & impatiens, qualem te gerebas in hac afflictione, quàm delicatum & impatientem! Videbaris cælo detracturus Lunam, ita furebas. Hæccine Christiana patientia est? sic cælum aspiramus, & vel acus punctiunculam horremus, leviſsima quæque recusamus pati? Quare deinceps alium te præstabis, magis memor patientiæ.

B

§. III.

LEges Mosi tradidit Deus inter tonitrua & fulmina, dum mugiret cælum, & ignes jaceret: quo illud significabatur, ad divinas leges nunquam nos attentiores esse, quàm cùm calamitatum fulmina in nos ruunt, cùm grandine diversarum cladium insternimur; hîc arrectis stamus auribus, nósque omnia facturos ampliſsimè pollicemur. Ergo fac jam sanus, quod facturum te recipiebas ægrotus. Nam si Deus tam formidabilis est cùm legem dat servandam, quantò erit formidabilior, cùm nõ servatæ rationes polcet.

Cur Deus leges Mosi tradidit inter tonitrua & fulmina.

C

Hîc libet quærere: Quoties, obsecro cælestes delitias æternásque voluptates, quoties inferorum ignes seriò attentéque meditamur? Heu ratò, & perfunctoriè. Quando igitur ipsi vix unquam in hæc seria & salubria cogitationem intendimus, Deus incuriam nostram commiseratus in gymnasio Patientiæ hæc nobis cogitanda subjiciens: Huc, inquit, animum defige, ac cogita, ô homo, si te morbus non graviſsimus sic excruciat, & quomodo torquebunt damnatorum dolores æterni? Si unicus dens verminans dies, noctésque pænè ad insaniam affligit, quî sæviet in desperatiſsimos illos captivos vermis conscientiæ? Si podagra, si calculus, si colica hominem in molli lectulo sic excarnificant, quomodo cruciabit ignis æternus, flamma nunquam extinguenda? Cogita, ah, cogita; quidquid jam pateris, aciculæ punctiuncula est; meriſsimus jocus est; quidquid te jam cruciat. *Quis verò poterit habitare de* nobis *cum igne devorante, cum ardoribus sempiternis?*

D

Isai. c. 33. vers. 14.

Eam subinde nobis persuasionem induimus, ut dicamus: Nequeo ultra hunc hominem sustinere; hoc ampliùs tolerare non possum; quis hæc diutiùs ferat? Et quomodo sustinebis, mi homo, damnatorum omnium & diabolorum societatem, quomodo feres cruciatus assiduos, maximos? Si Deus sic punit in loco veniæ, quomodo puniet, ubi non est spes misericordiæ? Igitur quotiescunque ureris, & ægrè tibi est, cogita, & dic tibi ipse: En specimen inferorum, sed planè pictum! en gustulum gehennæ, sed prorsus mitiſsimæ! improbos illic alii sepeliunt uruntque ignes; quod pateris, suave est ad æterna supplicia collatum. Maturè igitur disce sapere, & intelligere.

Siracides hoc ipsum optans: *Quis*, inquit, *superponet in cogitatu meo flagella?* Siquidem hæc tantùm sentire parum

Ecc: li. c. 23. vers. 2.

parum est (quis enim est, qui ea non sentiat?) nisi & cogitationem intendamus, & dolores nostros brevissimos cum illis sempiternis æquo ratiocinio comparemus, denique fateamur, nostros cruciatus ad illos umbram esse & somnia.

Quemadmodum verò Deus in Patientiæ gymnasio, gehennæ lacrymas nobis offert prælibandas, ita felicitatis æternæ delitias ingerit gustandas. Nam bonæ mentis homo, ubi tot molestiis ac miseriis, tot mœroribus ac doloribus arserit, cum Paulo ingemiscens: 2. Cor. c. 1. vers. 8. *Supra modum (dicex) gravati sumus, supra omnem virtutem, ita ut tædeat nos etiam vivere.* Quid ergo proximum est? Ad te, mi DEVS toto pectore suspiro; tua domus & valde tuta, & ampla nimis est, à qua tædia, miseriæ, dolores, ærumnæ omnes exulant, nullus ibi Morbis aut Morti locus est: voluptates illic merissimæ & æternæ.

E diverso hîc apud nos mera tædia, mœrores merissimi; omnia luctus & dolor occupant. Quare, mi Domine, corporis mei tuguriolum (si tamen debita poscam) impelle ad ruinam, nil moror; ruat hoc, modò ego ad te migrem. Ad rivos Babylonis sat diu lamentis indulsi; cithara mea ad salices suspensa jam pridem conticescit; cælestis mihi Sion in animo est: Ad te, Deus, cupiditate rapior inexplebili.

Atqui hoc sapere est, hoc intelligere. Ita nos Patientiæ gymnasium docet Prudentiam.

§. IV.

VTi *Prudentiam*, sic & Modestiam, seu, *Humilitatem* docet Patientiæ gymnasium. Qui sui despicientiam in hac schola non discit, nusquam discet. Cur Deus præcepit Mosi ut manum in sinu mitteret. Mosi olim Deus præcepit, manum in sinum mitteret; misit, aut ubi eam retraxit, leprâ infectâ reperit. Quid hoc novi prodigii? Eccurnam non augustius miraculum patratu est, quod saltem horrori non esset? Theodoretus ad hoc quæstionis: Mosen, inquit, divinum Numen monuit, ne tanti duc populi futurus, se insolenter efferret, sed in humilitatem submitteret. Nam illâ manu ingentia patraturus erat miracula: ne igitur eam venerabundus exoscularetur velut prodigiorum auctorem, leprâ fœdatam DEVS objecit, ut Moses tot editis à se mirandis operibus, diceret nihilominus: *Non manus nostra excelsa, sed Dominus fecit hæc omnia.* Deu. c. 32. vers. 27.

Rex Macedo Alexander cùm in Indiâ vagaretur, & gentes, ne finitimis quidem satis notas, bello vastaret, in obsidione cujusdam urbis dum circuit muros, & dum imbecillissima mœnium quærit, sagittâ ictus, diu persedere, & incœpta agere perseveravit. Deinde cùm represso sanguine, sicci vulneris dolor creisceret, & crus equo suspensum paullatim obtorpuisset, coactus absistere: *Omnes*, inquit, *jurant, me Jovis esse filium, sed vulnus hominem esse me clamat.* Nimirum jam domo es, Alexander, qui te paullò antè sustinebaris esse Deum. Sen. ep. 59. post med. Plutarch. in Alex.

En, quàm facili negotio in Patientiæ gymnasio discamus alas submittere, & cristas ponere. Quisquis hîc discipulum agit, modò non penitus sit indocilis & stupor, de rebus suis omnibus hoc demum pronuntiat: Opes quidem mihi sunt, nec deest plurimorum favor, adest rerum agendarum gratia, auctoritatis magnæ sum, encomiis & honoribus afficior, in cælum evehor: Sed hem, quoties ego in terrâ repo? quàm multa hominem esse pronuntiant, illinc curæ, hinc morbi, istinc miseriæ infinitæ me vellicant; & quid hæc omnia clamant, nisi hominem esse, fragilem, mortalem, malis omnibus obnoxium!

Chrys. to. 5. hom. 10. ad pop. Ant. med. Eleganter Chrysostomus de Orbe hoc inferiore disserens: DEVS, inquit, non tantùm mirabilem & magnum fecit Mundum, sed & corruptibilem, & marcescibilem. Quod in Apostolis fecit, hoc & in toto Mundo. Quid autem in Apostolis fecit? quoniam signa multa faciebant, & miracula magna & mirabilia, ipsos tamen continuè flagellari permisit, pelli, in carcerem detrudi, corporis morbis affligi, lapidari, crucifigi, in continuis esse tribulationibus. Ne scilicet non homines sed Dii haberentur, qui signa supra hominis conditionem ederent. Atque ideo etiam Apostoli ægrotoruisi morbos curarunt, & ipsi ægrotarunt; mortuos ad vitam revocarunt, seipsos à morte non liberarunt. Quid miramur? *habemus thesaurum in vasis fictilibus*, quæ collisu leviissimo franguntur. Hinc & Apostolorum aliqui in morbis pænè continuis. Nam Timotheo vinum modicum permittitur, *propter stomachum & frequentes infirmitates.* Trophimus Mileti relinquitur infirmus. Epaphroditus *usque ad mortem infirmatur.* Quales Apostoli, dicat quis, sunt hi viri, quos non suggestus, sed lectus & morbus detinet. Deus permisit Apostolos in continuis laboribus esse ne Dij haberetur. 2 Cor. c. 4. vers. 7. 1. Tim. c. 5. vers. 23. 2. Tim. c. 4. vers. 20. Philip. c. 2. vers. 27.

Sed norit iste, in gymnasio Patientiæ Humilitatem ante omnia sanctissimis quibusque viris, ipsis etiam Apostolis discendam. *Sic*, inquit Bernardus, *Pauli extollentia per carnis stimulos reprimitur: sic Zachariæ infidelitas linguæ obligatione mulctatur. Sic per gloriam & ignobilitatem sancti proficiunt, dum inter singularia dona quæ recipiunt, communi hominum vanitate pulsari se sentiunt, ut dum per gratiam supra se aliquid cernunt, non oblivisc antur quod sunt. Sicut enim medicus non solùm unguento, sed igne utitur & ferro, quo omne quod in vulnere sanando superfluum excreverit, secet & urat, ne sanitatem, quæ ex unguento procedit, impediat: sic medicus animarum Deus, hujusmodi animæ procurat tentationes, immittit tribulationes, quibus afflicta & humiliata, gaudium vertat in luctum.* Bernard. de gradib. Humil. & Superb. grad. 1. Superb. sint. mihi pag. 975.

§. V.

QVidquid ergo tolerandum veniat, submittamus nos in omnibus divinæ ferulæ. Nemo dixerit: Atqui ego tam gravia non merui; extra culpam sum, iniquè patior. Impiæ, damnatæ voces. His longè meliores sunt: Ego quidem justè punior, nam digna factis recipio; & quamvis mihi non videar, hoc quidem tempore, & ob hanc noxam tam rigidè puniendus, nihilominus quòd res est, malum commerui millies. Itaque nunquam non justissimè punior, idque semper meo bono, sic enim periculum mei facio, me nosse disco. Siracidæ verbum est: *Vir in multis expertus cogitabit multa.* Modestiæ congruum est in adversis non iniquè se castigari agnoscere. Eccli. c. 34. vers. 9.

Ille Romanorum terror Annibal, Suidâ teste, septemdecim annos sub dio egit, bellicis cladibus exercitatissimus dux, & qui non immeritò de se gloriatus: Me senem, ajebat, ætas & jam secundæ, jam adversæ res ita erudierunt, ut rationem sequi quàm fortunam malim. Non temerè incerta casuum reputat, quem fortuna nunquam decepit. Ego humanæ infirmitatis memor, vim fortunæ reputo, & omnia quæcunque agimus, subjecta esse mille casibus scio. Quod si secundis rebus bonâ quoque mente Deus daret, non ea solùm quæ evenissent, sed ea etiâ quæ evenire possent, reputaremus: satisque ego documenti in omnes casus sum. Liceat igitur cum Secundo exclamare: *O quàm utile est ad usum secundorum per adversa venisse.* Sed ô quàm etiam Christianum & Modestiæ congruum est, in adversis non iniquè se castigari agnovisse. Suidas voc. δύσβιος, mihi p. 82. Liv. lib. 10. Plinius in Panegyr.

Ægyptii proregis fratres accusabantur furti (vt suprâ demonstravimus) nam in os illis objiciebatur: *Scyphus quem furati estis, ipse est in quo bibit dominus meus.* Potuissent illi obducere: Nequaquam fures sumus, nec calumniam istam ferimus; insontes prorsus arguimur. Sed eho, viri, refricate memoriam; longè plus quàm mille scyphos sublegistis. Plagiarii estis, Iosephum ipsum furati: idque ante viginti tres annos, non meministis? Grande hoc & turpe plagium est omni supplicio vindicandum. Hic fratres Iosephi quamvis utcunque Part. 1. c. 6. §. 8. Gen. c. 44. vers. 5.

cumque rudes homines, reos se fassi cum laude: *Deus*, inquiunt, *invenit iniquitatem servorum tuorum: en omnes servi sumus domini mei.* Sed & illud præclarissimè dixerunt: *Meritò hæc patimur, quia peccavimus in fratrem nostrum.* *Gen. c. 44. vers. 16.* *Gen. c. 42. vers. 21.*

Sic & nostrum quisque in adversis omnibus & sentiat, & loquatur: Meritò hæc patior, meritò, meritissimò.

In Patientiæ gymnasio, & principium, & medium, & ultimum est Humilitas: sine Humilitate nihil discitur, nihil retinetur, nihil proficitur. Vt hanc discamus ante omnia, beatissimos illos dies assiduè cogitemus, quibus inter triumphos cantabimus: *Lætati sumus pro diebus quibus nos humiliasti, annis quibus vidimus mala:* DEVS quos non affligit, hos aut odit, aut tanquam ignavos, nec ad discendum idoneos præterit. *Sine humilitate nihil discitur. Psal. 89. vers. 15.*

CAPVT V.

Afflictio variè utilissima, & plerumque quæ nocent, docent.

HEbronis rex David mille beneficiis affectus à Deo, ne ingratus moreretur, exclamat: *Bonum mihi, Domine, quia humiliasti me.* Cur verò potiora obliviscitur, cur non agit gratias quòd pedum sceptro, stramineum pileum coronâ regiâ mutarit, quòd ab ovibus, in solium evectus, à pecoris custodiâ ad purpuram transierit? hæc, inquam, amplissimâ gratiarum actione dignissima fuissent. *Psalm. 118. vers. 71.*

Equidem rex David illorum minimè oblitus, singulare, ingens beneficium censet ex opilione regem se factum; at longè majus æstimat, quod è rege Deus medicum se fecerit, uti prorsus fuit, cùm fugeret Absalonē filium. Hoc beneficium majus omnibus visum est, de hoc amplissimè gratias agens: *Bonum mihi*, ait, *quia humiliasti me.* Dixerit Ioseph Pharaoni, Bonum mihi quia exaltasti me: dixerit Ruth suo Bozio, Bonum mihi quia ditasti me: dixerit Esther conjugi regio, Bonum mihi quia coronasti me: dixerit Mardochæus Assuero, Bonum mihi quia honorasti me: dixerit Tobias Angelo, Bonum mihi quia illuminasti me: dixerit Naaman Elisæo, Bonum mihi quia mundasti me: dixerit claudus Petro, Bonum mihi quia sanasti me: dixerit Lazarus Christo, Bonum mihi quia ad vitam revocasti me. At rex David inter maxima beneficia reponens: Bonum mihi, ait, quia humiliasti me: Bonum mihi, Bonum omnino. Nam hoc mihi lōgè utilius, ideo & charius, quàm si aureos à te montes accepissem. Cur hoc, obsecro, huic regi tā Bonum? *Vt discam justificationes tuas.* Hactenus, ait, cælestis curiæ stylum non satis intellexi, quid divini juris esset, ignoravi; nunc demum Iureconsultus fio, sed in Academiâ Patientiæ. Hîc nemo ductus, nisi *humiliatus.* Bonum itaque mihi, ô Domine, quia humiliasti me. Iure merito David maximas refert gratias, non quòd ditatus & exaltatus, sed quòd *humiliatus* sit. Humiliatio, (sic loquamur) & afflictio homini longè utilissima est. Afflictio *Fortitudinem* & *Fidelitatem*, Afflictio *Commiserationem* & *Abstinentiam*, Afflictio *Orationem*, & *Mortificationem*. Afflictio *Prudentiam* & *Modestiam* exactè docet, uti jam demonstratum est. *Ibid.* *Afflictionis utilitates.*

Addimus: Afflictio homini non nimis impatienti universè utilissima est, ut verum sit illud: *Quæ nocent, docent.* Hoc Crœsus apud Herodotum testatus: Mei casus, inquit, fuerint quidem ingrati licet, mihi tamen extitere disciplinæ. Quæ nocent, docent. Quod Græci tam breviter, quàm eleganter dicunt, παυθήματα, μαθήματα. A plagis sapimus. Atque hoc ipsum paullò uberiùs demonstrabimus.

§. I.

IObus admirandam Dei Providentiam dilaudans: *Qui ligat aquas*, ait, *in nubibus suis, ut non erumpant pariter deorsum.* Divinę providētiæ est aquas aēreas claudere, & velut panno aut veste constringere ne diffluāt. Harum aquarum vehiculum nubes, & instar equorum venti sunt, qui alveos illos per orbem quaquaversus trahunt. Quod si Deus has aquas uno impetu in terram præcipitari sineret, plus equidem obessent quàm prodessent, sed quia stillatim & guttatim defluunt, fecundo illapsu terram irrigant. *Si continuerit aquas*, ait Iobus, *omnia siccabuntur, & si emiserit eas, avertent terram,* sicut in diluvio, cum dimissæ agmine facto præcipites ruebant. Sic igitur providentissimus Deus illam aquarum molem temperat, ut eam non penitus detinendo agris subtrahat, nec subito emittendo agros suffocet: medium tenet. *Iob c. 26. vers. 8.* *Cur Deus aquas liget.* *Iob c. 12. vers. 15.*

Aquæ in divinis paginis symbolum sunt Afflictionis. Hinc psaltes regius dixit: *Intraverunt aquæ usque ad animam meam.* Quemadmodum Deus pluvias sic Orbi attemperat, ut nec illarum defectus noceat, nec copia (nisi cùm punire vult noxas) sic & labores omnes ac dolores nostros ita modificatur, ut non desit exercitatio, ne torpeamus, nec tamen omnis intercidat cōsolatio, ut succumbamus. Atque hoc regius vates petiit: Non me derelinquas usquequaque. Non rogat non derelinqui, non vexari, non affligi: hoc unum deprecatur, non omnino, non usquequaque deseri, quod noxis suis meruisset. Quod si nimbum Deus vehemētem & repentinum effundat, qui terræ opimitatem videatur destruere, cogitandum id pœnæ loco fieri. Hoc ipsum tamen bono nostro futurum est. Bonum nobis erit, cùm etiam hoc modo humiliaverit nos Deus. Quæ nocent, docent. *Aquæ symbolum afflictionis. Psal. 68. vers. 2.* *Ita D. Ambrosius id explicat.*

Quædam arbores adeo tenaces sunt fructuum suorum, ut non facilè quidquam dent, nisi vi auferatur. Ejus generis sunt nuces, amygdalæ, quercus, has si quis leniter ut piros aut prunos concutiat, nihil impetrabit; & non tantùm non fructus sed nec folia colliget, ideo baculis, fustibus, saxis in eas pugnandum est, ut quod dare nolunt rogatæ, dent percussæ.

Arboribus & nos mortales simillimi sumus; fructus nostri, actiones nostræ sunt cum pietate susceptę. DEVS hos fructus ambit, hos exigit, non aspērè, non vi, sed humanissimè ac peramanter; hos fructus millies petit: *Fili, honora Dominum, & valebis: præter eum verò ne timueris alienum. Fili mi, ne obliviscaris legis meæ. Audi fili mi, & suscipe verba mea, ut multiplicentur tibi anni vitæ. Serva mandata mea & vive. Præbe fili mi, cor tuum mihi, & oculi tui vias meas custodiant.* At quoniam bonus Deus his precibus plerisque parum impetrat, vix ulli ex hac arbore fructus decidunt, cogitur saxis & fustibus arborē quatere, ut vel sic speratos reddat fructus. Conscientia quidem sæpius monet, monent & conciones, monet Angelus Custos, monent alii, sed ea est hujus arboris contumacia, ut ne sic quidem fructus optatos præbeat. Ergo, non ægrè feres, ô mea arbor, si durius tecum agatur. Ita Deus cum Hebræis egit: *Tradidit eos in manus gentium, & dominati sunt eorum, qui oderunt eos. Et tribulaverunt eos inimici eorum, & humiliati sunt sub manibus eorum.* Vt ea quæ nocerent, docerent. Quo igitur jure saxis & fustibus indignetur arbor? si sponte daret, quod æquissimè petitur, à verberibus immunis ageret. *Actiones nostras Deus exigit humanissimè, Prov. c. 7. vers. 1. c. 4. v. 10. cap. 7. v. 2. c. 3. v. 26.* *Quis non impetrans tenetur nobiscum durius agere,* *Psal. 105. v. 41. & 42.* *Vt ea quæ nocerent, docerent.*

Naaman leprosus acerbum excāduit, quòd Elisæus vates tam tenuiter responderet. Itaque Iordane spreto reverti in Syriam decrevit. At famuli hunc suum dominum ita placarunt: *Pater, etsi rem grandem dixisset tibi propheta, certè facere debueras, quanto magis quia nunc dixit tibi: Lavare, & mundaberis.* His rationibus inductus, *4. Reg. c. 5. vers. 13.* *Suasione famuli Naaman sanatur à lepra.*

ctus, in Iordane lavit, ut jussus erat, & lepram excussit.

Sic omnes calamitates ferre patienter deberemus pro cælesti beatitudine.

O utinam sic persuadeamur; idem nobis non de corporis, sed de animi valetudine ac salute obtinendâ dicitur: Etsi rem grandem sanxisset vobis DEVS, certè facere debuissetis. Nam tanti est beatitudo æterna, ut si juberemur vel ipsos inferorum cruciatus aliquanto tempore tolerare, certè non diu hîc deliberandum, sed sine omni cunctatione promptissimè tormentâ illa perferenda essent, modò beneficium futurum eisset animo æternùm. Imò si cælestis beatitudo centum annos non excederet, quidvis tamen potiùs annis plurimis hîc tolerandum, quàm illa negligenda esset. Ita etiam si post centum annos Tartari flammæ sopirentur, satius tamen foret, jam quelibet pati, quàm futuris se suppliciis servare. Quantò magis nunc quævis alacriter perpetienda, cùm ea quæ patimur, brevi tempore, momento transvolent; tam præmium verò quàm supplicium æterna sunt.

Chrys. to 4. homil. 2. in c. 1. ad Colos. mihi pag. 1122.

Pigritiam nostram hic opportunè stimulàs Chrysostomus: *Quid dicis homo: Ad regnum vocatus es*, inquit, *ad regnum filii Dei: & oscitabundus es torus, ac desidum more scalpis, & torpes? Si namque singulis diebus vel in mille mortes insiliendum fuisset, an non omnia ferre oportebat? Atqui principatus gratia nihil non faceres: cum verò consors futurus sis regni unigeniti Dei, non objicies te vel mille gladiis? non insilies in ignem? Est istud nondum grave quidquam fuerit.*

§. II.

Num. c. 19. vers. 9.

DEVS olim edici jussit: *Colliget vir mundus cineres vaccæ, & effundet eos extra castra in loco purissimo, ut sint multitudini filiorum Israël in custodiam, & in aquam asperssionis, quia pro peccato vacca combusta est.* Voluit Deus cineres ad lixivium fundendum colligi, nec à quovis hominum, sed à mundo, nec eos in latebras neglectim abjici, sed loco mundissimo reponi. Cur cineres hoc-retanto affecti? Vt immundis essent in aquam asperssionis.

Cur Deus in Vet. Testamento voluit cineres esse in tanto honore.

Hîc, ô Christiani, solerter attendite, quanc hoc afflictionis lixivium sit faciendum: quod quidem mordax, sed purgâdis sordibus aptissimum est. Inter mortales nemo sordium expers. Sanctissimus Iobus: *Si locutus fuero*, inquit, *quasi aquis nivis, & fulserint velut mundissimæ manus meæ, tamen sordibus intinges me, & abominabuntur me vestimenta mea.* Ergo & Iob lavandus? quid jam de aliis dicendum? At verò quod ignis est metallo, quod lima ferro, quod spuma Batava panno, hoc mortalibus est afflictio; purgat, eluitque sordes.

Afflictio magni facienda. Iob c. 9. v. 30. & 31.

Dan. c. 11. vers. 33. & Ibid. v. 35.

Daniel vates Hebræis ingentes calamitates prædicens: *Ruent in gladio*, inquit, *& in flamma, & in captivitate, & in rapinâ dierum.* Quæ obsecro tanti mali caussa? *Vt conflentur, & eligantur, & dealbentur, usque ad tempus præfinitum; quia adhuc aliud tempus erit.* Hoc ergo calamitatis lixivium nos sordibus purissimos præstat, *eligimur, & dealbamur.* Ita prorsus quæ nocent, docent. *Bonum nobis, quia humiliat nos Deus.*

Psalm. 31. vers. 4.

Beatissimus rex David; *Conversus sum*, inquit, *in ærumnâ, dum configitur spinâ.* Peccati vepres adeo animum illius vulnerarunt, ut erinaceus sibi visus sit, spinis ac telis undique confixus. Hinc tâtus in animo doloris sensus, ut eum nec regia dignitas, nec immensæ opes, nec universæ voluptates potuerint mitigare. Adeo acerbè rex David sentiebat, *Deum à se offensum esse*: Peccati fœditatem tantopere perhorrescebat, ut ultro asperrimum cilicium velut mollissimas Scythicarum mustelarum pelles induerit, inediâ se cruciarit, lacrymis vinum miscuerit, iisdem & lectum laverit, preces suspiriis ac gemitibus distinxerit.

O si & nos peccati teterrimam luem iis oculis, quibus rex David, aspiciamus: Det DEVS nobis trutinam quâ incredibile pondus peccatorum examinemus, nullius sanè ponderis & nimis quàm leve videbitur quidquid miseriarum est & afflictionum, quas suo claudentur fine; plumam discemus ad altissimum montem collatam, quidquid adversorum in hac vitâ occurrerit: lixivium mordacissimum non recusabimus, modò animi morbos eo persanemus. Bonum nobis erit, si Deus humiliaverit nos.

§. III.

Probatica piscina,

HIerosolymis Probatica piscina fuit, ubi pecudum immolandarum carnes abluebantur. Ad stagnum hoc quinque erant porticus, quas omnis generis morbidi, ulcerosi, & deploratæ valetudinis homines ingenti numero complebant, & expectabant stipem è cælo, quam stato tempore tulit Angelus, qui aquam movebat, ut primus qui post aquæ motum descendisset, valetudinem reciperet.

Est mundi effigies,

Elegans hic Mûdi typus, & verissima illius effigies. Quid enim Mundus nisi ægrotorum innumerorum diversorium? Vt autem tot pessimè affectis hominibus medela fieret, venit Magni consilii Angelus, & undas turbavit. Equidem mirandum illud, tot Hierosolymis pellucidas, puteales, crystallinas, dulces fluxisse aquas. Deo tamen placuisse in cœnosâ, putri, turbidâ aquâ, quam varii pecoris lanena, quam pili & sanguis occisarum animantium infecerat, valetudinis donum collocare. An non illustrius fuisset miraculum, in Iordane potiùs, aut in odorifero rosâto, quàm in fœculento & fœtido stagno sanari? Videte, Christiani, quàm longè alia sint Dei atque hominum judicia: Animum Deus lavari vult non aquis Hierichuntinis, aut Damascenis, non nardum Italicam, aut Pæstanam rosam redolentibus, sed undis quas ipsemet cruenta cruce turbavit, in salso miseriarum mari, in vasto calamitatum Oceano. Hoc balneum nostrum est, hæ nostræ sunt Thermæ; ita lavamur. Deus olim Hebræis ad immundorum expiationem aquas aut cinere, aut sanguine mistas præscripsit. Non alio flumine mens humana melius lavatur: cruenti fontes nobis saliunt è crucifixi vulneribus; cineream mordacitatis lixivium quotidiana nobis vita submINistrat. Ad has scaturigines sospitamur animo, hîc sordes ponimus, hîc vires recipimus. Sed à Solymæâ piscinâ nondum abeo.

In qua placuit Deo valetudinis donum collocare.

Quare Deus non tantùm è tanto numero ægrotorum sanavit.

Cum ergo Servator Hierosolymis illam ipsam, quam diximus, templi porticum subiret, maximum ægrotorum numerum invenit, sed non nisi unicum ex omnibus sanavit. Dixerit hîc quispiam, quàm parcus beneficiorum Dominus! sanare omnes potuisset verbulo. Sed cur, oro, tantùm uni valetudinem restituit? An ut faceret quod piscina, quæ uno tempore non nisi unum sanitate donavit? Atqui hoc ipsum quærimus, cur Deus infinitè misericors & potens, cui placuit vim sanandi conferre stagno, non ægrotos omnes illos sanari voluerit? nam uti sol mitissimis suis radiis innumeros quotidie beneficus est, sine damno sui, ita nec sanis confessor damnum faceret, tametsi morbos & miserias plurimorum simul valetudine & felicitate commutaret. Respondemus: Sol amœno jubare suo collustrat omnia, & allucet suaviter, nisi nubes impedimento sint: Nubes densissimæ peccata sunt: his nubilis misericordiæ sol excluditur. Huic malo Hieremias illacrymans: *Opposuisti*, ait, *nubem tibi ne transeat oratio.* Noxarum multitudo sæpissimè in caussâ est, quo minus è miseriis nostris omnibus emergamus. Quod ad amnem Solymæum Christus unicum duntaxat è morbo recrearit, fortassis id erat, quia ceterorum neminem eo beneficio dignum invenerit. At fuerint omnes sceleris puri, & vitæ prorsus integri, cur unicus solùm ad sanitatem pervenit? Respondemus denuo: Ita eis expediebat; bonum illis erat sic humiliari. Non omnibus omnia conveniunt. Multa millia hominum ægrotant, qui si commodè valerent, ad inferos certatim

Resp. 1.

Thren. c. 3. vers. 44.

Resp. 2.

certatim properarent; jam verò cùm in morbo sunt, ad cælum tendunt.

Verissimè, quę nocent, docent. Bonum tibi, bonum mihi, ô Christiane, bonum aliis innumeris, quia humiliat nos DEVS. Ludimagister scit, quid cuivis suorum discipulorum expediat. Quoties extrema calamitas, initium fuit salutis? Quoties jactura, maximi lucri origo extitit? Ita non rarò cum Themistocle dicendum: Perieramus nisi periissemus.

Bombycęs serici textores, beatos credimus, cum bombycinam habeant domum, & laborem quieti simillimum. At si rem penitiùs inspiciamus, comperiemus sepulchrum esse, quod nos domum dicimus, & miseros vermes illos operi suo immori: ita sæpissimè quod appetentia nostra utile ac jucundum judicat, id noxium ac turpe deprehendit. Imò istud certissimum sit; cùm appetitus adeo in rem aliquam calet (nisi recta in DEVM feratur) peccati turpitudinem subesse. Hinc Christus ea quæ nobis utiliora sunt, plerumque liberaliùs tribuit: Ad Patientiæ scholam omnes invitans, non item ad Mundi gloriam: *Si quis*, ait, *vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me*, non in amœnum viridarium, sed in fœtidum Calvariæ clivum.

Matt. c. 16. v. 24.

§. IV.

Cur Christus in rupe Thaboreâ tres solum ex Apostolis admisit: & in monte Golgothâ immensus populus admissus?

SErvator Orbis gloriam suam in rupe Taboreâ aliquantulum explicaturus, tres solùm ex Apostolis ejus rei conscios admisit. Cur non aliquot centurias civium Hierosolymis evocavit? Cur saltem non omnes Apostolos ad id spectaculi assumpsit? Longè alia sunt Dei, quàm hominum consilia. Vt Christus in crucе cruentus aspiceretur, immensus populus spectatum admissus est, ut autè in Tabore glorioſus cerneretur, vix tres charissimorum hominum adsciti. Nimirum prosperitas & gaudium vix ullis, crux & afflictio innumeris solet prodesse. Ideo beatus Bonavętura mavult cũ Christo in montem Golgotha, quàm in montem Tabor ascendere. Ita prorsus quæ nocent, docent.

Romæ olim à patiente Virgine anno centesimo sexagesimo septimo, M. Aurelius & Lucius Vērus milites omnes lauro coronatos esse voluerunt, publicę lætitiæ testandæ. At unus Christiani sanguinis miles, lauream corollam nō vertice, sed brachio tulit. Interrogatus quid solus ille in publici triumphi morē peccaret? Respondit, non decere Christianum in hac vitâ coronari. In defensionem tam generosi dicti Tertullianus librū edidit, de Militis coronâ. Quo scripto facundè traditur, prudenter militem egisse. Verè non decet Christianum, nisi spinis coronari; neque enim aliter coronatum est caput nostrum. Heu quàm malè conveniunt gypsata, & delicata membra cum spinoso, vulnerato, cruento capite!

Iac. c. 5. vers. 11. Temporalia bona pro malo temporali non sunt speranda, sed æterna.

Hypponensis Præsul Augustinus Iacobi Apostoli verba expendens: *Ecce beatificamus eos qui sustinuerunt. Sufferentiam Iob audistis, & finem Domini vidistis.* Ne ideo, inquit, patienter sustinerent temporalia mala, ut sibi hoc restitueretur, quod recepisse legimus Iob. Nam & illo vulnere atque putredine salvus factus est, & ei cũcta quæ amiserat, duplicata sunt restituta. Vt ergo non talem remunerationē speraremus, quando mala temporalia patiemur, non ait, *sustinentiam & finem Iob audistis*, sed ait: *Sustinentiam Iob audistis, & finem Domini vidistis.* Tanquam diceret: Mala temporalia sicut Iob sustinete, sed pro hac sustinentiâ non temporalia bona sperate, quæ illi aucta redierunt, sed æterna potiùs, quæ in Domino præcesserunt.

Hìc igitur patiendum est, ut patientiæ præmium speretur illic accipiendum, ubi non ampliùs erit quod patiamur. Plurimi tolluntur in altum, ut lapsu graviore ruant: E diverso DEVS plurimos lapsu ruere graviore sinit, ut eos in altum attollat. Plus hìc tormenti, plus illic præmii.

In divinis paginis bonæ mentis homo frequenter palmæ confertur. Audite cælestem hortulanum loquentem: *Dixi, ascendam in Palmam & apprehendam fructus ejus.* Mi DEVS, quid opus ascensu, non tibi sat longa sunt brachia colligendis fructibus? tam facile est tibi superiores fructus carpere quàm inferiores. Sed videte, obsecro, divini consilii sapientiam: Infetiores fructus arboris stans carpit olitor, dum ramos lentâ manu convellit trahitque: At verò superiores carpturus, ascendit & calcat arborem, & subinde arbori brachium frangit, ut fructu potiatur.

Cant. c. 7. v. 8.

Hominis fructus sunt piæ actiones.

Hominem arbori collatum diximus; istius arboris fructus sunt piæ sanctæque actiones. Fructus superiores esse dixerim consummata virtutum officia, uti est singularis Humilitas, illustris Patiētia, præsignis Charitas: hos fructus ut cælestis olitor acquirat, ascendit in arborem, eámque calcat, & ramos frangit. Hinc hominum iste quidem pecuniæ partem, hic aliquid honoris, iste brachium amicitiæ, ille voluptatis ramum perdit. Ita prorsus dum hortulanus ille nos calcat, maturiora poma obtinet; ita nos excitatiùs agimus, ad pia magis fervemus, rebus divinis magis insistimus. Ita sæpissimè, quæ nocent, docent.

§. V.

Paradisus à Deo plãtatus est ut protoplasti eo exclusi plus torquerentur.

NOn rarò DEVS nos rebus omnibus circumfluere & abundare vult, sed eam ob caussam ut plus doleamus, quò plura & chariora perdimus. Divus Bonaventura vel ideo etiam paradisum à Deo plantatum ait, ut protoplasti eo exclusi plus torquerentur, itaque peccatum suum acerbiùs odissent, & gravius detestarentur, quod sese paradiso ejecissent. Voluit itaque ut Adam sentiret quanta perdidisset per culpam, quæreretque alia recipere per pœnitentiam, ut qui amisisset paradisum, tantò contentiùs aspiraret cælum.

Sic etiamnum DEVS, sic hodiéque millies agit. Exempli gratiâ: Filium dat parentibus formosum, docilem, ingeniosum, indolis optimæ, qui inter coævos adolescentes ad alterum tertiámque classem discendo felicissimè progreditur. Subitò hanc rosam mors carpit: adolescens maximæ spei in primo ætatis flore extinguitur. Heu quantus hic parentum luctus? Tacitè illi secum cogitant, quod erubescunt dicere: Cur nobis DEVS hunc talem filium dedit, si tam citò rapere voluit? non jam antè afflictionum satis fuerit? num hic mœroris cumulus debuit accedere? Omnino debuit, ô mei parentes, & eam ob caussam natus est vobis filius, ut is præmaturè mortuus augeret quidem mœstitiæ cruciatum, sed & patientiæ præmium. An non Deus Elisæi hospitæ, tanquam exoratus, filium concessit; quem tamen mors brevi rapuit? Cauterium, videtur esse vulnus, at revera est vulneris remedium; vexatio videtur esse malum, at sæpissimè mali remedium est; An nescitis, quæ nocent, docent.

Afflictio est mali remedium.

At ego homo sum, inquies, nec mihi pectus ferreum, aut æneum, aut chalybeum est: non sum ferendo tantos dolores. At ego te obsecro ne hoc dixeris: Gymnasii nostri præceptor exactissimè novit, quantum quilibet discipulorum possit capere: huic quinque versus, huic decem, aliis viginti ediscendos injungit, à quibusdam totas paginas memoriæ vult mandari, ab aliis orationes bene longas idque uno die comprehendi jubet memoriā: Omnium ille vires & ingenium perspectissimum habet. *Fidelis Deus est, qui non patietur vos tentari supra quod potestis, sed faciet cum tentatione provenium.* Audias dicentem sæpius: Et quâ tandem ratione hic homo tam gravia potest perpeti? ego sanè non possem. Divina hoc ei gratia præstat,

1. Cor. c. 10. vers. 13.

quam si haberes, & ipse posses quod possunt alii, quos miraris.

Chrys. to. 5. hom. 67. init. mihi pag. 362. Et hom. 66. pag. 358.

Optimè dixit Chrysostomus : *Illic coronæ, ubi pœnæ. Vbi namque tribulatio, ibi & consolatio ; ubi consolatio, ibi & gratia est.* Vbi afflictio non est, ibi plerumque nec Deus est. *Tunc enim*, ait Chrysostomus, *& anima purgatur, cùm propter Deum tribulatur.* Nam & fastum contrahit, & omnem excidit torporem tribulatio, & ad patientiam ungit, & humanarum rerum vilitatem revelat, & multam introducit sapientiam. (*Nimirum, quæ nocent, docent*) Cogita Salomonem : hic dum in curis & perturbatione fuit, illâ visione dignus est habitus : ut verò nactus est delitias, in ipsum malitiæ barathrum delapsus est. Quid ipsius pater, quando mirabilis fuit, & gloriosus ? nónne dum in tentationibus fuit?

Chrys. dictâ hom. 66. plurib. locis.

Demum, de se suisque aureus orator : *Quid opus est*, inquit, *antiqua recensere ? Si quis enim nostrò nunc discutiat, quantum sit tribulationis lucrum, videbit : nunc enim pace potientis recidimus & defluximus, & innumeris implevimus malis Ecclesiam : Cùm verò pellebamur, & modestiores, & humaniores eramus, & studiosi magis, & ad has conciones promptiores, & ferventes ad audiendum. Quod enim ignis est auro, hoc & animis tribulatio, sordem absergens, faciens mundos, claros reddens & splendidos. Hæc in regnum introducit, illa verò in gehennam : quapropter hæc quidem est lata, illa verò angusta : propter hoc & ipse dicebat :* In Mundo pressuras habebitis, *tanquam magnum nobis bonum relinquens. Itaque si discipulus es, angustam & asperam incede viam, nec ægrè feras, nec indigneris. Non enim potest citra tribulationem, non potest citra tristitiam præsens vita transmitti ; Non est vita sine miseria. Tu neque Paulo melior es, neque Petro, qui nunquam remissionem assecuti sunt ; sed fame, & siti, & nuditate laborarunt. Si vis eadem cum illis assequi, quid contrariam ambulas viam ? Si vis ad illam pervenire civitatem, quâ digni sunt illi putati, illam perambula viam illuc ferentem. Non illuc perducit remissionis via, sed tribulationis.* Hebræus populus tamdiu modestus, quamdiu afflictus, tunc cœpit insolescere, cùm

Ioan. c. 16. vers. 33. Deus in mundo reliquit magnum bonum, pressuras.

Idem hom. 64. mihi pag. 351.

melius habere. *Iudæi*, ait Chrysostomus, *dum luto fuerunt & operi lateritio alligati, mites erant & continuè Deum vocabant ; postquam verò libertate potiti sunt, murmurabant, & Deum exacerbaverunt, & se malis infixerunt inrimeris. Ne adversis itaque casibus frangamur, sunt enim correctio.*

Ergo centies ingeminandum : Sustine, mi Christiane, sustine, quæcunque tibi sustinenda veniunt ; seu longa tædia, seu graves miserias, seu quantacunque damna, sustine : Quæ nocent, docent.

§. VI.

DEVS in filio suo abunde declaravit, quâ ratione servos suos in hoc Orbe tractari velit. Nam si filium longè charissimum, unigenam flagellari sustinuit, quantò minùs famulos aut filios adoptivos flagris subtrahet ? Ah, quid negamus ? parvi sumus inquieti, & furta prepensi, in Patientiæ gymnasio immorigeri, ideo castigandi plagis paternis, ne supplicii vapulemus æternis. Iam cujusvis est dicere : *Ego in flagella paratus sum, & dolor meus in conspectu meo semper. Ego autem non solùm alligari, sed & mori in Hierusalem paratus sum, propter nomen Domini Iesu.* Si ergo flagellato leone catulus timet, qui nos catelli verberato leone de tribu Iudâ, immunes à flagellis exibimus ? Vtilissima profectò sunt nobis hæc verbera. Nam ubi pater filium castigavit, virgas fenestræ affigit, ut iis visis castigatus puer terreatur, caveátque in posterum delinquere. At flagellaris innocès ? Oculos tuos, cuæsore, à teipso in IESVM innocentissimum transfer. Nam ut cum Domino tuo coroneris, cum illo pariter flagellaris, quamvis innocens. Nostro bono sunt hæc omnia. *Illi quibus paratur vita sempiterna, necesse est*, inquit Augustinus, *ut hic flagellentur* : Non vis flagellum ? Non

Psalm. 37. vers. 18. Actor. c. 21. vers. 13.

Aug. to. 8. in psal. 37. mihi pag. 131.

A tibi datur hæreditas. Omnis enim filius necesse est ut flagelletur. Vsque adeo omnis flagellatur, ut nec illi pepercerit qui peccatum non habuit. *Si flagellantur filii, quid debent sperare servi nequissimi ?* *Et in ps. 93. pag. 432.*

En deses equus cùm excitâ excitatur, en vestis à pulveribus inter verbera purgatur, en arbor percussa copiosiorem mucum segetem proferre solet : haud sanè dissimili modo & nos ad frugem erudimur verberibus. Plagæ jubent sapere : & quæ nocent, docent. Gaudeat ergo Christianus in adversis, quia aut probatur, si justus est : aut si peccator est, emendatur. Timeat quem Deus corrigere non vult in sæculo, quia eum supplicio destinavit post sæculum. *Aug. to. 10. serm. 20. in Appendice, mihi pag. 655. & seq.*

Par est igitur ut magistrum optimum difficilia etiam docentem audiamus. Convenit ut grati simus tam amanti medico pro remediis etiam austerioribus. Non semper juvant lenia. In flumen alicui cecidisse frigore magno, caussa sanitatis fuit ; quorumdam quartana febris discussa est flagellis, & metus repentinus animum in aliam curam avertendo suspectas horas fefellit, quasi non vocaverit ei vacare morbo. *Et quam multos militiæ morbus eripuit ? Quosdam, ne ad ruinam domus suæ occurrerent, atrox tempestas detinuit ; quidam, ne in piratarum manus pervenirent, naufragio consecuti sunt.* Ita innumeros ad cœlum exuit dejectio & calamitas. Quâ de re prisci Patres sapienter & præclarè, sed omnium præclarissimè, quem dixi, Hipponensis Præsul Augustinus, qui hoc ipsum identidem auditorum suorum auribus instillans, divinè de hoc disserit locis compluribus. *Seneca l. 6. de benef. cap. 9.*

§. VII.

ET re hominum ullus Dei flagellantis manum cedere ? *Quod pateris*, inquit Augustinus, *inde plangis, medicina est, non pœna ; castigatio est, non damnatio. Noli repellere flagellum, si non vis repelli ab hæreditate. Noli attendere quam pœnam habeas in flagello, sed quem locum in testamento. Quoniam quem diligit Deus, corripit ; flagellat autem omnem filium quem recipit. Ille flagellatum recipit, tu dicis quia repellit ? Videamus homines in filiis suis facere illud : aliquando jam desperatos filios dimittunt vivere quemodo volunt. Eos qui spem habent, flagellant : illos verò quos omnino viderint sine spe & indomitos esse, dimittunt ut faciant quod volunt. Iam quem dimittit pater facere quod vult, non vult admittere ad hæreditatem suam, eum autem flagellat filium, cui ipsam hæreditatem servat.* Talis ergo filius, *non sit tam vano sensu & puerili, ut dicat : Plus amat pater meus fratrem meum, cui permittit facere quod vult : ego si me movero contra jussionem patris mei, flagella invenio. Tu gaude sub flagellis : quia tibi servatur hæreditas : quia* non repellet Dominus plebem suam. *Ad tempus emendat, non in æternum damnat. Illis autem ad tempus parcit ; in æternum illos damnabit. Elige tibi ; temporalem vis laborem, an sempiternam pœnam ? temporalè felicitatem, an sempiternam vitam ? Quid minatur Deus ? Sempiternam pœnam. Quid promittit Deus ? sempiternam requiem. In quo flagellat Deus bonos, temporale est : in quo parcit malis, temporale est : Quòd si Deus flagellat omnem filium quem recipit, sine dubio, quem non flagellat, non recipit. Si flagellari detrectas, recipi quare desideras ? Flagellat omnem filium : flagellat omnem, qui & unico non pepercit : Sit itaque manus paterna super te, & si filius bonus es, noli repellere disciplinam patris tui. Quis est enim filius, cui non dat disciplinam pater ejus ? det disciplinam, dum non auferat misericordiam, cædat contumacem, dum tamen reddat hæreditatem. Tu si promissa patris bene agnovisti, non timeas flagellari, sed exhæredari. Peccator filius dedignatur flagellari, cùm sine peccato videat unicum flagellatum ? Ergo unusquisque pro peccatis suis necessariò flagellatur, sed ab eo si Christianus est, Dei misericordia non dispergitur. Planè si in tãtas ieris iniquitates, ut repellas à te virgem verberãtis, si repellas manum flagellantis, & de disciplinâ Dei indigneris, & fugias à parente cædente & nolis eum verberantem patrem pati, quia non parcit peccanti, tu te alienasti*

Aug. to. 8. in ps. 103. mihi pag. 478. & in ps. 91. post med. p. 419. Aug. to. 8. in ps. 93. post med. mihi pag. 430.

Psalm. 93. vers. 14.

Tom. 10. serm. 105. de tempore, p. 294. & to. 8. in ps. 79. 162. Eod. tom. in ps. 88. pag. 401. & 402.

ab hære-

ab hæreditate, ipse te non abjecit: nam si maneres flagellatus, non maneres exhæredatus. Misericordiam, *inquit*, meam, non dispergam ab eo, neque nocebo in veritate meâ. *Ab hoc enim dispergetur misericordia liberantis, ut non noceat veritas vindicantis.*

Psal. 88. vers. 34.

In flagellis animo nō cadendū, quia flagellum est medicamentum peccati. Aug. to. 5. l. 1. de civ. c. 8. initio. & to. 8. in ps 93. & to. 4. l. 83. quæst. q. 82. mihi pag. 262.

Ergo (quod sæpius, quòd opportunè ac importunè inculcandum) Ergo mi Christiane, cùm in varia præcipitaris mala, ne turberis, nè cadas animo, neque indigneris, & vel Augustino hoc crede: *Flagellum contra peccata est medicamentum: flagellum Dei ad patientiam erudit bonos. Deus ad tempus emendat, non in æternum damnat. Nec ulla causa*, inquit Augustinus, *probabilior occurrit, cur justi homines laborent plerunque in hac vitâ, nisi quia hoc eis expedit.* Ita omnino est; quæ nocent, docent.

CAPVT VI.

Afflictio, & crux omnis à Deo est, à quocunque demum illa nobis imponatur.

Epiphan. & Athanasius à presbyteris Achaiæ scripta.

IN gymnasio Patientiæ docilis supra modum discipulus fuit beatus Andreas Apostolus. Nullus unquam discipulorum tam discendi avidus ad scholam itavit, quàm hic patiendi cupidus ad crucem properavit: *O bona crux*, ait, *diu desiderata, sollicitè amata, sine intermissione quæsita, & jam concupiscenti animo præparata: securus & gaudens venio ad te: suscipe me ab hominibus, & redde me magistro meo, ut per te me recipiat, qui per te moriens me redemit.*

Greg. ho. 5. in Evang.

Miratur Gregorius, Petrum & Andream tam in sequendo Christo celeres, tam in patiendo propter Christum ferventes: *Nos*, ait, *quos flagellus affligitur, quantis minarum asperitatibus deterreniur, & tamen vocantem sequi contemnimus. Ab amore præsentis sæculi nec præceptis flectimur, nec verberibus emendamur.* Hem, indociles discipuli, qui in infimis gymnasii rudimentis hallucinantur. Aristotelis scitum est: *Discentem oportet credere.* In Patientiæ gymnasio pænè omnium prima prælectio est, hoc ipsum, *Discentem oportet credere.* Nemo suaviter, nemo expeditè, nemo utiliter discit, qui non promptissimè credit. Quid ergo credendum? Omnem afflictionem, miserias omnes, omnem omnino crucem à Deo esse, à quocunque hominum ea huic illive imponatur. Atque hoc jam docebimus, DEVM omnis pœnæ, omnisque afflictionis & mali esse auctorem. Neminem (quod jure præmonemus) hoc dictum offendat: DEVM, omnis mali, sed nullius peccati auctorem asserimus, idque jam copiosiùs eam ob caussam exponemus, quod hoc fundamento universa Patientiæ disciplina nitatur.

Fides in Patientiæ gymnasio necessaria est.

§. I.

PEtrus velut strenuus sui Domini propugnator, ut Christum ad Olivarū colles defenderet, gladium strinxit & Pontificis servum auriculâ mutilavit. At illi mox Dominus: *Mitte*, inquit, *gladium tuum in vaginam. Calicem, quem dedit mihi Pater, non vis ut bibam illum?* Quid hîc ais, Domine, quid culpam in Patrem derivas? Calicem hunc longè quàm amarissimum, an non discipulus tuus Iscariotes, an nō eum Annas & Caiphas, an non hunc ipsum Herodes & Pilatus miscuerūt? Hi quinque pharmacopei merū absinthium, meram aloën, fel merissimum incoxerunt huic pharmaco, ab illis hic calix est. Quid ergo (dixerit Petrus) quid loqueris hîc Domine? *Calicem quem dedit mihi pater.* Audi sis, mi Petre: Hic calix ab amantissimâ manu mihi venit. Non licet hîc nolle bibere; Pater propinat. Et quamvis multa sint quæ hunc calicem commendent, humanæ gentis reparatio, infe-

Ioan. c. 18. vers. 11.

Calicem Domini multa cō-

A rorum expugnatio, cælestis curiæ augmentum; ante omnia tamen calicem hunc reddit commendatissimum *Paterna manus*: ab illa est amarus, sed innumeris profuturus hic potus. Sic omnino est: Nullus mortalium nec spinula Christum potuisset lædere, nisi æterna Patris Providentia & Sapientia id decrevisset, voluissetque à Christo tam immania tolerari. Ipsemet Servator: *Sicut*, ait, *mandatum dedit mihi Pater, sic facio.* Et, *Nonne sic oportebat Christum pati?*

mendabant, sed paterna manus reddit commendatissimum. Ioan. c. 14. vers 31. Luc. c. 24. v. 26. & 46.

Quisquis vim hujus argumenti capit, quisquis afflictionum suarum omnium auctorem Deum agnoscit, & toto id animo credit Deum ab æterno voluisse, & etiamnum certissimò velle, ut patiatur id omne quod patitur, hic sanè in ærumnis etiam gravissimis Dei Voluntatem amplectetur, divinam manum osculabitur, dicetque: Hoc omne quod patior, à Dei manu est, à Deo auctore est: igitur & promptè & placidè patiendum est. Hic talis, hac veritate imbutus, nullis unquam miseriis (exploratè affirmo) calamitatibus nullis succumbet. Neque enim adeo ingratum esse poterit, quod tam grata obtulerit manus.

Qui credit afflictionē à Deo immitti nullis calamitatibus succūbet.

De Christo patiente Ioannes commemorat: *Et bajulans sibi crucem exivit in eum, qui dicitur, Calvariæ locum.* Sibi bajulans, amplexus est crucem; quod ab hoc magistro didicit Andreas discipulus.

Ioan. c. 19. vers. 17.

Cui princeps litteras aliudve porrigit, is litteras osculatur, quamvis fortasse sint mordacissimæ; ita & Christus crucem à Patre traditam complexus est; ita & Iobus dixit, *Dominus dedit.* Sed videris errasse virorum optime, nam hoc tam amplum patrimonium jam perditum à parentibus accepisti, has opes tuâ industriâ congessisti, tantum pecoris tuopte ingenio acquisisti. Non erro, ait Iob, neque industria mea, neque parentes mei, neque meum mihi hæc ingenium, sed Dominus dedit, qui vel ideo etiam hæc omnia jure suo abstulit, quia dedit. Itane, *Dominus abstulit?* hoc quidem injuriosè in DEVM videtur dici. Nam pecus omne Chaldæi & Sabæi abegerunt: aut, si mali originem spectemus, Satanas rapuit hæc omnia; nam ille ignem præcipitavit cælo, ille ventos excitavit, ille hostes ad rapiendum instigavit, ille domum solo æquavit; revera Satanas hæc omnia fecit. Ergo & Satanas abstulit hæc omnia. Sed in priore sententiâ perseverat Iobus, & vel millies repetit: Dominus abstulit, Dominus abstulit, ille ipse Dominus qui dedit: Non Sabæi, non Satanas, non Chaldæi abstulerunt, sed Dominus abstulit, idque meritò, quia dedit. Nam nisi Dominus sciens & volens hanc Satanæ potestatem fecisset, nemo mihi vel flosculum ovillæ lanæ rapuisset. Ergo Dominus abstulit, nam quod quis nutu impedire potest, sciens tamen volénsque non impedit, id certè vult. Sic nulla prorsus afflictio, nulla tentatio, nullum malum, calamitas nulla est quæ non sit à Deo, Deique providentiâ & voluntate.

Vide quæso, mi Lector, Heliotropium meum, l. 1. c. 1. & 2. & l. 5. c. ultim. Iob c. 1. vers. 21.

§. II.

CHristus quadragintadiale jejunium inchoaturus ducitur à Spiritu ut tentetur. Ita Matthæus: *Tunc Iesus*, inquit, *ductus est in desertum à Spiritu ut tentaretur à diabolo.* Spiritus divinus Christum ad omnia ducebat, ad precationes, ad colloquia, ad conciones, ad miracula; singulariter tamen à Spiritu duci narratur, ut tentetur. Quid hîc aliud oracula cælestia loquuntur, quàm homines Deo charissimos ad crucem, velut velatis oculis duci. Luminibus, inquam, plerunque obligatis ducimur, alioqui ad hoc macellum velut furiosi tauri ægerrimè pertrahendi. En ergo filius Dei ad certaminis locū ducitur, ut impugnetur. Quæ igitur illę sunt voces nostræ: Diabolus hunc hominem advexit, hoc mihi diabolus infortuniū curavit,

Matth. c. 4. vers. 1.

Homines Deo charissimi ad crucē ducuntur.

Satanas hoc in me fulmen dejecit. Erramus, ô fatui, erramus : stultæ sunt hæ voces, & impiæ ; sic emendandæ : Dominus elevexit, Dominus curavit; Dominus dejecit ; nam Dominus fecit hæc omnia.

Judic. c. 6. v. 12. & 13. Cùm Gedeon frumentum perticis flagellaret, Angelus ei assistens : *Dominus tecum*, inquit, *virorum fortissime*. Mox obducens Gedeon : *Obsecro mi Domine*, inquit, *si Dominus nobiscum est, quomodo apprehenderunt nos hæc omnia ? Vbi sunt mirabilia ejus quæ narrarunt patres nostri ? Nunc autem dereliquit nos Dominus.* Eo enim tempore à Madianitis Hebræi miserè opprimebantur. Et ut humana ignorantia ridiculè & absurdè philosophetur : Si Dominus nobiscum est, quomodo nobis tam malè est ? Quasi verò hæc calamitatum mala non æquè à Deo sint, atque felicissimi successus ? Idcirco *Ibid. v. 14.* Angelus *Vade*, inquit, *in fortitudine tuâ & liberabis Israël de manu Madian.* Perinde si diceret : Sciâ DEVM à B populo suo non penitus recessisse, licet in eum hostes immiserit. Tentat vos DEVS, & vestrum in se amorem explorat.

Vt nostrâ in se fiduciam extimulet.

Ita prorsus morbum in nos DEVS, & mille incommoda immittit, ut nostram in se fiduciam extimulet, ut nosipsi nobis notiores fiamus. Sicut autem hosti, sic & morbo resistere licet (modò remediis non illicitis id fiat) cùm nesciamus quamdiu nos DEVS in morbo esse velit. Si captivo carcer pateat, cur non exeat ? hoc non est carcerem effringere, sed oblatum beneficium non respuere.

Et quemadmodum centum aut ducentos captivos catenis ergastularius unicus facilè compescit ; nullus captivorum erumpet, licet vel Dædali alas habeat. Si quis verò catenam lima solvat, carceris fores moliatur ; & evolet, non unus solùm sed agmen lictorum insequitur, si fortè reprehendi possit è fugâ qui evasit.

Qui tentantur inter captivos diaboli numerandi non sunt.

Ita planè & hîc ratiocinandum : Quos cacodæmones C insequuntur, quos tentant, quos vexant & exagitant, ii certè inter cacodæmonis captivos numerandi non sunt. Ille vinctus, captivus ille est, quem Luxuria, quem Invidia, quem Avaritia, quem Superbia vinculis adstrinxit. Hos tales cacodæmon non insequitur, hos velut suos securè possidet. Vbi horum aliquis revellere carcerem & erumpere conatur, mox Satânam & omnes satanæ satellites sentit adversarios, hunc hominum malorum plurimi persequuntur, hunc exagitant. Cuinam igitur hoc malum omen videatur, multos pati vexatores, complures numerare hostes ; cùm *2. Tim. c. 3. vers. 12.* certissimum sit : *Omnes qui volunt piè vivere in Christo Iesu persecutionem passuros.*

Ægyptius Rex Pharao Hebræis juratò minatus *Exod. c. 15. vers. 9.* est : *Persequar & comprehendam.* Hoc profectò non dixerat, cùm eos luto mersos, & variè fatigatos, sed cùm in fugam effusos cerneret. Idem hoc & hostes nostri faciunt : cùm vitiorum luto mergimur, vix ullis in nos arma expediunt ; cùm salutem fugâ quærimus, D hostilibus nos incursionibus, saltem terrere nituntur. *Eccli. c. 2. vers. 1.* Eam ob caussam Siracides prænoscens : *Fili*, ait, *accedens ad servitutem Dei, sta in justitiâ & timore, & præpara animam tuam ad tentationem.* Vis Patientiæ gymnasium adire ? Non ad quietem, non ad otium, non ad jucundam sessionem, sed ad plurimam tentationem teipsum instrue. An nescis ? ii qui in gladiatorio, in equestri, in luctatorio, iis militari ludo exercentur, non sanè in molli pulvillo cum libello collocantur ; sed huic quidem lanista ipse vulnus infligit, hunc equus excutit, hunc equiso dejicit, istum antagonista sternit : hic infelici saltu crus frangit, ille luctando brachium luxat, huic caput rude contunditur, huic capulo dens eliditur, huic oculos hastili excluditur : omne genus incommodorum & vulnerum hîc tolerandum est.

Ne quæso alia, ne meliora in Patientiæ gymnasio A expectemus : non hîc quies, non otium, non sessio cogitanda : & quemadmodum in illis quos dixi, equestribus, gladiatoriis, militaribus gymnasiis ipsi magistri suos tirones & verberant & vulnerant : ita in gymnasio Patientiæ, omnis dolor & pœna, malum omne ab ipso gymnasii rectore, à Deo est. Et ideo, *præpara animam tuam ad tentationem.* Non solùm benigna, felix, candida, & bona, sed etiam infelix, atra, infamis, & infausta dies à Deo est. Quod Ecclesiastes apertissimè pronuntians : *Sicut* enim *hanc*, inquit, *sic & illam fecit Deus, ut non inveniat homo contra eum justas querimonias.* Deus enim consultò voluit, diem candidam, atræ, secundis adversa apponere, & alterius vim atque acrimoniam permixtione alterius retundere, quo hominum morbis & moribus salubrior fieret medicina. Propterea, *In die bonorum, ne immemor sis malorum ; & in die malorum ne immemor sis bonorum. Memento paupertatis in tempore abundantiæ, & necessitatum paupertatis in die divitiarum. A mane usque ad vesperam immutabitur tempus, & hæc omnia citata in oculis Dei.*

Loc. cit.

Eccles. c. 7. vers. 15.

Eccli. c. 11. vers. 27. Eccli. c. 18. v. 25. & 26.

Attentissimè igitur contemplemur, adversa nobis omnia provenire à supremo & equissimo judice Deo. Non ergo ærumnarum nostrarum causssam in non causssam referamus, *quia neque ab Oriente, neque ab Occidente, neque à desertis montibus ærumnæ veniunt, quoniam Deus judex est ; hunc humiliat, & hunc exaltat : quia calix in manu Domini vini meri plenus misto. Et inclinavit ex hoc in hoc : verumtamen fæx ejus non est exinanita : bibent omnes peccatores terræ.*

Psalm. 74. v. 7. 8. & 9.

Videte, Christiani, & animo penitissimo documenta hæc inscribit. Hunc solatur DEVS, hunc affligit. Miseriarum omnium & afflictionum calix in manu Dei est. Dominicus hic calix vino mero meraco, sed tamen misto plenus est. Neque enim unius sed diversi generis vinum huic calici est infusum. Vinum nobile, cùm non aquâ sed vino nobiliore miscetur, ingêtium fit virium. Ita vindicans Dei justitia varietate & multitudine pœnarum, velut diversis vini generibus abundat. Multi hominum ærumnas non solùm magnas, sed & diversas perpetiuntur : his sanè vinum meracum, & tamen, quo dixi modo mistum propinatur. Sed bono sint animo ; omnia etiamnum tolerabilia sunt & levia. Nam inclinat DEVS ex hoc ; modò huic, modò illi, jam Ioanni, jam Petro, jam Iacobo calicem suum propinat : honorarius hic calix ad omnes transit ; omnibus bibendum est, plus minúsve, prout Domino placuit ab æterno ; omnibus & singulis illud occinitur : *Aut bibe, aut abi.*

Calix afflictionum in manu Dei est.

Et omnibus hominibus illum propinat.

Hîc autem summo sit solatio, neminem (hoc quidem tempore) ad ebibendas fæces adigi : *fæx ejus non est exinanita.* Gravissima vindicantis justitiæ supplicia in supremi judicii diem servantur : Tunc, *Bibent omnes peccatores terræ.* Quidquid nunc patimur, *momentaneum & levis tribulationis nostræ*, ludus & jocus videri debet, ad illas amaritudinum fæces, quas improbis semper bibendas, nunquam ebibendas divinus furor ingeret æternùm. Nunc, ô Christiani, caliculos amariores læti perhauriamus, ; modò à forbendis fæcibus immunes simus. Poculo, quod plerique horremus, vinum dominicum propinatur ; calix quem aversamur, in Domini manu est ; omnium pœnarum & calamitatum Deus auctor est.

2. Cor. c. 4. vers. 17.

§. IV.

ATque ut fundamento veritatis nitamur, audiamus objectus ; est qui quærat : Si Deus malorum & pœnarum omnium auctor est, nûquid & peccatorum ? Nam meus hic inimicus mentiendo ; & conviciando in extremam me perniciem dedit, rem meam contra fas omne diripuit, nomen meû nequissimis calumniis laceravit, meipsum cochleari, si possit, submer-

Deus est bonorum & malorũ auctor. Eccli. c. 15. vers. 21.

submersurus. Num Deus horum est auctor? Est, mi homo, est auctor horum: non quod illi Deus mentiri & calumniari præceperit: *Nemini*, Deus, inquit Siracides, *mandavit impiè agere, & nemini dedit spatium peccandi.* Sed ajo ampliùs, si injurias, quibus ille te affecit, præceptas illi à Deo dicerem, num dicerem male? Ita planè sanctissimus rex David loquitur. Nam cùm illum improbissimus Semei verbis & maledictis, imò & saxis peteret, essentque in comitatu regio, qui linguam teterrimam ferro claudendam dicerent, Rex publicè suis omnibus edicens: *Dimittite eum*, inquit, *ut* 2. Reg. c. 16. vers. 10. *maledicat; Dominus enim præcepit ei ut malediceret David; Et quis est, qui audeat dicere, quare sic fecerit?* Num ergo Semei nihil hîc deliquit? Imò verò deliquit grauissimè. Hîc quæso animum advertite, & sua veritati constabit fides.

Cùm regum sapientissimus David, nebulonem illum Semei solum, & inermem cerneret, nihilominus B tam intrepidè támque constanter in se calumnias jactantem audiret, mox in eam sententiam venit primam injuriæ illius originem, non à Semei, sed à Deo manare, qui tam improbi hominis maledicẽtiam in sui supplicium & pœnam destinasset. Quonam igitur modo DEVS illi hoc præcepit?

Duo sunt in quovis peccato.

Adhibite animum, & rem cognoscite. Duo sunt in quovis peccato: Primum est, naturalis motus corporis, aut voluntatis, aut simul utriusque. Alterum est, ipsa legis transgressio. Exempli gratia: frater fratrem calumniatur, civis civem occidit, miles domum incendit, fur mille philippeos aufert. Hîc linguæ motus, letalis ictus, ignis injectio, pecuniæ asportatio, Deo fiunt adjuvante, nam actiones naturales sunt, quæ fieri nisi opitulante Deo non possunt. Atque hoc primum illud est in omni peccato spectandum, quod certè DEVM habet adjutorem. Illud verò alterum, ipsissima peccati natura est, cùm ejusce modi naturalis actio C contra rationem, contra conscientiam, contra divinam legem fit, & hoc Deus non vult, non jubet: nihilominus perversam hominis volũtatem, seu legis transgressionem & peccatum ordinat Deus in alterius pœnam, aut admonitionem, aut emendationem, seu meritum amplius. Itaque auctor est Deus, ut *res fias*; cùm *malè fit*, providentissimus est ordinator.

Quid in peccato spectandum.

Sic DEVS Semei verba proferentem, lutum & saxa jacientem adjuvit (hæc enim naturales motus sunt) quatenus autem Semei malevolentissimam voluntatem in suum regem exercuit, eatenus illam DEVS non adjuvit, sed certè ordinavit in optimum finem, ut his calumniis peccata Davidis punirentur, ejusdem etiam patientia & submissio exercerentur.

Atque hoc in omnibus omnino peccatis, in injuriis omnibus videre est. Malum *Culpæ* Deus tolerat, & malum *Pœnæ* ordinat in finem optimum, ad augenda merita, ad punienda peccata. Hinc famem, bella, pestem, eluviones, incendia, deprædationes, injurias, iniustitias, ingentia scelera permittit, eáque simul ita disponit, ut per hæc ipsa mala suam ille Bonitatem & Iustitiam, Gloriam & Potentiam suam magis magisq; Orbe patefaciat. Hac ratione DEVS malorum seu pœnarum omnium auctor est. Cujus rei testem Veritatem ipsam statuimus.

Deut. c. 32. vers. 23. Num. c. 11. vers. 11.

Hebræis Deus offensiõr: *Congregabo*, inquit, *super eos mala, & sagittas meas complebo in eis. Ecce ego inducam super eos mala, de quibus exire non poterunt.* En, Deus nos malis onerat, Deus sagittis suis nos vulnerat. At nos tã infantes sumus, telis & jaculis iracimur; quis telum & jaculum mittat, non attendimus: Ita pictor, cùm ars non respondet penicillo indignatur, ita scriba calamo, faber malleo, figulus luto culpam impingit, cùm opus non succedit; ita nos obtrectatores & æmulos, velut malorum nostrorum causam accusamus: sed erramus largitèr; non penicillus, sed pictor; non calamus, sed scriba, scripturæ & picturæ sunt auctores. Longè rectiùs hac in re Iobus sentiens: *Manus Domini*, ait, *tetigit me*: Non Chaldæorum, non Sabæorum, non hostium aliorum, sed Domini manus me dejecit. Iob c. 19. vers. 21.

§. V.

ECquid hîc dubitamus? Siracidâ teste, *Bona & mala, vita & mors, paupertas & honestas à Deo sunt.* Hoc ipsum loculentè asserens Michæas: *Quia descendit malum à Domino*, inquit, *in portam Hierusalem.* Et ut cautiores redderet quos monuerat: *Ecce cogito*, inquit, *super familiam istam malum.* Nec aliter Amos: Et ubi tenique *malum erit quod Dominus non fecerit?* Atque ut exactissimè noverimus, hæc omnia pœnarum mala, & innumeros puniendi modos à Deo divináque Voluntate oriri, in memoriam reducamus, quoties Deus minimis animalculis hostes suos gloriosiùs longè quàm maximis exercitibus debellarit. Hic Dei mos est humanæ superbiæ coërcendæ, vermiculos, mures, pediculos, glires, alásque sordidissimas bestiolas immittere, quæ non quisquilias hominum, sed mitras, diademata, purpuras extinguant, quæ principes, reges, Cæsares triumphent. Ita muscas, simices, vespas, culices, ranas, cynipes, locustas velut in aciem educit, & totas his agminibus terras, totos populos subvertit. Eccli. c. 11. vers. 14. Mich. c. 1. vers. 12. 2. Reg. c. 24. vers. 17. Amos c. 3. vers. 6.

Sapientia clamat: *Misisti antecessores exercitus tui vespas, ut illos paullatim exterminarent.* Regũ fasti testantur: *Et ebullierunt villæ & agri, & nati sunt mures, & facta est confusio mortis magna in civitate.* Sap. c. 12. vers. 8. 1. Reg. c. 5. vers. 6.

Genebrardus Regem nominat quem mures cum conjuge depasti sunt, quod nepotes sibi commissos veneno sustulisset. Cuniculi urbem Hispaniæ, talpæ urbem Macedoniæ, teste Plinio, devastarunt. Cùm ille Christiani sanguinis sitientissimus Rex Persarum Sapor Nisibin civitatem obsidione premeret, Iacobus Nisibita Præsul, non multum, sed cicicum atque cyniphum exercitus à cælo exoravit. Hæc animalcula potentiùs in hostem, quàm Xerxis copiæ pugnarunt, nam cùm equorum & elephantorum aures, proboscides, nares à bestiolis illis assiduè fodicarentur, jumenta efferata, abruptis frenis, præcipiti fugâ eruperunt. Rex inops consilii re infectâ domum se recepit. Genebr. anno 790. Plin. l. 8. nat. hist. c. 29. Baron. to. 3. Annal. anno 338. à Theodorete.

Haud aliter accidit cùm Carolus Siciliæ, Philippus Rex Galliæ Gerundam Hispaniæ civitatem occupassent, militum impietas nec templis, nec sacris lipsanis, nec sepulchris pepercit. Cúmque jam divi Narcissi quoque tumulo vis inferretur, muscarum ingens examen provolavit, tantaque clade exercitum affecit, ut omnes effusè fugere sint coacti. Hodiéque Hispanis proverbium est: *Sancti Narcissi muscas lacessere.* Quis tantas vires tantillis bestiolis subministravit? Cladium & calamitatum omnium auctor DEVS. Omne hoc malum à Deo est.

Quomodo Deus possit esse causa nostri mali, quod per nosipsos evenit.

Sed objicias: Quid si morbus me infestet, quem ab intemperantiâ nimióque cibo, vel potu provenire certò sciam, quâ ratione hoc malum Deo adscribam, cujus ego ipse causa sum? hic quidem morbus grandis mihi afflictio est, sed num is à Deo est? Est. Deo, est planissimè. Nam Deus ab æterno te flagellare decrevit: pro flagello tuam arripuit intemperantiam, quam æquè ab æterno prævidit. Ita Deus te flagro cædit, sed tu ei lora præbuisti ad conficiendum hoc flagrum: In morbo te Deus esse vult, sed pro causâ seu instrumẽto morbi tuâ ipsius intemperantiâ utitur: Ita Deus alium injuriis vult affici; inimicum illius ut instrumentum adhibet. Eadem in omnibus aliis ratio est.

Quid tu jam, quid ille alius habetis contra hîscere? Quid refert sive in tuâ, sive in alienâ culinâ discas coquere, modò discas? quod si alieno damno sapere non

non incipias, quid ægrè fers, si demum sapias tuo? Animum ergo ad patientiam compone: Tuarum, & omnium in Orbe afflictionum auctor est Deus: Sicut Domino placuit, ita factum est, ita fit, ita fiet, ita optimè fiet. Noli timere; nec unicus quidem tui capitis capillus defluet, quin Deus id præviderit & voluerit.

Aug. ser. 4. de fest. mar. *Ecquid tibi deerit, si membra tua dilaceret inimicus, quando capillos tuos numerat Deus?* Pharmacum, quod Pater porrigit, exhauri; quisquis Pharmacopæus fuerit: Calicem quem tibi Deus propinat, ebibe; quisquis famulorum illum infuderit. Quidquid ferendum est, tamdiu patienter feras, quamdiu Deus te illud ferre voluerit. Hîc verus in Patientiæ gymnasio profectus est, hæc via ad vitam.

§. VI.

SEd adhûc reluctaris & clamas: Ergône mei me cognati vexent? ergone mihi insultent ii, quos beneficiis ornavi? Sic meus mecum dominus agat, cui tot annis tam fideliter inservii? Itáne depressum me eant mediastini & hominum vilissimi? quis hoc ferat? O te albæ mentis hominem, & nimis quàm rudem! etiam prima sacri gymnasii principia ignoras? An nescis illud? *Non est verus patiens qui pati non vult, nisi quantum sibi visum fuerit, & à quo sibi placuerit.* Talis exceptio non toleratur in Patientiæ gymnasio. *Kmit. Christi l. 3. c. 19. num. 3.* Apage hinc istas voces: Patiar hoc, sed non ab isto, aut illo condiscipulo. Quem tibi præceptor assignaverit hunc tolerabis.

Mos est in scholis, decuriones è discipulis jubere, qui in ceteros potestatis aliquid habeat. Quod si puerorum quispiam contumacior decurioni recitare, aut scriptionem dare nolit, mox fronte seriâ magister: Quid tu superbule, vis cristas tollere, mox ponas faxo: huic condiscipulo tuo recita, huic scriptionem da: aut sceptri mei senties iracundiam.

In Patientiæ gymnasio Christus ejusdem moris retinens vult alterum alteri subesse, imò alterum ab asscro etiam castigari, sed tamen ad sui nutus dictamen. Hîc nos superbuli, exceptionibus plurimis uti solemus. Volumus recitare, sed non huic; scriptionem dare volumus, sed non isti; volumus emendari, sed non ab illo; crucis esse bajuli non recusamus, modò eam hic nebulo non fabricet, modò illam hic veterator non imponat. Quid hoc? quæ ista insolentia est? tantos sibi spiritus sumere, & condiscipulis nolle se subjicere? Hos mores præceptor non tolerat. Crux ferenda est, à quocunque fabricetur aut imponatur. Homo nequissimus potest esse crucis utilissimæ faber. *Joan. 21. vers. 22.* *Quid ad te? tu me sequere*, ait Christus.

Simon Cyrenensis crucem constanter usque in supremum montem Golgotha defert: non excipit, non reclamat; subdit humeros, imperia capessit alacris, quibus in eum jus nullum imperandi. Et quis erat Semei? seditiosus trifur, bipedum nequissimus; DEVS tamen voluit, ut hic ipse potentissimo, sed & sanctissimo regi crucem imponeret ponderosissimam. Et videte: Rex David facinorosum hunc hominem, suum agnoscit condiscipulum, imò decurionem suum, à magistro constitutum: huic recitat, huic sese submittit.

Et quales, obsecro, decuriones erant in hoc gymnasio, Attila, Tamerlanes, Totila? Præceptor illos constituit, his erat recitandum. Tu Attila ab Orbe extremo advola, sitiens sanguinis & prædæ; rape, cæde, ure, vasta. Sævitia hæc Præceptori Deo militabit; nec aliud quàm excitatio Christianorum erit, qui vitiis aut delitiis immersi & sepulti.

Quid vos duo Vespasiani? Iudæam Iudæósque perdite, capite, & exscindite urbem sacram. Quo fine? Vos quidem gloriæ & propagandi imperii vestri gratia movetis arma: Sed erratis, revera lictores & satelA lites divinæ ultionis estis in impiam gentem, quæ felicitatem suam concoquere non potuit, nisi Neronianis his thermis adjuta. Ite ergo principes Romani, & qui Christianos Romæ jugulatis, Christi mortem in Iudæâ vel insci vindicate.

Eadem prorsus ratio est cum omnibus inimicis nostris, qui me, qui te, mi Christiane, qui hos & istos, injuriis premunt aut invidiâ. Nos quidem ægrè ferimus, & querimur tales à Deo condiscipulos admitti, tales decuriones eligi, qui famæ, bonis, vitæ nostræ insidientur, qui nos perditos velint.

Sed ô cæci! cogitationes & judicia nostra plurimum errant. Quid enim refert, etiamsi nos illi velint perditos? Deus aliter longè cogitat. Ægypti Prorex Iosephus coram fratribus suis multum trepidantibus clarissimè id pronuntians: *Vos*, inquit, *cogitastis de me malum, sed Deus vertit illud in bonum.* Num DEI possumus resistere voluntati? *Gen. c. 50. vers. 20.*

§. VII.

SEd cur, inquies, mala rum operâ Deus vtitur? cur ipse non immittit clades? aut saltem per bonos administros? Quid hæc curioris curiose homo? Constabit Deo vtique facti sui ratio, etsi nobis de eâ nil constet. Pater in magnâ familiâ, interdum filium ipse castigat, est, cùm servo id munus mandat aut pædagogo. Hoc & præceptor in scholâ facit: aut ipse sontem cædit, aut alteri cædendum tradit. Cur Deo non idem jus sit? Cur non ipse, cùm ei visum, suâ manu nos verberet; cùm aliter visum, alienâ? Nihil hîc injuriæ est. At servus ille iratus tibi est, & animum adfert nocendi? Nihil refert. Tu illo omisso ad animum respice jubentis. Pater enim exactor adstat; & nec unam quidem plagulam tibi superaddi sinet ultra præscriptum.

Ita magistratus reum capite plecti jubet: hunc ipsum hominem carnifex cane pejus & angue odit, malétque illum cadente forcipe lacerare, quàm uno ictu sternere. Sed quia jussa magistratus exequenda sunt, caput illi decutit, non sine ingenti voluptate. Quid huic homini, obsecro, carnificis odium nocuit? non plus quàm si eundem ardentissimè amasset, caput illi ademit, prout magistratus jussit, & nec hilum amplius nocere potuit. Ita planè, ita planissimè omnes inimici nostri, quâvis extremè nos oderint, plus nobis nocere non potuerunt, quàm Deus illis sciens volénsque permiserit. Luculentissimè hîc commonens Augustinus: *Noli timere inimicum*, inquit, *tantum facit, quantum accepit potestatem. Eum time, qui quantum vult, tantum facit, & qui injustè nihil facit, & quidquid fecerit, justum est. Sæviant quantum voluerint, & quantum permissi fuerint peccatores: confirmat justos Dominus. Quidquid acciderit justo* (Notate hæc, obsecro, notate studiosissimè) *Quidquid acciderit justo, Voluntati divinæ deputet, non potestati inimici. Quid sibi ergo plaudit iniquus, quia flagellum de illo fecit pater meus? Illum assumit ad ministerium, me erudit ad patrimonium. Nec attendere debemus quantum permittat injustis, sed quantum servet justis. Facit hoc Deus, quod plerunque facit & homo. Aliquando iratus homo apprehendit virgam jacentem in medio, fortasse qualecunque sarmentum, cædit inde filium suum: ac deinde projicit sarmentum in ignem, & filio servat hæreditatem.* *Aug. to. 8. in psal. 61. propriùm fin. & in psal. 36. ser. 2. part. con. 2. mihi p. 316. & in psal. 33. pag. 329. & in psal. 93. pag. 433. & pag. 430.*

Sic Deus de hominibus malis exercet nos, & de illorum insecutionibus erudit nos. De malitiâ mali flagellatur bonus, & de servo emendatur filius. Sicut enim malis obest bonitas justorum, sic prodest iniquitas impiorum. Quod si cœperit tibi subrepere voluntas humana, dicens: O si occidat Deus inimicum istum meum, ut non me persequatur! O si posset fieri, ut non ab illo paterer tanta! Iam si perseveraveris, & hoc tibi placuerit, & vides, quia hoc non vult Deus, pravus corde es. Et qui sunt recti corde? Qui sic inveniuntur, quomodo inventus est Iob, qui *Iob c. 1. vers. 20.*

qui ait: Dominus dedit, Dominus abstulit: sicut Domino placuit, ita factum est; sit nomen Domini benedictum. *Ecce rectum cor.*

Hæc Augustinus sexcenties, millies, ter millies ingerenda vix tamen satis capientur ad imitationem. Ita omnino istum per illum castigat DEVS cæditque, dein virgas in ignem mittit. Ita Hebræos per regem Babylonis castigaturus: *Servient*, inquit, *omnes gentes istæ regi Babylonis septuaginta annis. Cúmque impleti fuerint septuaginta anni, visitabo super regem Babylonis*, quem velut sarmentum in ignem excutiam.

Jer. c. 25. v. 11. & 12.

Propterea omnes qui comedunt te (ô mi Christiane) *devorabuntur, & qui te vastant vastabuntur, cunctósque prædatores tuos dabit Deus in prædam.* Te autem à vulneribus tuis sanabit, & obducet tibi cicatricem, ut Iobo, quem hostes & extrema paupertas altero tanto ditiorem fecerunt. Tu tantùm longanimis expecta tam venturum tibi auxilium, quàm hostibus tuis, ni resipiscant, supplicium.

Idem. c. 30. vers. 16.

§. VIII.

Christus in passione cõvicia non regessit, sed pro crucifigẽtibus veniã petiit, ideo

SEd Iobo sanctiorem hîc sisto. Dei filius, Orbis Servator non ab Angelis, non à Matre crucifigi voluit, sed suam sibi crucem imponi, in crucem attolli ab idololatris sustinuit. Gens Hebræa ex omni gente selectissima, mille beneficiis ornata, instar filii unici amata, infamem hanc trabem benefactori suo reppendit: nec ille contradixit. Romani de cruentâ arbore illâ, Conditorem Mundi suspenderunt: nec illi restitit. Iam cruci affixum omne genus hominum, & ipse crucis socius conviciatus est: nec ille convicia regessit. Quid dico, convicia non regessit? Pro his ipsis & preces fudit, & iis veniam petiit. Hoc meritò Ecclesia tanti æstimat, ut annuam patientis Domini IESV memoriam, his potissimum verbis venerentur: *Respice, quæsumus Domine, super hanc familiam tuam, pro quâ Dominus noster Iesus Christus non dubitavit manibus tradi nocentium*, &c. Tolerabile videri potuisset, si Mater aut Angeli mortalium innocentissimum clavis confixissent ligno. Mater dixerit: Ego illi corpus de meo dedi corpore: Dixerint & Angeli: Nos illi ad cunas accinuimus, & necdum præmium accepimus: At verò impuros hoc idololatras, hoc gentem charissimam in suum Dominum moliri, & Dominum à suis hoc pati, veræ ad hostes patientiæ specimen est: *Non dubitavit manibus tradi nocentium.* Nemo se membrum dicat, qui suum hoc caput imitari neglexerit. Appositè Gregorius: *Cur*, inquit, *asperum creditur, ut à Deo homo toleret flagella pro malis, si tanta Deus ab omnibus pertulit mala pro bonis.*

Ecclesia annuam passionis Christi memoriã celebrat.

Greg. p. 3. pastoral. 13. admonit.

Interim nos nostri sensus & cerebri pertisitimus, fatuásque illas voces spargimus: Hic homo trabs oculis meis, fel meo stomacho est; modò hunc unum amoliri possem; modò nebulonis hujus sanguine calceos meos ungere liceret; quanti emerem sutorium hoc atramentum: nulla mihi quies est, quamdiu hic furcifer in oculis est. Heu voces impias, & sub Orcũ, è quo prodeunt, relegandas! in stolidè animi nostri seditionem æmulis nostris adscribimus. Error turpissimus. Contra hunc aureus orator disserens: *Quemadmodum*, inquit, *si corpus adamantinum haberemus, etsi innumeris undique telis peteremur, non tamen vulnera reciperemus: non enim à manu tela torquente, sed à corporibus patientibus vulnera fiunt. Sic & hîc non à petulantium insaniâ, sed ab imbecillitate contumeliæ patientium, injuriæ & contumeliæ constituuntur. Si enim philosophari sciamus, nec contumeliâ affici possumus, nec quidquam grave pati. Aliquis contumeliam intulit? si non sensisti, nec doluisti, non es injuriam passus, sed & magis percussisti, quàm percussus es.* Quid igitur inimicos & æmulos velut omnium miseriarum nostrarum causam accusamus? Culpa in nobis hæret: à nobis ipsis

Quæri in afflictione error turpissimus.

Chrys. to. 5. hom. 2. ad pop. Ant. fine.

A lædimur, quotiescunque lædimur. Verissimum est illud Ecclesiæ promissum: *Nulla nobis nocebit adversitas, si nulla nobis dominetur iniquitas.*

Quid verò mirum est in animo nostro tam nihil esse quietis, cùm in eo tam parum sit patientiæ & taciturnitatis? nec ingrata silentio, nec adversâ patientiâ possumus concoquere; undique intractabiles. Et tamen hanc omnem culpam in nostros adversarios derivamus; Si isti abessent, dicimus, sanctiores essemus. O ridiculi mortales! Si nos ipsi nobis non deessemus, adversariorum nostrorum nequitia, non tantùm non deteriores, sed longè probiores nos redderet. *Perditio tua Israël ex te*, non ex hostibus tuis; tibi tuam impatientiam imputa, non tuis adversariis.

Ose. c. 13. vers. 9.

Et quis est qui nobis noceat, si boni æmulatores fuerimus? Cygnea Chrysostomi vox jam in orbem nota est: *Nemo lædituri nisi à seipso.* Decii, Aureliani, Neronis, Domitiani, Diocletiani fortissimos heroas Vincentios, Sebastianos, Mauritios, Tiburtios, Georgios occidere potuerunt, lædere non potuerunt. Læsissent, si cælestes illis laureas rapuissent. Potuit Valerianus Laurentium craticulâ torquere, Christum illi & cælum extorquere non potuit; potuit Arrianus furor Athanasium terrâ mariq́ue persequi, sed lædere non potuit, cujus virtutem persequendo auxit, & illustravit.

1. Petr. c. 3. vers. 13.

B

Ultimum Chrys. opus ad Olympiadẽ to. 3. Operũ ejus.

Doctè Origines: *Ita*, inquit, *in hoc Mundo sunt omnia disposita, ut nihil prorsus otiosum sit apud Deum, etiamsi malum illud sit. Malitiam Deus non facit, tamen cum ab aliis inventam posit prohibere, non prohibet, sed eum ipsis à quibus habetur, utitur eâ ad causas necessarias.* Ita DEVS nullius peccati, pœnarum omnium auctor est: nec ab eo nos lædimur, sed bono nostro corrigimur.

Origenes hom. 23. in l. Num.

§. IX.

C HIc mihi Amanum & Mardochæum considerate: Aman regio favore insolens, magnificus, ferox, astra sibi visus est vertice ferire. *Cuncti servi regis flectebant genua, & adorabant Aman, sic enim præceperat eis Imperator.* Sic Aman velut gallus in suo sterquillinio plurimũ potuit, voluitque etiam à Mardochæo, perinde ut ab aliis adorari. Pone pileum, Iudæe, flecte genua, dextram suaviare, Amanum adora. Grave fuit Mardochæo, à se hoc exigi, quod salvâ religione illæsáque conscientiâ præstare non potuit: sive Amanus adu pictos in veste Deos gesserit (ut aliquorum mens est) sive hæc adoratio divini quid habuerit; certè hoc officii genus, videbatur negandum homini. Idcirco Mardochæus sincerissimè Deum compellans: *Domine*, inquit, *Domine rex omnipotens, in ditione enim tuâ cuncta sunt posita, & non est qui possit tuæ resistere Voluntati*, &c. *Cuncta nosti, & scis, quia non pro superbiâ & contumeliâ, & vanâ gloriæ cupiditate fecerim hoc, ut non adorarem Aman superbissimum (Libenter enim pro salute Israël, etiam vestigia pedum ejus deosculari paratus essem) sed timui ne honorem Dei mei transferrem ad hominem.*

Esth. c. 3. vers. 2. & seqq.

Esth. c. 13. vers. 9. & seqq.

D

Hoc exemplo instruimur homines etiam nequissimos, omni genere humanitatis, benevolentiæ & obsequii demereri, omni observantiâ colere, omnem eis reverentiam, idque non fictè, adhibere; atque hac ratione non honore solùm eos complecti, sed etiam paratum esse coram ipsis procumbere, eorúmque pedes deosculari. Emendandæ sunt cogitationes illæ & voces pessimæ: Hic meus hostis, homo malignus, obtrectator, invidus: non possum non odisse illum, qui nec animo nec oculis admitti dignus est, quia nequam est intus & in cute; nec arare cum illo nec fodere volo. Novi Simonem & Simonem. Parciùs ista, quisquis es, parciùs: Præceptor in gymnasio Patientiæ hunc hominem, tuum esse jussit decurionẽ, cui subsis. Quid tu jam hîc jure conqueri habes? Si sapis, dices: Libenter etiam vestigia pedum ejus deosculari paratus sum.

Homines etiam nequissimi omni genere humanitatis demerẽdi.

Idque tantò promptius, quantò facilius est Deo, vices subitò mutare, ut Amani decurio fiat Mardochæus, dicátque cum imperio: Amane, recita, recita.

Videte mutationes mirissimas. Dum Aman à rege proximus immensas opes, copiosam familiam, numerosam prolem, fortunæ benevolentiam, regios favores jactat, jámque pænè imperat cælo, à rege addicitur patibulo. At Mardochæus jam resti addictus, repente regiis vestibus amictus, equo regio impositus, diademate cinctus, per celeberrimas urbis plateas ductus Amano velut famulo præcedente & clamante, *Hoc honore condignus est, quemcunque rex voluerit honorare.* Prô Superi! quæ hæc tam subita, tam monstrosa mutatio! Hic Dei mos est. *Facile est enim in oculis Dei, subitò honestare pauperem.* Mardochæus jam laqueo paratus, in solium; Amanus jam solio vicinus, in patibulum attollitur: Ita, mi Amane, ædificium quod hosti struxeras, ipse habita; furcam quam inimico erexeras, ipse concende, teipso eam orna. Tam severè DEVS in illos animad vertere solet, qui non portare crucem, sed inimicos suos in crucem elevare cogitant; ita subitò sors vertit. Gladius ab ipsâ cervice revocatur, laqueus à gulâ jam frangendâ reducitur; Mardocheus suo carnifici Amano superstes est.

Esth. c. 6. a vers. 11.

Eccli. c. 11. a vers. 23.

Quapropter amemus crucem, & à quocunque illa nobis imponatur, ferre illam non detrectemus. Summus an imus, servus an dominus nos exagitet, non refert; refert, quo jubente aut permittente id fiat. Durum est quidem ab iis vexari, à quibus id minimè expectes. Sed sanctissimi quique hominum hoc miseriæ genus sæpius tolerarunt.

Iobus & Tobias à suis uxoribus, à cognatis suis irrisi; conviciis & maledictis lacerati, convicia, & maledicta non retorserunt. Ignatius martyr nobilissimus, decem leopardis morigerum se præbuit. Nam cùm Antiochiâ Romam duceretur, decem milites custodes habuit verè leopardos non homines, quos & ipsa beneficia efferabant. At hoc Ignatium non terruit. Nam iniquitas illorum, ait ipse martyr, doctrina mea est. Ita prorsus adversarii nostri, doctores nostri sunt; pluscimam nobis sapientiam instillant vel invitis. Nec malè inimicos vocem aurifabros, qui coronas nobis fabricant non quidem aureas, nec gemmeas, sed cælestes & fidereas.

Quocirca rectè asserimus: Crux perferenda est à quocunque imponatur. Quæ omnia beati Augustini oraculis configno. *Non tibi, ait ille, videantur felices qui florent ad tempus. Tu castigaris, illis parcitur: fortè tibi castigato & emendato filio hæreditas reservatur. Evigila ergo in hanc vocem: Dominus dedit, Dominus abstulit, sicut Domino placuit, ita factum est: Sit nomen Domini benedictum.* Injusti erant qui juxta Iob putrescentem sedebant: & tamen ille suscipiendus flagellabatur, illis puniédis parcebatur. DEVS judicio suo reservat omnia. *Boni laborant, quia flagellantur ut filii: mali exultant, quia damnantur ut alieni.* Sævit quidem inimicus, sed non proficiet in eo. Quid est ergo quod affligit? Exercebit, non nocebit. Proderit sæviendo, quia in quos sævit, coronabuntur vincendo. Quid enim vincitur, si nihil contra nos sævit? Aut ubi adjutor noster DEVS, si nos non dimicamus? *Inimicus ergo faciat quod suum est: sed non proficiet inimicus in eo.*

Aug. to. 8. in psal. 70. mihi pag. 309.

Iob c. 1. vers. 21.

Et in ps. 91. post med. mihi pag. 419.

August. in ps. 88. ad fin. nem, pag. 401.

Ergo perseveremus patienter, quantò jam plus supplicii est & pœnæ, tantò plus olim præmii erit & gloriæ.

GYMNASII PATIENTIÆ

PARS TERTIA.

CAPVT I.

Afflictiones sustinendas esse PATIENTER.

EQVI nobiles ac generosi eos subinde mores à magistris suis accipiunt, ut dominum suum non solùm patientissimè sessui recipiant, sed & genua sessuro submittant, quod certè à plaustrariis molitorũ aut rusticorum jumentis exigendum nõ est.

Alexandro regi Macedoni equus fuit, quem Bucephalum vocarunt, emptus septem millibus philippeorum & octingentis. Hic phaleris regiis jam ornatus, & frena spumantia mandens, sessorem alium admisit nullum, præterquam suum regem.

Quisquis hominum mansuetos mores Patientiæ magisterio accepit, hic suum Dominum agnoscit Christum, eique genua submittit, paratissimus omnia & facere & pati, prout Domino suo visum fuerit. Hi autem tam placidi probatique mores solùm in Patientiæ schola discuntur, de quâ duo jam peregimus dicendo: Primum, quæ Cruces, seu, quæ Afflictionum genera humanam gentem exerceant. Alterum, quid ex hac cladium exercitatione discendum. Sequitur Tertium, & quidem hac in re primarium: Quâ ratione afflictiones omnes tolerandæ. Hoc non tantùm utilissimum, sed & necessarium scitu est. Quid enim proderit scire, quid patiaris, si nescias modum quo patiaris. Nos istud ordine, sed succincto explicabimus. Primum hic omnium documentum est: Afflictio tolerandæ est PATIENTER. In gymnasio Patientiæ nati sumus, si sumus impatientes. Itaque quid sit PATIENTER esse miserum jam, exponemus.

1. Tertiæ partis Documentũ.

§. I.

OPtimè dictum à priscis:

Vir bonus non quærit quidnam patiatur, sed quàm bene.

Monost. Trochaicus.

Multa vis trophæa erexit, plura sed Patientia.

Christus de felicissimâ libertate differens: *In patientiâ vestrâ, inquit, possidebitis animas vestras.* Impatiens tantum abest ut se suáque possideat, ut etiam tam sua quàm seipsum perdat, impos sui, suorúmque vitiorum servus. Hinc Iobus jure interrogans: *Quid perdis, inquit, animam tuam in furore tuo?* Impatiens libertatem indulget felli: fel ita liberum Rationem velut per fenestras præcipitat. Inde multiplex rerum jactura. At verò patiens & se, & sua sibi servat, vel fortissimis fortior. Salomon id affirmans: *Melior est, inquit, patiens viro*

Luc. c. 21. vers. 19.

Iob c. 18. vers. 4.

Prov. c. 16. vers. 32.

viro forti, & qui dominatur animo suo, expugnatore urbium. Siquidem homo patiens non tantùm os atque manum, sed & cogitationes in statione continet. Patientiâ prohibetur ira, restringuntur animi, manus petulantia comprimitur, linguæ venenum eximitur.

Quod de garrulo dicitur: Hic homo nequit continere linguam: idem de impatiente dixeris: Iste nequit continere iram. Vindicta & Iracundia illum possident, impellúntque quò volunt; totos alit acerbarum cogitationum exercitus quem impatientia exercet. Istud igitur dominium animi à nemine potest obtineri nisi patientiâ: Animas vestras possidebitis in patientiâ vestrâ, non in consiliis vestris, non in prudentiâ, vel fortunâ, non in divitiis vestris, sed in vestrâ *Patientiâ.*

Patientiæ definitio. Sed an definitionem Patientiæ ignoramus? hæc est: *Rerum quæcunque homini aliunde accidunt, aut incidunt, voluntaria & sine querelâ perpessio.* At nos, egregii scilicet hominis impatientiam & querimonias nostras elegan- B ti palliolo velamus. Agnosce delicatorum voces: *Heu nimium molesta, nimiúmque difficilia, & perpessu gravia nos premunt.*

Vnde nascatur impatientia. O Christiani, impatientia non nascitur è nimiâ crucis mole, sed ex crucigeri debilitate. Qui domum ædificat, non ideo eam tecto operit, ut à pluviis, grandine, nivibus intactam muniat, sed ut ea pluvias, & grandinem, & nives sine damno perferat. Qui navim fabricat, non hoc spectat, ne fluctuum assultu quatiatur, sed ne rimas agat, & aquâ admittat. Qui valetudini à cælo metuit, non hoc agit, ne asperior aura se afflet, sed ut caput munitum, pedes non madidos, non frigidos habeat. Idem in moribus fit. Sed nos alia omnia facimus. Hoc enim anxiè agimus, ne ægroti, ne pauperes, ne contempti & abjecti simus, cùm tamen potiùs omni modo agendum sit, ut in morbo, in paupertate, in contemptu patientes simus. Virtutem C Christianam profectò non sapit, non nisi sanum, divitem, honoratum esse velle: quid enim hoc magni? At morbum, egestatem, despicatum scienter tolerare posse, hoc virtutis, hoc magni, hoc maximi quid est.

Neque verò arte ullâ cavebimus, ne miseri simus, sed ne miserias impatienter feramus, cavere poterimus, atque hoc artis est. Quâ in re cum Bione sentio.

Laert. lib. 4. cap. 7. Bion philosophus, ut Laërtius refert, dicere solebat: Magnum, imò maximum malum esse, non posse perferre malum. Quo prorsus sensu poëtis prisca sic loquebatur:

Troch. vet. *Non malum est, malum pati: at nescire malum pati, hoc malum est.*

Et certè qui hoc nescit, nec vivere scit. Nemini suavis esse poterit vita, nisi didicerit perferre miserias vitæ. Exemplo sint ista. Calculi & Podagræ dolores aiunt esse maximos, incredibiles, malum planè furio- D sum: attamen fuerant etiam è magnatibus, qui scienter hoc quidquid mali est pertulerunt.

Ad Agesilaum, cùm in dolore Podagræ gravissimo esset, Carneades revisit, qui ubi vidit dolores colloquiis potiùs exasperandos, ad compendium contulit dicenda, & abiturus valedixit. Cui Agesilaus: Mane sis Carneades, & unà pedes ac pectus digito monstrans: Nihil, ait, huc illinc pervenit. Quo dicto cor sanum, alacre, & dolori par, pedes verò miseros, & dolore fractos ostendit.

Carolum Quintum Augustæ memoriæ Imperatorem, dum maximos podagræ dolores sentiret, Princeps Imperii visit, eáque verborum lenimenta, quæ his doloribus facere videbantur, adhibuit. Illud singulariter urgens: Et quæso, inquit, cur Majestas Tua nullis utitur pharmacis, cùm medicos habeat præstantissimos? Huic Imperator respondit: In hoc tali mor- A bo optima est medicina, PATIENTIA. Hæc linguam, hæc manus, hæc cogitationes, hæc & animum in officio continet.

§. II.

Patientiæ aliquot documenta. PAtientiæ cùm elogia, tum documenta plurima sunt; nos hîc pauca delibabimus, ex Afro sed erudito scriptore Tertulliano.

Primum. 1. *Patientia in tolerandis injuriis.*

Tertul. l. de Patientia cap. 8. Dominus monet: Verberanti te in faciem, etiam alteram genam obverte; fatigetur aliena improbitas patientiâ tuâ. Plus improbum illum cædis sustinendo quàm ulciscendo, ab eo enim vapulabit, cujus grâtia sustines. Si linguæ amaritudo maledicto sive convicio eruperit, respice dictum: *Cùm vos maledixerint,* *Matt. c. 5. v. 11.* *gaudete.*

Secundum. 2. *Patientia in contiendâ vindictâ.*

Idem c. 10. Summus impatientiæ stimulus ultionis libido, negotium curans aut gloriæ, aut malitiæ. Sed gloria ubique vana, & malitia nunquam non Domino odiosa, hoc quidem loco maximè, cùm ab alterius malitiâ provocatâ, superiorem se in exequendâ ultione constituit. Quid autem refert inter provocantem & provocatum, nisi quod ille prior in maleficio deprehenditur, at iste posterior? Tamen uterque læsi hominis Domino reus est, qui omnem nequam & prohibet, & damnat. Absolutè itaque præcipitur malum malo non reddendum.

Tertium. 3. *Patientia in refrenanda eadem vindicta.*

Idem c. 9. 10. & 5. Quem honorem libabimus Domino si nobis arbitrium defensionis arrogaverimus? Quid credimus judicem illum, si non & ultorem? Qui vindicat se, honorem unici judicis abstulit, hoc est, Dei. Quid ergo mihi cum ultione, cujus modum regere non possum per impatientiam doloris? Quod si patientiæ incubabo, non dolebo: si non dolebo, ulcisci non desiderabo. Nihil impatientiâ susceptum sine impetu transigi potest; quidquid impetu actum est, aut offendit, aut corruit, aut præceps abit. Nam ut compendio dictum sit; Omne peccatum impatientiæ adscribendum.

Qui vindicat se, honorem Dei auferet.

Quartum. 4. *Patientia in bonorum jactura.*

Idem c. 7. & 8. Patientia in detrimentis, exercitatio est largiendi. Non piget donare eum, qui non timet perdere. Alioqui quomodo duas habens tunicas, alteram earum nudo dabit, nisi idem sit, qui auferenti tunicam, etiam pallium offerre possit? quomodo amicos de Mammonâ fabricabimus nobis, si eum in tantum amaverimus, ut amissum non sufferamus? peribimus cùm perdito.

Gentilium est, omnibus detrimentis impatientiam adhibere, qui rem pecuniariam animæ anteponunt. Nos verò secundùm diversitatem, quâ cum illis sumus, non animam pro pecuniâ, sed pecuniam pro animâ deponere convenit, seu sponte largiendo, seu patienter amittendo. Totum licet sæculum pereat, dum patientiam lucrifaciam. Quos enim felices Dominus nisi patientes nuncupavit?

Quintum. 5. *Patientia in aliis Afflictionibus perferendis.*

Apoc. c. 3. vers. 19. Gaudere & gratulari nos decet dignatione divinæ castigationis: *Ego,* inquit, *quos amo, castigo.* O servum illum beatum cujus emendatione Dominus instat, cui dignatur irasci, quem admonendi dissimulatione non decipit. Patientia in omni sexu, in omni ætate forma- *Idem c. 11.* ta est. Patiens implet legem Christi. Non licet er- *& 12.* go nobis ullâ die sine patientiâ manere; Malum patientia non facit. Dilectio omnia sustinet, omnia tolerat, utique quia patiens. Vndique igitur adstricti sumus officio patientiæ administrandæ.

Sextum. 6. *Patientiæ vestis, & habitus.*

Idem c. 15. Vultus Patientiæ tranquillus frons pura, nullâ mœroris

toris aut iræ rugositate contractâ: remissa æquè in lætum modum supercilia, oculis humilitate, non infelicitate dejectis. Os taciturnitatis honore signatum. Color qualis securis & innoxiis. Motus frequens capitis in diabolum, & minax risus. Cetera amictus circum pectora candidus, & corpori impressus, ut qui nec inflatur, nec inquietatur. Sedet enim in ejus throno Spiritus mitissimus & mansuetissimus; non turbinè glomeratur, non nubilo livet, sed est teneræ serenitatis, apertus & simplex, quem tertiò vidit Elias. Nam ubi Deus, ibi & alumna ejus Patientia.

Septimū. Idem c. 15.

7. Patientiæ elogia.

Satis idoneus Patientiæ sequester Deus. Si injuriam deposueris penes eum, ultor est: si damnum, restitutor est: si dolorem, medicus est: si mortem, resuscitator est. Quantum Patientiæ licet, ut Deum habeat debitorem: Nec immeritò. Omnia enim placita ejus tuetur, omnibus mandatis ejus intervenit. Fidem munit, pacem gubernat, dilectionem adjuvat, humilitatem instruit, pœnitentiam expectat, exhomologesin assignat, carnem regit, spiritum servat, linguam frenat, manum continet, tentationes inculcat, scandala pellit, martyria consummat: pauperem consolatur, divitem reperat, infirmum non extendit, [a] valentem non consumit, [b] fidelē delectat, gentilem invitat, servum Domino, Dominum Deo commendat, fœminam exornat, virum approbat: amatur in puero, laudatur in juvene, suspicitur in sene.

[a] *Augendo morbum.*
[b] *Felle ac cholerâ, uti facit impatientia.*

Ergo amemus patientiam Dei, patientiam Christi; rependamus illi quam pro nobis ipse dependit. Offeramus patientiam spiritûs, patientiam carnis, qui in resurrectionem carnis & spiritûs credimus. Ita Tertullianus de Patientiâ.

§. III.

THeodoretus narrat, diabolum Iacobo anachoretæ sævissimas plagas minatum. Cui Iacobus ad omnem patientiam compositus serenâ fronte, vultuquè tranquillo, qualis esse solet Patientiæ: Si à Deo tibi permissum est, inquit, percutere me; plagas libenter accipiam, ut qui à Domino, non à te feriar. Si autem hoc tibi permissum non sit, non percuties, sed nec tanges nec ringaris licet, & millies insanias. Idem quilibet nostrûm omnibus iis, quos hostes credit, liberrimè dixerit. Si vobis à Deo potestas facta est, agite, verberate me, lacerate dentibus, injuriis omnibus onerate; frustra restitero; sin autem licentia vobis concessa non sit, quamvis ingentes rictus pandatis, & dentes acuatis, non me mordebitis; tutus sum.

Beatissimus Pontifex Gregorius Magnus, non tantùm illustrissima patientiæ documenta scripsit, sed ea exemplo insuper firmavit, cœpitque facere & docere. Nam Imperatore Mauritio, à quo variè vexatus est, rescripsit in hunc modum: Quia omnipotenti Deo incessanter quotidie delinquo; apud tremendum examen illius, aliquod mihi remedium esse suspicor, si incessantibus quotidie plagis ferior. Et credo, Auguste, eundem Dominum tantò nobis amplius placatis, quantò me ei malè servientem districtiùs affligitis.

Greg. l. 4. epist. 31.

Superi! quàm hoc patienter & submissè! Idem rectissimè dixit: Cuivis dolori remedium est Patientia. Quis sanctorum sine patientiâ coronatus est?

Ajunt Grāmatici nullam esse regulam, cui non sua sit exceptio: At verò hæc Patientiæ regula sine omni exceptione est. Ideo divinus Paulus tam strictè præscribens: *Patientes*, inquit, *estote ad omnes. Cum omni humilitate, & patientiâ.*

1. Thes. c. 5. vers. 14. Ephes. c. 4. vers. 2. Patientia sine exceptione in omnibus rebus exercenda.

Patientia exercenda est omni loco, & tempore, ad omnes homines, in rebus omnibus, sine exceptione. Neque enim ulla virtus sine patientiâ perfecta est. Vice versâ, Impatientia matrix est in omne delictum, diffundens de suo fonte varias criminum venas. Nunquam impatiens obsequitur, nunquam patiens obluctatur. Natales impatientiæ in ipso diabolo deprehendi possunt. Impatientia stultitiæ turpissimæ, & amentiæ parens est. Quid enim stultius, quid amentius, quàm suum sibi malum ultro conduplicare, præmium patienti promissum abjicere?

Impatiens si obolum amittat, totam crumenam abjicit; cùm ei culmus subtrahitur, totos spicarum manipulos incendit. Sic inter aulicos dominos Rudolphi II. Cæsaris fuit è magnatibus Imperatorii cubiculi, qui mane frigidam allaturus suo Cæsari ad lavandam faciem, vitrum ferebat crystallinum, sed quia operculum excidit incautiori, totum poculum humi allisit cum dicto: Habeat diabolus & equū, qui rapuit ephippium. Sic uno jactu quadringentos philippeos abjecit: tanti enim crystallinum illud æstimabatur.

Sic sæpe malum levissimum malo ingenti geminatur; sic incommoda non grandia damnis maximis per impatientiam augentur.

Salomonis scitum agnosce: *Qui impatiens est, sustinebit damnum.* Quò enim aliquis contumaciùs patitur, tantò graviùs sentit quod patitur. Sic laqueos fera, dum jactat, astringit; sic aves viscum, dum trepidantes excutiunt, plumis omnibus illinunt. Nullum tam arctum est jugum, quod non minus lædat ducentem quàm repugnantem. Ideo qui sapit, in omnibus patientiæ studet. Fatuus nec agere scit, nec pati. Luculentè Salomon. *Qui patiens est*, inquit, *multâ gubernatur prudentiâ: Impatiens operabitur stultitiam.*

Prov. c. 19. vers. 19.

Prov. c. 14. v. 19. & 17.

Ideò divus Gregorius dixit: *Tantò quisque minus ostenditur doctus, quantò convincitur minùs patiens.* Ita prorsus est. hoc quisque stultior est, quo impatientior. Quod & Salomon affirmantissimè dixit: *Doctrina viri per patientiam noscitur.* At fatui, seu, impatientes in seipsos etiam bacchantur, mensam evertunt, pocula affligunt, capillos evellunt, femur pectúsque percutiunt, subindè caput in columnas impingunt, uti Augustus Cæsar allisо in parietem capite clamabat: *Redde legiones, Vare, Redde legiones.* Nimirum omnis indignatio in tormentum suum proficit.

Gregorius hom. 35. in Evang.

Prov. c. 19. vers. 11.

§. IV.

INde & illud sequitur, ut minimis sordidisque rebus exacerbemur: parum agilis est puer, fornax non tempore calefacta, turbatus rotus, mensa negligentiùs posita, mox concitati bilem & impatientiam effundimus: indignamur calamo quo scribimus, equo quo vehimur, vesti quâ induimur. Hinc illæ voces: Ecquis diabolorum hunc hominem advexit? quis malus corvus improbum hunc laborem attulit? Vnde molestum hoc & intolerandum onus? Vt me fatigat res hæc nihili! Vt me nequissimi homines isti pessundant! quin & ego illos? quin opus hoc molestissimum ad Garamantas mitto? Ita nos cum laboribus ac cruciibus nostris miserè luctamur.

Quàm hîc opportunè, ut asinæ Balaami, tā labores quibus frangimur, quàm cruces nostræ quibus figimur, loquantur, & dicant quod Moses & Aaron populo: *Nos quid sumus? nec contra nos est murmur vestrum, sed contra Dominum.* Crux quævis verè dixerit: Ego, quid feci tibi, quod adeo adversus me stomacharis? *Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi.* Des hoc, obsecro, patientiæ, & sustine paullulum miser esse; omnia centuplicato fenore pensabuntur.

Exod. c. 16. vers. 8.

Matt. c. 18. vers. 26. & 29.

Sed nimis multa, inquis, nimisque gravia nos simul infestant. Itáne, ô mortales, patientiæ laudem feremus, aut nihil, aut levia patiendo? Eruditè & ad rem Gregorius: *Pensate quæso*, inquit, *ubi erit patientia, si deest quod toleretur? Ego Abel esse non suspicor, qui Cain non habuerit. Boni enim si sine malis fuerint, perfecti esse boni non possunt, quia minimè purgantur. Ipsa enim malorum societas, purgatio bonorum est.*

Gregorius lib. 4. ep. 39. post initio mihi p. 344.

Quā-

Quapropter illud assiduè inculcandum foret: *Patienter*, obsecro, *Patienter*, vel Christi causâ, quæso, *Patienter*. Cuivis dolori remediū est Patientia. Et quemadmodum lentioribus illis & pigris semper occinendum est: Eja impigrè, eja expeditè, ac velociter: Sic nobis tam impatientibus perpetuò ingerendum. Eja patienter, mi Christiane, patienter: & hoc, & illud, & istud, & omnia patienter.

Hîc opus ephebo monitore, qui Philippum Macedonum regem quot diebus salutavit his vocibus: *Homo es.* Hic ipse horis singulis, aut etiam singulis horæ partibus nos inclamet: Amabo toleranter, & æquo animo: quidquid urit aut premit, patienter accipiendum est.

§. V.

NOs sepe nostrum ipsi obliviscimur, nec recordamur in exilio nos agere, quod miseriarum omnium patientes esse vult.

Patientiâ tendimus in paradisum.

Eho Christiani, quid delicias expetimus, tam anxiè? paradisum perdidimus, & inde jam pridem exulamus. Nos quidem iter hoc relegimus, & reflexo gradu in paradisum tendimus, sed nondum pervenimus. Qui sine patientiâ hoc iter putat transmitti posse, is similis est ei, qui in pluviis pennâ & pileo, inter hostes scuto & gladio caret.

Natalis Tiburtii 11. Augusti, de eo Surius to. 1. in actis S. Sebastiani 20. Ianuar.

Patiens undequaque armatus, & velut cataphractus est, & quod gloriosissimum victoriæ genus, universos hostes debellat, non feriēdo, sed patiendo: Patiens per prunas, velut per rosas graditur, quod beatus Tiburtius fecit vivis carbonibus velut floribus inambulans. At, *Nunquid potest homo ambulare per prunas; ut non comburantur plantæ ejus?* * Prunas feliciter calcat, quisquis ærumnas patienter superat.

S. Prov. c. 6. vers. 27. & 28.

His patientiæ viribus munitus Isaias secatur, & de Domino non tacet; lapidatur Stephanus, & veniam hostibus suis postulat; Apostoli flagellantur; obtruncantur, crucifigūtur, & cum crucifixo Christo triumphant. *Patientia opus perfectum habet.*

Iacob c. 1. vers. 4.

Patientia, ut Cyprianus loquitur, tentationes expugnat, persecutiones tolerat, passiones consummat. Ipsa est quæ fidei nostræ fundamenta firmiter munit. Patientia, Tertulliani elogio, in omni sexu, in omni ætate formosa est. Patiētia, omniū virtutum tutela, patientia thorax impenetrabilis est. Augustini encomio: Omnis patientia dulcis est Deo. Herbam Plinius Nyctilopam vocari ait, quoniā noctibus è longinquo fulgeat; nam ignei coloris est, & foliis spinę. Hac Parthorū reges ad vota suscipienda utuntur. En symbolum Patientiæ præclarum. Spinis Patiētia undequaque non tàm cingitur, quàm munitur ut foliis: Ignei coloris est, & inter afflictiones nativo splendore fulget, nunquam illustrior, quàm cùm Christi causâ ærumnosior.

Cyprianus tract. de Patient. ser. 3. initio. Aug. in ps. 42. circa med. Plin. l. 21. nat. hist. c. 11. initio, ubi hac herba etiā Nyctegreium & Echonomychon appellatur. Sen. l. 3. de Ira c. 16. Thomas de Kēp. Imit. Christi l. 2. c. 2. fine. Et lib. 3. c. 35. initio.

In Gymnasio Patientiæ, *unum est lavamentum malorum omnium, Pati, & necessitatibus suis obsequi.* Vox optimi scriptoris est: *Qui melius scit Pati, majorem tenebit pacem. Iste est victor sui, dominus Mundi, amicus Christi, & hæres cæli. Si non uteris undique scuto Patientiæ, non eris diu sine vulnere.*

CAPVT II.

Afflictiones subeundas esse HILARITER.

Exod. c. 12. v. 31. & 33.

ÆGyptius Rex Pharao, quod divinæ Voluntati contumaciter repugnaret, & Hebræum populum noller dimittere, variis calamitatibus exagitatus est. At ubi tantus jumentorum ac hominum numerus est interfectus, Hebræos ultro ad abitum impellens: *Surgite*, inquit, *& egredimini à populo meo, vos & filii Israël: ite, immolate Domino, sicut dicitis. Vrgebántque Ægyptii populum de terrâ exigere velociter.* Hebræi quò magis urgebantur, eò lætiores exibant, & ore renidenti valedicebant, siquidem Ægyptum omnem optimis quibusque spoliaverant.

Quicunque in Patientiæ gymnasio profecerunt, fronte lętissimâ valedicunt Ægypto, Mundum res sibi suas habere jubent, ab adversis urgeri gaudent. Atque hic ipse alter est ferendæ calamitatis modus, HILARITER. Itaque adversa omnia non solùm *Patienter*, sed & *Hilariter* esse toleranda hoc capite docebimus. Secundus ferēdæ calamitatis modus, seu documentum.

§. I.

GErmanis vetus verbum est: Iam pænè vicit, qui gladium animosè strinxit. Et certè in malâ si animo utare bono adjuvat. Ideo quò gravius incumbunt mala, eò quisque sibi animosius dicat:

Tu, ne cede malis, sed contra audentior ito.

Quid vanè lamentaris? hæc mala non cedunt lacrymis. Animus erectus, alacer, Deóque fidens omnia triumphat mala. Quid juvat, si mœroribus teipsum excrucies? Animo frangi, est velle vinci. Ignavissima mors est seipsum necare luctu. Rarissimè vicit, qui victoriam ante pugnam desperavit.

In gymnasio patientiæ, ut scias, nemo te unquam doctorem salutabit, si vegetus atque lætus tibi desit animus. Hîc certè, si usquam, audendum est, & generosè in hostem eundum. Quare age, & quod ferendum est, *Hilariter* perfer. Canta cum psalte regio: *Calicem salutaris accipiam & nomen Domini invocabo.* Animus dejectus & marcidus triumphis omnibus obstaculū ponit. Nicetas Choniates optimè dixit: Alacritas quid non facit, & animus in re malâ bonus?

Psal. 115. vers. 13.

Videte Christum Dominum, *Qui proposito sibi gaudio crucem sustinuit, confusione contemptâ.* Duplex præmium Servator obtinuit: Et sibi, & nobis; Sibi quidem, humani corporis gloriam & dominium in orbem: Nobis autem gratiam & salutem tam animi quàm corporis. Hoc præmio, seu *gaudio sibi proposito*, cruciatus omnes sic temperavit, ut mortem & acerbissimam, & ignominiosissimam subiturus, lætitiam tamen præ se ferret admirandam. Ideo, *confusione contemptâ, Desiderio*, inquit, *desideravi hoc pascha manducare vobiscum, antequam patiar.* Eheu, cruentum pascha: Nihilominus desiderabat illud, & velut epulum delicatissimam aditurus. Hierosolyma lætus ac hilaris festinabat. *Exultavit ut gigas, ad currendam viam.* Quam viam illam? E domo Pilati in Golgotha; ideo & in viâ hac defleri se vetuit.

Heb. c. 12. vers. 2. Christus duplex præmium obtinuit. Luc. c. 22. vers. 15. Psal. 18. vers. 6.

Enimverò non solùm jam necem obiturus dirissimam, animo libente prolixóque, vultu hilari ac lætо seipsum victimam offerebat, sed primo etiam momēto quo carnem induit in matris utero, jam crucem & omnia ordine patienda sibi habuit præsentissima. Ita Christus dum homo fuit, flagella semper & crucem velut oculis aspexit. Hinc rectè dixerim Christum, non tantùm tribus horis, sed triginta tribus annis & ampliùs, excruciatum in cruce, & tamen *proposito sibi gaudio*, patientissimè cuncta sustinuit. Probè hoc notetur. Christus homo flagella semper & crucem velut oculis aspexit.

§. II.

SIc & discipuli Domini, plagis & ignominiis saturati, plagas tamen & ignominias esuriebant in Domini sui gratiam. Nam, *Illi quidem ibant gaudētes, quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati.* Hebræi Pontifices & sacerdotum principes inter se anxiè disquirunt: *Quid faciemus hominibus istis?* Quò vinculis & flagris acerbiùs castigantur, eò ardentiùs hominem crucifixum pro concione laudant: minas contemnūt, carceres lætitiâ magnâ subeunt, verbera ingenti gaudio excipiunt. *Quid faciemus illis?* Chrysostomus: *Flagellabantur Apostoli*, ait, *& gaudebant: vinciebantur, & gratias agebant: lapidabantur, & prædicabant.* Hanc & ego quæro lætitiam.

Actor. c. 5. vers. 41. Actor. c. 4. vers. 13. Chrys. to. 5. hom. 4. ad Antioch. pop. mis. pag. 397.

Atque hoc est *Hilariter* pati pro Domino, contumelias

melias honori ducere, ærumnas inter voluptates veras numerare. *Et si quid patimini*, ait Petrus, *propter justitiam, beati. Omne gaudium existimate*, inquit Iacobus, *cùm in tentationes varias incideritis. Beatus vir qui suffert tentationem.* Soli hoc Petrus, & Iacobus ajunt? Christus ipse: *Beati estis*, inquit, *cùm maledixerint vobis homines, & persecuti vos fuerint mentientes propter me: gaudete, & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cælis.* Sed hanc philosophiam plurimorum mollities non capit.

1. Petri c. 3. vers. 24. Iacob. c. 1. vers. 2. Matth. c. 5. v. 11. & 12.

Henricus Suso vir religiosus & sanctus, ingenti fiducia DEVM sic allocutus: Hoc est, Domine, inquit, quod quosdam tam malè habet, eáque causâ, ajunt, te paucos habere amicos, quòd ita durè & asperè tractes eos in hoc Mundo: hinc etiam fit, ut plures à te deficiant. Quid ad hoc, mi Domine, respondes? Enimverò vir iste rerum divinarum gnarus, calamitates tam pretiosa dona, támque hilariter esse accipienda scivit, ut dixerit: Si centum annis, & flexis genibus Deum orémus, non sumus digni ut crucem unicam accipiamus. Num ergo non hilares simus, cùm DEVS paterno favore nos castigat? Quàm hilaris Paulus? Hinc illæ Pauli voces: *Repletus sum consolatione, superabundo gaudio in omni tribulatione nostra.* Et: *Immolor super sacrificium fidei vestræ, gaudeo, & congratulor omnibus vobis, idipsum vos gaudete, & congratulamini mihi.* Nivis cumuli, ait Chrysostomus, in eum devolvuntur quotidiè, & est quasi in paradiso. Vnde Stephani vultus sicut Angeli radiabat? Causam Hilarius Arelatensis assignans: *Hoc*, inquit, *ex abundantiâ lætitiæ gaudii, & cujusdam gloriæ cordis prodiit.* Cepit ninirum Stephanus, quod dixit Iacobus: *Omne gaudium existimate, fratres mei, cùm in tentationes varias incideritis.*

Suso l. 1. Dialog. c. 10.

2. Cor. c. 7. vers. 4. Philip. c. 2. v. 17. & 18.

Hilar. hom. de S. Stephano. Iac. c. 1. vers. 2.

§. III.

VAticinatus Zacharias: *Et erunt quasi fortes Ephraim*, inquit, *& lætabitur cor eorum à vino.* Ita Iosue Ephraites spe uberrimæ regionis, periculis sese omnibus intrepidus objecit. Vnde hoc robur, hi animi? *Lætabitur cor eorum quasi à vino.* Vinum felicitatis æternæ symbolum, in adversa omnia tam animosos reddit. Nam, *Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ.* Nunc lætamur, *sed quasi à vino*, necdum enim beatitatem manu tenemus. *Spe gaudentes*, illuc anhelamus. Hinc Christiani martyres planè impavidi, ridentes, lætabundi carnificinas, cruces, patibula, rotas, ac rogos ascendebat; cor eorum lætabatur ab hoc vino. Augustinus de his: *Talia*, inquit, *agentes & patientes se lætissimos exhibebant.* Volupe illis erat, obsequiis illius sese impendere, qui pro ipsis pertulisset graviora. Inde inexplicabile præmium eos mirificè accendebat.

Zach. c. 10. vers. 7. Psal. 35. v. 9. Rom. c. 12. v. 12. Aug. serm. 12. de Sanctis.

Quocirca *Hilariter*, ô Christiani, obsecro, *Hilariter*, ad patiendi metam decurramus. Non monstratur nobis crux alta quam membris nostris vestiamus, non equulei è quibus vulnerati pendeamus, non candens craticula quam premamus, non lapides quos purpuremus, non sartagines quas impleamus. Quotidianæ miseriæ, cruces sunt nostræ, mites admodum & tolerabiles. Quid refugimus? Vbi plus laboris, plus & mercedis erit: si operosior pugna, nobilior erit & corona. Ergo, *Hilariter.*

Germani olim tibicinem in nuptiis quandoque sic animabant: Age Choraules, insta tibiam lætificante spiritu. Quò magis in mala præcipitamur, eò animosiùs nosipsos hortemur: Eja Stephane, Eja Ioannes, Eja Paule *Hilariter:* lauda DEVM ob hoc ipsum, quod te velit esse miserum. Cave, amarities animum aut linguam occupet. *Animus gaudens ætatem floridam facit, spiritus tristis exiccat ossa.* Qui miserias mœstè ac dolenter tolerat, idem facit, ac si pulcherrimam citelin aut testudinem, quà canere debuisset, parieti allidat. Quod verissimè dixit Augustinus: *Si in tribulationibus defecisti, citharam fregisti.* Nimirum, *in mœrore animi dejicitur spiritus*, ait Hæbreus Sapiens, additque: *Si desseveris lassus in die angustiæ, imminuetur fortitudo tua.* Iam fracta est testudo & cithara, jam fidium concentus periit.

Prov. c. 17. v. 22. August. in ps. 42. circa med. Prov. c. 15. v. 13. & c. 24. v. 10.

Videte mihi Tarsensem Paulum, quàm ille citharam suam non fregerit! audite quàm illâ peritè luserit: *Gaudeo*, inquit, *in passionibus.* Hoc idem Petrus nos æmulari jubet. *Communicantes Christi passionibus gaudete.*

Coloss. c. 1. v. 24. 1. Pet. c. 4. v. 13.

Tabellarius è cœlo Tobiæ domum ingressus: *Gaudium*, inquit, *tibi sit semper.* Vbi cithara tua est Tobiæ? quin Deo canis? quin mœrorem hilaritate vincis? At Tobias: *Quale* inquit, *gaudium mihi erit?* fortunis exutus, oculis captus, amicis destitutus sum. Sed instat juvenis è cælo: *Gaudium tibi sit semper.* Cui denuo dixerit Tobias: Exulat gaudium à domo tam luctuosâ. Angelus: Non potest ibi esse luctus, ubi fons gaudii est, divinus favor. Tobias: Seriò ærumnosis difficile est luctum premere. Sed Angelus iterum: *In proximo est*, inquit, *ut à Deo cureris. Forti animo esto.*

Tob. c. 5. v. 11. & 12. Ibid. v. 13.

Quare ô mi Tobia, ô mi Christiane, gaudium tibi sit semper, etiam inter lacrymas. Chrysostomo teste: *Nullum armaturæ genus validius, quàm gaudere secundum Deum. Cum rebus adversis*, inquit, *premimur, gaudeamus: hoc enim est peccatorum expiatio.*

Chrys. tom. 5. hom. 57. ad pop. Ant. post init. p. 361.

§. IV.

NEque omnem tamen tristitiam accusamus, illam minimè, quæ *pœnitentiam in salutem stabilem operatur.* Christus eo ferè tempore quo dixerat: *Tristis est anima mea usque ad mortem*: Et illud pronuntiavit: *Surgite eamus.* Et simul animoso progressu hostibus semet obvium tulit. Non malè conveniunt, & in unâ sede morantur, gaudium, & lacrymæ. Fluant genæ lacrymis, festivis cantibus sonabunt ora; expalleseat vultus, constabit sibi animus & gaudebit. Paulus: *Quasi tristes*, inquit, *semper autem gaudentes. In omnibus exhibeamus nosmetipsos sicut Dei ministros in multâ patientiâ. Quasi tristes:* nam omnis tristitia proborum (quod Anselmus notat) brevi dissipatur; umbra est, & somnium. Duremus; umbra fugit, somnium evanescit.

2. Cor. c. 7. v. 10. Matt. c. 26. v. 38. & 46. & Marci c. 14. v. 34. & 42. 2. Cor. c. 6. v. 4. & 10.

Sylvestre prunum, & immaturus botrus os contrahunt, sed stomachum non evertunt: ejus generis sunt miseriæ nostræ, vellicât & turbant at, si nolis, lætitiam veram non exturbant. Gladiatores aspice, in arenam vix unquam sine sanguine descendunt: ad vulnera tamen tripudiando properant: & sæpe in palæstrâ dum plurimus fluit sanguinis, plurimum ridetur.

Et nos in palæstrâ sumus; hîc nihil turpius quàm flere. Discamus ergo & nostro de vulnere nostrum ipsi spectare sanguinem, sed sine ploratu. Quisquis divinæ Providentiæ ac Volûtati plenissimè se tradit, perpetuam indè voluptatem capit, etiam cum gravissimis incommodis conflictatur. Hic talis, velut veteranus miles, suum ipse sanguinem intrepidus spectat. Quid magnæ artis est, Lætum esse, cum bene est? hoc & impatiens quisque novit: *Confitebitur tibi* (DEVS) *cùm bene feceris ei. Si verò non fuerint saturati, & murmurabunt.*

Psal. 48. v. 19. Psal. 58. v. 16.

Iacobi Magni consilium est: *Tristatur aliquis vestrum? oret*: æquo animo est? psallat. Evolet in altum, cantet hilare, laudet Deum, non minùs atque tres illi Hebræi juvenes, quibus flammæ fuerunt roscidæ rosæ.

Iacob. c. 5. v. 13.

§. V.

LVdovicus Granata de viro quodam religiosissimo imitatione digna commemorat hunc in modum: Vir sanctus circumquaque tribulationibus septum se videns, ajebat: Bonũ quod expecto tam immensum est, ut omne supplicium omnéque tormentum mihi sit voluptas. Hoc serium & Christianum gaudium est, posse carere omni gaudio.

Stepha-

Stephanus Eduensis antistes, illud Deuteronomii c. 33. (*Inundationem maris quasi lac sugent*) sic explicat: Inundatio maris abundantia tribulationis, quæ tunc sugitur, cùm dulcis à justis reputatur. Lac nutrimentum parvulorum, tribulatio pabulum fit electorum. Eluviem hanc maris vtique suxit qui dixit: *Sed & gloriamur in tribulationibus.*

Vixit hic auctor anno 950. scripta ejus extant tom. 6. bibliothecæ SS. PP. editione secundâ.

Rom. 5. vers. 3.

Hoc sanctorum hominum proprium est; quo afflictiores jacent in terrâ, hoc erectiores animo in cælum evolant. Vix ullus regum Ezechiâ melior, sed pænè nullus etiam eo afflictior, ille tamen cladibus suis omnibus superior, erecto semper & magno in DEVM animo ferebatur.

Ferunt Bohemiæ regem, Wenceslaum, cùm profligato exercitu fractisque viribus captivus teneretur, interrogatum, quo animo esset, respondisse: Nunquam meliori. Se namque humanis præsidiis vallatum, rariùs de Deo cogitasse; nunc iis omnibus exutum in Deo spem omnem locare, nec ferè aliud quidquam cogitationibus suis interesse, quàm DEVM, qui sperantem in se minimè sit desertarus. En, quod dixi, quò calamitosiores probi, hoc & alacriores attolluntur in divina.

VVenceslaus Bohemiæ rex nunquam melior fuit animo quàm cùm captivus.

Seneca l. 3. Nat. quæst. Exerd. mihi p. 709.

Romanus Sapiens iterum iterúmque ac denuo & sæpius quærit: *Quid præcipuum in rebus humanis est?* Responsum ab ipso istud est. *Posse læto animo adversa tolerare: quidquid acciderit, sic ferre, quasi tibi volueris accidere. Debuisses enim ferre, si scisses omnia ex decreto Dei fieri. Flere, queri, ingemere, desciscere est. Quid est præcipuum? Animus contra calamitates fortis & contumax: luxuriæ non adversus tantùm, sed & infestus. Quid est præcipuum? Altos supra fortuita spiritus attollere, hominis meminisse, vt sive felix eris, scias hoc non futurum diu: sive infelix, scias hoc te non esse, si non putes.*

Itaque, Christiani, alacriter & hilarè ferendum est, quidquid adversorum ex alto immittitur. *Non ex tristitia, aut ex necessitate, hilarem enim datorem diligit Deus.* Proficiendum est, nec semper in classe infimâ hærendum; nec unquam nobis tam præclarè profecisse videamur, quin *paullò majora canamus.* In gymnasio patientiæ primas non obtinet, qui solùm patienter tolerat patienda, sed qui etiam libenter, & hilariter. Huic primum aut inter primos debetur præmium. *Hilarem datorem diligit Deus.*

2. Cor. cap. 9. vers. 7.

Loc. cit.

CAPVT III.

Afflictiones perferendas esse CONSTANTER.

PVerorum lusus est flagello turbinem torquere. Hunc lusum sic instituunt: Cùm turbo multiplici gyro jam fatigatus vertigine laborat, jámque collapsurus videtur, puer illum flagello ferit, & in novos erigit gyros. Iam iterum fessum, flagello iterum iterúmque increpat, ut rursus se rotet turbo. Hunc lusum DEVS in Orbe terrarum ludit:

Dii nos quasi pilas homines habent.

Plurimi jam jámque perituri videntur, cùm ecce adest DEVS, & ruiturum erigit flagello; verberat, vt firmet; vulnerat, ut sanet; dejicit, vt erigat; malis onerat, ut bonis omnibus æternùm cumulet. Nos pilæ, nos turbines sumus; qui pilam impellat, qui turbinem intorqueat, DEVS est, qui quidem tot ictibus & impulsibus hoc agit, ut bajuli crucis non solùm *Patientes* & *Hilares*, sed & *Constantes* simus. Atque hic tertius ferendæ crucis modus, CONSTANTER. Quæ autem Constantia in adversis sit necessaria, nunc docebimus.

3. Ferendæ crucis modus, seu documentum.

§. I.

EVndem semper habere vultum, Socratis est, dicebant veteres. Nos paullò aliter: Eádem semper habere mentem, Christiani est. Et hæc querelarum pænè maxima in gymnasio Patientiæ, plurima bene inchoari, malè finiri. Malus finis est, finem ante finem facere. Quid, quæso, sentiendum de crucigero illo, qui die Christi patientis ligneam crucem ingenti conatu, obviisque humeris in se recipit, sed ubi onus opinione gravius persentiscit, mox molem pineam ad proximas ædes acclinans: Ego, ait, succumbo; tu vide quem alium pro me bajulum nanciscaris, qui te domum reducat. Hic quidem inter crucigeros esse cœpit, non permansit. Ita nonnunquam pauperes & viribus exhausti homines, lignorum fascem in silvâ suscipiunt foco deportandum. Sed onus, quod inter eundum solet crescere, in viâ demum abjiciunt: Ita nos consumptâ denique omni patientiâ, in querulas voces erumpimus: Quis improbis & insanis his laboribus non tandem succumbat? Cui fibra tam cornea est, ut tot cladibus non frangatur? Quis tam aheneus, ut perferendis tot ærumnis par sit? Prolixe sunt nimis hæ miseriæ, nec finem sui reperiunt. Ita tandem languemus, cadimus, jacemus.

Plurima bene inchoari, malè finiri querelarum maxima in gymnasio patientiæ.

Qui perseveraverit, ô boni, qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit. Christi Domini in cruce constantia quàm varie, & quàm validè fuit tentata? Si rex Israel, ajunt, si filius Dei est, *descendat* nunc de cruce, & credimus ei. Verùm, vt Chrysostomus perquam eleganter: *Ideo*, inquit, *de cruce non descenderat, quia filius Dei erat: Cui non difficile descendere de patibulo, qui potuit resurgere de sepulchro. Sed quia patientiam docebat*, inquit Augustinus, *ideo potentiam differebat.* Filii Dei constantes sunt, nec antequam, *Consummatum est*, pronuntiarint, finiunt.

Matt. c. 10. v. 22.

Aug. tract. 27. in Ioan. fine.

Permissum est quidem conceptissimis his verbis precari: *Pater, transeat à me calix iste.* Sed addendum semper: *Verumtamen non mea, sed tua voluntas fiat.* Calicem hunc amarissimum, si sic velis, ô DEVS, usque ad ultimas fæces exhauriam.

Aurifici est scire, quamdiu auro sit in igne fudandum, nec aurum priùs ex hoc balneo educitur, quàm satis esse purgatum constet. Ita sanè *non* nostrum *est nosse tempora, vel momenta quæ Pater posuit in suâ potestate.*

Act. cap. 1. vers. 7.

Nos aurum, DEVS aurifex est; flammas exibit aurum, cùm visum fuerit aurifici.

Et videte pertinaciss imam multorum in rebus vilibus ac fluxis constantiam. Quoties audire est voces illas: Non cesso, non desisto; quod cœpi, pertexam, quod aggressus sum pervincam; Aut Cæsar, aut nullus; aut vincendum, aut moriendum; nullam quietis partem capiam, dum hoc effecero. En constantiæ specimina!

Quî fit igitur cuôd in patientiæ gymnasio tam citò, tam facilè nostra languescat Constantia? Est qui dicat: *Non possum hoc amplius ferre* Dici *Non volo hoc amplius ferre.* Posses, si velles. Sed ut equi in longiore itinere fatiscunt; sic in malis diuturnioribus lassescit nostra patientia. Imò, quod turpius, quandoque vix mala nos tangunt, & malis cedimus, cæptis desistimus, oblanguemus. Variamus quotidiè judicium, & in contrarium vertimus, vitámque scindimus diversissimis propositis.

Eam ob caussam Annæus prudentissimè monens: *Ante omnia*, inquit, *hæc cura, ut constes tibi. Majus est vt proposita custodias, quam vt honesta proponas. Sed plerisque vita per lusum agitur: judicia nostra non tantùm prava, sed & levia sunt. Fluctuamur, aliúdque ex alio comprehendimus: perita relinquimus, relicta repetimus: alternæ inter cupiditatem nostram & pœnitentiam vices sunt. Nemo proponit sibi quid velit, nec si proposuit, perseverat in eo, sed transilit: nec tan-*

Seneca de Otio sapient. cap. 1. & epist. 20.

tàm mutat, sed redit, & in eâ, quæ deseruit ac damnavit, revolvitur. Preme ergo quod cœpisti, & patientiam perfevera. Nosti Siracidæ dictum: *Stultus vt luna mutatur.* In gravi morbo est, qui sic lunaticus est.

Eccli. c. 27. vers. 12.

Vide observatores, mi Lector, Trismegistum Mercurium l. 1. c. 8. de Iuconstantia humanæ conditionis.

§. II.

CONstantiam DEVS in omni honesto amat. Et quæso; Vbi, & qui simus, cogitemus. Dum vivimus, tirocinii annos agimus, tirones sumus, tirocinii domum habitamus, inter superos inferósque medii; prout jam bene constanterque nos tractaverimus, ita domum sortiemur æternam, & aut Superorum illam, aut inferorum. DEVS nostræ nunc constantiæ experimentum capit, & præmium differt, ut cumulatius reddat.

Cur Deus non revelavit Iacob Ioseph esse superstitē.

Augustinus non immeritò miratur, DEVM Iacobo Patriarchæ tam familiarem, tanto tamen tempore celasse, quòd filius Ioseph superstes ageret. Optimus senex mœrore conficiebatur ob Iosephum filium à feris, vt putabat, laceratum. Mœrorem Deus nec verbulo mitigavit. Quid hoc sibi volvit? Iacobi constantiam tentavit. Ideo & luctum geminavit, cùm amantissimus etiam Benjaminus à parente abstraheretur. Ipsius Ioseph constantiam quantis DEVS experimentis inspexit? Decimum septimum annum egerat Ioseph cùm à fratribus venderetur. Decennio serviit; pudor illius quotidie ab herâ blandissimè sollicitatus est: *at ille stuprum* adeo constanter *recusavit*, vt nec minis, nec lacrymis, nec precibus vinci potuerit; in pudicitiæ proposito immobilis perstitit. Inde castissimus juvenis in maleficorum carcerem conjectus, ubi cum regio pocillatore ac pistore annum exegit. Duobus illis eductis, biennium insuper in vinculis traduxit, mirâ probitatis & patientiæ constantiâ. Nam innocentiam suam Deo committens, neque se defendere curavit, neque rem ita ut gesta erat, indicare: sed vinculorum necessitatem constanter tulit, spe unâ se solatus, potentiorem esse Deum his qui se vinxerant, cujus certè vigilantissimam providentiam insigniter est expertus. Nam post triennium in carcere consumptum ad Pharaonem regem eductus, totius Ægypti Prorex salutatus est. Atque tunc annum egerat tricesimum, post quem octoginta deinde annis Ægypto præfuit, in summo dignitatis gradu, regi proximus. Nempe hic Dei mos est, longè majorem meritis mercedem, multòque semper ampliùs labore præmium largiri.

Gen. c. 39. vers. 10.

Apoc. cap. 2. vers. 10.

En patientis Constantiæ ampliſſimam dignitatem! Quapropter, quisquis es, *esto fidelis usque ad mortem, & dabitur tibi corona vitæ.*

Omnem rerum naturam considéremus: Quid juvat artificium discere, non tamen ita perdiscere, ut artis specimen possis edere? Quid cursura certas, si priùs consistas, quàm ad metam pervenias! Quid Patientiæ gymnasium frequentas, si discendi constantiam non cogitas? Nihil hîc agit, qui dies complusculos, aut hebdomades vel menses sub ferulâ Patientiæ triverit, demum in impatientiam erumpens dicat: Sat diu discipulus fui: veteres è scholis cantilenas nauseo; deinceps mei juris ero; ad pileum evolabo. Agapetu mihi hos discipulos ab hoc gymnasio, minerval frustra dant; nihil sciunt, quamvis plurima discunt. Incassum incipiunt, quia cœpta non perficiunt. Constantia deest. Quid autem prodest incipere, si nolis perficere? *Dei perfecta sunt opera.* Hebræus rex Salomon vel inde laudatissimus est, non quòd struere templum cœperit, sed quòd ad fastigium perduxerit. *Ædificavit Salomon domum, & consummavit eam.*

Ad libertatem.

Deut. c. 32. vers. 4.

3. Reg. cap. 6. vers. 14.

Christus patientissimus in hac scholâ præceptor, discipulos illos minimè ambit, qui conatu ingenti ordiuntur, leges aliquamdiu observant, spem aliquam profectus faciunt, industriam non postremam adferunt; at paullatim flaccescunt, scholas negligunt, meræ jam socordiæ se dedunt, tandem præter impatientiam veterem nihil sciunt. Abite hinc desides, exeste inconstantes. Hîc nemini eruditionis testimonium datur, nisi tam præclarè se gesserit, vt jure de eo dici possit, *Cursum consummavit.*

CONSVMMATVM EST, ultima omnium in hac schola prælectio est, qui hanc non didicit, in patientiæ gymnasio frustra fuit. Apocalypticus Angelus monet: *Tene quod habes, vt nemo accipiat coronam tuam.* Hoc divus Basilius eleganti oratione exponit, quâ quadraginta Martyrum constantiam extollit, qui Licinii Imperatoris ævo ad Armeniæ urbem Sebasten sub puro Iove, aurâ perfrigidâ, sævientе hieme nudi pernoctare jussi sunt, ita frigore necandi. Vox una omnium erat: Certemus, & emetiamur hoc stadium quod ingressi sumus; certamen excipient coronæ. Vocem firmarunt visa cælestia. Nam unus aliquis è custodibus, dum vigilat, videt Angelos è cœlo submissos, qui triginta novem coronas inter Christianos milites partirentur. Hîc ipse secum: Horum, inquit, quadraginta sunt: quadragesimi corona ubi est? dum hæc apud animum suum volvit, unus è beato illo numero, vitæ nimium amans, & tormentis impar in proximas thermas transiit. Ah, delicate martyr, quid agis? Mortem fugis? Imò ipsissimam mortem invenis, hoc ipso loco, quo effugiendam credis. Nam repentinas frigoris & caloris vices non tolerans miser, paullò pòst expiravit. O miserum, ter miserum! incidit in Scyllam, cupiens vitare Charybdin. Brevissimos dolores horruit, in æternos incidit; & quia Constantiam amisit, supplicium incurrit sempiternum. At verò ceteri ad supremum usque halitum constantissimè perseverarunt, coronâ digni, quia perseverantiâ pleni.

Apoc. cap. 3. vers. 11.

§. III.

ET cur in gymnasio Patientiæ non perseveremus? Angusto temporis gyro miseriæ omnes clauduntur; celeri puncto finiunt dolores; tristius momentum æterna excipiet voluptas. *Vitam illam expectamus,* inquit Tobias, *quam Deus daturus est his, qui fidem suam nunquam mutant ab eo. Sic currite,* hortatur Paulus, *ut comprehendatis.*

Tob. cap. 2. v. 18. 1. Cor. cap. 9. v. 24.

Fuerunt qui Cynicum illum philosophum interrogarent hunc in modum: Dic, mi Diogenes, cur ætate tam provectâ tuum adhuc dolium habitas, cur philosophiæ tam rigidæ non renuntias? Quibus ille: Ridiculi vos estis homines, inquit, si curram in catadromo, num cessem currere jam metæ vicinus, ut alius mihi præmium præripiat? Ego verò potiùs cursu ferar concitatiore.

Quin & nos paria cogitamus? quid stultius quàm deficere, cùm fini simus viciniores? Iam propè metam contingimus, & cursum desinamus?

O passi graviora! dabit Deus his quoque finem. *Virg. 3. Æn.*

Sed Diogene multò sapientius Assisias Franciscus, qui annis compluribus religiosissimè sibi mortuus, tandem ultimæ cum Morte luctæ vicinus: Incipiamus, inquit, ô fratres, servire Domino Deo nostro, quia usque nunc parum profecimus.

In vita S. Francisci. 14.

Itaque *constanter*, ô Christiani, *constanter*: pergendum est in incepto, & brevissimum iter reliquum alacriter conficiendum. Ad hoc duo præcipuè nos juverint.

Duo ad perseverandum adjutoria.

Primum est: *Sui met Accusatio.* In omnibus quæ patimur, reos nos fateamur. Pro se quisque dicat: Meritò hæc patior: Ego quidem justissimè affligor. *Iustus es Domine, & rectum judicium tuum.* Rectissimè dixit Augustinus:

Primum. *Psal. 118. v. 137.*

Aug. ser. 82 de temp. Augustinus: *Iudicia Dei plerunque occulta, nunquam tamen injusta.* Quamdiu nosmet insontes credimus, & immerentes affligi, tamdiu & patientia languet, & constantiâ.

Ægyptii Proregis Iosephi fratres, profectò exploratores non erant, ut arguebantur, monetam etiam pro tritico fidelissimè repræsentarant, dominicum scyphum neutiquam furati fuerant, nihilominus reos se professi; *Gen. c. 42. vers. 21.* *Meritò*, ajunt, *hæc patimur, quia peccavimus in fratrem nostrum, idcirco venit super nos ista tribulatio.* Imitemur, obsecrò, & dicamus: Meritò hæc patimur, tametsi suspicio, fraus, error, mendacium pessimam in nos fabam cudant, idque in insontes; Nihilominus, meritò hæc patimur, hæc & graviora vel millies mefiti, rei sumus. At ego, inquis, hac in re innocentissimus accusor. Esto. Quid jam? Num ideo te reum negabis? Recordare, quæso, ante annos triginta, aut etiam quadraginta noxam à te commissam, & nondum persolutam pœnam. En, exactor jam adest, & solutionem B poscit. Tequam vis objecti criminis nullam culpam sustineas, compos tamen fuisti culpæ jam pridem patratæ, sed nondum expiatæ: *Idcirco venit super te ista tribulatio.* Ergo nunc exede, quod dudum intrivisti.

§. IV.

Paul. Diac. l. 23. IRene Imperatrix, quod Paulus Diaconus narrat, à suomet famulo pulsa imperio: Ego, ajebat, Deo acceptum fero quod me orphanam & indignam ad imperium evexerit; quod verò jam dejici me permittat, meis id peccatis adscribo: in cunctis autem malis & bonis sit nomen Domini benedictum. Vox digna cælo. Hoc est inter serenos & nubilos soles eundem præ se ferre vultum, & instar Heliotropij ad suum semper respicere Phœbum. Atque hoc etiam perditissimum latronem Apostolis priorem in paradisum evexit, quod è cruce velut è cathedrâ suorum ipse scelerum præ eo proclamarit: *Et nos quidem justè.* C Latronum aliter pænè reum se negat, dum improbè libertatem postulat.

Cùm ad portas Bethuliæ jam hostis esset, & in urbe ingens omnium ejulatus audiretur, Iuditha vidua castissima in concionem progressa, ut flentes in spem erigeret: *Iudith cap. 8. v. 26. & 27.* *Nos ergo*, inquit, *non ulciscamur nos pro his quæ patimur: sed reputantes peccatis nostris hæc ipsa supplicia minora esse flagella Domini, quibus quasi servi corripimur, ad emendationem, & non ad perditionem nostram evenisse credamus.*

Culpa in nos non in alios referenda. Itaque cùm affligimur, aut punimur, non in alios culpam sed in nos ipsos referamus, ac fateamur, nos longè mitiùs, quàm commeruerimus, puniri à Deo, qui more suo pœnam statuit noxâ semper minorem, & apud ipsos etiam inferos, ut Theologi loquuntur, *citra condignum* punit. Hinc Iobus sapientissimè optans: *Iob c. 11. v. 5. & 6.* *Atque utinam*, inquit, *Deus loqueretur tecum, ut intelligeres, quòd multò minora exigaris ab eo, quàm mereatur* D *iniquitas tua.* Tu complurium scelerum tuorum oblitus, non itidem Deus. *Eccli. c. 5. v. 4.* *qui patiens est reddítor*, qui minus exigit quàm debeas. Quisquis igitur in miseriâ est, assiduè dicat: Peccavi; & ego quidem justè punior; meritò hæc patior; minora exigor, quàm mereatur iniquitas mea; nimium molli tangor ferulâ; multò graviora commerui. Atque hoc primum est, quod diximus, Constantiæ adjumentum, *Suimet Accusatio.*

Secundum Constantiæ adjumentum. *Miserias dico, & pœnas, non culpas.* Alterum, *Divinæ Voluntatis ac Providentiæ consideratio.* Omnia quæcunque patimur, Deo volente patimur. Deus ab æterno non solùm prævidit, sed & voluit ut unusquisque in eas omnino miserias incideret, in quas revera jam incidit. Itaque separemus culpam à pœnâ, tollamus ab afflictione delictum; & dicendum erit; Iustissimus Deus, uti nullius peccati est auctor, ita omnium afflictionum & pœnarum principalis (atque ut theologi loquuntur) *Positiva effectiva caussa est.* Non vult Deus, sed permittit ut noxa seu culpa quæ plurimarum sæpe miseriarum ac pœnarum caussa est, committatur. Sed commissa culpa vult etiam, quia justus est, ut sequatur pœna.

Vide Heliotropiũ meũ. Et hic supra part. 2. c. 6. Ergo à Deo Deique Voluntate ac Providentiâ universæ calamitates & ærumnæ in nos immittuntur. Deus vult (quod probè capiamus) ut his omnino, quibus premimur malis, premamur. Ideo, quisquis es, debes velle hæc pati (quod Seneca monet) cum scias ex decreto Dei fieri. Amantissimus hic pater liberos suos severè educat.

Fit nonnunquam ut in plateis pueri ludant, virgarum metu securi. Sed insperatissimus adest vir quispiam honestus, qui unius è turbâ adolescentuli aures arripiens, misellum à sociis abducit. Quisquis hoc fieri cernit, mox affirmat: Proculdubio hic pueri parens est; filium suum abducit, alios non curat. Ita nos sæpe dum ludimus, dum nugamur, dum lascivimus, ab optimo parente abducimur à lusu. Qui lusus nostros afflictionibus turbat, qui aurem pervellit trahitque, non ignotus homo, non alienus est? pater est. Nam *Heb. c. 12. vers. 6.* *quem diligit Dominus castigat* (millies inculcandum) *flagellat autem omnem filium quem recipit.* Quòd si extra disciplinam estis, ergo adulteri, & non filii estis.

§. V.

HIspanica quædam vina ejus generis sunt, ut in suâ patriâ non sine horrore bibantur, cùm transmaria vehuntur, saporem & odorem acquirunt gratissimum. Ita nos Deus trans mare afflictionis vehit, ut austeritate positâ optimum patientiæ odorem acquiramus. Dei nutu fiunt hæc omnia. Quâ ratione vinum austerius mansuetos mores doceatur, jam suprà dixi; addo istud:

Card. l. 13. de Subtilit. mihi p. 282. Hieronymus Cardanus, vir variæ eruditionis affirmat, ab explorata experientiâ constare, Musti dulcedinem servari posse hac industriâ: Si dolium, inquit, intus & extra pice oppilatum, dulci vino licet fæculento impleatur, & mensem flumine mergatur, anno integro nil decedet dulcedini, quam picis calor & aquæ frigidus defendunt.

Non aliter agit nobiscum Deus, qui nos calamitatum aquis immergit, ne in pravos mores degeneremus, & acetum fiamus. Vtique hoc fluvio mersus est rex ille qui vociferatur: *Libera me ab iis qui oderunt me, & de profundis aquarum.* *Ps. 68. v. 15.* At ubi his aquis extractus est, de eo sibi sic gratulatus est: *Misit de summo, & accepit, & assumpsit me de aquis multis.* *Ps. 17. v. 17*

Blos. Institut. spirit. c. 3. Lætiensis abbas Ludovicus Blosius ad rem dixit, quod grandissimis & planè aureis characteribus videtur exarandum. Verba piissimi scriptoris hæc sunt: *Quidam amicorum Dei*, ait: *quem Deus donis potioribus exornare, sublimiterque transformare decrevit, eum non blandè & molliter lavare, sed totum in mare amaritudinis immergere consuevit.* Nota hoc, mi Christiane, nota, nota: non vino rosaceo te lavandum, sed mari salsissimo & amarissimo immergendum. Et hoc tibi balneum pater amantissimus paravit ab æterno.

Quapropter omnia omnino, lætâ, tristia è Dei manu acceptanda, & hoc tenore constantissimè pergendum, usque in finem. Quot psalmos rex Hebræus composuit hac inscriptione: *Psalmus usque in finem*, qui scilicet à primo ad ultimum usque versum decantandus fuit. In Patientiæ gymnasio, non theatrales fabulas, non nuptiale canticum modulari cœpimus, sed mortuale, sed lugubres threnos, quos profectò pessimè canimus, si non canimus usque in finem. Nunquam deerit quod patiamur. *Thom. de Kemp. l. 1. c. 13. n. 3. & l. 3. c. 20. n. 3.*

Verissimè dictum: *Vnâ tentatione seu tribulatione recedente, alia supervenit; & semper aliquid ad patiendum habebimus*

bimus; sed & priore adhuc durante conflictu, alii plures superveniunt, & insperatè. Ideo threni sic modulandi sunt, ut modulorum fines extendamus. Cantandum est carmen Patientiæ usque in finem.

Præmium datur perseverantibus;

Inchoantibus præmium promittitur, sed perseverantibus datur. Iudas Iscariothes optimè cœpit, sed pessimè finivit; laudatur illius initium, sed finis damnatur. Multorum est incipere; paucorum finire. E beati Gregorii sententiâ: Virtus boni operis perseverantia est, quæ sola coronatur. Incassùm bonum agitur, si ante terminum vitæ deseratur.

Bernardus ad hoc variè inflammans: Prorsus, inquit, absque perseverantiâ nec qui pugnat, victoriam; nec palmam victor consequitur. Vigor virium, virtutum consummatio, soror est Patientiæ Perseverantia. Tolle perseverantiam, nec obsequium mercedem, nec beneficium gratiam, nec laudem habebit fortitudo.

Ideo diabolus soli perseverantiæ insidiatur.

Diabolus soli semper Perseverantiæ insidiatur, quam B solam virtutem novit coronari. Nimirum Finis, non pugna coronat. Lauda navigantis felicitatem, sed cùm venerit ad portum. Parum est crucem humeris recepisse, nisi eam deportaveris usque ad metam. *Ve his qui perdiderunt sustinentiam.* Eja fortiter, Christiani, & constanter, ne in nos cantetur fabula,

Eccli. cap. 2. v. 16.

Cœpisti melius, quàm desinis: ultima primis
Dedecori sunt ——

Divinus Paulus Mileti flentibus valedicens liberè proclamat: *Vincula & tribulationes Hierosolymis me manent. Sed nihil horum vereor, nec facio animam meam pretiosiorem quàm me, dummodò consummem cursum meum.* Sequamur præeùntis vocem, & accinamus; pro se quisque dicat: Quoquo pretio, quibusquibus impensis, & ærumnis coëmendum sit cælum; oderint, persequantur, vexent, lacerent me, quotquot volunt; mala me onerent, quotquot Deo placuerit immittere; omnia C facere, omnia pati paratus sum, dummodo consummem cursum meum, dummodo liceat ad finem dicere: CONSUMMATUM EST. Fructus labori, fat scio, respondebit abundantissimus, æternus.

Actor. c. 20. v. 23. & 24

CAPUT IV.

Afflictiones tolerandas esse cum GRATIARUM ACTIONE.

PHidias artificum nobilissimus, plastes doctissimus, è luto, cerâ, gypso, marmore, ligno, ære, ebore, argento, auro, ex omni denique materiâ statuas, & ex omni pænè ligno Mercurium potuit effingere. Affirmat Seneca: *Non ex ebore tantùm Phidias sciebat facere simulacra: faciebat ex ære: si marmor illi, si adhuc viliorem materiam obtulisses, fecisset quale ex illâ fieri optimum posset.* Quòd si ligno rudi & nondum dolato vox fuisset, utique gratias huic magistro suo maximas habuisset, quòd eruditæ manus beneficio licuisset sibi pristinam deformitatem exuere.

Seneca epist. 95. fine.

Ærumnis & afflictionibus homo sic dolatur ab omnisscio artifice Deo, ut in novam omnino dignitatè reformetur. Ideo par est, ut suo Phidiæ gratias agat informis antea truncus, nunquam in tam elegantem statuam mutandus, nisi tam multum sui amisisset, dolabris inclementer & asperè tractatus.

Diximus adversa omnia *Patienter, Hilariter, Constanter* toleranda. His quartum addimus modum, Cum GRATIARUM ACTIONE, seu, *Gratè*. Cur autem gratiæ sint agendæ pro calamitatibus alioquin ingratissimis beneficiis, jam exponemus.

Quartus afflictionis tolerandæ modus, seu documentum.

§. I.

Germanorum veterum

GErmani veteres suos olim liberos erudierunt, traditis per certa symbola præceptis. Inter quæ & A hæc numeranda. Si quando iter feceris, ajebant, non ergà libenter priùs è loco, ubi sessus accubueris, abeas, antequam terra despuas. Hoc scilicet volebant, attentè circumspicerent, si quando viatores essent, ne quid sarcinularum post se reliquissent. Sic & stellas digitis monstrari vetabant, non quòd nefas sit manum ad sidera intendere, sed quia curioso stellarum aspectu oculorum aciem hebetari credebant. Sic etiam prudenter monebant: Si quid te usserit, dicito, *Deo gratias*: Aut, *Rependat hoc Deus.* Præceptum sanè aureum, & ad rem nostram. Quidquid ignium, quidquid adversorum te ustulavit, quisquis hominum te læserit aut turbarit, tam amplas tu age gratias, perinde ac si stipem liberalissimam acceperis.

Solent etiam parentes serii suos liberos condocefacere, ut virgis castigati, virgas osculentur. Sic & in scholis discipuli melioris indolis magistro gratias agunt, cùm cæsi sunt, perinde si dicant: Domine Præceptor, me punitum non ægrè fero; pœnas merui: jámque mihi potiùs gratulor, quòd etiamnum magistro meo curæ sim; quòd nondum spem omnem de me abjecerit. Et quid indigner? Præceptoris est in discipulos animadvertere cùm delinquunt, ita in posterum cautiores fiunt. O bonam indolem, sed raram, quæ plagas hoc ore concoquit! Ita decet: *In omni patientiâ & longanimitate, cum gaudio gratias agentes Deo patri qui dignos nos fecit in partem sortis sanctorum.* Atqui hæc pars, hæc sors sanctorum est, *Pati plurima*, & gratias agere, quòd tanto se DEVS dignetur honore.

Coloss. c. 1. v. 11. & 12.

Vt hoc ipsum Christianis omnibus validissimè persuaderetur, divina Chrysostomi facundia mirè laboravit. Chrysostomum ipsum loquentem audite: *Hæc est*, inquit, *Voluntas Dei, semper gratias agere: hoc est animæ sapienter institutæ. Passus es aliquid mali? si velis, non est malum: gratias age Deo, & malum in bonum transmutasti. Dic tu quoque quemadmodum Iob:* Sit nomen Domini benedictum *in sæcula. Quid enim tale, quæso passus es? Incubuit morbus? At nihil novum est, corpus enim mortale nobis est, & pati natum. Sed pecuniarum inopiâ? Verùm & hæc acquiri possunt, & amitti, & hîc tantùm manent. Sed ab inimicis insidiæ & calumniæ? Sed nos in his injuriam non patimur, sed illi qui faciunt. Peccavit enim non qui malè passus est, sed quì malè fecit.*

Chrys. tom. 5. hom. 68. initio, cujus inscriptio: Quod maximum lucrum intribulationibus est gratiarùm actio. mihi p. 365.

Quidquid ergo malorum te premat, age Deo gratias, & malum in bonum transmutatum est. *Ne igitur,* quod idem Chrysostomus monet, *in tentationibus indignemur, neque angustiemur, neque tumultuemur. Iob gravius vulnus diabolo intulit, cùm spoliatus gratias egit, quàm cùm pauperibus sua distribuit. Omnibus enim privatum, generosè & cum gratiarum actione id ferre multò majus est, quàm in divitiis degentem facere eleemosynam, sicut in hoc contigit justo.*

Idem tom. 4. in 1. ad Thess. cap. 5. hom. 3. post med.

D *At, Ignis insurrexit sæpius substantiam tuam absumpsit, & totam domum populatus est? Reminiscere eorum quæ Iob acciderunt: age gratias Domino, qui prohibere potest, & non prohibuit, & tantam recipies mercedem, quantam si omnia illa in pauperum manum reposuisses!* Hoc ipsum iteratò affirmans: *Parem, inquit, habebis mercedem cum eo, qui pecunias suas pauperibus largitus est, si amissis illis gratias egeris, & cùm ad divinatores ire potueris, sustinueris illas magis non recipere, quàm hoc pacto recipere.*

Idem eod. tomo. hom. 1. post med. & tom. 1. hom. 5. de patiet. Iobi.

Sed in pauperie degis, & fame, & infinitis periculis? Recordare Lazarum cum inopiâ, & orbitate, & innumeris aliis pugnantem molestiis, & hæc post virtutem tantam. Recordare Apostolorum, qui & in fame, & in siti, & in nuditate degebant; prophetarum, justorum; & omnes ipsos invenies non de divitibus, non de gaudentibus, sed de egentibus, tribulatis, & angustiatis esse. Hæc apud teipsum colligens, Domino gratias age, quòd te hujus fecit participem, non exosus; sed & valde diligens: quoniam & illos tot gravia pati non permisisset, nisi vehementer amasset. Nullum gratiarum actioni par bonum.

Hoc

Hoc maximum est sacrificium, hæc oblatio perfecta. Ideo divinus Paulus: *In omnibus*, inquit, *gratias agite: hæc est enim Voluntas Dei.* 1. Thes. c. 5. v. 18.

Hebræi juvenes ad Babylonicum rogum damnati, in ipsis flammis, tanquam lautissimè epulati, gratias agebant Deo. Nam Daniele teste, quasi ex vno ore laudabant, & glorificabant, & benedicebant DEVM in fornace dicentes: *Benedictus es Domine Deus patrum nostrorum, & laudabilis, & superexaltatus in sæcula. Et benedictum nomen gloriæ tuæ sanctum, & laudabile, & superexaltatum in omnibus sæculis.* Hinc illis igneus hic carcer pro æstivo palatio, piceus fumus pro vernante cælo, flammæ pro veste, catenæ pro armillis & torque fuerunt. Dan. c. 3. v. 26. & 52.

§. II.

ET quia hoc quod asserimus, gratias Deo etiam in adversis agendas, res maximi momenti est, amplissimis id testimoniis firmadum est. Chrysostomus, quod dixi cœptum, hæc in re singulariter facundus, & planè Chrysostomus, hoc est oris aurei orator, hanc unam rem assiduè, ut decebat, inculcans: *Gratias*, inquit, *porro agere convenit, non divites modò, sed & pauperate oppressos: non sanos, sed & ægrotantes: non eos quibus prospera omnia, sed & eos quibus adversa contingunt. Deo enim tum gratias agere, cùm secundo cursu res feruntur, nihil mirum fuerit, at verò cùm ingenti subortâ tempestate jactata undique navis periculum incurrerit, tum demum magna existit patientiæ, æquanimitatisq; probatio. Quo certè & Iob hinc coronam reportavit, & diaboli impudens os obturavit, planum faciens se, cùm felix esset, non ob pecunias, sed ob mentem erga Deum charitatem gratias egisse.* Chrys. to. 4. in 1. ep. ad Rom. hom. 2. init. Deo gratias agere in maximis angoribus magna existit patientiæ probatio.

Hoc est maximè grati animi, hoc sapientiæ studiosi, in rebus etiam asperis & adversis gratias agere, pro omnibus gloriâ Deum afficere, non solùm pro beneficiis, sed etiam pro suppliciis: hoc enim majorem mercedem conciliat. In bonis quidem gratias agens reddidisti debitum: In malis autem, Deum constituisti debitorem. Qui enim beneficio affectus est, & agit gratias, reddit debitum: qui autem malè affectus est, & gloriâ afficit, is debitum acquirit. Ita Deus æquè est laudandus, & cùm punit, & cùm à supplicio eximit. Vtraque enim sunt curationis, utraque sunt bonitatis. Oportet ergo eum æquè laudare, & quod posuerit Adam in paradiso, & quod eum expulerit; & agere gratias non solùm pro regno, sed etiam pro gehennâ. Eam enim & fecit & minatus est, ut à vitio liberaret. Idem to. 1. in Psal. 9. In bonis gratias agens reddidit debitum, in malis Deũ constituit debitorẽ.

Quemadmodum ergo medicum non solùm nutrientem, sed etiam fame excruciantem; non solùm in forum elucentem, sed etiam domi alicubi includentem; non solùm ungentem, sed etiam urentem & secantem observamus, & admiramur (etsi enim sunt contraria quæ fiunt, unum tamen finem respiciunt) ita etiam oportet Deum laudare pro omnibus, atque adeò multò magis, quatenus hic quidem Deus, ille verò homo: & quod res quidem eorum sæpe aliter eueniunt, quæ autem Deus facit, fiunt cum summâ sapientiâ & curâ. Ideo etiam, Non solùm gratias agamus Deo, si consequamur quod petimus, sed etiam si repulsam passi fuerimus. Nam cùm Deus nobis aliquid denegat, non minus pater est, quàm si concessisset. Nescimus enim nos quæ nobis conducant sicut ipse novit. Idem in Ps. 148. med. mihi, pag. 1082. & seq.

Itaque sive voti compotes, sive impotes simus, gratias agere debemus. Magnus ergo thesaurus est gratiarum actio, magnæ divitiæ, inconsumptum bonum, & fortis armatura. Eritque in tribulationibus remissio, si sit in eâ gratiarum actio. Ibi multæ quidem insidiæ, ubi virtus: illic invidia, ubi misericordia. Sed est nobis telum maximum, quo omnes tales machinas repellere valet, qui per hæc omnia Deo gratias agit. Perdidisti pecunias? Si gratias quidem egeris, animam lucratus es, & majores nactus es divitias, quia Dei benevolentiam hausisti amplius. Idem in c. 11. Gen. ho. 30. post med. Idem to. 5. hom. 1. pro. prius finem.

Nec aliter sanè Augustinus: *Sic*, inquit, *sunt boni & mali, quomodo si duo vasa sint plena, & unum habeat putre-* Aug. to. 10. serm. 111.

dinem, & aliud aromata pretiosa cum uno ventilabro ventilata. Illud vas, ubi fuerint aromata, odorem desiderabilem, aliud autem fœtorem intolerabilem reddit. Ita simul boni atque mali indiscretè quidem turbati, sed alto Dei judicio separati. de Temp. mihi pag. 302.

Quoties aliqua tribulatio in Mundum venerit, qui boni sunt, velut vasa sancta gratias agunt Deo, qui eos castigare dignatur: illi verò qui sunt superbi, luxuriosi, cupidi, blasphemant & murmurant contra Deum dicentes: O Deus quid tanti mali fecimus, ut talia patiamur? Vnde sæpe sit, ut infelices isti amore hujus vitæ obligati, nec istam tenere possint, & illam sempiternam, de quâ fugiet dolor & gemitus, amittant: & quod pejus est, nec ista mala præsentia possint evadere, & ad illa quæ æterna mala sunt, eorum crimina eos faciunt pervenire. Boni cùm tribulãtur gratias agunt Deo superbi, verò murmurant.

Igitur, *Admonendi sunt*, inquit Gregorius, *qui flagella metuunt, ut si malis veraciter carere desiderant, æterna supplicia perhorrescant.* Greg. parte 3. pastor. Admon. 14. initio.

Veterum Patrum historiæ memorant, fuisse inter eos hominem, qui culpâ prorsus non suâ, in odium & infensionem omnium incurrit. Nemo eum ampliùs admittebat, nemo salutabat, nemo librum vel panem commodabat, nemo finitis laboribus domum suam invitabat. Ille tamen (quod laude dignissimum) in his omnibus gratias Deo agebat. Evenit autem ut hic ipse à messe domum rediens nil panis reperiret. Quid hîc ageret? à socijs nil sperare potuit: num ergo è cælo petendus panis? Inde profectò allata est annona. Nam brevi adfuit, qui ad fores pulsaret, camelum trahens panibus onustum. Vbi hanc Dei liberalissimam in se providentiam anachoreta vidit, in lacrymas solutus: Ergòne, inquit, ô mi amantissimè DEVS, indignus ego sum, qui diutiùs pro te penuriam patiar? Ab eo autem tempore & alij in eum longè mitiores erant, & ut scriptor loquitur, *repausabant eum.* Vitæ PP. tr. de Fortit.

§. III.

ILle optimus, & exploratæ patientiæ senex Tobias, *Non est contristatus contra Deum, quod plagâ cæcitatis evenerit ei: sed immobilis in Dei timore permansit, agens gratias Deo omnibus diebus vitæ suæ.* Hoc nobis omni conatu imitandum est. Cùm despicimur, ridemur, in odium vocamur, cùm in mala plurima præcipitamur, gratias Deo agamus. Quo facto provocatus Deus, aut hostiles aliorum, in nos animos mutabit, ut crebra testatur experientia, aut aliunde, quidquid hoc mali est, largissimè pensabit. Tob. cap. 2. v. 13. & 14.

Hæc beatissimi Pauli mens est, qui hortatur: *Gratias agentes semper pro omnibus.* Quod divus Hieronymus considerans: *Pro beneficiis*, ait, *gratias agere vel idololatræ ac Iudæi norunt, pro calamitatibus & suppliciis soli Christiani.* Quare juxta Apostolum in omnibus periculis & miseriis dicamus semper, *Benedictus Deus.* Hic animus Christiani est. Ephes. c. 5. vers. 20.

Quâ de re Imitatio Christi libro tertio, capite quinquagesimo, tam præclarè disserit, ut putem hoc, quod dixi, caput, aut certè illius partem afflictis, mœstis, quocumque modo turbatis quotidie prælegendum. Vnde ad institutum & hæc delibamus: *Gratias tibi ago, Domine Deus, quia non pepercisti malis meis, sed attrivisti me verberibus amaris, infligens dolores & immittens angustias, foris & intus. Disciplina tua super me, & virga tua ipsa me docebit.* Thomas de Kemp. l. 3. c. 50. n. 5. Ærumnosis hoc præsertim capite legendus.

Refert è beati Dominici familiâ Ecclesiastes insignis, Virum spectatæ eruditionis à religiosissimâ quâdam virgine compendium vitæ sanctiùs instituendæ petiisse. Illa decem omnino documentis rem omnem complexa, & quinto quidem loco hoc assignans: Tantis doloribus, aiebat, & angoribus nemo afficiatur, quin gratias pro iis agat, séque indignum his judicet, & pœnas majores ac duplicatas petat. Quod illa Ioan. Taulerus Instit. c. 24. Vixit anno 1350.

certè reipsa præstitit. Quin & nos imitamur rem imitatione dignissimam?

Exemplo demonstretur quod dicimus: Tussiit quis totâ nocte, præcordiis misere concussis, somnum non vidit, & omnes horarum partes numeravit. Rem magnam hic fecerit, si dicere audeat: Domine DEVS da tussim vehementiorem, quæ magis me vexet, nam ego sæviora sum meritus.

Est qui dolore capitis, torsione stomachi, qui arthritide, calculo, podagrâ laboret, & tamen hoc unum clamet; Domine dolorem gemina, modò simul & patientiam. Quis est hic, & laudabimus eum?

Est quem tres quatuorve cavillatores, largiter irriserint. At ille dicat: O mi Christe pro me sæpius illuse, plures in me immitte, qui me & irrideant, & probris variis afficiant; his ego dignus sum. At est qui sic precetur? Non dubitem esse, sed fatere, & abdità se solari patientiâ. Nec deerunt qui sic orent: Mi amantissime Deus, ego quidem non unâ tantùm suffixus sum cruce, varia patior: sed, ô Domine, te rogo, da graviora quæ patiar, ærumnas auge: sat scio, augebis simul & patientiam. Nunc de istis gratias tibi ago, & indignum me judico, qui patiar pro te Deo meo.

Num hactenùs ita precati sumus, num ita precaturi deinceps? O Christiani quandoque nos ipsi nobis de sanctimoniâ nescio quâ suspecti sumus, vbi has illásve precatiunculas recitaverimus. Sed ô quàm remoti etiamnum agimus à verâ patientiâ? Hîc viri, hîc gigantes simus, his exercemur. Hæc nemo arbitratur, nemo laudat, nisi solus ille scrutator cordium DEVS, cui è musicis instrumentis duo potissimùm probantur. Tympanum & Organum; *Tympanum contribulati spiritus, Organum laudis & gratiarum actionis.* Tympani mugitus iste est: Ah, ah, quàm hoc dolet! quàm hoc urit! Sed ô Deus ne deseras me, da patientiam ô patientissime IESV! Hoc sanè tympanum præclarè resonat, vincitque vel delicatissimam musicam. *Organum laudis* suavissimos spargit modulos. Beatus Iacobus qui à supplicio quod tulit, Interciſus dictus, peritissimus hac in re Organicus, membratim mori sustinuit: quoties autem vel articulus digiti, vel junctura membri præsecabatur, toties ille auditus est dicere, DEO GRATIAS.

Duo è musicis instrumentis probatur Tympanũ, & Organum.

Magistrum hac in re habuit Iobum, qui quoties nova clades nuntiabatur, toties ille novas Deo gratias agebat. Venit qui nuntiaret: Boves cum asinis à Sabæis abacti sunt. Ad quæ Iobus: Sit nomen Domini benedictum. Venit alius: Ignis è cælo lapsus ovium greges absumpsit. Iob iterum: Sit nomen Domini benedictum. Venit tertius: Camelos invaserunt Chaldæi, & abegerunt omnes. Iob constanter: Sit nomen Domini benedictum. Venit alius: Liberi tui omnes unâ domus ruinâ sepulti sunt. Iob ut priùs: Sit nomen Domini benedictum. Sicut Domino placuit, ita factum est. En Organum nudis, en Organi cum artificiosissimum, quem DEVS ipse commendans: *Nunquid considerasti, ait, servum meum Iob, quòd non sit ei similis in terrâ?*

Iob c. 2. vers. 3.

§. IV.

PErsis, ut Stobæus refert, mos erat, ut si quem civium Rex citari, & quantumvis innocentem flagellari jussisset, ille sic cæsus amplissimas ageret gratias, quòd rex sui tam benevolè meminisset. Tantine est regis memoriâ non excidisse? siccine adoramus verbera, cùm ore regio jubemur verberari? cur non æquè Optimo Maximo Deo nos submittimus, & plagas, quæ cæli pretium sunt, veneramur, & proni supplicésque pro iis gratias agimus? Hoc profectò sanctissimi quique homines fecerunt.

Laurentius igneo lectulo incumbens, velut aper lentis ignibus assabatur. At ille: *Assatus, inquit, gratias ago.* Rectè omnino; nam in mensam magni regis hic cibus parabatur.

Theodorus ævo Maximiani Cæsaris laceratis & pertusis jam lateribus vix spirans ampliùs, suum tamen organum animabat, & canebat: *Benedicam Dominum in omni tempore.*

Psalm. 33. vers. 2.

Plurimi sanctorum non humaniùs quàm canes habiti, ipsi tamen instar fidelissimorum canum, quo sæviùs cædebantur, hoc blandiùs se suo domino applicabant, cujus sibi gratiam ut conciliarent, omnia prõptissimè ferebant. Nota vox est inter jumenta sese numerantis: *Vt jumentum factus sum apud te, & ego semper tecum.*

Psal. 72. v. 22 & 23.

Rufinus Aquilejensis memorat, è priscis Ascetis optimum senem ægrotanti discipulo dixisse: Ne tristeris, fili, ob corporis morbum. Summa enim religio est, ut quis in infirmitate Deo gratias agat. Si ferrum es, ignis tibi æruginem abstergat; si aurum es, experimentum tui ab igne quoque sumendum est. Ne igitur cadas animo. Si corpus tuum torqueri vult Deus, tu quis es, qui ei resistas, aut id molestè feras? Ergo sustine, & Deum precare, ut quæ ipse vult, illa concedat.

Russin. l. 3. n. 157. & Pelagius li. bello 7. n. 16.

Nec omittendum illud Ioannis Avilæ divinum monitum, vel millies inculcandum: In adversis unum *Deo gratias* plus valet, quàm in prosperis sex millia. Nimirum summa religio est inter adversa Deo gratias agere.

Avila to. 2. epist. p. 20.

Maximum est discrimen inter carnes quæ verui figuntur ad ignem torrendæ. Nam si aridus & exucus capo, aut pulli gallinacei macie torridi sint assandi, necessarium prorsus est ut cocus has carnes minimè succidas liquato adipe sæpius perfundat, vix tamen multo labore aliud quàm osseum, & stramineum, vel ligneum ferculum parabit. Sin verò aut opimus anser, aut obesa gallina, aut pinguis & spado capus, aut vitulus saginatus, aut altilis porcus, aut præpingues meleagrides assentur, non opus multam his pinguedinem affundere, suo se succo perfundunt, sed & multum supererit pinguissimi liquoris. Atque hę omnino dapes sunt dominicæ regiis mensis inferendæ.

Ita prorsus illi hominum, qui nunquam in saginâ spiritus fuerunt, quibus nec mens, nec sensus, nihil devotionis, nihil fervoris est, si ad ignem afflictionis applicentur, heu quàm aridum sit assum! iis quidem consolatio instar pinguedinis adhibetur, sed parum proficitur, insolabiliter lugent. Deest sagina boni spiritus, quantumcunque ungas, maciem non correxeris; quomodocunque soleris, patientiam non persuaseris.

Discrimen inter homines præceptis Patientiæ imbutos & homines iis non imbutos.

Illi verò qui præcepta Patientiæ alto pectore combiberunt, qui Voluntati divinæ seipsos totos devoverunt, cùm calamitatis ignem sentiunt, tum maximè devotionis suæ pinguedinem ostendunt; animo præsentissunt, & imperterrito, seipsos aliósque solatio afficiunt; ad vilissima quæque se submittunt, pro ærumnis gratias agunt, plus calamitatum petunt; ita se suâ velut pinguedine perfundunt. Hi sanè ad epulum illud grande ac regium parantur, ad quod convivæ his invitantur: *Ecce prandium meum paravi, tauri mei & altilia occisa, & omnia parata sunt: venite ad nuptias.*

Matt. 6. 22. vers. 4.

Quemadmodum verò adeps carnis assæ meliori est odore quàm lixæ; ita gratiarum actio longè pretiosior, Deoque charior est ab iis proveniens, qui diuturni doloris, aut mœroris ignibus velut assantur, quàm ab iis, qui levibus incommodis conflictantur, & mare navigant planè tranquillum ac placidum.

A quibus gratiarum actio est Deo pretiosior.

Noëmus cum suis post procellas illas quibus orbis universus haustus est, gratiarum actionem instituit illustrem, nam aram struxit ex omni pecore, & ex universis

versis volucribus victimas selegit, obtulitque holocausta, *Odoratúsque est Dominus odorem suavitatis.*

Gen. c. 8. vers. 21.

Cur Noëmus in diluvio in effugiéda morte majores molestias tulerit, quàm si mors ei centies fuisset obeunda.

Sed cogita, quamdiu & quantis Noëmus miseriis sit exercitus? Nam bonam ætatis partem (dum totus Orbis securè delitiatur) cum magnâ fatigatione in extruendâ Arcâ detrivit. Quod mortem effugerit, id majoribus ejus molestiis factum, quàm si mors centies fuisset obeunda. Nam præterquam quod Arca ei quasi sepulchrum decem mensium fuit, insuavius nihil esse poterat, quàm in animalium stercoribus pænè immersum tamdiu detineri. Postquam tantas difficultates eluctatus est, in novum mœrorem incidit: ludibrio se habitum à suomet filio intellexit, & ei quem magno Dei beneficio salvum è diluvio receperat, suo ipsius ore maledicere coactus est.

Ita Noëmi constantem patientiam & inter adversa gratiarum actionem velut gratissimum odorem Deus admisit, ac beneficiis amplioribus remuneratus est.

§. V.

Deo gratias aut Benedictus Deus ad omnia usurpandum.

ERgo, quod Paulus hortatur, Gratias agamus semper pro omnibus. Et sanè in Patientiæ gymnasio, nullæ voces crebrius ingeminandæ sunt quàm hæ ipsæ, DEO GRATIAS, aut BENEDICTUS DEUS. Hoc unum ad omnia usurpandum. Sed nos tam indociles sumus, ut vel duas solùm voculas lentissimè capiamus. Optimè dixit Franciscus Petrarcha: Hic est mos, citò vultis accipere, tardè autem dare; ad illud alacres, ad hoc mœsti; ad illud præcipites, ad hoc segnes. Petitio plerunque calet dum impetretur quod petitur, at gratiarum actio, cùm impetratum est, sæpe frigidissima est.

Petrarcha l. 2. de Vtraque Fort. dial. 37.

In nostro hoc gymnasio contrarium & solet, & debet fieri. Nam patientiæ discipuli, cùm calicem vident amaroris plenum, orant quidè cum Christo: *Pater, transeat à me calix iste.* Sed has ipsas quantumvis calidas preces refrigerant adjunctis verbis. *Verumtamen*, ô mi Pater, verumtamen *non mea, sed tua voluntas fiat.* Ita liberari quidem cupiunt; si tamen placeat Deo. Cùm verò gratias agunt, toti id faciunt, & quidem calidissimas agunt gratias tam linguâ, quàm mente. Illorum voces sunt: Immortales, infinitas, ô DEVS, gratias ago, quod me tanto dignaris honore, & aliquid pro te patiendum submittis: gratias ago, quod me inter filios tuos numeras; quis autem filius quem pater non corripiat? *Quis sanâ intelligentiâ*, inquit Gregorius, *de percussione suâ ingratus existet, si ipse sine flagello non exit, qui hic sine peccato vixit.*

Matt. c. 26. vers. 39. Luc. c. 22. vers 42.

Greg. part. 3. pastoral. admon. 13 fine omnino. Idem to. 4. l. 8. ep. 31.

Ideo, Rectæ mentis est, Deum non solùm in prosperis benedicere, sed etiam in adversitatibus collaudare. Si in adversis gratias referens Deum tibi patientiâ feceris esse placabilem, & quæ amissa sunt, multiplicata redduntur, & super hæc gaudia æterna præstantur.

Patris verbera meliora quâ hostis oscula.

Apoc. c. 3. vers. 19. Aug. to. 8. in ps. 98. prope finem, mihi pag. 454. Et in ps. 91. pag. 189. Et in ps. 48. pag. 187. & pag 189.

Enimvero patri pro plagis & disciplinâ meritissimò aguntur gratiæ, nam patris verbera multò meliora sunt quàm hostis oscula. Nemini non notissima vox patris est: *Ego* quem *amo castigo*: omnes filios meos flagello. Vis esse filius? adesto castigandus. Quid hic parenti optimo respondeant filii? Augustinus verba suggerit; ita respondendum: *Et cùm blandiris, pater es, & cùm cædis, pater: blandiris, ne deficiamus, cædis ne pereamus.* Addit Augustinus, & ad rem accuratè nos instruens: *Exaltate*, inquit, *Dominum Deum nostrum. Iterum exaltemus eum qui bonus est. Nam si non vindicet, & deserat, perimus.*

Igitur, Quando bene est, lauda misericordiam: Quando male est, lauda justitiam. Tu qualis filius es? Quando te pater emendat, tunc tibi displicet. Non emendaret, nisi tu illi displiceres. At si sic displiceres vt odisset, non ille te emendaret. Gratias age ergo emendatori, ut accipias hæreditatem à Deo qui te emendat. Quando aliquos flagellat in terrâ, admonitio est, nondum damnatio. Patiens est super peccatores, non exercens iram, sed expectans pœnitentiam.

Sed nunquid sæpius pro re vili & etiam ingratâ gratias agimus, vel eam solùm ob causam, quia meliora speramus? Nam qui ob primum beneficium gratus est, secundum provocat. Idcirco cui vel mica salis est & prudentiæ, is gratus est pro beneficio etiam ingrato. Sic enim secum ratiocinatur: Qui beneficium dedit, utique bono animo id fecerit, cui si gratias referre omitterem, omni deinceps beneficio exciderem ut ingratus. Atque hoc quidem ratio dictat. Lumen ratione superius est istud: DEVS nunc quidem cupreos & plumbeos spargit numos; coronas dividit, sed spineas & cruentas. Quo id animo facit? Vt brevi det aureas & gemmatas.

Cur igitur patri amantissimo meritam gratiam non persolvimus cùm plumbum donat, cùm spinas offert, & auro & gemmis brevi mutanda? Nunc ergo plumbum, nunc spinas amplectamur, & pro his non minus, quàm pro thesauris opulentissimis gratias agamus. Hæc auri & gemmarum certissima sunt pignora. *Qui humiliatus fuerit, erit in gloriâ, & qui inclinaverit oculos, ipse salvabitur.*

Tob c. 22. v. 29.

CAPVT V.

Afflictiones aggrediendas esse cum PRÆMEDITATIONE.

Duo Tortores in vitâ, *Timor & Dolor.*

VIta quam agimus, duos habet Tortores, *Timorem & dolorem.* Alteruter horum semper à tergo hæret, cæditque nos. Cùm res sunt turbulentæ & asperæ, *Dolor* nos ferit: Cùm valemus, & rebus secundis utimur, *Timor* nos tundit, nam timemus ne quod gratum est, perdamus. Ita luculentè Augustinus: *Tota*, inquit, *vita ista intelligentibus tribulatio est, sunt enim duo tortores animæ, non quidem simul torquentes, sed cruciatu alternantes: horum duorum tortorum nomina Timor & Dolor. Quando tibi bene est, times: Quando malè est, doles.*

Aug. to. 10. de verbis Dom. serm. 42. post init. mihi pag. 62.

Quintus afflictionis perferendæ modus.

Quando igitur nescire non possumus, nos à duobus his exactoribus identidem interpellandos, solerter præmeditandum est, quâ ratione nos ad illos geramus. Atque hic quintus modus est, quo ad afflictiones scitè perferendas plurimum facit, si eas cum PRÆMEDITATIONE aggrediamur. Quomodo autem adversa sint præmeditanda, nunc exponemus.

§. I.

Eccli. c. 2. vers. 1.

SOllicitè monet Siracides: *Fili accedens ad servitutem Dei, sta in justitiâ & timore, & præpara animam ad tentationem.* Præpara vigilando, & precando; præpara subducendo te malignioribus occasionibus, nam *qui tetigerit picem, inquinabitur ab eâ.* Præpara firmando cor in omnium adversorum occursus. Nam hoc probè scias, si cœperis esse frugi, & piè castéque DEVM colere, simul etiam incipient undique in te procellæ ruere. Hostes tui, crede mihi, non otiabuntur.

Idem c. 13. vers. 1.

Sapie. c. 14. vers. 11. Chrys. to. 5. homil. Cum Sartonius & Aurelianis acti essent in exilium &c. mihi pag. 817. & seq.

Tu ergo te præpara: & noris, Omnia *muscipulam esse pedibus insipientium.* Atque ne vitæ blandimenta nos fallant, exactum illius typum subjiciens Chrysostomus: *Nihil est*, inquit, *in rebus humanis stabile, nihil inconcussum, sed hominum vita initatur mare vesaniens, quotidie parturiens naufragia, naufragia, inquam, tum nova, tum periculosa.* Et ut cautissimè circumspiciamus, quo demum loco simus, addit orator aureus: *Omnium tumultuum ac turba-*

turbarum plena sunt, omnia scopuli & præcipitia, omnia ruinæ sub aquis latentes, & serenæ cautes. Omnia terrores, discrimina, suspiciones, tremores & angores. Innumerabiles ubique personæ simulatæque facies. Multa ovium vellera, innumeri ubique lupi sub his occultati, ut jam inter hostes aliquis tutiùs vixerit, quàm inter hos qui videntur amici. Qui heri adulabantur, qui blandiebantur, qui manus exosculabantur; hodie repentè comperti sunt esse lupi, abjectisque personis facti sunt omnibus accusatoribus acerbiores.

Ergo animam tuam ad tentationem præpara; stationem age, & pro portis tui cordis excuba; medius hostium degis. Ergo in tranquillitate tempestatem, in sanitate morbum, in divitiis paupertatem, calamitatem in prosperis expecta. Iobi patientia hinc plurimùm adjuta. Nam *Timor*, inquit, *quem timebam, evenit mihi, & quod verebar, accidit.* Quidquid expectatum est diu, leniùs accedit; & mali præcogitati mollis ictus venit:

Nam leviùs ladit quidquid præcidimus ante,
At prævisa minùs tela ferire solent.

Idèo sapiens affluescit futuris malis & quæ alii diu patiendo levia faciunt, hic levia facit diu cogitando. Audimus aliquando voces imperitorum: Nesciebam hoc mihi restare. Sapiens scit sibi omnia restare; quidquid factum est, dicit, Sciebam. Cogitanda ergo sunt omnia, & animus adversus ea, quæ possunt evenire firmandus. Exilia, tormenta, bella, morbos, naufragia meditare. Tota ante oculos sortis humanæ conditio ponatur: nec quantum frequenter evenit, sed quantum plurimum potest evenire, præsumamus animo, si nolumus opprimi, nec ullis insuetis velut novis obstupefieri. Inexpectata plus aggravant; novitas adjicit calamitatibus pondus. Ideo nihil nobis improvisum esse debet; in omnia præmittendus est animus: cogitandumque non quidquid solet fieri, sed quidquid potest fieri.

Animus beatæ aut miseræ vitæ sibi ipse causa est. Malus omnia in malum vertit, etiam quæ spe optimi venerant: rectus atque integer corrigit prava fortunæ, dura, atque aspera ferendi scientia mollit. Sive igitur alios observare volueris, sive teipsum favore sepositio, & senties hoc & confiteberis, nihil ex his optabilibus & charis utile esse, nisi te contra levitatem casus, rerúmque casum sequentium instruxeris: nisi illud frequenter & sine querelâ inter singula damna dixeris, *Deo aliter visum est.*

Sic composito animo nihil accidet; sic autem componetur, si, quid humanarum rerum varietas posit, cogitaverit, antequam senserit. Sibi & liberos, & conjugem, & patrimonium sic habuerit, tanquam non utique semper habiturus, & tanquam non futurus ob hoc miserior, si habere desierit.

Plutarchus commemorat, Vlyssem post totos viginti annos militiæ actos, in patriam reducem; jámque uxore Penelope flenti assidentem, nil tale passum & siccis oculis perstitisse. Eo enim venerat animo jam ante confirmato & adversus lacrymas munito. At ubi canem vidit in adventu suo mortuum, non temperavit à lacrymis. In illum autem fletum subita res & inexspectata eum conjecerat. Qui minus ergo vult dolere de adversis, magis ea prævidere debet.

§. II.

AT nos nonnunquam adeo immeditati & inconsiderantes sumus, ut oblitì quò eamus, miremur nos aliquid perdere, amissuri uno die omnia. Sic imparati, etiam levissima expavescimus. Quocirca hoc agendum est, ne quid nobis inopinatum sit: & quia omnia novitate graviora sunt, hæc cogitatio assidua præstabit, ut nulli malo tirones simus, & nihil miremur eorum ad quæ nati sumus. Ea quæ patimur paria sunt omnibus. Ita dico, paria sunt. Nam etiam quod effugit aliquis, pati potuit. Æquum autem jus est, non quo omnes usuri sunt, sed quod omnibus latum est.

Imperetur æquitas animo, & sine querelâ mortalitatis tributa pendemus. Hiems frigora adducit; alget dum est. Æstas calores refert; æstuandum est. Intemperies cæli valetudinem tentat; ægrotandum est. Et fera alicubi nobis occurret, aut homo feris in omnibus pernicie sior. Aliud aqua, aliud ignis eripiet. Hanc rerum conditionem mutare non possumus: id possumus. Magnum sumere animum, quo fortiter fortuita patiamur.

Ad hanc tolerantiæ legem animus noster aptandus est, hanc sequatur, huic pareat: & quæcumque fiunt, debuisse fieri putet. Optimum est pati quod emendare non possis, & DEVM, quo auctore cuncta proveniunt, sine murmuratione comitari. Malus miles est, qui Imperatorem gemens sequitur. Quare impigri atque alacres excipiamus imperia, & sic alloquamur DEVM: Duc me Pater, quocumque placuerit. Adsum impiger; nulla parendi mora est. Tu meam etiam rebellem ad te propitius compelle voluntatem. Sic vivamus, sic loquamur. Paratos nos inveniat quæcumque calamitas.

Hanc ob causam Syracides dixit: *In die bonorum non immemor sis malorum; & in die malorum ne immemor sis bonorum. Memento paupertatis in tempore abundantiæ, & necessitatem paupertatis in die divitiarum. A mane usque ad vesperam immutabitur tempus, & hæc omnia citata in oculis Dei.* Domirus es, & imperas? servire potes. Opes tibi affluunt? Etiamnum mendicare potes. Vires & valetudinem ostentas? Vnica te febricula, unica imò guttula recare poteſt. Liberi tibi sunt? Vno die omnes extingui possunt. Amici tibi sunt? & amicis, & rebus omnibus una te horula, momentum unicum privare potest.

Tuam igitur animam ad has tentationes præpara, ut cum Mors amicos, aut liberos abstraxerit, dicas quod mulier Spartana: *Sciebam me mortales genuisse.* Cùm pecunia diffluxerit: Sciebam non semper fore meum, quod solo usu fuerat meum. Cùm honor evanuerit: Sciebam nullam in hac vitâ gloriam æternare.

Sunt qui rerum ac negotiorum molem velut vallum ante se objiciant, præsentibus occupati futura nunquam dispiciant. Hos semper putes *agere*, ut Attalum illum; etiamsi parum agant. Secessum his & spirituale otium suades? Respondebunt, *Non vacat.* Ad concionem invitas? *Non vacat.* Sacræ Confessionis admones? *Non vacat.* Ad epulum cæleste vocas? *Non vacat.* Ad Dei tribunal cogitandum hortaris? *Non vacat.* Æternos ignes meditandos ingeris? *Hic minimè vacat.* Ad cælestia contemplanda erigis? *Nec tum vacat.* Ad mortem prævidendam impellis? *Nunquàm minùs vacat.* Vix iis, credo, vacabit cùm moriendum erit. Ita miseri nihil futurorum prævident. Quemadmodum magna pars hominum est, quæ navigatura de tempestate non cogitat.

Cùm verò in tales subitum fulmen irruit, cùm eos inexspectata calamitas premit, hîc illi animum abjicere, rebus suis omnibus diffidere, de auxilio desperare, inconsolabiles se præbere. At hoc telum, ô boni, prævidendum vobis fuisset, & leviùs læsisset.

§. III.

AIunt si quem lupus prior videat, visum ab hac ferâ hominem obmutescere: idémque fieri lupo, si prior videatur ab homine. Fabulæ locum fecit, quod, uti Cardanus interpretatur, subitus terror aut vocem eripere, aut ravim inducere soleat. Hinc illud veteris poëtæ:

— lupi Mœrin videre priores.

Haud aliter si quem infestus casus, velut lupus, prior

Iob c. 3. v. 25.

Seneca ep. 18. ante med. ep. 76. fine. ep. 91. init. & post med. ep 98. post init. & epist. 180.

Animus adversus ea quæ possunt evenire firmandus, quia, est sibi causa beatæ aut miseræ vitæ.

Seneca l. supræ cit.

Plutarch. l. de tranquil. animi propius finem.

Ideo agendū ne quid inopinatū sit: quia nova graviora sunt.

Excepto precario. Optimum est pati, quod non possumus emendare.

Eccli. c. 18. v. 17. Idem c. 18. v. 25. & 26.

Et animi tentationes præparare;

Ne præsentibus occupati nimiùm futura dispiciamus;

Et cùm subitum fulmen irruit desperemus.

Cardan. l. 18. de subtil. mihi p. 345. Virgil. Eclog. 9 fine.

prior aspiciat, sic repentè obmutescit miser, & animum libi spémque finit eripi; quòd si prior ipse infelicitatem prævideat, multò eam molliorem sentit. Appositissimè ad rem Seneca: *In tantâ rerum, inquit, sursum ac deorsum euntium variatione, si non quicquid fieri potest, pro futuro habes, das in te vires rebus adversis, quas infregit, quisquis prior vidit.*

Sen. l. de Tranquil. c. 11.

Serò animus ad periculorum patientiam post pericula instruitur. Non putavi hoc futurum; nunquam hoc eventurum credidissem. *Quare autem non? Quæ sunt divitiæ, quas non egestas, & fames, & mendicitas à tergo sequatur? Quæ dignitas; quam non mille maculæ, & extrema contemptio comitetur? Quod regnum est, cui non parata sit ruina, & proculcatio, & dominus, & carnifex? nec magnis ista intervallis divisa, sed horæ momentum interest, inter solium & aliena genua. *Scito ergo omnem conditionem versabilem esse: & quidquid in ullum incurrit, posse in te quoque incurrere.*

* Sensus: Horâ spatio hæc veriti ita possunt, ut qui in altos sedisti vitæ arbiter cujus genua supplices tangebant: idem dejectus alienis genibus advolvaris. Hieron. in c. 7. Eccls. Greg. l. 24. moral. c. 13

B

Socrates ajebat: Sicut ii qui in tranquillo & sereno navigant, parata etiam instrumenta habent, quæ in tempestate sint usui: sic qui in bonâ fortunâ sapiunt, contra adversam auxilia expediunt. Hoc si quis in medullas demiserit, & omnia aliena mala, quorum ingens quotidie copia est, sic aspexerit, tanquam illis liberum & ad se iter sit, multò ante se armabit quàm petatur.

Res vulgo nota; *Tela prævisa minus ferire, & labores prævisos*, ut Gregorius loquitur, *tranquillius tolerari.* Eiusdem prorsus sententiæ Hieronymus: *Quia vita hæc miserabilis*, inquit, *diversis quotidie variatur eventibus, tam ad prospera quam adversa justi animus præparetur, ut quodcunque venerit, liberâ mente sustentetur.* Et quæso, mi Christiane, ne putes ad gymnasium Patientiæ te ideo vocatum, ut in pulvillo colloceris, variis solatiis mulcendus. Erras, ô bone, erras gravissimè. Hanc scholam ideo ingressus es, ut fatigeris, ut pugnes, ut lucteris, ut incommodis plurimis exerceari. Ergo præpara animam tuam ad tentationem.

C

Optima ad afflictiones præparatio est cũ Deo inter preces colloquium. Matt. c. 8. vers. 25. Ps. 45. v. 1. Aug. tom. 8. in ps. 45. initio.

Optima verò hac in re præparatio est creberrimum cum Deo inter preces colloquium. Huc in æstumnis cursus ac recursus omnis, huc primus omnium gemitus, prima omnium vox huc dirigenda, ad opem è cælo impetrandam. Quò scilicet in calamitate properandum sit, digito monstrarunt Apostoli. Nam dum inter turbines, & procellas maris sunt, ad Christum vociferantur, *Domine salvâ nos: Deus noster, refugium & virtus adjutor in tribulationibus, quæ invenerunt nos nimis.*

Hic Augustinus interpres accedens: *Sunt quædam refugia*, inquit, *ubi non est virtus, quò quisque cum fugerit, magis infirmatur, quàm confirmetur. Confugis, verbi gratia, ad aliquem in sæculo magnum, ut facias tibi potentem amicum, refugium tibi videtur* (ô refugium ruinosum!) *Antea enim tantum caussæ tuæ timebas, cùm verò ad talem refugeris, & de illo tibi timebis. Multi enim cùm ad talia refugia confugissent, cadentibus illis ad quos confugerunt, & ipsi quæsiti sunt quos nemo quæreret, si non ad talia confugissent. Non est refugium nostrum tale, sed refugium nostrum virtus est; cùm illuc confugerimus, firmi erimus.*

Ps. 92. v. 3.

Hanc ob caussam Hebræus rex ingenti spiritu: Ideo, inquit, *non timebimus, dum turbabitur terra, & transferentur montes in cor maris.* Si à parte nostrâ stet Deus, etsi montes confligant & in mare præcipitentur, etsi cælum terráque misceantur, turbentur & confundantur omnia, pandantur inferi, ruat Orbis; impavidos tamen feriet ruina; non timebimus.

Ambros. in Hexam. Athenæus, l. 8. pag. 323.

Echinus marinus, sed & Sepia piscis, cum futuras in mari tempestates præsentiunt, suarum virium conscii, ne fluctuum impulsu, scopulis illidantur, saxo tenacissimè inhærescunt dum desævierit tempestas.

A

Quid hac vitâ turbulentius, quid procellosius? alia ex aliâ tempestas oritur: sæpe

Ferrea stant cælo nubila ----

In tantâ maris ventorúmque rabie, discamus ab echino & sepiâ, Deo insuperabili, tutissimæ petræ adhærescere, ut pro se quisque dicat: *Mihi autem adhærere Deo bonum est.* Non me inde calamitatum vis ulla, non universi diabolorum exercitus, neque omnes Acherontis machinæ hinc avellent. *Quoniam firmamentum meum, & refugium meum es tu: Quoniam tu es patientia mea, Domine, Domine spes mea à juventute meâ.* Vices, mi Deus, sic partiamur: Ego me meáque cruci non subtraham, tu ad crucem perferendam suffice patientiam. Nam adversis, sat scio, nos ideo fatigas, ut nostrâ iis patientiam exerceas, & magnam in te fiduciam accendas. Ergo, mi Domine, *pone me iuxta te, & cujusvis manus pugnet contra me.* Iam nullas cruces horreo, nullos hostes formido: quoniam tu es patientia mea.

Ps. 72. v. 28

Ps. 70. v. 3. & 5.

Iob c. 17. vers. 3.

B

§. IV.

Præmeditatio in adversa est clypeus adamantinus, † Greg. hõ. 35. in Euang.

PRæmeditatio itaque in adversa clypeus adamantinus est. Omnia Orbis mala nostrius vulnerant, si contra hæc, ut Gregorius † loquitur, per prascientiæ clypeum munimur.

Ideo sapiêti nihil cõtra opinionem accidit, quia prægidit.

Sapiens humanis casibus non excipitur, sed erroribus: neque enim illi omnia, ut voluit, cedunt, sed ut cogitavit. Et hoc est quare sapienti nihil contra opinionem dicatur accidere. Quidquid enim impedimentorum potest obijci, id semper providè præmetitur animo. Hunc talem sæpius dicentem audias: Navigabo, nisi quid aliud inciderit: officium adipiscar, nisi quid obstiterit; negotiatio mihi respondebit, nisi quid intervenerit; cras ero conviva, nisi me aliud avocarit; perendie me in palæstrâ exercebo, si tamen bene valuero; post annum ædificabo, si tamen vixero. Hoc scilicet semper cogitat, posse aliquid propositis suis resistere.

C

Hac mente instructus Zeno philosophus, cùm audiret sua omnia mari submersa: Laudo, inquit, tuum factum fortuna; nunc expeditiùs philosophari me jubes.

Epictet. l. 3. dissertat. c. 15. distinguit locis.

Doctè ac sapienter Epictetus submonens: *Cujusque rei, ait, antecedentibus & consequentibus consideratis, sic eam aggreditor. Alioqui cupide quidem eam aggredieris: quippe qui nihil eorum quæ sequuntur consideraris. Postea verò cum aliis locis aliquæ molestiæ ac difficultates interceserint, turpiter desistes. Cupio, inquis, vincere Olympia. Considerato antecedentia & consequentia: & sic, si è re tuâ fuerit, rem aggreditor. Est tibi accurato ordine opus: edendum necessario, bellariis abstinendum, exercendum corpus vel invito: idq; horâ præfinitâ, in æstu, in frigore: non bibenda frigida: aliquando ne vinum quidem; denique lanistæ tanquam medico te tradas oportebit. Deinde in certamine laniari corpus contingit, manum lædi, dissorqueri lumbos, multum pulveris diglutiri, flagris cædi, & cum his omnibus interdum vinci. His rebus consideratis, si placet, certamen ito. Sin minùs, vide ut puerorum more acturus sis, qui nunc pugiles ludunt, nunc gladiatores, nunc tubâ canunt, nunc tragœdias agunt, cùm ista viderint, admiratiq; fuerint. Sic & tu nunc pugil eris, nunc gladiator, mox philosophus, postea orator, toto autem animo nihil: Sed ut simius, quidquid videris, imitaberis, subinde aliud ex alio tibi placebit. Vsitata verò displicebunt. Neque enim considerate quidquam aggressus es, neque rem totam exploraſti, aut examinaſti; sed temerè, & frigidâ cupiditate impulsus. Vigilandum est, laborandum, vincendæ sunt quædam cupiditates, à cognatis discedendum: oportet à puero contemni, ab obviis derideri: omnibus in rebus deteriori conditione esse, in magistratu, in honore, in judicio. His consideratis, si lubet, accedito: si his rebus redimere cupis animi tranquillitatem, libertatem, constantiam.*

D

Inter-

Scientia philosophiæ est, Prævidere adversa & sufferre.

Interrogatus Diogenes, quid in philosophiâ didicisset? Promptè respondit: Prævidere adversa, & cùm advenerint illa, patienter ferre. Non gratis hoc à Diogene dictum, reipsa comprobavit Anaxagoras. Hic Athenis captus geminos accepit nuntios, sed utrumque tristissimum. Primus, mortem ei decretam denuntiabat. Cui Anaxogoras: Iam pridem, inquit, sententiam tulit natura, tam in me, quàm in eos qui me damnant. Alter nuntius filios interiisse significabat. Cui philosophus: Scivi equidem liberos meos non esse immortales. Letalia hæc tela erant, sed quia prævisa erant, Anaxagoram vulnerare non poterant.

Hæc Christiana philosophia est: ita Christus suos in Orbis theatrum emittens: *Ecce ego mitto vos*, inquit, *sicut oves in medio luporum: Si me persecuti sunt, & vos persequentur: Tradent vos in concilijs, & in synagogis suis flagellabunt vos; ad præsides & ad reges ducemini propter me. Venit hora, ut omnis qui interficit vos, arbitretur se obsequium præstare Deo. Sed hæc locutus sum vobis, ut cùm venerit hora, eorum reminiscamini, quia ego dixi vobis.*

Matt. c. 10. vers. 6. Ioan. c. 15. v. 20. Matt. c. 10. vers. 17. Ioan. c. 16. v. 2. & 4.

Prædixit hæc magister, ut præcogitarent ea discipuli. Quemadmodum peregrè ituro præmeditanda sunt, quæ in itinere solent contingere: fœda tempestas, viæ fractæ ac difficiles, hospitia egena, caupones fallaces, importuni ac molesti comites, exhaustum marsupium, cælum ambiguum, venti, pluviæ, fatigatio, & ejuscemodi complures miseriæ, quæ sanè peregrino tam graves non videbuntur, si possit dicere: *Prævidi hæc omnia*. Improvidè lamentantium voces sunt: *Non expectabam hunc casum: Quis hoc putasset? Sperabam meliora.* Non sunt sapientis hæ querelæ.

Iucundum auditu est quod narrant. Cœnobiarcha in more positum habuit, ut antequam tironem in familiam adscisceret, eum in turrim educeret, diceretque: Prospecta, quousque licet oculis, & cogita, si ab ultimo tui visus termino crux cruci hæreret, tu tamen tot oculis cruces non obiturus esses, quot tibi etiamnum perferendæ. Vide, mi fili, & futura prospice: Aliud semper quàm voles, fiet. Cùm precari libuerit, laborandum erit; cùm laborare, precandum; cùm somnum cogitaveris, vigilare cogeris, cùm vigilare malueris, dormitum amandaberis; cùm loqui volueris, silentium imperabitur, cùm silere placuerit, loqui jubeberis. Nec dissimulo: sæpius præbendum erit os ad malè audiendum: innumeræ te manent reprehensiones, præter continuam corporis afflictationem. Cùm putaveris rectè fecisse, & scienter cantasse, pro laude vituperium feres & invectionem. Accusatores sæpius habebis, nec semper veraces; sed nec ad Spirensem Curiam sineris provocare. Ius tuum omne in patientiâ erit. Potes hæc omnia quinquaginta, sexaginta annis, potes hæc omni vitâ tolerare? quòd si animum frangere, & teipsum assiduè nolis vincere, abi fili mi, abi, nullus tibi locus est in religiosâ domo ac familiâ.

Candidè prorsus & sapienter. Ecquid rectiùs gymnasij sacri discipulis inculcabitur, quàm hæc ipsa cohortatio; Prævidete adversa, quæ vos manent innumera: Potestis seu vultis ferre? Bene est. Non vultis? Abite, exeste ab hoc gymnasio, quod lentulos, Endymiones, fucos, cenatores somni plenos, laboris fugientes, aut non admittit, aut admissos excludit. Facessat hinc ignavum pecus. Hic labor & Patientia imperant.

§. V.

ITa quivis sui status miserias & quidquid futurorum casuum est, prospiciat, ut cum Anaxagorâ possit dicere: Sciebam hæc, providebam ista, nil novi contigit. Sed pecuniam perdidi? Fortassis illa me perdidisset, nec illam aliter quàm perditurus habui; & utinam cum illâ simul & avaritiam perdidissem. Sed pauper sum? Scio non in paupertate vitium esse; curabo igitur ne sit in paupere.

Sed oculos amisi? Pars innocentiæ cæcitas est.

Sed amicum perdidi? Alium quæram, & ibi, ubi possum invenire. Amici omnium integerrimi in cælo sunt, delectu & numero quanto volumus.

Sed aliena me invidia premit? Quis obsecro ab hac peste immunis degit? nisi forsan infelicissimus, cui pauci solent invidere. Sed gratiam amisi? Sciebam ea nihil esse inconstantius, ut quæ momentò evanescat, citiùs quàm ullum aromatites vinum.

Sed morbus me dejecit? Nil miri aut novi hoc, cum ægrotare, qui etiam mori debebit.

Hæ tales cogitationes in futuros casus præmissæ vetant nos in rebus turbidis sævire & furere.

Unde mœror & dolor in rebus magnis.

Carneades magni acuminis philosophus mœrorem omnem & dolorem in rebus magnis inde nasci ajebat, quòd inexpectata & improvisa nos tempestas obruat. Ita cocum imperitum nil magis turbat quàm adventus convivarum subitus minimèque expectatus, cùm nec ignis, nec focus, cùm nec carnium, nec olerum quidquam ad manum est: hic ille per culinam discursare, caput scabere, ingressos allatrare, sopitum cinere ignem lacessere, culinariam supellectilem huc illuc disjicere, fulmina priùs quàm fercula coquere, convivis pestem & Erisichtonis famem imprecari, sicque inter execrationes manum admovere foco. Minus ad hanc tempestatem cocus expaveseeret, si eam præuidere posset: Nos possumus, & ejuscemodi procellas prævidendo plurimum mitigare, præsertim si quæ prævidemus, ad divinam Providentiam & Voluntatem referimus.

Beata Felicitas septem liberorum mater, divi Augustini encomiis variè ornata, cũ in carcere parturiret maximis doloribus, nec ejulatus posset comprimere, unus aliquis lictorum ejulantem illam audiens, acerbo scommate dixit: Si nec hos quidem dolores, ô femina, ferre queas silentio, illos quomodo feres, cùm ureris, secaberis, laniaberis. Quæ jam pateris, jocum puta, sequentur seria. Huic Felicitas prudentissimè, & prorsus Christianè: Iam, inquit, pro me patior, ac tunc in me passurus est Christus. Prout dixit, sic contigit. Nam cùm feris objiceretur, nullos ejulatus, sed nec ullos gemitus prodebat. Dixisses ad choreas invitatam duci, adeò hilari vultu salutabat mortem. Quoniam tu Domine illius eras patientia.

In adversis à Deo non recedendũ.

Ad hunc planè modum pugnandum nobis est, & vincendum. Quamprimum tristior nos ventus afflaverit, mox omnis animus ad DEVM convolet, séque divinæ Voluntati quàm plenissimè tradat, imò in eam sese penitus immergat; peccasse doleat, à Deo inter adversa non recedere statuat, opẽ divinam expetat. Cetera omnia, Deo fretus, divinæ committat Providẽtiæ. Hoc auget patientiam, hoc reddit imperterritos.

Vitruv. l. 1. de Architect.

Aristippus, Vitruvio teste, naufragium passus, in lacero nauigio ad Rhodiorum litus ejectus est. Hic ille solerter circumspiciens, pulverem circino descriptum, & impressas ei mathematicas notas deprehendit, mox ad socios versus; Bono, inquit, animo estote viri, sperandum optimè, nam & hic vestigia hominum sunt.

Quia in eo Beatitudo nostra inscripta est.

Quotiescunque nos ad Deum precando vertimus, immensæ bonitatis ac potẽtiæ signa, nostrámque beatitudinem Deo inscriptam legimus. Speremus ergo quàm optimè, quantumvis naufragi; nulla nec pecuniæ, nec famæ, sed neque ullius alterius rei jactura æstimetur gravis, cùm cælum promittitur.

Et in tutissimum portum deducimur.

Quid dolemus obolos perdidisse, cũ regna recipiamus? quid mori metuimus, cùm in immortalitatem transcribamur? Post omnia naufragia in tutissimum portum deducimur à bono Deo, modò illi teipsum, mi

mi Christiane, totum quantus quantus es, offeras. A

4 Reg. c. 6. v. 11. Num. c. 21. v. 6. & 9.

Acaronitæ à muribus vexati, mures aureos fecerunt, eosque obtulerunt Deo, & malo remedium repererunt: sic & Israëlitæ à serpentibus icti, per serpentem æneum valetudinem receperunt. Ita nos prorsus hoc ipsum sanat quod vulnerat; calamitas dum premit, ad Deum erigit, modò nos nostris partibus non desimus, & animam ad tentationem præparemus.

Eccli. cap. 2. v. 13.

Quoniam pius & misericors est Deus, & remittet in die tribulationis peccata; & protector est omnibus exquirentibus se in veritate.

CAPVT VI.

Afflictiones omnes perpetiendas esse cum CONFORMATIONE *Humanæ voluntatis ad divinam.*

B

OVum, vt fertur, in aquâ salsâ fluitat, in dulci mergitur. Hierosolymitus Rex David, inter tot publicas privatásque clades, inter suorum cædes & funera, in tantâ calamitatis varietate velut in salsissimis undis supernatabat erecto semper celsóque animo, vir secundùm cor Dei, qui seipsum ad omnes nutus divinos accuratissimè formabat. At verò filius illius Salomon in dulcibus illis delitiarum ac voluptatum stagnis, velut ovum mergebatur. Dei Voluntatem Salomon intellexit, sed illi se non conformavit.

David rex inter tãtas calamitates seipsũ ad nutus divinos formavit; Salomon verò non.

In hac tertiâ parte quinque modos quibus adversa omnia sint perferenda præscripsimus. 1. PATIENTER. 2. HILARITER. 3. CONSTANTER. 4. Cum GRATIARVM ACTIONE. 5. Cum PRÆMEDITATIONE. Sextum ac ultimum, sed & utilissimum summéque necessarium addimus: Cum CONFORMATIONE SVÆ VOLVNTATIS AD DIVINAM. Et quamuis hunc humanæ voluntatis cum divinâ consensum quinque libris *Heliotropii* explicaverimus, eum tamen hic nihilominus, sed breviter summatimque confirmabimus, idque convenienter instruendæ patientiæ, non recantaturi jam dicta.

Sextus afflictionis perferendę modus.

C

§. I.

NVlla nec Angelorum nec hominum voluntas bona unquam rectáque dici poterit, nisi ea cum Voluntate divinâ consentiat. Atque quò plenior ac sincerior fuerit consensus iste, tantò voluntas melior ac perfectior erit censenda: quò minus integer & sincerus fuerit iste, quem diximus, consensus, tantò deterior & instabilior erit Voluntas humana. Vnica Dei Voluntas amussis est, & regula omnium cælo terráque voluntatum. Nullum uspiam VELLE laudandum, D quod à VELLE divino discrepet.

Nulla voluntas bona, quæ divinæ voluti non consentit.

Ps. 35. v. 1.

Beatissimus rex Dauid rectos corde sæpius commendans: *Prætende*, inquit, *misericordiam tuam scientibus te, & justitiam tuam his qui recto sunt corde.* Hoc Augustinus, eruditissimus interpres explicans: *Quod sæpe diximus*, ait, *illi sunt recticordes, qui sequuntur in hac vitâ Voluntatem Dei. Voluntas Dei est aliquando ut sanus sis: aliquando ut ægrotes. Si quando sanus es, dulcis est Voluntas Dei: & quando ægrotas, amara est Voluntas Dei: Non recto corde es. Quare? quid non vis voluntatem tuam dirigere ad voluntatem Dei, sed Dei vis curvare ad tuam. Illa recta est, sed tu es curvus. Voluntas tua corrigenda est ad illam, non illa curvanda est ad tuam; & rectum habebis cor. Bene est in hoc sæculo? Benedicatur Deus, qui consolatur: Laboratur in hoc sæculo? Benedicatur Deus, qui emendat & probat. Et eris recto corde, dicens: Benedicam Dominum in omni tempore. Ille igitur solus & rectum habere censendus est, qui vult quod vult Deus.*

Aug. tom. 8. in Ps. 35. ante finem.

Ps. 33. v. 2.

Hoc unum documentum omnes hac in re præceptiones antecellit, hoc omnium monitorum summa, hoc omnium sacrorum voluminum epitome, hoc omnium virtutum compendium, hoc ærumnarum omniũ solatium maximum, hoc supremus est divini amoris gradus; hoc discipulis crucis jus paradisi transcribit, hoc homines in Angelorum sedes evehit. Hoc unum, suam scilicet divinæ Voluntati conformare, unicè omnibus, & ante omnia discendum. Nam quisquis in patientiæ gymnasio hoc unum didicit, jam pænè finem discendi fecit, jam magistri, jam doctoris nomen obtinuit.

Humanæ voluntatis cum divinã conformatio est omnium virtutum compendium.

Hoc certè præ aliis omnibus jure suo sibi vindicavit divinæ voluntatis scientissimus rex David. Hic divinæ hujus scientiæ specimina dedit plurima, tum maximè cùm degenerem filium Absalonem fugiens, sacerdotes & Arcam juberet redire, dicerétque: *Si invenero gratiam in oculis Domini, reducet me, & ostendet mihi eam, & tabernaculum suum. Si autem dixerit mihi. Non places, præsto sum, faciat quod bonum est coram se.*

2. Reg. c. 15. v. 25. & 26.

Et in fugâ impeditissimâ, in luctu maximo, in supremis angustiis, cùm jam de regno toto videretur actum, sibi tamen rex David præsentissimus, & ad unã únicam Dei Voluntatem, omnémque illius nutum attentissimus, hoc solùm vult, quod vult Deus. Rediré me vult Deus? Et ego volo. Non vult vt redeam? Nec ego volo. Faciat Dominus quod in oculis suis bonum est, ego præsto sum.

§. II.

OChristiani, si vel hoc unum satis capere, si penitissimis animi medullis hoc ipsum imprimere velimus, rem omnem habebimus confectam, nulla nos ampliùs calamitas, non dico, tanget, sed lædet, nulla opprimet afflictio, mortalium nemo nocere nobis poterit; inexpugnabiles, insuperabiles solâ Dei voluntate circummuniti stabimus; ruent fortassis res nostræ, pecunia, valetudo, fama? nos stabimus; sed etsi ruant urbes & regna, nos stabimus; ruat Atlas, & Orbis cum illo, nos verò stabimus; ruat cælum ipsum, nos stabimus. Amen, quamdiu in nobis steterit hæc ad divinam voluntatem conformatio.

Inexpugnabiles reddit.

Hoc Christus proximè sui funeris diem luculentè ad clivum Olivarium demonstravit. Nam ubi suam omnem in Patris Volũtatem quàm integerrimè transfudit, ipsis jam hostibus, velut agnellum lanionibus seipsum obtulit mactandum. Ante has preces mœstus, pallidus, pavidus, semianimis, ad horrendæ mortis apparatum contremiscebat. Post precés, & suâ jam Voluntate ad Patris Voluntatem conformatâ. Surgite, inquit, eamus in amplexus & oscula hostium.

Seu potius, conformatione quæ semper erat, declarata.

Adeo hæc voluntatis humanæ cum divina consensio, ad omnia toleranda promptum, ad omnia peragenda lacertosum, ad omnes hostes superandos animosum, ad superanda omnia invictum & inexpugnabilem reddit, ut quo quis divinæ Voluntati devotior est, hoc fortius omnia & facere & pati paratus sit. Nec ulla calamitas aut ullus dolor, alias illi voces exprimet, quàm istas: *Sicut Domino placuit, ita factũ est*, ita fiat; etiam ab ipso patientia mea. Hoc illustrissimè Augustinus explicans: *Quæ patientia*, inquit, *inter tanta scandala, nisi quia si id quod non videmus, speramus per patientiam expectamus? Venit dolor meus, veniet & requies mea. Venit tribulatio mea, veniet & purgatio mea. Numquid lucet aurum in fornace aurificis? Immoniũ lucebit, in ornamento lucebit: patiatur tamen fornacem, vt purgatum à sordibus veniat ad lucem. Fornax ista, ibi palea, ibi aurum, ibi ignis, ad hanc flat aurifex. In fornace ardet palea, & purgatur aurum. Illa in cineres vertitur, à sordibus illud exuitur. Fornax Mundus, paleæ iniqui, aurum justi, ignis tribulatio, aurifex Deus. Quod vult ergo aurifex, facio;*

Et ad omnia tolerãda promptos.

Iob c. 1. v. 21.

Aug. in Ps. 61. circa med.

facio; ubi me posuit aurifex, tolero. Iubeor ego tolerare, novit A *ille purgare. Ardeat licet palea ad incendendum me, & quasi consumendum me; illa in cinerem vertitur, ego sordibus careo. Quare? quia Deo subjicietur anima mea.*

En integram humanæ voluntatis cum divinâ conspirationem. De hac religiosus ille scriptor verissimè dixit: *Non est sacrificium majus aut Deo gratius, quàm in omni tribulatione sese conformem facere divinæ Voluntatis beneplacito.*

Rud. Granata in Duæ peccator. l. 1. part. 2. c. 22.

Deus Abrahamo compluries se velut mutabilem exhibuit, perinde si aliud atque aliud modò vellet, modò nollet, & suismet imperiis contraria imperaret. Quod idco factum, ut in tam fideli famulo hic talis cum Dominicâ Voluntate consensus augeretur. Ipsum Abrahami animum inspicite. Non potuit Deus toties mandata sua variare, non labores tam molestos unquam injungere, neque tam acerbè virum illum exercere, quin Abrahamus semper in omne divini nutus arbitrium versatilis idem vellet, idémque nollet B quod Deus.

§. III.

Differentia inter Patientiæ discipulos.

Differentia inter Patientiæ discipulos maxima est. Sunt qui ad gymnasium sine pileo veniãt, vertice nudo, excalceati, sine pallio, quod hominum pauperrimi solent; Alii, quibus pedum usus negatus est, ad hanc scholam ægerrimè non eunt, sed repunt; Alii pedites quidem veniunt, & honestè vestiti, sed sine chartâ, sine calamis, sine atramento, sine libris accedunt, ad discendum impœratissimi; Alii hæc quidem habent, sed minerval non habent. Aliis minerval non deest, sed ingenium: Sunt denique qui ad Patientiæ gymnasium equo aut curru vehuntur, vt magnatum filii solent. His suave est hoc tali compendio ad scholas accedere.

Qui sunt primi discipuli.

Primi illi sine pileo, sine calceis, sine pallio, gymnasium hoc quidem adeunt, sed etiamnum impatientes C sunt, & necdum didicerunt vel saltem *Patienter* adversa tolerare: impatientiam suam nec dissimulare quidem aut tegere norunt; homines sine pileo, & pallio, nimium & vitiosè aperti.

Qui secundi.

Alii ad hanc scholam miserrimè perreptant, qui aliquid quidem patientiæ hauserunt, sed patientes non essent, nisi esse cogerentur: pecunia illis aut metus aliquid patientiæ ostendendum persuadet. Hi sanè nihil *Hilariter* sustinent.

Tertij.

Tertij illi ad Patientiæ studum veniunt, sed ab omni scholasticâ supellectile imparati, velut extemporanei auditores, qui unam alteramve horulam attenti assident: mox discendi tædio victi constantiam omnem exuunt, deserúntque Lyceum. Istorum mens vaga & indocilis illud *Constanter* nequit capere.

Quarti.

At sunt, qui paratiores magistrum docentem audiant, sed minerval non habent. Verissimum in Patientiæ auditoriis minerval seu didactrum est *Gratiarum actio* in adversis, hanc discipulorum complures ob tarditatem ingenii non percipiunt, sed neque id multum curant. Videntur hi profectu utcunque constanti progredi, atque in cæteris disciplinæ gymnasticæ satis capaces, sed ut ii pro plagis ac suppliciis æquè ac pro beneficiis Deo gratias agant, hoc certè nondum didicerunt: hos minervalis paupertas impedit. D

Quinti.

Verùm aliis minerval forsan non deesset, sed deest ingenium, nam difficilia & tristia sine omni *Præmeditatione* patiuntur. Magnus hic ingenii defectus est, ea quæ cuivis hominum evenire possunt, & solent, non præuidere, & ignavas voces illas spargere: *Non putaram.*

Sexti.

Alii demum sunt, qui equis aut pilentis, ad hanc patientiæ scholam eunt redeúntque, homines divinis favoribus opulenti, Atqui hi sunt qui se totos, in rebus omnibus, præsertim adversis, divinæ Voluntati ac Providentiæ penitissimè tradunt. Quâ certè ratione hoc agunt, ut crucem quidem sentiant, sed facillimè ferant, ad divinam Voluntatem attentissimi. Hi non solùm *Patienter*, *Lætè*, *Constanter*, verùm etiam cum *Gratiarum actione*, nec sine *Præmeditatione*, & quod caput est, cum maximâ suæ voluntatis ad divinam *Conformatione* adversa omnia ferunt. His semper bene est, etiam cùm est pessimè. Nam curru divinæ Providentiæ vehuntur securi. Cuivis horum in ore semper est: *Dominus regit me, & nihil mihi deerit: Dominus sollicitus est mei.* Horum optatis respondent omnia; istorum voto cuncta competunt, & ante votum, cùm votorum summa sit, *Velle quod vult Deus.* Malè valent? Norunt hoc divinæ Voluntatis partem esse. Labores, damna, metus incurrunt? Sciunt hæc solere fieri; decerni ista, non accidere. Tristes amicorum abitus, immatura suorum funera spectant? Non nesciunt vitam & mortem, & omnem vitæ seriem penes divinum arbitrium esse. Ita Deo in omnibus assentiuntur, Deum ex animo, non quia necesse est, nec coacti, sed volentes sequuntur. Nihil unquam illis incidit quod tristes, quod malo vultu excipiant, nullum vitæ tributum conferunt inviti.

Psalm. 22. vers. 1. Psal. 39. vers. 18.

Omnia autem ad quæ gemimus, quæ expavescimus, vitæ tributa sunt, quorum nec speranda immunitas est, nec petenda. Hi denique divini arbitratus tam observantes, faciunt quod citharædus, qui citharæ fides tamdiu tendit, attrahit, remittit, dum assonent: ita qui suam divinæ Voluntati vult consonare, tamdiu suam corrigit, impellit, ipstruit, tot ei stimulos subdit, dum illa se divinæ perfectè subjiciat.

Quod Hebræus psaltes insigniter secum exigens: *Nonne Deo*, inquit, *subjecta erit anima mea? ab ipso enim salutare meum.* Sicut Domino placuit, ita factum est: *Sicut fuerit voluntas in cælo, sic fiat.* Nonne igitur Deo subjecta erit anima mea? Hebræum idioma: Nonne ad Deum silebit anima mea? Perinde si dixisset: In omnibus quæ mihi contingunt, religiosissimè sileo, nec contra quidquam mutio, Voluntate ac decretis divinis contentissimus: Dei est gubernare ac præcipere, meum obsequi: ita pede securo pergo. Quod si voluntatem meam experiar refractariam, tunc illud rogare instituo, quod ille servorum fidelissimus rogauit: *Ecce Pater dilecte, in manibus tuis sum ego, sub virgâ correctionis tuæ me inclino; percute dorsum meum, & collum meum, ut incurvem ad Voluntatem tuam tortuositatem meam, da mihi super omnia Voluntatem beneplaciti tui semper inquirere.*

Psal. 61. vers. 2. 1. Machab. ca. 3. v. 60. Tho. de Kēp. Imit. Christi l. 3. c. 50. num. 6.

§. IV.

Neque hæc humanæ voluntatis cum divinâ Conformatio ulli hominum videri debet difficilis. Quid magis in nostrâ potestate est quàm Velle, aut Nolle? Et quid cuivis promptius, quàm quod minimi sumptus est, Annuere, vel Abnuere?

Humanæ voluntatis cum divinâ conformationi debet videri difficilis.

Alexander Macedonum rex discere Geometriam cœperat, sciturus quàm pusilla terra esset, ex quâ minimum occupaverat. Erant illa quæ tradebantur subtilia, & diligenti intentione discenda, quæ non adeo facilè, homo militaris & trans Oceanum cogitationes suas mittens percipere posset. Idcirco discipulus iste: Facilia, inquit, me doce. Cui præceptor: Ista, inquit, omnibus eadem sunt, æquè difficilia.

Pæne hoc idem de humanæ voluntatis ad divinam Conformatione dixerim: Ista omnibus eadem sunt. Sic *Velle*, sic *Nolle* omnibus æquè facile videri debet. Ad istud discendum pares sumus, & pauperrimi, & ditissimi; sine omni labore, sine ullo sumptu infinita *Velle* ac *Nolle* possumus. Imò verò quotidie infinita & volumus & nolumus. Sed non in eo laus est, ut plurima velimus, aut nolimus: divinæ Voluntati

tati congruenter *Velle* aut *Nolle*; hoc laudis, hoc Virtutis est.

Palladius Helen. Epis. c. 63. Russin. Aquil. c. 16.

Rem mirissimam narrant Palladius & Ruffinus. Visus est sibi Paphnutius eos fecisse progressus in viâ Domini, ut simplici piáque curiositate rogarit Deum, monstraret sibi hominem qui se ratione vivendi exæquaret. Annuit Deus, & ei ab Angelo significari jussit, parem illi haberi tibicinem, qui in vico non procul distante tibiis inflandis victum quæritaret. Obstupuit ad hunc nuntium Paphnutius, & multa putans animo: Itáne, ajebat ipse tibi, tot annis, tanto conatu, non plus profeceris, quàm ut virtute tibicinem æques? Et mox iter ingressus, omni studio hunc ipsum virum quæsiit. Inventum studiosissimè percontatus est, quod vitæ genus, quas maximè virtutes sectaretur? Ille ad quæstionem tam seriam subridens, & quòd res erat fateri orsus: Ego, inquit, priùs latro, nunc plagiaulus sum. De virtutibus meis, vir optime, frustra quæris; nullas habeo, quarum & nomen ignoro. Paphnutius urgere hominẽ sciscitando, & animare, diceret porro si quid bonæ actionis vel inter latrocinia suscepisset. Cui ille: Ah, inquit, hircum mulges: sterilis mihi conscientia est. Ebrietatis & libidinis mancipium fui. Illud unum memini, monialem à nobis captam, cui vitium à socijs erat offerendum, à me liberatam, & in proximum pagum deductam esse. Sed & illud memoriam subit, quando adeò quæstionibus me premis, & hæc audire collubitum est.

Ante annos aliquot liberalis formæ feminam vivis inerrantem, & multa lacrymantem reperi. Cúmque fletus causſam sciscitarer: Ne me roges, ajebat illa, mulierum infelicissimam: sed si ancillâ eges, abduc quò lubuerit. Maritus meus, ob grande es alienum, in carcere tantùm non agit animam: nec spes libertatis est. Tres filios meos, sed heu non meos amplius creditores sibi rapuerunt mancipia, in debitorum vicem. Ego cùm ad similem fortunam quæriter, inædiâ & miseriis confecta huc profugi, omnis auxilii, sed & consilii inops. His auditis ego, ajebat tibicen, sortem tam indignam misereſcens, & id esse divinæ voluntatis ratus, ad nostram specum, ægrè spirantem feminam adduxi, ubi jam pænè fugiẽtem animum cibo revocavi. Et quia nescire non potui, Deum divitem esse dominũ, profugam in civitatem reduxi, atque pro liberandis tam filiis quàm marito pecuniæ sat multũ erogavi.

Tu verò, vir bone, pluribus me quæstionibus ne laceſſe: hic omnis virtutum mearum cumulus est: vitia mea citiùs quàm virtutes meas recitavero.

Hîc Paphnutius altum suspirans: Ego verò, inquit, mi frater, Deo id mihi aperiente, comperi te nihilo inferiorem nobis esse, qui solitudines habitamus, & corpus summis rigoribus exercemus. En ergo mi optime frater, cùm tanto loco sis apud Deum, quãto vix chariſſimi, cúmque omnis sanctimoniæ fons sit, velle sanctum esse, ne quæso teipsum negligas. Seriò voluisse, feciſſe est. Hoc unum tibi restat, ut abneges teipsum, crucem tuam tollas, & sequaris Christum. At ille, perinde si volentem ac jubentem Deum cerneret, tibiis quas manu gerebat abjectis, ad divinæ Voluntatis perpendiculum, Paphnutium è vestigio secutus est. Ita triennio cæleſtem egit aulædum in terrâ, & cælo receptus est.

Hîc ego meritò exclamem: Videte, ô discipuli, qui vobis in Patientiæ gymnasio plurimum profeciſſe videmini, videte ne infimi vos vincãt. In gymnasiis certè moris est, ut nonnunquam ex imâ classe puerulus evocetur qui adultum, sed stupidum juvenem turpiter erraſſe doceat. Pænè hîc idem fit. Latrones & tibicines infimæ classis discipuli, altiores illos sed & superbiores, aut minùs patientes in ruborem dant.

Hic palmam fert, Omnia cum Deo velle, nec quid-

A quam nisi cum eodem nolle. Ille hic litteratior, ille utique patientior, ille ceteris omnibus præstantior, cujus voluntas cum Deo conjunctior. Omne tulit punctum, qui suam omnem divinæ Voluntati transcripsit. Fac VELIS, & Patientiæ lauream impetrasti.

§. V.

CEd illud colubrinum CVR in Patientiæ gymnasio plurimos turbat. Cur hoc, cur illud Deus? Cur punit innocentes, dimittit sontes? Cur tot támque nefandæ scelera permittit? Cur suis austerus, alienis sæpissimè blandus est? Cur omnia ad suæ voluntatis nutum vult fieri? Ita serpens in Elysiis campis humanæ gentis matrem interrogat: *Cur præcepit vobis Deus, ut non comederetis ex omni ligno paradisi?* *Gen. c. 3. vers. 1.* *Plurimos turbat cubrinum Cur,*

Serpentinum CVR istud è Patientiæ ludo penitus eliminandum est. Magister seriò dixerit: *Nec nominetur in vobis.* Et Augustinus his serpentibus exactissimè respondens: *Quare*, inquit, *percutiunt aliquando fulmina montem, & non percutiunt latronem? Quia fortè adhuc latronis conversionem quærit Deus, & ideo percutitur mons qui non timet, ut mutetur homo qui timet. Aliquando & tu cùm das disciplinam, terram feris ut infans expaveſcat. Sed dum mihi Ecce cædit innocentiorem, dimittit scelerationem. Noli mirari: undecumque mors pio bona est. Unde autem scis illi scelerationi, si se mutare noluerit, quid pœnarum in occulto servetur? Nonne mallent fulmine incendii potius interire, quibus in fine dicetur: Ite maledicti in ignem æternum? Opus est, ut innocens sis. Quid enim? Malum est mori naufragio, & bonum est mori febre? Sive inde moriatur, quære qualis sit qui moritur, quò post mortem iturus, non unde nunc exiturus. Tu time, & bonus esto, undecumque voluerit, ut exeas hinc, paratum te inveniat.* *Ideo eliminandum est.* *Ephes. c. 5. vers. 3.* *Aug. to. 8. in psal. 140. circa med. mihi pag. 911.*

Quidquid ergo hîc accidit (ejusdem Augustini verba sunt) *contra voluntatem nostram noveris non accidere nisi de Voluntate Dei, de providentia ipsius, de ordine ipsius, de legibus ipsius, etsi nos non intelligimus, quid quare fiat, demus hoc providentiæ ipsius, quia non fit sine causâ. Cùm enim cæperimus disputare de operibus Dei: quare hoc, quare illud, & non debuit sic facere, malè fecit hoc. Vbi est laus Dei? Perdidisti Alleluja. Omnia sic considera ut placeas Deo, & laudes artificem. Quasi si intrares in officinam fortè fabri ferrarii, non auderes reprehendere folles, incudes, malleos. In officinâ non audes vituperare fabrum, & audes in hoc mundo Deum? Imperitus reprehendit omnia: Peritior, etsi artificem novit, scit tamen esse hominem, & ait: Non sine causâ hoc loco folles positi sunt; artifex novit quare, etsi ego non novi.* *Hæc quæso, bene notentur.*

Vtigitur amantissimi patris voluntatem obviis ulnis amplectamur, idem Augustinus animos addens, & Æternitatis hæreditarias delitias ingerens: *Deus autem tuus*, inquit, *redemptor tuus, domitor tuus, castigator tuus, pater tuus erudit te. Quò? Vt accipias hæreditatem, ubi non esseras patrem, sed hæreditatem habeas ipsum patrem. Ad hanc spem erudiris, & murmuras? Et si quid triste acciderit, fortaſse blasphemas? Quò ibis à spiritu ejus? Ecce dimittit te, & non flagellat: deserit blasphemantem; non sentiet judicantem: Nonne melius est, ut flagellet te, & recipiat te: quàm parcat tibi, & deserat te? Gaudes? agnosce patrem blandientem. Tribularis, agnosce Patrem emendantem. Sive blandiatur, sive emendet, eum erudit cui parat hæreditatem.* *Idem to. 10. De Verbis Dom ser. 4. c. 5.*

Porro Deus, eodem Augustino teste, *omnium hominum peccata sic ordinat, ut quæ fuerunt oblectamenta homini peccanti, sint instrumenta Domino punienti. Non dixit Deus, fiant tenebræ, & factæ sunt tenebræ? & tamen ipsas ordinavit.* Ita & peccata Deus, quamvis illa non faciat, ea tamen permittit & ordinat, & sic in omnibus Voluntatem suam exequitur efficaciſſimè. Nunc jam huc animum omnes, ea quæ loquar, advertite. Res ab ovo, sed breviſſimè, deducenda. *Idem to. 8. in psal. 54. mihi pag. 212. post med.* *Idem in psal. 7. ante fin.*

§. VI.

ANte Orbem conditum, inane fuit merissimum, imò nihil fuit præter Deum Optimum Maximum, qui sine rebus creatis beatissimus, ipse sibi sufficiens, rerum omnium in se ideam ab æterno habuit, habétque, ita **perfectam**, ut nec jota, nec punctulum (sic loquimur) nec apiculus ullus tam in intellectu divino quàm in voluntate desiderari possit. Ad hanc Intellectus ac Voluntatis suę ideam omnia perfectè condidit, bona omnia, & quidem *valde bona*. Ea gubernare porrò ac conservare non desinit, & momentis singulis universa disponit ordinatissimè.

Gen. c. 1. v. 31.

Finem Deus, quem sibi ab æterno præstituit, in rebus semper omnibus assequitur. Et quod infinitæ prorsus potentiæ ac bonitatis est, minima æquè ac maxima curat, tam singulos quàm universos homines providentissimè, nullo nõ puncto temporis regit, & singulorũ quoque hominum minutissima quæque sic dirigit amantissimè, ut nihil sit quod non in optimum finem feratur, unica modò voluntas hominis ipsa sibi non incõmodet, discordando à summâ Voluntate.

Dei bonitas, patientia, & providentia in rebus singulis:

Quod Deus ab omni retro Æternitate in suis pugillaribus scripsit, quod facere, quod permittere decrevit, nemo hominum, neque Angelorum ullus mutabit, aut impedier. Omnium animantiũ pili, omnium montium arenulæ, arborum omnium foliola; avium minimæ, passerculi ac reguli, ipsi aëris atomi; omnium omnino tam Angelorum quàm hominum cogitationes & numeratæ sunt, & appensæ.

& eius decretũ nemo potest mutare.

De quo igitur tu jam conquĕri potes, perinde si Deus ad calamitates tuas parum attentus, te tuáque non satis providè gubernet, aut nimium hostibus tuis permittat, aut in tantâ rerum hominúmque turbâ te negligat? Stultissime mortalium, túne apud teipsum hæc susurres? *Omnia in mensurâ, & numero, & pondere disponit Deus*, etiam res tuas, etiam rerum tuarum minutissima quæque.

Sap. c. 11. vers. 21.

Vitam tuam retro actam, oro, consídera, & dispunge in eâ, quid aliter velis evenisse, simúlque observa hoc ipsum à Deo ad ideam suã accuratissimè relatum, hoc est (ut id probè capias) sicut Deo placuit ab æterno, sic factum est, sic & deinceps fiet. *Iota unum, aut unus apex non præteriit*, nec in posterum præteribit, dum usquequaque omnia divinæ ideæ conformiter fiant.

Matth. c. 5. v. 18.

Voluntas Dei sanctissima stabit. Quid tu verò tunc profecisti, cùm adeo doleas, téque aliósque frustra turbares? Ecquid jam dolendo & turbando proficies? Obsecro te, ne ad idem saxum iterũ impinge, *Resignationis* affectum indue & Dei Volũtati quàm intĕrrimè te committe, atque ita divinæ Providentię currum consconde; veheris eo securus. Sine concessu & veniâ divinæ Voluntatis, nec arenula, nec digitulus, nec ulla contra te cogitatiuncula movebit.

Non excludimus licita rerũ remedia; an ea autem effectũ habitura sint, an minus penes Dei Voluntatem est.

Sed sicut præterita meo suasu, sic & futura, quæso, consídera; quidnam eorum in voluntate aut potestate tuâ? Vix quidquã. Sed hæc prævidere satis imminentia potes. Dic, qualis erit proxima æstas? Si sterilis & mala sit, sequetur rerum penuria, & pestis. Quid ergo tuũ hîc providere & angi juverit? idĕ in rebus alijs sĕtiendũ. Revera nec bona impetras, nec mala præcaves, nisi Deus id velit, cujus idcirco Volũtati tuã agglutina.

Incassum te torques, frustra reluctaris; supervacuo labore struis & ædificas, nisi divina tecũ ędificet Volũtas; Nihil agis, nihil proficis, nisi velis quod vult Deus.

Divino nutui in omnibus se subjiciendum.

Hoc igitur age; in omnibus divino nutui te subjice. Et hoc unum, obsecro, apud animum tuum quotidie perpende, quod longè certissimum: Deus ab æterno providit & decrevit, hanc tibi crucem secundum omnes circumstantias loci, temporis, personarum imponere, quam ipse summâ bonitate & sapientiâ tuis viribus admẽsus est. Hoc solùm restat, ut ea velis tibi prodesse; proderit autem plurimum, modò tu tuam divinæ Voluntati jungas, & accommodes.

Ergo in omni omnino eventu sic ratiocinare: Hoc à Deo est, ergo optimum est. Hęc injuria, hic morbus, hæc inopia, hæc molestia seu miseria ab ipsissimo Deo est, ergo mala mihi esse non potest, nisi mea voluntas à diuinâ dissentiat. Cave autem unquam dixeris: *Modò hæc, modò illa crux me non premat.* Otiosa & inanis querela Et hanc, & illam crucem, quam sic horres, ideo amplectere, quia vult Deus & hac, & illâ te cruce fatigari. Aut ergo idem velis quod Deus, aut quia ita vis, succumbe ac peri.

§. VII.

QVod verò colubrinum illud CVR quærebat: Cur Deus alienis non rarò tam benignus, suis plerunque tam austerus sit &c. exactè sciendum, hanc Dei Voluntatem æquissimã esse. Adversis sanè multa millia hominum ad frugem corriguntur; prosperitate vix ullus. Felicitas Virtutis noverca beatulis suis applaudit ut noceat.

Ioan. Satisberiens. l. 1. Policr. c. 1. Adversitate multa millia hominum ad frugem corriguntur, prosperitate vix ullus.

Sunt qui felices sibi videantur, sed suâ tantùm opinione, quæ quoniam falsa est, felicitati parum addiderit, sed miseriæ multum. Siquidem propriam non nosse miseriam miseria summa est. Magnus ille Pompejus felicem se credidit. Sed si profundiùs verum fodiamus, nunquam fuerat, ne tunc quidem cùm florentissimò in statu felicissimus haberetur. Exitus monstravit acta. Carnificis gladio caput & sanguinem suum propinare jussus est Pompeius.

Polycrates, rex Samiorum, ipsissimus Fortunæ pullus censebatur, nihil ei in vitâ adversum. Cælum, terra, mare favebant aut serviebãt. Omnes conatus ejus placido excipiebantur itinere, spes certum cupitę rei fructũ apprehendebat, vóta nuncupabantur simul & solvebantur, velle ac posse in æquo positum erat. Semel duntaxat vultum contraxit Polycrates brevi tristitiæ salebrâ succussus, cùm scilicet placandæ Nemesi, & ne omnis incommodi expers esset, charissimum summique pretij annulũ in mare abjecit. Hunc ipsum tamen continuò recuperavit, capto pisce, qui eum devoraverat. Tandem felicitas omnis in altissimâ cruce expiravit. Nam Polycrates ab Oronte Darii regis Satrapâ in Mycalensis montis vertice cruci affixus, miserabile sed luculentum dedit spectaculum fallacissimæ felicitatis.

Herodotus l. 3.

Alii: Oronte.

Hæc vana sunt, inquis. Ergo Amanum in alto suspice, Polycrati geminum, mausolæo simili, nec minùs sublimi exceptum. Divitiis Amandiu abũdabat, uxore & prole copiosâ beatus, amicos plurimos numerabat, ipse Assuerus rex ei amicissimus; omnia Amano ex sententiâ fluebant. Quid tandĕ? Tantæ felicitatis epilogus fuit patibulum. Hanc ipse sibi domum architectatus est Aman vel invitus. Sic segetem nimia sternit ubertas, & arborum rami onere franguntur; sic magna maris tranquillitas procellarum signum est. Idem in moribus, & vitâ:

Luxuriant animi rebus plerunque secundis.

Nimirum Luna nunquam in deliquio est, nisi cùm plena est: quo autĕ ea plenior, hoc à sole remotior; sic & equus quo curatior & pinguior, eo in sessorĕ ferocior: sic & homo plerũq; à Deo alienior, quo felicior.

Hinc Deus olim de gente suâ queritur: *Saturavi eos, & mœchati sunt. Incrassati sunt, & impinguati, & præterierunt sermones meos pessimè.* Vbi felicitas regnat, illic plerunque virtus exulat.

Hier. c. 5. v. 7. & 28.

Ambrosius Mediolanensium præsul, uti Paulinus memorat, ad hominem opulentum è viâ divertit. Hic, ut Ambrosium hospitem suum, non liberali solùm mẽsâ, sed & humanis colloquiis reficeret, prolixiorem ingressus est narrationem. In eâ de seipso affirmavit, nihil sĕunquam adversi passum; ante vota, supra vota omnia adesse, hoc est, priusquam vellet, & plusquam vellet,

Paul. in vita Amb.

vellet, adeóq; quid calamitas sit, se nescire. Exhorruit A ad has voces Ambrosius, & mox velut ad subitum negotium avocatus, patrisfamilias & beatissimæ illi domui valedixit. Repentini abitus caussam suis hanc assignavit. Vereri se, ne in domo tam beatâ, & apud hominem, quem adversa nunquam vellicassent, hospitium pessimum elegerit. Quare maturandam illinc fugam, ne forsan subitâ eademque clade cũ tali hospite involvantur. Ambrosio non procul inde digresso, una sed insperata domus ruina inquilinos omnes sepelivit.

Quàm ergo meliùs longè cum iis agitur, qui jam procellis variis jactantur, ut quietem ac felicitatem ibi quærant, ubi ruinæ non sunt metuendæ. Hîc vitam agimus perpetuis tentationũm prælijs infestam, periculis semper & multis & gravibus expositi, nec unquam ante exitum securi; quod sive nesciant, sive sciant, qui felicitatem somniant, æquè miseri sunt habendi. Nulla enim cum errore, nulla sine securitate felicitas. Solus ille felix, qui in curru Altissimæ Providentiæ sedens, B divinæ Voluntati se dat ex toto.

Thomas Morus suã divinę voluntati subjecit:

Thomas Morus exemplar patietiæ illustrissimum, suam divinæ Voluntati integerrimè subjecit hoc modo. Cùm è legatione transmarinâ reversus, procul domo apud Regem ageret, Augusto mense, pars domus, & omnia illius horrea frumento plena, nescio quâ vicini incuriâ per incendium subitum deflagrarunt. Hanc cladem conjux generi sui litteris exposuit. Conjugi Morus Anglicè rescripsit in hunc modum.

Salus plurima. Domina Aloysia, intelligo horrea nostra & vicinorũ aliquot cum omni frumẽto periisse incendio. Dolenda quidem (salvâ Dei Voluntate) frumenti tam copiosi jactura. Quia tamen ita Deo visum est, debemus omnino non solùm patienter, sed & libenter hanc Dei manum in nos extentam ferre. Quidquid amisimus, Dominus dedit. Sed quia id nobis iterum ademit, Domini Voluntas fiat. Nunquam C super hac re murmuremus, sed æqui bonique consulamus, & Deo magnas gratias agamus, tam in adversis, quàm prosperis. Atque si rectè calculum ponamus, majus Dei beneficium est hoc damnum, quam ingens lucrum. Quid enim saluti nostræ faciat, Deo magis quàm nobis perspectum est.

Nota hæc Christiane, nota, nota.

Rogo igitur, bono sis animo, & omnem tecum familiam duc ad templum, Deóque gratias age, tam de his quæ nobis donavit, quàm quæ nunc abstulit, & quæ etiamnum reliquit. Facile Deo est, si ei sic visum, augere nondum ablata. Quod si plura velit auferre, sicut Domino placuerit, ita fiat.

Inquiratur etiam, quantam jacturam fecerint vicini, moneanturque, ne ob eam rem contristentur. Non enim committam, ut vicini mei cladibus meis domesticis lædantur; etiamsi omnis mea supellex ad unicum usque cochlear diripiatur.

Obsecro, ô mea Aloysia, unà cum liberis nostris, totâque familiâ sis læta in Domino. Hæc omnia, nósD que omnes in manu Dei sumus. A Dei Voluntate pendeamus toti, nec ullum unquã damnum nocere nobis poterit. Vale. Ex aulâ Wodstochii 13. Sept. an. 1529.

O superi! quàm hæc sincera in divinam Voluntatem devotio! quàm hæc verè cordati viri epistola est! Hic paterfamilias in gymnasio Patientiæ profecit, hic vir hic est, qui tantam jacturæ molem, per integram cum Volũtate Dei Conformitatem, suaviter portavit. En struthiocamelum, qui ferrum potuit, & glutire, & concoquere. Horrea illius arserunt, non animus. Hunc patientiâ munitum servavit integrum.

Et videte, quâ ratione hanc cladem, perinde ut Iobi ærumnas, liberalissimus Deus multiplici fenore pẽsarit. Mense Septembri tristissimum nuntium accepit Morus; Octobri proximo regni Anglicani Cancellarius pronuntiatus est. Nec novâ tantum dignitate, sed & cẽsibus novis est auctus. Vnde non vetera solũ horrea restaurari, sed & veteribus nova potuerant adjungi. Hic Dei mos est: Deducit ad inferos, & reducit.

Anglorum Cancellario Principe Hispanum, Franciscum Borgiam tertium in Societate Iesv Præpositum Generalem adstituo. Iter fecit Borgias Septimãcam, ubi Societatis tirocinium erat; Nox præcipitans euntem in itinere deprehendit. Plurima nix cælo labebatur, ventus perfrigidus urebat & confundebat vias, tenebræ iter omne subducebant.

Andreas Schott. l. 2. vitæ c. 12. Sic fecit Franciscus Borgias.

Tandem per nives ac tenebras eluctatus, nocte adultâ, quò destinarat, pervenit. Necdum tamen injurias cæli effugere licuit. Cùm jam ad Collegii staret, socii omnes primo sopore mersi altiùs dormiebant. Pulsavit fores iterum, iterúmque ac sæpius; nemo respondit. Non sopiti tantùm, sed mortui videbantur incolæ. His illud accessit incõmodi, quod à portâ longiùs abesset domus. Interim venti flare & fatigatum percellere, fames pabulum postulare, nives optimum Patrem operire, & totum cãdidatum facere. Post diuturnas moras tandem aliquãdo expergefacti tirones, & reseratæ fores. Intromissus, tantum abest, ut vel seviore vultu, aut asperioribus dictis moras castigarit, ut plenus hilaritate gratulari sibi de hoc videretur. Stabant socii, & erubescebant tam altam somnolentiam; itaque multis deprecabantur quod optimũ parentem in tantâ intemperie cæli pro foribus stantem tamdiu destituissẽt. At Borgias licet exanimatus pænè frigore, sereno nihilominus & placido vultu: Non est filii, ait, quod meas vices doleatis. Dum expectarem, hæc mea fuit cogitatio: Quemadmodum princeps quispiam voluptatem capit, cùm leonem simílemve feram in arenâ stimulis ac venatu agitari cernit, ita delectatur Deus, dum me feris nihilo meliorem, mollibus petit rivium velleribus, quæ me non lædant, sed urgeant, atque impellant. Hæc mihi evenire Dei providentia, Voluntas Dei fuit. Velimus & nos quod vult Deus; & gaudeamus, cùm suum illud in nos favorem explicat; licet rigidiore paullulum experimento.

Hoc virum sapit, hoc mitigat adversa, voluntatem suam divinæ tam non contradicentem, tam conformem, tam obsequentem adjungere.

Et Magdalena Neoburgica.

Sed Gandiẽsium duci, Ser.mam principem Magdalenam Neoburgicam jungo, ut quò recentioribus, eò etiam efficacioribus impellamur exemplis. Laudatissima hæc princeps, alibi à nobis uberiùs laudanda, S.mi Electoris Maximiliani soror, S.mi Ducis Wolfgangi Gulielmi Neoburgici conjux, diem suum obiit anno 1628. die 25. Septembris. Hæc, inquam, lectissima herois, in omnium quidem virtutum actionibus constanter suam industriam exercuit; imprimis verò illuc animum intendit, ut voluntatem suam cum divinâ quàm arctissimè conjungeret. Adversa omnia, quæ quotidie plurima occurrebant, à divinâ manu tanquam præcipui favoris argumenta promptè accipiebat. & ad casus omnes Dei caussâ fortiter perferendos invictã se præstabat. Quo in studio, exercitatione cõtinuâ eò denique mentẽ adegit, ut postremis quatuor annis, quibus ad hujusce virtutis apicem feliciter contendit, uno sæpe die ampliùs centies voluntatem suam cum divinâ conformasse in codicillis ejus repertũ sit.

Nimirum ad Dei Voluntatem vivere, hæc vera demum est vita; quod aliter vivitur, mors est. De quo eleganter Augustinus: *Contulerunt, inquit, cum Apostolo quidam philosophorum Epicurgorum secundum carnem viventes, & Stoicorum quidam secundum animam viventes; contulit cum illis secundum Deum vivens. Dicebat Epicureus. Mihi frui carne, bonum est. Dicebat Stoicus, Mihi frui meâ mente, bonum est. Dicebat Apostolus. Mihi autem adhærere Deo, bonum est.* Errat Epicureus; fallitur Stoicus; non errat Christianus, qui Deo divinæque Voluntati adhæret.

Aug. to. 10. serm. 13. de Verbis Apostoli circa med.

hæret. Tunc enim rectè vivit anima, si non secundùm A carnem, nec secundùm seipsam, sed secundùm Voluntatem divinam vivat. Sicut enim anima carnis, ita Deus animæ vita est.

§. VIII.

QVin ergo hanc unam, omnium optimam, sanctissimámque Dei Volũtatem amplexu arcto strin-gimus, quin ad eam ultro ire, quàm raptari malumus? Quisnostram voluntatem omnem in hac unà constituimus, ad agendum, atque patiendum, quidquid nos Deus agere, ac pati voluerit.

Quis verus Patiẽtiæ discipulus.

Is demum verus Patientiæ discipulus, is verè patiens est, qui in omnibus, quæ patitur, hoc unum vel millies ingeminat: *Solius Dei velle volo.* Novit Deus quid publicè privatimque tã gloriæ suæ quàm saluti nostræ expediat. Ego verò cùm id ignorem, quid rectius spero vel metuo, quid sanctius dolco vel gaudeo, nisi de tuâ, mi Deus, Voluntate, ejúsque sanctissimis decretis? Quidquid eveniat; cælum ac terra misceantur, sursum B deorsum res eant, turbentur ac confundantur omnia, nihil fiet (certissimus sum) & nec capillus quidem è capite, nec arenula vel lapillus è monte defluet, sine tuâ providentiâ. Non est ergo quod de ulla re, ullóve homine conquerar, Tua Voluntas fiet, mi Deus, imò & mea, quam toties transmutavi tuæ.

Hic oro te, Lector, ne pigeat legere, aut etiam lecta relegere, quæ tam in *Heliotropio* toto, præsertim libro quinto, capite ultimo summatim; quàm quæ in *Æternitatis Prodromo*, Capite secundo, paragrapho 28. & Capite tertio, paragrapho 47. & 49. radimus, ubi hanc humanæ voluntatis cum divinâ consensione cum curâ explicamus. Quâ porro ratione in adversis firmãda & exigenda sit ad Deum fiducia, *Heliotropii* libro 5. capite tertio docemus, quæ hîc non videntur recantanda.

Sed verbo transigamus. Si hanc doctrinam, ô Christiani, aut non capiatis, aut, quod verius, nolitis capere, C in gymnasio Patiẽtiæ tempus frustra teritis: quem imitamini, nunquam assequemini; nullus est profectus ve-

2. *Tim. c. 3. vers. 7.* ster, nihil agitis, *semper discentes, & nunquam ad scientiam veritatis pervenientes.*

Aut ergo voluntatem vestram conformate cum divinâ (nudis verbis dicendum) aut gymnasio hoc excludemini, velut inociles, nullius frugis, nec ullius spei discipuli. Quod si hoc unum documentum probè condiscitis, nunquam non beati eritis, etiam inter res

Ioan. c. 7. vers. 17. Matt. c. 12. v. 50. & Marci c. 3. vers. 35. afflictissimas. Æternæ Veritatis vox est: *Si quis voluerit voluntatem ejus facere, cognoscet de doctrinâ. Quicumque enim fecerit Voluntatem Patris mei qui in cælis est; ipse meus frater, & soror, & mater est.*

§. IX.

EPILOGVS

Dictorum omnium.

QVod de humanâ voluntate ad divinam in adver- D sis maximè conformandâ diximus, id Augustinus illustrissimè confirmat, ubi de improbis tolerandis disserens: *Hinc mitescе*, inquit, *quemadmodum mitescis cùm dicis, quia Deus hoc vult, ideo florent mali. Parcere vult malis; ad pœnitentiam adducit eos quibus parcit, sed illi non corriguntur. Novit ille quomodo de illis judicet. Immitis est autem homo, cùm vult contradicere aut bonitati Domini, aut patientiæ, aut potestati, aut justitiæ judicis.*

Qui sunt recto corde. Qui distorto.

Qui ergo sunt recto corde? Qui hoc volunt quod Deus vult. Deus parcit peccatoribus, tu vis ut jam perdat peccatores. Distorti ergo cordis es, & prava voluntatis, quando aliud vis, aliud vult Deus. Vult autẽ Deus parcere malis; tu non vis parci. Patiens est Deus peccatoribus, tu non vis tolerare peccatores. Sed ut dicere cœperam, aliud vis tu, aliud vult Deus. Converte cor tuum, & dirige ad Deum, quia & Dominus infirmis compassus est. Vidit in corpore suo, id est, in Ecclesiâ suâ infirmos, qui primo voluntatem suam sequi tentant: sed cùm vident voluntatem Dei aliam esse, dirigunt se & cor suum ad suscipiendam & sequendam voluntatem Dei.

Igitur ne voluntatem Dei velis torquere ad voluntatem tuam, sed tuam corrigere ad voluntatem Dei. Voluntas Dei est ut regula incommutabilis. Quamdiu integra est regula, habes quò te convertas, & corrigas pravitatem tuam, habes undè corrigas quod in te tortum est.

Quid autẽ volunt homines? Parum est, quia voluntatẽ suam tortuosam habent, etiam volũt voluntatẽ Dei tortuosam facere secundùm cor suum, ut hoc faciat Deus quod ipsi volunt, cùm ipsi hoc debeant facere, quod Deus vult. Hæc Augustinus.

Obsecro vos, mortales, an non tandem aliquando hanc doctrinam de vestrâ voluntate ad divinam conformandâ capitis? quam prisci Patres quam sacri codices tantis clamoribus inculcant. Etiamnum nostri sensus ac cerebri pervicaces stamus, & nolumus quod vult Deus, aut volumus quod Deus non vult? Quæ patimur, ea nos pati vult Deus (nil certius) idque vult in nostrum bonum, favore singulari. Hos ego favores, inquis, non ambio. O te, pænè dixerim, non hominem, sed ignarum cæli pecus? Quæso te, circumspice, quanti etiam è magnatibus labores ambiant, modò ijs honores & opes nanciscantur. Cùm impetrant quod ambiebant, id maximi favoris argumentum habent. Et tu per breviſſimos labores ad ferias atque delitias transiturus æternas, velut bubalus cornu feris, & restitas? Audi rem miram, & testatissimâ fide comprobatam, quam Leontius Neapoleos Cyprorum episcopus hunc in modum commemorat:

Ioanni Alexandrino Patriarchæ viro sanctissimo unus aliquis civium (Philochristum vocat Leontius) septem auri libras & dimidiam in egenorum stipem offerens: Plus auri, ziebat, mihi non est. Hoc autem unum, Pater sancte, à te postulo, idque unicè, ut filium meum absentem tuis precibus Deo commendes. Modò illum salvum & incolumem recipiam, & quidquid hoc auri est, bene impensum dicam.

Leontius Neap. Cyprorum Ep. piſc. in vit. S. Ioan. Eleemoſyn. c. 25. tom. 1.

Vt autem constaret, quantùm seriò peteret, poplite breviter submisso ante præsulem sese identidem inclinavit, tantò efficaciùs, ut putabat, impetraturus, quantò submissiùs petijsset. Habebat autẽ filium quindecim annorum, eúmque unigenam, quem in navi ex Africâ sperabat reducem. Atque hunc Ioanni Patriarchæ quàm commendatissimum cupiebat. Admisit aurum, & unà preces Patriarcha, miratúsque est animum tam generosum, qui posset spernere tam multum auri. Ita optimè ille precatus, atque ut Leontius loquitur, oravit ei in facie multum, & sic eum dimisit. Neque verò distulit preces fundere pro eo, qui illas tam ardenter expetiisset. Mox igitur oratorium ingressus, auro subtus sacram mensam repositio, rem divinam fecit: Deum verò, quem facturum se promiserat, quantis potuit precibus rogavit, filium parenti salvum unà cum navi sisteret. Necdum dies triginta abierant ab iis precibus, & filius liberalissimi civis illius mortuus est; onusta navis naufragio periit. Tertio die à morte filij, adest tristissimus nuntius, qui & filium obiisse, & navigium unà cum mercibus omnibus periisse, solos homines, vacuámque scapham evasisse, cum fide exponit. Heu patris dolorem multiplicem, immensum! Aurum expendit, filium amisit, navim quam expectarat, non recepit. En pietatis præmium, luctus ingens, & vix ullius solatij capax. Nam illud regij psaltæ de afflictissimo hoc parente vere tunc dici potuit: *Nisi quia Dominus adjuvit illum, paulo minus habitasset in inferno anima illius.* Ad concutiendum virile pectus videri potuisset sufficere navis interitus: accesisit insuper immaturus filij obitus. Heu geminum letale vulnus! quorum alterutrum ad mortis intulisset.

Leont. perſon. etiam fecit Synaxim.

Pſal. 93. v. 17.

Vbi hæc omnia Ioanni Patriarchæ sunt narrata, optimus.

optimus Antistes pænè plus doloris hausit, quàm is quem ex destinato petiit tam seva calamitas, Hinc dubius quid ageret; impensissimè Deum obsecravit, solatii aliquid parenti mœstissimo impertiretur. Nam virum adeo undique afflictum ad se accessere non sustinuit. Misit tamen hominem prudentem, qui suo nomine hæc illi diceret: Cave animum despondeas, vir optime, cave Deum ullius inclementiæ accuses. Erigere in altum, & delitias æternitatis prospice: *Momentaneum & leve tribulationis nostræ, æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* Quæcunque in terrâ fiunt, æquissimo Dei judicio fiunt. Nec ullum tam grande malum aut supplicium est, quod non in nostrum cedat bonum, si vincamus illud patiendo. Deus providentissimus Pater ab æterno non tantùm præscit, sed & decrevit quod maximè nobis expediret. Nos velut infantes damnorum nostrorum ignari sæpe nobis noxia postulamus. Quapropter fide Deo, in cujus manu & navis tua, & filius tuus est.

2. Cor. c. 4. v. 17.

Pia prorsus, & è solido petita consolatio: sed animum tam letaliter saucium hæc verba vix penetrarunt. Ergo cùm humanum deesset, divinum adfuit auxilium. Sequenti nocte afflictissimo huic civi visus est in somnis adstare Ioannes Patriarcha, & hæc dicere: Quid angeris, frater, & cur mœrore dissolveris? An non rogasti me, peterem à Deo, ut salvum haberes filium? En, salvus est. Crede mihi, si vixisset superstes, periisset. De navi tuâ hoc scito. Nisi tibi Deum eleemosyna tam liberali conciliasses, illa cum omnibus, qui ea vehebantur, fuisset fluctibus hausta, inter quos & fratrem tuum jam mare sepeliisset, quem tamen sospitem recepisti. Surge igitur, & Deo gratias age, de filio jam salvo, & fratre insuper recepto.

Ab hoc somnio Philochristus evigilans, jam multò quàm ante erectior, mœrorem pænè omnem detersum sensit, & mox ad Patriarcham accurrens, ad genua illius accidit, & narravit quæ sibi per proximam noctem species fuisset visa, quantúmque solatii verbis affusum. Inde jam, inquiebat, gratias ago benignissimo Deo, qui nostro nos bono exercet, nec minùs patrem agit, cùm pœnis afficit, quàm cùm solatiis. Mox Patriarcha in has ipsas voces erumpens: Gloria tibi, ô benignissime, ô misericordissime Deus, qui tuorum preces non spernis. Et ad civem conversus: Nequaquam, inquit, id meis orationibus adscribas, sed divinæ bonitati, tuæque fidei.

Discamus, ô modicæ fidei mortales, Deo fidere; in rebus arctis & afflictis animum non abjicere: discamus adversa non *Patienter* solùm, sed & *Hilariter*, & cum *Gratiarum actione* perferre. Quid trepidamus aut tergiversamur? Inaniter & frustra. Hæc animo constet sententia hoc nobis deliberatissimum sit, *Pati plurima*. In eam rem animum ad hæc talia *Præparemus*, & sua Patientiam comitetur *Constantia*; voluntatem nostram, in omnibus omnino rebus maximis minimis cum divinâ *conformemus*.

Dominicus Tempesta, mihi p. 410.

Pius V. Pontifex, gravissimos eósque diuturnos calculi dolores patientissimè ferens, sæpiùs auditus est dicere: Domine, adde ad dolorem, modò addas ad patientiam. Sequamur præeuntis vocem, & licet animi corporisque undique malè sit, fidentissimè tamen dicamus: Domine Iesu, auge ægrimoniam, auge; modò augeas & patientiam.

Haud aliter Franciscus Xaverius, ille Indorum & Iaponum ecclesiastes, qui patiendi tam avidus fuit, ut in ipsis incommodis & periculis enixè Deum precaretur, ne his malis eriperetur, nisi ad majora mala divinæ gloriæ causâ reservandus. Cúmque etiamnum Romæ in valetudinario ageret, & magnos sibi labores, inopiam, famem, sitim, egestatem, æstum, frigus, vexationes, pericula, proditiones, terrâ marique Christi causâ subeunda cognosset, ardenti spiritu succlamavit: *Etiam amplius, Domine, etiam amplius.* Nam eâ in Deum fiduciâ ferebatur, ut certus crederet, ab eo qui desiderium illud suggessisset, vires etiam ad perferenda omnia sufficiendas. Hinc animosissimæ voces illæ: Etiam amplius, Domine, etiam amplius da, quod patiar.

Audeamus obsecro, Christiani, audeamus & nos aliquid cælo dignum, & cùm in ærumnis erimus, exclamemus & nos cum beato viro: Etiam amplius, Domine Iesu, etiam amplius. Auge dolores, augebis etiam, nil diffidimus, patientiam.

Sed finio hanc omnem de Patientiâ scriptionem cum beato Melithone martyre, qui inter quadraginta Christianos heroas natu minimus, virilis tamen constantiæ nobilissimum dedit specimen. Mater illius virago verè Christiana, cùm filium cerneret jam fractis cruribus vix animam trahentem, animosissimè illum sic cohortata est: Fili paullisper sustine, ecce Christus ad januam adest, auxilium allaturus & præmium: paullisper, mi fili. Sustinuit, & hortatu matris accensus generosè mortem obiit.

Surius to. 2. die 9. Martii de SS. 40. Martyribus ad urbem Sebastæ occisis.

Iisdem nos vocibus compellat optima mater Patientia: Filii sustinete paulisper, auxiliator adstat Christus, & jam præmium commonstrat. Dolor omnis momento finietur. Æternitas beatissima in proximo est. Respicite tot beatorum agmina: omnes illi levi temporis impensâ invenerunt quomodo immortales fierent; ad immortalitatem patiendo & moriendo venerunt.

Quid ergo resistimus, & pati horremus? Ad contemnendam omnium malorum potètiam animus patientiâ pervenit. Si non vis pati, recusas coronari. *Non est vita*, inquit Chrysostomus, *sine miseriâ. Sed quantùm tribulationes intenduntur, tantùm & retributiones ampliabuntur.*

Chryst. to. 3. hom. 5. & homil. 66. post initiù.

Laboribus & doloribus cælum emitur. Vetus illud non ignoramus: *Labor est ante cibum.* Ita Suidas meminit Cyri milites absque sudore ad prandium non venisse, quo & suavius cibum caperent, & rectiùs valerent. Et nobis epulum cæleste inter lusus & otia obtinget?

Suidas voce ἀνδρωνῖ, mihi p. 82.

Et quæso, ut æternam illam & immortalem vitam discamus nosse, hanc mortalem prius probè noverimus. Quid nobis blãda proponimus, quid suavia pollicemur? in exilio sumus, in eremo degimus. Hîc aliter non vivitur, quàm inter innumera incõmoda. Si malè fers, magna onera; si bene, magna solatia.

Sicut immortalis homo, inquit Chrysostomus, *non potest inveniri, ita nec absque tristitiâ.* Sed in solatium addens: *Cùm rebus*, ait, *adversis premimur, gaudeamus; hoc enim est peccatorum expiatio. Nullus athleta generosus in stadio balneæ quærit, aut mensam cibis & vino redundantem. Hoc non est athletæ, sed delicati. Athleta namque pugnat pulvere, oleo, solis ardore, sudore largo, tribulatione & angustiâ. Hoc est certaminis tempus & pugnæ: igitur & vulnerum, & cruoris, & doloris.* In acie militem, in tempestate gubernatorem, in stadio cursorem, in arenâ pugilem noscas.

Chryst. to. 5. homil. 67. med. mihi p. 363. & prius 361.

Omnem nos vitam certamen esse putemus, nec unquam remissionem quæramus, & nunquam in tribulationibus inusitata nos pati arbitrabimur. Pædagogus noster tribulatio est. Nec tribulari malum, sed malum est peccare. Peccauit, non qui malè passus est, sed qui malè fecit.

Idem eodem tom. ho. 62.

Imò quod explicatissimè idem Chrysostomus affirmat: *Pati pro Christo gratuitum munus est, ac majoris admirationis, quàm si revera mortuos excitare, & signa mirabilia patrare. Nam illic quidem debitor sum, inquit, hîc vero debitorem habeo Christum. Christianum verò & in hoc ab infidelibus differre oportet, ut omnia generosè ferat: & velut altus se humanorum malorum impetu superiorem exhibeat: Supra petram statutus est fidelis: propterea & undarum ictibus inexpugnabilis est.*

Chryst. to. 4. in cap. 1. ad Philip. homil. 4. mihi p. 1031. Et tom. 5. hom. 2. de imaginum subvers. ante med.

Philip. c. 1. vers. 29. Ideo hoc ipsum Paulus uti gratiam singularem & grande munus prædicans: *Vobis*, inquit, *donatum est pro Christo, non solùm ut in eum credatis, sed ut etiam pro illo patiamini. Neque enim electis suis*, ut Gregorius loquitur, *in hac vitâ promisit gaudia delectationis, sed amaritudinem tribulationis, ut medicinæ more per amarum poculum ad dulcedinem æternæ salutis redeant.*

Greg. l. 9. ep. 59. post initium.

Sed quid opus hîc testibus? Vox Domini est, & æternæ veritatis oraculum: *Qui non accipit crucem suam, & sequitur me, non est me dignus.* Nulla hîc venia, nulla exceptio, aut prærogativa, privilegium nullum: Indignus est Christo, qui abjectâ cruce non sequitur Christum. Crux etiam gravissima patienter accipienda. Christo charissimi, ipsa mater Christi, Christus ipse non aliis vixerunt legibus.

Matt. c. 10. vers. 38.

Iam olim integerrima vidua Iudith eleganti prorsus publicâque oratione patientiam comniendans: *Illi autem*, inquit, *qui tentationes non susceperunt cū timore Domini, & impatientiam suam, & improperium murmurationis suæ contra Deum protulerunt, exterminati sunt: Expectemus ergo humiles consolationem ejus, quia tentati sunt patres nostri, ut probarentur, si verè colerent Deum suum. Quomodo pater noster Abraham tentatus est, & per multas tribulationes probatus. Dei amicus effectus est. Sic Isaac, sic Iacob, sic Moses: & omnes qui placuerunt Deo, per multas tribulationes transierunt fideles.*

Iudith c. 8. vers. 24. *Ibid. v. 20. 21. 22. 23.*

Quid obluctamur amplius? Omnes sic transierunt, Omnes, Omnes, quicunque placuerunt Deo. Nemo probatus & fidelis censendus, quem hæc afflictionis & patientiæ nota non insignierit.

Verissimum Iudithæ stat oraculum: *Omnes qui placuerunt Deo, per multas tribulationes transierunt fideles.* Hoc pro Christo pati, hoc vincere est cum Christo. Hæc regia ad cælum via est; aspera quidem & angusta, sed tuta. Sustineamus paullisper; nec certantibus deerit auxilium, nec præmium vincentibus.

RHETORICA CÆLESTIS.

LIBER PRIMVS.

CAPVT I.

Rhetorica Cælestis quid sit, & quàm ea lucrosa, utilis, ac potens.

Luc. c. 21. vers. 15. PROLICITATIONE ditissimâ Christus suos erigens: *Ego*, inquit, *dabo vobis os & sapientiam, cui non poterunt resistere, & contradicere omnes adversarii vestri.* Geminum promissum, Oris & Sapientiæ; Rethoricæ & Theologiæ. Non est, quod trepidetis, inquit Servator, ô mei discipuli: Etsi Academias non obieritis ad discendam Theologiam. Scholæ scientias guttatim & non sine laboriosâ morâ instillant: eas ego vos aliter docebo; puncto temporis infundam. Sed forsitan quivis vestrûm idem cum Mose Objiciet querelæ: *Non sum eloquens ab heri & nudiustertius.* Absit omnis sollicitudo: Ego dabo vobis os. Nec ista quidem gratia vobis negabitur: poterit efferre lingua, quod intellectus conceperit. Ita & Rhetoricam & Theologiam momento sine minervali discetis.

Gemium à Deo promissum: Oris & Sapientiæ

Exod. c. 4. v. 10.

Videte & audite piscatorem Petrum, repentè factum Rhetorem & Theologum, ardentissimè concionantem. Ore profectò ac Sapietiâ pollebat igneus hic concionator. Videte Alexandrinam Virginem Catharinam & Oris pariter & Sapientiæ divitem, quæ quinquaginta doctissimos viros eâ verborum vi strinxit, ut ejuratis Deorum simulachris, pro CHRISTO mortem sanctissimâ cōiuratione tulerint. Ignea prorsus fuerit, necesse est hæc facundia, & invicta Sapientia, quæ tot ac tantis persuasit, non Christum tantummodò profiteri, sed & pro Christo mori.

S. Petrus Rhetor & Theologus.

Stant promissa Christi: *Non poterunt resistere & contradicere omnes adversarii* gregis Christiani. Nimirum æterna Sapientia os mutorum aperit, & linguas infantium facit disertas. Neminem ab hac scholâ provectior ætas aut ingenii tarditas excludit. Seriò quisquis discere voluit, jam didicit. Quid ergo discēdum? Rhetorica. Nimirū priùs os instruamus, quàm acquiramus sapientiam: priùs loqui quàm sapere discamus.

Quæ autem hæc Rhetorica est? non Tullii, non Aristotelis, non Quintiliani, sed Spiritûs sancti. Cælestis hæc Rhetorica non est ars scitè declamandi, sed rectè orandi. Cur autem ab omnibus hæc discenda sit, jam explicabimus.

§. I.

Artes & scientias in lucem emittit Rhetorica.

ARtes scientiæque omnes jacebunt tenebris sepultæ, nunquam satis emersuræ, si desit, quæ in lucem eas educat, Rhetorica. Cassiodori sensu, quidquid in aliâ doctrinâ concipitur, ab istâ sub decoro profertur. Dictum experientia confirmat. Philosophus, Iurisperitus, Theologus publicè dicturus, aut suam ipse Rhetoricam expromit, aut orationem ab alio emendicatam adfert, & alienis plumis triumphat cornicula. Doctrinæ aliquid habet, sed nihil eloquentiæ, quâ doctrinam commendet. *Sapientia absconsa*, inquit Siracides, *& thesaurus invisus; quæ utilitas in utrisque?* Magnum gloriæ & virtutis instrumentum facundia, quâ peritè uti si nôris, in lucem dabis maximo fructu quidquid habueris absconditæ sapientiæ. At verus Orator nisi vir bonus esse non potest. Quod ut verum esse intelligas, memineris duarum definitionum, quarum altera Catonis, Ciceronis est altera. *Ille Orator*, inquit, *est vir bonus, dicendi peritus.* Iste autem: *Nihil est*, inquit, *aliud eloquentia, nisi copiosè loquens sapientia.* Qui ergo nomen Oratoris, & veram eloquentiæ laudem desiderat, primùm Sapientiæ studeat, & Virtuti.

Eccli. c. 20. vers. 32.

Rhetores & Oratores fuerunt viri sanctissimi. Anno à pariente Virgine ducentesimo quinquagesimo, Valeriani & Galieni Imperatorum ævo, Cyprianus Carthaginiensis, vir eloquentissimus juxta & sanctissimus, solutâ & ligatâ oratione plurima scripsit. Augustinus Tagaste natus, omnium priscorum Patrum decus & gemma singularis, Rhetoricam Carthagine, Mediolani ac Romæ docuit. Hic laudis aliquid simul & vituperii miscendum. Augustinus, quod ipse de se asserit, sacra Biblia cœpit legere, sed non sine nauseâ jacentis, ut putabat, & abjectæ dictionis, cui Tulliana & Tertulliana dignitas longè præferenda videba-

Aug. l. 3. Confess. c. 5.

videbatur: *Tumor meus*, inquit, *refugiebat modum ejus, & acies mea non penetrabat interiora ejus. Verumtamē illa erat, quæ creſceret cum parvulis, ſed ego dedignabar eſſe parvulus, & turgidus faſtu, mihi grandis videbar.* Illud laudabiliter fecit Auguſtinus, quòd cùm ei carmen recitaturo victoriam promitteret Aruſpex neſcio quis, ille hominis vanitatem deteſtatus: *Nec muſcam*, inquit, *pro me jugules velim: victoriam ego his artibus non emero.* Ingenuè ac ſapienter.

Hieronymus porrò Stridonienſis, quantus Rhetor, ſed ideò vi occultâ flagellatus, quòd Ciceronianus magis quàm Chriſtianus eſſet, Damaſo Pontifici ab epiſtolis fuit. Pontifice mortuo in Palæſtinam rediit, Rhetoricâ inſigniſſimè uſus. Hinc illi tot codices ab Hieronymo conſcripti. Quantus Rhetor Arnobius Afer, qui Diocletiani ævo ſeptemplice volumine idololatriam oppugnavit. Arnobii diſcipulus Lactantius Firmianus dicendi artifex peritiſſimus, plurima libris mandavit. Ita conſtat ſanctitate ac eruditione ornatiſſimos viros fuiſſe Rhetores, dicendi magiſtros.

§. II.

HÆc, mi Lector, in anteceſſum dici, & cæleſti Rhetoricæ velut proluſionem præmitti patere. Cæleſtem ſanè Rhetoricam minimè aſpernabimur, ſi profanam tanti eſſe cognoverimus. Rhetorica profectò ars lucroſiſſima, ad farinam plurimum ſæpe contulit. Domitianus Cæſar, Suetonio teſte, tam Græco, quàm Latino Rhetori annua cētena HS. ſeu duo millia & quingentos philippeos in ſalarium conſtituit.

Rhetorica eſt lucroſiſſima,

Iſocrates Rhetor, quod Plutarchus memorat, à ſinguli diſcipulorum non minus accepit quàm mille drachmas, [a] ſeu centenos philippeos. Habuit autem plures quàm centum diſcipulos: ergo & minerval ampliùs decem mille philippeis fuit. Demoſthenes à fortunis egens, mille drachmas ſolvendo non erat, ducentas obtulit, ut ſaltem quintam Rhetoricæ partem liceret diſcere. Huic Iſocrates: Artem, mi Demoſthenes, non in fruſta tribuimus, ut bovem laniones: nos agimus more illorum, qui bonos piſces totos vendunt. Tibi, ſi animus eſt diſcere, totâ tradituri ſumus. Idem eloquentiæ doctor Iſocrates orationem unicam viginti talentis, ſeu mille ducentis philippeis vendidit. Huic dicendi artifici duo præcipuè ſunt objecta. Primum; Minerval, quod à ſuis exigeret, videri æquo grandius. Ad iſtud extemplo reſpondens: Ego verò, inquit, liberaliùs eum remunerabor, qui me docuerit vociferari, & animosè dicere. Alterum quod ei objectum: quî tandem alios loqui doceret, quod ipſe neſciret? In promptu & hîc reſponſio: Cos inquit, ſcindere non poteſt, ſed cultrum ut ſcindat, poteſt acuere: non aliter ego, eloquentes formo, licet ipſe non ſim eloquens.

Plutarch. part. 2 moral. l. de Oratorib. mihi pag. 532. [a] *Seu decem minas.*

Plin. lib 7. nat. hiſt. cap. 30. Iſocrati quæ fuerint objecta.

Num igitur non lucroſa eloquentia, quæ oratorem unicam tot centenis philippeis vendit?

Gorgias Leontinus Rhetor Athenienſis ad annum ætatis centeſimum quintum pervixit. Defuncto Græci ſtatuam auream poſuerunt, & eos dies, quibus orationes illius ſunt recitatæ, feſtos eſſe voluerunt.

Ævo noſtro Ioannes Baptiſta Egnatius ſacerdos annis octoginta vixit, annis quadraginta Rhetoricam Venetiis docuit. Rudedonatus ducentos coronatos annuos à Senatu in honorarium accepit. Grande donum, ſi temporis rationem ſpectemus. Rhetorica prorſus lucroſiſſima plurimum ad farinam facit.

Utiliſſima,

Sed & utiliſſima eſt, quæ plurimorum caput & vitam ſervavit. Interrogatus Demoſthenes, quid Rhetorica prodeſſet? reſpondit. Homini perdito præſentem poteſt afferre opem. Non ſine ratione fingebant priſci, Orpheum ita ſuaviter vocem fidibus attemperâſſe, ut cantu muſico feras, arbores, ſaxa traxerit ad conventum. Apologi nucleus hic eſt: Orpheus vir facundiſſimus, hominibus barbaris & ſparſim habitantibus perſuaſit, ut convenirent, panegyres celebrarent, leges acciperent, amicitias colerent, æquali jure viverent. Hæc urbium fuerunt exordia, ita homines, quos feras aut ſaxa credidiſſes, ad humanum cultum tranſierunt.

§. III.

SEd & potentiſſima eſt Rhetorica, quæ hominum animos potenti verſat manu. Cicero Romanam curiam, in quam collibuiſſet ſententiam, pertraxit; inde Rex à quibuſdam dictus eſt, quòd mentes Senatorum regeret. Demoſthenes inter amicos gloriari ſolebat, non difficile ſibi eſſe, dicendo, cauſſam bonā, malámve, prout vellet, reddere. Id certè ſatis patuit: nam Athenienſes modò arma ſumebant, modò eadem ponébant, modò pacem cum Philippo Macedone componebant, modò bellum gerebant, prout Demoſthenes civium animos huc aut illuc perorando flectebat. Ita Græcus hic orator pacem & bellum ferebat linguâ, alterutrum effuſurus quod voluiſſet. Cteſiphon eos in Rhetoricâ progreſſus fecerat, ut auſus ſit dicere, nihil thematis ſibi proponendum, de quo non die integro poſſit diſſerere.

Et potentiſſima.

Imò reverà potentiſſima ſit Rhetorica neceſſe eſt, quæ vel fortiſſimo ac potentiſſimo fortior ſit ac potentior. Certabant olim inter ſe tres aulici juvenes, qui Dario Regi à cubiculis erant: in lite fuit, quid in orbe fortiſſimum videretur? Suam quiſque ſententiam ſcripto conſignavit, illud cervicali regio ſuppoſituri. *Primus ſcripſit, Forte eſt vinum. Alter, Fortior eſt Rex. Tertius, Fortiores ſunt mulieres: ſuper omnia autem vincit veritas.* Atqui Rhetorica ipſam etiam veritatem quantumvis fortiſſimam ſuæ poteſtatis ſæpiſſimè facit, & luculento vincit triumpho. Ipſa quidem veritas ſubinde viribus reſumptis exilit, & ſuos victores vincit, ſed ſæpè ſerò & poſt multas hiemes toleratas emergit. Ita Rhetorica potentiſſimo potentior.

Eſdræ c. 3. v. 10. & ſeq q.

Sed hoc, inquies, laudis non eſt, fallaciis vincere. Non nego: at hic de laudabili Rhetoricæ potentiâ ſermo eſt. Ergo, quod diximus, Rhetorica lucroſiſſima, utiliſſima, potentiſſima, Rhetorica ſcientiis & artibus univerſis grandi adjumento eſt. Non igitur hanc addiſcere recuſemus. Sed obverſetur animo, quod de Sapientiâ prædicatur: *Aperuit os mutorum, & linguas infantium fecit diſertas.* Quod & Pſaltes regius affirmat: *Ex ore infantium perfeciſti laudem.* Quod & Chriſtus confirmans: *Confiteor*, inquit, *tibi Pater, Domine cæli & terræ, quia abſcondiſti hæc à ſapientibus & prudentibus, & revelaſti ea parvulis.* Hanc certè Rhetoricam, de quâ loquimur, nemo perdiſcit, niſi parvulus, niſi homo modeſti animi, niſi ſubmiſſionis ſtudioſus. Tumor & ſupercilium has ſanctiores aures non capiunt.

Sap. c. 10. verſ. 21. Pſ. 8. v. 3. Luc. c. 10. verſ. 21.

§. IV.

ADeò autem potens eſt Rhetorica cæleſtis, ut ſemper vincat, triumphet ſemper. Auguſtinus Rhetorum diſcertiſſimus, ut Rhetoricæ vim explicaret, his omnino verbis uſus eſt: *Dixit quidam eloquens, & verum dixit, ita dicere debere Rhetorem, ut doceat, ut delectet, ut flectat. Docere neceſſitatis eſt, delectare ſuavitatis, flectere victoriæ. Oportet igitur eloquentem Eccleſiaſticum, quando ſuadet aliquid, quod agendum eſt, non ſolùm docere, ut inſtruat; & delectare, ut teneat; verum etiam flectere, ut vincat.* Verè cæleſtis Rhetorica non ſolùm docet, ſed & tenet, & vincit ipſum Deum.

Aug. de doctrinâ Chriſtianâ l. 4. c. 12. & 13. mihi pag. 33.

Rhetorica Cæleſtis vincit Deum.

Lepidum olim inter magiſtrum & diſcipulum certamen fuit, quod vel forenſem Rhetoricam tunc etiam cùm victa eſt, poſſe vincere demonſtrat. Et quia mi Lector paullatim ad ſeria initiandus, illam duo-

rum Rhetorum pugnam è prisco scriptore recito.

Madaurense l. 4. floridor. Gellius l. 5. c. 10. De forensi Rhetoricâ inter magistrum & discipulũ certamen.

Protagoras Sophista longè multiscius, & cum primis Rhetoricæ repertis perfacundus, cum suo sibi discipulo Euathlo mercedem nimis uberem conditione temerariâ pepigit, ut sibi tum demum id argenti daret, si primo tirocinio agẽdi penes judices vicisset. Igitur Euathlus (auctoris prisci verba sunt) postquàm cuncta illa exorabula judicantium, & decipula adversantium, & artificia dicentium, versutus alioquin, & ingeniatus ad astutiam, facilè perdidicit, contentus scire, quod concupierat, cœpit nolle, quod pepigerat. Sed callidè nectendis moris frustari magistrum, diuturéque nec asserere velle, nec reddere; usque dũ Protagoras eum ad judices provocavit, expositáque conditione, quâ in docendum receperat, anceps argumentum ambifariam proposuit. Nam, sive ego vicero, inquit, solvere mercedem debebis, ut condemnatus: seu tu viceris, nihilominùs reddere debebis, ut pactus; quippe qui hanc primam caussam penes judices viceris. Ita si vincis, in conditionem incidisti: si vinceris, in damnationem. Quid quæris? Ratio concluſa judicibus acriter & invincibiliter videbatur. Enimverò Euathlus, utpote tanti veteratoris perfectissimus discipulus, bicipiti illud argumentum retorsit. Nam si ita est, inquit, neutro modo, quod petis, debeo. Aut enim vinco, & judicio dimittor; aut vincor, & pacto absolvor, ex quo non debeo mercedem, si hanc primam caussam fuero penes judices victus. Ita me omni modo liberat, si vinco, conditio; si vincor, sententia.

Hinc geminum illud. Erat apud Syracusas vir acuti ingenii & linguæ promptioris, Corax Rhetor; Ab hoc Tisias præceptis Rhetoricis egregiè imbutus, ne magistro cogeretur minerval solvere, interrogavit; Quid esset Rhetorica? Eo respondente, Effectricem esse persuasionum; Tisias sic disertare orsus: Si tibi, mi Corax, me nihil debere persuasero, nihil debebo, quia non debere persuasi: sin autem non persuasero, nihilominùs nihil debebo, quia me persuadendi scientiam non docuisti. Magister hoc argumentum in Tisiam retorquere nisus: Si mihi, ait, mercedem à te deberi persuasero, reddes illam, quia persuasi; si non persuasero, eam nihilominùs reddes, quia discipulum, qui præceptorem vinceret, erudii.

En forensem Rhetoricam hac & illac victricem. Multò magis Rhetorica cælestis nunquam non vincit, si velit. Donum orationis nemini Deus denegat. Oratio nulla, modò seria, sine fructu est. Orare modò seriò velis, & facti dimidium jam habebis. Cælestis Rhetorica certam habet victoriam, quotiescunque legitimam non detrectat pugnam.

Hic animum adverte, Lector, quidquid de Rhetoricâ forensi diximus; id omne de oratione, Rhetoricâ cælesti, dictum volumus. Hæc illa omnium artium ars lucrosissima & utilissima; hæc omnium est potentissima, Archidiamus olim, Plutarcho teste, interrogatus, Quantum regionis possiderent Spartani? Quantum, ait ille, contingunt hastâ. Quæsierit quispiam, Quàm potens sit hæc Rhetorica, & quousque pertingat? Asserimus. Quousque oratio: ultra nubes, supra ædera, trans cælum, ad ipsum Dei solium ascendit. *Oratio humiliantis se nubes penetrabit.* In hac autem Rhetoricâ discendâ semper discipuli sumus, nec unquam eam satis condiscimus; in schola sumus, quamdiu in vitâ. Discendi finis in cælo est, ibi oratores sunt perfecti. Sed hoc explicatiùs sequenti capite tractandum.

Eccli. c. 3. v. 21.

CAPVT II.

Rhetoricam cælestem ab omnibus discendam.

APostoli primæ quidem simplicitatis viri, & à piscatu rudes in Christi contubernium adsciti, aliquoties tamen non levis momenti quæstiones posuerunt. Qualis illa fuit: *Rabbi quis peccavit, hic, aut parentes ejus, ut cæcus nascereturʔ* Quæstio gravis & inter Theologos discutienda. Ita Christum super excidio Hierosolymæo dissérentem distinctè interrogant: *Dic nobis, quando ista fient? & quod signum erit, quando hæc omnia incipient consumari?* Quæstio prorsus seria. Christo reditum parante in cælum: *Domine*, ajunt, *si in tempore hoc restitues regnum Israël.* Non levis quæstio. Ita duo è discipulis consessum in regno Christi petierunt, matre pro filiis perorante. Petitio non infantilis. Quid sublimius petere potuissent? Ita Philippus omnium loco: *Domine*, inquit, *ostende nobis Patrem, & sufficit nobis.* Quid petierit majus & divinius? Ita omnes uno pœnè ore flagitant: *Domine, doce nos orare.* Toties te orantem vidimus, toties ut & nos oraremus, hortatus es; vocem igitur præi, & formulam trade precandi; doce nos orare.

Ioan. c. 9. vers 2. *Marci c. 13. v. 4.* *Actor. c. 1. v. 6.* *Matt. c. 20. v. 21.* *Ioan. c. 14. v. 8.* *Luc. c. 11. v. 1.*

Cupiunt discipuli à Magistro discere, quomodo Deo loquendum sit. Et hæc illa cælestis Rhetorica est, quam sibi nostra dissertatio sumpsit explicandam. De Oratione hîc dicendum. Sed ut scriptionis scopus ac finis pateat; complures Orationis partes silentio trãsibimus. Nec enim nisi summatim trademus, quàm necessariũ & utile sit orare; nec de multiplici Orationis effectu disseremus. Hoc unum sumemus exponendum, quid sit *Attenta Oratio.* Hæc illa divina & cælestis est Rhetorica, quæ non hominum animos, sed Deum ipsum in suas partes novit trahere. Hæc nubes penetrat, hæc super astra evolat, hæc cæli penetralia subit, Deo se sistit, nec unquam quod admirabile, irrito conatu caussam suam perorat.

Quæ dicatur Rhetorica cælestis.

Caussæ, quæ scriptionem hanc persuaserunt, complures sunt. Inter ceteras istæ. Prima: Quid scitu magis necessarium, quàm scire cum suo Conditore loqui? Plurima alia tutò licet ignorare, hujus unius ignorantia multò damnosissima est.

Caussæ quæ hanc scriptionẽ persuaserunt.

Altera caussa: Omni tempore & in omni loco, locus est orationi. Sunt aliæ quædam actiones honestissimæ, sed non omni loco aut tempori conveniunt: Oratio die ac nocte, æstate & hieme, festis ac profestis diebus, adversâ & prosperâ valetudine, domi, foris; in templis & plateis, in lecto & extra lectum, tam ante quàm post mensam, & sub ipsâ mensâ, tam à stantibus & jacentibus, tam à juvenibus quàm senibus; ab omni ætate, sexu, ordine hominum usurpanda est. *Pietas ad omnia utilis est.* Quod Hebræus Psaltes affirmans: *Benedicam Dominum*, inquit, *in omni tempore; semper laus ejus in ore meo.* Ejusdem mentis optimus Regum Iosaphatus: *Cùm*, inquit, *ignoremus, quid agere debeamus, hoc solum habemus residui, ut oculos nostros dirigamus ad te.* Verùm nil opus hîc testibus, Christi vox est: *Quoniam oportet semper orare, & non deficere.*

1. Tim. c. 4. v. 8. *Psal. 33. v. 1.* *2. Paral. c. 20. v. 12.* *Luc. c. 18. v. 1.*

Tertia: Cùm animus sit, de primariis Christiani hominis actionibus, de Oratione, Eleemosynâ, Ieiunio loqui, Oratio jure putem, sibi principem locum vendicat. Huc me non leviter, sincerè fateor, Augustinus impulit, qui paucis plurima maximáque Orationis elogia complexus: *Verè*, inquit, *rectè novit vivere, qui rectè novit orare.*

Aug. to. 4. serm. 14. in Append. initio, mihi pag. 650.

Iacobus Granadus nostri ævi Theologus, duplex divinæ ad gloriam prædestinationis signum statuit. Primum est, propositum nunquam lethaliter delinquendi. Alterum, diligentia & attentio in oratione. En

Granad. to. 2. in 1. p. D. Thom. mihi pag 703. mod.

divinam,

divinam, cælestem Rhetoricam, quæ non facundos solum & disertos, sed & beatos facit. Cur autem hæc Rhetorica sit ab omnibus discenda, nunc docebimus.

§. I.

1. Caussa cur Rhetorica cælestis sit addiscenda. Oratio est omnium humanarum actionum auxilium.

RHetorica forensis, ut capite superiori diximus, singulare præsidium est artium & scientiarum omnium. Parum est scire, nisi scias & eloqui quod scieris. Oratio, cælestis Rhetorica est omnium humanarum actionum, primarium, singulariſſimum auxilium. Iacent & frigent omnia ubi oratio deest.

In Trismegisto lib. 2. c. 4. §. 2. Anton. Balinghemius de Iaculat. Orationibus lib. 3. c. 6. mihi pag. 268.

Commendatiſſimus mos est proborum hominum, qui quoties soli sunt, & elapsæ horæ signum audiunt, mox in genua ruunt, & oratiunculâ brevi felicem obitum à Deo petunt. Quod alibi docuimus, rectiſſimè fieri, & maximo precantis bono. Quod Deus anno milleſimo sexcenteſimo decimo quarto confirmavit argumento nō obscuro. Eo namque anno Conimbricæ (civitas est Lusitaniæ. Doctorum domicilium) quidam sub serum vesperem in insidijs capitalem hostem operiebatur. Animus erat transeuntem glande ferreâ salutare, & sclopo trajicere incautum. Sed fefellit destinatio. Nam alter recepti moris retinens, audito horæ pulsu repentè constitit oraturus, nec ad illud loci punctum pervenit, quod insidiatores occulti sibi designarant. Ita hic interitum effugit non pugnando, sed precando. Inde hic mos Conimbricæ longè confirmatior est, singulis horis Matrem Domini statâ precatiunculâ venerari. Pietas ad omnia utilis. Nihil laboris, nihil actionis est, quod non condiat & juvet oratio. In tenebris scientiæ omnes errabunt, nisi facem eis præluceat oratio. Hoc divinæ providentiæ decretum est, gratias non largiri, nisi eas desiderantibus & petentibus. Hinc Christus Samaritidi: *Si scires*, inquit, *donum Dei, tu forsitan petisses ab eo.* Palmes fecunda non erit, neque uvas porriget, ni priùs succum hauserit è vite. Hinc regius Vates in preces effuſiſſimus: *Expandi*, ait, *manus meas ad te; anima mea sicut terra sine aquâ tibi.* Toto pectore, mi Deus, auxiliū tuum imploro, satis gnarus, nos homunculos fruſtra sudare, non te juvante: quemadmodum terra cæli lacrymis non crebriùs infusa, aut nihil parit, aut lolium; ita mens humana crebris precibus non rigata, in malignos partus pravæ cogitationis & actionis exuberat. Sine frequenti oratione sterileſcit animus.

Ioan. c. 4. vers. 10.

Psal. 142. v. 6.

Mens humana precibus non rigata in pravas actiones exuberat.

B. Thomas Aquinas nihil nisi precibus præmissis aggrediebatur.

Beatus Thomas Aquinas, Theologorum Phœbus, scribendo, lectitando, docendo, concionando plurimum laboravit: non minùs tamen precando. Nam omnem suam eruditionem, & in studijs profectum, orationi retulit acceptū. Hoc autem in more positum habuit, non priùs quidquam aggredi, nec lectionem aut scriptionem ullam, nec disputationem, aut aliam quamcunque actionem ordiri, precibus non ritè præmiſſis. Vaniſſimos censuit labores, quibus initium non dediſſet oratio. Hinc suas etiam lacrymas orationi sæpè miſcuit, non ignarus omnem sapientiam à Deo infundi. Atque hoc sanctiſſimus vir socio suo Reginaldo secretâ narratione commiſit, eruditionem & scientiam, si quam haberet, non tam ingenio seſe ac studio, quàm fusis ad Deum precibus obtinuiſſe. Thomam Aquinatem aut imitabimur, quod cuivis non difficile, aut labore vano consumemur. Ædificat in aëre, qui studia tractat sine crebrâ oratione.

Mortuus est P. Franciſc. Suarez anno 1617. die 23. Septem.

Franciſcus Suarezius è Societate Iesv sacerdos, grandia viginti volumina illustrandæ Theologiæ in lucē dedit. Vir iſte dicere solebat, malle se omnis eruditionis per tot annos quæsitæ facere jacturam, quàm solitas precandi ac meditandi horas intermittere. Eam ob caussam horariæ precationi matutinæ, licet aliò traherēt occupationes urgentiſſimæ, defuit nunquam. Maturiùs etiam ceteris ante solem surgere solebat, ut tantō liberaliùs orationi tempus impenderet. Ita lucem & noctem præibat oratio, totius ferè diei comes. Interdiu si studiis inhærenti quæstio perdifficilis & implicata occurreret, ad Christi crucifici pedes, quem sibi animo vivum efformârat, se supplicem abjiciebat impetrando lumini: si etiamnum dubius hæreret, preces producebat, & ardentiùs orabat. Vt sciamus; Vera sapientia descendit è cælo, non effoditur ingenij acumine. Ambis sapientiam: cælum pulsa, & petē illam. Rhetorica cælestis facilè quidvis à cælo impetrat.

§. II.

2. Caussa.

ALtera caussa, cur Rhetorica cælestis à nemine non discenda, quando summi viri, optimi Rhetores, peritiſſimi Oratores fuerunt. In forensi Rhetoricâ excelluerunt Cyprianus, Auguſtinus, Hieronymus, Ambroſius, Lactantius: in Rhetorica cælesti, non ii solùm, quos modò nominavi, sed omnes omninò sancti homines eminuerunt. E tot centenis millibus sanctorum hominum nec unicum quidem est nominare, qui hoc orationis studium neglexerit. Omnes ajo fuiſse Oratores optimos, disertiſſimos, qui non suam tantùm, sed & orbis totius causſam egerunt feliciſſimè.

Dicere solebant veteres: Nullus Rhetor perfectus: *Nec adhuc*, ait Seneca, *ulli contigit, ut totam contingeret: satis felix est, qui in aliquâ eius parte receptus est.* Quod de forensi, idem de Rhetorica cælesti asserendum. Nemo unquam eò sanctimoniæ progreſſus est, ut dicere auderet: Precandi artem ad unguem calleo; cum Deo loqui exactè didici. Hîc omnes subinde hallucinamur, & artis, quam hauſimus, obliviſcimur. Idcircò assiduè discendum, & nunquam non orandum. Priſcis, si qui sedulitatem amâssent, nulla dies sine lineâ transibat. Maiorem in precando assiduitatem exigens Cyprianus: *Christianis*, inquit, *nulla hora transeat sine oratione. Si quidem oraturi semper in cælo, & gratias acturi Deo, hîc quoque orare, & gratias agere non deſuamus.* Pari sensu Augustinus: *Meditatio*, inquit, *præsentis vitæ noſtræ in laude Dei esse debet, quia exultatio sempiterna futuræ noſtræ vitæ, laus Dei erit. Et nemo poteſt idoneus fieri futuræ vitæ, qui se ad illam modò non exercuerit. Modo ergo laudamus Deum, sed & rogamus Deum. Laus noſtra lætitiam habet, oratio gemitum. Promiſſum est enim nobis aliquid, quod nondum habemus; & quia verax est qui promiſit, in spe gaudemus; quia tamen nondum habemus, in deſiderio gemimus.* Orenus & gemamus.

Cyprianus de Oratione Dominicâ.

Aug. to. 8. in pſ. 148. init. mihi pag. 708.

§. III.

3. Caussa.

TErtia caussa, quare ars orandi tam sedulò discenda; quia cælestis hæc Rhetorica est lucroſiſsima, & statuam nobis auream in cælo locat, quæ diutiùs profectò stabit, quàm illa Gorgię Leontini ab Athenienſibus posita. Quàm porrò lucrosa sit cælestis Rhetorica, divus Bonaventura explicans; *Quâcumque*, ait, *horâ lucratur homo oratione devotâ plus, quam valeat totus mundus.* Grande lucrum unicâ comparandum horulâ. Non neſcit hoc diabolus; quapropter omnem movet lapidem, ut vel oraturum ab oratione ad alia trahat, vel jam orantem in oratione turbet. Fidem faciet Ruffinus Aquileienſis, qui de Macario Alexandrino juniore hæc narrat.

Bonavent. l. de perfect. vitæ c. 5.

Nocte quâdam personatus dæmon ad Macarij tuguriolum pulsans: Abba Macari, surge, & eamus, inquit, ad collectam, ubi Fratres precādo vigiliasagunt. Macarius fallacias cacodæmonis subodoratus: O mendaciſſime impoſtor, ait, quid tibi societatis aut negotij est in collectâ & cœtu sanctorum? Cui dæmon blandè: Quasi verò neſcias, inquit, mi Macari, nullam monachorum congregationem, collectam nullam sine nobis inſtitui? Veni denique, & videbis quàm non inanis sit noſtra opera. Ad quæ Macarius: Ineperet tibi

Ruffin. c. 29 apud Rosweid. pag. 481.

Domi-

Dominus, inquit, immunde dæmon. Mox sese in preces abijciens, id anxiè cupivit scire, num verum esset, quod mendaciorum faber gloriaretur. Abiit ergo ad collectam, ubi ceteri Fratres vigiliis sacris operabantur. Hîc denuò rogavit Deum, liceret veritatem penitùs nôsse. Et en toto templo discursantes vidit puerulos Æthiopas, qui mirâ celeritate velut volitando huc illuc ferebantur. Illic autem moris erat, sedentibus cunctis, psalmum ab uno pronuntiari, cæteris vel audientibus vel respondentibus. Hîc Æthiopes parvuli vago discursu occupatissimi, sedentibus alludebant, & si cujus oculos compressissent digitis, mox ille nictare ac dormire incipiebat: si cui digitum in os immersissent, inertissimè oscitare faciebant. Vbi verò post Psalmum ad orationem se projecissent Fratres, Æthiopuli illi singulos percurrebant, & huic quidem feminam adstantem repræsentabant, huic fabros lignarios & cæmentarios ante animum stantibus, isti cenulam structam ante oculos proponebant, apud alios alia efformabant. Quæcumque verò dæmones diverso luxu effinxissent, id orantes animo & cogitatione versabant. A nonnullis tamen, ubi horum aliquid tentâssent, vigilanti constantiâ repulsi prosternebantur, ita ut juxta hos nec consistere, nec transire illos auderent. At verò alijs longè debilioribus largissimè illudebant, tergum & cervices eorum persultabant, sic eos sibi, non orationi, attentos faciebant. Hæc cernens Macarius altùm ingemuit, & erumpentibus lacrymis: Respice, ait, ô Domine: ne fileas, neque mitigeris Deus. Exurge, & dispergantur inimici tui, & fugiant à facie tuâ, quoniam anima nostra repletur illusionibus. Secundùm preces ad explorandam certiùs veritatem, singulos seorsum evocans, mansuetè ac suaviter interrogavit, an nullæ inter precâdum de ædificiis cogitationes occurrissent, an non instituendum iter, aut parandâ mensam, aliúdve negotium peragendum cogitâssent? Fatentes habuit reos. Singuli pro se quique non negârunt, ita rem habere, prout interrogâsset. Hîc dilucidè compertum est, vanas vagásque cogitationes, psalmorum aut orationis tempore, à diabolis obtrudi, & ingeri; ab iis autem, qui omni custodiâ cor suum servarent, teterrimos Æthiopas vi laudatissimâ repelli. Deo namque conjuncta mens & precibus intenta nihil alienum, nil turpe, nil superfluu aut pravum recipit. Hinc ingens & inæstimabile lucrum Rhetoricæ cælestis. Firma est veritatis promissio: *Omnia quæcumque orantes petitis, credite, quia accipietis.*

Matei c. 11. vers. 24.

§. IV.

4. Causſa. QVarta causſa: Rhetorica cælestis nemini non utilissima. Hoc sciamus; nullas omnino preces, & nec brevissimam quidem oratiunculam, quæ quidem hoc nomine censenda sit, incassum fundi. Non impetramus, quod petimus? certè vel minimâ quâvis precatiunculâ plurimum meremur, & plus (ut Bonaventuræ verbis) quàm totus valeat mundus.

Aug. to. 8. in psal. 85. mihi pag. 385. Psalm. 85. vers. 5.

Clarissimè Augustinus: *Si ergo*, inquit, *tu invocas Deum, securus esto, exaudiris: pertines ad istum versum:* Et multùm misericors omnibus invocâtibus te. *Noli ergo dicere: Illud mihi non dedit: Redi ad cor tuum, & conscientiam tuâ libera; interroga, pansere illi noli. Si verè Deum invocasti, certus esto, quia id forte quod volebas tèporaliter, ideò nõ dedit, quia tibi non proderat. Ædificetur in hoc Cor vestrum, fratres, Cor Christianum, Cor fidele, ne incipiatis tristes fieri, veluti fraudati desiderijs vestris, ire in indignationem contra Deum. Est qui exaudit, ne dubitetis orare: qui autem exaudit, intus manet. Age iam*, inquit Chrysostomus, *& illud exponamus vobis, quam multis Sanctis datum sit, deprecationis præsidio servare, non solùm gentes ac civitates, verùm etiam orbem universum. In mentione verò deprecationis primus occurrit Paulus, ille insatiabilis Dei custos, ille custos oris terrarum, qui*

Chrysto. 5. l. 2. de orãdo Deo mihi p. 594.

per deprecationem ac assiduam obsecrationem omnes gẽtes salvas fecit, semper illud dicens nobis: Hujus rei gratia flecto genua mea ad Patrem Domini nostri Iesu Christi.

Cùm Carolus V. Imperator Augustissimus provinciam Peruanam sibi reconciliatam cuperet, nobilem illum Gascam huic negotio destinavit, eique complures chartas, sed puras & à scripturâ vacuas, solo nomine suo notatas dedit, eo consilio, ut quisquis priuilegium aut munus peteret, si illud in chartâ virgine perscripsisset, jam impetrâsset. Hâc tantâ támque facili gratiâ rebelles animi in concordiam reducti. Christus ingeniosam hanc artem usurpans, & paginam puram regio nomine signatam nobis offerens: *Amen, amen dico vobis*, ait, *si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.* En virginem chartam, vos in eâ quidquid placuerit, perscribite, & illud jam impetrastis. Nihil est, quod obtinere non possit oratio. Oratio igitur longè utilissima.

Italis *charta blanca* dicitur.

Ioan. c. 16. v. 23.

Ajunt Theologi cum Aquinate Doctore, Providentiam divinam ante omne evum constituisse orationem, ut instrumentum præcipuum ad exequenda Numinis decreta; apertè id asserens Gregorius: *Obtineri*, ait, *nequaquam possunt, quæ prædestinata non fuerunt: sed ea, quæ sancti viri orando efficiunt, ita prædestinata sunt, ut precibus obtineantur, quatenus postulando mereantur accipere, quod eis omnipotens Deus ante secula disposuit donare. Non propter hoc oramus*, inquit beatus Thomas, *ut divinam dispositionem immutemus, sed ut impetremus, quod Deus disposuit per orationes esse implendum.* Deus plurimum gratiarum nobis impertiri cupit, sed rogatus.

Providẽtia divina ante omne ævum cõstituit orationem ad exequẽda Numinis decreta, *Greg. l. 1. Dial. c. 8. med. S. Tho. 2. 2. q. 85. ar. 1.*

§. V.

5. Causſa. QVinta causſa: Oratio, seu Rhetorica cælestis, potentissimè persuadere novit. Deum ligat, qui sincerè orat. Dilucidissimè Christus: *Si*, ait, *manseritis in me, quodcumque volueritis, petetis, & fiet vobis.* Quod ab ore Domini Ioannes Apostolus excipiens: *Quidquid petierimus*, inquit, *accipiemus ab eo.* Et scimus, quia audit nos, quidquid petierimus. Cùm Moses in supercilio montis preces Deo allegaret, Deus se velut ligatum clamans: *Dimitte me*, inquit, *ut irascatur furor meus contra eos.* Dum oras, ligas me; sine igitur, ut his vinculis exolutus, manu liberâ contumaces percutiam. En rerum omnium præpotente Deo potentior est oratio. Hæc Deum vincit, & prohibet irasci: hæc ægris valetudinem, hæc vitam reddit mortuis.

Ioan. c. 15. v. 7. 1. Ioan. c. 5. v. 22. & 24. 5. v. 15. Exod. c. 32. vers. 10.

Oratio est potentior Deo.

Tiburtius martyr jam comploratum funus oratione à tumulo revocavit. Dum enim casu per plateas incederet, hominẽ ab alto lapsum reperit. Hic membra omnia miserabili ruinâ ita obtriverât, ut parentum luctus non aliud quàm sepulturam circumspiceret. At martyr flentibus: Sinite, ait, hominem verbo alloquar; fortasis recipiet sanitatem. Et confestim animo erecto juxta jacentem in genua procumbens, Orationem Dominicam & Symbolum tractim recitavit. Mox homo depositus, incolumis & sanus surrexit. Nimirum *oculi Domini super justos, & aures ejus in preces eorum.*

Baron. to. 3. anno 286. num. 11. Psal. 33. vers. 18.

De optimo Hebræorum judice Regum fasti hoc testantur; *Audivit Samuel omnia verba populi, & locutus est ea in auribus Domini.* Videte, obsecro, sicut Samuelis preces dicuntur esse in auribus Domini, ad ostendendam Samuelis cum Deo familiaritatem; ita Domini aures dicuntur esse in precibus justorum, ad significandam Dei in illos liberalitatem. Id expendens Massilienſis præsul Salvianus: *Quod*, inquit, *Scriptura ait, aures Domini semper esse in precibus justorum, non audientia tantùm Dei, sed quædam quasi obedientia Dei designatur. Quasi Deus adeò promptus sit ad audiendas suorum preces, ut non modò audire, sed etiam obedire, non modò quod petunt, concedere, sed etiam quod imperant, velle facere videatur.*

1. *Reg. c. 8. v. 21.*

Salvian. l. 2. de provid. Dei sub init.

deatur. Vtinam tam promptè nos Deo, quàm nobis Deus, obediamus. Quàm beati essemus omnes, addit Salvianus, *si quam promptam erga nos Dei audientiam legimus, tam promptè ipsi Deum audire vellemus.*

Quanta hæc orationis potentia, Deum sibi habere obedientem! Talis erat oratio beatorum Dominici & Franciſci, qui plerumque ſtatim, quod petiiſſent, factum viderunt. Talis Bernardi, qui tot ægris pane conſecrato ſanitatem reddidit. Talis Franciſci de Paulâ, qui per aquam pedes tulit illotos, & cùm tranſvectionem negaret portitor, calcavit fluvii terga in famulatum ſubeunte naturâ. Talis Eliſabethæ Principis, quæ uni ſuorum aulicorum vehementiſſimum de noxis dolorem impetravit. Talis Scholaſticæ virginis, quæ cælum ut ſubitas pluvias effunderet, exoravit. Tales hodiéque ſunt orationes amicorum Dei; vim Deo faciunt, quod petunt, impetratum auferunt.

Τριαγγέλινος. Diogenes Philoſophus oratores vocitabat ter homines. Nam uti eum, qui nec facundus, nec humanus, nec doctus eſt, hominem eſſe negamus; ita is qui & diſertus, & effabilis, & eruditus eſt, ter homo dici poteſt. At profectò quiſquis rectè orare novit, & facundiam, & humanitatem, & doctrinam inſigniter oſtendit, proinde ter homo dici poterit, ut qui non ſolùm hominibus, ſed & cum Angelis, cum divis omnibus, cum Deo loqui didicerit, Rex Pyrrus gloriari ſolebat, plures urbes imperio ſuo additas oratione Cyneę Legati, quàm ſuis armis. Oratio Chriſtiani vera, & cælum expugnat, & Deum ligat.

Æquiſſimum igitur eſt, ut cæleſtem hanc Rhetoricam, quæ non ſolùm lucroſiſſima & utiliſſima, ſed & potentiſſima eſt, nemo non ſummis ſtudiis condiſcat. De oratione longè veriùs quàm de pecuniâ dixerim: Orationi obediunt omnia.

CAPVT III.

Quale vitium in Rhetoricâ cæleſti ſit animi evagatio?

De quo Zachar. Lippelio 24. Septemb. GErardus in Pannoniâ Cannadicenſis Antiſtes templa complura condidit, & quantum facultates permiſerant, ornavit. Hic ipſe in æde D. Gregorii aram poſuit Matri Domini, cui thuribulum argenteum & duos ſenes aſſignavit, qui ſingulis horis Catholico ritu thus adolerent, ut cæremoniis iſtis precandi ſtudium tantò magis incaleſceret.

Pſal. 140. verſ. 2. Regius vates cæleſtium oratorum diſertiſſimus David: *Dirigatur,* inquit, *oratio mea, ſicut incenſum in conſpectu tuo.* Tam ſuccinctè quàm artificioſè complexus eſt hoc carmine Rex Hebræus, quidquid oratio attenta exigit. Primum eſt thymiama ipſum, thus, galbanum, onyx, ſtacte maſtiche. Oratio, ſi vera ſit, Fidem, Humilitatem, Charitatem, Fiduciam, Patientiam poſcit.

Quid oratio attenta exigat.

Alterum; Thymiama templo ſacrum erat in Sancta Sanctorum inferendum. Humanus animus templum eſt, & Dei domus. Tarſenſis Eccleſiaſtes id affirmans: *Templum Dei ſanctum eſt,* inquit, *quod eſtis vos.* In hujus templi adytis thymiama orationis incendendum.

1. Cor. c. 3. v. 16. & ſeq. & c. 6. v. 19. & 2. Cor. c. 6. v. 16.

Tertium; Summus Sacerdos thymiama obtulit: Omnes noſtræ actiones & orationes omnem promerendi & impetrandi vim obtinent ab humanæ gentis Summo Pontifice Chriſto. Hinc Eccleſia rectiſſimè orationibus omnibus clauſulam hanc apponit: *Per Chriſtum Dominum noſtrum.*

Quartum, Thymiama ignis animat. Si carbones non vivant & candeant, nullus emergit odor, etſi plenas thuris manus in eas excutias; ita prorſus oratio frigida, oratio nulla eſt, quam ignis Spiritus non accendit; ſi deſit ardor orantis, deeſt anima orationis.

Quintum; *Dirigatur,* inquit, *oratio mea, ſicut incenſum.* Ante omnia ſit orantis finis ſincerus, intentio recta, jugis attentio. Eſt, qui orat, ut ſpectatores aut laudatores habeat: Eſt, qui orat, dum aliò mens evolat: eſt, qui orat, & interim ab oratione aliena tractat; horum oratio reverà non dirigitur, ſed ut fumus à vento avehitur, & diſſipatur.

Cùm igitur decretum nobis ſit agere de oratione attentâ, hoc quidem capite explicabimus, quid ſit animi evagatio, malæ orationis principium.

§. I.

Damaſc. l. 3. de fide c. 4. DE oratione locuturi, principio, putem, rectè quæramus: *Quid eſt oratio?* Damaſcenus ad quæſtionem: *Oratio,* inquit, *eſt mentis elevatio ad Deum.* Vnicus nobis Auguſtinus pro mille ſit, qui ad rem. *Oratio tua,* inquit, *locutio eſt ad Deum: Quando legis, Deus tibi loquitur; quando orας, tu Deo loqueris.* Igitur oratio eſt animæ cum Deo colloquium & converſatio.

Auguſt. in Pſ. 85. mihi pag. 385.

In vitâ Balth. Alvar. c. 52. §. 1. mihi pag. 171. Balthaſar Alvareſius vir admodùm religioſus, orādi actionem deſcribens, dicere ſolebat: Orare, eſt ſpiritum ſuum ad Deum elevare, eique res ſuas omnes familiariter, magnáque cum reverentiâ communicare; & majori cum fiduciâ quàm ullus filius erga matrem ſuam habere poteſt: & ibi omnia ſua, pretioſa & vilia, parva & magna cum ſuo magiſtro ac Domino conferre; cor ſuum aperire, illudque totum ita effundere, ut nihil intus remaneat; illi bona & mala, peccata & deſideria, labores tuos & requiem aperiendo, ſicuti ſolet amicus cum amico cui fidit.

Atque hoc eſt, quod codices divini ſuadent, effundere ſicut aquam cor ſuum in conſpectu Domini. Vt aquam, ajunt, non ut oleum, cujus pars adhæret vaſi. Ergo cogitationes omnes, cor totum à ſeipſo velut emigret in Deum. Si ſic precaremur, evagationes animi non metuendæ forent. Oratio è cordis penetralibus emergens, homines latens, ſoli Deo patens, gratiſſima, & efficaciſſima eſt. Hæc docet ſimpliciſſimè ac ſinceriſſimè cum Deo agere, & arcanum illud colloquium optimis affectionibus diſtinguere. Plurimum refert vel ſemel ſaltem in die, ratione quâ dixi, ſe Deo commendare, ſuam divinæ voluntati agglutinare, perſeverantiam ad ſupremum uſque halitum efflagitare. Hic talis Orator quotidie ſeipſo melior evadet. Quidquid de illo ſentiant homines, ſeu delirum, ſive iracundum, ſeu futurum judicent, gratus Deo ſanctúſque erat.

Gen. c. 18. v. 27. Sed obſecro, duos optimos Oratores cum Deo loquentes attendamus, Abrahamum, & David Regem. Abrahamus: *Loquar,* inquit, *ad Dominum meum, cùm ſim pulvis & cinis.* Exordium ſanè præclarum, & conciliandæ benevolentiæ aptiſſimum. Sed audiamus quam dictioni ſuæ narrationem, quam confirmationem attemperarit. *Deſcenderunt volucres ſuper cadavera* (inquit ſacer hiſtoricus) *& abigebat eas Abraham.* Quid hoc rei? Quod novum iſtud dicendi genus, victimam ab avibus tueri? En Rhetor iſte in actu exercito, ut ſcholæ loquuntur, & reipsà monſtrat, quid in oratione maximè neceſſarium ſit, nimirùm aves infeſtas pellere, animum ab evagationibus defendere. Peſsimè ſacrificat, incaſſum orat, qui in has curas non vigilat.

Gen. c. 15. v. 11. Animũ ab evagationibus defendere in oratione eſt neceſſarium.

2. Reg. c. 7. v. 27. Rex David in divinis colloquiis pænè aſſiduus: *invenit ſervus tuus cor ſuum,* inquit, *ut oraret ad te orationem hanc.* Animus meus variè huc illuc vagatus diu non fuit domi, veluti columba ſocias ſecuta & ſeducta: tandem rediit ad ſuum columbarium hæc avis, mens mea malè peregrinata domum repetiit. Quando igitur meipſum inveni, nunc orabo, nunc colloquar cum Deo: nam inveni cor meum, quod à me fugere ſolet,

let, sed ego velut fugitivum sequor, & domum reduco.

§. II.

Matt. c. 6. v. 6. DIvinus Rhetoricæ Magister Christus saluberrimè præcipiens: *Tu autem*, inquit, *cùm oraveris, intra cubiculum tuum, & clauso ostio ora patrem tuum in abscondito.* Aperto sanè ostio, vana & otiosa est oratio. Si ad pectoris tui conclave liber omnibus pateat ingressus, cessa orare, cessa, aut priùs fores obsera: ostio clauso docet orandum præceptor è cælo. Ad rem Augustinus: *Cubile nostrum est*, inquit, *cor nostrum: ibi tumultuamur, ibi patimur malæ conscientiæ, & ibi requiescimus, quando bona conscientia est. Ibi est cubile, ubi nos Dominus Iesus Christus jubet orare. Tentator non cessat pulsare, ut irrumpat; si clausum invenerit, transit. Ideo Apostolus, quia in nostrâ potestate est ostium claudere, ostium cordis non parietum, ibi enim & cubiculum quia ergo in nostrâ potestate est hoc ostium claudere. Neque detis, inquit, locum diabolo. Etenim si intravit & possidet, attende, quia tu negligenter clausisti, aut claudere neglexisti. Quid est autem claudere ostium? Hoc ostium tanquam duas habet valvas, cupiditatis, & timoris. Aut cupis aliquid terrenum, & hac intrat; aut times aliquid terrenum, & hac intrat. Timoris ergo & cupiditatis januam claude contra diabolum, aperi ad Christum. Quomodo ipsas valvas aperis ad Christum? cupiendo regnum cælorum, timendo ignem gehennarum. Per cupiditatem sæculi diabolus intrat, per desiderium vitæ æternæ Christus intrat. Per timorem pœnarũ temporalium diabolus intrat, per timorem ignis æterni Christus intrat.*

Aug. to. 8. in psal. 35. mihi pag. 107. & in psalm. 141. pag. 669.

Ephes. c. 4. vers. 27.

Ergo Deus, ut idem Augustinus asserit, in ipsis rationalis animæ secretis, qui homo interior vocatur, quærendus & deprecandus est. *Sacrificate sacrificium justitiæ, & sperate in Domino. Vbi putes sacrificium justitiæ sacrificari, nisi in templo mentis, & in cubilibus cordis. Vbi autem sacrificandum est, ibi & orandum. Foris autem diximus, esse omnia temporalia & visibilia, quæ per ostium, id est, per carnalem sensum in cogitationes nostras penetrant, & turba vanorum phantasmatum orantibus obstrepunt. Claudendum est ergo ostium, id est, carnali sensui resistendum, ut oratio spiritualis dirigatur ad Patrem, quæ fit in intimis cordis.* Idem asserunt, quotquot è præceptoris hujus schola prodierunt.

Ps. 4. v. 6. Aug. to. 1. l. de Magistro cap. 1. pag 232. Idem to. 4. l. 2. de serm. Domin. in Monte c. 3. pag. 347.

Ita Moses in rupe Taboreâ ad arcanam cum Christo collocutionem admissus: *Cùm*, ait, *quæsieris ibi Dominum Deum tuum, invenies eum: si tamen toto corde quæsieris eum, & totâ tribulatione animæ tuæ.* Ita Hieremias vates Numinis vicem exhibens: *Quæretis me*, ait, *& invenietis, cùm quæsieritis me in toto corde vestro.* Ita & Principes Apostoli Petrus & Paulus præcipiunt: *Orationi instate, vigilantes in eâ. Estote prudentes & vigilate in orationibus.* Res maximi momenti, eapropter tam seriò commendata & præcepta.

Deut. c. 4. v. 29. Hier. c. 29. v. 13. Coloss. c. 4. v. 13. 1. Pet. c. 4. vers. 7.

Quid Oratio sit, satis liquet: Quid autem est mentis evagatio? Inanis, ut videtur, quæstio. Sed hujus generis plura sunt, quæ non tam quæruntur ut ignota, quàm ponuntur ut magis observanda. Hominem contemplamur oculis, & tamen quærit Logica & Physica, quærit Theologia: Quid est homo? Philosophi, animal rationale, ajunt, esse hominem. Longè aliter Theologi, quibus homo est ipsa inconstantia, cùm Iobo teste, nunquam in eodem statu permaneat.

Si globus in summo monte incipiat ruere præcipitem cursum non sistit, dum ad montis radices devenerit; at verò globus terræ immissus, nil fugæ molitur: cor humanum volubili globo simillimum, nisi Deo altiùs sese immergat, cadendi ac precipitandi finem non inveniet, usque & usque volvetur præcipiti fugâ.

Quid sit evagatio in oratione.

§. III.

QVid igitur est in precibus evagatio? Mobilitas & inconstantia animi. Incipimus quidem cum Deo loqui; mox avertimus nos, & cum catello aut aliâ re obviâ pueriliter jocamur.

Fuit pictor, qui hanc animi evagationem ita subjecit oculis: Christum in cruce pendentem pinxerat. Ante hunc duo quidam submissis genibus precabantur. Ex ore primi unica eáque rectissima ibat linea ad CHRISTI cruentum latus. Ab ore autem alterius plures excurrebant lineæ, ista quidem in campos, ubi messis, venatus, agricultura; illa in cellam vinariam descendebat, ubi vinum, butyrum, pomi genus varium; hæc subibat hypocaustũ, ubi cum liberis uxor; alia stabulum penetrabat ad equos; una etiam museum ingrediebatur ad syngraphas, codicillos, numarias tesseras, aliásque litteras lustrandas.

En, quæso, maximam orantium diversitatem. Primus ille, non malus Rhetor, orationi cœptæ inhærebat, nec interruptum deserebat opus: Christum cogitabat, Christum orabat, Christus omne illius pectus occupabat. At verò alter domi non erat, cor suum non habebat apud se; diversis quinque locis agebat, Rhetor pessimus, pessimâ illius oratio. Non enim aves, uti Abraham, abigebat; cor suum, uti David, non inveniebat. Hinc vel oculis fit fides, quàm grave sit vitium, mentis inter precandum evagatio.

Hinc etiam facillimum erit intelligere, quàm diversâ ratione Dominicam orationem pronuntiemus. Sunt, qui eam per saltus proferant, quædam transiliendo, alia prætermittendo.

Cæsar Heisterbac. l. 3. c. 6. de miraculis sui ævi.

In Brabantiâ, quod vetus scriptor memorat, cacodæmon virginem Nivellanam misere ac diu vexavit. Interrogatus hospes hic orcinus, num orationem Dominicam nôsset? Optimè ajebat, scio. Ergo, recita, dixerunt, qui adstabant. Audite saltantem Rhetorem; ita precabatur diabolus: Pater noster in cælis, nomen tuum, fiat voluntas & in terrâ, panem quotidianum hodie, debita nostra debitoribus nostris, nos à malo. Dixi & unà cachinnum tollens: Ecce, inquit, ita vos orationem vestram dicere soletis.

Istúdne, Christiani, patimur sic à dæmone nos rideri, nec injuriâ? Sunt, qui orationum verba celerrimè percurrant, syllabas extremas devorent, integras subinde voces glutiant, nec tam orent, quàm multa simul deblaterent. Tractim, ô boni, & linguâ non præcipitante precandum. Sed hos suo loco tangemus.

Sunt, qui precibus fanda infanda misceant. Orationem Dominicam auri amans & avarus sic recitat: Pater noster qui es in cælis. *Nondúmne adest, qui pecuniam tulerit?* Sanctificetur nomen tuum. *Vsura quincunx nimis exigua est; bes centesima placet.* Adveniat regnum tuum: *Adjecto tamen bono pignore.* Fiat voluntas tua sicut in cælo & in terrâ. *Nimis multum devorat mea familia.* Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. *His sumptibus diu tolerandis vix ero.* Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. *Illum hostem meum in malam pessimam crucem.* Et ne nos inducas in tentationem. *Cras apud generum meum conviva ero: ita parcam vino meo.* Quæ hæc oratio, quinam intercalares versus isti?

His talibus suspiriis & gemitibus preces nostras distinguimus.

§. IV.

Humbertus in Regul. S. Augustini c. 5.

NArrat Humbertus, fuisse hominem bonæ mentis. Hic cùm fortè fortunâ templum transiret asino vehens descendit, & jumento ad templi fores alligato, ingressus est, ut iter suum impensiùs DEO commendaret. Dum precatur, antequam orationem Dominicam semel duntaxat absolveret, plurima occurrunt à precibus aliena. Illud præcipuè: Quid si aliquis jumentum solvat, & clam abducat? quomodo viæ reliquum confecerim? sed & illud cogitavit: Me miserum,

ferum,

ſerum, aſinus meus precari me non ſinit. Egreſ- A
ſus igitur hoc jam egit, ut aſinum venderet: ſa-
tius eſſe ratus aſino carere, quàm offenſum habere
Deum.

Iſidorus Peluſiota hominem illum cenſet audaciſ-
ſimum, qui Deum patrem appellat, & nil minùs facit,
quàm quod decet filium. Dicit quidem: *Sanctificetur
nomen tuum*; ille ipſe tamen quotidie, & horis pænè
ſingulis divinum nomen verbo violat. *Adveniat regnum
tuum*; cogitationes interim impuriſſimas, Venerem
& orcum olentes, in animo nutrit. *Fiat voluntas tua.*
Ipſe nihilominus ſui ſenſûs & cerebri homo vix un-
quam vult, quod vult Deus. *Panem noſtrum quotidia-
num da nobis hodie*: cùm tamen inſatiabilis ſit vorago,
nec victum quærat, ſed opes & divitias, & datis à Deo
utatur contra Deum. *Dimitte nobis debita noſtra, ſicut &
nos dimittimus.* Impudentiſſimus mortalium veniam
petit, ipſe inexorabilis perſtat, & vel digitulo ictus,
ignem vomit, gladium ſtringit, patibulum minatur, B
in minimas ſævit injuriolas. *Et ne nos inducas in tenta-
tionem, ſed libera nos à malo.* Raſum teneamus amici: hic
homo vult à malo liberari, nullam interim mali aut
peccati occaſionem vitat. Non neſcit, quo loco pu-
dicitia, quo ſobrietas, quo caſtitas periculum adeat, id
tamen non declinat: Ludit & jocatur cum Deo. Ita
oramus, & ſimul neſcio quæ ſomniamus. Pſalmos per-
currimus, orationem Dominicam aliquoties rapidim
convolvimus. Quærat quis non immeritò: Quid ora-
ſti? Neſcimus ipſi, imò dubitamus, an dixerimus, quæ
diximus.

Adversùs hos oratores Deus jam olim graviſſimè
Iſai. c. 29. v. 13. quæſtus per Iſaiam: *Appropinquat populus iſte ore ſuo, in-
quit, & labiis ſuis glorificat me, cor autem ejus longè eſt à me.*
Matt. c. 15. verſ. 8. Chriſtus Dei filius idem per Matthæum queritur: *Po-
pulus hic labiis me honorat, cor autem eorum longè eſt à me.*
Luſcinia inter complures corvos non poteſt placere
cantu, lingua inter tot animi evagationes placere non C
poteſt oratu.

Fit nonnunquam in pagis, ut unicus ludi moderator inter duos tréſve ſolùm puerulos ſtet ad grandis pulpitum, ſacerdoti reſpondeat, hymnum Angelorum, & Apoſtolorum ſymbolum cantet. Hem quàm inſuavis Muſica! ſed longè inſuavior eſt illa, cùm lingua ſola labris tantùm adjuvantibus orat, aut cantat; lingua velut organum Muſicum eſt, addendum cor, aliàs ruſticanus ille labiorum ac linguæ concentus, Deo minimè probabitur.

§. V.

*Bellarm. in Aſcenſ. mē-
tis in Deum gradu 14. c. 2. mihi pag. 321.* MIratur è purpurato ſenatu Bellarminûs Theologus, quomodo Deus rem tam indignam toleret: *Ecce*, inquit, *loquimur cum Deo; & ſtatim ab imaginatione ad alia cogitanda tracti, tergum Deo verti-
mus. Quis noſtratium dominorum ferret famulos ſuos ſe-
cum loquentes, continuò ſe neglecto ad famulandum cum* D
conſervis averti?

Aug. to. 8. in pſal. 85. ante med. mihi pag. 385. Idem admiratus Auguſtinus: *Tolerat Deus*, inquit, *tot corda precantium, & diverſas res cogitantium? omitto
dicere, & noxias; omitto dicere aliquando perverſas & ini-
micas Deo: ipſas ſuperfluas cogitare injuria eſt ejus, cum quo
loqui cœperas. Oratio tua locutio eſt ad Deum.* Attentionem Deus & diligentiam in rebus omnibus amat, maximè verò in precibus. *Quis enim eſt homo*, ait idem Auguſtinus, *cum quo ſi amicus ejus cœperit colloqui, & noluerit ille reſpondere collocutioni ejus, & viderit eum averti à ſe, &
aliud loqui ad alium, qui hoc ferat? Aut ſi fortè interpelles ju-
dicem, & conſtituas eum loco, ut te audiat, & ſubitò, cùm ad
eum loqueris, dimittas eum, & incipias fabulari cum amico
tuo, quando te tolerat?* Vir quidam ſanctus ſeipſum admiratus: Ah Domine, inquit, quantum patior, cùm ſtans in oratione cogito de cæleſtibus, & ſta-

tim ſe mihi offert integer cogitationum carnalium exercitus?

Ephr. to. 2. de panoplia ſpirituali. Idcircò quod Ephrem monet: Arguat ſeipſum homo; & ipſe ſibi dicat: Vis loqui cum Deo? attende ſis. Vis audiri? teipſum priùs, quid loquaris, audi. Nec ſic properes, ne fruſtrà ores.

Turpiſſimum eſt, ſi quis profiteatur ſe ſcribam, verſus tamen flexuoſos & curvos pingat, plurimas lituras faciat, charam atramento ſpargat, multa eradat; & pænè plura deleat, quàm ſcribat. Hic ſcriba imperitiſſimus, eſt homo in oratione non attentus. En lineas curvas & inæquales, en characteres deformes, en tot alienas, tot impuras cogitationes, en tuam ofantis oſcitantiam; nam dum oras modò circumſpicis, modò garris, modò dormis, ſic magnam partem deles, aut eradis, quod ſcribis.

Monitum vetus & optimum eſt: Agenda bene age. Quod hîc cum primis valeat, Vis orare? rectè ora. Non linguam ſolùm, ſed & animum ad preces evoca. Auguſtinus id præclarè docens: Cùm laudatis Deum, inquit, toti laudate, cantet vox, cantet vita, cantent facta. Toti Deum laudate. Noli bonæ cantinelæ tuæ obſtrepere moribus malis. Oratio bona, ſed mala eſt evagatio in oratione. Ideo Cyprianus ſeriò com- *Cypr. lib. de orat.* mendans: *Incumbere*, inquit, *ad preces toto corde debe-
mus; nec quidquam hinc animus, quàm id ſolùm cogitet, quod
precatur. Quæ autem ſegnities eſt alienari, & capi ineptis co-
gitationibus & profanis, cùm Dominum deprecaris, quaſi ſit
aliud, quod magis debeas cogitare, quàm quod cum Deo loqua-
ris? vis Deum eſſe memorem tui, cùm tu ipſe memor tui
non ſis?* Maxima pars orationis, attentio.

CAPUT IV.

Evagationum animi quænam origines ſint remotæ?

HEbræus vates Elias (quod Regum faſti memo- *3. Reg. c. 18. v. 32. & ſeqq.*
rant) cum Baalis ſacrificulis, ſacrificando certans, *ædificavit altare in nomine Domini, fecitque aquæ du-
ctum in circuitu altaris, in quo ligna compoſuit, diviſitq; mem-
bratim bovem lignis imponendum.* juſſitque omnem victimam perfundi aquis tertium. Ipſe demum Elias holocauſtum oratione animans: *Domine Deus*, inquit, *oſtẽde hodie, quia tu es Deus Iſraël, & ego ſervus tuus. Exaudi me, Domine, exaudi me.* Mox ignis ſupernè ruit, & victimam cum lignis & ſaxis conſumpſit. Hoc altari Eliæ Academia quædam pro inſignibus ſuis utitur, cum inſcriptione LITATVR. Inferiùs adjectæ voculæ, NON ALIVNDE.

Hac profectò imagine oratio, de quâ loquimur, inſigniter ob oculos conſtituitur. Cor hominis orantis eſt altare: Ligna præparatio ad orationem. Victima, oratio ipſa. Defluentes aquæ, cogitationes alienæ, ſed repulſæ. Ignis, orandi ardor. Hinc è cælo accenſus aquas exſorbet. Ita LITATVR *Hoc eſt, pera* conſumptis Evagationum aquis. Diximus ſuperiori *fectè ſacri-* capite, quid ſit animi Evagatio, ſeu uſitatâ voce, Di- *ficatur.* ſtractio. Iam porrò illarum quinque origines, quas vocant, remotas, declarabimus.

§. I.

MEntis inter orandum evagationes, minùs quidem venuſtâ, ſed certè propriâ voce Diſtractiones dicimus. Hæ namque ſunt, quæ miſeram mentem, velut Metium Suffetium quadrigis in mille partes diſtrahunt. Hoc igitur minùs Latinum, ſed huic rei magis congruum vocabulum non aſpernabimur.

Prima distractionũ origo: Sollicitudines & Curæ.

Prima igitur Distractionum origo, *Sollicitudines & Curæ.* Quisquis voluntatem suam non integrè conformat ad divinam, vix unquam sine distractionum vehementi frenitu orabit. Is siquidem non inquietus tantùm atque sollicitus, sed & anxius, Deo non satis nec ex integro fidet, omnia suis laboribus tribuet, semper agens & satagens, aliis atque aliis curis semper exæstuans. Hinc oratio minimè attenta.

Matth. c. 6. vers. 31. Philip. c. 4. v. 6.

Christus verè cælestis Rhetor, contra sollicitudinum tumultus septemplici argumento pugnat per Matthæum Evangelistam. Demum concludens: *Nolite ergo*, inquit, *solliciti esse.* Idem ingerens Paulus: *Nihil*, inquit, *solliciti sitis, sed in omni oratione & obsecratione petitiones vestræ innotescant apud Deum.* Non vos morbi, non egestas non infamia, non carceres, non exilium, non ipsa mors angat. Et ejus rei cattam apponit: *Dominus enim prope est.* Immortalis remuneratio, æternitas beatissima brevi se vestris infundet brachiis. Hæc curas pellat, & animum erigat ad futura. Pluma levissimum quid est, & volat etiam, cùm vento agitatur: at pluma madefacta & leviratem perdit & volatum: sic & animus humanus in altum evolare, cælum petere facillimus, cùm autem curis & sollicitudinibus vanis madefit, cùm cibum & potum, vestem & habitationem assiduè cogitat, volare desinit, jámque miserè prægravatus in terrâ repit. Idcircò Christus providè monens: *Attendite vobis*, inquit, *ne fortè graventur corda vestra in crapulâ & ebrietate, & curis hujus vitæ.* Aut orare non sinunt, aut non bene.

Ibidem.

Vide Cassiã collat. l. 9. cap. 4.

Luc. c. 21. v. 34.

Corbiacensi monacho Leonardo, dum oraret, serpens in sinum correpsit. Hinc ille usque adeò non expavit, ut immobilis persisteret, dum precum finem fecisset. Precibus finitis tortuosum insidiatorem ultrò allocutus: Quid tibi vis hospes, ajebat, si quid in me licentiæ à Domino accepisti, exere, tuæ me potestati non subducam. At anguis sicuti ofantem non terruit, sic etiam pati omnia paratum non læsit.

Voluntas humana cũ divinâ conformis sollicitudinum & curarum morsibus non conficitur.

Voluntas humana, & animus Deo fidens non unum tantummodò colubrum, sed totum colubrorum agmen facilè contemnit; sollicitudinum & curarum morsibus nunquam conficitur, omnem enim sollicitudinem & curam projecit in eum, cui fidit, quem adorat.

§. II.

Secunda distractionũ origo: Otium.

ALtera distractionum origo, est *Otium*, quod duplex. Aut nihil agere, aut agere, quod pejus sit Otio. Occupati nobis nonnunquam uidemur, cùm longè sanctiùs feriaremur. Est, cùm tempus ad templum vocat, at nos ne nihil agere videamur, chartis ludere, per fenestras prospicere, transeuntes numerare, aut otiosissimè confabulari, vel calicem ducere, ac poculis certare instituimus. Et hæc negotia dicimus. Teste Cassiano priscorum Ascetarum in Ægypto dictum solenne fuerat: *Qui laborat, ab uno diabolo; otiosus à sexcentis, ab innumeris diabolis exagitatur.* Chrysostomus super instituendâ oratione disserens: *Non dormientibus nobis*, inquit, *dat auxilium Deus, sed laborantibus. Nam adjutor non est otiosis, sed ejus qui ipse quoque operatur.* Ad orationem rectè perficiendam singulari opus est gratiâ, quam Deus cessatoribus, ludionibus, fabulatoribus, saltatoribus largiri non potest.

Cassian. lib. 10. collat. sacr. c. 23. Chrys. hom. 21. in epist. ad Ephes. in fine.

Prov. c. 24. v. 30. & 31.

Mens hõminis otiosi est hortus incultus.

Salomon otiositatis malum ostensurus; *Per agrum hominis pigri*, ait, *transivi, & per vineam viri stulti, & ecce totum repleverant urticæ, & operuerant superficiem ejus spinæ.* Mens hominis otiosi velut hortus incultissimus lappas, lolium, urticas, adulterina semina, gramen inexpugnabile, herbas sterilissimas gignit. Et quomodo tandem hic homo rectè orabit? Nimirum, *cum dormirent homines, venit inimicus homo, & superseminavit zizania.* Vbi otium, ibi satanæ lucrum maximum; otiosus, diaboli theatrum.

Matt. c. 13. v. 25.

Optimè dixit Cassianus: *Mens otiosi nihil aliud cogitare novit, quàm de escis ac ventre.* Experimento autem probatum est, acediæ impugnationem, non declinando, sed resistendo superandam.

Cassian. lib. 10. collat. sacr. cap. 6. med.

Veteri apologo fertur rusticus cum curru & bobus luto altiùs hæsisse. Hîc miser circumspicere, caput scabere, malam fortunam accusare, adjutrices manus expectare, pectus plangere, demum in genua ruere, & dextram Herculis implorare. Adfuit vocatus Hercules, sed hominem increpitans: O piger, inquit, sic currum non extrahes: Abi, manus admolire, boves urge, currum promove; ita dii aderunt vocati, & juvabunt; pigros non juvant.

Non solis profectò precibus agitur, laborandum est: neque verò solis laboribus quidquam proficitur; precandum est. Pigrè otiari, & rectè orare nullâ unquam amicitiâ poterunt conjungi. Iurati hostes sunt otium & oratio.

Intemperans somnus, & neglectus ordo, sunt vitia ad otium spectantia.

Ad otium spectant cognata duo vitia: Intemperans somnus & neglectus ordo. Quies corporis permittenda, sed moderata; prolixior somnus nec salubris, nec honestus. Optatum pabulum est pigritiæ in multam lucem stertere. Nec præclarum aliquid expectes ab homine somni amante. Quot horarum somnus permitti possit, ætas & valetudo interroganda. Eadem lex omnibus non potest figi. Sapientum hactenus sententia fuit, septem horarum spatium, veram somni mensuram esse homini adulto. Heu miseri! vix quartam partem vitæ nostræ vivimus: si demature quod mensæ, quod relaxationi, quod colloquiis, otio, lusibus, somno conceditur, vix demum pars quarta vitæ remanebit. Ita vir octogenarius viginti annis vixisse dici poterit.

Vide Prodromum Æternitatis c. 1. §. 36.

Idcirco somnus & animi relaxatio, non quantum placet, sed quantum satis est, ioque ad dimensum adhibenda. Nam uti de pecuniis malè vel bene expensis, ita & de his ratio reddenda est Deo. Pessimè ratiocinor, si dicam: Mea est hæc pecunia; prout volo, eam expendo. Nec multò rectiùs dixerim: Mihi dormio, mihi vigilo; ergo quantum lubet, dormiam. Fatuum enthymema. Nam uti jactura est aliquot florenos dilapidare, ita dispendium est pecuniariâ jacturâ gravius, aliquot horas superfluo somno perdere. Brevi aderit judex, qui imperet: *Redde rationem villicationis tuæ.*

Luc. c. 16. v. 2.

Alterum, quod otio favet, neglectus ordo & confusio est. In re familiari administrandâ non pulchrum tantùm, sed & utile ac necessarium est, suo quævis tempore fieri: statæ sint horæ, quibus surgendum & cubitum eundum, quibus prandendum & cenandum, quibus laborandum & orandum. Vbi ordo exulat, ibi nec oratio regnat. Immoderatio vitæ non solùm malam facit orationem, sed sæpe nullam.

Rex David gravissimis regni negotiis attentus, de die nihilominus septies in preces effusus; *Septies*, inquit, *in die laudem dixi tibi.* Sed & mediâ nocte surgebat ad confitendum Domino. Daniel è summis Principibus Regis Darii, suis potissimùm curis administrabat regnum, nihilominùs *tribus temporibus in die flectebat genua sua, & adorabat, confitebatúrque coram Deo suo, sicut & antè facere consueverat.* Ergo cui curæ ac cordi est oratio, immoderationem vitæ oderit & otium. Sed pergimus.

Psal. 118. v. 164. Ibid. v. 62. Dan. c. 6. v. 10.

§. III. Tertia

§. III.

Tertia diſtractionū origo: Confuſa negotiorū moles. *Exodi c. 6, verſ. 9.*

TErtia diſtractionum origo eſt, *Confuſa negotiorum moles.* Diabolus hac in re Pharaonem æmulatur. Ægyptius Rex iſte cùm audiſſet Israëlis populum ſacrificia cogitare, & abitum moliri: *Opprimantur*, inquit, *operibus*. Ad hunc omnino modum plurimi merguntur luto, & occupationum mole ſic obruuntur, ut aut tempus, aut certè animum non habeant orandi. Hinc illæ voces eorum: orent monachi; crebris ego precibus invigilare non poſſum. Ita tres illi ad epulum grande invitati, ſe adeò non vacare ajebāt, ut nec epulo quidem intereſſe permiſſum duxerint. Huic quidem boves, iſti villa, uxor tertio tantum temporis non videbatur permittere, ut ad inſtructiſſimam cenam ſe ſiſteret. Non aliter illi, qui rariùs orant, ſeipſos divinis colloquiis excludunt, paullatim non niſi terram & carnem ſapiunt, in rebus ſalutis inſenſiles fiunt, homines atidiſſimi; qui licet in templo ſint, eis tamen fabulari ſuavius eſt, quàm precari. His jure merito quotidie occinendum: *Quid prodeſt homini, ſi mundum univerſum lucretur, animæ verò ſuæ detrimentum patiatur? Aut quam dabit homo commutationem pro animâ ſuâ?* Etſi horis ſingulis philippeos decem lucrari queat, quid tum? veniet horula, quæ omnem negotiorum molem & quidquid lucri congeſtum excutiet manibus, velis nolis vacandum eſt morti; niſi fortè tu ſolus negotiorum mole ſis repulſurus mortem? ſed conſtat hactenus mortalium nemini defuiſſe ſpatium moriendi. Negotia igitur ſic tractanda ſunt, prout nos divinus Paulus inſtruit: *Hoc itaque dico, fratres, tempus breve eſt: reliquum eſt, ut qui utuntur hoc mundo, tanquam non utantur, & qui emunt, tanquam non poſſidentes.* Homines ejuſmodi πολυπράγμονες, & omnia agentes ſæpius cogitent, quod Dominus ſuæ hoſpitæ dixit: *Martha, Martha ſollicita es, & turbaris erga plurima. Porrò unum eſt neceſſarium.* Finem ſcilicet ſibi præſtitutum aſſequi, & per Dei laudes ad Deum aſcendere.

Matt. c. 16. v. 26.

1. Cor. c. 7. v. 29.

Luc. c. 10. v. 41. & 42.

Supremus Rex non niſi ob graviorem cauſſam ingeminat voces. Moſen cùm ille totus in paſcuis conquirendis eſſet, compellavit: *Moſes, Moſes.* Samuelem ſopore merſum inclamavit: *Samuel, Samuel.* Saulum ad cædes properantem duplicatâ voce corripuit: *Saule, Saule.* Ita Chriſtus Martham ab operoſâ nimiùm ſollicitudine revocans: *Martha, Martha*, inquit, *turbaris erga plurima.* Sollicitudo non vexat ſolùm, ſed & ſuffocat; non vult Deus iis animum impendi, quæ ipſe non imperat. Sed hoc mihi munus, inquis, commiſit Deus, hoc onus ipſe impoſuit. Cave Deum falsò accuſes, quòd ille in has negotiorum voragines te adduxerit: tu tibi ipſe dux fuiſti.

Sollicitudo non vexat ſolùm, ſed ſuffocat.

Ezech. c. 47. verſ. 6.

Ezechielem olim Angelus in aquas perduxerat, quæ primo ingreſſu talos, deinde genua, umbilicum denique contigerant. Hîc vetuit eum cæleſtis ductor progredi, & ſeduxit illum, & convertit ad ripam torrentis. Si te, quiſquis es, occupationum tuarum aquæ ad uſque umbilicum ſepeliant, ohe ſatis eſt; ſi pleramque omnem diem negotiis aſſignes, non adeò reclamabimus; ſin autem nihil orationi, nihil Deo tribuas, ohe nimis exiguum eſt. Hæc dæmonis ingenioſa vafrities eſt, quos otio non poteſt, negotiis à Deo avertit.

Dæmon quos otio nō poteſt, negotiis à Deo avertit:

Caſſian. col. lat. cap. 9. initio.

Ioannes Caſſianus immodicas occupationes perſtringens: Probatiſſimus ſeniorum, inquit, cujuſdam fratris cellam tranſiit, viditque aſtantem illi æthiopē. Hi duo junctis conſertiſq; manibus ſaxum gravi malleo contundebant. Monachus aliquoties malleum ponere, & ad orationē redire cogitārat, cùm eū æthiops denuò ad opus animans injuriam laboris non ſentire juſſit. Miratus ſenex impigerrimam diaboli vafritiem, & iſtud ipſum tugurium ingreſſus: Quid operis, ait, hîc urges? Cui monachus: Duriſſimum, inquit, hoc ſaxum aptamus fabricæ, vixque illud ſecare potuimus. Has voces ſenex continuò excipiens: Bene dixiſti, ait, vix potuimus. Nam ſolus non eras, cùm illud cæderes. Et unà expoſuit, quem vidiſſet ejus operis adſtare ſocium, monuitque graviſſimè ne ſua ſeria ludo, ne orationem labori, nec cælum poſthaberet tartaro. Laborandum quidem, ſed abſque orationis diſpendio; ita deinceps Martham ageret, ne Magdalenam excluderet. Suum omnibus tribuendum tempus. Subinde nimios labores tam eſſe noxios, quàm nullos.

Ideo laborandum quidē, ſed abſq; orationis diſpendio.

Et videte lacrymabilem Salomonis ruinam. Poſt extructum templum, neſcio, quas molitiones alias exorſus, domum ſaltûs, regium prætorium, cuſtodiam armorum, ſolium orbi admirandum ſtruxit. Acceſſit vagus fœminarum amor: his curis extra ſe poſitus conſcientiæ rationes conturbavit, & Dei guſtum amiſit. Hinc ſenſus multa cogitans ac depreſſus, & anima aggravata.

Sap. cap. 9. verſ. 15.

Quocirca duas tibi ulnas porrigo: unâ teipſum & injunctum tibi munus, ad tuas vires & ad animi tui ſalutem commetire. Altera æternitatis ulna eſt, hanc rebus creatis omnibus ſtudiosè applica. O quantum has illa excedit! vide igitur, ut tuos labores ita diſpenſes, ne orationis penſum Deo ſubtrahas, & beatam æternitatem perdas.

§. IV.

Quarta diſtractionū origo: Confabulationes & colloquia ſupervacanea.

QVarta diſtractionum origo, ſunt *Confabulationes & colloquia ſupervacanea.* Quemadmodum nobile unguentum odorem perdit, ſi pyxidi operculum deſit, ita ſpiritus precum evaneſcit, ubi os ſine lege garrit. Plerumque frigent orationes, ubi calent fabulæ & vani ſermones. Si otium humanam mentem ſic afficit, ut ea penitus ad orandum torpeat, quantò magis prava colloquia preces turbabunt & impedient? Si quis ſupplicum advolvatur tibi ad genua, ſed manibus attrectet ſordidiſſimis, quas paullò antè merſerit lutō, & necdum abſterſas adferat, ceremoniam iis adhibiturus & facturus delicias, quis hunc talem oratorem à ſe non repellat? Hoc Chryſoſtomus explicatiſſimè tradens: orandum quidem tibi eſt, inquit, ſed non ſordido, neque ita deturpato. Ingemiſce, largas effunde lacrymas, miſericorditer pauperibus de tuis offeras, ſi injuriatus cupiam es, ſatisfacias abundè, reconcilia te illi, & ne magis oratione tuâ Deus irritetur, detege linguam oraturus. Nam ſi quis pedes tuos manibus ſtercore ſordidatis tangeret ſupplicando, non modò non exaudires, verùm etiam calcibus expelleres. Quomodo igitur audes hoc modo Deum orare? nam qui orat, quaſi manu linguâ utitur, quâ genua Dei ſupplicando attingit. Nolite igitur illam maculare, ne Deus ad vos dicat: Si multiplicaveritis deprecationem, non exaudiam vos. Magis igitur quàm pupillam oculi linguam tuam cuſtodias.

Chryſ. to. 2. hom. 52. in c. 15. Matt. mihi pag. 386.

Non minùs præclarè dixit Beda: Multùm juvat orationis puritatem, ſi in omni loco vel tempore, nos ab actibus temperemus illicitis: ſi ſemper ab otioſis ſermocinationibus auditum pariter caſtigemus & linguam: quæcumque enim ſæpius agere, loqui, vel audire ſolemus, eadem neceſſe eſt, ſæpius ad animum, quaſi ſolitam propriámque recurrant ad ſedem: & ſicut ſues immunda volutabra, columbæ limpida ſolent frequentare fluenta; ſic animum cogitationes impuræ inquinant, ſanctæ ad orationem excitant.

Beda de templo Salom. Quid juvet orationis puritatem.

Vt igitur rectè colloquaris cum Deo, cave præmittas prava cum hominibus colloquia. Nam talis in ipsâ eris oratione, qualis ante ipſam fueris. Quod Caſſianus inſigniter executus: *Quidquid ante orationis horam*, inquit, *anima noſtra conceperit, neceſſe eſt, ut orantibus nobis per ingeſtionem recordationis occurrat. Quamobrem quales orantes*

Caſſian. col. lat. 9. c. 3. med.

Ante orationē omnes impuras cogitationes extrudere debemus.

orantes volumus inveniri, tales nos ante orationis tempus præparare debemus. Ex præcedente enim statu mens atque animus in supplicatione formatur. Et idcirco quidquid orantibus nobis nolumus ut irrepat, ante orationem de abditis nostri pectoris extrudere studeamus. Evagantium cogitationum mater, confabulatio.

§. V.

Quinta distractionū origo: Animi amaritudo ira, odiū, similéq; vitiosi affectus.

QVinta distractionum origo, *Animi amaritudo, ira, tristitia, odium, similesque vitiosi affectus.* Pura oratio mel est è cælo, ut igitur huic melli sit locus, fel expue. Augustinus dicere solebat: Vides, quia cor tuum vas plenum est felle; ideò si cupias id impleri melle, necessarium est, ut priùs effundas omne fel. Os plenum pulte, loqui non potest, cor plenum amaritudine non potest orare.

Cibos sumere, dum inflāmatior ira hominem exercet, virus est:

Incredibile dictu est, quàm noxium sit valetudini, mensam accumbere, & cibos sumere, dum vel gravior tristitia, aut inflammatior ira, aut potentior ejuscemodi maligniórque affectus hominem exercet: eo namque tempore alimentum transit in venenum, & quod cibus esse creditur, virus est. Tunc igitur longè satius, impransum & incenatum perdurare, quàm corpus opplere cibo mox transituro in toxicum.

Sic animus affectione deteriore occupatus non sine noxâ orabit. *Matth. c. 5. v. 24.*

Haud aliter animus affectione deteriore occupatus, seu illum ira & excandescentia, seu mœstitia, seu ambitio, seu libido, sive avaritia, sive alia eum amaritudo inficiat, non sine noxâ orabit. Cùm enim oratio sit animæ refectio, amaritudine vacet animus, si sit nutriendus. Propterea Christus affectu simili laborantem ab altari removens: *Relinque*, ait, *ibi munus tuum ante altare, & vade priùs reconciliari fratri tuo.* Animus tali amaritudine infectus nil bonæ orationis stillabit. Vis ali melle? fel priùs evome. Pone iram, libidinem abdica, téque ab omni amaritudine expurga. Quod & Paulus graviter præcipiens: *Volo viros*, inquit, *orare in omni loco, levantes puras manus sine irâ & disceptatione.* Non bene conveniunt, nec in unâ sede morātur oratio pura, & affectio maligna. Nequit curari vulnus, dum aut glans plumbea, aut ferri cuspis, aut integrum telum hæret in vulnere; hæc priùs extrahantur, dein cataplasma parti læsæ accommodetur: ita etiamsi vel apicula reliquerit aculeum in membro? quod sauciavit, aculeus antè auferendus, quàm illiniendum oleum: pari prorsus modo, quamdiu amaritudo ulla cor insederit, tamdiu fragantissimum orationis unguentum nil proderit. Puræ manus in oratione levandæ sine irâ & disceptatione.

1. Tim. c. 2. vers. 8.

Quid faciendū ei qui rectè orare desiderat.

Quisquis igitur rectè orare desiderat, vanas sollicitudines repellat, otium fugiat, negotiorum mole se opprimi non sinat, optimas horas non gerris & nugis frangat, animum ab omni maligniore affectu liberum adferat. Ita LITATVR. Hæc sacra his constant impendiis.

CAPVT V.

Evagationum animi quænam origines sint propinquæ.

LVcianus tam suorum irrisor, quàm Christianorum, fingit Deum supremum Iovem, ad ingentem cæli fenestram horâ unâ quotidie adsidere, suique copiam facere, dicturis partibus aut aliquid rogaturis. Quisquis opportunam hanc horam aucupari novit, & suam facere, quidquid rogat, impetrat; qui horam hanc neglexerit, verba precésque incassum fundit. Cùm autem Iupiter non certam servet horam, incerta verò sit hominibus ignota, inde fit, ut pauciſſimorum preces sint ratæ. Ita prisci hoc fabularum involucro sapienter monuerunt, horis omnibus orandum, quando non constet, quâ horâ Deus statuerit aures orantibus dare.

Deus noster Rex cæli & terræ horis omnibus, interdiu noctúque paratissimas nobis dat aures, nec tantùm audit quod petimus, sed & petitionibus nostris annuit, modò non noxia petamus, nec inhonesta. Porrò illud præcipuè nobis spectandum, ut loco Deum opportuno adeamus. Hoc ajo: locuturus cum Deo, Deum sibi statuat præsentissimum, nec ab eo quem rogat, oculos unquam, quantum fieri potest, amoveat. Hic impetrandi modus est opportunissimus: hoc oculis divinis placet.' Atqui hoc oratio minùs attenta neutiquam observat, hinc jure fert repulsam. De oratione hac cœpimus verba facere. Explicatum est, quid oratio, quid in oratione distractio. quæ distractionum remotæ sint origines. Nunc porrò quotuplex distractio, & quæ distractionum propinquæ sint origines, explicandum.

§. I.

Triplex statuitur distractio Invita, Negligens, & Voluntaria.

A Theologis passim triplex statuitur evagatio seu distractio, Invita, Negligens, Voluntaria. Prima dicitur *Invita*, cùm orantem aliæ quidem atque aliæ cogitationes turbant, sed invitum & reluctantem. Nam hic talis quàm primùm animadvertit in animum suum cogitationes à precibus alienas inserpere, mox eas repellit & excutit, nec sine dolore ac gemitu. Non facilè peccat, qui tam sedulò adversùs satanæ suggestiones vigilat.

Illa *Negligens* vocatur cùm quis oscitanter orat, & remisso animo, cogitationum suarum pessimus custos. Quod inde fit, quando animum ad preces non præparat, neque serius est, in re tam seriâ, non enim laborat, ut hæc precum impedimenta rejiciat. Exemplo demonstratur id, quod dicimus. Adsidet ægroto famulus, qui muscas abigat. Verùm hic muscarum Vespasianus sub officio tam leni paullatim nictare incipit, & modò muscarium flabellum tollit, modò graves oculos claudit, & toto annuit vultu; jam iterum movet brachium, sed languidissimo conatu, jam iterum dormitat, totúmque ruit oppressum somno caput: jámque denuò evigilat, & flabellum concutit, velut uno spiritu jugulaturus omnes muscas. Non diu durat hic impetus, brevi & manus, & oculi, & caput in somnum defluunt, ita redeunt muscæ, unde fuerant abactæ. Hic quidem fugat muscas, & non fugat; officio fungitur, sed pigerrimè, adeóque non fungitur: ita prorsus qui orat, nec tamen in distractiones impigrè pugnat; ita bonus dormitat Homerus, & modò has, modò illas cogitationes in animum illabi non vetat: resistit subinde aliquantulum, sed conatu flaccido & inerti: ita vincitur. Quò autem est major hęc negligentia, tantò gravior, ea tamen plerumque non letalis.

Romanus hic Cæsar muscas configere solebat.

Tertia distractio dicitur *Voluntaria*, cùm pænè sola garrit lingua, mens domi non est, sed in omnes Orbis partes evagatur. Pessimus hic orator alienas quidem cogitationes sentit, sed non rejicit; videt hostem, sed illi sese non opponit: diaboli suggestiones satis advertit, sed eas non excutit; cum Deo loqui & orare creditur, sed ille cum quibusvis transeuntibus fabulatur. Hoc grave delictum est, & naturâ suâ letale. Quisquis enim sic orat, quid oret ignorat, atque sic debitam Deo reverentiam negat. Hinc Theologorum scito, qui die festo tam alienus à precibus, aut in iis tam vagus rei divinæ interest, aut preces ex debito recitandas sic fundit, obligationi non satisfacit. Atque hæ distractionum differentiæ sunt. Origines earum propinquas subjungimus.

Alienus à precibus, qui preces ex debito recitandas sic fundit, obligationi non satisfacit.

§. II. Prima

§. II.

Prima distractionũ propinqua origo.

PRima distractionum propinqua origo est, *Licentia exteriorum sensuum, præcipuè oculorum.* Attentè orare non cogitat, qui oculos non cohibet dum orat: Nam sicut:

Incustoditum captat ovile lupus:

Ita prorsus incustoditam non difficulter expugnat mentem diabolus. Et quomodò cogitationes intra cancellos coërceri poterunt, si emissitii oculi toto oberrent templo? Præceptum Domini est: *Clauso ostio ora Patrem tuum.* Parum est ostium claudere cubiculi, si non etiam claudas januam animi. Christus à cruce redivivus ad discipulos suos ingressus est, sed januis clausis. Gemini oculi duo cordis ostiola sunt; si cupis ut cor tuum subeat divina gratia, para hospitium, & gemina claude ostiola. Non aliâ lege Christum impetrabis hospitem.

Matth. c. 6. v. 6.

Gemini oculi duo cordis ostiola sũt.

Sed ô curiositas, ô humanæ gentis vitium, ô animi levitas, ô nobilis ad omnem petulantiam præsultrix! Vos oculos quaquaversus velut pyrobolos & nitratos radios evolare sinitis, turpi magisterio. Non missiles hos ignes poscit oratio. Cùm orandum est, animus ignescat, & in altum evolet: claudantur oculi, & intra suas se caveas abdant, tunc enim mens tãtò cernit acutiùs, quantò minùs cernunt oculi. Elias cum Deo loquuturus, *Operuit vultum suum pallio.* Hic optimus orantis habitus est, velo, quod natura dedit, operire oculos. Nihil videndo, meliùs videmus quem adoramus.

Cur claudendi sint oculi in oratione.

3. Reg. c. 19. vers. 13.

Cur Deus, obsecro, Arcam à Noëmo fabrefactam, tam intrinsecus, quàm extrinsecus bitumine limri voluit? Ne fortè rimularum aliquid reperirent aquæ & penetrarent. In mũdo velut in diluvio, mediisque fluctibus versamur; heu quantum pravi exempli auribus, quantũ oculis haurimus! Quisquis Noëmum imitari, & diluviii fluctus evadere, Deóque se conjungere cupit, non interiores tantùm, sed & exteriores sensus sollertissimè custodiat; arcam suam, animam suam, bitumine divini timoris intrinsecus & extrinsecus liniat.

Gen. c. 6. v. 14.

Homo orationis amans debet esse cæcus, mutus, & surdus.

Prisci Patres in Ægypto dicere solebant: Amans orationis homo cæcus, mutus & surdus sit. Cæcus sit, ut vel clausos habeat oculos, dum orat, vel in Christi aliâve sacrâ imagine defixos. Mutus sit, ut nullos penitus sermones cum homine misceat, dum Deum alloquitur: turpissimum est, & intolerabile, colloquia divina confabulationibus humanis confundere. Surdus, ut quod vel domi, vel in templo importuni strepitûs est, velut non audiendo transmittat.

§. III.

Secũda distractionum propinqua origo.

ALtera distractionum propinquior origo est, *Libertas & licentia sensuum interiorum.* Intellectûs, Voluntatis, & Memoriæ; maximè verò imaginationis & phantasiæ. Maximæ artis est, phantasiã velut canem rabiosum, aut draconem alatum alligare vinculis, & stringere catenâ. Imaginatio plurimum oranti nocet, si nõ rationis legibus veluti clathris cohibeatur. Quâ de re, si quisquam, præclarissimè Bernardus: *Multarum,* inquit, *rerum imagines & phantasias clausis oculis video, eásque invitus tolero. Inde est, quòd sæpe mihi nocuit mortifera delectatio, quæ ex recordatione præteritorũ peccatorum nasci solet, sed maximè ex recordatione libidinis. Hæc enim pestis, quò præ ceteris vitiis est mihi familiarior, eò ad nocendum proclivior, & ad repellendum difficilior. Nam cùm eam repellere volo, nolenti mihi se ingerit blandè onerosa, displicendo placens, & placendo displicens. Subtiliter intrat, & mentem occupat, & nisi subitò repellatur, allicit, & incendit, & quasi virus pestilentiæ per totum corpus paullatim se diffundit. Cogitationes pravas multiplicat, affectiones malas generat, delectatione illicitâ mentem afficit, & ad consensum pravitatis animum inflectit, omnésque animæ virtutes corrumpit. Hâc peste cùm adstrictus teneor, divelli ab eâ vix possum, quoniã stimulos ejus confiteri aut nescio, aut erubesco: tam subtiles & turpes sunt:*

Bern. lib. de Interiore domo c. 29. mihi pag. 1073.

Libido præ cæteris vitiis ad nocendum proclivior.

Addit: *Audi ergo, piissime Deus, confessionem meam, & respice ad pietatem tuam. Audi, quàm sæpe de memoriâ meâ te expulit irruens turba plurimarum cogitationum, quæ velut plebs ad aliquod spectaculum solent effluere in cor meum. Ad sæcularia revocant, mundana inserunt, voluntaria ingerunt, necessaria convexunt, ipsóque in tempore, quo levare mentem meam ad te paro, inanibus cogitationibus infectus, ad terrena plerumque dejicior, cogitãda cogito, & cogitata recogito, & eadem iterum atque iterũ replicare non cesso. Ita mens mea semper mobilis & numquam stabilis, semper vaga & velut ebria, per diversa distrahitur. Graviter pecco, cùm cor meum derelinquo, quoniam gravis jactura est, quæ per negligentiam fit. Ita peccandi consuetudine etiã cùm nescio, pecco, & cor meum, cor vanum per infinita deducitur, & in multa desideria dividitur.*

Nostras hîc agit partes Bernardus, & velut in theatro graphicè repræsentat hominem negligenter orantem. In quo plurimum semper delinquit imaginatio. Hæc instar vagi pueri est, qui dum in cathedrâ Magister Tullium aut Maronem prælegit, ipse interim cucurbitas, & quidquid vult nugarum, pingit; præceptoris dicta surdis transmittit auribus: ita imaginatio nugas diversissimas solet pingere, dum animus orationi studet vacare. Astringe certis vinculis imaginationem, si fructuosam cupis esse orationem.

§. IV.

Tertia distractionũ propinqua origo.

TErtia distractionum propinquior origo. *Actiones orationi non congruæ.* Qui facit sub oratione, quod eam turbet ac impediat, is hoc agit, ut mẽtem ab orationis sensu abducat. In multis actiones hominis & curæ dividi possunt. Fuerunt, qui septem simul amanuensibus & scribis dictarent, fuerunt qui pluribus: Equitare simul & fabulari, non incommodè plurimi sciunt. Ipse meis oculis spectavi hominem, qui simul & fistulam inflaret, & tympana pulsaret, & libum manducaret. Sunt, qui tonsori simul & negotiis dare operã possint. Ex archimagris non nemo est, qui duas pultes eodem coquat pultario. Sunt, qui audire simul & scribere nõrint. Sunt è furaci Mercurii tribu, qui non imperitè simul & furari, & humanissimè colloqui sciant; sunt, qui eruditè simul & canere, & organis ludere didicerint. At verò preces fundere, ejus generis labor est, ut vix ullos alios labores unà secum exerceri velit. Orare ac simul circumspicere, orare & simul cum alio fabulari, litteras legere, dicenti attendere, nunquam nisi pessimè coniunguntur; hæc uno eodémque tempore simul fieri non possunt.

Orare est labor, qui nullos labores alios secum admittit.

Germanorũ mos est in pagis, & verò etiam in urbibus, inter opifices & tenuioris fortunæ homines, pultem auenaceam hoc ritu comedere. Illud, quod dixi, avenaceum pulmentum, in mensæ plano deponitur, hoc ferculum tripus terrea sed gracilis inumbrat, quæ catinum lacte plenum sustentat. Qui mensam accumbunt, vicibus mutatis cochlear jam avenaceâ pulte, jam lacte mergunt, ut si fortè pultis quid hæreat in gutture, lac habeat pro vehiculo, Haud aliter orant aliqui, dum cochlearis loco utuntur linguâ, sed eâ modò Deum, modò alloquuntur homines miserabili vicissitudine; modò precatorium libellum, modò alienam formam aspiciũt alternatis obtutibus. Atqui hoc est Deum iniuriâ afficere, alijs pernicioso exemplo, sibi ipsi nocere nil impetrando, nisi iustissimam reprehensionem. Nullius pretij hæc oratio est. Ergo quod sæpius monebimus, cùm oras, totus ora, & actiones alias orationi adversarias procul amolire. Plurimum facit, qui, quod faciendum est, bene facit; satis laborat, qui rectè orat.

At subinde in templo sumus, sed orare non lubet. Non nimiùm hîc urgebo fastidientem. Hoc moneo,

figat oculos in imagine piâ, sacras cæremonias expendat, Ecclesiæ cantum attendat.

Non omnem novæ invētionis Musicam damnamus, sed eam potissimùm, quæ quod imitari cupit, imitari tamen nescit, artis aut vocum penuriâ.

Hîc pace vestrâ dixerim, ô Musici, nunc templis cantandi genus dominatur novum, sed exorbitans, concisum, saltatorium, & parùm profectò religiosum, theatro aut choreâ convenientius quàm templo. Artificium quærimus, & perdimus priscum precandi ac cantandi studium; curiositati consulimus, sed reuerà negligimus pietatem. Quid enim novitia hæc & tripudians cantandi ratio, nisi comœdia est, in quâ cantores, veluti actores sunt, quorum modò unus prodit, modò duo, modò simul prodeunt omnes, & modulatis vocibus colloquūtur; mox iterum unus triumphat solus, ceteris breui secuturis. Quòd si cantores nec ab arte, nec à voce multum commendati sint, & nihilominùs novos hos cantandi dialogos sectari velint, insuavem prorsus Musicam efficient.

Crebræ sunt in Italiâ comœdiæ, quæ voce tantùm modulatâ, solóque cantu peraguntur: iis simillimus est hic musteus cantandi modus, qui specie rarioris artificij, sacris ædibus infert comœdias. Adcóne nova omnia tam pulchra sunt & honesta, ut ea iure omnibus & ubique debeant placere? Fuerunt ævo superiore præstantissimi Musici; sed reverà, vel vobis testibus ii aliter (& liceat dicere) religiosiùs cecinerunt: sed eorum libros Musicos vestrum jam fastidium pridem sepelivit. Reviviscat, obsecro, saltem aliquid priscæ religiositatis in sacrâ Musicâ. Quòd si cordi est & curæ divinus honor, hoc agite vir, hoc laborate, ut quæ cāntantur verba, simul etiam intelligantur. Quid mihi varius in templo sonus, quid multiplex concentus, si desit ei nucleus, si sensum & verba, quæ concentu sunt instillanda, percipere nequeam? Aliud est choreis, aliud Christianis sacris accinere; illis satis est symphonia, in his etiam symphoniæ sensus desideratur. Numirum talibus flabellis excitanda est pietas, ut quod cānitur etiam cogitetur.

Æquissimum hoc Ecclesiæ votum divinus Paulus approbans: *Quæ*, inquit, *sine animâ sunt vocem dantia, sive tibia, sive cithara, nisi distinctionem sonituum dederint, quomodo scietur id, quod canitur, aut quod citharizatur? etenim si incertam vocem det tuba, quis se parabit ad bellum? Ita & vos per linguam* (per cantum) *nisi manifestum sermonem dederitis, quomodo scietur, id quod dicitur? eritis enim in aëra loquentes.*

1. Cor. c. 14. v. 7. & seq.

Ea igitur sit templorum Musica, quæ orationem non turbet, sed excitet & accendat.

§. V.

EXposuimus distractionum origines: rem oculis nunc subjiciemus. Bernardus, quem paullò ante diximus, matutinis precibus intererat magno religionis sensu. Hîc illi Deus cernenda obiecit, quæ nullius oculis patebant. Vidit vir sanctus juxta singulos suorū stantem Angelum, qui tantâ scribebat accuratione, ut videretur nec voculam, nec syllabam omissurus, quam non solerter excerperet. Omnium tamen Angeli diversâ prorsus ratione scribebant. Hi quidem auro exarabant verba; isti argento; aliqui atramento, quidam etiam aquâ characteres non conspicuos formabant: alii demum Angeli nil penitus scribebant, sed ex toto feriabantur.

Hæc autem interpretatio visi est. Quorum Angeli pingebant auro, ii hoc uno desiderio æstuabant, quàm integerrimè Deo servire; hoc scilicet agebant, quod agebant; hoc cogitabant, quod cantabant. Bernardo teste: *Tunc veraciter oramus, quando aliunde non cogitamus.* Illorum verò Angeli scribebant argento, quorum intentio in divinis servitiis erat sinceriſsima: minùs quidem prioribus ardebant in divino cultu, sed tamen ardebant. Quę Deus omnia ad libellam habet examinata. Atramento utebantur Angeli apud eos, quorum voluntas non adeò prava fuerat, actiones autem non ab ardore animi, sed à consuetudine prodibant. Apud quos Angeli scribebant aquâ, ii desides, & aut somno, aut cogitationum tumultu pleni, in odeo erant corpore, mente aliò evagabantur. Mens eorum sicut organum Musicum, quod symphoniam perdidit in frigore. Illi denique quorum tutelares Angeli à scriptione penitus vacabant, vanis ac noxiis cogitationibus pleni, non nesciebant se à precibus aliena cogitare, nihilominùs huic cogitationum æstui non resistebant: cor eorum longè fuerat ab eo, quē lingua nominabat.

Bern. lib. de Internâ domo c. 48.

Hîc jure quivis nostrûm examinet seipsum: Quid tuus scribit Angelus, aut quomodo scribit? num argento, num auro, num atramento, aut fortassis aquâ, num omnino feriatur? Quæ tuæ cogitationes sunt inter precandum? quomodo bonas foves, quomodo repellis malas? An non fateri cogeris ac dicere, quod Bernardus tibi suggerit dicendum? *In choro sum corpore, & in aliquo negotio sum corde. Aliud canto, & aliud cogito. Psalmodiæ verba profero, & psalmodiæ sensum non attendo: sed mente vagus, habitu dissolutus, oculis attonitus huc & illuc prospiciens, quæcumque ibi geruntur perlustro & perspicio. Væ mihi, quia ibi pecco, ubi peccata emendare debeo.*

Bern. lib. Internâ domo cap. 33. med. mihi pag. 1076.

Cor hominis particula carnis exigua est, quæ vix falconi sufficiat in prandium, huic tamen cordi, prô, totus non sufficit orbis! Multi de se dixerint: Alas non habeo, volare tamen non cesso, corde solo in omnes orbis partes excurro, imaginatione & phantasiâ ubique prævolante.

Hos animi vagos excursus, hos mentis domesticos tumultus optimè Bernardus exprimens: *Sæpe*, ait, *aliquâ injuriâ commotus, meis cogitationibus & tumultibus in corde premor, hinc que sollicitus & cæcus occasione vindictæ, de acceptâ injuriâ tumeo. Consilia multiplico, & nihil aliud nisi jurgia, quæ adsunt, corde præsagio; præsentem video* (ea vis imaginationis est) *absentibus contradico; intra memetipsum contumelias profero, & recipio, receptis autem duriùs respondeo. Cúmque qui obviet, nullus adsit, vixas in corde propono, insidias invidentium discutio, & quæcumque contra me movere possunt penso, exquiro quid respondeam, & cùm nullam rem teneam, litigo vacuus labore: sicque diem in otium, noctem verò in cogitationem verto, torpeo ab utili opere, quoniam fatigor illicitâ cogitatione: ita mens secum interiùs pugnat, cùm menti homo repugnat. Hæc omnia imaginatio, & phantasia scelerum incentrix incredibiliter auget.* Ideò Bernardus prioribus dictis adjungens: *In corde*, inquit, *servo depicta ea quæ feci, ideò temporalium rerum tumultus in corde versare non cesso; cùm taceo, operor. In cogitatione enim comedo cùm jejuno, loquor cùm taceo, irascor cùm sum tranquillus, corpus requiescit, & animus huc illúcque discurrit.*

Bern. lib. de Conscientiâ mihi pag. 1100. Animi vagi excursus.

§. VI.

HIc triplex Documentum studiosiùs observandum. Primum est. Tantò ardentiùs orandum, quantò vehementiùs distractiones urgent. Perinde uti fieri solet, cùm cælum omne cietur tonitru, quantò enim tunc sævior est tempestas, tantò copiosior est æris campani pulsus. Augustinus multorum languidissimis precibus ingemiscens: *Quàm multi*, ait, *deprecantur Deum, nec sentiunt Deum, nec bene cogitant de Deo. Sonum deprecationis habere possunt, vocem habere non possunt, quia ibi vita non est.* Æs sonans, aut cymbalum tinniens, homo orans, nec mentem orationi applicans; sat vocis & verborum, non sat attentionis, nec satis bonorum desideriorum habet.

Triplex documentum: Primum.

Aug. to. 8. in ps. 132.

Alterum Documentum. Consideranda est innumera multitudo Angelorum Deo semper assistentium. Canit Daniel: *Millia millium ministrabāt ei, & decies millies centena millia assistebant ei.* Cogites tecum mi homo: Sat in cælo aulicorum habet Deus, à quibus laudetur:

Secūdum.

Dan. c. 7. v. 10.

detur: & ego homunculus viliſſimus prorepo, cupió- A que, ut ad dictionem meam rex cæli attendat, & ego ipſe non attendo ad ea quæ dico.

Noſtrates aulas, obſecro, inſpiciamus, & Legatorum in iis orationes. Stat Princeps auditurus, adeſt in obſequium Principis tot nobiliſſimorũ hominum corona, prodit legatus, attentio ſumma, incipit fari, dicendo progreditur, ſolum oculis gerit Principem, ad cauſſam verò ſibi commiſſam attentiſſimus, nihil niſi ex præparato & verbis conceptiſſimis proloquitur.

Et nos quid? & quomodo? Prodimus locuturi cum Deo, quem millia millium & decies cẽtena millia Angelorum cingunt, quorum vel unicus Imperatoribus omnibus præferendus eſt; nos tamen tam frigidè, tam remiſsè ac ſegniter cauſſam noſtram agimus, velut eam ultrò profituri. Heu quàm in rem noſtram non vigilamus! Hîc aſſiduè, ſi uſpiam clamandum, ATTENDITE.

Tertium. Tertium. Æternitas perpetuò cogitanda eſt, ità B mens faciliùs ſe vinciri patietur. Quem enim modò adoramus, eum totis æternitatibus laudare cupimus. Hâc horâ, inquit Bernardus, quâ oras, ô quanti cum Deo loquuntur, eúmque in ſemetipſis amplexantur? Tu verò æternitatis immemor, in his delectaris, quæ pereunt & tranſeunt, & tecum manere non poſſunt. Quàm multi jam æternitatem inchoârunt, quibus ſi daretur hæc horula ad agendam pœnitentiam, quàm ardentibus votis ante aras ſe proſternerent orãtes, ſuſpirantes, plorantes, ad impetrandam miſericordiam, & tu hîc velut jocaris? Si amor non teneat, terreat timor. *Chryſ. to. 5. l. 1. de orãdo Deo.* *Animæ mors eſt*, inquit Chryſoſtomus, *non provolvi ad Dei genua. Hæc autem*, eodem Bernardo teſte, *vera eſt tranquillitas, cùm tota mens in ſeipsâ colligitur, & in uno Æternitatis deſiderio immobiliter figitur. Debet proinde fluctuationem cordis reſtringere, & ad unius veri gaudii deſiderium, cogitationum & affectionum motus colligere.* *Bern. de Interná domo c. 40. & c. 63.*

C

CAPVT VI.

Præparationem ad preces neceſſariam eſſe, & quæ ſit præparatio remota.

NOëmus Arcæ fabricator, carcerem pænè annuum, cũ pauculis ſuorum inter feras toleravit, ſepultus veriùs quàm mortuus. Vbi ex hoc ſeu carcere, ſeu ſepulchro in auras emerſit, Orbis eluvione finitâ, ſacrificium aſſertori ſuo inſtituit. Id Deo plurimùm placuiſſe codices ſacri teſtantur hoc encomio: *Odoratúſque eſt Dominus odorem ſuavitatis.* *Gen. c. 8. verſ. 21.*

Fit nonnunquam, ut Codrus aliquis aut Irus famelicus culinam opulẽtam ingreſſus, carnis aſſæ odorem, dum ea verù verſatur ad ignem, totis hauriat naribus, dicátque: hoc mihi thymiama gratiſſimum, hoc mihi D thus, hoc ſtacte & caſia eſt. Dúmque has narium delicias avidè trahit, paſci videtur acrefici.

Tam acceptum Deo fuerat Noëmi ſacrificium, ut ipſum etiam odorem illius tanquam optimum laudaverit, & quaſi attraxerit: *Odoratus eſt Dominus odorem ſuavitatis.* Ne miremur; ſummo ſe ſtudio Noëmus præparavit ad has religiones obeundas. Nam *ædificavit Noë altare Domino, & tollens de cunctis pecoribus & volucribus mundis obtulit holocauſta ſuper altare.* Hîc multâ opus fuerat induſtriâ & præparatione, tam in aræ ſtructurâ, quàm in delectu animalium. *Loc. citato.* *Gen. c. 8. v. 20.*

Verùm Chriſtianæ gentis ſacrificium eſt, Oratio; hæc autem bona non erit, ſi deſit ei præparatio, de quâ duo nunc exequamur; primò neceſſariam eſſe omnino præparationem; deinde, quæ remota ſit præparatio exponemus.

§. I.

ORaturus ſe præparet, aut malè orabit. Quod Siracides fideliſſimè monens: *Ante orationem*, inquit, *præpara animam tuam & noli eſſe quaſi homo, qui tentat Deum.* Quis citharædus fidibus canit, & fides non priùs temperat? Quis in conſeſſu gravium virorum perorat impараtus? Non inerit os orationi, quæ immediatè funditur. Chryſoſtomi monitu: Vide, quis roges? quem roges? & quid roges? Quis? homo vermiculus, pulvis, umbra, nihil. Quem? Deum, cæli terræque Dominum, *qui poteſt & animam & corpus perdere in gehennam.* Quid? & animi & corporis ſalutem, beatitudinem æternam. Oration neceſſaria eſt præparatio. *Eccli. c. 18. verſ. 23.* *Chryſ. to. 2. homil. 9. in Matth initio mihi p. 1015.* *Matt. c. 10. verſ 28.*

Plutarchus cenſet à Numâ rege monitum illud profectum: *Adoraturi ſedeant.* Sedere eſt omnem animo ſeditionem, ac tumultum cogitationum excludere, & uni Deo, cum quo loquendum, attendere. Ita *David rex ſedit coram Domino.* Priſci ſacra facturi per præconem promulgari jubebant: HOC AGE. Quo dicto tam ſacerdos quàm quivis alius ſacris operaturus monebatur, id ſeriò ageret, quod agendum eſſet. *2. Reg. c. 7. verſ. 19.*

Deus olim Moſen ad colloquium evocaturus. *Aſcende*, inquit, *ad Dominum tu & Aaron, & Nadab, & Abiu, & ſeptuaginta ſenes ex Iſrael, & adorabitis procul. Solúſque Moſes aſcendet ad Dominum, & illi non appropinquabunt; nec populus aſcendet cum eo. Surrexerunt Moſes, & Ioſue miniſter eius: aſcendénſque Moſes in montem, ſenioribus ait: Expectate hîc, donec revertamur ad vos. Cúmque aſcendiſſet Moſes, operuit nubes montem, & habitavit gloria Domini ſuper Sinai, tegens illum nube ſex diebus: ſeptimo autem die vocavit eum de medio caliginis.* Ne Moſen cum Deo collocuturum comites turbarent, relinquuntur à tergo; inſuper omnia involvuntur tenebris, ut tantò mens collectior ſit, quantò minùs oculis permiſſum pluribus occupari. *Exod. c. 24. verſ. 1. Verſ. 2. Verſ. 13. Verſ. 14. Verſ 15. Verſ. 16.*

Orator coram Turcarũ Imperatore cauſſam acturus, per plurima conclavia deducitur: in ſingulis geſtu ſupplici, ſubmiſſis humi genibus, reverẽtiam tanquam adversùs Imperatorem præſentem adhibere cogitur, ſi quidem ad Imperatorias aures admitti velit. Et nos abſque omni præparatione irruimus locuturi cum Deo, verè quaſi homines, qui tentant Deum.

Hac de re Thomas Aquinas graviter pronuntians his ipſis verbis: *Ille*, inquit, *qui ante orationem animam ſuam non præparat, dimittendo ſi quid adversùm aliquem habet, vel aliàs ad devotionem ſe non diſponendo, non facit, quod in ſe eſt, ut exaudiatur à Deo, & ideò quaſi interpretativè tentat Deum. Vnde etiam hujuſmodi tentatio irreligioſitatis ſpecies eſt.* Deus ſingulorum hac in re conatum penitiſſimè ſcrutatur: *Præparationem cordis eorum audivit auris tua Domine.* Quiſquis imparatus orat, homo eſt, quaſi qui Deum tentat. Præcepit ergo Deus, ut preces inituri, ad illas nos præpararemus. *S. Tho. 2. 2. q. 97. art. 3. ad 2.* *Pſal. 10. v. 17.*

Orare, omnium laborum reverà graviſſimus, & maximè ſerius labor eſt. Sunt plurimi labores, qui ſanè non magnâ egent præparatione. Faber malleum aut limam, ſutor cheleuma & ſubulam capit; ſartor acum & filum, tonſor pectinem arripit & forcipem; comeſturus cochlear, bibiturus calicem ſumit: ita quivis horum ad ſuum laborem ſatis accinctus eſt: At verò precaturus, nequaquam ſatis ad precandum paratus eſt, ſi libellum ſumat precatoriũ. Induſtriâ hîc majore opus eſt & paratu. Piſâ ludere, equum agitare, libidinem lectitare, quâ horâ vis, poteſt: orare amplioris eſt moliminis. Oranti omnium laborum ſerius eſt labor.

Sunt quædam laborum genera, quæ cibo non præmiſſo difficillimè peraguntur. Zythepſæ, cùm triticum toſtum verſant, ante lucem prandent, aut jentant; meſſores antequam falcem in ſegetem mittant, matutino prandio labores fulciunt. Orationem ordiri cogitas? præpara animam, & noli eſſe quaſi homo qui tentat

Deum. Beatus Abbas Agathon dicere solebat: Alius A alio labore robustior, omnium robustissimus est, orare. Sic est profectò. Ideò Siracides: Præpara, inquit, præpara animam tuam ad orationem, ut ea par sit tam serio labori. Quocirca omni modo ad orandum opus est præparatione. Nam *quales*, ut Cassianus loquitur, *orantes volumus inveniri, tales nos esse oportet ante tempus orandi.*

Cassian. lib. 10. sacrar. collat. c. 14.

§. II.

Præparatio duplex, Remota & propinqua

Eccli. c. 13. v. 1.

PRæparationem porrò duplicem statuimus: Remotam & propinquam. Remota gemino hoc scito explicari potest: *Cave picem*, &, *Non neglige vestem.* Duo hæc oranti necessaria. Primum est: Cave picem. Cur ea sit cavenda, caussam Ecclesiasticus assignat: *Qui tetigerit picem, inquinabitur ab eâ.* Multum fecerit, qui manu picem tractaverit, & manum à sordibus servaverit immunem. Atqui beatus Paulus levari vult puras manus in oratione. Idcircò quisquis cupit seriò orare, nulli rei creatæ cor suum sinat adhærescere: liberrimus sit oranti animus non auro, non hominum ulli agglutinatus. Perinde ut esse solet unius diecula aut noctis hospes. Et subinde diversorium vile, mensa tenuis, lectus rigidus, cetera omnia incommoda: id autem hospes tantopere non curat; seipsum his solari solet: Toleremus hæc nocte unicâ, cras alibi, & forsan meliori loco erimus. Quòd si diversor hospitium reperiat lautum, mensam instructam, selecta fercula, nobile vinum, mollem lectum, cauponem humanum, suavem somnum, nihilominùs die altero rationes poscit, & iter ad destinatum locum convertens; Vale hospes, inquit, vale hospitium. Et illum & istud laudamus, sed aliò tendimus. Haud aliter Christianus Orator tam expeditæ mentis sit, ut solum suspiret conditorem: quòd si mens hominis, ulli conditæ rei adhæreat affixa, illud ipsum cui adhæret, sub oratione recurret, & orantem turbabit. Dominicum illuc longè certissimum: *Ubi est thesaurus tuus, ibi est & cor tuum.* Quod amas hoc cogitas cùm oras. Excute amorem, & excussisti cogitationem.

Qui cupit orare nulli rei creatæ cor sinat adhærescere.

Matth. c. 6. v. 21.

B

C

Fuit sacerdos, quod Theologus narrat, qui domi suæ convivium celebraturus, coco pretiosiores pisces non sine anxiâ sollicitudine præ cæteris commendavit, industriâ singulari coquendos. Hæc una piscium parandorum cura, mille curarum prægnans mater convivatorem in plurimas cogitationes distraxit, ne fortè cocus pipere aut sale nimio, aut forsan, nimis exiguo cõderet pisces; ne aut nimis diu admoverentur igni, aut æquo citiùs subtraherentur; ne jure nimium largo aut non grato perfunderentur. Interim ad rem divinam abit sacerdos, sed mente vagus, corde aridus, curis distractus. culinâ mersus. Dum actione mediâ est. quæ cælo calentes & igneos poscebat affectus, ille deproperare verba, nec cogitare aliud, quàm suæ culinæ pisces: nec tamen ejusmodi cogitationes cohibere. Ergo adest fuliginosus ex orco cocus, & cacabum ab igne raptum cum piscibus ad aram deferens: O coce, inquit, non presbyter: en pisces, en salem, condi ut lubet. Sic irrisâ sacerdotis supervacaneâ curâ, evanuit. Si hæc cacodæmoni potestas sæpius concederetur, quoties diversa hæc exclamaret: ô amator, ô mercator, ô caupo, ô venator, ô argentarie, ô equiso, quid jam Veneris aut Mercurii sacra, quid vinum aut pecuniam, quid equos aut canes animo versas? Memento cum Rege te loqui, non Hispaniæ, sed cæli & terræ. At hæc, inquis, dum oro, identidem recurrunt. Tu ipse in caussâ es: cur antequam orares his rebus animum affixisti? quid mirum si jam avelli non possis?

Ioan. Major in speculo mihi pag. 586.

§. III.

ISidorus Peluſiota humanæ ſocordiæ ſuccenſens: *Riſu*, inquit, *profectò dignus es, mi homo (quem ego quo nomine appellem neſcio, dum ſtuporem tuum reprehendo) quando precaris:* Confige timore tuo carnes meas. *Eorum enim eſt hæc precatio, qui quod in ſe eſt, conferunt, & jejunant, & ſuâ ſorte contenti, parvóque beati vivunt, eáque ratione carnis exultantem laſciviam caſtigant, & compeſcunt, quique cælitus opem & auxilium ſuæ exercitationi mitti poſtulant. At illis minimè convenit, qui quemadmodum tu facis, crapulâ in modicâ corpus ſaginant, & variis deliciis petulantiam, tantùm abeſt ut reprimant, ut potiùs excitent cuticulâ benè curatâ.*

Iſid. l. 4. ep. epiſt. 2. & 12. Pſal. 119. verſ. 120.

Addit idem. *Omnes homines ita ſunt affecti, ut illis ſtudeant & opitulari, & attendere, quos viderint nequaquam dormientes, neque ignaviæ deditos; ſed qui ipſi ſe præparant, & inſtruunt, & prompti ſunt ad officii partes peragendas. Tu horum nihil facis, & tamen clamas:* Confige timore tuo carnes meas. *Quâ igitur fronte tu poſtulare audes, ut dum ipſe dormis, nullâque ſalutis tuæ curâ tangeris, inſuperabile auxilium cæleſte ad te advolet? Cúmque voto tuo fruſtraris, id ægrè fers. Præcedant itaque ea, quæ tuarum ſunt partium, quæque à te exiguntur, & tunc demum ea, quæ ſunt auxilii divini, ſubſequentur.*

Loc. citato.

Qui rogat, quæ facere non vult, non ſolùm homines, ſed ipſum quoque Iudicem hominum conatur fallere. Tu ergo rebus perituris noli cor apponere. Religioſiſſimus ſcriptor hoc ipſum monitum inſtillans: *Eſto purus*, inquit, *& liber ab intus, ſine alicujus creaturæ implicamento. Oportet te eſſe nudum, & purum cor gerere: ſi vis vacare & videre, quàm ſuavis ſit Dominus.* Obſerva illud quod moneris, liber eſſe *ſine alicujus creaturæ implicamento.* Si patiaris maligniore affectu vel unico te implicari, jam actum eſt, jam victus es, ſexcentas tibi cogitationes ingeret dum oras unicus hic affectus, niſi eum priùs repreſſeris, quàm ores.

Thom. à Kem. l. 2. de Imit. ta. Chriſti c. 8 n. 5.

Cur orator debeat eſſe liber.

Narrat Caſſianus integerrimum ſenem Machetem, eam à Deo gratiam impetrâſſe, ut etiamſi ſacra colloquia diem noctémque totam protraherentur, à ſomno tamen numquam expugnaretur; quàm primùm ſermones miſcerentur vani, protinus in ſomnum ſolveretur. Ad hunc ipſum ſenem Machetem grandis epiſtolarum faſciculus à parentibus & cognatis è provinciâ Ponti miſſus eſt, cùm per quindecim annos utrimque ſilentium tenuiſſet. Hic ſenex apud ſe deliberans: Quantarum, inquit, cogitationum tumultus hæc mihi lectio concitabit, cùm intellexero quid parentes agant, quid cognati, quid noti alii. Et iſta me vel ad inane gaudium, vel ad inutilem triſtitiam impellent. Et quot diebus tot nugarum memoria orationis tenorem interturbabit? Quanto tempore tot ingeſtarum rerum velut offam ſoporiferam digerere non potero? Quanto labore tranquillitatem per hæc perditam non reparabo? admiſſis vel ſemel tot politicorum hominum ſermonibus, occurſabunt ea omnia quæ pridem deſervi, notorum vultus animo inhærebunt: & nunquid inceſſet me deſiderium ad eos reviſendi, & colloquendi cum ipſis? Quid demum juverit, ſolo mundum corpore deſeruiſſe, ſi ad eundem animo recurram? Heu quàm malè reviviſcit, qui benè fuerat mundo mortuus! Hęc ſecum volvens Quid diu, inquit, hæreo? quin unâ liturâ deleo tot turbatrices epiſtolas. Dixit, & faſciculum prout ligatus erat, in ignem projiciens: Ite, inquit, cogitationes patriæ, hîc pariter ardete. Meâ pluris intereſt attentè orare, quàm tot vanis ſalutationibus attendere. Hoc certè Machetes fortiore fecit dexterâ, quàm fuerit illa Mutii ardenti faculo admota.

Caſſian. l. 5. inſtit. c. 33.

D

Ribaden. l. 5. vitæ S. Ignatii c. 1.

Geminum prorſus in beato Ignatio, Societatis IESV Parente, cernere eſt. In cubiculo clauſis foribus oran-

tem janitor accessit, litterarum fascem traditurus: Semel iterúmque pulsanti nihil responsum est. Cùm molestus esse pergeret, & crebriùs more consueto fores obtunderet. Ignatius pandens ostium. Ecquid, mi frater, ait, tibi vis? Cui janitor: En litteras pater; qui eas huc tulit, è patriâ tuâ dicebat allatas. Et unà litterarum fascem in manus patri tradidit. Huic Ignatius: Bene est, ait, & mox ostio iterum clauso, quidquid epistolarum fuit, in proximum caminum (hiems erat) cremandum generosissimâ manu abjecit, & continuò ad interruptam orationem rediit.

Ergo cave picem, & à rebus creatis, quantum potes, animum avelle, ut is, tantò evolet sublimùs, quantò minùs ab infimis detinetur.

§. IV.

Secundum præparationis remotæ documentum.

ALterum præparationis remotæ documentum: *Non neglige vestem.* Qui orare instituit, amicus Dei sit, & gratiæ divinæ cyclade privatus non sit. Quis enim hostem capitalem benevolè audiat? Est, qui mihi supplicet, sed ego illum cane pejus & angue odi, quid impetrabit hic orator? odium augebit. Eodem modo cubiculum aliquis, aut templum ingreditur laudaturus Deum, & petiturus quippiam à Deo. Heus bone, quidquid agas, vide. Num in gratiâ es? vox divina te ferit: *Nomen habes quod vivas, & mortuus es.* Amici priùs fiamus: tolle impium adversùs me bellum, & mecum in gratiam redi, dein adsis laudaturus, aut petiturus aliquid à me. *Non est speciosa laus in ore peccatoris.* Oratio grata est, sed ab amico, nõ ab hoste. Quemadmodum non conveniunt scabiosæ manus, & aurei in digitis annuli; pileus pertusus & plumis ornatus; sacculus holosericus & cuprei in eo nummuli; pretiosissimum vinum è malis punicis expressum & picata lignea capedo; curvæ ac repandæ tibiæ, & ocreæ candidæ: ita non est speciosa laus in ore peccatoris. *Psallite Domino sancti ejus*: non hostes ejus. Nam *rectos decet collaudatio.* Eam ob caussam in lege grisca sacrificium pro peccato cetesis præmitti solitum. Ita sentiens Alphonsus Tostatus Præsul Abulensis: Vt Deo, inquit, accepta sint posteriora sacrificia, oportet, ut illud primùm præmittatur, tanquam dispositio ad alia.

Apoc. c. 3. v. 1. *Eccli. c. 15. vers. 9.* *Psal. 29. v. 5.* *Psal. 32. v. 1.* *Abulens. q. 9. Exod.*

Oraturo necessaria est peccati contritio,

Ita prorsus non consultum tantummodo, sed & necessarium, ut oraturus, delicti tamen sibi conscius in se dolorem concitet per actum contritionis, ut vocant: hoc modo: *Mi Deus, ego te summum bonum offendi, sed doleo ex animo: ignosce. Firmissimè statuo non peccare amplius.* Aut brevissimum illud usurpandum: *Deus propitius esto mihi peccatori.* Qui tale quid precibus præmittit, vestem non negligit, sed sui accusationem velut togam induit. Et reverà, *justus* Salomone teste, *prior accusator sui.*

Luc. c. 16. v. 13. *Prov. c. 18. v. 17.*

Est genus colubrorum, qui venenum ponunt, cùm fontem adeunt ad extinguendam sitim: Non aliter qui ad Christum misericordiæ fontem properat, virus peccati priùs excutiat, & tum demum bibat: sic impetrabit, quod rogaverit. Clemens Alexandrinus hoc ipsum explicans: *Precatio*, inquit, *cum Deo conversatio & collocutio est, ac proinde inter familiares & amicos fieri debet, & supponere, deletam offensam.* Rectos decet collaudatio. Quod ille ab utero cœcus confirmans: *Scimus*, inquit, *quia peccatores Deus non audit: sed si quis Dei cultor est, & voluntatem ejus facit, hunc exaudit.* Et tamen, dices publicanum audiit. Non negamus; audiit: sed publicanus vestem, de quâ loquimur, non neglexit, sui accusatione se vestivit, ita qui hostis Dei fuerat, amicus ab oratione abiit.

Clem. l. 7. Strom. *Joan. c. 9. v. 31.*

Et ante omnia veniam erroribus deprecari debet.

Idcircò ante omnia veniam suis erroribus deprecetur, & seipsum accusando, divinæ gratiæ vestem induat, qui cum Deo in sermonem venire desiderat. Quod cælestis magister docens: *Si manseritis*, inquit, *in me, & verba mea in vobis manserint, quodcumque volueritis, petetis, & fiet vobis.* *Joan. c. 15. v. 7.*

Atque geminum hoc documentum oratori Christiano damus: *Picem caveat, & vestem non negligat.* Cor suum nulli creatæ rei agglutinari sinat, & apud supremum Numen semper in gratiâ esse contendat. Ante orationem præparet animam suam, & non sit quasi homo, qui tentat Deum. Quantò accuratior fuerit præparatio, tantò attentior erit oratio.

CAPVT VII.

Quæ propinqua sit ad orationem præparatio.

CVltus divinus apud Hebræos sacrificiis maximè constabat, de quibus ipsi diversa decem miracula commemorant. Primum festis diebus innumera vis hominum confluxit, & tamen nullus unquam exclusum se questus est: sacrum hoc hospitium admisit omnes. Alterum, cùm starent, se comprimebant; cùm verò delictorum confessionem ritu suo ederent, & in terram procumberent, nihilominùs quatuor cubitorum spatium nemini negatum. Tertium sacrificiorum sub dio institutorum ignis nunquam pluviis extinctus. Quartum, sacrificiorum fumus nunquam à vento sic dissipatus est, quin rectà nubes peteret. Quintum, Sacerdotem summum nullo expiationis die, sinister aut malus eventus impediit. Sextum, in propositionis ac primitiarum panibus nihil unquam vitii deprehensum. Septimum, nulla feminarum, quæ uterum ferret, carnis sanctificatæ nauseam sensit. Octavum, caro sanctificata nunquam fœtoris aliquid contraxit. Nonum, in eo, quo victimæ mactabantur loco, nullæ cernabantur muscæ. Decimum, nemo sacrificantium à serpente aut scorpione læsus est.

De sacrificijs Hebræi decẽ miracula commemorant.

Hæc Iudæi jactant, sed certè non comprobant. Hæ fabulæ Christianis auribus fidem non faciunt. Contrarium è vatibus Hebræis discimus. Dilucidè Rex David: *Sacrificium* inquit, *& oblationem noluisti; holocaustum pro peccato non postulâsti. Quoniam si voluisses sacrificium, dedissem utique; holocaustis non delectaberis. Sacrificium Deo, spiritus contribulatus; cor contritum & humiliatum Deus non despicies.* Simillimè locutus Baruch: *Anima*, inquit, *quæ tristis est, super magnitudine mali, & incedit curva, & infirma, & oculi deficientes* (nimirum lacrymis, jejuniis, vigiliis exhausti) *& anima esuriens dat tibi gloriam, & justitiam Domino. Spiritus est Deus, & eos, qui adorant eum, in spiritu & veritate oportet adorare. Oratio humiliantis se nubes penetrat.*

Psal. 39. v. 7. *Psal. 50. v. 18. & 19.* *Baruc. c. 2. v. 18.* *Joan. c. 4. v. 24.* *Eccli. c. 35. v. 21.*

Hæc Christianæ gentis sacrificia sunt, pura, humilis, & ardens oratio. Quæ autem ad orationem remota sit præparatio, capite superiori exposuimus, jam ordinis ratio poscit, de præparatione, ut eam vocamus, propinquâ disserere.

§. I.

PRimum propinquæ præparationis membrum est, *Puritas animi.* Diacostides, nobilis gemma & magnarum virium est, sed eas omnes in ore cadaveris amittit. Talis reverà est oratio, gemma pretiosa, sed in ore hominis impuri vim omnem perdit. Siracides canit: *Non est speciosa laus in ore peccatoris.*

Primum propinquæ præparationis membrum. *Eccli. c. 15. v. 9.*

Liberum, quod suprà diximus, ac purum sit cor oratoris Christiani. Optimè dixit Augustinus: *Munda tantùm cubiculum cordis; ubi fueris, ubicumque oraveris intus est, qui exaudit, intus in secreto.* Cui subscribens Bernardus: *Oratio*, inquit, *cordis est, non labiorum. Neque enim verba deprecantis Deus intendit, sed orantis cor aspicit.*

Aug. to. 9. tract. 10 in Joan. c. 2. *Bern. lib. de Interna domo c. 43.*

Cùm Core, Dathan & Abiron, ceterique proceres Hebræi, numero ducenti quinquaginta, secessionem fecissent Cur Core, Dathan & Abiron cũ

assectis cùm sacrificaret non sunt exauditi;

fecissent à Moſe, jámque starent, thura offerrent, & odores spargerent, terra horrendùm repentè contremuit, & undante superficie non secùs quàm pelagus vento fluctuans, populum universum terruit. Immani mox sonitu eliso, quà seditiosi tedebant, solum hiatu horribili subsidit, & eodem momento non tantùm ducentos quinquaginta viros, sed & uxores eorum ac liberos omnémque familiam absorpsit: *descenderúntque vivi in infernum, operti humo, & perierunt de medio multitudinis.* Sublatis in hunc modum profanis, hiatus ille ita rursum clausus est, ut ne vestigium quidem ejus superesset. Quid obsecro, Deum ad indignationem tantam commovit, ut in tot capita sui populi tam prodigali strage animadverteret? num ei thus, num ignis, aut thuribula displicuerunt? non odores, non prunæ, sed nec thuribulum, sed cor thura offerentium displicuit Deo. Peſſima fuit oratio rebellium ac seditiosorum hominum, quorum mentem contumax superbia infecerat. Tam non placuerunt hæ preces, ut nec finem illarum Deus expectârit, quin graviter vindicaret in perduelles hos oratores. Bias Prienæus, cùm in naufragii discrimine, inter sceleſtos ac deploratæ vitæ homines esset, illíque deos ob sospitatem deprecarentur: Silete, ait, ne dii nos hîc esse sentiant. Ita Dathamo, Abironi, & asseclis dici potuisset: Tacete & abstinete his sacrificiis: non placebit Deo nec thus selectissimum, nec thuribulum aureum, si cor sit superbum aut lascivum. Ergo, mi Christiane, ut orationem tuam commendes cor tuum ab omnibus sordibus expurga.

Num. c. 16. vers. 32. & 33.

Sed Deus in eos prodigali strage animadvertit.

Secundum propinquę præparationis mẽbrum.

Alterum est *Propositum firmum*, adversùs omnes futuras distractiones. Abrahamus in illo itinere mœstissimo, quod ad montem Moria confecit, ubi Isaac filius erat immolandus, methodum orandi optimam demonstravit. Nam ubi afflictissimus hic parens ad montis radices stetit, provido consilio ad servos comites versus; *Vos*, inquit, *expectate hic cum asino: ego autem & puer illuc usque properantes, postquam adoraverimus, revertemur ad vos.* Prudentissimè. Ita prorsus oratorem Christianum agere convenit. Iumenta, famuli, comites ceteri, & quidquid impedimentorum est, à tergo relinquendum. Dimitte vana vanis, tu animum intende Deo, & solus age cum solo. Ita Moses solus ad Dominum ascendens, & pænè idem, quod Abrahamus, imperans: *Expectate hic*, ait, *donec revertamur ad vos.* Ita & ipse Christus, in itinere tristissimo ad clivum olivarum, suorum octo in villâ Gethsemani reliquit, & tribus solùm comitibus ad locum cruentæ luctæ contendit. Sed ubi orandi locum jam oculis desiguâsset, tres etiam illos comites à se amandans: *Sedete hic*, ait, *donec vadam illuc, & orem. Et ipse avulsus est ab eis, quantum jactus est lapidis, & positis genibus orabat.* Ostendit hoc loco Dominus Iesvs, quo proposito precationes ordiamur. Docuitque exemplo, quod jusserat: *Tu autem cùm oraveris, intra in cubiculum tuum, & clauso ostio ora patrem tuum.* Omnibus tunc aliis cogitationibus & curis valedicendum; plebs ista tumultuans tunc animo excludenda, & quamvis ea fores obtundat, ac iterum & iterum, iterúmque pulset, rogétque admitti, nihilominùs in oratione perdurandum, nec animi ostium ante orationis finem reserandum. Ita quivis apud se statuat, priusquam orare incipiat.

Gen. c. 21. v. 5.

Exod. c. 24. v. 14.

Matt. c. 26. vers. 36. & Luc. c. 22. v. 41.

Matt. c. 6. v. 6.

§. II.

Tertium propinquę præparationis mẽbrum.

Tertium, *Divinæ gratiæ petitio.* Evagantium cogitationum turba seditiosæ plebi simillima est. Hæc eo subinde fertur impetu, ut vel custoditas etiam fores effringat & perrumpat. Haud aliter seditiosarum distractionum vulgus, in orantis mentem irruit, & clandestinis omnia tumultibus miscet. Quando igitur humanæ vires hîc parùm opitulantur, Deus in auxilium vocandus est: Iuva, Domine, & tumultuantes animi mei turbas compone, excita precandi spiritum in me servo tuo; impera ventis & mari, & erit tranquillitas magna.

Ecclesia ante omnem orationem divinum auxilium implorat, *Psal. 69. v. 2. Psal 50. v. 17. Cyp. de orat. Dominica. Aug. l. 15. de Trinit. fine.*

Ecclesia hîc præit, & óque nos exemplo docet, ante omnem orationem divinum subsidium implorare. Nam ea in omnibus statis precationibus, hoc ducit principium: *Deus in adjutorium meum intende, Domine ad adjuvandum me festina.* Nec aliter matutinos hymnos orditur, quàm illis Psaltæ verbis: *Domine labia mea aperies, & os meum annuntiabit laudem tuam.* Eò spectat solenne illud: *Sursum corda.* Quod Cyprianus explicans: *Sacerdos*, inquit, *præfatione præparat fratrum mentes, dicendo*, Sursum corda. *Vt dum respondet plebs*; Habemus ad Dominum, *admoneatur se nihil aliud, quàm Dominum cogitare debere.* Augustinus, quò sinceriùs divinis intenderet, hoc ipsum postulans: *Libera me, Deus meus, exclamat, à multiloquio, quod patior in animâ meâ miserâ in conspectu tuo.*

Quartum præparationis propinquę membrum est, *Præsentia Dei*, orantis animo validè impressa. Cum absentibus non loquimur, nisi per epistolas: si loqui placeat cum Deo, priùs præsentem cogitemus. Vt autem in precibus animi fastidiũ vitemus, subinde qui orat, mente subvolet in cælum, & medius Angelorum ante Dei soliũ se prosternat, & ita causſam suam exponat: aut Christum velut ante se stantem aspiciat: Deum certè præsentem, quocumque tandem modo, veneretur. Salomon ad id hortatur; *In omnibus viis tuis*, ait, *cogita illum, & ipse diriget gressus tuos.* Nimirum istud fœderis Deus cum suis amicis init: Si tu, sive ores, sive labores, mihi tuos semper adjicias oculos, & ego tibi meos viciſſim semper oculos, seu oranti seu laboranti affigam, & omnes gressus tuos dirigam; qui tetigerit te, tanget pupillam oculi mei. Hoc Sionis Rex David, suâmet confirmavit experientiâ. Hinc illius hæ voces: *Providebam Dominum in conspectu meo semper, quoniam à dextris est mihi, ne commovear.* Quemadmodum ego ad Deum, sic ille ad me oculos adjecit. Beatæ Senensi Catharinæ Christus dixisse memoratur: Filia, memor esto mei, & ego memor ero tui. Hâc suaviſſimâ vicissitudine suos sibi devincit Deus.

Quartum præparationis propinquæ membrũ.

Prov. c. 3. v. 6.

Psal. 15. v. 8.

§. III.

Cvm Christus à suo funere redivivus in cælum abiisset è monte, in eodem visi duo Angeli, qui dicerent: *Viri Galilæi, quid statis aspicientes in cælum?* Cur oculos sollicitudine tantâ erigitis ad sidera? an obliti, quod valedicturus vobis magister dixerit: *Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi?* Nos subinde altos ad cælum gemitus emittimus, perinde si Deus à nobis procul sit. Quid hoc, ô viri, quid aspicitis in cælum? Hic ipsiſſimus, hîc totus est Deus ubi oratis, in ore vestro, in oculis vestris, quin & in corde vestro præsentiſſimus est.

Actor. c. 1. v. 11.

Sunt ultima verba c. 28. Matt.

Reverà si hæc talia cogitatione paullulùm profundiore perpenderemus, in precibus longè attentiores essemus. Quiſque sibi diceret: Hic tuus est judex, intus in corde tuo sedet attendens, non tantùm quid dicas, sed & quid cogites. Attende tibi, nusquam non deprehensus es. Nam, ut Theologi sentiunt, Deus ubique locorum, & in omnibus rebus creatis perfectiùs est, quàm anima sit in corpore. Admiranda prorsus est inter animum & corpus copulatio, & adhæsio, quam Philosophorum scholæ nunquam satis explicârint. Non nescimus, totum animum in toto esse corpore, sed & totum in digituli extremo; Deus autem in rebus, quas condidit, perfectiùs præsens existit. *Vbi autem non est*, ut Augustinus loquitur, *qui ubique præsens est? Non essem Deus meus, non omnino essem, nisi esses in me.* Cur igitur, cùm oramus, non ad hunc unum respicimus? cur non uni huic intendimus? Quid vagamur miseri?

Deus in omnibus rebus creatis perfectiùs est quàm anima sit in corpore. *Aug. to. 8. in psal. 75.*

& extra

& extra nos abimus in tot labyrinthos & fallacias ?

Mira memorat beatus Nilus de viro quopiam ſancto (fortaſſis ille ipſe is fuit) qui duas hebdomades continuis pænè precibus exegit. Indigniſſimè id tulerunt cacodæmones, atque ut tantam orandi conſtantiâ ſaltem turbarent, ſi non frangerent, ſtoream rapuerunt, cui virum ſanctum impoſuerunt, & illum velut avenam vanno eventilârunt : & tamen tantopere turbare non valuerunt, ut preces abrumperet impatientiâ. Et quî tandem id fieri potuit? Vir ille ſanctus non manu libellum, non orbiculos precatorios verſavit, ſed Deum in pectore ſuo præſentem adoravit ; ad hunc unum oculos adjecit, quod diaboli nullis molitionibus nec ſeriis, nec ludicris, prohibere potuerunt.

Rude textûi è juncis.

§. IV.

BAſilius Magnus à ſimili rem explicat. Datur actio comica ; aliquot millia ſpectatorum ſunt. Ita Romæ ante aliquot annos data eſt Tragœdia, Criſpus, Conſtantini Cæſaris filius, quem pater jugulari juſſit ob falſam accuſationem Novercæ. Egêre nobiliſſimi, modos Muſicos fecere præſtantiſſimi ; ter data ſemper placuit. Spectatorem habuit & ſummum Pontificem. Ita Principes, Reges, Imperatores, quandoque comœdias ſpectant. Hîc plerique omnes actores, ut tali ſe probent ſpectatori, eum pænè unum obſervant ; num attendat, num rideat, num actionem ſibi placere oſtendat. Si quem fortè memoria deficiat, aut is ceteroqui geſtu delinquat, vix ſcenâ digreditur, & mox ab aliis percunctatur : dic, amabo, num Princeps, num Rex errorem meum notâſſe videatur ? Actione verò jam finitâ, neminem audies interrogantem, dic, quid ſentit de actionibus ſartor ille Claudius, quid piſtor vicinus noſter ? quî placuimus Samueli fabro ferrario ? num Ionas arcularius largiter riſit ? quid plausûs tulimus à Thomâ ſutore ? an nos laudavit Sylveſter molitor ? Hæc quidem nemo quærit, aut certè infans vel fatuus : ſed illud indagare ſatagunt actores, num placuerint principi, num princeps riſerit, & actionem probârit, quis judicio principis omnium optimè egerit. Quòd ſi principem habeant laudatorem, aliorum omnium vituperia nihili faciunt : ſin unico huic neminem actorum placuiſſe reſciant, omnes demittunt auriculas, ut iniquæ mentis aſellus, cùm gravius dorſo ſubiit onus. Tanti fit vel unicus ejuſcemodi ſpectator.

Horat. l. 1. ſerm. ſatyr. 9. initio.

Meriſſima eſt comœdia, omnis vita noſtra, dum vivimus in theatro agimus. Oramus ? velut in ſcenam prodimus coram Deo recitaturi, quod pietas dictaverit. Cur autem non unum atque unicum hunc ſpectatorem noſtrum aſpicimus ? Malè oramus ? cur huic uni ; atque unico diſplicere non formidamus ? *nonne iſte conſiderat vias noſtras, & omnes greſſus noſtros enumerat?* Quidquid oculorum nobis eſt, in hunc ſpectatorem noſtrum flectamus.

Vita noſtra meriſſima eſt comœdia.

Job c. 31. v. 4.

Speculator adſtat deſuper
Qui nos diebus omnibus
Actúſque noſtros proſpicit
A luce primâ in veſperam.

Hymnus Eccleſiæ Fer. 5. in Laudibus.

Divus Baſilius, quem dixi, rem ſcitu dignam interrogans Quomodo, ait obtinebit quis, ut in oratione ſenſus ejus non vagentur ? Reſponſum ab eodem audiamus : ſi certus ſit ante oculos Domini ſe ſtare. Dei præſentiam in omni omnino loco pauciſſimis ſic deſcribimus : Rex quiſpiam præſens eſt in toto regno ſuo, ſed ſolùm per potentiam ; unicum dictat epiſtolium, aut mandatum, mox illud omne regnum pervolat cum imperio. Idem Rex in palatio ſuo eſt per præſentiam. Hîc ejus aula, hîc regia eſt. At verò hic ipſe Rex in conclavi ſuo, ſuóque ſolio eſt per eſſentiam & exiſtentiam, ut ſcholæ loquuntur. Progrediamur ab his infimis. Deus, ubique locorum tam per potêtiam, quàm per præſentiam, & eſſentiam præſentiſſimus eſt. Non eſt ullum locum deſignare vel acûs apice, ubi Deus non intimè ſit præſens. Quocircâ ſummis ac quotidianis ſtudiis, noſipſos eò perducere connitamur, ut in omni prorſus actione, præcipuè verò in oratione, præſentiam Dei attendamus & veneremur.

Certitudo præſentiæ Dei facit ut in oratione ſenſus non vagentur.

Hoc certè Deus à nobis exigit, hoc vult, hoc præcipit. Sic imperatum eſt Abrahamo : *Ambula coram me, & eſto perfectus.* Sicut ego te, ita tu me ſemper reſpice. In eam rem Deus animum humanum multò celerrimum fecit, qui vel ventorum alas longè præverteret, & eo, quo vellet, momento ad ſuum ſe verteret conditorem. Corpus hominis tardigradum ac teſtudineum eſt ; pedetentim & per gradus de loco in locum movetur ; animus puncto temporis ad Deum pervolat. Quocirca ſedulò cogitemus oraturi : Deus videt, Deus audit, Deus punit.

Gen. c. 17. v. 1.

CAPVT VIII.

Quid mente aridâ oraturus habeat ſolatii, Documenta quinque.

NObiliſſimus inter Græcos Oratores Pericles, ad dicendum à populo ſæpius laceſſitus, negavit ſe id facturum, quòd imparatus eſſet. Prudenter prorſus. Nam uti Stobæus loquitur, Cogitatio eſt fons orationis : ubi nulla, vel inculta præcedit cogitatio, ibi nulla, vel ſtulta requiritur oratio.

Stob. ſerm. 27.

Cogitatio eſt fons orationis.

Hinc & Demoſthenes Epicli opprobranti, quòd tanto ſtudio meditaretur ad concionem proferendam. Erubeſcerem, ajebat, optimo jure, ſi mihi ac Reipublicæ cupiens prodeſſe, dicerem ex tempore. Ideo poſtridie dicturus ad populum, nocte præcedente totâ vigilabat, ut tantò paratior prodiret, quantò exactiùs fuiſſet dicenda meditatus. Cúmque Pythias illi objiceret, ſententias ejus olere oleum, ſobriè ac ſapienter reſpondit : Melius eſt, ut mea oleum, quàm ut oleaſit vinum.

Si tantum meditationis ac ſtudii jure adhibendum, ut peritè loquamur cum populo, quid non faciêdum, ut piè loquamur cum DEO ? Quam ob cauſſam, quæ remota, quæ propinqua præparatio ad orationem adhibenda ſit, expoſuimus.

Quî fieri poteſt ut oraturus cogitationibus non evagetur.

Sed eſt, qui objiciat, vix fieri poſſe, ut oraturus cogitationes ſuas ſic vinciat, quin evolent etiam nolente Domino. Id enim Bernardum, id alios ſanctiſſimos viros ſæpius expertos eſſe, ſat conſtat : & ipſi contra ſeipſos hoc queſti ſunt. Deinde quî poteſt fieri, ajunt, ut homo tot profanis merſus negotiis, tot ſeriis obrutus curis, tam attentam inſtituat orationem, cor vel invito ſe ſuffuretur, & domo profugit : & hinc diſſipata oratio. Reſpondemus : Hebræus Rex David gravíſſimis regni geminati curis intentus ſollicitum ſe regem præſtitit, non minùs tamen attentum Oratorem egit. An non auditus eſt dicere, & ſcribere, & canere: *Oculi mei ſemper ad Dominum : Benedicam Dominum in omni tempore, ſemper laus ejus in ore meo : Providebam Dominum in cóſpectu meo ſemper?* Si ergo Rex, cui duplex regnum, Iſraëlis & Iuda fuit adminiſtrâdum, nihilominus velut infimum mancipium, pervigili oculo Dominicos nutus obſervavit, dies noctéſque ad imperantem Hûi digitum abiit, rediit : Quid nos mendiculos par eſt facere ? Quòd ſi pro viribus connitamur cogitatione diſſipatas colligere, nec tamen conatui res ſuccedat, cor aridũ, ſterile, vagum permaneat, nec ſolatii quidquam ſuppetat ; cælum æneum, terra verò ſit ferrea, quid hîc faciendum ? Animus nequaquam deſpondendus, & in eam rem explicabimus, cur Deus ſic nobiſcum

Pſal. 24. v. 15. Pſal. 33. v. 2. Pſal. 15. v. 8.

nobiscum agat, & quid solatii capiendum in tantâ mentis ariditate.

§. I.

Thom. de Kem. 2 mit. Christi l. 3. c. 33. n. 1.

VAticinatur ille religiosissimus, Et, *quamdiu vixeris*, inquit, *mutabilitati subjectus eris, etiam nolens, ut modò lætus, modò tristis, modò pacatus, modò turbatus, nunc devotus, nunc indevotus; nunc studiosus, nunc accidiosus; nunc gravis, nunc levis inveniaris. Sed stat super hæc mutabilia sapiens, & bene doctus in spiritu, non attendens, quid in se sentiat, vel quâ parte flet ventus instabilitatis, sed ut tota intentio mentis ejus ad debitum & optimum proficiat finem.* Non ergo turbetur cor tuum; non aliter hæc vita dicitur.

Idem evenire solet in oratione, quæ nonnunquam sine cælesti succo, sine igne, sine omni solatio insulsa, flaccens, languida, frigida, planè lignea videtur, sexcentis insuper distractionibus adeò est impedita, ut

Levit. c. 26. v. 19. & Deut. c 28 v. 23. cælestes illæ sententiantur minæ: *sit cælum quod supra te est, æneum, & terra, quam calcas, ferrea.* Idem in aliis actionibus contingit, cùm quis sibi labruscas, & pruna silvestria videtur mandere, tam insuave ac acerbum est. quidquid agit, aut cogitat. Quid hîc auxilii? Quædam accuratiùs & ordine hic notanda.

Pro aridi-tate orationis notâda quædam.

Primum: *Vera vitæ sanctimonia, hanc solatiorum dulcedinem nequaquam expetit*, cùm sine illâ nervosior longè sit & robustior. Orare nolle, nisi voluptati sit oratio, aut nisi ad eam animi ardor impellat, nimis delicatæ mentis est. Sensilis illa pietas amygdalinum lac est, quod Deus, cui vult, & quando vult, affundit, veluti

Virg. l. 11. Æneï. med. *Teneris immulgens ubera labris.*

Cùm ergo suavis orandi gustus instillatur; Deo gratias: cùm subtrahitur & negatur, iterum Deo gratias. Siquidem eum hominem non inter infantes numerat, cui lac negat, & cibum præbet robustorum.

Verissima devotio est seipsũ divinæ voluntati devotissimũ offerre.

Devotionis nomen, nos passim creberrimè usurpamus sed revera vim ejus, & verum significatum ignoramus. Ea porrò verissima est devotio, seipsum divinæ voluntati devotissimum, hoc est, ad omnia cùm agenda, tum patienda promptissimum offerre. Quod præclarè Ludovicus Blosius exponens: *Vera devotio*, inquit, *in sui ipsius submissione, resignatione, abnegatione ac*

Ludov. Blosius Specul. spirit. c. 14. mihi p. 63. & Canone vitæ spir. c. 26. pag. 21. *nihili pensione sita est potius, quàm in sensibili sapore & dulcedine. Certè multis ad salutem utilius est ariditatem, amaritudinémque cordis sentire, quàm affectuosa desideria & suavitatem. Ille Deo valdè placet, qui in ipsâ sterilitate, paupertatéque suâ interná humiliter dicere novit*: Domine, licet ego immundus sim, & omni consolatione indignus, te tamen non derelinquam sed desolatus libèter ero, juxta tuum beneplacitum & permissionem. *Nimis infidelis Deo est, qui, quando Deus eum consolatur, Deo servire vult. sed quando spirituali consolatione destituitur, mox à Deo recedit, & illicita solatia perquirit. Si tibi oranti, aut sacrificanti, aut divina meditanti, aut sacræ lectioni insistenti, aut quodvis aliud sanctum opus facienti, deest sæpius ille devotionis affectus, perge tamen in inceptis, & cum concipiens desiderium placendi Deo, offer ei cordis tui sterilitatem ac laborem in laudem æternam. Sic enim ipsa ariditas, quam perfers, non minùs erit illi grata, quàm internæ dulcedinis affluentia imò verò fortè gratior. Rationalis siquidem devotio longè certior, ipsique Domino acceptior est, quàm devotio sensibilis. Est autem devotio rationalis, quando quis quodlibet peccatum odit, & execratur, promptáque voluntate Deum colit, & ea, quæ Deo placere cognoscit, strenuè complectitur, & peragit. Si hanc devotionem habes, nihil decedet mercedi tuæ, etiamsi illam alteram non habeas.*

Idem in instit. spirit. cap. 7. mihi pag. 365.

Sanè vera perfectio non in perceptione magnæ dulcedinis, neque in consolationis affluentiâ consistit, sed in hoc sita est, ut quis seipsum & omnia pro Dei amore relinquat atque abneget, & voluntate propriâ in voluntatem Dei integrè transfusâ, liber tranquillúsque in omnibus quæ sibi obveniunt, permaneat, ac

A Deo adhæreat. Nonnulli se periisse putant, quando sensibili devotione privantur: & rursum se Sanctos, Deóque acceptissimos esse credunt, quando illam accipiunt: sed fallúntur & errant. Plerumque enim Deus ibi per gratiam suam maximè sentitur; & sæpe homini melior est ariditas cordis, quàm esset profusissima abundantia suavitatis. Nam in ariditate, & sterilitate homo clariùs agnoscit, se ex se nihil posse. Porrò suavitas illa conceditur etiam his, qui pessimè vivunt. Certa sanctitas & devotio est æqualis illa promptitudo animi, quâ quis paratus est servire Deo, non minùs in adversis quàm in prosperis. Vera igitur verissima devotio est, bona voluntas, quâ homo paratum se offert ad cultum, honorem & beneplacitum Dei.

Cur aliquãdo ariditas cordis melior est quàm abundãtia suavitatis.

Idẽ in brevi reg. p. 428.

§. II.

B ALterum, quod hac in re observandum, *Divinæ voluntatis decretum.* Hîc dixeris, ô si nôrim, divinæ voluntatis esse, ariditate ac distractionibus me turbari. nec verbulum contrà mutirem. At verò ut censeo, Deus vult, ut attentè orem: ego autem flaccidus, vagus, frigidus, successu pænè nullo precationes ineo: & istud me angit. Non nego, velle Deum, ut attenta sit oratio nostra, vult tamen etiam, ut id quod in oratione patimur inviti, inhærentes nobis nævos eluat. Hinc amaritudo, tristitia, distractio, ariditas, exilium animi, cælum æneum, terra ferrea, quid nisi delictorum nostrorum pœnæ sunt? Deus abscondit vultum suum, & negat, se domi esse. Ne miremur, aut indignemur; nos priùs hunc lusum cum Deo lusimus. Deus frequenter ad pectoris nostri januam pulsat; nemo audit, nemo aperit, nemo admittit. Vices igitur reddit, & parat. Agamus Deo gratias, qui tam clementer in nos animadvertit.

Amaritudo, tristitia, distractio, &c. sunt pœnæ delictorũ.

Ioannes Avila peritus rerum spiritualium magister, C dicere solebat: O si nôssemus, quàm contemptibile sit, nosi tantùm quod terrenum est, sed etiam quod cæleste, si absit Dei voluntas; cùm è diverso tam vile nihil sit, quin pretiosissimum fiat, si Dei voluntas non desit. Inde fieret, ut pro se quisque promptè diceret; millies conducibilius est, amaro esse corde, si Deus velit, quàm affluere solatiis, si istud non placeat Deo. Quocircà, mi Domine, ab eâ parte, quâ ego tam aridæ, tam vagæ, ac frigidæ mentis sum causa, vehementer doleo; à quâ verò tu pœnam hanc in noxarum mearum supplicium irrogas, eam libentissimè subibo.

Ideo conducibilius est amaro esse corde, si Deus velit, & pœnam hãc in noxarũ supplicium subire.

Hæc humanæ voluntatis cum divinâ conjunctio majoris est promeriti, quàm attentissima oratio.

Tertium: *Ariditatem mentis & evagationem sanctissimi quique viri perpessi sunt.* Antonius, Franciscus, Bernardus, alii se homines esse hac in re senserunt: Sanctissimus Rex David seipsum lugens: *Anima mea*, inquit, D *sicut terra sine aquâ tibi.* Vti ager à multo tempore non rigatus pluviis, æstu hiat & supplicat cælo, sic animus meus siccitate inarescit. Eâdem de seipso habuit querelam Bernardus: *Exaruit cor meum coagulatum est sicut lac factum est sicut terra sine aquâ, nec compungi ad lacrymas queo, tanta est duritia cordis. Non sapit psalmus, non legere libet, non orare delectat, meditationes solitas non invenio. Vbi mentis serenitas & pax.*

Psal. 141. v. 6.

Bern. serm. 54. in Cant. c. p. 728.

Si amicis primæ admissionis hæc eveniunt, quid miramur nos neutiquam primarios Dei amicos, his miseriis involvi? Christus rarissimè suos in amœnum Taboreę rupis verticem, sed quotidie in Golgotheum montem solet educere: nec semper amygdalinum lac, sed mordax sinapi, & felleum acetum præbet in potum. Et nunc quidem solatur, nunc terret; nunc invisit, nunc deserit; modò dejicit, modò iterum erigit dejectum, prout æternæ sapientiæ visum in rem hominis est.

Fletum sequitur gaudium.

Virum religiosum memorant complures annos optimis

optimis moribus fuisse, & nemini non magis quàm sibimet satisfecisse. Devenit is tandem ad tam mœstam animi siccitatem, ut quidquid ageret, tristissimum tædium sentiret, ut nec oratio, nec lectio, nec meditatio, nec horum quidquam ei saperet, omnia insuavia, fellea erant omnia. Interim alios vidit alacres. & bono esse animo. Noctem igitur opportunam sibi sumpsit, quâ ante imaginem Christi crucifixi se abjiciens non sine lacrymis, ita precari cœpit: Hactenus sanè credidi, ni Domine, nihil magis tibi convenire, quàm in omnes bonum ac facilem esse. Sed en. ego jam tot annis tibi servio pro viribus, acerba prorsus & plurima passus. Si cui alteri domino tantum obsequii detulissem, plus gratiæ, puto, redderet. Alii solatiis perfunduntur; ego desertissimus sum, nec quò me vertam, sat scio. Dixit, & toto templo velut jam jà ruituro, fragor ingens intonuit. Dum ille anxius circumspicit, en adest horribili aspectu vir, qui perticam ferream librans in trepidantem, humo illum affixit. Iacuit miser in mortuum, velut rotâ contusus, & maximis doloribus oppressus. Manè qui odeum ingrediebantur ex more cantaturi, feminecem repererunt. Mox ad nosocomiū detulerunt, ubi tribus hebdomadibus maximos tulit dolores, nec ei quisquam inservire potuit, nisi obstructis naribus, adeò tetrum odorem halabat. Resumptis nonnihil viribus, cùm repere potiùs quàm incedere posset, ad eundem se locum conferre statuit, ut ibi sanaretur vulnus, ubi fuisset inflictū. Ergo ad Christum in cruce pendentem redit madentibus oculis, culpam & fatetur, & deprecatur. Dum orat, hanc sibi vocem audire visus est: Verme viliorem te judica: & scias solatium humilitate quærendum, non expostulatione. Hoc ita cautum fecit, ut vitam deinceps religiosissimam egerit. Discamus alieno malo sapere, nec cum Deo unquam vel afflictissimi expostulare. Dicamus cum Iobo: *Quis ei dicere potest: cur ita facis?*

Annales Patrū Dominicanorum.

Iob. c. 9. vers. 12.

§. III.

QVartum: *Cogitationem sui parit animus solatiis destitutus.* Etenim qui sese in oratione tam vagum, tam siccum, & frigidum deprehendit, istud non immeritò sibi occinit: Vides, qui sis, quantæ virtutis, quàm sanctus? aridissimum lignum, frigidissimum saxum es, quod nisi Deus benignissimè manu contingat, nec guttula solidæ pietatis è saxo hoc defluit.

Quòd si cum semu & prolixè sæpius oraremus, homines multæ orationis, & pænè jam sancti nobis ipsis videremur. Quando autem nostra cum Deo colloquia tam jejuna sunt & exsucca, nostram ipsi tam oris, quàm cordis inopiam erubescimus, & sic arrogantiæ alas submittimus.

Quâ de re beatus Gregorius eximiè: *Sæpe,* inquit, *gratiæ donum est, quod quis iram deputat: & sæpe divinæ districtionis ira est, quod gratiam judicat. Nam plerumque gratiam æstimat dona virtutum, & tamen de eisdem donis elatus corruit; plerumque velut iram metuit adversa tentationum, & tamen eisdem tentationibus pressus, ad virtutum custodiam cautior exurgit. Sicq; fit, ut animus Deo altius inhæreat, unde se à Deo profundius cecidisse suspirat. Homo igitur ab internis gaudiis expulsus, clausas contra se januas secreti spiritalis aspiciat, atque ad semetipsum foras projectus in carne gemat, & cæcitatis suæ damna considerans dicat:* Si venerit ad me, non videbo eum: si abierit, non intelligam eum. *Rationem de occulto Dei consilio quærere, nihil est aliud, quàm contra ejus consilium superbire. Cùm ergo factorum causſa non deprehenditur, restat, ut sub factis illius cum humilitate taceatur; quia nequaquam sufficit sensus carnis, ut secreta penetret majestatis. Qui ergo in factis Dei rationem non videt, infirmitatem suam considerans, cur non videat rationem videt. Vnde & per Paulum dicitur:* O homo tu quis es, ut respondeas Deo? nunquid dicit figmentum ei, qui se finxit: Quid me fecisti sic? an non habet potestatem figulus luti ex eâdem massâ facere aliud quidem vas in honorem, aliud verò in contumeliam? *Quò autem se cernit figmentum divini operis, eò semetipsum redarguit, ne contra manum resultet operantis: quia qui benignè, quod non erat, fecit, quod est injustè non deserit.*

Greg. l. 9. Moral. c. 7. & 9.

Iob. c. 9. v. 11.

Rom. c. 9. v. 20. & 21.

Quintum: *Animi sine solatiis destitutio, est animi eruditio: Qui non est tentatus quid scit?* sic vires acquirimus, sic in ætatem adultam roboramur, cùm etiam hoc genere tentationis exercemur. Revera quod Paulus dixit, *virtus in infirmitate perficitur.* Et addit: *Libenter igitur gloriabor in infirmitatibus meis, ut inhabitet in me virtus Christi. Propter quod placeo mihi in infirmitatibus.* Inter aves aliásque animantes admirabile prorsus & civicum jus est; quamdiu pulli deplumes sunt & involucres, cibum à parentibus velut præmansum accipiunt. At verò pullos jam plumantes, ad volandum provocant parentes, perinde si eis dicerent: Vos ipsi jam victum quærite; plumas habetis, utimini. sic Deus naturæ auctor & gratiæ, cum suis tanquam cum pullis agit, ad volandum provocat, ne semper sub maternis alis hæreantibus evolent, victum sibi quæritent; pati discant, solatiis carere assuescant, seipsos contemnere, & verò etiam odisse sciant. Hæc veræ devotionis indicia, hæc generosi amoris argumenta sunt: nec enim verus amor est, qui fortis non est: Deus suis cunas subducit, & à lacte depellit, cibo solido pascendos. De infirmioribus illi, & etiamnum infantibus, quibus mulsum aut lac propinandum est, Paulus queritur: *Facti estis, quibus lacte opus sit, non solido cibo, imbecilles ad audiendum.*

Eccli c. 38. v. 9.

2. Cor. c. 12. v. 9. & 10.

Deus suos erudit, ut pati discant, solatiis carere assuescant, & seipsos odisse sciant.

Heb. c. 5. v. 12. & 13.

De Isaaco Moses hunc in modum loquitur: *Crevit puer & ablactatus est, fecit Abraham grande convivium in die ablactationis eius.* Die natali, cùm omnia gaudiis exsonarent, nihil convivii sapiens Abraham celebravit, illo autem die, quo infans ademptum sibi lac flebat, epulum convivis datum est. Ita cælites gaudent, cùm vident hominem à lacte depulsum, solatiis exutum, miseriis obrutum, calamitatibus depressum, nihilominùs à divinâ voluntate non dissentientem, tranquillè ac toleranter omnia ferentem. Hunc talem DEVS inter constantes amicos suos numerat, hunc erudit ut filium. Quod Isaias confirmans: *Quem docebit scientiam,* inquit, *& quem intelligere faciet auditum? Ablactatos à lacte, avulsos ab uberibus.* Eos videlicet, qui omni voluptati non solùm temporali, sed & spirituali nuntium remiserunt Christi amore.

Gen. c. 21. v. 8.

Isai. c. 28. v. 9.

Ioannes Taulerus Ecclesiastes optimus narrat, ad se venisse sæpius, qui dicerent: Malè secum agi, turbari se atque affligi hinc tentationibus, illinc calamitatibus, vitam omnem acerbam esse. His ille solitus est respondere: Bono animo, viri, in tantâ difficultate res non est, ac putatis. Est sanè, ajebant, in maximâ: sed nos ipsi in culpâ sumus. Quibus iterum Taulerus: Quisquis ejus mali culpam sustineat: id, quod patiendum est, crux est, quam Deus humeris vestris imposuit: hanc crucem, sive socordia vestra, sive malitia aliena fabricârit, non multum id refert, vos illam patienter ferte: imò & Deo gratias agite, & voluntati divinæ quàm integerrimè vos ipsos committite. Sed enim, inquiebant, cor in nobis siccum, impatiens, ac vagum experimur. Quibus ecclesiastes ille: Hoc ipsum, ajebat, cum verâ resignatione tolerate. Istud mihi credite, salubrius, longeque vobis utilius est, quàm si sensu vestro devotissimi sitis. Cùm tranquillum est mare, ars naucleri latet; in tempestate se prodit. Tunc vela contrahere, aut explicare, clavum tenere, navim gubernare, fortunam industriâ superare, vim venti arte vincere, hoc demùm laudabile est.

Hoc raræ artis, hoc Christianæ virtutis est, ad eam æquanimitatem perveniſſe, ut animo dicas: Hoc mihi summum sit solatium propter Deum omni carere

solatio. Hoc est, nuces & alimenta infantilia reliquisse, à lacte remotum esse, uberibus ali desiisse; hoc est suis militare stipendiis: quod obsequium Deo gratissimum est. Crescamus igitur, & desinamus esse adolescentuli quasi lactentes, donec occurramus omnes in unitatem fidei, in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi, ut jam non simus parvuli fluctuãtes, *Crescamus in illo per omnia, qui est caput Christus.*

Ephes. c. 4. v. 15.

CAPVT IX.

Alia quatuor Documenta de eodem.

PIè veréque dictum censeo: apud Deum valet non magnus clamor, sed magnus amor, & magis Deo placet oratio fortis, quàm oratio dulcis. Quod superiore capite cœpimus declarare. Vt igitur cœpta pertexamus, reliqua hujus rei documenta subjicimus; ut potiùs orare fortiter cupiamus, quàm dulciter.

§. I.

SExtum igitur sit documentum: *His experimentis nos Deus inspicit.* Quod Moses Israël dixit: *Tentat vos Dominus Deus vester, ut palàm fiat, utrum diligatis eum, an non, in toto corde, & in totâ animâ vestrâ.* Non rarò Deus homini suavitatem omnem & gustum orationis meliorem adimit, ut experimentum de illo sumatur, num ollæ tantùm & mensæ amicus sit, an ob suum dumtaxat commodum conditori suo serviat. Salomon amicos illos ollares & patinarios, à certis & fidelibus secernens: *Omni tempore diligit, qui amicus est*, inquit, *& frater in angustiis comprobatur.* Adversa omnia scit mera esse tentamenta.

Deut. c. 13. v. 3. Cur Deus adimat homini omnẽ suavitatem orationis.

Prov. c. 17. v. 17.

Quæri possit, cur Hebræus rex David ardente pectore suum illud ingeminârit: *Paratum cor meum, Deus, paratum cor meum.* En Hierosolymæum hunc principem paratissimum, non ad secunda tantùm & prospera, sed etiam & æquè paratum ad adversa & aspera. Nimirum vesci didicit, non tantùm domi nisi ex nitido, siligine, primario, sed etiam gregario, atro, squarroso, sordido, etiam hordeaceo, mucido, furfuraceo ac confusaneo pane: exercitati jam oris, validorum dentium, & gulæ nequaquam fuit delicatæ: deinde seu saccaro panem, seu sale aspergeres, modò à Dominicâ venerit manu, æquè gratus fuisset. Paratum cor illius, paratum, paratissimum ad omnia, solatiis juxtà, ac ærumnis, à Deo non avellendum.

Psal. 56. v. 8. David habuit cor paratũ ad omnia tã prospera, quàm ad versa.

Fuit hujus animi constans Dei amicus, & qui primæ admissionis videri potuit. Hic candidè fassus: Iam annis, inquit, quadraginta Christo conditori servio, assiduis orationibus, & tamen sine ullo interiore gustu & consolatione. Hoc mihi unum est suave, facere quod possum. Hoc unum pariter molestũ est & affligit, cùm viribus non respondeo, cùm quod possum facere, non conor.

Hic vir suis expensis, & in orbe, hoc gratis Deo serviit, præmium laboris, loco meliore recepturus. Nam gratis Deo nemo servit.

Septimum: *Altissima Dei Providentia*, quæ quosdam hominum annis compluribus, alios per omnẽ vitam solatiis destituit. Cur autem? Tu quis es, ô homo, qui Deum interroges, & ab eo facti rationem poscas? hæc inter mortales nunquam investigabimus. Longissimè plerumque aberrant conjecturæ nostræ. Hæc nobis ineprehensibilia sunt.

Si Astrologos & fastorum Scriptores interroges, cur anno millesimo sexcentesimo vigesimo octavo, mensem Augustum adeò laudârint, & omnem in eo siderum conjunctionem felicissimam vaticinati sint, cùm tamen totus ille mensis ob continuas pænè pluvias plorabundus, horridus, infelix fuerit: September verò, quem ipsi damnârunt ut tristem & lacrymabundum, ceteros omnes serenitate aëris superârit? si quæras, inquam, quid hoc caussæ? unde pronuntiata fuerint tam fallacia? Habent, quo se tueantur Astrologi; dicunt: Nos non omnia cæli arcana scimus. Itáne? exteriorem cæli faciem non satis dignoscimus, quantò minùs, quæ cælum celat, arcanissima arcana rimabimur? cur Deus hunc hominem hoc modo, illum longè diverso tractet, nos nunquam penetrabimus. Hoc scimus, justissima esse Dei judicia, sed occulta. Altissima est Dei providentia, quam nos pumiliones nunquam attingimus, rectissime quantumvis erecto.

De hac Dei providentiâ, déque divinis permissionibus insigniter Augustinus: *Noli ergo mirari, ait, permittit Deus, & judicio permittit: permittit & mensurâ, numero, pondere permittit. Apud illum non est iniquitas, tu tantùm ad eum pertine. In ipso spem pone, ipse sit adjutor tuus, salutare tuum. Refugium tuum ipse est, & non te sinit tentari suprà quàm potes ferre, sed faciet cum tentatione etiam exitum, ut possis sustinere; ut, quòd te sinit pati tentationem, potestas ejus sit, quòd non sinit ultra in te fieri, quàm potes ferre, misericordia ejus sit.*

Aug. in ps. 61. mihi pag. 257. fine Psalm.

Sed hanc ipsam Dei providentiam uberiùs explicans: *Qui sunt, ait, recti corde? Qui omnia, quæcunque in hâc vitâ patiuntur, non ea tribuunt insipientiæ, sed consilio Dei ad medicinam suam, nec præsumunt de justitiâ suâ, ut putent se injustè pati, quod patiuntur: aut ideò esse Deum injustum, quia nõ plura patitur, qui plus peccat. Hæc sæpe dicimus. Aliquid sentis, sive secundum corpus, sive secũdum dispendiũ rei familiaris; sive per orbitatem aliquã charissimorum tuorum: noli respicere eos, quos nõsti iniquiores te. Non enim forte audies dicere justum te, sed nõsti pejores te, & florere in istis, & non flagellari, ut displiceat tibi consilium Dei, & dicas: Ecce, puta, peccator sum & propterea flagellor: quare ille non flagellatur, cujus novi tantã flagitia? Quantumcumque mali fecerim ego, nunquid ego tantum feci, quantum ille? distortum est cor tuũ. Quàm bonus Deus Israël, sed rectis corde? Tui autem labuntur pedes, quia zelas in peccatores, pacem peccatorũ intuens. Sine curare: novit Deus, quid agat, qui vulnus novit. Non secatur alius. Quid si desperatur? Quid si propterea tu secaris, quia non desperaris? patere ergo, quidquid pateris recto corde; novit Deus, quid tibi donet, quid tibi subtrahat. Quod tibi donat, ad consolationem valeat, non ad corruptionem, & quod tibi subtrahit, ad tolerantiam valeat, non ad blasphemiam. Si autem blasphemas, & displicet tibi Deus, & tu tibi places, perverso corde & distorto es: & hoc pejus, quia cor Dei vis corrigere ad cor tuum, ut hoc ille faciat, quod tu vis; cùm tu debeas facere, quod ille vult. Quid ergo? vis detorquere cor Dei, quod semper rectum est, ad pravitatem cordis tui? Quantò melius ad rectitudinẽ Dei corrigis cor tuum? nónne hoc te docuit Dominus tuus, de cujus passione modò loquebamur? nónne infirmitatem tuam portabat, quando dixit: Tristis est anima mea usque ad mortem?*

Idem in psal. 63. mihi pag. 266. Qui sint recti corde.

Matt. c. 26. vers. 38.

Refert Ludovicus Blosius, Birgittam sanctissimam viduam à Christo interrogatam. Cur turbaris & sollicita es, filia? Respondit illa: Diversis ac noxiis cogitationibus affligor: insuper tui me judicii terror percellit. Cui Dominus: Hæc, inquit, mea est justitia, ut sicut priùs delectabaris mundi vanitatibus contra voluntatem meam, ita nunc molestæ tibi sint perversæ cogitationes contra voluntatem tuam. Iudicium meum time, sed moderatè. Et scias cogitationes pravas quibus mens reluctatur, & detestatur illas, purgationem esse animi, & coronam. Si eas prohibere non possis, tolera, & animo iis obnitere, & quamvis illis non consentias, time nihilominus, ne inde superbias. Quicunque stat, solius Dei virtute stat. Vt igitur homo intelligat imbecillitatem suam, quàm habet à seipso, & fortitudinem meam, quam à me accepit, necessarium est, ut quandoque permittatur pravis cogitationibus pulsari, quibus, si non consentiat, efficiuntur mentis expiatio, & custodia virtutum. Et quamvis eæ sint

Blos. Monil. spirit. c. 4. medio.

Idem ibid.

cæ ſint amariſsimæ toleratu, animum tamen perſanant, & præparant æternitati beatæ quæ ſine amaritudinibus non obtinetur. Neceſſarium non eſt ut ſemper dulce ſit, quod eſt utile; Plerumque fit contrarium, ut ſalubre ſit quod eſt inſuave.

§. II.

OCtavum, *Chriſti cohortatio.* Ludovicus Bloſius, quem dixi, hominem cæleſti ſolatio carentem, erigit his omnino verbis: *Caveat is, qui orat, ne voluntariè ac datâ operâ per gravem negligentiam inter orandum mente diſtrahatur: caveat item, ne orationem propterea deſerat, quòd in eâ nullam fortè conſolationem ſentit. Sanè ſicut mentis diſtractio, quæ præter voluntatem orantis accidit, fructum & utilitatem orationis non tollit, ita nec cordis ariditas, dum adeſt bona voluntas.* Nam quod Birgittæ viduæ hoc & Gertrudi virgini à Domino eſt dictum ſeriâ cohortatione: Vellem, electis meis perſuaſum eſſe, quòd eorum bona exercitia & opera mihi omnino placeât, quando ipſi ſerviunt expenſis ſuis. Illi autem expenſis ſuis mihi ſervitium præſtant, qui licet ſaporem devotionis minimè ſentiat, fideliter tamen, ut poſſunt, orationes, & alia pia exercitia ſua peragunt, confidentes de pietate meâ, quòd ego illa libenter & gratè ſuſcipiam. Plerique ſunt, quibus, ſi ſapor & conſolatio interna concederetur, non eis prodeſſet ad ſalutem, & meritum ipſorum valde minueretur.

Orationis optimæ paradigma. Bloſ. Monil. ſpirit. c. 3.

Sed & illa Chriſti cohortatio ſtudioſiùs expendenda eſt: *ſcito, filia, quòd anima perſeverans in humili fideliq́ue oratione, adipiſcitur omnem virtutem.* Unde nullo modo orationis ſtudium negligendum aut omitendum eſt, propter aliqua adverſantia, ſive ea procedant ab illuſione ſatanæ, ſive à fragilitate propriâ, ſive à cogitationibus immundis. Frequenter enim diabolus orationis tempore, animam variis imaginibus & phantaſmatibus magis infeſtare conatur, quàm extra tempus orationis. Et tunc calidè ſuggerit oranti, quòd talis oratio nil ipſi profit, cùm alia cogitare non debeat, quàm illa, quæ orat. Hoc autem malignus hoſtis perſuadere nititur, ut is, qui orat, tædium mentis incurrat, atque ita exercitium orationis omittat, quæ eſt armatura fortiſſima adverſùs omnes inimicos. O quantùm animæ utilis, & mihi grata eſt ea oratio, quæ in vilitatis propriæ, & bonitatis meæ cognitione peragitur cum charitate.

Nimirum hoc optimæ orationis genus eſt, extremam vilitatem ſuam agnoſcere, & ſummam Dei bonitatem extollere.

Sed eadem illa, quam diximus Gertrudis virgo è cælo didicit, orationis veræ & devotæ verba, nobiliſſimis gemmis aut floribus vernantiſſimis eſſe ſimilia: ſin oratio negligentior ſit, & ſine curâ, qualem plerumque ſola extorquet conſuetudo, tum illius verba floribus marcidis, & gemmis obſcuris non diſſimilia cenſeri. Cumque eadem virgo Gertrudis oculas non multas ducenties vicies ad ſalutandum Dominum Iesvm pronuntiâſſet, intellexit ſingulas ejuſcemodi ſalutationes eſſe inſtar organi muſici: tum verò ſuaviſſimam edi ſymphoniam, ſi vera non deſit devotio, quam eſſe, affirmavimus, promptiſſimam in divinis obſequiis voluntatem. Sed pergimus.

§. III.

NOnum, *Hominis ſolida devotio.* Hîc cum Bernardo vociferor. *Sit tibi Ieſus ſemper in corde, & nunquam imago Crucifixi ab animo tuo recedat. Hic tibi ſit cibus & potus, dulcedo & conſolatio tua, mel tuum, deſiderium tuum; lectio tua, & meditatio tua, vita & mors, & Reſurrectio Domini Ieſu.* Tu modò hunc Dominum cum orientalibus dynaſtis ſollicitus quære, etiamſi non ſemper ducê habeas ſtellam. Sidus, quod tribus illis ab oriente Regibus facem præferebat, ſubinde ſe ſubduxit, mox iterùm ſublime claravit iter. Vtrumque Regiis viatoribus utile, utrumque Dei beneficium fuit. Nam ortu primo ſeſe ſpectandum offerens, cauſſam dedit inquirendi novi regis & adorandi: cùm oculis ſe negavit, ad Chriſti cunabula diligentiſſimè indaganda impulit; cùm autem denuò præeundo viam monſtraret, gaudium gemina vit.

Stella cùm ſe Magis ſpectandâ obtulit cauſſa fuit inquirendi regis, cùm ſe ſubduxit, adorandi.

Tu ne cede malis, ſed contrà audentior ito,

Virg. l. 6. Æneid. poſt init.

etiamſi cæleſtem hunc anteambulonem aliquoties è conſpectu amittas. Qui ſolatiis divinis fruitur, futuro ſe paret, & illud Iobi meditetur: *Quis mihi tribuat, ut ſim juxta menſes priſtinos, ſecundum dies, quibus Deus cuſtodiebat me? quando ſplendebat lucerna ejus ſuper caput meum, & ad lumen ejus ambulabam in tenebris.* Qui ſolatiis divinis deſtituitur, nihilominus cum pſalte regio canat: *Etſi ambulavero in medio umbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es.* Bono animo, ſtella, quæ latet, iterum ſe viſendam exhibebit, & igneo vitam ſyrmate ſignabit.

Iob c. 29. v. 2. & 3.

Pſal. 22. v. 4.

Quòd ſi oculos è cælo flectamus in terram: Fertilis ager non cenſetur, qui lætas ſegetes minimè pollicetur, niſi liberaliſſimè ſtercoretur. Fecundum ſolum in fruges exuberat, etſi rariùs & parciùs ſimo rigetur; ſiccitatis & æſtûs patiens, multo cum fenore refundit, quidquid accipit. Hoc boni agri, hoc fecundi horti eſt. Ita prorſus homo divinæ voluntati verè conformis & devotus, etiamſi modicum ſolatii ſentiat, támque à Deo, quàm ab hominibus deſertus videatur, nihilominus, quod poteſt facit, bonarum actionum ſolitum tenorem non intermittit, ſuo vivit ſucco; quantiſcumque demum calamitatibus urgeatur, Deo fidelis perſtat. Hiberno nobiliori frumento gratum eſt gelu durari terram, tantò enim altiores capit radices, quantò magis gelatur ſolum: ſerenum ſemper & mite cælum ſereges in herbam evocat præmaturè, non ſine certo damno. Pari modo animus humanus non æſtates ſolùm, ſed & hiemes expectet; durandus eſt utroque tempeſtatis genere; neque enim ſolatiis tantùm mulcendus, ſed & mœroribus ſtringendus eſt: cùm cælum ridet, ac favet, Dei miſericordiam; cùm tonat, & fulminat, Dei juſtitiam, ſuam verò infantiam & miſeriam agnoſcat.

Animus humanus non tantû ſolatiis mulcêdus, ſed & mœroribus ſtringendus.

§. IV.

HIc tamê duo quædam non ignorem. Primum eſt, ad eos hæc monita non ſpectare, qui, quod poſſunt, non faciunt; qui animum ad orationem non præparant, nec viribus ſuis reſpondent; quorum conatus aut nullus, aut planè languidus eſt: Hi vaniſſimè jactant: Ita Deus vult, qui mentem meam in oratione diſtrahi permittit: quid ego poſſum? O bone, hoc Deus non vult, ut quod poſſumus, non faciamus, nec conemur rectè orare. Conatus es? feciſti, quod potuiſti? & tamen oratio non ſuccedit? Iam dic, *quæſivi, & non inveni illum; vocavi, & non reſpondit mihi.* Ergo, ſi velis, ô Domine, ut cor meum ſit aridum ac vagum, & ego muſcis abigendis ſim occupatus, Fiat voluntas tua: non ideò miſericordiæ diuinæ oſtium pulſare, aut in humilitate me ſubiicere omittam, imò iam utrumque faciam conſtantiùs.

Duo obſervanda: Primum.

Cant. c. 5. v. 8.

Videte, obſecro, quâ ratione noſtri etiam nævi, & ornamento nobis ſint & adjumento. Ceſpitare, labi, corruere nonnunquam expedit, ſi conſtantiâ majori & ſubmiſſione aſſurgamus. Bene cecidit, qui humilior ſurrexit; feliciter lapſus eſt, qui jam cautior incedit; non ſine lucro corruit, qui ſe robuſtior jam levavit.

Alterum eſt, quod hîc obſervemus. Non ideò non orâdum, aut ab oratione ceſſandum, ſi diſtractiones & ſiccitas mentê occupârint. Eſt enim fortaſſis, qui quærat, an

Alterum.

rat, an non consultius videatur, ab oratione tunc penitus cessare, cùm cogitationes adeò tumultuantur? Respondemus, plerumque non esse consultius, nam eâ ratione victor evaderet cacodæmon, ut qui homini parata in se tela rapuisset. Sat pulchra diabolo victoria est, orationis tædium immisisse. Tu igitur orare perge. Multum dat, qui dat, quod habet, qui sibi nihil retinet, qui nihil, quod est in se, omittit.

Quid fiet ægro, qui nihil cibi admittere sustinet, cùm nihil appetentiæ sentiat? saltem aliquid edulii sumat, tametsi non appetat, dum scilicet appetitus sensim redeat. Idem in precibus observandum. Et docet experientia, cum qui orationem vel cum mediocri attentione ac diligentiâ perseverat, longè meliùs finire quàm cœperit. Quod Ecclesiastes significans : *Melior est, inquit, finis orationis quàm principium.* Sic enim orandum est, ut etiamsi cœperimus frigidi, orando tamen incalescamus.

Eccles. c. 7. v. 9.

Cæcus, qui Domini IESV medicam manum implorabat, in viâ Hiericho versus, quò magis vetabant turbæ, ne clamaret, tantò ipse contentiùs clamabat. Ita prorsus orantibus agendum etiamsi vanissimarum cogitationum vulgus minetur, & importunè silentium imperet, non tamen ideò ab oratione cessandum. Nos verò multò magis clamemus : *Iesu fili David miserere mei.* Domine, canis sum ; *sed & catelli edunt de micis, quæ cadunt de mensâ dominorum suorum. Domine non dimittam te, nisi benedixeris mihi.*

Matt. c. 15. v. 27. Gen. c. 32. v. 26.

Viator, quò ventum experitur vehementiorem, eò vestes arctiùs sibi apprimit ; ita qui orat, quò insultus patitur graviores, eò ardentiùs divinam opem imploret : In densissimis tenebris, in fluctibus profundissimis, Deum adjutorem suum comprehendat arctissimè. Eluctabitur jam sepultus undis. Vita talis non est quidem suavis, sed est fidelis : oratio talis non est dulcis, sed est fortis, quæ omnes illas delicatas orationes longissimè superat. Conemur facere, quod possumus : cetera committamus Deo : *speremus in eo & ipse faciet.*

Psal. 36. v. 5.

CAPVT X.

Quot orationis partes.

VIr oppidò eruditus, Iurisconsultissimus, & maximi nominis toto Imperio Romano, dicere solebat : Nos Germani (liceat dicere) prudenter, sed periculosè fatui, filios nostros in regiones exteras amandamus ingenti sumptu, & sæpe cum jacturâ pudicitiæ, nonnunquam etiam vitæ. Quis harum peregrinationum finis ? ut diversarum nationum idiomata condiscant. Fac fieri ? Quid inde ? Cùm redeunt, linguam patriam & vernaculam ignorant ; germanicè loqui nesciunt, cum infantibus balbutiunt.

Sunt, quos Mithridatis cognatos dixeris, qui linguarum plurimarum peritiâ, cum diversissimis nationibus sermocinari queant. Principes affari, Legationes obire, Gallos, Italos, Britannos, Vngaros, Hispanos suâ quamvis nationem peculiari linguâ salutare norunt. Pulchrum hoc, & commendandum.

Enimverò dicite, mi linguarum tam gnari, cum Deo quo loquuntur sermone, num patrio & nativo, an peregrino ? Certè alius hîc stilus, alia lingua, alia est Rhetorica. Heu quàm multa scimus, quorum ignorantia utilior esset ac sanctior. Nam sæpe, cùm plurima didicerimus, orare nescimus. O igitur Domine, doce nos orare.

Diximus duplici superiori capite, discipulum cælestis Rhetoricæ minimè terreri oportere, licet dicendo irrauceseat, etsi vox & memoria hæreat, quamvis in oratione aridus, vagus, frigidus sit : neque enim hæc certa mali oratoris signa esse. Nunc sequitur, quod Rhetoricæ primarium est : Quot sint partes orationis? Quatuor numerantur ; Exordium, Narratio, Confirmatio, Epilogus seu Peroratio. Totidem omninò partes ad orationem Christianam pertinent, idcircò ea nunc explicabimus.

Quatuor partes orationis.

§. I.

PArs orationis prima est Exordium, quod apud oratorem Christianum est, *Humilitas*. Salomon hac in re testis locupletissimus : *Iustus, inquit, prior est accusator sui.* Omnes, putem, qui de oratione præceptiones tradunt illud singulariter instillant, *Oratio sit Humilis* : Ita quidem ut Humilitas sit verum orationis principium. Apertè Siracides ; *Oratio humiliantis se, inquit, nubes penetrabit, & donec propinquet, non consolabitur : & non discedet, donec altissimus aspiciat.* Quòd si miserarum nostrarum abyssum inspiciamus, non difficilis nobis videbitur Humilitatis virtus. Heu quanta hominis vilitas, imò quàm grande illius nihilum est ! Homo corruptionis speculum, imbecillitatis exemplum, temporis spolium, fortunæ ludibrium, putredinis sepulchrum, avolans umbra, umbræ somnium, popina vermium : lacertorum epulũ, calamitatis simulacrum, incõstantiæ prodigium, invidiæ theatrum, stateræ momentum, vitiorum habitaculum, morborum atrium, autumni fœnum, mortis mancipium, vanitas vanitatum, pulvis, cinis, nihilum : & hic tam bellus homo superbiat, cujus intellectus tenebricosus, voluntas pertinax, memoria vaga ; cujus imaginatio inquietissima, sensus exteriores curiosissimi, caro ad otium & omnem nequitiam promptissima est, & tamen hic ipse superbiat, qui caussas submittendi se habet innumeras ?

Prima pars orationis Christianæ est humilitas.

Prov. c. 18. v. 17. Eccli. c. 35. v. 21.

Vide Æternitatis Prodromi c. 1. 6. 2.

Vilitas hominis tanta est.

Quid de illo equite sentiendum, qui fractis viribus & equitandi imperitus, equum insuper habet contumacem, duri oris, cespitatorem, pavidum, sternacem, sed & ephippium sessori non habile, retinaculum ac frenum vix ullius usûs sunt ; & quod accedit, via mõtosa, aspera, subjectis præcipitiis periculosissima. Talis omnino eques est homo, cujus appetitus irascibilis, quem vocant, & concupiscibilis, equus ille refractarius & indomitus, quem Ratio regat, sed heu quàm illa debilis est, & imminutis viribus : propositum loco freni sit, plerumque tamen imbecille ac invalidum est. Mundus præcipitiis plenus, miserrimi hujus equitis iter periculosissimum reddit. Denique tam miseri sumus à nobis ipsis, ut nec unico quidem puriore desiderio in DEVM feramur, nisi hoc ipsum Deus suggerat. *Non enim sufficientes sumus cogitare aliquid à nobis.* Sponte nostrâ labimur, & cadimus, sed nequaquam assurgimus spõte nostrâ. Actum est de nobis, ni Deus opitulatricem manum porrigat. Absit divina gratia, & periimus. Nulla virtutum officia præstamus, ni certis Deus adminiculis infirmitatem nostram confirmet. Vitiorum sentina, & ipsa sumus fragilitas. Hinc Ecclesia nos orare docet in hunc modum : *Deus, qui conspicis omni nos virtute destitui, interiùs exteriúsque custodi, ut ab omnibus adversitatibus muniamur in corpore, & à gessimus pravis cogitationibus mundemur in mente.* Verè virtute omni destituimur, & hoc est, quod nos in Humilitatem submittat, & jure deprimat ; vilitatis nostræ impenetrabilis abyssus.

Vt nec unico puriore desiderio in Deum feratur, nisi hoc ipsum Deus suggerat.

2. Cor. c. 3. v. 5.

Dominica 2. Quadrag. à gessim.

Accedit immensa DEI majestas, cum quâ loquendum est oranti. Quis, obsecro, mendicorum adeò insanit, ut stipem in ponte rogaturus, melioribus, quas habet, vestibus se amiciat, philippeos & aureos manu præferat, nummorum copiam jactet ? talis mendicus erat Pharisæus. Ascenderat hic quidem orare ; noluit Deum rogare, sed se laudare, insuper & roganti insultare. Hoc mendici non solent ; centones monstrant & ulcera,

& ulcera, ut non tantùm aures, sed & oculos expugnent, & aliquid nummulorum elicjant.

Laërt. l. 2. c. 8. Aristippus sériæ frontis Philosophus, Laërtio teste, Dionysium Regem Siculum pro amico deprecaturus accesserat. Sed irritæ cadebant preces. Ille ad regis pedes advolutus, demum, quod petiit, impetravit. Hoc ut Philosopho indecorum nonnemo reprehendit. Cui Aristippus: Rectè, inquit, à me id factum censeo, nam Dionysius aures in pedibus habet. Benignissimus Deus exoratu neutiquam difficilis est, de eo tamen non insequè dixerimus: Aures habet in pedibus; qui impetrare cupit, quod rogat, in genua procumbat, ad pedes se abjiciat. Exordium orationis Christianæ Humilitas: quantò humiliùs oras, tantò certiùs impetras. Hoc orandi artificium non ignorans latro: *Luc. c. 23. v. 42.* *Domine*, inquit, *memento mei, cùm veneris in regnum tuum*: deprædationibus & latrociniis inferos sum meritus, ideo summam interpretabor gratiam, si solam obtinuero mei memoriam. Non hanc tantùm, sed & paradisum obtinuit, quia submisse rogavit.

Franc. Ribera Theol. in vitâ S. Teresæ l. 5. c. 16. in fin. Beatam Teresam in Hispaniis sanctissimam feminam, ajunt, Humilitatis non tantùm summam admiratricem, sed ejus etiam virtutis perstudiosam fuisse, diceréque solitam, Dominum Iesvm ejusdem amore incredibili teneri. Cur autem tantus Humilitatis cultor & amator existeret, hanc esse rationem, ajebat, quòd amaret ipse veritatem: Humilitas autem aliud non sit, quàm veritas, dum scilicet agnoscimus, quàm parùm reverà simus, & nihil penitus, à nobis ipsis boni habeamus. Nihil adhæc esse asserebat, quod Deum tam celeriter ac facilè vincat, alliciat, & in preces flectat, quàm Humilitatem. Hac quippe invitante & impellente, illum in materna viscera descendisse, & per hanc à nobis illum in animas nostras vel crine capitis pelliciendum: tum etiam qui plus habuerit Humilitatis, plus etiam Dei habere; qui verò illius minùs, etiam hujus minùs habiturum: neque enim intelligere se posse, quomodo vel sine Humilitate amor, vel sine amore haberi possit Humilitas. Cæterùm illam improbabat Humilitatem, quæ donorum à Deo in dies receptorum cogitatione nobis aufert. Salutare quippe est eadem cognovisse, simul tamen etiam agnoscere, ea nos minimè promeruisse: si enim dona hæc non agnoscantur, animus iners & torpidus manebit, & nihil heroico ausu aggredietur. Illâ quoque vituperabat Humilitatem, quæ ab orationis studio nos avocaret, quando scilicet fictâ quâdam submissione nos indignos dicimus, qui coram præsente Deo versemur. Sic & illam damnabat humilitatem, quæ animum in bonarum actionum exercitio vel turbat, vel certè reddit languidum. Vera Humilitas non impedit, sed accendit orationem. Quod illa castissima matronarum *Judith c. 9. v. 16.* Judith asseverans: *Humilium & mansuetorum semper tibi placuit deprecatio.*

Mulier Syrophœnissa Humilitatis insigniter gnara, quia catello se conferri submisse tulit, à Christo quidquid voluit, obtinuit: *Marci. c. 7. v. 29.* *Propter hunc sermonem*, ait Dominus, *vade, exiit dæmonium à filiâ tuâ. Cor contritum & humiliatum Deus non despiciet.* *Psal. 50. v. 19.* Qui semper *respexit in orationem Humilium, & non sprevit preces eorum.* *Psal. 101. v. 18.*

Offa sine liquamine & sine sale, oratio sine Humilitate, cibus planè insulsus & fatuus. Semper Deo placuit Humilium deprecatio. Atque hæc pars prima orationis est.

§. II.

Secunda pars orationis, attentio. Estque triplex *Psal. 46. v. 7. & 8.*

Pars altera, Narratio, sive orationis *Attentio*. Hæc triplex est, ad verba, ad verborum sensum seu significata, ad Deum. Optima videtur ea, quæ verborum sensum spectat. Rex sanctissimus David læpius hortatur: *Psallite Deo nostro, psallite: Psallite regi nostro, psallite. Quoniam Rex omnis terræ Deus: psallite sapienter.* Verba paucula, sed centum concliones sunt parandæ attentioni.

Utilissimum judico è sacris bibliis selectiores aliquot sententias semper in promptu habere, ad omnia adversa tantò fortiùs excipienda, ad omnia vitia tantò animosiùs fugienda, ad virtutem quamcunque tantò studiosiùs exercendam. Exempli gratiâ: Seriò precaturus seipsum his verbis extimulet: *Psalle sapienter, quoniam Rex omnis terræ Deus, psalle sapienter.* Saltem has duas voculas animo versét: *Psalle sapienter.* Orare vis? agedum fac, quod facis, & rectè ora. Euge quid cantes, attende.

Cassiodor. in dictum psalmum. Eruditè Cassiodorus: *Non solùm cantantes*, inquit, *sed etiam intelligentes psallere debemus. Nemo enim sapienter facit, quod non intelligit.* Hæc Bernardus appositissimè confirmans: *Bern. lib. de Animâ c. 8.* *Magnam*, inquit, *injuriam Deo facio, cùm illum precor, ut meam precem audiat, quam ego, qui fundo, non audio. Deprecor illum, ut mihi intendat, ego verò nec mihi, nec illi intendo. Quod deterius est, inutilia & immunda in corde versando, fœtorem horribilem ejus aspectibus ingero.* Eodem prorsus modo Cyprianus: *Quomodo*, inquit, *te audiri à Deo postules, cùm teipsum non audias. Vis Deum esse memorem tui, quando rogas, cùm tu ipse memor tui non sis? Hoc planè est vigilare oculis, & corde dormire; cùm contrà facere debeat Christianus, dormire oculis, & corde vigilare.* *Cyprian. de Orat. Dominicâ. pag. 157.*

Idem hic Clarævallensis Abbas, ut suos ad vigilantem attentionē excitet: *Bern. serm. 7. in Cant. post med. mihi pag. 557.* *Credimus*, inquit, *Angelos sanctos adstare orantibus, offerre Deo preces & vota hominum; ubi tamen sine irâ & discertatione levari puras manus perspexerint. Probat hoc Angelus, ita loquens ad Tobiam.* Quando orabas cum lacrymis, & sepeliebas mortuos, & derelinquebas prandium tuum: & mortuos abscondebas per diem in domo tuâ, & nocte sepeliebas eos, ego obtuli orationem tuam Domino. *Tob. c. 12. vers. 12.* *Nam quòd psallentibus quoque dignanter admisceri sancti Angeli soleant, quid eo manifestius, quod Psalmista ait:* Præveperunt Principes conjuncti psallentibus. *Psal. 67. v. 26.* *Unde & dicebat:* In conspectu Angelorum psallam tibi *Deus meus. Doleo proinde aliquos vestrûm gravi in sacris vigiliis deprimi somno, nec cæli cives revereri, sed in præsentiâ Principum tanquam mortuos apparere. Vereor, ne vestram desidiam quandoque abominantes cum indignatione recedant; & incipiat unusquisque vestrûm serò cum gemitu dicere Deo:* longè fecisti notos à me, posuerunt me abominationem sibi. *Psal. 137. v. 1.* *Dico ergo his, qui ejusmodi sunt:* Maledictus qui opus Dei facit negligenter. *Psal. 87. v. 9.* *Dicit quoque non ego, sed Dominus: utinam te calidum aut frigidum inveniem! sed quia te tepidum inveni, incipiam te evomere ex ore meo. Eapropter attendite Principes vestros, cùm statis ad orandum vel psallendum, & state cum reverentiâ; psallite sapienter. Cibus in ore, psalmus in corde sapit.* Scriptur. fraudulēter. *Jere. c. 48. v. 10.*

Qui orat, & attentionem non curat, cibum non mandit, sed integrum devorat, cum insigni documento valetudinis. Littera occidit, si eam absque spiritûs documento glutieris. Sed addit Bernardus: *Bern. ser. 47. in Cant. pag. 708.* *Unde vos moneo, dilectissimi, purè semper & strenuè divinis interesse laudibus. Strenuè quidem, ut sicut revertenter, ita & alacriter Domino assistatis; non pigri, non somnolenti, non oscitantes, non parcentes vocibus, non præcidentes verba dimidia, non integra transilientes, nō fractis & remissis vocibus muliebre quiddam balbâ de nare sonantes, sed virili (ut dignum est) & sonitu & affectu voces sancti spiritûs depromentes. Purè verò ut psallamus, nihil aliud dum psallitis, quàm quod psallitis, cogitetis. Spiritus sanctus illâ horâ gratum non recipit, quidquid aliud, quàm debes, neglecto eo quod debes, obtuleris.* Hæc ô viri Religiosi, obsecro, serdam balbâ de nare sonantes, sed virili (ut dignum est) & sonitu & affectu voces sancti spiritûs depromentes. Purè verò ut psallamus, nihil aliud dum psallitis, quàm quod psallitis, cogitetis. Spiritus sanctus illâ horâ gratum non recipit, quidquid aliud, quàm debes, neglecto eo quod debes, obtuleris. vemus, seu oremus.

Idcirco pars altera orationis accurata est attentio, quæ narrationem faciat planam, & minimè salebrosam. *Aug. in ps. 85. mihi pag. 277.* *Quisquis*, ait Augustinus, *in superficie colit Deum, magis placere vult hominibus.* Oratores attentos vult Deus. *Maledictus, qui opus Dei facit negligenter.* *Jere. c. 48. v. 10.*

§. III.

Tertia pars orationis Christianę est fiducia. *Iac. c. 1. v. 6. 7. 8.*

PArs tertia orationis Confirmatio, sive *Fiducia*. Humilitas docet sibi ipsi semper diffidere ; ut autem in omnibus Deo fidamus, docet *fiducia*. Hanc virtutem summè necessariam oranti asserēs Iacobus Christi discipulus : *Postulet autem in fide*, inquit, *nihil hæsitans. Qui enim hæsitat, similis est fluctui maris, qui à vento movetur & circumfertur. Non ergo æstimet homo ille, quòd accipiat aliquid à Domino.*

Hebræis olim ter in anno ad tabernaculum orationis undique conveniendum fuit desertis domibus. Ne quis verò interim rei familiari malè metueret, Deus illis securitatem ab omni periculo promittens : *Exod. c. 34. v. 24.* *Nullus*, inquit, *insidiabitur terræ tuæ ascendente te, & apparente in conspectu Domini Dei tui ter in anno*. Hoc eò factum, ut dum orationi vacarent, Deo ex toto fiderent, qui & domorum custodiam, & omnem ipsorum salutem in se recepisset.

Orbis Servator Christus hanc ipsam fiduciam nobis quàm commendatissimam esse desiderans : *Marc. c. 11. v. 24.* *Omnia* inquit, *quæcunque orantes petitis, credite, quia accipietis, & evenient vobis*. En apertissimum Domini promissum, & necdum Deo perfectissimè fidimus ? necdum quæ petimus, certò accepturos credimus? Actum est de nobis, si tantis testibus negemus fidem. Hæ pollicitationes divinę sunt, fallere nequeūt. Rectè, & ad Theologiæ normam dicitur. Mensura credendi, est mensura impetrandi. Quantò capacius fiduciæ vas adferimus, tantò plus orando impetramus. Et en luculentissimum ejus rei paradigma. Videte mihi tria prorsus disparia orantium vasa, quorum aliud alio capacius : Iairus synagogæ princeps, amplum & capax fiduciæ vas attulit : amplius & capacius porrexit Hæmorrhoissa sanguinis profluvio laborans : ampliſſimum ac capacissimum divino fonti subjecit Centurio. Magnæ in Christum fiduciæ Iairus fuerat, qui valetudinem aut vitam filiæ restituendam credebat, sed Christi præsentiam ad id necessariam censebat. Hinc *Marc. c. 5. v. 23.* deprecabatur eum multùm, dicens : *Quoniam filia mea in extremis est : veni impone manus super eam, ut salva sit, & vivat*. Magna fiducia & amplum vas. Sed majus Hæmorrhoissæ, & amplius vas quod attulit. Siquidem *Ibid. v. 28.* certò persuasa dixit : *Si vel vestimentum ejus attigero, salva ero*. Non protensam manum, sed solum vestis attactum ambiebat. Attigit ; & sanitatem continuò acquisivit. Fiducia hæc nonnihil confirmatior fuit priori. At verò Centurio vas fiduciæ ad Christum detulit capacissimum. Non Domini præsentiam, non manum imponendam, non vestem contingendam exigit, sed *Matth. c. 8. v. 8. & aliis seqq.* fiduciâ ingenti : *Dic tantùm verbo*, inquit, *& sanabitur puer meus*. Miratus summam hanc fiduciam cælestis Medicus : *Non inveni*, ait, *tantam fidem in Israël*. Et mox ad Centurionem versus : *Vade*, inquit, *& sicut credidisti fiat tibi*. Dictum factum. *Et sanatus est puer illâ horâ*. Quantò major fiducia orantis, tantò efficacior oratio. Fiducia in Deum potentissimè persuadet Deo, quod *Marc. c. 11. v. 24.* perorando rogat. *Credite, quia accipietis*, ait Dominus, *omnia quæcunque orantes petitis*. Fide Deo, cùm precaris, *Psal. 36. v. 5.* & nunquam irrito successu precaberis. *Revela Domino viam tuam, & spera in eo, & ipse faciet*. Effunde coram Deo cor tuum ingenti fiduciâ, & ipse providebit, ipse faciet. Quid faciet ? officium suum te juvando, modò tu tuum facias in illum sperando.

Ægrotabat Rex Ezechias : de vitâ jam conclamârant Medici ; Isaias mortem jam denuntiaverat. Nihilominus Rex fiduciæ plenus, abscisâ licet omni spe *4. Reg. c. 20. vers. 2.* humanâ, *Convertit faciem suam ad parietem, & oravit ad Dominum*. Tantopere placuit Deo hæc tanta fiducia, ut mortis sententiâ mox rescissâ, insuper quindecim vitæ annos adjecerit. Hanc vitæ gratiam Ezechias illustri facinore, novâque in Deum fiduciâ instituit venerari. *Isidorus Clarius.* Ævo illo liber à Salomone scriptus summo pretio habebatur, ex eo namque facilis & obvia cuivis morbo medicina promebatur. Hinc spes in DEVM apud nōnullos debilitari & evanescere cernebatur. Quod optimus rex ægrè ferens, ut humanæ diffidentiæ nervos incideret, eum librum flammis sepeliri jussit. Voluit nimirum Ezechias ut deinceps ægrotantes animum & oculos, omnémque spem salutis in Deo defigerent. Deo in omnibus fidendum.

Lantfrancus, vir sanctior nescias an eruditior, cùm liberam etiamnum vitam ageret, facerétque iter nullâ adhuc religione devinctus, in prædones incidit. Hi eum omni viatico & vestibus spoliârunt. Atque ut impunè hoc facerent, spoliati oculos velârunt, eúmque manibus post terga revinctis in senticetum prorsus avium seduxerunt, ne voce suppetias inclamare posset : clementiæ fuit non abstulisse vitam, quæ tamen non videbatur eâ ratione diutiùs servari posse. Quid enim faceret Lantfrancus, quid consilii caperet, quò se verteret, quò iret velatis oculis, manibus ligatis, voce non quidem interclusâ, sed quæ ad viatorum neminem pertingeret? Ergo auxilium omne desperandum, ergo fame moriendum, aut feris in prædam occurrendum. Iámque nox appetebat, quæ spem omnem præcidere videbatur : avii dumeti horror & mors anxium animum terrebant. Nec jam videri poterat aliud concessum, quàm sortem suam acerbè lamentari, nullis tamen auditoribus, nisi cautibus, saxis, arboribus. Quādo igitur hoc unum restabat, hominem non exuit vir iste desertissimus, & ipse sibi lessum cecinit, seipsum velut mortuum deploravit. Deinde ad Deum versus : O Domine Iesu, inquit, tantos in discendis litteris expendi sumptus, & necdum orare scio. Mi amantissime Deus, tu unus superes auxiliator, extremâ necessitate laborantem adjuva. Vitam anteactam, sanctè polliceor, emendabo, & tibi soli serviam, à te solo servatus. Dixit, nec tamen mox Angelus adfuit qui hominem in viam reduceret. Durior est in suos nonnunquam Deus, experitur illos, nec statim juvat, tametsi statuerit juvare. Ita huic viro incenato, vincto, in tesquis deviis, subdio miserrimè pernoctandum fuit. Auroră redeunte, jámque vicino sole audiit Lantfrancus hominum transeuntium strepitus. Clamavit igitur quantis potuit viribus. Vocem secuti viatores mox adfuerunt, & solverunt ligatum. Ille jam liber & in viam reductus, non differendum censuit, quod exequi statuerat. Eam ob caussam : Quæso vos, inquit, in cœnobium pauperrimum me ducite. Duxerunt. Hic Lantfrancus sanctitatis rudimenta jacere Humilitate vilissima quæque munia obire, focum struere, scutellas eluere, culinæ sordes converrere, aliorum calceos extergere, nullam obsequii vilitatem abhorrere, assiduis sese orationibus exercere, atque his gradibus ad sanctimoniam illustrem tendere. Deo in omnibus fidendum Lantfranci. x. exemplo.

Nos fiduciam hoc loco sumamus imitandam, quâ ille vir sanctus in extremis angustiis divinam opem impetravit. Omnia quæcunque orantes petimus, si credimus, Deóque fidimus, accipiemus.

§. IV.

Quinta pars orationis Christianę est patiens perseverantia. Estque duplex. *Luc. c. 11. v. 43.*

PArs orationis quarta, Peroratio, seu, *Patiens perseverantia*. Ea duplex est. Prima, cùm quis uno eodémque tempore orationem producens perseverat. Ita Christus in colle Olivario, ubi eandem orationem ter repetiisset, *Factus in agoniâ prolixiùs orabat* ; tribus prope horis, ut aliquorum fert sententia. Altera cùm à DEO quid petitur non uno solùm alteróve mense, sed annis compluribus. Vtraque hæc perseverantia necessaria est. Ita nos Christus diversis cohortationibus instruens : Petite, inquit, quærite, pulsate. Si amicus

cus amicum mediâ nocte conveniat, & panes hospiti apponendos petat, etiamsi alter cunctetur, & fores jam obseratas, domesticos jam quieti datos, se verò surgere non posse objiciat; si tamen alter pulsare, & rogare panes non cesset, demum importunitate precum & perseverantiâ è lecto excutiet amicum, qui victus petitione crebriùs repetitâ surget, dabitque panes, quotquot voluerit. *Et ego dico vobis*, ait Dominus, *petite, & accipietis, quærite, & invenietis, pulsate, & aperietur vobis. Omnis enim, qui petit, accipit; & qui quærit, invenit, & pulsanti aperietur.* Eodem spectat illa Domini parabola. Iudex erat civicus, Dei hominúmque contemptor. Hunc vidua crebris obsecrationibus compellabat, ut sibi ab adversario tutam agere liceret. Multo tempore surdis fuit auribus judex. Tâdem tam crebro rogatu fatigatus: Etsi, ajebat, ipse secum, nec Deum, nec homines reverear, quia tamen hæc vidua mihi toties molesta est, jus illi dicam, eámque ab adversario vindicatum ibo. *Deus autem*, ait Servator, *non faciet vindictam electorum suorum clamantium ad se die ac nocte?*

Luc. c. 11. v. 9. & 10.

Luc. 18. v. 2. & seq.

Persuadere vult Deus, & velut cogi fideliſſimâ precum perseverantiâ. Hinc Ephremo, Syro teste, illud satanæ opus est, ut cogitationes orantis in infinita jaculetur, nec sinat hominem in eâ persistere postulatione, quam impetrare contendit. Novit quippe, quòd si perseveret deprecans, exaudiet eum qui fecit illum, etsi innumerabilia peccata admiserit. Ita satanas occupatissimus est, omnémque movet lapidem, ut impediat, turbet, subruat & evertat precandi constantiam. Hic hostis,

Deus vult cogi fideliſſimâ precum perseverantiâ.

S. Ephrem. in Pan.

——— *Cui nomina mille,*
Mille nocendi artes, ———

Virg. l. 6. Æneid. ante med.

nihil non tentat, eo fine ut qui orat, fastidium concipiat, & omnem animum prolixiùs orandi objiciat. Agnosce satanæ voces: Quid agis, hæc eadem toties ingeminando? scit utique Deus, quid tibi desit, quid te affligat. Satis est semel iterúmque suam Deo necessitatem exposuisse. Scriptum est enim: *Antequam clament, ego exaudiam, adhuc illis loquentibus ego audiam.*

Isai. c. 65. vers. 24.

Iráne Scripturas loqueris, argutator nequissime? Rursum scriptum est: *Quoniam oportet semper orare, & non deficere.* Rursum scriptum est: *Si ille perseveraverit pulsans, dico vobis etsi non dabit illi surgens eò quòd amicus ejus sit, propter importunitatem tamen ejus surget, & dabit illi panes, quotquot habet necessarios.* Rursum scriptum est: *Hi omnes erant perseverantes unanimiter in oratione.* Ergo *vade retro satana, quoniam non sapis quæ Dei sunt.* Deus vel ideo sæpissimè cunctatur dare quod postulatur, ut tantò perseverantior sit oratio, quantò tardior est impetratio. Virtutis est sic esse importunum. Siquidem hæc precum importunitas, delinifica illa suada est, quæ summæ Rationi Deo facillimè, quod vult, persuadet.

Luc. c. 18. v. 1. Luc. c. 11. v. 8. Actor. c. 1. v. 14. Marci c. 8. vers. 33.

Quando igitur non possumus nescire, id omni modo cacodæmonem moliri, ut si orationem non impedire, saltem orandi perseverantiam possit auferre; tantò igitur importuniùs orandum ac pertinaciùs, quantò vel Deus cunctantior nos audit, vel diabolus tumultuosior nos invadit. Ejus animi Iobus: *Etiamsi*, inquit, *occiderit me, in ipso sperabo.* Non finam me supplicem à divino solio avelli, spe plenissimus, usque & usque obsecrationes meas iterabo. Ejusdem omnino mentis Hieronymus: *Memini me clamantem*, ait, *diem crebrò junxisse cum nocte, nec prius à pectoris cessâsse verberibus, quam rediret Domino imperante tranquillitas.* Nimirum quò altiùs effodiendo fonti terra egeritur, tantò aqua copiosior invenitur.

Iob c. 13. v. 15.

Hieronym. ad Eustoch.

Ad hanc ipsam orandi perseverantiam Chrysostomus impellens: *Plerumque*, ait, *torpescimus & resilimus, nisi statim exaudiamur: propterea oro, ut ex his eruditi, non ægrè feramus, neque segniores fiamus, si non statim audiamur. Fortassis enim Dominus continuam nostram sedulitatem sapienter exercens ita differt, volens ut mercedem quoque patientiæ recipiamus. Et quia ipse tempus scit, quando nobis utile est assequi, quod quærimus. Ergo assidui simus in divinis precibus, si quando aliquid à Deo petierimus. Perseverantia orantis balista validissima.*

Chrys. to. 1. hom. 49. in Gen. mihi pag. 342.

Hæ quatuor sunt orationis partes. Exordii locum *Humilitas*, Narrationis *Attentio*, Confirmationis *Fiducia*, Epilogi locum obtinet *Perseverantia*. Feliciter perorat, qui in oratione perseverat.

CAPUT XI.

Quæ orationis impedimenta sint, & vitia.

HOspes opulentus, & ut fit, plenus fastidii, in hospitium paganum è viâ divertit. Pauculi homines illic fuerant, qui rem hospitis curarent, muscæ, quæ vexarent, innumeræ. Ægrè tulit fastidiosus diversitor, tot sibi non vocatos adesse convivas, & cùm videri vellet facetior, tandem ad cauponem. Heus caupo, inquit, tot muscis impudentibus sanè convivis separatam mensam instrue, ego symbolas pro omnibus persolvam. Caupo magis veste & loco quàm ingenio rusticus, urbanè prorsus hospiti moroso respondit: Mi Domine, tu modò convivas hos jube accumbere, ego cibum præbebo gratis.

Reverâ specimen dabit imperii planè admirandi, qui muscarum agmen ad unam mensam ita composuerit, ut quietè ac modestè accumbant. Non minùs eum ut insignissimum oratorem venerabimur, qui cogitationum suarum dominus, imperio non sterili & vano eas intra certos limites coërcuerit, qui jussu efficaci præceperit: *Huc usque, & non ultra.* Dixerat olim Ecclesiastes: *Muscæ morientes perdunt suavitatem unguenti.*

Eccles. c. 10. vers. 1.

Cogitationes inquietæ ac turbulentæ cor humanum in diversa distrahentes, non minùs importunæ sunt orantibus, quàm muscæ convivantibus. De his Gregorius: *Cogitationes superfluæ*, inquit, *suavitatem spiritûs perdunt, quoniam integritate ejus perfrui non permittunt.* Dicuntur autem ejuscemodi muscæ morientes, non solùm quia orationis suavitatem & gratiam exterminant, sed etiam licet utiles futuræ videantur cùm occurrunt, post orationem tamen non magis fructuosæ, quàm res mortuæ deprehenduntur. Simulacra illa, quæ in oratione spem magnæ utilitatis offerunt, oratione finitâ sic evanescunt, ut trunca & inutilia cadavera relinquantur. Muscæ morientes perdunt unguentum orationis. Quâ autem ratione sint ejiciendæ, suprà demonstratum. Nunc porrò dicendum, quæ potissimùm impedimenta sint & vitia orationis.

Greg. l. 18. Moral. c. 25.

Cur cogitationes inquietæ dicuntur muscæ mortuæ.

Impedimenta quædam orationis.

§. I.

PRimum orationis impedimentum est, *Solatium aut gaudium à rebus creatis emendicatum.* Nec medicus, nec chirurgus in illas ædes vocari solet, in quibus omnes sano sunt corpore. Siquidem malagmata non nisi læsis membris imponuntur. In eam domum consolator divinus non mittitur, quæ solatiis humanis & gaudiis vanis pascitur. Ad eos Paracletus venit, quos in luctu ac mœrentes invenit. Salomonis consilium est: *Date siceram mœrentibus, & vinum his qui amaro sunt animo: bibant, & obliviscantur egestatis suæ, & doloris sui non recordentur amplius.* Bernardus divini solatii optimus æstimator: *Pretiosa est*, inquit, *divina consolatio, nec omnino tribuitur admittentibus alienam. Infelix tu Esau, qui dixisti: Num unam tantùm benedictionem habes pater? Quantò melius erat dicere cum Prophetâ*: Vnam petii à Domino, hanc requiram. *Indignus enim benedictione cælesti convincitur,*

Primum orationis impedimentum.

Prov. c. 31. v. 6. & 7. Bern. in illud: Ecce nos reliquimus, &c. mihi pag. 1016. Psal. 26. v. 4.

vincitur, qui eam dubio quærit affectu, aliud sibi refugium parans.

Hebræus populus annonam è cælo non accepit, manna non collegit, quamdiu farinâ Ægyptiâ victitavit. Hâc consumptâ victus depluit è nubibus. Quamdiu solatiis aut gaudiis vanis nutrimur, tamdiu jure destituimur divinis: Rara est mixtura profani & divini solatii. Nos equidem cuperemus & hoc & illo frui. Cuticulam curamus sedulò, & vanæ voluptatis mel lingimus avidissimè, simul tamen etiam dulcedinem cælo distillantem inerudità gulâ poscimus. Vanas & divinas voluptates eodem vase claudere difficile est. Aves, quæ volant & natant, inter immundas à Mose numerantur; turbidâ voluptatis aquâ natare, & simul in precibus ad Deum evolare velle, immundæ avis argumentum est.

Nemo se fallat; uti nulla luci & tenebris, sic nulla cælo & fluxarum rerum illecebris societas est. Contrariis dissidiis in homine luctantur caro & spiritus; B qui parti adhæret uni, bellum incidit alteri; oderit carnem, qui amore dignum censet spiritum. Hoc Hebræus Rex David perspicacissimè observavit. Hinc illæ voces: *Renuit consolari anima mea; memor fui Dei, & delectatus sum.* Scio equidem ad stomachum meum non fore dominicum vinum, cælestes delicias, si devorem melleas mundi placentas. Hinc Augustini monitum est: *Relinque omnia, ut invenias omnia.* Tantò melior erit tua oratio, quantò vita tua fuerit à rebus fluxis abstractior.

Psal. 76. v. 4.

§. II.

Secundum orationis impedimentum: *Curiositas.*

ALterum orationis impedimentum *Curiositas*: ô Curiositas, ô verè vitium humanæ gentis! Curiositatem rectè dixeris non quidem vitiorum summum, sed ad summa notissimam ducem. Curiositas otiosorum hominum princeps negotium est. Hi non solùm omnia nôsse cupiunt, sed in aliorum sermones C & actiones, imò in ipsas pæne cogitationes indagant. Multa legere venustæ dictionis gratiâ, vel solâ sciendi appetentiâ, mere curiositatis est. Anselmus hanc vitiorum ducem depingens: Curiositas, inquit, est studium perscrutandi ea, quæ scire nulla est utilitas. Quidquid à curiositate velut à matre prodit, plurimùm orationem impedit. Oratio velut somnus leniissimus quovis strepitu turbatur & abrumpitur. Hinc sacra Salomonis carmina suum sponsæ soporem toties defendunt: *ne suscitetis, neque evigilare faciatis dilectam, donec ipsa velit*; orationem ipsius, dum finierit, ne interrumpite.

Cant. 3. v. 5.

Antonium magnum orantem sol sæpius impediit. Solebat vir sanctissimus sole vespertino ad tergum occumbente, omnem reliquam noctem orando pervigilare, ita ut matutinus sol in orantis os sese infundès, eodem quo reliquerat situ, cum Deo colloquentem deprehenderet. Hoc egrè ferens Antonius, & in solem D excandescens: Quid sol nisi impedis, clamabat, qui jam ad hoc oreris, ut me à veri luminis claritate abstrahas. Hæc eum, inquit Cassianus, in fervore spiritûs proclamantem audivimus. Nox ei tota velut unicum, sed dulce ac paullò productius suspirium fuit. Hîc omne cor suum in paternos Dei sinus effundebat; hîc omnem mundum pedibus calcans cum conditore mundi colloquium miscebat suaviissimum.

Cassian. coll. Patr. 9. c. 31.

Curiositas est hamus diaboli ad quævis trahens vitia.

1. Reg. c. 6. v. 13.

Apud hos tales oratores licet discere, quomodo vitâ curiositate omnis mens humana in Dei manus se transfundat. Curiositas hamus diaboli ad quævis trahit vitia. Bethsamitæ, quod Regum fasti memorant, non pietate moti, sed curiositate, viderunt arcam, gavisi sunt, quòd vidissent. Hæc una curiositas tantopere Deo displicuit, ut virorum principum septuaginta, hominum verò plebejorum quinquaginta millia puniverit morte. *Percussit* Dominus *de viris Bethsamitibus, eo quòd vidissent arcam Domini, & percussit de populo septuaginta viros, & quinquaginta millia plebis.* Leve prorsus & puerile videbatur delictum, id tamen maximum excepit supplicium.

Ibid. v. 19.

Illa verò pessima curiositas est, quæ in vitam morésq; alienos occultissima inquirit. Curiosissime mortalium, *quid vides festucam in oculo fratris tui, & trabem in oculo tuo non vides?* Labeculam in alienâ facie curioso digito notas, & in tuâ sordidissimum atrorem non accusas; in aliis damnas morum nævulos, in teipso robusta vitia lippiendo transis. *Pondus & pondus, mensura & mensura, utrumque abominabile est apud Deum.* Quidquid tu agis, sancte hypocrita, grandi mensurâ, ingenti supercilio, pondere verborum magno excusandum & commendandum est: quod alii agunt, hoc curiositas tua gracili mensurâ, levi pondere utuperat; mensura hæc gemina, duplex hoc pondus apud Deum abominabile.

Curiositas pessima est in vitam morésque alienos inquirere.

Matth. c. 7. v. 3. Prov. c. 20. v. 10.

Erinaceum Lex Hebræa vetus ut immundum animal damnavit. Hoc si tangatur, foris aculeatus globus tangenti, at intus sibi ipsi contractis pedibus mollis pulpa est: ita isti curiosi indagatores sibi ipsis propitii ac blandi, asperi sunt aliis & rigidi: quod inquirunt, vident, audiunt, malè ac lævorsum interpretantur, sui ipsorum mitissimi non censores sed laudatores. Horum miserrima prorsus conditio est, qui quidquid alienum est, in malignam interpretantur partem, & cùm dicta factáque damnare non possint, damnant animum soli Deo apertum.

Curiosi Erinaceo sunt similes.

Abrahamo sepulchrete jus à filiis Heth empturo responsum est: *Sepeli mortuum tuum.* Hoc curiosis illis indagatoribus ac perquisitoribus omnibus inculcandum est: *Sepeli tu tuum mortuum; tuum, tuum.* Nos temerarii modestæ nimium curiositatis esse censemus de actionibus exterioribus sententiâ ferre, ad cogitationes, ad intima animorum proposita, ad abditissimas pectoris intentiones soli Deo notas decurrimus, & alienos mortuos sepelimus. Hunc prodigum, illum præparcum, hunc & avarum; fastuosum illum, hunc nimis humilem, istum iracundum, hunc nimis plumbeum & ignauum judicamus. Hæc quotidiana sunt; mille audias ejuscemodi judicia. O curiose, nimiùm & temerarie vespillo, quid vivos sepelis? *tu tuum sepeli mortuum:* tuis intende, quod tui muneris est cura, quid aliena scrutaris? Quid funera nihil ad te spectantia deploras? tu tuum plora, & sepeli mortuum. Memineris, te Christianum esse, non civem Atheniensem curiositati natum. De quibus Paulus: *Athenienses autem omnes & advenæ hospites, ad nihil aliud vacabant, nisi aut dicere, aut audire aliquid novi.* Hinc suos commonefaciens: *Audivimus*, ait, *inter vos quosdam ambulantes inquiete, nihil operantes, sed curiosè agentes.* Hæc maxima orantium impedimenta sunt, hæc orationis alas incîdunt. Aut igitur curiositatem vita, aut oratoris nomen perdidisti.

Gen. c. 23. v. 26. Act. c. 17. v. 21. 2. Thes. c. 3. v. 11.

§. III.

Tertium orationis impedimentum, *Animi duritia*; quæ duplex est, illa in pauperes, hæc in inimicos & hostes. Durus & asper animus in pauperes omnem orationis fructum eripit. Locupletissimus testis Salomon: *Qui obdurat aurem suam*, inquit, *ad clamorem pauperis, & ipse clamabit, & non exaudietur.* Mentionè injicit Hebræus psaltes *aspidis surdæ & obturatis aures suas.* Hæc enim, quod Augustinus nos docet, ne carminum incantamenta percipiat, auriculam unam terræ admovet, alteram conversò syrmate oppilat: hunc ipsum exercet astum pecuniæ amans, qui hanc quidem aurem monetæ suæ applicat, quam minimè minuendam, sed assiduè augendam censet, alteram aurem obserat

Tertium orationis impedimentum *Animi duritia.* Illius duplex.

Prov. c. 21. v. 13. Psal. 58. v. 5.

Pecuniæ amans similis est aspidi surdæ, & obturati aures suas.

serat vanâ futuri sollicitudine: quid ego, ait in alios tam largus sim, fortassis ipse penuriâ premendus? quid filiis meis, quid hæredibus relinquam, si æratiolum meum tam maturè dissipem?

En surdam aspidem! Ita paupertum clamores obstructis auribus excludit. Huic pro caudâ est vivendi meta. Hæc enim cura plerumque distinet, cruciátque deparcos, ne sibi ante obitum desint necessaria, vel ne filii tenuitatem patrimonii accusent. Quisquis igitur sic aures obdurat, clamabit & ipse, & non exaudietur. Par pari refert Deus, & velut in os objiciet: sicut me famelicâ pauperis voce clamantem nō audiisti, ita nec ego te quantumcunque clames, audiam. Ad ravim usque clama, nō audio: Auxilium, fidem, & opem meam implora, non audio: Misericordiam & liberalitatem meam invoca, non audio; quia nec tu me audisti clamantem ad te; tuas tibi vices refero. Monui & prædixi.

Vlysses, ut in apologis est, sociorum aures adversùs Sirenum voces cerâ munit. Hoc Vlyssis ingeniū opulenti sed avari Eucliones æmulantur, qui flebiles egenorum preces, libellósque supplices ceratis ostiolis excludunt. Cera eliquato jam melle arida & insuavis, ditiorum illiberalem, durum, immitem, asperúmque animum in egenos aptè notat. Vis igitur, cùm clamaveris, audiri? Tu quoque clamantes audi: Cave ullum è paupertinâ tribu præfractè reijcias. Tibi dictum puta, quod filio injunxit Tobias: *Noli avertere faciem tuam ab ullo paupere: ita enim fiet, ut nec à te avertatur facies Domini.* *Tob. c. 4. vers. 7.*

Sed alia est animi duritiei in adversarios & hostes. Frustra orat, qui suis obtrectatoribus & inimicis veniam negat. Apertissimè præcipit Siracides: *Relinque proximo tuo nocenti te: & tunc deprecanti tibi peccata solventur.* Intelligis hoc & capis? & an, quod juberis, facturus es? Iussionis causas Siracides adjungit: *Homo homini reservat iram, & à Deo quærit medelam?* Nondum hæc capis, & necdum ignoscis omnibus, qui te læserunt? Audi ab eodem plura. *In hominem similem sibi non habet misericordiam, & de peccatis suis deprecatur?* Non satis hæc luculenter dicta? vis luculentiora? Idem divinus monitor addit: *Ipse, dum caro sit, reservat iram, & propitiationem petit à Deo? quis exorabit pro delictis illius? memento novissimorum, & desine inimicari.* Etiamnum deliberas, an inimicis tuis ignoscas? num cupis clariora his clarissimis? En ipsum tibi solem meridianum statuo. Christus dilucidissimè: *Cum, inquit, stabitis ad orandum, dimittite si quid habetis adversùs aliquem, ut & Pater vester, qui in cælis est, dimittat vobis peccata vestra. Quòd si vos non dimiseritis, nec Pater vester, qui in cælis est, dimittet vobis peccatu vestra.* *Eccli. c. 28. v. 2.* *Ibid. v. 3.* *Ibid. v. 4.* *Ibid. v. 5.* *Marci c. 11. v. 25. & 26.*

Hæc ipso sole clariora sunt. Aut igitur inimicis veniam non nega, aut non ora, sic enim frustra orabis. Quod magister è cælo confirmans. *Si offers munus tuum ad altare, inquit, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid adversùm te: relinque ibi munus tuum ante altare, & vade priùs reconciliari fratri tuo: & tunc veniens offeres munus tuum.* Nam, ut scias homicidarum munera Deo non sunt accepta. Atqui homicida est, qui odium in animo velut cruentam sicam exacuit. Ioannes Apostolus expressissimè: *Omnis, inquit, qui odit fratrem suum, homicida est: & scitis, quoniam omnis homicida non habet vitam æternam in semetipso manentem.* Affectu & animo certè homicidium coquit, qui odiū admittit. Ita Hieronymus: Cùm homicidium, inquit, ex odio sæpe nascatur, quicunque odit, etiamsi necdum gladio percusserit, tamen homicida est. Nam odium est desiderium homicidii plenum. Hinc plerumque qui aversō & hostili est animo, si adversarium vel parvulo cochleari posset submergere, hoc sibi balneum jucundum ac utile censeret. Igitur oraturus Deum, exue homicidam, & indue Christianum. Quod & Augustinus crebrò inculcans: *Odisti fratrem, inquit, & securus ambulas, & concordare non vis? non agnoscis, quare tibi spatium dederit Deus? Ecce jam homicida es, & adhuc vivis? O quicunque ille es, attendis, quid tibi fecerit homo, & non attendis, quid tu feceris Deo? quare non dimittis homini parum, ut tibi Deus dignetur dimittere multum?* *Matth. c. 5. v. 23. & 24.* *Homicida est qui habet odium in animo.* *1. Ioan. c. 3. vers. 15.* *Aug. ser. 15. de S. Stephano.*

Et quomodo, dic sodes, orationem Dominicam recitas, si veniam inimico negas? num totam profers? totam, inquis, profero. Nihil ergo verborum retices? nil, ais, reticeo; dico liberè. *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.* Tunc ista? ergo impudentissimè mentiris, & tuum ipse collum laqueo induis, quando debita tuis debitoribus non dimittis.

Quapropter & Augustinus seriò te interrogans: *Ne, inquit, ignoscas inimico, deviabis à Christo? Dimitte illi venìam, ne dum fratri tuo negas misericordiam, tibi claudas Patris indulgentiam. Iudicium enim sine misericordia illi, qui non fecerit misericordiam.* Hęc Augustinus monitis prolixioribus confirmans: *Interrogate, inquit, quādo rogatis Deum, corda vestra; videte, quomodo transmittatis versum istum:* Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. *Non eris orans, nisi ista dicas; si alia dicas, non te exaudit ille, quia non ipse tibi dictavit Iurisperitus, quem misit. Necesse est ergo, ut & quando verba nostra dicimus in oratione, secundùm ipsam dicamus; & quando ipsa verba dicimus, bene intelligamus, quod dicimus, quia manifestam illam Deus esse voluit. Si ergo non oraveritis, spem non habebitis; si aliter quàm magister docuit, oraveritis, non exaudiemini; aut si in oratione mentiri fueritis, non impetrabitis. Ergo & orandum & verum dicendum est: & sic orandum est, quomodo ille docuit. Velis nolis quotidie dicturus es:* Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. *Vis securus dicere? fac, quod dicis.* *Aug. to. 10. serm. 17. & eod. tom. serm. 182. de tempore mihi pag. 342.* *Iac. c. 2. v. 13.* *Idem Aug. tom. 8. in ps. 103. mihi p. 485.*

Chrysostomus Dei personam induens: *Quo pacto vis, inquit, ut ea, quæ in me peccasti, dimittam, qui illorum, quæ in te deliquit proximus, cupis atque oras, ut ultror existam?* Quapropter aut orare desine, aut omnibus inimicis tuis offensionis veniam impertire. *Chrys. ho. 5. in epist. 1. ad Tim.*

§. IV.

Quartum orationis impedimentum, *Orantis immunditia.* Monoculus, Philostrato teste, lautissimum instituit sacrificium, sed dignus non est habitus, qui vel placeret, vel oculum reciperet. Oratio nobile sacrificium, sed à lusciosо vel lippiente, aut cæco animo non acceptum. Qui orat, & animum quacunque noxâ letali inquinatum non priùs emaculat, indignationem potiùs quàm favorem provocat. *Orationes*, inquit Chrysostomus, *puræ esse non possunt, si fœda sit anima, quæ parit eas.* Et obsecro, quî tandem possit grata esse oratio illa, si orator omni orbatus sit gratiâ? Istud à re simili discamus. Præfidens & nimiùm temeraria sit hominis illius audacia, qui rogaturus aliquid, eum optimatem adit, cui sese multò exosissimum esse non nescit. Mortaliū audacissime, nunc tibi Dominum priùs in amicum concilia, deinde, quòd cupis roga. Ita prorsus, quomodo is preces suas Deo gratas fore somniaverit qui gratiam omnem perdidit? Quartum orationis impedimentum: *Orātis immunditia.* *Philostrat. in Apollo. l. 1. c. 7.* *Chrys. to. 5. hom. 26. mihi pag. 232.*

Sed vnde hoc sciam, inquis, me in gratiâ esse? Tu tuam interroga conscientiam, num ea delicti gravioris te accuset. Suum illa vulnus non dissimulabit, si læsa sit. Quapropter consultissimum est, Actum contritionis, quem vocant, precationibus alijs præmittere, ad animum contractis sordibus expiandum. Quod tunc præcipuè faciendum, si nobis vel minimum suspecti simus de offensione Deo illatâ: Hic prima vox orantis sit: *Miserere mei Deus*, aut, *Deus propitius esto mihi peccatori.* Divinus psaltes compendio rem explicans: *Iniquitatem, inquit, si aspexi in corde meo, non exaudiet Dominus.* Non ignoro, si peccatum vel blandioribus solùm oculis sa- *Hunc Lector in Horologio meo descriptum & explicatum invenies Horâ 1. Diei. Psal. 65. v. 18.*

iis ſalutem, Deus me orantem vultu non benevolo A reſpiciet. Ab amicis ſalutari vult, aut ab iis certè, qui priùs inimicitias ponunt, quàm Deum patrem ſuum appellent.

Iſai. c. 59. verſ. 2. Iſaias vates Hebræus caſſæ orationis culpam omnem Iſraëlis ſceleribus impingens: *Peccata veſtra*, inquit, *abſconderunt faciem ejus à vobis, ne exaudiret.* Aures divinas quò minùs preces veſtras audiant, delicta veſtra obſerant. Audit Deus, ſed non averſos à ſe. Hoc ipſum malum Hieremias deflens: *Nos*, ait, *iniquè egimus, & ad iracundiam provocavimus: idcircò tu inexorabilis es.* *Hier. Thre. c. 3. v. 42. Ibid. v. 44.* Hæc illa nubes eſt, quæ inter Deum & hominem opponitur, *ne tranſeat oratio.* Hæc denſa nubila ſunt, commiſſa crimina, quæ aſcendunt è corde pravo, velut ex uliginoſâ & paluſtri terrâ. Verùm ex atris his nubilis tonitrua, grandines, fulmina prorumpunt, è peccatis ira, indignatio & furor Dei naſcitur. Hoc iis ſingulariter nec ſine formidine conſiderandum, qui ſæpius quidem moniti, nihilominus ad genium vivunt, & B animo ſuo non obſequi nefas ducunt. Nec tamen omnem pietatis ſenſum in ſe volunt credi extinctum. Hos Salvianus acriter conſtringens: *Quæ oratio eſt*, inquit, *ut doleamus nos non audiri à Deo, cùm ipſi Deum non audiamus; & ſuſurremus non reſpici à Deo terras, cùm ipſi non reſpiciamus ad cælum? & moleſtum ſit deſpici à Domino preces noſtras, cùm præcepta ejus deſpiciantur à nobis? Fac nos pares Domino noſtro eſſe, quis eſt juſtæ querimoniæ locus, hoc pati quemquam quod fecerit? ſalvo eo quod probare facile poſſum, nequaquam nos pati illa, quæ facimus, & mitiùs multò nobiſcum Deum agere, quam nos cum Deo.* *Salv. l. 3. de Provid. Dei, mihi pag. 24.*

Exploratiſſimum nobis ſit, quod Salomon pronuntiat: *Qui declinat aures ſuas, ne audiat legem, oratio ejus erit execrabilis.* Et *qui obdurat aurem ſuam ad clamorem pauperis, & ipſe clamabit, & non exaudietur.* Hoc igitur ſemper obverſetur animo: *Audi audiendus.* Vis propitium Dominum? ſis attentus famulus. Alioquin idem Salomon Dei juſſu tibi occinet: *Invocabunt me, & non exaudiam: Manè conſurgent, & non invenient me, eò quòd exoſam habuerint diſciplinam, & timorem Domini non ſuſceperint.* Iure merito patieris, quod facis. Non audis? nec igitur audiendus es. Par pari referetur. Tu monita ſpernis, conciones negligis, reprehenſionem nullam admittis. Tu quoque ſperneris, ne dubita, negligêris, & ad Dei conſpectum non admitteris. Non audiens non audieris: oppoſuiſti nubem, ne tranſiret oratio. Vt igitur Deus preces noſtras audiat, nos leges Dei audiamus: ut noſtras nobis condonet noxas, nos cunctas inimicis noſtris ignoſcamus injurias, ut noſtros ſupplices libellos admittat, nos quoque adeuntium pauperum deſideria excipiamus. Hæc pari procedunt paſſu. *Audi audiendus.* *Prov. c. 28. v. 9. Ibid. c. 21. v. 13.* *Prov. c. 1. v. 28. & 29.* Inimicis ignoſcendum ſi velimus nobis condonari.

CAPVT XII.

Quæ orationis ſint adjumenta.

AVguſto narrat Sueronius tam delicatas & teretes fuiſſe aures, ut verba odiſſet obſoletiora, & ſermonem amaret purum & elegantem, qui ſententiam quàm apertiſſimè declararet. Idcò nonnullos cùm amicorum tum cognatorum ſuorum feſtivis ſalibus perſtrinxit. Agrippinam neptem laudavit ob ingenium, ſed opus eſt, ajebat, te dare operam, ne moleſtè loquaris. Marcum Antonium, qui Oratoris nomen affectabat, falsè notabat, velut ea ſcribentem, quæ homines mirentur potiùs, quàm intelligant. Mecænatem virum ceterà eruditum, & ſibi perquam familiarem, ſed ſtylo laſcivientem, delicias parùm viriles ſectantem, verbis quæſitis, & ad venuſtatem compoſitis nimiùm exuberantem, facetâ epiſtolâ irriſit. Hanc porrò epiſtolæ clauſulam adjecit: Vale mel gentium, ebur ex Hetruriâ, laſer Aretinum, adamas ſupernas, Tyberinum margaritum, &c. His jocis amici orationem nimiùm cincinnatam exagitans, voces ac ſententias inepras, fœtores appellare ſolitus eſt. Sicut forenſi Rhetoricæ colores ſui ſunt, ſua illi lumina, ſed ſcienter iis utendum eſt: Eodem prorſus modo habet ſuos & Cæleſtis Rhetorica colores, habet ſua quoque lumina, ſed opus eſt, ut iis orator chriſtianus peritè ſciat uti. Capite ſuperiori orationis impedimenta ac vitia propoſuimus, nunc ejuſdem adjumenta, colores ac lumina proponemus.

§. I.

Orationis colores: 1. Orationis color: *Gratiarum actio.*

PRimus orationis color, *Gratiarum actio.* Metuendum valde, ne plurimi hominum, grandi ære alieno laborent, ob ſolum grati animi defectum. Innumeris quotidie beneficiis à Deo afficimur, ſed heu rara & frigida eſt gratiarum actio. A Deo nobis corpus, animus, corporis, animi bona, valetudo, facultates, eruditio, tot præſentis vitæ commoda, tot futuræ certiſſima promiſſa ſunt. Quid nos? leproſi ſumus, ſanamur ſed meritam benefactori gratiam non perſolvimus. Reverà grandis culpa, tantóque vulgatior, quantò minùs à tot ingratis hominibus æſtimatur. Veriſſimè dixit Seneca: *Inter plurima maximáque vitia nullum eſt frequentius, quàm ingrati animi.* Adeò autem hoc turpe vitium eſt, ut de ingratis etiam ingrati conquerantur, cùm interim hoc omnibus hæreat, quod omnibus diſplicet. Non ſolùm ingratus eſt, qui beneficium accepiſſe ſe negat, quod accepit, ſed etiam qui diſſimulat; ingratiſſimus omnium, qui oblitus eſt. Et dubium ſit, utrum pejorem vocemus, an eum, apud quem gratia beneficij intercidit, an illum, apud quem etiam memoria. *Senec. l. 1. de benef. c. 1. initio.* Ingratiſſimus eſt, qui beneficium oblitus eſt.

Vitioſi oculi ſunt, qui lucem reformidant; cæci, qui non vident. Nimiùm ingratus eſt, qui, quod in primâ parte animi poſitum eſſe debuit, & ſemper occurrere, ita ſepoſuit & abjecit, ut in ignorantiam verteretur: apparet illum non ſæpe de reddendo cogitâſſe, cui obrepſit oblivio.

Infinitis nominibus Deo ſumus obſtricti, & nihilominus tot beneficiorum memoriam flagitioſè perdimus. Nulla profectò ſit oratio, quæ gratiarum actione careat. Et mente & ore aſſiduè verſanda ſunt illa verba: *Deo gratias. Benedictus Deus in æternum: Te Deum laudamus: Benedicam Dominum in omni tempore, ſemper laus ejus in oré meo. Confitemini Domino, quoniam bonus, quoniam in æternum miſericordia ejus.* Aſſidua gratiarum actio mirè placet Deo, qui turbam ingratorum odit, averſatur, & arcet. Et multa ſanè beneficia Deus non confert, ne conferat in ingratos. E contrario eos, qui ſuo ſe benefactori memores ſiſtunt, beneficiis obruit. Nam qui primo beneficio gratias egit, ſecundum promeruit. Ita donis dona cumulantur. Quapropter omnis oratio, imò etiam ſit gratiarum actio. Vt accipias, ora; quia jam accepiſti, gratias age. Hoc expreſſiſſimè Paulus præcipiens: *In omni oratione*, inquit, *& obſecratione cum gratiarum actione petitiones veſtræ innotescant apud Deum.* *Pſal. 33. v. 2. Pſal. 135. verſ. 1.* *Philip. 4. v. 6.*

Sal germanicum & planè pretioſum aroma tanti usûs eſt, ut cibis pænè omnibus cõdiendis adhibeatur. Iuſcula, carnes, olera, pultes, rapa, panis ipſe, cibo rum optimus, ſaliendus eſt. Hoc nobis aroma præ Indiarum omni ſaccaro, pipere, cinnamo eſt: iis verò cibi, qui aromate hoc perſpergi nolunt, minùs ſalubres judicandi. Ejus indolis eſt omne pomi genus. Cibus vel ideò ſuperbus: ſed certè malignus, quòd aroma nobiliſſimum aſpernetur. Oratio ut cibus eſt, Deo gratiſſimus, qui niſi ſale perſpergatur, inſulſus erit & ingratus. Quo ſenſu Chryſoſtomus: *Omnis*, inquit, *oratio noſtra gratiarum actione non careat. Qui non ſemper Deo gratias agit, prohibet quaſi Deo, ne ſibi ampliùs beneficiat: quaſi diceret: Ceſſa, Domine, ceſſa benefacere, nam & ego ceſſo gratias agere.* Oratio ut cibus eſt Deo gratiſſimus, qui niſi ſale perſpergatur insulsus erit.

Rex

Psal 70. v. 7. & 8.

Rex Hebræus David in divinas laudes mirificè accensus: *Repleatur*, inquit, *os meum laude: vt cantem gloriam tuam, totâ die magnitudinem tuam. In te cantatio mea semper.* Paratissimus est horis omnibus Deum laudare, Deo gratias agere, totâ die magnitudinem Dei extollere. Quod Augustinus explicans: *Quid est*, inquit, *totâ die? hoc est, sine intermissione laudare. In prosperis, quia tu Deus, consolaris; in adversis, quia corrigis. Antequam essem, quia me fecisti; cùm essem, quia salutem dedisti. Cum peccâssem, quia ignovisti; cum conversus essem, quia adiuvisti; cùm perseverâssem, quia coronasti.*

Aug. in ps. 70. mihi pag. 308.

Chryso. hom. 25. in Mat. & tract. de Symb.

Beneficiorum memoria est beneficiorũ custos.

Psal. 25. v. 3.

Augustini dictis Chrysostomus accedens: *Optima*, inquit, *beneficiorum custos est ipsa beneficiorum memoria, & perpetua confessio gratiarum. Admoneo vos, ut Dominum semper benedicatis. Si venerint mala, benedicite & dissolventur mala. Si prospera venerint, benedicite & perseverabunt bona prospera. Iugiter sibi subvenire facit, cui collatum beneficium ante oculos semper assistit.* Quod observans rex Dauid: *Quoniam*, ait, *misericordia tua ante oculos meos est.* Idcirco in omni oratione petitiones nostræ innotescant apud Deum cum gratiarum actione. Rhetoricæ cælestis color optimus, gratiarum actio.

§. II.

2. Orationis color: Omnium quæ in oratione Deo proponũtur cum Christi promeritis conjunctio.

ALter Rhetoricæ color, *Orationis & omnium, quæ in oratione Deo proponuntur, cum Christi promeritis conjunctio.* Ecclesia hîc exemplo præit, quæ orationes omnes hac solemni clausulâ consignat. *Per Christum Dominum nostrum.* Ita orationes & actiones nostræ Christi orationibus & actionibus conjunctæ unum quid fiunt, veluti cùm aliquot aquæ guttulæ vini dolio miscentur.

Blos. Monil. spirit. c. 3. fine.

Ludovicus Blosius luculento testimonio, quę dixi-mus, confirmat. Hæc ipsa scriptoris verba sunt: Cùm Gertrudis virgo in opere quodam magnam sentiens difficultatem diceret Deo Patri: *Domine, hoc opus offero tibi in laudem æternam, per unicum Filium tuum, in virtute Spiritûs sancti*; intellexit, quòd quidquid piè offertur Patri per Filium, illud mirificè supra humanam æstimationem nobilitatur, & redditur Deo Patri acceptum. Quemadmodum viride vel aureum apparet, quidquid per vitrum aut gemmam viridis aureive coloris conspicitur. Exemplo res demonstratur. Cùm quis inediam tolerâ, aut stipem erogat, ita Deum alloquatur: Pater æterne, hîc ego unicam fero guttulam, sed eam in mare meritorum Christi Filij tui conijcio: placeat tibi, oro, hæc mea oblatio. Aut breviùs. Hanc ego abstinentiam, hanc eleemosynam, hunc ego laborem meum cum Domini Iesv promeritis conjungo.

Plures ejusmodi formulas vide in meâ Amussi Rectæ Intentionis l. 2. c. 8. §. 7.

Tali affectu hominis, tali prętio Christi Salvatoris oblata Deo, non possunt non plurimùm placere. Sic vilissimæ actiones nostræ, sic omnes, quas toleramus, miseriæ, actionibus & doloribus Christi copulatæ summam induunt dignitatem. Sic aurum fit è plumbo, sic vini generositatem aqua obtinet, sic vitrum gemmæ pretium acquirit, ita frigus in salubertimum calorem transit, ita lutum in fragrãtissimum thus mutat, ita terræ sordes thesauris cæli sociatæ, inter cælestes gazas numerantur.

Coloss. c. 3. v. 17.

Hanc nostrarum cum Christi actionibus conjunctionem Paulus explicatissimè commendans: *Omne*, inquit, *quodcumque facitis, in verbo & opere, omnia in nomine Domini nostri Iesu Christi facite, gratias agentes Deo & Patri per ipsum.* Atque hic secundus est Rhetoricæ cælestis color, nostrarum cum Christi actionibus ac promeritis conjunctio.

§. III.

3. Orationis color: Eleemosyna, & venia inimicis data.

TErtius est, *Eleemosyna, & venia inimicis data.* Inter impedimenta orationis & vitia, *Duritiem cordis*, tertio loco numeravimus. Hic illi color oppositus est, qui & veniam adversariis, & mortem manu benignâ tribuit egenis. *Vis*, inquit Augustinus, *orationem tuam volare ad Deum? fac illi duas alas, jejunium & eleemosynam. Altera jam facta est ala, si ignoscis delinquenti, & donas egenti.*

na, & venia inimicis data. Aug. in ps. 42. sine omnino.

Iacob jam tumulo vicinus, filiis fatalem lectulum cingentibus, tabellas testamentarias conscribens, & cuivis filiorum debitam partem assignans, demum ad Iosephum versus: *En ego morior*, inquit, *& erit Deus vobiscum, reducétque vos ad terram Patrum vestrorum.* Vt autem nôris quàm ego te semper charum habuerim, *do tibi partem unam extra fratres tuos, quam tuli de manu Amorrhæi in gladio & arcu meo.*

Gen. c. 48. v. 21. & 22.

Quis obsecro hic gladius, quis arcus iste? Iacob vir simplex & rectus habitans in tabernaculis, quando unquam gladium strinxit? ecquando armis usus est? E Chanaan in Mesopotamiam properans, solo armatus bacillo transiit Iordanem. Vnde igitur illi hęc prædа gladio & arcu comparata? Chaldæus interpres sic verba componit: Quam tuli de manu Amorrhæi, oratione meâ & deprecatione. En gladium Iacobi, en arcum. Tunc autem gladium strinxit, tunc arcum intendit, cùm pro hoste capitali Esau oravit. Ita quidem Iacob pugnavit. Hinc Ephrem Syrus: *Si inter orandum*, inquit, *animam vagari permittas, eris velut qui tenet quidem arcum, verùm sagittam contra adversarium dirigere nequit, illam in vanum nullâ certâ intentione emittens.*

Oratio pro inimicis apud Deum est efficax.

Verùm, oratio apud Deum eò est efficacior, quò magis offensus fuerat orator ab his, pro quibus orat. Orantis enim patientia, vim confert orationi. Quem ad contumelias tacentem nemo audit, eum benevolentissimè audit Deus in oratione deprecantem. Hominis patientis deprecatio non refert repulsam. Mittitur à Deo Propheta, qui regis Ieroboami sacrilegia reprehenderet. Irato rege violentam manum extendente, *subitò exaruit manus ejus, nec valuit eam retrahere ad se.* Sed orante illicò Prophetâ, *reversa est manus regia ad eum, & facta est sicut priùs.* Cur impius rex à pœnâ ob tam gravem culpam irrogatâ tam citò liberatus? Prophetæ injuriam patientis oratio intervenit. *Ostendit Propheta mansuetudinem*, ait Theodoretus & *Deus clementiam: nam petiit, & Deus dedit medelam.*

3. Reg. c. 13. v. 4. & 6.

Theodoret. q. 42.

Cùm olim Deus efficacissimam sibique gratissimam orationem laudare instituisset, Mosis & Samuelis orationes memorans: *Si steterit Moses & Samuel coram me*, inquit, *non est anima mea ad populum istum.* Hîc Gregorius quæstionem ponens: *Quid est*, inquit, *quod Moses & Samuel ceteris Patribus in postulatione præferuntur? Nisi quòd hi duo tantummodò in cunctâ Testamenti veteris serie, pro inimicis suis leguntur orâsse? Vnus à populo lapidibus impetitur, & tamen pro lapidatoribus suis Dominum deprecatur. Alter ex principatu ejicitur; & tamen rogatus ut Deũ exoraret, fatetur dicens: Absit à me peccatum, quò minùs cessem orare pro vobis.* Gratissima & efficasissima oratio pro inimicis orare.

Hier. c. 15. v. 1. Greg. hom. 27. in Evãg. l. & l. 9. Moral. c. 9.

Cur Moses & Samuel ceteris patribus in oratione præferuntur.

Censent Theologi tribus illis horis quibus terrarum orbis se tenebris involutum obstupuit, Christum in cruce jam sublimem, ita quidem siluisse, ut toto eo tempore tacitus orârit ad Patrem. Quale autem hujus orationis posuit exordium? *Pater dimitte illis, quia nesciunt, quid faciunt.* Veniam hostibus rogavit, sed & militibus à quibus crucifixus, vestes suas veluti eleemosynas distribuit. Cruentâ hâc trabem Christiane suspice. En tuum hîc gladium, en arcũ tuum. Huic tu sagittas, si quas habes, impone & ejaculare; numquam errabunt illæ, omnia penetrabunt; cor ipsum cælestis Patris reserabunt. Sed vide hunc tuum gladium ita stringas, hunc arcum tuum ita intendas, ut hostes tuos attingas & vulneres, sed prout suos Iacob, suos Christus attigit, & vulneravit. Iacob pro Esau inimico, Christus pro crucifixoribus hostibus oravit. Hæc amantium

Quod orationis Christi exordiũ cùm pro crucifixoribus oravit. Luc. c. 23. v. 34.

amantium sunt vulnera. Pater dimitte illis. Et vos, ô Christiani, *dimittite, & dimittemini : eâdem quippe mensurâ remetietur vobis.* Quasi mensura divini amoris magnitudinem suâ mutuetur à iudicio humano, ut tantum sperare quisque debeat à DEO, quantum in alios contulerit, & eandem expectare delicti veniam, quam erogaverit, modo per omnia eodem. Sed nónne æternâ oblivione delictum omne sepeliri, nullámque illius memoriam in offensi animo residere volumus? Quod igitur ab alio in caussâ nostrâ fieri optamus, id in aliorum delictis faciamus, memores illius : *Prout vultis, ut faciant vobis homines, & vos facite illis similiter,* Memores & illius : *Quod ab alio oderis fieri tibi, vide, ne tu aliquando alteri facias.* Quæ cùm non facimus, an non nos ipsos in dies damnamus, orantes, *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris*? Nos non dimittimus; non ergo dimitte. Post injuriam non admittimus ullum in amicitiam; nec tu nos admitte. Excludimus post delictum in nos ab omni familiaritate nostrâ, exclude & tu à tuâ. Non fidimus: non fide. Non credimus illis nostra; non crede nobis tua. Non facimus illos socios bonorum & honorum nostrorum, nec tu facias nos tuorum. Nos debitores nostros ad Leonem, ad crucem postulamus; tu quoque nos, qui tui debitores sumus, Leoni & cruci obijce. Non parcimus; non parce. Nos sententiâ nostrâ inimicos nostros ad inferos damnamus; quâ fronte, quo jure maxima Deum rogatis? *Eâdem quippe mensurâ, quâ mensi fueritis, remetietur vobis* : Vos pauperes non auditis, nec vos Deus audiet æqualissimâ prorsus mensurâ. Quod Chrysostomus instillans : *Cum*, inquit, *deseceris orans, & non acceperis, cogita, quoties pauperem audisti petentem, & non exaudisti. Et tu quidem hoc ex crudelitate facis, Deus autem ex benignitate*, imò ex justitiâ.

Luc.c.6. v.37. & 38. *Ibid.v.31.* *Tob.c.4. v.16.* *Matth.c.6. v.12.*

Aut ergo dimittite, aut vestris ipsi sententiis perite. Si preces placet fundere non irritas, videte, (quod Augustinus monùit) ut geminas habeat alas oratio; ignoscere delinquenti, donare egenti; veniam hosti, monetam pauperi. Hæc Augustinus disertissimè pro suggestu non solùm explicans, sed altè animo infigens & identidem inculcans : *Ecce*, inquit, *post sermonem fit Missa catechumenis. Manebunt fideles; venietur ad locum orationis. Scitis, quò accessuri sumus, quid prius Deo dicturi sumus?* Dimitte nobis debita nostra: sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. *Agite, ut dimittatis, agite. Venietis enim ad ista verba orationis: quomodo ea dicitis, quomodo nõ dicitis? Postremò interrogo, dicitis, an non dicitis? odisti, & dicis? Respondebis mihi, ego non dico. Oras, & non dicis? odisti, & dicis? oras, & non dicis? Citò respondeo : Ergo si dicis, mentiris : si non dicis, nihil mereris. Observa te, attende te. Modò es oraturus, dimitte ex toto corde. Litigare vis cum inimico tuo, prius litiga cum corde tuo. Litiga, inquam, litiga cum corde tuo. Dic cordi tuo : Noli odisse : illud autem cor tuum, animus tuus odit adhuc. Dic animo tuo, noli odisse. Quomodo orabo, quomodo dicam, Dimitte nobis debita nostra? possum quidem hoc dicere, sed quod sequitur, quomodo dicam?* sicut & nos? *Quid*: sicut & nos dimittimus. *Vbi est fides? Fac quod dicis*, sicut & nos. *Sed non vult dimittere anima tua, & contristatur, quia dicis ei : Noli odisse. Responde illi:* quare tristis es anima mea, & quare conturbas me? *Quare tristis es? Noli odisse, nec perdas me. Quare conturbas me? Spera in Deum. Langues, anhelas, ægritudine sauciaris: non potes tibi tollere odium. Spera in Deum, medicus est, pro te pependit in ligno nondum est vindicatus. Quid vis vindicari? Ideò enim odisti, ut vindiceris. Vide pendentem Dominum tuum, vide pendentem, & tibi de ligno tanquam de tribunali præcipientem. Vide pendentem, & tibi languenti de suo sanguine medicamentum facientem. Vide pendentem, si vindicari vis. Vindicari vis? vide pendentem, audi precantem,* Pater ignosce illis, quia nesciunt, quid faciunt. *Sed potuit hoc Christus, dicis mihi, ego non possum. Ego enim homo sum, ille Deus : homo ego, homo ille, Deus homo: Deus ergo ut quid homo, si non corrigitur homo? sed ecce tibi loquor, ô homo, multum est ad te imitari Dominum tuum, attende Stephanum conservum tuum. Certè Stephanus sanctus, homo erat, an Deus? homo erat, planè homo erat: hoc erat quod tu. Sed quod fecit, non fecit, nisi donante illo, quem rogas & tu. Ecce quid est requiescere, pro inimicis orare.*

Aug.to.10. serm.237. de temp.c. 8. & 9. mihi pag.385. *Psal.41. v.6.* *Luc.c.23. v.34.*

§. IV.

HIc unicum illud & aureum sexcenties ingeminandum : *Bona est oratio cum jejunio & eleemosynâ.* Ventri metuis à jejunio? saltem loculos pande, & refice jejunos pauperes. Inediam refugis? eleemosynam saltem tuis precibus junge. Bona est oratio, bona est, optima est, sed cum eleemosynâ. Hæc enim non tantùm orationem adjuvat, sed & ipsa orat. Quod testatus Siracides : *Conclude*, inquit, *eleemosynam in sinu pauperis, & hæc pro te exorabit ab omni malo.* Adeò namque ad impetrandum potens est, ut etiam te tacente clamet ad Deum, & impetret, quæ tibi Deus cognoverit expedire.

Tob.c.12. v.8. *Eccli.c.29. vers.15.*

Salomon ad ingressum oraculi in templo gemina fecit ostiola è lignis oleaginis. Cur non è lignis Setim, quæ cariem ignorant, cur non è cedro? Imò cur non ex auro, cùm id loci religio poscret? Rectè oleam adhibuit, ut orationis locus symbolo misericordiæ insigniretur: ut enim oratio impetret, misericordia persuadet. *Beati misericordes, quoniam & ipsi misericordiam consequentur.* Hinc illud Christi : *Date, & dabitur vobis.* Date vos pauperibus, cùm panem aut vestem petunt, & dabit vobis Deus, cùm æternam beatitudinem petentis. Quòd si his minima negatis; quâ fronte, quo jure maxima Deum rogatis? *Eâdem quippe mensurâ, quâ mensi fueritis, remetietur vobis* : Vos pauperes non auditis, nec vos Deus audiet æqualissimâ prorsus mensurâ. Quod Chrysostomus instillans : *Cum*, inquit, *deseceris orans, & non acceperis, cogita, quoties pauperem audisti petentem, & non exaudisti. Et tu quidem hoc ex crudelitate facis, Deus autem ex benignitate*, imò ex justitiâ.

Cur Salomõ ad ingressum oraculi in templo fecit ostiola è lignis oleaginis. *Matth.c.5. vers.7.* *Luc.c.6. v.38.* *Luc.c.6. v.38.* *Chrys. hom. 79. ad populum.*

Ita igitur orationi eleemosynam junge, ut tibi liceat hoc modo precari : Domine, ego cùm ipsa sim misericordia, pauperes tuos exaudivi; tu cùm ipsa sis misericordia, non exaudies me pauperem?

Exaudiêris, certus esto; eâdem mensurâ, quâ mensus es, remetietur tibi: Danti dabitur. Concludisti in sinu pauperis eleemosynam, & hæc pro te ab omni malo exorabit.

§. V.

QVartus Rhetoricæ cælestis color, *Resignatio*, quam vocant, seu Indifferentia & Convenientia cum divinâ voluntate.

4. Orationis color: *Resignatio.*

Christum è monte descendentem homo leprosus, prono corpore adorans : *Domine*, ajebat, *si vis, potes me mundare.* Brevissima quidem oratio, sed perfectissima. Tantum habuerunt momenti geminę solùm syllabulæ illæ : SI VIS. Adeò exacta est precandi hæc formula, ut eam ipsam Christus Dominus in summis angoribus observans dixerit: *Pater, si vis, transfer calicem istum à me.* Hæc eadem omnium orationum nostrarum sit clausula, *Domine si vis.* Diversissimæ sunt orationes nostræ, prout variant calamitates nostræ. Est, qui oret: Domine in morbo sum, totius corporis doloribus oppressus, libera me. Bona oratio, si ei non desit clausula, SI VIS. Alius precatur. Deus fons omnium thesaurorum, extrema me paupertas conficit, tu tantùm victui meo tribue necessaria. Oratio licita, modò pauperculus hic addat: *Domine si vis.* Plurimi sic orant : Pro tuo honore, Deus, honores & dignitates quæro : ad tuam gloriam hoc illúdve munus expeto : jube consequar quod ambio. Orationem hanc non damnamus, modò clausulam ei orator meminerit hanc apponere, *Domine, si vis.* Non nemo sic orat : Vxorem ducere decrevi, sed à nummis, formâ, virtutibus egenam nollem. Tu Deus qui nuptiale fœdus in paradiso sanxisti, da divitem, da formosam, da virtute præditam. Non iniquæ

Matth.8. v.2. Syllabæ *si vis* orationi est necessaria. *Luc.c.22. v.42.*

sunt

sunt hæ preces, sed maximè his addendum: *Domine, si vis.* Quàm multi doctrinam & eruditionem variam petunt, malè petituri, nisi & hunc epilogum adjungant: *Domine, si vis.* Est, qui cum psalte regio vociferetur: *Eripe me de manu inimicorum meorum, & à persequentibus me.* Sed & huic precationi addendum, quod addidit psaltes: *In manibus tuis sortes meæ*: Hoc est, ego, Domine, paratus sum in utrumque, prout tibi visum fuerit: Si vis, potes me salvum inimicis meis subducere; si vis, potes me iis proterendum relinquere. Quæcũque forsè manu tuâ prodierit, mihi placebit. Scis, Domine, quàm nec ipsum mihi cælum, nec ipsa quidem placeret beatitudo contra tuam voluntatem, quantò minùs mea, vel alterius valetudo poterit placere, si me vel alterum valere tibi displiceat? Domine, si vis, fiat, quod oro. Sin autem nolis, non fiat, obsecro, non fiat quod peto. Melius est repulsam pati te volente, quàm votorum summam assequi, nolente te. Si vis, Domine, & prout vis, ita fiant omnia.

Psal. 30. v. 16. *Ibidem.*

Pretiosissimus hic orationis color est, & qui nostris pictoribus ultramarinum dicitur. Absque indifferentiâ & resignatione nulla potest placere oratio.

Quæsierat olim quispiam è socio divi Francisci, Ægidio: Quid tandem faciendum sibi censeret, quod DEO gratissimum foret? Ægidius ut erat festivæ sanctitatis, canere incœpit: Vnus uni, unus uni. Hæsit nonnihil alter, & fassus est se non assequi hoc responsi genus. Cui Ægidius. Tu, inquit, unicam habes animam, hanc unico Deo sine omni impedimento, ita integrè ac indifferenter trade, tanquam tu solus & DEVS in orbe sint: quidquid tu DEVM rogaveris, & quidquid tibi Deus concesserit, hoc animo quàm resignatissimo accepta. Hæc pretiosa est oratio.

Chronicon S. Francisci parte. 2 l. 7. c. 20. mihi pag. 271.

Hanc resignationis virtutem Religiosus Ecclesiastes insigniter ob oculos ponens: Vitâ inquit, & doctrinâ suâ Dominus in nobis efficere voluit, & intendit, ut libero, resignato, ac immobili ferre discamus animo, si ab aliis fallaces ac seductores vocemur, seu alia quælibet verborum in nos conjiciantur jacula & & injuriæ; quibus bonæ famæ & existimationis nostræ vitietur integritas: si præterea non verbis tantùm, sed operibus quoq; infestemur, si corporis nobis subtrahantur necessaria; si non solùm temporalia, quibus carere non possumus, nobis denegentur, sed ipsis quoque corporibus nostris injuria inferatur, & læsio, cui infirmitas succedat, aut alia quævis pœna, seu dolor irrogetur, quæ iisdem corporibus nostris molestiã possint adducere. Si præterea omnes actus nostros meliori, quo possumus, modo perficiamus, & ipsos nihilominus alii quàm pessimè interpretentur. Insuper ut hæc non solùm ab hominibus feramus æquanimiter, sed ipsa quoque Domini flagella patienter toleremus, si nobis præsentiæ suæ consolationem subtrahat, adcóque se à nobis elonget, ac si inter ipsum & nos murus sit interpositus, & si in labore & angustiis nostris, pro solatio & ope ad ipsum venientibus talem se nobis exhibeat, velut si oculos ad nostri occludat occursum, neque videre, neque audire nos volens, spectósque nos in afflictionibus, ac miseriis nostris certare sinat, sicut & ipse à patre suo relictus fuit. In his omnibus in ejus nos divinitate absconde debemus, ut in ipsâ nostrâ desolatione immobiles permanentes, in nullâ mortali creaturâ vel negotio solatium quæramus, nisi in illo duntaxat verbo, quod & Christus ipse dicebat: *Fiat voluntas tua.*

Taulerus in Instit. c. 15. mihi pag. 35.

Matt. c. 26. v. 42.

Quocirca brevissima hæc clausula, *Si vis Domine*, tam venustus, quàm gratus orationis color est.

§. VI.

5. Orationis color: *Animi clamor.*

QVintus orationis color est, *Animi clamor.* Hoc assiduum fuit psalmographo Hebræo, vociferari precando & clamare. Hinc illud sexcenties ingeminat, *voce meâ ad Dominum clamavi. Ad te, Domine, clamabo. Ad te, Domine, clamavi totâ die. Clamavi in toto corde meo, exaudi me, Domine.* Scio equidem, Domine, quàm duo hæc sese fideliter consequantur, homo toto corde clamans, & DEVS exaudiens: ubi clamor precantis tam serius, ibi promptissimus annuentis assensus. Hinc David *de omni corde suo Laudavit Dominum.*

Psal. 3. v. 5. *Psal. 27. vers. 1.* *Psal. 3. v. 10.* *Psal. 118. v. 145.* *Eccli. c. 47. v. 10.*

Hinc recte dixit Gregorius: *Tanto minùs quis clamat, quantò minùs desiderat.* Consideremus hîc, obsecro, tria fratrum paria, Abelem & Cainum, Gallum & Iulianum, Pharisæum & Publicanum. Hos duos etiam inter fratres numero, quos Christi concio societate tam arctâ copulavit.

Abel & Cain orârunt ambo, sed effectu dissimillimo. *Respexit Dominus ad Abel, & ad munera ejus. Ad Cain autem & ad munera ejus non respexit.* Quid caussæ dixerimus fuisse? suum uterque sacrificium perfecit, Deum uterque invocavit: non placuit uterque. In Abelem conjiciuntur oculi, avertuntur à Caino. Quid tandem caussæ? Abel usque oravit seriò; clamavit in toto corde suo, litavit Domino, & perlitavit. At verò Cain remissiore animo, non id quod optimum habuit, sed vilius aliquid de fructibus terræ adolevit: sed Abel, quod reperit selectissimum *de primogenitis gregis sui, & de adipibus eorum obtulit*: in toto corde suo clamavit. Hinc ad Abelis, non ad Caini dona Dominus respexit. Atque ut Symmachus & Aquila loquuntur. *Delectatus est.* Quo autem id signo Deus luculentum fecit? igne cælitus demisso in Abelis, non in Cain sacrificium. Ita priscí Patres Cyprianus, Cyrillus, Hieronymus, Chrysostomus, Theodotion asserunt: quorum verba sunt: Inflamavit Dominus super Abel, & sacrificium ejus, super Cain autem non inflamavit. Hæc nobis bono erunt hac ratione.

Gen. c. 4. v. 4 & 5.

Cur Deus respexit ad Abel, ad Cain autem nõ respexit?

Ibidem.

Quando nos orationem animo remisso ac frigido non solùm incœperimus, sed eodem etiam finierimus, in nos ipsos rectè pronunciabimus: Non inflammavit Dominus super me & sacrificium meum. Sed & caussam addamus: Non Abel, non David, sed Cain fui, non clamavi in toto corde meo.

Gallus & Iulianus fratres Constantii Imperatoris filii, ambo clerici, sed sibi dissimillimi. Quales autem ipsi, talis erat & oratio ipsorum. Hi fratres duo à fundamentis ædem sancti Mamantis struere cœperunt, sumptus & operas partiti. Quidquid Gallus ædificavit stabile fuit. Quod Iulianus condidit, totum corruit, ipsis etiam fundamentis è terrâ velut indignabundis ejectis. Quid caussæ tam disparis successûs in unâ eâdémque structurâ? Iulianus ex asse nequam non clamavit, in toto corde suo, Christianum simulavit dum diadema & purpuram obtinuit Dei perduellis. Idcirco non inflãmavit Dominus super sacrificium & preces hominis tam insigniter improbi. At verò Gallus Iuliani frater optimo animo utens, summâ fide, clamavit in toto corde suo. Propterea super sacrificium illius inflammavit Dominus, hujus ædificium surrexit, hunc Deus exaudiit. Tanti est in toto corde suo clamare ad Dominum.

Cur Galli & Iuliani dispar fuerit successus in eãdẽ structurã.

Pharisæus & Publicanus eodem tempore, in eodem templo precationes planè impares inierunt. Pharisæus adeò non clamavit in toto corde suo, adeò non serius oravit, ut nec oraverit quidem, ut ingeniosè dixerit Augustinus: Quid Pharisæus rogaverit Deum, quære in verbis ejus, & nihil invenies. Ascendit orare, nolvit Deum rogare, sed se laudare. Siquidem Lucas articulatè: *Pharisæus stans*, inquit, *hæc apud se orabat.* Hæc oratio non nubes penetrabat, sed domini sui gratulabundo sinu se occultabat.

Cur Phariſæus non fuit exauditus:

Aug. to. 10. serm. 36. de verb. Dom. circa med.

Luc. c. 18. v. 11.

In uno aliquo nosocomii hypocausto ægrotorum complurium diversi gemitus & suspiria eduntur, nec

alia ferè auditur musica, quàm illa miserabilis, ah, heu, heu, oh, oh! Nosocomus etsi ad mensam illius hypocausti sedeat, & plorabiles illas voces audiat, non tamen se loco movet, non surgit illud animo volvens: Iam assueverunt aures meæ huic musicæ, nec manum hæ quiritationes petunt: Quòd si ægrotorum aliquis clamare incipiat, *Iuvate, obsecro, Iuvate*; tunc loco surgit, & ad ægrum accurrit, auxiliarem manum commodaturus. Haud aliter Deus nobiscum agit: nos hõmunculi miseri, dum vivimus, in nosocomio sumus variis afflicti morbis, variis pressi ærumnis, diversis ingemiscentes cladibus plurimùm laboramus. Hinc gemitus & suspiria, hinc preces & obsecrationes multæ, sed non æquè multi clamores audiuntur. Paratus est Deus velut nosocomus accurrere & auxiliari, sed non cujusvis vocibus movetur, non quasvis exaudit preces: clamoribus, hoc est, valde seriis ac fervidis precationibus ad opem ferendam persuadetur. Ergo contende vocem, clama, mi æger, clama, & juvaberis.

Publicanus autem exauditus. *Luc. c. 18. v. 13.*

At verò Publicanus, ut verbis Augustini loquamur, pœnas de seipso exigebat, propterea Deus confitenti parcebat. *Nam pectus suum percutiebat*, clamabat in toto corde suo.

Thren. c. 2. vers. 19.

Atque hic serius est orandi modus: Clamemus in toto corde nostro, & effundamus *sicut aquam cor nostrum ante conspectum Domini*. Ita haud dubiè David, ita Daniel, ita Iudith, ita Susanna, ita tot alii orârunt; clamârunt in toto corde suo. Qui inter nos ore compresso muginatur & mussat, eũ ut in mores delinquẽtem corripimus hac voce: Clarius, clarius; pande os. Tu verò pande cor, quisquis oras, nec oras seriò; vociferare, & clama in toto corde tuo, & inflammabit Dominus super sacrificium tuum. Fervor devotionis est animæ lingua, sine hac muta est anima.

Psal. 92. v. 3.

Hebræus Rex David: *Elevaverunt*, inquit, *flumina vocem suam*. Res creatæ omnes modo, quo possunt, clamant, & laudant Deum. Nos homines rationis compotes, non patiamur, obsecro, nos clamando vinci, clamemus in toto corde nostro. Cum hominibus subinde fabulari licet: colloquium cum Deo, negotiorum summum est, cum curâ semper & seriò instituendum. Hinc rectè dixit Hieronymus: *Malo unum psalmum cum hilaritate mentis decantare, quàm totum psalterium cum torpore, fastidio, & acediâ.*

CAPVT XIII.

Quatuor oraturo monita.

Exod. c. 8. v. 22.

DEVS olim ut rem grandem pollicitus: *Faciam*, inquit, *mirabilem in die illâ terram Gessen, in quâ populus meus est, ut non sint ibi muscæ*. Contrà minatur toti

Ibid. v. 21.

Ægypto: *Immittam in te omne genus muscarum, & implebuntur domus Ægyptiorum muscis diversi generis*. Exiguum & vile animalculum musca, sed grande fuit ac miserabile supplicium à muscis ita cruciari.

Qui orat, & cogitationibus vagis non singulari studio repugnat, miser est Ægyptius, de quo verissimè dicatur: *Impleta est domus illius muscis diversi generis.*

Qui verò eâ orant animi contentione, ut tumultuanti cogitationum turbæ pro viribus resistant, mentémque ad Deum ardenter erigant, hi sanè inter Ægyptios idololatras non numerandi veniunt, è populo Dei sunt, in domibus eorum muscę non sunt. Atque hinc, quales sint, noscuntur. Facta est mirabilis terra Gessen, ut non sint ibi muscæ.

De hoc muscarum examine coërcendo hactenus locuti sumus. Nunc porrò tam hoc quàm sequenti capite præceptiones seu monita nouem subjiciemus illis perpendenda, qui suum cum Deo spiritum cupiunt

Novem monita ut quis possit

A conjungere; qui conantur, ut suprà demonstratum est, in toto corde suo clamare.

cum Deo spiritum conjungere.

§. I.

1. Monitũ. Monitum primum: *Oratio inambulans & vaga, sterilis est labor.* Veniâ tuâ, mi homo, quæsierim ex te, cùm cubiculum aut templum ingrederis, quid facere cogitas? Orare, inquis: Ergo rectè ora. Hæc agendi norma, si in ullo negotio, in isthoc certè valeat: Quod facere vis, fac bene. Nam oratio tam segnis & incustodita nihil impetrat, imò nec oratio quidem est, sed vanus & inanis sermo, flumen verborum, sed non pisculentum. Qui sic orat, Deum potiùs irridet, quàm ut laudet. Quod Basilius Magnus astruens: *Divinum auxilium*, inquit, *est implorandum non remisse, nec mente huc vel illuc evagante: talis enim non solum non impetrabit quod petit, sed Deum magis irritabit.* Aliquam ejus causam subjiciens Bonaventura: *Valde indecens est*, ait, *ut quis cum Deo loquatur ore, & aliud meditetur corde. Non afficitur erga Deum, qui aliud cogitat, aliud loquitur.* Quid talis oratio impetret, quæ siec quidem rogare novit? Siracidès ad architecturam respiciens: *Vnus ædificans*, ait, *& unus destruens, quid eis prodest nisi labor?* Haud aliter, si ædificet lingua, cor destruat, labor est sterilissimus. Hoc igitur versetur in corde, quod profertur ab ore.

Basil. serm. cujus inscriptio est, instit. ad vitã perfectã, & de orando Deo: post med.

Bonavent. l. de perfect. vitæ c. 15.

Eccli. c. 34. v. 28.

2. Monitũ. Monitum secundum. *Oratio vaga & inambulans, non sterilis tantùm, sed & noxius labor.* Ejusmodi namque oratio non solùm nihil impetrat, sed & nocumentum adfert. Augustino teste, Oratio justi clavis est cæli: ascendit precatio, & descendit Dei miseratio. Hanc autem cæli clavem pravè detorquet, quisquis orat, interim tamen quid oret, ipsemet ignorat. Vnde triplex oranti damnum; feram destruxit, clavem fregit, locum non aperuit: Ita prorsus, qui animo in oratione tam vagus fuit, tempus perdidit, Deum offendit, cælum non reseravit. Pulcherrimè dixit & verissimè Augustinus: Oratio oranti est præsidium, Deo sacrificium, dæmoni flagellum. Quòd si nullus sit orantis ardor, nulla attentio, vertamus, & cantemus: Oratio oranti est nocumentum, Deo ludibrium, dæmoni gaudium.

Chrys. ser. 2. de Elia: Clavis cæli fit sermo Dei sanctissimi. Iubet enim & claudituv cælum, orati post modum & aperiuntur.

Importuni profectò & miseri locutores sunt, qui garriunt, & blaterant ut ebrii, aut ut irati, aut etiam ut limphatici & insani. Ebriis lingua in udo est; hinc verba lapsantia merguntur luto. Iratis lingua felle ac veneno natat; hinc verba virulenta mortem propinant. Lingua phreneticis in igne est: hinc verba furiata volant & flammea. Etsi ebrius, iratus, fanaticus toto die loquantur, nihil promovent, quò enim diutiùs garriunt, tantò minùs proficiunt. Talis omnino est, qui ignorat, quid orando dicat: temulentus, fremebundus, rabiosus, fabulator est, & tamen audet coram supremo Rege verba facere; quò plus loquitur, plus offendit; lingua illius fel & ignem vomit. Nec placere potest tam insolens futilitas.

Oseas Israëlis ruinam deflens: *Lappa*, inquit, *in tabernaculis eorum; sacrificium eorum quasi panis lugentium: omnes qui comedent eum, contaminabuntur.* Panis lugentium, panis sordidus, cinere sparsus, & obductus est. Nauseat Deus tam immũdos panes. Sed & illud Prophetæ perpendendum: *Lappa in tabernaculo eorum.* Lappa hamatum lolii genus est, vestibus adhærens. Homo ad preces imparatus, alia omnia quàm quod facit, cogitans, hamatis vepribus, tribulis & lappis plenus est; Deum nihilominus ad colloquium audet evocare. Non placat iram hæc oratio, sed provocat. Oratio incustodita labor noxius.

Oseæ c. 9. v. 4. & 6.

Oseæ c. 9. v. 6.

§. IV.

3. Monitũ. Monitum tertiũ: *Orare maxima hominis est dignitas.* Hominem Deus honore summo afficit, cùm illum

illum & quoties & quamdiu vult, secum colloqui permittit. Ingrediamur aulas, obsecro, & obstupescemus tantum argenti & auri effundi ad propitias Principũ aures impetrandas. Quandoque non hebdomades solùm sed menses, sed & annos totos expectandum est, dum Principis conclave & aures patent orationem acturo. Ad Deum immensæ Majestatis Dominum omni horâ, momentis omnibus patet aditus. Rex cæli nunquam non propitias & vacivas habet aures. Importunitatis hîc nemo insimulatur. Gratior est, qui frequentior, & importunior. Adeste terræ vermiculi, prorepite scarabæoli, accurrite homunculi miselli; liberrimum vobis est cum conditore vestro colloquium. Nec est, quod vel causſæ vestræ vel facundiæ quidquam diffidatis: quò simpliciùs perorabitis, hoc meliùs, modò non frigeat, aut exerret oratio vestra: modò eum, quem rogatis, ex oculis non vestrâ sponte amittatis. Cassiodorus id asserens: *Ad penetralia judicis, ait, precator admittitur, & nullus inde respuitur, nisi qui repidus invenitur.* *Cassiod. in Psalm.*

B Chrysostomus hanc hominis cum Deo suo colloquentis tantam dignitatem expendens, sic ratiocinatur. Nos quidem Angelis dissimillimi, eodem tamen jure, imò meliori, quantum ad hoc, vivimus; nam illi, dum orant, faciem & pedes convelant, nos ulcera nostra & quidquid in nobis fœdum est, detegimus, & magnâ fiduciâ Deo adstamus velut intimi domestici. Verba Chrysostomi sunt: *Quantæ dignitatis sit hominem cum Deo miscere sermonem, neminem latet. Cæterùm eam dignitatem orationè consequi, nemo prorsus valeat: quandoquidem hic honos etiam Angelorum superat majestatem, quod ipsi probè intelligentes, apud Prophetas describuntur omnes multo cum tremore, laudes & cultum Domino offerentes, facies quidem ac pedes ob ingentem reverentiam tegentes, valatu verò, dum non valent in quiete manere, magnum tremorem declarantes: nimirum & nos illud interim docentes, ut tantisper dum oramus, humanæ naturæ oblivisscamur, sed occupati mentis alacritate simul & tremore, nihil respiciamus rerum præsentium, sed existemus non in Angelorum medio consistere, idemque sacrificium cum illis peragere. Nam in reliquis multum discriminis est inter conditionem illorum, & nostram: sive naturam expendas, sive vivendi genus, sive sapientiam, sive intelligentiam, sive quidquid aliquis recensere possit. Cæterùm orare commune est opus Angelorum pariter & hominum, neque quidquam interest inter nostram naturam, & illorum, duntaxat quod attinet ad deprecationem. Hæc te separat ab mutis animantibus, hæc te sociat Angelis; quin facile fiet, ut quis in illorum civitatem transferatur, in illorum vitam & consortium, ad illorum honorem, utilitatem, sapientiam & intelligentiam, qui per omnem vitam precibus ac divino cultui vacare studuerit.* *Chryſ. to. 5. l. 2. de orãdo Deo. mihi pag. 591.*

Orare cõmune est Angelis & hominibus.

Orare, seu loqui cum Deo summæ non solùm utilitatis, sed & dignitatis est.

† *Exo. c. 3. v. 5. & 6. Communis Theologorũ sententia est, omnes Dei apparitiones in Vet. Test. factas per Angelos. De Mose clarissimè Actor. c. 7. v. 30. Apparuit illi in deserto montis Sina Angelus in igne flammæ rubi.*

DEVS olim cum Mose locuturus, quantum cæremoniarum & moræ voluit præmitti? Spectabat Moses ardentem rubum & accedere festinabat, sed repressus audit: † *Ne appropies huc; solve calceamentum de pedibus tuis, locus enim, in quo stas, terra sancta est. Et abscondit Moses faciem suam, non enim audebat aspicere contra Deum.* Cùm tamen Angelus tantùm cum Mose sit locutus, Dei autem nomen præ se tulerit, quia personam Dei sustinebat. Nos autem sine cæremoniis, & sine morâ, quocumque volumus momento, cum Deo loquimur. Orare summa hominis est dignitas.

§. III.

MOnitum quartum: *Enunciata priscorum Patrum expendenda.* Quid, quæso, sæpius, quid gravius & constantius sanctissimi scriptores inculcârunt? orationem attentam. Ex omni sanctorum Patrum numero tres solùm hîc sisto: Augustinum, Chrysostomum, Bernardum. Augustinus ad excitandum seC gniter orantium torporem: *Multi, ait, languescunt in orando, & in novitate illæ conversionis ferventer orant, posteà languidè, posteà frigidè, posteà negligenter. Quasi securi sunt. Vigilat hostis, dormis tu? Ergo non deficiamus in oratione. Ille quod concessurus est, etsi differt, non aufert. Securi de pollicitatione ipsius non deficiamus orando, & hoc ex beneficio ipsius est. Præterea dixit*: Benedictus Deus meus, qui non amovit deprecationem meam, & misericordiam suam à me. *Cùm videris non à te amotam deprecationem tuam, securus esto, quia non est à te amota misericordia ejus. Quamdiu ergo hîc sumus, hoc rogemus Deum, ut non à nobis amoveat deprecationem nostram, & misericordiam suam; id est, ut perseveranter oremus, & perseveranter misereatur.* *Aug. to. 8. in ps. 65 sine mihi pag. 278.* *Psal. 65. v. 20.*

Non est locus, ubi non sit DEVS. Cùm autem oras, clamas non voce, sed mente. Nam & tacentes exaudit Deus; nec quæritur locus, sed sensus, sed spiritus. Hieremias in carcere confortatur. Daniel inter leones exultat. Tres pueri in flammarum medio tripudiant. Iob nudus & ulcerosus in sterquilinio triumphat. Isaias Deum in atrocissimo supplicio laudat. Stephanus Dei filium inter saxorum nimbos prospectat. Paradisum in cruce latro impetrat. Non est locus, ubi non sit Deus. Benedicamus igitur Dominum, in omni loco, & in omni tempore. *In omni loco orandum, quia Deus est ubique.*

Chrysostomus orantis intentionem insigniter extimulans: *Omnes quidem oramus, inquit, sed non omnes in conspectu Domini. Etenim cum corpore in terrâ prostrato, & ore frustra delirante, mens ubique per domum ac forum circumvagatur, quo ore talis posset dicere, quòd oraverit in conspectu Domini? Nam in conspectu Dei orat, qui orat undequaque colligens suam mentem, nihil habens cum terrâ commercii, sed ad ipsum Deum totus commigrans, omni cogitatione humanâ ab animo depulsâ.* *Chryſ. to. 1. hom. de fide Annæ, ante med. mihi pag. 491.*

Idem Constantinopolitanus præsul: *Iubet Christus, inquit, ut anima interiorem ingrediatur intellectum, quando orat, ut nihil cogitet, nisi de quo orat, & quem orat, ut claudat ostium sensûs sui carnalis, ut omnes cogitationes carnales, & sollicitudines foras excludat. Si autem orans de carnalibus rebus cogitaveris, non introisti in interiorem intellectum, nec clausisti sensûs ostium: & ideò tacitè cum cogitationibus superfluis anima loquens, orationis perdit tempus & fructum. Secundum hoc & illud superius intelligi potest. In mediâ enim synagogâ orat, qui in medio multitudinis malarum cogitationum orat, undique mundabilibus sollicitudinibus circumdatus. Quando enim orans cogitat de uxore, de filiis, de mancipiis, de domo, de possessionibus, de pecoribus, de militiâ, de lucro, de captis, & aliis quæ sunt innumerabilia, quæ super cor incautè orantis ascendunt, nonne tibi videtur hæc synagoga malorum? omnes enim istæ variæ speciès cogitationum, diversi sunt immundi spiritus. Quomodo ergo non in mediâ synagogâ orat anima tua, quando tot secum immundos spiritus habuerit spectatores & colloquentes?* *Chryſ. to. 2. hom. 13. in c. 5. Matthæi mihi pag. 737.* *De Cistis, oculis, & marsupiis.*

Hæc à se dicta Chrysostomus explicatissimè confirmans: *Tu, inquit, non audis orationem tuam, & Dominum vis audire precem tuam? Flexi, inquis, genua. Curvâsti quidem genua intus, sed mens tua foris prius vagabatur. Corpus tuum intus, sed sensus foris; os quidem loquebatur, sed mens usuras cogitabat, possessionem reditus supputabat, descriptiones domorum videbat, amicorum verba volvebat, negligentias intuebatur famulorum, parasitorum urbanitates videbat, mulierum speciem considerabat. Diabolus enim, cum sit astutus, scit, quoniam in tempore orationis grandia postulemus, & sæpius impetremus, impendire festinat improvidus mentes. Hinc cum ad orationem venimus, cogitationum nos opprimunt nubes, ut nos avocent, & sine fructu efficiant. Labia solummodò moventur, mens autem sine fructu est, & aures ejus surdæ sunt.* *Idem ho. 17. in Matth. mihi pag. 1037.*

4. Monitũ.

Bern lib. de animâ c. 6. mihi pag 1056 Ibid. cap. 7. Et de modo orandi pag. 1131. & serm. 86. & ultim. in Cant. fine.

Bernardus cum Chrysostomo ad idem institutum collineans: *Vbicunque*, ait, *fueris, intra temetipsum ora. Si fueris ab oratorio, noli quærere locum, quoniam tu ipse locus es. Si fueris in lecto, aut in alio loco, ora; & ibi est templum. Frequenter orandum, & flexo corpore mens est erigenda ad Deum. Sicut enim nullum est momentum, quo homo non utatur, vel fruatur Dei bonitate & misericordiâ, sic nullum debet esse, momentum, quo eum præsentem non habeat in memoriâ.*

Idem ibid. l. de animâ c. 9. de instabilitate cordis humani pag. 1057.

Sed est nonnemo, qui conqueratur cum Bernardo, dicátque: *Nihil est in me corde meo fugacius; quod quotiens me deserit, & per pravas cogitationes diffluit, totiens Deum offendit. Cor meum, cor vanum, vagum & instabile, dum suo ducitur arbitrio, & divino caret consilio, in seipso non potest consistere, sed omni mobili mobilius per infinita distrahitur, & hàc atque illàc per innumera discurrit. Et dum per diversa requiem quærit, non invenit, sed in labore miserum, à requie vacuum manet: sibi non concordat, à se dissonat, à se resilit, voluntates alternat, consilia mutat: ædificat nova, destruit vetera, destructa reædificat, eadem iterum atque iterum alio & alio modo mutat & ordinat, quia vult, & non vult, & nunquam in eodem statu permanet.*

Iob. c. 14. v. 2.

Ergo cubiculum tuum intra, mentem erige, corpus deprime,

Chrys. to. 5. in Liturgiâ mihi pag. 1178.

& ora patem tuum in absondito: orationi junge meditationem; nam per orationem illuminatur meditatio, & in meditatione exardescit oratio. Quid enim homini prodest, si per meditationem, quæ agenda sunt, videat, nisi orationis auxilio, & Dei gratiâ ad ea obtinenda convalescat? Non autem rectè oras, si præter Deum aliquid quæras, quoniam in ipso sunt omnia. Ibi remedia vulnerum, ibi subsidia necessitatum, ibi denique quidquid accipere vel habere hominibus expedit, quidquid decet, quidquid oportet. Hæc priscorum Patrum monita sint. Sed omnia hæc unicâ Chrysostomi voculâ consignamus. Os illud aureum in Liturgiâ suâ populum attentionis commonefaciens, vocem hanc unicam pro veteri ritu proclamabat, *Attendamus.* Hostis orationem turbaturus vigilat, & nos dormimus? *Attendamus.*

CAPVT XIV.

Alia quinque monita prioribus connexa.

Iac. c. 4. vers. 8.

DIscipulus Domini Iacobus, modum precandi præcellentissimum suggerit his omnino verbis: *Appropinquate Deo, & appropinquabit vobis.* Sed sunt nonnulla, quæ nos remorentur. Homo deformis, quò speculo est vicinior, eò etiam est deformior. Speculum enim sine fuco verax suam cuique deformitatem aut formam liberrimè repræsentat. Ita nos deformitati nostræ malè metuimus, ne si Deo totius universi speculo propinquemus, tantò appareamus fœdiores, quantò sumus DEO propiores. Nec ignoramus, tantò evidentiorem esse indocti hominis imantiam, quantò is cum viro egregiè docto diutiùs agit: Ita homo ipsa infantia, tantò apparet stultior, quantò divinæ sapientiæ fit propinquior. Eam ob caussam Mathois abbas, Pelagio teste, dicere solebat: *Quantum homo Deo appropinquaverit, tantum se peccatorem videbit.*

Pellag. li. bello. 13. n. 28.

Isai. c. 6. v. 1. & 5.

Ideo Isaias vates cùm dixisset: *Vidi Dominum sedentem super solium excelsum.* Mox addidit: *Vir pollutus labiis ego sum.* Neque cameli hanc speculorum candidam reprehensionem ignorant, ideò aquas pellucidas ægerrimè ingrediuntur, ne aquæ limpida planities gibbam animalis deformitatem monstret: ita nos impuri Deum sanctitatis fontem refugimus.

Psal. 33. v. 6.

Sed contrà hortatur nos vates regius, & suaviter impellens: *Accedite*, inquit, *ad eum, & illuminamini: Et facies vestræ non confundentur.* Audete, & Deum prece supplici accedite; non solùm vos humaniter excipiet, sed & oculorum nebulas absterget. Solatio res erit & gaudio. Accedite, & illuminamini. Accedite, operæ non pœnitebit: Hoc speculum tantò vos formosiores faciet & lætiores, quantò habuerit viciniores.

Capite superiori exposuimus quatuor documenta, quæ impellant & urgeant, ut accedamus, & appropinquemus Deo. Nunc alia quinque prioribus connexa subjungemus.

Quinque alia monita quibus impelli-mur ad accedendum Deo.

§. II.

1. Monitū. Pſal. 118. v. 58.

MOnitum quintum. *Ardor sanctorum hominum orantium inspiciendus.* Evolve res gestas Divorum omnium, & in omnibus singulare orandi studium admiraberis. Quàm vigilans & serius in orando de seipso David enuntiat: *Deprecatus sum faciem tuam in toto corde meo.* Eorum qui ardenter precati sunt, catalogum hic texere, infinitæ sit operæ. Nos ignotiores nominabimus. Vir sanctus Isaac, tres dies, totidémque noctes continuis precibus exegit. Hunc virum beatus Gregorius laudans: *Quem*, inquit, *multi nostrûm noverunt.* Idem cum Isaaco fecit Sisinnius Abbas, qui triduum totum perpetuatis precibus occupavit: quo quidem tempore nunquam sedit. Beatus Reinerus, voluntario quidem se damnans carcere, quæ tamen animi salutem spectant cum iis, qui ad se ventitabant, sedulò tractabat; carnibus nunquam vescebatur, singulis diebus Veneris pane solo & aquâ inediam tolerabat, quovis dominico & festo die, cælesti pane refici volebat, loricam nudo pectori appressam assiduè gestabat, nunquam nisi asseri, aut nudæ humo indormiebat. Vir iste adeò rigidæ vitæ, quotidie trecenties toto corpore in terram projectus orabat. Obiit demum Osnaburgi, anno millesimo, ducentesimo trigesimo septimo, ubi annis viginti duobus latuit inclusus. Beatus Apollonius, Palladio & Ruffino testibus, in Thebaide quingentos Monachos velut Provincialis præses gubernavit. Hic vir centies interdiu & centies noctu, submissis semper genibus oravit. Arsenius omni Sabbato ad cadentem solis cursum, ad ejusdem reditum in oratione perstitit. Taceo alios innumeros, qui orando vim omnem diaboli eliserunt.

Greg. lib. 3. Dial. c. 14.

Ruffin. de quæſt. c. 7. Pallad. ſect. 52.

Narrat Ioannes Subdiaconus à Iuliano apostatâ Imperatore, cùm in Persas moveret, diabolum loco tabellarii in occidentem missum explorandis rebus. Verùm aliger hic nuntius decem diebus hæsit, & iter suum expedire nequiit. Moram precibus injecit Publius Monachus, qui, ut Christianis laborantibus subveniret, diebus noctibúsque decem pænè continuis clamavit ad Deum. Ita rediit ex Orco tabellarius, conatu irrito, effectu nullo: nec negavit importunissimis clamoribus nescio cujus homuncionis se impeditum. Huic Iulianus in reditu caput asserendum minatus est, ipse suum paullò pòst amisit.

Ioan. Subdiac. libel. 2. n. 2.

Ardens & constans orandi studium in Sanctis omnibus videre est. Hinc Chrysostomus liberè pronuntians: *Cùm*, inquit, *videro quempiam non amantem orandi studium, nec hujus rei fervidâ vehementique curâ teneri, continuò mihi palàm est, eum nihil egregiæ dotis in animo possidere. Rursus ubi quem conspexero, insatiabiliter adhærentem cultui divino, idque in summis damnis numerantem, si non continenter oraverit, conjecto talem omnis virtutis firmum esse meditatorem ac Dei templum.*

Chryſ. to. 1. de adoratione Deum, mihi pag. 588.

Quisquis non orat Deum, nec diurno colloquio cupit assiduè frui, is mortuus est, & vitâ carens, expersque sanæ mentis. Quemadmodum enim corpus hoc nostrum, si non adsit anima, profectò mortuum est ac fœtidum: sic anima nisi seipsam incitet ad orandum, mortua est, & graviter olens. Interioris hominis vita, oratio. Hanc ob caussam nemo sanctorum hominum fuit, qui non totum animum, omnémque curam ad orandi studium adjunxerit.

Anima ſine oratione mortua eſt, & ſine vit

Quo

Quot reges & reginæ, omnes Davidis psalmos cĕtum quinquaginta, aut preces canonicas quotidie recitârunt? Quot hominum Religiosorum nostro ævo sunt, qui præter statas orandi vices, quotidie quinque aut sex horas precationi tacitæ impendunt?

Oratio mĕtalis vulgo dicitur.

Stephanus Capunsachus quotidie quatuor horas post cenam orationi dedit. Consalvus Mederius quotidie sex horas soli cælestium rerum meditationi attribuit. Antonius Criminalis quotidie trigesies flexis genibus prolixiùs oravit. Sebastianus Barradius sacrum facturus duarum aut trium horarum præparationem præmisit. Eo enim precandi studio ferebatur, divinis colloquiis sic assuetus, ut in extremo senio quotidie duodecim horas orationi daret. Obiit Conimbricæ millesimo sexcentesimo decimo quinto. Franciscus Suarezius Granatensis, qui Theologiæ illustrandæ supra 20. bene grandia volumina conscripsit, quotidie se flagris castigavit, semel dumtaxat de die corpus alimoniâ refecit, non minùs orationi, quàm studiis deditus fuit, in omni dubio ad orationis subsidium confugit. Et inde fassus est, malle se omnium eorum, quæ unquam didicisset jacturam facere, quàm vel unicam consuetæ meditationis horam negligere. Obiit Olisiponæ anno millesimo, sexcentesimo decimo septimo.

Hist. Soc. Iesu l. 10. c. 78.

Eadem l. 12. n. 66.

Die 14. Aprilis.

Hi omnes Soc. Iesu sacerdotes fuerunt.

Quot millia, utriusque sexûs hodiéque complures horas in singulos dies precibus impendunt, quot millia pleramque diem orando agunt? cur nos alii ad hoc orandi studium tam segnes? si conaremur nôsse Deum, faceremus quod ipsi, & magno affectu colloquia divina frequentaremus. Quàm verè dixit beatus Ignatius: O Domine, utinam te nôssent homines! Qui Deum novit, Dei colloquium assiduè ambit.

§. II.

6. Monitũ. Monitum sextum. *Exemplum tot beatarum mentium imitandum.* Opus Angelorum Oratio, dicebant prisci: Daniel Hebræus vates subtilissimis oculis cælestem curiam contemplatus. *Millies millium*, inquit, *ministrabant ei, & decies millies centena millia assistebant ei.* Multò plures esse Angelos Cyrillus Hierosolymitanus asserit, sed eos numero illo designari, quem nostra intelligentia meliùs assequeretur. Igitur oraturus cogitet, & seipsum his talibus admoneat: Attende tibi, coram eo principe locuturus ades, quem tot centena millia, quem tot milliones Angelorum cingunt: cave linguâ tu bes, cavè mente excidas, aut aliena inseras sermoni. Heu quàm in hoc negotio cæci sumus, in ceteris oculatissimi!

Dan. c. 7. v. 10.

Cùm oramus cum quo loquamur attendendum;

Regem, obsecro, cogitemus, quem in amplissimo conclavi maxima virorum Nobilium, Baronum, Comitum corona cingit, & hîc unico loquendum. Fuerunt non pauci, quos lingua, quos animus & memoria defecit, quos tantæ nobilitatis majestas mutos & elingues reddidit. Et nos temerè ad colloquium cum Deo irruimus, nulla præparatio, vix ulla mentis compositio, reverentia exigua, attentio nulla: inter mille milliones Angelorum stamus, & tamen nec ad illos respicimus; nec ad eum, quem adoramus; & modò cum Deo loquimur, modò cum homine garrimus, desultoriâ animi levitate: sub oratione non tantùm non cogitationes, sed nec oculos cogitationibus minùs celeres continemus.

Quàm illi Oratorum optimi longè observantiores fuerunt tam Dei, quem adorabant, quàm Angelorum, quos ut Dei famulos spectabant. Solymæus rex David ad preces attentissimus: *In conspectu Angelorum*, inquit, *psallam tibi, & confitebor nomini tuo.* Sciens videri & observari me à tot centenis millibus vigilantissimorum oculorum: idcirco cùm velut in theatro agam tot oculis expositus, attentè & circumspectè agam. Si hæc oraturi præmeditaremur, à tot Angelis videri nos & audiri, & vel nostram attentionem laudari, vel oscitantiam nostram & mentem imcompositam vituperari, longè attentiùs precaremur.

Psal. 137. v. 1. & 2.

Ideo attentè & circumspectè agendum.

Ergo seipsum oraturus hortetur, & dicat: *In conspectu Angelorum psallam tibi, Deus meus: Confitebor tibi, Domine, in toto corde meo.* Vires meas omnes intendam, ut hoc, quod agendum est, rectè agam.

Psal 137. v. 2. & 1.

Claræallensis Abbas Bernardus, ad necessariam hanc attentionem provocans: *Omninò*, inquit, *oportet nos orationis tempore curiam cælestem intrare, illam utique curiam, in quâ rex regum stellato sedet solio, circumdante innumerabili & ineffabili Beatorum spirituum exercitu. Quantâ ergo cum reverentiâ, quanto timore, quantâ illuc humilitate accedere debet à palude suâ procedens & repens ranuncula vilis? Quàm tremebundus & supplex, quàm denique humilis & sollicitus, & toto intentus animo, majestati gloriæ in præsentiâ Angelorum, in concilio justorum & congregatione assistere poterit miser homuncio?* In cunctis igitur *actionibus nostris multâ opus est animi vigilantiâ, sed præcipuè in oratione. Nam licet horâ omni, & omni loco oculi Domini super nos speculentur, maximè tamen in oratione.* O verum Bernardi dictum, ô longè verissimum!

Bern. de modo orandi, mihi pag. 401.

In oratione multâ opus est animi vigilantiâ.

§. III.

7. Monitũ. Monitum septimum. *Doctrina & institutio Christi attendenda.* Nulla est actio humana, in quâ nos tam distinctè, articulatim, & accuratè doctor cælestis erudierit, atque in oratione. Docuit namque, quid orandum, & ubi orandum, & quomodo, & quo fine, quóve animo, quâ causâ orandum sit. Vt rectè dixerit Guilielmus Peraldus: *Noluit nos negligenter addiscere, quod voluit tam diligenter docere.*

Non est actio humana in quâ nos tã accuratè Deus erudierit atq; in oratione.

8. Monitũ. Monitum octavum. *Rectè orare Christus non tantùm docuit verbo, sed monstravit exemplo.* Nam forsitan quæras, cur Christus oraverit? Id factum asserimus ad institutionem nostram. Ludimagister, cùm inter puerulos, quos docet, litteras appellat, & colligit, non ex ignorantiâ id facit, sed ut instruat ignorantes. Ita feciſſe Christum, aureus Ecclesiastes Chrysostomus affirmans: *Sicut enim*, inquit, *cùm magistrum audis balbutientem, & singulas litteras dicentem, non cum dicis ignorare, cùm interrogat, ubi sit illa vel illa littera; scis, quia non ignorans interrogat, sed discipulum volens instituere: sic & Christus non opus habens oratione orabat, sed te volens instituere, ut assiduus sis ad orationem, ut sine prætermissione, ut sobriè, ut multâ cum vigilantiâ ores.* Frequentissimam fuisse Christi orationem liber Evangeliorum testatur. Matthæus: *Dimissâ*, inquit, *turbâ ascendit in montem solus orare.* Et Marcus: *Diluculo valde surgens*, inquit, *egressus abiit in desertum locum, ibique orabat.* Lucas verò crebrimas Christi orationes his verbis describit: *Exiit in montem orare, & erat pernoctãs in oratione Dei. Et factu est, dum oraret, species vultus ejus altera. Et factum est, cùm esset in quodam loco orans, ut cessavit, dixit unus ex discipulis ejus ad eum. Domine, doce nos orare, sicut docuit & Ioannes discipulos suos.* De oratione porrò inter oliveta: *Factus*, inquit, *in agoniâ, prolixiùs orabat.* Nec orare desiit in ipsâ cruce Servator. Vix enim cruentam hanc trabem ascenderat, & statim auditus est dicere: *Pater, dimitte illis, non enim sciunt, quid faciunt.* Toto insuper tenebrarum tempore per tres horas, dum siluit, orâsse credendus est. En optimum ludimagistrum litteras colligentem, & preces adhibentem non sui, sed nostri causâ. Ideò nos compellans: *Exemplum*, ait, *dedi vobis, ut, quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis.*

Chrys. to. 4. in epist. ad Heb. hom. 12. mihi pag. 1626.

Matt. c. 14. v. 23.

Marc. c. 1. v. 35.

Luc. c. 6. v. 12. & c. 9. v. 29. & c. 11. v. 1.

Idem c. 22. v. 43.

Idem c. 23. v. 34.

Ioan. c. 13. vers. 15.

Monitum nonum. *Christi præceptum observandum.* Nõ instructionem solam, nec solum exemplum à Domino habemus, sed & præceptum: *Petite, quærite, pulsate, Intra in cubiculum tuum.* Quo jussu propriè cogitationum

9. Monitũ.

Matth. c. 7. v. 7. & c. 6. v. 6.

num evagationem prohibuit. Sed & illud aperti imperii est: *Quoniam oportet semper orare, & non deficere.* Idem vociferantur Apostoli. Petrus clamat: *Vigilate in orationibus.* Clamat & Paulus: *Orationi instate, vigilantes in eâ.* Quocirca si nos aliud non impellat, hoc abundè satis est: Christus jubet, Præceptum Domini est. Ergo *appropinquate Deo, & appropinquabit vobis.* Quod & David inclamans: *Accedite,* inquit, *ad eum, & illuminamini.* Diversi sunt modi, quibus ad Deum liceat accedere; optimus est per orationem. Hoc solùm observemus probè, quò sermo hic omnis tendit, ne ritu Iudæorum Deo appropinquemus. Contrà quos Isaias gravissimè conquestus: *Appropinquat populus iste ore suo,* inquit, *cor autem eorum longè est à me.* Appropinquemus non ore tantùm, sed & corde. Nunc appropinquemus nos illi, & ille nobis appropinquabit in fine vitæ, cùm omnes deserent.

Luc. c. 18. v. 1. 1. Pet. c. 4. v. 7. Coloss. c. 4. v. 2. Iac. c. 4. v. 8. Psal. 33. v. 6. Optimus modus Deo accedendi, est oratio. *Isa. c. 29. vers. 13.*

CAPUT XV.

Orationis exauditæ signa.

BAsilius Macedo Imperator Orientis variè laudatus in priscâ historiâ, hominem in aulâ suâ pernicioſissimum fovit, Theodorum Santabarenum assentatorem & susurronem nequissimum. Persuaserat is Imperatori Basilio vitæ illius insidias strui à filio. Mox Pater, uti præceps est in nefas suspicio, filium in vincula rapi, & in carcerem detrudi jussit. Solenniori die Senatores aliósque urbis Principes ad epulum vocavit. In triclinio non procul ab imperatoriâ mensâ garrulus in caveâ psittacus humanas voces imitabatur. Eo ipso tempore facunda hæc avis verba quædam crebriùs ab aulico famulitio audita, hunc in modum efferebat: Heu domine Leo, heu domine Leo. Ingemuit non nemo ad has voces, & è Senatoribus præsertim aliqui dum tacitis suspiriis fortunæ vices expenderent, cibo potúque abstinebant. Observavit Imperator quosdam suorum convivarum mœstiores altis cogitationibus attineri: Et amici, ait, quid silentio tam mœsto temeramus mensam? Cui è primarjis unus: Augustissime Imperator, inquit, diserta hæc volucris ejus rei nos monet, quæ lacrymas etiam excire possit. Submississimè rogamus, liceat cũ venià precari quidpiam. Dicite, ait Imperator, quid petitionis est? Hìc modestissimè Senator: Nos, inquit, mensam saliarem ac regiam accumbimus, interim Majestatis tuæ filius procul omnibus gaudiis luget in carcere. Si quid peccatum est, credimus jam expiatum. Vel hæc avis sorti Leonis indolet, quantò magis nos ejus miseratione tangi convenit. Quapropter, si licet, libertatem regio juveni rogamus. Motus pater oratione tam opportunâ: Eximatur, inquit, vinculis Leo: mox aulici catervatim convolant ad carcerem. Leo filius vinculis exemptus, tonsus, lotus, in regium juvenem vestitus, ad Cæsaream mẽsam productus est. Magna utrimque gratulatio, magnum gaudium. Hoc conviuis & Imperatori psittacus, orator non exspectatus, persuasit: hunc captivum liberavit psittacus: à psittaco fuit hæc suada eloquentia.

Nos sæpe psittaci sumus, dies totos garrimus, tanquam si nobilissimum linguę artificium sit quamplurima loqui. An verò tales oratores simus, qui dictione possumus persuadere, & Deum in preces flectere, id plurimum habet dubii. Quis enim verò id sciat, dixerit quispiam, Deum precibus ac votis annuisse? Eò igitur orationem deduximus ut certis de oratione quæstionibus respondeamus. Sit igitur prima quæstio, quę signa sint orationis exauditæ & ratæ. Ea igitur ordine subjungemus.

§. I.

SIgnum primùm: *Fiducia ingens in Deum.* Ad istam accedunt nos omnia divinorum voluminum oracula. Iure merito, Fiducia est fundamentum vitæ cum virtute agendæ. De Fiducià in oratione singulariter erigendâ Cassianus dilucidè: *Pro certo,* inquit, *non exaudiendum se supplicans quisque non dubitet, cùm se dubitaverit exaudiri. Tantum quis exaudiri meretur, quantum crediderit Deum præstare posse. Promissum Domini stat irrevocabile:* Propterea dico vobis, omnia, quæcumque orantes petitis, credite, quia accipietis, & fiet vobis. *Discipulus Domini Iacobus explicatissimè:* Qui enim, *inquit,* hæsitat, non æstimet homo ille, quòd accipiat aliquid à Domino. Subjungit Cassianus: *Retractare nos convenit illam beati Ioannis Evangelistæ sententiam, quâ ambiguitas hujus quæstionis evidenter absolvitur.* Hæc est, *inquit,* fiducia, quam habemus ad Deum, quia quidquid petierimus secundùm voluntatem ejus, audit nos. *Ergo super his plenam nos & indubitabilem jussit exauditionis habere fiduciam.*

Signa orationis exauditæ. 1. Signum. *Cassian. collat. 9. c. 34. med. Marc. c. 11. v. 24. Iac. c. 1. v. 6. & 7. 1. Ioan. c. 5. v. 14.*

Lacedæmonii vulgatissimo verbo dicere solebant; Armatâ manu invocanda est fortuna. Qui orat, sic Deo fidat, ut veluti cogat. Quod astruens Gregorius: *Vult,* ait, *Deus rogari, vult cogi, vult quâdam importunitate vinci. Adeamus ergo,* quod Paulus hortatur, *cum fiduciâ ad thronum gratiæ, ut misericordiam consequamur, & gratiam inveniamus in auxilio opportuno.*

Greg. in 6. psal. pœnit. Hebr. c. 4. v. 16.

Signum alterum est, *Duorum aut plurium in oratione consensus.* Neque hìc desunt pollicitationes Dominicæ, quæ orationem ex consensu comprecantium erigunt his verbis: *Iterum dico vobis, quia si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re, quamcunque petierint, fiet illis à patre meo, qui in cælis est.* Successu carere ac vanescere non potest hæc promissio. Terra priùs cælúmque in antiquum chaos revolventur, quàm in nihilum recidant hæc verba: Domini voces novimus: *Cælum & terra transibunt; verba autem mea non præteribunt.* Maximarum virium est oratio, cùm idem petitur à pluribus, quemadmodum execratio plurium est valde penetrabile jaculum.

2. Signum. *Matt. c. 18. v. 19. Matt. c. 24. v. 35.*

Signum tertium, *Fidei plenitudo.* Quoties in sacris Evangeliis illud ingeminatur *Fiat tibi secundùm fidem tuam?* Marcus de Christo servatore verbum è verbo sic expressit: *Et egressus inde abiit, in patriam suam, & non poterat ibi virtutem ullam facere: nisi paucos infirmos impositis manibus curavit, & mirabatur.* Quid hoc rei, obsecro? An non Christus Dominus ubique rerum omnium præpotens est? quis thaumaturgam ipsius dexteram repressit? Et quo tandem modo id ipsemet mirabatur? an non eventum hunc sequiorem præsciit? imò verò maximè. Exemplo rem monstramus. Chirurgus aut Medicus ab arte præcellentissimus in urbem vicinam evocatur. Hic ille paratissimus est artis suæ specimina edere, sed cùm pœnè nihil succedat, ipsemet miratur, & ait: Num ego fascinatus sum? Ita ferè Christus est, miratus, quod nobis, inquit Augustinus, mirandum significavit. Firmiter autem decreverat, nulla ille signa facere, quod Nazianzenus asserit. Hinc nostro loquẽdi more dicitur: *Non poterat.* Quod enim sanctè statuimus non facere, id rectè dicimur facere non posse. Horum autem omnium causa fuit incredulitas civium in Christi patriâ. Quod expresè dixit Marcus: *Propter incredulitatem eorum.* Credulitatis penuria non sinit Deum esse munificum. Vbi Fides deficit, illic oratio perit.

3. Signum. *Marc. c. 6. v. 1. & 5.* Christus in Iudæâ nulla prodigia fecit. *Aug. lib. 1. super Gen. Nazianz. orat. 9. de Theodor.* Propter incredulitatem Iudæorum.

§. II.

SIgnum quartum: *Perseverans importunitas.* Sæpius monemur: *Petite, quærite, pulsate.* Ad instantissimam orationem, inquit Augustinus, hæc omnia referuntur. Petite: Non conceditur, quod petitis? Quærite: Negatur

4. Signum. *Matth. c. 7. vers. 7.*

gatur, quod quæritis? Pulsate. Deus vult cogi. Hâc piâ importunitate plurimum delectatur Deus. Et ne quisquam crederet, frustra voces in aërem spargi precando, illi exhortationi, quâ petere, quærere, pulsare jubemur, additum est: *Omnis, qui petit, accipit, & omnis, qui quærit, invenit; & omni pulsanti aperitur.* Pulsate igitur, pulsate, pulsate. Quamdiu tandem? Num tribus, num sex aut decem annis? Quis tandem pulset? ne, obsecro, molestum sit vel viginti, vel quinquaginta, vel centum annis pulsare, *quoniam oportet semper orare & non deficere.* Petiit, quæsiit, pulsavit Chananæa. *Hinc Christus subirò*, uti Chrysostomus loquitur, *in illius laudes erumpit: ô mulier! Propterea, inquit, laudo constantiam ejus, laudo fidem; quia injuriata permansit, & ratione extorsit. Si enim ab initio dimisissem illam, nec illa paulatim erudita fuisset, nec tu virtutem animi ejus, nec latens eam fidei thesaurum scisses: & ideò sustendi donationem, ut tu agnosceres fidem. O mulier. Deus dicit, ô mulier! Audiant hæc*, inquit Chrysostomus, *qui jactant, & orant, & fastidiosè precantur. Quando dico charissimi, roga Deum, obsecra eum, famulare illi, dicis: Rogavi semel, secundo, & tertio, & decies, & vigesties, & quidnam accepi? Ne recedas, quotiscunque accipias finis postulati acceptio deprecantis est. Tunc cessa, quando acceperis, imò magis nec tunc cesses, sed tunc persevera, agens gratias pro eo, quod accepisti, ut perseveret tibi quod acceperis.*

Eandem hanc orandi desidiam Bernardus perstringens: *Sed dicis, inquit, ego quotidie oro, & orationis meæ nullum fructum video, sed sicut accedo ad illam, sic & redeo: nemo mihi respondet, nemo loquitur, nemo quippiam donat, sed incassum laborare videor. Sic loquitur humana stultitia, non attendens quid veritas promittat: Amen dico vobis, quia quidquid orantes petitis, credite, quia accipietis, & fiet vobis. Unum ergo è duobus indubitanter sperare debemus, quoniam aut dabit nobis, quod petimus, aut quod noverit esse utilius.* Beatus Ægidius dicere solebat: Arbor, cùm plantata est, non protinus grandescit, aut fructus parit: Nec oratio supervacanea est, quia non illicò fecunda. Nimiùm deses est, qui orare incipit, & ante finem finit.

Quintum signum, *Eleemosyna.* Siracides clarissimè: *Conclude, inquit, eleemosynam in sinu pauperis, & pro te exorabit ab omni malo.* Tam clarum & abundans hoc testimonium est, ut confirmatione ampliori non egeat. Siracides eleemosynâ ita proponit spectandam: Stat illa ante Dei solium, quamprimum autem viderit in angustiis te constitutum, mox accurrit, & ad Deum supplex accedit, orat, & exorat, rogat & impetrat, suumque clientem ab omni tam culpæ, quàm pœnæ malo liberat. Nempe hoc Deo ingenium est, ut cùm supplicem cernit eleemosynam, continuò in preces facilis, vinci sese patiatur. Vult autem Siracides eleemosynam in sinu & in corde pauperis abscondi. Tantò tutiùs erogamus stipem, quantò occultius. Ita sinu conditur eleemosyna. Tunc verò in corde reponitur, cùm egeno grata & ad ferendam opem est opportuna. Nam subinde tale quid egenis damus, quo illi se nihil adjutos sentiunt. In corde igitur, quod porrigis, repone; da ut prosis, da ut subleves egentem.

Hoc autem Siracidæ promisso non cum designari credimus, qui semel iterúmque stipis aliquid projectat, sed qui, ut sacer Psaltes loquitur, *intelligit super egenum & pauperem*, qui pauperum clamores & auribus & animo admittit, qui miseratione tangitur, qui ærumnas illorum veluti sentit, qui facultatum suarum non supremam tantùm superficiem radit, sed altiùs immergit manus, qui se in eandem paupertinam tribum posse redigi credit, qui fenoris amplissimi securus ac certus sua tribuit. En hominem, qui super egenum intelligit. Dixerit, hic talis cum Psalte regio: *In die tribulationis meæ Deum exquisivi manibus meis.* Deum invenire cupis? manibus quære argenteis. Sed argenteas manus has non mimis, non adulatoribus, non parasitis, non ludionibus, non combibonibus, non susurronibus, non nugivendis, non histrionibus injice; Deum iis exquire, Dei amicos pauperes his invade, & medius hostium tutissimus ibis, medius procellarum illæsus stabis. Efficacissimè orat, qui argenteas manus, quibus pauperes erexit, cælo attollit.

§. III.

SExtum signum, *Vehemens afflictio.* Ille ipse, qui afflictiones immittit, simul etiam præcipit atque promittit: *Invoca me in die tribulationis, & eruam te.* Ad suppetias ferendas paratissimum se offert Deus, non auditurus solùm preces, sed levaturus etiam calamitates nostras. Me, inquit, invoca, cùm ægrè tibi est: tunc tu plures orandi, ego plures juvandi, causas habeo. Tu modò me roga, exaudieris; securum te reddo. Gratulatus sibi rex David: *Ad Dominum, inquit, cùm tribularer clamavi, & exaudivit me.* Promissis Deus liberalissimè stetit. In die tribulationis invocavi eum, & eruit me.

Solent nautæ in naviculis piscatoriis, cùm remi stridunt, & arctiùs se ligatos veluti querantur, aquas affundere; ita Deus, qui ad clavum sedet, tenétque gubernaculum, cùm nos sub manu ejus positi miserias nostras querimur, solatii & auxilii fontem affundit, prout est pollicitus: *Et ego reficiam vos.* Tunc plerumque vicinior est Deus, cùm afflictior homo. Nulli se negat Deus vocanti se. Ne cadamus animo: Nobiscum est Deus, non inter undas solùm, sed etiam inter procellas & fluctus: *Cum ipso sum, inquit, in tribulatione; eripiam eum, & glorificabo eum.*

Septimum signum, *Emendatio vitæ.* Hoc Isaias vates affirmans: *Tunc, inquit, clamabis, & Dominus exaudiet; clamabis, & dicet: Ecce adsum.* Quærere liceat ex Isaiâ: Nunc illud quando veniet? quando quidem facta est stipulatio: Tunc invocabis, tunc exaudiet. Tunc illud quando sperandum? Respondet vates: *Si abstuleris de medio tui catenam, & desieris extendere digitum, & loqui quod non prodest.* Tria hîc Deus desiderat in iis, à quibus rogatur. Primum est: *Aufer de medio tui catenam.* Heu quoties catenas nectimus non annulorum aureorum, sed criminum & delictorum noxam noxa excipit, scelus scelere finitur: his annulis novos quotidie annulos inserimus, nequitiam nequitiis augemus, libido sequitur è libidine, catenatum fabricamus scelus. Aufer catenam hanc, rumpe hos annulos, cessa tandem peccata cumulare peccatis, & aures Numinis habebit oratio tua faventissimas. *Tunc invocabis, & Dominus exaudiet.* Alterum est: *Desine digitum extendere.* Qui minantur & rixantur extensis digitis loquuntur. Hæc discordiæ signa sunt, & animi ad vindictam accensi. At scimus hos gestus non convenire supplici. Minas igitur rixásque tolle, & animum indulge paci; contice minaces digitos. *Tunc invocabis, & Dominus exaudiet.* Tertium: *Desine loqui, quod non prodest.* Vos, ut sermo tuus momenti sit, & ponderis apud Deum? sermones vanos, inutiles, impuros, obtrectatorios, lascivos tolle; moderare verbis, linguæ impera, desine quod non prodest loqui. *Tunc invocabis, & Dominus exaudiet.*

Hæc ad Cassiani mentem indicia sunt orationis à Deo exaudiendæ. Non omittendum hîc, ipsam orationem nostram esse mercedem & salutem nostram, præsénsque precationis præmium; tametsi, quod poscit, non obtineat. Nam, ut Iansenius annotat, oratio amorem divinum auget. Quando carbonibus vivis thus injicitur, optimus odor spargitur: Eodem prorsus modo: cùm amoris prunæ orationis thus accipiunt, Deo gratissimus odor incenditur. Et quemadmodum respiratio non solùm est causa, sed & signum vitæ, ita etiam oratio vitalis & planè salutaris est, etiamsi non impetret, quod postulat. Proinde Psaltes optimè

Ibid. v. 8.

Luc. c. 18. v. 1.

Chrys. to. 2. de variis locis in Matt. hom. 27. ante finem mihi pag. 1038. In oratione perseverandum, quia finis postulati est acceptio deprecantis.

Bern. lib. de Animâ c. 6. mihi pag. 1056.

5. Signum. Eccli. c. 29. v. 15.

Quis dignus est Siracidæ promisso. Psal. 40. v. 2.

Psal. 76. v. 3.

6. Signum. Psal. 49. v. 15.

Psal. 119. v. 1.

Matt. c. 11. v. 28.

Psal. 90. v. 15.

7. Signum. Isai. c. 58. v. 9.

Ibidem.

Deus tria desiderat à quibus rogatur.

1. Aufer de medio tui catenam.

2. Desine digitum extendere.

3. Desine loqui quod non prodest.

Psal. 118. v. 131. Clem. Alex. l. 7. Strom. optimè dixit: *Os meum aperui, & attraxi spiritum.* Ad rem Clemens Alexandrinus: *Plus*, inquit, *paratus esse debet homo petere, etiamsi non impetret, quàm impetrare non petendo; adeò optimum bonum est ipsa petitio.* Hoc ipsum certè Dei donum est os aperire, spiritum attrahere, cor & pulmones recreare: Sic orare tantùm, est inter humanas miserias suaviter respirare. Quod tam egregiè quàm clarè Ambrosius exprimens: *Petitio*, inquit, *Deo facta, magnus est fructus, & qui petit à Deo, dum petit, accipit; ipsum namque petere est accipere.* *Ambr. ep. 84. ad Demetrium.*

RHETORICA CÆLESTIS.

LIBER SECVNDVS.

CAPVT I.

Orationis assiduitas docetur.

Chrys. to. 2. hom. 17. de muliere Chananeâ mihi pag. 1039. AVREVS Orator Chrysostomus, ut orationis assiduitatem altiùs infigeret animo & nusquam non orandum doceret: *Non quæritur locus*, inquit, *sed devotio mentis. Hieremias in lacu cœni demersus erat, fideliter orans Deum promeruit. Daniel in lacum leonum missus ad se Dei misericordiam inclinavit. Tres pueri in camino ardenti erant, & Deo placuerunt. Latro in cruce erat, & exauditus est, fideliter postulando. Crux ei nihil obfuit, sed confessio fidei paradisum aperuit. Iob in sterquilinio erat, & per patientiam suam Deum propitiabatur. Quòd si in judiciis assistis, ora. Et cùm irascitur rex, ora. Quòd si & in balneis es, ora: ubicunque fueris, ora. Ubique Deus præsens est, semper in proximo est; non clauditur loco, invocanti dicit. Adsum. Quòd si hominem rogare volueris, interrogas, quid facit? Et dicitur tibi, prandet, cenat, dormit, cum amicis agit, non vacat: aut certè minister respondere tibi non dignabitur. Ad Deum autem nihil horum opus est, sed ubicunque fueris, aut invocaveris, audit te.*

Bern. l. 2. de animâ c. 6. mihi pag. 1056. Hæc Bernardus confirmans: *Ubicunque fueris*, inquit, *intra temetipsum ora. Si longè fueris ab oratorio, noli quærere locum, quoniam tu ipse locus es. Si fueris in lecto, aut in alio loco, ora: & ibi est templum. Igitur quocunque loco consistis, cogitationes tuas jacta in Deum, & aliquid salutare in animo tuo versa. Omnis siquidem locus ad meditandum congruus est.* Addit quod auro & gemmis scribendum. *Omne tempus, quo de Deo non cogitas, hoc te computes perdidisse.*

Luc. c. 18. vers. 1. Vult Deus à cogitationibus nostris nunquam excludi, vult iis assiduè interesse. Eò spectat præceptum illud: *Quoniam oportet semper orare.* Quâ de re jam explicatiùs agendum.

§. I.

Quæ filiorum Dei nota. DEum assiduè cogitare, vera filiorum Dei nota est. Aquilæ, quod mireris, pullos suos orare docent. Nam eos unguibus ad solem suspendunt, veluti monstrarent, quem venerari deberent. Quod si fixis immotisque oculis solares radios admittunt, in nido servant, & alunt: sin autem lumine tremulo velut oratione minùs attentâ palpitent, ejiciunt nido, tanquam non suos: perinde si Aquila parens dicat: Mei non degenerant, sed acie immotâ solem adorant. Hinc prisci, cùm istud Aquilarum examen pingerent, adscribere solebant hæc verba. *Sic credo.* Quasi mater pullo dicat: Video quidem rostrum & pennas, unges & colorem meo non dissimilem, sed tamen jam primùm credo te Aquilæ filium esse, cùm acie fixâ salutas solem. Haud aliter & nos, DEI filios esse illos judicamus, qui oculos pænè immotos in æternum solem defigunt, qui Deum assiduè cogitant. Amans in re amatâ oculos tantò fixiùs collocat, quantò plus amat. Nil certius: quò Deum plus amamus, hoc Deum sæpius cogitamus. Vbi thesaurus est, ibi & cor est. Vis scire, quid ames? Attende tantùm, quid frequenter cogites. Nota filiorum Dei est, Deum assiduè cogitare.

Hoc autem beneficiorum memoria postulat. Deus non omnibus tantùm horis, sed singulis horæ punctis in nos beneficus est, nos saltem semel benefactorem hunc cogitemus quavis horâ, quæ compluria punctorum millia comprehendit. Verissimè dixit Bernardus: † *Sicut nullum est momentum, quo homo non utatur, vel fruatur Dei bonitate & misericordiâ, sic nullum debet esse momentum, quo eum præsentem non habeat in memoriâ.* *Iudæi olim horam diviserunt in 1080. minuta.* † *Bern. loco supra laudato.*

De Aquilâ in altricem suam longè gratissimâ hæc memorat naturæ encomiastes. *Plin. l. 10. Nat. hist. c. 5.*

In urbe Thraciæ Sesto eximia fuit virgo, non avorum tantùm & auri, sed formæ simul ac pudicitiæ dives. Hæc fortè prædam sequebatur per nemora venatrix, cursu feras agitans & arcu. His studiis incensa in montis prærupti vertice geminas invenit Aquilas, sed etiamnum implumes, & multâ siti languidas. Ex his alteram, quæ præstantiorem spondebat indolem, è nido subduxit, & in pedes se conjecit, hanc avem filiolæ instar educatura. Iámque ales regia ad dominæ nutus adeò assueverat, ut captam subitò de prædam ex unguibus dimitteret, & ad virginis manum blanda revolaret. At nutrix virgo cum alite suâ veluti verba miscens, & attactu mulcens, quàdoque diu collusérat.

Sed tandem morbus suam aliti altricem eripuit. Febrire cœpit virgo, & affigi lecto. Omnem oris elegantiam vis morbi abstulit. Hîc Aquila industriâ incredibili velut famula lecto assidere, & tantùm non poscere quid vellet, quid imperaret. Subinde lecto exiliens in ventum evolavit, seu fortè perdix, seu turdus, seu cothurnix, seu palumbus occurreret. Quidquid venatu assecuta est ad dominæ lectulum apportavit, & prædam unguibus tenens monstravit, tanquam si quæreret, num placeret quod attulisset? Ita convictûs sui pretium & impensam fidelissimè rependit. Interea febris humorem omnem virgineis venis emulserat, jámque mors vicina & avi & altrici diem supremam indixerat. Hinc avis pœnè magis ægrota, non jam ampliùs evolare, domi latere, & modò grabato incubare, modò gremio sedere, nunc dominæ caput circumvolare, nunc labris oscula propinare, nunc alto silentio mœroris non obscura signa edere, nunc questus ferali murmure ingeminare, & mœrentibus amicis augere luctum, jam etiam cibum rejicere, & somnum spernere. Vt verò ales misera suam altricem jam mortuam vidit, vitam pariter exosa pectus rostro fodere, & vulneri ungues imprimere: perinde si mortis moras increparet. Cùm verò funus prodiret domo

mo, Aquila quamvis vulnerata feretrum altricis fideliſſimo comitatu ſecuta eſt. Vix autem cadaver in rogo ardere cœperat, mox ales regia in medias ſe flammas præcipitavit. Nitebatur quidem ſacerdos fuſtem objicere, & avem generoſiſſimam aſpellere, ſed fruſtrà. Nam ultrò vi omni neglectâ, eodem altricis ac dominæ rogo, avis gratiſsima conflagrare voluit.

§. II.

PAuſemus hîc nonnihil Lector, & ſi quid à priore libro tædii conceptum eſt, hilari metro diſcutiamus. Quod de reginâ volucrum diximus proſâ, id etiam vorsâ cantemus.

Saluſtius hora, die 5.

Littore Threïcio, rapidis quæ barbara tellus
Fluctibus alluitur, queis nomen & oſſa reliquit
Occumbens tua Phryxe ſoror, nec diſſita longè,
Vnde ſuo liquidas nudo monſtrare Leandro
Dum parat Hero vias, turri ſublimis ab altâ
Funeream accendit Cyprio pro lumine tædam:
Dives avum, dives formæ, dives & auri
Virgo fuit, nulli laudum ceſſura ſuarum
Hero, ſed intacto longè victura pudore.
Namque cupidineas inviêto corde ſagittas
Arcebat, nullis Veneris penetrabilis armis.
Fortè ſequebatur nemoroſa per avia prædam
Venatrix, curſúque feras agitabat, & arcu:
Cùm ſuper aërii ſaxoſo culmine montis,
Vnde gravis longè ſpectantibus imminet horror,
In nido geminas Aquilas implumibus alis
Repperit adverſo tentantes lumina Phœbo:
Horrebant teneris cervix & brachia pinnis,
Arebant fauces jam dudum, & hiantia prædam
Guttura poſcebant, mater dum pabula ferret,
Aut ſaniem, aut laceri fibras & membra columbi.
Ex his præſtantis quæ viſa eſt indolis unam
Accepit gremio, jugà mox & ſaxa reliquit
Virgo metu, celeres pedibus timor addidit alas.
Non aliter magnum qui clam paſtore juvencum
Occidit lupus, ac pavitans, humilique ſequentes
Auſcultat poſt terga canes, & conſulti auras.
Jámque adeo ad nutus aſſueverat ales heriles,
Vt prædam interdum pedibus dimitteret uncis,
Ambirétque manum dominæ revocantis, at illa
Blanditias & verba refert, molliique remulcens
Attactu, colludit avi quæ charior una
Eſt oculis, eſt una genis, eſt una capillis.
Heu lætis quàm vana fides, quibus aſpera fati
Vis luctus pariter clavo confixit aheno!
Ecce datura duas uno de vulnere mortes
Virginis egregios febris depaſcitur artus,
Et carptim nitidum formæ populatur honorem:
Puniceum decus oris abit, nativáque languent
Lilia, vernantis frontis flos decolor aret:
Vnus utrique modus, geminoque tumentibus æſtu
Horreſcunt tremulæ circum præcordia fibræ,
Ac ſic parca ambas neſſet de ſtamine vitas:
Sæpe feram contra tabem luctata volucris
Exilit è thalamo, dominæ miſerata dolores,
Et prædam tenero quæ ſors placitura palato
Per cælum venatur agens, ſeu fortè cothurnix
Occurrat, ſeu turdus edax, aut cereaperdix.
Apportat quodcunque datum eſt, alimenta rependens
Altrici, dederat quæ pabula veſca priuſquam
Enìti, & vacuo poſſet ſe credere cælo,
Prædatrixque ſequi valles, & montibus altis
Attonitas avium turmas agitare volando.
Jámque adeò humorem venis emulſerat ominem
Febris, & egelidis viduaverat oſſa medullis;
Et jam virgineo fera mors in corpore regnans
Indicebat avi ſupremæ fata diei.
Jam lepus impavidos Seſti prope mœnia curſus
A *Exercet, jam falco rapax impunè propinquat*
Turribus, accipitérque metu ſecurus ab omni
Errat, nec notos Aquilæ reminiſcitur ungues:
Nam deſes latet illa domi, dominæque grabato
Incubat, & lentas moriendo protrahit horas.
An animæ poſt fata ſuæ ſupereſſet, & auras
Duceret ereptâ crudeli funere vitâ?
Nunc corpus dominæ plauſis circumvolat alis,
Nunc ſedet in gremio, labris nunc oſcula figit
Dulcia, nunc triſtes ferali murmure queſtus
Integrat, & luctum mœrentibus auget amicis.
Errabat virgo Stygiis jam frigida ripis,
Jámque ter Herculeas ſuperârat Phœbe columnas,
Cùm lacrymis humecta, cibos blandúmque ſoporem
Spernit avis, tantùm juvat indulgere dolori
Quærentem miſeras moriendo abrumpere curas.
Vt verò agnoſcit nimium ſua fata morari,
B *Irarum fluctus ſubitò furiata dolore*
Præcipitat, pectúſque fero fodit impia roſtro,
Atque iterans duros pulmonibus imprimit ungues,
Increpitans ſeram tam crebro è vulnere mortem.
Interea ante fores ingens in veſtibus atris
Agmen adeſt, manibus tædas, luctúmque ſub imo
Corde ferens, largóque humectans flumine vultum:
Supponunt humeros oneri, ſubeúntque volentes
Exuvias animi ſuperûm jam templa tenentis:
Fit clamor, longiſque tremunt ululatibus auræ,
Impoſuêre rogo corpus, quòd pone ſequuta eſt
Ales membra trahens rubro ſtillantia tabo, ut
Vna eademque duo colloneſtet funera pompa.
Vix bene virgineum corpus libaverat igni
Mulciber, & piceum glomerârat in aëra ſumum,
Cùm ſubitò ruit in medium, ſeſéque cruentam
Injecit moritura pyræ, letúmque petivit:
Quamvis objecto nequidquam fuſte ſacerdos
C *Pelleret, aſt ultro grato ſe miſcuit igni,*
Inque ſinu dominæ cantum meditata quievit.
Fœlices animæ veſtro ſine fine ſepulchro
Manna fluat, cælúmque irroret hymettia mella;
Vos lauri virides, vos myrthea protegat umbra:
Æternùm durate, meis durate camœnis.

§. III.

HIc alitis in altricem ſuam tam gratus fuit animus. Mirabilis Deus in ſanctis ſuis, ſed non minùs mirabilis in volatilibus ſuis. Quid agimus, mortales, ſi beneficiorum divinorum minùs memores, minùs grati ceteris animantibus ſumus? Non eſt momentum, quo nobis non benefaciat Deus, non ſit igitur momentum, quo nos non ſimus memores Dei. Illud Bernardi aſſiduè inculcandum; *Omne tempus, quo de Deo non cogitas, hoc te computes perdidiſſe.* Loco citato.

Vt autem tantò frequentiùs & magis aſſiduè Deum
D cogitemus, ſciamus nil Deo jucundius eſſe (ſic loquar) quàm ſuum cum humano corde permutare. Hanc facere argentariam ſolet Deus, quandocumque aptum huic rei hominem habet. Ideò ipſe veluti ditiſſimus trapezita & argentarius: *Præbe*, inquit, *fili mi, cor tuum mihi.* Cui filius forſan dixerit: Mi amantiſsime Pater, ſine corde non poſſum vivere. Et nôſti quàm ſeriò præceperis, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex totâ animâ tuâ.* Quî hoc faciam, ſi cor non habeam? urget nihilominus divinus Pater: *Præbe, fili mi, cor tuum mihi.* Et ne corde careas, permutemus; ego tuum, tu meum accipe. Prov. c. 23. q. 26. Matt. c. 22. v. 37.

Reverà Deus nobiſcum ſic agit humaniſsimè. Iuſſerat olim, quod Daniel teſtatur, in Rege Nabuchodonoſore ſic corda mutari: *Cor ejus ab humano commutetur, & cor feræ detur ei.* Hoc ipſum in Saule factum teſtantur facti regii: *Immutavit ei Deus cor aliud.* Dan. c. 4. v. 13. 1. Reg. c. 10. v. 9.

Hæc autem divini & humani cordis permutatio, tunc

tunc reverâ legitimè fit, cùm homo suam omnem memoriam sic affigit Deo, ut pænè jugiter Deum cogitet. Ita homini cor aliud inseritur, cor vanum auferatur. Dixerat psaltes: *Cor eorum vanum est.* Hoc vano corde ablato, divinum substituitur.

Psal. 5. v. 10.

Historiam hanc uberius narravimus in Trismegisto c. 3. c. 9. §. 3.

Carolus IV. Imperator Moguntiæ cum Gerlaco Archiepiscopo egit præsentibus Canonicis compluribus. Fuit ex horum numero, qui pretiosiore, quàm par erat, pileo est usus. Id Imperator observans, & hominem suavi ore comitérque accedens: Elegantem, inquit, habes pileum; mutemus. Et simul dum suum porrigit, alienum capiti suo imposuit. Ita Deus, cujus deliciæ sunt cum hominibus esse: O homo, inquit, mutemus corda; tu vanum habes & mundanum, ego tibi meum dabo, & divinum.

Ille Aquilarum pullus, Plutarcho teste, qui in nido ad latus materni cordis collocatur, robustissimus evadit, & genuinam Aquilarum indolem ostendit: Homo, qui Deum semper cogitat, divino cordi proximus, in adversa omnia fortissimus consurgit. Immutat ei Deus cor aliud.

§. IV.

Plin. l. 10. Nat. hist. c. 3 fine.

NOtum est illud Plinii: Aquilarum pennæ mistas reliquarum alitũ pennas devorant. Cogitationes nostræ pennis avium rectè conferuntur. Et quia minimè unius generis sunt, rectè dixeris aquilarum, vulturum, cygnorum, columbarum, passerum, psittacorum pennas misceri. Siquidem modò bonæ, modò malæ, modò pessimæ sunt cogitationes nostræ; hinc nobis plurimum negotii facessunt. Quisquis cogitationibus suis vult moderari, hoc unum, quàm potest, maximâ diligentiâ spectet, ut de die quàm sæpissimè Deum cogitet. Hę cogitationes, Aquilinæ pennæ sunt, quæ alitum aliarum pennas devorant. Sunt cogitationes superbæ, sunt invidæ & avaræ, sunt sordidæ & impuræ. pennas dixeris anserinas. Sed misce illas aquilinis, & ab iis devorabuntur. In seipso id quivis experitur, quod, quo sæpiùs Deum cogitat, hoc cautior, hoc & sanctior, & etiam ausim dicere, in actionibus omnibus sit felicior. Rectissimè dixit Hieronymus: *Vna cogitatio felix est, cogitare de Domino, Dominus scit cogitationes hominum, quoniam vanæ sunt:* Vanissimæ sunt.

Quomodo possit homo moderari suis cogitationibus.

Hier. in Ps. 93. v. 11. Eodẽ Psal. & versu.

Et videte ingentem earum vanitatem. Parientes filiolum summâ curâ educant. Ad scholas puer deducitur; discit formare litteras; paullatim altiora combibit, & proficit inter coævos; simul & musicæ dat studium, organis ludere, chelyn & testudinem tractare, fidibus & asâ voce canere perdiscit; ita musis mansuetioribus cognoscendis annos aliquot insumit: jámque è patriâ in Academias mittitur, ad Philosophiam se applicat, deinde jus civile cognoscit, Bartolũ & Baldum tractat. Ab his studiis in exteras terras alio sole calentes amandatur, in Gallias, Italiam, Hispanias proficiscitur, hîc diversorum idiomatum disciplinam accipit; hîc saltare, equitare, palæstricis vacare inter studia habet; hîc homines fiunt. Maxima quæque sperantur, vir evadet maximus, aptissimus ad omnia. Parentes longissimâ cogitationum serie disponunt, quod filio munus, quam sponsam deligere, quâ ratione nuptias, quâ tot alia placeat instituere. Ita demum filius in patriam redit, cultu & moribus peregrinis, studiorum præbet specimen, magnam sui spem concitat, seriis negotiis sensim admovetur. Sed cùm grande cogitationum suarum volumen jam pænè absolverint parentes, unicâ subrepit febricula, & tot vanissimas parentum cogitationes, unáque filium tollit, conditque tumulo. Verè scit *Dominus cogitationes hominum, quoniam vanæ sunt.* Vna igitur cogitatio felix est, cogitare de Domino.

Psal. 93. v. 11.

Pingebant prisci Aquilam cum diplade, quæ volucris pectus admorderet. Picturæ inscriptionem apponebant hanc: SEMPER ARDENTIVS. Hominem designat hæc icon, qui quantò frequentiùs DEVM cogitat, tantò frequẽtiùs cogitare, tantò & ardentiùs amare desiderat, quò enim diutiùs divinam pulchritudinem ac bonitatem aspicit, eò plus diligit. Hoc ponit ob oculos illud genus serpentum Dipsas, quæ hominem ita pungit, ut quò plus bibit, plus sitiat, *Semper ardentiùs.* Hîc idem fit. Æternæ Sapientiæ promissum est: *Qui edunt me, adhuc esurient, & qui bibunt me, adhuc sitient.* Crebris de Deo susceptis cogitationibus id assequimur, ut Deum pænè assiduè cogitemus, & quod initio non adeò erat facile, usu non facile tantùm, sed & suave fiat. Quocirca imitemur Aquilas, & ad præceptum Domini, *in arduis ponamus nidum nostrum.* Sic infra nos erunt omnes tempestatum furiæ: mugiat, tonet, fulgeat, imò & ruat cælum, volent saxa, præcipitent fulmina, inter tot ruinas stabimus, modò animus per assiduas de DEO cogitationes DEI hospitium fiat. Illud Bernardi vel centies, vel millies repetendum ingemino: *Omne tempus, quo de Deo non cogitas, te computes perdidisse.*

Eccli. c. 24. v. 29.

Iob. c. 38. vers. 30.

CAPVT II.

Quâ ratione semper & assiduè orandum.

HVsæi Principis Iobi pronunciatum est: *Homo nascitur ad laborem, avis ad volatum.* Cùm autem longè diversissimi sint labores, in percontando ponitur, quinam sint difficillimi? Theologorum non nemo ad rogatum respondet, quatuor videri difficillimos omnium labores. Laborantis in partu, Docentis in ludo, Imperantis in bello, Precantis in templo. De labore primo in divinis voluminibus crebra mentio. Cùm Rabsaces Assyrius optimum Regem Ezechiam in angustias adduxisset, Rex Isaiæ nuntiari jussit: *Venerunt filii usque ad partum, & vires non habet parturiens.* Labor & dolor parturientium maximus.

Iob c. 5. v. 7.

Quatuor sunt labores difficillimi.

1. Labor parturientis.

4. Reg. c. 19. vers. 3.

De altero loquuntur scholæ. Quanti laboris centum aut ducentos discipulos cùm in officio continere, tum liberalibus disciplinis imbuere. Multi discipuli, multæ curæ: hic garrit, iste dormit, ille pingit, hic circumspicit, pars magna dicentem non attendit. E tanto numero subinde vix viceni dicta capiunt, ceteri fungi, sed insolentes & vagi sunt. Grandis labor tam vagis aut stupidis scientias instillare.

2. Labor docentis in ludo.

Tertium imperantis in bello laborem esse difficillimum nemo ambigit. Hic sana intelligentia, capax memoria, multa experientia, & ante omnia ingens animus, sed & corporis vires requiruntur. Subinde consilia manu firmanda sunt. Nonnunquam volandum potius quàm equitandum. Imperatorum inter tympana & tubas agere, vehemens labor.

3. Labor imperantis in bello.

De labore quarto precantis in templo Cassiodorus testis. *Ipsius*, inquit, *est perfecta oratio, cujus & causa clamat, & lingua & actus, & vita, & sermo, & cogitatio.* Hæc omnia conjungere, difficillimum. Ideò Abbas Agathon interrogatus, quis omnium optimus simul & gravissimus videretur labor? dixit: Rectè orare. Homo nascitur ad laborem. Hic quartus precandi labor nos omnes citat, præsertim cùm Christus dixerit: *Quoniam oportet semper orare, & non deficere.* Ioannes Maldonatus asserit multos & graves auctores magno studio quæsiisse, quâ ratione Dominicum hoc dictum sit interpretandum. Quando igitur nostrum omnium interest illam Domini cohortationem non verbis solùm explicare, sed & monstrare factis, complures ejus explicationes in medium dabimus.

4. Labor precantis in templo.

Cassiod. in Psal. 16. Exaudi nos.

Luc. c. 18. v. 1.

Explicationes aliquot Dominici dicti: *Quoniam oportet semper orare, &c.*

§. I. Pri-

§. I.

1 Explicatio. PRima explicatio. Non iussit Christus assiduè nos genibus niti, & indefessas sælo manus attendere: sed aut orare, aut utile quid aliud agere. Bene orat, qui bene agit. Orationem veram, dixeris esse actionem sed religiosam: actio bona, oratio est, sed operosa & practica.

2. Explicatio. Altera explicatio: Semper orat, qui statas orandi vices religiosè observat. Religiosissimus rex David hoc observans: *Septies*, inquit, *in die laudem dixi tibi*. Atque hoc est Dominum in omni tempore benedicere, præstituta orandi tempora minimè negligere. *Psal. 118. v. 164.*

3 Explicatio. Tertia: Semper orat, qui orando perseverat, tametsi non impetret, quod flagitat. Hîc nemo desperet, nemo annos numeret, nemo dicat: jam septennium, jam decennium, jam annos plurimos precando explevi, & nihil impetravi; nemo talibus querelis cælum surditatis accuset, quoniam oportet semper orare, & non deficere. Non deficit, qui orare non desinit.

4 Explicatio. Quarta: Miratur Augustinus, quomodo Christus multiloquium prohibeat, nihilominus semper orare jubeat. Sed ad institutum: *Si*, ait, *non vis intermittere orare, noli intermittere desiderare. Continuum desiderium tuum, continua vox tua est. Tacebis, si amare desieris: Frigus charitatis, silentium cordis est. Si semper manet charitas, semper clamas. si semper clamas, semper desideras, si desideras, requiem recordaris. Semper orat, qui semper vitam beatam, æternam desiderat.* *Aug. to. 8. in psal. 36. mihi pag. 119. & to. 2. ep. 121. ad Probam c 9.*

5. Explicatio. Quinta: Ioannes Chrysostomus breves sed crebras jaculatorias preces jure maximi æstimans: *Breves*, inquit, *& frequentes orationes Christus & Paulus præceperunt, parvis ex intervallis. Si continuas & crebras orationes facias, totúmque tempus interpolas frequentia, facilè poteris modestiam exhibere, & ipsas orationes cum multâ facies solertiâ.* *Chrys. to. 5. hom. 7. mihi pag. 394.*

Cassian. l. 2. de institut. Cœnob. cap. 10. Hoc & Cassianus adstruens: *Vtilius censent*, inquit, *breves quidem orationes, sed creberrimas fieri, ut frequentius Dominum deprecantes jugiter eidem cohærere possimus.* De ijsdem jaculatoriis precibus Augustinus ad Probam scribens: *Dicuntur*, inquit, *fratres in Ægypto crebras quidem habere orationes, sed eas tamen brevissimas & raptim quodammodo jaculatas, ne illa vigilanter erecta intentio per productiores moras evanescat.* Anna Elcanæ uxor multiplicabat preces non cumulando verba, sed iterando: ut potiùs multùm oraverit quàm multa. Vnde fiebat, ut ejus animus non dissiparetur in plurima, sed ad unum colligeretur. Maximarum profectò virium sunt hæ breves & jaculatoriæ preces, quæ Dei memoriam assiduè refricant, animum evagari non facilè sinunt, peccata plurima impediunt. *Aug. dicto loco ad Probam c. 10.*

6. Explicatio. Sexta: Assiduâ pænè memoriâ Deum colere. Ad hoc Cassianus instigans: *Mens nostra*, inquit, *jugi omnipotentis Dei contemplatione pascatur. Hac ratione pænè semper conditoris meminisse possumus.* Quod beatus Nilus confirmans: *Qui amat Deum*, inquit, *semper cum hoc tanquam cum patre consuetudinem & sermonem habet, repudians omnem notitiam turbidam.* Sanctus Basilius, in eam rem vult etiam noctem dividi: *Vide*, ait, *ne media pars vitæ transeat inutilis: tribue partem somno, partem precationi, imo ipse etiam somnus pietatem exerceat.* Et beato Hieronymo teste, *Sanctis etiam ipse somnus est oratio.* Sicut autem qui peccando in mortem obdormiunt, totâ quasi æternitate peccant; ita qui orando aut sancta cogitando in somnum decidunt, totâ quasi nocte orant. *Cassian. col. lat. 9. c. 3. fine omnino.*

7. Explicatio. Septima: Assiduè orat, qui omnia negotia & universas actiones suas, tam inchoare quàm finire, medias etiam precibus distinguere; in his omnibus intentionem rectam restaurare consuevit. Ejus animi Siracides; *Laudabo nomen tuum assiduè.* Soly mæus rex Dauid, quia utique actiones omnes precibus cœpit, distinxit, finiit, hinc liberè pronuntiavit: *Semper laus ejus in ore meo.* *Eccli. c. 51. v. 15. Psal. 33. vers 2.*

A Octava: Pauperes eleemosynis sibi conciliare, vt canitur in templis. Pelagius & Ruffinus dignum relatu memorant his ipsissimis verbis, quæ optimâ fide subjungam. Venerunt aliquando, inquit, ad Abbatem Lucium in Ennato monachi quidam, qui dicebantur Euchitæ, hoc est orantes: & interrogavit eos senex, dicens: Quod est opus manuum vestrarum? Et illi dixerunt: Nos non contingimus aliquod opus manuum, sed sicut dicit Apostolus, *Sine intermissione oramus.* Dicit ei senex: Et non manducatis? illi autem dixerunt, etiam manducamus. Et dicit eis senex: Quando ergo comeditis, quis pro vobis orat? Et iterum interrogavit eos, dicens: non dormitis? Et illi dixerũt: Dormimus. Et dixit senex: Et cùm dormitis, quis pro vobis orat? Et cùm invenerunt, quid ad hæc responderent ei. Et dixit eis: Ignoscite mihi fratres, quia ecce non facitis, sicut dixistis: Ego autem ostendam vobis, quia operans manibus meis, sine intermissione oro. Sedeo enim, juvante Deo, infundens mihi paucas palmulas, & facio ex eis plectam, & dico: *Miserere mei Deus secundùm magnam misericordiam tuam, & secundùm multitudinem miserationum tuarum dele iniquitatem meam.* Et dixit eis: Oratio est, an non? Et dixerunt ei: Etiam. Et ille dixit: Quando permansero totâ die laborans & orans corde vel ore, facio plus minùs sedecim nummos, & pono ex eis ad ostium duos, & resíduos manduco. Qui acceperit illos duos denarios, orat pro me, tempore quo ego manduco, vel dormio, atque ita per gratiam Dei impletur à me, quod scriptum est: *Sine intermissione orate.* En optimum modum orationis, qui orationem pænè assiduam facit, eam in alios atque alios partiendo. 8. Explicatio. *Pelag. l. 12. n. 9. mihi pag. 613. Ruffin. l. 3. n. 212. pag. 731. apud Rosweid. 1. Thes. c. 5. v. 16. Psal. 50. v. 1. 1. Thes. c. 5. v. 16.*

B

§. II.

C NOna & omnium commodissima explicatio Dominici dicti: *Quoniam oportet semper orare.* Reverà plus hîc mysterii tegitur, quàm explicationes hæ omnes aperiant. Et reverà diversa sunt, semper orare, & semper bene agere. Alioqui dixisset Dominus: Oportet semper bene operari. Atqui hoc nemini non perspectum: Nunquam licere malè operari. Ab isto igitur diversum Dominus jubet, *Oportet semper orare.* Quâ in re Christus moraliter locutus est eo planè modo, quo nos dicere consuevimus: Hi homines toto die comedunt, toto die bibunt, & ludunt. Sunt alicubi puerperæ, quæ pænè singulis horis comedant. De hominibus tam exercitatæ gulæ non malè dixeris. Hi homines semper comedunt. 9. Explicatio. *De his D. Guarinon. l. 4. de abominan. humanæ gentis c. 52.*

Hoc loquendi ritu Servator non Mathematicam orationis assiduitatem, sed moralem imperavit, ut saltem quot horis semel iterúmque animum erigamus ad Deum jaculatoriâ prece. Hoc Augustini & Cassiani, hoc Chrysostomi præcipuè vult interpretatio, quæ docet non solum certa precandi intervalla observare, sed quàm fieri potest, creberrimè orare. Hoc Ecclesiastici monitum est: *Non impediaris orare semper.* Hoc & Pauli præceptum: *Sine intermissione orate.* *Eccli. c. 18. v. 22. 1. Thes. c. 5. v. 16.*

Orationem jugem, jugis postulat necessitas. Hostis perdius & pernox nos urget, haud aliter quàm oratione jugi vincendus. Ad exemplum urbis sanctæ id faciendum monens Isaias: *Super muros tuos Hierusalem*, inquit, *constitui custodes: totâ die & totâ nocte in perpetuum non tacebunt.* *Isai. c. 62. v. 6.*

Atque hoc est semper orare. De oratoribus tam assiduis dictum videtur illud regii Psaltæ: *Oculi Domini super justos, & aures ejus in preces eorum.* Cornelius centurio Romanus, è gentibus oriundus, *religiosus tamen ac timens Deum cum omni Domo suâ, faciens eleemosynas multas plebi, deprecabatur Deum semper.* En virum orationis plurimæ. Non is erat è populo Dei, non circumcisus, non *Psal. 33. v. 16. Actor. c. 10. v. 2.*

sacro

sacro fonte lustratus; miles fuit, alumnus Martis, inter arma educatus, sed quia Deum timuit, ideò precationes & jejunia frequentavit, eleemosynas largas erogavit, Deum, quem nondum nôrat, deprecans semper. Hoc tantopere Deo placuit, ut Angelum miserit, qui virum suavissimè solatus: *Orationes tuæ*, inquiebat, *& eleemosynæ tuæ ascenderunt in memoriam in conspectu Dei.* Deus, mi Corneli, non potest oblivisci tui; fidissimi monitoris loco est, largiendi & orandi studium. Idcirco jube accersiri Petrum, qui te tuámque familiam omnem baptismate sacro abluat, & Christo adjungat.

Ibid. v. 4.

Isai. c. 49. v. 16. Prov. c. 3. v. 3.

En præmium paratissimum semper orantis, Deumque semper deprecantis. Illius oblivisci non potest amantissimus Deus: *Ecce*, inquit, *in manibus meis descripsi te.* Tu corde tuo, tuáque memoriâ me non exclude. *Describe me in tabulis cordis tui.*

B Ergo non impediamur semper orare. Benedicamus Dominum in omni tempore, semper laus ejus in ore nostro, quoniâ oportet semper orare & non deficere.

§. III.

SEd multa hîc objicias: Quid opus tam crebrâ, imò tam assiduâ oratione? Deus omnia novit: Et num divina liberalitas orationes nostras expectat? Deinde centies, inquis, rogavi Deum; quid impetro? cessabo igitur, cùm videam, nolle Deum precibus meis annuere. Eadem, mi Christiane, tibi sæpius inculcanda sunt, cùm tu easdem etiam querelas sæpius recantes. Hæc Dei dilatio, ut scias, non est invidiæ, sed curæ; non est ignorantiæ, sed providentiæ. Fidem tuam & constantiam tuam exerceri ac spectari vult Deus. Ita Christus mulierem Chananæam vociferantem audire dissimulavit, imò veluti canem repulit, ut illa contentiùs rogaret, sibi majus præmium obtineret, alius exemplum illustrius præberet. Sic Annæ petitio differtur, ut ejus devotio, clarior evulgetur. Neque verò multiloquium censendum prolixa oratio, aut eorumdem verborum in oratione repetitio. *Anna sterilis multiplicabat preces coram Domino*, Franciscus Assisias noctem integram illud unicum ingeminavit: Deus meus, & omnia. Idem in Ecclesiâ more modóque veteri consuevit fieri. Productioribus colloquiis familiaritas cum Deo contrahenda est. Ideò Moses in medio caliginis diebus septem detinebatur, inde in montem ad colloquium quadraginta dierum cum Deo ineundum evocatus est.

Dilatio Dei in donis est cura & providentiæ.

1. Reg. c. 1. v. 12. Chrys. ho. 1. Assiduè sonabat eadē, nec destitit iisdem verbis iterādis multū temporis ab more.

Dixerat Christus ad fontem considens mulieri Samaritidi: *Qui biberit ex aquâ quam ego dabo ei, non sitiet in æternum, sed aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam.* Femina ejus aquæ avidissima: *Domine*, inquit, *da mihi hanc aquam, ut non sitiam, neque veniam huc haurire.* Quid ais, mulier? vis divinum beneficium ad superbiam & fastum, valetudinem ad oblectationem, divitias & gratiam ad Dei contumeliam derivare? Renuit Christus hanc aquam à se oblatam concedere; neque injuriâ. Non placuerunt verba illa: *Vt non sitiam, neque veniam huc haurire.* Vult Deus quotidie rogari; supplices, non superbos amat, fatuam pactionem, *semel pro semper*, non admittit Deus. Sic enim dona ejus vilescerent, ita tandem, quod donum est, velut debitum exigeretur.

Ioan. c. 4. v. 13. & seqq.

Ibid. v. 15.

Melius est igitur sitire, & ad hauriendum huc venire: Melius est, ad Deum assiduis precibus accurrere, quàm rebus omnibus abundare, ac suopte nutu vivere. A catello, quem domi ad oblectationem alis, id discere. Hic cùm famelicus est, velut ad obsequium accurrit, blandus adest, & mulcet, petitóque cibum eo, quo potest, sermone. Si ei frustillum nimis minutum objicias, mox redit, & subinde in pedes sese erigit: iterum buccellam projicis, iterum hiat, & oculis in dominum

Melius est Deū semper orare, quàm rebus omnibus abundare.

A intentis adstat, dum plura recipiat: sin illi os grande aut multum pulpæ des, nec revocatus quidem redit, sed ad rodendum & glutiendum attentissimus abit. *Vidisti aliquando canem*, inquit Seneca, *missa à domino frusta panis aut carnis aperto ore captantem? quidquid excepit, protinus integrū devorat, & semper ad spem futuri hiat.* Hoc nostrum est ingenium. Hinc petentibus rogata vel non conceduntur vel minutatim, ut animum, oculos, spem omnem intendamus in Deum. Cùm non esurimus, aut sitimus, ad pietatis & gratiæ fontem non recurrimus.

Sen. epist. 72. fine.

Dicet fortasse quispiam, inquit Chrysostomus, *si habeo justitiam, quid opus est oratione?* Huic sanctissimus Pater respondens: *Oratio*, inquit, *non est parvum vinculum disciplinæ. Homines quidem nobis superiores allocuturi, & habitum, & incessum, & amictum, & omnia componimus. Ad Deum autem accedentes hiamus, fricamus, nos huc & illuc versamus, negligentes ac socordes sumus, humi genibus flexis per forum oberramus.* Quid igitur miri, si non faciat Deus, quod volumus, cùm nos non faciamus, quod jubemur. Nihilominus oratio, tametsi nihil impetret, nos arctiùs conjungit Deo, qui sua etiam promissa vult nostris precibus honorari. Bernardi hoc asserentis verba sunt: *Nemo orat, nisi quod credit & sperat. Vult autem à se requiri Deus, etiam quod pollicetur. Et ideo fortè multa, quæ dare disposuit, prius pollicetur, ut ex promissione devotio excitetur: sicque quod gratis daturus erat, devota oratio promereatur. Sic pius Dominus, qui omnes homines vult salvos fieri, merita nobis extorquet à nobis: & dum nos prævenit tribuendo, quod petribuat gratis, agit, ne gratis tribuat.*

Chrys. ho. 1. in psal. 4. mihi pag. 610.

Bern. ho. 4. super Missus. fine. Et in floribus, mihi pag. 3090.

CAPVT III.

Quid in oratione petendum.

MAximus Tyrius è veteri Apologo narrat, Regem Phrygiæ Midam auri cupidissimum, aliquamdiu fontem è vino fluere jussisse. Ad hunc sitibundus venit Satyrus, qui promulsîde tam suavi liberaliùs sitim suam propitians, jam vino gravis facillimè se capi passus est. Rex huic captivo suo blandiens petiit ab eo, quod sibi charissimum acceptu, & Deo non difficile factu foret. Petiit ergo, ut quidquid in omni regno suo nasceretur è terrâ, probatissimum aurum esset. Non difficulter votis annuit temulentus Deus. Cúmque jam omnis terræ partus, omne pomorum, olerum, frumentorum genus succrevisset, purum putum aurum fuit; sed ingens oborta fames stultissimum votum publicè damnavit. Midas suam suorúmque infelicissimam felicitatem deplorans, fatuæ petitionis scipsum accusavit, jámque non unum, sed Deos Deásque omnes impensissimè rogavit, restituerent regno suo fructuosam paupertatem, hostibus darent tam infelicem opulentiam. Dii senatu coacto deliberârût, quid ad Midæ libellum supplicem respondendum. Consensu demùm decretum est: Habeat ut nactus, & sciat, Deos non in omnem horam mutabiles esse; votis suis fruatur.

Tyrius dissert. 30. de orando Deum.

Hîc Tyrius: Placet Apologus, inquit, & latens sub eo veritas. Quanti suum sibi exitium accersunt grandibus votis? Vt consequantur, petunt; damnant, cùm consecuti sunt. Multi violenter impetrant, quod cupiunt, & id donum interpretantur. Errant fatui: supplicium est, non donum, sed quod suis ipsi tam improbis & importunis precibus extorserunt. Plurima sunt ejuscemodi bona, quæ nonnisi iratus Deus potest concedere. Pars orationis præcipua est, scire quid petas. Hîc ergo docebimus: Quid in oratione petendum.

§. I. Fi

§. I.

FIt nonnunquam, ut quis comparandæ vesti tabernam adeat, & pannum petat: Hic sedulus panni negotiator officinam excutiens, violaceum, prasinum, venetum, multicolorem pannum profert, ut delectus sit emptori. Sed enim emptor coloris negligens: Bonum, inquit, & durabilem volo pannum, sive atri, sive cinerei, sive alterius coloris sit; pannum exhibe, qui ætatem ferat. Non aliter, ajebat Socrates, orandum est: bonum aliquid & utile petendum. Quidnam sit illud, scit ille melius, qui dat, quàm qui rogat. Nos sæpissime petimus, quod longè salubrius, non impetraremus. Facultates petis & opes? hæ multa millia hominum præcipitârunt Orco. Honores petis? scis ipse plurimos tantò graviùs cecidisse, quantò altiùs ascenderunt. Conjugium petis amplũ ac nobile? Multis consultius fuisset ignobilem, deformem, inopem sed honestam duxisse virginem. Petis valetudinem? quot millia damnati gregis cælo fuissent recepta, si annis aliquot ægrotâssent. Ergo cælestium arbitrio te totum permitte: quia qui tribuere bona ex facili solent, etiam eligere aptissima possunt. Hoc idololatras vel ratio docet. Hinc eruditus ille, sed nebulosus Satyricus, fatua & sæpe improba hominum vota sic irridet:

In oratione benum aliquid & utile petendum.

Submissâ voce petis, quæ clarâ nõ auderes. Persius sat. 2. initio.

— *Non tu prece poscis emaci* —
Quæ nisi sedulis nequeas committere Divis.
At bona pars procerum tacitâ libabit acerrâ;
Haud cuivis promptum est murmúrque humilésque susurros
Tollere de templis, & aperto vivere voto.

Addit, quæ clarè possint peti, quæ clam & tacitè soleant rogari:

Hæ stultissimæ hominum vota sunt: ô si hoc aut illo mortuo pinguem hæreditatem obtineam; ô si pecuniam inveniam! &c.

Mens bona, fama, fides, hæc clarè & ut audiat hospes:
Illa sibi introrsum, & sub linguâ immurmurat: ô si
Ebullet patrui præclarum funus, & ô si
Sub rastro crepet argenti mihi seria dextro
Hercule, pupillúmve utinam, quem proximus hæres
Impello, expungam! ——

His talibus votis ac petitionibus non multum ultra bestias sapimus. Taurus & Camelus, ut in fabulis est, petierunt à Iove cornua. Camelus non tantùm non impetravit quod petiit, sed aures etiam perdidit, quas Iupiter præcisas esse voluit: Bovi data sunt quidem cornua, sed eum petitionis statim pœnituit. Nam cùm inermis liber esset, & à nemine capi facilè posset, enatis cornibus injectus est laqueus; ita miser ad carrum, ad aratrum, ad macellum tractus est.

Frequenter idem cum camelo & tauro petimus. Est, qui numen assiduis precibus eò fatiget, ut inimicis & adversariis possit resistere, ita cornua petit, & in malevolos arma. Ah in suam ipse perniciem hæc postulat; imò multi cornua, quæ petunt, non acquirunt, & aures insuper amittunt ut camelus. Recte dixit Philosophus: *Si Deus votis nostris omnibus annueret, brevi orbis periret.* Dictum Tarsensis Pauli hoc confirmat: *Quid oremus, sicut oportet, nescimus.* Exorari autem in perniciem rogantium sæva bonitas est. Quemadmodum pulcherrimum opus est, etiam invitos nolentésque servare, ita rogantibus pestifera largiri, blandum & affabile odium est. Quidni eum oderimus, à quo in damnum ac periculum nostrum adjuti sumus?

Rom. c. 8. v. 26.

Sen. l. 2 de Benef. c. 14.

Insignissimè hic Romanus sapiens philosophatus: *Sunt quædam, inquit, nocitura impetrantibus, quæ non dare sed negare beneficium est. Sæpe enim noxia concupiscimus, nec dispicere, quàm perniciosa sint, licet, quia judicium interpellat affectus. Sed cùm subsedit cupiditas, cùm impetus ille flagrantis animi, qui consilium fugat, cecidit, detestamur perniciosos malorum munerum auctores. Vt frigidam ægris negamus, & lugentibus ac sibi iratis ferrum: sic ea, quæ nocitura*

A *sunt impensè ac submissè, nonnunquam etiam miserabiliter rogantibus, perseverabimus non dare. Sunt qui dicant: Scio hoc illi non profuturũ. Sed quid faciam? rogat, resistere precibus ejus non possum. Ipse viderit. De se, nõ de me queretur.* Cum multis Deus sic agit. Israëlis populus in solitudine importunis precibus carnes postulavit: valde displicuit Deo hæc postulari, sed tamen annuit iratus magis quàm propitius. Idem populus ævo Iudicum Hebræorum, regem petiit. Atque id Deo displicuit, sed tamen concessit, non ut beneficium, sed ut supplicium. Sciebat hoc illis non profuturum. Duo Zebedæi filii per matrem quam subornârant, assessionem in regno Christi petierunt; responsum est: *Nescitis quid petatis.* Petiit Paulus stimulum carnis à se auferri; responsum est: *Sufficit tibi gratia mea.* Quid ergo petendum?

Deus sæpè importunis precibus postulatus dat non ut beneficium, sed ut supplicium.

Matt. c. 20. v. 22.

2. Cor. c. 12 v. 9.

§. II.

B COmpendio res tradenda. Vnicum est, quod honestissimè ac jure petitur à Deo, *Gloria* aut *Gratia*. Vtrumque petit qui alterutrum. Explico. Gloriam petere dicendus est, qui petit aliquid æternum. In specimen has preces ponimus: *O mi Deus, hoc solum deprecor, æternitate totâ inter diabolos & hostes tuos te maledicere. Cetera da, & aufer quod vis; cæde, seca, ure, prout vis, habebis obsequentem.* Aut hoc modo: *O Domine, ego quidem musicorum imperitissimus sum, & cum tuis illis in cælo musicis heu neutiquam conferendus, sed ex gratiâ in Angelorum societatem me recipe, ut æternùm te laudem.* Qui sic orant, gloriam petunt, sed modestè ac submissè, quod utique Deo plurimum placet. Neque displicet beatitudinem simplicissimè sic petere: *Domine, in cælum me admitte.* Hæ tales preces æternitatis donum, gloriam cælestem ambiunt.

Ideè à Deo petitur Gloria, & Gratia.

Quis dicitur Gloriã petere?

Gratiam verò *Primam*, ut eam Theologi vocant, petimus, cùm læsæ conscientiæ veniam rogamus; aut certè gratiæ augmentum poscimus, cùm in gratiâ quidem sumus, sed eam augeri cupimus. Qui gratiam sic ambit, simul etiam gloriam expetit, nam passu pari hæc eunt. Cùm enim augetur gratia, simul etiam gloria, quæ futuro seponitur, augmentum sumit.

C

Quis Gratiam.

Porrò Gratiam censetur petere, quicumque spirituale quippiam, qui virtutes, qui cælestem sapientiam, qui vitiorum victoriam petit. Peculiariter crebriùs petenda sunt: Venia peccatorum, Non peccandi propositum, Spiritus orationis & precum, Humilitatis, & Charitatis incrementum. Id denique, quod DEVS scit nomini maximè necessarium. Ita gratiam postulamus.

Quæ crebrius petenda.

D Quocirca hæc duo absolutè bona sine ambagibus, sine præfatione multâ, sine conditione peti possunt. Gratiam au Gloriam petere honestissimum ac laudatissimũ. Orationis Dominicæ petitiones inspicite. Gloriam aut Gratiam, ejúsque augmentum omnes spectant. Quarta solùm petitio, quę panem postulat, peritũ aliquid videtur poscere. Sed & hæc, ut attẽdimus, verè spiritualis est, nam aut panem petimus *supersubstãtialem* (ut Græcus contextus est) seu divinum & æternum, aut certè quotidianũ, seu solam vitæ alimoniam, quam Salomon modestissimè petens: *Tribue*, inquit, *tantùm victui meo necessaria*: si & nos pariter solũ petamus victũ, spirituale aliquid petisse censemur. Quod eruditè Isidorus Pelusiota confirmans: *Nil*, inquit, *præter panem requirere, spiritualis proculdubio ac præclaræ & philosophicæ mentis fuerit.* Qui quotidianum duntaxat panem mendicat, his quasi verbis Deum compellat: Amantissime Pater, quia mihi orandum & laborandum, & verò etiam luctandum est, ut cælum inter violentos rapiam, ideo vitæ necessaria, victum ac vestitum peto, non superflua, non rerum abundantiam; non panem selectissimæ farinæ, non vestem magni pretii, aut rari artificii posco: modò

Gratiam, & Gloriã petere honestissimũ & laudatissimum.

Prov. c. 30. v. 8.

Isid. Pelus. l. 5. ep. 281.

pascar & tegar; victui tantùm necessaria tribue. Hæc A
solùm expetere, inquit Pelusiota, mentis est spiritualis.

§. III.

ITaque si leges orationis Dominicæ sequamur, non formam, non valetudinem, non opulentiam, non corporis vires, non vitam longiorem, non famæ celebritatem petemus; hæc enim, ait Christus, gentes inquirunt, & hæc Deus velut auctarium solet adjicere. Num igitur, dices, nil perituram, nil mortale aut fluxum petere licebit? Nihil sanè, nisi sub conditione, certisque legibus & cautè. Si nimirum id, quod petimus, Dei honorem non imminuat, & nobis expediat.

Nihil fluxũ petere debemus nisi honorem Dei nõ imminuat, & nobis expediat.

Innumera petimus à Deo, cùm ad ea singula respõderi possit aptissimè. Non expedit tibi, quid hoc petis? non expedit tibi. En Solymo rum rex David, posito diademate, projectis gemmis, exutâ purpurâ, remotâ regii splendoris dignitate omni, solitarius gemens, sacco clausus, squalidus, fletu madidus, cinere sordidatus vitam parvuli sui tot lamentationum suffragiis petit, & benignissimum Deum tantâ precum ambitione pulsat, sed nihil impetrat. Cùm tamẽ, quod fortissimum petentibus adjumentum est, impetraturum se, quod sic à Deo peteret, credidisset. Ne miremur: non expediebat ei; rem temporis & non æternitatis petiit.

Ita Franciscus Borgias Dux Gandiæ, Deum impensissimè nec sine lacrymis rogârat, ut Leonoræ conjugi ægrotanti vitam produceret. Sed vocem audiit, quæ responderet: *Fiat quod vis: sed tibi non expedit.* Hic Borgias in largissimas lacrymas effusus: Tua, inquit, voluntas fiat, mi Deus, non mea. Quid mihi conducat, nemo te meliùs novit. Quòd si tibi sic placeat, non uxorem tantùm, sed & liberos, & meipsum tolle. En ego me tibi meâque omnia in tuas consigo manus, paratissimus facere ac pati quidquid volueris.

Vide Heliotrop. meum l. 2. c. 3. §. 5.

Quisquis aliter petit, quod non æternum est, malè C
petit. In petendâ re mortali, hæc conditio nunquam non miscenda; si honori divino non obsistat, si animæ salutem non impediat.

§. IV.

AVgustinus consignatissimè istud explicans: *Quid est*, inquit, *quod dicit multis locis scriptura? quia invocabunt, & non exaudiam eos. Certè misericors omnibus invocantibus se. Invocant illi, sed non Deum. Invocas, quidquid amas; invocas quidquid in te vocas; invocas, quidquid vis, ut veniat ad te. Porrò si Deum propterea invocas, ut veniat ad te pecunia, ut veniat ad te hæreditas, ut veniat ad te secularis dignitas, illa invocas, quæ vis, ut veniant ad te: sed Deum tibi adjutorem pœnis cupiditatũ, non exauditorem desideriorum. Deus bonus, si det, quod vis. Quid, si malè vis? Nonne erit tibi magis non dando misericors? Porrò si non dederit, jam nihil tibi Deus est, & dicis: Quantum rogavi, quam sæpe rogavi, & sum exauditus. Quid enim petebas? Fortè mortem inimici tui? Quid si & ille petebat mortem tuam? Qui te creavit, ipse & illum: homo es, homo est ille. Deus autem judex est: audit ambos, sed non exaudit ambos. Tristis es, quia non es exauditus contra illum: gaude, quia ille non est exauditus contra te. Ego, inquis, non hoc petebam: non inimici mei petebam mortem, sed vitam petebam filii mei. Quid mali petebam? Nil mali petebas, sicut tu sentiebas. Nam quid si ille raptus est, ne malitia mutaret intellectum illius. Sed peccator, inquis, erat: & ideo volebam illum vivere, ut corrigeretur. Tu volebas eum vivere, ut melior esset. Quid si Deus noverat, si viveret, pejorem futurum? unde ergo non nosti, quid illi prodesset, mori, an vivere? si ergo non nosti, redi ad cor tuum, dimitte Deo consilium suum. Quid ergo, inquis, faciam? quid orem? Quid ores? quod te docuit Dominus, quod te docuit cælestis magister. Invoca Deum tanquã Deum. Illo melius nihil est, ipsum desidera, ipsum concupisce.*

Aug. tom. 8. in psal. 85. mihi pag. 585.

Idem to. 10. serm 60. de tempore, fin.

Quocirca, quod idem Augustinus enucleatè docet, A
oremus pro corpore, sed sine ullâ comparatione amplius pro animâ supplicemus. Quis enim Cæsarem accedens has preces precatur: Auguste Imperator, lacerum mihi pallium est, sex crucigeris egeo ad illum sarciendum: largire tres sestertios. Quid ista, stolide, à tanto Principe petis? Pete digniora Cæsare.

Quando igitur Gratia & Gloria honestissimè petuntur ac securissimè, ideo quod rerum fluxarum est, nonnisi sub conditione, idque indicando tantùm & innuẽdo rectè petitur. Ita Domini mater in nuptiis Canę, non vinum magnis precibus efflagitavit, sed novorũ conjugum tenuitatem exposuit. Ita leprosus, quid gratum esset, indicavit solùm, & innuit: *Domine, si vis, potes me mundare.* Ita Lazari sorores nõ importunè fratri valetudinem exposcunt, sed Christo solùm hoc nũtiari volunt: *Ecce, quem amas, infirmatur.* Hoc indicare est, non postulare; quâ quidem lege petendum, quidB
quid extra Gratiam, & Gloriam desideratur. Omnia namque temporalia ita indifferẽtia sunt, ut tam obesse queant, quàm prodesse. Permissum est quidem sic orare: Domine, si vis, facultates auge, valetudinem instaura, vires suffice, nomen & bonam famam concilia, calamitates averte: Si tamen ho nori tuo nil derogetur, & ita fieri expediat. Nam forsan hæc magis quàm aperta pernicies, nocerent; hæc forsan plus prodessent negata quàm concessa.

Luc. c. 5. v. 12.

Ioan. c. 11. v. 3.

Infans petit panem; dat pater: petit cultrũ, negat. Atqui opus est cultro, nec enim integrum panem glutiet. Ego frangam, ait pater. Ita nos sæpe cultrum petimus vulneris instrumentum. Quibus Pater: Mei filii, ait, panem non nego, sed nego cultrum vestro bono.

§. V.

IStud Bernardus copiosiùs declarans: *Ad hoc tende*, inquit, *ad hoc conare, ut in Domino delecteris, & dabit tibi petitiones cordis tui. Sed considera, quòd petitiones cordis dixerit, quas approbat judicium rationis. Nec habes, unde causeris, sed unde magis tanto affectu in gratiarum actione versẽris. Quandoquidem tanta super te cura est Deo tuo, ut quoties ignorans quæris, quod tibi inutile est, non te audiat super hoc; sed mutet illud utiliori dono. Sic & pater carnalis parvulo quærenti panem libenter porrigit: quærenti cultellum, quem non necessarium putat, non consentit, sed magis panem ei, quem dederat, frangit, vel per aliquem ministrorum frangi præcipit, ut nihil ille habeat periculi, nihil laboris.* Addit. *Pro necessitatibus animæ orandum nobis est, & frequentiùs, & ferventiùs, id est, pro obtinendâ gratiâ Dei, animæque virtutibus. Sic & pro vitâ æternâ, totâ pietate & toto nobis orandum est desiderio, ubi nimirum corporis & animæ plena & perfecta sit beatitudo. Sit ergo oratio, quæ pro temporalibus est, circa solas necessitates restricta; sit oratio, quæ pro virtutibus est animæ, ab omni impuritate libera, & circa solum beneplacitum Dei intenta; sit ea, quæ fit pro æternâ vitâ, in omni humilitate, præD
sumens de solâ (ut dignum est) miseratione divinâ.*

Bern. ser. 3. fine in quadrages. in tripl. modo orãdi.

Vult igitur Deus, quæ temporalia sunt sub conditione peti, non quòd velit nos parcè petere, sed quòd illa non digna Deo sunt dona. Gratia & Gloria, hæc munera sunt regia. Neque metuendum ulli, ne Deus nobiscum agat, quemadmodum Antigonus rex egit cum Thrasyllo Cynico. Petiit hic sibi drachmam à rege donari. At rex eum repellens: Non petis, ajebat, munus regium. Ergo talentum argenti, seu sexcentos † philippeos petiit. Rex illum iterum facessere jubens: Non petis, ajebat, munus Cynicum. Non ita Deus, qui multò & humanior & liberalior in nos est, hinc ei gratissimum, si & plurima petamus, & maxima. Optimè dixit Chrysostomus: † *Quemadmodum ad Imperatorem nemo pro veste discisâ, nec pro decem obolis ereptis audet accedere: ita etiam tu, atque adeò longè amplius, cave, ne ad Deum accedas pro rebus vilibus, contemptis, & nihili: ut verbi gratiâ, si quis in pecuniâ*

Tempora lia sub conditione petenda,

4. Sestertios.

† *Chrys. in psalm. 142. mihi pag. 1045. Hæc quidem etiam licet petere, sed sic: Si vis, Domine, ad tuum honorem, si tibi utile sit.*

tibi fecerit injuriam, aut si quis affecerit te contumeliâ: sed in iis, in quibus diabolus te injuriâ afficit, supremo maximè auxilio opus est.

Hispanus Soc. Iesu Sacerdos, In vitâ Balth. Alvar. Ludovic. de Pôte c. 15. §. 2.

Balthasar Alvaresius vir magnæ sanctitatis, Deóque conjunctissimus, cùm in illa Domini verba: *Petite, & accipietis*, altiùs animum defigeret, intellexit ex alto, nolle Deum nos esse parcos in petendis ab ipso donis & gratiis, talem namque parcitatem dæmonis esse tentationem. Et cùm semel aliquid pro indigente peteret, sibi audiit dici: *Cur tu in petendo parcus es, cùm Deus in dando tam liberalis?* Tanquam indicaretur illi, ut etiam pro aliis indigentibus peteret. Alio etiam tempore cùm felicem negotii successum peteret, audivit hæc verba: *Ego te tanquam Rex adjuvabo.*

Nemo igitur petendo modicus sit: immortalia præcipuè petamus & summa. Quoniam, ut Ambrosius loquitur, non bonum tantùm, sed & opulentum Dominum habemus.

CAPVT IV.

Quibus modis per orationem trahamur ad Deum.

NOn vitio vertamus, si quis quærat: Cur obsecrò, toties, & subinde prolixiùs cum Deo loquendum? cur tam attentè, tam seriò, tam sollicitè, tantâ animi præparatione, intentione tantâ cur orandum? Deus siquidem ab æterno cuncta nobis defutura, omniáque nobis adversatura prævidit. A Christo id discimus monente: *Scit pater vester, quia his omnibus indigetis.* Deinde aliquem rogare non est aliud, quàm eum precibus velle flectere. Atqui Deus immutabilis, inflexibilis est, Sic Regum fasti loquuntur: *Porrò triumphator in Israël non parcet, nec pœnitudine flectetur.* Præterea multò majoris est liberalitatis ultrò dare non petèti, quàm morosis auribus lõgas preces transmittere, atque tum demum exorabilem dominum se præbere. Ex vero Cordubensis Philosophus dixit: *Nulla res carius constat, quàm quæ precibus empta est.* Atqui Deus liberalissimus, imò ipsa est liberalitas.

Matth. c. 6. v. 32.

1. Reg. c. 15. v. 29.

Senec. l. 2. de Beneficiis c. 1. fin.

Cur igitur toties, tamdiu, contentione tantâ orandum? quæstio non absurda, quam & doctissimi posuerunt.

Ioan. c. 12. v. 32.

Christus suavissimè pollicitus: *Et ego*, inquit, *si exaltatus fuero à terrâ, omnia traham ad meipsum.* Quibus autem modis per orationem præcipuè trahamur ad Deum nunc exponemus.

§. I.

Triplex trahendi genus: & quid morale genus trahendi. *1. Re. c. 22. vers. 2.*

TRiplex est Theologis trahendi genus, Morale, Naturale, Ciuile. Moraliter trahimur laudando, invitando, rogando, promittendo, comminando, donando. Cùm David Saulem fugiens Odollam specum occupâsset, *convenerunt ad eum omnes qui in angustiâ constituti, & oppressi ære alieno, & amaro animo.* Ita quadringentos viros attraxit. Sed quibus tractoriis organis? promittendo, quia dando non potuit. Sic moraliter trahendo, quod Regum fasti testantur, *factus est eorum princeps.*

Quid naturale.

Naturaliter verò trahimur diversis modis. Valde trahit similitudo, siquidem par pari facilè sociatur; aves concolores unà volant, corvi cum corvis, columbæ cum columbis; sic congeneres feræ, lupi cum lupis, cervi cum cervis pererrant silvas; sic inter homines similis gaudet simili. In humano corpore, calore plurima trahuntur: caput inflammatum stomachi vapores attrahit, manus aut pes malignè incensus, quidquid mali humoris alibi sparsum est, ad se corrivat, sic in ingenti hoc orbis corpore solaris calor exspirationes & anhelitus terræ colligit; hinc omne genus tempestatum. Cùm autem natura vacuum & inane plurimùm horreat, metu vacui levissima quæque deorsum trahit, sursum gravissima. Idem hic vacui metus vel æneam ollam subinde rumpit cùm aqua in eâ congelavit; sic aquæ in fontibus subterraneis in altum educuntur. Quâ porrò vi occultâ & mirabili sympathiâ paleas succinum, magnes ferrum, Cæcias nubes trahit?

Civile verò trahendi genus est, cùm quis supplicii formidine, aut aliâ vi legitimâ compellitur ad faciendum officium. Beato Lucâ teste, cùm sese omnes, qui ad cenam magnam invitati fuerant, excusâssent, dictum est servo: *Compelle intrare.* Sic Absalon, cùm Ioabum semel iterúmque vocâsset, at ille venire recusâsset, denique Ioabi segetes incendi jussit, ita eum ad se pertraxit. His omnibus modis benignissimus Deus nos priùs ad orationem, tùm demum ad se trahit. Sed antè objectionibus respondeamus, quàm hunc triplicem trahendi modum distinctiùs explicemus.

Quid civile. *Luc. c. 14. v. 23.* *2. Re. c. 14. vers. 30.*

Ad orationem, inquis, sæpiusculè me trahi sentio, sed avocant negotia; non vacat.

Itáne inter postremissimas curas habendum mentis cùm Deo colloquium? Negotia, ut scias, ab oratione pendent, non hæc ab illis. Insuavis est labor, & sæpe inanis ac inutilis, quem oratio non condit.

Objicias iterum: Nonnunquam oblivio preces sepelit; orationes præsertim breviores sæpius iterarem, si earum sæpius meminissem.

Hîc ingenuè te reum ateris. Quàm enim facilè meminimus, quod libenter agimus? *Nemo oblivisci ejus potest, quod diligit.* Rarò & non libenter orare, pæne idem sunt. Sit Deus thesaurus cordis tui, & non solùm frequenter, sed assiduè orabis.

Iamb. vit. c. 15.

§. II.

Trahimur à Deo moraliter, *Matt. c. 11. v. 28.* *Ibid. c. 22. v. 4.*

ET primò quidem Deus nos moraliter trahit invitando, benefaciendo, rogando: *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos. Ecce prandium meum paravi, tauri mei & altilia occisa, & omnia parata, venite ad nuptias.* Ita beatitudinem promittendo, gehennam comminando, singulis horis benefaciendo humanissimè vocat: Venite ad me omnes, venite, venite.

Naturaliter, *Philip. c. 2. v. 7.*

Sed & naturaliter nos trahit similitudine admirandâ, nam *in similitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo*, sermonibus suavissimis nos deliniens, ipso in orbem ingressu hæc nobis significavit: Igne olim vestitus in Sinai montem inter fulgura, tubas & fulmina descendi; nunc autem, ne quisquam consortium meum horreret, en adsum vobis simillimus, vestram in me naturam cernitis; esurio, si io, ploro perinde ut vos, comedo, bibo, dormio non aliter quàm vos, frater vester, simillimus vobis. Non solùm autem similitudine, sed & calore, & vacui timore, & sympathiâ incredibili nos trahit. Tanto amoris æstu flagrabat Dominus Iesus, ut aliqui eum furere putarent. Ita Marcus dilucidè: *Cùm* inquit, *audissent sui, exierunt tenere eum, dicebant enim, quoniam in furorem versus est.* Quantis caloribus ardebat, cùm diceret: *Desiderio desideravi, hoc pascha manducare vobiscum, antequam patiar.* Quantis ignibus exæstuabat, cùm in cruce jam morti proximus clamaret. *Sitio.* Hanc in eo sitim ardentissimam gentis humanæ salus excitabat. Hic affixus soli cruci, vapores & halitus terræ, frigidissima corda in altum ad se pertraxit. Hic etiam vacui metus ruinam orbis minabatur. Nam sanctissimum Domini corpus jam sanguine & aquâ vacuum, ab ipso etiam animo desertum in trabe pependit, sol expalluit, terra movit & tremuit, mortis carcer reseravit, & patuit, captiui non pauci evolârunt. Orbis videbatur ruiturus.

Matt. c. 3. v. 23. *Luc. c. 22. v. 15.*

Multa corpora Sanctorũ, qui dormierãt, surrexerũt. Matt. c. 27. v. 42.

Ita calore trahebamur, sed & sympathiâ prorsus admirandâ trahimur. Eucharistia velut magnes potentissimus nos trahit vi latentissimâ. Nec enim aliud cernunt oculi, quàm candidum panis orbiculum; corpus, sanguis, animus, Christus totus, homo Deus latet. Inventio sanè obstupescenda!

Et Civiliter.

Sed & civiliter nos trahit Deus, dum per orationem suavi necessitate adigit ad meliora. Iis quæ principio capitis objecta sunt, respondet ille ipse, qui trahit. Quid vobis desit scio perfectissimè, & ab omni retro æternitate scivi. *Ego Dominus, & non mutor.* Ego amantissimus vestri, ego ditissimus, ego liberalissimus, dabo, quod petitis, victum & vestitum non subtraham, multò minùs negabo meam Gratiam. Hoc solùm à vobis exigo: *Venite, pulsate, petite.*

Malac. c. 3. v. 6.

En, ut mitissimus Deus civiliter nos trahat! nam apud plurimos nec moralis nec naturalis proficit attractio; excitantur minis, alliciuntur beneficiis, invitantur promissis; non veniunt, tractorios funiculos omnes abrumpunt. Christus eos ad præsepe in stabulum, ad conciones in templum, ad Eucharistiæ mensam in cenaculum, ad orationes in olivarum hortum, ad columnam purpuream in Pilati prætorium, ad vestem albam in Herodis palatium, ad crucis spectaculum in Golgothæ clivum, ad victoriæ triumphum in Iosephi viridarium vocat; non veniunt vocati. Ergo trahendi, ergo compellendi sunt. Ita Deus varias in nos calamitates immittit, rebus adversis premit, ærumnis urget & impellit. Ita pæne cogimur orare; vix aliud effugium, trahimur ad Deum.

Nos quidem sæpiusculè miramur: unde hæc afflictio, unde calamitas ista? Christus cum Absalone causam assignans: *Misit*, ait, *ad te obsecrans, ut venires ad me*, & noluisti venire. Traxi te funiculis, sed mollibus & byssinis, rogavi, & invitavi. Sed tu rupisti vincula mea, & dixisti: *Non serviam*. Traxi te nascendo & docendo, traxi te patiendo & moriendo, traxi te resurgendo & in cælum ascendendo. At tu rupisti vincula mea. Validum mihi restat vinculum; trahendus es cladibus & ærumnis, ad orationem compellendus es; ita denique jungemur, ita in amicitiam copulabimur.

2. Reg. c. 14. v. 32.

Hier. c. 2. v. 20.

§. III.

Hic, obsecro te, Lector, animum adverte, & seriùs audi, quâ ratione ab utrâque parte, sed prorsus inæquali vinculo trahamur. Trahit nos Deus, trahit & diabolus & velut trahendo certant, uter vincat, & hominem ad se pertrahat. Nos medij stamus, & in potestate nostrâ est, à quo attrahi velimus. Diabolus tenui filo, aut etiam fragili culmo nos non invitos ligat, vanitates & titulos, sterilissima nomina inculcat, pecuniam ostentat, libidinum voluptates monstrat, & hominem sine vi pertrahit ad vetitum. Abit miser homo, & expressissimas Dei leges violat, ut vel libidini suæ, vel aliis cupiditatibus satisfaciat. Deus etsi quandoque nauticos funes, etsi catenas injiciat ei, quem attractum cupit, etsi varias calamitates, jacturam gratiæ, cæli odium, etsi supplicium æternum & inferos minetur, Satanas nihilominus trahendo, vincit, & deliberantem hominem in suam pertrahit partem. Ita reverà efficit diabolus, ut homo injecta sibi à Deo vincula rumpat, Dei leges evertat, Deum conspuat.

Trahimur à Deo & diabolo inæquali vinculo.

Hoc indignitas maxima, hoc summa in Deum injuria est. Atqui hoc reipsâ & verè fit in omni letali noxâ. Hæc tanta in Deum contumelia nullis inferorum ignibus, æternitate nullâ expiabilis est.

Etiamnum semper quærimus, cur Deus peccatum letale unicum, quod vel solâ fit cogitatione, suppliciis æternis puniat? En causam, en injuriam ipsis oculis aspectabilem. Huc animum, huc oculos videte, obsecro, videte indignitatem criminis; unum eundémque hominem Deus trahit & diabolus. Funes Deus & catenas injicit, robusta vincula; pollicetur cælum, minatur inferos. Nil efficit; cedendum est Deo; rumpit vincula homo, & audacissimè dicit, *Non serviam.* At verò diabolus, subtilibus superbiæ funiculis, vel aureo avaritiæ filo, vel pictis luxuriæ catenulis trahit hominem, quò vult. Ita Deum certando vincit, triumphat, imò etiam insultat Deo, & opprobrat: En ita tui te homines colunt, pro quibus in crucem actus, pro quibus mortuus es: hæc tibi pro tuis reddunt beneficiis. Quid à me præmii sint accepturi, non nesciunt; nihilominus me sequuntur, mihi serviunt. Tua vincula rumpunt, meis se vinciri sinunt, modò eis pecuniolam, modò voluptatulam, aut gloriolam, velut viridem ramum his oviculis ostendam, facillimè quò volo, pertrahi se permittunt. Ego nullos pro eis colaphos, non flagra, non spinas, non clavos, non mortem pertuli, nihilominus tuis legibus calcatis, meas studiosissimè observant. Hoc Christo cacodæmon exprobrat.

Hier. c. 2. v. 20.

Exprobratio diaboli Deo facta.

Hoc, ô Christiani, hoc gehennis omnibus dignissimum est, hoc æternitate nullâ satis expiari potest. Quod in hac imagine Dei & diaboli pariter trahentium, vel oculis expositum est; nemo non videt, quàm indignum sit, malle hominum in cacodæmonis potiùs, quàm Conditoris partes transire; diaboli leges multò accuratiùs, quàm Dei servare.

Ventus est, cui Cæcias nomen, de quo Plinius: Narrant, inquit, & in Ponto Cæciam in se trahere nubes. Hinc adagio: Cæcias nubes trahit. Q. Sertorius vir strenuus & bellicosus, Plutarcho teste, cùm Characitanos oppugnaret, hujus venti naturam peritissimè in suam traxit fortunam: Nam cùm barbarus hostis in specus & antra sese abderet, ille grandes cinerum acervos è regione congeri jussit. Iámque Cæcia hostibus adverso flante, aliquot turmas equitum emisit, qui & hostem ad conflictum elicerent, & unâ cineres turbarent. Feliciissimè cessit stratagema. Nam Cæcias ita hostem cineribus involvit, & afflixit, ut mox sese dederet. Non multùm absimili ratione pugnat in nos Deus, quos ut sibi dedititios faciat, acervos cinerum, cumulos calamitatum adversùs nos aggerat, ut in suam redigat potestatem. Nimirum hoc Dei consilium est, tam copiosos oculis cineres ingerere, tam variis ærumnis impellere, ut denique non aliud velimus, quàm ad Deum per orationem procurrere, Deo nos dedere. Et quia cupit, ut in rebus omnibus, & assiduè ad se confugiamus orando, eam ob causam oculos nostros perpetuo cinerum aggestu implet, & modò morbis, modò pauperie, modò curis & mœroribus nos oppugnat, ut ad preces fundendas pertrahat. Hoc per Oseam se facturum jam olim denuntiavit: *In funiculis Adam trahameos, in vinculis charitatis.*

Plin. l. 2. Nat. Hist. c. 47. med.

Osee, 11. v. 4.

Cauſſa cur Deus puniat unum peccatum ſuppliciis æternis.

Væ homini, qui toties vincula divina rumpens, audet dicere: *Non serviam.* Invitamur, urgemur, trahimur ad assiduas orationes. Sub vitæ finem tot sua vincula monstrabit Deus, & jure meritissimo exprobrans dicet: Volebam quidem te meum esse, sed noluisti: Traxi te *moraliter* pollicitis, minis, beneficiis, precibus, donis; sed tu rupisti vincula mea: Traxi te *naturaliter*, non solùm pascendo te corpore meo, sed etiam moriendo pro te; at tu rupisti vincula mea: Traxi te, *civiliter*, miseriis & calamitatibus diversis. Voluissem, ut per crebras orationes arctissimâ jungeremur amicitiâ; sed tu noluisti, & rupisti omnia vincula mea, dixisti, *Non serviam.* At verò diabolum tenui filo trahentem, quò voluit, secutus es. Quia igitur deseruisti me, nunc & ego te deseram, & projiciam à me in æternum.

Ita

Matth. c. 8. v. 12. Cant. c. 1. v. 4.

Ita *filii regni ejiciuntur in tenebras exteriores, ibi erit fletus & stridor dentium.* Nunc ergo deprecemur Dominum, & clamemus: Trahe nos post te.

CAPVT V.

Quando prolixiùs & ardentiùs orandum.

AGitabatur olim quæstio inter complures: num sapientia potiùs, an opulentia deligenda. Visum est non paucis, opulentiam præstare Sapientiæ. Nam opulenti, ajebant, doctos non prensant, non ambiunt, sed docti opulentos. Contrà sentiebant alii, longè meliorem esse sapientiam omni opulentiâ. Vir enim eruditus & sapiens studiosissimè quærit, quidquid damnosè sibi deesse cognoscit: Opulentus facilè persuadetur omnium bonorum possessione se frui, cùm abundet pecuniâ; ita bonum illud minimè quærit, cujus penuriâ maximè laborat.

Cur Deus permittat se fatigari multis precibus?

Prior non absimilis est quæstio: An humanæ genti non consultius foret, si Deus singulis, quod cuique scit deesse, liberali manu tribueret, quàm multis precibus fatigari sustineret? Hîc una omnium rectè sentientium vox est: Non fore consultius. Si enim Deus etiam non petentibus daret, quod cuivis necessarium judicaret, quàm rarus, quàm & frigidus orationis usus esset? Deus multiplici rerum indigentiâ nos ad se trahit, perinde ac si singillatim omnes monuisset: Cùm tibi aliquid defuerit, ad me propera, quære, pulsa, pete. Impetrabis, si debitè poposcèris.

Explicavimus, quâ ratione semper & assiduè orandum. Quid in oratione petendum. Quibus modis per orationem trahamur ad Deum. Restat dicere, quando potissimùm prolixiùs & ardentiùs sit orandum.

§. I.

1. Prolixiùs & ardentiùs orandum cùm donum aliquod à Deo accepimus.

PRimò; Tunc sanè attentiùs, prolixiùs, & ardentiùs orandum est, *cùm donorum aliquid à Deo accipimus.* Consultissimum est, ita seipsum assuefacere, ut quotiescumque aliquid divini luminis & melior è cælo radius allucet, cùm aliquid à Deo impetratum est, cùm prospero successu res eunt, cùm quis bene sibi esse sentit, mox sese ad Deum vertat; *Benedictus Deus in æternum; mi Domine, hoc à te munus est, tibi gratias ago.*

Alaudulas ferunt, quotiescumque aliquid in agro pabuli reperiunt, mox evolare in altum, suaviter cantare in laudem & præconium sui altoris. Homo nutritoris Dei alumnus, non se gratiorem exhibeat alaudâ? Quotiescumque igitur Deus beneficum se nobis ostendit, licet in re modicâ, toties nos illi gratissimos exhibeamus; mox sequatur oratio. In omnibus gratias agentes benedicamus Dominum in omni tempore.

2. Cùm ardui aliquid aggredimur.

Secundò: Orandum est, *cùm ardui quid aggredimur.* Suis id Christus divinissimis exemplis nos docuit, qui discipulos sibi electurus totam noctem precibus pervigilavit. Res erat ardua duodecim concionatores eligere, qui orbem universum ad CHRISTI signa transferrent. Electionem hanc Dominus orando inchoavit.

Castissima vidua Iudith facinus summè arduum, & multò, quàm sexus ferret, animosiùs aggressa est orando. Holoferni supremo duci caput amputare meditabatur. Quid agis mulier imbellis? virum femina, heroëm, Ducem, Imperatorem bellicosissimum dextra ducendis filis assueta obtruncet? Ipsi subinde carnifices multorum suppliciis celebres, in cæde talium virorum trepidant, & Hebræa vidua tam strenuum Principem sola jugulet? Quid agis Iudith?

Illa nihilominus cogitatum facinus attentissimis precibus exorsa est, stetitque Iudith ante lectum, orâs cum lacrymis, & labiorum motu in silentio dicens: *Confirma me Domine Deus Israël, & respice in hâc horâ ad opera manuum mearum, ut hoc quod credens per te posse fieri cogitavi, perficiam.* Et sanè perfecit, Deus manum direxit, illa caput Holoferni abstulit, hostium exercitum in fugam conjecit, Bethuliam servavit, gloriosissimam victoriam quam sperârat, obtinuit, quia, quod molieba-tur, precando inchoavit. Iudit. c. 13. v. 7.

Objicias hîc: Sunt, qui precibus pæne nihil temporis assignent, nec actiones suas oratione inchoent, nec Deum libellis supplicibus fatigent, nihilominus negotia sua dexterrimè perficiant, & rerum suarum successum ad votum habeant.

Esto. Nec invidemus: nam subinde Deo sic permittente adjutorem habent diabolum. Hoc videre est in Israëlis populo, qui Mose absente & colloquente cum Deo, armillas & inaures aureas congessit, eo animo ut Aaron è metallo tam nobili fabricaret Deum. Aaron intemperatissimis precibus adactus, aurum in fornacem conjecit, & opus absolutum, vitulum conflatilis exivit. Sed, quæso, quâ tandem ratione id factum, num in solitudine mox adfuerunt aurifices; & adfuerint sanè, unde illis tam subitò aurificinæ instrumenta? Et quæri potest, num opus malleatum & procusum, an verò fusile & conflatum ruerit? Si primum, fieri non potuit, ut tam citò absolveretur; si alterum, unde forma & omnis supellex fusoria? Sunt, qui dicant, aurum ab Aarone in fornacem conjectum, vitulum à diabolo aurifice formatum. Sic enim Aaron testatur: *Projeci illud in ignem, egressúsque est hic vitulus.* Vt hæc sunt facta: quidam non multum laborant, & parùm orant, eis tamen ad votum fluunt omnia. Alii laboribus se frangunt, diligentiæ plurimum insumunt, frequenter & sollicitè orant, vix ullo tamen successu. Quæso prioribus illis progressiones tantas non invideamus; felices sunt suo damno. Isti verò, qui nihil sine precibus aggrediuntur, Deum faventem habent, qui sæpe non vult labori respondere processum, ex causâ ipsi notâ. Quidquid igitur laboris sumimus, aut operæ, adorandus est Deus, ut actiones nostras omnes & aspirando præveniat, & adjuvando prosequatur. Vitulus conflatilis an fuerit opus malleatum & procusum an verò fusile & cõflatum. Exod. c. 32. v. 24.

§. II.

3. Cùm periculum peccandi est.

TErtiò: Orandum est, *cùm periculum peccandi est.* Quoties contingit in salutis discrimine versari, ut aliquis vel in pudicitiam ac castitatem, vel in justitiam, aut temperantiam aliámve legem delinquat. Quid hîc agat bonæ mentis homo, num quod unus aliqui Turcarum fecit, qui vinum Mahometi lege vetitum potaturus dixit: Vinum adest, ô anima, contrahe te ac necessitati cede?

Apage has conscientias cauterio inustas: cùm periculum est lædendæ conscientiæ, mox ad Deum se vertat homo, & divinam imploret opem, uti Christus docuit: *Et ne nos inducas in tentationem.* Eam autem tentationem rectè deprecantur, quæ animo nocitura est. Et Theologi passim tradunt, non in periculo solùm corporis, sed animi ac salutis, idque tantò magis orandum. Istud Franciscus Suarezius his omninò verbis asserens: *Primo*, inquit, *ac præcipuè obligatur homo ad orandum pro se maximè in spiritualibus, quâ oratione prævenitur, ne incidat in tentationem, id est, non solùm ut per tentationem non vincatur, sed etiam ut in illam incidere, ut eâ graviter vexari non sinatur. Tunc enim confidere de suâ libertate, esset magna superbia & præsumptio; confidere autem de solo auxilio ordinario sufficiente, esset stulta negligentia. Addo insuper in hujusmodi occasionibus, pro quibus hæc oritur obligatio, illam omittere, grave est peccatum, non solùm contra illam virtutem, contra quam vexat tentatio, verbi gratiâ, contra castitatem, sed etiam speciali modo contra charitatem, vel ut probabile* Matth. c. 6. v. 13. Franciscus Suarez. to. 2. l. 1. de orat. in communi, c. 30. n. 17. & 18. mihi p. 71.

probabile est etiam contra Religionem. Orandum igitur & precibus periculum amoliendum est.

Vix ullus in seipsum tam iniquus erit quin oret, Deóque se commendet, cùm vitæ discrimen ob oculos versatur. Siccine corpori suam propugnamus incolumitatem,& animi negligemus? Quid prodest homini centum annis vivere, & universum mundum lucrari, animæ verò detrimentum pati? Ita princeps Theologus Thomas Aquinas docet,divino & naturali jure sub novi peccati pœnâ nos obligari ad orandum, cùm in periculo sumus peccandi. Tunc enim utrimque trahimur, hinc à Deo divinisque legibus, illinc à diabolo pessimisque suggestionibus. Si cupimus à Deo attrahi, quamplurimum nos ad illum vertamus paratis his vocibus: *Et ne nos inducas in tentationem.* In hoc animæ periculo ne sinas nos interire: Domine salva nos.

Matt. c. 16. v. 26.

Matt. c. 6. v. 13.

4. Cùm adversa premunt.

Quartò: Orandum est, *cùm adversa premunt.* Psaltes regius longâ calamitatum serie exercitatissimus: *Beatus,* inquit, *cujus Deus Iacob adjutor ejus, spes ejus in Domino Deo ipsius.* Cur, obsecro, non Abrahamum, non Isaacum, sed Isaaci filium Iacob nominat? Hic erat de præsidio, quo Deus suos in adversis fidelissimè tuetur, idcircò nominavit Deum Iacob, ut constaret, quid Deus eo tempore à suis exigeret. Iacob fraternâ intemperie pulsus è parentum domo, solum vertere pro asylo habuit. Sic è Chanaan in Mesopotamiam ad Labanum avunculum contendit, paupertimus viator, bacillum pro omni supellectile, próque omni telo secum asportavit. In itinere Deum impensissimè sibi conciliare insistens: *Si,* ait, *fuerit Deus mecum, & custodierit me in viâ, per quam ego ambulo, & dederit mihi panem ad vescendum, & vestimentum ad induendum, reversúsque fuero prosperè ad domum patris mei, erit mihi Dominus in Deum.* Impetravit quæ voluit, & plura quàm voluit. Cùm verò reditum illius in patriam, Esau frater cum quadringentis viris hostiliter excepturus occurreret, quàm ardenter Iacob precatus: *Deus patris mei Abraham,* inquit, *& Deus patris mei Isaac: Domine, qui dixisti mihi, revertere in terram tuam, & in locum nativitatis tuæ, & benefaciam tibi. Minor sum cunctis miserationibus tuis,* &c. *Erue me de manu fratris mei Esau, quia valde eum timeo.* His precibus & Deum sibi propitiavit, & immutavit fratris animum. Nam Esau, subitò ferociam omnem exuens, mentem induit amicissimam, jámque iterum ex hoste frater, humanissimè fratrem complexus est.

B

Gen. c. 28. v. 20. & 21.

Gen. c. 32. v. 9. 10. & 11.

Iacob per orationem immutavit animũ fratris.

Nos quandoque ad solam mortis memoriam, velut ad terrificam larvam, aut colubrinam Meduæ peltam expallescimus. Hem meticulosi infantes! Ad orationem velut ad Matrem confugiamus, & vanus hic metus evanescet: sentiemus opitulantem Deum Iacob, si oraverimus ut Iacob. Consilium Apostoli Iacobi scimus: *Tristatur aliquis in vobis? oret.*

C

Iac. c. 5. v. 13.

D

Christus ipse, tametsi tristaretur ad mortem, confugit tamen ad orationem, *& factus in agoniâ, prolixius orabat.* Tribus horis circiter, ut aliquorum fert sententia. Si in mœrore, aut in rebus adversis difficile sit orationem producere, brevior sit oratio, sed crebrior; sit frequenter repetita, si non possit esse longa. Doctissimus Iansenius Episcopus statuit Christum non tantùm in Olivarum horto, & Calvariæ clivo, sed ad omnem injuriam notabiliorem orâsse, in exemplum nobis: periisse si dixisset, ita propulsandæ sunt injuriæ, orationis clypeus est objiciendus. Quod religiosissimè rex David executus: *Pro eo,* inquit, *ut me diligerent, detrahebant mihi, ego autem orabam.* Qui mihi debuissent referre gratias intulerunt injurias. Ego autem optimam orandi occasionem nactus, ab oratione non destiti; certus fore, ut dum homines aduersos habeo, Deum propitium inveniam. Ita est, qui in injuriis tacent, in oratione efficaciùs clamant: patientia provocat misericordiam.

Luc. c. 22. v. 43.

Christus ad omnẽ notabiliorem injuriam oravit. *Ex Iansenio.*

Psal. 108. v. 4.

§. III.

Christus in cruce decẽ psalmos recitavit. *Ex Hieronymo.*

BEatus Hieronymus existimat Christum in Cruce pendentem, tacitè decem psalmos recitâsse; initium feciſse à vigesimo primo, & ad psalmi trigesimi verba illa perveniſse: *In manus tuas commendo spiritum meum.* Quod confirmatur hymno ad cenam dicto. Quorsum enim hæc oratio Christi? Numquid non Deus erat? Nostræ hoc institutioni fecerat, ut quandocumque nobis malè esset, orando vim mali retunderemus. Non aliter quàm sicut gliscente incendio ad aquam properatur, ita ingruente turbamento properandum ad preces.

Psal. 30. v. 6.

Quid Christus in Apostolis reprehenderet cùm dormiens in puppi est excitatus.

Apostoli periclitantes in aquis ob fluctuum in naviculam insultus, Dominum in puppi dormientem suscitaverunt. Optimè factum, vult suscitari, ideo dormit. Quid ergo in Apostolis reprehensum? Non quòd somnum turbârit, non quòd territi clamârint, nec etiam quòd illisus fluctuum defendi rogârint, sed quòd minorem, quàm par erat, fiduciam exhibuerint, & dormientem velut periculi ignarum excitaverint.

Tutissimũ in adversis asylum, oratio.

Tutissimum in adversis asylum, oratio. Quod etiam Christiani Iapones nos docebũt. Anno millesimo sexcentesimo duodecimo, Rex Iaponum Daifu quatuordecim Christianos ex urbe Sarungâ totóque regno religionis causâ proscripsit. Inter hos Ioannes Faramundus domo nobilis, & facultatibus abundans. Hic à suomet famulo, quem à parvulis educavit, proditus est. Quare crux inusta fronti, & manuum ac pedum digiti omnes præcisi. Promulgatum insuper, ne quis totâ Iaponiâ sub pœnâ capitis generosissimum hunc Athletam hospitio reciperet. Inspicite, oro, & considerate hoc mutilati hominis spectaculum, in fronte stigma rubet, manus pedésque truncati, ipse desertissimus ab omnibus & exclusissimus est. Sua tamen oculis, sua lingua, ac animo libertas etiamnum constat: Quis prohibeat cum Iosaphato rege dicere: *Deus noster, cum ignoremus, quid agere debeamus, hoc solum habemus residui, ut oculos nostros dirigamus ad te.*

Christus in adversis asylum & orationem nos docent Christiani Iapones.

2. Paral. c. 20. v. 12.

En specimen nobilissimum in adversis & tolerandi & orandi. Et quamvis nostrûm singuli Faramundum Iaponem Christianum non æquaremus solùm, sed superaremus calamitatum copiâ, nemo tamen animum despondeat: hoc habemus residui, ut oculos nostros precando ad illum dirigamus, in cujus manu sita sunt omnia: clamemus ad eum, & ipse salvabit nos in tempore afflictionis nostræ.

Deus nos ideo adversis premi permittit, ideo in mare iratum ducit, ideo dormit, tanquam quid agatur ignoret, ut orationibus vigilantissimis suscitemus ipsum. Videt equidem ille pervigil oculus nos fluctibus pæne sepeliri, sed dissimulat videre; imò ipse ventos ac turbines in nos concitavit, ipse jussit eos furere, ipse maris iracundiam adversùm nos commovit, interim dormienti similis, nostram in se fiduciam arbitratur, nostras ad se orationes auscultat. Suscitemus Dominum precatione attentissimâ, & imperabit ventis ac mari: Fiet *tranquillitas magna.* In oculis portus est; enavigabimus.

Matth. c. 8. v. 26.

§. IV.

Oratio hominis afflicti Deo grata, *Psal. 101. v. 18.*

QVàm autem oratio hominis afflicti, Deo sit grata, vel inde potest liquere. Hebræus Psaltes tam sibi, quàm afflictis omnibus applaudens: *Respexit Dominus,* inquit, *in orationem humilium.* Vel, ut Pagnini est interpretatio, in orationem myricæ. † Vel, ut aliorum, *in orationem cicadæ:* Eorum scilicet qui miseriis involuti, ærumnis pressi, auxiliis destituti gemunt. Sed miramur, ó Domine, quid inamœnis

† *Humilis vigilis*

stridoꝝ

ſtridoribus cicadæ potiùs quàm merulæ, vel acanthidis, vel luſciniæ ſuaviſſimo cantu delecteris. Quàm dulcis eſt Muſica tot avicularum, quæ primo vere ſilvas & viridaria exhilarant? Nihil ad illas cicadæ. Quidquid ſit, has illis divinæ aures præferunt. Nam illæ cantatrices aviculæ ad oblectationem cantant; cùm turbantur, ceſſant. At cicada rore paſcitur, & æſtivis menſibus totos dies ſtridet, canitque incredibili conſtantiâ: ſic animi ſubmiſſi homo, tametſi vilis & abiectus ſit adverſis inſuper exagitatus, ſorte tamen ſuâ contentiſſimus eſt, & æquali conſtantiâ conditorem laudat. Alii tunc ſuaviter canunt orando, cùm omnia ad nutum fluunt, cùm annus fertilis, cùm proventus copioſi, cùm eventus fauſti, cùm veris ridet amœnitas; Tolle iſta, jam vox ſepulta, oratio vix ulla, languent & tacent omnia. Idcircò Deus in humilium orationem reſpicit; cicadæ ſtridulum melos, aliarum avium concentui præfert.

Quia etſi vilis & abjectus, ſorte tamē ſuâ contētus æquali conſtātiâ Deum laudat.

Strabo l. 6.

Strabo memorat, Eunomium citharœdum Locrēſem, cum Ariſtone Muſico, Rhegino cantu & fidibus certāſſe. Cùm verò Eunomius ob chordam ſubitò ruptam, de victoriâ periclitaretur, cicada felici caſu ſupervolitans in Eunomii citharâ conſedit, & fractæ chordæ vocem ſtridore ſuo ſupplevit. Hinc Locris in Italiâ Eunomii ſtatua viſitur, quæ cicadam citharæ inſidentem monſtrat.

Aſpice Chriſtum crucifixum in ſublime elatum, in eo artus & nervi omnes veluti chordæ ad concentum tenſæ ac temperatæ: Hîc audire licet ſeptemplex melos ſuaviſſimum. Quiſquis te miſerum, infelicem & cicadæ inſtar abjectum crecis, in hanc citharam ſubſulta: hîc vocem tuam expedi, hîc ora, hîc canta: non ſpernēris ab hâc citharâ. Et en cicadam aliam. Tarſenſis Paulus, qui ſe minimum Apoſtolorum, nec dignum vocari Apoſtolum, qui ſe abortivum nominat, is tamen velut cicada in citharâ crucis conſidens, *Ego*, inquit, *adimpleo ea, quæ deſunt paſſionum Chriſti, in carne meâ*. En, obſecro, cicadam, quæ chordæ vicem obit, ne quid huic muſicæ deſit. Oratio afflictorum Deo longè gratiſſima.

Coloſſ. c. 1. v. 24.

NB Chriſti paſſio in ſe pleniſſima & ſufficētiſſima redimēdis vel mille mundis; ei tamē in nobis deeſt communicatio & participatio horum meritorū, videlicet, ut Chriſtus nō tantùm in ſe, etiam in ſuis membris, in Chriſtianis ſimilia patiatur.

Princeps Huſſæus Iob inter ruinas erectiſſimus, pecore omni abacto, liberis ruinâ unicâ ſepultis, bonis omnibus ademtis, adhuc tamen cantabat hilaris: † *Sit nomen Domini benedictum*. Hæc oratio in calamitatibus, hic cantus in adverſis magis placuit DEO, quàm decem millia precationum in proſperis. Hujus cicadæ vocem Chryſoſtomus his verbis dilaudat: * *Univerſa Iob amiſit, magis autem univerſa invenit. Cuncta enim læta amittens, lætitiæ radicem non amiſit; amiſit lyram, ſed artifex remanſit. Chriſtus in cruce citharœdus, imò & ipſa citharа, non ut ficta Orphei muſica, ad ſe potentiſſimè traxit non amicos ſolùm, ſed & inimicos; non ſolum viros, ſed & montes; traxit rupes, traxit ſolem & omnem ſiderum comitatum. Quid extinctum Apoſtoli lugetis? citharam perdidiſtis, ſed artifex remanſit. Orando perſeverate. Oratio Chriſtum è cælo traxit, oratio illum corpore veſtivit; illius in ſolitudine cibus oratio, in morte pharmacum fuit. Oratio vobis & citharam aptiſſimam, & ipſum etiam artificem reſtituet redivivum. Oratio in luctu ſuaviſſima cœlitibus eſt muſica.*

† Iob c. 1. v. 21.

* Chryſ. to. 1. ho. 4. de pat. Iob miſ. hi p. 568.

Oratio hominis patientis in adverſis non patitur repulſam. Pſal. 11. v. 6.

§. V.

QVocirca præclariſſimum illud monitum Ioānis Avilæ læpius inculcandū. Plus valet unicum Deo gratias in aduerſis, quàm ſex millia in proſperis. Oratis patientia incredibilem vim confert orationi. Hominis verè patientis deprecatio repulſam non patitur. *Propter miſeriam inopum, & gemitum pauperum, nunc exſurgam, dicit Dominus.* Quæ Chryſoſtomus explicans *Timete*, inquit, *quicunque pauperes in uriâ afflicitis. Habetis potentiam, opes, pecuniam, & judicum benevolentiam: Sed habent illi arma omnium validiſſima, luctus & ejulatus.* Hæc arma domos effodiunt, hæc fundamenta everunt, hæc integras gentes ſubmergunt. Bonum eorum animum Deus reveretur, quando mala patientes, nullum malum verbum proferunt, ſolùm autem gemunt, & ſua mala deplorant.

Lugubres ad Deum orationes.

Si quam laudem meruit unquam Samuel, certè hoc uno facto meruit longè maximam; in afflictione admodum ſuâ contentiſſimè oravit. Nam à ſuo populo tam graviter offenſus, ac de ſuo principatu tam turpiter dejectus, nec puſillanimis ſuccubuit, nec iratus excanduit, nec elatus infremuit, ſed prudens & patiens totum ſe contulit ad orandum. Samuelem totam noctem orando extraxiſſe credidit Ioſephus. Sic olim Moſes à jurgante ac murmurante populo graviſſimè provocatus, clamavit ad Dominum, dicens: *Quid faciam populo huic? adhuc paululum & lapidabit me.* Sic Ezechias regum optimus à rege Aſſyriorum litteris iniquiſſimè laceſſitus, *Aſcendit in domum Domini, & expandit eas coram Domino, & oravit in conſpectu ejus.* Sic & David, vel ſub ejus effigie Chriſtus Dominus: *Adverſum me loquebantur*, inquit, *qui ſedebant in portâ, & in me pſallebant, qui bibebant vinum; ego verò orationem meam ad te, Domine.* Sic & Sara Tobiæ uxor ab ancillâ conviciis acerrimis lacerata, *perrexit in ſuperius cubiculum domûs ſuæ: & tribus diebus, & tribus noctibus non manducavit, neque bibit, ſed in oratione perſiſtens cum lacrymis deprecabatur Deum.* O Muſicam Superis jucundam! Oratio in adverſis & in luctu ſuave organum cælo, dulcis Deo concentus.

Ioſeph. l. 8. Antiq. c. 4.

Exod. c. 17. v. 4.

4. Reg. c. 19. v. 14.

Pſal. 68. v. 13. & 14.

Tob. c. 3. v. 10. & 11.

CAPVT VI.

Quomodo aliqui omnia, alii nihil impetrent orando.

VIr religioſus è divi Dominici familiâ Ioannes Taulerus rem miram commemorat: Duæ, inquit, virgines iiſdem ædibus habitabat. Altera rerum difficilium ac ſublimium non ignara, ſermonem de iis miſcere noverat, quæ auditorem in admirationem raperent. Altera horum negligens, laudabili ſimplicitate in Deum immerſa, hoc unum ſibi ſumpſit ſtudii, Deo divinæque voluntati in rebus planè omnibus ſeipſam quàm perfectiſſimè conſignare ac tradere. Hoc ſolidiſſimæ devotionis ſtudio id aſſecuta eſt, Deumque adeò habuit exorabilem, ut quidquid ferè petiiſſet, impetraret. Hinc plurimi ſe ſuáque negotia illis cuixè commendārunt, precibus ad optatum finem deducenda. Recepit illa in ſuam fidem, quod ſibi commiſſum fuerat, & verò etiam poſtulata preces fundere deſtinavit, ſed quod humanæ memoriæ pronum, id exqui ſubinde oblita eſt. Interim negotia aliorum ex animi ſententiâ fluebant. Eapropter reverſi, plurimi ubertimas egerunt gratias, ob rerū ſuarum proſperos ſucceſſus; abundè ſibi ſatisfactum teſtati. Illa tacitè in ruborem verſa mirabatur, quòd ſe nec oráſſe quidem meminiſſet. Ab his ad alloquendum Deum digreſſa: Mi amātiſſime Deus, inquiebat, quid hoc fieri dicam? Ego ſegniter obliviosa, illas gratiarum actiones nequaquam merui, quia promiſſis non ſteti, neque negotiis mihi commēdatis preces impendi. Cui Deus: Tua mihi voluntas loquebatur, ſua Pſalmi reſponſum nōſti: *Deſiderium pauperum exaudivit Dominus, præparationem cordis eorū audivit auris tua.* Cùm tu proponeres rogare, decrevi ego facere, quia tuam volūtate meā cōmutāſti.

Videte, obſecro, quām celeres Deo ſunt aures, ut non ſolùm clamorem, lacrymas, orationem ipſam, ſed etiam orationis præparationem, & veluti primos ac tenuiſſimos animi ſuſurros exaudiat. Quod Iſaias apertiſſimè teſtatur. *Exitque, ait, antequam clament, ego exaudiam*: adhuc illis loquentibus, ego audiam. Adeò propenſus eſt Deus aures propitias præbere.

Pſal. 16. v. 17.

Iſai. c. 65. v. 24.

Interim innumeras in cælum jacimus querelas, nos toties & tamdiu tamque ardeter vociferari ad Deum, & non audiri. Quid ad hæc responsi est? Hic ille scopulus est, ad quem orbis pæne totus colliditur: ad hunc scopulum impegerunt viri etiam sanctissimi. Sic nos ratiocinamur: Evangelia promissis ingentibus abundant, si vel duo solùm conjunctis viribus rogent, impetraturos quidquid rogaverint: hi neminem repudiari, modò quærant, modò pulsent ac petant, inventuros & accepturos quidquid petierint. Nos interim dies & annos precationibus implemus, quotidianis clamoribus fatigamus cælum, superos omnes in caussæ patrocinium vocamus; nemo audit, nemo aperit, nemo votis annuit. En scopulum vel astris minantem, en montem vel Caucaso magis horrificum. Sed hanc ipsam, Deo favente, tamen dabilem rupem in mare jam præcipitabimus. Stabit Domini promissum: *Si monti hùic dixeris; Tollere, & jacta te in mare, fiet.* *Matt. c. 12. v. 21.*

Hoc igitur loco duo sunt exequenda: Primum est, integros sanctósque homines, quidquid petunt, impetrare. Alterum, exponendæ caussæ, cur aliquorum preces aut non sint, aut certè non videantur esse ratæ.

§. I.

Cur amici Dei, quidquid rogant, impetrant.

PRimum est; Amici Dei, quidquid rogant, impetrant. In promptu caussa est. Nam & ipsi, quidquid Deus imperat, exequuntur. Vna ipsorum & Dei voluntas est. Hinc quidquid illi voluerint rogare, hoc Deus ab æterno voluit concedere. Promittit olim Moses: *Abundare te faciet Dominus Deus tuus in cunctis operibus manuum tuarum, &c. in ubertate terræ tuæ, & in rerum omnium largitate. Revertetur enim Dominus, ut gaudeat super te in omnibus bonis: si tamen audieris vocem Domini Dei tui, & custodieris præcepta ejus.* Vis, ut Deus omnia tuò arbitratu faciat? tu priùs fac omnia secundum Dei arbitrium: Vis, ut Deus veniat ad te? tu modò prodi obviam, ille mox in viâ erit. Vis, ut perenti tibi nihil neget, nec tu nega illi quidquam. *Delectare in Domino, & dabit tibi petitiones cordis tui.* *Deut. c. 30. v. 9. & 10.* *Psal. 36. v. 4.*

B. Dominicus omnia quæ à Deo petiit impetravit.

Beatus Dominicus vir alioquin oris modestissimi, auditus tamen est dicere, se nihil unquam à DEO petisse, quod non impetrasset. Excepit has voces sociorum aliquis, & continuò subiungens: Mi pater, inquit, pete, obsecro, ut ille celeberrimus Doctorum Conradus, in tuam adscribi velit familiam. Cui Dominicus: Difficile hoc quidem est, inquit, si autem id petam, futurum confido, ut impetrem. Proximam noctem totam orando duxit. Sequenti mane Doctor Conradus ad cœnobium venit, & à Dominico in religiosam familiam admitti petit. Amici Dei, quidquid rogant, impetrant. Abundare facit illos Dominus in rerum omnium largitate.

Guil. in vitâ S. Bern. l. 2. c. 3. in hip. 1060. Sic & S. Bernardus multos in suam familiam precibus traxit.

Bernardus ille mellis fluvius, complures genere, divitijs, eruditione præstantes juvenes ac viros in suam familiam precibus & virtutum exemplis traxit. Inter ceteros fuit Gaufridus de Peronâ Flander, qui postmodùm in Claravalle Antistitis officio functus est. Videbatur vir iste omnia alia malle, quàm monachum induere. Sed eas homini faces conscientia subdidit, ut tandem in sacrum Bernardi commilitium adscriptus sit. Cumque jam iter faceret cum viro sancto, tentatione gravissimâ exagitari cœpit. Multa recursabant animo, facultates, amici, voluptates, & omnia mundi gaudia jam deserta; hærebant infixi pectore vultus verbáque charorum olim hominum. Hinc luculenta mœstitiæ signa in Gaufridi fronte legebantur. Bernardi socius curiosiore oculo virum intuitus: Quid est, inquit, Domine Gaufride, quod vultum his tristitiæ imbibus obducat; quâ cogitationum mole mergeris? Nec amplius emergam, sat scio, inquit Gaufridus, extincta est in me omnis lætitia. Hoc qui audiit, ad Bernardum anxiè retulit. At vir sanctus id suaviter dissimulans, cùm ad templum viæ proximum perveniissent, ingressus est ad preces fundendas. Socii foris præstolabantur; inter hos Gaufridus tædii plenus in saxo residens obdormivit. Vbi Bernardus orationem, Gaufridus etiam somnum finiit, sed jam longè alius, tantò hilarior ceteris omnibus, quantò antea tristior. Mirati socii tam subitam vultûs animique mutationem, humaniter eam exprobrare cœperunt. His ille: Dixi, ait, non nego unquam ampliùs futurum me lætum, Nunc verto & canto; nunquam ampliùs tristis ero. Hoc Bernardi preces potuerunt. Sed idem ille Gaufridus primo tirocinii sui tempore, ob parentem suum hominem opulentum sollicitus Bernardum adiit, & summè rogavit, patri suo emendatiorem vitam precibus obtinere nō gravaretur: Cui Bernardus. Ne malè metuas, inquit, ego illum probatum monachum in hâc Claravalle meis manibus sepeliam. Vtrumque fuisse verissimum, eventus docuit.

Ita nimirum suos amicos abundare facit Dominus in rerum omnium largitate. Ipsis promissum est: *Quodcumque volueritis, petetis, & fiet vobis.* Ita vir integerrimus Fràciscus de Paulâ, ob nauli penuriam rejectus à nautâ, pallium suum in undis explicuit, & in eo velut in navi mare Siculum unà cum socio trajecit. Ita beata Scholastica cùm fratrem suum Benedictum non aliter retinere posset, repentinas pluvias impetravit. Sic innumeri alii volucribus, quadrupedibus, feris, piscibus, fideribus & astris, rebus creatis aliis, & ipsi creatori, ad cujus arbitrium se totos finxerant, vim gratam precibus fecerunt. Ita orante Iosue, & impetrante, sol cursum suum inhibuit, *obediente Domino voci hominis.* Quidquid rogant amici Dei, impetrant. *Sancti*, ait, Augustinus, *ad salutem per omnia exaudiuntur.* Abundare facit illos Dominus in rerum omnium largitate; Quidquid petierint, fiet illis. *Ioan. c. 15. v. 7.* *Iosue c. 10. v. 14.* *Aug. tom. 5. tract. 6. in ep. 1. Ioan. c. 3. mihi pag. 353.* *Taulerus in Circumcis. Dom. conc. 1. mihi pag. 134.*

C Hinc priscus ille Theologus & Ecclesiastes fideliter dicere ausus est: Credite mihi, quisquis ita se Deo omni tempore (*voluntatis conformatione*) captivum tradit, huic & Deum vicissim se captivum tradere oportet. Tum verò hominem supra omnem modum, omnémque captivitatem, in divinam quamdam transfert libertatem; imò & in seipsum, ita, ut homo ejusmodi, jam quodâmodo divinus potiùs quàm naturalis homo fit, & quisquis eum tangit, etiam Deum tãgat. Hìc jam cuncta sanantur vulnera, debita omnia relaxãtur. Hìc amoris ludus omnem superat intellectum. Hoc autẽ satius est experiri, quàm intelligere. Qui ejusmodi sunt in perpetuâ stant resignatione voluntatis suæ, & omniũ eorum, quæ Dominus vult relinqui ac resignari, & seipsos in omnibus diligentissimè obseruant. His Deus præsens est omni tempore, nec unquã illius præsentiâ frustrantur, quamdiu ipsum intendunt & inquirũt, omni propriâ quæsitione calcatâ. Ajo igitur, quòd D eorum, qui se Deo resignârunt, instituta & sensus, plus sine verbis orant, quàm alii extra hos in suis precibus ubertim lacrymantes. Amici Dei, quidquid rogant, impetrant. *Qui suam voluntatẽ cum civitatis cõditorũ mente iis Deus semper est præsens.*

§. II.

Cur plurimi vix quidquam impetrent eorũ quæ petunt.

SEd dixeris: Sunt plurimi, qui se Dei amicos esse judicent, vix quidquam tamen eorum, quę petunt, impetrent. Respondeo triplici rem omnem explico. Primum: Qui malè rogat, quid miri est, si nihil impetrat. Hanc caussam Iacobus Apostolus assignans: *Petitis*, inquit, *& non accipitis, eò quod malè petatis.* Fili Zebedæi, confessum in regno Christi petierunt; non impetrárunt: Ignem de cælo in Samaritanos præcipitari voluerunt; nec istud obtinuerunt. Non simplici modo malè petimus. Nam aut bona sed malè, aut certè in se mala, aut ipsi malè petimus. Singulis *Resp. 1. Iac. c. 4. v. 3.*

gulis lucem adfero: Qui facultates suas augeri postulat, sed ideo ut ipse luxum augeat, rem non malam, sed malo fine postulat. Qui inimico interitum, qui hosti tartarum apprecatur, rem malam & non petendam petit. Deóque injuriam facit. Frequenter non malum quid petimus, sed ipsi petitores mali, & gratiâ divinâ vacui sumus. Non rarò rem licitam, sed nullâ aut vacillante fiduciâ rogamus. Subinde bonum quid, & fine bono poscimus, quod tamen impetrare non expedit, ne bonum majus impediatur.

Aug. to. 8. in psalm. 144. mihi pag. 687.

Disertissimus hic Augustinus, ad orationis perseverantiam accedens, & providentissimâ Dei largitatem exponès: *Quando*, inquit, *non dat, ideo non dat, ne obsit quod dat. Neque enim aliquid injustum petebat Apostolus, quando rogabat ut auferretur ab eo stimulus carnis, Angelus Satanæ, & tamen rogavit, & non accepit, quia tempus adhuc erat exercendæ infirmitatis. Petiit Iob tentandum diabolus, & accepit.* B *Attendite fratres mei, magnum mysterium discendum, repetendum, tenendum animo, nunquam obliviscendum propter abundantiam impiis sæculo. Quid dicam? Reverà comparandus Apostolus diabolo? Apostolus rogat, & non accipit, diabolus petit, & accipit. Sed non accepit Apostolus propter perfectionem suam; accepit diabolus ad damnationem suam. Denique ipse Iob accepit sanitatem in opportunitate; dilatus est enim, ut probaretur, & diu sedit in pulvere, & rogabat Deum, ut auferrentur ab eo ista, & Deus non auferebat. Citiùs diabolum exaudivit ad eum tentandum, quàm ipsum Iob ad sanandum. Ideo concessus est ille tentandus, ut eo probato esset ille cruciandus. Discite ergo non murmurare adversùs Deum: & quando non exaudimini, ne deficiat in vobis, quod scriptum est. Per singulos dies benedicam te. Quæ ista dico, fratres? Ne quis, quando fortè non fuerit exauditus aliquid justum petens à Deo, non minuatur animo, non deficiat, expectent oculi ejus ad escam, quam ille dat in opportunitate. Quando non dat, ideò non dat, ne obsit, quod dat. Qui verò injustum aliquid petit, in pœ-* C *nam suam exauditur.*

Idem in psalm. 85. mihi pag. 385.

Hæc à se dicta luculentiùs confirmans Augustinus: *Si verè Deum invocasti*, ait, *certus esto, quia id fortè, quod volebas temporaliter, ideo non dedit, quia non tibi proderat. Ædificetur in hoc cor vestrum, fratres, cor christianum, cor fidele: ne incipiatis tristes facti, veluti fraudati desideriis vestris, ire in indignationem contra Deum. Non expedit adversùs stimulum calcitrare. Recurrite ad scripturas. Exauditur diabolus, & non exauditur Apostolus. Exaudivit eum, quem dispònebat damnare, & non exaudivit eum, quem volebat sanare. Nam ager petit multa à Medico, non dat Medicus: non exaudit ad voluntatem, ut exaudiat ad sanitatem. Ergo Medicum tuum pone Deum, pete ab illo salutem, & salus tua ipse erit. Vis, ut det se tibi? Quòd si quid vis habere, non vult ipse ut habeas, ut se tibi det. Impedimenta removet, ut intret ad te. Deus etsi voluntati nostræ non dat, saluti dat. Tu cum patientiâ salutem expecta. Quibus te medicamentis curet, ille novit: quibus sectionibus, quibus ustionibus, ille novit. Tu sibi agritudinem comparasti peccando, ille venit non solùm fovere, sed &* D *secare & urere.*

Subinde queritur ægrotus impositum cataplasma nimiùm urere, & chirurgum rogat, ut amoveat. Sed petit, quod profuturum non sit, ideo non auditur, & ideo etiam chirurgus sui muneris gnarus: Scio, inquit, quando amovendum sit cataplasma; tu mihi hanc curam relinque; si jam tollerem, nocerem. Tu vis auferri medicamentum, quo uteris, ego novi infirmitatem, quâ gravaris. Ita nos sæpissimè. *Quid oremus, sicut oportet, nescimus. Non autem*, inquit Augustinus, *petitur in nomine Salvatoris, quidquid petitur contra rationem salutis.* Ideo Deus subinde, quod petitur, concedit, sed iratus. Ita populus Israëlis manna suavissimum panem nauseans, carnes flatigavit: concessit Deus, sed iratus. Nam *adhuc escæ illorum erant in ore ipsorum, & ira Dei ascendit super eos.* Idem populus pro ritu aliarum gentium regem petiit: & hunc Deus concessit, sed etiam iratus. Sic petit aliquis amplas facultates, & impetrat, sed suo malo: petit sanitatem, & accipit, sed ei utilius foret, ægrotare, quærit dignitates, & invenit, sed ei magis conduceret in imo jacere. Multa Deus concedit iratus, quæ negat propitius. Est, qui mutuum à vicino equum petat, negat ille hunc clementer, quem concederet crudeliter, cùm sciat, quàm furiosus & sternax sit equus.

Rom. c. 8. v. 26. Aug. to. 9. tract. 102. in Ioan. Psal. 77. v. 30.

Quod Hipponensis præsul uberrimè asseverans: *Multi dati sunt*, inquit, *in manus suas malo suo: de quibus dicit Apostolus: Tradidit eos Deus in desideria cordis eorum. Petit aliquis magnam pecuniam: accipit malo suo. Quando illam non habebat, parùm timebat: habere illam cœpit, præda factus est potentiori. Discite rogare Deum ut Medico committatis; quod ipse novit, faciat. Tu morbum confitearis, ille medicamen vulnerabile adhibeat. Tu tantùm charitatem tene. Nam ille secare vult, urere vult: tu si clamas, & non exaudiris in sectione, ustione, & tribulatione, novit ille, quousque putre est. Tu jam vis revocare manus, & ille vulneris sinum attendit; scit, quousque perveniat: non te exaudit ad voluntatem, sed exaudit ad sanitatem, quia contradicit voluntati. Non fit, quod vis, sed fit, quod tibi expedit.*

Aug. to. 9. tract. 6. in ep. 1 c. 3. Ioan mihi pag. 253. Rom. c. 2. v. 24.

§. III.

ALterum ad objecta responsum est: Negat Deus minora, ut majora concedat: cunctatur annuere, ut orantis constantiam exerceat, ut fiduciam augeat. Non exaudit Deus, ut impensiùs & sæpius petamus. Amat Deus importunitatem oratoris: vult crebriùs rogari, ut tantò gratius sit concedentis donum. Est, qui corporis sanitatem petat; non abnuit Deus, sed quia gratiam hanc protrahit, preces alter meritò extendit. Videte, quàm lento molimine, suos arbor fructus porrigat. 1. Seritur arbor & plantatur. 2. Radices mittit in terram. 3. Paullatim teneram stirpem generat. 4. Frondibus & foliis velut capillis tegitur. 5. Diffundit ramos & brachia. 6. Vernat & in florem sese induit. 7. Producit fructus sole ac pluviis excoquendos. 8. Hi sensim maturitatem assequuntur & dulcescunt. 9. Iam maturati decerpuntur ac colliguntur. 10. Decerpti mensis inferuntur & ingeruntur ori. 11. Quod illatum est ori, ad stomachum transmittitur & digeritur. 12. E chylo digesto succus demum elicitur vitalis. En, quot morę fiunt, dum enascatur fructus, & corpori accedat. Ita Deus è ligno vitæ fructum porrigit, sed aliquando cunctanter & cum morâ.

2. Resp. Deus cunctatur dare ut fiduciâ augeat & constantiam.

Nonnumquam non exaudit, ut aut melius quid accipiamus, aut promeritum augeamus. Quod Augustinus acerit hoc brevi monito: Bonus autem Dominus, qui non tribuit sæpe, quod volumus, ut, quod malemus, tribuat. Exempli gratiâ. Petenti victum liberalem ac copiosum, negat, sed modicum ac parvum, sed simul valetudinem dat; alteri divitias poscenti, eas quidem negat, sed pro divitiis eruditionem impertitur; alius annis complures rogat, quod sibi necessarium judicat, & non auditus, post multos demum annos exaudiendus. Est, qui profusissimis precibus religionis augmentum petat; hoc quidem non obtinet, sed suum ipse promeritum auget. Cujus rei locupletes testis Gregorius: *Eò magis*, inquit, *sancti exaudiuntur ad meritum, quò minùs exaudiuntur ad votum.*

Greg. l. 10 Mor. c. 25

Sæpissime Deus non aufert, quod rogatur, sed differt; obsecrationem aliquanto tempore repudiat, ut demum tantò fiat jucundius, quantò dilatum est diutiùs. Quod Augustinus observans: *Cum*, inquit, *aliquando tardiùs dat, commendat dona sua, non negat. Diu desiderata dulciùs obtinentur, citiùs data vilescunt. Ergo quære, pulsa, pete, obsecra & insta.* Vna dies dabit, quod mille negârunt.

Sed tertium responsum objectis damus: Semper exaudimur, modò vera sit seriáque oratio. Hoc nihil dubi-

3. Resp. Seria oratio.

Matth. c. 7. v. 8. Aug. loco supra laudato.

dubitationis habet, in manibus tenetur: *Omnis, qui petit, accipit.* Si nō illud, quod petit, certè aliud quod ei magis proderit. Clarissimè Augustinus: *Et quando,* inquit, *non vobis datur, quod petitis, exaudimini, sed nescitis. Sit in vobis charitas, & securi estote.* Hinc duplici nomine obstringimur Deo: quòd non det noxia, & quòd det perutilia. Verissimum est vetus verbum: Frustrari noxiis exaudiri est.

Beata Gertrudis jussa est, eligere quidquid vellet. At illa verecundè clausit oculos, dixitque: Ego providentiæ divinæ longè tutiùs fido, quàm meo judicio: Deus eligat, velit, jubeat; divinis nutibus non integerrimè solùm, sed & securissimè totam me trado: suos Deus antequam clament, exaudit; & nemo unquam clamavit frustra.

Sic sentiamus omnes, nec ullas unquam preces esse irritas credamus: Gemitus vel unicus ad Deum emissus, è cælo non redit vacuus. Habet suas & pium suspirium alas, quibus se cælo insinuat, & nunquam sine certo commodo. Inter superiores annos unus alterve continuis verè pluviis planè lacrymosus fuit. Querelæ grandes ubivis obviæ. Non nemo in has voces erupit: Ergò nullus ex amicis Dei est, qui serenitatem cælo impetret? Erant utique, qui hoc impetrare potuissent, si cum Dei voluntate pugnare voluissent. Viderunt Deum non velle, ut aëris serenitas impetretur, ergo nec ipsi hoc voluerunt, qui divinam volūtatem agnoscunt pro suâ; hinc nō possunt eū illâ non concordare.

Non tantū quoad specificationē, ut Theologi loquuntur, sed etiam quoad exercitium.

Hoc certum sit, orationem seriam semper admitti, semper exaudiri, nec unquam à Deo dimitti vacuam. Quod expressissimè Bernardus adstruens: *Quæ fidelis,* inquit, *& humilis, & fervens oratio fuerit, cælum sine dubio penetrabit: unde certum est, quod vacua redire non poterit. Nam,* quod idem affirmat, *unum è duobus indubitanter sperare debemus, quoniam aut dabit nobis, quod petimus, aut quod nobis noverit esse utilius. Noli ergo vilipendere orationē tuam, quoniam ille, ad quem oras, non vilipendit eam: sed antequam egrediatur de ore tuo, ipse scribi eam jubet in libro suo.*

Bern. serm. 4. in Quadrag. fine.

Idem l. de Animâ c. 6. mihi pag. 1056.

Quomodo quis dicatur exaudiri cùm non accipiat;

Sed objicias: Quomodo exaudior, cùm non accipiam, quod precor? Ne trepida, mi homo, aliud est exaudiri, aliud accipere. Exauditus est David, sed non accepit, quod petiit. Templi structurā, & Bethsabeę filio vitam rogavit; neutrum accepit, in utroque exauditus est. Nam templum non ipse, sed Salomon ædificavit, & infans vivere desiit. Ita Paulus, ita in cruce Christus exauditus est, non tamen à Paulo stimulus carnis, nec à Christo amarissimus calix mortis ablatus est. Et neuter accepit, tamen exauditus est uterque.

Sed istud nos homines nostri cerebri subinde difficulter capimus, & ad nostros affectus omnia metimur. Est, qui pecuniam petat, ut frumentum emat. Frumentum ei datur, negatur pecunia. At ille malè querulus vanissimè lamentatur se petiisse pecuniam, & non impetrâsse. Stolidissime mortalium, quid quereris? Pecuniam, ais, non impetravi. Esto. Sed tamen illud impetrâsti, cujus causâ pecuniam petiisti. Ne igitur tuas preces repudiatas dixeris; aliud pro alio accepisti.

Eccli. c. 2. v. 12. August. in psal. 65.

Ita semper exaudimur, quotiescumque seriò precamur. Quod Siracides confirmans: *Quis,* ait, *invocavit eum, & despexit illum?* Quapropter Augustinus his omnino verbis hortatur: *Ne deficias in oratione; Deus quod concessurus est, si differt, non aufert.* Nemo gratis orat. Omnis oratio modò seria sit, semper fructuosa erit.

CAPVT VII.

Quid mentis oratio, seu meditatio sit, & quàm ea utilis ac necessaria.

INterrogatus est olim Ioannes Gerson Parisiis libellorum magister, quis status homini aū veræ sanctimoniæ leges vivere volenti sit eligendus? Num pictor, num cantor, num statuarius & fictor, num potiùs astronomus fiat? Tecta quæstio & verbis involuta. Apertior erit, si eam hoc modo ponamus: Quid ei, qui vitam spiritualem amat, conducibilius est, an ut pictor sit, & oculos occupet legendo, an ut cantor sit, & linguam exerceat orando, an verò statuarius ac fictor sit, & manus fatiget laborando, an verò sit astronomus, & mentem excolat meditando, & cælestia considerando? Quid igitur ad vitam piè religiosèque instituendam accommodatius & compendiosius, num actio, num lectio, num oratio; & quoniam ea duplex, num exterior & vocalis, an interior & mentalis, seu meditatio? Ad quæstionem positam ex mente doctissimi viri Gersonis respondemus, ad vitam ex virtute instituendam nil magis conducere, quàm attentam meditationem. Non vanè dixit Augustinus: *Intellectus cogitabundus est principium omnis boni: Meditatio,* siquidem Bernardo teste, *docet, quid desit, oratio ne desit, obtinet; illa viam ostendit, ista deducit; meditatione denique agnoscimus imminentia nobis pericula, oratione evadimus.* De meditatione ac methodo meditandi copiosè plurimi scripsêre. Nos angusto hîc circo concluſi duo dumtaxat docebimus: primum, quàm expediens ac utilis sit meditatio ad omnigenas virtutes facilè comparandas; alterum, quâ ratione meditatio possit institui. De primo loquemur hoc capite; de altero sequenti.

Gerson tom. 2. Alphab. 34. lit. M. & de follic. cit. Eccles. par. 4. c. phab. 37. lit. A.

Bern. ser. de S. Andreâ.

§. I.

IN fundamentum ponimus, quod beatissimus Paulus in exemplum statuit: *Orabo spiritu, orabo & mente; psallam spiritu, psallam & mente.* Orationis interioris seu meditationis sanctissimus Rex David sexcenties mentionem injiciens, sacra carmina sic exordiri: *Beatus vir qui in lege Domini meditabitur.* Hujus pronuntiati causſam assignans: *Et erit tamquam lignum,* inquit, *quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo, & folium ejus non defluet, & omnia quæcumque faciet, semper prosperabuntur.* Libet hîc quærere.

1. Cor. c. 14. v. 15.

Psal. 1. v. 2. & 3.

Quid sit meditatio, & quæ conferant ad meditationem peragendam.

Quid est Meditatio? Est attenta divinorum cogitatio, seu mentis oratio, quæ varios voluntatis affectus miscet. Ad meditationem rectè peragendam Memoria, Intellectus, & Voluntas suam operam necesse est conferant. Quod vel oculis subjiciat modus formandi aç pinsendi panis. In pistoris domo, quò labor sit expeditior, hic ordo inter plures seruari solet. Primus massam farinaceam jam subactam vel in panem oblongum, vel in rotundum, vel in spiram format: Alter massam jam formatam ad libram examinat: Tertius in furnum immittit, ubi animam farina accipit. Ita prorsus quæ meditandā sunt, Memoria format, Intellectus ponderat, Voluntas animat.

Duo meditandi genera. Primum.

Duo sunt meditandi genera. Primum est, quod alter alterum docere vix potest. Gloriatur cœlestis sponsa, & ipsa sibi gratulatur: *Introduxit me rex in cellam vinariam.* Introductam se dicit; quod vini genus gustaverit, non dicit. Rex illi utique non vappam, non fugiens vinum, non acetum propinavit, sed Creticum, sed falernum, sed vinum mensā regiā dignum. Huic liquori generosissimo regiā manu propinato, primum illud & arcanum meditandi genus conferimus, sed quale sit, dicere vix possumus. *Gustate, & videte.* Hanc suavitatem rectiùs experientia quàm lingua commendat. At verò alterum meditandi genus cujuscumque statûs hominibus expositum est. Frui potes, quisquis es, modò velis.

Cant. c. 2. v. 4.

Psal. 33. v. 9.

Secundū.

Nemo hîc dixerit: Ego litteras non didici: meditari meum non est. Imò verò est omnium, etiam simplicium. Hos Deus hinc neutiquam excludit: *Cum simplicibus sermocinatio ejus.* Rex David meditationis amātissimus non sibi aquilæ, sed columbæ alas expetiit.

Prov. c. 3. v. 32.

Ægidius

Chronicon S. Francisci par. 1. c. 14.

Ægidius, quod priſci Annales commemorant, è divi Franciſci ſociis, Bonaventuram illius familiæ ſupremum magiſtrum adiit, ſermonem in hæc ferè verba exorſus: Vobis litteratis plurimum gratiæ DEVS præſtitit, ob quam conuenit, vos illi præ ceteris gratos exiſtere: Nos verò illiterati & idiotæ, qui aſſequi poterimus tam ſublimè incedentes? Huic Bonauentura: Satis, inquit, ſatis abundè nobis omnibus per beneficium & gratiam Deus conceſſiſſet, tametſi nihil aliud beneficii præſtitiſſet, quàm quòd omnibus facta eſt copia ipſum amandi. Ad quæ iterum Ægidius: Num, inquit, analphabetus & ſimplex tam ardenter Chriſtum amare poteſt, atque vir intelligens & doctrinis inſtructus? Quid ais, frater, ſubjungit Bonaventura, quid hæc quæris? Vna ſimplex vetula plus Deum amare poteſt, quàm profundiſſimus Theologiæ magiſter. Ægidius mox inde ſe propipiens, & uti feſtivè hilaris erat, excurrens in hortum vociferari cœpit: Vetula ſimplex paupercula, Chriſtum ama, & major eſſe potes, quàm frater Bonaventura.

Meditatio eſt fervens ſpiritûs cũ Deo colloquium.

Quid igitur hac in re trepidamus? Meditatio non eſt artificioſa, elegans, articulata mentis agitatio, non eſt erudita, & humani divinique juris ſcientiâ pollens ratiocinatio, ſed fervens ſpiritûs cum Deo colloquium, linguâ & exterioribus ſenſibus modeſtè feriantibus. Et hic orandi modus amicis Dei ſemper commendatiſſimus, ſemper utiliſſimus fuit.

§. II.

Bloſ. inſtit. ſpirit. c. 8. mihi pag. 366.

LVdouicus Bloſius rerum divinarum perquam intelligens, auſus eſt dicere: *Precatio exterior, quæ ore tantùm funditur, veluti palea eſt; nam interna oratio, quæ funditur mente, ipſum granum eſt.* Si quæratur, quæ omnium optima ſit oratio? Eodem loco Bloſius reſpondet: *Nulla præſtantior oratio eſt, quàm ut quis petat gratiſſimam Dei voluntatem in ſe, & in aliis fieri.* Hinc Iſidorum rectiſſimè dixiſſe judicamus. *Omnis profectus ex lectione & meditatione procedit.*

Hiſtoria Societ. Ieſu par. 1. l. 13. n. 34. uſque ad 38. mihi pag. 428. De meditationis fructu teſtimoniũ luculentũ.

Dictum hoc mirificè confirmat vir eruditiſſimus Bartholomæus Torres Theologiæ Doctor, Canarienſis Epiſcopus, qui ſcriptis publicis, his omnino verbis profeſſus liberrimè: Teſtis eſt Deus, inquit, quàm ex voluntate meâ ceciderit, ut de Societatis IESV exercitiis ſeu ſacris meditationibus ſententia poſtularetur. Cupio enim ſimpliciter & chriſtianè, quid hac in re ſentiam, palàm facere toti orbi terrarum. Ac primùm ne quis exiſtimet ex privato me quopiam affectu loqui, ajo, me hominem de Societate IESV non eſſe: quamquam ſi ſeriò eſſem virtutis cupidus, dudum in eâ, vel in aliâ ſanctarum Religionum verſarer. Ajo deinde, me ſatis poſſe interrogationi propoſitæ reſpondere, cùm & Societatem, ab ejus exortu noverim, & pridem Salmanticæ cum Ignatio, deinde cum ejus diſciplinæ alumnis perfamiliariter egerim. Ajo præterea, neminem verè ac perfectè meditationum ſacrarum vim æſtimare poſſe, niſi ſeipſum in iis exerceat. Etenim cùm totæ referantur ad inſerendas animo virtutes, & vitia extirpanda, nemo eſt, qui virtutis vim percipere, guſtúmque ſentire poſſit, niſi in eâ priùs elaboret. Nimirum longè aliud eſt litteras ſcire, & ſenſa ſpiritûs percipere, qui præter litteras, actionem, orationiſque uſum, ac ceterarum virtutum poſtulat. Me quidem profiteor Compluti ad eam formam meditationibus ſacris exercitum; ac Deum teſtor, triginta annis, quibus verſor in ſtudiis ſapientiæ, & permultis aliis annis, quibus Theologiam doceo, nunquam ad meam utilitatem didiciſſe tantum, quantum me ſacræ meditationes illæ diebus paucis docuerunt. Quòd ſi cuipiam Doctorum id fortaſſe mirum accidat, experimẽtum appello: tentet idem, atque exiſtimabit idem. Neque in obſcuro eſt ratio, quòd prioA ra videlicet ſtudia ad docendum, exercitia verò ad agendum referebam: valdéque intereſt ſcire, ut doceas, ac ſcire, ut facias. Addo cognitos mihi permultos, qui ſacras exercitationes illas ſuſceperint, nec tamen cognitum quemquam, qui non pietatis magnum inde profectum retulerit, palámque prædicârit nihil omnino è mortalibus rebus ſe voluiſſe iis antelatum. Atque utinam quanti eſt ille theſaurus, tanti eum æſtimare noſſemus. Nam cùm tanti ſit momenti oratio ac meditatio propter rationem ac viam, quę hîc commodiſſima traditur, multi meditando plus conſequuntur brevi, quàm alii hoc præſidio deſtituti, multo tempore ac labore. In ſummâ qui cupiat nôſſe, quid exercitia ſint, pronuntio aliud nihil eſſe, quàm conſiderare attento & quieto animo Capita Fidei, Beneficia, Leges & præcepta DEI, vitam & mortem Chriſti; vitam ſuam anteactam recognoſcere, de futurâ ſtatuere. Luculentum viri ſapientis ac planè pereruditi de meditandi fructu teſtimonium.

B

§. III.

HEbræus vates Iſaias hominem meditationis ſtudioſum eleganter depingens: *Qui ambulat in juſtitiis*, inquit, *& loquitur veritates, qui projicit avaritiam, &c. Iſte in excelſis habitabit, munimenta ſaxorum ſublimitas ejus: panis ei datus eſt, aquæ ejus fideles ſunt. Regem in decore ſuo videbunt oculi ejus, cernent terram de longè. Cor tuum meditabitur timorem: ubi eſt litteratus? ubi legis verba ponderans? ubi doctor parvulorum?* Meditatio hominem revera evehit in ſublime, & inter aſtra collocat. Homo meditationi deditus, quotieſcumque vult, cælum perambulat, in excelſis habitat, hîc paſcitur, hîc inter Angelos epulatur, nullâ ſpiritûs inopiâ laborat: Chriſtum regem non jam in patibulo pendentem, ſed in ſolio reſidẽtem interioribus oculis ſpectat, orbem terrarum veluti nidum formicarum ex alto deſpicit, & omne aurum cum terrâ ſuâ ridet. Hîc illi oritur inæſtimabile bonum, quies mentis in tuto collocatæ & ſublimitas; expulſiſque terroribus, è cognitione veri gaudium grande ac firmum, diffuſióque animi, ſpéſque certa naſcitur ea omnia poſt obitum poſſidendi. Vbi ergo eſt in hunc modum litteratus, ubi Legis verba ponderans, qui cupiat cælo inhærere, in cæleſtia cogitationem defigere, inferorum ſupplicia ſpeculari, ponderare voluptates æternas? *Iſte in excelſis habitabit.*

Iſai. c. 33. v. 15. & ſeqq.

Meditatio hominem inter aſtra collocat.

Sic itaque qui ſalvus eſſe cupis & felix, animum tuum inſtitue, ut timorem Dei ejúſque obſervantiam, ut beatorum delicias pœnáſque impiorum aſſiduè commediteris. Nam abſque hoc meditationis ſtudio cetera omnia, quæ amat & admiratur vulgus, non tam evehunt ad ſublimia, quàm ad ima deprimunt. Meditatio, ut Gerſon loquitur, ſoror lectionis, nutrix orationis, directrix operis, omniúmque pariter perfectio & conſummatrix, meditatio liquidiſſimæ fons lætitiæ. Meditationi aſſuetus ubique locorum, & quo vis tempore orare ac cum DEO colloqui novit, veluti citharœdus, qui parvulam chelyn aut teſtudinem ſecum circumfert, ubicumque lubuerit, ſibi canit & Muſis.

Cur timor Dei ejúſq; obſervantia, beatorum delitiæ & impiorũ pœnæ ſunt aſſiduè commediandæ.

Claræ vallenſis Apis Bernardus, qui tot mellis amphoras cælo detulit meditando: *Nil*, inquit, *in hâc vitâ dulcius ſentitur, nil avidius ſumitur, nil ita mentem ab amore Mundi ſeparat, nil ſic animam contra tentationes roborat, nil hominem ita excitat & adjuvat ad omne opus bonum, & omnem laborem, quàm gratia contemplationis.*

Bern. l. de Animâ c. 7. fine, mihi pag. 1057.

Noſtra hæc minima Societas experimentis jam creberrimis didicit, eos à ſuis alumnis, qui Meditationis ſtudium cœperint negligere, aut brevi religioſæ vitæ renuntiaturos, aut tales certè futuros, qui meritò judicentur è ceterorum conſortio pellendi. Religioſa Meditatio, quotidie cæleſti ſucco animum irrorat, ut tam rebus adverſis, quàm omnibus vitiis audacter reſiſtere

sistere queat. Ergo intellectus cogitabundus principium omnis boni. Ergo *beatus vir qui in Lege Domini meditatur die ac nocte.* A

Psalm. 1. v. 1. & 2.

§. IV.

Meditatio non solùm fructuosa, sed maximè necessaria est.

HÆc autem interior mentis oratio seu meditatio, non solùm adeò fructuosa, sed & necessaria est. Philosophorum stylo : Nihil est volitum, quin sit præcognitum. Ignota namque non emimus. Amare quidem possumus, quæ nunquam vidimus, sed amare non possumus, quæ nunquam cognovimus. Dilaudat quis generosum ac præstans vinum, auditoris dentes salivâ natant, tametsi vinum illud nec viderit unquam, nec gustaverit. Vnde igitur illi hæc sitis ? E laudatoris verbis, suavitatem illius nectaris cognovit. Hinc vinum non quidem gustatum, sed laudatum adeóque cognitum sitire incipit. Invisa diligi possunt, incognita non possunt. Hoc ipsum adstruens Gregorius : *Nemo*, inquit, *diligere potest, quod prorsus ignorat.* Etenim voluntas nequit appetere nisi bonum, aut certè speciem boni ; quid autem in bonis numerandum, quid minùs, hoc illi per cõsiderationem suggerit intellectus. Hinc amamus, quod bonitate credimus commendabile: horremus illa omnia, quæ mali larvam ostentant. Hanc ob causam necessaria prorsus est meditatio, quomodo enim Deum, ut summum Bonum amplectar & diligam; quomodo peccatum, ut malorum omnium extremum malum, averser & fugiam, nisi utrumque cogitando ac meditando intimè cognoscam ? B

Psal. 118. v. 148. & v. 92.

Hinc vates Iessæus David : *Prævenerunt*, inquit, *oculi mei ad te diluculo, ut meditarer eloquia tua.* Et, *Nisi quòd lex tua meditatio mea est, tunc fortè periissem in humilitate meâ.* Succubuissem utique inter tot támque acerbas calamitates, nisi hoc compendii habuissem, quotidianis meditationibus fatiscentem animum reficere.

Psal. 76. v. 7.

Neque huic Regi dies ad meditandum suffecerat, nam : *Meditatus sum nocte*, inquit, *& exercitabar, & scopebam spiritum meum.* C

Sur. tom. 7. die 18. Octobr.

Beatus Ludovicus Morbiolus staturæ mediocris, præstantis formæ à puero tenacitatis & libidinis sordibus indulgebat. Morbo graviore correptus pristinas sordes ejuravit, & totum se Deo tradidit. Receptâ valetudine assiduis rigoribus corpus exercuit, fame sitique adeò confecit, ut vix ossibus hæreret, & Laterna Punica videretur. Plurimos nihilominus quotidianis exhortationibus ad virtutem mirificè accendit. Pro testimonio dicunt Bononia, Mutina, Rhegium, Mantua, Ferraria, quas urbes Ludovicus optimis monitis ad virtutis cultum provocans, cælestæ præmium & humanæ gloriæ contemptum identidem ingerebat. Vir iste sanctus, ut nihil otio daret, icunculas ex oscillis interdiu sculpsit ; noctu totus fuit in meditandis Christi patientis cruciatibus. In his meditationibus ille ignis exarsit, quem lacrymarum aqua magis accendit. In hoc homine post juventutem non admodum pudicè actam, senectutem tam laudabilem subjunxit, oratio interior & assiduum meditandi studium. Omnis sanctimonia vitæ ab hoc fonte profluit. D

§. V.

ET unde Clarævallis Abbati Bernardo tam concinnus, tam uber & elegans stylus, quem in scholis numquam didicit, unde illi tam numerosus virtutum chorus ? quem à libris haud impetravit, eum certè à meditationibus sacris obtinuit. Vnde beato Ignatio Lojolæ, unde matri Teresæ sanctissimæ fœminæ tam ardens & divinus spiritus, ad optimas leges condendas, ad alia præclarissima quæque conscribenda, nisi ex hoc ipso meditationum thesauro ? Hinc rectissimè dixit beata Teresa : Mentalis oratio, seu meditatio convenit omnibus etiam virtute destitutis; Meditatio principium est omnium virtutum. Et unde hodiéque tot religiosæ familiæ tantum pietatis, tantúmque scientiarum hauriunt, nisi ex opulentissimo sacrarum meditationum gazophilacio ? ubi solius in litteris profectûs, aut ceremoniarum, aut cantûs ratio habetur, parum solidæ virtutis deprehendetur.

Beatus ergo vir, qui in lege Domini meditatur die ac nocte. Reverà sine meditandi studio sanctioris vitæ fundamentum nullum est. *Scribe sapientiam*, inquit Syracides, *in tempore vacuitatis : & qui minoratur actu, sapientiam percipiet, quia sapientiâ replebitur.* Scribe, inquit: Et quid scribam ? sapientiam scribe, ac veritatis notitiam, scribe consiliorum copiam, quibus te munias in omnes eventus, scribe sapientiam in rerum creatarum usu, sapientiam medicam in vulneribus animi curandis. Hæc certè scribimus, cùm ea cogitatione attentâ perpendimus. *Eruditio & sapientia*, inquit Ecclesiastes, *vitam tribuunt possessori suo.* Vt enim navis clavo, curia consilio, equus freno, sic homo regitur meditandi studio. Hoc ablato pleraque omnia violenter fiunt. Quoties vanissima quæque sedulò pertractamus, & quæ animi ac salutis sunt, vix obiter unquam cogitamus. Quisquis considerat sua vitia, profectò non inspicit aliena.

Eccli. 38. v. 25.

Eccles. 11. v. 13.

Thales Milesius in contemplandis astris occupatissimus foveam non vidit, in quam corruit. Ita nos stellas examinamus, plurima non necessaria sollicitâ mente volvimus, & inferorum foveam cæci transimus, leges divinas rarissimè consideramus ; hinc earum observatio frigidissima.

Ægyptii hominem ad se non spectantia curiosè indagantem sic depingebant : Terrarum orbem ante oculos, à tergo speculum, vultûs judicem sincerum statuebant; quòd hic talis se neglecto cetera omnia solerter investigaret.

Heu quoties noxæ commissæ mentem quidem feriunt, sed non penetrant, solius meditationis defectu. Peccata velut catapotia seu pillulas melle tinctas, vel crustulis involutas, glutimus, nec veram amaritudinem sentimus, quia peccati fœditatem meditando non expendimus.

Meditationis defectu peccata non penetrant.

Theologiæ Phœbus Thomas Aquinas, qui scientiarum omnium capacissimo fuit ingenio, dicere solebat, unicum esse, quod nec intelligere, nec ullo modo posset capere : quâ tandem ratione fieri posset, ut homo in peccato letali constitutus videre unquam lætiùs, aut quamcumque voluptatem ex ullâ re percipere in animum induceret. Res certè difficilis captu, quando talis minimè fallaci fide credit, illum æternæ mortis & flammarum fore nutrimentum, qui mortiferi peccati reus moritur, nec hominum quemquam ullo temporis momento à morte securum agere.

Hist. Ord. S. Dominici parte 1. l. 6. 37.

Cur oro, Damocles ad mensam regiam, ad epulas exquisitissimas tam mœstus accubuit, ut nec hilariorem quidem oculum erigeret, ubi alioquin ipsa viveret hilaritas ? Viderat infelix parasitus fulgentem, & è setâ tenuissimâ pendentem gladium suis cervicibus imminere. Hinc deliciarum omnium magnificentissimus apparatus nauseæ fuit & horrori. Maluisset Damocles esurire, quàm ita periculosè prandere. Tremuit miser; quia mortis viciniam considerabat : risisset, si gladium non vidisset. Ita homines noxis gravioribus implicati more phreneticorum securissimè rident, quia propinqua supplicia non vident, non cogitant, non timent, meditando non contrectant. Hinc hilaris furor, hinc secura & suavis insania. Ita Nabal homo fatuus jam morti destinatus, post dies decè moriturus, inter epulas tamen tripudiabat ebrius; *Cor Nabal jucundum.* Pauculis post diebus funus, umbra, cinis. *Cúmque pertransissent decem dies, percussit Dominus Nabal, & mortuus est.* Beatus ergo vir qui in lege Domini meditatur die ac nocte : *cor suum tradet ad vigilandum diluculo ad Dominum.* Meditatio virtutis principium.

Cur Damocles ad mensam regiam mœstus accubuit.

1. Reg. 25. v. 36. & 38.

Eccli. 39. v. 6.

CA-

CAPVT VIII.

Quomodo mente orandum, seu meditandum sit.

ORator Græcus Demosthenes, eloquentiæ consultus, & ad dicendum paratissimus, firmitate tamen vocis ac vigore ita caruit, ut ob languentem ac puerilem vocem non semel explosus, in hæc denique verba proruperit : Histrionem è voce, oratorem è mente par est judicare : Mimus aut joculator scenicus, Medicus circumforaneus, Præco publicus sint Stentores ; Orator, si polleat intelligentiâ, & ingenio, tametsi voce careat, non rejiciendus.

In nostrum usum trahimus hæc Demosthenis verba, Oratorem è mente judicare par est. Eodem ferè modo hominem Christianum tamquam orationis studiosum non laudabimus, quantumvis volubilem, promptam, celerem, facundam habeat linguam. Hominem cælestis Rhetoricæ gnarum è mente judicare par est. Nam mentis oratio longè nobilior ac præstantior, longè utilior & efficacior, quàm ea, quæ oris est & linguæ.

De oratione hac loqui cœpimus ; dictum quid meditatio, & quàm utilis ac necessaria sit virtutibus comparandis. Nunc porrò dicendum, quid & quomodo meditandum sit ?

§. I.

Psal. 38. v. 4. SOlymæus Rex David orando suaviter inflammatus : *Concaluit cor meum*, inquit, *intra me, & in meditatione meâ exardescet ignis.* Homo parci sanguinis & frigidus, modò manus, modò pedes queritur gelu rigescere, nec unquam ferè totû se incalescere, nisi cùm plumea lecluli fornax calorem aspirat. Ita pæne potentissimus Regum locutus : Ego, ait, inter tot regni mei negotia, multum tædii ac fatigationis sentio, hinc circa Numinis cultum animi frigus sequitur ac lãguor, sed in meditatione meâ resumo vires, & mentem frigidam accẽdo. Hîc pii spirant calores, hîc ignes & flammæ cælestes vivunt. In meditatione seipsum recipit homo, quem alibi amiserat. Quid autem meditandum est ?

Notitia sui primũ meditãda. Primum omnium, *Notitia sui.* Hîc quæstioni locus. Quis es tu ? licet enim vel centum annis è cathedrâ clamet Ecclesiastes : Nosce teipsum, ô homo, nosce ; frustra tamen tot cohortationes sunt, nisi sequantur Meditationes. Qui seipsum nosse cupit, seipsum sibi proponat, cum omnibus nævis ac vitiis suis, dicátque ipse sibi : En talis es, tam inops virtutis, tam dives vitiorum, tam torpidus & frigidus in obsequiis divinis, tam alacer & agilis in Mundi servitiis ; novum quotidie noxarum catalogum texis ; & nulla emendatio. Vbi tua Humilitas, ubi Patientia, ubi Charitas, ubi tua est Tẽperantia, & ubi Castitas ? si quid forsan virtutis habes, id mille vitiositatibus corrumpis. Interim tibi tam pretiosus es, ut ab omnibus honorari, & auctoritatis magnæ haberi cupias. In hac suimet contẽmplatione eò deducitur, qui seipsum scrutatur, ut tandem *Ps. 41. v. 8.* dicat, *abyssus abyssum invocat.* Ego abyssus malitiæ, abyssum bonitatis Deum invoco. Hæc copiosissima in annos plures materia est meditandi. Consideratio sui, ajebat mater Teresa, sit quotidianus panis noster.

Humana vita, mundus, & innumeræ mundi fallaciæ cũ dò cõmeditandæ. Alterum quod meditandum, *Humana vita, Mundus, & innumeræ Mundi fallaciæ.* Hîc intellectus expendat, quanta sit vitæ non solùm brevitas, sed & fragilitas, vanitas, inanitas, & quî unico mortis afflatu, omnis dignitatum, divitiarum ac voluptatum vigor ac vita expiret, momento claudantur omnia, & quæ diu steterunt, subitò ruant ; quomodo vanissimi conatus hominum in triste nihilum relabãtur. Hîc animum subibit, quàm verum sit regii vatis oracului : *Periit memoria eorum cum sonitu.* Æs campanum grandius ad duo milliaria sonum propagat incredibili vi ac celeritate. Quandoque viri duodecim eandem trahunt campanam, subitò illorum unus campanæ linguam, seu clavem excipit, & repentè silet æs loquacissimum, quod tanto fremitu imperabat aëri & nubibus. Hæc rerum vanitas est, hanc animo infigat meditatio. Iuvabit etiam per exempla ire, & sibi ipsi dicere : En hunc dominum, & hunc etiam & illum, & tot alios novi, velut æra campana longè latéque sonantia, nunc ubi sunt, & ubi sonus illorum : *Periit memoria illorum cum sonitu.* En tot Luciferi repentè præcipitati è mundi cælo. Hæc mente accuratiùs reputanda. *Psalm. 9. v. 7.*

Capita fidei Christianæ ternò meditanda. Tertio loco meditationi subjicienda sunt capita Christianæ Fidei, Oratio Dominica, Angelica salutatio, Apostolorum symbolum, Decalogi præcepta, septem capitalia peccata, exteriores quinque sensus, septem insignioris misericordiæ paradigmata, & quæ hujus generis sunt. Hæc membratim & ordine considerãda, & aliud ex alio deducendum.

Quartò Dei gubernatio & œconomia meditandã. Quartum, quod in meditationem venit, est Dei gubernatio, & œconomia ab orbis incunabulis peracta, qualia sunt creatio primorum hominum, excidium orbis & diluvium, Pentapolis incendium ; ita sensim ad ævum Abrahami eundum. Ab hoc ad Mosis, & Israëlis ex Ægypto egressum, inde ad Davidis Regis tempora, ab his ad Christi servatoris infantiam meditatione perveniendum. Et quanta in lege veteri miracula meditandi ultrò se se offerunt ?

Quintò tota vita Christi Domini. Quintum est, tota Christi Domini vita : Exordium fiat à Nazarethanis mysteriis inter Virginem & Angelum tractatis, inde ad stabulũ & gramineas cunas nascentis Christi veniendum. Subjungatur octava Sanguinis & sanctissimi Nominis dies. Hunc sequatur Regum adoratio, in templo infantis oblatio, repentina in Ægyptum fuga, Herodis furor tótque puerorum cædes. Deinde Christi per annos triginta latentis summa humilitas inspicienda. Ab his meditãtis cogitatio Hierosolymam proficiscatur, & omnia Patientis Domini mysteria ordine consideret, usque ad obitum in cruce, & supremos funeris ac tumuli honores. Inde reditus ad vitam, & ingressus cæli commeditandus. Hæc omnia documentis & affectibus optimis plenissima.

Sextò quatuor hominũ novissima. Sextum, Quatuor hominum novissima, Mors, Iudicium, Inferi, Cælum. Hîc Oceanus immensus, cujus quidem initium videre, sed finem & extremos terminos conspicere non possis.

Septimò divina oracula, & sacra utriusque testamenti volumina. Quales sint 6. partes meditationes Lud. de Põte, Anton. Sucq. Via vitæ æternæ, Vincent. Bruni, Petri Cotoni, Caroli Scritã, meditationes de omnib. Fidei, & Christi mysterius. Septimum, Divina oracula, & sacra tam priscæ quàm novæ legis volumina. In his non singulæ solùm sententiæ, sed & verba singula, velut piperis aut sinapis granum, vim miram sensûs reconditi tegunt. Hæc Dei effata & dicta sunt. Ex his præcipuè considerationi admoveri possunt, Ecclesiastes, Ecclesiasticus, Liber Sapiẽtiæ, Psalmorum carmina, Salomonis proverbia, & potissimùm quidquid ad novæ legis disciplinam pertinet. Hîc abundè satis est, quòd Meditatio complectatur. Accedunt insuper libri, qui ea, quæ diximus, pleraque omnia in certum ordinem digesta & explicata, veluti mansum cibũ meditaturo ingerunt.

Diximus, quid meditãdũ sit. Progrediamur, & quomodo meditandum sit, compendio porrò dicamus.

§. II.

Modus ad meditandum declaratur. MEditari discet, rudis etiam ac simplex, non ingeniosè multa percurrendo, sed pauca meditatè legendo, sumat aliquem è melioribus libtum seu de Imitatione Christi, sive de Contẽptu Mundi, seu sacra Evãgelia, sive Apostolorum scripta, in his duos trésve, quatuórve, plures pauciores versus legat, & quod legit, exputare incipiat in hunc modum : Quid hîc præci-

præcipitur, quid vetatur? quos ista spectant? qui ego hæc servavi, qui servabo in posterum?

Ita paulatim initiandus animus rerum cælestium gustulo, quemadmodum gallinæ bibere solent; quæ ubi pauculas aquæ guttas sorbuerunt, mox caput attollunt, reducunt, bibúntque denuò, iterum id erigùt, iterúmque submittunt. *Hauriendus sæpe est*, inquit Bernardus, *de lectionis serie affectus, & formanda oratio quæ lectionem interrumpat, & non tam impediat interrumpendo, quam puriorem continuò animum ad intelligentiam lectionis restituat. Lectio sine meditatione arida est; meditatio sine lectione erronea; oratio sine meditatione est tepida.* Hinc rectè dicimus lectionem orationis esse sororem. Vnde iis consultum credimus, qui negant se quidquam succi melioris ex oratione mentis elicere posse; his enim suademus, ut libellum pium arripiant, legant, lecta nonnihil expendant, atque ita lectionem cum oratione conjungant. Ex quo illud efficitur, ut nec meditandi materia desit, & intellectus verbis sententiisque libri alligatus, mirùs evagandi habeat occasionem. Ita & legendo oratur, & orando legitur.

Bern. ep. ad fratres de monte Dei, tom. pag. 1030. & de modo orandi pag. 1131.

Paradigma meditationis.

Brevissimum ejus rei paradigma subjicimus. Cùm meditatio plerumque tria, non rarò quatuor, quinque, plura etiam capita complectatur, concionem Christi de semine meditandam sumamus.

Capita hujus meditationis.

1. Seminator. *Luc. c. 8. v. 5. & 8.*

2. Semen. *Ibid.*

Caput primum meditationis est Seminator. Alterum, Semen. Tertium, Terra semini exposita. De primo Christus ita loquitur: *Exiit, qui seminat, seminare semen suum. Hæc dicens, clamabat: Qui habet aures audiendi, audiat.* Quis seminator iste? Primus omnium Christus, ab hoc Apostoli, ab his Episcopi, ab istis Sacerdotes, alter ex alterius manu accipit, quod seminet.

De secundo dicitur: *Semen est verbum Dei.* In Christianorum templis ad circumfusam concionem, non tantùm Evangelium prælegitur, sed & explicatur: quod utrumque divini verbi nomine censendum, tam Evangelii prælectio, quàm prælectionis expositio. Quod dilucidè demonstramus. Christi assertio est: *Omnia, quæcumque dixerint vobis, servate, & facite.* Idque probat Dominus his verbis: *Super cathedram Mosi sedent.* Ita prorsus qui in Catholicâ Ecclesiâ in Apostolorum cathedrâ sedent, ii genuinum semen, verbum divinum spargunt; servate, & facite, quæcunque dixerint vobis, quamvis ipsi seminatores mali, quamvis pessimi sint; & nec servent, nec faciant, quæ dicunt. Quia tamen Apostolorum suggestum, licet eo indigni, occupant, semen probatum, Dei verbum terræ commendant. Paulus non humanas voces, sed divinos jussus attendendos scribens: *Cùm, inquit, accepisseris à nobis verbum auditûs Dei, accepistis illud non ut verbum hominum, sed (sicut est verè) verbum Dei.*

Matt. c. 23. v. 3. *Ibid. v. 2.* *1. Thes. c. 2. v. 13.*

3. Terra, quæ quadruplici discrimine noscenda proponitur. Ex quo tria meditationis capita.

Tertium hujusce meditationis caput est, Terra, quæ quadruplici discrimine noscenda proponitur. Nam quod spargatur in viam, transeuntium pedibus conculcatur, aut ab avibus devoratur: quod in petram cadit, exsiccatur & arescit: quod in spinas jacitur, jam ortum suffocatur: quod terra bona recipit, hoc crescit, & copioso fenore multiplicatur. En tria meditationis capita. Hîc seipsum, qui hæc meditatur, interroget: Et qualis ego sum terra? Quoties, quàm attentè, quo fructu conciones audio? an ullus diabolo ad me accessus est? Tentationibus quî resisto? an nihil in corde meo pullulat spinarum? an sollicitudines, divitiæ, voluptates, succrescens in me semen non suffocant? num ego in illorum numero sum, *qui in corde bono & optimo verbum retinent & fructum adferunt in patientiâ?*

Luc. c. 8. v. 15.

Quòd si virtus, aut vitium, aut sententia meditatione sit perscrutãda, pari modo tria, quatùorve, aut plura meditationis capita, sumantur: Exemplo erit Dominicum dictum: *Et fructum afferunt in patientiâ.*

Ibid.

1. Caput.

Primum hîc caput: Quæ vera est patientia: qui gradus illius conscendendi, ut non patienter solùm, sed & libenter, sed & hilariter adversa tolerentur.

2. Caput.

Secundum, quid promissi habet patientia, quid acceptura est præmii, à quo, quibus pactis, quàm certis conventis?

3. Caput.

Tertium, quinam hominum patientissimi fuerunt, quâ id arte assecuti, quî sese ad toleranda quævis accommodârunt, quàm ego ab illis longè absum? & quomodo deinceps illos imitabor?

Capita meditationis de faciendâ semente.

Primum. *Luc. c. 8. v. 4.*

Ex eâdem Domini concione de faciendâ semente tertiam quoque meditationem sumimus, cujus hæc sint capita.

Primum, *Cùm turba plurima conveniret, & de civitatibus properarent ad eum.* Habebat Christus Dominus circum se non quidem exercitus ferocium militum, sed ingentem turbam devoti populi, & perpetuum multorum millium comitatum. Tanta enim erat undique approperantium ad Iesvm multitudo è totâ Iudæâ, Galilæâ, Idumæâ, è Tyri & Sidonis finibus, è regione ultra Iordanem, ex universâ Syriâ, aliisque vicinis regnis, ut ubique multâ hominum millia cernerentur; adeò ut credendum sit, nusquam non octo minimùm vel decem millia hominum, plerumque aliquot myriades apud eum congregatas. Nimirum tam densa populorum agmina è singulis urbibus ad Dominum Iesvm properarunt, ut subinde ad mare se reciperet, & ne à conglobatis ac irruentibus turbis comprimeretur, de navi concionari cogeretur, unde multitudinem in littus velut in theatrum effusam commodiùs alloqueretur.

Ita exprimit Lucas c. 8. v. 1. πανοπλιαν πολλην ὄχλου.

Secundum meditationis caput, Apostolorum quæstiones; *Interrogabant autem eum discipuli ejus, quæ esset hæc parabola?*

Secundum.

Tertium est, Christi responsum: *Vobis datum est nôsse mysterium regni, ceteris autem in parabolis; ut videntes non videant, & audientes non intelligant.*

Tertium.

En meditationem triplicem, en novem capita meditationi proposita. Eadem ceterorum est ratio. Ita nascentis Christi præsepiolum distinctis meditationibus expendendum. De quo, si vita suppetat, considerationes complures spondeo. Ita morientis oloris cantum, seu, Domini Iesv in cruce pendentis orationem septemplicem promitto. Reverà in considerandis his mysteriis nova semper cogitandi materia subjicitur. Ferri, argenti, & multò magis auri fodinæ tot vulneribus sauciantur, tot cuniculis suffodiuntur, toties eorum viscera diripiuntur, ut tãdem penitus exhauriantur, & metallariis nec auro, nec argento, neque ferro ampliùs respondeant: Non eadem hîc egestas est; in his meditandi fodinis ad fundum nunquam penetratur: hîc fossori semper respondent venæ; in his alveariis mel semper redundat; ex hoc lecytho nunquam non fluit oleum: *Et lecythus olei non imminuetur.* Verùm hîc documenta paucula subnectimus.

3. Reg. c. 17. v. 16.

Documenta quædam pro meditatione.

§. III.

Primum.

1. In meditatione plurimũ juvat imaginatio, si quis illius potens ab illâ ipsâ principium meditandi ducat. Exempli gratiâ: Christi nascentis mysterium tantò quis meliùs expendet, quantò illius imaginem potentiùs comprehenderit. Qui meditatur, in ipso divinissimi infantis antro se credat agere, cernat animo matrem Virginem, & Ioseph um Nutricium, lectulum & pannos pueri tangat, thus stabuli olfaciat, pastores accurrentes salutet, Angelos præsentes existimet, vagitus & lacrymas infantuli observet, cum omnibus colloquatur. Ita prorsus sub meditationis exordium, imaginatio alliganda, ne huc illuc evolans orantem turbet. Siquidem tantò erit felicior meditatio, quantò ad rem præsentem collectior imaginatio. In hac loci situs, hominum affatus, & omnium

nium quæ illuc pertinent, imago & aspectus est constituendus. Hæc antecepta in animo rei informatio, & utilis, & necessaria est. Hæc visa cogitationes sequentur non invitæ.

Secũdum.

2. In promptu sint Meditationis capita seu tria, seu quinque, plura, pauciora. Hæc ordine & particulatim excutienda sunt. Neque opus hîc multo artificio. Nam ejusmodi cum Deo colloquia non convenit esse artificiosa. Beata Teresa, Quid sit meditatio, interrogata: Meditationem esse censeo, inquit, per intellectum circa rem aliquam discurrere. Vt si Christum in Oliveto vinctum meditemur, singulæ hujus spectaculi partes intuĕdæ. Hostilis in hortum irruptio, Judæ osculum & salutatio, Christi mansuetissimus sermo, Cohortis trina prolapsio. Violentia militum & aggressus, Præfervida Petri manus, Amputata Malchi auricula, Sindon adolescentis relicta, Apostolorum fuga, Christi jam vinculis onerati deductio. In singulis nonnihil cogitando insistere nemini difficile. Et videte obsecro, quàm in commeditandis nequitiis prompti & paratissimi. Est, qui injurias persequi, & ex aliquo paret ultionem petere. Hic ita meditatur sicut aranea: Ego casses meos expendam solertissimè, incidet in eos inimicus meus, quo non putaverit die. Hæc tamen techna cautè instruenda est. Principiò eum, apud quos potero, exosum reddam; occasionem deinde subministrabo, quâ id loquatur, cujus ipsum pœniteat; ita suis eum verbis irretiam, & irretitum configam. Si actus hic minùs succedat, hoc illóve modo rem aggrediar, tantáque curâ exitus viarum omnes obsepiam, ut non possit non incidere in manus meas; nam etsi unum alterúmve artificium è meis eludat, non eludet omnia, ita urgebo hominem, sic insistam nutanti, sic impellam ruentem, ut prædam cassibus meis obvolutam certò nanciscar. En araneam, ut filum è filo ducit, ut meditationem meditationi nectit, quàm promptè, quàm feliciter, quàm ingeniosè consilia consiliis consuit. Itáne tam prompti sumus meditando in nostram perniciem? tam expeditè animum versamus per omnia, cùm nocendum est? Et non possimus Christi Patientis & Morientis beneficia meditando expendere? *Serve nequam, ex ore tuo.* & ex consiliis tuis *te judico.*

Luc. c. 19. v. 22.

Tertium.

3. Vbi ergo Memoria & intellectus, quod partium suarum est, fecerint, tum Voluntas etiam officio suo debebit fungi. Nam ubi aliquis meditando agnorit, quid sibi faciendum, tunc voluntas concitanda & impellenda est, ut exequi velit, quod exequendum judicaverit Intellectus. Hic juverit ad Christum se vertere, illum alloqui, illius opem implorare. Quod tantò rectiùs fiet, quantò ferventiùs varios in se Humilitatis, Patientiæ, Charitatis grati ac devoti animi affectus excitaverit. Hoc omnes possunt, ii etiam qui scitè ac subtiliter ratiocinari non possunt. Nam ut quis neat ac sarciat, opus est acu, licet acus nihil consuat, sed filum. Fatuus certè sit, & vel die integro fruſtrâ se fatiget, qui solam acum filo non immissio, iterum iterúmque ac millies per telam traheret. Vix aliud facit, qui solum Intellectum per diversa trahit, desidem tamen & ignavam Voluntatem ad calida desideria non impellit: Meditatio est acus, sed filum est Voluntatis affectus; hoc filo conjungimur Deo.

Matth. c. 6. v. 7. Aug. epist. 121. ad Probam.

Dixerat Christus: *Orantes nolite multum loqui.* Quæ verba dilucidans Augustinus: *Aliud est*, inquit, *sermo multus, aliud diuturnus affectus: Absit ab oratione multa locutio, sed non desit multa precatio.*

Quartum.

4. Ad illud præcipuè collineandum in meditatione, quod quemvis maximè retardat, quò minùs in virtutibus proficiat. Hic rei scopus est. Cùm Christus Hierichuntinum cæcum interrogâsset: Quid tibi vis faciam? Ad ea mendicus non dixit: Vestibus indigeo, fami pané peto, paupertati pecuniam rogo. Sed unum illud petiit, quod sibi magis necessarium censuit: *Domine, ut videam.* Ita prorsus quilibet in meditatione id potissimùm agitet, id à Deo impetrare contendat, quod sibi magis necessarium existimat, quod singulariter incremento virtutis obstat. Est, qui deprehendat in se pretium sui, ad alta nititur, ubique conspicuus esse, & magnæ haberi auctoritatis cupit; vota non assecutus turbatur & indignatur. Hoc illum à cælo revocat. Hoc igitur cogitandum sæpiùs sumat, huic malo remedia circumspiciat; Humilitatem dies noctésque animo volvat, Humilitatem precibus assiduis exposcat. Alius impatientiâ plenus, vel verbulo læsus, vel digitulo impulsus ignem & venenum vomit. Iste Patientiam jugi meditatione familiarem sibi reddat. Alius judicii sui tenacissimus est, & se uno excepto neminem non falli credit. Et iste quidem huic nævo abstergendo vacet meditatione quàm creberrimâ. Est, quem libido & carnis petulantia infestet? Hic omni studio puritatem animi & castimoniam meditationibus perpetuis condiscat, neque hic quidquam remittat, aut mali gravitate victus succumbat. His talibus malis nunquam cedendum est, etsi annis viginta, etsi quadraginta vel quinquaginta paru videatur meditatio promovisse. Is solùm hic vincitur qui recusat ampliùs pugnare. Ita suum quisque ulcus Meditatione velut scalpro incidat, & eâdem velut malagmate aptissimo persanet. Quemadmodum qui in pharmacopolio est, non ex obviâ quâvis pyxide suo morbo pharmacum depromit; ita suo quisque vitio, quod infestius experitur, medicinam norit facere. Ille suam Superbiam, iste Libidinem ac Luxuriam suam, hic suam Iracundiam aut Invidiam, hic verò Gulam & perpotationes suas sub jugum mittere nitatur; si quem avaritia, si quem desidia aut somnolentia in pravum trahat, has ipsas vitiositates expugnare contendat. Scientia Sanctorum actuosa & practica est, & quod Ambrosius, dixit, Meditationis finis, operatio.

Luc. c. 18. v. 4.

§. IV.

QVia verò Memoriam, Intellectum, Voluntatem meditando diximus exerceri, ejus rei luculentum paradigma subjicemus.

Luctuosissimam Luciferi & apostatarum Angelorum tragœdiam expendamus. Memoria primis his laboribus fungatur, & supremum venustissimúmque Angelum statuat aspiciendum. Erat is spiritus multò nobilissimus, Deo proximus, tantùm non Deus, omnium gemmarum pretio nitebat, supra omnes felicissimus, suam si nôsset felicitatem. Sed quia se cum suis homini Christo subjicere recusabat, cælo præcipitatus est in gehennæ barathrum, æternis ignibus cruciandus, Dei hominúmque hostis capitalissimus, peccati & mortis auctor.

Hîc igitur ruinam Angelorum miserandam, & exilium tristissimum, quia sempiternum, Memoriâ complectere.

Memoriæ succedat *Intellectus* super re propositâ ratiocinando in hunc modum: Si Deus Angelorum Antesignanũ & omnes criminis socios ob unicum superbũ NOLLE, suppliciis immortalibus, plagâ incurabili, flammis sempiternis, sine ullâ spe gratiæ sic punit: quid tu vermicule, quid vilis homuncule tibi aliud polliceris? quibus es addicendus tormentis, ob commissum in Deum tot flagitia? Pomi vetiti morsus parentes tuos paradiso expulit, Angelos cogitatio superbior cælo dejecit. Vix esse ac vivere cœperunt, & ad mortẽ damnati sunt. Tu sceleribus diversis obæratus quâ tandem pœnâ mulctaberis? Non Angelis, nõ Protoplastis parsum est vel semel delinquentibus, & tibi tot leges innumerabili noxâ violanti parcendum somnias?

Part. 2. operum in Castello animæ Mans. c. 7. mihi pag. 268.

Intellectui succedat *Voluntas*. Hæc ubi à Memoriâ & Intellectu didicit, quæ peccati sit atrocitas, seipsam cõcitet, doleátque Deum tot suis flagitiis offensum, & hoc jam unicè velit, irato Deo satisfacere. Hîc quis-quis es, cum Rege lacrymabundo vociferare, *Miserere mei Deus*, miserere. Cum suspirante Augustino clama: *Recordari volo transactas fœditates meas, corruptiones animæ meæ, non quòd eas amem, sed ut amem te Deus meus. Amore amoris tui facio istud, recolens vias meas nequissimas in amaritudine recogitationis meæ, ut tu dulcescas mihi dulcedo non fallax, dulcedo felix & secura.*

Psal. 50. *v.* 2. *Aug. l.* 2. *Conf. c.* 1.

Hîc is, qui meditatur, annales vitæ suæ relegat, historiam longam, sed prorsus fœdam. Heu quot absurda, quot stulta, quot obscœna, non solùm cogitata, sed dicta & facta! Hîc opportunum erit ex Augustino quærere: Quid est peccatum à Deum istam sæpius suis momentis ponderans Augustinus: *Quæsivi*, ait, *quid esset iniquitas? Et non inveni substantiam, sed à summâ substantiâ à Deo detortam in infimam voluntatis perversitatem.* Quid igitur est peccatum aut peccare? Æternæ rationi temerè obsistere, divinæ providentiæ reluctari, & omnem turbare ac invertere rationem. Quid est peccatum? Audacia projectissima, quæ favores Dei spernit, & abjicit, quæ omnia auxilia divina negligit, & repellit. Quid est peccatum? Margaritarũ & unionum, gratiarum & donorum cælestium, sanguis à Christo fusi & hausti vomitus. Quid est peccatum? Omnis ordinis inversio, orbis universi perturbatio, rerum creatarum omnium luctus, aut interitus. Quid est peccatum? Belluarũ omnium immanissima, monstrorum omnium monstrosissimum, quod litteras, quibus homini jus cæli transcriptum, lacerat, & Christo in os contumeliosissimè projicit. Quid est peccatum? Avernale prodigium, quod Christi promerita repudiare, Christum crucifigere, Christi sanguinem calcare audet. Quid est peccatum? Summum & unicum orbis malum. Tolle peccatum, & nullum nobis malum nocebit. Sed quæramus ulteriùs: Et quis es tu, qui peccâsti? quantus es Angelo, quantus es toti cælo comparatus? Heu cinis, umbra, nihil! Et quantum est cælum cum Deo compositum? Nihil! Tu igitur quis eris collatus Deo? Heu longè minus nihilo. Exurgat hîc voluntas, & in seipsam excandescat. Hîc exclamandi locus: *Pater, peccavi in cælum & coram te; jam non sum dignus nominari filius tuus: Minor sum cunctis miserationibus tuis.* Sed statuo firmissimè, tuis deinceps legibus parere.

Idem l. 7. *Confes. c.* 7.

Quid sit peccatum.

Luc. c. 15. *v.* 21. *Gen. c.* 32. *v.* 10.

Hoc modo Memoriam, Intellectum & Voluntatem exercet Meditatio. Cæterùm modus orandi optimus est, quem subjiciemus.

§. V.

Refert Ioannes Gerson, eximium Dei servum dicere cõsuesse: Quadraginta jam anni decurrerunt, ex quo summis studiis artem orandi condiscere conatus sum, atqui toto hoc tempore meliorem ac succinctiorem, nerviosiorémque orationis modum non deprehendi, quàm eum, quem infantes & mendici me docent. Cùm pauper scholasticus ante ædes, nescio quod triviale carmen decantavit, quantâ patientiâ, quo flexu oculorum, quâ submissione expectat, dum nummulus cupreus, aut panis frustillum per fenestras projiciatur, nec expostulat, cur non panem integrum, cur non gallinam assam, aut potiùs philippeum dejiciant: gratias agit de obolo, de pane mucido. Ita mendiculi volantem rhedam pavido cursu sequuntur, & pæne adorant, dum interim scutellam ligneam exporrigunt, ut vel infimæ monetæ assem accipiant. Nonnunquam post expromptam omnem eloquentiam, post fatigationem sterilissimam vacuâ redeunt scutellâ, nec tamen alios atque alios rogare desinunt. Ita ego, ajebat ille, instar infantis fari nescientis, aut instar mendici centonibus operti, fame confecti, scabie horridi, ope omnium destituti, Deo meo me sistam, & caussam meam cùm verbis, tùm gemitibus ac lacrymis perorabo.

Optimus orandi modus.

Quam orandi formulam Monarchæ sanctissimo Davidi perquàm fuisse familiarem, è psalmis compluribus manifestum. Nam modò pauperis, modò ægroti, modò vulnerati, modò mendici, modò spoliati personam induit. Oratio mendicorum optima. Oratio humilitate vestita displicere non potest. Testis loquitur experientia non paucos hâc orandi formulâ ad insignem vitæ sanctimoniam pervenisse. Ah imitemur! Facillima erit hæc imitatio volenti.

Extat de frequenti Communione liber viri religiosi è D. Brunonis familiâ manuscriptus. Hîc de beato Ignatio ejusque sociis copiosiùs narrantur, quæ in compendium confero. Ibat Ignatius cum suis pedes Barcinonam, suas singuli sarcinulas gestabant. Quibus vir, nescio quis, occurrit, impensè rogans, suam quisque sarcinam sibi in eam rem satis robusto traderet. Negant socii, urget alter & instat importuniõr, ne cui videretur hoc onus minùs seriò deposcere. Et verò abiturum se negat, dum annuerent in hanc viæ societatem. Tam amicis precibus victi cesserunt tandem, quòd hominem lacertosum ac validum viderent. Ita iter institutum prosequuntur. E viâ digressi ad hospitium, singulos sibi angulos delegerunt singuli, ut tantò quietior esset oratio, quantò remotior à turbâ & colloquiis. Videt hoc itineris comes, sarcinarum bajulus, & sociorum factum æmulatus, fixis humi genibus, ut potest, orat. Post orationem socii quadrâ minimè lautâ refecti, eodem convite resumunt iter dúmque diversa inter se ultrò citróque sermocinantur, quærunt ex homine, quidnam in angulo illo latitans fecisset? Quibus ille candidè: Hoc, inquit, solùm habui dicere: Domine Deus, hi viri sancti sunt, & ego jumentum ipsorum clitellarium, quod ipsi dicunt & faciunt, hoc & ego. Subjũgit verò scriptor, virum illum adeò profecisse ab hoc orandi proludio, ut sublime ac rarum orationis donum sit consecutus. Et quis simili orationis formâ non possit uti?

Quisquis ad virtutis celsas ædes eniti cupit, hoc calle incedat, alioqui eò, quò destinavit, non perventurus. Absque meditatione animo nil satis infigitur. *Gustate & videte, quoniam suavis est Dominus.* Gustamus & videmus meditando. Quoties è templorum cathedris illud intonat: Considerate quæ dicuntur, considerate. *Considerate* vehementer, clamat Hieremias, *& videte, si est factum hujuscemodi.* Aspicite & considerate. Quoties Christus ipse hortatur: Considerate corvos, considerate lilia agri: Non considerat qui non meditatur, & voluntatem impellit, ut quorum Intellectus notitiam accepit, eorum opus exhibeat voluntas. Divinorum Meditatio ad virtutem, imò ad cælum, non fallax semita est.

Psalm. 33. *v.* 9.

Hier. c. 2. *v.* 10. *& c.* 5. *v.* 1.

CAPVT IX.

Quàm utilis ac necessaria sit orationis & mortificationis mixtura.

Gvilielmus Abbas Bernardi Claravallensis sanctissimos mores describens: Mirabatur, inquit Carthusianorum Prior, quòd Dei famulus Bernardus foris oculos ita circumcidisset, intus animum ita occupasset, ut quod ipse primo aspectu offenderat, hoc ille tanti itineris spatio non vidisset, quo nimirũ equo, quo ephippio uteretur. Sic etiam, ait, juxta Lacum Lemannum à totius diei itinere proficiscens, tum penitus non vidit, aut certè se videre non advertit.

Guil. in Vitâ S. Bernardi l. 3. *c.* 1. *fine.*

advertit. Cùm enim vesperi de eodem lacu socii colloquerentur, interrogabat illos Bernardus, ubinam ille lacus esset? Quam interrogationem nemo non plurimùm mirabatur. Quòd si vir iste religiosissimus, adeò in suâ statione oculos continere, adeò sanctis cogitationibus mentem distinere potuit, indubiè cum Deo permanenter & attentè colloqui novit.

Bernardo hac in re jungendus Franciscus Assisias, qui grande piaculum censuit, inter precandum aliena à precibus cogitare: quòd si tale quid ipsi contigisset, mox sacrâ Confessione id studuit eluere: hinc alv ejusmodi muscis rarò infestabatur. Sub vernum jejunium, vir sanctus vasculum concinnárat, otio vitando. Sed eo ipso tempore quo preces canonicas recitárat, arcula illa lignea diversis cogitationibus precantis animum lacessivit; idcirco eam Franciscus mox in ignem abjiciens: Illi, ajebat, hoc vasculum sacrifico, cujus sacrificium turbavit. Nempe intellexerunt hi viri sanctissimi, quid oratio attenta, & quàm ea sit necessaria. Et idcircò nos istud laboris exhausimus, ut ostenderemus cælestem Rhetoricam, seu rectè orandi scientiam, & artem, & virtutem esse utilissimam.

Quis finis Rhetoricæ cælestis.

Est autem inter eruditos controversia, quis sit finis Rhetoricæ. Sunt qui dicant, Persuadere dictione: Alii, bene dicere. Utrosque putem non falli, eos minimè qui Rhetoricam fine suo insigniter potiri censent, si bene dicat. Nam uti medicinæ finis est, ex arte & bene mederi, licet ægrotorum aliqui non convalescant; ita prorsus Rhetorica cælestis præfixum scopum attingit, si bene dicat, si rectè peroret. Hoc fine obtento nunquam alter deesse solet, qui est, dicendo ac orando persuadere. Deus oratorem bonum nunquam non exaudit, ut suprà demonstratum est. Nunc illud Angeli ad Tobiam ingerimus: *Bona est oratio cùm jejunio & eleemosinâ, magis quàm thesauros auri recondere.* Hìc explicandum, quàm non solùm utilis sit, sed & necessaria orationis & mortificationis mixtura.

Tob. c. 12. v. 8.

Sit veniâ voci minimè Tullianæ.

§. I.

Et libri docent, & experientia testatur, eos subinde, qui plurimum orationis fundunt, minimum habere patientiæ, atque ita nonnunquam precatores eximios esse homines impatientissimos. Hinc illud Ascetarum: Periculosum est habere donum Orationis & non habere donum Mortificationis. Deus olim per Isaiam gravissimè questus. *Ne*, inquit, *offeratis ultra sacrificium frustra: incensum abominatio est mihi. Neomeniam & Sabbatum, & festivitates alias non feram; iniqui sunt coetus vestri: Calendas vestras & solennitates vestras odivit anima mea: facta sunt mihi molesta, laboravi sustinens. Et cùm extenderitis manus vestras, avertam oculos meos à vobis, & cùm multiplicaveritis orationem, non exaudiam.*

Isa. c. 1. v. 13. 14. 15.

Vbi, obsecro, defectus, ubi error, mi Deus? Nos equidem putabamus orationes & sacrificia nostra esse gratissima. His Deus per eundem suum interpretem Isaiam respondet: *Lavamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis: quiescite agere perverse, discite benefacere: quærite judicium, subvenite oppresso, judicate pupillo, defendite viduam. Et venite, & arguite me, dicit Dominus.* Illius vos opinionis estis modò prolixas orationes texatis, modò plurimùm thuris afferatis, modò linguâ & os fatigetis, omnia fore salva. At verò cùm vestra tribunalia, cùm curiæ, cùm domus, cùm corda vestra inspiciuntur, violentia, fraudes, injustitia, simultates, odia & invidia illic regnare deprehenduntur.

Ibid. v. 16. 17 18.

Hoc est suspicere cælum, & scrobem incidere; multum orare, sed nihil imperare cupiditatibus; linguam exercere, sed seipsum non frangere; os habere facundum, sed animum indomitum. Itaque periculosum est habere donum orationis, & carere dono mortificationis. Quid juverit tabernam selectissimis vitris instruere, & subitò arrepto fuste omnia jugulare? Miser institor, qui suis sese mercibus sic fraudat.

Atqui certum est, quemadmodum oratio hominem reddit promptum & agilem ad sui victoriam & omnes honestas actiones, ita mortificatio sive sui victoria mirificè disponit ad orationem. Ab exemplo res patebit: Vbi nullum est in gulam impertum, ubi decit temperantia, ubi corpus plerumque ferculis fartum, quî tandem serena & seria possit esse oratio, tot nebulis impedita, tam crebris tenebris immersa? Dictum vetus ac plebejum, sed non fallax est: Plenus venter, non studet libenter. Patinæ ac pocula sepeliunt libros. Vbi victus copiosus, ibi cogitationes & sensa nebulosa. Ita lògè rectiùs dicemus: Plenus venter non orat libenter. Etenim operosius est orationi, quàm litteris vacare: cùm rectè orare, quod suprà docuimus, sit omnium difficillimus labor. Hinc more ab Apostolis recepto, cùm prolixiùs vacandum est orationibus, plus etiam dandum est jejuniis, quod Ecclesia verni jejunii tempore observat.

Oratio reddit hominem promptũ ad sui victoriam, mortificatio verò ad orationem.

§. II.

Vita nostra non absimilis horologio, maximâ rotularum varietate instruitur: quòd si unica illarum hæreat, hæresit omnes, & horologium aut otiatur, aut sine lege turbaróque cursu movetur: sic oratio humanæ vitæ primaria & directrix rotula, sed non sola. Nam & Prudentiâ, & Temperantiâ, & Misericordiâ, necnon Patientiâ cæterisque ejusmodi virtutibus horologium illud regitur; hæ virtutes orationem juvent, & illas oratio. Altera alteram trahat; mutuis enim eunt impulsibus.

Vita nostra est similis horologio.

Veteri jactatur verbo: Amissâ soleâ cadit equus, equo cadente cadit & eques, cadente equite tota ruit equitatio. Nam hæc ita cohærent, ut si equus ferreum amittat calceum, cespitare incipiat, aut claudicare; cespitans equus ad lapsum promptissimus, equi lapsus periculum creat equiti, cùm periclitatur eques, periculi societas ad equum transit; sic ambo simul concidunt. Ita prorsus si oratio minùs attenta, si frigida, si neglecta sit, vix ullus mortificationi, vix alii honestæ actioni locus erit; tolle orationis adminicula, & intermoritur oratio. Itaque negligentia quandoque non summa plurimum malorum in vitam invehit.

Adminiculis orationis sublatis intermoritur oratio.

Cithara vel testudo compluribus gaudet fidibus; chorda unica non facit concentum musicum: sic & oratio, fidium primaria, sed non sola sit, opus est etiam temperantiâ & sensuum custodiâ, continuâ opus est patientiâ & sui victoriâ.

Sed indagemus caussam, unde hæc labes oriatur, ut quidam grandi studio in orationc incumbant, mortificationem ex toto negligant. In promptu caussa est. Habet aliquid suavitatis oratio; mortificationis indoles austera est & acerba: oratio velut dulciarius panis, aut placenta ex amygdalis, quæ melle & saccharo inspergitur, facilem reperit emptorem, jam ante pronas invitat manus: at verò mortificatio velut lixum hordeum aut pulmentum avenaceum, quod majores apud Medicos laudis, quàm apud alios usûs est, commendatur largiter, sed parcè tangitur: ita reperias non paucos, quibus jucundum est horas complures in templis hærere, sphærulas precatorias decurrere, precatorios libellos evolvere, omnium Divorum genua incerare; at ubi his ipsis non gravis molestia, ubi levis injuriola, ubi duriuscula aliquot verbula sunt concoquenda, hem quantum luctantur & nauseant? hæret in faucibus asperrimum pulmentum: nec glutire quidem, nedum digerere possunt, tam acerbos, ut putant bolos. Videte, oro, hos sanctulos, qui orationis plurimum, nihil habent mortificationis; dulciarias solùm placentas esitant; apage ave-

Cur aliqui etsi grandi studio in orationem incumbãt, mortificationẽ negligant.

Iuvenal. satyr. 10. v. 55 genua incerare Deorum.

nam, apage hordeum, orare cupiunt, pati recusant; sed reverâ nec bene orabunt, qui mente tam iniquâ patiuntur. An non vel inde liquet, quàm sit necessaria orationis & mortificationis mixturâ.

Ludovicus Granata vir religiosissimus, ejusce modi homines, qui multæ quidem orationis, sed mortificationis sunt exiguæ velut penicillo depingens: Habent, inquit, calendarium suæ devotionis suarumque precum; his omnia cedant negotia, necesse est; non dormiunt, dum has absolverint; quidquid jacturæ fiat in aliis, modò suas illi precatiunculas recitârint. Dixeris esse homines orationis multæ. Sed arcas eorum inspice veste plurimâ oneratas, horrea illorum ingredere, quæ plurium annorum segetes stipant, cistas & crumenas resera argento & auro refertas. At illi tam pii homines vident famelicos, male vestitos, ære alieno pressos pauperes, nec obolo juvarent: vestes acervant pro tinearum pascuis, frumentum cariori servant annonæ, aurum captivum in carceres contrudunt, casibus futuris grande solatium. Sed & horum corda per Momi seneste llam intuere, deprehendes atrocem iram, invidiam robustissimam, simultates multi temporis, odia inveterata & penitus insita, similesque animi pestes: subinde studio nomina à se contracta non expungere, æs alienum non dissolvere sustinent, aut avaritiâ, aut nimiâ negligentiâ inducti, aut certè ne aliis videantur divites. Subinde annis compluribus non gravi offensâ læsi, nec salutare quidem dignantur, quos oderunt. Quòd si eos vel aliena premat invidiola, aut levis despectus tangat, impatientissimi sunt. Arduum quid ac difficile aggrediendum? sunt timidissimi. Mox manus retrahunt; devotionem suam impediri ajunt. Quid hoc, oro, aliud est, quàm multis orationibus se fatigare, & nihil vitiositatis emendare, nemini quidquam indulgere, sibi omnia, omnibus aliis acriter velle imperare, sibi nihil? hoc equidem est languorem pedum curare, & fœdam capitis porriginem negligere.

O sanctuli, ô precatores magni, mixtura, quam diximus, non fit oratione solâ, sed & mortificatione. Bona est oratio, sed cum jejunio: optimè facitis, cùm preces extenditis, sed pessimè agitis, cùm cupiditates & libidines, cùm vitiorum ex Adamo traduces vigere ac florere sinitis. Mortificationem orationi jungite, & magni nobis non Pharisæi, sed Bartholomæi eritis. *Matth. c. 7. v. 21.* Dictum Domini nostis: *Non omnis, qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cælorum, sed qui facit voluntatem Patris mei.*

Ea quæ non solida & vera est devotio, caret justitiæ fundamento. Nam cùm humanæ vitæ sit finis observatio divinæ legis, oratio autem ad hunc finem sit modus & via, luculentus error est, viam pro vitæ termino complecti. Finis ac scopus noster Lex Dei est, & sanctissima ejus voluntas; ad hanc autem Oratio & Mortificatio duces sunt, & separari nequeunt. Mortificatio calicem amariorem ingerit, & haurire persuadet; ut faciliùs perhauriatur, condit eum oratio.

§. III.

Duæ aræ in templo Salomonis Incensi & Victimarum orationis & mortificationis effigies.

GEminæ visebantur aræ in Salomonis templo, una erat *Incensi*, *Victimarum* altera. Præclara Orationis & Mortificationis effigies. Neque enim satis est altare, in quo thura odoresque incendantur, sed & aliud statuendum est, in quo pecudes & hostiæ cædantur. Qui preces fundit, optimos odores spargit; qui cupiditates suas exscindit, hostiam immolat, dum seipsum vincit.

Cant. c. 4. v. 6. Cælestis sponsa destinatum iter prosecutura: *Vadam*, inquit, *ad montem myrrhæ & ad collem thuris.* En iterum Orationis & Mortificationis non obscuram imaginem. Sed cur, obsecro, in colle thura, in monte myrrham ait crescere? Profectò non gratis id dictum censeamus, cùm sacri codices nullos nec quidem apices habeant supervacaneos.

Cur collem thuris & montem myrrhæ nominet sponsa.

Ita rectissimè collem thuris, & montem myrrhæ nominat sponsa. Faciliùs collis quàm mons conscendituri, imò collis ad montem via est: ita prorsus Oratio ad Mortificationem semita est; hinc & facilius est orare, quàm cupiditati ac libidini suæ imperare; suavius verba fundere, quàm animum frangere; illud colliculus, hoc mons est. Atque hoc ocelis subjicere facillimum. Quisquis salutare sui odium non habet, & seipsum non audet despicere, is certè jucundiùs horâ integrâ orat, quàm ut injuriosum verbulum vel unicum admittat. Ita collem horâ unâ superat, at verò per montem myrrhæ vix hebdomade unâ aut mense toto ejectatur; mordacius dictum, quod in se jactari audiit, multo tempore concoquere nequit. Nimirum thus suavè fragrat, sed myrrha mordet. At nos mulceri cupimus, non morderi. Ita de pluribus cum S. Ignatio dici potest: Homines sunt multæ orationis, sed non multæ mortificationis; colliculum thuris non inviti adeunt, sed arduum myrrhæ jugum difficillimè transcendunt.

Quàm autem hoc verum sit, quivis explorare poterit, seipsum ita pervestigando: Dic, quantum in Submissionis ac Humilitatis studio promoveris? Si quid injuriæ tibi accidat, quàm æquo id animo perfers? quî alienæ debilitati concedere, quî necessitati succurrere, quî lædenti veniam dare, quî afflictorum commiserescere didicisti? Dic, quomodo linguam frenare, carnis petulantiam domare nosti? quantum spei quantúmque fiduciæ in Deum geris, præsertim cùm tempestates ingruunt, cùm volat fulmina, cùm adversa irruunt? quæso num ambitionis, nû philautiæ & proprii amoris in te aliquid expugnasti? An non affectus tui etiamnum in te vivunt integerrimi? En myrrhæ montem, en mortificationis arduum tramitem: Ascende. Sed sine sudore non penetrabis illuc: à colle thuris, ad clivum myrrhæ itur. Ideo oramus, ut cupiditatibus imperare possimus; alterum alterius subsidiis gaudet.

Hanc Orationis & Mortificationis mixturam denotans Chrysostomus: *Qui pulsat ostium*, inquit, *non tantùm voce, sed & manu clamat.* Qui fores cæli ferire cupit, non tantùm Orationis vocem, sed & mortificationis manum adhibet. *Bona est oratio*, sed bona est *cum jejunio & eleemosynâ.* At verò jejunare velle, sed nolle carnem macerare, est velle piscari, sed aquam refugere; Amare Orationem, sed odisse Mortificationem, labor irritus. Eamus, dum licet, ad thuris collem, & ad myrrhæ montem, dum perveniamus in amœnissimos, & pensiles cæli hortos.

Chrys. in s. hom. 17. in c. 7. Matth.

Tob. c. 12. v. 8.

§. IV.

Cur animæ in Cælicorum Canticis nullæ fuerint manus apictæ, in Proverbiis autem manus ei appositæ. Prov. c. 31. v. 13. & seqq.

QUid caussæ est, quòd spiritus divinus, pictor excellentissimus, cùm animæ formosissimæ simulacrum verámque effigiem in Canticorum Canticis expressisset, nullas ei manus appinxerit; at verò in Salomonis proverbiis manus ei plurimas penicillo apposuerit. Hinc illa crebriùs ingeminantur: *Operata est consilio manuum suarum: De fructu manuum suarum plantavit vineam: Manum suam misit ad fortia: Manum suam aperuit inopi, & palmas suas extendit ad pauperem: Date ei de fructu manuum suarum.* Cur hîc tot sese manus exerunt, alibi nullæ? Ratio non obscura est: In Canticis depingitur anima, quæ cum Deo miscet colloquium, & tota orationi vacat: quia tamen etiam prodeundum ad actionem, quia Mortificatio jungenda Orationi, numerosis sanè manibus est opus, ut non tantùm docere possit, sed & facere, ut non solùm verba fundere, sed & opera monstrare velit. Inanis est oratio, ubi nulla mortificatio, vel ubi prava est actio.

Hoc

Aug. tom. 2. epist. 121. ad Probam fin. Chryſ. to. 2. in cap. 17. Matth. ho. 58. mihi pag. 428.

Hoc Auguſtinus clariſſimè teſtatus: *In jejuniis, inquit, & vigiliis, & omni caſtigatione corporis quamplurimum adjuvatur oratio.* His paria ſunt, quæ Chryſoſtomus dixit: *Qui orans jejunat, binas poſſidet alas, quibus ventos ipſos volando prætervehitur: Non enim oſcitat, nec torpet orando, quæ multi patiuntur: ſed igne ardentior & terrâ ſuperior eſt, quare terribilis hoſtis dæmonibus redditur. Nihil eſt enim homine probè orante potentius.*

Idem in c. 6. Matth. hom. 15. pag. 743.

Vacuus autem intrat ante Deum, qui veniens ad orationem, nullam eleemoſynam facit: Eleemoſyna præparatio eſt orationis. Item jejunium eſt adjutorium orationis, quia oratio ſine jejunio gracilis eſt & infirma. Nam oratio illa eſt fortis, quæ fit in ſpiritu humili, & corde tribulato. Spiritum autem humilem & cor contribulatum habere non poteſt, qui manducat & bibit, & deliciis fruitur. Ideo quandocumque Sancti pro aliquâ neceſſitate voluerunt exorare Deum, jejunium cum oratione conjunxerunt: ſicut Daniel & ceteri. Vnde, quia virtus orationis jejunium eſt, nunquam ſeparantur ab invicem, ſed ubique ſimul ponuntur. Oratio & jejunium à morte liberant. Sicut nec miles ſine armis eſt aliquid, nec arma ſine milite: ſic nec oratio ſine jejunio, nec jejunium ſine oratione. Nam virtus orationis eſt opus juſtitiæ. Oratio autem quaſi ſuavis odor eſt operis boni. Sicut ergo res aliqua ſine odore poteſt eſſe, odor autem ſine re aliquâ eſſe non poteſt: ſic opus ſine oratione aliquid eſt, oratio autem ſine opere bono nihil eſt: & ſi oras, non ex fide oras. Ita Chryſoſtomus verbum è verbo expreſſit. Mortificationis mixtura orationi planè neceſſaria.

Et pag. 760.

In liquido eſt, plus illum obtinere gratiæ, qui ampliorem munierit viam ad obtinendam gratiam. Atqui nemo inficiari poterit, eum in hoc agendo totum eſſe, qui corpore ſimul & animo ſe gratiâ divinâ dignum finxerit. Multi Deum quærunt, ſed non quærunt toti. *Verè*, inquit Auguſtinus, *tunc tibi Deus attendit, quando ipſum quæris, non quando per ipſum aliud quæris.* Quod Dei juſſu Prophetæ Hieremias & Ioël proclamant: *Quæretis me, & invenietis, cùm quæſieritis me in toto corde veſtro. Convertimini ad me in toto corde veſtro, in jejunio, & in fletu, & in planctu.* Non ſolùm hîc orationem, ſed & mortificationem, idque acriori mandato exigit. Hinc Daniëli tam benevolum è cælo ſubmiſſum eſt reſponſum: *Quia poſuiſti cor tuum ad intelligendum, ut te affligeres in conſpectu Dei tui, exaudita ſunt verba tua.* Quotieſcunque denique ſacri codices Iſraëlis populum non ſolùm orationibus, ſed & jejuniis afflictum, ſimul etiam exauditum commonſtrant. Cui confirmando aiunt matrem Chriſti ſecretis affatibus Haſſæ principi Eliſabethæ dixiſſe: Crede mihi filia, nullâ ferè gratia in hominis animam niſi per orationem & corporis afflictionem deſcendit.

Auguſt. in pſalm. 76. mihi pag. 343. Hier. c. 29. v. 13. Ioël, c. 2. v. 12. Dan. c. 10. v. 12.

Ita nimirum Deus è fortunæ bonis eleemoſynam, è corporis bonis jejunium, è bonis animi orationem poſtulat. Hoc dignum Deo ſacrificium eſt. Quocirca ſummè neceſſaria eſt Orationis & Mortificationis mixtura: Laudandus Deus non ſolùm in choro, ſed & in tympano.

CAPVT X.

De orationis loco ac tempore de ſitu corporis inter orandum.

LYſias cùm Socrati orationem, quam in ejus defenſionem compoſuerat, recitaſſet: Præclara, inquit Socrates, & elegans eſt oratio, ſed Socrati non convenit. Erat enim aptior foro, quàm Lyceo, cauſſidico convenientior quàm Philoſopho. Perculſatus eſt ergo Lyſias, cur ſi bonam terſámque judicaret orationem, eam ſibi non convenire crederet? Cui Philoſophus: Nónne, inquit, fieri poteſt, ut calceus pulcher & elegans ſit, pedi tamen graciliori minùs conveniat? quo dicto ſignificavit, tantò meliorem fore orationem, quantò eſſet tempori, perſonis, loco congruentior.

Vt Oratio, de quâ loquimur, re nullâ peccet, nunc etiam de Orationis Loco & Tempore, & de corporis compoſitione ad orandum accommodatiore diſſeremus.

§. I.

CVm Hebræus populus ſeditiosè regem petere inſiſteret, quod Regum faſti memorant, *audivit Samuel omnia verba populi, & locutus eſt ea in auribus Domini.* Secretum amat oratio, cubiculum quærit, oſtium claudit, jactantiam exeludit. Hypocritæ & variegato tergore ſtelliones *amant in Synagogis, & in angulis plateârum ſtantes orare, ut videantur ab hominibus.* Longè aliter viri ſancti, quos Gregorius commendans: *In auribus Domini loquuntur*, inquit, *ut, dum hominum teſtimonia orantes fugiunt, ab eo qui occulta reſpicit, celeriùs audiantur. Nam pervenire ad Deum oratio nequaquam poteſt, quæ ex intentione promitur, ut ab hominibus agnoſcatur.* Idcirco Samuel ne ſuam cum Deo familiaritatem oſtentaret, in auribus Domini, hoc eſt, loco ſecreto, arbitris remotis, forenſi ſtrepitu excluſo, cum Deo locutus eſt.

1. Reg. c. 8. v. 21. Matth. c. 6. v. 5. Greg. in dictum loc.

Ita Moſes pro Pharaone oraturus, à Pharaone abitum parans: *Egreſſus à te*, inquit, *orabo Dominum.* Quod idem denuò aſſeverans: *Cùm egreſſus fuero*, ait, *de urbe extendam palmas meas ad Dominum.* Idcirco quamdiu tabernaculum medio caſtrorum ſtetit, Deus cum Moſe parciùs egit. Vbi *Moſes, tollens tabernaculum, tetendit extra caſtra procul, tunc loquebatur Dominus ad Moſen facie ad faciem, ſicut ſolet homo loqui ad amicum ſuum.* Ità *Moſes & Aaron* oraturi Dominum, priùs *dimiſſâ multitudine* ingreſſi ſunt *in tabernaculum fœderis.* Hinc eſt quòd Deus Abrahamo velut primæ admiſſionis amico quiddam arcani commiſſurus: *Eduxit eum foras, & ait illi: Suſpice cælum.*

Exod. c. 8. v. 29. Et c. 9. v. 29. Exod. c. 33. v. 7, & 11. Num. c. 20. v. 6. Gen. c. 15. v. 5.

Chriſtus Dominus ipſe, *dimiſſâ turbâ aſcendit in montem ſolus orare.* Chryſoſtomo teſte *in noſtrum id exemplum fecit, ut tam à tempore quàm à loco trâquillitatem orandi quæramus. Tranquillitatis quippe mater exemus eſt, quietis portus, omnis perturbationis expultrix.* Propterea Servator hunc morem tenuit, ut oraturus fugeret humanos cœtus, & loca ſolitaria frequentaret. Quod Lucas & Ioannes apertiſſimè teſtantur obſervatum à Domino, ut ab omnibus turbis oraret ſolus. Hinc cenâ ultimâ jam clausâ, *Egreſſus ibat ſecundùm conſuetudinem in montem Olivarum. Sciebat autem & Iudas, qui tradebat eum, locum, quia frequenter Ieſus convenerat illuc cum Diſcipulis ſuis.* Sic autem orandi ſolitudinem amabat, ut non ſolùm à turbis, ſed ab ipſis etiam comitantibus Diſcipulis avulſus, cum Patre ſolo ſolus loqueretur.

Matt. c. 14. v. 23. Chryſ. to. 2. hom. 51, in c. 14. Matt. pag. 376. Luc. c. 22. v. 39. Ioan. c. 18. v. 2.

Sed cur, mi Domine, in montes oraturus abis, cur Gethſemani eligis, cur olivetum noctu ingrederis; Placuit nimirum loca deſerta divinâ præſentiâ ſacrare, ſolitudinem in orationis portum convertere, placuit homines orationis amantes illuc evocare. Quod Oſeas olim promittens: *Ducam eam in ſolitudinem*, inquit, *& loquar ad cor ejus.* Quod Hugo Victorinus dilucidans: *Scrutemur*, inquit, *ſcripturas, & inveniemus vix aut nũquam Deum locutum fuiſſe in multitudine, ſed quotieſcunque innoteſcere voluit aliquid hominibus nõ gentilibus & populis, ſed vel ſingulis, vel admodum paucis, & à communi hominũ frequentiâ ſegregatis, vel per nocturna ſilentia, vel in campis & ſolitudinibus, & montibus, & vallibus ſe manifeſtavit. Sic locutus eſt cum Noë, cum Abraham, cum Iſaac, cum Iacob, & cum Moſe & Samuele. Quid eſt quòd ſemper loquitur in ſecreto Deus; niſi quòd nos ad ſecretum vocat? Et quid quòd cum paucis loquitur, niſi quòd nos colligat & uniat.*

Oſea c. 2. v. 14. Hugo de S. Victor. l. 4. de Arcâ Noë. c. 4.

Atque hinc sacri secessus illi, hinc columnæ Stylitarum, hinc deserta Eremitarum, cellæ Anachoretarum, scalæ Alexiorum, sepulcura Hilarionum, antra Macariorum, latibula Arseniorum, cœnobia Religiosorum, hinc oratoria domestica tot proborum hominum. Secessum & otia quærit ardens precandi studium. Homines precationis studiosi ut Deum adeant, à se abeunt; ut Deum quærant, secernunt; ut divinis obsequiis consecrentur, à profanis negotiis feriantur. Hieronymus secessu sacro exultans: *Habeat Roma suos tumultus*, inquit, *arena sæviat, circus insaniat, theatra luxurient: nobis adhærere Domino bonum est, & ponere in Domino spem nostram, ut cùm tanta in cœlo parva & caduca quæsisse nos doleamus in terrâ.* Imitemur Moisen, & in foraminibus petræ, in vulneribus Domini Iesu absconditi, transeuntis Domini majestatem & gloriam contemplemur.

Hieron. ep. 18. ad Eustochium.

Inter monita beatæ Teresæ & illud est: Solitudo imprimis orationi necessaria; quam sectatum Redemtorem nostrum constat, ut exemplo nobis præiret. Neque enim par est cum Deo simul & cum mundo colloqui, quemadmodum ii faciunt, qui dum orant, cum aliis interim aut secum ipsi fabulantur.

§. II.

Templum est orationis domus propria: 2 Mac. c. 3. v. 38.

QVamvis autem solitudo sit orationi amicissima, est tamen templum orationis domus propria. Quod Heliodorus vel inter plagas fassus est: *Eò quòd in loco (templi) sit verè Dei quædam virtus. Nam ipse qui habet in cœlis habitationem, visitator, & adjutor est loci illius, & venientes ad malefaciendum percutit ac perdit.* Ideo viri Deo amicissimi Noemus, Abraham, Isaacus, Iacob, Moses, Salomon, altaria aut templa struxerunt. Clemens Romanus asserit Petrum Apostolum Antiochiæ paucis diebus plus quàm septem millia hominum Christo adjunxisse, inter hos Theophilus è primatibus urbis palatium suum in templum obtulit. Apostolus Iacobus Cæsaraugustæ templum Virgini matri dicâsse fertur. Thomas Meliapore in Indiâ templum extruxit, Martha & Magdalena Massiliam profectæ duo templa, Christo Servatori unum, Christi Parenti alterum dicârunt. Quot ædes sacras Constantinus Imperator Christo sacravit?

Clem. Rom. l. 2. & 10. Recognitionū, ub fin.

Atqui eò struuntur templa, ut in iis precationes tantò meliùs, quantò religiosiùs instituantur. Pro sexcentis millibus testium stat una Veritas, & ad templum atque orationem invitans: *Domus mea*, inquit, *domus orationis est.* Hinc Antiochenus Præsul & Martyr Ignatius ad Magnesianos scribens: *Omnes*, inquit, *ad orandum in idem loci convenite: sit una communis precatio, una mens, una spes, in charitate & fide inculpatâ in Christum Iesum, quo nihil præstantius est. Omnes velut unus quispiam ad templum Dei convenite, velut ad unum altare, ad unum Iesum Christum Sacerdotem.*

Matt. c. 21. v. 13. Marc. c. 11. v. 17. Luc c. 19. v. 46.

In templo esse non frequens tantùm, sed quotidianum erat Christo Domino: *Quotidie* inquit, *apud vos sedebam docens in templo.* Christianorum primi Hierosolymis, ut Lucas testatur, *quotidie perdurantes unanimiter in templo erant.* Ita rex Iosaphat templum à se constructum & ipse creberrimè adibat, & alios ut adirent, compellebat. [a] Templum aptissimus orationi locus est, [b] cùm propter divina mysteria, & alia sanctitatis signa, quæ illic oculos incurrunt, tum etiam ob multorum illic adorantium concursum, qui preces plurium consensu multiplicatas Deo reddit commendatiores. Promissum Domini est. [c] *Vbi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.* Quod explicatissimè tradens Chrysostomus: [d] *Domi quidem*, ait, *orari potest, sic autem, ut in Ecclesiâ non potest, ubi tanta Patrum multitudo, ubi clamor ad Deum unanimiter emittitur. Non ita Dominum per te solum orans audieris, ut cum fratribus tuis. Hic enim majus aliquid est, pura, unanimitas & consonantia, charitatis vinculum, & Sacerdotum orationes.* Hinc Basilius de templorum usu disserens: *Hic magna nobis* inquit, *sunt possessiones, hic omnis spes nostra sita est.*

Matth. c. 6. v. 55. Actor. c. 2. v. 46.
[a] *Rossweid. l. 1. c. 33. in hist. Ioseph & Barl.*
[b] *S. Thomas p. 3. q. 83. art. 3. ad 3. Vasc.* inquit, *quidā probabiliter dicunt, quòd per ingressū Ecclesiæ cōsecrata homo cōsequitur remissionem peccatorum venialium, sicut per aspersionem aquæ benedictæ. psal. 84. v. 2. Domine dilexisti terram tuam, remisisti iniquitatem plebis tuæ.*
[c] *Matth. c. 18. v. 20.*
[d] *Chrys. in 2. lib. 2. de pop. Antioch. homil. pag. 357.*
[e] *Basil. lib. 33. in Matt.*
[f] *Chrys. in 5. hom. 70. medio fol.*
Crucis signum ex Chrysost. in ms.

Enimverò templum sic frequentandum est, ut cùm opus, locus omnis sit templum. Oret igitur in suâ officinâ sartor, oret in suâ pergulâ mercator, in tabernâ sutor, in ustrinâ faber, sub suo fornice aromatopola, in curiâ senator, inter chartas suas bibliopola, oret ad furnum pistor, ad focum coquus, ad mensam argentarius, ad pluteum litterarum studiosus. Nónne carcerem Paulus in templum commutav[erat]. [e] Nónne Rex Ezechias lectum in confessionis sedem co[mmutavit]? Nónne latro crucem in altare sacravit? Nónne Ionas bælænæ ventrem sacellum & oratorium effecit? In cæno Hieremias, in leonum cavo Daniel, in flammarum medio tres Hebræi juvenes, in montibus & eremo David, in medio campo Chananæa, in catenis & tenebris cum Paulo Barnabas, in sterquilinio Iobus, puras ad Deum preces effuderunt. Quâ de re Chrysostomus eximiè: [f] *Neque mihi*, ait, *quispiam dicat, quod nequit homo sæcularis affixus foro continuè per diem orare, & ad ecclesiam concurrere: Potest enim quàm facillimè. Nam licet in ecclesiam non sit facile concurrere, illic affixus tribunali potest orare. Et hoc multi fecere frequenter & intus clamante magistratu, comminante, contendente, furente, pro foribus stantes signo muniti, & pauca verba per cogitationem orantes, ingressi mutaverunt eum, atque mitigaverunt, & mitem ex fero reddidere, nec à loco, nec à tempore, nec à clamore quidquam ad hanc orationem impediti sunt. Nam ubicumque sis potes altare tuum constituere, nihil enim locus prohibet, nec impedit tempus. Licet enim & forum petentem, & ambulantem per se prolixas facere orationes. Licet & in officinâ sedentem & pelles suentem animam Domino dedicare. Licet & servo menti, & ascendenti, & descendenti, & adstanti coco, cùm ad ecclesiam irenon poterit, orationem facere prolixam & solertem. Non enim locum Deus veretur, sed unum exquirit, servidam mentem, & contrenteu animum. Non est quærendus locus, sed loci principium. Licet in balneo sis, ora. Si mentem namque mundam habeas ab immundis motibus, licet in foro sis, sive in viâ, sive in foro constitutus, sive in mari, sive in diversorio, sive in officinâ positus, sive sis ubicumque, Deo poteris invocato petitionem obtinere: ubicumque sis ora.*

Imò & in templo struenda solitudo.

Ergo ut in compendium dicta conferamus, solitudo seu cubiculum à turbis semotum orationi gratissimum, proprius tamen orationis locus est templum, imò & in templo struenda solitudo, & in mediis turbis turbæ sunt excludendæ. Ita denique, cùm templum commodè adiri non potest, locus omnis templum est.

§. III.

Oratus ut supplex gerere debet;

QVòd ad corporis situm in oratione spectat, hoc asserimus. Cùm supplex veniat qui orat, par est, ut supplicis habitum præ se ferat. Supplicem decet caput aperire, genua flectere, manus cælo attendere, omnem gestum ad reverentiam & submissionem cōponere. Chrysostomus feminam petulantiùs comptam ad templum tamen, & ad preces properantem affatus: Quid dicis, inquit, Deum precatura pergis? & ornamenta aurea circumfers, flavósque crines & ipsos auro compositos? An verò saltatura ad Ecclesiam pergis? Nam ut tui spectaculum præbeas adveniſti? Vt Deum pro peccatis suppliciter depreceris, ut tuis sceleribus veniam cum gemitu ac lacrymis petas, ut Dominum tibi propitium facias, accessisti; quid teipsum ornare improbo atque intempestivo studio contendis? Non iste supplicis est habitus. Quo enim pacto ingemiscere potes ac lacrymas fundere, atque intentissimè, ut decet, orare, quæ ejusmodi ornatu compta procedis? Nam etsi lacrymas fuderis, risum cer-

nentibus siujusmodi lacrymæ movebunt. Non iste supplicis est habitus.

Et cũ Deo locuturus sit, genua submittere oportet.

Itasibi quisque dicat: En ades cum Deo locuturus, ergo genua submitte, deprime oculos, attolle manus, tumoris alas contrahe, indue personam supplicis.

Homerus Odiss. 11. Dionys. Halicarnass. Philo Hebr. de Legatione ad Caiũ.

Apud Assyrios olim, & Hebræos, aliásque gentes consuetudinis fuit, ut supplices majorem sui miserationem ad tribunalia excitaturi, in terram sese prosternerent, cinere conspersi, & ad omnium pedes provoluti. Ita humi jacentes & pulvere sordidati supplicant Hebræi Alexandriæ incolæ Petronio Prætori, ita Ulysses Alcinoo Regi, ita Martius Coriolanus Volscorum Principi. Eò spectat Isaiæ vatis cõmonitio: *Descẽde, sede in pulvere Virgo filia Babylõ, sede in terrâ:* Supplicis gere habitum, in terram te abijce, luge, deprecare.

Isai. c. 47. v. 1.

Principes, Reges, Cæsares, sanctissimi quique viri submissis genibus orârunt. De Salomone Regum fasti testantur his verbis: *Factum est autem cum complesset Salomon orans Dominum omnem orationem, & deprecationem hanc, surrexit de conspectu altaris Domini, utrumque enim genu in terram fixerat, & manus expanderat in cælum.* Ita Petrus, ita Paulus, ita Stephanus positis genibus orârunt. Ita Lunatici Pater, ita leprosus, ita ipse Christus Dominus non in genua solùm, sed in faciem quoque procidit & oravit. Hebræos flexis genibus orare consuevisse constat è pluribus. Optima inter orandum corporis compositio est, quæ orationem non impedit, sed promovet, & accendit. Hinc oculos in cælum attollere, brachia expandere, totum corpus in terram prosternere, Cassianus priscis usitatissimum affirmat. Christus sublatis in cælum oculis ut plurimum oravit. Martinus Turonensis præsul morti proximus, supino jacens corpore orabat. Cumque eum discipuli rogâssent, ut converso corpore tantisper, dum remitteret vis morbi, pronus conquiesceret: Sinite, inquiebat, cælum potiùs quàm terram aspiciam, ut suo jam tinere profecturus ad Deum spiritus dirigatur.

3. Reg. c. 8. v. 54.

Cæsar. Arelatensis homil. 30.

Arelatensis Præsul Cæsarius in eos, quibus sub oratione niti genibus grave est, non immeritò excandescens: *Vellem scire,* inquit, *qui nec genua flectunt, nec inclinare capita volunt, si aliquid sibi satis necessarium, aut à judice, aut ab aliquâ potenti personâ expeterent, utrum stantes & recto capite negligenter, & tepidè supplicarent? Rem terrenam ab homine terreno quærimus, & prope usque ad terram nos humiliter inclinamus: & à Deo remissionem peccatorum, & æternam requiem inquirentes, nec capita inclinare, nec genua submittere dignamur? Et exemplo Christi Domini sub aspectum posito: Prostratus,* inquit, *in terram orat Medicus, & non inclinatur ægrotus; orat judex, & orare dissimulat judicandus?*

Tertul. in Apologetico c. 30. mihi pag. 62.

Doctissimus Afer Tertullianus Christianorum in oratione mores explicans: *Illuc suspicientes Christiani,* ait, *manibus expansis, quia innocuis, capite nudo, quia non erubescimus, denique sine monitore quia de pectore oramus, precantes sumus semper.* Cùm Deum, inquit, precamur, in cælum oculos mentémque convertimus, non tenentes manibus aras, aut adductam togam, sed passis brachiis ac manibus, ut quæ innocentiam explicent, nec velato capite, sed nudo; denique dictatas à sacrificulo preces non concipimus, sed ex ipsâ sede animi spiritúsque nostri cum suspiriis gemitibúsque vota exponimus.

Sigillaria, imagines parvæ fictiles. Hic debiles & ægrotos nõ perstringo; nec loci consuetudinem impugno.

Idem Tertullianus illos, qui sedentes orant, graviùs reprehendit, quòd vel reverentiam negligant, vel idololatras imitentur: Verba Tertulliani sunt: *Porrò cùm perinde faciant, nationes adoratis sigillaribus suis residendo, vel propterea in nobis reprehendi meretur, quòd apud idola celebratur. Eò apponitur & reverentiæ crimen etiam ipsis nationibus, si quid saperent, intelligendum. Siquidem irreverens est assidere sub conspectu, contráque conspectum ejus, quem cùm maximè revereare, ac venereris: quantò magis sub conspectu Dei vivi, angelo adhuc orationis adstante, factum istud irreligiosissimum est, nisi ex-* A *probramus Deo, quòd nos oratio fatigaverit.* Ita Tertulliano sub oratione sessio minimè probatur. Addit: *Atqui cum modestiâ & humilitate adorantes magis commendamus Deo preces nostras, ne ipsis quidem manibus sublimius sed temperatè ac probè elatis. Ne vultu quidem in audaciam erecto. Nam ille Publicanus, qui non tantum prece, sed & vultu humiliatus atque dejectus orabat, justificatior Pharisæo procacissimo discessit.*

Tertul. l. de orat. c. 12. & 13. mihi pag. 182.

Profectò & Augustinus cordis affectum, & corporis gestum in oratione conjungit, nam alterum ab altero mirificè juvari & excitari asserens: *Nescio,* inquit, *quomodo cùm hi motus corporis fieri, nisi motu animi præcedente non possint, eisdem rursus exterius visibiliter factis, ille interior invisibilis, qui eos fecit, augetur: ac per hos cordis affectus, qui ut fierent ista, præcessit; quia facta sunt, crescit.*

Aug. to. 4. l. de curâ pro mortuis c. 5.

Clarissimè Hieronymus, ut doceret ad orationem submittenda esse genua: Fixo, inquit, in terram poplite magis quod à Deo poscimus, imperamus. Legimus enim & Paulum in littore sic orâsse, & geniculationes in oratione præceptas.

Hier. to. 6. l. 2. in ep. ad Ephes. c. 3. mihi pag. 174.

Quamvis igitur cordis affectus imperet, ut exterior corporis gestus sit decens, tamen interior ille per hunc ipsum excitatur, eóque altior erigitur animus, quò majori submissione deprimitur corpus. Æquum igitur est, ut in oratione corpus etiam sui officii meminerit, & quantam poterit ei qui adoratur, reverentiam adhibeat. Addo de orationis tempore.

§. IV.

Chrys. to. 1. in psal. 4. init. mihi pag. 611.

Omni tẽpore ad audiẽdum est Deus paratus.

DEus quovis tempore ad audiendum paratissimus est. Chrysostomus tam facilem ad divinas aures accessum explicans: *Non assistit miles,* inquit, *qui expellat, non satelles qui dicat: Non est nunc tempus accedendi, veni postea, sed quando veneris stat audiens; etiamsi tempore prandii, etiamsi tempore cenæ, etiamsi nocte intempestâ, etiamsi in foro, in viâ, etiamsi in cubili, etiamsi intus in judicio apud magistratum fuerit, & eum vocaveris, nihil vetat, quò minùs tuam petitionem audiat, si ritè vocaveris. Semper, & assiduè potes eum interpellare, & nulla difficultas adest. Neque enim opus est janitoribus, qui te introducant, non dispensatoribus, procuratoribus, custodibus, aut amicis: sed quando ipse per teipsum accesseris, & tunc maximè te audiet.*

Summus Hebræorum sacerdos sanctuarium ingressurus aureis cingebatur tintinnabulis. Vide, obsecro, quantò facilior ad Deum pateat, quàm ad hominem accessus. Solent viri principes habere ad manus tintinnabula, quibus famulos ad ingressum vocẽt; neque enim fas est ulli ad lubitum irruere. At verò Deus non sibi hæc tintinnabula retinebat, sed Sacerdoti committebat, ut ostenderet tempus à se ingrediendi & orâdi à famulo constituendum, cùm prompta hominis voluntas, sit Dei alloquendi facultas.

Pharao à rariss pessimè habitus rogavit Mosen, ut Dominum sui causâ deprecaretur. Cui Moses: *Constitue,* inquit, *mihi tempus quando deprecer pro te.* Cur, obsecro, Moses precãdi tempus in Pharaonis arbitrio collocavit? ut sciret Pharao, inquit, Alphonsus Tostatus, Deum ad audiendas preces quovis tempore promptissimum esse. Nihilominus stata orandi tempora minimè negligenda sunt.

Exod. c. 8. v. 9.

Beatus Antoninus refert Anachoretam virum integerrimum ab Angelo quot diebus botrum uvarum accepisse in cibum, sed hoc discrimine. Quando vir ille religiosus stata orâdi vices præproperè antevertit, botrus erat immaturus; cùm preces diutiùs æquo distulit, siccus videbatur botrus ac rugosus; cùm congruo tempore precandi pensum persolvit, suavis & maturus ferebatur botrus. Res hic loquitur quàm Deo placeat constitutum orandi tempus non temerè negligere. *Omnia tempus habent.* Tempus orandi, & tempus laborandi.

Antoninus parte 3. tit. 17. c. 4. §. 4.

Eccles. c. 3. v. 1.

Qua-

Quapropter rectiſſimè is fecerit, qui ſtata orandi tempora ſibi ipſe præſcripſerit, & quantum fieri poteſt obſervârit. Ita *Daniel feneſtris apertis in cenaculo ſuo contra Hieruſalem tribus temporibus in die flectebat genua ſua, & adorabat.* Ita Rex David: *Veſpere*, inquit, *& manè, & meridie narrabo & annuntiabo, & exaudiet vocem meam.* Ajunt Caſſitam, licet diebus pæne totis cantillet, ter in die, idque ante ſolis exortum manè, meridie, ac veſperi ſingulare melos fundere, laudando conditori. Vivum & inſigne horologium! modò hanc temporis diviſionem non negligamus.

Dan. c. 6. v. 10. *Pſal. 54. v. 18.*

Sed præter ordinarium cujuſque diei tempus, expedit certis etiam horis negotia ſemovere, & orationi ſeu meditationi ſe totum dedere. Hoc ille idem Solymæus Rex religioſiſſimè executus: *Septies*, inquit, *in die laudem dixi tibi.* Numquid præter prandia, cenaſque ordinarias, ſympoſiola ſubinde ac cõviviola celebramus, cur animo ſuas delicias negemus? Atque hoc commodiùs fiet ſolemnioribus feſtis diebus. Ita etiam poſt confectum iter longius, poſt negotium intricatius tranſactum, aut cùm magis premunt adverſa, prolixiùs orandum. Hoc ſciamus, orationem attentam & fervidam plus impetrare, quàm remiſſam ac tepidam annis compluribus. Ita Tobiæ conjux Sara triduo imprãſa & incenata: ita Samuelis mater Anna, ita Eſther regina, ita viri feminæque ſanctiores orârunt.

Pſal. 118. v. 164.

Socrates hiſt. Eccleſ. l. 1. c. 2. Theodor. l. 2. c. 14. Alii.

Alexander Conſtantinopolitanus præſul, ut vetus habet hiſtoria, cùm Arrius Conſtantinopolim veniſſet, Conſtantini juſſu, in Eccleſiæ ſinum recipiendus, grave certamen ſubiit. Neque enim fucatiſſimas Arrii rationes ignorabat. Accedebant Euſebii Nicomedienſis Antiſtitis minæ Arrio plurimùm patrocinatæ. His anguſtiis Alexander preſſus in templum Pacis ſe contulit, ubi terræ affuſus, non ſine magnâ vi lacrymarum, aliquot dies noctéſque continuas orando duxit. Orationis ſumma hæc fuit: Si vera eſt, ô Deus, Arrii opinio, diem ego diſceptationi conſtitutum non videam: ſin Arrius tot malorũm auctor religione falsâ nititur, luat impietatis pœnas. Præfinitâ die Arrio conſcientia metum incuſſit, metus alvum laxavit. Miſer ad latrinam in foro ſecedens, cum alvo & ſanguinem & animam unà dejecit. Hoc ei fatum Alexandri preces conciliârunt.

§. V.

Bern. ſerm. 86. ſeu ultimo in Cant. mihi pag. 828.

Verùm ut gratum orationi tempus præfiniamus, Bernardum cenſeo audiendum, qui ſilentium nocturnum orationi congruentiſſimum judicans: *Nec modò locum*, inquit, *ſed & tempus obſervare oportet eum, qui ſibi orare voluerit. Tempus ſeriatum commodius aptiúſque, maximè autem cùm profundum nocturnus ſopor ſilentium indicit,* *Thren. c. 2. v. 19.* *tunc planè liberior exit puriórque oratio.* Conſurge, lauda in nocte, *ait Propheta*, in principio vigiliarum, effunde ſicut aquam cor tuum ante conſpectum Domini. *Quam ſecura aſcendit de nocte oratio, ſolo arbitro Deo ſanctóque Angelo, qui illam ſuperno altari ſuſcipit præſentandam. Quàm ſerena & placida, nullo interturbata clamore vel ſtrepitu! Quàm denique munda atque ſincera, nullo reſperſa pulvere terrenæ ſollicitudinis, nullâ aſſicientis laude ſeu adulatione tentata.*

Tempus nocturnũ eſt aptum orationi;

Pſal. 133. v. 2. *Chryſ. to. 1. in pſ. 133. mihi pag. 1001.*

Vates regius clamat: *In noctibus extollite manus veſtras in ſancta, & benedicite Dominum.* Cur, inquit Chryſoſtomus, *in noctibus extollendæ manus? Docens nos, non eam totam in ſomno conſumere, & oſtendens puriores tunc eſſe preces, quando & mens eſt levior, & nobis eſt plus otii. Propheta quidem te è lecto excitat, & deduxit in templum, jubens totam illic noctem agere: at tu ne domi quidem manens hoc facis.*

Atque ut noverimus, quàm ſeriò Chryſoſtomus hoc omnibus perſuaſum cupiat. *Hîc mihi ſermo*, inquit, *& ad viros, & ad mulieres. Flecte genua, Dominum tuum ora tibi fieri propitium. Plus nocturnis placatur orationibus. Regis memento dicentis:* Lavabo per ſingulas noctes lectum meum, lacrymis meis ſtratum meum rigabo. *Quantumcumque ſis delicatus, non es illo delicatior; quantumcumque ſis dives, non es ditior Davide, qui rurſum dicebat:* Mediâ nocte ſurgebam ad confitendum tibi. *Tunc inanis gloria non interrumpit. Poſt tales pernoctationes ſomni ſuaves, & miræ revelationes. Hoc fac tu quoque vir, nedum mulier. Eccleſia ſit domus ex viris & mulieribus conſtituta. Si tibi ſunt & filii, per omnes in nocte fiat Eccleſia: ſi verò molles ſint, & vigiliam non ferant, uſque ad unam orationem vel alteram excita & colloca. Nil illo melius penu tales orationes ſuſcipiente. At, inquies, laboravi per diem multum, & non poſſum. Prætextus & occaſio ſitne iſta. Nam quantumcunque laboraveris, non laborabis quantum ærarius malleum tam grauem ex tantâ demittens altitudine, ſcintillas & fumum toto ſuſcipiens corpore, & tamen majorem noctis patrem in hoc abſumit. Scitis & vos mulieres, quando in agrum vel ad pernoctationem proceditis, quomodo per totam noctem vigilatis?*

Pſal. 118. v. 62.

Nimis hoc verum, ô aurea orator, quàm enim ſuaviter totas noctes potando, ludendo, ſaltando, vel ad chartulas pictas, vel ad abacum luſorium, & coronatos calices conſumimus? Hîc pervigilare jucundum eſt; hîc vigilantiſſimos capitolii cuſtodes anſeres ſuperamus.

§. VI.

Chryſ. to. 5. hom. 41. ut mihi pag. 258.

Sed quod dicere cœperat pertexens Chryſoſtomus: *Crede mihi*, ait, *non ita rubiginem ignis excoquere ſolet, ſicut nocturna oratio noſtrorum rubiginem peccatorum. Quæ Chriſtus ipſe in monte pernoctabat? Nonne ut nobis forma fieret? Tunc plantæ reſpirant, in nocte dico, tunc & anima maximè rorem & plus illis ſuſcipit; quæ per diem ſol exuſſit, hæc nocte refrigerantur.*

Veriſſima ſunt hæc Chryſoſtomi. Quàm enim potenter ad optima cogitata invitat nocturni ſilẽtii tempore innube & ſtellatum cælum ſuſpicere, tot illic ardentes faculas numerare, tot noctis ignes ex diſpoſito lucentes contemplari, infinita hæc aëris ſpatia mirari magis quàm metiri; occupandum in cælo locum ſibi deligere, ita ſe cogitationes divinas emicare. Hæc vera libertas animi, hæc ſancta ejus evagatio. Subducit ille interim ſe cuſtodiæ, in quâ tenetur, & cælo reficitur. Hinc mortalis vitæ tædium, hinc amor & ingens deſiderium beatioris. Hîc animus nôſſe incipit unde deſcenderit, hîc explorat quò ituſus ſit, quæ ſedes expectet miſeræ ſervitutis legibus ſolutum. Et quis eum vetet tunc cælo intereſſe? Tanti eſt noctu ad preces cogitationéſque ſanctiores vigilare. Tunc enim cum vate divino vociferari licet: *Anima mea deſideravit te in nocte: ſed & ſpiritu meo in præcordiis meis de mane vigilabo ad te. Memor fui nocte nominis tui Domine.*

Ad optima cogitata invitat.

Iſai. c. 26. v. 9. *Pſal 118. v. 55.*

Ambroſius hinc documentum ſumens, ne unquam ab hac meditatione feriemur, ſed noctem ſomno ſubducamus, & Deo feneremur: *Hoc nomen Ieſu*, inquit, *invocetur diebus ac noctibus, nullúmque tempus prædicandi vacuum ſinat ſancta devotio præterire.* Ad rem perſuadendam hoc utitur argumento: *Si*, ait, *ſtudentes doctrinis ſæcularibus perparum ſomno indulgent, quantò magis qui Deum cupiunt cognoſcere, non debent ſomno corporis impediri, niſi quantum naturæ ſatis eſt.*

Ambroſius pſalm. 118. ſerm. 7.

Felices igitur eos, non qui etiam dies dormiunt, ſed qui etiam noctes vigilant. Hi enim planè vivunt: illi alii thalamo tãquam tumulo merſi moriuntur. Quod Petrus Chryſologus eruditè affirmans: *Semper*, inquit, *& ad omnia vigilias eſſe ſalutares, nullus ignoret. Revera plus vigilare, plus vivere eſt. Quid tam mortis ſimile, quàm dormientis aſpectus? Quid tam vitâ plenum, quàm forma vigilantis?* Sed illo prior Clemens Alexandrinus: *Nullus homo dormiens*, inquit, *ullius eſt pretii, magis quàm qui non vivit. Somnus enim non ſecus ac publicanus, dimidium vitæ tempus mobiſcum dividit.*

Chryſolog. ſerm. 24. initio. *Clem. Alexand. l. 2. pædag. c. 9.*

Igitur ſomno detrahere quod orationi detur, partitio

titio æquissima est, omniúmque vocibus laudata. Quibus autem nimiùm grave est, noctis medio calentem nidum deserere, ii saltem quoties ultrò evigilant, has breves vigilias oratione distinguant, & manè tantò citiùs strato consurgant. Aurora non Musis solùm, sed & beatis geniis & cælo amica est. Apollonii Thyanæi præceptio erat: Adveniente aurorâ cum Diis esse versandum.

Philostrat. in ejus vitâ l. 1 c. 12.

Æterna sapientia clamat: *Quoniam oportet prævenire solem ad benedictionem tuam & ad orientem lucis te adorare.* Manè ab Israëlis populo manna colligendum fuit, alioqui solaribus radiis incalescens tabescebat. Manè potentissimus rex Sionis David in preces effusus: *Manè*, inquit, *astabo tibi, & videbo, quoniam non Deus volens iniquitatem tu es. Exaltabo manè misericordiam tuam. Et manè oratio mea præveniet te.* Nam, quod Siracides ait, *Justus cor suum tradet ad vigilandum diluculo ad Dominum, qui fecit illum, & in conspectu altissimi deprecabitur.* Neque hoc priscis gentibus ignarum. Rex Æneas pietate insignis habitus.

Sap. c. 16. v. 28.

Psal. 5. v. 5. & Psal. 58. v. 17. & Psal. 87. v. 14.

Eccli. c. 39. v. 6.

Vota Deûm primo victor solvebat Eoo.

Virg. l. 11. Æneid. v. 4.

Matutinum tempus divinis colloquiis aptissimum & convenientissimum est. Quod Salomon affirmans: *Bene consurgit diluculo*, inquit, *qui quærit bona.* Manè corpus omne orationi habilius, caput defæcatum, stomachus exoneratus, tempus quietum, animus à diurnis negotiis vacuus, vegetiores sunt omnes sensus. At ubi cœna longa, cibus potúsque copiosus, & mollis est lectus, ohei somnus etiam longus, oratio brevis, aut nulla erit. Hæc sibi cohærent, Vara Vibiam sequitur. Quòd si manè decêter cogites orare, priùs vesperi semen spargo, & post lustratam conscientiam, piâ sanctâque cogitatione somnum incipe. Talem te manè posterum videbit, qualem te præcedens vesper somno tradidit. Quemadmodum is qui noctu prunas cineribus operit, ut tantò faciliùs manè proximo ignem eruere, pabulum subjicere, focum struere possit.

Prov. c. 11. v. 27.

§. VII.

Animus ad Deum erigendus cùm quis expergiscitur;

AD sacrum hunc orationis ignem meliùs fovendum, expedit omninò, ut quotiescunque noctu quis expergiscitur, mox animum in Deum erigat, hac brevi aliâve simili oratiunculâ; *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto:* Aut: *Dominus meus & Deus meus:* Aut: *Domine Iesu, miserere mei, & dirige me.* Piorum certè Christianorum sancta consuetudo est, ut, ubi post absolutas preces cubitum concesserint, pii aliquid cogitare instituant, & cogitationi, aut ipsi etiam orationi huic indormiant: idémque faciant, cùm noctu evigilant.

Quia diabolus ad semisopitum hominem est valde attentus,

Incredibile dictu est, quàm diabolus ad semisopitum hominem sit attentus, quem impuris cogitationibus concipiendis esse aptissimum non nescit. Eam etiam ob caussam manè prima omnium cogitatio sit Dei memoria; alioqui Satan suggestionibus fœdis mentem præoccupat, & ita diem reliquum omnem matutino semine corrumpit. Qualis diem cœperis, talis plerumque finies; nec bonam diei seriem expecta, si malum fuerit illius principium.

Clim. grad. 18. de orat. virtutum matre, mihi pag. 297.

Huc omninò spectat illud Ioannis Climaci, qui refert unum aliquem è priscis Anachoretis dicere solitum: Se in oratione matutinâ cursum totius diei conspicere: quali enim tenore ac modo prima illa oratio præcederet, tali cetera omnia eo die solere sequi. Mala oratio, malus dies: oratio attenta & tranquilla, talis etiam dies. Quod planè verissimum videtur, & inter religiosos viros quotidianâ experientiâ probatum. Orationem enim, ait Climacus, rectissimè tradunt Theologi esse speculum. Statum tuum oratio tua manifestat tibi. Dimidium diei aut totum habebit, qui manè ardenter & attentè oraverit.

Iob c. 8. v. 5. & 6.

In eam rem Iobus apertissimè monens: *Si tu*, inquit, *diluculo consurrexeris ad Deum, & omnipotentem fueris deprecatus; si mundus & rectus incesseris, statim evigilabit ad te, & pacatum reddet habitaculum justitiæ tuæ.* Ideo David tam matutinus ad orandum evigilans: *Prævenerunt*, inquit, *oculi mei ad te diluculo.* Regium hoc exemplum Ambrosius aspiciens: *Grave est*, inquit, *si te otiosum in stratis radius solis orientis, inverecundo pudore conveniat, & lux clara fessat oculos somnolento adhuc torpore depressos. An nescis, ô homo, quòd primitias tui cordis ac vocis quotidie Deo debeas?*

Psal. 118. v. 148.

Ambr. ser. 19. in Hebræum Psal.

Hoc reverà Salomon velut vectigal exigens: *Honora Dominum*, inquit, *de tuâ substantiâ, & de primitiis omnium frugum tuarum.* Æquissimum prorsùs est, ut Deo primordia rerum nostrarum omnium offeramus. Idcirco non solùm manè, sed & interdiu actiones omnes à precibus auspicandæ; semper in mente sit illud Domini: *Sine me nihil potestis facere.* Iugem hunc orationis usum Hieronymus plurimum commendans: *Instantiam*, inquit, *& orationis perseverantiam nos habere Propheta docet. Qui ad cupita pervenire voluerit, reflectere mentem ab orationis studio non debet, sed magis perseverare illum in cœptâ intentione oportet.* Sic Annæ precantis *Vultus non sunt amplius in diversa mutati* Nunquam enim amplius orare desiit. Ita cæcus Hierichuntinam viam obsidens tantò magis clamabat, quantò magis tacere jubebatur. Quod illa & ille tam perseveranter petiit, liberaliter à Deo & illa & ille impetravit. Optimè dixit Gillebertus Abbas: *Pertinax oratio pertingit ad finem. Etsi tibi in initiis sicca & velut saxea videatur, oleum tamen gratiarum elicies de durissimo hoc saxo, modò perseveres, modo te longior mora non dissolvat, modo tua vota dilatione non lentescant. Cave, ne illud tibi de Evangelio improperetur:* Sic non potuisti unâ horâ vigilare mecum? *Quòd si torpor abest, vide, ne dilationis tædium te fatiget, & desiderium tuum infringat. Ubique reatus est, si sit anima vel in postulatione remissa, vel deficiens in expectatione.* Vigilate igitur & orate.

Joan. c. 15. v. 5.

Hieron. in c. 3 Thren. v. 49.

1. Reg. c. 1. v. 18.

Gillebertus serm. 6 in Cantica apud Bernardum, mihi pag. 1805.

Matt. c. 26. v. 40.

CAPVT XI.

Quantæ sint efficaciæ orationes complurium, & publicæ.

NItebatur Archidamus Agesilai regis filius persuadere Græcis, ut inita cum Antigono & Cratero pacta solverent. Illis abnuentibus: Ovis, inquit, eâdem semper voce utitur, homo multis & variis, dum id quod vult, conficiat.

Plutarch. tom 1. Moral. in Apologetico mihi pag. 386

Homo variandæ vocis mirissimus artifex.

Nullum profectò animal vocem sic variare novit atque homo; leo eundem rugitum, ovis eundem balatum, eundem bos mugitum, eosdem serpens sibilos, eumdem equus hinnitum retinet. Sturni variandis vocibus aptiores. At homo cum avibus cantillare, latrare cum canibus, cum lupis ululare discit, variandæ vocis mirissimus artifex. Hoc in homine miratur homo, sed Deus hac vocum varietate non flectitur. Hoc potiùs aures divinas mulcet, cùm multi homines velut unâ precantur voce. Quod in publicis orationibus fieri amat, ubi *Credentium cor unum, & anima una.* Hæ orationes Deo gratissimæ, quæ unâ ejusce modi voce, corde uno constant. Et de his nunc agendum.

Actor. c. 4. v. 32.

§. I.

Publica oratio incredibilè habet vim impetrandi

INcredibilem impetrandi vim habet publica complurium oratio. Hujus non ignara Iudith vidua castissima, cùm Bethuliæ clades & vastatio immineret à Duce Holoferne, jam universo populo ad civitatis portam congregato, publicam orationem indicens: *Stabitis vos*, inquit, *ad portam nocte istâ, & ego exeam cum Abrâ meâ: & orate, ut, sicut dixistis, in diebus quinque respiciat Dominus populum suum. Nihil aliud fiat, nisi oratio*

Iudith. c. 8. v. 32. & 31.

tio pro me ad Dominum Deum noſtrum. Sed hoc tertiùm commendans: *Orate*, inquit, *ut firmum faciat Deus conſilium meum.* Quàm miranda verò fuerit publicæ orationis illius efficacitas, eventûs ſecundiſſimi felicitas probavit.

Ita olim Heliodoro Solymæis gazis inhiante, quod Machabæa hiſtoria recitat, non modica per univerſam civitatem erat trepidatio. *Sacerdotes autem ante altare cum ſtolis ſacerdotalibus jactaverunt ſe, & invocabant de cælo eum, qui de depoſitis legem poſuit. Alii etiam gregatim de domibus confluebant, publicâ ſupplicatione obſecrantes: actinctæque mulieres ciliciis pectus per plateas confluebant. Sed & virgines, quæ concluſæ erant, procurrebant ad Oniam, &c. univerſæ autem protendentes manus in cælum deprecabantur.* Ita civitas omnis in publicam ſupplicationem effuſa, tantam habuit impetrandi efficacitatem, ut ipſos è cælo Angelos Heliodori caſtigatores acerrimos, in ſui præſidium evocarit.

2. Machab. c. 15. & ſeq.

Non minùs Bethuliæ, civibus ſapuerunt Ninivitæ, jubente Rege in publicam orationem provoluti. Regium edictũ imperârat: *Operiantur ſaccis homines & jumenta, & clamẽt ad Dominum in fortitudine.* Et revera deferbuit indignatio divina: Deus ad opitulandũ adfuit. Hinc Chryſoſtomus rem grandem & miram proloqui auſus: *Deus*, inquit, *frequenter reveretur multitudinem unanimem & conſentientem in precando; ut veluti pudore victus non audeat illis negare.* Nimirum humaniſſimus Deus, non rarò induit mores humanos.

Ioſuæ c. 3. v. 8.

Chryſ. hom. 2 in ep. ad Corinth.

Petrus & Iacobus in vinculis mortem operiebantur. Herodes ſuo furori velût proludens in Iacobum gladio animadvertit. Nec Petrum ſors mitior manebat. Verùm Herodianæ ſicæ præreptus Petrus: *Nunc ſcio verè*, inquit, *quia miſit Dominus Angelum ſuum, & eripuit me de manu Herodis.* Cur Iacobus, quæſo, regiâ ſecuri cecidit? Cur Petrus evaſit? Non pro Iacobo, ſed pro Petro Eccleſia tota dicitur deprecata: Nam Lucâ teſte, *oratio fiebat ſine intermiſſione ab Eccleſiâ ad Deum pro eo.*

Actor. c. 12. v. 11.

Ibid. v. 5.

Hanc publicæ orationis efficacitatem Chryſoſtomus expendens: *Vis*, inquit, *diſcere, quanta ſit orationis in Eccleſiâ factæ potentia? Vinctus erat Petrus, multisque catenis circumdatus: Oratio autem fiebat ſine intermiſſione ab Eccleſiâ pro eo, & ſtatim eum à carcere liberavit. Quid hâc igitur ſit oratione potentius, quæ columnam & Eccleſiæ turrim adjuvit? Vt intelligas plurimum eam poſſere orationem, quæ cum conſenſu agitur, & jugi concordiâ plurium hominum.*

Chryſ. hom. 79. ad pop. mihi pag. 396.

Idem de incomprehenſ. nat. Dei ho. 4. mihi pag. 1001.

Eam etiam ob cauſſam Samuel omni populo præſente inſtituit orare in publico; Quatenus, ut Dionyſius loquitur, ex multarum præſentiâ facierum exaudibilior eſſet ſua oratio. Nec defuit optatiſſimus ſucceſſus, Philiſtæis per unanimes preces potiùs quàm per militares vires expugnatis. Hâc ratione Samuel eam urbem ita initiavit, ut in poſterum locus orationis publicæ haberetur. Vnde multò poſt annis Hebræi bellicis cladibus attriti: *Venerunt in Maſphat contra Hieruſalem, quia locus orationis erat in Maſphat antè in Iſraël.*

1. Reg. c. 7. v. 5.

1. Machab. c. 3. v. 46.

Sic complura loca ob illuſtrem Patriarcharum memoriam conſuêrunt frequentari. In montem Moria Abrahami ſacrificio celebrem *perrexit* Rebecca, *ut conſuleret Dominum.* Iacob in Meſopotamiam contendens, in eumdem montem religionis cauſsâ ſubiit. Sic Abſalon religioſus nequam, ſe voti reum ſimulans, ut hoſtiam Deo gratiorem offerret, in Hebron iter adornavit. Ita Bethel nocturno Iacobi viſo illuſtris, Hiericho celebri Ioſuæ triumpho memorabilis, Iordanis ſacerdotum arcam ferentium tranſitu venerabilis. Has urbes Elias antequam in cælum raperetur, velut loca pietatem ſpirantia poſtremùm voluit ſalutare. Sed ad rem.

Gen. c. 25. v. 22.

Ita Aug. q. 72. in Geneſim explicat.

Gen. c. 28. v. 11. Vt Hebræi apud Lyranũ affirmant.

2 Reg. c. 15. v. 7.

§ II.

MVlti deprecatores faciliùs ac citiùs exaudiuntur. Ideo Samuelem, quem dixi, Iſraëlis populus rogabat. *Ne ceſſes pro nobis clamare ad Dominum Deum noſtrum: ut ſalvet nos de manu Philiſtinorum.* Cur non ipſi ſtatim confugerunt ad Deum, ſed Samuelem potiùs ad orandum exorârunt? Sciverũt utique Hebræi, multorum preces non facilè repudiari. Nec illud neſcire potuerunt, eos qui aliquid à Deo impetrare ſatagunt, non ſuâ ſolùm auctoritate niti, ſed quàm multos poſſunt, adſciſcere ſibi deprecatores. Ita Ægypti Rex Pharao Moſen & Aaronem ſibi concilians: *Orate*, inquit, *Dominum, ut auferat ranas à me, & à populo meo.* Ita Hæbræi Hieremiam allocuti: *Cadat*, inquiunt, *oratio noſtra in conſpectu tuo, & ora pro nobis ad Dominum Deum tuum.* Idem Babylonicis vinculis attenti ad alios Hieroſolymis agentes: *Pro nobis ipſis*, inquiunt, *orate ad Dominum Deum noſtrum, quia peccavimus Domino Deo noſtro, & non eſt averſus furor ejus à nobis uſque hanc diem.* Divinus Paulus, tametſi ad exorandum Deum potentiſſimus, aliorum tamen preces expetens: *De cetero fratres*, inquit, *orate pro nobis ut ſermo Dei currat & clarificetur, ſicut & apud vos.* Chriſtus Dominus ipſe diſcipulos ſuos, non ad orandum pro ſe (nec enim Filius apud Patrem ſervorum precibus egebat) ſed ad orandum ſecum invitans: *Suſtinete hic*, inquit, *& vigilate mecum: vigilate & orate.* Multorum preces valideſſimæ.

Multorum oratio nõ facilè repudiatur.

1. Reg. c. 7. v. 5.

Exod. c. 8. v. 8.

Hier. c. 42. v. 2.

Baruc. c. 1. v. 13.

2. Theſſ. c. 3. v. 1.

Quàm autem hæc orandi ſocietas Deo placeat, Chriſtus luculentè pronuntians: *Dico vobis*, inquit, *quia ſi duo ex vobis conſenſerint ſuper terram, de omni re, quamcumque petierint, fiet illis à Patre meo, qui in cælis eſt.* Quòd ſi vel ſoli duo concordibus animis votiſque, rem quamcumque precibus poſtulaverint, certò certiùs impetrabunt, quantò magis ſi plures, aut Eccleſia univerſa quiddam rogaverit. Ita Deus publicas preces ſingulari promiſſione dignatur, quò nos acriùs ad earum ſtudium invitet, cùm plurimùm faciat ad impetrandum unanimis & concors plurium oratio. Et cauſſam aſſignans Chriſtus: *Vbi enim*, inquit, *ſunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi ſum in medio eorum.* Si Deo largitori tam gratum eſt, aliquos in Chriſto conſpirare, numero licet minimo; quantò gratius erit, ſi duo vel tria millia, ſi plurimi in ipſo conſpirent. Ibi, ait, in medio eorum non cunctabundus ero, ſed jam ſum, jam illic invenior, favore ac gratiâ ſingulari præſens, ut eorum conatus adjuvem, eorum preces accendam, conſilio eos dirigam, illóſque voti compotes reddã, & quidquid aggreſſi fuerint, ad ſucceſſum proſperum deducam, ut denique tanquam ſupremus judex inter eos conſidens, quam meo nomine pronuntiaverint ſententiam, confirmem. En orationis inter plures ſociatæ & publicarum precum inæſtimabile bonum. Nimirum quod Chryſoſtomus dixit, deprecatoribus multis non audet Deus negare. Hanc ob cauſſam hortatur acriter Auguſtinus: *Orate certatim concordi ſanctoque certamine: Non enim adverſus alterutrum certatis, ſed adverſus diabolum ſanctis omnibus inimicum.*

Matt. c. 18. v. 19.

Modò non ſit aliena à voluntate divinâ.

Ibid. v. 20.

Aug. tr. 1. ep. 121. ad Probam, ſi ne, mihi pag. 240.

§. III.

HIc forſan emergat quæſtio, quæ inter infinitas orationes ſit omnium excellentiſſima oratio? Verbo reſponderi poteſt, Orationem Dominicam omnibus aliis orandi formis antiſtare auctoritate, ordine, brevitate, perfectione, efficacitate, ac demum neceſſitate. 1. Auctoritate. Ipſa eam & Sapientia & Veritas præſcripſerunt. 2. Ordine, nam primò ea petuntur quæ Dei gloriam, deinde illa quæ animi ſalutem, tertiò, quæ bonum corporis ſpectant. 3. Brevitate; Si rerum petendarum multitudinem & magnitudinem expendamus, brevior eſſe non poterat.

Oratio Dominica omnium orationum excellentiſſima: 1. Auctoritate. 2. Ordine. 3. Brevitate.

4. Perfe-

4. Perfectione. *Aug. to. 2. epist. 121. c. 18. mihi pag. 258.* 5. efficacitate. 6. Necessitate.

4. Perfectione; nam (ut Augustinus loquitur) etsi A
per omnia precationum sanctarum verba discutras,
quantum existimo, nihil invenies, quod non ista Do-
minica contineat & concludat oratio. 5. Efficacita-
te; Deum Patrem utique nil magis moverit quàm o-
ratio Filii, nec quisquam melius noverit quàm fi-
lius, quæ apud Patrem sit efficacior oratio. 6. Ne-
cessitate; Nulla alia precandi formula est, quam con-
ceptissimis verbis Christiani usurpare jubeantur, nisi
ista. Ita nec melior, nec ordinatior, nec brevior, nec
perfectior, nec utilior, sed nec sanctior aut efficacior
est ulla oratio. In constitutionibus Apostolicis mo-
nentur omnes ter eam quotidie iterare. Sacra insuper
Concilia docent, non licere homini Christiano ora-
tionem Dominicam aut memoriâ non tenere, aut
non intelligere, aut non frequentare. Petitionum or-
do talis est. 1. Petimus bonum Dei. 2. Bonum no-
strum summum. 3. Bonum nostrum medium, seu
gratiam ad observandas Dei leges. 4. Bonum no- B
strum infimum, seu subsidia temporalia. 5. Amo-
tionem mali præteriti. 6. Amotionem mali futuri.
7. Mali præsentis: Sic quatuor primis petitionibus
precamur bona, tribus reliquis deprecamur mala.
Hanc autem orationem probè intelligere, & quoti-
die sæpius dicere, cujusvis Christiani est: Et quan-
do jam ante aliquot annos seriò rogatus sum, succin-
ctam ejus orationis explicationem dare, hîc obsequi
est animus, idque cum quantâ possum curâ, & loco,
putem, commodissimo. Idcirco Domini verba ordine
subjungo:

Petitionū ordo.

Pater noster, qui es in cælis.

Præfatione orationis Dominicæ Dei bonitatem & potentiam laudamus, & tam adoptationis quàm peregrinationis nostræ monemur.

Hæc Orationis Præfatio est, quâ Dei cùm boni-
tatem, tum potentiam laudamus? Bonitatem, *Pater no-
ster*, Potentiam, *Qui es in cælis*. Hîc oranti crescat in-
gens fiducia. Deus benignissimus est, ut velit largiri:
potentissimus est, ut possit. Quid autem neget filiis
æqua petentibus Pater? Hîc simul etiam tam adopta-
tionis quàm peregrinationis nostræ monemur. Deus
est *Pater noster*, qui nos adoptavit. Eramus paradisi
exules; jam cæli hæredes, jam Dei filii sumus, sed in-
terim & peregrini sumus. Pater cælum habitat, ubi
suam pandit gloriam, nos in terrâ exulamus, dum ad
patrem assumamur, illic ei futuri similes, si hîc non
fuerimus degeneres.

Cur non dicitur Pater meus.

Non autem *Pater meus*, sed *Pater noster*, dicimus, re-
primendæ superbiæ, promovendæ humilitati, mutuo
amori commendando. Vnam & eandem omnibus
nobilitatem donavit Deus Pater omnium. Ita pro
mendico Rex, loculeples pro egeno, Dominus pro ser-
vo, Princeps pro subdito orat, quem & fratrem vo-
cat. Cyprianus: *Libenter audit Deus*, inquit, *quan-
do Christianus non solùm pro se, sed pro altero orat.*
Pro se orare naturæ est, pro altero gratiæ; pro se
orare necessitas cogit, pro altero charitas. Hîc au-
tem nullum, quantumvis inimicum, nisi apud infe-
ros sepultum excludimus. De nemine dum vivit, de-
sperandum.

Cùm autem Deum in cælis esse dicimus, non eum
cælis circumscribimus, sed omnia illius imperio sub-
esse, virtutem ejus quolibet diffundi, universa illius
providentiâ gubernari profitemur. Hac autem loc-
utione usus est servator, ut orantium mentes erigeret
è terrâ, & cælo affigeret, summáque in Deum reve-
rentiâ instrueret, sub cujus conspectu se stare orans
meminisset.

Greg. Nyss. orat. 2. de Orat. Dom.

Porrò Nysseno eos, qui noxæ letali voluntariè in-
hærent, & tamen dicere audent, *Pater noster qui es in cæ-
lis*, mendacii convincit, cùm eorum pater diabolus
non in cælis, sed in inferorum flammis sit.

Sanctificetur nomen tuum.

Quid prima petitio ubi vult.

Prima petitio. Vult ea primò, ut Deus & Dei po-
tentia, majestas, sapientia, benignitas, providentia, ju-
stitia & misericordia cognoscantur ab omnibus. Se-
cundò, ut Deus ab omnibus timeatur & ametur. Ter-
tiò, ut dignè colatur & laudetur ab omnibus. Id porrò
fiet, si Deo ut veraci credant omnes, in Deo ut potente
& largo sperent, Deum ut justum timeant, ut bonum
diligant: si rectum & sanctum habeant quidquid vult
aut permittit, quidquid jubet aut ordinat Deus; de
Deo nunquam loquantur aut cogitent sine summâ
veneratione & offensionis metu. Sic in orbe toto Dei
gloria reluceat, noscatur inter homines Deus qualis
est, atque ita ut meretur, colatur & honoretur.

Cùm autem Deo bonorū omnium laudem tribui
cupimus, ad gratiarum actionem etiam nos ipsos ex-
citamus, dum ejus beneficia grati agnoscimus, & om-
nia illi uni accepta referimus. Quia verò ingenuus fi-
lius, pro nullâ re priùs quàm pro gloriâ Patris sup-
plicet, reliqua omnia infra eam numeret, & secundo
loco ducat; tunc nos demum ad ritè precandum erit
mus comparati, si non de nobis tantùm & commo-
dis nostris solliciti, sed priorem gloriæ divinæ locum
dederimus. Nec enim tat magno divini honoris stu-
dio feremur, nisi nostri quodammodo obliti, ante
omnia honorem Dei spectemus: Nimis præposte-
rum est, quæ nostra sunt solùm curare, Dei gloriam,
quæ aliis omnibus curis merito suo longè præferen-
da, negligere.

Adveniat regnum tuum.

Triplex Dei regnum.

Triplex Dei regnum est, Naturæ, Gratiæ, Gloriæ.
Naturæ regnum dicimus, quia Deus in omnes res cō- Naturæ.
ditas, in orbem universum dominatur, creans, de-
struens, ordinans, gubernans omnia singuláque pro
nutu & arbitrio. Alterum, Gratiæ regnum est, quod Gratiæ.
Deus tenet in servis suis, & servi ejus in ipso adversus
hostes primarios, Mundum, Carnem, Diabolum. At-
que hoc Dei regnum per veram religionem & chari-
tatem administratur. Tertium est regnum Gloriæ, Gloriæ.
beatitas immortalis. Pacatissimum est hoc regnum,
absque ullius hostis infestatione. Atque hoc regnum
ut adveniat, desideramus, ardenter autem desiderando
digni reddimur, ut in illius regni societatem à Patre
admittamur.

Impleatur igitur numerus Beatorum, & regnum
illud longè beatissimum inchoëtur. Hîc pro se quis-
que cum Chrysologo dicere poterit: *Veniat, oro, Chri- Chrysolog. Serm. 86. mihi pag. 163.*
stus, veniat perfectè regnaturus in me, in quo diabolus arcem,
mori imperium, infernus tenuit potestatem. Ut scias, Domine,
fidelis tibi miles esse cupio. Ad tuam igitur, ô mi optime Dux,
præsentiam anhelo, regnum exopto, expeto triumphos. Sic
Christus semper suo regnet in milite, ut miles semper suo
triumphet in rege.

Fiat voluntas tua, sicut in cælo & in terrâ.

Duplex est Dei voluntas: Signi, & Beneplaciti.

Tua, Domine, fiat, non nostra, non Mundi, non
Carnis, non diaboli, sed tua, rectissima illa & sanctis-
sima Voluntas explosâ omni eâ, quæ huic adversatur.
Duplicem Dei Voluntatem assignant Theologi; hanc
Signi, illam *Beneplaciti*. *Signi* est, quâ Deus præcipiendo
aut prohibendo significat, quid à nobis fieri velit. *Be-
neplaciti* est, quâ Deus, quod providentiæ suæ decre-
tis ab omni ævo statuit, usquequaque vult fieri. Et
hæc definita Dei voluntas semper perficitur. Huic
nos subjicere, nec adversùs eam contendere, aut mur-
murare, sed rectam in omnibus sanctámq; agnoscere
ac prædicare debemus. Quia verò hanc *Beneplaciti*
voluntatem amplecti, & illam *signi* præcipientem aut
prohibentem exequi sine Numinis ope singulari non
possu-

possumus, ideo gratiam postulamus ad divinas leges omnes integerrimè observandas, ut Dei voluntas fiat in terrâ, sicut in cælo, ut quemadmodum Angeli & omnes Beati divinæ Voluntati perfectissimè parent: ita mortales omnes faciant quod vult Deus, ut omnes præceptis Dei pareamus, sequamur jussa & consilia, amplectamur omne quod ei gratum est, componamur denique ad Voluntatem ipsius & corpore & animo, ut si Deus velit nos ægrotos, pauperes, inglorios esse; si velit parentes, si uxorem, si liberos, si cognatos aut amicos eripere: si vivere, si mori velit, hoc ipsum & nos velimus, & in ejus sanctissimâ voluntate acquiescamus, illud Iobi cantantes: *Dominus dedit, Dominus abstulit; sicut Domino placuit, ita factum est; Sit nomen Domini benedictum.* Fiat Dei voluntas, sicut in cælo & in terrâ.

Iob c. 1. v. 21.

Et quamvis ea sit hominum nequitia, ut nunquam omnes mortales Voluntati divinæ sint obsecuturi, id tamen rectè precamur ut fiat; tum quia id fieri debeat, etsi nunquam sit futurum; tum quia deceat his precibus nos testari, quàm ardenter cupiamus abolitum & extinctum, quidquid rebellionis est contra divinam Voluntatem. Sciat hoc Orbis, sciant hoc omnes Orbis incolæ, majoris esse momenti, minimam Dei Voluntatem impleri, quàm omnium rerum conditarum, quàm orbis universi bonum stabiliri. Porrò animæ sanctitas, est vera cum divinâ Voluntate conformitas.

Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.

Matt. c. 26. v. 11. supersubstantialem.

Hactenus ea rogavimus, quæ gloriæ Patris sunt augendæ, nunc rogamus illa, quæ vitæ faciunt ducendæ. Vno autem *Patris* nomine, omne ad tuendam vitam necessaria subsidia petimus, victum, amictum, habitationem, valetudinem, reliqua. Namad oramus, ut quam Deus nobis in orbe hoc vitam dedit, tueatur, quamdiu ipsi placet: & quia multis ea subsidiis indiget, subministret ipse, quidquid esse necessarium novit. Hîc accuratè observandum quòd *nostrum*, quòd *quotidianum*, quòd *hodie* illum nobis dari petimus.

Aug. to. 19. ho. 14. c. 1. mihi pag. 163.

Quomodo autem *nostrum* panem, quem petimus mendicando? Illo ante, inquit, Augustinus, fit noster, nobis superbientibus sit alienus. Agnosce largitorem, confitere te accipere, ut libenter dignetur dare. An non mendicas, qui panem petis? Mendicus es, & tamen superbus es. Quòd si divinitus pasci cupimus, alieno abstineamus. Panem rapinâ vel furto comparatum, vocare nostrum non possumus, sed hic eum quem alienas mensas aut otium sectando comedimus.

NB. *Supersubstantialis & quotidianus panis hic prorsus idem. Nam supersubstantiale hoc loco propriè dicitur omne alimentum substantiæ nostræ congruens.*

Quotidianum petimus, cibarium, frugalem & moderatum, non curiosa, non delicata, non superflua quærendo, sed ea tantùm sine quibus nullo modo licet vivere. Non verò solùm panem e furto, sed tam Eucharistiæ, quàm æternum in cælo fruendum petimus. Panem autem *Hodie* nobis dari rogamus, tum ut significetur aviditatem frænandam, sollicitudinem in crastinum cavendam, tum etiam quotidie hanc orationem fundendam esse, cùm assiduè à Dei beneficentiâ pendeamus, anxiis curis procul abactis. Inanissimi sunt conatus nostri sine providentiâ & auxilio Dei: quotidie igitur ad Patrem recurrendum. *Da nobis*, dicimus: quia cupimus cibum è manu Dei, velut ad dimensum accipere, ut corpori prosit & non obsit animo. Quotidianus autem & diurnus hic panis etiam ab opulentissimis petendus, cùm quæ habent omnia vel eripi, vel retenta corrumpi possint. Hinc autem quivis cum Apostolo, & satiari, & esurire noverit, prout Patri visum fuerit, qui solus scit, quid filiis suis sit utile.

Philip. c. 4. v. 12. & Rom. c. 8. v. 26.

Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.

Post bonum quadruplex postulatum, jam triplex malum deprecamur. Peccatum malorum omnium summum est, idcirco ante omnia liberari ab eo cupimus. Nemo autem quantumvis sanctus, sine quotidianis peccatis hanc vitam ducit. In quovis peccato tria sunt; actus peccati, qui transit; macula, quæ remanet; pœna, quæ debetur. Hinc peccatum nominari debitum, peccatores dici debitores solent. Tum etiam, quia satisfactionis debitorem se constituit, qui Deo injuriam facit. Deinde cùm unicuique commissa sint naturæ & gratiæ talenta, ii, qui ea negligunt, debitores fiunt lucri non acquisiti & censûs non redditi. Hæc debita dimittit Deus, cùm peccati actum eo loco habet, ac si non fuisset; cùm maculam eluit, & pœnam remittit. Quando igitur solvendo non sumus miseri debitores, divinam misericordiam imploramus, quæ debita condonet. Ita fragilitatis nostræ nobis conscii minimè efferamur, sed nec ob frequentia delicta desperemus. Semper patent misericordiæ viscera rogantibus veniam. Nec enim præcepit quotidie à Deo petere, quod Deus nolit quotidie dare.

In quovis peccato sunt tria actus peccati, macula, & pœna.

NB. Levia res culpæ & temporariâ pœnâ gravia peccatum [illegible] tollit ordinario. Ad primum non sufficit nisi accedente pœnitentiâ, & Christi sanguine per sacramenta operata. de Angel. Enchiridio c. 71. Greg. Nyss. de Orat. Dominica.

Sed veniæ, quam rogamus, fundamentum jacimus, *Sicut & nos dimittimus.* † Hîc Gregorius Nyssenus elegenter: *Vide*, inquit, *quomodo verba orationis humanam naturam conditione divinâ quodammodo mutent, ut dii fiant, qui ad Deum accessuri sunt, dum faciunt ea, quæ solius est Dei. Imò ordo quodammodo invertitur, cùm audeamus dicere, ut Deus nostra facta imitetur:* Dimitte, sicut & nos dimittimus. *Hic certè*, inquit Cyprianus, *conditione ac sponsione nos Christus constrinxit, ut si nobis indulgeri & culpæ gratiam fieri velimus, & nos aliis indulgeamus, & injuriæ gratiam faciamus, & quidem ex animo.* Æquissima conditio, ut qui à majore petit veniam offensionum gravorum, minorum ipse tribuat æquali: & tâtò æquior, quòd ille, qui ignoscit alteri, homo cùm sit, subinde opus habeat, ut ipsi & alter ignoscat. Observa, quanta Dei sit humanitas, cui adeò curæ est nostra in nos mutua charitas; & quantum sit peccatum, odisse ullum hominem, quo fit, ut nulla nobis peccata remittantur. Non amat Deum, qui hominem odit, quem videt, & quem jubet Deus amari.

Nisi qui dimittit, dimittitur, & maximum retinet peccatum, nisi dimittat, sine quo non remittitur.

Porrò is non se vindicat, qui delinquentem charitate aut justitiâ dictante corrigit, nec is qui damnum aut pecuniam, vel qui honoris & famæ restitutionem exigit, offensione seu injuriâ dimissâ.

Hîc mihi considera, quantum eorum sit crimen, qui hac prece utuntur, nec tamen odium ponunt; proinde Deo mentiuntur, & in seipsos sententiam dicunt, ut sibi Deus non remittat peccata, qui recusant ab aliis in se commissa remittere. Hoc prorsus est divinam in se ultionem vocare. Non solùm autem condonanda est injuria, cùm illatæ alter pœnitentiâ ductus veniam rogat, verùm etiam dum pertinax persistit, & injuriam injuriâ cumulat.

Exterius donatis nisi rogantibus datur.

Ne igitur aliquando, assiduè condonando, fatigaremur, hoc nobis in quotidianam intexuit orationem: ut cùm Dei, in quem quotidie delinquimus, quotidie imploremus misericordiam; tametsi eam non obtineamus, nisi & ipsi in alios misericordes ac benevoli perseveremus. Talem mereberis veniam, qualem dederis.

Et ne nos inducas in tentationem.

Monemur imbecillitatis nostræ, quæ tanta est, ut sine Dei auxilio, nullis periculis superiores evadere possimus, proinde nostris viribus nequaquam fidendum est. Nihilominus Satanas formidandus non est, cùm sine divinâ permissione nihil in nos possit. Quando igi-

do igitur in continuis versamur periculis, cùm omnis vita tentatio sit & militia, necessarium est, ut omnis timor noster, omnis devotio & observatio nostra ad unum Deum convertatur.

Iob 6.7. v.1.

Duplex tétat onis genus.

Duplex tentationis genus est. *Primum*, cùm experimentum nostri sumitur, ut ea, quâ prædíti sumus, innotescat virtus, & digna fiat ampliori præmio. De hoc Apostolus: *Omne gaudium*, inquit, *existimate, cùm in tentationes varias incideritis.* Istud hîc non refugimus. *Alterum* tentationis genus est, cùm virtus nostra sic explioratur, ut ea labefactetur, & nos ad peccandum pertrahamur. De hoc ille idem Apostolus: *Deus*, inquit, *neminem tentat.* Priori tentationis genere nos tentat Deus; posteriori hostes Dei, & nostri. Quâ ratione tentatio est ad peccatum sollicitatio, atque hanc deprecamur. Sollicitamur autem ad peccatum nùc prosperarum rerum dulcedine, nunc adversarum acerbitate. Extrinsecus veterator diabolus, & homines impii, intrinsecus nostræ nos cupiditates & libidines sollicitat. Ab exteriori hoste nihil metuendum, si domesticus non noceat. Rogamus igitur, ne DEVS permittat nos ullâ tentatione vinci, sed ita nos semper dirigat, ut nunquam succumbamus. Ne autem à tentatione superemur, Deus duplici modo cavet; uno, dum fragilitati nostræ parcens tentationem nobis moveri non sinit; altero, dum vires suggerit, ut tentationem motam vincamus. Eum autem in tentationem inducit, cui suam æquo judicio negat gratiam, quâ destitutus tentationi succumbit. Summa ergo petitionis est, ut suis DEVS auxiliis nos confirmet, erigátque, ne ulli tentationi vel consentiamus decepti, vel cedamus afflicti.

Iac. c.1. v.2.

Idem c.1. v.13.

Hoc enim est induci, seu inferri in tentationem, ut cõtextus Græcus est.

Duobus modis Deus cavet ne superemur à tétatione.

Sed libera nos à malo.

Cur dum recitamus orationẽ Dominicã, petimus nos liberari à malo:

Innumera sunt vitæ mala, tentationes, ærumnæ, afflictiones, calamitates & miseriæ perpetuæ; quia verò hæc modò ad peccatum sollicitant, modò virtutem oppugnant, non malè desideramus ab eis liberari. In primis à peccato, quod summum est malum, atque si res ad vivum resecetur, unicum & solum est malum. Deinde cupimus diaboli & malorum hominum, qui ejus membra sunt, insidiis subduci. A diabolo liberari petimus, non tantùm ut non superet nos, sed etiam ut non infestet. Vt autem à tentatrice atque illice concupiscentiâ liberemur, oramus non solùm ut non obediamus illi, sed ut illam non habeamus. Denique hîc rogamus, ut ab omnibus tam corporis quàm animi, tam exterioribus quàm interioribus malis reddamur liberi. Saris est autem post decursam mortalem hanc vitam istud consequi; in ipsâ verò, quantum nobis expedit, ad salutem. Quocirca hîc etiam divinæ se voluntati subjiciat oratio. Observa hîc cæleste artificium in Dominicâ oratione, & qui ejusdem finis viam relegat ad principium. Inter expetenda primum est à malo esse liberum. *Libera nos à malo*: Huic conjunctum est, ut statuamus fugere peccata: *Ne nos inducas in tentationem.* His proximum est, ut Charitatis & Misericordiæ studiosi simus: *Dimitte, sicut & nos dimittimus.* His modis peccatorum veniam impetramus: datâ veniâ, tum demum pane supersubstantiali digni sumus: *Panem nostrum quotidianum da nobis.* Hic panis eò nos nutrit, ut Dei voluntatem in terrâ faciamus: *Fiat voluntas tua.* Dum omnibus viribus conamur facere voluntatem Dei, meremur ut aliquando recipiamur in regnum Dei: *Adveniat regnum tuum* In regno Dei hoc erit unicum & felicissimum munus nostrum, laudare Deum in omne ævum: *Sanctificetur nomen tuum.* Hoc summum est nostrum bonum: huc spectant omnia.

Et qui ejusdem orationis finis viam relegat ad principiũ.

Amen est signacu ũ orationis Dominicæ.

Ergo, *Amen*, Hanc clausulam Hieronymus, orationis Dominicæ signaculum appellat. Nec est aliud quàm optantis votum ut ita fiat: quo sinceritatem, ardoremque nostri desiderii exprimimus, perinde si dicamus: Tua bonitas, Pater, efficere dignetur, ut quod ardentibus votis petimus, impetremus. Prout etiam Psaltes petiit: *Benedictus Dominus Deus Israel à sæculo, & usque in sæculum, fiat, fiat*: Hoc est Amen, Amen.

Psal. 105. v. 19.

Vide, inquit Tertullianus, *compendio paucorum verborum, quot simul expunguntur officia*: Dei honor *in Patre*, fidei *testimonium in nomine*, *oblatio* obsequii *in voluntate*, *commemoratio* spei *in regno*, petitio vitæ *in pane*, exomologesis debitorum *in deprecatione*, sollicitudo tentationum *in postulatione tutelæ. Quid mirum? Deus solus docere potuit, quomodo se vellet orari.*

Tertul. de orat. c.9.

Qui autem assuetis vitiis inhærentes hanc orationem Domini ore solo pronuntiant, hi orando noxas cumulant, cùm in singulis pæne petitionibus mentiantur. Quâ enim fronte dicat: *Pater noster*, qui recusat esse filius: *Sanctificetur nomen tuum*, qui toties nomen divinum verbo violat: *Adveniat regnum tuum*, qui adventum Domini malè sibi conscius formidat: *Fiat voluntas tua*, qui suæ voluntati tantò magis velificatur, quantò magis divinæ repugnat. Huic tali Deus, Augustino teste, jure objiciat: *Vis figam orationem tuam in auribus meis? fige tu in corde tuo legem meam.*

August. in ps. 85. mihi pag. 385.

Nimirum surdis Deus surdus est, nec audit illorum preces, qui fastidiunt divinas audire leges.

CAPVT XII.

EPILOGVS

ET

Compendium dictorum omnium.

ADOLESCENS quidam Anaximenis Rhetoris discipulus, orationem à præceptore scriptam coram rege Antigono recitavit. Rex inter audiendum quippiam exactiùs nosse desiderans, scisciatus est de illo. At adolescens pisce magis mutus obticuit. Mox Antigonus: Quid ais adolescens, inquit, num ista tuis tabulis non sunt inscripta?

Plutarch. to.1. Moral. de scitè dictis Regum & Imperatorum, mihi pag. 336.

Diximus tam de oratione vagâ quàm attentâ. Eò etenim omnis nostra spectavit dictio. Sed quisnam tot præceptiones memoriâ complectatur? Tabulis hîc opus, sed brevibus, è quibus vacillanti memoriæ consulatur. Ita tabulas nunc dabimus, in quibus compendiò perscribamus, quæ geminus hic liber explicatiùs tradidit. Non ei, puto, hærebit aqua, qui de Orandi modo rogabitur, si hanc epitomen studiosiùs expenderit. Hoc igitur nunc agimus, & dicta cogimus in compendium.

§. I.

DE orationis necessitate, de ejusdem utilitate ac efficacitate multi volumina scripsêre. Nos hîc lacinias non extendimus. Quod in libros alii, id nos in verba conferimus. Vt summam rem complectamur: Oratio primarium sanctitatis instrumentum, Evangelii totius breviarium, corporum robur, animi humani anima & vita, domûs abundantia, regni vires, belli trophæum, pacis securitas, viatorum scutum, Christianæ militiæ panoplia & armamentarium est. Oratio profanum hominem in Christianum, in Religiosum, in Angelum, in Deum denique docet migrare. Oratio homini subsidium, dæmoni flagellum, Deo sacrificium est gratissimum.

Ioannes Climacus orationem eruditâ epitome cõmendans: Oratio, inquit, est ornatus Mundi, reconcilia-

Climacus grad. 28. de orat. mihi pag. 291.

Orationis encomiũ.

ciliatio Dei, lacrymarum mater & filia, peccatorum propitiatio, tentationum pons, tribulationum interpositus paries, bellorum confractio, Angelorum opus, virtutum cibus, infirma operatio, gratiarum ministra, profectus invisibilis, nutrimentum animæ, mentis illuminatio, tristitiæ solutio, desperationis amputatio, speculum profectûs, clementiæ significatio, regina & parens virtutum. Huic unico bono & delectabilis, & honesti, & utilis inest ratio. Quod ceteræ virtutes præstare non possunt, id una orandi virtus, virtutum omnium decus & mater abundè præstat.

Chryſ. to 5. l. 1. de orãdo Deo, fine, & in 10 mihi pag 590. & ſeq.

Orator aureus in hanc rem testis locupletissimus: *Profiteor*, inquit, *deprecationem caput esse bonorum omnium, basim ac radicem vitæ frugiferæ. Neque enim sola temperantia potest homini salutem adferre, si cetera desint bona, neque cura pauperum, neque benignitas, neque quidquam aliorum, quæ cum virtute geruntur, sed oportet ut omnia simul concurrant in animas nostras. Ceterum precatio ceu radix & basis omnibus ceteris substernitur, adeò ut absque hac nihil nobis boni possit contingere, neque quod ad salutem conducat. Quòd igitur bonis boni caput sit deprecatio, quódque salutis ac vitæ æternæ conciliatrix, nullus est omnium qui ignoret.*

Homo quibus sit cognatus.

Homo Angelis cognatus est ratione, bestiis sensu, plantis & arboribus vitâ, elementis corpore. Quemadmodum autem studiosè tegimus & dissimulamus, quidquid sanguinis nobilitatem maculat, aut obscurat; ita prorsus bestiarum & plantarum cognationem non immeritò erubescimus, & propinquos Angelorum nos esse jactamus. Simus ergo; sed brutorum ingenium & mores rusticos exuamus, & Angelorum vitam orando æmulemur. *Orare*, inquit Chrysostomus, *commune est opus Angelorum pariter & hominum, nèque quidquam interest inter nostram naturam & illorum, dumtaxat quod attinet ad deprecationem. Hæc te separat à mutis animantibus, hæc te sociat Angelis. Quin facile fiet, ut quis in illorum civitatem transferatur, in illorum viam & consortium, ad illorum honorem, nobilitatem, sapientiam & intelligentiam, qui per omnem vitam precibus ac divino cultui vacare studuerit. Proinde nequaquam aberrârit à vero, si quis affirmet, deprecationem esse causſam omnis virtutis & justitiæ, neque quidquam eorum, quæ conferunt ad pietatem, venire posse in animum, cui non adsit deprecatio & oratio. Nam vere toties cum Deo colloquimur, quoties vacamus deprecationi, per quam simul & Angelis copulamur, & societatem, quam cum brutis animantibus habebamus, procul effugere videmur. Homo qui cum Deo loqui didicit, ut par est, erit deinceps Angelus.*

Idẽ Chryſ. ibid. mihi pag. 587. & 591. & 10. 1. in pſal. 4. pag. 610.

Homo & Angelus quantum attinet ad deprecationem nõ differunt naturâ.

Siquidem cum Deo colloqui, non hominem tantùm, sed & Christianum, sed & religiosum hominem, imò Angelum, imò Deum efficit. Singula demonstramus.

Oratio igitur humanam pecudem, sic loquar, quæ ventri ac libidini se mancipârat, in hominem reformat, jubétque vivere. Ecclesiastes Græcus id affirmans: *Qui*, ait, *non orat Deum, nec divino alloquio cupit assidue frui, is mortuus est, & vitæ carens, expersque sanæ mentis. Nam hoc ipsum evidentissimum est argumentum amentiæ, non intelligere magnitudinem hujus honoris, nec amare deprecandi studium, nec hoc habere persuasum, quòd animæ mors sit, non provolvi ad Dei genua. Ora igitur, ut vivas, & homo sis.*

Idem pag. 588.

Ora etiam, ut sis Christianus, talem te certè faciet oratio. Præclarè Augustinus: *Hæc est*, inquit, *Christiani pugna gloriosissima, non in suis viribus præsumere, sed semper Dei auxilium implorare. Ergo & tu, si vis vincere, audi Apostolum dicentem: Orationi insistentes, & vigilantes in eâ.* Christianus è fide noscitur; atqui fidei firmitatem impetrat oratio. Quod idem Augustinus disertissimè confirmans: *Si*, ait, *fides deficit, oratio perit. Quis enim orat, quod non credit? Ergo ut oremus, credamus; & ut ipsa non deficiat fides, quâ oramus, oremus. Fides funait oratio-*

Aug. to. 10. ſerm. 93. de temp mihi pag. 285. Coloſſ. 4. v. 2. Idem Aug eod. to. ſer. 36. de Verb. Dom. c. 1. mihi p. 52.

nem, fusa oratio etiam ipsi fidei impetrat firmitatem. Etenim ne in tentationibus deficeret fides, propterea Dominus ait: Vigilate & orate, ne intretis in tentationem. *Quid est in tentationem intrare, nisi à fide exire? In tantum enim tentatio proficit, in quantum fides deficit.* *Matt. 26. v. 41.*

Tertullianus rectè nominat Christianos cælestis regni cãdidatos. Atqui candidatorum est prensare, & obvium quemvis rogare, suæ causſæ faveat. Hoc orando facimus, cælites prensamus, & eorum nobis benevolentiam imploramus. Orando litteras ad Deum mittimus tantò crebriores, quantò sæpius oramus. His litteris divinos nobis favores conciliamus, ut quod millies iterúmque millies petivimus, *Adveniat regnum tuum*, tandem impetremus. Ora igitur ut Christianus sis.

Chryſ. lib. ſuprà cit. mihi pag. 592. & ſeq. & tom 1. ho. de ſãcta Anna init.

Sed ora etiam ut bonus ac religiosus sis Christianus, quem profectò talem efficit oratio. Chrysostomus pro mille testibus assurgens: *Quemadmodum*, inquit, *ubi regina quæpiam ingreditur civitatem, necesse est ut omnis opulentia pariter consequatur: sic videlicet, posteaquam deprecatio venit in animam, omnes virtutes simul ingrediuntur. Nam quod in domo est fundamentum, hoc in animâ est deprecatio. Animam non munitam precibus, diabolus facilè in suam redigit ditionem, nec multo negotio, omni genere scelerum implet. Ad animam precibus communitam non audet propiùs accedere, metuens robur ac fortitudinem, quam illi deprecatio suggeminſtrat. Vides, quantam vim habeat precatio & obsecratio? Ex hominibus facit templa Christi. Et quemadmodum aurum, lapides pretiosi ac marmora constituunt domos regum, sic deprecatio templa Christi, ut inhabitet Christus in cordibus vestris.* Nulla profectò res est, quæ possit æquari deprecationi. Ora igitur ut non solùm Christianus, sed ut probus ac pius Christianus fias.

Moſes oratione meruit conſpectu Dei frui.

Sed ora etiam ut fias Angelus. In Angeli naturam migrat, qui orat. Hoc Chrysostomo credemus, qui apertè: *Moses*, inquit, *orando meruit Dei conspectu frui, aliaque innumera bona consecutus est, non aliâ re quàm orando. Nam deprecatio & hoc illi præstitit, ut vitam ageret assimilem iis, qui cælum inhabitant.* Angelorum primum ac princeps munus, & assiduus sine labore labor est, Deum nunquam non laudare, & semper orare: ille hominum in Angelum transit, qui Angelos, quantum humana fert imbecillitas, imitatur assiduitate orandi.

Quomodo homo qui orat transit in Deum.

Quid si ab Angelo in Deum transeat homo qui orat? Oratio certè non solùm ut homo sis, sed ut Christianus ex asse bonus, ut Angelus, imò, ut Deus sis, efficit. Exponimus hoc arcanum. In oratione homo & Deus arcaniſſimo commercio commutant corda: alter in alterius pectus se transfundit. Quod cælestis sponsa in apertum proferens: *Ego*, inquit, *dormio, & cor meum vigilat.* Perinde si dicat: Ego de me nihil sollicita sum, sed in oratione suaviter conquiesco; at interim Deus, qui cor meum est, in meam tutelam excubat, dum ego dormio. *Est enim oratio*, ut Bernardus loquitur, *quædam dormitio, quæ tamen sensum non sopiat, sed abducat.*

Cant. c. 5. v. 2.

Ber. ſer. 15. in Cant.

Quod autem ille qui orat, in Dei pectore vicem cordis obtineat, Geneseos scriptor de Noëmi sacrificio disserens: *Odoratúsque est Dominus*, inquit, *odorem suavitatis*: & (ut Hebræa phrasis est) *ait ad* cor suum. Ita Noëmum Deus sacrificio & orationi operantem, cor suum appellat. Hæc Paulus confirmans: *Nos omnes*, inquit, *revelatâ facie gloriam Domini speculantes, in eandem imaginem transformamur à claritate in claritatem, tamquam à Domini spiritu.* Ita Dei hominisque corda in oratione ultrò citróque commeant, & mutatis gaudent hospitiis, humanum Deus, homo cor divinum amplectitur: ex homine fit Deus.

Gen. c. 8. v. 21.

2. Cor. c. 3. v. 18.

§. II. Hinc

§. II.

HInc est quòd Deus toties in gentem humanam ob ejus scelera sævitурus, sacris carminibus & oratione velut sopitus, & quodammodo excantatus, fulmina jam parata posuerit. Talis olim incantator Moses, à Deo quasi rogatur: *Dimitte me, ut irascatur furor meus.* Hanc orationis vim obstupescens Bernardus: *Feriendi, ait, licentiam quærit à Mose, qui Mosen fecit.*

Exod. c. 32. v. 10. Bern. ser. de Magdal. quæ mihi pag. 246.

Hinc est etiam, quòd Deus merita supplicia illaturus, oratores ejusmodi sive incantatores prevertat, ne suis se precibus sopiant & excantent. Sodomæos cives puniturus, Lotho secessionem impetrans: *Festina, inquit, & salvare ibi: quia non potero facere quidquam, donec pervenias illuc.* Puniturus sacrilegium Achan, militiæ ducem Iosue precibus abstinere jubens: *Surge, inquit, cur jaces pronus in terrâ?* Puniturus Saulis contumaciam, Samuelem orare prohibens: *Usquequo, ait, tu luges Saul?* Puniturus Hierosolymam, aufert priùs ab illâ *prudentem eloquii mystici, seu, prudentem incantatorem.* Puniturus filios Iudæ, præcepit Hieremiæ: *Tu noli orare pro populo hoc, nec assumas pro eis laudem & orationem, & ne obsistas mihi.* Cur obsecro, prohibet orari? Liceat dicere, quia timet excantari. Hinc præmonet orationes effundi, ac si effusas repudiare non possit. Quanta efficacitas, quantáque vis precum, superi, quando Deus se iis ad resistendum velut imparem fatetur?

Gen. c. 19. v. 22. Iosue c. 7. v. 10. 1. Reg. c. 16. v. 1. Vt legit Theodoretus Isa. c. 3. v. 3 Hiere. c. 7. v. 17.

Pugnat qui orat & expugnat validissimè. Vt enim Iosue Amalecitas subigeret pugnando, priùs Moses expugnavit Deum orando. Occulta hîc fuit pugna, sed manifesta victoria. Hinc illæ Chrysologi voces: *Per orationem Moses fit Deus, & adversus hostes suos militare sibi omnia mandat elementa. Eliseus hostes suos,* ut Ambrosius loquitur, *non armis superabat, sed oratione vincebat. Oratio enim longius vulnerat, quàm sagitta.* Cùm Solymæus Rex David ob affectam senectutem suos milites juvare non posset pugnando, plus juvit absens precando. Pientissimus Rex Iosaphat adversùs triplicem exercitum progressus, non tela jaculãdo, sed psalmos cantando, ita labefecit hostes, ut ad unum omnes cæderentur, & ne cladis quidem nuntius superesset; ita suos servavit milites, ut ex omnibus nec unus quidem interiret.

Chrysolog. serm. 43. Ambr. ser. 86. de barbaris non timendis. 2. Paral. c. 20. v. 21. & seqq.

De Theodosio Augusto dixit Augustinus: Contra robustissimum exercitum magis orando, quàm feriendo pugnavit. Summus Hebræorum sacerdos Iaddus Alexandrum Macedonem precibus expugnavit. Basilius Valentem Imperatorem sacrificiis terrefecit; Leo Pontifex Hunnorum regem, Dei flagellum Attilam, oratione solâ domuit; Marci Aurelii Cæsaris Christiana fulminatrix legio, non sibi solùm largissimos imbres in siti, sed in hostes fulmina precando evocavit è cælo. Franciscus Xaverius solus & inermis innumeram barbarorum multitudinem precationibus ac lacrymis in fugam avertit. Carolus V. immortali gloriâ dignus Imperator, tot præliis inivit, tot bella confecit, tot victorias obtinuit, cælestis Rhetoricæ potiùs quàm castrensis Bellonæ viribus. Per omnem namque vitam divinæ rei quotidie interfuit, quotidie duarum horarum precibus primum manè Deo consecravit; preces insuper Canonicas quotidie recitavit. A cenâ duas iterum horas orationi dedit, plerumque flexis genibus precari solitus. Ita meliorem diei partem orando duxit. Hinc illa in rebus gerendis felicitas, hinc tot bella tam feliciter gesta, hinc tam insignes partæ victoriæ, ut Galli eum Herculi, Carolo Magno Germani, Itali Davidi, Scipioni Africano Siculi, Alexandro Magno Hispani, Turcæ Iulio Cæsari, Afri Hannibali æquiparârint. Multi cùm animadverterent eum tam domi quàm militiæ prolixum æquè ac continuum in precibus esse, dicere solebant: Carolus cum Deo sæpius quàm cum hominibus loquitur. In singulas bellorum expeditiones, novas sibi preces & componebat, & suâ ipse manu describebat, quæ prolixitate septem pœnitentiæ psalmos æquabant. Has priùs cèsendas dabat, approbatas quotidie vel etiam in acie recitabat. Hîc addo, quod recentissimis testimoniis vim orationis assumet.

Aug. to. 5. l. 5. de Civit. c. 26. mihi pag. 62. Tertul. in Apologetico c. 5. & l. adversus Scapulam c. 4. Euseb. l. 5. hist. Eccles. c. 5. Ita Laur. Surius ad Ann. 1559.

Dum hæc scribo, Parthenopolis seu Magdeburgum urbs Saxoniæ longè munitissima est expugnata, Anno Christiano millesimo sexcentesimo trigesimo primo, die Maii vigesimo: superioribus sæculis ter gravi ac diuturnâ obsidione cincta, expugnari numquam potuit. Inde urbs hæc ingens animi, seipsam velut ab omni hoste tutam & prorsus inexpugnabilem circumspicere, se virginem jactare, pericula ridere, secura sibi omnia polliceri. Venit demum fatalis dies, quo Christianus Iosue Ioannes Tillius Comes, Serenissimi Bavariæ Principis & Electoris Maximiliani supremus in bello dux, urbem illam post obsidionem non omninò bimestrem, factâ undique impressione cepit. Factum æternis annalibus dignissimum. Sed victoriæ hujus principium ab oratione ductum est auspicatissimum. Nam Tillius Catholici exercitûs caput proximâ priore nocte vix horulam, dum incommodè sedit, somno concessit, mox elapso noctis medio rei divinæ interfuit. Hîc submissis genibus, passis brachiis, ut alter Moses, crebris suspiriis ardentissimè oravit. Dein operi moliendo ipse omnia sedulò curare, animare milites, suam cuique stationem & laboris partem assignare, unáque providum Ducem & laboriosum militem agere. Iámque septimâ diei hora imminebat, cùm Tillius subsidium è cælo imploraret, Deum poscere adjutorem, mox undique impressionem facere. Post Ducis preces tam serias, tam feliciter hic insultus cessit, ut ante meridiem circa decimam ejus diei horam, Magdeburgum omnibus retrò sæculis inexpugnabile, incredibili successu fuerit expugnatum. Hîc modestissimus Dux assiduè illud volutare. Non nobis, Domine, sed nomini tuo da gloriam: Nos scalas applicavimus, & muros ascendimus, tu Deus expugnâsti: Quidquid hoc operis est aut victoriæ, Tibi debetur. Tu triumphas solus; nec socium habes in gloriâ.

Magdeburgum, ann. 1631. die 10. Maii à Ioanne Tillio est expugnatum.

Et reverâ plus possunt preces submissæ, quàm elatæ vires vel maximæ. Illæ Deum in vota facilem flectunt; Deus est orantium clypeus.

§. III.

ORatione quoties numerosissimi exercitus sunt profligati?

Orationis virtus & efficacia.

Oratione Iacobus Nisibites urbem Nisibin contra Saporem regem protegens, omnes illius molitiones irritas fecit.

Oratione Zachæus pestem Cæsareâ ejecit.

Oratione Macharius Ægyptius aliique plurimi, cacodæmones ex humanis corporibus expulerunt.

Oratione Simeon Stylites, & plures alii, salientes fontes impetrârunt.

Oratione Abbas Theonas latrones vinxit; & velut statuas immobiles consistere coëgit.

Oratione Abbas Besarion salsissimæ maris aquæ dulcedinem impertivit.

Oratione Gregorius Neocæsarienſis Thaumaturgus montem loco movit & transposuit, paludes siccavit, fluvium fixis terminis coërcuit, scipionem aridissimum virere, & in arborem assurgere jussit.

Oratione quot morbi è vitiatis corporibus pulsi?

Oratione quot mortui ad vitam revocati?

Neque hanc tantam Orationis efficacitatem negare

gare licet, cùm effectus illius magis admirandos è sacris paginis perspectissimos habeamus.

Natura suis constat legibus, quis illas evertat? Quis frigori persuadeat, ne frigefaciat? Quis urendi vim igni adimat? Quis suam plumbo aut ferro gravitatem subtrahat? Quis lapidem contineat, ne infima petat? Verùm oratio rerum omnium potens, hæc facili negotio conficit. Paulus orationis amantissimus in frigore & nuditate æstuat. Tres Hebræi juvenes orantes in medio flammarum non uruntur. Eliæ preces ignem descendere, & aquam cogunt lambere. Elisæi oratio ferrum natare jubet. Ad orationis imperium non lapis solùm, sed & mons volabit. *Marc. c. 11. v. 23.*

Oratio rapidissimũ solis cursum adversùs Gabaonitas stitit, & soli frenum injecit. Oratio umbram in horologio Achaz decem lineis retroëgit. Oratio in Achabi nullites bis ignem de cælo devocavit. Oratio Samariã obsidione liberavit. Oratio Amalecitas tótque alios hostiles exercitus delevit. Oratio ampullam olearium, & farinulæ ciſtulam insigni fenore, incremento mirabili ditavit. Oratio aquis amarissimis Mara dulcedinem communicavit. Oratio Sunamitidis filium ad vitam reduxit. Oratio Saræ domum à dæmone liberavit. Oratio famelicas Leonum fauces concluſit, & esurientes bellúas ad objectum pabulum jejunare docuit. Oratio vim flãmæ in fornace Babylonicâ compescuit, ignem in innoxium rorem permutavit. Oratio centum & octoginta millia hominum in Sennacheribi castris extinxit. Sed majus dico. Oratio decies centena millia Zaræ Ducis interfecit. Zara Æthiops militiæ Dux, cum decies centenis millibus bellatorum & curribus trecentis in aciem descendit, Regem Asa oppugnaturus. Sed Rex (ut Chronicon Regum loquitur) invocavit Dominum Deum, & ait: *Domine non est apud te ulla distantia, utrum in paucis auxilieris, an in pluribus: adjuva nos Deus noster: in te enim, & in nomine tuo habentes fiduciam venimus contra hanc multitudinem. Domine Deus noster tu es, non prævaleat contra te homo.* Tantarum virium fuit hæc oratio, ut tot centena millia militum non solùm territa, sed & fugata, & ad internecionem cæsa sint: *quia Domino cædente*, ut testatur sacer codex, *contriti sunt, & exercitu illius præliante.* *2. Paral. c. 14. v. 9. & seqq.*

Oratio nihil non potest. Oratio spiritum sanctum compluribus impetravit. Oratio carcerem Petri reseravit. Oratio homini claudo ad portam speciosam mendicanti pedum usum concessit. Oratio Publicano noxarum veniam, Cornelio Centurioni fidem & gratiam, Æneæ paralytico sanitatem reddidit. Oratio Tabithæ vitam restituit. Sed

Ante diem clauso componet vesper Olympo, *Virg. l. 1. Æneid.*

quàm ego orationis emolumenta & effectus percenseam. Verissimè dixit Gregorius Nyssenus: *Oratio virginitatis sigillum est, matrimonii fides, viatoribus scutum, dormientium custos, agricolarum fertilitas, navigantium salus, pugnantium trophæum.* Oratio verè tranquillitatis portus est, laborum solatium, vigor spiritus, voluptatis cælestis gustulus, miseriarum ac calamitatum omnium lenimen, tutela corporis, animi certissima salus, interioris hominis lumen, noxarum balneum, mors vitiorum, divinæ iræ mel soporiferum, virtutum omnium hospitium tutissimum, clavis cæli. Sed quid prodest clavis aurea, si aperire non potest? quid obest lignea, si potest? Eodem prorsus modo, quid suavis eloquentia juvat; quæ Deum non flectit? Cur oratio inculta & simplex spernenda, quæ cælum aperit, & Deum vincit? *Greg. Niss. l. de orat. sub init.*

§. IV.

HÆc Chrysostomus suo calculo confirmãs: *Nihil æquè facit in virtute crescere*, ait, *atque cum Deo assiduè versari & colloqui.* Hinc homo potiùs velit non *Chrysost. in psal. 7.*

vivere, quàm non orare. Hinc optimi quique hominum omni studio totóque animo in hanc curam incumbebant, ut assiduè cum Deo versarentur continuatis pæne colloquis. Ex omni numero unum hic nomino.

Emericus juvenis regius, beati Stephani Vngarorum Regis filius, non dies tantùm, sed quas juventus somno aut voluptatibus dare solet noctes, precibus pius vigil consecravit: non priùs ab aurorâ deprehensus, quàm omnes Davidis psalmos centum quinquaginta lectitasset, & ad singulos, augẽdæ submissioni, oculum terræ fixisset, veniámque delictorũ à Deo petiisset. Corpus sine animâ cadaver est, anima sine oratione mortua est. Daniel satius esse censuit vitam perdere, quàm statas preces omittere. Rex Persarum namque nõ jusserat idola colere, sed non orare, quàm mori. Hinc leones oratione vicit, in leonum cavo Angelum auxiliatorem, Abacuc dapiferum habuit. Omnia potest oratio. *Ita Laurent. Surius, Zachar. Lippeloo, Francisc. Haræus die 4. Novemb. Veniam petere, priùs pro se Priscis erat, terram osculari.*

Sed oratio seria & attenta, & verè cælestis Rhetorica, quam utroque hoc libro descripsimus. Eos qui nec seriò nec attentè orant, Bernardus deflens: *Vacantes*, inquit, *corpore, & vagantes ubique corde, nequàquam merentur videre, quàm dulcis est Dominus.* Hic talis orator diabolis est irrisui. De illo dicere licebit: *Viderunt eum hostes, & derisérunt sabbata ejus.* Vident dæmones externo quidem orantis habitu corpus otiari, at certis indiciis conjiciunt animum huc illuc petulanter evagari; quod illis hostibus summè ridiculum est. *Bern. de tempore serm. 70.* *Thren. c. 1. v. 7.*

Huic malo graviter ingemiscens Augustinus: *Si movet dolor magnus*, inquit, *adversùs fratres nostros movet, qui sic volunt intrare in ecclesiam, ut ibi corpus habeant, & alibi cor. Totum intus esse debet. Si intus est quod videt homo, quare foris est quod videt Deus.* Hæc cogitationum in oratione libertas, turpissima servitus est. Quod Cæsarius Arelatensis observans: *Videte* inquit, *quàm sit dura ista cæcitas, ut lingua quasi cum Deo loquatur, & tota animi intentio ad terram, & parietes dirigatur?* *Aug. serm. de Verbis Dom.* *Cæsar Arelat. hom. 13.*

Orationis studium non tam in ore quàm in corde sedem figat. Quod Paulus docens: *Implemini*, ait, *spiritu sancto, cantantes & psallentes in cordibus vestris Domino. Cum intelligentiâ orantes*, inquit Chrysostomus, *ut non os quidem verbum loquatur, mens autem extra versetur; sed ut lingua ab animâ audiatur.* *Ephes. c. 5. v. 18. & 19.* *Chrysost. in 41.*

Non immeritò de iis queritur Deus, qui sibi tergum obvertunt in templo. *Averterunt*, ait, *facies suas à tabernaculo Domini, & præbuerunt dorsum.* Quo quid esse potest, non dicam inurbanius, sed impudentius? Cæsarius Arelatensis, quem dixi, optimè: *Orantes laboremus*, inquit, *ut nulla nobis extranea cogitatio subrepere possit; ne fortè aliud habeamus in corde, & aliud proferamus ex ore. ne fortè dum lingua Dominum rogat, cogitatio in rebus variis occupata, ab orationis sensu discedat, & inde acquirat peccatum, unde habere potuit remedium.* *2. Paral. c. 29. v. 6.* *Cæsar Arelat. loc. cit.*

Attende, ô homo, qui oras, ne frustra ores. Attende, alioqui perdis, quod dicis. Attende, ne forsitan quod orator magnus, fateri debeas. Creberrimè in oratione meâ, aut per porticus deambulo, aut de fenore computo, aut abductus turpi cogitatione, etiam quæ dictu erubescenda sunt, gero. Vbi est Fides? ficcine putamus orâsse in ceto Ionam? sic tres in igne pueros? sic Danielem inter leones? sic in cruce latronem? *Hieronym. dial. aurorum sus Lucifer. rianes.*

Quòd si Oratores maximi nonnunquam hîc hallucinati titubârunt, quis stare se glorietur? Si cum illis dormitamus, cum illis pariter evigilemus. Imò cùm sanctissimi etiam viri fugacẽ in oratione animum subinde sint experti, nos tantò vigilantiores esse cõvenit, ut fugacissimum cor nostrũ, eâ sollicitudine custodiamus quâ Ecclesiastes desiderans: *Custodi*, ait, *pedem tuum ingrediens domum Dei.* Non corporis pedem custodiendum docet, sed animi, ut oratio ad Deum veniat pura. *Eccles. c. 4. v. 17.*

Ah quoties eâ cogitationum mole obruimur, ut potiùs in fôro nundinari, quàm in cubiculo precari videamur! Quid Chrysostomus dixit? *Labia solummodò moventur, & mens sine fructu est.* Multum loquimur, parum aut nihil oramus; grandis verborum strepitus, exiguus aut nullus mentis affectus. Hîc Augustinus orationem prolixam & multiloquium exactissimè discriminans: *Neque enim, inquit, ut nonnulli putant, hoc est orare in multiloquio, si diutiùs oretur; aliud est, sermo multus, aliud diuturnus affectus: hoc autem negotium plus gemitibus quàm sermonibus agitur, plus fletu quàm affatu.*

Chrys. to. 2. homil. 17. pag. 1038.

Aug. to. 2. epist. 121. ad Probam de orando Deo, mihi pag. 238.

Cùm Heli Sacerdos Annam ardentissimè precantem suspicaretur temulentam, respondit illa: *Ne reputes ancillam tuam, quasi unam de filiabus Belial, quia ex multitudine doloris & mœroris mei locuta sum usque in præsens; effudi animam meam in conspectu Domini.* Dum Anna omnem animam in Deum transfunderet orando, visa est non sanæ mentis velut ebria insanire. Neque illa penitus se negavit ebriam, sed ebriam vino: uti Petrus ceteros Apostolos non ex toto negavit ebrios, sed ebrios multo. Certè divini Spiritûs fervor, quo pleni loquebantur, sobria fuit ebrietas. Sic ardor animi, quo Anna in oratione æstuabat, ebrietas quædam erat, quæ mentem illius non in dementiam laxabat, sed ad sapientiam veram conformabat: *Effudi, ait, animam meam in conspectu Domini*; toto animo, totóque affectu Dominum rogavi. *Hoc sit*, ait Augustinus, *cùm mens quodammodo se sibi furatur, imò rapitur atque elabitur à seipsâ, ut Deo fruatur.*

1. Reg. c. 1. v. 15. & 16.

Augustin. in Manual. c. 20.

De oratione tam intentâ & vigili Laurentius Iustinianus: *Talis, inquit, oratio cordis est, non labiorum; nec enim precantis verba intendit Deus, sed oranis cor aspicit. Quid oratio prodest strepitu labiorum, si cor est mutum? Sicut enim vox sine modulatione humanis auribus onerosa, sic oratio absque devotione divinis est inexaudibilis.* Illa est suavissima orationis harmonia, quando vox cognoscitur animo consonare. Nam si hæ duæ res discrepabili sibi varietate dissentiant, nequaquam possunt gratam Deo facêre cantilenam.

Orationis harmonia suavissima est quâ do vox cognoscitur cõsonare.

§. V.

Sapientissimus morum magister: *Fili mi, ait, attende ad sapientiam meam, & prudentiæ meæ inclina aurem tuam, ut custodias cogitationes.* Et quænam hæc cogitationum custodia est? Difficilis & operosa, sed utilis & honorifica. Qui cogitationes custodire nescit, nec orare scit. Eruditè dixit Cassianus & verè: *Perperam orat quisquis illo tantùm tempore, quo genua flectuntur, orare consuevit. Nunquam orat, qui solet etiam flexis genibus evagatione cordis qualicumque distrahitur.* Suâ culpâ & desidiâ distractus, unâ manu supplicem libellum Deo porrigit, alterâ eundem retrahit, & velut facti pœnitens conscindit. Quotiescumque oramus, plurimum impetramus, modò sibi constet animus, & quod agit, hoc agat.

Prov. c. 5. v. 1. & 2.

Cassian. l. 10. Sacr. collat. c. 14.

Plumbeus aquæ tubus effracto foramine non transmittit aquam, sed effundit in viâ: Oratio gratiæ canalis est, hunc autem perforat distractio, & omnem perdit gratiam.

Basilius Magnus orationem vagam & attentione vacuam cibo comparat, qui nec sale, nec adipe, nec aromate ullo conditus, nil habet saporis, canibus potiùs quàm convivis apponêdus. Oratio attenta ferculum est cælesti mensâ dignum. Et sanè melior multò est oratio brevis & attenta, quàm prolixior & vaga. Christus Birgittæ viduæ dixisse fertur: Dico tibi filia: Quicumque fide & voluntate perfectè dicit hæc verba: IESV miserere mei; magis mihi acceptus est, quàm qui mille versus sine attentione pronuntiat. Addo in gratiam Sacerdotum.

Basil. in quæst. brevior. q. 279.

Mechtildis virgo, quod Ludovicus Blosius narrat, crebriùs precari solita est pro illo, qui horarias preces, minùs quàm volebat attentus, dicere consueverat. Mechtildi vox arcana respondit: Ille pro quo rogas, post solitas preces hæc verba subjungat: *Deus propitius esto mihi peccatori.* Si publicano veniam, cur non & aliis hæ voces impetrent? Misericordia divina nihilo quàm olim contractior est.

Neque verò est, quòd hîc cacodæmonis insidiosos impetus formidemus: Suadere potest, cogere non potest: *Gravis nobis est*, inquit Bernardus, *inimici tentatio, sed longè gravior illi nostra oratio.*

Bern. ser. 3. de Dedicat. Eccles. mihi pag. 342.

Franciscum Borgiam Gandiæ Ducem orantem interpellare dæmoni sæpe studium fuit; nunc simii, nunc gigantis specie, nunc terrificis spectris, nunc formâ supra humanam majore. Pintiæ cubiculo digressus, salubri signo se muniens: Videsne, inquit, Marce frater, formidandum visu dæmonem passim obambulantem? Quo dicto acquievit Franciscus, animóque nonnihil sedato erubuit, quod metum præ se tulisset ejus spiritus, qui homini ne capillum quidem queat subducere, Deo non annuente. Interrogatus quandoque à socio, num timuisset viso dæmone per conclave obambulante? Ille submissis modestè oculis. Hoc, inquit, satis constat, Deo permittente diabolos sub aspectum se dare improbis quidem, ut à flagitiis absterreantur, probis, ut ad pietatem magis exerceantur.

Petr. Ribad. & Andr. Schottus in ejus vitâ l. 4. c. 4.

§. VI.

Hilarionem Hieronymus diu noctúque gravissimè cùm laborantem, tum orantem, à diabolis tamen vexatum memorans: Quoties, inquit, jacenti fœminæ, quoties esurienti dapes lautissimè apparuêre? Nonnunquam orantem lupus ululans, aut vulpes ganniens transiliit. Psallenti spectaculum præbuit gladiatorum pugna, & unus veluti jugulatus, ad pedes ejus corruens rogavit sepulturam. Die quodam vir sanctus fixo in terram capite oravit, mens interim, ut natura hominum fert, abducta ab oratione nescio quid aliud volvebat. Mox ejus tergo gladiator insiliens, & latera calcibus cervicem flagello verberãs, nec sine cachinnis: Eja, clamat, cur dormitas mastigia? Vis hordeum reparandis viribus? Ita nemini parcit veterator. Quocirca Christi voces identidem ingeminandæ nos expergefaciant: *Vigilate, & orate.* Oratio vigilans adversùs hunc hostem tutissima Panoplia est. Omnem cacodæmon lapidem movet, ut orationẽ turbet. Hinc inter orandum illatas injurias refricat, calumnias objectas ingerit, tædium parit, impatientiam provocat, iracundiam extimulat, absurdis somniis fatigat, strepitus importunos excitat, corporis molestias sic aggravat, ut stomachus ructet, caput doleat, tussis vexet, lassitudo avocet, debilitas dejiciat. Hæc omnia eò dirigit vaferrimè, ut orationem impediat, aut interturbet. Hinc Agathon Abbas dicere solebat: Oratio illa est excellentior, quæ difficilior, nam omnes cum dæmones impugnant.

Hieron. in vitâ Hilarion. c. 4.

Matt. c. 26. v. 41.

Diabolus omni industriâ conatur orationem turbare.

Non tamen ideo abrumpenda, aut non incipienda oratio. Vigilemus & oremus. Beatus Ægidius interrogatus, cui similem existimaret eum, qui distractionibus irruentibus orationẽ desisteret: *Fugienti è prælio*, respondit. Addidit: Si gratiam in precibus sentis, ut augeatur, ora: Si non sentis, non ideo cessa. Gratos habuit Deus etiam caprarum pilos, qui ad priscæ legis præceptum offerebantur.

Hieronymus de seipso: *Solus, inquit, deserta penetrabam: siquibi concava vallium, aspera montium, rupium præruptа cernebam; ibi meæ orationis locus, ibi illud miserrimæ carnis ergastulum; & ut ipse mihi testis est Dominus, post multas lacrymas, post cælo inhærentes oculos nonnunquam videbar mihi interesse agminibus Angelorum: & lætus gaudénsque cantabam: Post te in odorem tuorum unguentorum curram.*

Hieron. ep. 22. ad Eustochium.

Vigilemus, & oremus.

Querimur subinde, nobis orandi gratiam deesse; ah quantò justiùs quereremur, nos deesse gratiæ!

Frequentissimè malè oramus, quia mentem ad orationem non disponimus. Ejus rei fidelis monitor Gregorius: *Semper*, inquit, *ante orationis tempora debet sollicite conspici, quidquid potest in oratione reprobari.*

Greg. l. 10. Moral. c. 16.

Claræ-vallensis Abbas Bernardus templum ingressurus, primam januam sic alloqui solebat: Ceteras meas curas tibi committo, donec orandi curâ me liberavero. Christus discipulis: [a] *Sedete hic*, inquit, *donec vadam illuc & orem.* Ita quilibet suarum cogitationum Euripo imperet: [b] *Usque huc venies, & non procedes amplius: & hic confringes tumentes fluctus tuos.*

Ex Navarro de Orat. Ioan. Myræus Autv. Episc. in Orat. anno 1608. habita feriâ 2. majoris hebdom.

Harpyias aves rapacissimas Trojani ad mensam gramineam comessantes, non flabro sed ferro abigere conati,

—— *Nova prælia tentant,*
Obscenas pelago ferro fœdare volucres. [c]

Cogitationes inter orandum tam importunæ, sunt Harpyiæ voraces & immundæ, quæ suave cum Deo convivium interturbant, dapes polluunt, omniáque contactu fœdant. Has non abigere solùm, sed & interficere conemur, Vigilandum & orandum.

[a] Matth. c. 26. v. 36.
[b] Iob c. 38. v. 11.
[c] Virg. l. 3. Æneid. post initium.

§. VII.

Exod. c. 32. v. 18.

CVm olim omnis Hebræorum exercitus ad pedem montis ululatu castrensi baccharetur. Moses in rupis cacumine cum Deo collocutus nihil audiit, in descensu montis audire cœpit. Nec mirum; totam animam suam in illud cum Deo colloquium effundebat. Non satis est orare, nisi attentè, nisi seriò & intentè oremus. Quid mihi cum gladio, si acies ejus hebescat? Quid mihi cum arcu, si nervo careat? Quid mihi cum libro, quem nemo intelligat? Aliquid armorum olim Hebræis permittebant Philistæi; sed quorum acies retusa erat, ab his enim nihil periculi sibi metuebant. Ita planè dæmones non formidant orationis arma, si ea sint retusa: orans, sed sub oratione aut dormitans, aut garriens, aut circumspiciens, aut aliena cogitans, stygias larvas non terret; illæ gladios tam hebetes, preces tam frigidas & exanimatas non fugiunt. Hoc Chrysostomus planissimè affirmans: *Magna*, inquit, *sunt arma preces; modò sobrii, & undequaque mente nostrâ collectâ Dominum adeamus, totique nitamur ita loqui, ut non solùm verba, sed & mens verborum comes ad Deum accedat.*

Chrys. hom. 30. in Gen.

Veteris metri non quidem adeò venusti, sed certè pii & quod nostri nos officii ingenuè monet, nequam non memores simus:

Ante Deum stantes ne sitis corde vagantes;
Si cor non orat, incassum lingua laborat.

Ita prorsus est. Etiamsi mille verborum plaustra in cælum os mittat, labor est irritus, si cordis desit comitatus. *Orandum spiritu, orandum & mente; psallendum spiritu, psallendum & mente.* Solius linguæ strepitus, labor inanis & vanus. Si cor obmutescit, nemo cælitum soli linguæ credit.

1. Cor. c. 14. v. 15.

Quid igitur nos ipsos pueriliter circumspicimus, quid inanissimè gloriamur tot aut tot orationes è libro recitasse? Inspice quid dixeris, & vix quidquam specioso orationis nomine dignū reperies. Quid enim? Oratio tam incustodita & inambulans, tam vaga & tumultuans, tam mixta & impura, tam præceps & cursim festina, tam impos sui; garrula potiùs & inanima declamatio censenda, quàm oratio,

Cic. pro Milone.

Romanus Orator Tullius olim ad Iudicum subsellia concitatiùs exclamans: *Ubi*, ait, *peregrinantur aures vestræ?* In homines tam vagæ orationis hoc usurpandum; O Christiani, ubi peregrinantur mentes vestræ?

O Deus, quàm nec te, quem adoraturi accedimus, nec tuos principes tibi adstantes attendimus! quando enim nec te, nec illos cernimus, nec tuâ, nec illorum præsentiâ movemur. Angelos attentè orantibus adesse, luculenter tradens Chrysostomus: *Tunc adstant Angeli*, ajt, *magno audientes cum silentio, & postquam cessaverit, ei applaudentes, laudantes, admirantes.* Addit: *Quando ad Deum accedimus, id esse existimemus theatrum, sed ex universo orbe terrarum, vel potiùs ex supernis populis cælestibus collectum, & regem in medio sedere, qui vult nostram audire orationem. Nullus sit citharœdus, nullus lyricen, qui ita se exerceat scenam ingressurus, timens, ne quid insuave & inconcinnum canat, ut nos ingressuri theatrum Angelorum.* Hinc illa cælestis sponsi exhortatio: *Quæ habitas in hortis, amici auscultant te; fac me audire vocem tuam.* Attende quid dicas, quid canas; adsunt Angeli tuæ orationis arbitri, adsunt & auscultant. Tu igitur orationem tuam, quæ à me audiatur prome: Innumeros habes auditores, qui omnes auscultant attentissimè, quomodo tuam ipse causam coram me acturus sis. *Usurpemus igitur officium*, inquit Bernardus, *quorum sortimur consortium.* Cave quisquis oras, ne velut temulentus rusticus voce inconcinnâ & absonâ cantes; amici auscultant, audiunt Angeli, & de tuâ oratione judicant. Tu ergo attentione quantâ potes maximâ precare; ante Deum Angelorum medius consistis.

Chrysost. in psalm. 129. pag. 614.

Cant. c. 8. v. 13.

Bern. serm. 17. in Cant.

Sed ut orandi norma & exemplum quàm absolutissimum semper in oculis sit, videte Christiani Christum Dominum, ideam precandi & formam exactissimam intuemini. Et Dominus IESVS in horto Gethsemani hac vocis, hac gestuum, hac totius corporis compositione oravit: *Positis genibus, procidit super terram in faciem suam, & orabat, ut, si fieri posset, transiret ab eo hora; & dixit: Abba Pater, omnia tibi possibilia sunt, transfer calicem hunc à me, sed non quod ego volo, sed quod tu. Et oravit tertiò eundem sermonem dicens.*

Christus Dominus nobis formam precandi dedit.

Matth. Marcus, Lucas.

De Rhetoricâ cælesti, de attentâ & seriâ oratione huc usque egimus; hîc summam rem complectimur. Docuit nos ante hac Servator, quibus verbis orandum; hîc autem docet, quo sensu, quibus gestibus, quanto affectu instituenda oratio. Videte & audite, quibuscumque animus est orandi artem discere. Oravit Dominus IESVS:

Modus orandi Christi.

1. *Positis genibus*: Prono & supplici gestu, ad instar rei.

2. *Procidit in terram*: Reverentiâ in Patrem maximâ.

3. *In faciem suam*: Submissione ac humilitate summâ.

4. *Orabat, ut si fieri posset*: Oblatione sui, & resignatione paratissimâ.

5. *Abba Pater*: Affectu in eum, quem orabat ardentissimo.

6. *Omnia tibi possibilia sunt*: Ingenti in divinam potentiam fiduciâ.

7. *Non quod ego volo, sed quod tu*: Conformatione ad Patris voluntatem integerrimâ.

Demum, *Oravit tertiò eundem sermonem dicens*: En perseverantiam in orando perfectissimam. Quapropter optimè dixit Climacus: Ad omnem quidem virtutem, præcipuè tamen ad orationem, summo cordis sensu & affectu semper exerceri debemus.

Clim. grad. 28. propè finem, pag. 391.

GAZO-

GAZOPHYLACIVM CHRISTI

PARS PRIMA.

CVR DANDA SIT ELEEMOSYNA.

CAPVT I.

Causſæ, & ordo dicendorum: Introductio ad ſequentia.

MERCATOR quidam opulentiſſimus tranſeuntium quemvis invitans ad emendum: *Suadeo, tibi,* ait, *emere à me aurum ignitum, probatum, ut locuples fias, & veſtimentis albis induaris, ut non appareat confuſio nuditatis tuæ.* Cauſſas explicat emptori, cur ſuas ipſi merces ſuadeat emendas, videlicet ut emptor candidâ ſe veſte induat, & diteſcat.

Apoc. c. 3. v. 18.

Sed quis ille tam bene nummatus è plebe, qui aurum emat, niſi forſan minutulum aliquid, quod in cōchulis vendi ſolet pictoribus? ſed animum addens mercator: *Qui non habetis argentum*, inquit, *properate, emite, & comedite. Venite, emite abſque argento, & abſque ullâ commutatione. O facilem*, inquit Nazianzenus, *contrahendi rationem! Hoc bonum ſolo voluntatis pretio emendum tibi proponitur. Appetitionem ipſam Deus ingentis pretii loco æſtimat, ſitit ſitiri.*

Iſai. c. 55. v. 1.

Greg. Nazian. orat. in ſanctum baptiſma.

Sed ubi, obſecro, ubi mercator iſte? Vbique locorum eſt, modò emptores adſint, nuſquam non adiri poteſt. Opulentiſſimus hic mercator eſt Chriſtus, qui gazophylacium ſuum inexhauſtum, velut ergaſteria & tabernas mercimoniis deputatas nemini non patere vult.

Gazophilacium Dominicū quod.

Et ne laciniosa ſit præfatio: Dominicum hoc Gazophylacium non aliud eſſe affirmamus, quàm beneficiendi ſtudium, quod miſeris ac egenis impenditur. Hoc explicare animus eſt, ut Eleemoſynæ vis incredenda nemini non perſpecta fiat.

Ordinem dicendo hunc obſervabimus. Parte primâ exponemus, *Cur danda ſit Eleemoſyna.* Parte alterâ, *Quomodo ſit danda, & quibus.* Partē tertiâ, *Objectiones, paradoxa, quæſtiones* de eleemoſynis in lucem dabimus. Illud ante omnia ſpectabimus, ut quæ fuerunt verba, fiant facta, & quod in chartâ diſſertatum eſt, reipsâ & agendo confirmemus.

§. I.

1 Cauſſæ ſcribendi de Eleemoſyna. Prima.

EPlurimis cauſsis ſcribendi de Eleemoſynâ ſunt iſtæ: Prima; Rhetoricam cæleſtem, Lector, vidiſti de Oratione diſſerentem; proximum ergo fuerat Eleemoſynam ſuis coloribus ſpectandam dare, ut illa Chriſtianarum actionum Triga, Oratio, Eleemoſynam, Ieiunium ordine ſub aſpectum veniret.

Secunda.

Altera cauſſa; Eleemoſynæ ſtudium ad omnes homines ſpectat, ipſos etiam mendicos. Nec enim ullus facilè tam pauper eſt, quin pauperiori ſe largiri poſsit.

Tertia.

Tertia; Hæc largiendi virtus divinis oraculis multò commendatiſsima eſt: ſacræ paginæ nuſquam non prædicant Eleemoſynas.

A Quarta; Nemo Deum certiùs, nemo feliciùs imitatur, quàm homo beneficus. Nec priſcis hoc incognitum. Orator Romanus: Homines ajebat, nullâ re propiùs ad Deos accedunt, quàm dando; nihil habet fortuna melius, quàm ut poſsis, neque natura præſtantius, quàm ut velis ſervare plures. Quarta.

Tullius pro Ligar.

Quinta, & quæ plurimum urgeat, eſt ſupremum orbis judicium. Quinta.

Depingit hoc Chriſtus Matthæi calamo. Illius porrò judicii omnis pæne actio in eo videtur conſumenda, ut publicè recitetur, quis ſtipem dederit, quis negarit. Super hæc unâ re Chriſtus inſtituendum ait examen, quid miſericordia præmii promeruerit, quid immiſericordia ſupplicii. Hoc certè omnibus jure merito accuratiùs penſitandum. Beatus Leo tribunal hoc admiratus: *Tanti*, ait, *æſtimabitur vel largitatis benignitas, vel tenacitatis impietas, perinde ſi omnes ii, qui dextrâ judicis conſiſtent, non aliâ virtute ullâ quàm miſericordiâ fuiſſent inclyti: neque ii, qui ſiniſtrâ ſtabunt, ullo alio vitio laboraſſent, quàm immiſericordiâ.* Cur ſileatur, quæſo, beatorum patientia, ſubmiſsio, obedientia, cur caſtitas & B temperantia, tótque virtutes aliæ tacentur? cur nulla mentio tot atrocium ſcelerum ac flagitiorum, quæ improbi audaciſsimè patrarunt? Hiſtoriolâ rem explicamus.

Matt. c. 25. à v. 31. ad finem.

Introduxit civis Monacenſis in ædes ſuas amicorū optimum, eique diverſa pictorum artificia monſtrans: En, ajebat, hoc Lucæ Leidenſis penicillum, hoc Alberti Dureri artificium eſt. Hoc à manu Pauli Veronenſis venit. En etiam coloris Michaëlis Angeli artificis præſtantiſsimi. Non infimus horum, ſi non etiam anteſignanus Chriſtophorus Schwarts hanc ille tabulā pinxit. Hos verò luſus coloribus expreſsit Raphaël Vrbinas, neſcio an non pictorum ſummus. Hæc omnia mihi contra aurum chara. Sed ſcire forſitan velis, quæ harum picturarum omnium mihi maximè ſit amori. Quod olim aſtu exploravit Phryne noti nominis mulier. Cùm enim noſſe percuperet, quod inter Phidiæ opera pulcherrimum eſſet, ſubornavit ſervum, qui ſubitò advolans nuntiaret Phidiæ officinam ab igne correptā, & bonam operum partem jam periiſſe. Exanimatus Phidias foras exiluit, &: Actum eſt, inquit, de meis laboribus, ſi Satyro, & Cupidini flammæ non pepercerint. Tum Phryne illum optimè ſperare juſſit; nil triſte accidiſſe: liquere jam ipſius artificis confeſsione, quod pulcherrimum operum ſuorum judicaret. Tu forſitan, amicorum amantiſsime, idem quæſiveris de his pictorum artificiis, quod ego minimè omnium velim ardere. Candidiſsimè fatebor, quod ſentio; hæc quidem omnia venuſta, exquiſitæ artis, & magni, non nego, pretii, nec cum gemmis mihi permutanda: Tu verò poſt viſa hæc omnia, hunc Chriſti ſpinis coronati vultum conſidera. Hæc una imago præ ceteris omnibus meum ſibi amorem vendicat, nullo mihi pretio venalis eſt. Auream Cæſarum fortunam præ hac Domini IESV effigie minùs æſtimem.

Pauſanias in Atticis.

Hoc

Hoc civis Monacensis civi suo candidè fassus, artificium sibi multò clarissimum proposuit spectandum.

§. II.

Cur Christus misericordiam præ cæteris virtutibus laude ac præmio donabit.

NOn absimili modo Christus æquissimus judex omnia virtutum officia laude ac præmio donabit, præ ceteris tamen Misericordiam: non quòd illa virtutum sublimissima, sed ut gens humana norit, quantum ea una sibi placeat. Hinc illæ Domini voces: *Misericordiam volo.* Hæc divinissimæ cœnionis erat clausula: *Euntes autem discite, quid est, Misericordiam volo, & non sacrificium.*

Matth. c. 9. v. 13.

Cæsar. hom. 15.

Has Domini voces beatus Cæsarius excipiens: *Eleemosynam,* inquit, *quantam possumus, & quamdiu vivimus, & ipsi habere, & aliis impendere festinemus, ut securi possimus in die judicii dicere. Da Domine, quia dedimus; nos fecimus, quod jussisti, tu imple, quod promisisti.* Misericordiam vult Dominus. Sed singula hæc uberiùs suo loco.

Eccles. c. 9. v. 8.

Discamus ergo, quod Ecclesiastes per adumbrationem docuit: *Omni tempore sint vestimenta tua candida, & oleum de capite tuo non deficiat.* Omni tempore, inquit, animi & conscientiæ puritatem summis studiis tuere. Ad cælestes Agni nuptias tendis? veste niveâ opus est. Sed & oleum non deficiat de capite tuo. Qui verò vestis servabitur munda, si caput nare oleo? Cæleste hoc balsamum Misericordiæ mirè fragrans, & purissimum est. Hoc semper in promptu habeas, interdiu & noctu ad manum sit unguentum istud. Virgines fatuæ oleo per negligentiam non aucto indormierunt cælo. Tu igitur eme ab illo mercatore ditissimo, eme aurum ignitum, ut vestimentis albis induaris. Gazophylacium eleemosynæ præstabit hæc omnia. Eruditè dixit Petrus Chrysologus: *Homo misericors, tot servos habet, quot nummos.*

Chrysologus serm. 4.

Vt verò scias, mi Lector, non hîc à nobis misericordiam multùm verbosam, & parùm actuosam describi, illud Oseæ vatis expendamus. Oseas misericordiam verbis & blanditiis solùm liberalem damnans: *Misericordia vestra,* inquit, *quasi nubes matutina & quasi ros mane pertransiens.* Imagine ad rem aptissimâ ostendit Deus, quàm inutilis sit misericordia, quæ ampullatur verbis, & ore non manu prompta est. In vere nonnumquam ita calores augent, ut agri & arva pluvias extremè sitiant. Hinc supplicationes instituuntur & ambarvalia ad eliciendas pluvias. & segetis calamitates avertendas. Dum hæc fiunt, manè aliquot nubeculas aduehit, quæ spem faciant, & nimbos promittant. Interea violentior increbrescit aura, quæ nubes impellit & dissipat. Ita spes imbrium expirat, & arsdissima terra sicco irasci tur cælo. Idem in rore antelucano est cernere. Post medium noctis rorulentæ stillæ velut madefactum cæli tapetium in terram dilabuntur, segetes & herbæ recreantur, sed heu brevi solatio. Natus sol exoriens mox omnem roris succum prælambit. En talis est, inquit Deus, misericordia vestra, *Quasi nubes matutina, & quasi ros mane pertransiens.* Curta est, & brevis hæc beneficientia, speciem habere videtur & formam, sed nervos non habet. Cùm ad rem venitur, desunt manus tam formoso corpori; verba quidem bona, sed obsequia nulla. Hinc pauperes cum voculis illis sæpiùs dimittuntur: Deus vos juvet.

Oseæ c. 6. v. 4.

Deut. c. 15. v. 11.

Cùm tamen Deus jam olim severo jussu dixerit: *Non deerunt pauperes in terrâ habitationis tuæ: idcirco præcipio ego tibi, ut aperias manum tuam fratri tuo egeno & pauperi, qui tecum versatur in terrâ.* Cui n Bernardo dico: *Ne putes gratuitum, quod impendis pauperi; velis nolis, debitor es.*

§. III.

Ita Glossa.

AIunt Hierosolymis portam fuisse parvulam & angustam, quæ *Foramen acûs* diceretur. Hanc transire nequiit Camelus nisi positâ sarcinâ, & submisso poplite Gibber camelus, homo dives & opulentus variis fortunarum sarcinis onustus; Cæli janua depressa prorsus & angusta est. O cameli, ô divites, transire vultis? genua submittite, sarcinas deponite. Et en paratos bajulos, qui eas à vobis in se recipiant? en pauperum turbam. Huic saltem aliquid sarcinarum committite, & per portam illam angustissimam, per foramen acûs concedetur transitus.

Narrant hominem flagitiis nobilem egisse Bononiæ. Huic in quiete oblata species, & nocturni visus ejusce modi sunt objecti. Videbatur sibi mediis campis ab horribili ac procellosâ tempestate deprehensus. Fugam ergo molitus, ad ædes quas invenit proximas, pulsavit, & tecto recipi petivit. Ad hunc progressa hospita: Ego, ajebat, Iustitia vocor. Tu verò mei neutiquam amans, facesse hinc; tui mores familiæ nostræ non conveniunt. Coactus igitur ad aliam domum transiit, & hospitium rogavit. Huic iterum hospita: Ego, inquit, Veritas hîc habito, tu verò hinc recede, imi homo, hostem non admitto. Hîc etiam repulsam passus ad tertiam domum properavit, sed responsum est supplici; Hîc Pax habet: Atqui pax nulla est impiis, nulla, nulla. Tua te impietas ab ingressu arcet. Nihilominus, quia domus hæc mitissimos alit inquilinos, consilium suggerimus. Tu porrò abi ad Pacis sororem Misericordiam, & admitti roga, aditum non difficilem impetrabis. Miser & undique exclusus, hoc tamen consilio lætus ad ædes Misericordiæ contendit. Ad ostium pulsanti humanissimè responsum est: succederet tectis non ingratus hospes, modò cuperet suos mores domesticis aliquantulum attemperare. In hac domo neminem multitudine legum obrui; pæne unicam injungi observandam his verbis: *Peccata tua eleemosynis redime.* Quare si velit esse frugi, in eam misericordiæ legem juraret; sumptu modico res maximas posse confici. At ille: Modò liceat esse incolam, ajebat, omnia quæ in his ædibus moris & juris sunt, facturum me recipio. O mortales, tempestas vobis imminet longè horribilissima: Divini judicii turbo vos involvet. Agite, dum licet, & in ædes Misericordiæ confugite. Hîc asylum securissimum eleemosynis impetratur. Vel mille seras cæli reserat, aperta in pauperes manus.

Dan. c. 4. v. 24.

CAPVT II.

Quæ verè nostra sint bona, & quis dicendum dare de suo.

QVEMADMODVM fontes etiam abundantissimi demum exhauriuntur aquis, sic arcæ argento & auro plenissimæ tandem inanias suas deplorant. Cræsi Lydorum Regis gazophylacium longè opulentissimum est direptum: Ærarium Darii Persarum Regis multò ditissimum est despoliatum. Sardanapali palatium gazis plenissimum est combustum. Arserunt cum Rege hæc, Budæi calculo, præter vestes & purpuram, centies centena millia auri talenta 10000000. Vngaricorum aureorum 700000000. septingenties millies cêtena millia. Ærarium Salomonis, è quo templum pene aureum totum prodiit, omnem Regum opulentiam superavit, sed etiâ hoc denique exhaustum est. Cœpit & Salomon egere, ideóque cives tributis premere, & sanguinem eorum exugere.

Regũ gazophilacia direpta.

Solus Rex cæli Christus gazophylacium habet, quod nec diripi, nec exhauriri, nec imminui, nec comburi, nec suffodi, neque despoliari potest. In hoc digitum intendens: *Nolite,* inquit, *thesaurizare vobis thesauros in terrâ, ubi ærugo & tinea demoliuntur, & ubi fures effodiunt & furantur. Thesaurizate autem vobis thesauros in cælo,* eò nec rubigo, nec tineæ, nec fures, nec flammæ queunt

Solũ regũ cæli gazophilacium nõ potest exhauriri nec dirip.

Matth. c. 6. v. 19. &

queunt pertingere. Hic locus unus & unicus ab omni temporum & hominum injuriâ tutissimus; omnia per manus pauperum eò deportantur securissimè. Eleemosyna gazophylacium inexhaustum. De hoc cœpimus disserere: sed antequam progrediamur, necessarium prorsus indagare, quæ bona dicantur peculiaria, verè nostra, & quænam res mancipi sint. Ex alieno marsupio largiri facile. Hinc toties sacræ paginæ monent, da de tuis panibus, de tuâ substantiâ, de frugibus tuis. Idcirco quid peculiariter *Nostrum* sit explicabimus.

Quadruplex bonũ quod homo suum vocat: Primum Animi bona.

§. I.

QVadruplex bonum est, quod homo verè suum, & rem mancipi vocet. Primo loco numerantur Animi bona, seu bona Viæ, sed interiora. Dicto Philosophi nil notius: Omnia mea mecum porto. Sed exquisitiùs hoc tradendum. Græciæ urbs Megara bis occupata est, haud multùm diverso tempore. Primò eam Ptolemæus Soter cepit, qui pro magno ducens Stilponem abducere, pecuniam & preces obtulit, ut secum migraret in Ægyptum. Noluit Stilpon, sed in patriâ etsi afflictâ permansurum se affirmavit. Eandem postmodum urbem Demetrius Poliorcetes expugnavit, cui virtus & eruditio Stilponis non ignota, ideo virum, & omnem ejus domum servari, & si quid ereptum esset, restitui mandavit. Iussus igitur Stilpõ complecteretur scripto, quid rerum perdidisset? Nobilem hanc vocem edidit: Nihil meum amisi. Eruditionem enim nemo abstulit, & ratio mihi scientiáque relicta est; omnia mea mecum sunt. Atqui patrimonium ejus in prædam cesserat, & filias rapuerat hostis & patriam. At ille victoriam illi excussit, & se, urbe captâ, non invictum tantùm, sed indemnem esse testatus est. Habebat enim secum vera bona, in quæ non est manus injectio, dominii & vindicationis signum. Haud aliter Bias, cùm ejus patriâ Priene captâ alius aliud fugiens auferret, interrogatus ille: Tu nihil asportas? Nihil, ajebat, nam omnia mea mecum porto.

Stoic. de constantiâ sapientis c.5.

Ita profectò scientia, virtus, doctrina nostra est, si labore nostro parta est. Quod hosti aut prædonibus potest cedere, nostrum appellari non potest. Omnis actio cum pietate suscepta nostra est. *Opera enim illorum sequuntur illos.*

Apoc.c.14. v.13.

Secundum Bona patriæ.

§. II.

IN bonis *Nostris* secundo loco numerantur Bona patriæ, bona scilicet æterna. Ad hæc fruenda conditi sumus. Hæc possideri cœpta non mors, non orcus, nulla vis, non æternitas ulla rapiet. Dilucidè satis Dominus, testante Lucâ: *Si in alieno*, inquit, *fideles non fuistis, quod vestrum est, quis dabit vobis?* Quidquid nummorum aut honorum est, alienum est. Neque enim hæc nobiscum nascuntur, ut Ambrosius loquitur, neque nobiscum transeunt. Quâ ratione & Augustinus: Alienas appellat terrenas facultates, quia inquit, *nemo eas secum moriens auferet. Nihil intulimus in hunc Mundum: haud dubium quòd nec auferre quid possumus.* Omnes temerè obtingunt, & momento pereunt nolentibus, & crebrò etiam ante mortem: alienæ igitur sunt, quia non sunt perpetuæ. Ideo Christus: *Quod vestrum est*, inquit, *quis dabit vobis?* Nostrum vocat cæleste divitias, ait Euthymius.

Luc.c.16. v.12.

Aug.l.2. Evang. qq. c.35. 1.Tim.c.6. v.7.

Luc.c.16. v.17.

Similima dixit Theophylactus: Nostræ sunt divitiæ cælestes & divinæ, illic noster municipatus est. Pecuniæ, & possessiones, aliena sunt? Nostra igitur vocat æterna bona, non quòd Dei non sint, aut quòd accepta Deo non referenda sint, sed quòd iis homo frui debeat, ut summo bono, finéque ultimo, ad quem creatus est. Nostra sunt ergo hæc bona, quandoquidem naturæ nostræ maximè consentanea, tum quia perpetua, & perpetuò nostra sunt. Quòd si aliena & non vestra, inquit Servator, malè administratis & usu maligno corrumpitis, quis vestra vobis committet? Eam ob rem Chrysostomus exhortatur: *Bonus sis dispensator eorum, quæ à Deo tibi data sunt.*

Chrys.to.5. homil 33. mihi pag. 219.

§. III.

TErtiò *Nostrum* est tempus, & adeò nostrum, ut qui amittit tempus, dici possit amittere seipsum: qui temporis dimidium, seipsum mediâ parte: se totum perdidisse dicendus, qui tempus totum perdidit. Disertissimè Romanus Sapiens: *Omnia, mi Lucili*, ait, *aliena sunt. Tempus tantùm nostrum est: in hujus rei unius fugacis ac lubricæ possessionem natura nos misit. Ita tu, mi Lucili, vindica te tibi, & tempus quod adhuc aut auferebatur, aut surripiebatur, aut excidebat, collige & serva. Turpissima est jactura, quæ per negligentiam venit, & si volueris attendere, magna vitæ pars elabitur male agentibus, maxima nihil agentibus,* [a] *tota aliud agentibus.* [b] *Quem mihi dabis, qui aliquod pretium tempori ponat? qui diem æstimet? qui intelligat se quotidie mori? Fac ergo quod facere te scribis, omnes horas complectere.*

Tertium tempus.

Senec.ep. 1.

[a] *Quiotiõ, ignaviâ, maximè somno vitã terunt.*

[b] *Aliud agunt, qui occupant sunt, ubi nõ opo tet.*

Hieronymus [c] Cardanus de tẽporis dispendio verissimè pronuntiavit: *Nullius rei jactura major est, sed nec ullius vilior.* Oraculum ex tripode. Tempus perdidisse damnorum omnium maximum, cùm tamen nullum damnũ sentiatur minus. Ælianus [d] memorat Lacedæmonios locandi temporis parcissimos fuisse: hinc nullum civium qui cessaret & laborem fugeret, toleratum. Fuit ut ad Ephoros magistratum deferretur, eos qui Deceliam occupassent, solere post meridiem deambulare. Mox ab Ephoris decretum: *Ne deambuletis.* Nostrum est Tempus, si illud nostrum faciamus usu & industriâ. Non adeò venustè sed verè nonnemo queritur:

[c] *Cardan l. 18. de subtilit.*

[d] *Ælian. l. 2. Var. hist. c.5.*

Damnosleo rerum, sed plus fleo damna dierum;
Rex poterit rebus succurrere, nemo diebus.

Heremiæ plorantis querimonia est: *Vocavit adversùm me tempus.* Putem ego non solùm homines religiosos, sed quoscunque intelligentes alios creberrimè, & non leviter delinquere, prodigalitate temporis, cùm optimas horæ particulas neglectim sinũt elabi nihil agendo aut inutilia. Non est ulla pars horæ, quâ non aut fidem exercere, aut spem erigere, aut charitatem augere, submissionem ac patientiam vegetare, aut aliud quippiam honesti, sanctíque liceat agere. Nos interim feriatr homines, & ignavi cessatores desidiâ, somno, inanissimis colloquiis optimos dies frangimus. Verissimum; Nullius rei jactura major, nullius vilior.

Thren. c.1. v.15.

Quartum, bonum quod sincero animo pauperibus largitur.

§. IV.

QVartò, bonum verè *Nostrum* est, quidquid animo sincero pauperibus largimur. Pecunia quam damus, non nostra, sed nobis commissa est. Siracidæ monitum est: *Eleemosyna viri quasi sacculus cum ipso, & gratiam hominis quasi pupillam conservabit.* Amplum viaticum iter reddit jucundum, tantò enim proniore lubentiâ viam ingredimur, quantò est turgentior auro crumena. Largum viaticum comes quidè taciturnus, sed perquam gratus. Liberales eleemosynæ, viaticum ad cælum tutissimum. Quantò stipem dederis largiorem, tantò te opulentius viaticatum scito, securus penetrabis ad beatos. Rectissimè dixit Ambrosius: *Sola misericordia comes est defunctorum.* Quod Augustinus cõfirmans: *Misericordia*, inquit, *ad Deum deducit hominem, & ad hominem deducit Deum: numquam vidi hominem pium malâ morte finire.* Eleemosyna est sacculus auri dives, & inexhaustus. Qui pecuniam habet, habere censetur omnia. In mercatum aliquis proficiscitur, qui crumenam secum deferat turgentissimam: Hic dominus est rerum pæne omnium, quas forũ venales ponit. Emere vult triticum? è sacculo depromit pretium. Mercari vult

Eccli.c.17. v.18.

[a] *Signaculum.*

Aug. serm. 44. ad fratres in eremo

Eleemosyna ẽst sacculus auri inexhaustus.

vult oleum aut vinum? respondere jubet sacculum. Comparare vult ovium aut pannum? cum sacculo loquitur, & ex illo pro mercibus satisfacit. Pecunia emuntur omnia. Eleemosyna huic tali sæculo simillima. Lucrum rerum omnium Eleemosyna.

Loc. cit. Recipiêtes Eleemosynas preces, refundunt ut qui dederunt pecuniam, auctiorem recipiant gratiam.

Addit Ecclesiasticus: *Et gratiam hominis quasi pupillam conservabit.* Qui enim Eleemosynas accipiunt, preces refundunt, ut qui dederunt pecuniam, auctiorem recipiant gratiam. Nos esse quàm cautissimos par est, quando divinæ gratiæ thesaurum inter tot hostes circumferimus. Mundus, Caro, Diabolus totos adversum nos exercitus educunt, ut gratiam eripiant, sed bono animo, eleemosyna cælestem gratiam, non ut domum ruinosam, sed ut humani oculi pupillam firmissimis præsidiis tuebitur.

Opũ, quas homo habet, nõ est dominus, sed dispẽsator.

Cùm igitur in egenos largi ac benigni sumus, non nostra damus, sed ea dãdo nostra facimus: nam opum, quas habemus, non domini, sed dispensatores sumus. Nos quidem jactanter dicere consuevimus: Hæc mea vestis, hæc mea domus, hic meus hortus, hoc prædium, hoc castrum, hoc oppidum meum: Hæc uxor mea, hæc filia, hi liberi, hi servi mei: Hi equi mei, hoc meũ pecus. Hæc vocum ludibria sunt, & vero nomine figmenta. Et ô qualis dominus, cui hodiernâ die vel crastinâ hæc omnia, quæ sua jactaverat, eripiuntur, ipse verò in tumulum dejicitur. Ideo nos prisci Patres non dominos, sed œconomos dispensatores, villicos appellant.

Chrysost. to 5. hom. 2. ad pop. Antioch. nãbi pag. 25. Idem to. 2. in cap 5. Matth. homil. 12. mihi pag. 727.

Chrysostomus hoc suis auditoribus è cathedrâ in os ingerens: *Idcirco*, ait, *sapies nisi testamenta legens dicentia: Ille quidem habeat agrorum vel domûs dominium, usum verò alius. Omnes enim usum habemus, dominium autem nemo. Etsi enim nobis per omnem vitam permaneant, nullam facientes mutationem, divitiæ, velimus nolimus in fine aliis eas cedemus, ipsarum usu solo decerpto. Ne dicas mihi tot & tot annorum proventus repositos habeo: Quantacumque dixeris, omnia temerè dices & incassum. Sæpius unâ horâ & brevi temporis momento velut vento superne irruente jactabiles pulvis, sic hæc omnia è domo exsufflantur. Cogitemus naturam nostram; discamus qui simus. Divitiæ nostræ non sunt, sed Dei: Deus enim dispensatores nos divitiarum voluit esse suarum, non dominos: & ideo cui voluerit, dat eas, & à quo voluerit, tollit. Illud propriè nostrum, quod in nostrâ est potestate habere, si volumus. Quomodo autem nostrum dicatur, quod etsi volumus, habere non possumus, nisi nobis fuerit datum.*

§. V.

QVid ergo pecunias, quid domos, quid prædia jactamus, & nostra dicimus, quæ nostra non sunt? Eâ solùm nostra est pecunia, quam liberalitate piâ noluimus esse nostram. Nostrum est tempus, quod usu congruo nostrum facimus. Nostra est eruditio & virtus, quam sedulitate constanti comparamus. Nostrum est cælum, quod sudore multo emimus. In ceteris omnibus curatores & villici sumus.

Elcearij in pauperes benignitas.

Comes Ariani Elcearius, vir omni elogio dignissimus, tam potuit aurum generosè spernere, quàm benignè pauperes amare. Multa illi regia dona sæpius oblata sunt; multa faciundæ rei ansa est præbita; sed multò ille sapientiùs animum formaverat. Cúmque dictarent, prò labore & industriâ posse utique, saltem honoris & gratiæ caussâ accipi muneris aliquid, etiam sine noxâ; Respondebat ille: Hanc animi facilitatem multis modis scopulum esse, tam accipienti munera, quàm aliis inspicientibus. Etenim cui modestè situm esset initiò cor, & pudicè habita manus, eum tandem adulante auro, desiderare, attrahere, corradere: reis autem, & quibus caussa justa, sed arca domi angusta sit, quid animi esse possit in ejusmodi judicio, ubi tantùm aureis testibus rem agi videant. Quare cùm Elcearius à negotio se domum reciperet in conclave ad instaurandam sibi solitam pietatem, quandoque dicere auditus est: *Tu mihi, Domine Deus, in paradiso debes centum auri uncias, & duo panni coccinei volumina; ea mihi in cælo redhibe.* Percunctapti autem Alasiæ, quæ dicto supervenerat, quid sibi de hac postulatione vellet? respondit, aurum & purpuram se hodie, cùm habere potuerit, amore Christi rejecisse.

Vocem Christianam! Elcearius in pauperes liberalissimus id verè habuit, quod dedit; id suum esse dixit, quod pauperum esse voluit.

Greg. Turonens. in vitâ Lupicini & ex eo Baronius, anno 519. mihi pag. 877.

Anno Christiano quingentesimo septuagesimo nono, Lupicinus jam ævo gravis Chilpericum Regem adiit, cujus tunc aula Ianubę apud Burgundiones erat. Lupicino vix palatium ingresso; sella Regis ad mensam accumbentis tremuit. Rex territus: Hem, inquit, terra movet. At palatinum famulitium negat, se quidquam motûs sensisse. Ergo protinus, ait Rex, ad portam pervolate, ne quid illic hostile turbet. Concurritur ad portam. Hic religiosus senex horrenti barbâ, veste incultâ Regis congressum expetit. Nuntiatur id Regi, qui hominem mox adesse jussit. Adductum interrogans: Quis es, inquit, unde huc addes, quod munus tuum, quæ postulatio est? Cui Lupicinus: Rex, inquit, vive: ego pater sum dominicarum ovium, quas Dominus spiritualibus cibis prælargè reficit, sed alimenta corpori desunt, ideo Majestatis tuæ manum benevolam supplices imploramus, ut ea victûs & vestitûs subsidiis dignetur opitulari. Religiosâ & simplicienis facundiâ Rex delinitus promptè ac benevolè: Agros, inquit, & vineas vobis assignabo. Excipit Lupicinus: Da veniam, Regum optime, hæc nostræ leges non admittunt. Sed, si placet, aliquid de terræ frugibus impertire, nec enim decet monachos rerum dominiis extolli. Placuerunt regi tam verecundæ preces: jussit igitur annis singulis trecentos modios tritici, ejusdémque mensuræ vinum, & centum aureos paranidis fratrum vestibus præberi. Quod regis ærarium hodiéque constanter pendit. Hęc Chilpericus seminavit non parcè, nec reverà parcè messuit, novo ditatus regno, qui proximè casurus fuerat è suo. *Audiant*, inquit Augustinus, *ista divites, qui nolunt esse misericordes.* *Aug. to. 10. serm. 15. de Verb. Dom. mihi p. 41.* *Dives & pauper duo sibi sunt contraria: sed iterum duo sibi sunt necessaria. Pauperis est orare, & divitis erogare; Dei est pro parvis magna pensare. Fœcundus est ager pauperum, citò reddit dominantibus fructum. Via cæli est pauper; per quam venitur ad patrem. Incipe ergo erogare, si non vis errare.* Agite divites, pecuniam tunc dicite esse vestram, cùm eam erogando feceritis alienam. Incipite igitur erogare, si non vultis errare.

CAPVT III.

Cur dapdæ sint eleemosynæ: Caussa prima: Dei in nos liberalitas. Altera: Quidquid pauperi datur, Christo datur.

INTER selecta & diversa prorsus epitaphia, illud non nemini singulariter probatur;

HABEO QVOD DEDI,
PERDIDI QVOD SERVAVI.

Superiore capite demonstravimus, id propriè fieri nostrum, quod in pauperes tribuendo fecerimus alienum. Quapropter eorum omnium sepulchris, quorum liberalitas egenos fovet, hanc epigraphen inscribere licebit: *Habeo, quod dedi.*

Senec. l. 1. de benefic. c. 3.

Annæus Seneca id, quod diximus, illustrissimè confirmans: *Egregiè*, inquit, *mihi videtur M. Antonius apud Rabirium poëtam, cùm fortunam suam transeuntem aliò videbat, & sibi nil relictum præter jus mortis, exclamare: Hoc habeo, quodcunque dedi. O quantum habere potuit, si voluisset!*

Hæ

Ita sunt divitiæ certæ in quacunque sortis humanæ levitate, uno loco permansuræ: quæ quò majores fuerint, hoc minorem habent invidiam. Mens igitur Antonii erat, Hoc unum habeo, quod non habeo; dedi & deposui apud alios.

Alphonsus ille laudatissimus Aragonum Rex, cùm quispiam familiariùs quæreret, quid servaret sibi, qui tam multa multis donaret? Ea ipsa, respondit, quæ dono. Nimirum ea solùm pecunia est nostra, quæ spargitur in egenorum commoda. Hæc autem parum est dicere, scribere, proclamare; ista etiam eum priscis canere consultum: Ita olim prisca laurus præcinit:

Extra fortunam est, quidquid donatur egenis;
Quæ dederis, solas semper habebis opes.

Mart. l. 5. epig. epigr. 43. unicâ mutatâ vocâlâ.

Ad vitæ finem quilibet nostrûm non poterit non fateri: Quod perdidi, hoc servavi; hoc meum est, quod pauperibus donavi.

Quando igitur dissertationis nostræ totius partes fecimus, ordiamur explicare primam. Cur danda sit eleemosyna; eius rei causſam unam alteramve dabimus.

§. I.

ANtequam causſas ordine locemus, Antonii dictum, *Hoc habeo, quodcunque dedi*, confirmatiùs reddendum. Hîc ego pace vestrâ, divites, non multa & prolixa, sed auribus parum blanda censui præmittenda. Offendit forsan, quod superius caput affirmavit, nos rerum, quas nostras dicimus, non esse dominos, nec ea nostra esse, quæ passim jactamus? Hoc ipsum laudatissimus inter omnes veteres scriptor, & virtutis studio pæne Christianus, Annæus Seneca planissimè affirmans: *Potest eripi domus*, ait, *& pecunia, & mancipium: beneficium (in pauperes collatum) stabile & immotum est. Nulla vis efficiet, ne hic dederit, ne ille acceperit. Quid tamquam tuo parcis? Procurator es. Omnia illa, quæ vos tumidos, & supra humana elatos, obliviſci cogunt vestræ fragilitatis, quæ ferreis clauſtris custodita armati, quæ ex alieno sanguine rapta vestro defenditis, propter quæ classes cruentaturas maria deducitis, propter quæ quaſſatis urbes, ignari, quantum telorum in adversos fortuna comparet; propter quæ raptis toties affinitatis, amicitiæ, collegii fœderibus, inter contendentes duos terrarum orbis eliſus est; non sunt vestra; in depositi causſâ sunt, jam jámque ad alium dominum spectantia, aut hostis illa, aut hostilis animi successor invadet. Quæris quomodo illa tua facias? donando. Consule ergo rebus tuis, & certam tibi earum atque inexpugnabilem possessionem para; honestiores illas non solùm, sed tutiores facturus. Illud quod suspicis, quo te divitem ac potentem putas, domus est, servus est, nummi sunt: cum donaſti, beneficium est.* Et quidem beneficium Christo ipsi collatum. Christianis res certissima: sed jam assignamus causſas, cur danda sit eleemosyna.

Sinec. l. 6. de benef. c. 3.

Sicut inter Cæsarem & Pompejum; inter Augustum & Antonium.

1. Causſa, Cur danda sit eleemosyna. *Ioan. c. 3. v. 16. Chryſ. to. 5. hom. 32. & 33. ad pop. Antioch. pag. 214. & seqq.*

Prima causſa: Deus omnia, & nosipsos nobis dedit: quidquid possidemus rerum, à Deo est, qui suum insuper unigenam cumulo beneficiorum addidit: *Sic enim Deus dilexit Mundum, ut filium suum unigenitum daret.* Hoc contemplatione Chryſostomus expendens: *Ipse*, inquit, *nec unigenito pepercit propter nos: nos autem & pecuniis parcimus contra nosipsos? Ipse & legitimum pro nobis filium tradidit: nos verò nec argentum propter eum contemnimus, sed neque propter nos. Et qualiter hæc veniâ fuerint digna! Quid itaque differs & torpes, cùm jam tanta receperis, & tot expectes?*

Addit, ut erat in suos candidiſsimus: *A gehennâ vos nemo eruet, nisi à pauperibus auxilium consequamini.*

Psal. 50. v. 2.

Nos quidem Psaltæ vocibus Deum precamur: *Miserere mei secundùm magnam misericordiam tuam.* Non parvam, non quotidianam aut solitam, sed magnam & insolitam misericordiam poscimus: Nos autem nec secundùm parvam misericordiam indigentium miseremur. *Misericordiam volo, & non sacrificium.* Misericordia magna est, cùm aliquis egeno dat quantum potest, imò quod subinde sit, quantum habet.

Matth. c. 9. v. 13.

Narrat optimâ fide Petrus Damianus eruditus, & notæ sanctimoniæ scriptor, fuisse patremfamilias, tenuissimæ fortunæ mercenarium, sed pium. Huic unicus erat sestertius, quo aliquod oleris, aut alterius edulii emendum. Cùm autem lautioris cibi expertem prorsus & ignaram haberet gulam, vel semel saltem lautiusculè prandere cogitabat. Diu autem versabat animo, quid eâ monetâ præstinaret culinæ. Dum deliberat, adest mendicus & stipem rogat. Ille anceps animi, velut intra sacrum & saxum conclusus hæret, nec quid agat, satis dispicit. Stipem negare pauperi, durum; solatiolo jam constituto genium fraudare, acerbum. Sed vicit demum spiritus carnem, Quare illam Evangelii viduam imitatus, quod & quantum habuit, hoc dedit. Gaudio erat, Deum debitorem largissimum acquisiisse, qui possit, & velit ingenti fenore sibi data reddere. Ita domum redit; omnis paratura mensæ, pro more panis aridus est; salinum quidem tenue, sed conscientia spe bonâ dives solabatur, & damnum carnis compensabat lucrum pietatis. Paullò pòst præter spem famulus ignotus & sudans accurrit, qui viginti solidos telâ involutos porrigens: Hoc tibi, ait, meus herus imperavit dari: properandum est, nam expectat me. Ita evanuit iste, dum alter plura quærere, & gratias agere pararet.

Petr. Damian. to. 1. l. 1. epist. ep. 15. ad Alex. II. Rom. Pontificem mihi pag. 21.

Solidum.

Bona est oratio, sed cum eleemosynâ. Date, & dabitur vobis. Beatius est magis dare quàm accipere. Et hæc misericordia magna, & raræ laudis eleemosyna est, cùm quis omnia, quæ habet, largitur, & penuriam sentit. Nos plerumque damus, sed argenti superficiem radimus, nec inde ullam sentimus inopiam. Sed nec istam liberalitatem Deus aspernatur. *Hæc itaque cogitantes,* ait Chryſostomus, *& nosipsos, & filios, & necessarios in eleemosynæ disciplinam ducamus. Et hoc super omnia discat homo,* (notetur, obsecro) *quoniam & hoc est homo. Magnũ enim & pretiosum, vir misericors. Itaque nisi hoc habeat, esse desiit homo. Hoc sapientes præstat. Et quid admiraris, si hoc est Deus & hoc homo? ait enim:* Estote misericordes, sicut pater vester. *Discamus itaque misericordes esse, omnium causſâ, maximè quoniam & nos multæ indigemus misericordiæ, & neque vivere putemus per id temporis, quo non misereamur.*

Tob. c. 12. v. 8. Luc. c. 6. v. 38. Act. c. 20. v. 35. Chryſ. to. 5. hom. 33. ad pop. ante med. Luc. c. 6. v. 36.

§. II.

ALtera causſa, cur danda sit eleemosyna: Quidquid pauperibus damus, Christo damus. Ipsum Christi chirographum produco: *Amen dico vobis, quamdiu feciſtis uni ex his fratribus meis minimis, mihi feciſtis.* Hoc orbis Iudex, coram omni humanâ gente pronuntiabit.

2. Causſa. *Matt. c. 25. v. 40.*

Si Philippus II. Hiſpaniarum Rex in Indiam iturus filium suum Philippum III. regni hæredem, ad Reipublicæ clavum & gubernacula reliquisset, quibus aliis verbis eum Hiſpaniæ magnatibus commendasset, quàm his ipsis: Quidquid obsequiorum filio meo præstiteritis, mihi præstitum censebo. Ita Christus, & quidem jurato promittens: *Amen dico vobis*, inquit, quidquid pauperibus dederitis aut feceritis, id mihi datum factúmque interpretabor: nec enim id aliter remunerabor, ac si mihi ipsi hoc beneficientiæ genus fuisset exhibitum.

Salomon eleemosynæ frequentiſsimus encomiaſtes: *Fenerátur Domino*, inquit, *qui miseretur pauperis, & vicissitudinem reddet ei.* Quicumque erga pauperem benefi- cus est, dat Christo mutuum, quod ad eum, qui dederit, cum fœnore ampliſsimo redibit. Hic genuinus

Prov. c. 19. v. 17.

Basil. in Psal 41. Eleemosyna data pauperi donum est & lucrum.

dicti sensus est. Hinc Basilius magnus ad exercendam hanc fenerationem exstimulans: *Quale*, inquit, *hoc mutuum est? Intellige dicti efficacem vim, & legislatoris humanitatem admiraberis, Quando pauperi das in Domini gratiam, & donum, & lucrum est. Donum quidem, quod à paupere non speres te recepturum: lucrum verò, quia Dominus promisit cumulatissimam remunerationem pro exiguis beneficiis, quæ in pauperes conferuntur. Nec enim frigidæ calículus, Dei nomine porrectus, præmio carebit.* Ita pauperi datum longè verius mutuum est, quàm donum. At, inquies, hic fidejussor optimus quidem est, & locupletissimus, sed ubi syngraphum, ubi cautio? Ambrosius expeditissimè respondens: *Evangelium ejus cautio est*, inquit ille, *promittit pro omnibus indigentibus, ille dicit fidem, quid dubitatis dare? Si quis vobis dives offeratur, qui fide promittat suâ pro aliquo debitore, statim numeratis pecuniam: pauper est vobis Dominus cæli, & conditor mundi, & adhuc deliberatis, quem ditiorem quæratis fidejussorem? Dominus scribit, quidquid egenus acceperit.*

Ambr. l. de Tobiâ c. 16.

Chrys. in Psal. 38. † *Mihi dat mutuam pecuniam.* * *Prov. c. 19. v. 17.* Cur Deus dicat sibi fenerari qui miseretur pauperis.

Hoc ipsum explicans Chrysostomus: *Videndum est*, inquit, *cur Deus dixerit:* Mihi feneratur, † qui miseretur pauperis, * *quoniâ novit avaritiam nostram ad majora & plura propensam, nec unquam eum, qui pecunias habeat, velle sine fide, & quasi securitate credere. Petit enim creditor vel hypothecam, vel pignus, vel fide jussorem, hisque tribus quasi securitatibus fretus pecunias suas credit. Quia igitur intelligit Deus, pauperem his omnibus destitutum esse, medium se, & quasi sequestrum præstat, pauperi quidem sponsorem, pignus autem vel hypothecam creditori. Non habes, inquit, hujus fidem propter inopiam, mihi crede propter copiam. Ne time, mihi feneraris.*

Constat igitur illud mercedis ac præmii auctarium, quod homini in egenos largo redditur, rectissimè fenus & usuram dici, quæ principalem summam nimio quanto intervallo superat; nec dives hic ullum aut lucri pereuntis, aut damni emergentis, aut periculi imminentis titulum afferre potest.

§. III.

HIc veniâ vestrâ dixerim, Christiani, aurum aliis crebrò commodatis, fenus etiam subinde agitatis, sed turpissimum & planè non Christianum. Et quàm fœda est feneratio illa, cùm ad eum, qui pecuniam dat mutuam, non usura centesimæ quincunx, sed semissis, sed bes centesimæ, imò etiam, quod duplo iniquius, cùm usura ex asse seu libralis exigitur. Imò quod amplius & longè turpius: Sunt qui hac lege cõmoditent: cùm centum floreni in medium annum petuntur, dant ipsi nonaginta, ut elapso anni dimidio recipiant centum. Neque hîc funebre malum consistit: Non nemo decem florenos solis quatuordecim diebus commodat, sed pro ære hoc commodato philippeum seu sesquiflorenum exigit. Quid igitur usura reddet annua pro mutuis centum florenis? Hem dedecus, & labem Christiani nominis!

O quantò melius fenerari, & aurum commodare Christo! sed quam inde, inquis, sperare me jubes usuram? num unciariam? num usuram? num centesimæ quadrantem, num trientem? Non fallam te, mi optime Christiane, tu modò disce Deo fidere. Olim usura erat unciaria, pro annuis centum florenis mutuis redibat unus: Christus jam olim hanc legem antiquavit, & pro floreno unico centenos voluit à se repeti. Apertissimè id Petrus Chrysologus affirmans: *Usura Mundi est*, inquit, *centum accipere & unum pro censu reddere; Deus unum accipit, & centum reddit. Et tamen homines cum Deo nolunt habere cõtractum. Sunt forsan de cautione solliciti? Quare? homo homini exiguæ chartulæ obligatione constringitur, Deus tot & tantis voluminibus cavet, & debitor non tenetur? sed dicis, esto quòd debeat, quo exigente restituet? seipso; quia non potest ille mentiri. Idem ipse est & executor, &*

Petr. Chrysol. ser. 25. sine nihi pag. 71. Verba Chrysologi: *Usura mundi centum ad unum; Deus unum accipit ad centum.*

A *debitor. Non erit in reddendo durus, qui profusus est in largiendo. Age igitur, avare, fac tibi sacculos, & fac jubente Deo, quia votis tuis annuit divina majestas. Sed fac tibi sacculos erogando: quia quidquid pauper acceperit, pater cælestis suscipit. Et ubi re condit? in cælo: Et ne fortè perdidisse te doleas usuram, centuplum in cælesti senore recipies, quidquid in cælum paupere transmiseris perferente.* Ergo quod Gregorius Nazianzenus metro docet,

Tu debitorem præfer omnibus Deum;
Frustò rependit sceptra qui cælestia.

Christus confessi nominis, & fidei certissimæ debitor, non subducit se, non declinat, non fugit creditores suos, sed eos maximè amat, quibus plurimum debet; vult exigi nomina, & multis in nostro etiam hoc orbe repræsentat mutui amplissimam usuram.

§. IV.

PRæter alios tot testes id asserens Chrysostomus: *Deus*, inquit, *quibus maxime debet, hos maximè diligit. Itaque si vis eum semper amicum habere, multorum constitue debitorem. Nec enim ita fenerator debitores habens gaudet, sicut Deus creditores habens delectatur. Et quibus quidem nihil debet, hos refugit; quibus verò debet, ad hos accurrit. Igitur omnia faciamus, ut ipsum habeamus debitorem. Hoc enim senorum tempus est, & nunc in necessitate constitutus est. Nisi igitur nunc ei dederis, postquam hinc migraverit, tui non indigebit: hîc enim sitit, hîc esurit; Cur igitur non das ei, qui plura daturus est? fortasse quòd multo post tempore dat? Atqui in hac etiam vitâ dat. Verus est enim sermo ille: Regnum cælorum quærite, & hæc omnia addentur vobis. Vides liberalitatis ac munificentiæ magnitudinem; illa tibi, ait, asservata sunt, nec minuentur, scilicet æterna. Cum interim hujus sæculi bona, tanquam additamenti & corollarii loco largior.* Sin expectare te velit, ut loco meliore fenus promissum reddat, tu ei non solùm non obmurmura, sed gratias age, & ipse tibi gratulare. Sed à pari rem captes.

Chrys. hom. 13. ad pop. Ant. leg. 300. & hom. 14. ad Hebr.

Matth. v. 33. & Luc. xii. v. 31.

Civis Monacensis Vngarorum uni aureos mille debebat quos creditor obstinatè voluit hîc Monachii reponi. Hunc civis Monacensis fidelissimè monens: Confessum nomen est, ajebat, & quâ voles horâ id expungam, sed damnum tibi duplex inde proveniet. Primum; acceptum æs per tot bellorum incendia in patriam non perferes; milites, ut noris, ad nummarium odorem sagacissimi sunt. Alterum: si hîc Monachii cogar nomen expedire sestertios dabo, nec enim aliam in promptu monetam habeo, quæ tibi, sat scio, jacturæ erit. Sin autem moræ patiens expectes, dum in patriam redieris, collybo pecuniam reddi curabo, ita probatissimi auri ducatus recipies, cum lucro singulos. Planè fatuus sit, qui expectare nolit: Ita Christus nobiscum amantissimè pacisci tur. Num eleemosynæ vestræ usuram in exilio, an in patriâ redhiberi vultis? Hîc certè vobis, non mihi metitur. In exilio placet? moneta longè vilior, res fluxæ reponentur; sentietis jacturam. Placet expectare, & in patriâ recipere fenus? vestro id lucro fiet, & quidem maximo; felicitas æterna, & auctior reddetur.

§. V.

HÆc Chrysostomus ad verbum exprimens: *Deo*, inquit, *feneratus es, ipsum repone. Sed non in præsenti tibi cuncta restituet. Verùm hoc quoque suo commodo facit. Est quippe talis hic debitor, non qui, (ut alii) sessionet ipsum tantummodò mutuo datum exolvere: sed agit omnia, ut quod datum est, maneat in tuto. Propterea hic quidem reddit ex parte, maximum autem tibi in futuro thesaurum reservat. Hæc scientes misericordiæ operibus liberaliter affluamus, plurimumque amorem ostendamus in pauperes, eósque non pecuniis solùm, verùm etiam ceteris operibus adjuvemus.*

Chrys. hom. 15. in Matth. mihi pag. 126. Deus ut debitor, qui non tantùm debitum cupit exolvere, sed etiam facit ut maneat tuto.

Idem tuto,

Idem Augustinus ingerit his verbis: *Quid ergo, inquis, facio, ut sim utilis fenerator? Attende, quid facit fenerator, minus vult dare certè, plus accipere: hoc fac & tu, da modica, & accipe magna. Vide quàm latè crescat fenus tuum; da temporalia, & accipe æterna; da terrena, & accipe cælum.* Augustin. in psal. 63. Vtrum ergo Christum habere vis judicem, an debitorem? debitor creditorem veretur, judex reum non veretur.

Augustini præceptor Ambrosius luculentissimè: *Christus*, inquit, *se suscipere profitetur. Quid ergo agis, ô dives, quid cogitas, quid deliberas? Christo esuriente, tu horrea tua claudis? Imò non claudis, sed minora destruis, & majora reædificas? Christo indigente vestitu, tua vestes tineis consumuntur? Christo indigente tu aurum quæris, aurum desideras, aurum recondis, omnia aurum vides; aurum tibi vigilanti cogitatio est, & somnia dormienti. Sicut enim ii, qui per insaniam mente translati sunt, non jam res ipsas, sed passionis suæ phantasias vident; ita etiam mens avari semel vinculis cupiditatis adstricta, semper aurum, semper argentum videt, semper reditus computat. Gratius aurum intuetur, quàm solem videt. Ipsa ejus oratio & supplicatio ad Dominum, aurum quærit, & optat atque optaret, ut omnia ei in aurum converterentur.* Ambr. to. 5. serm. 81. mihi pag. 804. Hîc seipsum quis interroget, an non aurum plus amet, quàm Christum? Plus, inquis, Christum diligo quàm aurum. Verbis tuis, mi homo, crederem, nisi aliud clamarent facta tua. *Vos autem fratres*, inquit Ambrosius, *si mihi auscultatis, reserate aditus promptuariorum vestrorum, & largior divitiis vestris atque fluentior exitus procuretur, quàm quæsitus fuerat ingressus.* Ibidem.

Quocirca quidquid ærarii, quidquid nobis est pecuniolæ, id liberaliter cum egenis partiamur; argentum fenori locemus, mutuam Christo pecuniam demus: fidelissimus sponsor, opulentissimus debitor, certissimus largitor est, qui misericordiam vult & non sacrificium. Cùm mors in conspectu erit, fateri quilibet nostrûm cogetur: Hoc habeo, quodcunque dedi; perdidi quod servavi.

CAPVT IV.

Verissimè ipsi Christo dari, quidquid datur pauperi, explicatiùs traditur.

Radix omnium malorum est cupiditas, dixit Tarsensis Paulus. Quòd si vera philosophorum enuntiatio: Contrariorum eamdem esse rationem; porrò dicendum erit: Liberalitas cupiditati opposita radix omnium bonorum. Quò illa Christi verba pertinent: *Qui habet, dabitur ei, & abundabit: qui autem non habet, & quod habet, auferetur ab eo.* Qui gratiam piæ liberalitatis in pauperes habet, huic Deus multiplicem subindè vicem rependit, etiam in hâc vitâ; æternum illic præmium, *Et abundabit.* Qui verò hanc erogandi gratiam non habet, hîc rerum pæne omniû inops erit, & quod putat se habere, auferetur illi. Perinde si dixisset Christus: Videte mei discipuli; proverbium quod in plebe invaluit, etiam ad superos obtinuit: Ditioribus datur, pauperibus semper aufertur. Siquidem ei, qui misericordiâ non caruerit, addetur facultatum plurimum: qui misericordiâ destitutus fuerit, nec commodè fruetur possessis, neque potietur optatis. Cupiditas radix omnium malorum. Liberalitas ergo radix omnium bonorum. 1. Tim. c. 6. v. 10. Matt. c. 13. v. 12.

Atque de hac radice cœpimus disserere. Cùm verò illud cæleste placitum: Christo dari, quidquid datur pauperi, exactissimè intelligendum, & animo penitissimo sit affigendum, super eo nunc plura & explicatiùs trademus.

§. I.

Quidquid datur pauperi, Christo datur, est solidum liberalitatis fundamentum.

SOlidissimum liberalitatis sanctæ fundamentum est istud. Quidquid datur pauperi, Christo datur. Ocellus Domini Ioannes scripto nos erudiens: *Qui habuerit substantiam hujus mundi*, ait, *& viderit fratrem suum necesse habere, & clauserit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo?* Liceat hîc quærere: Num hæc ad Dialecticæ leges proba est conclusio? Nam antecedens de amore in hominem, enthymematis clausula de amore in Deum loquitur. Atqui hæc diversa sunt. Imò eadem sunt, hinc conclusio probissima. Nam eleemosyna, quæ bono animo spargitur in pauperes, Deo datur, quia propter Deum datur. Philosophorum placita sunt. Propter quod unumquodque tale, & illud magis tale. Et, Qui dat formam, dat etiam formæ consequentia; qui præbet ignem, etiam calorem & ficcitatem præbet. Non vitam tantùm, sed & sustentandæ vitæ subsidia Deus nobis largitus: *Ecce dedi vobis*, inquit, *omnem herbam, & universa ligna, ut sint vobis in escam.* Dei utique fuit, animantibus ratione præditis necessarium cibum cumprimis providere: Atqui pauperes animalia sunt ratione prædita; Cur autem Deus his cibum non subministrat? Dedit divitibus, eisque unà injunxit, ut ipsi pauperibus suo loco, quod conveniret, darent. Hinc stipem in egenos erogatam, in se collatam computat. Est qui obærato juveni suppetias veniat, & commodet pecuniam; juvenis istius parens gratias agit: & hanc gratiam sibiipsi præstitam interpretatur. Ita Christus; quod meo nomine meis pauperibus largimini, ut mihi factum remunerabor. Ita Saulum ex alto allocutus est: *Saule, Saule, quid me persequeris?* Domine, quis tibi nocere potest? In cælo securus es ab omni gladio. At mea membra sunt in in terrâ; qui lædit illa, me lædit: ita prorsus qui in meos liberalis & beneficus est, in meipsum est. Gen. c. 1. v. 29. Act. c. 9. v. 4.

Turonensis præsul Martinus, cùm octodecim annorum esset tiro miles, Ambiani pauperem dimidio sui sagi donavit magnanimâ liberalitate. Nocte proximâ visus est Christus hanc vestimenti partem Angelis ostendere gratulando ac dicere: Martinus adhuc catechumenus hâc me veste contexit.

Domine hic cento te parùm decorè teget: deinde non tibi, sed mendico datus est. Me, ait Christus, hâc veste contexit: quidquid enim vel minimis mecum datur, ipsissimo mihi datur, & ego ut obsequium ac donum mihimet impensum amplissimè rependam.

Homines in dandis eleemosynis sunt præparci.

Vnde igitur eleemosyna parcior, ubi aqua hæret? Defectum fideliter pandam. Nullus est, puto, Christianæ sanguinis tam deparcus homo, quin facili manu crumenam diduceret, ipsumque animum aperiret, si Christum eâ formâ, quâ Hierosolymis egit, mendicantem à se cerneret, quem utique humanissimè interrogaret: Domine, quid petis? etiam dimidium meæ pecuniæ, mearum vestium, mei pecoris non negabo. Et quamvis modestissimus hic mendicus tergiversaretur, modum scribere liberalitati, nihilominus hic tam immunificus homo largissimam stipem ingereret huic domino suo, quem ante se stantem videret. Cur ergo in dandis eleemosynis tam lenti, tam tenaces & præparci sumus? Christum non cernimus, tritam mendici lacernulam, pertusum Codri, aut Iri palliastrum, depexum pauperis scholastici centunculum aspicimus. Hæc nobis in oculis sunt: Christus nec in oculis, nec in animo est.

Defectu fidei.

En, unus & unicus tam sordidæ tenacitatis caussa est, defectus fidei. Non credimus Christo dari, quod datur pauperi: idque ideo non credimus, quia Christum oculis non cernimus. Nos interim grandi ore, jactamus. Christiani sumus, & credimus Christi promissis, credimus, credimus.

Latet Christus sub egeni schemate

Speciosa sunt hæc nomina, sed (velut funebre velum) cadaver tegunt, fidem non vivam. Si valenter crederemus sub egeni schemate latere Christum, longè cùm promptiores, tùm liberaliores essemus in dandis eleemosynis. En quàm imbecilles & increduli sumus! oculis nostris haberemus fidem, quam verbis Christi negamus. Quis Christum videat præsentem, & ei non mox porrigat vel pileum suum, vel palliolum, vel thoracem, vel ex digito annulum, vel è sinu marsupium? quemadmodum Ionathas regius juvenis suis se vestibus spoliavit, ut charissimum sibi Davidem amiceret.

§. II.

Exemplis probatur.

QVando igitur crassam oculorum fidem tanti ducimus, idcirco Christus toties mendici formam induit, ut vel oculorum testimonio firmaretur quod docuit Gregorius Magnus præsulum supremus quotidie peregrinos pauperes mensâ refecit, & ipsemet mensæ ministrum egit. Die quodam dum convivæ pauperi aquam infundere parat ad lavandas manus, conviva ex oculis evanescit. Eâdem nocte Christus Gregorio his verbis allocutus fertur: Ceteris diebus me in membris meis, hesterno autè die me in memetipso suscepisti. Ita firmum fixumque manet illud: *Quod uni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis.*

Ioan. Diac. l. 2. c. 22. Hoc ipsum Gregor. de quodam patrefamilias narrat ho. 23. & 88. in Evang.

Matt. c. 25. v. 40. In vitâ Gregorii l. 2. n. 23.

Sed antequam Gregorius solium tam sublime conscenderet, ascetorio præfuit. Eò loci homo naufragus venit petiturus stipem: cui Gregorius sex argenteos dari præcepit. Non multò post idem rediit, & ascetarum opem imploravit. Iussi sunt iterum dari sex argentei. Post elapsos aliquot dies tertiùm idem non sine ejulatu & lacrymis eleemosynam petiit. Procurator domûs à Gregorio vocatus, nihil quod posset dari superesse dixit, nisi scutellam argenteam, quam Gregorii mater Silvia, plenâ legumine mittere soleret, sed eam hactenus semper remissam esse. Hanc ipsam Gregorius sine cunctatione dari voluit. Quod ad matrem attineret, cum eâ se acturum, ne gravius offendi possit. Ergo homini naufrago (eum se fingebat) argentea scutella est data, quam proniſſimis manibus accipiens cum plausu abiit. Angelum fuisse docuit eventus. Siquidem Gregorius ad supremum solium evectus, moris sui retinens, duodecim peregrinos pauperes ad mensam vocari jussit. Iámque hospites suos numerans decimumtertium invenit, & ob id œconomum humaniter reprehendens, exactiorem à se obedientiam desiderari ajebat. At œconomus eosdem iterum iterúmque numerans: Pater beatissime, inquit, mihi crede, non sunt nisi duodecim. Itáque Gregorius convivam eum, quem ipse decimumtertium censebat, oculo curiosiore observans, subinde formam habitúmque mutare, & nunc adolescentis, nunc senis figuram præ se ferre animadvertit. Post mensam igitur hunc ipsum in conclave suum accersens, unde domo, quâ patriâ, quâ gente, quo esset nomine, edicere adegit. Cui hospes: Ego, inquit, ille naufragus sum, cui scutellam argenteam dedisti. Ea liberalitas tantopere Deo placuit, ut te in istud solium evexerit, & supremum præsulem esse jusserit. Cui Gregorius: Et unde, inquit, hæc nosti? at ille: Dei Angelus sum, ait, in tui tutelam missus. Cum dicto evanuit.

Ab eo tempore Gregorius in turbam pauperũ multò liberaliſſimus, stata sibi designavit tempora, quibus frumentum, vinum, carnes, pisces, oleum, caseos, legumina, & quidquid in alimoniam humanam credit, pauperibus velut filiis paterfamilias amantissimè distribuit. In ascetériis & cœnobiis aliquot millia religiosorum hominum suis ipse sumptibus sustentavit. Quotidianas maximas eleemosynas ægris peregrinis, & pauperibus verecundis, quos inopia domo egredi vetat, assignavit. Quadam die mendicum in platea mortuum reſcivit, & sibi culpam imputans hujus funeris, dies aliquot sacris abstinuit, quia pauperem illum inopiâ victûs extinctum credidit.

In Archivo Romano hodiéque volumen asservatur, plenum nominibus eorum, qui tam Romæ, ac in vicinis urbibus, quàm remotis stipem à Gregorio acceperunt, nam etiam in montem Sinai & Hierosolymam, ubi Xenodochium condidit, eleemosynas misit. Paternum ac maternum animum, vir sanctissimus in pauperes gessit.

Ivo Sacerdos & pauperum ad tribunal advocatus, non prandisse, non cenasse se credidit, nisi mensæ suæ pauperem aut peregrinum quempiam adhibuisset. Quadam die extremæ penuriæ mendicabulum stipem petiit. In ædes admisit Ivo, & ad mensam juxta se assidere jussit. Consedit mendicus, sed parcè comedit. Mox mensâ consurgens, & amabili candore radians dixit: *Dominus tecum.* Et oculis se subduxit.

Hæc talia Deus frequenter sub aspectum posuit, ut vel oculis nostris fidem ingereret. Sed & tertiam erogandæ stipis causam assignamus.

§. III.

CAusa tertia: Non tantùm Christo damus, quod pauperi donamus, sed & cælo reponimus æternitate totâ fruendum. Eò spectat dominica jussio: *Thesaurizate vobis thesauros in cælo.* Opes quidem in terrâ colligimus, sed non nobis, hinc brevi exturbandis. Ita posterorum ac hæredum rem agimus. Et illi ipsi quibus acervant aurum? aliis atque aliis hæredibus ac posteris. Nemo sibi, quod diu servet, colligit. Quod ab illo discendum, qui sibimet domi plaudens: *Anima,* inquiebat, *habes multa bona posita in annos plurimos.* O C arithmeticum pessimum! qui noctem unicam pro multis annis computat. Nam hic ipse nocte eâdem è vivis ejectus est. Hinc Ezechielis voces illæ: *Vive, dixi, inquam, tibi,* Non aliis, quos hæreditate ditabis, sed tibi vive, tibi collige thesauros in cælo reponendos.

3. Causa. *Matth. c. 6. v. 20.* *Luc. c. 12. v. 19.* *Ezech. 18. v. 6.*

Sed quâ ratione pecuniam nostram cælo inferimus, quæ turris Babel, quæ scalæ Iacob eò pertingunt? Omnia navigiis & classe tutò perferuntur: remiges, & mercatores sunt pauperes. Romanus martyr Laurentius Valerianum Imperatorem sacris opibus inhiantem ridens: Facultates Ecclesiæ, inquit, quas requiris, in cælestes thesauros manus pauperum deportaverunt; serum est eas quærere Hæc classis pauperum securissimè cælum appellit: nemo piratarum quidquam diripit, nisi forsan vana gloria. Hoc iteratæ Christi voces confirmant: *Vende, quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cælo. Vendite quæ possidetis, & date eleemosynam. Facite vobis sacculos, qui non veterascunt, thesaurum non deficientem in cælis, quò fur non appropiat, neque tinea corrumpit.*

Matth. c. 19. v. 21. *Luc. c. 12. v. 33.*

D Numariis tesseris, & collybo (cambium vocant) nihil tutius. Exemplo rem monstramus. Est in Hispaniâ civis Toletanus, qui civi Augustano aureorum decem millia debeat. Hanc auri summam mercatori Hispano numerat, hic autem ad mercatorem Norimbergensem, cum quo litterarum negotiale commercium habet, hoc unum præscribit: Quæso te, frater, Ioanni Nigro civi Augustano decem millia aureorum meo nomine repone. Reponit. Satis est enim hoc unis litterulis significasse. Tales omnino mercatores & trapezitæ sunt pauperes. Nummariæ illorum tesseræ sunt, *Deo gratias, Deus rependat.* Et quamvis illorum aliqui sint ingratissimi, nihilominus collybæ chartæ deferuntur ad cælum. Affirmat psaltes: *Dispersit, dedit pauperibus, justitia eius manet in sæculum sæculi.* Hoc ut in opus prodeat, Augustinus insigniter quemvis erudiens: *Consilium do lucrorum,* inquit, *discere mercari. Dom.*

Pauperum nummaria tesserę. Deo gratias. Deus rependat. *Psal. 111. v. 9.* *Aug. in ps. 111. & 10. de Verb. Dom.*

cari. Laudas mercatorem, qui vendit plumbum, & acquirit aurum; & non laudas mercatorem, qui erogat pecuniam, & acquirit justitiam. Eroget pecuniam, qui habet justitiam. Sed iniquis: Non habeo justitiam, & insuper perdam etiam pecuniam? Ergo quia non habes justitiam, ideò non vis erogare pecuniam? Magis eroga pecuniam, ut emas justitiam. Sed ais iterum: Quotidie dando valde minuitur pecunia: sed augetur misericordia, seu, alienam miseriam sublevandi voluntas; augetur justitia, augetur gratia. Illud minuitur, quod relicturus es, illud verò augetur, quod in æternum possessurus es. Thesauriza igitur in cælo.

Velimus, nolimus, inquit Hieronymus, senescimus, & palam tendimus ad plures, cras forsitan aut inter Angelos, aut inter diabolos futuri. In viâ sumus ad æternitatem. Præmittamus igitur in alterum Orbem, quidquid volumus non amissum. Quod uni è minimis Christi fecimus, id Christo ipsi fecimus; quod datum est egeno, jam repositum est in cælo.

Chrys. tom. 5. hom. 3. mihi pag. 220.

Hæc Chrysostomus suis inculcans: *Thesaurizemus nobis*, inquit, *non nam, sed salutem; non mortem, sed vitam; non pœnam & ultionem, sed honores, & coronas. Hæc, quæ hic erogas, illic sunt repetitio, mutuum, & fenus & debitum. Nam chirographa tibi fecit Deus. Quid itaque differs & torpes, cùm jam tanta receperis & tot expectes: à temetipso pulchrum istud tributum exige. Tantùm eroga, & statim ascendit.* Qui eleemosynas nō dat, nec cor in cælo, nec spem in Deo, nec conscientiam bonam in seipso habet.

CAPVT V.

Eleemosynarum dignitas, pretium, utilitas docetur.

Vita sic à Deo temperata est, ut alter alterius ope indigeat.

HÆc vita sic à Deo temperata est, ut alter alterius ope indigeat, alter servire alteri cogatur. Miles opificibus carere non potest, à fabro tormentario, à cultrario, sartore, pictore, sutore juvandus est: hi autem aliique opifices mercatoribus egent, à quibus ferrum, pannum, corium, sericum, holosericum, in suas & aliorum vestes coëmant. Mercatores sine agricolarum operâ non vivent: mercator piger & pannum vendit, ut frumentum emat, quod plebs pagana convehit. Agricolæ frumentum non vendent, nisi eorum labores adjuvent fabri ferrarii, carpentarii, restiones, ephipparii. Vt servus se alat, eget domino; ut dominus negotia sua perficiat, eget servo. Sic omnino pauperes ope ditiorum indigent, sed quod mireris, magis indigent ditiores pauperum inopiâ. Hinc Chrysostomus ausus est dicere: *Sæpenumero dixi, eleemosynam non accipientium, sed potiùs dantium gratiâ introductam esse. Nam illi sunt, qui potissimùm indigent. Non vides, quòd omnes mutuâ operâ indigemus? Miles opificis, opifex negotiatoris; negotiator agricolæ, servus liberi, dominus servi, pauper divitis, dives pauperis. Etenim qui accipit eleemosynam, maximè omnium usui est. Ineffabilis sapientiæ Dei hoc opus est. Nam cùm mutuâ operâ indigeamus, & necessitas illa non conciliaret amicitias nostras, si omnia sufficerent, nonne essemus indomitæ bestiæ? Ita Deus subjecit nos nobis invicem ob hanc necessitatem, ut quotidiè alter alterum requirat. Nescis, quòd non tam propter pauperes eleemosynam Deus, quàm propter ipsos impendentes instituit.*

Chrys. to 4. in epist. 2. ad Cor. ho. 17. mihi p. 729. & in epi ad Philip. hom. 15. init. mihi pag. 1094. & tom. 5. ho. 37. mihi pag. 237.

Eleemosyna nō tam pauperes quā propter impēdentes instituta est.

Revera nisi pauperes essent, salus nostra magnâ ex parte profligata esset. Calceos suere, frumentum seminare, agros colere, vestes parare, panes pinsere, muros struere divites non possunt, quod possunt tenuis fortunæ homines. Deinde non sint opera misericordiæ, pars magna beatitudinis tolletur. Ita omninò quos inutilissimos, & fruges consumere natos, censemus, utilissimi sunt. Myrensis Episcopi Nicolai virtus nunquam sic enituisset, si Myræ familia pauperrima, in sordibus etiam victum quæsitura defuisset. Adeóque Chrysostomi sententiâ, plus pauperes prosunt divitibus, quàm divites pauperibus. Quod jam uberiùs explicabimus, de dignitate, de pretio, de utilitate eleemosynarum dicturi.

§. I.

4. Caussa.

QVarta igitur caussa, quæ ad dandam stipem impellat, est eleemosynarum maxima dignitas, summum pretium. Chrysostomus, quem dixi, animosissimè pronuntiavit: *Pretiosum quid, vir misericors. Ista major est gratia quàm mortuos excitare. Nam eò quòd in nomine Iesu mortuos excitant, hoc multò majus est, quòd pauperem pascunt Deo. Nam hîctu Christo benefacis, illic autem ipse tibi. Nam hîc quidem (de signis loquor) ipse debitor efficeris Dei; in eleemosynâ verò Deum debitorem constitues.* Quòd si potestas mortuos ad vitam revocandi venalis esset, quot centenis millibus aureorum hæ merces quotidie ambirentur? Atqui erogandæ stipis gratia longè viliori pretio comparari potest; emite maturè, emite. *Date, & dabitur vobis.*

Chrys. to 4. in ep 2. ad Cor. ho. 17. mihi pag. 724. latem repetit to. 5. hom. 36. mihi pag. 331.

Luc. c. 6. v. 38.

Verùm non satis est hæc dicere, hæc scribere, hæc præcinere; in consuetudinem res trahenda est. Quēadmodum ad dandam comœdiam non sufficit actores instruere, quâ voce, quo gestu, quâ totius corporis compositione sit incedendum, standum, loquendum, sed insuper necesse est mores comicos per eam assuetudinem condiscere, ut quovis die, quâvis horâ cum decoro possint exhiberi. Propterea idem vicies, idem centies actoribus inculcandum; sic incedite, sic state, sic vocem, sic gestum formate, vix tamen centies dicta retinent. Simillimum hîc. Commodè pagellis pauculis explicari posset, quæ necessitas, & quis modus sit erogandæ stipis. Sed quia nos homunculi pecuniæ tam amantes, in avaritiam tam proni, ad dandum tam difficiles sumus, ideo hæc lentissimè capimus. Eam ob caussam hæ largiendi præceptiones iteratò ac toties inculcandæ, dum assiduitate audiendi hæc, aut legendi in eam nosipsos consuetudinem adducamus, ut promptè ac facilè largiamur.

Magnum est bonum, inquit Chrysostomus, *in consuetudine bonorum esse. Consuetudinis enim vis, & in bonis, & in malis magna est. Multi sunt in signandi se consuetudine confirmati, nec jam commonente opus habent, quin & mente frequenter alio vagante, tanquam à quodam animato præceptore manus sponte trahitur ad signum faciendum. In consuetudine quidam se constituerunt, ne jurent. Igitur & in hac eleemosynæ nosipsos consuetudine constituamus.* Vt autem in consuetudinem hanc optimam veniamus plurimum juverit è divinis oraculis ejuscemodi præceptiones memoriæ mandare, illásque sibi ipsi crebriùs occinere. Quales sunt:

Chrys. to 5. ho. 36. circa finem.

Præceptiones è divinis oraculis eleemosynā cōmendantes.

Date, & dabitur vobis. [a] *Beatius est magis dare, quàm accipere.* [b]

Date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vōbis. [c]

Estote misericordes, sicut & pater vester misericors est. [d]

Eadem mensurâ, quâ mensi fueritis, remetietur vobis. [e]

Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur. [f]

Misericordiam volo, & non sacrificium. [g]

Qui parcè seminat, parcè & metet. [h]

Qui promus est ad misericordiam, benedicetur. [i]

Beatus qui intelligit super egenum & pauperem, in die malâ liberabit eum Dominus. [k]

a *Luc. c. 6. v. 38.*
b *Act. c. 20. v. 35.*
c *Luc. c. 11. v. 41.*
d *Luc. c. 6. v. 36.*
e *Ibi. v. 38.*
f *Matt. c. 5. v. 7.*
g *Matt. c. 9. v. 13.*
h *2. Cor. c. 9. v. 6.*
i *Prov. c. 22. v. 9.*
k *Psal. 40. v. 2.*

Hæc singula suo loco ponemus in luce, ut tantò facilius in opus exeant, quantò studiosiùs animo affiguntur.

§. II.

Dignitas eleemosynæ.

QVanta porrò dignitas, quantúmque pretium sit eleemosynæ, ab Ephremo id discere licebit. Ephrem

Cæsar Baron. tom. 7. anno 526. mihi pag. 123. ex Evagrii l. 4. c. 5 & Sophron prato spirit. c. 37.

EPhrem Oriétis Comes à Iustino Imperatore, Theopolim seu Antiocham missus, ut si quid vitii fecissent publica ædificia terræ motu quassata, ab illo restaurarentur. Eodem tempore Antiochiæ inter mercenarios egit vir quidam integerrimus, qui tantò sanctior, quantò ejus sanctimonia latentior fuit. Hic relictâ mitrâ & pedo Antiochiam ignotus venit, & inter operarios diurno labore victum sibi quæsit. Hic ipse post meridiem cùm alii panem comessent in merendam, ille fatigationem somno reficere solebat. Hunc Ephremus dormientem sæpius spectans, columnam igneam ad nubes pertingentem in quiescentis caput delapsam observavit, & obstupuit. Visum profectò erat admirationis plenissimum. Hoc non semel tantùm, iterúmque suis oculis hausit, sed crebriùs, neque tamen hominem è vultu nosse licuit; siquidem comâ neglectâ, veste sordidâ, callosis manibus, horrenti & squalidâ barbâ, emaciato & in atrorem declinante vultu erat, famem oculi fatebantur. Virũ igitur accersivit Ephrem, & percunctari cœpit quis esset, qui vocaretur, unde gentium illuc venisset? Cui cæmentarius: Ego, inquit, inter hujus civitatis pauperes censeor; victum his manibus paro; hæc mihi vivendi ratio est. Ephrem cupidus discendi arcaniora: Crede mihi, ait, non abibis hinc, dum plaríùs ad ea, quæ scisitor, responderis. In arcto se deprehensum sensit operarius, nec ampliùs celari posse, quod hactenus feliciter abscõdisset. Si, ait, pollicearis audita nemini mortalium patefacienda, dum vixero, quod res est, dicam. Fidem dedit Ephrem, & jurato promisit, id sanctè à se servandum. Ita narrationem ingressus: Ego, inquit, Episcopus fui, sed tiaram Dei caussâ deserui, huc ignotus veni; quò potentiùs autem à corpore me abstraherem, quotidianis laboribus tenuem alimoniã quærere decrevi. Tu verò nobilissime domine, quantum potes, eleemosynas auge. His enim diebus ad insulam vocaberis, ut populum quem Christus suo sibi sanguine emit, gubernes. Quod autem dixi, eleemosynis insiste, & pro religione verâ viriliter decerta. Talibus namque sacrificiis Deus maximè delectatur. Vaticinium firmavit eventus; uti dixit, ita res gesta est. Ephremus his auditis in Dei laudes erumpens: Quot occultos, inquit, & nemini quàm sibi notos Deus famulos habet? At ubi in præsulis Antiocheni solium evectus est Ephrẽ, geminum illud monitum exactissimè secutus, tam liberalis & munificus in pauperes, quàm fortis & terrificus in religionis hostes extitit. Vtroque præsidio urbs egebat, facultatibus pœ terræ motus exhausta, moribus per priores Episcopos corrupta. Optimè dixit beatus Maximus: *Miseri homines, qui in mortem peccatis arnearant, ad vitam eleemosynis revivisciunt, estque illis misericordia fons salutis, quibus avaritia fuerat mortis incendium; ut flammas, quas sibi peccando incenderant, largiendo restinguant; & emant sibi quodammodo innocentiam, qui sibi emerant aliquando peccatum.* Revera talibus sacrificiis delectatur Deus, qui misericordiam vult, & non pecudum sacrificium. Summa dignitas, summum eleemosynarum pretium, insistamus eleemosynis.

S. Maxim. hom. 1. de Eleemosynâ mihi pag. 284.

§. III.

Eleemosynæ utilitas.

QVod autem jam dicere cœpimus, non minor est eleemosynarum utilitas, quàm dignitas. Hęc una liberalitas ab omni tam temporali, quàm æternâ morte liberat. Apertè Christus: *Verumtamen*, inquit, *quod superest, date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis.* Cum Tullio hîc proclamare liceat: Quid vultis ampliùs? à duobus maximis malis, à peccato & à morte liberant eleemosynæ. Taurinensis, antistes, quem antè dixi, illam Domini promulgationem expendens: *Quamvis ergo pollutus*, inquit, *quamvis multis criminibus circumseptus, si eleemosynas feceris, innocens esse cœpisti. Abstergit enim eleemosyna, quod avaritia polluebat, & maculam quam res alienas diripiendo contraxeras, tuas erogando purificat. Vide ergo, quæ sit misericordiæ gratia, quæ una & sola virtus, cunctorum est redemptio peccatorum.*

Luc. c. 11. v. 41.

B. Maxim. loc. cit.

Verùm protervior quis forsan dixerit; Demus eleemosynam, & vivamus ut lubet. Sed scias, ó bone, liberalitatem à Christo commendatam non temeritatem. Qui vitam sceleratam sine pœnitentiâ claudit, tametsi mille talenta auri sparserit in egenos, non tamen aliud, quàm triste illud audiet: Recede, non novi te. Nihilominus verissimum est Domini promissum: *Date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis.* Eleemosyna tam hominem sceleratum, quàm sceleris purum deducit ad cælum. Scelerato dextram porrigit, ut è cœno erutus surgat, impetrétque veniam noxarum: Innocentem tuetur à vitiis, & itinere plano, non tam manu ducit, quàm collo portat ad beatos. Quot & quantos est nominare, qui flagitiis mersi perissent, nisi eos extraxisset eleemosyna, & viam ad superos monstrasset.

Eleemosyna abiens quæstu avaritiam pollut.

Eleemosyna sceleratum porrigit manum, ut è cœno surgat.

Baron. to. 6. ad ann. 491. ex Evagrio, Zonarâ, Cedreno.

Zeno Imperator impius à matre filiam suæ libidini abstraxerat. Hunc mater non insidioso ferro, sed assiduis precibus jugulare statuit. Moram injecit eleemosyna. Etenim matri dictum est, Imperatorem argenteâ manu defendi. Nam Zeno ne cui flagitiosissimus videri posset, unicum virtutis specimen dedit: eleemosynarum largus fuit. Sed ô Dei judicia! Zeno flagitiis mersus, cùm neque resipiscere, neque frugi esse quidquam pensi haberet, demum est sepultus antequam moriuus. Nam morbo comitiali, quo sæpe laborabat, correptus, aut ebrietate nimiâ sopitus, vel ob animi defectionem pro mortuo habitus, & in conditorium delatus est. Vbi ad se rediit, domesticos vocare, satellites inclamare ac horrendùm vociferari cœpit. Sed frustra. Nam Ariadna conjux, quæ mariti parum grati jacturam interpretata est lucrum, severè prohibuit, ne quis hypogæum reseraret. Ita Cæsar cùm sua ipse brachia priùs corrosisset, inediâ extinctus est. Num supremo hoc supplicio Imperator incendium æternum defugerit, an inceperit, scire homini nefas.

§. IV.

Gualter. in tab. Chronograph. ad ann. 1611. mihi pag. 819.

NArrat Iacobus Gualterius in tabulis chronographicis, ante annos viginti concessisse fato Cabanensem dominum Ioannem Antonium Simienæum, cujus frater Delphinatûs gubernatorem egit. Hic Ioannes Antonius à teneris unguiculis Calvini religionem combibit, eámque ad annum ætatis octogesimum nonum mordicus retinuit. Denique jam morti vicinus cũ veteri se Ecclesiâ sentire, & in eâ mori super professus est. Nec solùm hæc dixit, sed verbis insuper fidem fecit, cùm Confessionis, Eucharistiæ, & Vnctionis extremæ sacramentis ad supremam cum morte luctam se armavit. Duo è divi Francisci familiâ morienti adfuêre. Mutationis tam admirandæ geminam affignant causſam. Prima; Ioannes Antonius, quem dixi, sacræ lectionis mirè avidus fuit. Siquidem post illius obitum inventus est apud eum libellus hac inscriptione: Praxis spiritualis, seu, Introductio ad vitam devotam à Francisco de Sales Episcopo Genevensi Gallicè scriptus; dein editus Latinè. Hunc ille glossematiis, idque suâ manu distinxerat: Involucro libri hæc verba visebantur inscripta: *Lecta, & relecta, faciat Deus, ut id in miseræ animæ meæ consolationem, & proximi mei ædificationem cedat.* Causſa altera: Fuit Simienæus ad largiendas eleemosynas, viris etiam religiosis admodum propensus. Dedit eleemosynam, & en fuerunt illi munda omnia.

Vitæ mutatæ in Ioãne Antonio Simienæo duplex causſa. Prima.

Secunda.

Angelus Tobiæ cùm dignitatem, tum utilitatem elee-

Tob. c. 12. v. 9.

Eleemosyna à morte liberare probatur exemplis.

eleemosynæ, fide dignissimus orator explicans: *Eleemosyna*, inquit, *à morte liberat, & ipsa est quæ purgat peccata, & facit invenire misericordiam & vitam æternam.* Ab omni morte liberat, etiam brevi illâ, & quæ melioris vitæ proludium est. Non semel ex alto lapsa tegula, vel moles transeuntem oppressisset, ni manum præsidiariam commodâsset misericordia. Transeuntem viatorem sæpius latrones bonis & vitâ exuissent, ni vim & injuriam propulsasset eleemosyna.

Sareptana vidua (ut Regum fasti memorant) jam suas ipsa velut exequias ibat, jam funebrem sibi cenulam parare instituebat. Hanc ipsam Elias, cùm ad portam Sareptanam esset, ligna colligentem vidit, & significante Deo hanc suam fore hospitam & altricem intellexit. Eam igitur salutatam rogavit, ut aquam potabilem afferret, jámque abeúntem revocans, unà pauxillum panis afferre jussit. Iuravit illa nihil sibi domi esse, præter unicum farinæ pugillum, & olei paullulum. Eò autem se venisse, ut collectis lignis sibi ac filio parvulum panem coqueret, quem in mortis antecenam sumerent fame necandi, quandoquidem nihil aliud superesset. Tum Propheta: Vade, inquit, bono animo, lætiora sperans, & primùm mihi buccam panis affer. Polliceor tibi nunquam in vase illo farinam, nec oleum in ampullâ defore. Potuisset illa Eliæ objicere: Tu hujus annonæ caussa es, qui arva pluviis & rore spolias. Nunc alibi diu vagatus, ad me venis, ut de meo victites. Nihil horum. Sed paruit mulier, & quæcumque propheta petierat, fecit; ita se suúmque filium morti subduxit, & deinceps tam sibi & filio, quàm hospiti sat alimentorum habuit. Eleemosyna à morte liberat.

Petrus Damian. to. 1. lib. epist. 10. ad Moricū legum Doctorem mihi pag. 371.

Viri octo, quod Petrus Damianus refert, in itinere Hierosolymitano ab inopiâ malè viaticati, totam pæne hebdomadem, vix quidquam humanæ alimoniæ gustarunt. Cúmque jam inediâ exhausti, viæ molestiâ fracti prope defiecrent, & vix ampliùs lapsabunda vestigia sustinerent, occurrit canis, qui panem mantili obvolutum traxit. Mox illi velut submissam cælo annonam rapuerunt. Subsidium id fami fuit, sed non diuturnū. Eodem itinere tres Agareni se illis comites iunxerunt commeatu instructi. Horâ prandii Agarenorum duo nec miculam quidem Christianorum fami de suo impertierunt. Tertius mitioris indolis, panem, quem habuit, in novem fragmina divisit, ut tam sibi, quàm Christianis singulis pars una cederet. Resumptis nonnihil viribus unà iter prosequuntur. Subitò velut ex insidiis duo leones prosiliunt, & duos illos, rugitu ac dentibus sternunt, tamquam si eos sibi solos destinâssent; ceteri fugâ sibi consulere permissi sunt. En eleemosyna profectò à morte liberat.

Vixit anno 596. Greg. Turonens. l. 10. hist. Fran. c. 24. Metaphra. in vitâ S. Alexii.

Gregorius Turonensis vetus & sacer scriptor, affirmatissimè narrat, Antiochiæ fuisse civem, virum ingenos liberalissimum, cui conjux & liberi erant. Hic istud sibi moris & legis fecit, ut nihil ciborum umquam libaret, quin socium haberet pauperem, qui unà comederet. Quadam die obambulans civitatem, mendicorum neminem reperire potuit. Portis ergo egressus sero vespere virum candidâ veste, cum aliis duobus stantem inveniens: Si peregrini estis, inquit, ædes meas obsecro in hospitium eligite; frugali mensâ cenabimus. Cui natu maximus: Non poteras, inquit, cum Simeone vestro hanc urbem, ne subverteretur tueri? Et cum dicto strophium, quod manu gerebat, in urbem excussit. Mox audita est ingens mediæ civitatis ruina, quæ omnis generis homines oppressit. Hìc Antiochenus ille civis subito pavore semiaminis in terram corruit. Eum vir candidatus erigens: Metum excute, ait, & in domum tuam abi. Filii tui cum uxore, & omni familiâ salvi sunt; tuorum nullis periit.

A Oratio assidua & eleemosynæ quas quotidie in pauperes distribuis, te tuósque servarunt. Cum dicto, aspectui omnium se subduxerunt. Ille in urbem regressus dimidium urbis subversum reperit, hominibus & pecoribus obtritis. Paucis concessa est vita, qui læsi è ruinis extracti sunt. At civis illius ædes, quod futurum dixit Angelus, integerrimæ steterunt. En alterum Loth incendijs & ruinis Sodomæ subductum. Eleemosyna liberat à morte.

Tob. c. 4. v. 8. & seqq.

Ideo Tobias filio suo præceptionem hanc, ut rem summi momenti, diligentissimè commendans: *Quomodo potueris*, inquit, *ita esto misericors. Si multum tibi fuerit, abundanter tribue: Si exiguum tibi fuerit, etiam exiguum libenter impertiri stude. Præmium enim bonum tibi thesaurizas in die necessitatis. Quoniam eleemosyna ab omni peccato, & à morte liberat, & non patietur animam ire in tenebras. Fiducia magna erit coram summo Deo eleemosyna omnibus facientibus eam.*

B

Heu quàm malè nonnunquam nostros impendimus labores, quàm perversè nostras expendimus pecunias! Corpus alimus sumptuosè, ac magnis curis: quid inde præmii? vermes & putredo. Vanam gloriam solerter fumo pascimus: quid inde boni? Livor & Inuidia. Mammona & Plutum argenti & auri pabulo saginamus: quid inde commodi? sollicitudines & curæ. Augemus eleemosynas, & in pauperes effundimus: quid inde lucri? Fenus amplissimum, beatitudo æterna, bonum immortale, cælum: Thesaurizamus nobis præmium bonum in die necessitatis; quoniam eleemosyna ab omni peccato & à morte liberat, & non patietur animam ire in tenebras.

Eleemosyna in pauperes effusa cælum nobis thesaurizat.

CAPVT VI.

Eleemosynæ vel ipsas facultates augent, & in hâc etiam vitâ honestissimum reponunt fenus.

C

Eccles. c. 11. v. 1.

Ecclesiastes regum sapientissimus, consilium prorsus insolens, &, ut videtur, à ratione alienum suggerens: *Mitte*, inquit, *panem tuum super transeuntes aquas; quia post tempora multa invenies eum.* Cùm peregrè proficiscaris, domo non exeas sine pane, quem ubi pontem transieris, in aquam dejicias, illum suo tempore recepturus. Certè quidquid hoc modo piscibus objicitur, seu panis, seu jecoris frusta dejicias, non amittitur, nam pisces initio minutuli, paullatim unius, duarum, trium & plurium librarum fiunt, ut vel unicus discum impleat. Ita prorsus de Eleemosynâ disserendum, quam Ecclesiastes illo sermonis involucro suadet omnibus sectandam.

D

Vide S. Thom. 2. 2. q. art. 6. concluss.

Mitte panem tuum, da libenter, da citò, da hilariter, sed da è tuo, tuus, non alienus panis sit cibus pauperis. Imò non tantùm non alienum, sed tuum, & illum ipsum, quo tu indiges, tibi necessarium mitte. Interdum enim necessaria quoque in eleemosynas expendenda. Fecerunt id geminæ viduæ. Sareptana modicum farinæ sibi ac filio necessariæ in alimentum Eliæ exposuit. Quâ largitione hospitalissimum Abrahamum, Chrysostomo teste, superavit. Non enim ad gregem, ut ille, nec ad grãde farinarium cucurrit, sed unicum, quem habuit farinulę pugillum dedit. Altera verò duo æra minuta, rem domesticam & censum victúmque omnem gazophylacio obtulit: ita verè, Christo teste, *plus omnibus misit. Imò tantum*, inquit Augustinus, *quantum Zachæus. Minores enim facultates ferebat, sed parem voluntatem habebat. Misit duo minuta de tantâ voluntate, de quantâ Zachæus dimidium patrimonii sui. Si attendas, quid dederint, diversa invenies: si attendas, unde dederint, paria invenies.*

3. Reg. c. 17. v. 15.

Duę viduę expendederunt in Eleemosynas sibi ad victum necessaria.

Marc. c. 12. v. 43. & Luc. c. 21. v. 4.

August. in ps 126. mihi pag. 604

Ita etiam mitte panem tuum, non illum solùm, qui tibi necessarius, sed etiam qui tibi paratus, candidus, delicatus, primarius est. Quod Iobus fecit, qui non comedebat buccellam suam solus, quin comederet pupillus ex eâ. Hunc igitur panem tuum mitte *super transeuntes aquas*. Mendiculi sunt velut aquæ pontem subterlabentes: in ponte sunt opulenti. Nunc ergo, mi pecuniose, sed avare Domine, nunc occasiones benefaciendi, dum pontem hunc transis, dum superes, & aurâ veseeris, nunc alacri manu projice, nec diu delibera pecuniam, nõ anxiè numera, nec eam tenaci dexterâ volve ac revolve sæpiùs, nummos manu mitte, *quia post tempora multa invenies illos*. Cùm dedisse te fueris jam oblitus, tunc tui ad te panes redibunt, non frustillatim, sed totis canistris, imò furnis, ac horreis totis. Moram tolera, si stipis incrementa tam ampla non mox sentias; nil perit eleemosynæ.

Tob. c. 31. v. 7.

David antequam diademate ac solio potiretur, cum depauperato milite solitudinem pererravit. En transeuntes aquas, in has bene nummata & prudens Abigail ducentos panes excussit, sed & farinæ ac vini, coctæ carnis, uvæ passæ ac ficuum non exiguum numerum in easdem ejecit: post tempora non multa invenit omnia, è muliere plebejâ in reginam evecta. Eleemosyna etiam extra cælum dirat & beat. Capite superiori generatim diximus, eleemosynam largitori utilissimam esse: nunc speciatim, quàm ea ipsas etiam facultates augeat, demonstrabimus.

Abigail ob liberalitatem è muliere plebejâ in reginam evecta est.

§. I.

THarsensis Paulus humanarum actionum discrimen assignaturus: *Pietas*, inquit, *ad omnia utilis est, promissionem habens vitæ, quæ nunc est, & futuræ*. Actionum sanctarum, plurimæ sperant quidem præmium, sed in orbe alio recipiendum. Hinc illæ Pauli voces: *Reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illâ die*. Eleemosyna fidentiùs loquitur: Reposita est mihi etiam in hac die. Hoc sanè Tobiæ uxor ignorabat, quæ maritum post largiores eleemosynas acerbo scommate aggressa: *Ubi spes tua*, inquit, *pro quâ eleemosynas & sepulturas faciebas?* O sciola nimiùm, & stultè sagax femina! Numquid jam omnium dierum soles occubuerunt? An ideo nunquam est reddendum eleemosynæ fenus, quia nondum est redditum? Promissa Dei fallere non possunt, vera sunt, etsi nonnunquam sera. Propterea Tobias illam linguæ proterviam modestè comprimens: *Nolite*, ait, *ita loqui: quoniam filii sanctorum sumus*. Et nunquid demum eleemosyna Tobiam ditavit, cùm pecuniam omnem à Gabelo recepit? Nec levis auri summa fuit. Siquidem eâ receptâ gratulantibus cognatis epulum à Tobiâ datum est hedomade totâ: *Et per septem dies epulantes, omnes cum gaudio magno gavisi sunt*.

1. Tim. c. 4. v. 8.

2. Tim. c. 4. v. 8.

Tob. c. 2. v. 16.

Ibid. v. 18.

Ibid. c. 11. v. ult.

Narrat Horatius Turselinus fuisse in urbe Macao mercatorem copiosum & locupletem Petrum Vellium. Hunc Franciscus Xaverius pro veteri familiaritate convenire statuit, sed eum domi alienæ latrunculis ludentem reperit. Re breviter quid vellet expositâ, mutuum ab eo aurum in pauperes distribuendum petiit, centuplicato fenore reddendum in cælo. Vellius intempestivo interventu Xaverii nonnihil offensus, negare illud esse tempus accipiendi quod peteret, se suâ domo abesse, ubi aurum depromeret. Instare comiter Xaverius, nunquam non esse tempus benefaciendi. Motus hac voce Vellius, clavem arcæ nummariæ illi tradidit, & unà potestatem fecit, auferret inde quantum vellet. Xaverius trecentis aureis ex arcâ depromptis, Vellio clavem retulit, & unà dixit, quantum abstulisset. Tum ille: Tua, inquit, verecundia, Pater, injuriam mihi fecit; utique multò minus sumpsisti, quàm volebam. Non erralles, si dimidium auri accepisses, ideo tibi arcæ clavem commiseram. Inerant autem aureorum triginta millia. Hanc summam ex æquo inter nos divisam oportuit: tu verò quotam inde particulam sumpsisti? Sensit Xaverius Vellium sincerè & ex animo locutum, eáque verba non phalerata nec comitatis potiùs quàm veritatis fuisse. Itaque admirans: Hæc tua Velli, ait, tam liberalis voluntas grata, & accepta est Deo. Proinde polliceor ego, munificam Dei liberalitatem nunquam tibi defuturam. Quæ insuper & hoc addet, ut supremum vitæ diem tempori cognoscas. Nec Xaverium Deus, nec Vellium Xaverius fefellit. Quippe Vellius ex eo alius vir extitit, adeò se benignitati addixit. Post aliquot annos divinitus de instante obitu præmonitus, colligere cœpit sarcinas. Ita rebus domi compositis, & facultatibus magnam partem in pauperes distributis, valens adhuc vigensque ad ultimum illud discrimen se comparavit. Iámque dies vitæ supremus aderat, cùm ad templum progressus parochum rogavit, ut pro Petro Vellio piaculare sacrum faceret. Factum. Huic ipse jam, inter defunctos sese numerans, interfuit. Inde singulos amicorum convenit, eósque valere jussit peregrè abiturus. Quærentibus, quò tandem iter intenderet? Respondit: In cælum. At illi jocari hominem ceteroqui facetum ac lepidum rebantur. Ceterùm posteaquam ille omni asseverationedicere perseveraret, in cælum se ire, animi ægritudinem, & insaniam interpretabantur. Ergo domum ejus frequentes confluebant, illum pro se quisque à tam tristi cogitatione abducere conatus. At ille vultu gaudium præferens satis ostendit, se mente non excidisse: & simul Xaverii prædictionē ejúsque eventum lætabundus exposuit, rogavitque, ut eodem ipso die funus suum prosequerentur. Ita hominem affectâ jam ætate repentina mors abstulit, eodémque die ad templum funus elatum est.

Turselinus l. 5. vitæ Xaverii c. 3. post init.

Vetus & verum Germanorum verbum est: Malè parta non ditant, eleemosynæ largæ non depauperant, conciones auditæ negotia non retardant.

§. II.

VIdua Sareptana, cujus superiori capite mentionem fecimus, quidquid penoris habuit, in Eliæ prandium expēdit. Quod Chrysostomus in dandâ stipe perfectissimum judicans: *Si nec panem*, inquit, *eum habens solum, ad perfectionem artis venisti: melius est hanc scire, quàm esse regem, & diademate coronari*. Hanc artem callebat illa vidua, eáque obtinuit, ut hydria farinæ non deficeret, & olei lecythus non imminueretur. Nõ ei Dei distenta farinaria, non capaces olei lagenas dedit, sed quod habuit, occultâ vi adeò auxit, ut nec oleum, nec farina unquam exhauriretur. Hic Dei mos est, tacitis incrementis rem familiarem ita prosperare, ut etiam exiguo commodissimè vivatur.

Chrys. in 1. hom. 33. pag. 217.

Idcirco Christus monet: *Facite vobis sacculos, qui non veterascunt*, qui pertundi nequeunt, qui exhauriri non possunt. Nos diffidentiâ plenissimi mortales, rem nostram dandō minui putamus. Fallimur. Vobis, ait Christus, *vobis sacculos facite*. Nam dare vestrum, est accipere; nam marsupium evacuando impletis. Eleganter Petrus Chrysologus: *Hoc monitu*, inquit, *te Christus ditare voluit, non perire; perpetuari, non vacuari sacculos imperavit: jussit te transferre, non perdere*.

Luc. 12. v. 33.

Chrysolog. ho. 22. in fine pag. 631.

Si verbis Christi fidem haberemus, utique multò largiùs stipem erogaremus. Vt dixi, fides deest. Reverà semini non parcit, quicunq; credit pro unico centum sibi proventura grana; ita profectò non avarè spargit nummulos, qui pro singulis certò sperat reddendos aureos.

O curas hominum! quàm olim hæredes nostri blando risu fatuam tenacitatem nostram salutabunt! edent illi, bibent ac ludent, & quæ nos anxiè corrasimus, lætissimè

tissimè in partes secabunt: sepulchrum nobis nemo invidebit, modò nostri nobiscum loculi non sint sepulti. Hoc namque unum auferemus, quod inopum crumenulis commiserimus. Eleemosyna non tantùm non depauperat, sed verè ditat & beat.

Non omnes hic pecuniam suam eleemosynis augent.

Sed non omnes, inquis, pecuniam suam eleemosynis augent. Sunt qui multa sic expendant, sed non multa hîc recipiant. In promptu caussa est. Videlicet ut fides & spes tantò magis crescant, quantò minus crescit pecunia. Quòd verò nonnullorum, non omnium marsupia dandis eleemosynis pinguescant, id ideo fit, ut à paucis discant omnes, quàm hæc laudatissima usura Christo placeat, qui tam avidus est reddere, ut subinde reddèdi tempus non expectet: Enimverò multi hominum ita constituti sunt, ut si fenus tam ingens hîc reciperent, securè illud in patriam transferre non possent; in tuto est, quod illic sunt accepturi.

Christus in hoc mundo etiam solutionis partem exsolvit.

Nihilominus Christus eleemosynæ remunerandæ cupidissimus, non totum in patriam differs; in ipso etiam exitu non tantùm se debitorem fatetur, sed solutionis partem exsolvit, dat in antecessum, & plus argenti reddit, quàm expensum sit.

Probatur exemplis

Quod viduæ Sareptanæ contigit, sæpissimè factum, imò quotidie fieri testatur experientia. Anno Christiano quingentesimo sexagesimo quarto, cùm Cosrhoës rex Persarum geminus Nabuchodonosor Sebasten ac Melitenem occupâsset, jámque Christianos variè affligeret, eorum plurimi Amaseam confugerunt, non tam urbis præsidio, quàm beati Eutychii precibus & sanctimoniâ juvandi. Ita in eamdem urbem innumera plebs confluxit. Hinc annonæ caritas & fames. In urbe hâc eadem Eutychius Constantinopolis Episcopus, sed exul, inter monachos agebat. Cumque jam granaria, horrea, farinaria undique viduata essent, & vacua gemerent pistrina, nec supereset, quod in hebdomadem sufficeret; denique concursum est ad Eutychium, ut annonæ subsidium impetraret è cælo. Eutychius ingens animi, & fidens Deo, aliósque omnes ad eamdem fiduciam cohortatus, se in preces effudit. Deinde ad monachos versus: Bono animo, inquit, estote, dumque vel semodiolus farinæ supereset, egentes ex eo pascite, alterum tantum recepturi. Spero hanc farinæ hydriam non defecturam. Monachi in spem novam erecti, eleemosynas quotidianas perpetuarunt, & neminem egenæ plebis dimiserunt sine sportulâ. Hinc viri sanctissimi vaticinium ab eventu laudem accepit nec unquam quod daretur, defuit. Eleemosyna non solùm non depauperat, sed ditat & beat.

§. III.

Quidquid tribuitur pauperi nõ est donũ, sed mutuum.

VErissimè dixit Gregorius: Quidquid tribuitur pauperi, si subtili consideratione pensetur, non est donum sed mutuum: quia quod datur, multiplicato fructu recipitur. Philippus Nerius à Gregorio XV. ad Sanctorum ordinem adscriptus innumeras dedit eleemosynas, cùm tamen in familiaribus rationibus perparum haberet. Vnde constare potuit, longè majorem expensi, quàm accepti summam fuisse. Cùm istud purpuratus senator Robertus Bellarminus Congregationi Rituum scripto testaretur, ad ejus testimonii finem subscripsit hæc omnino verba: Res est nota; Pecuniam iis deesse nũquam, qui eam in subsidia pauperum distribuunt.

Seruulus mendicus, & à puero paraliticus (qui beatum Gregorium encomiasten habet) à morbo ita malè habitus est, ut nec incedere, nec stare, nec in ullũ latus se vertere potuerit. Hic eleemosynis ita modestè vixit, ut eleemosynarũ, quas acceperat majorem partem in alios mendicos voluerit derivari. Germanis vetus Verbum est; Angelos in cælo ridere, cùm mendicõ stipem porrigit mendicus. Igitur ridendi copiam in Servulo habuerunt creberrimam, cùm mendici stipem toties caperent à mendico. Ambrosius divitum ac pauperum subsidia velut ad libram examinans: *Commendatior est*, inquit, *pauperis collatio, quam divitis liberalitas.* *Amb. in c. 6. Luc mihi pag. 104.*

Lydwina Schiedamensis virgo morborum omnium theatrum, triginta octo annis gravissimè decubuit, nunquam oblita pauperum, quorum nomina, domos, egestatem diversam exactissimè novit, etsi rarissimè in publicum progressa in tenebris domi jaceret. Quidquid ea nummorum, panis, carnium accepit, mitissimè aucta, in egenos iterum effusa sunt. Marsupiolum illius etsi pauperrimum, Darii gazas, Cræsi ærarium superavit: nam illud Lydwinæ largiendo auctum est, hæc imminuta sunt, & demũ in fundo suspiravit nummus. Interrogata Lydwina, & unde tandem quæ largiretur, sumeret? Quandoquidem, inquit, vos Dei donum non latet, assevero, ex octo argenti libris, non tantum æs alienum mei fratris dissolutum, sed libras insuper quadraginta expensas. Hinc illi loculi nomen sortiti, Crumena Domini Iesv. Si porrò ii, per quos pauperibus nummos, panes, cibos mitteba, rem negligentiùs curarent, animo dolebat, futuros cæli principes non promptioribus obsequiis coli. Cùm aliqui tam pauperibus quàm Lydwinæ sæpiùs gratularentur ac dicerent, è pisis & carnibus largè submissas sportulas triginta pauperinis familiis, nec inde quidquam videri decessisse. Illa verecundè renidens: An ignoratis, inquit, dictum Domini, *Date & dabitur vobis.* Aperta est etiamnum manus illa, quę olim viduæ farinulam conservavit. Sed insuper etiam hanc liberalitatis laudem occupabat Lydwina, ut neminem adventantium à se unquam repelleret: domesticis autem affluentium turbam excludere conantibus: Quid agitis, inquit, sorores meæ? Itáne animas Christo lucrandas objiciemus Satanæ? Veniant ad me pauperes, ego nondum eò perveni, quò ille, qui optabat pro fratribus fieri anathema. Adeóque Lydwina in seipsam quidem rigida & præparca, in pauperes non effusa solùm sed verè mater fuit, nec ulli negandam opem censuit, dum vel teruncius restaret. Cùm non esset, quod daret, animum dabat, & sermone mitissimo recreabat. Hinc & ipsa visis cælestibus recreata, beatorum sedes spectavit, cælum animo perambulavit. Hîc mensas pretioso tapete sterni, eleemosynas egenis præstitas in iis reponi, cibum potúmque, quem testâ & fictilibus propinâsset, cristallynis, aureisque patinis ac poculis inferri vidit. Cæsti hoc spectaculo jam longè confirmatior, beneficentiam in pauperes summis studiis augere conabatur. Eleemosyna non depauperat, eleemosyna ditat & beat. *Lydiam alii vocant. Lippeloo & Harœus die 14. Aprilis.* Marsupiolũ Lydwinæ Darii gazas & Cræsi ærarium superavit.

§. IV.

EIusdem pæne in solis, & pari benignitate illustris fuit Birgitta Sueca, parentibus piis & illustribus nata. Hanc pater Regi vendere parabat, quòd non larga, sed prodiga & familiæ pernicies, quidquid rerum aut pretii posset conquirere, in pauperes effunderet. Quam cùm interrogaret Rex ipse, cur etiam gladium parentis abstulisset, ejúsque pretium in vilem turbam projecisset? Respondit: Illum Christo largita sum. Et certè si te dominum Regem, & meum parẽtem Deus à me peteret, modò possem, utrumque cum omnibus facultatibus non invita darem. Quo audito Rex comiter subridens, & ad patrem conversus: Major, inquit, filia tua est, quàm quæ vel abs te vendi, vel à me emi possit. Hæc Augustinus illustrissimo testimonio firmans; & unà exstimulàs ad dandum: *Si vis esse*, inquit, *mercator optimus, & fenerator egregius, da, quod non potes retinere; ut accipias, quod non poteris amittere; præbe tectum,* & re- *Surius to. 1. in ejus vita. Aug. to. 8. in psal. 36. mihi pag. 123.*

& recipe paradisum ; da modicum, ut accipias centuplum: da possessionem temporalem, ut consequaris hæreditatem æternam. Attende, quid faciat fenerator. Minus vult dare certè & plus accipere. Hoc fac & tu. Da modica, accipe magna ; da temporalia, accipe æterna. Da numnium, ut accipias regnum ; da micam ut accipias panem totum ; da terram, ut accipias cælum; Petr. Chrysol. hom. 8. mihi pag. 27. *da pauperi, ut des tibi : quia quidquid pauperi dederis, habebis; quod pauperi non dederis, habebit alter. Ecce Deus de scripturâ suâ dicit : Da, securus esto, ego reddam.* Eleemosyna non depauperat, sed ditat, & beat.

Franciscæ Romanæ moribus sanctissimis femina, cùm anno Christiano millesimo quadringentesimo vigesimo, diuturna fames Romam premeret, illa hoc unicè laboravit, ut pauperum nemo à suis ædibus abiret auxilio aut certè solatio destitutus. Nam in mendicabula non solùm incredibiliter liberalis, sed & mirè comis & humana fuit, ut si quos pane reficere non posset, saltem verbis demulceret. Hoc est bis dare, vultu bono & verbis optimis dare. Imò quod magis mirere, Franciscæ mendicavit ipsa, ne deesset, quod mendicis daret. Franciscæ socer generosi vini dolium serio jussit servari præceperat. At illa pauperum & ægrotorum miserta dolium exhausit largiendo. Post aliquantum temporis socer cum marito Franciscæ Laurentio in cellam descendit, ut dolium primitus aperiret. Non respondit dolium. Mox suspicio subiit à Franciscâ omne vinum in mendicantium turbam divisum. Ambo graviter excandescunt, & fulmina coquunt in matremfamilias. Nitebatur illa tam soceri quàm viri difficilem bilem sermonis saccharo mitigare. Sed nihil proficiebant verba, suspiri recusabat excandescentia. In cellam igitur descendit lacrymis & precibus armata : hîc in genua procumbens opem implorat è cælo. Prece finitâ epistomium versat, doliúmque respondet. Fluitque vinum perinde, si nulla inde guttula fuisset detracta. Hoc socero nuntiatur, qui non sine gravi stomacho : Somniatis, inquit, jámque mihi vestra somnia & deliria vultis obtundere. Denique tamen cum filio descendit iterum, & dolium optimi vini plenum non sine stupore invenit.

§. V.

IDem miraculi frumentum exhibuit, & prioribus fidem adstruxit. Franciscæ vir Laurentius plurimum frumenti vendidit ; Alioquin, ajebat, prodiga mea uxor hoc ambabus manibus in mendicabula effundet, ni præveniam. Ita granario nihil, nisi retrimentum tritici relictum est. At Fraciscæ sui instituti tenax & sedula granarium ascendit, frumenti sordes convertit, ventilavit: vix farris semodius fuit. Quidquid erat, id statim abiit ad egenos. Cùm verò granarium denuò inspectum est, purgatissimi frumenti pæne quadraginta modii sunt inventi. Ita Iulius Vrsinus, qui Societ. Iesu Theologus. Franciscæ res gestas scripsit, testatur. An non hîc Domini voces usurpemus ? *Palpate & videte, quia ego sum ;* Luc. c. 24. v. 39. *mea promissio, mea benedictio.* An non verissimum Salomonis vaticinium: *Honora Dominum de tuâ substantiâ, & implebuntur horrea tua saturitate, & vino torcularia tua redundabunt.* Prov. c. 3. v. 9. & 10. Eleemosyna non depauperat, sed ditat & beat. Res certa & liquida. Promissiones divinæ non possunt fallere. *Non tardat Dominus promissionem suam. sicut quidam existimant.* 2. Petr. c. 3. v. 9. Eleemosynas copioso fenore in hoc etiam orbe pensanda Deus dixit, Deus promisit, suam fidem obligavit Deus. Quàm luculentæ sunt illæ pactiones Dei, quàm certa hæc promissa : *Anima, quæ benedicit, impinguabitur, & qui inebriat ipse quoque inebriabitur.* Prov. c. 11. v. 25. *Qui dat pauperi, non indigebit, qui despicit deprecantem, sustinebit penuriam.* Prov. c. 28. v. 27. Quid, oro dici potest clarius ? Eleemosyna ditat. Ab omni ævo sic semper fuit, sic erit semper. Nec otiosa est contemplatio illius, qui dixit, orbem universum eleemosynarum benedictione nutriri.

Sed unde nihilominus tam multa hominum diffidentia ? unde tam lenta dantium morositas ? unde tam pertinax & culta non dantium parcitas emergit ? è fidei certè defectu. Pollicitis divinis non credimus. O Domine, adauge nobis fidem, ut plus tuis promissis, quàm nostris oculis credamus. *Per misericordiam pauperum,* inquit Chrysologus, *misericordiam parentis ut possimus esse de pœnâ liberi, de salute securi.* Pet. Chrysolog. hom. 8. in fine. I. fidei defectu tam lenta est dantium morositas.

CAPVT VII.

Eleemosynas dare, non donum, sed debitum; non consilium, sed præceptum est.

BErnardus de Deo & diabolo eleganter ratiocinatus : Videte, obsecro, inquit, quî Deus benefactor noster maximus, & quî diabolus hostis noster capitalissimus nobiscum agant cõditione inæqualissimâ : diabolus pomum obtulit unicũ, & totum paradisum rapuit : Deus paradisum offert, & pomũ petit, aut vilius quid pomo, panis bucceam, æreum numulum, frigidæ haustulum ; & tamen deliberamus adhuc, num Christo fidere, & obolum paradiso velimus permutare. Quæ hæc tam luculenta, tam insana fatuitas ? Nõ immeritò proclamat Augustinus : *Quæ est ista animarum insania, acquirere aurum (aut retinere) & perdere cælum ? sed quia nemo cogitat Deum, ideo manet in morte judicium.* Aug. to. 11. serm. 15. de verb. Dom. mihi pag. 41. Ita Sæpissimè tam infantes & fatui sumus, pomum rapimus, hoc est, titivilitium, pictam cucurbitam, scarabæi umbram, pumicis aquam, lanam caprinam, voluptatulam vilissimam acquirimus, nec inviti perdimus paradisum. Quod in omnibus delictis gravioribus fieri consuevit. Dens & diabolus cõditione inæqualissimâ nobiscum agunt.

Ioannes Christi Domini liberalitatem depingens: *Vidi*, ait, *septem candelabra aurea, & in medio septem candelabrorum aureorum similem filio hominis, vestitum podere, & præcinctum ad mammillas zonâ aureâ.* Apoc. c. 1. v. 13. Quæ nova hæc vestiendi ratio, ut cingulum non lumbos sed supremum pectus ambiat ? Caussam assignamus. Cor Christi, amoris plenissimum : hinc rectè auro cinctum. Aureum hoc cingulum veram in dandâ stipe liberalitatem adumbrat ; amor, eleemosynæ radix. Cingulum subinde aureum, sed non pectori appressum est ; liberalitas se prodit, sed non provenit ab amore, aut Christianâ miseratione. Sæpe sumptibus non parcitur, fulget aurum, expensæ fiunt maximæ : sed in quænam ? in vestes, in mensam, in supellectilem, in in munerũ corruptelas, in famulos, in canes, in equos. En aureum cingulum, sed pectus non ambit, nil inde pauperibus accedit. Imò, quod Chrysostomus pro suggestu gravissimè conquestus. *Dicimus*, inquit, *rodat tinea, & non comedat pauper ; absumat verinis, & nudus non induatur ; omnia tempore consumantur, & Christus non pascatur, licet esuriat.* Chrysost. hom. 37. ad pop. At sunt, qui obducant : Domine Episcope, nemo Christiani sanguinis sic agit, aut sic loquitur. Respondet Chrysostomus: *Hoc est valdè malum, quòd non verbis, sed operibus ista dicuntur.* Aureum cingulum nitet, sed pectus non tangit, pecuniam non charitas, sed prodigalitas effundit. Cùm tamen Deus in legis priscâ, in novâ Christus præceptis toties iteratis misericordiam commendârint. Ex his concludimus, non utile tantùm, ac honestum, magnique esse meriti eleemosynas largiri, sed etiam necessarium. Præceptum est, lex est egestati alienæ succurrere, quod jam explicatiùs trademus.

§. I.

ASserimus eleemosynam non tam donum esse quàm debitum. Quod Ecclesiasticus sine ullis ambã- Eleemosyna non donũ, sed debitum.

ambagibus dilucidissimè pronuntians: *Declina*, inquit, *pauperi sine tristitiâ aurem tuam, & redde debitum tuum.* Debitum exigit, non donum: non enim das tua, sed accepta reddis. Phocion Athenienſis cùm rogaretur, conferret etiam aliquid ad solenne sacrificium, quod jam alii non gravatè præstitissent: Me verò puderet, inquit, donare vobis, & huic non reddere, cui jure debeo. Et unà creditorem suum digito monstrabat. Ita diis gratiùs fore judicabat solvere, quod ipse deberet, quàm donare, quod iste peteret. Creditores nostri sunt pauperes, his potiùs reddere, quàm aliis addere debemus. Iniquum & impium est defraudare creditorem re suâ, ut aliis donare possis. Ergo *redde debitum tuum.*

Eccli. c. 4. v. 8. Plutarch. to. 1. moral. in Apophth. mihi pag. 343.

Pauperes sunt creditores nostri.

Idem Siracides hoc ipsum confirmans: *Et mandavit illis*, inquit, *unicuique de proximo suo.* Ne quis fortè dixerit, Ego rem meam gero, meis ego loculis attendo, quid alius farris canini rodat, non curo: & quis enim me annonæ structorem constituit, ut omnium indigentiæ provideam? Parciùs ista, vir bone, nam Deus mandavit & tibi, & aliis, unicuique de proximo. Injuriam facis alteri, si solùm cures teipsum. Fatuæ virgines beatorum nuptiis exclusæ sunt, nō quòd aliena rapuerint, sed quòd sua non dederint; defuit illis oleum misericordiæ: Servus piger, qui talentum à domino acceptum humo defodit, graviter punitus est, non quòd rapto vixisset, aut templa despoliasset, aut prædam ex agris egisset, sed commissam sibi pecuniam non auxisset; debitum non reddidisset. Hæc autem præceptio de dandis eleemosynis sic insita est rationi, ut Publius mimus dixerit: Qui succurrere perituro potest, cùm non succurrerit, occidit. a

Eccli. c. 17. v. 12.

S. Thom. 2. 2. q. 32. ar. 5. concl. Eleemosynâ, inquit, de superfluo dare, necessitatem patientis, est in præcepto.

Hæc multò accuratiùs perpendens Ambrosius, b *Quis*, inquit, *tam injustus, tam avidus, tam avarus, quàm qui multorum alimenta, suum non usum, sed abundantiam & deliciæ facit. Neque enim minus est criminis habenti tollere, quàm cùm possis & abundes, indigentibus denegare. Esurientium panis est, quem tu detines: nudorum indumentum est, quod tu recludis: miserorum redemptio est & absolutio pecunia, quam tu in terram defodis. Bona quidem, ais, sunt verba, sed melius est aurum.*

a Ambr. to. 5. serm. 81. mihi pag. 896. & seq.

Huic ita objicienti, alia reponens Ambrosius: *Qui verò*, inquit, *obedire non vult, & negligit, manifesta est ignis æterni comminatio. Quantis tibi horror, qualisque sudor, quales tenebræ supervenient audienti condemnantis illius sententiam: Esurivi, & non dedisti mihi manducare. Neque enim in his verbis, qui alia invasit, arguitur, sed qui non communiter usus est iis, quæ habuit, condemnatur.*

Matt. c. 25. v. 42.

Hinc purpuratus epulo interfector & carnifex Lazari vocatur; quia fame morientem non pavit, occidit. De hoc verba faciens Chrysostomus: *Non illius*, inquit, *pecunias usurparat, sed suas non impertiit. Siquidem & hoc rapina est, non impertiri de tuis facultatibus. Ne mireminī, testimoniis è divinis scripturis proferam, dicens, quod non solùm rapere alienum, sed sua non impertiri, & rapina sit, & fraudatio & spoliatio. Dominus Iudæos accusans per Prophetam dicit:* Produxit terra proventum suum, & non intulistis decimas, *sed rapina pauperis est in domibus vestris.* Quoniam, *inquit*, oblationes solitas non dedistis; rapuistis ea, quæ sunt pauperis. *Propter hoc discamus, quòd quoties eleemosynam non præstiterimus pari cum his, qui spoliant, supplicio afficiemur. Hortor igitur, ut pro omnibus illud perpetuò meminerimus, quòd non communicare pauperibus est rapinam exercere in illos, illorumque fraudare vitam; quòdque non nostras, sed illorum res detinemus.* Quisquis es ergo, Redde debitum tuum.

Chrys. to. 2. orat. 2. de Lazaro, mihi pag. 1149. & 1152.

Isai. c. 3. v. 14.

§. II.

VT autem dandæ stipis necessitatem à capite accessamus, neminem velim latere, tam lege naturali, quàm divinâ nos obstringi ad ferendam opem egentibus. Lex divina clamat: *Redde debitum tuum: Eleemosynam pauperis non defraudes. Frange esurienti panem tuū.* Lex naturalis inde sumitur, quia principiis naturæ convenientissimum est alienis miseriis auxiliari. Hoc nobis Dominus mandans: *Omnia*, inquit, *quæcumque vultis, ut faciant vobis homines, & vos facite illis. Hæc est enim lex & prophetæ.* Ergo præceptum est, nec leve, sed è genere suo, ut Theologi loquuntur, capitale. Quandoquidem ii, qui legem hanc rumpunt, à judice in æternos ignes ablegantur. Hîc ii meritò reprehendendi, qui, quòd in aulis frequentissimum, ut sese omni molestiæ subducant, amandationibus fucatis miseros circumittunt; singuli dicunt. Ad hunc ito, iste juvabit; ita secundus, ita tertius, ita deinceps alii blandè à se derivant in alios, quidquid spem auri non facit. Videte malè cauti, ne olim & judex dicturus sit vobis: Abite, recedite à me; alii vos juvent.

Eccli. c. 4. v. 1. & 4. Isai. c. 58. v. 7. Matth. c. 7. v. 12. Ita Suarez in 2. 2. de charitate disp. 27. sect. 1. num. 1.

Et numquid expressissimè Christus: *Vnus*, inquit, *est pater vester, qui in cælis est; omnes autem vos fratres estis.* Si fratres, ergo alter ab altero juvandus. Hinc vatis Hebræi Amos querimonia: *Et nihil patiebantur super contritione Ioseph.* Nam licet Josephi tribum puniri Deus voluerit, voluit tamen etiam eorum alios misereri. *Mandavit illis unicuique de proximo suo*, præsertim calamitoso. Hoc divinæ legis imperium Gregorius Nazianzenus altiùs ingerens: *An*, inquit, *benignitatem hanc non necessariam, sed tibi liberam esse putas? ac non legem, sed consilium? Hoc quoque & ipse vellem; sed me sinistra manus terret, & hædi & probra, quæ in eos à judice conjiciuntur, non quia boni alienas manus intulerunt, sed quia Christum per pauperes minimè curaverunt. Ergo declina pauperi aurem tuam, & redde debitum tuum: eleemosynam pauperis ne defraudes.*

Matt. c. 25. v. 41. Amos c. 6. v. 6. Eccli. c. 17. v. 12. Greg. Nazian. orat. de pauperum amore. Eccli. c. 4. v. 8. & 1.

Hoc sese debito stringi, non solùm viri religione ac sanctimoniâ, sed & sanguine ac prosapiâ illustrissimi, Comites, Principes, Reges, Imperatores probè intellexerunt. E plurimis huc pauculos sisto.

Quidam principes eleemosynis illustrissimi: Carolus Comes Flandriæ,

Anno millesimo centesimo vigesimotertio Carolus Comes Flandriæ miram in pauperes liberalitatem exercuit. Cùm enim eo anno, quod Christianus Massæus narrat, fœdissima & insolenter diuturna hiems, imbres continui, frigus intensissimum præcessissent, & vix ad auram Majam arbores nonnihil revivisscere cœpissent, pleraque omnis satio agrorum intercidit. Hinc annonæ caritas & fames totâ Galliâ; idque biennio. Hîc Carolus Comes animum & manum aperire, omnibus pauperibus, quotquot accurrissent, panem integrum dare, ita ut vel unicâ horâ octingenti panes in famelicam plebem fuerint distributi. Quavis hebdomadæ die Veneris tredecim pauperes mensæ adhibuit, singulis indusium, tunicam & calceos dedit, illóque ipso die inediam pane & aquâ toleravit. Nec ei cilicium ignotum fuit. Eo ipso tempore duo præsules ex alicrum fame quæstum facturi plurimum frumenti coëmerant, ut illud iterum grandi fenore venderetur. Mox emptor adfuit Carolus, & redemptum triticum partim gratis tribuit, partim vili pretio venale fecit. Magnam ea res invidiam habuit, quæ Carolo etiam necem procuravit. Nec tamen latuit virtus post funera. Cadaver ejus odorem gratissimum halavit, & miraculis insigne fuit. En, Carolus maluit jacturam vitæ facere, quàm pauperibus debitum suum non reddere: fecit justitiam. Hoc nomen sacri codices non immeritò dant eleemosynæ, quam justitiam appellant. Ita Dominus loquitur: *Attendite, ne justitiam vestram faciatis coram hominibus.* Reddit debitum, facit justitiam, qui dat eleemosynam.

Matth. c. 6. v. 1.

§. III.

SEd Carolo Comite Flandriæ, Ariani Comes Elcearius, minimè inferior fuit. Is suam liberalitatem in

Ariani Comes Elcearius,

in primis leprosis hominibus ac mendicis aperuit: hos adesse mensæ voluit, hos totâ voluntate cõplexus est, his nihil in se negatum aut difficile voluit, hos intimos & summos habuit. Secus quàm ii solêt, qui sua in assentatorũ & ludionum greges effundunt. Vtinam hi flectant oculos ad Comitê Elcearium. Hic quotidie ad duodecim leprosorum pedes procumbebat, & eis diligentissimè ablutis ac extersis infigebat oscula, in mensâ eos collocabat, in superiore quemque loco quo pauperiorem, adeóque Christo similiorem deprehenderat. Dalphina conjux interim in culinâ satagebat, ut sapida, nitidáque essent omnia; Elcearius autem veluti suis regibus officiosè ministrabat, debitum fidelissimè reddebat. Sed Deus se à suorum liberalitate vinci non patitur. Mox geminum præmium Elcearo repensum.

Ejus geminum præmium.

Primum fuit, cùm granarium jam depletum bis occultâ vi fruges copiosas recepit. Alterum, ad venationem proficiscens Elcearius jussit omnem comitatum cum instrumento venatorio antecedere, ipse cum chirurgo ad leprosorum domicilium viæ non valde dissitum divertit, offendit in primo vestibulo sex miserrimorum hominum spirantia cadavera, ita fœda, ita miserabilia, ut sine horrore, ac terrore illorum aspectum interdiu etiam & vigilans non facilè quis tulerit; nocturnas larvas dixisses: exesa & absumpta labia, dentes atros, dentiúmque loca vacua retegebant; vultus omnis lurore, ac macie horrebat. Illuviem & sordes loci fileo. Sed juvenem regium in aulâ educatum nullius horum pœnituit, quin amantissimâ singulos salute impertivit, memoriam æternæ voluptatis edocuit, denique velut inter loquendum & aspiciendum ad amorem magis accensus in singulos oscula dulcissima dispensavit. Discedens, non modò valetudinem optavit, sed etiam contulit. Nam protinus abstersâ omni lue, forma bona, sanitas integra elephantiasis restituta est, ad extremum sex viri illi jam valentibus habitiores, venustè coram Elcearo adstiterunt: tota domus non aliter ac incensis staccs & thuris odoribus fragravit. Elcearius divisâ stipe, pudore confusus, ob recens miraculum ab domo facessivit. Illi lætitiis onusti ad hominum consuetudinem se receperunt. Et ipsis quidem edicere potuit sanctissimus juvenis, abstinerent sermonem de curatione, nec auctorem suæ salutis proderent, sed tantò magis provocavit superos in sui commendationem. Reverà fecit, dedirque justitiam Elcearius, aurem suam pauperi declinavit, eleemosynam pauperis non defraudavit. Reddidit debitum. Huic addo non omnino imparem dynastam.

Camillus Gonzaga,

Anno millesimo quingentesimo octogesimo octavo Novellaræ in provinciâ Venetâ Camillus Gonzaga non minùs eleemosynis quàm sanguine vir illustrissimus, à Christi natalitiis ad tempus novæ messis, cùm in plebem sæviret fames, quotidie ducentos è turbâ pauperum sibi sumpsit pascendos, alternante ordine: nam prandentibus Comes ipse ministravit, & centum plenâ mensâ prandióque refecit: alii centeni binos panes singuli acceperunt, postridie & ipsi ad mensam accubituri. Medio hoc tempore catechesi Christianâ omnes erudiebantur, eodem adjutore Camillo. Quotidianum spectaculum visu sanè quàm auditu jucundius. Anno millesimo quingentesimo nonagesimo, magnâ temporum difficultate hæc ipsa Gonzagæ pietas in egenos illustriorem sese præbuit. Quotidie quadringentis pauperibus prandium parari voluit, aulicis ad mensam ministrantibus, convivator ipse plerumque pauperes assedit, humanitate hilaravit, cõsolatione permulsit; ægrotis, qui adesse non poterant, alimoniam etiam & fomenta domum submisit; ante accubitum omnes præceptis Christianis instrui curavit. Quadam die cùm rei divinæ daret operam, mendicum inopem, seminudum, frigore rigentem miseratus, domum adduci jussit: hic suaviter refotum, & novâ veste indutum apud se in prandio assidere voluit, dein, donatum aureo dimisit: ita debitum suum præclarissimè reddidit. Inter familiarem verò sermonem fassus est Camillus, visum sibi videre illâ formâ Christum Dominum, quæ pectore diu infixa hæserit. Nimirum hi actus verè generosi, & heroë Christiano longè digniores sunt, quàm equum gyris exercere, equiria celebrare, equo ad annulum decurrere, Trojæ lusus agitare, primum præmium cæteris præripere. Hæc ludrica paucorum annorum spatio æterna sepelit oblivio, illa misericordiæ facinora supremi judicii die coram orbe laudata, æterna prosequetur memoria. Vox judicis erit: *Esurivi, & dedistis mihi manducare.* Matt. c. 25. v. 35.

§. IV.

Ergo communes, inquit Ambrosius, *judica partius annonæ, quæ omnibus ad usum generat terrarum fructus: ut quod habes, largiaris pauperi, & consorteu & conformem tuum adjuves. Tu nummum largiris, ille vitam accipit. Tu pecuniam das, ille substantiam suam æstimat. Tuus denarius, census illius est; debitum est. Adhæc plus ille tibi confert, cùm sit debitor salutis. Si nudum vestis, teipsum induis justitiam. Si peregrinum sub tectum inducas tuum, si suscipias egentem, ille tibi acquiret Sanctorum amicitias, & tabernacula æterna.* Ambr. in 1. 1. Off. c. 11. mihi pag. 248.

Sed ut ea, quæ diximus, novo virtutum specimine firmemus, en narrationem & tabulas recentissimas. Anno millesimo sexcentesimo trigesimo & trigesimo primo, quo hæc scripsi, magnus Hetruriæ Dux Ferdinandus, cùm pestilitas grassaretur Florentiæ, toto cõtagii tempore, triginta quatuor millia egentiorum hominum & incluforum aluit. In diem singuli octo carnis uncias, duas panis libras, oleum, salem, ligna, legúmina aliáque hujuscemodi acceperunt, ita ut egentioribus in victu nihil defuerit. Hæc Ducis Florentini liberalitas à contagionis principio ad mensem Martium in egenos expendisse dicitur septingenta millia coronatorum. Hanc munificentiam mirificè commendavit illud, quando Dux ipsemet sine ullo aulico ephebornm, & satellitum comitatu quotidie ad pauperes revisit, humaniter allocutus, peramanter solatus est. Hunc Ducis in egenos animum videtur Deus favore non levi probasse. Nec enim diu alit præmium. Idibus Februarii in Palatio, dum aliud quæreretur, reperta est cista ferrea, ligno vili operta, sed metallo nobiliore plena. In capsulis primis inventæ sunt tessellæ argenteæ, cum effigie Cosmæ Ducis primi: cistam altiùs scrutari nostrum non est. Ferdinandus Hetruriæ Dux, Ita Cæsar Troilus Florentini Collegii Rector lectoris statur. Italis Sanctis, Vitis Sanctis Romanis, sacrificat.

Ergo *declina pauperi sine tristitiâ aurem tuam, & redde debitum tuum. Misericordiam* vult Deus, *& non sacrificium. Qui parcè seminat, parcè & metet*, Ergo *date, & dabitur vobis.* Beatius est magis dare, quàm accipere. *Quâ mensurâ mensi fueritis, remetietur vobis.* Et scitote, ô Christiani, hæc non consilii solùm, sed præcepti esse. Quod Ecclesiasticus disertissimè affirmans: *Propter mandatum*, inquit, *assume pauperem, & propter inopiam ejus ne dimittas eum vacuum; perde pecuniam tuam propter fratrem tuum.* Tu igitur agnosce mãdatum, & redde debitum. Eccli. c. 4. v. 8. Matth. c. 5. v. 13. 2. Cor. c. 9. v. 6. Luc. c. 6. v. 38. Matt. c. 5. v. 2. Eccli. c. 29. v. 12. & 13.

Theophanius Comes in Centumcellensi urbe supra modum hospitalis & misericors, vero nomine vir misericordiæ. Cùm æger mortem operiretur, fœdissima tempestas cælum omne involvit. At moribundus placidè ad eos, qui lectulum cingebant: Postquam, ait, animus meus hinc emigraverit, vultus serenior cælo redibit. Mors vocem, mortem serenitas excepit. Manus pedésque Theophanii, dum viveret, humore podagræ fœdum intumuerãt, & profluente sanie putebant. Morte obitâ nihil horroris aut fœditatis in ullo membro visum est. Die quarto à funere cùm impositum sepulchro marmor ex causâ mutaretur, odor suavis- Theophanius Comes. Greg. Magnus hom. 36. in Evang. Benedictus 6. collat. sacr. c. 4.

suaviſſimus ex imo emerſit, perinde ſi è cadavere nón vermes, ſed unguenta & aromata mera ebullirent. Nihil ſuaveolentius miſericordiâ; cælum exhilarat, & terras. Theophannio neque ſanguine neque hac ſanctimoniâ inferiorem jungo.

CAPVT VIII.

Eleemosynæ maleficas artes retundunt, beneficia posterorum memoriæ tradunt, nomen immortale pariunt.

REx Macedo Alexander in eâm cogitationem venit, ut orbem terrarum ſuæ poteſtatis facere moliretur. Antequam militares copias Macedoniâ educeret, quidquid argenti facti habuit, id ſatrapis ac ducibus ſuis pæne omne dilargitus eſt. Hîc unus aliquis majoris audentiæ regiam manum ſubmovere, & tantùm non prodigalitatis accuſare, eam munificentiam videri nimiam, ſed interrogare, quid denique rex ſibi ſervaret? Hîc Alexander ore renidenti: Imò verò plurimum, inquit, reſervo mihi, ſpem ampliſſimam ad principatum orbis, hunc ducum meorum ope obtinendum nihil diffido. Quapropter animos illis addere ad vincendum largitate munerum mei conſilii eſt. Montes plumbeos non difficulter ſpernit, qui certò ſperat aureos.

Qui ſua pæne omnia pauperibus impendit, ſpem ſibi retinet multò maximam. Hæc Alexandri ſpe longè certior, & theſauris omnibus verè opulentior: imò ſecura prorſus & certa eſt. Altera illa bello nititur & ferro; at varius eſt belli eventus, & infelix ſæpe procurſus ferri: ſpes autem iſta divitis erigitur promiſſis. Suas pollicitationes Deus in auras evaneſcere non ſinet. Dei filius dixit: *Cælum & terra tranſibunt, verba autem mea non præteribunt.* Promiſſiones Chriſti luculentiſſimæ: *Amen dico vobis, non perdet mercedem ſuam, quicumque potum dederit uni ex minimis iſtis, calicem aquæ frigidæ.* Hoc promiſſum firmans: *Da*, inquit, *pauperibus, & habebis theſaurum in cælo. Cùm facis convivium, voca pauperes, retribueretur enim tibi in reſurrectione juſtorum.* Hæc ſpem reddunt certam, hæc illam attollunt cælo, modò fides non claudicet. Huic magis firmandæ nunc exponemus, quàm potenter eleemoſynæ omnes inferorum conſultationes, ut vetus lex loquitur, arteſque maleficas expugnent, & largitori nomen æternum concilient.

Matt. c. 24. v. 35. Marc. c. 9. v. 41. Matt c. 19. v. 21. Luc c. 14. v. 13. & 14.

§. I.

In republicâ Chriſtianâ veneficos & ſagas reperiri quibuſdam videtur incredibile.

IN Republicâ Chriſtianâ veneficos, ſagas & venefica, primaria diaboli mancipia reperiri, nec levi numero, tantum malum eſt, ut quibuſdam videatur incredibile. Sed res loquitur. Innumera damna ſegetibus, pecori, & hominibus illata clamant. Et quis adeò perfrictæ frontis ſit, ut tam diverſos magiſtratus tot locis in eam hominum luem gladio & igne vindicantes erroris damnet? Tot millia hujus orcinianæ plebis in rogum ierunt, & omnes judices iniquæ ſententiæ accuſabimus? Sunt nihilominus frigidiſſimi Chriſtiani, nec iſto nomine digni, qui manibus pedibuſque obſtant, quò minùs hoc lolii genus eradicetur; ne forſan, quod ajunt, in innocentiam ſæviatur. O homines divini honoris hoſtes! Nunquid non expreſſiſſimè lex divina imperat? *Veneficos non patieris vivere.* Hîc ego præſules, dynaſtas, principes, reges, quàm poſſum contentiſſimâ voce, & divino juſſu inclamo: Veneficos non patiemini vivere. Ferro & flammâ hæc deterrima hominum peſtis exſcindenda. Extirpetur hoc lolium, ne nimiâ fœcunditate increſcat, quod eheu fieri videmus & dolemus. Tollantur impii, ne lues ſerpat, ardeant perduelles Dei, ne inferorum regnum in hunc orbem tranſferant. Vobis, ô principes & reges, commiſſus eſt gladius, ut in capita noxia juſtis ſuppliciis animadvertatis: quis autem magis noxius, quàm qui Numinis hoſtis juratus? Venefici ac venefícæ omnes profeſſi ac jurati ſunt hoſtes Dei. O princeps, ô rex, veneficos non patieris vivere!

Exod. c. 22. v. 18.

Ad infandum hoc malum potentiùs cavendum faciunt exhortationes calidæ, quæ Dei leges; præmia, ſupplicia, potiſſimùm autem æternitatem aſſiduè inculcent. Si enim divinum nomen fugat dæmones, non minùs lex & opera divina publicè collaudata id virium habebunt. Deinde juramenta, perjuria & execrationes diræ neutiquam tolerandæ ſunt. Nec enim eſſe aut pane alliciendus eſt canis, quem abactum velis. Atqui deprecationes diræ, ac perjuria diaboli jam antè promptiſſimum accerſunt. Tertiò diaboli, & omnis plebs Acheruntica minimè formidanda eſt. Diffidentiam in Deum talis formido nutrit. Injuria in Deum eſt diabolum metuere. Hinc ajunt eos, qui veneficos accuſant, aut iis ſe aliter opponunt, non facilè ab hac hominum colluvie lædi. Quarto fatentur ſagæ, homini in pauperes ſincerè largo noceri non poſſe. Quatuor modis hoc malum cavetur.

In Hornenſi agro Wertami virginum cœnobium triennio à ſagis graviſſimè infeſtatum eſt. Originem mali eam affirmant. Venefica è monaſterio libram ſalis petiit, poſt bimeſtre reddendam, & quidem cum fenore. Reddidit: ſed fenus illud acceſſit, quòd monialium quædam à diabolo inſeſſæ. Huic hoſpiti portas referarunt expulſus eleemoſynarum uſus, & uſuræ receptus. *Vide Vierſii l. 4. c. 10. Bodinum l. 3. c. 1. de dæmonomaniâ magorum. Bretenbachii l. 6. collat. ſacr. c. 25.*

Venefici, & Pharmaceutriæ diabolorum amicæ, ut tam hominibus, quàm pecoribus noceant, adiguntur. Quod quò commodiùs poſſint, ſubinde medicant. Negant rogari? vicinum eſt periculum. Nam iis potiſſimùm officere creduntur, qui aut ſtipem negant, cùm tamen magos eſſe neſciant, aut qui dant, etſi diaboli cognatos eſſe non ignorent.

Anno milleſimo quingenteſimo ſeptimo, Pictavis,[a] in celeberrimo religioſorum hominum conventu optimâ fide narratum, duos magos buxeo & lurido vultu, emaciato corpore, ſqualidâ veſte ad opulentas ædes petiiſſe ſtipem; eâ negatâ, familiam maleficis artibus, carminibuſque ita incantaſſe, ut domeſtici omnes in rabiem acti, miſerabile fati genus obierint. Rigidioris animadverſionis hîc nemo Deum accuſet. Domûs illius inquilini non unâ ſolùm inclementiâ in pauperes peccarunt. Hoc illis ſolenne fuit, egentes verbis aſperis repellere, nec panem nec pecuniam largiri, plus vini vomere, quàm ægris impendere; equos & canes lautiùs quàm homines fame fractos paſcere. In hos tales jure merito Satan carnifex immittitur. Pereant, qui pauperes perire volunt; *judicium illis ſine miſericordiâ, qui non fecerint miſericordiam.* Ergo in faſcinationes & veneficia eleemoſynæ alexipharmacum ſunt.

[a] *Seu Auguſtorii.*

Tac. c. 2. v. 13.

§. II.

Eleemoſynæ laudem comparat & perennant. *Pſal. 111. v. 5. 6. & 7.*

LAudem inſuper comparant eleemoſynæ, famam colligunt, gloriam conciliant, immortalitati mandant. Canit Hebræus pſaltes: *Iucundus homo, qui miſeretur & commodat, diſponet ſermones ſuos in judicio, quia in æternum non commovebitur. In memoriâ æternâ erit juſtus, ab auditione mala non timebit.* Quærit Auguſtinus: Quæ hæc auditio mala? Ite in ignem æternum. Auditio prorſus mala, auditio longè peſſima, quia æterna. Ab hac ſibi non metuit ſincera in pauperes liberalitas. De judice Chriſto per eleemoſynas placando inſigniter Chryſoſtomus: *Magnum illic judicem*, inquit, *ars rhetoris nulla decipiet, nullius potentia mitigatur, dignitati non cedit. Hîc verò judicem exorabimus & placabimus.* *Chryſ. to. 5. hom. 6. de pœnit. mihi pag. 736.*

mus. Responde judici, priusquam in prætorium veniat. Da inopi pecuniam & judicem mitigasti. Pœnitentia sine eleemosynâ mortua est, & sine plumis volare nequit, non habens eleemosynæ pennas.

Et quantum erit gloriæ, ab illo judice humanissimè invitari: Venite benedicti, percipite regnum. Quos adeò amanter vocat? Misericordes. Sed ubi virtutum ceterarum encomia? Tacentur, non quòd eæ suum sibi præmium non habituræ, sed quòd primum debeatur misericordiæ. Olim in gymnasiis Societatis Iesv, non solùm libellus aureus in præmium, sed etiam ex amaraco sertum in victoriæ signum dabatur juventutis principibus. Mos laudabilis; & velim revocatum. Christus in supremo judicio, non tantùm misericordibus præmium, ut ceteris dabit: *Percipite regnum*; sed insuper etiam orbe universo spectatore, misericordes coronâ pactili donabit, cum insigni laude. Hæc amaraci corolla non defluet, non marescet, virebit æternum? *In memoriâ æternâ erit justus.* Quid operosius, quid ardentius, quàm celebritatem & nomen quærimus? eleemosynæ perennant, eleemosynæ consecrant æternitati; ab eleemosynâ nomen usquequaque præclarissimum venit.

Ante annos 40. in studiorum instauratione.

Psal. 111. v. 7.

Eccli. c. 44. v. 9. & seqq.

Quod Sirachides explicatissimè docens: *Sunt*, inquit, *quorum non est memoria: perierunt quasi non fuerint. Sed illi viri misericordiæ sunt, quorum justitiæ non sunt oblivioni traditæ; pietates non defuerunt; cum semine eorum permanent bona, &c. & filii eorum propter illos usque in æternum manent: Semen eorum & gloria eorum non derelinquetur.* His accinit regius psaltes: *Dispersit, dedit pauperibus: justitia ejus manet in sæculum sæculi, cornu ejus exaltabitur in gloriâ.* Quid non molimur, quanta facimus memoriæ parandæ? montes perfodimus, maria frænamus pontibus, lunam pæne cælo deducimus in terram. At Iobus hûc famæ ambitum irridens: *Memoria vestra*, inquit, *comparabitur cineri.* Gregorius interpres dicti: *Omnes*, inquit, *qui cogitatione terrenâ huic sæculo conformantur, per omne quod agunt, huic mundo relinquere sui memoriam conantur. Alii bellorum titulis, alii aliis ædificiorum mœnibus, alii disertis doctrinarum liberalium libris instanter elaborant, sibique memoriæ nomen ædificant. Sed cùm ipsa ad finem celeriùs vita decurrat, quid in eâ fixum stabit, quando & ipsa celeriter mobilis pertransit? Aura cinerem rapit. Recte stultorum memoria cineri comparatur, quia illic ponitur, ubi ab aurâ rapiatur. Quantumlibet enim quisque pro faciendâ gloriâ sui nominis elaboret, memoriam suam quasi cinerem ponit, quia hanc citiùs vetus mortalitatis rapit.* Homo misericors fragrantissimam sui memoriam relinquit: *Eleemosynas illius enarrabit omnis Ecclesia sanctorum.* Parentes filiis, filii nepotibus, isti pronepotibus, alii aliis narrant. Hinc illæ pauperum panegyres: Quàm hic dominus liberalis & beneficus in egenos fuit; hi fame, illi frigore periissent, ni hunc virum habuissent subministratorem & opiferum: hos ille facultatibus exui prohibuit, hos ære alieno liberavit, hos, ne ad incitas adigerentur, retinuit, illis in morbo cibos subministrit, his dotem suppeditavit, horum pudicitiam modis aliis servavit, æterno nomine dignissimus.

Iob c. 13. v. 12.

Greg. l. 11. Mor. c. 17. mihi pag. 74.

§. III.

Tabithæ eleemosynas enarrat omnis Ecclesia.

Tabitha, seu Dorcas, Christi discipula in Ioppe, memoriam sui non marmori, non æri, non chalybi curavit incidi, nihilominus eleemosynas illius enarrat omnis Ecclesia sanctorum. Hæc enim erat, beato Lucâ teste, plena operibus bonis, & eleemosynis, quas faciebat. Postquam igitur Tabitha mortalitati cessit, miserunt Ioppenses, qui principem Apostolorum accerserent. Cùm advenisset Petrus, duxerunt illum in cœnaculum, & circumsteterunt illum omnes viduæ flentes, & ostendentes ei tunicas & vestes, quas faciebat illis Dorcas. Hæc pauperum comploratio Petrum adeò commovit, ut mortuam revocaverit ad vitam. Siquidem quod Apostolorum Acta testantur: *Assignavit eam vivam.* Ita seipsam Dorcas ad immortalitatem consecravit eleemosynis.

Eccli. c. 31. v. 11.

Act. c. 9. v. 41.

Anno quadringentesimo vigesimo septimo Paulinus Nolæ Antistes, id facinoris per liberalitatem ausus est, quod orbis etiamnum miratur & adorat. Paulinus gente nobilis, vir consularis, illustris facundiæ, magnarum opum, insignis formæ, Philosophiâ & Theologiâ egregiè imbutus, oratione tam solutâ quàm ligatâ scripsit multa, sed nec prosapia, nec forma, nec opulentia, nec eruditio, neque facundia tantum ei auctoritatis, famæ, celebritatis ac gloriæ conciliarunt, quantum una atque unica misericordia. Nam Paulinus positis fascibus Christi amore pauper è divite, monachum egit. A cucullo ad mitram vocatus, mensâ frugalissimâ contentus, quidquid de cetero annuorum redituum habuit, in pauperes erogavit laudatissimâ prodigalitate. Iámque in fundo suspirabant opes, nec restabat, quod expenderet. Eo ipso tempore vidua filium ab hoste captum pretio redimi postulavit. Paulinus æris inops præter seipsum, apud se nihil inveniens: Mea mater, inquit, quod dare possim non habeo. Hoc age, meipsum accipe: tui juris me profiteor: Vende, & in servitium trade: hæc una supereſt ratio liberandi filii. Femina jocari præsulem arbitrata serias preces iteravit: At ille, ut erat eloquentissimus, dubitanti feminæ persuasit, ut sibi credere auderet, quamvis nec tum quidem suis ipsa oculis id satis crederet. Vnà igitur profecti sunt in Africam, quò Vandali Campaniam vastantes viduæ filium abduxerant. Hîc vidua Guntharii regis generum accedens, filium reddi precibus infimis flagitavit. At barbarus erecto supercilio: Sine litro, ait, hinc non abibit. Mox vidua: En, inquit, hunc hominem in filii vicem sisto. Regius gener ingenuo viri vultu delectatus, quam calleret artem quæsiit. Colendi horti, respondit Paulinus. Gratissimum id fuit. Ita viduæ filius in libertatem assertus: Ita Paulinus merx ipsa & mercator, pro homine se hominem vendit. Iam non liberalis, sed ipsa liberalitas. Has Paulini *eleemosynas* obstupescit, & *enarrat omnis Ecclesia sanctorum. In memoriâ æternâ erit justus. Nam eo ipso*, inquit Gregorius, *quo facta sua solius Dei oculis imprimit, nomen suæ memoriæ in æternitate figit.* Paulinum pæne omnis priscorum Patrum senatus laudat. De morte Paulini Vranius, quædam de vitâ Antonius Gallus, qui humanioris litteraturæ ipsi præceptor fuit. Paulinum Ambrosius, Hieronymus, Gregorius Magnus, Gregorius Turonensis laudant: Eumdem Prosper, Eulogius, Venantius Fortunatus, Severus Sulpitius deprædicant. Quanti hunc virum Augustinus fecerit, testantur ejus epistolæ, trigesima, secunda, trigesima quarta, sexagesima quinta, ducentesima sexagesima, & liber primus de Civitate Dei, caput decimum; Paulino librum de curâ agendâ pro mortuis Augustinus inscripsit. Paulinus Romæ in æde divi Bartholomæi, quem in illâ sepulchrali quiete socium habet, est conditus. *Eleemosynas* autem *illius enarrat omnis Ecclesia sanctorum.*

Paulinus seipsum dedit ut vēderetur.

Eccli. c. 31. v. 11. Psal. 111. v. 7. Greg. l. 11. Moral. c.

Eccli. loc. citat.

§. IV.

Eleemosynæ æternorum nominis parens. *Bavaria Sancta Maximilian. Raderi volum. 1. mihi pag. 133.*

Eleemosynæ sunt immortales amaranthi; liberalitas in pauperes nobilissimus amaricini liquor est, cælo terràque fragrans; misericordia æterni nominis parens est.

Eberhardus avitâ majorum nobilitate illustris, ex Hilpostainiorum Comitum prosapiâ natus, in sacrâ divi Benedicti familiâ se Deo devovit. Iámque Abbas Biburgi, in peregrinos & pauperes miræ liberalitatis fuit, nec ullum facilè sine beneficio dimisit. Biburgense hoc cœnobium miles adiit ex itinere, & hero

Eberhardus in egenos liberalis

hero suo ad reficiendas vires precarium vinum petiit. Præfectus rei vinariæ, vir ceterà pius ac religiosus, dominum officiosè recepit in cœnobium, famulo pro foribus relicto. Hic moræ impatiens, & inhumaniter, ut sibi videbatur, exclusus, Ratisbonam abiit. Intellexit hoc Eberhardus, & mox monachum penoris procuratorem jam senem, quique propridie sanguinem miserat, Ratisbonam pedibus jussit insequi, & ei deferre vinum, cui negasset inhumaniùs. Miles jam urbe ingressus, & monachi suâ causâ fatigati sortem miseratus, obstupuit ad tam insoliram benignitatem: oblatum verò vini calicem promissimis manibus accepit. Calix æterno dignus pretio, sive jubentis spectes misericordiam, sive obedientiam parentis. Hic idem Eberhardus ex Abbate Archiepiscopus Salisburgensis omnes cogitationes ad vitæ innocentiam composuit, miseros omni ope, consilio & auxilio præsens absens sublevavit; pauperum ulcerosorum & elephantiacorum tuguria per se coram adiit, & revisit, victus & morbi subsidia benignissimè præbuit: sordes, saniem, vomicas, tabóque fluentes artus ipse contrectavit, nihilque prætermisit officii, quod ab infimo quoque non sine fastidio & horrore præstari solet. Quis Eberhardum Comitem nosset, ni seipsum cælo terráque notum fecisset tam præclarâ in egenos liberalitate? Hinc etiam illud Eberhardus obstupescendum ausus. Die quadam tuguriolum ingressus, hominem leprosum in eo decumbentem reperit, cúmque, si quid vellet, interrogavit. Cui leprosus: Eucharistiam desidero. Mox allata, & ab Eberhardo in leprosi os immissa est. At æger vix ingestam cum vomitu velut nauseans rejecit. Eberhardus manum supposuit, vomitum excepit, & in honorem Sacramenti tam fœdam expuitionem ipse glutiit. Die postero ad eundem revisurus non invenit hominem, dixerúntque vicini à multo tempore neminem leprosorum in eâ domunculâ habitasse. Ita satis perspectum est, leprosi formam induisse Christum, qui suorum fidem ac constantiam sic solet experiri. In memoriâ æternâ e it justus, ab auditione malâ non timebit.

Et ejus obstupescendum factum.

Aug. in psal. 40. v. 4.

Quapropter, inquit Augustinus, *oculos Christianâ fide in hæc promissa erige; non te deserit Deus in terrâ & aliquid promittit in cælo: promissionem habes vitæ præsentis & futuræ.*

CAPVT IX.

Eleemosynas dare, Sanctorum omnium contentissimum fuit studium.

Cant. c. 5. v. 14.

IN sacris carminibus Salomonis sponsum cælestem sponsa variè dilaudans: *Manus illius tornatiles*, inquit, *plenæ hyacinthis*, ornatæ gemmis & annulis. Qui manum habet plenam, priùs manum evacuat, quàm aliud eâ recipiat. Exemplo id monstramus: Qui dexteram nummis aureis implevit, non antè herbas odoriferas recipit, quàm nummos aureos deposuerit, aut excidere permiserit. Christus, qui manus habet plenissimas, à nobis stipem accipere, & illam supremi judicii die coram orbe vult extollere: *Dedistis mihi; accepi à vobis.* Si ergo stipem à vobis accipiat, necesse est priùs plenas manus excutiat. Atqui manus illius plenæ gemmis, oppletæ hyacinthis: quâ igitur ratione accipiet aliquid à nobis? occasionem quærit, quâ manus plenas in nos priùs evacuet. Hîc dare jucundum est, si plus, quàm dederis, accipias. Sic nemini non facillimum erit ac gratissimum dando ditescere.

Hoc omnes amici Christi, hoc sancti homines probè sciverunt. Eam ob caussam contentissimis studiis, id unum egerunt, ut quidquid possent, Christo darent, pro iis decuplo, centuplo, millecuplo, plura recepturi; pro plumbo aurum, pro vitris gemmas, pro silicibus uniones, pro quisquiliis margaritas, pro crepundiis latifundia possessuri. Dederunt pauperibus, & thesaurum nunc habent in cælo. Hoc hominibus sanctis omnibus exploratissimũ fuit nil gratis dari Christo: propterea certarunt, qui alter alterum largiendo vinceret, reculas suas velut viles herbulas, affectu gradi, miseratione magnâ, dederunt opulento & pauperi Christo, & decedẽtes interim hyacinthos collegerunt.

Sanctis hominibus exploratũ fuit nihil Deo dari gratis.

Atque istud hoc capite dicemus, contentissimum omnium Dei amicorum & sanctorum hominum studium fuisse, sua pauperibus largiri.

§. I.

DIversa prorsus fuere hominum sanctorum studia. Inte hos ille magis solitudini ac silentio, iste corporis castigationi ac jejuniis impensiùs vacavit; hic legendo, ille contemplando sese crebriùs exercuit; hic labores manuarios, iste intentionem animi ardentiùs complexus est: orationibus & eleemosynis propensissimè vacarunt omnes. Canit Ecclesia: Omnes Sancti, quanta passi! Liceat inscitè, modò piè dicere: Omnes Sancti quanta compassi! In hoc uno sibi omnes simillimi, omnes, omnes; Dispersérunt & dederunt pauperibus: justitia illorum manet in sæculum sæculi.

Psal 111. v. 9.

Patientiæ magister Iobus de seipso: *Ab infantiâ meâ*, inquit, *crevit mecum misericordia, & de utero matris meæ egressa est mecum. 1. Si despexi prætereuntem, eò quòd non haberet indumentum; & absque operimento pauperem. 2. Si non benedixerunt mihi latera ejus; de velleribus ovium mearum calefactus est. 3. Si negavi, quod volebant, pauperibus, & oculos viduæ expectare feci. 4. Si comedi buccellam meam solus, & non comedit pupillus ex eâ. 5. Foris non mansit peregrinus, ostium meum viatori patuit.* Hoc de sanctis omnibus rectissimè dixeris: Ab infantiâ eorum cum ipsis crevit misericordia, & ab utero cum illis egressa est. Hinc eorum plurimi seipsos suis etiam vestibus spoliarunt, ut mendiculos algentes tegerent.

Iob. c. 31. v. 31. Ibid. v. 19. v. 20. v. 16. v. 17. v. 32.

Anno quadringentesimo quadragesimo nono Constantinopoli sacerdos, & illius Ecclesiæ œconomus fuit Martianus, cum quo sanè ab infantiâ crevit misericordia. Hic vestes suas pauperi daturus sollicitè priùs circumspexit, an sine arbitro id facere liceret. Ita non solùm misericordiam habuit, sed vanâ gloriam ne haberet, jugulavit. Sed viri sanctimoniam Deus tantò minùs latere voluit, quantò magis illa latebras quæsivit. Siquidem Martianus dum ad aram faceret, sub ornatu sacrificantis auream vestem indutui habere visus, & ideò apud Patriarcham accusatus est quãtumvis innocens. Cùm enim ille, diduxisset vestem, insons viri nuditas apparuit. Nec difficilis fuit conjectura vestem auream à reginâ Misericordiæ submissam. Huic recens addo.

Zach. Lippeloo die 10. Ianuarii.

Anno millesimo quingentesimo nonagesimo septimo Panormi civis primarius, qui Dominicum illud (*Quod uni ex minimis meu fecistis, mihi fecistis*) altè animo imbiberat, uni pauperum vestes suas omnes donavit, certissimum habens, Christum ab eo vestiri, qui vestiisset pauperem. Neque levis pretii fuerunt hæ vestes è quibus solum pallium, ducentis aureis æstimabatur.

Annales Societ. Iesu dicto anno. Matt. c. 25. v. 40.

Idem fecerunt Sanctorum plurimi, qui vestibus, quas suo corpori detraxerant, frigentes egenorum artus velarunt. Fecit hoc Philippus Nerius. Fecit idem Arelatensis antistes Cæsarius, qui etiamnum septennis puer pauperibus modò palliolum, modò thoraculam, aliáque vestimenta dedit liberalissimè: domi à parentibus ob id rigidâ quæstione habitâ, respondit, prætereuntes, ignotos homines abstulisse. Idẽ Ægidius Abbas fecit, qui tunicam exuit, ut eâ pauperem ægrotum tegeret

De his Zac. Lippeloo, Franc. Harœus, Baron. to 8. Plurimi Sanctorũ suis vestibus frigẽtes egenorum artus velarunt.

regeret. Aidano Lindisfarnensi Præsuli Rex Oswinus nobilissimum equum unà cum phaleris donavit. Non ita multò post Aidanum equo vehentem pauper eleemosynam rogavit, mox ille in pedes desiliens, equum, ut erat stratus, mendico dedit abducendum. Istud Rex ægerrimè ferens, & præsulem ad mensam accersens: Quid tibi volebas, inquit, domine Antistes, cùm vilissimo mendicabulo equum regium donares? an non alius est modus hoc genus hominum juvandi? Cui placidè Aidanus: Rex, inquit, æternùm vive: sed num tibi charior est filius equi, quàm filius Dei? Rex veniam dicti postulans se deinceps alienæ liberalitati legem non facilè definiturum spopondit. Aidano geminus Richardus Ciceſtrensis in Angliâ Episcopus, pecuniis per eleemosynas jam quidem exhaustis, sed integerrimâ etiamnum liberalitate, equum, quo vehebatur, vendi jussit, ne deesset, quod egenis impendi posset. Sancti omnes dispersérunt & dederunt pauperibus.

§. II.

Et hoc fecerunt Episcopi & Archiepiscopi;

AMbrosius, Augustinus, Cæsarius, Gallus, tot alii præsules tantis studiis rem curarunt pauperum, ut calices & vasa sacra stipem facerent. Beatus Gallus dicere solebat. Meus præceptor Columbanus æneo calice sacrificavit, Christus in cruce ferreum suo sacrificio adhibuit, siquidem clavis suum sanguinem propinavit.

Dublinensis Archiepiscopus Laurentius quotidie triginta, vel quadraginta, frequenter sexaginta pauperes in oculis suis pasci voluit. Cantuariensis Archiepiscopus Thomas eâ liberalitate dedit, ut ipse petentibus numquam, sed ipsi desuerint petentes, nec umquam voluntas cessarit, sed facultas. Colonienſis Archiepiscopus Anno tam effusè pauperes fovit, ut sæpe nec obolus danti superfuerit: singulari studio egenos parvulos complexus est, quibus suâ ipse manu porrexit cibum. Ad principales hujus Episcopi ædes infinita turba mendicorum quotidie confluxit. Stipem omnibus, si fieri posset, mensam viginti quatuor præberi voluit quotidie. His convivis pedes ipse lavit, & eis osculum impressit; demum tam admiranda liberalitas non erubuit vestem à Canonico petere, ut scilicet tegeretur Episcopus, nec turpe ipsi fuit operimentum in morbo mutuum accipere, nimirum ut ægrotus Episcoporum Antistes frigori resisteret.

Wolfgangus Ratisbonensis Episcopus incensâ & gravi annonâ coëmptum à se frumentum pretio dimidio vilius vendidit. Ambianensis Episcopus Godefridus in singulos dies tredecim mendicos mensâ refecit, quibus & pedes lavit. Leprosis stipem petentibus, cùm nummi deficerent, cibos è culinâ raptos distribui jussit. Noluit œconomus. Si quid curatum velis, huic manda. Cùm verò pauperes dimissos anrè, vacuos redire cerneret Godefridus, culinam ipse ingressus (hoc omni vitâ numquam fecerat) quod proximum habuit, salmonem grandem è foco raptum leprosis dedit. OEconomus intervenit, & furere cœpit: nec mitram veritus, convicils & acerrimâ invectivâ patientissimum præsulem, ut prodigum excepit. Hæc tamen omnia vir tam mitis quàm liberalis insigni tolerantiâ concoxit. En, mi Lector, quâ ratione tres sorores Liberalitas, Patientia, Humilitas de Godefrido certarint, & cum sibi quævis vendicarit. Ab Episcopis ad purpuratos Patres transeamus.

§. III.

Et hoc usurpatunt Cardinales.

CArolus Borromæus, Cæsar Baronius, Robertus Bellarminus, quàm prono pectore, quàm munificâ manu inopiam pauperum sublevarunt? Verè patres erant pauperum. De Bellarmino quædam admiranda, sed minùs nota subjicio. Capuæ familias omnes ære alieno mersas, aut re domesticâ destitutas; tum quæ olim divites (ut varia vita est) ad inopiam prolapsæ, tum quæ se divites numquam meminerant, in album jussit excipi, atque harum ipse subsidium fuit unicum. Consuetudinem pro foribus annonam pauperum distribuendi custodivit constanter, quamdiu vixit. Hinc quoties domum rediret, ante vestibulum ipsum, in aréâ, perque gradus confertim dispositam necessitatem inveniebat. Imò in aulâ etiam non deerant, qui libellos supplices, in quibus inopiæ historias legeret, intranti offerrent, quorum postulatis mox satisfieri jubebat, dolebátque tantummodo, quia conari interim plura nequiret.

Divites plerumque fastidiis pleni, pauperum occursus velut pessimi ominis larvas oderunt & arcent: At Bellarminus aspectu mendicantium lætabatur. quos lætissimè salutans, vultu benignitatis pleno aspiciebat, ut Christum Dominum imitaretur, de quo vates regius prædixit: *Animas pauperum salvas faciet; ex usurâ & iniquitate redimet animas eorum, & honorabile nomen illorum coram illo.* Psal. 71. v. 13. & 14.

Aliquando tantus ad ædium vestibulum factus est concursus, ut Cardinali omnis aditus obstrueretur. Hîc familiâ quidam inopum turbam submoverè nisus, unum ex eis ad terram dedit. Id Robertum supra modum afflixit, & ideo hominem severè increpans verbis gravissimis monuit, ne inopes, quos utique pupillam oculorum suorum esse non ignoraret, ita contemptim acciperet. Quod dixit, re monstravit. Nam annui proventus partem tertiam quot annis in pauperes erogavit. Cùm enim ex quo Capuæ Archipræsul esse desiit, ad sex aureorum septémve millia redactus esset, & minor esset aureos bis mille in pauperum penu distribuit Quod rationes familiares testantur. His addenda, quæ clàculum & suâ manu distribuebat, dispensatori sæpenumero illud inculcans: *Colligite, quæ superaverunt fragmenta, ne pereant.* Atque hoc genus quoddam interpretabatur, aliena veriùs restituentis quàm suamet erogantis. In pauperum tuguriola promptissimè se penetrabat, singulos, qui haberent, rogitans; simul etiam vigilantiorem illorum curam præfectis inopum demandabat. Demum si quem spes omnes reliquerant, hunc aspicere tamquam filium & infortunium ejus tam ferre familiariter, quàm si ferret non alienum, sed suum. Prorsus ut cum Apostolo posset usurpare illud: *Quis infirmatur, & ego non infirmor?* Ioan. 2. 6. 12. 2. Cor. 11. v. 29.

§. IV.

BEllarmini porrò vigilantissimam in pauperes curam luculentè testantur rara hæc & singularia. Habuit in ædibus suis solare horologium, sed pilus ferreus, qui umbram ambulantem trahebat, sede aliquantulùm excussus fuerat. Cardinalis de restituendo ego cogitavit, sed retardatus est, cùm rei pretium indicarent duos argenteos. Æstimavit enim hos æquiùs seponi pauperibus, quàm in rem insumi haud omnino necessariam. In hoc sensu abundavit adeò, ut qui tam præstò esset egenis planè deesset sibi. Hinc factum est, ut vestes suas detritas resareiri semper curaret. Fuit, ut ei crura humoris vitiati defluxu graviùs intumescerent. Mitigando malo suaserunt medici, tibialia sibi compararet laxiora. At ille subjecit, pecuniam eam qualemcumque congruere meliùs pauperibus; tibiis suis abundè fore, si quoquo modo tegerentur. Quare par veterum tibialium laxari, eisque è panno simili partem assui jussit. Oppositerunt familiares, hoc veteramenti genere prorsus operam ludi, nec tibialia, quæ ab annis jam octodecim habuisset, reconcinnari posse. Dum lis hæc tenet, adolescens adest cum epistolâ supplice ac eleemosynam pro matre petit,

quam

quam in itinere omni ope destitutam jacere dixit. Aulici qui aderant, commentum graphicè fabricatum interpretati sunt, ut pecuniam veram ficta narratio referret. Sed Cardinalis, cui religio fuerat pro tibialibus sex denarios in sui commodum exponere, duos aureos adolescenti largitus, voti compotem dimisit. Sic illum amor in pauperes, omnium, quæ domi essent, divitem, pro se omnium inopem effecit.

Hieme quantumvis sævâ in conclavi suo ignem focúmque strui vetuit, exemplo Pii V. Pontificis Maximi, ut lignorum pretium ad pauperes transiret. Copiam sermonis è Britanniâ nescio quis pauper & fame pressus rogavit: Cardinalis continuò è mensâ, quàm accumbebat opsoniolum suum, quod uni ipsi, nec certè lautum famuli pararant, cum eo divisit. Hunc in modum frequenter suo se victu fraudans, de mensâ suâ epulas pauperibus submisit. Quando in viâ pauperes & ægrotos offenderet, mox vel manu, vel gestatoriâ sellâ ad ægrorum hospitium eos devehi jubebat. Semel hominem pannis & morbi luè deterrimum ipsemet in rhedâ suâ collocavit, & ad xenodochium abduxit.

Vnus aliquis egenorum civium duodecim aureos petivit. Bellarminus, quia præsens pecunia non suppetebat, confestim annulum ex digito detractum ei dedit, adjectâ syngraphâ, ut eum suo nomine oppignaret. Hoc autem quàm potuit occultissimè fecit. Alteri argenteum suum atramentariolum, cùm loculi non responderent, itidem oppignerandum tradidit. Simili modo plures alios juvit. Capuæ injunxit œconomo, ut rhedam ipsam cum equis divenderet, ne deesset unde egenis subveniretur. Atque hanc beneficientiæ virtutem in viris sanctis non mirari magis, quàm imitari studuit: illud & sibi & aliis identidem instillans: Qui liberalis erga Deum est, is erga se Deum multò liberaliorem experietur. Hinc Robertus, laxissimis habenis in pauperum amorem & curam ferebatur, verissimo nomine Consul inopiæ, & Tutor egestatis. *Dispersit, dedit pauperibus; justitia ejus manet in sæculum sæculi.* Sed à purpuratis Patribus ad summos Pontifices gradum faciamus.

Psal. 111. v. 9.

§. V.

Summi Pontifices erga egenos liberalissimi. Isai. c. 60. v. 16. & 17. Baron. to. 2. pag. 193. Anno 223. Anno 1049. Dominicus Tempesta mihi pag. 166.

SOter decimus tertius à Petro Pontifex, quantum stipis in egenos Christianos præsertim ad metalla damnatos expenderit, Cæsar Baronius in sacris Annalibus refert, quò vaticinium Isaiæ ducit: *Suges lac gentium, & mamillâ regum lactaberis: pro ære afferam aurum.* Vrbanus I. decimus octavus Pontifex, qui Valerianum & Tiburtium ad Christi sacra traduxit, cùm Cæciliæ Virginis opes postularentur: Has, inquit, manus pauperum jam asportarunt in cælum. Leo IX. è Comite Dagspurgensi Tullonensis Præsul, inde centesimus quinquagesimus quartus Pontifex, vir antiqui & probi moris, in egenos benignissimus extitit. Illius ædes pauperibus, exteríque confluentibus patuerunt. Leprosi ante palatium decumbentis misertus, eum in lecto suo collocari jussit. Postero mane cùm panderetur cubiculum, nemo est repertus, è quo facilis erat conjectura, qualis leprosus pridie fuisset susceptus.

Sed in solio tam sublimi vix ullus sol effulsit, qui calore tam miti, tam largo pauperes calefecerit, atque Gregorius XIII. summus Pontifex, qui non Germanorum tantùm, sed egenorum omnium pater extitit. Non continuit sese sanctissimi viri misericors liberalitas intra nostri orbis limites; novum sibi orbem quæsiit, & ad ipsos penetravit Antipodas, illic quoque æternum sui monimentum fixura. Gregorius namque partim in orientali Indiâ, partim in Europâ, grandi liberalitate tredecim illustria Collegia condidit ad juventutem moribus & litteris formandam. Hoc autem non annumerandum stipi, quæ usque adeò excrevit, ut ex Senatusconsulto Romæ votis omnium, huic Pontifici de egenis bene merentissimo statua in Capitolio sit posita, æternâ voce patris optimi verè beneficum animum testatura. Inter cetera inscriptum marmori hoc encomium: *Sestertium octingenties singulari beneficientiâ in egenos distributum.* Sunt ipsi duo milliones, seu vicies centena millia aureorum. Dispersit, dedit pauperibus. Verè dedit. Nam si Chrysostomo † credimus: *Non dare, sed cum copiâ dare, eleemosyna est.*

2000000. Pontificii ita Baron. to. 2 ad annum 175. num. 20.

† Chrysost. hom. 37. ad populum.

Pius V. publico præsertim pauperum luctu, obiit Anno Christiano millesimo quingentesimo sexagesimo sexto. Hic Pontifex, cùm lues & fames in Vrbe grassarentur, magnam pecuniæ vim in pauperes effudit, addiditque illud paternum: Ea nunc sunt tempora, ut & calices aureos & Ecclesiæ thesauros oppignerari velim, quo Christi membris subveniatur.

Silvester I. ævo Constantini Magni trigesimus quartus Pontifex tam sanctus, quàm in pauperes benignus illustrissimam sui memoriam reliquit.

Clemens VIII. non solùm quotidie tredecim pauperes mensâ refecit, sed & aliam mensam sibi vicinam quot diebus instruxit, quâ pauperes peregrini exciperentur. His è suâ mensâ optimos quosque missus apponi voluit. Quâ in re non tantùm largitio, sed & modestia summi Antistitis æstimanda, quæ pauperes habere voluit sibi tam vicinos.

Hoc benefaciendi studium & ostendit homines sanctos, & facit. Ecquid tot alios commemorem.

§. VI.

Tiberius Imp. inopum fuit defensor.

AIustino proximus Tiberius Imperator hac benefaciendi arte assecutus est, ut de eo Gregorius Turonensis hoc scriberet elogii: Tiberium Cæsarem elegerunt utilem, strenuum, atque sapientem, eleemosynarium, inopúmque optimum defensorem. Hic Imperator cùm thesauros, quos Iustinus acervarat, in egenos partiretur, Sophia Imperatrix Augusta non sine felle sæpius objecit, eâ ratione Rempublicam ad incitas devolvi; plurimis annis à se collecta, nimis improvidè jam dilapidari. Cui Tiberius: Ne quæso, ajebat, in damnum nostrum solliciti simus; captivis litrum, egenis eleemosynam debemus; neutra pars suo fraudanda est. Illos & istos juvemus, & æratio nostro numquam decrit, quod porrigat. An Christi monitum ignoramus? *Thesaurizate vobis thesauros in cælo.* Demus ei, qui prior dedit nobis, & sciamus nos non esse immortales. Præmittamus illuc optima quæque, quò speramus nos breuì secuturos. Ita Tiberius se Christianum esse commeminit, & in dies magis ac magis laudatissimam in pauperes liberalitatem auxit. Nec Deus liberalitate se vinci passus est. Nam cùm per aulam spatia faceret, lentéque obambularet, in pavimento tabulam vidit marmoream, cui crux insculpta. Hîc ille secum: O Christe, inquit, tuâ cruce frontem & pectus signamus, cur ea pedibus calcatur? Mox igitur tolli marmor imperavit. Sublatum est, sed aliud signo eodem insculpto repertum Cæsaris jussu sublatum, & inventum tertium. Quo pariter amoto thesaurus ingens, aliquot auri centumpondia sunt eruta. Hoc pabulo Tibertana largitas lautissimè pasta maximas sibi vires sumpsit in pauperum curâ. Sed neque hîc divina liberalitas stetit.

Matth. 6. v. 20.

Dei erga eum liberalitas & munificentia.

Narses Dux Italus militiæ, domum sibi delegit, in quâ plurimum argenti & auri, nobilem prædam, defodit, paucis conscíis. Sed & hos ipsos è medio clam tolli jussit, atque unicum senem jurejurando adstrictum thesauri custodem dixit. Sed ô bone Dux, *quæ paraſti cujus erunt?* Paullò pòst Narses ipse in loculo ad thesauros suos correpsit in terram. Senex, thesauri custos, ne in suum ipse caput grande malũ cude-

Luc. c. 12. v. 20.

ret tacendo, latêtissimam aurifodinam Imperatori detegens: Narsetis, inquit, thesauros hactenus custodivi, nunc in manu tuâ sunt, Auguste, si velis. Tiberius certos homines, qui captivum metallum educerent è carcere, cum sene misit. Tam multum aureæ prædæ repertum est, ut in abditis his divitiis ad aulam transportandis dies aliquot laboratum sit. En alteram Dei munificentiam in Tiberium, qui tam blandis stimulis incitatus largitiones suas effusissimis studiis ampliavit. O pulchrum certamen, cùm Deus & homo certant liberalitate! Hîc Deus numquam non victor: hîc autem vinci suavissimum est. Certamen hoc sanctorum omnium fuit. Dispersérunt omnes, & dederunt pauperibus.

Thom. Cantiprat. l. 2. de miracul. sui ævi c. 25. mihi pag. 206.

Theologus & Cameracensis Proëpiscopus Thomas recenset, virum nobilem, Adamum de Belomeir illud itineris ingressum, è quo ante complures dies non reditu rus putabatur. Interim à conjuge hospitium rogat leprosus. Admittitur. Lectum etiam desiderat: In domini lecto reponitur. Ex improviso redit dominus, & viâ fessus ad lectum properat. Dissimulare id uxor conata est, & virum ad conclave aliud diducere. Maritus, non optima suspicatus, irrumpit vi, sed lectulum suum mediâ hieme rosis constratum invenit. Admiranti uxor, & odoris originem petenti omnia ex ordine recensét. Ita vis eleemosynæ atque innocentiæ utrimque patefacta & agnita est. Ambo in laudem Domini IESV, & unà in lacrymas soluti sunt. Optimè dixit Ambrosius, quod auro scribendum, & ad omnia himina præfigendum: *Nihil tam commendat Christianam animam, quàm misericordia.*

Ambr. tr. 5. l. 1. offic c 11. mihi pag. 428.

Hinc jam olim nascente primùm Ecclesiâ ingens Christianorum studium in eleemosynis largiendis. De his Tertullianus verba faciens: *Hæc*, inquit, *deposita pietatis sunt. Nam inde non epulis, non potaculis (hic Afri stylus est) nec ingratis voratrinis dissipatur, sed egenis alendis, humandisque, & pueris ac puellis re ac parentibus destitutis, jámque domesticis senibus, item naufragis, & si qui in metallis, & si qui in insulis, vel custodiis, Dei causâ, alumni suæ confessionis sunt. Sed ejusmodi vel maximè dilectionis operatio notam nobis inurit penes quosdam: Vide, inquiunt, ut invicem se diligant? & ut pro alterutro mori sunt parati?*

Tertull. in Apolog. c. 39. mihi pag. 68.

§. VII.

VIdete, in quot rivos Christiana eleemosyna se diffundat, viduis, pupillis, senibus, orphanis, egentibus, ægrotis, mendicis, naufragis, iptis etiam mortuis impenditur, in tuguriola, in domos, in ergastula, in triremes, in carceres, in latumias subsidio venit. Neque nostro hoc ævo priscum beneficiendi studium est extinctum. Romæ olim Publius Victor numeravit templa seu sacella centum quinquaginta, nûc ajunt in Vrbe, & Vrbis ad duo milliaria circuitu tria millia templorum contineri. In eâdem hac Vrbe Româ, viginti quinque opulenta & ampla Xenodochia sunt ægrotis, pauperibus peregrinis recipiendis.

Vide Thom. Bozii de signis Eccles. l. 10. c. 9.

Scribanius in suâ Antverpiâ 1. 1. Liberalitas.

Antwerpiæ quatuor ex more pauperum præfecti superioribus annis singulis florenorum sexaginta, quin & septuaginta, adeóque octoginta, pluráque etiam florenorum millia collegerunt. Quid integrâ Republicâ sperari posset, cùm hac prostratâ, & annorum sexaginta civilium bellorum collisionibus destitutâ, commerciis nudatâ, nobilitate exhaustâ, ingentia tamen videamus munificentiæ documenta. His in eâdem urbe minimùm triginta tria egentium domicilia, variorum civium liberalitate dotata, sunt annumeranda.

A Vt alias in Germaniâ civitates taceâ, in vicino Monacensibus cœnobio non amplo, nec divite, anno tamen unico viginti millia panum in pauperes distributa sunt. Fuit in Germaniâ superioribus annis Archiepiscopus (uti exploratâ fide memorant) qui annis singulis septuaginta millia florenorum in egentium usus expendit. Hic certè Antistes, quod Nabuchodonosori suasum, peccata sua eleemosynis redemit, & mercatus est cælum.

Wolfius in Annal. Boic. ad ann. 1153. Lib. de Ebergeto. Dan. c. 4. v. 24. Lan. Summ. parte 2. fo. Chron. Gen. mus. ad an. 1552. mihi pag. 271.

Carolus V. Imperator, etiamnum adolescentulus subinde uno die crumenam in pauperes deplevit sèpties. Dabantur autem illi unâ vice ac dosi quadraginta floreni. Quin imò etiam quandoque flevit Carolus, quòd non posset dare omnibus alienâ ope indigentibus. Hinc jure merito regum omnium ac principum liberalissimus est habitus. Iucundum dictu est, quod attexo.

B In Galliâ Belgicâ inter Francorum regni limites, & Namurcum oppidum, Alnense Monasterium Cistercienfis ordinis amplum, & copiosum est, cujus Abbas vir pius & liberalis, non solùm in pauperes munificus, verùm etiam in peregrinos tam hospitalis fuit, ut illud cœnobium montibus ac silvis abditum, velut Abrahæ domus, omnium hospitum videretur esse receptaculum. Quid opus multis? Ne quis hospes impransus aut incenatus temerè transiret, monasterii portæ versiculem istum quadratis litteris inscribi jussit:

Vide Ioan. Dassi. Idea pii Hosp. poricum Hieroso.

Porta patens esto, nulli claudaris honesto.

Hæc religiosa hospitalitatis virtus, antistitem omnibus adeò amabilem, charúmque reddidit, ut omnium præsertim egentium diceretur Pater. Et pauperes quidem quotidianis eleemosynis fovebantur; ditiores tantæ humanitati & beneficentiæ grati majora in cœnobium munera conferebant. Abbate hoc defuncto, pæne omnis cum eo liberalitas est mortua. Ejus successor Martinus, ad rem nimiùm attentus beneficentiam abolere, C hospitalitatem minuere, versiculum januæ inscriptum, non quidem eradere (invidiam metuebat) sed mutare, geminísque solùm punctulis vafrè translatis in sensum planè contrarium contorquere, jámque hoc modo legendum proponere:

Porta patens esto nulli, claudaris honesto.

Res multorum sermonibus agitata, demum ad summi Pontificis notitiam pervenit, qui Abbatem inter Ceritos rétulit, & officio abire jussit, non quòd maleficus esse cœpisset, sed quòd desisset esse beneficus.

Egenis benefacere primum ac summum fuit studium in sanctis omnibus. Dispersérunt, dederunt pauperibus. Oraculum Salomonis longè certissimum neminem fallit: *Qui pronus est ad misericordiam, benedicetur.* Multi eum oderint, at ille benedicetur. Plurimi eum contumeliis lacerent, at ille benedicetur. Sunt qui damnis eum afficiant, at ille benedicetur. Orbis illum execretur, at ille supremo die inter beatos audiet: Venite benedicti, percipite regnum. Ita benedictus erit in æternum. *De pane enim suo* (ait rex sapientissimus) *dedit pauperi.* Fortassis panem habuit unicum, sed hunc ipsum divisit, & in partem vocavit pauperes. Æterna benedictio tam benevolam manum remunerabitur. Idcirco Paulus vociferatur & urget: *Beneficentiæ autem & communionis nolite oblivisci, talibus enim hostiis promeretur Deus.* Hecatombas & vel centum Aquilarum sacrificia non curat Deus. Misericordiam vult, & mentem in eleemosynas pronam. Dicturus causſam, ait Chrysologus, *in judicio Dei, patronam sibi misericordiam, per quam liberari possis, assume.* Communionis & beneficentiæ non oblivisce re.

Prov. c. 19. v. 9.

Ibidem.

Hebr. c. 13. v. 16.

Petr. Chrysolog. in h. mihi pag. 270.

GAZO.

GAZOPHYLACIVM CHRISTI.

PARS ALTERA.

QVOMODO DANDA SIT ELEEMOSINA.

CAPVT I.

Quomodo, præsertim quàm exporrectâ, celeri, expeditâ manu dandæ sint Eleemosynæ.

DVÆ humani corporis partes stomachus & splen unà alteráve functione sibi similes, aliâ dissimillimæ sunt. Alimentum quidem splen ad se trahit, sed sæpe suo damno, nam inde intumescit & oppilatur. Stomachus bonus, quod accipit, fideliter in cetera membra, velut paterfamilias distribuit. Salomon de valde dispari ingenio hominum disserens: *Alii dividunt propriæ*, inquit, *& ditiores fiunt: alii rapiunt non sua, & semper in egestate sunt.* Illi, ut bonus stomachus dividendo, & se & corpus omne conservant; isti, ut splen trahunt ad se etiam aliena, sed in suam perniciem.

Differētia inter stomachum & splenē.

Prov. c. 11. v. 24.

Stomachus damnum accipit non solùm ab inopiâ, cùm non habet quod digerat, sed etiam à cōpiâ, cùm semper & nimium habet quod coquat. Sic enim plurimùm impeditur, sibi & aliis membris alimoniam acervando gravissimè nocet. Ita prorsus hi tales corradunt divitias, detrimento suo maximo: In egestate aut spiritùs sunt, aut certè corrasis opibus frui non possunt. Optimi stomachi nota est, bene concoquere, largè distribuere. Hi propria dividunt, & ditiores fiūt.

Dividendum esse in parte primâ diximus. Quomodo dividendum sit, hac alterâ exequemur. Atque ut præceptiones non multæ tantò tenaciùs infigantur memoriæ, quantò compendiosiùs; tres illarum suis voculis comprehensas hoc caput explicabit. Sunt istæ. *Da ipse eleemosynam: Da dictante syllabo: Da cito.* De his nunc plura.

Tres modi in largiendis eleemosynis.

§. I.

PRimus modus in largiendis eleemosynis est, *Da ipse eleemosynam.* Ostende manuum usum te nondum perdidisse. Immitte dexteram in marsupium, aut canistrum, & ipse nūmos aut panem porrige. Hoc iis præcipimus, quos dignitas eminentior, aut mos non aliud cogunt facere. Qui cœnobiis clauduntur, rarissimè dant ipsi suâ manu eleemosynas; nihilominus in religiosis familiis nemini non concessum, subinde vices janitoris fungi, & ad cœnobii portam pauperrimę tribui stipem & panes partiri. Ita nec summo Pontifici, nec Romano Imperatori, nec Principum ulli vetitum eleemosynas quandoque non alienâ, sed suâ manu largiri. Res est optimi exempli & Christianæ humilitati congruum.

1. Modus: Da ipse eleemosynam.

Obiit Anno 1034. die 16. Augusti: ut ea Fra... testatur.

Pannoniæ Rex Stephanus tam Romæ quàm Constantinopoli, & Hierosolymis Collegia templa, xenodochia exædificavit, & amplis censibus dotavit. Sed hæc omnia dedisse tam sanctæ liberalitati parum erat, nisi & ipsum Christum pauperem suâ manu ditaret. A Igitur quadam nocte crumenam nummis turgidam pro comitatu regio assumens, in pauperum turbam se immisit. At illi monetæ nimis avidi, temerarias manus nec à regis vultu abstinuerunt & ut alter alteri argentum præriperet, regi barbam evulserunt. Licentiosa hæc mendicorum improbitas, profectò regi nobilissimum sanctimoniæ testimonium dedit: & quod fatale aliis, hoc lucrosum fuit mendicis. Nam tantùm abfuit optimum regem in hanc hominum fœcem excandescere, ut etiam sibi ipse gratulatus, Christo & ejus beatissimæ Matri, corpore in terram abjecto, gratias egerit, quod istud largitionis suæ præmium retulerit. Et verò seipsum suaviter irridens: Imposterum, ajebat ipse secum, in mendicos aut plus monetæ sparges, aut plus barbæ amittes. Sed noluit Deus adeò sinceram munificentiam tam illustri Patientiæ ac Humilitati junctam præsenti carere præmio. Solebat Rex Stephanus frequenter interrogare, de pauperum & ægrotorum valetudine, & mox vel florum, vel panis, vel pomorum, vel pecuniæ aliquid mittebat ægro recreādo. Sed & illud plerumque addebat: Dic ægroto illi, ut quamprimùm convalescat. Vox eventum habuit non rarò. Nam multi ad has voces & suavissimum regis imperium continuò sani & incolumes surrexerūt. Ita Stephanus eleemosynis, quas ipse dedit, modesta & occulta patravit miracula. B

Beatus Paulus hanc ipsam eleemosynæ legem servaturus: *Nunc igitur proficiscar*, inquit, *in Hierusalem, ministrare sanctis. Probaverunt enim Macedonia & Achaja collationem aliquam facere in pauperes sanctorum, qui sunt in Hierusalem. Placuit enim eis: & debitores sunt eorum. Hoc igitur cum consummavero, & assignavero eis fructum hunc, per vos proficiscar in Hispaniam. Ista audiant*, inquit Chrysostomus, *& divites, & pauperes. Si enim qui manibus suis victum quærebant, officinæque præerant, tantam ostenderunt largitatem, ut multis Ecclesiis essent utiles: quam veniam habebunt divites? Nam illi quidem neque sanguini suo pepercerunt, ut Deo placerent: tu verò modicis pecuniis parces, tuam ipsius animam sæpenumero contemnens? Confer nunc istis tua, studium pecuniarum, contentionem pro vili gramine: & tunc videbis, quinam illi, quis verò tu sis. Non dicit Paulus: Proficiscor eleemosynam deferens, sed ministrans. Si verò Paulus ministrat, cogita quantum sit, quod sit, nimirum quod Doctor orbis deferendum recipit, & quod ad Romanos peregrinaturus, quódque illos usque adeo videre desiderans, hoc tamen illis præfert.*

Rom. c. 15. v. 25. 26. 27. 28.

Chrys. to. 5. hom. 3. in ep. 1. ad Tim. mihi pag. 267. & seqq.

Non immeritò miratur Chrysostomus, concionatorem Orbis sepositò tantisper concionandi officio & negotiis omnibus, non per internuncium, nec ullum alium, sed per seipsum eleemosynas subministrare voluisse. Hoc agebat, ut eas ipse ferret, ipse daret. In rebus plerisque omnibus documētum optimum est: Si quid curatum velis, ipse cura, & non aliis manda. Si adesse non possit domini manus, saltem adsit oculus. Si laborem ipse suscipere non possis, saltem laborantes oculo præsenti ac vigili cohortare. Idem in eleemosynis servandum: exporrige manum, da ipse stipem mendi-

cos ipse alloquere, & tuum illis fructum assigna ipse.

Germani veteres in eo genere religiosissimi filiorum aut puellarum manibus inserebant stipem, ut sic liberos à cunis assuefacerent dandis eleemosynis. Margarita Hispaniarum Regina liberos suos à teneris unguiculis ita erudiit, ut ipsi non prono solùm affectu, sed suâ etiam manu largirentur stipem. Ergo da ipse eleemosynam.

§. II.

2. Modus: Da dictâte syllabo.

Alter in dandâ eleemosynâ modus est: *Da dictante syllabo.* Memoria humana non solùm non immensa non infinita, sed labilis, & fluxa, idcirco ea continuis subsidiis fulcienda. In eam rem sunt schediasmata, sunt chartulæ ac syllabi, sunt signa & libelli, qui sæpius inspecti memoriam vellicent, ne ipsi subrepat oblivio. Hic prorsus ita faciendum; Pater aut materfamilias sæpius quærant. Quid sit? num pauperibus datur, quod dari jussum est, & quomodo datur? Hoc ægrotis, hoc captivis, hoc aliis deferendum dedimus, num delatum est? Illi autem, qui multis statas dant eleemosynas, syllabos suos & nomenclaturas crebrò consulant, & ne quid obliviosè aut negligenter hîc agatur, videant.

Beatus Fulgentius Episcopus, qui letali in morbo assiduè precabatur; Domine IESV, hîc modò patientiam, & posteà indulgentiam: hîc ipse moriturus omnium pupillorum, viduarum, egenorum nomina exactè tenuit, & discriminatim atque dispositè præcepit: Huic tantum pecuniæ dato, illi minus, plus isti. Quia verò non omnium talis est memoria, tam tenax, tam ampla & fida, necessarium est, chartam interrogare; syllabus juvet. Vt ostendas rem tibi curæ esse & cordi, nonnumquam quære: Quid meus dicit syllabus? quæ nomina suggerit expungenda? Hoc Gregorius Magnus, hoc Ioannes Patriarcha Alexandrinus, hoc & alii fecerunt, qui non graciles libellos, sed codices & volumina nominibus pauperum impleverunt. Hîc seriò agendum & graviter; Res Domini est.

Sed & in aliis rebus innumeris terrarum Orbis longè meliùs administraretur, si negotia non adlabentis memoriæ segnitiem, sed ad monitoris syllabi suggestionem ordine conficerentur.

Guido Pancirollus to. 1. memorab. mihi pag. 736.

Romani olim servos alebant, quorum hic unicus labor, cives Romanos nosse, & nomina eorum memoriâ complecti. Hos nomenclatores appellabât. Eorum usus tûc maximè opportunus, cùm dominis suis Candidatis & magistratum ambientibus civium nomina suggerebant, prout quisque obvium se dabat. Ita Candidati singulis suo nomine compellandis omnium benevolentiam captare potuerunt. Majore enim voluptate afficitur, qui suo se nomine compellari audit, ejúsque animus ita compellanti magis conciliatur, quàm si velut ignotus salutetur. M. Catoni etiam, ait, Tullius, nomenclatorem fuisse, qui obviorum nomina insusurrarit.

Enimverò & nos, quotquot cælum ambimus, Candidati sumus, Amici Numinis, qui prensandi, sunt pauperes. Hos digito monstrans Servator: *Facite vobis amicos,* inquit, *de Mammona iniquitatis, ut cùm defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.* Hi amici, hi fratres Christi sunt; hi ambiendi à nobis, horum captanda est benevolentia, horum noscenda sunt nomina. Adsit igitur nomenclator syllabus, qui moneat: da huic, da illi pauperi; cras istis atque illis, atque aliis largiendo subveni. Nullus senum, quantumvis ceterà oblivioso, meminisse desinit, quo loco aurum defoderit, aut cui pecuniam mutuam commodarit. Hîc avaritia memoriam reddit fidelissimam; hîc nullo nomenclatore opus est. At cùm dandum est, & quidem gratis, cùm

Luc. c. 16. v. 9.

A pauperes sunt juvandi, hem quàm facilis obrepit oblivio? quàm fallax & lenta, quàm segnis & infida hîc solet esse memoria? cui ea hîc non labat, quem non destituit? Quapropter monitor necessarius; nomenclatore opus est. *Da igitur dictante syllabo.*

§. II.

3. Modus: Da citò.

Tertius in dandâ stipe modus est: *Da citò.* Chrysostomi sensu tria sunt optanda Christiano. Vt velit, ut possit, ut compleat. Multi volunt, sed non possunt. Sunt, qui possint, sed nolint. Sunt, qui velint & possint, cœpta tamen non compleant, sed cunctando & procrastinando, vel etiam cessando perdant. Communis morbus est scitiorum, *Differre.* Frequentissimæ sunt illis hæ voces: Cras veni, perendie redi; sequenti mense id fiet, post medium annum videbimus. O nullum auxilium, & frigidum solatium, quod præbet tam exosa cunctatio!

Tria optâda Christiano.

Differre est cõmunis ditiorum morbus.

B Hæc ævi nostri, in aulis præsertim & curiis labes maxima est, pæne omnia procrastinare. Quoties illud Areopagitarum res ipsa pronuntiat. Post centum annos. Hinc lites in annos eunt, & in sæculà, hinc fortunarum eversiones, hinc mala innumera.

Labes ævi nostri est pæne omnia procrastinare.

Differre honesta semper serum & noxium;
Iactura vitæ maxima est dilatio.

Quomodo veteres dilationis damna subjecturi oculis pinxerunt erinaceum, cum inscriptione: *Procrastinationis damna.* Erinaceus cùm difficillimè pariat, partum, quamdiu potest, extrahit & procrastinat, quò autem longiores moras interponit enitendo, hoc acerbiùs pungitur, & laceratur. Ita multi quò pariendo tardiùs, hoc & ægriùs dant: longè suaviùs dedissent, si dedissent citiùs. Differendo magis adglutinatur pecunia, & difficiliùs exit è manu. Hîc illud Domini opportunissimũ: *Quod facis, fac citò.* Ecclesiastes ad tollendas moras exstimulans: *Manè,* inquit, *semina semen tuum, & vesperi non cesset manus tua: quia nescis, quid magis oriatur hoc an illud. Pigri in dies actiones suas procrastinant.* Cunctatione res omnes redduntur imperfectæ, præsertim beneficientia, quæ sæpè tantò est sterilior, quantò lentior & morosior.

Quomodo veteres dilationis damna depinxerint.

Ioan. c. 13. v. 27.

Eccles. 11. v. 6.

Plaut. in Bacchid.

Beneficentia cũctatione redditur imperfecta.

Prov. 3. v. 28.

Martial. l. 5. epigram. 54. in alio epig. 60.

Sapienter ac fideliter monens Salomon: *Ne dicas,* inquit, *amico tuo, vade & revertere, cras dabo tibi, cùm statim possis dare. Dabo tibi,* vox aurea, vox optima, sed & penitus corrumpit nequissimum, Cras.

Cras te victurum, cras dicis, Posthume semper,
Dic mihi cras istud, Posthume quando venit?
Quàm longè cras istud ubi est, aut unde petendum?
Numquid apud Parthos, Armeniosque jacet?
Iam cras istud habet Priami vel Nestoris annos:
Cras istud quanti, dic mihi possit emi?
Cras vives: hodie jam vivere, Posthume serum est.
Ille sapit, quisquis, Posthume, vixit heri.

Torpedo piscis torporem imprimit & piscibus & piscatoribus: sic alios pisces capit, sic piscatores eludit. Dilatio planè torpedo est, quæ liberalitatem efficit segnem, & cunctabundam, & hoc ipso admodum ingratam. Luciani scitum est: Gratia, quæ tarda est, ingrata est gratia.

D

Aristot. l. 8. hist. animal. c. 37. & 32.

——— *Gratia namque*
Cùm fieri properat, gratia grata magis.
Si bene quid facias, facias citò, nam citò, factum
Gratum erit, ingratum gratia tarda facit.

Citò facere propriè est libenter facientis.

Nam quod Annæo credemus, omnis benignitas properat, & proprium est libenter facientis, citò facere. E priscis sapientes & verè dixit Publius: Beneficium bis dat, qui celeriter dat; & minùs decipitur, cui negatur celeriter. De beneficiis tam eruditè quàm Christianè dissertans Seneca: *Sic demus,* inquit, *quomodo vellemus accipere. Ante omnia libenter citò, sine ullâ dubitatione. Ingratum est beneficium, quod diu inter manus dantis hæsit, quod quis ægrè dimittere visus est, & sic tamquam sibi præri-*

Senec. l. 1. de benefic. c. 1. & l. 2. c. 1.

Beneficii autem ingratum, quod diu inter manus hæsit.

præriperet. Etiamsi quid moræ intervenit, evitemus omni modo, ne deliberasse videamur. Proximus est à negante, qui dubitavit, nullámque meretur gratiam. Nam cùm in beneficio jucundissima sit tribuentis voluntas; qui nolentem se tribuisse ipsâ cunctatione testatus est, non dedit, sed adversus dubitantem, malè retinuit. Gratissima sunt beneficia parata, facilè occurrentia, ubi nulla mora fuit, nisi in accipientis verecundiâ.

Ab eo, qui funem trahit, alio malè renitente.

In testimonium venit Publiana illa sententia:

Bis est gratum, quod opus est, ultrò si offeras.

Nihil æquè amarum, quàm diu pendere. Æquiore quidam animo ferunt, præcidi spem suam, quàm trahi. Quare verissimum existima, quod ille Comicus dixit:

— Quid? tu non intelligis
Tantum ie gratiæ demere, quantum more adjicis?

Inde illæ voces, quas ingenuus dolor exprimit: *Fac, si quid facis.* Major est muneris gratia, quò minùs diu pependit. Qui tardè, & diem de die extrahens profuit, non ex animo fecit. Ita duas res maximas perdidit, & tempus & argumentum amicæ voluntatis. Tardè velle nolentis est. In omni negotio non minima portio est, quomodo quidvis dicatur aut fiat. Multum celeritas fecit, multum abstulit mora.

Quia duas res maximas perdidit, tempus scilicet & argumêtum bonæ voluntatis, Leontius in vitâ illius c. 30.

§. IV.

IOannes Alexandrinus Patriarcha templum beatorum Martyrum Cyri & Ioannis peregrinando visere instituit. Cùm urbis portâ jam egrederetur, accurrit mulier, & opem postulans: Vindica me, inquit, injuriam patior à meo genero. Hîc Comites suadent Ioanni causam, nec suo tempore nec loco delatam, post reditum discutiendam: facesseret tantisper importuna mulier. At Ioannes: Et quomodo, ait, orationem nostram audiet Deus, si ego hanc negligam audire? Deinde quis mihi vitam spondebit in crastinum? Hinc non abibimus, dum jus dicamus, & vindicemus oppressos.

Iob c. 31. v. 16.

Ioannes à Iobo hoc didicit, qui de seipso: *Si oculos viduæ*, inquit, *expectare feci.* Orbem inspice, & passim nihil minùs fieri videbis. Vbiq; procrastinationes innumeræ. Obviæ sunt voces illæ: Vade & revertere, cras dabo tibi. Longè aliud in corpore humano cernimus: cùm unico membro ægrè est, mox adsunt alia, opem allatura; cùm ictus minatur capiti, mox sese objiciunt manus; quandò cor in arcto est, mox accurrit sanguis. Nos sub uno capite, in uno corpore membra sumus, cur non alterum ab altero, idque festinatis auxiliis juvamur? Cunctatio jactura vitæ maxima. Notæ sunt vel pueris Petri Telonarii moræ.

Leontius in vitâ Ioan. Eleemosynarii c. 12. mihi pag. 189. apud Rosvv.

Petrus tã dives, quàm avarus, & in pauperes asper, sermonem dedit iis maximè, quibus nihil eleemosynæ dedit. Hoc vel inde clarum fiet. Hieme cùm in solarium apricarentur mendici, variis narratiunculis eas domos commendare cœperunt, quæ liberaliùs darent, vituperare illas, & atro calculo notare, quæ mœstum illud: *Abite, Abite*, occinerent. Hîc multa Petri Telonarii mentio. Vnus aliquis mendicorum, velut curiæ præses singulorum sententias perrogare, num ullus unquam vel miculam accepisset à Petro avarorũ omnium primipilo; negare singuli se vel obolum, vel buccellam, vel tegetis particulam ab eo unquam accepisse. Hîc audacior unus: Pignore, inquit, contendam, ni hodie stipem ab eo extorsero. Enimverò, tu dic, mecum quo pignore certes? ita sim salvus, ut Petrus hoc ipso die daturus est. Omnes liberaliter deposuerunt; Æthiopem illum lavari non posse. Mendicus ad omnem vafritiem factus, ad illius avariissimæ domûs ostium se collocat, vocem, manus, vultũ, oculos, corpus omne componit ad nummulum vel panis frustillum extorquendum. Brevî approperat ipse Petrus, & quod opportunissimè cecidit, cum eo simul jumentum panibus onustum. Hîc mendicus velut in scenam prosiliens, non solùm voce flebili, sed & manibus protensis & oculis flere jussis, & gestu lacrymabili sic perorat, ut Petrus invitum se moveri sentiens in indignationem proruperit, & lapidem circumspexerit, quem in mendici caput projiceret. Lapide non invento, furor ei panem pro armis ministravit. Mendicus hunc lapidem exosculatus curriculo ad sodales suos abiit, & panem Petri manibus illustri victoriâ excussum monstravit.

Post biduum letali morbo decumbit Petrus. Inquiete visus est sibi rationem vitæ transactæ reddere, inde actiones suas omnes pias, impias in librâ componi: pondus ingens malarum, bonarum nihil reperiri, præter unicum panem illum, quem ante biduum licet invitus in caput Christi pauperis abjecisset. Hîc Æthiopes malarum actionum lancem prægravare, & ad terram detrahere: parte alterâ candidati juvenes lugere, & inter se quærere de statera in altum erigenda; nec tamen aliud invenire, quàm unicum panem pauperi cum indignatione projectum. Tandem libripens mitissimâ sententiâ: Abi, ait, & panem hunc auge: alioqui Æthiopes, quos cernis tui adversarii te in suum regnum abripient. Hîc Petrus non è somno tantum, sed è sceleribus evigilans, & in sese descendens, omnémque anteactam vitam relegens: Deus bone, inquit, si panis unicus non sine bile projectus tantum profuit, quantum sibi cumulabit lucri, qui sua indigentibus sponte & humaniter impertiverit?

Ab eo tempore adeò liberaliter & plenâ manu dedit, ita se totum in pauperes profudit, ut non tantùm non opibus suis, nec suis vestibus, sed nec sibiipsi pepercerit. Cùm nauram, qui naufragium vix nudus evaserat, supplicem haberet, suâ se veste spolians vestivit naufragum. Quo facto vir longè formosissimus in somno illi oblatus est, qui crucem humeris ferebat, & hunc in modum interrogabat: Num Petre hanc vestem, quâ indutus sum, nosti? Ego eram ille naufragus, quem tu hoc indumento tegebas: urebar frigore, sed tu operiebas me: gratias ago tuæ in me tam pronæ voluntati. Dispulso somno Petrus in admirationem maximam raptus. Verè beati sunt, inquit, beatissimi, qui egenos, ut possunt, juvãt. Si ita res sese habet, ut Christum ipsum reficiat, alat, vestiat, quicumque reficit, alit, vestit pauperes: vivit Dominus, non conquiescam, dum unus ex illis fiam.

Dixit & fecit: Nec enim conquievit, dum in Palæstinâ venderetur aurifici Christiano: Huic domino ita servit, ut vilissima quæque domûs ministeria prõptissimè obiret, & interim jejuniis se maceraret, nec indignaretur à conservis fatuus haberi. Nec mirum. Frequens è cælo solatium accepit. Nam quotiescumque acerbiùs & iniquiùs à domesticis tractabatur, toties ei Christus se spectandum præbens eâ veste, quam Petrus naufrago donarat, & verò etiam his vocibus permulcens: Perseverа Petre, nemo gratis me colit. brevissimus labor, præmium æternum. Perseveravit Petrus. & in eâ domo, in quâ servierat, auditum, & vocem surdo impetravit.

O Petre beatus es, quòd tua dederis pauperibus, beatissimus, quòd teipsum. Sit aureus orbis terrarum universus, & tamen pretium tũ venditi non æquaverit. Quàm verè Ambrosius: *Neque enim, ait, quisque magis beatus, quam qui intelligit super pauperis necessitatem, & infirmi atque inopis ærumnam. In die judicii habebit salutem à Domino, quem habebit debitorem.*

Ambr. to. 5. l. 1. offic. c. 11. pag. 428.

Vt ergo tantò rectiùs des eleemosynam, *Da illam ipse, da dictante syllabo, da cito.* Vis rectè suadere, vis opem ferre, vis seriò benefacere? obsecro te, suade citò, bene fac & juva celeriter, ne gratiam morâ corrumpas; alioqui & tu animum dandi, & alter

rer accipiendi perdit. Duplicata sunt beneficia, quæ maturata.

CAPVT II.

Eleemosynas humaniter, considerate, largiter dandas.

Cæsar. l. 4. Illust. mirac. c. 68. mihi pag. 824.

CÆSARIVS è Cistertiensi familiâ, qui ante annos quandringentos ævi sui miracula conscripsit, rem sibi narratam litteris mandans: Quidam Abbas, inquit, hospitalitatis amans, & in pauperes supra modum prolixus fuit. Ne autem in his pietatis officiis remoram sentiret, sibi similes suo cœnobio curatores ambiit. Optimos conatus miro favore Deus prosecutus est. Quarò plures hospites recepit, quantóque largiùs egenis benefecit, tantò copiosior cœnobii proventus fuit. Huic Abbas alius successit, & cũ eo tenacitas & avaritia. Prioribus igitur curatoribus amoris sibi similes adscivit novus Antistes, avarus avaros. Et ut res mangonio non careret: Prior Abbas, ajebat, nimiùm fuit dapsilis & effusus: contrahendæ sunt manus, & æs parciùs serendum, ut si agros sterilitas, pecus pestilitas, grando segetem invadat, habeamus nihilominus, quod promamus. Hoc mantelo Abbas illaudatam parsimoniam velabat. O condum, non Promum! sed avarus Condus, calamitosum facit Promum. Postquam enim hic lucrio non hospites solùm, sed & hospitalitatem exclusit, & tributum pauperibus dari solitum subtraxit, simul etiam cœnobii census decrevit. Eò res prolapsæ, ut vix esset, quod mensis ex ritu & more inferretur. Inops erat opulentia. Quadam die vir grandævus & canus à janitore hospitium magnis precibus rogavit. Hunc janitor clam & timidè admisit. Cenula prorsus tenuis allata: offula exculcata, caules malè uncti, & quod cenæ caput, præsalsa & durata fumo albula. Super omnia tamen vultus & verba accessêre bona. Nam janitor modestè præfatus: Velim, inquit, vir optime, mensam tam tenuem æqui bónique consulas. Sanè non grandi mazonomo cibos ferimus. Memini olim cùm nostra domus tam opimis reditibus gauderet, ut vel Pontifices saliari cœnâ liceret excipere: jam vix panem & oluscula exhaustum penu subministrat. Huic cano capite hospes: Duos fratres, inquit, monasterio expulistis: & nisi hi revocentur, actum est de vobis, è durâ egestate numquam satis eluctabimini. Illorum fratrum alteri nomen est DATE: alter DABITVR VOBIS, appellari solet. Et cum dicto sese oculis subduxit hospes. Janitor non infelicis memoriæ amborum nomina utcumque retinuit, rem Abbati ac ceteris ordine percensuit. Ab exilio revocatus est frater DATE, & unà cum illo rediit germanus exul DABITVR VOBIS. Resumpta est in egenos liberalitas, & res familiaris mirificè augeri cœpit.

Res mira hos fratres separari non posse; individuo nexu sese comitantur. VBI DATE, illic & DABITVR est. Ita unam aliquam domum aut uterque occupat, aut neuter. Renuis dare? ergo recusas accipere: nec tibi dabitur.

Atque hoc est, quod hactenus urgemus, & unà jam dandi modos explicamus. Superiori capite præceptionem triplicem suggessimus: *Da ipse, da dictante syllabo, da citò.* Triplicem aliam hîc subjungimus: *Da humaniter, da considerate, da largiter.* Singulis præceptionibus majorem lucem dabimus.

Triplex alius modus in dãdis eleemosynis.

§. I.

4. Modus: Da humaniter.

QVartus igitur in dandis eleemosynis modus est: *Da humaniter*, vultu bono, verbis amicis, gestu non superbo. Verbis contumelioſis omnis gratia corrumpitur. Quàm decorum est, cùm viri primarii sordidum palliolum comiter ac benevolè alloquuntur, nec adducto supercilio inopes velut voce indignos rejiciunt. Siracides hîc præceptorem agens: *Fili*, ait, *in bonis ne des querelam, & in omni dato ne des tristitiam verbi mali.* Cùm eleemosynam das, cavè illam asperis verbis corrumpas, ne qui accipit, pro gratiarum actione tibi maledicat. Non rarò lenis, placida, & comis oratio donis ipsis est potior. Blandè & amicabiliter alloquere, & jam dedisti. Vti ros præteritæ diei calores temperat, ita dolores, quos urens creat paupertas, mitia verba leniunt valdè ac mitigant. Aſperge tuo muneri comitatem, & munus geminum contulisti. Frons rugosa, tetricus vultus, verba rigida mœrori sunt, non solatio, & donum quod comitantur, jugulant. Eleemosyna, præsertim non magna, verborum saccaro & melle condienda est, uti solent quædam placentæ, sine hoc condimento minùs placituræ. *Eccles. 18. v. 15.* Eleemosyna asperis verbis ne corrumpenda.

Est qui canem velit allicere, & alterâ quidem manu panem, sed alterâ fustem echinatum porrigit: non alliciet: fugabit. Ita sunt qui stipem dividunt, sed iis verbis, quæ sævius echino pungunt. *Das panem*, inquit Chrysostomus, *& vocas impostorem.* Exosum & miserum donũ. Suaviùs benefaceres, si tua retineres, quàm si tam morosus & humanitatis expers sis benefactor. Aliòs mores divinus Paulus nos docens: *Induite vos*, inquit, *sicut electi Dei, sancti & dilecti, viscera misericordiæ, benignitatem, humanitatem, modestiam, patientiam.* Harum virtutum sanè nullam habet, qui adversùs pauperes tam asper, & inhumanus est. Et cui benignus ille videatur, cui patiens, humilis & modestus, qui Lazaros tam inclementer dimittit, qui priùs conviciis mordet, quàm nummis donet. Num à modesto humili sint illæ voces? Vos errones otio nati, vorando, ludendo, potando vestra consumitis: Vos mures omne horreum infestatis, omne triticum corroditis: Vos inertes bestiæ laborem fugitis, & ignavam mendicitatem ultrò sectamini: quis ventres tam pigros satis impleat? Ohe satis elogiorum, satis est. Parciùs ista, obsecro, Christiani, non hîc misericordiæ sunt viscera, ubi verba jactatur tam inhumana. Isidorus Pelusiota eos, qui pauperes velut molossi allatrant, graviter reprehendens: Eleemosynam, inquit, à probro & contumeliâ puram atque immunem esse oportet. Nam qui ei hæc adjungunt, fragranti unguento cœnum admiscent, atque accipientium animos percutiunt. Quæ enim cum probro porriguntur, etiamsi maxima sint, accipientibus minimè jucunda sunt, tametsi alioqui necessitate constricti cõtumelias tacitè ferant. Cùm autem etiam perexigua sunt, atque cum contumeliâ præbentur, intolerandam quamdam egentium animis tempestatem pariunt. Quocirca pauperibus lèniter & placidè respondere oportet. Melior est sermo quàm donum. *Coloss. 3. v. 12.* Qui adversus pauperes asper est, inhumanus est; *Isidor. l. 1. epist. 214.* Et quæ cum probro porriguntur etiã maxima, tamen accipientibus injucunda sunt.

Mendici, ut scias, non minùs homines sunt, quàm tu: ergo iis te quoque hominem ostende, & simul memineris etiam te mendicum esse. Appositè Guilielmus Lincolniensis: *Dic mihi, quæso, ô dives*, ait, *quare pauper tecum non accipiet cibum, qui tecum accepturus est regnum? quare non accipiet veterem tunicam, qui tecum accepturus est immortalitatis stolam? quare pauper non meretur accipere panem tuum, qui tecum meruit accipere baptismi Sacramentum? Cur indignus sit accipere reliquias ciborum, qui tecum venturus est ad convivium Angelorum?* Ergo mendicus mendico, sed regni socio amicè ac humaniter respondet. *Guil. Lincoln. in expos. Decal. part. 3. c. 28. & 29.*

Quis verò nostrûm à Deo unquam, cùm mendicamus, & supplices ei libellos porrigimus, responderi sibi audiit; Recede impostor: non venires ad me, nisi necessitas te premeret: in templo tantùm tibi charus sum; cùm extra templum es, aliis sed furtivis amoribus dele-

delectaris. Ergo abi, nec redi. Hæc audire dignissimi sumus, sed mitiùs agit nobiscum Dominus Deus. Æquissimum igitur est, ut nos servi cum conservis non rigidè agamus.

Quantò melius est, inquit Seneca, *adjicere bona verba rebus bonis, & prædicatione humanâ, benignâque commendare, quæ præstes? Dic: si quid deerit, libenter subministrabo; nec opus tot preces aut deprecatores admovere, ut expugner; quidquid in me consilii & opis, pro viribus juvabo. Qui tam paratè facit, non est dubium, quin libenter faciat.* Itaque lætus opitulatur, & induit sibi animi sui vultum. Ita qui accipit, majoris æstimabit dantis animum, quàm donum: dicet, non reperire se, qui satis gratias agat. Quorumdam grandia beneficia loquendi asperitas, gravitatem & tristitiam imitata corrumpit, cùm precibus annuunt vultu negantium. Martialis hos tales falsè tangit:

Diligo præstantem, non odi Cinna negantem,
Sed tu nec præstas, nec citò Cinna negas.

Homines autem morosi & fastuosi, plerumque etiam contumelioси sunt, qui aut non respondent, cùm rogâtur, aut respondent acerbè. Ita plurimi manus utcumque munificas, sed os habent amarulentum, quod destruunt, quidquid manibus struxerunt. Tu igitur si panem velis porrigere, clavam echinatam abjice: Da stipem, sed vultu & verbis bonis, Da humaniter.

§. II.

5. Modus: Da considerate.

QVintus dandi modus: *Da considerate.* Pauperes quidem curiosiùs scrutandi non sunt, ut dicemus; nihilominus considerandum, ubi rectiùs ponatur beneficium, quo loco major urgeat necessitas. Inconsulta & planè cæca donatio laudari non potest. Sit ergo delectus aliquis hunc in modum. Primò senibus, ægrotis, studiosis, adolescentibus egenis dandum præ ceteris. Igitur ætatis aliqua ratio haberi potest, ita ut ceteris præferantur senes, qui licet laborem non fugiant, victum tamen difficiliùs parant. Interrogatus Diogenes: Quid in vitâ miserrimum videretur? Dixit, senex egenus: hic enim bis ægrotus est, & senectutis morbo & mendicitatis pertuso sacco. Deinde non negligendi sunt, qui cum alienâ indigeant misericordiâ, pudore ingenuo deterrentur à quærendo, verecundi pauperes, quibus fame potior est pudor. Qui autem egens & æger est, duplici laborat paupertate. Heu quoties in urbibus familia est, in quâ maritus æger decumbit, sex, septémve liberi panem absumere nati. Vxor re familiari occupatissima, cùm marito ægro, tum culinæ & foco adsidet. En nemo est in familiâ, qui victum possit lucrifacere; nec panis est, nec quod molant, habent, nec quod pinsant. Hic operæpretium est, benefacere. Tertiò qui ceteris anteferendi, sunt adolescentes honesti, sed inopes, qui studentes litteris. Sunt quidem pauperum domus, sunt pecuniæ collatitiæ sunt sportulæ, sunt ditiorum culinarum reliquiæ, nihilominus sunt studiosorum adolescentum plurimi, quibus nec mucidus panis est; ad discendum ingenii multum habent, æris nihil. Hi magni olim viri fierent & Reipublicæ perquam utiles, sed dira eos paupertas abstrahit à Parnasso. Hos prisci picturâ sic exprimebant. Iuvenem statuebant, qui alteram quidem manum habebat alatam, quâ cælum peteret, sed altera gravi saxo impedita trahebat ad terram. Hi sanè præ omnibus alendi. Stupores alii & fungi, quibus ingenium durum, indocile, obtusum, ad stivam, ad sutrinam aut textrinam, ad militiam ablegentur; in scholis ad spem magnam educandi sunt, quos indoles & ingenium commendant.

Quibus primò subveniendum.

Quibus secundò.

Quibus tertiò.

Sed objicias primò: Hi pueri cùm eis rectè est, aut insolescunt, aut aufugiunt. Respondemus, eleemosynam non ideo malè collocatam aut perditam. Quot tirones in officinis, in tonstrinis, in religiosis familiis discunt, & aut malè se gerunt, aut ad discendi finem non pertingunt. Eleemosynæ nihil officit, malo animo accipi, sed malo dari.

Objicias secundò: Litterarum studium ad finem perducere res maximi sumptûs est, quem plerique omnes fugimus. Obduco: Exiguus planè sumptus est, quo primis annis adolescens aliquis inter Musas alitur: nam ubi ad classes altiores evaserit, industriâ suâ seipsum juvabit. Quot ipsi novimus viros primarios, Archigrammateos, Medicos, Iurisprudentiæ, Theologiæ Doctores, Proëpiscopos, qui domos cantu salutabant, ut nummulum aut panis frustillum acciperent: eruditio eos in altum extulit. Sunt quidem hi subinde parum grati in eos, in quos maximè oporteret. Nihil refert. Hæc talia largitiones nostras nequaquam terreant: eleemosynæ promeritis nihil decedit.

Objicias tertiò: Ego templis do. Non reprehendimus. Sed templa viva potiùs ac priùs curanda sunt, quàm ea, quibus nihil est vitæ. Sunt qui sacerdotia augeant, cœnobia condant, templa aut sacella erigant, parentes aut cognatos summè pauperes destituant. O munificentiam magnam, sed malè ordinatam! Aureæ linguæ orator, quid hac in re sentiâ, apertissimâ facundiâ in medium ponens: *Ecce enim,* inquit, *qui martyria ædificant, Ecclesias ornant, bonum opus facere videntur; sed si quidem & aliàs justitiam Dei custodiant, si de bonis eorum pauperes gaudent, si aliorum bona per violentiam non faciunt sua: scito, quia ad gloriam Dei ædificant. Si autem aliàs justitiam non servant, si de bonis eorum pauperes numquam gaudent: si aliorum bona faciunt sua, aut per violentiam, aut per fraudem: quis tam insensatus est, ut non intelligat, quia non ad gloriam Dei faciunt ædificia illa, sed propter æstimationem humanam? & justè ædificant martyria, ut pauperes violentiam patiab eis interpellent contra eos. Non enim gaudent martyres, quando ex illis pecuniis honorantur, pro quibus pauperes plorant. Qualis est virtus illa justitiæ, munerare mortuos, & expoliare vivos? de sanguine miserorum tollere, & Deo offerre? Illud non est Deo offerre, sed velle violentiæ suæ socium facere Deum: ut cùm si oblatam sibi pecuniam de peccato libenter acceperit, consentiat in peccato. Vis domum Dei ædificare? da fidelibus pauperibus, unde vivant, & ædificasti rationabilem domum Dei. In ædificiis enim non homines habitant. Deus autem in hominibus sanctis. Quales ergo illi sunt, qui homines expoliant, & ædificia martyrum faciunt? habitationes hominum componunt, & habitationem Dei destruunt? Iam ergo ex antiquis temporibus morbus iste in hominibus habebatur. Dicebant enim apud se: Si bene fecerimus pauperibus, quis illud videt, & si viderint, non multi vident; & si multi viderint, pro tempore vident. Transit enim tempus, & transit cum tempore benefacti memoria: Nonne ergo meliùs ædificia facimus, quæ omnes aspiciunt, non solùm hoc tempore, sed etiam in posterum? Nam quamdiu ædificium permanet, tamdiu ædificantis memoria nominatur. O insipiens homo! quid tibi prodest post mortem ista memoria, si ubi es, torqueris, & ubi non es, laudaris?* *Chrys to. 2. in c. 23. Matt. hom. 48. mihi pag. 927. & seq.*

Mundities templis potissimùm debetur.

Primum ac potissimum, quod templis debetur, est mundities. Non tantùm adsint, quæ in usus sacros necessaria, sed etiam quantùm fieri potest, mundissima sint. Viderint illi, qui sacras ædes squalore ac situ obduci, omnia in eis pessum ire, suaviter cernunt; nec ruinosa restaurant, nec collapsa erigunt, imò domesticis usibus profanant; qui legumina, rapas, lac, olera, sacellis velut penori custodienda tradunt. Hic cum Christo vociferandum: *Fecistis domum patris mei speluncam,* si nõ latronum, certè aranearum, vespertilionum, noctuarum. Sunt etiam, qui domos habent instructissimas ac ornatissimas, in eorum templis aut sacellis squalent omnia & sordent, aræ à frontalibus nudæ vix laceris ac sordidis pannis insternuntur, in ceteris omnibus confusio & squalor. His divini honoris contemptoribus

Matt. c. 21. v. 31. Marci c. 11. v. 17. Luc c. 19. v. 46.

ptoribus flagellum Christi proximum est. Et certè totas familias malè periisse vidimus, quæ sacras ædes tutelæ suæ commissas negligi, ruere, ac collabi non vetuerunt.

Da igitur, quod debes ædibus sacris, quæ ad sacros usus necessaria sunt, assigna, munditiem eis præsta; & cave domibus sacris spatium vel minimum, cave quidquam redituum, aut donaria ulla subtrahas.

Annuas æternas in templis exequias tibi defuncto constituere vix hoc ævo censuerim expedire, idque certas ob causas. Quadringentos aut quingentos, aut etiam sexcentos florenos huic rei destinatos, dum vivis, in adolescentes studiosos eroga, & inde tibi majus promeritum accedet, quàm si singulis annis inferiæ cursim peragantur. Alia hîc virorum principum est ratio. Igitur hîc templa saxea sic instrue & orna, ut templum Dei vivum non nescias primo loco curandum. Adolescentes studiosos pauperes omnibus quàm impensissimè commendo.

§. III.

6. Modus: Da largiter. SExtus erogandi modus, *Da largiter:* immerge manum, non solam radè superficiem. Sunt, qui valdè debiles se credant, cùm verminosas carnes, aut vinum fugiens & vappam, aut poma putrida, aut corrosas tineis vestes mendiculis projecerint. O grandem munificentiam, pauperibus donare, quæ in fimetum forent excutienda. Nemo dixerit: Satis habeant; hoc contenti sunto pauperes; Istud haud eos dedecet. *Plautus.* Scilicet est condignum donum, qualis est cui dono datum est.

Apage vocem improbas. Quod pauperi das, Christo das. An Christum exolescenti vino, fœtentibus carnibus vis reficere? Illud autem singulariter attendendum tam in profanis quàm religiosis domibus: Cùm ciborum reliquiæ pauperibus dantur, ne quæso tam immunda sit congeries, ut offa canibus obsipari videatur. Hîc sæpe turpes famulorum, & ancillarum socordia est, quæ dum impatienter properat, carnes, olera, pultes in chaos sordidissimum confundit. Sed & patris aut matrisfamilias culpa hîc miscetur, quibus curæ non est, quid pauperibus aut quomodo detur. Non intelligunt super egenum & pauperem. His illud ingerendum. Quod facis, fac bene. Dandis ciborum reliquiis multum dabis, si sine sordibus dederis, si te non canibus sed Christi pauperibus dare reputaveris. Quis ciborum omnium confusionem non horreat? Immundissimum eleemosynæ genus, est, assa & lixa, sicca & liquida, dulcia & acida, olera & pulmenta in ollam unicam conjicere. Distingue distinguenda, & turbæ pauperum bene coxeris. Misericordia sordes non amat.

Luc. c. 6. v. 36. *Estote misericordes, sicut & pater vester misericors est.* Non sicut Abrahamus, Tobias, Iobus misericordes fuerunt, etsi fuerint misericordissimi; sed sicut pater vester. Hujus imitamini liberalitatem. Dandum est; non sicut olim libabatur Soli vinum, hoc est, parcissimè; non sicuti thus extremis digitis in acerram conjicitur, non sicut ægroto jusculum modico sale spargitur. His eleemosynæ sacris non cochleariolum aromaticum, non cochleare offarium aut pulmentarium, non ligula, sed cochlear fullonum, quo pannos perpluunt, est adhibendum; totâ manu dandum, liberalissimè, quantum fieri potest, hîc erogandum. Da igitur ambabus manibus, largire pleno modio, & ipso horreo admetire, non minutim, non parcè, sed ampliter, copiosè ac prolixè, miniméque malignè; Promúmque magis quàm Condum te præsta.

Tob. c. 1. v. 19. & 20. *Tobias* in captivitate positus *quotidie pergebat per omnem cognationem suam, & consolabatur eos, dividebátque unicuique prout poterat de facultatibus suis. Esurientes ale-* A *bat, nudisque vestimenta præbebat, & mortuis atque occisis sepulturam sollicitus exhibebat.* En omnibus omnia factus, oculus cæco, pes claudo, operimentum nudo, pater pauperum, plenâ totâque manu dedit.

Germanus Antisiodorensis Antistes in itinere stipem à mendiculis rogatus, à Diacono suo quæsivit, quantum superesset viatici? Tres aurei, respondit. Hos ipsos omnes, ait Germanus, da petentibus mendicis. Cui Diaconus: Si demus, inquit, quid nobis in viaticum restabit? Huic demùm præsul: Deo, inquit, non deerit, unde suos nutriat: tu quod habes, pauperibus ne subtrahe. Ergo Diaconus ne cuiquam minùs providus videri posset, duos dedit aureos, retento tertio. Non diu post equites insequuntur hos viatores, à Leporio viro ditissimo missi, ut Germano Episcopo ducentos aureos offerrent, quos & obtulerunt, & unà suum dominum venerando Præsuli commendarunt. B Hîc Germanus ad Diaconum versus: Quidquid hoc muneris est, inquit, accipe, vos verò Leporio amplas agite gratias: curabimus, ne malè collocârit beneficium. Dimissis equitibus, fronte seriâ diaconum compellans: Scito, ait, quòd & pauperes deceperis, & nobis centenos aureos ademeris. Nam si mendicis, prout jusseram, tres aureos dedisses, liberalissimus remunerator Deus nunc misisset aureos trecentos. Hanc muneris diminutionem, fatuæ providentiæ habemus præmium.

Anno millesimo centesimo nonagesimo septimo, quo *Cæsar. l. 6. mirac. c. 66. In Colonia agro.* dira fames plurimos extinxit, religiosa domus Heisterbachii, novella licet & exigui censûs, non ideo tamen angustioris liberalitatis in pauperes fuit. Tantus autem accursus pauperum erat ut eorum vel uno die mille quingenti ad portam numerarentur. Gebhardus C ò loci tunc Abbas singulis diebus bovem unum lixari, quem præter panes & olera in egenos tribui jussit: ita pauperibus usque ad novas spicas utcumque satisfactum. Verebatur autem optimus pater, ne annona pauperum deficeret ante messem, & ideo pistorem vocans patres nimis magnos ajebat coqui, moderatione hîc opus esse, quò pluribus & diutiùs suppetat, quod detur. Hîc pistor Conradus Roth: Venerande Pater, inquit, mihi crede, cùm massam subigo, & panes formo, admodum parvi sunt, in furno incrementum accipiunt admirandum. Affirmare ausim nanos immitti & parvulos panes, extrahi gigantes. Sed & illud hîc observabile, inquit, farinam in ipsis farinariis crescere, ut pistores omnes, sed & pauperes mirentur, dicantque: Vnde, obsecro, hic omnis tam copiosus commeatus? Eodem anno vir opulentus Andreas Spirensis, qui in aulâ Friderici Cæsaris pecuniam maximam congessit, nobile prædium ab omni vectigali ac tributo vacuum & immune emit, & illi ipsi cœnobio D in pauperes tam prolixo sponte suâ donavit. Ita panes, olera, boves, & quidquid in egenos distributum, grandi fœnore, restitutum est.

Promissa Christi non fallunt: *Date, & dabitur vobis,* *Luc. c. 6. v. 38.* date liberaliter, & liberaliter reddetur vobis; date liberalissimè, & id omne pariter liberalissimè vobis restituetur. Eâdem quippe mensurâ, quâ metimur, *Petr. Chrysol. hom. 4.* remetietur nobis. *Qui facit misericordiam,* inquit Chrysologus, *currit ad præmium: qui non facit misericordiam, definit omnis currit ad pœnam.*

CAPVT III.

Eleemosynas hilariter, modestè, destinato numero dandas.

ADMIRATIONE dignissimum est, quod Salomon in templum à se conditum thesauros incredibiles insumpserit, ligna pretiosissima pro eo delegerit;

legerit; ferri, argenti, auri, gemmarum vim obstupescendam in illud congesserit, oraculum, seu sancta sanctorum auro purissimo totum vestierit, nihilominus hanc auream ædem gemino, sed vili ostiolo clauserit. 3. Reg. c. 6. v. 31. Ita loquuntur Regum fasti: *In ingressu oraculi fecit ostiola de ligni olivarum.* Quid in Iudæâ communius aut vilius olivis? Quis nostro ævo non miretur, palatii nobilissimi principem portam esse pineam, aut abiegnam? sic oliva Hierosolymis arbor plebeja & vulgaris. Cur non è cupresso, aut ebeno, aut cedro, aut therebintho fabrefactæ portæ? Cur delatus hic honor olivæ? Ita placuit architecto supremo Spiritui sancto. Basil. de rerum abdicatione. Oliva est symbolum misericordiæ. *Oliva ubique gentium, Misericordiæ symbolum notissimum, ob lenitatem,* inquit Basilius, *ob suavitatem & pinguedinem.* Ille igitur in sancta sanctorum, in æternæ felicitatis domum hinc pervenire poterit, qui per ostiolum oleaginum quærit ingressum, qui commodare discit & misereri.

Sed enim Salomon, quod facer historicus testatur, B 3. Reg. c. 6. v. 32. in ostiis duobus oleaginis *sculpsit picturam Cherubim, & species palmarum.* Cherubim scientiæ plenitudo. Palma victoriæ significatio. Non danda solùm eleemosyna, sed modus dandæ pernoscendus est: Psal. 40. v. 2. *Beatus qui intelligit super egenum.* De his largiendi modis loqui cœpimus: sex suprà jam assignavimus. Tres alii largiendi modi. *Da ipse eleemosynam, Da dictante syllabo, Da citò, Da humaniter, Da consideratè, Da liberaliter.* Tres alios illis hîc adjungimus: *Da hilariter, Da humiliter, Certam pecuniæ summam assigna.* Hos dandi modos hoc capite trademus explicatiùs.

§. I.

1. Modus: Da hilariter. ERgo septimus sacræ liberalitatis modus est, *Da hilariter.* Hic tertio non multum dissimilis, sed est quo illum superet, eique aliquid addat. Eleemosynam hilariter dandam tam in priscâ quàm in novâ lege singulariter ac frequenter Deus commendat. Hinc C Eccli. c. 35. v. 11. & 12. Siracides divino jussu præcipiens: *Da,* inquit, *Altissimo secundum datum ejus, & in bono oculo adinventionem facito manuum tuarum. In omni dato hilarem fac vultum tuum.* Ne quæso frontem contrahe, ne supercilium altiùs attolle, cùm dandum est, alioquin non marsupii, seu animi particulam dare censeberis. Cur autem in eleemosynis dandis tristior, ac severior vultus adeò displicet? Quid homo vultuosus demit muneri? Plurimum. Fit nonnunquam, ut mercator amicorum suorum optimo merces pretio vilissimo non tam vendat, quàm donet. At emptor vultum caperat perinde ac si nimis grande pretium exigeretur. Hoc acerbè ferens mercator: Amice mi, ait, quid hoc? si putes rem æquo cariùs indicari, tu tuam pecuniam, ego merces meas retinebo. Putabam equidem tibi me multum gratiæ præstare. Abi, licet, ad mercatores alios, & istud meliùs intelliges.

Solutionem iste sperabat expeditiorem. Ita Deus gratiam nobis concedit eámque maximam, cùm à nobis recipit eleemosynam: quàm igitur turpe est, illam tam severâ tristitiâ excipi? Paulus vociferatur & 2. Cor. c. 9. v. 7. monet: *Hilarem datorem diligit Deus. Unusquisque prout destinavit in corde suo, non ex tristitiâ aut necessitate.*

Aug. tom. 8. in psal. 42. pag. 158. Optimè dixit Augustinus: *Si panem dederis tristis, & panem & meritum perdidisti.* Ejusdem omnino sensûs & animi Chrysostomus: *Eleemosyna autem est,* inquit, *quando cum hilaritate, quando non putas te dare sed accipere, quando quasi beneficio afficiaris, quando quasi lucrum faciens & non perdens, alioqui neque gratia est: nam eum, qui miseretur alteri, gaudere & non succensere oportet: quomodo enim non absurdum, si alterius solvens tristitiam, ipse contristeris? non enim illam jam eleemosynam esse finis. Si enim tristis es, quia alium tristitiâ liberasti, extrema crudelitatis & inhumanitatis indicium affers: satius enim fuerit non liberare, quàm* Chrys. t. 10. 4. ho. 16. in 2. Corin. c. 7. mihi pag. 724. Et hæc repetit tom. 5. hom 36. ad pop. mihi pag. 232. *sic liberare. Quid autem tristis es homo? Ne minus tibi sit auri? omnino si hanc voluntatem habes, ne des si non cõfidis, quòd multiplicetur in cœlis, ne præstes. Sed hîc quæris retributionem? Propter quid? Sine eleemosynam eleemosynam esse, & non fac negotiationem. Sanè multi & hîc acceperunt, sed non sic acceperunt, quasi hac ratione ii, qui hîc non acceperunt plus habituri essent. Quin potius nonnulli ex illis, ut imbecilliores, quia futuris bonis haud admodum allicicbatur, hîc receperunt.* Hæc à se dicta Chrysostomus confirmans: *Oportet enim,* inquit, *alteri misericordiam impendentem gaudere, non indignari.* Si alacriter demus, geminata erit eleemosyna, & quia damus, & quia hilariter damus. Hilaritatem, & liberalitatem conjungens Paulus: *Qui præstet,* inquit, *in sollicitudine, qui miseretur in hilaritate.* In bono oculo adinventionem facito manuum tuarum. Innocuos, non venenatos geras oculos. Fascinatores ab oculis jaculantur venenum, præcipuè in parvulos, quibus cibi potúsque fastidium infundunt, hinc miselli uber aversantur, lactari nolunt, sensim extabescunt; ita fame ac siti necâtur. Bonus oculus lętúsque parvulos, hoc est, pauperes fame non perimit, imò erigit ac solatur placidis saltem verbis, sereno minimùm vultu. *Iucundus homo qui miseretur & commodat.* Hieronymus Fracastorius Veronensis eruditæ famæ medicus: Lippitudinis genus est, inquit, quo qui laborat, omnes solet inficere, qui ipsum aspiciunt. Fœda lippitudo & noxiæ contagionis est, cùm manus quidè munifica, sed oculus tristis & acerbus est. Hac lippitudine spectatores omnes inficiuntur: Videte, ajunt, quàm invitè & morosè det. Fabius Verrucosus beneficium ab homine duro asperè datum, panem lapidosum † non inscitè appellabat, quem esurienti accipere necessarium; esse acerbum. Da ergo eleemosynas hilariter; *Hilarem datorem diligit Deus.* Rom. c. 12. v. 8. Psal. 111. v. 5. Fracast. l. 1. de Contagione c. 5. mihi pag. 159. Sen. l. 2. de benef. c. 7. † *Quis scit iscet in Laidem duratus.* 2. Cor. c. 9. v. 7.

§. II.

8. Modus: Da submissè seu humiliter. OCtavus dandi modus est, *Da submissè seu humiliter.* Hîc expressissimum Domini præceptum nos stringit: Ita Christus Matthæi ore: *Cum facis eleemosynam,* inquit, *noli tubâ canere ante te. Te autem faciente eleemosynam, nesciat sinistra tua, quid faciat dextera tua, ut sit eleemosyna tua in abscondito; & pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi.* Adeò fugiendi sunt spectatores, ut si vel læva manus habeat oculos, iis eleemosynæ sint subducendæ. Id quidem in omni virtutis actione necessarium, præcipuè verò in sacris largitionibus, quibus inanis gloria, veluti rosis spina semper est proxima. Qui autem vanam quærit gloriam, non pauperi, sed sibi ipsi dedit eleemosynam, aut eam certè vendidit. Hinc Ecclesiasticus sapientissimè prænonens: *Conclude,* inquit, *eleemosynam in sinu pauperis.* Nemo videat, nemo sciat: sed eam velut furtim insinua: thesaurum abdis, ne spectatores advoca. Matt. c. 6. v. 2. 3. & 4. in omni virtutis actione, præcipuè tamen in eleemosynis fugiendi sunt spectatores. Eccli. c. 29. v. 15.

Cur obsecro, Hebræus sapiens ità tegi vult eleemosynas & abscondi? jure merito, nam illæ supremi judicii die coram humanâ gente non publicabuntur tantùm, sed & laudabuntur, & pæne solæ.

Christus Hierosolymis ad Gazophylacium sedens, & velut comœdiam spectans, silentio aspiciebat, quomodo turba pecunias Gazophilacio immitteret: *Et multi,* ait Marcus, *jactabant multa. Cùm venisset autem una vidua pauper, misit duo minuta, quod est quadrans.* Hîc, Christus discipulos velut ad concionem colligens, super eâ re disserere cœpit. Ecquis dixerit placuisse Christo sonoram illam æris jactationem? Nec ipsis hoc idololatris ignarum fuit, eleemosynas non cum plausu spargendas, adeò reverâ Dominicum præceptum rationi est congruum. Apertissimè Seneca: *Nihil æquè,* ait, *in beneficio dando vitandum est, quàm superbia. Quid opus arrogantiâ vultus? quid tumore verborum? ipsa res te extollit. Detrahenda est inanis jactà-* Marc. c. 12. v. 41. & 42. Senec. de benef. l. 1. c. 11.

jactatio: res loquentur, nobis tacentibus. Non tantùm ingratum, sed etiam invisum est beneficium superbè datum.

Plutarch. to. 1. moral. de adulatoris & amici discrimine. mihi pag. 166. Senec. l. 2. de benef. c. 10.

Disputat Plutarchus, quonam modo adulator ab amicis internoscendus. In eâ disputatione mentionem injicit Arcesilai viri modestissimi. Hic ægrotantis Apellis Chii paupertate cognitâ, revisit ad eum, & unà secum viginti drachmas attulit. Cúmque jam officii caussa ægroto assideret: Hic quidem ajebat, nihil est præterquam Empedoclis elementa.

Ignis, aqua & tellus, atque ætheris ambitus almi.

Et tu etiam, mi Apelles, incommodè cubas. Patere tantisper dum cervical erigo: simúlque movens pulvinar, clam pecuniam subjecit, vt homo verecundus, quod desiderabat, potiùs inveniret quàm acciperet. Cùm autem anus, quæ ægroto ministrabat, sacculum reperisset, nec sine admiratione ostendisset; Apelles subridens: Hoc, inquit, Acersilai furtum est. O furtum bonum & Christianum. Hoc furti genere Mirensis Præsul Nicolaus cælo terráque celebrem se reddidit, postquam ejusce modi furto triplici, nummis in ædes clam injectis trium virginum pudicitiam servavit.

Isidor. l. 2. epist. 151.

Isidorus Peluſiota Nicolai Pontificis Christianum æmulatorem laudans, Eleemosynam, inquit, singulari amore complectebatur, id tamen studiosè captabat, ut obscura & incognita esset ea benignitas, quòd exploratum haberet eleemosynam in hoc maximè sitam esse. Idcirco clarus ille vir non modò largiendo, sed etiam occultè id faciendo eos, qui in fornace paupertatis versabantur, velut rore quodam perfusos recreabat.

Chrys. ho. 3. in epist. ad Rom. & ho. 13. in 2. ep. ad Cor.

Chrysostomus vanam gloriam eleemosynis inimicissimam exagitans: *Non sufficit eleemosynam dedisse*, inquit, *ad hoc ut accepta sit: quando enim ex necessitate quis & coactè, quando ex injustitiâ, quando ex vanæ gloriæ studio eleemosynam tribuit, fructus omnis perit. Inanis gloria in omnibus rebus fugienda, tum potissimùm in eleemosynâ, quandoquidem nec eleemosynæ nomen obtinere queat, si hoc morbo laboret.*

Gregorius Nazianzenus patrem suum non immeritò laudat, quòd totas largitionis habenas matri concesserit, eam potissimùm ob caussam, ne laus ad se redundaret.

Cur Christus actiones bonas lucere coram hominibus velit, eas nihilominus absconditi jubeat, & tegi?

Sed illud hîc nonnihil quæstionis habet, quâ ratione Christus actiones bonas lucere coram hominibus velit, eas nihilominus absconditi jubeat, & tegi? Responso brevissimo rem enucleamus. Diversissimæ sunt, *videri, & velle videri*. Primum quandoque necessarium, alterum semper flagitiosum. Est cui muneri, quod templo dat, suum nomen apponat & insignia, ut alios ad idem faciendum prouocet, aut certè ut alio fine honesto potiatur. Bona mens, sive, recta Intentio factum ex se non malum optimè tuetur. Qui verò sua omnia dona suo nomine insignit, non tam divinum à se honorem, quàm suum quæri utcunque prodit. De talibus psaltes Hebræus *Vocaverunt*, inquit, *nomina sua in terris suis*. Cælo inscribendum est nomen, ubi deleri nequeat, non terræ.

Psal. 48. v. 12.

Petr. Chrysol. hom. 9. mihi pag. 29. & seq.

Hæc Petrus Chrysologus oratione dissertissimâ complexus: *Quomodo*, inquit, *justitiam vult celari, cujus opera sic cupit elucere? Fratres, hic præceptio cælestis vult jactantiam tollere, auferre pompam, vanitatem demere, fulmovere inanem gloriam. Iustitia, quæ per se sibi abundat ad gloriam, spectaculum populi, vulgi laudes, favores hominum, munci gloriam non requirit: à Deo genita cælum spectat, in oculis agit divinis, supernis virtutibus mixta, semper à Deo solo, ut glorificetur, exspectat.* Hîc iterum Annæum ingero: *Præcipiunt*, inquit, *omnes auctores sapientiæ, quædam beneficia palàm danda, quædam secretò. Palàm, quæ consequi gloriosum est, ut militaria dona, honores, & quidquid aliud notitiâ pulchrius sit. Rursus quæ non producunt, nec honestiorem faciunt, sed occurrunt infirmitati, egestati, ignominiæ; ita*

Senec. l. 2. de benef. c. 9.

A *danda sunt, ut nota sint solis; quibus prosunt. Interdum & ipse, qui juvatur, fallendus est, ut habeat, nec à quo acceperit, sciat.*

Matth. c. 6. v. 1.

Ergo attendite, hoc est, ne gestiatis attendi. Ne justitiam vestram faciatis coram hominibus. Quare? ne videamini ab eis. Etsi visi fuerimus, quid tum? Mercedem non habebitis apud Patrem vestrum. Iustitia, quæ se humanis oculis locat, divini Patris non potest expectare mercedem: voluit videri & visa est: voluit hominibus placere & placuit, habet mercedem, quam voluit; præmium, quod habere noluit, non habebit.

Matth. c. 6. v. 2.

Ergo, cùm facis eleemosynam, noli tubâ canere ante te. Bene ait, tubâ, quia talis eleemosyna hostilis est, non ciuilis, non misericordiæ dedita, sed clamori: ostentationis nundinatio est, non commercium charitatis. Eleemosynam quisquis ostentat, insultat; Sicut hypocritæ faciunt in synagogis, & in vicis, ut honorificentur ab hominibus: Amen dico vobis, receperunt mercedem suam. Audistis quemadmodum notat eleemosynam in conventu, in plateis, in triviis, non impensam ad pauperum levamen, sed propositam ad hominum favorem. Sed dicit aliquis: Ergo in conventu, in plateis, in triviis neganda est misericordia? non præbendus est victus? Planè in omni loco, & in omni tempore facienda est misericordia, præbendus est victus, nuditas est tegenda: sed sic, quo modo docuit misericordiæ auctor, ut misericordia non terræ sit nota, sed cælo, non hominibus insinuata, sed Deo. In plateis, in triviis suum pietas habet secretum. Vnde homo si in paupere Deo feneras, testes homines ne requiras: fides arbitros non poscit. Daturus Deo da secretò, ut quod dederis, non sit oneris, sed honoris. Ergo quod multopere inculcandum, *Da humiliter.*

Ibidem.

Eleemosyna in conuentu loco danda, sed secretò.

§. III.

9. Modus Certam pecuniæ summam assigna.

NOnus est stipis distribuendæ modus, *Certam pecuniæ summam assigna.* Ejus rei Paulus commonefaciens: *De collectis autem*, inquit, *quæ fiunt in sanctos, sicut ordinavi Ecclesiis Galatiæ, ita, & vos facite. Per unam sabbati unusquisque vestrum apud se seponat, recondens quod ei bene placuerit.*

1. Cor. c. 16. v. 1. & 2.

Hîc præceps nobis quæstio agitanda. Quæso te, Lector, aures vacivas & attentum præbe animum. Sunt è Christianis innumeri, qui prompti parati sint eleemosynam dare, immensum illius fenus non ignorant, illam à Domino præceptam non nesciunt, ideo pro se quisque ac singuli quærunt: Quantum dabo? nollent ut tenaces reprehendi, nec tamen à suis prodigentiæ accusari sustinerent. Largi esse cupiunt in dando, sed non nimii. Quapropter quærunt: quantum dabimus, ut satis demus? Vt quàm clarissimè quæstioni positæ respondeamus, aliquot pronuntiata præmittamus.

Quantus in eleemosynas dandus debeamus pronuntiatum aliquot.

Primum est: Definita, certáque pecuniæ summa omnibus præscribi vix potest.

Alterum: Considerandum sedulò, quis annuus cuiusque sit census, quis proventus, canon, reditus cuique singulis annis obveniat: nam inde potissimùm definienda hæc quæstio.

Tertium: Accuratè discipiendum, quantum quisque recondat, vel potiùs quantum possit in annos singulos recondere, si velit esse frugi.

Quartum: supputanda ratio, quid in liberorum educationem, quid in familiæ usum quot annis destinandum.

Quintum: Vix ullus unquam in dandis eleemosynis prodigentiæ potest accusari. Et reverà præstat hîc excessu delinquere, quàm defectu. Siquidem excessus hac in re laudis, defectus vitii est. His præmissis; & quæstione hâc perquisitissimè pensiculatâ, circumspectis rebus omnibus subductísque rationibus nihil hîc certius, nihil salubrius videtur posse statui, quàm si omnes eleemosynam daturi rationem decimarũ sequantur. Quàm enim crebrò, quàm conquisitè Deus in priscâ lege decimas exegit? *Decimas*, inquit, *& primitias tuas non tardabis reddere. Decimæ*

Exod. c. 22. v. 29.

terræ

Levit. c. 27. v. 30. Deut. 14. v. 22. Eccli. c. 35. v. 11. Malac. c. 3. v. 8.

terræ, sive de frugibus terræ, sive de pomis arborum Domini sunt, & illi sanctificantur. Decimam partem separabis de cunctis fructibus tuis. In omni dato hilarem fac vultum tuum, & in exultatione fac decimas tuas. Hinc & illa Domini querela: *Vos configitis me. Et dixistis: In quo configimus te? In decimis & primitiis.*

In lege novâ longè mitius atque remissius nobiscum agit Deus. Nec enim omnium rerum decimas poscit; satisfieri sibi patitur, vel pecuniæ solius decimis. Et certè Chrysostomus has eleemosynarum decimas à Christianis exigens: *Væ, inquit, eleemosynam non facienti. Nam si in veteri istud testamento fuit, multò magis in novo. Si enim ubi concessa erat pecuniarum possessio, fruitio, ac cura, tantâ providentiâ pauperum habita est ratio, quantò majus hoc fieri debebat ubi omnia projicere jubemur? Quid enim non fecerunt hâc in re Judæi? Decimas ac rursus decimas orphanis, viduis, ac proselytis contribuerunt. Nunc verò admirando dicere solemus: Decimas ille vel iste dat. Quantâ, quæso, turpitudine scatet, si quod apud Judæos nullius erat admirationis, aut celebritatis, apud Christianos jam sit unde quis debeat admirari? Si tunc periculum erat decimas negligere, perpende, quanti nunc istud fuerit?*

Chryst. hom. 4. in 1. ad Cor. to 43. fut mihi pag. 582.

Pareamus interea beato Paulo, constituentes nostris in ædibus arculam pauperibus, quæ eo in loco, ubi quisque consistere ac orare solitus est, reponatur. Ita ut eleemosynam primùm, quoties accesseris oraturus, imponas, & deinde orationem proferas. Vt verò ad orationem illotis manibus venire nolles sic neque sine eleemosynâ accedas. Et profectò non minus est juxta lectum eleemosynam reponere, quàm si istuc Evangelium suspendas. Iam & commoditates, quibus liceat admodum facile colligere, vultis, ut recenseam? Fiet. Sic igitur adjectionem suam artifex aliquis, vel sutor, vel coriarius, vel faber ærarius, vel quicunque tandem is fuerit, levem reddet, si aliquid vendiderit ille sui artificii, primitias ejus pretii Deo offerat, & huc pauculum quiddam conjiciat, exiguamque partem Domino dividat.

Chrysost. ibidem.

Hæc verò ita loquor, ut nullam tamen vobis necessitatem imponam, nec jubeam, majus adjicere, nec vetem etiam: quamquam paromnino & dignum erat non minus quàm decimam partem ex tanto huc inferri.

Decima pars annui proventus in eleemosynas seponenda. Ex Chrysostomo.

Ergo Chrysostomi sensu, optimè fecerit, qui totius annui proventûs sui partem decimam in eleemosynas seposuerit. Rem exemplo monstramus. Est qui sex millia florenorũ annuatim recipiat, vel è suis prædiis, vel è commerciis, sive salarium, seu aliud quodcunque lucrum hanc ei argenti summam pariat. Ex hac trecenti minimùm floreni videntur in ipsum erogandi, paratâ, præsentique pecuniâ, ita quidem ut vigesimus semper florenus Deo cedat. Quòd si patillò liberalior in Deum esse cupiat, florenos dabit sexcentos, ut decimum quemque consecret. Misericordiæ. Ita qui tria millia florenorum habet annua, centum & quinquaginta saltem florenos, in largitiones pias separet: si possit esse largior, det trecentos. Ita qui mille quotannis florenos accipit, det quinquaginta; ita tamen ut fragmenta panis, ciborum reliquiæ, vestes detritæ, calcei pertusi, ligna decidua, conviviola pauperibus paranda, & quidquid horum est extra summam illam sint pecuniariam. Hæc enim talia inter decimas non computanda. Sunt enim veluti spicæ in agris relictæ, aut in vineis racemuli vinitoribus neglecti, quæ omni jure pauperi Ruth cedunt.

At sunt perquàm tenuis fortunæ homines, qui annuos dumtaxat centum florenos, sunt qui solùm quinquaginta, sunt etiam, qui non nisi florenos viginti quotannis recipiant. His quidem nihil severius suademus, nam ipsimet in paupertino grege numerantur: Nihilominus ille de suis centenis quinque aut saltem tres florenos in pauperiores se distribuet; ille suis quinquaginta unum alterúmve subducet in stipem; ille suis viginti, si non florenum possit demere, aliquot certè sestertios Christo pauperi assignet hilariter, & cum amplissimâ dandi voluntate; certúsque sit propter quantulamcunque hanc eleemosynam tam largo affectu junctam, viginti solùm florenos in rem suam feliciùs proventuros, quàm si quadraginta vel centum sibi obtigissent.

§ IV.

QVòd si aliam decimarum rationem libeat inire: sic agamus. Vbi ex annuo seu salario, seu alio quocunque proventu, tam familiæ, quàm liberis rebusque ceteris pars honesta cesserit, dispiciat secum paterfamilias, quod in annos singulos possit recondere, si luxum, sumptúsque superfluos velit præcidere. Quòd si post expensas omnes mille sibi florenos superesse reperiat, pro decimis det centenos: Si restent quingenti, det quinquaginta: Si centum remaneant, det decem. Ita semper proportio vel ad summam principalem annuam universam, vel ad eam certè quæ post necessarias expensas remanserit servanda. Ita cum suis quisque facultatibus suas commetiatur eleemosynas. Siquidem hac in re princeps regula est: Si multum tibi fuerit, abundanter tribue: si exiguum tibi fuerit, etiam exiguum libenter impertiri stude. Quo modo potueris, ita esto misericors. Nec tam attendas quantum eroges, quàm quantùm tibi remaneat.

Christianus omni reprehensione dignus est qui suis eleemosynis pompam induit.

Hinc illi frigidissimi Christiani omni reprehensione digni, qui suis eleemosynis pompam induunt, & ajunt: floreni centum, an non liberalis est sportula? Ita prorsus est, si eam aliquis è plebe det mechanicus opifex. At tu, mi avare domine, qui anno uno sex septémve florenorum millia facis tua, cùm florenulos centum è tenaci manu in pauperes exire sinis, factum cælo appingendum autumas. Itáne tantillum è tanto? Hæc tua in Christum tuum tam magnifica liberalitas? Non majus cælo pretium facis? Ita sunt qui decem, qui viginti philippeorum millia: sunt qui triginta, qui sexaginta millia florenorum annua dormiendo comparent. Sed heu quantilla pars inde Christo pauperi secernitur? Grandem servorum turbam, copiosorem æquo familiam pascunt, parasitos, moriones, mimos donariis & mensâ saginant; Christus esurit. Parietes, imò & pavimentum tapetibus velant; Christus obit nudus. Illorum cellæ generosissimo vino plurimóque spumant; sitit Christus. Equos non ad usum tantùm, sed etiam ad spectaculum, & totos canum greges Britanicos, Getulos, Gallicos, Aquaticos, Aviarios, venaticos, hybridas, molossos magnis sumptibus alunt, sat illis loci & pabuli est; soli Christo non est locus in diversorio. Ad omne genus voluptatum aut pecunia effunditur, aut certè alienum æs contrahitur, tanta luxûs necessitas est; ægrotat Christus, sed deseritur; nec cibo nec alloquio dignus creditur.

Hîc altùm vociferatur Augustinus: *Et audiant, inquit, ista divites, qui nolunt esse misericordes. Audiant irrogari supplicia eis, qui nolunt erogare subsidia. Audiant pauperem refrigerantem, audiant divitem pœnis gravioribus æstuantem. Da igitur petenti, ut possis ipse accipere; tribue pauperi, si non vis flammâ exuri.* Non quæritur, inquit Chrysostomus, *multáne dederis, sed num minus dederis, quàm facultates ferant, hoc enim est ludentis.*

Aug. to. 10. serm. 25. de divite & Lazaro, mihi pag. 42.

Chryst. to. 4. hom. 8. in epist. ad Coloss.

Religio decimarũ in dandis eleemosynis observanda.

Ergo quod jam constitutum est, eleemosyna, quæ datur, commetienda est ad pecuniam, quæ possidetur; major ad majorem; minor ad minorem; sit aliqua proportio inter facultates, quæ retinentur, & inter ipsum, quæ distribuitur. Religio decimarum, quantum fieri potest, observanda.

§. V.

Sophron. in prat. spirit. c. 185. mihi pag. 507.

NArrat Sophronius, quod dicta confirmet. Nisi bi Christiana femina maritum habuit à sacris Christianis alienum. Totus rei domesticę census quinquaginta floreni erant. Hos maritus promens: Fenori, ait, quidquid hoc æris est, exponamus, certè aliquam inde pecuniam recepturi: alioquin alium post alium florenũ consumimus, exiguâ spe, nullo proventu. Huic uxor: Mi optime marite, inquit, si fenerare placeat, Christianorum Deo longè liberalissimo hoc fenoris committamus. Cui vir: Vbinam est, inquit, quem laudas, & quo loco adeundus? Hunc tibi, ait uxor, ostendam, & cum dicto virum clementer ad templum traxit. Vestibulum templi obsidebant mendici, quos digito monstrans femina: Quicquid his donatur, inquit, hoc Christianorũ Deus, ut sibi donatum, largissimè remuneratur. Ab uxore demùm persuasus, quinquaginta florenos centumculis commisit. Ita domum redierunt. Exactõ trimestri, res angusta domi sollicitos habuit conjuges. Hîc maritus ad uxorem: Video, inquit, Christianorum Deus, aut nullum reddit fenus, aut tardissimè. Et non dura jam egestas vellicat. Imò verò, mi vir, ait uxor, fidelissimus est Deus noster; tu modò animum ne desponde; omnia reddentur cum amplissimo fenore. Hoc age; locum repete, ubi æriolum nostrum in mendicos deplevimus. Paret, & eò redit, sed qui se debitorem fateatur, neminem invenit. Hinc mœstus oculos defigit humi, & casu, quod putabat, jacentem ad pedes monetam conspicit. Hanc domum deferens uxori: Mihi crede, ajebat, nec Deum Christianorum vidi, nec fenoris quidquam accepi, hoc solum reperi numisma. Vxor jam multò in spem erectior: Nil ambigas marite, inquit, Deus est, qui universa, maxima, minima suo dispensat nutu: hic ipsissimus ille Deus hanc oculis tuis, hanc tuis manibus monetam obtulit: quare abi, & aliquid in prandium eme. De cetero ille idem Deus suorum amantissimus providebit. Abiit ille, & piscem pretio illo præstinatum uxori retulit mensæ parandum. Hunc illa manibus avidissimis aperiens, lapillum in eo reperit formæ ac nitoris inusitati. Mirantur ambo conjuges, sed felicitatem jam præsentissimam nondum agnoscunt. Non tamen nullius esse pretii tam speciosum seu vitrum, seu margaritam credunt. Igitur maritus argentarium sibi aut gemmarium adeundum ratus, & en eum ipsum, quem quæsivit, opportunissimè obvium allocutus: Num, inquit, hunc lapidem emis? Hanc gemmarius manu oculisque in eam rem eruditissimis versans: Tua est, inquit, indicatio; fac pretium: quanti? Hoc ego, ait alter, tui arbitrii esse volo; da, quod placuerit. Gemmarius tam ignorante mercis, ac facili venditore gavisus: Præsentario argento, inquit, florenos quinque numero. Ille rideri se putans: Florenos quinque, ait, pro hoc lapillo? Mox emptor pretium augens: Ne diu litigemus, ait, florenos decem accipe, pretium sanè honestum. Iam magis se rideri censens venditor, aliquantisper conticuit. Gemmarius ne fortunam tam imperito venditori nondum cognitam è manibus dimitteret: Ne contumaciæ tuæ resistam, ait, florenos dabo viginti, & rata sit emptio. Hîc venditor majus quid latere suspicatus, meditabundum tenuit silentium. Nec tamen emptor desistere, pretium magis ac magis augere, florenos triginta ponere, mox & quadraginta, imò & quinquaginta offerre: Iam demum alter non amplius vitrum, nec infimam gemmam credere, sed raræ virtutis margaritam æstimare. Dum ita licitantur, florenos emptor trecentos pollicitus: Tanti est, inquit, pretii & non majoris, quod mihi puto sincerè ac ingenuè fatenti credes. Placétne vendere; trecentis emo: nec ultra obolum addo. Emptorem habes, si velis. Sin aliud vis, tuum tibi habe lapidem, & abi. Huic tandem æstimationi assensus alter: Emptio, inquit, facta est: Lapidem accipe, & trecentos mihi florenos numera. Numerati sunt. Hos ille quam primùm ad uxorem ingenti cum plausu detulit. Sed uxor locuturum prævertens: Dic, ait, quot sestertiis vendidisti lapidem? Ad quam maritus lætissimo vultu: Tu potius, inquit, quære quot florenis. Non ipsa fortuna nobis fortunatior sit: Prosperitatem albis quadrigis in nostras ædes invectam crede. Ignotum nobis lapidem, florenis vendidi trecentis. Femina Christiana gaudio subsultans: En, inquit, qualis sit Christianorum Deus, quàm bonus, quàm dives, quàm gratus! Non quinquaginta solùm florenos, ipsi commodatos, sed fenore sextuplici reddidit trecentos. Hunc Deum, mi vir, agnosce, & cole: hic unus & solus cælo terrâque Dominus est: *Omnes dii gentium dæmonia.* Ita vir ille cùm rei miraculo, tum verbis conjugis eruditus Christiana sacra suscepit. *Psal. 95. v. 5.*

Vivit etiamnum hic Christianorum Deus, qui argentum in tale fenus quærit, & accipit, & usuras reddit amplissimas. *Vult in paupere sibi dari*, ait Chrysologus, *& qui vult sibi dari, vult quod datum est, se debere, & qui vult se debere, quod datum est, vult largientibus nil perire. Deus parva poscit, maxima redditurus. O homo, da in terrâ pauperi, quæ tibi manere vis in cælo!* *Petr. Chrys. Ser. 10. in fine.*

CAPVT IV.

Convivium egenis instruendum, Christum convictorem alendum, Christo aliquid omni mensâ seponendum.

VIDVA Naitica defunctum filium non sola luxit, sed unà secum multos habuit lugentes & ipsum Christum, qui matri vivum reddidit, quem mortuum plorarat. Non solis ceremoniis hæc luctûs societas stetit. Ita Christus lacrymis, quas Lazari sorores fuderant, non solùm suas adjunxit, sed & Lazarum à morte revocavit, & ita geminæ sororis luctum gaudio commutavit. Hinc Paulus Dei misericordiam extollens: *Pater misericordiarum*, inquit, *& Deus totius consolationis.* Bona & mellea verba, si sola sint, infæcunda sunt, nec misericordiam satis testantia. *2. Cor. 1. v. 3.*

Iacobus Apostolus luculentè: *Si frater* inquit, *aut soror nudi sint, & indigeant victu quotidiano, dicat autem aliquis ex vobis. Ite in pace, calefacimini, & saturamini, non dederitis autem eis, quæ necessaria sunt corpori, quid proderit?* Quod Ioannes altiùs infigens animo: *Filioli mei*, ait, *non diligamus verbo, neque linguâ, sed operè & veritate.* Christianus amor, &, quæ ab eo provenit, beneficientia manus & brachia provocat ad opus, verborum melle ac saccharo minimè contenta. In eam rem actiones Beneficentiæ novem jam suprà exposuimus: tres alias hîc addimus, ut exactè doceamus, quibusnam modis eleemosyna bene ac convenienter præbeatur. Harum prima est; *Convivium egenis instrue.* Altera: *Christum convictorem ale;* Tertia: *Christo aliquid omni mensâ sepone.* De his jam plura. *Iac. 2. v. 15. & 16. 1. Ioan. 3. v. 18.*

Hoc nam charitas Thom. 2. 2. q. 31. art. 3.

§. I.

ERgo decimus partiendæ stipis modus est; *Convivium egenis instrue.* Hoc Christus explicatissimè injungens: *Cum facis prandium*, inquit, *aut cœnam, noli vocare amicos tuos, neque fratres tuos, neque cognatos, neque vicinos divites, &c.* *10. Modus. Convivia egenis instrue. Luc. 14. v. 12. 13. &*

divites, ne fortè te & ipsi reinvitet, & fiat tibi retributio. Sed cùm facis convivium, voca pauperes, debiles, claudos, & cæcos; & beatus eris, quia non habent retribuere tibi: retribuetur enim tibi in resurrectione justorum. Hæc Domini præceptio non è Rhetorum scholis metaphora, non tropus, non figura, non color est Rhetoricus. Verba sunt planissima & apertissima, nec in alium sensum torquenda. Vi verborum cæcis, debilibus, claudis, pauperibus instruendum est convivium. Non quidem prohibet Christus, quin & sanguine, vel aliâ necessitudine coniuncti convivio possint excipi, sed docet beneficia, quæ in amicos vel cognatos conferuntur, in Orbe altero, iis præmiis non afficienda, quibus ea solent, quæ pauperibus Dei causâ impenduntur. Si ergo convivium velis adornare, quod tibi quàm fructuosissimum sit, si epulum tuum quàm optimè collocare cupias, & mercedem inde speres quàm amplissimam, mendicos, hominum abjectissimos invita; vel ideo maximè, quia par reddere ac vicissim te convivio excipere non possunt. Et ideo etiam cave dixeris: Omnes mihi pereunt convivales impensæ, si eam hominum fœcem mensæ admoveam. Quid enim favoris aut commodi rependent? si hoc spectes, quod plerique omnes homines, ut inviteris vicissim, aut beneficii aliquid, & gratiæ ab invitatis obtineas, jam perdidisti omnia. Nam quod Ambrosius dixit, *Hospitalem esse remuneraturis, affectus est avaritiæ.* Quàm autem levicula, quàm vilis est compensatio, si recipias unde ventrem ad aliquot horas suffarcias. Ergo pauperibus convivium tuum appara, qui æquale quidem non retribuent, sed majus. *Et beatus eris.* Nam eo ipso, quòd ab illis nihil aut expectaveris, aut receperis beneficii, illorum loco rependet Deus, qui collatum sibimetipsi beneficium imputat, quod confers in egenos. Deum numquam obliviscentem habebis debitorem, convivio excipieris æterno. Non ergo turbemur, cùm non recipimus beneficii compensationem, sed cùm receperimus, tristemur: Quia merces caduca subtrahit æternam. Hac in re Chrysostomus planè germani oris & pectoris, candidissimè suos auditores instruens *Amicum*, inquit, *si vocaveris, ad vesperam durabit gratitudo. Pauperem sanè & mutilum si vocaveris, numquam peribit. Nam debitorem habes Deum, qui perpetuò reminiscitur, & & numquam obliviont tradit. Quanta verò mollities fuerit, dic quæso, cum pauperibus non posse ad mensam simul recumbere? Quid dicis? Immundus est pauper, inquis, ac sordidus. Ergo lava ipsum, & ita duc ad mensam tuam. Sed vestimenta habet sordida & squalida? permuta cum tuis, da illi stolam mundam. Non vides, quantum hic sit lucri? Christus per ipsum ad te venit, & tu erga ipsum parcus & sordidus es?*

Luc. cit.

Chrysost. in catenâ.

Hoc loco Chrysostomus tam venustè, quàm copiosè geminas sed diversissimas mêsas describit, quarum altera solis principibus viris, mendicis altera meris stipata sit. Cur autem ipse Chrysostomus multò potiùs mensam pauperum, quàm principum vellet accumbere, illustrissimâ dictione causas assignat. Has ego, mi Lector, à te videri velim, si quidem disertam eruditionem amas. Propterea digitum intendo ad fontem. Mihi non licet hic esse prolixiori.

Chrys. to. 4. in epist. ad Coloss. mihi pag. 1112.

Sed, inquis, quid sibi vult Christus jusione (liceat dicere) tam absurdâ? Nusquam moris est, nec unquam fuit, lautissimum focum struere, venationes & aucupia in culinam congerere, cupedias & delicias apparare, dein verò luscos, ulcerosos, mutilos, scabiosos, luridos, mendicos in triclinium deducere, iisque exquisitas epulas apponere, nusquam hoc moris est.

Sapiens non quid moris sit, sed quid esse debeat, attendit. Vide igitur, mi homo, quàm Christus non suâ jusione, sed tu opinione tuâ longè fallaris? Novit equidem Dei filius, naturæ depravatæ genium, novit cælestis medicus ferire vitalia, & latentem vomicam incidere: naturalis paupertatis etiam alienæ horrore passim laboramus, hinc ubicumque licet pauperes declinamus, & fugimus. Eorum misereri congruum censemus, modò illi à nobis remoti sint. Procul, ô procul, dicimus, fœtores & sordes pauperum, modò illi nos in nostris ædibus non infestent, domi suæ maneant, ita eos promptiùs iuvabimus. Hîc medicus è cælo, ut nequam hanc ab Adamo indolem curet, planissimis verbis præcipit: *Cùm facis prandium, aut cœnam, voca pauperes, debiles, claudos & cæcos.* Et quod Isaias jam olim jusserat: *Egenos, vagósque induc in domum tuam:* mensæ tuæ adhibe, cibos appone, humaniter alloquere, esurienti panem tuum frange; adeò te illis officiosum præbe, ut si quis illorũ vitio corporis manum ori admovere nequeat, tu tuam illi manum substitue, & cibum in os insere.

Luc. c. 14. v. 12.

Isai. c. 58. v. 7.

Videte, ô paupertatis & pauperum osores, quàm non satis sit Christo, si pauperibus panis frustillum, aut cupreum nummulum per fenestras projiciamus; vult eos in domum introduci, mensâ communicari, vult esse nobis proximos. Ita superbia humana, ita mollities nostra, ita nausea pauperum nimis quàm delicata seriis his antidotis est expugnanda. Egenos induc in domum tuam, ut amicos, ut fratres tuos complectere.

Fecit hoc certè tertius Sabaudiæ Dux Amedæus: qui pauperes suos commilitones, imò advocatos & defensores suos appellare solitus est. His cibum, potum, vestes etiam suo corpore detractas liberalissimè impertiit: comedentes assedit, cibos eis anteposuit, alloquiis humanissimis animavit. Ad hunc principem missus aliunde legatus, qui super mensâ sermonis opportunitatẽ nactus de canibus venaticis quæsivit. Cui princeps: Cras, inquit, videbis illos. Die altero Legatus in triclinium ductus, & ad prospectum invitatus est in subjectum amplissimum locum, ubi oblongiores mensæ complures pauperibus fuerant stipatæ. Hos pransores Amedæus Dux loquente dextrâ monstrans: Atque hi, ajebat, sunt mei canes venatici; his cælum ut spero, venabor: ego illis panem cibarium submini-stro, illi mihi cælestem impetrabunt; ambrosiam & nectar ab horum manibus expecto. Orator ne nihil sapere videretur, istud objecit: Atqui hoc genus hominũ plerumque otiosum, vagum & rarò frugi est. Cui mox Amedæus Princeps: Atqui, ait, mei muneris non est horum pectora rimari: si Deus nostra sic examinet, quis illi erit innocens? Ego pauperes passum ut pater, non ut judex. O principem beatum, cujus salutem hi venatici canes tutiorem præstent, quàm mille prætoriæ cohortes quàm decem millia immortalium Persarum, quos Darius Rex habuit stipatores. Ergo convivium egenis instrue.

Raphaël Volaterran. l. 2. Geographia, & Lambertus Vanderburgius.

Amædei canes venatici erãt pauperes.

His cælum sperabat venari.

§. II.

VNdecimus in dandis eleemosynis modus, *Christum convictorẽ ale.* Hoc consilii ditioribus damus, ut saltem unum aliquem è pauperum tribu perpetuò alant. Quod beneficii genus in adolescente, qui litteris vacat, optimè collocatum putem.

11. Modus: Christum convictorem ale.

Anno millesimo ducentesimo quadragesimo tertio Hedwigis miræ sanctitatis femina, Poloniæ princeps, ideo se nulli religioni addixit, ut tanto contentiore studio in pauperes sese effunderet. Imò vita illius omnes religiosorum hominum rigores superavit. Diebus namque singulis jejunium religiosissimè servavit, si dies dominicos & festos demas, quartâ quavis & sextâ hebdomadis feriâ inediam pane solo & aquâ toleravit; carnibus semper abstinuit, idque annis quadraginta; vinum solennioribus tantùm diebus admisit; quotidianus ei potus aqua fuit. Vestis illius cilicium,

Obiit anno 1243. die 15. Octobris ita Surius to. 5. è Blosio Laubichio; qui vitã illius scripsit. Hedwigis in pauperes liberalitas.

cium, ex equorum setis asperrimum erat, quod unâ A gnam Gothorum multitudinem, decem tantummodò viris stipatus in fugam egit. Nimirum & animo & corpori vires suppeditat Misericordia, quæ Deum ipsum audet vincere. Vt hanc habeas in matrem, Christum ale convictorem. Modestissimus est convictor iste, simúlque gratissimus, qui regnum in sui convictûs pretium persoluet.

solâ tunicâ, simplicique pallio tam æstate quàm hieme tegebat. Remotis lecti plumis, asseri aut pavimento, vel marmori quod corium vestiebat, indormiit. Delicatum censuit somnum, si culcitram stramentitiam in morbo admisisset. Portò pauperibus tam effusè dedit, ut sibi vix ad tenuem victum vestitumque necessaria retinuerit. Tredecim mendicos tamquam Christum, & Apostolos quotidie aluit. Et quotiescumque iter faciendum, hos sibi comites adjunxit, horum primam in hospitiis curam habuit, ipsa eis ad mensam ut famula ministravit. Aliis verò pauperibus separatam culinam certósque famulos assignavit. Non continuit se liberalissimus Deus, quin istud benefaciendi studium etiam extra cælum remuneraretur, non auro, sed sanandi & vaticinandi dono, quod utrumque Hedwigis habuit. A nemine Deus liberalitate se vinci unquam B passus est.

Illud in alendis tredecim mendicis, velut Christo & duodecim discipulis pascendis, Clemens VIII. Romanus Pontifex feliciter imitatus, qui hunc pauperum convivarum numerum alimentis quotidianis enutriit.

Ionvil. in vitâ ipsius c. 84. Actor. c. 1. v. 15.

Ludovicus IX. Galliarum Rex ad immortalitatem religione & memoriâ consecratus, quotidie centum viginti pauperes mensâ regiâ refecit, quocumque terrarum abiisset. Quâ in re sanctissimus Rex numerum illum Dominici gregis spectavit, in quem Spiritus sanctus die Pentecostes delapsus est. Et quamvis Ludovicus integerrimos mores hac sacrâ beneficientiâ mirè ornarit, improborum tamen linguas neutiquam evasit. Sed ille propositi tenax respondere solitus est: Hos sumptus, putem, in egenos rectius, quàm in luxum contulero.

Amorem & misericordiam fratrem & sororem non malè dixeris, quibus plurimum sit ingenii. Amor certè ingeniosissimus est, & mirus artifex, cùm robustus est; nec ei absimilis soror Misericordia, cui subinde parum est donare, nisi etiam pietatem ingeniosam adjungat dono.

Sic Ida fecit femina nobilissima, quæ maritum habuit Egbertum Comitem, qui in aulâ Caroli Magni Præfectus Prætorio fuit. Egberti conjux Ida compluribus ante obitum annis feretrum sibi parari jussit. Hoc quotidie bis omni esculentorum genere ad summum implevit, bis etiam in pauperum usus exhausit: ita simul & animum suum memoriâ mortis erudiit, & egenos largitione tam piâ plurimùm adjuvit. Sic utique plures, quàm unum dumtaxat convictorem Christum aluit.

Gregor. Turonens. l. 2. Hist. Franc. c. 24. mihi pag. 241. Baron. to 6. pag. 314.

Anno quadringentesimo septuagesimo quinto, Sidonii Episcopi ævo Burgundiones dira fames invasit, & vulgus alimoniâ destitutum huc illuc sparsit. Ecdicius vir Senatorii ordinis, Sidonii cognatus, ingens animi, fiduciâ divinæ opis rem magnam ausus est. Cùm enim irroborasset famis sævitia, emulos cum equis & plaustris ad oppida vicina misit, ut ad se perveherent, quos adeò confecisset inopia. Ita maximus egenorum numerus Ecdicio advectus est. Vltra quatuor millia tam virorum quàm mulierum fuisse ajunt. Hos omnes Ecdicius toto annonæ tempore liberaliter nutrivit, alioqui fame consumendos. Laxatâ iterum annonâ cùm ubertas jam rediisset, singuli dispositis vecturis in suum locum sunt restituti. Ab horum discessu vox cælo lapsa hunc pauperum parentem sic compellabat: *Ecdici, Ecditi, quia fecisti rem hanc, tibi & posteris tuis non deerit panis in sempiternum; eò quòd obedieris verbis meis, & famem meam refectione pauperum satiaveris.*

Divina hæc promissio plus continet thesauri quàm litteræ signis centum consignatæ, quæ mille auri milliones pollicentur. Neque verò in famem tantùm Ecdicius fortissimè pugnavit eleemosynis, sed & ma-

§. III.

DVodecimus erogandi modus, *Christo aliquid omni mensâ sepone.* Et en hac in re magistros, qui te hoc doceant. Familia nobilis est, quæ omni prandio & cœnâ, imponit mensæ lancem vacuam; in hanc ex omnibus pæne ferculis aliquid reponitur. Ita è diversis patinis sine omni accumbentium detrimento ferculum optimum conficitur. Hoc autem, prout patrifamilias videtur, jam ad istum, illúmve pauperem, modò ad hunc, aliúmve ægrotum mittitur. Ingeniosa est, ut diximus, Misericordia, & novorum assiduè thesaurorum inventrix. 12. Modus Christo aliquid omni mensâ sepone.

Alia familia lac omne, quod die sabbathi à pecore toto excipitur, in pauperum usus effundit.

In cœnobio quodam priscæ consuetudinis est, in triclinio diebus triginta continuis vacuum defuncti locum eatenus honorare, ut quidquid cibi potúsque appositum fuisset vivo, id omne apponatur mortuo. Quia verò mortui parcè comedunt, illa omnia mensæ illata in pauperum casas abeunt. Inventiones non solùm pulchræ, sed & fructuosæ. Hoc prorsus est. *In bono oculo adinventionem facere manuum suarum.* His inventionibus mirificè delectatur Deus, quod ipse jam olim fatus: *Ego Dominus*, inquit, *scrutans cor & probans renes, qui dono unicuique juxta viam suam, & juxta fructum adinventionum suarum.* *Eccli. c. 51. v. 12.* *Hier. c. 17. v. 10.*

C Iustus Lipsius ab eruditione ac scriptis Orbi notus, hoc unicum sibi minerval postulans: *Tu quidem Lector*, inquit, *si quid adjutum te hac industriâ nostrâ senties, gratum memoremque te præbeas hactenus, ut duobus verbis usurpes:* LIPSIVS INVENIT. *Hoc enim cum Thalete à te non ineptè peto, qui Mandraytum Prienensem cùm nova quædam ac subtilia de cælo ac sole docuisset, offerente illi mercedem quam & quantum vellet: Hoc pro omni mercede esto, inquit, ut quoties apud alios ea proferes. Thaletem auctorem inveniſſe nominetis.* *Lipsius in Præfatione ad antiqua Lectionis.*

Si tanti est aliquid invenisse præclarè, quin exerimus hîc ingenium, & nova largitionis artificia excogitamus, aut certè usurpamus excogitata. Hîc inventoribus, aut eorum imitatoribus immortale præmium est.

Sed obducas forsan: Marsupiolum meum inventionibus dandi non eget, sed accipiendi: Quæ annus porrigit, in annuam alimoniam ægerrimè sufficiunt. Sufficiet equidem, mi homo, si tua annua tibi aliquid D non recusarint detrahi. Nova hæc, inquis, & inaudita philosophia est, rem augere detrahendo. Quod enim floreni decem non impetrant, quâ tandem ratione id impetrabunt novem? Quæ sui deminutione crescunt? Imò verò plurima. Naturam intueamur. Sanguis incisâ venâ vel cucurbitulis admotis subducitur, non alio reverâ fine, quàm ut detractio sanguinis sit incrementum valetudinis, & ipsiusmet sanguinis hoc modo purgandi. Ita strues lignorum nimiùm densa, immissum ignem suffocat. Subtrahuntur aliquot ligna, & ignis mox assurgit & invalescit. Ita cibum corpori dandum imminuimus, & nutritionem acuimus ac promovemus. Et plerumque quò plus detrahimus escæ, plus adjicimus vitæ. In rebus animi hoc longè apertissimum est: honoribus respuendis honores assequimur, vitandis voluptatibus voluptates æternas obtinemus; quò plura nobis ipsi negamus, plura & majora comparamus. Eadem in eleemosynis

est

est ratio. Subtrahe marsupio, & plurimum appones, da & dabitur tibi.

Et quemadmodum suprà diximus, suas Christo decimas non negandas, ita nunc asserimus suas Deo primitias offerendas. Non hîc aliam à priore, aut novam largitionem præcipimus, sed alium finem, novam Intentionem. Consultissimum est, ut quotiescumque cibum sumimus, hinc Christo esurienti aliquid seponamus: ita quotiescumque aliquid pecuniæ recipimus, primitias inde Deo demamus. Hæc de summâ deceptio summam augebit. Sunt, qui simul florenos quinquaginta, qui centum, qui ducentos, qui plures accipiant. Hîc suam quisque conscientiam interroget, quid hinc Deo primitiarum loco consecro? Est qui fateri debeat: Nulli mihi sunt liberi, nec hæredes alii, quàm in funere meo risuri, quid igitur do pauperi Christo amicorum meorum intimo, quas Deo primitias dico? Heu quoties pecuniæ nostræ parcimus & animæ gravissimè nocemus? Ægrotare malumus, quàm argenteum illum sanguinem emittere: Imò, quæ nostra insania est, non rarò perire malumus, quàm argenti venam violare. O fatuos, quibus aurum charius est quàm cælum!

§. IV.

Ioan. Moschus Prat. spirit. c. 85.

NArrat Ioannes Moschus fuisse consuetudinis, in cœnobio Scopuli, ut sub finem verni jejunii pridie Paraseeves confluentibus undequaque pauperibus largiores darentur eleemosynæ, ita quidem, ut illorum singuli tam mellis quàm tritici sextarium dimidium, integrum vini, & benedictiones tredecim acciperent. Eo autem anno, quo tritici sterilis proventus fuit, monasterii seniores Patres Abbatem submonentes: Pater Reverende, ajebant, cùm triticum tam malignè proveniret, hoc anno priscam consuetudinem sequi plus quàm difficillimum erit; ipsa reclamat tritici sterilitas: tantisper patientiam mendicis suadeamus. Quibus Abbas; Obsecro, mei filii, ait, benedictionem patris nostri Theodosii ne tollamus. Præceptum senis est; non expedit nobis illud transgredi: Filiorum curam non abjiciet pater. At illi suo judicio stantes: Non suppetit nobis, inquiunt, quod demus: omni tritico domum nostram spoliari nemo suaserit. In mœrorem dejectus Abbas: Ite, inquit, & quod vultis, facite; ego extra culpam ero. Ita negatum est egenis triticum die cœnæ Dominicæ dandum. Paullò post præfectus annonæ horreum ingressus triticum omne in germen herbámque effusum reperit. Quapropter nulli amplius usui futurum in mare abjiciendum fuit. Hîc Abbas occasione tam commodâ exorsus dicere ad suos: Nunc, inquit, fratres mei, inobedientiæ laboris metite. Iure merito hanc tritici jacturam facimus, quia monita patris nostri Theodosii neglexímus. Quingentis modiis turbæ pauperum satisfacere licuisset, nunc fatuè providi & stolidè parci, ferè quinque modiorum millia perdidimus. Quid lucrati sumus filii? Quantum nobis ipsi nocuimus hac tam importunâ parsimoniâ? Geminum profectò malum incurrimus. Primum quidem, quia spem nostram nõ in Deo nostro, sed in horreo nostro positam habuimus. Alterum, quia parentis nostri jussa pereunte obsequio contempsimus. Igitur vel ex hoc discamus à Deo rerum omnium moderatore disponi providentissimè universa. Et quomodo suos famulos non nutriet, qui aviculas, qui vermiculos, qui minimas pascit bestiolas? Deus omnium & singulorum gerit curam, eorum maximè, qui curam gerunt suorum pauperum. Æterno res documento sit, turpissimum prodigentiæ genus esse, tam malè providam in eleemosynis parsimoniam.

Ita omnino res sese habent, & quotidiana id testatur experientia, nil Christo pauperi gratis dari. Ille A sapientissimè parcus est, qui opportunè in inopes effusus est. In eam rem narrat vetus Heisterbacensis scriptor in agro Trevirensi Meinfeld cœnobiũ esse, quod *Lacus* appellatur. Divertit eò vir peregrinus è Saxoniâ, benignè ac lautè habitus, hospitium suum gratiis ampliss imis institit venerari. Non multò post vir quidam opulẽtus in Saxoniâ, huic, quem diximus, homini peregrino familiarissimus ægrotare cœpit. Sub finem vitæ testamentarias tabellas compositurus illum ipsum interrogavit: Quid censeret, quo loco pecuniarum partem optimè locaret, cupere se piis largitionibus, dum viveret, divinam gratiam emereri. Huic alter: Mi amicorum optime, inquit, non procul Coloniâ cœnobium est viris religiosis habitatum, ab hospitalitate singulariter commendandum. Expertus hæc dico. Eleemosynas tuas vix loco meliore collocaveris. Placuit B consilium moribundo Saxoni, & argenti marcas quadraginta illi monasterio legavit. Ea pecunia mox per servum Coloniam missa. Sed quia bellum, quod inter Othonem & Philippum Reges exarserat, vias intutas fecit, servus relictâ Coloniæ pecuniâ ad Lacum pedes properavit, & Abbati rem ex ordine percensuit. Missus igitur monasterii procurator legatum illud tutâ fide recepit. Tanti fuit vel unicum peregrinum hominem hospitaliùs accepisse. Per tales cuniculos Christus collata in se beneficia reponit. *Date & dabitur vobis. Ob hoc*, inquit Chrysologus, *ad te venit tuus ditator in paupere, ut eum non dubites accepta reddere, qui tibi gratis dedit habere quod dares.* Præclarè dixit Basilius: *Dedisti esurienti, tibi consuluisti: quod enim dedisti, cum auctario revertetur.* Eruditè Clemens Alexandrinus eleemosynam pilæ ludo comparat, in quo eadem pila, quæ ad alterius manum datim mittitur, viam relegens ad dexteram prioris redit. Quod & Ambrosius confirmans: *Beneficium largientis*, inquit, *præbenti magis permanet quàm suscipienti.* Ergo, quòd hic duodecimo loco monuimus, Christo aliquid omni mensâ sepone.

Cæsar. l. 4. mirac. c. 71.

Quinque Philippei unam argẽti marcã faciunt. ergo 40. marcæ sunt 200. Philippei, seu 276. floreni 10. bacci. Luc. c. 6. v. 38. Chrysol. ho. 27. ante finem. Basil. ho. 6. in divites avaros. Clem. l. 1. pædagog. Amor. ser. 81.

CAPVT V.

Eleemosynas è propriis facultatibus, & intentione optimâ dandas: non egeni meritum, sed miseriam spectandam.

IN urbibus non infrequens est, ut homines depauperati ad largiorem colligendam stipem pauperitatis suæ caussas è loco superiori per Ecclesiasten pronũciari cupiant. Aut enim à Turcis aliisve barbaris capti sunt, & lytrum quærunt; aut rebus suis omnibus per incendium haustis, collationem in ædificium petunt; aut certè naufragio vix vitam subduxerunt, jámque omnibus amissis subsidium adversùs maris iras implorant.

Est quidam in orbe pauperrimus homo, quem non una solum ex illis cladibus sed omnes dejecerunt. Et captivus, & incendiis afflictus, & naufragus est. Hic mortalium omnium pauperrimus est Christus IESVS patris æterni unigena, qui post orbem conditum anno quinquies millesimo centesimo nonagesimo nono, mendici habitum, mortalitatis saccum induit, & sese in cunis gramineis aspectabilem nobis objecit, stipem petiturus. Triplicem audite caussam. 1. Captivus est, manibus pedibúsque vinctis. Ipsa mater eum ligavit; *Involvit eum pannis*; in stabuli ergastulo est; negatum ei prodire foràs. 2. Domus illi, hortúsque periit amœnissimus. Orbis principio paradisum condidit. Sed heu totus interiit velut incendio consumptus, & redactus in cinerem. In signum incendii Deus *collocavit ante paradisum voluptatis Cherubim, & flammeum gladium atque versatilem.* 3. Naufragus est, nam sicut vates He-

Ita Cæsar Baronius numerat. Christus triplici de caussâ se nobis aspectabilem objecit stipem petiturus. Luc. c. 2. v. 7. Gen. c. 3. v. ult.

bræus Ionas in mare abjectus est, ita hic in dolorum pelagus præcipitatus est; balæna ingens, cœtus horribilis, mors eum glutiit, sed quia hanc prædam nequiit cõcoquere, revomuit. Ita Dei filius in orbem pauper, ita captivus, ita naufragus, ita ad stabuli sordes damnatus: ad extremam paupertatem devolutus ad nos venit mendiculi formâ liberalitatem nostram exploraturus ipse præsens. Quin igitur utrâque manu huic mendico damus, quin nostra omnia, nosque ipsos vendimus, ut huic pauperum pauperrimo subveniamus. Ecquis modus est, inquis, quo demus huic regi sed mendicanti? Duodecim assignavi modos, quibus Christiana largitas alienę inopiæ medeatur. Addo tres alios: *Da de tuo: Egeni miseriam non meritum specta: Da intentione optimâ.* Nunc porrò triplicem hunc modum explico.

Tres alii modi alienæ inopiæ medendi.

§. I.

13. Modus. Da de tuo.

Eccli. c. 34. v. 21. & 24. Prov. c. 15. v. 8.

DEcimustertius largiendi modus est: *Da de tuo:* Hoc Deus semper præcepit singulariissimè, nolle se sacrificium de prædâ, fœnore, rapinis, bonis improbè partis. Siracides clamat: *Immolantis ex iniquo, oblatio est maculata.* Nam *qui offert sacrificium ex substantiâ pauperum, quasi qui victimat filium in conspectu patris sui. Hostiæ impiorum*, inquit Salomon, *abominabiles*, quia offeruntur ex scelere. Exuviis divo Petro detractis, induvias divo Paulo præstare non licet. Thus sublatum furto fœtorem redolet in cælo: sic eleemosynæ, quas bona iniquè parta subministrant, fœtent, & magis iram Dei provocant. Si quid das, de tuo da.

Eccli. c. 3. v. 21. Chryst. to. 3. hom. 80. in Ioan. mihi pag. 325. & to. 5. hom. 33. ad pop. mihi pag. 228.

Anno quingentesimo quadragesimo septimo Gothorum Rex Totilas Romam occupavit, & spoliavit. Interim orandi gratiâ divi Petri Basilicam est ingressus. Papæ! quàm malè conveniunt preces fundere, & spolia diripere. Constat eo tempore Romanâ plebe ad quingentos solùm homines in urbe remansisse, ceteris peste aut fame mortuis, aut certè alio quaquaversus dilapsis. Primores viri feminæque ostiatim obierunt, ut aliquid panis aut cibi emendicarent. An forsitan castigatricem Domini manum irritarunt immisericordiâ, aut vitiis illi affinibus? *Immolantis ex iniquo, oblatio est maculata.*

Surius in vitâ S. Galli c. 8. Barõ. to. 9. ad annum 747. nu. 7. Verba Baron. sunt: pauperculus quidâ juxta regiam possessionẽ, quæ Romanvvula dicitur, commanens, &c.

Chrysostomus hîc falsè urget: *Christus dixit: Date eleemosynam, non avaritiam: quæ ex alieno datur, eleemosyna non est, quamvis egentibus impendatur. Eleemosyna est, quæ omni caret iniquitate: hæc omnia munda facit: aliena rapiens non est profectò misericors, licet infinita largiatur. Nam alios vulnerat, & quos non vulneravit, sanat; cum potiùs illos non vulnerare, aut prius debuisset sanare. Humanus enim est, non qui vulnerat pios & curat, sed qui ab aliis vulneratos sanat. Sic eâdem misericordiæ mensurâ non potest avaritiæ malum curari. Quod si vel obolum rapueris, & talentum reddas, vix ita quoque resarcis.*

Divorum notus panegirystes miraculum instituto aptum commemorat hunc in modum: Fuit pauperculus nec ultimæ pietatis homo, qui unicè cupiebat beato Gallo aliquid donarii, vicem anathematis deferre. Verùm res angusta domi negabat libationis pretium. Ergo aliquid ausus homini opulento alveare cerâ & melle stipatum religioso, ut putabat, furto subduxit. Nec enim nefas esse censuit, sublegere quidpiam tam abundanti, præsertim quod transiret ad sacra. Ita ceram domi liquatam ad beati Galli ædem attulit. Cùm jam in templo ageret donarium oblaturus, deprehendit ceram in saxum obriguisse. Eâ re territus, socio id dixit; qui hominem ad pœnitentiam animavit, monuitque, ne deinceps in cælites liberalis esse vellet ex alieno. Vbi hoc ædis custodibus innotuit, fama miraculi emanavit.

Greg. Turo de Glorià Confess. c.

Huic firmando non absimile Gregorius Turonensis commemorans, narrationem his omnino verbis or-

A ditur: Sic & in portu maris gestum fuisse multorum confirmat relatio. Vir grandis natu, sed pauper, navigium onustum, quod etiamnum in littore hærebat, adiens, eleemosynas à nautis petere instituit. Ex eâ turbâ protervior usius, cùm virum mendicantem audiret, excandescens: Abi, ait, abi silicernium; nos hîc præter saxa nihil vehimus. Cui senex placidè: Velit Deus, inquit, ut, quod dixisti, verum sit; saxa vehite. Eventum habuere verba. Mox enim quidquid in navibus esculenti fuit, in saxum mutavit. Ego, ipse, ait Gregorius, ex iis & dactylos vidi, & olivas aspexi marmore duriores. Cùm enim omnia in lapidis duritiem abiissent, colorem tamẽ & formam pristinam retinuerunt. Nauclerus ubi panem saxeum sibi molendum, ceteráque omnia in saxum celerrimâ metamorphosi commutata vidit, immitis dicti pœnitentiâ saucius, senem vestigare cœpit, quem nusquam reperit. Miraculi fama civitates plurimas pervolavit: sed & panes, fructus, carnes, aliique cibi saxei, & omnis illa esculenta merx, quæ in lapides induruit, monimenti loco variè distributa est, ut eo exemplo discerent præparci, mitiùs & liberaliùs agere cum pauperibus. Ecce quid juvas, ait Turonensis Antistes, quid agis impudens avaritia? feciſti hominem pauperem, qui non porrigendo pauperi putavit se fieri posse ditiorem.

108. seq. nulti. mihi pag. 310.

B Da pauperi, sed da è tuo; quidquid furtivum, quidquid dolo, vi, malâ fide partum est, ad eleemosynas inconveniens, immundum est, placere non potest. Annis superioribus, dum Bellona Bohemiam, Austriam, Capellatium exercuit, in totam deinde Germaniam sese effudit, scilicet ab anno vigesimo ad hunc trigesimumseptimum. Deus bone! quàm multi & varii, quàm mirabiles & intricati fuerunt quæstus in cudendis, in erogandis, in recipiendis, in commodandis & permutandis pecuniis? Et adhuc sub judice lis est, qui adeò religiosâ & innoxiâ manu rem nummariam tractarit, ut jure dixerit: Quis arguet me de peccato? Labyrinthus hic fuit, in quo etiamnum circumagimur errando. Qui suæ saluti seriò cupit consultum, ad paucula hæc animum advertat.

Dolo, vi vel malâ fide parti ad eleemosynam inconvenions est.

C Primum est: In seipsum quilibet descendat, & suam conscientiam laternulâ rimetur, eámque solerter interroget, num illis præteritis annis optimâ fide pecuniam sibi redegerit? si nullo mali, nec levis quidem suspicio deprehendatur; bono animo sit, graves morbos argentanginam & phylargyriam evasimus. Quòd si conscientia eo modo interrogata trepidet, & vel silentio se ream fateatur, non acquiescat iste, dum plenam conscientiæ tranquillitatem restituerit.

Animadversiones tres pro conscientiæ securitate.

Alterum est: Quòd fide bonâ quis egerit, indicii loco habendum, si viros eruditos & conscientiæ suæ arbitros interrogârit, idque sincerè ac nihil celando; D nam unica quandoque vocula vel exceptiuncula negotium totum convertit & variat. Qui cõscientiæ suæ judicem secutus est, sed errantem, non erravit sequendo. Ad politicum tamen tribunal potest puniri licet innocens in tribunali divino.

Tertium est; Quòd aliquis fide malâ egerit, sat signi est, si nummariam tractationem nec ipse satis examinârit, nec alios super eâ re interrogârit, aut explicandum aliquid subticuerit, aut aliorum judicio stare recusarit; hic certè deliquit, tametsi forsan pecuniaria commutatio non iniqua fuerit.

Ita singulis annis acceptum & expensum accuratiùs scrutetur, qui eleemosynas de suo largiri cupit: *Spiritus enim omnia scrutatur.* Hoc Hierusalem scrutari est in lucernis. Si quid malè partorum fuerit repertum, reddatur, cui ademptum est. Huic ipsi, ais, non potes reddi. Egenis igitur, non ut beneficium, sed ut debitum restituatur. Eleemosynæ non admittunt nisi

1. Cor. 4. v. 10. Sapient. 1. v. 2.

purum

purum & sceleris expers argentum. *Honora Dominum de tuâ substantiâ*, da de tuo.

Prov. c. 3. v. 9.

Vide S. Thomam 2. 2. qu. 32. art. 7. concluſ. Ex injuſtè acquiſitis per furtum vel rapinam, non poteſt fieri eleemoſyna, ſed reſtitutio fieri debet.

§. II.

14. Modus: Egeni miſeriam, nō meritum ſpecta, *Chryſ. ho. 21. in 1. Corinth.*

DEcimus quartus per ſtipem bene merendi modus: *Egeni miſeriam, non meritum ſpecta.* Chryſoſtomus admodum indignè ferens, tam ſtrictam à pauperibus rationē exigi: *Vos*, inquit, *in adultam noctem bibitis, dein pleno ventre plumis ſepulti in multam lucem ſternitis, dum dulciſſimus etiam ſomnus amareſcat; ſic dies alter priori non diſſimilis ſumit exordium. Vbi autem mendiculus frigore ac fame pæne enectus proreperit, vitæ diarium ab eo exigitis.* Chryſoſtomi verba ſunt: *Tempus eſt, miſericordiæ, non diſcuſſionis ſcrupuloſæ. Nutriri ac veſtiri vult pauper? Efficiamur miſericordes, non quomodocumque, ſed ut Pater noſter cæleſtis, qui & improbiſſimos nutrit & veſtit omnes.* Ergo non meritum, ſed miſeriam egeni ſpecta. Hoc Chriſtus propoſitis præmiis commendans: *Qui recipit prophetam*, inquit, *in nomine prophetæ, mercedem prophetæ accipiet: & qui recipit juſtum, in nomine juſti, mercedem juſti accipiet. Et quicumque potum dederit uni ex minimis iſtis, calicem aquæ frigidæ, tantùm in nomine diſcipuli, amen dico vobis, non perdet mercedem ſuam.* Ita qui pauperi dederit, in nomine pauperis, nō deſtituetur præmio: Hic expedita cauſſa eſt. Niſi cōſtet, quod rariſſimum eſt, hominem egentem ſtipe fieri pejorem; tunc ſolùm contrahenda eſt manus. Quòd ſi è duobus non utrique poſſit dari, dandum eſt digniori. Sin autem facultates non abnuant, Servatoris juſſu, *omni petenti te tribue.* Aliud eſt enim dona, aliud ſtipem dividere. Ariſtoteli quidā, Laërtio teſte, opprobavit, quòd homini malo dediſſet. Cui mox philoſophus: Non mores, inquit, ſed hominem commiſeratus ſum. Vir bonus etiam improbis in neceſſitate cōſtitutis ſuccurrit. Debetur hoc officium non promeritis, ſed naturæ. Præterea bonus fieri poteſt, qui malus eſt. Chryſoſtomus, quem dixi, hoc frequentiſſimè inculcans: *Non moribus demus*, inquit, *ſed homini. Mendicus unicum habet patrocinium, quòd eget, quòdque in neceſſitate conſtitutus eſt; ne quid ab illo poſtules amplius. Sed etiam ſi fuerit omnium improbiſſimus, & eguerit neceſſario victu, ſedemus illius famem. Ita Chriſtus præcepit. Portus eſt in neceſſitate conſtitutorum homo miſericors. Portus autem omnes, qui in naufragium inciderint, excipit liberātque; ſive mali fuerint, ſive boni. Tu proinde ſi videris hominem, qui in egeſtatis naufragium inciderit, ne judica, ne vitæ geſta examina, ſed medere miſeriæ. Aliud eſt judex, aliud eleemoſynæ largitor. Ideo vocatur eleemoſyna, quòd eam & indignis damus. Ne ſcruteris igitur curioſè pauperum vitam atque negotia. Nam extremæ illud inſolentiæ eſt, pro uno panè totam hominis miſeri vitam curioſè inquirere. Nam etiamſi homicidā, ſi latro, aut aliud hujuſmodi fuerit, an non videtur tibi vel pane, vel modico argento dignus? & tamen Dominus tuus illi ſolem ſuum producit. Obſecro igitur ego vos, omnia in ſimplicitate faciamus. Eſto enim, qui ad nos accedit, ſit impoſtor: non tamen juſſus es hæc curioſè ſcrutari.*

Matt. c. 10. v. 41. & 42.

Luc. c. 6. v. 30.

Chryſ. to. 2. conc. 3. de Lazaro mihi pag. 1150. & to. 4. in epiſt. ad Rom ho. 21. mihi pag. 207.

Greg. Naz. orat. 19. in parentis funere.

Hæc Gregorius Nazianzenus ſuo etiam calculo probans: *Multò ſatius eſt*, inquit, *ob eos, qui digni ſunt, indignis quoque largiri, quàm dum metuimus, ne de indignis bene mereamur, dignos etiam beneficio fraudare.*

§. III.

Et ultrò da non petētibus, & egeſtati occurre. *Aug. to. 10. l. 50. homil. ho. 39.*

AD hunc decimum quæ tum largiendi modum pertinet. *Vltrò dare non petentibus, & egeſtati occurrere.* Beatus, qui intelligit ſuper egenum, non qui petēti ſolùm tribuit, ſed qui petiturum etiam prævertit. Auguſtinus acriter ad iſtud impellens: *Non eſt*, inquit, *perfecta miſericordia, quæ precibus extorquetur. Feſtina, ô pietas & occurre; ne tibi vendices, quod Domino debetur.*

A Quàm multa variáque nobis proveniunt in hortis, in vineis, in agris; quot herbæ, quot fructus, quantum vini, quantumque tritici nobis non rogantibus, ſæpe nec quidem cogitantibus ſuccreſcit. Chriſtus Dominus modò quatuor, modò quinque millibus hominum certè non petentibus convivium lautum inſtruxit. Creſcit dum impenditur victus.

Platina in vitis Pontif. in Adriano II. & Dominicus Tēpeſtas. pag. 221. Fuit Adrianus II Pontif. centeſimus octavus anno 867.

Adrianus II. gente & domo Romanus, nondum tiarâ primâ decoratus Sergio Pontifici familiaris, cùm ab eo monetas [a] grandiores quadraginta dono accepiſſet, domum rediens eas œconomo dedit, in peregrinorum ac pauperum turbam erogandas. Œconomus tantæ multitudinis affluxum cernens, hoc unum cogitatione verſabat: Quid hæc inter tantos? Ita ſuo domino pecuniam retulit, negans eam tam ingenti, támque avidæ multitudini ullo modo ſufficturam. B Hîc Adrianus receptâ pecuniâ ipſemet ad infirmam plebem deſcendens ſpe in Deum erectiſſimâ, mendicorum ſingulis monetas ternas tribuit, totidem rei familiari ſervatis, œconomo ad rei miraculum obſtupeſcente & attonito. Cui Adrianus: Num tandem vides, inquit, quàm dives & liberalis ſit Dominus, cùm aliena indigentia liberaliùs eſt juvandā?

[a] Denarios vocat Platina, ita & Iuliers.

Hæc Adriani animoſa largitas incredibiliter viri pretium apud omnes adeò auxit, ut cùm de Pontifice creando ageretur, certatim omnes unicum Adrianum poſcerent, quem etiam reluctantem in illud ſolium evexerunt. Epiphonema hîc apponens Auguſtinus: *Magnum*, inquit, *eſt opus eleemoſynæ, fratres, ut homo faciat, quod facit Deus.* Hac quidem ratione Dei verè vicarius.

Surius tom. 2. in ejus vitâ.

Richardus Ciceſtrenſis Præſul, inopes ad accipiendum invitabat, ſicut inſtitor emptores ſolet accerſere: Venite, à me emite; probas merces & pretio levi dabo. Interrogatus Richardus, cur ultrò accurrentes C inſuper advocaret, & ſtipem non petentibus obtruderet, reſpondit: Carò emitur quod precibus emitur. Miſerias egenorum, non promerita ſpectabat. Quis non exclāmet hîc illud Claudiani:

Nil negat, & ſeſe vel non poſcentibus offert.

Hic idem Antiſtes ob eleemoſynas largiùs impenſas à fratre ſuaviter correptus eſt, adjectâ cauſsâ, proventus annuos tantæ pauperum multitudini non reſponſuros. Cui Richardus: Num rectæ rationi conſentaneum videtur, inquit, ut nos argenteis atque aureis cenemus, & Chriſtus in ſuis crucietur fame? Hac dandi benevolentiâ conſecutus eſt, ut panis unicus fauſtâ illius precatione auctus tria millia pauperum ſaturaverit; ex eodem tamen fragmentorum tantum ſuperfecerit, quo centum alii reficerentur. Arcana hæc incrementa ſæpiùs in diverſis rebus viſa, quibus Richardus benedixerat. D

Ejuſdem nominis Britaniæ Rex Richardus, adeò pulchrum ac regium cenſuit prævenire preces, ut cùm die quādam conviviali duos nobiles am aulicorum attentiùs colloquentes cerneret, & unà obſervaret, quàm ii curioſè ſimul & amicè abacum argento laborantem reſpicerent, familiariter acceſſerit & quæſierit, quod colloquii miſcerent. Ad quæ illorum alter candidè: Rex Sereniſſime, ajebat, utriuſque voto tum demum abundè ſatisfaciendum dicebamus, ſi gemina illa nobiliſſima carchefia in ædes noſtras immigrarent. Rex blandè ſubridens: Ne vobis, inquit, minùs favere videar, en vaſa hæc veſtra ſunt. Multò ſuaviſſimum eſt beneficium, quod preces antevertit.

Non ignarus ejus rei magnus Abraham, peregrinis etiam occurrens & humaniſſimè ad ſe invitans. *Hanc* inquiebat, *maximam interpretabor gratiam, ſi domini mei dignentur ad ſervum ſuum divertere. Dolorem mihi magnum inureret, tranſiri me. Ergo afferam pauxillum aquæ & laventur pedes veſtri, & requieſcite ſub arbore. Ponámque buccellam panis, & confortetur cor veſtrum, poſtè à tranſibitis: idcirco*

Geneſ. c. 18. v. 3. & ſeqq.

eiiim

enim declinastis ad servum vestrum. Mox Abraham id obsequii non aliis imperans, sed ipsemet ad armentum excurrens, quod optimum & tenerrimum videbatur, arripuit, & coquendum tulit; in promptu lac & butyrum fuit. Hanc promulsidem alii & alii missus secuti sunt: mensæ Abraham ipse ministravit. Heu quàm longè aliud carmen nos canimus; notæ sunt voces nostræ: *Quis diabolorum nos mendicos iterum ædificavit? ut omine pessimo advenerint: quis omnibus satisfaciat? quis ventres istos impleat?*

O sibilantes colubri, non ita canebat Abraham; beneficia contulit gratuita, preces prævenit. Deus ipse non tantùm gemitus, obsecrationes, lacrymas, sed etiam desideria longè præcurrentia, benignissimo assensu excipit. *Psal. 10. v. 17.* *Desiderium pauperum exaudivit Dominus*, canit Psaltes, *præparationem cordis eorum audivit auris tua.* Dum orare moliuntur & parant, jam exauditi sunt: ipsa Deo indigentia pro voto est. Imitemur, & precantium verecundiam anteoccupemus.

Non tulit gratis, qui cùm rogasset, accepit;
Serò beneficium dedit, qui roganti dedit.

Ergo egenorum inopiam spectemus, non promerita; hominibus deputus, non moribus; vicariam dispensatoris operam Deo navemus.

§. IV.

Hier. c. 17. v. 5: Da mente seu intentione optimâ

DEcimus quintus Christianæ largitionis modus est: *Da mente seu intentione optimâ*, alioquin & panem, & pecuniam, & promeritum perdis. Eleemosynas sine omni pompâ largiendas jam suprà demonstratum est. Hîc sacrum illud opportunissimè instillem: Ama nesciri. Imò & læva manus tua nesciat, quid agat dextera tua. Cave videri velis: satis est, si videat Deus. Tu ipse nescias, si fieri possit, quantum elargiaris, modò Deus sciat: *Hier. c. 17. v. 10.* *Ego Dominus*, inquit, *scrutans cor, & probans renes, qui do unicuique juxta viam suam, & juxta fructum adinventionum suarum.* Non tam donum quàm donantis animum attendit Deus. Intentio prava minúsve recta vel aureos montes in eleemosynas particulatim sectos corrumpit. Quocirca stipem daturus hoc unicum saltem animo versa: Domine IESV, hoc propter te dabo. Sed expedit reverà pluribus & nonnihil distinctis affectibus mentem in Deum erigere, hoc ritu:

Affectus quibus mêtem in Deum erigere debet stipem daturus.

Memoria beneficiorum.

1. O mi Deus, hoc pauperi tanquam tibi do, propter innumera mihi à te præstita beneficia.

Bonum obtinendum.

Aut aliam NB *quamcumque.*

2. Domine IESV, ut patientiæ virtutem adipiscar, hac stipe pauperes juvabo.

Malum avertendum.

3. O fons pietatis, ut ego hanc tentationem vincam, afflictionem illam superem, ex iis, quæ mihi dedisti, hoc ego pauperibus impendam.

Imitatio Patris.

4. O pelagus bonorum, qui voluisti nos esse misericordes, sicut cælestis Pater misericors est, nunc ego misericordiam tam re quàm animo egenis adhibebo.

Observatio legis.

5. IESV præceptor, qui jussisti nos eleemosynis egestatem alienam sublevare, tuis ego jussibus jam satisfacere conabor.

Spes præmii.

6. O beatorum speculum, qui thesauros in cælo non minuendos, qui beatam & immortalem vitam misericordibus promisisti, ut tuis me promissis dignum efficiam, hanc pauperibus gratiam præstabo.

Amor Dei.

7. O mi amantissime Deus, etsi ego nec majores opes, nec auctiorem gratiam, nec copiosius præmium sperarem, nihilominus, quia te amo, has eleemosynas amore tui præbebo.

Omnes hi fines, seu intentiones bonæ, omnes sanctæ sunt, ultima tamen omnium optima & sanctissima est. Nec ullum potest esse dubium, quin is, qui nihil quærit præmii, sed solo Dei amore ad rectè agendum impellitur, præmiũ præ omnibus sit habiturus amplissimum. Nemo gratis Deo servit, nemo. A nemine autem gratis Deo præstatur obsequium, quàm ab eo, qui intentione rectissimâ se totum suáque omnia, quatùm quidem potest, divinis honoribus impendit. Magis donantis animum, quàm donum Deus respicit. Intentionem præcipuè divinus oculus arbitratur. Ideo non solùm attende, quid eleemosynarum tribuas, quàm quid, in iis tribuendis intendas. Lucrum & fenus largitionis tuæ à tuâ intentione pendet. *Nec enim satis est*, inquit *Ambrosius, benefacere, nisi id ex bono fonte, id est, ex bonâ voluntate oriatur.* Quod confirmans Augustinus: *Date eleemosynas*, inquit, *& ecce omnia munda sunt vobis. Unde autem procedit eleemosyna? De corde. Si enim manum porrigas, nec in corde misereris, nihil fecisti. Si autem in corde misereris, etiàsi non habeas quod porrigas manu, acceptat Deus eleemosynam.* Intentio gratas aut ingratas reddit eleemosynas. *Da igitur intentione quam potes optimâ.*

Ambr. Offic. c. 30. *Aug. in ps. 125. post init. med. pag. 360.*

CAPVT VI.

Ioannes Alexandrinus Pontifex nobilissimum in dandis Eleemosynis exemplar; pauperum pater.

MELLIFLVI Bernardi scitum est: *Castitas in juventute, parcitas in ubertate, largitas in paupertate, martyrium est sine sanguine.* Istorum trium mixtura in homine uno rara est. Verùm si desertâ terrâ pervolemus ad cælum, plurimos in illâ beatorum domo reperiemus, qui olim elegantissimam hanc mixturam in seipsis spectandam orbi proposuerunt. Ex illis unicum huc sisto, Ioannem Alexandrinum Patriarcham, qui juvenis castissimus, qui sibi sed soli parcissimus, qui in paupere, subinde etiam in paupertate largissimus.

Hic vir, hic est, sibi quem desponsum sæpius audit
Misericordia, vir omni modo misericordissimus. Res gestas ipsius scripsit Leontius Neapoleos Cyprorum Episcopus. Nos ea hîc excerpemus, quæ potissimùm ad eleemosynas spectant. Vt autem id ordine faciamus, ad duodecim gemmas dicenda referemus.

Apoc. c. 21. v. 19. &c. Ioannes Apocalypticus cælestem patriam stylo complexus: *Fundamenta*, inquit, *muri civitatis omni lapide pretioso ornata. Fundamentum primum, jaspis; secundum, saphirus; tertium, calcedonius; quartum, smaragdus; quintum sardonyx; sextum, sardius; septimum, chrysolitus; octavum, beryllus; nonum, topazius; decimum, chrysoprasus; undecimum, hyacinthus; duodecimum, amethystus.* De misericordiâ pariter licebit dicere: Fundamenta misericordiæ, ta eleemo duodecim lapides pretiosi. Ad singulos unum aliquid synæ; è rebus gestis Ioannis Alexandrini explicabimus.

Fundamenta eleemo

§. I.

PRimus lapis pretiosus, seu, gemma prima Iaspis, quo *Liberalitas incredibilis* Alexandrini hujus Præsulis

1. Liberalitas incredibilis

Ioannes Alexâdrinus ab eleemosynis Eleemosynarius vocatus:

sulis considerandæ proponitur. Ioannes ab eleemosynis nomen Eleemosynarii sortitus, quotidie plures quàm septem millia & quingentos pauperum aluit. Quâvis hebdomade bis terve ad ægrotos revisit, duplici nomine misericors, qui & egenis & ægrotis se totum impendit. Ne autem hominibus plebeis, aut dandæ stipi vel minimum subtraheretur, severè vetuit, à suis famulis quidquam muneris accipi. Quoniâ ignis, ajebat, domos accipientium munera consumet. Ex tunc, ait Leontius, per gratiam Dei abundaverunt domus eorum, adeò ut quidam salarii sui augmentum ultro respuerent. Dic quibus in terris sunt aulæ illæ aut curiæ, quæ se muneribus capi, quæ pretio se deliniri & corrumpi non sinant?

Res rara in terris, nigroque simillima cygno,
— alboque simillima corvo.

Non solùm has munerum corruptelas sustulit Ioannes, sed & modum reperit, quo singulis hebdomadibus adiri posset ab omnibus, ne vel pauperrimus aures & opem antistitis sibi defuisse conquereretur. Hinc quadam die, cùm ex more se publico commisisset, & horis aliquot persedisset, si quis afflictorum suppetias imploraret, ubi nemo quidquam petiit, mœstus & humentibus oculis recessit. Mœroris causam à Sophronio interrogatus respondit: *Hodiernum diem perdi, quia, qui beneficium peteret neminem habui.* a

a Tale dictum Titi Imp. Suetonius in illo c. 8.

1 Fiducia summa. Ei non defuit quod in egenos erogaret:

Altera gemma, Sapphirus. *Fiducia summa* hîc designatur. Dicere solebat Ioannes: Si ex omnibus orbis partibus in unam hanc urbem Alexandrinam omne hominum genus confluerit, divinæ providentiæ ac largitatis thesauros non exhaurient. Superesset semper quod aliis atque aliis impenderemus. Non igitur multitudo pauperum largitiones nostras faciat adstrictiores. Non deerit unquam quod demus, modò demus liberaliter. Cúmque famuli quererentur, ad publicas erogationes venire etiam homines non decenter solùm, sed & eleganter vestitos; Ioannes ceterà mitissimus, ad has querelas objurganto ac atroci oculo, & voce severâ: Si quidem, inquit, humilis Ioannis, imò Christi dispensatores esse vultis, scitote animo simplici & sine calliditate obediendum Christo, qui ita præcipit: *Omni petenti te da.* Quòd si turbam inopum scrutari curiosius velitis, nec Deus, nec humilis Ioannes hominum tam curiosorum ministerio indiget. Si enim quæ largimur, aut mea essent, aut mecum nata, vel certè in alium orbem hinc asportanda, pecuniam fortassis custodiâ paullulùm arctiore coercerem. At ego non mea, sed quæ Dei sunt, distribuo: divinis igitur præceptis hac in re parendum. Sin autem vestra diffidentia putet, majorem fore pauperum quàm sportularum numerum, ego tam modicam & pusillam fidem probare non possum, multò minùs sectari. Diffidat Deo, qui Dei liberalitatem ignorat.

In famulos objurgatio;

Non sua, sed quæ Dei erant distribuebat.

Gemma tertia, Calcedonius, quo *Misericordia seu cælitum notitia* repræsentatur. Ioannes, ut suos ad prolixam largitatem exstimularet, narrationem ingressus: Cùm, inquit, in Cypro agerem etiam num juvenis annorum quindecim, nocte quadam virginem in somnis vidi supra humanum morem cultissimam, & splendore miro radiantem. Hæc ad lectulum meum consistens expergefecit me. Ego territus quæsivi: Vnde & quænam esset, & quomodo huc ingredi ausa. At illa fronde oleaginâ caput redimita, vultu hilari & subridens: Ego, inquit, sum prima filiarum summi regis. Ergo celerrimè in genua provolutus adoravi eam. Quæ denuò: Si me, ait, benevolam habueris, ad Imperatorem supremum te perducam; nemini tantum potestatis in eum, quantum mihi cõceditur. Ergo eum cælo detraxi, & ut hominem indueret, atque homines morti addictos redimeret, persuasi. Et unà cum dicto sese oculis subduxit. Ego spectatis fronte ac verbis virginis,

3 Misericordia, seu cælitũ notitia. Ioannis Alexandrini ad prolixã largitatem stimulus.

A Eleemosynam seu Misericordiam mihi visam credidi. Fidem fecerunt olivæ folia in sertum nexa. Mox igitur sumptis vestibus in templum abii summo mane. In viâ mendicus gelu rigens occurrit, cui vestimentum meum ex ovinâ pelle dedi, & apud meipsum dixi: Hinc sciam, num species in quiete visa fuerit vera. Sed antequam templum subirem (ita veritas amet) adfuit ignoti oris homo, qui centum aureos manui meæ ingerens: Hæc frater, inquit, accipe, & prout vis, expende. Ego autem subsultans præne gaudio, dum grates, sed & ipsos aureos paro reddere, homo se oculis subtraxit. Ergo, inquam ego, verissimi fuerunt visus nocturni. Ex eo tempore frequentes eleemosynas dedi, sed & unà cogitavi: Videamus, num promissis stet Deus, & reddat centuplum. Reverà reddidit. Sed meipsum denique reprehendens: Desine, ajebam, benignitatem divinam velle periclitari. Non solùm liberalissimus est Deus, sed & ipsa liberalitas, sed & ipsa veritas: *da, & dabitur vobis.*

B

§. II.

1. Cõmiseratio sincera Ejus libertas.

GEmma quarta Smaragdus, quo *Commiseratio sincera* declaratur. Civis ad incitas redactus domo suâ furtis expilatâ, subsidium ab Ioanne Patriarchâ petit. Ioannes virum miseratus, famulo, quem eleemosynis præfecerat, præcepit, daret ei quindecim auri libras. Famulus plus æquo sapiens & suggestu diaboli persuasus, sufficere censuit, si pro quindecim auri libris exhiberet quinque. Hæc humana fatuitas est, quæ sibi tum demũ maximè videtur sapere, cùm maximè desipit. Eodem die opulenta vidua Ioanni donat, submisso chirographo, quinque auri centumpondia. Admisit, sed unà famulos accersens quæsiit: Quot auri libras depauperato civi dedistis? at illi frõte perfrictâ: Quindecim, ajunt, prout jusseras. Mox & civem vocari jussit, qui libras quinque sibi datas sanctissimè affirmavit. Hic Ioannes viduæ chirographum proferens: Insigniter, inquit, in meum & vestrum caput mentiti estis. Exquiret à vobis Deus decem illa centumpondia. Si namque vos quindecim auri libras dedissetis, ut jusseram, quindecim auri centũpondia recepissemus. Quod ut certissimum haberent, viduam accersens: Dic mea mater, inquit, dic candidè, num hoc ipsum, an plura Christo largiri voluisti? Mulier trepida: Sanctissimè affirmo, inquit, me scripsisse quindecim centumpondia. Cùm verò scriptum hoc relegerem, decem deleta reperi. Ita divinæ voluntatis esse arbitrabar, non ultra quinque mittere. Feminâ dimissâ famuli jam apertissimè rei ad Patriarchæ pedes provoluti, veniam gemini delicti, fraudis & mendacii, submississimè rogârunt, polliciti, nil tale unquam in posterum facturos. Dedit veniam Patriarcha eleemosynis accensendam.

C

2. Accusatio sui. Pauperta-tem veluti matrẽ sibi charissimã habuit.

Gemma quinta, Sardonyx, quo *Accusatio sui* exprimitur. Adeò pauperes amavit Ioannes, ut etiam paupertatem veluti matrem sibi charissimam habuerit: Hinc cubiculum illius nullo peripetasmate vestitum, nihil præ se tulit ornamenti, lectulus vilis & operimento longè viliori. & quidem lacero tectus, conjunctissimam Patriarchæ paupertatem esse testabatur. Nihil hîc serico, nihil holoserico, nihil ebori aut auro loci fuerat. Hoc ubi civis opulentus audiit, vestem, stragulam, quæ triginta sex philippeorum æstimabatur, dono misit, & unà petiit, dignaretur sui meminisse, & eâ veste uti. Ioannes, ne viri preces aspernaretur, ad proximam quietem operimentum illud admisit, sed nocte pæne totâ secum litigans: Quid quæso, ajebat, de te spargeretur famæ? En, dicent, humilis Ioannes (hoc sibi nomen dare solitus) pallio triginta sex philippeorum tegitur, & Christi fratres moriuntur frigore. Quanti sunt modò, qui gelu torpent, & dentibus crepitant, quorũ congelati pedes adhærent ferro? quanti

sunt,

sunt modò, qui tegete dimidio malè teguntur, nec pedes possint extendere, centonum inopiâ? Quot impransi & incenati sub dio dormiunt, algu & fame cruciati? Quot vellent saturari olerum foliis, quæ mea culina evomit ad fimetum? Quot cuperent panem garo aut decocto, tingere, quod meis cocis proluvies est? Quot ægrotorum id solùm vini expeterent, quod temerè in cellâ meâ effunditur? Quot peregrinorum hac ipsâ horâ in hac ipsâ urbe hospitiis excluli, & pluviis forsan madidi, miserè cubant in foro? Quot inopes familiæ totis mensibus, aut annis, nec vinum, nec carnes, nec oleum, nec pisces gustant? Quanti sunt, quibus idem & unicum æstate ac hieme indumentum est? Tu verò, mi humilis Ioannes, & vinum dominicum bibis & pretiosos pisces devoras, & in cubiculo commodissimo stertis: insuper nunc etiam stragulo triginta sex philippeorum te calefacis. Tu ita vivis, & tamen cælum ambis? Cave aliquando audias, quod epulo ille. *Recepisti bona in vitâ tuâ*; pauperes *verò malâ*; nunc illi lætatiis, tu tormentis afficeris. Benedictus ergo Deus; humilis Ioannes nullâ umquam deinceps nocte, sub veste hac dormiet: satius est eam vendi, & ducentos pæne pauperes inde amiciri. Mane proximo donatum tegumen venale jussit proponi. Quo comperto is ipse emit, qui priùs donarat, & Patriarchæ rursus obtulit. Cùm iterum venale cerneret, emit iterum, iterumque submisit dono, enixè rogans dignaretur illud in sui memoriam retinere. Cùm autem tertiò id factum esset, Ioannes gratulabundus: Videamus, inquit, quis nostrùm duorum prior fatigetur, ego vendendo, an emendo ille.

Luc. c. 16. v. 25.

Tunc enim, ait Leontius, quatuor rachanellæ (viles tunicæ) philippo vendebantur sic 144. pauperes ingi potuerunt 36. philippeis.

Hac ratione, inquit Leontius, opulentum civem illum suaviter vindemiabat beatissimus Antistes, paullatim multa in pauperum usus auferens. Addit, hæc pulchra & Christiana esse artificia, quibus divites, sed avari & immisericordes humaniter, nec adeò inviti spoliantur: sic enim animus illorum sensim ad meliora ducitur. Ioannes Eleemosynarius harum artium profectò gnarus in pauperum usum omnia derivabat, tantò acerbiùs seipsum accusans, quantò humaniùs adjutos pauperes cupiebat.

6. Erubescentia sancta,

Gemma sexta, Sardius, quo *Erubescentia sancta* demonstratur. Quamvis Ioannes eleemosynas innumeras in egentium greges effuderit, nihilominus sanctissimum virum sic pudebat, quasi parciùs dedisset. Nec tantù ipse munificentiæ sacræ studiosissimus fuit, sed & alios creberrimè propositis Sanctorum exemplis ad eandem exhortatus est. In eum finem res gestas Divorũ evolvens, de beato Serapione Sindonita[a] hæc legit. Tota Serapionis supellex, omnes illius divitiæ fuerunt tunica, pallium, & euangeliorum codex. Rogatus igitur stipem Serapion, cùm aliud quod daret, non haberet, pallium suum dedit. Paullò pòst occurrit alius torpens frigore, huic tunicam sine multâ deliberatione exutam hilariter injecit. Iámque ipse nudus, humi considens, velut in globum complicatus, libellum evangeliorum manu tenuit ac legit. Hunc prætereuntium quidam interrogans: Quis te tuis vestibus spoliavit Abba? Serapion libellum manu protendens: Iste, inquit. Perinde si dixisset: Evangelium vestitos spoliat, ut nudos vestiat. Sed brevi & ipsum etiam evangelium vendidit, ne deessent eleemosynæ, quas pauperibus porrigeret. Discipulus Serapionis cernens magistrum carere libro, Abba, inquit, evangelium ubi est? Cui magister: Crede mihi, fili, ait, illum ipsum, qui dixit mihi, *vende omnia, quæ habes, & da pauperibus*, illum ipsum, inquam, vendidi, & illis dedi, ut die judicii tantò abundantiorem habeamus fiduciam. Cùm autem vidua Serapionem, jam rebus omnibus exutum adiisset, suam & filiorum famem deplorans. Mulier ne trepida, inquit Serapion, neque animum abjice. Ego quidem à fortunis inops, quod porrigam, non habeo. Sed en, meipsum do; vende me, cui placet. Volenti non fit injuria. Venditus est, & quidem Græcis histrionibus, quos brevi tempore Christianis sacris imbuit. Hæc ubi legisset Ioannes, in uberes lacrymas solutus, obstupuit tam effusum dandi studium in Serapione. Mox œconomos suos convocans, & lecta sibi, eadem ipsis prælegens: O philochristi, ait, quid homini prodest sanctorum Patrum actiones commemoranti, & nunquam imitanti? Mihi credite, in hunc usque diem opinabar non spernendam æris summam in pauperes erogasse: at nihil feci, nihil erogavi. Nondum tunicam, nondum vestes meas omnes, nondum libros meos, heu nondum meipsum vendidi, quod Serapion Sindonites fecit. En sanctam viri erubescentiam, qui suas cum aliorum eleemosynis comparans, se nihil dare ingemiscebat.

Ejus pudor in erogandis eleemosynis & ad eas exhortatio.

[a] *Idem Sindonites.*

Matt. c. 19. v. 21.

§. III.

7. Tolerantia convitiorum.

Gemma septima, Chrysolitus, quo *Tolerantia convitiorum* adumbratur. Qui liberaliùs stipem effundunt, in ora hominum abeunt, & sæpe conviciis non levibus proscinduntur. Et horum quidem judicio habenas largitati nimiùm laxat, istorum opinione nimiùm contrahit; alii eum non è suo dare suspicantur. In fabulas & sermones se mittit, qui sese totum in pauperes profundit. Nihili hæc facienda, & alto animo despicienda. Ioannes cuipiam eleemosynas petenti decem nummos æreos dari præcepit. At istud visum est mendicanti nimis exiguum. Propterea homo nefarius contumelias & probra in os optimi Pontificis jecit, illique palàm maledixit. Famuli Ioannis ad invadendum conviciatorem & probè contundendum paratissimi, jam manus & pugnos expediebant. Sed reprimens eos Patriarcha, & graviter objurgans: Sinite eum, ajebat, loquatur quod vult. Ego jam annum ago exagesimum, injuriis Christum plurimis affeci, quas ille beneficiis pensavit, & jam conviciolum in me ab homine dictum non tolerem? Et ad œconomum versus: Tu inquit, totam crumenam ei porrige, ut quantum placuerit, ipse accipiat, & errorem nostrum sic corrigat. Ita non eleemosynas tantùm largissimè dedit, sed regestas pro iis contumelias patientissimè tulit.

Et commeliari & probrari.

8. Constantia beneficentiæ.

Gemma octava, Beryllus, quo *Constantia beneficentiæ* commendatur. Ioanni quidam civium septem auri libras & dimidiam obtulit, sed unum atque unicum centum. submissis iteratione crebrâ genibus rogavit, filium suum, quem reducem speraret ex Africâ, Deo precibus commendaret. Recepit hoc sese facturum Patriarcha, quod & fidelissimè præstitit: nam auro ad sacram mensam repositio, statim super eo, ut Leontius loquitur, synaxin fecit perfectam, Deum impensissimè rogans, ut parenti filium salvum redderet & incolumẽ. Post dies non multos filius moritur, & navis frangitur, & quidquid inerat mercium, mari sepelitur. O parentem multò quàm afflictissimum! septem auri marcas pro filii salute obtulit, sed filium nihilominus amisit, navim & unà merces omnes perdidit; fratrem dumtaxat cladis nuntium recepit. Heu fruſtra spes omnis, fruſtra fuerunt tam dites eleemosynæ. Hæc omnia ex ordine relata sunt Ioanni, qui gravi tristitiâ percussus, extinctum præcipuè filium ingemuit. Iámque ignarus quid ageret, hoc unum reliqui habebat, Deum precari, ut aliquid solatii mœstissimo parenti affunderet. Erubuit certè sanctissimus Patriarcha, tam nihil suas preces evicisse apud Deum. Quare nec adire virum, nec eum ad se accersere sustinuit; hoc unum ei dici curavit, nequaquam animum desponderet, omnia in orbe æquissimo Dei judicio sic temperari, ut nihil non cedat in nostram utilitatem, nobis etiam ignorantibus. Ita proborum constantiam exerceri, num in adver-

adversis imperturbati gratias Deo meminisse nôrint. Nocte proximâ, orbus filio pater in somnis vidit Patriarchæ habitu dicentem sibi: Vt quid mœrore dissolveris? an non rogasti me, ut vitam filio tuo exorarem? En salvus est filius tuus; vivit, crede mihi: si diutius inter mortales egisset, homo impius evasisset. Iacturam navis ne sentias. Nam nisi aurum obtulisses in stipem, insuper & fratrem & omnes illius comites amisisses. Surge igitur, & Deum lauda, qui fratrem tibi reddidit, & filium ad se assumpsit. Vbi ab hoc viso evigilavit, tristitiam pæne omnem absterſam sensit. Et mox Patriarcham accurrens, ad pedes illius accidit, narravitque, quid præteritâ nocte hausisset solatii. His auditis Patriarcha in amantissimas voces erumpens: Deus, inquit, ô misericordissime Deus, qui sperantes in te non deseris: qui hominum etiam vilissimorum preces exaudis, qui nullas eleemosynas finis esse indotatas. Et conversus ad parentem: Tu verò, inquit, vir optime hanc gratiam non meis precibus, sed tuis eleemosynis adscribe, quas liberalissimus Deus nunquam vult carere præmio.

9. Fides vivacissima.

Gemma nona, Topazius, quo *Fides vivacissima* notatur. Audiit Ioannes adolescentem mortuis parentibus derelictum orphanum. Ejus tutores rem ita gestam Pontifici narrarunt. Pater adolescentis in fatali lectulo jam morti proximus accersens filium: Ei morior, inquit, & decem auri libras relinquo. Tu verò, fili, dic, an malis hoc quidquid est auri capere in hæreditatem, an virginem Dei genitricem assumere in matrem? adolescens promptè ac liberè: Mi optime pater, ait, præ auro hanc matrem centies malo. Ita parens testamento dixit pauperes ex asse hæredes, & filio nec obolum quidem reliquit. Hinc iuvenis cum paupertate plurimùm luctatur, nec tamen ædem Virginis matris deserit. Hæc audiens Ioannes bonâ fide narrari, mox tabellionem accitum jussit in vetustas membranis, prisco charactere diluto atramento scribi testamentum cujusdam Teopenti nomine, se autem & juvenis parentem nominari consobrinos. His confectis, inquit, iuvenem adi, scriptum monstra & dic: Cùm Patriarchæ cognatus sis, cave genus tuum dedecores egestate. Quare has illi membranas exhibe interim ego causſæ tuæ non deero. Ritè omnia quæ jussus fuerat, perfecit tabellio. Ita juvenis cum membranâ veteri ad Patriarcham adductus, ab eo ut consobrini filius humanissimè exceptus, & simul eâ pecuniæ summâ donatus est, ut honestissimum contraxerit matrimonium. Hunc dandi modum excogitavit Ioannes ut juvenis sine grandi verecundiâ plurimum posset accipere, & simul humana doceretur consternatio neminem in Deo sperantem deseri. *Quoniam Deus non derelinquit præsumentes de se.*

Iudith. c. 6. v. 15.

§. IV.

10. Spes firmissima.

Gemma decima, Chrysoprasus, quo *Spes firmissima* indicatur. Quemadmodum Iobi, ita & Ioannis spes firma in Deum rebus adversis explorata est. Nam sanctissimo Patriarchæ in mari Adriatico tredecim naves naufragio perierunt, quarum singulæ præter vestes & pecuniam, decem millia modiorum frumenti vexerant. Iactura hæc triginta quatuor auri cêtumpondiis æstimabatur. Nautæ qui evaserant, vix Alexandriam ingressi, quamprimùm ad templum velut ad asylum cõfugerunt. His Patriarcha chirographum suum misit in hæc verba consignatum: *Dominus dedit, Dominus, ut voluit, ablstulit: sicut Domino placuit, ita factum est: sit nomen Domini benedictũ.* Exite, fratres, nil malè veriti. Dominus sollicitus erit de crastino. Die altero venerunt qui Patriarcham solarẽtur propter tot navium tam grandem jacturam. At consolatores suos ille præ-

Ioannis Alexandrini in adversis spes firmissima.

Iob c. 1. v. 21.

occupans. Nequaquam, ô filii, ait, ob amissas naves tristemini. Nam, credite mihi, humilis Ioannes in culpâ est. Censebam ego me multum eleemosynarum dare, hinc extollebam animum. Ideo justissimus Deus hæc in nos permisit. Huic ulceri hoc congruit malagma. Discamus in re nullâ nos efferre. Verumtamen, fratres, etiamnum est ille ipse Deus, qui Iobo valetudinem & amissa omnia restituit, is etiam egestatem nostram solabitur: speremus in Domino, & promissis ejus fidamus. Ita consolatores ipsi, majori solatio quam attulerant, affecti sunt. Nec multum temporis abiit, cùm benignissimus Deus acceptum damnum geminato proventu resarsit. Nemini quidquam eleemosynarum perit, spes non confundit, quis enim *speravit in Domino, & confusus est.*

Eccli. c. 2. v. 11.

11. Æmulatio sancta.

Gemma undecima, Hyacinthus, quo *Æmulatio sancta* ostenditur. Si quam Ioannes audiisset in eleemosynas pronum, mox optimâ æmulatione accensus illum ipsum ad se vocans & familiarissimè interrogans: Quæso te, ajebat, quâ ratione istam de pauperibus bene merendi voluntatem hausisti; num ipse tibi vim intulisti, an eò naturâ & sponte tuâ duceris? Quorumdam verecundia tegebat, quod quærebatur: alii candidè ac ingenuè, quod res erat, fatebantur. Fuit inter hos, qui sincerè diceret: Venerabilis Pater, ego parum boni facio, nec multum stipis largior; in eam autem consuetudinem sic veni. Homo eram rigidus & immisericors, sed damno meo cœpi sapere. Nam ea me cogitatio sæpiùs fatigavit: si dares eleemosynas, divina liberalitas id abundè rependeret. Statui ergo diebus singulis quinque nummos æreos egenis dare. Vix istud orsus sum facere, cùm satanas tragulam injiciens hæc talia suggessit: Quid familiam ære spolias? hoc pretio panis, hoc olus, aut carnium aliquid emi potuisset. Ita cœpta pertexere destiti, non aliter ac si offam è faucibus filiorum raperem. Non tamen mihi hoc placere potuit. Nam vidi evidenter à tenacitatis vitio me vinci. Quapropter famulo meo dixi: Me nesciente singulis diebus quinque nummos æreos furare, & egenis tribue. Nam ego trapezita sum Domini. Famulus in hanc rem industrius paullatim cœpit furari decem nummos, quos optimâ fide pauperibus dedit. Cùm autem animadveret magis ac magis rem familiarem augeri, cœpit jam etiam liberaliùs de meo in usus pauperum sublegere. Ego admiratus rei domesticæ insolita prorsus incrementa: Profectò, inquam, quinque nummi facultates nostras non minuunt, sed augent incredibiliter. Tu ergo des in posterum decem. Ad ist. famulus subridens: Domine, inquit, furtis tuis feliciter precare: nam audacior fur sum ac putes. Vt scias here vix hodiéque panis in cœnam esset, ni largiùs egenis dedissemus; si ullus furum sanctus est, ego sum. Et unà fassus est, quantum expendisset me ignoráte. Hoc servi mei tam benefico ingenio in eam consuetudinem adductus sum, ut inopiæ alienæ jam libentissimè subveniam. His mirificè delectatus Patriarcha, & ad sanctam æmulationem impulsus: Crede, mihi, ait, in rebus gestis Patrum admiranda legi, tale aliquid legisse vel audisse non memini.

Hominum erga pauperes liberaliũ sancta ejus æmulatio.

12. finis felicissimus.

Gemma duodecima, Amethystus, quo *Finis felicissimus* indicatur. Ioannes jam maturus cælo testamentum holographum conscripsit, hoc modo.

Ejus testamentum.

Ioannes servus, Dei gratiâ sacerdos. Tibi, DEVS, gratias ago, quòd me moriente non nisi tremissis unus supersit. Cùm ungerer in Episcopum Ecclesiæ Alexandrinæ, octoginta circiter auri centumpondia inveni, pecuniam ab amicis collectaneam innumeram accepi. Quia verò hæc omnia Dei sunt, supremi Regis, non distuli, quæ Dei erant, Deo dare. Vnde hunc ipsum, qui remanet, tremissem, his dari jubeo, quibus ut Deo benefacere studui.

Hoc testamentariæ tabellæ præsulis, qui non solùm innumerabilem argenti & auri copiam in egenos sparsit, sed insuper tot illis domos, tot xenodochia, nosocomia, cœnobia, gerontocomia è fundamentis eduxit. Non malè dixerimus, sibi aliisque cælum ædificavit. Sed

Virgil. l. 1. Æneid. circa med. *Ante diem clauso componet vesper olympo,*

quàm omnes Patriarchæ Ioannis eleemosynas enarrem. Hi *sunt viri misericordiæ, quorum pietates non defuerunt. Corpora ipsorum in pace sepulta sunt, & nomen eorum vivit in generationem & generationem.* Quod jam in funere Ioannis cœpit elucescere. Nam eo loco, ubi sepeliendus fuit, duorum Episcoporum cadavera jacebant. Cúmque sanctissimus Patriarcha ad latus eorum tertius esset apponendus, duo Episcopi jam pridem mortui cesserunt loco, & honoris caussà Ioannem receperunt medium. Quo miraculo satis testati sunt, quanti esset in Dei oculis hic vero nomine *Eleemosynarius.* Miraculi testes, populus Alexandrinus, qui ad supremos honores sui præsulis affluxerat. Ipso autem die quo Ioannes mortem obiit, vitus est à duobus religiosissimis viris Alexandriæ ab ingenti turbâ pauperum, qui omnes oleæ ramos præferrent manu, deduci à virgine oleagino serto redimitâ, quæ radiis solem superaret, excipi & introduci ad summum Imperatorem, uti ea juveni promiserat se facturam. Sed & ossa Ioannis in tumulo locata, oleo fluxerunt ad restaurandam plurimorum sanitatem. Diceres; mare olei effudit Patriarcha in tot pauperum greges, quos suis eleemosynis enutrivit. Idcircò *eleemosynas illius enarrabit omnis Ecclesia sanctorum: & erit illi gloria æterna.*

Et mors felicissima.

Eccli. c. 31. v. 10. & 11.

Bernardi dictum repeto: *Castitas in juventute, Parcitas in ubertate, Largitas in paupertate, martyrium est sine sanguine,* Conjuncta hæc habuit Ioannes; duodecim gemmis, quas nominavi, ornatus fuit; nitidissimum misericordiæ speculum effulsit. Hoc speculum, quæso, in omni domo appendatur quotidie inspiciendum. His gemmis duodecim, ô Christiani, ambas manus & omnes digitos & ipsam frontem vestiamus. Tanti viri æmulatione accendamur, & illud creberrimè cogitemus, quod is discipulo suo Zachariæ diacono dixit. Viderat Ioannes pauperi stipem poscenti à Zachariâ, cùm aliud ad manus non esset, cruculam dari argenteam. Factum Ioanni mirificè placuit, & mox ad diaconum: Zacharia, inquit, esto misericors, & nec in vitâ nec in morte deerit tibi Deus. His ego verbis conceptissimis omnes, qui hæc lecturi, aut legentes audituri, sed & eorum & singulos compello. Esto misericors, & nec in vitâ, nec in morte deerit tibi Deus, illud in clausulam appono; pecuniæ, quas retines, pecuniæ sunt; cùm in egenos tribuis, gratia sunt, gloria sunt, cælestes thesauri sunt.

Pecuniæ in egenos distributæ sunt cælestes thesauri.

CAPVT VII.

Elisabetha Thuringiæ Princeps illustrissima in erogandis Eleemosynis idea; pauperum mater.

Parte 1. c. 6. Gazophil. Eccles. c. 11. v. 1. ECCLESIASTES consilium, jam suprà explicatum, suggerens: *Mitte,* inquit, *panem tuum super transeuntes aquas: quia post tempora multa invenies illum.* In agrum, quem uberes aquæ irrigant, semen tuum ejice, & segetem recipies copiosam. Interpres dicti Hieronymus: Ad eleemosynam, inquit, cohortatur Ecclesiastes: sicut enim qui super irrigua seminat, sementis fructum expectat: ita qui largitur egentibus, non serit seminis granum, sed panem ipsum ingenti fœnore recipiendum.

A Verùm alia non minùs commoda explicatio est sententiæ. Committe panes tuos navibus, ut illos per maria transportes, & suo tempore pro panibus recipies aurum. Hæ naves sunt pauperum manus. Nam quemadmodum navigiis pretii minoris merces in alias terras exportantur, ut cum pretiosioribus commutentur; ita egenorũ manibus panis, pecunia, vestis, & quidquid harum mercium est, in cælum defertur, ut illarum vicem aurum & gemmæ recipiantur. Hoc genus mercaturæ Christus juveni suadens: *Omnia,* inquit, *quæcumque habes vende, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cælo.* Pauperes velut naves stipe onera, & in cælum devehent sibi commissa thesauris certissimis mutanda. Hæc navigia naufragiorum sunt securissima, numquam non salvis mercibus appellunt portum. Tutissimam navigationem istam Chrysostomus commendans: *Omnia,* inquit, *faciamus, ne alibi simus egeni. Nam quæ utilitas, in alienâ regione multas divitias relinquere, in patriâ necessariis carere? Itaque oro festinemus, dum adhuc tempus est: Securè illuc transferimus, & in thesauro indeprædabili reponimus, quæcumque per pauperum manus præmittimus.*

Luc. c. 18. v. 22.

Chrysost. 49. in c. 24. Genes.

Id certè sedulò fecerunt, quicumque sibi sapere voluerunt. Hinc Iobi, hinc Ioannes Eleemosynarii, quos patres pauperum rectè dixeris. Hinc Lydwinæ, hinc Elisabethæ, quas pauperum matres non immeritò appellaris. Quia verò de Iobo, quia de Ioanne Eleemosynario, pauperum non solùm patrono, sed & patre diximus, jungamus illi matrem pauperum Elisabetham, & illius in egenos liberalitatem propriùs inspiciamus.

§. I.

Evolumii 1. Bavariæ sanctæ compendiose, cepta.

ELisabetha Andreæ Pannonum Regis filia, Ludovici, qui Thuringiæ & Hassiæ Landgravius, conjux, à primis annis in egenos non prona solùm, sed effusa fuit, *quia ab infantiâ crevit* cum illâ *miseratio.* Nam etiamnum infantula majoribus, quàm pro ætate, curis fuit dedita, & cælo affixa. Hinc victu non tantùm sobrio vitam toleravit, sed & in cultu corporis eam modestiam adhibuit, quam nemo nisi sanctus invideret. Mulierem mundum rata pudicitiam esse, virtute semper quàm veste fuit conspectior.

Iob. c. 31. v. 18. Elisabetha modestia in cultu corporis.

Venerant à patre Elisabethæ Legati, cùm Ludovicus maritus ad illam viliùs vestitam: Doleo, ait, soror, tibi ad proceres tuorum populariésque produturæ *solium,* non esse vestem lautiorem. Deus, ait illa, aspirabit decorem. Factum. Illis ipsis diebus Elisabetha ad mẽsam maximâ nobilitate frequentatam vocabatur. Iamque eunti in ipsis gradibus per quos ad triclinium erat descendendum, ultimæ sortis mendicus obstitit, qui Reginæ opem implorabat. Nec tempus, ait illa, nec res est, quam tibi in præsens largiar. Vehementiùs & magnis clamoribus urgenti pallium quo tegebatur, nobile ac regium projicit. Mendicus pretiosam stipem cõtinuò tollit, & oculis se subducit. Convivis inde præstolantibus, dapifer principi renuntiat occupatam cum mendicabulo dominam, superiorem illi vestem porrexisse. Ludovicus ad conjugem non sine stomacho regressus: Ecquando tandem, inquit, ad prandium es ventura? & ubi pallium est, quo uti soles? Illa, paratam se venire; pallium illic è clavo suspensum esse. Intellectum est luculento prodigio eam vestem à Christo acceptam & repositam.

Ita uxorem compellare solitus.

Erga egenos munificentia.

Porrò Elisabetha, absente viro, id unum egit, ut omne studium in egentes Christi greges conferret, haud ignara, Deum sibi omnino præstita interpretari, quæcumque miseris præstitisset. Nullum illi comitatum turmis pauperum gloriosiorem credidit, quibus etiam ancillari pro magnifico habuit; leprosorum abo-

In eos effert studium.

abominandam scabiem avidiùs tractavit quàm gemmas & uniones. Tantâ in omnes egenos erat pietate ut ex illâ genitos crederes. In singulis respicere solebat Numen, cujus majestatem subindè sub centonibus latuisse magnis documentis edidimur. Itaque xenodochia peregrinis, nosocomia ægrotis, pædotrophia pupillis, gerontodochia senio confectis struxit & dotavit, omniáque sua vectigalia in hanc unam curam convertit. Annonæ pretium inopia frumenti accenderat, multos fames enecârat; occurrere studebat pro viribus Elisabetha publicis malis. Omnia horrea aperuit, inde per classes descriptis quotidie dimensum dedit: nec minorem curam ægrorum habuit ad quos diebus singulis revisit. Nullius corpus tam ulcerosum fuit quod illa regiis manibus non contingeret; nulla scabies tam sanioſa, quam illa non abstergeret; nulla lues tam infamis & fœda, à quâ illâ abhorreret: quorum pedorem ancillantes puellæ fugerant, domina ferebat. Pupillis singularem curam impendit, atque ex illis olentissimum quemque & maximè miserabilem præ ceteris officiosiùs curavit, fovit, brachiis gestavit, gremio & sinu recepit; non immemor hujusmodi Lazaros Deo maximè cordi esse, quos tantò securiores æternæ felicitatis vivere nôrat, quantò minus hîc de præsentis vitæ gaudiis gustarent.

Erga ægros cura.

In grandi annonæ caritate pauperibus alimoniam,

Præter valetudinaria & tot domos pauperibus assignatas in singulos dies è mendicorum tribu nongentos pascebat, iis non numeratis, quos per omnem suam provinciam, & illam quidem amplissimam absens nutriit in grandi annonæ caritate. Nec imperasse aliis ministeria pauperum contenta, ipsamet coram adibat, inspiciebátque an ritè & ordine omnia administrarentur. Erat hæc princeps & domina inter famulos prima, quæ mensam apponeret, cibos inferret, potum porrigeret, curarétque ne quid desiderare posset aliena egestas. Nudos insuper amiciebat, & cùm res ac nummi deficerent, ipsa suas gemmas, pepla, pallas comparando pretio vendebat. Ipsa denique funera Elisabethæ benignitatem sentiebant. Telam & vestem linteam, quâ cadavera involverentur, sollicitè dabat; sumptuosas in exequiis divitum pompas prohibebat, ut esset, quod egenis tribueretur, defunctis utilius esse dictitans, eorum sumptibus vivos tegere, quàm sepeliendis cineribus tam multum inanis superbiæ circumdare. Verbo dicam: Elisabetha pauperes omnes vigilantissimis curis, liberalissimis subsidiis, amantissimis obsequiis ut suos filios fovere nunquam destitit. Et tunc maximè in eorum commoda effusis studiis properavit, cùm Princeps Ludovicus conjux in Apuliâ apud Imperatorem ageret.

Et mortuis lintea mina sollicitè dabat.

§. II.

In eam invidia.

SEd huic virtuti (ut solet) non defuere Zoili: Nam ubi Landgravius maritus ex Apuliâ rediit, mox œconomi convolare, querelas ingerere, Elisabetham Principem accusare, imò & signatis tabulis, explicatisque domesticis rationibus docere, amplissimos census erogationibus intempestivis effundi, mendicorum numerum sine ratione augeri. Audiit hæc pius Princeps, & ore renidenti: Sinite, ait, sororem nostram, ut cœpit benefacere; modò mihi arces supersint incolumes. Victus nobis non deerit, sat scio, quamdiu illam egenis opitulari permiserimus. Dignissimum Christiano Principe responsum.

Auditâ conjugis morte propositû & constantia,

Interim Ludovicus militiam sacram professus in Orientem cum exercitu movit, in itinere rapidâ febri extinctus. Auditâ morte conjugis Elisabetha cancellatis utriusque manûs digitis: Ergóne, ait, frater meus occidit? Mihi ergo simul cum illo omnia mundi gaudia extincta sunto: omne reliquum vitæ tempus transcribam Deo.

Primum hoc telum fuerat, quo propter conjugis è vitâ discessum sauciata est hæc pauperum mater. Mox alterum in eandem longè atrocius immissum est. Et hæc eò narramus, ut constet eleemosynas etiam multò largissimas nõ semper præsenti præmio, quinimõ nonnunquam meris calamitatibus remunerari. Atqui abundè satis præmii est in hoc orbe, constans inter calamitates patientia. Quam Deus Elisabethæ in hostimentum tam copiosæ stipis liberalissimè contulit. Audite obstupescenda.

Vidua omnibus bonis à fratre exuitur;

Ludovico mortuo Henricus frater, malis aulæ corvis suadentibus, bona omnia invasit; castra, arces, oppida occupavit, relictâ à fratre viduam fortunis omnibus exutam inde præcipitem exturbavit. Ita regia mulier ex aræ suâ, cum paucis pediſequis, omni suorum ope distituta in subjectum arci oppidum descendit, quò diverteret incerta. Et quæ nullò antè tot peregrinis hospitia, tot ægris valetudinaria, tot miseris domicilia constituerat, jam ipsa, quam subiret domum, non habebat. Proximam inde cauponam ingressa, noctis illius partem traduxit, dum Religiosus cœtus Sancti Francisci ad preces matutinas surgeret. Ad hanc ædem mox illa sese contulit, rogávitque chori præsides, vellent Ambrosianum hymnum, *Te Deum laudamus*, suo nomine cantare, quòd oblata sibi esset occasio paupertatis cum Christo experiundæ. Tantum abest, ut indignatione mota, mortalium ulli, quamvis injuriis grauissimis provocata, malè precaretur. Interim tectis omnium excluſa, quòd passim cives omnes indignationem Henrici formidarent, ad primam redire cauponam ausa non fuit. Interea liberi parvuli ad eam ex arce deportati sunt; quo autem loco matrona planè miserabilis eos reponeret, non habebat. Poterat hæc calamitas vel masculum quemvis animum frangere; pectus tamen Elisabethæ non fregit. Illa tot ærumnis afflicta, velut depressa palma exsurrexit altior. Igitur expulsa undique ad sacerdotis ædes confugit. Inde in amplam hospitis domum perducta, tamen ferè extra domum habitavit, siquidem cum omni familiâ in ultimum tecti angulum retrusa, in cauponis stabulum coacta est immigrare. Neque hîc modus finisque afflictissimæ principis fuit. Ingreditur nescio quam oppidi viam cæno alto voraginosam & anguſtam: occurrit hîc anus, quam Elisabetha olim felix infelicem stipe aluerat, ægram medicamentis foverat, aliisque beneficiis affecerat. At verò hæc vipera non modò Reginæ vix non decessit, sed impulsam in luti medium ejecit. Vbi regia matrona hinc emersit, & vestem & seipsam lavare debuit. Nec tamen adversus hanc Hecaten indignata, suam ipsa fortunam mitissimo risu digerebat.

Quem non nisi latis rebus gratulabundè modulamur.

Nec ideo animum dejecit,

Tam exercitatam feminæ patientiam non passa est Dei benignitas inmunem abire, sed cælestibus eam visis, diviniſque deliciis inundans sæpius solata est. Hinc illa se penitus in providentiam & voluntatem inque tutissimum Dei sinum immergens novos quotidie spiritus ad plura & graviora perpetienda sumpsit. Hinc illa prorsus admiranda ad divinam voluntatem conformatio. Cùm enim Ludovici conjugis defuncti cineres urnâ clausos in Germaniam delatos excepisset Elisabetha, novo quidem vulnere sauciata, & pænè jam mortua, nihilominus sic institit precari.

Sed divinis deliciis fovetur,

Et divinæ voluntati suam conformavit.

O mi amantissime Deus, gratias ago pro charissimi conjugis mei recepto pignore. Vel cineres ejus amplecti summum beneficium interpretor. Optassem quidem in extremâ etiam mendicitate illius contubernio frui, si tu annuisses. Nunc verò & ipsum & me sanctissimæ voluntati tuæ perfectissimè committo. Licet enim

enim vel unico capitis mei pilo conjugem meum in vitam revocare possem, id tamen facere nollem, si tuæ hoc voluntati non placere scirem.

O cælum! & ô terra! ô Superi! ô Deus quanti quámque generosi spiritus in feminâ! Hi eleemosynarum fructus, hæc illa Christianæ liberalitatis præmia sunt, divinæ providentiæ notitia & conspiratio cum Dei voluntate tam eximia. Eminentissimum ab eleemosynis præmium est vera vitæ sanctimonia.

Bonis receptis Christi amicos pauperes juvat.

Porrò Henricus Elisabethæ spoliator Rudolphi Comitis admonitione liberrimâ commotus, jámque ærumnis viduæ illacrymans se paratum esse dixit, omnia, quæ contra jus & æquum eripuisset, reddere. Elisabetha pro se nihil exegit, nisi quod ad dotem pertineret, cujus usumfructum petiit, ut esset, quod egentibus largiretur: liberis sua jura salva voluit. Adeò sanctissimam viduam id pæne unicum angebat non posse pauperes juvare. Ita eam B calamitas aliena gravius afflixit propriâ. Vbi autem aliquid annui censûs impetravit, Marburgi habitare statuit, vestes delicatas sibi detraxit, abjectas induit, ancillas lautiores removit, se denique omni humanâ consolatione spoliavit, ut tantò ardentiùs inhæreret Christo, & Christi amicos pauperes tantò feliciùs juvaret.

§. III.

Marburgi valetudinarium instaurat, & miserabili turbæ ancillatur.

ITaque Marburgi valetudinarium instauravit, ubique miserabili turbæ plenis votis ancillata, egenis ipsa mensam præbuit, & ad suam adhibuit, sed plebejam & minimè lautam. Nam ipsa leguminibus & olusculis vitam toleravit, lanas duxit, quod in regiis matronis inauditum, suóque manûs pretio vixit, ut quidquid ærarii haberet, in pauperes effunderet. Extremam hanc inopiam Elisabethæ ad Andream Vngariæ Regem illius patrem fama detulit. Rex verecundiâ & miseratione filiæ motus è nobilissimis dynastam misit Marburgum cùm rei cognoscendæ, tum filiæ domum reducendæ. Legatus Pama, hoc viro nomen, ubi Marburgum venit, ad colum sedentem regiam feminam offendit; regium corpus pannis obsitum squalere, Thuringiæ principem modò fusum torquere, modò fila convolvere spectavit. Hic ergo Regis jussa exposuit. Elisabetha gratiis parenti actis, decretum sibi respondit, spe regni melioris cœptam vivendi rationem pergere, viam sibi præviisse Christum pauperem, hunc se sequi, nec ab eo quoad viveret, recessuram. Ita Comes ad Regem, illa ad lanificium reversa quotidie majora virtutis exempla edidit. A familiâ puellæ nobiles remotæ, è fortunâ servili assumptæ, quæ non tam ipsi, quàm ipsa illis inserviit: dominam se vocari prohibens, suo se nomine, prout D è vulgo alter alterum compellat, compellari voluit. Hanc unam auctoritatis prærogatiuam retinuit, ut in eâ domo, nemini liceret vocem mittere, quæ non pietatem, verecundiam, religionem saperet. Si quæ contrà fecisset: Vbi, ajebat, Dominus est, qui medius A de se loquentibus adest.

Quotidie pauperum casas adibat necessaria subministrat.

Hoc illi quotidianum & solennè fuit, ut puellis comitata pauperum casas adiret, panem, farinam, carnes suâ manu egentibus dispertiret. Hic vestem, lectulos, supellectilem contemplata, ubi necessaria deesse animadvertit, annulis, & quidquid mundi muliebris ac cimelii supererat, oppigneratis, inopiæ succurrit. An non istud est pauperum matrem agere? Nec dandi finis. Nam demum quidquid fundorum restabat, per auctionem venditum in pecuniam redegit. Deinde infinitam ex omni vicinia turbam ad diem certum cogi jussit. Confluxerunt tantæ copiæ, ut exercitus videri posset. His per ministros legem dixit, ne quis à destinato loco surgeret, ne bis ad capiendam stipem accederet, néve turbas cieret. Ita expensæ sunt auri marcæ quingentæ, quæ supra sexaginta quatuor aureorum millia nostratis monetæ faciunt.

Pecuniæ ex fundis per auctionem venditis collectæ in pauperes distribuit.

Officiis erga miseros fatigari non potuit.

Nullius unquam Imperatoris, putem, quantumvis largi, tanta fuit in pauperes uno die munificentia. Orbis thesauros, montes aureos, si possedisset Elisabetha, eos in Christi familiam distribuisset. Nemo unquam tam avidus fuit æris acervandi, quàm illa cupida ejusdem erogandi. Nullis potuit officiis erga miseros fatigari, nunc publica obeundo nosocomia, nunc singulis inquirendis quibus inserviret. Pupillum ope humanâ destitutum, & assiduo sanguinis profluvio laborantem nacta, diu noctúque suis ipsa manibus fovebat, gestabat, abluebat, quoad animam efflaret. Virginem leprâ fœdatam in suum conclave intimum deportavit, illic omnem curam, ut postremissima famularum, adhibuit, huic cibum paravit, lectum cubicularem composuit, sordes abluit, surgentem vestiit, cubitum euntem devestiit, suarum ipsa ancillarum famula.

Christus sanctissimam viduam maximis solatiis perfudit & mortis incommoda non sensit.

Non passus est Christus tot sibi præstitis obsequiis, tantâ liberalitate se vinci. Idcircò viduam sanctissimam crebro sui aspectu dignatus, maximis eam C solatiis perfudit: neque verò passus est pridem mundo mortuam ulla mortis incommoda persentiscere, sed cælestibus delibutam gaudiis ad æternitatis ostium sine metu deduxit, ac fine beatissimo coronavit, anno Christiano millesimo ducentesimo trigesimo primo, decimotertio Kalendas Decembris. In funere ipsis etiam egenorum lacrymis parentatum est. Nec jam miremur olei liquorem ex ossibus benignissimæ principis non sine odore suavi liberaliter fluxisse, sanctitatis, castimoniæ, liberalitatis testem.

En feminam verè fortem, verè misericordem, & sui victricem. En matronam regiâ stirpe ortam, ævi sui sanctissimam, pudoris exemplum, pietatis ac religionis effigiem, viduam integerrimam, egenorum patronam benignissimam, matrem pauperum. Quæ & amantissima tolerandæ paupertatis à purpurâ ad centonem ideo descendit, ut summi pariter infimique rectè locandarum opum, &, quod æquè difficile est, honestè perferendæ paupertatis ab eâ documenta peterent. Imitari non pigeat, quam laudare delectat.

GAZO-

GAZOPHYLACIVM CHRISTI

PARS TERTIA.

Objectiones & Excusationes refutantur; Quæstiones explicantur.

CAPVT I.

Avaræ tenacitatis contra Eleemosynas objectionibus respondetur.

Beda l. 3. hist. Anglic. c. 6. Oswaldi Regis Angliæ erga pauperes munificentia.

REx Angliæ Oswaldus & Aidanus Præsul ipso Paschatis die ad prandium unà consederunt, jámque fercula mensæ illata manus expectârunt, cùm famulus, cui cura pauperum commissa, sudans advolat, & Regi in aurem dicit: Ingentem pauperum multitudinẽ, & majorem quàm aliàs unquam, in plateis vociferari & stipem poscere. Rex pientissimus non morosè deliberans: Hæc omnia, inquit, quæ in nostram mensam parata sunt, tolle, & unà argenteum hunc discum, eumque cum cibis inter pauperes, ut potes, divide. Aidanus regis tam exporrectâ & illustri beneficentiâ delectatus, & simul regiam dextram reverenter contingens: Hæc dextera, inquit, nunquam putrescat. Vox evẽtum certum habuit. Rex quidem in bello extinctus est, at manus regis hactenus incorrupta, & tabis exempta in argenteâ cistulâ Debbæ in beati Petri templo asservatur teste venerabili Bedâ. Eleemosynæ immortalitatem conferunt.

De eleemosynis jam suprà diximus, Quare, & Quomodo sint dandæ; restat ut objectiones, excusationes, & quæstiones circa eas explicemus. Initium huic rei dabimus hoc capite, quo diversas objectiones, suo quamque responso refellemus.

§. I.

1. Objectio.

OBjiciunt primò. *Frequentes eleemosynæ rem familiarem & censum minuunt.* Vt ut sit, ajunt, marsupium in tot partes secare, jam pistori, jam sartori, jam lanioni, jam sutori, jam & mercatori, modò fulloni aut textori, modò magistratui, modò aliis partẽ præscindere, suam insuper egenis partem facere, crumenam nimiùm convellit; interit flumen in tot rivulos deductum. Ad hæc promptè Augustinus: *Minuitur census*, inquit, *sed augetur justitia. Laudas mercatorem, qui vendit plumbum, & acquirit aurum; & non laudas mercatorem, qui rogat pecuniam & acquirit justitiam? Illud minuitur quod relicturus es, illud augetur quod in æternum possessurus es.*

Resp. *August. in Psal. 111.*

Non igitur hìc frustra trepidemus. Scimus imminutionem sanguinis sæpissimè augmentum esse salutis. Quod in philosophorum scholis tritissimum: *Vnius corruptio, alterius generatio*; hìc longè verissimũ est: quod decedit nummis, accedit animo & bonis æternis. In plurimis id utilissimè fieri videmus. Ruinosa domus diruitur, & ædificatur templum: infinita vis lignorum comburitur, sed inde calcem, inde lateres, inde salem & vitra, inde cibos & victum habemus. Artificiosissimum lucri genus est perdere ut acquiras. Ergo aliquid nummorum perde, ut regnum æternitatis obtineas.

2. Objectio.

Objiciunt secundò: *Quæ aliis dabimus, cùm nobis ipsis*

A *desint necessaria?* Enimverò unusquisque sibi proximus est. Si facultas dandi suppetat, & huic, & isti, & illi dabo, priùs tamẽ mihi; nam & ego paupertatis ollulas lambo. Germanis verbum est, cùm in mendicos benefici sunt mendici, applaudunt omnes Angeli. Darem omnibus, inquis, & libentissimè darem, sed dandi facultas deest. Chrysostomus multorum frigidissimas excusationes eruditè refutans: *Sed dicet de mediocribus aliquis, ait, Ego misericordiæ instanter implerem officia, ego inopes pascerem, egenos fovérem, nudos vestirem, ego pauperibus necessaria victûs impenderem, si mihi copiæ redundarent. At cùm mihi necessaria desint, cur dandi sterilitas imputatur? Sed audi quisquis hoc loqueris; & excusandi ansas, quas obtendis, omitte. Nullus miser est, nisi qui misereri noluerit: quia nec quisquam misereri desiderans poterit non habere quod tribuat. Non enim misericordiæ desuita sunt pretia. Vidua Eliam ex modico pascit, & idipsum quod habuit, finiri non potuit. In Evangelio minutum viduæ divitum opulentias vicit. Provocaris, Christiane, provocaris, & à viduâ in certamen deduceris. Et* Chrys. to. 5. de duabus viduis mihi pag. 790. & hom. 2. ad pop. pag. 21.

B *ne possit qui quam non habendi excusatione purgari, gratuita misericordiæ inducuntur officia, ut ostendatur Dominum etiam ipsis pauperibus operandi imposuisse obsequia.* Gratuitum officium est, calicem frigidæ portigere, ægroti vel alium in carcere constitutum visitare.

Demum plurima velut in compendium conferens: *Vis*, inquit, *ditari? Amicum habeas Deum, & omnium ditissimus eris.*

Subinde pauperes sumus, sed nostro vitio, quia rem familiarem malè administramus, vix quidquam consilio & ratione gerimus, parsimoniæ nihil adhibemus, nec frugem facimus. Hìc illud Græci Rhetoris usurpem. Isocrates Rhetoricæ præcepta traditurus adolescenti supra modum garrulo: Mi adolescens, ajebat, priùs tacere, dein loqui discamus. Ita his, qui rem familiarem corrumpunt, insusurandum in aurem: Discamus priùs comparcere, & non erit difficile largiri; nec etiam quod largiamur deerit. Verùm sit aliquis, qui hìc æra quidem minuta duo possit egentibus impendere, huic beatus Leo solatium affundens: *Æquatur*, ait, *plerumque merito, quod distat impendio, quia potest esse par animus, ubi impar est census.* Novit Dominus vires & facultates omnium. *Si exiguum tibi fuerit, etiam exiguum libenter impertiri stude.* Leo serm. 5. de jejunio. Tob. c. 4. v. 9.

§. II.

3. Objectio. 1. Resp.

OBjiciunt tertiò. *Servamus liberis nostris, alioqui pluva & promptiùs daturi.* Responsum hìc multiplex: Primum: Hic error in plurimis obrepit: pleraque omnia ad rationem humanam exputamus, caussas frivolas convolvimus, & divinæ providentiæ nihil permittimus. Atqui, ajunt, miracula non sunt postulanda. Rectè hoc quidem, sed en quàm imperitè argumentemur, & ita carnes, caseum, pisces, pulmenta & olera misceamus. Longè aliud est miracula flagitare, aliud divinam providentiam adorare illustri fiduciâ: illud ab instinctu evidenti proveniat necesse est, quod rarissimum; hoc semper & in rebus omnibus exercendum. Alterum responsum est: Idem in pecuniâ, quod in vindictâ licet observare. Si nos ipsi nostras injurias ulciscamur, Deum fore ultorem ne speremus. Tali dixerit

2. Resp.

xerit Deus: Tu ipse tibi sat fortis & potes es, nec meâ eges operâ: ita prorsus, si pecuniam lubitu nostro congeramus, curemus, expendamus, nec divinam providentiam magnoperè attendamus, Deus meritò nobis dixerit: Vos ipsi prudentes estis œconomi, & in rem vestram vigilatis, nec meâ indigetis administratione; Ite, curate res vestras, servate liberis; ego me vobis nolentibus non ingeram. Sed exitus docebit, quàm fatua fuerit vestra prudentia, sine meâ providentiâ: mano vestro sapietis, sed serò.

Parentes ut liberos virtute divites relinquant debent curare,

Quisquis à divinâ providētiâ non totus pendet, sibi ac suis stultissimè provident: in aëre miser ædificat, sed ædificium illud priùs corruet quàm surgat. Prima parentum cura sit, quâ ratione liberos non ære, sed virtute divites, eruditione potiùs quàm veste cultos relinquant. Contrarium fit, sed in liberorum & in orbis perniciem. Quamprimum namque liberi nummos olfaciunt, & incipiunt non nescire se divites esse, plerumque in litteris parum proficiunt: si urgeantur à magistris, audent dicere: Libri me non alent. Imò & ipsi stultissimi parentes, quò mollius habeantur filii, dicere non verentur; Non cupimus eos fieri litteratissimos, non utriusque juris scientissimos.

Hoc prorsus est rudes asinos ad lyram admovere, nolle tamen ut lyram peritè discant tangere. Fiet omnino quod optant; votis suis non excident. Ita parentes prospiciendo liberis nihil prospiciunt; his adjumentis nocent. Nam dum eis opes, simul & viaticum nequitiæ atque interitûs relinquunt, & ita eos cũ curâ in præcipitium impellunt: imò, ut Chrysostomus loquitur camino ardenti oleum addunt, dum filiorum vitia divitiis accendunt. Amplum patrimonium filiis sæpissimè venenum, libidinis fomentum, flagitiorum instrumentum, & largus ad inferos commeatus est.

Amplum enim patrimonũ filiis largus ad inferos cõmeatus est. *Eccli. c. 44. v. 10.*

Quantò meliùs *illi viri misericordiæ, quorum pietates non defuerunt, cum semine eorum permanent bona?* Non paucorum opes quotidie sic evanescunt, ut de iis tertius hæres non gaudeat. Hoc mali plerumque ab avarâ manu est, quæ sibi ipsi subtrahit, dum pauperes excludit.

Chryst o. 5. hom. 23. ad pop. mihi pag. 305. & seq.

Chrysostomus hanc parentum fatuam parsimoniam crebriùs perstringens: *At, inquies,* ait, *infantum me cœtus circumstat, & illos divites relinquere cupio. Si ipsis omnia admittas, periculosæ custodiæ commendasti. Si verò Deum eis relinquas hæredem & tutorem, innumeros reliquisti thesauros. Sicut cùm nos ipsos ulciscimur, Deus nos non defendit: cùm autem hoc ipsi permittimus, plus quàm expectamus, efficitur: sic & in pecuniis, si nos earum curam gerimus, ab earum ille providentiâ recedet, si verò totum in eum projiciamus, & eas, & filios in omni securitate constituet. Si vis itaque multas filiis divitias relinquere, Deo relinque tutelam. Qui vult dives fieri, fiat pauper, ut dives evadat. Expendat ut colligat, disperdat ut congreget.*

Deum tutorem relinquere,

Aug. in ps. 125. mihi pag. 602.

Hæc eadem Augustinus adstruens, & Babyloniam confusionis matrem aspiciendã monens: *Videte,* inquit, *si non est confusio tota vita humana. Quidquid agunt homines in spe vanâ, cùm cognoverint, quid agant, erubescunt. Quare laborant? cui laborant? Filiis meis, inquit. Et ipsi cui? Filiis suis. Et ipsi quibus? suis etiam filiis. Nemo ergo sibi.* Nemo pauperibus. Notissima plurium cantilena: *Servo filiis.* Imò servas sæpe muribus & tineis, sæpe canibus & parasitis, sæpe chartulis lusoriis, abacho & tesseris servas, quod dandum esset egenis. Eleemosynæ tuæ non depauperabunt filios tuos.

Cyprian. erat. de opere & eleemosynis.

Quod Cyprianus uberrimè confirmans: *Illa vidua,* inquit, *non filiis abstulit, quod Eliæ dedit, sed magis contulit filiis, quod piè ac benignè fecit. Non filios mater in fame & necessitate præposuit Eliæ: quin imò esurientibus liberis alienus antè pascitur, nec in penuriâ priùs esca quàm misericordia cogitatur. Si ergo verè filios tuos diligis, si eis exhibes plenam & paternam dulcedinem charitatis, operari magis debes, ut filios Deo justâ operatione commendes. Nec cum liberis tuis cogites*

A *patrem, qui & temporarius, & infirmus est, sed illum patrem pares, qui æternus, & firmus, filiorum spiritualiũm pater est. Illi assigna facultates tuas, quas hæredibus serves: ille sit liberis tuis tutor, ille curator, ille contra omnes injurias sæculares divinâ majestate protector. Patrimonium Deo creditum nec respublica eripit, nec fiscus invadit, nec calumnia aliqua forensis evertit, in tuto est hæreditas, quæ Deo custode servatur. Hoc est charis pignoribus in posterum providere, hoc est futuris hæredibus paternâ pietate consulere.*

Est hæreditas paternâ pietate consulere.

Magnum filiis patrimonium, eleemosynæ parentum. *Multos equidem vidi,* ait, Theologus Hispanus, *divitum & avarorum parentum filios, quibus amplissima obvenerant patrimonia, brevi tempore ad tantam redactos miseriam, ut nec famulum quidem, sed nec panem haberent, tam inglorii quàm inopes. Cùm contrà multos etiam viderim pauperibus benignos, quotidie magis ac magis locupletari, & illorum sobolem fortunis & titulis abundare.*

Benedictus Fernandez tom. 3. in 1. 37. Gen. mihi pag. 539.

B

§. III.

CVm igitur testamentum condis, quisquis es, teipsum primò hæredem tibi constitue, & principem curam animi tui gere. Hîc iterum Augustinus: *Quid,* ait, *ipsius filii? Et ipsi servant, quod eis reliquerunt parentes. Parum est, quia servant, etiam augent. Sed quibus & isti servant? Filiis suis & illi filiis, & tertii filiis. Quid Christo, quid animæ tuæ? omnia filiis. Inter filios suos, quos habent in terrâ, computent unum fratrem, quem habent in cælo; cui totum dare debebant, vel dividant cum illo. Ne illis eveniant, quod Dauid Rex præmonet.* Et relinquent alienis divitias suas. *Quomodo,* inquit Augustinus, *alieni sunt filii? Quicumque tibi in tribulatione subvenire non possunt, alieni à te facti sunt. Iam attendamus illos divites, qui malè vixerunt, qui superbè egerunt, mortui sunt, & reliquerunt non dico extraneis, sed filiis suis reliquerunt divitias suas, & filii ipsorum viam parentum suorum sequuntur. Sicut illi superbi, ita & isti: sicut illi rapaces, ita & isti: ut illi avari, & isti; alieni ab illis sunt. Quid tibi diceret dives? Habeo quinque fratres, unum fratrem mihi amicum non feci, qui jacebat ante januam. Illi mihi fratres subvenire non possunt, qui possident divitias meas, alieni à me facti sunt.*

Psal. 48. v. 12.

C

Eos igitur hæredes scribe, illos tibi amicos concilia, qui te possint recipere in æterna tabernacula. Ad hoc Chrysostomus suos gravissimè cohortatus: *Ne perdamus,* inquit, *præsentis vitæ occasionem. Licet enim, licet, inquam, ut ad extrema usque suspiria Deo gratias agas, licet ut & ab ipso testamento commenderis, etsi non quemadmodum; si dum vivis bene ageres, licet tamen. Quo pacto? si cum necessariis tuis Christum scribas hæredem. Non eum vivens pavisti, saltem migrans, cùm non es dominus ultra, da tuorum patrem, cohæredem eum tuorum institue filiorum. Si autem & hoc negligis, cogita, quòd pater ipsius te fecit ejus cohæredem, & inhumanitatem dissolve. Quam enim habebis excusationem si neque filiorum tuorum consortem facias, qui te cælorum participem fecit, & propter te occisus est, & hæc omnia non debitum reddens, sed gratiam exhibens fecit. Sed sunt quidam tam miseri, qui filius quidem carentes, hoc tamen facere non sustinent, sed parasitis & assentatoribus, vel illi, vel isti sua distribuere malunt quàm Christo. Quibus quid esse possit stolidius? Qualem enim veniam hujusmodi consequentur, quòd eum viventes non paverint, ad Deum verò migraturi nec ex pecuniis, quarum non sunt ampliùs domini, vel minimam ei partem largiri velint: sed tam hostiliter & inimicè se gerant, ut nec de iis rebus, quarum usu jam destituuntur, ei contribuant? Melius quidem est, & multam præbens securitatem, si unius paupertatem adjuves. Sed si id efficere nolis, saltem moriens aliquid fac generosum.*

Chrysost. hom. 25. mihi pag. 189. & 191. Ad fratres infirm. c. 10. 4. hom. 18. in epist. ad Rom. mihi 184. & seq.

D

Sunt divites, sed eorum pauciſſimi, qui testamentum componunt in hæc verba: *Hæres meus ex asse sit Christus.* Porrò ad herciscundam hæreditatem, ista ut illa familia religiosa, isti aut illi pauperes jus habento. Hi tales testamentarii cognatis non egenis nihil adimunt, & sibi plurimùm consulunt.

Vaniſſi-

Vanissimè illi agunt, qui potiùs sui post se memoriam relinquere satagunt, quàm aliis prodesse cupiunt. Ridiculè ac stultè. Nam sæpe laudantur, ubi non sunt; ubi sunt, cruciantur.

Quicumque testamentum conscribitis, & suprema vestra ordinatis, has obsecro vanitates & insanias falsas ab iis proscribite. Dominum IESVM saltem in hæreditatis partem admittite; quo loco meliùs pecuniæ locentur, considerate; ubi gravior paupertatis necessitas est, eò brachium argenteum extendite: Date, quod suprà monuimus, prudenter & circumspectè. Cujus rei monebit narratio, quam adjungimus.

Ioan. Mosc. in prat. spirit. c. 201. mihi pag. 635.

Constantinopolim ibam, dicebat quidam priscorum Patrum, cumque jam in templo sederem, vir illustris ingressus me humanissimè salutavit, & assidens interrogare cœpit compluscula, quæ ad animi salutem pertinebant. Ego dicta in compendium collaturus: Cælum, inquam, non facilè amittunt, quicumque res terræ rectè disponunt. At ille: Non malè, ait, dixisti pater, nam verè beatus est, qui spem omnem in Deo figit, seque ipsi totum committit. Parens meus tam à fortunis locuples, quàm in egenos liberalis, die quadam mihi omnem pecuniæ præsentis apparatum & dignitatem monstrans: Mi fili, ajebat, dic ingenuè, quid malis, has tibi pecunias, an curatorem relinquam Christum? Ego promptus: Mi optime pater, nihil licet præferre Christo, Christum malo. Hæc mihi, hæc amitti, hæc eripi possunt; Thesaurus inexhaustus, stabilis, sempiternus est Christus. Hæc pater meus audiens pecuniam pæne omnem in mendicantium centones abdidit. Sub exitum vitæ tenues omnino reculas hæredi mihi reliquit. Hinc ego sine censu fortunæ inops in Christo tutore meo spem maximam collocare ab ipsâ paupertate jussus sum. Erat autem civis opulentus & primi nominis, cui conjux pudica & filia unica. Mater in filiæ connubium sollicita, maritum his verbis aggressa. Filia, inquit, nobis est unica & opes amplæ, quem ei virum indagabimus? si nubat diviti, sed parum prudenti & probo turbas & offensiones domesticas habebit perpetuas. Indagemus igitur virum modestum, & bonæ mentis, quæ vxorem magis amet quàm uxoris pecuniam. Ad hæc maritus: Opportunum suggeris consilium, inquit, nec ego aliud sentio. Nam si nostra filia æquè diviti nubat, ille se dominum, & illa dominam se geret. Hinc utrique accendetur luxus in odium parsimoniæ. Sin eam ditiori jungimus, generum habebimus imperiosum & filiam ancillam. Præstat igitur eam minùs nummato, sed modesto in matrimonium dare. Sed Deus nobis ante omnia exorandus est, ut virum quem quærimus, inveniamus. Tu hoc age, & templum summo mane occupa, Dei favorē in hanc rem expete, sed interim observa, quis primus templum subeat, eum forsan ille in sponsum designandus sit. Nec enim leve indicium est pietatis, tam maturum ad ædem sacram properare. Paruit mulier: dúmque illa precaretur in templo, ingressus sum ego primus. Mox in genus, in fortunas, in educationem, in mores meos indagatum est. Ego cuncta candidè aperui, parentem mihi fuisse opulentum, sed qui piâ liberalitate non imprudens me pauperem fecisset. Illi ut hæc audierunt, adoratâ divinâ providentiâ suam mihi filiam nuptum dederunt cum grandi dote. Ita Christum tutorem meum longè optimum fuisse mihi jam compertissimum est. Hinc ego id unum assiduè laboro, ut patris mei vestigiis & piæ ipsius liberalitati tenacissimè inhæream.

Hæc audimus, & Deo tamen necdum satis fidimus. Ecquis est, qui audeat similia? Filiis reverà præclarissimè prospectum est, si habeant in patrimonium Eruditionem & Virtutem. Aristippi sapiens consilium est, eo filios patrimonio ditandos, quod cum ipsis enatet A in naufragio. Tale Virtus est & Eruditio. Sic igitur serva filiis, ut Christum Servatorem omnium non excludas ab opibus servatis.

§. IV.

OBjiciunt quartò: *Multi mendicârunt, qui liberalem mendicantibus stipem dederunt.* Hanc objectionem Solymæus Rex Dauid potentissimè subvertens: *Iunior fui, ait, etenim senui, & non vidi justum derelictum, nec semen ejus quærens panem.* Sed obducunt iterum: Iobus an non in eleemosynas effusissimus, an non pater erat pauperum? Et tamen mendicitatem extremam passus, omnium hominum mendicissimus fuit. Lazarus integer & sanctus, Angelis tam familiaris, ut eosdem pro vespillonibus habuerit, & tamen quæsivit panem, & non invenit; miculas è mensâ defluas petivit, & nemo illi dabat. Rèspondemus, quod Iobum attinet, Divina providentia cum hoc viro lusum prorsus admirabilem lusit, ut in eo spectaret orbis universa Patientiæ documenta. Nec tamen steriles fuerunt Iobi eleemosynæ, nam amissis omnibus recepit omnia, & quidem locupletissimo fœnore duplicata. Lazarus eâ conditione, & in eam sortem natus est, ut eleemosynas potiùs acciperet quàm daret. Quod autem regius psaltes de homine justo pronuntiat, id interpretes ajunt, illi convenire, qui & magnæ integritatis simul & piæ liberalitatis laudem ferat: Quod ipse Rex David significans: *totâ die*, inquit, *miseretur & commodat, & semen illius in benedictione erit.* Hic talis, qui totâ die, qui omni vitâ misericors largitor est, largiendo ad incitas non devolvetur. Vos autem homines increduli circumspicite, quæso, num reperiatis quos eleemosynæ fortunis everterint; mōstrate saltis vel unicum quem pia largitas ad mendicitatem detruserit. At ego è diverso plurimos, totas ego centurias eorum recitabo, quos pompa & luxus in egestatem deduxerit, quos immisericors parsimonia fortunis provolverit, quos ingluvies & helluatio facultatibus exuerit, quos libido & luxuria ad paupertatem protraxerit. In oculis oberrant, qui vestibus & cenis plus æquo sumptuosis facti sunt egentissimi: digitis monstramus, quos depauperavit Venus: non desunt qui sua perdiderunt dum raperent aliena: non paucos opes malæ partæ ad inopiam expulerunt; plurimis mendicitatem obtulit divinæ rei neglectus. Res certa, & quod è cælo descendit oraculum: Eleemosynæ non pauperant.

4. Objectio.

Psal. 36. v. 25.

Luc. c. 16. v. 21.

Resp.

Psal. eod. v. 26.

Quod Chrysostomus asseverantissimè dixit. *Fieri omnino nequit, ut ea domus quæ pauperum miseration· fundata sit, mali quippiam patiatur: imò si quid fortè perpessa fuerit, melior eam eventus excipiet, idque erit familiæ ac domui proclypeo ac hastâ. Cælum & terra transibunt, verba autem Domini non præteribunt.*

Chrys. in epist. 2. ad Timoth. hom.

Matt. c. 24. v. 35.

Iudocus Regum sanguine oriundus, sed Christi amore pauper, ad lumen habitavit cum sectio Wulmaro. Id autem vir sancto consuetudinis & pænelegis fuit, nulli numquam pauperi deesse. Cùm autem panis unicus quâdam die superesset, eum in quatuor partes secari, & earum unam mendico porrigi jussit. Mendicus inediâ confectus rediit secundùm, imò tertiùm & quartùm, & panem extremæ fami petiit. Nihil negatum est; omnes panis partes abstulit. Hic Wulmarus angi nonnihil, & cum Iudoco expostulare, sed modestè, omne prandium ablatum dicere, nec alios panes tam citò adferendos sperari posse. Iudocus hominem ad divinam providentiam erigens: Quæso te, inquit, bono animo simus, & meminerimus penariam Dei arcam nondum exhaustam esse. Qui passerculos & corvorum pullos enutrit, suorum utique non oblivisceturus. Submittet Deus alimoniam ne dubita, aut ipsa nos fames pascet. Dixit, nec multò post ad fluminis ripam naviculæ [a] duæ, ānnonam devehentes

Obiit anno 653. die 13. Decemb. Baron. to 9. Lippeloo dicto die.

[a] *Quatuor alii Lippeloo.*

vehentes se sistunt, veluti rogarent hospitio admitti, & in penu mensámque exonerari. Admittit Iudocus, & cum socio gratias agit providentissimæ numinis largitati, quæ panem unicum hostimento longè amplissimo voluit remunerari.

Augustin. in Ps. 20. mihi pag. 223.

Hanc Dei munificentiam agnoscens Augustinus, inquit, Deus tibi de scripturâ suâ dicit, da, securus esto, reddam. Quomodo solent dicere fidejussores? Quid dicunt? Ego accipio, mihi das. Et quid inde habebo, dicturus es? Vitam æternam dabit tibi, da illi securus.

Quare non respicis ad Deum tuum? Vbi est fides? Quare sic dormit? Excita illam in corde tuo.

Platina in vitis Pontif. Tempesta. mihi pag. 354.

Narrant Baptista Platina & Dominicus Tempesta, Alexãdrum V. Pontificem Romanum affectu in pauperes semper promissimo fuisse. Eò autem hic inopum amor efferuit, ut liberalissimus Pater vix sibi quidquam reliquum faceret, adeò ut maluerit vel etiam de quotidiano victu suo detrahere, quàm egenis non sua omnia impendere. Hinc solitus est dicere: Dives sui Episcopus, pauper Cardinalis, jam sum mendicus Pontifex. O virum verè maximum, qui in supremo solio non solùm pauperes prolixissimè juvare, sed etiam eorumdem amore paupertatem experiri non abnuit. Beatus vir, qui post aurum non abiit, nec familiam suam muneribus sacris satiauit, nec è crucifixi Domini patrimonio cognatos ditavit: beatus, qui ut servaret, perdidit.

Phil. Diez. serm Dominic. Palmarum.

Ecclesiastes celeberrimus commemorat, quemdam præsulum ab œconomo monitum, familiam ali nimis amplam, & quidem aliquos in eâ reperiri, quorum operam nemo desideret. Cui Præsul: Ergo, inquit, aliqui, solùm è familiâ dimittendi, non omnes. Atqui scias velim quòd ego illos, quos tu retinendos censes, ideo alam, quia operâ illorum egeo, ceteros autem à mensâ ideo non excludam, quia illi egent operâ meâ. Quocirca tam istos quàm illos retineamus, non ut pompam augeamus, sed ut eleemosynam. Minuamus igitur pecuniam, ut augeamus justitiam. Misereamur totâ die, & semen nostrum in benedictione erit. Benignissimus Deus & nobis & posteris nostris providebit. Palliata & falsa virtus est parsimonia in eleemosynis.

CAPVT II.

Alia, quæ contra Eleemosynas objici solent, refelluntur.

Psal. 103. v. 14. & 15.

HEbræus psaltes præ aliis liquoribus cõmendans oleum: Deus, inquit, jumentis fœnum; at panem, vinum, oleum hominibus producit; illa in cibum & potum, hoc in unctionem aut etiam in cibi condimentum: *Vt exhilaret faciem in oleo.* Frons namque hominis hilarior est, cùm cibum habet conditum & palato respondentem. Hinc prisci Monachi, Cassiano teste, ut hospites paullò lautiùs acciperent, olera subinde vel legumina condiebant oleo, cùm alioquin hoc genus condimenti mos pauperrimi victûs negaret. Ita facies hospitis exhilarata oleo.

Hieronymus in illud Psalmographi carmen: *Exhilaretur*, inquit, *oleo misericordiæ justorum facies coram Deo. Quicumque orbis judicem sereno ac hilari vultu cupiunt intueri, nunc vultum oleo erugent ac nitident, guttus olearius assiduo liquore in pauperes stillet: dantis & accipientis facies exhilaranda.* Sed unde nobis, ajunt, cella olearia, quæ perpetuis fluat fontibus?

Nimirum semper caussantur, non inertes tantùm, sed & tenaces, uti capite superiori cœpimus exponere. Sed supersunt plura, quæ objiciant; obtrectationibus singulis, ut priùs, respondebimus.

§. I.

ITa quintò objiciunt: *Cur Deus suos pauperes non ipse pascit?* Modestè obsecro, ne querela in calumniam & maledictum transeat. O Eucliones! Erratis toto cælo. Neque enim hæ voces liberalium hominum, sed deparcorum Euclionum sunt. Et hoc Chrysostomo credetis affirmanti, *Eleemosynam non accipientium, sed dantium caussâ introductam esse: nam illi qui stipem porrigunt, non qui accipiunt, maximum quæstum faciunt.* Vt sciatis, ventres pauperum sunt nostra horrea. Ideo nos accipimus, ut illis demus. Deus omnes pascit, nisi perfidia famulorum obstet. Exemplo demonstratur id, quod dicimus. Hispaniarum Rex jubet è Siculo vectigali aliquibus suorum famulorum dari annuam pensionem. Non fit. Hinc illis & istis salarium non redditur, ita victûs subsidium adimitur. Cujus obsecro culpâ? Non regis, sed servorum, qui justa regia non exequuntur. Neque verò moris est, sed nec commodè fieri potest, ut ex Hispaniis pecunia trãsmittatur. Satis est mandare. Vos vectigalibus præfecti, his & illis, & istis famulis meis tantum & tantum pecuniæ date. Rex præcipit, vultque de suo dari. Fraus præfectorum, aut certè negligentia est, si nihil detur. Sic omnino Deus debitoribus crumenam pinguem committit, non ut eam suis solùm usibus retineant, aut ad lubitum suum exhauriant: His meis, inquit, & de meo date; nec enim opibus vestris egeo; meas expendite. Non fit. Servorum culpa est; acceperunt reddenda, quæ non reddunt. Egeni propter opulentos, propter egenos opulenti vivunt, sed quæstio sit, utri alteris minùs egeant. Reverà sive mores, seu naturam attendamus, longè faciliùs egeni possunt carere opulentis, quàm opulenti egenis. Fac omnes esse divites, & neminem inveniri, qui serere, qui arare, qui metere, qui triturare, qui molere, qui pinsere velit, neminem qui calceos suere, qui vestes sarcire, qui domos struere, qui vineas colere, qui uvas prælo premere sustineat. Vnde igitur cibus, potus, vestes, domus opulentis erunt? Hi tenuium ac egenorum hominum labores sunt, quos abhorrent divites. Hoc natura docet. Si mores spectemus, magis necessarii sunt egeni opulentis, quàm hi illis. Quot & quanta sunt opulentorum peccata eleemosynis redimenda, quæ certè pauperum cadas non tangunt?

§. Objectio.

Egeni magis necessarii sunt divitibus, quàm divites egenis.

Ergo fatuè interrogantibus, Cur Deus suos non pascit? occinendum est illud: Vobis, ô nimium curiosi rogatores, vobis commissi sunt, ut eos pascatis. Non tamen de vestro comedunt, bibunt, non ex arcâ vestrâ vestiuntur. Supremus Pater hæc omnia & vobis & illis per vos subministrat. Cavete hîc ulla negligentia, fraus aut perfidia interveniat.

Discipulis Christum rogantibus: Dimitteret turbas jam famè fatigatas: *Date*, inquit, *vos illis manducare.* Quot panes habetis? ite & videte. Plebs ista esuriens propter vos est, vos autem propter illam proferte vestros panes. Proferendi erant, vellent nollent; augmentum Christus adjecit. Ita etiamnum quotidie humana famies pascitur. Hi panes à Deo acceptos porrigunt, Deus reficit & satiat.

Matth. 14. v. 16.

Ioannis Baptistæ usitata fuit exhortatio: *Iam securis ad radicem arborum posita est. Omnis ergo arbor non faciens fructum bonum excidetur, & in ignem mittetur. Et interrogabant eum turbæ: Quid ergo faciemus? Respondens autem dicebat illis. Qui habet duas tunicas, det non habenti: & qui habet escas, similiter faciat.* Perinde si dixisset: Homines rudes & spiritualium inanes estis, nec præceptionibus multis onerandi. Hoc igitur unum facite; eleemosynas egentibus præbere, ciborum & vestium partem ne negate. Ad doctrinam Christi percipiendam hæc optima est præparatio.

Luc. 3. v. 9. & seq.

§. II. Est

§. II.

6 Objectio. Aug. in Ps. 103. mihi pag. 485.

ESt qui sextò objiciat: *Quidquid dicatur non possum multa dare.* Da igitur parum, da pilos caprarū, da æra minuta, da farinulam. Opportunissimè hîc Augustinus suas partes interponens: *Nemo*, inquit, *dicat, non habeo. Charitas non de sæculo erogatur, quia quidquid dicimus, & quidquid diximus, & quidquid dicere poterimus, vel nos vel post nos, vel qui ante nos, finem non habent, nisi charitatem, quia finis præcepti charitas est de corde puro, & conscientiâ bonâ, & fide non fictâ. Excusationem in judicio Dei non habebitis, nisi vos in bonis operibus exercueritis, & eorum, quæ audistis, tanquam pluviæ fructum congruum dederitis. Fructus congruus, opera bona, fructus bonus sincera dilectio, non solùm fratris, sed & inimici. Supplicem nullum spernas, & cui dare non potes quod petierit, non eum spernas. Si potes dare, da, si non potes, affabilem te præsta. Coronat Deus intus voluntatem, ubi non invenit facultatem.*

Chrys. to. 4. in ep. 2. ad Cor. ho. 16. mihi pag. 723. Idem to. 5. ho. 7. è dicm homilia de pœnit. mihi pag. 747. Idem loco citato.

Cum eodem sentiens Chrysostomus: *Non enim*, inquit, *mensura dantium, sed voluntas exhibentium liberalitas æstimatur. Propterea nusquam dicit, divitias datorum, sed divitias simplicitatis illorum. Nam non solùm non obfuit eis ad liberalitatem paupertas, sed & occasio fuit exundandi, quemadmodum afflictio lætandi; quò enim pauperiores erant, hoc se magis liberaliores & alacriores exhibebant.* Hic idem Græcus Ecclesiastes: *Audi Prophetam*, inquit, *dicentem: Ego quasi oliva fructifera in domo Domini. Ejusmodi simus. Nec enim satis est, olivam solùm fieri, sed necesse est fieri fructiferam. Sunt qui miserantes parva dant ipso anno labente, aut omni hebdomade parum quid exhibentes: Hi olivæ quidem sunt, non autem fructifera & vera, sed arida. Quòd quidem miserentur, olivæ; quòd autem non promptè, aut animo, non fructiferæ. Sed ut fructiferi simus, quod sæpenumero diximus, & nunc dico. Non dantis mensurâ eleemosynæ magnitudo æstimatur, sed dantis proposito. Dederunt quidam capillos in templi structuram, neque repulsam passi sunt. Sed aurum habentes si capillos attulissent, maledicti fuissent, si verò habentes solum id ipsum tulerunt, accepti.* Quid duobus obolis vilius, quid capillis minus ac farinulæ pugillo, & tamen hæc placuerunt magis quàm vituli, quàm aurum. Etenim in eo, quod quis habet acceptus est, haud in eo quod non habet. Quare indigentibus libenter tribuamus opportuna, quamvis modica sint, quamvis parva. Insomnis oculus videt nos dare quod habemus.

Matt. c. 10. v. 42.

Servatoris promissum est: *Quicumque potum dederit uni ex minimis istis, calicem aquæ frigidæ, tantùm in nomine discipuli, amen dico vobis, non perdet mercedem suam.* Hîc omnis excusatio amputatur, hîc avaritiæ fucus eluitur. Iam nemo dixerit: Ego ipse pauper sum, cui necessaria quidem ad vitam suppetunt; Faveant Codris & Iris copiosi, ego non possum, supellex mea & pæne tota domus rhedâ componitur unâ. Da igitur buccellam panis, da calicem aquæ frigidæ. Non à te aqua calida postulatur, ne lignorum penuriam excuses, da gelidam & à fonte recentem, & misericordiæ specimen jam dedisti.

Iuvenal. Sat. 3. v. 10.

§. III.

7 Objectio. Chrys. to. 4. in ep. 2. ad Cor. ho. 16. mihi pag. 725. Idem repetit to. 5. hom. 7. è decem homiliis de pœnit. mihi pag. 745.

ESt qui objiciat septimò: *Multa do, sed compensationem nullam sentio.* Hanc objectationem disertissimè Chrysostomus refutans: *Hîc*, ait, *quæris retributionem? propter quid? sine eleemosynam, eleemosynam esse, & non fac negotiationem. Sanè multi & hîc acceperunt, sed non sic acceperunt quasi hac ratione his, qui hîc non acceperunt, plus habituri essent. Ceterùm qui hîc recipiunt, plerumque infirmiores sunt, & ad illa meliora non valdè festinant. Quemadmodum gulosi & ventris mancipia ad regiam vocati mensam, non expectantes congruum tempus, sicut parvi pueri suam lætitiam lædunt, priùs satiantes se vilioribus cibis: ita certè & hi, qui hîc inquirunt & accipiunt mercedem, alibi minuunt. Porrò in usuram dans, post multum quidem tempus speras accipere*

A *sortem, fortè autem non accipere, ut dilatione majus fenus fa-* Retributio eleemosynarum in hoc mũdo non est petenda;
cias. Hîc autem statim repetis, idque cùm non hîc sed illic perpetuò futurus sis. Si quis tibi construxisset domum hîc non mansuro, damnum putasses; nunc autem hîc vis ditari, cùm ante vesperam sæpius emigrare contingat. Non vides, quòd in alienâ terrâ versamur, quasi hospites & peregrini? non vides, quòd advenas contingit ejici, quando nec cogitant, nec sperant? id quod & vobis cõtinget. Sanè propter hoc quæcumq; essecerimus hîc relinquimus: non enim permittit Dominus, ut hinc abeuntes accipiamus illa, sive domos extruxerimus, sive agros emerimus, sive servos, sive supellectilia, sive aliud quidda; non solùm autem hinc abeuntes non permittit aliquid auferre, sed neque imputat tibi in mercedem. Nam prædixit tibi, ne ædifices, ne insumas aliena, sed tua. Cur igitur relictis tuis operaris, & sumptum facis in aliena, ut perdas & laborem, & mercedem, & extremum supplicium feras? Ne sic agas, sed quoniam naturâ sumus advenæ simus & voluntate, ut ne illic fiamus peregrini
B *& ignobiles, & neglecti. Nam si hîc voluerimus fieri cives, neque hîc, neque alibi erimus: sin peregrini manserimus, & sic conversabimur, ut peregrinos decet, spem societatis habebimus eorum, qui hîc & qui illic sunt civium: justus enim dicet nihil habens, etiam hîc & in omnium quasi in suis rebus versabitur, & in cælum migrans videbit æterna sua habitacula.*

Quid igitur eleemosynarū tuarum remunerationem in hâc vitâ exigis? Quis ædificat in urbe, quam brevi ab hoste capiendam prævidet? Etiamnum inter hostes degimus, à quibus nihil tutum est, nisi quod in cælum migratur. Sunt quidem aliqui, quibus etiam in hoc orbe mercedis aliquid pro expensis eleemosynis rependitur, non tamen isti aliis meliores, sed alii istis securiores sunt. Hæc Deus, prout sibi visum, dispensat, & sæpè imbecillitati infirmorum sese attemperat. Pomum infanti subtractum redditur, ut flere desinat: ita Deus cum imbecillioribus agit. Quisquis
C *liberaliùs eleemosynas spargis, nec compensationem* Merces enim differtur cum fœnore, & extra cælũ divitiæ nõ sunt securæ.
experiris, optimè spera, & certus esto præmii futuri. Nihil tibi perit, merces differetur cum fenore; longior dilatio, amplius fenus: nullæ divitiæ extra cælum securæ. Nunc coronæ tempus est promerendæ, brevi sequetur accipiendæ.

His autem annis non solùm occasio, sed & necessitas largiendi fuit maxima. Sunt anni jam viginti, † quibus Germania, imò Europa universa bellorum incendiis depascitur. Quod olim Hierosolyma, id nunc de se dixerit Europa: *Vindemiavit me Dominus in die iræ furoris sui.* Quæ terra, quæ provincia, quod Europæ regnum his annis bello non arsit? Hinc rura inculta, deserti agri, pulsi aut cæsi agricolæ, bona erepta, hinc vastitates & calamitates ubique maximæ, hinc pauperum infinitus numerus. Ergo qui habet duas tunicas, det non habenti, & qui habet escas, faciat similiter.

† *Ab anno 1618. usque ad 1637.*

Thren. c. 1. v. 12.

Laudabile illud quod providus magistratus locis
D *pluribus ex ære communi cupiat alimenta pauperibus* Mendicos legibus coërcere ne mendicent durissimum est.
suppeditari, ne cogantur ostiatim corrogare stipem, & ita obvium quemque mendicimoniis infestent. Mendicos tamen omnes legibus coërcere, ne mendicent, durissimum, nec fieri potest, nisi egenorum singulis & cuivis inopi familiæ quot hebdomadibus tenuis saltem victus subministretur. Reperias domos, in quibus vir opifex aut mercenarius graviter decumbat, soboles multa, sed victui parando non idonea, uxor in marito & liberis curandis occupata nihil æris faciat, his certè mendicandum, ni magistratus in singulas hebdomades submittat, quo saltem fami possint mederi. Sin ærarium publicum non ad omnes pertingat, quin mendicent, prohiberi non possunt.

In tantâ igitur hominum egenorum copiâ copiosiores etiam eleemosynæ sunt erogandæ. Siracides clamat: *Non est ei bene, qui assiduus est in malis, & eleemosynas non danti.* Vultis, ô mortales, ut vobis bene sit? Date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis; &

Eccli. c. 12. v. 3.

ecce

ecce bene vobis erit in extremis, & in die defunctionis vestræ benedicemini. *Petr. Chrys. hom. 8.* *Gratis sperat misericordiam ibi, qui hic non fecit misericordiam.*

CAPVT III.

Redarguuntur ceteræ adversùs Eleemosynas objectiones.

ERVDITE Gregorius Nyssenus. Deum, ait speculum esse crystallinum terssissimum, quod suo se spectatori attemperet; si quidem ea refert, quæ ipsi objiciuntur. Qui vultu eleganti ac decoro speculum adit, venustam in eo faciem spectabit; turpem, qui turpi; placidam, qui placidâ; iratam cernet, qui iratâ illud facie accesserit. Nam qualis ad vitreum hunc judicem venis talem in eo te conspicis. Omnem seu deformitatis seu formæ compositionem fidelissimè B refert speculum. Ita Deus in nos sese gerit; si mites fuerimus, mitem inveniemus; si rigidi, rigidum; si ultores, ultorem; misericordes, misericordem. Id *Psal. 17. v. 26. & 27.* apertè Rex David pronuntians: *Cum sancto*, inquit, *sanctus eris, & cum viro innocente innocens eris, & cum electo electus eris, & cum perverso perverteris.* *Ita hunc locum Tertul. Clem. Rom. Hiero. Nyss. Bern. expiscant.* *Qualem te*, inquit Bernardus, *paraveris Deo, talis oportet appareat tibi Deus. Cum sancto sanctus erit, & cum innocente innocens. Quidni æquè & cum amante amans, & cum vacante vacans, & cum intento intentus, & sollicitus cum sollicito.* *Bern. serm. 69. in Cantic. fine, mihi pag. 776.* *Denique ait*: Ego diligentes me diligo, & qui manè vigilaverint ad me, invenient me. *Vides quomodo non solum de amore suo certum te reddat, siquidem tu ames illum, sed etiam de sollicitudine suâ, quam pro te gerit, si te senserit sollicitum sui. Vigilas tu? vigilat & ille.* Sed quomodo Deus cum perverso perversus est? Mutare suetum ordinem est pervertere, ut si ovis ferociam leonis, leo mansuetudinem ovis induat. Deus naturâ clemens, pius, misericors, si nos immites, asperos, immisericordes habeat, ille immutabilis, quodammodo in immitem, rigidum, terribilem mutatur: ita Deus cum perversis perversus fit, cùm eum non ita clementem, pium, misericordem experimur. Nimirum quales nos in alios sumus, talis & Deus in nos est. Si Deum misericordem cupimus, prius ipsi misericordes simus. Nihilominus ut illaudata nostra parsimonia mantellum habeat, multa excusamus. Frigidissimas aliquot excusationes jâ suprà diluimus, ceteras hoc capite diluemus.

§. I.

2. Objectio. OBjiciunt igitur octavò: *Cur multi eleemosynarum largissimi tot miseriis ac calamitatibus involuntur?* Gregorius Magnus, Pontifex maximus, qui ante mille ac plures annos solium supremum tenuit, in eleemosynas effusissimus fuit, assiduis tamen morbis vexabatur, vix umquam ob virium imbecillitatem è lecto dimissus. Constantinus IX. Græcorum Imperator piæ liberalitatis mare habitus, ut plurimùm ægrotus, pæne continenter lecto affixus, tam chiragrâ quàm podagrâ, oppressus. Lydwina virgo in pauperes, quamvis & ipsa pauper, plus pæne distribuit quàm habuit; nihilominus ipsis triginta octo annis omni genere gravissimarum ægritudinum miserè jactata est. Sic alii plurimi eleemosynarum quidem largi, non minùs tamen perpetuo ferè luctu & funestis casibus attriti sunt, perinde si Deus eorum eleemosynas non curaret ac nihil æstimaret.

Est profectò quod non leviter miremur, inter Christianos hæc nova videri aut mira. Num illud Angeli ad Tobiam longè clarissimum ignoramus? *Tob. c. 12. v. 13.* *Quia acceptus eras Deo, necesse fuit ut tentatio probaret te.* Nec multùm, mi Tobia, tam paupertatis quàm cæcitatis tuæ causas exquire: Deus amat te, ideo & flagellat A te. Non est odium causa flagellorum, sed amor. Hoc ipso quia Deo charus es, ideo & afflictus es. Hanc ipsissimâ ob causam, quia Deo fueras acceptus, ideo necessarium fuit, ideo non aliud fieri potuit, non debuit, quàm ut calamitas exerceret ac probaret te.

Infelicitas & res adversæ probitatis in hoc orbe merces securissima. Quòd aliquibus Deus centuplex fenus, dum vivunt, reddit, ad nostram incredulitatem coarguendam id facit. At verò morbi, egestas, depræ- dationes, & omnigenæ miseriæ, non minùs à Deo donum sunt quàm valetudo, divitiæ, felicitas, & prosperi successus. Quod Iacobus Domini discipulus diluciditissimè confirmans: *Omne gaudium*, inquit, *existimate fratres mei, cùm in tentationes varias incideritis.* *Iacob. c. 1. v. 2.* Tunc Deo vos esse pretiosos credite, cùm in camino afflictionis arseritis. *Beatus vir, qui sustinet tentationem*, beatus, *quoniam cùm probatus fuerit, accipiet coronam vitæ.* *Ibid. v. 12.* Beatus ille, qui res adversas tolerare novit, hîc enim è plumbo purum purum aurum eliquare didicit. Infelicitas & res adversæ probitatis in hoc orbe merces securissima.

Beatus à suis prædicatur M. Atilius, documentum fidei, documentum & patientiæ habetur, qui resectis palpebris dolio clauis introrsum undique fodactis clausus est. Figebant cutem clavi, & quocumque fatigatum corpus reclinasset, vulneri incumbebat; in perpetuam noctem, suspensâ cruciabantur lumina. Quantò plus tormenti, tantò plus gloriæ. Felix censetur Regulus: Quantò felicior Christianus, qui eleemosynas largitur, & in remunerationem adversis obruitur, ut in beatorum sede præmium tantò auctius recipiat, quàtò benigniùs sua bona expendit, & quantò fortiùs acerba pertulit. Quod Paulus docens: *Licet is qui foris est*, inquit, *noster homo corrumpitur; tamen is qui intus est renovatur de die in diem: Propter quod non deficimus.* *2. Cor. c. 4. v. 16.* Non deficiamus nec laborando, nec patiendo, nec erogando. Auri jactura nulla est, ubi patientiæ vel fidei lucrum. Eleganter ac verè dixit Chrysostomus: *Si rem perdideris propter Christum, Christus tibi rem restituere potest: si autem propter rem perdideris Christum, res tibi non potest restituere Christum.* *Chrys. tom. 1. in c. 5. Matth. mihi pag. 726.* Eleemosynas largientis adversis auctius præmium remanet in cælis.

§. II.

3. Objectio. OBjiciunt nonò: *Quis tot mendicis satisfaciat?* Sed quo ævo nulli fuêre mendici? Lex prisca quidem in Israëlis populo sanxit: *Omnino indigens & mendicus non erit in te.* *Deut. c. 15. v. 4.* Verùm id Oleaster & Cajetanus, non præcepti, sed promissi fuisse interpretantur. Perinde si divina suavitas promisisset: Eâ te benedictione afficiam, ô Israël, ut nemo tuæ gentis stipem colligere cogatur. Palæstina pingue solum & uberis glebæ geminas in anno messes, & post geminam trieteridem tripliçes tulit, vite, oleâ, ficu opimissima. Lactis & mellis rivuli Palæstinam ditabant. Hîc non difficile fuit mendicitatem ostiatim obeuntem cavere. Nihilominus ævo Christi, Lazarus, Bartimæus, alii mendici materiam benefaciendi præbuerunt: Verissimum Domini effatum. *Semper pauperes habetis vobiscum, me autem non semper habebitis.* *Matth. c. 26. v. 11.* Sed nec olim unquam defuerunt. Ideo lex Hebræorum monet: *Non deerunt pauperes in terrâ habitationis tuæ: idcirco ego præcipio tibi, ut aperias manum tuam fratri tuo egeno & pauperi, qui tecum versatur in terrâ.* *Deut. c. 15. v. 11.* Cùm ergo necessitas stringi legibus non possit, nec paupertati necessitatis sorori leges inuri potuerunt. Si fodiendo victum parare non possit, paret mendicando. Hoc illius jus esto, facere quod jubet necessitas.

At verò, dices: Si passim permittatur mendicitas, homines otiosi ac bibuli stipem æquè colligent atque mendici senio fracti, viribus exhausti. Ajo, si civitates sint opificiis ac mercimoniis diversis tam opulentæ, ut egentioribus omnibus aut obtrudi labor, aut victus expediri possit à publico ærario, sanissimum consi-

consilium, si nemini liceat ad saccum ire & domos incusare mendicationibus: sin autem desint hæc subsidia, fas sit tueri vitam, & cibo pasci mendicato.

An beneméritis danda sit eleemosyna scrutari non licet.

At ego vereor, inquis, ne dem indignis, & stipem malè collocem. Nam sæpenumero simulari aut exaggerari nimiùm solet egestas. Sunt valentes & juvenes mendici, qui aut heris famulari possent, aut parare victum suis ipsi manibus deberent. Sunt qui comessando sua decoxerint. Sunt qui collatam stipem ludendo aut potando mox abliguriant. Sæpe etiam blanda & vaga mendicabula oberrant. Deinde quanto numero fæx ista hominum incursat domos? Quis omnibus satisfaciat?

Mittamus, mi Christiane, hæc verba, & has sollicitudines supervacaneas. Et quæso, non temere hîc suspicemur, neque mantelum avaritiæ nostræ & negandæ stipis colorem quæritemus, ut vel necessitates pauperum passim elevare, vel opes superfluentes, statui tamen necessarias, subtrahere illis præparci assuescamus. Hoc agant curæ nostræ vt demus; quàm sanctis aut bene meritis demus, scrutari non est nostrum.

Chrysost. 10. 5. serm. sing. mihi pag. 795. & seq.

Chrysostomus hâc in re auream laxans facundiam, oratione singulari hoc sedulò commendabat. *Ne scrutemur pauperes curiosè. Quid stipem deposcentem scrutaris?* inquit, *quin illum ob Christi gratiam excipe. Nam si nimium fueris explorando curiosus, vel probum plerumque virum præteribis, faciésque hoc modo futuræ & meritæ mercedis jacturam. Quamvis qui vel improbum prò Christo susceperit, culpandus non erit, quòd capiet pro eo & præmium. Nam qui prophetam sub prophetæ nomine admiserit, prophetæ mercedem accipiet: qui verò pro intempestiuâ hâc & supervacaneâ scrutandi curâ quempiam laude dignum parvipecerit, pœnas luet.* Quid nummulum aut panem ei negas, cui Deus solem non subtrahit? Agnosce & te & mendicum unius patris esse filios. Attende Christum qui Iudam impuriſſimum dignatur osculo. Numquid illi dixit: Flagitiose proditor, hominum perditissime, has mihi pro beneficiis reddis vices?

Tu igitur famem & egestatem, non mores petentis specta; mendicus est, pauper est, etsi sanctus & integer non sit.

§. III.

10. Objectio.

OBjiciunt decimò: *Ratio familiæ ac statûs, æs alienum, cessans lucrum, hinc illinc emergens damnum, & si quid horum est, largiorem eleemosynam impediunt.* Hîc obsecro non vacivas tantùm, sed & veri patientes aures accommodate. Primum est cujus monuerim: Quoties pecuniæ veriùs perduntur quàm expenduntur; Est qui in sphæristerio, pilæ ludo pauculis horis triginta, quadraginta, plures florenos perdat: alius ad abacum lusorium aleâ centenos, trecentos, quingentos Philippeos excutiat: quanti conviviis prælautis ingentem edunt stragem in penore? si horum quis die uno triginta florenos in stipem expendisset, rem æternis annalibus dignissimam à se patratam, aut damnum irreparabile rei familiari allatum censuisset. Et tamen tam pretiosus ludus, alea & convivia tam sumptuosè identidem ac sæpiùs repetuntur. Sunt qui omnem pæne censum in vestes effundant. Sunt qui pecuniam in nescio quas artificiosas nugas dilapident. A multis equi, canes, famuli numerosi aluntur, à quibus ægrè stipem pertenuem extorseris. *Canis tuus*, inquit Chrysostomus, *cibo fartus est, famulus tuus satietate rumpitur, at verò tuus & illius Dominus esurit, Christus tuus alimento caret necessario, fame perit.* Heu quàm fatuis persuasionibus nosmetipsos crebrò fallimus! quàm sæpè cæcas supputamus rationes! nimirum juvenem illum sibi ipsi præclarissimum calculatorem imitamur.

Chrysost. 10. 4. in 2. ep. ad Cor. ho. 17. mihi pag. 739.

Filium in studia miserat pater. Iuvenis à musis aversus Deas Edulicam & Patinam præcipuè colebat. Demum studiorum & expensarum rationes poscens pater: Ter, inquit, hoc anno tibi pecunias misi, universè centum octoginta florenos. Dic enimverò in quos usus tantum pecuniæ consumpsisti? Ad ista filius: Mi pater, ait, in academiis tam parvo non vivitur; alieni æris insuper centum quadraginta florenos contraxi; nec aliter potui. Tu, inquit pater, tantum pecuniæ? Ergò trecentos viginti florenos anno unico abliguristi? Cui placando filius: Obsecro, inquit, cogites velim, mi pater, nil gratis vendi, pretio grandi omnia indicari: cibus, potus, habitatio, ligna, vestitus, lavandi pretium, quantum æris absumunt? adde atramentum, libros, chartam, calamos, & complura alia, quæ profectò non gratis veneunt. Pater jam in fermento jacens: Age sis, inquit, sumptuum rationem computa. Faciam ut jubes, ait filius, & à minoribus expensis ordiar. Ergo pro calamis & atramento decem florenulos scribo. Mox Pater: Cessa, inquit, cessa, cessa; hic calculus tuus trecentos viginti florenos longè transcenderet.

Tam falsas rationes & nos subinde inferimus. Hoc absumpsi donis ac muneribus, & adde non necessariis. Hoc vestitu, sed magnam partem non necessario; hoc symposiis; hoc tentaculis & merendis, hoc conviviis, sed minimè necessariis; hoc relaxatione animi & curiositate, sed neutiquam necessariâ; hoc in lusum, lyricines & choraulas, rem scilicet necessariam; hoc in supellectilem & sarta tecta expendi. Quis in tãtâ sumptuum varietate mentum eleemosynis recondat? Cessate, obsecro, cessate rationes inferre tam absurdas. Vbi tot expensæ non necessariæ, ibi eleemosynæ plerumque curtæ aut nullæ.

Holofernes Dux Assyrius cùm obsidione cingeret Bethuliam, jámque ipse civitatis mœnia circumiret, observavit fontem alveo in urbem duci, jussit igitur hunc aquæ ductum obstrui & aliò averti. Hinc civitas aquæ penuriâ laborare cœpit. Holofernes orcinianus, orbis circitor diabolus hoc solertissimè agit, ut per seductos rivulos, per expensas non necessarias ita minuat facultates, ut deesse videatur quod in eleemosynas conferatur. Ante annos triginta circiter hortense studium exarsit in herbulas & flores exoticos, in tulipanas & bulbos. Hos adeò ambitiosè conquirebant, & quæsitos ita anxiè fovebant & tuebantur, vt nulla mater suum filiolum. Horum litteræ in Thraciam, Græciam, Indiam discurrebant, exigui seminis aut bulbuli causâ. Hîc nullis parcebatur sumptibus. Turpe est dicere, quot aurei non rarò in unicum ejuscemodi florem expensi. Tot aureos mendiculo dedisse piaculum dixissent, & grande nefas, dispendium rei familiaris maximum proclamassent. Ita etiamnum, sed in alia atque alia deperdendo rem insanimus, tunc solùm parci, tunc homines frugi sumus scilicet, cùm eleemosynæ crumenam vocant.

Iudit. c. 7. v. 6.

Dæmõ facit ut per expensas non necessarias facultates minuãtur & desit quod in eleemosynas conferatur.

§ IV.

HIc mihi duas arbores considerate, Tiliam proceram, & Pomum modicam. Illa ramos & brachia explicat latissimè, gratam diffundit umbram, infestas arcet pluvias, odoriferis triumphat floribus: sed pomum aut pyrum nec quidem unicum edit, à fructibus sterilissima. In horto contrà stat Pomus non maximæ staturæ, & ultra quatuordecim millia pomorum fundit. Quæ caussa disparitatis tantæ? Tilia pulchra quidem arbor, sed infructuosa, quidquid alimenti trahit è terrâ, in truncum, in ramos, in folia consumit; at fertilis Pomus id omne in fructus mittit. Ita plurimos reperias homines opulentos succi plenos, auro validos, qui amplas fundunt radices, brachia diducunt

Mihi visa & gustata.

diducunt, comas jactant, sumptuosè vivunt; sed misericordiæ fructus in eis quære, & nullos invenies. Hîc mendicorum fames in cruce pendet. E diverso reperire est opifices mechanicos, qui tenuem victum manu comparant, & ægrè, nihilominus stipem promptè largéque conferunt, nonnunquam ultra vires. Iam caussa in liquido est, illorum succus omnis in frondes & folia, istorum in fructus egerminat.

Hominum tenacium & divitum præclara effigies.

Et en præclaram effigiem hominum eorum qui divites simul & tenaces sunt. Nabal copiosus & locuples, sibi ipsi benignus & liberalis, immitis fuit aliis. Regum fasti de eo sic loquuntur: *Et ecce erat ei convivium in domo ejus, quasi convivium regis, & cor Nabal jucundum.* Cùm autem David insidias Saulis fugiens à Nabale sibi suisque copiolis non aliquot plaustra vino & panibus onusta posceret, sed modestissimè: *Quodcumque invenerit manus tua, da servis tuis, & filio tuo David.* Hîc Nabal elato supercilio. *Tollam ergo panes meos, inquit, & aquas meas, & carnes pecorum quæ occidi tonsoribus meis, & dabo viris, quos nescio unde sint?* Ita nec unicum panem, nec vel sextarium vini dedit. Ea res Deo supra modum displicuit. *Cúmque pertransissent decem dies, percussit Dominus Nabal & mortuus est.* Hoc opulentæ tenacitatis præmium fuit. Siracides dicta stabiliens: *Tres, inquit, species odivit anima mea: Pauperem superbum, & divitem mendacem, & senem fatuum & insensatum.* Augustino dives mendax est, qui in his quæ ad Deum pertinent, suum illud frigidissimum toties repetit: Non possum; non possum carnem meam macerare; non possum inediam tolerare; non possum jejunium servare, humi cubare non possum; diu genibus niti, precationes longas inire non possum. In his omnibus aliquid veniæ domus homini delicato & diviti. Sed si dixerit, eleemosynas dare non possum: en divitem mendacem, tam Deo quàm hominibus exosum. *Iudicium enim sine misericordiâ illi qui non fecit misericordiam. Par pari respondendum. Superexaltat autem misericordia judicium.* Iudicii victrix misericordia præ illo altius tribunal habet, itáque illud superat. Quemadmodum ab electoribus Imperii Romani Septemviris ad Imperatorem, à purpuratis Patribus ad Pontificem est provocatio, velut à minore ad majorem curiam; ita misericordes à Iudicio appellant ad Misericordiam: qui ad Iudicii tribunal stabant mœsti & dejecto capite, ii stant erecto ad tribunal Misericordiæ, nigrum theta non formidantes, sed candidam & felicem litteram exspectantes. Sicut oleum aquam supernatando vincit, sic misericordia judicium. Quem justitiæ consignatio condemnat, hunc liberat misericordia.

1. Reg. c. 25. v. 36.
Ibid. v. 8.
Ibid. v. 11.
Ibid. v. 38.
Eccli. c. 25. v. 3. & 4.
Iac. c. 2. v. 13.
Niſi quis ſingulariter hic eximius.

Hier. ad Nepotian.

Tantò fidentiore animo dixit Hieronymus: *Non memini me legere, malâ morte mortuum, qui libenter opera charitatis exercuit. Habet enim multos intercessores, & impossibile est multorum preces non exaudiri.* Grandius quid Tobias dixit: *Eleemosyna ab omni peccato liberat, & non patietur animam ire in tenebras.*

Tob. c. 4. v. 11.

§. V.

SEd dices: Quid enim mali facio, quando aliena non invado, si propria diligentiùs servo? Si ego quod res est, mi homo, liberiùs responderem, forsan id iniquiùs ferres: Responsum igitur ab Ambrosio accipe: *O impudens dictum*, exclamat Ambrosius, *propria dicis? Quæ? Ex quibus reconditis in hunc modum detulisti? Quando in hanc ingressus es lucem, quando de ventre matris existi, quibus, quæso, facultatibus, quibúsque subsidiis ingressus es? adventum tuum in hunc mundum à Paulo discere.* 1. Tim. c. 6. v. 7. *Nihil intulimus in hunc mundum; haud dubium quòd nec auferre quid possimus.* Terra communiter omnibus hominibus data est: proprium nemo dicat, quod è communi plus, quàm sufficeret, sumptum & violenter obtentum est. Non minus est criminis habenti tollere, A quam cùm possis & abundes, indigentibus denegare. Esurientium panis est, quem tu detines; nudorum indumentum est quod tu recludis; miserorum redemptio est pecunia quam tu in terram defodis. Tot ergo te scias invadere bona, quot possis præstare si velis. Bona quidem, ais, sunt verba, sed melius est non carere substantiâ. Hîc rursus Ambrosius: *Qui*, ait, *obedire non vult, & negligit, manifesta est ignis æterni comminatio. Qualis tibi horror, qualis sudor, quales tenebræ supervenient audienti condemnationis illius sententiam*: Discedite à me maledicti: Esurivi enim, & non dedistis mihi manducare? *Neque enim his verbis, qui alia invasit, arguitur, sed qui non communiter usus est iis quæ habuit, condemnatur. Verùm tibi quoniam Deus venter est, & totus servus es carnis, audi dignam appellationem, quâ te non hominum quispiam, sed ipse Dominus appellat. Ait enim*: Stulte hac nocte auferetur à te anima tua, & quæ præparasti, cujus erunt? *Ipsis illis æternis cruciatibus major est stultitiæ nota. Qui enim paullò* B *post rapiendus è vitâ, quæ cogitat?* Destruam horrea mea. *Cui ego respondeo: Et rectè quidem facis, nam verè destruere debes horrea iniquitatis, & ea quæ malè ædificaveras, tuis ipse manibus subvertere; destruere promptuaria, ex quibus nullus misericordiam consecutus; est dejicere Mammonæ tetra domicilia.* Destruam, *inquit*, horrea mea, & majora ædificabo. *Quòd si & ista repleveris, quid quæso facturus es?* Iterum *sine dubio destrues, & iterum ædificabis. Et quis finis vani hujus & stulti laboris? instanter ædificare, & instantius destruere? Si vis ostendam tibi horrea jam parata, esurientium pauperum ventres, in ipsis tuos reconde thesauros. Sed dicis: Cùm secunda horrea replevero, tunc dabo pauperibus. Longos tibi promittis annos, & lata vitæ spatia polliceris. Talis promissio non futuram continet humanitatem, sed præsentis misericordiæ dilationem. Quid misericordiam in crastinum differs, hodie immisericors? Nescis quid superventura pariat dies.*

Tantum quis peccat eleemosynas non largiendo, quâ alteri furando.

Ambr. in ſerm. 18. mihi pag. 895. & ſeqq.

Matt. c. 25. v. 41. & 42.

Luc. c. 12. v. 20.

Ibid. v. 18.

C Idcirco, quod etiam Chrysostomus monet, *sparge superflua in pauperes, & quod invitus fortasse paullò post ipsis inimicis es cessurus, idipsum volens depone; tuáque fac, quæ tua nunc non sunt. Opes custoditæ fugiunt, distributæ manent. Multâ igitur utamur eleemosynâ. Ipsa enim est Regina virtutum, quæ illic cum fiduciâ assistet & eripiet à tormentis.* Aureas habet alas Eleemosyna, non pulchras tantùm, sed & robustas, quibus volare cupientem facilè ad alta evehat. Aude non amare pecuniam, eáque alienam, subleva inopiam, & jam terris altior incedis, jam volas, jam cælum petis. *Beati misericordes.*

Chryſoſt. homil. de pari mihi pag. 744. & ſeq.

Eleemoſyna eſt regina virtutum.

Matth. c. 5. v. 7.

CAPVT IV.

Quæstiones aliquot exponuntur quandónam dandæ sint Eleemosynæ; ex quibus bonis; quid potissimum Eleemosynas corrumpat.

D SYNESIVS Cyrenes Episcopus, vir eruditissimus, complura ingenii sui monimenta in lucem dedit. Habuit is inter primæ admissionis amicos Evagrium philosophum in paucis charum, sed nondum Christianum. Hunc Synesius disciplinis Christianis imbuere plurimum laborabat. Evagrius homo sui celebrî, & diu refractarius, virum Hebræum crucifixum pro Deo colere constanter recusabat: nec tamen labore aut tædio victus Synesius saluberrimis monitis quotidie hominem urgere instituit. Ad quæ demum philosophus: Duo sunt, inquit, mi Domine Episcope, in re Christianâ, quæ nulla ratio, philosophia nulla satis capiat. Primum est: Vos Christiani nescio quod principium, sed & finem mundi somniatis, & hæc ipsa nostra corpora, postquam in vagos cineres abierint, eadem reditura in vitam immortalia. Alterum est: quidquid pauperibus datur, fenore reddi centuplo.

Zonaras t. 3. Ioannes Moſchus prat. ſpirit. c. 195. pag. 534. ed. Baron. 10. 5. ad annum 411.

Duo in Chriſtiana quæ nulla ratio, philoſophia nulla ſatis capiat.

Hæc

Hæc talia fabulæ sunt, & merum somnium, nec in philosophiâ quidquâ fundamenti habent. Contra Synesius copiosâ dissertatione docuit, nil vero contrariũ hic asseri. Neque verò hæc ad philosophiæ trutinam expendẽda: sublimiora esse quàm quæ humana lippitudo primâ facie possit penetrare. Salubriter se tactum fecit Evagrius, at nihilominus suæ opinionis tenax domum abiit. Hæc ubi secum ipse sæpius repetiit, decrevit manus dare victori Synesio, à quo demum unà cum filiis & omni familiâ sacro fonte tinctus est. Atque ut in rem præsentem veniret, tria auri centumpondia in egenos partienda obtulit Episcopo, si syngraphum dare velit Christum ea redditurum. Nec Synesius istud recusavit.

Evagrius jam Christo adjunctus annos aliquot exegit, Morbo denique graviore correptus, jámque filiis ad se accersitis: Cùm, inquit, cadaver meum ad sepulturam composueritis, hoc chirographum manu inserite, & unà mecum sepelite. Factum quod jussit. Tertio die à funere defunctus Episcopo se stitit, tumulum suum reserari & chirographum inde auferri jussit, sibi abundè in omnibus satisfactum, &, ne dubitandi locus esset, ejus rei testimonium suâ manu subscriptum esse affirmavit. Nescierat autem Synesius chirographum suum unà cum mortuo sepultum. Luce posterâ vocatis ad se filiis, An, inquit, cum parente vestro scripti quippiam sepeliistis? Schedam, aiunt, quam morti proximus secum jusserat humari, nemine id sciente. Episcopus narrato somnio, sacerdotes & urbis primates ad philosophi sepulchrum duxit: eo aperto recens Evagrii syngrapha est inventa conceptissimis his verbis scripta:

Evagrius philosophus sanctissimo domino Synesio salutem. Accepi debitum in his literis manu tuâ conscriptum, satisfactúmque mihi est; nec ullum contra te jus habeo quod dedi tibi, & per te Christo Deo Salvatori nostro.

Obstupuêre omnes, & horis aliquot clamavêre Kyrie eleison. Sed & gratias egêre Deo, qui suas promissiones tam illustri miraculo firmasset. Atque hoc Synesii & Evagrii conjunctum chirographum in primariæ Cyrenensis ædis sacrario servatur. Templi custos jurisjurandi religione se obstringit, ad chirographum illud unà cùm cæterâ ædis supellectile à se fide optimâ, diligentiâ summâ tuendum, & consignatum in successoris manus tradendum.

Hîc ego cùm Marone proclamem:

Virg. l. 6. Æneid. *Et dubitamus adhuc virtutem extendere factis?*

Etiamnum tergiversamur calamitosos alii alios beneficiis prosequi?

Eleemosynas esse dandas diximus: Dandi modum exposuimus: Diversas objectationes dissolvimus. Sequuntur quæstiones, quibus respondendum.

§. I.

Bonorum differẽtia.

QVæstio prima. Quandónam danda est eleemosyna? Theologi hîc facẽ prælucent assignando facultatum & bonorum discrimine. Sunt enim facultatẽs, quæ *Bona vitæ*, [a] alia quæ *Bona statûs* [b] appellãt; alia quæ utrique sunt supervacanea. Tempora item, aliâ *cõmunem*, alia *gravem*, alia *gravissimam*, alia *extremam* inopum necessitatem habent. Bona vitæ victum & amictum necessarium subministrant. Natura paucis contenta, panis frusto, offulâ, oluisculo, pulticulâ diẽ unum facilè solatur; tegi cupit, & arceri à se frigus, nõ ad elegantiam vestiri, sustentare vitam, non pompam explicare desiderat. Et hoc à vitæ bonis non ægrè impetrat. At verò *Bona statûs* ampliora sunt, quæ non unam alterámve vestem, non unum alterúmve ferculum permittunt, sed pro statûs ratione & illa & ista numero majore. Hinc arcæ vestibus, mensæ ferculis onerantur, quod statui convenire dicimus. Quod facultatum remanet, cùm vitæ ac statui satisfactum, inter bona superflua censetur. Hæc in antecessum exactiùs consideranda. Conclusiones jam subjungimus.

Conclusio I. De bonis simpliciter redundantibus per se danda est eleemosyna, non solùm in extremâ (quod nemo dubitat) sed etiam in gravi necessitate inopis, idque sub mortifero peccato. Suadet hoc præter legem divinam efficax ratio. Nam præceptum eleemosynæ obligat ex suo genere sub lethali culpâ, nec excusationem admittit, nisi in materiâ levi. Quòd autem inclementiùs hæc aliquibus in divites dici videntur, ut quos sæpe sæpius noxæ mortiferæ reos hæc conclusio faceret, id ipsimet imputent sibi, & eò crebriùs stipem impendere assuescant, ne discrimini huic objiciantur. Neque enim primi nos scitum illud promulgamus, difficilius *ingredi divitem in cælum, quàm camelum per foramen acus*. Neque de nihilo dictum est à Christo, multos damnatum iri, eò quòd opera misericordiæ non præstiterint, si potu, cibo, vestitu suppeditando. Cùm tamen raro accidat in his ut pauper aliquis extremè, sæpiùs verò ut graviter egeat. Vnde colligunt non absurdè multi, complures divites condemnandos esse, ob eleemosynas non tantùm in extremâ, sed etiam in gravi aliorum necessitate neglectas.

1. Conclusio. *Probabilis Theologorũ complurium sententia.* Præceptũ eleemosynæ obligat sub mortali culpâ. *Matt. c. 19. v. 24. Marc. c. 10. v. 20. & Luc. c. 18. v. 25. Ita S. Tho. 2. 2. q. 66. ar. 7. Ita alii. Ita Iac. c. 5. v. 1. Ioan. c. 3.*

Conclusio II. E bonis verè supervacaneis eleemosyna in pauperes tribuenda est etiám tempore communium ac leviorum necessitatũ idque sub obligatione letalis culpæ. Non ita tamen quasi divites in singulis omissionibus letaliter delinquant, sed conjunctim in multis & pæne assiduis, aut in proposito negandæ stipis extrà gravem vel extremam necessitatem. Hîc alios aliter sentire non negandum. Nos à priori sententiâ cenemus stare veritatem. Chrysostomus certè non Tullianùm aut breves Gyaros, [a] sed & gehennas & inferos minatur iis, qui avaras manus retrahunt ab egenis. *Peribunt*, inquit, *peribunt, qui Christum non aliuerunt.* [b] Quod confirmans, & apertiùs multóque expressiùs tradens; *Nam eleemosyna neglecta*, inquit, *quamvis virtutis quædam pars, non ipsa universa virtus sit, in gehennam tamen intrudit. Nam & virgines*, [c] *quia ipsam non habuerunt, punitæ sunt. Et dives hâc de causâ in inferno torquetur, & qui esurientem non cibârunt, unà cum diabolo condemnantur. Ego verò majus quiddam habeo dicere. Non enim solùm una quædam particula virtutis omissa cælum nobis claudit, verùm etiam si non congruenti curâ & studio peagitur, illud ipsum solet inferre.* [d] Nisi enim superabundaverit, *inquit*, justitia vestra plus quam Scribarum & Pharisæorum, non intrabitis in regnum cælorum. Et *quantũ illi præbebant? inquies. Id jam ipse etiam dicere volebam, ut & qui non dant, incitentur ad dandum: & qui libenter offerunt, non superbiant, sed plura dare conentur. Quantum igitur illi præbebant? Decimã primò rerum suarum omnium, deinde alteram, & demum tertiam decimam offerebant. Itaque propemodum tertiam partem præbebant.* [a] *Sed adhuc primitias quoq; ac primogenita, & alia plura partim pro peccatis, partim pro purgationibus offerebãt, &c. Si autem qui tertiam partem, imò verò mediam rerum suarum offerebant, ascendent nempe ad medietatem omnia una cõgregata: si qui mediam, inquam, dabant, nihil magni operabantur; quid tu facies, qui nec decimam quidem partem pauperibus unquam dare cogitasti? Quare non injuriã paucos fore salvos quidam dicebat. Non negligamus igitur exactam atque exquisitam vivẽdi disciplinam. Sed quænam, inquies, spes salutis nobis reliqua est, si singula omissa in gehennam depellere possint? Hoc ipsum est, quod etiã ego magna voce conclamo. Verũtamen si attendere voluerimus, non est impossibile salvari præsertim si eleemosynæ remedia mutuemur, quibus vulnera nostra diligenter curemus. Non enim sic oleum corpus hominis roborat, ut animam misericordia stabilit, adeóque confirmat, ut à diabolo superari nequeat. Hoc igitur sciens, superflua quæque amputa, sícque pauperibus supplementum.*

2. Conclusio. *Chrys. hom. 8. in epi. ad Colos.* [a] *Gyarus aut Gyara insula exigua, in quã Romani nocentes suos deportabãt.* [b] *Chrys. to. 2. in c. 10. Matt. hom. 65. mihi pag. 473.* [c] *Virgines fatuæ carẽtes oleo.* [d] *Matt. c. 5. v. 20.* [a] *Omnium bonorũ suorum. Idem to. 5. ho. 7. de pœnit. mihi pag. 744.*

Ab ore & calamo Chrysostomi hæc monita sunt. Atque hæc de bonis vitæ ac statui supervacaneis.

§. II.

3. Conclusio.

CONclusio III. Præceptum eleemosynæ de bonis statui necessariis dandæ obligat sub letali culpâ, non solùm in extremâ, sed etiam in gravissimâ necessitate privatæ personæ, dummodo sine magnâ jacturâ statûs id fiat. Verus amoris ordo est, ut quisque pluris æstimet alterius vitam in extremis laborantem quàm proprium statum. Siquidem lex divina imperat: *Diliges proximum tuum* [a] *sicut teipsum*. Hinc ille qui sic diligendus est, in extremâ inopiâ jus naturale habet, ad utendas, imò & auferendas res alterius statui necessarias Huc illud convenientissimum: *Qui habet* [b] *duas tunicas, det non habenti; & qui habet escas, similiter faciat*. Hinc ditior aliquis, quamquam non habeat escas nisi ad suæ vitæ sustentationem necessarias, si tamen habeat duas tunicas, soli statui necessarias, alteram harum vendere debebit, ad escas extremè famelico comparandas. Si verò vestem habeat, eamque unicam, sed pro statûs conditione pretiosiorem, debebit, eidem eâ divenditâ duas inde viliores coëmere, alterum ad seipsum, alteram ad pauperem in extremâ nuditate operiendum. Extremæ necessitatis indicia videntur esse diuturnior fames, fœda nuditas, complura ulcera, deformes morbi. Hîc succurre quocumq; potes modo: Horrendum vetus illud: *Si non pavisti, occidisti*. Hebræus epulo, non quia occidit, sed quia non pavit, torquetur,

Vita proximi in extremis laborantis pluris æstimanda, quàm proprius status.

a Matth. c. 19. v. 19. & c. 22. v. 39.

b Luc. c. 3. v. 11.

Extremæ necessitatis indicia quæ.

4. Conclusio.

Conclusio IV. Idem præceptum de bonis statui necessariis erogandis obligat etiam in gravi necessitate tam Reipublicæ Politicæ vel Sacræ, quàm personæ primariæ, quæ valdè necessaria sit Reipublicæ. Est enim bonum publicum privato anteferendum. Cùm autem privatus quisque in Reipublicæ bonum vel ipsam vitam prodigere debeat, quantò magis grave damnum pro illius gravi damno avertendo tolerare debebit, si videat id aliter averti non posse? Eadem pæne ratio est personæ primariæ, à cujus incolumitate salus Reipublicæ dependet. Nam illius gravis necessitas ad gravem boni communis necessitatem quadam consecutione extenditur.

Bonũ publicũ privato anteferendum.

5 Conclusio.

Conclusio V. In extremâ necessitate Reipublicæ aut personæ ad commune bonum valdè necessariæ, obligamur ex bonis etiam ad nostram vel nostrorum vitam tuendam simpliciter necessariis succurrere, idque sub mortiferâ noxâ. Hîc naturam sequimur magistram, quæ totum parti, publica privatis anteponit, cùm par utrobique urget necessitas. Ita ut si mihi eò loci ac temporis vel unica sit vestis, cibus unicus, hanc tamen & vestem, hunc & cibum Reipublicæ sic extremè laboranti cogar impendere.

Ita & hîc boni Theologi sentiunt.

§. III.

Eleemosyna non ex alienis, nec ex malè partis dãda.

QVæstio secunda. Ex quibus bonis danda sit eleemosyna? Non ex alienis, nec ex iniquis. aut malè partis. Tua expone, non aliena? Facilis est liberalitas è marsupio non tuo. Potest quidem & servus exhibere stipem, sed è suâ non domini crumenâ, nisi dominico consensu expresso, vel certè, vt Theologi loquuntur, prudenter præsumpto; nisi forsan alterius extrema necessitas expectare consensum non possit. Nec è bonis illicitè acquisitis laudandæ prodeunt eleemosynæ: non rapina, non furtum, non usura, non fallacia nummaria, non donatio coacta Christi gazophylacium ditant. Apage has opes à pauperum ærario. Illa omnia non egenis largienda, sed dominis restituenda sunt. Non possunt, inquis, restitui ob infamiæ certum periculum, aut alias certè ob causas. Fiat igitur restitutio per hunc ipsum eleemosynæ modum: Pecuniam furtivam pauperes in locum domini recipiant. Quòd si bona iniquè ac malâ fide sint acquisita tã ratione dãtis quàm accipiẽtis: ut si quis alteri rem sacram

Sin eadem numero, ut vestes aut bona stabilia sint reddenda, pauperes ea retinere non possũt, si quidẽ sciant

A vendat per simoniam, is, qui eam accipit, dominium illis non acquirit, & hoc ipsũ qui dat, in peccati pœnam amittit. Hinc totum hoc in eleemosynas insumendum.

reddendo & possũ reddere.

Liceat hîc tertiam quæstionem attexere, & uno rogatu quasi per satyram, plura cõplecti, atque ita diversos eleemosynæ nævos sub unum aspectum collocare.

Quæstio tertia. Quæ potissimùm eleemosynas impediant fœdent, ac corrumpant?

Eleemosynã impedientia: 1. ingens & turpiter constans vestium luxus.

Primum est, ingens & turpiter constans vestium luxus. Sanciuntur quidem leges optimæ, diversæ statuuntur mulctæ, clamant è cathedris ecclesiastæ, & abominandum hunc luxum insequuntur. Frustra omnia. Leges profani calcant, mulctas eludunt, conciones surdis auribus transmittunt. Nihil fit. Ita luxus non solùm feliciter ac constanter pergit, sed & in dies augescit. Hinc quantò plus pecuniæ in vestes expenditur, tantò minùs in egenos distribuitur. Hinc illæ voces inertissimæ: Non habeo, non possum. Et haberes, & posses, si vestitûs pompam coërceres. Observa fures. Tuas tibi eleemosynas, sed te volente, sartores ac mercatores furantur. Moderare vestitui, & non decerit, quod in stipem largiaris.

B

Alterum est, sumptuosa nimiùm convivia. Deus bone, quàm multò frugalius fuit superius sæculum, atque hoc nostrum, non vestitûs solùm, sed & conviviorum luxu planè perditum. Rem mirissimam audite. Anno Christiano millesimo quingentesimo quinto, ante annos non plures quàm centum triginta, ipsis cineralibus Argentorati concionatus est in æde summâ Ioannes Gailer Kaisersperginsis vir oppidò eruditus & liberi oris. Cæperat is intemperantiam & ferculorum copiam dictis convellere. In Quadragesima, inquit, ferculorum prodromus præsultat offa; hanc ordine sequuntur assæ haleces, has frixi pisces comitantur, dein olus concisum, istud deducit jus atrum piperatum aut pulmentum: hoc mensa secunda excipit; ita quinque vel sex fercula ponuntur. Et cuinam, inquit, sua hîc salva sit temperantia? Addit: Hoc ipsum in mensis principium fit, ubi subinde novem apponuntur ferc[u]la. Superi! Quid istud prodigii fuit ævo illo in principali mensâ novem fercula? Ridemus affatim. Iam opificum & rusticorum, jam textorum, cerdonum, & sartorum mensæ cibatum copiosiorem ostentant, numerosiore superbiunt missu, convivia dant numerosiora; duodecim, quindecim, & pluribus ferculis triumphant. En, obsecro, ante annos centenos in mensis principum novem missus ut prodigium è suggestu proclamantur. Vixisset hic ecclesiastes nostro hoc ævo, hem quale prodigium dixisset, si in ditioris scribæ, aut pedarii senatoris, aut dynastæ non ditissimi, mensâ spectasset ipsa quinquaginta à foco fumantia fercula, & totidem secundæ mensæ pateras bellariis & tragematis distinctas! Quàm porrò portentorum

C

Lernam dixisset Kaisersperginsis, si in mensâ unius alicuius Baronis ipsa trecenta fercula numerasset. Prodigiosam hanc extremè & prodigam insaniam nostrum hoc ævum spectavit. Hęc illa patrimoniorum & eleemosynarum vorago est.

D

2. Superfluum nimium convivia.

Magnâ olim Romæ penuriâ convivium dabat Augustus Imperator convivis Deorum ac Dearum habitu accumbentibus. Postero die clamatum est publicè, Deos omne frumentum comedisse. Hîc pœne idem vociferandum. Stipem & eleemosynas fere omnes sæpissime devorant convivæ. Nam post tam lauta & sumptuosa convivia plerumque fatua sequi solet parsimonia, quæ tum demum rei familiari egregiè consultum credit, si suæ pauperibus sportulæ negentur. Conviviorum luxus, eleemosinarum interitus.

3. Rapinæ palliatæ, & speciem honestatis mentientes.

Tertium est, priori non multùm absimile. Rapinæ palliatæ, & speciem honestatis mentientes. Inter rapinas numerandum, domesticos famulos & ancillas, ceterámque.

ceterámque familiam præparcè, sordidéque nimis alere; pesiunculas iis tam tenues dare, ut nonnunquam vix inde sibi calceos aut vestimentorum aliquid parent, cibos iis non multò meliores quàm canibus apponere, offam penitus exoculatam, lavatrinam dicere, carnes bubulas rarissimè, easque non nisi fœtidas, aut ferinam vermibus bullientem obtrudere: quotidie in talibus mensis tam prandii quàm cenæ caput est olus acidum; panis, si colorem, si pondus, si faciem totam videas, terram æmulatur, adeò ater, ponderosus, aspera est. Ita subinde cives opulenti, ita nonnunquam viri nobiles in suis ædibus familiam pascunt, cibos aut malè sordidéque coctos, aut eâ ponunt parsimoniâ, ut nec fami satis responderi possit. Hinc domestici ob cibum tam parcum aut sordidum, ob pensionem tam tenuem pessimas docentur artes, & ad furandi licentiam adiguntur.

Ad classem hanc spectat, opificibus mechanicis debitam imminuere mercedulam, rusticos opere gratuito & vecturis imperatis vexare, & nec pane quidē fatigatos reficere. Hæc ejuscemodi sunt quæ laudem eleemosynis omnem subtrahant: quid enim virtutis est, furari corium, & mendicabulo donare calceos. Mechanicos, subditos, domesticos suos fraudare, & in pauperes munificum videri velle pessimè cohærent. Hortatus Galatas Paulus: *Operemur bonum ad omnes*, inquit, *maximè autem ad domesticos fidei: si quis suorum & maximè domesticorum, curam non habet, fidem negavit, & est infideli deterior.* Hortatus & Isaias suos: *Cùm videris nudum*, inquit, *operi eum, & carnem tuam ne despexeris.* Velut caro tua domestici tui sunt, si qui vestibus egeāt, si qui famem sentiant, experiantur te patrem. Scias & dominum & servum, regem & mendicum ex eodem constare luto. Curam igitur suorum age; misericors esse à tuis incipe.

Gen. c. 6. v. 10. 1. Tim. c. 5. v. 8. Isa. c. 58. v. 7.

Quid verò de iis sentiendum, qui frumentum in maligniores annos recondunt, frugum pretium incendunt, annonam vexant, nihil è suis granariis nisi summo pretio divendunt? In hos facundia Chrysostomi exardescens: *Quando autem*, inquit, *& recludis frumentum, & pretium auges & novas alterius negotiationis vias excogitas, qualem tunc salutis spem habiturus es? Gratis jussus es dare esurienti; tu autem neque justo pretio vendis: Christus propter te tantam gloriam exuit, tu autem illum neque pane dignum censes: canis tuus impletus est, minister tuus præ satietate rumpitur: tuus autem & illius dominus necessario alimento caret. Christus fame perit.* Hæc reverà stipem non commendant, sed fœdant & corrumpunt.

Chrys. to. 4 in ep. 3. ad Cor. ho. 17. mihi pag. 729.

Atque ut plura paucis complectar, omni decore misericordiam spoliat, eleemosynas tardè, cunctanter, morosè, inhumaniter, præparcè, avariter, coactè, jactanter, non de suo, fine non recto, animo non benigno dare. *Est*, inquit aureus orator, *qui non acquirit, nisi alius fleverit; qui lucra non condit, nisi alius gemuerit; tui soli bonum est, quod publicum malum est, dum aut fructus servat, aut annonam captat, aut pretia inflat, aut fœnus exaggerat, dum acquirendi lucra per nocendi exquirit ingenia. Potestne talis misericordiæ implere officia, cui pupillorū dulcis est gemitus, & viduarū suavis est fletus, dum prædā hujusmodi pascitur, & spoliis talium delectatur, qui dives est arcā, nō merito? Potestne misericordiâ tangi, aut humanitate moveri, cujus avaritiæ nec proprium sufficit, nec alienum? Qui etsi pauperi tribuat, hoc magis deterior. si alii tollat, quod alii præbeat; si esurientis panem esurientem pascat, & nudum spoliis vestiat, cum scriptum sit: Qui offert sacrificium ex substantiâ pauperis, sic est quasi qui victimat filium in conspectu patris sui.* Iam suprà docuimus, da de tuo, da citò. *Nam sunt*, addit Chrysostomus, *qui possunt facere eleemosynam, sed nolunt: sunt qui volunt, & non possunt: sunt & qui volunt & possunt, sed differendo non faciunt. Ceterùm qui potest facere, oret ut & velit: & qui vult facere, oret ut & possit: & qui in utroque paratus est, det operam, ut misericordiam instanter efficiat, ne quod vult & potest, differendo non compleat.* Da ergo celeriter, da largiter. *Hoc ipsum est accipere, Deo donare.*

Eccli. c. 34. v. 24.

Chrys. to 4. ho. de duabus viduis, mihi pag. 789.

Greg. Nazianz. orat. 16.

CAPVT V.

Aliæ iterum quæstiones solvuntur.

SOLEM jam ortum, ut in fabulis est, Nox interrogans: Cur, inquit, tanto lucis impetu totum hemisphærium subitâ, eâque copiosissimâ luce collustras? An non rectiùs faceres, & tibi mihique meliùs consuleres, si paullatim radios tuos explicares, & ita me paullò urbaniùs fugares? Sol propterea respondens: Non miremur, inquit, fuliginosa & noctis verba fundere: Nox es, quæ plurima ignores. Cùm voluntas dandi & facultas conveniunt, non invita comitatur velocitas. Qui donare potuit & distulit, plenè volūtate non dedit. Donationis celeritas pronæ voluntatis argumentum est. Munus tardum plerumque amarum, nec sine tristitiâ venit. Vide, obsecro, quanto impetu fontes scaturiant, venti procurrāt, orbes cæleſtes in gyrum se volvant. gentis humanæ bono. Beneficiū quantò velociùs, tantò etiam lubentiùs; quantò autem lubentiùs, tantò etiam liberaliùs datur. At quantò liberaliùs tribuitur, tantò gratiùs accipitur, tantò jucundiùs retinetur. Ita Nox evanuit.

In hoc liberalitatis sacræ themate quæstiones scitu necessarias discutere cœpimus. Responsum est ad quæstionem tertiam. Epilogus responsi fuerat, hoc genus beneficii non differendum. Iam porrò quęstionem quartam, & cum eâ cōnexas hoc capite subjungemus.

§. I.

An materfamilias possit dare eleemosynas marito non priùs consulto?

QVæstio quarta. Quid juris hac in re habeat materfamilias, num ea possit eleemosynas dare marito non priùs consulto? Ex accidenti, loquuntur, fas est uxori modicum aliquid auctoritate suâ dispensare, cùm id loci consuetudo permittat, nec eâ in re maritus prohibere censetur, quòd aliæ ejusdem loci & conditionis matronæ, aut etiam innuptæ, passim facitare consuêrunt. Res certa; quamdiu de contrariâ mariti voluntate non expressè cōstat. Prętereà licet uxori stipem facere ad damnum sive corporis, sive animi, cùm à se, tum à viro familiáque avertendum: prout fecisse Abigaëlem fasti Regum testantur. Idem illi licebit si familiam administrare, aut vicem viri esse jubeatur; si maritus domo absens, si æger, si amens sit. Deinde per se jus fásque uxori est, etiam marito repugnante quātasvis eleemosynas dispensare, de bonis, ut vocant, paraphernalibus, iis scilicet, quæ, cùm nuberet, eximia sibi propriáque reservavit. Quemadmodum de iis quoque, quæ ipsi jam nuptæ per hæreditatem, pérque donationem obvenerunt. Item de iis, quæ per suam ipsā industriam lucrata est, modò ea sustinendis matrimonii oneribus non ita sint necessaria, ut familia libérique illorum profusione depauperentur.

Quid si autem vir dives differrè prohibeat uxori stipem elargiri, nolitque à conjuge suâ fieri, quod aliæ id loci faciunt? Quid hîc uxor? num obsequi cogetur? Dissentiunt hîc viri magni. Censent aliqui parendum viro, idque tutiùs fore. Sed rectiùs alii jus istud uxori permissum arbitrantur, neque enim viro minùs æqua præcipienti obtemperandum. Quod & ratio suadet. Obligatus enim est vir uxori ad præstandam pro statu & opibus decentem sustentationem; hæc autem non solùm complectitur congruentem victum, vestitum, famulatum, sed etiam recreationes, eleemosynas, donationes honestas, & hoc genus alia, quæ ceteris ejusdem loci feminis communiter permittuntur: neque uxorem jure hoc communi potest privare, siquidem talis consuetudo, non secùs quàm privilegium, jus tribuit.

Leon. Less. l. 2. de Iure & Just. c. 12. dub. 14. Suarez, Becanus, Gregor. Valentiâ, & alii cum illo.

Expedit omnino familiæ ut & uxor argenteam habeat manum, quam egenis porrigat. Discat à matre filia miseris succurrere, discat non faciem fucare, non caput ornare, non vestes sartori dictare, non eleganter ac scitè saltare, sed largè stipem erogare; discat æmulari charismata meliora. Illud Domini frequentissimè sibi occentari audiat: *Misericordiam volo, & non sacrificium.* Qui, quod vult Deus, Deo negat, à Deo sibi, quod desiderat, vult negari. *Deus petit, ô homo, sed tibi, non sibi,* ait Chrysologus: *humanam petit misericordiam, ut largiatur divinam. Est in cœlis misericordia, ad quam per terrenas misericordias pervenitur. Vox regis est:* Domine in cælo misericordia tua. *Dicens caussam in judicio Dei, patronam tibi misericordiam, per quam liberari possis, assume. Qui de patrocinio misericordiæ certus est, de veniâ sit securus, de absolutione non dubitet. Misericordia solum caussam prævenit, anticipat cognitorem, sed etiam sententiam revocat, absolvit addictos. Quod Ninivitæ probant, quos jam sententiæ subjectos, pæne traditos, ad victimam stantes, morti deditos, misericordia sic rapuit, sic tenuit, sic prævenit, ut maluerit Deus mutare sententiam, ne quid misericordiæ negaret. Stabat quidem & tunc pro caussâ jejunium, aspergebat cineres, sternebat cilicium, dabat gemitus, fundebat lacrymas & quod non poterat excusare verbis: luctibus temperabat, sed non valuisset emendare sententiam, nisi perorans misericordia subvenisset. Misericordia & peccatores liberat, & restituit sanctos.*

Matth. c. 9. v. 13.

Pet. Chrysol. hom. 8. mihi pag. 27. propius fin.

Psal. 35. v. 6.

§. II.

QVæstio quinta, Quid adolescentibus, filiisfamilias, juvenibus, & iis quos parentum aut tutorum imperia etiamnum coërcent, hac in re licitum, an & ipsi eleemosynas dare queunt? In luce res erit, si bonorum assignemus discrimen. Sunt bona, quæ *Castrensia*, sunt quæ *Quasi castrensia*, sunt, quæ *Adventitia* vocari solent. Castrense peculium appellamus, quidquid in bello solet acquiri: præterea tam parentum quàm aliorum dona, quæ filio, ad bellum euntí conferuntur, demum ea etiam quæ in obsequiis ac palatiis principum comparantur. Peculium Quasi castrense nominamus illud, quod cùm reverà tale, non privilegium tamen peculii Castrensis sortitur: quod nomine titulóve fit triplici; Clericatûs, Officii publici, Regiæ donationis. Peculium Adventitium vocamus, quod aliunde filio, dum parentum bonis non sustentatur, vel industriâ & labore, vel fortunâ & donatione obvenit. Ex his ergo tam Castrensibus, quàm Quasi castrensibus, & adventitiis bonis filiusfamilias liberrimè potest eleemosynas præbere. Hinc ephebi aulici, adolescentes Clerici, stipendio publico conducti, ejus, quam merentur, pecuniæ domini sunt, adeóque illam in pauperes, ut volunt, dilargiri possunt. Hoc jure tamen cerdones, fabri, lapicidæ, carpentarii, sartores, & vulgus reliquum, tirones opificum non gaudent.

Bonorum discrimen.

De quibus bonis filiusfamilias potest dare eleemosynam.

Complures hîc & subtiliores exceptiunculas Theologis relinquimus.

Quòd si filiusfamilias summam notabilem paternarum aut maternarum opum occultè sibi usurpet, aut ad studia honestósque usus concessam, ludo, luxu, compotatione prodigat, is non modò mortiferè peccabit, sed per se obligabitur etiam ad restitutionem vel parentibus, vel, si istis nequeat, in divisione patrimonii cohæredibus faciendam.

Porrò si parentes non obsistunt, quò minùs filii, qui litteris vacant, suas habeant crumenulas, unde panem niveum, siliginem aut dulciarium, unde pomi varium genus, unde merendulas, unde scitamenta & cupedias possint emere; non etiam obsistere debebunt, quò minùs filii ex illis marsupiolis depromant eleemosynas: Hoc valetudini salubriùs, hoc moribus, hoc animo longè fiet consultiùs. Ita hi adolescentes Musarum alumni vel expresso, vel certè tacito A parentum consensu stipis aliquid in egenos derivare poterunt. Imò parentes rectissimè facient, si liberis hoc ipso nomine æris aliquid committant, ut eos vel etiam hoc modo ad pauperes juvandos assuefaciant.

Frustra hæc, inquis, & actum agent. Nam adolescenti pecuniam committere, est feli laridum aut aruinam, vulpi gallinam, lupo oviculam credere. Non dissentio. Ergo adolescentibus aut nihil pecuniæ, aut prorsus cautè committendum, idque in hunc usum tantummodò, ut vel indolis experimentum fiat, aut bonis moribus incitamentum accedat.

Atque in hac quidem quæstione, quinam eleemosynas largiri debeant universè hoc statuimus. Ii generatim qui aliorum imperiis ita subsunt, ut ipsi nullum nec dominium, nec administrationem bonorum habeant, à præcepto eleemosynæ dandæ immunes B sunt. Huic autem eidem præcepto sunt obnoxii omnes ii, qui bonorum aut reculæ quantumvis exiguæ, dominium & liberam administrationem habent. Idque etiamsi non Christiani sint. Nam hi lege hac naturali divinâque vinciuntur.

Qui immunes à præcepto dandæ eleemosynæ, & qui non.

Hæc illa mercatura est nobilissima, de qua facundè Chrysostomus: *Bona*, inquit, *negotiatio eleemosyna, nundinæ profectò mirabiles, parvo emere, magno vendere. Has nobis nundinas Deus proposuit: Modico eme, quod magno vendas in futuro sæculo: eme panis fragmento, vili vestimento, frigidæ poculo*: Amen dico vobis (*inquit mercaturæ doctor*) non perdet mercedem suam. *Si calix aquæ dignus est mercede; data vestimenta, datæ pecuniæ mercedem non sortientur multò majorem? dum hæ nundinæ durant, demus eleemosynam, salutem emamus.*

Chrys. hom. 3. pœnit. n. pag. 738.

Matt. c. 10. v. 42.

§. III.

C QVæstio sexta multiplex: Cur iste dat stipem, & ille alter non dat? Cur bene nummati & magnis fortunis non rarò minus dant, quàm tenuis fortunæ homines, & à nummis minimè copiosi? Cur plerique omnes in egestate sumus, cùm egenis dandum est? Quomodo quis celerrimè potest fieri dives? Quomodo Ecclesia Romana excrevit ad tantas divitias? His singulis & aliis talibus hîc ordine respondebimus.

Primum erat: Cur iste dat stipem, & ille non dat, tametsi abundet? Eleemosynas dare, singulare Dei donum: divina gratia est; hanc Deus æquissimis judiciis uni concedit, non concedit alteri. Paulus Macedonas ab eleemosynis laudaturus: *Notam*, inquit, *facimus vobis fratres, gratiam Dei, quæ data est in Ecclesiis Macedoniæ, quòd in multo experimento tribulationis abundantia gaudii ipsorum fuit, & altissima paupertas eorum abundavit in divitias simplicitatis eorum. Quia secundum* D *virtutem (testimonium illis reddo) & supra virtutem voluntarii fuerunt. Et*, inquit Chrysostomus, *ut non extollantur, tantæ liberalitatis opus gratiam vocat, & triplices Macedonum laudes conjungit, quòd afflictiones strenuè ferant, quòd miserari sciant, quòd in paupertate largissimas eleemosynas exhibeant. Nam sicut magna afflictio magnum gaudium, ita multa paupertas multas divitias peperit eleemosynæ. Non enim mensurâ dantium, sed voluntate exhibentium liberalitas æstimatur. Macedonibus non solùm non obfuit ad liberalitatem paupertas, sed & occasio fuit exundandi, quemadmodum afflictio lætandi: quò enim pauperiores erant, hoc liberaliores & alacriores stipem exhibebant.*

Ratio aliquis stipem, alios non det, etsi abundet.

2. Cor. 8. v. 1. & 2.

Chrys. in 2. Cor. hom. 17. p. 723.

Itaque si quæras, Cur isti & illi pauperes juvant, alii eosdem potiùs spoliant? Hoc habeo dicere, insignem Dei gratiam esse animum pronum, & facilem ad dandum. Hunc quisquis habet, Deo gratias reddat; quisquis eo caret, id gratiæ à Deo enixè postulet.

Alterum: Cur stipem sæpe parciùs dant homines opulenti, quàm plebii & malè nummati? Hîc Chryso-

Chrysostomus respondet: *Sed ille*, inquis, *ac ille auri talenta non pauca possidet, nec aliquid pauperibus præbet. Et quid hoc tuâ interest? imò verò mirabilior ac venerabilior videberis, si, cùm pauper sis, benignior ac liberalior eris. Tu non ad illos, sed ad communem omnium dominum respicias, qui non habebat, ubi caput reclinaret. Cur igitur talis, inquies, id non facit? noli alium judicare, sed teipsum ita redde laudabilem, vt omnem meritò accusationem possis effugere. Si ad homines respiciendum est, illos, non illos imitare.* Sed istos, eheu, non imitamur, & illos temerè judicamus, sic malâ fide solvimus, quod Deo debemus.

Chrys. to. 2. hom. 61. in in Matth. mihi pag. 474. Quòd divites non dent eleemosynam non est cis judicandum.

Sophronius iter suum commemorans: Alexandriæ, inquit, ad Ioannem Abbatem revisimus virtutis admirandæ, commiserationis maximæ senem, qui ipsos octoginta annos religioso habitu Deo serviit. Ab hoc quidam è rusticâ plebe aureum sibi commodari petiit. Ioannes ab auro pauperrimus continuò ad vicinum monasterium litteras dedit, & aureum exacto mense restituendum impetravit. Post elapsum jam biennium Ioannes hominem monuit, æs alienum redderet. Cui agricola: Venerande Domine, inquit, non possum; testem appello Deum: sed servitium & quidquid laborum vis impera, promptus exequar. Igitur tu meo, inquit Ioannes, consilio pare, & cùm ab aliis laboribus vacas, huc redi, & pro me precare, toties à me argenteum reportaturus. Rusticus in conditionem proniſſimus quotidie se seni stitit, & toties absoluto precationum penso, non argenteum solùm, sed & cibum ac panes familiæ deferendos accepit. Cùm istud vigesies quater fecisset, viginti quatuor argenteos à sene sigillatim acceptos, hoc est, aureum, seni reddidit, ita ære alieno exivit. Superi! quæ nova hæc nomisis expungendi ratio, accipere, ut possis reddere! Ita nos sanè à Deo accipimus, sed heu! accepta aut omnino non reddimus, aut malâ fide. Pecuniam Deus manibus nostris ingerit: Hanc mihi per meos redde; hoc tibi dono, ut tu meus desinas esse debitor, reddendo. Neque sic quidem officium facimus, fatui & improbi debitores.

Sophronius in prato spirit. cap. 184. mihi pag. 505.

Seu duos sestertios.

§. IV.

TErtium. Cur plerique omnes in egestate sumus, cùm egenis dandum est? Deus à suis olim victimas sibi voluit offerri è diversis animantibus petitas. Has subinde turpis avaritia impediit, caussata sibi deesse sumptus in ejuscemodi sacrificia. Hinc Isaias cum exprobratione questus: *Et vos*, inquit, *qui dereliquistis Dominum, qui obliti estis montem sanctum meum, qui ponitis Fortunæ mensam, & libatis super eam.* Hieronymus de hoc sacrificii genere: Est, inquit, in cunctis ut ibus, & maximè in Ægypto idololatriæ vetus consuetudo, ut ultimo die anni ponant mensam refertâ variis generis epulis & poculum musto mixtum, vel præteriti anni vel futuri fertilitatem auspicantes. Hoc autem faciebant & Israëlitæ omnium simulacrorum portenta venerantes. In horum cultu nemo expensas objiciebat: cùm verò divinis libaminibus aliquid impendendum fuit, tenuitatem rei familiaris plurimi excusabant.

Isa. c. 65. v. 11.

Ita prorsus Christianorum non pauci agunt, fortunæ mensam ponunt. Cùm struenda sunt convivia, sat nummorum est; cùm vestes ad luxum concinnandæ, sat nummorum est; cùm lauta supellex adornanda, sat nummorum est; cùm numerosi famuli, cùm alèdi canes & equi, sat nummorum est; cùm fautores comparandi, cùm aliqui muneribus corrumpendi, cùm jam antè divites donis conciliandi sunt, sat nûmorum est; cùm Lubentiæ ac Voluptati litandum, non minùs nummorum satis est; ubicumque ostentationis negotium agitur, sat semper nummorum est; cùm autem egenis dâdum est, hîc exhausti sumus, heu nihil nummorum est. Ita mensam fortunæ ponimus, aram Deo dicatam sacrificiis nudam destituimus; ad pleraque omnia abundamus, in eleemosynis dandis malitiosa nos egestas tenet. Quod impavidè Chrysostomus exprobrans: *In ventrem*, inquit, *ac temulentiam, & ganeam sumptus faciens nusquam paupertatis meministi; at cùm sublevanda cujuspiam paupertas est, quovis egentior existis.*

Chrys. in epist. 2. ad Cor. ho. 19.

Quarum. Quomodo quis celerrimè possit fieri dives? Romanus sapiens optatissimam ditescendi artem traditurus: *Quid in longum*, inquit, *ipse te differs, cùm fieri possis statim dives? Repræsentat opes Sapientia, quas illi tribuit, cui supervacuas facit.* Atque ut Lucilium artificii promissi cupidum reddat: *Docebo* inquit, *quomodo fieri dives celerrimè possis, quod valde cupis audire. Nec immeritò; ad maximas te divitias compendiariâ ducam. Quantulumcunque est, satis erit, si quidquid deerit, id à nobis petierimus. Nihil enim interest, utrùm nos divites, an habeas. Summa rei in utroque est eadem. Nec illud præcipio, ut aliquid naturæ negues; centumaxes est, non potest vinci, suum poscit: sed ut quidquid naturam excedit, scias precarium esse, non necessarium. Esurio: edendum est. Vtrùm verò panis sit plebejus an siligineus, ad naturam nihil pertinet. Illa ventrem non delectari vult, sed impleri. Sitio: vtrùm aqua sit ex lacu proximo excepta, an ea quam multâ nive clusero, ut rigore refrigeretur alieno, ad naturam nihil pertinet. Illa hoc unum jubet, sitim extingui. Vtrùm sit aureum poculum, an crystallinum, an murrhinum, an Tiburrinus calix, an manus concava, nihil refert. Finem omnium rerum spectа, & supervacua dimittes. Fames me appellat, ad proxima quæque tendatur manus: ipsa mihi commendabit, quodcumque comprehendero. Nihil contemnit esuriens. Sed illud faciunt, sed inquis, decipere est, docere paupertatem, cùm divitias promiseris. Ita tu pauperem judicas, cui nihil deest? Illum non judicas divitem, cujus divitiæ desinere non possunt? Num habere malis multum, an satis? Qui multum habet, plus cupit: quod est argumentum, nondum illum satis habere. Qui satis habet, consecutus est, quod numquam diviti contingit, finem. Numquam parum est, quod satis est. Numquam multum est, quod satis non est. Quod naturæ satis est, homini non est. Inventus est, qui concupisceret aliquid post omnia. Neminem pecunia divitem fecit: imò contrà nulli non majorem sui cupiditatem incussit. Quæris, quæ sit hujus rei caussa? Plus incipit habere posse qui plus habet. Iste, si mihi credis, pauper est. At ille qui se ad id, quod natura exigit, composuit, non tantùm extra sensum est paupertatis, sed etiam extra metum. Nam quod ad illos pertinet, apud quos falsò divitiarum nomen est, sic divitias habent, quomodo habere dicimur febrem, cùm illa nos habeat. E contrario dicere debemus: Febris illum tenet. Eodem modo dicendum est, Divitiæ illos tenent. Nihil ergo mentisse te malim quàm hoc, quòd nemo monetur satis: Vt omnia naturalibus desideriis metiaris, quibus aut gratis satisfiat aut parvo. Tantum miscere vitia desiderio noli. Ambitiosa non est fames: contenta est desinere; quo desinat, non nimis curat. Infelicis luxuriæ ista tormenta sunt. Quærit ea, quemadmodum post saturitatem quoque esuriat, quemadmodum non impleat ventrem, sed farciat; quemadmodum sitim primâ potione sedatam revocet. Id actum est ab illo mundi conditore, qui nobis vivendi jura descripsit, ut salvi essemus, non delicati. Ad salutem omnia parata sunt & in promptu: delicias omnia miserè ac sollicitè comparantur.*

Senec. epist. 17. in fine, & ep. 119. init.

Aqua aut vinum in vase circùmdari solet nive, ut frigus inde accipiat. Hodie etiam faciunt, sed cum damno valetudinis.

Ars ergo ditescendi præclarissima est, superflua non quærere, ultra necessaria non desiderare, modico contentum vivere. Discamus hanc artem, & numquam deerit, quod satis est.

Quomodo autem Ecclesia Romana ad divitias tantas excreverit, ultimo loco quærebatur. Non aliter profectò quàm Eleemosynis. Soter decimus tertius à Petro Romanus Pontifex non solùm crescentem sensim

Ecclesia Romana eleemosynis ad maximas excrevit divitias.

sensim Ecclesiam optimis consiliis recit, sed etiam largissimis eleemosynis variè laborantem sustulsit, ut suprà demonstratum est. Soteris sacram liberalitatem ubivis locorum pauperes Christiani, sacrorum inopes ministri, præcipuè verò ad metalla damnati, insigniter sunt experti. Nam Soter longissimè dissitas Ecclesias non litteris modò erexit, sed & pecuniis sublevavit. Dionysius Corinthiorum Episcopus affirmat, hæc liberalitatis officia ab incunabulis adolevisse cum Ecclesiâ. Nec immeritò miremur tantam opum abundantiam Ecclesiæ principi jam ab ejus exordio collatam, ut ea non tantùm sufficeret ad pauperes Romæ alendos, sed ad alias etiam remotissimas orbis Ecclesias fovendas.

Part. 1. c. 9. Vide Euseb. l. 4. c. 23. Anno 175. eodem Cæsar. Baron. to. 2.

Soteris in egenos liberalitatem alii ordine secuti. Laurentius eâ mente præditus Valeriano Cæsari opes sacras inhianti: *Frustra es*, inquit, *nam facultates Ecclesiæ, quas requiris, jam manus pauperum in cœlestes thesauros deportaverunt. Manus pauperis, sinus Abrahæ, gazophilacium Christi, thesaurus cœli.* Ergo Ecclesiæ primævæ divitias pepererunt Eleemosynæ. Proximus ad opes gradus est inopes juvare.

Chrysol. hom. 8.

§. V.

Quæstio septima: Cur in supremo judicio de eleemosynis sententia peculiaris ferenda? Ambrosius caussarum aliquid attingens: *Bona*, inquit, *misericordia, quæ & ipsa perfectos facit, quia imitatur perfectum patrem. Nihil tam commendat Christianam animam quam misericordia; neque quisquam magis beatus quam qui intelligit super pauperis necessitatem.* Hinc Bibliorum phrasi Iustitiæ nomen obtinet misericordia. Hæc enim ad omne virtutum genus adipiscendum insigniter facit, & cælum reserat non fallaci clave. *O igitur quantò melius est*, clamat Ambrosius, *salutem habere sine pecuniâ, quàm pecuniam sine salute?*

Ambros. to. 5. l. 1. de offic. c. 11. & c. 25. mihi pag. 494. fine capitis.

Sed ad hanc ipsam quæstionem dissertissimè beatus Leo respondens: *Cum venerit filius hominis*, inquit, *in majestate suâ, & sederit in throno gloriæ suæ, & congregatis omnibus gentibus bonorum & malorum fuerit facta discretio, in quo laudabuntur, qui ad dexteram Dei stabunt, nisi in operibus benevolentiæ, & charitatis officiis, quæ* IESVS *Christus sibi impensa reputabit? Quoniam qui naturam hominis suam fecit, in nullo se ab humanâ humilitate discrevit. Sinistris verò, quid objicietur, nisi neglectus dilectionis, duritia inhumanitatis, & pauperibus misericordia denegata? quasi nec alias virtutes dextri, nec alias offensiones habeant sinistri. Sed illo magno summóque judicio tanti æstimabitur vel largitatis benignitas, vel tenacitatis impietas, ut pro plenitudine omnium virtutum, & pro summâ omnium commissorum, & pro unum bonum isti introducantur in regnum, & per unum malum illi mittantur in ignem æternum. Nemo igitur, dilectissimi, sibi blandiatur de ullis bonæ vitæ meritis, si illi defuerint opera charitatis.*

Leo ser. 5. de collectis mihi pag. 16. In judicio probi in operibus benevolentiæ laudabuntur, reprobis verò pauperibus misericordia denegata objicietur.

Quæstio octava: Quæ demum ars omnium quæstuosissima? Num mercatura? Scimus: piper parit pecuniam. Num usura? Quæ dormiendo nummos cudit. Num medicina? Notum: Dat Galenus opes. Num Iurisprudentia? Quæ pauculas pagellas non rarò multis vendit aureis. Num gemmarum mangonium? quod sæpiùs multa philippeorum millia simul trahit. Num ars typographica? Belgium certè typographos monstrabit ditissimos. Quæstioni positæ Chrysostomus respondens: *Ars*, inquit, *est eleemosyna, & omnium artium quæstuosissima. Si enim proprium est artis, ad aliquam utilitatem pervenire, eleemosynâ verò nihil est utilius, clarum est profectò quòd & ars, & omnium artium est optima. Non enim nobis conficit calceamenta, neque vestimenta contexit, neque has luteas domos ædificat; verùm æternam ministrat vitam, ex mortis manibus eripit, & in utrâque vitâ claros exhibet, & mansiones ædificat in cœlis, & æterna parat tabernacula. Atque si des panem, eum habens solum, ad perfectionem artis perveniisti. Melius est hanc scire, quàm esse regem, & diademate coronari. Hæc & Sophistis & oratoribus te potentiorē facit. Hæc te docet, quomodo posis Deo similis fieri, quod est omnium summa bonorum. Hæc Christi adstat tribunali non tantùm patrocinans, verùm & ipsi persuadens judici, ut reo patrocinium præstet, & pro eo sententiam ferat, & licet millies peccaverit, coronat, & victorem promulgat. Et hoc super omnia discat homo, quoniam & hoc est homo. Nam eleemosyna facit hominem esse hominem, imò Deum.* Estote misericordes sicut pater vester. *Luc. c. 6. v. 36.*

Chrysost. to. 5. ho. 33. ad pop. Antioc. mihi pag. 216. & seqq. Eleemosyna est ars omnium artiū quæstuosissima.

Quæstio nona: Cur obsecro Deus sic urget eleemosynas? Suam Deus gloriam in rebus omnibus & nostram utilitatem spectat. Cùm autem è virtutum choro vix ulla homini Christiano sit utilior misericordiâ, seu sacrâ liberalitate, hanc ideo potissimùm nostro bono expetit. Sed liceat hìc vicissim quærere: Cur Deus pecudes & bruta animalia tam sollicitus curat? jumenta statò tempore ab omni opere vult feriari, os bovi trituranti alligari non vult: *Numquid de bobus cura est Deo?* Est sanè, & vel ideo potissimùm, quia mutæ animantes sibi necessaria non possunt petere, Deus ipsarum actor & caussidicus petit. Tales omnino sunt pauperes sæpissime; calamitates, angustias, necessitates suas exponere vel non possunt, vel non audent, aut certè non sinuntur loqui, quod in rem suam est. Impudentiores aliqui inter modestos pauperes non numerandi; lolium sunt, non miscendi tritico. Ceteri pauperum velut boves aratores sunt, quos quotidianus fatigat labor. De his profectò bobus cura est Deo.

E virtutum choro homini Christiano est utilior misericordiâ.

1. Corinth. c. 9. v. 9.

Neque verò dubium, quin multa millia hominum egenorum nullam egestati suæ caussam dederint, sed à pauperibus parentibus pauperes, & patrimonii omnis inopes sint nati. Hi manu vitam duróque tolerant labore. Itaque paupertas eorum non ab otio aut luxu, sed à divino permissu ac jussu est. Quos enim amat Deus, eos & castigat. Hinc magistrâ paupertate innumeri vitam agunt vitiorum expertem, sceleris puri, divinis oculis probati sanctique. Atque ideo tanquam singulares Dei amici observandi, & modis omnibus juvandi sunt.

Pauperes omnibus modis sunt juvandi.

§. VI.

Porrò eleemosynæ non tam pauperibus necessariæ, quàm ditioribus sunt fructuosæ. Eleemosyna verissimè plus prodest danti quàm accipienti. Quod Abraham non ignorabat. Hinc peregrinum cum duobus aliis excepturus: *Domine*, inquit, *si inveni gratiam in oculis tuis, ne transeas servum tuum: sed afferam pauxilium aquæ, & laventur pedes vestri, & requiescite sub arbore. Ponámque buccellam panis, & confortetur cor vestrum.* Hac animi submissione peregrinos loqui decuisset: illi enim beneficium erant accepturi, quod in eos ab Abrahamo collatum est. Verùm Abrahamus non nescius eleemosynas plus prodesse danti quàm eroganti, sapienter prævertit, occurrit, adoravit, rogavitque sedulò, ut sibi paterentur bene fieri. Eleemosynâ profectò plus prodest eam expendenti quàm recipienti. Veritas id affirmat: *Beatius dare quàm accipere.*

Eleemosynæ divitibus sunt fructuosæ.

Gen. c. 18. v. 3. & seqq.

Act. c. 20. v. 35.

Quod prisci Patres mentibus nostris altissimè impressum cupiebant. Hinc illi toties & tam contentè vociferantur: Cùm eleemosynam das, magis accipis quàm das. Ambrosius apertissimè: *Beneficium largientis*, inquit, *præbenti magis permanet quàm suscipienti. Nam misericordia quidem ad indigentem pervenit, gratia autem multiplicatæ mercedis permanet tribuenti. Esurienti dedisti panem: ille quidem pastus est & refectus, sed ad te redit, quod dedisti cum fructibus & usuris. Quod si difficile putas, considera frumentum, quod seminatur in terrâ, si non ad seminantis potius quàm ad suscipientis lucra cedit: ita etiam dum cibus tribuitur*

Ambr. to. 5. serm. 81. mihi pag. 852. Quia gratia multiplicatæ mercedis permanet tribuenti.

tur indigentibus, cum multo fœnore divinæ gratiæ restituetur in posterum. Sit ergo tibi finis agriculturæ hujus, initium cœlestium sationum. Nec aliter Chrysostomus: *Est*, inquit, *eleemosyna, cum de proposito, cùm de liberalitate, cùm abundè sit, cùm te non tam dare censes quàm accipere, cùm quasi lucrantem te, non quasi amittentem consideras: quoniam quidem nisi sic existimaveris, non est gratia.* Non † est æquale lucrum vobis & pauperibus. *Nam vos quidem si dederitis, ea dabitis, quæ & brevi tandem volentes nolentes resignabitis, aliisque cedetis: quæ verò vicissim recipitis. Admodum magna, imò multò majora sunt. An non hic vobis est animus, ut existimetis vos dando accipere? Nemo contribuat nisi qui seipsum ita disposuerit, tamquam magis accipiat quàm det, tamquam innumera lucretur, tamquam beneficium magis capiat quàm largiatur. Neque enim simpliciter dare, eleemosynam est facere, sed prompto alacrique animo dare, ut eum decet, qui gratiam accipit. Quidam reges sibi adoptantes, non putant se magis dare quàm accipere. Adopta tu Christum, & habebis plurimum securitatis.* Ejusdem prorsus animi Augustinus: *Noluit Deus*, inquit, *ut perdas divitias tuas, sed ut locum illis mutes. Modò si amicus tuus intraret in domum tuam, & inveniret te in loco humido posuisse frumenta, daret tibi hujusmodi consilium: Frater, perdis quod cum magno labore collegisti; in loco humido posuisti, paucis diebus ista putrescunt. Et quid facio? Leva in superiora. Audires amicum suggerentem, ut frumenta levares de inferioribus ad superiora, & non audis Christum monentem, ut thesaurum tuum leves de terrâ ad cælum, ubi non hoc tibi reddatur, quod servas, sed serves terram, accipias cælum; serves mortalia, accipias æterna.*

Chrys. to. 5. hom. 7. de jejun. mihi pag. 745.

† Idem to. 4. hom. 1. in ep. ad Philip. mihi pag. 1014.

Aug. to. 8. in psal. 48. mihi pag. 382.

Similes assignantur caussæ, cur Deus sic urgeat eleemosynas. Sed hîc pæne idem quòd de magnete dixerim. Quòd magnes ferrum, non argentum, non silices, non aurum trahat, vis prorsus occulta est, numquam satis penetranda. Idem de eleemosynis affirmandum. Vis admiranda. Vis planè abdita illas commendat, nec verbis sat explicanda.

Vis admiranda eleemosynas commendat.

Anno Christiano millesimo quingentesimo Lusitana mulier Eboræ ad extremum perdita, quinque jam annos & quadraginta in omnium flagitiorum cœno volutata scelerum turpitudini addidit pactam malo dæmoni servitutem. Hanc ille jugo durissimo exercebat, itaque opprimebat, ut, cùm oculi aurésque ad nefanda omnia paterent, illa tamen mulier nec verba Ecclesiastæ audiret, nec mysteria rei divinæ cerneret. Sed curam illius non abjecit qui eam condidit, qui redemit Deus. Adstiterat illa mendico morienti, eique se liberalem ac sedulam præstiterat extremo tempore. Paucis post diebus imaginem defuncti conspicere visa est, & audire hæc verba. Eleemosynas tuas in Dei conspectum tuli, ejusque clementiam exoravi, ut pro iis tibi referretur gratia. Ipsius nunc permissu ad te venio, & hortor: age pœnitentiam, exomologesi culpas elue. Cùm autem hortantis monita perfluerent aures, nec animo reciperentur, eadem vox iterum ac tertiùm auribus illapsa non modò spem veniæ, sed & viam ostendit.

Vis ingès sed occulta eleemosynis inest. Si enim tenue beneficium, si duo æris minuta, si panis unicus vel ab invito projectus tantum potuit, quid non poterunt eleemosynæ voluntariæ, liberales, copiosæ, affectu grandi exhibitæ? Vim arcanam tegit misericordia.

Deus ab homine eleemosynas urget, ut ei sit similis.

Sed num, mi Lector, primam ac profundissimè petitam caussam, cur Deus sic urgeat eleemosynas, quæris? En ipsam. Res nota: tantò plus alium amamus, quantò eum nobis similiorem cernimus; amorem & amicitiam conciliat similitudo. Atqui Deus in nullo mortalium evidentiorem suæ naturæ similitudinem, quàm in homine misericordi cernit. Sapientiam Dei, potentiam & justitiam, immensum in Deo amoris incendium, æmulari humanæ imbecillitati negatum; ad æmulandam verò misericordiam sæpissimè provocatur. Hinc Deo charior, qui Deo similior; similiorem facit misericordia.

A

B

C

D

CAPUT VI.

Viginti quinque eleemosynarum fructus summatim explicantur.

MAgnificè dixit Nazianzenus: *Fac calamitoso sis Deus, Dei misericordiam imitando. Hoc est omnium laudatarum virtutum præstantissima, hæc est felicitatis comes, hæc adsidet Deo, & magnâ est cum ipso necessitudine conjuncta.* Magna profectò laus à tali manu & calamo. Divinum aliquid hæc virtus habet. Ecquid sublimius quàm egenti Deum fieri? Facit hoc liberalitas: imitatione in Deum transit. Dei beneficio sceleratis sol oritur, pluviæ stillant, fontes fluunt, segetes surgunt, plantæ germinant, arbores abundant; aër avibus, aquæ piscibus frequentantur, pecudes crescunt, omnia in alimoniam humanam: Deus etiam ingratissimos pascit. Ad indolem hanc divinam proximus accedit homo misericors. Tullianum effatum novimus: Nihil habet fortuna melius, quàm ut possis; neque natura præstantius, quàm ut velis servare plures. Fac velis; licet Deum fieri.

Greg. Naz. orat. 16. de pauperum amore.

Homo eleemosynâ fit egêni Deus.

Hos tales fructus edunt eleemosynæ. De his explicatè, sed succinctè loqui est animus. Vt nemo non sciat quàm ingens, inæstimabile bonum sit misericordia eleemosynis exhibita. Illius fructus nunc ordine percensemus.

Eleemosynarum fructus.

§. I.

PRimus eleemosynarum fructus: *Eleemosyna peccata delet.* Oraculum Tobiæ & Siracidæ novimus: *Eleemosyna ab omni peccato, & à morte liberat, & non patitur animam ire in tenebras. Ignem ardentem extinguit aqua, & eleemosyna resistit peccatis, & Deus prospector est ejus, qui reddit gratiam.* Nec Danielis consilium Regi Nabuchodonosori datum ignoramus: *Peccata tua eleemosynis redime, & iniquitates tuas misericordiis pauperum.* Miserere inopum & miserorum, quisquis tibi vis parcere Christum, per misericordiæ largitatem peccatum omne aut vincitur, aut declinatur. Hoc Chrysostomus explicatissimè docens: *Non est peccatum*, inquit, *quod non possit purgare eleemosyna, quódve non possit extinguere. Omne peccatum infra illam stat. Remedium est ad omne vulnus utile. Omnis injustitiæ fomes est avaritia, sed hanc omnem abluit eleemosynâ Zachæus.* Quare imitare fratrem, si vis pertinere ad patrem: fac quod Zachæus fecit, ut merearis, quod meruit. Similitudo officiorum similitudinem exhibet meritorum.

1. Eleemosyna delet peccata.

Tob c. 4. v. 11. Eccli. c. 3. v. 33. & 34. Dan. c. 4. v. 24.

Chrys. to. 3. in c. 11. Actor. ho. 25. mihi pag. 528. Et hom. 2. in c. 16. Luc. ser. uli. mihi pag. 1174.

Secundus eleemosynarum fructus: *Baptismus alter, eleemosyna.* Hîc lavare, hîc mergere, Christi jubentis vocem sequere: *Date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis.* Eleemosyna lavacrum animæ. Cum priscis patribus clarissimè Hieronymus: † *Hoc*, inquit, *præstat eleemosyna, quod & baptisma.* Lustrali fonte semel tingimur, hîc centies, hîc millies vel uno die licet ablui. Ignis gehennæ rore sacro extinguitur, Vermis conscientiæ piâ largitione conteritur. Hîc tamen Gregorius non silenda observans: *Eleemosynæ pretium*, inquit, *nos à culpis liberat, cùm perpetrata plangimus & abdicamus. Nam qui & semper peccare vult, & quasi semper eleemosynam largiri animam non redimit, quam à vitiis non compescit.* Quod Paulus dilucidè affirmans: * *Si distribuero*, inquit, *in cibos pauperum omnes facultates meas, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* Contumacia noxarum insanabilis.

2. Baptismus alter eleemosyna.

Luc. c. 11. v. 41. Omnia munda, non ex opere operato, ut loquuntur Theologi, sed per modum impetrationis & dispositionis.

† *Hiera. in Psal. 133.*

* *1. Cor. c. 13. v. 3.*

Tertius fructus: *Eleemosyna ad tribunal Christi patrona fidelissima.* Nec enim solùm patrocinatur reo, sed etiam

3. Eleemosyna ad tribunal

Christi patrona fidelissima *Prov.c.21. v.14.*

etiam quod vult, persuadet judici. Salomonis sapientiâ id docemur: *Munus absconditum extinguit iras, & donum in sinu indignationem maximam.* Eleemosynæ modestæ dum pauperibus sese insinuant, iram judicis severi mitigant. Homo misericors blandissimâ vi devinctum sibi Deum ac obligatum tenet, & non potest non sperare misericordiam. *Iudicium sine misericordiâ illi,* ait Iacobus, *qui non fecit misericordiam* Homo immisericors ficus infœcunda est, & pomus vidua, quæ dominicam famem non pavit. Ideo æternùm erit maledicta. Audite arbores sterilissimæ sempiternum flammæ pabulum. *Discedite à me maledicti in ignem æternum: Esurivi enim, & non dedistis mihi manducare.*

Iac.c.2. v.13.

Matt.c.25. v.41.& 42.

4. Eleemosyna sacrificium opimissimũ, Deóque gratissimum. *Hebr.c.13. v.16.*

Quartus: *Eleemosyna sacrificium opimissimum, Deóque gratissimum.* Clarissimè beatus Paulus, *Beneficentiæ,* inquit, *& communionis nolite oblivisci, talibus enim hostiis promeretur Deus.* Quod explicans Augustinus: *Christiani sacrificium,* inquit, *est eleemosyna in pauperem.* Non est, quòd oves aut boves hîc circumspicias, quos cultro destines, quos igni dones: canistrum aperi, deme vincula crumenæ, vestiariam arcam resera, hinc tuas prome hostias, panem, mõnetam, vestem; famelicum pasce, nudum tege, argentum divide, & jam sacrificasti. Sed cave, ne forsan rectè offeras, & non rectè dividas. Est qui sibi videatur in Deum liberalissimus esse, si dicat: Mi Deus, omnia mea tua sunt. En obtulisti. Iam etiam divide ac sacrifica. Videamus, quid possis aut velis in diuidendo & sacrificando. Scis illud vetus: Sacrificandum Diis sine parsimoniâ.

B

5. Eleemosyna colũba est argentea alis aureis instructa.

Quintus: *Eleemosyna columba est argentea alis aureis instructa.* Columbam emiserat è suo carcere Noëmus: illa vesperi reversa viridem olivæ ramulum reportavit. Ad obitûs nostri vesperam, ubi nos dolorum cinget diluvium, redibit argentea hæc columba, & ramum refert oleaginum, fiduciam, pacem, lætitiam, immortalem gloriam. Aureas expandet alas, & in cælum subvehet pios manes. Hunc eleemosynæ volatum Chrysostomus assignans: *Pennata est,* inquit, *eleemosyna, & levis, aureas habens alas, ipsos supra modum delectans Angelos.*

C

Chrys.to 5. hom. 7. de pœnitent.

§. II.

6. Eleemosyna opes tutissimo loco collocat.

Cyprianus tract. de Opere & eleemosynâ.

SExtus fructus: *Eleemosyna opes tutissimo loco collocat.* Equis tutior cælo? Pecuniâ nihil fallacius, nihil fugacius; sed compedes illi nectit, & injicit manus eleemosyna. Diffugere non possunt opes tot viduarum, tot pupillorum, tot pauperum manibus detentæ, Cyprianus hoc adstruens: *Patrimonium,* inquit, *Deo creditum, nec fiscus invadit, nec calumnia forensis evertit. In tuto ponitur hæreditas, quæ Deo custode servatur.* Frumentum malè retentum domi aut à vermibus corroditur, aut acquirit alas, & evolat; abjectum in terram messem parit copiosam. Pecuniæ loculorum carcere concluse fugiunt, in egenum vulgus sparsæ remanent, & fructuosæ sunt. Insigniter dixit Augustinus: *Ponunt pueri in thesaurario, & securi sunt; tu ponis in manu Christi, & times? Esto prudens, & prospice tibi in posterum in cælo. Nunc Christiani est præparare sibi domum æternam in bonis operibus, mittere ante se sumptus, sequi opera sua, attendere comitem egentem, non contemnere Christum ante januam ulcerosum.* Manus pauperum arcæ fidissimæ thesaurorum.

D

Aug.to 8. in Psal.48. mihi pag. 183.& 184

7. Eleemosyna struit tabernacula numquam ruitura.

Virg. Ecclog. 9. initio.

Septimus: *Eleemosyna struit tabernacula numquam ruitura.* In orbe hoc nusquam non voces illæ personant: Migrate, migrate:

Vrbs antiqua ruit, veteres migrate coloni.

Vbique nobis occinitur: *Exi hospes, exi, da locum alteri.* Ædificia etiam firmissima multo demũ senio collabuntur. Nusquam mansio, nusquam civitas permanens, nusquam tabernaculum expers ruinæ, nisi in cælo, ubi eleemosyna domos ædificat aureas æternis sæculis mansuras. Eò digitum intendens Christus: *Facite vobis amicos,* inquit, *de mammonâ iniquitatis, ut, cùm defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.* Vis splendidas domos ædificare. Non prohibeo, sed ædifica in alto, super solidum; non in imo, non super arenam. Gregorius certâ fide commemorans. Iuxta nos, ait, habitabat sutor, cui nomen Deus dedit, vir ex asse pius. Hic sui opificii summè sedulus, quidquid pecuniolæ per hebdomadem à tenui victu vestituque supersuit, sabbato in pauperes erogavit. Hinc alius quidam Deo monstrante vidit, eximiam domum huic viro ædificari, sed solis sabbati diebus. Eleemosyna domos non marmoreas, sed aureas, sed gemmeas, sed æternas architectatur.

Luc.c.16. v.9.

Greg.l.4. dialog.c. 36.

8. Eleemosyna divitias auget minuẽdo, cumulat erogando.

Octavus: *Eleemosyna divitias auget minuendo, cumulat erogando.* Imperium hominis in aurum breve ac sollicitudinis plenum est. Quis umquam perpetuus opum dominus fuit? aliqui diebus pauculis, alii hebdomadibus aut mensibus non multis, in annos alii plures pauciores numerant argentum; monstrate divitem centum annorum: ubi hoc monstrum vivit? Eleemosyna divitias in omne ævum colligit fruendas. Non poteris non habere, quod ita dederis. Quod confirmans Augustinus: *Det unusquisque,* ait, *non perit, quod dat. Non dico hoc. Non perit: sed dico. Hoc solum non perit. Alia verò quæ non dederis, & abundant tibi, aut cùm vivis, amittis; aut cum moreris, dimittis.* Nihil uniuscujusque tam est proprium, quàm quod eleemosynis fecit alienum. *Quid quæris homo,* inquit Chrysostomus, *ubi pecuniam deponas? Christus suscipere paratus est, & deposita tibi servare; nec tantùm servare, sed etiam multiplicare, & cum fœnore multo reddere. Pro pecuniæ tuæ custodiâ non repetit mercedem, sed eam ipse reddit. Quâ igitur sumus excusatione digni, quâ veniâ, quando custodire valentem, & pro custodiâ gratias habentem, & pro eâ præmia reddentem prætermimus, & nostra tradimus custodi debili, qui gratiam se facere putat, si nihil commissorum intervertat?* Eleemosyna perdendo servatur, augetur, multiplicatur.

Aug.ser.18. hom.2. mo. pag.21.

Chrys.to 11. hom.2. mo. pag.21.

9. Eleemosyna pecuniæ profanissimæ sanctimoniam induit.

Nonus: *Eleemosyna pecuniæ profanissimæ sanctimoniam induit.* Sanctum est aurum, quo captivi redimuntur, quo virgines de pudicitiâ periclitantes matrimonio junguntur, quo peregrini aluntur, quo viduæ sublevantur, quo inopes alii juvantur. Ita lex Mosis imperans: *Loquêris,* inquit, *in conspectu Domini Dei tui: Attuli quod sanctificatum est de domo meâ, & dedi illud Levitæ, & advenæ, & pupillo ac viduæ, sicut jussisti mihi.* Flagitiosa est pecunia, quæ superbiæ, quæ libidini quæ avaritiæ, quæ aliis famulatur flagitiis. Quis pecuniam illam non appellet impiam, quâ saginatur cupiditas, quâ castitas oppugnatur, quâ veritas jugulatur, quâ perfidia nutritur, quâ superbia erigitur, quâ gula pascitur, quâ fides corrumpitur, quâ tribunalia evertuntur, quâ innocentes opprimuntur? Dei donis sapienter ac sobriè utendum, ne materia honestæ actionis caussa fiat impietatis. Opes quæ miseris opem afferunt, veræ opes sunt.

Deut.c.26. v.13.

10. Eleemosyna pauperi data, non aliter quàm Christo ipsi donata remunerabitur.

Decimus: *Eleemosyna pauperi data, non aliter quàm Christo ipsi donata remunerabitur.* Res hæc summi momenti, & altè animo combibenda. Christus in suis esurit ac sitit, Christus nudus, Christus hospes, Christus captivus est. Sol meridianus verba Dominica: *Esurivi, & dedistis mihi manducare; sitivi & dedistis mihi bibere; hospes eram, & collegistis me; nudus, & operuistis me; infirmus, & visitastis me; in carcere eram, & veniistis ad me. Amen dico vobis, quamdiu fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis.* Quasi fœnus trajectitium facimus; hîc damus, ibi recipimus; in terrâ Christus accipit, in cælo reddit. Noli de accipiente dubitare, noli diffidere de reddente; certissimi nominis, amplissimæ solutionis debitorem habes; tuum est cælum, modò illud utrâque manu attrahas. †

Matt.c.25. v.35. & seqq.

† *Dei & hominum præsertim inopum amore.*

§. III. Vnde-

§. III.

VNdecimus fructus.: *Eleemosyna mercatura utilissima. Facta est quasi navis institoris de longè portans panem suum.* [a] Assis unicus pauperi datus centuplum [b] parit certissimo lucro. Beatus Leo hanc mercaturam suadens: Substantia tua, inquit, cùm bene erogatur, augetur: & concupiscere justum misericordiæ lucrum, est æterni quæstûs sectari commercium. [c] Affirmat Plinius, [d] Cordubam & Carthaginem è solis carduis sativis annuatim incredibilem pecuniæ summam sibi conflare. Prisci scriptoris verba sunt: Certum est carduos apud Carthaginem magnam, Cordubámque præcipuè, sestertia sena millia, ut parciùs reddere. Sunt cètum quinquaginta millia philippeorum. [e] Addit; Quoniam portenta quoque terrarum in ganeam vertimus, etiam ea quæ refugiunt quadrupedes consciæ. In Epiro, quæ Venetorum terra est, quotannis è solis cephalorum piscium ovis, [f] viginti millia ducatorum colligunt. Ludovicus Guicciardinus, ut rem certam asserit, in Batavîâ è butyro tantùm & caseis quotis anno decies centena millia coronatorum, ipsum ærarii millionem redigi. [g] Mercatura est lucrosissima. O Christiane, mercatorem age, negotiationem exerce. Da panem, & accipe paradisum; da nummum, & recipe regnum; da mortalia, da peritura, & immortalia & æterna brevî consequêris. Eleemosyna mercatura est, sed illius naves nullo merguntur mari.

11. Eleemosyna mercatura utilissima.
a *Prov. c. 31. v. 14.*
b *Crutii aforism. 40. sestertios.*
c *Leo ser. 6. de jejunio decimi mensis.*
d *Plin. lib. 19. nat. hist. c. 8. mihi pag. 451.*
e *150000.*
f *Pisces illi vulgo vocantur Botarga. Radzivil. exil. 4. sui Itinerarii, pag. 243.*
g *Guiccciar. in suo Belgio mihi pag. 205.*

Duodecimus: *Eleemosyna usura laudatissima.* Salomon, ut jam suprà demonstratum est, apertissimè id pronuntians: *Fœneratur Domino*, inquit, *qui miseretur pauperis, & vicissitudinem suam reddet ei.* O sapientissimè dictum! Non dixit: Deo ponat, sed commodat, sed fœnori dat. Avaritiam nostram & insatiabilem cupiditatem solatur, nobisque Deum ostendit esse obligatum. Quid ergo, Deum judicem an debitorem malumus? Demus pauperi, itaque fœneremur Domino, & pro severo judice debitorem humanissimum experiemur Deum, qui se pro paupere & eadem & pignus statuit. Leo proximè laudatus: *Deus*, inquit, *fidejussor est pauperum, & largissimus redditor usurarum. Demus in usuram*, ait Augustinus, *sed demus Deo non homini.* Quod suaviter expendens Petrus Chrysologus, & Deum debitorem nostrum fidenter alloquens: *Domine*, inquit, *tu vidisti, quia in thesauris tota fides, tota spes in sacculis sit avaro. Et ideo imputribiles in cælo sacculos vis parari, ut qui te non sequitur ad cælum, sequatur saltem sacculos suos. Avare fac tibi sacculos, & fac jubente Deo: quia votis tuis annuit divina majestas. Sed fac tibi sacculos erogando, quia quidquid pauper acceperit, Pater cælestis suscipit. Et ubi recondit? in cælo. At ne fortè perdidisse te doleas usuram, centuplum in cælesti fœnore recipies, quidquid in cælum paupere transmiseris perferente.* Eleemosyna omnino usurarum longè fœcundissima est usura.

12. Eleemosyna usura laudatissima.
Prov. c. 19. v. 17.
Leo ser. 6. de jejunio.
Aug. ho. 29. inter 80. ho. Chrysolog. ser. 23. mihi pag. 71.

Decimus tertius: *Eleemosyna scientiarum & artium omnium multò lucrosissima est.* Philosophiam, ajunt non facere ad lucrandum panem. Calumnia est manifesta. Nam unica pars Philosophiæ, seu Mathesin, seu Geometriam dixeris, novum orbem reperit, è quo nostrum inauravimus. Talis sententia, talis ars atque studium est eleemosyna, modico pretio domos amplissimas maximas inaurat.

13. Eleemosyna scientiarûm & artium omnium multò lucrosissima est.

Novem Athenienſium Archontes, hoc est, summi Gubernatores, ut Suidas refert, cùm magistratum inibant, publicè jurabant, observaturos leges, neque passuros donis se corrumpi. Si quis ipsorum secus faxit, hunc mulctæ nomine statuam auream corpori suo æquilebrem Delphis positurum. Lex nobis posita est hâc voculâ DATE; sed annexam habet promissionê lex ista ET DABITVR. Da pauperi, & auream tibi statuam in cælo collocasti, teipso centies majorem. Hæc illa tam arcana quàm lucrosa est scientia, intelligere super egenum & pauperem, & metallo vili aureos montes facere suos. Rex Salomon eburneum regale solium purissimo vestivit auro, iis sumptibus, eoque artificio, ut regum fasti testentur: *Non esse factum tale opus in universis regnis.* Omnibus vel magnificentissimis regum operibus hoc unum antecelluit. Vbi nunc illud Salomonis solium est, ubi laminæ illi affixæ? Vtere, mi Christiane, scientiâ misericordiæ, argenteam in pauperes manum extende, & solium ex auro solidissimum Salomoneo sublimius, magnificentius, diuturnius, æternum in cælo tibi posuisti. Rex eris, & in omne ævum solio tuo gaudebis; mors nulla te inde detrahet.

3. Reg c. 10. v. 20.

Decimus quartus: *Eleemosyna tributum est, quod Regi cælorum meritissimo jure penditur.* Chrysostomus velut tributi hujus diligentissimus exactor: *Hæc*, inquit, *ante omnia solvamus tributa omnibus ex causis. Multa namque facilitas est, & major merces, & quæstus amplior, & ingratos se præbentibus majus supplicium.* Copiosus ac vehemens fuit aureus hic orator in jurandi ac pejerandi consuetudine abolendâ, non minùs tamen in eleemosynâ extorquendâ: *Crucior*, inquit, *& doleo, quod neque rerum experientia, neque tot & tales Dei promissiones, neque timor futurorum, neque quotidianæ admonitiones nostræ apud tales proficiunt. Non tamen cessabo, etiam sic, ab hoc consilio, donec continuitate importunâ tandem victor restipiscere ipsos fecero, & à pecuniarum aviditate, quæ mentem eorum obtenebrat, eruere valuero.*

14. Eleemosyna tributum est, quod Regi cælorum meritissimo jure penditur.
Chrys. hom. 35. ad pop. pag. 219. Idem to. 1. in c. 1. Gen. ho. 4. mihi pag. 15.

Hîc ergo quilibet assiduè monendus & urgendus: *Redde quod debes*, redde Eleemosynam quàm egeno debes, hanc redde. Vociferatur Paulus, & urget: *Reddite ergo omnibus debita: cui tributum, tributum; cui vectigal, vectigal.* Hoc idem Christus ipse postulans: *Reddite*, inquit, *quæ sunt Cæsaris, Cæsari; & quæ sunt Dei, Deo.* Hoc autè tributi genus inter eleemosynæ fructus numeramus, quia quidquid Christo est tributum, nobis fit donum, atque sic tribuendo longè veriùs accipimus quàm damus. Reddite ergo, reddite, quæ sunt pauperis, pauperi: reddite, quod priùs accepistis, & quod reddendo copiosiùs recepturi estis.

Matt. c. 18. v. 28. Rom. c. 13. v. 7. Matt. c. 22. v. 21.

Decimus quintus: *Eleemosyna famæ optimæ conciliatrix præstantissima.* Salomon id suo calculo probans: *Misericordia & veritas*, inquit, *te non deserant, circumda eas gutturi tuo, & describe in tabulis cordis tui: & invenies gratiam & disciplinam bonam coram Deo & hominibus. Eleemosyna*, inquit Chrysostomus, *in utrâque vitâ claros exhibet, in istâ famam comparans præclaram, in illâ gloriam tribuens æternam.* Vnxerat Magdalena pedes Domini, ac capillis extersérat, & omnis domus unguenti odoribus impleta est. Vnguentis Christi pedes perlinunt, tergunt capillis, qui pauperes alunt eleemosynis: ita civitatem totam, provinciam, regnúmve totum famæ melioris odor permeat. Da egenis, & Domini pedes tersisti. Multa quæ tibi superflua sunt, Domini pedibus necessaria. Nemo est, qui virum in pauperes liberalem non commendet, non cælo extollat. Illustrius ac beatius est dare quàm accipere. Natura nobis ubique in exemplum dando præit. Cælestes orbes dant lumen, & arcana subsidia innumera: ex alto nobis sol, pluviæ, & omne fertilitatis ministerium: Ignis dat calorem, & multiplex ad vitam commodum: aër dat aves: aqua dat pisces: terra fructus porrigit: animantia carnes & lanam præbent. Æternus Pater dedit Filium, Filius dedit seipsum in trabe immolandum. Quid nos, dum tantùm accipimus? Res magna, si priùs accepta reddimus, ut & ipsa reddita, fœnore millecuplo recipiamus. Æmulemur naturam, & conciliemus famam. Fama pessima est, avarus ille ac insatiabilis Euclio: encomium illustrissimum, vir misericors.

15. Eleemosyna famæ optimæ conciliatrix præstantissima.
Prov. c. 3. v. 3. & 4. Ioan. c. 12. v. 3.

Suidas voce Ἐφετῶν τὸν ὅρκον, mihi pag. 1078.

§. IV. De-

§. IV.

16. Eleemosyna hominem reddit Deo similem. *Leo ser. 10. de Quadrag.*

DEcimus sextus: *Eleemosyna hominem reddit Deo similem.* Misericordia namque imaginem Dei misericordis, in homine misericordi pingit & efformat. Beatus Leo: *Vbi Deus*, inquit, *curam misericordiæ, ibi & imaginem suæ pietatis invenit.* Dixerit olim Poëta:

Regia, crede mihi, res est succurrere lapsis.

Verius ego: Divina, crede mihi, res est miseris subvenire, penuriam eorum sublevare. Verissimè dixit Clemens Alexandrinus: *Imago Dei, homo benefaciens. Siquidem*, ut Nazianzenus loquitur, *nihil adeò divinum habet homo, quàm benefacere.* Divinitatis consequendæ occasionem, ô homo, ne abjice. Rex Hispaniarum, Rex Bohemiæ, Rex Galliarum, Rex Poloniæ, Rex Angliæ, Rex Pannoniæ, Rex Daniæ, magni tituli, sed à Regnis perituris; Dei titulus est, Pater misericordiarum, & Deus totius consolationis; misericors & miserator Dominus, longanimis & multùm misericors. Placet assimilari huic magno Regi? Modum ostendens Christus: *Estote misericordes*, inquit, *sicut & pater vester misericors est.* Addit Chrysostomus interpres: *Non dixit, Si jejunetis; neque dixit, Si suppliciter oraveritis, si virginitatem illæsam servaveritis, similes eritis patri vestro: sed quid? Estote misericordes. Hoc Dei est opus, hoc si non habeas, quid habes? Misericordiam volo, & non sacrificium. Frigidum est jejunium, sterilis oratio absque eleemosynâ. Nihil ita Deum attrahit, sicut Misericordia: non enim spinæ radix umquam oleum parit, sed olivæ: ita nec avaritiæ radix eleemosynam, sed misericordiæ.* Deo facit similem, hominis misereri.

Clem. Alex. l. 3. Strom. c. 9. *Greg. Naz. orat. 16. de amore pauperum.* *Luc. c. 6. v. 36.* *Chrys. to. 5. hom. 36. ad pop. mihi pag. 232.*

17. Eleemosyna vires addit orationi maximæ, eámque facit exaudiri. *Tob. c. 4. v. 7.*

Decimus septimus: *Eleemosyna vires addit orationi maximas, eámque facit exaudiri.* Ita Tobias filio præcipiens: *Noli*, ait, *avertere faciem tuam ab ullo paupere, ita enim fiet, ut nec à te avertatur facies Domini.* Vis à Deo audiri preces tuas? tu pauperum priùs audias. Non persuadebis Deo quod petis, nisi antè pauperum Rhetorica te flexerit.

Eccli. c. 29. v. 15.

Audias subinde desidem & ignavum scribam dicere: Vellem, ut calamus ipse scriberet, meâ manu feriante. Hîc simile quid: *Absconde eleemosynam in corde pauperis, & hæc pro te exorabit ab omni malo.* Etiamsi tu taceas; tua tamen pro te loquetur eleemosyna, & quidquid volueris, impetrabit; nec unum aliquod, sed omne malum à te submovebit, non orans solùm, sed exorans & impetrans, quod postulaverit. Addo: Non tantùm eleemosyna tua, sed & pauperes eleemosynis tuis adjuti Numen tibi facillimè propitiabunt. Hi namque apud Deum eo loco sunt, quo esse solent Principes, qui à regum cubiculis sunt. *Desiderium pauperum exaudivit Dominus.* Primi admittuntur, præ ceteris omnibus exaudiuntur. Christus pauperis habitu mendicat: negas pauperi? ergo negas Christo. Si semper pauperem, semper & Christum exaudis. Tu jam ne dubita; vices rependet Christus, parem reponet gratiam, te orantem numquam non exaudiet. Quod beatus Leo confirmàs: [a] *Efficacissima est*, inquit, *ad exorandum Deum postulatio, cui pietatis opera suffragantur. Qui suum ab inope non avertit animum, citò ad se Domini convertet auditum.* [b] Chrysostomus vult domi, ubi solemus precari, arculam affigi, ut in eam semper priùs eleemosynas conjiciamus, quàm preces fundamus. Eleemosyna nostris orationibus vim impetrandi tribuit: Eleemosyna victrix Dei.

Eleemosynæ propitium reddunt Deũ. *Psal. 10. v. 27.* [a] *Leo ser. de jejunio decimi mẽsis.* [b] *Chrys. ho. 43. in ep. 1. ad Cor. ut suprà monuimus.*

18. Eleemosyna sic vincit & expugnat Deũ, ut is hominẽ misericordẽ ubiq; protegat. *Eccli. c. 29. v. 18.* *1. Reg. c. 30. v. 11. & seqq.*

[c] Decimus octavus: *Eleemosyna sic vincit & expugnat Deum, ut is hominem misericordem ubique protegat.* Siracides de eleemosynis dissertans: *Super scutum potentis*, inquit, *& super lanceam adversus inimicum tuum pugnabit.* Rex bellicosissimus David, sed simul in eleemosynas promptissimus, Amalecitam servum à suo domino desertum, etsi ægrotum, etsi hostem, amantissimè complexus cibo ac potu refecit, & inter suos numeravit. Hinc David longè potentiùs eleemosynis quàm scutis & lanceis, quàm ullis armorum præsidiis, quàm copiosis militum cuneis in omni periculo defensus est. Abraham & ipse bellicosus, qui cum trecentis octodecim servis vernaculis quatuor reges fugavit, plus hospitalitate ac eleemosynis, quàm pugnantium multitudine ac armis protectus, Deum familiarem sibi ac faventem semper habuit. *Gen. c. 14. v. 14. & seqq.*

Nimirum quod Siracides testatur, Deus prospector est ejus, qui reddit gratiam. *Meminit in posterum, & in tempore casus sui inveniet firmamentum.* De divite Hebræo Lazari carnifice narrat Evangelium: *Mortuus est dives.* Hem grandis casus viri primarii! sed quia vir iste per eleemosynas nullum sibi stabile firmamentum, quo niteretur, paravit, ideo *sepultus est in inferno.* Eleemosyna stabilit, propugnat, protegit hominem, vincit Deum. *Eccli. c. 29. v. 34.* *Luc. c. 16. v. 22.*

19. Eleemosyna messis geminata, rerum omnium incrementum. *2. Cor. c. 9. v. 10.* Causse eleemosynæ sit semini similima.

Decimus nonus: *Eleemosyna messis geminata, rerum omnium incrementum.* Hoc Paulus paucis complexus: *Qui administrat semen seminanti*, ait, *& panem ad manducandum præstabit, & multiplicabit semen vestrum.* Eleemosyna semini simillima ob plures causas 1. semen suo tempore sparsum in eam granorum fœcunditatem crescit, ut illud vix nostris oculis credamus: eleemosyna nunc expensa, in vitâ hac semen, in alterâ seges & messis est longè uberrima. 2. Semen occultatur glebis; eleemosyna mendiculis: fugit videri, jactantiam odit. 3. Semen non arenæ, sed fertili terræ committitur; eleemosyna non diuitibus, aut jam antè plenis, sed egentibus ac miseris tribuitur. 4. Semen non crescit nisi sæpiùs rigatum; eleemosynam primam riget altera, riget tertia, & quarta, &c. riget commiseratio vera. 5. Semen moritur, ut cum usurâ reviviscat; eleemosyna perditur, ut cum fœnore ad dominum suum redeat. 6. Semen vile aut mixtum similem sibi messem provocat, meliorem, melius; eleemosyna parca, tenuis, morosa, raram aut vitiosam segetem producit. 7. Semen non uno loco spargitur; eleemosyna in plures dividitur. 8. Semen brumâ opertum lætiùs provenit; eleemosyna præmio præsenti viduata, & variis insuper miseriis cincta, æternæ beatitudinis proventus lætissimos promittit. 9. Semen in viam aut saxa vel spinas jactum interit; eleemosyna perit, cùm in viam vanæ gloriæ cadit, aut ubi cor immite ac saxeum, vel divitiarum illecebris curarúmque spinis obsitum offendit.

Augustinus eleemosynam semini simillimam agnoscens: *Opera misericordiæ*, inquit, *semina nostra sunt. Qui parcè seminat, parcè & metet. Ergo qui multum seminat, multum metet, & qui nihil seminat, nihil metet.* *Aug. to. 8. in ps. 125. mihi pag. 604.*

Seminavit Christus pauculos panes, & supra novem millia hominum iis saturavit; reliquiis panum, cophinos modò septem, modò duodecim implevit. Prò quanta messis è tantillo semine! complures alii sanctorum hominum eamdem ejecerunt sementem. Ivo sacerdos vir notæ pietatis & doctrinæ pane non magno complurium egenorum famem sedavit. Arnulphus Suessionensis Præsul quinque panibus, † & totidem vini mensuris supra septingentos homines abundè pavit. Richardus Cicestrensis Antistes pane unico tria millia hominum saturavit. Eleemosyna messis est geminata: nam eleemosynæ fructus tam in hac quàm in meliori vitâ percipiuntur. Christus qui potuit augere dando, potest & multiplicare accipiendo. Tu modò non parcè semina, & ortum faciet fructum non trigesimum, sed centesimum, sed millesimum, sed infinitum. Si granum triticeum unicam spicam extruderet auream, aut gemmis nobilioribus refertam, topaziis, adamantibus, carbunculis onustam; superi! quis semini comparceret? Hæc nostra est infan- † *Valeb. crudam me cau vocat bant. De Ivone Carnot. Odilo de Arnulpho 5. Augusti, Richard. 3. April. Surius, Lippeloo, Harœus.*

infantia (liceat dicere) hæc nostra stultitia, aut insania; auro & gemmis inhiamus, æternitatis gazas in vili habemus. Tu modò semina, & quantùm potes largissimè; omni auro gemmis omnibus pretiosiora metes. Eleemosynæ messis non solùm aurea, non solùm gemmea, sed auro & gemmis æternùm fructuosa est.

20. Eleemosyna Sanctorũ omniũ summa cura, summum studium, potentissimum adjumẽtum.

Vigesimus: *Eleemosyna Sanctorum omnium prima cura, summum studium, potentissimum adjumentum.* Tot singulares Numinis amici, tot homines sancti virtutibus exercendis sibi nonnumquam dissimiles fuerunt. Hic quidem silentio, ille submissioni, iste patientiæ totum se consecravit, alii aliis virtutibus magis studuerunt. Cùm exercendæ misericordiæ fuit occasio, sibi omnes simillimi fuerunt: unum eorum omnium patrem fuisse dixeris. Hìc unus omnium ardor & spiritus, vultus & color unus; in eleemosynas non proni tantùm, sed & effusi omnes fuerunt; ut eos non fratres tantùm, sed & gemellos agnoscas universos incredibili benignitatis similitudine.

Vita Pachomii apud Rosweid. c. 4. mihi pag. 114.

Ærato Constantini Cæsaris Pachomius annos viginti natus militiæ nomen dedit. Hic inter militares copias tiro dum signa sequitur, ad aliquam Christianorum civitatẽ pervenit. Ab incolis humaniter prorsus ac benignè habitus, ut Christi lex jubet, interrogare instituit, quódnam hoc genus hominum sit, in liberalitatem ac misericordiam adeò effusum? Vbi audiit, Christianos dici, alia atque alia de illorum moribus quæsivit. Iámque arbitris remotis solus, cælo manus attollens: Mi Deus, inquit, si mihi tui nominis veram contuleris notitiam, tibi uni jugiter adhærebo, tibi serviam. Dixit & fecit: sacramento militari solutus, in Thebaidem abiit, ubi salutis fonte lustratus disciplinis sanctioribus se totum mancipavit. Omnes Sancti misericordiæ atque eleemosynarum studiosissimi.

Anno millesimo quingentesimo octogesimo tertio, Maurus sacerdos Drepani ad Christiana sacra aditum sibi munit eleemosynis in captivos erogatis. Ita ille jam grandævus se Christo adjunxit, duce Misericordiâ. Omnes Sancti eleemosynarum largissimi. Quid multis opus? Cornelius Centurio ad Christum & ad cælum viam sibi stravit eleemosynis. Angelo teste, *orationes & eleemosynæ illius ascenderunt in memoriam in conspectu Dei.* Sanctorum hominum princeps cura summúmque studium, eleemosyna. Ideo Paulus exhortans: *Induite vos ergo*, inquit, *sicut electi Dei, sancti & dilecti, viscera misericordiæ.* Omnes Sancti eleemosynarum studiosissimi.

Act. c. 10. v. 4.

Coloss. c. 3. v. 12.

§. V.

21. Eleemosyna maximum in morte solatium. *Psal. 40. v. 2. & 4.*

VIgesimus primus fructus: *Eleemosyna maximum in morte solatium.* Promissum & velut chirographum à Deo est: *Beatus qui intelligit super egenum & pauperem, in die malâ liberabit eum Dominus; Dominus opem ferat illi super lectum doloris ejus.* Effatum hoc Petrus Chrysologus ponderans: *Non videbit diem malum*, inquit, *qui dies bonos habere pauperem fecit. In angustiis illum Deus clamantem audiet, qui pauperem cùm clamaret audivit. Sine causâ accusant peccata, quem pauper excusat. Dominus conservabit eum, & vivificabit eum. Conservabit, ne rapiatur ad pœnam; vivificabit, ut à mortuis resurgat, & recipiat vitam.* Dies mortis, dies profectò mala, quâ non pejor, dies pessima est. Hac die liberalis in pauperes à tot malis liberabitur. Aderit illi Dominus, & lætalem ejus lectulum solatiis perfundet, mortis dolores mitigabit ac minuet. Augustinus testis locupletissimus: *Numquam vidi*, ait, *hominem pium malâ morte finiri.* Nec Hieronymus meminit se legisse malâ morte sublatum, qui charitatis & misericordiæ opera libenter exhibuisset. Hæc Ambrosius confirmans: *Non*, inquit, *sunt hominis bona, quæ secum ferre non potest: sola misericordia comes est defunctorum: Mille Podalyrii, Machaones & Æsculapii mille moribundum in vivis retinere, arte nullâ, nullis pharmacis possunt: at verò, quod Angelus Tobiæ dixit, à morte liberat eleemosyna.*

Dies mortis, dies pessima.

Chrysol. ho. 14. mihi pag. 42.

Aug. serm. 44. ad fratres in ere.

Tob. c. 12. v. 9.

Antæum commenti sunt veteres ab Alcide vinci nequaquam potuisse, quòd Antæus terræ filius quotiescumque dejectus fuisset contumacior resurgeret, modò pedibus matrem contigisset, quæ filio novas identidem vires sufficiebat. Pauperes ditioribus pedum loco sunt. Ab his pedibus per eleemosynas petendum robur, ut à morte, velut Hercule dejecti, vegetiùs resurgant, atque ita in tempore casûs sui firmamentum inveniant, & post complexum Terræ matris glorioſiùs reviviscant. Victrix ac triumphatrix mortis eleemosyna.

Pauperes apud Oniroeritas pedũ nomine significantur, Pierius lib. 35.

22. Eleemosyna luculentũ prædestinationis indicium. *Iob c. 29. v. 15. & 16.*

Vigesimus secundus: *Eleemosyna luculentum prædestinationis indicium.* Hominum à Deo ad vitam electorum proprius est misericordiæ affectus. Iobus, vir reverà electissimus: *Oculus fui cæco*, ait, *& pes claudo pater eram pauperum*: Pauperibus adeò fauebam, ut iis non solùm eleemosynas dare, sed oculos cæco, pedes claudo restituere viderer. Non largitor, non patronus tantùm, sed pater fui pauperum. Dormit in utramque aurem filius, at pater huc illuc in lectulo se versans vigilat, & de pane cogitat ob curas insomnis. Ita Iob, cùm pauperes dormirent, ipse per vigil secum exquirebat quod ægris aut obæratis, quod viduis & pupillis remedium compararet, unde illis aut istis lectulos vitæque necessaria sufficeret, pater erat pauperum. Atque hoc est intelligere super egenum, hoc arcanæ ad glòriam electionis signum. Canit Hebræus Psaltes: *Iucundus homo qui miseretur & commodat, disponet sermones suos in judicio: quia in æternum non commovebitur.* Ad philosophiæ leges publicè disputaturus, priùs argumenta circumspicit: ita rationem redditurus judici Christo, ad judicium eleemosynis se præparat. Argumentum habet validissimum istud: Dixisti Domine; *Beati misericordes, quoniam misericordiam consequentur*; ego in tuos pauperes fui misericors, ergo misericordiam à te consequar. *Memor esto verbi tui servo tuo, in quo mihi spem dedisti.* Tu tuâ in nos liberalitate nihil amittis, nec patrimonium tuum minuis; ego meum tui amore minui; cur igitur cælestem mihi gloriam, quam sine incommodo tuo largiris, deneges?

Psal. 111. v. 5.

Matth. c. 5. v. 7.

Psal. 118. v. 49.

Darii dicêt Dialectici.

Argumentum in *Darii*, ajunt Dialectici, negari non potest: da stipem; & in *Darii* argumentum confecisti; sermones optimos in judicio usurpandos disposuisti; ratiocinatio sibi constat; conclusio non fallet; *in æternum non commovebitur, qui miseretur & commodat.* Eleemosyna charitatis soror, scelerum medicina, electorum nota est. Hominis cælo destinati eleemosyna unicum observat oculum, sed eum qui cernit omnia; illi uni probatam se cupit, à quo & præmium spectat. Date, ô Christiani, date eleemosynas quàm potestis largissimas, & simul gaudete, posse tam vili cælum emere.

Psal 111. v 5. Eleemosyna est electorum nota. *Vide, obsecro mi Lector, quæ in Zodiaco meo de hoc Prædestinationis signo disserui.*

23. Eleemosyna gratiæ cõservatrix fidelissima. † 2 *Cor. c. 12. v. 9.*

Vigesimus tertius: *Eleemosyna gratiæ ac promeritorum conservatrix & auctrix fidelissima.* Ecclesia sæpius precatur: Tribue, ô Deus, gratiam in præsenti, & gloriam in futuro. Gratia nobis nunc necessaria est: si non præcedat hìc gratia, non sequetur illic gloria. Paulo stimulum carnis deprecanti responsum est †: *Sufficit tibi gratia mea.* Ne animo angaris, Paule, gloriæ semen est gratia: tu modò contentus esto semine, suo tempore cernes segetem. Divina gratia res omnium pretiosissima, hanc fœcunditate incredibili auget eleemosyna. Non, puto, infrequens est, ut homo letali noxâ inquinatus, & hostis Dei det eleemosynam, quæ nihilominus certâ mercede non careat. Nam hæc talis eleemosyna ab homine improbo data vel remunerationem

Symbolo 7. Symbolo 23.

tionem in re præsenti obtinet, aut Dei hostem ad pœnitentiam deducit, ut Deo reconcilietur, & in pristinam reponatur gratiam. Cùm Isaias præciperet esurienti panem frangi, egenos vagósque in domum induci, nudos operiri, promissionem addens liberalissimam : *Sanitas tua*, inquit, *citiùs orietur, & anteibit faciem tuam justitia tua; & gloria Domini colliget te : Tunc invocabis, & Dominus exaudiet.* Interpres dicti Theologus Aquinas clarissimè : *Per opera pietatis*, inquit, *peccator liberatur à perditione æternâ, in quantum per hujusmodi opera disponitur ad hoc, ut gratiam consequatur, per quam pœnitet.* Ingeniosè dixit Augustinus. *Ante fores gehennæ stat Misericordia, & nullum misericordem permittit in carcerem illum mitti.* Olim paradisi aditum princeps Cherubicus rhompheâ flammeâ intercluſit : Nunc (ô bene mutatas vices !) ad inferorum portas excubat Misericordia, & neminem suorum ingredi sinit. Tanti est eleemosyna, tantum gratiæ ac promeritorum colligit. Eleemosynarum largitor aut constanter retinet innocentiam, aut celeriter redit ad pœnitentiam.

Isa. c. 58. v. 8. & 9.

S. Tho. 2. 2. q. 154. art. 2. ad 5.

Aug. to. 10. lib. 50. hom. hom. 29.

§. VI.

24. Eleemosyna fiduciæ ac lætitiæ parens.

Vigesimus quartus : *Eleemosyna fiduciæ ac lætitiæ parens*, spem & fiduciam in Deum accendit, gaudium & lætitiam ingerit. Peregrini, hospites, mendici sumus omnes, alienâ & exterâ regione diversamur; nihilominus sceptrum speramus & diadema regium: eleemosynæ dabunt, nemo ambigat, à centonibus ad purpuram evocabimur. Nostra nunc vita mendicitas mera. Mendicus est vel divissimus mortalium, vel opulentior Cræso. Quid enim aliud sunt divitiæ, quàm copiosæ Dei eleemosynæ ? Nostra nos conditionis commonefaciens Augustinus : *Mendici Dei sumus*, inquit, *ut agnoscat Deus mendicos suos, agnoscamus nos nostros. Quam frontem habès petendo ad Dominum Deum tuum, qui non agnoscis parem tuum ? Nescis*, inquit Chrysostomus, *quòd in alienâ regione moramur, tamquam hospites & peregrini ? Nescis quòd peregrinorum est expelli, cùm non exspectant; quod & nos patimur : propterea quidquid comparaverimus, hîc dimittimus.* Cur igitur hîc locupletari volumus, unde forsan ante vesperem emigrabimus ? Servos, familiam, consanguineos nobiscum non abducemus; opes, quas collegimus, non auferemus; domos, quas ædificavimus, non asportabimus; villas, prædia, agros, latifundia quæ possedimus, relinquemus; viam ignotam inibimus soli; comes esse poterit Misericordia. Pecuniæ in choreas aut venationes, in convivia & potationes, in ludos aut lasciviam expensæ nos neutiquam ad tribunal Christi tuebuntur. Quidquid pauperibus datum est, fidissimo comitatu ad judicem perducet, defendétque certis patrociniis. Hinc gaudium & lætitia, hinc spes & fiducia. Oraculum Tobiæ verissimum, orbi promulgandum. *Fiducia magna erit coram summo Deo eleemosyna omnibus facientibus eam.* Hinc Ambrosianum illud : *Omnis summa disciplinæ Christianæ in misericordiâ & pietate est. Et considera, † quanta tibi tum erit gloria* (quanta fiducia) *cùm te omnis ille populus, qui ex promptuariis tuis pastus est & refectus, pro tribunali magni illius & justissimi judicis catervâ constipante circumdabit, pastorem te suum, ac tutorem pium, & misericordem patrem omni gratiarum voce testabitur ? Si ergo & tu gloriam* (fiduciam) *ex divitiis quæris, cognosce quia melius est mille filiorum, quos per misericordiam filios acquisieris, patrem vocari, quàm mille aureorum dominum dici.* Eleemosyna lætitiæ ac fiduciæ mater. Eleemosyna larga, fiducia maxima.

Aug. ser. 5. de Verbo Domini.

Chrys. to. 5 ho. 16. mihi pag. 231.

Misericordia ad tribunal Christi nos tuebitur.

Tob. c. 4. v. 12.

Ambr. to. 5. ser. 81. mihi pag. 863.

† Principibus præcipuè considerandum.

25. Eleemosyna immortalitatis & vitæ æternæ pretium est.

Vigesimus quintus fructus : *Eleemosyna immortalitatis, beatitudinis, æternæ vitæ pretium est.* Hac monetâ cælum emimus; ære modico bonum infinitum. Copiosissimi sunt prisci Patres in laudandis, & multò magis in eliciendis eleemosynis. Sed nihil, puteu, testatius, nihil luculentius, sublimius nihil est ad commendandas eleemosynas, quàm quod Chrysostomus ore ac calamo luculentissimè testatus est orbi. Ipsissima sacri scriptoris verba sunt : *Eleemosynæ multâ cum facultate cælorum aperiuntur portæ. Ac velut Reginâ ingrediente, nullus custodum ipsis in partis positorum audet interrogare. Quæ sit, aut unde iter agat; magis verò illico suscipiunt omnes. Sic eleemosyna Regina omnino est, & Regina virtutum, homines celerrimè ipsorum in cælorum axes adducet, advocati optimi loco fungens. Magna res eleemosyna, præcidit aërem, transit lunam, solis radios cædit, ad ipsum venit cælorum culmen, ipsos pertransiens cælos, & Angelorum populos decurrens, & Archangelorum choros, & omnes superiores potestates, ipsi assistit regali throno.*

Chrys. to. 5. ho. 8. & 9. de pœnit. mihi pag. 747. & 756.

Ne miremur hoc elogium. Christus humanæ gentis incorruptissimus est judex, cum tamen eleemosyna & audet & potest corrumpere, ut pæne ultrà quàm fatis est faciat, & in condonando longiùs procedat, & sponte fateatur ac dicat : Demus hoc eleemosynæ. Esurivi, & dederunt mihi manducare. Ita judex justo fit benignus; ita misericordiam anteponit veritati; ità in staterâ justitiæ, lanci peccatorum ob injectas manus pauperum præponderat lanx meritorum; hæc illam eleemosynarum mole prægravat. *Beati misericordes, quoniam misericordiam consequentur*; paratum sibi regnum à constitutione mundi possidebunt.

Matth. 5. v. 7.

Verùm enimverò narrandis eleemosynæ fructibus ad finem numquam pertingemus. Nam rectè dixit Nazianzenus : *Beneficentiæ erga pauperes infinita sunt commoda.* Beatus Thomas Aquinas misericordiæ vires subtili trutinâ examinans : *Misericordia*, inquit, *inter virtutes proximum respicientes, principatum obtinet, secundùm se maxima virtus, & Deo maximè propria : nam summa religionis Christianæ in misericordiâ consistit.*

Greg. Naz. orat. 16. de amore pauperum.

S. Tho. 2. 2. q. 30. ind. & art. 4.

Sunt autem Charitas & Misericordia distinctæ virtutes. Amicitia porrò & Charitas aut pares acciunt, aut pares faciunt : Misericordia verò excellentiam habet, quâ inferiorem respicit, quem sublevat. Charitas hominem *quâ bonum*, Misericordia *quâ miserum* complectitur : est enim misericors quasi Deus miseri, quem juvat. Quâ quidem in parte Charitas velut inferior Misericordiæ cedit, illique dat primas. Porrò eleemosyna liberalitatis aut misericordiæ soror est, charitatis filia. * Sed hæc è Theologiæ fontibus vel libâsse saltem suffecerit.

* Nostra eleemosyna misericordia actus est, misericordia charitatis. Tho. 2. 2. q. 31. & 32. ubi explicat : Eleemosynâ dare, actus charitatis est, interveniente misericordiæ affectu.

Ergo, dum licet, eleemosynæ fructus colligamus : dum vivimus, dum sani sumus, quantâ possumus liberalitate, stipem spargamus. Lucia virgo cùm matrem Eutitiam ad erogandas pauperibus facultates hortaretur, illáque suaviter responderet : Vitæ suæ finem opereturi, tum demum quod vellet de suis opibus facturam. Qui filia : Non est, ô mater, inquit valde gratum Deo munus, quod tunc offerimus, cùm illius usum suprema dies eripit. Da quæso, dum sanaes, ne si moriens dederis, invita dedisse arguaris; rem utique, quam, velis nolis, deserere cogeris. Victa rationibus Eutitia, laudavit filiæ sententiam. Lucia verò jam bonis omnibus ad votum distributis, cùm sacrificare diis juberetur : Sacrificium Deo acceptissimum est, inquit, esurienti panem frangere, egenos vagósque in domum suam inducere, nudos operire, *pupillos & viduas in tribulatione eorum visitare.* His victimis placatur Deus.

Isa. c. 58. v. 7. Iac. c. 1. v. 27.

CA-

CAPVT VII.

Epilogus

Dictorum omnium.

ERgo spargimus ut colligamus, distribuimus, ut recipiamus auri montes, gemmarum maria pro plumbi lamellis. Sed *non omnes capiunt verbum istud.* Sunt qui tantùm colligant, dum ipsi in sepulchrum, bona in hæredes sparguntur. Vlmum mihi considera in nubes pæne attollentem caput, ingentem habet truncum, ramos plurimos, folia innumera, fructum nullum, quamvis ad aquas depacta. Sed & pomum arborem non magnam, nec aquis vicinam, pomis tamen refertam. Quid hoc rei? procera & crassa ulmus plurimum succi è terrâ trahit, sed id omne in brachia, in truncum, in folia protrudit; arbor pomifera licet exigua vim suam omnem in fructus & poma mittit. Ita dilorum aliqui, divitias, quas è terrâ sumunt, in famulos, in paralitos, in supellectilem, in equos, in convivia consumunt. En ulmos proceras, sed steriles & infœcundas, è quibus centones vix quidquam auferant.

Matt. c. 19. v. 11.

Fuit pomus futuræ miseriæ, qua statuarde cem millia pomorii tuerit, supra dictum.

Talia sunt & flumina, quæ maximam aquarum copiam secum devehunt, sed arentibus terris, quas transeunt, nihil communicant. Iberus, Tagus, Durius, copiosi fluvii, sed sitientem glebam non rigant. Ita opulentorum nonnulli, quidquid opum possident, intra suas ripas continent, parum inde in arescentes pauperes emanat. Non negat Chrysostomus moveri sibi bilem, spectanti frenos equorum aureos, ephippia acu picta, & quidquid horum luxus spectandum objicit dum interea pauperes seminudi algent, & neque cum canibus & equis in partem venire possint. Hæc hactenus occinui. Vereor demum, ne illud Evangelii cogar usurpare: *Cantavimus vobis tibiis, & non saltastis.* Cantores multi, sed qui saltent in hoc liberalitatis odeo, pauci sunt. Nos hic clausulam apponemus dictis. Vt saltem hæc paucula compendio adjuncta nemini non constent. 1. Eleemosynas totis Bibliis ubique commendatissimas, nec ferè aliud adeò urgeri. 2. Eleemosynas à priscis Patribus frequentissime ac summè laudatas. 3. Avaros & immites pecuniæ amatores, vera immisericordiæ mancipia, graviter punitos. 4. Benignos ac liberales pauperum patronos copiosissimè remuneratos. 5. Eleemosynarum largitionem esse variam.

Luc. 7. v. 32.

§. I.

Eleemosyna divinis oraculis laudatissima. Chrys. to. 3. ho. 35. in c. 11. Act. Appl. mihi pag. 528. Tob. c. 4. v. 11. & 12. Luc. c. 11. v. 41.

PRimum: *Eleemosyna divinis oraculis laudatissima.* Per omnem ubique Scripturam, inquit Chrysostomus, super hac re sermo est. A Genesi ad Apocalypsin sacras paginas evolve, & piæ liberalitatis encomia reperies creberrima, maxima. Quid dici potest amplius? *Eleemosyna ab omni peccato, & à morte liberat, & non patietur animam ire in tenebras. Fiducia magna erit coram summo Deo eleemosyna omnibus facientibus eam.* Quid gravius, quid speciosius hoc elogio? Christus ipse supremum Veritatis oraculum, imò ipsa Veritas: *Verumtamen quod superest*, inquit, *date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis.* Extremi judicii die, de solis eleemosynis discutienda quæstio proponitur.

De quâ re examinâdi in extremo judicio.

Grammaticæ, Poëticæ, Rhetoricæ discipulus examen subiturus id anxiè versat animo: Si scirem quæ in examine interrogandus essem, responsum jam pararem. Heus Christiane, die mundi ultimo examinaberis; tu jam responsum para. Sed præscire potes, imò debes, quid examinandus sis; jam præmoneris, idque sexcenties, idque millies. Princeps erit quæstio,

A quoties, quomodo, quantum eleemosynarum dederis; an panem, vestem, an pecuniam amore Christi largitus fueris. Apta responsio non è libris, sed è loculis petenda. Iam illam pete, iam loculos in Christum pauperem, sed futurum judicem effunde.

Supremus hic judex naturam speculorum imitabitur, quorum quæ veriora & exactiora sunt, talem repræsentant vultum, qualis est vultus speculo præsens. Si turpis deformem, si formosus elegantem, si alacris hilarem, si mœstus tristem, si iratus ferocem, si mitis suavem, si timidus paventem. Speculi laus est, inspicientis autem culpa, si fœdus & indecorus prospicit, qui vitrum illud inspicit. Ita æquissimum Christi judicium, & ipsius vultus judicis nostras affectiones induet: qualiacumque fuerint à nobis commissa, taliâ tunc nostris oculis objicientur ab illo speculo divino. Si duri fuimus & immisericordes, talem cernemus judicem, & decretum velut in tabellâ terrificum legemus: *Ire maledicti in ignem æternum.* Si misericordiæ viscera patefecimus, per patulum ac hians vulnus lateris Dominici vulnus in corde Christi penito inscriptum cernemus illud mellitissimum: *Venite benedicti.* Tunc judicis mater oliva speciosa ramos non degeneres agnoscet. *Erit* enim *quasi oliva gloria nostra.* Tùc Angelus percussor nil amplius nocere poterit, cui præceptum est; *Vinum & oleum ne læseris.* Tunc judici liducià familiarissimâ licebit dicere: Da, quia dedimus, quia tui causâ, quia tibi dedimus, miserti sumus aliorum, tu nostri miserere: fecimus quod jussisti, imple quod promisisti. Tunc respondebit nobis & justitia & misericordia nostra. Impetrate quod petitis, quia justa petitis. Mihi (dicet judex) misericordiam tribuistis, quæ præmium capere potest; accipite præmium, cujus pretium æstimari non potest. Fragmen panis famelico mihi dedistis? nunc meipso saturamini, qui panis sum vitæ. Peregrinos tecto recepistis? vos Angelorum cives facio. Algentem & nudum me lanâ fovistis? nunc ab igne & frigore, ubi fletus & stridor dentium, liberatos purpurâ immortalitatis vestio. Oculus cæco, claudis scipio, manus debilibus fuistis; nunc oculi vestri nil amplius caliginis, nunc manus plantæque vestræ nil fatigationis amplius habebunt. Miseros auxilio, afflictos solatio levastis, nexos liberastis; venite dilectissimi, possidete paratum vobis regnum, à quo mœror, gemitus, dolor, mors omnis procul exulat. Fulgebitis sicut sol, & gaudebitis in omni voluptatum affluentiâ, in perpetuas æternitates; nam sicut auctoris vestri perennitas non habuit initium; ita felicas vestra non habebit terminum.

Matt. c. 25. v. 41. Matt. c. 25. v. 34. Ose. c. 14. v. 7. Apoc. c. 6. v. 6. Gen c. 36. v. 33.

Eleganter hæc Petrus Chrysologus hunc in modum exponit: *Non dixit, Esurivit pauper, & dedistis illi manducare. Sed Esurivi ego, & dedistis manducare mihi. Sibi datum clamat, quod pauper acceperit; se manducasse dicit, quod comederit pauper; quod biberit pauper, sibi tractatur infusum. O quid agit amor pauperis! Gloriatur in cælo Deus, unde pauper erubescit in terra; & hoc reputat in honorem sibi, quod pauperi computatur injuria. Nimium est, quòd sapit Deo paperu cibus. Saginatum se pauperi escâ prædicat in regno cæli coram omnibus Angelis in conventu resurgentium. Quòd Abel passus sit, quòd mundum servavit Noë, quòd Abraham fidem susceperit, quòd Moses legem tulerit, quòd Petrus crucem resupinus astenderit, Deus tacet; & hoc solùm clamat, quòd pauper comedit. In cælo prima est esurientis annona, prima stipendia pauperis tractantur in cælo, erogatio pauperis prima divinis scribitur in diurnis. Beatus, cujus nomen toties Deo legitur, quoties ratio pauperis recitatur in cælo.*

Chrysol. ser. 14. mihi p. 42. Hæc eadē fasè tractat Chrysost. tom. 3. hom. 5. de pœniten. mihi pag. 738.

† Creberrimâ id testatur experientia. Ita Octavian. de Tuso in c. 17. Eccli. mihi pag. 586.

Est prope † Puteolos horribilis specus, in eam si animantia ingrediantur, aut moriuntur, aut humi dejecta mori creduntur. Eadem si extrahantur, & aquâ perfundantur, mox fugitivam animam recipiunt. Immensum mors antrum habet. Quisquis hoc subit,

pedem non refert vivus. At eleemosyna instar vitalis undæ, vim omnem mortiferæ specûs retundit: *Eleemosyna à morte liberat.*

Chrys. tom. 6 od. ho. 33. pag. 220. Prov. c. 3. v. 3.

Quid itaque, ait Chrysostomus, *differs & torpes? cùm jam tanta receperis, & tot expectes? quid circa pereuntes pecunias tam pusillanimiter agis?* Audi admonitionem pertutilem: *Eleemosyna ac fides non te deserant. Non dicit, semel facias, neque secundò, neque tertiò, nec decies, nec centies, sed perpetuò. Quemadmodum divitum liberi circa collum bullam habent auream, illámque numquam deponunt, utpote quam tamquam nobilitatis suæ insigne gestant: ita & nos eleemosynâ semper amiciendi sumus, ut ostendamus nos misericordis ac benigni patris esse filios.*

Ambr. to. 5. ser. 81. mihi pag. 893.

Quòd si magistratus, inquit Ambrosius, *mimis & athletis, & gladiatoribus in theatris totum pæne patrimonium largitur & prodigit, ut vulgi favorem nihil sibi profuturum colligat: tu dubitas & cunctaris munificus esse in hujusmodi largitionibus, in quibus judex residet Deus, faventium & acclamantium vulgus angeli; ubi omnes qui à sæculo fuerunt Sancti, laudatores & prædicatores tui sunt: ubi laus & favor non simul cum die cessat, sed cum sæculis permanet: ubi honores non unius urbis, sed cælorum regna mereberis. Et hæc omnia conquiruntur per misericordias pauperum. Veni ergo, si videtur, si horum quæ dicimus, apud te fides vera est, divitias nostras consultè & utiliter disponamus.*

§. II.

Eleemosynæ à priscis Patribus sûmè sunt commendatæ.

ALterum: *Eleemosynæ à priscis Patribus sic frequentissimè ac summè sunt commendatæ.* E superioribus, censeam, abundè id liquere. Neque hîc animus est benevolas Lectoris aures onerare. Aureus orator Chrysostomus pro plerisque omnibus locuples testis his omnino verbis pronuntiat: *Magnum & pretiosum quid, homo misericors. Ista major est gratia quàm mortuos excitare. Nam eò quòd in nomine* IESV *mortuos excitavit, hoc multò majus est quòd pauperes pascunt Deo. Nam hîc quidem tu Christo benefacis, illic autem ipse tibi; hîc (de signis loquor) ipse debitor esseveris Dei; in eleemosynis Deum debitorem constituis. Eleemosyna autem est, quando cum alacritate sit, quando cum liberalitate; quando non putas te dare, sed accipere, quasi lucrum faciens, & non perdens; alioqui neque gratia est.*

Chrys. to. 4. ho. 16. in ep. 2. ad Cor. mihi pag. 724. Idē repetit to. 5. ho. 7. de pœnit. pag. 745.

Idem to. 5. hom. 33. ad pop. pag. 219.

Fuit Chrysostomus tam vehemens ac copiosus in commendandis eleemosynis, quàm in objurgandâ jurandi consuetudine acer & disertus. Hinc illæ oratoris Græci querelæ: *Iam enim ipse confundor*, inquit, *amplius disserens de eleemosynâ, eò quòd frequenter de hac materiâ verba fecerim, & nihil dignum effecerim admonitione. Nam factum quidem est aliquid melius, sed non tantùm quantùm ipse volebam. Vos namque seminantes quidem videmus, sed non largâ manu: propterea timeo ne & parcè metatis.* Addit: *Etiamsi semper hîc viveremus, neque sic tamen pecuniæ parcere deberemus. Quam enim habebimus defensionem, nec ex proventibus ministrantes esurientibus & laborantibus? Nec enim cogo te patrimonium diminuere, non quod nolim, sed quoniam te valde torpentem video. Non hoc itaque jubeo, sed ex fructibus expende, nihilque thesaurizes.*

Ibidem.

O triste avaris verbum! nihil thesaurizare, mors illis est. Sed hîc, ô deparci, frænos mordete: non hoc Chrysostomi dumtaxat consilium, sed Christi præceptum est: *Nolite thesaurizare.* Thesaurus terræ, irrisus cæli brevem opulentiam ah quoties æterna sequitur paupertas! Nihil igitur, quod Chrysostomus monet, quod Christus jubet, nihil thesaurizes. Dispensator es, non dominus, cur igitur & cui thesaurum colligis?

Matth. c. 6. v. 19.

Ambr. to. 5. ser. 81. mihi pag. 891.

Ambrosius ejus rei commonens: *Dispensatorem*, inquit, *conservorum tuorum te ex dominicis facultatibus esse cognosce. Nec existimes quòd omnia ventri & delicis tuis terra producat. Quæ in manibus habes, commissa tibi magis quam concessa cognosce. Parvo tempore super iis aliquantulum lætaris, & abuti eis voluptuosius delectaris: cum vero hæc pariter cum vitâ nostrâ defluxerint, rationem dispensationis nostræ vocamur Domino reddituri. Hîc mihi te paullisper indulge, ô quisquis es, qui divitiarum dispensationem in hoc mundo sortitus es, & te in illo terribili Dei judicis tribunali astantem paullulum quid vacans, si tamen vacare potes, à divitiarum sollicitudinibus, intuere. Cùm interrogari cœperis: Commissas tibi opes cum quibus egentibus divisisti, quibus necessitatem patientibus subvenisti, quos de carceribus liberasti, quibus pupillis pater, cui viduæ vir castis provisionibus exstitisti? pecunia mea, fructus mei quid apud te operis habuêre? Tu ad hæc sine dubio respondebis: Omnia simul composita ac recondita claustris validissimis & signaculis tutissimis communivi, nulli quidquam tribui, quin imò & ad custodienda ea vigilias meas addidi, curas impendi, sollicitudines adhibui.*

Sed jam audi sententiam: *Stulto consiliario usus es temetipso.* Hac nocte repetent à te animam tuam, & quæ parasti cujus erunt? *Si ergo desideras gratiam, auge charitatem. Plus tibi pecunia illa proderit, si non tamquam affluentem tribuas, sed tamquam profuturam Christi nomine largiaris; si ita conferas pauperi, ut deferas Christo.*

Idem to. 5. in c. 7. Luc. mihi pag. 126. Luc. c. 12. v. 19.

Hæc Basilius eximiè confirmans: *Sicut semen*, inquit, *in terram jactum fructum centuplum, ita & eleemosyna data pauperi. Si ergo unus tantùm tibi sit panis, & ad fores rogatur, deprome illum, & tollens manus in cælum dic: De modico do fratri, & tu Domine da mihi periclitanti. Nec dubita; quin panis, quem in hac dabis penuriâ, agriculturæ semen ad copiam ministrabit. Sicut autem putei continuò exhausti, copiosiore fluunt aquâ, dimissi verò & quieti facilè putent; sic & opes reconditæ inutiles sunt, translatæ in pauperes fructum pariunt.*

Basilius de Eleem. & in Luc.

Hinc ille vir sanctus, cui nomen Deus-dedit, in egenos tam munem & effusum se præstitit. De quo Gregorius: Habitabat juxta nos, inquit, vir pius ac religiosus, opificio sutor, qui suendis calceis per hebdomadem manu pretium collegit, quidquid autem ex eo victûs & vestitûs necessitas reliquit, id omne die sabbati ad templum deferens in pauperes erogavit. Hanc ob eximiam hujus opificis domum vir sanctus quovis sabbato vidit ædificari & crescere.

Martyrol. Rom. 11. Aug. Greg. l. 4. Dial. c. 36 in fine.

Eleemosynam rectissimè semen dici jam suprà ostendimus, quia non est sumptus, sed redditus: hoc semen semel spargitur, bis metitur, in hac & meliori vitâ. Sed semen hoc spargendum est, antequam mortis hiems ingruat. *Ideo*, inquit Augustinus, *rogans dives non exauditur in tormentis, quia rogantem pauperem non audivit in terris. Dives & pauper, duo sibi sunt contraria. Sed iterum duo sibi sunt necessaria. Nullus indigeret, si invicem se supportarent; & nemo laboraret, si se ambo juvarēt. Dives propter pauperem factus est, & pauper propter divitem creatus est. Da ergo petenti, ut ipse possis accipere; tribue pauperi, si non vis flāmis exuri; da in terrâ Christo, quod tibi reddat in cælo. Obliviscere quod es, & attende quod futurus es. Præsens vita fragilis est, & in mortem proclivis. Nemo potest stare, sed omnes cogimur transire. Nolentes imus, ineiti eximus, quia mali sumus. Si autem ante nos aliquid mitteremus, non ad inane hospitium veniremus. Quod pauperi damus, ante nos præmittimus. Dona pauperum, lucra sunt animarum.*

Augustin. de Verbis Dom. serm. 25. mihi pag. 141. Notum hoc objicim. to. 1. Chrys. ser. 2. in c. 16. Luc. fer. ad Z. 160. pag. 1173.

§. III.

TErtium: *Avari & immites pecuniæ amatores graviter puniti.* Verè signum in scopulo, purpuratus Epulo in carcere inferno, negavit micas, decidit in flammas. Narrant diversi, Anno Christiano nongentesimo septuagesimo, ævo Othonis Magni Cæsaris, Moguntiæ egisse Hattonem, secundum ejus nominis Antistitem, quâ quidem tempestate dira fames Germaniam populabatur. Hatto pauperum complures in amplum horreum spe stipis congregari, sed plurimis jam congregatis domum illam ligneam incendi jussit, quando hoc genus hominum consumendis frugibus

Avari & immites graviter puniti.

Caesarum progenies Mogunt. Flores Hist. Marianus Scotus, Godefr. Colon. Chronogr. sub an. 970.

gibus natum nil differret à muribus. Cùm autem ululatus ac stridor horribilis jam ardentium audiretur, dixisse ferunt Hattonem: Audin', ut mures sibilent? Deus tyrannidem exosus, mures catervatim in hominem immisit. Hi Dei milites ita miserum diu noctúque afflixerunt, ut medio Rhenj ad Bingam oppidum turrim eduxerit. Frustra. Nil agunt hominum arma, cùm Deus impugnat. Nam mures agmine facto sine cymbâ tra ecerunt Rhenum, & destinatam sibi prædam invaserunt. Ita infelix inter mures mortê objit sedignam. Caviliim luit, homicidium sensit, cibus murium fuit, qui turbam famelicam, ut mures, jugulavit. Ferunt ipsum etiam hominis nomen è parietibus & tapetibus ab ultricibus bestiolis erasum. Hæc ego sic gesta non affirmo. Hoc aio: Longè suavius est à muribus torqueri, quàm à dæmonibus: levius est suppliciis puniri vel exquisitissimis, sed demum finiendis, quàm flammis cruciari sempiternis. Epulo Hebræus mendicorum carnifex, homicida Lazari, non in murium turri, sed in inferno reperit sepulchrum, non inter mures, sed inter dæmones assiduè moriturus, semper sepultus. Hoc expendens Isidorus: *Multi ait, te Lazari circumdant, in eos pecuniarum flammam excute, & cum his illic refrigerationem ac solatium consequeris.* Parata sunt immisericordiæ supplicia.

Doctissimus Cæsar Baronius è Cedreno hominis deparci fatum subitum ita memorat. Anno à partu Virginis quingentesimo quinquagesimo tertio, Constantino Heraclii filio imperante, civis opulentus Constantinopoli vitæ anceps decubuit. Et quia mortem formidavit, auri libras triginta in pauperes erogari jussit, magnâ quidem, sed trepidâ liberalitate. Valetudini præter spem jam restitutus tam insignis facti pœnitere cœpit. Hunc animi mœrorem & pœnitentiam sanè turpissimam amico aperuit. Monuit ille hominem, ne pœnitendam duceret hanc largitatem; Numini porrò fideret, ac remunerationem expectaret. Nil verbis motus Euclio in sententiâ obstinavit. Ergo amicus ille: Quando, inquit, hoc consilium non admittis, aliud tibi subjiciam: Agedum, ait, unà mecum ad templum adi, & à me pecuniæ illud erogatum ita profitere: *Domine non ego, sed iste dedit eleemosynam.* Mox ego tibi in solidum triginta libras auri refundam. Grata fuit infelici hæc sponsio. Ad templum abiit, sed non rediit. Nam ubi in templo concepta verba pronuntiavit mox aurum ab amico in manus accepit. Iámque domum rediturus ad ipsum templi limen concidit mortuus, omnibus, qui præsentes aderant, ingenti horrore ac pavore correptis. O miser! ut servares pecuniam perdidisti animam. Ita & pecuniam & animam æternùm amisisti. Licet hic cum Poëtâ vociferari:

Prò superi! multo Deus emit sanguine servum:
Exiguo servus non emit ære Deum.

O Christiane, quisquis es, ut unicam serves animam, perde vel immensam, perde vel omnem pecuniam. Non est jactura, quam lucrum animæ comitatur; non est lucrum, quod animæ jactura sequitur. Avaritiæ tenacitas dum locellis parcit, unum subinde florenulum condit, & mille acquirendos negligit. Opulentus, sed stultus Nabal leviorem recusat sumptum, & vitam perdit. Petierat à Nabale David non subsidium grande, quo famem suorum militum solaretur. At Nabal erigens supercilium: *Tollam*, inquit, *panes meos, & aquas meas, & carnes pecorum meorum, quæ occidi tonsoribus meis, & dabo viris quos nescio unde sint?* Sordidissime mortalium, non tantùm panes tuos egentibus dare, sed & aquas tuas eisdem propinare inter dispendia numeras? Meritò percutiet te Dominus, *Cúmque pertransissent decem dies, percussit Dominus Nabal, & mortuus est.* Deus homines tam avaros & immisericordes spoliat bonis, ejicit templo, privat vitâ, excludit cælo, detrudit orco. Optimè dixit Gregorius: *Ficulnea sine fructu terram occupat, quando mens tenacium, hoc, quod prodesse multis poterat, inutiliter servat.*

Dicuntur fascinatores tunc maximè venenum ab oculis jaculari, cùm eos figunt in parvulis, quibus necem afferunt, dum illis necessarii cibi fastidium immittunt. Vnde fit, ut tales pueruli maternum uber repudient, fame sitíque contabescant. Pauperum fascinator est homo avarus & immisericors, qui torvo ac immiti oculo egenos verberans, illisque panem & alimenta negans, cogit velut veneno lento sensim tabescere, crudelis homicida. Si non pavisti, occidisti.

Certissimum illud Hebræi Sapientis: *Qui obturat aurem suam ad clamorem pauperis, & ipse clamabit, & non exaudietur.* Obturat, qui audire dissimulat, qui aditum ad se negat, qui pauperum preces libellosque supplices, ut sibi molestos, aut repudiat, aut nauseat. Sed norit iste geminum sibi malum imminere. Primum est; tandem & ipsum ea premet necessitas, quæ clamorem & ejulatum exprimet. Alterum est; clamabit, & non audietur, qui audire noluit. Solymæam purpuram in flammis sitientem cernite. Inclamat Abrahamum Epulo; non auditur: rogat aliquem mitti Lazarum; non attenditur: stillam aquæ petit; negatur: è mortuis ad fratres mitti postulat; non mittitur. Clamavit, & non est auditus; clamabit æternùm, æternùm non audietur. Heu quàm rigidi sunt Cælites! Memento fili, quòd Lazarus non ita pridem te inclamaverit, & à te auditus non sit. Nunc mutatæ sunt vices, tu Lazarum inclamas, & non audiris. Par mensura, talio justissima. Vaticinium Salomonis noveras: Aures in pauperum clamorem surdas simillimo supplicio puniendas; vociferantes non audiit, ergo non audiatur, cùm & ipse vociferatus fuerit. Portæ inferorum ferreæ sunt; avaros, qui ferrei pectoris fuerunt, claudunt. Immisericordia pandit aditum ad gehennam.

Per Ezechielem jam olim pronuntiat Deus: *Complosi manus meas super avaritiam tuam.* Tu manus auxiliatrices pauperibus subtraxisti; erit cùm meas tibi porrigi voles, & non porrigentur. Non invenies manus, nisi plenissimas indignatione. Ideo jam eas super te complosi. Frustra clamabis; non audiam, non auditus.

Memorant virum ceterà modestum, sed adeò mendicis asperum, ut nec voces quidem rogantium aquis auribus toleraret, & ob eam caussam in remotiori ædium parte habitasse, ubi nullos mendiculorum quiritatus audiret. Illuxit demum suprema dies; naturæ concessit; amplo funere in templum elatus est. Sacris funebribus operari cœpit sacerdos. Quoties autem solemne illud pronuntiasset: *Dominus vobiscum*, toties imago Christi crucifixi, prodigio luculento visa manus clavis eximere, & digitos ambabus auribus ingerere, velut indignaretur preces pro defuncto fusas excipere, & tamquam omnibus attestaretur illud palàm: Non auditus non audio. Cognitâ penitùs caussâ prodigii tranquillior fuit in plebe admiratio. Vox omnium erat: Nemo preces pauperum repellat, surdus est Christus surdis; auditus in suis audit; neglectus, repulsus, negligit, repellit.

At ego, inquis, si tot mendicorum clamores audio, & largiùs stipem erogo, rei familiaris non modicum perdo. Augustinum ausculta, hæc tibi verba divino monitu reponentem: *Quid ploras stulte pravi, aut non sani cordis? Quare perdidisti? nisi quia mihi non commodasti? si dolet qui perdidit, hoc doleat, quia non ibi posuit, ubi perire non potuit.*

Ad Nicol. Serarium de triplici Magistratu sex tractatibus exactè hanc fabulam refellit, vide pag. 692. ab hujus ego parte centesimam quandum, qui tractatibus accuratiùs examinavit.

Isid. Pelusiota l. 1. ep. 9. 215.

Baron. to. 7. Annal. ann. 533. è Cedreno.

Supra notavimus.

1. Reg. c. 25. v. 11.

Ibid. v. 38.

Greg. parte 3. Pastoral. admon. 24.

Refertur dist. 80. cap. Palee, &c. serm. ad divites avar.

Prov. c. 21. v. 13.

Duplex malum avaris imminet.

Ezec. c. 22. v. 13.

Ioan. Duegnius Hispan. Spec. Tristium c. 1.

Aug. to. 8. in psal. 36. mihi pag. 123. sinc.

At multi, ais, me multò ditiores minus eleemosynarum dant quàm ego. Ne, quæso, alienam culpam prætexas tuæ. Non ideò meliùs fit, quod à multis fit. Errantium multitudo errorem non corrigit. Et hîc illud Cypriani usurpem: *Consensere jura peccatis, & cœpit esse licitum, quod factum est publicum.* Tot deparcorum hominum avaritia, fateor in publicos mores transiit; alter alterius exemplo perit. Sed istud non ideo honestum, aut utile censendum, quia multi id faciunt. Tu probos attende, non multos.

Cyprian. ep. 2. ad Donatum.

Sed iterum obducis: In ornanda templa mei sese loculi pandunt, aras frontalibus convelo, parietes tabulis exorno. O te hominem mirificè liberalem! saxa vestis, & domesticum malè vestitum non operis: parietes templorum ornas, & servos tuos ac ancillas fame crucias. Obsecro, liberalitatis ordinem observa, & vivis Christi membris primam impende curam; hinc transire ad alia licebit.

Dum Moses colloquiis divinis suaviter in monte pascitur, plebs Israëlis impatiens moræ, jámque Aaronem compellans: *Fac nobis Deos*, inquit, *qui nos præcedant: Moses enim huic viro, qui nos eduxit de terrâ Ægypti, ignoramus quid acciderit.* Restitit Aaron iniquissimæ petitioni, & quò magis populum absterreret ab hac insaniâ, exadversum & ille petiit, quod arbitratus est ægerrimè concedendum. *Tollite*, ait, *inaures aureas de uxorum, filiorúmque & filiarum vestrarum auribus, & afferte ad me.* Verborum interpres Augustinus: *Intelligitur*, inquit, *præcipere Aaron difficilia, ut hoc modo eos ab illâ intentione revocaret.* At secus omnino, quàm putaverat, evenit. Nam populus ad dandum promptissimus certatim aurũ contulit. Inde vitulus, inde idolum: Quòd si Aaron hanc pari molem in eleemosynas, aliámve piam molitionem petivisset, cunctatores indubiè habuisset, fortassis vix inanes pauculas, aut nullam accepisset. Ad conflandum idolum liberaliter fluit aurum. Ita passim in orbe res geritur. Ad aucupium honoris, satis est auri, ad illicium voluptatis non deest moneta, ad pompæ apparatum suppetit argentum, ad vestium luxum pecunia in promptu est, ad conviviorum ganeam nummi copiosè fluunt; ad dandas eleemosynas nil æris supereſt, hîc Tagus & Pactolus omnis exaruit. Ad fabricanda idola aurum propinat arca; cùm juvandi sunt pauperes, omnium arcas obserat mentita paupertas. Vos hinc apagite; nemo domi est; exulat pecunia, Deus juvet; quid nos prece querulâ fatigatis? jam diximus, nemo domi est.

Exod. c. 32. v. 1.

Ibid. v. 2.

Ad pompę apparatũ, suppetit argentum ad dandas eleemosynas nil æris supereſt.

Expectate paullulum, brevî & vos ipsi clamabitis: & nemo domi erit: pulsabitis, sed frustra; Cælites non erunt domi: aditum rogabitis, sed respondebitur: *Nescio vos*, facessite, non sum domi. *Iudicium sine misericordiâ illi, qui non fecit misericordiam.* Sed hæc, inquies, & plura talia jam suprà monuisti. Memini, mi homo, sed & te velim meminisse, hæc centies moneri, immisericordiam millies reprehendi, vix umquam emendari. Pauperculæ viduæ in judicem iniquum & in causis cessatorem validissimus fuit aries, *Importunitas*. Hîc idem faciendum.

Matt. c. 25. v. 21. Luc. c. 2. v. 13.

Luc. c. 18. v. 5.

§ IV.

Liberales pauperum patroni copiosissimè remunerati.

QVartum: *Benigni ac liberales pauperum patroni copiosissimè remunerati*, Nimirum Christus nascitur in Bethlehem, hoc est, in domo panis. Illos potissimùm homines, familias illas, urbésque Christi gratia inundat, quæ Cerealis domus & refugium panarium sunt pauperibus, quos crebris largitionibus adjutant. An non Zachæi familiam hæ voces commendant? *Hodie huic domui salus à Deo facta est.* An non Christus eum hospitem quærit, qui bonorum dimidium pauperibus tribuit? an non, ut Ambrosius loquitur apud hunc ipsum non invitatus se invitat, qui sciebat hospitis sui uberem esse mercedem? an non Cornelius Cæsareæ Centurio, cum omni familiâ his ipsis artibus factus est Christianus? *Erat enim vir religiosus, ac timens Deum cum omni domo suâ, faciens eleemosynas multas plebi.*

Luc. c. 19. v. 9.

Act. c. 10. v. 2.

Cameracensis proëpiscopus, qui ævi sui admiranda scripsit, de viro principe bonâ fide commemorat narratu dignissima. Theobaldus Blesensis ac Carnotensis Comes ex omni Gallicâ nobilitate liberalissimus iter fecit mediâ hieme, quæ tunc solito fuit asperior. In viâ Theobaldus obvium habuit mendicum seminudum & algẽtem. Hic voce altâ Comitem inclamans stipem petiit. Cui humaniter Comes: Quid tibi singulariter, inquit, vis dari. Huic pauper: Da, obsecro, ait, vel capiti tegmen. Non distulit Comes & suum ipse cucullum dedit mendico, unáque addidit: Pete, si quid vis amplius: ille audacter: Da exteriorem, inquit, tunicam tuam. Promptè dedit. Acceptâ illâ, mox iterum mendicus: Adde, obsecro, ait, etiam interiorem: mea nuditas postulare hæc cogit. Dedit & istam Comes. Continuò flebili voce mendicus: Mi Domine, inquit, precibus meis ignosce, & en caput glabrum & ulcerosum; adde igitur & pileum. Hîc Comes paullulum erubescens, nam & ipse calvus erat: O bone, inquit, nimiùm premis petendo; darem & pileum, sed eo carere non possum. Quo dicto pauper relictis vestibus evanuit. Hîc Comes ex equo desiliens, & in omnem partem ejiciens oculos lamentari cæpit & pectus pugnis plangere, fugam mendici tam divitis revocatum cupere, sua omnia in donum, seipsum in servum & mancipium offerre, omne obsequium spondere. Sed mendicum querimoniis non retraxit. Hoc denique Theobaldus apud animum suum sanctissimè statuit, nulli deinceps pauperum stipem petenti negare, sed facere quod Dominus jubet: *Omni petenti tribue.* Nec Christum sensit immunificum. Nam hic ipse Theobaldus Comes ad mendicum sæda leprâ deformem creberrimè revisit. Nec enim umquam leprosi hujus tugurium transiit quin diverteret, affatu recrearet, solatiis mulceret, eleemosynis juvaret. Fuit, ut absque arbitris, quod solebat, casam illam ingrederetur. Sed contrà quàm sperare potuit, virus valetudinis integerrimæ invenit. Novâ viri specie obstupefactus, & diutulè hæsitans, num suis oculis haberet fidem, ambigebat. Hîc personatus pauper: Ego, inquit, leprosus ille sum; naturæ debitum solvi, paupertatem & lepram deliciis cælestibus commutavi. Tuæ verò in me ceterósque pauperes liberalitati Deus amplissimè respondebit. Hoc age, ac persevera. Theobaldus incredibili gaudio elatus abiit domunculâ. Abeunti quidam è familiaribus: Illustris domine, inquit leprosus ille quem quæsiisti, pridem obiit. Theobaldus arcanum hoc cautè dissimulans: Deus, inquit, pios manes soletur.

Thom. Cantipratan. l. 2. de mirac. lis sui ævi c. 25. n. 14. & 15.

Supervacaneum, aut scriptor.

Luc. c. 6. v. 30.

Deficere nescit, cui manum porrigit acceptor è cælo. Habet etiamnum imitatores Theobaldus, sed paucos; habet imitatrices, sed raras. Leonora Austria Imperatoris Maximiliani II. soror, Rudolphi II. amita lectissima & pientissima femina, eo affectu in alienam pauperiem ferebatur, ut nulla mater tam unicè suos, quàm illa veros pauperes diligere visa sit. Nam ut iis tantò largiùs consuleret, pecuniam è suis vestibus gemmisque redegit. Vestem linteam non modò corporum, sed ipsis etiam culinæ usibus (quæ illius singularis submissio fuit) suis ipsa manibus consuit, eáque in re nobiles pedissequas adscivit adjutrices. Cúmque morbo impedita cessare ab opere cogeretur, nihil tam dolebat, quàm quòd cum ceteris feminis acum ducere non liceret. Hæc ejus liberalis pietas latissi-

Annus Christi 1584.

latissimè patuit, per omne genus hominum pervagata. Nullum illa tempus opitulâdi miseris prætermisit. Publica nosocomia, & privatorum ædes, in quibus ægros esse compererat, intervisit, idque tanto studio & alacritate, ut nemo umquam vel tenuissimus ejus optârit officium, cui non illa perbenignè contulerit. Nocte intempestâ sæpius surrexit de cubili, ut adesset ægris; sæpe cum iis triduum quatriduumve traduxit. Ingenuéque confessa est aliquando viro religioso, cùm ille fortè prodeunti foràs interveniret, se quidem auræ captandæ gratiâ egressum simulare; re tamen verâ, ad feminam prodire graviter affectam: Quæ quoniam in me, inquit, secundùm Deum spes suas habet, bonæque, ut audio, æstimationis est, faciendum mihi censui, ut eam hodie convisam. Multa insuper ad ægros domo misit, quæ in eorum usus suis ipsa manibus apparavit. Nam & bellariorum, & aquarum, & olei complura genera, ægrotorum causâ domi confecit. Sæpéque factum est, ut morosos abigeret morbos, ægróque diuturnâ medicorum arte delusos domestiis tantùm præsidiis ac curationibus ad pristinas vires revocaret.

En Elisabetham redivivam, matrem pauperum beniguissimam. Verè de regiâ hac feminâ dici poterit: *Manum suam aperuit inopi, & palmas suas extendit ad pauperem. Fortitudo & decor indumentum ejus, & ridebit in die novissimo.* Verè

Hoc homo sibi reponit, pauperi quod erogat.

Quid memorem Bartholomæum Regem in Iapone, qui patri suo regiè parentavit pauperum conviviis. Consuevere Iaponii Principes manibus mortuorum decemdialia ferè sacra, non sine magnâ Bonziorum prædâ saginâque persolvere. Bartholomæus Rex, parente, qui eum adoptârat, mortuo, pro exequiis illis Bonziorúmque helluationibus, totidem dierum epulum, sex millibus pauperum præbere instituit: partim ut sibi ipsi, quoniam impio parenti non poterat, divinam gratiam conciliaret; partim etiam ne post Christiana sacra susceptà, pristinæ benignitatis atque clementiæ oblitus esse videretur.

Benignitas in pauperes Christianum & facit & perficit. Eustachius certè Trajani Cæsaris Magister equitum his ipsis artibus ad Christianam religionem penetravit. Nam ei, cùm in venatu cervum ardentiùs insequeretur, inter feræ cornua crucifixi Servatoris effigies est objecta; quæ arcano afflatu monuit, futurum ut ob beneficentiam in pauperes Christianis accenseretur. Ita qui largitate juvit miseros, religione receptus est inter beatos.

Euphemianus Romanus, senatorii ordinis vir opulentus, & Aglaë conjux ejus improles, quotidie structis mensis pauperculos reficiebant, eisdémque ipsimet ministrabant. Quo pietatis cultu parentes esse meruerunt Alexii, qui novis mundum artibus delusit. Hoc filio in lucem edito pari consensu continentiam servârunt. Tam fœcunda fructuum est eleemosyna, ut sterili partum, partui sanctitatem, parentibus castitatem, omnibus paradisum dederit. Oraculum est minimè fallax: Benigni ac liberales pauperum patroni copiosissimè semper remunerati sunt.

Et profectò eleemosyna nostra plus habet obsequii divini, quàm beneficii nostri. Testatus hoc affirmatissimè Ambrosius: *Beneficium largientis*, inquit, *præbenti magis permanet quàm suscipienti. Nam misericordia quidem ad indigentem pervenit, gratia autem multiplicatæ mercedis permanet tribuenti. Esurienti dedisti panem: ille quidem passus & refectus, sed ad te redit, quod dedisti, cum fructibus & usuris.*

Marcellus Archimandrita cœnobii Acœmetarum, hoc est, Non dormientium, jusserat tribus Episcopis è captivitate redeuntibus, quidquid auri superesset, dari. Oeconomus fatuè prudens, & perniciosè sagax è decem aureis dedit novem retento uno in usus alios. Non multo pòst tempore ad Marcellum venit, qui novem talenta dono tulit. Accepit ea vir sanctus, & gratias egit. Mox œconomum ad se accitum acriter objurgans: En, inquit, homo avare, fructum stultæ parsimoniæ. Ab hac est, quòd uno talento minus acceperimus, dena utique accepturi, si tu, quod jussus es, dedisses decem aureos. Avaritia est, non parsimonia; dispendium est, non lucrum, pecuniis in egenos tribuendis parcere. E diverso benignitas in pauperes copiosissimè semper remunerata.

Narrant fuisse Romæ virum, qui beneficentiâ & liberalitate reculas suas ità imminuerit, ut egestatem illi tulerit senectus. Tempori Deus adfuit. Nam hic ipse paterfamilias arcanâ voce semel iterúmque ac tertiùm noctu monitus est, suam vineam cum hominis opulenti, qui nominabatur, vineâ permutaret, & in ejus medio aream foderet. Paruit; vineam permutavit, cum familiâ loco, quo jussus, fodere cœpit. Filius cum sororibus ab opere jam defessus: Quid, pater, nos frustra fatigas? inquit: nullum thesauri signum se prodit. At pater illos animans: Agite, inquit, mei liberi, pergamus aliquantulum fodiendo; promissa Dei non solent fallere; pergamus. Nec vanus labor. Demum inter rudera vas marmoreum, quod balsamum & aliquot nobiliores gemmas claudebat, erutum est. Grandem inde pecunium paterfamilias redegit, cum assiduâ gratiarum actione testatus, minutulos hospitalitatis suæ sumptus, multò quàm abundantissimè & millecuplo fœnore sibi repensos.

§. V.

EX his talibus excitatiora non immeritò multorum certant studia; crumenam laxant & vacuant, ut eam metallo repleant nobiliore, aut divinos certè favores & thesauros cælestes augeant. Hinc eleemosynæ complurium largissimæ. Civis Peruanus, tametsi res ei familiaris non valdè ampla esset, & quæ adeò vix necessariis sumptibus sufficeret, plures tamen ducentis aureis fidentissimâ manu in pauperes erogavit. Vestem, quam ei vir nobilis dono dederat, vendidit, & viduæ unius inopiam sublevavit.

Modicus Olomucii moriens fortunas suas ferè omnes Partheniæ sodalitati fidei commisit, ut inde pauperes alerentur.

Hibleshemii quidam ferè pane solùm & aquâ victitans, genium rigidè defraudans, tantum pecuniæ unciatim comparit, ut quinque aureos collegerit, quos liberalitate tam piâ quàm magnâ in stipem expendit. *De magno sumere acervo suave est ac facile*; res nota. Sed, de *penuriâ suâ totum victum suum mittere*, hoc verè heroicum & illustre. Vidua id fecit, quæ plus quàm omnes Gazophylacio intulit. Nemo liberalius erogat, quàm qui sibi nihil reservat.

Confluentiæ quidam cùm alia in alios partiretur, toto quadragintadiali jejunio, sex egentioribus, quibus angusta domi reserat, quotidie cibaria submisit. Quod statis per hebdomadem diebus ad imitandum alii quoque sibi sumpserunt.

Oenipontanus civis honestus postquam in cœtum albúmque Marianum relatus est, singulis dominicis ac festis diebus duos pauperes in cultum ac honorem Matris Virginis, mensæ semper adhibuit. Hoc est levibus impendiis, aut nullis, maximos quæstus facere.

Vxorem domum ducturus civis Brunensis, vir dives & eruditus, nuptias feliciter auspicatus est. Nam cùm pro more sacris epulis priùs accubuisset, triduo post trecen-

Prov. c. 31. v. 20. & 25.

Vitus Trochaich. In Petr. Messium, l. 3. ep. Indicarum, mihi pag. 105.

Damasc. l. 1. de imaginibus.

Benignitas in pauperes Christianũ facit & perficit.

Quod jam supra à sapius inculcatum est.

Ambros. to. 5. serm. 81. mihi pag. 492.

Alexius Lipoman. tom. 5. è Sim.

Metaphrastes. Apud Surium die 29. Decemb.

Cantipra. l. 2. c. 21. n. 2. hoc copiosè narrat.

Anno 1603.

Anno 1583.

Marci c. 12. fine, Luc. 6. 21. init.

Anno 1585.

Anno eodẽ. Ita Sodalis Parthenius l. 2. c. 12. & 13.

trecentos pauperes benignè admodum mensâ excepit, quibus ipse & sponsa ministrandis ferculis inservierunt.

Petrus Lavicus to. 1. Rer. Indicar. lib. 2 c. 15. mihi pag. 573.

Hæc pauperum cura ipsius naturæ visceribus adeò videtur insita, ut ea etiam disciplinæ Christianæ ignaros plurimùm afficiat. In Cambajano Indiæ regno non liberales solùm, sed & effusi sunt in pauperes. Præcipuè octavum Ianuarij diem ejusmodi largitionibus colunt. Cambajæ, quæ regni metropolis est, aliqui mille aureos die uno, alii tria millia, sunt qui quinque millia pardarum (quorum singuli quindecim regalibus valent) in pauperes effundant; adeò ut in unâ urbe, die unico viginti millia, per regnum totum centena millia pardarum erogentur. Causa ipsis ista est, quòd eo die solem ab Austro ad Boream converti, & ad se transire credant, cujus adventum par sit tot donariis venerari. Dant etiam eleemosynas, quibus Deum sibi concilient, ut ab ipso in cælum recipiantur. En naturæ igniculos etiam in barbaris gliscentes, quibus valdè in honestissimam hanc pauperum curam impellimur. Non est profectò in orbe ullum securius tutiúsque horreum ventre egenorum. Verissimum quod veteri versu cantatur:

Trochaicus vetus. Marcus Marul. par. 1. lib 1 c. 2. mihi pag 21.

Nostra non damus pauperibus, quæ damus, Deo damus.

Chryst. to. 1. ho. 7. de pœnit. mihi pag. 749.

Qui pauperem exaudit, aures cæli aperit, & ad se trahit. Quàm verè igitur cum Chrysostomo oratore aureo scriptor sapiens pronuntiat: *O prægrandis eleemosynæ virtus! divites sanctificat, pauperes beat, peccatores justificat, justos glorificat, mortuos suscitat, & immortalitatem mortalibus donat. Eleemosyna, Charitatis soror, Egenorum vita, Sanctimoniæ antistita, Virtutum regina, Cœli scala, Scelerum lavacrum*, tam danti quàm acceptanti præsidium, Lucrum ex omni quæstu lucrosissimum, Augmentum facultatum, & rerum omnium.

§. VI.

Eleemosynarum largitio est varia. *Aug. to. 8. in psal. 125. mihi pag. 605.*

Eleemosynarum largitionem esse variam. Augustinus id affirmans: *In quo quisque pauper est*, inquit, *ibi illum vide, quia fortè tu in illo dives es, in quo ille pauper est, & habes unde accommodes. Fortè membra tua accommodas, & plus est quàm si pecuniam accommodares. Consilio indiget, tu plenus es consilio. In consilio ille pauper, tu dives es. Ecce nec laboras, nec aliquid perdis: das consilium, & præstitisti eleemosynam.* Idem in ceteris.

Chryst. to. 3. hom. 25. in c. 11. Act. Apost. mihi pag. 528.

Græcanicus aureus orator hos ipsos in dandis eleemosynis diversos modos commonstrans: *Eleemosyna*, inquit, *non in solis sit pecuniis, sed etiam in operibus, ut, exempli gratiâ dicam, est patrocinari, & viduæ manum porrigere. Hujusmodi enim patrocinium sæpe plures servavit quàm pecuniarum largitio. Igitur in præsenti tempore omnia misericordiarum genera exerceamus. Ne sis segnis, potes patrocinari; ne dicas, quoniam pecuniæ mihi non sunt. Hoc nihil est dicere. Potes ministrare, etiam hoc facito; ut puta medicus es arte, diligenter cura infirmos, est etiam hoc magnum. Vales etiam consilio, hoc omnibus majus est, melius & amplius, quantò & majus habet lucrum. Non enim famem solvis, sed difficilem mortem.*

Largitiones illas publicas, uti non vituperem, ita nec valde laudem. Nam iis necessariò confusionis aliquid & imprudentiæ miscendum. Etenim tam robustis quàm debilibus, sicut claudis ita & integris ac validis, senibus & adolescentibus, pauperrimis, & leviter egentibus æquale datur, cùm in tantâ se comprimentium multitudine discrimen penuriæ nequeat observari. Ita omnibus vel panis, vel sestertius, vel aliquid eduliorum aliúdve distribuitur; æquales hîc omnium fortunæ sunt cùm in aliis eleemosynis, quæ quotidie ac singulis horis expenduntur, facile sit miseriorem à misero distinguere, & prout utriusque suaserit necessitas utrique succurrere. Quod ævo Apostolorum ritè observatum; *Act. c. 4. v. 35.* *Nec videbatur enim singulis, prout cuique opus erat.* Otiosi fuci, si tales esse certò constet, ab eleemosynis arcendi. Deinde cùm publicæ dantur eleemosynæ, contingere potest, ut potus distribuatur, cùm ego esuriam; aut cibus, cùm ego sitiam; aut pannus, cùm ego cibo indigeam. Præterea quid inde peregrinis & advenis accedit, qui constitutis diebus & horis adesse nequeunt? Cùm ii tamen sæpiùs majori necessitate quàm inquilini & cives laborent? Num ei fame moriendum, qui ſtato die visceration nequit interesse?

Hesiod. l. 2. operum & dier.

Vel maximi est, pusilla res loco data.

Solent diriorum aliqui receptâ consuetudine certis temporibus eleemosynas distribuere, ut festis Nascentis aut Resurgentis Christi diebus, aut Lunæ, Mercurii, Veneris, aut certis horis, manè, circa prandium. Extra ea tempora, nihil neque peregrinis, neque inquilinis largiuntur. Clausa est janua, portæ omnibus obseratæ, aures surdæ & inexorabiles. Liberalitas laudanda; sed pace illorum dixerim; non ea quæ talibus cancellis est clausa. Nimiùm molles aut teneri sumus, si non qualibet horâ gemitus & vociferationes miserorum audire sustinemus. Tam angustis limitibus vera misericordia se claudi non patitur. Turpe prorsus & indignum est Christianis moribus, momento ullo tristem aspectum aut sterilem manum pauperis subterfugere. Isaiæ obtemperandum jubenti: *Frange esurienti panem tuum, & egenos vagósque induc in domum tuam, cùm videris nudum, operi eum.* Tunc panem frange, tunc hospitium præbe, tunc vestem expande, cùm famelicum, cùm tecto exclusum, aut malè vestitum videris, non quando tibi commodum putaveris. Certas loci aut temporis leges non habet misericordia. Cùm necessitas vocat, in subsidium accurrit, non fastos, non horologium consulit, non dies candidos, non nefastos, sed præsentem inopiam attendit. Non est vera liberalitas, quæ certis horulis arctatur. Non tamen improbamus largiores eleemosynas religiosioribus diebus uti sunt dies Veneris, Solis, festi dies alii, dummodò dies cæteros non exleges misericordiæ faciamus. Siracidæ illud, quod suprà copiosiùs demonstratum est, ante omnia observandum: *Cor inopis ne afflixeris, & non protrahas datum angustianti.* Ne differ, ne procrastina; Da citò, da sine morâ. Quò lentiora sunt beneficia, hoc plerumque ingratiora. Prompta manus, cùm stipe plena est, manus aurea, manus gemmea est. Mixtura pulcherrima, liberalitas & celeritas.

Isa. c. 58. v. 7.

Parte 2. §. 3. Dixi. to.

Eccli. 4. v. 3.

§. VII.

Heraclius in suo jardisso apud Rosweid. c. 2. mihi pag 940. Eleemosynæ nõ sine eulogiis.

SEd & illud veræ liberalitatis indoles præstat, eleemosynas non nimis accuratè numerat. Melania, femina laudatissima, cùm Alexandriam profecta, ad Pambonem magni nominis senem perveniſſet, trecentas argenti libras ei obtulit. Cùm autem laudis aliquid aut faustæ precationis expectaret, dicerétque: Scito, Domine, trecentas argenti libras hâc cistâ clausas. Mox eam Pambo vanæ sollicitudinis ingenuè notans: Scito, inquit, & tu quoque filia, eum, cui hæc dedisti, non indigere tuâ commonitione: nec enim opus est, ut Deo eleemosynarum nostrarum numerum, pondus, pretium ita subtiliter ad calculos revocemus. Qui montes lance ponderat, utique sciet etiam, quod hujus argenti pondus sit. Atque si quidem mihi hoc offerres, non absurdè pretium doni ac monetæ diceres: cùm autem istud non mihi, sed illi offeras, qui duos nummulos auri acervo prætulit, tu jam tace, & quiesce.

Atque hoc est quod toties inculcat Chrysostomus, eleemosynas largiter dandas; neque enim, ut ille judicat, dicenda est eleemosyna, quæ fuerit parca. Quod Ecclesiastes indicans sub imagine: *Si*, ait, *repletæ fuerint nubes, imbrem super terram effundent.* Quisquis homi-

Eccles. 11. v. 3.

num

num ut nubes in alto volat, & animo cælum habitat, sat sibi dives, sat plenus est: omnia sibi à Deo esse, Deúmque omnia solere largiter restituere non nescit, hinc uti prægnans aquarum nubes effundit pluviam, spargitque guttas nemini facilè numerabiles. Quod avarus dat, hoc invito & reluctanti animo, hoc malignâ & contractâ, hoc compressâ manu potiùs exprimit, quàm tribuit. Avarus nubes est, non suaviter rorans, sed fulgurans, grandinosa, fulminans, quæ pauperes conuiciis & exprobrationibus infundit ac dejicit.

Ad hanc largitionis cùm liberalitatem, tum celeritatem spectat multiplex dandi modus, uti est: Non petentem, nec occurrentem vocare ac invitare; venienti occurrere. Salomone teste, *dives & pauper obviaverunt sibi*. Non enim minori alacritate à divite pauper excipiendus, quàm à paupere dives quærendus. Præterea de absentibus etiam bene merendum: & is subinde, qui alienam opem nec cogitat, nec sperat, antevertendus beneficientiâ. Dulcior ac pretiosior est eleemosyna, quo minoris stetit accipienti, cùm nec postulatione, nec precibus, nec expectatione suspensi animi est empta. Christiano sensu Seneca: *Melius est*, inquit, *occupare antequàm rogemur. Quia cùm homini probo os concurrat, † & suffundatur rubor; qui hoc tormentum remittit, multiplicat munus suum. Non tulit gratis, qui cùm rogasset, accepit verbum molestum, onerosum, & demisso vultu dicendum*, Rogo: *nec res ulla cariùs constat, quàm quæ precibus empta est. Ideo diuinanda cujuscumque voluntas, & cùm intellecta est, necessitate gravissimâ rogandi liberanda est. Serò beneficium dedit, qui roganti dedit. Illud beneficium jucundum victurúmque in animo scias, quod obvium venit*. In aulis hoc nimis quàm infrequens: delectat regiæ aut principalis potentiæ ministros morositatis suæ longum spectaculum; minúsque se judicant posse, nisi diu multúmque singulis, quid possent, ostentent. Pæne nihil confestim faciunt. Injuriæ illorum præcipites, lentissima sunt beneficia. Aulas ingredere; dilationes & procrastinationes illic cernes quotidianas, innumeras. *Vos autem non sic. Non oportet, fratres mei, hæc ita fieri*. Aliter filios suos erudit cælestis pater, qui non solùm orationem conceptis verbis nitidam, non gemitus solùm & lacrymas, sed ipsum etiam desiderium pauperum exaudit, imò ipsam indigentiam pro desiderio & prece habet.

Prov. c. 22. v. 2.

Senec. l. 2. de Benef. c. 1. & seqq.

† Proprium ingenuo pudori verbũ; os coit, & egrè diduritur.

Luc. c. 22. v. 26.

Iac. c. 3. v. 10.

Cùm igitur hæc sciamus, aut certè si nesciamus, cùm hæc centies & sexcenties occententur nescientibus, quid demum est caussæ, obsecro, quòd eleemosynas tam timidâ parcáque manu porrigamus? Hoc plurium caussarum caput est, promissis Dei non credimus, providentiæ divinæ non fidimus, chirographum illud non expendimus. Cælum & terra transibunt, verba autem mea non præteribunt. Hinc oscitantia & trepidatio. Hinc malumus pecuniam non perdere, quàm cælum tam vili emere, malumus nostras cistulas quàm divinam gratiam augere, modò nunc nihil desiat, quidquid futura ferant sæcula. Ah fatui! quàm nihil audemus quod prosit? quàm stultè trepidamus? Et quoties illud inculcandum? Sic dare, est accipere. Fidamus Deo, & audeamus; demus liberaliter, liberalissimè recepturi millies plura, millies meliora. Hunc sterilissimum, imò & stultissimum timorem nostrum increpans Augustinus: † *Numquid perdes*, ait, *in thesaurario Christi ponens? Nam pueri, unde sibi emant nescio quid, simul ac inveniunt nummos, in thesaurario ponunt, & non aperiunt nisi postea. Numquid quia non vident quod colligunt, ideo perdiderunt? Noli timere. Ponunt pueri in thesaurario, & securi sunt; ponis in manu Christi, & times? Esto prudens, & prospice tibi in posterum in cælo*. Hoc multi cupiunt, pauci didicerunt, dum sementi parcunt. O Christiane, sementi ne parce. Velimus, nolimus, senescimus. Tibi ergo para viaticum, itineri tam longo necessarium, imò præmitte in cælum, quod dimissurus es invitus. Extremæ stultitiæ est hîc aliquid rerum tuarum relinquere, quod tutò possis in cælum præmittere. Negas egenis sportulas & numulos? Hæredes inter plausus rapient totum, quod fuerat tuum & non tuum, sed malè partum, idque ludis, epulis, pompis consument. Tu tibi ipse propinquissimus es, teipsum primò hæredem scribe. Cælum hæreditas opulentissima, quia æterna; modicis jam impendiis emenda.

Cùm ergo Veritas prædixerit: *Pauperes semper habebitis vobiscum*, ergo iis semper benefaciamus. Sanguis Martyrum, semen Christianorum, pia liberalitas semen est opum; donare Deo, est accipere.

Da veniam, Lector, si quædam bis térve dicãtur. Subjicio rationes. 1. Sũt certè aliqua quæ etiã ad fastidium & nauseã inculcanda, repetenda, animis infigẽda, & vel sexcenties, ut dixi, occinenda. 2. Subinde memoriæ delictum sit; nec excuso, sed veniam precor. 3. Quædam uno loco strictiùs, alio illa eadem fusiùs perscripta, prout res postulabat, aut libri ad manus erãt. 4. Nonnullæ valdè diversæ, & à se disjũctis, belli temporibus scripta sunt.

† *Aug. in ps. 48. mihi pag. 183.*

* *Ioan. c. 12. v. 8.*

ALOE
AMARI. SED SALVBRIS
SVCCI
IEIVNIVM.
LIBER PRIMVS.
QVARE IEIVNANDVM.

CAPVT I.

Ingressus ad institutum : Quid Abstinentia sit: Quædam ejus encomia.

TABELLARIVS è cælo Raphaël confecto itinere cum Tobiâ juvene, personam demum posuit, quam in viâ gesserat. Tunc exit eis occultè : *Benedicite Deum cæli, & coram omnibus viventibus confitemini ei, quia fecit vobiscum misericordiam suam.* Etenim *sacramentum regis abscondere bonum est : opera autem Dei revelare & confiteri honorificum est.*

Tob. c. 12. v. 6. & 7.

Hîc senior Tobias interrogarit : Quódnam hoc sacramentum, quænam hæc opera sunt? Ad quæstionem hanc Angelus : *Bona est*, inquit, *oratio cum jejunio & eleemosynâ, magis quàm thesauros auri recondere.* Tale quid est oratio, ut, si geminum & ab eleemosynis, & à jejuniis habeat subsidium, inter labores pretiosissimos rectè numerari possit, & illo longè melior ac pretiosior, qui arcas auro stipat. Bona est oratio, sed bona cum eleemosynâ, bona cum jejunio. Thesaurus est oratio, non monetæ vilioris, non nummulorum, non sestertiorum, non philippeorum, sed aureorum, sed gemmarum, pretiosior omni thesauro.

Ibid. v. 8.

Oratio est thesaurus pretiosior omni thesauro.

Epictetus, teste Gellio, dicere solebat : Orbem universum gemina vastant vitia, multò omnium gravissima ac teterrima, Intolerantia & Incontinentia : cùm aut injurias, quæ sunt ferendæ non ferimus ; aut à quibus rebus voluptatibúsque nos continere debemus, non continemus. Hoc inde provenit, cùm dextrum hominis brachium, validum nimis & pugnax, & lævum imbelle nimis & invalidum est. Intolerantiâ est, quæ nihil injuriarum concoquere, adversorum nihil perferre potest, velut sinistrum brachium exhaustis viribus, nullius roboris, quavis injuriolâ provocatur ad rixas. Mores hominum considera, & videbis Intolerantiam turpissimam. Sunt quos vel digitulo tangere sit nefas, obliquo ferire oculo, capitale censeatur, quævis offensiuncula gladio vindicanda creditur. Hinc controversiarum ubique plurimum, hinc lites innumeræ. Hæc pestis ab Intolerantiâ est. At verò Incontinentia, veluti dextrum brachium nimis bellicosum, & in propriam perniciem præfervidum:

Gell. l. 17. Noct. Att. c. 19.

Intolerantia & incontinentia orbem vastant universum.

A cùm voluptatis fames coërcenda, cùm appetentia cibi potúsque refrenanda, cùm petulantia oculorum reprimenda ; suum illud brachium Incontinentia vibrat, arceri à re cupitâ non sustinet, pro se in suum exitium pugnat. Conscientia, ratio, lex divina frenos injicere conantur, sed Incontinentiæ furor erumpit, & campos pervolat apertos.

Quid hîc remedij ? quid agendum ? Geminas dictat voculas Epictetus, ἀνέχου & ἀπέχου. Itaque, inquit, si quis hæc duo verba cordi habeat, eáque sibi imperando atque observando curet, is erit pleraque impeccabilis, vitámque vivet tranquillissimam. Sustinendo & Abstinendo malum omne vincitur. Pulsat injuria, vexat fortuna adversa ? Sustine. Voluptas allicit, & dulce toxicum propinat ? Abstine, abstine.

Sustine, & abstine.

B Ita utrimque tutissimus transibis.

Bona igitur est oratio, sed bona est cum jejunio. Oratio pharmacum est omnibus vitiorum morbis congruum. Omnem animi labem corrigit oratio. Submissionem aliquis & modestiam ambit? oret. Castimoniam expetit? oret. Sobrietatem gerit in votis? oret. Vitiis cogitat bellum indicere ? oret, & magno animo speret victoriam. Oratio in omnes noxas validissimè pugnat : tunc autem vincit & triumphat, quando tam eleemosyna quàm abstinentia conjunctis secum viribus certant. Cùm ergo Intolerantia & Incontinentia in omne nos malum præcipitent, Eleemosynam Intolerantiæ, Abstinentiam Incontinentiæ opponimus. Eleemosyna, quam vocamus sacram, omnium injuriarum tolerantissima inimicis omnibus ignoscit. Hæc vera Christianorum tolerantia est. At verò Ieiunium & Abstinentia gulæ moderari, cibi potúsque appetentiam coërcere, fraudare genium novit. Hæc vera Christianorum continentia est. Ita sustinemus, ita & abstinemus. Bona est oratio cum jejunio.

Oratio omnibus vitiorum morbis et pharmacis cógruum.

En igitur non tantùm sapientis Epicteti, sed & Raphaëlis Archangeli præceptionem saluberrimam, patientiæ, cetersíque virtutibus jungendam Abstinentiam, orationem, jejunio firmandam.

De Oratione, quam Cælestem Rhetoricam appellamus, jam actum est libro singulari, uti etiam de Eleemosynâ, quam Gazophylacium Christi nominamus. Restat, ut etiam Abstinentiam omnium pharmacorum pharmacum nobilissimum explicemus: quod hac scriptione facere paramus.

§. I. Primum

§. I.

PRimum omnium hîc quæri posſit: Quid eſt Abſtinentia, quid Iejunium? Hanc quæſtionem non anxiè ad auri libellam examinabimus. Compendio respondemus. Theologus Aquinas: *Abſtinentia*, inquit, *eſt subſtractio ciborum, quæ ratione gubernatur; nomen & dignitatem virtutis obtinet. Iejunium verò eſt actus virtutis Abſtinentiæ, cùm ad carnis maceration em, & mentis in Deum elevationem, ac culparum expiationem aſſumitur.* Fuit qui Abbatem Yſicium interrogaret; Quid eſt Iejunium? Cui ille: *Eſt*, inquit, *frenum adverſus peccatum.* Hoc freno incontinentia retinetur, ne cibis præcipitem injiciat manum.

Nos de Abſtinentiâ & Iejunio acturi, tria exequemur. Primum eſt, Quare jejunandum. Alterum, Quomodo jejunandum. Tertium. Quo fructu inſtituatur jejunium. Primum parte primâ diſſertationis noſtræ, duo altera parte ſecundâ explicabimus. Fundamentum jecimus: *Bona eſt oratio cum jejunio & eleemoſyna.* Hoc fundamento nixus Auguſtinus: *Hæc eſt*, inquit, *juſtitia hominis in hac vitâ, jejunium, eleemoſyna & oratio. Vis orationem tuam volare ad Deum? fac illi duas alas, jejunium & eleemoſynam.*

Abſtinentia Chriſtianis ſemper laudatiſſima virtus eſt habita. *Nos*, inquit Hieronymus, *creaturam Dei omnem laudamus; ſed maciem ſaginæ, abſtinentiam luxuriæ, jejunia præferimus ſaturitati. A diebus Ioannis Baptiſtæ jejunatoris & virginis, regnum cælorum vim patitur, & violenti diripiunt illud. Timemus enim, ne ab adventu æterni Iudicis, ſicut in diebus diluvii, & everſionis Sodomæ ac Gomorrhæ, deprehendamur manducantes, & bibentes, & nubentes, & nuptui tradentes. Nam & diluvium, & ignis de cælo ſaturitatem pariter & nuptias, quas deleret, invenit.* Subjungit Hieronymus: *Elias quadraginta dierum jejunio præparatus Deum videt in monte Horeb, & audit ab eo: Quid tu hîc Elia? Multò familiarior iſta vox, quàm illa in Geneſi*: Adam ubi es? *Hæc enim paſtum & perditum Adam terrebat: illa jejunanti famulo blandiebatur.*

Advertamus ergo, inquit Auguſtinus, *quanta ſit inter jejunium & ſaturitatem diſtantia, inter ventrem vacuum & pulmones epulis diſtentos. Moſes quia jejunavit, Dominum vidit. Populus quia manducavit & bibit, idola fabricavit. Impetraverunt unius hominis jejunia, quod totius populi ſaturitas deſperaverat. Princeps humani generis Adam, quamdiu jejunavit, in paradiſo fuit: ubi verò comedit, ejectus eſt de paradiſo. Ejecit ergo nos de paradiſo cibus: reducat eſuries, reducat jejunium. Semper enim junctæ eſt ſaturitati laſcivia. Sancto Eliæ jejunanti etiam elementa famulata ſunt. Videte, charisſimi, quanta ſit Dei clementia erga jejunantes.*

Sed, inquies, cur Eliæ Deus panem & aquam tantùm, non etiam ſubmiſit prandium, ſicut Danieli in cavum leoninum? Auguſtinus reſpondens: *Sciebat Deus*, inquit, *prophetam ſuum tentantem diabolum aliter ſuperare non poſſe, niſi jejuniis eruditus inſidiantis inimici tentamenta depelleret.*

Idcirco ipſe Dei filius à diabolo tentandus jejunavit. Non Phariſæorum tantùm, ſed & Ioannis, ſed & Chriſti diſcipuli jejunarunt. Prædicens Chriſtus: *Venient dies*, inquit, *cùm auferetur ab eis ſponſus; & tunc jejunabunt.* Paulus non tantùm in laboribus ac vigiliis, ſed & in jejuniis multis ſe Dei miniſtrum exhibuit. Cornelius Centurio Romanus quatriduo toto jejunus preces perpetuavit.

§. II.

BAſilius Magnus jejunium meritis elogiis extollens: *Vno*, inquit, *temporis momento ob gulam populus ille per maxima prodigia Dei cultum edoctus, in Ægyptiacam idololatriam turpiſſimè devolutus eſt. Ex quo ſi utrumque ſimul conferas, videre licet, jejunium ad Deum ducere, delicias verò ſalutem perdere. Quid Eſau inquinavit, ſervúmque fratris reddidit? nonne eſca una, propter quam primogenita venditit? Samuelem verò nónne per jejunium oratio largita eſt matri? Quid fortiſſimum Samſonem inexpugnabilem reddidit? nónne jejunium, cum quo in matris ventre conceptus eſt? Iejunium concepit, jejunium nutrivit, jejunium virum eſſecit. Quod ſanè Angelus matri præcepit, monens, quæcumque ex vite procederent, ne attingeret, non vinum, non ſiceram biberet. Iejunium prophetas genuit, potentes conſirmat atque roborat. Iejunium legiſlatores ſapientes facit: animæ optima cuſtodia, corporis ſocius ſecurus, fortibus viris munimentum & arma, athletis & certantibus exercitatio. Hoc præterea tentationes propulſat, ad pietatem armat, cum ſobrietate habitat, temperantiæ opifex eſt: in bellis fortitudinem affert, in pace quietem docet: Nazaræum ſanctificat, Sacerdotem perficit.* Sapienter dictum: Si ſciret mundus, quanta vis in abſtinentiâ & jejunio lateret, nullis hac in re opus foret legibus. Et veriſſimè ſummus Antiſtitum Leo dicit: *Quid poteſt efficacius eſſe jejunio, cujus obſervantiâ approp inquamus Deo, reſiſtimus diabolo? ſemper virtutibus jejunii fuit. De abſtinentiâ denique prodeunt caſtæ cogitationes, rationabiles voluntates, ſalubriora conſilia; & per voluntarias afflictiones caro concupiſcentiis moritur, virtutibus ſpiritus innovatur.*

Elogia jejunii.

Leo ſerm. 2. de jejunio decimi mẽſis & collecta.

Iejunium adeò placet Deo, ut vel ipſa etiam jejunii umbra in infantulis, & in ipſis quoque jumentis placeat. Vrbs Ninive non tantùm infantulorum cunis, ſed & jumentorum præſepiis jejunia indixit, propitiando Numini. Quòd ſi ad delendas noxas adjumento fuit vel abſtinentiæ umbra, quid non ipſa valebit efficere abſtinentia?

Ambroſius in jejunii elogiis liberaliſſimus ſcriptor: *Quis*, ait, *deterioravit domum ſuam jejunio? quis imminuit facultates? Cui non ſuſpecta luxuries? cui non venerabilis abſtinentia? Cujus torum appetivit parſimonia? cujus pudorem non læſo ebrietas? Iejunium continentiæ magiſterium eſt, pudicitiæ diſciplina, humilitas mentis, caſtigatio carnis, forma ſobrietatis, norma virtutis, purificatio animæ, miſerationis expenſa, lenitatis inſtitutio, clementiæ illecebra, ſenilis gratia, juventutis cuſtodia. Iejunium eſt bonum itineris viaticum, bonum totius vitæ. Qui grave dicunt jejunium eſſe, reſpondeant quis jejunio defecerit. Multi in prandio, plerique dum vomunt epulum, fudêre animam. Quod poſtremò animal jejunium ſibi cauſſam fuiſſe mortis ingemuit? Per eſcam laqueus non cavetur, in eſcâ hamus latet, & cibus deducit in foveam, cibus inducit in retia, cibus viſco etiam aves illigat, volantes deponit ad mortem. Iejunium ſobrietas mentis eſt, hoc vigent ſenſus, in hoc judicia tractantur, in convivio pocula. Iejunium cuſtodit diſciplinam, luxuriam ſequitur inopia. Iejunium quietem diligit, luxuria inquietudinem. Obſonator eſt, qui, antequam luceat, fores alienas pulſat, & tamquam bellum immineat, excitat dormientes. Turbatum vides, anhelantem advertis, interrogas quæ cauſſa perturbationis ſit: Poſcit, inquit, dominus meus, ubi vinum melius, ubi ſumen mollius, ubi phaſianus pinguior, ubi piſcis recentior væneat.* Hæ nimirum ventris curæ ſunt; ſine his quietum proficit jejunium. Hinc idem Ambroſius: *Quæ nobis*, inquit, *ſalus eſſe poteſt, niſi jejunio eluerimus peccata noſtra, cùm ſcriptura dicat: Iejunium & eleemoſyna à peccato liberat? Qui ſunt ergo hi præceptores novi, qui meritum excludunt jejunii.*

Ambr. to. 4. l. de Eliâ & jejunio c. 8. mihi pag. 292.

Idem to. 3. l. 10. epiſt. ep. 82. mihi pag. 240.

§. III.

DIvus Athanaſius in cautelam ſollicitè præmonens: *Si accedant aliqui*, ait, *& dicant tibi, ne frequenter jejunes, ne imbecillior fias; ne credas illis, neque auſcultes; per iſtos enim inimicus hæc ſuggerit:* Iámque recitatis è paginâ ſacrâ teſtimoniis hæc ſubjungit: *Videſne quid faciat jejunium? Morbos ſanat, diſtillationes corporis exſiccat, dæmones fugat, pravas cogitationes expellit, mentem clariorem reddit, cor mundum efficit, corpus ſanctificat, denique ad thronum Dei hominem ſiſtit. Et ne putes hæc temerè dici, habes hujus rei teſtimonium in Evangeliis à Salvatore prolatum. Cùm enim*

Athanaſius tom. 3. l. de Virginitate. ſeu, de meditatione, poſt init.

Tit. 2. c. 12. v. 2.

Aug. in pſ. 42. fine.

Hieron. l. 2. adverſus Iovinian.

Ibi cit.

Gen. 1, 3. v. 9.

Aug. to. 10. ſerm. 65 de Tempor. qui eſt ſerm. 2. de Dom. 1. Quadrag. mihi pag. 371. Eodem tom. ſer. 33. ad fratres in eremo, mihi pag. 731. Quãdiu Adam abſtinuit, tamdiu obediens fuit, tamdiu bonus, ſanctus & juſtus permanſit. Matth. c. 4. v. 2. Luc. c. 4. v. 2. Matth. c. 9. v. 14. Marc. c. 2. v. 20. 2. Cor. c. 6. v. 5. Act. c. 10. v. 30.

Ita Chryſ. hanc locum explicat. Baſil. Magnus hom. 1. de jejunio, ante med.

enim quæsvissent discipuli, quónam modo immundi spiritus ejicerentur, respondit Dominus: Hoc genus non ejicitur nisi in oratione & jejunio. Quisquis igitur ab immundo spiritu vexatur, si hoc animadvertat, & hoc pharmaco utatur, jejunio inquam, statim spiritus malus oppressus abscedet vim jejunii metuens. Valde enim dæmones oblectantur crapulâ, & ebrietate, & corporis commodis. Magna vis in jejunio.

Non immeritò Chrysostomus miratur à plurimis jejunium velut ferarum horribilem timeri. Cùm enim Quadragesimæ dies accedunt, ejunium tamquam hostem infensissimum horrescunt, & ideo ventrem stabiliunt, stomachum inferciunt, hilaria celebrant, comessationibus & potationibus se muniunt, & hoc unum satagunt, ut cibi ac potûs quàm plurimum glutiant & hauriant. Quod eò faciunt, ut, si fieri ullo modo posset, nihil jejunii & famis ad ipsum usque diem paschatis sentirent. Ita civitas, quæ hostis adventum & obsidionem metuit, vario se commeatu instruit. Longè aliter olim Christiana pietas egit. Nam, beato Maximo teste, ad quadragintadiale jejunium precibus ac jejuniis sese parabant, ut ventrem nonnihil jam assuefactum ad esuriales dies adferrent: *Nonnullorum*, inquit, *est consuetudo, advenientes Quadragesimæ dies devotiore jejunio præveniri.* Quid igitur, Christiane, times, quod non tantùm non timendum, sed desiderandum & modis omnibus expetendum? quid times ea, quæ saluti sunt, & non times, quæ interitum afferunt?

Maximus Taurinensis Episc. hom. in die cinerum initio mihi pag. 69.

Ambr. to. 3. ser. 39. mihi pag. 326.

Ambrosius, ut plurimorum adversus jejunium frigidissimas excusationes retundat, & jejunii metum adimat: *Ita homines*, inquit, *quorum animus semper est in prandio, prandendi sibi causas inquirunt; & dum se à jejuniis excusant, tempora creatoris accusant. Hi æstate sitim, hieme famem tolerare nequeunt. Grave frigus est, inquiunt, escis calefieri nos oportet.* Alii imbecillitatem virium, stomachi debilitatem, capitis intemperiem, somni defectum & vertiginem, alios alii speciosissimos titulos prætendunt culpæ; in omnem se partem versant, ut jejunii legibus solvantur; jejunium ut hostem extimescunt.

Quàm autem natura & ratio sana jejunium & abstinentiam non abhorrent! quàm illud hilariter complectuntur! Annæus Seneca è naturæ ac rationis dictamine: *Parabile est*, inquit, *quod natura desiderat, & expositum; ad supervacua sudatur. Ad manum est, quod satis est. Quantulum illud quod naturæ datur? parvo ea dimittitur.* Nec solùm laudavit abstinentiam Seneca, sed & ipse abstinentissimus. *Cùm verò Attalus*, inquit, *commendare paupertatem cœperat, & ostendere, quàm quidquid usum excederet, pondus esset supervacuum, & grave ferenti; cùm cœperat voluptates nostras traducere, laudare castum corpus, sobriam mensam, puram mentem, non tantum ab illicitis voluptatibus, sed etiam supervacuis: libebat circumscribere gulam & ventrem. Inde ostreis boletisque in omnem vitam renuntiatum est. Hæc enim non cibi sed oblectamenta sunt, ad edendum saturos cogentia: quod gratissimum est edacibus, & se ultrà quàm capiunt farcientibus, facilè descensura, facilè reditura. Inde in omnem vitam unguento abstinemus; quoniam optimus odor in corpore est nullus. Inde vino caret stomachus; inde in omnem vitam balneum fugimus.* Hæc abstinentia Senecæ, qui non solùm cibi deliciis, sed & vini potu abstinuit admirandâ sui victoriâ.

Senec. ep. 4. mihi pag. 392. & ep. 108. mihi 634.

Senecæ abstinentia.

Epictetus ad omnem evitandam voluptatem sobrius suasor: *Si voluptatis alicujus imaginem*, inquit, *animo conceperis, moderare tibi, ne ab eâ avearis. Sed & rem examina, & tibi ipse deliberâdi præbe spatium. Deinde utriusque temporis memento, tum ejus quo voluptate (cibi & potûs) perfrueris, tum ejus quo perceptâ tam voluptate dolebis, teque ipse ob id urgabis. Atque his illa confer: Si abstinueris, fore ut gaudeas, teque ipse collaudes. Quod si tibi suscipiendæ rei videbitur esse tempus, cave ne te vincant ejus blanditiæ, suavitates & illecebræ: sed illud oppone, quantò præstantior sit talis victoriæ conscientia.* Refrenatio gulæ pars maxima

Epictetus Enchirid. c. 56. mihi pag. 91.

A victoriæ adversus uniuersa vitia. Hæc in antecessum sufficerit libasse.

CAPVT II.

Iejunium reprimit carnis nequitias.

EVAGRIVS, Nicephoro teste, ad Macarium Anachoretam sub meridiem revisit, cúmque fatigatione ac siti exhaustus frigidam postularet, Macarius ad illum placidè; Mi fili, ait, contentus esto hac umbrâ; multi enim viatores & navigantes eâ nunc carent. Evagrius vir mitioris ingenii ad tranquillitatem se componens, de Temperantiâ cœpit disserere. Cui Macarius: Confide, ô fili, ait, & bono esto animo; ego jam totis viginti annis neque panem, neque aquam, neque somnum ad satietatem admisi. Et panem quidem ad modicum libellæ pondus comedi, aquam ad mensuram parcissimam bibi; cùm verò fatigatione cogerer, parieti acclinis, exiguam somni partem rapui. Hæc vitæ meæ methodus est.

Nicephor. l. 11. hist. Ecclesiast. c. 43.

Ioan. Subdiaconus in bell. 4. n. 17. & 18. apud Rosweid. mihi pag. 660.

Sanè vir iste, qui corpori suo noverca extitit, exactè scivit, quod certâ experientiâ didicit; Corpus quantò molliùs haberetur, tantò nequius evadere, & solâ in hanc bestiam clementiâ peccari. Hoc omnium sapientum placitis semper confirmatissimum fuit, carnem plurimùm efferari mulcendo. Caro equus est indomitus, qui poppismis minimè placatur. Vis carnem flectere ad obsequium? Cave illam tractes suaviùs, perpetuis rigoribus duriter exercenda est, alioqui calce ferit, & sessorem excutit. Daniel Abbas dicere solebat: Vigor corporis, languor animi. Quò enim magis fovetur corpus, eò magis ferocit & insolescit adversùs animum. Hæc bellua beneficiis non curatur. Vox una omnium sanctorum hominum est, Corpus castigatione assiduâ domandum. Hoc Prophetæ, hoc Apostoli, hoc ipse Christus & verbis & factis docuerunt: hoc quivis amicorum Christi cum Paulo contentissimè vociferatur: *Castigo corpus meum, & in servitutem redigo.* Corpus seriò & assiduè castigandum esse, hac dissertatione uberiùs docebimus. Quâ quidem ratione primam causam, cur jejunandum sit, explicabimus; ceterarum singulas capitibus singulis assignaturi.

Mulcendo caro efferatur.

Pelagius libell. 10. c. 16. mihi pag. 597. apud Rosweid.

1. Cor. 9. v. 27.

§. I.

CVm ratio, tum experientia testatur, nucem arborem crebro lapidum jactu ad fertilitatem provocari; asini tarditatem fustibus incitari; asselli marini duritiem malleis molliri; lentiorem incessum equi calcaribus incitari; petulantiam pueri virgis corrigi; negligentiam famuli flagris aut colaphis emendari; projectam mancipii audaciam compedibus & catenis frangi; feminas Moscoviticas verberibus placari. Ita prorsus petulans Caro sicut nux aut asinus, sicut infrenis aut cespitator equus, sicut mancipium & cessator servus est; hîc opus freno, calcaribus, baculo. Salomonis monitum est. *Qui delicatè à pueritiâ nutrit servum suum, postea sentiet eum contumacem.* Salomoni Siracides assensus: *Cibaria*, inquit, *& virga, & onus asino: panis & disciplina, & opus servo.* Atqui rationis servus est Corpus, panis igitur seu victus tenuis ac modicus, disciplina & opus illi conveniunt. Annæus Seneca hîc sanè Christianam sapientiam professus, religiosissimè differens: *Hanc ergo sanam, & salubrem formam vitæ tenere memento, ut corpori tantum indulgeas, quantum bonæ valetudini satis est. Durius tractandum est corpus, ne animo malè pareat: cibus famem sedet, potio sitim extinguat, vestis frigus arceat, domus munimentum sit adversus insesta corpori. Multis serviet, qui corpori servit, qui pro illo nimium timet, qui ad illud omnia refert. Sic nos gerere*

Prov. 29. v. 21. Eccli. 33. v. 25.

Senec. ep. 5. initio.

Tantùm indulgendum corpori, quàm bona valetudini satis est.

Idem ep. 14. initio.

gerere debemus, non tamquam propter corpus vivere debeamus, sed tamquam non possimus sine corpore. Hujus nos nimius amor timoribus inquietat, sollicitudinibus onerat, contumeliis objicit. Honestum ei vile est, cui corpus nimis charum est. Quis autem adeò sceleris purus, ut in hanc culpam numquam impingat, ut corpori numquam serviat? Quandoque bonus dormitat Homerus. *Spiritus quidem promptus est, sed caro infirma*, simul & subdola, quæ optimum quemque decipiat.

Matt. 26. v. 41.

Caro est primus hominis & maximus hostis.

Caro primus hominis & maximus hostis. Nullus diabolorum perniciosus homini nocere potest, ut sua cuique Caro. Homo nefarius omnem mihi honorem potest eripere; sed bonorum multa etiamnum retineo: Si quis mihi pecuniam omnem sublegat, plurima relinquet non adempta: si quis adimat vitam, simul omnia rapuisse censebitur. Sed nec iste injecit manum in immensas opes: vitam immortalem, beatissimam æternitatem nolenti eripere nemo potest. Deus ipse sibi tantum in hominem licere noluit, ut beatitudine excluderet nisi beatitudinis contemptorem. At verò Caro innumeris beatitudinem, cælum, æternitatem rapit. Quî tandem? Mulcendo & fallendo.

§. II.

Sine carne diabolus plurimos ad grâdia peccata nó pertrahit.

PHilistæi Samsonem numquam suæ potestatis fecissent, nisi Dalilam in illum immisissent: diabolus plurimos ad grandia peccata non pertraheret, nisi Carnem adjutricem haberet. Hæc illa cacodæmonis malesuada conciliatricula est. Ratio & conscientia primo pæne intuitu culparum nævos deprehendunt & pronuntiant: Hoc malum est: Hoc non licet: Hoc divinis legibus repugnat. At nequissima Caro: Quid umbras, inquit, metuimus? Audeamus aliquid. Facillimè luitur, quod delinquitur; uno gemitu est opus: dic, PECCAVI; & peccata omnia eluisti.

His argumentatiunculis Caro divinam grâtiam, cælestе præmium, æternitatis thesauros rapit, capitalissimus, summus hostis. Et hunc tantum hostem tot obsequiis & servitiis permulcebimus?

2. Cor. c. 5. v. 10.

Tarsensis Paulus de judicio supremo differens: *Omnes nos*, inquit, *manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bonum, sive malum.* Cur Paulus servum nominat, & tacet Dominum? Cur ait, *propria corporis*, & non potiùs, *propria animi?* In promptu causa est, si corpus nolit obsequi, actum est de spiritu; nequitia carnis vel optimos conatus animi corrumpit. Solet nonnumquam quæri: Quî fit, virum istum ceteroqui non prodigum, ære tamen alieno plurimùm laborare, & cum inopiâ gravissimè confligtari? cùm tamen munus habeat non sterile, stipendium recipiat non modicum, quî fit, ut ad saccum & mendicitatem tendat? Plerumque responsum hoc tale sequitur: Uxorem habet, quæ rem familiarem dissipat, quæ vestium pompâ & pitissatiunculis furtivis ærarium domesticum exhaurit. O miserum maritum! ô egregium mendicum! Periisti infelix, non tam tuâ quàm uxoris culpâ. Ita planè spiritus cum Carne connubium est miserabile, quando spiritus promptus est, & esse vult frugi, non autem vult Caro, uxor longè pessima, quæ laborem cane & angue pejùs odit, quæ otium & delicias studiosissimè sectatur, quæ luxum & luxuriam pronissima inhiat. Hac Carnis societate spiritus corrumpitur, & in nequitiam cum nequissimâ carne degenerat. Idcirco Paulus: *Ut referat*, inquit, *unusquisque propria corporis, prout gessit.* Hæ autem res gestæ Carnis, hæc illius sunt acta. Labores declinare, mollia quærere, curiosa indagare, laurè ac liberaliter edere, bibere, hilariter ludere, somno abundare, seipsam curare quàm mollissimè. Hi mores Carnis sunt; ita spiritus ad omne vitiorum genus blandè seducitur: ita summus noster hostis est Caro, & ipso diabolo nocentior. Et huic tam capitali hosti parcimus? hunc nutrimus & fovemus? non in hunc iram omnem evomimus? Servire carni, servitus turpissima.

Cur dicitur: *Propria corporis*, & non potiùs *propria animi?*

§. III.

CAnit Ecclesia, & insigniores Christi amicos hoc metro celebrat:

Hic confitendo jugiter
Calcavit hostem fortiter,
Superbum ac satellitem.

Ecclesia appellat Carnē, hostem hostium pessimum.

Quis hostis iste, quis superbus hic satelles? Vti cùm Philosophus nominatur, Aristoteles Stagirita; cùm Apostolus, Tarsensis Paulus; cùm Theologus, Gregorius Nazianzenus, veterum Theologorum summus, aut Thomas Aquinas designatur; Ecclesia Carnem appellat Hostem hostium primum ac pessimum. Huic superbus Satelles diabolus sese jungit, hæretque lateri comes indivíduus. In mille congressibus ac pugnis non vinceremur, nisi nostra nos Caro proderet. Et uti fures, qui extra domum sunt, facilè caventur, at furis inquilini piceatæ manus custodiri vix possunt: ita prorsus duo aperti ac professi hostes animæ mundus ac diabolus non difficulter caveri queunt; furis inquilini, Carnis insidias quis umquam satis declinaverit? Domesticorum furum multò pessimus est Caro.

Et quemadmodum cùm hostis civitatem obsidione cingit, nonnumquam in alterum ac tertium, in nonum etiam ac decimum annum distinetur ab occupatione per solam civium masculam concordiam: at verò si hostis inquilinus, si civilis proditor sit intra mœnia, actum est de urbe, non excludet hostem portis: ita prorsus trahentem mundum spernere, suadentem diabolum non audire, cordato facile est; at verò blandientem carnem, domesticum hunc hostem vincere, eúmque dolis suis exarmare, hoc opus, hic labor. Hinc singularis laus illa: *Calcavit hostem fortiter.* Quo tandem modo, quo stratagemate?

Virtute clarus & fide,
Confessionis ordine,
Jejunia membra deferens;
Dapes supernas obtinet.

Abstinētiâ & jejuniis hic hostis enervatur.

Abstinentiâ & jejuniis potissimùm hic hostis enervatur: ita quidem ut quantò magis caro deprimitur, tantò magis spiritus attollatur. Hinc illæ Pauli voces: *Cùm infirmor, tunc potens sum.* Quantò enim corpus jejuniis constantiùs atteritur, tantò spiritus vegetior ad alta evehitur. Cùm infirmamur, tunc potentes sumus, enervati roboramur, dejecti erigimur, viribus accisis crescimus.

2. Cor. c. 12. v. 10.

Luctabatur Iacob cum Angelo, qui velut fortiori cessurus *tetigit nervum femoris ejus, & statim emarcuit.* Iacob Patriarcha victoriam quidem adversus Angelum obtinuit, & tamen femoris vitam amisit. Iacob Angelum vicit, nam ab Angelo audiit. *Quoniam si contra Deum fortis fuisti, quantò magis contra homines prævalebis?* Benedictionem Iacob petiit & impetravit, sic Angeli victor extitit. Sed dicas: Quomodo dici potest vicisse, cùm membro mutilatus sit? Hoc ipsum maxima victoriæ pars est, carnem atteri & frangi: tunc vincimus, cùm carne debilitati benedictionem obtinemus. Rem clariùs edissero.

Gen. c. 32. v. 25.

Ibid. v. 28.

§. IV.

DOminus IESVS quadraginta dies & totidem noctes jejunio traduxit impransus & incenatus. Quid, obsecro, opus tanto apparatu, tam diuturnâ inediâ, jejuniis tam prolixis quid opus? Cum diabolo pugnaturus erat triplici congressu. Sed num sine jejunio nequiisset vincere? Ambrosius meam vicem respon-

Amb. to. 5. l. 4 coment. in Lucam, mihi p. 49. Item to. 3. serm. 25. de Quadrag. mihi p. 307. Hi sermones sunt alias in tom. 5.

respondens: *Vide*, inquit, *arma Christi, quibus tibi, non sibi vicit. Videte ergo quæ jejunii virtus sit, quantam homini suo præstet gratiam, quod tantam præstet alteri medicinam: quemadmodum proprium sanctificet hominem, quod ita purificet alienum. Mira enim res est, alter jejunat, & alteri prodest jejuniis utilitas. Ergo, fratres, abstinentiæ arma minimè deponamus, & quadraginta dierum jejunia sine intermissione curemus. Hic est enim perfectus numerus ad vincendum. Dominus enim diabolum postquam quadraginta diebus jejunavit, evicit, non quòd non & ante jejunia eum vincere potuisset: sed ut ostenderet nobis tunc nos diaboli posse esse victores, cùm per quadraginta dies victores jejunando desideriorum carnalium fuissemus, eum autem qui hunc numerum consecratum gulæ intemperantiâ violasset, tamquam imbecillem & miserum, facilè ab inimico posse superari. Quomodo enim potest in altero diaboli improbitatem vincere, qui gulæ intemperantiam in seipso non vincit? Prius ergo homo tui victor esto, ut possis esse victor alterius. Sunt enim intra te proprii tibi hostes, qui quotidie te oppugnant.* Quis igitur jejuniis ostendit Christus, tunc nos victores fore cacodæmonis, si jejunando priùs fuerimus carnis. Si carnem tuam, mi Christiane, non domueris, si corporis libidines non viceris, in ceteris omnibus despera victoriam. Servis corpori? vitiis pæne omnibus servies. Ita nos Christus, ita nos amici Christi, ita sacræ paginæ, ita sapientum præceptiones & exempla, ita nos ratio & experientia docet, nocentissimum omnium hostem esse carnem, & omnia virtutis ornamenta expilari, ubi fur iste inquilinus non accuratissimè observatur.

§. V.

Pauli dictū, ad Ephes. c. 5. v. 29. Nemo umquàm carnē suam odio habuit; nil penitus dictis officit. Nam Paulus uxorem intelligit, quæ quasi caro viri est. Gen. c. 2. v. 24. Erunt duo in carne unâ.

VBicumque igitur poterimus, hunc hostem exagitemus. Pars maxima sapientiæ, Corpori non servire: necessarium sanctioris vitæ fundamentum, Carnem modò cibo potúque fraudare, modò vestium superfluis spoliare, modò parte somni privare, modò aliis eam rigoribus macerare. Hic parcere, fatuæ sævitię; hîc sævire, animosæ sapientiæ est. Hîc quæ vis sibimet non indulgens rectè dixerit: Vexo vexantem me.

Valentinianus Imperator jam animam acturus, in fatali lectulo aliquantulum sese erigens, jámque ultimùm subridens læto spiritu: Deus, inquit, unicam mihi victoriam concessit. Quam illam, obsecro? Mox igitur subjungens: inimicorum, ait, nequissimum vici, Carnem meam. O victoriam omnium non solùm illustrissimam, sed etiam utilissimam!

Andreas Schottus l. 4. vitæ Borg. c. 5.

Franciscus Borgias Dux Gandiæ, jam religiosæ familiæ adscriptus, corpus non ut amicum, sed ut hostem pessimum asperrimè tractavit, nec in hoc genere piæ crudelitatis quidquam omisit. Interrogatus, cur in seipsum tam immitis & asper ageret? Hanc belluam, inquit, plorare jubeo, ut quam voluptatem è deliciis palatum cepit, eamdem abstinendo amittat & expiet.

Rom. c. 8. v. 13.

Hoc agamus, & carnem non imperare, sed ancillari jubeamus. Placet æternùm vivere? discat Caro mori. Molestis tunicis fatigetur, jejuniis crebris exerceatur, inediâ & fame dometur. *Si spiritu facta carnis mortificaverimus, vivemus.* Cùm infirmabimur, tunc potentes erimus. Atque hæc prima est caussa frequentandi jejunii, nequitia carnis coërcenda est freno crebræ esuritionis.

Bene ageretur cum homine, si caro hæc, quâ interior & verus homo tegitur, tam libens virtuti quàm voluptati inhæreret; hanc enim sponte sequitur, illam nonnisi imperio coacta. Ceterùm quo contumacior est, magisque in vitiorum dulcedinem propensa, eò rectiùs sapientiúsque fecisse videri possunt ii, qui illam ut mancipium nequissimum laboribus, inediâ, verberibus affligentes, rationis jugo subjecerunt.

Macarius Alexandrinus, quia grave & assiduum illi certamen fuit adversus carnem, saccum sabulo plenum ad extremam lassitudinem gestabat humeris. Rogatus fortè quid supervacua illa sibi vellet opera? Nisi, ait, corpus hoc graviter affecero, animus necesse est periclitetur. Hæc præcipua & princeps fuit cura omnium Christi cultorum, fraudare genium, & carnem modis omnibus vexare. *Caro concupiscit adversus spiritum, spiritus autem adversus carnem. Hæc enim sibi invicem adversantur. Vnusquisque verò tentatur à concupiscentiâ suâ abstractus & illectus. Qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis & concupiscentiis.* Profectò nulla pestis efficacior ad nocendum, quàm inimicus domesticus. Malè tutum geritur bellum, cùm hostis inquilinus est intra muros, qui cùm tueri debeat, oppugnat. Sic ea ipsa Dalila, quæ juvare debuit, Samsonem prodidit, quem blanditiis ad secreti proditionem pellexit. Ita caro innumeris nequitiis perdit animum, cui juncta est in adjumentum. Quod questus eruditè Gregorius Nazianzenus: *Inimicus*, inquit, *est mihi benevolus, & amicus insidiosus. Prò copulam & dissidium! Quod timeo, foveo; & quod amo, metuo: priusquam bellare incipio, concilior, & antequam pax fiat, dissideo.* Atque adeò hîc illud verissimum:

Gal. 5. v. 17. Iac. c. 1. v. 14. Gal. c. 5. v. 24. Boëtius l. 3. de Consol. Greg. Naz. orat. de pauperum curâ.

Nec tecum possum vivere, nec sine te.

Martial. l. 12. Epigr. 47.

Duabus autem manibus impugnat nos Caro, Gulâ & Luxuriâ; utramque ligat & exarmat fames & inedia. Ergo si equus tuus, caro tua calcitrat, minue pabulum, injice frenum.

CAPVT III.

Ieiunium sapientum & sanctorum hominum dictis & exemplis commendatissimum: Succinctum Societatis IESV *patrocinium.*

CVERONENSIS Antistes & Martyr Zeno, vir perinde sanctus ac doctus, anno Christiano ducentesimo, Gallieni Imperatoris ævo, non pauca scripsit. Inter genuina & certa viri scripta numeratur *sermo de quatuor temporum jejunio.*

Videte, obsecro, ante annos mille quadringentos jam è cathedrâ jejunium à tot magistri spatio repetendum promulgatur. Non ergo nata jejunia ut rem novam horreamus. Sed hic ipse Præsul sanctissimus Zeno: *Si infantes*, inquit, *ab innatis vermibus infestentur, non eis saccharum, non mel, sed amarior, quam horreant, potiuncula propinatur, ut amarore illo necentur & ejiciantur vermes. Quid Caro nisi vermium popina? in carne crescunt, & animantur peccata, animatos hos vermes jejunium in se amariusculum extinguit & enecat.* Sed Caro, velut contumax infans reluctatur, & respuit saluberrimam amaritiem. At spiritus, si quidem renuit sceptro exui, non cedat, *Mortificationis* absinthio carnis vermes jugulet, jubente Paulo: *Si spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis.* Atque de hoc cœpimus disserere, primámque suscipiendi jejunii caussam assignavimus. Nequitiam Carnis: subjungimus alteram, tam hominum sanctorum, quàm prudentum aliorum exempla.

Iejunium non ut nova commendatur. Rom. c. 8. v. 13.

§. I.

IObus veluti aberrans viâ sollicitè indagat: *Sapientia ubi invenitur, & quis est locus intelligentiæ?* Perinde si dicat: Quæsivi eam in choreo inter trepudia, & non inveni: quæsivi eam in domo nuptiali, & non inveni: quæsivi eam in diversoriis & cauponis, nec illic inveni: quæsivi eam in triclinio ad epulas & pocula, & nec vestigium illius inveni: quæsivi eam in conclavi, ad abacum & chartulas lusorias, & minimè inveni: quæsivi eam in cellis vinariis ad plenos vini dominici, Opimiani cados, & non inveni: quæsivi eam in aulis

Iob c. 28. v. 12.

in aulis & regum turribus, sed nec illic invenire potui: quæsivi eam in cubiculis, ubi ad speculum judicem totas horas comitur caput, & quæsitam non inveni: quæsivi eam etiam in curiis inter senatorum subsellia, sed heu neque hîc quidem sublimiorem illam sapientiam inveni. Quò tandem eundum? Nescit homo pretium ejus. Vbi ergo sapientia investiganda? Hoc tandem solùm reperi, ubi sapientia hæc non reperiatur: *Non invenitur in terrâ suaviter viventium*, ubi cuticula tam sedulò curatur, ubi genio indulgetur, ubi editur, bibitur, luditur, ubi poculis certatur, ubi choreis aut otio vacatur, sapientia sanè non invenitur. Nemo eam his talibus locis inquirat, reverà non inveniet. Vbi saturitas aut intemperantia est, ibi sapientia non est. *Trahitur sapientia de occultis*; in domorum latebris, ubi sermo cum Deo miscetur, ubi fletur & pectus tunditur, ubi jejunatur, ubi eleemosyna eroganda numeratur. *Ecce timor Domini, ipsa est sapientia; & recedere à malo, intelligentia.* Hoc optimè Salomon, & ab eo viri sapientes & sancti omnes solertissimè intellexerunt. Salomon animadvertens sapientiam in discis, poculis, mollibus lectis, infamibus deliciis non inveniri: *Cogitavi*, ait, *in corde meo, abstrahere à vino carnem meam, ut animam meam transferrem ad sapientiam, devitarémque stultitiam.* Nam multò melius est aquam bibere, & sapere, quàm potare vinum, & stultitiæ mixturam non effugere.

Ibid. v. 13.

Eccles. c. 2. v. 3.

Hîc mihi animus non est catalogum eorum texere, qui non naturâ, sed virtute abstemii fuerunt. Aaron & omnes Sacerdotes tabernaculum ingressuri vinum non bibebant. Dei præceptum est: *Vinum & omne quod inebriare potest, non bibetis, tu & filii tui tecum, &c. ut habeatis scientiam discernendi.* Ita & Nazaræi vino & re omni, quæ temulentiam parit, abstinebant: ita & Rechabitæ ob solam parentis sui jussionem ab uvis & omni mero temperarunt.

Levit. c. 10. v. 9. & 10.

§. II.

IOannes Baptista verè *magnus coram Domino, & vinum & siceram non bibit.* Pari modo Iacobus Apostolus numquam usus balneo, numquam unctus oleo, numquam novaculâ rasus, carnes non comedit, vinum & siceram non bibit. Daniel, Ananias, Azarias, Misaël, fontanam regio vino præposuerunt. Beatus Fulgentius Ruspensis Episcopus nullâ umquam necessitate adduci potuit, ut aut carnes ederet, aut vinum biberet. Paula Romana vidua, nec in morbo quidem vinum admittere sustinuit, nullis medicorum imperiis ad id sese adigi passa. Beatus Emericus sancti Stephani Pannoniæ regis filius, qui assiduis sese jejuniis exercuit, nil umquam gustasse vini dicitur. Beatus Dominicus Calagoranus amplissimæ familiæ parens decennio toto nil vini libavit. Plurimi per omnem vitam abstinuerũt vino. Horum numerum inire nimis quàm operosum. Inter Christianos olim Hieronymi ævo, monachi tam procul aberant à vino, quàm procul ab urbibus, cùm etiam languentes & ægri aquâ frigidâ utrerentur, & coctũ aliquid accepisse luxuria fuerit. Imò Christiani omnes diebus jejuniorum, præsertim Quadragesimæ, vino abstinere soliti sunt: uti videre est apud Clementem, Origenem, Basilium, Cyrillum Hierosolymitanum, Theodoretũ. Sex diebus hebdomadis sacratioris solùm cibis aridis, pane, oleribus, sale, & in potũ aquâ victitabant. Duobus autem ultimis diebus, Parasceve ac Sabbato sancto penitus jejuni perseverabãt.

Luc. c. 1. v. 15.

Hieron. to. 1. epist. 22. ad Eustoch. mihi p. 56.

Clemens l. 5. Constit. c. 17.

Noverant illi omnes sapientiam non inveniri in terrâ suaviter viventium. Idcirco cum Salomone non cogitarunt solùm abstrahere à vino carnem suam, sed abstraxerunt multis aut omnibus annis. Ante annos quadraginta, in Ingolstadiensi Academiâ, hæc Medicorum Thesis publicè defensa: *Aquæ potus optimus, sa-*

liberrimus. Viros novimus complures, eruditos, nobiles, tam robustos quàm sanos, qui summo valetudinis bono abstinent omni vino.

O vinum, vinum! Tu potiùs hauris orbem, & mergis homines, quàm ipsi te. Quisquis caliculis ducendis studet, in virtutis familiã adscribi non poterit, ni priùs illud bibendi studium pessimámque consuetudinem correxerit. Sacerdos potulẽtus & homo ebriosus uterque necessariò vitiosus. Innumeros in vitiorum gurgitem dejecit tam assidua & maligna sitis. Minùs sitiissent, aut sitim cordatiùs rexissent, reverà sanctiùs & diutiùs vixissent. Hîc ego non Ebrietatem in jus voco; ad exactius & severius illa tribunal est citanda; sed illud, ut dixi, assiduum pitissandi studium accuso: hoc innumeris hominibus ita nocet, ut eos vel incuriosos & nullius frugis, aut quod pæne idem, seriò vitiosos faciat. Quid enim solidæ sapientiæ, aut virtutis, aut exactæ industriæ in eo homine reperias, qui omnem in se meliorem indolem frequentioribus poculis expungit? Terra semper madida degenerem prolem, spinas, lolium, tanas educat; homo vix umquam siccus aut oscitantiam, aut quod proximum, parit virũ. Ab homine semper madido non expectes nisi somnolentiam, aut stultitiam. Abundãs & plùs æquo copiosus potus, non solùm deteriorem vitam, sed & breviorem efficit. Carnem nõ refrenabit, qui ei tot poculis sacrificaverit. Vis carni obsequium persuadere? Castiga, macera, jejuniis doma, eámque ut ancillam, non ut dominam habe. Caro non nisi à plagis discit sapere. Atque hîc illud Caligulæ rectissimè usurpandum: Sic feri, ut sentiat se mori. Beatissimus Paulus sic corpus feriebat, non quasi aërem verberans, sed ut sentiret se peti.

Vinũ potiùs homines mergit, quàm ipsũ vinũ.

Quia abundãtior potus non solùm deteriorem vitam, sed breviorem efficit.

Petrus Damianus Monacho purpuratus senator, & Episcopus Ostiensis, viro religioso epistolam scripsit hac inscriptione: Petro Cerebroso Monacho, Petrus peccator, Monachus salutem. Oderat vir ille religiosus, & pertinax rejecerat usitatam carnis macerandæ disciplinam. Hinc magnificum illud encomium: Petrus Cerebrosus, cuticulæ amator perquàm studiosus. Ah, quanti sunt verè cerebrosi, cùm carnis petulantias audiunt edomandas. Hi, ut liberiùs errent, in sui patrocinium trahunt non exigui nominis exempla.

Petr. Damian. to. 1. lib. 6. epist. ep. 27. mihi pag. 291.

§. III.

LIceat hîc minimam Societatem nostram verecundo calamo non commendare, sed à sequiori judicio defendere. Videri possit non nemini Societas IESV in macerandâ carne non nimium operæ collocare. Mi amice, quisquis es, sine bile & igne ad aram Veritatis hoc disceptemus, sed paucissimis, & velut aliud agendo.

Plurimorum opinio & sermo est, lautam esse Iesuitarum mensam. Bene pascuntur, ajunt, & bene vestiuntur, & plerumque non augustè habitant: quis legibus adeò non severis nolit vivere? Quæso te, mi amicissime Lector, si me meumque candorem nosti, patere tibi rem sine fuco detegi. Medium me geram, neque à partibus stabo.

Qui pro Societate hac minimâ apologias scripserint, complures numerantur, non item qui speciatim ejus diætam & mensæ rationem explicarint. Neque ego hîc quidquam moverem, nisi me thematis, de quo agimus, impelleret argumentum. Religiosas omnes familias veneror, & in Domino IESV complector; abstinentiam illarum, & creberrima jejunia prædico, aliisque etiam imitanda suadeo. Hîc autem parcus sobriúlque Societatis victus exponendus, neminis abstinentiã vel minimùm spretã.

In Societate IESV strictissimè propagatur obedientia.

Principiò Societas hæc strictissimã in rebus pæne omnibus obedientiam inter suos propagat. Fatẽtur id alii cœtus religiosi. Neque enim hîc ulli parcitur, cùm

parendum est : non ætas, non eruditio, non cani ullum à parendi lege faciunt eximium. Vnicum Româ verbulum volat, & mox eum quem compellat, ex hac in aliam transfert provinciam. Quantis ac quoties jam factum? Novi ego quamplurimos unico epistolio è Germaniâ in Galliam, in Italiam, in Hispaniam, in Sinas, in ultimam Thulen exportatos.

Frugalitas in mensâ;

Deinde si mensam accedas, frugalis ea & parca est, qualis inter plebeios opifices esse solet. Tam prandium quàm cena non ultra tres missus numerat, planè vulgares ac facilè parabiles : Solenniores festi dies apponunt quartum. Extra hos prandium initiat offa, caput prandæ bubula, missus tertius rapæ aut olera, prout anni vices sunt. Quòd si offa medium prandii locum occupet, anteambulonem agunt ovium exta aut pridianæ carnis minutal, aut ovis frustillum; hunc prodromum è vestigio comitatur jusculum, istud proximè insequitur bubula; prandium claudit casei particula, vel cerasorum aliquid, aut pomum, pro anni varietate. Eadem cenæ ratio. Illius initium offa vel lactucula, hanc excipit lixæ vel assæ carnis aliquid, mox finis advolat pomi recentis aridive genus, aut hordeum, aut pulmentum. Vltimis duobus hebdomadis diebus rari pisces in mensam nostram adnatant, pretiosis lege semper exclusis. Exordium prandii tusum aut integrum cicer, proximum & primarium ferculum ova, subinde passeres vel asselli marini; tertium, olus aut pulmentum. Hæc mensæ frugalitas per omnem annum religiosissimè observatur in collegiis omnibus quantumcumque instructis. Itali adhuc parciùs prandent cenántque regionis & gentis more. Si fidem neges, curiose Lector, convivam te invito: ipse inexpectatus improvisò veni atque arbitrare, & ea, quæ dixi, tuis oculis credes.

Diei Veneris in hebdomadâ abstinentia;

Tertiò, singulis hebdomadibus sextâ quâque feriâ leges nostræ abstinentiam indicunt, cujus ea est parsimonia, ut plerisque omnibus, si sententiæ perrogentur, gratius videatur jejunium, quàm abstinentia. Nam cena sera non nisi unicam offulam aut lactuculam, eámque prorsus incomitatam; porrigit edulii genus quod plerúque priùs submoveas quàm aspicias. Hinc facetè vir quidam religiosus dicebat: Astutus sanè fuit beatus Ignatius, qui in singulos Veneris dies non jejunium, sed abstinentiam velut remissius aliquid & facilius imperavit, cùm reverà difficilius sit. Nam à sumpto prandio, quod ferculo nullo auctius est, expectandum ad horam septimam vespertinam, quæ cenulam illam proponit, post quam non lavantur manus.

In Italiâ est unicum assumpsum cepe.

Accedit, quòd, etsi hæc minima Societas extra statos Ecclesiæ dies jejunia suis pauca imperet : nam iis qui quotidie in scholis quinque horis vociferantur, aut laboribus domesticis fatigantur, hoc nimis quàm difficile foret; nihilominus plurimi quovis Sabbato cenâ abstinent; inter hos etiam magistri & concionatores: & illos quidem diurni labores in Gymnasiis, istos die postero secuturi in cathedris, à jejunii lege absolverent: illorum tamen & istorum plurimi sponte suâ quavis hebdomade jejunant; sunt quibus jejunium quotidianum non difficulter permissum. Ejus enim rei veniam petentibus datur facillimè. E compluribus qui singulis diebus semel dumtaxat cibum sumpserũt, honoris caussâ, nominem Leonardum Lessium, virum è scriptis notum, qui quotidie non prandere, sed cenare tantùm solebat. Idem plures alii & antehac observarunt, & etiamnum observant. His nominatim accensendus Franciscus Suarezius Theologus cujus postea singularior mentio facienda.

Objicias : Convivas Iesuitæ lautè ac delicatè habent. Ajo primò, hîc pæne sæpiùs peccari defectu quàm excessu, cùm hospites aut viri principes longè infra suam conditionem accipiuntur. Deinde, peregrina plerumque præ domesticis mirè sapiunt, & inter lautitias censentur, quæ domi forderent.

Ajo tertiò, in convivarum gratiam subinde promi, quidquid in domo melioris opsonii aut vini est : & quod domesticorum nullus nec libando quidem gustat, hoc in hospites & convivas velut debitum expenditur. Nec nescimus ob largiorem hanc humanitatem nobis sæpius maledici.

Ajo quartò, hîc limites, à majoribus positos, quandoque aut transiliri, nimium dando; aut nec quidem attingi, nimis parum apponendo. Quid volumus? uti dominicum vinum ministratoris est gratia, ita opsonium lautiùs paratum, aut plùs æquo multiplicatum, coci est benevolentia. Plerumque cocus laudari vult, ideò focum luculentiorem instruit, & quidquid habet artis expromit. Hîc majores viderint, ne quid Respublica religiosa capiat detrimenti.

Arbitrio suo fauyt.

Vestitus ratio,

Superioribus addo; vestitûs ratio in hac minimâ Societate illa est, quæ cujuscumque regionis plebeiis, sed honestis Sacerdotibus conveniat. Interim usus cilicii frequens, & quibus placet, quotidianus. Lecti ac cubitûs ea est ratio, quam paupertas amet. Liberum est omnibus rigidum asserem somno substernere, aut amotis plumis lecto stramineo incubare. Novi qui numquam alio sint usi lecto. Neque hîc difficilis venia conceditur. Ita in hac Societate nihil subsidii deest, quò minùs aliquis rigidissimam vitæ rationem servet. Quotidie jejunare, stramini aut ligno indormire, humi cubare, vigilias frequentare, corpus quotidie flagris objurgare, hæc atque his similia in expedito sunt volenti. Hæc autem sine discrimine imperari non potuerunt iis, qui assiduè litterarum studiis invigilant, & viribus sunt adeò inæqualibus. Sunt nihilominus qui jejuniis, ciliciis, flagellis, vigiliis, rigoribus aliis quotidie corpus exerceant. Possum nominare hujus Societatis viros eruditos, religiosos, etiam octogenarios, qui quotidie jejunent, qui in seipsos flagris quotidie animadvertant.

Nihil deest quo minùs aliquis rigidissimam vitæ rationem servet.

Franciscus Suarezius Theologus, qui anno ætatis decimo septimo huic minimæ Societati adscriptus, quinquaginta quatuor annis in eâ vixit, septuagenarius obiit. Illustrandæ Theologiæ vir iste unum & viginti grandes tomos in lucem edidit: quotidianis jejuniis carnem maceravit : nec enim umquam nisi semel de die cibum admisit, quotidie itidem flagellis corpus in servitutem redegit, tantum temporis orationi dedit, ac si studia negligeret; ita studiis invigilavit, ac si orationem penitus intermitteret.

Annus 1583. die 25. Septembr.

Quos eximios similes Bibliotheca Illustrissimi Reverendiss. Principis Epist. Clementis Sotuelli Lusitani, nec non in nullâ aliâ simul spectavi.

Sed & alios è Theologis Societatis viros oppidò eruditos nominare est, qui quotidianâ verberum disciplinâ se multârunt, quod nullius, putem, religiosæ familiæ legibus imperatur. Itaque cilicia, humicubationes, flagella, jejunia, ceteræque carnis mortificationes in Societate Iesv receptæ & usitatæ. Taceo alias multò severiores ac crebriores, & quæ magis urunt.

Nihilominus in hanc minimam Societatem sententiæ passim acerbæ dicuntur; nigrum illi theta figitur locis plurimis. Obsecro, qui estis vos, qui judicatis servos alienos? totum aliquem cœtum, totum Ordinem religiosum infamiæ notulis perfricare, non leve piaculum est. Ad tribunal Cæsaris stamus, ibi nos oportet judicari *. Iudicia humana millies iterúmque millies errant; divinum etsi serum, absque errore omni exactissimum est. Ad istud læti provocamus; ad supremi Cęsaris tribunal consistimus. Erigere conscientia, & nihil metue; centies millies ad inferiora tribunalia cecidisse caussâ non ei oberit, quisquis ad supremum vicerit. Deus judex est.

Sunt quæ acerbissima cavillationibus, libellis famosissimis, nec approbatis aliorum ab auxiliis proficiscantur. Parce mihi, mi Lector, qui tamen mihi parcis.

** Act. 25. v. 10.*

Sed hæc, mi Lector, candidè tecum per digressiunculam fabulari licuerit. Redimus ad lineam.

§. IV. Qui-

§. IV.

QVicumque suæ pelliculæ amans, carnis castigationem odit, non iniquè sibi audiet occentari; *Petro cerebroso*: qui nempe rejicit, quod omnes Christi amici, quod omnes homines Sancti, ut pharmacum planè necessarium obviis ulnis admittunt. Vbi nulla mortificatio, ibi nulla virtus. Fatemur quidem solidam sanctitatem non in macerandâ carne, sed in exercendâ charitate, & in verâ humanæ voluntatis ad divinam conformatione consistere. Nihilominus profectò illud ad hoc necessarium est.

Mortificatio est necessaria ad solidã sanctitatem.

Coërcedæ carnis & genii fraudandi in rege Davide absolutissimum exemplar.

Considerate mihi, obsecro, tam priscæ quàm novæ legis illustrissimos quosque viros. Videte regem David coërcendæ carnis, vincendæ sitis, genii fraudandi absolutissimum exemplar. Sitiverat Rex David vehementissimè. Non defuit suum huic siti ingenium. Mox enim Regi occurrit ad Bethlemiticam portam scaturire fontem gelidissimum. Hinc regiæ voces illæ: *O si quis daret mihi aquam de cisternâ Bethlehem, quæ est in portâ!* Quamprimùm tres militum fortissimi ad hoc genus obsequii sese auctorarunt, & hostium castris vi penetratis ad fontem pervenerunt. Haustam hinc aquam, hostium stativis denuò perruptis, detulerunt ad regem. Rex ausus ingentes demiratus, & sitim præsente jam aquâ concitatiorem generosissimè substringens, noluit bibere, sed magis libavit eam Domino. Factum, ô superi, laudatissimum.

2. Reg. lib. 23. v. 17.

Discite bibones sitim siti jugulare, qui potu sæpius non tam sitim extinguere, quàm extinctam reparare & accendere studetis.

Sed ad illam Hebræi Regis continentiam velut æmula potest adjungi illa Macedonis Imperatoris virtus. Rex Alexander copias per arentem Indiam duxit. Aquarum penuria prius desperatione quàm desiderio bibendi sitim accendit. Per quadringenta stadia ne modicus quidem humor existit. Arenas vapôr æstivi solis accendit: quæ ubi flagrare cœperunt, haud secùs quàm continenti incendio cuncta torrentur. Caligo deinde immodico terræ fervore excitata lucem tegit: camporúmque non alia quàm vasti & profundi æquoris species est. Nocturnum iter tolerabile videbatur, quia rore & matutino frigore corpora levabantur. Cetèrum cùm ipsâ luce æstus oritur, omnémque naturalem absorbet humorem siccitas, ora viscéraque penitus uruntur. Itaque primùm animi, deinde corpora defecêre. Pigebat & consistere, & progredi. Pauci à peritis regionis admoniti præpararant aquam. Hæc paulisper repressit sitim. Deinde crescente æstu rursùm desiderium humoris accensum est. Ergo quidquid vini oleíque erat hominibus ingerebatur: tantáque dulcedo bibendi fuit, ut in posterum sitis non timeretur. Graves deinde avidè hausto humore non sustinere arma, non ingredi poterant: & feliciores vidébantur, quos aqua defecerat, cùm ipsi sine modo infusam vomitu cogerentur regerere. Anxium Regem tantis malis circumfusi amici, ut meminisset orabant, animi sui magnitudinem unicum remedium deficientis exercitûs esse: cùm ex iis qui præcesserant ad capiendum locum castris, duo occurrunt utribus aquam gestantes, ut filiis suis, quos in eodem agmine esse, & ægrè pati sitim non ignorabant, occurrerent: qui cùm in regem incidissent, alter ex iis utre resoluto vas, quod simul ferebat, implet, porrigens Regi. Ille percontatus quibus portarent; filiis ferre cognoscit. Tunc poculo pleno, sicut oblatum est, reddito, Nec solus, inquit, bibere sustineo, nec tam exiguum dividere omnibus possum. Vos currite, & liberis vestris, quod propter illos attulistis, date.

Curtius lib. 5. c. 9. Abstinentia regis Alexandri.

Deus bone, qualis hæc abstinentia, & quàm illustris *Mortificatio* in homine militari, in juvene, in rege, in idololatrâ. Si Macarius aliquis aut Paphnutius ita genio illusisset, rem suo nomine dignissimam fecisset: in rege milite quis istud satis miretur?

§. V.

NEc possum quin & te Rudolphe Imperator Augustissime in hac Regum abstinentium societate collocem. Rudolphus I. Cæsar in Ottocarum Regem Boëmum arma movit. Aquæ penuriâ sitis ingens exercitum omnem affligebat. Hinc milites excurrebant prædaturi non aurum, non vestem pretiosam, sed aquam, aut liquorem potabilem. In viâ exceptus homo paganus, qui messoribus lagenâ ligneâ ferebat fontem. Huic præda liquida cõtinuò erepta, & ad Imperatorẽ non sine gratulatione delata. Hic Imperator abstinentissimus, & verè suimet victor: Reddite, inquit, homini lagenam, nec minimo libatam. Nam ego hactenus non mihi, sed exercitui meo sitiebam. Deum immortalem, vox generosa! Qui sitim habet tam docilem, famem etiam non difficulter condocefaciet; qui oris & gulæ potens est, etiam cordis erit.

Æneas Sylvius lib 3. Comment. de reb. gest. Alfonsi Rudolphi I. Imp.

Plato, qui pane, pauculis olivis, & fonte vitam toleravit, sæpiùs cùm sitiit, aquam antliâ hausit, sed haustam mox effudit; sed & iterum hausit, iterúmque effudit haustam, ut etiam hac in re suiipsius victor esset. Hinc tantus vir, hinc ille divinus Plato evasit. Vbi nulla sui victoria, nulla virtus.

Platonis.

Lacedæmonii nullam disciplinam abstinentiâ potiorem habuerunt, Ideo adolescentes habitiores, & obesi corporis inediâ vexarunt, ut eos ad gracilitatem reducerent. Abstinentia profectò disciplinarum inter Christianas nobilissima.

Omnium Sanctorum hominum is animus semper, ea fuit animi sententia, ei, qui quidem cupiat vitiis resistere, corpus rigidè tractandum. Quâ in re cum Senecâ locus: *Corporis, ajebant, velut oneris necessarii non amator, sed procurator sit, nec se illi, cui impositus est, subjiciat. Nemo liber est, qui corpori servit. Nam ut alios dominos, quos nimia pro ipso sollicitudo invenit, transeat, ipsius morosum imperium delicatúmque est.*

Sen. ep. 92. fine. mihi pag. 588.

Diabolus hostis vaferrimus quamdiu in homine observat intemperantiam, tamdiu certam sperat victoriam; cani simillimus, qui non facilè abigitur, dum macellum patet, dum carnes venales in oculis sunt: ita planè cerberus iste, quamdiu corpus veluti plenum macellum omni ciborum genere distenditur, liberale sibi pabulum inde pollicetur.

Hinc illę Christi voces: *Qui amat animam suam, perdet eam.* Cui corpus & corporis vita tam chara & pretiosa est, ei beatitudo æterna vilis est: *Qui verò odit animam suam, inveniet eam:* quisquis enim ut hostis, quod in se carnale deprehenderit, mortificationis ferro jugulaverit, viam inveniet ad æternam vitam. Dilucidissimè Paulus: *Si spiritu, inquit, facta carnis mortificaveritis, vivetis.* Ergo *mortificate membra vestra, quæ sunt super terram.*

Ioan. c. 12. v. 25.

Rom. c. 8. v. 13. Coloss. c. 3. v. 5.

CAPVT. IV.

Iejunium, valetudinis unicum & princeps præsidium.

CHRISTI ævo tam vinum quàm oleum non vasis ligneis, non stãneis, sed saccis scorteis infundebatur. Ita Christus: *Nemo mittit vinum novum, inquit, in utres veteres, alioquin rumpit vinum novum utres, & ipsum effunditur.* Hac usus similitudine Petrus Chrysologus: *Vtres veteres, inquit, Iudæos vocat: novos utres nuncupat Christianos: quia sicut utres pellium ab omni squalore purgantur, & pigmentis liniuntur odoratis, ut saporem vini possint inviolabilem custodire: ita jejuniis corpora humana ab omni carnalium delictorum squalore purgantur, & fiunt utres divinis tormentis apti; ut de prælo crucis accipiant vinum*

Matth. c. 9. v. 17. Marc. c. 2. v. 22. Luc. c. 5. v. 37. Chrysol ser. 31. ante finem mihi pag. 87.

vinum novum, & incorruptam novitatem conserverent. Sed hoc sicut accipiunt Christiani, ita judæi, nisi Christiani fuerint, non habebunt: qui corrupti vitiis, & inveterati malis, vinum novum, quod ad Evangelii verbum, si acceperint, & rumpuntur & fundunt. Agnoscendum est ergo, quia Christus per exempla hæc non discipulos suos noluit jejunare, sed noluit jejunium verum fraudulento miscere jejunio.

In Wirtenbergiâ & aliis regionibus dolia illinuntur sulphure, ut suus vino constet color, & ut iter faciat sine insigniori damno. *Ita prorsus*, inquit Chrysologus, *jejunio & abstinentiâ tamquam pice odoratâ corpus conservandum ab actionibus carnalibus.*

Jejunio & abstinētia corpus cōservādum ab actionibus carnalibus.

Corpus necessariò castigandum, capite superiori diximus. Nunc porrò imus, & luculenter ostendimus, ex omni Mortificationis genere, non esse conveniētiorem Carnis castigationem ullam abstinentiâ & jejunio.

§. I.

NAtura corruptior, sui sedula mater, sibi ipsi benefacere, in omnibus sibi parcere, seipsam quàm mollissimè tractare, principem curam statuit: hinc utilia sibi & commoda non facilè umquam negligit; quæ verò sibi censet noxia, modis omnibus aversatur, & remis velisque fugit. Hinc cùm ratio aut lex jejunii indicit corpori, natura pro se sollicita: Sic autem, inquit, valetudinem offendemus, nimiùm subtrahetur corpori, stomachus debilitabitur, vertiginem patietur caput, somnus turbabitur. Sexcentas mille tales objectiones, querimonias mille naturæ genius solet opponere. Si hæc remora nostros conatus non sisteret, nullis, putem, exhortationibus foret opus. Sed quia pæne neminem nostrûm meticulosa hæc cogitatio non turbat: *Jejunium mini obest*, ideo ad abstinentiam aut inediam ægerrimè adducimur: nimirum inaniter & vanè præmetuimus Abstinentiam nobis nocituram.

Hîc, obsecro, benevolum sortiar lectorem,

Horat. l. 1. epist. ep. 1. ad Mecenatum. *Qui modò culturæ patientem commodet aurem.*

Rem ego rationibus optimis commonstrabo, & vel ipsis oculis fidem faciam, jejunio & abstinentiâ non tantùm animo ac spiritui, sed & corpori ac valetudini plurimùm commodari, modò jejunium (quod solum excipio) rationis metas non transiliat.

Indiscretiũ & immoderatum jejunium non commendamus.

Hîc quædam veniunt consideranda. Primum est; Sanitas & longævitas seu vita extensior, thesaurus est omnium opum maximus. Hoc omnes homines, hoc orbis universus desiderat; sanum & longævum agere, res omnium optatissima. Quòd si valituras sanitati & vitæ longiori præceptiones tradidero, orbem, sat scio, habebo attentissimum & in mea verba jurantem.

Sanitas est thesaurus omnium opum maximus.

Alterum est: si affirmem in pharmacopoliis ullis non pyxidem, non ollam, non subscudem, non testam, sed nec ligneum, nec vitreum, nec cupreum, nec stanneum, nec argenteum vas ullum reperiri, quod obtinendæ sanitati aut vitæ longiori remedium contineat nobilius Abstinentiâ & Jejunio: si dicam, Pharmacum pharmacorum omnium Abstinentiam; innumeros audire cogar, qui validissimè reclament; plurimi dicent: Cras credam, hodie non. Hîc Horatium sentio vellicantem:

Abstinentiâ & jejunio obtinendæ sanitati non est remedium nobilius.

Horat. l. 2. Odarum, odâ 1. *Periculosæ plenum opus aleæ tractas.*

Scio, nec multùm moveor, sed Domini IESV amore rogo, audite quæ dicturus sum, sed audite patienter atque cum curâ; ausim dicere, rationibus solidissimis, etiam è sacrâ paginâ petitis facilè docebo, unicum & princeps valetudinis præsidium esse jejunium, quod non animo tantùm, sed etiam corpori, suprà quàm dici potest, opituletur. Rem ordior.

§. II.

Eccli. c. 37. v. 32. 33. 1. Ratio cur jejunium sit omnem escam. Et causam mox subjungens: *In multis enim escis, ait, erit infirmitas.* Non erravero, si dixero: Quavis hebdomade, imò quovis die multa hominum millia mori, qui ad plures annos protraxissent vitam, si minùs properanter & avidè comedissent, si numquam (cum Plauto loquor) tuburcinati fuissent. Hoc sanè pauci observant, sed avariter ingerunt, celeriter vorant, & opsonium vix quidquam mandunt; hoc annis aliquot faciunt, & ante annos obeunt. Imò si quis prandio cenâve unicâ nimiùm tuburcinetur, & ut canis voret, facilè ignotum morbum contrahet, cui sola possit mederi mors, ni antè medeatur Abstinentia.

† Præceptio medicorum est: Digestio prima fiat in ore. Philippus Menzelius æternante memoriâ dignissimus medicus mihi de seipso testatus: Ego, inquit, carnes ita dentibus commolo, ut in pulmentum eas redigam. Avidè ac properanter comedere, non solùm indecorum, sed & summè noxium. Hinc asthmata, hinc graviter halans anima, hinc morbi & vitia corporis innumera. Ergo noli esse avidus in ulla epulatione; cibus malè mansus malè digeritur. Hîc priscum illud Augusti locum habeat: *Festina lente.* Abstinens nec avidus, nec delicatus est.

Sed scitis, quò Siracides collineet, cùm de parco victu disserit? De morbis & medicinis erat dicturus. Vis ergo, inquit, declinare medicinas? fuge morbos. Vt istos effugias, *noli esse avidus cùm epularis*, & mensam defere fame non penitus extinctâ. Causam attende: *In multis enim escis erit infirmitas, & aviditas appropinquabit usque ad choleram.* Multi cibi, multi morbi; copiosa mensa, misera valetudo; perpetua saturitas, inconstans aut nulla sanitas. Audi Siracidem clariùs loquentem: *Propter crapulam multi obierunt: qui autem abstinens est, adjiciet vitam.* Hîc mihi seu litterator (quisquis es) seu pictor adsis, & hæc Siracidæ verba vel auro vel gemmis scribe: *Qui autem abstinens est, adjiciet vitam.* Tritissimum illud novimus:

Pone gulæ metas, ut sit tibi longior ætas.

Nihil omnino dubii est, quin quotidie multa millia moriantur, qui si parciùs prandissent, moderatiùs cenassent, frequentiùs esurire sustinuissent, in plures annos pervixissent. *Qui abstinens est, adjiciet vitam.* Qui adimit escæ, apponit vitæ. Hinc Italorum proverbium multò verissimum: Qui multum vult comedere, parùm comedat. Interpretor: qui cupit diu vivere, & annis pluribus aurâ cibóque vesci, is omnibus prandiis cenisque parum ac parcè comedat. *Qui abstinens est, adjiciet vitam.* Hæc prima ratio.

Altera: Omne agens agendo patitur. Lima in ferrum agit, & multum ei adimit, sed & sui aliquid amittit; sic demum atteritur agendo, ut ampliùs agere ac limare nequeat: ita cibus in stomachum descendit, hunc calor & succus, ut medici loquuntur, digestivus excipit, subigit, coquit. Sed hoc toties fit, dum utraque naturalis illa facultas sui aliquid amittat. Quòd si cibus ipse durior, crassior, malæ digestionis, copiosior sit, stomachus multum supra modum patitur: nam naturalis calor velut ignis inter humentia & viridia ligna suffocatur; digestivus ille succus succumbit, nec absolvere potest, quem cœpit laborem. Hinc varia morborum series, hinc catarrhi & tusses, hinc colica, hinc febres, & capitis dolores, hinc omne morbi genus. Ita demum stomachus atteritur, ut nec unicum quidem sorbile ovum possit digerere. Ecquis, obsecro, morbus est, qui non à cibi potúsque intemperie originem trahat? Vix ulli & rarissimi sunt corporis defectus ac morbi, qui non ab excessu cibi potúsque oriantur. Nos infantes imperiti ac simplices sæpissimè morborum causam & culpam in aëreni, in studia & laborem, in habitationē, aut in curas atque sollicitudinem conjicimus. ô boni & fatui!

2. Ratio

Morbi à cibi & potus intemperie originem habent.

Quid

Quid hæc accusamus? Quod per os ingreditur, hoc valetudinem affligit, hoc vitam eripit. Eruditè ac verè dixit Hieronymus Cardanus: *Parcitate victûs, exercitatione, animique lætitiâ omnis vita humana constat. Cetera sunt quædam additamenta, & parum efficiunt.* Non negem ab aëre quoque, à nimiis laboribus & curis noxam trahi: sed hæc minoris plerumque damni sunt. Galenus ipse apertissimè fatetur, omnem aliam intemperiem, uti solis ardorem, frigora, ventos, labores nimios parum sibi nocuisse, eò quòd in duobus illis, quæ per os intrant, debitam servârit moderationem. Cibi potúsque intemperantia malorum omnium est Lerna. Nam aut cibi potúsque copiâ aut qualitate, aut modo peccamus. Explico brevissimè.

Cardanus lib. de tuendâ sanitate, cap. 10. mihi pag. 300. & 301.

Cibo & potu tribus peccamus:

Copiâ peccat, qui plus ingerit alimenti, quàm fames cupiat, quàm valetudo poscat; hinc nimiùm oneratur stomachus, calor fatigatur & obruitur. Singularissimè noxium est, si cibus ingeratur corpori, priore nondum digesto.

Copiâ,

Qualitate cibi delinquimus, cùm cibos naturâ suâ vitiosos, pingues, præsalsos malignè crassos plus æquo duros, & qui nimiùm aut calefaciunt aut refrigerant, in ventrem dejicimus, cùm pepones, fungos, cucumeres, frigidissima gulæ irritamenta in deliciis habemus.

Qualitate, Pugnat ratio omnem nexum, & pone venenum pro cibo.

Modo denique peccamus, cùm cibum à se commendatum malè mandimus, alios atque alios bolos raptim glutimus atque trajicimus, & verbo proprio, *Turbircinamur*. Hic quidem cibus non foret nimius, non noxius, modò sumeretur cum modo: qui si desit, plerumque nimius, & semper noxius est cibus. Antonius Pius Imperator, Capitolino teste, in cenâ caseum avidiùs devoravit, nocte insequenti rejecit, alterâ die febri, tertiâ verò morte correptus est. Nimis quàm noxium ita præcipitanter comedere. Hinc putredines, hinc corruptus sanguis, hinc pessimi humores. Et hæc verissima morborum omnium est origo, stomachi à cibo potúque repletio. Huic malo rectissimè medetur opportuna & prudens inedia, jejunia crebriùs iteratum. Nemo sit qui non dies habeat intercalares, quibus emendet abstinentia, quod deliquit licentioso gula. Hoc viri faciunt doctissimi, qui cùm sanitatis curam habeant, singulis hebdomadibus unum alterúmve diem intercalarem sibi destinant, quo cenâ aut prædium omittant, & ita præteritas saturitates corrigant.

Modo

Quibus medetur opportuna & prudens inedia.

Aurelianus Imperator ad annum sexagesimum sextum pervixit, nullum umquam pharmacum sumpsit, nullam venam incidit, sed horam unam quotidie obambulavit, singulis mensibus die integro cibatu omni abstinuit. Qui sapit, subinde saltem, cùm cibi fastidium sentit, esuriales ferias sibimet indicit. Repeto vel centies, vel millies repetendum: *Qui abstinens est, adjiciet vitam.*

§. II.

3. Ratio.

TErtia ratio: Sanitas est cõtemperatio & proportio humorum ac qualitatum in corpore. Si nativus calor & frigus, si siccitas & humiditas æquali pene passu gradiantur, neutrum à neutro superatum, sanum est corpus: quòd si calor innatus aut familiare gelu qualitates alias excedant, præsens aut in vicino est morbus. Hîc ego vereor, ne surdis narraturus sim fabulam. Error est, & quidem multò patentissimus, quem nemo non defendit, quem docti indoctique pro viribus propugnant acerrimè. Rogo te, mi Lector, hic animum & aures adverte. Opinio est pervulgatissima, vires prostratas & stomachum officii sui immemorem vino nobili & generoso plurimùm juvari posse. Hic orbis scopulus, imò hic tumulus est, in quem quotidie innumera præcipitantur funera. Vinum meracum, ajunt, & primarium si moderatè ac modicè bibatur, perditas vires reficit, stomachum frigidum calefacit, conducit mirificè. O boni! erratis amplissimè, & quidē toto cælo. Credetis hoc, puto, testibus locupletissimis & omni exceptione maioribus.

Hoc igitur ajo: Stomachus vel naturâ, vel senio, vel morbo debilitatus ac frigidus, vino nobili non tantùm non juvatur, sed multùm affligitur, violatur, depravatur, perditur. Ita namque viri doctissimi ratiocinantur: Inter stomachum, qui recipit, & inter cibum potúmque, qui recipitur, proportio sit necesse est; nec enim stomachus à suo hospite superari vult calore; quando igitur stomachus est frigidus vinum autem dominicum, meracum, non lymphatum est, incredibiliter ei officit, ob magnam inter recipiens & receptum inæqualitatem. Conjugium nimis dispar est, stomachus malus, & vinum bonum, nec inde quidquam boni nascitur. Iunge pares & sanitati consules: stomacho debili vinum debile aut lymphatum convenit. Hoc autem nemo credit, tumultuatur & reclamat totus orbis; omnium ubique vox est: Stomachus malus vino bono erigendus, juvandus, calefaciendus est.

Inter stomachum, cibum & potum debet esse proportio.

Tres erant ægroti homines, cetera non imprudentes, nec ignari rerum, sed qui in rem suam pessimè sapuerunt. Illorum primus vinum Creticum seu Chium, vinum alter honorarium dulce, Liberi florem, tertius vini laticem, seu sublimatum vinum, suo morbo convenientissimum censebat, speciosis sanè nominibus. Ille quidem phlegma pectoris Chio solvendum arbitratus est. Suaviter tamen ignorare voluit, pituitam tam dulci ac potenti potu magis augendam parte unâ, quàm minuendam alterâ. Ipsum etiam acetum calidæ naturæ esse judicat Aristoteles†. Alter verò Refinfelium eam potissimùm ob caussam expetiit, quòd refrigeraret *. Quis, obsecro, umquam audiit ullâ in orbis parte vinum præsertim generosum ac potens nasci, quod vim habeat refrigerandi? Deus bone, quàm amicè fallimus nosipsos! Id enim nostro judicio nobis singulariter convenit, quòd maximè sapit. Superi! Quàm est proclive seipsum fallere? Et quàm nemo ferè in caussâ propriâ sapit.

† *Aristoteles tom. 7 sect. 34. problemat. mihi pag. 648. Galenus mittam ei potentiam assignat.*

* *Hæc etiãnum anicularii sunt somnia.*

Vbinam locorum vinea illa est, quæ generet botros indolis frigorificæ? Hæc ægrotorum aut somnia sunt, aut deliria. Refrigerat certè vinum, sed primo illapsu dum per guttur defluit, & aliquantulum ad breve tempus sitim reprimit: at ubi vim suam diffundere permittitur, calefacit, accendit, exurit. Refrigeratio illa, ô boni, est brevissima, & velut prima symbola, quam hic hospes solvit stomacho, cauponi suo. Verùm expectatis paullulùm: mox occultum tui hospitis ignem senties. Sed ægrotorum ille tertius vinum ardens igni eliquatum sibimet indulsit, tamquam frigidi stomachi præclarum pharmacum. Præclara sanè fatuitas, quam tamen picta caussæ honestas velat. Nimirum stomachum juvamus, & caput perdimus. Imò & stomacho præsertim frigido illud vini genus nocentissimum. Inquilinum frigus igne tam violento non tollitur, nisi cùm anima ejicitur, quod ejusce modi antidota solent facere. Ah longè satius est minùs valere, quàm valetudini auxilia ferre tam noxia! Fuge vinum ardens, fuge quisquis valetudinem & vitam amas. At, inquis, modicum bibo. Ergo mavis tibi modicum, quàm nihil nocere. Idem de pluribus aliis ejusce modi *modicis*, sed noxiis sentiendum.

Ita stomachus ajunt, non multo, sed generoso vino calefaciendus aut corrigendus.

Insitia, eheu! lacrymabilis, sed suavis; error luculentus non tamen ingratus; ita blandiore gulâ malumus perire, quàm molestiore abstinentiâ sanari. Nimirum calefacimus stomachum; dum animam extrudamus. Ita profectò quotidie innumeri morientur, qui suis se beneficiis blandè jugulant; ventriculum sũ-

licet

Stomachus à naturâ, senio vel morbo debilis à vino nobili noxã trahit.

licet ita calefaciunt, ut in tumulo refrigerandus sit. Stomachus, ut dixi, vel à naturâ, vel à senio, vel à morbo debilis, à vino nobili noxam trahit certissimam: nobilitas vini fractas stomachi vires non tam reficit, quàm opprimit. Ita ipsi nos sæpissime perdimus beneficiis. Vinum generosum inter prima morbi pharmaca connumeramus. Sed heu quantùm erramus, & venenum bibimus pro alexipharmaco! Corpus fovere cupimus, quod ignorantiâ miserabili destruimus. Nimirum juvat suaviter perire. Liceat dicere: intelligite insipientes, & stulti aliquando sapite: Vinum generosum ac nobile iis (notate dicta) qui stomachum aut naturâ, aut senio, aut morbo debilem & enervem habent, non tam fomentum quàm exitium est. Sed hîc voces mortui usurpem. *Et nemo credit.* Dictorum testes sisto loculentissimos.

§. IV.

Galenus lc de bonitate aquæ, mihi pag. 76. Idẽ alibi locis quàm plurimis affirmat.

AGmen ducat medicorum princeps Galenus, qui apertissimè: Vino, inquit, si permiscueris modicum bonæ aquæ, ad digestionem & urinarum secessionem erit benigna. Franciscus Vallesius Philippi II. Hispaniarum Regis medicus, vir exquisitissimæ doctrinæ hac de re clarissimè ignaros erudit. Singulas ejus voces fideliter admetiar. Verbum è verbo ita exprimens Vallesius: Iam verò, inquit, nihil arbitror stultius, quàm senibus caloris augendi gratiâ, vinum abundanter, meracum præcipuè indulgere. Quantò enim vinum calidius est per se, tantò majori ventris ac viscerum omnium calore opus est, ut superetur; alioqui à minori accescit, crudúmque succum auget, unde & calorem naturalem suffocat, & morbos innumeros parit, ac mortem properat. Quare vinum esse lac senum, non valdè probo; censeo potiùs senibus sensim esse dandum dilutius, usque dum in extremo senio constitutis toto vino detracto, detur pro eo mulsa aut decocta aqua. Satius enim est permittere calori naturali sensim venire ad naturalem interitum, quàm vino obruere, & senectam facere miserabiliorem, & breviorem.

Vallesius de sacrâ philosophiâ c. 29. fine mihi pag. 237.

Vinum dilutum stomacho debili aptũ.

Ita prorsus se res habet. Ergo quò fractior ac debilior est stomachus, eò minus roboris habeat potus, ut tantò sit ei convenientior, quantò magis est proportionatus & attemperantior. Debilis stomachus, & nobile vinum, inæquale connubium & noxium. Hinc Vallesii verissima præceptio est, vinum tantò dilutius bibendum, quantò provectior est ætas; ita quidem ut adultiore senio aqua in potum substituatur vino, quò major inter senilem stomachum, & naturalem potum sit proportio. Hæc Vallesius; quæ oraculi loco habenda. *Sed nemo credit.*

Priori testi adjungo alterum. Thomas Mermannus Sereniſſimorum Bavariæ Ducum medicus, à medendi peritiâ non Germaniæ solùm, sed & orbi notus, eruditione ac famâ celeberrimus, vir ingenuè candidus, dicere solebat: Vinum bonum non minùs difficulter digeritur, quàm bubulæ carnis prægrande frustum. Hoc tantus vir affirmatissimè sæpiùs dixit; *Et nemo credit.* Nimirum inter præstantis vini ignem, & flaccidi stomachi frigus nulla est proportio. Non conveniunt hi duo adversarii; hinc intestina lis in ventriculi grande detrimentum. Quod Mermannus sapienter dixit, constanter fecit, vinum dilutissimum bibit.

Et nos hominum imperitissimi, cùm aut senectus aut morbus urget, ut stomachum flaccescentem erigamus, vinum Vngaricum, aut Rhenanum, aut Hispanicum; Opimianum, Chium, Creticum affundimus. Opportunissimè profectò. Quemadmodum pugnus oculo, ita hoc tale vinum stomacho medetur. Demum aut ipse stomachus, aut caput membra alia potentioris vini latentem tyrannidem expectiuntur. Sed invaletudinis causâ plerumque rebus aliis omnibus potiùs, quàm vino impingitur, inscitiâ præsigni. Recentiore memoriâ retineo maximorum virorum catalogum, quos omnes non lymphæ crystallus, sed Liberi flos & temetum capulo concluſit. Vinum potens, vinum nocens, nisi mitigetur lymphis. Hîc illud Græcorum verissimum: Bonum vinum, malum caput.

Plures bibunt minus vino potentiore submergunt quàm aquis & mari.

Nullus dubito, non tot hominum aquis & mari hausstos submergi, quot vino potentiore. Optimatum ac principum multorum hoc fatum fuit, eluvione vini generosioris mergi & interire. Quamvis non rarò pereant hoc genere fati & pauperes. Hi enim cùm ægrotant, optimum sibi medicamentum esse judicant bonum vinum. Huc pecuniolam omnem collocant. Dupliciter errant, partim quia stomacho potionem infundunt, cui numquam assuevit; partim etiam quia stomachi sive frigus seu æstum infuso igne Liberi non emendant, sed irritant, & provocant ad conflictum sibi nocentissimum. Sidus illustrissimum Anglicani Senatûs Thomas Morus sapienter prorsus & admodum abstinenter hac in re sese gesit. Nam uno tantùm cibi genere in mensâ vescebatur, quod plerumque caro bubula fuit. Quia verò mensa è statûs & officii decoro ferculis opplebatur, in quodcumque cibi genus primùm incidisset, Morus eo solo se reficiebat. Iuvenis multo tempore vino penitus abstinebat, at senex non nisi dilutum bibebat.

Stapleton. in vitâ lib. iv. c. 6. mihi pag. 34.

Objicias: Ego debilis sum, ergo vires non malè mihi à temeto, valentiore potu concilio: Ego frigidus sum, ergo me vino calefaciam. Calefacies, dum occides. Sed ego, ais iterum, vini calorem sentio suaviter diffundi, & virgs inde nimium quantum restaurari. Ah! quàm pronum est & facile seipsum decipere? sentimus scilicet vim vini nobilioris, jámque restitutas esse vires non inviti persuademur. Speciosissimè fallimur. Siquidem hæc vini modesta virtus exiguo durat tempore; mox venena spargit ut regulus. Nam quò melius est vinum, eò potentiùs offendit caput. Hinc plurimæ defluxiones, & varius malorum ordo. Ita profectò nosmetipsos nostris beneficiis blandè occidimus. *Et hoc nemo credit.*

Illud non negaverim, generosius vinum à calido & robusto stomacho utcumque ad digestionem subigi, numquam tamen non aliquid noxæ relinqui. Hanc autem lacertosus & valens homo non statim sentit, quia leviores stomachi noxas parvi pendit. Quicumque verò stomachum vel morbo, vel naturâ, vel senio nactus est debilem, is omne potentius vinum ut venenum caveat. Matrimonium, ut dixi, nimis impar est, frigidus & flaccescens stomachus, cui subitò vini occultus ignis infunditur. Sit inter alitum & alimentum proportio.

§ V.

ICet obsecro, mi Lector, hîc tecum in rem tuam prolixus sermocinari asserendæ veritati. A Francisco Vallesio & Thomâ Mermanno testes alios sisto, ut, quod Christus dixit, *in ore duorum aut trium*, imò sex aut septem, *testium stet omne verbum*. Hieronymus Cardanus Mediolanensis, qui de rerum varietate libros septemdecim, qui de subtilitate libros viginti unum, qui de tuendâ valetudine libros quatuor, aliaque scripsit innumera, vir doctissimus perinde ac experientissimus hanc controversiam dilucidissimè definiens: Vinum ventriculo amicum, inquit, ob id plerique existimarunt, quòd aqua illi primùm sit inutilis, deinde quòd eo vires non parum foveantur, &c. Gravior etiam potus melior est, ajunt, & concoctiones magis juvat, luáque caliditate intemperiem frigidam & cruditates ventriculo familiares emendat. Sed tamen non sic se

Matt. c. 18. v. 16.

In Aphor. Bonorum Medicina Præsidium clarissimum. Cardanus l. de Sanitate tuenda c. 86. mihi pag. 275. editionis Romanæ.

res

res habet, sed velut immoderata, quæcumque utilior videntur, brevi tempore in successu satiant offenduntque : ita usus vini potentis hæc omnia habet, quæ diximus. Vinum potens longo usu ventriculum enervat (nota, mi Lector, nota) ac ex toto destruit, aquâ etiam crudâ deterius existens. Primùm, quòd jecur excalefaciendo cogit cibum crudum trahere, & ipsum inflammando sitim exacuit, & obstructiones parit : deinde quòd crudos humores, qui in ventriculo sunt, celeriùs quàm oporteat, faciat penetrare. Quódque omnium pessimum, cùm ventriculus naturâ frigidus sit, ab his confirmatur, quæ nutriendo similia sunt ; à contrariis substantia illius extenuatur. Vnde qui potenti utuntur vino, omnes brevi, nisi præpinguem habeant ventriculum, tabescunt. Accedit incommodum non leve, quòd, si quando deficiant similia vina, ventriculus illis assuetus ex toto evertitur. Conclusionem addit Cardanus istam : Pessimus igitur potentium vinorum usus. Sed multi, dices, nobiliore vino juvantur. Cardanum eruditè respondentem audi. Quòd si qui, ait, à potentibus vinis juvari videntur, hoc non ob aliud contingit, quàm vel ob consuetudinem ; vel quia humor crudus ad venas promptiùs digeritur, malúmque cum fenore commutatur, non extinguitur ; vel quia frigida & humida intemperies ventriculum obtinet : sed ad ea efficaciora ex piperibus & alliis sunt auxilia : vini enim impressio ac vis non videtur utilis, nisi cùm ventriculus nauseabundus alia aversatur, & hoc unum amplectitur.

Quatenus aqua juvet, & quando mali sit, observanda est.

Vina potentia podagræ amica. Idē l. 4. de tuendâ valet. c. 22. pag. 312.

A se dicta stabiliens Cardanus : Vinum potens, inquit, exurit jecur ; quo malo nihil est devius. Quod enim semel ustum est, numquam magis restituitur, quàm caro, quàm lignū, quàm panis adustus. Deinde vinum viribus pollens humores crudos deducit ad intima, & ex iis lapides generat. Iam verò si copiosum aut potens vinum bibas, idque non mutetur, urit ventriculum & jecur ; si mutetur, cerebrum petit, furorem gignit atque incontinentiam ; aut cruda accescit, debilitátque non solùm stomachum, sed & hepar, pituitam deducit ad nervos, & bilem flavam exacuit. Quòd si pituita sit educenda, id faciet vinum modicum & dilutum. Quis vino deditus bonum finem habuit? &c.

Hic aliquantulum aberrasse videtur, quàm à Cardano scripta, sensu non eodem.

Et ne quis fortassè putet Cardanum aliud domi, aliud senssisse in schedâ, scripsisse aliter quàm fecisse, prout sæpissimè à verbis divertunt facta ; idcirco vir iste doctissimus, ut reverà faceret, quod doceret, & exemplo præceptiones suas firmaret, ipsemet vino tenui, & insuper valde diluto est usus. Dixit, & fecit quæ dixit.

De hoc vide plura l. 3. de tuendâ valet. c. 84. & 85. pag. 334. & segg.

Aliud & dixit & fecit vir certè magnus, sed in rem suam minimè cautus. Dicere is solebat : Vinum bonum naturæ valde est beneficum. Sed quàm erràrit, prægrandes duo lapides in mortui vesicâ deprehensi, satis testati sunt, quàm vinum bonum naturæ sit maleficum. Aquam ille, aut vinum leve ac lymphatum bibisset, lapicidinam vivam támque copiosam intra viscera non aluisset.

§. VI.

† Zecchius Consult. 91. quâ ductus rationem vino perabstinentiæ præscribit, & de ventriculi imbecillitate differit. Alex. Petronius l. 3. de sanitate tuendâ, cap. 10. & sequens.

SEd, nondum finis testium, & quidem omni exceptione majorum, qui à prioribus pronuntiata largissimè confirmant.

† Ioannes Zecchius insignis medicus, Professor primarius Bononiensis, ita verbum è verbo exprimens : Illud unum, inquit, hîc silendum non est, vinum vinosum & potens languenti ventriculo nocentissimum esse, si largiùs potetur ; ægrè enim admodum superatur. Huic alium testem mox subjungo.

Alexander Petronius Gregorii XIII. Summi Pontificis medicus, vinum potens quàm maximè improbans, & dilutum, præcipuè seni, bibendum judicans : Hinc

A homines, inquit, & animalia cetera, præsertim verò pisces, qui aquâ passim utuntur, ferè perpetuò sani, quæ eorum est natura, degunt : longioremque vitam homines, qui aquam, quàm qui vinum potant, sæpenumerò sortiuntur. Et pauculis interjectis, ubi vinum pro senibus determinat, sic scribit : Vinum, inquit, esto, cui quidem ætatis aliquid accesserit, non vetus, sed aut pauciferum, hoc est, tenue & oligophorum, aut si fortè potens, id vel aquâ satis dilutum, vel aliquid hujus generis sit.

Inscriptio est : Seni vinum potens quomodo inutile, aqua verò utilis sit.

Prioribus jure meritissimo jungendus vel etiam anteponendus illustrissimus omnium dictorum testis Iulius Alexandrinus Augustissimi Imperatoris Maximiliani II. primarius medicus, qui medicorum & historicorum auctoritate plurimâ insignissimè demonstrat, vinum aquâ semper esse diluendum, quæcumque demum humani corporis & valetudinis sit constitutio, idque etiam frigidæ corporis affectione docet convenire. Cúmque plurimos tot testimoniorum copiâ ad assensum pertraxisset, denique sibi ipse objiciens, id forsan de calidis tantùm, & non frigidis naturis esse intelligendum : At enim, inquit, in calidis id naturis necessarium, in frigidis non necessarium. Quomodo, quæso, non necessarium ? Siquidem ostensum jam illud est, papaveris succo refrigeratos, vini potu, quod non omnino tamen non admixtum aquæ aliquid contineat, persanari : sicque oscitationes & horrores incoctorum sæpe humorum, & flatuosæ humiditatis, frigidáque symptomata (quæ omnia in senibus reperire est) æquæ aquæ vinique portiones, non aliter tamen quàm calefaciendo, tollunt. Minùs ut mirari debeamus, si vel opio, frigidissimâ re, potionatos, eóque periclitantes, aliquatenus omnino diluti vini remedio curamus. Sed eadem vi argumenti pergit : Hæc apertè (nisi fallor) ostenderint cujuscumque tandem generis, aut ordinis, aut conditionis hominibus, sanis, ægris, neutrâ in parte sanitatis aut ægritudinis positis, temperatis, intemperatis, omnibus diluti quoquo pacto vini propinari usum solitum usitatissimè.

Iulius Alexand. l. 16. Salubrium, seu de sanitate tuendâ c. 9. Vinū aquâ semper diluendum.

Hæc demum effata tam dilucidè quàm eruditè consignans hic ipse Cæsareorum medicorum princeps Iulius Alexandrinus. Omnino vetustissimus mos iste, inquit, receptissimúsque olim diluendi vini, conditionibus hominum omnibus, etiam gentibus, Scythis tantùm fortè exceptis, qui aut nihil aut parum omnino diluto uterentur [a] Atque in hujus theorematis confirmationem varios miscendorum vinorum modos proponit, ostenditque quomodo vini caliditas admixtione aquæ retundatur. Huic sententiæ amicorum optimus, medicinæ scientissimus, his omnino conceptis verbis subscripsit : Indubitatum est medicis, eos, qui consuetudine laudabili diluto vino utuntur, commodiùs valere, & diutiùs vivere iis, qui in quotidianum usum meraciora vina & potentiora admittunt. [b] Addidit, quod ab ore loquentis excepi :

[a] *Præcepti. Idem Iul. Alex. l. 17. Salubrium, c. 10. & c. 11. Totà lucupletissimis testibus suo calculo, imò & chirographo suo amplissimè accesserunt Serenissimi Electoris & uxoris, Bavariæ Ducis Maximiliani archiatri nobilissimi, celeberrimi Dom.*

Si duo adolescentuli optimæ naturæ & sanitatis, ait, unà educarentur pari lege, eodem cibo, paribus ceteris omnibus, solo dispari potu, ita quidem ut alter vinum biberet meracum, iste verò dilutum & aquatum : hîc ego jusjurandum dare possim, istum qui vinum bibit dilutum, aliquot annis diutiùs victurum quàm alterum, qui vinum bibit merum aquâ non domitum. [c] Rationes in promptu sunt. 1. Nobile vinum aquâ domitum multò expeditiùs quàm purum putum penetrat. 2. Aqua vino maritata nocituros vini

DDDD. D. Georgius Grembsius, D. Ferdinand. Sagittarius, Illustris. & Excellentissimus Dominus Dom. Anton. a Colle, Comes de Casanâ, & proximè laudandus D. Thom. Thirmair. [b] *Clarissimus Bavariæ Ducum medicus, Dom. D. Thomas Thirmair.* [c] *Adjunxit : Si duo carnis frusta lixentur, vino unum, alterum aquâ ; hoc mollescet, & probè coquetur ; illud lixatum vino coquetur pejùs, & durescet. Res explorata.*

spiritus, quos vocant, frangit & reprimit. 3. Fæculentæ vini partes, (Chymia Tartareas vocat) longè citiùs ac feliciùs per emulgentes [a] venas deducuntur. Hinc Austriaca, Boëmica, Moravica, Tyrolensia, Franconica, fæcata, non depurata vina [b] tartareas partes in venis relinquunt; ita spiritus vini cum vitali spiritu se miscet & evolat. Hinc illa secretio fæculenta caput & hepar inflammat, renes incendit, nervos contrahit & vellicat, omne genus noxarum & morborum in corpus humanum invehit. Hæc ad verbum Excellentissimi Electorales medici. [c] Quorum & ista sunt: Habet igitur repressio spirituum in vino innumeros effectus bonos.

[a] *Quas etiam Veteres vocant.*
[b] *Clariss. Dom. D. Hippolytus Guarion. l. 4. de abominand. c. 37. & seqq. mihi pag. 676. & seqq.*
[c] *Ita Clariss. Domin. DD. D. Ferdinand. Sagittarius, & D. Tho. Thirmair.*

En tibi, mi optime Lector, hominum doctissimorum sententias idem asserentes, sibimet simillimas. Hic ego liberè proclamo: Mihi unus Plato pro mille est, & mille pro uno. Mihi unus Mermannus aut Vallesius pro decem millibus, & decem millia pro uno sunt. Nec enim ignoro illiteratum errorem illum orbe toto vulgatissimum esse, *malum stomachum vino bono fovendum ac calefaciendum.* Veniâ demus fatuæ plebi, quæ cùm maximè sapit, desipit. Illud turpius est, reperiri homines, ut videri volunt, eruditos, qui hac in re non supra vulgus sapiant, vini nobilioris facundissimi patroni. Ignoscamus & istis, nisi enim generosius vinum tam cupidè biberent, reverà tam studiosè non defenderent. Amant quod sapit; placet quod delectat; quod suave judicatur, tamquam utile defenditur.

Sed, inquies, sunt non pauci, qui vina bibant generosissima, & tamen optimè valeant. Manum explica, mi homo, & eorum numerum, quos objicis, digere in digitos; non omnes occupabis articulos. Ego verò eos optimè valere nego, qui, si vinum cibarium biberent, meliùs valerent. Deinde assuetudo longa vim naturæ obtinet: quod diu facere consuevimus, non continuò rectiùs, non salubriùs facimus, sed faciliùs. Addo: E mille vix unum nominabis, qui nobile vinum quotidie liberaliùs biberit, & admodum diu sanus vixerit. Atqui unius hirundinis adventus veris præsentiam non promulgat.

Sed objicies denuo: Si præstantius vinum debiliori stomacho cavendum, ergo etiam aromata, & quidquid latentem tegit ignem, vitandum. Rectissimè ratiocinaris. Modicus & parcus aromatum usus non omnino excludendus, uti rationes de vino docent, sed crebriorem illum & largiorem piperis & similium condimentorum usum ab imbecilliore ventriculo arcent periti. Contrarium, rebus valde contrariis, ut diximus, pessimè curatur. Galeni dogma est: Contrarium curandum modicè contrario. Frigidum stomachum vino multi caloris velle curare, insania est. Hoc enim est contrarium valde contrario persanare velle.

Lucullentissimus testis Galenus: Austera vina, inquit, ventriculi roborât, caputque inter omnia vina minimè tentant. l. 12. meth. c. 4. circa finem mihi pag. 76. Vina candida & austera, inquit Cardanus, omnium videntur esse præstantissima. Cardan. l. 3. de sanit. tuendâ, cap. 86. mihi pag. 257.

Vir eruditus è medicorum senatu (quem recentissimè memini me legere, & ab ipso dicta in excerpta mea referre) expressissimè docet, malo stomacho vinum austerum longè meliùs convenire, quàm vinum nobile ac multarum virium. Et ratio apponitur: Priusquam enim stomachus actionem suam incipiat, aut certè antequam absolvat, vinum generosum nondum concoctum fugit & elabitur, atque in alias sese partes penetrat cum valetudinis certâ noxâ.

Pæne ridiculum est, quod subjungo. Anno Christiano millesimo sexcentesimo trigesimo secundo, mense Majo, cùm equites Suecici Eberspergam Bavariæ oppidum expilarent, vinum sublimatum & ardens in cadum obvium effuderunt temere, ut quantum quis vellet, biberet. Ad ineptum hunc potum & vitulus accessit, hausitque liberaliùs: sed brevi concidit mortuus. Quòd si stomachus pecudis calidissimus hos ignes nequit concoquere, quomodo debilior hominis stomachus flammam vini adeò sibi non attemperati digerere poterit?

§. VII.

Quòd [illegible] me quoque, mi Lector, in testium partem admittis, dicâ, quod mihi jam pridem experientiâ constat certissimâ. Ego sanè nisi hactenus constanter tot annis vinum omne generosum cautè repudiassem, & etiam cibarium aquâ mansuefecissem, jam dudum cum mortuis habitassem. A vino diluto mihi multiplex & grande cõmodum. Siquidem ad hoc ævi infestam podagram, & atrocem nephritidẽ, ceteroqui hæreditarium à matre malum, & quoscumq; morbos alios subterfugi, venam numquam aperui, nullum umquam fonticulũ admisi, numquã dum in hac Societate versor, decubui. Hæc valetudinis cõstantia in acceptis referenda diætæ, seu religiosæ abstinẽtiæ. Proinde rectissimè fecerit, qui, quam primùm valetudinem senserit turbatiorem, mox ad strictiorem abstinentiã paraverit recursum. Ausim dicere: Initium morbi quodcumque jejuniis posse jugulari. Quod hactenus securissimum esse pharmacum manifestò comperi. In Boëmia morbum militarem, seu febrim ardentem, sudor & jejunium tam in me quàm in aliis pluribus discussit. Qui sese invitârunt largiusculè, perierunt. *Anno 1632.*

Vinum potens, vinum nocens: vinum dilutum, sanissimum. Si quis autem compendio nosse cupiat prima valetudinis fundamenta, tres maximè præceptiũculas attendat. Prima est: Omne genus pomi [a] fugere. Altera: Corporis motum non negligere, & quotidie horam unam minimùm, quod Alexander Severus fecit, obambulare. Tertia: Vinum cibarium probè dilutum, & simul abstinentiam tutissimam valetudinis custodiam summi facere. Præceptionem hanc triplicem poëtis prisca tribus versiculis etsi non non politissimis est complexa:

Vt tibi non malè sit, fuge quidquid in arbore crescit.
Servares vina, serura frequenter obires.
Bacchus amet Glaucum [b], victum quoque sumito paucum.

Huic ego trigemino pharmaco, & alii mecum, gratias agimus maximas, & omnem valetudinem referimus acceptam. Quâ de re luculenter Hieronymus [c] Cardanus: *Docebo*, inquit, *quonam pacto, animi spes atque lætitia vitam non parum prolongent, abstinentiâque à cibo. Ostendam autem jejunia hominem extenuare, vitæ longitudini minimè obesse.* Sed hoc toto libro ingerimus. Ohe latis est. Ad littus capitis appellimus.

Reverà vis mira, vis magna est abstinentiæ, sed ea non nota est, nisi ei quem longanimis ac patiens usus experiundo edocet. Macarii verbis è Caisiano annotatis finio. [d] *Iejuna, ac si centum annos victurus; comede ac si illo die moriturus. Ad mensam velut ad medicinam accede.* Hæc monemur, *Et nemo credit.* Ego rideo; superis committo cetera.

[a] *Pomum, inquit Gregorius Nazianzenus in suis Trastichis ita canit: Vinum, bibo, dum, & dum, pares: Hoc mone te primum, quos tenuis. His tu prece mulce re, fabis ceymis, pe junio.*
[b] *Plutarchus ait Glaucum Spartanum, qui nullum fructus ge nus nisi tritici gustavit. Plutarch. in Lacon. apophthegm. Rursus mihi pag. 770. Sed & Galenus medicamen Pecatus in tenter ab stinuis fre Cibus.*
[c] *Cardanus, Glaucus alius pescatori Deus mer factum ere, datur.*
[d] *Cardanus l. de sanit. tuend. l. 3. mihi p. 56 Caisianus collat. 24.*

violentiâ

violentiâ plerumque lentiore. Hîc omnium optima & tutissima est medicina, jejunium & abstinentia.

Objicias forsan denuo: Ego non nisi selectos & digestioni aptos cibos in mensam admitto, qui nec ignes mihi nec frigora propinent. Sit sanè; nihilominus varietas ciborum inimicissima valetudini; quidquid salubritatis est in alimoniâ, corrumpit copia. Priscum illud, *Ne quid nimis*, in tam amabili ferculorum discrimine vix umquam servatur; ubi autem nimium, ibi vitium. Ignem pascunt ligna, sed & suffocant, si multa nimis aut humida ingerantur: ita cibus æquo copiosior ingestus, aut stomacho non attemperatus, non tam reficit, quàm interficit. *Ita & cibus*, ait Chrysostomus, *si plus quàm concoqui potest, sumatur, morbis corpus infestat. Vnde enim podagræ? unde pendula rigidáque corpora, nonne ab immodicis cibis?* Quâ in re nihil opportunius jejunio & abstinentiâ, quæ ciborum subtractione efficit, ut ignis nativus vires suas explicet. Oraculum vetus & verum:

Esurias, sitias, vigiles, sic rheumata cures.

Infestant catarrhi? fame ac siti medicinam facito, somnos prolixiores caveto. Abstine, abstine:

Nam morbos multos fercula multa ferunt.

Varietas non alit, sed inquinat. Errores gulæ sine sumptu corrigit jejunium: complurium prandiorum ac cenarum intemperantiam emendat abstinentia. Versiculi prisci verissimi:

Abstinentiâ ac quiete morbos cures plurimos:
Est sanitatis mater abstinentia.

Nil certius: In multis escis erit infirmitas: qui autem abstinens est, adjiciet vitam. Hoc autem probè sciamus, cibi appetentiam longè fallaciss imam esse. Mentitur & decipit facillimè, si credulum habeat auditorem. Hanc ob caussam Hugo Victorinus eam in comedendo mensuram sibi ipse præfiniit, ut nec contra honestatem, nec supra necessitatem quidquam tangeret edulii. Nam tantum cibi & potûs adhibendum, ut reficiantur vires, non opprimantur. Appetentia sine fine ingerit, modum nescit, paratis semper ratiunculis infinitè fallit. Hinc sæpe non rerum usus, sed cupido & appetitus in vitio est. Fieri enim potest, ut sapiens pretiosissimo cibo sine voracitatis nævo vescatur, insipiens turpi gulæ flammâ in vilissimum olus exardescat. Gregorio testè, *solus in illicitis non cadit, qui se aliquando & à licitis cautè restringit*. Quæ Augustinus amplissimè confirmans: *Qui carnem* inquit, *à nullis refrenat licitis, vicinus est & illicitis. Licita est satietas, illicita est ebrietas: tamen modesti homines ut longè se faciant à turpitudine ebrietatis, castigant se aliquantum & a libertate satietatis.*

Jejunium errores gulæ corrigit.

Vetus Trochaicus & lambus.

Cato Major de senectut.

Greg. l. 5. Moral. c. 8. mihi pag. 508.

Aug. to. 9. tract. de utilitate jejunii c. 5. mihi pag. 328.

CAPVT V.

Iejunium medicamentorum omnium medicamentum prorsus opportunissimum.

GERMANI veteres sapienti diverbio tuendam valetudinem ita docuerunt:

Vis sanus permanere?
Horis omnibus exercere:
Cursum canis non æmulare:
Modico cibo utere.

Pro sanitate servanda tria monita.

Primum.

Hîc monitum triplex: Primum: Qui corpus cupit habere sanum, habeat exercitatum.

Ovid. l. 1. de Ponto eleg. 6. initio.

Cernis ut ignavum corrumpant otia corpus,
Vt capiant vitium ni moveantur aquæ?

Assiduè sedere, libris aut lecto semper incumbere, hypocausto numquam exire, valetudinem tacitè corrumpit. Alterum: Ne cursu cum canibus certa. Vt corporis exercitium sit sanum, non sit violentum. Ambulare, equitare, navigare, labores assumere, etiam currere conducit, sed usque dum incipiat sudor prorumpere, non ubertim fluere: ita Medicorum senatus jubet. Exercitia violenta minùs sunt salubria. Tertium: Modico cibo utere. Hoc ultimum optimum. De hoc superiori capite dissertum cæptum: allatas rationes nunc aliis firmabimus, ut nemini non constet verissimè dictum: *Est sanitatis mater Abstinentia.*

Secùndum.

Tertium.

§. I.

AD Siracidæ testimonium, ad geminæ rationis firmamentum accedunt effata omnium sapientum. Ego hîc more meo non colligam; sed seligam. Hippocrates Cous Medicorum facilè princeps, in Macedoniâ sub rege Perdicâ vixit: ad annum ætatis centesimum quartum pervenit, innumera scripsit, in illius libros Galenus Syllabum alphabeti ordine confecit, scripta illius omnia Basileæ, Venetiis, Lugduni, edita sunt Anno 1538. & 1544. & 1552. & 1580. & 1582. Hic ille tantus vir tuendæ valetudini triplex documentum tradidit. I. Bene se habere ad labores. II. Corpus cibis non fatiare. III. Consentire feminis substantiam. His ista sunt affinia ejusdem Hippocratis scita: Non pura corpora quantò plus nutries, tantò plus lædes. Vbi cibus præter naturam plus ingestus est, hic morbum facit. Corporibus carnes habentibus humidas famem adhibere convenit. Reverà Hippocrati Temperantia est medicinarum omnium præstantissima, & ipsissima sanitatis mater. Sed antiquissimo è recentioribus unum alterumve subjungamus: Castor Durantes nobilissimus ab Italiâ medicus phasianum ut alitem laudatissimæ carnis, succi optimi, excrementi pauciss imi præ omnibus eduliis commendans: Si tamen, inquit, plus æquo comedas, nocet, & podagræ fluxiones movet. Vt ergo non noceat, minùs comede, & partem ægroto pauperi mitte. Certissimum, alimenti vel optimi molem immoderata rectè confici non potest: corpus ea prægravat, & somnolentum, pigrum, sticulosum reddit: innumera sequuntur incommoda.

Vixit Hippocrates ante Christi 3573. ævo Socrat. Parmenonis, Sophoclis; ante Christum mille septingentis annis.

Galeni tuendæ valetudini triplex documentum.

Hippocrates sect. 2. Aphoris. 10. & apho. 17. & sect. 7. aphor. 61.

Durantes in Thesauro sanitatis de benitat. & vitio alimentorũ c. de Phasiano.

Hæc celeberrimus Medicus Ioânes Iacobus Weckerus compendio percensens: Multa alimenta, inquit, quamvis sint optimi & plurimi succi, frigidos tamen morbos excitabunt. Est enim immodica repletio tam cibi quàm potûs omnino perniciosa. Quamplurimi namque homines repletione nimiâ interiêre. Alimentorum enim abundantia eo pacto naturalem nostri corporis calorem suffocat, quo magna lignorum quæ profstrues incensum ignem; & olei plus quàm par sit, lucernæ & lampadis flammam extinguit. Ideóque ejusdem victus immoderatus cruditates generat, Stomachi dolores procreat, Ructus commovet, Iecur & Lienem obstruit, Compagines afficit, Calculum in renibus cogit, Melancholicos morbos efficit, Ægritudines pituitosas parit, Malos abscessus colligit, Nauseam inducit, Ventriculi & iliorum profluvia excitat, Intellectum & reliquas animales facultates destruit, Colicam facit, Humores omnes corrumpit. En Lernam malorum. Verùm in hæc mala omnia non præstantissimum tantùm, sed & tutissimum est remedium Abstinentia & Iejunium.

Veckerus, qui utriusq; Medicinæ Syntaxes scripsit l. 1. par. 3. mihi pag. 114.

Incõmoda quæ proveniunt ex alimentorum abũdantiâ.

Carolus Piso Lotharingus, Henrici II. Ducis medicus, erudito scripto de morbo Arhtriditis curando disserens: Odium, inquit, illi esse debet cum fructibus omnibus: In victu, & præsertim potu, parcissimus sit: Cenâ sæpius abstineat. En antiquissimi & recentissimi, è doctis hoc ipsum voce unâ testantur: Qui abstinens est, adjiciet vitam.

Pag. 373. editionis meæ.

Est sanitatis mater Abstinentia.

Quòd autem medicis hac in re jure merito credendum sit, oratorem aureum habemus testem. Chrysostomus summis encomiis jejunium extollens: *Magis autem*, inquit, *si rem diligentius volueris intueri, & sanitatis*

Chryst. to. 5. ho. 1. de pœnit. mihi pag. 712.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

tis bonæque habitudinis partem invenies. Atque si meis sermonibus derogas fidem, de his filios medicorum percunctare: ipsique eadem manifestiùs explicabunt, qui Abstinentiam, Matrem sanitatis appellant.

Matt. c. 26. v. 65. Non hîc cum Hebræo Pontifice exclamem: *Quid egemus testibus? ipsi audistis.* Hinc rectè concludimus. Si quis memoriâ calleret, quidquid Hippocrates, quidquid Galenus & Avicenna, cæteriquè ab his peritiores medici omnes scripserunt; si quis herbarum, lapidum, liquorum vires exactè nosset; ei nihilominus abstinentiæ virtus multò plus prodesset ad valetudinem & vitam propagandam, quàm omnis illa scientia jejunii & abstinentiæ viribus destituta. O bone Deus, quàm multis ægrotorum millibus longè consultius foret, parum comesse, vel etiam dies totos à cibo temperare, potum non haurire, sed lentissimè sorbillare, quàm tot catapotia glutire, tot lambere syrupos, tot pharmaca, & pæne tota exhaurire pharmacopolia! Quantos ego ipse novi, qui ejuscemodi eruditâ pharmacorum repetitione seipsos placidissimè occiderunt: qui, si biduum triduúmve inediâ se macerare sustinuissent, sanitatem integram, rem omnem restituissent.

Abstinentiæ vi tus ad valetudinẽ propagandam prodest.

Servire ventri, morbus est gravissimus.

Sed nos licet amantes vitæ, nonnumquam mori malumus, quàm esurire. Italos medicos summè laudo, qui hercle sapienter morbos omnes aggrediuntur inediâ: Hac catapultâ in hunc hostem pugnant. Sapientissimè Cùm enim omnis ferè morbus originem trahat à repletione aut intemperie, rectè omnis morbi curatio exordium sumit ab inediâ & temperantiâ. *Qui abstinens est, adjiciet vitam*: Est sanitatis mater abstinentia.

Eccli. c. 37. v. 34.

Corpore esse vis robusto? victu simplici utitor.

§. II.

AD sapientum effata, addo exempla doctissimorum hominum perinde atque sanctissimorum. Verùm nimis prolixum censeam, narrationem hîc ordiri de iis, qui abstinentiâ rigidâ, jejuniis multis & continuis produxerunt vitam ad octogesimum, nonagesimum, centesimum annum & ultrà. Nominemus paucúlos, etiam è summis fastigiis. Aurelianus Imperator sexaginta sex annis vixit, nullum umquam pharmacum sumpsit, nec venam incidi passus est, ut suprà demonstratum; sed ei loco pharmacorum omnium fuit, quotidie horam unam obambulare, quot mensibus diem totum cibo potúque penitus abstinere. Augustus Cæsar ipsis quinquaginta sex annis Imperatorem egit Romanum, anno ætatis septuagesimo septimo defunctus, & tamen, quod Suetonius testatur, cibi minimi, & vini parcissimus fuit. Plato annis octoginta vixit sobriè prandendo, numquam cenando, Hermodicus fractis planè viribus, & à phthisi graviter infestatus, sobriâ dietâ centesimum annum, Democritus & Hippocrates centesimum quintum annum attigerunt victûs parsimoniâ.

Vita in aliquibus abstinentiâ rigidâ producta.

Hos multum superârunt à Christianâ religione ac virtute nobilissimi. Hilarion etsi naturâ tener, etsi annis plurimis numquam pranderit, etsi quotidie solam cenulam eámque tenuissimam sumpserit, ad annum tamen octogesimum quartum vivẽdo pervenit. Eamdem ferè metam vitæ contigerunt Augustinus & Hieronymus; Paphnutius, Macarius, Franciscus de Paulâ annos nonaginta nati obierunt. Antonius ad annum vitæ centesimum, Vdalricus Patavinus Episcopus ad centesimum quintum pervixit. Simeon Stylites centum & decem, Paulus I. centum & tredecim †, Arsenius & Romualdus centum & viginti annis inter vivos egerunt, rigidissimis, perpetuis jejuniis. Cessa recitare illustria nomina; neque hîc catalogum texam. Hoc alibi explicatiùs docemus. Non satis exemplorum? Quid egemus testibus?

† *Ali ajùt, quindecim.*

Vide partem 1. Rosarum, rosâ 11. §. 4.

A Hîc edones & gulones, & manducones, omnes amicissimè iuterrogo, quâ ratione Hippocrates annum centesimum quintum, Galenus centesimum vigesimum vitæ sit assecutus? Num epulando & potitando, an potiùs abstinendo & jejunando? Iejunârunt revera strenuè. De Galeno constat, eum nil crudi, nil fructuum aut pomorum comedisse, de mensâ semper surrexisse non expletâ fame, quod divus Hieronymus triduano jejunio præponit. Hippocrates præceptionum suarum observantissimus, abstinentiâ incredibili ad illud ævi pertigit. Atqui hi jejunârunt non Christo, non cælo, sed valetudini & vitæ productiori. Zeno Citticus, Suidâ teste, obiit nonagenarius, cibo subinde adeò abstinens, dum inediâ deficeret. Hinc vetus illud verbum: *Zenone continentior.* Obiit morborum expers, & sanus perpetuò propter summam victûs frugalitatem & parsimoniam.

Aut, ut alii, centesimum quadragesimum. Vel, ut aliquibus placet, septuagesimũ tantùm ætatis annũ attigit.

Suidas milit. pag. 366.

Sapiens & divinus Plato ad Dionis cognatos, teste Tullio, epistolium scripsit, cui verba hæc inseruit. Nullo modo placuit bis in die saturum fieri. Hinc Timotheus Platonis amicus dicere solebat: Cenare apud Platonem adeò non offendit valetudinem, ut quis altero etiam die apud eumdem posit convivam agere, interim nec caput nec stomachum sentiat gravatiorem. Hæc sapientum erat cena, eáque de die unica, quæ nec somnum nec antelucana studia impediret.

B *Cic. 1. ult. Tuscul. quæst.*

Nec aliter Masinissa Rex Numidiæ vitam instituit; qui semel dumtaxat de die comedit, idque sine condimentis & pulmentis, quod etiam nonagenarius observavit: &, quod Frontinus memorat, plerumque stans aut obambulans in castris antè tabernaculum prandere solitus est. Haud aliter Rex Ponti Mithridates jam senex ad sumendum cibum non accubuit, nec assedit, sed stetit: hac ipsâ statione testatus, se id obiter ac breviter facturum, quod plurimi ad prolixas horas facerent summâ industriâ.

Frontin. l. 4. Strateg. c. 3.

C

§. III.

HIc forsan obducas: Hæc olim facta jam pervetustæ veritatis sunt: deinde in regionibus alio sole calentibus, ubi aura salubrior, cibatus longè alius & præstantior. Nos aquilonem habitamus, & frigidam Germaniam: quid miri nos illis esse paullulùm voraciores? Audio. Ergo ad nostrum ævum, & ad homines nobis non ignotos veniamus.

Ante annos non multos Ludovicus Cornarus Venetus ad annum pæne centesimum sanus, valens ac vegetus, ætatem duxit hac diætâ. Per annos plurimos die solido ultra offulam, panis frustillum, & ovum unicum, nil edulii libavit, seu quod idem est, ad dimensum quotidie vixit duodecim cibi unciis, in potum ultra uncias quatuordecim non admisit, seu quartam partem è mensurâ vini. Hac tam constanti & sobriâ vivendi ratione id assecutus est, ut anno ætatis octogesimo sanissimus, & velut juvenis ad omne corporis exercitium esset vegetissimus; anno nonagesimo quinto publicis typis mandanda scripsit etiam tunc vivacissimus senex.

D

Reverà vires Abstinentiæ nec capimus, nec credimus, sed nec eas experiri audemus, animalia in nostram perniciem tam timida quàm voracia. Sed frustra ego sim, & risui me propinem, si his talibus persuadere velim, ut cibum ad dimensum capiant, & solis in diem duodecim unciis victitent, potum ad libellam unciarum quatuordecim examinent: Non hoc ago, sed virtutem ac vim jejunii explicare cogito.

In quem finem illud testimonii non omiserim. Vir summæ auctoritatis & illustrissimi nominis mihi fassus est, se in Italiâ graviter febrisse: singulis verò diebus & quidem totis non nisi offulam unam è pane, medi-

Vna panis tella.

medicorum jussu in corporis refectionem accepisse, cùm lautissimè haberetur, ovum unicum accessisse. Ita intra dies quatuordecim febris omnis evanuit, nullis aliis pharmacis, quàm fame, admotis. Famem recusat tolerare febris; nam potiùs hospitium suum deserit, quàm ut esurire discat.

Idem asseruit de seipso vir illustris & perquameruditus, è cujus ore hoc testimonium excepi: Maligna me febris, ajebat, terribili assultu invaserat, & videbatur captivum suum miserè ac diu vexatura. Ego salubrioris consilii certus in famem obstinavi, & triduo toto non tantum comedi, quantum modica scutella contineat. Ita febri nervos omnes incidi. Nam illa elapso hoc triduo velut umbra fugax evanuit. Hinc ars Medicinæ in Italiâ, ut dixi, omnes omnino morbos rectissimè adoritur fame ac inediâ. Ævo Neronis medicus fuit, cui nomen Thessalus: hic ægris omnibus initio morbi triduanam inediam indixit. Rectè ac B salubriter. Sed ô quanti sunt, qui ægrotare mallent quàm ita convalescere!

Addo firmandis jam dictis. Plurimos ego ipse novi, qui ad octogesimum, nonagesimum & plures annos produxerunt vitam, de quibus omnibus rectè dicetur illud: Si eis longior fuisset mensa, brevior fuisset vita. Longiorem appello mensam, quæ ad lubitum appetentiæ cibum potúmque ingerit, quæ invitatiunculas ad bibendum crebriores habet, ubi estur & bibitur, quantum satis est, & plus quàm satis est. Hæc mensam quidem longam, sed brevem faciunt vitam.

Ante annos non multos, quod recentissimè memini, vir primi nominis, qui ad omnes, putem, Europæ principes Legatus ab Imperatore missus, demum sanctioribus consiliis in animum inductis, in minimam Societatem Iesv cooptatus est: sed hospitem secum C adduxit infestam podagram, quod unum pæne à religioso vitæ genere absterruerat. Sed ubi unum alterumve annum inter religiosos homines brevi mensâ, tenui salino, jusculis & olusculis cœpit vivere, delicata podagra tam curti victûs impatiens valedixit, aut si rediit, quasi furtivè ac vellicatim id fecit. Dum hæc chartis mandarem, etiamnum Romæ vixit vir iste religiosus, mihi familiarissimè notus, cujus & litteras est monstrare. Nimirum febris & podagra, sed & omnes morbi aliò migrare malunt, & procul exulare, quàm inediam tolerare. Confirmo dicta.

§. IV.

Bzibi pag. 498.

Ludovicus Granatensis apprimè pius & disertus scriptor, libro quem Devotioni consecravit, rem mirissimam simul & testatissimam enarrans: Dum hæc scribo, inquit, vir quidam in Italiâ chiragrâ & D podagrâ bis tèrque miser, nam & ceterorum omnium membrorum usu destitutus erat. Hic ab insidiatore hoste loco tutiore deprehensus in turrim abreptus est. In hoc carcere victus illi quotidianus fuit parcissima panis buccella, & aliquid tepidæ fœtentis aquæ. En

Isaiæ, 30. v. 20. omnis mensæ apparatus, panis arctus & aqua brevis. Quatuor annos his lautitiis vixit. Mutatis demum rebus ex alto ergastulo emissus est sanus, integer, sospes, vegetus, sine chiragrâ & podagrâ, colore vultûs commendabili. Vivit etiamnum, teste Granatensi, vir iste qui turri & fami summas agit gratias; insuper flexis genibus, quotidianis precibus Deo supplicat pro illius incolumitate, qui sese in latebras sibi tam salutares conjecerat. Num ista credimus? Vix dubito. At interim bonum est re suâ ventrem non fraudare, suave est bene pasci, largiter obbibere. Quid hîc aliud vociferer? Ite domum saturæ, ite capellæ, ite; curiculam mulcete, & curate, ut vobis bene sit, quidquid dehinc sequatur morbi, quidquid ab æternitate immineat supplicii. Bonum est bene pasci, bonum est non esurire, bonum est inediam omni accessu prohibere.

Obsecro te, mi Lector, Gymnasium Patientiæ adi, & Pechium podagricum inspice, qui annis novem de- *Gymnasii Patientiæ part. 2. c. 1. p. 3.* cim specu abditus pane solo & fonte vixit, sed podagram omnem sic absterserit, ut ea in totam reliquam vitam manserit expulsa.

Atque hæc, quæ narravimus, nil supra naturæ vires postulant. Si Danieles, si Ananiam & Azariam, si Misaëlem, si similes in exemplum abstinentiæ traxissem, esset non nemo qui clamaret: Hæc naturalia non sunt, hæc humanas vires excedunt.

Hoc igitur agamus; Vos ipsi, qui hæc legitis, homines vobis feligite notissimos, qui cibo potúque, qui omni cupediarum genere abundant, qui delicatè comedunt & copiosè, qui nihil famis tolerant, quibus sitire nefas est hos ipsos inspicite. Ah, quàm pauci horum ad septuagesimum, quàm longè pauciores ad octogesimum annum ætatem extrahunt? Labores iis vitam non rapiunt; edunt bene, vestiuntur commodè, habitant laxè, cubant molliter, dormiunt satis, vix quidquam laborant, recreationibus vacant perpetuis, & tamen rarissimè sunt longevi. Contrà verò ut millia pauperum, qui parcè comedunt, malè vestiuntur, angustè habitant, strato jacent rigido, non satis dormiunt, in continuis laboribus sunt, procul omni recreatione agunt; & licet quotidianis sudoribus ac jejuniis videantur exhausti, tamen sæpissimè ad octogesimum, nonagesimum, centesimum annum, & ultra perveniunt.

§. V.

ABstinentia medicina omnium tutissima. Subinde quæstio grandis nascitur: Quid sit *medicè vivere*? Ad quæstionem non illepida suppetit narratiuncula: Pyrrhiniculus Vasco iter fecit peregre. Hunc serus vesper fatigatum ad tabernam inopem deduxit. Apposita est cenula, sed omni ex parte olitoria, meris herbis composita. Cui tamen vinum additum, sed dilutissimum, & à quo nulla sanè intemperies cerebro metuenda. Ita cibus, panis, potus, omnia quàm parcissimè submini strata. Vbi finem habuit hæc cena, quæ pæne principio caruit, ingeniosus diversitor caponem ad se accersens: Obsecro te, inquit, medicum mihi voca. Mox caupo: Ecquid malum, inquit, in agresti viculo poscis medicum? Hoc genus hominum nobis hîc ignotum. Cui subridens hospes: Num, ô bone, teipsum ignoras? Cenam mihi planè medicam apposuisti. Agnosco valetudini eâ re insigniter consultum. Vt igitur merces operæ respondeat, cape medici non cauponis pretium *Adrianus Barlandus in dialogis, de inferioris Germaniæ oppidis.*

Mensa sobria, medicina omnium præstantissima. Hoc omnino medicè est vivere. Quâ in re nonnumquam belluæ plus quàm homo sapiunt. Serpens cùm senectus gravior obrepit, ut vetustam pellem exuat, diebus pluribus jejunat. Leo & lupus nimiùm saturi, ut morbum caveant, medicè vivunt, vix quidquam gustant. Ita vel à brutis animantibus humana eruditur gula. O gula vitiorum janua, Adami ruina, valetudinis fovea, vitæ rapina, Esau præcipitium, Israëlitarum interitus, mortalium violenta & sæva nimis domina! Iure indignatur Satyricus: **Mensa sobria medicina omnium præstantissima.**

Juvenal. sat. 1. v. 140.

——— *quanta est gula, quæ sibi totos*
Ponit apros, animal propter convivia natum!
Pœna tamen præsens, cùm tu deponis amictus
Turgidus, & crudum pavonem in balnea portas.
Hinc subitæ mortes, atque intestata senectus.

† *Primus id ausus est R. Servillius Rullus. Plinius lib 8. nat. hist. c. 51.*

Quasi verò, inquit, non satis possit farciri venter, nisi apri mensis inferantur integri †. Hoc tamè boni habet gula, præsentem secum adducit pœnã. Cùm cibi plus æquo ingeruntur, remanent crudi & indigesti. Ita stomachus

machus nimiùm fartus pavonum, gallinarum, caponum, anatum, aliorúmque avium cupedias nondum digestas ad balnea [a], ad sphæristerium, aut etiam ad lectum [b] defert. Hinc variæ creditates, hinc frequentes morbi, hinc properatæ mortes. Horum omnium malorum una epularum ingurgitatio est causa.

[a] *Persius sat. 3. Turgidus hic epulis atque albo ventre lavatur.*

[b] *A cibo statim exercitii aut cubitū ire. singulare vitium noxiū. e Eccli. c. 37. v. 34.*

Ergo, si abigendus sit canis, ostendendus ei lapis; si despumet olla, subtrahendus ignis; si recalcitret equus, minuendus ei pastus; si malè obtemperet caro, edomanda est jejuniis.

Ecquid ampliùs egemus testibus? [c] *Qui abstinens est, adjiciet vitam*: Est sanitatis mater Abstinentia. Quid ergo formidamus famem exiguam, qui cenam adituri sumus æternam? Quid jejunia horremus, qui deliciis pascemur immortalibus? Satiabimur, cùm apparuerit gloria Domini.

CAPVT VI.

Iejunium nobile ac Spartanum omnis cibi condimentum.

ANNÆVS Seneca eruditionis princeps, idea morum nobilissima, non solùm alios abstinere docuit, sed & ipse abstinuit, & longè severiùs quàm docendo suasit. Habuit Seneca inter amicos hominem opulentum & delicatum, Equitem Romanum Lucilium, ad quem plerasque omnes epistolarum misit. Huic viro abstinentiam sæpiùs inculcans: *Tecum ipse dispicias*, inquit, *quid sit necessarium, quid supervacuum.* Præceptio prorsus aurea: Necessitatem attendere, non voluptatem. Si legem hanc orbis servaret, nemini deesset quod sufficeret. Sed efficaciùs monens, imò & præcipiens Seneca: *Ceterùm*, inquit, *adeò mihi placet tentare animi tui firmitatem, ut ex præcepto majorum virorum tibi quoque præcipiam: Interponas aliquot dies, quibus contentus minimo ac vilissimo cibo, durâ atque horridâ veste, dicas tibi: Hoc est, quod timebatur? Hoc secuti sunt, qui omnibus mensibus paupertatem imitati, ne umquam expavescerent, quod sæpe didicissent. Hoc triduo & quatriduo fer, interdum pluribus diebus, ut non lusus sit, sed experimentum. Tunc mihi crede, Lucili, exultabis dupondio † satur. Non est tamen, quare tu multum tibi facere videaris: facies enim quod multa millia servorum, quod multa millia pauperum faciunt. Illo nomine te suspice, quòd facies nō coactus. Tam facile tibi erit illud pati semper, quàm aliquando experiri. Habeamus aquā, habeamus polentā, & Iovi ipsi de felicitate controversiam faciamus.*

Senec. epist. 18. mihi pag. 417. ante med.

† *Duobus assibus, non totis duobus cruciferis.*

An non Seneca jejuniorum & famis encomiastes, qui suis auditoribus panem atrum sobriámque hydriam commendans: *Quid magni est*, inquit, *mi Lucili, si ostrea & boletos, si perdices & capos, si meleagridas & phasianos, si testudines peltatas, si Castorum caudas, si ursorum ungulas, si cerebrum Iovis non desideres? Tunc mihi rem magnam feceris, si panem nigrum ac sordidum non rejeceris: si tibi ipse persuaseris, herbas & olera non pecori solùm crescere, sed & homini, si denique parvo contentus esse didiceris.* Temperantiam, quam docuit, Annæus exercuit.

Senec. epist. 110. mihi pag. 641.

Ælianus refert Epicurum Gargettium dicere solitum: Nihil ei satis est, cui parum non est satis †: Si mihi sit offula, si sit hydriola, vel ipsum cælum provocem contrà, vel ipsi Iovi insultem. Hunc abstinentiæ & inediæ amorem philosophis sola persuasit ratio. Nos fundamentis firmioribus nitimur & sanctioribus. Et hactenus quidem disseruimus, jejunium valetudinis unicum & princeps esse præsidium, jejunium pharmacorum omnium esse pharmacum. Nos contrà objicimus; sit sanè pharmacum, sed hem quàm amarum est & acerbum! Huic objectioni respondendum: Ajo igitur: *Iejunium ciborum omnium condimentum est.* Atque de hoc porrò loquemur.

Ælian. l. 4. Var. hist. c. 13. mihi pag. 153. † Vel; cui pauca non sufficiunt.

A

§. I.

NEc rationum numero, nec testium hîc opus est; experientia mille testes, mille rationes. Exempli gratiâ: qui sabbato cenam omittit, ei Dominico die cibus incredibiliter sapit: si pridie lautiùs cenasset, voluptas illa neutiquam tam suavis accideret. Suave cibi condimentum est jejunium.

Illud tamen hîc observandum: Qui post severius aut diuturnius jejunium in ventre lupum gerit, & ardenter esurit, attendat ne præcipitet, sed lentiùs edat, alioqui noxam incurret: quod jam suprà monuimus. Ideo qui mugientem sentit stomachum, sibi ipse dicat: Heus lentè, ne propera, ne tuburcinare, ne præcipita; cibus tibi non rapietur: quæso te, non raptim, non cursim edas, sicut canis è Nilo bibit. Tantò tibi magis conducent cibi, tantóque sapient meliùs, quantò comederis lentiùs. Heus lentè, lentè.

B

Ita suaviter comeditur & salubriter. Salubrem efficit cibum, rectè illum mādere ac commolere; suavem reddit, cenâ sæpiùs abstinere. Nam quod veteri verbo dicimus: Esurienti sapit mel. Nec mellita tantùm esurientis palato grata sunt, sed & panis avenaceus cibum inhianti jucundior est, quàm homini jam saturo artolagana, panis saccarites, scitamenta mellita, nebulæ dulciariæ, tragemata selectissima. Fames & jejunium cibi condimentum suavissimum.

Quæ cibi suavē reddant,

Deinde philosophiâ nos docet, omne quod recipitur, per modum recipientis recipi. Explico dictum. Ægroto proponuntur fercula delicata, optimè cocta, saporis eximii, primæ commendationis, cupediæ selectæ, vel ipsis superis non fastidiendæ; non tamen sapiunt ægroto, nauseat illas, rejicit, & vel libare oculis recusat. Cur obsecsò? Fauces, lingua, gustatus ægri corruptus & succo pessimo infectus est. Hinc nihil sapit. Est, minimè deliciæ, sed modus recipientis deest; hinc oblatos cibos æger fastidit & amovet. Contrà lignarius aut ferrarius faber, valens operarius, offam exoculatam, crus confectum, avenam coctam, tucetum crassum, artobamma cerasinum, avidè nec sine voluptate comedit, scutellas digito everrit, quem lambit, & pæne prærodit; hoc unum deesse cibo videtur, quòd pluribus ægrè sufficiat. Voluptas igitur non tam in cibo & potu, quàm in eo fauciū loco est, quem transit cibus & potus. Et hac solâ ratione verum censeo effatum: Quod sapit, nutrit. Ceteroqui in mille aliis falsissimum est. Innumera sunt, quæ sapiant, sed non solùm non nutriant, sed etiam inquinent & perdant.

Et quæ minùs suavem.

C

Cibi voluptas in quo sita sit.

Sed videte hîc sapientissimam Dei providentiam, qui sinceriorem edendi voluptatem posuit in fame, abstinentiâ, & jejunio. Hinc effatum Salomonis: *Anima saturata calcabit favum: & anima esuriens amarum pro dulci sumet.* Homo satur non solùm nauseat, sed & calcat delicias. Exemplo id declaremus.

Prov. c. 27. v. 7.

D

§. II.

MEmini, cùm ante annos complures in patriciâ domo rideret Hymenæus nuptiali convivio, & omnia plausibus exsonarent; hîc nemo domesticorum non epulis fartus largiter vino maduit. Inter domesticos ancillarum unà nescio quid fastidii ostenderat, dentibus & manu feriantibus. Iussa ferculis appositis non parcere, hilariùs die geniali comesse; sed illa excusans negavit quidquam appetere. Interrogata quid demum edulii præ ceteris mallet, aut quid secundæ mensæ vellet? Hoc, inquit, mihi jucundum foret, mensam cum discis evertere. Ita prorsus anima saturata calcat favum, mel despit muri melle distento. Haud aliter nos, cùm saturi sumus, loquimur. Est qui dicet: Vellem hunc cibum nunquam libassem, vellem parciùs bibissem, vellem ingesta omnia viam per os relegerent

relegerent. Ita favum calcamus, cum cibis oppleti sumus. Iejunium cibi condimentum optimum.

Voluptas igitur in ore, & in meliori dispositione organorum, non in cibo, non in coci manu sita est: non refert quale sit opsonium vel quâ arte, quo cacabo coquatur, sed quibus faucibus, quo palato recipiatur. Hinc laboratori panis ater, & olus insulsum plus sapit, quàm homini otioso & deliciis farto gallina vel capus altilis lacte & similâ saginatus. Quando enim non laborat, nec famem expectat. Quantò major edendi necessitas, tantò major voluptas. Hoc in ipsis etiam summatibus est videre.

Darius Rex Persarum ab Alexandro Macedone prælio victus & fugatus, maximam è fugâ sitim contraxerat. Hinc aquam turbidam in galeâ propinatam tantâ voluptate bibit, ut fassus sit, se omni vitâ suaviùs numquam bibisse. Quia scilicet, Cicerone teste, numquam sitiens bibit. *Cic. l. 1. Tusc. quæst.*

Rex Artaxerxes, ut Plutarchus memorat, cùm in præcipiti fugâ commeatum omnem perdidisset, panem hordeaceum, & aridas ficus pauculas appetentiâ tantâ comedit, ut diceret: Dii boni, cujusmodi voluptatis hùc usque inexpertus fui? Quia scilicet numquam esuriens comedit.

Rex Ptolemæus longis itineribus Ægyptum peragrans in pauperem casam divertere coactus est. Hîc panis niger & crassus in cenæ caput appositus. Rex avidè comedens: Numquam, ait, suaviorem cibum sumpsi. Fames scilicet & jejunium cibi condimentum est suavissimum.

Dionisius Siciliæ tyrannus cocum ad se accersens graviùs stomachari cœpit, quòd in pridianâ cenâ vix ulli missus sapuissent, utique cocorum negligentiâ id accidisse. Cocus non sine sale ingeniosus: Si fas conjectare, inquit, optime regum, facilè addivinaverim, quid defuerit: aromata, ni fallor, desiderata sunt. Quid ais? inquit rex, num culina nostra non satis habet aromatum? Sanè, ait cocus, non satis aromatum Spartanorum. Aromata Spartana sunt, Labor & Fames. Nam Spartani non priùs accumbunt, quàm laboraverint & esurire cœperint. Hinc illud Græcorum: Fames præter seipsam alia quoque reddit dulcia. Ergo Spartana Hispaniarum, Indiarum, & Sinarum aromata omnia longè præcellunt.

§. III.

IN Sueviæ cœnobio notissimo Abbas ad se cocum in simili causâ evocans: Heus, inquit, magister Iane, querelæ de te graves sparguntur. Neque unus tantùm è meo famulitio affirmat cibos negligentiùs paratos mensæ inferri, cùm tamen in culinâ nec adipis, nec farinæ, nec aromatis ulla sit penuria. Hîc cocus simplici animositate: Admodum Reverende Domine, inquit, licétne loqui? Licet; loquere, ait Antistes. Mox Ianus magister: Quid multis hîc opus? ait, isti queruli nebulones nimiùm sunt saturi: esuriant, & aliter sentient. Nimirum ubi Spartana desunt aromata, ibi omnis cibo deest gratia. Hinc illi opulenti & fastidiosi homines, qui plerumque prandium cenámque adeunt velut jam pransi & cenati, tot gulæ irritamentis egent: adsint necesse est oliva, capparis, sinapi, embamma, oxygarum, intinctus, diversi generis acetum; tot insuper condimentis, tot jusculis, tot scitamentis, tot sorbitiunculis est opus ad proritandum os, ut denique famis aliquid sentiat, quæ cibum per guttur artificio deceptum trajiciat.

Turpissimum est ventris sui mensuram non nosse. Ideo Diogenes: *Quàm multis*, inquit, *non indigeo!* Spartano aromate abundabat; famem in promptu habebat. Socrates ab eâdem re dives dicere solebat: *Optimum condimentum Fames.* Hinc illi gelida fontana in majoribus deliciis fuit quàm aliis vinum Thasium aut Falernum; Socratici potùs condimentum fuerat sitis. Hinc adagium natum Latinis: Fami, crudæ fabæ saccharum sapiunt. Piper, cariophyllum, zingiber, nux odorata, unguentaria, cinnamum, melioris notæ sunt aromata: super omnia jejunium & abstinentia.

Philosophos veteres rectè hac de re sensisse Ammianus Marcellinus testis accedens: Constantinus Imperator, inquit, publicè numquam excreavit, numquam nares emunxit. Hic à Persarum exercitu cæsus & in fugam actus, ab anu panis fragmen accepit, quod tragemata & bellaria omnia superare visum. In promptu causa: numquam sic esuriit.

Theodosius Imperator in venatum profectus, cùm famulitium Palatinum huc illuc sparsum animadverteret, venatoriæ fatigationi se subducens, ad monachi tugurium divertit hospes ignotus. Monachus multa satagens sui penoris promus condus, ut apponeret quidquid domus pretiosi conderet, panem aceto atque oleo maceratum mensæ intulit adjunctâ hydriâ. Esuries & æstus Cæsarem fecêre avidum. Comedit igitur bibítque largiùs. Fame sitíque sedatâ Theodosius: Verè, inquit, affirmo tibi, Pater, numquam me in palatio meo tantâ cum voluptate sumpsisse cibum. Condimentum cibi suavissimum, fames & jejunium.

Sed hujus assertionis testem sisto, cui nemo facilè contradixerit. Hebræus Psaltes de penore cælesti disserens: *Cibavit eos*, inquit, *ex adipe frumenti, & de petrâ melle saturavit eos.* Num mella stillarunt è rupe? Nusquam id affirmat sacra pagina. Nam è petrâ Moses solam eduxit aquam; de scaturigine melleâ, mentio nulla. Aqua fluxit è silice, sed quia fatigatis & siti confectis hæc aqua opportunissimè scaturiit, ideo hæc merum mel, Falernum merum videbatur. Aromata Spartana nobilissima. Iejunium cibi condimentum optimum, aqua recens in siti potus gratissimus. *Psal. 80. v. 17.*

§. IV.

NEc tantùm cibi, sed & somni condimentum est jejunium. Id quidem non negaverim, homines naturæ calidioris, si dormiant incenati, plerumque pejùs dormire; his tamen jejunium non penitus fugiendum, sed mitigatiùs assumendum: edant aliquid, bibant aliquid, sed parte notabili minùs quàm alias edissent aut bibissent, & non tantùm somno non carebùt, sed cum multò tranquilliorem habebunt. At verò illi, qui naturæ sunt humidioris, nec viscerum æstu laborant, his jejunium somnos conciliabit quietissimos. Optimè Basilius: *Gravatus venter*, inquit, *non solum ad cursum, sed etiam ad somnum ineptus est.* Nec mirum: In hominis adeò saturati ventre quatuor elementa digladiantur: hinc turbatur somnus aut insomnia. Alii qui aut modicè cenant, aut, si copiosiùs, urgente fame cenant, ii suaviter dormiunt. Quod Ecclesiastes apertè asserens: *Dulcis est*, inquit, *somnus operanti, sive parum, sive multum comedat: saturitas autem divitis non sinit eum dormire.* Quod confirmans Siracides: *Quàm sufficiens est*, inquit, *homini erudito vinum exiguum! & in dormiendo non laborabis ab illo, & non senties dolorem. Somnus sanitatis in homine parco, dormiet usque in manè, & anima illius cum ipso delectabitur.* Vti citharœdus, qui chelyn aut testudinem habet digitis suis bellissimè respondentem, eâ plurimùm delectatur: contra si instrumentum illud musicum tractatu fit inhabile, si fides discordent, si collum gracile nimis, si venter nimis sit crassus, fidicen animum abjicit tractandi fides: ita spiritus in homine cùm corpus habitat sobrium, leve, cibis non oppletum, agile, paratum, promptum- Iejunium est somni condimentum. *Eccles. c. 5. v. 11. Eccli. c. 31. v. 22. & 24.* Vinum à Græco contextu abest, hoc sensu: *Quàm sufficiens est homini ad vitam, etiam exiguâ.*

Promptúmque, eo multùm oblectatur : at verò si manciscatur corpus intemperans, madidum, grave, escis infertum, flaccidum, somniculosum, vehementer affligitur: hîc labor omnis molestus, cena non suavis, somnus non placidus est, hîc turbata omnia.

Hoc plurimùm quotidiana pene docet experientia.

Novi ego homines religiosos, quibus sæpissimè cenula est, post quam non lavantur manus, qui ab horâ noctis nonâ usque ad quartam matutinam, quâ surgendum, uno latere uno eodémque tenore, sopore numquam interrupto dormiunt suavissimè, & anima cum ipsis delectatur & jucundum est manè quærere, Num septem horæ jam præterierunt?

Itaque abstinentia & jejunium non tantùm cibi, sed etiam somni condimentum est optimum. Qui legitimam cibi potúsque voluptatem quærit, aromata Spartana semper in promptu habeat; Labor & Fames omnia condiunt. Esuriamus nunc paululum, ut satiemur æternùm.

B

CAPVT VII.

Iejunium, temporis, opum, & boni nominis grande auctarium.

Gell. l. 2. Noct. Attic. c. 6.

VERBVM erat vetus, ut Gellius testatur: Sæpe etiam est olitor valde opportuna locutus. Epicurus philosophus apud nos sequiores fame non optimè audit; senem ab horto nominamus, quòd in hortis sæpius velut in scholâ docuerit: quidquid sit, Epicuri scripta multum habent eruditionis ac sapientiæ, & ad virtutem non languidè trahunt. Assiduus est Seneca in hujus Philosophi dictis laudandis. Ad rem interrogatus Epicurus quo artificio facilè quis ditesceret? In hunc modum respondit: Non si præsentibus adjeceris, sed si usum ac necessitatem tibi persuasam circumcideris; non enim augendæ sunt facultates, sed minuendæ cupiditates. Idem di-

Stobæus ser. 17.

cendum in Iejunii & Abstinentiæ caussâ: Non addendum escæ, sed detrahendum appetentiæ: os circumcidendum est. Parsimonia nobile vectigal, imperium in gulam, prædives victoria: qui os & appetentiam noverit substringere, paucis contentus vivet. Cur comedèdi libido strenuè coërcenda sit, causssas aliquot exposuimus. Proxima dissertatio monstravit jejunium ciborum omnium, imò & somni, suavissimum esse condimentum. Progredimur, ostensuri jejunium non temporis solùm, rei omnium pretiosissimæ, sed & opum ac famæ magnum esse auctarium. Qui abstinentiam non horret, multum temporis lucratur, pecunias & nomen auget. Rectissimè ille, quem dixi, philosophus ab horto dixit: Volenti ditescere non sunt augendæ opes, sed minuendæ cupiditates. Detrahe mensæ, & addes tempori, facultatibus, famæ ac nomini. De his hoc capite loquemur.

C

D

§. I.

DIssertationis fundamentum statuo illud eruditorum pronuntiatum: Tantò longior est vita, quàtò brevior est somnus. Nam vita est vigilia. In excubiis standum, dum vivitur. Somnus, imago & frater mortis. Si cernant oculi duos aliquos simul jacentes, mortuum & dormientem, vix quidquam discriminis observant. Qui dormit, post aliquantum temporis evigilabit: interim dum dormivit, non propriè vixit. Vita est vigilia. Quò igitur minùs dormitur, plùs vivitur: brevior somnus, longior vita. Sed ulteriùs. Mensa referta, cena plena, simposia larga somnum exigunt prolixum. A simili res patet. Quò luculentior culinæ focus, quò plura parantur fercula, eò copiosior fumus; ita quò liberaliùs estur ac bibitur, eò diutiùs dormitur; plus cibi, plus vaporum, plus somni.

Vita est vigilia.

Ita paullatim plurimum vitæ demitur, quod Mortis fratri somno conceditur.

Atqui nihil in orbe pretiosius tempore. Aurum & gemmæ tempori collatæ, viles quisquiliæ sunt. Homo mihi benevolus ditare me potest, tempus perditũ restituere non potest, rapere potest. Thesaurus temporis thesaurorum omnium summus. Innumeri homines cetera non pessimi, sed ob tempus malè impensum ad tribunal summum pessimè stabunt, ii præsertim, qui tot horas, tot dies, tot hebdomades, tot menses, tot etiam annos aut nihil agendo, aut malè agendo veluti per jocum combusserunt. Omnes etiam minimas temporis particulas sollicitè colligamus, uti aurifices auri scobem, aut feminæ, quæ fila ducũt aurea. Si damnatorum alicui orbis terrarum aureus, & oceanus balsamo plenus donaretur, quid, putatis, hac divitiarum mole mercari cuperet? Vnicâ dumtaxat horulam, quâ posset impetrare Dei gratiã. Et nos tot horas, tot dies stolidissimè comburimus. Tempus inæstimabilis thesaurus. Cur ergo recusemus cenæ aliquid aut somno demere, ut thesaurũ hunc temporis augeamus? Ita plerique priscorum Patrũ fecére, ut vitam reddescent longiorem, cenulam & somnũ voluerunt esse breviorem.

Thesaurus temporis thesaurorum omnium summus.

Basilius Magnus, Theologus & Orator disertissimus, ut parciùs dormiret, semper humi dormiit, stratóque tam rigido somnum largiorem excusit, & quia diem incredibili temperantiâ traduxit, noctes plurimas studiis aut precibus pervigilavit. Ita & Antonius Magnus totas non rarò noctes inter colloquia cum Deo non sine voluptate consumpsit. Hoc ideo faciliùs potuit, quia semel tantùm de die, nec ante solis obitum, corpus pane, sale & aquâ refecit. Quod de illo testatur Athanasius. Sic alii quamplurimi egerunt.

Quâ ratione, obsecro, Augustinus, Hieronymus, alii, tot libros posteritati consecrare potuissent, nisi scriptioni & noctem impendere voluissent? ut autem hoc commodiùs possent, aut jejunare, aut parcissimè cenare non refugerunt. Plenus venter non studet libenter; feriatus somnum quærit. Novem Hieronymi Tomos manibus versamus, iis quæ perierunt, non censis. Nil scribere potuisset Hieronymus, nisi jejunare ipsi & vigilare familiarissimum, imò quotidianum fuisset. Hic sacer scriptor id minimè dissimulans: Ex toto orbe, inquit, huc venitur Bethlehemum. Ezechielem cœpi exponere; vix finiam. Nulla enim hora, nullum momentum est, ex quo non fratrum occurramus turbis. Omnes cum Hieronymo loqui, omnes illum videre cupiebant. Quomodo ergo tam multum scripsit, qui ab occupationibus aliis nil otii habuit? Faretur ipse noctem his lucubrationibus assignatam. Enimverò largiùs cenare, & somno liberaliùs indulgere, sunt vicinissima; alterum ab altero vix avelli potest. Malè autem vigilabit, pessimè lucubrabit, qui lautiùs cenaverit.

Augustinus, quamvis in disputationibus & colloquiis frequens, quamvis in concionibus ad populum habendis assiduus (uti olim Episcopi erant) Præsulis tamen officium sic administravit, perinde si nihil scripsisset; nihilominus tam multa scripsit, perinde si hoc unum fecisset. Hinc decem grandiores Tomos posteris reliquit: plurima temporum injuriæ diripuerunt. Et quomodo tandem inter tot tantásque occupationes tam multa litteris consignare potuit? aut frugalissimè cenavit, aut cenâ penitus abstinuit: hinc lucubrationes nocturnæ longiores, hinc eruditæ vigiliæ, hinc divinæ ad lampadem scriptiones: Quod dies negavit, nox dedit.

Gregorius Magnus, Antistes summus licèt continuis pæne morbis conflictaretur, plurima tamen scripsit, quia & abstinentissimus fuit, & vigilantissimus. Consuetus illi cibus legumina erãt, & quãvis pedibus insistere

insistere nequiret, nihilominus vigiliis, precibus, studiis assiduè inhærebat.

Ita Thomas Aquinas Theologiæ Phœbus, non ultra quinquaginta annos propagavit vitam, & tamen septemdecim Tomos conscripsit, quos æternitati dicavit.

Vixit Toletus anno 1440. sub Eugenio IV. cuius illius opera Venetiis anno 1707. Coloniæ 1612.

Alphonsus Tostatus Abulensis Præsul quadraginta tantùm annos in vivis fuit, & tamen tredecim ingentia volumina scripsit, eruditionis varietate, ut illud elogii acceperit:

Hic stupor est mundi, qui scibile discutit omne.

Hi tales viri non diu in mensâ persedere, non diu in lecto hærere poterant, qui potuerunt tam multa scribere, tot occupationibus aliis satisfacere. Et consideret quis labores istos, præcipuè Tostati, dicet: Hi viri, si eorum lucubrationes & occupationes ceteras spectemus, nec comedisse videntur, nec dormisse; adeò multum laborârunt. Ita breviore somno longiorem sibi fecerunt vitam, & copiosiorem doctrinam.

Experientia loquitur, illud, quod quis die toto invenire nequit meditando, horis antelucanis, secundâ, tertiâ, quartâ matutinâ facilè indagari. Has autem horas minimè salutant ii, qui lautè cenant, liberaliter obbibunt, corpus cibo potúque farciunt. Horâ septimâ matutinâ, vel octavâ, vel etiam nonâ,

Persius sat. 1. v. 1. & 2.

—— *cùm clarum manè fenestras*
Intrat, & angustas extendit lumine rimas,

plumeâ calidâque tumbâ etiamnum jacent sepulti. Hic cogitationes sublimiores exulant, hîc eruditio & sapientia plerumque domi non sunt.

Nec illud hîc tacendum, quod reverà offensionis est & pessimi exempli. Sunt multi, præsertim hominum opulentiores, somni consueti tam amantes, ut persuaderi nequeant, vel in anno semel tantùm maturiùs lectum deserere, & horâ sextâ die Parasceves concioni se sistere. Prô dedecus! Hominem Christianum in Christi patientis gratiam nec vel simplici solùm vice somno aliquid velle demere. Frigidissime Christiane, quid ais? Totâ nocte illâ, & plurimas, pro te vigilavit Christus, & tu non possis nec unâ quidem horulâ vigilare pro ipso, & cum ipso. Tot támque acerbi cruciatus Christi non tanti apud nos valeant, ut pauculis diebus minùs comedere, minúsque dormire sustineamus.

Iam dixi: Lautior cena, lôgior somnus, brevior vita, sunt cõjũctissima. Vivere vis prolixiùs? minùs dormi.

§ II.

Abstinentiâ augentur divitiæ.

SEd non tantùm extendit vitam abstinentia, sed etiam auget pecuniam. Res testatissima Quot patrimoniorũ gurgites devoratis ac comsumptis ædibus fecerunt proterviam! Homini gulosо nihil sufficit: prædia & fundos abligurit, grandes reverà bolos, & post tantam ingluviem magis esurit, nec clamare, desinit, *Affer, affer.* Homo frugi & abstinens pauciſſimis contentus, non difficulter invenit, quo ventri silentium persuadeat. Abstinentia saluberrimum parsimoniæ genus. Hominem gulosum aut potulentum rarò videas divitem. Salomon ejus rei certissimus: *Qui diligit epulas,* inquit, *in egestate erit. Qui amat vinum, & pinguia, non ditabitur.* Hinc ab eodem monita: *Noli esse in conviviis potatorum, nec in comessationibus eorum, qui carnes ad vescendum conferunt: quia vacantes potibus, & dantes symbola, consumentur, & vestietur pannis dormitatio.* Somnolenti & potatores ad inopiam rediguntur; dormitatio vestes laceras, comessatio crumenam vacuam in præmium offert. Nam quod in ærariolum esset recondendum, in ganeam effunditur. Abstinentiæ vectigal amplissimum.

Prov. c. 21. v. 17.

Prov. c. 23. v. 20. & 21.

Abstinētia amplificat famam.

Nec vitam solùm & pecuniam, sed & famam honestissimis incrementis amplificat abstinentia. Homo abstinens & sobrius etiam hosti pretiosus. Homo patinis & poculis consecratus, vilis est etiam amicissimis. Pessimi nominis, nigerrimæ famæ est, dici de aliquo: Calicum traho est, dum dumtaxat Deas ex omni numero Deorum novit, quas & sacrificiis colit, Eduliam & Potinam.

Monitus est Iulius Cæsar, quem Senatoriæ manus in curiâ confoderunt, ut sibi à clandestinis insidiatoribus caveret. Non timeo, ajebat, crassos, rubicundos, obesos, sed pallidos & macilentos. Non erravit judicio. Tales fuerunt Brutus & Cassius, qui Cæsarem occiderunt. Mensarum assecla, patinarum catillo vix umquam præclari aliquid aut ardui conabitur. Nam qui calicibus studet epotandis, homines remissi & socordes sunt; quid boni aut magni ab eis speres? Homo temperatus & jejunii cultor pecuniam & famã auget.

Romanæ conditores historiæ, Livium, Sallustium, Tacitum evolve, & quod asserimus, credes tot eruditis testibus. Nimirum Romæ quamdiu Temperantiæ, Iejunii, Abstinentiæ civilis leges servavit, omnium gentium victrix & domina fuit, alias post alias regiones & provincias in suam potestatem redegit, orbem terrarum expugnavit: dum Curii & Fabricii homines nobilissimi pulmenta, rapas, olera; non tantùm in mensam admiserunt, sed ea ipsi suâ etiam manu severunt, res Romana præclarissimè stetit; ubi comessationes & cenarum luxus grassari cœpit, priora omnia dilabi, ruere, ac pessum ire cœperunt. Nulla salus luxui: Intemperantia & gula regnorum eversio.

§ III.

PAri planè modo religiosi cœtus propagati sunt. Quamdiu in illis suus stetit abstinentiæ honor, dum jejuniorum dies religiosè culti, quamdiu potationes & symposia inter eos nulla, tamdiu salva omnia. Vbi verò esuriales dies paullatim aut aboliti, aut imminuti, vel remissiùs observati: cùm caliculi in cenis, & extra illas obambulare, cùm madidum vitrum aut stannum ultrò citróque commeare, cùm propinationes & invitatiunculæ admitti, cùm Bromius reciprocus, cùm Vesperæ in tricliniis aut in latebris ad Lyæi aram cantari; mox meditationes, disciplina, lectiones & precationes sacræ aut omitti aut curari perfunctoriè cœperunt: succesſit silentio loquacitas, labori otiositas, vigiliis somnolentia, jejuniis temulentia, virtuti vitium. Ita Vara Vibiam sequitur. Inspice bene instituta cœnobia, & castas jejuniorũ leges, & illæsum Abstinẽtiæ regnũ invenies: esuritur & sititur, cùm mos vetus aut sacræ sanctiones jubent. Habent etiamnum sanctissimi viri religiosæ vitæ principes, discipulos abstinẽtiæ observantissimos. Veneratio, horũ est imitatio.

Ad dissertationis caput redeo. Quisquis vult prolixiùs vivere, non detrectet parciùs dormire. Qui autem detrahere vult somno, priùs detrahat cibo. Hic rerum ordo est. O qualis vita, cujus pars potior edendo & dormiendo consumitur! Hic meritò possim magnatum mensas in jus vocare, quæ prandium & cenam subinde sociant, atque prandii tempus in cenæ horam extẽdunt. *Tales,* ait Augustinus, *sunt omnes ebrioſi, quorum prandia usque ad noctem ducuntur, quorum cenas Lucifer videt.* Memini ego ante annos quinquaginta prandiis interesse, quæ ad tertiam, quartam, aut etiam quintam vespertinam producebantur damnabili exẽplo. Num adhuc his moribus vivitur, ut epilogus prandii fiat exordium cenæ? De illis conviviis & sympoſiis nihil hîc dicam, quæ diem noctémque solidam, imò quæ biduum subinde triduúmve totum, potatione non interruptâ continuantur. Simile quid Seneca damnans: *Quibus nullum,* inquit, *intervallum, quo interquiescerent, datum est, sed prandia cenis usque in lucem perductis ingesta sunt.* Numquid ad hanc pecu-

Aug. to. 10. serm. 231. de tempore mihi pag. 376.

Senec. l. 4. Natur. quæst. c. ultimo.

dum saginam nati sumus? Num Deus eò nos condidit, ut exuto homine boves induamus, qui dies noctésque totas ad præsepe plenum vel pingue pratum os fatigemus?

Psal. 4. v. 3. *Filii hominum usquequo gravi corde?* Cur tantum gulæ permittimus, ut in bestias degeneremus? Rectè hîc priscorum monitum instillo:

Iambi veteres.
Oportet esse ut vivas, non vivere ut edas:
Da corpori quod sufficit, non quod petit.

Sen. epist. 8. Ad rem sapientissimè monet Seneca: *Miser est, qui stomachi sui mensuram nescit. Nec miser solum, sed & insanus est, qui ignorat, quem cibi potúsque ingerendi finem faciat. Quidquid editur & bibitur, non ad voluptatis, sed ad rationis libram examinandum. Sciat unusquisque stomachi sui mensuram; discat ab experientiâ, quantum alimoniæ in prandium, quantum in cenam sufficiat, nec ultrà quidquam appetentiæ fallacissimæ permittat. Et ita veluti ad dimensum edat & bibat. Hac ratione vitam, pecuniam & famam augebit.* Annæi verbo dissertationem finio: *Hanc ergo sanam & salubrem famam vitæ tenere memento, ut corpori tantum indulgeas, quantum bonæ valetudini satis est. Durius tractandum est, ne animo male pareat.*

CAPVT VIII.

Ieiunium, piarum exercitationum omnium adjumentum maximum.

APOLOGI veteris erudita narratio hæc est: Ficedula per silvas iter fecerat; hîc fortè conspicata turdum labruscæ insidentem, amaras ac degeneres baccas vellicantem. Visum est hoc ficedulæ insulsum nimis & aridum jentaculum. Hortatur igitur fratrem, & suaviter compellans: Mi turde, inquit, quid invia tesqua incolis? quid arbores infecundas vellis? desere infelix hoc fruticetum, & unà mecum, si placet, iter ingredere; in regionem longè opimiorem te ducam, ubi ficus & uvæ, ubi omne genus eduliorum abundè suppetat. Persuaderi se turdus haud ægrè passus, labruscæ valedicens, ducem suum hilariter secutus est. Pervenerunt demum tam ficedula quàm turdus in terram fecundis arboribus felicissimam. Insulas fortunatas dixeris. Et videbatur locus promissa superare: nec enim quidquam deerat, quod ad gulæ votum desiderari poterat. Cùm autem turdus curiosior circumspiceret, & hîc quidem aves non ignotas virgis viscatis miserè pendere, veluti in crucem suffixas, illic multò plures retium insidiis captas, alias alibi è fallaci fune pendulas, quasdam etiam fisso baculo implexas, aut decipulâ clausas cerneret, mox alas fugæ parans: Vale, inquit, vale, ô mea ficedula, vale, vale cum tuis deliciis: ego labruscas vellere, imò esurire malo, quàm in tantis vitæ periculis mensam accumbere delicatissimam. Insaniat qui vult, non ego: recum epuletur, qui mortem amat. Mihi potior est tenuis victus, sed tutus, quàm dapes plurimæ, exquisitissimæ, quas Mors afflavit; Vale.

Quisquis non pericula solùm, sed mala præsentissima, quæ cibi potúsque intemperantem usum comitantur, seriò considerat, cum Turdo liberrimè proclamat: Malo decies, malo centies, malo millies inediam & famem pati, quàm selectissimis dapibus me farcire, & valetudinè lædere, vitam præcidere, tempus perdere, opes minuere, incolumè famam corrumpere. Capite superiori diximus: Qui cupit diu vivere, nõ cupiat diu dormire. Vita est vigilia; vivere & nõ vigilare, pars mortis est. Qui autem vult aliquid somno subducere, debet priùs cibo. Hinc nostra cõclusio: Ieiunium temporis grande auctarium: nec solùm temporis, sed & pecuniæ ac nominis, ut suprà demonstratum est.

Nunc porrò eundum, & conclusioni priori hæc adjungenda: Abstinentia & jejunium piorum exercitiorum omnium adjumentum maximum. Quicumque precibus, studiis, meditationibus seriò vacare cogitat, jejunare discat. Sacris exercitiis omnibus jejunium & abstinentia subsidii adfert plurimum. Quod jam diductiùs exponendum. *Abstinentia piorũ exercitiorũ est adjumentum.*

§. I.

SErenum cælum & serenum caput in eo conveniunt; si vapores terræ non ascendant & aërem turbent, cælum serenatur, & lætam exporrigit frontem. Humana intelligentia in se spectata, ad meditandum, ad studendum, ad orandum semper expedita est; quia verò corpus tam inæqualis est valetudinis, hinc modò plumbeum, grave atque oneratum, modò agile, exoneratum, & leve est. Eam ob rem spiritus corporis inquilinus plurimùm aut juvatur, aut impeditur bonâ malâve corporis constitutione. Notissimum: Plenus venter non orat, non studet, non laborat, non meditatur libenter. Homo satur & cibis fartus ad garriendum, fabulandum, ridendum, otiandum, dormiendũ multò est aptior, quàm ad precandum, legendum, commentandum. O bone Deus, quàm non subtiles aut sublimes cogitationes parit corpus escâ meróque æstuans! Ab avi prædatoriâ id luculentum. Si falco bene pastus est, ad aucupium ineptus est. Volatu ardeam non assequetur, non transcendet, non configet: gravatus est cibo, non esurit, ideo nec prædam petit. Hoc tale aucupandi genus esurialis dies præcedat necesse est, alioqui nihil agitur, & omnis perit venatica voluptas: ita prorsus homo, si abstinentiam oderit & jejunium, in sublime sese non attollet, divina & cælestia cogitando non penetrabit, cum Deo & Angelis non sæpè colloquetur; onus corporis eum detrahit, sarcina escaria illum impedit: saturitas dejicit, quem in altum evexisset inedia. Ecclesia rectissimè canit: *Qui corporali jejunio vitia comprimis, mentem elevas, virtutem largiris & præmia.* *Humana intelligentia ad meditandum est expedita; corpus verò non.*

Vates Hebræus Moses facturus audientiam in cælo, & cum ipso Numine collocuturus, quadraginta esuriales dies veluti pervigilium præmisit, ita demum ad divinum colloquium admissus est. Elias ad secretum cum Deo sermonem admittendus, dies itidem quadraginta jejunio & inedià traduxit, perinde si præceptum illi fuisset è cælo: Elia, vide ut quàm maximè sobrius & jejunus venias sermocinaturus cum Deo. Ita Eliæ hilaria fuerunt hydriæ, falernum è fonte publico, & panis subcinericius. *Et ambulavit in fortitudine cibi illius quadraginta diebus & quadraginta noctibus, usque ad montem Dei Horeb. Cúmque venisset illuc, mansit in spelunca. Et ecce sermo Domini ad eum.* Sobrios amat famulos Deus; neque solis precibus, nec eleemosynis solis, sed & jejunis vult coli. *3. Reg. 19. v. 8. & 9.*

Sic Sara jugulatis septem maritis septies vidua, superius cubiculum ingressa, *tribus diebus & tribus noctibus non manducavit, neque bibit; sed in oratione persistens cum lacrymis deprecabatur Deum.* Et quod petiit, impetravit. *Tob. 3. v. 10. & 11.*

Primus, non optimus rex Hebræorum Saul mutuus arma in Philistæos, universæ plebi jejunium indixit: *Maledictus vir, ait, qui comederit panem usque ad vesperum. Et non manducavit universus populus panem:* idque tam strictâ religione, ut cùm in saltu publicum mel flueret, sesèque oculis transeuntium venderet, nemo ausus sit vel digitum eo tinctum lambere. *1. Reg. 14. v. 24.*

Ita David Saule filióque Ionathâ militiæ cæsis jejunavit cum omnibus, quos secum duxerat, militibus: *Et planxerunt, & fleverunt, & jejunaverunt usque ad vesperam super Saul, & super Ionathan, & super populum Domini.* Idem obsequii genus præstiterunt mortuis Galaaditæ, & diebus septem jejunia perseverârunt. *1. Reg. 31. v. 12. 1. Paralip. 10. v. 12.*

Ita

Ita cùm Bethuliam urbem Holofernes dux Assyrius obsidione gravi premeret, expugnationis suâ definitione certus; *clamavit omnis populus ad Dominum instantiâ magnâ, & humiliaverunt animas suas in jejuniis & orationibus, ipsi & mulieres eorum.* Opportunissimè semper precationi jungitur jejunium. Tantò enim efficaciùs orationi os panditur, quantiò religiosiùs cibo clauditur. *Judith c. 4. v. 8.*

Hîc compendium summè profuturum paucis tradere non pigebit. Quisquis à Deo quidpiam impetrandi certus petere instituit, is orationem non incomitatam in cælum mittat, sed comites ei adjungat Eleemosynam & Abstinentiam. Impetrabit certissimò quod rogaverit, nisi forsan divinus honor abnuat, aut roganti expediat non audiri. Rem oculis subjicio, & ad actiones apto. Oratio cũ eleemosynâ & jejunio certo à Deo impetrãdi modus.

§. II.

CVm necessitas nos premit, plenissimis buccis sospitatori Deo vota nuncupamus: sed hæc ejus generis plerumque sunt vota, quæ solum marsupium nonnihil vulnerent. Exempli gratiâ: Vovemus statuam templo, aut ceream imaginem nostræ statuæ æquilibrem, aut frontale vel vestem sacrificam aræ, aut cerri numeri sacrificia, aut peregrinationem sacram, quam sæpius dixeris recreationem. Atque hæc talia promittimus exoluturos, si voti compotes fiamus. Ita in votis concipiendis ferè solam concutimus crumenam. Mi Christiane, teipsum offer Numini, sacrifica teipsum hac formulâ; voces præibo. B

Domine IESV, ego in angustiis deprehensus tribus minimùm diebus, etsi non continuis, jejunabo. Sex aut septem diebus psalmos pœnitentiæ scriptos recitabo. In eleemosynam novem philippeos, aut florenos, aut saltem octodecim sestertios dabo. Hæc vota hominem ipsum immolant, & divinæ voluntàti subjiciunt. Nimirum Deus sacrificium integrum, seu holocaustum, exigit; quod reverâ habet, cùm orationi jungimus eleemosynam & jejunium. Oratio submissa cor Deo subjicit; Eleemosyna facultates & *pecuniam*; Jejunium *corpus*. Ita totus homo conditori suo immolatur, cùm animus & corpus, & fortunæ, bonáque illius exteriora in hostiam ponuntur. C Oratio cũ eleemosynâ & jejunio est sacrificium integrum.

Hæ preces sunt armatæ, hæ Deum expugnant, quæ animum orando, corpus jejunando, divitias erogando mactant. Ita vovendum, ita postulandum: repulsam non feret, qui triplicem hanc Rhetoricæ partem calluerit. Quod Chrysostomus expendens: *Oratio*, inquit, *sine jejunio, miles sine gladio.* Quid loculos emungis? quid ære plectis crumenam, si caro petulans & à jejuniis eximia in vetitas ruit libidines? *Bona est oratio*, sed *cum jejunio & eleemosynâ.* Tres sunt Rhetoricæ partes, ut dixi. Vis persuadere dictione? nullam neglige. *Chrysost. hom. 6. Tob. c. 12. v. 8.*

Quotiescumque Deus tam in lege priscâ quàm novâ res maximas rogandus erat, orationi semper additum jejunium. Quod è sacris paginis luculentissimum fiet. Cùm Israëlitæ in Beniamitas pugnarent, cõsultus est Deus, quis populi ducem ageret? Divinâ voce delectus est Iudas. Oraculo divino confirmati in hostem animosè iverunt. Nihilominus post exordium tam auspicatum, viginti duo millia Israëlitarum in prælio sunt cæsi. Sed visum est instaurare prælium majoribus copiis, animis erectioribus. Et ut principium à Deo ducerent, priùs ad orationis domum ascenderunt, orârunt & fleverunt coram Domino usque ad noctem. Atque ut nihil inconsultò agerent interrogârunt denuò, num repetenda sint arma in Beniamitas. Respondit oraculum: Ite, ascendite, certate. Hoc jussu erectissimus Israëlis populus in aciem progressus est. Verùm Beniamitæ iterum tantâ in illos cæde bacchati sunt, ut decem & octo millia bellicosorum militum mactaverint. Tertiùm igitur ad orationis domum conveniunt, neque jam precibus tantùm & lacrymis agunt, sed & jejuniis, *Jejunaverúntque die illo usque ad vesperam.* O viri, hoc initio factum oportuit. Bona est oratio, non ingratæ sunt lacrymæ, sed jejuniis conjunctæ. Ad conflictûs principium orastis: rectè. Orationem lacrymis etiam commendastis: optimè. Sed jejunium omisistis: hoc malè. Deum ergo consuluerunt denuò, quid faciendum, num arma ponenda, num resumenda, & pugnandum? Et respondit Dominus: *Ascendite, eras enim tradam eos in manus vestras.* Ascenderunt, viderunt, vicerunt. Nam hostium eo die viginti quinque millia & centum ceciderunt. *Iudic. c. 20. v. 25.* *Ibid. 28. & 35.*

Tanti fuit orationi & lacrymis junxisse jejunium. Videte, obsecro, ô Israelitæ, ô Christiani, quantam vim precibus & fletibus addat Abstinentia. Holocaustum vult Deus, & totius hominis oblationem, hoc est, animi, corporis, & facultatum victimam. *Miles sine gladio, oratio sine jejunio.* Sed dicta confirmo.

§. III.

MOabitæ & Ammonitæ grandes exercitus contra Regem Iosaphat duxerunt. Rex autem, ut Regum chronicon testatur, *totum se contulit ad rogandum Dominum, & prædicavit jejunium universo Iuda.* Victoriam Rex Iosaphat obtinuit incredibilem, & quidem sine sanguine suorum. Hostiles copiæ in semetipsas versæ mutuis sese vulneribus conciderunt, & omnis latè regio cadaveribus opleta est, nec superfuit quisquam, qui necem evaderet. Spolia nec triduo quidem auferri potuerunt ob prædæ magnitudinem. Oratio abstinentiæ & jejunio juncta expugnat & vincit. *Miles sine gladio, oratio sine jejunio.* *2. Paral. c. 20. v. 3.* *Ibid. v. 25.*

Sic Esther regina populi sui proximum interitum animadvertens, precibus eum & jejuniis servavit. Iudæi omnes necandi erant. Decretum Regis in omnium ipsorum jugulum jam scriptum, jam promulgatum, jam affixum erat. Gladius & laqueus citabat omnes. Hîc Esther Mardochæum cognatum cohortata, ut extremis malis mederetur: *Vade*, inquit, *& congrega omnes Iudæos, quos in Susan repereris, & orate pro me. Non comedatis, & non bibatis tribus diebus, & tribus noctibus: & ego cum ancillis meis pariter jejunabo.* Mox Hebræi omnes revixerunt, decretum regium est antiquatum, gladius & laqueus Hebræis imminens adversarios necavit; inversa sunt omnia. O Iudæi Esthери vestræ gratias agite, quæ vobis veluti concionatrix non preces solùm, sed & triduanum jejunium indixit, & destinatissimæ neci eripuit. Nec alios tantùm compulit ad jejunium optima regina, sed & ipsa cum gynæceo suo viriliter jejunavit. His nempe armis, precibus, eleemosynâ, & jejunio expugnatur summus Monarcha: cedit Deus trigeminæ hujus catapultæ. Verissimum Chrysostomi: *Miles sine gladio, oratio sine jejunio.* Idem in Republicâ Christianâ est cernere. D *Esther c. 4. v. 16.*

Carolus Magnus Imperator, Reginone teste, cùm adversus Avares moveret ad flumen Anisum, toti exercitui triduanum jejunium promulgari jussit, & feliciter pugnavit. Sic Otho Imperator cum Vngaris conflicturus, teste Witichindo, totis castris jejunium præcepit. Sic & Zeno Imperator, ut Nicephorus memorat, eligendo Archiepiscopo Constantinopolitano quadraginta dierum jejunium edixit. Veterem historiam omnem recense, & passim deprehendes semper junctum precibus jejunium, cùm aut gravior necessitas urgeret, aut quidpiam magni momenti à Deo petendum. Oratio & abstinentia geminæ sunt sorores ad cæli portam notissimæ, ingrediuntur liberè, nec supplicant custodibus. Ita clarissimè Iudith vidua: *Scitote*, inquit, *quoniam exaudiet Dominus preces vestras*, *Regino l. 2. hist.* *Witich. l. 3 hist.* *Nicephor. l. 6 Eccles. hist. c. 18.* *Iudith c. 4. v. 12.*

vestras, si manentes permanseritis in jejuniis & orationibus, in conspectu Domini. Iejunium piorum exercitiorum omnium adjumentum maximum, præcipuè orationis. Oranti & cum eleemosynarum largitate jejunanti panditur cælum, gratulantur Superi, annuit Deus.

§. IV.

Petr. Chrysol. ser. 41. 42. 43. mihi pag. 110. & seqq.

PEtrus Chrysologus de Abstinentiæ ac Misericordiæ mixturâ tam eruditè ac piè, quàm sapienter & venustè: *Abstinentia*, inquit, *est hominis prima medicina, sed ad plenam curam misericordiæ requirit exhibitas. Iejunium singulari cultu evellit vitia, eradicat crimina, ad fructus bonos agrum parat & mentis & corporis. Iejunium est sanctitatis hostia, sacrificium castitatis, sed sine Misericordiæ incenso non potest ad divinum conspectum in odorem suavitatis ascendere. Iejunium virtutum navis portat quæstum vitæ, lucrum salutis advehat. Iejunium nobis aperit cælum, jejunium nos intromittit ad Deum; sed nisi tunc affuerit nobis Misericordia nostrarum patrona causarum, qui de innocentiâ constare non possumus, de veniâ securi non erimus.*

Iejunium sine misericordiæ incenso ad divinum conspectum non ascendit.

Vt autem probè noverimus ab Abstinentiâ & Misericordiâ orationem separari non posse, summéque necessarium esse jejunii, precum, & eleemosynarum nexum ac consensum, idem Chrysologus hæc addens: *Tria sunt*, inquit, *tria, fratres, per quæ stat fides, constat devotio, manet virtus: Oratio, Iejunium, Misericordia. Quod oratio pulsat, impetrat jejunium, misericordia accipit. Oratio, misericordia, jejunium, sunt hæc tria unum, dant hæc sibi invicem vitam. Est namque orationis anima jejunium: jejunii vita misericordia est. Hæc nemo rescindat: nesciunt separari. Horum qui unum habet, & simul ista non habet, nihil habet. Ergo qui orat, jejunet; qui jejunat, misereatur: audiat petentem, qui petens optat audiri: auditum Dei aperit sibi, qui suum supplicanti non claudit auditum. Iejunium jejunator intelligat, esurientem sentiat, qui vult Deum sentire, quod esurit: misereatur qui misericordiam sperat: pietatem qui quærit, faciat: qui præstari sibi vult, præstet. Improbus petitor est, qui, quod aliis negat, sibi postulat. Homo, esto tibi misericordiæ forma: sic quomodo vis, quantum vis, quàm citò vis, misericordiam tibi fieri. tam citò alii, tantum, taliter, ipse miserere. Ergo oratio, misericordia, jejunium, sint unum patrocinium pro nobis ad Deum, pro nobis hæc advocatio sint una, una hæc pro nobis oratio sit triformis. Hæc sunt, fratres, hæc sunt, quæ tenent cæli arcem, quæ secretum Dei judicis pulsant, quæ ante tribunal Christi causas humani generis exequuntur, quæ injustorum petunt indulgentiam, reorum veniam promerentur. Hæc cui in cælestibus assistunt, ipse non subsistit in terris: hæc cùm teneant in cælestibus principatum, in terris rerum summam moderantur; hæc regunt prospera, hæc adversa propellunt, vitia extinguunt ista, virtutes ista succendunt, hæc reddunt casta corpora, corda pura; hæc pacem membris, mentibus dant quietem, humanos ista sensus, scholam faciunt disciplinæ: per hæc in templum Dei pectora humana consurgunt, hæc hominem præstant Angelum, homini deitatis deferunt hæc honorem. Hinc est, quòd sit horum suffragio Moses Deus, & ad triumphos suos militare sibi omnia mandat elementa: jubet mare discedere, durari undas, profunda siccari, cælum pluere, dat frumenta, ventos spargere cogit carnes, noctem splendore solis illustrat, solem nubis temperat velamento, petram percutit, ut de recenti vulnere frigida sitientibus det fluenta, primus dat terris legem cæli, scribit vitæ normam, figit terminos disciplinæ. Per hæc Elias nescit mortem, relinquit terras, cælos intrat, commoratur Angelis, convivit Deo, & terrenus hospes supernas possidet mansiones. Per ista Ioannes fit Angelus in carne, cælestis in terrâ, & auditu, visu, tactu, totam solus capit, tenet, complectitur Trinitatem. Et nos fratres si volumus Mosi gloriæ, Eliæ vitæ, Ioannis virtutibus, omnium Sanctorum meritis applicari, insistamus orationi, vacemus jejunio, misericordiæ serviamus: qui in his vixerit, qui per ista fuerit communitus, jacula peccati, diaboli tela, mundi machinas, vitiorum cuneos, mala carnis, voluptatum laqueos,*

Oratione, jejunio, misericordiâ stat fides, cõstat devotio & manet virtus.

A *arma mortis, Christianus armiger, bellator Dominicus non timebit. Mala tempora facit nobis contemptus Dei, temporum cursus non facit. Quod ergo contemptu perdidimus, jejuniis conquiramus, animas nostras jejuniis immolemus, quia nihil est, quod Deo præstantius offerre possimus, probante Propheta, cùm dicit:* Sacrificium Deo spiritus contribulatus: cor contritum & humiliatum Deus non spernit. *Homo offer Deo animam tuam, & offer oblationem jejunii, ut sit pura hostia, sacrificium sanctum, viventi victima, quæ & tibi maneat, & data sit Deo. Hoc qui non dederit Deo, excusatus non erit, quia se daturus, non potest se non habere. Sed accepta ut sint ista, misericordia subsequatur.*

Oratione, jejunio, & eleemosynâ Deo nihil offerre præstantius. *Psal. 50. v. 19.*

CAPVT IX.

Iejunium satisfactio pro peccatis, expiationis sacrificium.

B PRVDENTIVS poëta Christianus ævo veteri senarios satis teretes de abstinentium jejuniis scripsit. Metri specimen damus:

Adesto castis, Christe, parsimoniis,
Iejuniorum dum litamus victimam:
Nil hoc profectò purius mysterio,
Quo fibra cordis expiatur lividi,
Intemperata quo domantur viscera,
Hinc subjugatur luxus & turpis gula,
Vini atque somni degener socordia,
Libido sordens, inverecundus lepos,
Variæque pestes languidorum sensuum
Parcam subactæ disciplinam sentiunt.
Frenentur ergo corporum cupidines.

Dictorum rationem addens: Sicut aquâ præfocatur ignis, inquit, & sicut ad solem nix liquescit, sic noxas delet jejunium, *si blanda semper misceatur largitas. Bona est* C *oratio cum jejunio, & eleemosynâ.* Ille profectò lymphas apportat extinguendo delictorum incendio, qui animum oratione, corpus jejunio, crumenam eleemosynâ purgat. Quantum piis exercitiis omnibus à jejunio accedat adjumenti, superiori dissertatione diximus. Meminisse hîc oportet, nos etiamnum in parte primâ versari, & causas, cur jejunandum sit, exponere. Prioribus allatis hanc quoque jungimus, *Iejunium satisfactio pro peccatis:* quòd paullò uberiùs explicandum.

Iejunium noxas delet. *Tob. c. 12. v. 8.*

§. I.

TArsensis Paulus suos ad tolerandum animans: *Si sustinebimus*, inquit, *& conregnabimus.* Hîc forsan Festus aliquis proconsul vociferetur: *Quid dicis, Paule? insanis; multæ te litteræ ad insaniã convertunt.* Num Christi cruciatibus addendi sunt nostri? Num opus redemptionis nostræ non multò quàm plenissimum fuit? Num Christus non satis tormentorum pertulit? Quid D dicis, Paule? insanis. *Non insanio, optime Feste, sed veritatis & sobrietatis verba loquor. Si sustinebimus & conregnabimus.* Et luculentiùs seipsum explicans Paulus: *Adimpleo*, inquit, *ea, quæ desunt passionum Christi in carne meâ.* Christus Servatoris munus multò quàm perfectissimè obivit; mors Christi, gazophylacium infiniti pretii & inexhaustum est. Nihilominus vult Servator amantissimus, ut ad gazophylacium istud mendicemus, & quod inde nobis liberalissimè donatur, in usum nostrum trahamus. Perinde si quis amicorum suorum non infimo trecentos donet philippeos, eâ tamen lege, ut eos ipsemet domum referat. Sed gravor, ait amicus, da servum, qui portet. Cur nolim hoc, inquit iste, certæ mihi causæ sunt. Si argenteum hoc donum tuis ferre manibus detrectes, erit qui ferat promptissimus. Ita Christus tot dolorum patientissimus donat, † *si tamen compatimur, ut & conglorificemur*, si adimplemus ea, quæ

2. Tim. c. 2. v. 12. *Actor. c. 26. v. 24.*

Ibid. v. 25. 2. Tim. c. 2. v. 12. Coloss. c. 1. v. 24.

Æternus Deus datos sanctis, Christus suos in se tantùm, sed omnes in se membris suis quæ complet, Ecclesia, patiuntur, dum nimirum Christiani patiendo Christi patientis ac crucifixi similes ac participes fiunt.

† *Rom. cap. 8. v. 17.*

quæ desunt passionum Christi in carne nostrâ. Copiosa Christi Domini redemptio, copiosissima, sed iis qui redimi volunt, iis qui compati non recusant, qui cupiunt sanari.

Appositè Bonaventura: *Deus*, inquit, *spiritum curat, ut medicus ægrum corpus.* Plerumque prima medici præceptio est. Abstineat æger vino, omni genere pomi, his & his cibis. Altera: Evacuetur corpus, subtrahatur sanguis. Ita Christus principio; *Vade*, inquit, *& jam amplius noli peccare.* Ingemisce ac dole de præteritis, abstine commissis. Sequitur venæ sectio: Peccata tua eleemosynis redime; fluat aurea vel argentea marsupii vena. Pecuniam alienam invasisti? restitue. Famam alienam rapuisti? restitue. Alia forsan nocumenta intulisti? restitue, & compensa. Quia igitur peccatis liberaliter condonatis, ut omnes Theologi sentiunt, pœnæ aliquid luendum restat, abstinentiâ, jejuniis, & similibus piamentis hæ pœnæ commodissimè persolvuntur. E sacris Bibliis id clarum. Adulterii & homicidii peccatum liberalissimè condonatum est regi Hebræo Davidi. Nathan pronuntiat: *Dominus transtulit peccatum tuum*, (venia delicto facta est) *verumtamen filius, qui natus est tibi, morte morietur.* Quid hoc ais, Nathan? si veniam habet noxa, cur dependenda est pœna noxæ debita? Christiani prophetæ Theologi rem ita discernunt: Peccati culpam condonat Deus, non temporariam omnem pœnam, sed solùm æternam. Quemadmodum & ipse rex David Absaloni filio fraternam cædem condonans: *Revertatur*, inquit, *in domum suam, sed faciem meam non videat.* Ita dimisit culpam, non omnem omnino pœnam. Duo hæc *Culpa & Pœna* in peccatis omnibus, velut duo vermiculi in pomo delitescunt. Condonatâ culpâ non patitur condonatur pœna. Hinc satisfactio à Deo de omni etiam levi noxâ exigitur: nam & capillus suam umbram habet. Ad satisfactionem istam & pœnam expendendam res opportunissima prorsus Abstinentia & Iejunium. Huic vulneri hoc malagma convenientissimum, huic veneno hoc antidotum adversatur probatissimum.

Jonæ c. 8. v. 11.

1. Reg. c. 12. v. 13. & 14.

2. Reg. c. 14. v. 24.

Culpa & pœna in omnibus peccatis delitescit.

Peccata quidem & omnis generis noxæ, seu noxarum pœnæ precibus & eleemosynis avertuntur, maximè tamen jejunio. Quod Aquinas Theologus affirmatè docens: *Cùm jejunium*, inquit, *ad culparum deletionem & cohibitionem, & ad mentis in spiritualia elevationem valeat*, &c. Iejunium præcipuè voluntarium nullâ lege imperatum pro delictis satisfacit. Hinc non inerudite dicitur: Voluntaria vel unius vesperæ inedia plus noxarum tollit, quàm pœnæ gravissimæ in orbe altero. Hebræus Psaltes seipsum hoc nomine solatus: *Voluntariè*, inquit, *sacrificabo tibi*: non ignarus victimas hasce voluntarias tibi esse gratissimas.

S. Thom. 2. 2. q. 147. art. 3. in corp.

Psal. 53. v. 8.

Fit nonnumquam, ut homo minimè frugi sic ære alieno se involvat, ut demum solvendo non sit: adsunt creditores, & involant bona, supellectilem foro Scrutario vendendam ejiciunt, si quid ceterorum est, partiuntur, & (veteri verbo) *secant*. Aliquid accipiunt singuli, sed exiguum, neutiquam satisfit singulis. Quòd si debitor ad rem fuisset attentior, potuisset ipse paullatim & quotidianâ, tametsi valde modicâ, solutione suis sese nominibus suaviter expedire. Noluit, neglexit: habeat damnum, quod amavit.

Dum in orbe hoc degimus, nova quotidie nomina contrahimus, nisi ea novis quotidie industriis expungamus, in labyrinthum horribilem incidemus, opprimemur ære alieno, denique solvendo non erimus. Si modò in rem nostram velimus sapere, debita multa jejuniis paucis valemus solvere. At nos hæremus, differimus, trepidamus, denique nolumus. Creditor suo tempore nil dissimulabit, & vel obolum, vel novissimum quadrantem exiget.

Tribus modis Deus offenditur.

Cùm ergo Deum tripliciter offendamus: Aut ho- A noris ambitu, elatione, fastu, superbiâ; aut pecuniæ amore, avaritiâ, profusione, injustitiâ; aut carnis cupiditate, intemperantiâ, libidine, luxuriâ: Primo quidè superbiæ malo medetur oratio: Alteri, pia liberalitas & eleemosynæ: Tertio, aptissima medicina est jejunium: quod duobus prioribus hoc nomine præstantius est, quia *orare* non rarò voluptatis aliquid habet, *dare stipem* solos loculos aliquantulum emaciat; at verò *jejunare* corpus ipsum exercet & affligit, vix quidquam suavitatis habet: hinc orare & eleemosynas erogare malumus quàm inediam tolerare. Sed certè pharmacum præ cæteris omnibus convenientissimum est jejunium, quod noxas eluit & abolet felicissimè, cum valetudinis grandi emolumento. At nos homines delicati & cuticulæ nimium amantes austeriusculum hoc remedium sanè puériliter horremus.

Iejunii est præstantius oratione & eleemosynâ medicamentum.

§. II.

B Quòd si Deus homini chatissimo faciat eligendi potestatem, malitne die uno cibis abstinere, aut unico pariter die in rogo inter ambientem ignem ardere? an non homo iste subitis cælo manibus clamet: Mi amantissime Domine, vel millies iterumque millies malo jejunare, quàm horam unicam jacere in flammis. Atqui superiùs diximus, unico jejunio præsertim voluntario, plus pœnarum tolli, quàm pluribus diebus *inferno temporali*. Temporalem voco infernum è pluribus miseriis & calamitatibus accensum & conflatum velut balneum.

Plus pœnarum unico jejunio tollitur, quam pluribus diebus inferno temporali.

Patibulum nonnumquam aut supplicii locus ibi statuitur, ubi homicidium, deprædatio, latrocinium est commissum. Ita Deus cum satanâ egit. Immortalitatem ille nobis abstulit ad arborem: eadem illi denuò extorta & nobis restituta est ad arborem. Sic Pharao, qui Hebræos infantes aquis mersos suffocârat, & ipse cum omni exercitu mersus aquis suffocatus est. C Sic Aman Mardochæo crucem præaltam erexerat, in eamdem ipsemet evectus sublime hoc ædificium seipso decoravit. Ita prorsus, cùm plurima & gravissima peccata carnis nequitia committat, æquissimum omnino est, ut quod caro peccat, caro luat. Credibile est nullo peccati genere tam variè, tam frequenter ac numerosè delinqui, atque carnis effreni temeritate, præcipuè gulâ & libidine; congruum igitur & necessarium est, ut, quod caro intemperantiâ & lasciuiâ patrat, id abstinentiâ & jejuniis expiet. Sit pœnitentiæ modus ad delicti rationem. Si caro deliravit, plectatur potiùs caro, quàm spiritus aut crumena.

In hanc sententiam eruditè Gregorius: *Qui à paradisi gaudiis*, inquit, *per cibum cecidimus, laborare debemus, in quantum possumus ut per abstinentiam resurgamus. Caro læta traxit ad culpam, afflicta reducat ad veniam.* Possemus jejuniis jam supersedere, si jejunare voluissemus in paradiso. Eam ob caussam Gregorius Nazianzenus: Iejunamus, inquit, quia non jejunavimus. Quod Ambrosius confirmans: *Iejunium*, inquit, *reconciliationis sacrificium est.*

Greg. hom. 16. in Evang.

Naz. Orat. in Pasch. Ambr. l. de Eliâ & jejunio c. 9.

In cluibus Ninivitis res clarissima. Ninive urbs ingens, amplissima, trium dierum iter complexa, si urbem & suburbia commensi ad extremum ab extremo lineam ducamus. Vrbs ergo ista in directo milliarium seu leucarum erat viginti. Nam, ut Ptolemæus & Strabo asserunt, major & Babylone, & civitatibus ceteris omnibus fuit. Nihil hîc fidem superat, si muros urbis Romæ, quos Aurelianus ampliavit, metiamur. Quinsái quoque urbs Tartarorum tridui continet iter, & amplius. Hebræus Propheta Ionas Ninivem ingressus obviam plebem terrere cœpit his vocibus: *Adhuc quadraginta dies, & Ninive subvertetur*, ni subversionem istam prævertat pœnitentia. *Et crediderunt viri Ninivitæ, & prædicaverunt jejunium.* Censet Chrysostomus rigidum hoc jejunium tribus diebus ac noctibus durasse.

Ninive urbs trium dierum iter complexa est; Sic & Quinsái urbs Tartarorum.

Ionæ c. 3. v. 4. & 5.

A fuisse; ita quidem ut toto hoc tempore nec homines nec pecudes quidquam cibi aut potûs libârint, adeò ut etiam infantibus in cunis hoc triduo fuerit lacte abstinendum. Triduanâ inediâ toleratâ jejunium quadragintadiale cœpit, Chrysostomi sensu, quo quidem tempore vesperi dumtaxat panis aliquid cum aquâ in alimentum admittebatur vitæ solùm sustentandæ. *Et vidit Deus opera eorum, & quòd pœnitentiam egisset super malitiâ quam locutus fuerat, ut faceret eis, & non fecit.* Ninivitæ libidinum & gulæ flagitiis, aliisque magnæ varietatis sceleribus Deum gravissimè læserunt, & ad iram justissimam provocârunt: Gladium Deus arripuit puniturus scelera; at ubi civitas omnis tam seriò jejunare cœpit, gladium Deus vaginæ reddidit. Tanti est pœnitentia jejuniis stabilita. Ionas ipse mirabatur, tot tantáque flagitia tam citò condonari. Iejunium orator potentissimus, quidquid vult persuadet; jejunium, certè veniam tam celerem dándam Deo persuasit.

§. III.

Christiani in Palæstinâ jejunio incredibilem obtinuêrût victoriam.

NArrat scriptor illustrissimus Cæsar Baronius, anno à Virginis partu nillesimo centesimo vicesimo quarto, Christianos in Palæstinâ cinctos à Saracenis, Ninivitarum exemplo jejunium nemini detrectandum indixisse, adeò ut infantibus etiam & pecoribus alimonia fuerit subtracta. Ita victoriam obtinuerunt incredibilem. Nam tria millia Christianorum, præeunte crucis labaro, contra Saracenorum quadraginta millia progressi sunt ad conflictum. Nec auxilium ex alto defuit. Nam cœlestis splendor sic exterruit hostes, ut catervatim fugerent. In fugâ septem millia hostium cæsi, aquis quinque millia submersi. Illæsi ac sospites Christiani omnes redierunt. Iejunium pugnavit, jejunium vicit. Optimè dixit Ambrosius: *Nullum tam grave delictum est, quod non purgetur abstinentiâ, eleemosynis extinguatur.*

Ambr. ser. 15. de Natali Domin.

Rex Achab scelere non uno insignis, demum resipiscens, *operuit cilicio carnem suam, jejunavitque.* Quo quidem pœnitentiæ cultu id effecit, ut Deus sibimet velut gratulatus non sine Achabi encomio dixerit ad Eliam: *Nónne vidisti humiliatum Achab coram me? Igitur non inducam malum in diebus ejus.* Acceptissima pro peccatis satisfactio jejunium, & gratissimum reconciliando Numini sacrificium.

3. Reg. c. 21. v. 27.

Ibid. v. 29.

Temperâtia ab omni ævo laudata, crapula verò damnata. *Exod. c. 32. v. 6. & 28. Deut. c. 32. v. 15.*

Et nónne ab omni ævo damnata crapula, temperantia laudata; illa ut malorum propè omnium causa, hæc verò ut optima offensi Numinis placatio? Crapulæ delictum contaminat, jugulat, ad inferos præcipitat. *Sedit populus manducare & bibere, & surrexerunt ludere.* De impuro lusu & inverecundo sermo est. Idcirco adjungitur eodem loci: *Cecidérúntque in die illâ quasi triginta millia hominum.* Nimirum *incrassatus est dilectus, & recalcitravit: incrassatus, impinguatus, dilatatus, dereliquit Deum factorem suum, & recessit à Deo salutari suo.* Oblivio Dei imputanda crapulæ. Nónne manêt etiamnum sepulchra concupiscentiæ, ubi sepultus est populus carnis avidus? Nónne pro foribus ædium senex Heli elidítur, in acie ipsius filii cadunt, in partu nurus expirat? Meruerat hoc domus sacrificiorum carnalium defraudatrix, gulæ dedita. Nónne propheta temere pastus, jejunii desérti poenam dedit leoni? Nónne apud inferos in divite convivia cruciantur; in paupere Abrahæ sinum premente jejunia recreántur? Nónne Anna conjux Elcanæ prophetam post jejunium & preces impetrat? Nónne Daniel post jejunium triduanum Babylonio regi somnium explicat? Quis prandia jejunanti in foveâ Danieli per Angelum parata nescíat? Nónne leguminibus & aquâ pasti tres principes Hebræi Babylonias fornaces rident intacti? Nónne Centurionis jejunantis preces auditæ? Nónne Iosue precibus & jejuniis hostes debellat? Nónne regis Ezechiæ cilicia & jejunia Deum ipsi mirificè conciliârunt, & omnes hostium cuneos quantumcumque numerosos profligârunt? Iejunium expiatio noxarum, & gratum superis sacrificium.

CAPVT X.

Iejunium præsenti hominis statui convenientissimum.

VSITATVM priscis effatum fuit: *Sapientis victus faci is.* Nam natura tam contenta est modico, ut non nemo faturetur, imò etiam inebrietur, fumo tamquam meraco vino. Quod testatur metrum:

Nautica plebs titubat, credas mera vina bibisse,
Quódque bibit, Tabaci nil nisi fumus erat.

Describit hanc hyemem Illustrissimus Dux Nivil. Christ. Radzivillius in suo Hierosolymitano itinere, epist. 2. num. pag. 119.

Chamæleon aurâ pascitur, cicadæ rore victitant, hirundines vermiculis & culicibus nutriuntur, Gangis accolæ odore pomi vivere dicuntur. Natura paucis, paucissimis contenta. Et hoc in bonum hominis mirificè conducit. Cùm enim in vitâ hac, penuria, paupertas, indigentia, inedia ubique sint obvia, potest etiam pauperrimus quisque id annonæ sibi convehere, quo certè vitam tueatur. Natura paucissimis contenta. Nec enim fames ambitiosa est; facilè parabilem cibum non spernit; obviis delectatur.

Diximus abstinentiam & jejunium valetudini plurimùm conducere, cibi & somni condimentum, pecuniæ ac famæ augmentum, spiritualium exercitationum adjumentum, noxarum antidotum esse. Nunc porrò imus ostensuri Iejunium huic nostro mortalitatis statui esse convenientissimum.

§. I.

Iejunium est convenientissimum statui pœnitentiæ.

SI voluissemus in paradiso esse frugi, manus à furtivo pomo temperare, noster vivendi status fuisset omni voluptatum genere abundare. Sæpius hoc cogitandum, ut tantò facilius in notitiam cæli deducamur. Nunc verò diuturni à paradiso exules sumus, vita omnis consecranda est pœnitentiæ, pro floribus nascuntur spinæ, lolio pascimur. Heu miserabilem lactucam! Atqui hunc pœnitentiæ statum nihil magis addecet quàm temperantia & jejunium. Cùm Saulis Hebræi regis subditi dominum cum tumulo mandarent, diebus septem jejunârunt. Lugere & jejunare cognata sunt.

Iudæos in Babyloniâ captivos hortabantur incolæ: *Hymnum cantate nobis de canticis Sion.* Iudæi contrà: *Quomodo*, inquiunt, *cantabimus canticum Domini in terrâ alienâ?* Cantent ii, qui etiamnum habitant Hierosolyma; os nostrum non respondet fistulæ; animus ærumnis perditus odit & arcet lætitiam. Ita nos planè qui paradiso ejecti miserè vagamur in exilio, ignari (quod miserrimum) num in paradisum simus rediturí. Ita hoc quidem tempore deliciis indulgere, symposiis interesse, conviviis vacare, alienum prorsus est à luctu hujus temporis. Voluptas in exilio, monstrum. Deliciæ in fletu, paradoxum: Pœnitentiam, lacrymas, abstinentiam hic rerum status sibi deposcit. In hortis Elysiis suavissimæ sonabant voces: *Ex omni ligno paradisi comede.* Sed brevi secutum est fulmen: *Comedes herbas terræ. In sudore vultûs tui vescêris pane tuo, donec revertaris interram, de quâ sumptus es, quia pulvis es, & in pulverem revertêris.* Esurialis cibus, olera & herbæ.

Psal. 37. v. 3. & 4.

Gen. c. 2. v. 16. Ibid. c. 3. v. 18. & 19.

Ideo illi qui semper focos luculentos, culinas plenas, mensas opimas, ventrem infartum habent, jure merito interrogandi sunt: Heus vos, ô boni, num scitis, quâ in regione, quo in statu, quibus in studiis versemini? Etiamnum amœnissima tempe vos incolere putatis? Fuistis in paradiso, non estis amplius; nunc eremum habitatis & horridam solitudinem.

Mina-

Minatur olim Isaias: *Vocabit Dominus Deus exercituum in die illâ ad fletum & ad planctum: & ecce gaudium & lætitia, occidere vitulos, & jugulare arietes, comedere carnes, & bibere vinum. Si dimittetur iniquitas hæc vobis, donec moriamini, dicit Dominus Deus exercituum.* *Isai. c. 22. v. 12. 13. & 14.*

Hæc cantilena quòdam Iudæis occinebatur. Haud alia Christianis ingeruntur à Christo: *Væ vobis divitibus, qui habetis consolationem vestram. Væ vobis qui ridetis nunc, quia lugebitis & flebitis. Væ qui saturati estis, quia esurietis.* Non egent hæc explicatione. Aperta, clara sunt satis. Væ opulentis, væ nugacibus, væ saturis ac temulentis. Væ iis omnibus qui cælum extra cælum sibi fabricant, qui bona sua recipiunt, dum vivunt, & quidquid adversi est, lasciva hilaritate concoquunt. Væ beatis extra beatitudinem æternam. Atqui *væ* istud in lege novâ plerumque inferos minatur. *Luc. c. 6. v. 24. & 25.*

Cùm igitur væ illud mœstissimum non sobriis & jejunis, sed saturis & ebriosis, velut Damocli strictus B è setâ gladius immineat, quid est, quòd sobrietatem, jejunium, abstinentiam, occultis odiis insequimur? Adéone libet ad perniciem nostram desipere?

Solent opificum famuli cùm ex urbibus in alias terras emigrant, fidicines & unà cadum cerevisiâ plenum solenni ceremoniâ præmittere, ut iter tantò hilariùs ingrediantur. Si pari modo mancipia ad triremes damnata, dum in viâ sunt ad illos navales carceres, tympana fidísumque cantus ante se vellent præcedere, rem utique stultissimam & omnibus Democriti cachinnis exsibilandam facerent. Quid enim opus, ô miseri, tripudiis istis? triremibus jàm jam affigemini, & patibulum vestrum inter choreas & plausus lubet accedere? Ita nos mortales ad triremes damnati sumus omnes, variè per transtra dispositi: terrificas subinde voces audimus: Remiga trifur, remiga, remiga. Neque à remo dimittimur, dum vita finiatur. Quàm igitur luculenta fatuitas est reos triremibus affixos splendidè prandere, lautè cenare, & bacchanalia velle vivere? Quid hoc agitis furiosi, lautitias inter remigum sordes quæritis? Non hoc temporis, non loci est. Laborandum & sudandum, abstinendum & jejunandum: hic vitæ nostræ status est. Mutatis vos & invertitis? Cavete, ne vobis olim occinatur illud: *Fili recordare, quia recepisti bona in vitâ tuâ.* *Luc. 16. v. 25.*

§. II.

IVvat profectò hunc vitæ nostræ statum optimè intelligere. Intellexit eum vir sanctissimus è priscis Patribus Pior, qui non sedit nec accubuit, cùm cibum sumpsit, nam ambulando comedit. Interroganti quid ita faceret? respondit: In sumendo cibo non quasi opus facio, sed quasi supervacaneum quiddam. Mensæ ratio hæc illi fuerat. Cibus, unicum paximatium cum quinque olivis; Creticum, quod illi cellæ propinabat, aqua fuit amara & salsa. Nec enim alia illic locorum inveniebatur. Hortabantur virum aliqui, aliò migraret, atque tam seipsum quàm adventores & hospites suos ingenti molestiâ levaret: nam quicumque ad illum revisebant, simul aquam afferre secum cogebantur. His Pior religiosè ac prudenter: Si amaritudinem, inquit, fugimus abstinentiæ, & volumus in hoc mundo requiem habere, perpetuis paradisi deliciis non fruemur. Hic vir, hic est, qui vitæ statum probè habebat cognitum. Ideo annis triginta hos abstinentiæ rigores perpetuavit. *Sozom. Eccles. hist. l. 6. c. 28. Rufinus Aquil. l. 3. c. 31. apud Rosweid. vitis Patr. pag. 903.*

Nimirum remiges egeni sumus, non ita multò post è navigio in mare præcipitandi: Quid, obsecro, delicias sectamur, cur abstinentiam horremus? Tenui rectissimè vivitur. Quid stomachum laxamus ad cupiditatis mensuram? Chrysostomus temperantiam idem instillans: *Ventrem*, inquit, *accepisti, non ut nutrias, non ut distendas, non ut dominum habeas; sed ut illi domineris, ut tibi inserviat ad ceteras partes alendas; non ut illi servias, non ut fines transilias.* Scias igitur in eo te statu degere, in quo corpus subesse ac famulari debeat, animus præesse ac imperare; olim ambo simul futuri sunt rerum domini. *Chrys. hom. 20. in ep. ad Philipp.*

Severinus Boëthius hunc vitæ statum, quem depingimus, oratione pedestri exprimens: *Paucis*, inquit, *minimisque natura contenta est, cujus satietatem si superfluis urgere velis, aut injucundum fiet, quòd insuderis, aut noxium.* Theologi affirmant, jejunium juris ac præcepti esse naturalis. Adeóque si quis carnis aut cacodæmonis blandimentis aliter resistere non possit, vel ipsa huic naturæ inclamat: Abstine, jejuna, abstine, abstine. *Boëth. l. 2 de Consol. metro 4. prosâ 5. med.* Iejunium est juris ac præcepti naturalis.

Ajunt hominem in carceres immittissimos conjectum fame necandum. Ille, ut sagax est gula & fames, riscos scrutari, alimoniam quærere, angulos omnes excutere, denique nihil nisi panem lapideum invenire: lapidem comesse refugiunt dentes, dentium jacturam non æstimare vitæ amor persuadet. Ergo, ut diutiùs posset vivere, non recusavit validissimè esurire. Ita panem durissimum non arrosit, sed lusit, & reposuit in diem sequentem. Idem altero die fecit, non assumens panem, sed fugiens. Quo quidem fuctu in novem hebdomades vitam protraxit. Cúmque jam pridem contabuisse fame crederetur, repertus est vivus & sine morbo, sed viribus ob famem tam diuturnam exhaustis.

En, obsecro, quàm verè natura, ut Boëthius loquitur, minimis sit contenta. Quod Seneca illustri testimonio confirmans: *Parvo*, inquit, *fames constat, magno fastidium. Infelices vos estis, qui existimatis vos famem majorem habere quàm ventrem. Venter non est molestus creditor, parvo dimittitur: si modò das illi, quod debes, non quod potes.* *Senec. ep. 17. initio, & epist 21 fin. Simplex aliquid: Non quod potes, sed quantum affluës, si ipse iubes.*

§. III.

IN coronidis vicem hîc attexo. Medicus celeberrimi nominis, & eruditionis eximiæ familiarius mecum agens seriò affirmavit, eam vivendi methodum haberi longè probatissimam, quæ aut cenam penitus abscinderet, aut ferculum unicum, vel, ut ipse loquebatur, simplex aliquid, sive hordeum probè lixum, seu ova duo, sive offulam ex ovis factam, seu, quod omnium optimum videtur, modestum & parcum è carne ferculum, idque unum atque unicum permitteret. Idem & Cardanus præcipiens: Cenet modicâ carne, inquit, aut bonis piscibus, præsertim assis. Is sanè vitam incolumem & sensus ad ultimum deducet ævum. Hunc enim modum omnes ut optimum probârunt. Sed quæras, dicásque: Hoc quidem in cibum, quid porrò admittis in potum vesperi, num mensuram vini? Vivendi methodus probatissima. *Cardanus l. 1. de tuendâ valetud. c. 41. & proximis mihi pag. 106.*

Si helluo, mi Lector, ut bibo es, legem vix ullam audies; si valetudinis & sobrietatis amans es, potum cibo debitâ proportione addes: parum cibi parum requirit potus. Hordeum aut offa suum unà secum adferunt potum. Quocirca his talibus cibis aut nullus potus aut parcissimus est addendus. Sin aliter fiat, in medicas leges & valetudinem delinquetur. Vitæ ac valetudinis amor salubrem quandoque famem aut sitim non horret. Christum audit vociferantem: *Beati qui nunc esuritis, quia saturabimini.* Vita brevis & incerta in horrrido desertóque loco exigitur. Beati qui modicum esurire ac sitire discunt; Beati qui quod necessariò faciendum, libenter faciunt; Beati qui corpori castigando in leges abstinentiæ sanctissimas jurant; Beati qui parabili modicóque victu contenti, se suámque famem cælo servant; Beati apud quos convivia, comessationes, symposia ignota sunt, quia loco meliori saturabuntur. Ecclesiastes sapientissimè prænonens; *Omnia*, inquit, *tempus habent: Tempus flendi, tempus ridendi.* *Luc. c. 6. v. 21.* *Eccles. c. 3 v. 1. & 4.*

Tempus

Tempus edendi, tempus abstinendi. Tempus epulandi, tempus jejunandi. Nunc quidem dum triremibus affixi laboramus, plorandi ac jejunandi tempus est, in cælo epulandi erit. Satiabimur, cùm apparuerit gloria Domini.

CAPVT XI.

Iejunium quotidianæ sanctissimorum hominum usu confirmatissimum.

CYRIPÆDIAM scripsit Xenophon, & Rempublicam Plato, & Oratorem Tullius, quemadmodum pictores eorum, quos depingunt, effigies plerumque formosiores penicillo reddunt quàm sint. Et Xenophontis quidem Cyripædia nobilissimis præceptionibus abundat. Has Cyrus dictis exemplisque tradit, non quòd is revera talis vixerit, sed quòd eum talem vivere decuerit. Inter præceptiones ceteras Cyrus & hanc tradit: Qui præsentem sibimet voluptatem eripit & ab eâ temperat, non ejus opinionis est, ut numquam velit hilarescere, sed ut futuro tempore tantò plus voluptatis habeat, quantò plus sibi ademit. Objectioni respondit Cyrus hominum profanorum, à quibus hæ voces sunt: Quid assiduè tam mœsta? Tempus flendi, tempus exilii, tempus abstinendi, tempus largiendi & jejunandi. Sudandum in triremi, esuriendum ac sitiendum, nihil altilium, nil cupediarum desiderandum, ubi panis mucidus & fœtens aqua in deliciis sunt. Quousque tandem ista? Hæc, ajunt, identidem cogitare nimis tetricum & morosum est. Vivamus hilariter, & curemus, ut nobis bene sit, dum licet.

De modo bene vivèdi præceptio à Cyro tradita.

Huic hominum genio pauciss[illegible]is respondet Cyrus: Voluptatis victoria, voluptas maxima. Hoc omnibus Christi amicis semper perspectissimum fuit. Eorum hîc aliquos nominare animus est; omnes aut plerosque nec toto libro possim complecti. Ita more meo seligam, non colligam. Itaque paucorum hîc exempla subjiciam, qui abstinentiæ & jejunii laude floruerunt, quique nos seros nepotes docuerunt, eâdem gradi viâ ad cælum.

§. I.

Basilius de laud. jejun. BAsilius Magnus in jejunii elogia disertissimus: *Omnes sanctos*, ait, *quotquot fuerunt, ad vitam Deo dignam per jejunium fuisse institutos reperies.* Omnia divinæ paginæ volumina pervolve, & probatissimos quosque ac sanctissimos homines crebriùs ac severiùs invenies jejuniis operatos.

Omnes sancti ad vitam Deo dignam instituti sùt per jejunium.

Moses bis quadragintadiale jejunium strictissimè servavit, quo toto tempore nec cibi quidquam nec potûs admisit. Ipse de seipso: *Perseveravi*, ait, *in monte quadraginta diebus ac noctibus panem non comedens, & aquam non bibens.* Hæc prima Mosis quadragesima fuit. Alterius idem testis mentionem injiciens: *Et procidi*, ait, *ante Dominum, sicut priùs, quadraginta diebus & noctibus panem non comedens, & aquam non bibens propter omnia peccata vestra, quæ gessistis contra Dominum, & eum ad iracundiam provocastis: timui enim indignationem & iram illius, quâ adversùm vos concitatus delere vos voluit. Et exaudivit me Dominus etiam hac vice.* En jejunii cum oratione conjuncti vires.

Deut. c. 9. v. 9.

Ibid. v. 18.

Ibid. v. 19. & 20.

Mosen æmulatus Elias, qui Angeli monitu pane subcinericio & fonte publico se reficiens, *in fortitudine cibi illius quadraginta diebus & quadraginta noctibus usque ad montem Dei Horeb ambulavit.* Post jejunium tam prolixum, familiarissimum cum Deo colloquium impetravit. Rem admirandam! Hi soli duo jejunatores in rupe Taboreiâ cum Domino IESV colloqui sunt auditi. Adeò arctam cum cælo familiaritatem conciliat jejunium.

3. Reg. c. 19. v. 8.

Iuditha sanctissimæ famæ vidua, quod sacræ paginæ testantur, jejunavit *omnibus diebus vitæ suæ, præter sabbata & festa domus Israël*: Hæc una & sola femina Holofernem cum omni Assyriorum exercitu debellavit precibus & jejuniis.

Iudith. c. 8. v. 6.

Iuditham imitata Esther regina, quæ triduum totum impransa & incenata precibus vacavit. Rem grandem petiit & obtinuit. Iejunium orationi junctum potest omnia.

Esther c. 4. v. 16. & c. 14. v. 2.

Gemina in hoc Estheri Sara, quæ pariter triduanam inediam constantissimè toleravit orando. Non est catapulta vel ulla machina, quæ certiùs cælum expugnet quàm jejunium.

Tob. c. 3. v. 10.

Patientiæ magister Iobus jam in fimo velut in lectulo compositus, amicis adsidentibus, septem diebus & septem noctibus jejunavit. Ne quid exempli ad omnigenam patientiam deesset, non solùm cruciatus corporis, sed & latratus stomachi famem sitimque pertulit. Nihil excipit vera tolerantia, silentio pugnavit Iobus & jejunio; ita victoriam reportavit, ita stygios hostes triumphavit. Vis cacodæmonem debellare; Iejuna. Gulosos & saturos non timet hic hostis, sed temperantes & sobrios. Sulpitius Galba, Imperator, Suetonio teste, in Germaniam inferiorem misit, contra opinionem, Aulum Vitellium profundæ gulæ hominem & ventri natum. Nemo non mirabatur Galbam nihil sibi ab eo monstro timere. At Galba nullos, ajebat, minùs metuendos, quàm qui de solo victu cogitarent, comedones, gulæ proceres, catillones. Ita profectò diabolus abstinentes, sobrios, jejunantes timet; gulosos, manducones, patinarios, popinones, inglùvioso non timet. Certam sibi ab his spondet victoriam.

Suetonius in Vitellio mihi pag. 408.

Tobias vir suæ gentis laudatissimus, ut tantò promptiùs liberalis esset in mortuos, convivium jam paratum deserens properavit rem suam terræ reddere. Copulatæ virtutis est petenti stomacho negare escam, & mortuo non roganti etiam cum vitæ periculo impertiri sepulturam.

Esdras sacerdos de seipso: *Et prædicavi ibi jejunium*, inquit, *juxta fluvium Ahava, ut affligeremur coram Deo nostro, & peteremus ab eo viam rectam. Iejunavimus autem, & rogavimus Deum nostrum pro hoc, & evenit nobis prosperè.* Dicta confirmans: *Sedi*, ait, *& flevi, & luxi diebus multis, & jejunabam & orabam ante faciem Dei cæli.* Esdram impetrasse, quæ petiit, ne miremur, precibus armatis egit.

1. Esdræ c. 8. v. 21. & 23.

2. Esdræ c. 1. v. 4.

Regum sanctissimus David jejuniorum assiduitate omnes superavit. Hinc illæ in psalmis voces: *Humiliabam in jejunio animam meam. Operui in jejunio animam meam. Genua mea infirmata sunt à jejunio.* Ut filiolo morituro vitam impetraret à Deo, *jejunio jejunavit.* Hoc sanè serium est jejunium, cùm vires deficere, corpus attenuari, genua labare incipiunt, cùm animus inedia velut veste undique operitur, cùm jejunio jejunatur. Sunt enim aliqui, qui sicut audientes non audiunt, ita jejunantes non jejunant: adeò enim abundanter & delicatè prandent vel cenant, ut gulonum quisque illorum jejunia, quàm aliorum non jejunantium prandia malit. Nam illi tales quò minùs jejunium sentiant, non mulùm ante horam undecimam cubitu surgunt. Ita è lecto mensam eduliorum varietate structam accedunt. Nihil piscium, nil ovorum, nil oleris aut pultis melioris nec ad saturitatem, nec ad delicias deest. Ad præsepe tam plenum quis esuriat? Sed, inquis, Ecclesiæ leges nihilominus servo, Cruciatæ Bullam habeo, carnibus abstineo, semel dumtaxat in die calentes cibos admitto, contentus unâ refectione. Sed hæc tua, ô bone, una refectio duabus aliis aut tribus æquiparanda. Non est hæc esurialis, sed aditialis cena. Et quamuis fortè satisfacias legi, non tamen legis fini, qui

Psal. 34. v. 13.

Psal. 68. v. 11.

Psal. 108. v. 24.

2. Reg. c. 12. v. 16.

Qui iejunat molestiam jejunii tolerare debet.

qui est famem sentire, carnem domare, libidinis impetus retundere, aliquam jejunii molestiam tolerare, & ita offensum Deum placare; tu verò magis offendis gulæ ac intemperantiæ noxis? Obsecro, Christianum te esse memento, quem Christus docuerit, non amare suam animam, sed odisse.

Rex Achabus, quamvis impius, ad jejunium velut ad asylum confugit. Rex pientissimus Iosaphat cùm omni populo jejunat. Nec aliter Rex Iechonias cùm omni plebe jejunium observat. Ezechiel Propheta jussu Dei rigidissimis sese jejuniis exercet. Ita Deus jusserat: *Cibus tuus, quo vescêris, erit in pondere viginti staterum in die: à tempore usque ad tempus comedes illud: & aquam in mensurâ bibes, sextam partem hin: à tempore usque ad tempus bibes illud. Et quasi subcinericium hordeaceum comedes illud, & stercore, quod egreditur de homine, operies illud in oculis eorum.* Ita Daniel cum suis, ita alii priscæ legis jejunia quàm maximè feria observârunt.

Iuuentus & 9. diebus Exech. c. 4. v. 10. & seqq.

§. II.

IN lege novâ Christus Dominus jejunavit, & quidem diebus quadraginta. Post inediam tam prolixam, quoties cum discipulis esuriit ac sitiit, cùm eos fames vellere spicas & mandere doceret? Alii Servatoris discipuli, Paulus, Barnabas, Simon, Lucius, Manahen, ceteríque sectatores Pauli in vigiliis multis, in fame & siti, in jejuniis multis se Deo probârunt.

Nazian. Orat. de pauperum amore.

Petrus Apostolus, Gregorio Nazianzeno teste, pæne semper ejunavit, solis lupinis asse minuto comparatis vescens. Matthæus Evangelista, quod Clemens Alexandrinus tradit, oleribus victitans, carnibus abstinuit. Iacobus filius Alphæi, frater Domini, virginitatis illibatæ cultor, carnibus, vino, siceráque semper abstinuit, nec solùm genua, sed & frontem cameli callo asperam fecit, jugi corporis ad pavimentum allisu. Hac animi corporisque submissione, ut Chrysostomus testatur, frequentare preces consuescebat. Cúmque ætatem ad annum nonagesimum sexum perduxisset, è templi fastigio præcipitatus, esurialem vitam sanctissimè clausit.

Matt. c. 11. v. 18.

Ioannes Baptista, Christi prodromus, non solùm continuis jejuniis vitam distinxit, sed cibi potúsque tam exiguum sumpsit, ut Christus de ipso dixerit: *Venit Ioannes neque manducans, neque bibens.* Sic Anna vidua Phanuelis filia, quæ ad annos octoginta quatuor pervixit, *jejuniis & obsecrationibus serviens die ac nocte non discedebat de templo.* Ita primæ originis Christiani non solùm in multâ patientiâ, sed & in jejuniis multis Deo se probârunt. Affirmat Hegesippus primos Christianorum à beato Marco Alexandriæ Pontifice sic eruditos, ut carnibus & vino abstinuerint.

Luc. c. 2. v. 37.

Ita post primos à Virgine pariente annos tot sanctissimorum Christi Martyrum, tot Confessorum, tot Præsulum & Episcoporum, tot Sacerdotum ac Virginum, tot alii homines sanctissimi suas preces abstinentiâ & jejunio armârunt, & pugnârunt in omne vitium felicissimè. Nimirum, quod jam sæpè diximus, miles sine gladio, oratio sine jejunio. Res gestas hominum sanctorum omnium evolve, & neminem unum ex omnibus invenies, qui non industriâ singulari carnem jejuniis domare studuerit. Animadverterunt sanctissimi viri, quâ parte laboraret orbis, & defectum triplicem deprehenderunt, Orationis, Commiserationis, Castigationis. Orationis defectu homines fiunt sine Deo. Ideo illi conati sunt Deo quàm conjunctissimi esse per orationem. Commiserationis defectum sola nummorum cura nutrit. Ideo illi tantopere urgebant eleemosynas. Castigationis defectu carnis petulantiam nimiùm quantùm crescere, atque hinc orbem universum vitiis carnalibus scatere ingemuerunt. Ideo carnem jejuniis macerandam censuerunt. Iejunium antiquissima, probatissima, saluberrima corporis castigatio.

Triplex defectus orbis; Orationis, commiserationis, & castigationis.

Hic ex omni numero sapientum ac beatorum hominum paucos, & eos præcipuè, qui strictius jejunii genus sectati sunt, nominabo. Admirandum infantulos in cunis, imò etiam in utero matris cœpisse inediam ferre. Vrtica scilicet maturè urit, sanctimonia celeriter se prodit.

Aliqui beatorum hominum qui strictius jejunii genus sectati sùt recensentur.

§. III.

NIcolaus Myrensis Pontifex, cùm in cunabulis puerulus etiamnum vagiret, statis Mercurii & Veneris diebus, semel tantummodo lac sugere sustinuit. Sicut principium filii mores aulicos pæne in cunis docentur, sic Deus suos à teneris unguiculis ad abstinentiæ leges vult erudiri.

Nicolaus Myrensis Pontifex.

Stephanus Presbyter Constantinopolitanus priusquam extra uterum vivere, jam jejunare cœpit. Nam marer eo gravida nec vini, nec carnis, nec lacticinii, quidquam admisit; ubi horum aliquid gustavit, mox revomuit. Stephanus verò jam natus ubera matris nisi jejunæ sugere recusavit. Hic idè adultior semel dumtaxat in die corpus refecit, idque vesperi tantùm, nec aliud quàm herbulas injecto sale lixas comêdit. Hic idem jam Sacerdos, opsonio salem ademit, & quavis hebdomade bis tantùm refecit corpus. Solitudini demum se abdens Stephanus, herbas crudas in cibum adhibuit: jussus enervato stomacho aliquantulum gratificari, & vino uti, paucas vini guttulas in grandem hydriam immisit, ut suus obedientiæ staret honor. In ejusdem obedientiæ gratiam festis diebus paucas ficus in diurnam alimoniam admisit. Hac vivendi methodo, ad annum septuagesimum tertium pervenit. Nimirum abstinentiæ vires tunc novimus, cùm experimur. Homo abstinens, singularis Dei voluptas.

Stephanus presbyter Constantinopolitanus.

Nicolai Mirensis ritu, Episcopus Thaunensis Sisinnius etiamnum puerulus Mercurii & Veneris diebus lac maternũ non nisi semel admisit. Stephanus Diensis Episcopus quovis die Veneris etiamnum infans & nutricis ubera & omnem alimoniam repudiavit. Antistes Sargiensis Majorus, die Mercurii & Veneris omni cibo abstinuit, diebus ceteris solum panem hordeaceum pro omni ferculorum apparatu habuit. Quo quidem victu facilè impetravit, ut illæsam virginitatem servârit. Edmundus Cantuariensis Archiepiscopus quavis feriâ sextâ, præter aridum panem & frigidam nihil libavit. Ivo, ille pauperum facundus pater, omnibus pervigiliis, ut jejunii legem tantò religiosiùs servaret, pane ac fonte solo cenavit, prandio penitus omisso.

Episcopus Thaunensis Sisinnius & alii.

Scis, mi optime Lector, quisnam iis, quos modò nominavi, aliisque quàm plurimis abstinentiam tam rigidam persuaserit? Assensus & assuetudo. Qui promptè voluit, assensum expedivit, jejunii negotium jam pæne confecit. Adeóque promptum *volo* unicum, non ægrè post se trahit assuetudinem. Ita illi homines sancti postquam promptè *voluerunt*, quidquid eis in tolerandâ inediâ difficile visum est, uno alteróve trimestri, ih facilem traxerunt assuetudinem. Nam robustum VELLE, non difficulter sequitur validum POSSE. Idem in omni virtute adipiscendâ licet observare. Dic mente feriâ: Volo esse patiens: Et eris. Volo esse liberalis: Et mox sese liberalitas prodet. Volo esse humilis: Et humilitatem habebis. Dic, Volo jejunare: Et jejuniis brevî assuesces.

Ideo non miremur quamplurimos in eam venisse assuetudinem jejunando, ut tribus quatuórve pluribusve diebus escâ omni abstinuerint. Eos hîc in numerum non cogam, qui quavis hebdomade bis tantùm refecerunt corpus.

Bonifacius Misiæ Archiepiscopus & Martyr diebus

bus Iovis & Solis dumtaxat cibo vesci solitus est. Samson Archiepiscopus Dolensis duos trésve dies continuos mensam non accedere consuevit.

Obiit S. Ermenus ann. 435. Episcopum egit annis 30. diebus 25. avo Sixti III. Pontificis Max. & Valentiniani III. Imp. anno quarto Pontificis, undecimo Imperatoris. Psal 101. v. 10.

Germanus Antisiodorensis Episcopus genium omni solatio fraudare impensissimè studuit, & pæne supra fidem coluit Abstinentiam. Nam à primo suscepti muneris die, annis triginta totis ad usque finem vitæ, non vinum, non acetum, non oleum, non legumen, sed nec salem umquam condiendo cibo admisit. Primum in cœnulâ ipsius ferculum seu antecena fuit cinis, quem saltem libavit. Imitatus, credo, sanctissimum regem Hebræum, qui de seipso: *Cinerem*, inquit, *tamquam panem manducabam.* Cenæ caput, imò omnis cena, fuit panis hordeaceus, quem tamen ante serum vesperem numquam attigit. Nonnumquam dimidiâ hebdomade nil panis gustavit. Vnicum æstate & hieme indumentum, dolatos asseres pro lecto sine cervicali substratos, ceteróque vitæ rigores taceo.

B Bambergensis Episcopus Otho triginta septem annis dum Episcopus fuit, ut suprà demonstratum, è mensâ numquam surrexit satur: quidquid enim appositum, egenis & ægris transmisit. Nec solùm non eduliorum, sed nec ipsius quidem panis satietate gulam explevit. Hoc insuper abstinentiæ prorsus admirandæ specimen adjecit. Esuriali quodam die, cùm piscium penuria esset, Othonis œconomus lucium non grandem geminis emit solidis. [a] Allato in mensam pisce: Quanti, ait Otho, emisti hoc ferculum? Cui emptor: Duobus, ait, solidis. Mox abstinentissimus Antistes: [b] Absit hoc, inquit, ut miser Otho solus hodie tot nummos consumat. Et cum dicto tollens discum: Asporta, inquit, hunc piscem ad hominem ægrotum: Ego qui robustus sum, pane isto me satis refecero. Othoni non impar abstinetiâ Posthumius [c]. Mepheus panem & aquam ad dimensum sumpsit. Numquam C pleno ventre à mensâ recessit, nec sitim suam umquam satiavit. Ejus rei hanc assignans causam. Non esse dignum, ajebat, si carnis voluntas esset impleta. [d] Posthumium æmulatus Philibertus, teste D. Antonino, vir religiosus & sanctus, qui pariter à mensâ numquam abiit satur.

Elpidius Abbas in solitudine rebus divinis vacans, solis Dominicis & Mercurii diebus alimenti aliquid sumpsit. Hinc nihil miremur Hieronymum de seipso scribentem: Repugnantem spiritui carnem hebdomadarum inediâ subjugabâ. Nihil hîc miraculi fuit: quia potenter voluit, quia paullatim assuevit, ideo potuit.

[a] *Difficile, hoc pretium æstimare. De solido disserit Ioachim. Mynsingerus Iurisconsult. 1. scholiorum in Institutiones Iurû.*

[b] *Auctores qui miram Othonis sanctimoniam testentur, ad Dedicationē in margine inferiori laudavimus. Otho Pomeranis inter alia præcepta cōmendavit & ista: Vt sextâ feriâ abstinerent à carne & lacte, more ceterorum Christianorum: Vt sacrosanctam Quadragesimam, jejuniis, vigiliis, eleemosynis & orationibus diligentissimè observarent. Baron. to. 12. anno 1124. pag. 158.*

[c] *Fuit Posthumius aliquando restio, dein quinque millibus monachorum præfectus. De hoc vide Rosuvsydum l. 1. pag. 233 & sequentibus.*

[d] *D. Anton. part. 2. chron. tit. 13. c. 6. §. 18. Philibertus monachus cœnobii Rasbacensis sub Aglio, ejus monasterii Abbate primo.*

§. IV.

Non pauci, quos sol non vidit comedentes enumerantur.

FVerunt alii non pauci, quos sol numquam vidit comedentes, qui vesperi semper tenuissimo cibo solati sunt famem. Hilarion annorum septuaginta senex, ante solem occasum nec festis quidem diebus quidquam alimenti cepit. Edulium illius fuerunt lentes non coctæ, sed aquâ maceratæ, aut herbularum aliquid cum hordeaceo pane. Ab anno ætatis sexagesimo tertio ad usque octogesimum, nec panem quidem amplius, sed jusculum tantùm è confectis herbis confectum sorbuit.

Antonius Magnus non nisi sero vespere panem cum aquâ & sale pro omnibus mensæ lautitiis habuit. Nonnumquam biduum triduúmque, teste Athanasio, omni cibo abstinuit. Paulo Eremicolarum primo tam alimentum quàm indumentum palma suppeditavit ad ætatis annum sexagesimum, ab hoc ad centesimum decimum tertium dimidiati panis fragmentum quotidie corvus ales attulit, ad Antonii hospitis adventum subministravit integrum. Hæc libris omnibus decantatissima. Epesium in Schythioticâ eremo sol annis quadraginta numquam comedentem spectavit.

Beatus Sabas qualibet hebdomade dies quinque sine cibo & potu transegit, idque minimùm quinquennio. Divus amatus annuo verno jejunio, pro cenulâ siccâ vesperi quinque dactylorum nucleos & modicum aquæ reficiendo stomacho adhibuit; triduo toto nihil gustare solenne habuit.

Sanctus Maurillius Episcopus eodem jejunio verno, tertio solùm die vesperi panem aridum & tepentem aquam restaurandæ fami admisit; hac tamen incredibili victûs sobrietate ad annum ætatis nonagesimum sospes & incolumis pervenit. Ioannes Bonus Mantuanus, teste divo Antonino, ad initium quadragintadialis jejunii grandem panem in partes quadraginta divisit, ut unaquęque dies suam sibi haberet partem. Hæc annona in omne illud tempus suffecit, & superfuit. Neque hîc quidquam supra naturam est tentatum. Prodigiosam Macarii, Simeonis, Anastasiæ, aliorum complurium inediam silentio magis quàm eloquio venerandam censeo. Liceat tamen hîc compendio, sed ordine confuso nominare pauculos, qui sibi prorsus minimi, aut nullius ferè ac vilissimi fuerunt.

D. Iacobus Apostolus, Alphæi filius, vinum & siceram non bibit, carnem non comedit. *Seu Clopha.*

D. Matthæus Apostolus seminibus, baccis, oleribus vescebatur, carne abstinens. Ceteros Apostolorum taceo, de quibus prædicens Christus: *Venient dies*, inquit, *cùm auferetur ab eis sponsus: & tunc jejunabunt.* *Matthæi v. 15.*

D. Wolstanus tribus in hebdomade diebus omnis cibi abstinens, tribus reliquis porros vel caules elixos cum pane hordeaceo comêdit. *Marci 2. v. 20. Luc. 5. v. 37.*

D. Lupicinus verumque tertio solùm die refectus.

D. Theodorus Siceotes à Natali Domini IESV usque ad Dominicam diem Palmarum nec pane, nec leguminibus vescebatur, sed pomis tantùm & oleribus, idque sabbati tantùm & solis die.

D. Zoërardus ubi tribus continuis ex more diebus ab omni re, quæ mandi posset, abstinuisset, tum demum alimoniâ tenuissimâ se refecit; in Quadragesimâ 40. nucibus, omnis edulii vicem, contentus.

D. Equitius Recluſus vir magnæ abstinentiæ, catenis ferreis ad corpus nudum constrictus, & cilicio desuper indutus, solo siccóque pane cum paucis dactylis vitam sustentavit: per Quadragesimam solis herbarum radicibus victitavit.

D. Liphardus hordeacei panis non nisi unciam D unicam in cibum admisit; aquâ tertio dumtaxat die parcissimè usus.

D. Simeon Stylites totis hebdomadibus jejunare solitus eò exercitatione inediæ pervenit, ut Theodoreto & Evagrio testibus, viginti octo annis totidem quadragesimas sine omni cibo traduxerit.

D. Bavo Hasbaniæ princeps panem solùm, eúmque non fermentatum, & parte dimidiâ cineribus mistum pro omni cibo, aquam non nisi ad dimensum pro omni potu admisit. Vestis illius, cilicium; lectus, nuda humus; cervical, saxum; somnus brevissimus: nam meditari potiùs quàm dormire visus.

D. Radbodus Vltrajectensis Episcopus carnium esu abstinuit, biduanis ac triduanis jejuniis ex more carnem maceravit.

DD. Mutius & Severus Abbates die Dominico solùm cibo se curârunt.

D. Wandregisilus Abbas Fontanellius die Lunæ tantùm & Iovis cibum accepit.

D. Lupus

D. Lupus Trecensis Episcopus biduum continuum inediâ fatigatum corpus edomare consuevit.

D. Nicolaus Tolentinas jam septimo ætatis anno tribus cujusque hebdomadis diebus cibum omnem rejecit. Annis triginta & ampliùs numquam carnes, ova, pisces, sed nec poma seu sanus seu ægrotus comedit. Quavis hebdomade die Lunæ, Mercurii, Veneris, & Sabbato pane solo & aquâ victitavit.

Nec in debiliori sexu defuerunt abstinentiæ illustrissima exempla.

D. Cæcilia biduanis ac triduanis se jejuniis exercuit.

D. Genovefa ab anno ætatis decimo ad usque quinquagesimum bis tantùm quavis hebdomade die Iovis & Solis, modicum cibi assumpsit: tota mensæ lautitia panis hordeaceus & fabæ pulmentum fuit.

V. Margarita Ravennas virgo, cùm ad septimum ætatis annum pervenisset, extra Dominicum & solenniores festos dies semel dumtaxat de die cibo se refecit. Maximam vitæ partem pane solùm & aquâ toleravit, idque à septimo ad ætatis annum sexagesimum tertium.

D. Euphrasia per hebdomadem diebus tribus quatuórve, imò hebdomadibus totis, inediâ carnem castigavit.

D. Theodora non absimili modo totis hebdomadibus sibi ipsa omni alimento interdixit.

D. Agnes de Monte Politiano ipsos quindecim annos perpetuò ac quotidie ita jejunavit, ut pane solo & aquâ se parcissimè refecerit.

D. Clara Assisias dum sana fuit, geminam quot annis quadragesimam pane & aquâ exegit, solis diebus Dominicis vinum, si per paupertatem licuit, libavit. Et quod amplius, in illâ ipsâ geminatâ semper quadragesimâ tribus per hebdomadem diebus, secundâ, quartâ, sextâque feriâ nil penitus cibi vel panis adhibuit. Denique majorum coacta imperio sesquiunciam panis (Deus bone, quàm modicum frustillum!) pro omni pastu accepit. Sed ita paulatim ad ævum nostrum viciniores accedimus.

Testes Surius, Lippeloo, Harœus, alii.

§. V.

THeodosius Imperator natu minor, natus & educatus in aulâ, nihilominus tam vegetis viribus, laboris, æstûs, frigoris, famis tam patiens fuit, ut quavis hebdomade, Mercurii & Veneris diebus jejunium servaret. In Quadragesimâ tametsi graviter ægrotus pane & vino (mirandum!) abstinuit: potus aqua, cibus oluscula fuerunt. Carolus Magnus cum periculo etiam valetudinis exercuit corpus jejuniis. Otho Magnus cum Vngaris prælio conflicturus, totis castris jejunium indixit.

Baronius t. 9. hist. Eccles. a. 22. Baron. to. 5. ann. 815. Gretserus edit. vitas qui exercuere quadr. Ita Procopius Gaz. l. 1. de Ædificiis Iustiniani. Imp. Surius to. 1. die 17. Ianuarii.

Lotharius Francorum Rex sævissimo correptus morbo tendebat ad extrema. Iámque velut exinctus à reginâ conjuge deplorabatur. Hinc aulicorum accursus ad Sulpicium virum sanctissimum. Preces omnium erant ut is pro regis incolumitate Deum deprecaretur. Motus vir sanctus tot rogantium vocibus, rem apud Deum & lacrymis egit & jejuniis. Iam quinque dierum inediam tolerârat, sed ad sanitatem regi reparandam nihil profectum. Neque verò jam aliud quàm obitus expectabatur. Hinc aulici monebant: Desineret porrò inediâ se conficere; de vitâ regis actum esse, viciniſſimam imminere mortem. At Sulpicius: Perficiamus, inquit, quod cœpimus, & duos insuper jejuniorum dies prioribus addamus. Optima quæque spero. Benignus est Deus, & facilis exorari. Lux septima, ita speremus, restituet sanitatem. Vox sacerdotis pondus habuit. Exactis inter preces & jejunia septem diebus integra regi valetudo restituta est, incredibili omnium gratulatione. Tam potens est oratio juncta jejunio.

Laurentium Iustinianum, Patriarcham Venetum, cùm annum vitæ septuagesimũ ageret, & gravi morbo laboraret, nullus medicorum adigere potuit, ut carnes illo die vetitas esitaret viribus reparandis. Maluit esurire, maluit infirmus esse, quàm vel libare tantùm quod Ecclesiæ leges vetarent.

Lutgardis in Belgio religiosissima virgo, cujus res gestas scripsit Thomas Cantipratanus Proëpiscopus, quæ anno Christiano millesimo ducentesimo quadragesimo sexto vitam finiit, annos nata sexaginta quatuor. Hæc noctu sacris sese meditationibus exercens, aspectabilem vidit Domini matrẽ, sed tristem. Quæsiit Lutgardis: Cur mater gaudii tristaretur? Cui Virgo cælestis: Improbi Christiani, ait, filium meum denuo crucifigunt. Albigensium hæresis eâ tempestate grassabatur. Lutgardis divinitus edocta, quid potissimùm faceret iræ cælitum placandæ, septem sibi annos destinavit, quibus jejunia quotidiana támque severa iniit, ut præter panem & zythum nihil gustârit. Septennio primo finito alterum esuriale septennium sic à semetipsâ exegit, ut præter panem & olera nihil opsonii esitarit. Huic verè geminam jungamus.

Maria Oegniacensis in agro Leodiensi nata, per triennium à die decimo quarto Septembris ad Pascha pane atro solùm & aquâ vitam sustentavit, vexans veriùs quàm extinguens famem, centies de die genua in preces submittere, trecentis plagis castigare corpus consuevit. Columba virgo Perusina solis fructibus famem non sustulit, sed sedavit. Infinitum sit omnes jejunantium classes percensere. Mihi semper animus non colligere, sed judicio seligere. Hic eos, qui aliquot hebdomadibus, imò mensibus, imò & annis compluribus, nil potûs admiserunt, vitandæ prolixitati, transeo.

Sanctissimæ hujus feminæ dies natalis est 23. Iunii.

Hoc unum loco speciminis subjicio: In urbe Pergamo fuerunt ægri, Galeno teste, qui oraculi instar quindecim diebus nihil biberunt, & convaluerunt. Malæ in Parthenone regio nobilis virgo Magdalena Fetsingerin octennio nihil bibit, teste oculato locupletissimo, medico clarissimo Hippolyto Guarinonio. Ergo propriùs nostri temporis abstinentiam inspiciamus.

Galen. l. 16. morb. vulg. com. 8. D. Guarin. l. 4. de Abominand. c. 18. mihi pag. 592.

Philippus Nerius illustris sanctimoniæ vir, cùm annum ageret decimum nonum, hanc sibi legem indixit, die uno semel dumtaxat edere, nec aliud quàm panem: quandoque toto triduo nec panis miculam gustavit. Sacerdotio jam inauguratus sumpto manè jusculo ad cenam perdurabat impransus. Omnis cenæ apparatus unicum fuit ferculum, nec lautum, nec pretiosum. Nam aut ova duo, aut fabæ, aut cicer, aut lentes, aut aliquid oluscul orum cenam omnem adornabat. Plus uno ferculo cenare nefas ducebat; è carnibus aut piscibus rarissimè, è lacticiniis numquam comedebat, vini probè diluti perquàm modicum bibebat. Beati, imò verò & sani, qui nunc esuritis.

Anno 1622. à Gregorio XV. in Sanctorum album relatus, unà cũ Sanctis Ignatio. Xaverio, Isidoro, Teresâ.

Carolus Borromæus purpuratus Senator, Mediolanensis Pontifex, à puero ad omnem virtutem promptissimus, eò abstinentiæ studio progressus est, ut demum quotidie jejunârit, pane & aquâ in solidũ diem contentissimus, idque ad extremum vitæ spiritum perpetuavit: Dominicis solùm & festis diebus leguminis, aut pomorum, aut oleris aliquid pani addidit, grandes scilicet lautitias. Gregorius XIII. summus Antistes Carolum velut amantissimus pater monuit, hos sibi abstinentiæ rigores nimios videri, quare illos aliquantulum remitteret, & paullò liberaliùs prandere t, ad vitam divinis obsequiis diutiùs propagandam. At Carolus contrà paratissimum se ajebat obedire, constare tamen sibi ab experientiâ, mitem hanc inediam ipsi etiam valetudini plurimùm prodesse ad pituitam, quâ redundaret, celeriùs siccandam. Pontifex

fex mansuetè cessit. Borromæus, ut cœperat, perrexit, eâ in seipsum animadversione, ut in æstu summo non tantùm non vinum, sed nec aquæ guttulam extra tempus libârit. Beati, ter quatérque beati qui nunc esuriunt, quoniam saturabuntur delitiis ac voluptatibus æternis.

Omnes sancti res arduas jejunio sunt aggressi.

Hîc solùm illud Cypriani addo, qui de jejunio & tentatione Christi disserens: Quotquot virtutum vidimus viros, inquit, sine jejunio non legimus ascendisse; neque aliquid magnum moliti sunt, nisi abstinentia præcessisset. Monstrate mihi, obsecro, hominem sanctum, qui non singulariter amârit abstinentiam; monstrate hominem virtutis studiosum, qui oderit jejunium; monstrate viros, qui in rebus arduis & divinis magnum quid facturi, non illud jejunio & abstinentiâ sint aggressi. Eam ob caussam hortatur Paulus:

2. Cor. c. 6. v. 4. & 5. *In omnibus exhibeamus nosmetipsos sicut Dei ministros in multâ patientiâ, in tribulationibus, in necessitatibus, in angustiis, &c. in vigiliis, in jejuniis, in castitate.* Esuriamus modicùm; cùm apparuerit gloria Domini, satiabimur æternùm.

CAPVT XII.

Iejunium vitiosæ cupidinis exterforium medicamentum.

Discrimen pharmacorum.

MAXIMVM in pharmacis discrimen est. Nam uti effectus eorum planè sunt diversi, sic etiam nomina diversa sortiuntur. Numerus horum ingens. Sunt enim medicamenta alexipharmaca in venenum pugnantia: Sunt anodyna dolores mitigantia: Sunt anastomica venas reserantia: Sunt attrahentia, emollientia, relaxantia, rarefacientia, repellentia; sunt

Vel cathartica.

cathartica & ecphractica: Sunt glutinantia, incarnantia, siccantia, soporifera, hydragoga, sternutatoria. Sunt denique repurgantia etiam & exterfloria.

Abstinentiæ tituli.

Abstinentia hos omnes titulos cum dignitate potest tueri. Iejunium verè alexipharmacum, anodynum, relaxans, catarcticum, &c. singulari tamen modo exterforium est. Quidquid enim sordium voluptas impura contrahit, id jejunium extergit. Et reverà si alia nulla supperet caussa, cur sæpiùs jejunandum, hæc una foret sufficientissima: jejunium est medica-

Inter corporis castigationes jejunii est præstantissimum.

mentum carnis exterforium. Inter omnes namque corporis castigationes nulla est, quæ carnis petulantias ita placidè, sensim, validè componat & reducat ad modestiam, atque jejunium & abstinentia. A jejuniis discit caro non ferocire aut insolescere. Flagra, humicubationes, cilicia, mortificationes alias præcellit jejunium, pharmacum prorsus optimum, & carnis insigniter exterforium; modum iam explicabimus.

§. I.

Gell. l. 15. Noct. Att. c. 1.

OPpugnabat L. Sulla in terrâ Atticâ Pireum, contrâ Archelaus turrim ligneam defendendi gratiâ structam propugnabat. Eduxit copias Sulla, & omni quâ potuit industriâ connisus est turrim illam, quæ interposita obstabat, incendere. Venit, accessit, ligna subdidit, submovit Græcos, ignem admovit. Satis diu conati numquam quiverunt turrim incendere. Nam eâ solertiâ Archelaus omnem turris materiam alumine obleverat, ut illa ignis patiens licet ex omni latere circumplexa, igni ardere non potuerit. Obstupuit Sullanus miles hanc turris invictam pertinaciam. Ita conatibus elusis omnibus reductæ sunt copiæ. Caro nostra ut lignum abiegnum, concipiendæ flammæ aptissimum, ignibus malignis facilè corripitur. Sin autem hic truncus alumine jejunii & abstinentiæ oblinatur, ignis cupiditatis & libidinis vires perdit & neutiquam incendit.

Vetus Hieronymi & sancta præceptio est: Ardentes dæmonum sagittæ jejuniorum frigore sunt restinguendæ. Gula vitiis omnibus viam sternit. *Frena gulam, & omnem carnis inclinationem faciliùs frenabis.* Cùm plenus est venter, in libidines facillimè despumat. In corpore bene farto subtiles, sacræ, sublimes cogitationes vix umquam habitant. Cur equus tam intrenis, calcitro, succussor est? nimium avenæ habet. Cur Iudæi olim tam contumaces ac rebelles Numini? nimium habuerunt annonæ.

Imit. Christi Thom. de Kempis l. 1. c. 19. n. 4.

Verissimè in rem Basilius: *Corpus bene saginatum*, inquit, *& anima illi mersa ad peccandum proclivis est. In promptu est noxa non una, cùm gula est spiritûs domina. Satanas hospitio sicco non delectatur.* Hinc illa Christi divinissima concio: *Cùm immundus spiritus exierit de homine, ambulat per loca inaquosa, quærens requiē & non inveniens, dicit: Revertar in domum meam, unde exivi.* Cacodæmon suavissimè habitat, ubi in madido est, & natabulum habet, ubi estur ac potatur largiter. Hic illius requies. Anima sicca, anima optima, diabolo inimica.

Luc. c. 11 v. 24.

Hebræus Psaltes David sub venustâ imagine rem ponderans. *Homo*, inquit, *cùm in honore esset, non intellexit: comparatus est jumentis insipientibus, & similis factus est illis.* Monuerat quidem sedulò David: *Nolite fieri sicut equus & mulus, quibus non est intellectus.* Facti sunt; nemo paruit, equum & mulum induerunt. Quid hîc remedii? Qui miseris opitulandum? Mox remedium præscribens Hebræus pharmacopola: *In camo*, inquit, *& freno maxillas eorum constringe.* Quid hoc ais, regum optime? Cur non oculis medendum, quibus plurimùm peccatur? Cur non auribus, cur non manibus aut pedibus, quibus sæpissime delinquitur? Isaias testis: *Manus vestræ*, inquit, *sanguine plenæ sunt. Pedes eorum ad malum currunt*, sapientissimi exprobratio est. Hæc igitur membra rapiantur in vincula, quæ tot perpetrant peccata. Quid mulctamus genas? quid maxillas plectimus? Cur veniam corvis damus, & censurâ premimus columbas? Oculi & aures, peccatorum illices, manus & pedes eorundem patratores puniantur. Non malum hoc, sed melius istud: Maxillas eorum, maxillas constringe; faucibus frenum injice, os & gulam camo coërce, cibum subtrahe, ad famem adige.

Psal. 48. v. 13. & 21. Ibidem. Psal. 31. v. 9. Isa. c. 1. v. 15. Prov. c. 1. v. 16.

Constrictio maxillarum est remedium pluribus utilis propositum.

Voluit hîc sapientissimus rex David unicum malis pluribus remedium præscribere. Ita homini, in quo tam aures quàm oculi, tam manus quàm pedes exerrassent, præcipit, ut genas & os supplicio afficiat, & membra omnia in potestate hominis futura. Iejuna, jejuna, teipsum abstinentiâ vince, maxillas constringe, & noxas plurimas, morbos gravissimos persanâsti.

§. II.

MEmoriam hîc subit celeberrimus medicus Georgius Hübner, qui maxillis manducorum imperans: *Si sanitatem ames*, inquit, *ne vores ut felis ambabus maxillis, sed illud spectes semper, ut mensam deseras appetentiâ nondum expletâ, stomacho nondum plenè saturato. Sic pota, ut sitias; sic ede, ut esurias.* Ista igitur præceptio (*maxillas constringe*) instar millium est. Gulam & os edoma, & totum corpus domuisti; gulam frena, & omnibus vitiis restitisti; stringe genas, & contumaciam membrorum in ordinem redegisti.

Clarissimi Georgii Hübneri, Medici Augustani, verba, typis data.

Quemadmodum verò cùm equo frenum injicitur, equi labor non impeditur: nam is etiamnum gradi, currere, portare, trahere, saltare potest, & quidem meliùs quàm infrenis: ita jejunium moderatum non tantùm non impedit humanas functiones, sed ad obeundas illas efficit aptiorē. Homo sobrius & abstinens die uno plus operæ facit, quàm bibulus manducō duobus aut tribus. Deinde licet eques peritus calcaria, virgam aut flagrum habeat; licet equus ephippio elegantissimo instratus sit, si tamen freno careat, regi non poterit: sic

Iejunium moderatum reddit hominē aptiorem ad fūctiones humanas obeundas.

nemo

nemo satis moderabitur carni, qui eam non rexerit freno jejunii. Iejunium carnis extersorium medicamentum.

Ciliciis aut flagris uti non est omnibus commodum; cibum subtrahere, parciùs comedere, non sanis tantùm, sed & ægris convenit. Et illis & istis saluberrimè præcipitur. Hoc viris sanctis perspectissimum fuit. Verùm cùm Sanctos nominamus, homines parum imitabiles proponere videmur. Erramus largiter. Sed ut tantò exactior, & magis varia abstinentium idea in oculis sit, homines eruditionis etiam profanæ inspiciamus.

Quatuor item simul vitas sunt Petrarchæ scripta in folio, clarus anno 1374.

Franciscus Petrarcha Hetruscus, è plurimis & optimè eruditis scriptis non ignotus auctor, tenui ac parabili victu minimèque lauto corpus aluit, nec ferè aliud mensa illius vidit, quàm diversum pomi genus. Cùm annum ageret quadragesimum, verecundiam ac castimoniam summæ curæ habuit, eo fine vinum non nisi dilutissimum bibit, sæpiùs aquam; singulis hebdomadibus quater jejunavit, omni die Veneris præter modicum panis & aquæ nihil gustavit. Nimirum noverat Patrarcha, *Hoc genus dæmoniorum non ejici nisi in oratione & jejunio*; abstinentiam extersorium carnis esse medicamentum.

Matt. c. 17. v. 21.

Ferdinandus I. Imperator, defunctâ conjuge, pientissimâ feminâ, ut torum viduum vitæ innocentiâ legitimè custodiret, abstinentiam elegit adjutricem. Ità solùm sibi prandium voluit esse permissum, cenâ in vitam reliquam abdicatâ. Caussam apponit scriptor: Ut carnis stimulos eò valentiùs posset reprimere. Illustrissimum in tanto fastigio exemplum. Quid ego, quid similes mei, quid nos agimus mendiculi: Multiplici continentiâ præeunt tanti principes; num sequi dedignamur? Num pudet imitari? Sequimur errantes, sequamur & pœnitentes.

§. III.

Matt. c. 11. v. 19.

Sed nullum sit abstinentiæ speciem, quod respiciat imitatio; exemplum Christi habemus, omnia habemus. Christus victu ac vestitu vitam ceteris non absimilem egit, hominum consortia non fugit, in conviviis accubuit. Hinc atrocissimæ calumniæ illæ: *Ecce homo vorax, & potator vini, publicanorum & peccatorum amicus.* Hæc fecit & tulit, ne suis exemplis imitationem nostram terreret. Præter quadragintadiale jejunium, famem ac sitim sæpissimè, aut potiùs continuè toleravit, noctes frequentissimè pervigilavit, assiduis itineribus sese fatigavit, non ut virgineam & omnis labeculæ ignaram carnem edomaret, sed ut agendi nobis ideam daret: perinde, si diceret: A capite vestro vos mea membra discite; ne grave vobis pati, quod & me passum cernitis. Esurivi, sitivi, vigilavi amore vestri, & ouinctam ini etiam num amore mei cibo, potui, somno aliquid subtrahere? Hæc carnis petulantiam frangunt; his medicamentis extergitur pravæ voluptatis rabes. Orandum, vigilandum, jejunandum.

Christus nobis idea & exemplum fuit in tolerantiâ laboris.

Philip. c. 4. v. 12. & 13. 1. Cor. c. 4. v. 11. 2. Cor. c. 11. v. 27. 2. Cor. c. 4. v. 10. Latinè censo; subsringe vitia Lector. 7 Gal. c. 5. v. 24.

Dominicam exhortationem istam docilis Paulus condiscens: *Scio*, inquit, *& satiari, & esurire; & abundare, & penuriam pati: omnia possum in eo, qui me confortat. Usque in hanc horam & esurimus, & sitimus, & nudi sumus. In labore & ærumnâ, in vigiliis multis, in fame & siti, in jejuniis multis, in frigore & nuditate.* Et quorsùm Paulo hæc omnia? *ut & vita* IESV *manifestetur in corporibus nostris.* Hoc agit Deus, ut qui ab beatam immortalitatem sunt electi, conformes fiant imaginis filii Dei. Summa summarum; *qui sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis & concupiscentiis.* †

Reverà si abigendus sit canis, non carnes ei, sed lapides aut echinata clava est monstranda: si olla bulliat, ignis subducendus, aut illa amovenda: si equus ferociat, pabulum minuendum; si caro insolescat, jejunium ingerendum; abstinentia illam & fames cicurabit. Ambrosianum metrum est:

Carnis terat superbiam
Potûs cibíq; parcitas.

Sed hem quid hoc monstri dicam, carnis superbiam? superbia non carnis, sed mentis est vitium. Ajo: Si ancilla dominæ velit imperare, si mediastinus aut atriensis famulus herum cogat obsequi fœdum ac turpe imperium; & hæc illa carnis superbia est. Idcirco Paulus tam perversum ordinem formidans: *Castigo, inquit, corpus meum, & in servitutem redigo, ne forte cum aliis prædicavero, ipse reprobus efficiar.* Videte Paulum è cælo vocatum, in tertiam & supremam cæli contignationem raptum, laboribus exhaustum, plagis & carceribus emaciatum, hominem sanctissimum, nihilominus metuentem ne caro insolescat, nihilominus vociferantem: *Castigo corpus meum.* Ambrosius & Chrysostomus affirmant hanc castigationem fuisse jejunium. Si medicus tam celebris & peritus pharmacum, quod sumendum dictat, ipse prior sumat, probatissimum illud & explorati effectûs esse non malè ominamur. Iejunium Paulo & corporis castigatio medicina fuit: quid horremus pharmacum, quod ipse sumpsit medicus? si medendi methodus sit, de quâ affirmari possit: Hoc dicit Hippocrates, hoc Galenus, hoc Avicenna: hoc è recentioribus probat Mermannus, hoc Menzelius, hoc Fuxius, hoc Gobelius, medicamentum illustre ac omnis erroris expers, securúmque creditur. Ita hîc ratiocinemur: Carnem jejunio extergendam à vitiis dicit Christus, dicit Petrus & Paulus, dicunt omnes Apostoli, omnes prisci Patres. Imò verò etiam hoc medicamento Christus ipse est usus, hoc Petrus & Paulus, hoc Apostoli, hoc omnes Sancti sunt usi. Pauculos hoc etiam loco in specimen nominemus.

1. Cor. c. 9. v. 27.

Serenissimi Bavariæ Ducum medici defuncti, quos laudare fas est.

Edmundus Cantuariensis Archiepiscopus quamvis in tam sublime solium evectus esset, vix tamen re ullâ magis oblectabatur quàm frugali ac sobriâ sine arte mensa. Hinc crebriùs spreto ferculorum omni delectu, solâ frigidâ & pane cibario charis sibi ac salubribus deliciis victitavit. Rogatus abstinentiæ tam insolitæ caussam: Quia, inquiebat, curæ mihi non est saginare corpus, sed sustentare. Ideo cibavit eum Dominus pane vitæ & intellectûs, & aquâ sapientiæ salutaris potavit illum.

Osbertus & alii in ejus vitâ.

Hoc egerunt viri solidam abstinentiam docti; id sibi minimè concesserunt, quod maximè appeterent. Hellen Abbas ingenti mellis sorbendi appetentiâ inarserat. Et, quod alii fortunam bonam fuissent interpretati, præter opinionem favos reperit. At ille suimet potens victor, huic mellariæ gulæ frenos injiciens: Abi, ajebat, abi cupiditas maligna, non fruêris pabulo, quod inhias. In hujus verò appetitûs pœnam, trium hebdomadum jejunia sibimet imperavit. Cúmque huc illuc varii generis sparsa poma cerneret, cacodæmonis fallacias subodoratus: Non decipies, ajebat, non decipies, veterator, artis tuæ gnarum. Nec tangam quidem has tendiculas, hæc retia escaria. Scriptum est: *Non in solo pane vivit homo.* Non ignorabat vir sanctus, quantæ virtutis, quanti & præmii esset tam avidè cupitis genium fraudare.

Ruffin. Aquil. l. 2. c. 11. Pallad. c. 59.

Matt. c. 4. v. 4.

Huic jungendum quod Petrus Damianus memorat: Quidam Episcopus, inquit, piscem †, quem avidiùs appetierat, à coco sibi parari jusserat, interim ipse sacris operaturus. At dum aræ adstat, & rem divinam patrat, en illecebrosa piscis memoria plurimo sed vanissimo cogitatu animum titillat, avocátque à cœptis mysteriis. At Præsul, uti erat optimæ mentis, erubuit sub oculis Dei omnia cernentis inquinari tam gulosis curis. Mox igitur peractâ re divinâ, jámque loco digressus, & ad famulum versus: Piscem, inquit, mensæ meæ paratum jube illi noto pauperi quamprimùm

Petrus Damian. to. 5. l. 1. epist. ep. 10. ad Alexandrum Pontif. &c. mihi p. 21.

† *Naupredam; Italiâ Lampredam.*

mùm dari. Illustre ſpecimen abſtinentiæ. Ita profectò, inquit Damianus, canicula voluptatis, quæ vivere potuiſſet ſub menſâ corporis, quia impudenter in ſancta ſanctorum irruit, pœnitentiæ ac abſtinentiæ fuſte mactata eſt.

Petrus Damian. to. 2. in vitâ S. Romualdi c. 52. mihi pag. 242.

Nec tantùm has tales aliorum victorias narravit Damianus, ſed ſeipſum hac ipsâ luctâ præclariſſimè vicit. Nam præter quotidiana jejunii & abſtinentiæ argumenta, illud in tanto viro ſingulariter obſervandum. Toto quadragintadiali jejunio nil umquam igne coctum comêdit, ſolis contentus pomis, quæ ipſe & in cibum & in potum adhibuit. Ob nimiam verò imbecillitatem ſtomachi demum coactus eſt aliquid madefacti leguminis admittere. Atque hoc fecit exemplo divi Romualdi motus, quem pro viribus imitari ſtuduit: cujus & res geſtas ſcripſit, in his & illud de gulæ victoriâ obſervatione præcipuâ narrans: Iubebat Romualdus, ait, illud cibi genus, quo ſe ſingulariùs ſentiebat affici, cum curâ parari; allatum verò naribus & ori admovens: O gula, gula, inquiebat, quàm ſuave hoc eduliùm eſt, quàm illud tibi ſaperet? ſed væ tibi, nec miculam quidem ex eo guſtabis. Ita intactum remittere ſolebat ad cocum. B

Caro Rationis famula, vile mancipium eſt, cujus nequitias & fraudes nemo umquam correxerit indulgentiâ. Abſtinenter illud & duriter habendum, inediâ & fame coërcendum. Fuit qui carnis contumaciam in ſeipſo experiretur. Interrogavit is Ægidium Franciſci Aſſiſiatis ſocium, quo ſibi antidoto adverſus hoc morbi genus utendum arbitraretur. Cui Ægidius: Mi frater, inquit, quid faceres, ſi te moloſſus è ruſticanâ casâ proruens inceſſeret? Lapide, ait, alter, aut fuſte illum peterem, ut in fugam averterem. Ita, inquit Ægidius, agendum cum carne ſi ea incipiat laſcivire, aut rationis imperium detrectare: Pete eam lapide contritionis & pœnitentiæ, fuſte abſtinentiæ illam contunde; & habebis obſequentem. Certè hoc belluæ genus non aliis artibus cicurari poteſt. C

Gula, contumax & rebellis ſemper bellua in vetitum ruere non ceſſat, niſi aſſiduis, ita loquar, mortificationibus coërceatur. Florentinus princeps Laurentius Medices cùm fatali lectulo decumberet, omnem, ut fit, edendi appetentiam amiſit. Allatis in cenulam lectiſſimis eduliis interrogatus; & quinam cibus ſaperet? Hoc unum reſpondit: Vt ſolet morienti. Perinde ſi dixiſſet: In rebus humanis nihil illi reliquum eſt dulcedinis aut ſolatii, qui ſentit ſe moriturum. Ita igitur quotidianis abſtinentiis frangenda eſt gula, ut ſentiat ſe mori. Aliàs illa nimirum vivax in rationem numquam non erit contumelioſa. Lingit, catillat, ſorbet, haurit, abligurit tamdiu, dum ſeveris & quidem aſſiduis abſtinentiæ præceptis enervetur.

Angelus Politianus in epiſt.

Vtinam ſit Thaumaturgus aliquis Eleutherius, qui abſtinendi & jejunandi gratiam nobis impetret, quam ſibi ab illo impetratam, Gregorius Magnus non ſcriptis tantùm, ſed & picturis voluit teſtari. E ſtomacho Gregorius adeò laborabat, ut animi defectio cibum poſceret ipſo Paſchatis pervigilio. Grave videbatur Gregorio eâ die, quam & parvuli jejuniis venerantur, non poſſe cibis abſtinere. Ita mœrore magis quàm morbo deficiens acceſſit Eleutherium, rogavitque grandi fiduciâ vires ſibi à Deo impetraret, ad diem illum inediâ exigendum. Eleutherius exorari ſe paſſus mox in genua procubuit, & manibus cælo elatis, ſtillantibúſque oculis, precatus eſt Deum vires ad tolerandum jejunium tantopere deſideranti non negaret. Annuit Deus Nam continuò Gregorius illud ſtomachi robur perſenſit, quo vel biduanam inediam ferre non recuſâſſet. D

Greg. l. 3. Dialog. c. 33. Zach. Lippeloo to. 3. die 7. Septemb.

O mi Deus, ſuffice vires noſtræ abſtinentiæ, ſed ante omnia rebellem voluntatem noſtram impelle, ut, quam plerumque averſatur abſtinentiam, amplecti velit. Hoc opus, hic labor eſt. Tolerare moderatam inediam facillimè poſſemus, modò vellemus. Sed quia nolumus, ideo frequenter frigidiſſimum illud auditur: Non poſſumus. Da bone IESV, quod jubes, & jube, quod vis. A

Ergo bonum, ergo tutiſſimum & optimum medicamentum eſt jejunium: Plurimi ac graviſſimi morbi aliter non curantur. Medicorum princeps affirmatiſſimè dixit: *Hoc genus dæmoniorum non ejicitur niſi in oratione & jejunio.* Ergo *beati qui nunc eſuriunt, quia ſaturabuntur.* *Matt. c. 17. v. 21. Idem. c. 5. v. 6.*

CAPVT XIII.

Iejunium omnigenæ virtutis adjumentum optimum.

POMVM punicum, nobiliſſimum pomum, fructus excellentiſſimus, licet corticis ſicci & aſperi ſit: in hoc rubicundula ſucci plena granula certo miróque ordine in ſuis caveolis diſpoſita, velut in præſidio jacent. Illud hic magis mirandum. Minus pomum non habet pauciora grana quàm grandius ſed minora, & magnum minore non habet plura ſed grandiora. Ita omne malum punicum quadringenta ſexaginta quatuor grana continet. Parvum, ſed dives ærarium, præſertim ægris, ac ſitibundis. *Malũ punicum ita vocant.*

Huic malo non malè comparem Iejunium aſpectu aſperum, ſi corticem ſpectes, & ſiccitate inamœnum; ſed cimare, & theſaurum invenies. Iejunii fructus plurimi, præſtantiſſimi, ſed latentes: erue, & guſta; ſuavitatem ſenties poſt amarorem minimè diuturnum.

Cur jejunandum ſit, cauſſas complures aſſignavimus, adjungimus & iſtam; Iejunium virtutibus omnibus & adjumento eſt & augmento. Hoc, uti priora cetera, more noſtro luculentiùs ſub oculis ponemus.

§. I.

ECcleſiæ lumen Hieronymus, cùm Zachariam prophetam interpretaretur, accuratiſſimè obſervans: Poſt templum Hieroſolymis denuò reſtauratum, populus ſenatui ſacerdotum hanc quæſtionem poſuit: *Numquid flendum eſt mihi in quinto menſe, vel ſanctificare me debeo, ſicut jam feci multis annis?* Quærit plebs Solymæa, num adhuc jejunii legibus ſtringatur, quibus olim ſtringebatur: *Num ſanctificare me debeo? Iejunare*, inquit Hieronymus, *eſt ſeipſum ſanctificare, quia jejunium eſt ſanctificatio ad recipiendâ Dei munera.* Hinc Baſilius compendio: *Iejunium*, inquit, *eſt theſaurus à quo virtutes promuntur univerſæ.* *Hieron. in c. 7. v. 3. Zacharia.*

Bernardus die Naſcentis Chriſti Domini ore liberrimo: *Aut iſte*, inquit, *fallitur, aut mundus errat. Chriſtus elegit, quod ſalubrius judicavit; vos eligitis, quod ille reprobavit. Quid ergo? Chriſtus, qui non fallitur, elegit, quod carni moleſtius fuit: id ergo melius, id utilius, id potiùs eligendum: & quiſquis aliud docet vel ſuadet, ab eo tanquam à ſeductore cauendum.* *Bernard. ſerm. 3. de Nat. Chriſti.*

Hîc ſumma rei, hîc operis cardo vertitur. Hoc autem mundus non capit; non vult intelligere, ut bene agat. Salubria, ſi ſint amariuſcula, rejicit, moleſta carni cane pejùs & angue odit, jejunium ut grande malum fugit. Erras munde, & erras ab oſtio; erras, ô munde, toto cælo erras. Nam Chriſtus non fallitur, qui calices ingerit amariores, ſed ſalubres, qui jejunium concionum ſuarum voluit eſſe principium.

Quod Gregorius Nyſſenus conſiderans: *Iejunium*, inquit, *virtutis fundamentum eſt: Si nolumus jacere fundamentum, numquam ſurget ædificium; ruente fundamento totâ ruit impoſita moles.* Rem hîc miriſſimam examinemus.

Quis,

Quis, obsecro, primus Hierosolymorum mœnia dejecit? quis urbem vastavit, exussit, evertit? Nabuchodonosor, putamus. Hæc jussu ipsius facta. Quis autem admolitus est manum? quis arietem incussit, quis muros inscendit, quis urbem occupavit? Dictu fœdum, unicus homo Si Goliathus aliquis, aut de genere gigantum id fecisset, nil adeò miri aut novi fuisset. Quis igitur homo ille unicus, quis fuit? Cocus.

4. Reg. cap. 25. v. 8. 9. & 10.

Testantur Regum fasti his ipsis verbis: *Venit Nabuzardan princeps exercitûs, servus regis Babylonis in Hierusalem. Et succendit domum regis, & domos Hierusalem: omnemque domum igni, & muros Hierusalem in circuitu destruxit.* Quis ausus hæc talia? Cocus unicus, seu, princeps cocorum. Nam septuaginta Interpretes, & cum eis Chrysostomus, Nabuzardan semper cocorum principem appellant, uti sæpius notat Gregorius. Ita cocorum princeps Hierosolymis tantas calamitates & clades invexit. Nec aliter hodiéque pugnatur: Tot centena millia hominum quotidie in extremam perniciem dantur à solo Nabuzardan. Cellarius & Cocus innumeris hominibus pecuniam rapiunt & vitam, & quos culina non sepelit, sepelit cella. Comessando, aut certè abundantiùs prandendo & cenando, iste quidem crumenam perdit, hic tempus, ille famam, innumeri valetudinem & vitam, plurimi cœlum & æternam gloriam. Infinitos depauperat, innumeros jugulat Nabuzardan. Atqui (ait interpres Siracidæ) non minùs homicidæ sunt, qui proprium corpus, quod est opus & domicilium Dei, & organum actionum divinarum, crapulâ vel ingluvie corrumpunt & extinguunt, quàm qui aliorum corporibus violentas manus inferunt. Vbi gula, ibi virtus nulla. Ideo præcipit Imitatio Christi: *Frena gulam, & omnia vitia facilius domabis.* Vince cocorum principem Nabuzardan, & hostes tuos omnes feliciùs superabis. Non errat vetus metrũ:

Ioan. Manlius tom. 2. Locorum communium ad præcept. spect. mihi pag. 220. post damnatã ingluviem & voluptatẽ hæc subjungit verba. Illa prò dolor! possim in mundo sunt. Ex tripode oraculum. l. 1. de Imit. Christi c. 19. n. 4. Veteres Trochaici.

Abstinentia opitulatur omnibus virtutibus.
Flagitia interdicit omnia, qui indicit jejunia.

S. Maxim. hom. de Litaniis & jejuniis Ninivitarum, nihil pag. 162.

Beatus Maximus Taurinensis Episcopus, ad rem præclarè de jejunio: *Murus quidam est*, inquit, *Christiano jejunium, inexpugnabilis diabolo, intransgressibilis inimico. Quis enim unquam Christianorum jejunavit, & captus est? Vnde & nos, fratres, temporum angustias sustinentes, omnes pariter jejunare debemus, & misericordiam Dei cunctorum abstinentiâ implorare. Quid enim hoc? Christianum pro suâ non facere, quod pecudes pro hominum salute fecerunt in Ninive? Stolidior pecude est, qui indicto à sacerdote jejunio, non jejunat. Pecus, quam videt, declinat foveam, cavet præcipitia; tu autem non vis jejunando periculum declinare, quod cernis. Desperationis genus est, tunc manducare cùm debeas jejunare.* Virtutem non amat, qui jejunium odit. Nulla virtus est, quam non plurimùm juvet jejunium. Iejunium pæne illa Domini verba sibi usurpet: *Sine me nihil potestis facere.* Ægrotat quis? jejunet. Febrit? tunc maximè jejunet. A carne vellicatur? jejunet quantùm potest. Ab hominibus impugnatur? jejunet. Cupit à Deo impetrare quidpiam? jejunet. Vitium aliquod conatur extirpare? jejunet. Pro noxis vult satisfacere? jejunet. Spiritui carnem nititur subjicere? feriò jejunet. *Bona est oratio, sed cum jejunio.*

Ioan. c. 15. v. 5.

Tob. c. 12. v. 8.

§. II.

Virtutum & vitiorũ ea est ratio, quæ mercimoniorum. Seu xylinum.

VIrtutum & vitiorum ea est ratio, quæ est mercimoniorum: de quibus illud in philosophorum scholis decantatissimum sæpius usurpandum: Vnius corruptio est alterius generatio. Exempli gratiâ: Olim linum gossipinum erat usitatissimum; cui minorum gentium non thorax inde factus? vix satis textorum fuit, qui gossipium in pannum cogerent. Nunc xylinum hoc linum exolevit, pro eo corium & sericum tantò crebrioris usûs est. Ita prorsus quantò plus vitiis decedit, tantò plus additur virtutibus. Corruptio & abolitio vitiorum, generatio virtutum est. Gula & Luxuria affinitate primâ sibi junctæ sunt: quantò plus istis adimitur, tantò plus accrescit Temperantiæ ac Pudicitiæ. Gulam & luxuriam in te jugula; & ad vitam virtutes maximas excitâsti. Cognatis illis vitiis quàm potes, acerrimè resiste, & virtuti grande incrementum adjecisti. Comico, virtutis est conclave Temperantia.

Prov. c. 26. v. 20.

Sapienter & congruè instituto dixit Salomon: *Cùm defecerint ligna, extinguetur ignis.* Dum vivimus, tametsi sanctè vivamus, aliquid vitiosi fomitis in nobis identidem gliscit: velut sopito jam grandi incendio, tamen adhuc per aliquot dies abditæ vivunt favillæ: ita in nobis numquam desunt vitiorum igniculi, qui variè sese produnt: nam modò ignescit ira, modò invidia; jam luxuria, jam superbia latens in flammam consurgit. Huc aquam citò, huc aquam & gliscentem ignem extingue.

Subtrahe ligna foco, si vis extinguere flammam.

Hiero. l. 2. contra Iovinian. fine.

Commodissimè subtrahit jejunium & abstinentia. Hieronymus ad rem appositè priscum illud usurpans: *Sine Cerere*, inquit, *& Libero friget Venus.* Quò Nabuzardan non penetrat, eò plerumque nec pervenit Libido. Vbi crebra fames & abstinentia, ibi rara est voluptas impura. Inexpugnabilis murus jejunium. Ingluvies ventris & Nabuzardan devastant omnia. Quod Ezechiel apertissimè testatus: *Ecce*, inquit, *hæc fuit iniquitas Sodomæ sororis tuæ, superbia, saturitas panis, & abundantia, & otium ipsius & manum egeno & pauperi non porrigebant.* Videte, obsecro, quas periodos & quàm pulchrè nexas habeant hæ choreæ. Prælustrix vitiorum omnium *Superbia.* Primæ post præsultricem procursant ordine ornatissimæ puellæ *Saturitas & Abundantia*, medium his Nabuzardan le infert. Lautè comedere, largiter obbibere, affatim dormire, vitiis insigniter applaudunt. Secundo loco sequitur monstrum mollissimè vestitum, *Otium.* Plenus venter nec orat, nec vigilat, nec laborat libenter. Tertia saltatricula, *eleemosynæ Parcitas.* Nam plerumque in vestes & in mensam tam prodigi, in eleemosynas parci sunt. Ita superbiam saturitas, saturitatem abundantia, abundantiam otiositas, otiositatem comitatur immisericordia. Hæc fuit iniquitas Sodomæ. Hoc Sodomam & Gomorrham, hoc Adama, Seboim, & Segor, hoc Hierusalem expugnavit & evertit. Rerum abundantia, pabuli copia, culina semper ructans & plena; Nabuzardan cum agmine suo devastat & pessundat omnia. Exitium vicinissimum est, ubi nihil abstinentiæ est.

Ezech. c. 16. v. 49.

Segor post Lothi ex eâ abitum eversa.

Serpens nil æquè horret ac sputum hominis jejuni, ollam bulliente aquâ plenam non ita fugit, atque matutinam hominis salivam. Orcinus coluber nil sperat victoriæ, ubi congrediendum est cum homine sobrio & jejuno. Hunc timet, ab hoc vincitur facillimè. Id clarè Basilius affirmans: *Iejunium*, inquit, *contra exercitum dæmonum datur arma.* Cui accinens Hieronymus: *Pulchra res est*, inquit, *jejunium, quod etiam dæmones terret.* Sic alii ordine Patres loquuntur. Augustinus ex omni numero priscorum Patrum tam succinctè quàm verè ac nervosè: *Nullus*, inquit, *sine jejunio vicit diabolum.* Ergo abstinere, est diabolum vincere. Cacodæmon nihil sibi metuit, & ad pugnandum alacerrimus est, cùm habet adversarium jejunii & abstinentiæ ignarum.

Basil. ho. 1. de jejunio. Hieron. l. 2. contra Iovinianum. Aug. l. 4. Hypognosticon contra Pelag. post init.

Philibertus Abbas vir eximiæ virtutis abstinentiam exactam sibi sæpiùs indixit. Sed, quod humanæ fragilitatis est, subinde non observavit, tunc præcipuè, cùm hospites suos amantiùs excipiens, humanitati tantum tribuit, ut indictæ legis aliquantulum obliviscì vellet. Hîc optimus vir sensit dextram hominis, quem non vidit, ventri suo non sine cachinno incuti, hac additâ voce: *Modò hîc bene, modò hîc bene.* Irrisit hostis, annuente Deo, lautiusculam cenam Philiberti, perinde si ex-

si exprobrâsset illi : Philiberte Abbas, tam suaviter decreti tui es immemor ? Videte virum sanctum, qui cuticulâ bene curatâ jam orare, jam legere, jam cantare insigniter potest. Nimirum Philibertus ventrem suum *frumento ac vino stabilivit* (ut Isaacus Iacob filium) & ultrà quod faciat, nisi ut in utramque aurem dormiat rerum omnium securus? Dormi, Philiberte, Abbas sanctissime ; Nabuzardan arcem tuam invasit, cepit, occupavit.

Gen. c. 27. v. 37.

Hæ hostis exprobrationes sunt post abstinentiæ leges leviusculè violatas : quem aget satanas triumphum de ijs, qui jurati jejuniorum hostes in abstinentiæ jurâ peccant audacissimè, qui rarò sobrii, numquam jejuni, liberaliter Deo ventri sacrificant, virtutum omnium inanes?

§. III.

Hieron. ad Demetriad. Leo serm. 2. de jejunio. Chrys. to. 1. ho. 1. in 6. 1. Genes. pag. 2.

IEjunium, inquit Hieronymus, *non solùm perfecta virtus, sed cæterarum virtutum fundamentum est & sanctificatio.* Huic beatus Leo subscribens : *Semper*, ait, *virtutis cibus fuit jejunium.* Nec Chrysostomus aliter sentiens: *Jejunium*, inquit, *schola precum, animæ cibus, oris frenum. Jejunium animæ nostræ alimentum est: & sicut corporalis iste cibus impinguat corpus, ita & Jejunium animam habitiorem efficit & valentiorem. Leves ei pennas producit, ut in sublime feratur, & summa contemplari queat. Vellem ergo vos purificatâ mente, valéque deliciis & voracitati dicto, matrem omnium bonorum & pudicitiæ, aliarúmque virtutum omnium magistram, jejunium, inquam, explicitis vestræ mentis sinubus suscipere.*

Cur jejunandũ sit,

Quare jejunandum sit, complures hactenus causas percensuimus, nominatim istas :

1. Iejunium servandæ aut reparandæ valetudini, producendæ vitæ pharmacum præstantissimum, optimum.
2. Iejunium ciborum omnium condimentum.
3. Temporis, opum, nominis auctarium.
4. Exercitiorum spiritualium maximum adjumentum.
5. Pro commissis peccatis ampla satisfactio.
6. Hominum à paradiso exulantium statui convenientissimum.
7. Omnium sanctorum hominum exemplis confirmatum.
8. Extersorium carnis medicamentum.
9. Virtutum omnium incrementum. Addo.
10. Iejunium, Dei, Naturæ ac Ecclesiæ præceptũ.

Primum inde liquet. In lege priscâ præcepit Deus, statis mensibus ac diebus genium fraudarent: *Affligetis animas vestras.* In novâ lege jejunii modum doceri voluit per Filium, cujus hæc verba sunt : *Cùm jejunatis, nolite fieri sicut hypocritæ, tristes. Venient dies & auferetur ab eis sponsus, & tunc jejunabunt.*

1. Ligne ex prisc. lege: *Levit. c. 16. v. 29. Isaæ. 58. v. 3. & segq. Matth. c. 6. v. 16. Marci c. 2. v. 20. Chrysost. hom. 1. de pœnit. initio pag. 731.*

Iejunii necessitatem explicans Chrysostomus: *Propterea*, inquit, *& Deus hominem à principio faciens, illicò frenum ei jejunii manibus imposuit, veluti piæ amabilique matri & magistro optimo committens. Si in paradiso jejunium necessarium fuit, extra paradisum multò magis erit. Si ante plagam utilis medicina fuerat, multò magis post plagam. Si nec dum bello voluptatum insurgente nobis arma fuerant opportuna, multò magis post voluptatum vitiorúmque prælium à dæmonibus nobis illatum. Igitur necessaria nobis sunt à jejunio auxilia. Vidisti quomodo irascitur Deus jejunio spreto? Disce & quomodo lætatur jejunio honorato. Quemadmodum enim jejunio spreto mortem sperneuti obtulit, sic iterum eodem honorato à morte revocavit.*

Ioanni Chrysostomo hîc Petrus Chrysologus jungendus : *Videtis fratres*, inquit, *quia, quòd Quadragesimam jejunamus, non est humana inventio ; auctoritas est divina ; & est mysticum, non præsumptum ; nec est de terreno usu, sed de cælestibus secretis.*

Chrysol. ser. 1. initio pag. 34.

Alterum inde constat de naturæ præcepto. Ea quandoque carnis blandimenta, illæ dæmonis suggestiones, illa peccandi pericula urgent, ut modus vix appareat evadendi : Tunc, ajunt Theologi, naturæ lege obligamur, jejunijs, similve armaturâ resistere peccatis. De animi salute agitur, luctandum est, & cælum vi rapiendum.

2. Ex naturæ præcepto.

Tertium de præcepto Ecclesiæ nil habet dubii. Domini voces non ignoramus. *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus.* Hieronymus hîc suaviter erudiens : *Unaquæque provincia*, inquit, *abundet in suo sensu, & præcepta majorum leges Apostolicas interpretetur.* Theologorum princeps Thomas Aquinas ad quæstionem. Utrùm jejunium sit præceptum ? ita respondet : *Conveniens fuit ut humanis legibus ac divinis præcepta de jejunio, & illius observatione darentur.* Theologorum omnium effatum est. *Quadragesimalis jejunii legem omnibus nationibus omnibúsque sæculis fuisse constitutam.* Sapiamus cum priscis, sentiamus cum majoribus, cum Christo & discipulis Christi, jejunium & abstinentiam amplectamur. Tolerabilem ac brevem inediam æterna comitabitur satietas.

3. Ex præcepto Ecclesiæ. *Matth. c. 18. v. 17. Hieron. in epist. ad Lucinium circa fin. S. Thom. 2. 2. quæst. 147. art. 3. Leonardus Lessius de justitia & jure, Paulus Layman Theologus lib. 4. tract. 3. c. 2. n. 7.*

ALOE

ALOE
AMARI SED SALVBRIS SVCCI
IEIVNIVM.
LIBER SECVNDVS.
QVOMODO ET, QVO FRVCTV IEIVNANDVM.

CAPVT I.

Quos jejunii leges habeant eximios.

THALES Milesius, quod Ælianus narrat, mulum habuit, qui pæne supra mulum sapuit, sed suomet astu ab hero suo deceptus, ac punitus est. Cùm enim mulus sale onustus flumen vadaret, in flumine tamquam moli succumbens sponte cecidit, ut sale liquefacto in aquis levior exurgeret. E voto bestiæ res cecidit. Sal muli lapsu maximam partem in aquas abiit, mulus onere dempto alacer surrexit, &, qui pecudum sensus est, commodissimum sibi fore putavit, si sæpiùs in aquâ collaberetur. Advertit Thales ingenium burdonis, atque ut astus eluderetur astu, spongiis & lanâ pecudem onerari jussit. Mulus callidam heri prudentiam ignorans, & in reliquum tempus fortunam sibi jam magistram statuens, ad flumen redit, init, corruit, arbitratus omnia ut priùs successura: Cùm autem lana & spongiæ aquam combibentes nimium quantum auxissent onus, miserum pecus astutiam in detrimentum sibi versam sensit. Ab eo tempore mulus aquas ingressus modestissimè transiit, nec umquam ampliùs cecidit, & ità salem illæsum, quò agebatur, pervexit.

Ælian. l. 7. de animal. c. 42. mihi pag. 455.

Rupertus scriptor vetus: *Sal*, inquit, *condimentum peccatorum*; & quemadmodum animalibus salis petram lingentibus edendi aviditas reparatur, ita peccantibus rerum cælestium sensus per mortificationem carnis restituitur. Aroma nobile, sal pretiosus, condimentum salubre, tam corpori quàm animo jejunium. Aliquid mordacitatis & acrimoniæ habet sal iste, sed salubrerimæ. Caro quidem velut vaferrima mula hanc salis molem modis omnibus aversatur, & mille astus excogitat, ut onus hoc abjiciat. Nec sine subdolis argumentis est hæc bestia; ita queritur: Jejunium & abstinentia me solam feriunt, animus non esurit, inediam non sentit, non maciem, non pallorem contrahit; in me unam hæc mala omnia incurrunt. Et ut querula hæc burdonis astutia suos habeat colores, ita loquitur caro: Si laborare cogar, jejunare non possum; ætas, morbi, debilitas, insomnia non ferunt inediam: caput dolet, stomachus flaccescit, somnus fugit, genua franguntur, cùm jejunandum est: jejunium onus maximum.

Rupertus in c. 19. Gen.

Jejunium est aroma nobile tã corpori quàm animo.

Ita omnia tentat caro, & mille fallendi modos A comminiscitur; ægram se subinde simulat, modò jejunii necessitatem effugiat. Sed fatuum pecus non cogitat Christi minas: *Væ vobis qui saturati estis*. Effugere vultis famem? incidetis. Astutia vertetur in detrimentum. Prudens animus, velut Thales philosophus, jumentum suum erudit & hortatur: Quid agis asine? maximum tibi malum accersis; satius est modicam nunc ferre inediam, & epulari æternùm, quàm modò famem fallere, & æternùm esurire. Quò magis resistis, mule, hoc magis oneraberis. Submergis salem? spongiæ te submergent: jejunandum est, velis, nolis, jejunandum est. Elige; pauculas malis dieculas, an verò æternos esurire annos. Ita serius Thales cum suo agit jumento, & jejunium non tam suadet quàm imperat.

Luc. c. 6. v. 25.

Præstat modicum ferre inediâ, quàm æternùm esurire.

Parte primâ Libri docuimus, *Quare jejunandum sit*; B sequitur pars altera, *Quomodo sit jejunandum*. Hîc diversa veniunt disceptanda. Primum est, Quis à jejunii legibus immunis & eximius sit. De isto capite jam differendum.

§. I.

ECclesia in suos minimè rigida noverca, sed planè pia mater, non imperat jejunium, ut olim rex Ninive Manliano imperio edixit: *Homines & jumenta, juvenes, senes, lactentes & parvuli, pauperes & opulenti, sospites & ægroti non gustent quidquam, nec pascantur, & aquam non bibant*. Mitiores sunt Ecclesiæ jussiones; nam eos solùm spectant, quibus facultas & vires sunt.

Jonæ c. 3. v. 7.

Anno Christiano millesimo trecentesimo decimo, Clemente V. Pontifice summo hæresis Begardorum docuit, posse hominem ad eam perfectionem progredi, ut à noxis omnibus immunis & tutus, nec orare ampliùs nec jejunare debeat. Damnatus error à Concilio Viennensi primo.

Quamdiu mortales in orbe hoc agimus, discipuli sumus, quotidie discere, semper proficere, & numquam ab omnibus omnino peccatis liberi esse possumus. Discendum assiduè & proficiendum. Hinc optimi quique viri quò perfectiores erant, tantò contentiùs orabant, tantò severiùs jejunabant. In quo numero ponendi Ioannes Baptista, discipuli Christi, sanctissimi Episcopi, Anachoretæ plurimi, Religiosorum Ordinum auctores. Nec enim ullius hominis virtus eò in hac vitâ progreditur, ut non possit & debeat *plus ultrà*. Quod beatus Leo attestatus: *Adest maximum*, inquit, *sacratissimúmque jejunium, quod observantiam sui universis fidelibus sine exceptione denuntiat: quia nemo tam sanctus*

Leo ser. 11. de Quadrag.

ctus est, ut non sanctior; nemo tam devotus est, ut non debeat esse devotior. Prout jam olim Apocalypticus Angelus proclamavit: *Qui sanctus est, sanctificetur adhuc; & qui justus est, justificetur adhuc.* Vitæ integritas & sanctimonia neminem ab oratione atque jejunio jubet esse eximium. Verùm à Theologis alia designantur quatuor capita, quæ à legibus jejunii absolvunt. 1. Ætas. 2. Labor. 3. Infirmitas. 4. Impotentia. Paucis, singula exponimus.

Apoc. ult. v. 11.

Quatuor capita quę à legibus jejunii absolvunt.

1. Ætas.

Primo *Ætas* à jejuniorum lege liberat. Thomas Aquinas cetericque Theologi jejunii legibus non obligari eos affirmant, qui annum ætatis vigesimum primum necdum expleverint. Miremur forsan non annum vigesimum potiùs, quàm vigesimum primum locatum esse terminum. Rationem damus. Ecclesia septennium triplex attendit, infantis, adolescentis, juvenis: triplici hoc septennio plus cibi permittitur non alendo tantùm sed & augendo corpori. Sed sapienter Thomas Aquinas, & unà cum illo Theologi juvenes, cùm jejunium votivum initur, inducendos, ut quavis hebdomade bis terve jejunent. Causæ sunt. 1. Sic enim abstinentiæ assuescunt: nam anno vigesimo primo numquam aut rarissimè, mox sequenti vigesimo secundo quotidie cogit jejunare durum ac difficile.

Cur adolescentes inducendi sunt ut bis terve in hebdomade jejunẽt.

1. Causa.

Mollibus assuetus loricam ferre recusat;
Cervici teneræ ferrea casis obest.

2. Causa.

2. Parandis meritis, abstinentiæ exercendæ, præsertim cùm publica urget necessitas, uti factum Ninivę, cùm omnibus triduo jejunandum. Propheta Ioël ad sobrium luctum invitans: *Sanctificate, inquit, jejunium, vocate cœtum, congregate populum, sanctificate Ecclesiam, coadunate senes, congregate parvulos & sugentes ubera. Egrediatur sponsus de cubili suo, & sponsa de thalamo suo.* Luctus & jejunium quandoque omnibus indicendum.

Ioël c. 2. v. 15. & seqq.

3. Causa.

3. Juvenes etiam jejunent mulo frenando, carni edomandæ, quæ tunc petulantissima est, cùm fervet & bullit sanguis. Hìc vociferandum: Subtrahe avenam equo, aut excutiet sessorem. Hìc Theologorum monitu, natura jubet hunc hostem jejuniis exarmare. Hieronymus juventuti cavens hæc scripsit: *Non ignes Ætnæ, non & Vulcania tellus, non Olympus tantis ardoribus æstuat, ut juveniles medullæ vino plenæ, & dapibus inflammatæ.* Hìc juventutis rectores vigilent. Sicut autem infantes, adolescentes, juvenes, à jejunii legibus immunes sunt, ita & senes. At est difficile certum senectutis exordium designare. Sunt qui ante annum quinquagesimum senescant. Conveniunt ferè Theologi, sexagennarios senes jejunii lege non obstringi, nisi constet ejus ætatis hominem esse tam vegetum; ut illum abstinentia non frangat. *Ætas* itaque cùm juventæ, tum senectæ, jejunii leges temperat.

Hieron. ad Furiam viduam.

Exordium senectutis Theologis sexagenarius annus est.

§. II.

2. Labor.

ALterum, *Labor*. Hinc mechanici opifices, qui manuariis sese laboribus sunt, uti sunt agricolæ, lignarii & ferrarii fabri, sutores, & his similes, seu famuli, seu ancillæ, quos gravis fatigat labor, à dictis legibus excepti sunt. Inter hos numerandi non sunt pictores, tonsores, scribæ, sartores, statuarii, buccularii nisi cùm truncos bipennibus exscindunt & aptant sculpturæ. In laboraptium censu sunt, qui iter pedibus conficiunt, qui equo vehunt, si tamen illud sit necessarium: nam iter suscipere peregrinationis aut negotiorum causâ, quæ facilè & sine incommodo differri possunt, in legis esurialis fraudem fit. Sub mortem purpuratus pater optimè dixit: Non oportet abarrhare Deum. In rebus omnibus cum Deo agendum exclusâ omni vafritie ac sine dolo aut fuco. Deinde ab abstinentiæ decretis liberant operosiores illæ pietatis actiones, in templis concionari, docere in scholis, ad ægros & nosocomia discurrere. Quamvis in nostrâ Societate hi tituli cibos nulli porrigant; nam septuagenarii & octogenarii viri, illi etiam qui in scholis aut templis docent, jejunant; nisi aliud interveniat, infirmitas corporis aut templi vastitas, quam nemo expleat nisi pridie cenatus. Sed ut luculentum sit, Ecclesiæ leges minimè rigidas esse, hoc etiam addo. Sit aliquis qui manu feriante solo ingenio labores suos conficiat, dicátque: Non cenare, & tamen studia tractare non possum: vacuum est caput & vertiginosum, nec litteris aptum post pridianam inediam; Nullus sum, cùm penitus jejunus sum. Huic ego bonâ pace dixerim: Mi domine, si aliter officio tuo fungi non potsis nisi pransus, cenatus, comede. Non exigit Deus jejunium, quod nostrum impedit officium. Sed hìc, quod gnaviter observemus, bonâ fide agendum. Medicus & conscientiæ judex secundùm allegata probata judicant: Deo mentiris, teipsum fallis, si illos decipis. Hoc scito, mulum tuum, carnem tuam esse astutissimam, nec illi umquam deesse, quod caussetur. Tu ergo muli dominus cum Thalete sapies, nec facilè credas fingenti. Errabis centies, errabis millies, si carnem indulgentiùs tractâris.

Et in scholiis sacræ majora.

Sutoribus Toletus nimis rigidus est.

Subinde etiam curru vehentes.

Robertus Bellarminus.

§. III.

TErtium, quod à jejunii legibus absolvit, est *Infirmitas*. Ægroti aut admodum debiles refectione unâ non multum cibi possunt ingerere, aut cum grandi nocumento. Ita crebriori egent refocillatione, quod proprium est ægrotorum. In tribum hanc referuntur prægnantes, puerperæ, nutrices, convalescentes. Sed est femina toro juncta, fractis viribus, cujus valetudini maritus metuit, nec jejunare permittit: quid faciat? securè comedat. Quòd si vir improbus & à religione alienus, in contemptum Ecclesiæ jubeat cenare; uxor potiùs mori eligat, quàm ut istud faciat. Tanti est dissentanea rationi caussa vel consentanea.

3. Infirmitas.

Itaque vel valde debiles, vel reipsâ ægrotantes, à jejuniis sunt immunes. Sed hìc, quod sæpius monendi sumus, bonâ fide agendum. Nam vel liquet de morbo aut debilitate, vel dubium est. Si primum, res controversiam non habet. Sin alterum, viri prudentis judicium exquirendum est. Nec enim quivis catarrhus aut distillatio jejunium tollit; catarrhi salsi modico sed crebriore cibo videntur indigere: ceteris nil salubrius jejunio & abstinentiâ. E medico Lyceo longè verissima est præceptio sæpiùs inculcanda.

Esurias, sitias, vigiles, sic rheumata cures.

Hoc genus dæmoniorum & catarrhorum non ejicitur, nisi per jejunium.

Quartum, *Impotentia*. In hac classe sunt homines infortunæ tenuis, mendici, pauperes, qui victum præparcum aut vagum habent, offam & olus in cenam & prandium. Ergo etiam cenent. Bis adeò parcè comesse, minùs gratum est carni, quàm semel jejunare. Dixi, *Impotentia*. Contingit sæpiusculè, ut quis tale subeat hospitium, quod diversitori bene nummato vix par ovorum possit apponere. Hoc locorum hospes non pauper est, sed nihil eduliorum comparare potest, nec parato quidem pretio. Ergo cenet, qui tam modicè pransus est.

4. Impotentia.

Itaque à jejuniorum legibus absolvunt Ætas, Labor, Infirmitas, Impotentia. Hìc autem serio examine opus est. Nec enim quodvis senium, aut quivis labor, aut quævis infirmitas, vel impotentia jejunandi necessitatem tollit. Gravis labor, ætas & infirmitas grandis de die plus simplici vice refici permittunt. Aliis omnibus sobrium illud occinitur: *Jejunandum est*. Sed neminem hoc terreat, nulli vox mœsta videatur abstinentiæ: Beati qui nunc esuritis. Et Augustinus insignissimè nos animans ad jejunium animosissimè incundum: *Non vobis ergo*, inquit, *videatur levis res aut superflua*

Augustinus de util. jejun. cap. 12.

superstua, ne quisquam forte hoc faciens Ecclesiæ consuetudine, cogitet apud se, & dicat sibiipsi, ut suggerentem intrinsecùs audiat tentatorem: Quid facis, quia jejunas? defraudas animam tuam, non ei das, quod eam delectat, tibiipsi ingeris pœnam, tuus ipse tortor & cruciator existis. Deo ergo places, quia te crucias? Ergo crudelis est, qui delectatur pœnis tuis. Respondè hujusmodi tentatori: Excrucio me planè, ut ille parcat: do de me pœnas, ut ille subveniat, ut placeam oculis ejus, ut delectem suavitatem eius. Nam & victima excruciatur, ut in aram imponatur. Minùs premet mentem meam caro mea. Et tali dissuasori malo servo ventris respondе per hanc similitudinem, & dic: Si jumento forte insideres, si æquo utereris, qui te gestiendo posset præcipitare, nonne ut securus iter ageres, cibaria ferocienti subtraheres, & fame domares, quem freno non posses? Caro mea jumentum meum est: iter ago in Hierusalem, plerumque me rapit, & de viâ conatur excludere: Via autem mea Christus est. Ita exultantem non cohibebo jejunio? Si quis hoc sapit: etiam ipso experimento probat, quàm utiliter jejunetur.

Incitare: alia lectio.

CAPVT II.

Quo fine jejunandum.

VOLVIT olim Deus, ut plebs Hebræa tubis uteretur, non in progressu solùm adversus hostem, sed etiam diebus festis ad solenniores epulas & tripudia festiviora: *Si exieritis ad bellum*, inquit, *de terrâ vestrâ contra hostes qui dimicant adversum vos, clangetis ululantibus tubis, & erit recordatio vestri coram Domino Deo vestro, ut eruamini de manibus inimicorum vestrorum. Si quando habebitis epulum, & dies festos, & calendas, canetis tubis super holocaustis & pacificis victimis, ut sint vobis in recordationem Dei vestri.* Cur, quæso, Deus tam tempore belli, quàm pacis & epuli vult canere tubas? Hoc genus musicæ præliis est aptius quàm triclinijs & mensis. Martius cantus, & conviviorum odæ nimis sunt dispares.

Num. c. 10. v. 9. & seq.

Imò verò non sunt: nam cùm ad mensam, ad convivium, ad epulum itur, certamen nobis & pugna indicitur adversus Gulam & Intemperantiam, perinde si moneamur his verbis: Tuum hîc hostem invenies certò; vide virum te geras, dimices, vincas. Gulæ impera, substringe appetentiam, & vicisti. Ad hoc genus prælii quotidie bis tendimus: quot autem & quanti quotidie hîc sauciantur, vincuntur, jugulantur, sternuntur, sub mensas corruunt, in hoc bello miserè perempti! Quâ de re Ambrosius eruditè: *Cùm Iudæorum*, inquit, *cella vinaria esset petra, cùm pellucidum Creticum aqua, cùm penu opulentum depluens manna, uniformi cibo utebantur, nemo illorum ægrotabat, fortissimas gentes debellabant: Vbi vesci carnibus, simul etiam catervatim mori cœperunt, adeò ut è tot centenis millibus duo tantummodò viri in terras uberes pervenerint.* Ieiuniis & abstinentiâ hostes tartareos vincimus, corporis & animi valetudinem servamus. Quinam autem à jejuniorum legibus sint eximii, capite superiori diximus. Nunc progredimur, & Quomodo jejunandum sit explicamus. Primum omnium, quod abstinentiam Deo gratam facit, est Bona Intentio. De quâ hoc capite agemus.

§. I.

1. Ieiunii caput: Recta intentio in jejunio est requisita.

QVod in omni virtute locum principem tenet, id etiam in abstinentiâ primum sit, Finis bonus, seu, recta Intentio. Hæc docet abstinere ac jejunare, non ut oculis hominum, sed ut divinis placeamus; obedientiam Ecclesiæ debitam, copiosiorem animi salutem, auctius cæli præmium, majorem Dei gloriam spectemus. Varia prorsus & valde diversa jejunantium est Intentio. Placuit Theologis hanc Intentionis varietatem metro, licet minùs eleganti, comprehendere:

Varietates intentionum in jejunio.

Abstinet æger, egens, cupidus, gula, simia, virtus.

Hoc versu Intentiones complectimur, quæ aut malæ & jejunio adversæ, aut certè tales, quæ virtuti abstinentiæ non sunt congruæ. Explico succinctè singulas.

1. *Abstinet æger.* Soli tuendæ aut recuperandæ valetudini. Licitum hoc & laudabile. Sed ideo tantùm abstinere cibo, ut sanus sis, non est jejunium, sed Temperantiæ pars & ornamentum. Ad imperata tamen jejunia hæc intentio quantumvis bona non sufficit, si sit sola. Sed absit hîc inerudita conscientiæ metus, modò Intentio recta non studio excludatur. Exempli gratiâ: Apostoli Matthæi pervigilio rudimenta morbi sentiens ita statuo: Hac nocte nil cibi & potûs libabo ad morbum avertendum, aliàs certè cenaturus. Hac ratione non jejuno: Nam intentionem rectam excludo. Sed lariùs. Pervigilio Matthæi Apostoli ita ego mecum ratiocinor: Pejùs me valere sentio, igitur hodie non cenabo. Nec incommodè; nam & jejunii vesper est. Ita fidelià unâ parietes duos dealbo: valetudini attendo, & quia etiam aliàs jejunassem, legibus non contradico.

1. Abstinet æger.

2. *Abstinet egens.* Sed huic inediam persuadet inopia; quod edat, non habet, aliàs liberaliter cenaturus. Sed & hic homo facillimè juvari potest, modò Intentionem aliquantulum emendet, dicátque: Paupertas quidem vacuam mihi mensam apponit, sed etsi opulentus essem, hoc tamen esuriali vespere non cenarem. Optimè prorsus, optimè. Nam ita commendat jejunium patientia. Felix necessitas, quæ compellit ad meliora. Tanti est Intentio recta. Intentio facit omnia.

2. Egens.

3. *Abstinet cupidus*, ob tenacitatem & avaritiam, ut pauculis sestertiis aut vini sextario compareat, famem sitimque re suâ fraudat. Hîc cum Æsopicâ vulpe pronuntiem: O pulchrum caput, si cerebro non careret! ó bonum jejunium, si recta intentio non deesset! Sunt qui ære alieno ita se involvant, ut ab aliquo mutuum accipiant, ut alteri, qui mutuum concessit, reddant. Vestem novam lacerant, ut laceratam sarciant. Hoc quidem est versuram facere. Ita jejunium intentionis bonæ, ac sincerum, vitia & diabolum arcet; jejunium ex avaritiâ susceptum vitiis & diabolo risum movet. Ergo abstinet æger, egens, cupidus. Sed eorum abstinentia non proinde semper laudanda.

3. Abstinet cupidus.

§ II.

4. *Abstinet gula.* Monstrum. Est qui parcissimè cenet, quid ita quæso, ceteroqui non passerculus edendo? En causam: Crastinæ diei lautissimum sperat prandium: ideo differt famem. Sed excusemus istud, si apud se ita statuat: Crastina indicti convivii hilaritas, sat scio, cibum potúmque largiorem ingeret, pluisculum ultrà quàm soleam admissurus sum Bromii; igitur hodie tantò abstinentior ero. Non absurdè hoc aut malè. Sed illud infame ac turpe certæ nationi (parco nomini) in quâ reperias, qui biduum triduúmve comedant parcissimè, ut in proximo convivio epularum vinique quamplurimum capiant pransuri de alieno. Hîc verè abstinet Gula, quæ tantò modestiùs edit, ut tantò voret effusiùs. O ridiculi, & ó fatui mortales, cenam magnam æternam in cælo exspectamus, hodiernâ vel crastinâ illam adituri sumus, cur ergo famem non etiam differimus? Quid septuaginta vel octoginta vitæ anni sunt? breve prandiolum. Post hoc cena sequitur longa, cena magna, cena æterna. At nos plerumque in ponendo vitæ calculo erramus: dies numeramus & annos prolixâ spe. Hic noster calculus est: Annus primus, annus secundus, annus tertius, vicesimus, quadragesimus, septuagesimus annus. Amplum, ut putamus, vitæ spatium, longa series annorum. O infantes boni! quid obsecro longum est, quod æternum non est? Omnis vita nostra

4. Abstinet gula.

stra lineæ simillima. In lineâ etiam minimâ & vix visibili, infinita tamen sunt puncta, ut Matheſis docet, & ipsa linea puncto clauditur. Punctum, ens pænè nullum, punctorum numerus maximo major: ita vita nostra quantumvis multos annos numeret, demum punctulo finitur, & totum hoc prolixum, ut videbatur, spatium, in unicum confluit horæ minutum, in punctulum unicum. Quid grandes difflamus spiritus, & cenas anhelamus Saliares, Pontificias? Omnis vita prandiolum est brevissimum: consequitur, sed magna, sed numquam finienda. Pergo:

1. Abstinet simia. *Matth. c. 6. v. 16.*

1. *Abstinet simia*, hoc est, Vana gloria. Hanc jejunii labem Christus præ omnibus exterminans: *Cùm jejunatis*, inquit, *nolite fieri sicut hypocritæ*. Cavete, ne oculos humanos ad vestram esurialem mensulam trahatis, ut inde vos suspiciant & laudent. Cavete hanc abstinentiæ, omniúmque virtutum pestem. Abstinet simia, & famem patitur hypocrita, ne putetur minùs aliis religiosus. Apage hanc simiæ abstinentiam, vitiosa, mutila, nulla est. Megæræ ac Cerbero jejunat, qui jejunat Vanæ gloriæ. Cur Christus, obsecro, jejunavit in deserto? Ieiunium tam cautum non Servatori, sed nostræ institutioni erat necessarium; quasi diceret Christus: Si fieri potest, solitudo jejunium vestrum arbitretur. Non opus hîc spectatoribus, non opus arbitris humanis oculis. Videant Angeli, videat Deus; satis est, abundè satis. Deus immensus est oculus, qui cùm videt jejunantem, plus est quàm si eum centum millia oculorum videant, decies centena millia linguarum laudent. Animæ vox est fidelissimæ: *Dilectus meus mihi, & ego illi*. Ego Deum respicio, & Deus me; ita optimè res utrimque geritur. Nec tamen opus est, cùm jejunamus, humanos oculos ita fugere, ut illos veluti Medusæ clypeum horreamus. Videant illi nos jejunantes, sed glorificent, non nos, sed patrem nostrum qui in cælis est. Ita simia nihil nobis negotii faceſſet.

Ieiunium Christi in deserto nostræ institutioni fuit necessarium.

Cant. c. 2. v. 16.

§. III.

REs gestæ priscorum Patrum memorant senem religiosum in eremo interrogatum à juvene: Qui fit, mi Pater, jejunia in cœnobio mihi tam facilia visa, nunc porrò difficillima, intolerabilia videri? Senex humanæ vanitatis non ignarus, & quàm potens esset inanis gloria: Fili, ait, cùm putares te jejunare, revera non jejunabas; nam occultè pastus es. Nullo modo, ait, juvenis; & quæso ne istud, Pater, de me cogites. Cui senex iterum: Vana gloria, inquit, pabulum occultum, suave, sed fallacissimum & letale: hoc tumidum facit, non sanctum; & isto tu quidem pastus es, cùm in cœnobio ageres. Spectatores habuisti, & ideo facilè jejunâsti. Cùm deest jejunanti spectator, deficit & jejunandi studium. Abstinentia simiæ maligna, nullius pretii, noxia est.

Alii aliter hoc narrant: Coctos Gregorio panes hordaceos, sed crustâ triticeâ obductos. Gregorius Turonensis de hoc viro plurima.

Ideo Gregorius Lingonensis Antistes, qui carne pejùs & angue simiam hanc oderat, hordaceum quidem panem solitus est edere, ad gulam affligendam; ne tamen ea res applausum haberet & laudem, tamquam in seipsum sanctè rigidus sit, panes sibi triticeos, egenis hordeaceos pinsi jussit; sed eâ partitionis industriâ est usus, ut in pauperes quidem dividerentur tritícei, sibi autem hordeacei remanerent. Cujus arcani solus pistor fuit conscius. Hic idem Præsul, ut simiam enecaret, aquæ, quam semper biberat, non plus vini affundere consuevit, quàm ut ea colorem quidem referret, ceteroqui nihil haberet vini, potus ingratissimus. Obiit vir iste sanctissimus nonagenarius, anno Christiano quingentesimo trigesimo, trigintatrium annorum Episcopus. Huic virtutis supparem adstituo memoriæ recentis, & nostri ævi præsulem.

Olim Dei spiritus in

Ioannes Godefridus Bambergensis & Würzburgensis Antistes, qui anno millesimo sexcentesimo vigesimo secundo in Electorum comitiis Ratisbonæ obiit, simiam illam insigniter triumphare noverat. Ante Christi natalem toto Adventûs sacri tempore carnibus abstinuit. Quadragesimâ totâ non solùm carne, sed & pisce, omnique alio animante mensæ suæ interdixit, solis cicere, rapis, olere contentissimus. A primâ pueritiâ omni Veneris & Sabbati die in Christi patientis & Virginis puerperæ honorem je unavit. Sæpius in anno totis diebus extra panem & aquam nil penitus libavit: jam ipsi in legem erat diem sanctum Paraſcéves buccellâ panis & aquæ haustulo traducere. Atque hæc fecit, quantùm licuit, sine arbitris. In Divorum pervigiliis tam tectâ sanctimoniâ jejunavit, ut mensam more solito accumberet tamquam cenaturus, hilaris ac lætus cum assidentibus colloqueretur, partes à carpo acciperet, eas tamen subitò cùm minùs observaretur, famulo adstanti redderet, & ita lautè ac splendidè esuriebat, quod nemo facilè nisi attentissimus notabat. Hinc Godefridus cassitatis miraculum, homines libidinosos, ut ipsum cacodæmonem odit ac fugit. Sed istud hîc non peragimus. Huc pertinet illustre artificium, quo tantus princeps Gulam simul & Simiam insignissimè ludificavit, sobrius simul & modestus. Videri voluit, sed à solo Deo. Divinus illi oculus pro mortalium omnium oculis fuit. Hæc ego è duplici publicáque funebri oratione recito.

Vide Nicetam in vita eius c. 4. n. 4.

Ergo abstinet æger, egens, cupidus, gulâ, simiâ. Quæ pleraque omnis malæ notæ abstinentia est. Sed abstinet demum & *virtus*, quæ sancto fine, bonâ rectâque intentione init jejunium, dicitque: *Omnia ad majorem Dei gloriam*: ergo etiam & istud. In quem finem sæpius cogitandum illud Augustini: *Nullus sine jejunio vicit diabolum*. Quod Petrus Chrysologus confirmans: *Scimus*, inquit, *jejunium esse Dei arcem, Christi castra, murum spiritus, vexillum fidei, castitatis signum, sanctitatis trophæum. Hoc Adam servavit in paradiso, quem inde detraxit gula. Hoc in arcâ custodivit Noë, mundum ebrietas cum demersit. Per hoc Loth Sodomiticum restinxit incendium, qui per ebrietatem incesti est adustus incendio. Hoc Moses divini fervoris fecit lumine perlucere, quando comessatio & ebrietas Israëliticum populum simulacrorum tenebravit erroribus. Hoc Eliam pervexit ad cælum, quando Achab impium ebrietas ad inferna dejecit. Hoc Ioannem in natæ mulierum fecit esse majorem, quando temulentia Herodem principem imperio mulierum reddidit homicidam.* Cacodæmonem vincere recusat, qui jejunium instituere detrectat.

Chrysol. c. 12. mut. pag. 37.

Humanæ gentis vitium Curiositas tam potenter quæ vult persuadet, ut homo curiosior ad hominem aut insigniter charum, aut singulariter celebrem videndum, mira facere vel pati paratus sit. Si quis Apostolos, Christi discipulos, præcipuè Petrum & Paulum, si quatuor Latinos, & Græcos quatuor Ecclesiæ Doctores, si omnes ordine Pontifices, si Romanos Cæsares omnes, quales vixerunt, tales intueri coràm posset, mense aut anno etiam uno non ægrè jejunaret. Vt Deum videamus, in quo homines universos visuri sumus, quid facimus? Beati, qui nunc esuritis, quia saturabimini, æternitatis spectaculo amœnissimo, infinito.

CAPVT III.

Quomodo reipsâ jejunium incundum.

SAPIENS Hebræus Siracides inter rudimenta vitæ humanæ panem & aquam numerans: *Initium*, inquit, *necessariæ rei vitæ hominum aqua, ignis, & ferrum, sal, lac, & panis*, &c. A jejunio humana vita incipit, & in eo desinit: panis & aqua jejunantium mensa. Omnes quidem animantes suum sibi pabulum habent, bos

Eccles. 39. v. 26. Vita humana incepit à jejunio.

fœnum

fœnum, equus avenam, canis ossa, aranea venenum: homo quia dominium magnam partem in animantes perdidit, imò quia se animantibus immiscuit, illis factus similis, pane & aquâ contentus sit; elementa sublimiora aër & ignis illum non alent; ad inferiora tendat, terra panem dabit, aqua in potum erit. Ita facillimus hominis victus, panis & aqua. Primum prandium, lac maternum. Ab hoc transitur ad alia. Tenue initium & jejunio simillimum. Cœpimus dicere, *Quomodo jejunandum sit*. Præcipuam jejunii partem esse diximus intentionem rectam. Nunc porrò plures jejunii partes assignamus, & quomodo reipsâ & *practicè* sit jejunandum exponimus.

§. I.

1 Iejunii caput: Vna diei refectio.

ALterum ergo jejunii caput est, *Refectio unius diei una, cibis certi generis exclusis*. Jejunii diesante omnia excludit carnes, & quod carnibus adeò affine, pecudum intestina, ovium pedes & exta, vitulorum capita, omnis generis altilia, & quidquid in carnis censum venit. Lutra, sicut & Castoris, seu Pontici canis cauda, quæ apud multos in deliciis est, à Carthusianis eduntur: nam in piscium tribum referuntur. Sunt anates in Belgio, quæ sanguine constant & ossibus, sed quia sanguinis sunt frigidi, in cadem cum piscibus familiâ censentur, nec esurialibus feriis excluduntur mensis.

Quæras: Lac, ova, caseus, num permissa jejuniosis diebus? Ajo primò: Certum, hæc olim fuisse vetita; nam carni valde sunt affinia. Deinde in religiosis familiis, præsertim caseus & ova, nisi ægris, non permissa. Tertiò, hæc eadem alibi in Galliæ, Hispaniæ, Poloniæ, Italiæ partibus, jejunantium mensis excluduntur. Quid in Germaniâ, inquis, faciendum? Consuetudo potissimùm sequenda, quæ ejuniorum in pluribus est norma. Nam quemadmodum Hispani non religiosè faciunt, qui reclamante consuetudine ova comedunt; ita Germani non delinquunt, qui in comedendis ovis consuetudini consentiunt. Ita luculenter Augustinus ad Casulanum presbyterum: *Si de hac re*, inquit, *sententiam meam quæris, ego in Evangelicis & Apostolicis litteris, totóque instrumento, quod appellatur testamentum novum, animo id revolvens, video præceptum esse jejunium. Verumtamen in hujus sabbati jejunio, nihil mihi videtur tutius pacatiúsque custodità eorum, inter quos vivimus, in his rebus inoffensâ societate.* Et ad Ianuarium. *Quæ*, inquit, *non sunt contra fidem & bonos mores, & habent exhortationem vitæ melioris, non improbemus, sed laudando & imitando sectemur.* Ergo secundum jejunii caput est, *Vna diei refectio*.

August. to. 2. epist. 86. ad Casul. presb. Epist. 119. ad Ianuar. c. 18. nam hæc epistola pars liber est.

3 Iejunium aliquantuli est sentiendum.

Tertium: *Iejunium aliquantulum est sentiendum*. Sicut jejunantis scopus est animi salus, & Dei honor; ita jejunii finis est sentiri: stomachus, caput, totum corpus inediæ aliquid & famis perferat: & quid refert, si somno paullulum decedat? Ridiculum prorsus est velle corpus castigare, nolle tamen ut quidquam castigationis sentiat. Hoc quidem verum, cùm jejunium sit remedium, mens Ecclesiæ non est, ut hoc remedio notabile inferatur damnum valetudini. Nihilominus sicut pharmacum non solet esse suave, sed salubre, nec sine intemperiis & tumultu adjuvat: qui amarorem aut morsum medicamenti respuit, sanitatem fugit; ita sanè qui jejunium odit, remedium despicit: neque conveniunt hæc duo, velle jejunare, sed jejunii molestiam sentire non velle. Ambrosius non sine acri stimulo interrogans: *Quomodo*, inquit, *videtur jejunare, qui non esurit? quomodo videtur jejunare, qui non sitit?* Videte mihi hominem, qui vult esse cocus, sed ad ignem stare nequaquam sustinet. Videte mihi molitorem, qui farinæ pulveribus inspergi refugit. Et qualis ille coriarius est, qui in madido laborare recusat? qualis nauta, qui aquas & ventos execratur? qualis agricola, qui æstum & gelu non fert? qualis mercator, qui nihil nisi præsente vendit monetâ? & quis ille plastes ac fictor ceræ, qui ut vicinas ferat prunas induci non potest? Eodem prorsus modo omnis jejunator ille, qui sentire inediam detractat? Aliter profectò rex Hebræus, qui de seipso: *Genua mea*, inquit, *infirmata sunt à jejunio, & caro mea immutata est propter oleum*. Ita jejuno, ut sentiam me jejunare, ita vigilo, ut plus olei ad precationes nocturnas quàm ad epulationes cōsumam? Ita caro mea jejuniis & vigiliis exhausta est, ut omne oleum vultûs, omnémque succulentam pinguedinem amiserim; pallent vacuæ pendulæque genæ, oculorum orbes mœrent, flos oris exaruit: immutata est caro mea.

Psal. 108. *v.* 24.

§. II.

CHristus ipse jejunium sentire voluit. Nam *cùm jejunasset quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, postea esuriit*. Potuisset equidem Servator tam ultimo, quàm tertio, quàm septimo, quàm vicesimo die famem non sentire, sed voluit, quod jejunii proprium est, esurire.

Matt. c. 4. v. 2.

Hæc Domini exempla doceant, non facilè, nec sine gravi causâ remissionem legis (dispensationem vocant) petere. Sunt qui exceptionem à lege non tam sine gravi causâ petant quàm extorqueant frigidi Christiani. In quos illud usurpes Psaltæ: *In labore hominum non sunt, & cum hominibus non flagellabuntur: Ideo operti sunt iniquitate.* Iejunium quasi tributum, aut opus clientelæ quod omnes spectat. Ideo Bernardus: *Peccare volunt cū hominibus*, ait, *sed non flagellari cum hominibus. Vnde timendum quòd flagellentur cum dæmonibus.* Nos toto pæne anno jucūdi sumus sodales in peccatis, cur non etiam in pœnitentiis? *Secutus es errantē*, inquit Ambrosius, *sequere & pœnitentē*. Qui non flagellātur in vitâ, flagellabuntur in gehennâ.

Dispēsatio jejunii nō cant petere. *Psal.* 72 *v.* 5. *Iurisconsul. Angariorū exhibitio. Bernar. ser. ad Pastores in Synodo, mihi pag.* 1762.

Dispensationem ergo petiturus (quod in rebus etiam aliis observetur) coram Christo judice semper constituat, & cum conscientiâ suâ sollicitè deliberet, num causa æqua & justa, num necessitas compellat exceptionem legis poscere. Si sic agat, bonâ fide ager. Sin autem ejuscemodi deliberatio non præmittatur, conscientiam parum juvabit posse dicere, Tam medicus quàm confessarius à jejunio me liberum pronuntiārunt. Hoc sæpè fucus est & futilis prætextus socordiæ nimis delicatæ tegendæ. Hi ambo judices prout diserta est narrantis querimonia, ita judicant. Si ea vera est, fiat quod petitur. Sin aliter, non medicus, non confessarius erravit, sed qui querimoniam falsam texuit. Vt scias, mi Christiane, Christus judex supremi judicii die, non secundùm opinionem tuam, sed secundùm veritatem suam judicabit. Tres illi cælestis epuli contemptores; cùm ad nuptias invitarentur, excusatione caluâ sic usi sunt. Primus: *Villam*, inquit, *emi, & necesse habeo exire, & videre illam; rogo te, habe me excusatum.* Alter: *Iuga boum emi quinque, & necesse habeo probare illa; rogo te, habe me excusatum.* Tertius: *Vxorem duxi*, ait, *& ideo non possum venire.* Pulchra, sed invalida excusatio. Viri boni necessitatem, quæ non erat, caussabantur. Res igitur cautè ponderandæ; fucatæ rationes lege neminem solvunt.

Cum conscientiâ deliberandum est an caussa sit æqua.

Luc. c. 14. v. 18. & seq.

§. III.

QVartum: *Iejunii die prandium non nimis lautum est sumendum*. Mellifluus Bernardus ævi sui abusus deplorans: *Interim*, inquit, *fercula ferculis apponuntur, & pro solis carnibus, à quibus abstinetur, grandia piscium corpora duplicantur. Cúmque prioribus fueris satiatus, si secundos attigeris, videberis tibi necdum gustasse pisces. Tantâ quippe accuratione & arte coquorum cuncta apparantur, quatenus quatuor aut quinque ferculis devoratis, prima non impediant novissima, nec satietas minuat appetitum. Palatum quippe dum novellis seducitur condimentis, paullatim dissuescit cognita, & ad succos*

4 Iejunii die prandium non nimis lautū sumendum. *Bern. Apol. ad Guil. Abb. mihi pag.* 1288.

ad succos extraneos veluti adhuc jejunum, avidè renovatur in desideria. Venter quidem dum nescit oneratur, sed varietas tollit fastidium. Quia enim puras (ut eas natura creavit) epulas fastidimus, dum aliæ aliis multifariè permiscentur, & spretis naturalibus, quos Deus indidit rebus, quibusdam adulterinis gula provocatur saporibus: transitur nimirum meta necessitatis, sed necdum delectatio superatur. Quis enim dicere sufficit, quot modis (ut cetera taceam) sola ova versantur & vexantur: quanto studio evertuntur, subvertuntur, liquantur, durantur, diminuuntur, & nunc quidem frixa, nunc assa, nunc farta, nunc mixtim, nunc sigillatim apponuntur? Ut quid autem hæc omnia, nisi ut soli fastidio consulatur? Ipsa deinde qualitas rerum talis deforis apparere curatur, ut non minùs aspectus, quàm gustus delectetur: & cùm jam stomachus crebris ructibus repletum se indicet, necdum tamen curiositas satiatur. Sed dum oculi coloribus, palatum saporibus illiciuntur, infelix stomachus, cui nec colores lucent, nec sapores demulcent, dum omnia suspicere cogitur, oppressus magis obruitur quàm reficitur.

Hîc Bernardus non decorum statûs, sed prandiorum lautitiam objurgat. Refectio sit una, sed non nimis lauta, non nimis copiosa. Nam qui in uno prandio tantùm vorant, quantum tribus Vitellis sufficerit, præcepto forsan satisfaciunt, quia semel tantùm edunt, sed præcepti finem neutiquam attingunt, quia jejunium planè non sentiunt. Augustinus hîc utilissimè monens: *Hæc*, inquit, *si facimus, fratres, inde nobis parare possumus medicamenta, unde nobis vulnera feceramus. Antè omnia in diebus jejuniorum quod solebamus prandere, pauperibus erogemus, ne fortè aliquas sibi sumptuosas cenas, & exquisitis saporibus epulas studeat præparare, & corpori suo magis commutasse quàm subtraxisse ciborum abundantiam videatur. Nihil prodest totâ die longum duxisse jejunium, si posteà ciborum suavitate vel nimietate anima obruatur. Illico mens repleta torpescit, & irrigata corporis nostri terra spinas libidinum germinabit. Sit ergo temperatus cibus, & numquam nimium venter repletus: & plus semper de cibo cordis, quàm de cibo corporis cogitemus.*

Aug. to. 10. ser. 2. feriâ quartâ in capite jejunii, ser. 65. in ordine, de Tempore, mihi pag. 252

§. IV.

QVid porrò de iis dicemus, qui ut jejunium minùs sentiant, ad horam diei nonam decimámve dormiunt: dum verò vestiunt, dum moliuntur, dum comunt, mensa vocat. O jejunatores strenui! Deus non irridetur, non fallitur, Deus non est abarrhandus, ut dictum. Rex David sincerissimè hoc agens, *Deprecatus est Dominum pro parvulo & jejunavit jejunio, & ingressus seorsum jacuit super terram.* Sunt qui jejunantes non jejunant, sicut qui videntes non vident, audientes non audiunt: illorum jejunium Pascha foret aliorum lautissimum. Idcirco die quo jejunandum, memores simus, cùm prandemus, diem esse esurialem, qui cenam nullam, prandium habeat moderatum. Athanasius hoc illucidè affirmans: *Non solum*, inquit, *raritas cibi sumendi jejunium est, sed & paucitas; neque in hoc sita est religionis exercitatio, ut duo sint convivæ, sed ne varia comedant.* Ergo prandium moderare, cenam omitte. Eminentissimus Cardinalis Robertus Bellarminus oblivioſam aut occlusam aurem hîc convellens: *Quid nobis*, inquit, *Ecclesia mandat? jejunia Quadragesimæ, Quatuor temporum, & Vigiliarum. Ista si suscipiantur, ut oportet, non sine patientiâ perfici possunt. Nam si quis velit in diebus jejuniorum exquirere delicatas epulas; & in cenâ unâ sive prandio uno tantum cibi sumere, quantum in prandio simul & cenâ capere solitus erat; & horam anticipare, & posteà sub vesperum cenulam sumere tam copiosam, ut cena dici possit; iste certè non facilè esuriet, neque sitiet, neque patientiâ opus habebit: sed si seriò statuat, non anticipare horam, nisi morbus aut alia necessitas cogat: vulgares & viles epulas pœnitentiæ agendæ accommodatas sumere, & quidem in eâ mensurâ, quæ refectionem unam, eámque ordinariam non excedat; & quod in aliâ refectione sumeretur, si dies jejunii non esset, dare pauperibus: ut sit, juxta beatum Leonem,* refectio pauperis, abstinentia jejunantis, atque, *quod idem monet alibi,* esuriamus paullulùm, & aliquantulum, quod juvandis possit prodesse pauperibus, nostræ consuetudini subtrahamus: *& denique sub noctem cenula, quæ sumi à multis solet, verè sit cenula: tum sine dubio patientia necessaria erit ad esuriem & sitim tolerandam; & sic jejunando Christi patientiam utcumque saltem imitabimur.*

Athanas. serm. 66.

Bellarm. de 7. verbis Christi crucifixi l. 2. c. 10. mihi pag. 183.

S. Leo ser. 11. de jejunio decimi mensis.

Idem S. Leo ser. 9. de jejunio mensis septimi.

§. V.

QVintùm: *Tempus prandii seu cenæ non prævenendum.* Patere, mi Lector, nos etiam minuta hîc prosequi. Esuriali die prandium more veteri Ecclesiæ *Cena* dicitur. Ita sub meridiem preces sunt: Ad cenam vitæ æternæ perducat nos Rex æternæ gloriæ. Nam olim refectionis hora die jejunii fuit vespera, quâ Dominus IESVS è cruce receptus, in tumulo compositus est. Hinc cena fuit prandio penitus omisso. Priscum hunc Ecclesiæ morem Augustinus *usquequaque usitatissimum* affirmat. A cenâ hac vespertinâ transitum est ad horam pomeridianam nostram tertiam, Priscorum nonam, quâ Christus in cruce mortuus. Ea consuetudo cenandi horâ tertiâ pomeridianâ etiamnum tenuit anno millesimo ducentesimo septuagesimo, beati Thomæ Aquinatis ævo, cujus hæc sunt verba: *Ut jejunantes circa horam nonam* (nostra tertiam) *cibum sumant, convenienter est constitutum.* Ita primitus die jejunii, cenatum est vesperi, omisso prandio. Dein cena illa in horam tertiam pomeridianam migravit. Denique in horam undecimam sub meridiem una hæc jejunii refectio translata est: ita quidem, ut lex violari credatur, si sine causâ notabiliter citiùs cenetur. Sériùs cenare non prohibitum. Navarrus inter grandiores noxas numerat, statum refectionis tempus unâ alterâve horâ prævenire sine causâ. Nos minoribus noxis annumeramus. Nam vera jejunii ratio est carnibus non vesci, & semel in die reficí. Maturiùs id facere rem ipsam non evertit. Et qui citiùs cenat, diutiùs pòst expectet, celeriùs esuriat. Quòd si hospites sint dimittendi, aut destinatum iter urgeat, accelerare cenam sine noxâ licebit. Cetera, consuetudinem hac in re servare, optimum.

S. Tempus prandii seu cenæ non prævenendum.

Aug. to. 10. l. 2. de Morib. Eccles. Catholicæ c. 23.

S. Tho. 2. 2. q. 147. ar. 1. conf.

Præventio tempus prandii sit peccatum.

Coronidem addo capiti cum Climaco, qui jejunium verè pharmacum pharmacorum omnium præstantissimum agnoscens. *Jejunium*, inquit, *sanitas corporis, compunctionis janua, mentis custodia, paradisi porta.*

Clim. grad. 14. mihi pag. 137.

CAPVT IV.

Quæ vespertina sit jejunii refecticuncula.

NOn malè dixerim: Quot homines sancti, tot specula jejunii. E numero illorum non pauci totos sæpe dies, biduum triduúmve, & ampliùs alimétis omnibus abstinuerunt. Tarsensis Paulus religionem Christianam est exorsus jejunio triduano. Sed numquid in istorum album referemus optimatem illum ingeniosè jentantem? Audite, & videte, singulariſſimum abstinentiæ prototypon propono. Virum summatem novi, alt nobilis scriptor Hippolytus Guarinonius, qui aliquot annis non priùs solebat strato sese levare & vestes circumspicere, quàm clatum mane fenestras intraret, & angustas lumine rimas extederet, tertiáque jam linea tangeretur (hoc est, horâ nonâ antemeridianâ) & pecus pæne omne sub ulmo esset. Stertebat, itaque, indomitum quò despumare Falernum sufficeret, & usque dum somno helucum probè demum disputeret. Poterat vir iste primas è suo

Dr. Diego Guarinon. de Abstinentia mihi pag. 1349. Persius sat. 3. Helmont. Tertullian. de ieiun. c. 1.

quâ proclives in somnum sumus ex pridianâ crapulâ. Sext. Pompejo Largo dum, semisomnum, & hesterno vino oscitantem significat.

suo cubiculo in ipsum usque triclinium, Optices perspectivæ beneficio, semisomnes oculos rectâ mittere, & num redivivo sibi è plumeo sepulchro paratum staret epulum, clarè conspicari. Ne quid verò vigilantissimo patrifamiliæ bonarum horarum malè periret, vestiri & calceari solebat in hunc modum: Vrceus stabat argenteus, recenti Falerno spumans, in domini sui primam vigiliam paratus: juxtim panis dominicus à furno itidè recens herilem gulam expectabat. Diceres illum in Candiâ natum, ubi incolæ quot diebus manè pane tosto & Falerno generosissimo sese reficiunt, ita perennaturi in plurimos annos. Quamprimum ergo herus semisopitum adhuc pedem extrà plumas posuisset, famulus aderat, qui ambrosiam istam & illud nectar adhuc oscitanti propinaret. Et quoties famulorum alter tibiale pedi aut calceum induxisset, toties pocillator nivei panis Falerno madidatam bucceam porrigebat. Sic primas iste tẽporis parcissimus, simul & eâdem pæne operâ vestiebatur, calceabatur, comebatur, jentabat, prandebat. Nam ubi vestes indutui recepisset, quotidianam ampullam perhausisset, & pæne jam omnem sitim Apicianâ promulside necâsset, recto gradu ad calidum triclinium tendebat, sessum se recepturus & pransurus, prout in dies solebat, pollucibiliter. Iuvenis quidem fuit novus hic Apicius, fuit & robustus, fuit & opulentus; dixisses illum Methonis annos victurum: sed heu miserum! qui lautissimè vivendo hoc unum egit, ut viveret brevissimè, & æternùm forsan moreretur. Nam diem suum obiit ante diem. Nec tamen à Parcis dici potest extinctus, ab aliis deabus, Edinâ nimirum & Potinâ, quibus ille quotidie tamen faciebat, in subterraneum carcerem præcipitatus est; victurus in multos annos, si vitam minùs amasset, aut minùs gulam.

Huic socium do istum. Interfuit (inquit idem Guarinonius) vir princeps Saliari Pontificum cenæ: unáque viri principes complures, & quidem, contrà quàm in conviviis fieri M. Varro velit, etiam supra Musas accubuerunt. Inter hos è Galeni civiâ senator Lati-clavius, qui multa super mensam, quod medico non indecorum, seriæ disputationis intergressu de temperantiâ, de cibi potúsque parsimoniâ, de vitæ longitudine per cenarum brevitatem conciliandâ, eruditè disserebat. Aiq' verò tu hæc? inquit ille primi subsellii conviva. & ita se rem habere asseveratè affirmas, & seriò? Seriò, ait medicus, vir optime, seriò hæc à me dicta, & verè: Quòd si ita est, inquit optimas, de me quid tibi videtur? canos jam vides & declivem ad capulum ætatem, quãdo jam ipsis quinquaginta annis aërem hunc hausi. Enimvero dic, si, ut seriò iudicatóque existimas, breviores mihi cenas instruam, num longiorem tu mihi vitam pollicebere? Polliceor, ait medicus, & pro naturâ vadimonium subeo fidenti stipulatione. Bene habet, inquit senex, vadem te capio. Sed ut tabulas legitimè consignemus, quot mihi annos promittis ab hac quotidianâ in gulam iniuriâ? Neque enim ego velim tam violenter genium fraudare ob pauculos annos & cum dicto capax crystallinum impiger perhausit. Medicus ubi adhuc tam vegetum vidit: Decem, inquit, annos spondeo huic tuæ tam virenti senectæ, si tamen norit illa sibi frenos ponere, minus esse, parciùs biberè, citiùs desinere, ante saturitatem cenas abrumpere. Ad quæ promptissimè Bitias ille: Vnam, inquit, solùm annorũ decadem ego indipiscar tam violentâ cenarum lege? Apage tu sis cum tuâ hac sponsione. Non paciscor. Quid? unicum ego decenniolum vitæ adjiciam, & mihimet ipse quot diebus moriar? præstat quotidie vivere, nec mortem pavere, quandocumque tandem seriùs aut citiùs adfuturam, Verba illius sunt: Jch wil mehr als vmb zehen Jahrlc in thuen / so schenck nur rund ein. Audit mors ista annuitque, & pòst paullò poculum propinavit, in quod priùs ructavit ipsa. Hi viri florẽ ætatis non abstinentiâ & jejuniis, sed intẽperantiâ & deliciis corruperunt. Veríssimi sunt etiamnum veteres Trochaici:

Plurimos fecêre morbos multa mensæ fercula;
Plurimos curare morbos novit abstinentia.

Laudent alii auream vitæ aquam, lapidem Bezoar alii extollant, elogium scribant alii auro potabili; ego abstinentiam pharmacum pharmacorum nobilissimum pronuntio. Quis autem abstinentiæ modus, quomodo jejunandum sit, exorsi sumus dicere. Ad illa quinque puncta superiùs explicata sextum addimus: Die jejunii *Refectiuncula modica sub noctem permissa*. Quid in hac observandum, porrò disseremus.

§. I.

Refectiuncula modica sub noctem permissa, receptâ consuetudine permissa;

ESt qui quærat: Quo jure die jejunii refectiuncula (collationem vocant) vesperi passim sumitur? Lex nihil suffragatur, Commune jus addicit. Nam vera jejunii ratio est, semel in die comedere. Quas ergo priscas consuetudines, quæ jura producemus? Non negamus confitentes rei, nos nullis testimoniis, nec legibus, nec tabulis, nec priscis ritibus uti, sed solâ, non adeò priscâ, jam tamen pervulgatâ & receptâ consuetudine.

Hoc igitur hac in re primum sit: Die jejunii collationem (cum vulgo loquimur) sub vesperam admittere, permissum & licitum.

Potéstque potus adhiberi.

Secundò: Ea est hæc permissio, ut suum liceat pani vehiculum adjungere potum. Nemo Theologorum hîc reclamat. Assertio nimium severa est, quæ vetat alibile aliquid, sive quod nutriat, in vespertinam hanc refectiunculam admittere: Nihil hîc noxæ meruat conscientia. Quòd si religiosæ familiæ hac in re sint austeriores, laudamus; suum illis jus esto. Ceteris omnibus panis & congruus illi potus hoc tali vespere concessus. Sed quantum panis, dices, quantum potûs?

Panis triũ aut quatuor unciarũ adhiberi potest ad hãc refectiunculam.

Tertiò: Hîc certè aliquid ægrè præscribi potest. Theologi omnes ad loci consuetudinem nos ducunt. Alicubi panis duorum nummulorum refectiunculæ illi ponitur, minus alibi, plusculum alio loco concedi solet. Quòd si res ad libellam examinanda sit, aio panem trium aut quatuor unciarum, qui ferè crucigero advenditur, in collatitiam hanc cenulam adhiberi posse. Liberalis, putem, concessio. Nisi cùm Montanus venter adest, homo plurimi cibi capax, & manduco insignis, huic plusculum indulgendum, & augendæ unciæ. Sed quid statuimus de potu? Vt scilicet meminerimus jejunium esse, non sympósium. Et ratio dictat non admittendum copiosiorem potum, quàm qui concesso pani sufficiat in vehiculum. Sed panis meus, inquis, vehiculum grande desiderat. Expecta sis paullulùm. Has helluonum non jejunantium potationes infrà tangemus.

De quo Iuvenalis sat. 4. diversis versibus.

Bellariorũ aliquid aut fructuum potest addi.

Quartò: Ad illud panis & potûs modicum addi potest bellariorum aliquid aut fructuum arboreorum: pomum, nuces, aut pirum; aliquid herbularum aut leguminum. Sed hæc disjunctivè (ut in scholis loquuntur) non collectivè. Aut hoc, aut istud aut illud; non simul omnia. Sic enim non cenula, non refectiuncula, sed cena congereretur; quâ quidem ratione nec abstinentiæ, nec sanitati, nec temperantiæ foret consultum. Pisciculus, sed parvulus, aceto & oleo maceratus ab hac cenulâ non excluditur.

Excluduntur offæ, placentæ, pisces & alii ejusmodi cibi.

Quintò: Sed excluduntur offæ, placentæ, pisces quamvis frigidi, aliique omnes ejusmodi cibi. Sed ut neminis conscientiam aut valetudinẽ terreamus, illud indulgentiâ sanè liberali adjungimus. Est homo afflicti aut nauseantis stomachi, cui difficile solum panem aridum cenare. Ægrè illum ingerit, non sine labore digerit. Huic ergo permittimus: E pane aut potu quem sumeret, offam aut jusculũ sibi coquat. Calida,

Vide Gellii l. 13. Noct. Attic. c. 11. Vbi conviviarum non paciores tribus, non plures novem invitatos assumi.

Idem l. 1. c. 15.

stomacho gratiora; modò illam, quam statuimus, quantitatem comedendo non excedat. Opsonii calor, jejunii vim non subruet. Hæc maligniori stomacho permittuntur: Consuetudo aliis retinenda.

§. II.

Augustin. ad Casulanum l. suprà citato.

HIc, Lector, parentesin statuamus. Si de bellariis, quæ illi cenulæ inferri solent, sit quæstio, cum Augustino loquar: Si hac de re meam sententiam quæritis, dicam è germano pectore quod sentio. Bellaria omnia, nebulæ dulciariæ, mellea scitamenta, liba, tragementa, amygdalæ, ficus, carpesia seu cubebæ, uvulæ passæ, & quidquid horum est in mensam secundam inferri solitum, & omne sacchari variegatum blandimentum, nugæ sunt meriſſimæ & insalubres, dulcis fallacia, tyrannis gulæ grata, sed sanitati noxia. E mediorum scholis res nota est: saccharum dētibus venenum, fellis augmentum, hepatis incendium, stomachi non leve nocumentum. Omne dulce stomacho inimicum: scholæ medicæ scitum est. Vir doctissimus & medicinæ peritissimus, cujus non lacinio sa, sed erudita scripta veneror, & servo cuivis promenda, de dulciariis nebulis omnibus hanc tulit sententiam: Bellaria omnia stomacho adversaria, nocumenta certa, bullæ & phaleræ libidinis gulosæ. Stomachus valens & robustus hæc non cupit; debilis admittit, sed cum noxâ, & mali originem ignorat. Hæc bonum stomachum corrumpunt, malum non emendant, nec restituunt. Vultisne nosse bonum stomachum? convenientia sibi & robusta, carnem bubulam leviter lixam, extimum bovis pedem aceto & cepis insperſum, conditum, secalicium panis frustum appetit; hæ illius deliciæ sunt: saccarum & illas fraudes dulciarias valdè aversatur; solida quærit, validaque; hinc noscitur. Malus ac debilis stomachus suæ quoque naturæ competentia sectatur, quod molle & dulce est, amat, & plerumque sibi nocentia eligit. Cucumeres & pepones, placentas & pultes, ceraſorum & fructuum aliorū somnia colorata expetit, bellaria & sacchari vaframenta cupidè lambit, sed in suam perniciem maximam. In promptu sunt rationes certissimæ. Quod dixi, medicorum pueri sciunt quibus hæc ratiocinatio non ignota: Omne pingue & dulce, stomacho ac dentibus inimicum, amicum felli; sed bellaria pleraque omnia maximam partem dulcia, ergo dentibus & stomacho inimica. Addo: Si hæc talia cibos aliospręcedant, appetentiam omnem destruunt; si sequantur, & in fine sint, alvum horrendè stringunt. Notum nimis apud medicos: Dulcia in fine constipant. Felix qui his omnibus catere posse, partem sanitatis æstimat. Cum Paulo hîc dixerimus: *Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt.* Vesci quidem bellariis licet, sed certè non expedit. Qui potest capere, capiat.

1. Cor. c. 6. v. 12. & c. 10. v. 22.

Sed mitto hanc melleam mensæ secundæ Rhetoricam, & omnes hos gulæ apparatus; ad varium permissæ refectiunculæ abusum venio. Reverà jejunio non rarò turpiter illuditur. Numeremus ordine, quæ in cenulâ illâ sumendâ solent intervenire vitiosæ consuetudines & abusus.

Permissæ refectiunculæ abusus aliquot.

1. Abusus.

Abusus primus: Nimium ciborum & bellariorum apponitur. Nonnumquam mensa refectiunculæ huic parandæ non solùm omnigenis bellariis, sed & cibis frigidis oppletur. Adest lactuca, non desunt pisces assi, lixi, aceto & oleo conditi, carcere farinaceo inclusi: vinum varium & multiplex, Rhenanum, Creticum, Falernum. Num istud est jejunare, ô viri? Atque hoc videas in mensis etiam eorum, qui verare talia deberent, & jejunii leges monitis & exemplis ingerere. Quid oviculæ faciant, si pastores audent talia?

Objicias illud Martialis, qui ad lautas cenas sibi esuriendum questus: *Multum ponitur*, ajebat, *parum scin-*

ditur: Ita, inquis, multa quidem apponuntur, sed non ad omnia mittuntur manus; mensam tragematis opplere, ævi nostri decorum est. Audio, sed & illud non nescio, posse aliquem etiam saturari hinc inde carpendo & vellicando. Deinde in tam opimis cenulis vitra tametsi non maxima toties per mensam obambulant, dum jejunatores illi ægriùs & linguam & pedes moveant. Numquid hoc est jejunare? Et simul quæro: Num tanta frigidæ alimoniæ & bellariorum varietas ori potiùs ponitur, an oculis? Si oculis, quid opus, obsecro, tot ferculorum spectaculis tam multiplici escariâ pompâ die jejunii? Numquid hoc est cum Iobo *pœnitentiam* agere *in favillâ & cinere*? Sin autem ori & ventri tam multum infertur, error luculentus, in gulæ pascuis abstinentiam & inediam profiteri. Cum Isaiâ vociferor: *Nolite jejunare sicut usque ad hanc diem.*

Iob c. 42. v. 6.

Isa. c. 58. v. 4.

§. III.

2. Abusus.

ABusus secundus: Nimium panis & potûs apponitur. Si cui mensura vini detur additis duobus panibus, numquid refectiunculam hoc vocabimus? Vinum, ut ponimus, exsorbetur? unus aut sesquipanis minimùm absumitur, num adhuc fames sentietur? Dirum omen, si hunc hominem post cenulam tam liberalem etiamnum torqueat inedia. Hic veteri jambo licebit uti:

Hemina vini, unúsque panis sat replent.

Hieronymus olim ad Nepotianum scribens: *Fortissimum*, inquit, *jejunium est aqua & panis.* Ego forsan rectiùs: Fortissimum jejunium est mensura vini, & duplex panis. Non absurdè quispiam de jejunatoribus ejuscemodi dixit: Vultus illorum considera, rubent, ardent ut igniti Seraphim; Accensam verè dixeris hanc esse pietatem. O homines non tam Spiritu sancto quàm pio vino madidos! *Nolite jejunare sicut usque ad hanc diem.*

Vers. tolle gutta, ne longum.

Isa. c. 58. v. 4.

3. Abusus.

Abusus tertius: Mala hujus cenulæ condimenta, lusus. Conveniunt nimirum admissionis primæ amici cenulam esurialem unà sumpturi, & ne pii colloquii desit materies, chartulis utuntur pictis, aut fritillum, tesseras, alueum lusorium movent, & quidem eo animi ardore, ut calente lusu ad decimam noctis, ad undecimam, imò etiam ad noctis umbilicum, ad ipsam duodecimam & ampliùs devotissimè pervigiletur. Et hic quidem sestertios complures, ille florenos aliquot, hic aliquot philippeos vel aureos perdit: nonnumquam centum aut ducenti philippei in lusum tam pium conferuntur. Heus viri, numquid hoc est jejunare? Equidem hoc ritu cereolus Deo, satanæ fax accenditur. Hoc quidem est divo Leonardo imaguncula ceream offerre, & eidem aliquot ceræ libras eâdem operâ sublegere. Hoc quidem est aliquid thuris templo donare, & argenteum thuribulum furari. Mala est sacrificii & furti mixtura; nec bene conveniunt lusus & jejunium. *Nolite jejunare sicut usque ad hanc diem.*

Luc. cit.

4. Abusus.

Abusus quartus: Non satis est aridam & frigidam esse cenulam, si nimis sit copiosa. Sunt qui putent parum interesse, si cenulæ huic inferantur cibi, modò ii sint frigidi. Ita contigit ut ad curionem peregrinus quidam reviseret cenæ tempore. Curio paterfamilias in mensâ pisces efitans hortabatur familiarissimè, ut festus è viâ hospes accumberet, & unà cenaret. Ille cunctari & gratias agere, caussam etiam addere, eo die in oppido suo jejunium servari magnis religionibus. Cui paterfamilias iterum: Et en, inquit, pisces jejuniosis diebus non ingratos; admove manus; à foco recentes sunt. Ad quem hospes: Vesci calidis, inquit, jejunium vetat; frigidos non rejicerem. Si quidem, ait paterfamilias, de hoc agitur, heus puer, fenestras pande, & hos pisces aëri expone: expedita res.

O con-

O conscientias malè materiatas! ô religiones parum eruditas! Quasi verò jejunii nihil interfit, hoc illúdve comedere ferculum, modò comedas frigidum.

Lat. citato. Plutarch. tom. 1. Moral. mihi pag. 350.

Nolite jejunare, sicut usque ad hanc diem.

Epaminondas Thebanus, teste Plutarcho, à fortunis opulentus, manu strenuus, consilio promptus; tam felix præliis, ut cum eo nata & extincta potuerit videri gloria Thebana. Magnus vir iste frugali mensâ, & cibo modico uti consueverat. Invitatus ad cœnam à vicino cive, comparuit lætus conviva. Cùm autem supra modum opiparè haberetur, stomachatus graviter Epaminondas, Domuitionem parabat: & ad convivatorem conversus: Ego te, inquit, sacrificare putabã. non luxuriare. Ita profectò jejuniosa nostra cenula non cibatum Paschatis, non Bacchanalia repræsentet. Tertullianũ ita locutum exaudio: feras & aridas escas sacrificia Deo esse grata. Quod vesperi permittitur, sit cenula, sit refectiuncula modica. Longè melius,

Trebo. vet. *Parvulo natura vivit, & parabili bono.*

CAPVT V.

Quænam Iejunii emolumenta.

Tert. de jejunio & cum. Christi. EX antiquissimorum Patrum curiâ Cyprianus de abstinentiâ Christianâ sic pronuntiat: *Iejuniis vitiorum sentina siccatur.* Fructus nobilissimos parit jejunium. Et hoc inquies, expectabam audire, quid universè prodesset abstinentia. Nam gratis esurire quis velit?

Nos quidem jam suprà non simplex emolumentum abstinentiæ percensuimus. Hîc plura simul sed compendio sub oculos ponemus. Illud tamen præfari oportet, in rebus præsertim, quæ ad mores sunt, sæpissime idem & causam & effectum esse. Exempli gratiâ. Parentes filium amandant ad scholas. Quæ causa? Eruditio. Cuperent nimirum primam filii adolescentiam bonis artibus imbui, ut succedens adolescentiæ virilis ætas doctrinâ jam partâ frueretur. En, Eruditio parentibus causa finalis est, quæ puerum scholis applicat. Ita puer in studia mittitur, discit, proficit adolescit inter musas, non sine magnis parentum impendiis. Quis tandem tot sumptuum effectus? Eruditio. Post aliquot annos Medicus, Iurisconsultus, Theologus evadit. Ita quæ aliquando causa fuit finalis, nunc effectus est.

Eadem hîc ratio. Pleraque illa quæ persuadent, ut ineamus jejunia, jejuniorum sunt effectus, de quibus in primâ parte aliquid mentionis factum. Hîc è plurimis jejunii emolumentis ac fructibus, novem dumtaxat, idque breviter ac summatim recensebimus.

Iejunii emolumẽta novem.

§. I.

1. Valetudinis conservatio & restauratio.

PRimus Iejunii fructus, & emolumentum nemini non expetitum, *valetudinis conservatio & restauratio.* Experientia testatissima hîc loquitur; & extra controversiam est, omnes ferè morbos originem suam indetrahere, quòd plus ingeratur quàm concoquatur. Omnis pæne invaletudo à repletione. Vetus illud multò verissimum:

Trotb. vet. *Morbos parit plures repletio, quàm fames.*

Editus est in 8. Parisiis anno 1558. ad Mich. Palæologũ Græcè & Latinè de Prægrã, &c.

Pulcherrimè dixit & verissimè Demetrius Epagomenus: Ἀδηφαγία καὶ πολυποσία πλείστων νοσημάτων αἰτία. Cibi potusque copia, morborum plurimorum causa. Quâ in re vel ipsis oculis faciemus fidem. In corpore humano quatuor sunt humores principes, sanguis, atra bilis, flava bilis, phlegma seu pituita. Impurus aut nimius sanguis pabulo copioso certè non emendabitur. Atram aut flavam bilem, saccharum, mel, butyrum, omne dulce, omnisque largior cibatus non minuet. Ad expugnandum phlegma, quod communissimum, & potissima causa morborum, jejunio nihil est præstantius. Hic namque genius est naturæ: dum ea cibi aliquid habet, fæces non lambit; cùm parum aut nihil est cibi, pituitam & phlegma invadit, dissipat, expellit. Certa hîc experientia. Venusinus vates locupletissimus testis monendo canit:

Horat. l. 2. sat. 2. med. Cena dubia, in quâ cupediæ tã varie, ut dubites, quid potissimum eligas cibi.

Accipe nunc, tenuis victus quæ quantaque secum
Afferat. —— —— at simul assis
Miscueris elixa, simul conchylia turdis,
Dulcia se in bilem vertent, stomachoque tumultum
Lenta feret pituita. Vides ut pallidus omnis
Cenâ desurgat dubiâ

Nil verius. Oraculum ex tripode. Pharmacum pharmacorum omnium abstinentia & jejunium.

2. Longævitas.

Secundus Iejunii fructus, *Longævitas*: è primo nascitur. Huc mille testes possim sistere, qui hoc ipsum affirmatissimè pronuntient. Longa vita, ubi minus longa mensa; multi anni, ubi pauci cibi. Illi hominum, qui severissimè jejunârunt, plerumque diutissimè vixerunt. At edones illi, & manducones, & bibones, qui plurimum vorarunt, annos vitæ pauciss. mos numerârunt: Vltimi è mensâ, primi in tumbam. Abundans pastus non facit longævum. Hinc illud, quod diximus, Italorum; qui multùm † vult comedere parum comedat.

Sit talis qui vivat ad annos 70. potuisset ad annos 100. pervivere.
† *Multum, hoc est, diu.*

Cœnobium est in Sueviâ sacrarum Virginum pauperum, ubi tenuissimè vivitur, & creberrimè jejunatur, ibi tamen sexagenariæ & septuagenariæ inter senes non numerantur. Ego ipse testis sum, quamvis malè oculatus. Cùm enim ad illud Virginum Collegium reviserem, amitam salutaturus, quæsivi ex eâ, quot annos in eo Pharthenone posuisset? Quadraginta, inquit. Quòd si suos quis oculos interrogâsset, virginem viginti quinque annorum dixisset. Hîc ego: Gratias age, inquam, cælibi vitæ, ô mea soror, conjugium & crebrius puerperium te pridem sepeliissent. Ecclesiastici effatum non fallit: *Qui abstinens est, adiicier vitam.*

Eccli. c. 37. v. ult.

Plurimæ dapes diversæq; haud alunt, sed inquinant.

3. Carnis edomatio.

Tertius Iejunii fructus: *Carnis edomatio.* Sed num ea bono Numini placet? num expedit jejuniis sic carnem atteri? Interrogabo & ego vos unum sermonem: crucifigi *carnem cum vitiis & concupiscentiis*, an Numini placet? Num ille placuit, qui dixit: *Castigo corpus meum, & in servitutem redigo?* Si quidquam est, quod modesto ac tacito aggressu carnem spiritui subjiciat, profectò abstinentia & jejunium est. Quàm verè Cyprianus: *Iejunium*, inquit, *omnem carnis rebellionem edomat, tyrannidem gulæ spoliat & exarmat. Iejuniis petulantia marcet, concupiscentiæ languent, extinguitur ardentis Ætnæ incẽdium.*

Gal. c. 5. v. 24. 2. Cor. c. 9. v. 27. Cyprian. de tent. & jejunio Christi.

Natat Pelagius interpres Græcus ad religiosum senem veniisse juvenem, qui seipsum accusârit dixeritque: Mi Pater, mea me caro trahit ad vetita; nec dæmon feriatur, suggerit impura: non sum ferendo tam pravas cogitationes. Cui senex: Hæc talia, inquit, mihi numquam negotium exhibuerunt. Iuvenis impatiens responsi mox abiit, & in alterius aures querelas suas evomuit. Alter non imprudens: Quæso te, ait, mi frater, ne istuc ægrè tuleris; saniore, quàm existimes, sensu hoc dictum. Tu redi ad hunc ipsum senem & veniam roga, simúlque dicti explicationem pete. Obtemperavit juvenis, & rediit ad senem. Quæ oratione placidâ: Ex quo, ait, monachus sum, nec panis, nec aquæ, nec somni umquam satis admisi. Hinc ego talibus cogitationum molestiis non urgeor. Simile quid respondit Macarius, ut suprà demonstratum est. Iejunium cicurem & mansuetam reddit carnem.

§. II.

4. Cacodæmonis victoriã.

QVartus jejunii fructus, *Cacodæmonis victoria.* Christus clarissimè: *Hoc genus*, inquit, *non ejicitur nisi per orationem & jejunium.* Nestevontas, homines siccos & sobrios

Matt. c. 17. v. 21. Marci c. 9. v. 29.

sobrios odit & fugit dæmon, non catillones, non comestores, non gulæ proceres, non edones & bibones. Vitellius, ut suprà demonstratum, in imperio Romano turbas & mala magna moliturus ferebatur. Has formidines ut vanas Galba spernens: Quid Vitellius, ait, helluo, & patinarius miles moverit? Ventri deditus est; ideo timendus non est. Nec certè dæmon popinones & abdomini natos formidat, sed famelicos, abstinentes, jejunos. Non timeo Crassos, sed Flaccos, ait Tullius. Bene est diabolo, ubi multum madidi luti est. Nimirum porcus in luto sicco non suaviter volutatur.

5. Sēsuum omnium tam exteriorum, quàm interiorū serenatio.

Quintus jejunii fructus, *Sensuum omnium tam exteriorum, quàm interiorum serenatio.* Qui rectè precari, legere, meditari, aliud quid attentè cupit facere, cibo non oppletus, sobrius sit. Quo sensu Chrysostomus: *Iejunium*, inquit, *animæ nostræ alimentum est, leves ei pennas producit, ut in sublime feratur.* Idcirco Ecclesia in eos dies jejunia decrevit, quibus Christianam pietatem ardentiùs & prolixiùs vult orare.

Chrys. ho. 1. in Gen. loco jam suprà laudato.

Stanislaus Roscius in vitâ Hosij c. 19.

Stanislaus Hosius Senator purpuratus omnes esuriales ferias ab Ecclesiâ dictas accuratissimè observavit. Iámque adultæ senectutis princeps persuaderi tamen non potuit, ut de jejuniis tam severis quidquam remitteret. Is namque suaviloquus festivè ac hilariter: Nescitis, inquit, quid me sollicitet; pervellem diu vivere. Nec enim legem ignoratis: *Honora patrem tuum, & matrem tuam, ut sis longævus super terram.* In cælo pater est, in terrâ mater Ecclesia. Pater & mater volunt, ut jejunem, quò meliùs orationi vacem. Non obsequar his parentibus? Abite, nil muto.

Exod. c. 20. v. 12.

Ad omnes functiones, præsertim spiritùs, optima præparatio jejunium. Thomas Aquinas quandocumque in sacris paginis sententiam obscuriorem in luce non valuit ponere, ad preces & ad jejunium se vertit, ut sibi facilem interpretationem dicti obtineret. Obtinuit. Abstinentia serenat sensus & intelligentiam, hominémque ad omnia munia facit expeditum.

6. Noxarū abolitio.

Sextus Iejunii fructus, *Noxarum abolitio.* Tam Ninivitę quàm rex Achabus grandia apud Deum nomina contraxerunt, debitores sanè magni. Verùm submisso ac lugubri jejunio propitiârunt sibi Numen, & ære alieno tam immani exierunt, recepti in gratiam. Ita Hebræi Iudithæ ac Estheris ævo offensissimū peccatis Deum, jejuniis denuò placârunt. Eam ob caussam Basilius nihil veritus est dicere: *Pœnitentia sine jejunio otiosa & infrugifera est, per jejunium satisfacito Deo.* Basilii verba confirmans Ambrosius: *Iejunium*, inquit, *culpæ mors, & remedium salutis.* Ejusdem prorsus animi Hieronymus: *Saccus & jejunium*, inquit, *arma sunt pœnitentiæ, auxilia peccatorum.* Omnium Patrum sententias confirmatissimè proponens Augustinus: *Nemo*, inquit, *pro laude humanâ, sed pro indulgentiâ jejunet.*

Basil. orat. 1. de jejun. Amb. l. 3. de Eliâ & jejunio c. 3. Hieron. in c. 3. Iona. Aug. serm. 60. de Tempore.

Iejunium & noxarum & flagitiorum spongia. Et quanta, mi Deus, per annum peccamus? Nos enim velut temerarii sympostiastæ tabernam occupamus, & pergræcamur, dum etiam animum in flagitiosam hanc compotationem insumamus. Tandem adest hospes & unumquemque ordine compellans: Heus compotor, inquit, solve symbolam, solve, solve. Tot nomina contraxisti noxis: en tabulam nigram debitorum ac noxarum indicem; solve symbolam, & redde quod debes. Ora & vigila, ora & jejuna: pœnitentia sine jejunio infrugifera. Iejunium deletio peccatorum.

§. III.

7. Pœnarū quæ peccatis debentur remissio.

Septimus Iejunii fructus, *Pœnarum, quæ peccatis debentur, remissio.* Ioannes Christi prodromus Pharisæos ad se confluentes inamœnis planè titulis salutans: *Progenies viperarum*, inquit, *quis demonstravit vobis fugere à venturâ irâ? Facite ergo fructum dignum pœnitentiæ. Iam enim securis ad radicem arborum posita est.* Non solùm pœnitentiæ fructus exigit, sed dignos. Inter hos maximè semper habitum est jejunium, fructus pœnitentiæ dignissimus. Rex Achab flagitiorum pœnitens, *operuit cilicio carnem suam, jejunavitque, & dormivit in sacco.* En jejunium cilicio & sacco vestitum, dignum pœnitentiæ fructum.

Matth. c. 3. v. 7. 8. & 9.

3. Reg. 21. v. 27.

Quid, quæso, afflictiones omnigenæ, quid quotidianæ sunt miseriæ, nisi ut plurimùm peccati pœnæ? Cùm igitur quotidie delinquamus, & æs alienum grande conflemus, & ipsam debeamus animam, Deus ipse sibi solutionem expedit. Hinc afflictio ubique plurima. Parentibus moritur filiolus charissimus, filiis moriuntur parentes; huic eripitur pecunia, huic honor, huic valetudo, huic vita. Quid, oro, hæc sunt omnia nisi peccati stipendia? Quotidie peccamus, quotidie punimur. Sed enim hæc supplicia suaviter prævertere liceret voluntario jejunio.

Afflictiones sunt peccatis pœnæ.

Dic mihi, mi Lector, num malis die integro torqueri flāmis, aut annis quinquaginta jejunare? Theologus hujus ævi asserit jejunium vel ideo maximi faciendum, si vel unicum diem subtrahat futuri in ignibus supplicii. Et caussam adjungens: Illorum, inquit, in orbe altero cruciatuum pœna, quæ uno die persolvitur longè major est quàm tolerantia jejunii centum annorum. Cunctarer hæc dicere, nisi sequerer præeuntem publicis scriptis. Iejunium solvit pœnas peccatis debitas.

Iejunium cur magnificatum.

8. Beneficiorum impetratio.

Octavus Iejunii fructus, *Beneficiorum impetratio.* Anna per jejunium Samuelem filium, Sara per jejunium impetravit cacodæmonis fugam. Oravit & jejunavit Sara, & tam ipsa quàm omnis ejus domus à diabolo libertatem plenissimam, asylum gratissimum obtinuit. Iam suprà docuimus impetrandi compendium. Qui seriò vult petere, & certò cupit obtinere quod petit, holocaustō Deum sibi devinciat, hoc est, animum, corpus, & bona exteriora suis votis impendat. Animus orationem, corpus jejunium, crumena pecuniam expediat, & suis constabit partibus holocaustum. Ita homo se totum impendit, ita facilem exorabit Deum, dat namque ex omni eo, quod est, & quod habet. Exempli gratiâ, triduo jejunat; sex diebus preces perpetuat, novem florenos in egentes erogat. Præclarum holocaustum, & ad impetrandum aptissimum. Reverà quotiescumque tam in priscâ quàm novâ lege arduum quid & grave à Deo petendum erat, toties ea petitio initium faciebat à jejunio. Idem Ecclesiastica docet historia. Ita Imperatores augustissimi Othones, Caroli, Zenones fecēre. Deus vult totum hominem sibi supplicem prosterni. Suos ad hoc ipsum impigrè hortatus Chrysostomus: *Iejuna*, inquit, *quia peccasti; jejuna, ut non pecces; jejuna, ut accipias; jejuna ut permaneant, quæ accepisti.* Beneficiorum potens est impetratio jejunium.

Salvian. dia.

Chrys. ser. 1. de jejun.

Nonus Iejunii fructus, *Tam gratiæ ac meritorum quàm gloriæ insignis accessio.* Summi meriti est jejunium & abstinentia, quia hic sæpè difficillima victoria. Ad alia debellanda vitia rectè suadetur fuge. Abi, recede, fuge dilecte mi, fuge. Vis impuros Veneris ignes vincere? Suspecta, periculosa consortia fuga. Luxuriam vicit, qui fugit. Vis vincere superbiam? Fuge pompam; honores te ambiant, non tu ipsos. Vis vincere avaritiam? Fuge, quantum potes, pecuniam; uxori familiam committe. Vis vincere gulam? solâ fugâ non obtinetur palma. Quotidie semel iterúmque in conspectum hostis veniendum est; cibus ac potus quotidie tractandus. Et hoc difficilem reddit victoriam. Tantò autem glorioſior triumphus, tantóq; erit nobilior corona, quantò difficilior præcesserit lucta; Major labor, majus promeritum. Hinc plerumque fortior

9. Tā gratiæ ac meritorum quàm gloriæ insignis accessio.

fortior est, qui gulam expugnat, quàm qui crumenam. Quod vel inde liquet: Dives si avarus non sit, stipem, quam erogat, non sentit; ab oratione quam fundit, aliquid suavitatis haurit, nec etiam sentit lucrosas vigilias; sed certè sentit famelicum jejunium. Idcirco illud majoris est promeriti, quia moliminis ac tolerantiæ severioris. Atqui scimus gratiam & gloriam pari passu progredi: quantò enim hic magis increscit gratia, tantò magis illic augetur gloria. Præsentem multiplicas gratiam? futuram amplificasti gloriam. De hoc Augustinus tam eruditè quàm succinctè disserens: *Ieiunium*, inquit, *remedium est aut præmium, hoc est, aut indulgentiam peccatorum, aut præmium cælestis regni acquirit*. Gratiam & gloriam promeretur.

Serm. 61.

Christus de præmio verba faciens: *Tu autem*, inquit, *cùm jejunas, unge caput tuum, &c. & pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi*. En jejunii merces. Idcirco Basilius ad gratiam & gloriam ampliorem promerendam excitans: *Angeli sunt*, ait, *qui in singulis Ecclesiis describunt ac recensent capita jejuniantium. Vide, ne ob brevem edendi voluptatem priveris Angeli recensione, & teipsum apud eum, qui recensuit exercitum, obnoxium facias desertoris crimini. Beati qui nunc esuriunt.*

Matth. c. 6. v. 17. & 18.

Basil. ho. 2. de jejunio.

Matth. c. 5. v. 6.

CAPVT VI.

Quantum à jejuniis priscorum differant nostra; Iejunium quomodo sanctificandum.

IVssv divino Ioël ferias esuriales promulgans: *Sanctificate*, inquit, *jejunium, vocate cœtum, congregate senes omnes habitatores terræ in domum Dei vestri, & clamate ad Dominum*. Voluit nimirum Deus non jejunari tantùm sed jejunium etiam sanctificari. Hujus præconium fecit prophetа (*sanctificate jejunium*) ut omnibus Dei voluntas innotesceret.

Ioël. c. 1. v. 14.

Iulianus Imperator, licet Christi sacris renuntiaverit, animo tamen Christianæ temperantiæ scintillas aluit; nam eunuchos, tonsores, cocos ab aulâ exturbavit. Et causam adjungens: Eunuchis, inquit, mihi non amplius est opus, conjuge jam mortuâ. Vnicus tonsor pluribus sufficiet. Cùm nulla palato arrideant bellaria, cocorum turbam non desidero. Hîc aliquid erat jejunii, sed jejunii non sanctificati.

De jejunio sanctificato disserens Gregorius: *Illud jejunium*, inquit, *Deus approbat quod ad ejus oculos manus eleemosynarum levat, quod cùm proximi dilectione agitur, quod pietate conditur*. Vt ergo verum sit jejunium, sit sanctificatum. Quomodo autem sanctificandum sit, dicemus. Priùs tamen exponendum, quantùm à prisco jejuniorum ritu recesserimus.

Greg. hom. 16. in Evag.

§. I.

1. Discrimen inter superioris ævi & nostrum jejunium.

PRimum discrimen inter superioris ævi & nostrum jejunium. Majores nostri die Mercurii, Veneris, & in Occidente etiam sabbato, non tantùm carnibus abstinuerunt, sed verè jejunârunt, idque quavis hebdomade toto anno. Quàm facili nos lege vivimus, solo Veneris & sabbati die à carnibus temperamus! Priscæ consuetudinis testis Origenes: *Habemus*, inquit, *quartam & sextam septimanæ diem, quibus solenniter ex more veteri jejunamus*. Vestigium tam prisci moris in cœnobiis remansit. Olim in Quadragesimâ, præsertim in hebdomade sanctâ, longè strictior servabatur abstinentia, quàm hujus ævi admittat licentia. Olim etiam Adventus Domini quotidianis jejuniis celebrabatur †.

Origenes in Levi. ho. 10.

† Paulus Leg. Theol. moral. l. 4. tract. 8. c. 1. & 2. n. 4. & 7.

2. Iejuniis veteres jungebant vigilias; nam noctu ad precandum in templo convenerunt. Chrysostomus locuples testis: *Ecclesia Dei*, ait, *mediis jurgit noctibus, surge & tu*. Romanus Antistes Leo jejunia quatuor temporum concionibus frequentans: *Quartâ igitur*, inquit, *& sextâ feriâ jejunemus, sabbato autem apud beatum Petrum Apostolum pariter vigilemus*. Nos toto jam anno, unâ solùm alterâve nocte Nascentis & Resurgentis Domini aliquantulum vigilamus. Heu quàm proficimus! Crebræ quidem sunt apud nos pervigilationes nocturnæ, sed ad pocula, sed ad choreas, ad abacum lusorium & ad tesseras. Ceterum jejunia rara, vigiliæ nullæ.

2. Discrimen. Chrys. hom. 25. in Acta Apostolorum.

Leo serm. 2. de jejunio decimi mensis & c. II.

3. Majores nostri jejunârunt pæne integro die usque ad horam vespertinam tertiam, imò temporibus primis usque ad sextam sub crepusculum ad primam facem, præsertim quadraginta diebus vernis jejunii. Sunt profectò etiamnum inter Christianos tam in cœnobiis quibusdam, quàm in domibus profanis, qui priscum jejunandi ritum imitentur. Mos autem usitatus hoc ævo mitissimus est, sub meridiem circa undecimam horam, aut duodecimam cibos sumere. Quod quidem reipsâ prandium, solo nomine cœna est.

3. Discrimen.

4. Majores nostri semel dumtaxat de die curârunt sè cibo, idque supra modum sobriè. Temperatæ fuerunt eorum modicæque potiones. Nonnullorum hodie lautior est refectiuncula, quàm illorum fuerit unica cena. Nos prandium plenum accumbimus; vesperi, si quid prandio decessit, compensamus. Quàm autem hoc tolerabile; nihil hîc conqueri, legis severitatem neutiquam accusare possumus. Nec refert si quam vesperi vel manè sentiamus esuriem; sine his impendiis hæc sacra non constant: tantò enim major est vel plebeii prandii voluptas, quantò moderatior vel nulla præcesserit cena.

4. Discrimen.

5. Majores nostri non carnibus solùm, sed & lacte, ovis, caseo, imò etiam piscibus, omni aromate, vino, aquâ mulsâ, omnique potu, qui ebrium reddit, abstinuerunt. Edulia illorum erant herbæ & olera, cicer & lenticula, panis, sal, & aqua. Hoc omne fuit choragium mensæ. Chrysostomus frugalitatis hujus è cathedrâ mentionem faciens: *Quæ utilitas*, inquit, *cùm avibus quidem & piscibus abstineamus, fratres verò mordeamus, & comedamus?* Eodem sensu dixit Basilius: *Carnes non edis? à vino abstines? sed ab injuriis tibi non temperas. Ergo jejunantes tam piscibus quàm vino carere voluerunt. Nos neutro caremus cùm jejunamus, nisi paupertas id nobis persuadeat.*

5. Discrimen.

Basil. ho. 2. de jejunio.

6. Majores nostri nullos vel certè paucissimos à jejunii legibus solverunt. Nunc plurimis datur exceptio, & legis fit gratia, quam vel petunt, vel extorquent. De sui ævi jejunio Basilius: *Omnes pariter*, inquit, *audiunt edictum. Ne quis igitur semet excludat à numero jejunantium, in quo omne hominum genus, omnis ætas, omnes dignitatum formæ censentur.*

6. Discrimen.

Basil. ho. 2. de jejunio.

Tam rigidam priscorum abstinentiam considerantes, non sine ratione dicimus: Olim seria erant jejunia, nostra nunc jocus & ludus, umbra sunt jejunii. Sileamus ergo, & contenti nostris legibus vivamus; sed & hoc agamus, ut, quod abstinentiæ deest, orationibus & eleemosynis sarciamus. Eam ob causam vociferatur Ioël: *Sanctificate jejunium*. Inediâ corpus affligere, famem perferre solâ consuetudine, modicâ religione, pauperis oblivisci, injurias recoquere, jejunium est, sed non sanctificatum. Et istud hujus capitis pars altera est.

Ioël. c. 1. v. 14.

§. II.

PEt Zachariam Deus olim queritur: *Cùm jejunaretis & plangeretis in quinto & septimo per hos septuaginta annos, numquid jejunium jejunastis mihi?* Non placet Deo jejunium nisi sanctificatum. Paulus & Barnabas cetique Christiani orant cum jejunatoribus. Anna prophetis *obsecrationibus & jejuniis servit die ac nocte*. Sanctificandum est jejunium. Nam *qui cibis*, ait Isidorus, *Amos.*

Zach. c. 7. v. 5.

Actor. c. 14. v. 22.

Luc. c. 2. v. 37.

Isid. super

rus, *non vitiis abstinent, & mala agunt, dæmones imitantur, quibus culpa adest, & cibus deest.* Saluberrima est præceptio, quam Gregorius instillat. *Illud jejunium Deus approbat, si hoc quod tibi subtrahis, alteri largiaris, ut unde tua caro affligitur, inde egentis proximi caro reparetur.* Quod præclarissimè Leo sæpius inculcans: *Nostrum,* inquit, *jejunium misericordiis pauperum suppleamus. Impendamus virtuti, quod subtrahimus voluptati. Fiat refectio pauperis, abstinentiæ jejunantis.* Sanctificate jejunium.

Greg. ho. 16. in Evang. mihi pag. 38.

Leo serm. 2. de jejunio decimi mẽsis.

Vixit anno 440. scripsit sermones 176.

Petrus Chrysologus Ravennas Episcopus, quem crebriùs hîc laudo, vir eruditissimus, eleganter jejunii sanctificationem ita explicat: *Fratres, esurit jejunium, sitit jejunium, alget jejunium, defecit jejunium, quod pietatis cibo non pascitur, quod potu misericordiæ non rigatur, quod eleemosynæ operimento non tegitur. Quod terris est ver, hoc scimus misericordiam esse jejunio. Illud re similimonstramus. Templum aliquis ingreditur, in eo pensilem argenteam lampadem, metallo gravem, miri operis, sed oleo vacuam miratur & quærit: Ubi cælebrum in capite tam pulchro? vacuæ lampades in templis inutiles, oleum illis & lumen sit conjunctum. Ita jejunium velut argentum assabre laboratum, sed oleum est eleemosyna, lumen oratio.* Bona igitur oratio cum jejunio & eleemosynâ: *oratione potissimum & eleemosynis sanctificatur jejunium.*

Tob. c. 12. v. 8.

Petr. Chrysol. ser. 41. med. & ser. 42. mihi p. 111. & 113.

Hoc ille ipse, quem dixi, Chrysologus Ravennas pluribus elogiis confirmans: *Abstinentia,* inquit, *est hominis prima medicina, sed ad plenam curam misericordiæ requirit expensas. Abstinentia extinguit febrem, sed arefacta membra longæ febris incendio, nisi largo infundantur unguento, nisi blandissimis rigentur fomentis, nisi juventur medicinæ sumptu, ad integram sanitatem redire non possunt: sic jejunium quamvis excludat vitiorum morbos, carnis amputet passiones, criminum causas propellat, tamen sine misericordiæ unguento, sine pietatis rivo, sine eleemosynæ sumptu, perfectam salutem mentibus non reponit. Jejunium sanat vulnera peccatorum, sed cicatrices vulnerum sine misericordiâ non emundat. Audi Dominum dicentem:* Date eleemosynam: & ecce omnia munda sunt vobis. *Jejunium singulari cultu avellit vitia, eradicat crimina; ad fructus bonos agrum parat & mentis & corporis: sed nisi misericordiæ jecerit fundamenta, non serium est studium jejunantis. Jejunium est sanctitatis hostia, sacrificium castitatis, sed sine misericordiæ incenso ad divinum non potest conspectum in odorem suavitatis ascendere. Quod anima est corpori, hoc misericordiam constat esse jejunio: quando jejunium ex misericordiâ vivit, tunc vivificat jejunantem. Jejunium, virtutum navis, portat quæstum vitæ, lucrum salutis advehat. Sed qui intrat carnis pelagus, scindit vitiorum fluctus, inter scopulos criminum transit, præterit littora passionum, nisi citò portum pietatis intraverit, exercere virtutes non potest, lucrum non potest habere virtutum. Jejunans sine miseratione est ager cultus sine semine. Ager cultus caret sentibus, vitat gramina, evadit totum, quod est negligentiæ, quod est squalloris: sed sicut sine semine sit sterilis, ipso cultu fructum non dat, dat laborem, & ad bonam frugem non valet pervenire: jejunans ita excolit animam, purgat sensus, cor mundat, abscindit vitia, eradicat crimina, dat menti cultum, corpori dat decorem, sed sine misericordiâ ad fructum vitæ non pervenit, ad salutis præmium non vadit. Quod est sine rege aula regia, hoc est sine largitate jejunium. Aula regis fulget auro, nitet marmore, picturis splendet, grandescit spatiis, levatur culmine, amœnatur viretis, ipso terribilis est secreto: sed sine rege honorem non habet, caret gloriâ, est vacua solitudo, est clausa eremus, est horribile desertum: sic jejunium lucet innocentiâ, radiat castitate, fulget actu, pingitur moribus, incessu micat, magnificatur ornatu: sed sine misericordiâ gloriam non habet, mercede caret, palmam non tenet, perdit fiduciam supplicandi, impetrandi meritum non capessit.* Sanctificate jejunium.

Luc. c. 11. v. 41.

Iejunium sine misericordiâ ad divinũ aspectum non potest ascendere.

Siracides hominem liberaliter & plus æquo epulantem instruens: *Si coactus fueris,* inquit, *in edendo multum, surge è medio & vome, & refrigerabit te, & non adduces*

Eccli. c. 31. v. 25.

corpori tuo infirmitatem. Quid hoc Siracide? num mores isti civiles & venusti, non quæram an religiosi, è mensâ surgere, & cibo viam, quam relegat, patefacere, ac vomitu exonerare corpus? Quis sibi persuadeat sapientissimum Ecclesiasticum tot auries præceptionibus abundantem tam incultos mores tantopere probasse? Interpretem audite urbanissimum Gregorium Nazianzenum, qui vomitum illum eleganter explicans: *Qui delicias,* ait, *indulgetis, aliquid genio & ventri subtrahite, ac spiritui date. In propinquo est pauper; orphano succurre; in hunc aliquid eorum quæ tibi redundant, erucæ & evome. Cur uterque vestrum premitur, tu crapulâ, ille fame? tu crapulâ, ille inediâ. Ne Lazarum tuum hîc asperneris.* Haud aliter Paulus de Palatio interpres Ecclesiastici: *Pulchrum,* inquit, *consilium habent divites ab Ecclesiastico, ut, si multum divitiarum devoraverint, in pauperes evomant. Idem cuivis peccatorum dices, ut, si multa peccata devoraverit, ea in exomologesi evomat. Ita in hac vitâ se refrigerabit, & in futurâ languorem inferni minimè sentiet.*

Paulus de Palatio in hunc locum mihi pag. 510.

Ergo agite vos, quicumque opulenti, pecuniarum non modicum ingurgitastis; penora vestra & mensæ vestræ & marsupia vestra redundant. Surgite, & crumenâ vomitu sollicitate, eructate aliquid in pauperes; reddant loculi nummorum partem, quos hauserunt. Hæc beati Leonis crebra fuit concio: *Esuriamus paululùm, dilectissimi, & aliquantulum quod juvandis possit prodesse pauperibus, nostræ consuetudini subtrahamus.* Sanctificate jejunium. Abstinentia orationi & stipi juncta virtutum omnium post se choreas trahit.

Leo serm. 6. de jejun.

§. III.

NOn autem de solâ loculorum eleemosynâ, sed de illâ etiam, quam spiritalem vocant, loquimur. Hæc in eo consistit, ut alter alteri promptam injuriæ veniam condonet, faciátque gratiam culpæ. Quid enim juvet, si excludam stomacho escam, & animo recipiam invidiam, odium, vindictam? Hoc profectò non est sanctificare jejunium, sed maculare.

Conradus Imperator Francus, Alberto Crantzio teste, Henricum fratrem Sveviæ Ducem admodum rebellem & refractarium expertus: Ergo, inquit, si aliter imperium tueri non possum, nisi ferro, experiamur Bellonæ aleam, congrediamur. Congressi sunt, Henricus Dux victus, & Sveviâ expulsus in Pannoniam fugit, ad affinem suum regem Stephanum. Non placuit regi contumacia tâm aperta & maligna. Satuit ergo affini hanc culpam efficaciter sed modestè proponere noscendam. Igitur die Parasceves imperat carnes inferri mensæ. Cohorruit Dux Henricus ad tale obsonium tali die. Cui suaviter & amicè rex Stephanus: Minus, inquit, mali esse arbitror, hoc die carnibus vesci, quàm fratri contumaciter rebellare. Benevolum auditorem reperit hoc genus moniti. Sibi dictum audit Dux Henricus, & cum Imperatore Conrado fratre in gratiam redit.

Hîc ego cum Basilio illud opportunè repetierim: Carnem non comedis, & comedis fratrem? Bove abstines, & ab invidiâ & vindictâ non temperas? cultrum coquinarium nec in gallinas, ec in vitulos, nec in boves expedimus, & gladium adversus fratrem stringimus? Frustra est, ô Christiani, fames, frustra jejunium & abstinentia, frustra sunt & vanæ religiones nostræ, quamdiu hunc invidiæ, hunc odii & vindictæ cultrum iratâ manu gerimus. Non sanctificat hoc jejunium, sed maculat. Insigniter hac de re Augustinus: *Dies isti sancti,* ait, *quos agimus in observatione Quadragesimæ commonent nos de fraternâ concordiâ loqui vobis, ut quicumque habet adversus alium querelam, finiat, ne finiatur. Dic ergo:* Dimitte nobis debita nostra. *Sed quod sequitur, vide, Noluisti enim dimittere peccatum fratri tuo, & dicturus es,* Sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. *An non*

Aug. in lib. ho. 40. mihi pag. 193.

Matth. 6. v. 12.

es dicturus? si non es dicturus, nihil es accepturus; si autem dicturus, falsum es dicturus. Ergo die, & verum dic. Quomodo dicturus es verum, qui fratri tuo noluisti laxare peccatum? Illum admonui, modo consulo. O qui quis es, si tamen es, qui dixisti fratri tuo, Dimitte mihi, quod in te peccavi: si dixisti ex toto corde tuo, si verâ humilitate, non fictâ charitate, quomodo Deus videt in corde, unde dixisti; sed ille noluit tibi dimittere, noli esse sollicitus. Servi estis ambo, habetis Dominum: conservo tuo debes, noluit tibi dimittere, interpella Dominum amborum. Quod tibi dimiserit Dominus, si potest, exigat servus. Dico aliud, admonui ergo eum qui noluit dimittere fratri suo, cùm petat ille dimitti sibi, ut faciat, quod nolebat, ne quando orat, non accipiat quod desiderat. Admonui & illum, qui petivit veniam peccati sui à fratre suo, & non accepit: ut in eo, quod non impetravit à fratre suo, securus sit de Domino suo.

Mellifluus Bernardus illam Ioelis promulgationem expendens: *Quid est*, inquit, *cœtum vocare? unitatem servare, diligere pacem, fraternitatem amare.* Iejunium pharisæi seipsum laudantis, unam tantummodo alam habuit orationem & gratiarum actionem. Imò nec hanc quidem. De hoc Augustinus: *Quid rogavit Deum*, inquit, *quære in verbis ejus, & nihil invenies. Ascendit orare; noluit Deum rogare, sed se laudare, insuper & roganti insultare.* Cœtum non vocavit Pharisæus, fraternitatem non amavit. Bis quidem in sabbato jejunavit, sed omnem jejunii vim perdidit, cùm illud malus coluber sibilaret: *Non sum sicut ceteri hominum*: velut etiam hic publicanus. O serpens! non tantùm jejunandum, sed etiam orandum, sed etiam, si quid offensus es, condonandum. Dic, ô pessime orator, dic: Sum sicut ceteri hominum, & pejor ceteris, & hoc ipso publicano nequior. Tu quidem de datis decimis multa blateras; quid de collatis eleemosynis, quid de injuriis permissis habes dicere? Num vocasti cœtum, num pacem dilexisti, num fraternitatem amasti? Hîc vir esto, sed agendo, non loquendo.

Aug. ser. 16. de Verbis Dom. circa med.

Luc. c. 18. v. 11.

Præclarissimè dixit Augustinus: *Quid prodest abstinere à carnibus, & malignis obtrectationibus fratrum membra lacerare? Quid prodest, si abstineamus ab his quæ aliquando licent, & faciamus illa quæ nunquam licent?* Ergo sanctificate jejunium.

CAPVT VII.

Quàm diversa sint jejuniorum genera.

Chronicon S. Francisci part. 2. l. 6. c. 38. mihi pag. 200.

AMator paupertatis integerrimus Franciscus Assisias inter primos socios Iuniperum numeravit, virum exactè religiosum, nec minùs tamen hilarem ac facetum. Fuit ut omnes ex eo cœnobio foràs exirent in pagos precarium victum collecturi; solus domi Iuniperus relictus tuendis ædibus. Ea occasio mirabilem homini cogitationem subjecit. Raptim ex urbe opsonii aliquid corrogavit. Liberaliter datum. Ita carnes, ova, caules, gallinas, caseos, lac, butyrum, cicer & fabas domum retulit. Mox lebetem quàm potuit capacissimũ accepit mutuum, in hunc omnia planè, quæ precariò congessit, gallinas cum plumis, ova cum testis, fabas cum folliculis, caseos cum crustis, carnes non lotas, caules non sectos, mixturâ horribili, sed simul ridiculâ conjecit; affudit aquam, substruxit ignem tamquam pulmentum Xerxis copiis cocturus. Vbi domum alii redierunt, unus attentior novum coquendi genus obstupescens, ad id spectaculi vocavit & ceteros, ut rem, quæ fieri posset, absurdissimam suis ipsi oculis arbitrarentur. Iuniperus hoc accursu non territus. Videte, inquit, mei fratres, rem sanè commodam; ut orationi tantò contentiùs vacare liceat, ego hic quod in quatuordecim dies sufficiat, coxi. Cœnobii Antistes, aspere hominem tractans, ut malè prodigum & paupertatis violatorem, verbis insigniter multavit. Iuniperus ad pedes patris provolutus veniam rogavit. Alii quidem putabant nondum hac multâ satisfactum, & levius, quàm par erat, hanc absurdissimi coci audaciam esse punitam. Sed Antistes placidè: Toleremus factum, ait, & excusemus. Non coxit quidem hic frater, quo mensa gauderet, sed quo religio. Ex hac coctura prodiit Humilitas. Hanc suo bono, nostro autem abstinentiam paravit. Non mala sunt hæc fercula, si palatum inveniant non iniquum.

V. Guardiã.

Quemadmodum autem varium prorsus coquendi, ita planè diversum est jejunandi genus. Reperias homines qui pejùs ac imperitiùs jejunent, quàm coxerit Iuniperus. Assignemus igitur discrimina jejuniorum. Quindecim minimùm invenio. Aliud namque jejunium voces Leoninum, aliud Mammonicum, Pharisaicum aliud, &c. Omnia ordine. hoc & sequenti capite recitabo.

Quindecim jejuniorum genera diversa.

§. I.

I. Iejunium Lupinum aut Leoninum. Lupus & Leo cùm suo se pabulo avariter referlerunt, aliquot diebus à pastu dicuntur temperare. Nos infrequens est, ita aliquos se cibo vinóque onerare, ut videatur in aliquot dies suffecturum. Hinc cùm luce posterâ redítur ad mensam, & quæritur, quas dentibus indixerint ferias, cur non edant? Plerumque caput fricant, & languidè respondent: Hem nimiùm heri aliorum saluti libavimus, hinc minimè salvi sumus hodie. Fastidium cibi est, non subet esse. Stomachus languet, caput dolet, amaror fauces occupat. Hinc jejunium, sed Lupinum, sed Leoninum. Vel totî triduo satis voratum est. Subit memoriam expeditio Bohemica, cùm Sereníssimus Bavariæ Elector Maximilianus Austriam & Bohemiam armis in potestatem Cæsaris redigeret, ego dum castra sequor, in Grätzenstain arce nobilissimâ militem ad portas excubantem observavi, qui protervià militari: Me malus genius, inquit, abripiat, ni triduum aut quatriduum inediam fero, si priùs semel largiùs me invitavero. Quatriduanum hoc jejunium est quidem prolixum, sed Leoninum.

I. Iejunium Leoninum.

Sunt alii, qui ad prandium cenámve opiparam invitati famem ideo colligunt, ut eò differant, tantò lautiùs cenaturi, quantò ventrem attulerint capaciorem. Sunt qui diebus jejuniosis, ita piscibus & esculentis aliis sese farciant, ut ventrem habeant pro tympano; aut ita se vino sepeliant, ut in horas plurimas nullam famem sitimque sentiant. Isaias & Zacharias contentè vociferantur: *Numquid tale est jejunium, quod elegit Dominus? numquid jejunium jejunastis mihi?*

Isa. c. 58. v. 5. Zach. c. 7. v. 5.

II. Mammonicum jejunium, seu avarum. Sunt qui divitiis Crassum superent, & nesciant quid faciant auro, nihilominùs parsimoniâ illaudabili non virtuti esuriunt, sed tenacitati. Et en specimem convivii quod struxit avaritia. Suum vir ditissimus cognatum invitarat, præter ceteram ferculorum seriem, quam facilè conjicies, ovum sed unum atque unicum apposuit cum dicto: Heus cognate, manum admove; hoc ovum sorbeamus intinctibus alternis. O sordes Euclioni erubescendas! Hoc non Deo, sed Mammonæ aut Pluto jejunare est. Sed certè condus quærit promum; & Comici vaticinio: Quod ille compar sit miser, id alii universum abripient. Abstinentiam hanc miserabilem Ecclesiastes deplorans: *Est & aliud malum*, inquit, *quod vidi sub sole, & quidem frequens apud homines. Vir cui dedit Deus divitias & substantiam, nec tribuit ei potestatem Deus, ut comedat ex eo, sed homo extraneus vorabit illud.* Hi tales sordidissimi jejunatores, non pomum, non pirum, non alios fructus comedunt recentes, sed putri-

II. Mammonicum.

Terentii.

Eccles. c. 6. v. 1. & 2.

putredine læsos & marcescentes. Hinc filius herilis socios in sui parentis hortum deducens: Heus sodales, inquit, hoc caveté unicè, ne quid putridorum fructuum attingatis; meo parenti asservantur. In ceteris libertas esto, carpendi & vescendi quidquid collubitum fuerit. Sic & avaritia jejunat. Sed *numquid hoc tale est jejunium, quod elegit Dominus.*

Isa. c. 58. v 5.

III. Manichaicum seu hæreticum. Encratitæ, Manichæi, Marcionitæ vino & carne abstinuerunt, non carni castigandæ, sed quia hæc impura censuerunt, & à Satanâ, non à Deo condita. Hæc jejuniorum monstra prædicens Paulus: *In novissimis temporibus*, inquit, *discedent quidam à fide, attendentes spiritibus erroris, & doctrinis dæmoniorum prohibentium nubere, abstinere à cibis, quos Deus creavit ad percipiendum cum gratiarum actione fidelibus, & his qui cognoverunt veritatem; quia omnis creatura Dei bona est.* Cœlesti hac eruditione Augustinus in Faustum Manichæum pugnans: *Videtis*, inquit, *quam grande sit discrimen inter abstinentes à cibis propter sacratam significationem, aut corporis castigationem: & abstinentes à cibis quos Deus creavit, dicendo quod Deus eos non creavit: doctrina illa Prophetarum & Apostolorum est, hæc diabolorum.*

III. Manichaicum.

1. Tim. c. 4. v. 1. 3. & 4.

Aug. l. 31. contra Faustum Man. c. 5. & 6. His nō multū absimilia videbūr apud Florimundū Remund. part. 2. de Ortu hæresum l. 6. c. 16. mihi pag. 300.

Quæstio sit, num etiam Dominicis aut festis diebus jejunare liceat? Omnino licet, modò absit prava, quam diximus, intentio. Ita vel ipso Nascentis aut Resurgentis Christi Domini die valetudinis aut pietatis ergò jejunare non vetitum, modò Christiana consuetudo, quæ cibos offert, non sit contemptui. Diebus solis tempore cineralium priscus Ecclesiæ mos est cenare, ad obsistendum Arianis, qui eo die jejunandum ajebant. Sed *numquid hoc tale est jejunium, quod elegit Dominus?*

§ II.

IV. Hypocriticum. IV. Pharisaicum seu Hypocriticum. De Pharisæorum & Hypocritarum jejunio Christus dilucidissimè: *Exterminant*, inquit, *facies suas, ut pareant hominibus jejunantes. Amen dico vobis, quia receperunt mercedem suam. Tu autem cùm jejunas, unge caput tuum, & faciem tuam lava, ne videaris hominibus jejunans.* Pharisæorum & Hypocritarum proprium est venalem habere sanctimoniam, quam oculis vendant impendio levissimo. Orant illi, & vigilant, & jejunant, & eleemosynas erogant, dum eos aliqui spectant, aliqui etiam laudant. Remunerator illorum, spectator eorum est. Spectari ab aliis, pro virtutis suæ pretio habent. Cùm desunt spectatores, illi desinunt esse actores. His officiis omnia sua palliant. Nam multò majorem rationem ducunt bonæ commendationis, quàm bonæ rei: mercatores stultissimi, qui merces optimas pretio vilissimo, inani vendunt gloriolâ. Cùm Pharisæus in templo diceret: *Iejuno bis in sabbato*: seipsum adeò circumspexit, ut procul à se stantem penitus despiceret: *Velut etiam hic publicanus*, homo nihili, triobolaris, virtutis nullius. Videte jejunatorem Thrasonem. *Numquid hoc tale est jejunium, quod elegit Dominus?*

Matth. c. 6. v. 16. 17. & 18.

Sanctimonia venalis est apud Hypocritas.

Luc. c. 18. v. 12.

Ibid. v. 11.

Isa. c. 58. v. 5.

Matth. c. 6. v. 17.

Tu ergò unge caput tuum, & faciem tuam lava. Non opus est humanos oculos exire, cùm jejunas, sed opus est, ut humanis oculis jejunium tuum non vendas. Pallescat an tubescat facies, tu Deum attende; homines te videant aut non videant, juxtà habe, jejuna Deo, ora & vigila Deo.

V. Valetudinarium. V. Valetudinarium, seu medicum. In morbo primum est, præcipere, quibúsnam cibis abstineat æger, cerevisiam & vinum fugiat, aquam coctam bibat, carnes & omnem cibum valentiorem caveat, caseum stomacho nihil obsequentem omittat, jusculis aut offulis vivat. Tanti momenti sunt præceptiones istæ, ut mortem vel prævertere, vel jam præsentem non difficulter possint expellere. Severus Imperator quolibet mense, die integro nil cibi admisit, quotidie horam unam obambulavit, venam numquam aperuit, ita rigidiore vivendi lege morbum omnem à se abstinuit. Hoc suprà jam satis demonstratum arbitror. Et ipsa ubique loquitur certissima experientia, sed & ubique innumeros patitur oblocutores. Hic illud commodè usurpem, quod Iudæi oblatrantes Paulo: *De secta hac*, inquiebant, *notum est nobis, quia ubique ei contradicitur.* Notum est homines etiam eruditos, quod summè miror, fatu reluctari & obstrepere, atque jejunium tamquam valetudini parum favens & amicum accusare. Abstinentiæ ubivis pæne locorum contradicitur. O ignorantiam miserabilem, superi! Hic profectò ipsa cum Servatore vociferatur experientia: *Qui potest capere capiat.* Nos autem hac in re fatuè increduli, ideò quod affirmatur, nolumus capere aut credere, quia nolumus experiri; vel, si molestior fiat experientia, mox resilimus, & abrumpimus cœpta. Sentire jejunium horremus. Hinc plurima in illud convicia nascuntur. O delicatuli! ô milites Christi minimè generosi! ô membra nimis tenera sub spinoso capite!

Act. c. 28. v. 22.

Abstinentiæ ubique contradicitur.

Matt. c. 19. v. 12.

Beatus Lucas Christum Magdalenæ hospitem describens, illud Domini ad Martham singulariter refert: *Porrò unum est necessarium.* O Martha nimium sollicita, ut multitudine ferculorum cenam instruas! Quid opus multis? unum satis est. Didacus Stella optimus Lucæ interpres ità dictum explicat: Si unicum, ô Martha, ferculum pares, satis est: certè unum cenaturis necessarium est. Hanc Deus, hanc Christus Dei filius consuetudinem tenuit, ut non nisi unicum suis convivis ferculum apponeret. In solitudine Israëlis plebi vel manna vel coturnices dedit. Eliæ corvi cum pane detulerunt carnes; potum flumen publicum subministravit. Danieli in leonum caveam pulmentarius messorum cibus submissus est. Christus cum pane hordeaceo solùm apposuit pisces. Atque hoc sæpius factum. Missu Deus unico vel amicissimos pascere consuevit. Verissimum vetus metrum:

Luc. c. 10. v. 41.

Si cupis sanus, ama quæ vivere, unus sit cibus;
Cibi varietas causa morborum omnium est:
Morbis carēt cūi simplex est alimonia.

Trochaïs & Iambis.

Repeto vel centies, vel millies. Pharmacum pharmacorum omnium est jejunium.

VI. Philosophicum seu rationabile. Diogenes aliique plures ejus farinæ homines famem & sitim didicerunt ferre ob epiikiam. Videbatur illis ratio virtutis id postulare. Æquum, bonum, decorum, arbitrabantur id facere. Æquitatis partem censebant his miseriis esse superiorem tolerando. Diogenem, Laërtio teste, Aristippus fortè conspicatus ad fontem olera lavantem: O Diogenes, inquit, si Dionisii regis moribus tuos accommodare posses, olus certè non esses. Mox Diogenes promptus: O mi Aristippe, ait, si tu olus comesse velles, Dionysii assentator non esses. Fames philosophis priscis non ignota.

VI. Rationabile. Eruditos æquum, bonum, arbitrantur. Priscis philosophis non fuit ignota fames.

Suidas memorat, Zenonem Citticum, qui nonagenarius obiit, subindè cibo tamdiu abstinuisse, dum inediâ deficeret. Sciverat Zeno, quò jejunium tam contumax conduceret. Illa sanè argumentatio refutari non potest, quamplurimos inter quotidiana & rigida jejunia evasisse ad octoginta, nonaginta, ad centum & plures annos. Nos Medicum & Philosophicum jejunium neutiquam damnamus; bonum est, quia valetudini ac rationi congruum. Ad cælum verò lucrandum sublimior sit finis, sanctior intentio.

Suidas in pag. 366.

VII. Politicum, seu civile. Apud Batavos & alibi locorum publicæ legis est, ut statis in hebdomade diebus imperium mensæ pisces teneant, exclusis carnibus. Quod damno duplici avertendo cautum est. Primum, ne pecoris continuus usus, e usdem demum adferat penuriam. Alterum, ut piscium ingens numerus

VII. Civile.

tantò

tantò fiat venalior. Sic prudens œconomia parcit pecori, & piscium foro pretium conciliat. Iejunium non malum. Sed *Numquid hoc tale est, quod elegit Dominus?* Quòd si magistratui politico tantùm sit jus in suos cives, cur Ecclesiæ & sacrorum Præsulibus non sit in sibi subditos greges? Vt pretio parcatur & sumptibus, carnes arcentur mensis; ut consulatur animo, non liceat mensæ modum ponere? Illud est jejunium, quod elegit Dominus, cùm corpori castigando, noxis eluendis, promeritis augendis, iræ Numinis placandæ, orationi promovendæ, cælo desiderando dapes facessere jubentur. Politicum illud jejunium non malum, nam absque hoc esset, provinciæ & populi pessum irent. Sed politico melius quod elegit Dominus. Ninivitæ profectò non ideo temperarunt à cibo, ut ovis & butyro, ut perasonibus aut macello parcerent, sed ut apud offensum Numen in gratiam redirent, ut cælum armatis precibus expugnarent. Non enim negotiatio Iejunium est, ut lucrum faciamus non edendo, sed ut quod manducaturus eras, pauper pro te comedat, fiátque tibi duplex bonum, tum quòd tu jejunas, tum quòd alius non esurit. Hoc est jejunium, quod elegit Dominus: *Convertimini ad me in toto corde vestro, in jejunio, & in fletu, & in planctu.*

Isa. 58.

Jejunium est negotium, quo fit jejunanti duplex bonum. Cassi. to. 5. Spir. l. 1. de jejunio mihi pag. 773. Isid. l. 2. c. 12.

§. III.

VIII. Violentum, seu coactum. Sunt homines decoctores, patrimoniorum gurgites, qui comessando pecuniam omnem devorent, & faciant proterviam. Denique nec quod molant, nec quod mandant habent. Hi quidem latrantem ferunt stomachum, & dentes habent exercitatos, & ventrem condendo vino capacissimum, sed marsupia arenarum plena, & nullus in culinâ fumus ciborum ferias indicit. Velint, nolint, jejunandum est. Ita prodigus ille juvenis jejunare cœpit, postquam † *dissipavit substantiam suam vivendo luxuriosè.* Ientaculum nimis lautum, serum fert jejunium. Esurialis cena prandium nimis opiparum comitatur.

VIII. Coactum. *Proterviæ, sacrificium erat in honorem Vulcani institutum, quo victima & quidquid ad sacrificii spectabat, comburebatur. Alexander Neapol. l. 3. c. 12. Hinc decoctores omnia dilapidates proterviam fecisse dicebantur.*

Sunt alii, qui rem minimè confregerint, nec abliguriverint bona, & tamen in egestate sint sine lare & foco, araneante semper stomacho. Hi optimè jejunant, si casu oblata flectant ad consilium, & in rationem vertant necessitatem, si quod superis placet, patienter ferant. Deus hoc jejunium sæpe ingerit etiá nolentibus.

† *Luc. c. 15. v. 13. Luc. c. 23. v. 41.*

Dum hæc scribo, Germania tota continuis bellis exhausta, *postea esuriit.* Quot enim fame mortui? quanta fames prælusit pesti? *Et nos quidem juste, nam digna factis recipimus.* Animo Germaniam obi, & in eâ quotidianas helluationes, convivia creberrima, diurnas nocturnásque perpotationes, structissimas mensas, exquisitissimas epulas, erubescendum numerum ferculorum, spectacula patinaria, bellariorum copiam, cupedinarios apparatus modum omnem excedentes cogita: Metas & limites omnes transilimus. Sunt quidem cenarum leges; non servantur: frequens est annonæ caritas; non curatur: est certa convivalium sumptuum moderatio; ridetur: symposia in tabernis publicis prohibentur; instituuntur clanculum. De jejuniis taceo; vix ulla sunt, aut coacta. Ita demum cogitur Dominus exercituum Deus, bellorum cladibus rebelles in ordinem redigere. Perinde si diceret: Quod recusatis sponte facere, hoc saltem cum ratione facite coacti: Voluntaria quidem sacrificia mihi gratissima, non ingrata tamen coacta, modò patientiæ sint conjuncta. Voluntariè igitur sacrificemus Domino; sponte jejunemus ad promeritum, ne jejunare cogamur ad supplicium.

CAPUT VIII.

Quæ alia sint jejuniorum discrimina.

ASSIGNARE cœpimus discrimina jejuniorum. Pertexenda est hæc tela. Quando igitur discrimen octuplex datum, hîc reliqua subjungemus.

§. I.

IX. Discrimen: Iejunium antiquum Ethnicum. Vetus Comicus à priscino, jejunosos dies & ferias esuriales sæpius promulgat. Diabolus Deo similius inter ipsos etiam idololatras sua sibi habuit jejunia. Initiandi sacris Isidis decem dierum jejunia inire cogebantur. Amphiaraus vates censebat sacerdotibus responsum clarum aut accepturis aut daturis die soldo jejunandum, & triduo vini usu abstinendum. Apud Trœzenios ad Ardali aram oraculum auditurí diem unum à cibo, tres dies à vino temperabant, teste Alexandro Neapolitano. Tarentini, quod Ælianus [a] refert, à Romanis obsessi valde veriti sunt, ne in jus ditionémque Romanam concedere cogerentur. Eam ob causam socii Tarentinorum Rhegini in decimum quemque diem indixere sibi jejunium, & omnem victum, cui parsum est, Tarentinis concessere. Romanis obsidionem solventibus, Tarentum solennia esurialia & festum diem decrevit in monimentum rei perpetuum. Esurimus igitur diabolo? cur non & Deo?

IX. Antiquum ethnicum. *Plautus in Captivis & alibi. Madau. est. l. 11. Metamorphos. Solstern. l. 11. Antroph. c. 4. Ab aliis Aridalus appellatur. in cujus aræ Sono fiebat & Musis res divina. Hîc accepturi responsa die integrum à cibo, à vino autem triduum abstinebat. Alexand. Neapol. l. 6. Dierum Genial. c. 2. mihi pag. 320. Celius Rodigin. l. 27. Antiq. lect. c. 16. mihi pag. 1039.*

[b] X. Turcicum. Mahometes suis mensem integrum (Romandam vocant) singulis annis jejunium præcepit, idque in animi grati significationem, quòd eo mense legem accepisset. Hujus jejunii legibus solvuntur soli viatores & ægroti. Nec tamen religione penitus liberantur: nam ubi suum iter illi, hi morbum suum finiverint, ceterorum lege stringuntur. Deinde cædem viri boni jejunium luit bimestre; ægrotus inediæ impatiens eleemosynis dandis, non fame tolerandâ multatur. [c] Ita Illustrissimus Princeps Radzivillius Palæstinæ peregrinus me docet. Addit: Annuum Turcæ jejunium ordiuntur, quàm primùm Septembri mense lunam conspicantur novam; durátque esurialis hæc religio ad interlunium Octobris. Diebus aliquot ante principium hujus solennis jejunii omnes turres ab imo ad fastigium summum lampadibus cingunt, quas post solem occasum incendunt. Hoc in urbe amplâ, qualis est Cayrum, spectaculum repræsentat pulcherrimum. Iejunii Turcici ritus est, die toto abstinere cibo, noctu vorare quantum vel ventri vel appetentiæ placet, dummodò cesletur ante ortum solem horâ unicâ. Mi Deus, Mahometes præcipit jejunium, & obeditur: Christus jejunium imperat, & reclamatur.

[a] *Ælian. l. 5 Var. hist. c. 20.*

[b] *X. Turcicum. c. Radzivil. ep. 3 Hodœporici, mihi pag. 187.*

Ritus jejunii Turcici.

XI. Melancholicum jejunium, quod è tristitiâ & mœrore nascitur. Rex Assuerus plenus tædio & altis cogitationibus mersus, *noctem illam duxit insomnem.* Parcam utique cenam habuit, cui somnus tam parcus, imò nullus fuit. Abstinentiæ caussa cogitabundus mœror. Hebræus rex Achab, cùm Nabothi vineam sibi venalem fieri voluisset, & repulsam tulisset, *venit in domum suam indignans & frendens super verbo quod locutus fuerat ad eum Naboth Iezrahelites dicens: Non dabo tibi hereditatem patrum meorum. Et projicens se in lectulum suum, avertit faciem suam ad parietem, & non comedit panem.* Hoc certè jejunium non elegit Dominus: sed seipsum Achab corrigens sanctiùs esurire didicit. Idcirco illum Eliæ monstrans Dominus: *Nonne vidisti, ait, humiliatum Achab coram me?* (nam operuit cilicio carnem suam, jejunavitque & dormivit in sacco, & ambulavit demisso capite) *quia igitur humiliatus est mei causâ, non inducam malum in diebus ejus.*

XI. Melancholicum. *Esther. c. 6. v. 1.*

3. Reg. c. 21. v. 4.

ibid. v. 29.

Cùm

Cùm Darii regis Satrapæ clandestinis invidiæ machinis eò rem deduxissent, ut Daniel insons leonibus objiceretur discerpendus; *Abiit rex in domum suam, & dormivit incenatus, cibique non sunt allati coram eo, insuper & somnus recessit ab eo.* Valetudini consuluit Darius (quod velim observes Lector) quia durante mœstitiâ cibatum omnem rejecit. Nam dum animus tristitiâ, curis, ægrimoniâ, similíve affectu vehementi quatitur, corpus reficere supra modum noxium est. In venenum pæne transit alimentum, quod tali tempore ingeritur. Consultius est impransum aut incenatum durare, quàm manducare quod in noxam rapiat urgens affectus. Cùm reficiendum est corpus, liber sit animus, mœrore ac gravibus curis solutus.

Dan. c. 6. v. 18. Quomodo Darius cõsuluerit valetudini.

§. II.

XII. Superstitiosum.

XII. Superstitiosum jejunium. Reperias homines, qui escarium orbem cui aliquando carnes impositæ, quibullam in quâ carnes lixæ, rejiciant esuriali die. His suaserim dentes sibi omnes carnium molares eximi curent, ne, sit, quod Veneris aut Sabbati die anxiam religionem turbet. Superstitio, religionis excessus est. Ita sunt, qui Paschatis, aut ceteris diebus aliis singulari situ jejunent febri cavendæ in eum annum. Superstitio luculenta. Quidquid horum est, religionis excessus est. Hunc Paulus damnans: *Quæ sunt omnia*, inquit, † *in interitum ipso usu, secundum præcepta & doctrinas hominum.* Omnibus planè diebus anni jejunare licitum, modò absit superstitio. Iejunare, & unà Deum rogare, febrim avertat, dolores auferat, morbos corrigat, pium ac Christianum est: at verò re quapiam sacra * conditionibus certis applicatâ non dubiam febris aut morbi alterius medelam polliceri, vanum, ridiculum est, doctrina hominum, superstitio est.

A Paschate ad Pentecosten antiquissimo ritu cessant jejunia; non tamen prohibiti est, iis etiam & Dominicis diebus jejunare.

† *Coloss. c. 2. v. 22.*

* *Aut aliâ quâ in Christians agat.*

XIII. Iracundum jejunium. Pœne quotidianum est, cùm parentes liberis, viri uxoribus, domini famulis bilem movent & incendunt irâ, liberi, uxores, famuli fremebundi cibum rejiciunt, & esse nolunt. Sic alter alterum non raro exacerbat, ut mensam recuset accumbere, & bile fremens alimoniam spernat. Hîc duo subnotem. Primum est, dum sævit ira, similísve potentior affectus temperare ab escâ consultissimum: quod enim paullò antè diximus de tristitiâ & ægrimoniâ, idem de hac commotione animi potentissimâ rectè asserimus; in venenum abit cibus irâ durante sumptus. Nequis animo exturbare iram? saltem stomacho non admitte escam, dum ardet ira. Priusquam edas,

XIII. Iracundum.

Virg. l. 1. Æneid. — *motos præstat componere fluctus.*

Tutissimum hîc jejunium, si sanitatem spectes; si cælum attendas, vix ullius pretii tale jejunium est, quoniam radix illius mala. Alterum: Christianæ virtutis est, iræ ignes coërcere, mox aquam affundere, ad lenitatem os componere, vultum & animum, quoad ejus fieri potest, serenare, atque sic adire mensam, alioquin altiores agit radices ira, quàm ut facilè convelli possit.

Res gestæ Apostolorum docent, Iudæorum supra quadraginta conjuratis odiis in Paulum grassatos, ita quidem ut devotione pessimâ se devoverint, nec cibi nec potûs quidquam libaturos dum Paulum jugularent. Iejunium iracundum & vindictæ cupidum, jejunium pessimum. *Numquid hoc tale est jejunium, quod elegit Dominus?*

Act. c. 23. v. 12.

Isa. c. 58. v. 5.

§. III.

XIV. Mortuum.

XIV. Mortuum seu vitiosum jejunium. Mortuum appellamus, quod caret animâ, seu intentione rectâ. Sit quantumcunque licet serium, sit rigidum, sit diuturnum jejunium; si recta desit intetio, vitiosum, mortuum est. Optimas quásque actiones corrumpit prava intetio. Est qui jejunet, aut mensam accumbens parcissimè comedat, non virtutis studio, sed ut videatur esse modici cibi, & laudetur. Alius jejunat, sed curiosatus: ut rem novam atque curiosam videat audiatque, cibi pæne obliviscitur, & suaviter fert famem. Iejunium hoc ceterà non improbum, sed curiosum. Iejunat alius, sed ut nequitiam moliatur non plebeiam; jejunium hoc verè nequam est. Ita venator dum feris insidias struit, ita ministrator dum mensæ siccus assistit, ita & amator dum fidium cantu domum amicæ celebrat, ita piscator dum in scopulo prædam expectat quam hamo trahat, ita aleator quem ludendi aviditas rapit, sic alii plurimi quos aut lucrum inescat aut voluptas, inediam non difficulter tolerant: sed *numquid hoc tale est jejunium quod elegit Dominus?* Finem illius, sive intentionem inspice, & invenies corruptum vitiosum, mortuum. Qualis scilicet radix, tales & rami.

Isa. cit.

Ad vitiorum jejunium refero immoderatum. Sunt qui ultimo, triduo verni jejunii, aut aliàs, ultra consuetos limites cibis abstineant, dein repentè ventrem epulis distendant. Animo non consultum, valetudini noxium. Omnia sale condienda. Subitus nimiúsque imber non tam rigat quàm subvertit arva. Petulâti equo pabulum ita subducendum, ut tamen par esse possit laboribus. Abstinentiâ non tam caro enervanda, quàm carnis vitia. Paulus *obsequium exigit*, sed *rationabile*. Hieronymus ventrem semper esurientem biduanis ac triduanis præfert jeiuniis. *Nam asellus*, inquit, *in viâ lassus quærit diverticula.* Corpus nimis exhaustum otia sectatur & solatia. Si nimiùm intendantur in chely fides, rumpuntur. Si laxentur nimiùm, aut non respondent, aut malè. Placet Deo jejunium, sed non exorbitans, non extra metas effusum. Hieronymi præceptio est:

Rom. c. 12. v. 1. Hieron. ad Lætam.

Sic comedat, ut semper esuriat, ut statim post cibum possit legere, orare, psallere.

Ibidem.

XV. Religiosum, verum, Ecclesiasticum jejunium. *Bona est oratio cum jejunio & eleemosynâ.* Vt autem verum ac religiosum sit jejunium, quod Dominus elegit, quid faciendum? Quid quæso faciunt, qui urbem sibi sumunt oppugnandam? vi atque impressione illam aggrediuntur. Tutissimus verò aggressus & securissima impressio est fame urbem cogere ad deditionem. Cùm impetus in hostem datur, aliquot subinde millia militum cadunt, & nihilominus re infectâ recedendum. Lentis quidem sed validis cogit imperiis fames. Ita prorsus optimè facit, qui moderatis per annum jejuniis inferiores animæ vires, & suas libidines expugnat. Sunt qui hebdomade magnâ severissimè jejunent, omni anno reliquo cuticulam curent impigrè. Non probamus. Obside castrum, quod cupis expugnatum, obside, & fame in potestatem redige, imperium corporis abstinentiâ & jejuniis per totum annum imminue: Ancilla pareat, domina jubeat: Serviat corpus, non regnet: moderatâ fame discat mitescere. Abstinentiâ vincetur ejus petulantia. In hunc finem tres damus præceptiunculas.

XV. Religiosum. *Tob. c. 12. v. 8.*

Pro abstinentia præcepticula.

§. V.

PRima: *Certa sit & constans diæta.* Non expedit modò multum, modò modicum, modò nimium ingerere? æqualitas & proportio sit in alendo corpore. Quamvis non negem post opimum prandium rectissimè sequi præparcam cenulam, seu, unicum & simplex ferculum. Sed de hoc aliàs fusiùs. Hîc solum Senecæ illud ac monitum summè necessarium instillo: *Sciat unusquisque mensuram sui stomachi, ut possit sibimet ita imperare.* En tantum cibi potúsque tibi sufficit in prandium, in cenam tantum; sic durabis sanus: omnia cetera sunt superflua. Hoc igitur ratum fixúmque esto; hæc tua sit mensura. Chrysostomus hoc loco audien-

1. Certa & constans diæta.

Senec. ep. 83.

audiendus de superfluis abdicandis saluberrimè instituens: *Vis*, inquit, *corpus alere? tolle superflua: da ei, quod satis est, & quantum concoquere potest; non ipsum aggraves, non submergas. Nihil ita voluptatem parit, sicut cibus bene digestus. Cibus sufficiens & voluptas, & alimentum, & sanitas est: Plus autem, & pernicies, & ægritudo, & fastidium.*

Chrys. hom. 55. ad pop.

Sunt & alii quos Augustinus deplorans: *Sunt*, inquit, *quidam observatores Quadragesimæ delicioſi potiùs quàm religioſi, exquirentes novas suavitates magis quàm veteres concupiscentias castigantes, qui pretiosis copiosisque apparatibus fructuum diversorum quorumlibet varietates & sapores superare contendunt. Vasa in quibus coctæ sunt carnes, tamquam immunda recusant, & in carne suâ ventris & gutturis luxuriam non formidant. Iejunant, non ut solitam temperando minuant edacitatem, sed ut immoderatam differendo augeant aviditatem. Nam ubi tempus reficiendi advenerit, opimis mensis tamquam pecora præsepibus irruunt, ventréſque distendunt. Artificioſi & peregrinis condimentorum diversitatibus tantum capiunt manducando, quantum digerere non sufficiunt jejunando. Sunt etiam qui vinum ita non bibunt, ut aliorum expreſſionem pomorum aliósque sibi liquores non salutis causâ, sed jucunditatis exquirant: tamquam non sit Quadragesima piæ humiliationis observatio, sed novæ voluptatis occasio. Quantò enim honestius esset, ut qui propter infirmitatem stomachi aquam potare non poterat, vino usitatò & modico sustentaretur? Quid autem absurdius quàm tempore, quo caro arctiùs est castiganda, tantam suavitatem carni procurare, ut ipsa faucium concupiscentia nollet Quadragesimam præterire? Quid inconvenientius, quàm diebus humilitatis, quando parum victus omnibus imitandum est, ita vivere, ut si toto tempore sic vivatur, vix possint victum patrimonia sustinere? Cavete istа, dilectiſsimi, cogitate, quid scriptum est.* Post concupiscentias tuas non eas. *Quod saluberrimum præceptum si omni tempore observandum est, quantò amplius his diebus, quando ita turpe est, si cupiditas nostra ad inusitatas relaxetur illecebras, ut meritò culpetur, qui non restrinxerit usitatas.*

Aug. to. 10. in appendice ſer. 86. mihi pag. 711.

Deut. 18. v. 30.

Altera: *Fames ad mensam ducat; fames cibos condiat.* Accumbere mensam cùm nulla vel exigua est cibi appetentia, non superfluus solùm sed & noxius est labor. Cur equo alterum affundam pabulum, cùm nondum devorârit primum? ad cibum corpus admittere priori nondum digesto, non alimentum, sed noxa & venenum est. Hîc millies, hîc centies millies, hîc infinities, erratur quotidiè tam à sanis quàm ægrotis. Plurimos ægrotorum videas non pasci sed obrui: nam modò jentaculum, modò prandium, jam merenda, jam cena, jam pocæniolum fertur; modò jusculum, modò pulticula, modò olusculum, jam piſciculi, jam pars pullastri proponitur: nunc scitamentum, nunc exsudatæ aquæ, nunc electuarium, nunc mulsum, nunc bacculæ, nùc cerasa duracina melle macerata ingeruntur, quandoque etiam nolentibus. O sedulam benevolentiam, sed fatuam & noxiam! Et quando sic obrutus vacat à labore stomachus? Sed aiunt vires ægroti crebriore cibo excitandas. Non quidem hoc fatuum, sed subinde fallax & nocivum. Ego vix ullum ægrum sæpiùs quàm ter, summum quater de die reficiendum judico: & istud quidem pauciſsimis concesserim. Reverà non interest quàm multum ingeratur, sed quàm bene, quod ingestum, digeratur. Jusculum unicum, & sorbilium par ovorum satis in diem totum alimenti est ægro, modò illud bene concoquat.

2. Fames ad mensam ducat; fames cibos condiat.

Illud & aliis debilioribus aut famis impatientibus fuaderi poterit, ut horâ matutinâ septimâ jejunent, prandeant circa meridiem, vesperi cenent. ſed parcius, vigilande noctis.

Hîc, ô viri doctiſsimi, liceat pace vestrâ dicere, ô Clariſsimi Medici, non pauci vestrûm peccant nonnumquam ignorantiâ, frequentiùs tamen nimiâ in ægrum indulgentiâ. Novi ægros, & quidem optimates, quibus sexies de die aut septies sorbendum aliquid oblatum. Bene manè initium factum horâ quintâ, propinatum jusculum è gallo gallinaceo cliquatum. Horâ septimâ sequebatur offula. Dein prandium non satis tenue ad recreandum enervem stomachum. Accedebat vinum generosum, non lymphatum, ægro venenum. Horâ tertiâ post meridiem aderat sorbitiuncula. Post pauculas horas cenula æquo liberalior. Denique post sesquihoram pocæniolum, vel par ovorum. Ohe, his tot sorbitiunculis atque refectiunculis rectè digerendis unici hominis & quidem ægroti ventriculus sufficiat? Sanum in lecto componite, motu careat, toties támque diversa sorbeat; demum ægrotabit. Quid jam ægroto fiat? inedià & fame longè tutiùs pugnatur in quemlibet morbum. Non implendus, non fatigandus, non obruendus escâ stomachus. Cum veniâ dixerim: Edendo tumbam præproperè subimus. Hæc præcipuè ægrotis dicta sunt.

Hoc alibi copioſiùs demonſtratum.

Catarrhos falsos, & morbos biliosos paullò indulgētiùs tractaverim.

Nec aliud sanis instillo: Fames ad mensam ducat. Fames cibos condiat. Nec enim alius umquam ingerendus est cibus, quàm prior sit digestus. Non alimentum, sed noxa & venenum est cibus, qui stomacho prioribus digerendis adhuc occupato injicitur. Digere priùs; pòst ingere. Quemadmodum verò non accedendum ad mensam ni fames præeat, ita recedendum à mensâ non omni penitus extinctâ fame: saltem aliquid appetentiæ supersit. Surge, dum adhùc comedere liberet. Saluberrimum est, numquam omnem jugulare famem.

3. Abstinentiæ calendarium sæpius inſpiciendū.

Tertia præceptiunculâ: *Abstinentiæ calendarium sæpius inspiciendum.* In hoc jejunii studio non solùm Ecclesia, sed & pietas privata suos sibi intercalares dies designet, quibus & valetudini & animo consulatur abstinendo. Creberrimum est prandium plus æquo copiosum; ad sarciēdam hanc noxam abstinentia intercalarē diem suggerat, qui cenam vel modicellam vel nullam ponat. Atque hîc potiſsimū illud Augustini monitum in mente sit: *Cibum ut pharmacum sume, certo pondere, certâ mensurâ, certo tempore.* Profectò catapotia seu aureæ pharmacopolarum sphærulæ non voluptatis causâ glutiuntur, sed sanitatis. Deinde hoc ipsum abstinentiæ calendarium crebriùs inspectum diem Veneris aut Sabbati nonnumquam, aut pervigilium alicujus è cælitibus jejunio colendum suadebit, hoc monitu: En diem Christo patienti sacrum, aliquid cibi subtrahe in Christi gratiam: jejuna. En festum cælestis Puerperæ diem; in gratiam divinæ Matris Virginis jejuna. En pervigilium Christiani Martyris, in gratiam heroïs fortiſsimi jejuna. Fac tibi amicos, quod Christus suadet, beatos Cælites, non comeſsando, sed eorum jejunia imitando. Facies autem amicos eâ maximè ratione, si quod tu comederes aut biberes, pauperi mittas aut ægro. Geminatum Deóque gratiſsimum est jejunium, si fiat refectio pauperis, abstinentia jejunantis. Conceptiſsimis Chrysologi verbis finio. *Beati qui nunc esuriunt. Est jejunium pax corporis, membrorum decus, ornamentum vitæ. Est jejunium robur mentium, vigor animarum. Est jejunium castitatis murus, pudicitiæ propugnaculum, civium sanctitatis. Est jejunium schola meritorum, magisterii magisterium, disciplinarum disciplina. Est jejunium invictus Christianæ militiæ principatus. Est jejunium vitiorum mors, vita virtutum.*

Petr. Chryſ. ſerm. 8. de jejunio & eleemoſynâ mod. mihi pag. 26.

CAPVT IX.

Quæ quadragintadialis Iejunii sit origo & religio.

ANTÆAS rex Schytarum, quod Plutarchus memorat, epistolam dedit ad Regem Alexandrum Macedonem hac clausulâ: Tu quidem Macedonibus viris imperas, qui in hostem pugnent; ego autem Scythis, qui famem & sitim non oppugnare tantùm

tùm, sed eam etiam superare possint tolerando. Hoc dixit: Periisti Rex Macedo, si tibi non semper in promptu sit commeatus: Mei Schytæ hac in parte multò robustiores; esurire ac sitire didicerunt.

Christianæ disciplinæ scitum est satis liquidum, neminem nec fortem, nec eruditum, nec sapientem posse censeri, qui appetentiam coërcere, qui gulam vincere, qui genium fraudare nesciat: infirmus nimiùm, & ineruditus, ac stultus est, qui ori esculento non potest moderari. Iejunium & abstinentiam hoc docent, ut hactenus demonstratum est.

Assignavimus complura jejunii discrimina. Superest, ut compendio disseramus, quâ origine, auctoritate, religione cœperit quadragintadiale jejunium.

§. I.

Ab initio nascentis Ecclesiæ & Apostolorum ævo jejunium majus & vernũ cœptum est observari. *Aug. to. 2. epist. 119. ad Ianuar. c. 14. mihi pag. 218. Exod. c. 34. v. 28. 3. Re. c. 19. v. 8. Matth. c. 4. v. 2.*

IEjunium majus & vernum, seu hebdomades, quæ anniversariam Christi morientis memoriam præcurrunt, initio Nascentis Ecclesiæ & Apostolorum ævo cœperunt observari. Hîc una vox & maximus priscorum Patrum consensus. Testes præ aliis Origenes, Basilius, Ambrosius, Augustinus, Hieronymus, Chrysostomus, Leo, Bernardus, ceteri.

Eruditissimus juxtà & sanctissimus Augustinus, quem honoris causâ jure primum nomino, cujus & libros summè veneror & exosculor, Augustinus, inquam, priscorum Patrum gemma, cœlesti luce plenissimus de quadragintadiali jejunio maximo disertans: *Quadragesima sanè*, ait, *jejuniorum habet auctoritatem, & in veteribus libris ex jejunio Moysi & Eliæ, & ex Evangelio quia totidem diebus Dominus jejunavit, demonstratus Evangelium non dissentire à lege & Prophetis. In quâ ergo parte anni congruentius observatio Quadragesimæ constitueretur, nisi confini atque contiguâ Dominicæ passioni? Quia in eâ significatur hæc vita laboriosa, cui opus est continentiâ.*

Aug. to. 4. l. 1. Quæstionum super Exodum, quæst. 169. mihi pag. 54. Idem repetit l. 2. de Consensu Evangelistarum c. 4. mihi p. 171.

Hæc à se dicta confirmans Augustinus: *non enim frustra*, inquit, *quadraginta dies jejuniorum sunt constituti, quibus Moses & Elias, & ipse Dominus jejunavit: & Ecclesiæ præcipuam observationem jejuniorum, Quadragesimam vocat. Vnde & in Hebræo de Niniviis apud Ionam Prophetam scriptum perhibent,* † Quadraginta dies, & Ninive subvertetur: *Vt per tot dies accommodatos videlicet humiliationi pœnitentium, intelligatur in jejuniis sua defleviſſe peccata, & impetrasse misericordiam Dei.*

† *Ionæ c. 3. v. 4.*

Hæc eadem Augustinus * Faustum Manichæum oppugnans explicatius ediſſerit ipsissimis his verbis: *Christiani non hæretici sed Catholici, edomandi corporis causâ, propter animam in orationibus amplius humiliandam, non quòd illa esse immunda credant, non olùm à carnibus, verùm à quibusdam etiam terræ fructibus abstinent: vel semper, sicut pauci: vel certis diebus atque temporibus, sicut per Quadragesimam ferè omnes, quantò magis quisque vel minùs seu voluerit seu potuerit. Vos autem ipsam creaturam negatis bonam, & immundam dicitis, quòd carnes diabolus operetur fæculentiore materiâ mali: ac per hoc eas, tamquam immundiora & truculentiora Dei vestri vincula, exhorrentes abjicitis.*

* *Aug. tom 6. l. 30. contra Faustũ Manichæũ c. 5. mihi pag. 196.*

Aug. to. 10. ser. 1. feriâ quartâ in capite jejunii at verò de Tempore serm. 55. in ordine, mihi pag. 251.

Idem Augustinus ad principium quadragintadialis jejunii auditores suos acriter exhortatus: *Ecce*, inquit, *fratres charissimi, Deo propitio tempus Quadragesimæ venit, & ideo rogo dilectissimi, ut dies istos corporibus salubres & animæ medicinales ita cum Dei adjutorio sanctè ac spiritualiter celebremus: ut observatio sanctæ Quadragesimæ non nobis judicium pariat, sed profectum. Si enim negligenter agimus, si nos minùs occupationibus implicamus, si castitatem servare nolumus, si je uniis & vigiliis & orationibus non insistimus, si Scripturas divinas aut ipsi non legimus, aut legentes alios non libenter audimus, ipsa nobis medicamenta convertuntur in vulnera, & inde habebimus judicium, unde potuimus habere remedium. Et ideo rogo vos, fratres charissimi, ad vigilias maturiùs surgite, ad tertiam, ad sextam, ad nonam ante omnia convenite. Nullus se à sancto opere subtrahat, nisi quem infirmitas aut publica utilitas, aut fortè certa & grandis necessitas tenuerit occupatum. Infelix voluptas, infelicior cupiditas atque luxuria per transitoriam dulcedinem præparant sempiternam amaritudinem. Abstinentia verò, vigiliæ, orationes atque jejunium per brevissimas angustias perducunt ad paradisi delicias: quia non mentitur Veritas, quæ in Evangelio dicit:* Arcta & angusta via est, quæ ducit ad vitam, & pauci sunt, qui inveniunt eam. *Nec per latam viam diu gaudetur, nec per angustam & asperam longo tempore laboratur: quia & isti post brevem tristitiam accipiunt vitam æternam, & illi post parvum gaudium patiuntur sine fine supplicium. Et ideo, fratres charissimi, in istis quadraginta diebus, quasi totius anni cibaria animæ nostræ, jejunando, legendo vel orando providere debemus. Nam licet per totum annum Deo propitio, lectiones divinas frequenter & fideliter audiatis, in istis tamen diebus de pelago & fluctibus mundi hujus quasi ad portum Quadragesimæ confugientes, debemus requiescere, & lectiones diuinas in exceptorio cordis nostri cum silentio & pace suscipere: ut Deo propitio pro amore vitæ æternæ vacantes, quidquid in naviculâ animæ nostræ per totum annum multis tempestatibus, id est, peccatorum fluctibus, aut fractum, aut dissolutum aliquid, aut corruptum, aut perditum est, omni sollicitudine in istis diebus reparare studeamus atque componere.* Matth. c. 7. v. 14.

Ita verbum è verbo expressit Augustinus. Sed hæc omnia, idem divinus scriptor dilucidissimè stabiliens: *Ergo vos, fratres charissimi*, ait, *& admoneo, ut in isto legitimo ac sacratissimo tempore, exceptis Dominicis diebus, nullus prandere præsumat, nisi fortè ille, quem jejunare infirmitas non permittit: quia aliis diebus jejunare remedium est, aut præmium; in Quadragesimâ non jejunare, peccatum est. Alio tempore qui jejunat, accipiet indulgentiam; in Quadragesimâ qui non jejunat, sentiet pœnam: & tamen qui jejunare non prævalet, secretius sibi soli, aut si est alius infirmus, cum ipso in domo suâ præparet quod accipiat, & illos qui jejunare prævalent, ad prandium non invitet: quia si hoc fecerit, non solùm Deus sed etiam homines possunt intelligere illum non pro infirmitate non posse, sed pro gulâ jejunare nolle. Sufficiat illi, quòd ipse jejunare prævalet, & magis cum gemitu, & suspirio, & animi dolore manducet, pro eo quòd aliis jejunantibus ille abstinere non potest. Quòd opus est unicuique infirmo, secretius sibi soli, aut cum alio similiter infirmo faciat præparari: quia non ei oportet, ut aliquem sanum roget ad prandium, ne sibi etiam de alterius gulâ augeat peccatum. Pro eo tamen quòd non potest jejunare, amplius debet erogare pauperibus, ut peccata, quæ non potest jejunando curare, possit eleemosynas dando redimere.*

Idem serm. 1. de Quadragesimæ Domin. mihi pag. 317.

Ab eodem calamo sunt ista: *Omne vitæ nostræ tempus, stadium quoddam debemus putare virtutum, & ad cœleste bravium totâ virtute contendere. Sed hoc præcipuè in Quadragesimæ diebus implendum est, qui abstinentiæ ac jejuniis dedicati, tantum nobis ad virtutem animi conferunt, quantum & de corpore voluptatem decerpunt. Est autem legitimus numerus iste jejunii, & qui in sanctis celebratur exemplis. Celebremus ergo hos dies cum omni alacritate mentis & gaudio, & eos omnibus epulis & corporalibus deliciis præferamus. In his enim præcipuè diebus ad implendam Domini voluntatem accendimur, quando maximè per abstinentiam voluptas carnis extinguitur. Tunc enim ad Dominum, & ad ejus futuræ promissa tota mens purior facienda festinat, cum nullâ crapulâ, nullâ cibi ac potûs satietate crassatur. Vnde & Salvator in Evangelio dixit:* Attendite, itaque vobis, ne graventur corda vestra in crapulâ & ebrietate, & cogitationibus sæcularibus, & superveniat in vos dies illa repentina: tamquam laqueus enim superveniet universo mundo, & nemo effugiet. Luc. c. 21. v. 34. & 35.

§. II.

SVbjungit sanctissimus Pater: *Sed & illa est in Quadragesimæ diebus grandis utilitas, quòd, dum etiam à licitis abstinemus, magis ac magis admonemur illicita vitare. Qui enim*

enim abstinemus nos à carnibus, quibus aliis diebus uti licet: qui nos abstinemus à vino, quo moderatè uti licet: qui ergo ista vitamus, quæ aliquando licent, inprimis peccata fugiamus, quæ omnino numquam licent. Itaque si volumus bene je unare à cibis, ante omnia je junemus & à vitiis. Quid enim prodest, vacuare corpus ab escis, & animam replere peccatis? Quid enim prodest, pallidum esse jejunio, si odio & invidiâ livescas? Quid enim prodest, vinum non bibere, & iracundiæ veneno inebriari? Quid prodest, abstinere à carnibus ad edendum creatis, & malignis obtrectationibus fratrum membra lacerare? Quid prodest, si abstineamus ab his quæ aliquando licent, & faciamus illa quæ numquam licent? Deus enim illos honorat & diligit, qui illicita fugiunt. Sic ergo, ut dixi, jejunemus à cibis, ut multò magis je junemus à vitiis, ut sanctorum morum ubertate saturemur, ut & in futuro mereamur ipsorum operum retributione satiari: sicut in Evangelio legimus, Beati qui esuriunt & sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur. Illam enim compensationem magis eligere debemus, ut cibis quibus nos abstinemus, eos pauperibus ac debilibus largiamur: secundùm illud quod scriptum est, Beati qui contenti sunt esurie, ut alibi reficiantur. Satis Deo acceptum est munus, quando indigens saturatur, quando nudus vestitur, quando ira non perficitur & iracundiæ tempus non reservatur, quando malum pro malo non redditur. Tunc grata sunt Deo nostra je unia, si illi qui necessitate jejunant reficiatur à nobis. Tunc illam Domini sententiam audire merebimur: Amen dico vobis, quamdiu fecistis uni ex minimis istis, mihi fecistis. O benignissimum Dominum ad edomàdam hominum avaritiam, qui sibi dari dicit, quod vel minimo pauperi donatum fuerit. Vobis autem, fratres, præstet Domini misericordia, ut ei je uniis & eleemosynis in bonis operibus serviatis.

Matth. c. 5. v. 6.

Quàdo jejunii Deo gratum.

Matt. c. 25. v. 40.

Eadem loco eadem patrum.

Sed eadem denuò saluberrimè instillans: *Adest nobis*, inquit, *venerabile & medicabile tempus Quadragesimæ, charissimi, per quod jejunantes peccatorum nostrorum vulnera curare debemus.*

Ambr. to. 3. ser. 25. de Quadrag. mihi pag. 308. Basilensis editionis.

Quod Augustinus, hoc & Augustini præceptor Ambrosius explicatissimè docens, & acerrimè urgens: *Non enim, fratres, leve peccatum*, inquit, *fidelibus indictam Quadragesimam à Domino non jejunare, & jejunia consecrata ventris voracitate dissolvere. Scriptum est*: Qui dicit se in Christo manere, debet, sicut ille ambulavit, & ipse ambulare. *Si vis ergo Christianus esse, debes, quod Christus, facere. Ille qui peccatum non habebat, Quadragesimam jejunavit, tu non vis Quadragesimam jejunare, qui peccas? Ille, inquam, peccatum non habebat, sed pro nostris jejunavit peccatis. Qualis ergo apud conscientiam tuam Christianus es, cùm Christo pro te esuriente tu prandes? cùm Salvatore pro te je unante tu reficeris? Non igitur, sicut dixi leve peccatum est, indictum violare jejunium. Pecude stolidior est, qui indicto pro se à sacerdote jejunio non jejunat.*

Ibid. to. ser. 4. de jejunio Ninivitarum pag. 328. Petr. Chrys. ser. 11. mihi pag. 260.

Ambrosio & Augustino Petrus Chrysologus in totum accedens: *Videtis*, inquit, *quia quòd Quadragesimam jejunamus, non est humana inventio; auctoritas est divina.* Quid dici potest explicatius?

Aug. to. 10. ser. 1. feriâ 4. post Rom. 1. quadrag. de Tempore ser. 65. mihi pag. 260.

Sed urget denuo Augustinus, qui quadraginta dies diluvii, velut imaginem & figuram quadragesimæ exponens; *Hos sanctæ Quadragesimæ dies*, inquit, *debemus omni cum veneratione suscipere, nec longiorem numerum huius temporis fastidire: quia quanto plures sunt dies je junii, tanto melior est causa remedii; quanto prolixior abstinentiæ cursus, tanto redemptio copiosior est salutis; quanto austerior cura vulnerum, tanto medicina est salubrior peccatorum. Deus enim, qui est nostrarum medicus animarum congruens tempus instituit, quod & justis satis sit ad adorandum, & peccatoribus sufficiat ad rogandum. Illi requiem postulantes, hi veniam deprecantes. Congruens enim tempus est Quadragesimæ, nec breve est ad exorandum, nec longum est ad promerendum. Quadraginta enim dierum jejuniis, quævis iniquitas peccatoris exorari potest, & quantavis severitas judicis mitigari. Illi longum & fastidiosum forte sit tempus, qui nec orat de culpâ, nec sperat de veniâ. Desperatio enim nec confiteri de scelere, nec indulgentiam novit sperare de judice. Sanctus igitur & salutaris Quadragesimæ cursus est, quo adducitur ad misericordiam peccator per pœnitentiam, justus ad requiem. His enim diebus solito amplius & divinitas misereretur, & delinquentia deprecatur, & justitia promeretur. Patent enim omnia, & cæli ad indulgentiam, & peccator ad confitendum, & lingua ad postulandum. Salutaris, inquam, & mysticus est quadragenarius numerus. Nam primùm cùm mundi faciem iniquitas hominum posideret, tot dierum curriculo Deus effusis de cælo imbribus, universam terram diluvio superfudit. Vides ergo jam illo tempore mysterium in figurâ dispositum. Nam sicut tunc quadraginta diebus pluit ad purgandum mundum, ita & nunc quadraginta diebus miseretur ad hominem purificandum. Sanctum ergo & sacratum Quadragesimæ tempus est, quod statim ab initio cœpit, inter justos & injustos discernere, bonos à malis quodam judicio separare. Quod quidem similiter fieri etiam in hac nostrâ Quadragesimæ observatione perspicimus. Nam per hos quadraginta dies separantur mali à bonis, hoc est, luxuriosus à casto, à je uno intemperans, à Christiano Gentilis. Separatur, inquam, malus à bono, hoc est, peccator à justo, diabolus à sancto, hæreticus à fideli.*

Quadraginta dies diluvii fuerunt figura Quadragesimæ

En, mi Lector, vel unius Augustini certissimis de Quadragesimâ testimoniis te lapido. Prolixum nimis & tædii plenum, tot aliorum eâdem de re luculentissimas assertiones recitare. Quod de jejuniis & Quadragesimâ singulariter Augustinus, hoc idem Origenes, Epiphanius, Basilius, Ambrosius, Ioannes Chrysostomus, Hieronymus, Petrus Chrysologus, Gregorius Nazianzenus, Leo Pontifex, Bernardus, ceterique priscorum Patrum attestantur. Quâ scriptorum parte id faciant, ad marginem more meo fideliter consigno.

Origines homil. 10. in Levitic. Epiphan. in Canon. Apostol. Basilius concione de jejuniis, & in ebrios. Ambr. to. 1. 2. 3. & 5 serm. 13. 24. 25. 26. 27. 34. 35. 36. 37. 38. 40. Chrysostomus tomis omnibus compluries. Hieronymus tomo 1 epist 7. ad Letam c. 5. mihi pag. 19. & to. 2. epist. 54. ad Marcellam adversus Montanum, mihi pag. 193. & l. 2. adversus Iovinianum c. 10. & 11. pag. 170. & seqq. & tomo 9. serm. 32. de quadragesim. mihi pag. 117. Chrysologus ser. 8. 11. 12. 13. 41. 42. 43. de jejunio; de jejunio autem quadragesimali serm. 66. Gregorius Nazianzenus epist. 74. Leo Pontifex sermones 12 de quadragesimâ scripsit, de jejunio Pentecostes sermones 4. de jejunio septimi mensis sermones novem, de jejunio decimi mensis, &c. sermones 8. Bernardus septem sermonibus de quadragesimâ agit, maximè serm. 3. & 4.

§. III.

Cur autem, inquies, quadraginta, non plures, non pauciores dies huic jejunio dicti? origo varia, rationes diversæ. In compendium confero. Humanis gentis deliciæ, Christus Servator, quadraginta diebus, & quadraginta noctibus jejunavit. Nos capitis istius membra, caput imitari nitimur quàlicet. Ad istud porrò jejunium ne infirmè animati simus, stimulum addens Ambrosius: *Quadragesimam nobis*, inquit, *Dominus suo ejunio consecravit.*

Cur quadraginta, non plures vel pauciores dies huic jejunio dicti sunt?

Ambr. ser. 34.

Deinde Moses divinam legem accepturus bis quadraginta dies jejunavit. Haud aliter Elias Iezabelem fugiens, dum ad Horebum montem properaret, quadraginta itidem dies jejunavit. Observes hic velim, Lector, Christo Domino vitæ diem unicum fuisse ceteris lætiorem, quo rupem Taborejam radiante vultu niveáque veste collustravit. Hoc ipso lætissimo die inter jejunatores duos principes, qui quadragintadiale jejunium servarant, de excessu suo sermonem miscuit.

Luc. c. 9. v. 32.

Imbres diluvii, quod orbem universum sepeliit, diebus quadraginta continuis tenuerunt. Hebræus populus annis quadraginta per vastissimam solitudinem iter habuit. Quid nostra omnis vita est, nisi dies pauculi pœnitentiæ dicti, quibus eluctandum è terrâ desertâ & inculta

Insuper jejunio verno veluti manipulos decumanos damus totius anni. Dies trecentos sexaginta quinque annus complectitur. Istius numeri (quod Gregorius pulchrè notat) pars decima, sunt dies sex & triginta. Quadragesimæ dies quatuor primi, vel postremi quatuor sunt præcipuè Christo crucifixo sacri. Ita jejunia quadragintadialia totius anni decimæ sunt. Ideò quivis apud se statuat: Ego decimas meas pro viribus pendam fidelissimè, memor divinæ jussionis: *Decimas & primitias tuas non tardabis reddere.* Tantò plus autē gratiæ divinæ potero sperare, quantò plus fidelitatis in hac parte voluero exhibere. Decimas non tardabo reddere.

Iejunium quadragintadiale est totius anni decima. *Exod. c. 22. v. 29.*

Iam alia quadragenarii numeri mysteria silemus: Vociferatur Ionas Propheta: *Adhuc quadraginta dies, & Ninive subvertetur.* Christus hebdomadibus quadraginta in utero virgineo delituit, post Natalem die quadragesimo in templo est oblatus. Quadraginta mensibus Hebræum populum divinissimis suis concionibus erudiit. A morte quadraginta horis reditum ad vitam transtulit. Iam redivivus quadraginta diebus spectandum se suis & palpandum præbuit, non eorum sermonibus tantùm, sed & mensæ præsens & verba cum illis miscuit, & illorum cibos non rejecit. Tam Hierosolymorum urbem quàm Salomonis templum, quod quidem quadraginta sex annos ad sui structuram petiit, anno quadragesimo à Christi nece Romani expugnarunt, & vastarunt. Ita multiplex numeri quadragenarii est observatio.

Ionæ c. 3. v. 4.

Quadragenarii numeri mysteria.

Anno nongentesimo quadragesimo septimo, quod Cæsar Baronius narrat, Elphegus † Vintoniensis Pontifex in Angliâ, ipsis cinerabus suos è suggestu docuit, quâ ratione tam conjugium castè quàm jejunium illud maximum strictè servarent. Inter auditores dicax aliquis irrisor concionem cavillatus & ludos faciens: Sacerdos noster, inquit, jejunium exaggerando nimiùm nos urget: Egône meus ipse tortor alimoniâ fraudem genium, insuper & uxorem hoc cinerabium tempore velut sororem habeam? Non est ad meum stomachum hæc concio. Vale concionator, ego meis vivo legibus. Antistes ubi hoc rescit, jam tristis: O miser, inquit, quàm nescis, quid tibi ventura pariat dies! At homo joculator vaticinium ludibrio habens, & indulgens epulis, luce posterâ in lecto repertus est mortuus. Dubium, diabolus eum præfocârit, an suo perierit fato.

De hoc Baron. tom. 10. anno 947. mihi pag. 736.

† *Aliæ editiones: Ælfegus Vintonienſis Episcopus.*

Deus quantumvis infinitè misericors, neminem umquam tamen jocari secum est passus. Cui vires non suppetunt ad tolerandam abstinentiam, is fame crucietur crumenam, & pecuniam quam illi subtrahit, in pauperes liberaliùs effundat, seipsum precibus exerceat, aliisque modis sarciat, quod jejuniis decesserit. Chrysostomus iis quibus infirma valetudo est, prudenter consulens, & victimam succedaneam monstrans: *Igitur*, inquit, *qui cibum accipit, & jejunare non valet, 1. Largiorem det eleemosynam. 2. Ferventior sit in precibus. 3. Majorem habeat alacritatem in audiendis divinis eloquiis. 4. Inimicis reconcilietur, omne odium & vindictæ cupiditatem ex animo effuget.* Ita quod jejuniis deest, eleemosynis ac precationibus accedat. Majoris jejunii tempus profectò non spernendum, non negligendum.

Chrysost. t. 1. in c. 1 Gen. hom. 10. mihi pag. 50.

§. IV.

Seu Reudignorum.

Polonorum rex Vladislaus munitissimum castrum Pomeraniæ Naclum obsedit, quod Martinus Cromerus memorat, Miles regius pœnitentiæ dies susque deque habuit, carnes epulatus liberrimè, sed non impunè. Nam qui ex ubias egerunt, nocte illustri aliquoties videre sibi visi sunt aliquot alas equitum hostilium ad Polona castra tendentium. Larvæ ac nocturni lemures erant. Poloni demum indignati hostes non aperto Marte ad conflictum progredi, è castris agminatim provolarunt, cedentibus insistentes, sed frustra. Nam cum larvis pugnare vanum. Obsessi tumultu hostium excursûq; percepto, eruptionem subitam fecerunt & militum stramineas casulas succenderunt. Mox latè omnia populatus ignis plurimos in castris consumpsit. Alii hostem non assecuti, castris interim in prædam relictis sunt exuti. Ita re infectâ Naclum obsidione solutum est. Ecclesiæ leges non everruntur impunè; Deus vindex est. Effatum Christi Domini non ignoramus: *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus.* Hinc Concilium Toletanum ita statuit: *Qui Quadragesimam non jejunaverint, in Paschate priventur communione & per annum carnibus abstineant.*

Ecclesiæ leges non everruntur impunè.

Matt. c. 18. v. 17.

Concil. Toletan. 7. can. 2. Gratian. can. 2. dist. 77. Canon. apostol. 69. Isidor. lib. 2. de offic. c. 41. Ivon. p. 2. decret. c. 111. Burchard. lib. 2. c. 208.

Anno à Virginis partu millesimo quingentesimo septuagesimo quinto Ludovicus Nassovius Comes, quod diversi narrant, exercitum, qui è Geusiis ferè constabat, sub signis habuit in Belgio. Miles religionum omnium contemptor, in majori sacrâ hebdomade carnibus vescebatur non sine insultatione ac tripudio. Non procul inde Parochus suos acriter hortatus est, religiones priscas non desinerent, malis militum tracti exemplis: Verendum sanè, ne qui Paraseven tam lætam agerent, triste Pascha sentirent. Vox omen habuit, & quod prædixerat, evenit. *Adhuc esca eorum*, quod Psaltes canit, *erant in ore ipsorum, & ira Dei ascendit super eos.* Nam feriâ quartâ Paschatis immissus in eos exercitus Hispanus, qui non solùm hostiles copias omnes delevit, sed ipsum etiam Comitem Nassovium, & universos ferè duces ferro demessuit, pauculis fugâ servatis. Tacito inserpit pede vindicta divina, & nonnumquam sera venit, sed venit tandem ac tarditatem supplicii gravitate compensat. Fixum firmum est decretum: *Qui Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus.*

Tilman. Gerard. Canon. apostol. 69. Isidor. lib. 2. de offic. c. 41. Ivon. p. 2. decret. c. 111. Burchard. lib. 2. c. 208. Gratian. can. 2. dist. 77. Matt. c. 18. v. 17.

Hipponensis Præsul Augustinus in litteris quas ad Xantippum Numidiæ primatem dedit, gravissimè accepit unum aliquem suorum sacerdotum in pervigilio Nascentis Christi non jejunasse. Et quia idem sacerdos pecuniam suæ fidei commissam in suos usus exercuit, & pridie Natalis Domini, ut diximus, apud feminam nonnihil suspectam prandit ac cenavit, sacerdotio se abdicare jussus est. Augustini verba sunt: *Ideo ab officio presbyterii removendum arbitratus sum, timens ei Ecclesiam Dei committere, ne si quid pernicioſius eruperit, imputetur mihi.* En piaculum grandissimum nocte unicâ non jejunasse! Quòd si Quadragesimam totam, aut complures in eâ dies absq; jejunio transmisisset, quid tunc dicturum fuisse Augustinum credimus? *Sit tibi sicut ethnicus & publicanus, qui Ecclesiam non audierit.* Hieronymus Augustino coævus: Nos unam, inquit, Quadragesimam secundùm traditionem Apostolorum, toto anno, tempore nobis congruo jejunamus.

Aug. epist. 236. ad Xantip. Hieron. tom. 4. anno 402. Lucretius. Hieron. in epist. 54. ad Marcell. mihi pag. 153.

Numerus quadragenarius ad actionem istam singulariter Deo probatur. Ludovicus Pius Imperator, teste Aimonio, quadraginta dies solennis jejunii precando, jejunando, eleemosynas dando transigere consuevit. Filius ejus Ludovicus anno octingentesimo quadragesimo in Germaniâ contra parentem arma movit rebellia. Pater Ludovicus in Germaniam magnis itineribus contendit, quo quidem tempore tam horribilis interdiu fuit eclipsis, ut nemo noctem diceret. At Ludovicus Imperator non procul Moguntiâ morbo est oppressus. Hic animo per exomologesin expiato, quadraginta diebus nec cibum ferè alium nec potum quàm Eucharistiam admittebat. Toto morbi tempore illud assiduè ingeminabat: *Justus es Domine, & rectum judicium tuum.* Et quia Quadragesimæ tempus aliàs eâ quâ debebam abstinentiâ non exegi, jam saltem

Psal. 118. v. 137.

saltem dictante necessitate jejunia, quibus obligatum me fateor, persolvam. Ita thesauris in pauperes & templa tributis sanctissimè diem suum obiit eò, quem diximus, anno octingentesimo quadragesimo, die vigesimâ primâ Maii, annos natus sexaginta quatuor, cùm annis viginti septem imperasset. Bene Ludovice, qui etiam in extremâ invaletudine jejunii religiones amplexus, obsequens Ecclesiæ filius finire voluisti.

Greg. Naz. or. 174. & ex Baron. an. 840. n. 34

Gregorius Nazianzenus Eleusium Præfectum sibi familiarem, ob jejunia neglecta, non sine acero corripiens: *Legibus*, inquit, *injuriam facis, ô Judex, qui non jejunas. Purga tribunal tuum, ne duorum alterum tibi accidat, ut aut malus fias, aut malus existimeris. Et quomodo leges humanas servabis, si divinas contemnis? In summâ, ô Judex, futurum scito, ut judiceris & minùs peccabis. Jejunium*, ut Petrus Chrysologus loquitur, *virtutum vita, vitiorum mors, meritorum schola.*

Per. Chrysol. ser. 38. inter 43. 126.

CAPUT X.

Quænam singulariter valetudini obsint, vitam extinguant.

Apoc. 10. v. 3. & 4.

APOCALYPTICUS ille Angelus Ioannes cælo attendens oculos: *Et cùm clamasset*, inquit, *locuta sunt septem tonitrua voces suas. Et cùm locuta fuissent septem tonitrua voces suas, ego scripturus eram. Et audivi vocem de cælo dicentem mihi: Signa quæ locuta sunt septem tonitrua, & noli ea scribere.* Quid obsecro, locuta sunt septem hæc tonitrua, quas ediderunt voces? Inter alias & hæc voces sunt exceptæ: *Quia tempus non erit amplius, & consummabitur mysterium Dei.* Mors ergo & interitus rerum omnium hoc novo loquendi modo significabatur.

Septem diversæ causæ, ob quas innumeri quotidie moriuntur.

Sed etiamnum hæc septem tonitrua loquuntur. & non nisi plurimorum mortes. Sunt nimirum septem diversæ causæ, ob quas quotidie innumeri moriuntur. Cùm autem inter has ultima quidem sed princeps sit Gula, sive intemperantia, jejunii capitalis hostis, has septem immaturi obitûs causas percensere animus est; singulis certum sed unicum assignabimus nomen. Loquantur igitur septem tonitrua. Ordine sed stricto vagabundæ simul & numerosissimæ mortis causas enumerabo.

§. I.

1. Caussa: Mador.

I. CAUSSA, MADOR. Hieronymus Cardanus in erudito illo de Subtilitatibus volumine, censet eos, qui frigidis & insuper madidis pedibus accumbunt mensam & comedunt, letalem valetudinis noxam cõtrahere. Pedes frigidi caput & stomachum malè afficiunt, si ad frigus accedat mador, geminatum malũ. Si deinde stomacho adeò non dispositio ingeratur cibus, certa noxa. Hinc paullatim tussicula, tabes, &, quod pessimum, ignorantia mali, hinc & mors.

2. Calor.

II. CALOR. Idem, quem dixi, scriptor & hanc alteram assignat caussam quotidianorum funerum, quandò qui æstuant aut sudant, caput, pectus aliásque partes corporis aperiunt, & auræ frigidiori sese exponunt, valetudinis certo dispendio. Sunt plurimi qui ubi calorem molestiorem aut sudorem sentiunt, mox pileum abjiciunt, thoracem diloricant brachia denudant, subinde frigidâ mergunt, gelidiorem ventulum avidissimè recipiunt, jacturâ sanitatis letali. Nam per laxatos undique poros immissum frigus membra omnia latentissimè occupat. Sensim inde morbi sontici, & ultima valetudo.

3. Tristitia.

Prov. c. 17. v. 22.

III. TRISTITIA. Res certa è Salomone: *Animus gaudens ætatem floridam facit, spiritus tristis exsiccat ossa.* Sunt qui à curis & ægrimoniâ nocte unicâ incanuerint. Cùm hominem mœror & luctus exedit, ajunt cor ad instar pyri tosti contrahi ac corrugari, unde malum non simplex nascitur. Hinc lenta sæpe & lucifica mors. Ægrimoniæ, lacrymæ, mœstitia medullas hauriunt. Edaces curæ ni sopiantur, cor macerant & consumunt. Mœrores animos exedunt, conficiúntque anxitudine. Mœror & mors cognati sanguinis sunt.

§. II.

4. Ira.

IV. IRA. Phrenesis est hic affectus & insania, sed brevior. Iratum considera, vix quidquam ab insano differt, nisi quod citiùs ad se redire possit. Ira in omne corpus effundit bilem largissime. Hinc morbus non unus, hinc multiplex interitus, & immatura mors. Novi ego ipse viros optimates, quorum singulis instillabant medici præceptiunculam hanc crebriùs: Domine, si vitam amas, iracundiam & largiores calices vita. At illi nec vitare calices, nec frenare bilem conati, voluntariam sese victimam obiecerunt morti. Tales sumus; perire malumus, quàm modicum vel iræ vel gulæ imperare.

5. Luxuria.

V. LUXURIA. Vitam libidinosam & spurcam maximum valetudinis & vitæ dispendium, certumque mortis esse prodromum, summi medicorum exactissimè docuerunt, quod in meo Nicetâ fusiùs ostendo. Videte Regem Salomonem, qui educatus in deliciis inter gynæceum consenuit, sui patentis annos nequaquam attigit. Rex David Salomonis parens juventutem in pecoris custodelâ posuit, famem ac sitim tolerare doctus, dein vario penuriæ & bellorum turbine agitatus, *in senectute* tamè *bonâ & plenus dierum mortuus est.* Salomon filius nec paupertatem nec Mortem expertus, in gynæconitide suâ & vires & vitam lõgiorem perdidit. Vita salax & libidinosa, vita brevis.

1. Paral. c. 29. v. 28.

6. Pharmaca.

VI. PHARMACA. O quantos sepelierunt pharmacopolæ potiùs quàm vespillones! nec medicos, nec medicorum scita, nec pharmaca rejicimus, sed pharmacorum multitudinem & varietatem extremè damnamus. Pannus cùm lavatur, fit quidem nitidior, sic tamen crebriori lavatione atteritur, ut demum pertundatur; ita prorsus humanum corpus medicamentis toties purgatur, exsiccatur, attenuatur, ut tandem penitus corrumpatur, & in tabem eat. Novi virum principem, quem septem medicorum placita suaviter deduxerunt ad plures. Potuisset vir iste vivere, si faber ferrarius aut sector lignarius fuisset, quem pauperies copiâ pharmacorum abstinere coëgisset. Memini medicorum principem dicere: Cavete à nobis, quantum potestis. Nec ignoramus peritissimos è medicis, paucissimos in porrigendis pharmacis extitisse. Complures novi viros feminásque post sumpta pharmaca coepisse ferió ægrotare, quibus antea constabat sanitas. Sed ita inquiunt, cavẽdus est morbus. Si morbum accersere sit cavere, non malè ratiocinamini. Invaletudinem satis cavet, qui semel iterúmque per annum alvi ductione corpus eluit. Mors in olla, viri, ubi pharmaca tam crebra & multiplicia. At sunt homines sui tam perditè amantes, qui autument valetudinem sibi constare non posse, nisi omnes pæne pharmacopolarum ollas & pyxides ligurièndo exhauriant. Hi beneficiis pereunt, & sanitatis adjumentis præmaturam sibi accersunt mortem. Suo se gladio jugulant, sed aureo vel argenteo.

§. III.

7. Gula.

VII. GULA. Hoc septimum est tonitruum, seu caussa princeps infinitorum quotidie morborum & funerum. Multi cadunt ferro, sed longè plures usu ciborum immodico. Quotidiana hîc loquuntur funera; de plurimis eorum verissimè dicitur: Hic homo mortuus, & hic, & ille, & iste, & iste, & etiam iste diutius

diutiùs potuisset vivere, si potuisset parciùs edere, aut à potu magis temperare. Innumeros patinæ & pocula in terram detodiunt. Innumeri possent longiore frui vitâ, si vellent breviorem pati mensam. Nos ridiculi homines cùm ægro sumus corpore, aut maligniori aurę, aut habitationi incommodæ, aut fatigationi, nimiæ, imò libris & studiis culpam invaletudinis iniquè impingimus. O cassas inertium caussas! ô mortales deliri! non illa hominem ambientia tot conflictus, tantos dolores in corpore humano movent; sed illud, quod per os immittitur, mali est origo; hoc dolorũ seminarium, hoc ægrotationis principium, hoc omnium morborum caussa. Non nego humidum aut malignum aërem, incommodam habitationem, nimiam laboris aut studiorum contentionem, vestitum tempori non congruentem valetudini aliquantulum officere, sed hæc homo temperans facilè vincit. Non enim ista sunt quæ tantam in homine intemperiem, tot bella excitant, sed cibus & potus; immodicus hi hostes inquilini corpus morbis opprimunt. Vbi vera temperantia, ibi certa sanitas.

Aurum potabile, Cretici aliquid aut Falerni.

Sed ut homines sanos taceam, qui novas intemperantiæ formas in dies inveniunt: nec apud ægrotos quidem tuta est temperantia, non semper vitio ægrotorum, sed ignorantiâ eorum aut indulgentiâ, qui ægris adsunt. Mos certè invaluit, sed ex insciti horribili, ægrotis semper obsonii aliquid aut potionis infundere, ut infelix stomachus numquam respirare possit à suis laboribus. Plurimi decumbentium alternis ferè horis pascuntur, ita sexies aut septies in die accipiunt cibum; non rarò mediis noctibus paratur offula, quæ nauseabũdo stomacho obtrudatur. Quasi verò sanitatis cardo in eo versetur, ut ægrotus quàm creberrimè nutrimentum glutiat. Hoc nutrire non est, sed omnem nutriendi vim extinguere. Ante omnia illud spectandum, ut quod sumit æger, quantumvis exiguum, rectè concoquat. Adeóque si æger toto aliquo die præter offulam, aut par ovorum, aut simile quid libaret nihil, modò probè concoqueret, sat nutrimenti haberet. Sed medicus, inquis, hoc mihi permittit, imò præscribit. Plerumque conniventiam esse scias, non imperium. Et certe votis omnibus optandum, præstantes illi valetudinis judices in hominem ægrum leveriores essent, & velut dictatores explicatissimis imperiis juberent: † Hoc omitte, hoc cave; tantum comede, tantum bibe; nec miculam nec guttulam adde; in die bis terve, summum quater reficere, non sæpiùs. Hæc mitissima simul & saluberrima in ægrum crudelitas foret.

† *Galenus l. 1. de sanitate tuendâ mihi pag. 275. Tutius est, inquit, imbecillo seni ex quâ dare ter de die, sicuti Antiochus medicus solitus est sectari.*

Sed plerumque hæc talia velut momenti minoris & plebeiæ scientiæ minùs curantur, dum in solis laboratur pharmacis. Pace vestrâ dixerim, ô viri doctissimi, princeps optimúmque medicamentum est abstinentia, seu legitima diæta. Non nescio Galenum scripsisse contra Diatritaios, qui omnibus ferè ægrotantibus præsertim febrientibus continuò triduanam inediam imperarunt; non ignoro destillationes falsas & morbos bilioſos inediæ nonnihil esse impatientes. Nec ego famem triduanam omnibus præcipiendam suadeo. Hoc unum contendo, abstinentiam in omni ferè valetudinis gravitate esse saluberrimam. Millies iterúmque millies inculcandum: *Qui abstinens est, adjiciet vitam.*

Diatritariorum autor Thessalus, quem pluribus locis oppugnat Galen. maximè l. 4. de Methodo med. c. 4. & l. 2. de Crisib. c. 3. Eccli. c. 37. v. 34.

§. IV.

HOc & omnes scholæ docent, & experientiæ clamant quotidianæ. Hoc ipsum sæpiùs jam nota Salerni scita ingerunt:

Si vis incolumem, si vis te reddere sanum
Parce mero, cenato parum.

Nec vini multũ, nec aquâ non prædomitũ bibas.

Et quamvis semper noceat copiosiùs cibos ingerere, singulariùs id tamen in cenâ officit. Hinc sapiens illud monitum:

† *Ex magnâ cenâ stomacho sit maxima pœna:*
Vt sis nocte levis, sit tibi cena brevis.

† *Longè Scholæ Salernitanæ c. 5.*

Cena sobria & parca conciliat primò somnum facilem & suavem, insomniis tetris carentem: deinde eam temperiem humorum efficit, ut nec cholera, nec melancholia, nec phlegma, nec sanguis exuperet, atque ut inter sese quatuor hi humores servent proportionem, in quâ valetudo consistit. Tertiò tuetur suam stomacho quietem, quâ modicum cibum commodissimè digerere potest & distribuere. Quod verissimè dixit jam suprà laudatus Siracides: *Somnus sanitatis in homine parco. Quàm sufficiens est homini erudito vinum modicum; & in dormiendo non laborabis ab illo.* *Eccli. c. 31. v. 24. & 22. Temperantia & bona morbum fugat.*

Sed ex eodem, quod diximus, lyceo prodeunt & hæc saluberrima valetudini monita:

Si tibi deficiant medici, medici tibi fiant
Hæc tria: Mens hilaris; Requies; moderata Diæta.

Monita valetudini saluberrima.

Hæc vitam servant & valetudinem. Paulus de Palatio cogitatè adstruens [b]: *Etiamsi*, ait, *natura hominis dies vitæ constituerit, ille tamen eos prorogare potest, si à copiâ cibi abstineat.* Nec dubitavit vir sapiens liberrimè pronunciare, omnes pænè homines mori gulâ. Quàm enim pauci sunt, qui non subinde metas Temperantiæ transiliant [c], præsertim in conviviis & opiniciribus epulis. Et hæc intemperantia, præcipuè crebriùs repetita, minuit vitam, & accelerat mortem.

[a] *Schola Salernitana, de animi temperamento remediis generalibus.* [b] *Paulus de Palatio c. 37. Tria sine modo pag. 187.* [c] *Horat. lib. Carm. ode 18. ad Varum. Tu filiorum nostra Libera. Et Virgo. Eosdem usus ego vinos. nomat.*

Omnis saturitas noxia. Numquam ad satietatem, infra illam sumpsisse cibum semper profuit [d]. Hippocrati sanitatis mater Indigentia. Sapienter igitur Martinus Dumiensis [e] Episcopus Mironem Galliciæ regem monuit: *Ede citra satietatem; bibe citra ebrietatem. Ita nec præsentibus deliciis inhæ rebus, nec desiderabis absentes. Victus tibi ex facili sit, nec ad mensæ voluptatem, sed ad cibi necessitatem accede. Palatum tuum non sapores excitent, sed fames. Desideria tua parvo redime.*

[d] *Martinus Dumiensis Epist. liber ad diem regem. Horat. lib. Carm. ode 16.*

Reverà parvo fames constat, &, quod Venusinus vates dixit [f]: *Vivitur parvo bene.* Quod autem sanitati ac naturæ satis est, delectationi & gulæ parum est.

Moguntinus Præsul [g] Rabanus Maurus: *Manifestum est*, inquit, *quòd parcus & tenuis victus tam corpori quàm animæ utilis sit: & è contrario superfluus cibus vel potus ægritudinem generet, & sensum animæ minuat.* Sobrietas & abstinentia, mater est sanitatis æquè ac sanctitatis, castitatis æquè ac sapientiæ. *Epularum largitas*, beato Hieronymo teste, *corpus frangit & animam.* Quæ divus Athanasius sapienter confirmans [h]: *Corpora ægra*, inquit, *curationis & abstinentiæ beneficio restituuntur; restituta verò per negligentiam & repletionem paullatim relabuntur, & ad eosdem morbos recidunt.*

[f] *Horat. lib. Epist. 16.* [g] *Rabanus c. 31. Vitæ Rabanus anno 835.* [h] *Athanas. apud Antonium Melissa parte 1. c. 57.*

Priscus & sapientiæ famâ celebris Hebræus scriptor erudito lusu dixit [i]: *Qui carnem multiplicat, vermes multiplicat: qui multiplicat opes, multiplicat dolores; qui multiplicat servos, multiplicat fures; qui multiplicat studium, multiplicat sapientiam; qui multiplicat consilium, multiplicat prudentiam; qui multiplicat justitiam, multiplicat pacem;* ita qui multiplicat abstinentiam, multiplicat vitam; qui multiplicat sobrietatem, multiplicat valetudinem; qui multiplicat jejunia, multiplicat vivendi spatia. His beatus [k] Leo velut clausulam addens: *Semper ergo felicior est*, inquit, *parca temperantia, quàm profusa luxuria. Abstinendum est itaque, dilectissimi, ab his quæ nobis noxiè blandiuntur.* Profectò nocet empta dolore voluptas.

[i] *Rabbi Hallel, in Perek vanh, hoc est, in apothem. Patrum c. 1.* [k] *S. Leo serm. 8. de jejunio septimi mensis pag. 352.*

§. V.

TRiplex instrumentum est medicinæ, Chirurgicum, Pharmaceuticum, &, ut loquũtur, Diæteticum. Morbus Chronius, quem appellant, seu diuturnus, nec chirurgiâ licet peritissimâ, nec ullâ pharmacorum præstantiâ vel copia depelli potest, si desit diæta & absti-

Triplex Medicinæ instrumentum. Chronicus morbus.

& abstinentia. Ita cū aliis sentiunt Palatini jam suprà laudati principes Medici, Dom. D. Georgius Grembsius, Dom. D. Ferdinandus Sagittarius, Illustris; Dom. D. Antonius à Colle Comes de Cæsanâ, Dom. D. Thomas Thirmair. Ex his clarissimus Dominus D. Ferdinandus Sagittarius affirmatè: Scio, inquit, qui toto anno singulis mensibus semel minimùm aut sæpiùs is hiade laborarit, per solam Quadragesimam jejunii tempore ab eâ immunis fuerit. Idem celeberrimus medicus viro minimè plebejo de intemperiis stomachi conquesto, ingenuè ac familiariter: Mi Domine, ajebat, si te curare velis abstinentiâ, mihi crede, non indigebis socculatâ.

Hoc idem innumeris aliis amicè instillandum: O boni Domini, & Dominæ, si curare vosmet velitis abstinentiâ, non indigebitis profectò tantâ pharmacorum copiâ. Si vobis fastidio est medicina, sit brevior & tenuior mensa. Amatis longiorem vitam? amate B priùs strictiorem abstinentiam, & obtinebitis certò, quam desideratis, productiorem vitam. Horretis morbos? cavete cibos præsertim tam varios & immoderatos: sit parcior potus, & erit tranquillior somnus: demite ori, quod adjectum cupitis valetudini. Res exploratissimæ veritatis est:

Gulæ cliens sanitatem serìò amare non potest.

Anno Christiano millesimo sexcentesimo vigesimo octavo Basileensis Pontificis medicus, vir clarissimus Claudius Deodatus trigeminum volumē edidit Bruntruti, quod Pantheon hygiasticum inscripsit: in eo fusè ac eruditè docet, quâ demum ratione vita humana ad annos centum viginti quatuor possit produci. Promissum, inquis, magnificum, & perquàm gratum. Sed quis affundit sumptus ad tantam vitæ prolatationem necessarios? Levissimis, mi Lector, impendiis hæc vitæ prorogatio constat. Præcipuus hic sumptus est, parcè prandere, parciùs cenare; saturitatem fugere, genium fraudare, accuratam cibi potúsque abstinentiam præstare. Hi sumptus illi sunt, hos impende, & multos vitæ annos emisti. Ita luculenter & quidem chirographo suo testantur celeberrimi illi, quos honoris causâ nominavi, Serenissimi Electoris Maximiliani, Bavariæ Ducis, &c. Archiatri.

Primum igitur ægroti pharmacum sit abstinentia & congruum ipsi jejunium. Imò quod Demosthenes de Elocutione asseruit, idem hîc de abstinentiâ pronuntiandum. Nam interroganti, quod primum ac primarium sit pharmacum, rectè dixeris: Abstinentia. Quod alterum? Abstinentia. Quod tertium? Abstinentia. Sed hoc sæpissimè nolunt ægroti, & dissimulant medici. Ego certè complurium ægrotorum diætas considerans, vix ullam reperi satis abstinentem & parcam. Apud homines etiam tenuiores hæc miserabilis viget ignorantia, noxiáque observatur benevolentia, D ut mulierculæ quæ assident ægrotis, tum demum verè sedulas se credant, si ægro identidem aliquid infundant, viribus, ut ajunt, reparandis. Persuasio sanè fatua collapsas vires restaurari non posse nisi tam variis tot liquorum infusionibus. Pharmacorum tutissimum, *Abstinere.*

CAPVT XI.

Epilogus dictorum omnium.

IEIVNII utilitatem, modum, necessitatem docuimus. In compendium dicta conferimus. Et nil hactenus dixerimus: Vnus pro mille testibus è suggestu clamat Chrysostomus: *Mirare igitur jejunium,* inquit, *& illud cum omni aviditate tuis amplexibus festina susci-* Chrys. to. 1. de lond. jejunâ hom. 3. pag. 1257. *pere. Quando enim & in flammâ prodest, & in lacu leonum ubicunque mihi subvenit, & spiritus propulsat immundos, & divinam seu tiam mitigare novit, & ad libertatem revocare consuevit;*

A *quis hujus insaniæ reperitur, qui velit jejunii tantorum bonorum materiam declinare? Sed dicis: Corporibus exinde generatur infirmitas. Sed quātum exterior conteritur, tantùm interior renovatur de die in diem. Imò si diligenter scrutari volueris, invenies jejunio corpora validiùs roborari. Et si meum sermonem, respuis medicorum te doceat disciplina: qui parcitatem, salutis nominant matrem. Nam pedum dolores, capitis vertiginem, subitaneas mortes, & cetera quibus febris atque languores corporis comparantur, ex luxuriis atque voluptatibus ajunt generari, & tamquam de fonte noxio rivos ad corporū lesionem, & ad animarum perturbationem commeare testantur. Non igitur jejunium timeamus, & ideo nos frequenter admoneo ad jejunium, veluti mitigationē, ne multo nos vino & luxuriâ saginemus. Et ideo deprecor, ne jejunii meritum deliciosis voluptatibus præoccupatum, non mereatur effectum. Nam sicut ii, qui medicinali remedio potari disponunt, si non fuerint diligenti abstinentiâ præparati, fructum remedii sentire non possunt: ita & ii, qui post crapulam ad jejunium veniunt, remedium non agnoscunt. Et ideo sobrio animo ad jejunium confugiamus.*

Omnium priscorum Patrum vocibus jejunium multò laudatissimum est. Atque ut paucis plurima complectamur, de jejunio hæ Patrum voces sunt. Iejunium modestiæ principium, fructuosa naturæ violentia, malarum cogitationum fuga, gulæ victoria, insigne lumen animæ, anterioris hominis refectio, orationis munditia, mentis custodia, meritorum schola, luxuriæ restinctio, noxarum abolitio, contritionis janua, intemperantiæ disciplina, Angelorum vita, quietis occasio, obedientiæ custos, tranquillitatis parens, robur animi, spiritūs vigor, radix gratiæ. Iejunium salutis alimentum, libidinis trophæum, castitatis murus, pudicitiæ propugnaculum, humilitatis argumentum, concupiscentiæ triumphus, imbecillitatis allevamentum, sanitatis asylum. Iejunium omnis esculenti condimentum, valetudinis summum præsidium: jejunium pœnitentiæ fundamentum, crapulæ antidotum, ægrotationis remedium, contractæ culpæ excidium, fidei vexillum, peregrinationis necessarium viaticum, reconciliationis acceptum sacrificium, omnis piæ actionis adjumentum maximum. Iejunium prorsus est Aloë a saluberrimi, licet amarioris succi, jejunium vetè pharmacum est pharmacorum omnium præstantissimum. Iejunium mors vitiorum, incrementum & vita virtutum, paradisi ostium. *Vides,* ait Chrysostomus, *quanta res sit jejunium* b? *Angelos ex hominibus facit* c. *Quid aliud argumenti est, omnium bonorum atq; beneficiorum cardinem esse nisi jejunium constitutum* d? Iejunium certè non solùm perfecta virtus est Hieronymo, sed ceterarum virtutum fundamentum & sanctificatio e. Nil antiquius jejunio, in primo voluptatis horto imperatum est. Nil robustiùs jejunio: *Vnius mulieris jejunium,* inquit Ambrosius, *innumeros stravit exercitus ebriorum* f. Hinc idem Ambrosius g ipsos etiam quoq; puerulos & adolescentulos jejuniis assuefaciendos, itáque avitiis revocandos acriter contendens: *Infrenent,* inquit, *teneram etiam ætatem jejunia, & parsimonia cibi retinaculis quibusdam indomitas cohibeat cupiditates. Nam qui moderari nescit cupiditatibus, sicut equus raptatur indomitus, volvitur, obteritur, laniatur, affligitur.*

h Complures jam suprà nominavimus, qui suas ipsi cunas jejuniis insignierunt. His addimus lectissimum juvenem, juventutis facilè principem qui Romæ paucis ante annis ætatis anno septimo decimo sanctissimè

a *Aloë quā libri frons exhibet, est effigies illius Aloës, qua Monachii anno 1634. in Electorali horto post plurimos (50. putāt) exiguā staturā annos subitò in altitudinem viginti duorum pedum excrevit, hortense prorsus prodigium. Rami umbellas seu flores viginti ūnum; flores singuli folliculos seu*

calyces centenos & tredecim habuerunt.

b *Chrysost. tom. 3. in c. 13. Actuum Apostolorum hom. 17. mihi pag. 537.*

c *Idem tom. 5. hom. 1. de pœnit. mihi pag. 712.*

d *Idem ibidem pag. 771.*

e *Hieron. tom. 9 epist. ad Demitriadem.*

f *Ambros. to. 4. l. de Eliâ & jejunio. c. 3 mihi pag. 289. & c. 9. pag. 293.*

g *Idem tom. 1. lib. 3. de Virginibus, initio mihi pag. 105.*

h *Iac. Biderm. mihi in Vbaldino num. 7. mihi pag. 17.*

Idque facitare cœpit anno ætatis duodecimo.

mè obiit. Antonius Maria Vbaldinus Vrbinas Monteæ Comes, eo die semper quo epulum cælestè accubuisset, aliud præter cibarii panis bucceam nihil sumere solebat, cibo autem religioso sic abstinere, ut eum ipse omnem cum bonâ parentum veniâ ad pauperes deferret. Et perfamiliaris hæc ei abstinentia fuit etiam aliis diebus, quibus frequenter, cùm in speciem caussari aliquid posset, mensæ paternæ se subducere consuerat, & quasi seorsim pransurus aquâ purâ panéque victitare, aut venationis prætextu in noctem usque impransus hilariter durare: Lætus hoc commento, simul & suas cupiditates fregisse, & arbitros quâ fas erat, fefellisse. Cæterùm ne domi quidem cùm inter suos puer discumberet, aut multi aut exquisiti cibi erat: sed aspernatus ferè, si quid in dapibus lautum aut peregrinum saperet, plebejis ac rusticis insuescere, vescique communibus malebat.

Heb. c. 12. v. 1.

P. Matthias Mairhofer.

Habemus mi Lector, *impositam nubem testium*. Veteribus & recentibus exemplis ad abstinentiam strictiorem undequaque impellimur. In oculis omnium est, quod visum subjungere. In hoc ipso Monacensi Collegio, in quo hæc scribo, vir nonagenarius est sanus & valens sine omni podagrâ & chiragrâ, sine nephritide, ac calculorum valetudine, ratione ac sensibus integris omnibus, nisi quòd oculorum acies assiduis studiis aliquantulùm fracta: & tamen, quod mireris, etiamnum pertinaci studio libris inhæret, velut invenis legit, scribit, scriptáque luci publicæ parat, numquam otiosus; sacris operatur quotidie, frugali & communi mensâ contentissimus, eoque adem cum aliis ollâ prandet; cena illi majorem partem nulla, vel parca. Enimverò ad istud tantum ævi, ad annos nonaginta incolumis & sospes, jucundus & hilaris pervenit (ultrà etiam, ut videtur, progressurus) diætâ strictissimâ, abstinentiâ & jejunio pæne quotidiano: nam quater quavis hebdomade jejunat, neque enim coctis solùm epulis sed pane quoque arido & omni potu abstinens, nec micam libat nec guttam. Sic omnes sacri Adventûs & Quadragesimæ dies religiosissimo quotidiano jejunio, tamquam annos triginta natus transigit: ita quidem, ut singulis hebdomadibus quater minimùm omni etiam cenulâ, seu vespertinâ, quam appellamus, refectiunculâ penitus abdicatâ, verè & ex asse jejunet: tribus aliis diebus consuetudini se attemperans sub vesperam pane ac vino cibario eóque diluto parcissimè utitur. Poterit hic Religiosus & propè centum annorum senex cum B. Hilarione dicere: *Septuagintâ annis servivi Christo*; tot enim jam annos in minimâ Societate IESV exegit laudatissimis moribus inter curas & graviora studia, jam sexaginta annis sacerdos.

Hieron. in vitâ Hilarionis c. 38.

En, obsecro, mi bone Lector, quid diæta, quid jejunium, quid abstinentia possit; nonaginta & plures annos è facili donat, quorum dimidium abundans victus & gula rapere consuevit. Millies & usque millies incredulis etiam manduconibus & popinonibus inculcandum: *In multis esois erit infirmitas; Qui abstinens est, adjiciet vitam*, multiplicabit annos, augebit scientiam & sanctimoniam.

Eccli c. 37. v. 33. & 34.

Littera data die 20. Septembris anno 1637.

Catharina nobilissimi D. Anselmi vâ dẽ Cruce Antverpiensis Senatoris conjux, quæ demum in Religiosâ familiâ, uti & maritus, sanctè vitam finiit, an. 1626. Maritus obiit anno 1619. Plura de nobili hac feminâ testantur brevi publica monumenta.

Dum hæc scribo, en Antverpiâ advollant tabellæ, quæ dicta novo firment testimonio. Ante annos undecim matrona fuit nobilis & opulenta Antverpiæ: hæc cùm annum ageret vigesimum tertium, tam gravi correpta est morbo, ut visum sit medicis ægram ad sanitatem reduci non posse; jam actum esse de valetudine ac vitâ. Illa igitur medicinam omnem ab Abstinentiâ petere decrevit, idque tam salubriter ac feliciter quàm animosè ac constanter. Dixit, & fecit. Ab eo enim tempore vix quidquam aliud quàm decorticatum elixum hordeum in cibum, & aquam hordeaceam in potum admisit. Hac tamen alimoniâ tam tenui ad annum usque septuagesimum primum commodè pervixit admirãdo quotidiani jejunii beneficio.

Audimus hæc talia, nonnumquam & oculis spectamus viva virtutis exempla, sed ad imitationem non peræquè accendimur. Laudamus abstinentiam, sed eam experiri recusamus. Quâ in re potissimùm nos fallit Gula *Incredula* & *Inassueta*. Geminum & grande malum Primum: Incredulitas gulæ adeò nequam est, ut omnem exemplorum, rationum, argumentorum vim irrideat. Quidquid dicatur, nos malumus lautè largitérque comesse ac potitare, etiam cùm dispendio valetudinis, quàm paullulùm esurire singulari sanitatis commodo. Tam malè cautus est sui amor, ut pabulo vel subtracto, vel paullulùm imminuto, mox valetudini aliquid decessurum vereatur: Non poterimus, ajunt dormire; caput dolebit, inanis stomachus latrabit, vires deficient, labores nimiùm exhaurient. Mille talia somniamus, quando jejunium horremus. Nemo nobis nec Apostoli, nec ipse Christus contrarium persuaserit. Increduli sumus. Abstinentiæ cùm utilitas, tum necessitas tot libris describitur, è tot cathedris docetur, tot rationibus & argumentis evincitur, tot exemplis demonstratur, tot experientiis iisque ferè quotidianis confirmatur. Nihilominus nec libris, nec cathedris, nec argumentis, nec exemplis, nec ipsis credimus experientiis: nimiam virium debilitatem, & nescio quid mali metuimus. Ità umbras merissimas formidamus. Optimè, quod suprà demonstratum, dixit Athanasius: *Nec credas suadentibus, ne jejunes. Esca ventri, & venter escis; Deus autem & hunc & has destruet.* Illis igitur crede, qui & sapiunt, & abstinentiæ commoda deliciis omnibus anteponunt. Gulæ tuæ incredulitatem quotidianis studiis expugna, & brevi à senatu sapientum stabis. Novimus in aulâ Serenissimi Electoris, Bavariæ Ducis, &c. Maximiliani, viros magnos, illustres, sed & sanos ac robustos, imò etiam crebris profectionibus occupatos, qui adeò cenam omnem, velut lege, abdicarint à se, ut esculenti nihil aut poculenti, nec panem quidem aut vinum libent, idque sibi plurimùm conducere palàm affirment. Aude hoc experiri, quisquis es incredulæ gulæ, & idem cum illis senties. Si verò sanitatem amas, hanc jejunii Aloën glutire ne horreas.

Athanas. 3. de tribus virtutibus, & de medicatione.

1. Cor. 15. v. 13.

Duo mala ab abstinentiâ nemini trahunt. 1. Gula incredula.

Primum igitur quod nos ab abstinentiâ retrahit, obstaculum est, *Gula Incredula*. Illo non minùs alterum, *Gula Inassueta*. Nos scilicet animalia, ut muli putant, pastui nata, quotidie bis ad præsepe plenum stare assuevimus; bis de die aut etiam sæpius cibo refici in cunis consuesse cœpimus. Hæc assuetudo longa, quotidie non prandere tantùm, sed & cenare, adeò nos sibi devinctos tenet, ut quisquis jam contrarium suadet, hostis habeatur, & novæ sectæ promulgator. Durissimum nobis videtur ab assuetudine tam antiquâ recedere. Semel dumtaxat in die pasci triste piaculum censetur. Sint ista Monachis, ajunt, nos aliter assuevimus. Non est vivere, semel tantùm de die comesse. Adversus hanc consuetudinem Chrysostomus pugnans: *Obsecro*, ait, *ne consuetudini temerè serviamus, sed ratione res nostras instituamus. Christum non jejunantem tentat diabolus, sed esurientem; ut scilicet discas, quàm sit bonum grande, jejunium, & quia hæc adversus diabolum arma sint maxima. Dolet in jejuniis caro, sed epulatur anima. Ne attendas ad laborem solum, sed etiam ad fructum. Labor quidem nobis est in jejunando, at nondum pro Domino* IESV *crucifixi sumus. Quare autem jejunium pro cruce est? Majora pag. 165. ipse tulit, parva nos reddimus. Crucifixus est propter te, & fistit, & bibit acetum cum felle propter te; quid tu propter ipsum? stas in labore? nondum pependisti in cruce. Ne sis ingratus erga Dominum* IESVM, *ne deplora, quòd jejunas; sed minis pop. plora, quòd non semper jejunas. (Hoc obsecro, altè infige animo;*

2. Gula inassueta.

Chrys. tom. 1. in c. 1. Gen. hom. 1. Idem tom. 5. ser. 1. de jejunio. mihi pag. 774. Idem tom. 2. pag. 778.

mo; non plora, quòd jejunas; sed plora, quòd non semper jejunas.) Qui non compatitur IESV, ignorat IESVM; qui repellit jejunium, ignorat crucem, quæ ut non est mala, ita nec tu eam quasi malam suspiceris, ne sit fœdus servus, qui minister est Dei.

Ambr. to. 3. serm. 25. de quadrages. mihi pag. 307.

Hæc oris & calami aurei præcepta Ambrosii versibus consigno: *Murus est Christiano jejunium, inexpugnabilis diabolo, intransgressibilis inimico. Quis enim unquam Christianorum jejunavit, & captus est? Quis sobrius mansit, & victus est? Temulentum aggreditur diabolus, luxuriosum aggreditur inimicus. Vbi autem jejunium videtur, fugit, metuit, A terretur, pertimescit; debilitatur inedià, infirmitate prosternitur. Prosternitur, inquam, infirmitate, quia Christianorum infirmitas fortitudo est. Castra ergo nobis sunt nostra jejunia, quæ nos à diabolicâ oppugnatione defendunt.* Gula telum diaboli; tu sume scutum fidei, loricam ABSTINENTIÆ.

Cùm infirmor, tùm potens sum. 2. Cor. 10. v. 10. Idem to. 5. l. 4. Comm. in Evan. S. Lucæ mihi pag. 49. Hiero. to. 6. in c. 1. ep. ad Titum v. 7. pag. 200.

Ego hîc tundo pectus meum, & manus meas ad cælum extollo, atque cum beato Hieronymo. coram orbe universo liberrimè pronuntio? *Dicat quisque quod volet, ego loquor conscientiam meam: Scio mihi Abstinentiam & nocuisse intermissam, & profuisse repetitam.*

Finis Librorum de Iejunio.

DELICIÆ GENTIS HVMANÆ CHRISTVS JESVS NASCENS, MORIENS, RESVRGENS, ORBIS AMORI PROPOSITVS:

PARS PRIMA.

CHRISTVS NASCENS.

Isaiæ IX. vers. VI. & VII.

Parvulus natus est nobis. Factus est principatus super humerum ejus. Pacis ejus non erit finis.

CAPVT I.

De figuris & vaticiniis Christi Nascentis.

QVæ de Christo NASCENTE traditurus sumus, ea duodecim omnino capitibus exsequemur; dicturi ordine de Christi Nati vaticiniis & oraculis, de tempore, loco, de parentibus, de obsequiis Christo Nato delatis, de ipso infante divino Domino IESV, de Angelorum & totius cæli symphoniâ & applausu, denique de Christo Nato, à Magis adorato.

§. I. *Hebræorum vatum oracula.*

Figura Christi: Moses in flumine expositus.

NAtus Moyses, cogente Pharaonis imperio à matre suâ in fiscellam scirpeam pice litam compositus fuit, & expositus in publicum flumen. Puella regia Pharaonis filia, cùm ad aquas illas descenderet B lymphis recentibus corpus tinctura, vidit sportulam, & jussit adferri. Mox ominata quod res erat, *De infantibus*, inquit, *Hebræorum est hic.* Exemptum inde elegantem infantulum, sibi eum in filium educari præcepit. Synagoga, noverca pessima, Christum Nascentem exposuit: nam eum ad pecudum habitationem amandavit, Ecclesia recepit.

Exod. c. 2. v. 6. Synagoga Christum nascentem exposuit. Ecclesia verò recepit.

Isaias anno à mundi cunabulis ter millesimo quadringentesimo quadragesimo vaticinatus est de Christo nascituro, sexcentis minimùm annis antè natum. Inter illustriora ejus vaticinia & hæc sunt: *Ecce Virgo concipiet, & pariet filiũ, & vocabitur nomen ejus Emmanuel; butyrum & mel comedet, ut sciat reprobare malum, & eligere bonum. Parvulus natus est nobis, & filius datus est nobis, & factus est principatus super humerum ejus. Et vocabitur nomen ejus Admirabilis, Consiliarius, Deus fortis, Pater futuri sæculi, Princeps pacis. Multiplicabitur ejus imperium, & pacis non erit finis. Super solium David, & super regnũ ejus sedebit, ut confirmet illud.* Hæc verba eleganter admodum Eusebius Emissenus explicans: *Natus est nobis*, inquit, *qui sibi*

Isa. c. 7. v. 14. & 15. Hoc est, nobiscũ Deus. Isa. c. 9. v. 6. & seqq.

erat; natus, qui sentiret occasum; datus, qui nesciret exordium. Natus, qui & matre esset junior; datus, quo nec Pater esset antiquior. Natus qui moreretur; datus, ex quo nasceretur. Atque sic qui erat, datus est; qui non erat, natus est. Illic dominatur, hic humiliatur; sibi regnat, & mihi militat.

Idem c. 52. v. 10. Sed Isaias, quem dixi, de eodem Domini IESV natali vaticinatus, *Paravit Dominus*, inquit, *brachium sanctum suum, & videbunt omnes fines terræ salutare Dei nostri.* Adjungit *Propter hoc sciet populus meus nomen meum in die illâ, quia ego ipse qui loquebar, ecce adsum.* Adsum facilè adeundus ab omnibus, adsum linteolis involutus, adsum inter pecudes in gramineo toro reperiendus. Ecce aurea nunc tempora. *Lupus & agnus pascentur simul, & leo & bos comedent paleas.*

Ibid. v. 6.

Idem c. 65. v. 25.

Aggai c. 2. v. 7. & 8. cum hæc diceret Aggæus, elapsi fuerant anni ab orbis genesi 3434

Isaiæ accedunt Aggæus & Baruch Prophetæ. Aggæus, *Adhuc*, inquit, *unum modicum est, & ego commovebo cælum & terram, & mare & aridã, & movebo omnes gentes. Et veniet desideratus cunctis gentibus.* † Baruch autem divinum hunc infantem velut digito monstrans, *Hic est*, ait, *Deus noster, & non æstimabitur alius adversùs eum. Post hæc in terris visus est, & cum hominibus conversatus est.* * Bernardus hoc ætatis dictum (visus est in terris) suaviter expendens: *Ut invisibilis*, inquit, *videretur à nobis; ut immortalis moreretur pro nobis, Verbum caro factum est, & habitavit in nobis. Habitavit hoc Verbum in nobis adumbratum carne, quam pro nobis assumpsit ex nobis; Verbum in carne, Sol in nube, mel in cerâ, lumen in testâ, cereus in lucernâ, sustinuit in assumptâ carne incommoda nostra, & hoc totum non propter se, sed propter nos; ut redderet nos incolumes de infirmis, cohæredes de extraneis, liberos de servis.*

† *Baruch. c. 3. v. 36. & 38.*

* *Bern. ser. 2. de Cenâ Dom. mihi pag. 190.*

§. II. *Nascentis Christi adumbrationes.*

Moyses à colloquio Dei digrediens faciê suam velo contexit, *Exod. c. 34. v. 33.*

QVadraginta diebus Moyses inopransus & incenatus suavissimè cum Deo egit in fastigio montis Sinai. E monte ab hoc colloquio digressus, radiantem vultum retulit. Ne autem hic vultûs splendor Israëlis plebem à suo colloquio arceret, faciem velo contexit.

Sic Deus in tabulo velavit faciem carnis velo. *Iob c. 6. v. 7. & c. 36. v. 32.*

En in tabulo faciem Dei velatam carnis velo, quod eo factum, ut in terrâ cum hominibus amantissimè posset colloqui & agere. Hic ille est verè, Iobo teste, *Qui præcipit soli, & non oritur, & stellas claudit quasi sub signaculo. Qui in manibus abscondit lucem, & præcipit ei ut rursus adveniat.*

Isa. c. 45. v. 8.

Ad nasciturum Christum ingens ab ore condito desiderium agebat homines sanctos, dum desideratus & promissus adveniret ipse. Clamor omnium piorum omnibus retrò sæculis fuit: *Rorate cæli desuper, & nubes pluant justum, aperiatur terra, & germinet Salvatorem, & justitia oriatur simul.* Dulcissimi roris istius stilla ad Abrahamum etiam pervenit. Quod Christus asserens, *Abraham*, inquit, *pater vester exultavit, ut videret diem meum, & vidit, & gavisus est.* Rorare tunc cœperat cælum per promissiones, sed nondum pluere, quia promissiones nondum impletæ. Vnde ob nimiam, ut videbatur, tanti boni dilationem perpetuus pæne clamor in cælum ferebatur: *Obsecro, Domine, mitte quem missurus es.*

Ioan. c. 8. v. 56.

Exod. c. 4. v. 13.

Salomon. *2. Paral c. 9. v. 23.*

Illud de Salomone dictum, Christo congruit: *Omnes reges terrarum desiderabant videre faciem Salomonis, ut audirent sapientiam, quam dederat Deus in corde ejus.*

Gen. c. 46. v. 10.

Verè desiderium & *expectatio gentium* Christus. Nam etsi gentes idololatræ illum nec nossent nec desiderarent, ipse tamen in se summè fuerat, estque desirabilis. Hinc omnes ipsius adventu quàm maximè egebant, uti terra hians & arida, eget rore ac pluviâ.

Egere, est tacitè desiderare id quod egestatem levet. 2. Reg. c. 23. v. 15.

Salomonis parens rex David, cùm Philisthæos bello peteret, & in castris ob exercitationem bellicam vehementer admodum sitiret, exclamavit: O si quis mihi subministraret frigidam è fonte, qui est ad portas Bethlehem! Regiam vocem tres strenui milites A exceperunt, qui periculis contemptis attulerunt aquam. Sed David libans eam Domino, effudit, domuitque sitim illustri suîmet victoriâ, priùs seipsum quàm Philisthæos triumphans. Fons cælestibus aquis scaturiens, fecunda Virgo, Dei Mater est; Aqua viva ex fonte hoc Christus Dominus. Sed Iudæi hanc aquam effuderunt, quod Christus ipse queritur. *Sicut aqua effusus sum, & dispersa sunt omnia ossa mea.* Hanc aquam subministrabunt tres robustissimi, seu triplex patiendi ardor, pro Christo, pro aliorum bono, pro cælesti præmio.

Psal. 21. v. 15.

§. III. *Aliæ Nascentis Christi figuræ.*

AVdax hominum genus moliebatur olim turrim nubibus certantem educere; atque ut ea structura tantò feliciùs surgeret, sese invicem hortati, *Venite*, inquiebant, *faciamus nobis civitatem, & turrim, cujus culmen pertingat ad cælum, & celebremus nomen nostrum, antequam dividamur in universas terras.* Tunc Deus velut communicato cum Angelis consilio, *Venite*, inquit, *descendamus & confundamus ibi linguam eorum.* Hanc turrim ædificare, est contra Deum se erigere, ac superbire. Istius turris Lucifer primum locavit lapidem, & turris altitudinem definivit, cùm diceret: *Similis ero Altissimo.* Infelix architectus hoc ædificium nec ipse finiit, nec ullus finiet post ipsum. Dei Filius, ut aëreas has fabricas impediret & sterneret, è cælo in terram descendit, linguas hominum confusurus. Vsitatum itaque loquendi morem immutavit. Iam divitiæ paupertatis, voluntaria paupertas & penuria, divitiarum habent nomen; Mors somni, somnus mortis, afflictio consolationis, carcer libertatis, humanitas summæ dignitatis, mundi sapientia grandis stultitiæ, ignominia pro Christo tolerata veræ gloriæ nomen acquisivit. Felicissimè confusa sunt hæc idiomata, proxima est superbæ turris ruina.

Gen. c. 11. v. 4.

Ibid. v. 7.

Isa. c. 14. v. 14.

Dei filius in terram descendit ut linguas hominum confunderet.

B

C Fatali nocte illâ, quâ terrificus Angelus Ægyptum funeribus implendam sibi sumpserat, omne primogenitum tam inter homines quàm pecudes jugulavit, immensâ utrimque strage. Verbum æternum, quod tans in terrâ, cælum attingebat, cùm Ægyptum noctu ingrederetur nascendo, omne Ægyptium mundi primogenitum peremit. In primogenitis à mundo censetur Plutus, Voluptas, Honos: diaboli primores liberi, Peccatum & Mors. Felix Israëlis populus, felices Christi amatores, quorum bono tot Ægypti victimæ sternuntur. Iam Peccatum & Mortem vincere, jam Voluptatem, Plutum, Honorem triumphare, non est difficile volenti.

Exod. c. 11. v. 29. & seqq.

Et omne Ægyptii mundi primogenitum perimens.

Rex Nabuchodonosor in quiete vidit grandem statuam è metallis variis conflatam. Hanc lapillus è monte sine manibus præcisus, secundùm fictiles ferreósque pedes tetigit, & totam contrivit. Dominus IESVS è Virgine natus, primum fecit impetum in superbam mundi statuam, & quod anteà pretiosum erat, opes, potentiam, honorem, gloriam, voluptates, solo æquavit. Ab eo tempore sunt qui opes spernant, honores & voluptates aversentur, malintque cum Christo paupere ac contempto, contempti esse ac pauperes, quàm inter sidera collocari. Turris Babel fabrica jacet turbata, Dei Filius descendit in terram, hominum linguæ sunt confusæ, Virginitas ad id temporis ignota, honoratur, paupertas semper exosa, in pretio est.

Dan. c. 2. v. 31. & seqq.

Christus superbam mundi statuam opes, honores, gloriã, voluptates, solo æquavit.

§. IV. *Imago Christi Nascituri, Ionæ Prophetæ.*

PRæceperat Deus Ionæ, Ninivên contenderet, & pœnitentiam in eâ proclamaret. At Ionas, ut Domini jussa declinaret, mari se commisit, ut in Tharsis transmitteret. Dum navigat, ingens oritur tempestas, & excandescês mare fervet atque exæstuat. Hic Ionas

Ionas in mare mittitur.

ultro

Jonæ c. 1. v. 12. Christus in orbe tempestatem sedavit.

ultimo, *Tollite me*, inquit, *& mittite in mare, & cessabit mare à vobis*. Sævam in hoc coortam tempestatem sedavit Christus verus Ionas, qui sese è cælo in hos laborum & dolorum fluctus sponte præcipitem abjecit. Aut, quemadmodum loquitur beatus Maximus, Christum in has mundi procellas uterus maternus effudit.

Præcipitatus in oceanum Ionas, ab ummani ceto haustus est, in tridui vivum, sed minimè digerendum pabulum. Postquam è vētre ceti denuò in auras emersit, Niniven contendit, & pœnitentiam promulgavit. Christus vix utero Virginis egressus, clamavit & pœnitentiam indixit orbi. *Iam clamat exemplo*, ait Bernardus, *quod posteà prædicaturus est verbo. Clamat stabulum pœnitentiam; clamat præsepe, clamant lacrymæ, clamant panni.* Reverà quidquid in Christo infante divinissimo cernimus, aut audimus, silens clamor est, & potens ad pœnitentiam exhortatio. Vti autem egressus est Ionas è civitate illâ grandi, ita Christus è cælo Ionas ad Orientem civitatis sedet; Christus sui natalis locum Bethlehem oppidum ad Orientem situm elegit. Ionas extemporalem opacantem silvulam & umbraculum sibi texit ex hæderâ, & subter illud in umbrâ consedit; Christus sibimet è carne humanâ fecit umbraculum, & sub eo in hac vitæ nocte & mortis umbrâ latuit. Sed sicuti DEVS præparavit Ionæ hederam, & hederæ vermem, qui lætissimam illam textilem umbram omnem depasceretur; Ita cælestis Pater, Filio in natali nocte misit cantantes Angelos, gratulantes pastores, adorantes reges; stellam denique nati regis nunciâ fulgere jussit in cælo; sed misit etiam vermiculosum Herodem; qui antecedens omne gaudium immani cæde dissipavit. Hæ rerum humanarum vices sunt, læta omnia tristibus permixta, amaris dulcia, mel & fel ubique con unctissima. Quod circa Christi ortum luculenter est videre. Observavit Ioseph sponsam gravidam; en mœror & timor. Sed mox adfuit Angelus, qui timorem adimeret. Vidit Ioseph puerum cælestem natum; en abundans gaudium. Sed mox tota civitas turbatur. Rex furit & ad necem quærit puerum. Sed & hunc mœrorem alia sopivit lætitia. Apparet stella, adorant magi: sed nec istud diuturnum fuit gaudium. mox iterum formido, iterúmque periculum. Herodes mortem machinatur puero; fugiendum est, & in remotas oras transeundum. Sed & hæc suum vidit finem tristitia: solatur Angelus, & ab exilio revocat: nec tamen procul est metus, imperante Archelao Herodis filio. Hæc risûs & lacrymarum mixtura, locis omnibus invenitur. In cælo vinum meracum ponitur; gaudium non mixtum, imperturbatum, purissimum.

Bern. ser. 5. de Nat. Domin. initio mihi pag. 22. Quidquid in infante Christo cernitur & audiatur est potens ad pœnitentiæ exhortatio.

Læta omnia tristibus permixta sunt in hoc mundo.

§. V. *Aliæ Christi Nascentis imagines & umbræ.*

Psal. 17. v. 10. PSaltes regius futurorum præscius, canebat olim: *Inclinavit cælos, & descendit, & caligo sub pedibus ejus.* Nunc autem non cælos Deus, sed Regem cælorum inclinavit Virgo, & reclinavit eum in præsepio. Hunc ipsum Dei descensum Davidi visum, videns & Sapientia, *Cùm enim*, inquit, *quietum silentium contineret omnia, & nox in suo cursu medium iter haberet, omnipotens sermo tuus exiliens de cælo à regalibus sedibus, durus debellator in mediam exterminii terram prosiluit: usque ad cælum attingebat stans in terrâ.* De hoc Numinis descensu divus Fulgentius, *Solus descendit Dominus*, inquit, *ut multos elevaret; humiliavit se Rex noster, ut suos milites exaltaret. Ecquis est iste Rex? Pauper & dives, humilis & sublimis; qui portatur ut parvulus, adoratur ut Deus; parvulus in præsepio, immensus in cælo; vilis in pannis, pretiosus in stellis.*

Sap. c. 18. v. 15. & 16.

S. Fulg. ser. de S. Steph. sub initio. Idem ser. 5. de Epiphan. sub init.

Cùm Ionæ vates (de quo suprà demonstratum est) Niniven totam dicendo excitasset ad pœnitētiam, Rex ipse Ninives promulgatâ mortis sententiâ, è solio descendit, purpuram & diadema posuit, sine sceptro manus cælo attendit, regem omnem exuit; cinerem, saccum, lacrymas, jejunia sibi totique Ninive indixit. Christus Dei filius auditâ mortis sententiâ in nos prolatâ, idem, quod rex Ninivitanus fecit. Hoc Bernardus eleganter ac piè prosecutus: *Ludebam ego*, inquit, *foris in platea, & in secreto regalis cubiculi super me ferebatur judicium mortis. Audivit hoc Unigenitus ejus, exiit posito diademate, sacco vestitus, aspersus cinere caput, nudus pedes, flens & ejulans, quòd morte damnatus esset servulus ejus. Intueor illum subitò procedentem stupeo novitatem, caussam percunctor, & audio. Quid facturus sum? Adhúcne ludam, & deludam lacrymas ejus? Planè si insanus sum & mentis inops, non sequar eum, nec simul cum lugente lugebo. Ecce unde pudor? Dolor & timor unde? Utique quia ex consideratione remedii, periculi mei æstimo quantitatem. Nescieham, sanus mihi videbar, & ecce mittitur Virginis filius, Filius Dei altissimi, & jubetur occidi: ut vulneribus meis pretioso sanguinis sui balsamo medeatur. Agnoscite ô homo quam gravia sunt vulnera, pro quibus necesse est Dominum Christum vulnerari. Si non esset hæc ad mortem, & mortem sempiternam, numquam pro eorum remedio Dei Filius moreretur.* Nobis jam idem faciendum, quod Ninivitis regem suum æmulantibus.

Bern. ser. 3. de Nativit. Christi. sub finem mixi pag. 72.

Querebatur olim per Isaiam Deus: *Fugiter tot. die nomen meum blasphematur.* Quando igitur Rex cæli descensurus in terram, non nisi atroces voces & impia verba in se præscierat effundenda, suos secum è cælo musicos aulicos adduxit. Hinc illæ in Iobi carmine quæstiones: *Ubi eras, quando ponebam fundamenta terræ? indica mihi, si habes intelligentiam. Cùm me laudarent astra matutina, & jubilarent omnes filii Dei.* Verè Deus in gramineis incunabulis fundamenta terræ novæ composuit: verè tunc omnes filii Dei, Angeli beatissimi jubilârunt.

Isa. c. 52. v. 5.

Iob c. 38. v. 4 & 7.

§. VI. *Complura alia, quæ Christi Domini Natalem adumbrarunt.*

REx Israëlis Achab (quod Regum fasti produnt) *mutavit habitum suum, & ingressus est bellum.* Christus Rex Israël mutavit habitum, & præsepi, paleis, stabulo, pannis, fame, siti, lacrymis, extremâ paupertate suam divinitatem texit; pro hastâ & gladio fœnum & stipulas, pro ferreo thorace pannos, pro scuto habuit præsepe. Ita alienis quidem & hostibus ignotus fuerat, notus tamen suis, à quibus Salvator & Dominus est appellatus. Imò & regem Israël vel ipsi hostes in cruce pendentem nominārunt. Et quantus Rex iste? Rex Adonibezec jam captivus de seipso dixit: *Septuaginta reges amputatis manuum ac pedum summitatibus, colligebant sub mensâ meâ ciborum reliquias.* Rex sanè potens sit, qui tot generosos regios canes alat sub mensâ suâ. Sed quid ille ad istum Regem regum & dominātium Dominum, licet in cunis positum? qui pariter de seipso, *Meæ sunt*, inquit, *omnes feræ silvarum, jumenta in montibus & boves. Cognovi omnia volatilia cæli, & pulchritudo agri mecum est. Si esuriero, non dicam tibi: meus est enim orbis terræ, & plenitudo ejus.* Nihilominùs

3. Reg. cap. 22. v. 30.

Iudic. c. 1. v. 7.

Psal. 49. v. 10. & seqq.

Fœno facere pertulit,
Præsepe non abhorruit,
Parvóque lacte pastus est,
Per quem nec ales esurit.

Opulentissimus est Rex iste, atque potentissimus, sed bellum sanè cruentum ingressurus.

Romana bellua Nero Imperator, objecturus Christianos canum dentibus lacerandos, eos priùs ferarum pellibus dedit insuendos, ut tantò avidiùs canum rabies in illos grassaretur: Christus ut invadendi sui audaciam faceret hosti, nostræ mortalitatis saccò sese induit.

Nero Christianos ferarum pellibus dedit insuendos.

Samuëli Bethlehem ingresso, seniores oppidi in occursum prodierunt, dixerúntque: *Pacificúsne est ingressus tuus? Est, ait, pacificus: ad immolandum Domino veni, san-*

1. Reg. c. 16. v. 4. & 5.

ni, sanctificamini, & venite mecum. Ingressu admirabili venit Dei Filius in Bethlehem. Et numquid non idem rogare possumus: Pacificúsne est ingressus tuus, ô præpotens Deus? an venis ut filios ex orbe isto, quemadmodum olim eorum patrem è paradiso, ejicias? an venis sine gladio, quem in castra Sennacherib strinxisti? an venis sine sulphure & igne, quem in Sodomæam terram effudisti? Et ecce pro Domino respondent interpretes famuli: *Pax in terrâ hominibus bonæ voluntatis.* Pacificus est omnino hic Dei in orbem ingressus.

Luc. c. 2. v. 14.

4. Re. c. 20. v. 11. Isa. c. 38. v. 8.

Ævo regis Ezechiæ, sol decem gradibus iter suum relegit, quod Isaias affirmat: *Reversus est sol decem lineis per gradus quos descenderat.* Sol noster Christus per novem Angelorum ordines ad decimum usque gradum humanæ naturæ, suâ voluntate descendit.

4. Reg. c. 4. v. 32. & seqq.

Miserat olim famulum suum Eliæus, ut mortuum puerum ad vitam revocaret à funere. Sed ille fruſtrà tentavit omnia; nec movit se puer. Tandem ipse Propheta eò properavit. *Et ecce puer mortuus jacebat in lectulo: ingressúsque clausit ostium super se, & super puerum; & oravit ad Dominum. Et ascendit & incubuit super puerum; posuitque os suum super os ejus, & oculos suos super oculos ejus, & manus suas super manus ejus, & incurvavit se super eum, & calefacta est caro pueri.* Dei Filius miserat cum baculo tabulísque lapideis Moysen, miserat Prophetas alios, miserat reges sanctos, sed nemo erat, qui gentem humanam jam deploratam à morte reduceret ad vitam. Demum & ipse venit, sed contraxit & incurvavit se super mortui corpus, humanis se moribus attemperavit, nostræ se balbutiei accommodavit, humiliavit & exinanivit seipsum, formam servi accipiens, factus obediens usque ad præsepe, usque ad columnam, usque ad crucem, usque ad mortem, usque ad inferos. Et en! revixit humanum genus mortuum. Ita morte filii empta est vita servi.

Hanc figuram insigniter ac copiosè de Christo explicat Hieron. Bapt. de la Nuza tra. Evang. tom. 1. tra. 3. §. 10. mihi pag. 366.

§. II. *Cumææ Sibyllæ vaticinium.*

Maro eclog. 4. initio.

Licet à Marone luculentum satis Cumææ prædictionis testimonium attexere. Ita cecinere vates:

Vltima Cumæi venit jam carminis ætas;
Magnus ab integro sæclorum nascitur ordo.
Iam redit, & Virgo, redeunt Saturnia regna;
Iam nova progenies cælo demittitur alto,
Chara Deûm soboles, magnum Iovis incrementum.
Aspice venturo lætentur ut omnia sæclo.
Tu modò nascenti puero, quo ferrea primum
Desinet, ac toto surget gens aurea mundo,
Casta fave Lucina. ———

2. Petr. c. 1. v. 19.

Perinde ut Balaami asina, sic homines dicebant vera; sed quæ dicerent, non intelligebant. *Nos habemus firmiorem propheticum sermonem.* Verè magnus sæculorum ordo natus est; jam nova cælo progenies demissa. Desiit ætas vetustæ legis ferrea, cœpit aurea. Mutata & restaurata sunt omnia. Quod Paulus apertissimè pronuntians, *Proposuit in eo,* inquit, *in dispensatione plenitudinis temporum, instaurare omnia in Christo, quæ in cælis, & quæ in terrâ sunt, in ipso.* Aggæi vatis, quem suprà laudavimus, neutiquam obscura est prædictio: *Et movebo omnes gentes, & veniet desideratus cunctis gentibus, & implebo domum istam gloriâ, dicit Dominus.*

Ephes. c. 1. v. 10.

Aggæi c. 2. v. 8. Interpretes 70: Venient electa omnium gentium. Cum Hieronymo Augustin. legit l. 18. de Civit. c. 48. Venient quæ electa sunt Domini de cunctis gentibus.

Super hac orbis instauratione Gregorius Nazianzenus † mirificè exultans, *Christus,* inquit, *gignitur; glorificate. Christus è cælis; obviam prodite. Christus in terrâ; subvehimini: cantate Domino omnis terra. Atque ut hæc duo in unum contraham, lætentur cæli, & exultet terra propter cælestem, ac posteà terrestrem. Christus in carne; tremore & gaudio exultate; tremore, propter peccatum; gaudio, propter spem. Christus ex Virgine: mulieres virginitatem colite, ut Christi matres fitis. Quis eum, qui à principio est, non adorat? Quis eum, qui postremus est, non laudat ac celebrat?* Et

† Greg. Nazian. orat. 38.

A infrà: *Clamet Ioannes: Parate viam Domini; ego quoque dici hujus vim ac potentiam clamabo. Carnis expers incarnatur: Verbum crassescit, invisibilis cernitur, intactilis tangitur, tempore vacans initium sumit; Dei Filius, hominis filius efficitur.* IESVS *Christus heri & hodie, idem & in sæcula. Iudæi offendantur, Græci rideant, hæretici linguæ prurigine afficiantur. Tum credent, cùm in cælum ascendentem viderint: quòd si nec tum quidem, at certè cùm è cælo descendentem, atque ut judicem sedentem.* Atque ubi tenebras, flagitia, ærumnas mundi recensuit, hæc subjungens, *Quæ quoniam,* inquit, *majus auxilium requirebant, majus etiam acceperunt. Hoc autem erat ipse Dei Filius, ille sæculis antiquior, ille invisibilis, ille incomprehensibilis, ille incorporeus, illud ex principio principium, illud ex lumine lumen, ille fons vitæ & immortalitatis, illa archetypi expressio, illud immotum sigillum, illa per omnia similis imago, ille Patris terminus & ratio: ille, inquam, ad imaginem suam se confert, & carnem gerit, & cum intellectuali animâ propter animam meam jungitur, ut simile per simile repurget.* Verè, quo Apostolus dixit, *apparuit gratia Dei Salvatoris nostri omnibus hominibus,* B *erudiens nos, ut abnegantes impietatem & sæcularia desideria, sobriè & justè vivamus in hoc sæculo, expectantes beatam spem, & adventum gloriæ magni Dei & Salvatoris nostri* IESV *Christi, qui dedit semetipsum pro nobis, ut mundaret nos ab omni iniquitate, & mundaret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum.* Cohortatio potentissima, si aures patulæ ac dociles non sint.

Ad Titum c. 2. v. 11. & seqq.

CAPVT II.

De tempore Nascentis Christi.

DIximvs, quid in lege veteri figurarum, vaticiniorum, adumbrationum, oraculorum, imaginum de Christo Nascituro præmiserit cælestis Pater, nam ea omnia tâquam umbræ secuturi corporis, aut tamquam prodromi Messiæ venturi, præcesserunt. Nunc verò de tempore, quo Christus natus, déque iis quæ tempori solent attribui, dicemus. C

§. I. *De prodigiis Christi natalem antecedentibus & comitantibus.*

PRimus Christi adventus etsi occultus & humilis, quibusdam tamen signis præmuntiatus. Ex quo colligere est, quàm futuri sint terribiles secundi adventus nuntii. Numerantur autem Nascentis Servatoris antecedentia & committantia prodigia hæc.

Nascentis Servatoris antecedentia & committantia prodigia.

a Primum Trans Tiberim Romæ totâ die fons olei fluxit è tabernâ meritoriâ.

a Anno ante Christi natalem anno trigesimo tertio. Aug.

II. Engaddi vineæ, ut ferunt, nocte illâ in Iudæâ floruerunt.

b III. Romæ Templũ Pacis, ut aliqui tradunt, ruinâ subitâ collapsum. Si Lipomano & Surio credimus, Romani tot victoriarum memoriæ templum impensis Vrbis & orbis educere decreverunt singulari schemate. Sed oracula priùs exquisierunt, ad quod ævi durare posset tam excellentis fabricæ operosa moles. Responsum est. Donec Virgo pareret. Illi nullis sæculis ruituram ædem interpretati, æternum templum appellarunt. At eâ ipsâ nocte, quâ Virgo peperit, hæc æternitatis domus corruit.

c IV. Tres soles in unum cõire visi.

d V. Virgo in sole puerum gremio gestans ostensa est Augusto à Sibyllâ, seu, quod verius, à Sibyllinis carminibus, in quibus multum fuisse Augustum, satis constat.

VI. So-

interpretatur. b *Aloys. Lipom. tom. 8. Surius tom. 6. penes auctores fit fides.* c *Anno uno ante imperium Augusti. Sequenti anno, inquit Dio, & exortonitu, visus est Sol intra tres circulos effulgere, quorum unum totum horum ignita circumdabat.* d *Baronius tom. 1. in Apparatu ad annales Ecclesiast. mihi pag. 21.*

VI. Sodomitæ omnes incendio repentino perierunt.

VII. Mirandus splendor nocte mediâ exortus, & in limbum usque dehiscente terrâ immissus.

[a] VIII. Simulacra in Ægypto corruerunt. Hanc simulacrorum demolitionem fertur Hieremias vates Ægyptiis prædixisse, illo tempore futuram, quo Virgo Mater cum infante suo, quem peperisset, Ægyptum esset ingressura.

[b] IX. Multæ statuæ in Capitolio fractæ liquefactæque. Imago lupæ cum Remo & Romulo consecrata, cecidit. Litteræ in columnis, in quibus leges scribebantur, confusæ atque oblitteratæ.

[c] X. Aurei coloris globus Romanis visus è cælo in terram descendere, ibique major effectus, denuò in cælum ascendere, & obtegere solem.

[d] XI. Liquidò serenóque cælo repentè circulus ad speciem cælestis arcûs orbem solis ambiit, quasi unum eum ac potissimum monstraret *Cæsarem Augustum*, cujus tempore venturus esset, qui ipsum solem solus mundúmque totum & fecisset & regeret.

XII. Oracula dæmonum conticuerunt. Augustus Imperator Apollinis studiosissimus, ut responsum ab illo eliceret, Hecatombem ei sacrificavit. Silente Deo, alterum adjecit sacrificium. Hæ demum voces ab oraculo sunt editæ:

Me puer Hebræus divos Deus ipse gubernans,
Cedere sede jubet, tristemque redire sub orcum.
Aris ergo dehinc tacitus abscedito nostris.

† Reversus Romam Imperator, in Capitolio, ut ajunt, aram erexit hac inscriptione noscendam: *Ara primogeniti Dei.* * Creditur hic ipse locus esse in Capitolio, è regione rupis Tarpejæ, ubi Constantinus Magnus in memoriam divinę Matris Virginis Marię, nobilissimum templum struxerit, & dictâ ex caussâ *Aram cæli* nuncupârit.

Ex his nonnulla satis certa, uti primum & quartum, sed ea annis aliquot ante Christi Natalem contigerunt. Reliqua verò incerta planè, licèt habeant auctores, D. Thomam Aquinatem, D. Antoninum, D. Bonaventuram, D. Dorotheum, Alphonsum Tostatum, Innocentium Pontificem, Petrum de Natalibus, etsi non omnes ex his asserant illa omnia.

Certa sunt autem ista: Primum, Pax universalis. Alterum, stella nova. Tertium vix dubium, Fons è lacrâ spelunca Christi Nati prorumpens, de quâ Beda his verbis, *Petra*, inquit, *juxta murum cava, primum Dominici corporis lavacrum de muro missum suscipiens, hactenus servat.* Hoc Beda cognovit à sancto quodam Episcopo, qui hoc miraculi ipse vidit.

Nónne autem omne miraculum excedunt ista. 1. Quod canit Psaltes: *Non accedet ad te malum, & flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo.* Et tamen ecce ad præsepe Domini IESV cumulum malorum, & flagella plagas minitantia. 2. Verè hodie oceanus immensus in scrobiculum angustissimum infusus, quod infans, qui cum Augustino ad mare collocutus dicitur, posse fieri negavit. At ille, qui *cælos* firmavit *verbo, congregavit etiam sicut in utre aquas maris.* 3. Ignis ille, de quo Deuteronomium loquitur, *Dominus Deus tuus ignis consumens est*, hic, inquam, ignis, jam paleis, fœno, stipulis incubat sine illorum noxâ. 4. Monoceros aliàs indomitum animal, in sinum florigeræ Virginis sese submisit, & suum sibi cornu passus est frangi. Deus in priscâ lege cornu feriebat horribili & perquàm acuto: testatur Noëticum diluvium quo hausti orbis; Sodomæum incendium, quo exusta Pentapolis; Ægyptus, primogenitorum funeribus referta; Pharaonis ingens exercitus mari sepultus; funesta Sennacherib castra, ducentis pæne millibus nocte unicâ interfectis. Hem! quàm terribilis fuit hic Monoceros, quàm immensas strages feriente cornu edidit! jam hic ipse Monoceros in sinu Virginis dormit, *dilectus quemadmodum filius unicornium.* 5. Prodigium ingens est, quod Isaias enuntiat: *Habitabit lupus cum agno, & pardus cum hœdo, vitulus & leo & ovis simul morabuntur, & puer parvulus minabit eos.* Iudæa fatuitas, hæc ita reipsâ fore asserit, & ævo Messiæ lupum, leonem, pardum, ceterásque feras ad mansuetos mores transferendas affirmat. Vnde ajunt Hebræi fatui, necdum venisse Christum, nam adhuc leo lacerat, lupus vorat, serpens mordet, pardus fulminat. † Nos istud cum priscis patribus metaphoram dicimus in hunc modum interpretandam. In Ecclesiâ Christi quietè simul versabuntur mites & feroces, pauperes & divites, humiles & potentes, bilioſi & patientes, flagitiosi & innocentes. Nam gentes barbaræ feritate positâ mansuescent, & cum oviculis agnisque, cum piis & simplicibus Christianis in unam religionis concordiam conspirabunt. Videte Saulum minarum & cædis spirantem, ex lupo in ovem mutatum. Fabulantur prisci Herculem in cunis geminos elisisse colubros. Somnium. Hoc verè parvulus noster Emmanuel fecit, qui etiámnum in fœni cunabulis, ex agris pastores, ab Oriente Magos, ex aëre stellam, è cælo Angelos ad se traxit, suoque imperio subjecit.

aptat Didymo, qui ut Theodoram virginem Christianam stupro suoduceret, mutatis vestibus se reum peragi sustinuit. Cùm duceretur ad supplicium, accurrit Virgo, & litem movit de palmâ martyrii. Duo pugnârunt, & victoribus causſam cernentibus, ambo vicerunt.

§. II. *De civili ac politico mundi statu, quo natus Christus.*

PAx summa fuit in orbe universo, cùm pacificus iste Salomon Rex Salem, princeps pacis in orbem venit. De quo Zacharias vaticinatus, *Et loquetur*, inquit, *pacem gentibus.* De hoc ipso Beda, *Pacatissimo*, inquit, *tempore nasci voluit pacis amator.* Quod D. Basilius per avium reginam explicans, *Aquilâ*, inquit, *advolante, silentiũ indicitur aviculis. Veniente è cælo & in terris nascente Christo, verâ aquilâ, siluere Duces & Reges, siluere arma.* Quòd si halcyone pullos excludente silent venti, tranquillum est æquor; quid mirum, si pariente Virgine tranquillus est orbis? atque ut ros serenâ tranquilláque nocte sese diffundit, ita Christus tempore tranquillo è Virgine nasci voluit. Nimirum *factus est in pace locus ejus.* [a] Quod & Isaias gratulatur: *Conquievit & siluit omnis terra, gavisa est & exultavit.* [b] *Et erit opus justitiæ pax, & cultus justitiæ silentium, & securitas usque in sempiternum. Et sedebit populus meus in pulchritudine pacis, & in tabernaculis fiduciæ, & in requie opulentâ.* [c]

Pax ista tam opulenta monarchiam Imperatoris Augusti jam annum quadragesimum secundum imperantis decoravit. Cùm igitur Augustus tranquillitate maximâ, sopitis undique bellis, & Iani templo tertiùm clauso, posset orbem, jussit illum describi, & in censum suum redigi. Quod testatur Lucas: [d] *Exiit edictum à Cæsare Augusto, ut describeretur universus orbis.* Fiebat hæc descriptio partim ditando ærario, partim ut sciretur quàm latè pateret Romanum imperium. [e] Suas quisque possessiones & facultates indicabat, séque unà expresso nomine sio, subjectum Romano imperio profitebatur, solvebátque, quod credibile, didrachma. [f] Hæc prima fuit generalis & totius orbis Romani descriptio, vel certè prima, quâ descripti & censi Iudæi. Ad eam conficiendam viginti optimates ab Augusto electi. Quâ quidem descriptione & censu, numerati sunt viginti septem milliones, & septuaginta millia virorum bello habilium, g pueris, & senibus, feminis exceptis.

Hîc adoranda est summa providentia Dei, qui rerum

[a] Epiphanius in vitâ Hieremiæ Prophetæ, prope finem Operis.
[b] Dio l. 37. Suetonius in Augusto cap. 94. prodigium Romulæ factum, quo denunciatur, regê populo Romano natum parturire.
[c] Orosius l. 6 hist. c. 18.
[d] Orosius loco dicto.
Verba Suidæ sunt: Puer Hebræus, divis beatis imperans jubet me hinc eadem relinquere, & in eorum redire: jam dicto citius ab aris nostris.
† Suidas, voce Augustus, mihi pag. 155.
* Nicephorus l. 1, Hist. c. 17.
Beda de locis sanctis, cap. Paulinus ad Severum epist. 11. de hac spelunca, Psal. 90. v. 10.
Psal. 32. v. 6. & 7. Deut. c. 4. v. 24.
In priscâ lege Deus to-
In poenitendo lyceus.
24. mihi pag. 417. f 4 Nostrates binas, seu 8 sestertios, g Sunt 27997.
Psal. 28. v. 6. Isai. c. 11. v. 6. Iudæi asserunt ævo Messiæ lupum, leonem, pardum, ceterásque feras ad mansuetos mores transferendas.
† Fulminei pardi, Claudianus.
Ambros. l. 2. de Virginibus elegantier hanc metaphoram
Zach. c. 9. v. 10.
In Ascensione Domini.
Quòd Christus verè natus è Virgine velut aurorâ sit natus, copiosè docet Blasius Viegas in Apoc. comment. 3. sect. 9. & 10.
a Psal. 75. v. 3.
b Isa. c. 14. v. 7.
c Isa. c. 32. v. 17. & 18.
d Luc. c. 2. v. 1.
e Cur Deus fecerit Romanos rerum dominos, gentemque togatam, Aug. de Civitat. Dei, cap. 15. & 18. Hieron de la Naza tom. 1. tract. 2. parte 2. §. 3. pyriades

rum & caussarum seriem artificio tam admirando connectit, Deus ita constituit, ut hic hominum census eo tempore iniretur, quo & ipse Dei Filius Augusto fieret stipendiarius. Nam hac occasione imperati censûs à Cæsare, Ioseph & Maria è Nazareth in Bethlehem venerunt, quasi non aliâ de causâ orbis totus describeretur, quàm ut totius orbis Dominus non extra patriam suam nasceretur. Nimirum voluit Deus, ut Imperatoris edictum vaticinio Michææ subserviret. *Et tu Bethlehem Ephrata, parvulus es in millibus Iuda; ex te mihi egredietur, qui sit dominator in Israël, & egressus ejus ab initio, à diebus æternitatis.*

Dei Filius Augusto Imp. fuit stipendiarius.

Mich. c. 5. v. 2. Editū hoc oraculū à Michea anno mundi circiter 3229. annis ante Christum natum.

Bethlehem exigua & vilis civitas, sed cives habuit illustrissimos. Hinc prodit Abesan † Israëlis Iudex & Princeps, cui triginta erant filii, totidémque filiæ. Hinc Elimelech conjux Noëmi, cujus filio Ruth nupsit, quo mortuo maritum Booz accepit, è quo genitus est Obed parens Iesse, cujus filius fuit Rex David, à quo tota familia regum Israël & Iuda descendit ad ultimum usque Sedeciam regem. Fuit ergo Bethlehemum totius regiæ ac Davidicæ stirpis patria & seminarium. Decuit certè, ut urbs illa, quæ cæli regem esset editura, tot priùs se probaret heroibus, & civi omnium maximo per tot Principes & Reges præluderet: unde digna censeri posset, quæ virtutis opus extremum ederet, & aliquem super heroas omnésque homines ipsum Dei Filium civem suum exhiberet orbi adorandum.

Anno regni decimo. Sub quod tēpus floruit Sibylla Erythræa, cujus versus de Christo Nascente, Resurgente, Iudicante recitat Augustl. 18. de Civit. Dei c. 23.

† *Iudic. c. 12. v. 8.*

§. III. *De eodem mystica expositio.*

Greg. ho. 8. in Evang. Quærit Gregorius Magnus: *Quid est quod nascituro Domino mundus describitur, nisi hoc quòd apertè monstratur, quia ille apparebat in carne, qui electos suos adscriberet in æternitate.* Hinc & Beda nomen Augusti Christo tribuens, *Christus*, inquit, *Augustus, hoc est, augere desiderans & sufficiens: augere cœlum & vacuas Angelorum sedes.* Theophylactus hac in re ita sensit: *Colendus erat unus Deus, unde unus rex orbi dicitur imperare.* Advertit Thomas Aquinas, Augustum Imperatorem post diem hûc natalem Christi Domini vicem, ut proregem cum Imperio quatuordecim annis gessisse, nec sine divino instinctu mandasse, ne quis è populo Romano dominum se diceret.

Cur Domino nascituro mundus describitur.

Sueton. in Augusto c. 53.

2. Reg. cap. 24. Quàm graviter offendit Deum rex David, quando numerari jussit omnem Israëlis & Iudææ populum: Et tamen non dedignatur jam Dei Filius esse unus è numero illorum, quos numerari jubet Augustus, qui vanè putabat suâ manu portari orbem, eúmque ad suum libitum moveri posse ac verti. Quod eruditè Ambrosius observans, *Non Augusti*, ait, *sed Domini est terra, & plenitudo ejus.* Iste opulentissimus pauper in præsepi est, qui verè dicit: *Omnia, quæ sub cælo sunt, mea sunt.* Nihilominùs statim, ut natus est, census est; cujus quidem Romani censûs professione, ut vult Orosius, dicendus utique civis Romanus est: Sedebat quidem a in celso imperii culmine Augustus, jacebat in vili stabulo Christus; ac celsior in stabulo Christus, quàm in culmine imperii Augustus. Christus tamen, ut Origenes loquitur, cum omnibus ab Augusto describitur, ut omnes sanctificet.

Iob c. 41. v. 2.

Christus cum omnibus describitur, ut omnes sanctificet.

Ita beatus Lucas, *Et ibant omnes*, inquit, *ut profiterentur singuli in suam civitatem.* Neque tantùm viri, sed & feminæ debebant profiteri, uti ex hac ipsâ patet historiâ: *Civitas nostra*, ait Beda, *beata illa patria est, ad quam crescentibus quotidie virtutibus ire debemus.* Parum serius viator est, qui, quò debet tendere, quàm tardissimè cupit pervenire.

§. IV. *De statu mundi secundùm arcanam Dei gubernationem.*

Diabolo ante Christi natum tenebrarum regem regitur.

NOn minùs æternalis princeps diabolus quàm Cæsar Augustus (ita permittente Deo) imò magis ille quàm iste omnem ferè orbem securitate maximâ & pace regebat. Vniversi pæne mortales (exceptis paucis) sub illius imperio & potestate indignam sanè servitutem serviebant. Omnium prope hominum nomina non in cælo, sed in orco fuerant scripta. Omnes profitebantur (certè factis) se diabolo apostatæ angelo, è cælo exuli, æternùm ab astris proscripto, mancipatos esse: omnes illi didrachma, imò animas pendebant. *Notus solùm in Iudæâ Deus.*

Psal. 75. v. 2.

Orbe ferè toto, uno illo Palæstinæ angulo excepto, dominabatur idololatria, & cum eâ omnis innumerabilium vitiorum colluvies. Vbique terrarum exulabat virtus. Paupertatis & castitatis vel ipsum nomen horrori erat & odio. Nullus huic genuinæ virtuti inter homines honor aut locus, imò supplicium legibus etiam erat decretum. Verissimè de hoc mundi statu prædixit David: *Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt: non est qui faciat bonum, non est usque ad unum.* Sic ubi exulabat virtus, regnabat vitium, imperabat mors, dominabatur satan. *Propterea*, inquit Isaias, *dilatavit infernus animam suam, & aperuit os suum absque ullo termino.* In immensum se dilatârunt inferorum fauces, ut innumeros forberent; uti homo famelicus & gulosus lautioti mensæ assidens gulam parat, & oris rictum diducit, quo silvarum, aëris, & aquarum spolia mergat. Ita infinita seges animarum in illos Acherontis rictus præceps rapiebatur.

Psal. 13. v. 3.

Isaiæ 5. v. 14.

Infernus Salomoni est insatiabilis, cum non quiescit. *Prov. c. 30. v. 16.* Iuxta illud Sapientis, Difficultatem hominum non posse ante Christi natalem.

Eâ tempestate terram immensa hominum multitudo habitabat; summa inter eos naturæ, morum, linguæ, laborum ac studiorum dissimilitudo. Hi nuptias, illi exequias & funera celebrabant; hi flebant, isti ridebant; illi nascebantur, moriebantur alii; nemo ibat ad astra, ad cælum nulla via, nullus erat aditus. In cerebrum aut limbum adibant omnes. Hoc miserrimo rerum hominúmque statu, ecce venit cæli Dominus, mundi Salvator, Christus IESVS.

§. V. *De statu sanctorum Patrum in limbo.*

Animæ in limbo tenebrarum manentes gratiâ confirmatæ.

STatus manium seu animarum in Abrahæ sinu & limbo existentium, hic erat. Fuerunt illæ animæ in Dei gratiâ confirmatæ, retinuerunt fidem, spem, charitatem; actiones etiam virtutum harum edere potuerunt, sed sine promerito. Precari etiam valuerunt tam pro se quàm pro aliis generatim saltem & universè, pro humano genere, pro Synagogâ vel Ecclesiâ, pro amicis, pro filiis, pro cognatis & aliis. At verò pro his aut illis singillatim orare non poterant, cùm non sciren, omnia quæ hîc inter vivos gererentur. Non enim aliam rerum nostrarum habuerunt notitiam, nisi quam secum hinc eò detulissent, aut quam à manibus illuc demigrantibus accepissent, aut ex Angelorum colloquio, vel arcano Dei magisterio didicissent. Supplicium quidem ignis, aut aliud corporis nullum sensêrunt, eam tamen, quam *damni pœnam* vocant, usque ad Servatoris adventum persolverunt: nam Dei aspectu & bonis omnibus, quæ illi sunt conjunctissima, caruerunt. Non poterant ergo non affici mœrore ac tristitiâ ob dilationem summi Boni.

Singillatim non poterant, cùm non sciren, omnia quæ hîc inter vivos gererentur. Non enim aliam rerum nostrarum habuerunt notitiam, nisi his aut illis erant non patefacta. Supplicium ignis non sensêrunt, & tamen pœnam damni persolverunt.

Atque hinc Patrum illorum ingens erat desiderium, quo multi eorum à quinque millibus annorum & ampliùs assertoris sui & vindicis adventum exspectabant, illúdque Psaltæ Regii clamant jugiter: Vsquequò, Domine, oblivisceris nos in finem? *Vsquequò avertis*

Patrum desiderium Messiæ adventum exspectantium.

runt, copiosiùs Ludovicus Richeomus in suo Peregrino Lauretano, c. 107. num. 2. pag. 324. ubi loquentes fistit Adamum, Abelem, Abrahamum, Isaac, Iacobum, Moysen, Davidem, Isaiam, Michæam, quorum disertos gemitus exercis-

Psal. 12. v. 1. Psalm. 43. v. 23. & 24. Isa. c. 64. vers. 1. Gen. c. 49. v. 10. & 26.

avertis faciem tuam à nobis? Exurge, quare obdormis Domine, exurge, & ne repellas in finem. Quare faciem tuam avertis, oblivisceris inopiæ nostræ, & tribulationis nostræ? Vtinam dirumperes cælos, & descenderes! His clamoribus pulsârunt cælum, *donec veniret desiderium collium æternorum; donec veniret qui mittendus erat, exspectatio gentium.*

Vero simillimum est, quod Hieronymus Natalis docet, Angelum statim simul atque natus est Christus, in limbum ad Patres ab infante Deo fuisse missum, qui eis lætissimum hoc evangelium ferret: Iam primùm esse natum ipsis & orbi toti liberatorem: gauderent proinde ac sperarent illum ad eos descensurum, ut suos illos educeret è carcere ad cælum & immortalem gloriam, quam ipsis esset acquisiturus acerbo crucis supplicio, & dirâ morte. Ita, quod Isaias dixit, *populus qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam; habitantibus in regione umbræ mortis, lux orta est eis. Infernus subter conturbatus est in occursum adventûs Domini.*

Isai. 9. v. 2. Isa. c. 14. vers. 9.

§. VI.

De tempore, quo natus est Christus.

PRovectâ mundi ætate, jam imò senescente mundo, natus est Christus. Nam anno ab orbis primordiis quinquies millesimo centesimo nonagesimo nono, uti calculum ponit Cæsar Baronius, vel ad Alii aliter. Francisci Suarezii subductionẽ, anno à mundi creatione, quater millesimo, sextâ, si primam sententiam tueamur, & ultimâ, quod non improbabile, mundi ætate. Post diluvium anno bis millesimo nongentesimo quinquagesimo septimo; post Israëlis ex Ægypto migrationẽ millesimo quingentesimo decimo; ab urbe Româ condità septingentesimo quinquagesimo secundo, Christus Iesvs, verus Dei Filius, ex intactâ Virgine homo natus est in Bethlehem. Sic sextâ chiliade annorum, seu ævo sexto ad captivum hominem redimendum Deus in terram venit, qui die sextâ hominem creavit. Quòd si speretur status innocentiæ, argentea fuit ætas illa, sed heu nimiùm brevis! successit ferrea diluvii, dein ænea legis, tandem aurea gratiæ.

Anno septingentesimo quinquagesimo secundo ab urbe Româ condità natus est Christus.

Natus est autem Christus mense Decembri, asperiore anni tempore; quia statim, ut natus, ea quæ carni molestiora, voluit amplecti. Et natus, cùm sol ad infimum cæli punctum descendere, dieíq; solet crescere; quod à sanctis Patribus studiosè observatum. A Christo certè orbis restitutore omnia nobis bona profluxerunt: ille nobis diem æternitatis beatissimæ reparavit. Quod Augustinus sedulò expendens. *In hac die*, inquit, *quâ Salvator nascitur, splendor lucis augetur, tenebrarum caligo minuitur; in hac die lux cælestis credentibus redditur, & æternâ nocte diabolica figmenta damnantur. De Domino Ioannes dixit: Illum oportet crescere, me autem minui. Vt humiliaretur homo, eo die natus est Ioannes, quo incipiunt dies decrescere: ut exaltaretur Deus, eo die natus est Christus, quo incipiunt crescere dies.*

Cur Christus natus sit superiori anni tempore.

Aug. Serm. 21. de Sanctis.

Porrò dies ille mensis Decembris fuit vigesimus quintus, qui eo anno in diem Veneris, ut vult Baronius, aut (uti Suarezius & Barradius aliiq; complures tradunt) in Dominicam diem incidit. Ruperti Tuitiensis testimonium est: *Dominicâ natus est Christus, consonante mirabilium suorum ordine, ut quo die dixit, fiat lux, & facta est lux, ejusdem diei nocte oriretur in tenebris lumen rectis corde, & visitaret nos oriens ex alto, illuminare iis qui in tenebris & in umbrâ mortis sedent.* Porrò sicut die Veneris Christus conceptus creditur, ita & mortuus, eo nimirum die quo Adam creatus.

Hora nascentis Christi Domini fuit post illius noctis medium, initium diei naturalis. Quòd si ante noctis medium fuisset natus, dicendus esset potiùs 24. quàm 25. die in lucem editus.

En quanta mysteria noctu peracta. Noctu Dominus Iesvs hunc mundum ingressus; noctu suis cenâ supremâ valedixit, suumque Corpus ac Sanguinem nobis donavit; noctu ad vitam rediit. Hinc sacram hanc noctem decreto Telesphori Pontificis Summi, Ecclesia sacrificiis frequentat, illud Psaltæ religiosè attendens: *Ex utero ante Luciferum (ante auroram) genui te.* O mihi natalem hanc noctem omni die illustriorem! Vidit nox ista, quæ nullus umquam vidit dies. Hac nocte sol meus non ex undis, sed è stipulis surgit. Hac nocte cerno puerum, sed Deum, cerno matrem, sed Virginem.

Mysteria noctu peracta.

Psal. 109. vers. 3.

Tam soli numquam luna propinqua fuit.

Cæcus sum, nisi hac nocte amborem Dei mei video.

Chrysostomus, quod de Christo beatus Marcus memorat, *Circa quartam vigiliam noctis venit ad eos ambulans supra mare*, &c. in hunc modũ interpretatur. Prima vigilia usque ad diluvium, altera usque ad Moysen, tertia usque ad Ioannem, quartâ demum venit Dominus. Sed uti Christus natus mediâ nocte diem dedit, ita Christus mortuus mediâ die noctem induxit. Agnosce, Christiane, verum solem mediis errorum tenebris & nocte atrâ exortum, ut priorum sæculorum noctem profundissimam è tot populorum cordibus relegaret. Descende in te ipsum, animo expelle tenebras, solem admitte.

Cap. 6. vers. 48.

§. VII.

De causis cur tali tempore sit natus Christus.

Causę dilationis nativitatis Christi.

PRima dilationis tantæ causa fuit, ipsius Christi, tantique mysterii dignitas. Quod Augustinus probè perspiciens, Quanto major, inquit, judex veniebat, tantò præconum series longior præcedere debebat. 2. causa: Ne fidei & charitatis ardor temporis diuturnitate intepesceret. Si enim Christus principio mundi advenisset, jam multum obscuritatis à tot annorum serie hoc beneficium traxisset. 3. causa: Priùs disponendi erant homines, cùm per legem naturalem, tum per generalem de Redemptore promissionem, tum etiam per legem scriptam, & expressiora de hoc vaticinia. Sic enim dilato beneficio, & crescente remedii necessitate, erga Servatorem crevit desiderium. 4. Decuit hanc rerum universitatem paullatim perfici, quemadmodum homo mole corporis gradatim crescit ab infantiâ ad pueritiam, ad adolescentiam, ab hac ad virilem maturitatem, inde ad senectutem. 5. Illo ævo venit Christus, quo ipsius adventu mundus maximè egebat. Iam enim non tantùm lex naturæ, sed & scripta pæne aboleverat. Exponit hoc Christus parabolâ de patrefamilias, qui alios atque alios servos, denique ipsum Filium in vineam misit.

1. Ipsius Christi dignitas.

2. Ne fidei & charitatis ardor intepesceret.

3. Priùs disponendi erant homines.

4. Decuit hanc rerũ universitatẽ perfici.

5. Illo venit ævo, quo adventu mundus maximè egebat.

Sed harum causarum nulla fuerit, solum tamen Dei arbitrium, & ab æterno decretum hoc tempore mittendi filii, causarum causa fuit. Ita fieri, Deo complacitum est, ita factum est, ita optimè factum est. Hanc temporis opportunitatem considerans Bernardus, *Magno consilio factum est*, inquit, *ut post hominis casum non illico mitteretur Dei Filius. Reliquit enim Deus hominem in libertate suâ, in lege naturali, ut sic vires naturæ suæ cognosceret: ubi cùm desisceret, legem accepit, quâ datâ invaluit morbus, non legis vitio sed naturæ; & ita cognitâ suâ infirmitate clamaret ad medicum, & diceret: Exurge Domine, adjuva nos.*

Dei ab æterno decretũ hoc tempore mittendi filii causarum causa fuit. *Bern. in Meditat.*

Neque hæc beatissima Domini Iesv Nativitas in mundi finem erat differenda. Tunc enim mores corrupti, fides mortua, spes desperata, charitas pæne omnis erit extincta. Et quibus profuisset hoc tam grande mysterium? quos Sacramenta in remedium instituta juvissent, si hæc omnia mox finem habuis-

†Cur Christus non Davidis aut Salomonis ævo natus voluerit, cum regnum Iuda etiamnum floreret, rationem reddit Blasius Viegas in Apoc. c. 12. comment. 3. sect. 22. n. 8. mihi p. 630.

sent? ergo sapientissimè Christus post legem naturæ, post legem literæ, legem tulit gratiæ, eamque ultimam, post quam alia non speranda. Lex autem ista gratiæ senescentem jam mundum quasi denuò juvenescere jussit & revirescere in novos fructus. Addi potest, quòd hic Christi adventus fuerit quasi medius inter principium mundi & finem, ut ita utrique laboranti parti facilius subveniretur. † Sapientissimus Deus *bene omnia fecit.* *

* Marc. c. 7. vers. 37.

CAPVT III.

De loco, quo natus est Christus.

DIximvs de tempore Nascentis Christi; ordo rei nunc poscit, ut de loco Servatoris nati dicamus. Ita perginus, & ordinem naturæ, ducem sequimur.

§. I.

De itinere Beatissimæ Virginis Mariæ & Ioseph in Bethlehem instituto.

ITer hoc B. Lucas commemorans, *Ascendit autem & Ioseph*, inquit, *à Galilæâ de civitate Nazareth, in Iudæam in civitatem David, quæ vocatur Bethlehem, eò quòd esset de domo & familiâ David.* Non solùm Ioseph, sed & Maria Domini IESV mater è regiâ Davidis familiâ fuit. Ita conjuges ambo sanguine divites, re tenuissimi.

Ioseph & Maria è regiâ Davidis stirpe fuerunt.

Hoc autem iter è Bethlehem in Nazareth minimùm quatuor dierum erat, quod facilè constat & exploratum habetur ex descriptione geographicâ Terræ sanctæ, nam illud Bethlehemi oppidum à Nazareth ultra triginta leucas distabat.

Leucæ plerùque milliare unius horæ.

Maria Virgo perpetua, etsi uterum ferens, jámque partui vicina, hoc tamen iter non asino aut alio jumento vehens, ut vulgus putat, sed pedibus conficiebat, quod Maldonatus censet probabile. Nam quæ nullum partûs locum reperire, quæ agnum suæ lustrationi emere non potuit, vectaria, quod credibile, aut sarcinaria jumenta non habuit. Deinde, Bernardo aliisque testibus, uti sine dolore peperit; ita sine molestiâ uterum gestavit. Fulgentius, *Nulla*, inquit, *fieri gravedo potuit concipienti, nulla tristitia parturienti: cum esset gravida, salubri levitate plaudebat; lumen enim, quod intra se habebat, pondus habere non poterat.*

B. Maria sine molestiâ uterũ gestavit. *Fulgentius Sermone de Laudibus Deiparæ.*

Verosimile etiam est, Mariam neque locum, neque diem divini partûs ignorasse; quare tantò libentiùs atque alacriùs in viam se dedisse, quantò suum partum cerneret propinquiorem.

Non minùs probabile videtur, Mariam Virginem beatissimam non eodem prorsus die, aut eâdem nocte, quâ in eam civitatem pervenerit, partum edidisse, ut vulgaris est opinio, sed per aliquot dies Bethlehemi egisse, & stabulum, priusquàm pareret, submissione summâ & patientiâ habitasse: quandoquidem beatus Lucas his verbis utitur: *Cum essent ibi, impleti sunt dies ut pareret.*

Hoc iter facundâ prorsus eruditione describit Petrus Morales l. 5. in c. 1. Matthæi tract. 1. mihi pag. 838. Luc. c. 2. v. 6

§. II.

De Virtutibus Mariæ & Ioseph in hoc itinere spectandis

PRimæ quæ oculos ad se flectunt, Obedientia & Patientia virtutes illustrissimæ sunt. Nam ecce Regina siderum, fortunarum inops, in tantâ rerum difficultate, tempore prorsus incommodo, non sine vicini partûs periculo tam promptè paret idololatræ Imperatoris edicto, quod absque dubio nec puerperas, neque puerperio tam vicinas ad faciendum iter obstringebat. Virgo tamen nihilominùs integerrimè simul & promptissimè ultrò obtemperat. Verè servavit illud Apostoli: *Subjecti igitur estote omni humanæ creaturæ propter Deum, sive Regi quasi præcellenti, sive ducibus tamquam ab eo missis.*

Obedientia & Patientia inter Virtutes sunt illustrissimæ.

1. Pet. c. 2. v. 13. & 14.

Exactissimâ hac Obedientiâ non inferior fuit admiranda Patientia. Cùm pauperes iter intendunt, pæne omnia desiunt, vestes, viaticum, jumenta, currus, hospitia. Peregrini malè nummati, largissimam habent materiam exercendæ patientiæ. Pauperum itinera pæne omnium incómodorum sunt compendia. Vide geminos hosce, peregrinos viatores sanctissimos, quantam patientiæ simul & obedientiæ segetem messuerint hac viâ. Facultates eorum nullæ, paupertas arcta, inclementior aura, difficilis via, iter longum, tempus asperum, omnia incommodis plena. Senserunt utique se seriò esse pauperes & peregrinos, quibus negatum etiam est hospitium.

Iter Bethlemiticum Mariæ & Iosephi.

Hîc cogitatio intendenda in actiones, quas pauperes hi peregrini hac viâ susceperunt, & colloquia quæ instituerunt, modò cum Deo, modò de Deo; jam de futurâ professione, jam de aliis rebus ad vitam pertinentibus, de quibus familiariter & suaviter collocuti. Ex his omnibus sacræ eruditionis aliquid, pia mens hauriat. O nobilem obedientiæ ac patientiæ mixturam! Tulliana præceptio est: *Quantò superiores sumus, tantò nos submissiùs geramus.* Virgo parens, & Iosephus conjux, dignitate summi erant, Augusto tamen Cæsari exactissimè parebant, omni morâ & excusatione sepositâ. Quo quidem sanguine regium animúmq; generosum insigniter probarunt. Alti animi est, nec arduum quidem & difficultate plenum obsequium detrectare. Ita hi conjuges stirpis regiæ, tam priscæ legi quàm Romano Cæsari ad amussim obtemperarunt. *Magna quidem paupertas*, inquit Ioannes Pontifex, *sed integritas majus bonum est, sed obedientia maximum, si custodiatur illæsa: Nam prima rebus, secunda carni, tertia verò menti dominatur & animo.* Idcirco Christus Dominus prima & præcipua exempla suæ vitæ constituit in virtute obedientiæ. Ex quo, ait Franciscus Suarezius, *Aliqui probabiliter opinantur, quòd sicut Christus Dominus habuit moriendi præceptum, ita etiam ad id præstandum emiserit votum, non necessitate, ut stabiliret animum, sed ut seipsum obedientiæ perfectissimæ statueret exemplum.* Atqui obediens nemo erit sine patientiâ, nemo patiens sine obedientiâ. Intuere Christum, Christi parentes aspice, & hanc virtutum disce mixturam.

Eorum colloquia.

Cic. l. 3. cur. Digna. Ioan. Pont. de trav. Virginis cordium gem. Suarez. 3. part. Thomæ 40. art. 1. disp. 3. sect. 1. n. 2.

Nil integri est, ubi nulla obedientia est;
Summum Deo sacrificium, obedientia. *Imitatio.*

§. III.

De loco primo in quo natus est Christus, seu, de civitate Bethlehem.

PRimus locus qui contemplandus hîc occurrit, est Bethlehem parva civitas, quam Isai Davidis pater habitavit, in quâ David natus, educatus, & in regem unctus. Ab illo itaque qui eam familiam primus diademate ac sceptro nobilitavit, Bethlehem civitas David nominata, quam Davidis ex Salomone nepos Roboam, novis domibus & muris instauravit. In hac autem Augustæâ descriptione in eam quisq; civitatem sese contulit, non quæ tribûs suæ metropolis, nec in eam in quâ natus, aut in quâ possessiones habuit, sed in eam, quæ caput suæ familiæ fuit. Quia ergo Dominus è stirpe David nasci voluit, in patriâ etiam David sua cunabula quæsiit, ut locus ipse natalium originem demonstraret. Parvâ autem & humilem civitatulam elegit, qui mansuetudinem & humilitatem venerat docturus. Ita, ut S. Leo loquitur, *Qui servi susceperat formam Bethlehem præelegit Nativitati, Hierusalem passioni.* Nimirum Nativitatis suæ gloriam celavit in parvâ, Mortis suæ ignominiam divulgavit in magnâ civitate.

Bethlehem civitas David.

2. Par. c. 11. v. 6.

Christi Domini nativitas in civitate Davidis.

De

* est hanc viam, Nicolaus Christoph. Radzivill. ep. 2. sui Hodeporici, num. 3.

Michæa c. 5. vers. 2.

De oppido Bethlehem vaticinatus Michæas, *Et tu*, A inquit, *Bethlehem Ephrata, parvus es in millibus Iuda: ex te mihi egredietur, qui sit dominator in Israël, & egressus ejus ab initio, à diebus æternitatis.* Parva erat Bethlehem civium numero, & murorum ambitu, Messiæ verò incunabulis maxima omnium civitatum, & ferè metropolis orbis, quod Nazianzenus asserit, imò totius mundi horreum, quod selectissimi frumenti abundantiâ à fame defendit omnia mundi regna. Olim, quod Geneseos historia testatur, *in orbe universo fames prævaluit*, nam *in toto orbe panis deerat.* Ævo nascentis Christi summa religionis veræ penuria erat, crescebat quotidie fames in omni terrâ. At ubi Bethlehemiticum istud horreum est apertum, panis abundabat in omni terrâ. Hic est pinguis ille panis, qui delicias præbet regibus. Hic est panis ille divinus, qui descendit de cælo.

Nazian. orat. 19. Bethlehem orbis horreum dicit. Gen. c. 41. vers. 54. & c. 47. v. 13. Gen. c. 49. vers. 20. Num. c. 6. vers. 50.

Bethlehem, si vocis etymon spectemus, idem est B quod frugifera, seu, domus panis. Rectè hoc quidem, quia ibi natus est Servator, qui suos reficit æternâ panis abundantiâ. Hinc Gregorius Pontifex sanctus, *Locus ergo*, inquit, *in quo Dominus nascitur, domus panis antèà vocabatur; quia futurum profectò erat, ut ille ibi per materiam carnis appareret, qui electorum mentes internâ satietate reficeret.* Hieronymus in epitaphio Paulæ, *Salve*, inquit, *Bethlehem domus panis, in quâ natus est ille panis, qui de cælo descendit.* Quibus accedens Beda, *Quotidie*, ait, *Christus in Nazareth concipitur, flore scilicet verbi suscepto; & in Bethlehem iis nascitur, qui se domos æterni Patris efficiunt.*

Domus panis. Greg. Ho. 8. in Evang.

Septem urbes certant de stirpe insignis Homeri. Smyrna, Rhodus, Colophon, Salamis, Chius, Argus, Athenæ. Gell. l. 3. c. 11. Noct. Attic.

De Homeri solo natali septem nobiles Græciæ urbes certarunt, singulæ hunc sibi civem arrogare conatæ. Quam igitur gloriosa Bethlehem, quæ orbi dedit Messiam, qui mortales miseros vexit scripturus cives cæli. Hanc urbem longè celebriorem reddidit Christus suis Natalibus, quam suam Stagiram Aristoteles, Cato Tusculum, suos Arpinates Tullius.

O sola magnarum urbium
Major Bethlem, cui contigit
Ducem salutis cælitus
Incorporatum gignere.

Omnes regias civitates nobilitate & sanctimoniâ vincit. a Bern. serm. 1. in vigiliâ Nativit. Domini, mihi pag. 49.

Bethlehem omnes regias civitates, metropoles omnes, omnia orbis emporia, nobilitate vincit ac sanctimoniâ. *a* Bernardus grandi affectu hanc urbē attollens, *O Bethlehem parva*, inquit, *sed magnificata à Domino, magnificavit te, qui factus est in te, parvus ex magno. Lætare Bethlehem, & per omnes vicos tuos festivum hodie Alleluia cantetur. Quæ tibi civitas, si audiat, non invideat pretiosissimum illud stabulum, & illius præsepii gloriam? in universâ siquidem terrâ jam celebre est nomen tuum, & beatam te dicunt omnes generationes. Vbique gloriosa dicuntur de te civitas Dei: ubique psallitur, quia homo natus est in eâ, & ipse fundavit eam Altissimus. Vbique, inquam, prædicatur, ubique clamatur, quia* IESVS *Christus Dei Filius nascitur in Bethlehem Iudæ.* Et infrà: *Bethlehem quippe domum panis, Iuda sonat confessionem. Tu ergo si divini verbi pabulo repleas animam* D *tuam, fidelitérque etsi non dignâ, tertè quantâ potes devotione suscipias panē illum, qui de cælo descendit, & dat vitam mundo, Dominicum videlicet corpus* IESV, *ut veterem utrem corporis tui, novalla resurrectionis caro reficiat & sustineat, quatenus novum quod intus est vinum, & hoc solidatur glutino, valeat continere: si denique ex fide vivas, & nequaquam gemere oporteat, quia oblitus sis comedere panem tuum: Bethlehem factus es, dignus planè susceptione Dominicâ, si tamen confessio non defuerit: sit proinde Iudæa sanctificatio tua: confessionem & decorem induere, quam maximè stolam in ministris suis Christus acceperat.* Ergo Bethlehem Christi patria. Cum Hugone Victorino paragraphen istam claudimus: *Delicatus est, cui patria etiamnum dulcis est: fortis autem, cui jam omne solum patria est: perfectus autem, cui mundus exilium est.*

Hugo de S. Victore l. 3. de Didascal.

§. IV. *De loco altero, in quo natus est Christus, seu de stabulo.*

Luc. c. 2. vers. 7. In urbe Bethlehem Ioseph & Maria non invenerunt locum in quo se reciperent. Ovid. in Metamorph. l. 8 fab. Philemonis & Baucidis, vide p. 170.

Beati Lucæ verba sunt: *Non erat eis locus in diversorio.* Videte, obsecro, quàm crebro itu ac reditu hi duo sancti conjuges obierint civitatem, nec tamen uspiam locum aut humanas latebras sibi repererint pro tam vicino partu.

Mille domos adiere, locum requiémque petentes;
Mille domos clausere seræ, tamen una recepit,
Parva quidem stipulis, & cannâ tecta palustri.

Nullum sanè dubium est, quin eo tempore Bethlehemum, ex eâdem familiâ David plurimi confluxerint describendi, qui tamen aut in suis ædibus, aut in commodis diversoriis quieti manserint. Sola Domini paupertas relegata est ad bestias. Nec erat è cognatis viris femineve vir ullus aut ulla femina, quæ prægnantis & pauperculæ Virginis miserationē tangeretur. *In propria venit* (Rex cæli) *& sui eum non receperunt. Loco eget*, ait Beda, *ut nos plurimas in cælo mansiones habeamus.* Dei Filius Patri obedientissimus in novissimo loco recubuit. Propter quod consummatis omnibus, à Patre audiit, *Ascende superius.*

Ioan. c. 1. vers. 11. Luc. c. 14. vers. 10.

Quòd si Maria & Ioseph, advenæ sanctissimi à mortuis hospitium petiissent, cadavera, putem, certatim è tumulis proreptassent, ut locū Domino suo cederent. Torpent vivi, & nec quidē se movent. Mancipiis infimis de loco prospectum est, opportuna habitatio iis non deest, solus omnium Dominus excluditur. Ergo ad pecudes abire, & ab illis tuguriolum vilémque lectulum emendicare debuit.

Sed quid adeò mirum, non fuisse ei locum in diversorio? Non capit Deum regio nostra, neque in hoc inferiore mundo aptus est ei locus, in quo diversetur. *Iste in excelsis habitabit. Hæc dicit Dominus*, ait Isaias, *Cælum sedes mea, terra autem scabellum pedum meorum. Quæ est ista domus, quam ædificabis mihi? & quis est iste locus quietis meæ?*

Isa. c. 33. vers. 16. Idem c. 66. vers. 1.

Sed inspiciamus ipsius domicilii hujus venustam faciem, & pretiosam aulæorum ac peristromatum supellectilem. Stabulum hoc Latini Patres, speluncam Græci plerumque nominant. Fuit in suburbiis Bethlehemi extra muros specus in rupe aut topho excisa. Quam Hieronymus parvum terræ foramen vocat. Erat id publicum & commune receptaculum, quò peregrini pauperes, vel vicini pastores confugere consueverant. *a* Hîc Christus purissimi & divini partûs mysterium celare, hîc primò aggressu omnem mundi pompam & gloriam calcare instituit, hîc mollem ad se aditum pastoribus & Magis dedit, hîc, ut Petrus Chrysologus ait, *in viâ nasci voluit, ab omnibus inveniendâ.* *b* Quod & beatus Gregorius cōsiderationi nostræ subjiciens, *Non in parentum domo*, inquit, *sed in viâ nascitur, ut profectò ostenderet, quia per humanitatem suam quam assumpserat, quasi in alieno nascebatur.* Ergo extra urbem nascitur Christus, & moritur. *c* Augustinus de hac viâ pulcherrimâ philosophatus, *Christus*, inquit, *veritas & vita est, assumendo hominem factus via est. Ambula per hominem, & pervenies ad Deū. Per ipsum vadis, ad ipsum vadis. Noli quærere, quà ad ipsum pervenias præter ipsum. Si enim via esse noluisset, semper erraremus. Factus ergo via est, quâ venias. Non tibi dico, quære viam. Ipsa via ad te venit. Surge & ambula. Ambula moribus non pedibus. Multi enim ambulant bene pedibus, & malè moribus. Aliquando enim ipsi bene ambulantes præter viam currunt. Benè currunt, sed in viâ non currunt. Quantò plus currunt, plus errant, quia à viâ recedunt. Melius est in viâ claudicare, quàm præter viam fortiter ambulare.*

Maldonatus & Toletus in urbe asserunt fuisse hanc speluncam publico diversorio conjunctam. a Christus in stabulo divini partûs mysterium celare, & omnem mundi pompā calcare instituit. b *Greg. hom. 8. in Evang.* c *Aug. tom. 10. serm. 55. de verb. Domini c. 4. mihi p. 80.*

Hoc ipsum Augustinus docens uberiùs, *Homines*, ait, *ad viam veniunt, numquid via venit ad ipsos? Via nostra venit ad homines: invēnit errantes, vocavit ad se extrà ambu-*

Idem tom. 8. in psal. 39. post med. mihi pag. 144.

Iorn. c. 14. vers. 6. *ambulantes. Inme*, inquit, *ambulate, & non errabitis.* Ego sum Via, Veritas, & Vita. *Ne dicas, ubi est via Dei? ad quam regionem ibo? quem montem ascendam? quos campos inquiram? Viam Dei inquiris? Salvare Dei, est via Dei, & ubiq; hæc est.* Puer est, qui in Bethlehem natus est. Via nobis factus est Christus, & desperamus nos perventuros? Via ista finiri non potest, præcidi non potest, corrumpi non potest, nec pluviâ, nec diluviis, nec à latronibus obsideri. Ambula securus in Christo, ambula: ne offendas, ne cadas, ne retrò respicias, ne in viâ remaneas, ne à viâ recedas. Ista omnia præcave tantùm, & pervenisti.

Idem to. 10. Serm. 48. de temp. c. 10. mihi p. 255.

Scriba piger assolet jocari: O si mihi calamus sit, qui ipse scribat! Deses tabellarius optat: ô si viam inveniam, quæ ipsa veniat ad me! En ignavi homines!

Ps. 44. v. 2. repertus est talis *calamus scribæ velociter scribentis.* Reperta est talis, & Via & Vita, quæ ultro accurret ad vos. Ite tandem pigerrimi mortales, ite, via vobis obvia est; calamus ille in manu vestrâ est; Verbum æternum, Dei Filius, vera Via ad cælum se vobis in viâ substernit.

Porrò de Christi Nati domicilio, de specu illâ, seu stabulo verissimè assimari potest, quod Iacob dixit: *Verè Dominus est in loco isto. Non est hîc aliud, nisi domus Dei & porta cæli.* Verè hoc stabulum paradisus est, sed non voluptatis, nisi occultæ prorsus & sacræ.

Gen. c. 18. v. 16. & 17.

Gen. c. 2. vers. 8. Hunc *paradisum plantaverat Dominus Deus, & in eo posuit hominem*, Adamum alterum *quem formaverat.* Hoc stabulum est illud palatium regium, quod æterna Sapientia gloriosæ nativitati suæ condidit. Hoc stabulum ipso Salomonæo templo longè augustius & sanctius. Nam & hîc verum est Propitiatorium Dominus IESVS; Quoniam *ipse est propitiatio pro peccatis nostris.* Hîc Candelabrum aureum cælestis auctor septem Sacramentorum. Hîc Arca, Virgo Dei Mater Beatissima. Hîc loco Cherubim innumeri sunt Angeli.

1. Ioan. c. 2. vers. 2.

Vide Viegam in Apoc. c. 11. Comment. 6. exegetico sect. 2. mihi pag. 459. ubi illustriora huc spectantia.

Admirabundus Baruch ob immensitatem ætherei palatii, a *O Israël*, inquit, *quàm magna est domus Dei, & ingens locus possessionis ejus! Magnus est, & non habet finem; excelsus & immensus.* Si quis Nascentis Christi habitaculum inspiciat, contrarium dicet. Vertamus jam, & cantemus: O Israël quàm parva est Domus Dei, & exiguus locus possessionis ejus! Parvus est, & intra stabuli, imò & intra præsepioli fines continetur; humilis profectò & angustus.

a Baruch. c. 3. v. 24. & 25.

Mater sancti Ignatii Loiolæ, Marina domo Baldensis, claro genere nominéque femina, cùm hunc ipsum filium parturiret, ingenti erga Natalem Domini affectu, in stabulum se deferri jussit, ut eò loci pareret, ubi Virgo Deum genuisset, nec enim meliore se loco dignam censebat in puerperio, quàm fuisset mater Dei, quæ peperisse in stabulo. Hoc stabulum omnes regum turres despicit non mole aut artificio structuræ, sed divini partûs sanctitate. Adrianus Imperat. contra Deum insanire aggressus, ut loci hujus religionem emoliretur, in eo statuam Adonidis erexit, ut in specu (cum Hieronymo loquimur) *b* ubi Christus parvulus vagiisset, Veneris Amasius plangeretur. Fœdum nefas! Stetit hîc Adonis centum octoginta annis (ea est Numinis patientia) ad Constantini ævũ. *c* Cujus mater Helena everso Adonide, huic cavernæ magnificũ templum inædificavit, & ad præsepe, quo reclinatus est Agnus Dei, aram struxit, ut ille ipse jugiter ibi offerretur Patri, ubi primitus illuxisset orbi. Hanc ipsam specum Constantinus aulæis aliisque regiis ornamentis ita decoravit, ut istud spectaculum, mundi esset miraculum. Hîc visendus ordo quadruplex columnarum è marmore. Ordines singuli columnas quinquaginta arte & pretio admirandas exhibebant. His fornix opus vermiculatum nitebatur, quod omnes ab orbe ad Christum nobiliores historias mirâ colorum & artificii varietate proponebat spectandas. Omne pavimentum marmore stratum, parietes alabastro vestiti, templi tectum è plumbo. Non habuit orbis huic templo æmulũ. Hinc Sultanus Ægypti ausus admovere sacrilegas manus, & velle suum Cayri palatium hac opulentiâ exornare. Sed prodigio coluber è pariete laqueato emergens, ut ajunt, affectati sceleris exordium turbavit.

Post septem filios postremum, anno 1501. Vita S. Ignatii iconibus adumbrata Romæ, icone omnium primâ. Sed hîc omnem fidem penes chalcographũ esse jubemus, cùm res gesta S. Ignatii nullam faciant hujus facti mentionem. b Hieron. ad Paulinum.

c De his plura Nicol. Christ. Radzivill. in suo Hodœporico Hierosolymitano. Bartho-

O igitur felix stabulum inquilino tali habitatum! vile mihi est aureum Neronis palatium, & vel ipsum Salomonis templum ad cryptam hanc collatum.

Quemadmodũ verò Dominus & Magister ad bestias divertit, ita servi ejus & discipuli vilia nõ invitis subierunt hospitia. Beatus Petrus ad Simonẽ Coriarium; B. Marcus ad Anianum Sutorem diverterunt. Olim apud idololatras sola Christianorum hospitia fuerunt carceres & ergastula. Quid superbe cinis spatiosas ædes, magnifica tibi quæris palatia? Dominus tuus propter te vilissimum habitat diversoriolum. Rex cæli spelæo pecudum hospitatur. Aut hîc disce mores, aut alium tibi quære Dominum, & aliud pro cælo habitaculum.

§. V. *De tertio loco, in quo natus est Christus, seu, de præsepi.*

EVangelii verba sunt: *Et reclinavit eum in præsepio.* Præsepe non fuit primus locus quem Christus natus attigit, sed vel speluncæ rude solum, uti contendit Barradius, vel manus & brachia Beatissimæ Virginis Servator primo contigit, ita tamen ut prius, quod credibile Angelorũ famulatu fuerit susceptus, subinde in brachia divinæ Matris repositus, à maternis brachiis in præsepi collocatus. E sententiâ Chrysostomi, præsepe hoc lapideum, & in rupe excisum vel luteum fuit; ex aliorum mente ac consensu videtur fuisse ligneum. Servatur id Romæ hodiéque in Mariæ majoris æde.

Luc. c. 2. vers. 7. Præsepe. fuit locus. Christus natus. Bet.

In stabulo. Sanct. Patres. Hieron. corpus. Euseb. decum.

De hoc vilissimo Pueri divini lectulo vaticinatus Habacuc, *Consideravi opera tua*, inquit, *& expavi; in medio duorum animalium cognoscêris.* Cui accedens Isaias a *Cognovit bos possessorem suum, ait, & asinus præsepe domini sui; Israël autem me cognovit, & populus non intellexit.* Non igitur ob necessitatem solam & lectuli penuriam, sed etiam ob prædictiones istas ad Patris nutum præsepe amplexus est Cœlestis Infans. Ad has cunas Chrysostomus invitans, *Si homo es*, inquit, *panem comede; si animal es, ad præsepe accede.* Hîc cogita Christum verè cognitum inter duo animalia: Nimirum cùm in stabulo nasceretur, inter duas pecudes; cùm in monte Thabor transfiguraretur, inter duos Prophetas; cùm in monte Golgothâ moreretur, inter duos latrones vivus est. Athanasius procul cogitationes mittens, *Fortasis*, inquit, *ob illum asinæ pullum in castello solutum, & Domino adductum* IESVS *in præsepio fuit reclinatus.* Iobus olim interrogans & optans, *Numquid rugiet onager*, inquit, *cùm habuerit herbam; aut mugiet bos, cùm ante præsepe plenum steterit; Quis mihi tribuat, ut cognoscam & invenam illum, & veniam usque ad solium ejus?* Verè jam illum invenire facillimum est, jam licet pervenire usque ad Bethlehemiticum ejus solium. Quid exeras & lascivis onager? hîc tibi herba ponitur, copiosum pabulum? quid calcitras & mugis taure? stas ante præsepe toto Deo plenum.

Habacuc. 3. v. 2. Matth. vers. 1. Iob. 6. vers. 5. Idem. vers. 7.

Hoc præsepe lectulus est florum pluviâ infusus, quem cælestis sponsa laudans, *Lectulus noster*, ait, *floridus.* Hic ille Salomonis thronus est, etsi non pretiosus ebore, sed vili ligno, non vestitus auro sed fœno, qui quidem duodecim aureos leones utrinque gradibus incumbentes non habet; de hoc ipso tamen præsæpi potest verè affirmari, *Non est factum tale opus in uni-*

Cant. 3. vers. 10. Reg. 10. vers. 18.

in universis regnis. Nam humili hoc præsepiolo recubuit ille Dominus, cujus Salomon mediastinus & atriensis fuit famulus, etli equorum curuliúm quadraginta millia præsepia, & duodecim millia equestriú habuerit. Hic verus ille Salomon, *Et ecce plus quàm Salomon hic*, qui è suo isthoc solio mundum universum docet veram sapientiam, hoc est, paupertatis & humilitatis amorem. Hoc solium, hoc præsepe Dominicum, quod choreæ Angelorum cingebant, longè superat illum Salomonis lectulum, quem sexaginta fortes ex fortissimis Israël ambiebant. Lectulus, in quo Salomon noster accubat, mens est humana, sed munda. Hîc suaviter quiescit Rex ille, cujus deliciæ sunt esse cum filiis hominum. De fortissimis hujus lectuli custodibus vates Hebræus canit: *Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis; in manibus portabunt te.* Vt gratum hunc lectulum omni jure occuparet Puer Cœlestis, priùs collocari voluit in duro lectulo præsepis.

Has ego Domini cunas longissimè prætulerim illi Salomonis ferculo de lignis Libani facto, quod *columnas* habuit *argenteas, reclinatorium aureum, ascensum purpureum.* O Dominici præsepis paleæ, ô semesi stramenis culmi & stipulæ rosis & liliis omnique florum familiâ præstantiores! aurum obryzum & recoctum ad has stipulas lutum est.

a Funebrem Regis Asa lectum aromatibus & unguentis plenum pigmentariorum arte confectú consideram, & confer eum hoc lectulo tui Domini inter fœtores strato.

b Otho Imperat. Romualdi cellulam non tantùm subire, sed etiam in Romualdi paupere rigidóque lectulo jacere voluit. Res magna in vili lecticulâ Cæsar Romanus, sed longè quàm major in præsepi Deus.

Franciscus Assisias cùm super mensam legi audiisset illud, *c Reclinavit eum in præsepio, quia non erat ei locus in diversorio*; mox mensâ relictâ surgens & humi considens, Numquid ego, inquit, hominum vilissimus, peccatis plenus, inutilis servus ad mensam sessitabo, cùm Dei mater in stabulo, cùm mundi Dominus in præsepio paupertatem & patientiam nos doceant? Ita abjectus in terram non sine gemitu, mendicatum panem comedit.

Eant nunc & inhiènt struendis opibus vani mortales; dilatent philacteria sua & magnificent fimbrias; *ament primos recubitus & primas cathedras.* Hoc sibi solium, recubitum hunc imum, hanc cathedram elegit Dei filius. Post certos annos in altiore quidem, sed simul humiliore cathedrâ docturus.

CAPVT IV.

De ipso partu divino, déque Christi Domini parentibus.

DE figuris, de tempore, de loco Christi Nascituri diximus. Ab ordine jam ducimur, ut de partu ipso & parentibus dicamus.

§. I. *De verbis Lucæ*: Et peperit filium suum primogenitum.

OBstupescendum mysterium, Virginis partum beatus Lucas memorat his unis voculis: *Et peperit filium suum primogenitum.* Peperit, sed modo admirabili & planè novo, & quem ipsa obstupescat Natura. Peperit ergo sine gemitu, sine dolore, qui in aliis parturientibus semper maximus, ob illam imprecationem divinam: * *Multiplicabo ærumnas tuas, & cœceptus tuos; in dolore paries filios.* Rectè beatissima Virgo sine dolore peperit, *quia ubi voluptas*, inquit Nyssenus, *partum non antecessit, neque dolor subsecutus est.* Verùm quos

A in partu dolores effugit, ait Damascenus, Passionis tempore sustinuit.

Peperit Virgo divina, sine ullis omnino sordibus, neque enim secundas emisit, neque sanguinem, qui eas solet sequi, effudit. Purissimus fuit hic partus, qui & tantam filii dignitatem & puritatem matris deceret. Id Gregorius Nyssenus indicans, *Quod ex muliere*, inquit, *nascatur, humilitatem redolet; quod verò ex Virgine, hominem transcendit: hujus jucunda portatio, partus facilis & cum gaudio, absque corruptelâ Nativitas.* Omnis proles matri suæ ante partú oneri est, in partu dolori, post partum curæ ac labori. Christus suæ Matri, antequam nascereturr, magno levamento natus, maximo gaudio; post Nativitatem, inexplicabili fuit solatio in omni labore ac dolore.

Peperit Virgo divina, nec Virgo esse desiit. Et uti Christus januis clausis ad discipulos ingressus, & obserato tumulo egressus est, ita è Beatissimæ Virginis visceribus, tamquam per hortú occlusum, prodiit, clauso matris utero. Fortasse ab Angelis, quod suprà demonstratum est, exceptus, & in matris brachia repositus. Quod D. Leo confirmans, *Non hic cogetur*, inquit, *parturientis conditio, sed nascentis arbitrium. Venit enim Dominus* IESVS *Christus contagia nostra auferre, non perpeti; nec succumbere vitiis, sed mederi. Propter quod oportuit ut novo nascereturr ordine, qui novam impollutæ sinceritatis gratiam humanis corporibus inserebat.*

Hic disertissimè Gregorius, *Fides*, inquit, *non habet meritum, cui humana ratio præbet experimentum. Hæc ipsa Redemptoris nostri opera, quæ ex semetipsis cõprehendi nequaquam possunt, ex aliâ ejus operatione pensanda sunt, ut rebus mirabilibus fidem præbeant factâ mirabiliora. Illud enim corpus Domini intravit ad discipulos januis clausis, quod videlicet ad humanos oculos per Nativitatẽ suam clauso exiit utero Virginis. Quid ergo mirum, si clausis januis post resurrectionem suam, in æternum jam victurus intravit, qui moriturus veniens non aperto Virginis utero exivit?* Virgo igitur ante partú, in ipso partu, & post partum permansit, quod prodigioso triplici lilio commonstratum, in rebus gestis beati Ægidii memorat notus Divorum encomiastes. Sed ego arcanum Virginei partûs reverenti potiùs silentio quàm dictione nimis impari venerabor. Iacobus Sannazarius elegans Poëta, Virginis partum poëmate non admodum longo, sed terso coluit. Verùm in eo elaborando ipsos viginti annos cõsumpsit. Quid properans calamus de tanto mysterio dignum eloquatur impolito stylo? Ergo hîc ego sileo, & ad alia transeo.

§. II. *De verbis Ioannis*: Et Verbum caro factum est.

Sanctus Ioannes Apostolus, inquit Augustinus, *non immerito secundùm intelligentiam spiritalem aquilæ comparatus, altius multòque sublimius aliis tribus erexit prædicationem suam, & in ejus erectione etiam corda nostra erigi voluit. Nam ceteri tres Evangelistæ, cum Domino tamquam cum homine in terrâ ambulãbant, de Divinitate ejus pauca dixerunt: ipsum autem, quasi piguerit in terrâ ambulare, sicut ipso exordio sui sermonis intonuit, erexit se, non solum super terram, & super omnem ambitum aëris & cœli, sed super omnem etiam exercitum Angelorum, omnémque constitutionem invisibilium potestatum, & pervenit ad eum, per quem facta sunt omnia, dicendo:* In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil. *Huic tantæ sublimitati principii etiam congrua prædicavit, & de Domini Divinitate, quomodo nullus alius est locutus, hoc ructabat quod biberat.*

Erat æternum Verbũ in celsissimo sinu Patris, quò humi repens homo ascendere non valebat; & quid non valebat homo ascendere, incarnatum Verbum usq; ad præsepe brutarum ani-

Sine sordibus. *Plinius sexcentis locis secundas vocat, alii secundinas.*

Christus matri suæ inexplicabili fuit solatio.

Non desiit esse Virgo.

Greg. Hom. 26. in Evan.

Surius in vitâ B. Ægidii, qui socius fuit D. Francisci, tom. 2. die 25. Aprilis.

Aug. tom. 9. tract. 36 in Ioan. initio, mihi p. 113. Cur S. Ioannes Apostolus Aquilæ cõparatus.

Ioan. c. 1. v. 1. 2, & 3.

Aug. to. 9. tract. 1. in Ioan. initio mihi p. 3. & 4.

Matth. c. 12. vers. 42. & Luc. c. 11. vers. 31.

Cant. c. 3. vers. 7. Lectulus Christi est mens humana munda.

Psal. 90. v. 11. & 12.

Cant. c. 3. v. 9. & 10.

De majore pace præsepio & de lapsu minore, Nicol. Christoph. Radz. q. 2. scitissimè in Epistolam mihi p. 87. unde Chrysost. & alii non in speciem dissimiles sumenta facillimè concinnaverint.

a 2. Paral. c. 16. v. 14.

Bibliorum sym. Platina de bonis statibus relig. l. 2. c. 37.

Luc. c. 2. vers. 7. Beatus in vitâ ipsius.

Matth. c. 23. vers. 6.

In cruce.

Luc. c. 2. vers. 7.

B. Maria peperit filium sine gemitu & dolore,

** Gen. c. 3. vers. 16.*

Vt homo posset ascendere in cælum incarnatus est Verbum.

mantiũ descendit. Erat inter Verbum divinum & vilitatẽ humanam infinitè major, quàm inter cælum terrámq; distantia, quàm inter cárnem animámque discrepantia, & tamen divina sublimitas & humana vilitas, in uno eodémq; homine, in unicâ, ut loquuntur Theologi, personâ non convenerunt tantùm, sed quodammodo coaluerunt. Magnitudinem hujus Verbi nec amplissima terra capere, nec immensum cælum comprehendere potest. In principio erat Verbũ, & Verbum erat apud DEVM, & DEVS erat Verbum. *Hoc enim animalis homo non percipit. Quid ergo, fratres? Silebimus hinc? Quare ergo legitur, si silebitur? aut quare auditur si non exponitur? Sed & quid exponitur, si non intelligitur?* In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. *Susceperat pacem mons iste, contemplabatur divinitatem Verbi. Qualis iste mons erat? quam excelsus? Transscenderat omnia cacumina terrarum, transscenderat omnes campos aëris, transscenderat omnes altitudines siderum, transscenderat omnes choros & legiones Angelorũ. Nisi enim transcenderet ista omnia quæ creata sunt, non perveniret ad eum per quem facta sunt omnia. Non potestis cogitare quid transscenderit, nisi videatis quo pervenerit. Quæris de cælo & terrâ? facta sunt. Quæris de his quæ sunt in cælo & terrâ? utique multò magis & ipsa facta sunt. Quæris de spiritalibus creaturis, de Angelis, de Archangelis, Sedibus, Dominationibus, Virtutibus, Principatibus? & ipsa facta sunt.*

Psal. 148. vers. 5. *Nam cùm enumeraret hæc omnia Psalmus, concluſit sic:* Ipse dixit, & facta sunt: ipse mandavit, & creata sunt. *Si dixit, & facta sunt per Verbũ facta sunt. Si autem per Verbum facta sunt, non potuit Ioannis cor pervenire ad id quod ait.* In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum, *nisi transscendisset omnia quæ sunt facta per Verbum.*

Totum igitur mare sit atramentum, membrana candidissima sit totum cælũ, sint omnium arborum frondes calami, scriptores sint omnes Angeli, hoc tamen Verbũ scribendo non poterunt complecti. Consuêrunt scribæ velociter scribentes prolixiora verba contrahere ac breviare; ita cælestis Pater Verbum infinitum in humanâ naturâ veluti chartâ purâ scripsit, contraxit, breviavit. Clamat Isaias: *Dicit Dominus:* *Isa. 55. v. 9. 10. & 11.* *Sicut exaltantur cæli à terrâ sic exaltatæ sunt viæ meæ à viis vestris, & cogitationes meæ à cogitationibus vestris. Et quomodo descendit imber, & nix de cælo, & illuc ultrà non revertitur, sed inebriat terram & infundit eam, & germinare eam facit, & dat semen serenti, & panem comedenti: sic erit Verbum meum quod egreditur de ore meo; non revertetur ad me vacuum, sed faciet quæcunque volui, & prosperabitur in his ad quæ misi illud.* Æternum Verbum Christus Dominus velut imber cælo lapsus humani pectoris terram aridissimam omni frugum genere locupletavit.

Christus velut imber omni frugũ genere locupletavit terram humani pectoris.

Ergo Deus factus est homo, inquit Augustinus, ut homo fieret Deus. Maximum hoc. Sed & illud dici potest: Deus factus est homo, ut homo priùs fieret homo quàm Deus. Nam *homo cùm in honore esset, non intellexit; comparatus est jumentis insipientibus, & similis factus est illis.* Quia igitur per effrenatam appetentiam jumento similis factus est homo, ut illi redderetur usus rationis, Verbum in præsepe jumentorum sese abjecit, expositum homini mundum pabulum. Imò, quod omnem admirationis modũ & fidem excedit, ut ipso statim principio altissima nobis humilitas instillaretur, en cæli Dominus, jumentorum medius, cuivis hominum ultrò sese offerens, *Vt jumentum*, inquit, *factus sum apud te.* Huc ideo veni, ut tibi totus serviam, sicut suo servit jumentum hero. Nec meos tantùm labores, sed & vitam meam tibi consecro. Post annos non multos (expecta paululùm) pro te pendebo in cruce victima. Non igitur hoc mihi præsepiolum invide: Agnus hìc jacet pro te jugulandus, * ut liceat tibi vivere. Quid vis amplius? Tuum ego jumentum sum.

Ut redderetur homini usus rationis Verbum in præsepi se abjecit.

Ps. 48. v. 21.

Ps. 72. v. 22.

* *Hier. c. 11. vers. 19. Ego quasi Agnus mansuetus qui portatur ad victimam.*

Quid ad hæc dicis homo stupidissime? quid Conditori tuo respondes? Si quid adhuc hominis habes, hoc dices vicissim: Mi Domine, *ut jumentũ factus sum apud te, & ego semper tecum.* Vt jumentũ insipiens sum & lascivum; sed tamen paratũ obedire, & quodcumq; onus mei Domini subire, modò semper tecum sim.

† Ergo Deus factus est homo, imò & jumentum, ut homo fieret & homo & Deus. Verùm & infra jumenti quoque vilitatem Rex cæli descendit. Vociferatur olim totis viribus Isaias: *Omnis caro fœnum.* Ergo Angelorũ panis & factus est fœnum? Bernardus id affirmans, *Inde est*, inquit, *quòd panis Angelorum factus est fœnum, positum in præsepio, appositum nobis tamquam jumentis. Verbum quippe caro factum est, & juxta Prophetam, Omnis caro fœnum. Ergo cibus hominis mutavit se in pabulum pecoris, homine mutato in pecus. Heu tristis & lacrymosa mutatio, ut homo paradisi accola, terræ dominus, cæli civis; domesticus Domini sabaoth, frater beatorum spirituum, & cælestium cohæres virtutum, repentinâ se conversione invenerit, & propter infirmitatem jacentem in stabulo, & propter pecorinam similitudinem indigentem fœno, & propter indomitam feritatem alligatum præsepio, sicut scriptum est:* In camo & fræno maxillas eorum constringe, qui non approximant ad te. *Agnosce tamen ô bos possessorẽ tuum, & ô tu asine præsepe Domini tui, ut Prophetæ Dei fideles inveniantur, qui ista Dei mirabilia sunt prælocuti. Cognosce pecus, quem non cognovisti homo. Adora in stabulo, quem fugiebas in paradiso. Honora præsepium, cujus contempsisti imperium. Comede fœnum, quem panem, & panem Angelicum fastidisti. Sed quænam caussa (inquis) tantæ dejectionis? Profectò quòd* homo cùm in honore esset, non intellexit. *Quid intellexit? Non dicit, non dicamus: Positus in honore, non intellexit quòd limus esset, honoris fastigio delectatus; & continuò in se expertus est, quòd tanto post tempore homo de filiis captivitatis & prudenter advertit, & veraciter protulit dicens:* Qui se putat aliquid esse cùm nihil sit, ipse se seducit. *Væ misero, quòd non fuit, qui jam tunc diceret ei:* Quid superbis terra & cinis?

† Deus factus est homo

Psal. 31. vers. 9.

Comedunt igitur Angeli Verbum de Deo natum, comedunt homines Verbum fœnum factũ. Panem suo vivunt Angeli in cælis, & beati sunt: fœno suo vivunt homines in terris, & sancti sunt. Fœnum quippe istud de prato Virginalis uteri collectum, factum est refectio jumentorum. Verbum ut fœnum fieret, latuit in Virgine, sol in sidere, artifex in opere.

Nolo hæc pluribus, nec si velim, gemmam tam grandem possim auro tam parvo includere. Ergo & hìc sileo, atque mysterii magnitudinẽ silentio testor.

§. III. *De gaudio Beatissimæ Virginis ob Christum natum.*

INæstimabile prorsus & inenarrabile fuit gaudium hujus verè beatissimæ Matris Virginis, cùm illum videret ante se infantulum, quem esse Deum certò sciverat, quem modò fasciis ligare, modò brachiis ambiri, modò in præsepe reclinare, jam ei oscula libare, jam etiam illis Hieremiæ verbis salutare poterat: *Nonne tu es Dominus Deus noster, quem expectavimus?* Hoc reverà tempore sacrum illud carmen canebat: *Magnificat anima mea Dominum, & exultavit spiritus meus in Deo salutari meo.*

Quòd si *mulier, cùm pepererit puerum*, Christo teste, *jam non meminit pressuræ propter gaudium, quia natus est homo in mundum*; quale igitur gaudium illius Matris fuerit, quæ sine omni doloris sensu peperit, & quę minimè ignoravit, quòd partu hoc uno, per unũ hunc filium, omne genus humanum velut denuò pepererit, & reparârit ad immortalem in cælo vitam?

Optabat Imperator Rom. Caligula, non homo, sed fera, omnem populum Romanũ collo & capite stare unico, quod unius demeteret ictus. De Nascentis & Morientis Christi gens humana omnis velut unum

corpus

corpus, usámq; habuit animam, quia tota simul cum Christo renata est. *Quis audivit unquam tale*, ait Isaias, *& quis vidit huic simile? Numquid parietur terra in die unâ, aut parietur gens simul?* Verè quemadmodũ universam gentem humanam beatissima Virgo simul peperit, ita illam ad supremum judicii diem unico velut partu effundet terra tot pignorũ prægnans mater. Et quemadmodum tellus post partum tam numerosum die supremo editum in novum sese decorem induet, tamquam si gauderet tot peperisse populos, quos tamdiu parturiisset; ita Mater Domini summis cumulata gaudiis, & cælestibus delibuta voluptatibus, immensum lætabatur, & Angelorum & hominum ruinas eo unico partu restaurandas.

Isa. 66. v. 8

Angelorũ & hominũ restauratio unico partu.

Ex hoc Mater Domini maximo cumulata gaudio, purissimam animo voluptatem capiebat.

Addenda hîc gaudii augmenta, Angelorũ cantus, pastorũ cursus, & narratio de iis, quæ viderant, & audierant lætissima. *Maria autẽ conservabat omnia verba hæc cõferens in corde suo.* Quis ergo liquidę voluptatis torrens in pectus Matris cęlo credendus defluxisse, è tot gaudiorũ corrivatione increscens? Manârunt utiq; suavissimæ gaudio lacrymæ. Ita Divinũ Verbum Virgo beatissima utero semel concepit, corde autem sæpius divina verba, cùm ab Angelis, tum ab aliis prolata. Imitemur Deiparã sedulò; omnia Domini IESV verba, réstque illius gestas penitissimo pectore conservemus; præsepe, flagra, columnam, spinas, clavos, lanceã, crucem, spongiam, sepulchrum, sumul & labores, cruciatus, probra, ignominias, ludibria, mortem, cum immensâ majestate, gloriâ, divinitate conferamus. Et quæso simul etiam amorem illius ardentissimũ, cum nostri amoris hieme, submissionem illius cum nostrâ superbiâ, temperantiam illius cum gulâ nostrâ, castimoniâ illius cum luxuriâ nostra, ipsius mansuetudinẽ cum nostrâ iracundiâ ad trutinam justam appendamus, & quasi arena maris ista gravior apparebit.

Cantus Angelorũ & pastorũ cursus. Luc. c. 2. vers. 19.

A

B

C

D

§. IV. *De officiis beatissimæ Matris circa natum filium.*

Et pannis (ait Lucas) *eum involvit.* Dubium nullum est, quin omne veræ matris officiũ summâ curâ, voluntate promptissimâ, affectu maximo sit executa, quæ se ancillam etiam hujus Domini coram Angelo professa est. Neque enim minùs manu, quàm ore ac corde obsequiosa fuisse censenda est.

Luc. c. 2. v. 7

Equis fando satis explicet, quo studio, quóve animi sensu Puerum hunc divinũ brachiis gestârit, fasciis ligarit, solverit, pectori admoverit, labra labris junxerit, castissima oscula fixerit, virgineo lacte paverit, nec quidquam officii materni prętermiserit? Non ignobilis hoc ævo scriptor censet, Christũ prę omnibus ceterarũ gentium diis adorandum, si hoc unum privilegium spectetur, quòd lacte virgineo sit nutritus. Virgineum lac multò quàm pretiosissimum. Nullum enim quod vocant potabile aurum, non aqua vitæ gemmea, nullum illi nectar conferendum. Quis Principum, quis Regum aut Cæsarum lac virginis bibit? Solus humilitatis Magister Christus virgineo lacte pastus. Lætabunda canit Ecclesia: *Salvatorẽ sæculorum ipsum Regem Angelorũ, sola Virgo lactabat ubere de cœlo pleno.* Hinc ab Hebræâ muliere, quæ publicè succlamabat illustrissimum illud elogium: *Beatus venter qui te portavit, & ubera quæ suxisti.*

Ludovicus de Malvenda in speculo Principum, part. 1. c. 9. mihi p. 68.

Die Christi circumcisi Nocturn. 3. Resp. 2. Luc. c. 11. vers. 27.

Ne miremur hîc infanti Christo palmulam utramque à Matre fasciis ligatam. Prisco ævo iratus Deus utrâq; manu feriebat noxios. Ægyptum certè plagis ac suppliciis decemplicibus percussit, utraque protectò manus ad inferendos ictus fuerat composita, senserunt decem feriẽtis digitos Ægyptii. Ipsimet hoc fassi, *Digitus Dei*, inquiunt, *est hic.* Deinde Virgo puerpera has filii manus clavis olim figendas jam pannis ligavit, ut eas velut assuefaceret ad perferenda clavorum vincula, quæ postulissent pannorum.

Exodi c. 8. vers. 19.

Neque hîc illud omittendum. Non tantùm Mater felicissima, filio hęc præstitit obsequia, sed & sola præstitit, idque sine ancillularum ope ac ministerio. Verè & Mater, & ut ipsa vaticinata est, *Ancilla Domini.* Beatus Hieronymus adversùs Heluidium, *Nulla*, inquit, *ibi obstetrix, nulla mulierc ularum sollicitudo intercęsit; ipsa pannis involvit, ipsa & mater & obstetrix fuit.* *a* Hę manus Virginis, hæc brachia, Monarchã mundi gestarunt, lavarunt, fasciarunt. *b* Hinc prisci Patres *c* Virginis fecunda brachia vocant, thronum Regium, gloriosum, sanctum, Cherubicum, solum dignum quo Sanctus Sanctorum gestaretur in terrâ.

Luc. c. 1. vers. 38.

a Toletus in c. 2. Lucæ sine Matrẽ operâ per uterum egressos, umbilicarem nervum ab ipsâ Virgine abscissum.

b *Apud Japonios recens natũ deferuntur, auctâ etiã rigente, ad flumen* Incundi. *Historia Soc. part. 1. l. 9. n. 191. mihi p. 302.* *c Chrysippus nominatim.*

§. V. *De Beati Iosephi actionibus circa Christum natum, & de ejusdem gaudio.*

IOsepho Servatoris nutritori, ter minimùm spectandos sese Angeli exhibuerunt. Iosephum Deus ipse justum appellavit Matthæi calamo: *Iosephe autem cum esset justus.* Huic igitur viro longè fidelissimo summum totius mundi thesaurum Pater cœlestis cõmisserat servandum. Quo quidem modo æternus Pater, patris nomen cum illo cõmunicavit, qui non tantùm nomen, sed & affectum, sollicitudinem, auctoritatem patris participavit, tamquam si Christum adoptâsset in filiũ. Ita hic Christi nutritor Apostolis quidem inferior fuit officio & munere, non tamen sanctimoniâ & conjunctione cum Christo. Nec improbabile est majorem illum gratiam assecutum quàm Ioannẽ Baptistam, quia excellentius quàm ille munus videtur habuisse, atq; majorem in amore crescendi opportunitatem ex assiduo Christi contubernio. Atque hinc affirmare possumus, Iosephum fuisse integerrimum & eximiæ sanctitatis virum. Deus enim gratiam cõfert accommodatam muneri quod assignat; at Iosephi munus fuit excellentissimum. Hinc ille tam promptè obediit, tam sine hæsitatione credidit, tam prudenter & integrè omnia perfecit.

Iosepho Angeli sese spectãdos exhibuerunt. Matth. c. 1. vers. 19.

Ejus excellentia. Vide Franc. Suarez. to. 2. in part. 3. D. Thom. disp. 8. sect. 1. & 2. Quid de hujus Divi patrocinio & sanctimoniâ sentiat S. Teresa, docet vita illius c. 6.

Actiones Iosephi circa Christum natum variæ fuerunt, & sine dubio summâ sedulitate, fide, curâ, amore obitæ, prout tempus, locus res ipsa poscebant.

Dixerat Iosepho Angelus: *Ioseph, fili David, noli timere accipere Mariam conjugem tuam; quod enim in eâ natum est, de Spiritu sancto est. Pariet autem filium, & vocabis nomen ejus* IESVM. Adverte, mi Ioseph, & tui muneris dignitatem cogita. Deus, per quem nec ales esurit, *qui dat jumentis escam ipsorum, & pullis corvorum invocantibus eum:* qui producit in montibus fœnum, *& herbam servituti hominum:* qui Danielem in lacu leonũ nutrit, qui *aperit manum suam, & implet omne animal benedictione: qui dat omnibus affluenter:* ille ipse Deus, *in quem desiderant Angeli prospicere*, factus homo tibi vult subdi, & à te nutriri ut filius; tu ei tutor & defensor, tu imò pater eris. Dixerit hîc Iosephus: Si hæc à Spiritu sancto divinitus aguntur, quid meis opus est curis? Nil horum objecit. Cùm ei verò Angelus imperaret: *Surge & accipe Puerũ & Matrem ejus, & fuge in Ægyptum*; hîc Iosephus, quod Chrysostomus observat, nihil interposuit ejusmodi querelarum: Res ista incerta prorsus & ambigua est. Tu paucis antè mensibus dicebas: *Salvabit populũ suum.* Jam neque seipsum quidem periculis potest subducere, sed fuga nobis necessaria & commigratio in longinquas terras. Contraria sunt promissis facta. Nil istorum penitus opposuit. Vir enim erat fidelissimus, qui ministerium, laborem, industriam, & omnem quam potuit prudentiam modicæ huic familiæ paratissimus exhibuit, verus defensor, providus pater, sollicitus nutritor.

Matth. c. 1. v. 20. & 21. Psal. 140. vers. 9. Psal. 103. vers. 14. Dan. c. 14. v. 37. & 38. Ps. 144. vers. 16. Iac. c. 1. v. 5. 1. Pet. c. 1. vers. 12. Matth. c. 21. vers. 13. Chrys. ho. 8. in Matth. antiqued. Matth. c. 1. vers. 21.

Nicolaus Lyranus, & Magister historiarum.

Ajunt Iosephum arte fabrili ligneum præsepe, in cunas & lectulum Christo puero aptasse. Eidem jam fasciis ligato suam etiam vestem in tegumen suavissimo affectu præbuisse. At verò Matrem de capite velum detraxisse. Pueris magis fovendo. Virgo beatissima, quàm illud fideliter servasti! *Cum videris nudum, operi eum, & carnem tuam ne despexeris.* Sunt porrò qui graviter testentur, tam Iosephi vestem, quàm velum Virginis eximio huic usui consecratum, Romæ in beatæ Anastasiæ templo asservari. Testimonia ego more meo margini commendo.

Isa. 58. v. 7. Vide Petrum Morales in c. 1. Matth. l. 5. tract. 2. n. 17. & 18. mihi p. 849.

Iosephus igitur hunc filium suum in sudore vultus sui, & in labore manuum suarum semper aluit, individuus ei comes in omni peregrinatione adfuit, amore tam naturali quàm acquisito, ut Theologi loquuntur, & supernaturali eximiè amavit. Hinc Theologorum aliqui censent, Iosephum cùm Christo redivivo ceterisq; Sanctis in vitam pariter redisse: cum eodem in comitatu ac societate illorum, qui Christo moriente revixerant; abisse in cœlum; à Christo & Christi Matre proximum obtinere locum.

Ubi de sacris ipsanis illis ampliter pro testimonio dicit.

Idem Petrus Morales in c. 1. Matth. l. 5. tract. 11. nu. 28. mihi pag. 990.

Sed nec inter mortales sua illi defuit beatitudo. In rebus etiam turbidissimis, in paupertate arctissimâ gaudendi fontem habuit largissimum.

Iosephi gaudium viso in carne Deo fuit maximum.

Gaudium illius viso in carne Deo quis ambigat fuisse maximum, varieque auctum è Pastorum accursu & narratione, ex Regum adventu & munificâ veneratione. Nec dubium quin ille hæc omnia, uti Virgo desponsata, in corde suo servârit & contulerit, atque inde miram hauserit voluptatem. Huic viro examussim conveniebat voluptabilis ille nuntius:

Isa. 3. v. 10. *Dicite justo, quoniam bene.*

CAPVT V.

De obsequiis Christo nato delatis.

DE Virginis Matris & nutritii Iosephi obsequiis Christo Nato delatis, superiori capite dictum. Nec tamen defuerunt alia, quæ Christo deferebantur obsequia ab Angelis, à Pastoribus, ad ipsis Sideribus, de quibus agendum.

§. I.

Baruch c. 3. v. 34. & seq.

HEbræus vates Baruch pervigiles fidetum excubias admiratus, *Stellæ*, inquit, *dederunt lumen in custodiis suis & lætatæ sunt; vocatæ sunt, & dixerunt, Adsumus; & luxerunt ei cum jucunditate, qui fecit illas. Hic est Deus noster, & non æstimabitur alius adversùs eum. Post hæc in terris visus est & cum hominibus conversatus est.* Luculentum testimonium de spectando inter homines Deo. His Isaias accinens, *Et erit lux lunæ* inquit, *sicut lux solis, & lux solis erit septempliciter, sicut lux septem dierum in die, quâ alligaverit vulnus populi sui & percussuram plagæ ejus sanaverit.* Verè alligatum est vulnus nostrum cùm in gramineis cunis ligari se passus est Deus.

Isa. c. 30. vers. 26.

Et certè quamprimùm Dominus Iesvs sol novus in stabulo illuxit, nova etiam stella in cœlo præfulsit. *Vidimus* ajunt Magi, *stellam ejus in Oriente.* Ad quæ beatus Maximus, *Bene*, inquit, *stella ejus dicitur, quia quamvis omnes ab eo creatæ stellæ ipsius sunt, hæc tamen propriè Christi erat quæ specialiter ejus nuntiabat adventum. Et cetera quidem factæ sunt stellæ, ut mundi ipsius tempora cursusq; distinguerent: hæc verò prodire jussa est, ut ipsum mundi Dominum, & regni cœlestis adesse tempus ostenderet.* Hoc officii sol ipse suis avulsus sedibus, si fieri potuisset, non gravatè præstitisset.

Matth. c. 2. vers. 2.

Cur stella quæ apparuit Magis vocatur stella Domini.

Amb. tom. 5. Hom. 16. de Natal. Dom. mihi p. 796.

Ambrosius solem sacrâ nocte illâ, & liberaliùs resulsisse non obscurè asserit, & in eam sententiam illa Pauli verba recitat: *Ut per ipsum restauret omnia sive quæ in cœlis, sive quæ in terrâ sunt.* Subjungit: *Si enim obscuratur sol cùm Christus patitur, necesse est illum splendidius solito lucere cùm nascitur. Et si Iudæis morte operantibus offundit tenebras, cur non Mariæ parturienti Vitâ, exhibeat claritatem? Aut quare nō credamus, quòd nascente Christo sol ad obsequiū lucidior advenerit, cùm Magos ad indicium clarior stella præcesserit?* Quòd autem hic ipse sol eâ nocte ad ortum properaverit, his ostendens rationibus; *Si stella*, inquit, *per diem alieni temporis officium ministravit, cur non credamus, quod sol quoque nocturnis horis aliquantulum maturiore adventu decerpserit? si sol ad Iesv Nave orationem desuxus stetit in die, cur non ad Christi nativitatem festinus promoveret in nocte? Ex quo denique factum puto, ut nox decresceret, dum sol festinus ob Dominicæ nativitatis obsequiū, ante lucem mundo protulit, quàm nox cursum sui temporis consummavit. Soligitur præter consuetudinem in hac festivitate matutinus illuxit. Quin potius ipsam noctem non fuisse dico, nec aliquid obscuritatis habuisse, in quâ pastores pervigilant, Angeli exultant, astra deserviunt.* Nec mirari debemus, quòd in nativitate Christi nova omnia facta sunt, cùm novum hoc ipsum fuerit, quod Virgo peperit. Iure sol obsequitur, stella famulatur.

Ad Ephes. c. 1. v. 9. & 10.

Sol noctu Natali Christi ortum peravit.

§. II. *De Pastoribus, eorúmque humili conditione.*

BEatus Lucas natalem hanc lætitiam accuratè cōmemorans, *Pastores*, ait, *erant in regione eadem, vigilantes & custodientes vigilias noctis super gregem suum.* Tres numero fuisse pastores, communis fert opinio. Hi gregem suum custodierunt non procul Bethlehem ad turrim Eder, qui ab oppido Bethlehemo mille passibus distabat, ubi Iacob suos greges paverat.

Luc. c. 2. vers. 8.

Moris erat apud priscos illos opiliones, noctem in vigilias quaternas dividere, & gregem vicissim custodire, onere, ut fit, in plures partito. Quod eâ ipsâ nocte, quâ Christus natus, factum esse credibile nobis est.

Mich. c. 4. v. 8. & 9.

Porrò de turri hac Eder, Michææ dictū complures accipiunt: *Et tu turris gregis nebulosa filiæ Sion, usque ad te venet; & veniet potestas prima, regnum filiæ Hierusalem. Nunc quare mœrore contraheris, numquid non rex est tibi?* Chaldæus interpres Christum ipsum hac turri adumbratum ait, qui stans in terrâ cœlum attingebat. Nebulosa dici poterat turris illa, quia Hebræis certè absconditа: *Posuit Deus tenebras latibulum suum.*

Erant igitur *pastores in eadem* (Nascentis Christi) *regione vigilantes.* His verbis lucem mysticam affundens Ambrosius, *Videte*, inquit, *Ecclesiæ surgentis exordium. Christus nascitur, & Pastores vigilare cœperunt, qui gentium greges, pecudum more anteà viventes, in caulam Domini congregarent. Grex igitur, populus est; nox, sæculum; pastores, sunt Sacerdotes. Aut fortasse etiam ille sit pastor, cui dicitur; Esto vigilans & confirma. Quia non solum Episcopos ad tuendum gregem Dominus ordinavit, sed etiam Angelos destinavit.* Quod beatus Gregorius cōfirmans *Illi*, ait, *præ ceteris sublimia videre merentur, qui fidelibus sollicitè præsunt.* Et Beda, *Bene*, inquit, *pastores vigilant nato eo qui est pastor bonus, qui relictis nonaginta novem ovibus, per hoc desertum unicam quæsivit oviculam, quam propriâ carne pastam in verum ovile reduceret.*

Luc. c. 2. Ambr. l. 2. in cap. 2. Luc. Idem multis gradibus ceteris antevirtutibus præfert licet in Evangelium Lucæ nonnulli tutel, cum eorum opera mutua non singulatim collationem

Illud singulariùs observandum: *Erant in regione eadem*; in eodem mundi contemptu, in eâdem vitæ asperitate, in eadem ovium charitate. Sunt qui non minùs vigilent, sed non in regione eâdem, quia vigilant in regione dæmonis, uti sunt lusores, ebrioſi, comessatores, fures, latrones, potatores, lenones, gaæones, & hoc genus hominum. Hi quidē vigilant, sed non ad Socraticas aut Stagiræas chartas, verùm ad fabulas, ad chartulas pictas, ad folia cordis nolæ, glandis, frondis: vigilant, sed ad abacū & fritillum,

lum, ad pocula, ad furta, ad homicidia. Sunt & alii, qui vigilent, sed non super gregem suum; quotidianum est, suo solùm bono, & ad lucrum, in rem suam vigilare.

Bene autem pastoribus futurus Princeps Pastorũ annuntiatur. Et quia idem etiam agnus erat, ordine recto priùs pastoribus novellus agnus, quàm gregibus Pastor nuntiatur. Fecit autẽ Dominus primum ex pastoribus Evangelistas & Apostolos; deinde ex piscatoribus Pastores.

Pastores isti ad Christi cunas invitati, variè considerandi. 1. Priscos Patriarchas vitæ genere imitabantur. Illi coram Pharaone rege liberè professi sunt: a *Pastores ovium sumus, servi tui, & nos & patres nostri.* 2. Vigilabant. A dormientibus non invenitur Christus. Æternæ Sapientiæ vox est: b *Qui manè vigilant ad me, invenient me.* 3. Simplices erant, adeóque ad fidem adjungendam faciles & Pharisæis multò aptiores. Teste Salomone, c *cum simplicibus sermocinatio ejus*, cum pastoribus & piscatoribus. 4. Pauperes erant. Ioannis discipulis velut prodigium novum dicitur: *Pauperes evangelizantur.* De seipso Christus, *Spiritus Domini super me*, inquit, *propter quod unxit me; evangelizare pauperibus misit me.* Christi Nativitas ex Iudæis, pastoribus tantùm; ex gentibus etiam regibus nuntiata est. Ipsimet Iudei hoc fassi sunt: d *Numquid aliquis ex Principibus credidit in eum, aut ex Pharisæis?* At verò ex gentibus Principes & Reges, quod Isaïas prædixit: e *Ambulabunt gentes in lumine tuo, & reges in splendore ortûs tui.* f Neminem Deus à sui notitiâ excludit, nisi volentem malis moribus excludi.

Pastores ad cunas Christi invitati quomodo considerandi.

a Gen. c. 47. vers. 3.

b Prov. c. 8. vers. 17.

c Ibid. c. 3. vers. 32.

Matth. c. 11. vers. 5.

Luc. 4. v. 18.

Ex Iudæis solis pastoribus nativitas Christi, ex gentibus, Principibus & regibus nuntiata est.

d Ioan. c. 7. vers. 48. e Isa. c. 60. vers. 3. f De mirabili curâ Christi in publicâdo Natali suo, Phil. Bosquier in Aràcæli, con. 11. c. 1. mihi pag. 220.

§. III. *De Angeli ad pastores descensu.*

SVbita lux illa, quæ pastoribus nocte Nascentis Domini oborta, non sine vaticiniis est. Isaïas gratulatur: *Populus, qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam; habitantibus in regione umbræ mortis, lux orta est eis. Et addent mites in Domino lætitiam, & pauperes homines in sancto Israël exultabunt, quoniam defecit, qui prævalebat.* Prædixit & David Psaltes divinus: *Nox sicut dies illuminabitur; sicut tenebræ ejus, ita & lumen ejus. Exortum est in tenebris lumen rectis, misericors, & miserator, & justus.*

Isaï. 9 v. 2.

Idem c. 29. vers. 19.

Ps. 138. vers. 12.

Ps. 111. v. 4.

Et ecce, ait beatus Lucas, *Angelus Domini stetit juxta illos.* Non dubium, quin ore lætissimo, splendidissimo vultu, veste candidissimâ, qualia scilicet tam lætam diem decebant. Iustitiæ Soli, qui *amictus est lumine sicut vestimento*, hoc omnino tribuendum erat, ut ejus etiam ministri, Angeli, ipsius præsertim die natali, radiis vestirentur & lumine. Fuisse Gabrielem Archangelum, qui Zachariæ in templo, qui pastoribus in campo, qui Patribus in limbo, qui Matri Virgini in domo, qui tribus regibus in somno, qui Christo ipsi in horto nuntius & solator venerit, sentiunt complures.

Luc. 2. v. 9

Ps. 103. v. 2.

Angelus Gabriel hominibus nuntiavit Nativitatẽ Christi. Tolet. in Luc. Bosquier in Aràcæli, cap. 10. c. 2. Alii.

Addit B. Lucas: † *Et claritas Dei circumfulsit illos*, & timuerunt timore magno. Hæc Beda explicans, * *Nusquam*, ait, *in veteri testamento reperimus Angelos cum luce apparuisse; servabatur id tempori Christi. Nimirum ut non tantùm voce sermonis, sed etiam divinæ lucis claritate, ortus veri Solis astrueretur.* Hinc & Angeli clarâ in luce refulgent, radios solares æmulati, ut ipsum in antro latitantem Solem his etiam indiciis patefacerent. Quâ de re Gregorius Magnus. *Dum pie*, inquit, *pastores super gregem vigilant, divina super eos gratia largiùs corruscat. Omni autem ex parte pastores splendor ille cinxerat, ut Nascentis Christi majestatem ac divinitatem & illis & nobis omnibus indicaret. Timuerunt autem timore magno. Vti lex Evangelium, crux gloriam, ita timor gaudium præcedit.*

† Luc. c. 2. vers. 9.

* Angeli solùm in Nativitate Christi eum luce apparuerunt.

§. IV. *De hilari affatu Angeli ad pastores.*

FAustum nuntium, Evangelium verè lætissimum, Angeli ad pastores loquutio. *Luc. c. 2. vers. 10.* térque quatérque beatissimus è cælo legatus attulit, qui dixit: *Nolite timere, ecce enim evangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo: quia natus est hodie vobis Salvator, qui est Christus Dominus, in civitate David.* In lege veteri audiebantur tantùm illæ voces: Veniet, nascetur, salvabit. Hodie vox salutis ex ore cælestis nuntii audita: Iam natus est, & eò natus est ut moreretur. Ita hunc Domini Natalem Tertullianus cogitatione complexus, *At verò Christus*, inquit, *mori missus, nasci quoque necessariò debuit ut mori posset; non enim mori soles, nisi quod nascitur: mutuum debitum est nativitati cum mortalitate; forma moriendi, caussa nascendi est.* Hodie, ait Angelus, natus est: *hodie utique*, ait Bernardus, *non in hac nocte. Nox sicut dies illuminata, imò in diem mutata est. Siquidem nox præcessit, dies autem approprinquavit, verus utique dies ex die, salutare Dei IESVS Christus Dominus noster.* Nam non illa dies erat, quia verus sol ortus jam erat.

Bern. in Natali Dom. Serm. 5. fine mihi p. 84. Cur Angelus dixerit: *Hodie natus est*, & non hac nocte.

Nec satis Angelo, pastores alloqui; illos insuper ad intuendum novum hoc in terris & summum miraculum adhortatus. *Et hoc vobis signum*, inquit, *invenietis infantem pannis involutum, & positum in præsepio.* Nimirũ in illo vobis noto, communi & omnibus patente loco. Et videtur spelunca illa, ut aliqui opinantur, nomen habuisse *præsepii*, ob positum illic præsepe. Sin istud non asserendum, tunc certè Angelus vel occulto ductu eos ad nati Servatoris locum perduxit, vel eum verbis ita descripsit, & velut digito monstravit, ut difficile fuerit errare. Erat autem illud hospitium nati Regis in extremâ Bethlehemi parte ad Orientem, prope civitatis murum. Signum verò & velut tessera salutis datur Paupertas & Humilitas Salvatoris. Et en, nobilissimi fortissimique milites ducis sui panniculos non erubescunt. Discite hîc, obsecro, superbia humana, discite cristas ponere, & alas submittere; discite vestium lautitiam non ambire, paupertatem & pauperes non fastidire. Aspice tuum ducem, si tuum esse agnoscis; & erubesce vilissimum caculam aut lixam molliora, quàm ducem ipsum sibi quærere. En dux tuus in præsepi vestitur linteolis; tu cacula vilissime, pretium adhuc & pompam, & luxum in veste quæris?

Ad intuendũ in terris summũ miraculũ adhortatio. *Luc. c. 2. vers. 12.*

Cur Angelus non est missus ad Augustum Cæsarem, aut ad alios ex opulentioribus? *Ps. 137. vers. 6. 1. Cor. c. 1. v. 27. & 28*

Sed, quæso, cur hic è cælo legatus non missus est ad Augustum Cæsarem? cur non ad Cyrinum Syriæ præsidem, aut ad Herodem regem, aut ad Caipham summum Pontificem, aut ad Pharisæorum Principem, cur non ad alium ex opulentioribus dynastis aliquem? Verè Deus *humilia respexit, & alta à longè cognovit; quæ stulta sunt mundi, elegit Deus, ut confundat sapientes; & infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia; & ignobilia mundi, & contemptibilia elegit Deus, & ea quæ non sunt, ut ea quæ sunt, destrueret.* Placuit divinæ bonitati in his opilionibus & cognata paupertas, & laudata simplicitas.

Meritò Christus agit gratias Patri, quòd *abscondit hæc à sapientibus & prudentibus, & revelavit ea parvulis.* Ità perdidit sapientiam sapientium, & prudentiam prudentium reprobavit. *Vbi sapiens? ubi scriba? ubi conquisitor hujus sæculi? Nonne stultam fecit Deus sapientiam hujus mundi.*

Matth. c. 11. vers. 25.

1. Cor. c. 1. v. 19. & 20.

Non autem ad pastores solùm missi sunt Angeli, sed unum aliquem eorum ad stellam in Oriente Magis extollendam, alium ad Patres in limbo consolandos esse missum, credibile. Ita Numinis in mortales infinita bonitas prædicatur in terrâ, sub terrâ, & in cælo, & *in nomine IESV omne genu flectetur, cælestium, terrestrium, & infernorum.*

Ad Magos & Patres in limbo Angelum aliquẽ missum esse credibile est. *Ad Philip. c. 2. v. 10.*

§. V.

§. V. *De pastorum ad præsepe accursu.*

Luc. c. 2. vers. 15. ANgelorum legatione auditâ, *Pastores*, inquit Lucas, *loquebantur ad invicem: Transeamus usque Bethlehem, & videamus hoc verbum quod factum est, quod fecit Dominus, & ostendit nobis.* Beda hoc ipso hortatu mutuo ad meliora nos excitans, *Transeamus*, inquit, *relictis rebus creatis, abjectis concupiscentiis toto mentis desiderio in Bethlehem supernam, hoc est, panis vivi domum.*

Exod. c. 3. vers. 3. Virgo Maria est rubus qui nō cōburitur.

Vadam, ajebat Moyses, *& videbo visionem hanc magnam, quare non comburatur rubus.* Rubus hic, Virgo divina, quæ filium parit, & virginitatem non perdit; magna reverà visio, Deus Infans & Virgo Mater. Transeamus igitur à domo famis usque Bethlehem ad domum panis, & videamus hoc Verbum, quod caro factum est, & habitavit in nobis. Transeamus caduca, fluxa, terrena omnia; transeamus omnia elementa; transeamus Cherubinos & Seraphinos Angelos; transeamus creatas res universas, & videamus visionem magnam, Deum ipsum, sed carne velatum, præsepio affixum. Certè jam videre non licet faciem Domini, sed quæ à tergo sunt. Moysi dictum: *Videbis posteriora mea, faciem autem meam videre non poteris.* Posteriora Verbi æterni, conceptus & ortus Christi, præsepe, stipulæ, flagra, spinæ, crux, clavi, in cruce obitus, ad vitam reditus. Hæc jam inspiciamus attentissimè, dum transire liceat & videre Dei gloriam.

Exod. c. 33. vers. 23. Quæ sunt posteriora Verbi æterni.

Luc. c. 2. vers. 16. Non audierunt tantùm oratorem Angelum pastores, sed & iter inierunt: *Et venerunt festinantes, & invenerunt Mariam, & Ioseph, & Infantem positum in præsepio.* O qualem invenerunt Triadem! Infantē Deum, Matrem Virginem, Patrem cælibem, & ipsius Dei testimonio justum. Inventio hæc omnibus thesaurorum omnium inventionibus multò potior & opulentior est. Et rectè festinant ad tanta rerum miracula. Neque verò cum desidiâ quærendum est Summum Bonum: à festinantibus invenitur Christus; à violentis diripitur cælum. *Deus*, inquit Ambrosius, *ubique semper præsens est, sed præsentior est diligentibus, negligentibus abest.* Rectè etiā pastores venerunt festinantes. Numquid enim minus bonum est Christus, valetudine corporis, aut amplis fortunis? Vix febricula pulsat, quæ festinatio ad medicum, ad pharmacopœum? Vix lucellum ostenditur aut nummulus, quis ad ea plurimorum cursus? Quæsiit dilectum sponsa, sed non invenit, quia somniculosè ac oscitanter quæsivit; circuivit civitatem & pertransiit, ita demùm reperit quem quæsivit. Nescit amor lentē noveri, nam ipsa quærentis tarditas nullius aut modici amoris argumentum est.

Ambr. l. 9. in c. 20. Luc.

Cant. c. 3. v. 1. & seqq.

Venerunt igitur pastores, & quidem festinantes, nec muti præsepe aspexerunt. Nam *omnes, qui audierunt, mirati sunt, & de his quæ dicta erant à pastoribus ad ipsos.* Evangelium quod pastores ab Angelis acceperunt, mox ipsi & aliis tradiderunt, quasi primi Christi Apostoli & Evangelistæ. O quàm multò breviore ac certiore viâ veniunt ad Christū pauperes & egeni, quàm divites & opulenti, quàm longè faciliùs Bethlehemum usq; transeunt opiliones, quàm reges!

Luc. c. 2. vers. 13. Pastores primi fuerunt Apostoli & Evangelistę.

§. VI. *De Pastoribus divinum Infantem adorantibus.*

Luc. c. 2. vers. 17. EXcursus in Bethlehem factus hoc tulit boni: *Videntes autem cognoverunt de verbo, quod dictum erat illis de puero hoc. Beati oculi qui vident quæ vos vidistis*, ô pastores; nam *multi Prophetæ & Reges voluerunt videre, quæ vos vidistis, & non viderunt; & audire, quæ vos audistis, & non audierunt.* Quanti emisset hunc talem aspectum nati Servatoris Abraham, David aliique? Quid, obsecro, David ardui non feciisset, aut quid thesauri non expendisset, si Servatorem orbis humano corpore vestitum cernere potuisset? si quis in unicum hunc aspectum sexcentos, si quis mille milliones auri exegisset, nil penitus, putem, opulentiarum abnuisset; si quis regnum totum petiisset, liberalissimè, crediderim, dedisset, si quis pactionem hanc obtulisset, ut tali emerendo aspectui ad peram baculumque pastoritium rediret, & inter pecudes vitam ageret: neque hoc sanè, arbitror, facere detrectasset, tanto rex iste desiderio æstuabat videndi Servatoris. O igitur præ cunctis regibus ter beati opiliones, quibus concessum est in salutando Christo Domino inter primæ admissionis amicos numerari!

Idem c. 10. vers. 24. Pastores primi missionis amici fuerunt.

Volupe prorsus est cogitare, quantum hic Infans Monarcha delectatus simplicium horum hominum præsentiâ & consuetudine; vicissim quantum & illi consolationis & gaudii perceperint, dum suis ipsi oculis Deum immensæ Majestatis, membris tectum infantilibus aspicerent, manibus suis tangerent, osculari entur, adorarent.

Ab his inemptis gaudiis, à tantis voluptatibus delibatis, *Reversi sunt Pastores glorificantes & laudantes Deum in omnibus quæ audierant & viderant, sicut dictum est ad illos.* Quemadmodum à præsepi Angelos venisse ad pastores credibile est; ita hi venerunt ab ovibus ad agnū, & illum verum, quem digito monstrans Ioannes, *Ecce*, inquit, *ecce Agnus Dei qui tollit peccata mundi.* Tam autem Angeli quàm pastores laudantes Deum reversi sunt à præsepi Domini.

Luc. c. 2. vers. 20.

Ioan. c. 1. vers. 29.

§. VII. *De pastorum à Christi cunabulis reditu.*

Luc. c. 2. vers. 20. ET *reversi sunt pastores, glorificantes & laudantes Deum.* Revertuntur & laudant. Ah quanti hodieque laudant, sed non revertuntur! Precationum libellos ferunt, sphærularū lineam decurrunt, preces iterant, sed mores pristinos non emendant, in eodem hærent luto: post Dominī Natalem iidem sunt qui antè fuerant. Benè revertitur, qui glorificat & laudat Deum. Si laudas Deum, sit laus plena, sit sonora, sit speciosa. Non pleno tantùm ore, sed & corde toto lauda. Quod Apostolus jubens, *Implemini*, ait, *Spiritu sancto, loquentes vobismetipsis in psalmis & hymnis, & canticis spiritualibus, cantantes & psallentes in cordibus vestris Domino; gratias agentes semper pro omnibus, in nomine Domini nostri* IESV *Christi Deo & Patri.* Si ergo laudas Deum; sit obsecro laus plena, sit sonora, sit speciosa. Non est plena laus, quam pravi mores imminuerunt; non est sonora, cui solutior obstrepit vita; *Non est speciosa laus in ore peccatoris.* Si laudas, revertere. Deum malè laudat, qui in pristinis idemtidē culpis perseverat. Laus est minimè sonora, laus prorsus defectiva, ubi morum reversio nulla. Quid enim? Fruſtrà cantas, si vitam non emendas, si nondum invidere desinis, si veteres avaritiæ sordes, si antiqua libidinum spurcities, si pristinus superbiæ tumor, si prior gulæ rabies, si vitiorum inolitæ consuetudines te contaminant, si etiamnum discordias & lites amas, si adhuc frena laxas iracundiæ, si mendaciis & perjuriis necdum valedixisti; Deum frigidissimè laudas. *Revertere, revertere Sunamitis revertere.* Priorem vitam emenda, & ita Deum glorifica. In rem optimè monens Augustinus, *Semper*, inquit, *tibi displiceat quod es, si vis pervenire ad id quod nondum es. Nam ubi tibi placuisti, ibi remansisti. Semper profice, nolī in viâ remanere, noli retro redire, noli deviare.*

Luc. c. 2. vers. 20. Qui dicuntur revertī & laudare Deum.

Ephes. 5. v. 19. & 20.

Eccles. c. 20. vers. 8.

Cant. c. 2. vers. 10.

Aug. l. de verb. Apost.

Incipe igitur te illum quem toties promiseras, exhibere. Illud animi tui decretum sequere, quod te ducit ad meliora.

CAPVT

CAPVT VI.

De ipso Infante divinissimo, Christo Domino.

DE umbris & figuris Christi Natalem præcedentibus, de tempore ac loco Nati, de diversis obsequiis Nato delatis, de pastoribus, de Angelis ad pastores missis, oratione succinctâ disseruimus, de ipso jam Infante divinissimo locuturi. Suavissimè prorsus è suggestu tam humili concionatus est orbi cælestis Pulio, idque lacrymis & exemplo. Prima ferè concio Pueruli disertissimi in luxum vestium fuit, uti jam audiemus.

§. I.

De Christi Nati pannis.

OCuras hominum in concinnando vestitu vanissimas! ò quantum est in rebus, & præsertim in vestibus, inane! Christe bone, ut hîc laborant, ut contendunt, ut moliuntur, ut satagunt, ne quid vestium contrà innitati desit! Purpura, byssus, bombyx Arabius, bractearum textile aurum, gemmæ non velando corpori, sed ornando adhibentur. Sordent vestes, nisi sint pretiosæ, molles, venustæ. Confer, obsecro, hanc vestium lautitiem & luxuriem cum his Christi panniculis & linteolis. *In signum*, inquit Bernardus, *positi sunt panni tui, Domine* IESV, *sed in signum cui à multis usque hodie contradicitur.*

Vide, si placuit, meum Isagogis suæ parte 3.

Vestis Christi vilis.

En Bonus ille Deus quàm operimento vili tegitur, qui omni animantium generi providentissimè suâ cuique distribuit vestimenta, has plumis, illas lanâ; has pilis, istas aculeis, squamis, testis; alias aliâ veste contegit; neque tantùm animantes, sed & prata, hortos omnémque florum familiam ita eleganter vestit, ut omnes regum purpuras, Imperatorum paludamenta & chlamydes ornatu & artificio longè superent. Ita dilucidè Christus, *Dico vobis*, inquit, *quoniam nec Salomon in omni gloriâ suâ coopertus est, sicut unum ex istis: Si autem Deus fœnum agri, quod hodie est, & cras in clibanum mittitur, sic vestit; quantò magis vos minimæ fidei?* Hic ergo liberalissimus optimus Deus, qui tam animata quàm inanimata, tam cōmodè, tam venustè vestit, ipse pæne nudus, vix linteolis tegitur in præsepi. Hoc loco Petrum Damianum audio dicentem: *Conditor Angelorum dum in præsepio vagiens reclinatur, non ostro, sed vilibus tegitur panniculis involutus. Erubescat ergo terrena superbia & arrogantia redempti hominis, ubi erumpentibus radiis exorti coruscat humilitas Redemptoris.* Liceat hîc illud Annæi usurpare: *Magnificentior (mihi crede) sermo tuus in grabato videbitur & in panno. Non enim dicentur tantùm illa, sed probabuntur. Ego certè aliter audio quæ dicit Christus noster, cum illum video nudum stramentis incubantem. Ita enim non præceptor tantùm veri, sed & testis est, nec paupertatem solùm laudat, sed & amat ac experitur.*

Matth. c. 6. v. 29. & 30.

Pet. Dam. l. 6. epist. ep. 14.

Sen. ep. 20. ante finem.

Demetrius.

Linteola & fasciolæ Christi pretiosæ.

Hæc Christi linteola & fasciolæ, viles quidem & inelaboratæ, mundæ tamen, omni byssō, purpurâ, carbaso, bombycinóque panno, lino vivo, & inter flammas invicto pretiosiores. Opinatur nonnemo, hos Christi panniculos nullâ Matris provisione ac curâ paratos, sed vel è Virgineis velamentis, vel fortè mutuò acceptos. Errat bonus scriptor. Longè verosimilius est, hos pannos à Deiparâ fuisse præparatos.

De quo Hieronymus Salmuth. & in eum Guido Pancirollus Rerum memorabilium, tom. 1. tit. 4. memin. pa. 23. Simon de Cassia. Corn. Schultingius to. 5. cap. 103. in Thesaur. Antiquitatum Ecclesiastic. Idem tom. 1. c. 34.

Has fascias donavit Eudoxiæ, Imperatrici Hierosolymorum Episcopus Iuvenalis. In honorem fasciarum IESV pueruli erecta Basilica. Quàm autem longè aliâ sindone velavit Christum cavillator Herodes, quæ sicut promptissimè aliâ Iosephus Arimathæus, aliâ Virgo Mater beatissima, famulas manus, ita telam fasciásque summâ curâ filio ministravit.

A Suam porrò paupertatem Christus; humilemque amictum & pannicularia, cum vestimentis hominum non audet comparare, sed ferarum tegumentis ea conferens, *Vulpes*, inquit, *foveas habent; & volucres cæli, nidos: filius autem hominis non habet ubi caput suum reclinet.* Adhuc tamen dives est Christus: erit, cùm nec pannos quidem habebit in cruce. Quàm autem multum admirationis habet mercator, cujus officina fericâ & holosericâ veste plena est, si ipse rudi panno aut viliori corio vestiatur! Deus totum orbem, homines & animantes vestit omnes: *In veste enim podêris, quam habet, totus est orbis terrarum.* Inspice vel solas aviculas, quàm illis de pellibus & rhenonibus bene sit prospectum; & tamen hic ipse Deus hominem indutus, in præsepi malè tegitur, in cruce non tegitur, nisi suómet sanguine, sicque nudus pendet & moritur. Sed uti Rex Macedo Alexander vulnus Lysimachi suo diademate, quod è capite detraxerat, circumligari voluit: & quemadmodùm Trajanus Imperator, post Decebalum Dacorum regem prælio victum, cum vulneribus deessent ligamina, suam vestem in lacinias conscissam, inter fasciatos partitus est vulneribus eorum obligandis: ita si summis ima conferre liceat, suâ nuditate Christus nos omnes vestiit, linteolis suis cycladem immortalitatis nobis comparavit.

Vide, ne res tenuis capiti vestimenta.

Matth. c. 8. v. 20. & Luc. c. 9. v. 58.

Sap. c. 18. vers. 24.

B *Dio Cassius de Traiano, & ex eo Cæsar Baron. to. 2. an. 103.*

Sed compara tu mihi cum Puero Christo pannis involuto Præsulem illum, qui pinguem turticam habuit è meris capitellis & pelliculis carduelium suffultam. Hæc certè infantulo nostro fuisset commoda, sed paupertas non habuit quod pellioni daret.

Fuit Archiepiscopus Ravennas.

Quàm autem Christus pauper concionatus est suaviter è cathedrâ hac tam modicè instratâ? non multas, non grandes, non prolixas in nos invectivas recitavit. Nemini objecit: En tuum hunc intolerabilem fastum, en vestes extra modum delicatas, en vanissimum novitiæ imitationis studium. Hæc opprobrare nescit Infans, hoc unum re ipsâ & exemplo dixit: Hæc egestas, & hæ vestes, mihi Domino vestro placent. Si ratio vobis est, vestrum vivendi genus corruptissimum ad Domini vestri mores conformabitis. *Non est servus major Domino suo.*

C *Quia vestis Christi dignitatem & statum decuisset, quis illi vestitus omni jure fuisset debitus, exponit Ludovici de Ponte Dux spiritualis, tract. 2. c. 14. §. 2. mihi pag. 693. a Ioan. c. 13. vers. 16.*

§. II.

De vagitu & lacrymis Christi.

OPulentissimus Regum juxtà & sapientissimus Rex Salomon de seipso, *Et ego natus*, inquit, *accepi communem aërem, & in similiter faciam decidi terram, & primam vocem similem omnibus emisi plorans: in involumentis nutritus sum & curis magnis. Nemo enim ex Regibus aliud habuit nativitatis initium. Vnus ergo introitus est omnibus ad vitam, & similis exitus.*

Sap. c. 3. v. 3. & seqq.

D Rex pacificus Christus IESVS, Salomon verus, cōmunem hunc aërem accepit, & primam vocem omnibus similem emisit plorans. Et quod Hieremias de Civitate sanctâ dixit, de Christo asseri potest. *Plorans ploravit in nocte, & lacryma ejus in maxillis ejus. Ad vocem suam dat multitudinem aquarum in cælo.* Magna est rerum facta mutatio: nunc ad vocem plorātûs sui dat multitudinem in terrâ ex oculis suis.

Thren. c. 1. vers. 2. Hierem. cap. 10. v. 13.

Lacrymarum Christi ectomia.

Et en, homo nugatorie ac levis, Puerulus Christus lacrymas tibi fundit ex oculis, è quibus gaudiorum profluunt oceani. Hæ lacrymæ, mare rubrum sunt, quo avernalis Pharao submersus est. Hæ lacrymæ rivi illi sunt, ad quos castæ columbæ considerent, de quibus sacrum Salomonis carmen, *Oculi ejus sicut columbæ*, inquit, *super rivulos aquarum, quæ lacte sunt lotæ, & residentes juxta fluenta plenissima.* En, Christiane, tot tibi gemmæ cadunt ab hujus puelli oculis, quotquot cadunt guttæ. Non colligis has gemmas, & tuas facis castis desiderijs?

Cant. c. 5. v. 12.

deriis? Hoc sanè Ambrosius non neglexit, nam ingenti prorsus affectu & dulci sensu, *Me*, inquit, *Infantis Christi vagientis abluunt fletus; illæ lacrymæ meæ delicta laverunt. Plus igitur, Domine* IESV, *debeo injuriis tuis quibus redemptus sum, quàm operibus tuis quibus creatus sum.* Sed non omnes æquè solatium è Christi lacrymis & injuriis reportant. *Quid enim*, ait Bernardus, *consoletur eos qui suam habent consolationem? non consolatur Christi infantia garrulos, non consolantur Christi lacryma cachinnantes, non consolantur panni ejus ambulantes in stolis, non consolantur præsepe & stabulum amantes primas cathedras in synagogis? sed æquanimiter fortè universam hanc consolationem expectantibus in silentio Dominum, lugentibus, pannosis pauperibus cedere videbuntur. Ceterùm audiant, quòd & ipsi quoque Angeli non alios consolentur. Vigilantibus enim pastoribus, & custodientibus vigilias noctis, evangelizatur gaudium novæ lucis, & eis natus esse dicitur Salvator. Pauperibus atque laborantibus, non vobis divitibus (qui vestram habetis consolationem & væ divinum) inter ipsas vigilias noctis dies sanctificatus illuxit.*

Bern. in Natali Domini Serm. 5. proximè finem, mihi pag. 84.

Mitissimus Dominus IESVS lacrymas profudit sæpius. 1. In ortu suo, jacens in stabulo, aut maternis hærens brachiis. Infantes lacrymarum largi; molles iis oculi sunt, & humentes, qui quotidie his pluunt imbribus. Dei Filius ab hac infantum indole non abluit infans. 2. Cùm ad Lazari monumentum staret, evocaturus mortuum, ubertim flevit: nam *infremuit spiritu, & turbavit seipsum, & lacrymatus est.* 3. Cùm jumento vehens civitatem Hierusalem oculis obiret eminus, in copiosum fletum erumpens, *Quia si cognovisses & tu*, inquit, *& quidem in hac die tuâ, quæ ad pacem tibi.* 4. Suffixus in crucem jam vicinus morti, lacrymabundus Patrem nobis conciliavit. Nam, teste Paulo, *preces supplicationesq; obtulit cum clamore valido & lacrymis.* Numquid non hæ lacrymæ nostri risûs accusatrices sunt? Fundimus quidem & nos lacrymas, sed plerumque parum profuturas. Nam aut perditas pecunias, aut amissam gratiam, aut amicum mortuum, & evanescens lucrum, aut extinctum gaudium, aut honorem imminutũ, guttis grandibus prosequimur, & seriò ploramus. Nonnumquam ex ipsâ risûs intemperantiâ stillant oculi. Interdum hi nimbi fluunt amoribus fingendis. Notum illud vafri Nasonis:

Christus sæpius lacrymatus est.
1. In ortu suo.
2. Ad Lazari monumentum. *Ioan. c. 11. v. 33. & 35.*
3. Cùm jumento vehens obiret Hierusalem. *Luc. c. 19. v. 41.*
4. In cruce. *Ad Hebr. c. 5. v. 7.*

Ut flerent, oculos erudiere suos. Ovid. in Amor.

O steriles lacrymas & nimium infecundas! Nil facit ad cælum hic iners fletus. Cum Christo aut propter Christum effusæ prosunt lacrymæ. Optimè plorat, quem peccasse pœnitet; suavissimè luget, qui cælum suspirat.

§. III.

De Virtutibus, quas Christus Infans divinus è præsepio docet.

Paupertas est prima omnium virtus, quæ in mysterio nativitatis Christi conspicienda est.

IN suavissimo hoc mysterio prima omnium virtus vel oculis conspicienda, est *Paupertas*. Quidquid in Christi nascentis antro intuearis, paupertatem spirat. Locus ipse ventis pervius, omni supellectile vacuus, nobile dici potest paupertatis palatium. Hîc illa certè velut in sede suâ regnavit, opum contemptu & irrisu maximo. Videte pueri cunas, & cunarum lintea, pulvillos, stragula. Videte culinam & focum, quæque à foco recentia feruntur fercula; videte supellectilem, & ruta cæsa; explorate manu lectorum plumeam mollitiem; circumspicite famulos & ancillas; ingredimini penum, & cellam generoso Cretico spumantem; omnia domûs ornamenta, belluata tapetia, annonæ copiam, mensarum tragemata & bellaria considerate; primâ statim fronte summa rerum inopia oculis se offundet. Arctissima hîc paupertas habitat, sed Christo carissima virtus, in cujus sese complexũ dedit, quamprimùm in hunc orbem prodiit. Hinc rectè primi inter beatos, tamquam consanguinei Christi, locantur pauperes: *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum.* Vix Christus pedem in orbe posuit, mox caput Pluti contrivit. Beatus qui didicit non egere multis; beatus qui novit salino tenui contentus vivere; beatus, cui cum paupertate Christianâ bene convenit.

Matth. 5. vers. 3.

Annæi præceptio est saluberrima, omnibus instillanda: *Si vis vacare animo, aut pauper sis oportet, aut pauperi similis. Non potest studium salutare fieri sine frugalitatis curâ: frugalitas autem, paupertas voluntaria est. Cupiditati nihil satis est; natura satis est etiam parum. In paupertate nihil mali esse intelligit, quisquis nondum pervenit in insaniam omnia subvertentis avaritiæ aut luxuriæ. Paupertas nulli malum est nisi repugnanti. Magnus est ille, qui in divitiis pauper est; sed securior, qui caret divitiis.*

Senec. ep. 17. med. Idem Cons. ad Helv. fol. 281. Idem ep. 87. fine. Idem ep. 14. med.

Altera virtus, *Humilitas & Mansuetudo.* Quid enim ex hoc præsepis humillimo suggestu, Humilitatis & Mansuetudinis Magister doceret aliud, nisi suum illud, *Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde.* Ecce mel Humilitatis, oleo Mansuetudinis jungendum. Delapsum è nubibus manna, non sericis nec aureis velis exceptum est, neque enim in regum turrẽs, sed in terram decidit, & *apparuit minutum in solitudine.* Ita noster hic Angelorum panis, non in aurata Cæsarũ palatia, sed in vilissimum pecoris receptaculum delapsus est. Et en quàm minutus appareat in eremo hac nostrâ!

2. Effi militas Matthæo. Matth. 11. vers. 29. Exod. 16. vers. 14.

Hic ipse Christus ut discipulos suos ad Humilitatem erudiret, parvulum in medio eorum statuens, *Nisi conversi fueritis*, inquit, *& efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cælorum.* Vt autem hanc virtutem omnium animis tantò altiùs infigeret, primo in orbem ingressu, seipsum parvulum in medio nostrûm statuit, perinde si diceret: Nisi efficiamini sicut hic parvulus (ego ipse) non intrabitis in regnum cælorũ. Hinc, ut Cyprianus ait, à sapientibus & prudentibus testimonium non quærit, qui parvulis sese revelat. Quâ de re eleganter Augustinus, *Videte*, inquit, *magnũ miraculum: Altus est Deus; erigis te? & fugit à te; humiliatus te? & descendit ad te. Quare hoc? Quia excelsus Dominus, & humilia respicit, ut attollat; alta, hoc est, superba de longè cognoscit, ut deprimat.* Gregorius Magnus illud è Regiis fastis Isai responsum ad Samuelem explicans, *Adhuc reliquus est parvulus, & pascit oves. Abjectus ergo*, inquit, *humilis dicitur: quia contemni se videt, & tolerat; ostendi nequaquam curat, sed oves pascit, quia cogitationes simplices in contemplatione æternæ hæreditatis nutrit. De his certè pascuis electorum à Domino dicitur: ingredientur & egredientur, & pascua invenient. Intus quippe habent pascua contemplationis, foris pascua boni operis. Intus mentem devotionibus impinguant, foris pro se operibus satiant. Meritò parvulus iste dicitur oves pascere, quia electus quisque humilis est; & sterilis non est, qui quotidie magna agit, sed de se magna non sentit. Meritò ergo non solùm Parvulus, sed Pastor asseritur: quia qui verè humiles sunt, foris se dejiciunt, sed per internam societatem in summis & æternis pascuis immorantur. Nam scriptum est:* Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. *Quæ autem gratia? nisi ut summa videant & cognoscant, cognoscant & diligant, atque ad ipsa dilecta quasi pingues & fortes currant?*

Matth. 5. vers. 3. Aug. Serm. 17. de Verbis Dom. Greg. Mag. l. 6. moral. pag. 92. fine. 1. Reg. 16. vers. 11. Iac. 4. vers. 6.

Res longè certissima. Tantò quisque vilior Deo est, quantò pretiosior sibi, tantò autem Deo pretiosior, quantò propter Deum sibi vilior. Qui sine humilitate virtutes congregat, in ventos pulverem jactat. Nihil est, quod nos ita & hominibus gratos & Deo faciat, quàm si vitæ promeritis magni, humilitate simus infimi. Verè humilis, nonvult humilis, sed vilis haberi. Quàm autem longè aliud est, habere virtutem, aliud virtutis similitudinem: hoc plurium est, illud paucissimorum. Gregorii Magni scitum verissimum est: *Perit omne quod agitur, si non humilitate custoditur.*

Sine humilitate virtutes congregantur. Greg. M. l. 23. Moral. c. 7. mihi

militate custoditur. Hoc autem proprium esse specimen electorum solet, quòd de se semper sentiunt infrà quàm sunt. Humilitas magistra est omnium materque virtutum.

Tertia virtus, quam Christus natus docuit, est *Obedientia*. Priùs certè obedientissimus Iesvs Augusto voluit obsequi, quàm mundo nasci. Neque tam Virgo Mater è Nazareth ob Imperatoris edictū in Bethlehem ascendit, quàm Virginis filius, qui Matrem ad hoc ipsum instigavit. Quid mirum igitur, æterno Patri factum hunc filium obedientem usque ad crucem, usque ad sepulchrum, usque ad limbum, qui mortali Principi factus est obediens usque ad stabulum & præsepe, usque ad tributum? Teste Salomone, *Vir obediens loquetur victoriam.* Christus obediendo restituit nobis rem; obediendo mortē & cacodæmonem triumphavit. Homo vermicule, Servatorem Natum, Regem cæli obedientissimum contemplare, & disce obedire.

Obedientia propriæ voluntatis est sepulchrum, & gratius cunctis victimis holocaustum. Hæc una virtus, Gregorio teste, ceteras virtutes menti inserit, insertásque custodit. *a* Fidelis obediens, inquit Bernardus, nescit moras, fugit crastinum, ignorat torditatem, præripit præcipientem; parat oculos visui, aures auditui, linguam voci, manus operi, itineri pedes; totum sese colligit, ut imperantis colligat voluntatē. *b* Optimus obedientiæ gradus, cùm eo animo injunctum opus recipitur, quo & præcipitur. *c* Cibus Christi, Obedientia. Testem habemus ipsum Christum: *Meus cibus est*, inquit, *ut faciam voluntatem ejus, qui misit me.* *d* Si quid, Christiane, melioris gulæ habes, hunc cibum appete.

§. IV. *Homo contemplatur Christum Dominum in præsepi positum, seque cum illo confert.*

Ah! quousque se demisit Deus! in quantam paupertatis & abjectionis abyssum semet ipse præcipitavit! En Deus in stabulo, involutus pannis, in præsepi, in paleis jacet! Ego vilissimus homuncio in cubiculo cōmodo, in culcitris, in molli lecto recubo. Deus in cruce, ego in honore. Dei Filius inter dolores ego inter voluptates. Dei Filius nudus, ego fericis indutus. Dei Filius suo sanguine conspersus, siti exhaustus; ego epulis differtus, vino plenus. Dei Filius in extremâ egestate, ego deliciis diffluo. Deus Matri obediens, ego inobediens Deo. Deus in patibulo, ego in peccato fixus hæreo. Heu quantum inter me & ipsum chaos firmatum est! Quàm immensis hoc cælum & hæc terra spatiis disjungitur!

Vrias ævo Davidis strenuus & acer miles, abire in domum suam recusans, sed ad vestibulum regii palatii excubans, *Arca Dei*, ajebat, *& Israël, & Iuda habitant in papilionibus, & Dominus meus Ioab, & servi Domini mei super faciem terræ manent; & ego ingrediar domū meam, ut comedam & bibam? per salutem tuam, & per salutem animæ tuæ non faciam rem hanc.*

Quid ego Christi miles, sed mollis nimiùm & delicatus, quid aliud hîc dixero, quàm quod Vrias militiâ clarus ingenuè de se fassus, Arca Dei, inquit, in papilionibus, imò in stabulo habitat: Dominus meus non Ioabus, sed Iesvs; & Domina mea, Virgo Maria, in spelunca manent, in egestate versantur, & ego domi meæ in deliciis sim? per salutem animæ meæ, non faciam rem hanc. Mirum, bis mirūm, hæc talia nec in cogitationem quidem venire, aut si quid horum memoriam subeat, ex animo mox effluere.

Lucifer Angelorum venustissimus, elegantia merè gemmea, immortalium formosissimus, decor merus, volatum nimis altum cogitans, *Ascendam*, inquit, *super altitudinem nubium, similis ero Altissimo.* Simile quid affectavit Eva; nec enim illi colubrinus sermo displicuit, *Eritis sicut Dii.* Sed ille & illa miserrimè corruerunt in imum, unā ruentibus & omnibus illius sociis, & hujus omnibus filiis. Sed & olim Regum & Imperatorum aliqui voluerunt Dii haberi. Alexander Macedo, Nabuchodonosor, Herodes Agrippa, Cajus, Commodus, Caligula, Domitianus palàm salutari *Dominus Deusque noster* volebant; qui dein gravissimè puniti, & infra homines etiam abjecti sunt. Sed aurea nunc redierunt tempora, quibus non velle solùm sed & esse licet similem Deo. Nunc virtutis & eximii in Deum amoris est, dicere, Similis ero Altissimo. Neque enim necesse est supra altitudinem nubium, aut super astra in cælum conscendere, & solium suum exaltare. Iam in contrarium est nitendū, ad humilitatem stabuli descendere, infra hominum superbiam sese abjicere, fastum omnē exuere oportet. Humilis est Deus, pauper est Deus; in stabulo, in præsepi jacet. Licet illi esse similem, esse pauperem, esse humilem. Non aspernemur, obsecro, hanc modò similitudinem, alia & melior sequetur. *Scimus, quoniam cùm apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est.*

Virtutis & eximii in Deū amoris est, dicere: *Similis ero Altissimo.*

§. V. *Christum appellari Primogenitum.*

Et peperit, ait Evangelista, *filium suum primogenitum.* Inter Hebræos octo erant prærogativæ primogenitorum, idque etiam ante constitutas Moysis leges. 1. Primogeniti erat Sacerdotem agere. 2. Primogenitus in mensâ primo recumbebat loco, eique major quàm ceteris dabatur portio. 3. Primogeniti vestitus pretiosior erat quàm ceterorum, & delicatior. 4. Primogenitus imperium in fratres alios habebat, qui se illi submittebant, eúmque venerabantur. 5. Primogenitus suis fratribus benedicebat. 6. Primogenito gemina pars paternarum facultatum debebatur. 7. Oblatus Deo primogenitus quinque siclis redimebatur. 8. A moribundo patre primogenitus singulariter benedicebatur.

Primogenitorum prærogativæ inter Hebræos erant octo.

Christus inter fratres suos verè Primogenitus prærogativas omnes istas à Patre retulit. De quo beatus Paulus, * *Qui est*, inquit, *imago Dei invisibilis, primogenitus omnis creaturæ, quoniam in ipso condita sunt universa in cælis & in terrâ, &c. & ipse est ante omnes, & ante omnia in ipso constant. Et ipse est caput corporis Ecclesiæ, qui est principium, primogenitus ex mortuis, ut sit in omnibus ipse primatum tenens.* In capite libri scriptum est de Christo, ut sit ipse primus inter omnes, quos æterna sapientia immortali vitæ destinavit. Quod cælestis Pater per Psaltem promittens, *Et ego*, inquit, *primogenitum ponam illum, excelsum præ regibus terræ.* Psaltæ accinens Paulus, *Cùm*, ait, *iterum introducit primogenitum in orbem terræ, dicit: Et adorent eum omnes Angeli Dei.*

Christus omnes has prærogativas à patre retulit.

* *Ad Coloss. c. 1. v. 15. & seq.*

Ps. 88. v. 28.

Ad Heb. c. 1. vers. 6.

Christus igitur verè primogenitus. 1. Sacerdos fuit, idq; *secundùm ordinem Melchisedech* a. 2. Christus in cenâ ultimâ, tam rituali quàm mysticâ & communi *b* velut Dominus & Magister inter suos primus recubuit. 3. Intuere niveum Christi vestitū in rupe Thaboreiâ, ubi *amictus* erat *lumine sicut vestimento* c. 4. Christus jus summum vitæ necisque habuit in omnes fratres, quoniam ipsi serviunt omnia. 5. Christus jam redivivus *eduxit* suos *foràs in Bethaniam; & elevatis manibus suis benedixit eis. Et factum est, dum benediceret illis, recessit ab eis, & ferebatur in cælū* d. 6. Christus à Patre geminatam hæreditatis partem acipiens. *Data est mihi omnis potestas*, inquit, *in cælo & in terrâ* e. 7. Christus in cruce seipsum Patri offerens, insignioribus quinque vulneribus omnem humanam gentem redemit. 8. Christus benedictionem omnium gentium à Patre accepit, *tantò melior Angelis effectus quantò differentius præ illis nomen hæreditavit.*

Prærogativæ Christi.

a *Ad Hebr. c. 5. v. 6.*

b *De triplici hac cenâ, Agni, Vulgari, Eucharisticâ. Ioan. Valther. lib. singular.*

c *Psal. 103. vers. 2.*

d *Luc. c. 24. v. 50. & 51.*

e *Matth. c. 28. v. 18.*

Heb. c. 1. v. 4.

Rom. c. 8. vers. 29. Nos autem Pater æternus, Paulo teste, *prædestinavit conformes fieri imaginis filii sui, ut ipse sit primogenitus in multis fratribus.* Summo id nobis honori est, fratres esse primogeniti hujus filii, sive æternum Patrem, sive Virginē Matrem spectemus. Nec hoc nominis Christus erubescens, & suos ipse nos fratres appellans, *Vade*, inquit, *ad fratres meos, & dices eis: ascendo ad Patrem meum & Patrem vestrum. Non confunditur* inquit Paulus, *fratres eos vocare. Unde debuit per omnia fratribus similari, ut misericors fieret, & fidelis Pontifex ad Deum.*

Ioan. c. 20. vers. 17. Hebr. c. 2. v. 11. & 17.

Hanc maximam dignitatem nostram obstupescens beatus Joannes, *Videte*, inquit, *qualem charitatem dedit nobis Pater, ut filii Dei nominemur & simus. Propter hoc mundus non novit nos, quia non novit eum. Charissimi, nunc filii Dei sumus, & nondum apparet, quid erimus.* Obsecro Christiani, hunc parvulum primogenitū fratrem nostrum in præsepi reclinatum, qui verè frater & caro nostra est, medullitus, intimo totóq; pectore amemus. Hoc philtrum sitit hic Infans: amari vult, ut amet. Imò amat, ut ametur.

1. Ioan. c. 3. v. 1. & 2.

§. VI. *De amore Domini* IESV *erga homines per ejus Nativitatem singulariter elucescente.*

Certamen Christus Nascens indixit orbi, sed certamen amoris. Expostulatio illa Isaiæ (*Numquid parum vobis est, molestos esse hominibus, quia molesti estis & Deo meo?*) ad priscorum Patrum mentem, hoc sensu capienda: Num pusillum vobis certamen cum hominibus, quoniam Deus præstat agonem? Perinde ac si dicat Isaias: Parúmne vobis est certare cum hominibus, cum ipso etiam Deo belligerare vultis? Sit ita sanè: jam hinc vobis spondeo, Deum novo prorsus & inaudito bellandi ritu in aciem proditurum, & oblaturum omnibus admirandum certamen: *Ecce Virgo concipiet & pariet filium.* Et hujus quidem belli secundissimos progressus asserens Propheta, *Quia*, inquit, *antequam sciat puer vocare patrem suum, & matrem suam, auferetur fortitudo Damasci, & spolia Samariæ coram Rege Assyriorum.* Quod sancti Patres de gentibus per Magos ad Christi cultum redigendis interpretantur. Verè Deus nobiscum certavit amore. Audite, obsecro, quàm amicâ Deus velitatione nobis pugnam indicat.

Isa. c. 7. v. 13. Vide Viegam in Apoc. c. 12 comment. 3. sect. 16, circa finem, mihi pag. 604. Isa. c. 7. v. 14. Isa. c. 8. v. 4.

Vos hominēs, mei subditi, nascituro mihi casam negabitis? ego autem amore vestrûm, non gravatè stabulum etiam subibo. Iam nato cunas invidebitis? contentus ero præsepi. Me Dominum vestrum agnoscere recusabitis? ego autem vos non tantùm servos meos, sed & amicos, sed & meos filios agnoscam. Nullos mihi ministros conceditis? ego ipse vester cupio minister fieri. *Nam Filius hominis non venit, ut ministraretur ei, sed ut ministraret, & daret animā suam redemptionem pro multis.* At etiam verba inpia, imò & lapides in me jacietis? ego autem pro vobis Patrem meum deprecabor. Et en ego ipse adsum. Consortiū meum horretis & refugitis? at meæ deliciæ sunt vobiscum esse. Apertum contra me bellum struitis? ego verò pacem vobis per caduceatores meos Angelos jubeo promulgari. Sed enim ad necem me quæritis? obsecro vos, atque hoc unicum rogo, ne nimiùm hac in re properate; ego ultro ad necem me offeram, & volens lubens pro vobis moriar. Annos pauculos expectate, nobiliorem mortis & ignominiæ triumphum habebitis, quàm si me Puerum necâssetis. Scio equidem, acetum & fel mihi propinabitis pro nectare; at ego vobis meum propinabo sanguinē è meo corpore, è mille vulneribus. Spineum meo capiti sertum texetis? at ego vobis diadema reddam gemmeum. Crucem mihi fabricabitis pro lectulo? at ego vobis parabo solium sublime in cælo.

Marc. c. 10. vers. 45.

Profectò *nova bella elegit Dominus, & portas hostium ipse non subvertit, sed ædificavit. Cor meum diliget hunc Israëlis Principem, qui propriâ voluntate obtulit sese discrimini* & morti. Novum hoc certamen amoris est, in quo etiam victi solent vincere ac triumphare.

* Claudian. amoris certamen quas quatuor paravit. Prud. Cant. 11. vers. 11. Secunda. Ioan. c. 19. vers. 2. Tertia. Hebr. c. 1. Quam. Quarta vita Christus nostri amoris & triumphi certamina. Phil. c. 4. vers. 1. Quæ. † Matth. c. 17. Marc. c. 9. vers. 3. Luc. c. 9. vers. 29. Ioan. c. 20. vers. 7. a Isa. c. 53. v. 2. b Psal. 44. v. 3. c Exod. c. 33. v. 22. d Cant. c. 5. v. 10. e Exod. c. 19. v. 16. f Cant. c. 5. vers. 10. g Deut. c. 32. v. 15.

* Christus sic amore certans diademata sibi, seu coronas quatuor paravit. Prima erat corona carnis, quam illi Virgo Mater in ejus natali die imposuit. Ita divus Ambrosius illud sacri carminis exponit: *Egredimini, & videte filiæ Sion regem Salomonem in diademate, quo coronavit illum mater sua in die desponsationis illius, & in die lætitiæ cordis ejus.* Altera corona è paliuris & vepribus contexta, quam Pilati *milites plectentes de spinis imposuerunt capiti ejus, & veste purpureā circumdederunt eum.* Tertia fuit honoris & gloriæ, quam dedit æternus Pater. De quā Paulus liquidò, *Eum autem*, inquit, *qui modico quàm Angeli minoratus est, videmus* IESVM *propter passionem mortis, gloriā & honore coronatum.* Quarta est tot gentium à fabulis & impurā superstitione ad unius Christi cultum traductio; nam Patris ad Filium liberalissima vox est: *Filius meus es tu, ego hodie genui te. Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ.* De coronā non multùm absimili gratulatus sibimet Paulus, *Itaque fratres mei charissimi, ait, & desideratissimi, gaudium meum & corona mea, sic state in Domino charissimi.*

Quemadmodum verò quadruplicem coronam Christus acquisivit, ita quater potissimùm novam oris & vestium figuram in vitā sumpsit. 1. In nativitate, de qui itidem dici potest, Transfiguratus est ante eos, *& facta est species vultus ejus altera, & vestitus ejus albus.* * 2. In vertice montis Thabor, de quo Matthæus & Marcus, *Et resplendeat facies ejus sicut sol*, inquiunt, *& vestimenta ejus facta sunt splendentia, & candida nimis velut nix, qualia fullo non potest super terrā candida facere.* † 3. In supremā cenā pridie quàm excessit è vitā, ubi non tantùm vestimenta sua posuit, & linteo se præcinxit, sed totum se panis candore vestiit. 4. In ipsā cruce. ‡ Hanc flebilem oris totiúsque corporis figuram eminus Isaias conspicatus, *Vidimus eum*, inquit, *& non erat aspectus, & desideravimus eum: Despectum & novissimum virorum, virum dolorum & scientem infirmitatem, & quasi absconditus vultus ejus & despectus: unde nec reputavimus eum* a. Ita quater *mutato rex Israël habitu venit ad bellū* b.

Siracides mentionem iridis injiciens, *Vide arcum*, inquit, *& benedic eum qui fecit illum; valde speciosus est in decore suo. Gyravit cælum in circuitu gloriæ suæ, manus excelsi aperuerunt illū* c. Iridi conferri potest bellator hic Puer Bethlehemi, qui amoris bellum humanæ genti cœpit inferre. Christus enim veluti Sol humanitatis suæ roscidam nubem ita irradiavit, ut in eā Dei misericordia & amor clarissimè relucerent. Iris geminum cornu habet terræ obversum, estque in signum pacis & fœderis. * Duæ sunt in Christo naturæ, pacificantes *per sanguinem crucis Christi, sive quæ in terris, sive quæ in cælo sunt.* In iride triplex color est, aureus, viridis, ruber. Primus, Christum cælestem hominem adumbrat, *Primus homo de terra, terrenus; secundus homo de cælo, cælestis* d. Viridis alter innocentiam vitæ Christi & gratiæ abundantiam designat. Cùm ad mortem traheretur Christus, dicebat: *Quia si in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet* e? Ruber deniq; Christi sanguinē inter tormenta fusum denotat. Vox sponsæ gratulantis est: *Dilectus meus candidus & rubicundus, electus ex millibus* f. Vide igitur hunc arcū, & benedic eum qui fecit illum g. Quidquid sagittarum ab hoc arcu missum est, amoris erant sagittæ. Nimirum undequaque impellimur Deum amare. Non est suavior, sed nec potentior ad amorem invitatio, quàm prævenire amantem. Ecce quàm maturè Puer cælestis nos præveniat. Nimis contumax est animus, qui amorem, quem nolebat impendere, nolit etiam rependere.

Hic

Aug. dom. 4. de catechizandis rudibus.

Hic Augustinus ad amandum excitans, *Ama*, inquit, *amorem illius, qui amore tui amoris descendit in uterum Virginis, & ibi amorem suum amori tuo copulavit, humiliando se, sublimando te, conjungendo lumen suæ æternitatis limo tuæ æternitati.* Beatus, Domine IESV, qui amat te, & amicum in te, & inimicum propter te. Minùs autem te amat, ô suavissime Infans, qui aliquid tecum amat, quod propter te non amat. Qui verè amat, non laborat, aut ipsum amat laborem. Solus amor difficultatis nomen erubescit. Nec tam durum quidquam aut ferreum, quod ignis divini amoris non emolliat. Ama Deum, & fac quod vis.

§. VII. *De ingrato hominum animo adversus Christum natum.*

Consanguineorum Christi ingratitudo.

EXpendamus paululum, quâ humanitate consanguinei Christi cognatũ suum exceperint. Erant, non dubitem, plurimi è familiâ David Bethlehemi, qui eò venerant à Palæstinæ Præside censendi. Illorum multi (neque hoc dubium) locupletes, & bene nummati, quibus de domo, veste, mensâ optimè prospectum. Ex his tamen omnibus inventus est nullus, qui reculâ vel minimâ egentissimum tribulem suum, & cognatum Christum juverit; nullus qui vel in ultimas domûs suæ latebras receperit. Singuli & fores suas, & arcas suas, & sua penora servabant obserata Christo. Vtinam habuissent vel sola reserata pectora, in ceteris facilè veniam reperissent!

Judæorũ.

Quàm ingratus porrò animus Iudæorum ceterorum, & peculiariter Bethlehemitarum omnium. Sileamus beneficia innumera, quibus hunc populum affecit Deus: consideremus illa solùm quæ præsentis sunt instituti. En ex eorum nobilissimâ familiâ nascitur, ad illos venit, in illorum urbibus & domibus habitaturus, inter illos sicut unus ex illis vitam acturus, monarcha tantus, & ille ipse Dominus, qui eorum infantes à crudeli Pharaonis imperio, & percussoris Angeli sanguinolentâ rhomphæâ liberavit. Neque verò cum erectis fascibus, aut grandi supercilio ad illos venit, sed infantuli formâ, habituque mendiculi angustum & vile rogat diversoriolum. Sed nullus audit, nullus admittit; excludunt & ablegant omnes; porrò inde abire jubent ingratum hospitem. Nemo est, qui eum ab Herodis sicâ conetur defendere. Clamant omnes: *Hunc nescimus unde sit.* Dicitur illis: IESVS à Nazareth est; clamant iterum: *A Nazareth potest aliquid boni esse?* Turbantur omnes cum Herode, qui sibi plurimùm congratulari debuissent. Simul omnes vociferantur: *Si hunc dimittis, non es amicus Cæsaris. Omnis, qui se regem facit, contradicit Cæsari. Non habemus regem nisi Cæsarem.*

Exod. c. 1. vers. 22. & segq.

Dan. c. 9. vers. 29.

Idem c. 1. vers. 46.

Dan. c. 19. v. 12. & 15.

O liberales ceterà Iudæi, peregrinum etiam hunc pauperculum admittite! Ecce infantem se gerit, & quidem pauperrimum, & quidem infantũ omnium postremissimum. Nullum ab hoc Infante periculum est ulli regno: daturus regna venit, non erepturus; admittite.

Bethlehemitarum.

Enimverò Bethlehemitas præ omnibus Hebræis singulariter demereri, sibique conciliare voluit cæli Dominus, suo Natali, suisque incunabulis: voluit illos Angelorum descensu & cantibus, pastorum accursu & plausibus, Regum adventu & muneribus, cælo terræque facere honorabiles. At ipsi spreverunt, repulerunt, ejecerunt, ad bestias damnarunt suum Messiam. Ingrati cives! imò immisericordes & impii cives.

Sunt qui eos defendere nitantur, & dicant: Scire non poterant tantum Principem sui medio nasci. Scire poterant, ô bone, sed credere nolebant. Et quoties illis præcepit Deus, ut advenam & peregrinum colligerent, domo reciperent, hospitio fove-

A rent? Si Messiam hunc vestrum, ô ingratissimi Bethlehemitæ, nôsse non poteratis, aut quod verius, nolebatis; certè peregrinum hunc, eúmque pauperem agnoscere debueratis. At ex vobis omnibus, qui vel angulum suæ domûs huic indigenti patefaceret, nullus erat, nullus, nullus, nullus. Ad unum omnes aut invidiâ laborabant, aut immisericordia, & ingrati animi detestando crimine.

Totius denique orbis.

Sed hæc totius orbis in suum Conditorem ingratissima fuit perfidia. Rex aliquis aut Cæsar nascitur? Orbis applaudit & gratulatur; missilia ignita & flammæ pacales volant, dies festi aguntur, ludi & triumphi instituuntur, exultat regnum gaudio. Nascitur Christus? nemo se movet. Nec eo solùm tempore, quo nascebatur Christus, torpebant homines; posterioribus quoque sæculis multos tenuit hic torpor. Et nostro hoc ævo quàm multi sunt, qui Domini IESV natalem diem non nisi lautiore mensâ, & nitidiore

B veste venerentur. Hæc omnis gratiarum actio est pro immenso beneficio.

Et quæ demum huic divino Puero mundus natalitia mittit munera? In diadema vepres, laceram chlamydem pro purpurâ, arundinem pro sceptro, columnam pro toro, flagra pro unguentis, funes pro armillis, clavos pro annulis, catenas pro torquibus, pro nectare acetum, fel pro ambrosiâ, pro solio crucem. Qui Christum amant, hæc cum Christo tolerare non recusant.

§. VIII. *Admirationes super Christo Nato, & de rerum in eo dissimillimarum conjunctione.*

EN ille Rex siderum, ille rerum omnium præpotens Deus, Virgunculæ ducit ubera, qui pascit cunctas animantes: qui cælum hyacinthinâ velat chlamide, qui terram smaragdinâ pallâ induit, qui vestit omnia, nudus jacet in præsepi, totus est in pusillæ fœnu, quem nulla capit terrarum intercapedo: fasciolis stringitur libertatis vindex: Decembre gelu tolerat, & friget mentium castarum pervigil flamma: ploratus iterat mœstorum perenne solatium: inops est cæli terræque monarcha: in tenebris habitat, ad cujus nutum sidera expallescunt: inter bestias cubat, in cujus humeris sedet imperium orbis.

En ergo saturitatem esurientem, flammam frigentem, lætitiam mœrentem, fontem sitientem, abundantiam egentem. Vide lucem in tenebris splendescentem, Solem noctu fulgentem, ignem sub nube latentem. En ex rivulo purissimo profluit mare, ex palmite vitis nascitur inumbrans orbem, è stellâ sol oritur, è minimo centro infinita sphæra consurgit, è nubeculâ immensus splendor emicat. Aspice conjunctam hîc majestatem cum humilitate, virtutem cum infirmitate, æternitatem cum mortalitate, cœlum cum terrâ, cum summis infima. En ut fons exaruit, ut gaudium ingemuit; en ut pulchritudo expalluit, ut potentia elanguit; videte, obsecro, ut æternum Verbum obmutuit.

C

D

Deus ille, *qui transtulit montes, qui commovet terram de loco suo, qui præcipit Soli, & non oritur, & stellas claudit quasi sub signaculo, qui extendit cælos sicut, & graditur super fluctus maris, qui facit magna & incomprehensibilia, & mirabilia, quorum non est numerus. Deus ille vivens, & Rex sempiternus; qui mensus est pugillo aquas, & cælos palmâ ponderavit; qui appendit tribus digitis molem terræ, & libravit in pondere montes, & colles in statera. Ecce, gentes quasi stilla situlæ, & quasi momentum stateræ reputatæ sunt; ecce, insulæ quasi pulvis exiguus. Omnes gentes quasi non sint; sic sunt coram eo, & quasi nihilum & inane reputatæ sunt ei. Deus sempiternus Dominus, qui creavit terminos terræ, de quo canunt oracula: Non deficiet, neque laborabit, nec est investigatio sapientiæ ejus: Ecce Dominus Deus in fortitudine veniet, & brachium*

Iob c. 9. v. 5. & seq.

Hier. c. 10. vers. 10.

Isa. c. 40. v. 10. 11. & pluribus seq.

chium ejus dominabitur. Ille ipse Dominus exercituum videtur jam defecisse,& multum laborare; jam à pauperculis opilionibus investigatur & invenitur; jam quidē venit, sed infirmus,& brachia ejus ligata sunt.

Iob. c.12. vers. 10. Deus *in cujus manu anima omnis viventis,& spiritus universæ carnis hominis. Deus excelsior cælo, qui super stellarum verticem sublimatur,qui circa cardinē cæli perambulat. Apud* *Idem c. 22. v.12.& 14.* quem *potestas & terror,qui facit concordiā in sublimibus suis,* *Idem c.25. v.2 & 3.* *cujus militum non est numerus. Deus deorū, Dominus,* cujus *Ps.49.v.1. 10.11.& 12* *sunt omnes feræ silvarum, jumenta in montibus & boves,qui* *Psalm.79. v.2.& 5.* *cognovit omnia volatilia cæli,cujus est orbis terræ & plenitudo ejus. Dominus Deus virtutum, qui sedet super Cherubim.* *Psalm.98. v.2.& 5.* *Dominus in Sion magnus, & excelsus super omnes populos;* *Ps.103.v.2. & seq.* *cujus scabellum pedum adorandum est, quoniam sanctum est. Dominus Deus noster, qui amictus est lumine sicut vestimento; qui extendit cælum sicut pellem, qui tegit aquis superiora ejus: qui ponit nubem ascensum suum,qui ambulat super pennas ventorum: qui facit Angelos suos spiritus, & ministros suos ignem urentem; qui fundavit terram super stabilitatem* B *suam,qui omnia fecit in sapientiâ,cujus opera magnificata sunt. Dominus Deus exercituum, Deus solus omnium* *Isa.c.37. vers. 16.* *regnorum terræ,qui fecit cælum & terram.* Cui cælum sedes, *Isa.c.66. vers.1.* *& terra scabellum pedum ejus.* Hic ille ipse jam inter pecudes jacet; præsepiolo cingitur, linteolis ambitur, caveâ clauditur, ab hominibus tangitur,virgineo lacte pascitur. Et nónne,ô Deus noster,tu es ille ipsissimus, qui per Hieremiam Prophetam promulgari

Hier. c.23. v.23.& 24. jussisti: *Putásne Deus è vicino ego sum, & non Deus de longè? si occultabitur vir in absconditis,& ego non videbo eum? Numquid non cælum & terram ego impleo? dicit Dominus.* Verè jam ô amantissime Domine, verè Deus è vicino es, nec adeò multum loci occupas, qui angustum præsepiolum non satis exples.

En igitur ille Princeps pacis, qui seccenties in lege priscâ Dominus exercituum appellatus; ille ipse qui Moysi leges dedit inter fulgura & tonitrua; qui

Gen. c.19. vers. 24. *pluit super Sodomam & Gomorrham sulfur & ignem de cælo,* C jam sine sulfure & igne,sine tonitru & fulmine in obscuro silentio adest ipsus. Hic ille Imperator est, cujus armamentaria paratûs bellici & telorum plena, jam sine tumultu & strepitu velut in occulto venit mitissimus & hominum infimus. Arrogantiam re-

Hoc est corpora cælestia. tundens Seneca, *Nimis nos suspicimus*, inquit, *si digni nobis videmur, propter quos hæc tanta moveantur.* Qui hominem censuit indignum cui cælestia corpora famulentur,quid demum diceret ad hæc,si cælestium corporum conditorem ipsum cerneret in vilem sese servulum obtulisse, piscatorum pedes lavisse, inter latrones pependisse? Et quàm admirandum illud, hunc Infantem usu rationis & intelligentiæ perfectissimo fuisse, atque ullus virorum esse potest; nihilominùs omnem oris & corporis compositionem, omnem motum, omnémque actionem nihil ab infantiâ diversi habuisse, idque non imitatione, aut simulatione, sed re ipsâ, ut indoles aliorum est Infantum. D

Eucherius Lugdunensis Præsul in hom. vixit is anno 440. Exclamat Eucherius: *O pietas immensa, ô humilitas ineffabilis, ô sacramentum inenarrabile! Deus homo sit, æternus temporalis, immensus localis, immortalis passibilis; pannis involvitur, qui cæli ambitu non continetur. Quis audivit umquam tale? quis vidit huic simile?*

Iob c.9.v.13 En ergo, hic ille Infans est, *cujus iræ nemo potest resistere, & sub quo curvantur, qui portant orbem.* Hic ille est,

Idem c.37. v.4.& 5. qui *tonabit voce magnitudinis suæ, & non investigabitur, cum audita fuerit vox ejus:tonabit in voce suâ mirabiliter,qui* *Psal.138. vers. 4.* *facit magna & inscrutabilia,qui facit mirabilia magna solus.* *Iob. c.38. vers. 23.* Et quis aspexit,quæ hic ipse bellator Dominus *præparavit in tempus hostis, in diem pugnæ & belli?* Iam tamen

Isa.c.2.v.4. mansuetissimus adest, & placidissimus Princeps pacis. Iam illud est ævi, quo gladii conflentur in vomeres,& lanceæ in falces. Iam gentibus pacem loquitur, nam pœnitentiâ promulgat, quâ obtinetur vera pax, A & regnum Dei annuntiat,quod est æterna pax. Et adeò hic pacis auctor amabit pacē, ut vel inter duos suo nomine conjunctos futurus sit ipse tertius. Nemo suam ipse pacem turbet,nam etsi non domus tota vel tota civitas pacem admittat, satis est, si duo solùm Christi nomine consentiant, tertius illorum erit hic amator pacis,Christus Dei Filius, pax,serenitas mentis,amoris vinculum, consortium charitatis. Hæc est, quæ simultates tollit,bella componit,iras comprimit, superbos calcat,humiles amat,discordes sedat,inimicos concordat,cunctis placidissima. Nec extolli novit, nec inflari. Hanc qui accepit, teneat; qui amisit, repetat. Ad hæreditatem Domini non poterit pervenire,qui pacem noluerit observare. Nec concordiam habebit cum Christo, qui discors esse voluerit cum Christiano. Disertissimè Augustinus, *Fac justitiam,* inquit, *& habebis pacē,ut osculentur se justitia & pax. Si enim non amaveris justitiam, pacem non habebis. Amant enim se* B *duo ista,justitia & pax: osculantur se,ut qui fecerit justitiam.* *inveniat pacem osculantē justitiam.* * *Duæ amicæ sunt:tu forte unam vis, & alteram non facis. Nemo est enim qui non vult pacem,sed non omnes volunt operari justitiam.Interroga omnes homines: Vultis pacem? Uno ore tibi respondet totum genus humanum: Opto,cupio,volo,amo. Ama & justitiam, quia duæ amicæ sunt justitia & pax. Justitia & pax ipsæ se osculantur. Si amicam pacis non amaveris, non amabit te ipsa pax, nec veniet ad te. Quid enim magnum est desiderare pacem? Quivis malus desiderat pacem. Bona enim res est pax. Sed fac justitiam, quia justitia & pax se osculantur, non litigant. Tu quare litigas cum justitiâ? Ecce justitia dicit tibi: Ne fureris, & non audis. Ne adulteres, & non vis audire. Non facias alteri, quod tu pati non vis. Inimicus es amicæ meæ,dixit tibi pax,quid me quæris? Amica sum justitiæ:quemcumque invenero inimicum amicæ meæ, non ad illum accedo. Vis ergo venire ad pacem? fac justitiam.*

Ergo *pacem sequimini cum omnibus.* Si Dei vocantur C filii qui pacem amant, procul dubio satanæ sunt filii, qui pacē turbant. Cum vitiis nostris,nō cum fratribus nostris litigemus. * *Pax Christi exultet in cordibus nostris.*

§. IX. *De beneplacito æterni Patris in nato sibi Filio.*

QVæstionem ponens Pharisæis de seipso Christus, *Quid vobis videtur*, inquit, *de Christo, cujus filius est?* Ad quæstionem hanc variè responsum. Pharisęis hoc unum occurrit dicere, Filium esse David. Non adeò malè. Ita clamarunt cæci: *Miserere nostri, Fili David.* Ita Chananæa: *Miserere mei, Fili David.* Ita turbæ,& inter has pueri:*Hosanna Filio David.* Ita Angelus: *Dabit illi Dominus Deus sedem David patris ejus.* Ad quæstionem istam Iudæi cæteri responderunt:Mariæ & Iosephi esse filium. Ita illi passim dictitabant: *Nónne hic est fabri filius? Nónne mater ejus dicitur Maria? Nónne hic est* IESVS *filius Ioseph,cujus non novimus patrem & matrem?* Ad eamdem quæstionem longè aliter Petrus, *Tu es*, inquit, *Christus Filius Dei vivi.* Ad hanc ipsam quæstionem Pater æternus pronuntiavit de cælo: *Filius meus es tu, ego hodie genui te. Postula à me & dabo tibi gentes hæreditatem tuam,& possessionem tuam terminos terræ.* Virgo Dei genitrix, quid aliud ad quæstionem hanc responderit, quàm paternum illud: *Tu es Filius meus dilectus, in te complacuit mihi.*

Et quid nos omnes alii ad hanc quæstionem habemus dicere? Quis ejus est animi,ut animosè ausit respondere: Meus est filius, meus est, meus, meus. Responsi firmamentū est Christi dictum: † *Quicumq; fecerit voluntatem Patris mei,qui in cælis est,ipse meus frater,& soror,& mater est.* Hoc Christus non in speciem,sed positis ambagibus seriò,rectissimus in dicendo pronuntiavit: Quisquis voluntatem Patris mei fecerit, hic non solùm meus frater, & mea soror, sed & mater

mea.

mea est. Huic igitur matri jurè licebit dicere: Christus meus est filius. IESV bone, quanta dignitas est nostra? si causæ nostræ non ipsi turpiter indormiamus.

Porrò cælestis Pater non tantùm filium, sed & orbē totum, die Natali Filii, his verbis allocutus censeri potest: *Hic est Filius meus charissimus, audite illum.* *Matt. c. 9. vers. 7.*

Omnes imò Angeli cum Gabriele Archangelo ad Domini Natalem concinuisse censendi: *Hic* ille, qui modò in præsepi jacet Infantulus, *erit magnus, & filius Altissimi vocabitur; & dabit illi Dominus Deus sedē David patris ejus, & regnabit in domo Iacob in æternū, & regni ejus non erit finis.* Interim & ingratissimus mundus vociferatur: *Nonne hic est faber, filius Mariæ, frater Iacobi & Ioseph, & Iudæ, & Simonis? Nonne & sorores ejus hic nobiscum sunt? & scandalizabantur in illo. A Nazareth potest aliquid boni esse? Quomodo hic litteras scit, cùm non didicerit?* Hæ ingratorū hominum gratulationes, hi mundi sunt applausus. Qui Christum odisse horret, voluntati divinæ ita se attemperet in omnibus, ut pro se quisque ausit dicere: Mi amantissime IESV, tu es filius meus dilectus, in te complacuit mihi. Bonus profectò filius, si bonam reperit matrem. *Luc. c. 1. v. 31. & 33.* *Ingratorū voces. Matt. c. 6. vers. 3. Ioan. c. 1. vers. 46. Ioan. c. 7. vers. 15.*

§. X. *Christi Nascentis & morientis; exordii vitæ ac finis comparatio.*

Vitæ ac finis Christi comparatio.

NAscitur Christus infans & mutus: proximus mortiti pariter obmutescit, nec pro infante tantùm, sed & stulto habetur. Coram Matre nudus nascitur: coram omnibus in cruce nudus moritur. Nasciturus non reperit locum in diversorio; moriturus non habuit sepulchrum nisi commodatum in vicino horto. Nascens pro cunabulis præsepe, moriens pro lectulo habuit crucem. Nascens saltem stabulū habitationi, saltem stramen semesum habuit arcendo frigori; at verò moriens nec pulvillum capiti, nec lodiculam vulnerato corpori invenit, Nascenti aqua calida instruendis thermis, morienti defuit frigida restinguendæ siti. Natus à Matre infantium involucris; moriturus ab Herode veste albâ, mortuus à Iosepho sindone mundâ involutus est.

Si tempus spectemus, nascitur Christus sub mediā noctem, nocte in diem versâ; moritur sub medium diem, die in noctem mutatâ. Natus panniculis involvitur, fasciis ligatur; moriturus funibus stringitur, & clavis figitur. Natus lacrymas profudit, nec illas moriturus tenuit, sed sanguine purpuratas auxit. Natus lac Virginis bibit: moriturus fel & acetū gustavit. Fœtor stabuli nascentem, Calvariæ graveolentia morientem afflixit. Inter duas pecudes vitam exorsus est; inter latrones duos eamdem finiit. In præsepi contemptus, pauper, parvulus: in cruce nec *homo* quidem, sed *vermis & opprobrium hominum, & abjectio plebis* est habitus. Nascitur sub Augusti, moritur sub Pilati & Tiberii imperio. *Psal. 21. v. 7.*

Nascentem exoriens stella prædicat, morientē sol sese abdens & fugiens deplorat. Natus ab Angelis laudatur; moriturus ab omni hominum genere illusionibus & maledictis violatur. Nato Reges ab oriente munera ferunt; moriturum carnifices ut falsum regē spinis incingunt, ludicro sceptro insigniunt, omnibus ignominiis illudunt. O mi amantissime Deus, qualis hic in vitam ingressus, qualis exitus, quale hoc exordiū, qualis epilogus? Cresce, Puer suavissime, jam exacuitur culter, quo circumcidaris. Proxima est in Ægyptum fuga, vicinæ solitudines horridæ, prolixa jejunia, tentationes seriæ, probra & maledicta creberrima, insectationes atrocissimę, itinera perpetua, labores infiniti, dolores incredendi, verbera sine numero, vulnera sine malagmate ac fomento; jam vepres & clavi, jam crux & lancea in te parantur. Nunc calicē amarissimum primoribus labellis libas; erit cùm ad fæces totū exhauries. Nunc mansuetæ te cingunt animalia; erit cùm *canes multi & tauri pingues* te circumdabunt. Nunc cælestes genii cantant: *Gloria in altissimis Deo*; erit cùm ferociens turba clamabit, *Tolle, tolle, crucifige eum.* Nunc lacrymas stillas oculis; erit cùm sanguinem toto fundes corpore. Atq; hæc omnia saluti nostræ pateris. Nos ægrotamus, tu bibis pharmacum; nos fures sumus, tu subis patibulum. Infinitæ prorsus *Benignitas & humanitas apparuit Salvatoris nostri Dei. Generationem ejus quis enarrabit?* Felix culpa, quæ talem meruit habere redemptorem. *Psal. 21. v. 13. Luc. c. 2. vers. 14. Isai. c. 19. vers. 15.* *Ad Tit. c. 3. vers. 4. Isa. c. 53. v. 8.*

§. XI. *Quid maximè à Christi amore avocet.*

GVerricus abbas, divi Bernardi discipulus, Puerū Bethlehemii natum velut digito monstrans, *Ecce*, ait, *offertur tibi* IESVS; *curre obvius manibus, extende brachia, expande sinus. Devotionem tuam tam affectus probet quam actus. Filium, qui tibi natus est, spe magnâ venerare, suscipe fide, amplexare charitate.* *Guerricus Serm. 2. de Nat. Domini.*

Hic ille ipse est, quem tot oracula tótque vaticiniæ cecinerunt ad futurū. Enimverò iis, quorum suo loco facta est mentio, adnumeramus & istud, quod Theologiæ Sol Thomas Aquinas posterorū memoriæ consignavit his ipsis verbis, quæ à tali auctore scripta non censui mutanda: *Invenitur in historiis, quòd tempore Constantini Augusti & Helenæ matris ejus inventū fuit quoddam sepulchrum, in quo jacebat homo, auream laminam habens in pectore, in quâ scriptum est: Christus nascetur ex Virgine; & ego credo in eum. O Sol sub Helenæ & Constantini temporibus iterum me videbis.* *S. Thomas 2. 2. quæst. 2. art. 6. ad 3. ubi docet, salvatōnem nisi fide Mediatoris saltem implicitâ.*

Transeamus igitur cum pastoribus, *& videamus hoc verbum, quod factum est, quod fecit Dominus, & ostendit nobis.* *Luc. c. 2. vers. 15.*

Annæo teste, *est aliquid, quod ex magno viro vel tacente proficias.* Est profectò plurimū, quod è silenti hoc Verbo, cælesti Puero proficiamus. Quidquid in oculos isticurrit, ad meliorem vitam erudit. Hîc omnis fastus, ambitiō, luxuria & luxus damnantur. Omnia ista, quę Christi stabulū & præsepe oculis atq; auribus nostris ingerunt, attentissimè commeditanda sunt, & plenum pravis cupiditatibus exhauriendum pectus. Ante omnia, omnis è pectore libido eliminanda. Non amat castissimum Virginis Filium, quisquis non odit, & arcet cæcum Veneris puerum. Vbi libido, quantumvis abdita, ibi scelerum lerna, & omnis immunditiæ seminarium. Atq; hoc est, quod plurimum ab amore Christi mentem abstrahit. Non simul habitant, nec in unâ sede morantur Christus & diabolus, Rationis & carnis appetitio. Indulgere libidini, vel in animo solùm latenti, omnium malorū est initium. Rationem omnem excludit, qui libidini se permittit. O homo, actū est de te, si pestem hanc animo receperis. Valedic cę-lo, & morere; actum est. Nulli vitio non vere cundum est initium, sed ob hoc latiùs funditur, & à turpi fine proditur. Non facilè obtinebis, ut desinat, si incipere permiseris. Impuris igitur cogitationibus obsiste, quia faciliùs, ut dixi, non admittuntur, quàm extruduntur admissæ. Non vino infirmum animum cōmittamus, non formæ, non illecebris, non rebus ullis blandè trahentibus. Recedamus à lubrico, & omnē libidinis vel umbram fugiamus. Ejice hanc feram è toto pectore, aut nec in tuo quidē diversorio locum cælestis Puer inveniet. Impurus amor initio mella stillat, dum illaqueet; denique fel ingerit morissimum. Fuge blandum impostorem: *Senec. ep. 94. post med. Quidquid in oculos incurrit de Puero IESV ad meliorē vitam erudit.*

Fallit, & ignitum derivat in ossa venenum.

Cave vulnus, quod dolore curandum est; si tamen curationem recipiat. Libidinis initium continebis, si exitum cogitaveris.

CAPVT VII.

Parodoxum geminum.

AVdite mortales, & hilarescite; audite cælites & ingemiscite: Hac nocte cacodæmon mortuus est: Hac nocte Deus conjectus est in vincula. De utroque hoc paradoxo pauca, sed stylo paululùm erectiore quàm antehac, & hilariore.

§. I. *Cacodæmon mortuus.*

EPitherses, quod Plutarchus memorat, Æmiliani Rhetoris parens, & qui hoc Plutarcho narravit, cùm circa Echinadas insulas navigaret, nec favens spiraret aura, noctu prope Paxas delatus est. Cúmq; in navi silerent omnes, & attentiùs vigilarent, subitò clamatũ est: Thramne. Horrent cuncti ad clarã hanc, sed ignotam vocem, neque permittit responsum horror. Silent igitur attoniti, alter alterum sine voce respiciens. Clamatur iterum, Thramnè. Siletur iterum, & magis pavetur. Redit vox eadem tertiùm. Tandem ter inclamatus ille Thramnus (erat hic gente Ægyptius, & navis illius rector) respondet, & quid se clamor hic velit, interrogat. Cui vox illa jam multò quàm antè clarior: *Cùm ad paludẽ fueris, nuntia magnum Pana mortuum esse.* Audiunt hoc omnes, sed num voci parendum sit, variè trepidéque deliberant. Cùm animosior ceteris Thramnus, Audite viri, inquit, & audete quod suadeo: si venti navem impellendo non siluerint, nos silebimus, quod si non flaverint illi & tacuerint, nos loquemur, & quod jussi sumus, nuntiabimus. Probant consiliũ omnes, & porrò navigant, sed non diu. Nam ventus mox insequi desiit, & cœpit silere. Illi ubi juxta paludem hærere coguntur, pacti Thramnum monent, qui promptus puppim scandit, & vultu in mare vergens altâ voce clamat: *Magnus Pan mortuus est.* Vix hoc effatus, cùm innumera illum gemitus ad miraculum vehemens & confusus auditus fuit. Intereà navigium hoc Romam pertingit, & illã urbium Vrbem novo rumore attonat. Ipse Tiberius Imp. curiosus talium, Thramnũ ad se accersit, omnia ex fide intelligit, & assentientibus in idem Philosophis, & ipse fidẽ habet. Quam neque à nobis præfractè negandam censeo. Quamvis non nescio scriptorem magnum esse, qui hoc potiùs de Christo in crucem acto velit intelligi, cui ego litem (quod absit) non intendo. Solum illud proclamo: *Pan magnus hac nocte mortuus est, quâ Deus in orbem natus est.* Ad illius verò mortem indubiè Tartarum omne ingemuit. Neque ego affero (quis enim hoc dicat?) cacodæmonũ Principem & magnum illum Pana, qui spiritus est, & mori non potest, sed illius in nos robur infractum, imò mortuum, atque si propriè loquendum, strangulatum suffocatúmq; esse & illis quidem ipsis vinculis, in quæ bonus ille Deus se sponte suâ hac nocte conjecit.

§. II. *Deus in vincula conjectus.*

CHriste, quid ego hîc dicam, nisi hoc solùm, non habere me quod dicam? Verè, verè Deus conjectus est in vincula. An inter homines, imò nõ inter homines, sed en, inter ipsas bestias immensũ Numen illo humanę carnis carcere ambitur. Neq; hoc satis; etiam vinculis constringitur, & alligatur: panniculis & linteolis Deus fasciatur. An non meritò gloriari possumus, obligatum nobis nos habere Deum? certè ligatum habemus. Pæne hodie concedenda sit venia idololatris, qui Deum nimio nostrum amore infatuatum asserunt. Puer divinissime, ignosce hanc stultam, imò impiam, ex pietate tamen progñatam vocem. Scio, Christe, infatuari non potuisti; sapientissimus es, & omnis origo sapientiæ, sed tamen potuisti infantari (utar hac voce) potuisti & ligari, quia voluisti. Vt nos enim manumitteremur, in hunc carcerem compingi, & in vincula dari non recusâsti, vincula non aurea vel gemmea, sed linea. Ergo Deus infra servũ se abjicit, & pretiosior est carcer vilissimi mancipii, quàm Dei natalis domus? Est certè; nam Æthiopes (si Plutarcho & Tertulliano credimus) auro vinctos in ergastulis habent, & divitiis malos onerant, tantò locupletiores, quantò nocentiores. Sed & apud Romanos tam pretiosas compedes reperio. Nam Antonius regẽ Armeniorum Artuasdem aureis catenis vinciri jussit. Deus hodie semet ipse constrinxit vinculis, sed heu quàm exigui, quàm pæne nullius pretii! non tantùm gemmæ hîc non rutilant, aureæ catenæ hîc non coruscant, sed vix adsunt viles centunculi, qui tenellos artus vinciant, & arceant frigus. Occurrit hîc, quod de suo carcere vel in extremâ calamitate ridens dixit Iugurtha ille Masanissæ nepos, opibus & ingenio validus, sed tamen à Mario devictus. Hic cùm captus Romam duceretur, & post triumphalem illusionẽ in carcerem conjiceretur, veste spoliaretur, inaures, quas more gentis ferebat, detraherentur, & quidem sic ferociter, ut avelleretur simul ima pars auris: cùm denique in imam, eámque tetram & horridã specum abjiceretur: Papæ, inquit, quàm frigidũ est vestrum balneum! atque inibi etiam fame obiit. Misereris Iugurthæ? Homo fuit, superbus fuit, meritus fuit. De Deo quid dicis, pectus adamantinum? Puellus iste immortalis est, supremus est, & qui horum nihil meritus, ipse tamen à Virgine se capi, quid dico capi, vinciri & cõstringi se passus est. Primam domum habuit Virginis uterum, egressus inde, sed sine regiâ veste, graveolens & solis feris hospitabile, antrum ingressus, præsepiolo alligatus est. Quis hîc cum Iugurthâ non clamet? Quàm frigidum palatium elegit Deus! palatium dico, quod reverà non fuit nisi fœtens & angusta cavea, in quam humanum scelus damnavit Deum.

§. III. *De Valeriano & Baiasitâ victis.*

VAlerianus Romanorũ seu potiùs orbis terrarum Imperator, quindecim annis felicem sui regni cursum tenuit, tandem & illum regi Persarum Sapori fecit magnis viribus, sed nullâ fortunâ; nam victus & vivus in hostium manus pervenit tantus Imperator. Rex Sapor victoriam reverenter & modestè non habuit, sed ad illum barbarũ supercilium erexit, Valerianum catenis oneravit, sic catenatum ut mancipium circumduxit, & quoties equum conscendit Sapor, toties scabelli vice, tergum præbuit Valerianus, humi reptans ad instar bestiæ, & pedibus calcari se ferens, quod vix ferret bestia. Ingemiscant forsan aliqui ad tantam fortunæ in tantum Imperatorem injuriam? Differte gemitus, aut in Natalem Christi diem omnes conferte. Quod Sapor Valeriano fecit, homo homini fecit, mortalis mortali, victor victo. Majus est mortaliũ scelus in immortalẽ Deum. Ad nos ille venit propter nos, hospitiũ quæsivit, admitti, & ab hieme defendi petiit, audivit nemo, excluserunt omnes. Ergo ad bestias ivit, & semet infra illas pannis constrictum abjecit. Sed quæ sensûs nostri pravitas est? Valeriani sortem miseramur, & pæne illacrymamur; Deum in extremâ egestate cernimus, & ridemus; cùm afficere nos soleat vel hostium calamitas.

Quis Bajasitem illum in caveâ sine doloris sensu aspiciat? Fuit hic Bajasites (uti me Turcici Annales docent) magnus animo & rebus Imperator, & per decem amplius annos variè victor. At cùm mutaret fortuna, magno prælio à Temir-lanco victus est. Atque cùm hi ambo (amicos dixisses, non hostes) pro more gentis Turcicæ, in tapete humi consedissent, voluit Temir Bajasitæ in se animum explorare, atque ideo

in

in hæc verba illum est allocutus: Age mi Bajasites, si A ego in tuâ sim potestate, uti tu jam in meâ, quæso te quid ageres? dic verè & liberè. Fecit Bajasites, & feroci elatóque animo liberrimè subjiciens, Equidem te, inquit, si Numen victoriam annuisset, in ferream caveam inclusum circumduxissem ostentui & irrisui omnibus. Accipio sententiam, inquit Temir, vel à te judice, nec aliam quàm tu in teipsum pronuntio, atque sic ago. Et ad suos, Audite vos, inquit, mox huc ferream caveam ferre pro tam pretiosâ avi; includenda est, ne avolet. Fecit, & infelicè sic inclusit. Triennium ferè ita vixit miser Bajasites, & cùm desperatâ liberatione audivisset in Tartaros se abducendũ, caput validis iteratisque ictibus ferreæ caveæ incussit, & exturbavit indignantem animam. Miserationem ea res habuit & lacrymas, quod tam generosus sanguis tam turpi caveâ clausus, atque per eam etiam sparsus fuisset.

Quid facimus mortales, hominem in caveam, quæ B feris conveniret, conclusum gemimus, Deum in vilissimum gurgustiũ infra feras ab hominibus detrusum videmus, nec sentimus? ubi sensus, ubi lachrymæ? an expectandum, ut nobis bestiæ pietatem præeant, & homines doceant, quid humanum sit? reverà docent, & utinam discant vel ab his saltem Magistris inhumani homines! De Lazari canibus, qui misericordiæ professores egerunt, hîc plura non differo. Illud verò tacendum non est, quod Dei Filium in hunc stabuli carcerem à Patre missum eximiè repræsentat.

§. IV. *De Leone Basilii Imperatoris filio captivo.*

BAsilius Macedo Imperator filium habuit, cui Leo nomen, obedientem & innocentis vitæ juvenem. Sed nemo satis innocens est invidiæ, quæ & hunc Cæsaris filium in grave odium vocavit apud patrem, sed ob aliena, non sua crimina. Pater reum, ut putabat, filiũ dat in vincula. It Leo, uti in cæteris, ita & in C hoc parenti suo parens. Dum est in carcere, innocentiam suam cogitat, gemit frequenter, suspirat crebrò, nonnumquam etiam plorat. Audit hæc omnia non procul in caveâ suspensus psittacus, audita suo tempore feliciter recordatur. Interea Basilius Imperator in patricii cujusdã ædes ad convivium vocatur, & venit. Adsunt & alii non exiguo numero Imperatori familiares. Dum convivium hilaritatem suam explicat, & è taciturnis loquaces reddit convivas, psittacus ille, qui Domini facunda voluptas ad hilarandos convivas aderat, etiam sibi, dum faecerent alii, garriendum censet:

Incipit: affatus etiam, meditatáque verba
Reddit. ———

Inter alia sæpe ingeminat: Leo, Leo, Leo. Obstupefacti convivæ, & Leonis in carcere jacentis recordantur. Et, ô Imperator, exclamat illorum unus, ubi Leo est? reverà hęc avis nobis prudentior. Nos hîc inter epulas D & pocula lętitiâ diffluimus, Leo tuus filius in vinculis mœrore tabescit. Si licet, magne Imperator, rogamus, libera. Rediit hîc patri patris sensus; imperat ergo vinculis exolvi, & ornari veste ac dignitate pristinâ.

Fecit hoc idem hodie, si cogitamus, cælestis Pater. Filium suum, quem verè Leonem, & Leonem de tribu Iuda vocamus; hunc, inquam, suum filium, non ob sua, sed ob aliena & nostra scelera, in hunc stabuli carcerem conjecit, in quo ille non suspiravit tantùm, sed & lacrymavit. Oblita illius videbatur ipsa cælestis aula. Sed ecce binæ pecudes, inter quas hic captivus jacuit, voce gestúque, quo potuerunt, DEVS, DEVS, quasi clamaverunt. Nec continuerunt sese beati Genii, quin toto cœlo effusi Leonem hunc Dei Filium esse, suis cantibus affirmarent. Agnoscísne homo, hominum magistras pecudes.

§. V. *Sapiens victi Gilimiris factum.*

LVbet hîc Gilimeris Vandalorum Regis factũ attexere. Fuit hic Gilimer bellis & victoriis diu clarus, tandem à Belisario Iustiniani Imperatoris duce, pæne omnibus fortunis eversus est. Acie igitur victus in Numidiæ excelsum montem confugit, sed & illic obsidione pressus, & quasi in carcerem cõpactus misit ad ducem Pharam atque sibi *panem, spongiam, & citharam* mitti rogavit. Panem quidem sedandæ fami, spongiam sedandis lacrymis, citharam pacando dolori. Dedit illa Pharas, & mox sese dedidit Gilimer, qui ad Belisariũ deductus nil nisi risit. Desipere eum putabant homines, sed vera hoc fuit sapientia, quâ ille humana omnia ut incerta, nimiumque caduca ridebat. Cúmq; per triumphalem pompam Byzantii ad Iustinianum Imperatorem & Theodoram conjugem in sublimi solio sedentes adduceretur, hoc solum effatus est: *Vanitas vanitatum, & omnia vanitas.* Depictũ videtis in Gilimere totum humanum genus. An non obsidebamur ab acherontico duce, summo inferorũ monarchâ? an non passim multa hominum millia in flammeos carceres detrudebãtur? Misertus est Deus, & quę ipsius bonitas fuit, non rogatus huic malo succurrit, misitque obsessis panem, spongiam, citharam. Panem quidem illum, qui in Bethlehemiticâ specu proponitur, Christus Servator noster. Et rectè quidẽ Bethlehemum Panis domum interpretantur. Sed & spongia cum hoc pane est, Præsepe fœno & panniculis instratũ, quibus siccenus humentes oculos. Sed neque cithara deest, cantantes in aëre, & omnem citharæ harmoniam superantes cælites. Superest, ut & Gilimerem sequamur, & heroicâ voce clamemus: *Vanitas vanitatum, & omnia vanitas.* Sed num sic quiescendum? neque in illum ducem, qui nos tam gravi obsidione pressit, arma movenda sunt, imò verò sunt, & quidem hoc ipso Principe & belli duce, qui hodie in cunarum ergastulo lineis vinculis nexus lacrymatur. Tu infantem, dicat aliquis, militiæ præficis, & puellum in cunis vagientem exercitûs ductorem constituis? Quæ dixi, non excusabo. Sed audi, præsertim, qui negas ab infante regi posse exercitum.

Lipsii monita politica, l. 2. c. 14.

§. VI. *Dux infans in cunis exercitum regit.*

ANno à salute millesimo centesimo supra quadragesimum quartum Godefridus tertius Dux erat Brabantiæ, sed qui in primâ infantiâ, & ordientis vitæ annum nondum esset egressus. Accedit ea res veteri in hostem, & spes animósque ingentes addidit Bertutiorum genti, cum quâ infantis illius patri avóque bellum fuerat, & septemdecim justa prælia. Hostes itaque grandes copias in aciem educunt, & gentem sine duce vel cum duce infante facilè opprimendam censent. Lovanienses, quorum res tum potissimùm agebatur, ante omnia novum Principem, quamvis infantem, in paterno solio locant, & fidem ei popularium obstringunt: quo facto accingunt se ad bellum, in propinquo castra metantur, & cùm hostis etiam per fetiales de agnoscendo Principe monitus ferociter reclamaret, in sequentem diem pugnam denuntiant. Sed quis pugnæ dux & moderator? ille ipse infans. At quomodo in acie stetit, qui adhuc in cunis jacuit, aut quomodo militem hortari potuit, qui necdum loqui? Hortatus est, & efficaciùs quàm ullus oratorum, sed hoc modo. Consilium fuit generosi viri, puerum illum illuc deferri, & animandis militibus ostentari; quod sanè factum est. Nam infans in cunis allatus, & ad salicem arborem suspensus est. Neque ulla concio hoc aspectu miserabilis infantis potuit esse facundior. Conjecit huc universus miles oculos, manu qui potuerunt, tetigerunt; omnes ut Numen suum Principem venerati,

Lipsii Lovanium, l. 2. c. 9.

rati inflammatis animis in hostem iverunt. Magna pugna, magna cædes fuit, & pro omnibus ducibus dux infans. Et cùm certantium animi ceciderunt, vagitus pueri erexit; cùm non pauci fugere cœperunt, infantis aspectus coërcuit; cùm hostes nimiùm invaluerunt, muta hæc exhortatio repressit. Denique qui pro infante pugnarunt, vi viceruit, ex hostibus pleroſque omnes duces ceperunt, aut ceciderunt, atque reliquâ vulgi cæde sic purpuraverunt fluvium Zennam, ut eo die fluxerit cruentus. Ergóne tantum potuit infans, in quo solus ducum sanguis tam multo sanguine defensus est; Ergóne tantum potuerunt aspectę in pugnâ cunæ? Aspicite, oro alias cunas, alium ostendo puerum. En Deum, sed infantem; en infantem, sed militiæ nostræ ducem. Ad pugnam nascimur, quicumque nascimur ad vitam, & vivere non vult, qui non vult pugnare. Nemo ergo pedem referat, nemo trepidet: Dux noster schema quidem gerit infantis, sed gigantes sternit: plorat in stabulo, at in cælo tonat: dormit in sinu Virginis, at pro omnibus pervigilat: in vinculis suspirat, at servos omnes in libertatem vendicat. Audite servi, audite quicumque non verè liberi, cum Senecâ magnâ voce clamo: *Non potest gratis constare libertas.* Hanc si magno æstimas, omnia parvo sunt æstimanda.

§. VII. *Bernardi Clarævallensis eximius in hunc Ducem affectus.*

Dan. c. 7. vers. 10. Fulgent. ser. mon. 5. de Epiph. an. sub initium.

REverà noster hic infans divinus, exercituum est Dominus, cui *decies millies centena millia* ad omnẽ nutum parent. Hic ille est, ad beati Fulgentii phrasin, qui portatur ut parvulus, adoratur ut Deus; parvulus in præsepio, immensus in cælo; vilis in pannis, pretiosus in stellis; pauper & dives, humilis & sublimis; Rex Iudæorum, sed idem Creator & Dominus Angelorum. Archelaus Herodis filius natus est in palatio, Christus in stabulo; Archelaus natus, in lecto est positus; Christus in præsepio reclinatus; & tamen ille contemnitur, iste quæritur; ille vix nominatur, iste inventus adoratur.

Guilielmus Abbas in vitâ Bern. l. 1. c. 2.

Bernardus Clarævallensis etiamnum puer gravi capitis dolore dejectus fuerat in lectum. Mox adfuit anus, quæ incantationibus & carminibus dolorem pellerè professa est. Vbi hoc agi sensit nobilissimus puer, acerbè indignatus præcantatricẽ mulierculam & voce & manu à se rejecit. Nec defuit auxiliatrix è cælo dextera. Nam continuò dolor remisit, adolescentulus è lecto abiit. Et opportunè aderat nox Nascentis Christi, quam nemo non pervigilio veneratur. Bernardus dum sedet, & horam divini officii operitur, in somnum solvitur. Hic illi cælestis puer veluti recèns natus spectandum sese obtulit in quiete. Persuasum semper habuit Bernardus eam fuisse horam, quâ Christus Lux orbis in lucem est editus. Hinc in Bernardo ingens semper & suavissimus affectus arsit ad istud Christi Nati arcanũ. Hinc nobilissimum illud scriptum tam ordine, quàm dignitate inter cetera ferè primum, quo missi ad Virginẽ Salvatoris Angeli, & partûs divini mysterium eruditè ac eleganter edisseruit. Et quotiescumque de Nascente Christo loquendum, quod facilè curiosus lector observaverit, Bernardo ad eam dictionem sensus profundior, affectus calentior, sermo fluit copiosior. Verbum infans & mutum facit disertos.

Bernardo ingens semper arsit affectus ad Christi Nati arcanum.

CAPVT VIII.

Poëma natalitium.

HÎc interjungo, mi Lector, industriæ tuæ recreandæ (idem facturus sum infrà) ad legendi tædium numeris & modulis mulcendum. Eodẽ cantu surgentis & in cælum redeuntis Christi gloriam seu gloriæ causſam prosequemur. Nunc ergo carmen natalatium inter opiliones, ruri, pennâ facili ac minimè operosâ natum voce præco. Si lubet, mitte tristiores curas, & accine.

INFANTIS DEI DIVINITAS ASSERTA, ET DEFLETA STAEVLI INCOMMODA.

I.

Infantis audes Numinis,
Infans poëta, cunas
Inerudito carminis
Choragio movere.
Apollinis facundia
Ipsius obticescit.
Tripus silet; tu perfrica
Frontem fidesque tenta.

II.

Quid ala stridat Pegasi,
Si plaudat Angelorum?
Ludunt Choraulæ Cælites
Diviniore Musâ,
Carmenque pangunt dulcius,
Et dignius Chorago.
Argutias Luscinias
Cave, Cicada, turbes.

III.

Remitto chordas; impetum
Castigo prurientem.
Relego sub Parnassides
Musam lateuter umbras.
Fons ungulæ siccatus est,
Cessa, Thalia, cessa.
Laudas silendo plenius,
Et eloquens tacendo.

IV.

Sed en puellus aureo
Vt osculo renidet;
Et hæsitantem pergere
Hortatur ultrò patrem;
Mugire si fas bobus est,
Rugire fas asello,
Adhinnientis Pegasi
Quo jure jura damnem?

V.

Resumo chordas; impetum,
Quem presseram, relaxo.
Redire Musas impero,
Et explicare monstra.
Quibus scatent Bethlehemici
Tuguri ruina.
Nec Bactra fœcunda sunt,
Nec Indus, aut Canopus.

VI.

En mutus iste Pusio
Fletu modò disertus,
Verbo creavit æthera,
Solum salùmque verbo.
Tantillus iste Pusio,
Quem metiaris ulnâ,
Hic implet orbem, quantus est,
Et sustinet ruentem.

VII.

Quam ponè cernis, Mater est,
Et est pudore salvo.
Enititur, nec ingemit,
Matrémque damnat Evam,
Cujus statuta noxiæ
Lex ista sit doloris:
Cui debeant purpuræ
Vectigal hoc laboris.

VIII.

Cùm prima lucis munera
Fons ipse lucis hausit,
Vt illa ter beata Lux
Illustrior micaret,
Grandi refulsit sidere
Et insolente cælum,
A Delio quòd alterum
Ægrè gradum teneret.

IX.

Vt ergo sol hanc tempori
Audientiam refrenet,
In intimis sacraria
Quæ condidêre gazis,
Promit, diémque currui
Dispensat universum,
Tribúsque splendet orbibus,
Tunc luna nulla luxit.

Historia de triplici ab Augusto sole viso.

X.

Fontes resudant Pallade,
Tuis, Latine, campis,
Currente retrò Tyberi
Et adstupente Româ.
Miri quid istud ominis?
Quis explicabit augur?
Hæremus; augur deficit.
Interpretare Cælum.

Poëtarum more loquimur.

XI.

Audimur; astris labitur
Demissa vox ad aures:
Estote macti gaudiis,
Enubilate frontem,
Ambos per orbes incola;
Pax alma, certa, constans
Redibit, & tot cladibus
Mersum levabit orbem.

XII.

Nunc hisce, nunc, gens impia,
Illude Numen Infans.
Hic Numen est, hic noster est,
Hic orbis architectus;
Cui muta parent sidera,
Et cui canora parent,
Qui solus afflictissimis
Vna est medela rebus.

Angeli.

XIII.

His clausa salve Numinis
Angustiis potestas!
Finita parvo limite
O amplitudo salve!
Vix orbis imples angulum
Cùm sis vel orbe major.
Plorare quamvis audiam,
Credo tonare, credo.

XIV.

Ceu mutus etsi contices,
Infantiâ ligatus,
Nego tamen disertius
Facundiúsque VERBVM
Efferre posse sidera,
Efferre posse terram;
Imò profari sidera,
Nego, solúmque posse.

XV.

Sed numquid hæc Divinitas
Vastâ latere rupe,
Extorris urbe debuit,
Tuáque, David, urbe?
Homo pellit; antrum suscipit,
Inserviente Tauro.
Homo istud, ille marmor est;
Obbrutuit Magister.

XVI.

Qui nubibus, qui Seraphim
Assuevit incubare,
Ille, ille (qualem culcitram!)
Fœni premit pugillum.
Culmis maligne tectus est,
Lacertuli rigescunt.
Tu nempe spica totus es;
Exspirat ergo culmus.

XVII.

Illi in paterno iaspides
Palatio virebant;
Illi rubebant ignei
Bracteis pyropi;
Quacumque gressus fixerat,
Flos emicabat auri.
Et scilicet superbiit,
Quòd atteri daretur.

XVIII.

Vestram, Beata Mænia,
Vestram fidem Coloni!
Vbi nunc virent iaspides?
Vbi nunc pyropus ardet?
Ostrúmve vultum verberat?
Gemmæve, bracteæve?
ADAMANTE *solo plenus est*
Hic, quò migravit, orbis.

XIX.

Aulæa nulla vestiunt
Hoc exulis cubile.
Quàm quæ suis ex ilibus
Eviscerant arachnæ.
Sabæa messis, fimus est;
Silex acuta, gemmæ.
Lutum premunt vestigia,
Vertúntque mox in aurum.

XX.

Quamquam quid aurum quærimus,
Gemmásque, bracteásque?
Puellus ipse totus est,
Est ipse totus aurum.
Quòd si solutus fasciis
Implet sinum MARIÆ,
Hem gemma gemmis carior
Ex anulo nitescit.

XXI.

Et fasciis constringitur
Pavendus ille Samson;
Vincitur illa dextera,
Dextra illa fulminatrix;
Implenda nullis ignibus,
Sed oculis beanda:
Hæc sunt amoris fulmina;
His fulgurabit Infans.

Iudic. c. 16. vers. 21.

XXII.

Nimbos ciere frigidos
Duos potens per axes,
Nunc ecce nimbos igneos
Duos ciet per orbes.
Ruunt calentes lacrymæ,
Et perpluunt jacentem.
Hîc una gutta marmora
Cavare dura possit.

XXIII.

Nempe ut Decembres arceat,
Fluit calente guttâ.
Crudele frigus, perfidum!
Crudelis aura, vecors!
Et vos malorum barbarum
Exaggeratis agmen?

O digne

O digna vestri carcere,
Gens turbulenta, Regis.

XXIV.

Vos astra saltem parcite,
Vestrum fovete solem!
Saturne, sidus tempera,
Acrem remitte brumam!
Æternus hostis audies
Infantiæ immerentis?
Quis aureum te prædicet?
Et ferro & ære constas.

XXV.

Nil vota possunt supplicis,
Nil commoventur astra.
Plorare perstat algidus
Rigere perstat Infans:
Quin addimus nos lacrymas,
Confundimúsque fletum.
Has præ Neronis balneis
Thermas probabit Infans.

XXVI.

Vt lectulus sit mollior,
Prætexo corda fœno.
Prætexo membra singula,
Nam sunt & ipsa FOENVM.
Quid molior? tam duriter
Cogam cubare Numen?
Ignosce, quamvis marmor est,
Emollies premendo.

XXVII.

Tu lingua præbe culcitrum,
Modestiam professa.
Nullo cubabit rectiùs
VERBVM *Patris torali.*
Hoc fæta VERBO, *Tullii*
Demosthenisq; suadam
Quanti relinques passibus,
Quanto gradu præibis?

XXVIII.

Evolve, Mater, fascias;
Agent vicem lacerti.
His lævæ, & illud dexteræ
Ebur ligabo vinclis.
Nec ipse tentet rumpere,
Nec me sinente possit.
Adamantinis est Charitas
Robustior catenis.

XXIX.

Ahena si quem criminum
Catasta compedivit,
Huc advola, dum Numinis
Inermis ira parcit.
Ligatus est; jam fulmina
Nescit trisulca ferre.
Nunc advola severior
Super iridem sedebit.

XXX.

Huc serve nummi sordidi,
Huc esuritor auri.
Hic æra fulva cautibus,
Hic condidit fodinis.
Hic omnium nunc indiget,
Arente tectus herbâ.
Sed dormit herbas incubans;
Tu quando conquiescis?

XXXI.

Huc qui tumenti vertice
Contingis astra, Thraso,
Quem purpuræ, quem murices,
Quem tota regna velant.
Qui nudus hîc abjectus est,
Rex est, & Alpha Regum.
Si tu ruborem devoras,
Bis erubescet ostrum.

XXXII.

Huc uncte leno, sordibus
Ne terreas caprinis.
Suadebo scitus arbiter,
Quos ardeas amores.
Iube valere Cypridem,
Est dignior MARIA;
Iube valere filium,
Est dignior MARIÆ.

XXXIII.

Huc quisquis alti pectoris,
Qui Christianus audis:
Qui porrigis te latiùs,
Quàm vita porrigatur:
Hinc disce mores fingere,
Implere nomen ingens.
Quid expetas, quid oderis,
Mutus docebit Infans.

Ita canimus, seu potiùs gemimus nos ex infimâ plebe musici, rauci & sordidi mendiculi. Longè suaviùs cantant beati cælites, quorum cælestem harmoniam in hunc locum studio sepositam capite sequenti exequemur.

CAPVT IX.

De Angelorum ad Christi Nascentis cunas cælesti symphoniâ.

ELISÆVS Vates, quod Regum Volumina testantur, non antè vaticinari orsus est, quàm psaltes fuisset adductus. Christus Servator orbis non priùs à pastoribus vult salutari, quàm cæli Psaltæ in aëre cœperint modulari. Salomone Rege dicto, quod iidē codices memoriæ produnt, **ascendit universa multitudo post eum, & populus canentium tibiis, & lætantium gaudio magno: & insonuit terra à clamore eorum.* Pacifico Salomone nostro in lucem edito Angelorum universa multitudo descendit, summū gaudium testata novis cantibus, quibus demum orbis totus personuit. Iobus interrogans, *Concentum cæli*, ait, *quis dormire faciet?* Pervigiles omnino sunt cęlestes hi aulœdi, qui nocte sacrâ suis modulis aërem permulserunt. De hac cælitum harmoniâ dignissimum est uberiùs disserere. Hîc nemo me fusiorem culpet. Quod res est, fateor, Musicam amo.

4. Reg. 13. vers. 15. Cantus Angelorū præcessit salutationem pastorū in Christi Nativitate.

* 3. Reg. 22. vers. 40.

Iob. 1. 38. vers. 37.

§. I. *De Cantico Angelorum, Gloria in altissimis* DEO.

ET *subitò*, ait beatus Lucas, *facta est cum Angelo multitudo militiæ cælestis laudantium Deum.* Vti probabilissimum est omnes omnino Angelos cum Christo ad supremum judicium descensuros: ita prorsus credibile, omnes beatas mentes in terram sese demisisse ad sui regis cunabula, ita quidem ut nullus cælestiū animorum (quod Alphonsus Salmeron docet) in cælo tunc remanserit, tamquam universi suum regem cominus adoraturi ad dictam legem: *Adorent eum omnes Angeli.* Videntur boni genii erubuisse cælum habitare, conditore in terrā sponte abjecto. Adfuerunt igitur suo Principi obsequia sua delaturi, sacramento dicturi & in leges juraturi. Quòd Angeli laudaverint Deum, suo nos, inquit Beda, instruunt exemplo. Illi autem ad pastores misso tabellario sese cælestis exercitus adjunxit, ne unius parva videretur auctoritas, & ut fidē, prout Ambros. loquitur, divina curia adstrueret; & ne paupertate Christi offenderentur pastores. Rectè autem exercitus Angelorū Deum sabaoth, Dominū exercituum laudavit. Militiam vocat

Luc. c. 2. vers. 13. Omnes Angeli sese in terram dimiserunt ad regis sui cunabula.

Psal. 96. vers. 7.

B. Lu-

Cur B. Lucas hanc multitudinem Angelorum vocat milizian.

B. Lucas hanc multitudinē, propter ordinem, fortitudinē, majestatem, quę est in his cęli legionibus. Deinde Christus venerat, ut bellum capesseret, & illum fortem armatum fortior ipse vinceret. Atque uti militiæ cōplures sunt manipuli, centuriæ, cohortes, copię, legiones; ita & multitudo Angelorum non ex hic-rarchiā aut ordine uno convenerat. Verosimile autem est illos Angelorum exercitus tum demum post expositum pastoribus nuntium advolasse, nec auditos tantùm esse, sed & visos.

Luc. c. 2. v. 14. Græci & Syri legunt: In terrā pax: in hominibus bona voluntas, hoc est, beneplacitum & beneficentia Dei.

Divinum Angelorum melos fuit: *Gloria in altissimis Deo, & in terrā pax hominibus bonæ voluntatis.* Hīc Angeli, more salutandi Hebræo, pacis nomine, omnem salutem & prosperitatem imprecantur, & quidem iis hominibus, qui bonā habent voluntatem. * Cùm intercælum & terram diuturnum bellum arserit, id demum pace per nuptias inter Verbum & Humanitatem stabilitā sublatum est. Quid mirum ab Angelis præconibus pacem proclamari turbidis & iracundis hominibus, cùm ille toties læsus, támque graviter offensus Deus ad pedes nostros jaceat, & pacem quasi supplex offerat, imò lacrymans petat, paratus luere omnia, quæ à nobis offenso Numini deberentur. Pax igitur sit hominibus illis qui vel propensam habent voluntatem ad divinam hanc pacem & misericordiā amplectendam, vel quos optimus Deus ad æternam vitam electos bonā prosequitur voluntate. Triplex olim discordia vigebat: gravissima omnium inter Deum & homines: altera inter Angelos & homines: tertia inter ipsosmet homines. Pax igitur terræ restituta, has inimicitias omnes sopivit. Pax ista jure meritissimo Domini pax appellanda. Quod nomen Gedeonis altari inditum. Nam *ædificavit ibi Gedeon altare Domino, vocavitque illud Dominipax usq; in præsentem diem.*

* Belli inter cælum & terram pernicarnationem Verbi sublatum est.

Triplex olim discordia vigebat.

Judic. c. 6. vers. 24.

Huic paci certatim prisci Patres applaudunt. Beatus Maximus, *Si tibi, ait, panni vilescunt, Angelos collaudantes admirare; si credis vilia, crede & mirifica.* Aureus Orator Chrysostomus, *Olim, inquit, Angeli ad puniendum mittebantur, nunc canunt, & gratias agunt.* Gregorius Magnus Pontifex Summus de his Angelis dixit: *Gaudent jam numerum impleri.* Idem pæne pronuntiavit Origenes: *Gaudent venisse medicum, qui præster quod ipsi non poterant.* Et D. Cyrillus, *Pax, inquit, per Christum facta, qui nos Deo reconciliavit, duósque populos in unum pacificavit; cælicolas & terrenos in unum gregem composuit.*

De pace piscorum Patrum applausus.

Luc. c. 2. vers. 15.

Et factum est, ut discesserunt ab eis Angeli in cælum. Quis ambigat cantantes, & divinam bonitatem laudantes in cælum esse reversos? Redierunt autem tamquam abeundi veniā à suo Domino concessā, nam Dominus ipse diutiùs in hac laboris & doloris valle decreverat hærere. Ita subinde comiter & perhumaniter Principes agunt, qui à palatino comitatu ad pauperis alicujus ædes deducti, redire jubent omne famulitium aulicum, ipsi soli cum amico paupere mansuri. Sed erigamus dictionem aliquantulum: volemus & cantemus cum beatis mentibus.

§. II. *Gaudia inter mœrores; cantus inter lacrymas.*

HOc tandē die, seu potiùs hoc elapsę noctis meridie, tellus vario scelere deformis, & cælum factioso cive vacuum, lætari, illa formā aliam, hoc alios cives sperare cœpit. Natus nobis est Princeps, natus Servator. Matrem cœpit habere, qui creavit ipsam Matrem. Omnia novo vultu, novis deliciis perfusa. Iam cœlum terræ amicum gratulatur, terra insolenti plausu remugiens gratulanti cœlo respondet. Sidera diceres loco emota ad festas choreas præeunte Lunā subsultare. Verè hodie

Accensum multo cælum telluris amore,
Conjugis in gremium rorantes impluit imbres;

& adeò largiter, ut mox omnia ridere cœperint. Sed A heu! video quod mihi guttis prægnantes reddat oculos, & certè lacrymas jam parturiunt funebrem partum edituri, ni suffocem. Video lætitiam dolentem, & frigentem flammam. Video oceanum sitientem, copiam indigentem, satietatem esurientem. Video involutum fasciolis Deum. Et cui adeò cornea fibra, cujus oculi tam duri silices, ut ab illis nec guttam exoret, si cernat Deum infantē, uvidis ulis genis vagientem, & tenellis imbribus pluentem, non ex atrato cœlo, sed ex rubicundis oculis? Illum quidem superi ut regem reverentur; sed ubi Scipionis Allobrici argentea vasa? ubi Drusillani Rotundi lanx quingenaria? ubi Persarum Regum vitis aurea? ubi Amyntæ racemi ex unionibus faberrime elaborati? ubi Cyri domus à Memnone candidissimis lapidibus, & auro revinctis extructa? ubi capaces Heliadum crustæ, & inæquales Virronis beryllī? ubi Dionis Syracusani nebulosa syrmata, carbasique textiles venti? O regis nimiam egestatem! palatium illi præbet sordens B caula; pro coccineā gausapā stipula est tristē fodicans; pro lectulo eburneo horridi præsepis fragmenta & cunæ è cespite, pro perdicum plumis palustres cannæ, pro thureis nubibus sæva stabuli mephitis. Sed quid huic supellectili illacrymor? Hīc divitiæ sunt & summæ. Abite lacrymæ; quis enim rex ille tam opulentus, cujus genethlia effusum in terras cœlum cecinerit? Noster hic est, quem non infelix ille populis augurium Cometes, sed novum sidus nuntiat, sidus omni Dionæo astro fulgentius. Noster hic est, quem cælitum phalanges divino carmine toti orbi divulgant. Regius Psaltes cantabat olim: *Laudate Dominum de cælis, laudate eum in excelsis.* Nos jam vertimus & cantamus: Laudate Dominū in stabulis, laudate eum in infimis. Nimirum cogitat Christus maturè inter pecudes assuescere (ne miremini, ô Angeli) progressu ætatis hic ipse Dominus inter bestias esuries, inter latrones mortem oppetet. Sed fas mihi sit, Christe, cunas tuas deserere, ad quas non philologi, sed Philothei vocantur, aut etiam illi, sed ut sint isti: Fas sit, divine Puer, antro egredi & auribus haurire modulantis illius cœtūs suavissimum nectar.

Psal. 148. vers. 1.

Amiterni, uti me docet Iulius Obsequens, Consulibus Romæ Servilio Cæpione & Attilio Sarrano, cùm ex ancillā puer nascereturr, dixit: Ave. Hic dies ille auspicatus est, quo puerum Virgo enixa, quæ se ancillam vocārat, & non erat; & hoc illud AVE est, quod hodie cœlestes genii concinunt dulcissimis modis. Et, ô Deus, quid visum, quid auditum in aëre? Discursu triumphali completur magnum hoc inane, auræ renident serenā facie, audiuntur cantus ultra cuncta vocum oblectamina. Putes canoras aviculas prolectante verno tempore, concentus suaves adsonare. Credas arbores Austrinis laxatas flatibus germine foliorum vestiri, & clementi brachiorum motu dulces strepitus obsibilare. Censeas magno procellarum sedato fragore, ac turbido fluctuum tumore posito mare quietas alluvies temperare, cœlum autem nubiloso squalore rejecto, nudo sudóque luminis proprii splendore candere; ridere, gestire omnia. C D

§. III. *Novi Orphei è cælo legati canunt.*

SI fides fabulis est, Orpheus in silvis cantavit, inter Delphinas Arion. Ille exilio multatus, hic navigio præcipitatus; ille immanium bestrarum delinitor, hic misericordium belluarum oblectator; ambo miserrimi cantores, quia non sponte ad laudem, sed necessariò ad salutem cantārunt. Eos ego impensiùs admirarer, si hominibus potiùs placuissent, quàm bestiis. Et quis hominum satis miretur cælestes illos Orpheos, qui non per solitudinem, sed per aëris amplissimos campos diffuderunt inauditum melos?

Angeli per amplissimos aëris campos inauditū melos diffuderunt.

Eos

Eos Orpheos, hos Arionas cælum misit, audivit terra. Et cui pectus non subsultet, cùm superæ illius aulæ musicos in has valles venisse, & verò etiam cecinisse recordatur? Facessat hinc Thrax ille, qui erebum cantu rupisse, furorem tigridum inhibuisse, Ismaron & Strymonem stitisse, impavidos agnos lupis junxisse fertur. Hodie primùm auditi chordacistæ, qui stygiarum tigridum in nos iram infregerunt, tartarum terrefecerunt, immortalium bonorum fontes laxârunt, diuturnum inter cælites & nos odium extinxerunt. Procul hinc & Thebarum ille conditor, qui cautibus sensus inseruisse, & montes animâsse fertur. Felices illi spiritus mortalium pectora, quæ saxi instar obrigueranr, ad virtutis ardorem animârunt divino modulamine. Non hîc audio Xenocratem organicis numeris furoti medentem: non Eryphilum ægrorum venas rhytmis moderantem: non Thaletem citharæ loquacitate virus pellentem. Alii nobis hodie & musici sunt & medici. Somniavit Pythagoras orbium cælestium admirabilem harmoniam. Somniavit, inquam, non audivit. At si umquam possit defendi Pythagoras, hac die poterit, quâ videri potest stellifer cæli cursus cantasse & ex suâ volubilitate nascentem musicam infudisse opilionum auribus.

Refert Macrobius eumdem Samium Philosophũ perturbationes animi lyrâ composuisse, ejusdémque tirones, seu vocarent somnum, seu pellerent, lyram manibus tentâsse, quò essent pacatiores ad quiescendum, erectiores ad vigilandum & agendum. Servator noster in hanc vitam natus beatos genios cantantes, è vitâ hac denatus, rupes & scopulos ferale quid sonantes habuit. Cùm scilicet cæli musicis ob funus sui Domini non luberet suaviter modulari, lubuit cautibus lugubriter indignari. Et sic nascentem laudârunt Angeli, morientem plorarunt scopuli.

Getæ credunt musicã optatæ pacis esse conciliatricem. Angeli pacem orbi nuntiarunt læto successu.

Getæ, aliæque gentes, si Theopompo credimus, cùm legationes obeunt, & pacem vel impetrare, vel impetratam stabilire cupiunt, citharas increpant erudito consilio. Credunt enim musicam, & rectè, optatæ pacis blandissimam conciliatricem. Servârunt hoc idem superi Regis hydraulæ. Legatos illos cælo demisit Numen (ô tales, talis Dominus ad nos vermiculos!) Legatos, inquam, misit, qui orbi pacem nuntiarent, pacem tot annis exulantem, pacem tot sæculis rogatã, nec impetratam. Sed quî suâ legatione functi sunt hi legati? Præclarissimè, quia suavissimè. Durum erat mortale genus, & ad pacem admittendã asperum. Quid proficerent hi tales Legati apud gentem adeò incultam, adeò barbarã, adeò ferinam? Arte usi sunt, & felici. Odaria prompserunt in cælo cani sueta, & modulatione permulserunt aërem, ut possent animos. Et certè potuerunt, lætosuccessu. Omnia tunc à bellis silebant. Pax summa, & longæ ferri feriæ, & otium armorum erat tranquillissimũ. In vinculis fuit Mars, & furor, & quidquid in Martis truculento comitatu est. Ianus post Vrbis incunabula quintùm clausus conticuit. Et hoc est, quod olim ab Homero canitur, Deos ad tollendas seditiones cantu usos. Seditio erat in toto orbe. Ibatur in Numen impio bello, &, heu nefas! tot scelerum mucrones intentabantur vel ipsi Deo. Bellum passus est, qui inferre debuisset; intulerunt, qui pati. Pax tandẽ post tam impias seditiones restituta beatarum mentium mellifluis odis.

§. IV. *Ad Phalangii morsus sanandos quantùm musica profuerit.*

CLinias Pythagoricus, uti mihi testis Athenæus, & vivendi ratione & moribus difficilior, si quando ab iræ facibus animum flammari deprehendisset, lyram reprehendit, & digitis perterravit. Causam rogantibus, Mitigor, dicebat, & reducor ad tranquillam mentem. Achilles Homericus sæpe, cùm arsit irâ, nervorum sensu ad animi sensum rediit. Et quæ ante Servatoris Natalem inæstuabant irarum & libidinũ incendia? dixisses vitiorum Æthnas & Vesuvios in hominũ animis spirare. Adsunt hodie omnis voculæ mellei modulatores, & suavissimi concentûs temperie turgidos mortales liberant corybantẽo hoc furore. Narrant; & audite rem dignã narratu à magnis scriptoribus. Phalangium, inquit inter alios Iulius Solinus, aranei genus est, quod & tarantulam dicimus, dirum animalculum, tactu pestilens; & si nisum quæras, nulla vis est, si potestatem, ictum hominem veneno interficit. Degit in cavernulis, quas inter segetes ædificat. Atque cùm æstu anni flagrantissimo assiduus Sol campos Apuliæ torret, tum maximè seu afflatu noxio, seu æstu accensa hæc phalangia tam exitiali licentiâ in humanos artus grassantur, ut, quotquot ab hac pestiferâ lue libantur, irrequieti vel canant, vel saliant, vel lacryment, vel delirent, aut tam lethali stupore pressi jaceant, ut membra omnia senescente tabo putescant, & sic animâm extrudant. Huic tamen tantæ pesti reperit pharmacũ humana sollertia. Sed nec aliud nec certius quàm cantum; atque ita cùm quis à tarantulâ læsus jam nec gradi nec fari, nec ullo sensu fungi valet, sed pro functo & morti vicinissimus habetur, mox ubi tibiæ modos audit, miti illo sono demulsus, velut gravi somno excitus, oculos attollit parumper, mox se in pedes erigit, sensim vestigia figit, cantûs tamen lege servatâ. Iámque augescente concentu, quasi firmato iterum animo, in saltus gestúsque, nec indecoros, nec à cytharæ sono dissonos erumpit, atque sic valetudinẽ recipit non sine mirando tripudio. Et quæ illa virulenta sunt phalangia? Extorres cælo spiritus. Prorepserunt illi ex flammeis inferorum cavernis, & in humanam gentem palàm sævierunt. Æstuabat universus orbis, imò ardebat infandorum scelerum flammis. Admordebantur passim ab Acherontícis illis tarantulis innumeri mortales. Et quis tunc à plagâ immunis? & tamen, quod in morbis pessimum, non habebant mali sensum. Edebatur, bibebatur, ludebatur, certabatur quis citiùs, quis graviùs periret. Iacebant homines animi lethargo tacti, & miserè spirabant viva Plutonis funera. Quid multis? Adorabantur inferni lemures, calcabatur verus Deus. Et quæ medela pugnaret contra tot pestilentissimos morsus? Levius videbatur ægrotare, quàm sanari. Salus ipsa servari non posse credebatur. En adest mitissimus Deus; musicos mittit, qui cantent, qui sanent, qui fugent venenum omne, qui nepenthes propinent vocum concentu. Impunè priùs è tartaro collecta sanies in quovis spargebatur. Canunt hodie cælestes animi, & pacem inducunt, infernas tarantulas in spelæa sua sic retrudunt symphoniacâ voce, ut jam ille solùm lædi possit, qui lædi velit. Divine Infans, quas grates referamus pro hoc in nos amore? Vacuasti cælum, ut in terrâ medereris ægris mortalibus. Humanis moribus (ô nimium!) te Deus attemperasti.

Phalangium ictus hominem interficit. Virtus Phalangii medicamen. Daemones in humanam gentem sævientes. Angelici cantus sua spectra retundunt.

§. V. *Flaviani Præsulis nobilis stratagema in Theodosio Imperatore per musicam expugnando.*

REfert Sozomenus, ævo Theodosii Imperatoris Eugenium tam grave bellum movisse, ut Theodosius exhausto ærario, augendis vectigalibus succurrendum putârit. Displicuit hoc Antiochenis, & ausi in ipsum Imperatorem verbis debacchari, manibus in ipsius statuas, quas solo æquârunt. Mox quasi tempestate, sedante iracundiâ, erroris pœnitere, discrimen

men æstimare, temeritatem deplorare, delictum accusare, implorare Numen, lacrymabiles preces ad Imperatoris pedes decantare. Nec ipsis Flavianus ipsorum Præsul defuit, qui omnia agere, omnia tentare, proficisci ad Imperatorem, rogare, nec cessare, precari & deprecari. Sed frustrà & incassùm omnia. Neque jam ampliùs interpellandus videbatur Imperator; qui totus in eo erat, ut atroci pœnâ refractarios vindicaret. Hæsit hîc Præsuli successus, non hæsit consilium. Novum quid molitur; & feliciter. Solebant symphoniaci ephebi ad epulas Cæsari accinere. Hos Flavianus aggreditur, demulcet, rogat & obsecrat, ut Antiochenarum precum carmina ad mensam decantent. Nec illi ad preces surdi abnuunt. Itur ad epulas, discumbitur, cenatur. Eunt & pueri, & quæ docti, canunt, & tam mites sensus Imperatori instillant, ut carchesium, quod fortè tenuit, irrigârit largis lacrymis. Et mox, Cedo, inquit, & veniam concedo Antiochenis. Simili voce videtur Numen hodie suam in nos benevolentiam expositisse. Præliabantur in Deum miselli homunciones, effigiem ipsius fœdabant, gloriam illi debitam negabant. Et quàm jure secutus fuisset ultrò à tergo? sed pepercit bonus Deus, & cantores, quos nos debueramus, ipse misit, ad se quasi placandum, à quibus adeò mitigatus est, ut, dum ipsi cantarent in aëre, ipse ploraret in stabulo. Atque hi sunt illi psaltes, qui gloriam, quam nos iveramus ereptum, regi suo restituunt. *Gloria*, canunt, *in altissimis Deo*. Bene Gloria, & soli Deo. *Ignorant enim*, ut rectè Seneca, *homines gloriæ cupidi, quid illa sit, aut quemadmodum petenda*. Sed quid, ô suavissimi choragi, quid hominibus fiet, an bellum iis expectandum ab eo, quem bello lacessiverunt? an verò pax, an venia speranda est? Verè est. *Et in terrâ*, inquiunt, *pax hominibus bonæ voluntatis*. O dulces, ô solùm audiendos concentus! & tales choraulas aula superorum alit. Et hæc illa est musa cantilenarum, melleis alis prædita; hi illi regis recèns nati tibicines, qui non boum nervos, non ovium intestina, non mortuam buxum digitis sollicitârunt, sed neque pectidem, neque magadem, neque tibiam spiritu animarunt, cælestium tamen modulorum delinimentis mundum universum refocillârunt.

Flavianus multici Antiochenis à Theodosio Imper. veniam impetrat.

Luc. c. 2. vers. 14.

Vide magadem,

§. VI. *Quid demum cælestis Angelorum musica nos doceat.*

Diversos animis affectus, si Cassiodoro credimus, induunt cantores. Et Dorius quidē ad castitatem & prudentiam, Phrygius ad pugnas movet & certamina. Æolius animi tempestates serenat, Lydius curarum procellas dissipat, Iasius mentis veternum excitat. Sed quid ad divinam hanc modulationem seu Æolium simplex, seu Asianum varium, seu Lydium querulum, seu Dorium religiosum, seu Phrygium bellicosum? Nugæ merissimæ, & puerile crepitaculum, omnis humana harmonia cum cælesti collata. Neque miror ego Tyrtæum Lacedæmonum ducem, qui militem suum modulorū gravitate concitum in Messenios immisit & vicit; neque Timotheum Milesium, qui Alexandrum Macedonem Palladio carmine arma sumere, eodémque eadem deponere coëgit; neque Angarem, qui ad Astyagis cōvivium Cyri adventum divinavit; neque Terpandrum Lesbium, qui disjunctos Laconum animos cantu conjunxit. Felices hi quidem ad chorum cicadæ, sed ad superos illos fidicines nihil. Verùm, sunt, puto, imò esse scio, qui cum Antæo Scytarum rege malunt audire hinnientem equum, quàm Ismeniam cantantē. Sunt, inquam, quibus gratius est tinniens voluptatulæ, aut pecuniolæ, aut mulierculæ, aut gloriolæ cymbalum, quàm cantans cælū. Ah! umbras

Diversos animi affectus induunt cantores.

sectamur & somnia, & multa luctamur brevi ævo, & sæpe cum pueris ob mellita crustula gravissimè stomachamur. Attollenda mens est, suspicienda sidera, despicienda terra. Et quæ hęc echeneis tenet? En natus est dux ille, qui cæli præclusas sedes reseret. Sed quàm nobis & ipsi dispares sensus? illi pauperies, nobis opes placent: ille infima, nos affectamus summa; volunt ille contemni, abjici, calcari; & nos progenies è putri luto suspici, prædicari, adorari volumus: illius pertusi panniculi luxum omnē condemnant; at nostra multitia nebulæque lineæ & rasa galbana luxum omnem commendant. Tugurioli latebras elegit orbis architectus, at nostrum supercilium vix aureâ Neronis domo capitur. Et quales ille vernas aluit, & quàm nos clientum centuriis gaudemus? quàm ille voluptatem omnem procul esse jussit, & quàm nos illam recipimus avido amplexu! Heu nimis in diversum abimus! redeundum tandem est, & vel à gramineis illis cunis discendum, odisse mores Deo inimicos. Rectè quidem ad Lucilium Seneca, *Cogita*, inquit, *Deos, cum propitii essent, fictiles fuisse*. Sed rectiùs ego: Cogita Deum, cum summe propitius esset, hominem fuisse, & hominum postremissimum, imò infra hominem ad pecudes abjectum. Quamvis nullus regum tales Philomelas umquam habuerit ad superbissimam mensam, qualis hic noster ad vilissimas cunas. Atque utinam hos cantores æmulemur. Sed nos cum Nerone potiùs Nauplii mala bene canimus, nostra bona malè disponimus. Erratum & exorbitatū satis est; in viam tandem revertamur, & pacem ultrò oblatam, ultrò amplectamur. Sed tum demum veram cum hominibus, imò nobiscum ipsi pacē habebimus, quando cum vitiis nobis bellum erit.

Deo pauperies, homini opes placent.

§. VII. *Divini Francisci circa hæc mysteria singulare studium.*

Hoc bellum assiduè gessit Franciscus Assisias familiæ tam amplæ beatissimus parens. Qui maximo semper affectu ferebatur in Christum Natum, & Angelos Christi Nati musicos. Insigne habuit ea res adjumentum. Triennio antequam vir sanctus naturæ concederet, ut pueri IESV Nati memoriam, quantâ posset veneratione, instauraret, ad castrū Grecii rem oculis subjicere instituit. Atque ut nemo leviter vel temere quid factum suspicaretur, à summo Pontifice ad id instituti veniam rogavit. Eâ obtentâ, ligneum præsepe strui, stipulas & fœnum congeri, asellum & buculum eò duci voluit. Ad rude hoc & paupertinum, sed pium spectaculum magna hominum multitudo confluxit. Personabat silva lætificis vocibus, frequentabatur copiosis luminibus. Stabat vir Dei pietate ac sensu plenus, lachrymis infusus, cælesti gaudio delibutus, & sub re divina Evangelium decantabat. Ut autem non oculis solùm populi, sed & auribus tanti mysterii dulcedo instillaretur, Franciscus de Nascente Christo Rege pauperrimo verba fecit admirando animi ardore. Observatum est, non alio fere nomine Infantem divinissimum à Francisco compellari solitum, quàm quod ei affectus suavior dictabat, Puerum de Bethlehē. Addit Bonaventura, qui hæc memorat, virum nobilem, honesti & veri amantem, Ioannem de Græcio immistum plebi adfuisse, qui sibi visus sit videre formosissimum infantem medio præsepi dormientem, quem Franciscus videatur velle excitare. Ita ille, quem dixi, testis sincerâ fide refert.

S. Francisci erga Christum natū, affectus.

S. Bonav. in vitâ S. Francisci c. 10.

Nimirum bonus Deus vocatu facillimus; *Vbi sunt duo*, inquit, *vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum*. Amat bonitas immensa consortium humanum, si illud amet divinum. *Appropinquemus Deo, & appropinquabit nobis.*

Matth. c. 18. vers. 20.

Iac. c. 4. v. 8.

CAPVT X.

De Nato Christo à Magis quæsito.

NAscentis Christi gloria tum demum cœpit splendescere, cùm astrum Magos ex Oriente ad Pueruli cunas perduxit. De hi Orientis proceribus, eorúmque in Dominum IESVM religione, Theologus Thomas Aquinas tertiâ parte, quæstione trigesimâ sextâ, non tam eleganter & disertè, quod Oratorum est, quàm erudite ac sapienter, quod Theologorum, disserit. Hunc ego viæ ducem, inter ceteros mihi sequendum censui. Atque ut res ordine, quàm potest, clarissimo sub aspectum veniat, tria potissimùm de Magis Christum Natum adorantibus explicanda: *Profectio*, *Veneratio*, *Donatio* Magorum. Singula singulis capitibus exequemur, eo quo cœpimus dicendi genere.

§. I. *Magorum ad Christi Nati cunas profectio.*

Tria admiranda de tribus Magis.
1. Profectio.
2. Submissio & reverentia.
3. Eorum liberalitas.

ADmiranda (quod dixi) verè sunt, quæ de tribus Orientis Dynastis sacri codices loquuntur. Tria tamen potissimùm occurrunt, quæ inter admiranda hæc meritò numeranda. Primum, Profectio illorum, & iter in terram tam remotam. Alterum, Submissio illorum & reverentia in Regem tam ignotum. Tertium, Liberalitas tam larga & conveniens in novam prolem tam admirandam. Primo loco iter illorum se mihi offert. Quid hîc non admirandum? Regio è quâ discesserunt, domus quam quæsiverunt, via quâ iverunt, dux viæ cui adhæserunt: Omnia hæc, inquam, admiranda. Ex Orientis partibus hos Principes venisse luculenter affirmat sacra pagina. Et rectissimè ex Oriente venerunt, quia unde dies nascitur (cum Chrysostomo loquor) inde veræ religionis jubar illustrissimum processit. Hîc illud quæri posse video. Illáne Orientis regio, è quâ hi Triumviri Palæstinam petiverunt, ipsi Palæstinæ vicinior fuerit, an ab eâdem remotior? Quorum quidem hoc alterum longè verosimilius est, si Chrysostomo, Ambrosio, Leoni Pontifici credimus, qui ternos hos Divos, remotioris Orientis incolas, & gentē in longinquis Orientalis plagæ regionibus sitam appellant, imò ex remotissimâ Orientis parte venisse disertè affirmant. Idque sacræ historiæ convenientissimum videtur; ille enim Puer, qui per aërium illum & igneum tabellarium tam dissitas à se gentes ad se accivit, eo clariore signo Hebræam perdiam notavit, quo ex remotiore loco venerabundum agmen ad se pertraxit. Quid enim ad infamiam turpius pediculoso illi deo Herodi, qui ebulliens vermium examen eodem suo, è quo prorumpebant, vivo cadavere pascebat: Huic, inquam, tyranno, & omni Hierosolymitano, sed & Bethlehemitico civi, quid ad ignominiam turpius, quàm illum Regem in suo agro natum, non tantùm non coluisse, sed ne scisse quidem natum esse, nec etiam, quod gravius, scire voluisse, quem tamen extremi Orientis phalanx venerit adoratura? Voluit ergo divinus hic Infans remotissimis populis se regem, cælo testante, natum patefacere, quem nosse recusârunt vicinissimi Israëlitæ. At quæ hæc Orientis regio fuerit, è quâ hi tres Toparchæ profecti sunt, varius sanctorum Patrum sensus est.

Ex quâ Orientis parte hi reges Palæstinâ petiverunt.

§. II. *Ex quâ regione profecti sint Magi.*

ALii è Perside eos producunt, alii è Mesopotamiâ, seu Chaldæâ, vel quia Magorum scita originem sumpserunt à Chaldæis, vel quia Balaam Chaldæus, inter cujus posteros hi tres Magi à quibusdam censentur. Ego (si fas sententiam meam hîc interponere) ex Arabiâ Felice illos ad Christum iter instituisse planissimè persuadeor: & regius quidē Psaltes, reges Arabum dona Christo allaturos, claro satis vaticinio prædixit, cui & magni vatis Isaiæ vox accinit. At verò non ex Arabiâ Desertâ, quæ cultores ignorat, nec ex Petræâ, quæ meridiē spectat, triumviros hos purpuratos venisse, nemini puto non liquere. In eamdem hanc sententiā iverunt olim antiquissimi Scriptorū, Iustinus, Cyrillus, Tertullianus, Cyprianus, quorū iste apertius, Nec multò pòst, inquit, Arabum fines hujus rei notitia penetravit, & incolis Saba præclari stella luminis cæleste Numen novis splendoribus indicavit. Et horum tam magnorum testium auctoritas non sit, ipsa certè donorum ratio id cuivis persuadeat. Arabiam Felicem, auri & aromatum feracem esse, vel ex illo naturæ præcone Plinio discimus, qui solam ferè Arabiam thuris fecundam matrem agnoscit. Quàm ergo hîc conjectare pronum à tribus illis Satrapis, suæ regionis divitias, fulva montium viscera, & fragrantes Arabicarum arborum lacrymas Christo Regi in munus delatas? Et videntur his quasi symbolis tres illi Arabici duces professi, se, suámque terram, suáque omnia in ejus fide & potestate futura, quem dono cultúq; tam supplice fuissent venerati. En sibi iter tam ignotum, tam arduum, tam non amœno cælo ad Hebræi pueruli gramineas cunas susceperunt, opibus & prosapiâ tanti: priùs tamē ab aut. eo illo cæli oratore ad suscipiendum hoc iter persuasi. Atque hîc est, quod non homines tantùm, sed hominum imperatrix natura admiretur & obstupescat. Stellas extra cælum, & terræ tam propinquas in alieno quasi regno, vidit illa numquam. Hoc tandem die leges illa suas non tantùm in pariente Virgine mutatas, sed & in aëre sic splendescente superatas cognovit.

§. III. *De Stellâ profectionis istius duce.*

MIrabatur natura nuper à Virgine prolem, hodie ab aëre stellam inusitato & inaudito partu prodiisse pœne indignatur. Elusa hîc est Astronomorum ars omnis, quæ etsi numeratas sibi tot cæli stellas jactitet, illarum motus designet, ortum obitúmque commonstret, ad hoc tamen unicum astrum infacunda & rudis obmutescit. Enimverò dicat, si id possit, è quâ materie aërea hæc tæda sic rutilat? quis illam per auras deportat, quis motum istum subministrat? num eam è cælo genius aliquis impellit, num aër protrudit? num ipsa se movet? quò tandem, munere suo perfuncta, aufugit? quas deniq; latebras petiit? an per auras evanuit? an in ipsas sese auras transformavit? Hîc ego Augustinum magis audiam, quàm Astrologum. Eximiè hic Doctorum Doctor, *Novam stellam*, inquit, *declaravit Natus, qui antiquum solem obscuravit Occisus. Quid erat illa stella, quæ nec usquam antè inter sidera illuxit, nec postea monstranda permansit? quid erat nisi magnifica lingua cæli, quæ Numinis gloriam narraret, quæ Virginis partum nuntiaret inusitato fulgore.* Ita Hipponensis Pontifex. Verè terra disciplinam tunc ab aëre accepit per hanc directricem flammam tam sacri itineris. Et quàm admirandus fuit motus ac progressus istius è cælo fulgurantis prodromi! Et quomodo se suis illis, quos ducebat, comitibus attemperabat aëreum hoc sidus! Stabant illi? Stabat. Ibant illi? præibat istud. Per montes illi suum agmen erigebant? & hoc sese tollebat altiùs. In valles illi declinabant? & istud sese depressiùs ferebat. Hospitium illi è viâ petebant? eidem pæne & stella succedebat; inde certè non priùs movebat, quàm illi. Quid hic magis mirer, an stellam tam fideliter præeuntem, an co-

an comitatum regium tam obedienter sequentem? Miramur à parvo piscículo ingentem duci cetum, à nigro pumilione maximum terræ pondus gubernari elephantum, funiculo regi camelum, succino trahi aceres, Cæciâ nubes, adamante ferrum. Hæc naturæ miracula sunt. Quæ autem in hoc astro admiranda, supra naturam sunt; quippe naturæ conditor, dum adhuc absconderetur in stabulo, agnoscebatur in cœlo; dum adhuc exiguo detinebatur oppidulo, universo mundo declarabatur; adhuc Matris lambebat ubera, & ab Oriente trahebat Reges per novum hoc sidus omni Dionæo astro fulgentius. En hic ille magnes, hic ille adamas, qui ab ipsis usque surgentis solis quasi cubilibus, ad antrum suum, in quo delitescebat, pertrahebat Arabicum exercitum. Hic ille Pusio, qui camelos & dromedarios regebat per novam illam, quam in aëre suspendebat lampadem.

Admiranda in hac stella, sunt supra naturam.

§. IV. *A stellâ & Magis Hebræam perfidiam esse convictam.*

QVid agitis impii Hebræi? apud vos Christus jam vaticinans loquitur, nec auditur; apud idololatras consicans stella tacet, & persuadet. Indignum facinus! in his ipsis terris hi peregrini Infantem nondum loquentem adoraverunt, in quibus cives & inquilini jam virum miracula edentem fixerunt cruci: illi Deum membris humanis tectum colucrunt, quem illi miraculis clarum interfecerunt: quasi verò plus fuerit nascente illo videre orientem stellam, quàm moriente occidentem & lugentem solem. Quid respondetis parricidæ Hebræi, quos nec submissarum volucrum epulares pluviæ, nec cadentis illius Ambrosiæ quotidiani nimbi, nec aridæ rupis limpidi fonticuli, nec divisum scipione pelagus, nec gemini illi viæ duces columna & nubes, nec ipsius veri Messiæ divina facundia potuit flectere; en, idololatras unica hæc stella Nascentis Domini famula, ad adorandum, quem nuntiabat, natum Dominum permovit. Non miror Sabæam illam Imperatricem ad audiendum Salomonem vestrum venisse; Reges hos ad colendum Infantulũ tantum viæ feciſſe miror, sed nec miror amplius, cùm igneum illum viæ ductorem tam admirandum contemplor. Hîc ego Epiphanium non audio, qui nuntiatam hanc stellã biennio antè fulsisse asserit, quàm stellæ Dominus stabulum illud immigrârit; cùm iter illud, illis præsertim jumentorum adjumentis, intra tredecim dies confici omnino potuerit. Addo, moram omnem longam nimis videri festinantibus, quales hos tres Divos fuisse, pæne certum judico. Ergo non priùs stella illa in aëre est orta, quàm in antro Christus Sol noster; ita ut Servatorem natum proderet ortus sideris, quod quidem in aëre radiabat, sed & radios suos in ipsa regum pectora insinuabat. Et ausim dicere: Largiorem splendorem diffundebat per regum animos, quos collustrabat, quàm per illos aëris campos, quos pererrabat. Occulta vis fuit indubiè, quæ suis sedibus tantos Dynastas excire, per institutum iter regere, ad vilissimum tuguriolum perducere potuit. Perducere tantùm? permovere etiam ut ingrederentur, procumberent, adorarent. Cùm enim aurato syrmate prævolans fax illa casæ culmen intexisset, non potuit illas purpuras summæ paupertatis horror ingressu abarcere, stabat stella, & multâ quasi voce inclamabat: En, hîc est, ô Viri, quem per ardua viarum quæritis; hîc meus Creator habitat. His tenebris abditur, qui mihi meam lucem concessit: hîc humanâ formâ tectus latitat, qui cælum fabricavit, qui creavit omnia; ingredimini, salutate, veneramini, adorate. Disertum te oratorem, dux illustrissime, qui ligatum fasciolis puellum ostendebas, & persuadebas esse Deum; beatos vos ternos principes, qui ad supremi Regis domicilium, non quidem præeuntes vicenos quaternos cum fascibus lictores habuistis; sed ignem istum dignitatis vestræ convenientissimum insigne.

Hæc stella ad adorandum natũ Dominum idololatras permovit.

Non priùs orta in aëre, quam in antro Christus.

Occulta vis ei fuit.

§. V. *Quòd sicut Reges olim & Imperatores ignis, ita stella hæc Orientis Satrapas præcesserit.*

PRincipum olim & Imperatorum Romanorum insignia, lictores, fasces laureati, & si quid præterea tunc receptum distinguendo Principi. Accesserunt sequenti ævo purpura, diadema, ignis, & hic quidem planè ad exemplum regum. Apud Tranquillum Cæsar Capitolium ascendit ad lumina, quadraginta elephantis dextrâ atque sinistrâ lychnuchos gestantibus. Apud Herodianum etiam Commodus Martiæ suæ velut Augustæ, omnes honores, præter ignem tribuit. Apud eumdem Elogabalo & Gordiano ignis de more præfertur; neque tamen hic ignis è carbonibus aut ligno, nec qualis ille apud Horatium prunæ bathillus, sed lampas fuit: & videtur hic mos à Persis traductus, quorum Rex præfatus est ignis. Quàm igitur hîc convenienter omnia. Reges (tales eos fuisse consignatiùs mox dicam) Reges, inquam, ad cunas suas evocavit Rex regum, quippe ni evocationi tam admirandæ insigne quoque regium addiderit? ignem ergo & decoram lampadem his regibus præferri jussit, non à servo aliquo aut mancipio, sed (ut quorumdam Theologorum opinio est) à motore Angelo. O Regum pulcherrime Lucifer, stella natalitia! O fax lucidissima, quæ vel ipsum solem tuo splendore potuisti (si Chrysostomo & Damasceno credimus) etiam superare. Omnium enim astrorum jubar sol suis radiis retundit, tuum unius non potuit: tu unica illa es, quæ extra aliarum legem, mero meridie divisum quasi imperium cum mundi oculo habebas, & fulgebas unà cum sole, imò ad solem ducebas, imò solem ostendebas; sed non illum qui in cœlo lucebat, sed istum qui latebat in stabulo, quem Ioannes Aquila illa pæne sola irretortis oculis potuit intueri. Tu illud, ô jubar cæleste, orbis lumen, quod veterem mundo caliginem detersisti: ab Oriente ad Orientem Magos duxisti, & auctorem lucis in tenebris jacentem ostendisti. Quoties ad id usque ævi, malorum infelix augurium Cometes, vel urbium eversiones, vel regnorum interitus, vel diram famem, sævámque pestem, vel cruenta bella, vel Principum virorum funera portendebat. Tandem astrum illud felicissimum affulsit, quod supremi Monarchæ & Dictatoris, non fatalem, sed natalem diem vel in ultimo Oriente proclamavit. Proni in terram mortales, quid depressos vultus humi figitis? erectos ad sidera tollite, quid umbras sectamini & somnia? quid ævo tam brevi luctamini tam multa? attollite mentem humo, & alta suspicite. Novus per auras ignis scintillat, & Regum anteambulo incedit, ad regia incunabula ducturus. Quid vetat sequi, rerúmque Dominum in infantiâ suâ salutare, quæ nostræ istæ in luxu tam turpi moræ sunt? modum tandem ponite cupidinibus, & originem vestram cogitate, in terrâ frustrà quæritis, quod non priùs in cælo invenitis. Eja tandem placeat, belluis fieri dissimiles, & mentem sordidissimis curis depressam, cum libertate erigere ad novam hanc flammam quæ ducit ad Deum.

Suo splendore solem superavit.

Supremi Monarchæ natalem diem proclamavit.

CAPVT XI.

Quâ veneratione Christum Natum adorârint Magi.

DE Magorum profectione, & profectionis duce disseruimus: nunc porrò dicendum, quâ submissione, quanto in omnes posteros exemplo puerulum, qui nihil divini ultra humanam speciem præferre videbatur, sint venerati, cùm Matthæus dicat:

Matth. c. 2. vers. 11. Et *procidentes adoraverunt eum.*

§. I. *Magos, qui Christum adorârunt, fuisse Reges.*

Trium Magorum admiranda Christi adoratio.

DIximus de Magorum admirandâ profectione, hac tamen longè admirabilior adoratio, quâ vagientem in grabineo lectulo infantiam venerati sunt trés isti sapientissimi Regum. Tres, ajo: neque enim ego glossemation illud audio, quod plures tribus confingit; sed neque Ianseni, aliorúmque opinionē probo, qui Reges fuisse negant. Majoris apud me ponderis est Augustini, Chrysostomi, Theophylacti, Eucherii, Prosperi auctoritas, quàm ut tam facilè illis regios honores ademptum eam. Nam & doctissimus Tertullianus regium nomen illis tribuens, *Magos Reges*, inquit, *ferè habuit Oriens, & Damascus Arabiæ retrò deputabatur, antequam transscripta esset in Syrophœnicem ex distinctione Syriarum, cujus tunc virtutem Christus accepit, accipiendo insignia ejus, aurum scilicet & odores.* Huic sententiæ accedens Arnoldus Carnotensis, *Reges*, ait, *Arabum & Sabâ ab Oriente egressi secuti stellam insoliti luminis, genibus curvatis, & humi defluente purpurâ,* IESVM *nostrum pannosum adorantes venerati sunt.* Quàm non ambiguè illud suum oraculum de tribus his Regibus pronuntiavit Isaïas, qui omnem pæne terram tenebris & caligine operiendam, Hierosolymam verò inusitato nitore collustrandam, divinitus jam olim

Isa. c. 60. vers. 3. prævidens, *Et ambulabunt*, inquit, *gentes in lumine tuo, & Reges in splendore ortûs tui.* Sed & Iessæi Prophetæ carmina à Tharsicis, Sabæis, Arabicis Regibus ferenda munera clarissimè attestantur. Ipsa certè dona, quæ deprompserunt, & thesauri, quos Christo Deo aperuerunt, regios apparatus illos esse æstimandos, conjecturam faciunt probabilissimam. At Herodes, inquies, non eâ pompâ, quæ Reges hospites decuisset, aut excepisse, aut dimisisse exceptos videtur. Sit ita: sit hoc certum, cujus tamen sacram paginam testē non habemus, sint non ut Reges ab Herode habiti; an Herodianâ superbiam nescis, ad quam etiam subitus pavor accessit & trepidatio? Superbiâ inflatus præ se uno neminem agnoscebat Regem, trepidatione turbatus, hospitalem curam non satis curæ habebat; unum illud agitabat animo, quâ ratione regnum sibi stabiliret, recēns natum Regem tolleret; remotos illos Arabiæ Regulos non curabat. Certum est mihi, hos ab Arabiâ Dominos, & tres numero, & dignitate Reges, & rerum scientiâ sapientes, & ideo dictos Magos fuisse.

§. II. *Hos Reges, non fuisse maleficos, sed sapientes Astrologos. Aliquid de Regum palatiis.*

HIc mihi litem intendunt scriptores aliquot duce Origene, cui malefici, & nescio qui præstigiatores hi sancti advenæ visi sunt. Ego Origeni multam salutem dico, & hîc valere jubeo. Licebit mihi cum Anselmo, Leone Pontifice, Isidoro, Cypriano rectiùs sentire, & Anselmi verbis dicere, Non male-

Apud Persas triplex fuit genus Magorum. ficos, sed sapientes Astrologos fuisse; & verbis Epiphanii, spectandorum siderum arte polluisse. Atque si Hieronymum audimus, triplex apud Persas fuit Magorum genus, è quo illorum nonnulli doctrinâ & facundiâ nobilissimi, qui rejectis aliis epularum lautitiis, farinâ solùm & oleo victitârunt. Ex horum secta hos Magos fuisse, incredibile non est. Iure igitur inter admiranda numero; quòd ultimus Oriens diademata sua subjecerit illius Infantuli cunis, quem proximi accolæ ignorârunt; quódque regius sanguis in sordente casulâ illius puelli plantulas lacessierit oculis, quem nemo Bethlæorum civium vel domo dignatus est: & nisi pecudes mutuum præbuissent hospitium, nec tecto quidem à se inclementem brumam excluisset. Et tamen Reges ab ortu subire non verentur hoc ipsum pecudum receptaculum, ante infantem in terram ruere non cunctantur hac ipsâ in casâ, ah quali & quàm malè materiatâ! Aliter certè Reges habitare consueverunt. Cambyses, Xerxes, & Darius, pæne ut Dii habitârunt. Horum alter apud Susam & Ecbatana in fano quodam sacratus nulli temere notitiam sui moris pandebat, sed circumsepiebatur admirabili regiâ, cujus tecta fulgebant eboris nive, argenti luce, flammis ex auro & electri claritate. Lumina verò alia præ aliis erant. Portæ ferratæ, & muri adamantinâ firmitate: ante fores viri fortes, stipatoréque regalium laterum tutelâ pervigili custodiam per vices sortium sustinebant. Innumera divisa officia inter alios, inter quos Aures Regis & Imperatoris Oculi quidam vocabantur: per quæ officiorum genera, Rex ille ab hominibus Deus credebatur, cùm omnia quæcumque ibi gerebantur, à suis illo talibus & Oculis & Auribus discebat. Si talem regiam, talem & comitatum orientales illi Proceres reperissent, adhuc esset quod miraremur, si intueremur Reges ipsa limina ore tam prono salutare, regiis vestigiis sponte tam blanda jactare basia. Et quis jam admirandi modus sit, cùm cernamus in vilissimo tuguriolo ad pauperculi Infantuli pedes, Regum hærere oscula, cùm tamen hîc nihil oculos incurreret, quod Regum vertices infra panniculos illos inclinaret. Humana hîc cernebantur omnia, imò ne vix humana quidem. Lectulus sanè non hominū sed pecudum usui serviebat, & cetera qualia? inquilini regii ne vestigium quidem præ se ferebant; nobiliorum equi sæpe molliùs cubant & pretiosiùs, quàm orbis Monarcha. Equi Caligulæ Cæsaris eburnea præsepia habuerunt: rerum Dominus vix è cespite & cannis paluſtribus stratum impetravit. Scimus quæ ipsorum olim Principum & Regum fuerint domus, quarum vel cellaria populos capiebant; quarum vel columnæ tantùm, seu marmore variæ, seu ære solidæ, exercitus claudebant: jam laquearia vitro & ebore curiosè cavata, columnis aureis fulta, parietes argenteo cælamine intecti, aut massis aureis sōndati, splendore proprio irradiabant, ut diem suum sibi domus faceret, licet nolente sole. Iam in pavimentis pæne gemmæ calcabantur. Vrbem Romam affirmat Plinius, bis totam cinctam domibus principum Caii & Neronis, & hujus quidem (ne quid deesset) fuisse auream. Tuam patientiam terra! monstra hominum & portenta urbes totas, palatia sibi statuunt, auróque ædificant, & cæli architectus & mundi totius opifex vix pauperrimâ casulâ hospitatur, vix in effossæ cavernæ diverticulum recipitur. Ah! quàm disparibus domiciliis homines, & hominum conditor inversantur! En tuguriolum angustū, quod rustica manus virgeâ vinxit crate, oblitum luto, cujus latera algâ & stipulâ clausit, quod in proclive ad imbrium decursus dispositâ fronde texit, ventis & omnibus injuriis cæli pervium. In hoc tam magnifico penetrali inter bestias cum virgunculâ & senę Puer Hebræus habitat.

§. III.

§. III. *Vos Reges nullâ loci aut hominum vilitate ab adorando Christo potuisse absterreri.*

ET quid vos reges, Eoæ gentis gloria, ad hoc antrum, ad hunc Puerum properatis? *Venimus adorare eum.* Adorare hoc tam extremæ paupertatis spectaculum? vos Regem Iudæorum quæritis; quid ad hunc pauperrimum infantulum deflectitis? *Venimus adorare eum.* Itáne? adorare? nihil hîc nec honorandum quidem, nedum adorandum cernitur; si specum neglectissimam ingrediamini, priùs resilietis, quàm adorabitis: & adhuc venisse vos dicitis illum adoratum? *Venimus adorare eum.* At verò lectum illius considerate, quàm humilis, quàm modicè instratus est? nullus hîc torus eburneus, nec picto Campanico tapetio tectus; horridi præsepis fragmenta stipulis fœnóque rigentia malè fovent lacrymantem parvulum. *Nos eum adorare venimus.* Date veniam alienigenæ; in regno non vestro errare vos credo: Regem B inquiritis? ego hîc nihil cerno regii. Non hîc curules sellæ, non ostro auróque ambitiosæ tunicæ, nullæ purpuræ non conchyliata peristromata, non aurati thalami, sed nec ulli clientum greges, famulorum nec unicus. Hic unus est solus cum Matre & sene plorans pusio. *Hunc ipsum adorare venimus.* Sed enim Herodes illum non tantùm non adorat, sed nec natum esse scit; sed neque ullus Bethlehemitarũ, apud quos natus, illum adorat. *Nos eum adorare venimus:* Ignoscite viri, persuaderi non possum Iudæorum Regem in Iudæa præter Herodem omnino neminem, aliquem in Arabiâ sciri: falsus rumor spargi potuit, vera fama non potuit. Non famam audivimus, sed stellam illius vidimus, & *venimus adorare illum.* Illum? sic inclusum antri tenebris, sic involutum linteolis, sic bestiis accubantem? omnes illum pro despectissimo habent, nam omnibus aliis potiùs concessum hospitium quàm illi. *Nos illum adorare ve-* C *nimus.* At revera, si ultimam hujus Infantis egestatem ipsis oculis percipiatis, vereor, ne quem adoraturi veniatis, deseratis contemptum. *Venimus adorare eum*, non contemnere. At forsan ideo adorabitis, quia oculis, quod de Augusto proditur, plenas majestatis scintillas spargit? *Lacrymas.* Fortassis, quia ante annos, ut Crœsi filius, contra naturæ leges loquitur? *Vlorat.* Fortasse ideo hunc illi cultum defertis, quia admirandâ pompâ, uti Græcorum ditissimus Nicias, servorum habet triginta millia? *Binas pecudes.* An quia ad Salomonis exemplum venerandus visitur in aureo tribunali? *Præsepi.* Aut quia ad Neronis normam, domum auream habitat? *Stabulum.* Aut ad formam à Semiramide acceptam, pensiles hortos? *Speluncam.* Fortassis ideo veneramini, quia se tegit, uti Darius, unionibus & gemmis? *Centunulis.* Vel quia adorandum se præbet, uti Persarum reges, inter pretiosissima unguenta? *Fœtores.* Fortassis miracula exploratum veniatis & visum puerulum, in cujus ore canat luscinia, ut in Stesichori fertur cecinisse: aut spectaturi infantem, quem apes alant ut Hieronem; aut lupa, ut Romulum & Remum; aut quem canis nutriat, ut Cyrum; aut quem cerva, ut Telephum; aut quem ursa, ut Paridem. Facessant hinc, qui talia vel falsa, vel sola naturæ quærunt miracula, non hos altores aut altrices hæc domus habet, hîc inopis Matris ubera ducit ignotus Puer. Quid ergo in hoc, quod adoratione sit dignum, cernitis? *Id quod non cernitur.* Hoc est, ô sancti Heroës! quod dignum omni cultu, hîc omnium miraculorum maximum est miraculum. Non canis, aut cerva, aut ferarum alia homini ubera sua admovet, & nutricem agit. In hoc spelæo Virgo sine dolore peperit, & quem peperit, suo lacte jam pascit. Hoc est, quod coli jam A debet, etsi cerni nequeat. O ergo magni, ô admirandi, ô nullis umquam præconiis satis laudandi Reges! Vos nec Herodis impietas, nec Hebræorum malignitas, nec stabuli sordes, nec paupertatis deformitas, ab adorando eo, cujus sidus vidistis, absterrere potuit. Magna fides sideri habita, eóque major, quo minor oculis. Quæ hæc animi firmitudo, obsecro? Infantem, qui Rex, qui Deus esset, stabuli quærebant, repererunt stabulum, & in eo Infantem; quid facerent? Regem illic esse, Deum esse, primi rerum judices negabant oculi, sensus omnes reclamabant. Nihil illi oculis, nihil sensibus credebant, stellæ omnia, & illi qui per stellam illos allocutus. O sæculi lumina, & veræ religionis auctores, heroës germanissimi! hoc est virum se gerere, obsequenter, constanter agere. Priùs pæne arctam cum Deo amicitiam, quàm notitiam de Deo habuistis. Hoc illud laudatissimũ vestrum obsequium est, quod etsi imperantem Dominum non audierit, vocantem tamen Domini interpretem stellam secutum est. Sic agere solent, qui obedire sciunt, & sese submittere; sic agere nesciunt, qui refragari solent & sese efferre.

Herodis impietas, nec Hebræorum malignitas, nec stabuli sordes tres Reges ab adorando Christo absterrere potuerunt.

§. IV. *Herodis vulpis, flagitiosi doli.*

LONGÈ aliter nequissimus ille Vulpio, & omni Palamede & Euribate fallacior Herodes sese gerebat, adorationem promisit; & gladium acuit in eum ipsum cui promisit; pia oscula pollicitus est, & sicarios disposuit; submissionem spopondit, & sanguinem cædemque cogitavit; placidum vultum exeruit, insidias coxit animo. In fronte serenitas fuit, in mente cruoris maria spumârunt. Ridentibus labris blanditus est, myriadas aliquot scorpionum gessit pectore. *Ite*, ait, *interrogate diligenter de Puero* (egregiè profectò; quasi verò tu tyranne, nullos habeas tabellarios, nisi Reges ab Oriente?) *& cùm inveneritis, renuntiate mihi* (pulchrè factum tuum purgas: quasi tu ab illo tam remotus fueris, ut invenire nequiveris?) *ut & ego veniens adorem eum* (& colloquaris etiam, sed sicut Ioabus cum Abnero: & osculeris etiam, sed sicut idem fratrem suum Amasam, quem osculo simul & gladio petivit.) Bellua impuratissima, quid sibi volunt hæc verborum mella, quibus vipereorum tuorum dentium hastas abscondis? fallere cogitas: sed quos? tres illos tuos hospites potuisti, sed nec hos quidem diu; illum neutiquam fefellisti, in quem omnis hæc fallacia struebatur. Tu quidem vim dolo miscebas, consilia firmabas sævitie; frustra omnia. Regis illius regnum non crudelitate, sed pietate ambiendum est, & tu cædibus atque milite rem agendam putas? Nihil agis. Incassum contra illum exercitus & castra pugnant, cui astra obtemperant ad nutum, cui è cœlo legiones scribuntur. Et fac ista non esse. Quid paras vix nascenti mortem, innocenti fraudem? quid contra D nudum mucrones stringis, contra solum milites educis? quid bellum geris contra cunas, contra ubera telis fulminas, modò haustum lac cruore confusurus. Et quid eos, qui tibi hostes putas, priùs subire vis tumbas, quàm cunas excedere? Audi, rex Herodes, mei consilii est: fatere tuum errorem, & quòd majorem te regem tam tibi vicinum non colueris, culpam tuam esse non nega, sed & jam sequere tuos hospites, & quem tam diu tam facilè ignorare potuisti, difficile ne sit vel jam serò honorare. Adde gressum, & comitare. Sed, Ite, inquis; perinde si dicas: Sequar ego, sed alia, quàm vos munera feram. Vos aurum, ego pro auro ferrum, illúdque strictum; vos thura, ego pugionem pro thure; vos myrrham fertis, pro hac ego ferram mecum adferam, quâ illi infanti somnium conciliem, sed ferreum & æternum. Eu-

ge Tyrannorum coryphæe, Sinonum fallacissime, A nocentissime latronum, quem scelerum maria tota cum Pharaone consepeliverunt; habes quod tibi de posteris & de longissimâ progenie gratuleris; etiam hodie sunt à tali patre Herodes filii, qui obsequium, quod Deo debent, quod spondent, diabolo præstant, docti mentiri vultum, hilarescere fronte, ungulâ ferire; fulgere pectore, linguâ viperare; ore ridere, caudâ vibrare, collo florere, tergo fodicare, vulpes fraudulentissimæ, quas nec ipse Herodes damnet, ut stirpem spuriam.

§. V. *Magorum constantissima religio, & aulicorum mores.*

SEd vos, ô beati Reges, ite tantùm, uti jubet Herodes, ite: etiamsi ille non sequatur, habetis stellam quæ præeat, quæ viam vestram gubernet, quæ ducat, quæ perducat ad ipsam usque domum, in cujus cúmine stans jacentem in cunis Puerum B ostendat. Ite, pii Principes: Regem vobis hactenus ignotum adorate. Hominem aspicietis, Deum adorabitis, nihil hærete, nihil ambigite. Is in præsepiolo positus, intra quem cælum est; stramineo lectulo continetur, quem mundus non capit: ad Nascentis lacrymosam voculâ specus quidem resonat, ad Morientis autem clamorem orbis universus cõtremiscit. Et hic ille Puer est, licèt pauperrimus videatur, qui regna donare & vult, & potest. Hic ille Infans est, cui olim judici omne humanum genus respondebit. Et heu! quale erit tribunal judicantis, cùm plorantis cunabula superbos reges sic territant? Iverunt ergo deserti ab Herode, soli, incomitati: stellam tamen ducem habuerunt, quam dum attenderunt, invenerunt stabulum, nec horruerunt, inventum subierunt, prociderunt, adoraverunt. Hîc mihi adeste palatini vernæ, aularum assectæ, & vel à regibus aulici, & imò vel à vobis ipsis discite, summo Regi C habere debitam reverentiam. Videtis tres istos purpuratos? Hominem viderunt; Deum, quem non viderunt, coluerunt. Vos pæne contrarium subinde facitis. Quos homines esse scitis, fermè ut Deos veneramini. Novus dies novas à vobis ceremonias discit. Aliquem mihi ex delicatioribus aulicis date, & videte, quas delicias non faciat? quomodo nictet, nutet, oscula terat, manibus ludat, poplites torqueat, sæpe pavimentum genibus passus aliquot perreptet, & limbos purpurarum lambat, verenti ore: videte quàm vultu & gestu benignus, quoties manum suam dissuavietur, domini genibus advolvatur, sic gratiâ excidat: neque hæc adeò vitupero aut damno. Iam verò quid in templis? quid Deo? plerosque hos tales gonagrâ hîc laborare credas, adeò genibus parcunt. Poplitem humo allidere, piaculum; genua curvare, nisi illa pulvillus aut simile quid excipiat, nefas. Absque reverentiâ & attentione debita ab aliquibus Deus adoratur. Tolerabilia tamen hæc omnia. At verò cùm Deus adorandus proponitur, cùm preces fundendæ, cùm colloquendum cum Angelorum Rege, quibúsnam hîc moribus, quâ attentione res agitur? Pæne pudet dicere. Sunt qui tantisper, dum mystes finiat, barbam instruant, & in leges reducant: alius socio in aurem garrit ex Hispaniâ, ex Galliis nova; nec desunt, qui oculis omne templum obambulent, animo domum remisso. Et quàm hæc talia, quod pessimum, non erubescimus? adeò in mores jam vitia transierunt. O si tales à seipsis in aulis discerent, quî se gererent in templis! Orientales isti Reges, si talia non erubuerunt in stabulo, quid facturos putem in templo? non purpuratum, non diademate ornatum, non gemmatum, sed ligatum pannis viderunt, & procidentes adoraverunt eum. Absunt lictores, qui ex certo ritu virgâ fores feriant; desunt culcitræ procumbentium genibus substernendæ: pro Sabæis odoribus tetram halat mephitin stabulum: pro parietum aulæis, nativus tophus; pro aureis sedilibus, quibus hi exteri optimates locentur, immunda humus est. Et tamen hoc ipso loco in genua sese Reges abjiciunt, diademata submittunt, manus cælo attendunt, preces sternunt. Infanti supplicant, munera explicant, proni adorant. Quid mirum, olim supplices solo affusos Abrahamum, Lothum, alios? Alia illis objecta fuit facies, majestatis & terroris plena; hæc contrà egestatis & abjectionis. Vel quid mirum, si opiliones illi per cœlestem Legatum moniti Deum intra pannos agnoverunt & coluerunt? Angelos viderunt; sermocinati sunt; per aëra tripudiantes, cantantes audiverunt. Neque illos avertere poterant, aut habitaculi sordes, aut rerum penuria, aut raritas famulorum: illæ jam notæ, hæc propria, ista etiam grata fuerat. Quóque minor apparatus, eò major illis aditus erat. Contrà planè omnia in his optimatibus, quibus tales cunæ numquam visæ, talis egestas inaudita, tanta servorum infrequentia prorsus nova. Et reverà si cogitemus, quàm hæc nimiùm admiranda sunt, & quæ ferè non credenda possint videri. Rex in stabulo, Deus in pannis, orbis restaurator inter bestias, mundi conditor in puellæ sinu. Et nihilominùs procidentes adoraverunt eum Infantem, qui, quod adorandum erat, moribundo corpusculo penitus occultaret. O ergo horum verè sapientum admiranda virtus, quæ stylum omnem vincat, cujus magnitudinem silentio necessum laudare! O & admiranda verè adoratio, sed non sola! dives illa fuit, & in suum Dominum liberalis. Post delatam reverentiam, post curvata genua & allegatas preces, donatio primùm secuta & munera. Atque de his, quæ inter admiranda ultimo loco posui, pauca mihi restant perstringenda.

CAPUT XII.

De Magorum muneribus Christo Infanti oblatis.

EXplicatis profectione & veneratione Magorum, ad eorumdem dona perventum est. De his Matthæus, *Et aperti*, inquit, *thesauris suis obtulerunt Matth. 2. ei munera, aurum, thus, & myrrham.* De parte hac ter- vers. 11. tiâ, uti de prioribus, cum curâ dicemus.

§. I. *Tria munera à singulis oblata; & primò de Myrrhâ.*

DOnum, quod Deo homini oblatum, triplex. Aurum, Thus, Myrrha; neque hæc temeraria sors, aut regionis ingenium dumtaxat Magorum manibus ingesserunt. Copiosum sub his donis mysterium latet, quod tamen hîc evolvere supervacuum, post tot sacrorum Doctorum laudatissimas interpretationes. Illud hoc loco non involvendum silentio: singuline horum optimatum tria munera obtulerint, an eorum quilibet unum solum. Dissensiunculam hîc adverto inter Augustinum & Anselmum, sed levem. Ille à singulis singula, nec ab uno plura uno munere vult oblata: iste contrà à singulis tria censet Christo præsentata. Momenti hæc controversia non est, sed tamen si liceat esse partium, ego potiùs Anselmo (cum veniâ tuâ magne Augustine) accedam, credámque id huic mysterio magis congruere. Nam & singuli (à Numine absque dubio in animo sic edocti) agnoverunt illum, cui se prostraverunt supplices. Et singuli (quid dubitemus?) professi sunt myrrhâ hominem, & sepeliendum; auro Regem, & honorandum; thure Deum, & adorandum. Neque hîc sumptus majores aut expensas obstetisse censeam, quò

Donum Deo hominiblatum triplex. Anselmus censet à singulis singula munera Christo præsentata.

quò minùs hoc ita planè ex decoro fieret. Nam apage, ut in his Regibus ullam tenacitatem, aut sordes cogitemus. Neque mihi muta illa poësis, pictura, contrarium persuadeat. Imò si hinc caussæ pondus accedat, memini ego mihi visam elaboratissimam tabulam, quæ illam divi Anselmi sententiam etiam oculos sine voce doceat. Sed ipsa dona inspiciamus, & primùm Myrrham. Hæc Arabiæ germen est (uti me Plinius docet) multis in locis fertile, nostro junipero, ut aliquorum judicium est, non multùm absimile. Arabes ex myrrhâ (eodem Plinio auctore) non dant portiones Deo, quoniam & apud alios nascitur. Regi tamen Gebanitarum quartas partes ejus pendunt. Rectè myrrhâ felix Arabia submisit Christo, & sese frugiferam ostendit, etiam hoc pretioso frutice. Bis felicem te, Arabia, non solùm raris arborum, sed & inusitatis virtutum fructibus! Tu prima terrarum es, quæ ad tui creatoris cunas fœtus tuos exposuisti, sint aliæ te feliciores fertiliorésque, sint amœniores, te certè nulla fuit gratior. Tu prima tuum opificem agnovisti; prima quod ab illo accepisti, in illum refudisti. Vix in auras mundi architectus prodiit, en & terni Legati advolant ex Arabiâ, qui terræ suæ fecundum ingenium certis symbolis testentur. Quid Palæstina, & in hac Iudæa simile præstitit? Liberalissimus in hanc terram fuit rerum conditor, variâ illam fecunditate dotavit. Adjecit insuper dignitatem maximam; *Nasci* in eâ voluit, voluit in eâ humanam vitam vivere, voluit *mori*. Quid rependit illa Regi in se tam munifico? Nascentem agnoscere recusavit, viventem contumeliis innumeris affecit, morituro vepres & paliuros in diadema obtulit, morienti crucem subministravit. Hæc illa terræ Iudææ retributa munera pro gemino, quid dico gemino, pro infinitis iisque maximis beneficiis, quæ à suo Conditore accepit. Sed ne adeò ut illiberalem traducamus Iudæam, videte hujus terræ delicatam hospitalitatem. Christo Nascenti pecudum domicilium, & hoc etiam ægrè, concessit, morienti latronum cæmeterium assignavit: & sic Christi Nativitas caulæ, mors Golgothæ æquâ portione obvenit. Porrò in his palatiis, lecti quàm molles & electi? fortassis in perdicum plumis, quas Eliogabalus habuit, illù reposuit? Eheu! in stabulo grabatulum è fœno, nimirum præsepe; in monte thalamum è ligno, nempe furcam instruxit hospitalissima Iudæa. O fœdum nefas! casam saltem, in quâ homines habitarent, indulsisset: saltem de palmetis suis plurimis fructûs aliquid pro natalitio munusculo misisset. Neutrum fecit ingratissima: sed nec nosse voluit perfidissima. Ergo remota Arabia suas gazas impertiit; digna posthac quæ suo merito bis *Beata* vocetur & *Odorifera*.

Plin. l. 12. Nat. hist. c. 15.

Arabia prima terrarũ est, quæ ad sui creatoris cunas fœtus suos exposuit.

Iudæa pro beneficiis à creatore acceptis, eum contumeliis affecit.

§. II. *De Auro.*

Aurum est regiũ donum, seu dantem spectes, seu accipientem.

POst myrrham, quæ humando homini debebatur, oblatum est aurum, honorando Regi. Aurum planè regium donum est, seu dantem spectes, sive accipientem. Sacram vel profanam historiam lustrem, hoc munus plerumque donant, aut hoc donantur Principes, Reges, Imperatores. Quæ illa fuit vis auri, quam providentissima Davidis munificentia in unum Hierosolymorum templum, à Salomone profundendam convasaverat, cùm ille suo Salomoni, centum & octo millia talenta auri, argenti verò decies centena & septemdecim millia talenta separâsset: quem auri numerũ ad nostratem calculum revocant doctissimi viri, Hieronymus Pradus, & Baptista Villalpandus suis in Ezechielem commentariis, ajúntque illa tot talenta, Romanâ monetâ fuisse, tricies bis millies, octingenties semel & vicies centena, triginta quatuor millia, viginti quatuor scutatos, ut ipsi loquuntur: Romanos aureos nimirum, milliones auri ter mille ducentos, 8213400024. scutatos auri Romanos. Deus! quis satis capiat hanc planè auream, veréque regiam liberalitatem in unicum templum, cujus ultimum penetrale vix quidquam, præter aurum noverat (cœlum aliquod in terris videri potuit) immensis divitiis coruscans. Salomone jam post patrẽ imperante Palæstinæ tributa superârunt viginti sex milliones auri; ut vectigalia, ut donativa, ut didrachma in singula capita, ut quadraginta millia equorum curulium, duodecim equestrium sileantur. Quid narrem aureas pharetras, quas in eâdem lege priscâ regis Adarezeis servi gestabant. Atabalipa novi orbis rex Carolo Cæsari pro libertate septuaginta milliones auri spopondisse fertur, nec tamen, malo suo fato, libertatem impetrâsse. Reges idololatræ quantum auri in fana sua congesserunt? In Babyloniam Iovis ædem, præter aliquot statuas, mensa, sella, crateres multi, vasa alia pluria, omnia ex puro puto auro, Regum & Dynastarum donis collata. Augustus suo Capitolino Iovi, sedecim millia pondo auri addidit præter gemmas infiniti pretii. Silebo hîc vitem auream Pompeio Magno, Platanum auream, Dario illam ab Aristobulo, hanc à Bithyno donatam. Reges Persarum (ex Athenæo disco) ad caput cubilis regii conclave habebant, & in hoc quinque lectos cum quinque millibus talentûm auri. Atque hoc conclave cervical regium appellatum. E regione hujus alterum erat, in quo tria millia talentûm argenti: atque istud scabellum Regis suppedaneum vocatũ. Taceo Sardanapalum inter mille auri myriadas ardentẽ; Hircanum è Davidico monumento aurum rapientem. Omitto aureos Pompeii atque Titi triumphos; aureum Constantini feretrũ. Sileo coronas aureas Alexandro in nuptiis missas, Romanis funeribus aut triumphis prælatas, cùm in unius funere duo millia coronarum aurearum visa. Non obibo statuas aureas, quæ Romæ in Capitolio, Theatris, Foro, Templis, Palatiis pæne populum faciebant. Constantinopoli Basilius Imperator (teste Ariâ Montano) Turres auro plenas habuit. Et nostro hoc aut paulò superiore ævo quantum auri congesserunt in templa Christiani Reges? Ædes Lauretana satis id fatetur. Neque Ingolstadii Marianum templum aurei Regalis muneris expers. Quæ illa Moguntiæ Christi crucifixi statua aurea sexcentas libras gravis, & gemmis plena? qui sacri calices ponderis maximi, quæ cetera sacrificantis supellex, omnia è solido auro? Atque hæc pleraq; omnia à Regibus donata, accepta, possessa, aut certæ regiæ pompæ luculenta testimonia fuerunt. Cur ergo non etiam à nostris his Regibus Christo Regi donatum sit aurum? Reges enim potiùs auri tutores & dominos dicemus, quàm fabulosos illos grypha. Neq; enim certius nobili iúsque regni regúmque insigne est, quam sceptrum, corona aurea. Quare aurum rectissimè Christo puero donarunt tres nostri sanctissimi Reges, non tam, quò illum ut pauperem solarentur, quàm uti profiterentur verè Regem esse, qualem se & ipse Christus jam flagris cesus, jam rubis redimitus, jam proximus damnationi stans vinctus ante Pontium judicẽ professus est. De auri pondere, quod Parenti Virgini cum Filio à Magis donatum, incertũ est, quidquid affirmetur. Illud certius: non ramenta solùm, pauculásve auri glebulas tam liberalibus dextris porrectum, sed tale pondus quale dari decuit à tantis, iisque tribus Regibus, etsi illud sanctissima Virginis Matris pauertas aut accipere verita, aut acceptum in egenos brevi pòst sit elargita.

Aurum à Magis Christo oblatũ est, ut eum verè Regem esse profiterentur.

§. III. *De Thure.*

DOnarium ultimum, thus fuit, solius Arabiæ, ac ne totius quidem, felix partus. Feruntque à certis tantùm familiis non sine religione has arbores incidi. Atque si Plinio fides est, silva thurea in certas portiones divisa, mutuâ innocentiâ tuta est: nemo inde furatur alteri; nemo saucios arbores custodit.

Thure olim Deos potissimũ cultos probatur.

Thure potissimùm Deos olim cultos, satis id nos doceat vel unus ille rex Macedo, qui ephebus adhuc cùm nimis liberali manu thura focis ingessisset, Leonides pædagogus parsimoniæ memor, tum demum illo modo Diis supplicare eum posse dixit, cùm thuriferas gentes devicisset. Admonitionis & patiens & retinens Alexander, postquam Arabiam suam fecit, thure onustam navem Leonidi misit, simul exhortatus, ut jam largè Deos adoraret. Vniversim non rara olim sacrificia, in quibus thure eóque masculo tribus digitis ex acerra sumpto litatum. Et quamvis thus urendis etiam defunctis adhibitũ, ne sine luxu mors iret, quod Nero princeps fecit, qui, uti periti rerum asseverant, novissimo Poppææ suæ die plus thuris cremavit, quàm ferat annuo fœtu Arabia universa: nihilominùs thura divini cultus certissima fuisse indicia, testantur illa tot Martyrum agmina, quæ ideo trucidata, quia statuis thus adolere recusârunt. Ille à Madaurâ Philosophus de seipso prodit, morem fuisse, ut quoquò iret, Dei alicujus simulacrum inter libellos conditum gestaret, eique diebus festis thure & mero, aliquando victimis supplicaret. Apud Livium thus & vinum publicè præbetur, faciendis sacris. Sabæi è thure decimas partes Deo illi, quem Sabin vocârunt, mensurâ non pondere persolverunt.

Thuris usus in priscâ & novâ lege creberrimus.

Thuris usus in priscâ lege creberrimus, vero Deo colendo. Hinc illa tot argentea, tot aurea thuribula. Neq; thuris odores Numinis honori accensos Christiana templa rejiciunt; testimonio aspectabili, dona hæc odorifera & thureos honores, non idolis, non fictis diis, sed uni veróque Deo deberi. Deinde ut illud Iessæi psaltæ tantò altiùs omnium comprecantium animis infigatur: *Dirigatur oratio mea, sicut incensum in conspectu tuo.* Ita thus aris Christianis admotum, silens exhortatio est ad preces eo animi ardore concipiendas, ut thuris instar petant cœli sublimia.

Psal. 140. vers. 2.

§. IV. *Arabia verè Felix asseritur.*

QVemadmodum autem tres Orientis Satrapæ instituto iter non abripuerunt, etsi vaferrimus Herodes non comitaretur: haud aliter & nostra se gerat Constantia. Cùm Magis progrediamur, tendamus ad præsæpe, perferamus illuc metallum regium myrrham & odores thureos, quamvis non sequatur Herodes: Puerum unà cum Matre veneremur, etsi non imitetur Herodes; porrigamus munera, etsi mortem machinetur Herodes. Sed cum Herode Coryco non luctabor amplius. Cum Plinio hîc mihi res est, qui Felicem quidem appellat Arabiam, fallam tamen & ingratam cognominis, ut quæ hoc accepto superis ferat, cùm plus ex eo inferis debeat. Ignosce Plini, verus hactenus fueris, hac demum luce desinis esse, quâ illa Felix Arabia, & sui cognominis grata, atque veri Dei vera cultrix thesauros suos, neque eos tantùm qui in summo nascuntur, sed etiam illos qui ex imis specubus eruuntur, in auctorem suum largiter effudit. Scis Plini, quid potentes illi ex Arabiâ domini effusissimis studiis fecerint? non phœnicem aliquem, Orientis alitem dono dederunt, sed ipsi potiùs fuerunt terni phœnices, inter tot Dei contemptores cultores rarissimi, imò & magnarum opum largitores, nam & apertis thesauris suis obtulerunt ei munera, aurum, thus & myrrham. Thus & myrrha suaveolentes arborum lacrymæ sunt; aurum pretiosus montiũ sudor. Nato Christo congruenter admodum lacrymas suas offert, suúmque sudorem Arabia, quibus & Christi crebras lacrymas & sudorem etiam sanguineum videtur ominata. Reverà, si omnem Christi vitam attentiùs pensemus, quid illa fuit, nisi perpetuæ quædam lacrymæ, & copiosus sudor labore & dolore vario expressus? Scimus etiam quàm paucos aut quàm nullos hæ lacrymæ moverint. Quos enim illæ Christi extremæ, & sanguine permistæ lacrymæ collacrymantes habuerunt? præter matrem, vix pauculas mulierculas. Pæne omnis Hierosolyma in sibilos & cachinnos effusa Christum lacrymantem ad crucem raptavit, & dum ille expiraret, ausa est ridere illa, saxis & cautibus durior, ingratior civitas. O ergo decenter & per arcanum omen lacrymas etsi jam concretas misit Arabia; perinde ac si diceret: Quia homines, tibi Christe, suas negant lacrymas, en suas tibi fragrantes arbores submministrant, damnántque odorifero suo ploratu, hominum vanissimos risus. Felix iterum Arabia, quæ uti Magdalena flebilem Domini sepulturam unguentis, ita tu lacrymosam ipsius vitam hisce pretiosis guttis præveneristis. Atque hoc numquam fecisses, nisi tales habuisses reges, tales & misisses Legatos, qui majores longè tibi thesauros reportârunt, quàm inde extulerint. Myrrham quidem & aurum atque thus à te acceperunt, sed reddiderunt eas divitias, quibus jam opulentus redditur orbis universus: ea à te sumpserunt, quæ terræ quidem pretiosa sunt & clara; retulerunt verò ea, quæ grata sunt cælo, veri Dei notitiam, cultum, religionem, cælum ipsum.

§. V. *Trium munerum explicatio.*

SVccinctam horum munerum interpretatiuncu-lam attexo. Thus scientiam, myrrha sui victoriam (mortificationem vocant) aurum charitatem Christianam adumbrat.

Thus eruditioni & scientiæ conferimus. Thus in altis & inaccessis rupibus nascitur. Quid magis arduum quàm solida doctrina? Non illa humi serpit, non in imis otii pratis aditur: in alto habitat, spectat sublimia. E thure decimas Deo suo capiebant Sacerdotes Sabæi. Hoc illud est, sine quo nemo umquam rectè tractavit litteras. Nisi è studiis nostris Deo suam partem, eámque optimam assignemus, malè studemus, incassùm laboramus, & in damnum nostrum è litteris ditescimus. Cum Deo communicandi sunt thesauri litterarii. In hunc finem discendum, non ut nobis fama, sed ut Deo major gloria accedat. Hoc fine neglecto, quisquis scientias sibi colligit, in pestem & perniciem suam fatigatur. Rectissimè illi faciunt, qui priùs Deo eruditionem suam sacrant, quàm illam aliis vendant, & antè Dei honorem cogitant, quàm suum. Atque ubi priùs omnium bonorum principio ita litaverint, tum demum suo & aliorum bono, scientiâ quam sibi laboriosè comparârunt, utiliter expendunt. Solidissima inter Christianos scientia est, scire quàm parum aut nihil scias. Scire tantùm, aut sciri velle, summa vanitas. Scientia inflat. *Si quis autem,* inquit Paulus, *se existimat scire aliquid, nondum cognovit, quemadmodum oporteat eum scire. Non enim judicavi me scire aliquid inter vos, nisi* IESVM *Christum, & hunc crucifixum.* O thus odoriferum & selectum! Hoc unum scire, se nihil scire, nisi Dominum IESVM præsæpi alligatum, in cruce suffixum.

Thus eruditioni & scientiæ conferimus. Thus in altis & inaccessis rupibus nascitur. Thus etiam adumbrat.

1. Cor. 8. vers. 2. 1. Cor. 2. vers. 2.

Myrrhæ succus quidquid amatoris habet, salubritate compensat; ulceribus & tabescentibus membris vi-

Myrrha

est ipsa

est ipsa salus. In ipsa etiam cadavera jus illi summum, ut quæ à putredine servat immunia mirandis viribus. Myrrhæ proprium, mederi. Victoria sui, myrrha præstantissima. Vince teipsum, & omnes animi morbos sanâsti. Animum frangere, genium defraudare, cupiditates coërcere, abstrahere se à corpore, acriter sibimet imperare, odisse seipsum acerba sunt & amara in sensum, sed maximæ virtutis, si spectes animi sanitatem, quam vel servant, vel si amissa sit, reparant. Odium sui velut pomum aureum est, quod dentibus præproperis admorsum amaritiem præfert horrendam, sed pulpam continet pretiosam: fraudare genium cibo, potu, somno, aliis rebus cupitis, ohe quàm acerbum est! sed succus latet expetendus. Ex ore Christi res certissima est: *Qui amat animam suam, perdet eam, & qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam.* Quod explicans Gregorius, *Fortasse*, inquit, *laboriosum non est homini relinquere sua, sed valde laboriosum est relinquere seipsum. Minus quippe est abnegare quod habet, valde autem multum est, abnegare quod est.* Odium sui, seu mortificatio, myrrha est ad omnem animi sanitatem summè necessaria. Hinc illa Pauli clausula: * *Mortificate ergo membra vestra, quæ sunt supra terram.*

Aurum obryzum, excoctum, Christiana charitas. Charitatis pretium & leges in verba conferam pauciſſima. Salomonis oraculum est: *Universa delicta operit charitas.* Nemo autem, quod Chrysostomus dixit, potest amare Deum, qui non amaverit proximum, nemo potest amare proximum qui non amaverit Deum. Ama, & omnes Numinis leges servâsti. Indubitatum Pauli scitum est: *Qui diligit proximum, legem implevit. Plenitudo ergo legis est dilectio.* Solidum aurum non uno igne commendatum, vera charitas est. Præcipuam auro gratiam conciliat non tam color, qui sidera æmulatur, quàm quod illi uni rerum nihil igne deperit. Quin imò quò sæpiùs arsit aurum, eò magis proficit ad sanitatem, in incendiis etiam rogisque tutum. Addo alteram & majorem caussam pretii in hoc metallo, quàm minimùm usu deteri, cùm argenti, æris, plumbi deciduâ materiâ manus sordescant. Neque ullum metallum est, quod laxiùs aut numerosiùs dividatur. Illud autem in auro præclarissimum; non rubiginem ullam, non æruginem, non aliud ex ipso esse, quod illius bonitatem consumat, minuátve pondus. Haud aliter vera charitas ignes experitur illæsa, & sine detrimento sui: quò sæpiùs ardet, quò validiùs impetitur, eò mitescit magis, & seipsâ fit melior, non in uno incendio damni secura. *Charitas patiens, benigna est; omnia suffert, omnia sustinet; charitas numquam excidit.* Sed & in altero aurum æmulatur charitas. Illud in plurimas & tenuissimas bracteas nativâ facilitate diducitur, ista intra unum hominem non arctatur, sed diffundit se in plurimos, quibus verbis, factis, manu, marsupio, doctrinâ, exemplo, consiliis, re prodesse satagit. Denique sicut aurum æruginis perdurat expers, ita quæ vera charitas est, livoris & invidiæ nihil umquam admittit. *Charitas non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa, non quærit quæ sua sunt, non irritatur, non cogitat malum.* Hinc illa beatissimi Ephesini senis assidua exhortatio: *Filioli mei, non diligamus verbo neque linguâ, sed opere & veritate. Si quis dixerit, quoniam diligo Deum, & fratrem suum oderit, mendax est. Qui non diligit, manet in morte. Omnis qui odit fratrem suum, homicida est. Filioli, diligite alterutrum; quia præceptum Domini est, & si solum fiat, sufficit.*

Ioan. 12. vers. 25.

Greg. hom. 32. in Euang.

Mortificatio sui ad omnem animi sanitatem necessaria est.

* Ad Col. 3. vers. 5.

Prov. 10. vers. 12.

Ad Ro. c. 13. v. 8. & 10.

Charitas vera quò validiùs impetitur, eò ipsâ fit melior.

1. Cor. c. 13. v. 4. & seqq.

Auri & charitatis mutuæ cõparatio.

Ibid. loc. sit.

Ioan. c. 3. v. 18. & c. 4. vers. 20.

Ibid. c. 3. v. 14. & 15.

1. Ioan. epist. ad Galat.

A'NAKEΦAAAI'ΩΣIΣ
seu
PERORATIO.

EN igitur Nascentis Christi domus stabulum, vestis panni, lectulus præsepe, cibus lac Virginis, supellectilem, ærarium, & familiam præbet paupertas. Hæc altissimo pectore haurienda, hæc grato animo assiduè commeditanda. Gratissimum est divino huic infantulo assiduè nostris cogitationibus interesse. Nascentis & morientis cohortatio memoriâ jugi complectenda sunt. Sciamus hoc Deo acceptissimum, & nobis esse saluberrimum. Hæc Christus affigi vult animo, & cogitatione assiduâ pertractari. Rem prorsus admiranda commemorat scriptor ille fidei ac eruditionis notæ Ludov. Granatensis, Doct. Theologus. Religioni duxerim narrationem tanti viri interpolare. E verbo verbum fideli manu exprimam. Hæc omnino Ludovicus & publicè dixit, & scripto consignavit. Hæ auctoris voces sunt meo calamo non immutandæ. Hinc est, quod piorum hominum plurimi, atque ii præsertim, qui assiduâ vitæ Domini Salvatoris contemplatione, velut spirituali quodam lacte pascuntur, in hoc sacrò præsepi, & in his infantilibus membris & lacrymis contemplandis, miras quotidie delicias experiantur. Hinc de beatâ Margaritâ (cui cognomen est Castello Italiæ urbe, ubi nata atque sepulta fuit) hoc quoque inter miranda virtutum ejus insignia memoratur: quòd frequentissimè in hujus mysterii contemplatione versaretur, maximisque in eo deliciis frueretur. Cùm verò post mortem intestina ab ejus corpore extraherentur (quò cadaver aromatibus conditum propter fidelium devotionem incorruptum asservaretur) ubi cor ejus, ab aâ, quâ pendebat intestinorum parte abscissum fuit, unio insigni magnitudine & pulchritudine non sine ingenti miraculo erupit, in quo velut in tabulâ quâdam Dominicæ Nativitatis imago sculpta erat, eademque virgo genibus flexis ibidem ante dominicum præsepe collocata. Qui quidem unio ad hunc usque diem in sacrario domûs beati Dominici servatur. Hoc enim insigni miraculo voluit Dominus, quàm gratum sibi fuisset hujus virginis obsequium, mortalibus cunctis esse testatum. Quod ideo à me dictum est, ut venerandi hujus mysterii imaginem, non tam margaritis aut tabulis, quàm animis vestris insculperem, quæ vos ad speciosissimi hujus Infantis amorem accendat.

Memoria nativitatis & mortis Christi Deo acceptissima, & nobis saluberrima est.

Ludov. Granat. tom. 1. Concionum, conc. 3. de Nativ. Domin. §. 3. mihi pag. 276. penes hunc auctorẽ jubeo esse fidẽ. Idẽ hoc prodigium narrat Petrus Morales Theol. Doct. l. 1. in cap. 1. Matth. tract. 1. cap. 1. pag. 15. ego in rem ipsam nihil mihi arbitrii sumo. Fidem suam uterq; auctor tuebitur.

Tarda solet magis rebus inesse fides. Sed in his talibus, ratio facti potentia est facientis.

Bernardus ad hunc ipsum amorem inflammandum, *Nasciturus*, inquit, *Dei Filius (cujus in arbitrio erat, quodcumque vellet eligere tempus) eligit quod molestius est præsertim parvulo & pauperis matris filio, quæ vix pannos haberet ad involvendum, præsepe ad reclinandum. Et cùm esset tanta necessitas, nullam audio pellium fieri mentionem. Primus Adam pelliceis vestitur tunicis, secundus pannis obvolvitur. Non est tale judicium Mundi. Aut Christus fallitur, aut mundus errat. Christus, qui falli non potest, elegit quod carni molestius est. Id ergo melius, id utilius, id potius eligendum. Carnis prudentia mors, prudentia sæculi justitia.*

Iam verò etiam nocte voluit nasci. Vbi sunt, qui tam imprudenter ostentare gestiunt semetipsos? Christus eligit, quod salubrius judicat; vos eligitis, quod reprobat ille. Quis prudentior è duobus? Cujus judicium justius? cujus sententia sanior? denique tacet Christus, non se extollit, non magnificat, non prædicat, & ecce annuntiat eum Angelus, laudat multitudo cælestis exercitus. Et tu ergo qui Christum sequeris, inventum absconde thesaurum. Ama nesciri, laudet te os alienum, sileat tuum. Adhuc autem in stabulo nascitur Christus, & in præsepio reclinatur. Et nonne ipse est, qui dicit: Meus est

Bern. ser. 3. in Natali Dom. mihi p. 78. & 79.

Ps. 49. v. 12.

orbis

orbis terræ & plenitudo ejus? *Quid ergo fabulum eligit?* A *Plane ut reprobet gloriam mundi, damnet sæculi vanitatem. Necdum loquitur lingua, & quæcumque de eo sunt, clamant, prædicant, evangelizant. Ipsa quoque infantilia membra non silent. In omnibus mundi judicium arguitur, subvertitur, confutatur.*

1. Joan. c. 5. vers. 4. Hæc est, inquit Ioannes, *victoria, quæ vincit mundum, fides nostra. Quoniam omne, quod natum est ex Deo, vincit mundum.* Quàm facilè mundum vincere, & Deo similem se facere! Te parem Deo pecunia non faciet, Deum in præsepi pauperem cernis. Nitida vestis & prætexta non faciet: Deus nudus est. Fama non faciet, nec ostentatio tui; Deus humilis est; opiliones inter amicos primos admittit. Non servorum turba, non robur & vires, non præstans forma beatum te facere possunt. Nihil horum non patitur vetustatem. Quærendum est ergo, quod non fiat in dies deterius. Quid hoc est? animus: sed rectus, bonus, magnus. Quid aliud voces hunc, quàm Deum in humaB

Senec. ep. 13. no corpore hospitantem? *Hic talis animus tam in mendiculum abjectissimum, quàm in Regem, quàm in Monarcham summum potest cadere. Subsilire in cælum ex angulo licet.* Exige modò, & te quoque dignum finge Deo. Fingas autem non argento, non auro: ex hac materiâ non potest imago similis Deo exprimi. Bonæ voluntatis esto, & imaginẽ Dei, quam geris, jam decorâsti.

Sed antequam ad Appendicem de Christo nato progredimur, Christum à Magis adoratum Epithalamio sacro veneremur.

CARMEN

De Christo in cunis pie desponsato,

seu

SACRUM EPITHALAMIUM

QUOD SULAMITIS, C

sive

ANIMA PIA CECINIT

In nuptiis Speciosi præ filiis hominum cum humanâ naturâ.

I.

GAUDETE *dulces lacrymæ*
Quæcumque sunt amoris:
Venite Divæ Gratiæ
Ad nuptias Sororis:
Accende tædas Hesperе,
Rosásque sparge tectis.
HUMANA Sponso NUMINI
NATURA Sponsa *nupsit.*

II.

Sapient. 18. vers. 14. *Cùm contineret omnia*
Silentium quietum,
Zonâque nox eburnea D
Strinxisset umbilicum:
Luc. c. 1. v. 32. & 33. *Sub Civitatis regiæ*
Bethlemio recessu,
Cæleste Matrimonium
DAVIDIDES *peregit.*

III.

Isa. 11. v. 1. Cant. c. 2. vers. 13. *Iessæa virga floruit,*
Vitisq; germinavit.
Iam dulce vagit Pustio:
Hymenæe dulcis Hymen.
Iam sancta fragrant oscula:
Hymenæe sanctus Hymen.
Hymenæus Hymen ô Hymen
Hymen Hymenæus Hymen.

IV.

Quid hoc novi spectaculi
Nec pòst, nec antè visi?
Partum suum vix edidit
Puella Nazarena:
Mirum! decem retrogradus
SOL *lineis recessit:*
Achaziani gnomonis
Quod certa mentitur umbra.

V.

Commota Tellus emicat
Imo revulsa fundo,
Supráque fixos æthera
Librata fertur ignes:
Altissimus fastigio
Majórque mons olympo,
Subsedit in parvissimæ
Angusta claustra vallis.

VI.

Immanè vastum Femina
Circumdedit Gigantem:
Et involutum fascia
Gestat duabus ulnis.
Hîc hic Menalca cerneres
Maroniane Pastor,
VInas duas *non amplius*
Spatium patêre cæli.

VII.

Decore Nobiscum Deus,
EMMANVEL *decore:*
Ergone nostri sanguinis
Dignatus esse consors,
Non horruisti Virginis
Vterum subire FRATER?
O Frater! ô Emmanuel!
Emmanuel decore!

VIII.

Quis te mihi det ubera
Matris meæ, quis ô te
Matris meæ det ubera
Sugentem, & imbre lactis
Sparsum videri candido,
Quod suximus sorores?
Fatere: nonne Cyprio
Sunt dulciora vino?

IX.

Crescant amores. Incipe
Puer tenelle risu
Matrem tuam cognoscere,
Ad vota blandientem.
Et ipsa ridet, aspice;
Risumque latiorem,
Quàm SARA *quondam* riserit,
Fecunda Virgo ridet.

X.

Vterque formosissimus,
Tu Sol (*a*) *es, illa* Luna (*b:*)
Vterque limpidissimus:
Tu fons (*c*) *es, illa* vena (*d.*)
Quid possit esse celsius?
Tu mons *es, illa* collis:
Quid possit esse dulcius?
Tu mel, *sed illa* lac *est* e.

XI.

Qui te videt vel eximi,
Vel incubare cunis:
Videt Racemi purpuram,
Bostræ cruore tinctam:
Et comparandas Punico
Malas rubere malo:
Torúmque vivis consitum
Stellis fragrantis Horti.

XII.

Sed qui parentem viderit,
Te propter adsidentem,
Hic in Cadanis viderit
Palmam virere silvis:
Aut quæ caput de Libano
Sustollit alta Cedrus;
Aut quam benignis Solibus
Engaddus urit uvam.

XIII.

Tibi manus tornatiles
Ex optimo metallo;
Hyacinthus implet hanc & hanc,
Et hæc & illa candet;
Succóque stillat myrrheo;
Achemenióque costo:
Pedes in auro fulgurant,
Ceu marmoris columnæ.

XIV.

Illi genarum mollium
Scriptura talis ardet,
Imbuta qualis tænia
Vndante fulget ostro.
Cervice crines fluctuant
Latè sui tenaces;
Auráque lambunt flabiles,
Etesiásque mulcent.

XV.

Præ filiis & fratribus
Speciosus universis,
Olórque toto corpore,
Vt cygnus est Caystri:
Tamen quod aureum caput
Extollis & supinas,
Pulchrè capillis absilit
Plenum comante corvo.

XVI.

Decent comæ contrario
Nigræ nitore plumæ.
Aperi soror, soror aperi
Columba nostra, vagis.
(Vagis: id est, ut Daunias
Ales suave cantas)
Cincinnus aer noctium
Sudat madétque guttis.

XVII.

Qui non amat te, surdior
Ponti frementis æstu,
Ringente Scyllâ sævior,
Et pejor est charybdi:
Fretóque pulsus orgia
Exterruit draconum;
Victórque fixit præmia
Certantibus cerastis.

XVIII.

Qui non & illam diligit,
Dejectus est ab antro
Inhospitalis Caucasi,
Æmiq, fabulosi.
Pyrrham trucidavit suam
Getulicis in arvis:
Factus lapis nocentior
Post terga patricida.

XIX.

Qui non amat te, pardus est,
Immitiórque pardo,
Catulisq, raptis tigride
Per tesqua sæviente.
Illum leæna fœcibus
Potaverit ferinis,
Aut glauca spumis belluæ
Eructaverit marinis.

XX.

Qui non & illam diligit,
Nutritus inter ursos,
Truces hyenas æmulo
Furore provocavit.
Dirúsque Pantheræ gener
Vel anguium maritus,
Auxit veneno flumina,
Nepotibúsque cautes.

XXI.

Puelle mi quàm pulcher es! Cant. c. 1.
(Nam pulcher es puellus) vers. 5.
Quam blandus es! (nam blandus es)
Quali fragras odore! Cant. c. 4.
(Fragras enim mirabili vers. 10. &
Odore) quàm rendes! c. 5, v. 13.
(Certè rendes) ô puer!
Quò me rapis volentem?

XXII.

Intelligit nos Parvulus,
Et nectibus lacessit.
Quid poscis Infans maxime?
VERBVM profare verbum. Ioan. c. 1.
Hic palma crescit ardua, vers. 1.
Victoriásque spirat,
Et annuit carpentibus.
Vis hinc habere ramum?

XXIII.

Hîc nardus, hic amomus, hic
Amellus atque Daphne;
Quorum comas nec Æolus
Novacula totondit;
Nec os honestum frigido
Hiems momordit ore;
Tuâ fruuntur gratiâ.
Vis hinc habere serta?

XXIV.

Hîc ingemit par turturum,
Questúque rumpit agros:
Quales amant argentea
Hesebonis ad fluenta, Cant. c. 7.
Supra canales vitreos vers. 4.
Illimè considere.
Torquate Turtur, æmulos
Vin' turtures habere?

XXV.

Me perditum! cui supplicem?
Avertit ecce vultum.
Nisi mente lævâ fallimur,
Vult lacrymas profundi.
Flet ipse gemmas lugubres:
Hærent genis smaragdi.
Electra singultantia
Truduntur & liquescunt.

XXVI.

Dilecte mi, si jungere
Fas est profana sacris:
Confundo Iordani tuo
Probaticisq, lymphis,
Cordis mei Borysthenem
Istrúmque Vistulámque.
Tu congelatas halitu
Clemente solve noxas.

XXVII.

Morare stilla pectoris
Rigente clausa stagno!
Nondum gemunt præcordia
Duro revincta ferro?
Adverto lamentabiles
Cogi dolore nubes:

Pretiosa

Pretiosa tempestas venit,
Est flere iam voluptas.

XXVIII.

Hiberna strident interim
Me lacrymante flabra,
Vrit{q} Bruma tristibus
Modis meos amores.
Buccæ Scytharum personant
Aquilonibus profundis,
Nivésque densas ingerunt
Immugiente plaustro.

XXIX.

Gelu tremit, qui Seraphim
Cant. c. 1. Inflammat igne VIVO;
vers. 5. Cælóque tensis pellibus
Salomonis astra velat.
Cui Sirios, Caniculas
Et Iulios calentes,
Fartámque spicis Cycladem
Adulta debet æstas.

XXX.

Abfure Bruma mitius,
Precor, meos Amores,
Animásque pelle Thracias
Vltra Getásque Thracásque;
Ipsámque Thulen ultimam,
Et ultimos Gelonos.
Quid tam molesto turbine
Involvis innocentem?

XXXI.

Si tantus est flandi furor
Insaniæ{q} motus:
Tyrrhena persient æquora;
Et Adriam flagellent.
Vastis minentur classibus,
Pyraticæ triremi;
Teumque naufragantibus
Stet nant salutis carinis.

XXXII.

Luc. c. 2. vers. 4. Illic superbi gloria
Ventosior triumphi.
Quantilla parvam Bethlehem
Domum subire Panis?
Prov. c. 31. vers. 14. Vbi nulla stat Liburnica
Exod. c. 2. vers. 3. Aut Xerxis aut Achillis:
Sed Navis Institoris, &
Fiscella Pusionis.

XXXIII.

Mingat: sed albis floribus,
Thymbráque cinnamóque
Purisq{q}, chalcedonis,
Violisq{q}, luteisq{q},
Gemmis caducis grandinet,
Iaspidúmque nimbus
Ruat solutis alveis
Permistus unionum.

XXXIV.

Quorsum Borea murmura
Ad Turturis querelas?
Apeliota, si sapis,
Me consulem secutus,
Ferociores spiritus
Et indolem domabis;
Et ad salignum poplites
Præsepe complicabis.

XXXV.

Places. Humi prosterneris
Ingens, genúque supplex,
Nunc tolle setas forfice
Abrasa tersus ora;
Ac quidquid obstat osculis
Tenerrimi saporis;
Ne barba lædat hispida,
Cum basium propinas.

XXXVI.

Cant. c. vers. 11. Ver appropinqua, ver novum,
Ver elegantiarum,
Ver gemma in anno, ut annulo,
Hilaris medulla vitæ,
Iocosa mater gaudii,
Solis venusta Rachel;
Inter quaterna temporæ
Dilecta Benjamina.

XXXVII.

Huc ergo verte præpetem
Ab axe lapsa bigam:
Antriq{q}, fines mollibus
Favoniis inunda.
Tum præparatas copias
Naso sagaciori,
Versis quasillis dejice,
Omnes amica flores.

XXXVIII.

Prov. vers. Neu parce myrrho, neu croco
Cant. vers. Casiæq{q}, Similaciq{q},
Calthæ jacentem fulciant,
Stipent ligustra stantem.
Per colla serpant irides,
Serpilla per lacertos:
Amaranthus ornet verticem,
In fronte Bellis halet.

XXXIX.

Ibid. His adde spicas torridas
De Messibus Cilissis,
Vdósque truncos balsamo
Felicioris Oræ,
Stacténque, nec non munera
Matth. c. vers. 11. Trivm Sabaa Regvm.
Cant. c. vers. 6. Odora fumi virgula
Toto vaporet antro.

XL.

Ver appropinqua, Ver novum
Ver elegantiarum,
Tactúque vocales move
Lucos, ut insurrexerit
Noster tuas Emmanvel
Audire pronus odas,
Matre annuente roscidum
Connivet in soporem.

XLI.

Ioan. c. vers. 11. Iam jam meus Sol occidet,
Crepusculum notatur:
Gen. vers. Nam vesper alludens comis,
Gen. vers. Invitat ad quietem.
Vergunt ocelli lectulo;
Devexiúsque vitrum
Pupilla sensim subtrahit
Mox rursus evocandum.

XLII.

Ibid. Adjuro te Ver musicum,
Per quidquid est amœni,
Cant. c. vers. 4. Et filias Ierusalem,
Per mutuos amores:
Ne suscitetis Parvulum,
Vestrum meúmque Sponsum,
Scit ipse quá revisere
Nos destinárit horâ.

XLIII.

Ibid. & 12. Reviset autem crastinus,
Cum sole, quem creavit,
Nunc admovete gramina
Panchæa dormienti;

Pœoniisq; regiis
Vacciniisq; nigris,
Fænile tecti pauperis
Et culcitam replete.

XLIV.

Ego vicem papaveris,
Quo somnus advocetur,
Modulabor, & quem tempore
Vtroque jam recepit,
Fracto sedens profundiùs
Ingurgitabo cantu:
Sed voce vix notabili,
Nec absono fritinno.

XLV.

Desiderate gentibus
Dormi Puelle, dormi;
O miles! ô sæpissime
Desiderate dormi:
Iunctis decussim brachiis,
(Crux ominosa salve)
Orisq; hiante lilio;
Sic nempe Virgo dormit.

XLVI.

Conceptus ante sæcula
Et invias abyssos,
LVMEN DEVS DE LVMINE,
Totóque Patre natus,
Sempérque Natus unicus,
Sempérque nasciturus,
Nascéris atque nasceris
O nasciture Nate.

XLVII.

Nondum gemellos ætheris
Prægnans duobus astris,
Latona parturiverat,
Vt Vas honoris essent,
Titanium, Titaniam,
Minimámque, Maximúmque:
Iam tum Tuus, jam de tuo,
De Te, tibi micabas.

XLVIII.

Coruscus antè Lucifer
Quàm subligaret alas,
Stellas Orion stringeret
Parcente pulcher irâ;
Vexilla lætus Signifer
Crispata ventilaret;
Iam tum choragos Angelos
Ad signa convocabas.

XLIX.

Tu prima Mens & vivida
Lucina lucis omnis;
Te dante crevit Cynthius,
Et ipse parvus olim:
Mox grandiore circulum
Mutare cæpit orbe,
Cristatus altè spiculis
Surgentium comarum.

L.

Te dante crevit Cynthia,
Implevit & pharetram,
Almámque Cornucopiam
Ardentibus sagittis:
Edocta raptim currere,
Et nominare menses,
Et jam pati dispendia,
Iam duplicare censum.

LI.

Quid? cùm chaos diffunderes
In metra collocatum:
Disjuncta rerum semina,
Latéque sparsa, connectebas modo facillimo;
Seu quo Poëta versum:
Seu quo perita pollicis
Arachna molle filum.

LII.

Hinc se jubebas, erigant,
Alpes & Ossa & Appenninus (reluctans ingredi
Valles Anacreontis)
Illinc jugi declivitas
Sublapsa porrigatur,
Summósque colles vestiat
Scenâ virente silva.

LIII.

Fontes scaturientium
Pellucidos aquarum,
Potente librabas manu
Ceu pondus in bilance;
Cùm se maris provolverent
Vtero sonante fluctus,
Caliginosa Tethyos
Arcana permeasti.

LIV.

Dein vectus aurigantibus
Per molle marmor Euris,
Tumultuosum Nerea
Collo tenus prehensum,
Probè capistro diceris
Vinxisse littorali,
Interminatus Aridam,
Si septu transiliret.

LV.

Tunc & choros Nereidum
Ad limen Insularum,
Duxisse diceris, super
Delphine ludibundo,
Sequente semper Africo
Et explicante pennas,
Zephyrisq; remigantibus
Spirantibusq; currum.

LVI.

Talis quidem tunc veneras
DILECTE, talis inter
Nimbos frementis gloriæ
Sublimis eminebas.
Iam complicatâ Numinis
IMMENSITATE, dormis,
Tantillus hoc in cespite
Rupis cadaverosæ.

LVII.

Procumbit Arcas quadrupes,
Auritus obsequendi:
Qui taurus est, fit aulicus,
Et mitigat Decembres.
Cunas curules incolis,
Straménque laureatum:
Orbis tamen te CÆSAREM
Agnoscit ipse Brutus.

LVIII.

O vive Noster: seu velis
Rex, sive Cæsar esse,
Præsagio: non semper hîc
Inglorius jacebis.
Quondam Deus libabitur
Ex musteo Puello:
Dicétque qui libaverit,
O CANA GALILÆÆ!

LIX.

Lyæus in Neptunio
Movebit arma regno.

Autumnus expulso mari
Ibid. v. 6. *Sex Hydrias replebit;*
Vinúmque Thyrsi nescium
Prælig, pampinig,
Ibid. v. 10. *Et Consulari Massico*
Certabit & Falerno.

LX.

Mixata crescendi modum
In fagino canistro,
Ioan. c. 6. verſ. 9. *Pascet Ceres exercitum*
Hebræa quinque *granis.*
Luc. c. 5. verſ. 6. *Pisces in alga lubrici*
Squamæq, delicatæ,
Ludent volentes decipi,
Latúmque palpitabunt.

LXI.

Marc. c. 7. verſ. 37. *Muti solutis vinculis*
Facundiùs loquentur,
Quàm qui lapillos Atticus
Versavit ore Rhetor.
Surdus reducto pessulo
Ad verba pandet *aurem,*
Et hauriet capacibus
Conchyliis senatum.

LXII.

Matth. c. 11. verſ. 5. *Quod languet excitabitur*
Cæco rebelle sidus.
Lyncesque de fuligine,
Aquilásque provocabit.
Ioan. c. 5. verſ. 8. *Artus* rigore *ferrei,*
Vt cera mollientur.
Cervos & ipsum Cyllarum
Matth. c. 11. verſ. 5. *Atalanta* clauda *vincet.*

LXIII.

Disrupta *Fatorum* COLVS
In funerante morbo,
Vitali usu dextræ
Virebit integrata;
Rituque crescet arboris,
Quam pinguis Hermonæ
Transfusus humor educat,
Purúsque lambit amnis.

LXIV.

Luc. c. 8. verſ. 25. *Cerno fretum considere,*
Pigros hiare ventos.
Matth. c. 14. v. 26. *Plantis supervolantibus*
Substernit unda dorsum.
Quid hoc? Canopus attremit,
Pavefacta sudat Isis.
Portenta sternuntur Phari,
Et casibus satiscunt.

LXV.

Timent puellum scilicet
Quæ monstra contemiscunt.
(Fallórne? an expergiscitur?)
Latrat minax Anubis.
(Movetur) Herodes fremunt.
(Vt oscitat modestè?
Vigiláne dulcis Pusio?
Nostrum diem reducis?)

LXVI.

Psalm. 73. verſ. 16. AVRORA *nictat luminum,*
Et palpebras recludit;
Soles ocelli, roscido
Matth. c. 4. verſ. 16. *Somni liquore loti,*
Humoris è crystallini
Nunc prodeunt lavacro;
IESVS *Eous* uvidâ
Prospectat è fenestrâ.

LXVII.

Arcus decens supercil

A

Quàm pulchra tela vibrat!
Vibrata quanto vulnerant
Fixæ calore fibras!
Et illa vulnerantia
Quo blandiuntur æstu!
Blandita, quàm medullitus,
Quem perculere, sorbent!

LXVIII.

Sis Noster *ô dulcissime*
Rerum, manéque Noster:
Meum COR, *imò* corculum;
Te quippe, Christe, parvo,
Cœpere parva *diligi,*
Et pluris æstimari;
Quàm quæ tument heroicâ
Proceritate MAGNA.

LXIX.

Nec, quòd super ramalibus
B *Culmos premas inanes;*
Hunc lectulum contempseris
Et dignitate Censor:
Deum fatetur Delphici
Apollinis Sacerdos.
Deum Serapis barbarus,
Et tota Memphis horret.

LXX.

Nascente te Grex Cælitum
Pennatus Orpheorum,
Geniale dispersit melos
Per aëris procellas.
Æternitatis concidit
Nullo movente Fanum:
Et versa miti Pallade
Tyberina ripa fluxit.

LXXI.

C *Te Persa mithratus stupet,*
Arábsque mistus Indo;
Te sentit in terrentibus
Hetruscus Augur extis:
Pedum tuorum pulverem
Supplex corona lingit.
Cumana monstrant carmina,
Et concinunt Sibillæ.

LXXII.

Tandem Gelonus impia
Suspendit arma ramis.
Et Thrax cruentos projicit
Fractósque calcat enses.
Sistris strepunt Niloticis
Campi, fluenta, silvæ;
Pax alma visit oppida,
Et instruit choreas.

LXXIII.

D *Tuo sereno lætiùs*
Natura tota ridet.
En balat ad cunabula
Donatus agnus AGNO.
Balare perget, si sinas,
Et, quo, cubas Grabatum
Suo replebit vellere.
Permitte: lana virgo *est.*

LXXIV.

Sub te, quod ipsa Oracula
Vatésque pollicentur,
Speramus illa sæcula,
Quæ vulturem palumbi,
Et grypha jungent vulturi,
Setas jubásque gryphi,
Ovi lupos innoxios,
Messoribus lacertas.

LXXV.

Favi fluunt ab ilice,
Saxis oliva manat.
Dodona spretis glandibus
Saturata ructat uvas.
Spumant in auro gurgites,
Crassúmque nectar urgent;
Fontésque lacteo pede
Perambulant eremum.

APPENDIX DE NASCENTE DOMINO IESV.

HIc ego, mi Lector, te convenio, cui meas hactenus cogitationes & animi sensa de Christi cunabulis ordine, quo licuit aperui. Vaticinia nascentem Christū antecedentia; prodigia partim præeuntia, partim etiam comitantia & subsequentia pariter in ordinem disposui. Nascentis Servatoris Tempus & Locum monstravi. De Parentum gaudiis & officiis, de Pastorum accursu, de Angelorum cantu, de ipsius infantuli pannis & vagitu ordinatè ac distinctè disserui. Iam verò cum bonâ venià tuâ facturum me censeo, si de iisdem amabilissimis mysteriis sine ductâ lineâ, absque ordine præfinito laxiùs paulò atque liberiùs meas tibi cogitationes mixtim, prout illæ sese offerunt, exposuero. Inter nos igitur, prout impetus fert, loquamur. Priorem locum habeant, quæ priùs calamo & memoriæ occurrerint: posteriùs narrentur quæ tardiùs in mentem venerint. Hic ordo noster sit, sine ordine dicere. Hinc illinc Augustini auream dictionē velut intercalare suavissimum melos miscebimus. Augustinus certè, quem dixi, numquam non facundissimus, de Nascente tamen Christo facundiâ singulari copiosus, aurum & gemmas locutus est. Nec dicendo satiari potuisse videtur. Tam gemmeæ dictionis partem sub aspectum collocare mens est.

Et hæc etiā indistincta, sperem, ac promiscua non displicebunt. Subindè ornamento & voluptati est incomposita rerum mixtura. Et certè hoc ordinarium est agmini cogitationum nostrarum, incomposito procursu ferri. Plerumque chaos est quod cogitamus. Ecclesiastæ sanè hîc ampliorem cogitandi materiam, & forsan non ingratam inveniant. Ordiamur igitur sine ordine; sed Augustinum dictionis antesignanum præmittamus.

§. I.

AVGVSTINVS.

Aug. to. 10. serm. 19. de Nativ. Domin. f. 223.

AVdite filii lucis adoptati in regnum Dei, fratres charissimi: audite, audite, & exultate justi in Domino, ut vos rectos possit decere laudatio. Audite quod jam nostis, recolite quod audistis, amate quod creditis, prædicate quod amatis. Natus est Christus, Deus de Patre, homo de Matre. De Patris immortalitate, de Matris virginitate. De Patre principium vitæ, de Matre finis mortis. In hac die ad salvanda omnia oritur lux mundo, defunctis resurrectio, vita mortalibus. Natus ergo puer ponitur in præsepe. Et hæc sunt Dei prima cunabula, nec Regnator cæli has dedignatur angustias, cui habitaculum virgineus venter idoneus fuit. Præmisit enim hominem Ioannem, qui tunc nasceretur, cùm dies inciperent minui, & natus est ipse, cùm dies inciperent crescere: ut ex hoc præfiguraretur, quod ait idem Ioannes: *Illum oportet crescere, me autem minui.* Debet enim vita humana in se deficere, in Christo proficere, ut qui vivunt, jam non sibi vivant, sed ei, qui pro omnibus mortuus est & resurrexit: & dica unusquisque nostrûm, quod dicit Apostolus: *Vivo autem jam non ego, vivit verò in me Christus.* *Illum oportet crescere, me autem minui.* Laudent eum condignè omnes Angeli ejus, quorum cibus æternus est, incorruptibili eos saginâ vivificans, quia verbum Dei est, cujus vita vivunt, cujus æternitate semper vivuunt, cujus bonitate semper beatè vivunt. Illi enim condignè laudant Deum apud Deum, & dant gloriam in excelsis Deo: Nos autem plebs ejus & oves pascuæ ejus, pro modulo infirmitatis nostræ pacem, per bonam voluntatem reconciliati, mereamur. Ipsorum enim Angelorum verè hodierna vox est, quam nato nobis Salvatore exultando fuderunt; *Gloria in excelsis Deo, & in terrâ pax hominibus bonæ voluntatis.* Laudant ergo illi competenter, laudemus & nos obedienter. Sunt illi nuntii ejus, sumus & nos pecora ejus. Implevit in cælo mensam ipsorum, implevit in terrâ præsepe nostrum. Plenitudo enim mensæ ipsorum est, quia *in principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum.* Plenitudo præsepii nostri est, quia *Verbum caro factum est, & habitavit in nobis.* Vt enim panem Angelorum manducaret homo, Creator Angelorum factus est homo. Illi laudant vivendo, nos credendo. Illi fovendo, nos petendo. Illi capiendo, nos quærendo. Illi intrando, nos pulsando. Quis enim hominū omnes thesauros sapientiæ & scientiæ noverit in Christo occultos, atque in paupertate carnis ejus absconditos? Quia propter nos pauper factus est, cùm dives esset, ut illius paupertate ditaremur. Cùm enim mortalitatem assumeret, mortémque consumeret in paupertate se ostendit: sed divitias dilatas promisit, non ablatas amisit. *Quàm multa multitudo dulcedinis ejus quam abscondit timentibus se, perfecit autem sperantibus in se!*

Ioan. c. 3. vers. 30.
Galat. c. 2. vers. 20.
Luc. c. 2. vers. 14.
Ioan. c. 1. vers. 1.
Ibid. v. 14.
Psalm. 30. vers. 20.

§. II.

AVCTOR.

ALexium miramur aut Ioannem Calybitam, ambos in suâ domo ignotos hospites, ambos infra homines in sordentem domûs angulum abjectos. Ah! quàm hîc justior admirationis caussa: En in stabulo non Alexium aliquem, sed Alexii Dominum & regem orbis, non infra homines, sed infra ipsas bestias abjectum in tenebris, in frigore, in paupertate, in sordentissimâ caulâ jacentem, & mœstum vagientem. Et porrò lectulum quem habet? nimirum quem à pecore accepit mutuum, præsæpiolum vilissimum. Si quis cælorum orbes ad terram depressos narraret, miraremur omnes, attoniti audiremus rei miraculum. Longè hoc majus est. Ille architectus cæli, & cui universus terrarum orbis pila est, quid dico pila? Roris gutta est; ille, quem cœlum satis amplum palatium non capit totus, fasciolis ambitur, & capitur ab angusto tuguriolo. Silicem habes pro pectore, mi homo, si adhæc non mollescas, & lacrymas misceas cum tui Domini lacrymulis. At reverà sæpe rupes sumus & saxa. Pinguntur nobis ista, dicuntur, occinuntur; nos ipsi legimus ista, lecta credimus, credita cum animo nostro volvimus, (utinam attentè) cogitamus & admiramur. Sed quid huic tantæ submissioni, paupertati tantæ rependimus? quibus moribus Dominicum Natalem agimus? Lautiùs epulamur, elegantiùs vestimur, hilariùs confabulamur. Apage ista à cunis istius Infantis. At certè vix aliud Dies Domini Natalis spectat, prout passim festos dies agendi mos est. Scio esse & ingemisco. Vbi morum & vitæ mutatio? quis dives sui Domini exemplo divitiis præfert egestatem?

statem? quis delicatus nuntium mittit suis deliciis? quis suo se Deo probare per dura & aspera conatur? Audacter quid dicam, & verum dixisse fatebimur. Si hodie Dei Mater cum nutritio Ioscpho, asello & buculâ comitante ditiorum ædes obeat, & roget hospitium; quis ditiorum suo supercilio illos non aspellat? audiantur ubique, credo, voces illæ: Eant isti pauperculi, talibus inquilinis & hospitibus mea domus non gaudet; cauponariam ego non exerceo. Illorum omnem supellectilem casa capiet. Et intereà miramur Bethlehemitas in Christi Matrem tam rigidos; irascimur etiam tam duris. Miseri & cæci, irasci nobis deberemus. In nos ipsos rectiùs hanc excandescentiam depromeremus. Multi Christi (ita dicam) hodie obeunt, pallidi, malè tecti, & qui famem vel solo vultu fateantur. Tum verò munificos nos credimus, cùm nummulum porrigimus, aut mucidi panis frustillum projicimus manu præparcâ. Quis hodie pannosum aliquem & ulcerosum hominem in B ædes suas recipit, cenulæ suæ adhibet, juxtà assidet & solatur, re potiùs quàm verbis? Sunt qui id faciant; sed heu tam pauci, ut plures censeam Thebis fuisse portas. Intereà tamen Christiani audimus & Christicolæ seu Christi amatores & imitatores, dum pessimos quosque imitamur, dum amamus nos ipsos. Non hi mores huic Infantulo placent. Opulentus es? nisi discis opes contemnere, nihil facis ad paupertinâ Christi familiam. Turgidus es & inflatus? nisi supercilium deponis, ad has cunas ne accede, aut accede alius. Libidinosus es? Nisi tibi frænum injicis, & castè agis, procul ó procul ab hoc hospitio. Gulosus es, & lautitiarum amans? Recede, nisi tuam ipse frangas gulam, & esurire foris ac sitire cum hoc infante. En Virginis ubera ducit, qui, quidquid vivit, pascit. Si vis huic divinissimo Infanti, olim tuo judici amicus esse, conare, ut illi sis quàm simillimus. Nam amicitia, si vera est, aut pares accipit, aut facit. C

Sedebat quondam infantulus (jam nota narro) ad littus maris, & nescio quid ante scrobiculum moliebatur cochleari. Transibat fortè Augustinus, & cùm puerum vidisset, Puelle mi, ait, quid hîc agis, & solus? Mox puer Augustino, Istud ago, inquit, ut in scrobiculum hoc cochleari transfundam mare. At verò tu frustrà id agis, mi infantule, ait Antistes, mille scrobiculi non capiant vel minimam partem hujus oceani, nedum ut tuus hic unicus totum. Hîc rursum puerulus Antistiti: sed enim & tu frustrà Deum tuo ingenio conaris includere, qui nullis terminis ambitur. Dixit & evanuit. Quis cum Augustino non subriserit, si audisset infantulum conari in fossulam transfundere immensum mare? Et tamen id hodie, si cogitamus, verissimè factum. En Deum, illud bonitatis infinitum pelagus, incircumscriptum illum rerum omnium oceanum scrobiculo mortalitatis nostræ conclusum. D

§. III.

AVGVSTINVS.

HIc est ergo dies, quo venit in mundũ, per quem factus est mundus: quo carne factus est præsens, virtute numquam absens, quia in hoc mundo erat, & in sua venit. In mundo erat, sed mundum latebat: quia lux lucebat in tenebris, & eam tenebræ non comprehendebant. Venit ergo in carne, carnis vitia mundaturus. Venit medicina in terram, unde curaret interiores oculos nostros, quos exterior nostra excæcaverat terra: ut eis sanatis, qui fuimus antea tenebræ, lux efficiamur in Domino, & non jam lux in tenebris luceat præsens absentibus, sed appareat certa cernentibus.

Christus venit in carne, ut carnis vitia mundaret.

A Ad hoc sponsus processit de thalamo suo, exultavit ut gigas ad currendam viam, amabilis & terribilis, severus & serenus, pulcher bonis, asper malis. Manens in sinu Patris, implevit uterum Matris. In quo thalamo, id est, Virginis utero, natura divina sibi copulavit humanam: ubi Verbum caro factum pro nobis à Matre procedens, ubi habitemus, præparat nobis. Hunc ergo diem læti solenniter celebremus, & æternum diem per eum, qui nobis æternus in tempore natus est, fideliter exoptemus, IESVM Christum Dominum nostrum.

§. IV.

AVCTOR.

SEd vide mundi liberalitatem in suum conditorem. Mundus Christum in præsepio excepit, dimisit per crucem; nascenti caulam, morienti Golgotham liberalissimè concessit; ordienti vitam struxit è fœno grabatulum, vitam finienti pro thalamo furcam paravit. Hæ scilicet mundi gratiæ sunt, quas suo Domino persolvit.

De Reginarum cingulis, de Regum cervicalibus & scamnis suppedaneis mira prorsus scriptores prisci prodiderunt. Persarum Reginæ Parysatidi, regio tota in singulum fuit attributa. Nam Persidis Reginis oppida complura integræque regiones in singulas mundi muliebris partes assignari ex ærario solebant. Exempli gratiâ in annulos, in armillas, in torques, in strophium, in amiculum, in cingulum, in calceos ac sandalia, & quidquid vestitum spectat, tantum ac tantum auri pendebatur. Quod & Plato testis confirmat in Alcibiade. Ita & Themistocli apud Persas quinque urbes, Magnesia, Lampsacus, Myus, Percope, Palæscepsis, in panem, vinum, obsonium, vestem dicuntur traditæ. Mare l. 5. Var. hist. c. 10.

Catharinę Lusitanorum Reginæ soccorum & crepidarum nomine quadringenti aurei pensitabantur. Quocirca Franciscus Xaverius ad Catharinam reginam tam falsè quàm piè scripsit, non alios fore soccos aut crepidas aptiores, quibus ipsa cœlum scanderet, quàm puerorum in orâ piscariâ Christianam institutionem. Quare orare se, ut soccorum crepidarúmque suarum vectigal, ad æternendam sibi in cœlum viam, commutatione lætâ propagandæ religioni attribueret. Illa, ut erat femina insigni religione, suum illud tributum volens ac libens dictis usibus concessit. C Tursellinus in vita Francisci Xaverii, l. 6.

Quid Reginæ Matri Virgini, quid ejus Filio in alimoniam & amicimina orbis terrarum, obsecro, attribuit? Paupertatem & indigentiam. Hæc mundi Lautia sunt.

Chares Mitylenæus apud Athenæum memorat (quod nos suprà pressiùs) reges Persidis eò prolapsos deliciarum, ut ad caput cubilis regii conclave haberent, medio pariete distinctum, eâ capacitate, quæ quinque lectos contineret, in eo semper quinque millia talentûm auri asservari; *a* sunt nostro calculo 3275⁰⁰⁰⁰. coronati, sive, trigesies & bis millies milleni, septingenties quinquagies mille. Hoc autem cœclave, *Cervical regium* appellari. E regione verò hujus aliud est conclave trium lectorũ, *b* in quo tria millia talentûm argenti, sunt nostræ monetæ 1800000. coronatorum, sive millies milleni & octingenties mille coronati. *c* Atque hoc *Scabellum regis suppedaneum* solet vocari. In ipso Regis cubiculo vitis erat aurea, gemmis ponderosa, eáque velut pergula regio cubili obtendebatur. Hæc vitis ramos habebat pensiles è lapillis æstimatissimis compositos. Non procul ab eâ crater aureus collocari solitus, Theodori Samii opificio & arte D Athenæus l. 12. Dipnosophist. a Suar. de ginta mil. millenos. Florentinos (quadringentos adhuc circa sol. currentes, ut puto. b Suar. de millenos. millenos. millenos.

& arte nobilis. De quo thesauro explicatissimè Benedictus Pererius: Quæ summa, inquit ad rationem nostratis pecuniæ redacta conficit millies & octies centena millia aureorum, seu centum & octo milliones.

Centum & octo millionum. Pererius in Dan. lib. 1. pag. 111.

Ita Persarum Reges habitârunt, hæc eorum cubicula & conclavia, hæc cervicalia, hæc scamna suppedanea. Quid horum habet Iudæorũ Rex Bethlehemi natus, quod illius est cervical, quod suppedaneũ scabellum? Magnificas quidem voces divini Psaltæ audivimus: *Pulchritudo agri mecum est. Si esuriero, non dicam tibi: meus est enim orbis terræ, & plenitudo ejus.* Hæc dicere supremi tantùm Regis est. Sed quænam hæc mutatio? non jam pulchritudo agri, sed turpitudo stabuli cum illo est: non orbis plenitudo, sed summa rerum omnium penuria ad hujus Regis cunas cernitur. Et considera mihi, obsecro, nascentis lectulum, morientis thalamum, tumulum mortui. Inter pecudes nascitur in præsepi, inter latrones moritur in cruce. Mortuus in tumulũ defertur non suum, sed quem suo magistro viri nobilis & Senatoris ab Arimathæa pia liberalitas concessit in supremi honoris testimonium.

Psal. 49. vat. & 12.

B

Ita qui terram palmo concludit, linteolis involvitur. Ita mori cœpit vixdum natus; & an non millies; ter millies, & planè sæpius est mortuus in illis membris suis, quæ Herodiana sica immanissimè transfixit? sed nec iste noster parvulus suum sanguinẽ negabit. Expectate paululum. Iam lacrymas velut obsides mittit, post annos non multos omnem fusurus sanguinem.

Creatorem falsis quadrimatum millia infantum ab Herode interfectorum. Ita etiam Menæa Græcorum.

§. V.

AVGVSTINVS.

DOminus noster Iesvs Christus, charissimi, qui in æternum est cunctorũ creator, hodie dẽ Matre nascendo factus est nobis Salvator. Natus est nobis hodie in tempore per voluntatem, ut nos perducat ad Patris æternitatem. Factus est Deus homo, ut homo fieret Deus. Vt panem Angelorum manducaret homo, Dominus Angelorum hodie factus est homo. Hodie impleta est prophetia illa, quæ dicit: *Rorate cæli desuper, & nubes pluant justum: aperiatur terra, & germinet Salvatorem.* Factus est igitur qui fecerat, ut inveniretur qui perierat. Sic enim in Psalmis homo confitetur: *Priusquam humiliarer, ego peccavi.* Et iterum: *Erravi sicut ovis, quæ periit.* Peccavit homo, & factus est reus. Natus est homo Deus, ut liberaretur reus. Homo igitur cecidit, sed Deus descendit. Cecidit homo miserabiliter, descendit Deus misericorditer. Cecidit homo per superbiam, descendit Deus cum gratiâ. Sic namque Mater Domini ab Angelo audivit: *Ave gratiâ plena, Dominus tecum.* Qui natus est primò sine matre in cælis, hodie natus est sine patre in terris. O miracula! ô prodigia! fratres mei, naturæ jura mutantur in homine. Deus nascitur, Virgo sine viro gravidatur, viri nesciam sermo Dei maritat. Simul facta est Mater & Virgo; Mater facta sed incorrupta, Virgo habens Filium, nesciens virum. Semper clausa, sed non infœcunda. Virgo concepit, sola vulneri nostro medicinam parere potuit, quæ non ex peccati vulnere germen piæ prolis emisit.

Aug. ser. 9. de Nativit. Christi, de temp. ser. 13. pag. 116.

Isa. c. 45. vers. 8.

Psal. 118. vers. 67. Psalm. 118. vers. 176.

Luc. c. 1. vers. 28.

A

D

O mira & inexquisita compago! ô nova & inaudita commixtio! Deus qui est, & qui erat creator, fit creatura. Qui immensus est, capitur: divites constituens, pauper efficitur: incorporeus, carne vestitur, sermo crascescit: videtur invisibilis, palpatur impalpabilis, comprehenditur incomprehensibilis, immortalis occiditur. Quem cælum & terra benedicit, in præsepio angusto collocatur. Numeratur in sæculo, qui est ante sæcula. *Christus* Iesvs *heri & hodie*, idẽ *ipse & in sæcula. Heri* dixit propter mortalitatem, *hodie* propter æternitatem. Merito hodie locuti sunt cæli, gratulati sunt Angeli, pastores jucundati, Magi invitati, Reges turbati, Martyres coronati, dæmones effugati. Igitur cum gaudio dicamus sanctæ Virgini Mariæ Matri Domini nostri Iesv Christi dicamus, & non confundamur: Lacta Mater Christum, & Dominum nostrum & cibum. Lacta panem de cælo venientem, & in præsepi positum, velut pecorum cibaria jumentorum.

Heb. c. 13. vers. 8.

§. VI.

AVCTOR.

EN igitur veri Salomonis lectulum, quem non sexaginta bellicosi heroës, sed geminæ cingunt pecudes, quæ omnem palatinam turbam aulicúmque famulitium supplent.

Et ecce plus quam Salomon hic. Matth. c. 12. vers. 42.

Videte verum Iacob, qui post solis occubitum requiem quærit, & pro pulvillo saxum capiti substernit. *His*, inquit Philo, *pro cubili pretioso & solum herbidũ, pro stragulo congestæ frondes & folia, pro pulvino saxum aliquod aut tumulus paulò acclivior.* Nos omne genus volucrum plumis viduamus, ut somnum nostrum mulceamus. Creator omnium, animantium semesis stipulis incumbit, præsepiolum vimineâ crate consertum, stramento tectum premit. Quàm bene liberalis & sapiens natura providit animalibus? sua vulpeculis latibula, sua sunt aviculis niduli, solus rerum conditor tuguriolo alieno hospitatur.

Gen. c. 28. vers. 11. Philo l. de somniis, mihi pag. 454.

B

De Heliogabalo Imperatore Romano Lampridius, Primus omnium, inquit, privatorum torosaureis toralibus texit. Primus mensas & capsas argenteas cum cacabis habuit; solido argento lectos triclinares & cubiculares fecit. In Domini Iesv natali domo, non capsa, non cacabus, non mensa, sed nec lectica ulla fuit argentea; nil argenti habuerunt tanti Regis cunabula. Nihilominus ea solidissimis affectibus contueri desiderans Chrysostomus, *O si mihi*, ait, *liceret videre illud præsepe, in quo Dominus jacuit. Nunc nos Christiani quasi pro honore tulimus luteum, & posuimus argenteum: sed mihi pretiosius illud est, quod ablatum est. Qui in isto præsepi natus est, aurum condemnat & argentum.*

Lamprid. in Heliogabalo. Toral. & torus in terra.

Chrysost. to. 2. ho. in c. 2. Lucæ, mihi pag. 1114.

C

Rem miram & inter prodigia numerandam narrat Ioannes Nyder Theologus insignis & Ecclesiastes. Ego fidem penes auctorem esse jubeo, cujus verba optimâ fide adnumerabo. Ita scribit: Sunt vix duodecim anni elapsi, quòd non multum à civitate Nurenburgensi, in diœcesi Bambergensi pomus crevit in loco campestri & communi, quæ multis annis, ut sequitur, in vigore permansit. Hæc autem arbor super omnia, quæ nostris audivimus temporibus, mirabilis conditionis extitit. Nam in æstatis principio, in vere videlicet floruit, fronduit, & versus autumnum more aliarum arborum poma fructificavit. Porrò annuatim in austerrimâ & inclementissimâ hyeme semper & solùm in nocte Nativitatis Christi, quando Virgo virginum salvo integritatis flore Dei genuit filium, pomella virentia in quantitate artûs unius virilis digiti produxit. Est autem pro tunc patria ad duos menses anteà, & pòst ad totidem, & esse solet nivibus profundis tecta, congelationibus clausa, & ventis rigidissimis perflata, & incõmoda eadem omnia frutecta unà cum arboribus patiuntur eodem tempore. Stuporem autem augebat prodigii, quòd nec anteà nec posteà, sed dumtaxat præfatâ nocte sacratissima pomella germinata sunt. Non enim sicut arbores hortenses ceteræ fimo nutriebatur, non circumfodiebatur sarculo, nec sepi circũdabatur aliquâ. Solebant propterea tempore annuo de civitate Nurenburgensi, & adjacentibus locis diœcesis Bamber-

Qui Concilium Constantiense & Basiliense interfuit circa an. 1432.

D

genſis plures præfectorum fide digniſſimi teſtes accurrere, & totâ vigilare nocte, ut rei veritatem comprobarent. Eſt enim per omnia ſimilis arbor in alio loco dictæ diœceſis. Vidi ego præſentari ad videndum in oppido Forchaim dictæ diœceſis ejuſdem pomi pomellum Magiſtro Ordinis noſtri Generali Bartholomæo Texerii. Fuerunt præterea tempore Conſtantienſis Concilii in eodem plures viri fide digni, præſertim Dominus Epiſcopus Rigenſis, Doctor divini & humani juris reputatiſſimus, qui teſtes hujuſmodi prodigii exiſtentes, multos hæc credere fecerunt, qui antea fidem de eo negabant penitus. Idem hic præſente propoſitum eſt pari modo in loco Baſilienſis Concilii coram multis Doctoribus ſacræ paginæ & juris Canonici, ac artiſtis & philoſophis. Nec ab aliquo audivi, qui merè naturali hoc poſſet operi rationabiliter attribuere.

Ioan. Nyder l. 4. Formicarii, c. 6. med. mihi pag. 289. & ſeqq. Editus Duaci à Georgio Colvenerio Th. Profeſſore & librorum in Academiâ Duacenâ Viſitatore, an. 1602.

Huic aliud idem ſcriptor ſequenti paginâ ſubjungens: A Domino Bertholdo preſbytero, inquit, plurimùm litterato, & devoto, ac fide digno, qui in diœceſi Eyſtetenſi aliquando inquiſitor hæreticę pravitatis extiterat, hoc, quod ſequitur, audivi. Solebat hic multùm ſuperſtitioſa odiſſe & perſequi, utpote zelator fidei præcipuus. Audierat autem, quòd quicumque ipsâ die Nativitatis Chriſti, vel in vigiliâ, micas panis, quæ fidelium menſæ ſupereſſent, quomodocumque in incertum projiceret in aliquem hortum, non obſtante, quòd ibi anteà flores, qui vocantur in Teutonico Ringelbluemen/ numquam creviſſent, radicem fixiſſent, nec ſeminati eſſent, tamen ſequenti proximâ æſtate flores præfati ibi germinarent & florerent apertè. Probavit igitur hoc propriis manibus prædictus dominus Bertholdus, & veritatem rei cõpertus eſt, ita flores creviſſe, ut prædictum eſt. Sunt autem flores coloris crocei, quorum ſemen eſt quaſi circularis figuræ.

Idem eodem loco.

An iſta uſquequaque certa, ego hîc non diſputem. De utroque ſuam ipſe judicium apponens auctor: De ultimo, inquit, ſi verum eſt, ſicuti de primo, nullam video fidei jacturam imminere. Imò eam fidem promovere, quâ credimus Chriſtum florem ſtirpis Ieſſe ex tempore natũ eſſe de intactâ Virgine ſine humano ſemine, cui primum & ultimum de præfatis mirabilibus alludit. Et prout in Concilio Conſtantienſi à quodam Profeſſore Theologiæ percepi, Dei ſapientia veriſimiliter iſta fecit in loco rudis & ſimplicis populi, ut ab arbore oculis hominum propoſitâ faciliùs manu ducerentur ad proniùs & devotiùs credendum articulos Chriſti Nativitatis & Humanitatis.

Vis autem noſſe, ô Chriſtiane, quibus tu veſtibus induaris? Tui Domini pannos aſpice. Vis noſſe, quas delicias fecteris? Chriſti cunas intuere. Vis noſſe tui ſupercilii occultos faſtus? domum natalitiam tui Regis contemplare. Hac te regulâ metire. *Hæc dicit Dominus*, ait Iaïas, *gratis venumdati eſtis & ſine argento redimemini.* Heu quàm vili, quàm & gratis venumdamus nos ipſos! plerumque ſpurcâ & brevi voluptatulâ. Chriſtus igitur non aureis nummis, ſed lacrymis, gemitibus, tormentis adeſt nos redempturus. Hac pecuniâ plenus eſt ſaccus ille Humanitatis. Iam plorat, jam & acerba tolerat ob peccata tua, & tu etiámnum peccas? *Conſurge, conſurge, induere fortitudinem brachium Domini*, vociferatur vates Hebræus. Sed en & infirmum, & ligatum eſt. Sed adhuc & infirmo & ligato ſunt arma. Quænam illa? Quæ Pſaltes celebrans, *Sagittæ tuæ*, inquit, *acutæ; populi ſub te cadent.* Cerne Iudæos in paſtoribus, cerne gentes in Magis ante hunc Puerum cadentes. Sed quibus fixi ſagittis cadunt? Humanitatis & amoris. *Benignitas & Humanitas apparuit Salvatoris noſtri Dei.* Quis nimium hunc amorem Numinis in tenebroſâ ſpecu vagientis conſideret, & amoris igniculos non ſentiat? ſed hæc non æquâ lance perpendimus; non conſideramus iſta, ideo non ardemus. *Hoc feſtum*, ait Nanzianzenus, *non carnaliter celebrandum nobis eſt, ſed ſpiritualiter, & altâ conſideratione. Verba noſtra bona ſint, quia jam Verbum in carne eſt.*

Iſ. c. 52. v. 3.

Id. c. 51. v. 9.

Pſ 44. v. 6.

Ad Tit. c. 3. verſ. 4.

Temulentus Rex Balthaſar inter epulas *laudabat deos ſuos aureos & argenteos.* Nos aliter longè feſtos dies agitemus; laudemus Deum noſtrum non argento, non auro, ſed carne, ſed pannis noſtri cauſâ veſtitum. Illi ante deos ſuos ponebant cibos, quos ſciverant non abſumendos; nos pecuniis & cibis juvemus egenos, Dei amicos, à quibus nos ſcimus in æterna tabernacula recipiendos.

Dan. c. 5. verſ. 4.

Chriſtus in extremam paupertatem dimiſit omnes ut cum paupertate ærumnis colluctantur, firmaret.

Verùm ideo Chriſtus in extremam ſeſe paupertatem dimiſit, ut ſuos omnes, qui cum paupertate ac ærumnis colluctantur, firmaret. Cùm tres Hebræi proceres in Babylonicam fornacem mitterentur, deſcendit ad eos quartus ſimilis filio Dei; hinc illi flammarum medii à flammis illæſi. Nunc autem non Angelus Dei Filio aſſimilandus, ſed ipſe Dei Filius, ad nos ſemet ſubmiſit, ut noſter in adverſis omnibus, & adjutor eſſet & ſocius. *Parum erat*, ut loquitur Auguſtinus, *hortari nos verbo, niſi firmaret exemplo.* Nec facile dictu eſt, quantum hæc una res animum ad omnem patientiam erudiat. *Magna gloria ſequi Dominum.* Idcirco Paulus, *Per patientiam*, inquit, *curramus ad propoſitum nobis certamen, aſpicientes in auctorem fidei & conſummatorem* IESVM, *qui propoſito ſibi gaudio ſuſtinuit crucem.* Iam in cunis ſuſtinet. Cùm enim venerit abolere noxas, primo aggreſſu harum radices, divitias & delicias, paupertate ſuſtulit.

Aug. ſerm. 63. de verb. Apoſt. Eccli. c. 2. verſ. 5. Hebr. c. 12. v. 1. & 2.

§. VII.

AVGVSTINVS.

SAlvator noſter, inquit, natus de Patre ſine die, per quem factus eſt omnis dies, voluit in terrâ habere natalem diem, quem hodie celebramus. Quiſquis hunc diem miraris, æternum mirare potiùs ante omnem diem permanentem, omnem diem creantem, in die hodierno naſcentem, à malitiâ diei liberantem. Adhuc mirare: Quæ peperit, & Mater, & Virgo eſt: quem peperit, & Infans & Verbum eſt. Meritò cæli locuti ſunt, Angeli gratulati, paſtores lætati, Magi invitati, Reges turbati, parvuli coronati. Lacta Mater cibum noſtrum, lacta panem de cælo venientem, & in præſepi poſitum velut piorum cibaria jumentorum. Prophetæ cecinerunt Conditorem cæli & terræ, in terrâ cum hominibus futurum; Angelus annuntiavit Creatorem carnis & ſpiritûs in carne venturum. Salutavit Ioannes ex utero in utero Salvatorem: Simon ſenex Dominum agnovit infantem: Anna vidua Virginem Matrem. Hæc ſunt teſtimonia Nativitatis tuæ Domine IESV, antequam tibi fluctus ſubſternerentur calcanti, cederent imperanti, antequã ventus te jubente ſiluiſſet, mortuus te vocante vixiſſet, ſol te moriente palluiſſet, terra te reſurgente tremuiſſet, cælum te aſcendente patuiſſet: antequam iſta & alia mirabilia jam juvenilis tui corporis ætate feciſſes. Adhuc in manibus Matris portaris, & jam Dominus orbis agnoſcebaris.

Aug. ſerm. de Nativ. Chriſti, pag. 41.

§. VIII.

AVCTOR.

INfans cùm naſceretur (quod Iulius obſequens narrat inter prodigia) Infans, inquam, cùm naſceretur, dixit, AVE. Infantum alius adhuc ſemeſtris in foro boario Romæ triumphum proclamavit, quod

Iul. Obſq. num. 37.

Livius

Livius & Valerius testantur. Captis à Cyro Sardibus, cùm unus è numero Persarũ, in cædem Crœsi Regis concitato ferretur impetu, Crœsi filius loquendi usu etiámnum defectus, sed velut oblitus quid sibi nascenti fortuna denegâsset, ne Crœsum regem occideret, proclamavit, eâque voce, jam pæne impressum jugulo mucronem, revocavit. Ita qui ad id tempus sibi vixerat mutus, saluti patris factus est vocalis. Briccius *a* Turonensis antistes, infantuli, quem sacro fonte tinxerat, testimonio est usus tuendæ innocentiæ suæ. Cùm Sigebertus *b* infans, filius Dagoberti regis, die quadragesimo post natalem à divo Amando Christianorum ritu abluueretur, voce clarâ respondit, *Amen*. *c* Anno millesimo centesimo decimo septimo apud Cremonam infantulus in cunis jacens, matrem, quæ familiæ cibum parârat, vocibus articulatis monuit, Deum humanæ impietati iratum graves pœnas constituisse in tot noxios, sed Dei Matrem magnis precibus obsistere. His dictis denuo cõticuit. Hi infantes prodigiosè locuti; noster infans prodigio longè majori obmutuit. Æternum Verbum sine verbo, sine voce fuit. *Quod est hoc verbum?* ait Augustinus, *d*, *quod dicturus antea non silebat, quo dicto non siluit qui dicebat? Quod est Verbum sine tempore, per quod facta sunt tempora, Verbũ quod labia nullius aperuit cæptum, vel clausit finitum; Verbum quod initium non habet ex ore loquentium, & aperit ora mutorum; Verbum quod linguas gentium disertis non sit, & linguas infantium disertas facit?*

Sed liceat interrogare: Vbi est, Puer divinissime, vbi est cærulea cyclas illa, quæ totum convelat cælum? jam eâ indiges, hyems est. Vbi sceptrum quod suis residere manibus credit Augustus? Vbi est, quem creâsti, mundus? Ita Deum Ægyptii pingebant, tunicâ velatum cæruleâ, capite alas, sceptrum dextrâ, lævâ cingulum ferentem, ore ovum emittentem. Veste sublimem Dei vitam, sceptro imperium in omnes, cingulo Providentiam, ovo mundum adumbrabant.

Iam olim canit Moyses: *Dominus de Sinai venit, & de Seir ortus est nobis; apparuit de monte Pharan, & cum eo sanctorũ millia. In dextera ejus ignea lex. Dilexit populos, omnes sancti in manu illius sunt; & qui appropinquant pedibus ejus accipient de doctrinâ illius.* Iam & tempus & locus invitat, ut parvuli mansuetissimi pedibus appropinquemus. Conjiciamus nos in pedes, & ad specum cælestis puerperii conscium cum Pastoribus festinemus. *Laudate nomen sanctum ejus; lætetur cor quærentium Dominum: Benedictus Dominus Deus Israël ab æterno usq; in æternum. Et dicat omnis populus, Amen, & hymnum Deo. Lætentur cæli & exultet terra.* Deus olim per universam terram carbones desolatorios ignitos sparserat; nunc aurum divinitatis imagine signatum pluit largissimè. Nunc montes & colles stillant dulcedinem, melliflui cæli novũ rorant manna, olei rivis scaturiunt petræ. Iam suum vetusto vulneri paratissimum è cautibus fluit malagma. Sigebertus Gemblacensis memorat anno millesimo centesimo quadragesimo secundo, die Nascentis Christi anniversario, mel roris instar de cælo stillâsse.

Alexander Rex Macedo, quod Iustinus prodit, desiliens equo Lysimachum hastæ cuspide ita in fronte vulneravit, ut sanguis aliter claudi non posset, quàm diadema sibi ademptum Rex, alligandi vulneris caussâ, capiti ejus imponeret. Quod auspicium primum regalis Majestatis Lysimacho fuit. Simile narratur de Trajano Imperatore, qui suâ veste conscissâ militum vulnera jussit obligari. Ad sanguinis torrentem, qui è nostris fluebat vulneribus, sistendum, non aptiores erant fasciæ ullæ quàm Nascentis Christi; his nostra vulnera sunt obligata, certè aliter numquam coalitura.

Liv. l. 1. Valer. l. 1. c. 6. Herod. l. 1. Gel. l. 5. Nic. Att. c. 9. Vul. l. 5. c. 4. Plin. l. 11. c. 37. semenstris ait, locutum est Crœsi filium in certamine, quo prodigio totũ id negotium constat. Ita & Dicæarchus Auctor Lact. l. 3. c. 15. & Antonius Cocc. l. 10. c. 2.

b Sigeber. in chronico ann. 633.

c Dodecimus in Append. Mart. Scot.

d Aug. to. 10. de Nascente Christo ser. 9. de temp. pag. 217.

Eusebius de præparat. Evang. tom. 1. l. 2. c. 3.

Deut. c. 33. v. 2. & 3.

1. Par. c. 16. v. 10. & 36

Ibid. v. 31.

Justinus l. 15. hist. pag. 129

Quod supra monuimus, part. 1. c. 6. §. 1.

§. IX.

AVGVSTINVS.

VBique Christus Dominus pulcher occurrebat. Pulcher in cælis, pulcher in terris, pulcher in Patre Verbum, pulcher in matre caro & Verbum: Pulcher in utero Virginis, ubi non amisit divinitatem, cùm suscepit humanitatem: quia cùm hîc esset, cùm manibus portaretur, lætati sunt cæli, gavisi sunt Angeli, Magos stella direxit, adoratus est in præsepio, cibaria mansuetorum, adoratus est in templo puer Christus à sene Simeone, gestatus est in ulnis, à quo ipse regebatur. Pulcher ergo Christus in miraculis, in flagellis, in sermonibus, in verberibus pulcher, non curans mortem, & mortuos suscitans. Pulcher in ligno, pulcher in cœlo, pulcher & in sepulchro. Quis igitur, charissimi, non admiretur, non adoret primum & novissimum, initium & finem, α & ω? Quis, inquam, non adoret, per quem respiravit dies, effugatæ sunt umbræ? Natus est Imperator, ut abluueretur peccator. Sic enim scriptum est: *Infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia.* Dominus enim IESVS Christus, per carnem quam suscepit, tribuit nobis magnam spem, magnam consolationem, magnam gratiam. Natus est quod non noveramus, lactatus est à matre, suxit quod noveramus. Mercatus est à nobis, quod hîc abundat, nasci & mori. Resurgere, & in æternum vivere, non hîc erat. Invenit hîc viles merces terrenas, & terrestribus attulit peregrinas & cælestes. Si expavescis, ô quisquis es audior, mortem Christi, ama resurrectionem Christi. Multi quidem contempserunt humilem Christum, & non pervenerunt usque ad altitudinem Christi. Qui autem adoraverunt humilem, invenerunt excelsum.

Aug. to. 10. serm. 9. de Nativ. Christi, de temp. pag. 217.

1. Cor. c. 1. vers. 27.

§. X.

AVCTOR.

OPtimus ille Albanensis Episcopus Matthæus, cujus res gestas Petrus Cluniacensis Abbas memorat, ipsâ sacratissimâ Christi nascentis nocte sub auroram finiit vitam. Noctis medio cùm æra concreparent, æger in fatali lectulo sese attollens, & quo potuit gestu & voce in cælestem lætitiam erumpens, Christus, ait, natus est nobis: *Gloria in excelsis Deo*; totúmque illum hymnum pronuntiavit. Iámque auroræ viciniore ad crucifixi signum versus, veluti præsentem Christum cerneret: Mi amantissime IESV, inquit, cum veniâ tuâ moriar hac nocte, quâ tu nasci dignatus es? Hæc ultima erant decumbentis verba. Cumque jam lucesceret, & in templo illud jam festæ diei proprium cantaretur: *Lux fulgebit hodie super nos*, &c. Matthæus animam efflavit æternâ luce vestiendam. Quid verò beatus ille Cluniacensis Abbas Petrus pervigilio Christi nascituri suis ad pietatem excitandis dixerit, eâdem ipsemet scriptione percenset.

Petrus Cluniac. l. 2. mirac. c. 22.

Petrus Cluniac. l. 1. mirac. c. 15.

Suidâ teste, cygêlus avis marina adeò est infirma, ut ipsa sibi nidulum construere non possit, & idcircò in alienis cogatur nidis parere. En infantulum divinissimum, sed en aviculam simul infirmissimam in vili angustóque nidulo & quidem non suo habitantem. En granum sinapis nimis quàm minutum, sed crescet in arborem crucis, & capite cælum feriet. De hoc Ambrosius, *Nascendo*, inquit, *in hominem humiliatus ut granum est, ascendendo ad cælum exaltatus ut arbor est.*

Suidas voce Κυγηλός.

Ambr ser. 2. de Sinapi.

Cùm leprosi Samariæ opulenta Syriorum castra, ex vano metu deserta reperissent, dixerunt ad invicem: *Hæc dies boni nuntii est, si tacuerimus, sceleris arguemur.* Quænam hæc dies? De quâ Elisæus, *Cras*, ait, *modus similæ uno statere erit.* In Bethlehem domum Cerealem & panariam è cælo panis vivus pretio vilissimo vendendus venit. Hic panis omni humanæ genti toti terrarum orbi sufficiet in alimoniam abundantissimam, nec tamen omnis hæc annona pluris vendetur quàm triginta argenteis. Hanc nobis felicitatem, si possent, Angeli inviderent. Et certè Lucifer cum suis invidit, hunc scitè compositum supra Angelos evehendum. Angelorum ceteri non ampliùs se adorari ab homine passi, cùm Christus expressè dixerit Magdalenæ: *Vade ad fratres meos, & dic eis: Ascendo ad Patrem meum & Patrem vestrum.* Hæc igitur dies planè boni nuntii, hæc dies nuntii est optimi, quam & Angeli & Prophetæ omnes nuntiaverunt.

4. Reg. c. 7. vers. 1. Ibid. v. 1. Ioan. c. 20. vers. 17.

Rex Macedo Alexander interiorem Persidis regionem penetraturus, multis imbribus, & prope intolerabili tempestate vexatus, procedere tamen, quò intenderat, perseveravit. Ventum erat ad iter perpetuis oblitum nivibus, quas frigoris vis gelu adstrinxerat: locorumque squalor & solitudines inviæ fatigatum militem terrebant, humanarum rerum terminos se videre credentem. Omnia vasta sine ullo humani cultûs vestigio attoniti intuebantur: & antequam lux quoque & cælum ipsos deficerent, reverti jubebant. Ceterùm ipse Rex equo desiliit, pedésque per nivem & concretâ glaciem ingredi cœpit. Erubuerunt non sequi primùm amici, deinde copiarum duces, ad ultimum milites: primúsque Rex dolabrâ per glaciem iter sibi fecit. Exemplum Regis ceteri imitati sunt. Nos Regis nostri exemplum cernimus, sed quis imitatur? Extremam ejus paupertatem & pannos videmus, sed quis ideo insolentem vestitum abjicit? Opum contemptus in oculis est, sed quis ideo amare opes desinit? Specimen humilitatis absolutissimum intuemur, sed quis illud imitari conatur? Hæc verbis laudamus, alia monstramus factis. Aut Regem tuum, Christiane, præeuntem sequere, aut tuum esse Regem negâsti.

Curtius l. 5. hist. c. 14. pag. 171.

Christus quamprimùm natus, cathedram, è quâ doceret, ambiit: nec sanè quievit novus hic concionator, dum excelsam eámque celeberrimam conscenderet cathedram †, è quâ orbem universum ad Humilitatis & Patientiæ mores erudiret. Vbi estis ergo, discipuli? Audite mutum Doctorem obedientiæ leges facundissimè tradentem.

† Crucem.

Fecit cœlestis Pater, quod nonnumquam eruditus Geometriæ doctor tentare cogitur. Hic cùm animadvertit, discipulos ea parum capere quæ tradit, demum è cathedrâ descendit, atque in arenâ & pulvere describit circino jam dicta, ut vel oculi capiant, quod aures non admiserunt. Humilitatem, patientiam, amorem paupertatis, jam olim Prophetarum scriptis docebamur. Sed hem! indociles discipuli vix quidquam horum capiebamus. Denique Humilitatis Magister è cælo descendit, ut illius lineas in terrâ depingeret, ad ea vel ipsis oculis imprimenda, quæ aures effugissent. Quin ergo tandem aliquando discimus, quæ cælestis tradit præceptor?

Christus descendit de cælo ut humilitatẽ, patientiã & amorẽ paupertatis nos doceret.

Egressus fuerat Isaac *ad meditandum in agro inclinatâ jam die.* Hunc ubi Rebecca peregre adveniens conspexit, puerum interrogans, *Quis est ille homo*, ajebat, *qui venit per agrum in occursum nobis?* Cui puer: *Ipse est Dominus meus.* Mox *Rebecca de camelo descendit, & tollens pallium suum operuit se.* En Christiane sponsum animæ tuæ Isaacum obedientissimũ, vide in occursum venit tibi meditabundus. Et certè meditatur grandia. Hanc namque altissimam paupertatem, quam tolerat, aliâ multò altiore cumulabit; jam lacrymas fundit, paulò pòst sanguinem fusurus. Et tu egregius scilicet, quem te jactas, imitator Christi, etiamnum gibbosо tuo camelo veheris, æstimari cupis, favores colligis, honores ambitione plurimâ undequaque venaris? En infantulus, quem in stabulo cernis, ipse est Dominus tuus. Non erubescis tam contrariis studiis te ab ipso divertere? quin tandem aliquando descendis de tuo camelo, atque humilitatis pallio te involvis, & pompas mundi despicis? Quod & Petrus Damianus instillans, *Nam & ipse*, inquit, *conditor Angelorum, dum in præsepio vagiens reclinatur, non ostro vel togis rutilantibus opertus, sed vilibus legitur panniculis involutus. Erubescat ergo terrena superbia, confundatur & obstupescat arrogantia redempti hominis, ubi mox erumpentibus radiis, exorti coruscat humilitas Redemptoris.* Ergo elige quod elegit Christus, & non errabis. Melius est desipere cum Christo, quàm cum mundo sapere.

Gen. c. 24. v. 63. & seq.

Petr. Dam. l. 6. epist. 14. ad Hildebrand. p. 241.

§. XI.

AVGVSTINVS.

Rogo vos, fratres charissimi, ut libenti animo sermones, quos Dominus dabit, suscipiatis in hac dulcissimâ die: in quâ compunctio etiam infidelibus venit, in quâ misericordiâ tangitur impius, veniam sperat compunctus, reditum non desperat captivus, remedium desiderat vulneratus, in quâ nascitur Agnus, qui tollit peccatum mundi. In cujus Nativitate qui conscientiam puram habet, dulciùs gaudet: qui miseram, attentiùs timet. Qui bonus est, affectuosè orat; qui peccator, devotissimè supplicat. Dulcis dies, verè dulcis, & cunctis pœnitentibus veniam portans. Prómitto vobis, filioli, & certus sum, quia in hac die, si quis ex corde pœnituerit, & ad vomitum peccati reversus non fuerit, quodcumque petierit, dabitur ei: tantùm in fide non dubitet, delectationem non repetat. Hodiè totius mundi peccatũ tollitur, & peccator desperat? sed videte qualis debeat esse pœnitentia: quia multi assiduè se dicunt esse peccatores, & tamen adhuc illos delectat peccare. Professio est, non emendatio. Accusatur anima, non sanatur. Pronuntiatur offensa, non tollitur. Pœnitentiam certam non facit, nisi odium peccati & amor Dei. Quando sic pœnites, ut tibi amarum sapiat in animo, quod antè dulce fuit in vitâ, & quod te priùs oblectabat in corpore, ipsum te cruciat in mente, jam tunc bene ingemiscis ad Deum, & dicis: *Tibi soli peccavi, & malum coram te feci.* Bene, tibi soli peccavi, quia tu solus es sine peccato. Bene tibi soli peccavi, quia nullus hominum sine peccato: & ideo tibi soli peccavi, quia nullus est sine peccato. Da Domine misericordiam misero, qui tamdiu pepercisti criminoso. Inclinet ad remedium humilitas pœnitentis, quem permovere non potuit diuturnitas peccantis peccatoris. Dic illi in fletu cordis: Aspice infelicẽ pietas immensa, respice crudelẽ misericordia publica. Desperatus ad omnipotentem venio, vulneratus ad medicum curro. Serva pietatẽ mansuetudinis, qui tam diu suspendisti gladium ultionis: dele numerositatem criminũ multitudine misericordiarum. Ista est, filioli, vera pœnitentia, quando sic convertitur quis ut non revertatur, quando sic pœnitet, ut non repetat.

Aug. tract. 3. in Natiuitate Christi pag. 33.

§. XII.

AVCTOR.

IOannes * Zumarraga primus Mexicanæ civitatis Archiepiscopus, vir religiosissimus, in epistolâ, quam anno 1532. ad sui Ordinis congregationẽ Tolosæ celebratam dedit, testatur, in solâ urbe illâ Mexico,

* Cum alii scriptores asserant Baptæ, Ninæ, Ilag. Barbastri Episcopum posse vel

xico dum diaboli cultus illic vigeret singulis quibusque annis plusquam viginti millia puerorum & puellarum diabolo fuisse jugulata in victimas, ut potissimùm corda tot innoxiorum tyranno illi offerrentur. Res pæne incredibilis, nisi ea signatis tabulis affirmaretur. Si tantam cordium multitudinem urbs unica quovis anno cacodæmoni obtulit, eáque prunis, velut thus adolenda imposuit, quid gravamur suum quisque cor consecrare, atque offerre orbis Servatori? Nil opus est cor offerendum evellere corpori; dum retinemus, offerimus. Nam, quod præsul Hipponensis dixit, *Cor offertur moribus sanctis, cogitationibus castis, operibus fructuosis.* Avertendo à malo, & convertendo ad bonum. Damnando vitium, amando Deum, diligendo proximum, impendendo misericordiam miseris: quia & nos ipsi miseri fuimus, antequam redimeremur. Dimittendo illis qui in nobis peccant: quia & nos omnes sub peccato fuimus. Superbiam calcando: quia per superbiam primus homo dejectus est. Abjiciendo invidiam: quia per invidiam decepit diabolus genus humanum. Quæ cùm ita sint, erigite animos vestros, & nullus sit, sive liber sive servus, sive ingenuus, qui non hodie Deo cor suum offerat, simul & reddat, quia nimis miserum est, ut Deo aliquid non offeramus de nostro, qui animam suam pro nobis posuit; & propter nos, cùm esset æternus, carnem suscepit. Nunc itaque quicumque iram contra alterum tenet, tantùm propter amorem Dei dimittat, & obtulit cor suum. Si quis consuevit jam longâ diuturnitate in luxuriâ volutari, resipiscat aliquando, & excutiat sordes suas per compunctionem, & clamet in corde suo in oratione secretiùs ad Dominũ: Piissime Domine, misericordissime Deus, sufficiat mihi quod hucusque peccavi, quòd contempsi te, quòd deceptoribus carnis meæ satisfeci, jam nunc te inspirante voveo, me à nequitiâ meâ conversurum. Cùm hæc fecerit, & iste obtulit cor suum. Si iterum invidia tenetur fratris, & felicitate illius aut actione prosperâ non delectatur, quod est peccatum usque ad mortem, promittit & ipse in corde suo, meditaturum se potiùs actus bonos, quàm livorem eumdem habiturum: & cùm fecerit, & ipse obtulit cor suum. Si quis verò sibi conscius est de homicidio, indicat sibi ipse in corde suo pœnitentiam, & vindicet in seipso malam conscientiam, & statuat sibi ante Deum cruciatum pœnitentiæ & spatium: & plenum animum veneno, quem antè effusio sanguinis proximi sauciavit, cruciet per abstinentiam & humilitatem: & communicare nullatenus præsumat, ut non dupliciter se infelix damnet, dum in corde criminum horroribus pleno sacratissimum corpus Domini periculosè præsumit accipere. Quòd si quis se talem agnoscit, & hæc fecerit, & ipse offert cor suum. Si quis fortè, ut assolet, detrahere semper consuevit, & aliorum actionibus obloqui, nec suas respicere; voveat hodie Deo in corde suo, & dicat: Hucusq; de aliis dixi, me non inspexi, ego eram miserior, & alios miseros existimabam: & ideo nunc sufficit, quod peccavit lingua mea, amodò emendare delibero. Ecce, qui hæc facit, offert cor suum. Si quis crudelem se sentit, misericordiam animi voveat Deo. Si quis superbum, voveat humilitatem. Si quis vino nimiùm est deditus, sobrietatem voveat. Si quis seniori suo peccavit, veniam petat, & si ille non sapuerit petere ille tamen dimittat. Et cùm hæc omnia feceritis, charissimi, offertis Deo cor vestrum, & quasi remuneratis Christũ.

Aug. to. 10. de Nativit. Christi, ser. 3. de temp. ser. 7. pag. 214. Cor Deo offertur moribus sanctis & cogitationibus castis.

Act. c. 17. vers. 24.

Quis Deum esse tam humilè antehac scire potuit aut credere? Dixerat Athenis Paulus: *Deus qui fecit mundum, & omnia quæ in eo sunt, hic cæli & terræ cùm sit Dominus, non in manu factis templis habitat.* Sed jam eò res devenit, ut etiam in stabulo manu facto habitet. Hoc persuasit amor. Agesilaus Rex Spartanus miro in liberos suos affectu, cum pueris domi luserat. Vidit hoc amicorum quispiam, & obstupuit tantum Regem inter pueros velut repuerascere, & cum infantibus balbutire, ac pæne infantem fieri. Cui Rex, Hæc, inquit, vis amoris est. Nec enim levitatis hic lusus, sed pietatis videri debet illi, qui expertus est, quanto parentes filiorum ardeant amore. Ita reverà sapientissimum & fortissimum Deum, exercituum Dominum, solus amor infantem fecit mutum. Majestas & amor hâc optimè conveniunt, & in unâ sede morantur, in unico infantulo.

O Dominator Domine Deus, misericors & clemens, patiens & multæ miserationis, ac verax, qui custodis misericordiam in millia, qui aufers iniquitatem & scelera, atque peccata, nullúsque apud te per se innocens est. Quis enim iste est, qui applicet cor suum, ut appropinquet tibi? Ergòne credibile est, ut habitet Deus cum hominibus super terrã? si cœlum & cæli cœlorum te non capiunt, quantò magis domus ista, vel potiùs caula ista nec pecori satis apta? *O Israël,* clamat Baruch, *quàm magna est domus Dei? Quis invenit locum ejus, & quis intravit in thesauros ejus?* Pastores invenerunt, introârunt, *cognoverunt de verbo, quod dictum erat illis de puero hoc.* Vociferatur Hieremias: *Fortissime, magne, & potens, Dominus exercituum nomen tibi: magnus consilio & incomprehensibilis cogitatu, cujus oculi aperti sunt.* Ah, quænam ista transformatio est! jam nec fortis, nec magnus, nec Dominus, sed imbecillis, sed parvulus, sed servus est, & oculi ejus clausi sunt. Obstupescens Isaïas, *Qui sedet super gyrum terræ,* inquit, *& habitatores ejus sunt quasi locustæ: qui extendit velut nihilum cælos, & expandit eos quasi tabernaculum ad inhabitandum. Levate in excelsum oculos vestros, & videte quis creavit hæc. Qui educit in numero militiam eorum, & omnes ex nomine vocat. Numquid nescis, aut non audisti? Deus sempiternus Dominus, qui creavit terminos terræ: non deficiet, neque laborabit, nec est investigatio sapientiæ ejus.* Sed ah! mutandus jam stylus. Admiranda rerum conversio. Iam vociferandum: submittite in imum oculos vestros, & videte Creatorem Infantem. Cæli opifex jam deficit, jam laborat, jam dolet, & facilis est investigatio inopiæ ejus. Terribilis Dominus, *sed olim,* & magnus vehementer, *sed olim,* & admirabilis magnificentia ejus, sed longè jam admirabilior parvitas illius & humilitas. *Quantus ibi erat,* inquit Augustinus, *& quàm magnus, tam parvus factus est. Parvus factus parvos quærebat. Quid est parvos quærebat? Non superbos, non elatos, sed humiles & mites colligebat: Majestas ibi latebat, ubi infirmitas aparebat.* Ergo *Cõfitemini illi omnes, quoniam bonus, quoniam in sæculum misericordia ejus; Benedicentes Dominum, exaltate illum, quantum potestis, major enim est omni laude. Exaltantes eum replemini virtute. Quis magnificabit eum sicuti est ab initio? Multa abscondita sunt majora his: pauca enim vidimus operum ejus.* Iam demum opificem ipsum videmus, sed fasciis ligatum, pannis involutum, in præsepiolo reclinatum.

Exod. c. 34. v. 6. & 7. *Hier. c. 30. vers. 21.* *2. Paral. c. 6. vers. 18.* *Baruch. c. 3. v. 15. & 24.* *Luc. c. 2. vers. 17.* *Hier. c. 32. v. 18. & 19.* *Is. c. 40. v. 22. 26. & 28.* *Aug. ser. 16. de Nativit. Domini, de temp. ser. 20* *Iudith c. 13. vers. 21.* *Eccli. c. 43. v. 31. & seq.*

Protoplastis jam furti reis tunicas pelliceas Deus pro indumentis dedit. Nunc Dei Filius eò pauperatis est redactus, ut non tantùm domesticarum nec Scyticarum mustelarum, sed nec ovium nec agnorum longè viliores pelles habeat.

Gen. c. 3. vers. 21.

§. XIII.

AVGVSTINVS.

Aug. to. 10. serm. 21. de Nativ. Christi, de temp. ser. 24. mihi pag. 224.

HVc itaque paululum aures & animos advertamus, si fortè valeamus aliquid congruum condignúmque dicere, non ex eo, *quòd in principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum:* sed ex eo quòd *Verbum caro factum est:* si fortè dicatur à nobis

Ioan. c. 1. v. 1. & 14.

à nobis, per quod habitabit in nobis, si fortè ibi possit esse dicibilis, ubi voluit esse visibilis. Propter hoc enim & istum celebramus diem, quo nasci est dignatus ex Virgine, & in quo generationem suam fecit ab hominibus utcumq; narrari. In illâ verò æternitate, in quâ Deus de Deo natus est, *generationem ejus quis enarrabit?* Ibi talis non est, qui solemniter celebretur. Neque enim transit anniversario volumine rediturus, sed manet sine occasu, quia non cœpit ex ortu. Est ergo illud unicum Dei Verbum, illa vita, illa lux hominum, æternus quidem dies: iste autem in quo humanæ carni copulatus est, & in quo tamquâ sponsus procedit de thalamo suo, nunc hodiernus, cras fit hesternus. Verumtamen hodiernus natum ex Virgine commendat æternum: quia æternus natus ex Virgine consecravit hodiernũ. Quas itaque laudes charitati Dei dicemus, quas gratias agemus, qui nos ita dilexit, ut propter nos fieret in tempore, per quem facta sunt tempora: & multis servis suis in mundo minor esset ætate, ipso mundo antiquior sine vetustate: homo fieret, qui hominem fecit, crearetur ex Matre quam creavit, portaretur manibus quas formavit, sugeret ubera quæ implevit, in præsepi muta vagiret infantia, sine quâ humana muta est eloquentia? Vide, ô homo! quid pro te factus est Deus: doctrinam tantæ humilitatis agnosce, etiam nondum loquente doctore. Tu quondam in paradiso tam facundus fuisti, ut omni animæ vivæ nomina imponeres: propter te autem creator tuus infans jacebat, & nomine suo nec Matrem vocabat. Tu in latissimo fructuosorum nemorum prædio te perdidisti, obediendi am negligendo: ille obediens in angustissimum diversorium mortalis venit, ut mortuum quæreret moriendo. Tu cùm esses homo; Deus esse voluisti, ut perires: ille cùm esset Deus, homo esse voluit, ut quod pericrat, inveniret. Tantum te pressit humana superbia, ut te non posset nisi humilitas sublevare divina. Celebremus ergo cum gaudiõ diem, quo peperit Maria Christum, & conjugata conjugii Creatorem, & Virgo virginum principem, & data marito, & mater non de marito, sed castior, quàm si de marito: Virgo ante conjugiũ, virgo in conjugio, virgo prægnans, virgo lactans. Sanctæ quippe Matri omnipotens Filius nullo modo virginitatem natus abstulit, quam nasciturus elegit. Bona est enim fœcunditas in conjugio, sed melior integritas in sanctimoniâ.

Cur dies natalis Christi sit celebrandus. *Isa. c. 53. vers. 8.*

Christus natus non abstulit à Matre Virginitatem quam nasciturus elegit.

§. XIV.

AVCTOR.

AVgustinus miraculum Christi nati explicans, *Ipsa*, inquit, *virtus per inviolatæ Matris virginea viscera, eduxit membra infantis, qui postea per clausa ostia introduxit membra juvenis. Hic si ratio quæritur, non erit mirabile; si exemplum poscitur, non erit singulare. Demus Deum aliquid posse, quod nos fateamur investigare non posse. In talibus rebus tota ratio facti est potentia facientis.*

Aug. tom. 2. ep. 3. ad Volusianum.

Omnes Principum Regúmque turres, castra, arces, palatia, terrarũ orbis, cælum ipsum non satis dignum Deo habitaculum sunt; sed cor humanum, si sit mundum. Hinc illa Domini pollicitatio amplissima: *Si quis diligit me, sermonem meum servabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus. Calum* Dei *sella, scabellum est terra.*

Ioan. c. 14. vers. 23.

Isa. c. 66. vers. 1.

Mundus ante adventum Christi veluti vilis urbecula fuit, quæ medicũ suis expensis nequit alere. Iam adest medicus, qui non tantùm podagram, hydropē, aliáque insanabilia corporis contagia, ut Philippus Theophrastus Paracelsus, sed ipsam etiam mortem, non ab ægro tantùm, sed etiam à mortuo potest depellere. Iam Dominus non à longè, sed à propè est; A jam Emmanuel verus, jam nobiscum est Deus; imò unus è nobis est Deus.

Paracelsus Salisburgi humatus est cum hoc epitaphio, quod illic legitur.

Ioannes * Subdiaconus refert, unum aliquē è priscis Ascetis elegantē parabolā explicuisse, quā ratione Christus nostri caussā factus sit homo, puer, Lector, Subdiaconus, Diaconus, Presbyter, Episcopus. Verba scriptoris ista sunt: *Propter te, homo, Salvator est natus; propter hoc venit Filius Dei, ut tu salvareris. Factus est homo, manens Deus; factus est puer, factus est Lector, accipiens librũ legit in synagogâ, dicens: Spiritus Domini super me, propter quod unxit me; evangelizare pauperibus misit me. Factus est Subdiaconus: faciens namq; de sune flagellum omnes ejecit de templo oves & boves, & cetera. Factus est Diaconus: præcingens namque se linteo lavit pedes discipulorum suorum, præcipiens eis fratrum pedes lavare. Factus est Presbyter, & residit in medio magistrorum docens. Factus est Episcopus, & accipiens panem benedixit ac fregit, & dedit discipulis suis, &c. Flagellatus est propter te, crucifixus & mortuus est; & tertiâ die resurrexit, & assumptus est. Omnia propter te suscepit in se, omnia juxta dispensationem, omnia ordine, omnia consequenter est operatus, ut nos salvaret, & tu propter eum non toleras, quæ tibi veniunt toleranda.*

Scriptor. Graec. Bibliothec. Photii. Theophyl. Paraclet. Bombologi. Hypognost. Anastasii. Sabbatii. Zonaræ. Balsamonis. Glycae. Cedreni. Zonaræ. Nicephori. Callisti. Scriptor. Graec. diversi. Ioannes Subdiaconus. Anno 1563. die 24. Septembr. Obitum cum morte mutavit.

* Ioannes Subdiaconus è Græco *Bibl. 4. numer. 8. apud Rosweyd. mihi pag. 658.*

§. XV.

AVGVSTINVS.

ELegit sibi, in quâ nasceretur, diem qui fecit omnem diem, & non sine gratiâ prælationis cæteris est diebus habendus hic dies, in quo Deus in hominē docetur fuisse promotus. Denique ex hodierno accepit incrementum, & augmenta sumit cursûs sui, qui electus ad gloriam Dei noscitur. Conceptus est enim æquinoctio verno, & natus est solstitio hiberno. Et quâ die conceptus est in utero Virginis, in ipsâ resurrexit ab inferis cum gloriâ passionis. Et in conceptu tamen, & in Nativitate ejus diei accepit incrementum, & nascente verâ luce, lucis & diei augmentatur officiũ. Advertite intereà, fratres, advertite Dominicum Sacramentum. In Nativitate ejus dies proficit, in passione deficit, quia *à sexta horâ tenebræ factæ sunt per totam terram usque ad horam nonam.* Et quod imminutum est in passione, ampliatum est in resurrectione. Ecce est illud: *Dies diei eructat verbum, & nox nocti indicat scientiam.* Dies Nativitatis diei passionis, & dies passionis diei resurrectionis. Nox Nativitatis nocti passionis, & nox passionis nocti resurrectionis annuntiat verbum. Illic natum, hîc passum. In illâ Angelorum gaudium, in istâ totius mundi luctum, sed tamen omnium in resurrectione triumphum: quia in vesperum abundabit fletus, & ad matutinum lætitia. Vesperum passionis, quando sequebatur eum multitudo populi, & mulieres lamentabantur & plangebant. Matutinum resurrectionis, quo mulieres cum gaudio à monumento currebant, & discipuli cum gaudio ad monumentum festinabant. Elegit ergo hunc diem sibi ad Nativitatem, nobis ad felicitatem. Sibi ad obsequium, nobis ad gaudium. Sic enim pastoribus Angelus prædicavit. *Ecce*, inquit, *annuntio vobis gaudium magnum, quod erit universæ terræ.* Quare? *quia natus est vobis hodie Salvator, qui est Christus Dominus.* Vt meritò à nobis hodie cantandum sit: *Hic est dies, quem fecit Dominus, gaudeamus & lætemur in eo.* Crescit ecce dies cum ortu nascentis, & lucrativo proventu, vel successibus momentorum, noctisque imminuto curriculo defectionem sentiunt opera tenebrarum. Die enim æterno nascente, augmentum debuit dies temporalis accipere. Non ut dies aliquid nascenti conferret, sed ut ex nascente dies prærogativam incrementi vel felicitatis acquireret, & fieret

Aug. tom. 11. serm. 11. de Nativitate Christi. temp. post. 22. Iun. Cur Christus eligerit diē in quo nascerentur.

Matt. 27. vers. 45.

Psalm. 18. vers. 3.

Luc. 2. vers. 10. & 11.

Psalm. 117. vers. 24.

ret toti mundo festivus, in quo verus Deus homo natus est in carne perfectus. Omnis ergo hujus Nativitatis schola, humilitatis est officina, patientiæ massa, virtutis agonia.

§. XVI.

AVCTOR.

NAscentis Christi dies verè lætissimus, verè dies quem fecit Dominus, imò quo Dominus factus est servus. Alphonsus Rex Hispaniæ hoc ipso nati Servatoris die monitus à suis ducibus, facilè nunc & opportunè hostes opprimi posse, respondit: Pluris ego hunc unum diem facio quàm omnes victorias. Posteà nihilominùs felicissimâ potitus est victoriâ.

Alexander Natal. l. 6. Gen. diet. c. 4. p. 326.

Idololatræ prisci deos suos ne ab se aliò commigrarent, catenis ferreis nonnumquam & aureis ligârunt. Ita Tyrii obsidione pressi Herculis simulacrum, quod magnâ religione venerabantur, catenâ aureâ vinxerunt, ne urbem desereret. Cæli architectus ut sese inter nos sponte habitaturum ostenderet, humanissimè passus est sibi vincula injici, ligari voluit, sed vinculis Adam, artubus humanis.

Manlius part 2. Collectan. p. 94.

Lex est, ait recens scriptor, in urbibus Sueviæ, ut si jurgantes à verbis ad manus deveniant, & gladios stringant, aliquis autem, licèt eminus, vel puer tantùm, aut mulierecula inclamet, Frid/Frid/ nihilominùs tamè audito pacis nomine, sed spreto, duellator audeat ferire, & hostem se profiteri, graviter & ad delicti modum quandoque capite puniatur. Natali nocte Servatoris Angeli è cælo catervatim advolantes proclamârunt pacem: *In terrâ pax hominibus*; & nihilominùs nos homunculi nimis quàm temerarii etiámnum pugnamus & digladiamur? neque veritis tantùm malevolis & injuriosis nos invicem laceramus, sed ipsos nonnumquam dentes stringimus, manu & ferro in mutua sævimus vulnera. Vbique lites & rixæ, ubique bella & discordiæ. Pax, pax, ô viri fœminæque, pax ab Angelis jam promulgata est. Capite luemus, si post illam pacis promulgationem ruperimus pacem. Quid jurgia serimus è jurgiis, quid æternis ardemus odiis, orcinis postmodum arsuri flammis? O stulti filii Adam, qui contemnentes pacem, & vindictam appetentes aut gloriam, simul & pacem & vindictam gloriámque perditis. Pax jam cælo est, exturbato cum asseclis Lucifero; pax & terræ sit, eliminato cum suppliciis peccato.

Natalis dies Christi est dies pacis.

Gen. c. 6. vers. 7.

Dixerat olim Deus de hominibus à se creatis: *Pœnitet me feciße eos*. O æterne Pater, num adhuc dicis pœnituisse te quòd hominẽ feceris in terrâ, illum præsertim hominem, qui Bethlehemi jacet in præsepi? Iam certè voces audimus longè suaviores: *Hic est filius meus dilectus*. Per hunc dilectum planè filium & nos quoque non tantùm in Dei servos, nec solùm in amicos, sed reverà in Dei filios adoptamur, qui hostes eramus. Cùm enim æterna Sapientia humanam sibi naturam admirabili prorsus ratione arctissimo velut matrimonio junxit, nos sibi pariter æterno amoris vinculo copulavit. Transivimus in affinitatem & cognationem obstupescendam.

Matth. c. 3. vers. 17. Per Christum in filios Dei adoptamur.

Plutarchus to. 1. opus. de fortunâ Alexandri, l. 1.

Rex Macedo Alexander, quod Plutarchus memorat, post Persas tot præliis victos aureâ sellâ sub tentorio aureo consedit coronatus, codémque introductas centum Persides sponsas totidem Græcis & Macedonibus sponsis nuptum collocavit. Ita Rex primus hymenæũ orsus potentissimis populis in amicitiam & fœdera coëuntibus, unus ipse sponsus tot nuptiarum auspex & conciliator, tot inter se gentes sociavit, Asiam Europæ junxit. Ceterùm Alexander vestem Persicam, imò miscellaneum quemdam Persico & Macedonico amictum sumpsit, ut jam omnium Imperator eorum quos armis obtinuerat, animos sibi conciliaret, Macedones non offenderet.

Videte, quæso, Dominum IESVM Regem nostrum tamquam sponsum de thalamo suo procedentem, *qui cùm in forma Dei esset, in similitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo*. Sic Angelos & homines, sic cælum & terram admirabili concordiâ devinxit. Non pigeat, obsecro, Deum nobis similẽ amare, qui amore nostri tabernaculum non aureum, quod Regem decuisset, sed luteum subire, inter pecudes habitare, Virginis lac trahere, algorem hyemis ferre, paleis indormire sustinuit, & in suum hoc tentorium pauperrimos quosque, non tantùm humanissimè admisit, sed & ultro per cœlestes genios vocavit admittendos.

Ps. 18. v. 6. Philip. c. 2. v. 6. & 7.

Hîc ego si linguis hominum loquar & Angelorũ, illius sacratissimę noctis seu diei mira numquàm satis explicavero. Cælum novam emittit stellam novo cursu per aëra festinantem: viderint Astrologi. Exercitus numquam anteà visus jam in sublimi cernitur; milites non tela fundunt, sed cantica: viderint Duces & Imperatores. Pauperes & abjectissimi hominum opiliones Evangelium è cælo accipiunt: viderint opulenti & nobiles. Infans pauperrimus ab Illustrissimo Legato appellatur Dominus: Logistæ viderint & archigrammatei. Virgo parit: viderit Hebræorum Ponticum consistorium, imò ipsa viderit natura, quid ad novum hunc partum dicat. Hac ipsâ nocte quâ Virgo peperit, à Saracenis strages horribilis edita Edessæ, ob virginem civis Edessæni violatam. Tragicam historiam ex fide recitat Carolus Sigonius de regno Italiæ. Atque uti olim ob unicam Dinam Iacobi filiam vitiatam urbs Sichimorũ Salem funditus est excisa, ita totum pæne Orientis regnum fuit perditum ob virginem unicam Armenii filiam stupratam. Vigilate virgines, & pudicitiã cautissimis studiis servate.

Natus est nobis hodie Salvator, qui est Christus Dominus, Luc. c. 2. vers. 11. Sigonius de regno Ital. l. 11. m. hi pag. 274. Gen. 34. toto.

§. XVII.

AVGVSTINVS.

EXultate virgines Christi, consors est vestra Mater Christi. Christũ parere non potuistis, sed propter Christum parere noluistis. Qui non ex vobis natus est, vobis natus est. Verumtamen si verbi ejus memineritis, sicut meminisse debetis, estis etiã matres ejus, quia voluntatem facitis patris ejus. Ipse enim dixit: *Quicumque facit voluntatem Patris mei, ipse mihi frater & soror & mater est*. Exultate viduæ Christi, quia fœcundam fecit virginitatem ille, cui vovistis continentiæ castitatem. Exulta etiam castitas nuptialis, omnes fideliter viventes cum conjugibus vestris, & quod amisistis in corpore, in corde servate. Vbi jam non potest esse à concubitu caro integra, sit in fide virgo conscientia, secundùm quam virgo est omnis Ecclesia. In Mariâ Christũ pia virginitas peperit: in Annâ Christum viduitas parvum grandæva cognovit: in Elisabeth Christo conjugalis castitas, & anilis fœcunditas militavit. Omnes gradus fidelium membrorum capiti contulerunt, quod ipsius gratiæ conferre potuerunt. Proinde quia Veritas & Pax & Iustitia Christus est, hunc fide concipite, operibus edite: ut quod uterus Mariæ in carne Christi, agat cor vestrum in lege Christi. Quomodo autem non ad partum Virginis pertinetis, quando Christi membra estis? Caput vestrum peperit Maria, vos Ecclesia. Nam ipsa quoque & mater & virgo est: mater visceribus charitatis, virgo integritate fidei. Pietatis populos parit, sed ejus membra sunt, cujus ipsa est corpus & conjunx, etiam in hoc similitudinem gerens illius Virginis: quia & in multis mater est unitatis. Omnes itaque unanimes, castis mentibus & affectibus sanctis diem Natalis Domini celebremus.

Aug. to. 10. de Nativit. Christi, ser. 12. de temp. serm. 14. pag. 218. Matth. c. 12. vers. 50.

Hodie

Hodie Veritas de terrâ orta est, Christus de carne natus est. Gaudete solenniter, & sempiternum diem hodierno quoque admoniti cogitate, æterna dona ipse firmissimâ concupiscite, filii Dei esse acceptâ potestate præsumite. Propter vos temporalis effectus est temporum effector, propter vos in carne apparuit mundi cõditor, propter vos creatus est Creator. Quid adhuc mortales mortalibus rebus oblectamini, & fugitivam vitam, si fieri posset, tenere conamini? spes longè clarior effulsit in terris, ut terrenis vita promitteretur in cœlis. Hoc ut crederetur res incredibilior prærogata est. Deos facturus qui homines erant, homo factus est, qui Deus erat: nec amittens quod erat, fieri voluit ipse quod fecerat. Ipse fecit quod esset, quia hominem Deo addidit, non Deum in homine perdidit.

§. XVIII.

AVCTOR.

Editus est Lutetiæ anno 1547. apud Nicol. Diuitem.

HOstiensis Antistes Drogo de Dominicæ passionis sacramento disserens, *Fecisti mihi Domine*, inquit, *de corpore tuo speculum animæ meæ.* Vt sturnus aut psittacus humana verba discat imitari, magister ingeniosus objicit ei speculum, ponè quod ipse stat, & vocem ad aviũ sonum inflectens verba format. Psittacus speculum, & in eo sui imaginẽ cernens, ab alio psittaco sibi simili verba, quæ audit, prolata credit, ita longè faciliùs eadem & ipse discit. Hanc artem in ave docenda usurpatam Nazianzenus hoc metro describit:

Quam visa in speculo sturni depicta figura
Edocuit, virq; ingenio præclarus & arte
Stans retro speculum, sturniq; in imagine fallens,
Dum sua furtivâ modulatur carmina voce.

Christi humanitas est speculum quod homini objicitur.

Ita igitur Drogo: Fecisti Domine, inquit, de corpore tuo speculum animæ meæ. Speculum, quod objicitur homini, est humanitas Christi, quâ Verbum æternum latens divina loquitur, divina patrat, ut homines in istud speculum inspicientes, & imaginem sui cernentes à terræ sordibus erigantur ad cœlestia, ad divina.

Mauret. l. 1. Var. lect. c. 2.

Mithridates Rex Asię & Ponti, cùm adhuc infantulus in cunis vagiret, cœlum mitissimè iratum expertus est; nam delapsum fulmen, fascias, quibus involutus erat, exussit, nec eum tamen læsit, vestigium dumtaxat ignis in fronte reliquit, quod facilè occultaret coma. Cùm jam vir esset, adeò vicinum dormienti fulmen cecidit, ut clausæ pharetrâ sagittæ, quæ proximè lectum pendebant, conflagrârint, rege penitus intacto. In Antonini Pii & in Nervæ Imperatorum nummis videre fulmen est in toro collocatum. Sunt & alia numismata, quæ pro signo habent aquilam insidentem fulmini, cui ramus oleæ implexus. Quo symbolo Carolus V. & Maximilianus I. usi. Bethlemiticam speculum ingredere, & fulmen in toro sed gramineo positum invenies. *Deus* olim *ultionum Dominus, Deus ultionum liberè egit*, & in peccantes iracunda torsit fulmina, fulminisque jaculator humili prorsus loco jacet exarmatus: neminem ferit Infans mitissimus. In hunc Herodis quidem fulmen vibratum est, sed casso afflatu. Herodianam sicam divinus Puer evasit. Ille unus non est jugulatus, quem furor tot mille infantum jugulis ludens quæsiverat.

Ps. 93. v. 1.

Lips. epist. centur. ep. 50 ad Ianum Hautenum.

Elephantum in urbe Goâ fuisse memorant, qui annuo illo & solemni furore correptus catenas abruperit & vincula. Fugientibus omnibus, servulũ quempiam qui ulnis infantem dominicum gestabat, in ædes properè irrupisse, oblitum sarcinæ quam deposuerat in illâ trepidatione ante ædes. Elephas adest. Mortem omnes & obtritũ pueri expectant. Ille conA trà manu suâ leniter attollit; in humile tectum, quod è regione ædium collocat, respectans curiosè, satisne puer illic sine damno. Dein Furibundus cursum suum exequitur. Id datum omnes interpretabantur veteri beneficio; quia mulier earum ædium domina, & infantis mater, elephanti transeunti sæpius panem aut fructus obtulerat.

Hic siste cursum brute homo, quicumque vel libidinis vel aliorum vitiorum impetu in vetitum ruis. Ad has cunas, ad hunc Infantem, cœpti furoris tantisper obliviscere. An parvulum hunc nosti? Benefactor tuus est. An lasciviendo perges in illum sævire? Redemptor tuus est, qui non lachrymas solùm, sed & sanguinem pro te fusurus. Conditor tuus est, qui te vel cœlo adscribere, vel in gehennam ablegare potest. An in Benefactorem, in Redemptorem, in Conditorem tuum calces elidere non desines? furiosum hunc cursum tuum non sistes, lacrymas & sanB guinem Christi conculcatum ibis? Hactenus ista. Fuerimus tales; non ampliùs simus. Iam meditemur sanctiora. Malitiam tot annis perpetuatam denique castis moribus expugnamus. Sat datum est impio furori. In viâ se objicit divinus Infans. Si belluis non minùs sapimus, cœlestem parvulum verebimur, in posterum vitam acturi castiorem.

Curtius l. 5. fine.

Rex Macedo Alexander filiolum Darii victo jam patre in brachia sublatum collo suo admovit. At puer nihil conspectu tum primùm à se visi conterritus, cervicem ejus avidis manibus est complexus. Motus Rex tam amabili constantiâ pueri, & Hephæstionem suum intuitus, Quàm vellem, inquit, Darius aliquid ex hac indole hausisset. Cœlestis Pusio Bethlehemi cujus delicię sunt esse cum filiis hominum, non horret sordidissimorum etiam servulorum complexus; quos ultro strictis invadit brachiolis, & provocat ad amandum. Quin ergo pro se quisque dixerit: Quàm C velim aliquidẽ divinâ indole hac hauriam! Amo te, ô amor meus, ô dulcedo, ô vita mea! In amantissimos complexus tuos me totum infundo. Cælum & terra, & quæ cœlo terráque continentur, omnia non cessant mihi dicere, ut amem te. Da mihi te, ô mi amantissime IESV, meus à tuo pendet spiritu. Te enim amo, & validiùs amare cœpio. Bonum mihi longè mihi optimum est, tibi uni adhærere. Hoc enim scio, quia numquam non malè mihi est in meipso extra te. Omnis copia quæ Deus meus non est, egestas mihi est.

Chrysost. hom. 8. ad pop. Antioch. fine.

Puer non horret vilissimorum servulorum amplexus.

Apologum narrans Ælianus: Sachoræ Babyloniorum, inquit, prædixerunt Chaldæi, nascituram Regi è filiâ nepotem, qui regnum esset adempturus avo. Rex concepto metu filiam arctè jussit custodiri. Sed laxatâ subinde custodiâ demum peperit filia. Custodes Regis iram veriti natum infantem ex arce præcipitârunt. Fortè autem prætervolans Aquila, avis D acutissimi visûs, illico lapsum cadentis subiens, infantem excepit dorso, & in hortum, non adeò remotum deportans, leniter deposuit. Hunc horti dominus inventum, præsigni formâ pueri delectatus in filium educavit & appellavit Tilgamum. Is posteà in Babylonios regnum occupavit. Mutato nomine de te fabula cantatur tyrannorum scelestissime Herodes. Infantem Bethlehemi natum sceptro tuo insidiaturum stultissimè verebaris. Regna daturus venit hic Infans, non erepturus. *Et regnabit in domo Iacob in æternum, & regni ejus non erit finis, & regnum ipsius omnibus dominabitur.* Hunc puerum quem gladio tuo destinâsti, non aquila, sed expedita in Ægyptum fuga subducet. Tu puerorum lanio atrocissimus hunc unum non lædes, quem unum macello tuo promittebas. *Non est Prov. 21. sapientia, non est prudentia, non est consilium contra Dominum.* *Ælianus l. 12. de animal. c. 21. p. 758.*

Luc. 1. vers. 33. Psal. 144. vers. 13.

Proboscide.

Fre-

Fremat & veluti læsus leo rugiat sæviátque Herodes; non refert: cælestem puerum cantantes Angeli defendunt, qui pro sui Principis salute excubant. In Trimalcionis viri opulenti domo, familia tota cantillare docta convivium omne cantibus permulcebat. Poscenti potionem paratissimus puer cantando poculum præbebat: quisquis domesticorum aliquid rogatus erat, ut daret, non sine cantico dare solebat. Nascente Christo cælum omne lætis canticis exsonabat, *Gloria in altissimis Deo, & in terrâ pax hominibus bonæ voluntatis.* Nihil ad hoc melos cantantium avicularum musica, quam prisci Persarum Reges in deliciis habebant. Cùm enim Rex in publico se conspici passus, thuribula argentea ministri ferebant totúmque iter, per quod ferri destinârat, odoribus complebant. Aureâ lectică margaritis circumpendentibus recubabat. Distincta erant purpurâ & auro carbasa quibus induebatur. Lecticam sequebantur armati corporisque custodes. Inter quos à ramis pendebant aves, quas cantu seriis rebus obstrepere docebant. Ipsa regia columnis fulciebatur auratis, quas totas vitis auro cælata percurrebat, aviúmque, quarum visu maximè gaudent, argenteæ effigies distinguebant. Si regium hanc luxum, si & nostrum cum Regis nostri stipulis & pannis conferamus, illud Zachariæ & Matthæi pronuntiabimus: *Ecce Rex tuus venit tibi justus & Salvator: ipse pauper & ascendens super asinum, & super pullum filium asinæ. Ecce Rex tuus venit tibi mansuetus*, omni pompâ & deliciis damnatis, & tu in omnem luxum effusus hoc unum operosè agis, ut submissam paupertatem, quam Rex tuus unicè amavit, foribus tuis longissimè arceas? Sed cogita, quod Augustinus monet, *quales nos facturus est de divitiis suis, quos divites fecit de paupertate suâ.* Quia ergo Pater cognovit figmentum nostrum, quòd fœnum sumus, & ad tempus florere possumus, misit nobis Verbum suum, & Verbum suum quod manet in æternum, fœno, quod non manet in æternum, fratrem fecit. Naturâ unigenitum, unicum natum de substantiâ suâ, fratrem adoptatis tot fratribus fecit. Noli mirari, quia particeps eris æternitatis illius, factus est ipse prior particeps fœni tui. Quod excelsum est à te, tibi non denegabit, qui quod humile erat ex te, suscepit.

Dicat jam nobis pauperiste, caput nostrum: pauper voluntate, loquatur pauperibus in necessitate, ne fortè ipse sit, & meliùs ipse agnoscatur, & pelicanus in solitudine, & nycticorax in parietinis, & passer singularis in tecto. Christus ergo pelicanus nascendo, nycticorax moriendo, passer resurgendo. Hîc in solitudine (in stabulo) velut solus: ibi in parietinis velut occisus ab eis qui stare non potuerunt in ædificio: demum vigilans & volans singularis in tecto, illic interpellat pro nobis. Sed Augustinum de ipso Christi nati lætissimo die non sine singulari gaudio loquentem audiamus.

§. XIX.

AVGVSTINVS.

Lætetur ergo omne mundi hujus exilium, exultet sæculum paullò antè captivum. Misit Deus Filium suum, qui naturam terreat, moriatur & vincat. Terruit namque Herodem natus, vicit diabolum innocens crucifixus. Cela Domine sub pelle carnis animum virtutis, habitum majestatis paullisper occulta. Dege in utero Virginis, egredere & congredere ex tentorio sacræ Virginis. Apta pro me suscipulam, ubi totam liberas creaturam. Gaudeamus ergo, fratres, in commercio Dei & hominis, sponsi & sponsæ, Christi & Ecclesiæ, Salvatoris & Virginis, quæ dum desponsaretur fabro, cæli nuptiæ architecto. Veneremur Christum in præsepi, qui quadrifarium mundum replevit in fide. Adoremus pannos infantiæ, ex quibus facta sunt emplastra naturæ. Honorate pastores, qui primi mysterium ab Angelis dicerunt. Plaudamus cuncti cum cælestibus Angelis officiisque divinis, & terræ pacem bonæ voluntatis hominibus nuntiemus. Date gloriam in excelsis Deo, redempti credite datam pacem esse captivis. Estote homines bonæ voluntatis, ut mereamini præmium libertatis.

§. XX.

AVCTOR.

TAmerlanus ille orbis terror Ægyptum jam depopulatus, Damascum rursus obsidione alterâ cinxit, & in tertium usque mensem acerrimè oppugnavit, ac demum deficiente annonâ in suam potestatem redegit. Quam cùm victor ingrederetur, Mahometi Pontificem unà cum sacrificulis obvium sibique supplicem in templum abire jussit. Eodem mox ingens numerus civium triginta millia hominum velut in asylum confugerunt. Tamerlanes obserato jam templo circum circa maximam lignorum struem componi, accendi, & omnes templo clausos concremari jussit, urbem deinde funditus evertit, & solo æquavit. Captæ urbis post se trophæum reliquit tres è cæsorum calvariis turres non sine ingenio erectas.

Ab hac tyrannide Diocletianus non multùm abluit. Nam ipsâ Nascentis Christi sacratissimâ nocte, quod Nicephorus narrat, in templo Nicomediæ supra viginti millia Christianorum convenerunt, Dominico Natali ex more celebrando. Hîc Diocletianus Imperator tam frequentem populi Christiani coitionem, præclaram sibi occasionem ratus, templi fores obserari, & circum circa toto ambitu ignem strui, sed & unà grandi præconis voce proclamari jussit: Quisquis unà cum templo conflagrare nollet, foras prodiret, & ad proximam aram thus Jovi adoleret. Qui hoc facere in animum induceret, nec unicus quidem è viginti millibus fuit. Unus omnium loco in hunc modum respondit: Omnes Christiani sanguinis sumus, Christum Jesvm, verum Deum, Regem nostrum liberè profitemur, illi uni sacrificamus, paratissimi nos ipsos huic Domino in victimam offerre. Dixit, & continuò nimiùm quantùm invalescens ignis, omnes unà cum templo consumpsit. Ita eo die tot millia hominum cælo nata sunt, quo Dei Filius in terrâ nasci dignatus est. Transierunt isti felicissimè per ignem, in refrigerium educti duce infante.

Hoc ipso Nascentis Christi anniversario die Cantuariensis Episcopus Augustinus à Gregorio Magno in Angliam missus, supra decem millia hominum sacro fonte lustravit.

Eugeniæ virgini & martyri aquis & ignibus jam devictis Dominus Jesvs in carcere se conspicuum dedit, & per aliquot dies jejunæ panem nivei candoris & inusitatæ suavitatis porrexit cum dicto: *Sume cibum, Eugenia, cælo te recipiam, eo die quâ natus sum in terrâ.* Ita ipso Domini die natali missus speculator ferro virginem trucidavit, & ad cælum, prout sponsus promiserat, transmisit. Nimirum dies Nascentis Christi, dies boni nuntii est, ut suprà demonstratum, quo natus Rex liberalissimus in nos munificentissimúsque fuit. Priori addo.

Christiana virgo cernens paratas sibi in tormentum cunas ferreas & illas quidem candentes atque ignitas, cruciatus suos generoso joco excipiens: In cunis, inquit, infantula, in cunis adulta. Deus olim in monte flammeo inter ignes cum Moyse loquebatur. Jam hic ipse Deus plorat in stabulo, pæne aquâ & igni interdictus à mundo.

Huic Martyres septenos ad ignem subjungo. Anno salutis reparatæ quadringentesimo octogesimo quarto Hunericus ab impietate notissimus rex Carthagine Liberatum séxque alios illius socios athletas Christianos è carcere catenis oneratos educi jussit, in navigio ignibus parato

Ioannes Heroldus lib. 6. Belli sacri continuati. Adrichomius in Theatro terræ sanct. n. 40. de tribu Manasses, mihi pag. 84.

Nicephor. lib. 7. hist. Eccles. c. 6. mihi p. 282. Baronii Martyrolog. die 25. Decembris.

Iac. Gaultherius ad ann. 600. mihi pag. 493.

Rosweyd. in vitis Patrum, lib. 1. mihi p. 348.

Zacharias Lippeloo die 17. Augusti.

parato concremandos. Ibant generosi pugiles tamquam non ad pugnam, sed ad triumphos evocati: ibant, & per omnes quas transibant vias, lætissimum illud junctis vocibus cantabant: *Gloria in excelsis Deo, & in terrâ pax hominibus bonæ voluntatis.* Demum non flammis suarum virium oblitis, sed remis trucidati in victimas Deo ceciderunt.

Luc. cap. 2. v. 14.

Bern. ser. 1. de Epiphaniâ Domini.

Quàm verè dixit de Christo nato Bernardus: *Quantò minorem se fecit in humanitate, tantò majorem se exhibuit in bonitate.* Nostrâ se carne texit, ut diabolo ad invadendum se animos augeret. Ita Nero Christianos, ut avidiùs lacerarentur à canibus, ferarum pellibus jussit insui. Tacitus testatur. Pereuntibus addita ludibria, ut ferarum tergis contecti, laniatu canum interirent; aut crucibus affixi, aut flammandi: atque ubi defecisset dies, in usum nocturni luminis urerentur. Hortos suos ei spectaculo Neroni obtulerat. Nimirum viridi venator veste virescit, ut familiarem colorem minùs horreant feræ: solem ipsum oculis fixis non aspicimus nisi nube tectum. Sol Christus ut humanis oculis posset aspici humanitatis nube voluit velari. Eâ de re Hipponensis Theologus hominem affatus; *Pulchrum est,* inquit, *cælum, sed pulchrior fabricator cæli. Sed video cælum, & illum non video. Oculos enim habes ad videndum cælum, cor nondum habes ad videndum fabricatorem cæli. Ideo venit de cælo in terrâ, ut mundet cor, quo videatur qui fecit cælum & terram. Tu planè cum patientiâ salutem exspecta.*

Tacitus lib. 14. Annal. mihi p. 340.

August. in Psal. 85. mihi pag 385.

Eccles. c. 10. v. 16.

Clamat Ecclesiastes. *Væ tibi terra, cujus Rex puer est.* Nos Christo nato vertimus, & cantamus: Bene tibi terra, bene tibi cælum, bene nobis omnibus, quorum puer iste rex est. Plaudamus, & gratulemur omnes, quia *parvulus natus est nobis, & filius datus est nobis; & factus est principatus super humerum ejus.* Hic Princeps, iste Rex noster est, qui nascendo præsepiolum, moriendo patibulum suo corpore consecravit.

Isa. cap. 9. v. 6.

De hoc Baron. tom. 2. Annal. Eccles. an. 137. num. 5. 6. 7.

Nihil agis, Hadriane Imperator, qui ut paupertinum Regis nostri præsepe sepelires, atque ita Christiana sacra locorum injuriâ extingueres, Adonidis fanum eodem loci erexisti. Nihil agis Hadriane. Hic Puer atque Rex noster, & Adonidem tuum & omnia inferorum monstra præcipitabit. *Ecce Dominus,* præcinit Isaias, *ascendet super nubem levem, & ingredietur Ægyptum & commovebuntur simulacra à facie ejus, & cor Ægypti tabescet in medio ejus.*

Isa. cap. 19. v. 1.

Tres Israëlis servatores: *Moses, Cyrus, & Christus.*

Tres Israëlis numerantur Servatores, sed heu nimiùm quàm dispares; Moyses, Cyrus, Christus. Ille in flumen depositus, iste feris projectus, hic ante feras expositus, *a* & in viâ publicâ natus, ab omnibus adiri, salutari, aspici, contrectari facillimus. Nos alios sæpe mores induimus fastu & tumore plenos. *b* Plautianus, vir ingenii supercilio tumidissimus, cujus apud Severum Imperatorem maxima fuit auctoritas, in publicum progressus, latum clavum, *c* ensem, ceteráque imperatoria gestans, per anteambulonem oculos occurrentium averti jussit, à nemine passus se aspici. Puer Hebræus, Rex noster mollissimos habet aditus, nec aditu tantùm, sed & tangi sustinet ab omnibus. Imò ipse ultro ad se omnes invitatis, *Venite,* inquit, *ad me omnes.* *d* In viro principe virtus est nobilissima, adeundi facilitas, & benignitas audiendi. Quâ de re insigniter Latini Pacati & Drepani Panegyricus Theodosio Augusto Romæ dictus perorat.

a Vide totam de hoc concionem Iacobi Suarezii in tria capita Apocalypseos.

b Herodianus in eo, pag. 4.

c Genus senatoria vestis.

d Matt. cap. 11. v. 28.

Varro lib. 2. de re Rustica cap. 10.

Dicuntur mulieres Illyricanæ partûs esse facillimi. Nam in Illyrico, Varrone teste, prægnantes sæpe cùm pariendi tempus est, ab opere non longè abeunt, ibique infantem tam facili nixu pariunt, ut non peperisse putes, sed invenisse. Ita in Indiâ Canarinorum feminæ sine omni obstetricum ope fœtum edunt solæ. Nec enim ita pridem homo Europæus, quod Indica navigatio me docet, per Canariæ villam ambulans, ob maximum sitis ardorem è proximâ casâ potum petiit. Hic sola mulier aliqua linteamine præcincta, in ligneâ pelvi recentem à partu infantem abluebat, quem Indicæ ficûs fo-

Ioan. à Linschoten Navig. Ind. cap. 39.

A liis impositum humi locavit, & unà rogavit peregrinum hominem, tantisper expectaret, dum ipsa ferret aquam. Ita hæc puerpera doloris omnis & molestiæ à recenti partu secura hoc unum satagebat, siti alienæ gratificari. Apollonii Thyanæi mater, uti Philostratus narrat, in prato florido correpta somno, cygnorum circumstantium delinita cantu, spirante Favonio, demum sopore jam discusso sine obstetricis officio puerum terris fatalem edidit. Somnia, & fabulæ. Virgo & mater divina non cygnis, sed cantantibus Angelis cincta sine obstetrice ac sordibus, sine omni dolore ac molestiâ Servatorem orbis edidit: *Virginitatis,* ut Bernardus loquitur, *primiceria, sine corruptione fecunda, sine gravamine gravida, sine dolore puerpera. Sed & ascendit Bethlehem imminente jam partu, portans pretiosissimum illud depositum, portans onus leve, portans à quo portabatur. Sic & in partu novâ exultatione novam edidit prolem sola inter mulieres, à communi maledicto & dolore parturientium aliena.*

Philostr. lib. 1. de vita Apollonii cap. 4. mihi p. 7.

Bern. ser. 2. super Missus, mihi p. 340.

B Aristonymus priscus Comicus, Suidâ teste, de sole algente fabulam scripsit. Quàm verè sol noster Bethlehemi alsit in stabulo! quod Bernardus egregiè prosecutus, *Porrò ibi,* ait, *agnoscitur longitudo brevis, latitudo angusta, altitudo subdita, profunditas plana. Ibi agnoscitur lux non lucens Verbum infans, aqua sitiens, panis esuriens. Videas si attendas, potentiam regi, sapientiam instrui, virtutem sustentari: Deum denique lactantem, sed Angelos reficientem: vagientem, sed miseros consolantem. Videas, si attendas, tristari lætitiam, pavere fiduciam, salutem pati, vitam mori, fortitudinem infirmari. Sed quod non minùs mirandum est, ipsa ibi cernitur tristitia lætificans pavor confortans, passio salvans, mors vivificans, infirmitas roborans.*

Suidas pag. 334.

Bern. loc. 2. super Missus, mihi p. 340.

§. XXI.

AVGVSTINVS.

C Laudem Domini loquetur os meum; Ejus Domini per quem facta sunt omnia, & qui factus est inter omnia. Qui est Patris revelator, Matris creator, Filius Dei de Patre sine matre, Filius hominis de matre sine patre. Magnus dies Angelorum, parvus in die hominum. Verbum Dei ante omnia tempora, Verbum caro opportuno tempore. Conditor solis, conditus sub sole. Cuncta sæcula ordinans de sinu Patris, hodiernum diem consecrans de utero matris. Ibi manens, hinc procedens. Effector cæli & terræ, sub cælo exertus in terrâ. Ineffabiliter sapiens, sapienter infans. Mundum implens, in præsepio jacens. Sidera regens, ubera lambens. Ita magnus in formâ Dei, brevis in formâ servi; ut nec istâ brevitate magnitudo illa minueretur, nec illâ magnitudine ista brevitas premeretur. Neque enim quando membra humana suscepit, opera divina deseruit: nec attingere à fine usque ad finem fortiter & disponere omnia suaviter destitit. Quando infirmitate carnis indutus, virginalis utero receptus est, non inclusus, ut nec Angelis subtraheretur sapientiæ cibus, & nos gustaremus quàm suavis est Dominus. Proinde quia Virgo concepit & peperit filium, propter manifestam servi formam, puer natus est nobis. Quia verò Dei Verbum quod manet in æternum, caro factum est, ut habitaret in nobis, propter Dei formam latentem, sed manentem, sicut nuntiavit Gabriël: Vocamus nomen ejus Emmanuel. Factus est enim homo, permanens Deus, ut & Filius hominis rectè vocetur, Nobiscum Deus: Non alter Deus, non alter homo. Exultet in credentibus mundus, quibus salvandis venit per quem factus est mundus. Conditor Mariæ, natus ex Mariâ, filius David, Dominus David, semen Abrahæ, qui est ante Abraham. Factor terræ factus in terrâ. Creator cæli creatus sub cælo. Ipse est dies quem fecit Dominus, & dies cordis nostri ipse est Domini. Ambulemus in lumine ejus, exultemus & jucundemur in eo.

Aug. ser. de Natiu. Dom. de Tempore ser. 1. mihi p. 1.

§. XXII.

AVCTOR.

Vita Christinæ Virginis Stumbrensis, auctore Thomâ Cantimpratano, lib. 2. de miraculis fæminarum, cap. 11. num. 95.

ITer fecerat per Brabantiam vir religiosus: Dum autem solus præmisso in hospitium famulo viam conficit, puerulum, ut putabat, triennem frontis liberalissimæ in nivibus hærescentem & flentem invenit. Motus homo adeò indignâ sorte tam teneri pueri, equo descendit, & quæsiit, quid illic ageret solus, à quonam eò delatus? Cui puer haud aliter quàm solis lacrymis respondit. Viator iterum, Matrémne, inquit, habes aut patrem? quâ denique fortunâ huc deveniſti? Ad ea puer altiùs illlacrymans, Heu me, ait, cur non plorem? Solus, egens, desertus ab omnibus inter altas nives hæreo, nec est qui vel rogatus hospitium præbeat. Peregrinator puerum complexus, ascensum cum illo moliebatur in equum. Sed puer è viri brachiis evanuit. Hîc viri lamenta, lector, cogita. Ajunt eâ nocte totâ inter gemitus & lacrymas hoc unum idemtidem ingeminasse: Heu, puer mi amantissime, cur me deseruisti, cur ego te tam citò perdidi?

Ruffinus apud Rosweyd. mihi pag. 631. Idem testatur Pelagius libell. 18. num. 7. mihi pag. 637.

Huic geminum Ruffinus Aquilejensis memorans: Zenon Abbas, inquit, cùm in Scithi habitaret, nocte quadam ingressus iter errare cœpit. Tribus diebus totidémque noctibus per ampliſſimam eremum huc illuc viæ ignarus incerto pede ferebatur. Ita demum extremâ fatigatione semianimis concidit. Rebus omnibus desperatis puerulus manu panem gestans adstitit, & jacenti dixit: Surge, comede. At Zenon spectrum arbitratus, in preces sese erexit. Cui puer, Rectè agis orando, inquit, sed jam surge & comede. At ille secundùm ac tertiùm orans, denique surrexit & comedit. Seni jam refocillato puer iterum. Quantò, inquit, à tuo tugurio longiùs abiisti, tantò ampliùs errasti; sed nunc me sequere. Mox ad suam se cellulam consistere advertens Zenon, puerum humaniſſimè invitavit ad ingressum, & veluti sequentem duceret, ivit præ. At puer subitò disparuit. Et quisnam iste puer est, qui peregrinantium errores corrigit, qui esurientium famem reficit, qui hospitium rogat, & non impetrat? quis iste puer est, nisi ille ipse, cui nascituro *non erat locus in diversorio.*

Luc. cap. 2. v. 7. Pelagius libell. 8. num. 5. mihi pag. 581. & Ruffinus Aquil. lib. 3. n. 170.

Fuit è priscis Anachoretis, qui, Evagrio teste, eò paupertatis est redactus, ut nec panem nec pecuniam, nec aliam supellectilem ullam, quàm solum haberet Evangelium. Ut tamen esset quod in pauperes erogaret, ipse omnium pauperrimus, ipsum quoque vendidit Evangelium. Ne tamen id temere feciſſe censeretur, illud memoriâ dignum in caussam adferens. Ipsum etiam, inquit, verbum vendidi, quod jubet: *Vende omnia & da pauperibus.* Reverà Verbum æternum vendidit seipsum, ut esset lytrum quo homines à Lucifero captivi redimerentur.

Matt. c. 19. v. 21. Luc. cap. 18. v. 22. Theodoretus cap. 2. apud Rosweyd. mihi pag. 796.

Asterius juvenis nobiliſſimus, sed molliter educatus, quod Theodoretus narrat, Julianum Sabam virum sanctiſſimum magnis precibus rogabat, dux sibi esset per longiorem illam solitudinem, quam lustrare cuperet. Monuit Julianus, viam esse admodum longam, & raram in eâ aquam, vereri se ne viator inassuetus in itinere succumbat. Sed victus repetitis precibus senex ducem se præbuit. Uno altéroque, sed & tertio die feliciter progressus Asterius, demum ægrè sequi, lassescere, hærere, æstuare, continuâ siti arescere, denique deficere, & senem obsecrare sui vellet misereri. Cui senex. Hæc, inquit, prædicebam. Sed revertere dum licet. Ad ea Asterius. Nec solus viam scio, inquit, nec si sciam, viribus consumptis progredi possum; extinguor siti. Misertus sui comitis homo divinus, & in genua procumbens, atque in preces effusus, calidis lacrymis rigavit solum. Adfuit oranti Deus, qui *voluntatem timentium se facit, & deprecationem eorum exaudit.* Precantis lacrymæ eo ipso loco scaturiginem fontis dederunt. Fons autem, inquit Theodoretus, manſit usque in hodiernum diem.

Psalm. 144. v. 19.

Quid est, ô mi amantiſſime JESV, cælestis parvule, quòd servi tui scaturire fontes sæpiùs precatione ac lacrymis jusserunt, & tu tibi ipse dees fons omnium bonorum? Cur non ad tuas potiùs lacrymas extemporalis fons erupit? Nimirum hora tua nondum venerat, & in præsepi non virum Thaumaturgum, sed infantem pannis ligatum agere volebas, qui de famulis tuis in cenaculo jam vicinus morti prædicebas: *Amen, amen dico vobis, qui credit in me, opera quæ ego facio, & ipse faciet, & majora horum faciet.* Ioan. c. 14. v. 12.

Sed illud ipsum Christi Nascentis antrum nobiliſſima illa Romana vidua Paula precibus & lacrymis frequentavit. De hac testatus Hieronymus. Inde, inquit, Bethlehem ingressa, & in specum Salvatoris introiens, postquam vidit lacrum Virginis diversorium & stabulum, in quo *agnovit bos possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui*, ut illud impleretur, quod in eodem propheta scriptum est: Beatus qui seminat super aquas, ubi bos & asinus calcant: me audiente jurabat, cernere se oculis fidei infantem pannis involutum, vagientem in præsepi Dominum, Magos adorantes, stellam fulgentem desuper, matrem Virginem, nutricium sedulum, pastores nocte venientes, ut viderent Verbum quod factum erat, & jam tunc Evangelistæ Joannis principium dedicarent: *In principio erat Verbum, & Verbum caro factum est*: parvulos interfectos, Herodem sævientem, Joseph & Mariam fugientes in Ægyptum: mixtisque gaudio lacrymis loquebatur: Salve Bethlehem, domus panis, in quâ natus est ille panis, qui de cælo descendit. Et ego misera atque peccatrix, digna sum judicata deosculari præsepe, in quo Dominus parvulus vagiit? Stare in spelunca, in quâ Virgo puerpera Dominum fudit infantem? Hæc requies mea, quia Domini patria est: hîc habitabo, quoniam Salvator elegit eam. Paravi lucernam Christo meo. Anima mea illi vivet, & semen meum serviet illi.

Hieron. in vitâ Paulæ cap. 2. apud Rosweyd. pag. 404. & 405. Isa. cap. 1. v. 3. Idem c. 32. v. 20. Ioan. cap. 1. v. 1. & 14.

Dies sanctificatus est Domino Deo nostro, inquit Esdras, *nolite lugere, & nolite flere. Ite, comedite pinguia, & bibite mulsum, & mittite partes his qui non præparaverunt, quia sanctus dies Domini est, & nolite contristari. Gaudium etenim Domini est fortitudo nostra.* Videri possit minutum quod addo, aliquid tamen admirationis habet, quia prorsus insolitum. Anno milleſimo sexcenteſimo undecimo, hoc ipso natali die Domini sancto avicula in templum divi Sebastiani convolavit (quod ipse meis oculis spectavi) & organum sublime insidens natalitiis odis pro viribus accinuit. Manſit ea in hoc templo ad primam Quadrageſimæ Dominicam, quæ sacris Evangeliis, Christi à diabolo tentati memoriam refricat. Sed hoc ipso die in idem templum accipiter & falco, nescio quo errore ab aucupio vicino fugitivi subvolarunt, & aviculam miſellam devorarunt in prædam. Liceat dicere: non aliâ lege natus est Christus (quem suprà cigelo debili aviculæ contulimus) quàm ut morti præda fieret, à morte dilacerandus in cruce. Sed teter hic falco reddidit quam glutiit. 2. Esdræ cap. 8. v. 9. & 10. Eberspergæ oppidum est Bavariæ.

Rege Lacedæmonum Polydecte mortuo, vidua posthumo fœtu gravida nuntiavit defuncti conjugis fratri Lycurgo: Ut securus regnum absque competitore occuparet, suam à se prolem in utero enecandam veneno. Lycurgus consilium sibi non displicere simulans, ne tamen ipsa sibi noceret, fœtui quoque jubet parci, rationes non defuturas ad jam editam prolem extinguendam. Dictis illa fidem habuit, & cùm egregiũ masculum peperiſſet, Lycurgus eum in senatum deferens, En, inquit, hic vester legitimus rex est, Lacedæmonii, non ego. Et unà cum dicto exrex purpurâ quam indutui gerebat, puellum involvit. Joannes Baptiſta Christo fideliſſimus, de Christo apertè, *Medius, inquit, vestrûm stetit, quem vos nescitis*: imò medius illorum jacuit, quem nescierunt. Ioan. cap. 1. v. 26.

Alexandriæ * cùm audiſſet populus pro concione dici: Pepe- * Schultingius tom. 5. antiquit. Eccleſiaſt. c. 4.

ci: Peperit itaque Deipara Emmanuelem: universus acclamavit: Ecce fides eadem est donum Dei, Cyrille. Hoc audire cupiebamus. Qui non ita loquitur anathema sit. Nos idem hodieque laeti vociferemur: Jam natus est Emmanuel, prout prædixit Gabriel. *Laudate cæli, & exulta terra, jubilate montes laudem, quia consolatus est Dominus populum suum, & pauperum suorum miserebitur. Cantate Domino canticum novum quia mirabilia fecit.* Mirabile, Deus homo, Mirabile, Mater Virgo. Mirabile, hæc arcana pauperibus primò omnium enuntiari.

Isa. cap. 49. v. 13.

Psalm. 97. v. 1.

Bern ser 3. de Nativit. Dom. sub finem pag. 79.

Sed ô duritia cordis humani! Vtinam, Domine, sicut Verbum caro factum est, ita & cor meum è saxeo fiat carneum. Indignum nimis est hunc Infantem ab Angelis laudari, à stellâ promulgari, à bestiis agnosci, ab homine, pro quo natus, non tantùm non agnosci, sed à rebus creatis agnitum contemni, & ad necem quæri. *Videamus igitur hoc Verbum, quod factum est, quod Dominus ostendit nobis. Veniamus ad ipsum Dominum credendo, proficiamus gratias agendo, agnoscamus perseverando. Veniamus ad illum, & inter nos concordemus. O infelix infirmitas! venit ad ægrotum medicus, & litibus vacat ægrotus.*

Aug. ser. 9. de Nativit. Dom. fine.

Sed nullus finis, satietas nulla de Nascente Christo dissertandi. Liber hîc illud Augustini usurpare. *Nec satiabar dulcedine mirabili considerare altitudinem consilii tui super salutem generis humani.* Innumera sunt, Lector, quæ dicenda hîc supersunt. Sed ego denique de tabulâ manum tollo, eámque ad alteram tertiámque partem Morientis & Resurgentis Christi explicandam admoveo. Hanc verò partem primam silentio finiendam ad magni Præsulis exemplum censeo.

Aug. lib. 9. Confess. c. 6.

Cyrus Constantinopoli urbi Præfectus, sed ab invidiâ sæviter exagitatus, ipsis Domini Jesv Natalibus Smyrnam venit Smyrnensium Episcopum acturus. Suspicabatur Populus hominem adhuc paganis ritibus addictum ad se venisse. Ita petiit ab eo, ut pro concione verba faceret. Coactus ergo suggestum ascendit, pacémque imprecatus, Fratres, inquit, Natalis Domini nostri Jesv Christi silentio colatur, quia solo auditu in sacrâ Virgine conceptus est, erat enim Verbum, cui gloria in sæcula. Amen. Et cum faustâ totius gratulantis populi acclamatione descendit.

Aulus Sozom. Theodos. lum. in hist. vac. ad. minus p. 222.

Ita prorsus, quidquid de virginis partu dixerimus, infinitam rei dignitatem dicendo numquam assequemur. Post omnia vel ore vel calamo explicata, plura supererunt explicanda. Idem de Moriente ac Resurgente Christo dixerim. Hæc igitur tam arcana mysteria, cùm verba deficiant, reverenti silentio colamus. Hoc tamen unum atque unicum salubri præceptiunculâ, ore Dominico editum instillo: *Quicumque humiliaverit se sicut parvulus iste* (in antro Bethlehemi natus) *hic est major in regno cælorum.*

Matt. c. 18. v. 4.

FINIS Primæ partis Delitiarum gentis humanæ.

DELICIARVM GENTIS HVMANÆ
PARS II.
CHRISTVS IESVS MORIENS.

CAPVT PRIMVM.

Christus suorum pedes lavat, & hymno dicto egreditur in olivetum.



HRISTVS humilitatis magister sapientissimus, ut superbiam nostram suâ submissione corrigeret, mortis suæ tragœdiam ab Hvmilitate orsus, *surrexit à cenâ, & posuit vestimenta sua, & cum accepisset linteum, præcinxit se. Deinde misit aquam in pelvim, & cœpit lavare pedes discipulorum, & extergere linteo, quo erat præcinctus.* Hîc ego cum Gregorio Magno ad hoc spectaculi orbem convoco, & altum vociferor: Audiant simul omnes, *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.* Audiant omnes: Immundus est apud Deum omnis qui exaltat cor suum. Audiant omnes: *Quid superbis terra & cinis?* Contra hujus languoris pestem audiamus cuncti, quod magistra Veritas docet, dicens: *Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde.* Ad hoc namque unigenitus Dei Filius formam infirmitatis nostræ suscepit, ad hoc invisibilis non solùm visibilis, sed etiam despectus apparuit, ad hoc contumeliarum ludibria, irrisionum opprobria, passionúmque tormenta toleravit, ut superbum non esse hominem doceret humilis Deus. Quanta ergo humilitatis virtus est, propter quam solam veraciter edocendam, iis qui sine æstimatione magnus est, usque ad passionem factus est parvus? Quia enim originem perditioni nostræ superbia præbuit diaboli, instrumentum redemptionis nostræ inventa est humilitas Dei. Hostis quippe noster magnus inter omnia conditus, videri super omnia conditus, videri super omnia voluit elatus. Redemptor autem noster magnus manens super omnia, fieri inter omnia dignatus est parvus. Sed meliùs & elationis caussam detegimus, & fundamenta humilitatis aperimus, si brevi commemoratione perstringimus, quid mortis auctor, quid vitæ conditor dicat. Ille namque ait: *In cælum ascendam.* Iste autem per Prophetam dicit, *Repleta est malis anima mea, & vita mea inferno appropinquavit.* Ille dicit: *Supra astra cæli exaltabo solium meum.* Iste humano generi à paradisi sedibus expulso dicit: *Ecce venio citò, & habitabo in medio tui.* Ille dicit: *Sedebo in monte testamenti, in lateribus Aquilonis.* iste dicit: *Ego sum vermis & non homo, opprobrium hominum, & abjectio plebis.* Ille dicit: *Ascendam super altitudinem nubium, & similis ero Altissimo.* Iste *cùm in formâ Dei esset, non rapinam arbitratus est se æqualem Deo, sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens:* & per membra sua loquitur, dicens: *Domine, quis similis tibi?* Ille per membra sua loquitur, dicens: *Nescio Dominum, & Israël non dimittam.* Iste per semetipsum dicit: *Si dixero, quia non novi eum,*

Ioan. c. 13. v. 4. & 5.

Greg. lib. 4. Moral. c. 18. & ult. mihi pag. 1106.

Iac. cap. 4. v. 6.

Eccli. c. 10. v. 9.

Matth. c. 11. v. 29.

Filius Dei formâ infirmitatis nostræ susce-

Isa. cap. 14. v. 13.

Isa. cap. 57. v. 15.

Isa. cap. 14. v. 13.

Zach. cap. 2. v. 10.

Isa. cap. 14. v. 13.

Psal. 21. v. 7.

Isa. cap. 14. v. 14.

Philip. c. 2. v. 6. & 7.

Psal. 88. v. 31.

Exod. cap. 3. v. 5.

Joan. cap. 8. v. 55. *eum, ero similis vobis mendax: sed novi eum, & sermonem ejus servo.* Ille dicit: Mea sunt flumina, & ego feci ea. Iste dicit: *Non possum à meipso facere quidquam* & rursum: *Pater meus in me manens, ipse facit opera.* Ille: regna omnia ostendens dicit: *Tibi dabo potestatem hanc universam & gloriam illorum, quia mihi tradita sunt, & cui volo do illa.* Iste dicit: *Calicem quidem meum bibetis, sedere autem ad dextram vel ad sinistram meam, non est meum dare vobis, sed quibus paratum est à Patre meo.* Ille dicit: *Eritis sicut Dii, scientes bonum & malum.* Iste ait: *Non est vestrum nosse tempora vel momenta, quæ Pater posuit in suâ potestate.* Ille ut voluntas divina despici, & ut propria possit suadere, dicit: *Cur præcepit vobis Deus, ut non comederetis ex omni ligno paradisi?* & paullò post: *Scit enim Deus, quòd in quacumque die comederitis ex eo, aperientur oculi vestri.* Iste dicit: *Non quæro voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui misit me.* Ille per membra sua loquitur, dicens: *Nullum pratum sit, quod non pertranseat luxuria nostra, coronemus nos rosis antequam marcescant, ubique relinquamus signa lætitiæ nostræ.* Iste membris suis prænunciat, dicens: *Plorabitis & flebitis vos, mundus autem gaudebit.* Ille nihil aliud mentes sibi subditas docet, quàm celsitudinis culmen appetere, cuncta æqualia mentis tumore transcendere, societatem omnium hominum altâ elatione transire ac sese contra potentiam conditoris erigere: sicut de eisdem per Psalmistam dicit: *Transierunt in dispositionem cordis, cogitaverunt & locuti sunt nequitias, iniquitatem in excelso locuti sunt.* Iste ad sputa, ad palmas, ad colaphos, ad spineam coronam, ad crucem, ad lanceam, atque ad mortem veniens, membra sua admonet, dicens: *Si quis mihi ministrat, me sequatur.* Quia igitur Redemptor noster corda regit humilium, & Leviathan iste rex dicitur superborum, apertè cognoscimus, quòd evidentissimum reproborum signum superbia est, at contrà Humilitas electorum.

Joan. cap. 5. v. 30. Joan. cap. 14. v. 10. Luc. cap. 4. v. 6. Matt. c. 20. v. 23. Gen. cap. 3. v. 5. Act. cap. 1. v. 7. Gen. cap. 3. v. 1. Ibid. v. 5. Joan. cap. 5. v. 30. Sap. cap. 2. v. 8. & 9. Joan. c. 16. v. 20. Psalm. 72. v. 7. & 8. Rom. c. 12. v. 16. Signum reproborum est superbia, electorum humilitas.

Hæc, mi Lector, in præludium tragœdiæ tam cruentæ videbantur præmittenda. Initium moriendi Christus fecerat in horto. Pedum lavatione prolusit Humilitas in cenaculo. Arcanissima Cenæ mysteria nos non tangimus: hæc longè altiori debentur stylo. Igitur cum Domino JESV ad Apostolorum pedes provolvimur in terram, ut tantò citiùs virtutum primam discamus HVMILITATEM.

Sed liceat huic primo Capiti paullulum Rhetorici purpurissi adhibere. Contractiore calamo prosequemur cetera.

§. I. *Mos lavandi pedes ante accubitum antiquus & vulgatus.*

AD spectaculum istud, seu miraculum potiùs, quod supremus orbis cæliique Imperator Deus in terris edidit, cùm se ad postremissimorum homuncionum pedes & vestigia abjecit, honorem summum ad infimorum mancipiorum humilitatem inclinavit, dignitatem excellentissimam ad vilissimorum abjectissimorúmque servorum indignitatem prostravit; ad hoc, inquam, seu spectaculum mirandum, seu spectandum potiùs miraculum (quod eò magnificètius quò vilius, hoc altius quò humilius, tantò admirabilius quantò contemptius) non urbem tantùm aut provinciam, sed orbem terrarum universum, ipsósque inferos, atque omne denique cælum evocatum velim, ut impiorum quidem execrabilis superbia condemnetur, mortalium fastus emendetur, immortalium denique geniorum excellentia quasi proficiat tanto támque inusitato auctoris sui exemplo, quod ab ipso salutis & religionis conditore Christo acceptum. Hic ego me meámque dictionem ad Christi genua, quâ possum reverentiâ, submittam, & cum beatissimo Cypriano vestigia facti hujusce contemplabor, cum admirante Augustino admirabor, cum lacrymabili Magdalenâ complectar & osculabor, altiora tantæ rei argumenta sublimioribus ingeniis (quamquam quid A potest esse tantâ abjectione sublimius?) relicturus.

Crurum pedúmque loturam ante cenam, ut taceam de manibus ac toto corpore, rem antiquis usitatam & quotidianam fuisse, nemo qui vel primoribus labris, sive sacram vetustatis memoriam, seu civilium rerum historiam attigit, ignorare potest; cùm id non unius civitatis & gentis, sed multarum nationum ac populorum fuerit exemplum. Romanos certè non illos jam extremos atque lautiores, sed antiquiores etiam & severiores, brachia, crura, vestigia ante cibum sumptum purâ undâ abluisse, nulla sit dubitatio, cùm locupletissimi gravissimique testes, Senecæ, Varrones, Plutarchi publicis id monumentis consignarint. Posteriores verò non pedes tantùm, sed totum corpus, nec semel duntaxat quotidiebus, sed nonnulli bis, ter, quatérve, imò septies octiésque, uti Lampridius in Commodo de Commodo prodidit, perluebant. Unde tot Romanis domi forisque privata publicáque balnea, baptisteria, thermæ, frigidaria, caldaria, tepidaria, quæ Plinius uterque, Vitruvius, Cicero, Macrobius, ut nihil de Poëtis dicam, passim celebrant laudántque. A balneis verò, cænóque absterso, rectà se ad cenam, uncti tamen, conferebant. Quod & Græcis ante Romanos etiam observatum, siqua Catullo, Homero, Eustatio, Athenæo fides. Euryclea sanè Ulyssem post vicenos annos reducem, dum liquidâ pedes illi permulceret, è tibiarum contactu cognoscit. Lavant apud eumdem Homerum heroës, lavat Telemachus; lavant ancillæ, uti apud Catullum Ariadna eamdem Theseo operam deferebat. Eumdem fuisse morem Ægyptiis, ex aureo illo Amasidis pelluvio, in quo rex ipse, amicique regis vestigia sua perfundebant, apud Herodotum discis. Eumdem Afris, Syris, aliisque compluribus morem fuisse, alii attestantur. Sed omnium antiquissimæ sanctissimæque divini Mosis litteræ Hebræis hoc tingendorum pedum officium hospitibus maximè præstitum loquuntur, quando referunt, tribus cælestibus nuntiis, populorum conditori Abrahamo, occurrentibus aquam ante cibum pedibus tergendis appararam, & mox binis à Lotho quoque oblatam. Quod officium hospitalis nepotum series posteà nunquam intermisit, uti tandem observatè mos idem, in cærimonias & religionem Paschæ (quod Hebræorum rituales chartæ libriique pervetusti ostendunt) immigrârit, tam sanctè posteà religioséque custoditus; ut ne Christus quidem ipse novæ legis auctor, antiquator priscæ, ab illo discederet; cùm inter vetus novúmque Sacramentum, religionis faceret divortium, quin & hanc amoris declarationem suis ita commendavit, ut eam exemplo ad omnem posteritatem transmittendo confirmârit. Quo factum est, uti & communis gentium magistri Pauli adhortatione, & antiquissimorum virorum Tertulliani, Cypriani, Augustini testimoniis atque commendatione, omniúmque temporum consequentium usu eadem res idémque exemplum ad nostrum usque ævum, horámque præsentem permanârit.

Lotura crurum & pedum antiquis usitata fuit.

Romanis antiquioribus.

Et Posterioribus.

Græcis,

Ægyptiis,

Afris, Syris, aliisque Hebræis.

Ab eadem lotura nec Christus discessit, & suis discipulis commendavit.

Ad hoc ævum usque nostrum permanavit.

§. II. *Quanti æstimandum hoc nobis à Christo propositum Humilitatis exemplar.*

QVid ergo, dicat aliquis, novi Christus, quid inusitatum aut notandum perpetravit, cùm suorum plantas tinxit, quando id retrò toties actum factúmque prædicatur? Novum, inquam, & prorsus inusitatum inauditúmque factum & exemplum in tali tantáque personâ, tanto támque cælesti homine, ipso, inquam, Opt. Max. Deo. Tu non mirere, non hæreas, non obstupescas? si, quod hodie ab ancillis atrientibus, à servis mediastinis, à sordidissimis mancipiis fieri solet, qui herum calceant excalceántque, vestes purgant, lectos sternunt, sordes efferunt, si id ipsum, mutatâ personarum vice, herus servo præstet; ac tantò magis obstupescas, quò major nobiliórque is, qui ad illam conditionem descendit, &

Lotio pedum discipulorum à Christo facta, est exemplum inauditũ.

dit, & quò humilior abjectiórque is cui id officii à domino præstatur? Quid sentias, si Toparcha, si Princeps, si Rex ipse, si ipse denique Imperator hoc officii & servitii genus ultimis suis mancipiis exhibeat? Et hic, de quo loquimur, Christus, cujas est? quibus natalibus, quo sanguine, quâ stirpe oriundus? quibus imaginibus fulget? Cui nemo non dominus servit, nemo non Princeps est subjectus, nemo Rex, nemo Imperator non cogitur obsequi. Hic dominorum Princeps, Principum Rex, Regum Imperator, Imperatorum Dictator: hic omnis Mundi opifex & architectus, hic mortalium & immortalium auctor arbitérque, hic cujus mater Jessæa regiáque Virgo, pater ipse Deus; hic, hic inquam, se tamen ad hoc vile ac servile munus auctoravit, potentiam infinitam ac divinam ad humanam imbecillitatem inclinavit, tremendam æque immensam Majestatem ad tantam indignitatem depressit, cælestes manus divinúmque caput sordidorum pedibus subjecit, ut nos abjectos, indignos ultimósque servos ad honores cælestes, dignitatem immortalem, divinitatem prope ipsam eveheret. O factum non mortalibus tantùm admirandum, sed vix ipsis superis ac beatis mentibus capiendum! Fecit hoc, & verò facit hodie, qui Christi in terris partes agit Pontifex: sed fecit facitque servus servorum servis, facit exemplo monitus, facit à magistro suo majoribúsque edoctus. Non fecere Hebræi Pontifices, non Reges Hebræi, non superba Pharisæorum natio, sed sibi fieri permiserunt, imò imperârunt. Et hoc est quod ille, quamvis æterno Pontifici Christo successurus, Petrus non capit, quod miratur, non intelligit, uti sibi ab eo, quem paullo ante Dei præpotentis viventem regnantémque professus erat filium, mortalium omnium, ut de se ipse sentiebat, abjectissimo vilissimóque vestigia tangerentur; quomodo passurus ut tingerentur, lavarentur, osculóve libarentur, nisi potestate suprema Numinis, extremáque intestinatione coactus, non pedes tantùm, sed manus capútque, & totum corpus ad contactum lavacrúmque obtulisset, ne à Magistri sui immortali societate excluderetur.

Quia divinam potentiam ad humanam imbecillitatem inclinavit.

Qui verò vobis, æternæ cælestésque mentes, hoc vestri nostrisque conditoris spectaculum arridet? ut vos afficit ac percellit? Nobiliores animos naturásque vestras humanâ, mortalique conditione non agnoscimus tantùm, sed colimus etiam atque veneramur. Sed auctorem effectorémque vestrum ad nostræ indignitatis mysteria suâ sponte depressum, ad pedes, non Regum aut Cæsarum, sed infimorum hominum jacentem non videtis? Illam intaminatam puritatem, illud supremum Numen, illum Patris splendorem honore suo viduatum in tenebris & obscuro prostratum, sordes tractare, pedes lavare, tergere, osculis lacessere, non aspicitis, suspicitisque?

Angeli conditoris sui exemplo profecerunt.

Tantum, mihi credite, beati cælestésque spiritus hoc sui conditoris exemplo profecisse videntur, uti (quamquam nulla unquam in eos labes superbiæ fastúsque, aut insolentiæ crimen, ut in extorres illos cælo, cecidit) ultro tamen ad novum hoc invisumque cælitibus spectaculum, se quodammodo attemperârint, infráque suam naturam ac morem descenderint. Quod numquam ego affirmarem, nisi mihi cælestes paginæ palàm adstipularentur. Passi enim fuerant cælites illi se, ante communis omnium Regis Christi in terras adventum, passi, inquam, fuerant suo se quodam & majore, quàm posteà, honore coli, affici, adorari. Advolvit se ad illorum genua, pronúsque, imò humi abjectus adoravit ternos è cælo sibi parentes nuncios ingens ille Abrahamus; non prohibuerunt. Adoravit eosdem binos Lothus; non interdixerunt. Adoravit & ille, cujus filium parenti simillimum cælestis comes, per longa viarum spatia salvum duxit & reduxit: non reprehendit Tobiam Raphaël. Sed cùm idem honoris officium ille qui Christi pectus in extremo cenæ accubitu pressit, thesaurósque inde sapientiæ expressit, jam pararet, cælitémque sibi in Pathmo assistentem, & futurorum sæculorum arcana pandentem, adorare cernuus cuperet, ab eodem prohibitus est, nec id genus honoris ampliùs exhibere nisi Deo permissus. Ipsum quæso Joannem in Apocalypsi loquentem audiamus. *Et cecidi*, inquit, *ante Apoc. 22. 8. pedes ejus*, Angeli nempe, *ut adorarem eum. Et dicit mihi:* v. 10. *Vide ne feceris, conservus tuus sum, & fratrum tuorum habentium testimonium* Jesv. *Deum adora.* En ipsas beatas optimásque mentes quodammodo seipsis submissione conditoris factas esse meliores. Viderant enim summum Deum ad infimorum corporum infimas partes procumbentem, viderant supremam excellentiam infra suam cælitúmque & hominum naturam sese demisisse, atque indignum putabant, se jam ab homine adorari, cujus natura, hoc est humanitas supra se per conjunctam divinitatem esset evecta. Nec illa fas adorari permisit.

§. III. *Quid Magdalena, quid omnes homines hìc habeant discere.*

Quando igitur hoc Numinis immensi novo inexpectatóque demissionis genere & abjectionis, ipsi jam beati cælestésque animi, ipsi principes spiritus, immortaléque genii omnis labis exsortes, omnis puri criminis, tamen profecerûnt, seséque magis ac antea depresserunt, nec ampliùs cultu tanto támque singulari affici permiserunt; quid nobis multò infra conditionem naturámque Cælitum depressioribus faciendum arbitramini, quorum causâ ille cæli splendor in has se tenebras demisit, potentia abjecit, majestas inclinavit? Habes quod discas, orbis terræ caput Pontifex, habes Imperator, habetis Principes Antistitésque. Ades & tu Magdalena, specta mihi discipula magistrum tuum. Anteverteras in hoc officii genere tu quidem exemplum doctoris tui, cujus quidem motu, occultóque impulsu, ad hoc ministerium descendisti: tu tamen hoc Domino tuo famula obsequium præstitisti; at ille tuus Dominus servis, ut vides, suis idem munus exhibuit: tu purum impura contrectasti, ille impuros abluit expiavitque: tu lavantem te lavasti, ungentem te unxisti, purificantem te tersisti; ille tibi beneficium contulit, cùm se abs te, hoc est, ab infami personâ inter publicas epulas apud superbum Simonem, cui purulentam corporis scabiem medicus tuus absterserat, contingi passus est, à quo te Simonis supercilium removisset. Sed affectum, non factum, ut cum B. Cypriano loquar, Dominus ac magister tuus attendit. Plures ad mensam accubabant. Tu præteritis omnibus, mediis, infimis, summum petivisti: ille contrà summus infimos quæsivit. Tu unum, ille unus omnes: tu sanctissimum magistrum ille etiam scelératissimum Judam lavit, tersit, osculatus est. Tu stetisti, ille prostratus jacuit & jacuit ad improbissimi funestissimique proditoris vestigia. Quid ais Magdalena? adhuc habes & tu quod discas; tametsi pro linteo capillos, oculos pro pelvi, lacrymas pro undâ adhibueris; habes, inquam, adhuc quod discas, & habebis ampliùs, ubi tuam salutem, hoc est, ipsam innocentiam audies ream; ubi, qui te à delictorum vinculis exolvit, vinctum cernes, ubi ipsam sapientiam veste ludicrâ per ludibrium delusam inspicies, ubi tuum amorem verberibus atrocissimis laceratum, plagis & vulneribus confectum, paliuris junciscque crudelem in modum lancinatum, inter infames latrones medium, cum infami furcâ ad supplicium raptatum, in cruce suffixum, in cruce pro te totaque gente mortalium pendentem, exclamantem, morientem adspectabis.

Magdalena mea divino impulsu ad ministerium bonitatis plenum Christi decrevit.

O Deus immortalis! ubi noster sensus, ubi affectus, ubi lacrymæ? Quot diebus sordidamur, neclavamur; inquinamur, nec abluimur; offendimus, non placamus. Illibatum Christi Corpus contrectamus, Sanguinem haurimus:

haurimus: quibus manibus, quo ore? taceo pedes nostros, qui, ut sanctissimus interpretatur Augustinus, nostri sunt affectus, quos in communi hominum vitâ quotidie conspurcamus, quotidie cæno pessimorum desideriorum inficimus & contaminamus. Tu clementissime animorum medice, tu sanctissime hominum magister Christe, nos, quamvis omni tuo contactu indignos, ad salutare tamen pœnitentiæ lavacrum admitte: superbiam nostram humilitati tuæ subjicimus, nostra inquinamenta aspicimus, nostram indignitatem profitemur, nostras labes deploramus. Tu nos misericordiæ tuæ fonte lava, pietatis clementiâ purgâ, indulgentiâ terge, pacis osculo in societatem & amicitiam tuam recipe, uti, quemadmodum tu in terris ad nostros pedes jacuisti, ita nos quondam cælo transcripti tua vestigia complectamur, complexa teneamus, à retentis nullis umquam sæculorum ætatibus avellamur. Sed jam divinæ cenæ clausulam & epilogum spectemus.

Affectus nostri ad salutare pœnitentiæ lavacrum admodùm sunt.

§. III. *Quæstio ponitur, Num Christus sub ultimæ cenæ finem cecinerit.*

CEnam, quam moriturus Servator pridie mortis in totius humanæ gentis epulum apparavit, admirando prorsus epilogo concluſit. Nam ubi supremis his epulis accubuit, sibique charissimos, quos filiolorum instar amantissimus pater complexus est, valere jussit, de perfidiâ quoque proditoris immani attonitos commonefecit, epulas abrumpens à cenâ consurrexit, cœpitque piscatorum pedes lymphis perfundere, linteo extergere, osculis insignire, veluti servorum abjectissimus. Neque hîc amoris immensi meta. Ad cenam rediit, sed priori illi longè dissimillimam; nam in priore illâ agnum apposuit è macello, in posteriore istâ è cælo supremi Regis filium seipsum suismet manibus in cibum porrexit. Magna sunt hæc divini amoris argumenta, verùm plurimorum disertis voluminibus explicata. Quare mea nunc dictio solùm istius convivii finem extremum spectat, & epilogum planè admirandum. *Et hymno dicto*, ait divus Matthæus, *exierunt in montem oliveti*. Neque enim omissâ gratiarum actione in clivum olivarium è cenatione illâ properavit Christus, priùs cenæ coronidem apposuit, summo Parenti gratias egit, & memorandam sanè clausulam addidit præcellentissimo huic convivio. Et quæ coronis ista aut clausula, quæ gratiarum actio? Hymnus, ait cum Matthæo Marcus. Et quis Hymnus iste? cantúsne & musica? Itáne Christus ad mortem eámque funestissimam abiturus cecinisse, an pressiore solùm voce Hymnum cum suis pronuntiasse dicendus est? Atque hîc ego nasci video controversiam, neque adeò temerè illos negare, neque hos animo incogitato affirmare dixerim. Ergo cum bonâ tuâ veniâ, Lector, istud ego solùm pensiculatiùs edisseram, num Servator noster Christus in supremo hoc epulo verè cecinerit, & musicam tractârit, atque mensam, cetera Socraticam & frugalem, cum symphoniâ deseruerit.

Matt. 26. v. 30.

Quòd epulas comprecatione Christus clauserit, miri nihil aut novi fecit, qui totas noctes precando consuêrat exigere. O quota illi nox ita pervigilata est, ut cum abeunte sole inciperet precatus, ad ortum redeuntis necdum finisset! Ex Hierosolymæo triclinio ad hortos oliviferos progreditur, & ut illic amoris cenam precibus finierat, ita hîc mortis luctam iisdem auspicatur. Ita quidem Hymnum illum plebejus sensus interpretatur. Quid enim, ajunt, Christum cecinisse post epulas? nova est hæc & pæne inaudita opinio. Non cantum, sed flerum tempus illud mœstissimum poscebat. Accedit, quòd parum sobrius videri potuisset concionator hic noster, si cum rudi piscatorum plebe culâ castitare cæpisset. Et quàm illa repens sit mutatio, intra tam breve tempus & modulari, & ad mortem usque mœrere; jam vocem in modos flectere, mox præ angore & pavore solo affligi, & velut jam flagellatum guttis sanguineis perspergi: neque conveniebat ex odeo in arenam prodire. Ergo, inquiunt, credibilius multò videtur esse, funebre hoc epulum inter lacrymas quàm symphoniam expirasse. Ita vobis, quicumque istud asseritis, sentire licebat. Pace tamen vestrâ in hanc sententiam, parte inauditâ, alterâ, non imus. Neque enim è vulgo scriptores contrarium sentiunt, ajúntque Servatorem nostrum verè cecinisse. Qui quidem & ipsi suæ quoque causæ firmamenta habent, nec ea levia aut spernenda: quæ ubi breviter exposuero, non ego judex ero, sed vestri, quicumque hæc legitis, arbitrii id faciam; cui vis erit integrum, pro quâ voluerit parte, suffragium ferre.

§. IV. *Cecinisse Christum, sententiis priscorum Patrum docetur.*

ET principiò quidem pro iis, qui Christum post ultimas epulas cecinisse affirmant, divinum loqui videtur oraculum: *Et Hymno dicto exierunt in montem oliveti.* Atqui si Augustino credimus, *non est hymnus, etsi laus sit, & Dei laus, si non cantetur.* Ab Augustino stat etiam Hieronymus, qui disertè, *Hymnus est*, inquit, *canticum in honorem Dei.* Duobus his æquè sanctis ac eruditis testibus accedit disertissimus Chrysostomus,* & de Christo, *Gratias*, inquit, *egit, postea quam dedit, & hymnum cecinit, ut nos quoque similiter faciamus.* Audis hos, & capis hymnum cecinisse? Neque Cassiodorus hinc abludit, qui hymnũ, laudem carminum lege compositam, definit. Neque verò hîc ullus inconditos clamores, aut confusam vel petulantem inventionem sibi fingat, sed illum psallendi modum cogitet, quem ab Athanasio probatum & servatum servari optavit Augustinus, qui quidem similior lectioni quàm cantui in certis religiosorum hominum familiis hodieque retinetur. Quòd si Paulo Burgensi Judæo, deinde Christiano credimus, Hebræi recepto more ritique gentis post agnum paschatis consumptum psalmos septenos decantabant. At verò ex omni sacrâ historiâ discimus abundè, quàm sese Christus illius gentis ritibus pæne in omnibus prudenter attemperârit. Quòd si Christum non more nostro ad mensam sedisse, sed pro Palæstinæ totius consuetudine accubuisse in triclinaribus lectulis, doctissimi viri luculenter demonstrant; quid causæ est, cur negemus Servatorem post agni esum ritu recepto & veteri cecinisse, & quidem, quod Joanni Maldonato aliisque probatur, certum aliquod & forsan Mosaum illud canticum, quod universum Israëlis agmen decantaverat post rubrum Oceanum, qui in altos utrimque parietes assurrexerat, securis vestigiis transmissum? Ita priscæ consuetudini minimè repugnabat, imò illi convenientissimum erat, ritualem paschatis cenam hoc cantûs acroamate finire. Sed est qui fortassis hîc obducat, & sacram paginam vociferetur audiendam, quæ Christum hymno non cantato, sed dicto, in olivetum concessisse affirmat. Ratio parum nervosa, nec evincit quod cupit: nec eâ moventur qui diversa sentiunt. Græcos illi fontes Romanis his oculis opponunt, & duos S. Spiritûs amanuenses Matthæum & Marcum, in suam causam deducunt, cùm ambo Græcè idem enuncient, Καὶ ὑμνήσαντες ἐξῆλθον, quod Vatablus vertit: Et cùm hymnum cecinissent, exierunt. Eo disertè cantum adstrui. Et hinc, puto, Christianæ gentis primi post agapas suas, & sacra convivia pios etiam numeros modósque incinere solebant. Neque verò hæc talis modulatio Christum minùs decebat. Cygnum, opinor, æmulatus est, qui, uti veterum scriptorum complures attestantur, funeri suo vicinus suaviter cantat. Bilbilitanus Poëta id asserit:

Dulcia defectus modulatur carmina linguâ
Cantator cygnus funeris ipse sui.

B

Christus post ultimam cenã cecinit. Matt. c. 26. v. 30.

Aug. in psal. 39. & psal. 72.

Ecter. in c. 5. Amos & in c. 25 epist. ad Ephes.

* Chrysost. hom. 83. in c. 26. Matt. mihi p. 580. ubi addit hæc verba: Audi, ut omnes, qui quàsi porci, cùm jam comederint, eversâ calcibus mensâ tumulenti consurgunt, cùm agere gratias debeãt, & in hymnum à mensâ devenire.

C

Baron. ab hac sententiâ non alienus putat fuisse Psalmum 113. D. Hieronymus censet hunc hymnum è psal. 21. sumptum.

D

Christus cygnum in morte æmulatus: Martialis lib. 13. epigram. 77.

Quamvis hunc cantum, quod verisimilius videtur, olores non edant vocali gutture, sed alarum sonorâ concussione. Ergo hoc natura moribundo cygno dederit, ut exequias suas modulato alarum clangore præsagiret; & Christo nefas fuerit in necis suæ monimentum melos fundere? O mi Christe, agnosco te cygnum suavissimè cantantem, agnosco cygnea hæc tua mele. Et quidni ego te cygnum dicam, quem Psaltes vermem, quem Baptistes agnum, quem Isaias oviculam, quem Apocalypticus Angelus leonem appellat? Cygnus nive candidior est, & toto corpore nec unicam nigricantem gerit plumam: ita tu Christe insontissime, à momento illo quo Virginis viscera cœpisti habitare, ab omni peccati labe purissimus egisti, verè agnus sine maculâ, verè olor sine omni atrore. Cygnus naturâ mitis esse volucris perhibetur, ita prorsus & tu, ô mi Servator, verè mitissimus fuisse, & proprium mansuetudinis prototypon, adeò ut nos singularem, & pæne hanc unam virtutem à te condiscere volueris. Cygnus homini amicus est, & in vivariis ac stagnis urbes alluentibus victitat. Et quis hominum æquè arsit hominem alterum, atque tu Christe amantissime, qui tuis in deliciis reputas esse cum hominibus, quique propter homines humanâ mortalitate témet induere non es aversatus? Sed quid hoc rei est, ô Christe, & quî fit, quòd cùm numquam riseris, ploraris sæpius, hodie cum morte luctaturus cantes, & ore beatissimo unà cum tuis hymnum eliques? Adhuc mihi cygnus in animo est, quem Socrates, si Ciceroni fides de illo, ideo putabat cantare moriturum, perinde atque si vaticinetur, quantum in morte sit boni. O Jesv patientissime, ingens gaudium hunc tibi cantum hymnumque expressit, velut cygno maximorum è morte tuâ bonorum omen, & certum præsagium. Nam imminentes tibi cruciatus, non ut cruentam tragœdiam, sed ut lætum sacrificium aspiciebas. Ad crucem velut ad epulas ibas, ad spinas & flagella, ut alii ad choreas, cantans properabas. Sciebas à morte tuâ omnium nostrûm vitam pendêre. Prævidebas quidem vultum tuum omnigenæ felicitatis theatrum fædè consputandum, faciem obnubendam & colaphis sauciandam, aures calumniis saturandas: hamata prætorii lora, horrentes paliuros, & plexum in orbem dumetum, formidabiles Golgothæ clavos, in ipso jam pæne corpore præsentiebas: teipsum quodammodò videbas ante te stantem velut spirantem mortuum, à calce ad verticem tuo pictum sanguine teipsum quasi ante te pendentem in cruce cernebas. Sed hæc omnia sciebas morbi nostri pharmacum esse: itaque gaudebas tuorum suppliciorum atrocitate, malefactorum nostrorum fæditatem omnem eluendam, tuorum dolorum perpessione æternam à nobis calamitatem avertendam lætabaris. Unde & tuæ illæ voces amoris & gaudii plenissimæ: *Desiderio desideravi hoc Pascha manducare vobiscum.* Sed & alia tibi, Domine Jesv, lætandi atque cantandi fuit causa; opus admirandum, inauditum, ingens, omnibus pòst sæculis obstupescendum, quod in cenâ hac patrâsti. Abiturus à nobis eras per crucem, apud nos tamen mansurus, imò intra nos per novam illam Corporis tui ambrosiam, per illud tui Sanguinis divinum nectar. Et hęc tibi meritò tanti gaudii causa extitit. Atque hinc eximiam animi tui lætitiam memorando prorsus hymno testatam faciebas, & sic ibas ad cruciatus acerbissimos, velut ad lætissimos triumphos.

Cygni proprietates Christo aptatæ.

Christus suos cruciatus ut lætum sacrificium aspiciebat.

Et nostri morbi pharmacũ.

Luc. cap. 22. v. 15.

Aliæ cantandi causę in ultimâ cenâ: 1. Mansio apud nos per corporis ambrosiam & sanguinis divinum nectar.

§. VI. *Christi amicis aliquos sub ipsam mortis luctam cantâsse.*

2. Ut dux belli tot secuturorum martyrum exercitus ad fortia perferenda inflammaret.

Aliam insuper hujus musicæ caussam adstruunt, qui Christum in hac funeris sui vicinîâ cantâsse opinantur. Necesse erat, ut Christus dux belli fortissimus tot secuturorum Martyrum russatos exercitus, ad fortia cùm facienda tum perferenda hæc patiendi promptitudine inflammaret, & quasi bellicum caneret, quò illi audentiores irent in hostem, & omnem supplicio-rũ seriem ridendo & cantando exciperent. Olim cerè, uti me Plutarchus, Thucydides, & complures alii docent, cantu inibantur prælia; nec apud unam dumtaxat gentem Martiis congressibus musica præludebat. Ita in bellis suis tubâ Hetrusci, Arcades fistulâ, Lacedæmonii tibiâ, Cretenses lyrâ, cornu Thraces, Ægyptii tympano, Arabes cymbalo utebantur. Sicuti ea, quæ ipsi Pyctidas dixerunt, instrumenta musica adhibebant. Prælium auspicaturus erat noster è cælo Imperator, prælium cruentum, atrox, internecinum; quod ne nimium terreret aut efferaret suos belli inassuetos tirones, hymnusti præmisit, cujus moduli aut ferociores animos lenirent & demulcerent, aut timidiores erigerent & incitarent. Illustri hoc ducis nostri exemplo didicimus mortem jam non formidare, rogos insilire, rotas amplexari, numellas & taureas osculari, cruces & patibula salutare, ardentes craticulas non horrere, omnem denique tormentorum supellectilem generoso spiritu ridere: didicimus jam ridendo mori. Et in hunc sanè modum Divorum non pauci felicissimè pugnam finierunt.

Narrat Cameracensis antistes Thomas, in D. Dominici familiâ virum non indoctum, vitæ insuper integrum purúmque sceleris vixisse. Venit hic Brugis in Flandriâ ad extrema fati, cúmque majorem, quàm umquam ante, frontis serenitatem præ se ferret, interea jam jam componendus, & in capulo locandus videretur, fuit è sociis, qui insolitæ, hoc quidem rerum articulo, hilaritatis caussam modestè poscret. Cui æger, Quæso te, inquit, mi frater, lætitiam hanc meliori sensu interpretare. Deo servivi, mortem non horreo; vitam hac meliorem in superis illis (digitum cælo intendebat) & cæruleis plagis expecto. Sed & Christum meum, Dominum meum ad meam mortem adfuturum spe indubiâ mihi promitto. Et hæc caussa est meæ lætitiæ. Dies ab hoc unus atque alter abiit, cùm ingravescente invaletudine universus cœnobii cœtus ad moribundum pro more convocatur. Hîc effusis ad ægroti lectulum sociis, & serió comprecantibus, moriturus manu leniter elatâ, & oculis in præsentes suaviter circumactis, cantu placidissimo, & voce licet fractâ atque fugiente, modulari cœpit in hæc prorsus verba: *In Galilæâ* Jesvm *videbimus, sicut dixit nobis, alleluia.* Vocem hanc finiit, & simul vitam, atque uti Servator clamans, sta ille cantans expiravit. Hæc servi possint & famuli, vel in ipsâ morte; non illud idem ante mortem potuerit ipsorum Dominus? Hæc deceant rariores Christi amicos, Christum ipsum dedecant? Et quid memorem de Platone illo, sanctissimo cœnobiarchâ, qui, Theodoro teste, à Constantino Copronymo Imperatore proscriptus, in carcerem etiam & vincula datus, demum mitescente Cæsarie ferocitâ Constantinopolim illatus est, sed ævo, laboribus atque variis ærumnis confectus, & proximus morti: quam ille sicut è vicino spectabat, ita illam intrepidus, ut maturaret, provocabat. Sed & ad sepulchrum suum, cui erat inhumandus, deferri voluit; quo viso, Et hæc est, inquit, laborum meorum meta, hic terminus. Mors tandem adest, & fores pulsat. Atque hîc jam Plato penitus nil trepidare, mortem ut diu expectatum hospitem excipere, effætas vires colligere, & in eam se formare lætitiam, ut jam jam animam acturus in musicos tamen modulos eruperit, sibique funebre carmen accinere cœperit his verbis: *Resurgent mortui, & exurgent qui sunt in monumentis, & lætabuntur qui sunt in terrâ.* Nec solùm isthæc ipse cecinit, & sed adstantibus vocem præivit, & ut eâdem sequerentur, serió inhortatus est. Capite demum in dextram nonnihil flexo exhalavit animam, ab Angelis ad suum conditorem deportandam.

Ên tibi canentem simul & morientem. Et quis ignorat obitum illius servuli, cujus encomiastes est laudatissimus Pontifex Gregorius? Atque hic quidem mendiculus

diculus post diuturnas sanè morborum & mortis in se contumelias, cùm ultimam demum à morte plagam expectaret, jam prope in labris stante animâ, tantum tamen vocis & spiritûs collegit, ut cum iis, quos sibi præsentes habebat, Psalmos Davidicos concineret: quo in concentu subitò manum attollens, Silete, inquit, silete: an non aliam è cælo symphoniam auditis? Simul ipse vocem continuit, & fixos oculos cælo attendens, inter mirandam hanc tam suam & adstantium, quàm Cælitum harmoniam, naturæ concessit felici somno.

En tibi mendicum quidem, sed Angelis & Christo familiarem, sub ipsum vitæ finem & cantantem & expirantem.

Recentius est, quod D. Antoninus Florentinus Præsul de Antonio Paduano commemorat. Hic, cùm ei se Christus sub mortem visendum præbuisset, tantis repentè solatiis inundavit, ut quidquid vocis in frigente jam corpore reliquum latebat, expromeret. Ita, quâ vocis & animi contentione potuit, hymnum illum cantare orsus est: *O gloriosa Domina, excelsa super sydera.* quo in cantu ad meliorem illam cæli musicam transivit.

Antonius Patinas.

§. VII. *Confirmantur dicta; Christus sub cenæ clausulam cantans proponitur.*

AVdisne igitur, proximè ante suas exequias viros Deo conjunctissimos hilariter cantâsse, & id Dei Filio concessum negabis, qui difficillimum illud *velle mori*, eo potissimùm ultimo vespere docere nos voluit? Nec inertes habuit discipulos. Reperti sunt invictorum Martyrum complures, qui cùm ducerentur, cùm flagellarentur, cùm assarentur, cùm membratim discerperentur, inter ungulas & pectines ferreos, inter catastas & flammas medii, riderent tamen, plauderent, & carmen triumphale canerent. Ut taceam alios omnes, Eustratius heros inter Christianos invictissimus, quod è Metaphraste disco, post plurima eáque exquisitissima cruciamenta testamentum condidit, è quo facultatum suarum pars maxima cederet egenis, pars sororibus, pars tertia Martyrum administris. Hoc facto, è manu Sebasteni Præsulis sanctissimum Eucharistiæ ferculum accepit. Posterâ luce Agricolaus judex decretoriæ sententiæ fulmen in eum jacit, & vivum flammis comburendum rogo addicit. Cumque Eustratius ardenti pyræ propinquus jam graderetur, hilari vultu cantionem orsus est, eáque fuit constantiâ, ut sic cantans assultantes flammarum vortices subiret, nec fermè priùs canere desineret, quàm vivere.

Eustratius.

Tuo hæc exemplo, Christe, tui athletæ fecerunt, tuo hæc potuerunt subsidio. Ducem suum Christum, post decantatum hymnum ad vincula & mortem progressum esse sciebant; quocirca & ipsi plus quàm Spartanâ nobilitate ad ignes, ad bestias, ad cruces, læti & cantantes prosilierunt: & ut Pythagorei ad lyram in somnum, ita ipsi ad modulatum in mortem obdormierunt. Quin imò & barbaræ gentes hoc etiam posse conatæ sunt. E Sogdianorum captivis, Curtius id refert, triginta nobilissimi ad Alexandrum Macedonem perducti, ut per interpretem cognoverunt, jussu Regis ad supplicium se trahi, carmen lætantium modo canere, tripudiisque & corporis motu gaudium animi ostentare cœperunt. Admiratus Rex tantâ magnitudine animi oppetere mortem, revocari eos jubet, caussam tam effusæ lætitiæ, cùm supplicium ante oculos haberent, requirens. Illi, si ab alio necarentur, tristes morituros respondent, nunc tanti Regis jussu cadere honestam sibi mortem videri, quam & carminibus sui moris, lætitiâque celebrarent. Ita vel barbari amore virtutis supplicium plausu exceperunt. At Servatoris exemplum fortiùs æmulati sunt Christiani heroës, cùm dux eorum etiam turpissimam mortem psallendo sit aggressus. Videte ergo mihi cælestem hunc ducem Christum, milites suos ad certamen sacro classico animantem. Videte mihi, obsecro, mansuetissimum Davidem, ferocientis Saulis furias citharâ tranquillantem. Attendite candidissimum cygnum, flebilibus numeris morti suæ præludentem. Considerate verum hunc Orpheum non silvas aut saxa, sed crucem, flagella, spinas suis fidibus ad se trahentem. Aspicite amantissimum patrem inter duodecim filios manus cælo attollentem, remotisque mensis gratias agentem. Cernite verum Episcopum inter suos Clericos æterno Patri laudes concinentem. Intueamini optimum Magistrum suis discipulis modulos præeuntem atque præmonstrantem. Considerate, quæso, & videte, ut verus Pythagoras ad nocturnam musicam pæne in mortem obdormiat. Ecce, ut vigilantissimus pastor inter paucas oviculas, dum feris ululant lupi, piâ se modulatione solletur. Tacete jam mihi deinceps Sirenes omnes, & omnes Orphei; Amphionas nullos aut Arionas, sed nec ullos jam Orlandos exaudio. Meum ego Christum hymnifero vultu epulas suas coronantem, præ omni melliflua harmoniâ delectabiliorem attendam. Tametsi non tantam ille jucunditatem auribus, quantam mentibus utilitatem canore suo adferat. *Sonet vox tua,* Domine JESV, (cum castissimâ sponsâ loquor) *in auribus meis. Vox enim tua dulcis.* Sed & vos nunc adeste Cælites, adeste beatarum agmina mentium. Et quid modò siletis? nonne vos ante annos triginta quatuor ad istius Regis vestri cunabula lætum pæana cecinistis? ubi nunc hymnus ille vester, *Gloria in altissimis Deo:* Itáne jam omnis spiritus cælo musica conticuit? Dicamne vos etiam mœrore tangi & luctu? Dum olim in Bethlæo præsepi hic Princeps vester lacrymaret, vos per auras innumeris vocibus cantabatis. Ecce hic idem ipse Rex vester modò Hierosolymis in cenaculo hymnum inchoat post mensam: & ubi voces vestræ, quæ præcinentem prosequantur? Quid hoc rei esse dicam? quod istud est tam triste cæli silentium? Latet, credo, latet infandum, immane, sanguinolentum spectaculum, quod ipse sol aversus execrabitur, quod movens terra damnabit, quod cautes non mutæ detestabuntur. Urget, eheu! insontem filium summi Parentis ira, nec nisi fuso filii sanguine vult mitigari. Crastinus dies ah quos cruoris torrentes cernet! stillatim & guttatim morti propinabitur virgineus sanguis. Hæc ego perorare desino. Pro me nunc petræ loquantur, clament saxa, & clamando rumpant, mugiat terra, cælum infremat, expallescant astra, plorent atque lugeant universa. Sed ô utinam in tantâ rerum omnium comploratione solus homo possit non ridere!

Cantic. c. 2. v. 14.

Luc. cap. 2. v. 14.

CAPVT II.

Christus moriturus suæ mortis exordium ab horto ducit.

AB horto nobis interitus, ab horto vita & salus. In paradiso cœpimus mori, in oliveto lugeri jam mortui, in horto demum revivisceremus. Ad hortum Christus è cenaculo pridie mortis suæ prodiit. In hunc ipsum hortum nobis etiam prodeambulandum, atque Servatoris ad oliviferos colles festinantis vestigia sunt legenda. Sequamur ergo rei pro nobis reum, atrati pro nobis sordidatum, mœsti pro nobis anxium. Diversos Christus hortos habet, cùm sit amans hortorum. Hortus illius est mundus, hortus est Ecclesia, hortus est casta anima. Hortum olivarum ingreditur, ut mundum restauret, Ecclesiam illustret, animam recuperet.

Ab horto mors & vita hominibus evenit.

Horti Christi diversi.

Sed qualis est hortus iste, in quo pro deliciis angustiæ, pro relaxatione mœror, pro ambulatione formido & pavor, dolor pro voluptate; pro plantulis tormenta, pro flosculis catenæ, pro arboribus fustes, lanceæ, faces, pro favoniis suspiria, pro fonticulis sudores,

& hi sanguinei? In hoc horto Magister humilitatis tristatur, orat, cum morte luctatur; discipuli dormiunt, produnt; fugiunt. Magister post sanguineum sudorem capitur, ligatur, abducitur. De quibus omnibus is optimè diceret, qui suos potiùs oculos ad flendum, quàm ad dicendum linguam, aut ad scribendum pennam erudiret, mallétque religiosis lacrymis quàm selectis sententiis hoc Christi *morientis* exordium commemorare. Ne tamen Domino Jesv quidquam obsequi negemus, conabimur & calamo illum *morientem*, aut mori incipientem, quibus licuerit coloribus, depingere. Et utinam, ô bone Jesv, quod unicè opto, hanc tuam morientis effigiem omnium animis possim affigere. Cum curâ igitur, & quo possum studio, hoc institutum meum prosequar. Quia igitur, ô Jesv mi suavissime, in horto cœpisti mori, ab horto mortis tuæ initium ducamus.

§. I. *De oratione Christi in Horto.*

Prototypon oraturis à Christo relictũ & observandum.

AGenâ Christus ad hortum exiit non legendis floribus, sed fundendis precibus. Oravit, & oraturis omnibus ideam atque prototypon seipsum dedit. Nam I. locum elegit orationi opportunum. Hortus erat inter inter clivosa oliveta, ab urbe & omni strepitu secretus. Hunc adiit, sed & in ipso horto secretiorem sibi locum quæsivit Christus, suam ipse servans legem de claudendo ad ineundas preces cubili. Omnis hortus hunc nobis hortum repræsentet. II. Tempus nocturnum, ab omni precum impedimento liberum, orationi suæ constituit. III. Situs corporis in hac oratione singulariter

Matth. c. 6. v. 6.

Luc. cap. 22. v. 41. Matt. c. 26. v. 39.

observandus. *Positis genibus, procidit in faciem suam.* Nimirum non perfunctoriè precaturus genua flexit, faciem terræ allisit; nec dubitem, quin supinas manus & passa brachia cælo extulerit. Videte cæli Dominum à seipso terræ affixum, priusquam ab aliis affigeretur cruci. Eliæum videte, ut sese super spinosam & sterilem terram contrahat, illámque rore sanguineo fecundet, ne deinceps spinas & tribulos germinet, sed bonis fructibus abundet. IV. Oravit tertiò eumdem sermonem: *Pater mi, si possibile est, transeat à me calix iste, veruntamen non sicut ego volo, sed sicut tu. Et factus in agoniâ prolixiùs orabat.*

Gen. cap. 3. v. 18. Matt. c. 26. v. 39. & 44. Luc. cap. 22. v. 43.

Non ad unam horulæ partem, sed ad ipsas tres horas, ut dicemus, ardentissimam hanc orationem extendebat. V. Eo tempore oravit Dominus, quo aliis minimè libuisset orare. Cœperat quidem *pavere, tadere, contristari & mœstus esse.* Fatebatur palàm: *Tristis est anima mea usque ad mortem; sustinete hîc, & vigilate mecum.* Quis tantis affluens angoribus ad orationem tam ardentem promptus ac paratus est? Ideo quandoque tantò attentiùs & prolixiùs orandum, quantò minùs orare allubescit. VI. Reverentiâ in Patrem & affectu maximo precatus, Pater mi, *abba Pater.* Discamus, obsecro, preces Deo adhibere ignitiores, eásque affectibus distinguere meliori-

Marcic. 14. v. 33. Matth. c. 26. v. 37. & 38.

Hoc est, Pater, Pater.

bus. Oratio & offa cum frigent, ingratus cibus, & fatuus. VII. Oravit obedientiâ, & suæ ad Patris voluntatem conformatione summâ. Hinc in illa tertium repetita:

Marci. c. 14. v. 36. Luc. cap. 22. v. 42.

Non quod ego volo, sed quod tu. Non mea, sed tua voluntas fiat. Hic suam quisque somnolentiam cum Domini sui vigilantiâ, suum teporem cum illius fervore, suas animi vagationes cum illius attentione, suam desidiam & languorem cum illius sanguineo sudore conferat. Discamus Domini exemplo rem nullam aggredi, nisi oratione prævià. Hujus defectu ferè pleraque nostra infelicem sortiuntur exitum. Telam ordimur, sed Deo non consulto; hinc finis minimè secundus. Et contingit plurimùm, ut qui res humanâ tantùm prudentiâ munitas aggrediuntur, solam etiam patiantur comitem prudentiam humanam, & quæ sine Deo cœperunt, sine Deo finiant. Teipsum, ô homo, tuósque mores & orandi consuetudinem inspice. Christus prone oraturus in faciem prosternitur: tu in causâ tuâ quid facis? ubi sub-

Nihil aggrediendum nisi oratione prævià.

A missio? ubi seria pœnitudo? ubi animi attentio? ubi promissæ emendationis executio? Observa oculorum, aurium, mentis evagationes, & mille, dum oras, ludibria. Vide corporis compositionem, an non sæpe ludenti quàm oranti sis similior.

Hîc simul maximam Christi liberalitatem in nos expendamus. Variè munificus fuit Dominus Jesvs in ipsis tormentis suis. Nam pæne antequam condendum testamentum finiit, jam partiri cœpit. Discipulis suis Corpus suum & Sanguinem dedit: Malcho inter olivas restitutam auriculam: Caiphæ Pontifici, ratificii donum, velamen oculorum suorum, & carcerem nocturnum suo ingressu consecratum: Annæ, quamvis nec judici nec Pontifici, primum sui conspectum: Pilato magnam partem effusi sanguinis & evulsorum crinium, vestem albam, arundinem, & chlamydem sui corporis contactu sacram: Herodi redintegratam cum Pilato amicitiam: Judæis omnibus, sui sanguinis pretium &

Liberalitas Christi morientis in homines.

B figuli agrum: Veronicæ vultûs sui imaginem & ectypum: militibus se crucifigentibus suas vestes & exoratam à Patre veniam: Matri suæ novum filium: dilecto discipulo suam Matrem: latroni paradisum: Josepho & Nicodemo mortuum exangue corpus suum, clavos, & spineam coronam: Longino lanceam suo cruore tinctam: Centurioni & pluribus aliis sui notitiam, mortuis reditum ad vitam. Soli & lunæ nigrum funebre pallium: terræ ac rupibus miserationem & sensum: olivarum horto sudorem sanguineum: monti Golgothæ crucem, fatalem suum lectulum: sepulchro denique funebria lintea & sudarium donavit.

Ita se morientis Christi liberalitas effundit in omnem humanam gentem. Quid nos redonamus tam largiter donanti? Omnia dabimus, si cor demus; nihil dat, qui cor negat.

§. II. *De Sanguineo Christi sudore in horto.*

C Hristus jam pæne semimortuus non oravit tantùm in horto, sed & sudavit, & quidem sanguine. Hîc ego Angelis loquendi aut scribendi vices assignarem, si possem, ut illæ mentes beatissimæ Servatoris pavorem, tædium, sudorem, mœstitiam, inexplicabilem cum morte luctam & ἀγωνίαν explicarent. Quid tale Marcus ab ultimâ mundi origine auditum vel visum? æstus lu-ingruen. ctantis animi aperuit & laxavit poros; per apertos non aqua, ut solet, sed sanguis impetu prorupit. En, quàm triste spectaculum: Dei Filius, geniorum cælestium voluptas, expallescit, submittit genua, procumbit humi, divinum os solo adsternit, cum acerbissimâ morte luctatur; in hac ipsâ tamen luctatione ardentissimam orationem ad tres horas, quod probi Auctores tradunt, produxit. Prolixiùs orâsse dicitur, ait Barradius, quoniam trium horarum spatio oravit. Idem illum in cruce fecisse censent. Nam illis tribus horis, quibus in cruce vivus pependit, hoc unum sibi laboris sumpsit, uti credimus, Patrem humanæ genti precibus conciliare. Ita tres horas in silenti oliveto, die proximâ tres alias in infami ligno precibus dedit, alias crebriùs & ex more nocles integras precando pervigilavit. Disce, obsecro, ignaviissime homuncio, Domini tui exempli, vel unicam saltem horulam vigilare & orare.

Inter alia Sebast. Barradius, in 4. Comment. in Concord. & hist. lib. 6. in 24. cap. Johannis 20. Marci

Ita non oravit tantùm, idque tam prolixè; sed etiam sudavit, & quidem copioso sanguine. Hæc oratio & luctatio ad noctem mediam durâsse creditur. Jacebat eo tempore cæli Dominus tanto peccatorum pondere depressus, mœroribus & angoribus tantis circumfluens, ut æstuans sanguis non ad cor coiret, sed per omnes artus undequaque prorumperet. Prô admirandam immutationem! In Thaboris jugo hujus ipsius hominis vultus instar solis irradiabat, instar nivis candicabant vestes; jam pallor vultum, vestem cruor inficit. O Jesv mœstissime, pæne dixerim, hoc quidem ni-

Orantis corpus in agone sanguinem sudat. Alumnis sanguinis ad cor revocatur. Sanguis ad cor revocatus per omnes artus prorumpit. Ab hoc sudore Christi Radinus.

mis ma-

mis maturè faciş. Adhuc tibi flagra, ſpinæ, iter ad crucem, crux ipſa reſtat toleranda: tu verò jam pæne ipſam ante mortem moreris. Ecquid tandem purpureum hunc ſudorem è corpore toto eliquavit?

B corpore Chriſti ſudorem ſanguinem eliquante: 1. Peccata hominum.

I. Peccata mea, tua ô, homo, & noſtrûm omnium. Hoc illud fuit prælum, hoc torcular, quo botrus ſucci plenus fuit expreſſus. Sub iſto tot culparum onere ingemiſcit, mœret, anhelat, dolet, plorat, fatiſcit, ſudat largiter. Rectiſſimè ajo: Peccata hoc fecêre. Quot annis religioſorum hominum complures hoc unum commeditantur, quid ſit peccatum? Sed quis ad caput rei pervenit, quis invenit fundum, quis umquam immenſiſſimum peccati barathrum exploravit? quis omnia ejus mala perſcrutatus eſt? Cenſeam ego, fœditatem peccati, & nequitiam extremam à nemine mortalium ſatis umquam capi poſſe. Quæ enim hæc malorum omnium infinita eſt malitia, peccatum unicum æternitate totâ numquam ſatis puniri poſſe? Dei Filius omnia orbis peccata & vidit, & ipſe unus portavit. Verè languores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portavit. Ipſe autem vulneratus eſt propter inquitates noſtras, attritus eſt propter ſcelera noſtra. Hinc Deus per eundem Iſaiam juſtiſſimè queritur: *Servire me fecisti in peccatis tuis, præbuisti mihi laborem in iniquitatibus tuis.*

B

Iſa. c. 43. v. 24.

2. Rei capitis damnati.

II. Rei jam capitis damnati horrore ſupplicii futuri, & ſolâ mortis imagine, quæ in animum ipſorum identidem incurrit, graviùs quàm ipſâ morte cruciantur. Chriſtus univerſam imminentis ſibi mortis ſeriem quàm integerrimè prævidit, eámque animo ac mente altiſſimâ concepit. Hinc horror, pavor, mœror in eo tantus, ut omnis ſanguis ſede ſuâ motus trepidanter totum corpus pererrârit, foràs demum eruperit in ipſam quoque terram effuſus. Nam etſi priùs ad cor more ſuo confluxerit opem allaturus, inde tamen amoris æſtu repulſus in ſummam ſeſe cutem tamquam fugitivus ejecit. Imò cor ipſum in illos rubentes rivulos credi potuit liquefactum.

C

3. Ut noſtræ anguſtiæ firmarentur, & ne imbecillitas & languor conſternaret.

III. Mœroribus adeò ingentibus circumfluere voluit Servator, ut noſtri pectoris anguſtiæ inde firmarentur, ne mentis imbecillitas, languor, conſternatio nos ad terram affligeret, & in perniciem daret, néve in rebus turbidis & luctuoſis penitus deſponderemus animum, ſed ut hoc admirando hortenſi ſpectaculo erecti, cogitationem ejuſcemodi ſuſciperemus: Etiam Dominus meus JESVS humanam imbecillitatem expertus, tædium, pavorem, mœſtitiam extremam ſenſit; ad ipſam uſque mortem adeò triſtis, ut ab Angelo voluerit corroborari. Nam, quod Lucas dixit, *apparuit illi Angelus de cælo, confortans eum.* Duremus igitur, & cum Chriſto nos eſſe homines fateamur, viribúſque divinis tantò magis fidamus, quantò magis diffidimus noſtris. Sed uti Chriſtus precationem trinam hoc ſemper epilogo clauſit: *Verumtamen*, Pater mi, *non mea, ſed tua voluntas fiat.* Eodem prorſus modo, iiſdem omnino verbis & nos orationes noſtras concipiamus: Non quod ego volo, mi Deus, ſed quod tu. Idem in extremis fiat, cùm ſudor frigidus prorumpet, cùm conſcientia & hoſtis ſtygius anget; eja tunc patienter & viriliter agamus, divinæ voluntati ex toto ſubjectiſſimi. Sic animatis in conſpectum hoſtium ſe dare, & cum Chriſto licebit dicere: *Surgite, eamus*, omnem hoſtilem impetum excepturi.

Luc. c. 22. v. 43.

Ibid. v. 42.

Matt. c. 14. v. 42.

Sed & illud hîc altâ mente tractemus. Dolores mortis nemo ſentit, & diu inter vivos ſubſiſtit; Chriſtus ſenſit, nec ſtatim in vitâ eſſe deſiit. Ita diu ac prolixè mori voluit. Et tamen in productiore hac mortis luctâ hominem nullum habuit, qui verbulo ſolaretur. Quod ipſe per Pſalten queſtus: *Et ſuſtinui*, ait, *qui ſimul contriſtaretur, & non fuit: & qui conſolaretur, & non inveni.*

Pſalm. 68. v. 21.

4. Liberalitas & amor Chriſti

IV. Admiranda Chriſti liberalitas, ſummus amor fuit, qui non ſolùm omnem ſanguinem inter tormenta noſtræ ſaluti fudit, ſed etiam inſuper non ſine grandi miraculo abſentibus tormentis ter amantiſſimè propinavit. Et 1. quidem in cœnaculo, ubi tam multum ſui ſanguinis dono reliquit, quantum toti humanæ genti omnibus futuris poſt ſæculis quotidie bibendum ſufficit. Non ſine ratione dixerim: Chriſtus ſeipſum priùs crucifixit in menſâ, quàm illum Iudæi in Calvariâ. Nam ſuis ipſe manibus ſemet obtulit, ſacrificavit, & edendum tradidit ipſi etiam proditori Judæ, repræſentanti tot millia improborum, qui Corpus Dominicum impurâ conſcientiâ ſumpturi erant, & quaſi denuo crucifixuri. 2. In oliveti horto non ſine miraculo fudit ſanguinem, ubi ſine flagris & virgis flagellatus, ſine clavis terræ affixus, ante mortem dici poteſt mortuus. 3. In infami ligno, ubi poſt mortem jam obitam omni ſam ſanguine liberaliſſimè fuſo, nihilominus è pectore mixtum aquâ ſanguinem juſſit ſcaturire. Verè copioſa apud Dominum redemptio.

A

Sanguinem ſuum Chriſtus ter abſentibus tormentis amantiſſimè propinavit.

B

Sed nondum libet ex hoc oleario horto tot myſteriorum conſcio abire, ſanguineos Chriſti ſudores attentiùs contemplari placet. Sed laxemus aliquantum dictionem, & pluſculum libertatis calamo demus, ut tantò meliùs commiſereſcentis animi ſenſa explicemus.

§. III. *Cur Chriſtus ſanguine ſudârit.*

IAm ejus rei cauſſas brevî complexi ſumus. Sed hæ ipſæ paullo explicatiùs tradendæ, ut eò altiùs tanti myſterii contemplatio omnium animis infigatur. Romani veteres, uti Plutarchus in Fabio docet, coccíneam tunicam ad Imperatoris tentorium in haſtâ propoſuerunt, accendendo militi, ad concipiendam pugnam & arma paranda; & ut intelligerent diem prælii adeſſe, pro vitâ & ſanguine certandum eſſe. Prælium Servatori cruentum, atrox, infandum inſtabat; omnis inferorum phalanx in unius caput conjuratis viribus imminebat. Et en pridie quàm pugna hæc committenda, noſter hic Imperator dat belli ſignum è rupe olivarîâ: veſtem ipſe ſuam non alio murice vel oſtro, quàm ſanguine ſuo rubefactam proponit. Neque verò eam facili labore rubefecit. Gemuit, ſuſpiravit, doluit, ſudavit, & ſudando ſanguinem emiſit. At unde tandem inſolitus hic ſudor? Qui inter homines ob mortis horrorem nocte unâ incanuerint, qui etiam extincti ſint, fuiſſe quoſdam accepimus; qui ſanguine ſudârit, vix ullum. * Apud Sichemienſes in Belgicâ, ante annos circiter quadraginta, non homo vivus, ſed divæ Matris Virginis imago ſanguinem ſudavit, uti memorat ævi noſtri clariſſimus ſcriptor Juſtus Lipſius. Feminam fuiſſe affirmat non è plebe teſtis, quæ mariti ſui mortem eo lacrymarum imbre proſecuta eſt, ut lacrymis deficientibus guttas ſanguineas oculi ſtillârint. At verò, qui ſanguinem toto corpore, tantâ copiâ, tali ratione ſudârit, nemo mortalium ullis retro ſæculis eſt viſus. Jacob Patriarcham cerno cum Angelo luctantem, ſed ſine ſanguine: Jonam Prophetam video precantem & laborantem, ſudantem & æſtuantem aſpicio, ſed ſine ſanguine: Paulum concionantem, & in laboribus plurimis anhelantem obſervo, multum viri ſudorem adverto, ſed & hunc ſine ſanguine. Unum hodie Servatorem noſtrum conſpicio, qui luctetur quaſi cum Angelo, ſermocinetur cum Deo, triſtetur ad mortem, ſudet demum & æſtuet, idque cum multo ſanguine, è quo vitiorum noſtrorum paralyſi pharmacum paretur, etſi reverâ pluris ſit remedium iſtud, quàm morbus.

C

D

* *Ioan. Maldonatus, tom. 1. in Evangeliſtas, in c. 26. v. 37. Matth. Addio, inquit, ex his qui viderunt aut cognoverunt, ante annos duos Lutetiæ Pariſiorum, hominem robuſtum ac benevalentè, auditâ in ſe capitali ſententiâ, ſudore ſanguineo fuiſſe perfuſum. Naturaliter id fieri poſſe & aliquando contigiſſe, docet Ariſtot. lib. 7. de hiſt. Animal. c. 16. & lib. 3. de Part. Animal. cap. 5.*

Naturæ interpres Plinius, ſanguinis & lactis pluviam in prodigiis numerat, & portendere ait, cavendam eſſe divinam iram, prout nimirum aruſpices interpretentur. Hodierna hæc ſanguinis pluvia, quæ toto Chriſti corpore defluxit, luculenter nobis æterni Patris vindictam in inno-

in innocentem filium demonstrat. Nicander, Dioscorides, aliique complures affirmant eum, quem hæmorrhoïs serpens momorderit, undequaque poris & meatibus sanguinem sudare, & sanguinando interire. Si vera quæratur caussa hujus in Christo sanguinei sudoris, liberè pronuncio: Hæmorrhoïs illum icit. Hæmorrhoidi aptissimè peccatum comparem; à peccato Christus non suo sed alieno ex admorsus est, ut currens ille sanguinis totis artubus proruperit. Quòd si hæmorhoidis unius, atque non magnæ reptilis morsiuncula, quia letifera, sanguinem potuit elicere; quid non potuerunt tot, tam immania, tam mortifera humanæ gentis peccata, quot fuerunt à primis mundi cunabulis, quot sunt crúntque ad supremum illius senium, quæ quidem tunc simul omnia Christum unum lancinabant? Ad tot hominum scelera huic mitissimo agno expianda, vicinæ mortis horror & formido ingens accessit. Luctabatur secum ipse animus, & *velle* atque *nolle* inter se acriter decertabant; futuri cruciatûs immanitas ut præsens objiciebatur animo, qui illam quidem vi rationis subigebat, & cupiebat mori; mortem tamen, præsertim tam atrocem & fœdam, naturalis sensus perhorrescebat, refugiebátque. Quare, videte obsecro, ut sese in hac luctâ ultimâ noster hic athletes in *gradum statúmque* componat. Vix hortum ingreditur, & mox pavere, pallere, angi, gemere, tristitiam aperire, tædium non diffiteri, angores vultu prodere, vigiliarum & precum societatem poscere, à sociis abire & redire sæpius, quietem tamen aut solamen nusquam reperire. Et en, ut avellatur à suis, procumbat in genua, terræ faciem allidat, iratum Patrem exoret, verba suspiriis distinguat, in precatione perseveret, imminentem sibi mortem averti postulet, non tamen suæ potiùs quàm summæ voluntati satisfieri flagitet, preces easdem ter repetat, ad suos ter revisat, toties se terræ asternat, hunc sibi demum cruentum liquorem membris omnibus manantem exprimat. O spectaculum hominibus, & vel ipsis Angelis luctuosum! Non fuit hæc Christi, (qualis sæpe nostra est) brevis aut perfunctoria precatio. In quo precandi ardore sanguis primùm ad cor compulsus, dein crescente in immensum angustiâ, ab eodem suffocari metuente repulsus, ubi per inflammatas venas & accensum corpus variè vagus & oberrans, sudore jam etiam defecto, foràs demum, ruptis venulis, & apertis undequaque poris, ubertim expulsus est, subjectámque terram inebriavit prodigioso hoc nimbo. Hanc sanguinis eruptionem naturalem esse potuisse, non solius Aristotelis auctoritas, sed & ratio id convincit, cùm sanguis & sudor eâdem pæne origine procreentur. Quam ob caussam recentiores quosdam non audio, qui de vero exsudato sanguine nescio quid ambigunt; priscorum Patrum in hoc consensum veneror & sequor, atque veri sanguinis fuisse guttas agnosco, quæ, quia per corpus in terram defluebant, Ecclesiam quoque, corpus Christi mysticum, Martyrum sanguine mundandam denotabant. Dixi de cruenti hujus sudoris caussâ, addo nunc pauca de copiâ.

Peccatum fuit sanguinei sudoris in Christo caussa.

Christi lucta.

Et in eâ compositio.

Hæc sanguinis eruptio naturalis esse potuit.

Veri sanguinis guttæ fuerunt.

§. IV. *Cur sudárit sanguine tam copioso.*

Christus toto corpore & membris lacrymas cruentas profudit in Gethsemaneo horto.

PLorâsse Christum sæpius, scimus, numquam tamen, quàm in hoc Gethsemaneo horto copiosiùs. Aliàs oculis tantùm lacrymatus est: at verò pridie mortem & manibus lacrymatur, & humeris, & genibus; toto demum corpore membrisque omnibus cruentas lacrymas profundit, ut verè illud prisci Poëtæ de Christo usurpem:

Sanguine erant lacrymæ: quacumque foramina norat
Humor, ab his largus manat cruor: ora redundant,
Et patulæ nares: sudor rubet; omnia totis
Membra fluunt venis: totum est pro vulnere corpus.

Ex iis nata arbor.

Ceterùm adnotant nonnulli ex Egesippo Apostolorum discipulo, natam ex hujus sanguinis aspergine arborem, quæ in foliis hanc præferat scripturam: *O mors quàm amara est memoria tui!* Mirandum planè, si verum. Sunt etiam qui nescio quâ notitiâ Dominici sudoris guttas numerent, dicántque effluxisse centenas quinquagenas octonas. Sed incerta hæc mittamus: ego innumeras fuisse guttas malim dicere, & pæne rivulum, sive Christi vestem, seu horti solum considerem. Vestem puniceis maculis russatam divinus Isaias vel olim videt, & hujus è Christo caussam scisitans. *Quare rubrum est*, inquit, *indumentum tuum, & vestimenta tua sicut calcantium in torculari?* Horti viride pavimentum pretiosissimis his guttis liberaliter depictum fuisse, beatus Lucas affirmat his ipsis verbis: *Et factus est sudor ejus sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram.* Sudor nobis fervorem, sanguis pretium, sanguinis decursus abundantiam designat. Corpus quidem vel paucæ guttæ madidare potuerunt, non item terram: & stillare, guttarum est; decurrere verò, torrentium aut rivulorum. Ergo sanguineus hic Christi sudor non tantùm cruciatum destituit, trepidantes venulas deseruit, per pavida membra discurrit, per solutos poros prorupit, corpus Dominicum humectavit, sed etiam per artus defluxit, in subjectam humum se effudit, & omnem circà viridantem terram largiter & floridè purpuravit. Sanguis divine! quàm alia est longè vox tua, atque vox sanguinis ab innocente Abele fusi! Ille vindictam, tu misericordiam clamabas: ille Deum ut puniret; tu, ut parceret, rogabas: ille Caini parricidium, tu Christi in nos beneficium monstrabas; ille fratris in fratrem odium, tu Dei in homines amorem immensum testabaris. Ita nimirum amor iste divinus festinabat in nostram salutem, ut illi tarda nimis visa sint vincula, columna & flagra cunctari, morari vepres & spinæ, crux ipsa nimiùm differri videbatur. Ergo moram hanc indignatus, concitabat sese, atque in apertum prorumpebat, & quantum amoris incendium Christi pectus instar Vesuvii contineret, ipsis etiam oculis subjiciebat. Quin & Christus ipse urgebat semet atque instabat, promissum à se exigebat, ad mortem accendebat, fors & seipsum sic affabatur: Si sanguinem sitit inimicus adsint hostes, & sanguine saturentur: si fratres mei meo sanguine liberandi, prodi cruor, erumpe, sanguis, sudate pori, stillate venæ, rorate tempora, ora lacrymis rigate oculi, pluite cuncta membra, fundite artus singuli, & excutite imbrem non parcum, non aquosum, sed copiosum, sed insolitum, sed sanguinolentum. Nondum quidem in Pontificum palatio sumus, nondum in Pontiano prætorio stamus, aut in viâ publicâ jacemus, nondum pendemus in Calvariâ, jam tamen ad olivarium clivum pervenimus: hîc funestæ tragœdiæ prologus est statuendus, Cajetana rupes spectabit sanguinarium epilogum.

Innumeræ fuerunt. Isa. cap. 63. v. 2. Luc. cap. 22. v. 44. Corpus humectavit vertit in subjectam humum effudit. Gen. cap. 4. v. 10. Sanguis Christi misericordium clamabat. Amor deificus passionis in Christo.

O mi bone JESV! quò tua demum in nos abibit liberalitas? Paullò antè sub extremæ cenæ finem, tuum nobis sanguinem in calice propinâsti, jam illum iterum in tuo corpore, in veste, in horti pavimento propinas, brevî in ædibus Pilati copiosiorem, omnem denique in Golgotha propinaturus è cruce. Myrrha prima, myrrha electissima est, & balsamum illud suaveolentius rel quo atque carius, quod sponte defluit. Cruor hic tuus, Christe, nobis jure pretiosissimus, quia primus, quia sine ferro fusus est. Seraphicus ille Franciscus, omnium certè vitiorum, cumprimis avaritiæ capitalis hostis, sui tamen sudoris, quo cælum mercaretur, ne vel guttulam quidem voluit divendere: cujus ergo prem nobis erit sanguineus hic sudor, quem ipse Rex cæli fudit, & restauravit universa?

Romanæ arenæ gladiatores eâ in se ibant sævitie, ut victor sæpe manum mitteret in patulum occisi vulnus, & sanguine velut se proluret. Nec defuerunt è populo, qui gladiatorum sanguinem ex ipso vulneris hiatu biberent,

biberent, calidum adhuc spirantémque, idque contra morbum. Adsint hîc modò, qui curandis animi morbis medelam quærunt, habent hîc, quem hauriant, purissimum sanguinem, recentem omnino, & è suis primùm receptaculis eliquatum.

Cùm inter Argivos & Lacedæmonios super Thyræo agro grave certamen esset, pars utraque selecti militis trecentos in pugnam composuit, qui liti huic finem facerent. Pugnatum est acerrimè, & sine missione, non sine sanguine, Ceciderunt denique unà omnes, duobus solùm Argivis, Argenore & Chromio stantibus, qui ut victoriam domum nunciarent, à mortuis ad vivos properarunt. His digressis, Orthyades Laconum fortissimus, etsi jam vicinissimus morti, extremas tamen vires resumpsit, loco consurrexit, hostium aliquot spoliavit, trophæum erexit, atque digito suo pro calamo, suo sanguine pro atramento usus, hunc scuto titulum inscripsit: *Lacedæmonii de Argivis.* Quo facto, in cæsorum acervum se abjecit, & finiit. Si fas ima summis conferre, Orthyadem in Sionis viridario invictum conspicor, Christum video, qui inter extremam cum morte luctam trophæum statuit, & has in illo voces suo sanguine descripsit: *Sic DEVS dilexit mundum.* O nimium amorem istum, cui explendo mors una satis non fuit, sed ante mortem vitam hanc nostram mori coëgit! ita quidem, ut nostri amantissimus Christus membratim interire, guttatim contabescere, & per lenta sanguinis stillicidia, diversis viis animam abire voluerit: & tamen adhuc plus diligebat ille quàm perferebat, plus perferre cupiebat quàm per humanam naturam valebat: mors illi pœnarum ejus levissima videbatur; nec ei sufficiebat, si semel tantùm moreretur in Golgothæ cœmeterio, nisi priùs fuisset etiam mortuus in Gethsemani viridario: parum ei erat, si inter latrones expiraret medius, nisi & ante sudore sanguineo sic fumaret, ut jam flagellatus videri posset,

Joan. cap. 3. vers. 16.

Amor Christi fuit major omni passione.

§. V. *Ad Christum sudore sanguineo manantem pii suspiratus. Pluscula de aliis quæ ad rem præsentem.*

Suspiria animæ ad Christum patientem.

OMi amantissime Domine JESV, te unum suspirat cor meum. Cur, ô amor meus, cur ita ipse tormenta tua præcipitas? Nondum hîc ullus est è Brutiorum gente Romanus carnifex, nondum hamata te flagella lacerant, nondum aculeati sentices divinum verticem perfodiunt, nondum prægrandes clavi manus pedésque configunt; & tamen jam nunc tam uberes cruoris fonticuli fluunt. Quid cras fiet, cùm totum corpus unus erit livor, vulnus unum? nimirum hodie tivuli currunt, cras dabis cruoris maria. Atqui verò in supremis his angustiis, nemo unus hominum est, qui te vel minimùm refocillet, nullus qui vicem tuam participet, qui dolorem tuum vel verbulo soletur: etiam amicissimi deserunt: ipsi etiam discipuli linguâ quàm animo meliores destituunt. Paullo antè vinciri tecum & mori parati, jam stertunt, brevi & fugam circumspecturi: solus ô Christe vigilas, solus precaris, sudas & laboras. Verè torcular solus calcasti. O mi JESV, JESV mi patientissime, miserere mei, præcipuè supremo vitæ meæ tempore. Confirma me in ultimo certamine, illâ præsertim horâ, quæ de omnibus meis annis sententiam feret. Mœrores tui meos refocillent, angores tui meos dissipent.

Isaiæ c. 63. vers. 3.

Ad Hortū apostrophe:

Sed ô felicem te dives olearum Horte, à Domino tuo purpurate, & sanguineis notis velut rosis stellate; tu arcanas illas voces atque gemitus, tu suspiria lacrymis distincta, tu preces singultibus interruptas audivisti, conscius mœroris qui Christum, soporis qui socios oppresserat. Gatriant alii Adonidis aut Alcinoi hortos: nugæ sunt & mera dumeta ad te comparati; Elysii campi, Elysii non sunt præ tuâ dignitate. Non errem, si te feliciorem primo illo paradisum dixerim. Et quis me transferat, ut olim Adamum, in nova hæc & beata tempe? Sed & ô felicem te terram, quæ Domini tui cruorem combibisti, numquam tam pretioso rore irrigata! Quis mihi det, ut excentis oculis fatigem locum, quem Servatoris vestigia pressérunt, genua contigerunt, cui sese os oculique appresserunt? Sed ô terra, an non erubuisti, te premi tam sacro pondere, te aspergi tam nobili liquore? Imò certè rubere cœpisti Minio nimis pretioso purpurascens, postquam rubentem tibi stillam novus hic hortulanus irroravit. Et tu è cælesti prætorio alate Juvenis, quod tibi munus in hoc horto demandatum? túne illum solaris, qui tuum unicum est solamen? illúmne ad certamen animas, qui te, in illo contra apostatas angelos certamine, servavit? Ah! quæ hæc tam luctuosa metamorphosis, quod fatum hoc tam ineluctabile, ut is in terrâ jaceat, quem in cælo beatæ mentes non sine tremore adorant.

Ad Angelum.

Quid agimus hîc Christiani, quæ animi nostri sunt sensa? Videte mihi, obsecro, æterni Patris Unigenam, mœsto noctis silentio, ad olearum colles terra affusum, & velut sub mole maximâ fatiscentem, guttis roseis undique notatum. Videte mihi botrum crucis torculari nondum impositum, jam tamen ex eo vindemiam sponte redundantem. Videte oleam trapetis nondum pressam, jam tamen olivi plurimum sudantem. En spongiam nullius manu contractam, humore tamen copioso manantem. En terram virgineam hostili aratro nondum proscissam, jam tamen messe uberi triumphantem. Videte mihi pelicanum nondum clavorum rostris confixum, jam tamen sanguineis roribus stillantem. Videte agnum nondum macello, nondum cultro admotum, jam tamen undequaque guttis sanguineis respersum: guttas modò videtis, brevi visuri sanguinis flumina. Sed ô sensus humanos, vel adamante duriores! illum hircino sanguine domari ferunt; hos sanguis divinissimus tam largè, tam variè fusus vix quidquam emollit. Terra movet, sol expallet, sepulcra reserant, saxa rumpunt, mortui sentiunt, rupes dissiliunt. Homo quid? Ridet, & Domini sui sanguinem, jocum sæpe facit & ludibrium. Chrotildis regina, uti Gregorius Turonensis refert, ab Amalerico conjuge crudeliter habita, Childeberto fratri candidum linteum misit proprio sanguine infectum, quod loco litterarum esset, & hoc quasi fratri diceret: Vidésne hæc Childeberte, & pateris? cernisne quid soror patiatur, & connives? non vindicas, non defendis? Et, en nobis ex oliveto sudarium mittit Christus, quod suo ipse sanguine largiter pinxit, & hæc quasi verba inscripsit: Hunc mihi sudorem scelera vestra expresserunt: videtis ista, & vitam priorem non desinitis? Utinam nos Childeberti nunc simus, & in nostram ipsi vindictam animemur! Certè Patientem Christum nemo luget veriùs, nemo amat sinceriùs, quàm qui ea, ob quæ passus est Christus, odisse incipit. Tui, ô mitissime JESV, sudores sanguinei gelidos meos abstergant, tuæ preces vim & robur meis tribuant. Tua innocentia meas noxas eluat, tua mors immortalitatem mihi beatam conferat. Tuus sim vivus, mortuus. Ita tecum, mi JESV, & pro te libens moriar.

CAPVT III.

Christus moriturus ab Iscariote proditur, à Petro negatur, ab Herode illuditur, à Pilato flagellatur.

Christus ab omni hominum genere cõtumelias est passus.

FIlius Virginis Christus ab omni hominum genere contumelias est passus: à suis, ab alienis, à sacerdotibus, Pontificibus, Senatoribus, Regibus; à Pharisæis & plebe; à summis, infimis; ab hostibus & amicis. Ipsi etiam

etiam discipuli suam in necem Magistri contulerunt symbolam. Fuit eorum unus, qui hostibus illum proderet, fuit qui coram servis eum negaret; ceteri fugiendo ac deserendo promissam in cenâ fidem minimè servarunt. Quid miramur hunc optimum patremfamilias ab alienis tam malè habitum, quem ipsi etiam injuriis affecerunt domestici? Ab Herode Iannas, à Pilato plagas tulisse Christum, nil novi, hostes erant: à Judâ perfidissimè traditum, à Petro ter constantissimè affirmatum sibi eum hominem esse ignotum, hoc novi quid & miti est; discipuli fuerant. Sed hæc singula penitiùs inspiciamus.

§. I. *Iscariotes Christum prodens.*

Luc. cap. 22. vers. 10. & seqq.

DOminus Jesvs jam morti proximus, duos è discipulis Hierosolymam præmittens, *Ecce*, inquit, *introëuntibus in civitatem occurret vobis homo amphoram aquæ portans; sequimini eum in domum, in quam intrat, & dicetis patrifamilias domûs: Dicit tibi Magister, Ubi est diversorium, ubi pascha cum discipulis meis manducem? & ipse ostendet vobis cenaculum magnum, stratum, & ibi parate.* In hoc cenaculo Christus triplicem suis cenam dedit. Prima erat ritualis illa, quæ agnum Paschatis consumendum inferebat. Altera communis & quotidiana, quæ famem consuetis epulis, solitis cibis eximebat. Tertia demum sacrosancta, quæ divinum epulum, corpus & sanguinem Dominicum exhibebat. Ad hanc cælestem cenam pedes Dominus servis piscatoribus lavit, sermone in Humilitatis & Charitatis commendationem instituto. Innumera hîc mysteria sunt. Non tangimus: nullus hîc dicendi finis, nullus exitus. Unicum hoc loco censui libandum. Nefas silentio præterire (quod plerique faciunt) obstupescendam Domini Jesv mansuetudinem, quâ in suum proditorem est usus. Cum Hebræo vate dixerim: *Obstupescite cæli super hoc. Obstupesce terra, obstupescite omnes Angeli ineffabilem Regis vestri placiditatem in tolerando scelere humano.*

Triplex cena à Christo discipulis data.

De triplici hac cenâ libro singulari Ioannes Walterius Antverpiæ editus anno 1617.

Christi mâsuetudo erga suum proditorẽ.

Hier. cap. 2. vers. 12.

Reverâ jam in cenâ Christus fel & acetum cœpit bibere: omnes epulæ amaroribus corruptæ. Nam præterquam quòd dissensio ambitiosa inter discipulos orta, quis eorum major; Petri etiam titubans lingua, & ceterorum turpis fuga in sermonem venit: hæc Christo merum fel erant. Hæc tamen omnia superabat, quòd ille lupus, proditor, diabolus Iscariotes lateri hæreret. Ah, quæ mitissimus Jesvs non tentavit, ut hunc hominem à cogitato scelere averteret? In Apostolum eum elegit, suum quæstorem fecit, eleemosynis præfectum constituit, patrem illius, ut ferunt, à leprâ, matrem à paralysi curavit, ultra triennium inter suos illum toleravit, plurima eum docuit, obmurmurantem pertulit. *Tandem turbatus spiritu, Amen amen dico vobis,* inquit, *quia unus ex vobis tradet me.* Turbatur amantissimus Pastor, quòd unam è suis oviculis, quas unicè amârat, esset perditurus. Nihilominùs omnem salutis viam explorat, tentat omnia Magister mitissimus, ut discipulum à concepto flagitio abducat. Nam 1. secum illum in ultimâ cenâ tolerat, non oculis tantùm æquis illum aspicit, sed ex eâdem paropside cibos cum illo sumit, humanissimè illum affatur.

Ioan. c. 13. vers. 21.

Vię quibus tentavit eum à concepto flagitio abducere.

2. Non tantùm hunc mensæ contubernalem & convictorem, sed inter primos, & ante Petrum, Joanni proximum considere permisit.

Catinus hic Genuæ: Calix in hac cenâ usurpatus Romæ asservari dicitur ad S. Ioannem Lateran.

3. Ter distinctè sceleris concepti monuit, sed nomini semper pepercit. Et primò quidem tectè monens, *Vos,* inquit, *mundi estis, sed non omnes.* Deinde paullo apertiùs: *Qui manducat mecum panem.* Imò etiam, quod Joannes asserit, protestatus est, *Unus ex vobis me tradet* &c., nomine tamen semper suppresso. Denique etiam atrocitatem criminis exponens, *Væ,* inquit, *homini illi, per quem Filius hominis tradetur. Bonum erat ei, si non esset natus homo ille.* Nihil effectum; noluit mollescere hoc saxum. Sed ô Deus, quàm levi pretio cælorum terrarumque Dominus est venditus! quot asini & canes, quot vasa testea, quot vitrea pocula, sanguinariam mercedulam hanc superant? Stultissime, scelestissime venditor, impii emptores! Itáne cæli pretium, pretio vænit tam vili?

Ioan. cap. 13. vers. 10.

Ibid. v. 18.

Ibid. v. 21.

Marci c. 14. vers. 21.

De pretio Christi venditi his Auctorum ingens, & sententiæ diversissimæ. Sunt qui censeant fuisse duodecim nostrates coronatos aut Philippeos, vel florenos quindecim. Ita Hostius l. de Re nummariâ c. 5. Suarez. tom. 2. in 3. part. D. Thomæ, disp. 34. sect. 1. Passim rejicitur Cæsaris Baronii sententia de 330. coronatis. Vide quid hac de re sentiant Ioan. Bapt. Villalpandus, & Hieronymus Pradus in Ezech. tom. 3. part. 2. l. 2. disp. 4. c. 31. Pererius to. 3 in c. 20. Gen. disp. 2. Lorinus in cap. 4. Actor. v. 37. Bosquieri Cedrus conc. 31. v. 2. Cornelius de Lapide in c. 37. Gen. mihi p. 239. Iacobus Salianus tom. 6. Annal. vet. Test. ad Annum Christi 34. mihi p. 890. putat Christi venditi summam fuisse 36. Francorum cum quadrante (Francus Gallicus unus continet 10. victoriatos,) & secundùm hunc calculum computat Salianus. Ab hoc non dissentium Cornelius Iansenius, Emmanuel Sâ, Ioannes Maldonatus, alii. Nec ego huic sententiæ multum refragari velim. De hoc eodem venditi Christi pretio vide Aurifodinam meam parte 3. cap. 1. Addo pro varietate regionum mirè variat hæc moneta, FRANCVS. Nam in Lotharingiâ nostrates 6. baciis æquat pretio, alibi 8. quod in Aurifodinâ non expressimus. Aliæ regiones Francum pro 9. aliæ pro 10. baciis nostratibus, ut in Galliâ accipiunt. Si ergo Francum Gallicum sumamus pro 10. baciis, dicemus 30. argenteos, venditi Christi pretium fuisse 24. florenos, Philippeos verò 18. & duos bacios cum dimidio.

Quòd si Francus pro baciis 9. computetur, erunt floreni 21. Philippei 16. Quòd si Francus baciis 8. aut sicut Lotharingus, Francus 6. baciis constet, pretium Christi venditi ad calculos nostri floreni vel Philippei revocare, facillimum erit è dictis.

4. In genua ante hunc nebulonem procubuit cæli Dominus, tamquam delicti veniam rogaturus. Neque hoc solùm; pedes etiam illi lavit, & quidem omnium primo, quod Auctores optimi tradunt. Et quomodo tandem Angeli sesé ad hanc injuriam continere potuerunt? Hîc certè Christus magis se abjecit, & honorem suum depressum ivit, quàm cùm ab aliis mysteriorum ignaris cæderetur, conspueretur, in crucem suffigeretur. Sed hac Domini submissione nihil promotum.

5. Hoc unum restabat, quo majus non poterat. Uti ceteris, ita huic homini scelestissimo suum corpus porrigit edendum, suúmmet propinat sanguinem hauriendum. Sed nihil animi melioris impetrat. Hîc certè Iscariotes eos omnes repræsentavit, qui futuris pòst sæculis Eucharistiam sumpturi essent cum impurâ conscientiâ: qui venturi essent ut amici cum Christo cenaturi dum noxa lætalis in animo hæret. Hîc & illi etiam altùm ingemiscant, qui quidem sceleris puri, paullo pòst tamen voluptatulâ vili vendunt Christum, & animo exturbant.

6. In ipsómet flagranti scelere, dum osculum parricidale dulcis Jesvs accipit sceleratam belluam suaviter affatus, *Amice,* inquit, *ad quid venisti?* Filium hominis osculo tradis? Surdo hæc omnia, hæc cauti Marpesiæ dicta. O durum cor! ô pectus adamantinum! Uti cœpit, in vetitum abit, in præceps ruit.

Matt. 26. vers. 50.

Ita Deus quotidie nobiscum agit, nil non medicinæ in nobis explorat, ut æternæ morti nos subducat. An non crebrò satis nos monet? aures cohortationibus pervellit, conscientiam tacitis afflat instinctibus? Ex ipsius catino edimus; nutrit nos; sed & pedes in exomologesi nobis lavat, veniâ delictorum nos donat, suum nobis Corpus, suúmque Sanguinem, ad lubitum nostrum, in cibum & potum apponit. Nec quotidianos quidem convivas rejicit. In ipso subinde peccato amantissimè monet: *Amice, ad quid venisti?* an ideo te creavi, ut me injuriis afficeres? Desperatis omnibus remediis tandem refractario dicitur: *Quod facis, fac citò.* Ito, perfide, ito; animo tuo satisfacito; certa tibi imminet pernicies, sed cave Deum accuses, aut in alios culpam derives, tu ipse tui faber es exitii; peribis, quia voluisti perire.

Ioan. cap. 13. vers. 27.

Sed

Cur Christus Judæ hominem nequam in Apostolū elegit.

Sed forsan quæras, Cur, obsecro, Christus hunc hominem nequam in Apostolum elegit? Mi bone Christiane, cur, obsecro, Deus creavit Angelos, quos scivit apostatas futuros? Cur protoplastum in paradiso collocavit, quem in paradiso non permansurum ab omni æternitate præscivit? Cur quotidie vult nasci tot homines malos, quos minimè ignorat certò damnandos? Nimirum optimus Deus, cùm tales creat, suam orbi bonitatem monstrat; cùm damnat, justitiam. Ita nostro nos arbitrio permittit; si bonæ mentis simus, paratum præmium; si nequam simus, paratum supplicium; & nihilominùs ipsâ nequitiâ nostrâ in finem bonum utitur, quemadmodum Judæ proditio nobis saluti, ipsi autem exitio fuit, quia esse voluit.

Mittamus ergo curiosiores illas quæstiones, & potiùs admirandam Domini mansuetudinem, summam animi æquitatem discamus. Nostræ sed pravæ indolis est, peccata sua tegere, aliena vulgare, inimicos odisse, & malis omnibus impetere. Christianum est, Domini præceptum est, inimicos diligere, pro iis preces fundere, illis benefacere. Hoc nos Christus & in cenaculo, & in monte Golgothæo docet.

§. II. *Petrus Christum negans.*

Negatio Petri acerbior fuit Christo probris & verberibus.

PRobra & verba Dominus JESVS acerbè sensit, sed acerbiùs negationem Petri. Hæc in domo Caiphæ contigit, uti Origenes, Cyrillus, alii docent, idque inter horam noctis duodecimam & quartam. In eâdem hac domo crudelis planè colaphus ab infimo mancipio incussus est Christo. Sed minùs sensit mitissimus Dominus ab inimico servo verberari, quàm negari ab amico Petro. Hîc Jobi voces opportunissimè usurpari poterant: *Fratres meos longè fecit à me, & noti mei, quasi alieni, recesserunt à me. Dereliquerunt me propinqui mei, & qui me noverant, obliti sunt mei. Quem maximè diligebam, aversatus est me.* Inter primos Christus maximè diligebat Petrum; inter Apostolos Petrus audacissimè negavit Christum.

Job cap. 19. vers. 13. 14. & 19.

Julius Cæsar in Romanâ curiâ Senatorum ficis undique petitus, in unum Marcum Brutum oculos defigens exclamavit, *Et tu fili?* cum dicto sese involvit, ut honestiùs caderet. Liceat hîc pæne idem usurpare: Et tu Petre Apostolorum primarie, tùne ista in me audes? Quem ego ceteris præfeci, plus ceteris amavi, quem ego in petram posui, pro quo singulariter oravi: Tùne hoc mihi? Itáne ad temerarium verbulum ruit columna? Ubi nunc, quæso, magnifica promissa tua, Animam meam pro te ponam? Et vel nosse negas? Non nosti me Petre, quem Christum filium Dei vivi palàm confessus es? Ad cujus genua in navi procidens, *Exi à me*, ajebas, *quia homo peccator sum Domine.* Cui omnium Apostolorum loco respondebas: *Domine, ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes.* Cujus candicantem vestem, & radiantem vultum in Thaboreâ rupe aspexisti. Non nôsti me Petre, quem mari & ventis imperantem, panes multiplicantem, ægros sanantem, ad vitam mortuos revocantem, tot alia miracula patrantem viditi, quem concionantem toties audisti? Hunc ipsum hominem non nôsti? Et, quæso, non ampliùs meministi, nocte hac proximâ quid videris, quid audieris mirandorum? O Petre, ô Ecclesiæ petra! Itáne latro in hominem ignotum unà secum cruci affixum, plus exerat pietatis & fidei, quàm tu & omnes Apostoli? Animum collige; non est quòd jubearis animam pro Christo ponere: modò animosiùs uni focariæ velis respondere. Sed ô inconstantiam! ô infirmitatem humanam!

Matth. c. 16. vers. 16. Luc. cap. 5. vers. 8. Joan. cap. 6. vers. 68.

O nimis à nobis fragiles! Quò fortitudo & sanctitas sibi relicta corruit? Nusquam tutus locus, è cælo cadit Lucifer æternùm puniendus, è paradiso ejicitur Adamus, in illum non recipiendus; Ex Apostolorum Collegio à seipso excluditur Judas fune finiturus; ad mulierculæ vocem exanimatur Petrus Christi vicarius, sed Christum ter negaturus. Hæccine illa est petra, supra quam ædificanda fuerat Ecclesia, adversùs quam inferorum portæ non sint prævalituræ? Illéne Apostolorum apex, cui claves regni cælestis committendæ? Heu, fundamentum istud labitur; hæc petra, velut testa conteritur! Quis sine clavibus cælum subeat, quis claves speret ab eo, qui Magistrum, à quo claves acceperat, negâsset? Aut quomodo negantem Magister discipulum nosse vellet aut posset? Noverat Magistrum Petrus inter convivia Zachæi, Matthæi, Pharisæi, Canæ Galilææ, Agni Paschalis: jam pollicitationum amplissimarum oblitus, jam hominis illius paullò antè charissimi notitiam omnem negat ac pernegat, nec simplici jurejurando dicta confirmat. Quomodo sol firmamenti Apostolici versus est in noctem, in tenebras? Quantam eclipsim muliebris hæc luna offudit primò huic sideri? Quomodo ancillaris nubecula unica hunc Ecclesiæ solem obtexit? Nulla hîc Jahel clavo & mallo armata, non Juditha Holofernis gladio ad cædem parata, sed vilis ancillula animosum Petri pectus interrogatiunculâ expugnat.

Petrus sibi gigas magnus, & Goliathus aliquis visus, *Etsi*, ait, *omnes scandalizati fuerint in te, ego nunquam scandalizabor.* O inauratam statuam! sed lapillus unicus frontem illius icit, & tota corruit, constantia omnis evanuit. O Petre, tantùm cogita paullisper quis interroget: non ferox miles, non ipse Pontifex, non totum concilium, sed unica ex te quærit ancilla, de tuo Magistro, nec cum seductorem, sed hominem appellat. Quid adeò trepidas in Pontificis atrio? ante horas pauculas in cenaculo magnifica pollicebaris, grandi promissor hiatu. Ubi nunc promissorum pars centesima? Recordare obsecro, Petre, cùm pelagus animoso gressu calcares, quòd ad venti vehementiam aliquantulum mersus, JESVM Dominum tuum inclamâris, & ille continuò dextram porrexerit, & incolumem servârit. Jam fundum petis, sed illum ipsum non tantùm non invocas, sed etiam nosse negas, Magistrum tuum, Dominum tuum, ipsum Deum tuum. Quæ tantæ caussa ruinæ? Paullo antè hujus hominis, de quo quæstio est, Corpore & sanguine passus es, tot arcanorum illius eras conscius, jam annis pluribus inter hominis istius charissimos pubicè habitus, & hunc hominem negas nosse? quæ tantæ commutationis, quæ tantæ caussa ruinæ? Caussas in digitos mittemus.

Matt. c. 26. vers. 33.

Caussæ ruinæ in Petro: Prima: Confidentia sui.

Prima: Nimiùm sibi tribuebat Petrus, & præfidebat, cæteróque præ se spernebat: Etiamsi, ait, oportuerit me mori tecum, non te negabo: *etsi omnes scandalizati fuerint in te, ego nunquam.* Perinde ac si dixisset: Ego solus fortis, ego mortis contemptor, ego solus prudens & impavidus. Videte, obsecro, misella & implumis avicula, volare conata, decidit. Occultum, sed malignum vitium Confidentia sui * & temeritas, quæ per cuniculos in præceps ducit. Nemo sujs fidat opibus, ingenio, viribus, prudentiæ, doctrinæ, potentiæ. *Qui se existimat stare, videat ne cadat.* En Apostolus iste prævervidus, testimonio Domini mundus, corpore Dominico saginatus, turpissimè tamen ter lapsus, & semper gravius. Primò negavit, deinde & juravit, demum cum detestatione anathematizavit, *quia non noverit hominem.* His veluti scalis ad scelus ascenditur, tantò peiùs, quantò altiùs.

* *Præsumptio vocari solet.*

1. Cor. c. 10. vers. 12.

Septies, ait Cajetanus, sed malè ait. Matt. c. 26. vers. 74.

Altera caussa: Somnus intempestivus in oliveto. Cùm illic fuisset vigilandum, dormivit; cùm genua in preces flectenda, sedit aut jacuit: hinc cùm standum esset, fugit, post fugam à longè secutus. Hortatus Petrum Dominus ad excubias nominatim: *Simon dormis, ajebat, non potuisti unâ horâ vigilare? Vox Domini confringentis cedros*, sed non soporem Petri. Nihil effectum est

2. Somnus intempestivus in oliveto.

Marci c. 14. vers. 37. Psal. 28. v. 5.

communitione plus simplici. Aures non habuit tam profundus sopor. Atqui hæc magnæ remissionis erant indicia. Nimirum, quod Psaltes dixit, *Filii Ephrem, intendentes & mittentes arcum, conversi sunt in die belli.* Arcum intendimus, cùm quid piè sanctéque volumus; sagittas emittimus, cùm voluntatem in opus educimus, sed die belli turpiter ante pugnam cadimus, cùm inter tentationes nostra ipsi decreta evertimus, longéque aliud quàm statueramus, facimus. Ita Petrus in cenatione se victorem mortis jactavit, in horto nec somnum quidem superavit. Mi Petre, quàm longè diversa sunt, strenuè dicere, & strenuè facere?

Psal. 77. v. 9.

3. Societas mala.

Tertia caussa: Societas mala. Quid miramur Petrum gravius lapsum? Non fugit impiorum cõsortium. Quod Joannes commemorans, *Petrus autem*, inquit, *stabat ad ostium foris. Exivit ergo discipulus alius, qui erat notus Pontifici, & dixit ostiariæ, & introduxit Petrum.* O infelix beneficium, quod accipientem impulit in exitium! Nocuit, brevi etiam tempore, inter improbos egisse. Societas prava, res pestilentissima. Nec umquam mitiùs aut suaviùs discuntur mores improbi, quàm ubi vitia per oculos & aures assiduè instillantur, quod proprium societati malæ. Hebræo populo nihil æquè nocuit tot sæculis, atque multa cum idololatris consuetudo. Hæc una res Judæis omne vitiorum genus, ipsámque idololatriam inter tot luculenta Dei prodigia facillimè persuasit. Quod Psaltes apertissimè dixit: *Commisti sunt inter gentes, & didicerunt opera eorum, & servierunt sculptilibus eorum.* Hinc illi Hieremiæ vatis clamores: *Fugite de medio Babylonis, & salvet unusquisque animam suam. Fugite, fugite; abite vehementer.* Quàm grandi beneficio affecisset Petrum discipulus ille alius, si in aurem ejus insusurrâsset; Fuge, Petre, fuge Pontificis servos, homines sceleratos: abi vehementer, abi, abi ab hac aulâ, grande tibi malum imminet. Non abiit, non fugit, Pontificii servis se miscuit, Dominum negavit, cum detestatione juravit.

Ioan. cap. 18. vers. 16. Ille alius discipulus non videtur fuisse Ioannes, ut alii qui censent, sed Nicodemus aut Ioseph ab Arimathiâ.

Psal. 105. vers. 35.

Hier. cap. 51. vers. 6. & 45. v. 30.

Quàm instabili fulcro nititur, qui suæ innititur fiduciæ! O nimis semper noxia præfidentia, fatuitatis principium! Tantò magis sibi ipsi diffidere, quantò magis Deo fidere oportet. *Maledictus homo, qui confidit in homine, & ponit carnem brachium suum, & a Domino recedit cor ejus.* Infelix nimiùm, qui divinam vertit in fiduciam humanam. Quàm dubia & incerta, quàm omni momento pendula sunt humana omnia! quàm varia semper Principum gratia, magnorum favor, fortunæ lusus! quàm certa plurimorum odia, æmulæ mentes, inconstantes amicitiæ! quàm instabili, quàm nullo stant fundamento, qui alieno favori, viribus, potentiæ fidunt! I nunc, & fide post Petrum homini, quantumvis amico,

Hier. c. 17. vers. 5.

Homini non fidendum,

Sed in solo Deo & spera in adversis subsidia. In solo Domino spem pone: ille unus non destituet inter adversa; magis etiam aderit, animos addet & vires. Ab homine etiam amicissimo, etiam post summa beneficia, si speras, falleris: ne fallaris, ne spera: spes tua pendeat ab illo solo, qui neminem umquam fefellit, spem humanam omnem vicit, quique invocantibus se semper adfuit. Prudentissimus est, qui spem suam omnem in uno Deo ponit; quique extra hunc nihil sperat, nihil metuit. Non alienis favoribus, non suis, sed unius Dei gratiæ ac potentiæ fidit, nihil sibi ab alienâ, nihil à suâ promittit, à dextrâ Dei omnia. Quidquid evenit adversum, prosperum, è Dei manu accipit. Nec rebus afflictis indignatur, nec ad lamenta se vertit; scit enim nihil ab illâ Dei lenissimâ manu evenire posse non optandum, non in suam salutem, & Numinis honorem. Hæc à lapsu tutos reddunt. Feciſſet hoc Petrus, tam turpiter lapsus non fuisset. Ubi labi cœpit, per gradus, ut fit, in præceps abiit. Primus gradus fuit: Alios quàm se minoris æstimavit: *Etsi omnes, non tamen ego.* 2. Domino præscienti omnia & optimè monenti non credidit. 3. Suis vitibus plus nimio tribuit, promisitque carceris & mortis commu-

Gradus per quos Petrus in præceps abiit.

nionem, qui nec vigiliæ societatem præstitit. 4. Non semel de periculo monitus, imò rogatus, à somno tamen se vinci passus est. 5. Occasionem non fugit, nec impiorum familiare colloquium declinavit. 6. Christum Magistrum non semel tantùm, sed iterum ac tertium abnegavit, & dicta insuper execratione ac juramento confirmavit. Sed crimine jam in totum admisso, & auditâ galli cantantis voce, *Egressus foras flevit amarè.* Hîc gemino documento erudimur.

Matt. c. 26. vers. 71.

Duo eruditionis documenta:

I. Scelere commisso, nec dimidium quidem diem differre pœnitentiam. Nam peccatum, uti Gregorius loquitur, quod per pœnitentiam non diluitur, mox suo pondere ad aliud trahit. Animalia læsa maturatè medicinam adhibere properant. Cervus saucius dictamnum suum quæritat, suam plantaginem bufo, chelidonium suum hirundo. Peccasti? letale vulnus accepisti; mox obliga. Peccatum ut cancer serpit, nisi maturatâ pœnitentiâ obsistas. *Salubrius*, ait Augustinus, *sibi Petrus displicuit, quando flevit, quàm sibi placuit, quando præsumpsit.* Chrysostomi præceptio est: *Millies peccasti, millies pœnitere.*

1. Scelere commisso non differre pœnitentiam.

Aug. l. 1. de Civit. Dei, c. 13.

II. Peccandi occasiones solerter fugere. Ubi Petrus ab impiis recessit, mox flere cœpit; dum in atrio Pontificis hæsit, peccatum auxit. Quid miramur nos identidem in pristinas relabi noxas? occasiones peccandi escas non fugimus. Hinc illæ lacrymæ, hinc irriti labores. Quos Siracides accusans, *Qui baptizatur à mortuo*, inquit, *& iterum tangit eum, quid proficit lavatio ejus?* Si serio doles, dolendi caussas fugies. Quæ in aulâ Petrus deliquit, extra aulam deploravit. Duo illum egressûs & flentis monuerunt, Christi aspectus, & galli cantus. Vix dubium, quin obtutum animi, ipsi etiam exteriores oculi confirmarint. Ipsum etiam gallicinium infelici atrio Petrum ejecit. Hinc Clemens Romanus de Petro, *Quoties*, inquit, *gallum audivit, in genua procidit, & veniam lacrymans petivit.* At verò quilibet, Laurentio Justiniano teste, suum gallum domi haber, suam conscientiam. Beatus qui vesperi quotidie, priusquam se somno permittat, hunc gallum cantantem audit, pectus tundit, delictorum veniam poscit.

2. Peccandi occasiones solerter fugere.

Eccli. c. 34. vers. 30.

Pensi numerum Christi aspectu, & galli cantus.

§. III. *Herodes Christum illudens.*

ROmanus præses Pontius, ut sese aleæ periculosæ subduceret, Christum Herodi vinctum transmisit. *Herodes autem viso IESV, gavisus est valde: erat enim cupiens multo tempore videre eum, eò quòd audiret multa de eo, & sperabat signum aliquod videre ab eo fieri.* Quomodo autem gavisus est Herodes, cùm Pharisæorum aliqui Christum monuerint: *Exi, & vade hinc, quia Herodes vult te occidere?* Aut ergo animum mutavit Herodes, aut illi hoc confixerunt. Fuit autem Herodes Antipas Ascalonitæ magni Herodis, qui tot millia infantum jugulavit, nobilis tyranni filius, nec degener à parente patris. Hic igitur Herodes Antipas, partim ambitione, partim curiositate ductus, lætabatur ad suum tribunal hunc vinctum stare, qui magiam aut histrioniam exerceret, aut schœnobaticam faceret; ideo prodigii aliquid expectabat. Cunctantem ergo quæstionibus urget. De his nihil certi produnt divinæ litteræ. Potuerunt hæ tales fuisse. 1. An is ille, qui parenti suo etiamnum infans illuserit. 2. An eum se ferat, cujus adventu simulacra Ægypti corruerint. 3. An ipse cæco nato diem restituerit, leprosos, claudos, surdos, à malo genio infestos curârit, Lazarum sepultum, ut fama est, in vitam revocârit. 4. Quæstionis loco jussit adferri panem multiplicandum, aquam in vinum mutandam. 5. Denique quæsivit, num ipse sit Messias, quæ ipsius doctrina, qui discipuli, quid criminis parârit. Cupidissimè autem signum expetebat, & eo vilo libertatem promittebat. Opinatur Anselmus piâ commentatione: Herodem sibimet coronam è capite detraxisse, & impo-

Luc. cap. 9. vers. 8.

Idem cap. 13. vers. 31.

Herodes Antipas filius Herodis Ascalonitæ.

Puerile figmentum.

Quæstionis de quibus Christus fuerit interrogatus.

fuisse

fuisse Christo, & unà libertatem promisisse, si miraculum ederet.

O Herodes fatue! ô Regum curiosissime! si scias quis ante te stet, quæstiones longè aliter instituas. Hoc summum est prodigium, Verbum obmutescere, Sapientiam illusionis tolerantem esse. Quòd si adeò ardenter quæras miracula, paullulùm expecta, brevi è cælo terrâque videbis. Sed ubi morum emendatio? Hoc tibi utilissimum foret miraculum, si tute ad frugem applicares animum. Sed potior tibi curiositas est, & imperandi libido, quàm animus ad virtutem compositus.

Ita Herodes interrogabat eum multis sermonibus. *At ipse nihil respondebat.* Silentii caussæ vel nobis notæ complures. 1. Ad emendationem nihil fecisset responsio. Una & sola curiositas hîc responsum venabatur. 2. Tacebat Jesvs, ne verba & signa damnationem obstinatissimi hominis augerent. 3. Tacebat, ne proximos cruciatus & mortem crucis impediret. 4. Tacebat, quia voci suæ, Joanni Baptistæ silentium gladio rex imperasset. Non enim Christum loquentem audiunt, qui, quos mittit, rejiciunt. Interea *stabant Principes Sacerdotum, & Scribæ constanter accusantes eum.* Illud utique valde urgebant, quòd regem publicè nominasset vulpem. Verebantur enim ne sibi hic reus elaberetur. Hinc accusationum plaustra. Eorum summam colligamus. 1. Fanaticus habebatur Christus, & à malo dæmone insessus. Hinc publicæ voces illæ: *Nonne bene dicimus nos, quia Samaritanus es tu, & dæmonium habes?* 2. Magus: *In Beelzebub,* ajebant, *principe dæmoniorum ejicit dæmonia.* 3. Manducus gluto, patinarius: *Ecce homo vorax & potator vini.* 4. Hominum sceleratorum assecla: *Publicanorum & peccatorum amicus.* 5. Arrogans & superbus: *Unus assistens ministrorum dedit alapam* Jesv, *dicens: Sic respondes Pontifici?* 6. Blasphemus: *Ecce nunc audistis blasphemiam,* ait Caiphas, *quid vobis videtur?* Sed & universus populus clamabat: *Secundùm legem nostram debet mori, quia filium Dei se fecit.* 7. Rebellis & seductor. Ita plebs vociferabatur: *Commovit populum docens per universam Iudæam.* Et Pharisæi ad Pilatum: *Seductor ille dixit adhuc vivens.* 8. Latro denique, & latronum coryphæus, nam illorum medius pependit. *Tamquàm ad latronem existis cum gladiis & fustibus comprehendere me?* Hoc unum ergo deerat, ut etiam haberetur stultus.

Quocirca Herodes, non ut Pilatus modestissimi rei silentium miratus, sed hominem censens indoctis dũtaxat doctum, & plebi disertũ, eum cum omni exercitu † suo judicavit stultum. Idcirco omnia omnibus licere voluit in Christum. Atque ut hic lusus tantò iret hilatior, pluribúsque innotesceret, linteum album raptim perforatum humeris est injectum, laciniis per membra defluentibus, ut nemo nesciret, hominem esse fatuum, cataստâ dignum. Quâ quidem ignominiâ rex stolidissimus, malè affectatam nobilitatem irridendam simul & puniendam esse censebat. Deinde, quia res Herodi cum Romanis, more Romano lusit, ut qui regnum stultè affectâsset, regni candidatus esse monstraretur. Verè Christus fuit candidatus, sed non alterius solii, quàm crucis, quâ nobis regnum pareret immortale. Sed quia superbia nostra obstabat, ideo pro servis Dominus, tantam hanc ignominiam, hos irrisus tulit patientissimè, nec recusavit haberi pro stulto Christus Jesvs, *in quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi.*

O mi bone Deus, quàm difficile, contemptum æquo animo tolerare? Et quis hominum est quantumvis vilis & abjectus, nisi sit patientissimus, qui contemni se ferat? potiùs alia omnia, quãvis perpessu asperrima pati malumus, quàm contemptum & ludibria. Hoc igitur stratagemate, hac albâ veste irridenda erat & erudienda nostra superba. Discite homines vermiculi, discite pulvis contemni, rideri, abjici, calcari. Non displiceat nobis nova hæc sententia à tanto Magistro, tam tibi quàm mihi, quàm nobis omnibus tradita. Nam *spreVit illum Herodes cum exercitu suo, & illusit indutum veste albâ, & remisit ad Pilatum.* Christus omnem exercitum hunc illudentem vicit patientiâ, quæ vincit omnia, contemptum etiam & stulti amictum.

Hæc vestis alba mysteriis opulenta. Multis retro sæculis amissæ sunt vestes geminæ, una purpurea, altera candida, idque loco admodum securo, ut putabatur, in ipso paradiso. Nam coluber, sed humanus valde ac disertus, protoplastis furatus est vestem innocentiæ albam, & immortalitatis purpuram. Christus omnia tulit feciṫque, sua dedit Christus omnia, ut gemmas vestes illas recuperaret. Recuperavit certè. Et niveam quidem illam in aulâ Herodianâ reperit, in prætorio Pilati purpuream.

Capitales olim Judices albis & atris calculis in reos usi sunt. Rei, prout decebat luctum, atrati ad tribunal prodierunt. Ecce hic reus, Dei Filius, vel ab ipsis hostibus adversariis niveâ veste amicitur, & hoc ipso ab omnibus pronunciatur innocentissimus.

Inter quæ autem ludibria Christus jam ita candidatus viam ex Herodis aulâ in prætorium Pilati relegerit, pio Lectori considerandum transcribo.

Et facti sunt amici Herodes & Pilatus in ipsâ die, nam antè inimici erant ad invicem. Pilatus homines Galilæos Herodis tribunali subjectos, in vincula priùs rapuerat. Hinc inimicitiæ. Nunc velut errorem fassus amicitiam redintegravit. Hæc morum suavitas etiámnum inter pessimos quosque usitatissima est: tunc maximè conspirant, cùm contra Christum aut innocentes agitur. Christus inter malleum & incudem constituitur, sub cultro Christus linquitur, ut amiciciam inter se constituunt, & in bonorum perniciem conjurant.

Quòd si Judæus & idololatra tempore Christi patientis amorem inter sese concilient, quantò magis Christiani in gratiam Christi passi omnibus sese odiis & simultatibus exarment, & benevolentiam mutuam restaurent? illud Augustini assiduè inculcandum: *Non poterit concordiam habere cum Christo, qui discors esse voluerit cum Christiano.*

§. IV. *Pilatus Christum flagellans.*

Tvnc ergo apprehendit Pilatus Jesvm, *& flagellavit.* Tentavit Pontius diversis modis liberare Christum & morti subducere: cùm horum consiliorum nullum succederet, ut demum miteſcerent Judæi, jussit insontem in prætorio flagellari, cohorte ad hoc supplicii coactâ minimùm mille virorum. Sententia, eheu! crudelissima in ipsam innocentiam pronunciata. Eâ acceptâ, Christus utique sublatis cælo oculis suo se Patri sic obtulit: Mi Pater, quoniam ego in flagella paratus sum, atque hoc tuæ voluntatis est, *dabo corpus meum percutientibus.*

Hîc erudimur, imò & jubemur exemplo nimiùm potenti, ad omnes injurias, ad quæcumque demum flagella nos paratissimos præbere; si ita Deo sit visum, ita fiat.

Ergo virgineus iste homo, Dominus Jesvs, suis vestibus exuitur, omnia illi regumenta inclementer abripiuntur, statuitur nudus, uti primus homo investis suo figulo steterit. Nec ullus priscorum Patrum negat, quin Christus ad columnam nudissimus sit alligatus & cæsus. Infandum hoc, & præ tormentis omnibus admirandum. Nescio an tormentum aliud ullum Domino gravius acciderit. Sed merebatur hanc in Christo nuditatem primi parentis scelus primigenium, ad quod ignorata nuditas erubuit, & tegere docuit, quod innocentia nesciebat. Ita justitiæ divinæ satisfaciendum erat, ut quem scelera nudassent, nuditas expiaret. Et en spoliatur vestibus, & coram mille militibus adstat nudus, qui

Luc. cap. 23. vers. 9. Silentii caussæ in Christo.

Ibid. v. 10.

Accusationum in Christum summa. *Ioan. cap. 8. vers. 48. Luc. cap. 11. vers. 15. Matth. c. 11. vers. 19. Ibid. Ioan. cap. 18. vers. 22. Matt. c. 26. vers. 65. Ioan cap. 19. vers. 7. Luc. cap. 23. vers. 5. Matt. c. 27. vers. 63. Matt. c. 26. vers. 55.*

Herodes Christum cum exercitu judicavit stultum.

† Quem è Galilæa tunc contra Pilatum habuit.

Coloss. c. 2. vers. 3.

Luc. cap. 23. vers. 11. Ad columnam nudissimus fuit alligatus & cæsus.

terram floribus ornat, qui suos amictus præbet liliis, qui aviculas plumis tegit, qui omnes animantes vestit, qui, quidquid verecundum est, velat & velare docet. Ah quæ verecundia fuit membris virgineis à tot inverecundis idololatris spectari nuda! Quis hîc Domini rubor inter impudicos risus, inverecunda probra, propudiosos aspectus?

Jam etiam calcantur vestes, quarum limbi & fimbriæ valetudinem & salutem ægris dederunt. Ubi nunc Adami ficulnea folia? ubi novorum conjugum perizomata? ubi panni & fasciæ præsepis? ubi lucida nubes Thaboris? ubi alatus Cherubim? Sed quid opus his velamentis? paullò pòst suo tegetur sanguine. Nam ideo acerbiùs flagellati sunt rei, ut in cruce penderent non penitus nudi, sed suòmet saltem cruore tecti.

En igitur corpus virgineum coram tot centuriis hominum ludibrio ingenti stat develatum. Hîc illa sine suturis tunica ab olivæo cruenta, hîc caro Christi, ob pridianum sanguineum sudorem maculis sparsa cernebatur. Sed nulla miseratio, nullus sensus erat illis belluis. Ita manus, quæ cælum stellis distinxerunt, quæ morbidis sanitatem reddiderunt, quæ panes auxerunt, vinciuntur ad columnam, & totum corpus paratur plagis. Cogitari potest, (quod hîc sæpiùs repetendum) dici non potest, quid sannarum & cavillorum impii & otiosi milites in Dominum Jesvm effuderint. Hîc certè pompa omnis & cultus luxúsque vestium spectaculo admirando damnatus est.

More igitur Romano crucifigendus Christus, antè flagellandus erat. Sunt qui à Brutiis cæsum, & in crucem actum affirment. Eodem autem Romano ritu funibus adstringebatur ad bipedalem columnam, quæ ad viri stantis umbilicum dumtaxat pertingebat, ut tam pectus quàm tergum rei verberibus undique pateret. In brevioris hujus columnæ summo ferreus annulus immissos accipiebat funes, quibus flagellandi corpus vinciebatur. Marmoream hanc columnam, in monte Sion Paula vidua Romana vidit cruentam. Eadem ævo Bedæ peregrinis illic monstrabatur. Pars hujus cruenta Romæ in divæ Praxedis æde hodiéque monstratur. Poterat hîc Dei Filius illud Michææ usurpare: *Populo meus, quid feci tibi, aut quid molestus fui tibi.* Ego ex Ægypto ducem tibi dedi columnam nubis & ignis, tu mihi reddis columnam doloris & sanguinis.

Ergo flagellatus est, & quidem dirissimè, Orbis conditor. Flagellum & tintinabulum olim ad triumphatoris currum, at verò die Parasceves ad ipsum pæne Dei solium appensa. Nam Dei Filius ab omnibus desertus, flagris subjectus, pro execrabili & tintinaculo, ut Prisci loquebantur, habitus est. Beatus Vincentius illud Isaiæ, *Disciplina pacis nostræ super eum*, expendens, instrumento triplici censet flagellatum: virgis viridibus & spinosis, dein loris nodosis, filis ferreis intextis seu catenulis. Id pæne omnes sentiunt, flagris è funibus aut loris cum oscillis cæsum. Cui sententiæ & Justus Lipsius accedit. Virgæ honestiorum, flagra mancipiorum erant supplicium.

Ligemus, obsecro, ad columnam istam, rebellem voluntatem nostram, & omnem carnis petulantiam. Hîc vagos oculos, hîc & manus licentiosas adstringamus timoris & amoris funibus.

Porrò flagellationis istius modus sine omni modo & lege fuit. Legibus divinis olim ita imperatum: *Sin autem eum, qui peccavit, dignum viderint plagis, prosternent & coram se facient verberari. Pro mensurâ peccati, erit & plagarum modus, ita dumtaxat, ut quadragenarium numerum non excedat: ne fœdè laceratus ante oculos tuos abeat frater tuus.* Hinc Hebræis numquam nisi solùm triginta novem ictus infligebantur, ne umquam plagarum numerus lege definitus excederetur. Hinc Paulus octies omnino virgis aut flagris cæsus, ipsomet teste, à Judæis quinquies quadragenas plagas unâ minùs accepit. Aliàs ter virgis cæsus. Lex ista neutiquam servata in Christo, qui à Romanis flagellatus, & plagarum numerus excessu nimio auctus. Birgitta è Norrmannis oriunda, illustris sanctimoniæ vidua, Christi flagellati quinque millia quadringentas septuaginta quinque plagas numerat. Beata Gertrudis simili ferè calculo in flagellatione ictuum quinque millia quadringentos sexaginta sex colligit. Beatus Vincentius ossa humani corporis ducenta septuaginta sex asserit è Medicorum sententiâ, Christum verò ita flagellatum ait, ut cuivis ossium plaga triplex infligeretur. Non aspernamur ista, sed non adeò certa ducimus.

Gerson & Arias Montanus bis flagellatum ajunt. Melius negant alii.

Hieron. in epitaph. ad Eustochium. De hac columnâ Paulinus, Prudentius, Greg. Turon. Nicephorus. Mich. c. 6. vers. 3.

Isaiæ c. 53. vers. 5.

Tribus instrumentis flagellatus est Christus.

Vide I. Lipsium de cruce, lib. 2. c. 3.

Flagella hæc, inquit, aspera talis aut ossiculis.

Flagellatio fuit sine modo & lege.

Deut. c. 25. v. 2. 3.

Extant carmina Barthol. Lau-

§. V. *Sententia hîc certa statuitur & explicatur.*

Hoc ergo certum est, quod Cyrillus Alexandrinus, Chrysostomus, Augustinus, alii affirmant, Christum Jesvm dirissimè flagellatum. Quod è divinis voluminibus satis liquet. Jam olim per Psaltem Christus veluti rem factam memorans, *Et fui*, ait, *flagellatus totâ die.* Adeò sæva & adeò prolixa fuit hæc verberatio. Idque confirmans, *Supra dorsum meum*, inquit, *fabricaverunt peccatores, prolongaverunt iniquitatem suam.* Uti fabriles operæ tundunt incudem ictibus assiduè repetitis, ita hunc crucis candidatum Romani verberabant. Hebræa phrasi: Aratro tergum meum sulcârunt agricolæ; nam uti cultor terram proscindit ferro, & sulcos ducit, ita hostes mei corpus meum conciderunt. Quod Isaias luculentissimè confirmans, vel ipsis oculis testibus, *A planta pedis*, inquit, *non est in eo sanitas; vulnus & livor. Et vidimus eum, & non erat aspectus. Verè languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portavit; & nos putavimus eum quasi leprosum, & percussum à Deo.* Christus ipse in lugubri ac supremo itinere illo Hierosolymam versùs, peculiarem ac duplicem mentionem de se flagellando injiciens, *Ecce*, inquit, *ascendimus Hierosolymam, & consummabuntur omnia, quæ scripta sunt per Prophetas de filio hominis. Tradetur enim gentibus, & illudetur, & flagellabitur, & conspuetur, & postquàm flagellaverint, occident eum.* Siluit Dominus Crucem, sed non siluit flagellationem, quam sermoni bis miscuit.

Psal. 72. v. 14. die.

Psal. 128. v. 3.

Isaiæ cap. 1. vers. 6. & cap. 53. v. 4.

Luc. cap. 18. vers. 31. & segq.

Quòd si etiam mentem Romani Præsidis spectemus, & finem quem is sibi præstituit, Christum acerbissimis flagris concisum dicere necesse est. Nam Pilatus hoc secum utique volvebat: Si reum hunc remissiùs castigem, furiosam plebem nunquam mitigavero; non acquiescent, ubi perfunctoriè cæsum spectaverint. Vos igitur hunc virum Hebræum acerrimè verberate. Facillimum erat instigare milites jam antè ad id promptissimos: Romani siquidem extremè oderant Judæos. Accedebant haud dubiè pecuniaria promissa Pontificum & Pharisæorum, qui milites incitabant, ne reo illi quidquam parcerent. Ita in præmium hos carnifices sæviisse dixeris. Laudatissimus ille audiit, qui ferociùs & validiùs sæviit. Quidquid tangi potuit, sanguinem profudit. Nulla pars corporis verberibus vacua. Inaudita sæculis immanitas. Atque hinc res certa, Christum flagris atrocissimè multatum. Et, quod credibile, primis quidem ictibus suffusum sanguinem, dein supremam cutem repetitis toties plagis laceratam, ipsam denique carnem avulsam, rivulis purpureis undique defluentibus. Quantus hic dolor? Et quanta, ô Deus, patientia in tam acerbis cruciatibus?

Pilati animus scribis in flagellatione Christi.

Sacri quidam tenent à tot cohortes, quot mille, flagellatum Dominum.

Tarsensis Paulus, cùm juberetur à Tribuno in castra duci, & flagellis cædi, cùmque jam loris adstringeretur, dixit adstanti sibi Centurioni: *Si hominem Romanum & indemnatum licet vobis flagellare? Quo audito Centurio Tribunum adit, dixitq.: Quid facturus es? Hic homo civis Romanus est. Protinus ergo discesserunt ab illo, qui eum torturi erant. Ipse quoque Tribunus timuit, postquam resciit, quia civis Romanus esset.* Cùm C. Verres Siculus Prætor quempiam jussisset

Act. cap. 22. vers. 25. & segq.

jussisset flagellari, ille pariter exclamavit: Civis Romanus sum. Non potuisset Christus dicere: Dei Filius sum. Sed patientissimus JESVS plura etiam perpeti paratus erat. Nec enim umquam in tantis tormentis dixit, Satis est, dum inimicorum rabies & justitia Dei satiaretur.

Lazari mendici ulcera lambebant linguâ medicâ canes. En ditissimum è cælo Lazarum vulneribus plenum: quin nos pii catelli sumus, & Domini nostri vulnera, quin & flagra, ipsámque terram largo sanguine purpuratam, reverenti corde lingimus, ut nos servuli Dominicos dolores in nobis etiam aliquantulum sentiamus.

Cùm Hebræus populus Ægypto emigraret, in viâ è rupis vulneribus salientem fontem hausit. Testatur id Psaltes: *Quoniam percussit petram, & fluxerunt aquæ, & torrentes inundaverunt.* En petram multo verbere percussam, mille vulneribus sauciatam, cruentis rivulis largissimè scaturientem. En Angelorum Regem crudelissimè flagris concisum. Verè Dux iste de tribu Judâ, *lavit in vino* (sed rubello) *stolam suam, & sanguine uvæ pallium suum.* Nam finitâ verberatione hac acerrimâ, quocumque Christus ibat, cruenta pavimento vestigia imprimebat. Verùm post tam immane hoc supplicium repsisse potiùs Christum dixerim, quàm incessisse. Et videte, quàm ægro anhelitu, quàm difficili gressu ad colligendas vestes suas huc illuc sparsas perreptet!

Cùm Papyrius Dictator, &c. Fabium Rullianum nudari, & virgas in eum expediri jussisset, fuit qui exclamaret: O spectaculum admirabile! & Rullianus, & Magister equitum, & victor scissâ veste, lictorum verberibus exponitur lacerandus! Quàm longè nos æquiùs hîc vociferemur: O spectaculum admirandum! Christus Dei filius, Angelorum Dominus, splendor paternæ gloriæ, Romanis flagris subjicitur ut mancipium postremissimum. Et quomodo tandem Angeli tam indignum facinus sustinere potuerunt; Dei filium miserabilem in modum cædi, ut servorum vilissimum? Oblatus est, quia ipse voluit. *Obstupescite cæli super hoc.*

Ita prætorium Pilati constitutum est amplissimum theatrum, in quo spectaret Pater æternus, & Angeli, & orbis universus spectaculum infandum, inauditum. Et quis restio hos funes colligavit, quibus & ligatus & cæsus est Dei Filius? Amor. Quis lictor ad columnam potuit adstringere? Solus amor. Quis fullo potuit hoc sanguinis ostrum injicere? Immensus amor. Quid, obsecro, amare est, si hoc non est? Quis amor possit esse major, quàm amantem ultro ligari, ut exsolvatur vinculis amatus? quis amor testatior, quàm velle cædi, velle mori, ut amato liceat sine plagis vivere? Quid nos amori tanto reponimus? cùm parem non possimus, saltem quàm possumus maximum reponamus. Non labori ac sudori, non lacrymis, non sanguini, non vitæ, non rei ulli parcendum, ut amori respondeamus amore. Nec est, quòd inopiam hîc prætexamus desidiæ. Nemo ad lacrymas pauper est, ad plurima pro amato toleranda sat divites sumus. Aderit amanti Deus, & volenti vires suggeret. Cantabat olim Psaltes: *Non accedet ad te malum, & flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo.* Malorum maximum, infame supplicium, crucis proludium accessit proximè; verberibus opertus est cæli architectus, flagellis cinctum est Dei solium. Severè Deus in humanum genus vindicasset, sed unigena Dei scapulis suis obumbravit illi, cruentis brachiis ictus vindices excepit. Hæc omnia potuit amor, & hæc omnia bono nostro fieri præcepit amor.

Jam igitur cruenta ad cælum via est aperta. Hac ad gloriam Apostoli, & tot centena millia Martyrum contenderunt. Ibant illi gaudentes, Christo duce læti. Non sequimur saltem eminus? Perhaurit Christus myrrhatum calicem, & nos terrebit ejus guttula? Expendamus sæpius quod dixit Paulus: *Quem diligit Dominus castigat, flagellat autem omnem filium quem recipit.* Ergo verbera quæ nobis inferuntur, non tantùm toleranter perferamus, sed & nos ipsi ultro nobis ea inferamus. Nos sumus qui Christum flagellavimus longis funibus, quos scelerum prolixâ serie colligamus. Hinc jure merito nos ipsos castigamus. Pro se quisque dicat cum Paulo: *Castigo corpus meum, & in servitutem redigo.* Gustemus paululùm cruciatus Christi. *Agnosce ô homo,* clamat Augustinus, *quantum valeas & quantum debeas, & ipse tibi peccandi pudorem indicito.* Sed illud cumprimis observemus, ut his ipsis cruentis Christi flagellis impuras omnes & obscœnas cogitationes ejiciamus è toto pectore. Christus virginis filius cor immundum & lascivum non habitat; castos amat, & pudicitiæ serios cultores. Procul exeste hirci, & quidquid hominum inter lascivos greges censetur. Quilibet sibi uni dictum arbitretur: *Teipsum castum custodi. In omnibus ergo exhibeamus nosmetipsos, sicut Dei ministros, in multâ patientiâ, in tribulationibus, in necessitatibus, in angustiis, in plagis, in carceribus, in seditionibus, in laboribus, in vigiliis, in jejuniis, in castitate. Hoc sentite in vobis, quod & in Christo* JESV. Non sentit Christi flagellati plagas, qui lasciviendo infert novas.

1. Tim. c. 5. vers. 22. 2. Cor. c. 6. vers. 4. & seqq. Philip. c. 2. vers. 5.

CAPUT IV.

Christus moritur. Ab amaemate spineo redimitur, furenti populo sistitur, cum Pilati dicto: Ecce homo.

DIxerat è priscis moriturus quispiam: Ad mortem præparari, gravius est quàm mori. Præparatio ad Christi mortem verè ipsâ morte acerbior fuit. Proludiis certè tam severis ad necem candidati crucis parabantur. Nec minùs cum Christo actum. Priùs ille ad diversa judicum tribunalia rapitur, flagellis jam cæsus paliuris coronatur, in judicrum regem vestitur, ad concitam à Pontificibus plebem producitur, & in spectaculum, Pilati verbis, *Ecce homo,* proponitur. De hoc diverso & lugubri ad mortem apparatu copiosiùs disserendum.

Præparatio Christi ad mortem fuit ipsâ morte acerbior.

§. I. *Christus ad diversa judicum tribunalia rapitur.*

IVdices Christus habuit Annam, Caipham, Herodem, & Pilatum, sed judices iniquissimos. Et certè in aulis pessimè acceptus est Servator orbis. *Annas misit eum ligatum ad Caipham Pontificem.* In palatio Caiphæ præter ludibria plurima titulum rei & quidem capitalis, colaphum crudelissimum, & oculorum velum accepit. Ex aulâ Herodis, nomen & vestem stulti retulit. In prætorio Pilati flagra & columnam, ludicrum sceptrum, vestem purpuream, coronam spineam, mortis sententiam, omnem crucis apparatum, plagas innumeras recepit; ubi etiam malefactor, Barabbâ deterior, gentis subversor, imperii affectator audiit. Hi judicum illorum calculi fuerunt.

Judices Christi erant iniquissimi. Joan. cap. 18. vers. 24. Erga Christum ludibria.

Quid autem Annas & Caiphas, quid Herodes, quid Pilatus sentiet die novissimo, supremo mundi judicio, cùm illum ipsum hominem, quem in prætorio ante se stantem & vinctum damnavit in crucem, spectabit in nube judicem? Est non nemo qui dicat: De hoc quidem Pilatus viderit, nihil ad me ista. Imò verò ad te plurimum. Nam quoties Christus & ante te stetit, ac repulsam tulit ad tuas fores? Assimile quiddam cogita. Si pauperculus è scholis puer emergat, & evadat in Dynastam Dominúmque eorum ad quorum ædes olim mendicaverat, & plerumque nec panis bucceam impetraverat; quid illi sentient, si ipsis imperet contemptus ab illis? Quid senserint Josephi fratres, cùm eum ipsum jam proregem cernerent, quem extremè oderant, quem necare statuerant, quem Ismaëlitis vendiderant? Quando igitur

igitur in imo se jacere deprehendunt, qui in alto stabant. Recordamur, ajunt, cùm vir iste jam potens Dominus, quondam pannosus & pallidus puerulus ante domos nostras cantaret ad emerendum obolum, aut panis frustillum. Sed quoties illum sine stipe vacuum dimisimus, cùm ei unum illud, quod importunis mendicis solet, occineremus, Deus te juvet: Quàm vellemus nunc, sinum ipsius panibus oppletum, illius crumenulam è nostrâ ditatam; ille jam omnia hæc abunde posset rependere.

Et tu Christiane, cur jam aures claudis? cur manus contrahis? cur oculos à tuo Christo avertis? Numquid non ante tuas fores (quisquis es) frequenter hactenus stetit Christus, & pulsavit, & flagitavit ingressum, audiente, nec tamen admittente, te? Præmonuit ille sæpius se venturum, imò & præsens clamavit: *Ecce sto ad ostium & pulso: si quis audierit vocem meam, & aperuerit januam, intrabo ad illum, & cenabo cum illo, & ipse mecum.* Et quoties hic idem orbis judex, cujus tribunal nubes est, mendici habitu ante domum tuam suo frigori suæque nuditati tritam lacernulam, viles panniculos petiit, suæ fami mensarum reliquias rogavit, nec tamen quidquam impetravit, cùm tu non solùm non dares, sed & indignareris petenti, & has unas voces aggereres: Nolo ante meam januam vinarium aut panarium forum fiat. Hem malum! ab his muribus nusquam tuti sumus. Talia tu jactabas convitia, stipem & subsidia petenti. Vides jam illum ab iride celsâ judicem? Hic ipse ante te stetit, huic ipsi negabas opem, hujus aversabaris vultum, hunc ipsissimum turpe pellebas à te vacuum, nec ei concedebas è veste, quantum tineis, nec è cibo, quantum canibus aut muribus, nec è potu, quantum parasitis & morionibus, aut ipsi etiam pavimento, nec è domo, quantum araneis, damnatæ supellectili, scrutis, inutilibus vasis. Hic igitur ipsissimus ante te stetit, tu sedebas, & vel superbo digito, aut iracundo nutu recedere jubebas, indignum ratus, cui vel verbulum amicum redderes. Ille jam sedet, tu stas; ille judex, tu reus; ille regnorum distributor, tu omnium pauperrimus.

Apoc. cap. 3. vers. 20. Christus in habitu mendici ante domũ nostram stipẽ petit.

Nunc igitur, dum licet, attentiùs illud cogita: Jesvs *autem stetit ante præsidem.* Stat Jesvs nunc ante te, quamvis vultu vix agnoscendo. Si ergo velis bono esse loco, cùm tu ante illum steteris; age, jam tempus est emerendi favoris. Jam pulsantem ad pectoris tui ostium admitte, & huic hospiti, quidquid bonorum desiderio rum, quidquid laborum pro ipso toleratorum habes, appone. Jam gere curam pauperum, quorum personâ & schemate judex orbis obit, & ad ostium pultat, ante domos cantat, stipem rogat, ad cælum invitat, immisericordes deplorat. Quocirca geminum illud Domini pronunciatum altissimè animo affigendum: *Amen dico vobis, quamdiu fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis. Amen dico vobis, quamdiu non fecistis uni de minoribus his, nec mihi fecistis.*

Matt. c. 27. vers. 11. Qui vult bono esse loco in judicio curam pauperum gerere debet.

Matth. c. 25. vers. 40. & 45.

§. II. *Christus flagellis cæsus, spinis coronatur.*

Ante annos non adeò multos, sponsi & sponsæ opulentiores ad nuptialem hilaritatem augendam, ter quaterve vestem de die mutârunt. Sponsus è cælo Christus in suis cum humilitate nuptiis, vestem brevi tempore mutavit novies. 1. Supremâ cenâ albatus incessit, non tantùm quia vestimenta sua posuit, & linteo se præcinxit, sed etiam quia corpus suum albo panis amicimine velavit. 2. In oliveto vestem stellulis sanguineis pictam habuit. 3. In Herodis aulâ totum se candidatum exhibuit. 4. In prætorio Pilati ad columnam cæsus purpurâ dibaphâ è suómet sanguine totum corpus circumdedit. 5. Priori purpuræ coccinea chlamis injecta est, quâ spectandus populo super marmoreos gradus stetit. 6. In egressu ad Calvariæ rupem consuetas vestes sed sanguine tinctas habuit, præcinctus fu-

Christus in suis cum humilitate nuptiis vestẽ novies mutavit.

nibus. 7. Cùm cælestis hic sponsus ob amoris æstum in solario crucis quiesceret, Sol & Luna nigrum pallium, uti Noëmi filii, suo patri & domino injecerunt. 8. Cùm in crucis lectulo mortem oppetisset, cadaverosum pallorem induit. 9. Morte jàm obitâ Josephus & Nicodemus obsequentes, & etiamnum latentes discipuli sindonem mundam attulerunt, quâ vestitus hic sponsus sepulchrum subiit. His vestimentis toties mutatis additum est diadema è sentibus & paliuris textum, vix ullis sæculis visum.

Quocirca, quod carmine nuptiali canitur, *Videte filiæ Sion regem Salomonem, in diademate quo coronavit eum mater sua* (noverca sua, Synagoga) *in die desponsationis illius, & in die lætitiæ cordis ejus.* Suos olim matres filios, ut Chrysostomus observat, in nuptiis coronarunt. Synagoga ferox noverca Christum Filium inviso ac mirabili serto, veste polymitâ ornavit. Ex his nuptialibus ornamentis ante omnia spinosum sertum non manibus, sed mente reverenti ac meditabundâ tractemus.

Cant. cap. 3. vers. 11.

Synagoga Christum mirabili ferto, veste polymitâ coronavit.

Indagant aliqui paullò curiosiùs, è quo spinarum genere hoc sertum Christi sit contextum. Sunt qui juncos marinos hîc usurpatos censeant. Plerorumque omnium sententia est fuisse sertum è rhamno. Frequens est hoc veprium genus in Palæstinâ, plenum aculeis, ericio simile. Nec contradicunt serti hujus fragmenta, quæ Parisiis in Sacello sacro, in Hispaniis in cœnobio de Spinâ, in Belgio Lovanii servantur junco dissimilia. Rex Galliarum Divus Ludovicus, cùm sacra hæc lipsana Parisios deferret, urbis Præsulem nudis pedibus, oculis humentibus habuit prodeuntem obvium.

R. Rhamno hoc sertum cõtextum omnium fere sententia est.

In Hebræorum Judicum libris arbores in senatum coëuntes dixerunt rhamno: *Veni, & impera super nos. Quæ respondit eis: Si verè me regem constituistis, venite, & sub umbrâ meâ requiescite.* O boni Christiani! cùm plerique omnes de turbis & grandi malorum multiplicium incursu conqueramur, venite obsecro, & languentes animos sub hujus senticeti umbrâ recreemus. Commeditemur penitiùs hos infiniti ludibrii acutissimos dolores, & nostros faciliùs perferemus. Sin autem aspernemur hanc umbram, meminerimus rhamnum etiam dixisse ceteris arboribus: *Si autem non vultis, egrediatur ignis de rhamno, & devoret cedros Libani.* Hic ipse Christus spinis redimitus ignes olim evomet in omnes emortuas cedros, in homines lascivos & arrogantes, qui suis aut deliciis aut deliriis immoriuntur, sui capitis obliti, tam sævi diadematis immemores.

Judic. cap. 9. vers. 14. & 15.

Sub hac senticeti umbrâ animi languentes recreandi.

De aculeorum numero in hac plectili corollâ nil liquet. Beatus Vincentius spinas septuaginta duas, alii plures numerant. Divini libri & Patres prisci hîc silent. Sat constat, spinarum fuisse plurimas. Nam & hortenses sepes texuntur è rhamno, cui multi, oblongi, præacuti ac robusti sunt aculei. His ipsum cranium censent aliqui perforatum. Utraque meninx (vix dubium) pertusa & lacerata, quod letale. Credibile, complures ex his spinis loco uno subiisse curem, cruentas altero emersisse. Nam capiti vi magnâ impactæ, & velut insutæ, venis nervisque trajectis, fluentibus undequaque rivulis. Hic Angelorum aliquis disceptare possit, majórne fuerit cruciatus dumosi hujus diadematis, an ignominia & ludibrium. Certatum prorsus est inter dolorem & ludificationem.

Spinæ in hac plectili corollâ fuerunt plurimæ.

Heu mihi, qualis erat! *quantum mutatus ab illo!* In Thaboris cacumine quàm amœnos radios jaciebat hic vultus, qui jam livore squalidus, sanguine perfusus, sputis fœdatus? Et tamen illic, ô bone Jesv, in Thabore tribus dumtaxat discipulis vestium tuarum formosissimam nivem, & tui vultûs amœnissimum solem exhibebas; hîc verò cùm totum corpus tuum vulnus & ulcus unum est, lacerum & vetus vestimentum, sceptrum ridiculum, dumosum capitis ludibrium, omnibus Hierosolymorum civibus publicè spectandum te præbes. O

Virg. lib. 2. Æneid.

quale,

quale, mi Deus, spectaculum, quàm lacrymabile & perluctuosum!

Enimverò dicat mihi Christianorum Principum aut Regum aliquis, quot aureorum daret ei pictori, qui Christi spinis coronati, & super Lithostrotos stantis, effigiem veram depinxisset. Nos ipsi, quæso, in mente nostrâ hoc ectypum depingamus. Christum tot suppliciis crudeliter deformatum animo cernamus, mente ac cogitatione altissimâ concipiamus. Iconismum Christi adeò immutati, quo possumus, meditationis penicillo effingamus. Exiguum nimis est hæc nobis dici, hæc scribi, hæc legi à nobis; nisi hæc eadem toto animo & studio singulari commeditemur. Hæc pictura, hic iconismus solatur, instruit, docet, accendit ad meliora.

Tam porrò lamentabilem Christi vultum numquam fingemus, quin minus vero efformemus. Extrema Christus pati voluit, & omnium futurorum Martyrum cruciatus velut in compendium aggerere, sibi uni omnes perferendos. Et certè hoc remedii tam austeri morbus noster & summa superbia requirebat. Nullus flagitiorum finis; novæ scelerum formæ pæne quotidie emergunt, en & novos colores, quibus fœditates illas corrigamus. Intueamur liventes Christi oculos, & multâ jam morte natantes, capillos sanguine concretos. Per omnem vultum pallor, livor, tumor, luror, & plurimus cruor sparsus. *A plantâ pedis usque ad verticem non est in eo sanitas; vulnus & livor, & plaga tumens. Sed livore ejus sanati sumus.* Hanc meditando pingamus effigiem, eámque in pectoris nostri scrinio reponamus. Illa nos in rebus advertis omnibus, præsertim in extremis ad omnem patientiam, & ad verum cum divinâ voluntate consensum inflammabit.

Christus omnium martyrum cruciatus sibi uni perferêdos aggerere voluit.

Isaiæ cap. 1. vers. 6. & c. 53. v. 5.

§. III. *Dominicæ coronæ è spinis contextæ typus & simulacrum diversum.*

Typus coronæ Dominicæ spineæ: Rubus ardens. *Exod. cap. 3. vers. 3.*

DUx Israëlis Moses, cùm eminus rubum cerneret inflammatum, nec à flammis tamen consumptum, *Vadam*, inquit, *& videbo visionem hanc magnam.* Magna planè visio, cùm Angelus præsentem se dumeto ardente ostenderet. Sed visio longè major, cùm Deus carne vestitus, sputis, irrisibus, ludibriis, verberibus, flagellis deturpatus, textile dumetum capite præferret. Eamus totis diebus, annis totis, & videamus visionem hanc magnam, quamvis non procul eundum. Ipse Rex noster rubis cinctus ultro ad nos veniens, *Aperi mihi*, ait, *soror mea, quia caput meum plenum est rore, & cincinni mei guttis noctium*, quas expresserunt rubi. Jam sanè in divino hoc capite decretoria Numinis sententia vel oculis paret: *Maledicta terra in opere tuo, spinas & tribulos germinabit tibi.* Germinavit certè densas spinarum segetes. Ex his grandem manipulum Christus capite deferendum suscepit. Abrahamus filium mactaturus *vidit post tergum arietem inter vepres hærentem cornibus, quem assumens obtulit holocaustum pro filio.* Christus orbiculari vepreto implicatus, aræ crucis impositus est, in victimam pro omni humanâ gente: sed nulla pro eo succedanea fuit hostia, nullus vicem illius aries substitutus; hîc Isaacus ipsemet spinosum gestans serrum immolatus est. Ne miremur spinas in Christi capite. Eradicandæ fuerunt illæ, & vel sic asportandæ. Nam Christus de bono semine ad populum perorans simul etiam explicuit, quibus ex causis semen bonum impediretur. Inter alia boni seminis impedimenta & spinas numerans, *Et aliud cecidit inter spinas*, inquit, *& simul exortæ spinæ suffocaverunt illud.* Has igitur boni seminis jugulatrices, Christus in suum caput collectas asportavit, ne nocere pergerent.

Cant. cap. 5. vers. 2. Caput sponsi plenum rore, & cincinni guttis noctium.

Gen. cap. 3. v. 17. & 18. Spinæ à terrâ germinatæ.

Gen. c. 22. vers. 13. Aries inter vepres hærens cornibus.

Luc. cap. 8. vers. 7.

Sed quid hoc, ô bone Jesv! ante dies pauculos palmæ virides substernebantur tuis pedibus, tuóque, quo vehebaris, jumento, nunc spinæ adiguntur in tuum caput? Numquid terra dignior tam sacrosancto capite? Responsi aliquid Baruchi reddens, *In horto*, inquit, *spina alba supra quam omnis avis sedet.* Christus erat hortus virturum omnium plenissimus, in hunc hortum nihilominùs penetravit sepes rotunda spinea, in quâ sedent aviculæ, tot bonarum mentium cogitationes sanctæ. O si vel ramulum ex hoc spinarum germine impetremus, si in nostro pectore plantandum, ut ex eo patiendi amor pro Christo succrescat!

Cogitatio bonæ mentis sedet supra sepẽ rotundatã, spineam Christi.

Hæ spinæ in sertum contextæ Christi pulvinus & cervical fuerunt, nec enim aliud in lectulo crucis habuit pulvinar. Jam apparet, mundum Nascenti Christo longè magis faviſſe quàm morienti. Multò suavius, indormire stramini, quàm asseri; facilius, capiti subjectum fœnum, quàm vepretum premere; tolerabilius, pati fascias, quàm funes & ferreos clavos; dulciùs lac maternum, quàm fel & acetum bibitur. His incrementis paupertas Christi nascentis ad extremam Moriendi inopiam pervenit.

Hæ spinæ fuerunt cervical Christi.

Hæ spinæ Christo fuerunt loco pilei, quo caput texit die planè nebuloso atque caliginoso, quo sanguine pluit, quo cælum & terra seditionem movit, quo aër totúsque orbis in tumultum exarsit, quo Patris cælestis ira tonuit & fulminavit. Hac sæviente horribili tempestate, hoc pileo est usus ille latronum medius in crucem actus. Usurpari tunc potuit Papinii dictum:

Pileum.

——— *Et temperat astra galero.*

Ab orbe condito de tali galero è spinis contexto nihil umquam nec Romana, nec Græca, nec historia barbara quidquam prodidit. Novitium prorsus hujus pilei est inventum, quod tamen amatores Christi sedulò sunt imitati. Christophorus Martyr eò animosiùs candentem galeam capite recepit, quòd sciret Domini sui verticem impactis spinis excruciatum. Beata Theonilla rubis se coronari ad imitationem Magistri patienter tulit. In Hispaniâ non procul Toleto, puer octennis, cui nomen Christophorus, à Mauris coronatus est spinis, & in crucem affixus. Ab indigenis appellatur Innocens à Guardiâ. In Angliâ Nordwici Guilielmus puer idem supplicii passus est à Judæis. In eâdem Angliâ Lincolniæ eodem genere tormenti divus Hugo puer itidem à Judæis extinctus est. Zischka Bohemiæ clades (quod Bartholomæus Pontanus memorat) viros religiosos undecim Carthusianos, spinis coronari, & viis publicis duci jussit, præsultante sannione in Sacerdotis veste cum calice. Sed eâ nocte plexus est capite, captivi in libertatem vindicati. Habuit ergo hoc novum serti genus imitatores, sed illud nemo cum decoro gestat, nisi qui paratus est pro Christo facultates, honorem, sanguinem, vitam exponere.

Novitium fuit hujus pilei inventum, ab Amatoribus Christi imitatum.

Guardia oppidum est prope Toletum.

Pontan. l. 1. Bohemiæ.

Josephus de Salomonis famulitio equestri disserens: Flos juventutis, inquit, promisso capillitio conspicui, & tunicas è Serrariâ purpurâ induti. Adhæc ramentis auri capillum quotidie spargebant, ut ad solares radios fulgor reflecteretur. Idem Imperatorum aliqui, Commodus, Lucius Verus, Gallienus fecerunt. Noster hic Salomon alium capilli deaurandi modum invenit, horrendam cidarim, spinosum redimiculum, non ad pompam & luxum, sed in Humilitatis & Patientiæ signum. *In cujus monimentum nos Sacerdotes*, inquit Beda, *in coronam attondemur, ut semper memores simus hujus infandi cruciatus & ignominiæ.*

Iosephus l. 8. Antiq. cap. 2.

Cùm Eduardus rex Angliæ inauguraretur coronâ & regno, ex omni civitatis domo, quaquâ transiter, ram serta quàm flores soluti spargebantur, in transeuntem, parietes omnes vario peristromate ornabantur, ipsæ viæ pretioso panno sternebantur. E cælo Pater coronam in filium demisit, sed spineam; hac primitus Rex cæli inauguratus est, dum sibi suisque auream gemmeámque pareret moriendo.

Ludovicus de Malvẽdâ in Speculo Principum, parte 2. c. 13. initio.

Quid spinas horremus? cur fugimus ærumnas? aurum & gemmas serunt. Amplectamur interea horridum hoc serum, dum veniat geminatum. In malis meliùs

Baruch c. 6. vers. 70.

liùs sapimus; secunda rectum auferunt, adversa secundant.

§. IV. *Ejusdem coronæ adumbrationes.*

Agrippæ regis Judæorum ludificatio.

ÆGerrimè tulit Philo, nec id sanè concoquere potuit, quòd Flaccus Alexandriæ Præses dissimularit, Judæorum regem Agrippam à plebeculâ & pueris, quamvis absentem, irrideri. Ludificatio ista in hunc ritum adornata est. Carabas homo stultus per vias aberrans in gymnasium ab eis vi pertractus est. Huic coronam chartaceam imposuerunt, pro sceptro fragmentum arundinis inseruerunt dextræ. Hunc ludicrum regem loco spectabili statuerunt, & Marin salutarunt, quod Syris Dominus est. Sciebant enim Agrippam esse Syrum. Hanc injuriam Philo indignissimè tulit, nimirum Cæsaris amicum, & à Romano Senatu honoratum, adeò procaciter derideri. Sed, ô mi Philo, quàm multò & in immensum major fuit injuria, cùm Regem cæli sic irriderent milites Romani, applauderent Pontifices Hebræi! Itáne tam gravis despicatus fuit, Agrippæ simulacrum deridiculo haberi; quantus erit, non Cæsaris amicum, sed Dei Filium irrisu tam fœdo ludificarè, ignominiis tam cruentis appetere, & ut mancipium abjectissimũ habere? Hinc * Godefridus Bullionius Dux Lotharingiæ, qui anno Christiano millesimo nonagesimo nono, ipso Parasceves die, quo Christus in crucem actus, in muros urbis obsessæ primus evasit, & Hierosolymam recepit, rex ibi totius exercitûs consensu proclamatus, numquam tamen sustinuit coronari auro, ubi Dei Filius fuisset coronatus spinis. Ita Baronius, Sigonius, Onuphrius, Genebrardus, Sigebertus, Gordonus, Gaulterius, alii testantur.

* *Ad annum* 1095. 1096. 1097. 1098. 1099. *alios. Gordonus ait Hierosolymã die 9. Iunii cœptã obsideri, die 15. Iulii captam.*

Servorum venditio.

Gell. lib. 7. Noct. Attic. cap. 4.

Servi olim (quod Gellius me docet) vendebãtur sub coronâ, quæ mercis venalis signum erat, ut apud nos fasciculus straminis. Christus pridie suæ mortis à suomet discipulo velut servus est venditus; sed quia mercatorem facti pœnituit, nec ei satis pretii solutum, stat denuò Christus sub spinoso ferro ut servus, & venalem sese proponit sub coronâ. Nempe *semetipsum exinanivit formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus.* Ita se nobis omnibus exponit vænum. Nemo nostrûm tam egenus est, quin servum hunc possit emere. Sed quanti addicitur? quo emendus est pretio? Amore. Ama illum, & emisti, jam tuus est. Verus amor Christi cum Christo sic loqui solet: Mi amantissime Domine Jesv, & agere & pati fortia pro te paratissimus sum. *Virga tua & baculus tuus ipsa me consolata sunt.* Insuper *& hæc mihi sit consolatio, ut affligens me dolore, non parcas.* Mi Pater, modò tuus ego sim filius, castiga me, flagella me, prout tibi visum. Ego meam voluntati tuæ quàm integerrimè subjicio. Ærumnarum nihil à te avellet me, non fames, non sitis, non pauperies, non infamia, non dolor, non morbus, non ipsa mors. Spinas tuas & ego sentire cupio. Nolo delicatum esse membrum sub capite spinoso. Ita sentit & loquitur verus amor.

Philip. c. 2. vers. 7.

Amore Christus emitur.

Ps. 22. v. 4. Iob cap. 6. vers. 10.

Non servi autem tantùm, sed & victimæ coronis vinciebantur. Lystrenses Paulo & Barnabæ sacrificaturi, coronas & tauros offerebant. Christus pro nobis immolandus, jam jámque trahendus ad crudelem aram, magna prorsus victima, & ideo etiam stabat coronata, sed spinis, ut probè demum cuperemus ad immortalitatem beatam non esse aliam viam, quàm arctam illam & asperam, spinis plenam. Hac ipsâ viâ contendendum ad vitam, *in tribulationibus, in necessitatibus, in angustiis, in laboribus, in vigiliis, in jejuniis, in multa patientiâ.* Hanc viam caput præit, cur membra reluctentur sequi? *Pudeat*, inquit Bernardus, *sub spinoso capite membrum fieri delicatum.* Via ad inferos ampla & plana, rosis sparsa; sed terret exitus, spinis horridus. Sequamur eâ, quâ præcedit caput nostrum; ibimus tuti. Non è paradiso, sed è cruce in paradisum itur. Hanc viam rex David tenens, *Secundùm multitudinem*, inquit, *dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ lætificaverunt animam meam.* E spinis nascuntur rosæ.

Act. cap. 14. vers. 12.

Christus nos docet ad beatitudinem non esse aliam viâ quàm arctam & asperam.

2. Cor. c. 6. v. 4. & 5. Bernard. serm. 5. de omnibus sanctis.

§. V. *De coccineâ Christi veste.*

ANte aliquot annorum millia, ut suprà demonstratum est, sub prima Orbis incunabula, in paradiso vestes geminæ sunt amissæ: Innocentiæ alba, immortalitatis purpurea. Illam in Herodis aulâ Christus reperit, & collo mox injectam cum gaudio asportavit. At verò immortalitatis purpuram in prætorio Pilati Christus invenit, nec distulit, quin statim à lætâ inventione istâ in sublimem locum evaderet, & civico populo purpuream hanc vestem denuò repertam ostenderet. Nec enim se continuit, quin protinus de inventâ veste gaudium suis civibus participaret.

Hactenus c. 3. §. 3.

In aulâ Herodis Christus reperit innocentiæ albam; in prætorio Pilati immortalitatis purpuram.

Hoc, rubrum vetus, lacerum vestimentum ludibrii plenum. Nam uti corona ignominiis & cruciatibus referta, sic arundo cava, & scissa purpura dolores attulit & irrisus. Coronâ hominem arrogantem, arundine morionem, cocco ambitiosum regni affectatorem, plectere tortorum mens erat. Evangelistæ chlamidem appellant. Hoc vestimentum Ducibus, regibus Macedoniæ, Imperatoribus usitatum. Primus Romanorum usus est chlamide rex Numa. Iulius Pollux censet fuisse talarem quâ induerentur jam armati.

Sed fortè quæras: Unde color tam pretiosus? quid ostrum & murex? Quæstio vana hoc loco, & nihil ad rem. Magis seria hîc movenda. Illud tamen non videtur penitus silentio transmittendum. Cùm Matthæus coccineam chlamidem, Joannes purpureum vestimentum vocet, existimavit Ambrosius duo fuisse vestimenta, tunicam & chlamidem. Sed Athanasius conciliat dicta; & communis est sententia, fuisse vestem unicam. In amore ac deliciis, & magni semper pretii fuit purpura. Cortinæ ac velum Arcæ purpureum fuit, uti & Holofernis conopeum. Joseph in Ægypto, Daniel in Babylone, honoris causâ, purpurati. Romani regem honoraturi ut amicum, togam ei purpuream mittebant, quæ & picta dicebatur. Ita rex Alexander Jonathæ Hebræo Principi in signum amicitiæ *coronam auream & purpuram misit.*

An Christus fuerit vestitus ruticâ & pallio.

1. Macha. c. 10. v. 20.

Purpura Christo injecta summo ludibrio, perinde ac si ei tamquam regi populus Romanus regium hoc ornamentum misisset, ut ita illius divini ad populum sermones & miracula publicè irriderentur. Inter purpuras pretiosissima fuit, Plinio teste, dibapha. Quæ nomen inde sortita, quòd esset bis tincta, veluti magnifico impendio. Christi purpura verissimè dici potuit dibapha, seu bis tincta, & muricis ostro, & Christi sanguine, cujus vel guttula pretiosior Orbe toto. Ut pretiosissimus hic liquor eliceretur è corpore, præmissa est missio sanguinis, quem subtraxerunt milites flagellis & spinis. Hinc pannus ille coccineus sat reperit sanguinis quem biberet. Quò abis, ô amor? Nostro bono factus est Christus offector purpurarius. Sed revera purpurissum istud magno ei stetit. Hæc tamen omnia, inquit amor, paratissimus patior, si opus, graviora passurus, modò tu ames te amantem.

Christo purpura injecta summo ludibrio.

Plin. lib. 9. Nat. hist. cap. 39.

Porrò purpura, inquit Pierius, pudoris & verecundiæ nota est: in Christo nota fuit ludificationis & ignominiæ. Dum enim inter tenebras penderet in cruce, à duobus saltem, Centurione & latrone Dominus & Dei Filius est proclamatus. At verò cùm in alto staret joculariter purpuratus, & dumis coronatus, illud unum atrocissimum *Crucifige est auditum.*

Fuit ejus ludificationis & ignominiæ.

Plutarchus in Fabio, Pridie, inquit, prælii purpura ad Imperatoris tentorium in hastâ est suspensa, militi ad pugnam accendendo. Hoc illis signum * coccineum robusta fuit exhortatio ad ânimos in hostem erigendos. Haud minùs nobis hæc Christi purpura instar multarum concionum sit, ut cùm pugnandum est adversùs caco-

* Ejus signo pugnæ & exhortatio ad animos contra diabolum & vitia erigendos.

cacodæmonem & vitia, non moveamur gradu, non abjiciamus arma, non turpiter nos dedamus victos, etsi sanguis impendendus huic certamini, etsi caput pro Christo devovendum. Cùm Christo prælium atrox indiceretur, ipse suis humeris cruenti prælii signum prætulit: adhuc enim & Calvariæ mons restabat occupandus.

Adumbrat Christum sanguine martyrum vestiendum. Hæc Christi purpura, si significatum spectemus, adumbrat Christum tot centenorum millium Martyrum sanguine vestiendum, hi tingent vestimentum, quod Christi Corpus, Ecclesiam, convelet. Hæc ipsa etiam purpura designat immortalitatis vestem, quam post omnium ad vitam reditum induent beati. Hæc vestis ultra quinque millia annorum latebat perdita. Diabolus eam furatus fuerat in paradiso. Et videte astutiam vaferrimi veteratoris. Eò illam abdidit, ubi nemo mortalium, nec suspicione quidem motus, quæsisset. Quis enim putâsset in Pilati domo hoc furtum absconditum? Hoc ajo: Quis credidisset de vindicandâ humanæ gentis libertate, in Pilati prætorio agendum, & totum pæne negotium illic transigendum?

Designat immortalitatis vestem.

Quocirca erigamus oculos in altum ad inventorem lujus vestis, & auctorem nostræ salutis. Unà cum illo ploremus. Si lacrymas non cieat mœror, gaudium eliciat. Nam & Christus oculos quidem lacrymis & sanguine natantes gerit, sed dici potest, illas Christi lacrymas præ lætitiâ quoque profiliisse. Notæ sunt nobis voces illæ: *Congratulamini mihi, quia inveni ovem, quæ perierat*; quia inveni vestem, quæ amissa fuerat. Magno quidem mihi stat istius vestis inventio, sed propter vos gaudeo, vobis illam reperi: & quamvis majoribus impendiis fuisset opus, non sumptui tamen ulli nec labori pepercissem. Idcirco me continere non potui, quin continuò sublimem hunc locum conscenderem, & hanc ipsam vestem spectandam proponerem, etsi membris meis omnibus inter flagra fœdissimè laceratis. Hæc tamen omnia tot ludibria, tot plagas, tot tormenta, amore vestri libentissimè ultro ac sponte pertuli.

Luc. cap. 15. vers. 6.

Quid quæso Christiani, quid his amoribus Domini respondebimus? Hîc mihi vox, hîc calamus hæret, quidquid dixero aut scripsero, minus dicam, minúsque scribam, quàm exigat rei dignitas. Hoc exactissimè intelligamus, nos Regi Christo spinis coronato, ad omne obsequium, imò & servitium esse devinctissimos, ut rectè cum Ecclesiâ sæpiùs rogemus: *Da nobis, quæsumus Domine, diabolica vitare contagia, & ad te nostras etiam rebelles compelle propitius voluntates.*

§. VI. *Expenduntur geminæ Pilati voces:* Ecce homo.

IN rebus omnibus, præsertim in mysteriis seu Nascentis seu Morientis Christi piè commeditandis, plurimùm juvat, rem cogitandam ante oculos animúmque intuitu fixo proponere, & quâ licet, cogitatione intentâ priùs depingere. Ut ergo Christi spinis coronati, & ad populum producti spectaculum animo ac mente concipiamus exactiùs, videamur videre Christum in alto pedibus ægrè consistentem, anhelitu difficili, specie prorsùs lacrymabili, toto corpore miserabilem in modum lacerato. Horribile sertum è dumeto hæret vertici, manus ligatæ præferunt arundinem, vultus cruore ac sputis deformatus, nec amicissimis noscendus, artus omnes saucii & recenti sanguine perfusi, quos coccinea ludicra chlamis malè operit, oculi jam moribundi modestissimè submissi, os ad silentium & verecundiam compositum. Verbo dixerim, Doloris effigies. O spectaculum acerbum & miserandum! ad hunc sublimem locum, in quo ad Pilati latus stabat Christus, viginti * octo gradus ex albo marmore pertingebant. Supra hos gradus in palatio Pilati, quod hodiéque monstratur, paullo amplior erat locus marmore stratus, quem Joannes Lithostrotos vocat, Hebræis Gabata dicebatur. Hîc ambulacra & propylæa marmoreis columnis distincta, insignioribus duabus, ad quarum unam Pilatus ad alteram Christus stetit. Hîc in arcu lapideo etiámnum legitur incisum: *Tolle, tolle, crucifige.* Cetera, quod Adrichomius testatur, fugientibus & exesis litteris legi non possunt.

** Rome hodieque visuntur & osculantur. Duo viri religiosi, Hieronymus Domenechus, & Joannes Paullus, in his ipsis nostris temporibus.*

genibus nixi hæserunt, in singulis prolixius meditatione aliquâ adjunctâ commorati.

Cùm ergo Pilatus in omnem se partem versasset, tentasset que omnia, Christo in libertatem asserendo; visum est denique movendis animis futurum illud efficacissimum, si tam sæviter flagellatus sisteretur turbis ex alto spectandus. In eum igitur, quem diximus, locum, unà cum reo suo ascendit Præses, & quod credibile, coccineam vestem illam paullulùm reducens, ut corpus fœdissimè vulneratum, ab omnibus probè posset conspici, breve illud, sed sensu plenissimum, pronuntiavit: *Ecce homo.*

Cur Christus à Pilato tam sæviter flagellatus sistitur turbis spectandus.

Nunc ergo, Christiani, respicite & levate capita vestra. En spectaculum luctuosissimum! En aut Dux noster pro paludamento vetus scissúmque ostrum, pro galeâ spinas, pro clavâ cannam, pro loricâ tergum pectúsque flagris discerptum monstret. Hoc habitu in illam palatii projecturam venit, ut ab omni populo spectari commodè posset. Huc Christus cogebatur ascendere, qui præ deliquio animi vix pedibus poterat consistere. Clemens Alexandrinus militaris prisci moris mentionem injiciens, Regem recèns creatum, inquit, milites congestis vestibus aut clypeis sublimem imposuerunt. Ita Jehu in regem uncto *festinaverunt, & unusquisque tollens pallium suum posuerunt sub pedibus ejus in similitudinem tribunalis.* Ita Rex noster in altum educitur. *Exivit ergo* JESUS *portans coronam spineam, & purpureum vestimentum.* Hîc Romanus Præses succinctissimè ad populum perorans dixit: *Ecce homo.* Saltem agnoscite miserabilem hominem, si non vultis Messiam aut Regem.

4. Reg. c. 9. vers. 13. Ioan. c. 19. vers. 5.

Ut populum ad misericordiâ flecteret usus est voce, Ecce homo.

Ecce homo: Minimùm, putate eum hominem, rationis usu vobis non dissimilem; quòd si non hominis, at saltem humanitatis rationem habetis, hominum omnium miserrimus, calamitosissimus est.

Ecce homo, quamvis similior videri possit pecudi, cui pellis detracta. Si canem aut domesticam animantem cerneretis tot morsibus sauciatam, misericordiæ aliquid ei tribueritis; en hominem plagis & vulneribus pæne confectum, miseratione profectò dignum.

Ecce homo, qui non lege ac more vestro triginta novem, aut summùm quadraginta plagas accepit. Romano ritu flagellatus, plagis innumeris concisus est. Prætorianus miles meus hîc aliquid ultra jussa est ausus. Videte nudas & cruentas costas.

Ecce homo, num adhuc vobis metuendus, ne regnum affectet, ne tyrannidem occupet, ne reges suâ sede deturbet? aspicite coronam, sceptrum, purpuram. Vos accusatis illum, quòd jactaverit se Filium Dei, en quàm miser homo, imò vix homo est, aut filius hominis.

Ecce homo, vos eum appellatis malefactorem, ego hominem, ut vos homines aliquantùm mitigem. Quòd si homines estis, non belluæ, aliquid humanitatis homini tam miserabili exhibete. Si quid peccavit, satis id luit. Suppliciis gravioribus vix locus. Quis adamas ligat vestra pectora? vel saxum, nedum homo, sentiat tam acerbam hominis sortem. Qui in calamitosum est misericors, meminit sui. Magnum crudelitatis genus est, quocumque modo sævire in innocentem.

Ecce homo, caro & frater vester est, Hæbræus est, inter vos natus, apud vos educatus; ideo illum ad vos produxi, ut eum pro homine, imò pro cive agnoscatis.

Mysteria plura per has voces, Ecce homo, nobis S. Spiritus significavit.

Hæc Pilatus è suâ mente pronuntiavit. Multò plura mysteria spiritus divinus per Pilatum, ejus rei ignarum, nobis significavit. Quâ licet, ea summatim complectimur.

Ecce homo, tu, ô homo, hæc vulnera debuisses excipere,

pere, tibi hæc debebantur supplicia. Sed iste, quem cernis, homo tuum fungitur munus, tuam omnem culpam in se derivavit, pro te fidejubet & satisdat damni infecti. Imò pro te factus est homo, qui te fecit hominem.

Ecce homo, qui è cælo missus est, ut te doceret iter ad cælum, per suiipsius despicientiam, submissionem, pâtientiam. Ecce homo, quem æternus Pater & tuum tibi donavit Redemptorem, & constituit judicem. Ecce *homo, qui fecit cenam magnam, & vocavit multos.* Hic ille homo est, de quo vel hostes ipsi dicebant: *Hic homo signa multa facit.* Hic ipsissimus est, de quo fatidicus Caiphas dixit: *Quia expedit vobis, ut unus moriatur homo pro populo.* Ecce homo, quem toties inclamaveras æger: Hominem non habeo. Ecce, hic ille ipse homo est, quem vocas; te venit sanaturus suo sanguine.

Luc. cap. 14. vers. 16. Ioan. cap. 11. vers. 47. Ibid. v. 50.

Ecce homo, & filius hominis, sed & Filius Dei, *in quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi, in quo omnis plenitudo divinitatis corporaliter inhabitat,* formam tamen servi accipiens, ut servos asseereret in libertatem. Homo est, non humano more habitus, sed ferino, ut magis crederes ferarum dentibus, quàm hominum manibus laceratum.

Coloss. c. 2. v. 3. & 9.

Ecce homo, non plebejus, sed Jessæ stirpis, sanguinis regii, Sacerdos magnus, Aaron verissimus, cocco & purpurâ vestitus; *sanctus, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus, & excelsior cælis futurus, qui non per sanguinem hircorum aut vitulorum, sed per proprium sanguinem introibit semel in sancta.*

Exod. c. 39. vers. 1. Hebr. cap. 7. vers. 2. Ibid. cap. 9. vers. 12.

Ecce homo, qui vestit omnia, non potest tegere sua vulnera, ut tegat tua peccata: foris minus quàm homo, intus plus quàm Angelus; ex hominibus assumptus ad Dei dextram sessurus.

Ecce homo, non rosis sed spinis coronatus, non veste Attalicâ, sed ludicrâ purpurâ indutus, non sceptro sed arundine insignitus, quem homines ut stultum irridebant: hic ipse æterna est Sapientia, quæ universum Orbem condidit & gubernat.

Ecce homo, omnium hominum humanissimus, ipsa humanitas, cujus *deliciæ sunt esse cum filiis hominum.* Cui Angeli ut Ecclesiæ sponso coronam ex auro & gemmis, aut certè floribus odoriferis imponere debuissent, huic homines scelestissimi sertum ignominiosissimum è vepribus impresserunt.

Prov. cap. 8. vers. 31.

Ecce homo, qui perfectissimum est archetypon obedientiæ, submissionis, modestiæ, charitatis, patientiæ, qui virtutum omnium absolutissima est idea, qui omni vitâ, jam verò maximè coram auditorio tanto, velut artium atque scientiarum compendium docens, *Discite,* inquit, *à me, quia mitis sum & humilis corde.*

Matth. c. 11. vers. 29.

Ecce homo, qui supremum tribunal suum inter nubes collocabit, vivorum ac mortuorum, Orbis totius judex æquissimus, formidabilis malis omnibus. Qui seipsum Patri sistit & monstrat, dum illum populo Pilatus, & quidem his ipsis Pilati verbis: Ecce homo, ecce mi Pater tuum filium; in mea vulnera flecte oculos. En, ego ille homo sum, qui pro omnibus hominibus hæc infanda libenter patior & morior. Tu illis propter hunc hominem parce, qui & plura & graviora pati paratus est.

Ecce homo, si & nobis homuncionibus vilissimis loqui liceat, & quærere: O cælestis Pater, num iste homo est, cui ad Jordanem & Thaborem vox tua testimonio fuit, Hic est filius meus dilectus? Jam ubi testibus maximè opus videtur, nulla vox, nulla nubes, columba nulla innocentiæ suffragatur. Jam nullus Moses, sed nec Elias ullus quidquam testimonii adfert. *Num,* obsecro, *ille ipse est, qui mittendus erat, desideratus cunctis gentibus,* ipso innocente Adamo innocentior? Vide, mi Pater, utrum tunica filii tui sit, an non, cruenta hæc vestis, quam gerit hic homo.

Gen. c. 49. vers. 10. Aggai c. 2. vers. 8.

Ecce homo, ô Mater & Virgo afflictissima, Ecce homo, estne hic tuus filius? an eum etiamnum agnoscis? num ille ipse est, quem fasciis ligâsti, quem in præsepi reclinâsti? nunc alias habet fascias, jam funibus ligatur, paullo pòst in cruce reclinandus. Num, obsecro, hic ille duodennis adolescens fuit, quem in templo inter Doctores inveniisti? quem diversis locis concionantem sæpius audisti? vis eum recipere in filium? Ecce homo, hominum omnium afflictissimus, desertissimus. Non est sanè, non est homo iste *speciosus formâ præ filiis hominum.* *Psal. 44. v. 3.*

Ecce homo, O Angeli, spiritus beatissimi, vos ipsi jam judicate, num reus iste vinctus, fœdissimum in modum cæsus, horribili vepreto redimitus, homo ille sit, de quo divinus Psaltes cantaverit: *Minuisti eum paullo minus ab Angelis, gloriâ & honore coronâsti eum.* Ignominiâ & dedecore undequaque cinctus est. Nunc sanè opportunissimum erit interrogare: Quid est homo, aut quid est filius hominis? *Psal. 8. v. 6.*

Ecce homo, ô Petre, qui præteritâ nocte voces emisisti in omnem vitam pœnitendas, penitiùs hunc hominem intuere. Recordaris utique te semel iterúmque ac tertiùm dixisse: *Non novi hominem,* suspicor, quæso, & hunc hominem in edito stantem mirè deformatum fixissimis oculis contemplare, an fortè illum noveris. Sed si heri negâsti & pernegasti, idque jurejurando confirmasti, quòd non novisses hominem, multò minùs hodie illum nosse poteris, jam homini dissimillimum. Et sanè vel oculatissimus quisque juraverit, non esse eum hominem, qui die hesternâ, tibi ô Petre, aliisque undecim condiscipulis tuis pedes laverit, & in epulum corpus & sanguinem suum apposuerit. *Matth. c. 26. vers. 74.*

Quàm diversæ super hoc uno homine sententiæ feruntur. *Ecce homo,* clamat Pilatus, miseratione dignissimus. *Ecce homo,* clamat Judæus, crucem meritissimus, homo scelestus, seductor, malefactor. *Ecce homo,* clamat ethnicus, tot ægrorum medicus, jam seipsum curare non potest. *Ecce homo,* clamat diabolus, quem hominum fabulam & probrum feci, qui noluit aut non potuit lapides mutare in panes. *Ecce homo,* Gabriel Archangelus clamat, Altissimi filius, in domo Jacob in æternum regnaturus. *Ecce homo,* clamat è turbâ Virgo Mater, occe filius meus, propter homines homo factus, propter mortales moriturus. *Ecce homo,* clamat è cælo Pater, verus homo & verus Deus; ab omni æternitate meus filius, pro humanæ gentis salute in terram ad crucem tolerandam missus. Et quid tu anima mea de hoc homine dicis? Exquisitissimè delibera, quid super hoc homine responsi sis datura.

Diversa super uno homine sententiæ. Pilati. Judæi. Ethnici. Diaboli. Gabrielis Archangeli. B. V. Matris. Patris cœlestis.

§. VII. *Vberiùs explicatur Christi coronati & ad populum producti spectaculum.*

NArrat beatus Joannes, hominem à triginta & octo annis ægrum in Salomonis porticu aquæ motum expectasse, ut in eam primus descenderet: sed à celeribus aliis impeditum, id solùm querelæ ad Christum attulisse. *Domine hominem non habeo, ut cùm turbata fuerit aqua, mittat me in piscinam: dum venio enim ego, alius ante me descendit.* Bono sis animo, mi æger; reperimus hominem, & tibi, & ægris omnibus. Romanus Præses publicè ex alto proclamat: *Ecce homo.* Nemo igitur deinceps conqueratur ampliùs: *Hominem non habeo,* nam *Ecce homo,* qui in sublimi adstat Pilato, is in sui sanguinis piscinam te mittet. Innumeræ hactenus audiebantur querimoniæ. 1. Ægritudine oppressi aut solatiis destituti clamabant antehac; ille quidem, Hominem non habeo qui mihi serviat; iste autem, qui me soletur. Sed, ecce hominem, qui utrumque præstet exactissimè. 2. Quærebantur officiis & muneribus vacui; Hominem non habemus, qui nos in majus provehat, & ad honores extollat. Quid clamatis pueruli? *Ecce homo,* qui nos omnes ad celsissimam sedem dignitatis efferat. 3. Qui calumniis opprimitur innocens, vociferatur; Hominem non habeo qui me adjuvet, qui patrocinetur. Desine plorare.

Quæritur nunc homo. 1. Ægritudine oppressi. 2. Ad honores provecti. 3. Calumniis oppressi.

rate, *Ecce homo*, qui omnes homines vult salvos fieri.

4. Homínibus fidis carentibus. 4. Est qui satis opum, non satis hominum habeat fidorum. Hinc illius querelæ: Hominem non habeo, cui fidam; omnes quæ sua sunt, quærunt. Sed jam cessét hæc querela. *Ecce homo*, amicorum omnium fidelissimus, cui quilibet multò tutiùs fidat, quàm sibi ipsi, qui suis omnibus beneficiis hoc unum quærat, *Amari*. Et ecce homo, qui se funibus vinciri voluit, ut nos solveremur; qui se flagellis lacerari permisit, ut nos subduceremur plagis; qui corpore toto vulnerari sustinuit, ut nos sanaremur. Pro nobis jam plorat, ut nos super astra inter cælites gaudeamus: pro nobis moritur, ut æternæ mortis supplicium evadamus. *Ecce homo*, quid vultis ut ultra vobis faciat, aut plus amoris exhibeat? *Cùm dilexisset suos,*

Ioan. c. 13. vers. 1. *qui erant in mundo, usque in finem*, imò in infinitum *dilexit eos*. Pro amore hoc infinito id unicum sibi rependi postulat: *O vos omnes*, inquiens, *qui transitis per viam, attendite & videte, si est dolor sicut dolor meus*. Videre ut species

Thren. c. 1. vers. 12. Isaiæ c. 53. vers. 3. omnis & forma defluxerit. Videte *despectum & novissimum virorum, virum dolorum*. Exclamat quidem Pilatus, *Ecce homo*; verùm hic titulus pro die Parasceves nimis magnificus est. Jam ante aliquot annorum centurias per Hebræum regem hic ipse, quem flagris & spinis deformatum cernimus, huic titulo contradicens: *Ego*, in-

Psal. 21. v. 7. quit, *sum vermis & non homo, opprobrium hominum, & abjectio plebis*.

Hoc certè lamentabile spectaculum Pilato ipsi honorem, gaudium Judæis, triumphum hostibus universis fecit. Nobis quid? Si homines essemus non sano sensu destituti, in amoris guttas dissluctemus; cor nostrum præ luctu tabesceret. Sed ista non capit stupor noster. Quàm enim rari sunt, quos vera tangat miseratio? quàm multò rariores, quibus seria vitæ placeat emendatio? cùm ipsa nonnumquam crudelitas alienis etiam malis ingemiscat. Julius Cæsar viso Pompeii hostis sui capite illacrimavit. Christus caput nostrum inter ludibria & dolores summos luctatur, & nos ridemus, imò hoc ipsum caput nostrum novis doloribus & ludibriis affi-

Hebr. cap. 6. vers. 6. cimus, *rursus crucifigentes nobismetipsis Filium Dei, & ostentui habentes*. Si Appiano, Tranquillo, Quintiliano credimus, populum Romanum in furorem egit prætexta Caii Cæsaris prolata in forum cruenta. At verò nos non vestimentum cruore tinctum, sed ipsum Christi Corpus sacrosanctum è Virgine sumptum, flagellis cæsum, vulneribus opertum, paliuris horridum, jam cruci destinatum, animo frigidissimo spectamus: quomodo non exardescimus adversùs nos ipsos & scelera nostra?

O Christiani, hæc cruenta saltem Christi joculariter purpurati & dumis coronati imago mente numquam excidat, assiduè illa ob oculos obversetur, tunc maximè cùm adversæ res angunt, vel secundæ tumefaciunt, vel cùm pericula ad lapsum impellunt. Tunc oculi ad Christum vel in Gabata stantem, vel in Golgotha pendentem erigantur fixissimi. Numquam Christus neo in Thabore quidem fuit pulchrior, quàm cùm juxta judicem suum steterit, aut medius latronum pependit. Hinc

Bern. serm. 1. Epiph. Bernardus suavissimo affectu, *Quantò*, inquit, *pro me vilior est, tantò mihi carior est*.

Postquam igitur Pilatus geminis illis voculis, *Ecce homo*, orationem suam clausit, ignem invidiæ non tantùm non extinxit, sed monstrato sanguine magis accendit.

Luc. cap. 23. vers. 21. Hìc leones illi adversùs agnum rugientes, *Crucifige*, clamant, *crucifige*. Nil mitigatus Pontificum & Scribarum furor, horrendùm efferbuit in voces atrocissimas:

Ioan. c. 19. vers. 12. Crucifigatur, tolle, crucifige: *si hunc dimittis, non es amicus Cæsaris*. Ubi nunc illa sunt novem millia virorum, quos Christus paucis panibus saturavit, qui regem illum proclamare cogitârunt? Ubi nunc illa tot ægrotorum, & à malo dæmone insessorum agmina, quibus omnibus hic

Luc. cap. 23. v. 18. & 23. homo sanitatem restituit? Nihil auditur patrocinii. Nam, quod beatus Lucas refert, *Exclamavit autem simul universa turbà, Tolle hunc. Et invalescebant voces eorum*: perinde si dixissent: Non pœnitet facti, accusationem nostram non revocamus, surdi sumus ad alia consilia. Tu verò Pilate bene cœpisti, verberando, perfice crucifigendo. Hic homo jam initiatus est cruci; hoc unum restat, ut in crucem tollatur vivus.

Ah, quàm graviter hæ voces charissimi simul & ingratissimi populi, aures Christi, quàm graviter aures divinæ Matris vulnerasse censendum! Hi furentis populi clamores in beatis illis auribus tam filii quàm Matris, & amicorum, meri cultri & gladii fuerunt.

Ah quàm dispar est hominum & Angelorum musical Angeli assiduè trisagion illud, *Sanctus, Sanctus, Sanctus*, concinunt: homines adversùs hominem innocentissimum, conditorem suum, Crucifige, Tolle, conclamant. Purpura, seu murex, testudo marina est, quæ nenulam habet in faucibus plenam sanguinei liquoris. Illi omnes, qui contra Christum sunt vociferati, sub linguâ habuerunt venam sanguine venenato refertissimam, hinc sanguinem, crucem, mortem clamitant. Pilatus orationem ad plebem circumfusam in compendium geminæ vocis contulit, *Ecce homo*. Cui furibunda plebs geminam quoque vocem reddidit; *Tolle, crucifige*. Gratus est nobis hic aspectus, gratior erit, si hunc hominem cernamus in cruce morientem; hic lectulus huic ægro debetur. Et quamvis jam antè Pilatus dixerit: *Corripiam illum, & dimittam*, plebis tamen furori minimè satisfecit. Nam omnes ut rabidi canes cadaveri inhærentes, noluerunt eam, quam nacti sunt escam, sibi subtrahi. *At illi instabant*, ait Lucas, *vocibus magnis postulantes ut crucifigeretur*.

Luc. cap. 23. vers. 22. Ibid. v. 23.

Quid nos hoc loco, Christiani, num tacebimus, aut simul clamabimus? Heu nimiùm usitatæ sunt nobis voces illæ, *Crucifige, Tolle*. Vix enim læsi, mox cædes coquimus; cùm noster honor & auctoritas vel leviss imè perstringitur, cùm tantùm suspicamur nos despici, mox vindictam spiramus, pugionem circumspicimus, inimico crucem statuimus, mortem votis omnibus molimur. Sed vide, mi homo, jam antè miser est inimicus tuus, à Deo graviter suo tempore puniendus. Non refert, inquis, tolle hunc, crucifige eum. Assidui sunt hi clamores inter homines; alter alterum vociferando in crucem rapit stimulante invidiâ, quæ & Judæos in sanguineum illum furorem præcipitavit. Sciebat enim & Romanus Præses, quòd per invidiam tradidissent eum. O invidia, quàm tetra es bellua, quantumcumque honesta nomina, & speciosi prætextus te pallient!

Quòd si delectet crucifigere, nos ipsos crucifigamus. Nam *qui Christi sunt, carnem suam crucifixerunt cum vitiis & concupiscentiis*. Qui Christi sunt, illud ardenter expetunt: *Confige timore tuo carnes meas*.

Gal. cap. 5. vers. 24. Psal. 118. vers. 120.

Hoc igitur Christi coronati spectaculum, hoc Romani Præsidis testimonium, *Ecce homo*, numquam elabatur memoriâ, numquam excidat mente. In mœroribus & angustiis omnibus hæc species obversetur oculis, hæ voces insonent auribus, *Ecce homo*.

Ecce homo nunquam elabi debet memoriâ.

En, ut botrus iste nobilissimi liquoris ad ultimam usque sanguinis guttulam sit expressus! En, ut petra sit vulnerata, & quis ex eâ cruoris torrens scaturierit in sitim totius orbis! en, ut verus Job *à planta pedis usque ad verticem percussus ulcere pessimo*, non sedeat, sed stet, & exspectet, dum crucis lectulum ascendat! En, ut ulcerosus Lazarus ex alto sua monstret ulcera, interim ante ipsum stent molossi, ulcera non linecturi, sed laceraturi, & ampliaturi. Idcirco nemo terreatur, etsi diabolis, hostibus, hominum inimicis cinctus sit; omne agmen hostile plus non potest, quàm divina Providentia permittat, quæ in ipsum Filium Dei hominem innocentissimum hæc talia, quæ cernimus, permisit. Ad hunc hominem in ærumnis omnibus confugiendum.

Job c. 2. v. 7.

Hoc ipsum, *Ecce homo*, sub re divinâ piis mentibus com-

Ecce homo. Piis mentibus sub re divinâ commendatissimus sit.

commendatissimum sit. Dum enim Sacerdos sacrosanctam Eucharistiam monstrat, hoc unâ veluti pronuntiat: *Ecce homo,* pro nobis infanda passus. Quo quidem tempore hæc divi Francisci precatiuncula usui esse poterit: *Domine Deus, cælestis Pater, respice in faciem Christi Filii tui, & miserere mei.* Huic oratiunculæ opportunè addetur cogitatio ista: *Ecce homo,* quàm ego ad istum hominem infirmus, & nihili homo sum, quàm inflammatus & furens libidinibus, quàm non sum Angelus? ô Pater misericordiarum, *Ecce homo,* ecce tuus Filius, qui in corde suo omnes homines amore summo complectitur, respice hunc hominem, & propter ipsum parce mihi, & da gratiam ad emendandam vitam, & firmandam in bono perseverantiam. Responsum vel à silente Christo habemus istud.

Christi responsum ad emendandam vitam invitans:

1. Hominem arrogantem & fastuosum,

O homo arrogans & fastuose, *Ecce homo,* aspice quales gemmæ à mucronato hoc serto defluant, vide armillas meas, funes. En jam secundùm per vestem illudor. Sed neque tu cessas vestitu tuo insolenti & ad omnem luxum facto illudere mihi. Quæso te, sta juxta me, & ornatum caput tuum, cum meo, tuas manus, tuásque vestes cum meis confer, & discrimen maximum erubesce.

2. Libidinosum,

O homo libidinose, *Ecce homo,* quàm turpe ac dissimile tu membrum es sub hoc spinoso, vulnerato capite. Et quamdiu te patiar, ut non præscindam te tamquam membrum mortuum? Tu non cessas sub oculis meis & corpus & animum conspurcare. Non tuas ipse sordes ac libidines erubescis? Te nunc per sanguinem meum & tot sanguinis mei rivulos rogo, idque hoc unum, ut antequam carnis appetentiæ satisfacias, & peccato assentiaris, hæc mea vulnera numeres. Chlamidem amove, & totum corpus oculis obire poteris. Num adhuc peccare persistis? Arbitrium tuum non tollam, sed tu cave pœnam.

3. Iracundum & invidum.

O homo iracunde & invide, *Ecce homo.* Tu quàm primum vel minimum læderis, mox vindictam & verbera meditaris? Numquàm facundior es, nunquam promptior, quàm cùm alteri nocendum. Quot enim vel anno uno cudis fulmina in pectore tuo, quæ jacis in adversarios tuos linguâ tuâ? Ecce, manibus ligatis sto ante te, ignis & fulmen in meâ quidem manu sunt, sed tego & contineo; sileo & dissimulo usque ad tempus. Tu, obsecro, exemplum meum imitare, teipsum contine, injurias dissimula, vindictam substringe. *Mea est ultio, & ego retribuam eis in tempore.* *Deut. c. 32. vers. 35.*

CAPVT V.

Christus damnatur mortis à Pilato, & crucifigendus educitur.

Christus prodigum genus humanum quæsivit diversis in locis.

CHristus servator orbis oviculam illam errantem, prodigum & damnatum genus humanum, ad annum usque trigesimum quartum sedulò quæsivit, idque locis diversissimis. Principiò quidem in stabulo vagum hoc pecus indagavit. Deinde in Ægyptum abiit, inde Nazarethum rediit. Hinc progressus, in omnibus pagis, castellis, oppidis, urbibus Judææ & Galilææ eandem aberrantem ovem quæsiit. In campos, in solitudines, in ipsum mare excurrit. Hierosolymis, præsertim in templo, in domibus, in plateis docuit. Restabat una itio, sed difficillima in montem Golgotha: imò eo ipso die sub terrâ etiam in limbo illam quoque errantem oviculam quæsivit, ne quid laboris omitteret, dum inveniret, quod tot centuriis annorum fuerat amissum. Hinc illud Ecclesiæ metrum: *Quærens me sedisti lassus, redemisti crucem passus.* Quando igitur Pilatus furibundam plebem sedare non potuit, nec eò persuadere, ut Christum dimitti liberum vellet, sedens pro tribunali manus quidem lavit, nihilominus Christum morti addixit, & crucis damnavit. Ita Christus, Joanne teste, *bajulans sibi crucem exivit in eum, qui dicitur Calvariæ locum, Hebraicè autem Golgotha.* Hæc Christi morientis mysteria necessariò uberiùs explicanda, dum ad ipsam crucem erigendam deveniamus. *Joan. c. 19. vers. 17.*

§. I. *Pilatum populus urget ad decretoriam sententiam pronuntiandam.*

PIlatus vafer politicus, & in rem suam sapiens, longè prudentior Herode, apud Judæos facilè impetraturum sese opinatus, ut innocentiâ Christi diversè propositâ, vellent juberent Christum missum facere; sed quia furebant hostes, & tumultuosis vocibus reum ad crucem expetebant, Pilatus aliquantulùm his cedendum ratus, hanc apud se rationem iniit: Hunc ego hominem flagellis ita tractari curabo, ut vix homini futurus sit similis; miterescent viso spectaculo tam cruento, nec gravius supplicium urgebunt. Omnia ordine facta. Christus flagris cæsus, dumis coronatus, perluctuosum sui spectaculum ex alto præbuit; Pilatus geminas voces adjecit: *Ecce homo.* Sed nemo miterescere, nemo Christi misereseere, furorem nemo ponere, tumultuari magis, & reum ad crucem postulare. Uti bubali rubro panno aut sanguine viso magis efferantur, ita illi mugientes ut tauri, rugientes ut leones contra innocentissimum agnum exclamârunt universi, *Crucifige eum, Crucifige.* Quod Christus jam olim questus, *Aperuerunt,* inquit, *super me os suum, sicut leo rapiens & rugiens.* Ratio qua Pilatus iniit ut populi juberent Christum dimitti. *Luc. cap. 23. vers. 22.* *Psal. 21. v. 14.*

Homini ignem ferenti parcit leo: hic homo merus amor, ignis merissimus, sed nihil parcunt leones isti. Leo, inquit Cyrillus, animal capturus, horrendum rugit, quo rugitu jam vicinum animal velut exanimatum terrore cadit. Et quomodo horrenda vociferatio ista, Crucifigatur, omnes amicos Christi non exanimavit? Illéne crucifigatur, qui tot ægros sanavit, tot mortuos ad vitam revocavit? At illi pergunt insanire, *Tolle,* clamant, eum nec in oculis quidem ferre possumus: hactenus illum audire noluimus, jam nec videre, nisi in crucem elatum placet. *Gravis est nobis etiam ad videndum, quia dissimilis est aliis vita illius, & immutatæ viæ illius.* Hæc dicturos Sapientia prædixit. *Cyril. in Joan.* *Sap. cap. 2. vers. 15.*

O furiosè cæci! hæ voces per jugulum vestrum redibunt. Non deerunt vobis numerosæ cruces quas vestietis, & urbem vestram in cruces sublati custodietis. Credibile autem est, ad rabiosas has voces ingratissimi populi, ex oculis Christi, & omnium ejus amicorum, uberes lacrymas profluisse. Tam horribilis certè hic clamor fuit, ut eum Amos vates vel eminus ante duo millia annorum audiens dixerit: *Væ desiderantibus diem Domini: ad quid eam vobis? dies Domini ista tenebræ, & non lux.* Ante quinque dies clamabatur, *Osanna, Benedictus qui venit in nomine Domini.* Quàm citò inversa omnia! quàm pravum & mutabile cor humanum! *Amos cap. 5. vers. 18.* *Matth. 21. vers. 9.* *Marc. 11. vers. 9.* *Luc. cap. 19. vers. 38.*

O beatissime Paule, non ægrè feres utique, si idem tibi, quod tuo Domino in hac ipsâ urbe contingat; è templo tractus rapieris in castra, catenis geminis ligaberis, maledictis & verberibus oneraberis, sequetur populus & clamabit, Tolle eum. Ut clamores istos æquanimiter præferas, tuus te docet Dominus, qui atrocissimas voces illas, *Crucifige, Tolle,* ingeminari audiit, & patientissimè tulit. *Joan. cap. 19. vers. 15.* *Act. cap. 21. vers. 31.*

His improbissimis clamoribus & nostræ nos insaniæ monemur. Quoties contra Deum & homines rem nefariam molimur; quoties mendacia, juramenta, furta, libidines, cædes animo agitamus, etsi ratio & conscientia contradicant, etsi tutelaris Angelus & Dei Decalogus reclament, & luculentas leges ingerant: Non dices falsum testimonium, non pejerabis, non concupisces, non occides, non furaberis, non fornicaberis, non mœchaberis. Nihilominus has leges audacissimè perrumpens, & Decalogum velut pugione confodiens

homo

homo temeratius, *Crucifige*, ait, *Crucifige*. Quidquid Deus imperet, quidquid vetet; hoc mihi facere lubet. Nunc ego aliam non audio legem, nisi appetentiæ meæ. Hanc sequor. Hoc profectò est Filium Dei rursum ad crucem postulare, rursum clamare Crucifigatur, denuò crucifigere. Quàm autem hoc pauci, quàm nemo mente seriâ perpendit? temeritate summâ delinquimus. Vera pœnitentia supra modum rara.

§. II. *Pilatus Christum mortis supplicio addicit.*

Pilatus igitur in vitam necémque Judex Romanus, cùm nihil ampliùs effugii cerneret, in ipsam Innocentiam ausus est mortis fulmen vibrare. Itaque, quod Marcus ait, *volens populo satisfacere, dimisit illis Barabbam, & tradidit* Jesvm *flagellis cæsum ut crucifigeretur*. Nam, quod Lucas dixit, *adjudicavit fieri petitionem eorum*, Jesvm *verò tradidit voluntati eorum*. Hæc impiorum voluntas est, in nequitiis esse concordes. Hebræi Pontifices, Scribæ, Pharisæi, & ea fex hominum consensu maximo in mortem Christi conjurârunt. Quemadmodum verò Judæos invidia & odium, ita Pilatum timor humanus in necem Christo inferendam impulit. Hac porrò linguâ, quâ Christum insontem dixit, eâdem in crucem misit Pilatus. Summa hæc in Christum injuria fuit: Christum innocentem, Judæos invidos non nescivit, eum tamen mortis damnavit. Hominem seditiosum, & sicarium absolvit, innoxium caput in manus hostium tradidit, ita orbis judicem supplicio crucis addixit. Quâ quidem in re contra leges etiam Romanas egit. Nam si Tacito & Tranquillo credimus, Senatusconsultum fuit Tiberianum, duodecim antè annis factum, quo jubebatur dictâ jam mortis sententiâ supremum supplicium diebus decem differri, Pilatus nec decem quidem horis distulit. Dictum factum. Vix enim sententia prolata, mox Christo in locum supplicii deferenda crux imposita. Omnibus autem constare poterat hanc iniquissimi judicii formam vi, tumultu, clamoribus extortam.

Sedit igitur Pilatus pro tribunali. Romano ritu sedendum fuit judici, quod Ulpianus asserit, alioqui irrita censebatur sententia. Sedit autem in Lithostrotos alto & conspicuo loco, ubi sententiam Latino idiomate dictavit à præcone promulgandam. Eam Christianus Adrichomius ex antiquis Annalibus optimâ fide descriptam his conceptissimis verbis proponit.

Jesvm Nazarenvm svbversorem gentis, contemptorem Cæsaris, et falsvm Messiam (vt maiorvm svæ gentis testimonio probatvm est) dvcite in commvnis svpplicii locvm, et cvm lvdibrio Regiæ Maiestatis, in medio dvorvm latronvm crvci affigite. I, lictor, expedi crvces.

Adrichomio litem non intendo: Ego autem sententiam à Pilato pronuntiatam censeo his verbis:

Jesvm Nazarenvm Regem Jvdæorvm crvcifigi ivbeo.

Nam titulus crucis, præferri solitus cùm rei ducerentur, è sententiâ damnationis describebatur. Atqui ista & ille hîc exactè conveniunt. Quâ in re Pilatus in suam conscientiam turpissimè deliquit, sed humanus timor terribile spectrum, & Cæsaris gratia, inconstantem & meticulosum judicem eò prolapsionis rapuerunt, ut contra fas omne, illum ipsum, quem esse innocentem & agnovit, & dixit, testatus insuper habere se potestatem dimittendi, nihilominùs ignominiosissimè mortis damnârit.

Castissima Susanna jam mortis damnata, cùm duceretur lapidum nimbo necanda, intercessit Daniel, & causâ sanctiùs discussâ, jus novum dixit. Cùm Christus traheretur ad mortem, nullus adfuit patronorum, igneam rhomphæam nullus strinxit Angelorum, nemo ad judicem alium appellavit, nemo recensionem causæ, nemo judicii revocationem petiit, nemo se in hujus hominis favorem movit. Innocens Naboth ejicitur urbe; nec eum tueri potest innocentia. *Eduxerunt eum extra civitatem, & lapidibus interfecerunt*. Sicut autem Christus à Judæis Præsidi Romano, à Præside militibus est traditus, ita Deus etiamnum probos improborum voluntati tradit, cùm nec proprio quidem Filio pepercerit. Sed hæc omnia licet acerbissima, quæ & filius Jesvs est passus, & Jesv mater pertulit, ob unicam Patris æterni voluntatem, fuerût acceptissima, & summâ tranquillitate animi tolerata. Hoc unicum: Ita Patri placet, ita vult Pater, tam filio quàm matri rationum satis & causarum fuit; quare illa omnia tam infanda patientissimè sustinuerint. Sunt qui dicant, Christum Dominum à Pilato mortis sententiam flexis genibus accepisse. Stans certè ac tacens se capite damnari patientissimè audiit. En orbis arbiter, en vivorum ac mortuorum judex fatalem in se sententiam pronuntiari, rei capitalis se damnari permittebat, ipse interim, quod indubitabile, se Patri similem in modum offerebat: Scis, ô mi Pater, quòd tibi obedierim usque in stabulum ad pecudes, usque in Ægyptum ad barbaras gentes, usque in omnes civitates & vicos Judææ, quocumque me misisti, voluntati tuæ parui. Nunc expectatum tempus adest, quo tibi usque in mortem, & usque in mortem crucis obediam. Paratissimus sum, mi Pater, nec aliud quàm crucem expecto. Hanc feram, quousque tua me voluntas ferre jusserit; in eâdem cruce libentissimè moriar, quia sanctissimæ voluntati tuæ ab omni æternitate sic placitum fuit. Propter te, mi Pater, & Pilato, & omnibus ejus servis obediam. Ab hac obedientiâ & patientiâ non recedam, dum omnia de me prædicta & & scripta ad extremum apicem complevero.

O Jesv obedientissime, ô patientissime Jesv, huic tuæ in Patrem paratissimæ voluntati conjungo meam, omne Dei judicium in me factum æquo animo subiturus. Hoc unum te supreme Judex, per hanc ipsam innocentiæ tuæ damnationem submississimè rogo; *cùm veneris judicare, noli me condemnare. Tu quidem gressus meos dinumerâsti, sed parce peccatis meis.*

§. III. *Pilatus manus populo inspectante lavat.*

Pilatus porrò, sententiam licet tulerit injustissimam, ut tamen dilueret culpam, acceptâ aquâ lavit manus coram populo, dicens: *Innocens ego sum à sanguine justi hujus; vos videritis*. Hîc Præses Hebræum potiùs mortem servavit quàm Romanum, certè hoc didicit à Judæis, qui divino jussu, quod Deuteronomium asserit, innocentiæ testandæ manus laverunt, ut auferrentur ab eis reatus sanguinis. Quo quidem ritu significabant, se factæ cædi neutiquam consensisse. Pilatus cœmoniæ hujus imitator, omnem injustitiam lavandis manibus eluere cogitabat. O Pilate, cor inquinatum, cor lavandum est, cor, non manus. Si vel millies manus laveris, linguam tamen à conscientiâ tam fœdè dissonam numquam perpurgabis, cor tuum tam iniquè timidum, tam justitiæ refractarium numquam mundabis, etsi totus in manus tuas oceanus defluat. *Si laveris te nitro, & multiplicaveris tibi herbam borith, maculatus es in iniquitate tuâ*. Nec sapo, nec lixivium hîc quidquam facit. Alio hîc lavacro est opus. Rex Hebræus maculatam conscientiam purgaturus, *Asperges me*, inquit, *hyssopo, & mundabor, lavabis me, & super nivem dealbabor*. Hyssopus pœnitentiæ, & suimet accusatio, scelera commissa expiant. Hæc illa caldaria cella, hoc vaporarium sudatorium hypocaustum, hoc nymphæum illud & balnearium est, quo noxæ lavantur, aliàs certè nec Jordane toto nec Nilo eluendæ. *Si impius egerit pœnitentiam*, ait Ezechiel, *ab omnibus peccatis suis, quæ operatus est, vitâ vivet, & non morietur.*

Nostrorum statuta crucis affigi & mori. Minùs probarim hanc formulam. 3. Reg. c. 21. vers. 13.

Omnes Christi & matris ejus afflictiones ob æterni Patris voluntatem fuerunt acceptissimæ.

Ecclesiæ verba in 1. Noctur. Offic. mortuorum. Iob cap. 14. vers. 16.

Matt. c. 27. vers. 24.

Deut. c. 21. vers. 6.

Lavatio manuum Pilati injustitiam ejus non eluit. *Hier. cap. 2. vers. 22.*

Ps. 50. v. 9.

Hyssopus pœnitentiæ & suimet accusatio scelera commissa expiant. *Ezech. c. 18. vers. 21.*

Actor. c. 13. vers. 30. *morietur. Et nunc*, inquit Paulus, *annuntiat Deus hominibus, ut omnes ubique agant pœnitentiam.*

Ac nos has thermas refugimus, cum Pilato manus, non mentem lavamus, noxas palliamus, tegimus, levamus, nusquam non obvium est mantellum fucis, prætextus varii, excusationes innumeræ, nimirum culpas nominibus admodum speciosis præteximus, pictarum satis est ubique caussarum. Qui vel seipso judice nocens est, nihilominus videri cupit innocens. Pilati thermulæ: Pilati thermulas, quæso, videte. Homo libidinosus, Doleo, inquit, ob offensam Dei, sed huc mea me natura trahit, ego quidem contrà nitor, sed quod humanæ debilitatis est, illiciorum impetu & consuetudine inolitâ vincor. En Avari. manus lotas! Avarus & acervandis nummis intentus, Nemini, ait, nocere cupio, id tamen meæ curæ committitur, rem familiarem augere, & quam cœpi vivendi Invidi & vindictæ appetentis. normam cum decoro ducere. En gypsatas manus! Invidus & vindictæ appetens, Adversus hos tales homines, inquit, se virum gerere oportet; tractandi sunt ut merentur; alioquin idem in alios audebunt. En pulchras & tersas manus! Res pessima, cùm iniquitas justitiæ larvam oppandit, & decentiæ palliolum induit. Ita omnia ferè vitia se lavare solent, & suam turpitudinem pallâ honestissimâ velare. Hæc innocentia est hominum vitiosorum, qui se humanos, affabiles, benevolos verbis & ceremoniis exhibent. Verùm, *væ vobis*, minatur Christus, *quia mundatis, quod deforis est calicis & paropsidis; intus autem pleni estis rapinâ & immunditiâ. Pharisæe cæce, munda priùs, quod intus est calicis & paropsidis, ut fiat id, quod deforis est, mundum. Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ, qui similes estis sepulchris dealbatis, quæ à foris parent hominibus speciosa, intus verò plena sunt ossibus mortuorum, & omni spurcitiâ: sic & vos à foris quidem paretis hominibus justi, intus autem pleni estis hypocrisi & iniquitate.* Ita & Pilatus lavit manus, sed coram populo, non coram Deo, qui non manuum sed mentium amat munditiem. Pilate, multò rectiùs fecisses, si pectus manu percussisses, quod in tempso publicanus fecit, quod & fecit hoc ipso die *omnis turba eorum, qui simul aderant ad spectaculum istud, & videbant, quæ fiebant, & percutientes pectora sua revertebantur.*

Matth. c. 23. vers. 25. & seqq.

Luc. cap. 23. vers. 48.

Pilatus sententiam non mutavit. Pilatus ergo manus quidem lavit, sententiam tamen non revocavit. Dictâ sententiâ, quàm grata concionis admurmuratio, quot mutuæ gratulationes, quot plausus & triumphi Hebræorum Pontificum, & omnium Ps. 34. v. 25. Christi hostium! Vicimus, ajebant, *euge euge animæ nostræ; devoravimus eum.* Exsaciatum est hoc opus; summam votorum attigimus. Mox igitur ad rem; Festinemus & urgeamus hujus operis felicem clausulam, ne aut Pilatum sententiæ pœniteat, aut seductor extra crucem obeat.

Thren. c. 2. vers. 15. O mi bone Jesv, *plauserunt super te manibus omnes transeuntes per viam; sibilaverunt & moverunt caput suum.* Pontifici Caiphæ vix lætior ferri nuntius potuisset. Idcireo statim, ut aliqui opinantur, in omnes urbis platoas cum tubicine præconem misit, qui proclamaret: Notum illum populi seductorem à Romano Præside ad crucem esse damnatum. Jam ergo educendum in montem Golgotha, & ligno, prout meritus, suffigendum.

Interea temporis omnia instrumenta ad crucis supplicium properanter collata. Crux ipsa, clavi, funes, mallei, terebræ, forcipes, scalæ, ligones, palæ, spongiæ, acetum, vinum myrrhatum, & quidquid ex Romano more ad crucifigendum spectabat.

Modus quo Christi patientis cruciatus cum sensu meditari possimus. Huc igitur animum, huc omnes animi oculos: conformemus in animo nostro Domini Jesv tamquam præsentis imaginem. Quisquis enim Christi patientis cruciatus cum sensu meditari, & fructum ex eâ re capere studet, omnia sibi cogitatione depingat, ut omnia tamquam præsentia animo cernat. Ea ille, qui omnia depingit, interior sensus, ab aliis abducendus, & totus huc convertendus; quò id robustiùs ac firmiùs fit, eò promptiùs tam voluntas quàm intellectus sequuntur.

Ergo videte, Christiani, & illis interioribus oculis cernite, quomodo ludicra purpura vulneribus (ut credibile) inhærens violenter abripiatur, ut suis vestibus paupertinis possit indui. Nulla hîc manus quæ parceret. Hoc autem ex more fiebat, quia jam fuerat flagellatus: alii in ipsâ viâ, aut supplicii loco flagellis cædebantur. Deinde suis vestibus ideo Dominus induebatur, ut probè ab omnibus nosceretur, & loquente digito monstraretur: Hic est ille, quem prophetam esse putavimus, impostor nobilis; acta declarat exitus. Certè aliter Christus nosci non potuisset; *non* enim *erat species ei, neque decor, non erat aspectus, & quasi absconditus vultus ejus.* Quo quidem Christus docuit, nos in egressu vitæ nihil nisi nostras actiones scilicet sanctas nobiscum ferre. Isaiæ 53. v. 2. & 3.

In hunc modum Dominus vestitus, vinctus, vulneribus & sanguine opertus, viribus exhaustus, ob animi deliquia vix spirans, in atrio Pilati saxum insidens expectabat, dum omne crucifixionis choragium comportaretur. Orabat interim, quod credibile, & suo se Patri vel millies in victimam jam proximi sacrificii offerebat.

§. IV. *Christo ferenda Crux imponitur, variæ hujus figuræ.*

PAratis jam omnibus ad infame iter & supplicium, titulus cruci suffigendus jam cernebatur ligno incisus, Tribunus cum cohorte suâ armatus lugubrem pompam in suas classes digerebat, aderant duo latrones vincti, & ad subeundam mortem parati; Christus Servator orbis non minùs quàm illi vinctus suam amplectebatur crucem, ab illâ brevi amplectendus. Hæc nobis animi oculis, quod dictum, velut præsentissima sunt cernenda. Ergo agmine toto in ordinem tumultuarium compositio, Romani Palatii portæ panduntur: Prodit luctuosa supplicatio, pars ejus maxima Dominus Jesvs: *Qui bajulans sibi crucem*, ait Joannes, *exivit in eum, qui dicitur Calvariæ locum, Hebraicè Golgotha.* Joan. cap. vers. 17. *Grande spectaculum*, ait Augustinus, *sed si spectet impietas, grande ludibrium; si pietas, grande mysterium.* Ah! qualis pompa, quæ crucis supplicatio! O bone Jesv, quot molesta & operosa itinera per annos triginta quatuor nostri amore suscepisti? sed molestius tibi nullum, nec operosius fuit, quàm hoc ultimum sub tanto tamque infami pondere, sub gravissimâ mole arboris decussatæ. Hic egressus ille tuus lacrymabilis. Nec enim unam solùm censendus es tulisse crucem: corpus vulneribus & plagis decussatim illatis plenum, caput horribili dumeto saucium, spineo stillante serto gravatum, omnia Orbis piacula tibi uni luenda te solum premunt; lumbi non militari baltheo, sed qui latronibus injicitur, laqueo præcincti, humeri, tamquam non satis ad columnam flagris lacerati, insuper excelsâ trabe onerati, pedes lapsabundi, totum corpus tremit, & vix sibiipsi portando sufficit, incessus lentus & debilis, anhelitus æger & difficilis, facies livore, sputis, cruore adeò transformata, vix ipsi matri ampliùs nisi à solis vestibus noscenda, per omne corpus purpurei defluunt rivuli. Ita Christus ad moriendum egressus extra urbem, viam totam suo sanguine signavit, haud aliter ac si fera recèns jugulata etiamnum sanguinans per publicum fuisset tracta.

Augustin. in Ioannem. Christus nō sufficit ferre molestius quam ad Calvariæ montem.

Nicolaus Orlandinus memorat, viros religiosos è Societate Jesv ad regem Congi fuisse missos; obviàm iis venisse proceres duos unà cum equis ligneis, qui novis hospitibus honoris caussâ more gentis offerebantur ascendendi. Quod nos lecticam undique apertam, illi equum ligneum appellant. Lignum est dolatum, corio stratum, hoc duo bajuli recepto jam sessore portant. Christus Dominico die Palmarum Hierosolymam ingressurus mutuo jumento vehebatur: at verò die fatali Parasceves, quernum vehiculum aut ligneum equum adhibuit,

Orlandin. hist. Societ. lib. 8. num. 218.

adhibuit, sed quem ipse portavit. Hic ille currus est, quo non Elias tantùm, sed omnes Christi Patientis amici evehantur ad cælum: Hoc equo super astra vehimur. Ita Christus bajulans sibi crucem exivit.

Variæ imagines hujus ab urbe exitûs. Gen. cap. 4. vers. 4. Gen. cap. 6. vers. 22. Gen. cap. 22. vers. 6. Josue cap. 8. v. 18. & 26.

Jam à primo mundi ortu variæ præcesserunt imagines hujus ab urbe luctuosissimi exitûs. 1. En innocens Abel ab invido fratre Caino educitur, ut occidatur. 2. En Noë justus comportat ligna ad arcæ fabricam servando generi humano, ab igneo æternitatis diluvio. 3. En obediens Isaac suis ipse humeris lignorum fascem defert apparando sacrificio, jugulandus ipse in victimam. 4. En Jacob peregrinus suas ipse gestat scalas cælo applicandas, per quas evadamus ad sidera. 5. En fortissimus Josue divino jussu clypeum suum levavit contra civitatem Hai, nec contraxit manum, quam in sublime porrexerat tenens clypeum. 6. En Moses in monte passis brachiis oraturus, fert secum virgam, quæ aliquando versa fuerat in viperam. Hac virgâ percussa est petra, & è petræ vulnere scaturiit aqua. Crux olim B maledicta, nunc mœrentium refugium, & in regum fronte ornamentum. 7. En Elisæus venit ad aquas cum ligno, securim perditam exttacturus. In montem cum trabe tendit Christus humanam gentem liberaturus.

Judic. cap. 9. vers. 48.

8. En Abimelech, qui *arreptâ securi præcidit arboris ramum, impositúmque ferens humero, dixit ad socios: Quod me vidistis facere, citò facite.* Ità Christus crucem præferens,

Luc. cap. 9. vers. 23. Matth. c. 16. vers. 24. Isaiæ c. 22. v. 20. & 22.

beato Lucâ teste, dicebat ad omnes: *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam quotidie, & sequatur me.* 9. En Eliacim indutus tunicâ cruentâ, cingulo præcinctus novo, clavem domûs David super humerum fert reserando paradiso. 10. En David rex cum suâ citharâ, æterni Patris iram, & furibundum genus humanum placaturus montem conscendit, ut ab omnibus

3. Reg. c. 10. vers. 20. & 2. Paral. c. 9. vers. 19.

audiatur. 11. En Salomon pacificus suum ipse thronum defert ad locum judicii. *Non fuit tale solium in universis regnis.* 12. En summus Sacerdos, qui suis humeris portat altare, in quo ipse Sacerdos fiat sacrificium pro C salute mundi. 13. En paterfamilias diligentissimus candelabrum adfert, cui cereus infigatur orbi universo lumen præbiturus. 14. En strenuus dux prodit, tentorium suum in colle fixurus. 15. En signifer animosus, mori certus, signum fixi hominis erecturus in monte,

Matth. c. 21. vers. 6. & seqq. & Luc. c. 20. v. 14. & 15. Num. cap. 5. vers. 2.

urbem deserit. 16. En filius charissimus à Patre missus accipere de fructu vineæ, *quem cùm vidissent coloni, cogitaverunt intra se dicentes: Hic est hæres, occidamus illum, ut nostra fiat hæreditas. Et ejectum extra vineam occiderunt.* 17. En vir leprosus, castris, prout lex vetus jubet, ejectus. 18. En Lazarus ulcerosus, canibus circumdatus ex urbe pellitur, ut cespiti vel ligno immoriatur. 19. En æger moribundus suum ipse lectulum deportat, ut in loco sibi destinato moriatur. 20. En agnus verè mitissimus ad aram & ad lanienam ducitur, prout prædictum.

Isaiæ c. 53. vers. 7.

Isaias, *Sicut ovis*, inquit, *ad occisionem ducetur, & quasi agnus coram tondente se obmutescet, & non aperiet os suum.* Et

Hier. cap. 11. vers. 19.

D Hieremias, *Et ego*, inquit, *quasi agnus mansuetus, qui portatur ad victimam, & non cognovi, quia cogitaverunt super me consilia, dicentes: Mittamus lignum in panem ejus, & eradamus eum de terrâ viventium, & nomen ejus non memoretur amplius.* Porrò illud Isaiæ vaticinium cùm Reginæ Candacis quæstor in curru legeret, & Philippus Apostolus vi divinâ comes ei adjunctus explicaret, ita motus est vir ille peregrinus, ut animo in hunc ipsum patientissimum Jesvm converso promptissimè dixerit: *Credo Filium Dei esse Christum* Jesvm; mox ad aquas currum suum subsistere jusserit, & ritu Christiano ablui voluerit. Et quem ista non intimè afficiant, si animo cernat agnellum unicum inter tot lupos & leones educi ad lanienam? Et ubi nunc Franciscus Assisias vir mitissimus, agnos à cultro & macello redimere solitus? nemo patronorum, Angelorum nec unicus subsidio est. In horto saltem unus cum hoc Domino suo locutus, ad futuros

Act. cap. 8. vers. 28. & seqq.

eum cruciatus animavit. Jam meri cernuntur hostes; illorum medius innocens Jesvs.

Quot homines Hierosolymis convenisse ad illud tempus Paschatis credantur?

Evigilet hîc aliquantùm animus, & attendat, quid immensus populus de hoc reo sentiat dicátque. Creduntur certè ad illud Paschatis tempus Hierosolymis convenisse quadragies centena millia hominum, sive quatuor milliones capitum. A populo tam numeroso partim civium, partim peregrinorum spectatus Christus & irrisus largissimè. Variè se vulgus in hoc comitatu divisit. Aliis præcurrere placuit & agmen totum antevertere, ut commodum spectandi locum in Golgotha occuparent; sequebantur alii & ponè ambulabant; pars civium plurima per fenestras effusa, hanc cruciariorum pompam, quæ in montem ducebatur, avidissimis oculis hauriebat. Christum euntem Centurio & Tribunus militaribus copiis pedestribus & equestribus cingebant: proximi ibant milites crucifixuri reos. A tergo sequebantur non sine risu & facetiis Scribæ, Pharisæi, & seniores populi. Spectaculum futurum omnes excivit urbe, magnates etiam & primi nominis, præsertim qui è sacro Senatu necem Domino procuraverunt. Nec defuerunt in viâ piæ matronæ, quæ deplorabant judicium tam injquum. Quod beatus Lucas memorans, *Sequebatur autem illum*, inquit, *multa turba populi, & mulierum quæ plangebant & lamentabantur eum.*

Luc. cap. 23. vers. 27.

Et quales hîc populi sermones, quæ confabulationes, qui plausus & irrisus? Putavimus, ajebant, hunc esse virum sanctum, sospitatorem, prophetam magnum, & en seductorem maximum, en regem nostrum. Innumeri sermones ejuscemodi in hunc reum dicebantur. Prædixit hoc David: *Omnes videntes me, deriserunt me, locuti sunt labiis, & moverunt caput.*

Psal. 21. v. 8.

§. V. *Simon Cyrenæus Christi crucem portat.*

Ex invidiâ & crudelitate cruce Christi imposuerunt Simoni Cyrenæo.

NOn fuit miserationis, sed crudelitatis, crucem Christi imponere Simoni. Verebantur, ne Dominus succumberet oneri, & exanimatus concideret sub pondere, mortéque suâ præverteret crucis tormenta. Ubi enim observârunt Christum tam lentè, adeóque fracto gressu incedere, toties sub onere collabi, ne igitur forsan supplicii montem non attingeret, & in ipsâ moreretur viâ, circumspexerunt, quomodo crucem ab ipso in alium transferrent, non miseratione ducti, sed invidiâ sanguinariâ impulsi, & cruoris ex alto hauriendi sitientes; in cruce vivum spectare, id summæ voluptatis futurum censuerunt. Hoc certè non Romani urgebant, sed Judæi, eorum tamen nullus maledictum illud lignum, ne fierêt exleges *, tangere sustinebat. Hominem ergo alienigenam, nomine Simonem, ex oppido Cyrene, in urbem properantem excipientes adegerunt, ut Christi crucem in se reciperet, & ad locum supplicii deportaret. Vir erat à Judæorum sacris planè alienus, idcirco non multis rogatus est, ut id faceret: Velis nolis, ajebant, hoc tibi faciendum. Ita totâ Hierosolymorum urbe vir nullus fuit, qui hanc Christo gratiam gratificaretur, eúmque tanto pondere sublevaret. Panes, pisces, valetudinis donum promptissimè ab eo acceperunt, qui jam in extremis angustiis juvet, nemo est omnium, nemo hunc hominem fatetur nosse; omnes religioni ducunt crucem contingere; insontem Christum crucifigere in religionem nemo trahit. Imago mundi viva: opifer amicus in necessitate rarus est. Simon nolens volens fit cruciger. Causæ Judæis sanguinariis erant plures.

* Irregulares, immundi.

Nullus Judæorum voluit Christum à tanto pondere sublevare.

Causæ cur Simon factus sit cruciger.

1. Ne homo ille dum duceretur, exspiraret; in cruce vivum cernere, summi, quod diximus, voti fuit. 2. Jam hora erat sexta Judæorum, seu meridies, nostra duodecima & ultra. Nam Joannes de illo tempore, quo sententia mortis nondum lata, hæc asserit: *Erat autem Parasceve Paschæ, hora quasi sexta.* Ergo Christi flagellati longum & nimis quàm extractum fuit supplicium. 3. Nec dubium, quin Pilati milites prandere voluerint; alii ci-

Ioan. c. 19. vers. 14.

bum vix cogitabant, invidiâ pasti. O invidia bellua multò immanissima! ô invidia malum longè pestilentissimum, suum ipsa supplicium, homicidii radix, quæ non solùm multos, sed & optimos subinde inficit! 4. Urgebant Judæi, ne Pilatus fortè pœnitens facti sententiam revocaret.

Solum Simonē crucē portasse plerique asserunt.

An verò Simon Cyrenæus crucem unà cum Christo portârit, an solus, non multis disputem. Plerique omnes ajunt, Simonem solum reliquâ viâ ad deferendam hanc molem succollâsse. Via verò è Prætorio Pilati in montem Golgotha, (quod Christianus Adrichomius industriè metitur) mille trecentos viginti passus & unum habuit. Hic idem accuratus auctor addit, quo loco Christus sub cruce corruerit, quo mater ei occurrerit, quo Veronica linteum appresserit, quo mulieres plorantes substiterint, quo Simon crucem à Christo acceperit; quòd denique Christus hac lugubri pompâ per portam veterem judiciariam exierit. Hîc paucula nobis è Simone Cyrenensi discenda.

Suprà 3000. pedum Christi Adrich. in suâ Hierosol. num. 113.

Quædam è Simone Cyrenensi discenda. 1. Homo fuit exterus, peregrinus, advena, qui nihil minùs cogitârat, quàm eo die portare crucem.

I. Hîc Christo succenturiatus cruciger, homo fuit exterus, peregrinus, advena, qui nihil minùs cogitârat, quàm eo die portare crucem. Quòd nos ea, quæ ciant & affligunt, tam iniquo animo perferamus, quòd reluctemur, & quidquid molestiarum est, amoliri cupiamus, id ferè caussæ est, quia nos esse peregrinos ægrè persuademur. Ah miseri, nescio quam hîc patriam & *manentem civitatem* somniamus. Si nos advenas & peregrinos gereremus, multò majori æquanimitate ac patientiâ, quidquid rerum adversarum est, perferremus.

2. Quòd Dominicā crucem susc̄ipere coactꝰ est. *Matt. c. 27. vers. 32. Marci c. 15. vers. 21. Iob cap. 6. vers. 10.*

II. Hic Simon Cyrenaicus Dominicam crucem suscipere coactus est. Hunc, inquit Matthæus, *angariaverunt, ut tolleret crucem ejus.* Quàm pauci sunt, qui multa pro Christo & facere & pati cupiant! Quis est qui generosè ausit dicere: Domine, etiam ampliùs me affligе. *Et hæc mihi sit consolatio, ut affligens me dolore non parcas.* Plerique omnes horremus & refugimus omnem molestiam pro Christo tolerandam. Hinc Deus salutі nostræ consulens, vel invitis nobis ingerit amarum sed salutarem absinthitæ calicem bibendum.

3. Quis ille homo esset qui prior eam crucē portaverat, ignorabat. *Gen. cap. 19. vers. 16.*

III. Si scisset Simon, quis esset ille homo qui eam crucem prior portavit, si scisset Heraclium Imperatorem nudis pedibus, veste plebejâ, reverentiâ summâ suis humeris hanc ipsam crucem portaturum, reverâ & ipse illam osculatus humero paratissimo excepisset. Credibile tamen est, eum aliquid divini luminis hausisse, & necessitatem hanc in rationem vertisse, libenter denique fecisse, quod initio facere detrectârat. Nimirum fabricando fabri fimus, & crucem sæpius ferendo, perferre illam discimus; nec enim pauca sunt, quæ incipimus inviti, demum volentes absolvimus. Angeli Lothum cum familiâ pæne invitum eduxerunt Sodomâ: eductus beneficium æstimavit, & gratias egit. Ad initia rerum caro refractaria se contrahit & abhorret, demum suæ se necessitati attemperat & gaudet.

4. Labor in perferendâ cruce brevis, sibi & filiis inter Christianos memoriam peperit. *Marci c. 15. vers. 21. Hieronym. epist. 3.*

IV. Simonis Cyrenæi labor in perferendâ cruce brevis, eo tamen sibi suisque filiis æternam inter Christianos memoriam peperit. *Et angariaverunt,* inquit Marcus, *prætereuntem quempiam, Simonem Cyrenæum, venientem de villâ, patrem Alexandri & Rufi, ut tolleret crucem ejus.* Brevis est omnis labor & dolor noster, sed memoria justi æterna, præmium perenne. Id solum est longum, quod est æternum; breve est, quidquid desinere potest. Quod Hieronymus egregiè confirmans, *Debemus,* inquit, *animo præmeditari, quid aliquando futuri sumus; quod, velimus nolimus, abesse longiùs non potest. Nam si nongentos vitæ annos excederemus, tamen nihil esset præterita longitudo, quæ esse desiisset.* Hoc Petrus pectoribus nostris altè infixum cupiens, *In quo exultabitis,* inquit, *modicum nunc si oportet contristari in variis tentationibus.* Non negat è doloribus & ærumnis nasci tristitiam, sed ait esse **brevem** & modicam.

1. Pet. cap. 1. vers. 6.

§. VI. *Veronica Christi vultum linteo abstergit.*

EAdem hac viâ, quâ Dei Filius ducebatur ad mortem, occurrit pia matrona civis Hierosolymitana Veronica*, ut Christi sub cruce fatiscentis sudorem, lacrymas, sputa, sanguinem toto vultu sparsum linteo abstergeret. In hoc Christus effigiem suam depinxit inter eundum. Nihil artis defuit huic pictori. Hoc linteum solo divini vultûs appressu mirabiliter expictum, hodiéque summæ venerationis est Romæ in divi Petri æde. Methodius & Marianus Scotus ajunt miracula per hoc patrata. Hoc Veronicæ pietas obtinuit. Neque verò quisquam Christo vel leve obsequium detulit, quin grande præmium retulerit. Veronica Christi effigiem & iconismum, Christum à Christo pictum acquisivit. Magdalena elogium per orbem ingens obtinuit: *Amen dico vobis,* ait Christus, *ubicumque prædicatum fuerit Evangelium istud in universo mundo, & quod fecit hæc narrabitur in memoriam ejus* a. Mulieres, quæ Christum lacrymis comitabantur, documentum & solatium impetrârunt. Simon Cyrenæus sui memoriam & æternum nomen reportavit. Joannes Christi frater factus novam sibi Matrem comparavit. Nicodemus & Josephus actionis sanctæ monimentum adepti sunt sempiternum.

* *Alii hanc Veronicē.*

Adrichom. descriptio Hierosol. Beda epist. Tiber. translatio & cum ea lepra pueri curatio. De hoc linteo Damasc. Nicephor. Metaphrast. Theodor. Lector. Evagrius, quos Cangius memorat. Apud Marian. Scot. in Chron. An. 30. De eodem lib. Imago ferpens. qui in Vaticani Bibliotheca servatur. Vide Cæsarem Baronium, tom. 1. Annal. Christi, 34. mihi, 235. Confirmatio Perplexorum lib. de rerum Inventoribus c. 19.

Cor Christi amore plenissimum, Judam proditorem à complexu & osculo non repellit, Malcho læso auriculam restituit, Petro neganti veniam impertit, cum matribus suorum hostium colloquia facit, pro militibus se crucifigentibus preces fundit, latroni paradisum promittit, pro nobis omnibus viam ad mortem conficit. Et hæc illa est semita, quæ ducit in paradisum. Hîc *sapientia in plateis dat vocem suam; in capite turbarum clamitat, in foribus portarum urbis profert verba sua* b. Hîc in publicis compitis Dei Filius pingit, & seipsum depingit; cor nostrum sit linteum, quod divinissimi vultûs pictûram excipiat.

a Marci c. 14. vers. 9. b Prov. c. 1. vers. 21.

Carolus V. moriturus, filio Philippo Hispaniarum Regi secundo, ex arculâ cilicium & flagrum sanguine cinctum protulerat, & in sui dederat monimentum, pignus amoris. Idem Philippus secundus fecit jam morti vicinus, & Philippo Tertio parentis & avi donum, in libelli memorialis vicem obtulit. Munusculum pium, & inter regia cimelia jure custoditum. Sed videre quod sui monimētum c Christus nobis omnibus & singulis in itinere ad mortem reliquerit, linteum sui vultûs picturâ insignitum. Hoc maximi thesauri loco asservemus, studiosissimè; ad hoc ectypum, ad iconismum istum in mœroribus, angustiis, doloribus quibuscumque confugiamus, hoc patientiæ speculum consulturi, omnes hîc sudoris, lacrymarum, sanguinisque guttulæ ad fortiter pro Christo patiendum exhortantur, & animant. *Inspice, & fac secundùm exemplar* d.

c Christus nobis reliquit sui vultûs pictūram insignitum, ad quod in angustiis confugiendum. d Exod. 25. vers. 40.

Neque solùm Veronica, sed & aliæ matronæ in Christum piè obsequiosæ suas illi saltem lacrymas in hoc mœstissimo itinere consecrârunt. Beatus Lucas comitatum hunc commemorans, *Sequebatur autem illum,* inquit, *multa turba populi, & mulierum, quæ plangebant & lamentabantur eum.* Qui in hac pompâ fierent, pauci numerabantur; qui riderent & illuderent, innumeri. Mater Christi, Magdalena, ceteræque mulieres piæ Christi comites, & forsan Petrus, hanc viam lacrymis signârunt; aliorum omnium risus & irrisus audiebantur. Hi mores etiamnum vigent. Flere pium, inter nos perquàm est rarum. Nam etsi caussas flendi plurimas, vix ullas ridendi habeamus, ridere tamen quàm flere malumus. Annæus aliter philosophatus. *Cur fleam, scio,* inquit, *nempe ob meipsum, nondum reperi cur rideam.* Larga ubique flendi & assidua materia. Cur enim in hilaritatem risumque convertamus animos? Ob præterita? jam abierunt. Ob futura? nondum adsunt; res planè

Lucæ cap. 23. vers. 27. Senecā lib. Polybium. Vbiq; larga flendi & assidua materia.

planè incertissima. Ob præsentia? ipso transitu sunt, summa rerum omnium inconstantia, & vicina semper ruina est. Infantiam nobis rapit ignorantia, juventutem cæcus & vitiosus furor, optimam ætatem invidia, iracundia, habendi studium, & avaritia sibi vendicant, pars vitæ ultima inter morbos elabitur. Hæc nostra ad tumulum via est, jure copiosis lacrymis signanda. Neque verò Christus fletum prohibet, nisi brevem illum & evanidum, nam diuturniorem ac necessarium etiam imperans, *Filiæ Hierusalem*, inquit, *nolite flere super me, sed super vos ipsas flete, & super filios vestros.* Cruciatus suos plangi non vetat, sed plangi non vult solâ miseratione humanâ. Non igitur quòd ista patiar ploretis, sed causam propter quam tanta patior, deplorate. Ego non repugnanter, nec gravatè, sed libenter ac voluntariè ad mortem abeo. Hæc enim omnia patior amore in vos, & obedientiâ in Patrem. Ad nutum & arbitrium Patris omne meum vivere ordinatum est & mori. Sed uti vitam mors, ita mortem excipiet reditus in vitam. Et ideo hæc deflenda non sunt. Deflete potiùs peccata vestra, quæ & ego ad ingressum urbis ante dies paucos largis lacrymis deflevi. Peccata vestra meæ mortis sunt causa; hæc me gravant, hæc cruciant, hæc enecant. Et quod dolores meos auget, illud est: Multos nihilominùs sua improbitas meorum cruciatuum expertes faciet, & æterni supplicii damnabit. Hoc seriò deplorandum est. Ita Christi documento magis deplorandi sunt qui malè agunt, quàm qui malorum odia ferunt. Non enim mors Abelis, sed invidia Caini, non afflictio Davidis, sed nequitia Saulis, non Isaiæ carcer & supplicium, sed Manassis impietas & multiplex flagitium, non Eliæ fuga, sed Jezabelis tyrannis deplorànda. Ita Christus ad mulieres lamentantes conversus, *Nolite*, ait, *flere super me.* Cur autem, ô bone JESV, flere nos vetas? tu fundis sanguinem, & nostras prohibes lacrymas? Omnia lugent elementa, vel ipsa plorant saxa, ipsi tecum lugent Angeli; & nos pro quibus moreris, hæc oculis transmittamus siccis? Memini me legere Romanum Oratorem dixisse: *Quid dicam de Socrate, cujus morti illacrymari soleo, Platonem legens?* Et nos non Socratis, sed nostri Servatoris acerbissimos cruciatus, dirissimam mortem sine lacrymis vel legamus, vel legi audiamus? Revera Christus cum flentibus atque sequentibus se loquitur; totâ viâ neminem alium affatus. Herodis curiositati & cunctis ejus quæstionibus nec verbulo respondit; quo quidem silentio verba otiosa & vanam curiositatem luculentè damnavit; in viâ ad mortem tacitis lacrymantium affatibus amicissimè, non interrogatus, respondit. Quo quidem dilucidè demonstravit, quàm sibi commiseratio ac consensus sit gratus, & quàm velit alterum alterius commisereseere, alienúmque etiam dolorem dolere. Suspiria profectò & lacrymæ, quæ noxarum odio & amore Christi patientis funduntur, gemmæ sunt. Nos sensus mutuos non nisi per verba intelligimus, per lacrymas tamen cum Deo efficacissimè sermocinamur; hoc idioma Deus probè intelligit, hanc linguam Christus placere sibi publicè ostendit, dum suum lacrymis solatium statim adhibuit, dum sui doloris oblitus suaviter alienum mollit. Vera Christi patientis consideratio cor lacrymabundum sibi deposcit. Lacrymæ moverunt Christum, ut inter tot probra & cruciatus crucifigentium matres solatio afficeret, & succinctam sed utilissimam nobis omnibus cohortationem hanc relinqueret: *Quoniam ecce veniunt dies, in quibus dicent: Beatæ steriles & ventres qui non genuerunt, & ubera quæ non lactaverunt. Tunc incipient dicere montibus: Cadite super nos, & collibus, Operite nos.* Addit, quod auro & gemmis exarandum: *Quia si in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet?* Si justitia divina ipsum Dei Filium ob aliena prorsus peccata sic multat, quomodo vilissimum servum tractabit ob sua? si lignum viride, homo innocens, sanctus, succo virtutum omnium plenus in tam immanem suppliciorum ignem abjicitur, quid lignis fiet áridis, & exsuccis, hominibus omni gratiâ destitutis, omni scelerum turpitudine opertis, quos Thadæus Apostolus arbores autumnales, infructuosas, bis mortuas, eradicatas, homines animales, spiritum non habentes vocat. Hæ tales arbores incendium non evadent. Nam Christus in orbem venit sine peccato, non tamen exiit sine flagello: Nos & nascimur, & vivimus, sæpe etiam morimur in peccatis, cur excipiamur à flagellis? Quocirca Gregorius Magnus rectissimè concludit: *Hinc unusquisque colligat, quid illi sint passuri quos reprobat, si sic cruciat quos amat.* Quotusquisque autem est, cui conscientia non dicat: Agnosce quòd arida, exesa, trunca, mortua sis arbor, & ideo ignem, quem divina justitia accendet æternis sæculis arsurum, expavesce. *Quia si in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet?* Hæc Christi in viâ fuit concio, non copiosa verbis, sed sensu & mysteriis. Sermonem longiorem impatientia non ferebat tam Judæorum quàm Romanorum, qui ad eundum impellebant. Ita pergit mitissimus agnus ad victimam, verè factus *spectaculum mundo, & Angelis & hominibus.*

Jesus à Christo nō vetatur. *Luc. cap. 23. vers. 28.*

Qui malè agunt magis deplorādi, quam qui malorum odia ferunt.

Jude Cathol. v. 12. & 19.

Greg. lib. 3. Moral. c. 4. Impii cur pavere debent.

1. Cor. c. 4. vers. 9.

§. VII. *Christus diverso agmine stipatus Calvariæ rupem morituris ascendit.*

CErtè carnifices, qui fracto gressu lentiùs incedentem clavis & hastis propellebant, magnos dolores Christo, injuriam magnam inferebant. Hæc ego tamen omnia Lectori pio commeditanda trado. Graviorem Christo inferunt injuriam, qui parum curant, quid velit jubeátque Deus, sed prout est occasio, prout eos impetus agit, vix ullâ divini honoris habitâ ratione quævis cogitant, dicunt, faciunt. Hi milites sunt, qui Christum crucifigendum impellunt. Ah, maligni comites, qui suum sibi Dominum inter eundum in ipso itinere crucifigunt! Alii comitabantur Christum, ut euntem irriderent & sibilarent, pendentem ac morientem cernerent & exultarent, quales erant maximè Pharisæi hostes Christi. Alii solâ curiositate ducti exibant, ut huic spectaculo interessent. Pauci alii miseratione naturali moti, non sine lacrymis sequebantur præeuntem: verùm non ut actores & crucigeri, sed ut spectatores meri. Siquidem magnum inter ipsos Christianos discrimen est. Sunt qui crucem, non Christum quærant: sunt etiam qui Christum ambiant, crucem fugiant. Certè omnes invidi, ambitiosi, vindictæ cupidi, pecuniarum avidi, aliique martyres mundi cruces multas inveniunt, sed eas raptant & trahunt, idque sine Christo, absque promerito & præmio. Alii contrà homines otiosi, segnes, delicati, ad omnem virtutem torpidi, furtivâ libidine impuri, qui seipsos & carnem unicè fovent, Christum quidem amicum cupiunt, sed crucem Christi refugiunt. Soli amici veri Christum cum cruce amplectuntur.

Varii ad montem Calvariæ comites Christi.

Silentium Christi coram Herode otiosa verba nos damnare docet: responsum autem lacrymatium affatibus commiserationem.

Discrimen inter Christianos.

En igitur Christiani, quomodo Servator noster vectem seu perticam ferat, in quâ generosissimus botrus appendetur. En Sacerdos Aaron fert virgam, quæ suo tempore in frondes & flores sese induet. En Princeps pacis suam ipse Monarchiam humeris portat; jam verè *factus est principatus super humerum ejus.* Crucem Isaias rectè principatum appellat; thesaurorum crux plena & mysteriorum. Hunc principatum suum Christus adeò honorat, ut humeris eum ferat, eum etiam totis brachiis brevi amplexaturus. Simon Cassianus ita Christum alloquitur: Dominus meus & Deus meus, quò tendis cum hoc crucis pondere? Numquid plantare vis hanc arborem ut frondeat? Sed radices vix aget, quis enim irrigabit? nimis arida est, & tu in rupem duceris. Cui respondet Christus: Ego illam non ut plantas suas olitores aquis, sed meòmet sanguine rigabo, sic enim descendet arbor radice, ut ipsi etiam inferi sint eam sensuri. Hanc

Num. c. 13. vers. 24.

Isaiæ cap. 9. vers. 6. Crux est principatus Christi.

Luc. cap. 23. vers. 29. & seqq.

ri. Hanc autem arborem plantabo, ut illam scientiæ boni & mali vetitam eradicem; hoc lignum defero, ut ex eâ scalæ fiant, quæ ad cælum usque pertingant, ad has cæli scalas expandi me patiar, & affigi, ut orbem totum, quantum in me, ad me traham.

Amor Christi ad mortem anhelantis. *Isaiæ c. 53. vers. 12. Ps. 68. v. 21.*

Et quantus hic amor est, qui tantopere ad mortem anhelat in tam criminosâ societate? nam illi duo latrones adjuncti, ut despicabilis fieret orbi toti tamquam maximus latronum. Verè *tradidit in mortem animam suam, & cum sceleratis reputatus est.* Verè sustinuit, & qui simul contristaretur, non fuit, & qui consolaretur, non invenit. Si nos amici sumus, solum illum non deseremus. *Eamus* igitur *& nos, & moriamur cum illo. Exeamus ad eum extra castra, improperium ejus portantes.* O veri politici, ô falsi Christiani, ô pii Pharisæi, qui omnia religiosis vestris cærimoniis metimini, qui consilia vestra soli fortunæ applicatis, qui ad omnem illius motum vos movetis, & utcumque est ventus, exin velum vertitis;

Ioan. cap. 11. vers. 16. Hebr. c. 13. vers. 13.

Exeamus ad eum extra mundi castra, extra telonium, chôreum, lupanar, ganeum, forum aleatorium. Exeamus hinc obsecro; sat diu mundi legibus servivimus, nunc demum sanctioribus Christi crucifixi pareamus. Sed præmium ab eo meliori tempore ac loco expectemus. Non habet in hac viâ, quod dividat, nisi tunicam, pallium, coronam spineam, funes, sanguinem, lacrymas, sudorem. Illius igitur improperium feramus. Hîc summo pretio est afflictio, patientia, submissio, abstinentia, rerum humanarum, imò suiipsius despicientia, omnisque despicatûs tolerantia. Hîc alios quæso mores discite, ô delicatuli, qui ab aliis reformidatis vel minimùm contemni, qui neque fortunam, neque mortem, neque vos ipsos contemnere sustinetis, quos verbulo tangere, quos austeriore oculo nefas perstringere. Hîc longè alia docemur, cum Christo partem non habebit, qui improperium Christi ferre recusaverit. *Exeamus* igitur *ad eum, exeamus extra castra, improperium ejus portantes.* Nam & ipse Dominus Jesvs nos invitans, *Si quis*, ait, *vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam quotidie, & sequatur me. Qui enim voluerit animam suam salvam facere, perdet eam; qui autem perdiderit animam suam propter me, inveniet eam. Et qui non accipit crucem suam, & sequitur me, non est me dignus.* Si non potest esse discipulus, nisi qui bajulat crucem, quid dicturi sumus de illis, qui omnem crucem subterfugere nituntur? quid de illis, qui in perpetuis deliciis, opibus, honoribus vitam transigunt, nullius crucis bajuli? Quid verò de illis, quos Apostolus deplorans, *Multi ambulant*, inquit, *quos sæpe dicebam vobis, nunc autem & flens dico, inimicos crucis Christi, quorum finis interitus, quorum Deus venter est, & gloria in confusione ipsorum, qui terrena sapiunt*, quorum cogitationes in augendis fortunis maximè versantur? Ah, quàm multos videas crucis inimicos, cùm tam paucos invenias crucis amatores veros!

Afflictio, patientia, suiipsius despicientia in summo pretio habenda, exemplo Christi.

Luc. cap. 9. vers. 23. Matth. c. 16. vers. 25. & Ioan. c. 12. vers. 25. Matth. c. 10. vers. 38.

Philip. cap. 3. vers. 18. & seqq.

Nō est alia ad cælum via extra illā quam Christus suo signavit sanguine.

Ah errat, qui aliam ad cælum quærit viam, extra illam quam Christus suo signavit sanguine. Quæ fatuitas per honores, opes, delicias sperare regnum cæli, cùm Christus ipse non sit illud consecutus nisi per contemptum, paupertatem, crucem. Non fatuum arbitreris, quisquis triumphum sibi deposcit sine victoriâ? Facit hoc qui extra crucem sibi promittit cælum. Laborum ambis præmia, & refugis labores? coronas quæris sine luctâ? mercedem poscis sine sudore? nimirum inter athletas numerari cupis sine certamine, inter victores sine bello & adversario. Elige: aut carere hîc cruce, aut æternùm regno. Nihil medium est. Refugis hîc crucem? renuntias regno, & eveniet post hanc vitam alia, pro brevi æterna. Aut hîc aut alibi crux ferenda. Hîc si tuleris, ab æternâ liberaberis: hîc recusas ferre? feres æternùm, aut divina mentiuntur oracula. Abrahamus epuloni è mediis ignibus aquæ guttulam mendicanti respondet: *Recordare: quia recepisti bona in vitâ tuâ, & Lazarus similiter mala: nunc autem hic consolatur, tu verò cruciaris.* Vis igitur gaudere æternùm? vis honoribus, deliciis, opibus voluptatibus frui æternùm? his tibi carendum erit dum vivis, aut iis sanè ita utendum, ut crucem non negligas. Tu jam vide, quid factu sit consultius. Unica patet ad gloriam via per crucem & adversa. Quid reformidas imitari Christum, qui optas coronari cum Christo? omni coronæ crux comes est, & illi nexu sociatur individuo, ut spina rosæ. Non exhorrescit spinam, qui ambit rosam. Tu ne fuge crucem, nec time mortem, qui æternatura speras gaudia. Prior utramque vicit Christus, utriusque mitigavit amaritudinem, lenivit duritiem, minuit molem.

Per crucē & adversa patet ad gloriam via.

Crux Christi ponderis fuit maximi, non tantùm quia longa, lata, crassa; longa quidem pedes quindecim in transversum octo lata, crassa sustinendo viro vel robustissimo. Hoc magnum fuit onus, sed multò major fuit prægravantium noxarum moles. Quod inde licet discere. Quò magis onus degravat columnam cui imponitur, eò gravius dicendum est; atqui Pelion, & Ossa, & quicumque montes alii, aliis atque aliis impositi, Angelum vel animam humanam unicam prægravare non possunt; nam cunctorum montium pondus gravitatis illius non est, ut spiritum premat: at verò letale crimen vel unicum animam in voragines gehennæ deprimit, peccatum unicum tot millia Angelorum in abyssum tartari præcipitavit. Peccatum Deo ipsi est grave. Per Isaiam jam olim questus, *Iniqui sunt cœtus vestri*, ait, *calendas vestras & solennitates vestras odivit anima mea; facta sunt mihi molesta, laboravi sustinens.* Atque hæc sarcina crucem Christi fecit ponderosissimam. Quod & Isaias asserit: *Verè languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portavit. Posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrum.* Grave hoc onus corpori saucio, gravius animo afflicto, sed amori leve.

Crux Christi fuit longa 15. pedū, 8. lata.

Isaiæ cap. 1. v. 13. & 14.

Idem c. 53. v. 4. & 6.

Abimelech, quod Judicum fasti memorant, *audiens viros turris Sichimorum pariter conglobatos, ascendit in montem Selmon cum omni populo suo, & arreptâ securi præcidit arboris ramum, impositúmque ferens humero, dixit ad socios: Quod me vidistis facere, citò facite. Igitur certatim ramos de arboribus præcidentes sequebantur ducem.* Quin & nos nostrum sequimur ducem? Præit ille, ac humeris non ramum, sed arborem impositam ferens, viámque suo sanguine signans ascendit in montem. Non errabimus, si cruentis insistamus vestigiis. Sequamur igitur Ducem nostrum, & suum quisque arboris ramum humeris imponat, cum suâ quisque cruce præeuntem strenuè comitetur. Si quem fortassis crux nimiùm premat, non est pondus crucis, sed defectus amoris. Hæc sanè, ô Christiani, erecta in cælum via est, via ferè unica & tutissima; *quoniam per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei.* Progrediamur hanc crucis & patientiæ viam, nec enim alia ducit ad superos. Auctorem vitæ ac ducem habemus Christum. Quid dubitamus aut horremus sequi? Præit ille ac suavissimè nos invitans, *Quod me, inquit, videtis facere, hoc citò facite.* Hunc amantissimum viæ monstratorem assiduè intueamur, hunc magnis passibus sequamur. Pro se quisque cum Ecclesiâ sæpius illum alloquatur: *Recordare* Jesv *pie, quod sum caussa tuæ viæ, ne me perdas illâ die.* Ita pergamus, & improperium Christi feramus. Hæc via finietur brevi, promissum his viatoribus præmium est æternum.

Iud. cap. 9. vers. 48. & 49.

Christus humeris crucem ferens ingreditur.

In hac vitâ aut pòst crux est ferenda; *Luc. cap. 16. vers. 25.*

CAPVT VI.

Christus moriturus vestimentis suis exuitur, vino myrrhato crudeliter reficitur.

Pervenimus, duce Christo, in Calvariæ rupem. Hactenus videri poterat ludus, arundine, coccineâ veste, dumoso diademate in Hebræorum regem excogitatus,

tatus. Jam res in serium vertetur. Mortem non mimicam spectabimus. Theatrum altum est, quod orbi dabit spectaculum tragœdiæ cruentæ, patientiæ prorsus obstupescendæ. Nos ordine per capita rerum ibimus, ipsum denique crucis supplicium, & prodigia mox visa explicaturi. Hoc autem capite de vino myrrhato, quod in monte propinatum, & de vestimentis ei detractis, quàm poterimus brevissimè disseremus. Altiores sensus verbis haud eruendos Lectoris contemplationi trademus.

Summa capitis.

§. I. *Locus Christi crucifixi tumulo Adami & sacrificio Abrahami initiatus; vinum myrrhatum, potus amarissimus.*

DIebus decem ante diem mortis, decimo sexto Martii, Christus ab Hiericho Hierosolymam contendens, in itinere ad suos conversus, *Ecce*, inquit, *ascendimus Hierosolymam, & consummabuntur omnia, quæ scripta sunt per prophetas de Filio hominis. Tradetur enim gentibus, & illudetur, & flagellabitur, & conspuetur.* Verùm, ô bone JESV, jam non ampliùs in itinere sumus, jam montem ipsum conscendimus; jam traditus est Filius hominis, jam illusus, flagellatus, consputus; mors sola restat. Horrendum crucis supplicium ante oculos statuit mons iste: *Mons coagulatus, mons pinguis, mons, in quo beneplacitum est Deo* mori Filium Dei.

Luc. cap. 18. v. 31. & 32.

Psal. 67. v. 17.

Mons iste nunc urbe clauditur, olim extra urbem non procul ab eâ distabat. Quod Joannes asserens, *Quia*, inquit, *prope civitatem erat locus, ubi crucifixus est* JESVS. Hunc montem magnus ille Abrahamus initiavit, & velut in templum suo sacrificio consecravit. Hîc immolandus Isaac jam aræ impositus, jam gladio paratus ictum faralem exspectabat. Pro testimonio, dicit Augustinus his verbis: *Hieronymus presbyter scripsit se certissimè ab antiquis & senioribus Iudæorum cognovisse, quòd ibi immolatus sit Isaac, ubi postea Christus crucifixus est.*

Ioan. cap. 19. vers. 20.

Calvariæ mons Abrahamus suo sacrificio consecravit.

Aug. l. 16. de Civit. c. 32. tom. 10.

Non tantùm Isaac hîc immolatum, sed Adam * etiam hîc sepultum, è priscis Patribus tam Græcis quàm Latinis plurimi docent. Inter hos Tertullianus, Origenes, Basilius, Athanasius, Ambrosius; qui eum locum Calvariam appellatum ajunt à calvâ Adami illic sepulti, qui caput humani generis fuit. Congruebat certè, quemadmodum Ambrosius loquitur, ut ibi vitæ primitiæ locarentur, ubi fuerunt mortis exordia. Hæc Augustinus articulatè confirmans, *Etiam hoc*, inquit, *antiquorum relatione refertur, quòd & Adam primus homo in ipso loco, ubi crux fixa est, fuerit aliquando sepultus, & ideò Calvariæ † locus dictum esse, quia caput humani generis ibi dicitur esse sepultum. Et verè, fratres, non incongruè creditur, quia ibi erectus sit medicus, ubi jacebat ægrotus. Et dignum erat, ut ubi occiderat humana superbia, ibi se inclinaret divina misericordia; & sanguis ille pretiosus etiam corporaliter pulverem antiqui peccatoris, dum dignatur stillando contingere, redemisse credatur.*

Serm. 71. de Temp. fine.

In eodem Adam sepultus est.

Tertull. l. 2. contrà Marcion. Orig. tract. 35. in Matth. Basil. cap. 1. in Isaiam. &c. Aug. to. 10. serm. 71. de Tempore, fine.

† *Mons Calvariæ dictus est, quia caput humani generis dicitur ibi esse sepultũ. Gen. cap. 22. vers. 14.*

Mons autem ille priùs *Moria* dicebatur, hoc est, mons visionis; Abrahamus illum ob amplissimum prospectum appellavit, *Dominus videt*. Vidit ibi Deus obediendam Isaaci erga patrem, patris erga Deum. *Quàm ergo terribilis est locus iste! non est hic aliud, nisi domus Dei, & porta cæli. Verè Dominus est in loco isto.* Hîc arbor vitæ plantata, hîc scala Jacob erecta. Distabat hic locus à Pilati domo passus mille trecentos viginti & unum, erátque antea immundus, cadaverosis ossibus plenus, suppliciis reorum infamis & execrabilis, jam Servatoris morte colendus & venerabilis. Hic myrrhæ mons est, qui Christo antequam in crucem tolleretur, potum propinavit amarissimum. De quo Matthæus, *Et dederunt*, inquit, *ei vinum bibere cum felle mixtum*. Quod Marcus his verbis memorat: *Et dabant ei bibere myrrhatum vinum*. Vinum hoc myrrhatum Christo porrectum, antequàm in crucem suffingeretur. Opinantur eruditiores aliqui, potum Domino bis oblatum, priusquam figeretur cruci, & vinum myrrhatum fuisse suave, à Christo amicis oblatum. Siquidem Hebræis mos erat generosum & dulce vinum capite damnatis propinare, prout monebantur à sapientissimo Rege: *Date siceram mœrentibus, & vinum his qui amaro sunt corde. Bibant & obliviscantur egestatis suæ, & doloris sui non recordentur amplius* a. Sunt, ut dixi, qui putet Christo geminum oblatum poculum, alterum felle corruptum, & hoc à Christo gustatum, alterum repudiatum. Simon Cassianus censet cētaurium minus *b*, seu fel terræ, herbam amarissimam in potum injectam. Sed probabilius est, domi fel verum militari petulantiâ pōtioni commistum. Hîc plura de his disputare, luctus patienti Christo debitus vetat. Hoc esse veritatis judicamus. Patres prisci, *c* Cyrillus, Augustinus, Hieronymus, Euthymius, Theophylactus, Beda, myrrham fellis instar amaram asserunt; Rufinus felle amariorem affirmat. Plinius, Theophrastus, aliique ejuscemodi Scriptores myrrham amaram, & ejus præstantiam ex amaritie probari ajunt. Accedunt oracula Prophetarum. Hebræus Psaltes, *Sustinui*, ait, *qui simul contristaretur, & non fuit, & qui consolaretur, & non inveni: Et dederunt in escam meam fel* (fellis aridi particulis minutim & frustillatim injectis) *& in siti meâ potaverunt me aceto* d. Quomodo nullus Christo consolator fuit, si amici tam pretiosum & dulce vinum obtulerunt? Sed neque Sibyllæ hunc felleum amarorem Christo ab hostibus oblatum tacuerunt. Lactantius varicinium unius memorans, *In escam fel*, inquit, *impotum dabunt acetum. In hospitalitatis suæ hanc monstrabunt mensam* e. Ita prisci Patres consentiunt potum amarissimum Christo crucifigendo porrectum. Sed addamus aliquid summatim de aceto, quod in ipsâ cruce pendentis ori admotum.

natia Cassiris Baronii de vini myrrhati dulcedine opinionem refutavit noster

Grotius libro singulari in lucem dab. Ego rem satis liquere arbitror de myrrhæ amarore; idcirco lite abstineo.

Vide, si placet, & nostri Raderi Martialem de Murrhinis.

a Prov. c. 31. v. 6. & 7.

b Febrifuga etiã dicitur.

c Potum Christo crucifigendo amarissimum porrectum cõsentiunt Prisci Patres.

d Psal. 68. v. 21. & 22.

e Lactant. l. 4. Institut. cap. 18.

§. II. *De aceto myrrhato, & damnatorum vino.*

CVm Christus jam in crucem actus dixisset, *Sitio*: *Vas ergo erat positum*, inquit Joannes, *aceto plenum. Illi autem spongiam plenam aceto, hyssopo circumponentes, obtulerunt ori ejus.* Nonnemo putat arundinem ex hyssopo fuisse, cùm in Palæstinâ ad insigniorem altitudinem excrescat. Alii censent spongiam non aceto tantùm, sed etiam hyssopi succo tinctam. Sed longè credibilius est spongiam hyssopi crimine ad perticam illam seu calamum alligatam. Cur autem acetum præbitum *? Certè non sistendo sanguini, nec producendæ vitæ, sed odio & illusioni augendæ. Rex cæli *opprobrium hominum & abjectio plebis* fuit. Clarissimè Lucas, *Illudebant autem ei & milites*, inquit, *accedentes & acetum offerentes ei*. Nos latronibus rotæ jam implexis saltem frigidam damus petentibus, orbis Servatori negatur. Sicut ergo Christo nascenti defuit calida; ita morienti frigida.

Ioan. cap. 19. vers. 29.

Quã de re fusius disputat Lucas Brugensis in c. 19. Ioan. pag. 1000. Et infrà de hoc plura.

* Christo acetũ præbitũ odio & illusioni augendæ. *Ps. 21. v. 7. Luc. cap. 23. vers. 36.*

Porrò spongia & vas aceto plenum in eum aderant usum, ut milites crucifigentes tergerent suas manus spongiâ, crucifixorum autem vulnera. Acetum sed aquâ mistum potus fuit crucifigentium, & suspensa corpora custodientium. Res certa, priscis hunc militibus fuisse potum, qui proprio nomine dicebatur *Posca*. Suum ergo acetum, sed non, ut solebant, mistum porrexerunt milites illudendo Christo.

Mos vini aromatitæ porrigendi reis aliis erat in solatium, hîc in tormentum. Voluit namque Dominus JESVS sentire se mori membris omnibus. Nam ecce jam lingua ipsa flagellatur & crucifigitur. Nos membris omnibus peccamus: idcirco voluit Servator membris omnibus cruciari, ut esset ad peccandi modum, peccati supplicium. Jam demum protoplasti Adami pomum emergit. Nam, quod Hieronymus dixit, hoc aceto succus letalis pomi abstergitur. Sed & uva illa prægrandis vecte deportata, lacrymis sudavit amarissimis, siquidem post iter hoc difficillimum tam triste nectar infunditur. Jactabatur olim proverbium inter Hebræos, Hieremiâ teste.

Cur Christus voluit sentire se mori membris omnibus.

Matt. c. 27. vers. 34. Marci c. 15. vers. 23.

Eminemissimi Cardi.

Hier. cap. 51. vers. 29. teste: *Patres comederunt uvam acerbam, & dentes filiorum obstupuerunt.* Verendum jam & canendum. Filii comederunt uvam acerbam, & dentes Patris obstupuerunt. Hoc nimirum vino manna, coturnices, & aqua è rupis *Ps. 80. v. 17.* vulnere scaturiens rependitur. *Cibavit eos ex adipe frumenti, de petrâ melle saturavit eos.* Canæ in nuptiis sponsorum inopiæ vino optimo subvenit, jam illius vicem tale temetum felle condîtum redditur. O Judæa, vinea maligna, quomodo conversa es in amaritudinem? ut latronem Barabbam dimitteres, & Dominum tuum crucifigeres? Quàm acerbum tuæ vites liquorem funduntˀ sed quid Judæis indignamur? non minùs Deo ingrati *Eccli. c. 31. v. 35. & 37.* sumus. *Vinum*, Siracidâ teste, *in jucunditatem creatum est, non in ebrietatem ab initio. Sanitas est animæ & corpori sobrius potus.* At nos id omni studio agimus, ut vini quàm plurimum hauriamus; jámque ebrii cum ebriis certamus, quis vini plus corrumpere, Deum graviùs possit offendere. Hinc omne genus scelerum. Nam, eodem *Idem c. 31. vers. 38. & seqq.* teste divino, *Vinum multum potatum irritationem, & iram, & ruinas multas facit. Amaritudo animæ vinum multum potatum. Ebrietatis animositas, impudentis offensio, minorans virtutem & faciens vulnera.* Nimirum has gratias agimus Deo pro vini dono. Ita Hierosolymis plus quàm decem millia hominum, qui panibus & piscibus à Christo sunt pasti, hanc illi lotam deterrimam offerunt. Ita pro concionibus & doctrinâ suavissimâ potus amarissimus rependitur. O qualis refocillatio post tantos præteritæ noctis & ejus diei labores & dolores! Jam olim Domini *Thren. c. 3. v. 15. & 19.* vicem Hieremias vates queritur: *Replevit me amaritudinibus, inebriavit me absinthio. Recordare paupertatis meæ & transgressionis meæ, absinthii & fellis.* Hoc certè potens est gulæ ac temulentiæ nostræ objurgatio.

Christus crucifigendus bibit è calice, crucifixus è spongiâ, ut haberet, quo crescret extrema in cruce paupertas. Fellis calix, cor invidum; aceti spongia, cor avarum repræsentat. Uterque hic potus è nostrâ cellâ est in *Adrichom. in Hieruſ. num. 118.* hunc locum delatus. Hic autem locus, quem Adrichomius est dimensus, ab eâ parte montis, quâ Christus clavis est affixus cruci, duodecim passus aberat.

Vini nobilissimi mentionem injiciens vates Hebræus *Amos cap. 2. vers. 8.* Amos, *Vinum*, inquit, *damnatorum bibebant in domo Dei sui.* Vinum optimum, suavissimum, ingentium virium, dabatur ex more damnatis. Hoc illi bibebant inter plausus & tripudia. Idem & nos facimus. Cras forsitan ducemur ad mortem jam damnati, nihilominùs vinum generosum & suave lætissimi bibimus, tamquam choreas adituri. Subinde tam abjecti & desperati animi sumus, ac si potione soporiferâ rationem omnem mersissemus. Christus palatum & linguam suam tam tetro amarore vòluit cruciari, ut vel inde discerемus gulam & linguam frænare à nimio cibo, vetito, à verbis noxiis, impuris. Eam ob caussam hortatur toties Ecclesia: Utamur ergo parciùs verbis, cibis & potibus, nec committamus, ut eâdem linguâ vinum dulce & amarum Christo propinemus, eodem ore Christum prædicemus & condemnemus. Numquid enim fons, ait Jacobus Apostolus, de eodem foramine emanat dulcem & amaram aquam? *In ipsâ benedicimus Deum & Patrem, & in ipsâ maledicimus homines, qui ad similitudinem Dei facti sunt. Ex ipso ore procedit benedictio & maledictio. Non oportet, fratres mei, hæc ita fieri.*

Christus palatum tetro amarore voluit cruciari ut inde discerемus gulam & linguam frænare.

Iac. cap. 3. v. 9. & 10.

Tunc certè vinum myrrhatum, potionem amarissimam, Christo infundimus, cùm fide bonâ optimóque animo agenda observationibus humanis & nugacibus miscemus: Fel ingerimus, cùm beneficiorum obliviscimur, & injuriarum solertissimè recordamur: Frigidam negamus, cùm stipem etiam modicam dare recusamus. O mi homo, quàm parum rectè amas, qui plus amas canem tuum quàm Deum tuum; cani tuo das buccellas de mensâ tuâ, meliores sæpe quàm domesticis aut pauperibus mendicis famelicis; Deo cor felleum felle dra-

Quando homo vinum myrrhatum Christo infundat.

conum plenum exhibes. Sed, quod Siracides dixit, *non est sensus, ubi est amaritudo.* *Eccli. c. 31. vers. 35.*

Cùm Christo vinum myrrhatum obtruderetur, Mater Christi beatissima meminisse poterat, se quondam parvulo lac præbuisse, jam verò extremè sitienti quanto labore quæsiisset aquam, aut potiùs in aquam lacrymando ipsâmet mutari voluisset ad sitim filii restinguendam: Rex David in castris sitiens, *O si quis*, inquit, *mihi daret potum aquæ de cisternâ, quæ est in Bethlehem juxta portam! Irruperunt ergo tres fortes castra Philistinorum, & hauserunt aquam de cisternâ Bethlehem, quæ erat juxta portam, & attulerunt ad David. At ille noluit bibere, sed libavit eam Domino dicens: Propitius sit mihi Dominus ne faciam hoc. Num sanguinem hominum istorum qui profecti sunt, & animarum periculum bibam? Noluit ergo bibere.* De Christo Matthæus testatur: *Et dederunt ei vinum bibere cum felle mistum, & cùm gustâsset, noluit bibere.* Hunc felleum calicem considerans Bernardus, *Super omnia*, inquit, *te mihi amabilem reddit, ô bone* JESV, *calix quem bibisti.* Calix, eheu! nimium amarus, myrrhâ & felle conditus, sed dulcem fecit illum, præstantissimum septimæ decoctionis, hoc est, infiniti amoris saccarum. Liceat hîc ingenuè quærere: Unde fit, obsecro, Christiani, tam multa nobis acerba & prorsus fellea videri? Fastidimus, nauseamus, abjicimus, execramur, sæpe non maximos labores, non acutissimos dolores. Non tam laboris magni aut doloris caussa est, quàm amoris nimis exigui. His insulsioribus cibis condimentum deest amoris saccarum. Vel parvus amor maximâ quæque tolerat. Fel bibit, myrrhatum exhaurit, labores duros promptè subit, injurias graves facilè concoquit, dolores sævos patienter tolerat, quisquis Christum amat; amanti nihil difficile.

2. Reg. c. 23. vers. 15. & seqq. & 1. Paral. c. 11. vers. 17. & seqq.

Matt. c. 27. vers. 34.

Bernard. serm. 20. in Cant.

Defectus amoris multa nobis videtur acerba ac fellea.

Theodorus Martyr interroganti Publio Præsidi: Dic Theodore, num mavis esse cum tuo Christo, an nobiscum? Ad ista Theodorus promptissimè, Cùm Christo meo, inquit, & sum, & fui, & ero; ideóque non timeo tormenta tua. Verus amor sui sanguinis spectaculo non terretur, cruciatibus nullis frangitur. Hoc Theodorus didicit à Paulo, qui de seipso, *Mihi*, ait, *vivere Christus est, & mori lucrum. Certus sum enim, quia neque mors, neque vita, neque Angeli, &c. neque creatura alia poterit nos separare à Charitate Dei, quæ est in Christo* JESV *Domino nostro. Ideo omnia sustineo propter electos.* Nihil difficile, nihil nimis acerbum est amanti. Sed cur Christus vinum myrrhatum seu felle mistum non liberalìùs bibit? Nam Matthæo teste, *cùm gustâsset, noluit bibere:* teste Marco, *Et non accepit.*

Ad Philip. cap. 1. v. 21. Ad Rom. cap. 8. v. 38. & 39. 2. ad Tim. c. 2. v. 10.

Matt. c. 27. vers. 34. Marci c. 15. vers. 23.

§. III. *Cur Christus acetum acceperit, vinum myrrhatum recusárit.*

COmplures ejus rei caussæ sunt. Conferamus illas ad compendium. 1. In cibo potúque sumendo temperantissimus fuit Christus; atqui temperantia bibere non solet, cùm bibendi caussam non habet, quemadmodum eo tempore non habuit. 2. Ut futura in cruce sitis tantò intentior eò magis cruciaret, quò minus potionis præcessisset. 3. Hieronymus mysterium hîc latêre censens, Christus, inquit, verè mortem subiit, sed id gustus dumtaxat fuit, quoniam secundùm humanitatem tantùm est mortuus, brevî ad vitam rediturus. 4. Pars etiam minima tot Christi cruciatuum sufficisset ad redimendum orbem universum, veluti iste myrrhati poculi gustatus unicus. Sed voluit Christus copiosam esse redemptionem, & excessum admirandum. Beatus Lucas Christi vultum & vestitum in Thabore mutatum memorans, *Et ecce*, inquit, *duo viri loquebantur cum illo: erant autem Moses & Elias visi in majestate, & dicebant excessum ejus, quem completurus erat in Hierusalem.* Verè fuerat excessus. Nam homo qui tanta patiebatur, erat infinitæ dignitatis; dolor, quem patiebatur, summæ acerbitatis. 5. Cùm gustâsset, noluit bibere, nam innumera-

1. Causa cur Christus vinum myrrhatum non biberit.

Secunda.

Tertia.

Quarta.

Luc. cap. 9. v. 30. & 31.

Quinta.

bilis

bilis populus, qui præsens aderat, facillimè credidisset, porrectum Christo Apianum aut conditum suave vinum doloribus leniendis. 6. Sunt qui dicant myrrhatam potionem illam ita fuisse confectam, ut acceleraret mortem; vel quia vulneraris noxia, vel quia venenata. In recusando igitur hoc poculo Christus publicè testatus, se placidè ac voluntariè ad mortem ire, nutu & arbitrio divini Patris, nec cupere sese celeriorem patiendi finem, vel unâ horulæ parte, & mori velle non veneno, sed cruce. 7. Sunt qui censeant hoc tali potu reorum sensus sopiri solitos, & talem porrigere præceptum esse Judæis. Christus igitur rectissimè noluit bibere, ne crederetur in cruce pati aut loqui ebrius. Atque etiam, ut dictum illud sibi constaret: *Dico vobis, non bibam amodò de hoc genimine vitis usque in diem illum, cùm illud bibam vobiscum novum in regno Patris mei.* Ita soporem & oblivionem respuit, ut erudiret nos tanti beneficii numquam non esse memores.

Sexta. Septima. Matt. c. 26. vers. 29.

De aceto puro Joannes memorans, *Cùm ergo, inquit, accepisset* Jesvs *acetum.* Hic potus felle non mistus designat eos potissimùm, qui ignorantiâ & imbecillitate delinquunt. Acetum potus asper & acidus, sed expers amaroris. At verò, qui nequitiâ peccant, acetum sunt felle incoctum. Id verè respuit Servator. Quòd si exteriores sensus nostri propinent aliquid impuri, mox illud perceptâ dulcedine vel amaritie vetitâ constantissimè respuendum. Excludatur sensibus, ne occupet voluntatem. *De vineâ Sodomorum, vineâ eorum, & de suburbanis Gomorrhæ: uva eorum uva fellis, & botri amarissimi. Fel draconum, vinum eorum, & venenum aspidum insanabile.* Ne bibe, sed nec tange hæc toxica; aversare poculum, in quod mors ructavit; vel umbram noxæ gravioris declina.

Joan. c. 19. vers. 30. Cur Christus biberit acetum non autem viuli felle mixtum. Deut. c. 32. v. 32. & 33.

Quando igitur Christus calicem myrrhatum libavit tantùm, modestissimè nobis illum propinavit, perinde si diceret: Ego cruciatus meos jam finio, vobis tota restat vita. Ad vos etiam meus hic calix transibit. Ne putetis nil amplius doloris perferendum. Ex amariore hoc calice bibendum omnibus. Ad laborem & dolorem nemo non nascitur; sua demum cuique mors obeunda. Hæc stipendia sunt primævæ labis & propriorum criminum. Ut autem spe summi præmii, & amore mei patienter omnia & fortiter possitis ferre, hæc ego Dominus vester amore vestri patior. Consortes crucis, participes paradisi & regni, socii pugnæ, erunt & victoriæ, amici in lacrymis, erunt & in gaudiis.

Quare, mi homo, quisquis es Christiani sanguinis, illud Hieremiæ vatis assiduè cogita tibi à Christo dici: *Ad te quoque perveniet calix.* Tu igitur Christo humanissimè propinanti, cum Hebræo Rege paratissimus responde: *Calicem salutaris accipiam, & nomen Domini invocabo.* Vis inter Christi amicos numerari? aude cum beato Paulo dicere: *Gaudeo in passionibus, & adimpleo ea, quæ desunt passionum Christi.* Ergo para te: ad te quoque (nil certius) perveniet calix.

Thren. c. 4. vers. 21. Psalm. v. 4. Ad Colos. cap. 1. v. 24.

Quintinus Martyr calicem à Christo sibi propinatum perhausit. Generosissimus Martyr Quintinus anno Christiano trecentesimo tertio gravissima quæque passus Rictiovaro judice; nam virgis ferreis cæsus, liquatóque oleo & pice perfusus, cùm etiamnum animosè diceret, Hæc omnia mihi sunt refrigerio, acerbùm excandescens Rictiovarus, Faxo, ajebat, submissiùs loquaris. Mox digiti omnes inter carnem & cutem terebrati, acutum veru ab humeris per corpus ad tibias adactum. Cúmque tormentis videretur inexpugnabilis, calix denique allatus, & aceto, calce vivâ, sinapi mistus est. Quintinus ad Christum ardentissimè suspirans, O mi optime Jesv, inquit, natura quidem horret hunc calicem amarissimum & letalem, sed quia è manu tuâ is venit, & quia tu illum mihi sub cruce propinâsti, respondebo & perhauriam: hic mihi potus melle omni & saccaro erit suavior. Dixit, & bibit.

Et quoties nos in gratiam amici aut Domini, non dicam Principis aut Regis, ultra quàm opus, ultra quàm satis sit, ultra omnem appetentiam & vires bibimus, & totos nos auro vel crystallo proluimus. Itáne, Christiani, hoc vilissimo homini, hoc minimo favori damus, & ventrem, etsi reluctantem, cogimus ad hauriendum? & in gratiam summi Regis, in honorem Numinis, æternæ caussâ salutis à propinante Christo & suavissimè invitante oblatem calicem respuemus?

§. IV. *Christus detractis violenter vestimentis nudissimus cruci adsternitur.*

POrrecto calice felleo, seu vino myrrhato, vestimenta Christo detracta sunt, ut in crucem ageretur nudus. Sat scio, diversa hîc quosdam opinari, & pietate nescio quâ suam opinionem prætexere. Mihi animus est non tam refellere falsa sentientes, quàm sententiam veram stabilire. Certum omnino videtur, Christum Dominum in cruce pependisse nudissimum. Caussæ complures. 1. Ita planè prisci Patres sentiunt. Ambrosius Christum cruci affixum velut digito monstrans, *Refert considerare,* inquit, *qualis ascendit. Nudum video. Talis ascendit in crucem, quales nos, auctore Deo, natura formavit. Qualis in paradiso primus homo habitaverat, talis ad paradisum homo secundus intravit.* Dominum Jesvm ita nudissimum fuisse flagellatum, omnes affirmant. 2. Eodem prorsus modo penitus detectum omni veste ac velo spoliatum in cruce pependisse, divina etiam oracula & vaticinia confirmant. Rex David Christi vicem ingemiscens, *Totâ die,* inquit, *verecundia meæ contra me est, & confusio faciei mei cooperuit me.* 3. Imago Christi luculenta tam in hoc quàm in aliis fuit Noëmus. Hic orbem servavit arcâ, Christus cruce. Noëmus vineam, Christus Ecclesiam plantavit, & rigavit suo sanguine. Noëmus vino æstuans in tabernaculo nudus, uti nudus in cruce Christus obdormiit. Noëmus à suo filio, Christus à suo populo, quem filii loco adoptârat, irrisus est. Sed uti Noëmus evigilans Chanaan filium maledixit, ita Christus fatali die mundi velut è somno evigilavit: Væ filiis irrisoribus. Imò etiamnum noster Noëmus in suis membris, pauperibus & egenis nudus dormit, contemni ac rideri se dissimulat. Sed brevi excutiet somnum, & excitabitur tamquam dormiens Dominus, tamquam potens crapulatus à vino: *Et percutiet inimicos suos; opprobrium sempiternum dabit illis.* 4. Milites Christum, quàm potuit ignominiosissimè, mori voluerunt; purpureum vetus vestimentum, senticosum sertum, myrrhatum vinum satis explicârunt illorum odium in Servatorem; neque verò è reorum vestibus vel sibi minimum quid patiebantur subtrahi. Nam hæc pannicularia bona, uti appellantur, illorum erant, Præsidis permissu. 5. Dum Christus figeretur cruci, nulli hominum per coronam militum, hostésque medios accessus fuit ad Christum in alti crucis jam positum. Pòst primùm Virgo Mater penetravit ad crucem, & sub eâ constitit. 6. Quid contendimus? ita moris fuit nudos penitúsque detectos crucifigere. Neque hunc morem in Christo antiquatum ullus facilè probaverit. Quid veli loco Christus habuerit, infrà dicetur.

1. Caussa cur Christus in cruce pepêdit nudus. *Ambros. in c. 23. Lucæ.* Secunda. *Psal. 43. v. 16.* Tertia. Noëmus imago fuit Christi in multis. *Psal. 77. vers. 66.* Quarta. Quinta. Sexta. *Apud Iosephum l. 19. Antiq. c. 3. fine.*

Hîc ego quorumdam objectiones, beatæ Birgittæ visa, pias aliorum meditationes, verum singulis septenniis monstrari solitum Aquisgrani, non impugno (nec enim lites amat tam lugubris historia) sed ad argumenta illa facilè responderi posse judico, & Christum penitus devestitum (qualis in paradiso stetit primus homo) crucifixum censeo.

Et en, Christiani, Christum antequam in crucem dejiceretur, stantem, nudum, omni veste spoliatum, trementem, vulneribus undequaque plenum, sanguine obductum, oculis dejectis, manibus compositis paratissimum expectantem, dum in lectulum crucis prosterneretur.

retur. En perfectissimæ paupertatis & patientiæ speculum. Christus moriturus, suis vestimentis ter aut quater exutus est. 1. Flagellandus. 2. Spinis coronandus, & ad populum producendus. 3. In calvariæ rupem ad crucis supplicium educendus. 4. Cruci sternendus toto corpore. O cælum! ô terra! Rex ille cæli, veste omni exuitur, qui cælum stellis, terram floribus & herbis, animalia pilis, plumis, lanâ, squamis vestit. Ubi nunc fasciæ sunt & panni nascentis? jam æquè necessarii essent morienti. Sed amoris æstus hæc omnia detraxit. Ideo suam quisque familiarem inopiam & paupertatem æquo animo ferat: *Gloria magna est* hâc *sequi Dominum.*

Christus moriturus quater vestimentis exutus est.

Eccli. c. 23. verſ. 38.

Sed nîc altissimâ mente ponderemus, quàm ista nuditas coram immensâ hominum multitudine, inexplicabile fuerit supplicium homini prorsus virgineo, verecundissimo. Hæc una erubescenda ignominia plagas omnes, & ludibria, & sannas longissimè superavit. O *Adam ubi es? Quis enim indicavit tibi quòd nudus esses, nisi quòd ex ligno, de quo præceperam tibi ne comederes, comedisti?* Tuam, Adam, erubescendam prorsus nuditatem, hac suâ Dominus Jesvs tegit. Rex David in arcâ deducendâ suis se vestimentis magnam partem exuens, à Michol conjuge, Christus à Synagogâ & gentibus est irrisus. Homini verecundo summum supplicium est nuditas. Nam hoc unum multos à voluntariâ morte revocavit, qui horrebant post mortem etiam suum cadaver denudari. Notas Philologis omnibus historias priscas non recanto.

Nuditas fuit Christo inexplicabile suppliciũ.

Gen. cap. 3. v. 9. & 11.

2. Reg. c. 6. verſ. 20.

Neque tantùm pudoris summi fuit, coram innumerâ plebe nudum stari, sed & doloris maximi, homini undequaque vulnerato vestes tam violentâ sævitie abstrahi. Si enim vel vulnusculo levi linteolum inhærens vi abstrahatur, magnos ciet dolores, quid dicendum de tot vulneribus, cùm eis inhærentes vestes vi avellerentur, & acre gelu in intima sese viscera penetraret? In hac cruentâ tragœdiâ Christus vestimentis suis sæpius exutus, sed numquam tantis doloribus, quantis nunc proximè crucem. Hæ Christi vestes in muliere, quæ fluxum sanguinis duodecim annis passa omnes facultates suas in medicos erogaverat, hoc ipsum sanguinis profluvium stiterunt, sed heu! in ipso medico provocârunt.

Vestium detractio in Christo doloris fuit maximi.

Matth. c. 9. verſ. 20. Marci c. 5. verſ. 25. Luc. cap. 8. verſ. 42.

Verùm & illud hoc loco considerandum, in directione vestium Christi, unâ & coronam spineam esse avulsam; ita censet Ludovicus Granatensis & alii; sed mox iterum atrocissimâ vi repositam, quandoquidem nomine regni affectati figebatur cruci. Impressâ denuò in divinum verticem coronâ, os, oculi, aures, vultus omnis sanguine opplebatur. Ita Christus Dominus in cruce victima planè fuit coronata, de quâ Tertullianus, Nazianzenus, alii complura. O Deus, quale hoc spectaculum Christi flagellati, coronati, denudati, in crucem acti! Ecce homo. En arietem in vepribus hærentem. En hostiam Isaaci succedaneam! cujus mentionem injiciens Augustinus, *Quis erat ille aries,* inquit, *quo immolato impletum est significativo sanguine sacrificium? Nempe, quando cum vidit Abraham, cornibus in fruticè tenebatur. Quis ergo illo figurabatur, nisi* Jesvs *Christus antequam immolaretur, spinis Judaicis coronatus?* Neque verò dubium est (quod aliqui rectè judicant) quin Christus jam omnimodis develatus Patri cælesti se denuò flexis genibus, oculis ac manibus in cælum elatis, similem in modum obtulerit. En, mi Pater, pro humanæ gentis redemptione hostiam mori paratissimam. Fiat voluntas tua. Ita semper, maximè sub vitæ finem, nos convenit precari.

Aug. lib. 16. de Civit. cap. 32. med.

Ludovicus Blosius.

§. V. *Quid doceat extrema Christi nuditas.*

Sed quid ad istâ Mater Domini, cui filii tunica cruenta quodammodo fuit ostensa, sicut olim Jacob patri vestis Josephi discolor. Nam germani fratres, quod Moyses memorat, *nudaverunt eum tunicâ talari & polymitâ, mittentes, qui ferrent ad patrem, & dicerent; Hanc invenimus; vide utrum tunica filii tui sit, an non.* Vel strophium cruentum filii occisi sanguine tinctum cor Patris non percellat? Quid dicendum de sensu matris, quæ filium ita nudum, ita cruentum suismet oculis spectavit? Ne tamen hæc Christi nuditas ullius hominis oculos vel minimùm offenderet, habuit in cruce Servator velum duplex, nigrum & purpureum; nigrum mutuatus est à sole, qui tenebras offudit huic spectaculo, quale sol ab orbe condito non vidit. Purpureum verò è Pilati domo à columnâ secum attulit; nam corpus totum sanguine, & uno velut vulnere obductum, verecundissimè celavit discrimen membrorum. Ita Christus in alto pependit nudissimus, sine ullâ oculorum offensâ. Ita & nobis ingrediendum & egrediendum est ex orbe ab omni re prorsus nudis, quidquid demum vel vestimenti vel thesauri corradamus. Jobus jam liberis orbus, jam fortunis omnibus eversus, jam velut tumulo vicinus, *Nudus,* inquit, *egressus sum de utero matris meæ, & nudus revertar illuc.* Hac lege devincîmur: *Nihil intulimus in hunc mundum, haud dubium, quòd nec auferre quid possumus.* Hæc Dei lex tam stricta est, ut ipsi Filio Dei legis auctori dictum: Legem patere, quam tuleris. Hæc autem Christi nuditas innocentiæ vestem nobis reddit, & superbiam nostram, vestiùmque pompam reprehendit, illûdque jure objicit: *Quid existis videre? hominem mollibus vestimentis indutum?* Ecce homo, quem crucis lectulus, quem sanguis vestit proprius.

Nuditas Christi nobis innocentiæ vestem reddit.

Iob cap. 1. verſ. 21.

1. Tim. c. 6. verſ. 7.

Luc. cap. 7. verſ. 25.

O bone Jesv, quantùm erubescceremus coram te tuâque cruce, si quid frontis & verecundiæ haberemus? Nos commisimus fucum, tu collo fers laqueum; tu luis, quod nos deliquimus. Nos subinde omnis honestatis, pudicitiæ, ac castitatis penitus obliti maximè tegenda denudamus, & propudiosas similes picturas statuimus in spectatorum certissimam perniciem: vestes non ad modestiam, sed ad pompam & lautitiam, non tam tegendo corpori, quàm augendæ ostentationi adhibemus. Nec ferè in ullâ re tam assiduus & magis varius delinquendi lusus est, quàm in vestium cultu; & plerumque major est cultus quàm census. O quoties, quantùm in nobis est, Christi corpus detegimus? quod reverâ fit in omni libidinum fœditate, quâ illudimus castitati, & Christo castitatis & verecundiæ amatori maximo renuntiamus, dum nostrum omne studium in amores vetitos conferimus, neglectis imperiis amoribúsque divinis. Hæc nostra quotidiana scelera suas Christo vestes detraxerunt, hæc virgineum corpus Domini denudârunt. Sed duo sunt, quæ nos myrrhatus calix & vestium spoliatio doceant.

Duo documenta myrrham calicis, & vestiũ spoliationis.

I. Dominici myrrhati calicis in adversis & ærumnis omnibus assiduè recordemur. Christus præbibit & propinavit; animosè nos bonâque fide respondeamus. Hunc calicem Christi manus nobis porrigit, nefas eum recusare. Unumquemque nostrûm per Hieremiam Christus alloquitur: *Sume calicem de manu meâ.* Unusquisque nostrûm eodem ore respondeat: *Et accepi calicem de manu Domini,* & accipiam, quoticscumque illum mihi porrexerit, eúmque in gratiam tanti Regis meique Domini libenter perhauriam. Et quid amarorem perhorrescimus, & frustra reluctamur? In hac absinthii valle suavius vinum non crescit. Sapientissimo Ecclesiastæ id credamus de humanis miseriis hoc affirmanti: *Cuncti dies ejus doloribus & ærumnis pleni sunt.* Toleremus ærumnosum hoc momentum; beata sequitur æternitas.

Primum.

Hier. 25. verſ. 17. Ibid. verſ. 28.

Eccleſ. 2. verſ. 23.

II. Extrema Christi nuditas non difficulter nobis persuadeat, ut suam quisque inopiam, aut penuriam rerum quamcumque animo tranquillo toleret. *Habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti simus.* Quòd si hæc ipsa parciùs obveniant, aut penitus defiant, summâ Christi nuditate nos involvamus. Pro se quisque cum beato Paulo dicat: *Scio & humiliari, scio & abundare: ubi-*

Secundum.

1. Tim. c. 6. verſ. 8.

Philip. 4. verſ. 12.

re: ubique & in omnibus institutus sum, & satiari, & esurire, & abundare, & penuriam pati. Hic meum reperio ducem, hîc Christum meum imitor. Recordor paupertatis ac nuditatis, quam Dominus meus pertulita, bfinthii & fellis quod bibit: & ego servulus vilissimus ista censeam à me aliena, mihi non ferenda? Cum Christo esse pauperem summæ sunt divitiæ.

CAPVT VII.

Christus moriturus in cruce clavis figitur.

Vide impressa, quia mare gemmatur. Basil. 43. n. 11.

INter meteora pulcherrimum, iris. Quod Siracides affirmans, *Vide arcum*, inquit, *& benedic eum qui fecit illum: valde speciosus est in splendore suo.* Iris Platoni mater admirationis, ornamentum est cæli. Ante annos mille sexcentos Hierosolymis in monte Golgothâ Iris apparuit, quam Hebræi vates prædixerunt, quam orbis vidit & miratus est. Hæc Iris multicolor fuit Unigena Dei Jesvs Christus in crucem suffixus. Hîc viror dumosi serti, hîc cereus pallor obitæ mortis, hîc purpura copiosè fusi sanguinis. Vide hunc arcum, & benedic eum qui fecit illum.

Jesus Christus crucifixus, fuit iris multicolor. Aug. tract. 13. in Ioan. post initia.

Cum Augustino dixerim: Jam incipiunt mysteria Christi non ad fontem sedentis, sed in trabe pendentis. Christum in cenaculo pedes lavantem, in Olivero prolixiùs precantem, & sanguine sudantem; Christum à Judâ proditum, à Petro negatum, ab Herode illusum, à Pilato flagellatum vidimus: Christum spinis coronatum, ostro ludicro velatum, ad plebem productum aspeximus; Christum supplicio crucis addictum, sub cruce in Calvariam educi, vestimentis exui, vino myrrhato excipi spectavimus. Hæc omnia prolusiones erant ad crucis supplicium. Jam ergo incipiunt mysteria. Spectaculum invisum, inauditum, cælo terræque obstupescendum ante oculos statuemus, Dei Filium in crucem clavis affixum. Ad hoc mysterium articulatiùs explicandum, & memoriâ diutiùs servandum, iridis imagine non incommodè utemur.

A

B

C

D

§. I. *Christus in jacentem crucem humi dejicitur, aut in erectam, quod verius videtur, ascendit. Tres iridis colores explicantur.*

Nulla mors acerbior & ignominiosior est quâ mors crucis.

PRodigium nimis obstupescendum, Dei Filius, latronum medius, in arbore infami mortuus. Quæ usquam acerbior aut ignominiosior mors quàm crucis? In quâ tamen expiravit summum cæli terræque decus, Dei Filius Jesvs, ne tale quid nimis acerbum aut ignominiosum sibi censeat ulla sors hominum. Ecquis umquam mirari satis & capere queat, cælestem Patrem Filio suo, qui & ipse verus Deus, imperare ac dicere. Abi fili, terras pete, & in patibulum te patere suspendi. Atque hæc admiranda tribus solis vocalis complexi sunt Evangelistæ: *Et crucifixerunt eum.* Hoc Simon Cassianus jure admiratus, Sunt, inquit, mysteria tam profunda, ut Spiritus sanctus factum, non facti modum dicat. Eò hæ voces spectant: *Verbum caro factum est: Peperit filium suum primogenitum: Et crucifixerunt eum.* Horum verborum consideratio ad nostrum majus promeritum nobis relicta est. Certè his mysteriis explicandis nulla satis ponderosa verba inveniuntur; hîc nimia est humani oris egestas. Hîc cogitationibus longè agitur efficaciùs quàm verbis, tametsi nec ullis quidem cogitationibus rei dignitas satis umquam indagari possit. Sed ad nostram nos iridem vertamus.

Matth. c. 15. v. 27. Luc. c. 24. v. 20. Ioan. cap. 1. v. 14. Luc. cap. 2. v. 7.

Iris est opaca, roscida nubes, in quam immissis sol radiis refulget, sicut speculo excipitur reflexa imago. Humana Christi natura, veluti nubes opaca texit divinam. *Et ecce*, ait Moyses, *gloria Domini apparuit in nube.* Hæc nubes tota in lacrymas, sudorem, aquam, sanguinem soluta est. Huic iridi Sol justitiæ ferientes radios illisit. Atque hinc nobis hæc nova iris triplici colore. Primus sive extimus est croceus, seu citrinus: alter medius, viridis seu prasinus: tertius ruber seu purpureus. Tres isti colores, triplex Christi crucifixi mysterium repræsentant commeditandum.

Exod. c. 16. v. 10. Tres iridis colores, qui Christi mysterium repræsentant.

Primus color croceus, seu citrinus, Christum in crucem humi dejectum, aut in eam descendisse significat. Hîc primaria & vetus quæstio. Humi an sublimè crucifixus sit Christus. Prima opinio est eorum, qui censent Christum humi affixum, quod facilius. Alii asserunt, Christum per asseres & tabulationem seu pegma ad crucem ascendisse, & ita sublimè in eâ fixum. Opinio tertia est, manus in jacente, pedes in erectâ clavis affixos. Hanc ego caussam non disceptaverim, salvo cujusvis judicio, malim tamen, expensis rationibus, in opinionem secundam discedere, & Christum sublimè affixum dicere. Certè hic modus, *in crucem tollere*, usitatior: & fatetur Justus Lipsius, qui de cruce disserens, In ipsâ, inquit, fixione, tria: Suspensio, adstrictio, Inscriptio. Ante suspensionem nudatio. Receptum hoc in plerisque suppliciis, velut naturæ suasu, quæ nudos induxit in vitam, & educit. Dati nudi in crucem jacentem raro (in Christo videtur observatum) in erectam sæpius. Cur in alto rei affigerentur, rationes fruere plures. Christum hoc modo clavis in sublimi fixum senserunt è priscis multi. Post priscos viri doctissimi, quos inter Joannes Toletus, & Martinus Delrius. Idem asserit beata Birgitta, cum quâ plerique sanctorum Patrum hunc Christi figendi modum Ascensionem vocant, & illud eo explicant: *Dixi, Ascendam in palmam, & apprehendam fructus ejus.* Hic certè figendi modus in majus rei ludibrium, & graviorem populi terrorem fuit, in oculis omnium sontes clavis affigere. Hic piæ mentis est, cum sensu perpendere, quàm miserabili misu Christus nudus & vulneratus tabulationem illam perreptârit.

1. Color citrinus Christum in crucem humi dejectum, aut in eam ascendisse significat.

Christum sublimè crucifixum fuisse probatur. *Lipsius l. 2. de Cruce cap. 7.*

Toletus in Ioan. Delrius in opere Mariano, sacrâ lect. 11. de Pass. Dom. & Polemicâ. 2. Revelat. S. Birgittæ lib. 1. cap. 10. Cant. cap. 7. v. 8.

Priusquam verò ascenderet, credibile prorsus, quod Robertus Aquinas censet, Christum nudum cruentis genibus flexis, manibus oculisque cælo elatis, ut jam suprà demonstratum est, Patri se denuò sicut ipso principio vitæ, obtulisse in hunc modum. Suscipe, mi Pater, meipsum in sacrificium pro humani generis salute. Ita Pater, quia sic placitum est ante te, hanc etiam crucem obedienter amplectar. Has, obsecro, voces altiùs animo inscribamus: ita nos par est loqui in rebus adversis omnibus. Cum dicto Christus ascendit crucem, & in eâ mox ita extensus est, ut nullum sine dolore membrum, compago artuum omnis soluta, venæ & nervi lacerati, plagæ omnes renovatæ, ossa omnia dinumeranda fuerint exposita. Quod prædicens Psaltes, *Foderunt*, inquit, *manus meas, & pedes meos, dinumeraverunt omnia ossa mea.* * Deus olim Abrahamum foras educens. *Suspice cælum*, inquit, *& numera stellas si potes.* † In Calvariam foras extra urbem educti sumus, hîc Christus è cruce unumquemque nostrûm consolans, Suspice, ait, & numera, si potes, plagas meas & vulnera, dolores meos & tormenta; rimare totum corpus; an nervum, venulam, oscillum dolore liberum invenias: quod flagris & spinis intactum, crudelis hæc distensio afflixit. Sola lingua videri potuit evasisse immunis, sed & illa aceto, felle, myrrhato vino cruciata. Quære in toto corpore, quod suis careat doloribus, & adhuc torquendum dabo. Ipsæ medullæ suos sentiunt cruciatus. Hic primus iridis color croceus, Christi in crucem ascensio.

Ludolphus de Saxoniâ, qui de passione Domini, ait viro sancto revelatū, hanc artuū extensionem omnibus cruciatibus fuisse sæviorem, ut quæ omnes venas, nervos, membra omnia ut chordas in citharâ intenderit. * Psalm. 21. v. 17. & 18. † Gen. c. 15. v. 5.

Alter viridis seu prasinus. Jam paratus ad amplectendam crucem Dominus Jesvs properanter cruci affixus. Moris quidem erat antè manus, deinde pedes; priùs dextram quàm lævam clavo figere, sed hîc, cum Toleto putem, id temere neglectum: hoc unum festinantiùs agebant, ut in cruce vivus spectari posset; quemadmodum piscis citæ fugientis ad culinam raptim defertur cultro subjiciendus. Hieronymus Natalis, &

2. Color viridis, paratum ad amplectēdam crucem Dominum Jesum properanter crucī affixum significat.

Vincentius Brunus oculis & auribus hoc repræsentant, quàm promptò Christus & ultro brachia, quâ festinanter & cupidè Pharisæi clavos porrigant. Nimirum amori & odio nil satis festinat. *Quod si hæc in viridi faciunt, in arido quid fiet?* Putant aliqui clavos non sine summo cruciatu ægrè transiisse. Sed nos hæc talia piis amantium commentationibus transcribimus. Imago Christi sic in crucem affixi, fuit Paschatis agnus: nam, teste divo Justino Martyre, Agnum Hebræi in formam crucis extensum assarunt, prout laniones nostri pecudes ad carnarium suspendunt, & macello parant. Sed alia hîc quæstio, num Christus tribus, an quatuor clavis cruci sit affixus. De tribus pervulgata est opinio.

Luc. c. 23. v. 31.

Gregorius Turonesius, Joannes Toletus, alii complures, qui etiam libros eâ de re dederunt, quatuor clavos in Christi cruce numerant. Res jam videtur liquida satis, & certa de clavis quatuor. Et certè difficillimum est capere, quî tandem fieri potuerit, ut duo pedes uno simul clavo figerentur. *a* Rectè igitur affirmari censeo, duos pedes duobus clavis scabello suppedaneo affixos, idque est more & ritu Romano factum. Quod Gregorius Turonensis, quem dixi, apertissimè confirmat, *b* & unà quærit, quò locorum Dominici hi clavi devenerint. Primum ajunt in mare Adriaticum * sedandæ tempestati jactum: tam frequentia in eo naufragia erant, ut navium vorago diceretur: duos alios Constantino Imperatori oblatos, hunc quidem fræno, illum galeæ inserendum; quartum denique Treviris asservari. Quando igitur quatuor membra erant figenda cruci, quatuor eis assignati milites. Hoc & priscæ icones loquuntur, uti argentea Romæ ad Sancti Petri, Lovanii ad S. Michaëlis, in Hispaniâ Burgis, sed & alibi in plurimis antiquis cœnobiis. Quòd divæ Claræ de monte Falcone Christus se spectandum exhibuerit tribus clavis cruci affixum, & ejus rei vestigia in corde virginis post mortem secto sint visa, *c* non refello. Hoc ajo: Hæc virgo Christum crucifixum sibi meditando ita impressit, prout pictum vidit.

Quatuor clavis Christus est cruci affixus. *a S. Bonav. ait pedes prius ferreâ fide transfossos sicut ipsam crucem perforatam. Inauditum.*

b Greg. Tur. lib. 1. de Gloriâ Mart. cap. 6. Idem Revelationes S. Birgittæ affirmant.

* Quo loco Dominici clavi devenerint.

c Isidorus Mosconius Bononiæ Balcoti Archiepiscopi Vicarius id à se sæpius visum asserit.

† Tertius nostræ iridis color ruber & purpureus torrentem sanguinis in cruce fusi monstrat. Mi Deus, qui demum res eò adduci potuit, ut Dei Filius in crucem actus velut fons largus purpureum laticem per siphones mitteret, aut velut iris sanguine roraret? Ad liberandam gentem humanam suffecerit Christum lacrymulam fundere, sanguinis guttulam offerre, genu Patri flectere; sed tanta tantus amor impetravit. *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret.* d

† 3. Color purpureus, torrentem sanguinis in cruce fusi monstrat.

d Ioan. c. 3. v. 16.

Exclamat olim in Verrem Tullius: *e Nefas civem Romanum vincire, scelus verberare, prope parricidium necare; quid dicam, in crucem tollere?* Civis Romanus & Dei Filius, ô quantum distant! Civem Romanum crucis damnare, crimen inauditum. Dei Filium orbis arbitrum in crucem sustinere, quale demum censendum erit piaculum? Crux summis & primi nominis sceleribus fuerat decreta, linguis sacrilegis, idololatriæ, latrociniis, & non nisi servi in crucem rapiebantur: nec enim gravius, diuturnius, fœdius, ignominiosius supplicium; crucifixi omnes *maledicti.* Cur igitur mortalium innocentissimus hanc turpissimam simul & acerbissimam mortem sibimet elegit? Caussas ordine dabimus.

e Cic. Orat. in Verrem.

Caussę cur Christus acerbissimam mortem elegerit.

§. II. *Cur Christus supplicium crucis elegerit, sex assignantur caussæ.*

1. Ut tantò meliùs mors ista orbi universo innotesceret, tot vaticiniis prædicta.

I. CAussa. Ut tantò meliùs mors ista orbi universo innotesceret, tot oraculis, imaginibus & figuris, tot vaticiniis prædicta. Eam etiam ob caussam celeberrimus huic supplicio electus est locus, & dies. Ut sit quâdo vel tristitiis ærumnis pressi, aut gravioribus noxis implicati cælestes iras cuperemus effugere, huc velut ad asylum curreremus. In propatulo crucifixus Jesvs se omnibus præbet adeundum. Quod prisca lex dixit, huc flecti potest: *Et erit visa quasi pendens ante te.* Deut. v. 44.

II. Ut Christus cælum inter terrámque medius verus agnosceretur, Deum inter & homines sequester. Certè quatuor illa crucis cornua nobis adumbrabant ruinam Angelorum reparandam, Patres limbo educendos, filios cælo adscribendos, hostes ipsos gratiâ donandos. *Unus* ergo *Deus*, Paulo teste, *unus & mediator Dei & hominum homo Christus* Jesvs, *qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus.* Nemo ampliùs dicat: Quò fugiam, aut quò me vertam? Hic *melioris testamenti mediator est.* Huc fuge, huc te verte.

2. Ut Christus cælum inter terrámque medius verus agnosceretur. 1. Tim. v. 6. Hebr. v. 6.

III. In cruce membra Christi omnia paratissimos offerunt amores. Nam Dominus Jesvs crucifixus caput inclinat ad osculum pacis, brachia pandit ad amplexandos tam bonos quàm malos, ut & ipsi fiant boni; manus habet apertas ad dandum, cor lanceâ reseratum ad amandum; pedes fixos ad exspectandum dum redeamus ad ipsum. Hîc multicolor Iris, signum fœderis inter Deum & homines; hîc corpus totum, velut arcus, intensum. *Vide* hunc *arcum, & benedic eum qui fecit illum.* Ab hoc arcu amoris volant sagittæ, quæ corda hominum novis in Christum amoribus inflamment. Hinc ille amoris excessus est, de quo Moses & Elias in Thabore loquebantur; excessus planè infinitus, non pro amicis solùm, sed etiam pro inimicis hæc tanta pati. *Cùm inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem filii ejus.*

3. Amores. Eccles. c. 12. Rom. c. 5. v. 10.

IV. Ita veritas suis stetit promissis. Prædixit & promisit Christus sæpius: *Sicut Moses exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis. Cùm exaltaveritis filium hominis, tunc cognoscetis, quia ego sum. Et ego, si exaltatus fuero à terrâ, omnia traham ad meipsum. Hoc autem dicebat significans, quâ morte esset moriturus.* Astrologiæ rudimentum est: Sol quò altior, hoc potentior. Tantò enim fortiùs agit, & liberaliùs calefacit, quò à terrâ sublimius iter suum conficit: ita Christus in altum per crucem evectus, mox Nicodemum & Josephum ad se traxit ita etiámnum corda ad se trahit, sed corda, quæ non recusent cum Nicodemo & Josepho ascendere, cruentum corpus excipere, mundâ sindone involvere, proprio monumento reponere.

4. Invitas fis. Num. c. 21. v. 8. Ioan. c. 12. v. 32. 33. Idem c. 3. v. 14. 15.

V. Pro iis Christus scelerum pœnas luere, pro illis subire mortem debuit, qui excentas cruces, qui mille patibula, qui gehennæ incendia, qui supplicia infinita sunt meriti; pro servis & latronibus, quibus crux debebatur æterna, *factus* est Christus *obediens usque ad mortem mortem autem crucis.* Paulus Romę, ut civis Romanus, jure civitatis donatus gladio, Petrus ut piscator vilissimus cruce sublatus est. Protoplasti & primi parentes nostri, fures & latrones fuerunt. Furtum horribile contra Numinis edictum apertissimum commiserunt; quo uno scelere animas & corpora posterorum jugulârunt. Horum omnium pœnas expendit, & cædes infinitas in cruce luit Christus gentis humanæ vindex, & parens redditæ libertatis.

5. Ut supplicium subiit. Philipp. c. 2. v. 8.

VI. Supplicium crucis subiit Christus, ut corpus gravissimis quidem cruciatibus affectum, nihilominus tamen maneret integrum. Idcirco noluit cum infantibus ab Herode obtruncatis confodi & jugulari, à Nazarenis præcipitari, à Pharisæis lapidari; ut Joannes decollari, ut Isaias medius secari non voluit; nimirum ut corpus servaretur indivisum: quo symbolo luculentè docuit, omnes amicos suos æternis deliciis destinatos, ærumnis aut tormentis præsentibus à se neutiquam abstrahendos, sed integros in æternitatis diem servandos. Certissimo nitimur hoc promisso: *Oves meæ vocem meam audiunt, & ego cognosco eas, & sequuntur me. Et ego vitam æternam do eis & non peribunt in æternum, & non rapiet eas quisquam de manu meâ.*

6. Ut corpus gravissimis cruciatibus affectum, nihilominus tamen maneret integrum. Ioan. c. 10. v. 27. 28.

§. III. *Sex*

§. III. *Sex aliæ causſæ adjunguntur.*

Sex aliæ cauſſæ. 1. Crucis ſupplicium membris omnibus ſuum cuique tormentum attulit.

I. CRucis ſupplicium membris omnibus ſuum cuique tormentum attulit. *Quia apud Dominum miſericordia, & copioſa apud eum redemptio,* copioſiſſima multâ & magna nimis miſericordia. Et quid aliud Chriſtus in cruce pronuntiavit, quàm amantiſſimum illud: Totus ſum veſter; vobis membra mea omnia laborant & patiuntur. Filii chariſſimi, vos ſemper mecum eſtis, & omnia mea veſtra ſunt. Vobis patior, vobis doleo, vobis morior.

Pſalm. 129. v. 4. Luc. c. 15. v. 31.

Interrogatur nonnumquam æger, quâ potiſſimùm parte morbus infeſtet. Non rarò hoc reſponſi redditur: Membris omnibus; ubique ſævit dolor. Idem reverâ Chriſtus crucifixus de ſe potuit affirmare: Dolores ſummi mea omnia membra cruciant: Non eſt dolor dolori meo ſimilis: *Attendite & videte.*

Item cap. 1. v. 21. 2. Crux plenitudinem myſteriorum continet.

II. Crux plenitudinem myſteriorum continet. Quod beatus Paulus explicans. *Ut poſſitis,* inquit, *comprehendere cum omnibus ſanctis, quæ ſit latitudo, & longitudo, & ſublimitas, & profundum; ſcire etiam ſupereminentem ſcientiæ charitatem Chriſti: ut impleamini in omnem plenitudinem.* Hunc abditiſſimæ ſcientiæ librum, quem Dominus Jesvs crucifixus ſuómet ſanguine ſcripſit, nemo ſanctorum hominum evolvit totum, nemo umquam omnia illius arcana comprehendet intelligentiâ. Hæc olim omnia noſſe ac penetrare, pars erit noſtræ beatitudinis, Joanne teſte: *Videbit eum omnis oculus, & qui eum pupugerunt.* Neque tantùm videbimus eum, ſed omnia ita compuncti myſteria penetrabimus.

Epheſ. cap. 3. v. 18. & 19.

Apoc. cap. 1. v. 7.

3. Ut è cruce velut è cathedrâ Chriſtianæ perfectionis formulam nos doceret.

III. Supplicium crucis Chriſtus pertulit, ut è cruce velut è cathedrâ Chriſtianæ perfectionis formulam nos doceret vel ipſo crucis aſpectu. Totius doctrinæ hujus compendium eſt Crvcifigi, hoc eſt, in rebus omnibus promptè ac toleranter aliquid pro Chriſto pati. Quod dilucidiſſimè Paulus pronûntians, *Qui Chriſti ſunt,* inquit, *carnem ſuam crucifixerunt cum vitiis & concupiſcentiis.* Vita Chriſtiani hominis quid eſt? Crvcifixio. Si quid ſubinde miſceatur jucundi, mera eſt refectiuncula ad perferenda plura & graviora.

Gal. cap. 5. v. 24.

Tiſiano, meo ſumm. teol. Trilog. libell. 6. cap. 16.

Pelagius interpres Græcus memorat ſenem à religioſo juvene interrogatum, quid faceret, ut ſalvus fieret. Senex, ut ipſis etiam oculis ſaluberrimam præceptionem imprimeret, lumbos ſuos arctiùs ſtrinxit, & pallium, quo induebatur, ex humeris defluere permiſit, denique utrumque brachium expandens; Ita, inquit, & rebus caducis nudi, & omnibus vitiis crucifixi ſimus.

4. Nos ad lignum venditos & perditos ex toto, ad lignum voluit Servator reparare.

IV. Nos ad lignum venditos & perditos ex toto, ad lignum voluit Servator reparare. Siquidem cæleſtis Pater ſalutem humani generis in ligno crucis conſtituit, ut unde mors oriebatur, inde vita reſurgeret, & qui in ligno vincebat, in ligno quoque vinceretur. Et Adamus, & Chriſtus ad arborem adhæſit, ſed eventu longè diſſimillimo; ille ſuo ſuorúmque exitio arborem, ut peccaret, adiit; iſte ſuo ſuorúmque triumpho ad arborem, ut peccata expiaret, ſe affigi permiſit. *Si enim,* inquit Paulus, *in unius delicto mors regnavit per unum, multò magis abundantiam gratiæ, & donationis, & juſtitiæ accipientes in vitâ regnabunt per unum* Jesvm *Chriſtum. Igitur ſicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem, ſic & per unius juſtitiam in omnes homines in juſtificationem vitæ. Sicut enim per inobedientiam unius hominis peccatores conſtituti ſunt multi, ita & per unius obeditionem, juſti conſtituti ſunt multi.* Verè *ubi abundavit delictum, ſuperabundavit gratia.*

Ad Rom. cap. 5. v. 17. & ſeq.

5. Per crucem in altum extolli voluit Chriſtus aëri purgando.

V. Per crucem in altum extolli voluit Chriſtus aëri purgando. Etenim ſuam elementis omnibus ſanitatem impertiit. Annis triginta quatuor terram obambulavit, obambulavit & aquas atque maria; in Jordane ſtetit: in igne ſanctum Spiritum miſit, aërem morte purgavit, & aërias inde poteſtates præcipitavit. In Africâ, quod

A Juſtus Lipſius narrat, id moris incolæ ſervarunt, quandoquidem tigrides & leones ſæpius viatorem minùs armatum lacerâſſent, ut vicini per vias erigerent cruces, inque iis appenderent leones aliis terrori. Diabolos Petrus leones nominans, *Adverſarius veſter diabolus,* inquit, *tamquam leo rugiens circuit quærens quem devoret.* Hi leones iter ad cælum ſepientes occupârunt, & viatorum ſanè plurimos lacerârunt. His coërcendis Chriſtus leo de tribu Judâ in cruce ſeipſum voluit ſuſpendi, in terrorem & fugam tot immanium belluarum. Hoc ipſi Chriſto credimus, *Nunc judicium eſt mundi; nunc princeps hujus mundi ejicietur foras.*

1. Petr. c. 5. v. 8.

Ioan. c. 12. v. 31.

6. Ut monſtraret mundo, neque ſe majora poſſe facere, neque nos majora petere.

VI. Tormenta crucis toleravit, ut monſtraret orbi, neque ſe majora poſſe facere, neque nos majora petere. Reverâ totum ſe nobis dedit, ut nos ipſi redderemus totos. Amavit tam ardenter, ut amaretur. Reciprocus eſt amor divinus. Amari vult Deus, qui nos amat. En amantem & obedientem Dei Filium. Hanc B formidabilem tormentorum ſeriem ad Patris nutum, amore noſtrûm omnium obedientiſſimè pertulit. Teſtatur ipſe: *Sicut mandatum dedit mihi Pater, ſic facio.* Hîc pendeo ſpectaculum orbis & ludibrium, hîc infanda patior, hîc morior, quia ſic Pater meus mandavit.

Ioan. c. 14. v. 31.

Ita Dominus Jesvs in cruentâ cruce, in gelido aëre, in extremâ paupertate nudus expiravit. Nil eorum contigit, de quibus nos aſſiduè altercamur. Noſtræ ſunt voces: Mea eſt hæc terra herbis & floribus veſtita, mea eſt hæc aqua piſcibus frequentata: meus eſt hic ignis huic uſui deſtinatus. Quis dicit, Meus eſt hic aër? Ergo in aëre, qui communis eſt omnibus, vult mori Chriſtus; hîc prædurum habet lectulum & anguſtiſſimum; pro cervicali ſpinas, pro plumeis pulvillis clavos, ſpongiam pro poculo, acetum pro cretico; ſummam nuditatem pro tegumento. Hic eſt ille vir, hic eſt, quem digito monſtrat Iſaias, *vir dolorum, & ſciens infirmitatem noſtram, deſpectus noviſſimorum virorum.* Ergo ſurſum oculos, ſurſum & corda ad hunc virum in aëre pendentem, C qui vel ideo etiam in cruce mori voluit, ut oculos noſtros ad fluxa terræ dejectos ad ſe erigeret, & aſſueface-ret ad altiora ſpectanda, verúmque iter ad cælum monſtraret.

Iſa. cap. 53. v. 3.

Vide igitur *arcum, & benedic eum qui fecit illum.* Bernardus digitum ad hanc Iridem intendens, monſtrat Chriſtum ſingulos his verbis alloquentem: O homo! vide, quæ pro te patior; non eſt dolor, ſicut quo crucior. Ad te clamo, qui pro te morior; vide pœnas, quibus afficior, vide clavos, quibus confodior; vide & reſipiſce.

Eccli. c. 43. v. 12.

§. IV. *Chriſtus crucifixus cum iride in pluribus confertur.*

IRis cælum & terram attingit, nec ferè ultra tria milliaria cernitur. Hæc à nobis mille centenis viginti quinque milliaribus, ſeu gradibus octodecim diſtat. Iris oppoſita ſemper eſt ſoli, cujus & calorem frangit. Plures eſſe poſſunt eodem tempore, ad occaſum una, ad ortum altera, ſole medio. Et in uno quidem loco tres cerni poſſunt, ita tamen, ut una debilior alterâ, & colores videantur inverſi, prout fieri ſolet in ſpeculo, quod dextram mutat ſiniſtrâ. Lunæ iris rariſſima, & quod Ariſtoteles docet, vix ſemel iterúmque annis quingentis cernitur. Si altus ſit ſol, humilis eſt iris; ſi alta iris, depreſſior eſt ſol. Ajunt, qui Opticen docent, autumno breviſſimis diebus ſæpe qualibet horâ iridem ſpectari. Iris plerumque pluviam portendit. Quod Annæus Philoſophus adſtruens, *Arcus,* inquit, *meridie ortus, magnam vim aquarum vehit; circa occaſum rorabit.* Iris decreto Dei ſignificat eluvionem orbis non ampliùs repetendam. Hoc Deus Noëmo pollicitus. *Arcum meum,* inquit, *ponam in nubibus, & erit ſignum fœderis inter me & inter terram: & non erunt ultra aquæ diluvii ad delendam univerſam carnem.*

Senec. lib. 2. Nat. quæſt. cap. 6.

Gen. cap. 9. v. 13. & 15.

1. Naturæ iridis explicatio cũ Christo crucifixo collata.

Cùm iride Christum crucifixum conferre cœpimus. Istius porrò meæori naturam per partes explicemus. 1. Cælum & terram attingit iris. Dominus Jesvs in crucem elevatus, *usque ad cælum attingebat stans in terrâ.* Humanitate terram attigit, nobis simillimus, divinitate cælum, Angelos, Patrem. 2. Iris opposita semper soli, æstum solarem mitigat. Christus in crucem actus, justitiæ Soli velut prævaricator objectus. Noti sunmè paginis sacris homines facinorosi, Manasses, Antiochus, Herodes; in quibus seipsum annumerans Paulus, *Qui priùs*, inquit, *blasphemus fui, & persecutor & contumelioſus.* Sed jam facinorosorum est primus, & prævaricatorũ maximus hic ipse crucifixus. *Posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrùm.* 3. Alta est iris, sed non procul cernitur. Hæc verò nostra se orbi universo exhibet spectandam. Vaticinatus id Zacharias, *Aspicient ad me*, inquit, *quem confixerunt. Et plangent eum planctu quasi super unigenitum, & dolebunt super eum, ut doleri solet in morte primogeniti. Et plangent terra, familiæ & familiæ seorsum.* 4. Iris cùm plerumque vespere appareat, occasum respicit. Christus in cruce ita pependit, ut tergum urbi obverteret, & prospiceret occasum. Damascenus & Adrichomius crucem Dominicam ab urbe aversam, Judæorum vafro studio censent esse sitam, perinde ac si publicè dixissent: Hunc hominem maleficum pro cive non agnoscimus. Apud nos hodiéque patibulati suam quisque patriam vel è furcâ pendens respicit. Christum igitur averso ab Hierosolymis vultu appenderunt, ut suum esse civem hoc crucis situ negarent. Sed exspectate paullulùm, ô nefarii, paria Deus faciet, & hanc diligentiam vestram reponet, qui jam olim per Hieremiam minatus, *Dorsum*, inquit, *& non faciem ostendam eis, in die perditionis eorum.* 5. Si altus sit sol, depressa est iris. Altissimus fuit sol justitiæ, nam Pater nec proprio quidem Filio parcens, *Propter scelus*, inquit, *populi mei percussi eum.* Hinc iris ista sanè depressissima fuit. *Humiliavit & exinanivit semetipsum Dei Filius, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis.* 6. Hæc iris pluviam non tantùm significavit, sed effudit, & quidem cruentam. Anno quingentesimo quadragesimo primo, quod Sigebertus memorat, visum est cælum ardens igneúmque, & sanguis verus è nubis in vestes defluxit. Anno octingentesimo sexagesimo nono, teste Genebrardo, Sabonæ, seu Brixinæ, toto triduo sanguinea pluvia stillavit. Anno trigesimo quarto à partu Virgineo Hierosolymis die Parasceves Iris in rupe Golgothæâ sanguine stillavit, & irrigavit orbem. Nos multò sanctiùs clamamus, quàm clamaverint Judæi: *Sanguis ejus super nos, & super filios nostros.* Et sicut iris herbas dicitur odoriferas reddere, ita Christi Sanguis oratiunculas, gemitus, lacrymas, ceteráſque orationes nostras divino Patri reddit acceptissimas. 7. De iride divinæ pactionis testimonio promittens Deus, *Eritq;*, ait, *arcus meus in nubibus, & videbo illum, & recordabor fœderis sempiterni, quod pactum est inter Deum, & omnem animam viventem universæ carnis, quæ est super terram.* Dominus Jesvs crucifixus, iris sanguine stillans, verè fuit signum fœderis inter Deum & hominem. Nam *ipse est propitiatio pro peccatis nostris; non pro nostris autem tantùm, sed etiam pro totius mundi.* Quotiescumque Pater cælestis hanc Iridem intuetur, sui fœderis amantissimè recordatur. 8. Iridis dimidius tantùm circulus patet. Nostra omnis vita semicirculus, est, in quo patientis Christi merita, & Dei nos expectantis misericordia relucet. Post istum semicirculum totus & immensus æternitatis circulus sequetur. Neque tunc ampliùs misericordiæ locus erit, sed justitiæ. Paulo teste, *referet unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bonum sive malum.* 9. Solis æstum retundit iris: Dei Filius unus omnem Patris iram excepit, eámque moriendo placavit. Voces illas summè nos amantis novimus: *Vos ipsi vidistis, quomodo portaverim vos super alas aquilarum, & assumpserim mihi.* Aquilâ mater ut ferunt, cùm pullos suos è loco in locum transfert, dorso eos portat, ut si infernè volet sagitta, matrem ea lædat, non pullos. Videte oro, matrem aquilam in cruce fixam, quæ omnia iræ divinæ tela in nos convolantia, corpore suo velut clypeus excepit. Sed hic telorum & sagittarum supernè devolantium nimbus, summos Christo dolores attulit. Verè dixerit Patri filius: *Sagitta tuæ infixa sunt mihi.*

Ps. 37. v. 3.

Tertia. Isa. cap. 52. v. 6.

Quarta. Zach. c. 12. v. 10. & 12.

Adrich. in theatro terræ sanctæ, Hieruſ. nu. 252.

Quinta. Hier. c. 18. v. 17.

Sexta. Isa. cap. 53. v. 8.

Ad Philip. cap. 2. v. 7. & 8.

Septima. Genebrad. in Nicolao I.

Octava. Matt. c. 27. v. 25.

Nona. Gen cap. 9. v. 16.

1. Ioan. c. 2. v. 2.

2. Cor. c. 5. v. 10.

Exod. c. 19. v. 4.

§. V. *Christi crucifixi dolores.*

Rex David ob suorum brachiorum robur Deum prædicans, *Posuisti*, ait, *ut arcum æreum brachia mea.* Jisdé sanè verbis, sed sensu alio Dei Filius in cruce Patré compellaverit: Posuisti brachia mea ut arcum æreum. Tot verba, tot plagas, tot vulnera corpore excepi, ac si homo sim ferreus. Revera Christi in cruce dolor fuit tantus, ut aliqui jure quærant, num fuerit, qualis est apud inferos damnatorum. Negant fuisse. Nam velut cæleste gaudium * omnes omnino voluptates gaudiáque superat, ita sanè tormentum avernale, dolores omnes & supplicia excedit. Ab illo proximus Christi patientis dolor, omnium Martyrum, aliorúmque hominum pœnas & dolores multùm superavit, idque ob plures causſas, quas longum hîc pertexere. Illa hîc solùm paucula Christi verba expendamus: *Pater mi, si possibile est, transeat à me calix iste.* Et illa: *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?* Hæc immensos cruciatus indicant. Nimirum Christus summam solatii destitutionem, & dolores maximos iis verbis testabatur. Sunt qui in supplicio crucis considerando solum dolorem pedum singulariter expendant. Nam πέδιον, pars illa pedis, quà clavus adigi solebat, plena officulis, nervis, ligamentis, tantos sentit dolores dum clavo perfoditur, ut ea sola nervorum distractio mortem aliquibus intulerit, tametsi nullum os confractum fuerit. Hic tamen dolor in cruce videri potest minimus. Quis ergo jam dolorum cumulus erit si jungamus, quæ præmitti solebant, flagra, impressa capiti spinas, djstensionem membrorum; tot deinde ludibriis affici, inspectante orbe pendere nudum, animi angoribus circumfluere, siti maximâ torqueri, solatiis omnibus destitui. Nunc igitur opportunissimum proclamare: *O vos omnes, qui transitis per viam, attendite & videte si est dolor sicut dolor meus: quoniam vindemiavit me, ut locutus est Dominus, in die iræ furoris sui.* Nec in doloribus tantis ullum erat doloris lenimentum. Nam si crucifixus parcere pedibus voluisset, totum pondus corporis ferendum manibus fuisset: undique & undique sæviebat dolor. Hinc prisci tormentum crucis crudelissimum, teterrimum, summum supplicium vocârunt. Mors in eo lenta, probris, cruciatibus, ignominiis, plenissima ore omnium maledicta. Præmitti consueverant flagra, crurifragium subjungi; multo sanguine manabant vulnera, plerumque fames & sitis cruciabant. Hinc hostiles illæ impiorum voces: *Morte turpissimâ condemnemus eum.* Hoc loco non omiserim illam de iride vulgi opinionem. Iris, ut ferunt, cùm jam semiciculum suum expandit, aurum spargit, & plerumque, ut ajunt, in aquas. Hoc iridis donum, auream scutellam nominant, quæ formam habet aurei scutellati concavi seu repandi, crassioris nummuli. Novi ego civem opulentiorem, † qui ejusmodi scutellatos nummulos omnes solebat coëmere, quos inspexi. De rei veritate nihil affirmo, sed translatitium hoc iridis donum, ad crucis mysterium suaviùs intelligendum applico.

Ps. 37. v. 3.

Matt. c. 27. v. 38.

Matt. c. 26. v. 39.

Matt. c. 27. v. 46.

Thren. 1. v. 12.

Sap. cap. 10. v. 20.

Nostra Iris in Golgothæo monte geminum sparsit aureum munus, omnium manibus, imò mentibus excipiendum. De Christo crucifixo illud Paulinum pronuntiarim: *Ascendens in altum, captivam duxit captivitatem, & dedit dona hominibus.* Duplex hoc donum est; commiserationis & amoris gratia. Utramque paragraphus sequens explanabit.

§. VI. *Christo crucifixo Commiseratio & Amor debetur.*

Commiseratio Christo crucifixo debetur.

COmmiserationem Christo crucifixo, jure meritissimo debemus. Non semel Abrahamus Comicus in theatro spectatus, cùm jam Isaacum filium ligaret, & admoveret aræ, largas spectatorum lacrymas movit. Imò Gregorius Nazianzenus hanc Abrahami patris in filium piam severitatem numquam nec in picturâ quidem sine lacrymis aspexit. Quàm autem hîc longè mœstiorem tragœdiam, mons Calvariæ nostris oculis proponit! Æternus Pater non tantùm strinxit & vibravit gladium, sed eo filium jugulavit. *Qui etiam proprio filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradit illum.* Hæc hominum piorum intimos sensus incredibili in Christum miseratione afficiunt. Elisabetha, Andreæ Ungari Regis filia, Ludovici Principis conjux, die quadam in Regiam culta, publico se dedit. Ingressa templum, ubi Christi crucifixi imaginem vidit, in lacrymas soluta, hæc mente ac cogitatione versavit: Dei Filius moritur in patibulo, ego gemmis & auro fulgeo. Domini mei caput spinis est opertum, at meum superbit multo labore acpretio comptum. Ille Rex cæli ab omnibus est desertus, ego tot famulis cingor. Ille locum capiti circumspicit, nec invenit, ego pulvinaria calco. Illum soli hostes vallant, me aulæ stipant servita. Ah misera & infelix sum femina! Hæc cogitatione ita comprehendit, ut animâ deficiente, fomentis fuerit recreanda. Ab eo tempore muliebrem mundum omnem aut abjecit, aut cilicio asperavit, ne Christi patientis memoria umquam excideret. *Vide* igitur *arcum*, Christum crucifixum, *& benedic eum qui fecit illum.*

Beatus Paulus post variam eruditionem è libris hausam, *Non judicavi*, ait, *me scire aliquid inter vos, nisi* Jesvm *Christum, & hunc crucifixum.* Arcana omnia, quæ mihi sunt è cælo aut in ipso cælo commissa, in hoc uno sanguineo circulo continentur. En raptus in tertium cælum, non aliam tamen disciplinam, nec aliud studium, nec philosophiâ aliam profiteri, sed nec aliam artem ullam vult aliis tradere, quàm hanc ipsam Uranometriam, & iridem cruentam, quam studiis omnibus scrutari & pervestigare cupit. Hîc omnem censet & sibi & aliis laborem collocandum. Ideo, inquit, nihil cogito, nihil scribo, nihil pro concione dissero, nisi Christum crucifixum. *Non in sublimitate sermonis aut sapientiâ, annuntians testimonium Christi. Sed loquor Dei sapientiam in mysterio, quæ abscondita est, quam prædestinavit Deus ante sæcula in gloriam nostram, quam nemo Principum hujus sæculi cognovit. Si enim cognovissent, numquam Dominum gloriæ crucifixissent.* Ergo, *imitatores mei estote, sicut & ego Christi.* Eadem instillans Augustinus, *Toto*, inquit, *vobis figatur in corde, qui pro vobis fixus est in cruce.* Eadem Bernardus inculcans, *Quid adhuc*, ait, *tua dormitat affectio, imò non dormitat, sed mortua est, si huic beneficio non respondet. In dictis suis Dominus sustinuit contradictores, in factis observatores, in tormentis illusores, in morte exprobratores; & nos omnes cupimus amicos & laudatores. Vide* igitur *arcum, & benedic eum qui fecit illum.* Vera erga Christum miseratio, est Christi crucifixi studiosa imitatio. Imitaberis, si amaveris.

Amor affectuum nostrorum in Christo crucifixo collocandus.

Amor non suavissimus tantùm, sed potentissimus atque fortissimus. Non otiabitur amor noster, si penitiùs Crucifixi amorem inspexerimus. Christi amor in nos tantus fuit, ut si voluisset æternus Pater, non tres horas tantùm aut dies, non tres solùm menses aut annos, sed trecentos, imò sæcula, usque ad novissimum diem, in cruce inter assiduos & summos dolores pendere non recusasset. Hinc liquet, quàm *bonam, & confertam, & coagitatam, & supereffluentem mensuram* det amor. Omnem Sanguinem Christus ad usque ultimam guttam unà cum aquâ nobis effudit. Verè roscida nubes, quæ sudore, lacrymis, sanguine, aquâ stillavit. Quâ quidem re, sicut in præsepi summam paupertatem, ita in cruce charitatem summam monstravit orbi. Licebit hîc digitum ad crucem intendere, & unicuique hominum magno sensû illud instillare:

Cernis ut in toto corpore sculptus amor?

Deus solâ amoris lege stringitur.

Deus pœnarum & legum omnium immunis, lege amoris solâ stringitur. Amor Christum in oliveto humi dejecit, amor vinxit & captivum duxit; amor ad judices pertraxit, columnæ alligavit, spinis coronavit; amor myrrhatum calicem propinavit, amor clavos infixit, in crucem extulit; amor mori coëgit, idque pro hostibus & impiis. *Vix enim pro justo quis moritur: nam pro bono forsitan quis audeat mori. Commendat autem charitatem suam Deus in nobis, quoniam cùm adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est.* Et quis vel oculis vel mente signum pendentis aspiciat, quin animo dicat: Vicisti, Domine, vicisti; huic tuo amori cedo; te in cruce cerno nudum, vibicibus, plagis, vulneribus plenum, sanguine opertum, & velut detractâ cute vulnus merum; meri hîc dolores & angores, amaritudo merissima, solatiis undequaque omnibus destituta. Et tamen *aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem, nec flumina illam obruere.* Non tantùm grandiores quinque fenestras in corpore tuo aperuisti, sed corpus totum cancellatim perforatum exposuisti, ut per rubros cancellos istos cor amore ardentissimum probè inspicerem. O mi amantissime Jesv, utinam crux tua susciat me fixum ponè te! Utinam clavi tui meos etiam pedes penetrent! utinam sertum tuum spineum laxetur, ut & ego capiti tuo meum conjugam unà rubis perfodiendum!

Sed, ô Domine, miserationis immensæ, quàm multa ego hodie promitto, cras longè alia facio, promissorum forsan post horam oblitus? Reverà ut phreneticus sum, jam curari volo, jam nolo, & medicinam omnem execror, modò chirurgum aut medicum quæro & complector, modò iterum fugio, & detestor, in nullâ re, quàm vitæ sanctimoniâ inconstantior. Quapropter jam ego dum sanus sum, suaviter tecum ita paciscor. Mi bone Jesv, si fortè in pristinam relabar phrenesin, tu meam etiam rebellem ad te propitius compelle voluntatem. Tunde me, affige, ure, cæde me tamdiu, dum promptè dicam: *Domine, quid me vis facere?* Quod vetas, cavebo & fugiam; quod jubes, perficiam; laborem quem injungis suscipiam, adversa quæ immittis perferam. O mi Redemptor, dulcis Jesv, per tuum Sanguinem, per mortem tuam te rogo, affligere & castigare me non desine, dum mea voluntati tuæ se perfectissimè subjungat: Domine, sin aliter, agam, cogi me volo, vim fieri voluntati meæ cupio, ut vel hac ratione te amem, dum volo quod tu vis.

Vel in ipso Deo sanè videmus violentiam, sed amoris. Quam Bernardus explicans, *O amoris vim!* inquit. *Itáne summus omnium, imus factus est omnium? Quis hoc fecit? Amor dignitatis nescius, dignatione dives, affectu potens, suasu efficax. Quid violentius? Triumphat de Deo amor. Quid tamen tam non violentum? Amor est. Quæ est ista vis, quæso, tam violenta ad victoriam, tam victa ad violentiam? Denique semetipsum exinanivit, ut scias amoris fuisse, quòd plenitudo effusa est, quòd altitudo adæquata est, quòd singularitas associata est.* Quæ igitur est ista vis tam violenta ad amorem? nulla tanta sunt scelera, quin Deus amet nos; nulla supplicia sunt tanta, quin ea tulerit amore nostri. Hoc certè verbis exprimi non potest; flammeum immensum amoris mare est, obiri oculis non potest; inenarrabile beneficium est. Reverà hoc unum crucis mysterium tantam continet amoris exsuperantiam, ut multi, quod in humanis fieri solet, offensionem inde acceperint. Id Paulus asserens, *Nos autem*, inquit, *prædicamus Christum crucifixum, Judæis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam.* Eò progressus fuerat divinus hic amor, ut eum planè non

In mysterio crucis tanta est amoris exsuperantia, ut multi offensionē inde acceperint. 1. Cor. c. 1. v. 23.

non caperet humanus stupor. Hic Dei amor Græcæ sapientię visus est stultè agere; Hebrææ perfidiæ visus est etiam improbè ac malè agere. Nos amorem hunc credimus & complectimur, interim tamen tenuissimè amamus adeò nos amantem. Ah, quàm frigidi, quàm exiles & rari sunt igniculi nostri, quibus in Deum ferimur! Hinc jure Bernardus frigidissimam somnolentiam nostram objurgans, *O indurati, ait, filii Adam, quos non emollit tanta benignitas, tanta flamma, tam ingens amoris ardor!*

CAPVT VII.

Christi crucifixi cum affectu contemplatio.

Luc. cap. 2. v. 34. & 35. DE Christo crucifigendo vaticinatus Simeon, *Ecce*, inquit, *positus est hic in ruinam & in resurrectionem multorum in Israël, & in signum cui contradicetur, ut revelentur ex multis cordibus cogitationes.* Jam sanè revelantur cogitationes pectoris humani: nam facilè apparet, quis amicus sit Christi, quis crucem illius amet, quis oderit, quis eam oblivione multâ sepeliat. Siquidem ubi nihil est patientiæ ac verecundiæ, ubi nihil submissionis, mansuetudinis & modestiæ, hîc planè cogitationes revelantur, nihil esse memoriæ, nihil affectionis bonæ ad Christum crucifixum. Fatali die mundi *parebit signum Filii hominis in cælo*, crux sublimis ab omnibus spectabitur. Hoc erit sine voce palàm judicari, eos meritò ad æternos ignes damnari, qui tantâ se misericordiâ fecissent indignos.

Quis sit amicus Christi.

Matt. c. 24. v. 30.

2. Par. c. 29. v. 22. Chronicon Regum, ubi de sacrificiis agit, exceptum arâ sanguinem frequentiùs affirmans, *Mactaverunt tauros*, inquit, *sed susceperunt sanguinem Sacerdotes, & fuderunt illum super altare; mactaverunt etiam arietes, & illorum sanguinem super altare fuderunt; immolaverúntque agnos, & fuderunt super altare sanguinem.* JESV agne innocens, tuum ipse, non alienum sanguinem fudisti. Sed ubi est ara, quæ illum excipiat? Numquid Pilati pavimentum, aut Lithostrotos, aut Calvariæ solum erit altare, quod tanti pretii liquorem sorbeat? Ego paratissimus cor meum pro arâ suppono; asperge me hoc hyssopo, ut in morte mundus inveniar.

Matt. 5. 15. v. 7. Per Matthæum Christus queritur: *Hypocritæ, bene prophetavit de vobis Isaias dicens: Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longè est à me.* Christo crucifixo gratum sacrificium, verum altare COR est, sed cor castum, mite, submissum, cor Christi sanguine lotum, cor amore ac patientiâ dotatum. Abeste corda impudica, libidinosa, iracunda, invida, superba; abeste hinc, aut esse alia hîc discite. *Hoc enim sentite in vobis, quod & in Christo* JESV. Affectus ille ac sensus humilitatis, pacis, charitatis sentiatur in vobis, quem creditis fuisse in Christo. *Deus se humiliat*, inquit Chrysostomus, *& homuncio se exaltat.* Cujusvis ergo cor discat quantum sese submittere debeat.

Christo crucifixo altare est cor castũ, amore & patientiâ dotatum.

Philip. c. 2. v. 5.

Si quæ olim femina suam ipsa prolem necavisset, hoc ei supplicium erat decretum: palo per pectus transfadacto sepeliebatur viva. Ah quanti suas ipsi animas sexcenties, millies & sæpius indignis modis jugulant! Palum ergo crucis per suum ipsi pectus transfadigant, tam facili quàm salubri supplicio: hoc sentiant in se, quod & in Christo JESV. Vide arcum, mi Christiane, intuêre hanc iridem. *Respice in faciem Christi tui.* Quod de Josepho fratres, hoc de ipso rectè affirmamus: *Frater enim & caro nostra est.* Eamus, & crucem ascendamus, & moriamur cum ipso. Non moveantur viscera nostra super hoc fratre nostro?

Psalm. 83. v. 10.

Gen. cap. 37. v. 27.

Pelagius libello 18. & ult. cap. 8. mihi p. 637. apud Rosweid. Pelagius memoriæ prodidit, quod Joannes Abbas commemorabat. Vidit quidam à sensibus alienatus, tres religiosos viros trans mare stantes, ad quos ex aliâ parte littoris delata vox est: Accipite alas igneas, & venite ad me. Illorum duo paruerunt, & aptatis sibi alis in litus alterum, unde vox emerserat, transvolârunt. Tertius ignaviter plorans remansit. Demum & ipse alas acquisivit, sed parùm solidæ compagis, invalidas, nequaquam igneas. Volavit ergo difficili nisu, & in viâ sæpius in aquas delapsus, sed iterũ iterúmque emersus tandem pervenit quò vox trahebat. Sic est, inquit, generatio hæc, quæ pennas quidem accipit, non tamen igneas, sed debiles & luxatas. Christus è cruce unumquemque nostrûm amantissimè vocans, Accipe, inquit, alas igneas, & veni ad me. Nos excusamus & obducimus: O Domine, alas quidem habeo, sed fragiles & madore graves, volatus erit difficillimus. *Nam velle adjacet mihi, perficere autem bonum non invenio. Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma.* Sed Christus denuo, Accipe, inquit, alas igneas. Solus Amor quævis ardua perrumpit; amor mei potest omnia: amanti nihil difficile.

Rom. 7. v. 18.

Matt. 26. v. 41.

Sciamus igitur verissimè dictum: Indignus est amici nomine, qui minùs diligit, quàm inimicus odit; indignus est delectorum veniâ, qui amanti adeò amoris vices non reddit. Accipiamus alas igneas, & ad Christum crucifixum pervolemus.

At verò, Augustini sensu, nutrimentum charitatis, est imminutio cupiditatis. Nec enim Christum amat, qui appetentias & libidines suas non refrenat. Quamdiu mens nostra inhiare vetitis non cessat, tamdiu Christi amor ab eâ procul exulat. Imperandum est cupiditatibus, libidini acerrimè reluctandum. Sine hac cupiditatum morte, nemo tranquillè vivit Christo. Optimè Bernardus dixit: Domine JESV, dignus planè est morte, qui tibi recusat vivere. Et quisquis vult esse sibi, & non tibi, nihil esse incipit. Venenum charitatis, prava cupiditas. *Qui autem sunt Christi carnem suam crucifixe-runt cum vitiis & concupiscentiis.* Christi crucifixi legem novimus, quam suis amicis omnibus tulit: *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum.* Neque verò est aliud hoc abnegare, quàm suis cupiditatibus, appetentiis, libidinibus toto nisu, omnibúsque studiis adversari. Homo sui victor, sibíque imperans & assiduè sibimet contradicens, Hoc, inquit, non dabo, non permittam istud; numquam illud, & illud, & illud à me impetraveris. Hoc amor dictat, hoc amanti neutiquam difficile, sibi hoc modo mori, Christo vivere. Summi solatii est posse dicere: *Vivo ego jam non ego, vivit verò in me Christus.* Deus vult totus esse noster, si toti velimus esse Dei.

Natura imminutio cupiditatis.

Gal. 5. v. 24.

Matth. 16. v. 24.

Gal. 2. v. 20.

Hanc amoris legem perfectissimè Christus docet crucifixus. Hunc diès noctésque fixissimis inconniventibus oculis intueamur. Id fieri posse, in promptu est, qui suo id exemplo doceat. Stephanus Cœnobii Æliotarum presbyter, teste Sophronio, à tribus religiosis senibus de animi curâ interrogatus complura, constanter tacuit. Cúmque illi humaniter urgerent, dicerentque. Nihilne nobis respondes, Pater? ad te venimus, ut pias à te præceptiones audiremus, ad augendum virtutis studium. His demum Stephanus, Ignoscite mihi, ait, non attendi quid hactenus loqueremini. Verumtamen quod habeo, vobis dico: Ego diu noctúque nihil aliud aspicio, nisi Dominum nostrum JESVM Christum in ligno pendentem. His auditis, institutione viri sancti, & exemplo insigniter eruditi discesserunt.

Verba Stephani auditoris Ioannis Moschi. Pratum spirit. c. 177.

Ad hujus religiosissimi viri præceptionem ita mores & vitam conformemus, ut pro se quisque possit dicere: Ego diès noctésque nihil aliud aspicio, nisi Dominum JESVM Christum crucifixum. Huc gemitus nostri, huc preces similem in modum eant: O mi amantissime JESV, respice in me, & miserere mei, Lava me à peccatis meis pretiosissimo Sanguine tuo, & cordi meo amorem tuum insere. Dixi, Nunc tibi mihíque moriar, ô mi amantissime JESV.

Hinc nobis salus, & adversùs omne vitiorum genus victoria.

victoria. In hoc vincemus. *Neque enim aliâ ex arbore palma.**

Scriptores Christiani omnes & omnium antiquissimus Eusebius affirmat, atque in re adeò mirificâ recensendâ ipsiúsmet Imperatoris Constantini hæc sibi jurejurando affirmantis fidem obligat, crucis signum in cælo hac specie monstratum. Sole in pomeridianas horas paullulum inclinante tam ipse Imperator Constantinus, quàm omnis illius exercitus crucem è radiis effigiatam soli imminentem viderunt, & unà inscriptionem hanc: Ἐν τούτῳ νίκα. Cúmque dubius de ostenti significatu hæreret Imperator, nocte proximâ Christus cum eodem se signo præbuit spectandum, jussítque ad exemplaris ostensi formam fieri signa præliis inferenda.

Erigamus ad cælum oculos, & cælestem hunc arcum inspiciamus assiduè. In hoc signo vincemus. Hic ipse homo, hic ipsíssimus Rex Judæorum in crucem actus supremo mundi die non latronum, sed Angelorum medius non in cruce pendens, sed in iride sedens, orbi judex sententiam pronuntiabit tam dextræ quàm lævæ parti; illam astris, hanc inferis addicturus: *Videbit eum omnis oculus, & qui eum pupugerunt.*

CAPVT VIII.

Christus moriturus gratiæ cælestis quatuor emisit flumina, sudorem, lacrymas, aquam, sanguinem.

DE Iride Golgothæâ diximus. Christus in crucem actus, & in eâ extensus velut iris in cælo stillare cœpit, & diffluere in quaterna flumina, SVDORIS, LACRYMARVM, AQVÆ, SANGVINIS. Hæc illa quatuor sunt paradisi & gratiarum flumina, de his hoc capite disseremus.

§. I. *De letali sudore Christi.*

FOns primus balsami, seu flumen gratiæ Christi crucifixi, SVDOR LETALIS. Quemadmodum Dei Filius Patri eximius non fuit, quin moreretur; ita certè prævium mortis comitatum sensit, tam in horto, quàm in cruce sudavit. Adam paradisi exul nongentis triginta annis variè sudavit, & alsit, prout illi prædictum fuerat: *In sudore vultûs tui vescêris pane tuo.* Sudavit cælum quadraginta diebus & noctibus, terrámque perpluit diluvio. Tam longi tamen & largi sudores nequierunt noxas humanas abluere. Hic Christi sudor expectabatur, qui tamen non primùm fluere cœpit sub vitæ finem. Nam Dominus JESVS *fatigatus ex itinere*, quod Joannes ait, *sedebat sic supra fontem. Hora autem erat quasi sexta.* Ipse meridies, tempus prandii, sole ac cælo maximè æstuante. Odâ veteri cantamus: *Quærens me sedisti lassus, Redemisti crucem passus.* Hæc omnia sibi Christus voluit esse acerba.

Ezechiel vates post explicata summi Pontificis vestimenta, *Et non accingentur*, inquit, *in sudore.* Nimirum vetuit Deus Sacerdotem vestiri, cùm sudaret. Sed en Pontifex noster dum litat, sudore mortuali gelido manat. Ideo sua omnia vestimenta posuit, & seipsum nudus obtulit. Eum ita sudasse non mirum, sudatoriam potionem geminam sumpsit. Prima fuit Ardor & vehementia orationis: *Abba Pater, si possibile est, transeat à me calix iste.* In ipsâ cruce pro orbe toto, & pro ipsis carnificibus suis oravit. *Pater dimitte illis.* Credibile prorsus Christum toto trium horarum spatio, quo tenebræ fuerunt, orasse silentio. Vehementiam orationis Rex David exprimens, *Concaluit cor meum intra me*, inquit, *& in meditatione meâ exardescet ignis.* Altera potio sudatoria fuit, Lucta mortis. Si cui monstretur corbis recentium rosarum plena, cum dicto: Quidquid hoc florum est, in aquam commutandum est. Quomodo tandem? Igni eliquantur; hinc aquæ in clibano exsudatæ. Orationes Christi rosæ fragrantissimæ, has eliquavit ignis. Hinc vinum rosaceum præstantissimum. Christi sudor in horto calidus & sanguineus, in cruce mortualis, & frigidus. Quis umquam credidisset Dei Filium in tale sudatorium compingendum? Nobis illud debebatur & nostræ crapulæ. Quod nos intemperanter ingessimus in paradiso, hoc illi exsudandum fuit in ligno.

Nocentissimum ajunt in sudore refrigerâri. Hieronymus Cardanus censet, multa millia hominum sibi mortem accelerare eâ re unâ, quòd in sudore frigus colligant. En caput nostrum & in horto, & in cruce sudat, nos membra parum obsequentia in rebus omnibus refrigerationem, laxamentum, amœnitates, solatiola quærimus, quod probro est capiti, & nobis damno. Hic discamus otiositatem modis omnibus execrari & fugere. Hoc autem sæpissimè cuivis cogitandum: In quem, obsecro, finem creatus sum? Num ad otiandum, & suaviter feriandum? Si hoc spectasset meus conditor, paradiso me non exturbasset. Atqui non tantùm ejectus sum voluptatis horto, sed dictum insuper proscripto: *In sudore vultûs tui* (non in torpore, aut sopore) *vescêris pane tuo.* Homo deses & otiosus hoc Numinis edictum temerariâ manu lacerat. *Multam profectò malitiam docuit otiositas.* Quem satan suavi compendio in suam cupit nassam trahere, hunc exarmat iis subsidiis, quibus in otium pugnatur; ita huic libros & calamum, illi limam & malleum, isti subulam, & modulum subducit. Ita inermes in otium & in omne vitium propellit. Vigilate & orate. Quis autem major labor, quàm rectè orare?

Pachomius æstivâ nocte quadam totâ in precationibus pervigil, tantùm sudoris & lacrymarum fudit, ut pavimentum, quod genibus terebat, multâ perfusum aquâ crederetur. Nimirum noverant viri sanctissimi, jam non esse tempus laxamenti & quietis, sed sudoris & lacrymationis. *Certè emitur*, inquit Augustinus, *paupertate regnum, dolore gaudium, labore requies.* Nec aliam accipit Deus monetam, ut vendat cælum.

Ad Bethsaidæ quinque porticus, quod Joannes memorat, *jacebat multitudo magna languentium, cæcorum, claudorum, aridorum, expectantium aquæ motum. Et qui prior descendisset in piscinam post motionem aquæ, sanus fiebat, à quacumque detinebatur infirmitate.* Non semper fiebat sanus, sed post aquæ motum; nec omnes fiebant, sed unus & primus aquâ mersus. Ut sua Deus in nos dona congerat, nostram conjungi operam desiderat; suam nobis gratiam offert, sed volentibus & eam ambientibus. Illud singulare sanitatis munus non nisi diligentissimus & celerrimus obtinebat, tamquam si præmium sit propositum hac lege: Qui prævenit, præripit. In arcæ fabricâ, quidquid humanis viribus parari poterat, à Noëmo Deus exigebat, cetera ipse facturus. Certè nec in paradiso quidem otiosos homines tulisset Deus; nam parentem omnium posuit *in paradiso voluptatis, ut operaretur, & custodiret illum.* Quantò magis nunc miseris exulibus operandum? Sudor Christi detestationem otii nos docet. Verissimè dixit Hieronymus: *Nihil otio deterius est, quod non solùm non acquirit nova, sed etiam parta consumit. Sanctæ vitæ ratio processu gaudet, & crescit, cessatione torpescit & deficit.*

§. II. *De Christi lacrymis.*

FOns alter balsami, LACRYMÆ. De Christi lacrymis in cruce fusis disertè Paulus, *Qui in diebus carnis suæ*, inquit, *preces supplicationésque ad eum, qui posit illum salvum facere à morte, cum clamore valido, & lacrymis offerens, exauditus est pro suâ reverentiâ.* Ambrosio interprete loquitur Apostolus de illis Christi in cruce verbis: *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?* Has lugubres voces & lacrymas, angustiæ ac dolores expresserunt. O mi Deus, res

* Durat Sanctus symbolum sust. Euseb. tom. 3. Annal. 32.

Ipse vinco.

Apoc. cap. 1. v. 7.

Quatuor paradisi flumina.

1. Sudor letalis.

Gen. cap. 3. v. 19.

Ioan. cap. 4. v. 6.

Ezech. c. 44. v. 18.

Prima, Christi potio: Ardor & vehementia orationis. Matt. c. 26. v. 39. Luc. cap. 23. v. 34. Psal. 38. v. 4. Altera, lucta mortis.

Otiositas fugienda.

Gen. cap. 3. v. 19.

Eccli. c. 33. v. 29.

Ioan. cap. 5. v. 3. & seqq.

Gen. cap. 2. v. 15.

Hieron. tom. 9. epist. 1. ad Demetrium, mihi p. 11.

2. Lacrymæ.

Hebr. cap. 5. v. 7.

Matt. c. 27. v. 46.

eóne deduci potuit, ut ipse Dei Filius, cæli gaudium, voluptas omnium Angelorum, angoribus & mœroribus circumfluens solveretur in lacrymas? Sunt optimæ notæ scriptores, qui censeant Christum non in cruce tantùm sed etiam in horto, & in prætorio inter flagella & verba lacrymatum.

Alphonsus Sanm. ron, alii.

Isidorus refert è prisci Philosophi sententiâ, Regi flere non decorum, tam quam si Regis majestas, & mentis imbecillitas parum cohæreant. Quòd si Rex cernatur flere, à malo non levi eum premi argumentum erit. Certè Rex Alexander Macedo cadavere Clyti, quem pridie occiderat, in tabernaculum illato, obortis lacrymis de cæde patratâ gravissimè seipsum cœpit accusare. Cúmque lacrymis querelisque finis non fieret, jussu amicorum corpus ablatum est. Ramirus Rex Hispaniæ bello insignis & pius, post viginti duos regni annos in extremis constitutus, regnum, quo se abdicarat, Ordonio filio commisit, Eucharistiam maximo sensu percepit, cum lacrymis proclamavit: *Nudus egressus sum de utero matris meæ, nudus revertar illuc.* Christus Rex hominum & Angelorum plorat ob regnum, de quo Pilato dixerat: *Regnum meum non est de hoc mundo.* Hoc regnum à nobis turpissimè proditum luget, & Patri nos lacrymis conciliare, atque in pristinum regnum vult repronere ejectos. *Exauditum*, ait Paulus, *pro suâ reverentiâ.*

Curt. lib. 8. cap. 4.

Iob cap. 1. v. 21.

Ioan. c. 18. v. 36.

Hebr. cap. 5. v. 7.

Piæ lacrymæ, precatio efficacissima: Una lacrymarum guttula è corde puro fusa plus abluit noxarum, quàm oratio longissima, sed arida. *Lacrymas Petri lego*, inquit Ambrosius, *satisfactionem non lego. Non invenio quid dixerit, sed quia fleverit. Quod defendi non potest, ablui potest: lavant lacrymæ delictum. Oratio Deum lenit, sed lacryma cogit.* Quam ergo vim habuerint è purissimis oculis Filii Dei profluentes lacrymæ, in lavacrum scelerum nostrorum? Illud tamen nimis quàm horrendum, omnibus Christi lacrymis, quas ante cruciatus suos, & in ipsis cruciatibus, quas Nascens & moriens profudit, flammam avernalem non fuisse sopitam, ardet illa æternùm arsura. Quemcunque illa corripuerit, hunc numquam refrigerabunt Christi lacrymæ, quæ pœnitentiam docent, & resipiscentibus prosunt. Brasili Indiæ populi, quod Petrus Maffæjus narrat, in potestate habent lacrymas; charorum adventum, circumdatis collo brachiis, appresso ad pectus capite, cum effusâ comploratione, altisque suspiriis primùm excipiunt, viæ laborem & incommoda miserantes. Christus cruci affixus, omnes ad se venientes è longinquâ peccati regione paratissimus est excipere, brachia pandit, verticem submittit, lacrymas effundit, nec apprimere tantùm pectori, verùm etiam intromittere vult, si ipsi tamen se submittere velint, & resipiscere.

Lacrymæ abluunt peccatum.

Ambr. super Lucam.

Hieron. in Isaiam.

Maff. lib. 1. Indic hist. initio p. 47.

Beatus Domnolus Cenomanensis Antistes, uti mensam, numquam sine pauperibus convivis, sic aram rarò accessit sine lacrymis. Christus Servator ultimo vitæ triennio sine pauperibus discipulis, piscatoribus egenis numquam accubuit. Die Parasceves seipsum orbis bono immolavit, preces supplicationésque cum clamore valido & lacrymis offerens. Sunt qui putent Christum numquam orâsse sine lacrymis, eámque ob caussam à Paulo dictum: *Qui in diebus carnis suæ, preces supplicationésque cum lacrymis offerebat.*

De quo Baron. tom. 7. ann. 584. Lippeloo 16. Maii.

Ita Alphonsus de Orosco in Horto sacro, cap. 26. mihi p. 45.

Hebr. cap. 5. v. 7.

Credibile prorsus est, Christum in suprema cenâ ante Judam proditorem non sine lacrymis in genua procubuisse, ac pedes lavisse. Sciebat amantissimus Magister, miserum ad inferos properare post tot auditas conciones, post tot visa miracula, post aliquot annos in sanctissimâ vitæ disciplinâ exactos, in sempiternum exitium abire præcipitem, nec aliam interitûs sui habere caussam, nisi suavem nuperam reprehensionem, & nummi amorem. Hunc discipulum obstinatissimè pereuntem, Christus animo commiseratus, lacrymas, non dubitem, in ipsum pelluvium, quo suorum pedes abluebat, sparsit. Ibat tamen infelicissimus mercator, ibat perfidissimè obstinatus, non Christi Corpore & Sanguine in alimoniam porrecto, non sermone Christi suavissimo, non occultis in cenâ minis, non lavatione pedum & lacrymis emollitus; ibat & peribat. Quid nequius animo in scelus obstinato, quem nec Angeli nec Deus ipse flexerit, quem nec Christi cruentus sudor, nec aqua pectore scaturiens, ab oculis stillantes lacrymæ, nec toto corpore prorumpens sanguis emolliverit ad cõsilia sanctiora?

Ergo sæpius flevit Dominus Jesvs, quem publicè Christus ter flevisse testantur Evangelii scriptores. Flevit Servator ter fleve ad defuncti Lazari monumentum, flevit in suòmet publice triumpho parricidalem civitatem Hierosolymam contuitus, flevit ipsos parricidas suos è cruce spectans sibi illudentes. Si igitur tam in luctu, quàm in triumpho & supplicio publico flevit; utique solus non risit, quod cælesti carmine significatur. *Oculi tui sicut piscinæ in Hesebon;* Cant. 7. misericordiæ ac lacrymarum pleni exundabant sæpius, v. 4. quàm in ullo hominum sanctorum. Misereíscens Jobus Iob 29. pauperis, *Flebam quondam*, ait, *super eo, qui afflictus erat, & v. 25. compatiebatur anima mea pauperi.* Hieremias vates, *Quis Hier. 9. dabit capiti meo aquam*, inquit, *& oculis meis fontem lacry- v. 1. marum, & plorabo die ac nocte interfectos filiæ populi mei?* Rex David rebellem filium Absalonem fugiens, *ascendebat 2. Reg. 15. clivum olivarum, scandens & flens, nudis pedibus incedens, & v. 30. operto capite, sed & omnis populus, qui erat cum eo, operto capite ascendebat plorans.* Christus in cruce plorat, sed solus: *Et sustinui*, ait, *qui simul contristaretur, & non fuit; & qui con- Psalm. 68. solaretur, & non inveni.* Sola mater cum valde paucis plorabat. Ah, si mortalium alicui Deus hanc gratiam in hoc orbe faciat, monstrétque hos vultus geminos filii & matris plorantium, quis sensus foret homini hęc talia cernenti? Christi facies sputis, sanguine, lacrymis fœdata, spinæ Christo in mortem pro nocturnâ vitâ fuerunt, oculi jam fracti lacrymis & cruore pleni, cælum & matrem, carnifices & Pharisæos hostes spectabant: Mater, quâ nequit esse afflictior, aspicientem se aspiciebat, interea silentes rivuli per genas defluebant; quis non cum hoc filio & hac matre ploret? tamen utrimque Patris voluntas inter hæc ipsa crucis tormenta laudabatur. Utriusque gemitus in has voces desinebant: *Ita Pater, Matth. 11. quoniam sic fuit placitum ante te.* v. 26.

Hi duo vultus ita lacrymis perfusi, & mutuis in sese aspectibus defixi solatio nobis sint in omni afflictione: hæc specula duo laborem & dolorem nostrum omnem mitigant. En Deus, en Dei mater plorat. Ecclesia quot diebus illud præcinit: *In hac lacrymarum valle.* Pæne vertendum foret & cantandum, In hac risûs caveâ; nam longè sæpius ridemus quàm fleamus, cùm ubique plurima sit flendi materia. Christus Dei Filius, & Maria Angelorum Domina sociatis plorant lacrymis. Lacrymæ prorsus ponderosæ: quò enim celsior est dignitas lacrymantium, hoc lacrymæ sunt ponderosiores.

Sed licet hîc quærere, ô bone Jesv, paullo ante cùm ad supplicum ducereris, prohibueras fletum, nunc teipsum flere quid cogit? Caussa longè diversissima: Solymææ mulieres deflebant tam dira innocenter tolerantem, at Christus deflet humanam gentem tam immania scelera patrantem, quæ malorum omnium fuerunt caussa. Gregorius Nyssenus lacrymas ait sanguinis esse Lacrymæ guttas è corde effusas. Nam uti è vulnerato corpore fluunt lab- sanguis, ita è læso corde lacrymæ per oculos fluunt. His ita lacrymis Christus testabatur cor suum gravissime vulneratum orbis piaculis. Divus Hilarius lacrymas animæ sudorem vocat: nam uti laboris fatigatio corporis sudorem exprimit, sic animi dolor & afflictio lacrymas elicit. Hinc etiam lacrymæ dicuntur cerebri & cordis viscera per oculos effusa. Verè Dei Filius in cruce viscera misericordiæ, partem sui cordis per oculos exstillavit. Ita per beatissimos illos Christi oculos liquefactum divinæ misericordiæ argentum largiter profluxit, quod

Sudor animæ.

quod amoris flamma in corde Dominico liquefecit.

Lacrymæ vere & libidinis detestationē docent.

Hic alter iste balsami rivus Lacrymæ, non otii tantùm, sed libidinis detestationem docet. Cùm sceleratus orbis diluvio plecteretur, quadraginta diebus & noctibus cælum plorans ploravit, & tamen spurcitias & libidines humanæ gentis abolere nequivit. In hos fletus cælum adduxit impurissima hominum vita: hinc illæ lacrymæ. Cur Magdalena tam ubertim & seriò flevit? Conta-

Mag. Magdalena tam uberrim & seriò flevit.

minata conscientia oculos velut spongias expressit; hinc & illæ lacrymæ, quibus venereos ignes in pectore latitantes extinctum ivit. Deus Israëlem olim per Isaiam

Isaiæ 44. v. 22.

ad se trahens, *Delevi*, ait, *ut nubem iniquitates tuas, & quasi nebulam peccata tua: revertere ad me, quoniam redemi te.* Nubes deletur cùm in aquas soluitur; in nube atrâ latent fulgura, tonitrua, fulmina; flante Austro in nimbos tabescit nubes. Magdalena velut nubes atra, ore ac oculis, gestu ac verbis impuros ignes jaculabatur; at verò divinâ flante gratiâ, hæc nubes soluta in lacrymarum aquas contabuit. Et cur rex David tam copiosè flevit, ut

David.

lacrymis suum ipse lectum laverit? nam à gemino scelere patrato resipiscens apertissimè fatetur: *Lavabo per singulas noctes lectum meum, lacrymis meis stratum meum rigabo.* Quotidie noctu somni & quietis loco stragulam vestem non solùm madefaciam, sed lavabo. Quod Hieronymus ex Hebræo vertit, natare faciam. Deus, quanta diuturnitas & copia lacrymarum, velut rivuli decurrentium, idque prolixâ constantiâ! Nam longo tempore, singulis pæne totis noctibus copiosissimè ploravit in adulterii & homicidii patrati supplicium. Hinc istæ lacrymæ.

Psal. 6. v. 7.

Post scelera, raræ sunt lacrymæ in hominibus.

O quàm in plerisque nostrûm, etiam post scelera, raræ fluunt lacrymæ! Quòd si fors fluant, in ipsis siccari genis, in ipso lapsu suo videas interire. O nimis lenta & rara peccâtium oculorum stillicidia! ubi serius ob Christum morientem luctus? Natamus vino, dum suo Christus natat sanguine; diffluimus deliciis, dum pro nobis Christus diffluit mœroribus; vestimur mollibus, dum Christus cingitur coronâ spineâ; delicatè pascimur, dum Christus fel prandet, dum acetum sorbet, opibus involvimur, dum nudus pendet orbis conditor; ridemus & cachinnamur, dum in cruce lacrymatur cæli gaudium; dolorem nullum admittimus, nisi coacti, dum Christo dolorum omnium caussa sumus. Monitus rex David à

2. Reg. 12. v. 13.

Nathane, clamat: *Peccavi Domino.* Et exinde illiditur terræ, stratum lavat lacrymis, pani cinerem miscet, delicias omnes repudiat. Monet nos Propheta, sed judex palàm monet, monent vincula, livores, sputa, monent lacrymæ veniámque spondent, sed resipiscentibus. Ubi jam scelerum pœnitudo, ubi morum constans emendatio?

Suam quisque conscientiam rimetur, & habebimus abundè quod grandibus lacrymis defleamus. O quoties fœdum in homine sævit incendium, nec ille tamen ullis lacrymis istud extinguere molitur! Julius Solinus de Siculo monte ignivomo. Ætna, inquit, perpetuò sulfureo igne ardet, & tamen ex eâ manat frigida. Ætna est cor humanum, fœdo ardens igne libidinum, & tamen tam multum frigidæ inde profluit. Hinc frigida oratio, frigida pœnitentia, frigida & parca eleemosyna, frigida & nimium exilis patientia. Ardemus, & pessimos ardores istos lacrymis temperare non satagimus. Omnia tempus habent. Nunc certè flendi tempus est. Si flere non possimus, cor nostrum libidine malè ustulatum lacrymis Domini Jesv in cruce fusis lavemus. Ex alto clamat Redemptor: Revertere ad me, ô homo, quia redemi te.

§. III. *De aquâ è latere Christi profluente.*

3. Aqua.

TErtius fons balsami ex Iride Christo crucifixo defluens est Aqva, non fontana, non putealis, non marina, sed ex ipso Christi pectore hausta. Israëlis populo sitim nimis quàm impatienter ferente, Deus ad Mosen, *Percutiet petram*, inquit, *& exibit ex eâ aqua, ut bibat*

Exod. c. 17. v. 6.

populus. Vox Christi crucifixi ad nos est: Populo meo dedi aquam è rupe, at vobis è latere & corde meo. Præcordia mea vobis in aquagium sunt facta.

Christus ad fontem fessus considens, multa dixit Samaritidi de aquâ vivâ. Et ecce hic illa ipsa est. In cenâ ultimâ misit aquam in pelvim, & pedes suorum lavit, nunc ex ipso pectore mittit aquam lavandis mentibus.

Cùm Francofurti anno Christiano M. D. LXII. Maximilianus II. Imp. Romanus pronuntiaretur, ante curiam Aquila biceps albo & rubro vino liberalissimè fluxit in avidissimæ plebis jucundam refocillationem.

En Aquilam bicipitem, humanâ divináque naturâ constantem, in cruce fixam, candido & purpureo latice, aquâ & sanguine fluentem! Hæc illa per Ezechielem promissa est aqua: *Effundam super vos aquam mundam & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris.* Hoc ne promisit, qui per Psalten de seipso dixit: *Sicut aqua effusus sum.* En mater ex oculis, filius ex oculis & corde simul fundit aquam. Tanti redemptio hominis.

Ezech. c. 36. v. 25.

Psalm. 21. v. 15.

Cùm vere gemmant vites, plorant. En vitem veram gemmantem & plorantem. Pretiosus hic liquor non oculis solùm, sed & pectori medetur. Consilium omnium ascetarum est: *Da te ad cordis compunctionem, & invenies devotionem. Compunctio multa bona aperit, quæ dissolutio citò perdere consuevit.* Aqua è Christi latere scaturiens, cordi nostro chrysulca est, illud saluberrimè compungendo. Audimus, legimus, meditamur subinde Christi cruciatus, sed deest cordis compunctio. Quod religiosissimus scriptor his verbis ostendens, *Quia*, inquit, *ad cor ista non transeunt, & blandimenta adhuc amamus, ideo frigidi & valde pigri remanemus.* Ora igitur humiliter ad Dominum, ut det tibi compunctionis spiritum & dic cum Prophetâ: *Ciba me Domine pane lacrymarum, & potum da mihi in lacrymis in mensurâ.* Ad cordis compunctionem necessariò est, vagationes & excursus mentis tollere, animi sensa colligere, in seipsum descendere. Si vis, inquit vir ille sanctus, corde tenus compungi, intra cubile tuum, & exclude tumultus mundi, sicut scriptum est: *In cubilibus vestris compungimini. Scindite corda vestra, & non vestimenta vestra, & convertimini ad Dominum Deum vestrum.* Aqua profluxit è Domini dormientis latere: non inter turbas, sed in quiete compunctio cordis obtinetur. Salubria vitæ monita non legenda tantùm vel audienda, sed nobisipsis expendenda & commeditanda sunt, nec in iis dulciores affectus quærendi, sed animi alacritas ad agendum & patiendum spectanda. Nos plerumque solis inhæremus cæremoniis, rem ipsam negligimus, de cortice litigamus, nucleum abjicimus. Vestimenta scindimus, non corda.

Thom. à Zemp. lib. 1. cap. 21. n. 1. Compunctio necessaria est devotioni.

Ibid. num. 5.

Psalm. 79. v. 6.

Psal. 4. v. 5. Joël. cap. 2. v. 13.

§. IV. *De fuso Christi sanguine.*

4. Sanguis.

FOns quartus balsami ex Iride Christo crucifixo defluens est Sangvis. Exechiel de aquæ incrementis, *Cùm egrederetur*, inquit, *vir ad Orientem, qui habebat funiculum in manu suâ, & mensus est mille cubitos, & traduxit me per aquam usque ad talos. Rursúmque mensus est mille, & traduxit me per aquam usque ad genua. Et mensus est mille, & traduxit me per aquam usque ad renes. Et mensus est mille, torrentem quem non potui pertransire, quoniam intumuerant aquæ profundi torrentis, qui non potest transvadari.* Transivimus per Christi Sudorem, Lacrymas, Aquam è pectore fusam. Nunc verò ad torrentem Sanguinis sumus deducti, quem penetrare non licebit. Moyses olim volumen fœderis legit audiente populo. Deinde *sumptum sanguinem respersit in populum, & ait: Hic est sanguis fœderis, quod pepigit Dominus vobiscum super cunctis sermonibus his.* Cæremonia fuit, quæ noxas non abluit. Christus *dilexit nos, & lavit nos à peccatis nostris in Sanguine suo.* Hic sanguis Liberalissimus, Nobilissimus, Efficacissimus, Purissimus. Singula hæc paucis explicanda.

Exech. c. 47. v. 3. & seqq.

Exod. c. 24. v. 8.

Apoc. cap. 1. v. 5.

Christi sanguis fuit liberalissimus.

I. Liberalissimus, ad extremam usque guttam pro nobis fusus.

Exod. cap. 7. v. 21. nobis fusus. Moysis ævo, *fuit sanguis in tota terrâ Ægypti*, in pœnam Ægyptiorum. Sanguis Christi per totum se orbem diffudit in orbis salutem. Ad ipsos etiam ma-
Zach. cap. 9. v. 11. nes penetravit. Quod Zacharias asserit: *Tu quoque in sanguine testamenti tui emisisti vinctos tuos de lacu, in quo non est aqua.* In cælum subsiliit, nam & Angelis, ut aliqui censent, gratiam & gloriam promeruit.

Jusserat Deus è speculis mulierum fieri labrum. Huic
2. Par. c. 4. v. 2. Salomon mare fusile suffecit: *Funiculus triginta cubitorum ambiebat gyrum ejus.* Huic mari succesit piscina probatica, quam Angelus statis diebus in unius sanitatem movit. Huic demum Christus, novi Testamenti Angelus, probaticum sui Sanguinis oceanum substituit. In hoc mari rubro Sanguinis submersus est Pharao avernalis cum suis omnibus copiis. Verè non guttatim, nec parcè Christus suum nobis Sanguinem propinavit, inter olivas terræ affusus, in prætorio ad columnam cæsus, paliuris redimitus, ad crucis supplicium eductus, clavis ad crucem suffixus; jam mortuus ad ultimam usque guttulam cum pretiosi liquoris nihil subtraxit. Tamquam si dixisset: Scio, Sanguis meus petitur: dabo illum, nec expectabo, dum flagris, spinis, clavis extrahitur; ultro eum exsudabo.

Justin. lib. 1. hist. propiùs finem. Justini verba sunt: Satiate sanguine, quem sitisti, cujusque insatiabilis semper fuisti. Tomyris Scytharum regina, quod Justinus commemorat, cùm hostis Cyri caput obtinuisset, illud in utrem humani sanguinis plenum misit, hac additâ crudelitatis exprobratione. Sanguinem sitiisti, sanguinem bibe. Sceleratus orbis quid nisi sanguinem Christi sitiebat? Quem sitiit, jam bibat. Sat sanguinis fusum est; nemo hîc majorem liberalitatem desideraverit.

Plin. lib. 2. Nat. hist. cap. 56. Narrat Plinius, in monumenta relatum, M. Acilio & C. Porcio Coss. lacte & sanguine pluisse, & sæpe aliàs carne. Item ferro in Lucanis, antequam M. Crassus à Parthis interemptus est; Aruspices autem cavenda præmonuisse superna vulnera. Et ferro & sanguine pluit eo
Isa. cap. 53. v. 5. die, quo in Golgothæo monte interfectus est Dei Filius, quia omnia superna vulnera nobis debita excepit. *Vulneratus est propter iniquitates nostras.* Et quemadmodùm, qui amicum è carcere liberare cogitat, omnium custodum manus nummis implet; ita Christus humanam gentem stygiis ergastulis educturus, flagra, spinas, clavos, crucem, vestes & terram ipsam cruore suo satiavit. Sanguis Christi liberalissimè fusus est.

Christi sanguis fuit nobilissimus.
1. Pet. c. 1. v. 18.
1. Cor. c. 6. v. 20. II. Nobilissimus ac pretiosissimus fuit hic Sanguis. *Scientes*, inquit Petrus, *quòd non corruptibilibus auro vel argento redempti estis, sed pretioso Sanguine quasi agni immaculati Christi, & incontaminati.* Tam sanè nobilis & pretiosus fuit hic Sanguis, ut eo infiniti mundi potuissent redimi. *Empti sumus pretio magno*, quo divinæ justitiæ abundantissimè satisfactum, & in libertatem asserti omnes. Sanguis illius guttula vel unica orbem universum vindicare potuisset, sed contrà orbis universus nec unicæ quidem animæ vindicandæ sat pretii fuisset. Hunc Sanguinem omnes priscæ legis victimæ, tot millena millia taurorum, ovium, vitulorum, & cæteri pecoris majoris adumbrabant; neque enim divina justitia cessasset nostrum omnium sanginem haurire, nisi hic unus fuisset in lytrum effusus.

Victimæ legis priscæ hunc sanguinem ad umbrabat.

1. Machab. cap. 6. v. 34. Rex Antiochus Epiphanes habuit triginta duos elephantos ad bella eruditos, his *ostenderunt sanguinem uvæ & mori, ad acuendos eos in prælium.* Concitavit in se Christus acherontícum elephantem, qui omnibus laboravit, ut hominem innoxium per invidiam ageret in crucem. Egit; potitus est voto, sed ingenti suo damno. Tot sæculis captivos perdidit.

Anno M. CC. XL. Pontifice Innocentio IV. in Concilio Lugduni, sacris Senatoribus Romanis, Cardinalibus decreta cum pileo rubro purpura, ut eo vestis colore monerentur, pro Ecclesiâ, si opus, sanguinem fundere. En, Dei Filius, Cæsare Tiberio, Præside Pilato, suum omnem pro Ecclesiâ fudit Sanguinem, jus purpuræ ge-

A standæ jure meritissimo consecutus. *Formosus in stolâ sua, Isa. 63. gradiens in multitudine fortitudinis suæ, propugnator ad sal- v. 1. vandum.* Nec tamen defuerunt, qui quærerent. *Quare rubrum est indumentum tuum, & vestimenta tua sicut calcantium in torculari?* O nobilissimus Sanguis, magnum, infinitum pretium has vestes purpuravit!

III. Efficacissimus fuit hic Sanguis. Iordanis flumen Christi Samariæ, lepram Naamani absterstit. At verò Sanguis gratia Christi ad medendum longè potentior, cujus vel una guttula omnium lepram potest abstergere. *Sanguis hircorum, 4. Reg. ut Paulus loquitur, & taurorum, & cinis vitulæ asper- v. 14. sus, iniquinatos sanctificat ad emundationem carnis.* At verò Heb. 9. Sanguis Christi emundat conscientiam nostram ab v. 13. operibus mortuis, ad serviendum Deo viventi. Diluvium, Deus bone! balneum amplum & severum, omnium terræ germina, pecus omne, humanum genus universum, pauculis exceptis suffocavit, peccata non abluit: hoc verò Sanguinis diluvium peccata sepelit, hominiB bus aspirat vitam: salutare prorsus balneum. Si cui paulum perum ægroto dicat medicus, Lavare vino, & revalescens; mox ægrum audiet dicentem: O mi Domine, vix mihi calida est aqua; vini balneum omnem censum meum longissimè excedit. At Christus omnes, etiam pauperrimos, non lacte aut vino, non melle aut oleo, non succo citrino, non liquore rosaceo, sed Sanguine suo nos lavit. Hic non tantùm petras, sed & iis duriora rupit, non saxea, sed chalybea Judæorum corda. *Percutientes pectora sua revertebantur.*

De pretio hujus Sanguinis Augustinus eximiè. *Fra- Aug. tres mei*, ait, *si agnoscimus pretium nostrum, quia Sanguis est tract. 1. Agni, qui sunt illi, qui hodie celebrant festivitatem sanguinis, in Joan. nescio cujus mulieris? Et quàm ingrati sunt? Raptum est aurum, dicunt, de aure mulieris, & cucurrit sanguis, & positum est aurum in trutinâ vel statera, & præponderavit multum de Sanguine. Si pondus ad inclinandum aurum habuit sanguis mulieris, quale pondus habet ad inclinandum mundum sanguis* C *Agni, per quem factus est mundus? Qualis Agnus est? Quem lupi timent. Qualis Agnus est? Qui leonem occisus occidit. Sanguine Agni victus est leo. Ecce spectacula Christianorum. Et magnum est hoc spectare per totum orbem terrarum, victum leonem Sanguine Agni, educta de dentibus leonum membra Christi, & adjuncta Corpori Christi.* Certè uti porticus quadro marmore pavimentata, si lapides secto sanguine coagmentatos habeat, velut unum marmor, & opus pæne indissolubile fit; ita fortitudo constantiáque Martyrum & Virginum stat invicta Christi Sanguine. Atque uti hortenses rosæ sanguine plantatæ uberiùs pullulant, ita nos, roseta frigore jugulata, reviviscimus Christi Sanguine rigata. Dominicus Sanguis efficacissimus.

IV. Purissimus est. Fit nonnunquam, ut mater inte- Christi gerrimæ valetudinis parvulum habeat lactentem, sed sanguis ægrum; in hujus gratiam amarum ipsa pharmacum sumit, ut vis pharmaci cum lacte derivetur ad infantulum. Ita Christus, verè mater humanæ gentis, amarissimum D exhausit poculum, ut per suum nos Sanguinem, velut per lac maternum perpurgaret. Nobis reverà jejunavit, nobis vigilavit & oravit, nobis sudavit, & cruciatus acerbissimos toleravit. Nos ægri eramus, sed ipsi sano sectæ sunt venæ. *Verè languores nostros ipse tulit.* *Isa. cap. 53. v. 4.*

§. V. *Quomodo & quare fusus hic Sanguis.*

IN cælo seniorum unus Joannem interrogans, *Hi*, ait, *Apoc. cap. qui amicti sunt stolis albis, qui sunt, & unde venerunt?* Mox 7. v. 13. & ipse quæstioni suæ respondens: *Hi sunt, qui venerunt de tribulatione magnâ, & laverunt stolas suas, & dealbaverunt eas in Sanguine Agni.* Quomodo dealbaverunt, si sanguine Christi laverunt? sanguis rubet. *Sanguis*, inquit Augustinus, *in* sanguis *uberibus matris lactantis excoquitur calore ut candescat: ita* mortis ige *Christi Sanguis amore tanto pro nobis fusus est, ut igne hoc ex-* excoctus *coctus in maternum lac mutârit jamque cibus nobis sit & po-* est, ut no- *tus; hoc lavamur, alimur, ornamur.* Quod Agnes gemma bis cibus & Virginum potus.

Virginum dixit: Sanguis ejus ornavit genas meas. Omnis expiandi virtus à Christi Sanguine est. A

Sed per quantos cruciatus Sanguis hic fusus est? Ut omnem dolorum seriem taceamus, sunt qui censeant, in domo Caiphæ incussum Christo colaphum chirothecâ ferreâ, eâque vi, ut mox in tumescente toto vultu ita suffusus sit sanguis, ut notas ferreorum digitorum receperit, idque in sudario Veronicæ (quod Roma servat) luculentè cerni asserunt. Imò sanctissimus hic Sanguis, velut invitus sede suâ pulsus, redire cupiisset. Quod Birgitta, sancta vidua testatur his verbis: Igitur ore aperto, sicut jam expiraverat, lingua, dentes, & sanguis in ore ab aspicientibus poterant videri. Nimirum ad has latebras refugiebat sanguis, qui venis omnibus expellebatur. Ita os sanguine plenum natabat.

Jobus de aquilâ differens, *Pulli ejus*, inquit, *lambent sanguinem*. Hoc eis in alimoniam & potionem est. Nam, ut Aristoteles sentit, æquilæ non bibunt; pro potu, sanguis est prædæ. *a* Cùm verò mater pullis sanguinem nequit subministrare, in femore seipsam vulnerat, eúmque suis sorbendum infantibus propinat. *b* Joannes & Magdalena, velut aquilini pulli ad hauriendum sanguinem advolarunt. Magdalena sub cruce sanguinem cum terrâ sustulit, quæ in Galliis apud S. Maximinum in ampullâ vitreâ, colore rubro atróque mixta servatur. Ejus mentionem faciens *c* Silvester Prieras in ipsis verbis; Quæ, inquit, ut constanti omnes sermone asserebant, singulis annis in die Parasceves, perlectâ Passione, clarè ebullit, quasi Sanguinem redemptionis nostræ pretium, omnium oculis conspiendum præbens. Joannes autem verè aquila, acutissimùm cernens, quod nullus, is singularissimè observavit, sanguinem è Dominico latere fluxisse. Et quam amavit nos Christus, reverà mater, quæ non è femore tantùm, sed è manibus ac pedibus ac venis omnibus, virgineum nobis Sanguinem propinavit, Sanguinem putissimum. B

Sed, obsecro, cur Deus non aliter propitiari voluit, quàm Sanguine, & tali? Indigitemus caussas. C

* I. Ut probè capiamus, quàm exacta, quàm & severa sint justitiæ divinæ judicia. Quid ab homine plus petas sanguine? Si pecuniæ, si vestes, si supellex, si gemmæ petantur, dabit omnia, modò vitam servet & sanguinem.

II. Etsi millies vociferatus fuisset Siracides, *Quasi à facie colubri fuge peccata; d* sub iis tam infandam malitiam latêre numquam credidissemus, nisi jam viso Christi Sanguine ob peccata fuso.

III. Hinc summa Christo gloria obvênit. *Propter quod & Deus exaltavit illum, & donavit illi nomen, quod est super omne nomen. e* Si Regi Codro, *f* pro Athenienſibus, si Deciis pro Româ sanguinem fudisse tantæ fuit gloriæ; quantæ erit, pro omni humanâ gente occubuisse?

IV. Doctrina Christi sanè ardua est, nec adeò facilis factu: animam suam & seipsum odisse, crucem amplexari, inimicos amare, iis benefacere, humano genio minimè pronum est. Has præceptiones Christus Sanguine suo conscripsit & confirmavit. D

V. Hoc Angelis exemplo fuit obstupescendo, ut tantò iis amantiùs deservirent, pro quibus eorum Rex sanguinem etiam fudisset.

VI. Hoc hominibus potentissima cohortatio ad adversa quævis toleranda. Sed quidquid demum toleremus adversi, excitabit Paulus ad majora, & illud suum ingeret: *g Nondum usque ad sanguinem restitistis, adversus peccatum repugnantes.* Hinc acuimur velut elephantes in prælium. Et quantùm Romanus populus concitari se passus, cùm Julii Cæsaris in curiâ obtruncati cruentam vestem cerneret? Quid nos, spectato Christi corpore cruento, numquid ad ausa prosilimus generosiora? Et certè nisi hic Sanguis Dominicus nos calefaciat, erigásque ad fortiter agendum & patiendum, frigidi, imò mortui sumus.

VII. Virgineus hic Sanguis animi puritatem & castimoniam nos docet. Hortatur Paulus: *Pacem sequimini cum omnibus, & sanctimoniam*, hoc est, castimoniam, uti Chrysostomus & Hieronymus interpretantur. Quisquis autem evitare cupit libidinem, oderit otium, & torpidam quietem. Quemadmodum verò ros matutinus herbas arentes recreat, sic animum cupiditatibus æstuantem ad sanctimoniæ leges revocat Christi Sanguis. Hoc illud *vinum est germinans virgines.* Sunt quidam fructus arborum ejus indolis, ut, si sint illibati diutissimè in paleis, vel arenâ, vel foliis quasi recentes servari possint, semel delibati non nisi melle ac saccaro servantur. Nos velut fructus à peccato sæpius libari, non virgineo melle, sed Domini Jesv Sanguine servari possumus.

Et reverà nisi quis seipsum quotidie Christi crucifixi Sanguine velut recens aspergat; eúmque piis desideriis è Dominico latere bibat, atque Jesvm in cruce cruentum arctissimè complectatur, heu sensim calorem animi atque spiritûs perder, & frigescet; imò perdet seipsum & cælum, hostis Dei.

Sanguis Jesv *Christi Filii ejus emundat nos ab omni peccato. Habentes itaque, fratres, fiduciam in introitu sanctorum, in Sanguine Christi, quam initiavit nobis viam novam & viventem, hanc teneamus ad regnum.*

Heb. c. 12. v. 14.

Zach. c. 9. v. 17.

1. Joan. c. 1. v. 7. Hebr. c. 10. v. 19. & 20.

CAPVT IX.

De vestimentis Christi morituri divisis, de titulo ad crucem appenso.

RItu veteri Romanorum, siquando proscriptorum bona, hostiúmve manubiæ aut præda venales forêt, vectigaliáve locarentur, usus obtinuit, ut hastâ positâ, tabellâ cum inscriptione additâ væirent. Ita Senatus, cùm incenderetur annona, publicè fixit hastam, & vendidit frumentum. Hæc *hasta salutis* dicta. Proximè Hierosolymam in Golgothæo monte vestes regiæ, auctione sunt venditæ. Loco hastæ crux fixa, quam Christiani omnes jure meritissimo vocent *Hastam salutis.* Appositus est etiam titulus & inscriptio, ut sciretur, cujus eæ vestes fuissent, Jesvs *Nazarenus Rex Iudæorum.*

Alexander. ab Alex. lib. 3. cap. 16. mihi p. 152.

Crux Christi est hasta salutis.

Hîc Isaias velut auctionans, & orbem invitans ad emendum, *Venite*, inquit, *emite absque argento & absque ullâ commutatione.* Nemo serius emptor hinc arceri potest, auri argentive inopia hinc nullum submover. Sat pinguem crumenam habet, qui bonæ voluntatis dives est. Hîc summi Regis vestes pretio venduntur mitissimo. Nos hoc capite potissimùm duo exequemur. Primò, De Domini Jesv vestibus, quas milites inter se sorte ac ferro diviserunt, agemus. Deinde, Crucis titulum, Jesvs *Nazarenus Rex Iudæorum*, exponemus.

Isa. cap. 55. v. 1.

§. I. *Quæ Christi vestes fuerint divisæ.*

DE vestibus Christi sub ipsâ cruce divisis hæc annotans Joannes, *Milites ergo*, inquit, *cùm crucifixissent eum, acceperunt vestimenta ejus, & fecerunt quatuor partes, unicuique militi partem, & tunicam. Erat autem tunica inconsutilis, desuper contexta per totum. Dixerunt ergo ad invicem: Non scindamus eam, sed sortiamur de illâ cujus sit. Ut scriptura impleretur dicens: Partiti sunt vestimenta mea sibi, & in vestem meam miserunt sortem.* Nullus Evangelistarum hoc mysterium siluit, omnium explicatissimè Joannes id memoriæ prodidit. Hîc aliquot nobis quæstiones veniunt discutiendæ.

Ioan. c. 19. v. 23. & 24. Psalm. 21. v. 19.

I. Quæ & quot vestes fuerint. Euthymius censet fuisse triplices: Tunicam interiorem, seu subuculam, tunicam exteriorem, & pallium. Credibile prorsus, illo ævo tibialia ceteráque partes vestium in usu non fuisse. Tunica interior, communi Patrum priscorum sententiâ, erat inconsutilis, & à beatissima Virgine Matre acu è lanâ contexta: si quidem in Oriente, recepto more, vestes femi-

Quæ & quot vestes Christi à militibus acceptæ. Euthym. in c. 27. Matt.

3. Esdræ cap. 4. v. 47.

stes feminæ confecerunt. Quod Esaras asserens, *Et ipse*, inquit, *faciunt stolas omnium hominum*. Super hanc textilem vestem sors jacta est, quam Christiani nummis facilè à militibus impetrârunt. Hęc omnium sensu, paribus cum Christo incrementis, ad corporis staturam auxit. Quod tantò facilius creditu est, cùm è sacris paginis constet, Judæorum vestes in solitudine annis 40. non consumptas. *Vestimentum tuum quo operiebaris, nequaquam vetustate defecit, & pes tuus non est subtritus, en quadragesimus annus est.a* Hæ vestes cum parvulis videntur crevisse (Alphonso Tostato, aliisque testibus) alioquin eæ crescentium membris non quadrassent. Unde autem singuli in tam immensâ multitudine alias atque alias sibi vestes parassent? *b* Quòd verò Christus triplicis generis vestem habuerit, legi suæ neutiquam contradixit: nam Apostolis, uti Euthymius exponit, unam solùm tunicam gestatui permisit, quemadmodum & ipse unicâ contentus fuit, plures & mutatorias prohibuit.

Tunica Christi interior ad corporis staturam auxit. Sic & vestes Judęorum in solitudine.

a Deut. cap. 8. v. 4.

b Ita S. Apollonii (qui quinquatus Monachis præfectus, vir mirę sanctita. is fuit) vestimenta non veterascebant, cùm tamen in deserto Thebaidis vixerit 40. annis, æquè ac Hebræi. Ita Palladius in Lausiacâ, cap. 52.

Gregorius Turonensis luculentè: *c* De hac verò immaculati Agni tunicâ, inquit, quæ à quibusdam audivi, silere nequeo. *d* Ferunt autem in civitate Galatheæ, in basilicâ quæ ad sanctos Archangelos vocitatur, retineri. Est enim hæc civitas ab urbe Constantinopolitanâ quasi milibus centum quinquaginta passibus, in quâ basilicâ est crypta abditissima, ibique in arcâ ligneâ hoc vestimentum habetur inclusum, quæ arca à devotis atque fidelibus cum summâ diligentiâ adoratur, non immeritò digna quæ hoc vestimentum retineat, quod Dominicum corpus vel contingere meruit vel velare.

c Greg. Tur. lib. 1. de gloriâ mart. cap. 8.

d Scripsit hæc ante annos mille, anno 590.

Hæc eadem Christi tunica nunc Treviris asservatur. Coloris est in violaceum nigrescentis, quamvis color vix dignosci queat. Sed omnes Regum & Reginarum attalicæ, pictæ, auro virgatæ, gemmis distinctæ vestes ad hanc unam collatæ, aranearum telæ sunt, & meræ pannuciæ. Hæ quidem Christi vestes, si pretium spectetur, viles, quod Isidorus Peluśiota *e* docet, paupertino ritu confectæ, qualibus nimirum pauperes in Galilæâ solebant uti, nec indæ tamen erant & honestæ, quod Lucas Brugensis asserit, *f* ac vel nitidissimo cuique ad usum idoneæ. Magni pretii fuisse, negant illa Domini in alios dicta: *Ecce, qui mollibus vestiuntur, in domibus Regum sunt.* Et reprehensio opulenti epulonis, *qui induebatur purpurâ & bysso.* Quæ Christus Dominus non verbo tantum, sed & exemplo docuit. Nam Jesvs *cœpit facere & docere.* Hunc ipsum verò minimè pretiosum vestitum Christo morituro retinere non licuit, cùm tamen honestioribus morte damnatis solerent vestes relinqui. Christus igitur tamquam vilissimus hominum atque abjectissimus, iis spoliatus est. Quod Chrysostomus asseverans, *Vestes ejus*, inquit, *inter se partiuntur, quod in condemnatis vilibus & abjectis fieri solet, ac omnino destitutis. Ne tantillum quidem aut servare permissus est operiendo corpori dum viveret, aut amicis relinquere, cùm expiraret. Solent enim ex truculentiâ*, inquit Cyrillus, *publicarum rerum vindices, non modò non condolere damnatis, verùm etiam atrociùs jussa peragere, & inter calamitates aliorum, robur quoddam animi ostentare. Vestes autem damnatorum quasi hæreditatis lege ad se pertinentes sibi vindicant.* Quod etiam nostro ævo fit, ut lictoribus aut carnificibus pro more vestimenta eorum, quos morte affecerint, cedant in operæ mercedem. Cùm ergo Dominus Jesvs nihil aliud haberet, milites saltem vestimenta ejus sibi diripienda, & pro præmio scelerati ministerii retinenda judicarunt, contumelias interim & sarcasmos in pendentem jacientes, quòd pro Regis Judæorum vestimentis, pretiosissimis illis scilicet, eóque Rege dignis cerrarent, tantique Principis jam victi & capti spolia dividerent. Hujusmodi contumelias audivit, & tulit patientissimus Jesvs, viditque ipse suis oculis & coram adspexit è tormentis, quod ipsi solum supererat, vestes suas ut spolia distrahi, eásque non egenis, non amicis, sed impiis in pretium occisionis cedere.

e Isid. Pelus. lib. 1. ep. 74.

f Luc. Brug. in cap. 27. Matth. c. 11. v. 8. Luc. cap. 16. v. 19. Act. cap. 1. v. 1.

Cyrill. l. 12. in Ioan. cap. 38.

Vestes Christi in pretium occisionis cesserunt. lictoribus.

§ II. *Quas ob causas hæ vestes sorte fuerint divisæ.*

ITa ergo voluit pro nobis pati, ut nihil esset in ipso, quod non verteretur ipsi & in ludibrium, & in tormentum. Omnium denique jacturam passus est, ut nos inopiâ ipsius ditaremur. Hanc vestium partitionem Rex Psaltes tot antè sæculis prædicens, *Divisérunt*, inquit, *sibi vestimenta mea, & super vestem meam misérunt sortem.* Rem futuram describit tamquam præteritam ob certitudinem eventûs. Non potuit Hebræus Vates clariùs exprimere historiam post tot sæcula futuram. Ideo Joannes Domini ocellus hæc de vestibus Christi ceteris distinctiùs scripsit, ut monstraret, quàm exactè ista divini libri prædixissent, & ut discerémus nihil passum esse Dominum Jesvm, quod servatorem minùs deceret; ne quod oculi nostri offensionis caperent è tantâ nuditate ac ignominiâ. Imo verò magnæ fuit gloriæ Christo, hæc etiam miracula à Spiritu sancto prædicta. Quòd verò Vates dicat, *Super vestem meam misérunt sortem*, consecutio nulla est, super alia duo vestimenta non missam sortem. Quod factum Marcus asserens, *Divisérunt*, inquit, *vestimenta ejus, mittentes sortem super eis, quis quid tolleret.* *Dividuntur*, ait Ambrosius, *vestimenta, alii aliud sorte defertur.* Ergo è geminis vestibus quatuor fecerunt partes, pro numero militum quibus carnificina erat commissa: ne quid autem querelæ nascéretur, lusérunt quam quisque partem ex quatuor istis acciperet. Textilem verò togam minimè dissuendam arbitrati, *Non scindamus eam*, inquiunt, *sed sortiamur de illâ cujus sit.* Hujus divisionis & lusûs militaris varias assignare causas est.

Psal. 21. v. 19.

Marci 15. v. 24.

Ambros. lib. 10. in Luc.

Gen. c. 37.

Ioan. c. 19. v. 24. Divisionis & lusûs militaris causa.

I. Irrisus ficti Regis, ut putarunt, cujus vestes secarentur sub furcâ, in quâ ipse penderet & moreretur.

1. Irrisus ficti regis.

II. Ut oraculis & vaticiniis sua staret veritas. Sed non ideo hoc factum, quia prævidit David, sed ideo David istud præviderat, quia futurum erat. Et en, quàm opportunè Deus suæ voluntatis institutum per sceleratissimos quosque homines, nil minus quàm talia cogitantes, peragat.

2. Ut oraculis suis staret veritas.

III. Ut filii & matris dolor hæc spectantium augeretur, ideo id fieri permisit Pater divinus. Hoc spectaculum orbi, hoc Christo ipsi objectum. Eæ vestes, quarum vel fimbria & extremæ oræ quoscumque morbos sanaverant, hîc jam sub cruce, velut latroni celeberrimo detractæ exuviæ, lacerantur in prædam & mercedem carnificum.

3. Ut filii & matris dolor augeretur.

IV. Avaritia militum, qui ubi nil auri aut pecuniæ ab hoc reo relictæ invenissent, impetum verterunt in vestes, quæ uti non pretiosæ, ita etiam non vilissimæ fuerunt; & forsan sperârunt non parvo vendendas, cùm fama spargeret, vim eis inesse magnam. Ne quid autem jurgiorum oriretur in partitione istâ, sorte lis dirimebatur. *Cõtradictiones*, inquit Salomon, * *comprimit sors.*

4. Avaritia militum.

* Prov. c. 18. v. 18.

5. Ipsorum erant pannicularia hæc bona. Si quidem natus sericus, mycha, gremium aliæ pretii magni digitum, aut chirographi grandis pecunia fuit habuerit, multo pretiosior pannus lana nebitur. L. Deum si pro habebis thesaurum in cælo, & veni, sequere me. c Vulpes foveas bonis dam. habent, & volucres cæli nidos; filius autem hominis non habet, naturam. ubi caput suum reclinet. d Qui non renuntiat omnibus quæ pos- b 6. Perfectissima Christi paupertas. sidet, non potest meus esse discipulus. e

V. Ipsorum erant, præsertim cum veniâ Præsidis, pannicularia hæc bona. Adriani Imperatoris rescriptum extat, quod Ulpianus *a* explicat, pannicularia bona ea esse, quæ quis in custodiam receptus secum attulit, non omnia, sed vestes quibus indutus, nummi laterales quos victûs caussâ in promptu habuerit, & leves annuli, qui aureos quinque non excedant.

a Si quis in custodiam receptus secum attulit, non omnia, sed vestes quibus indutus, nummi laterales quos victûs caussâ in promptu habuerit, & leves annuli, qui aureos quinque non excedant.

b VI. Perfectissima Christi paupertas, cujus luculentissimum exemplum hîc oculis subjecit. Non satis Christo à propinquis & nummis nudum, vestibus etiam exutum in crucem se tolli voluit. Facultates illius omnes & possessiunculæ, tam usus earum quàm dominium in manu militum sunt. Jam hortatur & clamat: *Si vis perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cælo, & veni, sequere me.* c *Vulpes foveas habent, & volucres cæli nidos; filius autem hominis non habet, ubi caput suum reclinet.* d *Qui non renuntiat omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus.* e

VII. Immen-

c Matt. c. 19. v. 21. d Matt. c. 8. v. 29. & Luc. c. 9. v. 58. e Luc. c. 14. v. 33.

1. Immensa in nos liberalitas.

VII. Immensa in nos liberalitas. Poterat liberalissimus Christi amor dicere: En do mea omnia, insuper & meipsum, corpus, animum, sanguinem, honorem, facultates universas; omnia mea vestra sunt. Quidquid in me est, in tormentum aut ludibrium versum est.

O bone Iesv, modis omnibus contemneris, & irrideris! An non amori sufficerit, te inter latrones duos morientē cernere? num etiam vestes tuas, ut pauperrimi hominis & falsi Regis, ut malefici & latronis diripi & scindi oportuit? Postquam tui hostes corpus lacerarunt, jam etiam indumenta tua, & cor matris tuæ, in mille partes lancinant.

Quis sensus hîc fuerit beatissimæ Virginis ad crucem stantis, & suismet oculis spectantis, tunicam miraculorū effectricem à canibus illis diripi, & in partes secari, suos labores pedibus calcari, amictum quem suis ipsa manibus amore tanto confecerat, tam indignis modis compilari? Non oculos lacrymis plenos in altum extulerit, cum filio solis affectibus collocuta: Ergo ego, fili mi suavissime hinc vacua recedam, & ne quidem particulā vestimenti à me facti obtinebam.

Gen. c. 37. vers. 33.

Iacob polymitam vestem Ioſephi filii cruentam cernens, *Tunica filii mei est, inquit fera pessima comedit eum, bestia devoravit Ioseph.* Haud aliter Virgo Mater dixerit: Agnosco filii mei tunicam: heu fera crudelissima invidiæ laceravit filium meum!

§. III. *Mysteria & documenta è divisione harum vestium.*

2. Mysteriam è divisione vestis Christi.

Sed mysteria & documenta, quibus hæc vestium divisio atque sortitio abundat, jam inspicienda.

I. Exteriores Christi vestes pluribus distributæ, tunica interior uni cessit. Cæremoniarū, quibus Ecclesia sacratiores hos dies insignit, Christiani omnes fiunt participes, Christi crucifixi statuam venerantur, & osculis impertiunt omnes, etiam usurarii, homicidæ, adulteri; extranea hæc pietas est, amiculum adhærens extrinsecus: interior Christi tunica, vera Spiritūs gratia, devotio solida paucorū est, & eorum tantùm, quos amor sincerus ita Christo conjungit, ita voluntates copulat, ut duo sint unus homo. Hi soli Deo noti. *Cognovit Dominus, qui sunt ejus.*

2. Ad Tim. c. 2. v. 19.

Secundū.

II. Christi vestes in quatuor partes, religio & disciplina Christi in quatuor orbis plagas divisa, ut omnes induant Christum, quemadmodum totus terrarum orbis vestitur sole. *In hac fide,* inquit Cyrillus, *caro Christi per Eucharistiam omnibus orbis partibus impartibiliter communicatur.*

Cyrill. l. 12. c. 31.

Tertium.

III. Quadruplicem Christus amorem exhibuit: Ruinam Angelorum restauravit, humanam gentem Sanguine redemit, hostibus Iudæis veniam exoravit, idololatris se crucifigentibus suas vestes donavit.

Quartum.

IV. Inconsuta textilis tunica, est Ecclesia, & omnium Christi membrorum inter se concordia. Suasor ille miles ratione usus est, qui dixit: *Non scindamus eam.* O quoties nos temere amicitiam, charitatem, & consensionem scindimus, ob aliquot sestertios, ob paucos nummulos, ob acerbiora pauca verbula! Quoties lite ortâ cum inverecundâ lupâ clamamus illud: Dividatur, dividatur? Quanti stimulante invidiâ vociferamur: Nec mihi, nec tibi sit, sed dividatur? At verò germana mater, *Obsecro,* inquit, *date illi infantem vivum, & nolite interficere eum.* Ita vero nomine Christianus, Ego, inquit, potiùs nescio quid perdam, quam ut charitatem lædam, discordias seram. Quod Paulus adeò commendans, *Super omnia hæc,* inquit, *charitatē habete, quod est vinculum perfectionis.* Non scindamus eam, tametsi aliquid dispendii sequatur, sed sortiamur, prout voluntas Dei & occulta ejus judicia suum cuiq; assignaverint. Et hæc quidē inter mysteria numeramus.

Dan. c. 13. vers. 24.

3. Reg. c. 3. vers. 26.

Ad Coll. c. 3. vers. 14.

Documenta porrò non pauciora hîc suggeruntur.

1. Documentū ex divisione vestium Christi.

I. Discamus nō amare solùm hostes, & pro iis precari, sed etiam beneficiis eos afficere. Si totam vestem, panem integrum, totam crumenam iis impertiri non liceat, saltem inde partem decerpamus, & in illos conferamus beneficia, qui nobis injurias, aut damna quantumvis recentia intulerunt. Carnifices suos remuneratur Christus recentissimè non incōmodum, sed mortem inferentes. Nos quandoquidem prompti parati sumus dare, sed laqueum, sed pestem, sed mille cruces. Hoc sanè sub Domini cruce non discimus. Nescimus cujus spiritūs simus. *Filius hominis non venit animas perdere, sed salvare.*

Luc. c. 9. v. 55. & 56.

Secundū.

II. Si Christi vestimenta hominibus in prædam cesserunt, cur nos vermiculi nostra omnia cupimus magni esse pretii, laudari, & cælo attolli. En sacrilegium & simoniam: Iscariotes proditor vendit orbis pretium, pæne nullo pretio. Quaterni milites sacras vestes auferunt impune. Silet Deus & permittit: Non ergo miremur, sed nec indignemur, nostra non magno æstimari.

Tertium.

III. Si textilis Christi tunica vænum exponeretur, quanto eam Principes & Reges emerent? Quot nunc dicunt, ait Chrysost. Vellem Christi formam aspicere, figuram, vestimenta, calceamenta! Et quot dicunt: Vellem aliquid horum habere, quantóvis pretio vel partem sacræ tunicæ mihi cōpararem. His Chrysost. respondet: *Ecce eum vides, ipsum tangis ipsum manducas. Et tu quidem vestimenta cupis videre aut habere: ipse verò tibi cōcedit non tantùm videre, verùm & tangere, & intra te sumere. Verite igitur, & emite absque argento.* In humilitatem te submitte, atque conscientiæ labes detege, & jam emisti.

Chrys. hom. 60. ad pop. Antioch.

Is. c. 55. v. 1.

Quartum.

IV. Discamus invidiam extremè odisse. Invidia cruentum fera pessima Ioſepho innocenti polymitam detraxit, in cisternam eum dejecit, in Ægyptum vendidit. Et nos hanc feram impendiis magnis alimus. Iulio Cæsare in curiâ confosso M. Antonius ad populum peroravit, & unà cruentam tunicam monstravit. Ad ea populus insaniens mox Cassium & Brutum urbe expulit. En cruentas Christi vestes, invidia cruentavit. En Regem cæli in crucem suffixum, suffixit invidia. En Dei Filium in infami trabe mortuū; invidia mori compulit. Neque hoc Pontium Præsidem Romanū latuit; *sciebat enim, quòd per invidiam tradidissent eum.*

Matth. c. 27 vers. 18.

Quintum.

V. Charitatem, tunicam inconsutilem scindimus, quotiescumque pacem turbamus, inimicitias suscipimus, discordias concitamus. Cùm Arius hæresi turbaret orbem, Petro Alexandrino Antistiti in vinculis ingemiscenti noctu se spectandum prebuit Christus, sed veste sciscâ. Petro ejus rei causſam sciscitanti, Arius eam, ajebat, ita laceravit. Væ his qui concordiam & unanimitatem scindunt, qui conscissionem rumpunt, qui amicitias dissuunt, qui factionē & partes trahunt, qui animorū conjunctionem dissolvunt. Hos judex supremo die digito monstrabit, & dicet: Hic, & hic, & iste, & ille vestem meam inconsutilem scidit. Væ hoc judice damnatis! *Manet enim Angelus Domini gladium habens, ut scindat te medium, & interficiat.*

Baron. anno 310.

Dan. c. 13. v. 55. & 59.

Sextum.

VI. Discamus amare paupertatem. En Dominum Iesvm absolutissimæ paupertatis sublimè fixum speculum. Verè *vir fuit videns paupertatem suam in virgâ indignationis* divinæ. In præsepi ponitur natus, è cruce deponitur mortuus: vita reliqua omnis inter paupertatis angustias exacta. Paupertas patiens, omnia toleratu gravia, in sui solatium trahit; his pascitur. Modò ea vestem innocentiæ servet, ceteris vitæ commodis carere, sui muneris esse judicat. Verè, quod Augustinus dixit, *omnis philosophiæ magistra nobis inopia est.* Vera paupertas ob Christum novit *omnia detrimentum* facere, & ut lutum spernere. Paupertatem Dei Filius sibi spon-

Thren. c. 3. vers. 1.

August. in psal 76.

Ad Phil. c. 3. vers. 8.

sponsam elegit, ut nobis eam æstimatione suâ faceret pretiosam.

O mi amantissime IESV, tu verus es Elias, qui curru amoris igneo in altum subvectus, non pallium tantùm, sed vestes omnes, Corpus & Sanguinem nostro solatio reliquisti. Nos illi miseri sumus, qui ab Hierosolymis Hiericho descendentes, à latronibus spoliati & vulnerati, cataplasmate egerius & vestibus. Et ô quoties sine nuptiali charitatis veste mensam tuam, & cœleste convivium temeramus! *Beatus qui vigilat, & custodit vestimenta sua, ne nudus ambulet.* Apoc. c. 16. vers. 15.

O mi suavissime IESV, tuis nos vestibus tege: tu verus es Aaron, qui in monte vestibus suis nudatus obiit, Eleazaro ejus filio in paternæ vestis hæreditatem subeunte. Nos filii contumaces & immorigeri, tuis tamen vestibus amicimur. Tu opulentus Booz, cujus pallio Ruth paupercula sese operit. Tu verus Ioseph, qui polymitam virtutū omnium nuditati nostræ cōcedis. Amnonitarum rex diabolus castimoniæ togam fœdè præcidit variis illecebris. Tu mitissimus David talares verecundiæ tunicas submittis. *Filiæ Hierusalem super Saul flete, qui vestiebat vos coccino in deliciis, qui præbebat ornamenta aurea cultui vestro.* Tu verè Domine IESV, Sanguinis tui coccino nos vestiisti. † 2. Reg. c. 10. vers. 5. Ib. c. 1. v. 24

† *Ajunt Pilatum ob Christi necem à Tiberio Imperatore Romam evocatum, Pilatus, ne à furibundo Cæsare duci juberetur, inconsutam Christi tunicam induit, & ita se stitit Cæsari. Tiberius assurrexit, & omni furore posito humaniter eum excepit, remisitque non sine honore. Sed facti pœnitens, velut ignaviùs egisset, Pontium revocavit, non tamen minùs benevolè præsentem habuit. Sed tertium denique revocatum, & auxiliari tunicâ exutum, sententiâ capitali fulminavit. Ita Didacus Vega in Psalmum 3. pœnitentialem, conc. 1 mihi pag. 240. sed ex involucro fabulari eruamus verum: Quisquis judicia Dei formidas, te Christi tunicâ involve; expende moriendi tormenta, & ea noxis tuis applica.*

§. IV. *De Crucis titulo, & quare scriptus.*

VT orbis universus nôrit, quid hæc ad crucem auctio vænum exponat, more veteri cum inscriptione apposita est tabella. De quâ Ioannes ista: *Scripsit autem & titulum Pilatus, & posuit super crucem. Erat autem scriptum: IESVS Nazarenus Rex Iudæorum.* Et erat *scriptum Hebraicè, Græcè & Latinè.* Viderì possent hæc minuta, sed sicut de Domini vestimentis, ita etiam de hoc titulo Evangelistæ omnes scripserunt exquisitè. Matthæus & Marcus, imposuerunt super caput ejus, inquiunt, caussam ipsius, quam aliquando præco patibulandi anteambulo proclamabat in via, vel ea tabulâ sine voce præferebatur, aut ipsi reo appendebatur, legentibus obviis satis locutura. Tribus linguis hic titulus scriptus fuerat, Hebræâ, Græcâ, Latinâ. Hebræa, seu Syriaca, suprema erat, Græca media, infima Latina, uti hodieque etiámnum videre Romæ ad sanctæ Crucis. In hac inscriptione Pilatus ambitionis neutiquâ oblitus, idiomati Romano seu Latino infimum, hoc est, honoratissimū locum assignavit. Nam sicut in theatro locum imum, quem orchestram dicebant, Senatores occupârunt, ita in triclinio locus ultimus Consuli, in triumpho Imperatori debebatur. Hæc stationis, accubitûs, sessionis ratio fuit. Ioan. c. 19. v. 19. & 20. Matth. c. 27. Marc. c. 15. Luc. c. 23.

Cur triplici idiomate hic titulus scriptus.

Idiomate triplici hunc titulum scripsit Pilatus more Romano, quo decreta memoriæ posteritatis Græcè ac Latinè fuerant scribenda. Hîc Hebræum idioma necessariò jungendum, ut Hebræis, quorum pars maxima ad hoc spectaculum confluxerat, non negaretur lectio. Arcanum Dei consilium erat, orbi universo hanc inscriptionē proponere legendam, ut ita mors Christi toto terrarum orbe dicta publicaretur. *Tribus linguis*, ait Augustinus, *tamquam tribus testibus titulus est approbatus.* His tribus linguis nunc sacra fiunt. Hunc titulum Pilatus scribi jussit, atque hoc operæ, quod mihi probabilissimum, commisit Iudæo: tres namque versus isti tam Latini & Græci, quàm Hebræi à dextrâ ad lævam scripti sunt, qui scribendi mos Hebræorum proprius. Sed scribæ manum Spiritus divinus rexit, qui voluit, ut hæc scriptura triplex grandibus characteribus in tabellam buxeam incideretur. Tunc enim Iudæi religione, Græci sapientiâ, Romani potestate ac imperio excellebant, quo Deus significavit Christi crucifixi regnum per orbem propagandum: *Omnis lingua cōfiteatur, quia Dominus IESVS Christus in gloriâ est Dei Patris.* His linguis tribus utrumque Testamentum est scriptum, & vera religio ab Hebræis ad Græcos, ab his ad Romanos commigravit. Sed caussæ tituli scripti sunt ferè istæ. Ad Philip. c. 2. vers. 11.

I. Mos verus, mortis & supplicii caussam vulgare, aut voce præconis, aut tabellâ grandioribus litteris exaratâ. Quintilianus paradigma subjicit. Ad crucem fixum: *Servo danti venenum domino.* Complura ejus rei sunt exempla: & etiámnum mos Romæ, ut quilibet sciat jure damnatum. Pilatus prisci moris retinens, nil deesse voluit ad speciem justi supplicii. 1. Caus. scripti tituli. Ammian. Marcell. lib. 14. Sueton. in Nerone. Tertull. Apologet. c. 2. Lactant. lib. 4. de falsa sapient. c. 26. Suidas. Dion. lib. 54. Plutarch. in Sylla. Appian. lib. 1. de bello civili. Cicero pro Rabirio. Iosephus lib. 2. de bello Iudaico. Seneca. Iustinus. Plinius. Iuvenal. Sat. 6. Plautus. Terentius.

II. Chrysostomus censet id à Pilato factum, ut vel hoc modo causam Christi æquam & bonam pronuntiaret, simul etiam sugillaret Iudæos, perinde ac si iis in os opprobraret: En hoc honoris Regi vestro habetis, ita vestrum ipsi Messiam excipitis. Reverà Christi innocentiam & Iudæorum invidiam Pontius satis perspexit, & publicè testari voluit, eam mortem probro esse Iudæis. Notârunt illi hoc in se scriptum, & ideo conquesti, *Noli*, ajunt, *scribere, Rex Iudæorum; sed quia ipse dixit, Rex sum Iudæorum.* Non est Rex noster, alioquin tu eum non crucifixisses; sed regnum & coronam ambiit, idcirco eum cruce dignum censuimus. Vbi Rex noster venerit, alia rerum facies erit. Intereà Romanum Cæsarem veneramur. Chrysost. Homil. 85. in Matth. Ioan. c. 19. vers. 21.

III. Quidquid spectaverit Pilatus, seu placere Romanis, seu Iudæos, aut Christum irridere, Deus innocentiā Filii, regiamq; dignitatem orbi statuit declarare. Non flagitium, sed gratia & Dei donum fuerat, Regē esse Iudæorum. Prædixit hoc Psaltes: *Ego autem constitutus sum Rex ab eo, super Sion montem sanctum ejus, prædicans præceptum ejus. Dominus dixit ad me: Filius meus es tu.* Rectissimè quæsierunt Magi: *Vbi est, qui natus est Rex Iudæorum?* Ita Pater Filio arcum triumphalē erexit, cum inscriptione, quæ Christi triumphatoris nomen, patriam, dignitatē, subditos proloqueretur. Victis Amalecitis erexit sibi Saul *triumphalem fornicem*, æquiùs Christus devictis omnibus inferorum copiis. Psal. 2. vers. 6. & 7. Matth. c. 3. vers. 17. 1. Reg. 15. vers. 12.

IV. Admirabilis Pilati constantia, quâ dixit: *Quod scripsi, scripsi.* Ita vel ignorans vaticiniis exactissimè subserviit; quemadmodum ejus milites in partitione vestium. Pilatus veluti puerulus erat abecedarius, vix litteras colligere doctus, cui divina providentia, quid scriberet, quid diceret, dictavit. Tribus Psalmis 57. 58. 59. hic titulus præfixus est: *In finem ne disperdas Davidi in tituli inscriptione.* Quod exponens Augustinus, *Ergo*, inquit, *ne corrumpas. Optimè & propheticè. Quandoquidem & Iudæi suggesserunt tunc Pilato, & dixerunt: Noli scribere, Rex Iudæorum; sed scribe, quia ipse se dixit Regem Iudæorum. Et Pilatus: Quod scripsi, scripsi. Et impletum est, Ne corrumpas. Nec iste solus Psalmus habet hujusmodi inscriptionem, ut titulus non corrumpatur. Aliquot Psalmi sic prænotati sunt, sed tamen in omnibus passio Domini prænuntiatur. O ineffabilem vim divinæ operationis, etiam in cordibus ignorantium! Nónne occulta vox quædam Pilato, intus quodam, si dici potest, clamoso silentio personabat, quod tantò antè in Psalmorum litteris prophetatum esset, Ne corrumpas tituli inscriptionem. Ecce tituli inscriptionem non corrumpit, quod scripsit, scripsit. Sed etiam Pontifices, qui hoc corrumpi volebant, quid dicebant? Noli scribere Rex Iudæorum. Quid loquimini, insani, quid fieri contradicitis, quod mutare nullo pacto potestis? Numquid enim propterea non erit verum quia IESVS ait, Rex sum Iudæorum? Si corrumpi non potest quod Pilatus scripsit, corrumpi potest quod Veritas dixit?* Nec minui hæc inscriptio, nec augeri vel litte- Augustin. in Psalm. 56. Idem in Psalm. 57. Idem in Psalm. 58. Idem in Psalm. 59. Ioan. c. 19. vers. 19. Ibid. c. 19. vers. 21. Ibid. c. 19. vers. 22.

litterulâ potest. Et hoc est, quod Pilatus objicit: Non mihi ampliùs integrum est hæc mutare: sententia, quam pronuntiavi, supplicii caussa, quam dictavi, jam in tabulas & acta publica sunt relata. Beda hunc titulum tabellæ buxeæ incisum existimat, eóque illud Isaïæ sumit: *Nunc ergo ingressus scribe ei super buxum.* Quod si ita est, ut dicitur, sanctus Spiritus vel ipsâ materiâ significavit eam inscriptionem non ampliùs deleandam; nam buxus præsertim Indica, incisam imaginem tenaciùs quàm cuprum retinet. Quòd si verò Romani judices sententiam à se pronuntiatam non mutârunt, quantò minùs Iudex supremus suam illam mutabit, *Ite maledicti in ignem æternum?* O Domine, peccata erant momentaria, cur supplicium sit æternum? Quod dixi, dixi. O Domine non supplicium, sed supplicii æternitatem deprecamur. Sed aliud non audient, quàm priùs: Quod dixi, dixi. O summe Iudex, igne nos puni, sed ignis æternus sævitia est nimiùm intolerabilis. Ite, quod dixi, dixi, ite in ignem æternum.

Isaïæ 8. 1.

Matth. 25. vers. 41.

A

B

§. V. *Caussæ aliæ scripti ejusdem tituli.*

Aliæ caussæ scripti tituli, quia:

QVomodocumque verò Crucem Dominicâ consideremus, rectissimè suus illi titulus est affixus. Signamus titulis & inscriptionibus sepulchra, fercula, trophæa, libros, aras, venalia quæcumque. 1. Sepulchra. Id Moyses docens, *Erexit*, inquit, *super sepulchrum ejus: Hic est titulus monumenti* Iacob. Crux Christi sepulchrum fuit, quod ei Synagoga struxit, in quo tenebris tegeretur. 2. Ferculis additi vel prælati tituli. Iulius Cæsar triumpho Pontico illud in Ferculo legendum proposuit: *Veni, Vidi, Vici.* Crux Ferculum fuit, *quod fecit sibi Rex Salomon de lignis Libani.* 3. Trophæa titulis insignita. Crux trophæum fuit exornatissimum, quod Pater divinus Filio erexit, pollicitus, *a* non fore *deinceps diluvium dissipans omnem terram.* *b* *Quoniam quidem Deus*, ait Paulus *erat in Christo, mundum reconcilians sibi, non reputans illis delicta ipsorum, & posuit in nobis verbum reconciliationis.* 4. Libris præfiguntur tituli, ut auctor & argumentum libri sciantur. Crucifixus Iesvs verè liber est intus, & foris scriptus. *c* Foris Christi *vulnera cernimus*, ait Bernardus, *intus immensi amoris incendia contemplamur: hunc librum omnes legunt, sed non eodem modo: ejus mysteria omnes intelligunt.* Quæ Laurentius Iustinianus cõfirmans, *Simplex*, inquit, *& indoctus habet, quod foris legat, spiritualis & perfectus quod intus intelligat: ille lætificatur & compungitur, iste irradiatur & accenditur.* Charitatis compendium, virtutum omnium normam, & totum humanæ redemptionis modum ordinémque in hoc sui corporis incluſit volumine. Quemadmodum verò ad libri calcem apponi solet vocula, *Finis*; ita hunc librum claudit, *Consummatum est.* Frons libri, primáque inscriptio: Iesvs *Nazarenus Rex Iudæorum.* Hunc librum Pater cœlestis scripsit, cùm Christus hominem indueret; hunc edidit, cùm homo nasceretur; hunc approbavit in monte Thabor; hunc Iudas vendidit infelix bibliopola, hunc, qui emit Senatus pontificum rejecit. Hic liber in cruce cõfossus & laceratus, hic emendatissimus liber, librorum omnium synopsis & summa est, hic nostrum enchiridion, hic Isagoge ad sapientiam divini amoris. Stimulus, Soliloquium suavissimum, hic pandectæ nostræ, hic nostrum Diariũ, hic itinerarium mentis in Deum, hic totius paginæ sacræ summarium. 5. Affigi solet titulus & aris. Iacob post suavissimum saxei soporis visum, *Surgens manè tulit lapidem, quem suppossuerat capiti suo, & erexit in titulum.* Ita & *Moyses manè consurgens ædificavit altare ad radices montis & duodecim titulos per duodecim tribus Israël.* Crux verè ara fuit, in quâ summus Pontifex Christus seipsum obtulit in victimam, & priscæ legis sacrificiis omnibus finem imposuit. Cùm igitur crux ara sit, & quidem ara ignoti Dei, quemadmodum Paulus Athenis in Areopago vidit aram, in quâ scriptum erat, *Ignoto Deo*, titulus illi meritò præfixus. Reverà tunc ignotus erat Deus, maximè Dei Filius in cruce extensus. Quapropter Pater voluit huic aræ titulum apponi, ut orbis novum hoc sacrificium nosse discceret. 6. Rebus venalibus, & publicæ merci titulus apponebatur, ut sciretur fieri auctionem. An Dei Filius venalem sese exponit orbi: *Venite, emite absque argento, & absque ullâ commutatione.* Sed ut noveritis, ô emptores, quantos thesauros quàm vili liceat comparare, inscriptionem consideratissimè legite, Iesvs *Nazarenus Rex Iudæorum.* Singulas vocalas, sed paucis expendamus.

Gen. 35. vers. 20.

1. Crux fuit sepulchrum Christi.

2. Fuit Ferculum, Cant. 3. vers. 9.

3. Fuit trophæum exornatissimum.

a Gen. c. 9. vers. 11.

b 2. Cor. c. 5. vers. 19.

4. Crucifixus Iesvs fuit liber intus & foris scriptus.

c Apoc. c. 5. vers. 1.

Gen. c. 28. vers. 18.

Exod. c. 24. vers. 4.

5. Crux fuit ara, in quâ Christus seipsũ obtulit in victimam.

6. Dei Filius venalẽ sese exponit.

Is. c. 55. v. 1.

C

D

§. VI. *Singulæ voces tituli breviter expenduntur.*

IEsvs, Salvator orbis, *Deus noster Deus salvos faciendi.* Servator planè sapientissimus. Doctrina ejus testatur, & conciones divinissimæ, quibus totus illius hominum suimet ac cibi oblitos traxit. Per Isaïam sæpius proclamari voluit: *Ego Dominus Deus tuus sanctus Israël salvator tuus. Ego sum Dominus, & non est absque me salvator.* Verè Salvator potentissimus. Tot prodigia & miracula satis hoc loquuntur. Sed ideo capitis damnatus est, quia Iesvs est, suo Sanguine suos redempturus. Prædixit Angelus: *Ipse enim salvum faciet populum suum à peccatis eorum.*

Ps. 67. v. 21. Cur Christus dicatur Iesvs.

Isa. c. 43. v. 3. & 11.

Matth. c. 1. vers. 21.

NAZARENVS, sive floridus. Latinis homo illibati floris, dicitur homo castissimus, & verè Virgo. Mater hujus Servatoris Virgo fuit floris illibatissimi, sicut & ipse filius. Hi flores duo fragrantissimi odoris suavitate implêrunt orbem. Christus flos campi, qui in cruce spinis fœdè confossus est. Futurum id prævidens Isaïas, *Et ascendet*, ait, *sicut virgultũ coram eo, & sicut radix de terra sitienti; non est species ei neque decor.* Asper est & rigidus hic crucis lectulus, sed tamen floridus. Hic obedientia, Paupertas, Patientia, Humilitas, Charitas, principes summæ virtutes, crucis flores sunt.

Nazarenus,

Isa. c. 53. v. 1. & 2.

REX. Plebecula Hebræa jam panibus bene pasta, cùm rapere cogitaret Christum, & Regem constituere *fugit ipse in montem solus.* At verò in cruce in tantis tormentis titulum Regis non recusavit. Nimirum ab hominibus Rex creari noluit, uti Pilato dixerat: *Regnum meum non est de hoc mundo.* Deinde Iudæorum inconstans ingenium, suis dumtaxat commodis intentum, & quòd homines illi Herodis subditi essent, regnum non acceptandum cuivis prudenti suaserit. At Christus jam cruci affixus nomen regium non detrectavit, ut sciret orbis, suum hoc regnum morte comparatum. *Factus est principatus ejus super humerum ejus.* Ideirco, *Dicite filiæ Sion: Ecce Rex tuus venit tibi mansuetus.* Ergo *dicite in gentibus; quia Dominus regnavit à ligno.* Ita legit hunc Psalmum Augustinus, septuaginta Interpretes secutus. Ita legit Iustinus Philosophus & Martyr in Dialogo, quem cum Tryphone Iudæo Ephesi instituit. Ita legit Tertullianus libro adversus Iudæos, & libro 3. contra Marcionem. Ita legit Arnobius hunc ipsum Psalmum interpretatus. Ita legit Venantius Fortunatus, Pictavensis Epis. † qui hymnum his ipsis verbis insigniit: *Regnavit à ligno Deus.* a Ita legit Theodulphus Aurelianensis Episcopus. *b* Ita legit Bernardus Clarævallensis Abbas. Ita legit S. Leo Pontifex, Sermone quarto de Passione Domini. Sed & ipse carminis sacri contextus hoc desiderat, qui subjungit: Tunc exultabunt omnia ligna silvarũ. Ergo inextincta est in Christum invidia Iudæorum, qui è Psalmo voculas illas, *à ligno*, eraserunt nequissimè.

Rex.

Ioan. c. 6. vers. 15.

Ioan. c. 18. vers. 36.

Isa. c. 9. v. 6. Matth. c. 21 & vers. 5.

Ps. 95. v. 10. Tertull. adverſ. Iudæos, c. 10. p. 170. & c. 12. pagin. 127. c. 19. p. 811. & c. 21. p. 812.

† Vixit an. 570. inter plurima sacra carmina scripsit hym. Vexilla regis prodeunt, &c.

a In hymno ad diem Palmarum.

b Bern. ſer. 1 die S. Paſch. de 7 ſignaculis. tom. 1. miſc. p. 212.

Ergo Rex est, Christus, qui à ligno Hierosolymis regnavit.

IVDÆORVM, hoc est, confitentium & laudantium, qui Abrahæ filii sunt spiritu, quibus cor circumcisum est, hi noxas suas cum latrone resipiscente, & agnoscunt & deplorant, crucem amplexantur, osculantur spinas, gloriantur inter flagella ob Christum, vitam agunt insigni patientiâ, hilaritate, cōstantiâ inter perpetuas gratiarū actiones: hi veri sunt Iudæi. Importunissimis olim precibus Hebræi à Samuele Regem postulātes, *Rex esto super nos*, inquiunt, *& erimus nos quoq; sicut omnes gentes, & iudicabit nos Rex noster, & egredietur ante nos, & pugnabit bella nostra pro nobis.* Verè bellū nostrum pugnavit pro nobis Dominus IESVS; tela & vulnera ipse unus excepit, ut nos tueretur invulneratos. Nobilissimus Athenensiū Rex Codrus, ut suprà demonstratū, quod etiam Aug. narrat, audito oraculo, dissimulato habitu certæ se morti ingessit. Christus est testamentarius & Rex noster. *Vbi* autem *testamentum est*, inquit Paulus, *mors necesse est, ut intercedat testatoris.*

1. Reg. c. 8. v. 19. & 20

Aug. li. 18. de ciu. Dei c. 29. pag. 226

Heb. c. 9. vers. 15.

Ergo Rex Christus, sed ubi diadema, sceptrum, purpura, solium? Vbi famulitiū, ubi aula, ubi ærarium? Num diadema spinę, arundo sceptrum, purpura chlamys, crux thronus? Desertissimus est ab omnibus. Cæci mortales! Regnum illius non est de hoc mundo, amor illum deserere non potest; hic sceptrum & coronam, hic ærariū & aulam, hic numerosissimos educit exercitus, qui hostes omnes debellent. Si ergo peccatis onerati sententiam decretoriam formidemus, en crucifixum IESVM salvatorem. Si obtrectatorū ora velut fœtida sepulchra horreamus, en Nazarenum florem fragrantissimū. Si nimiùm adversa premant, obruántque en Regem & vindicē, qui regnum promisit immortale, qui suos è cruce in paradisum solet ducere, modò cum illo & pro illo petiamur constanter.

Hic illud de crucis titulo memoratu dignum occurrit, quod in rebus gestis S. Teresę optimā fide narratur. Duæ sorores Catharina & Maria patrē habuerunt Sanchium Rodericium, opulentum & nobilem Hispanum. Catharina anno ætatis decimoquinto ad mundi leges examussim facta, nuptias atque conjugium, & non nisi nobilissimum, anhelabat, vanitati addictissima. Fortè evenit, ut in cubiculo, Christi crucifixi effigiem attentiùs aspiceret, & titulum crucis legeret, IESVS *Nazarenus Rex Iudæorum*. Hic intimū pectus transfigi sensit, unde uno pęne momento adeò immutata est, ut alium prorsus hominem, mentem aliam induerit. Ea enim animo illius lux oborta, ea propriæ vilitatis ac miseriæ notitia infusa, tam ingens pro Christo patiendi desiderium injectum, ut vitæ austerioris & sanctioris inchoandę flammā, suprà quàm credi potest, cœperit inardescere. Nec diu cunctata, mox castimoniæ ac paupertatis voluntariæ votis Deo se obligavit. Hinc insolitarum actionum admirandæ series. Triennio toto parentes precibus assiduis, licet irritis, fatigavit, potestatem facerent, cœnobiis Virginum, & Religioni perpetuæ se consecrandi. Non rarò in aream domesticam descendit, & vultum frigidâ perfusum, illico soli siccandum exposuit, ut facto formæ dispendio, omnes à sui conjugio detereret. Abjecto lautiore vestitu, vilem amplexa, horas dici aliquot orationis studio impendit. Et quandoquidem à parentibus interdiu diversè occuparetur, integras pæne noctes precibus dicabat. Per omnes quadragintadialis jejunii continuos dies loricam hamis ferreis contextam, nudo corpori appressam gestavit. Nec defuerunt graves morbi & dolores, quibus virginis constantiā annis quindecim Deus exercuit. Octennio ipso Catharina omni membrorum usu destituta, lecto affixa jacuerat. Quo toto tempore lentâ phthisi, & cōtinuis ferè febribus jactata, demum articulari etiam morbo, manus pedēsq; acerrimè cruciata, jam vivum cadaver vix ampliùs spirabat. Hos interdolores tantos, illa tamē fiduciâ ingenti, ausa suis dicere, si vel mense unico valetudinem sibi Deus restitueret, certissimū se documentum divinæ voluntatis fore, in subeundo quod condidisset cœnobio. Verùm post morbos & dolores auctiores, & ultimam ut videbatur, cum morte luctam, denique valetudinem integram recepit. Hic illa non quiescere, nihil cessare, dum perplurimas, eásque incredibiles & maximas difficultates eluctata, unà cum sorore natu minore Mariâ, cœnobium suis facultatibus condidit. Neque fortunas tantùm suas omnes, ambæ sorores virginum sacrarum collegio assignārunt, sed in illud insuper se conclusērunt, & arctissimo Religionis sacramento obligārunt, reliquâ omni vitâ operaturæ Deo.

Fran. Scus Ribera in vitâ S. Teresę l. 3. c. 3. admiranda prorsus & fusa narratio.

Tanta morum vitæque mutatio, ab unicâ Dominici tituli lectione sumpsit exordium. Tanti fuit hunc Christianæ auctionis titulum attentiùs legisse. Hinc documenta nobis suggeruntur complura.

§. VII. *Documenta à scripto hoc titulo.*

Documenta ex scripto pro titulo.

I. VEnite, emite absque argento, non mercestantùm, & vestes pretiosas, sed & ipsam hujus auctionis inscriptionem, titulum ipsum. In Satanę impugnationibus, & adversis omnibus erigendus est animus ad Christum IESVM crucifixum, simili precandi formulā: IESV *Nazarene, Rex Iudæorum, miserere mei.* Certum hinc solatiū & auxilium. Nunc scimus, IESVM quibus elogiis afficiendus sit Christus. Antehac quæstionis erat: *Quem homines dicunt esse filium hominis?* Ad rogatum hunc varii varia respondērunt. Iam dissoluta est quæstio. Filio hominis in crucem evecto titulus iste congruit: IESVS Nazarenus Rex Iudæorum.

1. In Satanę impugnationibus adversis animus ad Christum crucifixum. Matth. c. 16. vers. 13.

Refert Missenensis Ecclesiastes, consuevisse hominem Christianum nec ire cubitum umquam, nec surgere, quin, Christi patientis memor, diceret, IESV *Nazarene, Rex Iudæorum, miserere mei*: vnà etiam signum crucis effingens adderet: *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti.* Quā quidem precatiunculā, non aliud nisi felicem obitum rogabat. Non visus est, quod toties petiisset, impetrāsse. Nam morte subitâ extinctus est. Mox tutelaris genius recedere, & in tenebras rapto imminere dæmones videbantur. Sed brevi Angelus tutor rediit, & Iudicis nomine hanc in eum sententiam dixit: Tu quidem proclivores tui merebantur, flammis eras addicendus, sed nunc parcit tibi judex, ob quotidianā sui nominis memoriam & cultum. Ad corpus redi, & vitam emenda. Revixit, & vitam longè sanctiorem instituit, denuo felici, uti rogaverat, obitu defunctus. Reverà ingens spondet subsidium sanctissimi nominis quotidiana veneratio.

Missen. Eccles. 4. Feria. pag. 322.

II. Documentum. Titulum honoris Christus à tergo collocari voluit, calumniatores & hostes à fronte habuit, caput hostibus, non titulo inclinavit. Imitatores Christi, laudes suas & encomia, virtutes suas & beneficia in alios collata, & quidquid arrogantiam animare solet, oblivione piâ sepeliant; delicta & errores suos, & quidquid animi submissionem augere potest, in oculis habeant. Quod & Regius Psaltes docens, *Peccatum meum*, inquit, *contra me est semper.* Scelera mea in conspectu meo posita cruciare me assiduè velut jaculum, & fodere non cessant. Non nego, non excuso, non defendo, sed agnosco mea peccata, & de illis perpetuo cum animi dolore cogito.

2. Imitatores Christi laudes suas oblivioni etiam in re solent. Psal. 50. vers. 5.

Caput inclinandum hostibus, non amicis solùm blandè mulcentibus. *Si enim diligitis eos qui vos diligunt, quam mercedem habebitis? nónne & publicani, nónne & Ethnici hoc faciunt?*

Matth. 5. vers. 46.

III. Admirandam Dei providentiam in rebus omnibus hîc maximè obstupescamus & veneremur. Aliter Pontius Pilatus, aliter Spiritus sanctus characteres formavit, eadem tamen prodierunt verba. Pila-

3. Admirandam Dei providentiam venerari.

tus

tus sui honoris minimè oblitus, multò minùs sui Filii Deus. Pilatus ita composuit verba, ut quidquid opponeretur, evaderet. Spiritus divinus scriba optimus, velociter & venustè quovis calamo, etiam ramento sulfurato scribens, Pilati manum rexit. Romanus hic Præses instrumentum & penna fuit, obtusa certè ac malignè respondens, ea ipsa tamen aptissimam dedit scripturam. Et quemadmodum *potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ*, ita Apostolos, Martyres, Confessores ex hominibus improbissimis. Mors Christi omnibus in orbem erat evulganda. Pilatus hac in re primus Apostolus, hoc mysteriũ titulo scripto publicavit. Eodem die latro, primus velut Martyr promissum audiit: *Hodie mecum eris in paradiso.* Illo ipso tempore Centurio Romanus, quasi primus Christi Confessor, *Verè*, inquit, *filius Dei erat iste.* Nimirum *quæ stulta sunt mundi, elegit Deus, ut confundat sapientes; & infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia; & ignobilia mundi, & contemptibilia elegit Deus, & ea quæ non sunt, ut ea quæ sunt destrueret.*

Matth. c. 3. vers. 9. — Luc. 23. vers. 43. — Matth. c. 27. vers. 54. — 1. Ad Cor. c. 1. v. 27. 28.

IV. Qui Angelorum ordinibus inferri desiderant, hic priùs nomen & titulum emereantur exercitatæ patientiæ. Nam *si commortui sumus, & convivemus: si sustinebimus & conregnabimus; si compatimur, ut & conglorificemur.* Sacerdos non initiatur sacris, nisi antè titulũ mensæ obtinuerit: Pontifex futurorum bonorum neminem libro vitę inscripsit, nisi notum, & clarum patientiâ in iis omnibus tolerandis, quæ Deus immittit toleranda. Servator Christus mediâ morte ad gloriã extolli cœpit, è tormentis & ludibriis ad regnum, è cruce in paradisum: *quoniã per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei.* Et *nónne hæc oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam?* Hæc semita ducit ad vitam; aberras, & ad mortem tendis, qui viâ graderis voluptariâ.

4. Patientium exercitatione emereri. — 2. Ad Tim. c. 2. v. 12. — Ad Rom. c. 8. vers. 17. — Hebr. c. 12. vers. 21. — Luc. c. 24. vers. 26.

V. Constantia Præsidis in scripturâ tituli tuendâ. Hic nos quotidie hallucinamur; optimè scripta, pessimè mutamus. Dispungimus, eradimus, lituris abolemus, quæ animo sanctè conceperamus. Propositum tum denique bonum est, cùm tenax & firmum est. *Miror*, inquit Paulus, *quòd sic tam citò transferimini ab eo, qui vos vocavit in gratiam Christi.* Adversùs tentamenta cacodæmonis voluntate opus est inflexibili. Turbat veterator stygius, & vellicat, hoc modis omnibus persuadere nititur, ut omittamus bene cœpta, vel saltem differamus. Cui animus præsto est, respondet: *Quod scripsi, scripsi*; quod feci, infectum nolo. Varius & mutabilis fuit Pilatus hac totâ judiciariâ causâ, sed scribendo titulo nec litterulâ cessit. Emendari tabulam Iudæi cupiunt. Fruftrà. Formam aliam suggerunt. Actum est; nec apicem mutabit. Erroris causam aperiunt. Sed nec hilum proficiunt. Quod scriptum est, jam fixum & statutum est.

5. Quæ sanctè cœpimus, non abolere. — Gal. c. 1. v. 6.

Non sine admiratione Augustinus de tribus ex Oriente Magis differens, *Quid tantopere*, inquit, *alienæ gentis regem nosse & adorare cupierunt? Numquam hoc tantâ devotione requirerent, tanto pietatis affectu desiderarent, nisi eum cognoscerent Regem Iudæorũ, qui Rex est etiam sæculorũ?* *Hinc & Pilatus nonnullâ utique aurâ veritatis afflatus est, quando in ejus passione titulum scripsit, quem Iudæi conati sunt mendosè emendare. Advertamus itaq; magnum hoc & mirabile sacramentum. Magi ex gentibus erant, ipse etiam Pilatus ex gentibus. Illi stellam viderunt in cælo, iste titulum fixit in ligno: utrique tamen non Regem gentium, sed Iudæorum vel quærebant, vel agnoscebant. Iudæi verò ipsi nec stellam secuti sunt, nec titulo consenserunt.* Ambrosius loquentem præsidẽ sistens, *Non scripsi*, ait, *quæ vobis placerent, sed quæ ætas futura cognosceret: habeat Helena, quæ legat, unde Crucem Domini recognoscat. Deus decretũ suum non vult mutari.* Ita nos ad omnia seu mundi, seu carnis, seu diaboli tentamina respondeamus: Quod scripsi, non deleo; quod

Aug. to. 10. serm. 33. de temp. p. 228. — Ambros. de obitu Theodos.

VI. Titulum, Regisque nomen Christus supra caput, non ad pedes habuit: nam Christi regnum non crudele, non tyrannicum, sed cæleste, sed æternum. Oraculum Gabrielis Angeli permansurum est: *Regnabit in domo Iacob in æternum, & regni ejus non erit finis.* Tyranni regiam potestatem pedibus gerunt, subditos, quos spoliant, conculcant: Rex Christus suos, ut pastor ovem, in humeros attollit. *Benedictum quod venit regnum patris nostri David.* Asellâ totum hoc regnum vehebatur: Regnum quod nobis Christus Iesus crucifixus Nazarenus à patre obtinuit, non nisi à veris humilibus & patientibus adiri potest. In humilitate ac patientiâ possidebitis non tantùm animas vestras, sed & regnum vestrum.

6. Christi regnũ non crudele, sed cæleste & æternũ esse. — Luc. c. 1. vers. 33. — Marc. c. 11. vers. 10.

CAPUT. X.

De tenebris mortem Christi præcedentibus.

Tamerlanes orbis terror, Genebrardo teste, solitus est primo die obsidionis, loco maximè conspicuo candidum tentorium oculis obsessæ urbis objicere. Si deditionẽ facere urbs recusaret, die altero tentorium figebat pui pureum. Si nec tum ea urbs se dederet, tertio demum die tabernaculum nigrum ponebat. Et primo quidem die obsessis significari jubebat, si in fidem ac deditionem se suáque sibi traderent, indemnes omnem gratiã experturos. Si persisterent hostiliter repugnare, demetenda capita, & sanguinem hauriendum tentorio russeo minabatur. Si & minas spernerent, atrum tentorium, omnia non tantùm sanguine miscenda, sed flammis vastanda, in cineres redigenda prænuntiabat.

Genebrardus in suâ Chronologiã ad annum 1407. pag. 699.

Filius Dei Christus Iesus, non orbis terror, sed amor & Deliciæ gentis humanæ, quod primâ omnium paginâ præfamur, orbem à servitute satanæ vindicaturus, & jugo suavi subjecturus, sub mortis suæ tempus triplici colore posuit tabernaculũ. Album in suprema cenâ, linteo se præcingens & Corpus Sanguinémque suum candore panis tectum porrigens. Purpureum fixit in prætorio Pilati, ad columnam cæsus, sanguine opertus, vepribus redimitus. Nigrum tetendit, cùm horrendas orbi tenebras immisit. *Tenebræ factæ sunt in universam terram, atque in horam nonam, & obscuratus est sol.* De inusitatis his tenebris hoc capite disserendum.

Tabernaculũ Christi triplicis coloris: 1. Album in ultimâ cenâ. 2. Purpureum, in prætorio Pilati. 3. Nigrum, cùm tenebras orbi immisit. — Luc. c. 23. v. 44. & 45

§. I. *Eam solis obscurationem & tenebras fuisse prodigiosas.*

Pridie Christi morientis in geminis lucidissimis stellis, Domini Iesv oculis, facta est eclipsis. *Et velaverunt eum, & percutiebant faciem ejus, & interrogabant eum dicentes: Prophetiza, quis est, qui te percussit?* Die altero secuta est solis & lunæ defectio, qualem orbis numquam vidit. Testes oculati quinque. 1. Matthæus Levi, Telonarius, Hebræus, qui Hierosolymis hoc numquam dixisset, nisi certissimum omnibus fuisset. 2. Marcus qui Romæ scripsit. 3. Lucas, qui Antiochiæ in Græciâ id vidit. 4. & 5. Dionysius Areopagita & Apollophanes nondum Christiani, hos solis & lunæ labores admiratione summâ contemplati. Phlegon Adriani Imperatoris Chronographus, Quarto anno, inquit, ducentesimæ secundæ Olympiadis, dies horâ sextâ ita in tenebrosam noctẽ versus est, ut stellæ in cælo sint visæ. S. Martyr Lucianus, Perquirite, inquit, in Annalibus nostris, & invenietis temporibus Pilati. fugato sole, interruptũ tenebris diem. B. Matthæi verba sunt: *A sextâ autem horâ tenebræ factæ sunt super universam terram, usque ad horam nonam.* Diem Hebræi in horas duodecim divisérunt:

Eclipsis in oculis Domini Iesv. — Luc. c. 22. vers. 64. — In sole & lunâ. — Quinque oculati testes Eclipsis solis & lunæ. — Matth. c. 27. vers. 45.

ita horâ sextâ, quâ Christus in crucem affixus est, ipse erat meridies, seu nostra duodecima. Sub initium horæ sextæ, Dominus jam in cruce pendens, è septenis tria priora verba protulit; his veniam suis hostibus, latroni paradisum, matri filium dedit. His dictis tenebræ cœperunt orbē totum operientes. Dispulsis tenebris exclamavit Christus: *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?* Ita quatuor posteriora verba est elocutus die jam restituto. Ita nigrum hoc tentorium horis tribus est visum, quibus Servator orbis silebat, & silens orabat. Vestes divisæ, ludibria ingesta, propinatum acetum, titulus lectus, sanguinis & aquæ fluxus spectatus, cùm ante, tum post tenebras. Hîc quinque aut sex capita nobis quærenda.

Seu nostra duodecima.

Matth. c. 27 vers. 46.

Deus atratum hoc tabernaculum expandit.

Ex quot. miracula distincta patrata. Primum.

I. Quis fixit nigrum hoc tentorium, seu, naturalésne fuerunt tenebræ, an supra naturam? Supra omnem naturæ cursum. Solus Deus atratum hoc tabernaculum expandit. Astrologi cum B. Dionysio asserunt, distincta quinq; miracula his tenebris patrata. 1. Tenebræ factæ sunt super universam terrā. Dionysius eas in Ægypto cum Apollophane Philosopho vidit. Heliopoli, illúdq; notū pronuntiavit: aut naturæ auctor patitur, aut mundi machina dissolvetur. Suidas hoc Græcè sic effert: Aut divinitas patitur, aut patienti cōpatitur. Vtrumque verum. Patiebatur Deus in naturâ humanâ, eidémq; compatiebatur. Hinc Athenienses, ut aliquorum opinio fert, aram *Ignoto Deo* posuerunt. Mathematicis certum, eclipsin nullam solarem per orbē universum diffundi ob parallaxin. 2. Ab horâ sextâ usq; ad nonam ipso trihorio diurna nox fuit, atqui nulla solaris defectio durare tamdiu potest, lunâ solem celeritate cursûs superante. 3. Lunâ plenâ, quæ tunc die decimo quarto fuerat, solaris nulla eclipsis est, sed lunâ intermestri & novâ, cùm inter solem & terram est luna. Dionysius vidit quâ ratione luna ab Oriente properaret, ut soli sese opponeret, & denuo in Orientem rediret, cùm aliàs ab occasu eō tendere soleret. 4. Luna horis pauculis illud itineris sui confecit, ad quod aliàs conficiendum, dies quatuordecim insumit. 5. Atque hoc uno die bis fecit, currendo & recurrendo. Hinc illa eclipsis prodigiosissima. Nimirum, quod D. Leo pro concione dixit: *Pendente in patibulo Creatore, universa creatura congemuit, & crucis clavos omnia simul elementa senserunt.*

Actor. c. 17. vers. 23.

Secundū.

Tertium.

Quartum.

Quintum.

Leo serm. 6. de Pass. Domini.

Reverā talis defectio solis, nullis retro sæculis visa est. Anno Christiano DCC.XXXIII. die beatissimæ Matris Virginis in cælum assumptæ XV. Aug. circa tertiam vespertinam visus est sol horribilē in modum operiri scuto nigerrimo, qui totum ejus orbem contegebat. Sed non ubique gentium, nec tamdiu eclipsis hæc durabat. Anno Christiano DCCCC.XXXVII. sereno cælo sol tenebris offusus velut cruentos radios fenestris immittebat. Sed nihil ad eclipsin, quę Christum morituru luxit. Anno Christiano M.DC.V. quod nos meminimus, tantam solis defectionem cursus sidérum dedit, ut in plerisque Galliæ locis, die in noctem verso, agricolæ ac mercenarii desertis operis, fugam ad domos intenderent, brutę animantes hærerent attonitæ, multi hominum turbatas naturæ leges inclamarent. Hæ tamen tenebræ non æquārunt illas, quæ Domini IESV nuditatē in cruce velārunt. Solus ergo Deus atratum hoc tabernaculum fixit. *Talem habemus Pontificem*, inquit Paulus, *qui consedit in dexterâ sedis magnitudinis in cælis, sanctorum minister, & tabernaculi veri, quod fixit Dominus, & non homo.* Sed hîc altera quæstio est, quibus de causis hæ tenebræ involverint orbem. Ordine causas adnumeremus.

Talis defectio solis numquam visa.

Beda in ep. hist. Anglic.

Sigebert. in chron.

Iacob. Gordonus in chronol. dicto anno. 1605.

Ad Heb. c. 8. v. 1. & 2.

1. Causa cur Christus erat velandus.

§. II. *Tam horribilium tenebrarum causæ assignantur.*

I. CHristus erat velandus. Nec enim vini viribus sopitum, & inverecundiùs tectum Sem & Iaphet operuerunt pallio. Christus cruci nudissimus est confixus. *Eas enim*, inquit Athanasius, *quas nos in Adam indueramus, pelliceas tunicas exuit, ut nos pro iis Christum vicissim indueremus. Victus est Adam, qui vestimenta quæsivit; vicit ille, qui tegumenta deposuit.* At Christum adeò nudum in cruce flagellorū vulnera & tenebræ velārunt. Quis cælum objurget, quis illi exprobret? Quid hoc? ille te stellis, tu tenebris eum vestis. Iudæi irrisoris Chami nepotes irridēt; sol & luna verecundi fratris pallio suum parentem operiunt. Quid enim tenebræ, nisi pallium cæli? *Faciesq; eorum erant aversæ*, & ipsi retrorsum incedebant, contra omnem naturæ cursum. Christus igitur amictu hoc atro fuerat velandus.

Quod sit pro domo Athanas. ad Pall. de Domo. Amir. in Luc. Ambr. in Luc. Greg. n. vers. 29.

II. Orbem reformandū hæ tenebræ significārunt. *Tenebræ erant super faciem abyssi. Dixitq; Deus: Fiat lux. Et facta est lux.* Ita *Deus, qui dixit de tenebris lucem splendescere, ipse illuxit in cordibus nostris ad illuminationem scientiæ claritatis Dei in facie Christi* IESV. Eramus *aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino. Tenebræ transierunt, & verum lumen jam lucet.* In tenebris olim paupertas & virginitas, nec speciem, nec nomen virtutis habuerunt: nunc autem in pretio est virtus utraque ob Christum pauperem & virginem, virginisque Filium.

Secundū. Genes. 1. 2. & 3. 2. ad Cor. 4. v. 6. Ad Ephes. 5. v. 8. 1. Ioann. 1. vers. 5.

III. Cæcitati Iudæorum arguendæ. B. Leo in Hebræam perfidiam excandescens, *In vos*, inquit, *Iudæi, cælum & terra sententiam tulit, vobis sol virtutē suam, diémq; subtraxit, vobis famulatum suum elementorum ordines denegaverunt, & recedente à legibus suis ministerio creaturæ, vestra obcæcatio, vestra est significata confusio.* Recessit à Iudæis lux veritatis & doctrinæ. Animos illorum, Ægyptiæ horribiles tenebræ obcæcant. Miseri ac fatui Messiam etiámnum hodiéque expectant, quem ante sexdecim sæcula in crucem egerunt. Obtusi sunt sensus eorum. *Vsq; in hodiernum enim diem, cùm legitur Moyses, velamen positum est super cor eorum.* Nata & educata in tenebris Synagoga. *Vmbram enim habens lex futurorum bonorum, non ipsam imaginem rerum: per singulos annos eisdem ipsis hostiis, quas offerunt indefinenter, numquam potest accedentes perfectos facere.*

Tertiū. Leo ser. 6. de Pass. Dom. 2. ad Cor. 3. v. 15. Ad Hebr. 10. v. 1.

IV. Tanto sceleri detestando & execrando sol & luna defecerunt, perinde ac si duces isti siderū dixissent: Contestamur ac denuntiamus orbi, nos parricidio isti, summóque sceleri non consentire: protestamur ac contradicimus, adeóq; nec spectare quidem hoc nefas possumus. Hæc hominum in conditorem suum immanitas: *Gravis est nobis etiam ad videndum.* Quis non miretur cum Hieronymo, & ingemiscat? Antè mali vexabant bonos, nunc ipsum ausi sunt Deum crucifigere: antè cives cum civibus digladiabantur, nunc servi in Regem Angelorum seditione motâ, & impetu facto necem illi intulerunt. Cohorruit orbis ad hoc flagitium; sol passus est deliquium, indignabundum luna vultum avertit, omne cælum facinus hoc abominari se testatum est.

Quarto. Sap. 2. v. 2. vers. 24.

V. Divinitati hominis crucifixi asserendæ. Aspectus crucis constantiam fidei labefecisset: sed consternatos animos miraculorum multitudo iterum erexit. Iudæi signa de cælo petebant: En illustrissimum. Suadebant Christo de cruce descenderet, & ita Dei Filium se monstraret. En magis admiranda: expallescunt sidera, quatitur terra, ingemiscunt saxa, tristatur totum cælum. Divino jussu *extendit Moyses manum in cælum, & factæ sunt tenebræ horribiles in universā terrā Ægypti tribus diebus.* Extendit & Filius Dei manus in cruce, & factæ sunt tenebræ tribus horis non in Ægypto solùm aut Palæstinâ, sed toto terrarum orbe.

Quinto. Exod. cap. vers. 22.

VI. Iustitiæ solem occubiturum, imò lucem mundi extinguendam hæ tenebræ promulgabant. Videbātur sol orbi dicere: *Numquid venit hæc lucerna, ut sub modio ponatur, aut sub lecto? Non potest civitas abscondi supra montem posita: neq; accendunt lucernam, & ponunt eam sub*

Sexto. Matt. 5. vers. 15. Marc. 4. v. 21. Luc. 8. v. 16. & 11. v. 33.

Luc. c. 11. vers. 33. *sub modio, sed super candelabrū, ut luceat omnibus, qui in domo sunt.* Non egetis jam meâ operâ; Lux mundi jam suo infixa est candelabro; cedant faculæ minores alię. Quod Ezechiel clarissimè vaticinatus, *Et operiam,* Ezech. c. 32. v. 7. & 8. inquit, *cùm extinctus fueris, cælos & nigrescere faciam stellas ejus: solem nube tegam, & luna non dabit lumen suum. Omnia luminaria cæli mœrere faciam super te.* Addit Amos: Amos. 8. vers. 9. *Et erit in die illâ, dicit Dominus, occidet sol in meridie.*

Septima. VII. Divinæ iræ testandæ. Visus est æternus Pater è cælo dicere: Vos servi scelestissimi eò me adegistis, ut proprio Filio meo non parcerem, sed pro vobis illum traderem occidendum; indigni estis, quibus ad patrandum facinus tam detestandū indulgeam diem.

Et quis sensus his tribus horis divinæ Matri, quis discipulo Ioanni, quis illis omnibus parricidis fuerit? Matrem & discipulum lux cælestis, notitia divinæ voluntatis circumfudit; non nesciebant hæc omnia divino nutu fieri. At Christi hostes caligo altissima involvit; putârunt illi vilem reum occidi. *Ecce tenebræ,* Isa. 60. v. 2 inquit Isaias, *operient terram, & caligo populos: Super te autem orietur Dominus, & gloria ejus in te videbitur.*

Octava. VIII. Dominicum funus tenebræ, hoc atrum cæli vestimentum, decebat. Voluissent creata omnia non tantùm parentare Christo, sed & mori pro Christo.

Leo ser. 6. de Pass. Dom. Quod S. Leo asserens, *Debebat,* inquit, *hoc testimonium suo mundus auctori, ut in occasu conditoris sui, vellent universa simi. Sed patientia Dei servat rebus atque temporibus ordinem suum, nósque in illum potiùs vocat affectum, ut eorum salutem petamus, quorum crimen horremus.* Cùm ergo rebus creatis non concessum cum creatore mori, saltem illius mortem lamentari, & funeris exequias voluerunt prosequi.

Nona. IX. Divinæ dissimulationi ostendendæ. Ita se cælestis Pater continuit, ac si rem in tenebris gestā non vidisset, ideóque talia fieri non vetuisset. Extemplò neminem punivit, annis quadraginta meritam ultionem distulit, longanimis & misericors, expectavit, tandem injuriarum & supplicii executoré misit Titum Imperatorem. Quam Pater in cælo, hanc & infami ligno Filius patientiam exhibuit, perinde si diceret: Vos modò pergite, & quod cœpistis opus, absolvite. In tenebris vos nosse aut numerare non scio. Heri oculos mihi obligâstis, ne percutientes viderem, hodie mihi ipse oculos convelo. O bone Deus, cur non mortifera edis miracula? cur è cruce non jubes prosilire fulmina? Quid vincit manus? Num clavi? sanè non possent, nisi misericordia obstaret, quę impios, dum agant pœnitentiam, exspectat.

Decima. X. Virtutes Christi, Obedientia, Humilitas, Patientia, Charitas, neque humanis sensibus, neque lumine naturæ cerni possunt: & quis satis intelligat, voluisse Deum à suis subditis ita tractari? Hîc meræ nobis tenebræ sunt. Salomone teste, *Dominus dixit, ut habitaret* 3. Reg. c. 8. vers. 12. *in nebulâ.* Teste David, *posuit tenebras latibulū suum. Nubes &* Psal. 17. v. 12. Psal. 96. v. 2. *caligo in circuitu ejus.* Elias transeuntem Deum 3. Reg. c. 19. vers. 13. visurus, *operuit vultum suum pallio.* Humana intelligentia & sapientia omnis agit in tenebris, tamquam si offusa sit illi nox sempiterna, hoc crucis mysterium gentibus stultitiā, Iudęis scandalum non capit. *Quia* 1. ad Cor. c. 1 vers. 21. *igitur,* inquit Paulus, *in Dei sapientiâ non cognovit mundus per sapientiam Deum, placuit Deo per stultitiam prædicationis salvos facere credentes.* Hîc opus cælesti luce, quæ Centurioni ad Dominicam crucem excubanti obMatth. c. 27 vers. 54. orta est, cùm liberè fateretur: *Verè hic homo Filius Dei erat.*

Undecima XI. Summum hoc beneficium Christi morientis omnia naturæ beneficia obscuravit, uti veniente sole stellæ se abdunt. Inæstimabile prorsus redemptionis hoc beneficium est, aliáq; multùm superat. Hîc Ber- Bern. to. 2. de diligendo Deo. p. 1235 & seq. nardus pandens amoris brachia, *Quis dignè pensét,* inquit, *quantæ fuerit humilitatis, mansuetudinis, dignationis,*

A *Dominū majestatis carne indui, mulctari morte, turpari cruce? Memento jam te esse nihilo factum, non tamen de nihilo redemptum. Sex diebus condidit omnia, & te inter omnia: at verò per totos triginta annos operatus est salutē tuam in medio terræ. O quantum laboravit sustinens!* Addit: *Mandatum est homini diligere Dominum Deum suum toto corde, totâ animâ, totâ virtute suâ, id est, ex omni, quod est, quod scit, quod potest. Quid si totū me debeo pro me facto; quid addam jam & pro refecto, & refecto hoc modo? Nec enim tam facilè refectus quàm factus. Qui me tantùm & semel dicendo fecit, in reficiendo profectò & dixit multa & gessit mira, & pertulit dura, nec tantùm dura, sed & indigna.* Quid ergo retri- Psal. 115. vers. 12. buam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi? *In primo opere me mihi dedit, in secundo se. Et ubi se dedit, me mihi reddidit. Datus ergo & redditus, me pro me debeo. Quid Deo retribuam pro se? quippe qui illum, non solum mei, sed sui quoque ipsius teneo largitorem. Etiamsi me millies rependere posſem, quid sum ego ad Deum? Hic vide quo modo, imò*

B *quàm sine modo à nobis Deus amari meruerit?*

Duodecima. XII. Magnatum mortem sæpe Deus prænuntiis signis & portentis patefecit. Et quamvis hæc desint, tota tamen illorum domus, & parietes atris pannis vestiti luctum præ se ferunt. Cùm cæli terræque Dictator moreretur, tota illius domus meritò luctum induit, elementa omnia, cælum & terra pullis vestibus sunt obducta. *Factæ sunt tenebræ super universam ter-* Matth. c. 27 vers. 45. *ram.* Nec enim tantùm Dominus omnium, sed pro omnibus mortuus est, beato Paulo teste: *Pro omnibus* 2. ad Cor. c. 5. v. 15. *mortuus est Christus, ut & qui vivunt, jam non sibi vivant, sed ei qui pro ipsis mortuus est.*

Prædixerat Christus: *Cùm exaltaveritis Filium hominis, tunc cognoscetis quia ego sum, & à me ipso facio nihil, sed* Ioan. c. 8. vers. 28. *sicut docuit me Pater, hæc loquor.* Certè cognoverunt hæc agi divinitus, nec casu naturæ ordinem tantis prodigiis turbari. Nec dubium, quin tenebrę tam admirandæ, maximum horrorem plerisque omnibus incusserint. Nec tamen etiam dubium est, quin plurimi tenebris cedentibus, diéque jam restituto ad ingenii pravitatem, prout humanus est mos, pervicaces redierint. Sed tertia hîc quæstio salutaris nascitur, quid profuerit nobis nigrum hoc tentorium, tenebræ per orbem sparsæ. Diversis huic quæstioni documentis respondendum.

Quid nobis profuerit hoc nigrum tentorium.

§. III. *Diversa ex his tenebris documenta.*

1. Documentum: Memoria mortis Christi assiduè nutrienda. I. MEmoria mortis Christi assiduè nutrienda. Ingressus in orbem & egressus Domini Iesv quàm fuit miserabilis? Inter bestias & in tenebris natus est, inter latrones & in tenebris mori cœpit. Die natali à pastoribus agnoscitur, die mortis à gentibus; illic à stellâ, hîc à sole noscendus proditur. Hic ingressus & egressus ambitionem nostram damnat, quæ nobis idemtidem suggerit: Ama sciri, laudari, ceteris præferri, digito monstrari. Sed longè aliud nobis

D inculcat Præceptor noster. E Christi scholâ est illud: *Ama nesciri, & pro nihilo reputari. Hæc est altissima & utilissima lectio, suipsius vera cognitio & despectio.* Imit. Christi, l. 1. c. 2. n. 3. & 4.

2. Memoria mortis nostræ numquam oblivioni danda. II. Memoria mortis nostræ numquam oblivioni danda. Mors solem & lunam, & stellas nostri corporis verè obscurat, & diurnas induit tenebras. Ideo Ecclesiastes præmonens, *Memento Creatoris tui &c. antequam tenebrescant sol & lumen, & luna & stellæ.* Solis vicem intellectus gerit, stellarum oculi, faciei luna; hæc omnia caligo mortis obducet. Memento igitur Creatoris tui nunc sanus & valens, ac maturè domui tuæ dispone, & mori disce. Totâ vitâ discendum mori. Egregia res est mortem condiscere. Qui mori discit, servire dedidicit. *Semper discendum est, quod an sciamus experiri non possumus. Meditare mortem.* Eccles. c. 12. v. 1. & 2. Sene. de brevit. vitæ, c. 7 & ep. 26.

3. Summa Christi obedientia per solem monstrata. III. Summa Christi sapientia per solē mōstrata. Iosue ducis ævo sol stetit, Ezechiæ retrocessit, die para-

sceves se abscondit. Christus sol obedientissimus, *sicut mandatum dedit mihi Pater*, inquit, *sic facio*. Cùm in virgineo utero Christus hominē indueret, solis instar decem gradibus recessit, quod sol Ezechiæ rogatu fecit. Nam Dei Filius non solùm infra novem Angelorum ordines, sed etiam intra decimum gentis humanæ gradum se demittens, *Ego autem*, ait *sum vermis, & non homo, abjectio plebis, & opprobrium hominum*. Hic ipse Sol in olivarum horto stans, *Quem quæritis*, ait, *ego sum*. Stetit & coram judicibus; stetit ad columnam, cùm flagellis cederetur, stetit in alto spectandus plebi, stetit in tormentis. Demū Sol iste sepulchro se abdidit. Sicut mandatum dedit illi Pater, sic fecit. *Factus obediens usq; ad mortē*. Cùm noster nos impetus ad currendum impellit, non stare, non lentiùs gradi, non reverti sustinemus. Hæc inobedientia est ex duritiâ mentis obstinatæ, cui dicas imperanti nolle obtemperare. Solē tuum aspice homo contumax, & obedire disce.

Ioan. c. 14. vers. 31.
1. Reg. c. 20. vers. 10.
Ps. 21. v. 7.
Ioan. c. 18. vers. 5.
Philip. c. 2. vers. 8.

4. Summū supplicium sunt tenebræ, tam animi quàm tartari.

IV. Summum supplicium tam in hoc quàm in orbe altero, sunt tenebræ, tam animi, quàm quę sequuntur, tartari. Animi cæcitas in hac vitâ summū & sæpe postremum hominis supplicium: Quod Ioannes explicans, *Excæcavit oculos eorū*, inquit, *& induravit cor eorū, ut non videant oculis, & non intelligant corde, & convertantur, & sanem eos*. Quod Aug. Iudæis jure objicit: *Omnis pæne creatura expavit mortem Domini, nec tamen in his tantis aperti sunt oculi vestri*. O Iudæi, & ô Christiani, historia Christi patientis vobis prælegitur, explicatur, prędicitur, oculis auribúsque variè ingeritur, nec tamen in his omnibus aperiuntur oculi vestri. *Hæ tenebræ mouēri ai. Dei, cap. 7.* *rum magis timendæ quàm oculorum*. Vsquequaque miser est, quem cęcitas ista corripit. Sed & tartareę tenebrę malorum & tormentorum omnium gravissimū sunt.

Ioan. c. 12. vers. 40.
Is. c. 6. v. 10.
Aug. orat. contra Pagan.
Aug. l. 11. de civi ai. Dei, cap. 7.

Privatio aspectūs Dei omne supplicium infinitè excedit.

Ab aspectu Dei æternùm arceri, tristitiam ac dolorē omnem, calamitates omnes, omne malum ac supplicium infinitis partibus excedit. Ideo Christus maximum inferni carceris cruciatum expressurus, *Ligatis manibus & pedibus ejus*, ait, *mittite eum in tenebras exteriores*. Cave tenebras animi, ut caveas tartari.

Matth. c. 22 vers. 13.

5. Refugiū ad triplex tabernaculum.

V. Refugium ad triplex tabernaculum. Petrus in rupe Thabor Christo suadens, *Faciamus*, inquit, *hic tria tabernacula*. Fiet, mi Petre, fiet, sed nō tali quem monstras loco, neque hoc quem prescribis modo, nec isto quo cupis tempore. Fecit Christus tria tabernacula. Primum candidum in amplo cenaculo, purpureum alterum in Pilati prætorio, tertium nigrum in monte Golgothæo. O Petre hîc bonum est nos esse, hîc ad animi salutem omnia sunt abundè.

Matth. c. 17. vers. 4.

Triplex tabernaculū Christi.

Leprosi quatuor, quod Regū fasti memorant, extra Samariæ portam habitabant, cùm Syrus hostis obsideret urbem. Ergo hi quatuor viri ex fame ac rerum inopiâ consilium trahentes, *Quid hic*, ajunt, *esse volumus donec moriamur? sive ingredi volverimus civitatem, fame moriemur; sive manserimus hîc, morendū nobis est. Venite ergo, & transfugiamus ad castra Syriæ*. Ita vesperi ad Syrorum castra ob panicum terrorem penitus deserta pervenerunt. Ingressi proximum tabernaculum, esculentorum & poculentorū affatim invenientes comederunt & biberunt. Hoc fami remedium fuit. Inde alia atq; alia tentoria subeuntes, vasa, vestes, argentum & aurum copiosum inde asportarunt. Hoc inopiæ habuerunt solatium.

4. Reg. c. 7. vers. 4.

Leprosi sumus & nos, nec enim id negare possumus: Venite igitur, transfugiamus vitandæ fami ac morti. Triplex nobis jam patet tentorium. 1. Album, in quo cibi potúsque summa est abundantia, Angelorū esca, sacrosancta Eucharistia, quam Christus moriturus in omnigenæ famis remedium reliquit. Venite, ingrediamur & epulemur, si nō singulis diebus aut hebdomadibus, singulis saltem mensibus. 2. Purpureum, in quo vestes pretiosæ, ostrum segmentatum verecundiæ, toga pura castimoniæ: hîc flagella & spinæ sunt vobis Domini IESV, quæ omnem in nobis, nisi bestię simus, carnis petulantiam retundant. 3. Nigrum in Calvariæ vertice, ubi ad crucem Dominicam tenebris septam, Charitatis aurum, Humilitatis argentum, æs Patientię gemmas Obedientię reperiemus. Confugiamus in aliquod ex tribus his tentorium. Hoc ajo: cùm exercemur adversis, cùm invidiâ mordemur, cùm inopiâ vel morbo conflictamur, cùm ignibus lasciviæ urimur, cùm nobis undecumque demum est ægrè, ad horum aliquod tabernaculum, tamquam ad tutissimum asylum confugiamus. Nemo invitus hinc excluditur, nemo hîc nisi volens perit. *Fusus est sanguis medici, & factū est medicamentū phrenetici*. Memoria Christi Vulnerum adversùs vitia potentissimū est antidotū. Verùm tres aliæ quæstiones hîc nobis subnascuntur. 1. Quem maximè tentorium hoc nigrū texerit. 2. Quanto tempore. 3. Quo usu, quorum bono. Ad singula respondendū.

In primo Christi tētorio albo cibi potúsque est abundantia.

In secundo Purpureo

§. IV. *Quid durantibus his tenebris Christus fecerit.*

QVis iste demum est, quem præcipuè atrum hoc tentorium operuit? Ille ipse, qui pro tabulo crucem, pro pulvillo non saxum, ut Iacob, sed spinas capiti subjectas habuit. Quod nomen huic viro est? Cur nomen quęrimus, *quod est mirabile?* quod nulli libri, nulla lumina capiant: quidquid dixerimus, non satis hoc nomen exprimemus. Rex Regum est, altissimus, sapientissimus, pulcherrimus, opulentissimus, liberalissimus, mitissimus, patientissimus, fidelissimus, misericordissimus, sed simul etiam verissimus, justissimus, terribilissimus, nam & sanctissimus est & purissimus, & ens simplicissimum, se tamen omnibus accōmodans, ubiq; præsens, omnia implens, solus cor satians, immutabilis, incomprehensibilis, inscrutabilis, omnipotens, æternus. Et hic nō innixus scalæ, ut eum Iacob vidit, sed affixus furcæ, sub atro tenebrarum papilione habitat. Vrias à suo Rege jussus domum ire, *Arca Dei, & Israël & Iuda*, inquit, *habitant in papilionibus, & Dominus meus Ioab, & ego ingrediar domum meam, ut comedam & bibam*? Hîc non Arca Domini, sed Arcæ Dominus ipse vulneribus plenus conopeo nigro tegitur. Miramur & miseremur beatum Emmeranum Antistitem scalarum radiis illigatū, aures illius & nares, manuum item pedúmq; digitos articulatim amputatos, linguâ & oculos evulsos? At verò servus Christi fuerat Emmeranus; hîc verò Christus ipse à servis Dominus alligatus est ad cœli scalam, & manus pedésque perforatus, inter tormenta summa obiit.

Hîc arcanum pandimus Christi patientis, cui quatuor è ferro clavi, dolores utiq; acerbissimos creârunt, sed erant & alii quatuor clavi, qui acerbiùs eum confixerunt. 1. Patris offensa. 2. Propria ignominia. 3. Sitis horrenda intensissimis doloribus aliis aucta. 4. Tormenta summa, plurimis tamē non profutura. Ex imitatoribus Christi fuêre quidem multi crucifixi, nullus tam infando cruciatu. Theodorus puerorum jaculis rei. in cruce crucifixus est: Pionius igne subjecto crucem pertulit: Epimachus ferreis unguibus in ipsâ cruce laceratus: Cosmas & Damianus in crucem elati, saxis & telis petiti sunt: Neon, Asterius, Claudius in humiles cruces appensi, & canibus in eos concitatis objecti: Theonilla quatuor palis obliquè fixa: Blandina in cruce bestiarum incursibus exposita: Timotheus & Maura post supplicia gravissima novem ipsis diebus in cruce perseverârunt. Verùm hi omnes famuli & famulæ fuerunt, hîc ipse Dominus in cruce irrisus est.

Quæstio V. Quanto tempore duravit hoc crucis tormentum? Probè considerandum est quod dicturi sumus, & pectori altissimè inscribendum. Ipso meridie, seu paulò ante duodecimam nostratem horam in crucem clavis est adstrictus. Mox parricidis il-

lis

lis veniam rogavit, latroni in tormentis socio paradisum promisit, novum matri filiũ substituit. Ita post Hebræorum sextam, duodecimam diei nostram, cœperunt tenebræ. In tenebris Christus tribus integris horis pependit vivus, & tempore hoc toto siluit. Hîc accuratiùs expendendum, quantus plurimorũ in tam altis tenebris horror & terror fuerit. Idcirco Lucas, *Et omnis turba eorum*, inquit, *qui simul aderant ad spectaculum istud, & videbant quæ fiebant percutientes pectora sua revertebantur.* Ægyptiorum lex vetus imperabat, si pater filium occidisset, ut triduo ad cadaver persedere, illúdq; aspicere cogeretur. Nec enim miti judicio graviorem pœnam inferri posse censuerunt. Nos rebelles filii occidimus parentem nostrum, cur pœnam hanc saltem trihorio non subeamus? Sedeamus ergo & spectemus Christi morientis arcanissimas quatuor actiones in tenebris majorem partem confectas.

Actio prima: Silebat & flebat lachrymarum testis Paulus, qui à Christo preces supplicationésque cum clamore valido & lacrymis oblatas asserit. De Christi per trihorium illud silentio, interpretum consensus est. Itaq; vigilavit in cruce & lacrymavit. Iacob peregrinus viator *tulit de lapidibus qui jacebant, & supponens capiti suo dormivit in eodem loco.* Asperius pulvinar Christus habuit, quod nihil somni admisit. Rex David suaviter meridians super molliore lecto dormiit, sed rectiùs vigilâsset eo tempore ac orâsset, nam somnum otiosa deambulatio, hanc curiosior prospectus, istum adulterii crimen est secutum. Sed peccati pœnas validè luit. Nam Absalonem rebellem filium cum exercitu imminentẽ fugiens Hierosolymis est egressus, quò se verteret incertus. In itinere hoc mœstissimo *ascendebat clivum olivarum scandens & flens, nudis pedibus incedens, & operto capite plorans.* Imago fuerat Christi, qui in cruce flebat, sed quia lacrymabundum vultum non spinis, multò minùs pannis ob paupertatem operire potuit, velaminis vicem tenebræ fuerunt; ita capite operto, vigilante silentio flevit. Interim tot vulnera, sanguis, manuum pedúmque foramina clamârunt, uti Bernardus loquitur. Quæ clavorum vox, quę vulnerum lingua, quis sanguinis clamor?

Tres amici Iob *audientes omne malum, quod accidisset ei, venerunt singuli de loco suo, Eliphaz Themanites, Baldad Suhites, & Sophar Naamathites: condixerant enim, ut pariter venientes visitarent eum & consolarentur. Cúmque elevâssent procul oculos suos, non cognoverunt eum, & exclamantes ploraverunt, scissíq; vestibus sparserunt pulverẽ super caput suum in cælum.* Lugubris accessus, sed multò plus habuit luctûs longior illic commoratio. Nam *sederunt cum eo in terrâ septem diebus & septem noctibus, & nemo loquebatur ei verbum: videbant enim dolorẽ esse vehementem.* etsi enim abierint, cibi aliquid aut somni capientes, mox tamen redierunt. Ita in multam noctem sessitârunt ad ægrũ. Digressi paululum mox summo mane denuo se stiterunt. Suâ saltẽ præsentiâ testati, quàm cupiant amici munus exequi. Principio morbi, quies & silentium aptissima medicina. Ita fortassis Angelus, uti nonnemo sentit, in oliveto Christum, non tam loquendo quàm assistendo, ipso habitu gestúque solabatur, ita ut Christo in genua procumbente, poplites & ipse submiserit, Christo in terram se prosternente, humi & ipse se prostraverit, quod Christus à suis petiit. Nec enim à Petro consolatorios sermones, sed mœroris societatẽ exigens, *Sic non potuistis*, inquit, *unâ horâ vigilare mecum? sustinete hic & vigilate mecum: vigilate & orate.* Prima igitur Christi in cruce actio fuit, vigilare & lacrymare.

Actio altera: Trihorio illo infanda tolerabat, nam illi quatuor occulti clavi dolores incredibiles creârunt Christo. Andreas Apostolus biduum in cruce vivus pependit, sed ex hoc suggestu animosissimè plebi concionatus est. Timotheus & Maura tametsi novem diebus, ut dictum, in cruce animam traxerint, mutuis tamen hortatibus insigniter sese animârunt. Marcus & Marcellianus fratres in unâ eâdémq; cruce diem unum & noctem cantârunt: Ad crucem Domini nihil odarum aut cantûs auditum est, hîc gemitus, suspiria, lacrymæ. Si hæc passionis acerbitas, inquit Isidorus, ad memoriam reducatur, nihil tam durũ est, quod non æquo animo toleretur. Parva enim toleramus, si recordemur quid biberit ad patibulum, qui nos invitat ad cælum. Ille enim opprobria, irrisiones, contumelias, alapas, sputa, flagella, spineam coronam, crucémque sustinuit, & nos miseri ad nostram confusionem unico sermone fatigamur, imo & verbulo dejicimur?

Actio tertia: Orabat & seipsum Patri sacrificabat. Sunt qui putent, Psalmum vigesimum primum (*Deus Deus meus respice in me, quare me dereliquisti*) totũ à Christo in cruce recitatum. Affectu pio conjectare talia possumus, scire vix possumus. Non dubium illud, quin sese in ipsâ etiam cruce, voluntati paternæ centies iterúmque centies obtulerit: *Ita Pater, quoniam sic placitum fuit ante te*, ita mi Pater, sicut mandâsti mihi, sic facio, Pater. Oblatus est non tantùm quia ipse voluit, sed quia seipsum obtulit. Ad hanc sui oblationẽ Gregorius Nazianzenus nos valido impulsu excitâs. *Offeramus*, inquit, *ei qui pro nobis passus est & resurrexit. Aurum fortasse me dicere putatis, aut argentum, aut texturas, aut pellucidos & ingentis pretii lapillos, fluxam fragilémque terræ materiam, cujus majorem partem improbi fere possident. Imo verò nosmetipsos offeramus, hoc est, opes Deo charissimas, maximeque congruentes. Imaginis decus imagini reddamus; dignitatem nostram agnoscamus; exemplar nostrum honore prosequamur; mysterii vim intelligamus, & pro quo Christus mortuus est. Simus ut Christus, quoniam Christus quoque sicut nos. Efficiamur Dei propter ipsum, quoniam ipse quoque propter nos homo factus est.*

Actio quarta: Expectabat mortem. Nam ideo tenebris tam profundis jusserat nigrescere omnia, ut cessante ad crucem strepitu ac tumultu, suo nos exemplo erudiret, quomodo per preces & lacrymas parandus sit animus ad mortem. En quàm retinens sui mortis sit Christus, qui diem laboribus dabat, nocte in montibus orabat. Quæ omnia nobis instruendis fecit. Ita etiam in Calvariæ jugo, jam & hostibus & amicis officio præstito, quietum silentium tam orationi quàm præparationi ad mortem elegit, ut & nos disceremus mori.

Carolus Borromæus Senator purpuratus, Mediolanensis Præsul sanctissimus in extremis triplicem sibi gratiam præstari desiderans ita precatur:

Sanctissime & vigilantissime Custos Angele, constituo te procuratorem testamenti, ultimæque voluntatis meæ, ad impetrandas mihi à Domino IESV tres gratias. Prima est, ut donet mihi unum solum lacrymosum suspirium, ex infinitis illis quæ habuit ipse, dum per tres horas vivus pependit in cruce, quorum efficaciâ & virtute mitigentur lacrymabiles illi singultus, cordisque pressuræ & angustiæ, quibus in horâ mortis affligar: & ut gloriosissima Dei Mater Maria dignetur vel unico etiam aspectu ex iis quos ipsa sub cruce stans habuit, virgineos oculos in filiũ unicum defigendo. Altera gratia est, ut tu fidelissime Custos meus, in illâ mihi potissimùm horâ succurras, quando anima mea separabitur à corpore meo, ut inveniam benignum judicem ex merito flagrantissimæ illius charitatis, quâ paternum ipsius pectus in cruce fuit inflammatum pro salute peccatorum. Tertia gratia est, ut tu idem piissime Custos meus animam meam tibi habeas commendatam, eámque de ergastulo corporis egressam Redemptori meo offe-

Iac. 12. 3. vers. 48.

Tam dulce putarem omnia relinquere quam hæc mihi Lector.

1. Actio Christi tempore tenebrarũ: Silens lacrymatio.

Ad Heb. 5. 7. Gen. c. 28. vers. 11. 2. Reg. c. 11. vers. 2.

2. Reg. c. 15. vers. 30.

Iob 2. v. 11. & 12.

Ibid. v. 13.

Ioan. Pineda.

Matth. c. 26 vers. 40. Ibid. v. 38. & 41.

2. Actio. Ardens oratio.

1. Actio. Inexpectabilis perpessio.

Matth. c. 11. vers. 26.

Nazianz. orat. 41.

4. Actio. Taciturna mortis expectatio, & ad eam præparatio.

Oratio Caroli Borromæi pro obtinendâ triplici gratiâ.

offeras, ut eum unà tecum in gaudiis cæli videam, perfectè amem, eóque æternaliter fruar.

Obtenebrescente cælo summatim hæ quatuor Christi actiones fuerunt: Solens lacrymatio, ardens oratio, inexplicabilis perpessio, taciturna mortis expectatio & ad eam præparatio. Hæc Christi perseverans fuit in cruce patientia *usque ad Nonam.*

Horam tertiam vespertinam nostram.

§. V. *Quàm acerbum Christo morituro fuerit hoc tenebrarũ trihorium, & de perseverantiâ* usque ad nonam.

QVis assequi possit cogitando, quis æstimando capiat, quantos angores & dolores Dominus IESVS hoc trihorio sit passus *usque ad nonam?* sed multò minùs æstimari poterit amor, quo tanta passus. Hic certè tam immensus fuit, ut postquam flagris cæsus quinque aut sex millia plagarum accepit, ut Landulphus sentit, paratus tamen fuerit, denuo tantumdem verberum subire. Si septuaginta pluribúsve spinis caput coronatus, septem aut septuaginta millibus spinarum cruciari non abnuisset. Et ubi trihorium in cruce perduravit *usque ad nonam*, tribus millibus horarum, imò ad supremum judicium amore nostri crucis tormenta perpeti non recusâsset. Amor immensus. Verùm tres illæ horæ omni genere angustiarum & dolorum adeò fuerunt oppletæ, ut trihorium illud rectè nominemus triennium. Quòd si divini honoris & nostræ salutis, patiendique desiderium spectemus, amori tres horulæ partes, momenta tria fuerunt, uti Jacobo Patriarchæ septem anni totidémque alii, iterúmque *septem anni præ amoris magnitudine dies pauci sunt visi.* Amorem opilionis Hebræi longissimè superavit amor Christi, qui extrema omnia passus *usque ad nonam.*

Landulphus in vitâ Christi. Alii numerant 5475. certa hæc, certum, maximum fuisse numerum.

Gen. c. 29. vers. 20.

Nosco bono hæc tanta passus est Christus.

Sexta demum quæstio est, Quorum bono hæc tanta passus est eo tenebrarum trihorio? Hostium, hoc est, nostro. Si nos omnes, si tota gens humana tribus millibus annorum apud inferos in cruces appensa, ignes assiduos pertulisset, peccati pœnas abolere, ac veniam mereri non potuisset, quod potuit Christus trihorio, quo Dimas latro plus didicit in furcâ, quàm Iudas Apostolus in Christi scholâ. Ex hoc ipso trihorio licebit nobis discere, quod omni vitâ profuturum. Tria potissimùm documenta subnectimus.

Tria documenta ex hoc Christi trihorio tormento.

1. Crux Christi nõ ferenda solùm, sed usque ad nonã perferenda.

I. Crux Christi non ferenda solùm, sed usque ad nonam perferenda. Diximus aptissimam esse medicinam, principio morbi silentium & quietem. Hîc plerique omnes erramus. Cùm ægrè nobis est, grandi nimiùm tumultu æquos iniquos opem poscimus. Longè rectiùs cum animi tranquillitate ad Deum nos vertemus. *Hæc dicit Dominus Deus*, clamat Isaïas, *si revertamini & quiescatis, salvi eritis: in silentio & in spe erit fortitudo vestra.* En Christus dolorum plenus absque omni solatio pendebat, manuum pedúmque vulnera mole corporis magis ac magis dilatabantur, sole deficiente insolitum frigus augebat corporis cruciatus, horrendæ tenebræ vix aliud quàm tormenta summa cogitare permittebant. Tota quidem vita Christi labor merus & dolor fuit, at verò tam acerruatis doloribus & mœroribus numquam angebatur, atque illo trihorio. Nihilominùs in extremis his angustiis & cruciatibus quærulæ voces nullæ audiebantur, tacitæ fluebant oculis lacrymæ, uti sanguis vulneribus; orabat ipse, totúmque trihorium illud oratione consumebat, oratione prorsus validissimâ: tot enim orantis erant ora, quot vulnera; tot linguæ, quot sanguinis guttæ. Ad hanc ideam te compone, quisquis es, cùm eris in cruce; sile, quiesce, ora. *Si revertamini & quiescatis, salvi eritis.* Nos sæpe contraria omnia facimus: tumultuamus, fremimus, indignamur, omnem animi tranquillitatem perdimus clamosâ impatientiâ.

Isa. 30. v. 15

II. Christi doloribus indolendum seriò. Exiguum nimis est ad hæc audita vel lecta die parasceves ingemiscere; in auras abit hæc curta pietas, si huic consensum nihil operis sequatur. Et sunt qui nec ipsis quidem Soteriis multum ingemiscant saxis duriores: de Christi cruciatibus quædam audiunt, & etiam cogitant, sed sine sensu, sine omni curâ imitationis. *Averterunt facies suas a tabernaculo Domini, & praebuerunt dorsum.* Non immeritò quærit S. Bonaventura: *Quare magis compateris puncturæ pedis tui, quàm mortis Domini tui?* Numquid ergo plus diligis pedem tuum quàm Dominum tuum? En quot fonticuli fluunt & cauteria, non illum, sed te, nisi saxum sis sananda.

1. Christi dolores indolendi seriò.

2. Parasceve. vers. 6. Bonaventura. modo dicit amor.

Sunt alii qui moventur quidem Christi cruciatibus, & altum ingemiscunt, nigrum hoc tentorium subeunt cum magno sensu, modò cum diuturnitate; nam eadem delicta quæ defleverunt, post pauculas hebdomades repetunt inconstantiâ sanè miserabili. Ioab dux belli quod in Regũ fastis est, *fugit in tabernaculum Domini, & apprehendit cornu altaris.* Iussus egredi respondit: *Non egrediar, sed hîc moriar;* illic & moriturus. Ita quisque secum statuat: à cruce IESV Domini mei nullus hominum, nullus cacodæmonum me avelet; hîc moriar. Satius occidi centies, quàm peccatis inquinari. Calliopius juvenis sanctissimus pridie parasceves cruci affixus capite inverso, pedibus ad cælũ erectis, ut divus Petrus, die sequenti mortuus est. Mater filium ita pendentem brachiis strinxit eo animi dolore, ut ipso filii complexu obierit. Ita nos Christum sub nigro tentorio crucifixum amplectamur, ut vitiis omnibus, suo quisque maximè familiari ac domestico moriamur. Mori melius quàm vitiis mergi.

3. Reg. 2. vers. 21. Iliud non ego dicam.

Dies. p.

III. Exhauriendus Christi calix, uti suum exhausit Christus usque ad guttam ultimam, *usq; ad nonam.* Et certè calix fuit felle confertissimus, cum tamen exhausit Christus. Potuit dicere, *Consummatũ est.* Credibile est quod pii scriptores censent, adfuisse Angelos huic ultimo actui, qui & primo interfuerunt in horto. Cùm ergo Christus pegma ferale ascenderet figendus cruci, Angelus eum solatus simili dicto creditur: Domine, *usque ad nonam*: tres horulæ restant, & confectum est opus hoc grande. Explevit tres horas istas integerrimè, aliquid insuper adjecit temporis, ut mensura esset conferta & superfluens. Nam ante sextam, seu duodecimam nostram affixus est cruci, post nonam, seu nostram tertiam expiravit. Ita calicem hunc felleum, inundantem, plenissimum ebibit, perduravit *usque ad nonam*, & ultra nonam.

Exhibitionis Christi fixi ad crucem. vers. 33.

Quàm nos, cheu! longanimes non sumus, vix calicem istum sorbillare incipimus, & mox saturi sumus; vix pati ordimur, & finem spectamus, omnis moræ inter tristia & acerba impatientissimi. Nos scilicet legem habemus, sed legem quam mundus & caro dictârunt. Parvas pœnitentias & magnas indulgentias, brevem orationem & longam confabulationem, parum crucis & multum mercedis. O Christiani, durandum & perseverandum est *usque ad nonam.* Suum cuique patiendi terminum Deus posuit, quem nulli licet transgredi, suas quisque dolendi horulas habet exactissimè dimensas ad unguem; citiùs finire nefas. In cruce permanendum *usque ad nonam.*

Huc igitur, huc confluant sub nigrum istud tentorium afflicti omnes, & quibuscumque malè est, huc ægri omnes, qui suas horas velut annos Deo adnumerant, huc contempti & abjecti, huc pauperes & egeni, huc solatiis destituti, mœroribus exhausti, curis aut tentationibus dejecti, huc omnes qui in dolore sunt, hîc omnium ægritudo ad libellam auri appenditur. Hîc discendum miserias humanas

Afflictis omnibus ad hoc tentorium confugiendum.

omnes

omnes tolerandas *usque ad nonam*, usque ad præscriptum ab omni æternitate tempus. Suus cuique finis à Deo assignatus est. Duas aliqui etiámnum horas habent, quas in cruce consumant; aliqui sesquihorâ, sesquitertiam alii, nonnulli tres quadrantes, quidam unicum, sua tamen omnibus toleranda crux est *usque ad nonam*, ad præstitutum exitum. Quid querimur? cur dolores ipsi nostros asperamus impatientiâ? omne malum levius fit tolerando. Nos omnes istud solletur, nemini nostrûm tres integras supereſſe horas; pars trihorii magna jàm exhausta est. Aliquibus vix quadrans restat unicus. Quocirca, mei, sustinete hîc & vigilate *usque ad nonã*. Sustinete cum Christo propter Christum, & omnis amaror calicis dulcescet. Suavius est extrema omnia pati *usque ad nonam*, quàm ardere sæculis æternis.

CAPVT. XI.

Moriente Christo scissum templi velum, aperta monumenta, ruptæ petræ, mota terra.

REx David Absalone filio, dum è quercu pendet, transfosso, lugubre carmen iterans clamabat voce magnâ: *Fili mi Absalom, Absalon fili mi.* Cùm Dei Filius hominum obedientissimus in cruce obiisset, orbe toto lugubris clamor est auditus, *Luxit & elanguit terra.*

2. Reg. c. 19. vers. 4. Psal. 33. v. 9.

E diversis quatuor locis hęc comploratio est orta, è templo, è tumulis, è petris, è tellure ipsâ. De his Matthæus clarissimè, *Et ecce*, inquit, *velum templi scissum est in duas partes à summo usq; deorsum, & terra mota est; & petræ scissæ sunt, & monumenta aperta sunt.* Hęc quatuor prodigia interitū vitæ testata, hoc capite sunt explicanda.

E quatuor locis diversis hæc comploratio est orta. Matth. c. 27 vers. 51.

§. I. *Christo moriente scissum templi velum.*

PRodigium primum Velarii sacri scissura. Templū velut sacellum luxit sanctissimum illud Dominici corporis templum, crucis ariete tam fœdè dirutum. Quod futurū Christus *de templo sui corporis* prædicens, *Solvite*, inquit, *templum hoc.* Porrò Hierosolymæi templi velum duplex fuit. Exterius unum ante sancta, interius aliud ante Sancta sanctorum prætensum. Primi illius expressam mentionem faciens Paulus, *Post velamentum autem secundum*, inquit, *tabernaculum, quod dicitur Sancta sanctorum.* Aristeas fratri Philocrati iter suum ad Pontificem Eleazarum describens, hoc velum vocat spectaculum jucundissimū, quo numquam facilè satiari possis, præsertim cùm illud undante vento crispatur. Iosephus ex Hebræis Græcus scriptor, Solymæum templum unà cum hoc velamine (quod Aulæū nominat) depingens, fores habebat aureas, inquit, quinquaginta quinq; cubitis altas, sexdecim latas. Adhæc aulæum longitudine pari, hoc est, velum Babylonicū hyacintho & byssо, & cocco, & purpurâ variatum, mirabili opere factum, neq; contemplationis expers colorum permixtione, sed velut omnium rerum imaginem præferens. Cocco enim videbatur ignem imitari, & byssо terram, & hyacintho aërem, ac mare purpurâ, partim quidem coloribus, byssо autem ac purpurâ origine: quoniam byssum quidé terra, mare autem purpuram gignit. Erátque in eo perscripta omnis cæli ratio, præter signa. Introgressos autem inferior pars excipiebat, cujus altitudo quidem habebat sexaginta cubitos, & longitudo totidem, latitudo viginti.

Dum c. 2. v. 19. & 21. Duplex templi Hierosolymæi velum. Hebr. c. 9. vers. 3.

Iosephus de bello Iudaic. lib. ante fin. pag. 917.

Sed utrum è duobus his velis scissum est? Sunt qui exterius dicāt: sunt qui asserant interius, quod à Matthæi verbis non dissonat: aliqui utrumque laceratum affirmant, quod Alphonso Salmeroni satis probabile videtur. Hoc factum simulatq; Dominus IESVS animā efflavit: *Et ecce*, inquit Matth. *velum templi scissum est in duas partes à summo usq; deorsum.* Diversę hujus causę.

Aug. l. 3. de consensu Evang. c. 19. Matth. c. 27 vers. 51.

I. Detestatio sceleris Hebræi tunc cōmissi. Iudæorum mos erat auditis in Deum maledictionibus non tantùm diloricare vestem, sed scindere. Ita Caiphas *scidit vestimenta sua dicens: blasphemavit* †. Æternus Pater unigenam suum in cruce mortuum cernens, velarium sacrum veluti vestem suam discidit, testatus hunc suum esse Filium, séque ob cędem illius iratum detestari facinus in eo jugulando commissum. Quòd si David auditâ Saulis & Ionathæ regum morte vestem scidit, quantò magis Pater obedientissimi Filii mortem quodammodo perhorrescens id fecit? *Numquam res talis facta est in Israël.*

1. Caussa vel templi scissi: Detestatio sceleris Hebræi tunc commissi.

† *Matth. c. 26. v. 65.*

Iudic. c. 19. vers. 30.

II. Caussa, Patefactio mysteriorum sub involucris latentium. Prius omnia erant ænigmata, nunc evoluta sunt, & in lucē posita. Nimirum Moyses vultum tegebat, aliter à Iudæis non aspiciendum: Tot cæremoniæ, ritus, observationes, sacrificia, & sacrificiorū differentiæ velum erant, quo Christianorum spiritalis vita tegebatur. *Omnia in figuris contingebant illis.* Desierunt hæc omnia. *Venit hora, & nunc est, quando veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu & veritate.* Vix ulla olim mentio cæli, judicii, interioris veræ humilitatis; pleraque omnia in corporis sensus incurrebant. Nunc patent Christianis, quæ tecta fuerant Iudæis. Evanuerunt illi. Hieronymus, *Velum templi scissum est*, inquit, *& omnia legis sacramenta, quæ prius tegebantur, prodita sunt.* Corruscat Christi Evangelium omnibus exponendum. Priscæ legis cultus & sacrificia sunt abolita; salutis mysteria nemini ampliùs velanda. Consummata sunt hæc omnia. Patet jam arca, quæ continebat manna. Cena Christi omnibus expolita; patent tabulæ, Prophetarum vaticinia; patet Aaronis virga, Crux Dominica. Non jam ampliùs in atrio standum; admittimur in conspectum Dei. Scissum est velum, cælo mutavit in spiritum.

2. Patefactio mysteriorum sub involucris latentium.

1. Cor. c. 10. vers. 11. Ioan. c. 4. vers. 23.

III. Caussa, Recessus gratiæ à Iudæis. Beatus Ephrem asserit, tunc multis visam è Sancto sanctorum albam evolare columbam. Iosephus ipse narrat à sacerdotibus noctu in intimo templo auditum primò quidem motum ac strepitum, postea verò subitā vocem quæ diceret: Migremus hinc. Divus Cyril. *Opportunitas tunc maxime*, inquit, *pulcherrima fuerat, ut velum templi scinderetur, & lex aperiretur, quando animam pro nobis Salvator tradidit: tunc enim à gratiâ Dei penitus Israël decidit, resilitq; longè ab eâ, cùm tanto furore Salvatorem suum impie occidit.* Idem adstruens Theophylactus, *Scissum est velum*, inquit, *per hoc manifestante Deo, quòd gratia spiritūs è templo evolet, & quòd Sancta sanctorum omnibus conspicua & manifesta fiant.* Quæ Victor Antiochenus confirmans, *Fecit hoc*, ait, *non in templi contumeliam, sed in sacerdotum notam. Illi enim, qui diutius in templo diversarentur, indigni erant. Oportebat adhæc vaticinium, quod de futurâ templi desolatione extabat, impleri.*

3. Recessus gratiæ à Iudæis.

Ioseph. l. 7. de bel. Iud. c. 12. pag. 961.

Cyril. l. 12. in Ioan. c. 37

Theophyl. in Marc.

Victor Ant. in Marc.

IV. Caussa, Transitus à Iudæis ad gentes, à Synagogâ ad Ecclesiam, à toto sacrificiis ad unum idq; sanctissimum, à sexcentis tredecim legibus, ad unicam eámque suavissimam Evangelii legem: Ama Deum, & universis legibus satisfecisti. Hunc à Iudęis ad gentes transitum Christus prædicens sæpius, *Auferetur*, inquit, *à vobis regnū Dei, & dabitur genti facienti fructus ejus. Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta.* Quandoquidem ergo Messiam vestrum non tantùm abjicitis sed eum insuper crucifigitis, auferetur à vobis etiam Messiæ regnum; cælum perdetis, & terram non retinebitis. Irruet Romanus exercitus & templo sacrificiisque subversis innumeros ferro trucidabit, ceteros in omnes orbis partes disperget. Satis diu invitati estis ad pœnitentiam, sed quia bonitati divinæ contumaciter obstitistis, en transitum ad gentes struimus. Hoc idem illis in os opprobans Paulus: *vobis*, inquit, *oportebat primùm loqui verbum Dei, sed quoniam repellitis*

4. Transitus à Iudæis ad gentes, à Synagogâ ad Ecclesiam.

Matth. c. 21 vers. 43. & c. 23 v. 38.

Actor. c. 13. vers. 46.

litus illud, & indignos vos judicatis æternæ vitæ, ecce convertimur ad gentes: sic enim præcepit nobis Dominus. Quisque videat, ne idem sibi denique dicatur: Vocatus es diu satis. & renuisti; tuam ipse salutem pervicax repulisti; spes emendationis tuæ nulla est. Peribis ergo, sed volens: coronâ tibi destinatam alter accipiet. Cælum tibi obserabitur æternùm: frustrà pulsabis januâ jam clausâ. Væ homini, quem talis fulminavit sententia.

1. Nova ad cælum via per Christi mortem patefacta. *Hebr. c. 10. v. 19. & 20. Hebr. c. 9. vers. 8.*

V. Causa, Nova ad cælum via per Christi mortem patefacta. Hanc Paulus digito monstrans, *Habentes itaq; fratres*, inquit, *fiduciam in introitu sanctorum, in Sanguine Christi: quam initiavit nobis viam novam & viventem per velamen, id est, carnem suam.* Iam igitur propalata est via Sanctorum. Noctes atque dies patet ampli janua regni, reseratus est omnibus in cælum ingressus; nemo excluditur qui ad illa Sancta sanctorum per novam hanc viam contendit. Scissum est velum, apertū est cælum. Iam Stephanus etiámnum in terrâ stans solis oculis illuc penetrat divinæ gloriæ spectator. Sicut aurem eo prorsus momento, quo Christus in cruce obiit, Dei gloria se spectandâ Patribus in limbo præbuit, ita cuivis hominum puncto mortis Deus se cernendum exhibet, nisi moriens adhuc in nebulâ peccati hæreat.

§. II. *Propria sciſi veli explicatio.*

Via crucis est via ad beatitudinem.

VIa verò quâ sibi Christus Corporis sui gloriam, nobis & animi & corporis beatitudinē obtinuit, crux fuit jussu Patris tolerata. Hæc verissima est ad Sancta sanctorum via, via crucis. Amemus, ô Christiani, crucem. Hanc nobis Dominus ut legatum carissimum testamento legavit. Ambrosius tamquam lector testamenti, *Auctor pietatis*, inquit, *in cruce pendens testamentum condidit, singulis pietatis opera distribuens: Apostolis persecutionem, Iudæis corpus, Patri spiritum, Virgini Paranymphum, latroni paradisum, peccatori infernum, Christianis verè pœnitentibus crucem commendavit.* Ad crucem amplectendam totis scriptorum voluminibus invitamur, sed illa religiosę simplicitatis cohortatio mihi videtur omnium nervosissima, quæ compendio ita nos instruit: *Non est alia via ad vitam, & ad veram internam pacem, nisi via sanctæ crucis & quotidianæ mortificationis. Dispone omnia secundum tuum velle & videre, & crucem semper invenies. Converte te suprà, converte te infrà, converte te extrà, converte te intrà, & in his omnibus invenies crucem: & necesse est te ubique tenere patientiam, si interiam vis habere pacem, & perpetuam promereri coronam. Si libenter crucem portas, portabit te, & ducet ad desideratum finem, ubi scilicet finis patiendi erit quamvis hic non erit. Si crucem invitè portas, teipsum magis gravas, & tamen oportet ut sustineas. Si abjicis unam crucem, aliam procul dubio invenies, & forsitan graviorem.*

Ambr. serm. de passione Domini.

Eam Christianis verè pœnitentibus Christus cōmendat.

Thom à Kemp. in Imit. Christi, l. 2. c. 12. ex quo hic sumpta.

Nō est alia via ad vitā, & ad internam pacē, nisi via S. crucis.

Tota vita Christi crux fuit & martyriū.

Tota vita Christi crux fuit & martyrium, & tu tibi quæris requiem & gaudium? Erras, erras, si aliud quæris quàm pati tribulationes, quia tota ista vita mortalis plena est miseriis & circumsignita crucibus. Quamdiu pati grave tibi est & fugere quæris, tamdiu male habebis, & sequetur te ubiq; fuga tribulationis. Nemo ita cordialiter sensit passionem Christi, sicut is, cui contigerit similia pati. Calicem Domini affectanter bibe, si amicus ejus esse, & partem cum eo habere desideras. Meritò deberes libenter modicum pati pro Christo, cum multi graviora patiantur pro mundo. Scias pro certo, quia morientem te oportet ducere vitam. Et quantò quisque plus sibi moritur, tantò magis Deo vivere incipit. Nihil Deo acceptius, nihil tibi salubrius in mundo isto, quam libenter pati pro Christo. Omnibus ergo perlectis & scrutatis sit hæc conclusio finalis, Quoniā per multas tribulationes oportet nos intrare in regnū Dei.

Psal. 43. Propter te mortificamur totā die.

Actor. c. 14. vers. 21.

Reverā è solidę pietatis meditullio hęc nata sunt, instar oraculi habenda. Verùm patientiam omnes cōmendant, sed pati recusant. Hi mores nostri sunt. Ergo ad Christum denuo nos vertamus, & scissum velum in ejus sanctissimo corpore consideremus. Nec enim hoc quisquam exposuerit magis propriè quàm Paulus, cujus voces sunt: *Per velamen, hoc est, carnē suam.* Hoc velum corporis Dominici à summo usque deorsum, à suprema usque ad imam partem scissum est. Quod prævidens Haias, *à planta pedis usque ad verticem*, inquit, *non est in eo sanitas: vulnus & livor, & plaga tumens.* Hoc velum ita scissum, adumbrabat Christi summos dolores, membra omnia in dolore maximo fuerunt, suum quodque habuit, eúmque non simplicem. Verè vir dolorū Christus, & sciens infirmitatem: *Vere languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portavit.* Sed & animum summis mœroribus obrutum testantur ea verba: *Tristis est anima mea usque ad mortem: Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?* Neque enim hoc velut in theatro comicus proclamavit. Quod dixit, re ipsa sensit. Nec tantùm summi, sed & diuturni erant hi dolores: à tempore cenæ usque ad nonam finitæ vitæ, luctatus est cum morte ultra viginti horas. Attendite & videte, si est dolor similis huic dolori. Imò verò jam in Matris utero Christus supplicio crucis affectus est. Iam jussio Patris urgebat: *Fili mi, crucifigendus es.* Ab eo momento Christus præsentissimam semper ante oculos crucem habuit, cum hoc mandato Patris, qui ab omni æternitate rerum universarum seriem prævidens, decrevit Filium in terras mittere crucifigendum. Ita Christus non solùm tribus horis, sed triginta quatuor annis in cruce pependit, & fellis calicem bibit. Hinc pius ille scriptor, quem dixi, rectè asserit: *Nec enim* Iesvs *Christus Dominus noster, unā horā sine dolore passionis fuit, quamdiu vixit.* Deinde calix ille Christi felleus nullā solatii suavitate fuit temperatus. Discipulis Crucifixi & aliis ejus imitatoribus dabatur calix solatiis permulsus: Apostoli cùm virgis cederentur, *Ibant gaudentes à conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine* Iesv *contumeliam pati.* Andreas crucem sibi fixam eminus salutabat. Stephano lapides torrentis dulces fuerunt. Laurentius prunis incubat ut plumis. Tiburtius prunas calcat ut rosas. At Christus ingemiscens, *Circumdederunt me*, inquit, *dolores mortis, & torrentes iniquitatis conturbaverunt me. Dolores inferni circumdederunt me; præoccupaverunt me laquei mortis. Improperium expectavit cor meum & miseriam. Et sustinui qui simul contristaretur, & non fuit: & qui consolaretur, & non inveni.* Ista nos ita solentur, & firment ut modicum, quod patimur, libenter patiamur.

A

B

C

D

§. III. *Christo moriente aperti tumuli.*

ET *monumenta aperta sunt*, inquit Matthæus, *& multa corpora sanctorum, qui dormierant, surrexerunt.* Disjectis, terræ motu aut fissis marmoribus, quibus tegebantur, hiârunt tumuli, mortui suum Dominum agnoscebant, quem nosse vivi nolebant; eámque cædem vel clausis oculis ferre quasi horruerunt mortui, quam inferre non verebantur vivi. Nam & hoc singulari prodigio declaravit Deus, eum qui interfectus, suum esse filium, non solùm cæli & terræ, sed & mortuorum Dominum, inferorum domitorem; qui carcerem mortis subeat, non ut clausus illic maneat, sed ut captivos omnes educat. *Monumenta aperta sunt*, inquit Hieronymus, *in signum futuræ resurrectionis.* Hæc extra urbem sic erant reserata, ut ipsa cerni possent cadavera, certè à Romanis aliisque gentibus. Nam forsan Iudęi homines, scilicet religiosissimi noluerunt egredi, ne aspectu illo mortuorum contaminarentur. Etsi verò moriente Christo aperta fuerint monumenta, nullus tamen mortuorū ante Christum redivivum in vitam rediit. Quod dilucidè Hieron. his verbis consignat. *Et tamen cum monumenta aperta sint*, inquit, *vivens nō antea resurrexerunt, quàm Dominus resurgeret, ut esset ipse vitæ primo-*

Matth. c. 27. vers. 52.

Hieron. in hunc locum.

Psal. 68. vers. 21.

Matth. c. 27. vers. 46.

Luc. c. 22. vers. 43.

Act. c. 5. vers. 41.

Psal. 17. vers. 5. & 6.

Psal. 68. vers. 21.

Nullus mortuorum ante Christum redivivum in vitam rediit.

primogenitus resurrectionis ex mortuis, nimirum ut testimo- A *nio illorum pariter & exemplo Christi Resurgentis gloria ter-*
restior redderetur. Conjiciunt quidam ex illorum numero fuisse Adam, Evam, Abraham, Isaac, Jacob, Davidem, qui solliciti caverant, ne alibi quàm in Palæstinâ, divinæ sponsionis terrâ, humarentur, Resurgentis Christi participes futuri. Fortassis & illi potiùs qui Christum viderant, Zacharias, Simeon, Joannes Baptista, & alii his posteriores cum Christo in vitam redierunt. Ita Dominus multos testes non tantùm mortis toleratæ, sed & vitæ receptæ produxit.

Christus resurgêdo multos testes tam mortis toleratæ quàm vitæ receptæ produxit.

Aperta igitur sunt monumenta moriente Domino, velut mense Majo imbrem sitiens terra desiderat aquas, jámque rorante cælo exponuntur vasa pluvias exceptura; ita Christo animam agente reserantur sepulchra Dominicum Corpus cum gaudio receptura. Dixerat Christus: *Venit hora, & nunc est, quando mortui audient vocem Filii Dei.* Non mortui tantùm, sed & mortuorum habitacula audierunt hanc vocem, perinde ac si de cruce clamâsset Christus: Quia me vivi adeò crudeliter occidunt, hiate tumuli, reserate monumenta, mortuos evocabo in testes tam miserandæ mortis.

Monumenta aperta sunt Christo moriente ut eum reciperent: *Joan. cap. 5. vers. 25.*

Hîc tumulorum ingens fuit concertatio, nec enim unus solùm, sed multi sunt aperti, tamquam si certarent, à quonam Dominus in cruce defunctus esset suscipiendus. Dixerat Deus Caino fratricidæ: *Terra aperuit os suum, & suscepit sanguinem fratris tui de manu tua.* Cùm Dei Filius, Abel innocentissimus, sanguinem pro nobis funderet, cælestis Pater Judæos terruit his velut vocibus: En undique terra panditur, ut fratris vestri vitalem sanguinem excipiat. Terra olim dehiscens Dathan & Abiron impiè sacrificantes glutiit. Jam terra pluribus locis dissumpitur, ut hominem sanctissimum, qui seipsum obtulit in sacrificium, eo quo potest hospitio recipiat.

Gen. cap. 4. vers. 11.

Num. c. 16. vers. 31.

Nec ideò tantùm aperta sunt monumenta, ut in eorum aliquo crucifixus Dominus diverteretur, sed ut tumulorum mortuorum liberatio promulgaretur. Qui saxum defuncti tumulo imponunt, hoc reipsa dicunt: Hic homo à morte victus est; non redibit ampliùs domum, jam in mortis ære ac familiâ censetur; has ædes posthac incolat, quas saxo munimus. At verò quia moriente Domino mors omnium victrix est victa, jam hujus tyrannicæ reginæ carceres revelluntur, captivis exeundi datur libertas & promulgatur: Prodite nunc vincti; mors bellata est, vita immortalis & æterna vobis obtenta est; prodite.

Ut mortuorum liberatio promulgaretur.

Cùm Christus à Joanne tingeretur in Jordane, aperti sunt cæli; quod argumento fuit, è Patris throno spiritum divinum & thesauros cælitum in terram descendere: Sic regum Rege mortuo aperti sunt tumuli, quod signo fuit, è crucis solio cælestem vitam in mortuos demanare. Quamprimùm namque Christus oculos moriendo clausit, mox tumulos divina vis aperuit. Mors non ampliùs leo, sed ut leonis mortui pellis est.

Et cælestis vita in mortuos demanaret.

Sed patentia hæc sepulchra nemo meliùs explicaverit, quàm regius Psaltes, qui hunc in modum cecinit: *Sepulchrum patens est guttur eorum, linguis suis dolosè agebant.* E patulis his sepulchris illusiones, ludibria, execrationes, maledicta, probra, sputa in divinum vultum, & omne genus sordium emersit. Atque hoc præter summos dolores, alterum fuit, Ignominia summa, qualem nullus hominum umquam subiit. Hinc illæ voces: *Tu scis improperium meum & confusionem meam.* Atrocitas infandæ hujus ignominiæ soli Filio Dei nota. Et quæso hæc paullulum cogitemus. Vir ille crucifixus paullo ante sermonibus & miraculis multa millia hominum, orbem attraxerat: hinc illæ Pharisæorum querimoniæ: *Videtis, quia nihil proficimus? ecce mundus totus post eum abiit.* Hic ipse vir subitò capitur ut celebris latro, sistitur judicibus ut facinorosus homo, flagellatur ut vile mancipium, addicitur morti ut læsæ majestatis reus, in crucem agitur ut latronum coryphæus; hinc etiam illorum medius pendet. Hîc certè aperta sunt fœtentissima sepulchra, è quibus mephitis fœdissima ructavit, hîc auditæ voces: Reus est mortis, homo blasphemus, stultus, cataştâ dignus, veste albâ notandus, seductor, malefactor, affectator imperii, princeps latronum. Hæc elogia in Dei Filium congerebantur. Ita innocentiæ ac viæ auctor cum sceleratis reputatus est. *Vidimus eum despectum & novissimum virorum,* inter scelestissimos homicidas pendulum. Crux servis, homicidis, latronibus debebatur. In hoc lectulo thaumaturgus vir iste defungitur. *Maledictus à Deo est, qui pendet in ligno.* Insuper & aliud ignominiæ genus accessit ad Christi tormenta, fusoribus & impulsoribus Judæis (quod Adrichomius tradit) crux eo situ defixa est, ut Christus tergum in cruce Hierosolymorum urbi obverteret, tamquam indignus, qui civitatem sanctam aspiceret. Quàm pulchrè hîc lusit divina Providentia! Judæi hujus consilii auctores & dedecoris illius fabri, tam felicitatis nostræ, quam calamitatis suæ non falsi vates fuerunt, eóque facto in scipsos tulerunt sententiam, quam Deus per Hieremiam prædixit: *Dorsum & non faciem ostendam eis in die perditionis eorum, sicut ventus urens dispergam eos coram inimico.* Factum profectò, dispersi sunt miserrimè; aversus est ab illis Deus: *dispersit eos per omnia regna quæ nescunt.* Quòd verò Christus crucifixus faciem ad abeuntis solis partes verterit, nostræ felicitatis erat argumentum: quod & Psaltes canit: *Oculi ejus super gentes* (quæ in illis partibus) *respiciunt.* Ideo Christiani ritu veteri ad Orientem versi orant, ut semper meminerint, Christi faciem in cruce ad occasum solis spectâsse. Quod Judæi suggesserant Romanis in pœnam & ignominiam Christo, & in signum summi despicatûs. At divina sapientia malignissimam hanc eorum operam in bonum nostrum convertit. Hic, inquam, divinæ providentiæ lusus est. Nam, ut S. Leo ait, *quod iniquitas Judæorum paravit in pœnam, potentia Redemptoris gradum nobis fecit ad gloriam.*

Psal. 5. v. 11. & Psal. 13. vers. 3.

E patulis sepulchris summa ignominia in Christū emersit.

Psal. 68. v. 20.

Ioan. c. 12. vers. 19.

Aliud ignominiæ genus ad Christi tormenta. *Adrichom. in descript. Hierusalem, num. 252. mihi p. 178.*

Hier. cap. 18. vers. 17.

Zach. cap. 7. vers. 14.

Psal. 65. v. 7.

Propterea quando & nos ejusce modi patentium sepulchrorum fœtores afflant, quando dicteriis & cavillis petimur, quando ignominiâ & labe afficimur, quando contumeliis & calumniis notamur, quando probris maledictisque figimur, ad Dominum JESVM crucifixum continuò recurramus, & audiemus illud: *Non est discipulus super Magistrum, nec servus super Dominum suum. Si patremfamilias Beelzebub vocaverunt, quantò magis domesticos ejus.* Acerba sunt hæc, non negamus, & digestionis difficillimæ: sed illud denuo ingeretur: *Non est servus major domino suo: si me persecuti sunt, & vos persequentur. Si mundus vos odit, scitote quia me priorem vobis odio habuit.* Honoris est, Christi causâ inhonoratum despici.

In omni afflictione ad Jesum crucifixum recurrendum est. *Matth. c. 10. v. 24. & 25. Joan. cap. 15. v. 18. & 20.*

§. IV. *Moriente Christo terra mota.*

QVantum scire licet, universum orbem hic terræ motus concussit. Nam Eusebius, Phlegon, Plinius, Tiberii ævo maximos ajunt fuisse terræ tremores, quibus duodecim urbes Asiæ sint prolapsæ. Augustinus asserit hoc eo die factum. Subscribens S. Leo, *Cùm ad tantam,* inquit, *divinæ majestatis inclinationem totius mundi compago quateretur, cùm facinus impium omnis sui confusione creatura damnaret, & manifestam in reos sententiam ipsa elementa proferrent, quis vobis animus Iudæi, quæ conscientia fuit, quando & vos judicium universitatis urgebat, & revocari ad se consummato scelere impietas vestra non poterat?*

Aug. l. 2. de mirabilibus script. cap. 3. Leo ser. 4. de Pass. Dom. post med. mihi p. 143.

Pompejus Magnus inaniter gloriatus, Si pede, ajebat, terram calcavero, totum orbem ad arma movebo. Quantilla est, Deus, humana potentia! Pompejo militâssent homines, non feræ, non saxa, non cælum. Longè major est potentia crucifixi Domini, cui rupes, cui terra, cui stellæ, cui elementa cuncta serviunt. Stabant hæc parata in omne obsequium, tueri suum Dominum aut ulcisci prompta, ad nutum unicum ruissent in impios

rum exitium. Cùm vidissent homines irati maris procellas, voce humanâ ad subitam modestiam componi, *Matth. c. 8. vers. 27.* *Qualis est hic, ajunt, quia venti & mare obediunt ei?* Et qualis est hic, quem extinctum elementa, quem creata omnia deplorant? Ergo & terra mota est. Hi terræ motus ac tremores vario nos significatu eruditunt.

Ex his terræ motibus eruditiones.

1. Patrato scelere tam abominando meruissent homines terrâ absorberi.

I. Patrato scelere tam abominando meruissent homines, vel terrâ dehiscente absorberi, vel ædificiorum ruinis sepeliri. Auctores sceleris non tantùm hanc cædem patrârunt, verùm etiam sine pœnitentia. Post mortem etiamnum invidiâ Christum exagitârunt. Horrendus urbis stupor, prodigiosa obstinatio perditæ gentis. Nam præter vulgus nulli Judæorum tam inusitatis, inauditis miraculis moti, concussâ & tremente mundi machinâ suum facinus nondum damnant. Cæcitas crassissima, horribilis amentia, exoculata, fatua invidia. Sed hodiéque hi mores in ulu sunt. Historia Christi patientis & auribus & oculis ingeritur, prælegitur, exponitur, præcinitur, pingitur, tot cerimoniis tepræsentatur: audimus hæc, & aliquantùm ad ea ingemiscimus, nihilominùs nec suam iræ avaritiam, nec suam illi superbiam emendat, nihilominùs hic crapulam, hic libidines suas, hic invidiam perpetuat. Cælum rueret, nequitias tamen horum talium non corrigeret. Brevè metrum jure queritur:

Terra tremit, manes revomit, flent marmora & æra;
Sol pallet, lacrymant sidera, ridet homo.

2. Advêtus numinis & præsentia significata est.

II. Adventus Numinis, & præsentia his terræ tremoribus significata. Cùm Silas & Paulus in carcere mediâ nocte orarent & laudarent Deum, *subitò terræ motus factus est magnus, ita ut moverentur fundamenta carceris: Et statim aperta sunt omnia ostia, & universorum vincula soluta sunt.* Deus aderat suos solaturus. Christo jam redivivo Angelus cælo venerat à monumenti ostio amoturus saxum: *Et ecce terræ motus factus est magnus.* Mors Christi Deum à nobis alienum & velut absentem conciliavit nobis, & gratiâ præsentem reddidit. Jam, Nobiscum Deus. Psaltes olim cecinit: *Deus cùm egredereris in conspectu populi tui, cùm pertransires in deserto, Terra mota est.* Anima Christi è deserto in paradisum transiit. Hunc transitum terra inusitatis tremoribus testata est, simul etiam immane scelus in conditore crucifigendo commissum detestata.

Act. c. 16. vers. 26. *Matt. c. 28. vers. 2.* *Psal. 67. v. 8. & 9.*

3. Nova lex lata est, quam acceptura terra tremuit.

III. Nova lex lata est, quam acceptura terra tremuit. Cùm in monte Sinai Moyses legem scriptam à Deo acciperet, *ecce cœperunt audiri tonitrua, ac micare fulgura, & nubes densissima operire montem, clangórque buccinæ vehementiùs perstrepebat, & perterriti ac pavore concussi steterunt procul.* Ita cùm Saulo Christus concionaretur ex alto, dicerétque, *Ego sum* Jesvs, *quem tu persequeris*; at ille *tremens ac stupens dixit: Domine, quid me vis facere?* Ita tellus ob ejus dici obstupescendum facinus, & ob præcepta prius ignota tremens cohorruit, perinde ac si diceret: Magna fiet rerum commutatio, mores antiqui erunt exuendi, novis vivendum erit legibus. Quæ ista lex nova? Lex crucis. Quam expresè Lucas recitans, *Luc. cap. 9. vers. 29.* *Dicebat autem ad omnes,* inquit, *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam quotidie, & sequatur me.* Lex sancta, sed terræ ingrata, gravis homini terreno: hinc isti tremores. Sed homo bonæ mentis tremit ut Paulus, ad omne imperium excipiendum paratissimus: *Domine, quid me vis facere?*

Exod. c. 19. vers. 16. & c. 20. v. 18. *Act. cap. 9. v. 5. & 6.*

Atque hic pii pectoris motus est, commiseratio sincera & gemitus amoris. Quis in centurione terræ motus exstitit? de quo Lucas, *Videns autem Centurio quod factum fuerat, glorificavit Deum, dicens: Vere hic homo justus erat. Et omnis turba eorum, qui simul aderant ad spectaculum istud, & videbant quæ fiebant, percutientes pectora sua revertebantur.* Quis terræ motus in Nicodemo, Josepho, Apostolis, in matronis Solymæis, & in ipsâ Matre Christi? Hic ipse terræ motus in cordibus piorum hodiéque durat; hinc

Luc. cap. 23. vers. 47. & 48.

A multæ eæque voluntariæ corporis afflictationes, jejunia, ferolæ vestes, flagella, vigiliæ, cubatus rigidus, & in ceteris asperorum amor. Neque hoc uno dumtaxat anni die faciunt, sed hebdomadibus singulis, præcipuè diebus Veneris Christi cruciatus ita memoriâ repetunt, ut in seipsis sentiant quòd & in Christo Jesv; cum vigilante vigilant, cum esuriente ac sitiente esuriunt sitiuntque, idque libentes in Domini sui gratiam. In quorumdam pectoribus adeò hic terræ motus irroboravit, ut aliquin effigiem Christi crucifixi nunquam aspiciant, quin oculi madeant, mens intimè percelli se sentiat. Laudanda motus: imitemur. Et, obsecro, non truncam anni diecelam nostræ pœnitentiæ studium compilamus, ut velut vectigali reddito ab his molestiis deinceps liberi pergimus. Christi morientis memoriam ex animo elabi minùs quam sinamus. Quotidie, aut falcem quavis hebdomade semel iterúmque, honoris aliquid & obsequii Christo patienti deferamus; sentiamus vel modicum quid ex amarore cruciatuum, quos pertulit Servator, qui ne unquam nostrûm oblivisci posset, *Ecce,* inquit, *in manibus meis descripsi te.* Par est omnino, ut neque nos ipsius unquam oblviscamur. Anno toro ædificat urbem, sed perniciosam suipsius amor, hanc amore divino dejiciat hic terræ motus, sed perdurans & continuus. Patientis ac morientis Christi memoriam assiduè in nobis restauremus. Quod amamus, oblivisci non possumus.

Isai. c. 49. vers. 16.

B

C

D

§. V. *Christo morente petræ scissæ.*

Adrichom. in descript. Terræsanct. num. 121. pag. 180.

DE petris ruptis mentionem faciens Christianus Adrichomius, Cujus rei etiam hoc præclarum, inquit, in petroso Calvariæ monte argumentum extat. Ibi enim conspici etiamnum potest illa, quæ sub lævâ manu Christi ad crucem obstinati latronis facta est scissura, in quâ Dominici sanguinis colorem adhuc deprehendere licet. Illius autem scissuræ latitudo ea est, ut facilè humani corporis crassitudinem capiat. Profunditas verò tanta, ut eam, hujus rei curiosi bolide submissâ neutiquam potuerint investigare; unde verisimile fit, hiatum hunc ad usque specum avernalem patere. Nam quemadmodum latroni resipiscenti via per Christi mortem ad cælum est reserata; sic alteri per scissuram petræ viam ad inferos esse patefactam. Ex quo patet, ait Hieronymus, quàm verum sit, quod Christus dixit: *Unus assumetur, & alter relinquetur.* Ex latronibus dextrum assumpsit, sinistrum reliquit. E simili crimine dissimiles sortiti fines. Alter antecessit Petrum in paradisum, alter Judam in tartarum. Confessio brevis vitam acquisivit longam; blasphemia non diuturna, pœnâ plectitur æternâ.

Matt. c. 27. vers. 38. *Luc. cap. 23. vers. 39.*

Lucianus Antiochenus presbyter, Eusebio teste, vir moribus & eruditione præcipuus, ad tribunal judicis perductus, coram Præside ac populo religionis Christianæ rationem reddens, & inter cetera fidei testimonia, illam petræ scissuram memorans, Adstipulatur, inquit, his ipse in Hierosolymis locus, & Golgothæa rupes sub patibuli onere distupta. Hiantes hæ petrarum rimæ diversa nobis designant.

Euseb. lib. 9. Eccles. hist. cap. 6.

Diversæ scissuræ petrarum significationes.

1. Christus lapis angularis & petra nominatur.

I. Christus, lapis angularis & petra nominatur. Paulus Hebræorum iter referens, *Bibebant,* * inquit, *de spiritali, consequente eos, petrâ: Petra autem erat Christus.* Hæc petra fissa est in bina; animus à corpore divulsus: mox cautes & saxa sunt secuta, perinde ac si proclamasset Christus: *Quod me facere videritis, hoc facite.*

** 1. ad Cor. c. 10. v. 4.* *Judic. cap. 9. vers. 17.*

2. Ira Dei magna & potentia his prodigiis ostenditur.

II. Ira Dei magna & potentia infinita multùm temperata ostenditur his prodigiis. Terra movet, non absorbet; sepulchra aperiuntur, non ut vivi sepeliantur, sed ut mortui resurgant; petræ dissiliunt, sed neminem lædunt. Ea porrò Numinis potentia est, ut Christus vanè gloriantes ita represserit: Ne cœperitis dicere: *Patrem habemus Abraham. Dico enim vobis, quia potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ.* Non deerunt Abrahamo filii, etiamsi vos degeneretis.

Luc. cap. 3. vers. 8.

III. Disru-

3. Disruptæ petræ Judæis impiam obstinationem exprobrârunt.

III. Disruptæ petræ Judæis impiam obstinationem exprobrârunt, quasi dixissent: Nos conditoris necem sentimus, & findimur, vos in pervicaciâ cœptâ perduratis. Dedecus immortale, plus invenisse Christum commiserationis in rupibus, quàm in hominibus. Pharisæis ob gratulationes plebis indignantibus apertè Christus, *Dico vobis*, inquit, *quia si hi tacuerint, lapides clamabunt.* Luc. cap. 19. vers. 40. Cùm ergo tacerent illi, aut convitia & maledicta dicerent, cœperunt lapides loqui, & potentiam divinam extollere: cautes & scopuli expanderunt sinum, tamquam hospiti novo pararent locum, & Christum mortuum invitarent ad saxeam domum subeundam. Quid hîc Christus? ut se gratum ostenderet, utrique parti satisfecit, & petram & sepulchrum subiit. Nam vir ille nobilis ac dives ab Arimathæâ, acceptum JESV corpus *involvit sindone mundâ, & posuit illud in monumento suo novo, quod excíderat in petrâ, & advolvit saxum magnum ad ostium monumenti.* Matt. c. 27. vers. 60. Ita tam saxa & petræ, quàm sepulchra plurimum impetrarunt, crux illis Dominicum corpus debuit permittere.

Hoc loco cogimur pro se quisque fateri: O mi Domine JESV, cor meum durius est petris omnibus, non illud molliunt solatia, non conterunt ærumnæ. Mors tua petras discindit, cor meum pervicax manet obstinatum & inflexibile. Non est quòd ego Judæis multa exprobrem; simillima facio. Aliquid hircini sanguinis adamantem mollit; Sanguis Christi omnis, cor meum ad seriam stabilémque pœnitentiam non flectit. Quod Zacharias queritur: *Cor suum posuerunt ut adamantem*, ne audirent legem & verba quæ miserat Deus exercituum in spiritu suo per manum Prophetarum priorum. Et facta est indignatio magna à Domino exercituum. Et factum est, sicut locutus est, & non audiérunt: sic clamabunt, & non exaudiam, dicit Dominus exercituum.* Zach. cap. 7. v. 12. & 13. * Quia scalpra & mallei vocantur. Heu quantum malum pectus rigidum, durum, corneum, lapideum! sol expalleſcit, aulæum sacrum scinditur, terra tremit, rupes dissiliunt, tumuli pateſcunt: nos terrâ insensibiliores, saxis duriores, mortuis magis mortui sumus, & non movemur. Ideo Bernardus acriter monens, *Vigilate animo*, inquit, *ne infructuosè vos hujus temporis sacramenta pertranseant. Copiosa est benedictio: date receptacula munda, devotas animas, sensus vigiles, affectus sobrios, puras conscientias exhibete tantis charismatibus gratiarum.* Bernard. feriâ 4. hebd. pœnosa de Pass. Dom. mihi pag. 180.

Nostri Alcasar id fabulosum putat. Non dissimio.

Ergo in Christum crucifixum assiduè mentis oculos defigamus; hæc morientis species animo semper obversetur altissimè impressa. Cum Stephano presbytero, de quo suprà demonstratum est, quivis nostrûm possit dicere: Ego die noctúque nihil aliud aspicio, nisi Dominum nostrum JESVM Christum in ligno pendentem. His aculeis dies noctésque animus stimulandus & pungendus est, ne umquam graviùs delinquat. Hoc fine per Joëlem, *Nunc ergo, dicit Dominus, convertimini ad me in toto corde vestro, in jejunio, & in fletu, & in planctu. Et scindite corda vestra, & non vestimenta vestra.* Ioël. cap. 2. vers. 12. & 13. Ne, quæso pannum nostrum tantummodò laceremus, sed pectus nostrum mutemus, erigamus illud ad alta. Cerimoniis tam vacuis non gaudet Deus. Ah quanti sunt, qui die Paraseeves templa obeant, ad Christi cenotaphia procumbant, simulacrum crucifixi venerentur, pectus tundant, stipis aliquid spargant: hæc signa boni luctûs sunt, sed signa tantùm, hoc vestem est scindere: cor scindendum est. Exteriores cerimoniæ non damnandæ, modò non sint solæ; vera pietas non corticem quærit, sed nucleum: morum sanctitas ex animi puritate fluit; scindamus corda, non vestimenta.

Christi crucifixi species animo semper obversâda. Dom. Mosc. tom. 64.

Sunt verò & alii qui animo gemunt, & Christi patienris commiserescunt. Hic bonus terræ motus est, sed motu hoc cessante terra stat antiquo loco; redeunt consuetudines pristinæ, libidines aliquamdiu desitæ postliminio subrepunt, noxæ sæpius ejuratæ denuo placent. Ita hi fluctuantes Christiani in priorem candémque vitam, in morbos eosdem revolvuntur, omnia antiqua repetunt. Nimirum terræ motus desiit, & unà cum illo seria pietas & pœnitentia: antiquum hoc suum obtinent, in vitia malè consueta recidunt. Hos inclamans Cyprianus, *Nihil prodest*, inquit, *verbis præferre virtutem, factis destruere veritatem.* Cyprian. serm. de mortal. Minatur Deus: *Super hoc cælum turbabo, & movebitur terra de loco suo.* Isaiæ c. 13. vers. 13. Augustini dictum est: *Qui pectus suum tundit, & se non corrigit, peccata sua soludat, non tollit.* Crocodilus velut hominem miseratus, plorat, quem devorare cogitat; ita homicidium à fletu orditur. Crocodili lacrymæ sunt, cùm præteritas culpas deflemus, quas iterum paullo pòst commissuri sumus, & ita futuras cavemus.

Subinde verò petræ quidem colliduntur, non tamen finduntur. Hoc dico: audiuntur pii gemitus, sed vera ad Deum conversio non sequitur, aut ejus inane tantùm simulacrum exhibetur, Charitate prorsus intermortuâ. *Hæc conversio*, ut Hugo Victorinus loquitur, *fit confessione oris, compunctione mentis, mortificatione carnis, ut scilicet in ore veritas, in mente puritas, in carne pudica sit sobrietas.* Ponamus hæc fieri, mentem compungi, noxas accusari, carnem macerari, & ita petras insigniter collidi. Sed ubi fissura est, ubi amor proximi? Ubi cor per amorem Christianum sese explicans? Num dolorem capias è patiente Christo, ostende id in paupere Christiano. Nosti voces Domini: *Amen dico vobis, quamdiu fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis.* Matth. c. 25. vers. 40. Ergo igitur ante te Christum ægrotum, pauperem, nudum, famelicum; scinde cor tuum, rea ea & juva illum veste, pecuniâ, cibo, auxiliare quâ potes manu; siquâ re læsus es ab illo, ne veniam nega, ignosce. Quidquid ei demum boni feceris, Christo feceris. Ita Deus non collidi tantùm vult petras, sed scindi. Vi aliquâ hîc opus est, ut cor in aliis tam durum expugnetur, ut largiri discat & ignoscere.

CAPVT XII.

De Matre Virgine ad crucem filii morituri stante.

GRanadilla flos est Indicus novi orbis, paullo major rosâ, odoris grati, quo & rosam, ceteróque flores vincit. Unicum habet folium rotundum & continuum, sed ita distinctum, ac si plura sint, quod in nostrate convolvolo est videre. Illius folii medio, seu sinu, purpureæ stant quinque sphærulæ, velut è corallio factæ, sanguineis quinque guttis non absimiles. Hæ columellam partim cerei, partim rubri coloris cingunt; columellam tegit corolla velut spinulis contexta; è corollæ medio tres fibræ coloris ferruginei velut tres clavi sese erigunt. Sub rotundo folio emergunt viridantia septem oblonga & acuta foliola, velut mucrones aut gladioli. Flos ipse quotidie, cum sole veniente sese aperit, cum abeunte claudit.

* *Quod juvenis ante annos plurimos meditatus sum. Hunc porrò Indiæ occidentalis prodigiosum florem, verè talem, minimèque fictum esse, argumentis & testimoniis compluribus copiosè probat Iacobus Greſerus in Horto S. Crucis p. 5. libri mihi p. 287.*

Hoc germen, florem qui tantùm nominat, errat:
Stare arbor fructus nobiliore nequit.

Hanc seu plantam, seu dignitate arborum reginam, Indiæ occidenti melior sol & natura novo miraculo donârunt, Christi cruciatibus repræsentandis. Cum bonâ veniâ tuâ, Lector, liceat hîc loco marginis metrum apponere* ad tantam floris Indici nobilitatem celebrandam.

Flosculo, flos florum, cunctorum flosculo florum
Regule, & hortorum stella decúsque novum.
Flosculo, quo Phœbi jactat se terra cadentis,
Flosculo digne seri nobiliore solo.
Vllos si liceat cælo transscribere flores,
Hic certè flos est dignus ad astra rapi.
Quò non proficies, naturæ effundere stellas
En etiam didicit terra vel ipsa novas.

ALIVD.

Narcissus omnis & hyacinthus mihi vale;
Violæ, rosæq;, lilia que mihi omnia
Valete, & omnes gemmulæ hortorum: vale
Zephyri familia omnis: oculorum pellices
Omnes valete flosculi: sordet mihi
Crocus, Sabæa fœtet omnis mihi seges,
Sua sibi pometa cælicolæ habeat, sua
Midas roseta. Elysia rura rideo.
Nativa pratorum smaragdus displicet:
Iam & hortulorum purpuræ non recreant:
Nives odoras liliorum nauseo,
Nec lychnidum moveor venusto sanguine:
Non amplius flagrant rosarum flammulæ:
Regina florum omnesque proceres jam mihi
Evilescunt, præ novo isthoc germine,
Et flore florum, qui coronam fert, quam Amor
Meus cruore purpuravit proprio.
Flos ille clavos fert, Amorem qui meum
Transfixerant. Flos iste fert pyramidulam,
Ad quam flagellis casus est Amor meus.
Flos hic ita vincit odore flore ceteros,
Vt totus esse nasus optet quispiam,
Meliore tractus quàm Catullus halitu.
Flos hic ita formâ vincit omnes flosculos,
Vt totus optet esse spectator oculus.

Ita & horti loquuntur & flores, Christiq́ue cruciatus vel ipsis oculis spectandos ingerunt. Flos iste Indiarum nobilissimus divinæ Matris sub filii morituri cruce stantis nos commonet. Joannes Christi discipulus. *Stabant autem,* inquit, *juxta crucem* JESV *mater ejus.* Ex illo igitur flore potissimùm duas illius partes sumemus, septem mucronata foliola, & columellam. Et illa quidem septemplicis virginei doloris explicationem, seu septem gladios nobis subjicient considerandos, columella verò admirandam heroicæ stationis sub cruce constantiam repræsentabit. Utrumque hoc explicatiùs tradendum.

Ioan. cap. 19. vers. 25.

§. I. *Gladius Matris Beatissimæ primus & secundus.*

1. B. Mariæ gladius: Valedictio filii.

PRimus gladius fuit, dolor Virginis Matris, quem hausit è valedictione filii. Discipulis Christus suos cruciatus sæpius prædicens, *Ecce,* inquit, *ascendimus Hierosolymam, & consummabuntur omnia quæ scripta sunt per Prophetas de filio hominis: tradetur enim gentibus, & illudetur, & flagellabitur, & conspuetur, & postquam flagellaverint, occident eum.* Utique Bethaniæ ista & Matri dixit, quæ in Isaiâ vate plura ejus sensûs vaticinia legit. Nec dubium, quin & Magdalena per Matrem de his eventibus futuris solicita interrogârit. Quid Christus aliud responderit quàm istud: Oportet, mea Mater, impleri omnem justitiam: non possum non obedire Patri; & nunc tempus me vocat. Ad ista, credibile, matrem solis oculis respondisse, cùm verba, dolor & lacrymæ intercluderent. Quàm amarum à charis avelli? Quantum mœroris habuit, cùm Jonathas & David vale sibi suprema dicerent, *osculantes se alterutrum floverunt pariter. David autem ampliùs.* In hoc orbe perpetuum est à charis separari. Rebus demum omnibus Salve & Vale dicendum. Nec acerbior ulla separatio, quàm animi à corpore. Amalecitarum rex Agagus, *Siccine,* ait, *separat amara mors?* Hic filius & hæc mater magis se amarunt quàm animus & corpus. Hinc tantò fuit acerbior separatio, quantò valentior amor.

Luc. cap. 18. v. 31. & 32.

1. Reg. c. 20. vers. 41.

1. Reg. c. 15. vers. 32.

Amorem Græci Glycypicron vocant, dulce amarum, mel absinthio mistum. Quantus enim est amor in possidendo, tantus est dolor in amittendo. *Quod aliquis,* inquit Augustinus, *sine illiciente amore non habuit, sine urente dolore non perdet.* Quantum Virginis gaudium fuit Christo nascente, tantus nunc illius est mœror filio ad mortem abeunte. Homini sancto DEVS est omnia. Hinc

August. to. 5. cap. 21. de Civit. c. 25. med.

A toties ingeminantur voces illæ: DEVS *meus & omnia.* Hæc Mater in hoc filio habuit prorsus omnia, nunc in eodem omnia perdit. Hinc, Damasceno teste, quos in partu dolores effugerat, passionis tempore sustinuit: cum usurâ nunc solvit, quod natura illi in partu condonavit.

Cùm Thomas Morus Angliæ Martyr, jam læsæ Majestatis reus pronuntiatus, in carcerem reduceretur, occurrit Joannes Morus unicus Mori filius, qui parenti ad pedes provolutus, largis lacrymis sanctam patris benedictionem petiit. Mox Margarita filia subsecuta, per medias turbas & satellitum arma ad parentem penetravit. Metum vis amoris excusserat. Ita in patris charissimi collum ruens, arctissimo complexu aliquamdiu tenuit, nil aliud effata nisi hoc unum: Ah mi pater! Alias voces incluserat dolor. At Morus nihil turbatus, neque de oris constantiâ quidquam remittens, Quæcumque patior, ajebat, etsi patiar insons, Dei tamen voluntate B patior, ille pectoris mei arcana novit. Proinde tu tuam ad Dei voluntatem accommoda, & patris casum tolera. Hoc Morus didicit à Christo, qui utique dolores matris leniit propositâ patris voluntate. Hic discendum quâ tolerantiâ sit opus, cùm à sociis, amicis, cognatis, cùm à patre, matre, rebúsque charissimis avellimur, ut nimirum tantò arctius cum Deo copulemur. Eo nomine sibi gratulatus Rex David, *Pater meus,* inquit, *& mater mea dereliquerunt me, Dominus autem assumpsit me.* Hoc certè modo in familiaritatem Christi tam arctam transitur, ut Christi fratrem, sororem, matrem fieri facillimum sit.

Stapleton. vita Mori cap. 19.

Psal. 26.

Alter gladius virgineum pectus penetrans, nuntii de filio jam capto ad judices ducto, examinato, in faciem cæso, mancipiis nequissimis per noctem commisso. Christus in horto ad mortis aspectum ita pavere ac mœstus esse cœpit, ut & sanguine sudârit. Quid ergo mater ad hos nuntios dixerit? Quidquid ei solatii admodum fuit, dicere potuit: Verus lugentium solator C deest: omne mihi solatium in uno filio ademptum est. Hunc mœstissima mater quærebat, & non inveniebat. Quàm altos & acerbos gemitus nocte totâ edidisse censenda est & dixisse: O JESV fili mi, JESV, quis mihi det ut ego patiar, ut ego moriar pro te? Dormientem certè nuntius hic tristissimus non reperit: nam eâdem horâ quâ Christus in horto precatus, (quod credibile) in suo cubiculo domi oravit & obtulit Patri filium ad lacrymosum hoc obsequium, quod in cruce consummatum. Cùm autem audiisset hæc mater, principium doloris jam factum, uti erat plena Spiritu sancto, facilè cogitando assecuta est, quos eâ nocte filius dolores, quas irrisiones esset passurus.

1. Nunc de filio capto ad judices ducto.

Hanc noctem acerbissimam ægri, & qui noctes insomnes ducunt, assiduè cogitent, qualis ea filio, qualis fuerit matri. Ægroto dies tædii plena nimiúmque longa, nox multò longior censetur: divinæ Matri nox illa D prorsus fuit acerba, longè tamen acerbiorem experta est diem.

Feminam fortem dilaudans Salomon, *Non extinguetur,* inquit, *in nocte lucerna ejus:* Nox fuit alta & hora tenebrarum, cùm Christus moreretur, duobus magnis luminibus, sole & lunâ, extinctis. At lucerna Virginis, fides & amor divinæ Matris extincta non est. Plerique omnes in ærumnis severioribus perturbantur; at Virgo hæc firmæ mentis ac solidæ nihil dixit fecitque tali matre indignum. Non est extincta lucerna ejus. Tegebat hunc solem nubes, non extinguebat. Exemplum filii ad filii. olivas precantis imitata, nocte unâ sexcenties dixisse credi potest: *Verumtamen non mea, sed tua voluntas fiat.* Hic discamus intellectum & voluntatem in eum ordinem cogere, ut voluntati divinæ, omnis bonę voluntatis regulæ, sese subjungant & conforment, eique actiones, fortunas, vitam, caput, eventus omnes transcribant.

Prov. 13. vers. ult.

Fides & amor Virginis extincta non est.

Luc. 22. vers. 42.

§. II. *Gla-*

§. II. *Gladius tertius & quartus.*

3. Aspectus filii jam flagris cæsi & spinis coronati.

GLadius tertius, filii jam flagris cæsi, jam spinis coronati, jam purpurâ velati, & in alto collocati aspectus. Cùm audiret mater verba Præsidis, *Ecce homo*; interrogare potuit, Num homo iste meus est filius? à Patre, ut videtur, desertus, à Judâ proditus, à Petro negatus, à Judæis accusatus, ab omnibus irrisus, à Romanis crucifigendus? O Domina, inquit Anselmus, quos fontes lacrymarum erupisse dicam ex oculis tuis verecundissimis, cùm videres unicum filium tuum coram te ligari, flagellari, mactari? Non mirum si omne Matris cerebrum in lacrymas defluxisset, cùm corpus filii totum tam largo sanguine perfusum cerneret. Sancta illa vidua Birgitta, de filii cruciatu, de Matris hæc spectantis luctu posteris mira prodidit. Nos verbum è verbo reddemus, & Lectori extra contextum consideranda subjiciemus. De Christo igitur matrem hæc omnino verba proferentem sistit: deinde ductus ad columnam personaliter se vestibus exuit, & ad eam manus applicuit, quas inimici sine misericordiâ ligaverunt. Alligatus autem nihil omnino operimenti habebat, sed sicut natus est, sic stabat & patiebatur erubescentiam nuditatis suæ. Consurrexerunt autem inimici ejus, qui fugientibus amicis undique astabant & flagellabant corpus ejus ab omni maculâ & peccato mundum. Ad primum igitur ictum ego, quæ astabam propinquiùs, cecidi quasi mortua: & resumpto spiritu, vidi corpus ejus verberatum & flagellatum usque ad costas, ita ut costæ ejus viderentur. Et quod amarius erat, cùm retraherentur flagella, carnes ipsis flagellis sulcabantur. Cúmque filius meus totus sanguinolentus, totus sic laceratus stabat, ut in eo non inveniretur sanitas, nec quidquam non flagellaretur; tunc unus concitato spiritu quæsivit: Numquid interficietis eum sic injudicatum? & statim secuit vincula ejus. Inde filius meus induit se vestibus suis. Tunc locum, ubi stabant pedes filii mei, totum repletum vidi sanguine, & ex vestigiis filii mei cognoscebam incessum ejus. Quò enim procedebat, apparebat terra infusa sanguine, nec ipsi patiebantur ut se induoret, sed compulerunt & traxerunt eum ut acceleraret. Cùm autem duceretur quasi latro, ipse filius meus extersit sanguinem ab oculis suis.

Birgitæ l. 1. Revel. c. 10. mihi pag. 113.

Quid igitur ad Revelationem S. Birgitæ? Hæc sunt illæ quædam explicatu difficilia. Mihi partes judicii non sumo. Videant eruditi quid hic sentiendum. Gen. cap. 37. vers. 34.

Num autem Virgo mater patientem aut morientem cernens filium, deficiente animo collapsa sit, seriæ quæstionis est. Sunt è priscis Patribus qui affirment; sunt qui rectiùs, meo judicio, negent. Hîc ego Ambrosii verba non invitus sequor & ajo: *Stantem lego, cadentem non lego*. Stabat autem juxta crucem JESV mater ejus. Hoc tutò asseritur hanc matrem graviores longè dolores sensisse, quàm ullus sentiat in gravissimo animi deliquio. Quis Patriarchæ Jacob dolor fuit, cùm filii cruentam solùm tunicam videret? *Scissis{que} vestibus indutus est cilicio, lugens filium suum multo tempore.* Nihil iste ad Virginis dolorem. Solum Jacob vestimentum sanguine tinctum aspexit; ipsum Virgo filium suómet sanguine vestitum, & undique vulneratum, morientem, mortuum vidit. Jacobo undecim etiámnum filii restabant, hic Virginis unigena fuit. Et ipse tandem Jacob figmentum hoc fuisse comperit: at Virgo mater cruentam hanc tragœdiam suis ipsa oculis spectavit, filium mortis reum pronuntiari audiit, comitata est ad mortem, in cruce morienti adstitit. Hæc certè sapiunt heroidem divinam. Hîc discamus actiter nobis ipsis imperare, omnem pravam voluptatem & omnes carnis petulantias contundere, summo bono, castarum mentium amatori, conjungi. *Qui Christi sunt, carnem suam crucifixerunt cum vitiis & concupiscentiis.*

Galat. c. 5. vers. 24.

4. Deductio Christi ad mortem, & cruentæ viæ consideratio.

Quartus gladius, Deductio Christi ad mortem, & cruentæ viæ consideratio, in quâ Mater vestigia filii sanguinolenta sequi potuit. *Non credo*, ait Scriptor A vetus, *dolorem Virginis, nisi tantum fuisse credamus, quantum umquam dolere potuit de tali filio talis mater*. At qualis erat mutuus ille aspectus, cùm filio mater occurreret in viâ, ut videret transitarum? Cùm lunæ sol opponitur, eclipsis est; cùm duo sibi specula objiciuntur, unum alteri transmittit imagines: ita hæc duo terssissima specula fuerunt sibimet oppositæ, dolorem filii mater, matris dolorem filius doluit. Vulnera Christi morientis erant vulnera matris dolentis. Ea est Angelorum collocutio, si alter alteri cogitationes suas aperiat, velitque sine verbis scire alterum quod mente agitat; idem in isto filii & matris occursu factum censetur. Credibile, Christi supremum valedicere hac animi sententiâ fuisse: Mater amantissima, ego, ut cernis, ad mortem propero: hoc meum iter ultimum est, arbitrio & nutu Patris conficiendum. Tu verò meam te matrem ostendis, & filium moriturum non deseris. Hæc tui amoris in me constantia est. Inceptum igitur opus, humanæ gentis B bono perficiamus. Brevî iterum unà erimus. Haud aliud mater filio respondebit: O desiderium meum, & solatium unicum, fili mi, quando ita jubet cælestis Pater, fiat voluntas Dei. Acerbissimum quidem est ita matrem à filio tam infami morte separari, sed Dei voluntas fiat. Te tamen, mi fili, non desero, euntem usque sequor è vestigio, ad ipsam crucem paratissima sum unà tecum animo crucifigi, si corpore negatum.

cruentæ viæ consideratio. *Adscribitur D. Bernardo hic sermo, sed sanè non est.*

Antonius Gallonius de SS. Mart. cruciatibus cap. 7. fine.

Christi martyres subinde ad ambulandum coacti, sed priùs calceos clavis introrsus actis, aut æneas ignitas crepidas induti, aut bipennibus & hastarum mucronibus ad gradiendum protusi, difficillimum habuerunt iter; sed istud Servatoris & Matris Virginis in Golgothæam rupem multò difficilius fuit & lugubrius.

B. Maria cum filio tendit ad supplicium ignem ferens & gladium.

Videte, Christiani, quomodo Abrahamus cum filio sacrificando montem Moria conscendat; Mater cum unigenâ suo ad supplicium tendat, ignem ferens & gladium, ignem divini amoris, gladium perfectæ cum divinâ voluntate conformationis. Nil sanè miri fuisset, si C cor matris in profectione tam luctuosâ contabuisset, illa tamen pergebat. Non sparsas rosas, sed meras spinas, clavos meros calcabat; illa tamen pergebat: omnia luctus erant, mera mors in oculis, illa tamen pergebat. Ibat Christus ut immolaret Patri seipsum, sequebatur Virgo, toties effecta Martyr, quoties cruenta filii vestigia contemplabatur in viâ. Bernardus, Ildefonsus, alii hanc Matrem inter primi nominis martyres censent, imò eam illis superiorem judicant; nam illa non suum dumtaxat, sed & filii dolorem doluit, ut exclamare cum eo potuerit: *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me!* Is quandoque mœror fletum protrudit, ut lacrymarum vicem sanguis profluat ex oculis. Novi, ait Delrius, quæ in sororis funere sanguineas lacrymas multas fuderit. Divina Mater filii sui exequias ibat, in quibus adeò perluctuosa multa oculis auribúsque hauriebat, ut nemini mirum videri debuisset, si sanguinem loco lacrymarum oculi stillâssent. Imò Joannes Baptista Sicrymarum oculi stillâssent. Imò Joannes Baptista Signius, tam eruditus quàm pius scriptor, Auctoritatem, inquit, beati Germani lego dicentis, Beatissimam Virginem adeò amarè flevisse, ut post uberrimos lacrymarum rivulos, sanguineas quoque lacrymas effuderit.

Delrius in Opere Marianæ Orat. polemicâ secundâ.

Ioan. Bapt. Signius de SS. Lipsanis & cultu divorum.

Hîc discamus vanis laudibus, clationi ac fastui, ambitiosis studiis mori, Dominum cælestis gloriæ etiam in cruce amplecti.

§. III. *Gladius quintus & sextus.*

5. Manuum & pedum perforatio.

GLadius quintus, non solùm tot opprobria in filium spargi, sed clavos etiam per manus pedésque adigi audivit, &, quod probabile, vidit. Nam si Christus in sublimi atque jam stante fixus est cruce, omnem illam carnificinam Mater potuit spectare. Quàm verè dictum: Quot læsiones in corpore filii, tot vulnera in corde matris; quot spinæ pungentes, tot clavi perforantes;

quot ictus carnem rumpentes, tot sagittæ oculos intrantes. Potuit mater afflictissima Threnorum illud de se dicere: *Subversum est cor meum in memetipsâ, quoniam amaritudine plena sum. Idcirco ego plorans, & oculus meus deducens aquas, quia longè factus est à me consolator.*

Thren. cap. 1. v. 16. & 20.

Cur Christus matrē voluerit interesse tā luctuosissimo spectaculo.

Mirantur Bernardus, Anselmus, Bonaventura, cur Matrem Christus interesse voluerit luctuosissimo huic spectaculo, cùm maximos mœrores vel solo cavere potuisset, modò eam Bethaniæ subsistere jussisset; nam & Isaac imago Christi, matre ignarâ fuerat immolandus. Aliter Deo visum est: voluit nimirum, ut mater humanæ restaurationis seriem supremam oculis spectaret, itáque Martyrum palmas omni jure mereretur commoriendo. Revera Deus non parcit iis, quos novit esse suos, & quò magis suos agnoscit, eò minùs parcit; ut se dignos inveniat, ideo illos severiùs tentat.

Sap. cap. 3. vers. 5.

Machabæi, Felicitas, Symphorosa longè aliâ ratione filiorum cadi nafuerunt.

Nulla umquam mater spectaculo tali sponte interesse sustinuit. Interfuit Virgo Mater non sine lacrymis: & credibile, omnes pæne lacrymas in eâ consumptas. Psammetichus rex Ægypti à Cambyse Persarum rege captus, coactus est videre filiam ancillæ instar cum hydriâ mitti ad fontem, ipsis commiserantibus Persis: pater non moveri visus, nec lacrymulam perdidit. Sed & filius velut mancipium collo in ferreum annulum inserto, patris oculis ingerebatur; gementibus aliis, ille immotus perstitit. Vidit denique Psammetichus amicum optimum, sed jam pauperrimum; hîc non tantùm lacrymas effudit, sed & caput palmis contudit. Rogatus facti tam insolentis causam, Propria, inquiebat, & meorum mala tanta sunt, ut lacrymas prohibeant, & in saxum jubeant obdurescere; in malis mitioribus, quæ cerno, sensum humanitatis retineo. Virgo intemerata filium tractari vidit, non tantùm ut servum abjectissimum, sed ut vermem, aut pecus vilissimum. Hinc credibile in eâ demum lacrymas ob doloris magnitudinem defecisse. Hîc sese Christiana pietas exerceat in Christi Virginisque Matris doloribus expendendis. Hîc discamus ferocientis linguæ impetus & clamosam iram retundere. Herba est, cui nomen Chamæmelum aureum, alii spinam albam hortensem, carduúmve lacteum appellant, ajúntque remedium esse præsentissimum adversùs pleuritidem, si expressus succus bibatur, vim morbi mox remittere. Hîc carduorum & spinarum Mariæ satis se offert; exprimantur meditando, in medelam erunt omni morbo animi, iracundiæ præsertim & impatientiæ. Discamus hîc iram extinguere, & ad omnem nos componere manſuetudinem.

6. Suspensio filii, & aceti in solatium sitis oblatio.

Luc. cap. 2. vers. 35.

Gladius sextus, cùm in alto jam pendentem filium, eidémque in solatium sitis acetum cerneret offerri, cui paullo ante myrrhatum vinum fuerat propinatum. En gladium doloris, quem Simeon in lustratione Virginis castissimo pectori defixerat vaticinio illo: *Et tuam ipsius animam pertransibit gladius.* Hunc gladium gestavit Virgo pectore hærentem usque ad annum trigesimum quartum, quo demum anno in monte Golgothæo pectus virgineum verè pertransiit, uti Simeon prædixit, non tantùm rasit, non aperuit tantùm, sed penetravit. Ah, bone Deus, quàm miserabilis hic erat aspectus, suum sanguinem videre ex alto tot ostiis, tot vulneribus defluere! Hæc spectare luctus ægrè sinebat, sed cogebat amor, & oculos ad id spectaculi diducebat. Virgo modestissima procul dubio ad eum usque diem, nullum flagellari, nullum crucifigi vidit, ita primò omnium tam immane, abominandum supplicium in filio spectavit. Cum Hieremiâ lacrymante dixerim: *Cui comparabo, vel cui assimilabo te, filia Hierusalem, cui exæquabo te, & consolabor te virgo filia Sion; magna est enim velut mare contritio tua, quis medebitur tui?* Quantò majus est mare fluminibus, tantò major est hic dolor tuus aliorum doloribus. Quemadmodum verò aquarum aliæ dulces, aliæ salsæ & amaræ, ita omnium aliorum dolores ad hunc tuum collati dulces: dolorum tuorum amaroti nulla dulcedo mixta est. Aquarum omnium congregatio est mare; ita omnium dolorum tuus ipse dolor, merum mare, salsugo merissima. Sunt qui doleant dignitatis aut facultatum jacturam, obitum filiorum, parentum, cognatorum. Non est doloris causa, quam iste Virginis dolor non complectatur: Virgo in filio amisit omnia.

Thren. c. 2. vers. 13.

B. Mariæ dolor mari similis. Rupert. lib. 13. in Matth. cap. 27.

Si Deus (quod illi non difficile) oceanum totum in calicem non magnum transfundat, & amicorum alicui propinet, qui ebibat, immensas salsi maris aquas exhausisse dici poterit; Ita Deus dolorum mare totum in aureum purissimum calicem, in virgineam mentem infudit, & exhauriendum propinavit. Magna fuit, ô Virgo, velut mare contritio tua. Interpretes septuaginta verbum è verbo sic exprimunt: Magnificatum est poculum contritionis tuæ. Nulla mari potest aquarum copia conferri; guttulæ sunt omnia flumina sese in illud egurgitantia; ita dolor nullus cum tuo comparandus; tot mœrores in tuo corde, quot in pelago procellæ. *Multiplicata est contritio velut mare.* Si hoc ipso tempore Apostolis ea quæstio fuisset posita: *Potestisne bibere calicem?* Omnes reipsâ respondissent: Non possumus, eheu, non possumus; tam indigna oculis contueri non possumus. At certè potuit Mater, expirantis filii testis, cujus oculos suis gestavit oculis.

Ita Syra. Matt. 20. vers. 22.

Observant nautæ, lunâ plenâ magis quàm aliàs mare sævire. Totâ virâ Virgo ob filium & cum filio plurimùm perpessa, nunc demum plenilunio tormentorum Christi, totum mare dolorum in pectus virgineum se immisit, nec umquam magis sæviit. Et quis, ô Virgo, tui medebitur? Excellentissimus medicus nunc ipsemet ægrotat, ipse jam tristatur & mœret consolator omnium. Magna contritio tua velut mare.

In plenilunio tormentorum Christi totum mare dolorum in pectus virgineum se immisit.

Sed in mari hoc miraculum, quod Ecclesiastes observans, *Omnia*, inquit, *flumina intrant in mare, & mare non redundat.* Torrentes & flumina mœroris in unam matrem hanc confluebant, & tamen cor ejus per impatientiam non redundabat; sciverat enim hîc nihil fortuitò geri, sed omnia nutu arbitrióque Numinis gubernari. Et en miraculum; homo afflictissimus, re tamen nullâ nec decori nec suimet oblitus. Antehac Virgo dici poterat mulier amicta sole. Ubi nunc illud splendidum calidúmque pallium? Defecit luna, sol obscuratus est. *O suavissimum cor amoris*, inquit Bonaventura, *quomodo conversum es in cor doloris, in quo nihil nisi fel, acetum, myrrha & absynthium; nimirum vivens moriebatur, & moriens vivebat.* Hîc illud Jobi usurpemus: *Non peccavi, & in amaritudinibus moratur oculus meus. Versa est in luctum cithara mea, & organum meum in vocem flentium.* Non licet jam assidere præsepi inter symphoniam Angelorum, sed adstare cruci inter vociferationes carnificum; non excipienda jam dona Regum, sed vulnera filii spectanda inter opprobria latronum. Liceat hîc quærere cum musicorum optimo: Dic Maria, quid vidisti, contemplando crucem Christi lacrymosis oculis? Nos animi oculis cruentam imaginem hanc obtuemur, multa tamen nos effugiunt, quæ non cernimus, Mater illa ob summum amorem & intimam rerum cognitionem hîc infanda vidit & audiit. Omnes ictus ut tristis echo in corde Matris responderunt. Hîc discamus curiosioribus oculis, & sensibus exterioribus ceteris mori, Deo puri cordis amatori conjungi.

Eccles. cap. 1. vers. 7. Nec cor ejus per impatientiam redundavit.

Idem c. 30. vers. 31.

Ludovic. Vivaldus.

§. IV. *Gladius septimus.*

GLadius septimus, cùm videret filium mori, & lanceâ configi. Tantus fuit, Bernardino teste, hic Virginis dolor, ut si in plurimos hominum divideretur, omnibus esset interitum allaturus. Illa olim formosa & dives Noëmi, *Non vocetis*, inquit, *me Noëmi (id est, pulchram) sed vocate me Mara (id est, amaram) quia amaritudine valde replevit me Dominus omnipotens.* Cùm audiret

7. Morbilli & lictus continuus.

Ruth cap. 1. vers. 20.

Virgo

Virgo de siti filium queri, promptum erat illi cogitare: Hunc ego Angelorum Dominum, in cunis vagientem infantulum meis uberibus lactavi, nunc extremè sitienti nec guttulam aquæ valeo porrigere.

Audiit deinde Virgo testamentum recitari, & alium sibi filium legari; audiit etiam vociferantem à Patre se derelictum, audiit sub ultimam vitæ periodum validè clamantem, & unà expirantem vidit. Hìc profectò luminare majus & minus extinctum. Prædictum à Joële: *Sol convertetur in tenebras, & luna in sanguinem.* Sol Christus in mortis tenebras conversus, Pulchra ut luna Virgo sanguine filii aspersa est. Potuit illa dicere: *Cur meum dereliquit me:* nam ille qui cor meum fuit & corde charior, jam extinctus est. & unà cor meum mihi evulsum est. O fili mi amantissime, si umquam vel oculo te læsi, tolle oculos meos; si offendi te linguâ, linguam tolle; si fasciando & gestando te, malè usa manibus aut brachiis, tolle manus, tolle brachia. Cur, obsecro, cor meum, cor summum cordis mei thesaurum tollis, cur B aufers teipsum mihi? *Cor meum dereliquit me.* Nam inter nos cor unum, anima & voluntas una fuerat. Hinc filii mei mors, mea est.

Joël. cap. 2. vers. 31. & Matth. c. 24. vers. 29. Isai. 9. 13.

En afflictorum consolatricem, sed afflictissimam; en stellam maris, sed in mare lapsam, & adhuc tamen ardentem, & amoris igne plenam. Laurentius Justinianus cor Mariæ Virginis clarissimum Dominicæ Passionis speculum appellat, in quo Deus & Angeli omnia Christi tormenta spectare; homines verò vel in ipso vultu Virginis dolores Christi summos legere potuerint. Si dubium sit, an homo in extremis constitutus vitam exhalârit, experimentum certius vix capi potest quàm ab oppositu speculi; si obnubiletur, vivit etiámnum æger; sin autem tersum maneat, inter mortuos censendus. Stat Mater Domini sub cruce velut purissimum, vivum, tersissimum speculum, per quod tam vita quàm mors filii tralucet. Dum spiraret filius, tam vulnera filii quàm voces Virginis mentem mœroribus obnubilâ- C runt; post mortem sola mortui forma sed exanguis, figura sed immutata, & muta in hoc speculo apparet.

B Maria est Dominicæ passionis speculum.

Ah, quomodo tandem huic spectaculo interesse, & filium in tali lectulo morientem aspicere potuit? Agar ancilla Saræ, cùm annona, quam itineri acceperat, consumptâ, fame sitique urgeretur ad extrema, filium Ismaëlem sub arbore collocavit, & procul inde digressa, Non possum, ajebat, filium morientem cernere. Et ad teli jactum tristi spectaculo se subducens, ac considens, altâ voce ploravit. Cùm infantulos catalepsis corripit, à cunis parentes abeunt, ne miserè luctantes cernant. Jacob in omnibus adversis inconcussus videbatur, ad unicum illum nuntium extincti Joseph animum contraxit. Diversæ clades, eæque maximæ, nuntiabantur Jobo: nil visus est moveri, dum advolaret servus e ni liberorum funera percensebat: *tunc surrexit Iob, & scidit vestimenta sua, & tonso capite corruens in terram adoravit.* At verò hæc magna Mater in conspectum morientis filii se animosè dedit, stetit, dum natus expiravit. Hæc omnia immensus amor potuit, qui hoc effecit, ut Mater omnem filii dolorem senserit, verè cum illo crucifixa. Pro testimonio beata Birgitta dicens, Matrem ita loquentem repræsentat: Cùm flagellaretur & pungeretur filius meus, quasi cor meum flagellabatur & pungebatur. Ego etiam fui propinquior ei in passione, nec separabar ab eo. Ego stabam viciniùs cruci ejus, & sicut hoc gravìùs pungit quod vicinius est cordi, sic dolor ejus gravior erat præ ceteris mihi. Cúmque respexisset ad me de cruce, & ego ad eum, tunc de oculis meis quasi de venis lacrymæ exibant; propterea audacter dico, quòd dolor ejus erat dolor meus, quia cor ejus erat cor meum. Sicut enim Adam & Eva vendiderunt mundum pro uno pomo, sic filius meus & ego redemimus mundum quasi uno corde. Cùm autem clamaret, *Pater, in manus tuas commendo spiritum meum;* hanc vocem A cùm audissem ego ejus mœstissima Mater, contremuêrunt omnia membra mea cum amaro cordis mei dolore. Et quoties posteà hanc vocem cogitabam, quasi in aure meâ recens erat. Hìc discamus simultatibus, livori, ac invidiæ mori. Promittens Christus, *Et ego,* inquit, *si exaltatus fuero à terrâ, omnia traham ad meipsum.* Cor Matris omnium primò attraxit: unam & nostra eâdem hac viâ trahat, suóque cordi amantissimè conjungat! Hæc de septem gladiis, quos Mater Virgo inter filii cruciatus pectore gestavit. Sequitur granadillæ floris columella, quæ nobis admirandam Virginis stationem adumbrat.

Luc. cap. 24. vers. 46.

§. V. *Admiranda Matris statio sub cruce fusiùs exponitur.*

STabat autem juxta crucem JESV, *Mater ejus.* Cùm septem filii Saulis à Gabaonitis in cruce ordine appensi essent, Respha, quæ duos ex iis genuerat, ad cruces tentoriolum sibi struxit, & lectulum sed rigidissimum è cilicio composuit, ut ea cadavera à volucrum & ferarum lanienâ tueretur. Has excubias egit, dum cælo pluviæ haberentur. Vidit Maria fuismet oculis suum filium crucifigi, nec à pendentis cruce abiit, asperrimo licet cilicio induta, summis doloribus undequaque cincta. Fideles tamen excubias ad crucem habuit, stetit, perseveravit. Hìc seriò expendendum, quomodo demum hæc Mater per furiosam plebem, per Pharisæos irrisores, per milites crucifigentes ad crucem filii penetravit. Calumniabantur isti, hi deridebant, indignabantur illi mulierem huic spectaculo intervenire; alii eam digito monstrabant: Hæc seductoris Mater est. Perrupit omnia, ut ad crucem filii stans posset excubare.

Ioan. c. 19. vers. 25. 2. *Reg. c. 21. vers. 10.*

B. Matiæ juxta crucem statio.

I. Stabat amicis, notis, discipulis, qui tanta promiserant, jam pridem dilapsis; stabat illa. Amor & dolor inter se certabant; dolor dejecisset & extinxisset, vicit amor, & erexit, stare fecit & perseverare. Itaque geminas hìc aras, duo sacrificia Chrysostomus considerat, sanguinis unum, alterum ignis, seu amoris. Sicut autem nullus facilè amor parentum in filios amorem superat, ita nec dolor conceptum ex eorumdem obitu dolorem. Explicet mihi quis amorem, & ego illi dolorem explicavero.

1. Stabat amicis & discipulis dilapsis.

II. Stabat. Amoris hoc non tantùm summi, sed constantissimi fuit, qui plenus spe ac fide Christum expectabat redivivum. Stabat publicè inter tot hostes hominis crucifixi nota mater. Stabat non eminus, sed proximè filio, juxta crucem; verè cum filio crucifixa. Quomodo tandem Virgo beata & Joannes discipulus velut geminæ spicæ, tam horrendam illius diei grandinem evaserunt, quâ totus orbis verberatus pæne corruit stante hac unâ Virgine.

2. Amore summo & constantissimo plena.

III. Stabat, gladio Simeonis lentè pertranseunte. Caligulæ vox nota est: ita feri, ut sentiat se mori. Hæc D Mater tot gladios hìc reperit, quot spinas, clavos, vulnera filii, sanguineósque rivulos vidit. Meri erant gladii per aures oculósque admissi. Nam quæ Christus in corpore perpessus, ea Virgo in corde, cum filio flagellis cæsa, spinis coronata, crucifixa, transfossa. Omnium Martyrum dolores leves sunt, inquit Anselmus, cum hoc dolentis Virginis collati. Quomodo ægrithonia seu animi dolor cor hominis perrodat, exedat, consumat, luculentè Christus in olivarum horto monstravit.

3. Gladio Simeonis lentè pertranseunte confixa.

IV. Stabat, non discurrebat, non sedebat, non jacebat, sed stabat, oculos per omnia nati vulnera volutans: manus, pedes, caput, faciem morientis exactissimè contemplata: stabat fixissimis oculis tamquam depictura filium. Verè depinxit, non in telâ, sed in corde, atque hanc effigiem sibi semper retinuit. Stabat reverentiâ filii, parêre parata, stabat parata mori, ait Ildefonsus, si non desit percussoris manus.

4. Non discurrens, non sedés, sed oculos per omnia nati vulnera volutans.

5. Non murmurans, nec vindictam clamans.

V. Stabat, & non murmurabat, neminem accusabat, vindictam non clamabat, nihil querulæ vocis jactabat, neminem vel verbulo violabat, nullum nec minimum impatientiæ signum edebat, sed nec Deum rogabat, ut ignis cælo rueret, terra dehisceret, mare facinorosos sorberet. Nôrat ex lege filii, non tantùm diligere inimicos, sed iis etiam benefacere, & pro persequentibus & calumniantibus orare. Nôrat, divinæ Providentiæ omnia esse committenda.

Matth. c. 5. vers. 44.

6. Igne sævius urente, quàm qui tres Hebræos aduſſit, operta.

VI. Stabat, sed si dolores stantis consideremus, stabat in igne sævius urente, quàm qui tres Hebræos juvenes operuit, aut qui Laurentium, Polycarpum, Olympium, Fructuosum, Augurium, Eulogium, Abibum, Gallicum, tórque alios generosos Martyres ussit; aut qui Apoloniam, Domitillam, Euphrosynam, Theodotam, Potamienam, Theodoram, Anastasiam, & illa viginti millia Nicomediæ nocte Nascentis Christi in templo involvit. Stabat Mater tristissima in monte Ætnâ. Hîc ignis, hîc gladius, ignis amoris, gladius doloris. Non enim crucifixum virum aspiciebat, sed filium super omnem Job deformatum.

7. In irato mari tot cruciatuũ inc͠oncussa.

VII. Stabat, sed in medio marinorum fluctuum. In irato mari tot cruciatuum stabat inconcussa, solo Deo nixa, cui & gratias egit pro luctu tam copioso, quem ut certum favoris eximii argumentum agnovit. Stabat in Dei nutu & arbitrio consolidata, in unam Dei voluntatem, à quâ summum firmamenti ac virium habuit, inconniventes oculos reflexit. Hinc centies iterúmque centies atque sexcentiès suam divinæ voluntati subsignans, O Deus, ajebat, ô mi Deus, sicut vis. Anima illius divinæ voluntati sic conglutinata erat, ut si hos cruciatus verbulo potuisset impedire, id sanè factura non fuisset, ut quæ sciverat, *definito consilio & præscientiâ Dei*, hæc omnia tam à filio quàm à se toleranda. Filium quidem hæc Mater tenerrimè amabat, superans omnium matrum amores, nihilominus honor Patris, & salus humanæ gentis erant ei chariora. Dei voluntas unica eam in omnibus ad tantos dolores perferendos erexit.

Actor. cap. 2. vers. 23.

Quomodo omnes cruciatus à Christo perpessi ad Dei voluntatem referantur.

Sed objicias: Quomodo istud omne ad Dei voluntatem refertur, quod nequitia Judæorum, invidia Pontificum & Pharisæorum erat? Rem verbo expediam: Nequitia humana voluntati divinæ nihil umquam potest obstruere. Filium in cruce mori Deus ab æterno voluit; ut illum Judæi crucifigerent, aut Romani, non imperavit, sed permisit, quos id flagitiosè sed voluntariè facturos esse prævidit. Hominem vertiginosum juxta præcipitium ambulantem valde juverit, qui dextram porrigens dicat: Da manum, & in me unum respice. Ita Dei voluntas Matrem Virginem per hæc præcipitia salvam duxit. Si aliis matribus viæ tam præruptæ ac inviæ fuissent calcandæ, si talia in filiis spectanda supplicia, centies corruissent. In unam Dei voluntatem Virgo Mater respexit.

8. Constantiâ incredibili prædita.

VIII. Stabat, constantiâ incredibili. Constantiam prisci pingebant in rupe stantem, allisis maris fluctibus, cum inscriptione, *Eadem sum semper*. Dei Mater stat hîc, in rupe, dolorum fluctibus undique illidentibus. Sed illa verè dixerit, *Eadem sum semper*. Filius meus ut latro comprehenditur; Annæ, Caiphæ, Pilato, Herodi sistitur, cæditur, ut mortis reus damnatur: *Eadem sum semper*. Flagellis discerpitur, spinis redimitur, Barabbæ postponitur, cruci addicitur: *Eadem sum semper*. Infami ligno affigitur, inter tormenta loquitur, clamans hastâ confoditur, de ligno deponitur: *Eadem sum semper*. Verè fuit, numquam impatiens aut pusillanimis; constans semper & virtutis invictæ *Stabat*. Quàm patiens fuit hæc constantia, Christiani! quàm nos longè aliter! quos ventulus levis dejicit, quos acerbius verbulum turbat, quos obliquus oculus affligit, quos quævis injuriola lædit, quos paullo operosior labor enervat, quos qualecumque tædiolum humo affigit, quos omnis tristior eventus nimium quantum excruciat. Imò quotiescumque res non è sententiâ & voto succedunt, frangimur, succumbimus, prosternimur, jacemus modicis ærumnis victi. En Domini Matrem sub cruce filii in rupe stantem, *Eadem est semper*. Animum non despondit, nihil patientiæ aut constantiæ remisit, *semper eadem* in summis doloribus.

9. Ut ter filio ægrotanti. Prov. vers. & 29.

IX. Stabat, uti adstare solet mater ægrotanti filiolo, aut cùm illi vena inciditur. Stabat, uti assistens Deo æterna Sapientia, *Quando*, inquit, *præparabat cælos, aderam; quando certâ lege & gyro vallabat abyssos; quando æthera firmabat sursum, & librabat fontes aquarum; quando circumdabat mari terminum suum, & legem ponebat aquis, ne transirent fines suos; quando appendebat fundamenta terræ*. En Mater filio in orbis restauratione ubique adest; cùm in cruentâ cruce reseraret cælum, cùm ruinosi orbis fundamenta clavis quatuor firmaret, cùm tartari abyssum terminis certis claudaret, cùm summos mundi montes, voluptatem, opes, honorem imponeret stateræ, & ad pondus suæ crucis libraret, Mater ei adstat, & juxta eum stabat.

10. Cum orbis restaret

X. Stabat, cùm orbis pæne totus rueret? O qualis Mater, qualis virago ac heroïs! Gratiâ plena, beatissima est, etiam cùm in summis doloribus est. Licebit, putem, quærere: Et quomodo potuisti, ô Mater, spectare tam infanda? num oculi tui robustiores sunt aut ardentiores quàm solis? hic oculos sibi ipse velavit, ne cogeretur sui Domini tam diros cruciatus aspicere, testatus orbi se imparem tam crudeli spectaculo; & tu, ô Mater, aperis tuos oculos, cùm suos filius in morte claudit. Num homini crucifixo cognata minùs es quàm luna? hæc atrum syrma induit, & viam aviam cucurrit, ne conditorem tam dira patientem & morientem cerneret. Tu verò hujus viri Mater accurris, & tuis ipsa oculis spectas, quî sanguis tuus stillatim effluat. Expavit terra, & præ luctu contremuit: tu etiámnum erecta stas, & filium inter tormenta summa expirantem contemplaris. Rumpuntur saxa, & fœdis vulneribus concidunturtu stas, & numeras filii vulnera; numquid cor tuum solidius est saxis?

11. Audiebat & videbat talia, qualia nulla umquam mater.

XI. Stabat, audiebat, videbat talia, qualia nulla umquam mater. Si matrum omnium plangores colliquentur, pondo unicum erit ad hoc centumpondium. Jure meritò Augustinus hunc luctum Virginis, immensitatem doloris nominat. Nunc igitur & in cælo hæc Mater audit & videt, quæ nullus vidit oculus, nulla auris audiit.

Enimverò sic firma & fixa stabat, ut eam neque vita neque mors, neque creata res ulla, ab amore ac præsentiâ filii potuerint divellere, aut dejicere; stabat certè, neque enim eam truculentus Judæorum furor, nec barbara militum sævitia, nec summa plebis compressio, neque tot maledicæ linguæ, quæ illam telis undique impetebant, hoc statu movere potuerunt. Maledicta & execrationes mille audiebat; illa tamen stabat, longè fortior Apostolis, stabat tot inter molossos, qui unicum ipsius agnellum lacerarunt.

12. Filio mortuo stabat eum in brachia deponendum.

XII. Stabat adhuc filio jam mortuo. Diffluxere omnes, suam singuli domum repetivere: à cruce non abibat Virgo, sed divinæ bonitati fidebat ac providentiæ, à quâ speraverat mittendos in subsidium homines, qui in sua sibi brachia, amantissimum illud crucis pondus deponerent.

§. VI. *Eadem uberiùs explicantur.*

EN amaranthum nobilissimum, qui floribus autumno deficientibus, si aquâ infusâ recreetur, ita revirescit, ut inde serta hieme contexi possint. Herba est mirè formosa, & inde nomen sortita, carptu facilis, non flaccescit, ut aliæ, nec inarescit: ita Virgo virtutum omnium virore speciosissima, patiens, obsecundans, ad ipsam

sam crucem lætissimè succrescens: quæ diffugientibus A meru Apostolis ad arborem execrandam perstitit.

Plin. lib. 17. natur. Hist. cap. 23. Ioan. cap. 15. vers. 5.

Inter olivam & vitem tam eximium ajunt esse amorem, ut hæc illam facillimè audiat. De seipso Christus, *Ego*, inquit, *sum vitis*: Oliva mater. Ætas olivæ, ut ferunt ad ducentos annos procedit, tam diuturnâ statione solum occupat. Videte fertilissimam olivam Virginem Deiparam, quæ dilapsis aliis, statione admirabili ad crucem, in quâ ligata vitis, perdurat, totis sæculis hoc ipso loco, si Dei voluntas sit, perduratura.

Novum omnino animositatis genus, & inauditum sæculis, tormentorum in filio barbarissimorum adstare spectatricem & testem matrem, cùm reliquæ ferè matres tectis se abdant, latebris condant, tenebris sepeliant, ne cogantur in filiis videre, quod in alienis etiam horrent, & mente circumferre vulnera, quæ oculis contueri ægrè sustinent. Apostolos Crucifixi discipulos pedes magis & fuga, quàm animus & statio erat tutata. At verò Mater cruci adstat impavida. Quis non obstupescat sic stantis matris animosissimam constantiam? Et quis enim sibi ultro accersat vulnera? quis ea, cùm possit, non refugiat? In filiorum verò suppliciis præsentem matrem excarnificari nemo dubitet, qui hoc unum, quid sit esse matrem, cogitat. Mentiri non potest matris affectus, non possunt ubera. Cùm enim filius materni sanguinis pars sit maxima, non potest non acerbè sentire mater, cùm in hac sui parte cruciatur, eóque magis, quò tormenta sunt graviora. A corporum tormentis crescit animorum. Jam verò cùm nullo umquam ævo Mater teneriore in filium fuerit affectu, amore nulla majore, perfacilè quivis videat quanta tulerit, cùm cogitaverit, quantum amaverit. Ab amoris magnitudine doloris vehementia non difficulter metienda. Et illud hîc accedit. Sciebat hæc una Mater omnium optimè dignitatem filii, cujus innocentiam habuit perspectissimam. Sciebat illum ipsum hominem in cruce pendentem esse Deum artubus humanis tectum; sciebat omnium esse conditorem, parentem, judicem. Hinc necessariò in eâ crescebat mœror, cùm videret illum ab eâ ipsâ gente, quam sibi delegerat in suam, adeò crudelem in modum tam ignominiosè interimi. Quæ omnia quò largiorem amoris, eò cumulatiorem præbuerunt causam doloris. Non immeritò tota obstupescat natura, cùm cernat matrem & talis filii matrem, non sedentem, non jacentem, non animo deficientem, non cælum ejulatibus implentem, non torroribus maledicentem, non humi collabentem, nec ullo indecoro gestu lugentem, sed stantem, sed orantem, sed horum omnium, suprà quàm dici potest, tolerantem. Hæc inter armatos hostes non movit gradum, & mulier & mater. Ausa inter carnificum manus stare interrita, inter Judæorum odia & minas, tamquam inter insanos pelagi fluctus stare inconcussa, videre malleos, clavos, lanceam, spectare filii manus & pedes terebratos, latus perfossum, audire maledicas voces, gustare fel & acetum filio infusum. Hinc certè cùm filii corpus supra quinque millia vulnerum pertulerit, non paucioribus cor matris convulneratum fuit. Quò magis mirari meritò hujus matris post tot vulnerum millia constantiam debemus, & ignaviam nostram degenerésque animos erubescere, quibus omnis ægritudo impatientiæ voces extrudit, omnis vel levis pœnitentia est molesta; quos omne vel tenue convitium exasperat in iras, acuit in vindictam. En matrem quæ inter tam acerba, omnibúsque retro sæculis inaudita, nec verbo nec signo indignationem aut commotioris animi vestigium ostendit. Stat illi sua & mansuetudo, & patientia. Filium latronibus parem habitum non erubescit, sed supra omnem virum solo filio minor sub infami ligno persistit; & quem Apostoli verbo, fugâ, jurejurando negaverant, illa palàm suâ præsentiâ Deum audet profiteri.

B. Maria cruciatur in filio.

Tolerantia B. Mariæ inter cruciatus filii, &

Constantia.

Imiremur, obsecro, subeamus crucem, amplectamur adversa interriti, toleremus aspera, immortalitatis spe pleni. Sed contrà facimus, obfutura quærimus, amamus noxia, & quasi ea in medullam sint, jucunditatis poculo haurimus; præsentia commoda, volaticas voluptates avidissimè sectamur, & futurorum ignari aut obliti pascimur præsentibus, exitu finéque miserando neutiquam expenso.

§. VII. *Ad eandem sub cruce stationem documenta.*

AD hanc sub Christi cruce statariam perseverantiam Voluntas & permissio Dei nos erigat. Patientia non est vera, quæ non est constans & firma. Patientiæ soror est Constantia. Tolle hanc, nec obsequium mercedem, nec beneficium gratiam, nec fortitudo laudem habebit. *Constantia sanctitatis propugnaculum.* At verò nec firmi erimus unquam nec constantes, nisi Voluntatem Dei totis brachiis arctissimè complectamur. Hoc nobis in monte monstrat mater divina, quæ inter tantos turbines ac procellas, unicam Dei voluntatem complexa perstitit immobilis. Eadem semper fuit incredibili constantiâ. Hoc exemplo & aliæ matres seipsis generosiores factæ filios in tormentis animârunt. Galerii Imperatoris ævo Antiochiæ Barula puerulus, cum Romano Martyre ad supplicium rapiebatur. Sitim parvulus querebatur, cui mater omnibus audientibus: Mi fili, ajebat, non est tempus jam bibendi, & sitim restinguendi, sed fidem Christianam confitendi. Ita prorsus quotiescumque vellicaverit nos satanas desidiâ, & torpidam quietem monstraverit, planè respondendum: Non hoc tempus deliciarum est, aut quietis ignavæ. Labori, pugnæ, certamini, luctæ hi breves anni sunt consecrandi. Hîc igitur cum matre Domini stabo pulveris & solis patiens, quamdiu me stare voluerit Deus. Standum est, Christiani, standum. Nam ii qui ad crucem obambulant, non amici sunt, mysteria crucis perfunctoriè colunt, inter irrisores non imitatores numerandi.

Bernard. epist. 129. ad Ianuenses med.

Joannes Alferna è divi Francisci familiâ, quotiescumque iconem crucifixi Domini aspexit, oculis madere cœpit: quid si non pictum aut ligneum simulacrum, sed cum matre hac vivum vidisset? Beatus Jacoponus, cùm Christi patientis historiam legi aut cantari audiit, non tantùm à suspiriis & lacrymis non temperavit, sed in altas quandoque voces erupit, & inde se proripiens plorandi desiderium explevit. Beatus ipse Franciscus quoties Christum crucifixum memoriâ repeteret lacrymas fundebat. Fuit ut fletu admodum sonoro mortem sui Domini prosequeretur. Interrogatus igitur à socio, quid eo ploratu sibi vellet; Ita deberem, ajebat, ire per totum mundum plangendo mei Domini passionem. Ah quoties nos siccissimis oculis, & quod pejus, mente aridissimâ crucifixum Christum aspicimus? nec stare ad crucem, nec lacrymari docti. Assuescamus, obsecro, ad umbram odoriferæ hujus juniperi recurrere, quotiescumque nobis ægrè est. Exemplo ac societate Virginis invitamur: *Stabat Mater dolorosa, juxta crucem lacrymosa.* Siracidæ consilium est: *Si possides amicum, in tentatione posside eum.* Hic Dei mos est; amicos suos in tentatione possidet; experitur illos nonnumquam longiore ad crucem statione. Hîc amici fidelitas sui præbeat experimentum: Mater filio fidelissima fuit, nos Domino simus.

Eccli. cap. 6. vers. 7.

Paulus non sine grandi solatio gloriatur: *Christo confixus sum cruci.* Paulus discipulus Magistro, Maria Mater filio, nos servuli viles Domino configamur. Pro se quisque possit dicere: Conditori meo ac Servatori Christo confixus sum: hîc durabo, quoad Deo visum. In tolerandâ cruce non socios tantùm, sed & adjutores habeo Christum, & Christi Matrem. Si usquam in terrâ cæli aliquid est, hîc est in tali societate. Hîc mihi certum est mori. Numquam conabor me cruci refigere, cui Deus

Gal. cap. 2. vers. 19.

me

me affixit. Scio: è cruce rectissima imò & tutissima in paradisum via est.

ODE ANIMÆ PIÆ, AD CRVCEM CHRISTI JESV, IMPETV DIVINI AMORIS ALLISÆ, SVSPIRIA.

I.

Matth. 27. *LVgete mecum marmora,*
Scissæq; corda, petræ:
Lugete mœsta sidera,
Latè patentis æthræ.
Quæ stella flavis crinibus
Circumdedit decorem;
Ab orbu usque finibus
Vertatur in dolorem.

II.

VIXIT. Movete lumina
Fluenta lacrymarum.
Qui cuncta pulcher aureo
Accendit astra vultu:
Postquàm chalybs in arbore
Psal. 21. *Manus pedesque fixit;*
Ah! illa rerum gloria,
Ah! illa Vita VIXIT.

III.

Quod tristius spectaculum
Natura vidit umquam?
Squallore tetro marcidus
Luc. 23. *Sol torva condit ora;*
Stupétque Eunus lugubri
Atratus in lacernâ:
Soror tremens & devia
Suffunditur rubore.

IV.

Cant. 3. *Huc huc Sionis filiæ,*
Rachelis & Rebeccæ:
Venite Galatitides
Vestrum videre Regem:
Marc. 15. *Quâ Mater illum* PVRPVRA
(Ah! qualis ista Mater!)
Quo cinxerit diademate
Noverca nuptialis.

V.

Implexus altè tempora
Ioan. 19. *Perfossa rhamnus ambit;*
Vertex acutis sentibus
Circumvolutus horret,
Peculiaris exhibens
Matth. 27. *Fastigium* CORONÆ.
Marc. 15. *Adamante tota nititur,*
Paliurus est jaspis.

VI.

Patent profunda vulnera,
Non multa jam, sed VNVM,
In quina sparsum flumina
Cruore fluctuante.
Quin navigamus? instrue
FIDES magistra classem:
SPES submittet anchoram,
Et CHARITAS gubernet.

VII.

CRVX malus esto; Taureæ,
Flagella, sint rudentes;
Vicémque summi Lancea
Longiniana clavi.
Haud indigemus mollium
Velis Favoniorum:
Quæ vela templi scissa sunt,
Matth. *Appensa promovebunt.*

VIII.

Solvamus, & Ceraunia
Præter tremenda vectæ,
Ad usque montem Golgotham
Calvariæ feramur.
In ictu amoris unico,
In impetu procellæ,
Portum licebit tangere:
Animata CYMBA *curre.*

IX.

Hic ille SPONSVS SANGVINVM,
Exod. *(Videtis?) hic in alto*
Et elevato stipite
Joan. 3. *Dependet ille Sponsus.*
Electus è tot millibus,
Cant. 5. *Electus ut sagitta,*
B Isaiæ 49. *Volans ad ima pectoris*
Velociore pennâ.

X.

4. Reg. *Rubicundus atque candidus*
Cant. 5. *Rosisq; liliisq;:*
Joan. *Obseptus atque consitus*
Spinisq; vepribúsque.
AMATOR ADMIRABILIS,
Nulliq; comparandus,
Ut omnibus sit gratior,
Joan. *Omnes gerit colores.*

XI.

Non alter aut eburneus
Luc. *Magis, nives Scytharum;*
Joan *Aut coccinus Laconicum*
Indúmve vincat ostrum,
Matt *Sed livet idem saucius,*
Idémque totus ardet,
C *Pallétque. Si propinquiùs*
Cernas: AMORE PALLET.

XII.

Agnosco vim tyrannicam
Blandissimi caloris.
Ut mors Dei dilectio
Cant. 6. Robusta; dura sicut
Cant *Infernus æmulatio,*
Nullo domanda ferro.
Sunt ignis ejus lampades,
Tædæq; fulgurantes.

XIII.

Quamæ putris Trinacriæ
Cant *Exæstuant cavernæ,*
Latéque sparsas torrida
Eructat Ætna flammas.
Matt *Non si solutis fontibus*
Cant. 8. *Neptunus omnis instet,*
D *Incendii vel unicam*
Extinxerit favillam.

XIV.

DILECTE MI, sic duceris
Captivus in triumphum!
Atqui volebas fortior
Job 20. *Gigantibus videri.*
Isaiæ 21. *Ad cujus hastam missilem,*
Ibid. *Tubámque personantem,*
Turres & alta mœnia
Josue 6. *Tremore conciderunt.*

XV.

Cant *Aut cæca mens deludimur,*
Et fama nos fefellit:
Aut non es idem fulminis
Exod. 19. *Pater* TONANS *trisulci:*
Deum jo- *Quo commovente nubila,*
Cyclo-

Cyclopeoſque nimbos,
Tellus & æther arduus
Et antra mugierunt.

XVI.

Genes. 19. *Quis ergo ſulphur depluit,*
Fundóque vertit urbes?
Exod. 7. *Quis* amputavit *brachia*
Septem cruenta Nili?
Tantiſq; monſtris terruit
Et obruit Carinum?
Exod. 14. *Ægyptioſque gurgite*
Equites equoſque merſit?

XVII.

Habac. 3. *Tu* NAZARENE *creditus*
Tantus venire contrà:
Et poſſe campo claſsicæ
Bellator excitare;
Enſémque in hoſtes ſtringere
Vel eminus *timendum:*
Et meſsibus cadaverum
4. Reg. 19. *Totas replere valles.*

XVIII.

Nunc ſorte versâ ſterneris
Joan. 18. *Supinus atque pronus;*
Diriſq; Sabbatarris
Laceranda præda factus,
Tormenta mundi ſuſtines,
Joan. 11. *Inultrata ſolus.*
NAM POENA, QVÆ FVIT OMNIVM,
UNIVS ESSE COEPIT.

XIX.

Luc. 23. *Inter* latrones, INNOCENS?
Joan. 1. Lupóſque *mitis* AGNVS?
Qui prata pingit floribus,
Matth. 27. *Et veſtit arva,* NVDVS?
Inermis, ARMORVM POTENS?
Paſſus, DEVS DEORVM?
Contemptus, occiſiſsimus,
Iſaiæ 53. VIR OMNIVM DOLORVM?

XX.

At non parenti Virgini
Es talis antè viſus?
Quando redux Memphiticas
Cant. 1. *Tecum reliquit oras:*
Amabat illa Cyprium
Te nominare Botrum;
Favóſque dulcis oſculi
Sugebat ex labellis.

XXI.

Cant. 4. *Ah! forma, forma Libani*
Tot prædicata ſilvis;
In quam tui caliginem
Iſaiæ 53. *Decor receſsit oris!*
Extincta fax, confuſa frons,
Obtrita mala pugnis:
Vulſæ comæ radicitus,
Concreta barba tabo.

XXII.

Ieſu! quis hujus corporis
Agnoſceret figuram?
Præſens abeſſe crederis:
Ibid. *Quæri potes repertus.*
QVI TE VIDENT, DESIDERANT,
Neſciris à ſciente.
Vix à tibi notiſsimis
Inventus invenīris.

XXIII.

Cant. 2. *Suetus ſalire in montibus,*
Et tranſilire colles:
(In Hermonæis montibus,
Aromatúmque colles)

A *Pendes in infami trabe,*
Scopus calumniarum.
Quis impedivit Hinnulum? Cant. 8.
Quis Capream *ligavit?*

XXIV.

Amor ligavit Gordium, Luc. 12.
Non lictor, aut Appella:
Non impiatus Proditor,
Fictúſque Baſiator,
Non Caiphas, aut Romuli
Prætoriæ cohortes.
OBLATVS EST IN VICTIMAM, Iſaiæ 53.
QVIA IPSE SIC VOLEBAT.

XXV.

Nam finge Judex JVDICIS
Pilate, noluiſſe;
Fruſtrà ſecures Cæſaris
Faſceſque protuliſſes. Joan. 19.
B *Ictus inanes dextera*
Conducta ventilaſſet:
Vanam dediſſes fabulam
Herodiana ſcena. Luc. 23.

XXVI.

Si quis (pudet, non nomino)
Viſo datóque Pomo,
Si parciùs cum prodigâ
Vxore pranſus eſſet,
Sic fatus: Eva, cenula
Genes. 3. *Fortaſſe ſubtrahetur;*
Numquam voluptas tantula
Tanto ſtetiſſet ære.

XXVII.

Gulam! putabat integrum
Se devorare Numen! Ibid.
Homo! dierum bimulus!
Vitæ, virilis infans!
C *Factus recèns de pulvere,* Ibid.
In pulveres iturus!
Adhuc olens cunabula,
Formoſa gleba terræ.

XXVIII.

Sed hæſit ah! (quid hæſit ah!
Profare lingua) malum
Ab Helluone creditum
DIVINITATIS *eſca,*
In dentibus ſtupentibus
Hæſit biforme malum:
Intéſque cluſit aſperas
Bolo nocente fauces.

XXIX.

Quam Primus *intrivit ſibi*
Adamus in popinâ, 1. Cor. 15.
Crudis ſcatentem mortibus,
Et ebriam veneno,
D *Exedit uſque ad ultimas*
Fæces SECVNDVS *oſſam:* Ibid.
Cùm ſuaviùs remittere,
Vel eſurire poſſet.

XXX.

Noë bibit de vineâ
Gemmante, dulce muſtum. Geneſ. 5.
Sitim NEPOTIS *proluit*
Relicta fax ACETI. Matth. 27. Ioan. 19.
Decerpſit Autumnum Pater
Roſaſque Bethſabææ: 2. Reg. 15.
Furitq; vindex, FILIVM
Cognata SPINA *læſit.* Pſal. 62.

XXXI.

O CVLPA FELIX! SANGVINIS
TALIS REDEMPTA LYTRO.
Te propter exaltatus eſt

Ex

Num. 21. Ex ære fusus ANGVIS.
1. Reg. 18. Te propter alter JONATHAS,
Cum baltheo pharetram
Tunicámque & arcus exuit,
Et induit Davidem.

XXXII.

Josue 10. Te propter alter JOSVE
Solis stitit quadrigam,
Donec superbi cornua
Contunderentur Orci.
Te propter iste mystica
Jud. 15. Rotavit arma SAMSON;
MVLTÓQVE PLVRES MORTVVS
Jud. 16. QVAM VIVVS INTEREMIT.

XXXIII.

Iacet tamen sub stragibus
Et ipse cum columnis, Ibid.
Collapsus inter funera
Molis Dagonianæ.
Eheu! ruinis obrutum
Quis extrahet cadaver?
Nos glorioſum figimus
Hoc carmen ad sepulchrum. Matt. 2.

XXXIV.

VIATOR. HEIC. SCITO. DEVM.
HOMINEM. IACERE. VIXIT.
SEX. LVSTRA. MENSES. QVATVOR.
POST. TRIDVVM. RESVRGET.
SAMSONEM. ADORA. ET. AMBVLA.

Delitiarum gentis humanæ partis secundæ finis.

DELICIARVM GENTIS HVMANÆ PARS III.

CHRISTVS IESVS RESVRGENS.

CAPVT PRIMVM.

Prima Christi morientis cygnea modulatio: Pater dimitte illis, non enim sciunt quid faciunt.

REx David moriturus concionatur Salomoni, Christus orbi, sed differentiâ ingenti. David tametsi servus supremi Regis lecto regio decumbebat; Christus Dominus in infami trabe pendebat; crux ei cathedra fuit, è quâ doceret quos redimeret. De Davide fasti Regum *a* ita loquuntur: *Hæc sunt verba novissima, quæ dixit David*, egregius Psaltes Israël. Suprema dicta, quæ Judæorum Rex in cruce protulit, non epilogus tantùm, sed epitome ac compendium sunt omnium Christi concionum. Ideo suggestum tam sublimem hic oratorum optimus conscendit, ut ab orbe audiretur universo.

Jacob moriturus filios suos convocans, *Congregamini*, ait, *ut annuntiem, quæ ventura sunt vobis in diebus novissimis. Congregamini & audite filii Iacob, audite Israël patrem vestrum* b. Haud aliter invitans nos Christus, Congregamini, ait, & audite filii patrem vestrum. Congregemur, ut non corpore solùm, sed & animo præsentes simus, nec audiamus tantùm, quæ moriturus pater dictaverit, sed & retineamus.

Hæc autem septem Domini effata in cruce, non malè, putem, cantiones, seu modulationes cygneas appellabimus. An cygni canant morituri, fusæ quæstionis est, nec in rem nostram adeò fructuosæ *c*. Candidissimus noster cygnus innocentissimus JESVS, eos nobis modulos in suo funere præcinuit, quos æternâ & jugi memoriâ veneremur *d*. Numquam animo excidant morientis Christi divinissima pronuntiata. Ordimur à primo.

a 2. Reg. cap. 23. v. 1.
b Gen. c. 49. vers. 1.
c De cygni cantu hæc habet Ælianus: *Quid musica vel cantu possit cygnus, non habeo quod affirmem. Veteres tamen persuasum sibi habuerunt, cygneâ modulatione decantatâ mox eum expirare. Quod si ita est, liberalior in hanc avem Natura, quàm in homines bonos fuerit. Nempe his laudè & luctum à morte tribuunt alii: cygni verò ipsi sese vel laude vel luctu moribundi prosequuntur.*
d Vide partem 2. Christi morituri c. 1. §. 4. 5. 6. 7.

§. I. *Amor in hostes figuris priscis explicatur.*

EXordium Christi è cruce perorantis Lucas exprimens, *IESVS autem*, inquit, *dicebat: Pater dimitte illis, non enim sciunt quid faciunt*. Bernardus hæc expendens: *Videte nunc*, inquit, *opera Domini, quæ posuit prodigia super terram. Flagellis cæsus est, spinis coronatus, clavis confossus, affixus patibulo, opprobriis saturatus. Omnium tamen delictorum immemor, Ignosce, ait, illis. Hinc multæ miseriæ corporis, hinc multæ misericordiæ cordis. Mira res. Ille clamat, Ignosce, Pag. 1. Iudæi, Crucifige. O Charitas patiens, sed & compatiens. Charitas patiens est, sufficit. Charitas benigna est, cumulus est. Nolis vinci à malo, Charitas abundans, sed vince in bono malum, superabundans est. Quomodo potabis, Domine, desiderantes te torrente voluptatis tuæ, qui sic perfundis crucifigentes te oleo misericordiæ tuæ?* Recordare Domine, quantis te injuriis affecerint in horto, in Annæ & Caiphæ domo, in Herodis palatio, in prætorio Pilati. Num hæc omnia jam abolita? Dixerat in cenâ pridianâ Christus: *Mandatum novum do vobis*. Jam in cruce promulgat: Exemplum novum do vobis. Verè novum. Nam Noëmus à filio irrisus, *Maledictus*, ajebat, *Chanaan, servus servorum erit fratribus suis*. Elias à principe quinquagenario verbis non adeò suavibus descendere jussus, *Descendat ignis de cælo*, inquit, *& devoret te, & quinquaginta tuos*. Extemplò factum. Elisæus miti convitio calvus à pueris appellatus, *Maledixit eis in nomine Domini, egressiq; sunt duo ursi de saltu, & lacerárunt ex eis quadraginta duos pueros*. Cùm Zacharias Jojadæ filius lapidaretur, *Videat Dominus*, inquit, *& requirat*. Cùm Jacobus & Joannes velut diversorii designatores à Samaritanis hospitio excluderentur, *Domine*, inquiunt, *vis dicimus ut ignis descendat de cælo, & consumat illos?* O boni, mandatū novum, Exemplum novum dat nobis Magister noster: *Pater, dimitte illis*. Nullus hic ignis, nulli ursi, nulla fulmina; sed venia & misericordia.

Anselmus

Anselmus hæc secum agitans, *Christus*, ait, *in cruce levatur, irridetur, blasphematur, & ecce dicit, Ignosce. O verbum magnæ patientiæ! Vitam procurat iis, à quibus occiditur.* Atque si quis Christum interroget, quid in cruce agat, respondentem audiet: *Pro eo ut me diligerent, detrahebant mihi, ego autem orabam.* Jubal & Tubalcain Lamechi filii, fratres germani, ille *organo & citharâ canentium pater*, iste *malleator & faber in cuncta opera æris & ferri.* De his, ajunt Hebræi, artem canendi Jubal invenisse à modulato fabrorum percussu & sonitu, fabros autem canendi arte plurimùm adjutos. Sic alter alteri commodavit. Christus cygneæ cantionis auctor, Jubal peritissimus, ita canit: Exemplum novum do vobis. *Pater ignosce, dimitte illis.* Hanc artem invenit apud malleatores, fabros, calumniatores gravissimos, quos tamen hoc cantu suo, *Ignosce, dimitte*, nimium quantum juvit.

Psal. 108. vers. 4. Gen. cap. 4. v. 21 & 22.

Christus inter calumniatores fuit auctor misericordiæ & veniæ. Exod. c. 28. vers. 34.

Cùm summus Pontifex ingrederetur sanctuarium, tintinnabula aurea ad oram sacræ vestis appensa sonum edebant, monebántque peragendi aut peracti jam officii. Christo Pontifice summo in sancta sanctorum ingressuro campanulæ aureæ sunt auditæ: *Dimitte, Ignosce.* Hæc musica ita superis placuit, ut noxas orbis abolevérit: clamores Sodomorum summè Deo displicuerunt, summè placuit hic clamor filii Dei.

Campanulæ Christi: *Dimitte, Ignosce.*

De Davide citharœdo hæc Regum fasti memorant: *Quandocumque Spiritus Domini malus arripiebat Saul, David tollebat citharam, & percutiebat manu suâ, & refocillabatur Saul, & levius habebat: recedebat enim ab eo spiritus malus.* Et David noster psaltes egregius, citharœdus optimus, quàm chordas habeat intentas, artus ad crucem distentos! Vix autem fidibus cœpit canere, mox dæmonem fugavit è latrone. Omnem cygneæ cantionis suavitatem superavit.

1. Reg. c. 16. vers. 23.

§. II. *Virtus longè nobilissima, hosti benefacere.*

An Abraham magis arduum opus patrârit non parcens filio, quàm David parcens Sauli inimico.

Hic quæstio sit de Abrahamo & Davide progenitoribus Christi, uter magis arduum opus patrârit, & generosiùs seipsum vicerit. An scilicet Abraham, qui non pepercit filio, an verò David qui pepercit Sauli capitali inimico. In eam rem Rupertus: Docet ratio, inquit, non multò minoris fuisse meriti, propter Deum pepercisse inimico, quàm non pepercisse unigenito filio. Certum videtur, minus esse miraculi, Abrahamum Dei jussu voluisse sævire in filium, quàm Davidem sancto affectu sævire noluisse in hostem Saulem. Uterque hoc tali facto promeritus est, Christo jungi cognatione, & David quidem propinquiore. Benignitas in hostes, certa filiorum Dei nota, quam summè horret diabolus, vix enim alia virtus est ulla, quâ filii Dei magis patrissent. Eximiè hac de re Chrysostomus: *Hæc itaque reputans*, inquit, *illi fias pro tuis viribus similis. Te jam talem effectum diabolus ne contrà quidem respicere poterit. Regiam enim impressionem novit, Christi novit arma, quibus fuit superatus. Quæ verò sunt hæc? Benignitas & mansuetudo.* Hæc à se dicta Chrysostomus rationibus firmans: 1. *Cogita*, inquit, *quantorum sis reus, & non tantùm ad eorum, qui te affecerunt injuriâ, dimissionem non retrocedes, verùm & turres ad eos qui te contristârunt, ut tibi sit dimissionis occasio, ut propriorum invenias malorum lenimen.* 2. *Gentilium filii nihil expectantes, in hoc plerumque philosophati sunt, & tu cum tali spe migraturus retraheris & torpes?* 3. *Et quod tempus facit, hoc propter Dei legem ante tempus facere non sustines, & sine mercede potiùs quàm cum mercede vis tibi vitium extingui? Nec enim si per tempus hoc tibi fiat, erit tibi quidquam amplius, verùm & multa potiùs pœna, quoniam quod tempus effecit, hoc facere Dei lex non persuasit.* 4. *Si verò dicis, quòd excandescis tuæ recordatus contumeliæ: reminiscere si quid boni collatum tibi fuit ab eo qui contristavit, & quod tu malis alios afficisti. Malè tibi dixit, & te confudit? cogita quid aliis tu quoque dixisti. Quomodo veniam igitur assequêris, quam aliis non concessisti?* 5. *Vis discere quantum mali sit, malorum meminisse, & qualiter hoc maximè Deum irritat? si his qui à Deo justè puniuntur, non insultare, sed potiùs oportet misereri, multò magis eorum qui contra nos peccârunt.* 6. *Quid ais? Inimicum habes, & non erubescis? Nónne satis est nobis diabolus, quòd & consanguineos superducimus? Quid itaque furentes imitamur, alter alterum corrodentes, propriam impugnantes carnem?* 7. *Audi certè, quantus & in veteri Testamento fuerit de hujusmodi sermo. Quæ mala reminiscentium in mortem. Homo homini iram servat, & à Deo quærit sanitatem? Injuriam reminisci, est animæ nequitiam meditantis. At malè passus es? At numquam cum tanto, quanto temetipsum afficies malo, servans injuriæ recordationem.*

Chrys. to. 5. hom. 52. ad pop. Antioch. mihi p. 299.

Deus non vult insultari suis hostibus, quos jure punit, & in tuos vis puniri, puniris insultare?

Has Chrysostomi nobilissimas rationes ab iis accuratè velim expendi, qui æternas coquunt iras, vindicationem spirant perpetuam. Jusserat Christus colapho in genam dextram impacto, obvertendam percussori & alteram; & pallium auferenti concedendam & tunicam. Harum legum suarum observantissimus, flagris & spinis jam vulneratus, totum corpus cruci obtulit, nec tunicam, nec pallium, nec togam suis carnificibus subtraxit, iis insuper & inimicis omnibus veniam rogavit. Quod Arnoldus Carnotensis ponderans, Seipsum, inquit, intrà regulas suas concludens, voluit ut à capite forma patientiæ prodiret in membra. Raræ laudis est illud in homine: superavit seipsum. Elogium charitatis à Christo habemus istud, *Majorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis.* Huic dilectioni Christus vim immensam addens, *Pater*, inquit, *dimitte illis:* Jam ego morior non pro Matre tantùm aut discipulis, benefactoribus; non solùm pro Nicodemo, Josepho, Magdalenâ, Marthâ, ceteris amicis, sed pro his ipsis, qui me linguis & manibus crucifixerunt. Liceat dicere, superavit seipsum. Hinc religiosus ille ac disertus scriptor: *Dubitatio mihi est*, inquit, *an in acerbissimâ* JESU *Christi passione quidquam illustrius fuerit, meritorium magis, Deóque Patri acceptabilius hac admirabili misericordiâ, quâ in suos carnifices, dum in cruce penderet, usus est. Non eos fulmine, quo digni erant, percussit, non terræ hiatu absorpsit, sed hæc omnia indulsit, Patrémque ut iis ignosceret, rogavit, cujus jam fortassis fulmen, quo erant perdendi, præparatum vidit. Et quod admirabilius, immanissimorum hominum illorum scelera excusavit, eos per ignorantiam peccasse affirmans: Nesciunt quid faciunt.* Superavit seipsum.

Christus legum suarum fuit observantissimus.

Philip. Bosquiev. Consol. Desperantium, mihi p. 266.

David interrogans: *Vbi sunt misericordiæ tuæ antiquæ Domine?* Vertamus & interrogemus: Ubi sunt iræ tuæ antiquæ? Ubi aqua, ignis, gladius, quæ tot centena aut millena millia hominum devorârunt? Jam ille ipse Dominus oblivisceitur suiipsius, Matris, discipuli, amicorum, piarum matronarum, & causam agit hostium. Ter orat in horto, & non auditur: Hîc semel pro hostibus preces allegavit; Et *exauditus est pro suâ reverentiâ.* Hinc patiens latro, resipiscens centurio, spectatorum plurimi tundendo pectora reversi. Pro seipso Christus orat, sed eâ lege, *si vis*, si possibile est, *Verumtamen non mea voluntas fiat:* omissâ conditione orat pro hostibus: *Dimitte illis.* In sui causâ tot testimoniis accusatus ante judices Caipham, Herodem, Pontium silet; ante tribunal crucis, cùm, scelus ipsum, Judæos accusaret, pro reis loquitur, fidelissimus eorum advocatus. Domine, ubi sunt iræ tuæ antiquæ? Hoc unum responsi accipimus: *Mandatum novum*, Exemplũ novum do vobis. Nunc immutata rerum facies, longè nunc alia quàm olim ratio est. In lege priscâ trium Hebræorum juvenum succensa fornax aperitur, sed excussis flammis conflagrant ministri. In lege novâ carcer Pauli & Silæ Philippis panditur, sed custos carceris convertitur. Mandatum & exemplum novum nobis præbetur. Quod Isaias uti prodigium amoris singulariter commendat. Et *pro transgressoribus rogavit.* Sed singulas hujus orationis voculas expendamus.

Psal. 88. v. 50.

Hebr. cap. 5. vers. 7.

Luc. cap. 22. vers. 42.

Act. c. 16. vers. 26.

Isaiæ c. 53. vers. 12.

§. III. *Precantis Christi singulæ voces exponuntur.*

Christus appellat patrem à quo sperat omnia in filii gratiâ impetrãda.

PATER: Non Judicem, non Dominum, non Regem appello, sed Patrem, à quo sperem omnia in filii gratiam impetranda. Bonaventura censet Christum, sicut patrem verbis, ita matrem affectu mentis rogâsse, ut & ipsa tot facinorosis hostibus ignosceret: nec beatissimam Virginem id facere distulisse, sed in genua procubuisse, & suam perquam obsequenter ad filii voluntatem conformâsse. Et quamvis filius, quia Deus, uti potestate suâ, & dicere potuisset: Dimissa sint illis peccata: quia tamen personam egit conciliatoris, Sacerdotis, deprecatoris, quorum est supplicare, id sui muneris non omisit.

In cruce egit personam sacerdotis.

Docuit nos proximo dimittere,

DIMITTE: Scio, mi Pater, non dimitti peccatum, nisi restituatur ablatum. E tuo, Pater, viridario ante quinque millia annorum furto impio subtractum est pomum. Ea meipsum do, velut arboris fructum, pro sublato pomo. Dimitte hanc noxam. Apud me soluta res est, tamquam si nihil factum sit contra me; tu jam in eandem veniam assentire. Hanc unam vocem Christus sæpissime nobis inculcans: *Dimitte*, ait, *si quid habetis adversùs aliquem. Dimittite, & dimittemini.* Jam reipsâ quod docuit, facit. *Cœpit* enim *facere & docere.* Hinc rectè dictum Passio Christi doctrina est facti. Hinc Christus inter probra & dolores modestissimè silebat, nimirum ut, quod verbis docuisset, re probaret. Dixerat Servator: *Diligite inimicos vestros, benefacite his, qui oderunt vos, & orate pro persequentibus & calumniantibus vos.* Dilexit inimicos pro iis moriendo, benefecit suas illis vestes relinquendo, oravit pro ipsis & seriò, & primo loco. Doctrina facti, Passio Christi.

Marci c. 11. vers. 25. Luc. cap. 6. vers. 37. Act. c. 1. v. 1.

Matth. c. 5. vers. 44.

Neminem excipiẽdo,

ILLIS. Neminem excipio, non Annam, non Malchum, non Caipham, non Herodem, non Pilatum, non calumniantes, non flagellis verberantes, non spinis coronantes, non cruci affigentes. Neminem excipio: veniam omnibus peto. Exemplum nobis necessariò imitandum. Nullum hominem, injuriam nullam veniâ excludamus. Abominandæ voces sunt: Huic uni nebuloni non possum ignoscere. Hanc tantam injuriam oblivisci nequeo. Apage has voces ex orco. Non sapit hoc mores Christianos. Omnia omnibus absque tali exceptione dimittenda.

Portò tam abominandum erat Judæorum scelus, ut deprecator eos nominare crucifigentes non auderet. *Illis*, inquit, *dimitte.* Joabus & Thecuitis Absalonem, cui veniam rogabant, non fratricidam nominârunt. Saul improbus, Ubi est, ait, filius Isai? At David Saulem, regem Israël, Christum Domini appellat. Hîc Chrysostomus, *Vtamur*, inquit, *omni studio, ut linguam doceamus imitari suum Dominum. Nisi quis ita loqui scierit, neque judex eum audiet.* Appellatione probrosâ nec hostes quidem notandi; non adulatores, non nebulones, non proditores vocandi.

Chrysost. hom. 52. ad pop.

Sed ô Domine JESV, quibus illis dimitti cupis? Non unus solùm hic Saul, nec Absalon, aut Semei tantùm unus est. Multa millia tuorum hostium te cingunt, irridentes, conspuentes, imò ipsis dentibus, si possent, laceraturi. Et ex his ipsis sunt, qui dicant: Ora pro teipso, miser. Rejiciunt veniam, ignosci sibi nolunt. Sed his ipsis venia rogatur: *Dimitte illis.* Eleganter Augustinus: *Illis*, inquit, *petebat veniam, à quibus adhuc accipiebat injuriam.*

August. tract. 31. in Ioan.

Injuriam excusare & extenuare.

NON ENIM SCIVNT QVID FACIVNT. Negare non potuit crudelissimam illorum invidiam, injustitiam summam, excusavit igitur & extenuavit per ignorantiam id factum. Simon Cassianus, *Sciunt*, inquit, *quòd crucifigunt, ignorant quem crucifigunt.* Bernardus Christi personam induens, *Ideo*, ait, *ignosco illis, quia non agnoscor ab illis.* Hæc eò dicta, quasi Pater indulgentiæ concedendæ rationem petiisset. Et en ratio: Non sciunt quid faciunt. Accusatus Servator, damnatus & crucifixus à meris cæcis: cæco facilis est venia, licet in Principem, in Regem impingat. *Nemo igitur*, monente Augustino, *de sui peccati dimissione desperet, quando illi veniam meruerunt, qui Christum occiderunt: si talis est crucifigentibus, qualis erit obsequentibus? si totus in nos orbis insurgat, si lapidibus nos obruere conentur hostes nostri, ne cadamus animis; illorum cæcitas in causâ est: Nesciunt quid faciunt.* Jacobus Apostolus Hierosolymorum Episcopus, Eusebio teste, ex alto præcipitatus, clamavit moribundus: *Ignosce eis, Domine, quia nesciunt quid faciunt.*

Euseb. lib. 2. hist. cap. 2.

Omnis cùm graviùs peccat, quid bonorum perdat, quid malorum incurrat? omnis peccans ignorans. Quisquis peccare cogitat, similis est præcipitaturo se in flumen ex alto: priùs enim oculos claudit, imò naturâ compellente, dum cadit, oculos comprimit. Pro his omnibus oravit Christus. Sed addit Lucas:

peccat ignorans.

Luc. cap. 23. vers. 34.

JESVS AVTEM DICEBAT, Dum hostes in ipso facinore patrando occupati, dum sævjunt & furunt, dum vestes dividunt, dum calumniantur & irrident, dum rivuli cruoris defluunt, dum crucifixo injurias omnigenas inferunt, dicebat JESVS: *Dimitte illis.* Sunt qui è divi Lucæ verbis colligant, hoc à Christo sæpius pronuntiatum. Illa omnia videns, audiens, sentiens, nihilominus dicebat JESVS, *Dimitte illis.* Post injuriam quandoque jam vetustam, quàm difficile persuadere veniam, & injuriâ durante dimittere injuriam! mandatum novum, exemplum novum veniæ dandæ à Christo accipimus. Non attendebat, inquit Augustinus, quòd ab ipsis moriebatur, sed quia pro ipsis moriebatur. *Super inimicos meos*, ait David, *prudentem me fecisti mandato tuo.* Nec enim tantùm pro calumniantibus & persequentibus, sed etiam pro occidentibus se oravit, inimicos omnes amoris brachiis complexus. Hoc est virgas, quibus quis cæditur, oscular.

Psal. 118. vers. 98.

Lacedæmonum respublica, quod Xenophon memorat, legem tulit de injuriis vindicandis. Hæc mundi lex est impia; injuriarum nihil condonare. At verò Thrasybulus Athenienſis exul comparato exercitu, Athenienſi duce Lysandro adjuvante, triginta tyrannos expulit, & legem oblivionis tulit, ne quis præteritas injurias insectaretur. Salutarem hanc legem ἀμνηστίαν vocârunt. Christus in cruce exul jam partâ victoriâ, oblivionis legem figens: *Dimittite*, ait, *& dimittemini.* Nil boni habet ultio, quæ è malo pœnæ, facit malum culpæ. Quis autem tam fatuus, ut si curtus calceus non respondeat pedi, de pede partem amputet, ut calceus ei habilis fiat? Stultissimum est, minus malum majori emendare velle. Hoc omnes ii faciunt, qui vindicationem quærunt. Nam qui injuriam accipit, malum pœnæ subit; qui vindictam quærit, in malum culpæ incurrit. Quod priori longè deterius est. Pœna facit miserum; culpa non tantùm miserum, sed & malum: pœna privat bono temporario, culpa & temporario & æterno. Ecclesiastici præceptio est: *Qui vindicari vult, à Domino inveniet vindictam, & peccata illius servans servabit. Relinque proximo tuo nocenti te, & tunc deprecanti tibi peccata tua solventur.*

Xenophon lib. 2. hist. Græc.

Christus cruce sic oblivionis fixit.

Luc. cap. 6. vers. 37.

Qui vindictam quærit, malum culpæ incurrit.

Eccles. c. 28. v. 1. & 2.

Beatæ Mechtildi arcanis affatibus dictum à Christo. In servis meis tria mihi maximè placent. 1. Veritas, in hac coram me ambulent ore sincero, corde perfecto. Talem, ut mater filium, in extremis complectar. 2. Fiduciale refugium ad me solum in omni afflictione. Non in Dei aliis, sed mihi ærumnas suas conquerantur. Hos numquam deseram in necessitatibus. 3. Fidelitas in proximum; peccata illius bono animo excusent, & ego ipsos etiam apud Patrem meum excusabo.

Tria Christo placent in servis suis:

1. Veritas.

2. Fiducialis refugium.

3. Fidelitas in proximum.

Discamus

Discamus igitur non exaggerare, non vindicare; sed excusare, aut saltem extenuare, ac condonare injurias: non est faciendus mons è granulo, nec è rivulo mare. Dimittamus aliis & dimittetur nobis. Talem in nos Deum sentiemus, quales in alios fuerimus.

§. IV. *Precatio Christi, fidem impetravit Latroni.*

Glossa in 23. Isaiæ.

HÆc Christi oratio (*Dimitte illis*) innocentem & sanctum oratorem ostendit. Hæc Numini divino summè placuit, & verò etiam efficacissima fuit, ut ad eas voces, quod Nazaræorum evangelium memorat, aliquot millia Judæorum ad crucem stantium, innocentiam Christi agnoverint. Hæc ipsa oratio aliis illis obstinatissimis resipiscendi spatium quadraginta annos impetravit. Sed his omnibus missis, latronum alter nobis considerandus, quem Christi pro hostibus deprecatio mirificè traxit ad beatissimam vitæ clausulam. Post istum námque supplicem Christi libellum, tanta fidei argumenta orbi exhibuit latro, ut rectè dixeris: Nescio an à mundo condito magis rarum & memorabile fidei exemplum umquam extiterit. In Christi schola hic reus numquam fuit: repentè tamen Apostolis omnibus tamdiu instructis, altiùs mysteria fidei penetravit. Christum in patibulo pendentem adoravit Regem, moribundum hominem vitæ auctorem pronuntiavit, ita prorsus ab inferis supra cælos emersit. Quàm vegeti, acres, & lyncei prorsus fuerint illi oculi, qui vitam in morte, celsitudinem in ruinâ, gloriam in probro, victoriam in exitio, regnum in servitio viderunt? Væ nobis! Christum pendentem & omnibus execrabilem latro suâ fide in cæleste solium evexit: Væ nobis! qui scimus hunc ipsum Dominum à dextris Dei considentem, ab omnibus adorandum, si non assiduè ac reverenter suscipimus & veneramur.

Fidei latronis, post Christi orationem, argumenta.

Latro resipiscens non nisi cum crucifixis locutus, Christum defendit, seipsum accusavit, socium reprehendit. De Christo liberè pronuntiavit: *Hic nihil mali gessit.* Illustre bene moriendi documentum. Cùm satanas sub vitæ finem nostra nobis peccata objecerit, non excusemus, nec extenuemus, sed Christum monstremus, cum hoc ipso latronis elogio: Hic verò nihil mali gessit. Seipsum porrò accusans, *Nos quidem justè*, ait, *nam digna factis recipimus.* Aperta & submissa scelerum confessio. Proprium est electorum amare justitiam, etiam asperè tractantem. Rex David & Mauritius Imperator in ipsis suppliciis: *Justus es Domine*, inquiunt, *& rectum judicium tuum.* Magna pars veniæ, fateri crimen. Deinde hic ipse Christi caussidicus socium reprehendens: Neque tu, inquit, times Deum, quòd in eâdem damnatione es. Latro alter homo perditissimus, furiosæ obstinationis fuit exemplum. Hunc neque Christi patientia & charitas, neque socii exemplum & admonitio, neque proprium supplicium, nec omnia prodigia Christo conjungere potuerunt. Neque tu times Deum? neque crux & extrema necessitas timorem Dei persuadeat? jam jámque stabimus ante tribunal Dei, & tu etiámnum ludis? Perditus est, quem pœna non emendat. Nimiùm protervi & frontis perfrictæ liberi sunt, qui cùm castigantur, rident, aut obganniunt.

Luc. cap. 23. vers. 41.

Ibid.

Psal. 118. vers. 137.

Est Christi caussidicus socium reprehendens.

Latro demum: *Domine*, inquit, *memento mei, cùm veneris in regnum tuum.* Exiguam gratiam modestissimè petit. Deus, quanta fides! Petrus negat, Thomas dubitat, discipuli Emauntem proficiscentes pæne desperant, latro in ipso crucis tormento & scandalo credit. Hanc fidem Athanasius non immeritò admiratus dixit: Crucifigitur ut latro, & efficitur Evangelista. Nam hominem capitis damnatum, ab omnibus irrisum, jam moriturum, orbis dominum agnoscit: *Domine, memento mei.* Quid minus rogare potuisset? Solam sui memoriam flagitavit. Memoria nobis lenta, segnis, mala, quæ nos

Luc. cap. 23. vers. 42.

Fit Evangelista.

sæpissimè destituit, quod in omni genere peccati fit; cùm quis suiipsius oblitus, contemptâ Dei lege, diabolo se vendit pretio levissimo. Ab orbis origine nomen nobis est *Pulvis.* Et hujus nominis nostri identidem obliviscimur. Quando igitur memoria toties & tam fœdè labat, ut quis cæli, inferorum, Dei, suiipsius immemor, in varium nefas ruat, optimè precamur: *Memento mei Domine*: Addit latro: *Cùm veneris in regnum tuum.* O quantùm brevi tempore profecit hic cruciarius, qui in schola Christi Syllabarius vix prima elementa nôsse visus est; at ille jam Theologus, aliam & meliorem post hanc vitam, beatitudinem æternam prædicat. Reges nostri dum vivunt, imperant, cum vitâ desinit imperium. At latro virum juxta se pendentem æternitatis regem adorat. Liceat hîc cum Augustino quærere: *Dic ô latro, ubi thronus ex sapphiro, ubi Cherubim & exercitus cæli, ubi corona, sceptrum, purpura, ut eum dicas regem cæli: Videsne coronam aliam quàm spinarum, aliud sceptrum quàm clavos, aliam purpuram quàm sanguinem, thronum alium quàm crucem, ministros alios quàm carnifices? Quid ergo hic regium vides?* Obstupescenda igitur hæc fides, tali loco, tali tempore. Pater deserit, Mater silescit, Angelorum nullus apparet, Joannes & Magdalena juvare nesciunt, Apostoli pridem diffugerunt, Romani rident, Judæi probris & maledictis configunt; latro solus fit Christi patronus, insontem, regem proclamat. Magna fuit fides Magorum ab oriente venientium, & puerum in stabulo adorantium, major latronis in patibulo hominem & Deum venerantis.

Aug. serm. in Parasc.

Ejus fides obstupescenda,

Magdalena propensè credidit, quia miracula vidit, conciones audiit, domesticum sororis exemplum habuit. Isaiam credidisse quid mirum? Deum solio considentem, Seraphinis cinctum vidit, trisagion illud Sanctus, sanctus, sanctus, audiit. Longè alia & ab aliis diversissima audivit latro & vidit. Petrus credidit, quia Christum aquâ inambulantem vidit, in cruce natantem sanguine non vidit. Joannes & Jacobus credidêre, quia Christum in Thabore, formâ cælesti radiantem viderunt; vox, vultus, vestis, Moyses & Elias testabantur eum hominem homine multò esse majorem. Hîc omnia contraria. Hinc prisci Patres hanc latronis fidem mirari satis nequeunt. Chrysostomus interrogans: *Videt in cruce pendentem*, inquit, *& orat quasi in cælis sedentem: Judæi crucifigunt, qui legem noverunt, & tu latro unde talia philosopharis?* Prodigiorum fuit prodigium hic latro. Videte, obsecro, quàm suaviter cygnea Christi modulatio prima saxeum latronis pectus expugnârit, & hominem cædibus assuetum eò perduxerit, ut Arnoldus Carnotensis Abbas censeat latronem in Luciferi sedem evectum. Deo id non difficile, nobis incertum, eo tamen nomine non incredibile, ut Luciferi superbia tantò majore notaretur ignominiâ, quantò dissimilior Angelo, eam sedem occuparet latro. Sed quid in hoc homine patibulato tantam fidem excitavit? Singularis Dei gratia, Christi precibus impetrata, Christi amore in hostes, summâq; ejus patientiâ, & visis prodigiis aucta.

à priscis Patribus admirata. *Chrysost. homil. de Cruce.*

Singulari Dei gratiâ excitata.

§. V. *Fidem Christo, veniam debemus inimico.*

CHristo igitur fides, venia debetur inimicis & ignoscentia. Fides excitatur & crescit, si ea omnia quæ passus est Christus, faciamus nobis præsentissima, velut hodie facta; tamquam si cruci adstemus, cernamus & audiamus omnia. Horum omnium imagines sibi ad arbitrium proponere nequaquam difficile est animo, qui quidquid vult sibi depingit. Hebdomade majore varia est Christianorum devotio. *Sed fides*, Ambrosio teste, *præcedit devotionem.* 1. Crucifixi Christi effigiem osculamur: Præcedat Fides, & cogitet fidelis: Domini mei crucifixi pedes imos millies oscularer si possem, ergo statuæ ac imagini Christi osculum figo quòd Christo ipsi

Christo fides debetur.

Ambros. l. de Ioseph.

In omni devotione fides præcedere debet.

ipsi nequeo. 2. Cenotaphia obimus : Fides præcedat, A ut nihil curiositatis, sed cordis in Christum inflammati sensa quæramus. 3. Officiis divinis intersumus, interfit pariter & fides: noxas commissas intimè doleamus; statuamus firmissimè non ampliùs dolenda committere. Sed optima devotio est, Domino Jesv crucifixo ea omnia, quæ quisque ad vitæ finem passurus est, amantissimè ac liberalissimè offerre. Cuivis hîc dicendum: Ego quidem juxtè (etsi plurima patiar) nam digna factis recipio. Tu tantùm Domine memento mei in regno tuo. Ita fides exercenda in omni devotione verâ. Nam, quod idem Ambrosius monet, *Fides inexercitata cito languescit, & crebris otiosa tentatur incommodis.* *Ambros. in Psal. Beati immaculati.* Si paschate peracto nil ampliùs lubeat pati, si cum latrone improbo de cruce descensum moliamur, si defletas veteres noxas repetamus, fides nimiùm inexercitata est, quæ cælum credit sine ullâ vi, inter delicias & tripudia, otio ac torpore obtinendum. Chrysostomo teste, *Chrysost. in epist. ad Ephes.* *Fides scutum est; credens omnia patitur.* Hanc fidem in nobis excitemus assiduè, ut ea semper viva sit, identidem clamemus: *Memento mei Domine in regno tuo.* B

Ita Salmeron tom. 10. tract. 40. mihi p. 333. Percontetur fortassis nonnemo: Num ille, quem delictorum nondum pœnitet, aut qui judicat se gravioribus peccatis obnoxium, hac precatiunculâ juvetur? Putem ego juvari. Saltem impetraret lumen ad agnoscendas culpas, & accusandum seipsum, verteretque commeritam pœnam in correctionem paternam, citiúsque ad Christum rediret. Itaque qui Christi cruciatus cum sensu & fructu cupit expendere, in seipso fidem excitet animétque. *Malo*, inquit Cyprianus, *peccare in fide, quàm bene agere extra fidem.* Ille apud Deum plus habet loci, si Augustino credimus, qui plus attulit non argenti, sed fidei. Cum dilectione fides Christiani, sine dilectione fides diaboli. Fidem debemus Deo.

August. lib. de ovibus.

Veniam debemus inimico: Veniam debemus inimico. Non solùm Christus voce ac exemplo præit, *Pater dimitte illis*, sed omnes Christi imitatores. Rem oculis subjicimus. Anno Christiano millesimo quadragesimo Joannes Gualbertus patriâ Florentinus, gente nobilis, armigero stipatus Florentiam urbem patriam petivit, in angusto colle obvium habuit cognati sanguinis homicidam. Gualbertus mox in iras assurgere, gladium stringere, & hostem parricidam velle confodere. Quid ageret miser inter aram & saxum deprehensus? ad genua irati procubuit, oravitque per Christum Jesvm crucifixum, qui è cruce pro hostibus orâsset, veniam daret delicto, & hanc unam noxam ignosceret. Expugnavit animum brevis eloquentia. Joannes iram & gladium statim posuit, hominémque, ut Pater filium prodigum, complexus in amicitiam recepit. Exemplum in tali gente obstupescendum. Sub hæc Joannes in Ædem sacram divi Miniatis abiit, & templi medio coram icone Christi crucifixi genua submisit. Hîc imago certâ fide oculorum, capite annuit, habuitque gratias, quòd inimico sui causâ veniam non negâsset. Hoc ita movit Gualbertum, ut in Cœnobio S. Miniatis inter reliquos religiosissimè deinceps vixerit. Quàm luculentè monstravit hîc Deus, sacrificium sibi longè gratissimum esse, inimico ignoscere. Quid vos ad ista homines saxei, cautibus duriores, quibus suavius videtur mergi flammis & æternùm perire, quàm inimico ignoscere. Precante judice, reo non ignoscitis rei? Tantus è cruce orator, tot ora vibrans quot vulnera, non persuadet? Imago lignea se movet, vos duratis? Annuit Christus, vos abnuitis? Paratum in vos fulmen jam minatur; sententia jam lata est Christi ore: *Sic & Pater meus cœlestis faciet vobis, si non remiseritis unusquisque fratri suo de cordibus vestris.* Iis omnibus, qui vos quoquo modo læserunt, ignoscere, corpori, animo, famæ, fortunis consultissimum est. C

Exemplo demonstratur.

Vbi crux ea hodiéque servatur.

Matth. c. 18. vers. 35. D

§. VI. *Inimicis ignoscere, corpus, animum, famam, fortunas juvat.*

Emolumenta è venia inimicis data. 1. Juvat corpus.

Et primò quidem juvat corpus. Veteres quandoque Martem ita pingebant. Stabat Mars armatus, vultu acerbo & truculento, nube atrâ cinctus, & suum ipse pectus pugione hauriebat. Atra nubes iram & vindictam; pugio inimici odium adumbrat. Hoc pugione homo vindictæ cupidus suum ipse pectus confodit seipsum, dum odit alterum, consumit; ita omnem sibi valetudinem & vitam violenter eripit. Quanti, quos familiariter novimus, occulto hoc animi morbo sunt extincti; odiis & simultatibus contabuerunt. Hoc enim facit vindicta, quod vipera, quæ ut vivat, matrem occidit, dum ventrem rumpit ut exeat. Oro te, quid delectationis præstat vindicta, quæ priùs vindictæ appetentem, animi quiete, sæpissimè corporis etiam valetudine privat, quàm hosti noceat.

2. Juvat animum. II. Inimicis ignoscere juvat animum. Summi beneficii est à Deo adoptari pro filio. Huic impetrandæ dignitati nil magis conducit, quàm inimicos diligere. Apertissimè Christus, *Diligite inimicos vestros, ut sitis filii patris vestri, qui in cælis est.* Quid centurionem movit exclamare publicè, *Verè hic homo Filius Dei erat?* Christus pro hostibus oravit, & cum clamore expiravit. Hæc aliquid divini sapiunt. Deinde Deus semper severissimè punit tam cupidos vindictæ, ut quæ amori Christiano maximè adversatur. Hinc divinâ lege rejectus à sacrificiis camelus, quia læsus vindictâ furit. Hinc ericius, accipiter, milvus, aliæque prædatrices volucres sacris exclusæ, quia cùm offenduntur, acerrimè vindicant. Hinc Aman Mardochæum ultioni mactaturus, in suâmmet crucem est appensus. Apis pungens & aculeum in vulnere relinquens, perdit vitam: Ita sibi omnium maximè nocet, qui aliis nocumentum inferre studet ulciscendo. *Gladius eorum intrat in corda ipsorum, & arcus eorum confringitur.* *Matth. c. 5. vers. 44. & 45. Idem c. 27. vers. 54.* *Psal. 36. vers. 15.*

3. Fama plurimùm conducit. III. Famæ ac honori plurimùm conducit inimicis promptè ignoscere; Nihil enim honorificentius, quàm ut res creata pro suo modulo assimilet creatorem, cujus natura & ingenium est inimicis benefacere. At mihi, ais, hoc dedecori est, mea tam ignaviter tueri, nec audere improbitati alienæ resistere. Ohe, quid dicis, homo nequam; gravissimus in fidem error est, ita sentire. Dei legem observare, nullius laudem aut honorem temerat. Si quis viro nobili pedes & manus ligato colaphum infringat, quis fortitudinis laudè dixerit ereptam sic vincto? eum potiùs qui vinctum aggressus est, pudendi facti arguet. Dei lex est, non vindicare injurias, hac ligamur lege; quis jam inhonestum & turpe dicat ligatis, si cæsi non resistant? Illud potiùs probrosum tibi est, si alii de te ita loquantur: Homo est angustissimi pectoris, nec venulam habet generosiorem ullam; nihil concoquere, nihil perpeti potest; vix tactus furit. At contrà magnarum virium est, negligere lædentem, regium est ignoscere. Saul Davidi vaticinatus: *Scio*, inquit, *quòd certissimè regnaturus sis, & habiturus in manu tuâ regnum Israël.* Unde obsecro scivit? Ex inusitatâ morum mansuetudine. *1. Reg. c. 24. vers. 21.*

4. Fortunas auget. IV. Fortunas auget, inimicis ignoscere. David, quem dixi, nec militem copiosum, nec dives ærarium habuit; penes Saulem ista erant. Nihilominus David ærarium, militem, unáque regnum acquisivit. Quibus artibus? Incredibili amore in hostes; hoc stratagemate Saulem debellavit, urbes cepit, in solium evasit. Cur autem Sauli adeò parceret, hanc assignavit causam: *Quia Christus Domini est.* Nos omnes, licet pessimi, non olivarum liquore, sed Christi Sanguine uncti sumus. Hinc certè, qui Christianum affligit, in Christum sævit. *Eâdem* verò *mensurâ, quâ mensi fueritis, remetietur vobis.* Si ditissimus mercatorum dicat: Tales ego ulnas è panno, *1. Reg. 25. vers. 30.* *Luc. 6. vers. 38.*

corio,

corio, holoserico admetiar, qualem mihi cubitalem regulam attuleritis: Si brevis sit vestra regula, brevis erit & ulna mea: Si verò regulam adferatis longam, non minùs longam referetis ulnam. Ita planè Deus amantissimè: Talem me geram erga vos, quales vos gesseritis erga inimicos vestros. Dimittitis? dimitto: vindicatis? vindico. Quàm bonus Deus! Si qui etiamnum abnuant inimicis liberalem dare veniam, simillimi sunt basilisco, qui solus inter serpentes nullo carmine devinciri potest, adeò venenatus est. Quod minatus Hieremias vates: *Mittam vobis*, inquit, *serpentes regulos, quibus non est incantatio.* His simillimi sunt isti, qui ex injuriis adeò altè in animum demissis tantum veneni concipiunt, ut à nullo nec hominum nec Angelorum persuaderi possint, inimicis ignoscere, & gratiam culpæ facere.

Deus talé se gerit erga nos, quales nos gerimus erga inimicos.

Hier. cap. 8. vers. 17.

Jacob. cap. 2. vers. 13.

Ergo pereant hoc certo fulmine: *Iudicium sine misericordiâ illi, qui non fecerit misericordiam.* Clamat Christus: *Dimitte illis.* Et Christiani contra seipsos assiduè clament, *Dispperde illos?*

A

B

§. VII. *Exemplo id monstratur.*

PHilippus II. Hispaniarum Rex cautus Princeps, ut filio subditos conciliaret, edictum scribi jussit, quod subditis fore ingratissimum non nesciebat. Et fama jam emanârat, brevi promulgandum. Hîc filius sese interposuit, & subditis varia mussitantibus promisit, effecturum se, si possit ullo modo, ne promulgetur. Effecit. Hîc filium omnes deprædicare, atque in cælum extollere, ac dicere; sua illi omnia deberi. Pater æternus capitis nos damnârat, filius nostrorum scelerum pœnas expendens: *Pater*, inquit, *dimitte illis.* Dimisit. Quàm jure nunc Christus illud nobis ingerit: *Nónne ergo oportet & te misereri conservi tui, sicut & ego tui misertus sum?* Ne, quæso, basilisci simus aut aspides surdæ, *quæ non exaudiunt vocem incantantium.* Amaritudinem omnem animo ejiciamus, & de cordibus nostris ignoscamus omnibus, quicumque nos umquam læserunt. Aliàs per Christi mortem & Sanguinem rogamus, nunc ipse Christi Sanguis, mors ipsa rogat, ut inimicos in gratiam receptos charitatis brachiis, exemplo Domini, complectamur. Nullus jam amplius sit inimicus.

Matth. c. 18. vers. 33.

Psal. 57. v. 5. & 6.

Catonem ajunt gestasse anulum, in quo insculptæ fuerint hæ voces, Amicus unus, inimicus nullus. Amicorum optimus, sinceriſſimus, & verè unus pro mille Christus est, inimicus posthac nullus sit. Cohortatus nos acriter Paulus: *Accessistis*, inquit, *ad testamenti novi mediatorem IESVM, & sanguinis asperſionem melius loquentem quàm Abel. Videte ne recusetis loquentem.* Sanguis Abel vindictam, Christi Sanguis veniam clamat, eamque nobis offert gratiam, ut per veniam hostibus concessam, culpas à nobis commissas omnes eluamus. *Videte ne recusetis loquentem.* Fidem Christo, veniam debemus inimico. Non enim dimittendi tantùm potestatem habemus, sed & necessitatem. Præcipientis vox est: *Non dico tibi, usque septies, sed usque septuagies septies:* hoc est, quadringentis nonaginta vicibus, ait Ambrosius, ut toties peccanti in die fratri dimitteret, quoties ipse peccare non posset. *Ne autem*, inquit Augustinus, *linguâ dicas, Ignosco: & corde differas. Vocem tuam audit homo, conscientiam tuam Deus inspicit. Melius est ut non clames ore, & dimittas corde, quàm ut blandus sis ore, corde crudelis. Videte ne recusetis loquentem.* Peccatis suis veniam exorat, qui eam aliis non negat: sibi ipse laqueum nectit, quisquis alteri non ignoscit. Sunt qui injuriam hactenus condonent, ut eam non vindicent, sæpe tamen exprobrent. Sunt alii qui quidem sileant, nihilominus manet altâ mente repostum, quod ingratiis illorum est commissum. Indulgentia mala, quia non plena. Totum & ex toto animo dimitte. *Sic & Pater meus cælestis faciet vobis, si non remiseritis unusquisque fratri suo de cordibus vestris.* Observate

Matth. c. 18. vers. 22.

Hebr. c. 12. v. 24. & 25.

August. de verbis Dom. serm. 15.

Hebr. c. 12. vers. 25.

In ignoscentia nō simulandum.

Matth. c. 18. vers. 35.

C

D

Domini voces: *De cordibus vestris.* Imperfecta, nulla est ignoscentia, quæ vel minimum amaritudinis aut simultatis reservat. Vis tibi è toto ignosci? Nec aliis hanc gratiam negaveris. *Quod tibi vis fieri, & alteri facito.* O igitur formidolosa sententia! Si parva fratribus non dimittimus, magna nobis à Deo non dimittuntur. *Videte ne recusetis loquentem.* Aut tribue veniam, aut patere flammam.

CAPVT II.

Altera Christi morientis cygnea modulatio: Hodie mecum eris in paradiso.

ISaiæ vaticinium est, *Dabo clavem domus David super humerum ejus: & aperiet & non erit qui claudat; & claudet, & non erit qui aperiat.* Grandes omnino & admodum caræ claves sint quæ humeris feruntur. Beatus Mauritius Andegavensis Præsul, rogatus à quadam matre, filium moribundum sacro chrismate firmaret; sed dum Maurilius aliquantulum sacris ea immoratus, puer obiit. Nimirum hoc suum facinus Pontifex censere, nec aliter expiandum, nisi munere abdicato. Proinde, accusatore ac judice seipso exul clam navim conscendit, lapsisque in mare, quas secum tulerat, templi clavibus vovet non priùs patriam visurum, quàm claves amissas recepisset. Mari trajecto, servum se viro Principi addicit, & hortum colit. Jam annis omnino septem totâ Europâ à suis quæsitus, cælesti demum indicio inventus est. Tot preces precibúsque mistæ lacrymæ, redditæque à pisce, qui navim insiluerat, claves reditum tandem persuaserunt.

Isaiæ c. 22. vers. 22.

Franciscus Haræus ad 15. Septemb. obiit Maurilius anno Christi 410. ætatis 90.

Ante aliquot annorum millia claves paradisi abjectæ sunt in divinæ Justitiæ pelagus. Mortalium nemo hîc urinatorem agere, illásque in lucem eruere valebat. Dum denique Christus JESVS Pontifex summus & Episcopus animarum nostrarum per rubrum mare sui sanguinis trajecit, & perditas paradisi claves in immani ceto, *Mortem vocant*, reperit, idque post quinque millia annorum. Ab eo nimirum tempore possunt infantuli unius diei vel horæ paradisum reserare. Certissimum ejus rei testimonium accepimus ab ipso paradisi Domino, qui latroni juxta se pendenti dixit, *Hodie mecum eris in paradiso.* Amantissimum regis promissum. Atque hæc altera Christi morientis cygnea cantio est. Quando igitur superiori capite, oblatâ occasione, latronis preces: *Memento mei Domine, cùm veneris in regnum tuum*, exposuimus, nunc benignissimum Christi responsum, *Hodie mecum eris in paradiso*, explanabimus.

Christus pontifex summus post quinque millia annorum reperit claves paradisi.

Luc. cap. 23. vers. 43.

Ibid. v. 42.

§. I. *Expenduntur voces: Hodie mecum eris.*

NVptialis Samson convivis suis proposuit hoc ænigmatis: *De comedente exivit cibus, & de forti egressa est dulcedo.* Nemo repertus est totis sex diebus, qui solveret nebulosam quæstionem. Demum Samsonis uxor, hoc arcani eis patefecit: In faucibus leonis, quem Samson occiderat, examen apum esse inventum. Hinc responsum: Quid dulcius melle, & quid fortius leone? Leo è tribu Juda est Dominus JESVS, quem necavit Hebræa Synagoga. Hic leo comedés fuit: *Meus cibus est*, ait ipse, *ut faciam voluntatem ejus qui misit me.* Sed & fortis fuit hic leo. *Omnia quæcumque voluit fecit.* Ex ore hujus leonis fluxit mel istud, *Hodie mecum eris in paradiso. Hodie*, inquit, non post aliquot annos, aut menses, aut dies, sed sole nondum abdito tu mecum eris in paradiso. En summus Pontifex nostet confitentem reum continuò de reis eximit, & crimina ejus absolvit. Sed singulas Christi promittentis voculas expendamus.

Iudic. c. 14. vers. 14. Leo de tribu Juda Dominus JESVS. * Luc. c. 4. vers. 34. Fortis fuit, ex quo mel fluit istud: *Hodie mecum eris in paradiso.* Verba Christi promittentis expenduntur: 1. Vocula, Hodie.

HODIE. Joseph in vinculis pincernam regium rogaverat, *Tantùm memento mei, cùm tibi bene fuerit. Et tamen successentibus prosperis, præpositus pincernarum oblitus est interpretis*

Gen. c. 40. v. 14. & 23.

terpretis sui. Si quid curatum velis, Christo manda, Christum roga: *memento mei*. En responsum promptissimum: *Hodie mecum eris in paradiso*. Sicut Adam post commissum furtum vitiosè confitens, paradiso mox ejectus, ita latro post tot latrocinia seriò resipiscens paradiso mox receptus est.

Ad finem hujus vitæ illico aut præmiis aut suppliciis Deus afficit. Quandoque etiam in hac vitâ. Nam Judæis murmurantibus, *adhuc esca eorum erant in ore ipsorum, & ira Dei ascendit super eos*. Pueruli in Elisæum illudentes mox ab ursis laniati. Quivis hominum exactâ vitâ, momento primo non solùm scit futurum præmium aut supplicium, sed sentit. Quod & latroni huic contigit.

Psal. 77. vers. 30.
4. Reg. c. 2. vers. 24.
Omnis homo exactâ vitâ sentit præmium aut supplicium.
August. serm. 144.

Augustinus Christi personam induens, *Non te differo*, inquit, *tantæ fidei reddo quod debeo: quia non solùm credis me resurrecturum, sed etiam regnaturum*. Inauditum prorsus est simul seminare ac metere. Hoc latro fecit. O bone Jesv, chatissimos hominum in orbe hoc relinquis, & homicidæ nefario mox patet paradisus! Sed prædixit Siracides, *In opere ipsius exiguum laborabis, & citò edes de generationibus illius*.

Eccli. c. 6. vers. 20.

Matthæus patremfamilias dixisse procuratori memorat, *Voca operarios, & redde illis mercedem, incipiens à novissimis*. Æterni Patris procurator Christus incipit à latrone post horam undecimam veniente, cui denarium persolvit. Suadet Salomon, *Nec dicas amico tuo, vade & revertere, & cras dabo tibi, cùm statim potis dare*. Fecit certè hoc Filius Dei. Sed quid hoc? Amicissimi petierunt præmii aliquid, at verò non statim id obtinuerunt. Abraham post iter ex Ur longissimum, post multa Deo præstita obsequia: *Domine Deus*, inquit, *quid dabis mihi?* Promiserat quidem Deus: *Faciam te in gentem magnam*; nondum fecerat: *benedicam tibi*, nondum benedixerat: *magnificabo nomen tuum*, nondum magnificaverat: *perambula terram, quia tibi daturus sum eam*, sed nondum dederat. Petiit Moyses: *Si ergo inveni gratiam in conspectu tuo, ostende mihi faciem tuam*. Responsum est: *Faciem meam videre non poteris*. Philippus Christi discipulus petit: *Domine, ostende nobis Patrem*. Nil novi vidit, sed hoc responsi accepit: *Quomodo tu dicis: Ostende nobis Patrem? Non credis, quia ego in Patre, & Pater in me est?* Paulus ter Dominum rogat, & deprecatur colaphos atque plagas satanæ: neque tamen hujus angeli discessum imperrat. Hoc unum illi respondetur: *Sufficit tibi gratia mea*. At latro solam sui memoriam in regno petit, mox regnum ipsum obtinet. Quid hoc obsecro? Maximi refert, quàm opportunè aliquid petatur. Latro suas preces Christo allegavit opportunissimè. Si quis pecuniam roger, dum pecunia numeratur; si quis panem postulet, dum panis furno eximitur, aut penori mandatur, vix pecunia, vix panis negari potest. Ita hîc prorsus, dum Christus Cherub flammato gladio armatum paradisi custodem amovet, latro supplicem libellum offert: mox illi responsum: En paradisus panditur: si vis, licet irrepere. Deinde hinc liquet, quàm verum sit effatum illud: Unus actus intensus plus valet quàm mille remissi. Melior est unica fervens hora quàm multi anni languidi; melior est unicus paullo grandior nummus aureus quàm crumena obolis plena. Unicum memorabile facinus, seu, actus heroicus præstantior est, quàm aliæ actiones plurimæ, sed remissæ. Hoc actionum discrimen summi apud Deum momenti est, qui non attendit quantum offeramus, sed ex quanto; actiones medullâ boni spiritûs plenas desiderat. Revera latro eam fidem, eamque humilitatem & charitatem in cruce ipsâ exhibuit, ut hæ inferiores ipsius actiones plus valuerint quàm aliorum mille. Hinc illud promptissimum infiniti pretii promissum: *Hodie mecum eris in paradiso*. Christi ore in Sanctorum album est relatus latro, & omnium sanctorum * primus. *Hodie mecum eris*. Summum hoc solatium est è lecto in cælum rectissimâ viâ evolare posse. Hujus rectissimi volatûs modum in

Matt. c. 20. vers. 8.
Prov. cap. 3. vers. 28.
Gen. cap. 15. vers. 2.
Ibid. cap. 12. vers. 2.
Ibid. cap. 13. vers. 17.
Exod. c. 33. v. 13. & 20.
Ioan. c. 14. vers. 8. 9. & 10.
2. Cor. c. 12. v. 8. & 9.
Quomodo latro mox obtinuerit præmium à Deo, amicis verò sit dilatũ.
Christi ore latro inter sanctos primus nominatur.
* Nova legit.

A Æternitatis Prodromo docemus. Beatus Paulus illud Hodie menti altè infixurus, *Adhortamini vosmetipsos*, inquit, *per singulos dies, donec Hodie cognominatur, ut non obduretur quis ex vobis fallacia peccati. Hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra*. Duo sunt Hodies, breve unum ac miserum, felix alterum & æternum. Latroni dictum: Hodie miserum ac breve paullo pòst finies; incipies æternum, non finiendum. Sed & alias quoque voculas expendamus.

Prudent. cap. 3. è Dipt. Hebr. cap. 4. v. 13. & 7. Duplex Hodie. Hodie unificè. breve. ũ felix. æternum. 2. Vocula Mecum. August. trac. 112. Ioan. vers. 32.

Mecvm. Hoc solùm, esse cum Christo, hoc unum atque unicum abundè satis fuisset promittere, *Nam*, uti Augustinus loquitur, *ubi malè esse poterat cum illo, & ubi bene esse poterat sine illo?* Latro igitur magnis & incitatis passibus, viâque prorsus compendiariâ in paradisum pervolavit. Non ei dictum: Paullatim, post me illuc pervenies, sed Mecum. Adam, Enos, Mathusalem nongentis sexaginta novem annis ambulando non assecuti sunt, esse cum Deo, quod iste trihorio impetravit. Christus in cruce humanis ac divinis solatiis omnibus carere voluit, hoc unum admisit, hominem impium è gurgite scelerũ extrahere, & unà secum in beatitudinis domicilium perducere. Quod Apostolis in pridianâ cenâ promisit: *Vt edatis & bibatis super mensam meam in regno meo*; id latro ante Apostolus experitur.

B

Luc. cap. 22. vers. 30.

David in Miphibosetum & Bercellai filios liberalis extitit, luculentis de caussis. Miphibosethus corpore quidem caduco clausus, sed tamen regis filius: Bercellai verò regem fugientem grandi munificentiâ excepit. At latro per omnem vitam improbus, è gratiâ repentinâ regiam Christi mensam accumbit. Jam audit: Mecum eris: Ego tibi, tu mihi.

Salomonem Magnificum & Clementem alibi laudamus: Christus Clementissimus, Magnificentissimus. Summæ clementiæ fuit, ad probra omnia obmutescere, ad paucula sicarii verba velut revivíscere, & omnem expromere liberalitatem. Magnificentiæ maximæ fuit homini per omnem vitam improbo largiri paradisum. Quàm bonum huic Domino servire! multi compluribus annis serviunt, demum senes mendici sunt. Hic latro non Christo, sed diabolo totâ vitâ serviit, jam repentè ditissimus, mensâ & regno Christi donatur. Promiserat quidem Servator: *Vbi sum ego, illic & minister meus erit*. Atqui crucifixus iste non minister Christi, sed hostis fuit, rota illi, non cælum debebatur. Nihilominus ei munificus rex Judæorum ob pium suspirium pollicetur paradisum.

C

Scripsimus jam, sed modo typis commissa.
Ioan. cap. 12. vers. 26.

Bernardi Clarævallensis ævo Arnulphus nobilis & dives, Cistercienſi familiæ se addixit. Hic morbis gravissimis præsertim sub vitæ finem exercitatus inter ipsos dolores exclamavit: Vera sunt omnia, Domine Jesv, vera sunt, quæ dixisti. Interrogatus quid sibi vellent hæ voces; Promisit Dominus, ajebat, iis omnibus, qui sui amore desererent caduca, centuplum recepturos, & æternam vitam. Ita prorsus est; promissi vim jam intelligo. Nam hæc ipsa doloris hujus acerbitas solatio est. Per hos ignes brevi desituros transitur, scio, ad delicias immortales. Spes futuri & immensi præmii, omnem hujus vitæ voluptatem millies antecedit. Famulum tam fidelem à Christo tam largiter remuneratum, nil miri; in admirationem rapit tam festinatum latroni præmium.

D

Eris. Pilato varia sciscitanti respondit Christus: *Regnum meum non est de hoc mundo*. Verè non erat, Domine Jesv, nec enim humiles superbis, castos impudicis, mites iracundis misceri passus fuisses, si regem hîc agere voluisses. Hinc crucis socium his verbis animas: *Eris mecum*. Nondum in patriâ sumus, sed erimus, & simul erimus. Mater filiolo cibum aut potum in alienâ domo importuniùs petenti respondere solet; Mi fili, paullulùm expecta, ubi domum redierimus, dabo. Ita Christus sui memoriam roganti: *Hodie*, ait, *mecum eris*. Nostra quidem

3. Vocis Eris. Ioan. c. 18. vers. 36.

dem corpora in sepulchris erunt, sed anima tua pars hominis melior, cum meâ erit.

§. II. *Christi in iis verbis benignitas, Latronis felicitas.*

Christus venit in orbem ut animas ad se traheret.

QVamprimum in orbem venit Christus, animas ad se trahere cœpit; sic utero virgineo etiámnum clausus Joannem Baptistam traxit, ita in cunabulis adhuc conditus ab Oriente Magos attraxit, ita Petrum & Andream, ita Matthæum & Zachæum, ita Nicodemum & Magdalenam ad se pertraxit, ita in ipso ex hoc orbe transitu, velut magnes, traxit latronem. Sed cur, ô bone JESV, non etiam latronem alterum ad te traxisti? nam & pollicitus es, *Omnia traham ad meipsum.* Alter trahi noluit, imò quò minùs trahi posset, omnibus modis obstitit; cor ejus mons plumbeus, immobilis fuit; obstinatissima ejus voluntas omnem saluti viam obfirmavit: periit, quia perite voluit.

Cur Christus alterum latronem ad se non traxerit. *Ioan. cap. 12. vers. 32.*

At verò alter mox victas dedit manus Christo, ita è prædone præco Evangelicus evasit. E diverso Judas ex Evangelico præcone factus est prædonum, furum, latronum coryphæus; Dominum servus, Magistrum discipulus vendidit, quem coram orbe latro defendit dissertissimus Christi advocatus. *Hæc mutatio dextræ Excelsi. Psal. 76. v. 11. Facile est enim in oculis Dei subitò honestare pauperem. Eccli. c. 11. vers. 23.* Ita solet Deus, qui ex armentariis Prophetas, ex opilionibus Reges, è telonariis Apostolos, è piscatoribus Doctores, è latronibus Martyres & paradisi cives constituit. Non possum, quin Augustinum eximium de hoc loquentem huc sistam. Verba ejus fideliter admetiar: *Pendebat in cruce Christus,* inquit, *pendebat & latro. In medio ille, illi à lateribus. Insultat unus, credit alter, judicat medius ille. Ille enim qui insultabat, hoc dixit, Si filius Dei es, libera te. Et alius adillum: Tu non times Deum? si nos propter facta nostra meritò patimur, ipse quid fecit? Et conversus ad eum,* Memento, *inquit,* mei Domine, dum veneris in regnum tuum. *Magna fides! huic fidei quid addi posit, ignoro. Titubaverunt qui viderunt Christum mortuos suscitantem: credidit ille, quem videbat secum in ligno pendentem. Quando illi titubaverunt, tunc ille credidit. Qualem fructum Christus de arido ligno percepit? Quid enim Dominus dixerat?* Amen dico tibi, Hodie mecum eris in paradiso. *Tu differs te, ego agnosco te. Quando hoc sperare latro? Adductus de latrocinio ad judicem, à judice ad crucem, de cruce ad paradisum. Deinde ipse attendens merita sua non dixit,* Memento mei, *ut liberes me hodie: sed,* Cùm veneris in regnum tuum, *tunc memor mei esto; si mihi tormenta debentur, vel quousque veneris in regnum tuum. Et ille: Non sic. Invasisti regnum cælorum, vim feci sti, credidisti, rapuisti:* Hodie mecum eris in paradiso. *Non te differo. Tantæ fidei hodie reddo quod debeo. Latro dicit,* Memento mei Domine, cùm veneris in regnum tuum. *Non solùm credebat resurrecturum, sed etiam regnaturum. Pendenti, crucifixo, cruento ligno hærenti:* Cùm veneris, *inquit,* in regnum tuum. Et illi, Nos sperabamus. *Vbi latro invenit, ibi discipulus perdidit.*

Aug. to. 10. ser. 3. Paschæ. serm. 1. in ordine serm. 144. mihi p. 320. Luc. cap. 23. vers. 42. Ibid. v. 43. In Emaus eunes. Luc. cap. 24. vers. 20.

Ne latro somnum putaret liberalissimum promissum, Christus jurando fidem faciens, *Amen dico tibi,* ait, *Hodie mecum eris in paradiso.* Viâ rectissimâ è cruce ibis in paradisum. Hæc mira sed minimè injusta. *Latent hæc sensus hominum,* ait Gregorius, *nec quidquam de cujuslibet fine cognoscitur, quia divinorum judiciorum abyssus humanæ mentis oculo nullatenus penetratur. Scimus quòd latro de patibulo transivit ad regnum, Judas de Apostolatus gloriâ est lapsus in tartarum. Quis ergo discutiat, in quâ viâ habitet lux, & tenebrarum quis locus sit, ut ducat unumquodque ad terminos suos, & intelligat semitas domûs ejus?*

§. III. *Reliqua Christi verba* (In Paradiso) *explicantur.*

4. In Paradiso.

IN PARADISO. O admirandam Domini bonitatem! qui Annæ, Caiphæ, Herodi, Pilato non respondit, latroni confitenti non tantùm patientissimas aures accommodavit, sed auditæ confessionis trientem reddidit paradisum. Quanta est, ô Christe, tua liberalitas! Homo nefarius pauculis verbis sui memoriam in regno non deponendam petiit, mox ipsum regnum accepit. Quid amplius Joanni Baptistæ, quid Stephano Martyrum antesignano, quid Paulo Apostolorum maximo promissum? Verissimè dixit Ambrosius, *Vberior est gratia quàm precatio.* Hæc Dei est liberalitas, plura quàm petas largiri solet. Abrahamus filium petivit, non tantùm id impetravit, sed eum filium, è quo filius Dei nasceretur. Jacob ut Benjamin rediret, unicè postulavit; non illum solùm sed & Josephum incolumem recepit. Salomon unam atque unicam desideravit sapientiam: non illam tantùm, sed & opulentiam accepit. Ezechias extensiorem vitam in annum unicum flagitavit, anni quindecim in augmentum vitæ concessi sunt. Tobias reducem dumtaxat filium optavit, unà cum filio & filii conjux & argentum mutuò datum redit. Obæratus ille servus non sibi decem millia talentorum remitti, sed pensionis moram tantùm popposcit; omnia ei nomina, totum debitum est remissum. Latronis votum erat, O si tam beatus sim ego, Domine, ut mei solùm meminisse dignareris in tuo regno! non hoc tantùm, *Mecum erò in paradiso.* Non in memoriâ tantùm meâ, sed in meo regno rex eris, regibus omnibus beatior. *Quàm bonus Israël, Deus his qui recto sunt corde!* Quàm bonum servire Deo, qui minima etiam obsequia tam munificè remuneratur!

Ambros. in Psal. 118. Dei liberalitas plura quàm petis largiri solet.

Psal. 72. v. 1.

Assuerus rex munificentiam suam in Estherem explicaturus, *Quid petis,* ait, *ut detur tibi? & pro quâ re postulas? etiam si dimidiam partem regni mei petieris, impetrabis.* Idem & Herodes Herodiadi filiæ pollicitus, *Pete à me,* inquit, *quod vis, quia quidquid petieris, dabo tibi, licet dimidium regni mei.* Sed neuter dedit, nec quidem dimidium. Christum non provinciam, non regni dimidium, sed regnum dat totum, *qui potens est omnia facere superabundanter quàm petimus aut intelligimus.* Hebræis olim promissa vini, frumenti, olei abundantia, refertum penu, distenta horrea: tandem autem, tandem promittitur & conceditur paradisus. Atque hoc vel intelligentiæ rudi aptissimè. Si dixisset Christus: Deo fruêris, Deum videbis; non tantas delicias, nec tam opima sibi gaudia cogitatione depinxisset latro, atque cùm viridarium & paradisum audiit promitti. Vetus verbum est: Ubi Rex, ibi curia; ubi Papa, ibi Roma; sic ubi Deus, ibi paradisus. Ajunt beatum Ægidium divi Francisci socium ex eo tempore quo Christus ei spectabilis adfuit, tam concitatis in cælum desideriis raptum, ut audito vel à pueris per plateas paradisi nomine, rerum omnium sensu destitueretur.

Esth. cap. 5. vers. 6. Marci c. 6. v. 22. & 23. Ad Ephes. cap. 3. v. 20. Surius to. 2. in ejus vitâ, die 23. April.

Vani laboris sit, pluribus hîc disceptare, quis ille promissus fuerit paradisus. Non cælum, siquidem quadraginta pòst diebus in cælum Christus abiit. Non paradisus protoplastis habitatus, quem ajunt non extare amplius, quamvis Irenæus & Justinus contrarium affirment. Non Persicus, pensilis hortus, quem vero nomine paradisum vocant. Promisit igitur, *claram Dei visionem,* quæ die illo cunctis in Abrahæ sinu collectis est concessa. Hanc paradisum nominat. Est enim gaudium mille gaudiis refertissimum. Paradisum Christus in eam usque horam numquam nominaverat, sed in extremis velut Pater abditum thesaurum filiis ostendit. Sublimis in regno, uti Bernardus loquitur, suavis in ligno.

Latroni promissa clara Dei visio.

De seipso Christus dixerat: *Ego sum ostium, per me si quis introierit, salvabitur.* En ostium cum quinque grandioribus seris, patentioribus plagis. Una alteráve horula ad hoc ostium pervigilata peperit beatissimam in cælo æternitatem; adeò infinitè bonus est Deus, *homines & jumenta salvans. Glorificabit me bestia agri,* ait, *dracones & struthiones.* Nemo miretur à Dei filiis, ab astris maturi-

Ioan. c. 10. vers. 9. Psal. 35. v. 7. Isaia c. 43. vers. 20.

nis, ab omnibus Angelis me laudari, multo jam tempore majestatem meam intuentur, innumeris à me beneficiis affecti: illud admiratione dignius, latronem qui in agris, nemoribus, viis, velut cruenta bestia fame stimulata transeuntes jugulabat ut prædas ageret, jam in mitissimam ovem mutatum, ad primam pastoris vocem accurrisse, illi se subjecisse, & tamquam Deum suum jam revereri. Pater videri poterat dereliquisse filium, aberant Angeli, fugerant Apostoli, Judæi accusaverant, Romani crucifixerant, latro solus defendit & gloriâ afficit. Promisit Deus: *Quicumque honorificaverit me, glorificabo eum.* Amplissimè hîc præstitum; Regem ab omnibus irrisum, honoravit latro quamvis exiguo tempore: mox gloriam obtinuit æviternam.

Solus latro Christum defendit & gloriâ afficit. 1. *Reg cap. 2. vers. 30.*

Diocletiano & Maximiano in Christianos sævientibus, cùm ad supplicium duceretur Felix Presbyter, obvius ei fuit Christianorum aliquis, qui cùm se ultro & elatâ voce Christianum profiteretur, mox cum eodem pariter ad supplicium raptus est. Cùm autem illius nomen ignorarent Christiani, Adauctum vocaverunt. Nam felici Martyri velut in augmentum additus erat ad coronam. Ita Christo Morienti & ad paradisum transeunti, in ipsâ veluti viâ Adauctus accessit latro. Felix in cruce societas, quæ paradisi viam tam citò tam certam reperit.

§. IV. *Christus latronum medius, Judicii formam repræsentat.*

Luc. cap. 10. vers. 30. BEatus Lucas iter Hierichuntinum describens: *Homo quidam*, inquit, *descendebat ab Hierusalem in Hiericho, & incidit in latrones, qui etiam despoliaverunt eum, & plagis impositis abierunt semivivo relicto.* E cælesti Hierusalem in vanitatis Hiericho descendit Christus, sed incidit in latrones, spoliatus & semivivus est relictus. Divinitas vitam quam perdere non potuit, retinuit, humanitas amisit. Verè in latrones est delapsus, nam & illorum medius pependit. Objectum Christo sæpius: *Quia hic peccatores recipit, & manducat cum illis.* Jam cum illis etiam patitur, & moritur. Mi Deus, qualis erat in monte Golgothæo hæc Trias! Servator orbis, & gemini latrones. Innocens, unus, alter resipiscens, tertius perditissimus. Hæc trium societas triplex hominum genus adumbrat. Pœnas aliqui quas meruerunt, inviti & impatientes tolerant; ita è cruce in orci flammas properant, ter miseri. Pœnas alii commeritas patientiâ laudabili persolvunt. Iram Domini portant, quia peccaverunt ei. Alii patiuntur insontes & immerentes virtuti exercendæ, & coronæ adipiscendæ.

Luc. cap. 15. vers. 2.

Trium societas in Golgotheo monte triplex genus hominum adumbrat: *Mich cap. 7. vers. 9.*

En igitur hominem innocentissimum, quia in latrones incidit, ut latro captus, flagris cæsus, cruci affixus, satis plagarum monstrat. Non simus, obsecro, Leviræ, neque Sacerdotes, qui transeant sine miserationis sensu; Samaritani simus, qui videant & misericordiâ moveantur. Et ô quale spectaculum! Deus ille, orbis conditor, quitin cælo adoratur, in infami ligno sputis & maledictis notatur. Ipse etiam latro insultans blasphemabat eum, & dicebat, *Si tu es Christus, salvum fac temetipsum, & nos.* Reserato cælo Isaias: *Vidi*, ait, *Dominum sedentem super solium excelsum & elevatum. Seraphim stabant super illud, & clamabant Sanctus, sanctus, sanctus, Dominus Deus exercituum; plena est omnis terra gloriâ ejus.* O Isaia denuo suspice, & hunc ipsum quem vidisti Dominum, intuere. Quantùm hic intuitus ab illo divertit? Non Seraphinorum alæ, sed flexiles spinæ caput jam inumbrant; non jam sedet, sed pender; non Angelorum, sed hostium, sed latronum medius; non adoratur, sed irridetur, & contumeliis vexatur ab omnibus. Non in cavo Bethlehemi sumus; qualis enim hîc Joseph & Maria? Non sumus in cacumine Thabor, qualis enim hîc Moyses & Elias? Verè semetipsum exinanivit. Hîc oculos, hîc figamus animum: nisi ad hunc aspectum superbiam in nobis

Luc. cap. 23. vers. 39. *Isaiæ cap. 6. v. 1. & 3.*

A omnem expugnemus, actum est de nobis. Paulò antè Christus cum Barabbâ latrone in eamdem lancem est appensus, & vicit pondere latro. Vox populi fuit: Non hunc, sed Barabbam. At verò nos animalia ad omnem arrogantiam nata, ab omnibus coli & suspici, in omnium oculis & ore versari, omnium applausu salutari, extolli cælo cupimus. Hæc humilitatis nostræ sunt specimina. Superbe cinis oculos ad Christum reflecte; alia cernes submissionis paradigmata. Aut imitare, aut hæreditati promissæ renuntia.

Sed hîc etiam supremi judicii verissimam effigiem contemplemur. Christus judex, partium duarum medius in alto cernendus, hinc cælo adscribendi, illinc tartaro præcipitandi sententiam exspectant. Crux ipsa tribunal est. De futuro judicio dixerat Christus: *Tunc duo erunt in agro, unus assumetur, & unus relinquetur: duæ molentes in molâ, una assumetur, & una relinquetur: erunt duo in lecto uno, unus assumetur, & alter relinquetur.* In omni B hominum genere erunt, qui in cælo recipiantur ob sancta promerita, erunt & qui erebo sepeliantur propter opera prava. *Væ miseris nobis*, ait Gregorius, *qui de electione nostrâ nullam adhuc Dei vocem cognovimus, & jam in otio quasi de securitate torpemus. Debet profectò, debet in spe esse non solùm securitas, sed etiam timor in conversatione, ut & illa certantes foveat, & iste torpentes pungat.* Nunc igitur quisque spem jungat timori, ne & ipse inter relinquendos numeretur. In duobus his latronibus hæc judicii forma vel oculis cernenda proponitur. Par peccatum, par supplicium, par resipiscendi subsidium, exitus diversissimus. *Alter*, inquit Hieronymus, *præcedit Petrum in paradisum, alter Iudam in infernum.*

Matt. cap. 25. vers. 40. Luc. cap. 17. vers. 34. Gregorius Ad Joannem Latrum quam Trum jeiunii hom. 39 Tom. pag. 40 Tom. 3. Mor. cap. milog. 30

Suppliciorum omnium summum est cum obstinato latrone sic abjici. Utriquè gratia divina præstò fuit; illi efficax, ut in Theologorum scholis loquuntur, huic sufficiens; potuisset servari, si voluisset; suâ culpâ periit. Cur autem, inquies, non utrique dedit gratiam efficacem? C Ad hæc talia illud Augustini semper ingero. Judicia Dei possunt esse occulta, injusta esse non possunt. Noli investigare, si non vis errare. Hi latrones velut duo bajuli Botrum vitæ junctâ operâ portabant. Ille qui præcessit, nec botrum vidit, nec dulcedinem ejus gustavit, alter vidit & gustavit, *quoniam suavis est Dominus.*

Utriusque latronis vita gratia fuit efficax

Psal. 33. v. 9.

Hoc autem obstinatæ mentis cruciarius omnes moneat: Ne procrastina. Heu quot millia hominum latronem alterum in sui ruinam trahunt quotidianis procrastinationibus? Nec cogitant temerarii, unum illum è tot centenis millibus sub ultimum vitæ finem seriò resipuisse, diem illum singularis misericordiæ fuisse, omnia ceteroqui facilia, in extremis reddi difficillima; unum quidem è duobus paradiso donatum, alterum ad inferos dejectum. Utriusque rigido fatali Christus & Christi Mater aderat, effusus Christi sanguis recens fuerat, prodigia & miracula in aperto erant, reserata invitaverat salutis via. Nec hilum movebatur obstinatus; surdus ac cæcus obiit & periit. Quàm bene Ambrosius, *Rapiamus*, inquit, *& festinemus, nam pascha non manducatur nisi festinanter. Regnum calorum vim patitur, & violenti rapiunt illud*: rapuit bonus, neglexit malus. Naviga ergo, naviga, quisquis es, naviga, dum tibi flant zephyri: occasionem commodam distulisse semper obfuit; pœnitendi tempus neglexisse multò magis semper nocuit.

D

Pœnitentia nō procrastinanda. Matth. cap. 25. vers. 12.

Joannes Xiphilinus Patriarcha Constantinopolitanus, ut cacodæmonis mores perfidissimos detegeret, Ita, inquit, paciscitur diabolus. Da mihi diem hodiernum, Deo crastinum; mihi tempus præsens, Deo futurum, ut ita tardantes & procrastinantes abripiat. Non negamus Manassen impium senem obiisse, sed & hoc asserimus, Ammonem libidinosum juvenem sublatum. Summa vitæ jactura, dilatio. Differre honesta semper serum ac noxium. Idcirco, *Hodie si vocę Domini audieritis, nolite obdurare corda vestra.* Ah, nolite! Hodie est, dum

Psal. 94. v. 8.

vita

vita est. Patet ostium, licet ingredi. Pœnitebit, sed forsan nimiùm serò, pœnitentiam distuliſſe. Paradiſi claves jam in propatulo sunt; nemini negantur seriò petenti. Paradisus tribus omnino clavibus est reserandus. Hæc illarum nomina sunt: Accusatio sui, Resignatio sui, Perseverans Tolerantia. De singulis paucula.

Tres claves quibus cælum reseratur:

§. V. *De primâ paradiſi clave.*

1. Accusatio sui. *Luc. cap. 23. vers. 41. Job cap. 31. vers. 33. Greg. l. 22. Moral. c. 10. ante med. mihi p. 811.*

PRima, Accusatio sui. Latro paradiſi civis, *Nos quidem juſtè*, inquit, *nam digna factis recipimus.* Jobus non solâ patientiâ, sed sui accusatione quoque laudatiſſimus, *Si abscondi*, ait, *quaſi homo peccatum meum, & celavi in sinu meo iniquitatem meam.* Pulcherrimè hac de re Gregorius, *Videatur*, inquit, *vir iſte cuilibet magnus in virtutibus suis, mihi certè sublimis apparet etiam in peccatis suis. Mirentur in eo qui volunt castitatis continentiam, mirentur integritatem juſtitiæ, mirentur viscera pietatis: ego in eo non minùs admiror confeſsionem humillimam peccatorum, quàm tot sublimium gesta virtutum. Scio enim quòd per infirmitatis verecundiam plerumque gravioris est certaminis commiſsa peccata prodere, quàm non admiſsa vitare: & unumquodque malum quamvis robuſtiùs vitetur, tamen humiliùs proditur. Indicia vera confeſsionis sunt, ſi cùm quiſque se peccatorem dicit, id de se dicenti etiam alteri non contradicit. Scriptum est:* Justus in principio accusator est sui. *Quòd ſi ſuperbè defendimus, liquet, quia peccatores nos ex nobis ficte dicebamus. Unde summopere curandum est, ut mala quæ fecimus, & ſponte fateamur, & hæc aliis arguentibus non negemus. Superbiæ quippe vitium est, ut quod de ſe fateri quiſque quaſi ſuâ ſponte dignatur, hoc ſibi dici ab aliis dedignetur.* Sed usitatiſſimum humanæ gentis vitium est, audendo peccatum committere, commiſsum negando abscondere, convictum defendendo excusare. Si Adam humiliter se accusâſſet, à paradiſo non exulâſſet; excusando culpam non delevit sed auxit. Quàm rarò auditur illud? Ego quidem juſtè, nam digna factis recipio. Boni seipsos, improbi non se reprehendunt, sed alios. Peccatum peccato addit, qui culpæ quam fecit, patrocinia defensionis adjungit.

Prov. c. 18. vers. 17.

Augſt. ſerm. 19. de ſanctis.

A culpis noſtris omne malum noſtrum oritur: sed hoc quotidianum diaboli vaframentum est, ut culparum cauſsas modò malæ fortunæ, modò concitatior naturæ, jam illis, jam illis hominibus adscribamus. Perquàm rara vox auditur: *Nos quidem juſtè.* Culpam omnes tegimus, nec admittimus nomen factorum rei. Jam quantæ excusationes in omni crimine? Imò & rationibus etiam propugnare malè facta conamur. Quid? quòd virtutis nomen non rarò vitiis indamus? Nonnumquam, quod deterius, gloriamur etiam in rebus peſsimis. Quòd ſi quis verum crimen objiciat etiam palàm factum, indignamur, & in iras consurgimus, & sæpe capulo manus propior quàm confeſsioni. Non erubeſcimus aures, oculos, manus medicorum in erubeſcendis morbis: tantus nos amor vitæ tenet, & animi vulnera detegere reformidamus, adeò nos æterna mors non terret. O quanti ſolo pudore malo perierunt æternùm! poterant æternùm vivere unâ confeſsione: pudor noxius retraxit. Pudorem nociturum exuit latro, delicta palàm faſsus, quò faciliùs veniam mereretur, nec delicta tantùm, sed & pœnam illis debitam juſtè ſe pati confeſsus. Hîc ſuos quiſque mores excutiat: num errores ſuos fateatur an tegat; damnet an defendat; vituperet an laudet; oderit an amet. Suimet accusationem in latrone reperiet; qui ſcelera ſua damnavit palàm, laudavit innocentiam Christi.

Latro delicta palàm faſsus est, ut meliùs veniam mereretur.

Rex Balac Iſraëlis hoſtis, omnibus contendit viribus, ut Balaam Magus Iſraëlem devotionibus & carminibus malediceret. At verò Deus Balaamo præcipiens, *Noli*, ait, *ire cum illis, neque maledicas populo; quia benedictus est.* Quid, obsecro, Deus ſuo populo timet ab execratione magi? Anaſtaſius Nicænus eruditè hoc edisſerens, Assiduè, inquit, populus peccabat; idcirco pæne etiam assiduè puniebatur. Ne verò diceret originem punitionis esſe impreçationem vatis, non permiſit illum Deus malè imprecari. *Stipendia peccati mors*, & omnis comitatus mortis. Nos igitur accuſemus noſipsos, & culpas noſtras; ita prævertemus diabolum accuſatorem fratrum. Hæc prima & ferè unica pœnitentiæ lex est: Accuſare seipsum.

Num. c. 22. vers. 12. Cur Deus non permiſerit populo Iſraël malè imprecari. *Rom. cap. 6. vers. 23. Apoc. c. 12. vers. 10.*

Ruffinus Aquileïenſis memorat ad Pœmenem Abbatem veniſse qui rogaret, ea ſibi verba interpretaretur: *Omnia munda mundis.* Cui Pœmen: Qui dicti hujus notionem caperet, omni re creatâ inferiorem se crederet. Cui frater, Et quomodo, inquit, homicidâ me deteriorem censeam? Cui denuo senex: Non occidiſti alium? ſuam ipsius animam jugulâſſe nequius est. Necdum vim dicti cepit. Cui Pœmen denique, Hæc sola, inquit, juſtitia est hominis, ut seipsum reprehendat. Tunc enim juſtus est, cùm ſua peccata condemnat. Inde fuit qui diceret, Virtutes aliquot diversantur apud me; sola emanet sui accusatio. Hæc prima paradiſi clavis est: Nos quidem juſtè.

Ruffin. Aq. n. 131. apud Roſweid. Pelag. c. 15. num. 3. Tit. cap. 1. vers. 15.

§. VI. *De alterâ paradiſi clave.*

2. Resignatio sui. *Luc. cap. 23. vers. 42. Bernard. ſerm. 47. in Cant. med. mihi p. 922.*

ALtera, Resignatio sui in manus Dei ad præmium & ad supplicium. *Domine, memento mei.* Bernardus æstuante affectu, *Utrumque es mihi*, ait, *Domine* JESV, *& ſpeculum patiendi, & præmium patientis. Tu caput meum poſt victoriam coronas, ſive quia pugnantem te ſpecto, ſive quia expecto non ſolùm coronantem, sed & coronam. Trahe me poſt te, libenter te ſequor, libentiùs fruor. Si ſic bonus es Domine sequentibus te, qualis futurus es conſequentibus?* Illi ergo fidamus toto pectore; quò major fiducia, hoc melior resignatio. Arnoldus Carnotenſis ad eamdem nos fiduciam animans, *Sit qui invocet*, inquit, *erit qui exaudiet; ſit qui pœniteat, non deerit qui indulgeat.* Dum halitus in nobis supereſt, spes etiam sit cum plenâ sui resignatione, uti certè latro divinis nutibus se totum tradidit. Quod Gregorius singulariter commendans, *Nihil*, inquit, *in eo [illegible] liberum, niſi cor & lingua remanſerant. Inſpirante Deo totum illis obtulit, quod in ſe liberum invenit. Ille qui talis ad crucem venit ex culpâ, ecce qualis à cruce recedit ex gratiâ. Confitebatur Dominum, quem videbat secum humanâ infirmitate morientem, quando negabant Apoſtoli eum, quem miracula viderant divinâ virtute facientem.* Huic igitur Domino, quem inter tot negantes publicè confeſsus est regem, totum se tradidit.

Arnold. tract. 7. de verbis Domini.

Greg. lib. 18. Moral. c. 25. mihi p. 723.

Subinde lis ſuaviſsima inter amicos oritur: ille rem mutuam vult reddere, iſte recuſat accipere, cum affabili hoc dicto: Bonâ manu poſsidetur. Quidquid offerimus Deo, velut in Dei manu reponentes, id omne summâ securitate munimus: ab optimâ manu tenetur, quidquid Deo committitur. Promiſsum Christi est: *Et non rapiet eas quiſquam de manu meâ.*

Ioan. c. 10. vers. 28.

Non ignota vox dilecti est: *Quid magis à te requiro, quàm ut te ſtudeas mihi ex integro resignare? Quidquid præter teipsum das, nihil curo; quia non quæro datum tuum, sed te. Offer te mihi, & da te totum pro Deo, & erit accepta oblatio. Si autem in teipso ſteteris, nec ſponte te ad voluntatem meam obtuleris, non est plena oblatio, nec integra erit inter nos unio. Igitur omnia opera tua præcedere debet ſpontanea tui ipsius in manus Dei oblatio.*

Imit. Chriſti l. 4. c. 8. n. 1. & 2.

Homo divinæ voluntati ad nutum obsequens, & vero nomine *Resignatus* ita ſemper & in rebus omnibus etſi turbatiſsimis loqui solet: Si ita tibi viſum, Domine, ita fiat. Si quid à te petam noxii, nega mihi. Tu nôsti quid in rem meam magis expediat; age mecum prout volueris. Da quod vis, & quantum vis. In manu tua ſum ut pila, huc illuc & quacumque placuerit, me mitte. Honorem tuum ſpecto, non meum; tibi vivere desidero, non mihi. En ego servus tuus ad omnia paratus. Neque nescio tuam pro me providentiam, mi Deus, dies nocteſque jugiter multò magis vigilare, quàm meæ omnes curæ,

Locutio hominis ad divinâ voluntatem resignati.

curæ pro meipso possint. In lubrico stat, imò non stat, sed nutat & cadit, qui non omnem suam sollicitudinem in te projicit; tibi *cura est de nobis*. Modò igitur mea cum voluntate tuâ quàm integerrimè consentiat: tibi omnia permitto cetera. Quid sit futurum cras, quærere fugio: quemcumque dederis dierum, lucro appono. Si tenebris me sepias, laudo te: si lucem affundas, etiam laudo te: si pœnis me afficias, æquè laudo te: si morbo, si paupertate, si ærumnis aliis me affligas, iterum laudo te. Non potest non esse bonum, non esse optimum, quod de me statueris. Hoc enim semper, mi Deus, quod melius est, quod optimum est, facis. Pro te libentissimè patiar, quidquid me pati volueris. Amarum & dulce, lætum & triste de tuâ manu, decretis tuis contentissimus accepto. Ab uno atque unico me malo tuere; dummodò te non offendam, & ego facilè mortem & inferos ridebo. Quidquid calamitatis in me irruerit, non formidabo, modò non expungar è libro vitæ.

1. Pet. cap. 5. vers. 7.

Recordor, mi bone JESV, tua mihi monita jam centies, jam sexcenties occentata; saluberrimas præceptiones tuas jam novi. Hæ voces tuæ sunt: Relinque te, & invenies me; pro tuâ voluntatem meam sequere. Nihil elige nisi quod mihi scieris placere. Grande lucrum, abundans gratia, ingens promeritum est, à meo semper arbitrio in rebus omnibus pendere, idque sine omni exceptione. Quantò sincerius hoc feceris, tantò mihi magis placebis, & tibi amplius lucraberis. Aliqui ad meam se voluntatem conformant, sed cum exceptione: non placent. Aliqui bono impetu se mihi totos dedunt, sed brevi recipiunt quod dederunt: neque hi placent. Sunt pauci, qui sese totos suáque omnia è toto meæ voluntati transcribunt plenissimè: hi placent. Hoc fac, & vives.

Ps. 56. v. 8.

Paratum cor meum, Deus, paratum cor meum. Hoc facere quod jubes, modis omnibus conabor. Et si quid in me cunctationis aut desidiæ fuerit, tu meam etiam rebellem ad te propitius compelle voluntatem. Ita me tibi penitus trado, tamque arctè devincio, ut si verminum tuæ resistam voluntati, verberibus etiam & plagis velim adigi ad præstandum, quod promisi, officium. Tua, mi Domine, voluntas, omnis justitiæ norma est. Fiat voluntas tua, ab æterno usque in æternum.

Ita profectò sentit, ita & loquitur, qui suam voluntatem divinæ integrè adjunxit. Hæc *sui Resignatio* altera paradisi clavis est. Hæc una vel mille seras reserat.

§. VII. *De tertiâ clave paradisi.*

3. Perseverans patientia.

TErtia paradisi clavis, Perseverans patientia Chrysostomo crux ipsa paradisi clavis est. Crucifixo certè paradisus promittitur. Qui socius crucis erit, socius & paradisi erit. Latronum alter jure dixisset: Nisi ligno suffixus fuissem, orco præcipitatus fuissem. Ad cælum crux evexit. Hominum afflictissimi, plerumque Deo charissimi. A virgis sapere discimus. Innumeris principium salutis est calamitas. Miseriarum multiplex amaror dulce cælum facit. Tutissima inter æquinoctia via est. Ubi afflictio non est, ibi plerumque Deus non est. Rarissimè sani sumus sine his cauteriis. Quod patimur non pœna est, sed medicina. Quem diligit Deus,

Judith c. 8. vers. 23.

corripit. *Omnes qui placuerunt Deo, per multas tribulationes transierunt fideles.* Patientiâ opus est, sed constanti. Noluit Christus ante constitutum finem dolores crucis finire. Deponi de cruce voluit, non descendere. Tormenta hæc exhausit usque ad novissimum suspirium. Potuit

Joan. c. 19. vers. 30.

dicere: *Consummatum est.* Fidem præstitit ad ultimum. Patientia non est vera, quæ non est firma & perseverans. Cur subitò jam passi graviora patientiam abrumpimus? Non est diuturnum, quidquid finem habet. Notus divorum encomiastes narrat, Marianum & Jacobum Martyres hilari viso recreatos in carcere hunc in

Surius to. 3. ipso initio. Alioqui die 30. Aprilis

modum. Agapius martyr jam dudum omni cruciatu perfunctus, Jacobo per quietem se spectandum præbens lætissimâ fronte, ad convivium hilare invitavit. Illuc igitur Jacobus & Marianus velut ad Agapen properare visi. In viâ occurrit puer, quem constabat ante triduum unà cum matre martyrium pertulisse. Hierosis redimitus, & virentem palmam dextrâ præferens, Quò, inquit, tenditis? gaudete & exultate: cras enim & vos cœnabitis nobiscum. Secundùm quietem hæc vidisse, constantem Martyrum patientiam mirificè roboravit. Quin igitur duramus, & quod calicis amari reliquum est, fronte hilari perhaurimus? Acclamat Christus: *Hodie mecum eritis in paradiso.*

Martyres Lucenses. Luc. cap. 23. vers. 43.

Annæus Seneca de libro Q. Sextii dissertans, *In quacumque*, ait, *positione mentis sim, (fatebor tibi) cùm lego hunc libet omnes casus provocare, libet exclamare: Quid cessas fortuna? congredere, paratum vides. Illius animum induo, qui quærit ubi se experiatur, ubi virtutem suam ostendat. Libet aliquid habere quod vincam, cujus patientiâ exercear. Nam hoc quoque egregium Sextius habet, quòd & ostendet tibi beatæ vitæ magnitudinem, & desperationem ejus non facit. Scies illam esse in excelso, sed volenti penetrabilem.* Christus crucifixus, libet admirandus, intus & foris scriptus, omnigenæ patientiæ compendium absolutissimum. De hoc libro Christianus quisque dixerit: Cùm lego HVNC, libet provocare omnia mundi adversa, omnes carnis illecebras, omnia diaboli machinamenta. Pro Christo & cum Christo pati suave est. Quidquid ego quidem patior, justè, justissimè patior; pœnas luo quas merui.

Seneca epist. 6. Christus est omnigenæ patientiæ compendium absolutissimum.

Et en Patientiam Latronis & Constantiam. Admissæ sunt illius preces: obtinuit ampliora quàm petiit, dolor tamen crucis non mitigatus est, manserunt vulnera, adhuc erant frangenda crura, acerba mors oppetenda. Ille tamen è cruce descendere non cupivit, Christi gratiam non carnis sensu æstimavit, omnem sui calicis amarorem exhausit. Exhauriendus est calix usque ad fundum. Perseverantia virtutum finis & consummatio, patientiæ gemmatum diadema.

Apocalypseos divinus scriptor, *Ego Ioannes*, inquit, *frater vester & particeps in tribulatione & regno.* Nimirum societas crucis & mortis, vitæ ac beatitudinis parit societatem. Nemo autem crucem suam putet gravissimam, aut intolerabilem. *Inter omnes tribulationes*, inquit Augustinus, *nulla est major quàm conscientia delictorum.* Nemo de cruce ante finem moliatur descendere, *Si compatimur ut & conglorificemur.* Paradisi claves in promptu sunt; si volumus, mors nostra erit transitus è cruce in paradisum. E Bernardo clausulam appono: *Bona mors*, inquit, *si peccato moriaris, ut justitiæ vivas. Hæc mors necesse est ut præcurrat, quò illa sequatur secura. Dum vivitur carne, morere mundo, ut post mortem carnis incipias vivere Deo. Bona proinde mors justi propter requiem, melior propter novitatem, optima propter securitatem. Huic morti succedit jucunditas de novitate, securitas de æternitate.*

Apoc. cap. 1. vers. 9.

Augustin. in Psal. 41.

Rom. cap. 8. vers. 17.

Bernard. lib. 100. mod. serm. milliario.

CAPVT III.

Tertia Christi morientis cygnea modulatio: Ecce Filius tuus.

OCellus Domini Joannes de primis in orbe fratribus, *Non sicut Cain*, inquit, *qui ex maligno erat, & occidit fratrem suum.* Horrendum prorsus & primum homicidium, primúmque hominis morientis paradigma! Quis sensus fuerit parentibus Abelis Adamo & Evæ? Non dubium rei novitate attonitos stetisse, cùm hominem mortuum numquam ante viderint, nec ullimam mortis tyrannidem experti sint. Mœror illorum & dolor nequit explicari.

1. Joan. c. 3. vers. 12.

Multò minùs verbis exequi poterimus mœrores & dolores Matris sub cruce stantis Mariæ, quæ unigenam suum Abele sanctiorem non tantùm defunctum, sed flagellis

B. Maria mœrores sub cruce stantis non explicabiles.

flagellis cæsum, sentibus coronatum, cruci suffixum, A morientem, mortuum, lanceâ confossum, vulneribus plenum, sepulchro inferendum, suis ipsâ oculis spectavit, auditúque suis ipsa auribus è cruce has voces: *Ecce Filius tuus. Ecce Mater tua.* *Verbum bonum & suave,* ait Bernardus, *verbum mirabile, magnum continens piæ charitatis affectum.* Vates Hebræus, *Admiramini,* ait, *& obstupescite: quia opus factum est in diebus vestris, quod nemo credet cùm narrabitur.* Filius Dei in cruce mortuus, priusquam se morti permitteret, testamentum condidit, quo discipulorum charissimo, quem velut à secretis habuit, tale quid legavit, ut dici possit, *Admiramini & obstupescite.* Nec Matris oblitus alium ei Filium amantissimè substituit. Sed heu priori minimè parem! Ita crucifixi discipulus factus est Virginis filius, *Admiramini & obstupescite.* Nos, prout dicere instituimus, de his Domini Jesv vocibus, *Ecce filius tuus, Ecce Mater tua,* disseremus.

Ioan. c. 19. vers. 26. & 27. Ioan. tract. 118. super Ioan. c. 19. Habacuc cap. 1. v. 5.

§. I. *Expenduntur verba Domini: Ecce Filius tuus.*

Luc. cap. 2. vers. 35.

GRandævus Simeon in templo vaticinatus, *Tuam,* inquit, *ipsius animam pertransibit gladius.* Uti Christus suis hostibus suas vestes, unáque facinoris patrati veniam, latroni paradisum, ita discipulo Matrem, Matri discipulum liberalissimè donavit. Hîc maximè sævire cœpit ille Simeonis gladius. Cum Hieremiâ vate dici potuit, *Ecce pervenit gladius usque ad animam.* Deuteronomium imperabat: *Si ambulans per viam, in arbore vel terrâ nidum avis inveneris, & matrem pullis vel ovis desuper incubantem, non tenebis eam cum filiis, sed abire patieris.* Christus occisus, Apostoli fugati, illæsa Mater à furore Judæorum, cui tamen rhomphæa doloris non pepercit. Draconis viri Athenienses leges non atramento, sed sanguine scriptas dicere solebat Demades. Christi Domini testamentum verè sanguine scriptum, non ob severitatem, sed ob nimiam liberalitatem, quâ suum nobis sanguinem, suáque omnia in donatium reliquit. *Cùm vidisset ergo* Jesvs *Matrem & discipulum stantem, quem diligebat, dicit Matri suæ: Mulier, ecce Filius tuus. Deinde dicit discipulo, Ecce mater tua. Et ex illâ horâ accepit eam discipulus in sua.* Cor Matris hæc videntis & audientis fuit ut vasculum, aceti, myrrhæ, fellis plenum. Crucifigentes milites, Pharisæi, Pontifices, cetericque hostes fel erant. Apostoli, aliique collacrymantes velut acetum erant. Christus vulneratus, moribundus, myrrha. Dicunt, quò generosius vinum, hoc melius acetum: quò flagrantior amor, hoc copiosior est mœror. Rerum creatarum nulla hunc Dominum sic amavit, sicuti Virgo Mater, quæ illum & creatorem & filium agnovit. Modus amoris, mensura doloris.

Hier. cap. 4. vers. 10. Deut. c. 22. vers. 6. Gell. lib. 12. Noct. Attic. cap. 18. Testamenti Christi fuit sanguine scriptum. Ioan. c. 19. vers. 26. & 27. B C

Ecce filius tuus (de seipso Christus Matri) Ecce ille ipse Filius tuus quem in præsepi reclinâsti, quem ubere virgineo lactâsti, quem brachiis lætissimis gestâsti, cujus te aspectu toties exhilarâsti, en inter brachia crucis, & bestias agri, inter geminos latrones moritur. Etiámnum nôsti filium tuum? Credibile ad illas filii voces suspexisse Matrem lacrymis infusam. Dixerat Christus in nuptiis Canæ: *Nondum venit hora mea.* Jam reverâ venit, hæc ipsa est hora.

Ioan. cap. 2. vers. 4. In Comicis Canticorum maximè c. 6. v. 8. D

Virgo Mater columba illa fuerat à Salomone sæpius laudata: *Una est columba mea, perfecta mea.* Hanc Christi caput recepisset, sed illud spinis plenum horrebat; recepissent oculi, sed lacrymis & sanguine pleni natabant, paullo pòst morte claudendi; recepissent manus, sed cruci erant affixæ; recepissent humeri, sed hiabant flagris aperti; recepisset pectus, sed erat perfodiendum lanceâ.

Ecce igitur, ô Mater, num filius tuus sit iste, qui Judæam & Galilæam concionabundus obiit, qui omnis generis morbos sanavit, mortuos ad vitam revocavit, heri venditus, accusatus, capitis damnatus, verberibus ad columnam castigatus, dumeto coronatus, in crucem sublatus? Num filium, qui latronem egit, educâsti? Illum igitur penitissimè intueamur; Pilatus negat esse hominem, Isaias vocat leprosum, David vermem, tota plebs maleficum & seductorem. Num iste insons est Abel, cujus sanguis in cælum clamat? Si hominem hunc probè inspiciamus, meritus sanguis, vulnus meritissimum est. Hic ipse jam bis clamavit, prius ad Patrem: *Dimitte;* Deinde ad supplicii socium, *Hodie mecum eris.* Jam etiam acclamat Matrem, *Ecce Filius tuus.*

Gen. cap. 4. vers. 10. Luc. cap. 23. vers. 34. Ibid. v. 43.

Clarævallensis apis Bernardus hos Matris Virginis dolores considerans, *An non,* inquit, *tibi plus quàm gladius fuit sermo ille reverà pertransiens animam, & pertingens usque ad divisionem animæ & spiritûs:* Mulier, ecce Filius tuus? *O commutationem! Ioannes tibi pro* Jesv *traditur, servus pro Domino, discipulus pro Magistro, filius Zebedæi pro filio Dei, homo purus pro Deo vero. Quomodo non tuam affectuosissimam animam pertransiret hæc auditio, quando & nostra licet saxea, licet ferrea pectora sola recordatio scindit?*

Ioan. c. 19. vers. 26. Bern. serm. in verba Apoc. c. 12. Signum magnum, &c. sermonis fine, mihi p. 347.

Quomodo autem, inquies, intelligenda hæc Christi morientis verba? Neminem nonsanavit, manu aut digito loquente significare nil potuit. Imò verò potuit & oculis, & clementi capitis nutu, ante ortum tenebrarum loqui. Sed ista non fuerint; amor intelligentissimus est, unicum ei verbulum, nutus unicus satis est. Vis solis in abditissima montium spelæa penetrat, & illic aurum coquit, ita & amor animos subit, & paucis multa loquitur. Dictum sapienti & amanti sat est. Qui Christum diligit, facilè novit, quid velit.

Jus priscum Romanis erat, quo Imperator viduæ, quæ unicum bello filium amisisset, concessit adoptare alium, novo solatio. Rex cæli Christus, unicus suæ Matris filius, cruentâ in bello occumbens, hanc Matri gratiam concedens filii alterius adoptandi, *Ecce,* inquit, *filius tuus.*

Ambr. to. 4. l. de fide Resurrect.

Ambrosius è communi opinione narrat, quâ ratione phœnix in odorato rogo vitam finiat, & nihilominùs in successore vivat, qui è busto illo & cineribus emergit: ita Christus in arâ crucis veluti combustus, reliquit tamen successorem, qui suæ se filium Matri præstaret. Quod Siracides adumbrans, *Mortuus est pater ejus,* inquit, *& quasi non est mortuus. Similem enim reliquit sibi post se: reliquit enim defensorem domûs contra inimicos.* Quantum homo similis Deo, tantum Joannes similis Christo, domûs defensor fidelissimus. Hinc additum illud: *Et ex illâ horâ accepit eam discipulus in sua.*

Eccli. c. 30. v. 4. & 6. Ioan. c. 19. vers. 27. Suam, alii libri: sed minùs hoc receptum.

§. II. *De verbis eisdem explicatiùs.*

ECce igitur, ô Mater, filius novus, qui heri noctu de vero filio tuo plurima, sed pleraque mœstissima nuntiavit. Quid is in suprema cenâ dixerit, quomodo ad oliveti colles orârit, & sanguine sudârit, ibidem ab hostibus captus, vinctus, ad judices pertractus fuerit: hodie non filii nuntius, sed ipse filius est. Et quia æternus Pater decrevit, ut filius tuus crucifigeretur, en Joannem satis crucifixum.

Matronam memorant honestam luctu gravissimo affectam è duabus maximè caussis. Maritus curru exciderat, & fractis costis acerbo fato vitam finierat: paullo antè filius aquis submersus interierat. His mœroribus ferendis impar erat femina, nec ulla videbantur his lacrymis suffectura solatia. At ubi spectaculum primi omnino funeris, mors Abelis à fratre occisi proponeretur, unáque alterius imprimeretur, quàm eam omnium primam mortem Adamus & Eva acerbè tulerint; hîc mulier aliquantum ad se rediit, & consolationis aliquid admisit. Sed longè amplioris est solatii, hoc Golgothæum spectaculum mentis oculis adhibere. Stabat Maria, misericordiæ Mater, & spectabat suum unigenam innocentissimum, flagris & spinis laceratum, vulneribus plenum, à suómet populo repudiatum, linguis & clavis

Ioan. Manlius tom. 1. mihi p. 162.

& clavis crucifixum mori, imò & mortuum, in gremio suo positum spectabat. Hinc haurire licet, quantum satis est solatiorum. Saxum est, quem hæc spectacula non afficiunt.

Ecce filius tuus. Has voces ipsámet audivit, utrumque filium ipsámet aspexit. Bernardus censet aut nimio lacrymarum fluxù non potuisse oculos in vicina defigere, aut eos certè ab hoc spectaculo nunquam deflexisse. *Moriebatur vivens*, inquit, *vivendo ferens dolorem morte crudeliorem. Verè juxta crucem stabat, quia crucem filii præ ceteris majore cruciatu ferebat.* Et credibile prorsus est, cùm amor sit oculatissimus, ab hac Matre cruci adstante, omnem filii motum nutúmque vigilantissimè observatum. Beata Birgitta Matrem hanc ita de filio loquentem facit: Nec ipse me adstantem cruci videre potuit, nisi sanguine per compressionem cilliorum expresso. Vidit igitur Mater & audivit illa omnia. O quantò mitior Deus in amicos suos extitit! Abrahamus Saræ conjugi neutiquam dixit Isaacum filium à se mactandum. Agar Abrahami ancilla filium suum extremè sitientem arbori acclinans, & abiens, *Non videbo*, inquit, *morientem puerum.* Mater Moysis maluit videre filium flumini quàm sanguini innatantem. Pharao durior omni marmore, viso tamen primogenito mortuo, ut cera cœpit mollescere: *vocatisq; Moyse & Aaron. Ite*, inquit, *immolate Domino, sicut dicitis.* Heli sacerdos allato nuntio de filiis duobus interfectis *cecidit de sellâ retrorsum, & fractis cervicibus mortuus est.* David Absalone filio degenere confusso, inconsolabili planctu exæstuans, *Fili mi Absalon*, clamabat, *Absalon fili mi, quis mihi tribuat, ut ego moriar pro te?* Ita Domini Mater longè potiori jure, Fili mi Jesv, dixerit, Jesv fili mi, quis mihi det, ut ego tecum & propter te moriar, fili mi Jesv dulcissime?

Bernard. de Pass. Dom. cap. 10.

Revelat. S. Birgittæ lib. 4. c. 70. med.

Gen. cap. 21. vers. 16.

Exodi c. 2. vers. 3.

Ibid. c. 12. vers. 31.

1. Reg. c. 4. vers. 18.

2. Reg. c. 18. vers. 33.

§. III. *Cur Mater Domini huic spectaculo interfuerit.*

Miratur Apostolos Bernardus in Thaboris monte eductos sine Matre; miratur Matrem in Golgothæum clivum assumptam sine Apostolis, quorum unicus adfuit. O Bernarde, non est quòd adeò miremur: cacumen Thabor gaudiis & solatiis, Calvariæ collis luctu & doloribus inundabat: in Thabore mulsum, Creticum, Falernum bibebatur; in Calvariâ acetum felle mistum ingerebatur, amarissimus dolorum calix erat exhauriendus. Hîc illud priscæ legis erat, Aut abi aut bibe, hoc est, infanda patere. Atqui Mater Christi patiendo longè fuit robustior Apostolis, & filius cumprimis voluit, ut Mater è suo calice biberet prima, & plus aliis omnibus, quod pridie mortis à Patre petiit: *Transeat à me calix iste.* Rogabat Christus, Hilario interprete, non tam ut à se penitus recederet hic calix, quàm ut ad alios quoque suorum amicorum perveniret, velut circularis haustus & poculum salutis, ut quomodo à se, sic & ab illis sine spei diffidentiâ, sine mortis fugâ, sine omni impatientiâ biberetur. Reverâ Mater cum filio bibit; nam à filio ad Matrem transiit, à Matre ad filium adoptatum Joannem. Sed etiámnum hic calix inter nos circulatim obit: ebibendus est, velis nolis, ebibendus est. Nemo tergiversetur, cùm eum bibendi ordo provocat. Est calix Domini, vinum Dominicum, calix transiens, idque duplici nomine; nam nullum præterit, nullum ab amaro potu hoc immunem esse sinit, omnibus se ingerit, etiam nolentibus & invitis: sed tamen hoc quoque nomine calix transiens est, quia non æternos spumat amarores; modicum, breve, momentum est, quidquid hîc patimur. Bibamus poculum salutis: qui Dominicæ cruci stant propiores, qui Christo magis cogniti, qui ei chariores, plerumque sæpius & plus bibunt. Nullus horreat tam triste absynthium. Christus præbibit, Christi Mater, discipuli, amici omnes eamdem hanc potionem biberunt largissimè; omnes Sancti quanta passi? Et nos quid obluctamur frustrà? si volentes bibimus, placemus Domino, gratiam Dominicam emeremur, spes certa nectaris in cælo bibendi. Eia fortiter & agamus & patiamur.

B. Maria adfuit in môte Calvariæ non autè Apostoli, quia iis erat robustior in patiendo. *Matt. c. 26. vers. 39. Hilarius canon. 31. in Matthæum.*

Calix Domini dicitur transiens, quia breve est quidquid hîc patimur.

Rex noster exactissimè videt, quid quisque suo nomine toleret. *Cùm vidisset* Jesvs *Matrem & discipulum stantem.* Vidit proximos, vidit non ad latus sed ante faciem stantes. Penetrabat Mater immensam turbam, & exadversùm cruci se collocabat velut depictura filium. Hinc vidit audiitque omnia, hinc gladius tam alrè pectus subiit. O Simeon, non unus hîc gladius; multi sunt, qui virgineum pectus hauriant: clavi, spinæ, aceti spongia, stillantia recèns vulnera, vociferationes militum, irrisiones hostium, filii verba, meri gladii, acutissima spicula. Hæc *filia* Hebræi *populi*, quod Hieremias dixit, *accincta cilicio, conspersa cinere, luctum unigeniti fecit sibi planctum amarum.*

Hier. 1. vers. 16.

Hîc mihi faciendum, quod Timanthes nobilis pictor excogitavit arti juvandæ. Iphigeniam pinxerat ad aras stantem vivam victimam, & cognatos omnes quàm potuit mœstissimos penicillo expresserat. Cùm omnem tristitiæ imaginem consumpsisset, patris Agamemnonis vultum velavit, quem dignè non poterat ostendere. Sint forsan colores, quibus Apostolorum, Magdalenæ, Petri, Joannis, lugentium Matronarum lacrymas exprimamus, non sunt certè, quibus ægrimoniam Matris ostendamus. Verba dolor superat.

Plin. lib. Nat. hist. cap. 9.

§. IV. *Expenduntur verba Domini: Ecce Mater tua.*

Valerius narrat, Pindaro poëtæ facundissimo quemdam discipulorum fuisse charissimum. In hujus gremium Magister capite reposito in ipso Gymnasio quieti se dedit, & obiit. Nec priùs decessisse cognitus est, quàm Gymnasiarcha locum eum clausurus, necquidquam jam mortuum excitare conaretur. Christus Patientiæ ac Humilitatis Magister, cùm ambas virtutes illas è cathedrâ crucis doceret in scholâ publicâ, auditorum multa millia numeravit, sed inter discipulos chariorem habuit neminem Joanne. Apud hunc quietis aliquid quærens, *Ecce*, ait, *Mater tua.* Ego post pauculas horas sepulchro condar, interim meam Matrem tibi commendo: *Ecce Mater tua.* His dictis orræ sunt tenebræ, quibus ad trihorium durantibus, ut suprà demonstratum est, Christus velut mortuus conticuit, ut silentium hoc impenderet orationi. Cedentibus tenebris rursum loqui & sitim fateri voluit.

Valer. lib. 8. cap. 11.

Ioan. c. 19. vers. 27.

Jacob in Ægypto moriturus præsenti ad fatalem lectulum Josepho, *En ego morior*, inquit, *do tibi partem unam extra fratres tuos.* Christus in cruentâ trabe oculos solùm & linguam habuit non ligatam: illos & istam matri ac discipulo impendens, En, inquit, do tibi partem unam extra ceteros Apostolos, partem optimam, quâ mihi nil umquam fuit charius.

Gen. c. 48. vers. 22.

M. Popilius vir Senatorii ordinis Appium Gallum ab ineunte ætate sibi familiarissimum, jam propè moriens pro vetusto jure amicitiæ, & vultu benigno respexit, & verbis magnum præ se amorem ferentibus prosecutus est; unum etiam de multis, qui assidebât, ultimo complexu & osculo dignum judicavit, insuper & anulos quoque suos ei tradidit, ne quid ex eâ hæreditate amitteret. Quos Appius vir diligens in locellum repositos diligentissimè hæredibus illius reddidit. Si fas ima summis non tam conferre, quàm hæc per illa explicare, en Christus moriturus de cruce Joannem amplectitur & osculatur, tradens insuper dactylothecam, hoc est, Matrem suam virtutibus omnigenis ornatam, gratiâ plenam. Joannes optimus æstimator gemmarum quas accepisset, Matrem sibi commendatam accepit quidem minus in sua, nihilominus hoc cimelium nobis minimè subductum. Hæc mater etiam est nostra, quamvis Joanni singularissimè commendata. *Ecce mater tua.* Illi enim præ ceteris

Valer. lib. 8. cap. 9.

Mater Dei mini pretii fuit, ideò legata.

ceteris Apostolis omnibus thesaurum hunc legavit. Magnæ laudis erat de aliis dici: *Vos estis, qui permansistis mecum in tentationibus meis.* Sed erat laudis maximæ, de Joanne dici potuisse: Tu es, qui permansisti mecum in morte meâ, ideo tibi pretiosissimum orbis gazophylacium, sanctissimum divinitatis ærarium, cupio esse commendatissimum, *Ecce mater tua.* Hîc quidem adstat Salome Zebedæa, quæ te genuit, sed quid ea est ad istam matrem? Huic plura debes, major tibi ab istâ hæreditas est. Patrem in me amittis, sed en acquiris matrem.

Philemon Regis Ptolemæi Præfectus, uti memorant, ad insulam Topazion in mari rubro topazium gemmam invenit, quam Berenicæ reginæ Ptolemæi sequentis matri attulit, quæ mirè placuit. Christus Dominus ad mare Galilæum obambulans unionem pretiosissimum Joannem reperit, gemmarii manu facilè scalpendum & laborandum, hunc Matri suæ cæli Reginæ moriens in cruce donavit: *Ecce filius tuus,* Joanni contrà dedit vaginam merè gemmeam, matrem suam summis virtutibus ornatam, in quâ Christus ipse velut gladius *penetrabilior omni gladio ancipiti* novem mensibus latebat.

Ecce Mater tua, sed mecum crucifixa, mecúmque moritura sinceriſſimis affectibus. Jure discipulorum charissimo commendatur hæc Mater, cognatione & omni humanâ ope destituta. Ecce quàm afflicta & pariter tormento crucis affecta! cum filio potiùs pendêre, quàm cum populo stare dici poterat: sic enim filium ipsis medullis imbibit, ut omnes ejus dolores senserit. Vivebat illa jam non illa, vivebat verò in illâ Christus, quæ cum Christo verè moriebatur, & tamen stabat. Imperatricem certè decebat stantem mori. Grande mirum Solis in cælo stantis, sed multò grandius Matris juxta filii patibulum persistentis. En altera, sed melior Eva, consistit ad lignum scientiæ boni & mali, & fructum nobis porrigit vitæ, non mortis. Statio prorsus admiranda. Cecidêrunt Angeli, gens humana omnis cecidit, hæc animis perstat in societate crucis, in doloribus summis. Anselmus omnes Martyrum dolores existimat leves, ad tantos hujus Matris collatos; &, Damasceno teste, parturientis nixus, quos in puerperio non sensit, juxta crucem sustingit. Hæc est illa Noëmi luctu deformata, quæ omnibus elogium parantibus, *Ne vocetis,* inquit, *me Noëmi, id est, pulchram, sed vocate me Mara, id est, amaram, quia amaritudine valde replevit me* Dominus. Rachel parturiens inter ipsos laboriosos nixus *egrediente animâ, præ dolore & imminente jam morte, vocavit nomen filii sui Benoni, id est, filius doloris.* Virgo Mater enixa est filium, sed verè filium doloris, quem nulli jam Angeli symphoniâ cælesti cingunt, quem Judæi & Romani linguis maledicis proscindunt.

Sed denuò quæras, cur Matrem filius spectaculo tam luctuoso interesse voluit, quam verbulo aut nutu solo arcere potuisset? Caussæ complures. 1. Dolori suo & Matris augendo hoc fecit, aliàs enim hoc minimè solet fieri. Caligula vi tyrannicâ cogebat filiorum supplicîis & morti parentes interesse. 2. Ad patefaciendam Matris fidem, quam Elisabetha tantopere laudavit; ea fides hîc candelabro suffixa orbem universum collustravit. 3. Diximus in Calvariâ potiones sudatorias, fel merum, calicem amarissimum propinari, has tamen potiones generosissimè simul ac patientissimè bibit hæc Mater verè Machabæa, *supra modum mater mirabilis,* repleta sapientia, & *bonorum memoriâ dignissima* filium morientem *conspiciens, bono animo ferebat propter spem quam in Deo habebat.*

§. V. *Tres præceptiones huc spectantes.*

LAndulphus * scriptor admodũ pius memorat, fuisse virum religiosum, qui totus jerit in lacrymas, quotiescumque illa verba, *Ecce mater tua,* commeditaretur. Ita viginti annos assiduis pæne lacrymis consumpsit, quibus cibum & potum frequenter miscuit. Subinde Christum allocutus, Ecce, ajebat lacrymans, quomodo Mater tua doloribus plena stat derelicta? Quandoque cum Matre verba faciens, Ecce ô Mater, inquiebat, quomodo pendet filius inter tormenta maxima moriturus? Ita quandocumque Christi patientis historiam memoriâ repeteret, ab his verbis, *Ecce filius tuus, Ecce Mater tua,* initium ducebat. Hîc præceptiones aliquot & documenta instillamus salubriora.

Aliquot documenta salubria.

1. Miseratio miserorum.

I. *Miseratio miserorum.* Immenso charitatis affectu Dominus Jesvs miseros complexus, hostibus veniam, mortuis vitam, latroni paradisum, Matri filium, discipulo Matrem, nobis omnibus dedit seipsum. Unde Bernardus singulari sensu, *O quàm munificus,* inquit, *factus es in nuptiis tuis, Rex & Sponse!* Jesv *bone, quàm large quæ habuisti, omnia tradidisti!* Addit: *Portavit Christus onera tua invitans te, ut & tu portes onera tua.* Quæ Christi sunt onera? Necessitates, penuriæ, calamitates miserorum ac pauperum, quibus consilio, manu, marsupio, solatiis, quâ possumus ope, subveniendum. Expande manum, explica manum & frontem, succurre miseris, solare mœstos, erige pusillanimes, esurientibus panem frange, operi nudos, hospitio recipe desertos. *Ne quis tamen,* ait Augustinus, *forsitan dicat: O beati, qui Christum susceperunt in domum propriam meruerunt! Noli dolere, non tibi abstulit istam dignationem. Quod uni,* ait, *ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis.*

Bernard. de Pass. Dom. cap. 10.

Quæ sint Christi onera.

Aug. ser. 26. de verbis Dom. Matt. c. 25. v. 40.

2. Animus in omnibus adversis erectus.

II. *Animus in omnibus adversis erectus.* Maria & Joannes sub cruce non sedebant, sed stabant, non corpore solùm erecto, sed & animo: non eos Petri casus, non Judæorum rabies, non spectaculi horror ab his ad crucem excubiis absterrere potuit. Dixerat Thomas: *Eamus & nos, ut moriamur cum eo.* Sed verbis defuerunt facta. Hîc desunt verba, sed facta cernimus. En Domini Matrem, quam Salomon depingens, *Statura tua,* inquit, *assimilata est palmæ,* quæ nulli cedit oneri. De Christo concionante Matthæus memorans, *Adhuc eo loquente ad turbas,* inquit, *ecce Mater ejus & fratres stabant foris.* Jam non foris, sed proximè crucem stant, & à Rege crucifixo agnoscuntur. Non Matrem Christus, non amicum novit nisi sub cruce stantem. Amicos veros à falsis crux discernit, & statio sub cruce. Salomone teste, *omni tempore diligit, qui amicus est, & angustiis comprobatur.* Non satis est pati, nisi erecto animo, & ingenti in Deum fiduciâ patiamur, ad arbitrium & omnes Dei nutus paratissimi. Sub cruce non cubandum, sed standum est. Zebedæa supplicem libellum Christo porrigens, *Dic,* ait, *ut sedeant hi duo filii mei.* O bona, priùs standum est, priùs calix amarissimus perhauriendus. His legibus societas crucis stabilitur.

Joan. cap. 11. v. 16. Cant. c. 7. v. 7. Matt. c. 12. v. 46. Prov. c. 17. v. 17. Matt. c. 20. v. 21.

3. Amor & cultus Virginis Matris.

III. *Amor & cultus Virginis Matris.* Jacob futuri nondum gnarus, Rebeccæ matris operâ, faustam Patris prærationem obtinet. Thecuitis sapiens facundiâ prudenti Absalonem fratricidam reponit in gratiam apud patrem David. Abigail formosa & prudens muneribus & linguæ suadâ Davidem jam cædes spirantem placat, & ab exitio domûs suæ avertit. Regina Bethsabea pro filio Salomone sollicita opportuno Regis alloquio regnum extorsit Adoniæ, redditúque Salomoni. Eamdem benevolentiam à Matre Domini Jesv expectemus, modò constanter illius opem imploremus, modò bonâ fide in illius ad crucem societate perstemus. Illa se numquam negabit Matrem, modò filii non negent se filios. Modus & ordo in cælitibus venerandis optimus est, ut partes primas, & secundùm Deum proximas nuncupemus divinæ Matri, eámque cultu singulari atque omnibus studiis demereri connitamur, & nihil quod virium nostrarum sit, in veneratione Virginis illius omittamus. Hac enim propitiâ Deum offensum esse non posse novimus. Bonaventura dicere ausus: *Sicut ô beatissima, omnis à te aversus & despectus, necesse est ut pereat; sic*

Gen. c. 27. v. 28. 2. Reg. c. 14. v. 21. 1. Reg. c. 25. v. 35. 3. Reg. c. 1. vers. 15. & seqq.

B. Matia partes primas obtinet in venerandis cælitibus.

Bonavent. lib. 1. Phar. cap. 5.

eat; sic omnis ad te conversus, & à te respectus impossibile est ut intereat.

§. VI. *Tres aliæ præceptiones,*

4. Amor puritatis & Virginitatis.

IV. *Amor Puritatis & Virginitatis.* Hanc præceptionem priori ritè ac ordine connectimus. Christus de cruce Matrem Virginem Joanni virgini commendavit. Nemo speret filium sè permansurum hujus Matris, nisi ipse permaneat amator & cultor puritatis. Pulchra est hæc Virgo ut luna, imò pulchrior quàm luna, & macula non est in illâ, nec amare potest libidinum sordibus maculatos. Q. Metellus, Valerio teste, Urbanus Prætor Vetilio juveni, quòd vitam impuram ageret, bonorum possessionem secundùm testamenti tabulas non dedit, ne aut mores illius approbaret, qui fortunas suas in stabulum contaminatum projecerat, aut ne illi tamquam integro civi jura redderet, qui se ab omni honesto vitæ genere abruperat. Si tantam honestati reverentiam habent idololatræ, ut lascivo juveni paternam hæreditatem jure negent, nil profectò hæreditatis speret à Virginum Virgine, qui prærmortui pudoris homo & puritatis osor libidine vitam inquinarit. Impuros odit & arcet hæc Virgo. Casta placent superis. Hinc Ægidius Francisci Assisiatis tertius assecla illud ore sæpius versabat: *Quid nos Deo magis commendat, eiq; charos reddit, nisi illa mentis castitas, quæ sensus omnes custodit?* Evigilet hîc cujusque conscientia, & sibi ipsa occinat Paulinum illud: *Caro & sanguis regnum Dei possidere non possunt. Qui seminat in carne suâ, de carne & metet corruptionem.* Secundùm carnem vivere, est mori.

Valer. lib. 7. cap. 7.

Lascivo B. Maria non succurrit.

Surius tom. 2. die 25. Aprilis.

1. Cor. c. 15. v. 50. Galat. c. 6. v. 8.

5. Animus ad Christi calicem bibendum promptus. Davidis in adversis patientia & constantia.

V. *Animus ad Christi calicem bibendum promptus.* Hebræus Rex David quàm capax poculum felle plurimo mistum lætus ebibit? Annis compluribus sine regno Rex fuit, in perpetuo mortis metu, inter assiduas Saulis insidias silvam è silvâ, montem è monte, specum è specu mutans, famem & sitim toleravit. Regno demum potitus quantis bellorum turbis, calamitatibus quantis exercitatus est? Amnon filius domum regiam incestans, vitium sorori obtulit, Amnonem Absalon super mensam jugulavit, parentem David solio pulsum ingenti exercitu insecutus ad quercum capillis inhærescens tribus lanceis confossus periit. Non defuit fames horrenda, quæ triennium occupavit. Hanc secuta est pestis non adeò diuturna, sed nimium sæva, quæ triduo septuaginta millia hominum extinxit. Ita clades cladem excepit. Sed istas tòrque alias ærumnas poculum salutis nominans, *Calicem salutaris accipiam,* inquit, *& nomen Domini invocabo.* Hanc felle spumantem pateram accepit animo alacri, & impiger hausit. Animus erectus, alacer, promptus, Deóque fidens omnia triumphat mala. Inter pugiles olim jactabatur notum illud: Jam pæne vicit, qui gladium animosè strinxit. Animo frangi, est velle vinci. Ah quoties animo frustrà reluctante calicem salubernimum aversamur! Augustinus ad bibendum & patiendum efficacissimè animans, *Fili,* ait, *si sub tuis afflictionibus plores, pie plora, nam quod pateris, medicina est, non pœna. Noli attendere, quam pœnam habeas in mundo, sed quem locum in testamento.* Merum aurum, non verba. Augustini monitum Juditha vidua cælesti oratione confirmans, *Quomodo,* inquit, *pater noster Abraham tentatus est, & per multas tribulationes probatus, Dei amicus effectus est. Sic Isaac, sic Iacob, sic Moyses, & omnes qui placuerunt Deo, per multas tribulationes transierunt fideles. Illi autem qui tentationes non susceperunt cum timore Domini, & impatientiam suam, & improperium murmurationis suæ contra Deum protulerunt, exterminati sunt ab exterminatore:* quemadmodum latronum alter, qui calicem quidem amarissimum bibit, sed bibit invitus, & ideò cum salutis dispendio. Accipe ergo calicem salutaris, accipe, & nomen Domini invoca. Animus ad patiendum pro Deo promptus vincit omnia.

Psalm. 115. v. 4.

August. in Psal. 99.

Judith c. 8. v. 22. & seqq.

VI. *Iugis memoria patientis Christi ac morientis.* Hoc scimus Christo Deo rem omnium esse gratissimam, cruciatuum suorum suæque mortis perpetem memoriam. Hinc pro inæstimabili beneficio illud unum exigens, *Hoc,* inquit, *facite in meam commemorationem. Recordemur,* inquit Bernardus, *misericordiam Dei, ut sic in ejus amorem accendamur. Revocemus in memoriam bona quæ tribuit nobis, & tormenta quæ pertulit pro nobis.* Non est dubium quin illa Domini verba, *Ecce filius tuus, Ecce Mater tua,* è beatissimæ Virginis & Joannis memoriâ numquam abierint; hærebant ea pectore altissimo reposita, assiduè æternúmque memores erant tam mœstæ commutationis. Hanc ipsam Christi patientis memoriam commendans Paulus, *Recogitate,* inquit, *eum qui talem à peccatoribus adversum semetipsum sustinuit contradictionem.* Hunc Dominum pro nobis passum die uno alteróve cogitare, non satis est. Recogitate illum, recogitate. Cruciatus & mors Christi, animo numquam excidant. Caussam adjungens Paulus, *Ne fatigemini,* ait, *animis vestris deficientes.* Hoc homini Christiano in extremis summo erit solatio Christum crucifixum jugi memoriâ coluisse. Hoc moribundum mirificè refrigerabit, si conscientiâ non reclamante possit dicere: Ecce Mater mea, quæ tantum in me beneficiorum contulit, cujus ego si non fui, saltem esse conabar filius. O Mater Dei, moper Sanguinem & mortem Filii tui te rogo; tuis apud filium deprecationibus, meam te Mattem esse monstra, & reo mihi veniam deposce. Ecce filius tuus, sed tantâ matre indignus: ô Mater misericordiæ, ne deseras me brevî cum morte fluctaturum.

Ira prorsus, ita mortis hora horis omnibus in memoriam reducenda. Latet ultima hora, ut observentur omnes horæ; omnes igitur observandæ. Quod facilè fiet, si patientis aĉ morientis Christi numquam obliviscamur.

§. VII. *Præceptio septima, & ultima.*

VII. *Humanæ voluntatis ad divinam integra conformatio.* En solem Dominum Jesvm, sed solem cruentum, nos instar heliotropii omnem voluntatem nostram ex toto ad illum vertamus. De prodigiis vaticinatus Joël, *Sol,* inquit, *convertetur in tenebras, & luna in sanguinem.* Die morientis Christi sol justitiæ conversus est in sanguinem, & luna in tenebras. Sol sanguineus in cruce Christus, sub cruce Mater Christi heliotropium voluntatis fuit ad omnes Dei nutus adeò parata, ut si defuisset qui Filium æterni Patris decreto crucifigendum in crucem attolleret, ipsa suis hoc manibus non recusâsset exequi, ut divinæ voluntati fieret satis. Nimirum Abrahamum agere, & filium suâ manu litare victimam sustinuisset, si scisset id Deo placiturum. Hanc summam Virginis beatissimæ conformitatem cum arbitrio divino Sueca vidua Birgitta his omnino verbis, quæ integrè adnumerabo, descripsit: Quando considerabam loca clavorum in manibus & pedibus, quos secundùm Prophetas crucifigendos audivi, tunc oculi mei replebantur lacrymis, & cor meum quasi scindebatur præ tristitiâ. Cùm verò considerarem potentiam Deitatis ejus, consolabar iterum, sciens, quòd ipse sic vellet, & sic expediret; & omnem voluntatem meam conformavi voluntati ejus. Sic semper erat lætitia mea dolore mixta. O quàm libenter posita fuissem in sepulchro viva cum filio meo, si fuisset voluntas ejus. En quàm fixis oculis Heliotropium istud solem suum respicit! Hanc sanctimoniæ normam viri fœminæque complures didicerunt.

Elisabetha Pannoniæ Regina, Thuringiæ Princeps, suam divinæ voluntati tam arcto nexu conjungebat, ut, mortuo marito Principe Ludovico diceret: Si ego amantissimum conjugem defunctum capillo vel unico possem è sepulchro evocare vivum, hoc tamen divinæ

voluntati

voluntati non adeò placiturum scirem, id profectò non facerem. Dictum auro exarandum.

Guliel. Malmesb. lib. II. de gest. Reg. Anglorum.

In nuperis illis Germaniæ bellicis turbis maximus Principum tam generosè dixit quàm sanctè: Dominus meus mihi & domui meæ plurima bona contulit: si ea iterum vult eripere, me ac meos punire, habet nos paratissimos ad excipiendam optimi Patris castigationem.

Cùm quadraginta Sebasteni Martyres rigente gelu priùs in lacu frigidissimo collocati, dein fractis tibiis in rogum essent præcipitati, & Melithon natu minimus negligeretur, ecce adest mater Spartana, & spirantem adhuc filium ad mortem subeundam animans, Mi fili, ait, sustine paulisper, ecce Christus ad januam stat, & expectat te. Mox eo in humeros sublato ad ceterorum cumulum magnis passibus contendit. Sed extinctum in viâ filium, Mater generosissima suis ipsa manibus in martyrum rogum injecit. Divina Mater filium ad crucem prosecuta, Patri eum obtulit, & velut in ignem injecit mirâ suæ voluntatis ad divinam conformatione. Hæc ipsa nostrûm omnium mater è cælo nos inclamat: Filii, sustinete paullulum: ecce Christus ad januam stat, luctantes adjuvat, vincentes coronaturus expectat.

B Maria filium obtulit Patri mirâ suæ voluntatis ad divinam conformationem.

Quidquid igitur in nos doloris aut mœroris immiserit Deus, & fortiter perferamus & constanter. Christo magis decorum est crucem pati quàm mereri.

CAPVT IV.

Quarta Christi morientis cygnea modulatio: Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me!

Cum tres è Jobi cognatis, Eliphaz, Baldad, & Sophar, intellexissent sui consanguinei acerbos casus, officii causâ ad eum unà properârunt. *Condixerant enim, ut pariter venientes visitarent eum. Cumque elevassent procul oculos suos, non cognoverunt eum, & exclamantes ploraverunt, scissis q; vestibus sparserunt pulverem super caput suum in cælum. Et sederunt cum eo in terrâ septem diebus & septem noctibus, & nemo loquebatur ei verbum: viderunt enim dolorem esse vehementem.* Job cap. 2. v. 11. & seqq.

Patientissimus Job noster Dominus Jesvs in Calvariæ sterquilinio sedit percussus ulcere pessimo, & non erat in eo sanitas. Si amici sumus, attollamus oculos, an nostrum hunc propinquum adhuc noverimus, scindamus non vestimenta sed corda nostra, spargamus caput cinere, sedeamus cum eo in terrâ, & videbimus dolorem esse vehementem, qualis non fuit in hominum ullo. Inter cruciatus Christi nihil luctuosius aut horrendius quàm ea vox, quâ Dei Filius se à Deo, ab ipso Patre desertum proclamavit. Ergo hæc ipsa Christi verba, *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me!* hoc capite explicanda.

Inter cruciatus Christi nihil luctuosius voce, qua se à Patre desertum proclamavit.

§. I. *Quare derelictus sit Christus.*

Cum Chrysostomo dixerim: Exhorrescat cælum, & contremiscat terrâ ad illas tam lugubres innocentissimi hominis voces. Et quomodo sese continere potuerunt Angeli, qui Heliodorum prædonem templi gazophylacio imminentem flagris probè multatum ejecerunt è templo? Et vivum illud sanctissimúmque templum in cruce tam truculenter vastari, exscindi, solo adæquari sinunt. Videt hoc Pater, & silet; nullus Angelorum se movet, succurrit nemo. Hinc Christi voces: *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?* Ah quare jam demum incipit queri? Tanta jam passus, nec minimum edidit querimoniæ. Angores in oliveto sanguinem illi exprimunt, non queritur. Flagellis cæditur, ve- Matt. c. 27. v. 46.

preto incingitur, per publicas vias ad crucem trahitur, suismet vestibus exuitur, in crucem suffigitur, nec verbulo injurias & dolores queritur. Unde igitur isti tam mœsti ac seri quiritatus? Ordine succincto caussas aperiemus. Caussæ cur Christus se derelictum queritur:

I. Caussa: Jessæi carminis oraculum erat complendum. Rex David, Christi archetypon, clamabat olim: *Deus, Deus meus, respice in me, quare me dereliquisti?* Hunc totum Psalmum existimant priscí Patres à Christo in cruce silentio pronuntiatum. 1. Jessæi carminis oraculum erat complendum. *Ps. 21. v. 2.*

II. Innocentiæ testandæ hoc dictum. Latrones de seipsis interrogare non poterant, Cur in crucem sublati, cur deserti sumus? Vos quidem justè, ô viri, & factis digna recipitis: hic autem quid mali gessit? Hebræus Psaltes canit: *Non vidi justum derelictum.* Cur ergo derelinquatur justissimus? 2. Innocentiæ testandæ hoc dictum. *Ps. 36. v. 35.*

III. In membris suis derelictus Christus dixerit: Mi Pater, cur populum, è quo Mater & ego nati, repudias? Prævidit etiam Servator sua membra, Christianos miris modis vexandos, deserendos, excarnificandos, perimendos. Hos dolores jam senserat capite. 3. In membris suis derelictus Christus dixit.

IV. Horrorem mortis, quem natura in horto monstravit, hunc etiam in clivo Golgothæo non dissimulavit. Num calix amarissimus usque ad fæces ebibendus: Deus meus, Deus meus in eo jam sum: fiat voluntas tua. 4. Horrorem mortis in clivo Golgothæo non dissimulavit.

V. Verum se hominem, & cruci hærentem inter dolores summos ostendit. Alioquin afflictorum aliquis aut ægrorum forsan objecerit: Christus ea facilè ferre potuit; non sensit. Imò verò sensit quàm maximè. Hinc voces illæ lamentabiles. Hæc potissima tam acerbi planctûs caussa. Hæc enim Christus non ut actor comicus in theatro, sed ut homo derelictus jam jam moriturus seriò pronuntiavit. 5. Verum se hominem & cruci hærentem inter dolores ostendit.

VI. Ita cruciatus suos esse maximos testatus est, quales ab orbe nemo passus, nemo passurus. Nemo enim plures simul pertulit, nemo majores, nec ullius tenerior fuit aut sensilior corporis constitutio. Quod clarissimè Thomas Aquinas asserens his ipsis verbis, *Dolores,* inquit, *quos Christus passus est, omnes excesserunt dolores, quos homines pati possunt in hac vitâ. Non modò propter passionis acerbitatem & generalitatem, verùm etiam propter Christi patientis constitutionem, & voluntariam dolorum assumptionem, quæ secundùm quantitatem sini proportionata fuit.* Multa tulit Jobus, sed plura Christus, verè vir dolorum. Multa tulit paralyticus, qui annis triginta octo decubuit; multa Lazarus est perpessus; sed plura & graviora Christus. Ille ulceribus plenus, hic merum ulcus, vulnus merissimum: vir dolorum omne genus doloris & mœroris toleravit Christus, exceptis solis inferorum tormentis. Hoc testantur inhærentes vertici spinæ, hoc vultûs livor & tumor, hoc exhaustæ genæ, hoc humeri à columnâ & cruce saucii, hoc manus pedésque clavis fixi, hoc omne corpus flagellis laceratum, hoc omnia membra, ut in testudine fides, distenta; nihil non læsum & ulcerosum, vir dolorum. 6 Ita cruciatus suos esse maximos testatus est. *Thom. parte 3. q. 46. art. 6. conclus.*

VII. Animus omni solatio destitutus. Ægrimonia & mentis dolor omnem corporis dolorem superat. Acerba pati, simúlque solatiis omnibus orbari, pondus intolerabile. Æger animi & in angustias adductus credit se pondus orbe ipso gravius portare. Videri poterat Christus patientissimus divinis solatiis inundatus, pleraque sine acerbo sensu perpeti. Aliter erat. Ut igitur luculenter ostenderet se solatiis prorsus omnibus subductis passum, in horto sanguine sudavit, in ligno se derelictum exclamavit. Nihil erat in acebissimis tormentis levamenti, nihil nec solatioli quidem, nihil fomenti. Omnia inconsolabilia. Nusquam nec capiti, nec manibus aut pedibus, nec tergori nec cordi quies. Effigiem hujus est cernere in Job vociferante: *Pharetram suam aperuit, & afflixit me. In memetipso marcescit anima mea, & possident me dies* Iob cap. 30. v. 11. 16. 19. 20. & 21. 7. Animus omni solatio destitutus.

me dies afflictionis. Comparatus sum luto, & assimilatus sum favillæ & cineri. Clamo ad te, & non exaudis me; sto, & non respicis me. Mutatus es mihi in crudelem. Sagittæ tuæ acutæ, Psal. 44. v. 6. *Sagittæ tuæ infixæ sunt mihi.* Dominicum pectus post mortem Longinus ferro reserat, hoc ipsum Christus in cruce vivus tam lugubri dicto aperuit, tamquam si diceret: Aspicite, quantum hoc pectore lateat doloris & ægrimoniæ. v. 7.

8. Prævidit Servator paucitatem eorum qui vellent hæc vestigia sequi.

VIII. Prævidit etiam Servator paucitatem eorum, qui, ut beatus Petrus loquitur, *communicantes Christi passionibus* vellent vestigia hæc sequi. * Et unicum tunc in orbe hominem habuit Matrem, in quâ perfecta fides: unicum tunc lucratus est latronem.

* 1 Pet. c. 1. v. 21. & c. 4. v. 13.

9. Plura pati paratus erat.

IX. Plura pati paratus erat. Eò enim hæc verba spectare autumat Beda; perinde ac si dixisset Christus: Ut quid tam Pater, quàm vires & vita me derelinquunt? graviora tormenta & diuturniora perpeti non recuso. Nimirum videbantur ei dolores non satis multi præ amoris magnitudine.

10. Tam acerbæ perpessionis & desertionis causam à nobis indagari voluit. Matt. c. 27. v. 19. & 46. Luc. cap. 23. v. 46. Psal. 21. v. 1.

X. Tàm acerbæ perpessionis & desertionis tam mirandæ caussam à nobis indagari voluit. Nulla in Christo ignorantia; Deus erat. Nulla impatientia; sanctus & justus erat. Diabolus ipse per Pilati conjugem fatetur: *Nihil tibi & justo illi.* Deinde illa ipsa verba, *Deus meus, Deus meus,* &, *Pater in manus tuas commendo spiritum meum,* summæ patientiæ hominem ostendebant. Cur ergo filius à Patre adeò desertus? Vestigemus abditam caussam. Hebræus Psaltes ubi quæstiisset, *Quare me dereliquisti?* mox ipse mysterium pandens, & caussam subjiciens, *Longè,* inquit, *à salute meâ verba delictorum meorum.* Immensa moles alienorum criminum ita Dei Filium affecit, ut nec ipse Pater parcere voluerit Filio. Quemadmodum Joseph Ægyptius Prorex puniturus furtum, *Apud quemcumque,* ait, *fuerit inventum, ipse sit servus meus:* ita prorsus in Dei Filio inventa sunt delicta nostra. Nam *posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrûm.* Hinc illa desertio, hinc terrificus sagittarum nimbus in unum Christum defluens, hinc clamor ille luctuosus: *Eli, Eli, lamma sabacthani?* Humanæ gentis scelera horum omnium caussa.

Gen. c. 44. v. 10. Isa cap. 53. v. 6. Matt. c. 27. v. 46.

§. II. *Quomodo derelictus sit Christus.*

Liceat hîc quærere, Quî tandem potuit à Patre Filius ita deseri? Inspiciamus ante tempus facti, quàm dicta resolvamus. Circa horam nostram duodecimam, Judæorum sextam, Christus cruci affixus est, & tria prima protulit effata. His dictis ortæ sunt tenebræ durantes trihorio, quo Christus silens orabat, omniúmque animos terror occupabat. Horâ pomeridianâ nostrate tertiâ, Judæorum nonâ, sol iterum visus, Christus denuo loqui orsus, lugubres illas voces ad Patrem edidit: *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?* Et quî fieri potuit, ut à Patre Filius ita desereretur? Nam Christus non tantùm viator (ut in scholis loquuntur Theologi) sed & comprehensor fuit, atque secundùm totam animam Deum vidit, & divinitas numquam à corpore, numquam ab animâ, nec in morte quidem separata est. Unde igitur tanta desertio? Nam qui Deum videt, etsi medius flammarum ardeat, illi tamen bene, illi erit optimè, omnem doloris sensum exuperabit gaudium. Ad rogatum respondemus verbo. Justitia divina illo juris rigore hîc egit, ut ea miraculum patrare potiùs, quàm patratum scelus impunè dimittere voluerit. In extremâ Christus desertione pati debuit & quamvis anima Deum viderit, hoc videre tamen, nec animi nec corporis cruciatus quidquam mitigavit, miraculo singulari: quod magnus ævi nostri Theologus exponit. Sed urget quæstio: Quis igitur deserendi modus fuit?

Ibid. c. 27. v. 46. S. Thom. p. 3. q. 46. art. 8. concl. & qu. 50. a. 2. & 3. & cũ eo omnes Theologi.

Qui fieri potuit ut Christus à Patre desereretur.

Ita Gabriel Vasquez to. 1. in partem 3. S. Thom. mihi pag. 764.

Quatuor modis potentia divina aut juvat aut deserit in adversis.

Potentia divina quatuor ferè modis aut juvat aut deserit in adversis. 1. Liberat ab afflictione, ab hoste. Ita Davidem à Saule & Absalone, Jonam è ceto, Susannam à morte liberavit. 2. Mitigat minuitque afflictionem. Sic Josepho Christi nutritio dictum ab Angelo, licere quidem Herodis ficam evadere, sed fugiendum esse in Ægyptum. Durum fuit & hoc, ad idololatras proficisci, sed tamen suavius quàm infantem perdere. 3. Solatur & roborat in ærumnis. Ita tres juvenes Hebræi in fornacem Babylonicam missi, sed præsentem sibi habuerunt Angelum, flammis in rorem mutatis. Elias Jezabelem fugit, sed Angelus commeatu & solatiis fugientem erexit. Ezechiel exul & captivus in Chaldæam ductus, sed visis cælestibus est recreatus. 4. Subinde Deus nil horum homini præstat, sed solùm à noxis immunem servat. Ita Jobum septennio inter morbos gravissimos, egestatem summam, & extrema omnia desertum à peccatis tantùm defendit.

Ita Filium cælestis Pater deseruit. 1. E cruce non liberavit, à morte immunem non fecit. 2. Dolores non minuit, sed auxit ad supremum usque halitum. 3. Solatiis non permulsit, consolatores Angelos non misit, nil erat quod dolores vel minimùm leniret. *Qui simul contristaretur non fuit, & qui consolaretur, non inveni.* Mater auxiliari nequit, Apostoli fugerunt, abfuerunt Angeli, ipse Pater sese abscondit, Judas prodidit, Petrus negavit, Reges illuserunt, Judices condemnârunt, servi pugnis & flagris cecîderunt, crucifixerunt gentes. A notis ignotis, suis alienis, summis imis desertissimus, coram orbe pendet vulgi ludibrium. Propinatum calicem auferre non vult Pater, nec illius amarorem dulcedine ullâ temperare. Exhauriendus est usque ad fundum, fæx illius exinanienda, *usque ad fundamentum in eo.* Atque hinc flebilis ille clamor: *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?*

Trib. modis Christus deser. Psal. 21. Psal. 68.

Seipsum imò (quod mirius) deseruit Christus. Theologiæ pronuntiatum est: Opera Trinitatis ad extra sunt indivisa. Quem igitur divinus Pater, hunc etiam eumdem crucifixum hominem deseruit Filius. Quemadmodum verò Christus omni vitâ beatitudinem animi distinuit, ne in corpus redundaret, ita mortis tempore inferior & sensilis pars animi solatiis omnibus destituta fuit. Hinc lamentabilis illa vociferatio. *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?* Sed rem oculis subjicimus.

Scipsa Christus deser.

§. III. *Exemplis id monstratur.*

Olympus mons supremo capite suo excedit nubes, summâ gaudet serenitate, lætissimam præ se fert faciem, nullis tempestatibus turbatur; monte medio & imo pluit, ningit, grandinat, tonat, fulminat. Ita in Christo suprema pars fruebatur Deo, sed ea inferiorem non adjuvabat. Ita Apocalypseos Angelus pedem unum in continente, in salso mari alterum collocavit. In cenâ quidem Christus dixerat, *Ecce venit hora ut dispergamini unusquisque in propria, & me solum relinquatis: & non sum solus, quia Pater mecum est.* Erat certè, sed quarto, quem assignavimus, modo, humanam naturam servans, ne vel minimum contraheret impatientiæ. Cetera omnia desertissimus fuit Servator.

Exemplis monstratur. Joan. 16. v. 32.

Verè Justitia divina hîc jure usa est rigidissimo, nec ab orbe condito tale statuit severitatis exemplum. Isaacus in victimam jugulandus, si Christo conferatur, fabulam egit, ludicrum edens spectaculum. Ponebatur quidem ara, struebantur ligna, aderat ignis, vinciebatur Isaac, imponebatur aræ, stringebatur gladius, destinabatur in cervicem ictus. Et en vox aures ferit: Contine manum, reconde gladium. Ita tantus ad sacrificium apparatus poterat videri ludus & jocus. Sed hæc in monte Moriâ. Nil horum in monte Golgothâ. Seria omnia & decretoria. Crux ara fuit; lignorum strues, maledicta, ignis, tormenta; Isaac innocens ligatus, aræ impositus, & demum immolatus est; Pater gladium strinxit, percussit, interemit. Et fatetur: *Propter scelus populi mei Isaiæ 53. v. 8. percussi eum.*

Gen. 22. v. 7.

Rectè Damascenus dixit: *Omnem iram Pater in filium effudit.*

effudit. Diluvium immisit orbi, Ægyptum clade multiplici affecit, Sodomæas urbes cælestibus flammis abolevit, in illis tamen omnibus suppliciis non ita furor divinus sævit, atque cùm in filio primævam culpam puniit. Quod obstupescens Paulus *Proprio*, inquit, *filio non pepercit.* Omnes virgas plectendis mancipiis ligatas, omnia iræ suæ spicula in eo confregit. Nunc verò post tam acerbum de filio sumptum supplicium longè punit mitiùs, gemitúque vel unico placatur. Nam omnem iram in illam crucis victimam effudit. Reverâ sensit filius, & dolorem his Psaltæ verbis aperuit: *In me transierunt iræ tuæ.* Gladium Pater ipsémet non tantùm strinxit, sed in præcordia unigenæ adegit.

Hîc animum subit quod Joannes Mariana memoriæ prodidit. Res prorsus tragica, & cothurno nobili ploranda. Alphonsus Tariffæ urbis præfectus, cùm eam Marrocius Rex oppugnaret, constantissimè resistit. Accidit, ut Alfonsi filius in Maurorum potestate esset, quem illi patris oculis ostentantes, nî oppidum dederetur, sese jugulaturos minabantur. Ad eas voces pater nihil commotus, negavit deditæ urbis maculam ullo incommodo elui, ne si centum quidem filii jugularentur. Gladium etiam, si in sententiâ perstarent, è muro projecit, & ad prandium interritus abiit; inde militum clamore dissono, & ululatu vehementi revocatus. Puer namque barbarâ crudelitate trucidabatur: crudele spectaculum, eóque fædius, quòd Joannis Principis jussu perageretur. Alfonsus caussâ cognitâ, Credebam, inquit, ab hostibus urbem captam. Itaque ad uxorem & prandium rediit, nullâ turbati animi significatione. Sic affectui, sic lacrymis potuit heros imperare. Barbari desperatâ victoriâ redierunt in Africam.

Ita Deus *proprio Filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum.* Nam ab omni æternitate ita decrevit Filium esse crucifigendum, ac si crucem ac clavos ipse dejecisset cælo, additis vocibus, Crucifigite. Nimirum, quod Isaias dixit, *Dominus voluit conterere eum in infirmitate.* Cogitatu prorsus horrendum! Deus ita peccatum odit, ut illud in seipso puniverit. Est hîc aliquid, mi Lector, quod dici non possit, post dicta omnia.

§. IV. *Quomodo Christum deseri nos juverit.*

HEbræus Rex David divinam benignitatem extollens, *Apud Dominum*, inquit, *misericordia, & copiosa apud eum redemptio.* Hinc Bernardus, *Si mille mundos*, ait, *redimere debuisset, non plus dedisset; sit te unum solum, non minus.* Verè copiosa redemptio, copiosissima. Matthæi ore gallinæ se confert Christus. Fuit profectò mater pullorum amantissima. Nec enim ægrotare tantùm, sed & mori sustinuit, ut pulli viverent. Audite prodigium amoris in volucre. Gallina mediis agris errabat cum suâ pullitie. Hîc bona mater cæli non observans, imminentem terræ tempestatem non declinavit. Subitò cælum omne lapidescere, horribilis grando ruere; pulli celerrimè sub maternas alas convolare, quos pia mater fidelissimè texit illæsos; nam lapides à lubricis alis excussi facillimè pullitiem non attigerunt, ipsam verò gallinam ita miserè contuderunt, ut reperta sit mortua salvis pullis. Hoc in terrâ & in imo amoris miraculum. Sed attollamus oculos, & contemplemur gallinam in alto, matrem nimis quàm piam. Et enut alas pandat, sobolem operiat, mortem oppetat, ut pulli vivant. Christi patientis vox est: *Omnes fluctus tuos induxisti super me. Tempestas demersit me.* Nos autem in velamento alarum ipsius protegimur; sub pennis ejus speramus.

Omne genus dolorum ac ludibriorum excepit Christus, ut nos tueretur illæsos. Matthæus memorans, *similiter*, inquit, *principes sacerdotum illudentes cum scribis & senioribus dicebant: Alios salvos fecit, seipsum non potest salvum facere.* Verè salvos fecit, qui suos in tormentis, in morte non deseruit, sed tolerantiam, vires, animos suffecit.

Paulus, seipso teste, quotidie moriebatur, nihilominùs sed vires cantabat hilaris: *Repletus sum consolatione, superabundo gaudio, in omni tribulatione nostrâ.* Laurentius incubuit prunis tamquam rosis; in ipso dolorum æstu jocatus est. Erasmus Episcopus, dum intestina illius è corpore tractim educuntur, videt turmam cælitum coronam ferentium sibi destinatam. Hoc dolores sopivit. Beatus Servulus à paupertate ac paralysi miserè habitus, in extremis cælites ad suum grabatulum cantantes audiens, Silete, inquiebat, ut tantò suaviùs fruar hac symphoniâ. In cælo fuit, antequam migraret in cælum. Faustinus & Jovita nobiles Brixiani Martyres, ævo Adriani Imperatoris, feras, vincula, flammas experti, denique per omnem Italiam circumducti omnia pæne theatra sanguine suo pinxerunt, sed Angelis solantibus; post omnes tormentorum species in patriâ gladio cæsi sunt. Tiburtius in igne deambulavit, tamquam si in pergulâ hortensi rosas & violas calcaret. Jacobus Intercisus novem horarum carnificinâ, manuum primò pedumque articulis, tum brachiis furiséque, capite demum truncatus periit membratim. At ille ad singula, quibus mutilabatur, membra generosè hoc unum dixit: Deo gratias. Theodorus juvenis Antiochiæ, Juliani Apostatæ jussu in equuleo flagris fœdissimè laceratus, nullum nec doloris quidem signum edidit. Dimissus ab equuleo interrogatus est, an hominem exuisset, qui verbera non sentiret? Quibus ille, Juvenis, ajebat, mihi adstitit, qui sanguinem extersit, & recentes plagas liquore odorifero perfudit. Sed ille jam abiit. Vos porrò me attrahite, cædite, denuo lacerate; malo cædi, malo mori, quàm hoc martyrii socio privari. Ad Christi cunas adfuerunt quidem cælestes genii, & auras modulis permulserunt: ad Christi crucem illorum nullus comparuit. Alios reverâ salvos fecit, seipsum noluit salvum facere; dereliquit seipsum.

Videte Agatham virginem vultu lætissimo ad carcerem & catastam velut ad epulas & choreas invitatam euntem. Eulalia virgo cùm discerperetur flagris, risit; suo picta sanguine velut superbè sese circumspexit, cùm ardentes admoverentur faces, flammas ore patulo excepit, Deóque animum lætabunda transmisit. Luciam virginem hancunicam non mille manus, non funes mille, & plura boum juga de loco, minùs de proposito casto dimovere poterant. Ergo sarmenta congesta, rogus accensus. Sed lucebat pulchriùs suis ignibus Lucia & è flammis Imperatoribus mortem, Syracusanis præsentem opem, Ecclesiæ pacem vaticinabatur: in igne ut phœnix vivebat, & virgo viros animabat, dum guttur gladio transfigeretur. Thecla virginum princeps leones, quibus objecta, cicuravit; tauros, quibus alligata, domuit; aquarum monstra, quibus immissa, vicit; ignes, quos conscenderat, triumphavit; flammæ, quæ nec Herculi pepercerant, virgini pepercêre. Unde hoc robur puellæ, unde salus tam inexpugnabilis? Christus alios salvos fecit, noluit seipsum. Christiana virgo patris furorem quam fortiter tulit? alapæ, vincula, rotæ, unci, flammæ velitationis speciem præbuêre. Diutissimè verberibus laniata deciduas carnes suas parenti velut joco in os projecit. Angeli deinde manu persanata in lacum Vulsinum, molari ad collum appenso, præceps data est. Vicit Christiana undas, & quæ nuper sanguine, nunc toto lacu à Christo baptizari gavisa est, atque incolumis enatavit. Pòst, inter serpentes illæsa, inter flammas intacta cecinit, dum denique sagittis configeretur. Anatolia virgo post vincula, equuleos, flammas, serpentem immanem superatum, cervicem gladio læta porrexit, pudorémque Christo sacrum sanguine tinxit, ita liliis rosas miscuit. Justinæ virgini devorandæ erant alapæ, ferenda verbera, & crudelis uberum carnificina. Atqui hæc inter supplicia talem Justina vultum præ se ferebat, ut inter paradisi amœnitates, quas unas tunc loquebatur, obam-

Dan. cap. 8. v. 11.

Psal. 87. v. 17.

Dion. Mariana lib. 15. hist. Hisp. cap. 16. mod. mihi p. 695. Sex Tarteſſa, atque Cæteræ.

Rom. cap. 8. v. 32.

Isa. cap. 53. v. 10.

Psalm. 129. v. 7.

Matth. c. 23. v. 37. Christus suis mater pullorum amantiſſima.

Psal. 87. v. 8. Psal. 68. v. 3. Psal. 60. v. 5. & Psal. 90. v. 4. Matt. c. 27. v. 41. & 42.

Christus in tormentis suos non deseruit,

De hoc Gregorius lib. 4. dial. cap. 14.

De hoc juvene Augustinus tom. 5. lib. 18. de civit. c. 52.

2. ad Cor. cap. 7. v. 4.

tur, obambulare sit visa. Denique ad supplicii locum capite truncanda rudens properavit. Juliana virgo laudatissimæ formæ, capillis suspensa, verberibus cæsa, ferro ustulata est. Hos tamen illa cruciatus in Eleusio Nicomediæ Præfecto velut blanditias laudavit: flammas, ad quas damnata erat lacrymis extinxit, lebetem ab igne ferventem precibus rupit, deniqꝫ priusquam judici manus daret, caput lætaris dedit. Quis tantas vires, tam viriles animos, quis patientiam tam invictam, tam admirandam in tormentis lætitiam, tam insignem inter supplicia victoriam tot puellis concessit? Christus crucifixus, qui alios salvos fecit, & seipsum dereliquit.

Homines priscę legis à Christo in adversis liberati.

Sed & priscæ legis homines hæc eadem Christi virtus inter tot malorum & mortis occursacula servavit. Apertissimè David, *In te*, inquit, *speraverunt patres nostri, speraverunt & liberâsti eos; ad te clamaverunt, & salvi facti sunt* Et de seipso, *abscondit me in tabernaculo suo*, inquit, *in die malorum, protexit me in abscondito tabernaculi sui.* In tam adversis casibus Joseph minimè desertus est. Nam illa ipsa Christi virtus *descendit cum illo in foveam, & in vinculis non dereliquit eum.* Daniel inter leones septem impastos tam securus agit, tamquam si inter agnellos diversaretur.

Psalm. 21. v. 5. & 6. Ps. 26. v. 5. Sap. cap. 10. v. 13. & 14.

Sed en Danielem nostrum non inter septenos, nec inter septem millia, sed dixerim inter septuaginta millia leonum. Credibile prorsus ad hoc spectaculum, ut Lucas illud nominat, supra septuaginta millia hominum confluxisse: inter istos tot leones, tot improbos hostes exclamat insons noster Daniel: *Ego autem sum vermis, & non homo. Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me! Sagittæ potentis* quàm *acutæ* sunt!

Psal. 21. v. 7. Matt. c. 27. v. 46.

Paralyticus triginta octo annis decumbens æger, & desertionem suam altè ingemiscens: *Hominem*, inquit, *non habeo.* Habuit tectum, socios, grabatum, habuit qui stipem & cibum darent, nihilominus queritur: *Hominem non habeo.* Dei Filius queri poterat: Non tantùm non hominem, sed Deum non habeo. *Longè fecisti notos meos à me, posuerunt me abominationem sibi.* Deus nec à cruce nec à morte filium liberavit, sed nec dolores mitigavit, solatiis spoliavit omnibus: *Et nos reputavimus eum percussum à Deo.* En pullos salvos, & matrem gallinam morientem, en innocentissimum Danielem tot leonum millia maledicis linguis vulnerant, mors demum discerpet, sed non deglutiet hanc prædam. Christus igitur ad Patrem succlamavit se derelinqui, ut per hanc derelictionem suam toti humano generi impetraret singularem gratiam. Nimirum optima mater sic pullos suos servari & liberari voluit. *Livore ejus sanati sumus.* Colligamus hinc documenta.

Psalm. 87. v. 9.

Isa. cap. 53. v. 4.

Ibid. v. 5.

Ex hac derelictione Christi documenta.

§. V. *Quinque documenta huc spectantia.*

1. Cũ malè habemus epistolium mittamus æterno Patri.

I. CVm malè habemus, epistolium mittamus æterno Patri. Cùm Lazarus decumberet, Magdalena & Martha sorores, litteras breves miserunt Christo, his conceptissimis verbis: *Domine, ecce, quem amas, infirmatur.* Christus extremis angoribus circumfluens, litteras ad Patrem misit his omnino verbis: *Eli Eli lamma sabactani!* Sed Judæorum aliquis aut potiùs Romanorum joculariter voces corrumpens, *Ecce*, inquit, *Eliam vocat. Sinite, videamus, si veniat Elias ad deponendum eum.* Nos pariter, quandocumque nobis est ægrè, litteras mittamus in cælum: *Deus meus, Deus meus, respice in me.* Jocentur alii & irrideant, subsidio veniet cælum. Christi derelictio, nostra consolatio.

Ioan. c. 11. v. 3. Matt. c. 27. v. 46. Ibid. v. 47. & 48. Psal. 21. v. 2.

2. Consolationes sensiles extra cælum non ambiendæ.

II. Consolationes sensiles extra cælum non ambiendæ, sed ad mortem usque obtemperandum. Laboriosius hoc, sed lucrosius. Tarsensis Paulus hanc penuriam solatiorum animosè tolerans, *Supra modum*, inquit, *gravati sumus, supra virtutem, ita ut taederet nos etiam vivere. Sed ipsi in nobismetipsis responsum mortis habuimus.* Nam natura & animus nec præsagiebant aliud, nec expectabant quàm mortem. Ita mihi de vitæ statu cogitanti mens & cogitatio mea non aliud respondit, quàm esse moriendum. Mox tamen adjungit Paulus: *Vt non simus fidentes in nobis, sed in Deo, qui suscitat mortuos, qui de tantis periculis nos eripuit & eruit: in quem speramus, quoniam & adhuc eripiet.*

2. ad Cor. cap. 1. v. 8. & seqq.

3. Afflictiones eâ fide sunt perferendæ, ut cùm deseri nobis videmur, ad ipsum confugiamus desertorem.

III. Afflictiones eâ fide sunt perferendæ, ut cùm deseri nobis videmur, ad ipsum confugiamus desertorem. Illa mulier Chananæa exploratissimæ fidei hoc insigniter nos docet. Hæc manus supplices ad Christum tendens clamabat: *Miserere mei Domine, fili David; filia mea malè à dæmonio vexatur.* Nec verbulo responsum est. Rogârunt Apostoli, & nihil impetrârunt. Vitandis ergo clamoribus tam importunis dimittendam suaserunt. Nec alia tamen reddita est responsio quàm ista. *Non sum missus nisi ad oves quæ perierunt domûs Israël.* Nihilominùs animo non cecidit constans femina, sed rediit, & adoravit eum, qui aures obdurâsse visus, hoc unum precata: *Domine, adjuva me.* Sed necdum auditur, insuper & canis appellatur, indigna scilicet, cui panis, è manu filiorum raptus, projiciatur. At illa patientissimè ferens hæc omnia, nec tanto sui contemptu absterrita, Ita est, Domine, inquit, sed tamen micas è dominorum mensâ defluentes excipiunt catelli. Hîc Christus ore suavissimo, *O mulier*, ait, *magna est fides tua: fiat tibi sicut vis.* Constans fides ipsum etiam Deum expugnat.

Matt. c. 15. v. 22. Ibid. v. 23. Vers. 24. Vers. 25. Vers. 26. Vers. 27. Vers. 28.

4. Etiamsi nos summa premat desertio, numquam tamen recedendum à Deo.

IV. Etiamsi nos summa premat desertio, numquam tamen recedendum à Deo. Cælum vel ferreum rosis potest pluere. Annuente Deo vepreta etiam melle stillant. De suis majoribus David, *Appropinquaverunt*, inquit, *usque ad portas mortis. Et clamaverunt ad Dominum cum tribularentur, & de necessitatibus eorum liberavit eos. Misit verbum suum, & sanavit eos, & eripuit eos de interioribus eorum.* Deus ipse derelictioni brevissimæ solatia spondens amplissima, *Ad punctum*, inquit, *in modico dereliqui te, & in miserationibus magnis congregabo te. In momento indignationis abscondi faciem meam parumper à te, & in misericordia sempiterna misertus sum tui: dixit Redemptor tuus Dominus.* Neminem ex toto deserit Deus, nisi desertus.

4. Esdr. cap. 8. vers. 35. Psal. 106. v. 11. & 16. Psal. 29. v. 6. Isa. cap. 54. v. 7. & 8.

5. Aliquamdiu à Deo deseri, non rarum est amicorum experimentum.

V. Aliquamdiu à Deo deseri, non rarum est amicorum experimentum. Hic matrum lusus est, simulare fugam, ut infantis in matrem crescat affectus. Mater modò lactat filium, modò increpat, aut etiam flagellat. Jobo desertissimo dicitur: *Semel loquitur Deus, & secundò idipsum non repetit.* Quid enim opus ut repetat, quod semel apertè dixit, hominem ob peccata jure affligi, jure deseri. Hæc explicans Gregorius, *Quia semel*, inquit, *derelictus est Christus, semel nobis locutus est Deus, ut sciamus nos etiam quandoque derelinquendos, ut ei similes efficiamur.* Sed Panopliâ nos Jobi obarmemus. Dicat pro se quisque, Etiamsi afflixerit me Deus, etiamsi deseruerit me, *etiamsi occiderit me, in ipso sperabo.*

5. Aliquamdiu à Deo deseri, non rarum est amicorum experimentum. Iob cap. 33. v. 14. Iob cap. 13. v. 15.

§. VI. *Quinque alia documenta eodem pertinentia.*

6. Obstinatus animus ad repetendas culpas expeditissimus est.

VI. OBstinatus animus ad repetendas culpas expeditissimus est. En Scribarum & Pharisæorum horribilem pervicaciam. Durantibus tenebris non Christus solùm, sed alii omnes siluerunt attoniti. Tenebris cessantibus maledicæ linguæ denuo cœperunt in Christum sævire. Mox iterum contumeliæ & probra certatim sparsa. Auditis vocibus, Eli Eli; *Eliam*, ajunt, *vocat iste.* Hebdomade sacrâ majore, pauculis, qui Paschati præmitti solent diebus, plerique Christianorum sanctiores mores induunt, silent aliquantulùm consuetę illorum nequitiæ. Paschate peracto mox iterum liberrimè delinquunt. O cæci & nequam Pharisæi! qui antiquam recantatis fabulam, qui pristinam resumitis nequitiem, qui vitia priora omnia repetitis, qui cavillo improbo vocatis Eliam. Bibulus ille suos calices resumit: Ecce *Eliam vocat iste!* Lascivus iste repetit suas libidines: Et hic Eliam vocat, nec enim Christo in cruce vult commoti.

Matt. c. 27. v. 47.

commori. Ita pecuniæ sitiens suam avaritiam, fastuosus A superbiam suam iterat: Eliam vocat & ille & iste. Ita crimina priora redeunt omnia, velut somnolentia, antiquæ procrastinationes, solitæ comessationes, usitatæ æmulationes, rixæ, simultates, invidiæ veteres renovantur. Tam vitiosi post Pascha, quàm ante Bacchanalia. Ecce Eliam vocant isti omnes. Horum nemo in cruce durare, nemo vitiis vult mori. Exitiosissima pervicacia; quam Bernardus largiter deplorans, *Prò dolor*, inquit, *tempus peccandi, terminus recidendi facta est Resurrectio Salvatoris. Ex hoc nempe comessationes & ebrietates redeunt, cubilia & impudicitiæ repetuntur, laxantur concupiscentiis frena; quasi ad hoc resurrexerit Christus, ut nos in pristina, quæ deploravimus, vitia recidamus. Inveniamur nunc iterum curiosi ut ante, verbosi ut ante, pigri & negligentes ut ante, vani, suspiciosi, detractores, iracundi, cæteraq; vitiis impliciti quibus ante. Resurrectionem Paschæ privamus nomine, ut sit nobis in reditum, magis quàm in transitum.* Reiteratio miserabilis, sed voluntaria. Cum Pharisæis perire vult, qui cum B Christo non vult resurgere.

VII. Derelictus est Christus dictator cæli, vitæ necisque Dominus, & nos mancipia vilissima feramus iniquè, si nos ad punctum in modico Deus derelinquat, idque nostro bono? *Si in ligno viridi hoc factum, in arido quid fiet?* Dux noster hæc tulit; & nos gregarii milites, caculæ, calones, postulemus suaviora? Si miles suum ducem videat loricâ vel cataphractâ rudi & nigrâ regi, tam inverecundi oris non erit, ut ille sibi politam, vel auro illusam poscat. Si cernat ducem in castris sine culinâ, sine lecto humi jacere, non rarò in armis vigilare; imprudentissimus sit, si ille sibi culinam, lectulum, longiorem somnum deesse conqueratur. Si filium Deus deseruit ad tempus, cur indignemur idem quandoque nobis fieri? Deserat nos Deus tribus illis, quos dixi, modis, dummodo parcat eatenus, ut à peccatis servet liberos. Si tulit ista filius, ferat & mediastinus, ferat servus.

VIII. Proprium Christi derelicti præmium fuit, ne C nos umquam ex toto derelinqueremur, maximè cùm precibus, suspiriis, gemitibus in vota Deum vocamus. *Reposita est hæc spes nostra in sinu nostro.* a Intentè precabatur David: *Ne projicias me in tempore senectutis; cum defecerit virtus mea, ne derelinquas me.* b Et tamquam si responsum benignissimum accepisset, *Dominus*, inquit, *non derelinquet sanctos suos, in æternum conservabuntur. Considerat peccator justum, & quærit mortificare eum, Dominus autem non derelinquet eum in manibus ejus.* c Hac in Deum fiduciâ erectissimi simus, non derelinquemur à Deo, nisi ad punctum, in modico. Sed ego, inquis, tot jam annis aridus, siccus, velut à Deo projectus solatiis extremè destituor. Bono animo; hoc ipsum modicum, hoc momentum est. An nescis, mi homo, mille anni ante oculos Dei sunt tamquam dies hesterna, quæ præteriit. *Expecta Dominum, viriliter age, & confortetur cor tuum.* In miserationibus magnis congregabitur te.

IX. Ne miremur Christum à Patre derelictum; nobis D Dei hostibus stetit, ad nostram se caussam acclinavit, nobis Dei rebellibus adhæsit. Hinc in illum unum Pater, tamquam in humanæ gentis caput sæviit, illum deseruit, quem desertorum ducem deprehendit. Testatur Paulus: *Christus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum.* En Christus nostri caussâ maledictus, execrabilis, derelictus. Supplicium generi humano debitum de Christo est sumptum. Ergo amantissimus Dominus Jesvs potiùs à Patre, & omnibus Angelis, & creatis rebus universis deseri sustinuit, quàm ut nos, nostramque caussam ipse desereret. Quàm sæpe verò exilem referimus gratiam; cùm Christi caussâ triobolaris voluptas deserenda, cunctamur & deliberamus: & non rarò ne nostros amores pessimos cogamur deserere, deserimus Christum. Nimirum Christo Barabbam potiorem ducimus.

X. Ita Christus etiámnum à plurimis malignè deseritur. Has ille desertiones gravius accipit, quàm illam in cruce. Deus olim humanissimè per Hieremiam suis objiciens, *Quid invenerunt*, inquit, *patres vestri in me iniquitatis, quia elongaverunt à me?* Hoc cuivis Christus placidè instillans, Quid, ait, inveniſti in me iniquitatis, quia elongâsti à me? Ego diligentes me diligo, sed & deserentes me desero. Quapropter *scito & vide, quia malum & amarum est, reliquisse te Dominum Deum tuum.*

Væ igitur, væ filii desertores. Domine, omnes, qui te derelinquunt, confundentur: recedentes à te in terrâ scribentur, quoniam dereliquerunt venam aquarum viventium Dominum.

Azarias Obedi filius, ex tempore regi Asa concionatus, *Audite me Asa*, inquit, *& omnis Benjamin: Dominus vobiscum, quia fuistis cum eo. Si quæsieritis eum, invenietis; si autem dereliqueritis eum, derelinquet vos.* Ita solet Deus, qui uti amantes se redamat, ita deserit suî desertores.

10. Ita Christus etiámnum à pluribus deseritur. *Hier. cap. 2. v. 5.*

Hier. cap. 2. v. 19.

Isa. cap. 30. v. 1. Hier. c. 17. v. 13.

2. Paral. cap. 15. v. 2.

§. VII. *Documenta totidem alia, cum modulationis hujus clausula.*

11. Summo erit in extremis solatio cum Christo ita colloqui: *Domine, ecce quem amas, infirmatur. Ioan. cap. 11. v. 3. Ps. 56. v. 2. Psal. 6. v. 8. Psal. 9. v. 4. Ps. 60. v. 5. Ps. 62. v. 9. Malach. cap. 4. v. 2.*

XI. Summo in extremis solatio erit, cum Domino Jesv crucifixo ita posse colloqui: *Domine, ecce quem amas, infirmatur.* Si te tuásque leges unquam deliqui, nunc percutio pectus meum, & revertor. *Miserere mei Deus, miserere mei, quoniam in te confidit anima mea, & in umbrâ alarum tuarum sperabo, donec transeat iniquitas. Sub umbrâ alarum tuarum protege me. Scapulis tuis obumbrabis mihi, & sub pennis tuis sperabo. Inhabitabo in tabernaculo tuo usque in sæcula; protegar in velamento alarum tuarum. Adhæsit anima mea post te; me suscepit dextera tua. In pennis tuis sanitas.* Tu in cruce, mi amantissime Domine Jesv, desertus es, ne ego jam desererer. Tu mater es, ego pullus sum, sub cruentis his alis tuis ab omni hoste protegar. Omni inferorum potestas non lædet eum, quem hæ alæ tuæ texerint. Mi bone Jesv, tibi me totum, vivum, mortuum commendo.

Nec sanè interibit pullus, qui sub maternas has alas hoc modo confugerit.

12. Peccati odium hinc ingens concipiendum. *Hier. cap. 2. v. 13.*

XII. Peccati odium hinc ingens concipiendum. In peccato quolibet hoc geminum malum est, aversio à Deo creatore, & conversio ad rem creatam. Quod Hieremias ore divino apertissimè pronuntians, *Duo mala fecit populus meus*, inquit, *me dereliquerunt fontem aquæ vivæ, & foderunt sibi cisternas, cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas.* Huic aversioni & conversioni pessimæ duplex respondet pœna, quam *Damni & Sensûs* vocant. Damni est, aspectu Dei excludi: sensûs, ignes inferorum pati. Christus ut pœnas nobis luendas persolveret, pœnam sensûs maximam in cruce sustinuit; pœna damni non conveniebat Christo, propterea simile quid passus est. Desertus à Patre velut hostis, *Tu verò*, inquit, *repulisti & despexisti, distulisti Christum tuum.*

Huic aversioni & conversioni duplex pœna respondet, *Damni & Sensûs. Psalm. 88. v. 39.*

O bone Deus! quid demum miserius est eo homine, qui peccando sit hostis Dei? Hæc summa in orbe miseria, hoc malorum omnium est maximum, Dei hostem esse, Dei gratiam & unà cælum perdidisse, æternis ignibus deberi. Hinc hostilis ille plausus & gratulatio: *Deus dereliquit eum: persequimini & comprehendite eum, quia non est qui eripiat.*

Vnicum & solum ex omnibus malum nominandum. Psalm. 70. v. 11.

Quocircà ô *Deus ne elongeris à me. Deus meus auxilium meum respice.* *Ibid. v. 12.*

13. Sublimiorum virtutum amor aspectu crucifixi Domini excitandus.

XIII. Sublimiorum virtutum amor aspectu crucifixi Domini excitandus. Christus effato in cruce primo, amorem & charitatem in hostes docuit. Secundo, misericordiam in miseros, quæ charitatis interior est effectus. Tertio, curam in parentes & obedientiam. Quarto, profundissimam humilitatem & patientiam perfectissimam. En Dei Filium ad usque infandos patibuli cruciatus obedientissimum, perinde ac si Pater illi dixisset: En ego, fili, mitto te in mundum: *Vade, recumbe in novissimo loco.* Ivit, recubuit in loco omnium prorsus *Luc. cap. 14. v. 10.* novissi-

noviſſimo, infimo. Nil certè magis imum infimúmque, quàm execrandum illud patibulum, in quo Dei Filius recumbens, nobiliſſimas virtutum non verbo ſolùm ſed facto docuit. Bernardus eas conſiderationi ſubjiciens, *His*, inquit, *virtutum gemmis quatuor cornua crucis ornantur: & eſt ſupereminentior charitas, à dextris obedientia, patientia à ſiniſtris, radix virtutum humilitas in profundo. His ditavit tropheum crucis conſummatio Dominicæ paſſionis, cùm ad Iudæorum blaſphemias humilis, ad vulnera patiens, intus linguis, clavis exteriùs pungeretur. Nam & charitas in eo perfecta eſt, quòd pro amicis animam poſuit, & obedientiâ conſummatâ, cùm inclinato capite tradidit ſpiritum, factus obediens uſque ad mortem.*

Bern. die sancto Paſchæ ſerm. 1. mihi pag. 212.

14. Juſtitiæ divinæ quantus, & ad perpendiculum exactus ſit rigor.

XIV. Juſtitiæ divinæ quantus, & ad perpendiculum exactus rigor! Hinc Jobus in omnem actionem circumſpectiſſimus, *Verebar*, inquit, *omnia opera mea, ſciens quòd non parceres delinquenti.* Sicut capillus tenerrimus ſuam umbram, ita delictum minimum ſuam habet pœnam. Non parcit ulli nocenti Deus, vel noxiæ. Cùm non haberet à quo primævæ labis ſolutionem exigeret, ſtrictiſſimè illam exegit à filio debiti omnis inſontiſſimo. Hæc exactio inſtituta eſt tantâ ſeveritate, ut vel hinc diſcamus, quid apud inferos ſit pœna damni, privari ſcilicet aſpectu Dei, Deum habere hoſtem nullis ſæculis reconciliandum. Simulacrum ejus rei, derelictio Chriſti ad crucem ſuffixi. O Deus, quàm *mundi ſunt oculi tui, ne videas malum, & reſpicere ad iniquitatem non poteris.* Hos Dei oculos mundiſſimos, hunc divinæ juſtitiæ rigorem obſtupeſcens Jobus, *Ecce*, inquit, *qui ſerviunt ei, non ſunt ſtabiles, & in Angelis ſuis reperit pravitatem. Ecce, luna etiam non ſplendet, & ſtellæ non ſunt mundæ in conſpectu ejus. Quantò magis homo putredo, & filius hominis vermis?* Rectè igitur Hebræus Pſaltes juſtitiam Dei perhorreſcens, *Si iniquitates*, inquit, *obſervaveris, Domine, Domine quis ſuſtinebit?*

Iob cap. 9. v. 28.

Habac. c. 1. v. 13.

Iob cap. 4. v. 18. Idem c. 25. v. 5. & 6.

Pſ. 129. v. 3.

15. Omnia quæ agimus & patimur, exigui temporis & momenti ſunt.

XV. Omnia quę & agimus & patimur, exigui temporis & momenti ſunt. Quanta fuit paſſim Chriſti concionantis gloria! Nam is fuit undique ad JESVM confluxus hominum è totâ Judæâ, Galilæâ, Idumæâ, Sidone ac Tyro, ex universâ Syriâ & aliis vicinis regnis, ut ubique multa hominum millia eum virum comitarentur, & à dicentis ore penderent. Exiſtimat eruditus ſcriptor, quod & ſacris teſtimoniis firmat, celeberrimo die illo inter palmarum ſparſiones, non minus quàm trigeſies centena millia Judæorum ex unâ Hieroſolymorum urbe occurriſſe Chriſto. Summa fuit gloria Servatoris, etiam inter Phariſæorum irriſus. Quod Joannes adſtruens, *Vidimus*, inquit, *gloriam ejus quaſi Vnigenti à Patre.* At verò die mortis videri poterant concidiſſe hæc omnia. Extincta potentia: *Seipſum*, ajunt, *non poteſt ſalvum facere.* Sapientia obſcurata: ab Herode & omni ejus aulâ proclamatus eſt ſtultus & albæ mentis homo, vel ipsâ veſte id evulgante. Innocentia peracta eſt rea. Pependit medius latronum velut populi ſeductor, malefactor, imperii affectator. Majeſtatem regiam arundo, ſpinæ, patibulum, probra innumera tegebant. Accedebat ille mœſtiſſimus clamor: *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquiſti me?* Vox omnium & ſenſus tunc erat: Malos & fraudis compertos Deus deſerit. Hinc Cypriani dictum: Conſidero te Domine in patibulo, videbaris ſine omni adjutorio. Omne decus Domini JESV, crux viſa eſt funeſtâſſe. Sed glorioſiſſimus in vitam reditus, decus omnémque gloriam multò quàm ante auctiorem reduxit. Quidquid ſepultum fuerat cum mortuo, revixit cum redivivo. Pauculis horis tam admiranda mutatio eſt facta. Quantus enim fuit deſcenſus è ſinu Patris ad patibulum crucis, tantus fuit aſcenſus è patibulo crucis uſque ad dexteram Patris. Modicis hæc intervallis diſtincta ſunt. Momentum eſt quo patimur; Mercedem patientiæ beata reddit æternitas.

Ioan. Bondinius Flander c. 6. poſt med. mihi pag. 48.

Ioan. cap. 1. v. 14.

Gloria Chriſti in die mortis videri potuit concidiſſe.

Matt. c. 27. v. 42.

Ibid. v. 46.

CAPVT V.

Quinta morientis Chriſti modulatio cygnea: Sitio.

REx Juda & Iſraëlis David, rex ditiſſimus ac potentiſſimus, rex bello feliciſſimus, affectu in Deum ſanctiſſimus, pollens divinâ gratiâ, nihilominus inter regias gazas & delicias, famem & ſitim queſtus, tamquam extremum mendicabulum, *Satiabor*, inquit, *cùm apparuerit gloria tua.* In hac vitâ fames mera & mendicitas, ſatietas nulla. Vehementiſſimam ſitim expertus Rex iſte, *Quemadmodum*, ait, *deſiderat cervus ad fontes aquarum, ita deſiderat anima mea ad te Deus: Sitivit anima mea ad Deum fontem vivum.*

Pſ. 16.

Pſalm. 41. v. 2.

Rex Chriſtus Regis David filius fuit. Hoc eum nomine affecerunt non mendici ſolùm, qui clamabant, *Domine miſerere noſtri, fili David*; ipſi etiam cives Hieroſolymæi die ſolenni gratulantur: *Hoſanna filio David, benedictus qui venit in nomine Domini, Hoſanna.* Chriſtus Rex Iſraëlis verus fuit, licet Phariſæi joco impio cavillarentur: *Si rex Iſraël eſt, deſcendat nunc de cruce.* Hic ille Davidis filius, toto priori tempore quo paſſus in ſummis doloribus de re nullâ queſtus, niſi jam de unâ ſiti; *Sitio*, ajebat. Hanc ſitim omni ſtudio ſibi ſumpſit deſcribendam Joannes, qui teſtis oculatus omnium. Poſteà, inquit, *ſciens* JESVS, *quia omnia jam conſummata ſunt, ut conſummaretur Scriptura, dicit, Sitio.* Addit: *Vas erat poſitum aceto plenum. Illi autem ſpongiam plenam aceto, hyſſopo circumponentes, obtulerunt ori ejus.* Nos unicam vocem illam, myſterii plenam, *Sitio*, diſſertatione hâc exponemus.

Matt. c. 27. v. 40.

Ioan. c. 19. v. 28.

Matt. c. 27. v. 41.

Ibid. v. 48.

§. I. *Chriſti morituri ſitis variè prædicta.*

VBi Deus Filius in montem Golgotha pervenit, detractis veſtibus crucem aſcendit, & moxhoſtibus veniam, latroni paradiſum, Matri diſcipulum, diſcipulo Matrem aſſignavit. His dictis tenebræ trihorio tenuerunt, quo Chriſtus taciturnas iniit precationes, ceteris etiam pavore ſilentibus. Poſt diſcuſſas tenebras lamentum Chriſti lugubre auditum: *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquiſti me?* Hæc voces proximè ſecuta eſt illa: *Sitio.*

Matt. c. 27. v. 46.

Chriſtus ſitis ſuæ cauſa.

Hæc ſitis utique vehementiſſima, maxima fuit. Ab uno ad alterum veſperem Chriſtus nec miculam nec guttulam guſtavit, extra myrrhati libationem. Atqui ſanguineus ſudor, ægrimonia & angores, deductio ad judices, aſcenſus Golgothæi montis cum cruce, ſanguis per flagra, ſpinas, clavos, largiter fuſus, ſimiléſque mortis proluſiones viribus omnibus exhauſerunt, & ingentem moverunt ſitim. Sitis tormentum maximum. Ægroti certè inter dolores graviſſimos de ſiti ſingulariter queruntur. Bis Chriſto porrectus potus, qui tamen nihil ad ſedandam ſitim faciebat. Quàm primùm in Calvariæ clivum perventum, vini myrrhati poculum oblatum. *Et cùm guſtaſſet, noluit bibere.* Spongia aceto merſa, pendentis ori admota. Ab utroque potu ſitis erat irritatior. Hæc ſitis celebrata vaticiniis diverſis. Sibylla Erythræa, quæ mille quingentis annis præceſſit Chriſtum, hanc ſitim dilucidè prædixit:

Matt. c. 27. v. 34.

A Sibylla Erythræa vaticin.

——— Et fellis amari
Apponunt eſcam, potúmque immitis aceti.
Felle fames ejus, ſitis illudetur aceto.
Hanc apponet ei gens ſcilicet hoſpita menſam.

Sybil. lib. Oracul.

Undique Deus perfidiam Hebræam obruit teſtimoniis. David apertiſſimè, *Foderunt*, inquit, *manus meas & pedes meos, dinumeraverunt omnia oſſa mea. Factum eſt cor meum tamquam cera liqueſcens in medio ventris mei. Aruit tamquam teſta virtus mea, & lingua mea adhæſit faucibus meis. Et dederunt in eſcam meam fel, & in ſiti meâ potaverunt me aceto.*

Pſalm. 21. & ſeqq.

Pſalm. 68. v. 22.

Atque

Christus in toto tempore passionis duo queritur desiderium & sitim exhaustum.

Atque hinc illa sitis, quam è sexcentis doloribus solam prodit. Nimirum hoc toto patiendi tempore duo solùm queritur; à Patre se derelictum, & siti exhaustum: ita ut cum derelictione Patris vehementia sitis componatur. Hîc grande quid lateat necesse est. Dolores quanti, de quibus poterat acerbè queri! Manus ac pedes perfossi, caput palliuris terebratum, membra omnia flagellis lacerata, corpus totum funibus extensum. Undique & undique cruciatus, dolorum plena omnia. *A plantâ pedis usque ad verticem non erat in eo sanitas*, & tamen unam atque unicam sitim queritur. Quippe noverat amantissimus Servator, singularem adhuc latêre contumeliam à se tolerandam, & acetum sibi obtrudendum. Ut ergo consummaretur Scriptura, voce altâ exclamavit, *Sitio*. Perinde si diceret: Quidquid imperavit Pater meus de me prædici, à me perferri, id obsequentissimè perferam, nec unico quidem apice omisso. Ubi nunc igitur potus ille miserabilis, ubi est acetum? Ut consummetur Scriptura. Hoc sæpius non sine mysterio ingeminatur: Sicut scriptum est, Ut implerentur Scripturæ, Secundùm quod definitum est.

Isa. cap. 1. v. 6.

Quare Christus inter tot cruciatus unicam sitim queritur.

Fit nonnumquam, ut filius Regis etiámnum juvenis nil parcens ærario utrâque manu largiatur. Pater in singulos menses definitam pecuniæ summam assignans, Fili, ait, huc usque largitiones tuæ poterunt excurrere, & non ulteriùs. Æternus Pater ingenium sui filii liberalissimum nôrat. Siquidem paratissimus erat Christus vel mare sanguinis è suo largiri, pro singulis hominibus singulatim mori vel crucem ad judicii diem perpeti. Pater igitur, quæ filio toleranda essent, certis concludens terminis, acetum ludibrio propinandum voluit esse ultimum, *Ut consummaretur Scriptura*. Ita immensum pelagus amoris in Christo suis constrictum metis hanc accepit legem, *Huc usque venies, & non procedes amplius*. Ita divinus Pater maximos, minimos cruciatus Filio tolerandos ab omni ævo decrevit; nec jota, nec apiculus restabat non consummatus.

Job cap. 38. v. 11.

Quamvis ergo acerbissimos ferret dolores, qui nullis verbis possent exprimi, non tamen eximere se voluit, vel hoc cruciatu reliquo, ut plenè satisfaceret Patri, & suis omnibus numeris constaret redemptio, nullo eorum, quæ divinjtus decreta, prætermisso. Ita suo nos exemplo ad solidam obedientiam instituit, ne detrectemus ea, quæ Deus nobis decrevit perferenda, licet sint gravissima.

Acetum oblatum est, quia illi hoc facturi erant, ideo prævidit Pater ut ita fieret.

Acetum porrò non oblatum ideo, quia id Scriptura prædixit, aut Pater decrevit, sed quia illi hoc facturi erant, ideo prævidit Pater, & decrevit ut ita fieret, humanâ usus malitiâ loco instrumenti. Quod quotidie fit, in pœnis maximè infligendis, quas sæpissimè ita infligit Deus, ut sanctissima ipsius voluntas hominum voluntate malâ velut famulâ utatur in sui obsequium. Atque hoc modo, quod prævidit Deus, decrevit. Ita prorsus quidquid pœnarum quivis hominum subit, & vel levissimæ pœnæ cuivis ab omni æternitate sunt constitutæ. Ita definitum est. Ita Deus semper voluit, ut ista, & ista quoque, & illa etiam, & quidem hoc modo, tam tu, mi homo, quàm ego, ceterique omnes ac singuli peteremur, quæcumque demum patimur. Ita definitum, sic scriptum est. Nos scripturam hanc non mutabimus. Utinam hæc consulta Dei ac decreta tandem caperemus, longè suaviùs ferremus, quidquid denique ferendum est, ut impleantur Scripturæ. Nec illud ignoramus, omnem pœnam, quamcumque sustinemus, Deum non permittere tantùm, sed & velle, idque, ut Theologi loquuntur, reipsâ *positivè*. Et Deus in isthac providentiâ suâ non tantùm non fallitur, sed nec falli potest.

Si frustrà ma, ut scholastici loquuntur, & decretoria Dei voluntas.

Quòd autem providentia divina in connectendis caussis multò quàm admirabilissima sit, vel etiam hinc liqueat. Caussa propinati aceti fuit querimonia de siti. Nisi enim Christus exclamâsset, *Sitio*, madidatam spongiam pro calice non libâsset. Vidit igitur ex æterno tempore, qui videt omnia Deus, antequam fiant, huic filii supplicio & spongiam & acetum in promptu futurum ex aliis caussis, his Pater usus in morientis Christi jocularem cruciatum. Hoc igitur ante sæcula scripsit: Ultimus mei filii potus sit acetum, spongia sit poculum. Ut ergo hæc Scriptura Vatum oraculis lignata consummaretur, proclamavit patientissimus Jesvs, *Sitio*. Liceat hîc dicere: O quantum est subitis casibus ingeniium! Ex tempore fit è carnifice pincerna, è spongiâ carchesium & patera, ex arundine trulla, capedo hasta potoria, ex aceto sicera mœrentibus propinanda. Hoc una voxilla potuit: *Sitio*.

Martial. lib. spectac. epigr. 14.

§. II. *Sitis morituri Christi cum aliorum siti collata.*

Sed heu! servulis vilissimis ministratur potus in siti, quandoque etiam miraculo, Dei Filio etiam negatur frigida. Ismaëli & matri ejus in solitudine Bersabee sitientibus fontem dulcis aquæ monstrat Angelus. Hebræis ingratissimis in deserto Sin aquam postulantibus, fontanam Deus è rupe scaturire jussit copiosissimam. Cùm iisdem pervicaces Judæi aquas in Mara ob amaritiem aversarentur, lignum illis ostendit Deus, quod aquis immissum dulcedine amarorem omnem correxit. Samsoni post jugulatos mille viros admodum sitienti ex asini mandibulâ salientem fontem produxit Deus. Sitienti in castris Davidi tres militum robustissimi è Bethlehemitico fonte apportârunt aquam, quam anhelârat. Eliæ vati subter juniperum accubanti, cererem & fontem ministravit Angelus. Isaiæ in tormentis sitienti, cùm impii Manassis jussu medius secaretur serrâ, Siloë fontem Deus aperuit, ut Epiphanius testatur. Ægidio regii sanguinis anachoretæ cibus & potus fuit lac cervæ. Repererunt hi omnes, qui sitim suam propitiarent: & Filio Dei in extremâ siti moriendum?

Gen. cap. 21. v. 19. Exod. c. 17. v. 6. Num. c. 20. v. 19. Exod. c. 15. v. 25. Iudic c. 15. v. 19. 2. Reg. c. 23. v. 16. 3. Reg. c. 19. v. 6. Epiph. de vitâ & moribus Prophetarum. Lippeloo 1. Septembr.

Quàm concionatus nervosè Christus, *Quicumque*, ait, *dederit uni ex minimis istis calicem aquæ frigidæ, tantùm in nomine discipuli, amen dico vobis, non perdet mercedem suam*. Quæ verba divus Leo ponderans, *Vnde*, inquit, *exigua ista impendia tantâ æstimari taxatione meruerunt? Cùm amatur ab homine, quod à Deo diligitur, meritò in ejus ascenditur regnum, in cujus transitur affectum*. Ergo frigidâ sitienti porrecta non solùm Dei favorem, sed totum Dei regnum promeretur. At verò hîc nullus nec hominum nec Angelorum de Rege suo bene mereri satagit; nemo hydram, nemo caliculum aquæ præbuit. Mater audiit lacrymosam vocem illam, *Sitio*, sed opitulari nequiit, paratissima tantum lacrymarum fundere, quantum filio suffecisset in levamen sitis. Nec recusâsset in fontem mutari, modò sitiens ille cervus alto stipite confixus refocillari potuisset. Dolore quanto recordata fuerit, quoties hunc ipsum moribundum, hunc hominem adhuc tenerum infantem, virgineo lacte paverit.

Matt. c. 10. v. 42. Leo serm. 4. de Pass. Dom.

Clemens Romanus Apostoli Petri discipulus, & in eâdem sede Vicarius, solum vertere, & ultra Pontum Euxinum in exilium ire Chersonam jussus, duo millia Christianorum in latumiis laborantes reperit. Hi rerum omnium præsertim aquæ penuriâ conflictabantur: nam dulcem aquam per sex milliaria petere cogebantur. Hanc plebem sanctam miseratus Clemens, in genua procubuit, & afflictis suppetias oravit è cælo. Finitis precibus montem conscendit, viditque ad agni pedem salire fontem. Ex eo Christiani gratulabundâ voluptate sitim omnem sedârunt. At videte, obsecro, hic agnus palo fixus, in salutem orbis immolatus, extremam fert fitim, siti moritur, & nemo est qui gelidam è rivo porrigat. Eò res devenit, Dei Filius jam mendicorum infimus, aquam petiit, & nemo ei dabat. Hanc mendicitatem Christus velut in proludium experiri voluit ad fontem

Christo morienti nemo est qui gelidâ porrigat.

Caussa propinati aceti fuit querimonia de siti.

Sichar,

Sichar, cùm diceret Samaritidi, *Da mihi bibere.* Psaltes quidem repræsentans Deum, *Si esuriero*, inquit, *non dicam tibi, meus est enim orbis terræ, & plenitudo ejus.* Quis enimverò metuebat hujus supplicii, ut Dei Filius cruciaretur extremâ siti? Deus olim ab Hebræâ plebe argentum, æs, aurum, purpuram, in tabernaculi usum, ab Abrahamo filium, stipem sanè largam petiit; hodie, eheu! mendicavit aquam, & nemo ei dabat. Acetum quidem porrectum est, sed in ludibrium & tormentum, unde potiùs crescret sitis quàm extingueretur: acetum enim exsiccat.

Tom. cap. 4. v. 7. *Psal. 49. v. 12.*

Acetum accedente hyssopo & spongiâ Christo datum ut eo vita protolleretur.

Sed unde tam promptè acetum, spongiam, hyssopum protulerunt? Romano ritu hæc in promptu erant ad hoc supplicii genus, non ut daretur patibulatis bibendum, sed ut iis protolleretur eo vita, dum exhaustissent quod deberent pœnæ; nam ossa vespere frangebantur. In eam rem acetum naribus admotum recreat semianimes, & sanguinem sistit, præcipuè hyssopo accedente ac spongiâ. Sic ergo rei dum figerentur cruci, vel ob dolorem vel mortis metum animo linquerentur, mox aceto reficiebantur; aut si nimio sanguine manarent, comprimendo illi acetum admovebatur spongiâ. Crux tam lenta quàm acerba mors. Ut ergo durarent rei, his rigidioribus opus erat fomentis.

Baron. tom. 1. ad an. 34.

Testatur Cæsar Baronius, hanc ipsam spongiam hodiéque in Laterano Romæ servari sanguinolento colore tinctam, quod & alii testes oculati asserunt. Hæc ergo spongia vulneribus applicari solita, Christo sitienti pro cyatho porrecta. Hæc, regium illud est poculum, hoc nectar illud suavissimum, acetum & spongia, cruore utraque infecta.

§. III. *E siti hac gemina documenta.*

Pius II. Pontifex Maximus contractâ ex itinere siti, lac camellâ ligneâ, sed prorsus immundâ propinatum à pastore, non recusavit bibere, partim ridentibus partim indignantibus palatinis comitibus. Quibus Pater reverâ Pius, Et hoc mihi, ajebat, dulcius est quàm Artaxerxis poculum: qui sitit, crystallino non eget. Dum acetum, potus miserabilis porrigeretur Christo, flebant aliqui, sed pauci, plurimi ridebant, sed Servatori hæc mordax vappa magis sapuit, quàm sicera lectissima, Apianum nobilissimum, idque amore nostri. Cur igitur non & nos amore ipsius amariores hos calices perhaurimus? Prior bibit Christus & propinavit: non respondebimus? Aut bibendum hîc aut abeundum. Nec enim habebit partem cum Christo, qui bibere recusârit hunc calicem Christi. Bibe, mi homo, bibe, bibe; & patere quod te Dominus tuus vult pati, quódque prior ipse passus est. Hîc duo quædam observanda sedulò.

In hac siti duo observanda.

I. Animus hominum ingratissimus. Israëlis populus omnium gratiarum immemor, pro aquâ è rupe fusâ, pro annonâ è nubibus delapsâ, pro copiosissimis coturnicum nimbis, vinum myrrhatum, fel, acetum rependit suo Conditori. Quod ingrati animi crimen detestatus Hieremias, *Ego*, inquit, *plantavi te vineam electam, omne semen verum. Quomodo ergo conversa es mihi in pravum vinea aliena?* Idem exprobrans Isaias, *Vinea facta est*, inquit, *dilecto meo in cornu filio olei. Et sepivit eam, & lapides elegit ex illâ, & plantavit eam electam, & ædificavit turrim in medio ejus, & torcular extruxit in eâ; & expectavit ut faceret uvas, & fecit labruscas.* Ita reverâ Deus cum quovis hominum agit, eum ut vineam colit, innumeris eum beneficiis sibi devincit; hinc ab eo jure fructus exigit. Quid vinea tam operosè culta fructuum reddit? Tot malas, tot pessimas cogitationes, tot improbos sermones, tot perversas actiones, meras pæne labruscas, hunc acidissimum potum cruenta offert spongia, cor immundum, appetens vindictæ, invidum. In hos Prophetæ clamant: *Væ qui potum dat amico suo, mittens fel suum.* Hæc accepti beneficii turpissima est oblivio.

I. Animus hominum ingratissimus. *Hier. cap. 2. v. 21.* *Isa. cap. 5. v. 1. & 2.* *Habac. c. 2. v. 15.*

II. Summa Christi patientia. Nemini precatur malè, neminem diris devovet ob immisericordiam tam barbaram, quæ extremè sitienti denegavit vel frigidam. Servator suum nobis sudorem, suum sanguinem, suas lacrymas, imò & aquam à suo pectore promanare passit, & ipse siti moritur.

II. Summa Christi patientia. *Sponte tetanus.* *Christus & redemptio nostra.*

C. Marius cùm castra eo loci posuisset, ut aquationem haberet difficillimam, exercitu jam plurimùm sitiente, in concionem progressus, *A vobis hodie, commilitones*, inquit, *emendus est potus, aut vestro, aut hostili sanguine.* Oratione animatos in aciem eduxit. Mariani fortiter rem egerunt, & magnam ediderunt stragem hostium, sic aquam emerunt, sed hostis sanguine. Dux noster Christus, ut aquam vivam in cælo hauriendam nobis emeret, ipse sitim pertulit, & aquam illam suo emit sanguine.

§. IV. *Animi sitis in Christo quanta?*

Darius Persarum rex ab Alexandro Macedone victus ingenti prælio ex acie fugit vulneratus; sed ab Alexandri copiis in ipsâ fugâ deprehensus est. Rex miser, imò jam exutus regno, & proximus morti, hoc unum supremi beneficii loco petiit, posse sitim potu obvio levare. Porrecta est frigida. Eâ haustâ Polystratum Alexandri militem, qui aquam porrexerat, humanissimè affatus, Hic mihi, ajebat, omnis meæ felicitatis terminus est. In eum me redegit ordinem fortuna, ut nec istud quidem beneficii possim rependere. Rependet alius. Alexander Rex qui matrem, conjugem, liberos meos tam amicè habet, hoc apud te nomen expunget. In eam rem dextram hanc porrigo, te interprete, quid ego velim posse, non possim. Sic dextrâ Polystrati apprehensâ decessit vitâ, Codris omnibus & Iris pauperior, Rex quondam opulentissimus.

Rex Angelorum Christus Joanni ac Matri velut eminus dextram porrigens supremum dixit vale. Deinde doloribus omnibus patientissimo silentio suppressis, se siti arere non dissimulans exclamavit, *Sitio.* Crudelis & horrenda fuerit hæc sitis necesse est. Sed ea certè non solùm macerabat corpus, sed & animum fatigabat. Quod Hostiensis Episcopus Drogo admiratus, *O Domine*, ait, *quid sitis? Ergóne plus cruciat sitis quàm crux? De cruce siles, & de siti clamas, Sitio. Quid obsecro? Vestram sitio fidem, vestram salutem, vestrum gaudium. Plus animarum interitus, quàm mei me cruciatus torquent.* Quod Augustinus paucis complexus, *Quid esurivit, quid sitivit Christus*, inquit, *nisi bona opera nostra? Sitio, dixit, quamvis illi non hoc dederint quod sitiebat, ipsos enim ille sitiebat: At illi acetum dederunt, non vinum novum, quo implentur utres novi: sed vinum vetus & malum. Dicitur enim vinum vetus, veteres homines.*

Si Christum interrogemus ab ipso vivendi exordio: Cur, bone Jesv, hominem induisti, cur natus, cur in præsepi positus, cur circumcisus es? cur Ægyptum fugâ petisti, cur concionatus, cur famem sitimque passus, cur peregrinatus es? Ad omnem hanc quæstionem responderet: Sitio, sitio, sitio. Si rogemus ulteriùs. Cur autem te comprehendi ac ligari, cur flagellis tam atrociter cædi, cur vepribus tam immaniter compungi, cur in trabem clavis suffigi voluisti? Sitio, diceret, sitio, sitio salutem vestram. Sitis mea, salus vestra, redemptio vestrâ, fides & gaudium vestrum. Ita non sibi, sed nobis omnibus sitivit.

Rudolphus I. Imperator, cùm in Bohemiæ Regem Ottacarum rebellem arma moveret, exercitus Imperatorius summâ aquæ penuriâ laborabat, ipse etiam Imperator tolerare sitim discebat. Inter hæc eminus conspicitur homo paganus, qui messoribus potum ferebat. In hanc prædam non tantùm oculi plurimorum, sed & avidæ manus ibant. Abreptus est homo unà cum lagenâ. Hanc Imperatori offerebant, quam tulisset bona fortuna compescendæ siti. At optimus Imperator non Reges tantùm sed seipsum doctus vincere, mox homini lage-

ni lagenam neminis ore libatam reddi jubens. Ego quidem, ajebat, exercitui meo, non mihi sitiebam. Ita verissimè Christus non sibi, sed humanæ genti sitiebat, nos ab interitu servatos cupiebat.

§. V. *Christus moriturus sitienti cervo collatus.*

Psal. 41. v. 1. Confer alibi quoque cur Christus cervo comparatur. Prima.

CAnit Rex David: *Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima ad te Deus.* Mirari quis non immeritò possit, cur Christus in divinis libris sæpius conferatur cervo. Caussarum aliquot eruimus.

I. Cervus capitalis hostis colubrorum & serpentium. Ubi ubi occasio pugnæ, digladiantur inter se. Cervus serpentes è cavernis suis vel halitu educit, & interficit. Hinc cervo venena glutienti sitis maxima. Christus cum antiquo pugnans serpente, delictorum nostrorum virus attraxit: *Posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrum.* Hinc sitis tam acerba.

Isa. cap. 53. v. 6. Secunda.

II. Cervus sagittâ læsus, dum potest currit, tamquam fugâ & cursu excussurus sagittam, hinc accendit sitim. Christus amoris telo saucius, non solùm pro universis simul hominibus, sed pro singulis seorsim pati paratissimus fuit, à patre quodammodo inhibendus. Immensi telum amoris illum impulit ad cursum è cælo in terram conficiendum. *A summo cælo egressio ejus ad currendam viam, & occursus ejus usque ad summum ejus.* Quid miramur maximam sitim post tam ingentem cursum?

Psalm. 18. v. 6. & 7. Tertia.

III. Cervus quandoque altiusculam sepem transmissurus saltu, seipsum miserè configit palo. Christus in horto sepem præaltam è mero dumeto textam vidit & cohorruit. Nam *pavere cœpit, tædere,* & mœstus esse. Jamque transilire cupiens, *Pater,* inquit, *si possibile est, transeat à me calix iste,* transeat, transeat. Moliebatur saltum. Quippe viderat sibi præsentia flagella, orbiculare vepretum, trabales clavos, execrandam crucem, doloribus & opprobriis plenissimam. Ah quàm acuta, quàm alta, quàm horrenda sepes! Sponsa quasi præsagiens, & ideo monens, *Fuge,* inquit, *dilecte mi, & assimilare capreæ hinnulóque cervorum super montes aromatum.* Malè metuebat scilicet sponsa, ne in monte Golgothæo suus sibi raperetur sponsus. Hoc certè loco nobilissimus ille cervus in sepem excelsam sese induens horribili crucis palo infixit. *Ego pono animam meam,* inquit, *ut rursum sumam eam. Nemo tollit eam à me, sed ego pono eam à meipso.*

Marci c. 14. v. 34. Matt. c. 26. v. 36. Cant. cap. 8. v. 14. Joan. c. 10. v. 17. & 18.

Quarta.

IV. Spiritus divinus, scriba est non tantùm velociter scribens, sed planè admirandus, qui litterulâ unâ, apice vel unico complura claudit mysteria. Psalmus vigesimus primus de Christi cruciatibus conscriptus est totus. Inscriptio hujus Psalmi: *Pro susceptione matutinâ.* Hebrææ vocis origine spectatâ, inscriptionem hanc habemus: *Pro cervâ matutinâ.* Ita Basilius, Hieronymus, Bellarminus nos eruditi. Rectè *Cerva,* quia pati maximè ad carnem Christi pertinebat. Quod Petrus asserens, *Christo igitur,* inquit, *in carne passo, & vos eâdem cogitatione armamini.* Hæc cerva, Christi caro, fixa patibulo avernalem aspidem triumphavit. Hinc illud triumphale carmen pro cervâ sitiente ac moriente, quæ matutinis horis ad vitam rediit. Hinc cerva matutina dicitur.

Basil. in Psal. 21. Hier. in Psal. 21. Bellarm. in eundem. 2. Petr. c. 4. v. 1.

§. VI. *Christi sitientis duplex potus, sed miserrimus.*

CVm illud roboris prodigium Samson mille Philisthæos asini mandibula in unum velut acervum jugulâsset, horrendum sitiens clamavit ad Dominum: *Tu dedisti in manu servi tui salutem hanc maximam atque victoriam: & en siti morior. Aperuit itaque Dominus molarem dentem in mandibulâ asini, & egressæ sunt ex eo aquæ. Quibus hausto refocillavit spiritum, & vires recepit.* Christus crucifixus omnes Acherontis exercitus profligavit. Victoria & salus maxima. Interim clamabat victor: En siti morior. Ah, mi Deus, liceat nobis ad modulum humanum loqui, quomodo hæc res Angelos præterierit? quomodo huic occasioni defuerunt? quomodo Christum extremè sitientem neglexerunt? Danielem in leonum cavo necari fame non permiserunt: annonam ei per Abacuc abundè ministrârunt; Eliæ famem & sitim cibo & potu recreârunt. Sed & Christi esuritionem post quadragintadiale jejunium obsequiis suis levârunt; at verò sitim in cruce vehementissimam nec aquæ quidem calículo sedârunt. Fel in Acam, acetum in potum offertur: Angeli silent & dissimulant.

Judic. c. 15. v. 18. & 19.

Cacodæmon admiranda duo celebravit convivia. Primum in paradiso, ubi mera eáque pretiosa, sed furtiva poma apposuit. Hujus convivii sumptus necdum ad ultimum assem persolvimus: ex ære alieno adhuc laboramus. Altero convivio diabolus meros lapides apposuit, & convivam Dei Filium, quem non noverat, invitavit, & ad alacriter edendum familiari sermone animavit. Judæi saxeo illo longè funestius struxerunt convivium, fel pro edulio, acetum pro vino Domínico apposuerunt. Bis, ut diximus, accepit Christus potum in supplicii clivo. Primum, antequam in crucem suffixus, vinum myrrhatum, seu acetum felle mixtum. Moris erat, uti est hodiéque, reis ad supplicii locum perductis vinum generosius offerre, ut mortem & minùs considerarent, & faciliùs tolerarent. Judæi, eâ quidem specie quâ morem retinerent, re autem verâ, ut Christo rursus illuderent, pro vino vappam evanidam, mucidam, felleam attulerunt. Nam ex contumeliâ, ut Chrysostomus ait, fel desiccatum panis loco vappæ intriverunt, non pectori roborando, sed gustui discruciando, quem solum hactenus non læserant. Ne qua ergo pars corporis à cruciatu foret libera, & ne quid ipsi ludibriorum omitterent, hoc genus potionis tam abominandæ excogitârunt. Censent aliqui fel ita Christo præbitum, ut esset cibus simul & potus, quamquam magis fuerit potus quàm cibus. Euthymius dilucidè, *Arbitror,* inquit, *fragmenta aridi fellis in aceto emollita fuisse, ut acetum quidem loco vini esset, illa verò fragmenta pro buccellâ panis. Et præcipuè sanè potum dederunt, consecutivè etiam cibum. His enim qui animo destituuntur, vinum præbere solemus injecto pane, ut primum bibentes, postmodum etiam possint edere.* Hunc autem potum felleum libare Christus voluit, potare recusavit, non tam hostium barbarie, nec potionis amaritie offensus, quàm ut ostenderet, se placidè Patris arbitrio ad mortem progredi, non autem doloris impatientiâ præcipitem ferri, nec ultrò sibi mala & necem accelerare.

Diabolus duo celebravit convivia: Primum in paradiso Alterum in deserto.

Christus in supplicii clivo bis potum accepit.

Euthymius in cap. 27. Matth.

Primus igitur Christi potus ad crucem, acetum fuit myrrhatum, felleum. Alter acetum purum, non ad sitim extinguendam, sed ad irrisionem augendam. Quod apertè testatus Lucas, *Illudebant autem ei & milites,* inquit, *accedentes, & acetum offerentes ei, dicentes: Si tu es Rex Judæorum, salvum te fac.* Quod asserens Victor beati Marci Græcus interpres, *Et hoc quoque,* ait, *quòd spongiam aceto plenam ori illius admovebant, insanæ absurdæque illusionis opus erat.* Cyrillus hæc confirmans, *Illi adeò longè,* inquit, *ab omni humanitate aberant, ut pro juvante potu atque jucundo, nocentem & acerbum attulerint, & humanitatem, quâ moveri videbantur, in impietatem converterint.* Tam iste igitur, quàm prior crudelis potus Adami protoplasti gulam expiavit. Ita cenare voluit Christus ad pessimum illud in paradiso jentaculum hospiti solvendum.

Luc. cap. 23. v. 37.

Hoc duplici potu Christus Adami gulam expiavit.

Hîc quivis suam ipse conscientiam interroget, quem modum in cibo potúque servando teneat, num temperantiæ ac sobrietatis metas non transiliat, num fellis & aceti memor subinde gulam frenet, an verò potiùs omnes illi habenas laxet, nec genium re ullâ fraudet. Itaque secum ipse constituat, quam hac in re deinceps legem velit servare. Heu quàm nullam pro Christo, pro nobis sitim ferimus! Quoties mensam & pocula non plures tantùm horas, sed in alterum sæpe solem producimus? quoties exultante verecundiâ verbis & factis pudendis, linguâ & manibus propudiosis, omnem pudorem inter

In cibo & potu sumendo temperantiæ & sobrietatis metæ non transiliendæ.

A cenâ surgitur.

rem inter bibendum exuimus? nec tamen ignorare possumus miserrimi epulonis sitim post pocula, post epulas, post convivia æternitatibus omnibus duraturam. Aquæ guttulam ab extremo digito fundendam rogat, sed nullis eam sæculis impetrabit. Dura commutatio, pro poculis & mensis tam celeri fine clausis æterna sitis, æternæ flammæ. Hæc scimus, ea tamen insaniâ hilari concoquimus, nec obvia omnibus remedia, preces, sitim, jejunia admittimus. Nimirum malumus mensas æternitate totâ diluendas, quàm jejunas Lazari dies, & siccas cenulas æternis mensis ac deliciis donandas. Neque nos exempla terrent, neque interitus plurimorum cautos & prudentes faciunt. Plus potest inveterata consuetudo, sociorum provocationes, joci, risus, & quæ mensas largiores comitari solent, quàm Dei leges, quàm omnis exemplorum series, quàm ab omni ævo laudata temperantia.

Frustrà sint omnium Sapientum monita. Audiuntur Prophetæ, sed spernuntur: vociferatur Salomon, sed exploditur. Nil proficiunt apud nos saluberrimæ voces illæ: *Fornicatio, & vinum, & ebrietas auferunt cor. Luxuriosa res vinum, & tumultuosa ebrietas: quicumque his delectatur, non erit sapiens.* Hæc audimus, & negligimus. Dulce est sopiri vino. Quidquid Apostolus moneat. *Nolite inebriari vino, in quo est luxuria.* Hæc monita scimus, & contemnimus. Hinc ubique passim regnat ebrietas, & cum eâ omnis vitiorum tyrannis: neque enim ullum vitium ab ebrietate, & immodico vini usu exulat. Omnis omnino improbitas, scelera omnia, uno ebrietatis sinu foventur. Libido, impudicitia, Dei oblivio, perjuria, cædes, rapinæ, alienus torus, latrocinia, & quidquid graviorum scelerum est, in hac unâ ebrietatis Lernâ tutò stabulantur. Hæc omnia vino familiaria sunt. Famæ, valetudinis, crumenæ dispendia tacemus. Matrix malorum omnium ebrietas. Hinc apud inferos in epulone convivia cruciantur, hinc in Abrahæ sinu in Lazaro jejunia recreantur. Hinc immitissima Christi sitis, quæ mensas nostras nostrámque crapulam damnat. Discamus pro Christo & cum Christo brevem sitim tolerare, aut saltem non ultra sitim (quod nec bestiæ quidem faciunt) potum ingurgitare. Sed hîc documentum quadruplex instillamus.

Osee cap. 4. v. 11. Prov. c. 20. v. 1. Ad Ephes. 5. v. 18.

Omnis improbitas, scelera omnia, uno ebrietatis sinu foventur.

Quadruplex documentum.

§. VII. *Quadruplex è dictis præceptio.*

1. Desiderium patiendi pro Christo inflammandum. *Ps. 115. v. 4.*

I. EXcitanda sitis Dominici calicis, desiderium patiendi pro Christo inflammandum. Rex David excitatissimus, *Calicem salutaris accipiam*, inquit, *& nomen Domini invocabo.* Senensi virgini Catharinæ Christus saluberrimam præceptionem istam tradebat: Quod amarum est, dulce puta; & quod dulce videtur, pro amaro habe. Christianis id omnibus dictum. In hujus desiderii honestissimi stimulum sit vox ista, *Sitio.* Sciens JESUS, *quia omnia jam consummata sunt, ut consummaretur Scriptura, dixit, Sitio.* Ita in olivet. Petrum à vi reprimens, *Calicem*, inquit, *quem dedit mihi Pater, non vis ut bibam illum? Quomodo ergo implebuntur Scripturæ, quia sic oportet fieri.* Acetum porrò non ideo ori Dominico admotum, quia Deus ita fieri voluit, ut jam suprà demonstratum est, sed quia Deus id futurum prævidit, idcirco fieri decrevit. Nos hostes, nostri maledicunt, vexant, affligunt, non quia Deus ab æterno decreverit ut illi hoc faciant, sed quia eos hoc facturos prævidit, ideo ut nos in pœnam patiamur constituit.

Ioan. c. 19. v. 28.

Idem c. 18. v. 11. & Matt. c. 26. v. 54.

Quidquid cuicumque perferendum, id omne in intellectu & voluntate Dei perscriptum est.

Nos ergo in omnibus idemtidem dicamus: Ut impleatur Scriptura, libens hoc patiar, & hoc, & istud, & illud, & quidquid mihi seu hodiernâ, seu crastinâ, seu perendinâ luce, hoc alteróve anno obvenerit patiendum. Nam quidquid à primo lucis exordio, ad ultimum vitæ halitum cuicumque perferendum, id omne in intellectu & voluntate Dei, voluminе immenso vel ad extremum apicem perscriptum est. Omnium nostrûm vita secùndùm omnes illius partes maximas, secundùm momenta omnia in hoc libro continetur exactissimè descripta. Ut igitur impleatur Scriptura, sit istud, sit hoc, sit illud, quidquid Deo visum ut perferam. Christus non ignorans, unicum adhuc ad cruciatus cæteros additamentum superesse, acetum ludibrio porrigendum; ne igitur vel punctulum paternæ voluntatis omitteretur, dixit, *Sitio.* O sitim quæ non in cruce primùm exarsit! Jam in itinere quod Hierosolymam versùs instituit, sitire cœpit, desiderio desiderans illud Pascha cum suis manducare. Hinc & illæ sitientis voces: *Ecce ascendimus Hierosolymam, & filius hominis tradetur principibus sacerdotum, & Scribis, & Senioribus & damnabunt eum morte, & tradent eum gentibus, & illudent ei, & conspuent eum, & flagellabunt eum, & interficient eum.* Nihilominus ad perferenda hæc properabat, imò *& præcedebat illos*; adeò hunc calicem sitiebat. In oliveto suos excitans, *Surgite*, inquit, *eamus.* Sitiebat pati. Apud judices ferè semper tacuit, ne moram injiceret morti; sitiebat mori. Cùm ad columnam cæderetur flagris, congregaverunt ad eum universam cohortem, hoc est, mille ducentos quinquaginta milites. Vix dubium est fuisse talem prætoriam cohortem, seu, decimam Romanæ legionis partem, ex arce Antoniâ convocatam. Ab eorum singulis cædi voluit; quemadmodum Academiis exteris mos est, ut reus à singulis adolescentibus studiosis plagas accipiat. Has nempe sitiebat Christus; **nec dubium** quin aliquot plagarum millia acceperit. Cùm verò sitiens Dominus flagella in corpore retinere non posset, saltem spinas voluit, quas capite excepit & asportavit, fors spinis etiam cæsus fuit. Sitiebat cruciatus. In itinere ad Golgothæum collem socium habere voluit Cyrenæum, ut eò citiùs perveniret ad crucis tormentum. Hinc & Solymæis flentibus matronis dixit: *Nolite flere super me.* Reverà hos dolores sitiebat immensùm. Hîc quisque sibi ipse dicat: Funde aquam, ô saxum durissimum, aquam funde: da lacrymas, da spem, & preces, commiserationem ostende, sitò umbrâ crucifixi conquiesce.

Matt. c. 26. v. 46.

Ita fere Ludovic. Blosius, Ioannes Eusebius, Ludovicus Granat. Supra cap. 4. §. 3. num. 1.

Luc. cap. 23. v. 28.

Macarius, cùm ad eum hostis æstuans ac sitibundus meridie divertisset, & aquam petiisset; Macarius illi, Mi bone, inquit, sufficiat tibi hæc umbra frigidiuscula, quâ navigantium & viatorum plurimi carent. Ita prorsus cùm tentationum aut afflictionum æstus & sitis urit, sufficiat nobis hæc umbra Crucifixi. Hîc cervus sitiens clavis confixus monstrat, quomodo perferamus sitim. O dulcis umbra! Jure sibi gratuletur hospes: *Sub umbrâ illius quem desideraveram, sedi, & fructus ejus dulcis gutturi meo.* Sitiamus, quem bibere necesse est, calicem salutis.

Ioan. Abbas Climac. de Temperantia. Cant. 2. v. 3.

II. Excitanda sitis divini honoris, seu, zelus animarum exerendus. Non tantùm ad fontem Sichar, nec in cruce solùm, sed totâ vitâ Christus sitiit salutem nostram. Hæc sitim accendit & mœrores auxit, tot hominum interitus. Hoc & nos ad miserationem & opem erigat, tum tot animarum millia perire. In medium consulat & juvet, quisquis potest, ut tanta cacodæmoni præda subtrahatur. Hujus animi Paulus, *Non quæro*, inquit, *quæ vestra sunt, sed vos. Ego autem libentissimè impendam, & superimpendar ipse pro animabus vestris.* Hæc vera sitis est, non sitire suam solùm, sed & aliorum salutem.

2. Reg. 12. v. 28. Ioan. 10. v. 11. 1. Ioan. 3. v. 16. 2. Cor. 12. v. 15.

Tres Scytharum reges, Homarges, Sacephares, Tamyris, contra Darium & Persas movebant arma. Quibus cùm in locis desertis de re præsenti consilium caperent, Risaces vir audax eos adiit, promisitque omnes Persarum copias sine ullâ Scythici exercitûs jacturâ exstinguendas, modò Reges jurejurando sponderent, liberis suis ac nepotibus equos & pecunias daturos. Jusjurandum dederunt Reges. Mox Risaces in seipsum stringens ferrum, & auribus & naribus, sed & reliquo corpore se fœdùm mutilavit. Ita transfugit ad Darium. Hîc vociferari ac ejulare, Scythas omnes execrari, ita se à Scytharum regibus mutilatum clamare, sed non diu impunè

Polyæn. lib. 7. strat. Iustin. lib. 2. Alii Scriptores.

impunè id laturos, si Dario regi luberet utilissimum in rem consilium audire. Scythas nocte proximâ moturos castra. Quòd si Persæ per viarum compendia se ducem sequi vellent, hostem imparatum die unico debellari posse sine ullâ clade. Parato igitur commeatu Risacen totis septem diebus comitantur per vastas solitudines. Tandem Chiliarchus Rhanostates subodoratus dolum, Cur, inquit, Regem magnum fallere conatus exercitum in arenas fontium & aquarum sterilissimas deducis, ubi nec progrediendi datur facultas nec regrediendi? Ad ea Risaces complosis manibus in risum effusus, Ut à civibus meis, inquit, periculum depellerem, Persas fame ac siti necare volui. Dixit, & ferrum jugulo recepit.

Quantus animus in hoc homine! Ut meos, inquit, servarem, meipsum perdidi. Quid nos audemus pro Regis summi honore? quid patimur, quid conamur pro animarum salute? Christus atrocissimè vulneratus sitim toleravit, crucis tormenta subiit, pro suâ gente caput devovit, acerbissimam mortem pertulit. Quid nos, Christiani, quid agimus? quâ siti ferimur in hominum salutem? Gregorius Magnus, *Nullum*, inquit, *omnipotenti Deo tale est sacrificium, quale est zelus animarum. Beatus*, Ambrosio teste, *qui zeli noverit disciplinam, & oderit eos, qui Domini gratiam relinquentes salutem propriam deserunt, & errorem sibi fraudis adsciscunt.* Quæ Richardus Victorinus confirmans, *Nescio*, ait, *an majus beneficium possit homini à Deo conferri, quàm ut per ejus obsequium alii consequantur salutem, si tamen homo Deo cooperetur ex charitate.*

Gregor. in Euseb. homil. 12. Ambros. in Psal. 118. serm. 18.

3. Sitis aspiciendi Dei accendenda. *Psal. 41. v. 1. & 2. * Tenuum. Psal. 119. vers. 5. Augus. in Psal. 41. Philip. c. 1. vers. 23.*

III. Sitis aspiciendi Dei accendenda. Beatus qui quavis non tantùm die, sed & horâ suspirans ait: *Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus. Sitivit anima mea ad Deum fortem * vivum: quando veniam & apparebo ante faciem Dei? Heu mihi quia incolatus meus prolongatus est.* Tam sanctos gemitus dissertatione longâ commendans Augustinus, *Hæc miror*, inquit, *hæc laudo; sed eum qui fecit hæc, sitio.* Hac siti laborabat Paulus, cui *dissolvi & esse cum Christo multò melius.* Quantò quisque probior, tantò siti ardentiore vociferatur quotidie, Sitio, sitio Deum vitæ fontem.

** Tri Mecenati apud Senecam epist. 101. Mecenatis turpissimi, votum, quo & debilitatem non recusat & deformitatem, & nouissimè acutam crucem, dummodo inter hæc mala spiritus prorogetur. Ioan. cap. 4. vers. 13.*

Quid quæso, dulcedinis in hac aceti & absynthii valle nos detinet? Non multis abhinc annis vinariam cellam ingressus quispiam, copiosum satis, sed acidissimum vinum invenit. Honoris causâ libare jussus nobilissimum nectar. Vix ille labris primoribus temetum illud gustans, O viri, ait, quantæ virtutis hoc mulsum esse dicam? Quantæ, ajunt. Quibus ille, Nemini umquam, ait, persuaserit ebrietatem. Non vinum, sed acetum est, ad temperantiam docendam aptissimum. Talis hic orbis est, nusquam non acetum, fel, myrrhatum ingerit. Et tamen vappam amarissimam ore avido haurimus; ingens vitæ amor est, miseriis nostris pascimur, dulce est vivere vel in ipsâ cruce *. Amarus est mundus, & amatur; si dulcis esset, quantos haberet amatores? Aquam propinat mundus turbidam, *qui biberit ex hac aquâ, sitiet iterum.* Christus expirat sitiens, ut sub ipsam mortem ostendat, hîc nullâ re sitim expleri. Sitiamus igitur perennes vitæ fontes, qui quorumcumque desideriorum sitim restinguent.

4. Sitis illa pessima, sitire libidines, honores, opes. *Heb. cap. 2. vers. 18.*

IV. Sitis illa multò pessima, sitire libidines, honores, opes. Hæc sitis complet inferos inquilinis. Hieremias vates interrogans, *Quid tibi vis*, inquit, *in viâ Ægypti, ut bibas aquam turbidam?* Illud humanæ nequitiæ terrimum est auctarium, non peccare tantùm, sed cupere amplius peccare, & velut sitire noxas. Hîc lucis aliquid allucet ad quæstionem illam numquam satis explicandam: Cur Deus letale peccatum vel unicum cruciatibus puniat sempiternis. Hîc istud causæ strictim assignamus.

Causa cur Deus letale peccatū vel unicū cruciatibus puniat sempiternis.

In præmiis & suppliciis rependendis Deus non peccata tantùm facta, sed sitim ad facienda spectat. Exemplo, quod dicimus, monstramus. Moritur quis annos triginta natus, & jure vitam finiit, quia peccare non desinit: si quinquaginta, si sexaginta, si septuaginta vixisset, totidem peccasset annis. Si centum, si mille annis vixisset, annis mille peccasset: si perpetim vixisset, perpetim peccasset. Quia enim, mi homo, in te peccandi sitis æterna, calicem furoris Domini æternùm bibes. Maturè igitur, quisquis es, hanc sitim extingue Christi Sanguine.

Lysimachus, Plutarcho teste, victus siti, se suumque regnum Getis tradidit. Cumque jam dedititius bibisset, Prô me hominem pravum, inquit, & fatuum, qui tantillæ voluptatis gratiâ tantum amiserim regnum! Ita prorsus, qui honores, aurum, voluptates, vindictam sitit, sitique victus explet animum, jure meritissimo sibi ipse dicat: Prô me hominem stultissimum juxtà & nequissimum, vili delectatiunculâ vendidi cælum. Rex David de feris mentionem injiciens, *Expectabunt*, inquit, *onagri in siti suâ.* Etiam sitientissimi aquam fœculentam non bibunt, sed limpidam expectant. Maligna hominum sitis turbidam tantùm aquam expetit, præcipuè libido. Expectemus amore Domini Jesv, dum ad fontem vivum perveniamus. Ignis ignem vincit, major minorem, ita dolor dolorem, amor amorem, ita sitis sitim: ita Christi crucifixi sitis vincat nostram. Cupiditatem omnem ad noxia stringamus. Expectemus fontes promissos. *Hauriemus aquas in gaudio de fontibus Salvatoris.*

Plutarch. to. 2. Moral. Comment. De his qui serò à Numine puniuntur, mihi p. 187. Psal. 103. vers. 11. Isaiæ c. 12. vers. 3.

CAPVT VI.

Sexta Christi morientis Cygnea modulatio: Consummatum est.

Jobus fuit imago Christi. *Iac. cap. 5. vers. 11.*

IMago Christi, patientissimus virorum Jobus fuit. De Jobo Apostolus Jacobus, *Sufferentiam Iob audistis*, inquit, *& finem Domini vidistis.* Jobus archetypum Christi. Vir iste pecus omne, omnesque facultates perdidit: nec Christo quidquam relictum, ipsæ etiam vestes abreptæ, scissæ, sorte divisæ. Jobi decem liberos una domûs ruina sepeliit: Apostolos Christus liberis chariores habuit, sed eos illi omnes fuga abstulit. *Ecce venit hora, & jam venit, ut dispergamini unusquisque in propria, & me solum relinquatis.* Jobus ulcere pessimo percussus à plantâ pedis usque ad verticem ejus: flagellis Christus crudelissimè consciscus, merum vulnus videri potuit. Jobus tam ab uxore quàm cognatis, criminatione ac convitiis vexatus, hypocrita, leo, tyrannus, tigris appellatus: Christus à Synagogâ & Judæis, à gentibus & omni genere hominum in cruce irrisus, seductor, malefactor appellatus. Non morbis tantùm Jobus, sed mœroribus & angustiis variè afflictus: in horto Christus cœpit pavere, tædere & mœstus esse; in cruce se derelictum à Patre succlamavit. Ut Jobum modis omnibus torqueret, artes suas omnes & vires explicavit diabolus: hic idem Christum ut iratus leo agnellum aggressus, omnem populum in eum concitavit. Adeò ab omnibus desertus fuit Jobus, ut ad fimetum denique pervenerit: Christus omni auxilio adeò destitutus, pro maledicto à tantis habitus, ut eum publica Præsidis sententia in crucem ablegârit. Humilitas & patientia Jobi, licet Principis, imò Regis, summa fuit: Christus Rex regum, Humilitas ipsa, ipsa fuit Patientia. Jobus in extremis miseriis & doloribus septennium exegit constantissimè: Christus à primo vitæ momento, ut suprà demonstratum est, ad annum usque trigesimum quartum in cruce fuit, dum dicere potuit, *Consummatum est.* Hoc sextum Domini pronuntiatum jam eâ, quâ cœpimus, methodo explicabimus.

Ioan. c. 19. vers. 30.

§. I. *Consummationis hujus parabolæ.*

CVm ergo, inquit Joannes, *accepisset IESVS acetum, dixit, Consummatum est.* Calix amarissimus unà cum fœcibus est exhaustus. Dixerat Christus: *Baptismo habeo*

Loc. citato. Luc. cap. 12. vers. 50.

habeo baptizari, & quomodo coarctor, usque dum perficiatur. Sanguineus hic baptismus jam ad finem deductus, jam perfectus est. Ultimam manum opus recepit. Ad finem dolorum ventum est. Mercenarius qui tulit pondus diei & æstus, cùm vesper adest optatus, suaviter respirat, in oculis est denarius diurnus. Agricola cùm segetem demessam feliciter mandavit horreis, triumphat & sibimet applaudit. Vinitor cùm vindemiâ jam solutâ in doliis vinum spumat, lætus cantat. Peregrinus itinere confecto, in viæ termino hilaris pausat. Orator pronuntiatâ oratione, hanc epilogo nectit clausulam: Dixi. Videte mercenarium fidelissimum, qui non tantùm plurimorum dierum, sed tot annorum pondus & æstus pertulit. Videte agricolæ filium de messe securum, qui de seipso fassus: *Pater meus agricola est.* Videte vinitorem, qui torcular calcavit solus. Videte peregrinum, qui exivit à Patre, & venit in mundum, iterum relinquit mundum, & vadit ad Patrem. Audite oratorem disertissimum, cujus omnis vita oratio fuit pulcherrima. Orationis exordium dies Natalis; Narrationem orationis dederunt Evangelia; Confirmationem apposuerunt miracula; Epilogum & perorationem subjunxerunt crucis tormenta. Jam dicere licet, *Dixi, Consummatum est.* Dixerat Pilatus, orthographiæ suæ tenax, *Quod scripsi, scripsi.* Christus æquiori jure dixerit, Quod dixi, dixi. Nec litterula, nec syllaba, nec apex aut punctulum deest huic operi addendum.

Ioan. cap. 15. vers. 1. *Isaiæ c. 63. vers. 3.* *Ioan. c. 16. vers. 28.* Vita Christi fuit oratio pulcherrima. *Ioan. cap. 19. vers. 22.*

Consummatum est jam vetus Testamentum, longum per tot umbras prologium. Gaudeamus plurimùm nos liberatos à jugo, *quod neque Patres nostri, neque nos portare potuimus*, uti Petrus in Apostolorum senatu loquitur. Et fatetur Paulus: *Nihil ad perfectum adduxit lex.* Omnia Synagogæ erant operis imperfecti. Nunc opus hoc exasciatum, *Consummatum est.*

Actor. c. 15. vers. 10. *Ad Hebr. c. 7. v. 19.*

Consummatum est ædificium grande, præcelsum, *cujus culmen pertingit ad cælum.* Auctor omnium sex diebus orbem condidit, die septimo ab opere quievit. Ita Christus hanc structuram editissimam die sexto peregit, in sepulchro interquievit septimo. Noëmus annis centum fabricavit arcam. Operosa sanè ac diuturna fabrica, quâ solùm octoni homines cum collecto pecore servabantur. Ædificium Christi fuerat quidem minoris temporis, sed molis longè majoris, jam *Consummatum est.*

Gen. cap. 11. vers. 4.

Hîc repeto, quod crebriùs imprimendum alto pectori. A primo vitæ momento Christus in crucem actus est. Nam eo ipso temporis puncto, quo Dei Filius in utero virgineo hominem induit, mandatum à Patre recepit, patereturque se crucifigi, ut justitiæ divinæ satisfieret. Ad quæ utique Christus suum illud subjunxit: *Ita Pater, quoniam sic placitum fuit ante te.* Ita mi Pater. Sic in utero matris *factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis.* Hæc Paulus ipse confirmans, *Ideo*, inquit, *ingrediens mundum dicit, Hostiam & oblationem noluisti; corpus autem aptasti mihi; holocautomata & pro peccato non tibi placuerunt. Tunc dixi, Ecce venio. In capite libri scriptum est de me, ut faciam Deus voluntatem tuam.* Ab hoc igitur momento Christus futuros cruciatus suos omnes, flagella, spinas, crucem, clavos, plagas omnes, ludibria, dolores universos in oculis semper habuit, & ita, si probè ratiocinemur, triginta quatuor annis in cruce pependit. Nos verò uti jumentum molarium, aut fullonicum cæcum alia atque alia patimur, ignari meridie quid passuri simus vespere. Bonum nobis nescire seriem miseriarum nostrarum, nec prævidere posse quid postera, quid ultima ferat dies; paullatim aliud ex alio nos tangit malum. Id-circo Christus, *Nolite*, inquit, *solliciti esse in crastinum. Crastinus enim dies sollicitus erit sibiipsi. Sufficit diei malitia sua.* Ipse verò Servator sua simul omnia præviderat tormenta; hinc longissimum crucis cruciamentum pertulit. Septennii periodo suas Jobus clausit ærumnas. In annos quatuor & triginta suos Christus extendit dolores. Tandem omnibus ad finem perductis dixit, *Consummatum est*, prælium ingens adversùs peccatum, mortem, diabolum. Hos hostes ita subnervavit & vinxit, ut ab iis lædi non possit, nisi qui propiùs accesserit, & lædi velit.

A primo vitæ momento Christus in crucem actus est. *Matth. c. 11. vers. 26.* *Ad Philip. cap. 2. v. 8.* *Ad Hebr. cap. 10. v. 5. & seqq.* *Matth. c. 6. vers. 34.*

§. II. *Consummationis hujus adumbrantes historiolæ.*

CVm Athenienses, Suidâ teste, contra Medos Persasque Marathone pugnarent & vincerent, Hemonius licet letali vulnere affectus, Athenas tamen eo ipso die pervolavit, & in senatu, qui eo ipso tempore confederat, proclamavit, Μέγα χαίρετε, νικῶμεν. *Gaudio gaudete, vicimus.* Hæc ubi dixit, collapsus humi obiit. Si summa imis liceat conferre, Christus nûtians victoriam, Consummatum est, inquit, & inclinato capite tradidit spiritum. In rem præsentem dixit Guerricus Abbas: *Sufferentia Iobi fuit usque ad reditum substantiæ; sufferentia Domini usque ad exitum vitæ.* Consummatum est.

Suid. p. 1. pag. 171. Guerric. serm. 3. de Dominic. martyr.

Jam omnia quæ præcesserunt sacrificia, imagines, figuræ, vaticinia, oracula suos habent exitus. Christus iis omnibus & singulis quasi subscripsit, *Consummatum est.* Passuri Christi ac morituri effigies & apographum fuerunt, Iris in nubibus depicta, Abel à Caino interfectus, Noëmus arcâ clausus, Isaacus à patre immolandus, Jacob hœdinis pelliculis tectus, Jósephus à suismet fratribus in Ægyptum venditus, Serpens æneus in desertis locis conto suspensus, Goliathus Davidis silice dejectus, Rex David urbe pulsus trans torrentem nudis pedibus & flens egressus. Quidquid igitur David, * Isaias, Daniel, Zacharias, alii de Messiæ ignominiosâ & acerbâ morte prædixerunt, id exactissimè impletum, Consummatum est.

* David in psal. 21. Isaias c. 52. & 53. de Domin. passion. Daniel. c. 9. de Messiæ nece. Zachariæ c. 12. de gemitu, & planctu ejus. Psalm. 68. ovium de spongiâ. Ad Hebr. c. 10. v. 10. S. Leo in serm. de passione Domini. Missale Mozarab. pag. 137.

Jam proclamari potest, Ite, licet: Sacrificium ceteris omnibus sacrificiis adumbratum, jam absolutum est. *Vnâ enim oblatione*, inquit Paulus, *consummavit in sempiternum sanctificatos.* Quod & beatus Leo suaviter instillans, *Crux tua*, inquit, *omnium fons benedictionum, omnium est caussa gratiarum; per quam credentibus datur virtus de infirmitate, gloria de opprobrio, vita de morte. Nunc etiam carnalium sacrificiorum ritu cessante, omnes differentias hostiarum una corporis & sanguinis tui implet oblatio; ita universa in te perficis mysteria, ut sicut unum est pro omni victimâ sacrificium, ita unum de omni gente sit regnum.* Missæ sacrificium & res divina, Christi patientis est memoria, prout ipse Christus Pontifex summus ad vestiendum sese sacrarium est ingressus, cùm hominem induit, *habitu inventus ut homo.* Introitus sacri, dies natalitius Domini, quo *primam vocem emisit similem omnibus plorans.* Hymnum Gloria in excelsis, cantârunt Angeli. Epistola, Christi doctrina in templo concionantis. Evangelium, sermones Christi per Judææ ac Galilææ urbes docentis. Trisagion illud Sanctus, Sanctus, Sanctus, dies Palmarum cecinit, quo clamatum, *Benedictus qui venit in nomine Domini.* Consecrationem Dominici corporis suprema cena tradidit. Elevationem erecta crux in monte præsignificavit. Agnus Dei ab iis memoriæ proditus, *qui percutientes pectora sua revertebantur.* Canamus nunc: Ite missa est: *Consummatum est.*

Missæ sacrificium est Christi patientis memoria. Luc. cap. 19. vers. 39. Philip. 2. vers. 7. Sap. c. 7. v. 3. Matth. c. 21. vers. 9. Luc. cap. 2. vers. 14. vers. ult.

Suum erat membris omnibus singulare tormentum. Nec venula se subducere potuit dirissimis doloribus. Caput vepribus perforatum, capilli vulsi, facies spuris & colaphis fœdata, oculi spectaculis mœstissimis cruciati, aures saturatæ probris, nares fœtoribus affectæ, manus & pedes perfossi, corpus concisum flagris, funibus extensum. Sola poterat videri lingua dolorum vacua, sed & illa denique acero, felle ac siti vexata. Ideo cùm accepisset acetum, dixit: *Consummatum est.*

Ita Medicus noster pro nobis omne austeriorîs medicinæ imperium exhausit: diætam, sudorem, phlebotomiam amarissimam, ad radicem morbi tollendam

non

non resputt. Dietâ usus, jejunium quadragintadiale iniit. Sudavit in horto, & quidem sanguine. Prætorium Pilati missionem sanguinis excepit. Acetum illi mons Golgothà ministravit. Curatio expleta, *Consummatum est.*

§. III. *Christi consummatio absolutissima, nostra vix ulla perfecta.*

NOn habuit humana nequitia, quò progrederetur ampliùs, quàm ut ipsum aggressa Deum, Dei filium sustigeret cruci. Ergo, quod David dixit, *Consumetur nequitia peccatorum.* Ergo quod dixit Christus, *Implete mensuram Patrum vestrorum.* Nequitia magna, innocentem; major, benefactorem; maxima, Deum occidere. Judas improbissimus servus suum Dominum, discipulus Magistrum hostibus objecit, Judæi suum Messiam, orbis suum conditorem neci dedit. Hæc nequitiæ meta. *Consummatum est.*

Isa. v. 10. Matt. c. 23. vers. 32.

Quidquid providentia & justitia Dei ab omni ævo ad humanæ gentis libertatem spectans decreverunt, id omne jam ad amussim, ad ultimum, ad unguem consummatum est. Clarissimè prædictum ab ipsâmet Veritate: *Iota unum, aut unus apex non præteribit à lege, donec omnia fiant. Ecce ascendimus Hierosolymam, & consummabuntur omnia, quæ scripta sunt per Prophetas de filio hominis.* Demum, *Opus*, inquit, *consummavi, quod dedisti mihi ut faciam.* Absolutissima Christi consummatio. Hanc consummationem Jobus in fimo velut lineis figurans, *Donec deficiam*, inquit, *non recedam ab innocentiâ meâ: Justificationem meam quam cœpi tenere, non deseram.* Sed multò molliùs in fimo sederat Jobus, quàm in cruce pependerit Christus; neque suus Golgothæ fœtor defuit. Nos Jobi amicos insigniter repræsentamus. Suum illi cognatum initio non noverant: *Cúmque elevâssent procul oculos suos, non cognoverunt eum.* Ah, quoties Christum crucifixum vel digito monstratum dissimulamus nosse? Consummatio humana perquàm rara, & plerumque vitiosa. Homini in noxam aliquam, præsertim in libidinem prurienti, Christum in cruce pendentem monstra, & interroga, num virum illum noverit? Ille aversis aliorsum oculis reipsâ negabit nosse, & furente cursu ad destinatam properabit nequitiam. Si Christum crucifixum nosset, Christum sibimetipsi non rursum crucifigeret, & ostentui haberet. O perfidos amicos, qui amicissimum sibi nec nosse quidem volunt! Deinde illi Job cognati disputare magis venerant, quàm solari. Unde non miteseceret morbus & dolor, sed aggravesceret. Hinc illa Jobi querimonia: *Consolatores onerosi omnes vos estis. Numquid habebunt finem verba ventosa?* Tales nos amici sumus, homines miserationis exiguæ, & circa mores emendationis perquàm raræ? Nihilominus hic noster amicus in ligno fixus, ab innocentiâ suâ non recedit, & cœptum in nos amorem non desinit, jámque in ipsâ cruce canit: *Consummatum est. Consummata est*, inquit beatus Leo, *proditio discipuli, negatio Petri, damnatio Pilati, aversio populi, crucifixio Filii Dei. Consummata est nox limbi. Scriptura impletur, Synagoga moritur. Ecclesia nascitur, voluntas Patris perficitur.* Cum Bernardo jam jure dixerim: *Quàm dulciter, Domine* JESV, *cum hominibus conversatus es! quàm abundanter humanæ redemptionis opus consummâsti! quàm perfectè voluntatem Patris explevisti! quàm fortiter tam indigna, tam aspera & dura pro hominibus passus es! dura verba, duriora verbera, durissima supplicia. Acetum*, Ambrosio teste, *bibitur, vinum cum felle non bibitur; non quia fel, sed quia admixtæ vino amaritudines recusantur. Sinceritati namque non debuit amaritudo misceri, ut ostenderetur sine amaritudine immortalitas resurgentium futura. Benè ergo ad consummanda omnia acetum bibitur, corruptio sinceritatis hauritur, ut omnia quæ vitiata fuerant, cruci affigerentur.*

Matth. c. 5. vers. 18. Luc. cap. 18. vers. 31. Joan. c. 17. vers. 4. Job cap. 27. vers. 5.

Amici Jobi repræsentantur Idem cap. 2. vers. 12.

Homines in libidinem prurientes, Christum ignorantes. Ad Hebr. cap. 6. v. 6.

Job cap. 16. v. 2. & 3.

Leo de Passione Dom. Bernard. in Cantic. Ambr. to. 3. in cap. 23. Luc. mihi pag. 277. & seqq.

Ecclesiastici c. 29. vers. 20. Siracidæ verbis meritò monemur: *Gratiam fidejussoris (tui) ne obliviscaris; dedit enim pro te animam suam.* Ita dedit ut perfectissimè omnia de se vaticinia implêrit, dum ad crucem ipsam suo corpore vestiendam Patri obsequentissimus fuit. *Consummatum est.* Hîc quivis animo ardenti apud seipsum statuat: Malo mori, quàm Deum sciens volens offendere; servitium Christo debitum consummabo.

Valerius factum narrat memoratu dignum. C. Mævius, Centurio Augusti Imperatoris, cùm Antoniano bello sæpenumerò excellentes pugnas edidisset, improvisis hostium insidiis circumventus, & ad Antonium Alexandriam per ductus, interrogatúsque, quidnam de eo statui deberet, Jugulari me, inquit, jube, quia non salutis beneficio, nec mortis supplicio adduci possum, ut aut Cæsaris miles desinam, aut tuus esse incipiam. Quò constantiùs vitam contempsit? eò faciliùs impetravit. Nobilis animus & generosum constantiæ propositum. Hoc nimirum est Duci servare fidem. Ita quilibet Christiani sanguinis cum animo statutum habeat: Ego decies, ego centies, ego millies malo mori, quàm à Christo meo aversus in istud, aut illud, aut aliud crimen prolabi. Nec vitæ beneficio, nec mortis supplicio adduci potero, ut aut Christi miles esse desinam, aut incipiam esse diaboli. Nec caro, nec mundus, nec totus cacodæmonum exercitus, à Christo meo me avellent: juratam fidem explebo, inchoatum opus consummabo.

Valer. lib. 3. c. 8. fine, ante externa.

§. IV. *Omnia denique consummantur: Consummatio Christi liberalissima.*

REx David omnium rerum exitus considerans, *Omnis*, inquit, *consummationis vidi finem.* Quidquid temporis est, vanum, breve, caducum est. Hîc laborem quies, gaudium plerumque luctus terminat: omnia suo clauduntur fine. Vidi finem omnis consummationis. Pro Christo quidquid patimur, modicum, momentaneum est, & fine coronatur beatissimo: quod patimur pro mundo, initium in vitâ, incrementum in morte, consummationem habebit in judicio: sicut latronum alter cruciatus avernales inchoavit in cruce: at iste crucis dolores, quas pauculis horis finiit, paradisi gaudiis mutavit. *Non dabit in æternum fluctuationem justo.* Nullum est ædificium tam firmum, quin tandem ruat; nec ullum est gaudium tam copiosum, quin demum desinat; sed nec ullus dolor aut luctus est tantus, quin tandem finiat. Deficiunt denique omnia, nec est sub sole quidquam, quod perennet: suis quæque finibus arctantur. *Latum mandatum tuum nimis.* Præmium justis promissum, supplicium improbis decretum immortalia sunt & æterna. Uti autem certò scimus ab eventu fuisse vera, quæ Prophetæ tot annorum centuriis, antequam evenerint, prædixerunt; ita certò sciamus omnia quæ Prophetæ, quæ Christus & Apostoli vaticinati sunt, eventura. Suus omnem consummationem sepeliet finis. Mille nobis causæ sunt ad futuram consummationem. Ævo Noëmi diluvio mersi nullum sæculis prioribus diluvium, quo terrerentur, sciverunt: nec Sodomæ Gomorrhæque cives simile incendium, quo extinguerentur, timuerunt. Nobis hæc omnia in oculis sunt, tot rerum præcedentium consummationes scimus, meminimus, audivimus, vidimus, & tamen ab amore rerum caducarum abduci non possumus, ut consummationis futuræ memores saniora sapiamus. Dilucidissimè Christus commonens, *Sicut enim*, ait, *erant in diebus ante diluvium comedentes & bibentes, nubentes & nuptui tradentes, usque ad eum diem, quo intravit Noë in arcam, & non cognoverunt donec venit diluvium, & tulit omnes; ita erit & adventus Filii hominis.* Si architectus moneat: Videte, ædes istæ malè materiatæ vitium faciunt, & ruinam minantur subitò collapsuræ. Sibi jam imputent, si qui obterantur ruinâ. Christus orbis architectus, ex alto crucis pegmate monet: Cavete, domus ruet, omnium vestrûm imminet consummatio. Christus ipse perseveravit in cruce, ne suâ tantum opus privaretur consummatione.

Psal. 118. vers. 96.

Psal. 54. v. 23.

Psal. 118. vers. 9. Præmium justis promissum, supplicium improbis decretum sunt æterna.

Matt. c. 24. v. 38. & 39.

Perfidiſſimi Judæi perſeverantiam Chriſti argumento in ſpeciem non leui tentantes, *Si Rex Iſraël eſt*, ajunt, *deſcendat nunc de cruce, & credimus ei. Alios ſalvos fecit, ſe ſalvum faciat, ſi hic eſt Chriſtus Dei electus.* His Auguſtinus cum priſcis Patribus appoſitiſſimè reſpondens, *Propter hoc ipſum*, inquit, *non deſcendit de cruce, quoniam filius Dei eſt. Propter hoc enim venit, ut crucifigeretur pro nobis. Plus fecit in cruce manendo, quàm feciſſet de cruce deſcendendo. Multò enim majus fuit, lapide ad monumentum appoſito mortuum reſurgere, quàm de cruce vivum deſcendere.* In crucem aſcendit Filius Dei, ut crucis tormentum non inciperet tantùm, ſed conſummaret. Æs alienum omne Chriſtus uſque ad noviſſimum quadrantem exſolvit. Fit nonnumquam ut ad veſperum quis perpotet, denique non habeat unde ſymbolam ſolvat. Caupo in hominem manus injicit, qui maluiſſet in marſupium, & domo exire prohibet, dum vel vere luat ſympoſium, vel pelle. In paradiſo nos cum majoribus noſtris intemperanter convivati ſumus: convivii erat ſymbola, mors æterna; qui hanc juſtitiæ divinæ ſolveret, nemo unus fuit. Chriſtus igitur noſtrûm omnium vicem tanti nominis reus, & è creditore debitor, quæ non rapuit, tunc exſolvebat, idque perfectiſſimè: *Conſummatum eſt.*

Matt. c. 27. verſ. 42. Luc. cap. 23. verſ. 35. Aug. to. 10. ſerm. 130. de tempore, & 49. in appendice, mihi pag. 679. in MS. libris adſcribitur Chryſoſtomo.

Hac liberalitate rex noſter Adriani Imperatoris munificentiam infinitè ſuperavit. Compererat Adrianus, plurimos civium ingentem vim nummorum ærario ſuo debere. Eos igitur omnes convocari, & unà pyram maximam ſtrui præcepit atque accendi. Nemo non pavidus ſolutionem explicandam capite cenſebat. At Cæſar præſcriptiones omnium & ſyngraphas in medios ignes conjiciens, Bono animo cives eſtote, inquit, & hilares domum redite; omnium veſtrûm nomina jam expedita, jam expuncta ſunt, Vulcano mementote gratias. Rex cæli pyram ſtatuit quadrangulam, ligna ſuis ipſe humeris congeſſit, & ignem immenſi amoris excitavit, hîc noſtras omnes ſyngraphas liberalitate ſummâ combuſſit. Nemo noſtrûm fuit, qui non decies centena millia talentûm auri, hoc eſt, æternam mortem, deberet huic creditori. Ah, quantum hoc æris alieni nullis ſæculis enumerandi! nemo hominum erat ſolvendo. Chriſtus igitur *delens, quod adverſus nos erat, chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, & ipſum tulit de medio, affigens illud cruci.* Quapropter æquo, ſed & grato ſimus animo, explicita eſt ſolutio, enumeratum pretium, *Conſummatum eſt.* Aſpiciamus *in auctorem fidei, & conſummatorem* Jesvm. Hîc ſubinde præceptiones quinque apponimus.

Ad Coloſſ. cap. 2. v. 14.

Ad Hebr. cap. 12. v. 2.

1. Præceptio: Principiũ ẽnc à Deo ducẽdum, omnis finis reducẽ dus in Deum.

§. V. *Præceptiones geminæ.*

I. PRincipium omne à Deo ducendum, omnis finis reducendus in Deum. *Ego ſum* A *&* Ω, *principium & finis, dicit Dominus Deus, qui eſt, & qui venturus eſt, omnipotens.* Omnium ferè gentium ſenſus eſt:

Apoc. cap. 1. verſ. 8.

Ab Iove principium Muſa. Jovis omnia plena. †

† *Maro eclog. 3. ante ipſum Theocritus in Encomio Ptolemæi Lagi Idyll. 17.*

Deus & centrum noſtrum, & peripheria * eſt. Nos ſæpiſſimè lineas curvas ducimus, & incaſſum aut etiam cum damno laboramus, quia nec à Deo incipimus, nec cum Deo finimus. A centro ad quamcumque peripheriæ partem linea recta ducitur. Res Euclidi certa, & per ſe nota. Ita incipere cum Deo & in Deo finire omnia, animi recti haud fallax argumentum eſt. Sanctiſſimi quique hoc legis inſtar religioſiſſimè obſervarunt, nihil umquam operæ vel laboris ſibi ſumpſerunt, nullam auſpicati actionem, quin divinam poſcerent opem. Quod Tertullianus de primævo Chriſtianorum more aſſerens: *Ad omnem aditum & exitum, ad veſtitum & calceatum, ad lavacra, ad menſas, ad lumina, ad cubilia, ad ſedilia, quacumque nos converſatio exercet, frontem crucis ſignaculo terimus.* Quid hoc aliud, quàm omnis actionis principium à Chriſto crucifixo petere? Ab hoc ordiri, cum hoc finire omnia, imbecillitas noſtra nos jubet. Nec ignoramus nobis dictum: *Sine me nihil poteſtis facere.* Abſque ipſo vana eſt omnis actio. Ita *qui cœpit in nobis opus bonum, perficiet uſque in diem Chriſti* Jesvs. Adſpiciamus ergo aſſiduè *in auctorem fidei & conſummatorem* Jesvm.

* *Circumcurrens linea, circumferentia. Tertull. l. de coronâ militis, cap. 3. fine, mihi pag. 342.*

II. Scripturæ ſunt implendæ. Dixerat ſuis Chriſtus è Zachariæ vaticinio: *Percutiam paſtorem, & diſpergentur oves gregis.* Dixerat ſuper menſam in ipsâ cenâ: *Filius hominis vadit, ſicut ſcriptum eſt de illo.* Dixerat in oliveto: *Quomodo implebuntur ſcripturæ, quia ſic oportet fieri.* Omnia de ſe vaticinia Chriſtus ante oculos poſita ſemper habuit, nec quidquam intermiſit, dum expletis omnibus liceret dicere: *Conſummatum eſt.* Nos pariter noſipſos idemtidem excitemus his ipſis vocibus: Scriptum eſt de te, ſcriptum eſt. Nam Deus de quovis hominum (ita loquitur) ab omni æternitate arcanum ſcripſit libellum, in quo vel ad extremum apicem perſcriptum eſt, quidquid hactenus vel fecimus, vel paſſi ſumus. Duæ ſunt partes hujus libelli, promeritorum una, delictorum altera. Si quid jam obveniat perferendum, ipſe ſibi quiſque dicat: Scriptum eſt: quid tibi vis? ſcriptum eſt. Quid reluctaris? fruſtra eſt: ſcriptum eſt, *quoniam ſic oportet fieri.* Calicem, quem dedit tibi Pater, non bibes? Tuam voluntatem divinæ, obſecro, ſubjunge, quoniam ſic ſcriptum eſt. Quidquid pœnarum nobis ſubeundum eſt, à voluntate divinâ eſt. Promptè igitur velimus, quod vult Deus. *Omnia*, inquit Auguſtinus, *ad divinæ providentiæ regimen referantur, quæ ſtulti quaſi caſu & temere, & nullâ divinâ admiratione fieri putant.* Quæ Gregorius Magnus elegantiſſimè confirmans, *Deus cùm ſit ſemper omnipotens*, inquit, *ſic intendit omnibus, ut adſit ſingulis; ſic adeſt ſingulis, ut ſimul omnibus numquam deſit. Sic itaque exteriora circumdat, ut interiora impleat; ſic interiora implet, ut exteriora circumdet; ſic ſumma regit, ut ima non deſerat; ſic ima præſens eſt, ut à ſuperioribus non recedat; ſic latet in ſuâ ſpecie, ut tamen cognoſcatur in operatione; ſic cognoſcitur in ſuo opere, ut tamen comprehendi non valeat à cognoſcentis æſtimatione; ſic adeſt ut videri nequeat; ſic videri non valet, ut tamen ejus præſentiam ipſa ejus judicia teſtentur.* Omnia, minima, maxima prævidit & præſcivit Deus, hinc omnia ordinatiſſimè ac ſapientiſſimè diſponit & gubernat noſtro bono.

Ioan. c. 15. verſ. 5. Ad Philip. cap. 2. v. 8. Hebr. c. 12. verſ. 2. Scripturæ ſunt implendæ. Matt. verſ. 56. Luc. verſ. 22. Matt. verſ. 54. Libet. Deo ſic. Ejus duæ partes. meritorum una, delictorum altera. Id. ipſe. ut jam & alia. Augeſt. Gregor. Vide ſtilo reptum mum.

Sed objicias, quod paſſim ubique ſolet objici: Si Deus velit, ut omnem pœnam patienter perferamus, cur morbo, cur hoſtibus, cur incendiis, &c. reſiſtimus? Ajo primò: Quia neſcimus, quouſque progreſſura ſit Dei voluntas. Fortaſſis voluit tantùm incendi domum, non comburi; me unum dumtaxat alterúmve diem ægrotare; hoſtem mœnibus imminere, ad portas pervenire, non urbe potiri. Addo: Cùm reſiſtimus, non voluntati divinæ, ſed aut noſtræ, aut aliorum culpæ reſiſtimus. Exemplo rem demonſtramus. Eſt qui nimio potu ſibi morbum accerſiit: cùm iſte pharmacum ſumit, non Dei decretis, ſed ſuæ intemperantiæ reſiſtit. Ita in bellis non Dei voluntati, quæ bella immittit, ſed aliorum reſiſtitur perverſitati.

Objicias.

Hinc Epictetus ſapienter prorſus ac piè, *Semper*, inquit, *illud potiùs volo quod fit: melius enim id judico quod Deus vult, quàm quod ego. Adhæreo illi, ut miniſter & pediſequus; cum illo deſidero, cum illo expeto: deniq; quod ille vult, idem & ipſe volo.* Quid nos, ô Chriſtiani, ſentire par eſt & dicere?

Epictet. Arrian. mihi pag.

Tu igitur, mi homo, vade, patere, imò & morere, ut impleantur Scripturæ quas Deus ab æterno de te, de me, de nobis omnibus ſcripſit. *Aſpice in auctorem fidei, & conſummatorem* Jesvm. Nec antè patiendi finem opta, quàm dicere liceat. *Consummatum eſt.*

Hier. verſ. 2.

§. VI. *Duæ præceptiones aliæ.*

III. QVotidiana in agendo perſeverantia eſt neceſſaria. Hæc, quam diximus, Perſeverantia tribus omnino modis coronat opus, agendo, patiendo, conſummando. Agendo prima triumphat Perſeveran-

3. Quo divina a gendo perſeverantia eſt neceſſaria. tribus omnino modis coronat opus, agendo, patiendo, conſummando. Agendo prima triumphat Perſeveran-

tia, qua

tia. O quanta grandi nonnumquam molimine incipimus, & non perficimus! diebus aliquot, vel hebdomadibus, vel etiam mensibus, quandoque annis cœpto insistimus, remittimus paullatim & difficultati cedimus, denique simul omnia cadunt; nec cœpta perveniunt ad consummationem. Voluntas hominis desultoriæ prorsus est levitatis. Reverà Sardum illum Tigellium decorè agimus:

Nil æquale homini fuit illi: sæpe velut qui
Currebat fugiens hostem: persæpe velut qui
Iunonis sacra ferret: habebat sæpe ducentos,
Sæpe decem servos ———

Horat. lib. 1. serm. sat. 3. initio.

Nulla hîc consummatio, summa inconstantia. Tales creberrimè nos sumus. *In pace leones, in prælio cervi*, præclarè inchoamus, malè desinimus. Statuimus facturos, non facimus. Nimirum longè aliud est dicere, aliud facere: magnum est chaos inter operis desiderium, & opus. Quemadmodum verò dictum & factum sibi dissimillima sunt, cùm illud facile, hoc arduum sit atq; difficile: sic actionis principium & finis inter se plurimùm distant, cùm aut principio finis sæpissimè desit, aut certè difformis sit. Incipimus, & non finimus. Sunt qui quidem grandia spirent, hoc autem solum possint dicere, Inchoatum est. Alii plusculum addunt, quos hoc uno laudes, Laboratum est. Alii demum triplici hoc encomio digni, Inchoatum, Laboratum, Consummatum est. Ingenium Dei est, Consummare ac perficere. *Dei perfecta sunt opera*, canit Moses. Quod vel idololatris notum. Qui contra Mardochæum Amano consilia suggesserant, viri sagaces & cauti, *Si de semine Iudæorum est Mardochæus*, inquiunt, *ante quem cadere cœpisti, non poteris ei resistere, sed cades in conspectu ejus.* Perinde si dicerent: Si Deus illum cœpit evehere, perficiet; frustra nos obluctamur, Dei est cœpta omnia perficere ac consummare. Ad imitandum Siracides hortatur: *Esto firmus in viâ Domini.* Finis coronat opus. Quid seges læta & copiosa juvat, si ad maturitatem non pervaniat, si subitâ sternatur grandine? Quid fertilissimæ prosunt vineæ, si racemi degenerent ante vindemiam? Quid arborum numerosissimi flores commodant, si ad ventum aut nebulam omnes defluant? In ignem ferrum frustra mittitur, si antequam igneſcat, ex igne rapiatur. Cursor incassum cursu certat, si cursu medio subsistat. Quid pistor panes in furnum mittit, si eos iterum extrahere nolit, aut extrahat nondum excoctos? Quid lucri pictor faciet, si tabulam nullam perficiat? Ita prorsus & nos præclarè multa incipimus, vix pauca finimus. Jure nos irridebunt Angeli, dicúntque: *Hic homo cœpit ædificare, & non potuit consummare.* Aut ergo non incipe, aut fini & consumma. Ad triumphum non pertinget, qui triumphale canticum illud canere nescierit: *Consummatum est.* Aspiciamus igitur *in auctorem fidei, & consummatorem* JESVM.

Terull. l. de virginib. velandis cap. 1.

Deut. c. 32. vers. 4.

Esther c. 6. vers. 13.

Eccli. cap. 5. vers. 12.

Luc. cap. 14. vers. 30.

4. Non minus in patiendo necessaria est perseverantia, quàm in agendo.

IV. Non minùs in patiendo necessaria est Perseverantia, quàm in agendo. Non rarò incipimus pati cum laude, sed ante finem finimus, & bonum principium corrumpimus malo fine, promeritáque jam collecta effundimus demum impatientiâ. Apertè pronuntiat Christus: *Nemo mittens manum suam ad aratrum* (crucis) *& respiciens retro, aptus est regno Dei. Patientia opus perfectum habeat.* Bernardus ad hanc perfecti operis consummationem nos exstimulans, *Neminem audiamus*, inquit, *non carnem & sanguinem, non spiritum quemlibet descensum à cruce suadentem. Persistamus in cruce, moriamur in cruce: deponamur aliorum manibus, non nostrâ levitate. Virtus in pace acquiritur, in pressurâ probatur, approbatur in victoriâ.* Sola perseverantia meretur viris gloriam, coronam virtutibus. Prorsus absque perseverantiâ nec qui pugnat victoriam, nec palmam victor consequitur. Vigor virtutum, virtutum consummatio est, nutrix ad meritum, mediatrix ad præmium; soror est patientiæ, constantiæ filia, amica pacis, amicitiarum nodus, unanimitatis vinculum, propugnaculum sanctitatis. Tolle perseverantiam, nec obsequium mercedem habet, nec beneficium gratiam, nec laudem fortitudo. Denique non qui cœperit, sed *qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.* Saul cùm esset parvulus in oculis suis, Rex est super Israël constitutus: non perseverans in humilitate, & regnum amisit & vitam. Si cautela Samsonis, si Salomonis devotio perseverantiam retinuissent, nec ille profectò privatus fuisset sapientiâ, nec iste viribus. Ah neuter decinit, *Consummatum est.* Omnibus istis Siracides graviter indignatus, *Væ*, inquit, *his, qui perdiderunt sustinentiam.* Heu quanti sustinentiam hanc perdiderunt! Hi scariotes aliquamdiu cum Christo paupertatis crucem sustinuit, sed avaritiâ victus, & excusso jugo in præceps abiit. Cui tamen commissum scelus condonari potuisset, nisi pœnitentiam tam scelestam elegisset. Latronum alter in bonam fuerat deductus semitam, nisi eum impatientia transversum egisset ad inferos. Potuisset, sed noluit canere: *Consummatum est.* Licinii imperatoris æyo Sebasteni quadraginta milites sub frigidissimo cælo, aut nudi in lacu frigore mori, aut vicinum tepidarium subire jubebantur, qui facere diis mallent; omnes constantissimè cecinerunt, *Consummatum est.* Unicus è martyre transfuga factus in proxima sese balnea recepit. Potuisset miser brevi patientiâ immortalem vitam obtinere, si mortem non fugisset, sed infelix dum luctam consummare renuit, & vitam quærit, vitam perdidit.

Matt. c. 10. vers. 22.

Bernard. epist. 129. med. mihi pag. 175.

Eccli. cap. 2. vers. 16.

Sustinentiam perdiderunt: Judas Iscariotes, Latronum alter, Unus è 40. militibus.

Quanti verò alii annis pluribus sustinentiam constantissimè retinuerunt! Tarsensis Paulus carmen illud, *Consummatum est*, ingenti spiritu cantans, *Bonum certamen*, inquit, *certavi, cursum consummavi, fidem servavi; in reliquo reposita est mihi corona justitiæ.* Paulus Thebæus eremicolarum primus, plus Decium quàm eremum horruit. Quindecim annorum adolescens in solitudinem profugit, ubi spelunca tectum, una eadémque arbor palma & vestem & victum dedit. Hîc vigiliis, precibus, jejuniis Deo constantissimè servivit, & vitam ad annum centesimum tertium extendit. Perseveravit in cruce Paulus ultra centenos annos, demum hilaris cantavit, *Consummatum est.* Antonius Ægyptius domi suæ nobilis, annos octodecim natus, loca deserta petiit, & in iis ad annum centesimum quintum in summâ vitæ inopiâ, inter horrendas dæmonum tentationes & plagas permansit. Qui & ipse lætus demum cecinit, *Consummatum est.* Timotheus & Maura conjuges superatis jam pluribus tormentis in crucem affixi sunt, in eâque ipsis novem diebus pependerunt vivi. Eo tempore toto mutuis sese hortatibus ad fidei constantiam animârunt. Demum & ipsi lætissimum hoc epiphonema cecinerunt, *Consummatum est.* Optimè dixit Hieronymus: *Non quæruntur in Christianis initia, sed finis.* Sola usque in finem perseverantia coronatur. Ut servemus fidem, aspiciamus *in auctorem fidei, & consummatorem* JESVM.

Sustinentiam retinuerunt: Paulus Tarsensis. 2. Tim. c. 4. vers. 7. Paulus Thebæus. Antonius Ægyptius. Timotheus, & Maura conjuges.

§. VII. *Præceptio quinta.*

5. Perseverantia necessaria est in cōsummando.

V. PErseverantia denique necessaria est in consummando, quæ fidem teneat, usque dum animum agat. Hanc ocellus Domini Joannes exigens, *Esto fidelis*, inquit, *usque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ.* Inter humanas miserias sunt quædam, quas catenatas dixerimus & perpetuas. Quo in genere numerandam discors conjugium, cùm duo conjuges valde dissidentes inter alternantia probra sibimet illud objectant:

Apoc. cap. 2. vers. 10.

Nec possum tecum vivere, nec sine te.

Martial. lib. 12. epigr. epigr. 47.

Hîc lis è lite seritur; bellum intestinum, atrox, diuturnum nutritur; longa miseriarum catena trahitur. Grande malum, & quandoque remedio nulli opportunum. Huic adnumeramus ad æternos carceres damnari, tri-remibus perpetuis affigi, paupertate onerosâ, immedicabili premi, morbis aut cōrumeliis insanabilibus jactari. Quidquid horum sit, exhauriendus est usque ad fundum

Ad finem vitæ mala omnia patienter & constanter sunt tolerāda.

dum amarus calix, dum tandem liceat dicere, *Consummatum est.* Calicem dedit nobis Pater, non bibemus illum? Quidquid calamitatis uspiam aut crucis est, à Deo est. Quamcumque autem Deus imponat crucem, ferenda est. Neque verò tantùm hoc onus portandum, sed pendendum & moriendum in eo. Ultimus hic actus, posse dicere, *Consummatum est,* E cruce in paradisum iter tutum est. Sub vitæ finem quisque nostrûm audiet: Consummata est vita tua, completus est labor tuus, voluptas pariter & dolor finiunt.

Quâ perseverantiâ consummârunt tot teneræ virgines, puriqúe medio luxu nati, inter delicias educati, quos forma, opes, amicorum turba, spes honorum maxima ad vitæ licentiam trahebant? Et tamen inter malorum irritamenta, inter tot blandimenta fortunæ steterunt impavidi, nec cervices mundo flexerunt, steterunt opum, honorum, voluptatum contemptores. Non defuerunt amicorum & parentum indignationes, minæ, contemptus, spoliationes, vincula, verbera, mors ipsa: steterunt interriti, inter crudeles carnificum manus, inter forcipes & candentes laminas, inter immitia flagra, belluarum dentes & ungulas, fornaces igneas, steterunt ridentibus ac modulantibus similes. Illis dulce fuit & pati pro Christo, & mori.

Quid nos torpidi, quid simile conamur? Quin animos erigimus, & amorem nostrum in Christum crucifixum non verbis, sed factis, & insigni constantiâ testamur?

Quantum erit illorum gaudium, qui tam brevi cursu feliciter consummato, coronâ se cingi sentient immortali & æternâ? quantum illorum, qui pro fugacissimarum rerum neglectu præmia sibi viderint parata nullis sæculis desitura; pro contemptu eorum, omnis æternitatis divitias; pro dubiis & fugitivis honoribus, cæleste regnum non morituris honoribus perpetuum?

Felices ac beatæ nimis animæ, quæ in fine vitæ poterunt cum divino Paulo cantare: *Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi. In reliquo reposita est mihi corona justitiæ,* aut cum Christo suo: CONSVMMATVM EST. Transiit labor, effugerunt molestiæ, dilapsa pericula, adversorum nulla memoria, nihil mœroris supersit, siccatæ lacrymæ, præteritorum sudorum & damnorum nullus sensus, detersa lamenta omnia, in manu sunt regna numquam eripienda.

2. ad Tim. c. 4. v. 7.

Infelices nimiùm animæ, quæ pro securis fallacia, pro solidis vacillantia, pro plenis inania, pro profuturis nocitura, pro victuris moritura, pro æternis momentanea elegerunt, quæ ut suas sibi voluptates, commoda, delicias, honores tuerentur, neglexerunt facili, ut putabant, dispendio æterna; quarum omne studium, sollicitudo, cura, cogitationes, labor & sudor omnis in peritura ibat. His veniet inexspectata mors finem caducis bonis omnibus allatura. Clamabunt & hi miseri, Consummatum est, sed sensu animóque planè alio; nec priorum more, sed dolore pleni ob tam celerem & improvisam rerum hîc amatarum consummationem; pleni mœrore ob honorum, deliciarum, opum, quas vix gustaverunt, tam lacrymabilem fugam. Jámque frustra ingeminari preces, frustra lamenta; frustra prætendi nobilitatem, eruditionem, ætatem, famam, vires, formam; frustra divitias, dignitates, regna, purpuram, sceptra; frustra favores Principum, cognatorum turbam, amicorum potentiam; jam frustra esse omnia. CONSVMMATVM EST. Nunc igitur, quisquis es, in auctorem fidei, & Consummatorem JESVM aspice. Ut vivas, vince. Desideras transitum è cruce in paradisum? In cruce consumma.

Reprobi dolore pleni clamabunt, *Consummatum est.*

CAPVT VII.

Septima Christi morientis cygnea modulatio: Pater in manus tuas commendo spiritum meum.

HEbræus dux Gedeon trecentos milites suos, quos divino jussu selegerat, eo impetu immisit in hostem, ut Madianitarum omnes copias fugârint fuderintque. Turmæ hujus armatura, gladius, vacuâ lagenâ lampas inclusa, clamor unanimis & tuba. Ita Gedeon, quod liber Judicum testatur, *divisit trecentos viros in tres partes, & dedit tubas in manibus eorum, lagenasque vacuas, ac lampades in medio lagenarum. Et dixit ad eos: Quod me videritis facere, hoc facite; ingrediar partem castrorum, & quod fecero, sectamini.* Judic. c. 7. v. 16. & 17.

Dominus JESVS Dux noster, Gedeon verissimus, humanæ gentis vindex desideratissimus, sua morte Hiericho muros subruit, avernales exercitus omnes debellavit, non ferro, sed ligno. Jámque acturus animam, clamans voce magnâ, *Pater,* ait, *in manus tuas commendo spiritum meum.* Hæc Domini fuit suprema in cruce oratio. Nam, quod Lucas addit, *Et hæc dicens expiravit.* Hoc nostri oloris funebre, sed suave carmen, quâ cœpimus methodo explanabimus. Luc. cap. vers. 46. Ibid.

§. I. *Voces singulæ breviter expensæ.*

ILle ipse, quem dixi, Gedeon noster cælo descendit, non pacem sed gladium missurus, adolescenti prodigo ex parte non absimilis. 1. *Dissipavit omnem substantiam suam:* si quidem amore nostri amicos, vestes, famam, lacrymas, sudorem, sanguinem, vires, vitam, animam, bona omnia amisit. 2. Cum Judæis, Publicanis, Pharisæis, hominibus improbissimis humaniter vixit: *non enim venerat vocare justos, sed peccatores.* 3. Cùm annum ageret duodecimum, triduo lugebatur ut perditus, demum in templo repertus. Iterum sub mortis tempus triduo amissus, in inferis, Patrum limbo invenendus. *Si descendero in infernum, ades.* Nos ipsos suaviter subinde ita perdamus, ut perdi non possimus: abdamus nos templo, hoc est, cælo aut orco. Cælum numinis templum: *Dominus in templo sancto suo.* Æquè conducit, tartaro quandoque se abdere. Consilium est Psaltæ: *Descendant in infernum viventes,* ne scilicet descendamus morientes. 4. Ingemiscens prodigus, *Quanti,* ait, *mercenarii in domo patris mei abundant panibus, ego autem hîc fame pereo?* In cruce Christus dixerit: Quot Angeli in domo Patris mei abundant omni voluptate, ego autem hîc fame sitiqúe morior! 5. *Ibo* igitur *ad Patrem, & dicam ei: Pater, in manus tuas commendo spiritum meum.* Christo prodigo adolescenti affinis. Luc. cap. vers. 13. Matth. 4. vers. 9. Psal. 48. Psal. 113. Luc. cap. vers. 17. Luc. cap. vers. 18. c. 23. v. 46.

Hæc ultima morientis verba, verè acutus in pectore Matris fuerunt gladius, qui & piorum animos transfindat. Cùm rebellem filium Absalonem fugeret David pater, hæc ipsa verba pronuntiavit: *In manus tuas commendo spiritum meum.* Non incredibile, quod aliqui censent, à dicto illo, *Consummatum est,* Christum Psalmo trigesimo inchoato perveniisse ad illa usque verba: *In manus tuas commendo spiritum meum.* Nos voces singulas strictim expendamus. Psal. 30. Voces Christi cruce pendentis ponderantur.

I. PATER. Primum hoc & prope ultimum in cruce verbum fuit. *Pater, dimitte: Pater commendo.* Affectus hîc ingens, summa fiducia. Ita in adversis omnibus, & in ipso mortis accessu succlamandum ad Deum: Tibi me, Pater, tibi spiritum meum meáque commendo. Tuam, Pater, gloriam quæsivi, non meam, ex tuâ voluntate, non meâ, feci omnia. Nec acerbissima mors ab hac obedientiâ me avellet; in hac moriar. Tempus est, ut revertar ad te, qui in hunc orbem misisti me.

II. IN MANVS TVAS. Illas cæli terræque ac rerum

rum omnium architectonicas artifices manus. Si quod in orbe tutum est asylum, hæ manus sunt tutissimum. Gemina Deo manus est, *Sapientia & Potentia*, seu, Intellectus rerum omnium scientissimus. & voluntas omnipotens. His manibus cælum terrámque claudit, his brachiis quidquid supra cælum, quidquid infra tartarum est, stringit: his manibus architectatur universa, nec ullis indiget instrumentis. Velle in Deo est posse, voluntas Dei est potentia rerum omnium effectrix. Nam, ut Psaltes canit, *omnia quæcumque voluit, fecit, in cælo & in terrâ.* In paternas manus istas Filius spiritum commendavit.

Gemina Dei manus: Sapientia, & Potentia.

Psal. 113. v. 3.

III. COMMENDO. Non ut alii, qui ne damnentur ad inferos, rogant, sed ut obsequentissimus sese filius amantissimo patri suo commendat. Domo abiturus peregre, amicorum fidelissimo uxorem & liberos, & si quid vel oculis vel animâ habet charius, commendat: ita Filius Parenti animam velut depositum tradit, quod sibi sciebat brevi restituendum fidelissimè. Ulpiano & Jurisconsultis Depositarius & Commodatarius non possident. Hic cælestis Pater Depositarius commissum sibi depositum non diu detinuit. Cùm Psalte regio Petrus id affirmans, *Neque*, ait, *derelictus est in inferno, neque caro ejus vidit corruptionem.*

3. Commendo.

Instit. de Interdict. §. Possidere autem.

Act. c. 2. v. 31. & Psalm. 15. v. 10.

IV. SPIRITVM MEVM. Non opes & thesauros commendo, qui, ubi caput reclinem, non habeo. Non famam & gloriam, quæ videtur jam omnis extincta, hîc pendeo ut latro. Non corpus jam jam moriturum tumulo inferendum, sed meum spiritum commendo. Christus discipulis pacem, hostibus veniam, latroni paradisum, Matri discipulum, discipulo Matrem, crucifigentibus vestes, sepulchro corpus, Patri spiritum delegavit, ut immortalitatem animi nostræ intelligentiæ altè infigeret. Neque verò Patri spiritum ita commendavit, tamquam si esset quod metueret, uti nos, sed celerem rogavit in vitam reditum, & expectatam animi cum corpore conjunctionem. Nos idem longè aliter precamur, & diversâ ratione fideli creatori commendamus animas nostras, nescimus enim utrùm amore an odio digni simus. Christus solutione jam omni explicatâ, *Consummatum est*, inquit. Hoc unum supereſt, mori. Idcirco, *Pater, in manus tuas commendo spiritum meum.*

4. Spiritū meum.

1. Petr. c. 4. verſ. 19. Eccleſ. c. 9. verſ. 1.

Hic morientis clamor, gladius acutus pectori præcipuè materno fuit. Beata vidua Birgitta referens arcanos inter filium & Matrem affatus, Christum hoc modo loquentem facit. Ita tu Mater mea à juventute didicisti sequi voluntatem meam, & relinquere omnem volûtatem tuam pro me. Ideo bene dixisti, Fiat voluntas tua. Tu enim es quasi aurum pretiosum, quod extenditur & percutitur super duram incudem, quia tu omnibus tribulationibus percutiebaris, & in passione meâ præ ceteris patiebaris. Quia quando cor meum in cruce præ vehementiâ doloris rumpebatur, cor tuum ex hoc quasi ferro acutissimo vulnerabatur, & libenter scindi permisisses, si fuisset voluntas mea. Verumtamen etiamsi optâsses vitam meam, & potuisses restituisse passioni meæ, tu tamen noluisti, nisi juxta voluntatem meam. Ideo bene dicis, Fiat voluntas tua. His illa ejusdem sensûs, ſyli, & ſæſſe ûs adjungenda. Audiens quoque postmodum illam flebilem filii sui vocem, in mortis agone dicentem, *Deus meus, Deus meus, ut quid me dereliquisti?* videns deinde, quod omnia ejus membra obrigurunt, & inclinato jam capite spiritum exhalabat: tunc doloris acerbitas ita cor Virginis suffocavit, quòd nullus sui corporis articulus moveri videbatur. Unde non parvum miraculum in hoc Deus tunc fecisse dignoscitur, cum Virgo Mater tot & tantis doloribus intrinsecus lacerata, suum spiritum non emisit, quando tam dilectum filium nudum & cruentatum, vivum & mortuum, atque lanceâ transfixum, omnibus eum deridentibus, inter latrones pendere perspexit: illis pænè omnibus, quibus notus extiterat, ab eo fugientibus, & multis eorum à rectitudine fidei enormiter exorbitantibus. Igitur quemadmodum suus filius super omnes in hoc mundo viventes amarissimam mortem sustinuit, ita ipsius Mater in suâ benedictâ animâ amarissimos dolores sufferendo portavit.

S. Birgitta l. 1. Revelat. c. 10. mihi pag. 16.

Matth. c. 27. verſ. 46.

In sermone Angelico B. Birgitte, cap. 18. mihi pag. 163.

§. II. *Cur Christus cum clamore valido expirarit, sex causſæ.*

ITa validus Christi morienti clamor, & Matris, & omnium piorum mentem summè affecit. Beato Lucâ teste, *Clamans voce magnâ* JESVS, ait, *Pater, in manus tuas commendo spiritum meum.* Et hæc dicens expiravit. Clamoris hujus causſæ aliquot expendendæ.

Luc. cap 23. verſ. 46. Hujus clamoris causſæ.

1. Ad tenebrarum finem Christus veluti prator è cruce, omnibus spectatoribus & auditoribus suis comprobare voluit, se etiamnum vivere, jam jam moriturum; tenebras cælo terræque inductas esſe testes, Dei Filium in cruce mori.

1. Christus voluit cōprobare se vivere, & Dei Filiū in cruce mori.

II. Suam & vivendi & moriendi potestatem testatus est orbi Servator. Qui jam antè Hierosolymis ad circumfusam plebem perorans, *Ego*, inquit, *pono animam meam, ut iterum sumam eam. Nemo tollit eam à me, sed ego pono eam à meipso. Potestatem habeo ponendi eam, & potestatem habeo iterum sumendi eam.*

2. Suam & vivendi & moriendi potestatē orbi testatus est

Ioan. c. 10. verſ. 18.

III. Suam adversùs hostes victoriam in orbem totum proclamavit. En noster Gedeon stans coram judicibus magnam partem siluit, cum morte congressurus clamavit, perinde si dixisset, Hic capitalis est hostis meus, hic mihi debellandus. Hostes potentissimi, mors & infernus. *Fortis sicut mors dilectio, dura sicut infernus æmulatio.* Uterque horum hostium jam victus est: Christus vicit, & victoriam morte consignavit, promulgavitque illam, sub ipsum è vitâ discessum.

3. Suam adversùs hostes victoriam proclamavit.

Cant. c. 8. verſ. 6.

IV. Cùm clamans expirat, quid aliud quàm hoc ipsum animis nostris intonat: Videte, quò peccata me vestra deduxerint: ad falsos judices, ad columnam cruentam, ad supplicii locum, ad funestam crucem, ad mutuatum tumulum, ad ipsos inferos. Summum in orbe malûm, malorum omnium seminarium, miseriarum omnium pelagus profundissimum, suppliciorum & pœnarum omnium insatiabile barathrum, peccatum vel unicum.

4. Ostēdit quò peccata eum deduxerint.

V. Deus patitur, Christus occiditur, Veritas opprimitur, Vita extinguitur, Salus moritur. Obstupescendæ hujus tragœdiæ choragus jure clamat, ut undique omnes confluant ad inauditum hoc spectaculum, quale non fuit in orbe umquam, nec erit. Videte & attendite. Desiderium Angelorum, deliciæ gentis humanæ, salus omnium nostrûm in patibulo expirat.

5. Ut omnes confluant ad inauditum hoc spectaculum.

VI. Fatalis hic clamor satis edocet, quantus, quámque vehemens tam exterior quàm interior fuerit Christi Patientis & Morientis dolor. De exteriore illud Hebræi vatis accipiendum: *Si est dolor sicut dolor meus.* Sed illo non minor erat interior, ob altissimos animi mœrores eâ etiam ex causâ conceptos, quòd lytro tam liberali spreto, tot hominum millia nihilominus sponte in æternos ignes essent ruituri.

6. Ut nos edoceret quàm vehemēs tam interior, quàm exterior Christi patiēris & morientis dolor fuerit.

Thren. c. 1. verſ. 12.

§. III. *Ejusdem in moriente Christo clamoris aliæ sex causſæ.*

VII. CLamavit Christus, ut doceret nos in periclis & adversis omnibus, & in ipsâ morte clamare ad Deum. Neminis innocentia tunc ab insidiis diaboli tuta. Refert Historia Scholastica *a* ex Bedæ sententiâ, satanam in lævo brachio crucis Christi subsedisse, *b* ac vigilantissimè observâsse, num in eo homine juris aliquid obtinere posset, nec recessisse nebulonem dum Christus expirârit. Beatus Lucas certè triplici agressu Christum memorans tentatam, *Et c consummata*, inquit,

7. Ut doceret nos in adversis omnibus, & in ipsâ morte clamare ad Deum.

a *Hiſt. Scholaſt. lib. de hiſt. Evang. c. 172. Salmer. tom. 10. tractat. 46. mihi pag. 372.* b *In vitâ ſubſidiate, Ciceron.* c *Luc. cap. 4. verſ. 13.*

inquit, *omni tentatione diabolus recessit ab illo usque ad tempus.* Nulla quidem in Christo antiqui seminis sui vestigia reperit, non tamen ab eo ita recessit, ut ei reliquo vitæ tempore molestus interpellator non esset, sed ad tempus dumtaxat, opportunitate datâ, vel etiam captatâ occasione rediturus ad tentandum. Rediit profectò, affirmante Christo: *Venit princeps mundi hujus, & in me non habet quidquam. Hæc est hora vestra, & potestas tenebrarum.* Tunc enim diabolus non dolis tantùm certans, sed apertè impugnans vim omnem exeruit, ut Dominum Jesvm à Deo abstraheret, aut illum certè perderet & extingueret, quem nullâ rerum objectâ specie poterat corrumpere. Dum in hoc orbe sumus, numquam à satanæ tentationibus tuti sumus. Nam etsi aliquando interquiescat vaferrimus tentator, redit tamen, & plerumque graviore insultu valentior. Non enim pugnam intermittit, ut malitiæ finem faciat, sed ut animum quiete solvat, & securum reddat, sic malè paratum repentè obruat, sibique subjiciat. Si ausus est hic Cerberus Christo ipsi sæpius, & in extremis etiam insidias struere, cui nostrûm parcet? Certè numquam vehementiùs in nos insurgit, quàm cùm pugnæ finem imminere cernit. Nimirum hominis calcaneo acerrimè insidiatur. Hinc Magnus ille Antonius, teste Pelagio, dicere solebat: Hoc est magnum opus hominis, ut culpam suam super seipsum unusquisque ponat coram Domino, & expectet tentationem usque ad ultimum vitæ suæ tempus. Panopliâ igitur opus in hunc hostem; resistendum illi precatione ardenti, & extrema hominis singularibus præsidiis tam in antecessum, quàm eo ipso tempore munienda; clamandum toto pectore: *Pater, in manus tuas commendo spiritum meum.* Sed ne obliviscamur brevitatis nostræ.

Ioan. c. 14. vers. 30. Luc. cap. 22. vers. 53.

In hoc orbe homines numquam sunt à satanæ tentationibus tuti.

Pelagius interpres Græcus libel. 15. num. 2.

VIII. Hoc clamore Christus homines surdos, aut socordiæ veterno pressos, aut scelerum lethargo mersos excitare instituit. Monentis Apostoli voces sunt: *Surge qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Christus.* Ante annos triginta circiter in superiore Germaniâ terræ tremor vehemens & grandis, sed quia nocturnus fuit & brevis, à plurimis non est observatus. Moriente Christo cælum & terra insolitùm commoventur, obnubilat æther, terra tremit, architectus orbis animam agit, & vel expirans clamat, Evigilemus & surgamus. *Hora est jam nos de somno surgere.*

8. Christus hoc clamore homines scelerũ lethargo mersos excitare instituit. Ad Ephes. cap. 5. v. 14. Ad Rom. c. 13. v. 11.

IX. Mortem inclamavit, aliàs non ausam accedere, quandoquidem in Dei Filium nil juris habuisset. Mortem igitur vocat, perinde si dicat, O mors, en adsum mori paratissimus; tu mandata perage in me, æquè ac in omnium aliorum mortalium corpore. Transfige. Ignotis spoliis non diu gaudebis. Ita pridie Christus in oliveto locutus, *Quem,* ait, *quæritis?* Jesvm *Nazarenum,* ajunt. Quibus promptissimè dixit, *Ego sum.* Mox iterum quærens, *Dixi vobis,* inquit, *quia ego sum. Si ergo me quæritis, sinite hos abire.* Ita mortem inclamans, In me, inquit, vim tuam omnem exprome. Ego sum, qui pro humanâ gente moriar.

9. Mortem inclamavit, aliàs non ausam accedere, quandoquidem in Dei Filiũ nil juris habuisset. Ioan. c. 18. v. 4. 5. & 8.

X. Clamavit Christus moriens, ut mortuos ad vitam revocaret. Ita Lazarum evocans è sepulchro, voce magnâ clamavit: *Lazare, veni foras.* Ajunt, leunculum recens editum jacere aliquanto tempore mortuum, sed ubi leo pater rugire inceperit, velut evigilans catulus vitales motus ostendit. Clamavit in cruce Christus, & velut leo irrugiit. Ad hos leonis de tribu Judâ rugitus, *monumenta aperta sunt, & multa corpora Sanctorum, qui dormierant, surrexerunt.* Perinde ac si editam è cruce vocem audiissent: Venite foras.

10. Ut mortuos ad vitam revocaret. Ioan. cap. 11. vers. 43. Matt. c. 27. vers. 52.

XI. Supremus hic Christi clamor miraculum ingens fuit. Morientes sanè non clamant, præsertim crucifixi, præsertim viribus jam defectis, sanguine jam pæne omni effuso. Vox horum fracta, mortua, ferè nulla: Christus jam animam agens, altùm nihilominus clamat. Naturæ viribus id fieri non poterat. Hinc illa, quam beatus Marcus commemorat, Romani ducis liberrima confessio: *Videns autem Centurio, qui ex adverso stabat, quia sic clamans expirâsset, ait, Verè hic homo Filius Dei erat.*

11. Hic Christi clamor miraculũ fuit. Marc. c. 15. vers. 39.

XII. Denique clamavit, cùm expiraret in cruce Christus, quia plurimorum videlicet omnium nostrûm animas Patri commendavit, cùm commendaret suam. *Qui adhæret Domino,* inquit Paulus, *unus spiritus efficitur.* Nos fide, piisque affectibus Christo adhæremus, unus ergo spiritus cum illo sumus. Quocirca, si Patri suum, & nostrum quoque spiritum commendavit. Deinde corpus unum nonnisi unam habet animam. *Vnum corpus multi sumus, omnes qui de uno pane participamus. Sicut enim corpus unum est, & membra habet multa, omnia autem membra corporis cùm sint multa, unum tamen corpus sunt, ita & Christus. Etenim in uno spiritu omnes nos in unum baptizati sumus. Nunc autem multa quidem membra, unum autem corpus.* Si corpus unum, unus ergo & spiritus. Itaque Christus omnium suorum animas Patri commendavit valido clamore. Hic clamor orbe toto, infero superóque, terrâ cælóque auditus est.

12. Quo omnium nostrûm animas Patri commendavit. 1. Cor. 6. vers. 17. 1. Cor. 10. vers. 17. 1. Cor. 12. vers. 12. 13. & 27.

§. IV. *Christi morientis obedientia longissima, & per omne genus obsequii exercitatissima.*

POmpejus Magnus sibi ipse visus est tantus, ut dicere non dubitaret, si vel uno pedis applausu terram feriret, orbem in arma ruiturum. Dux noster Gedeon Magnus clamavit in monte. Mox clamantis vocem non vivi tantùm, sed & mortui audierunt, & è tumulis prodierunt: *Multa corpora Sanctorum qui dormierant, surrexerunt. Et exeuntes de monumentis post resurrectionem ejus, venerunt in sanctam civitatem, & apparuerunt multis.*

Matt. 27. v. 51. & v. 52. & 53.

Obstupescenda fuit Christi morientis obedientia. Hanc Paulus omnium animis affixurus, *Humiliavit semetipsum,* inquit, *factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis.* Indequaque demum perfectissima fuit hæc obedientia, cùm Christus jam jam moriturus dicere: *Pater, in manus tuas commendo spiritum meum.*

Ad Philip. c. 2. v. 8.

Christi obedientia.

I. Longissima prorsus & assiduissima fuit hæc obedientia. Exordium ea sumpsit à momento primo Christi Virginis visceribus concepti, & ad ultimum usque expirantis halitum perduravit. Nam & in utero Matris perfectum usum rationis Christus habuit, & imperio Patris de morte obeundâ se subjecit, imò quorumdam sententiâ, ut suprâ demonstratum est, voto se obstrinxit ad mortem crucis tolerandam. Quemadmodum angelus apostata ob superbiam & inobedientiam primo à sui creatione momento præcipitatus est; ita Dei Filius unà & vitam & obedientiam exortus est. Qui de seipso fatetur, *In capite libri scriptum est de me ut facerem voluntatem tuam: Deus meus volui, & legem tuam in medio cordis mei. Tunc dixi, Ecce venio.* Voluntas Patris erat, ut filius offerendo corpore suo ad mortem, repararet nobis vitam, *In quâ voluntate,* inquit Paulus, *sanctificati sumus per oblationem corporis* Jesv *Christi semel.* De justo asseritur: *Lex Dei in corde ipsius.* Justorum princeps, *Legem tuam,* inquit, *in medio cordis mei posui.* Decretum tuum, mi Pater, libentissimè acceptavi, nec enim aliud quidquam magis desideravi, quàm legi tuæ obsequi. *Meus cibus est, ut faciam voluntatem ejus qui misit me, ut perficiam opus ejus.*

1. Post multiplex.

Ad Hebr. c. 10. v. 10. Psal. 39. v. 8. & 9. Psal. 39. v. 9. Ioan. cap. 4. v. 34.

II. Varia & nimis quàm multiplex fuit hæc Christi obedientia. Servorum quisque certo destinatur officio. Ille amanuensem agit, iste ministrum mensæ, alius œconomum, hic musicum; illi à cubiculis, isti à secretis aut auriculis sunt, isti à pedibus; hi equos curant. Christus diversissima obivit munia. 1. Infantem egit in præsepi. 2. Discipulum in synagogâ. 3. Lignarium fabrum in suâ domo, idque ad annum usque trigesimum. 4. Eremicolam in locis desertis. 5. Medicum in viis & plateis,

Ejus diversa munia.

cui

cui morbus omnis erat sanabilis. 6. Ecclesiasten & concionatorem in templo, in campis, in montibus, in ipsis aquis. 7. Peregrinum, qui è loco in locum commeabat. 8. Piscatorem hominum; quod & alios exercere docuit. 9. Exorcistam dæmonum. 10. Convivam Pharisæorum & plurium aliorum. 11. Annonæ præfectum, qui multa millia hominum non multis panibus saturavit. 12. Convivatorem, qui totum orbem etiámnum suo reficit convivio. 13. Egit & captivum in horto. 14. Egit & stultum in aulâ regiâ. 15. Olitorem & hortulanum egisse quis miretur, cùm denique malefactorem & latronẽ egerit in cruce? Hîc pectus igneum, & centum mihi linguas optem, ut qualicumque modo possim eloqui, quæ Pater jusserit, quàm ea Filius obsequenter perfecerit, quot personas egerit, nec enim ullius personæ vilitate ab integritate obsequii potuit absterreri. Apertissimè professus est ipse: *Descendi de cælo, non ut faciam voluntatem meam, sed ejus voluntatem, qui misit me.* Ah quàm nos longè aliter! agere personas volumus, sed nemo viles; iste quidem domini, hic fortunati, ille opulenti, iste honorati ambit personam; qui servi, mendici cupiat, nemo est. Christus & captivus & stultus, & seditiosus & latro, imò & Barabbâ latrone deterior haberi non recusat. Eò progressa est ipsius obedientia. O quantum chaos inter nostram & illius obedientiam!

Ioan. cap. 6. vers. 38.

§. V. *Obedientia morientis Christi patientissima & perseverantissima.*

3. Fuit humilis & patiens.

III. OBedientia Christi suprà quàm capiamus, humilis & patiens. Hanc orsus in utero Virginis, infans perfectæ rationis, cetera nobis omnibus non dissimilis, novem mensibus matrenum carcerem habitavit. Hymnus Ambrosii testatur: *Tu ad liberandum suscepturus hominem, non horruisti Virginis uterum.* Ex utero in stabulum & præsepe. Inde in Ægyptum idololatriæ omnis plantarium. Ex Ægypto rediit Nazarethum. Hîc in maternis ædibus velut homo analphabetus, vilis, indoctus, opifex mechanicus ad trigesimum ætatis annum latuit, *in quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi, quia in ipso inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter.* Exacto anno trigesimo, cùm jam ageret concionatorem publicum, quantum injuriarum & probri, quantum famis, fatigationis & sitis tulit, dum denique in supplicii locum pertractus, in lignum infame attolleretur velut latronum coryphæus, clavis fixus, vespertilionis instar extensus. Hinc illæ gementis voces: *Ego autem sum vermis & non homo; opprobrium hominum & abjectio plebis.* Nimirum *filius hominis non habet, ubi caput suum reclinet.* Quàm submissa, quàm patiens obedientia!

Ad Coloss. cap. 2. v. 3. & 9.

Ad januas solent affigi. Isa. 21. v. 7.

Luc. cap. 9. vers. 58.

4. Fuit perseverantissima.

IV. Obedientia Christi perseverantissima. *Factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis.* Ad culmen obsequii tam ardui pervenit, cùm dixit, *Pater, in manus tuas commendo spiritum meum.* Mi Pater, surdos habeo homines, ad te igitur me verto, fidelem depositarium, tibi animam meam committo. Ego quidem omnium voce destinor ad interitum, humani judicii temeritas huc illuc raptat meam animam, sed illa in absconditam bonitatis tuæ custodiam immigrabit: tibi illam commendo. Acerbissima quidem est hæc animæ à suo corpore avulsio, nihilominus ad nutum tuum, & honori tuo hunc calicem amarissimum exhauriam, ut præceptis tuis ex toto satisfaciam. Quia sic mandâsti Pater, ut in causâ hominum profunderem animam, in tuas illam manus commendo. Cùm igitur exhaustâ clepsydrâ supremum vitæ punctum flueret, quo Pater ab omni ævo filium mori voluit, *inclinato capite tradidit spiritum.* Nec enim manibus & pedibus affixis aliter adversùs Patrem reverentiam adhibere potuit. Itaque caput inclinavit veneratus Patrem, & mortem obiit complexus humanam gentem amore perseverantissimo.

Philip. c. 2. vers. 8.

Luc. cap. 23. vers. 46.

Ioan. c. 19. vers. 30.

Mementote, ait Bernardus, *quòd Christus, ne perderet obedientiam, perdidit vitam, in ipsos usque inferos obsequentissimus.*

Narrant, à Rogerio, viro religiosissimo, sub vitæ finem Arsenium his talibus rogatum: Quid patiar, mi Pater, cernis; oro te igitur, jube me mori, ut moriar obediendo, & merear etiam moriendo. Anni jam sexaginta sunt, quibus ego Altissimum precor, ut mori mihi liceat ad Præsidis mei arbitrium. Arsenius postulatis tam religiosis motus, Ergo, mi Rogeri, ait, ad majus obedientiæ promeritum mori te jubeo, & animam tuam conditori tuo reddere. Juvet te patientissimus Jesvs pro nobis in cruce mortuus. Dictum, factum. Abbas loqui desiit, & desiit Rogerius vivere. Eâdem se nocte sistens Arsenio defunctus, Christus Dominus, ajebat, pluris fecit mortem ex obedientiâ obitam, quàm ullam actionem aliam in omni vitâ susceptam. Nimirum *melior est obedientia quàm victimæ, & auscultare magis quàm offerre adipem arietum.* Quot igitur Christi actiones, quot gemitus, quot cogitationes, quot verba, tot erant obedientiæ sacrificia. Hîc disce homo pulvis, vermicule superbissime, hîc obedire disce, servus hero, ancilla dominæ, monachus Abbati, civis Principi, suo quivis præsidi. *Quoniam quasi peccatum ariolandi est, repugnare, & quasi scelus idololatriæ, nolle acquiescere.* Noster Gedeon in vallo crucis, obedientiæ lampadem extollit & clamat: *Quod me facere videtis, hoc facite*; qui amat me, imitetur me. *Quod facio sectamini.* Non est magis seria firmiórque fidei ac obedientiæ approbatio, quàm si quis undique incommodis conflictatus, malis undique oneratus, curas & dolores in Dei sinum exoneret, acquiescat spe promissionum erectus. Hîc Christi morientis salubberrima quatuor documenta subnectimus. Disce orare, disce vivere, disce mori, disce beari.

Rogerii in morte actus obedientiæ.

1. Reg. c. 15. vers. 22.

Ibid. v. 23.

Iud. cap. 7. vers. 17.

Christi morientis quatuor documẽta.

§. VI. *Duæ ad rem præceptiones.*

1. Disce orare.

I. DIsce orare. Seriò precaturus intendat vires & clamet. Hoc precationis genus rex David creberrimè usurpans, *Voce meâ*, inquit, *ad Dominum clamavi, & exaudivit me. Deus meus clamabo per diem, & non exaudies: & nocte, & non ad insipientiam mihi. Ad te Domine clamabo, Deus meus ne fileas à me. Domine Deus meus clamavi ad te, & sanâsti me. Domine exaudi orationem meam, & clamor meus ad te veniat.* Omnis pæne precatio Davidis clamor fuit. Cordis clamor est precantis ardor & magnum desiderium. Quotiescumque vel cubitu surgimus, vel redimus cubitum, clamemus illud cum Christo. *In manus tuas, Domine, commendo spiritum meum,* & unà voluntatem meam, cogitationes, verba & omnes actiones meas: Domine Jesv miserere mei, & dirige me. Sunt qui numquam quieti se tradant, quin priùs conscientiam excutiant, illúdque singularissimè à Christo petant: Domine Jesv, per extremas illas in cruce voces, quibus Patri spiritum commendâsti, te rogo, suscipe spiritum meum in fine vitæ meæ. Omne nostrum agere incipiat à Deo, & in Deo finiat; ex hoc mari effluat, in hoc refluat.

Psal. 3. v. 5. Psal. 21. v. 3. Psal. 27. v. 1. Psal. 29. v. 3. Psal. 101. v. 2.

Psal. 30. v. 6.

Pari modo in omnibus periculis, tentationibus & rebus adversis succlamandum: Tibi, Domine, commendo spiritum meum; ne seducar à cacodæmone. *Cùm defecerit virtus mea, ne derelinquas me.* Ita Christus crucifixus jugi memoriæ traditus assiduè ob oculos obversetur. Nam & ipse Dominus memoriâ nimis memori nos complexus, *Ecce*, ait, *in manibus meis descripsi te; muri tui coram oculis meis semper.* Tui non possum oblivisci. Quin nos amantissimo Servatori paria respondemus: Ecce, Domine Jesv, in corde meo, in linguâ meâ, in universis actionibus meis descripsi te. Licet omnia perdam, modò Christum crucifixum servem. Etiamsi serpens in multas partes dissecetur, modò caput servet, reliquum corpus facilè restaurat. Cor nostrum, eheu, quandoque curis, sollicitudinibus, ærumnis miserè discerpitur.

Psal. 70. v. 9.

Isaiæ c. 49. vers. 16.

Parum

Parum id refert: Tu modò serva caput, serva Christum & complectere, etiamsi pecuniam, etiamsi famam, etiamsi vitam perdas, serva Christum, & hunc crucifixum; recuperabis omnia. *Estote prudentes sicut serpentes.* *Matth. c. 10. vers. 16.*

2. Discè vivere. *Ioan. cap. 5. vers. 25.*

II. Discè vivere. Dixerat Christus: *Venit hora, & nunc est, quando mortui audient vocem filii Dei, & qui audierint, vivent.* Tunc revera fuerat illa hora, quâ Christi validissimus clamor tumulos penetravit, & ad vitam revocavit mortuos; hac horâ pridem sepulti è tumulis prodierunt. Etiámnum clamat Christus, & magnâ voce fœtida sepulchra subit, humana pectora, multum in iis jacet cadaverum, ubi abstrusum latet domesticum cujusque vitium. O quoties tale aliquod cadaver annis decem, annis viginti, annis triginta & pluribus, in ejusmodi antrum, pectore humano hæret defossum. Audite ô mortui, vocem expirantis Christi, audite & revivíscite. Quid, ô *Domine, quid me vis facere?* Commendo tibi spiritum meum. Hactenus in te spiritus vanitatis & mundi, spiritus carnis ac diaboli vigebat, & mori te jubebat. Ego meum tibi spiritum commendo: ille te jubebit reviviscere. *Actor. c. 9. vers. 7.*

De notitiâ spirituum in nobis loquentium à Bernardo.

Hîc insigniter Bernardus de spiritûs tam diversi notitiâ, Sunt ergo hi duo satellites, inquit, maligni illius principis tenebrarum: ut dominetur spiritus nequitiæ spiritui carnis, & spiritui hujus mundi. Quisquis ergo ex his tribus spiritibus spiritui nostro loquatur, ne credamus ei, quoniam sanguinem sitiunt, non quidem corporum, sed, quod gravius est, animarum. At quoniam spiritualis omnium natura est, à sermonibus eorum cognoscemus eos: & quis spiritus sit qui loquatur, ipsa suggestio declarabit. Semper enim spiritus carnis mollia, spiritus mundi vana, spiritus malitiæ semper amara loquitur. Quotiens ergo importunè (ut assolet) carnalis cogitatio mentem pulsat: verbi gratiâ, cùm de potu, de cibo, de somno, ceterisque similibus ad carnis curam pertinentibus cogitantes, humano quodam inardescimus desiderio, certum sit nobis spiritum carnis esse qui loquitur, & tamquam adversarium repellamus eum, dicentes: Vade retrò Satana, quoniam non sapis ea quæ Dei sunt, sed magis sapientia tua inimica est Deo. Cùm autem non de illecebris carnis, sed de ambitione sæculi, de jactantiâ & arrogantiâ, ceterisque similibus cogitatio vana versatur in cordibus nostris, spiritus mundi est qui loquitur, longè pernicioſior hostis, & majori sollicitudine repellendus. Interdum verò satellitibus istis terga vertentibus, princeps ipse habens iram magnam tamquam leo rugiens insurgit adversus nos, cùm videlicet non ad voluptatem carnis aut sæculi vanitatem, sed ad iram, ad impatientiam, ad invidiam, ad amaritudinem animi provocamur, importunè ingerendo, si quid minùs amicabiliter minúsve discretè factum videtur, aut dictum. Si qua denique aut in signo aut in opere quolibet data videtur indignationis occasio, materia suspicionis. Huic ergo cogitationi non aliter quàm ipsi diabolo resistendum est; nec aliter ab eâ quàm ab ipsâ perfidiâ cavendum. Scriptum est enim: *In patientiâ vestrâ possidebitis animas vestras.* *Luc. cap. 21. vers. 19.*

Sap. cap. 7. v. 22. & 23.

Fuge igitur, fuge, fuge hos spiritus nequitiæ. *Spiritus intelligentiæ humanus, benignus, stabilis, certus, securus, omnem habens virtutem, omnia prospiciens.* Hunc tibi spiritum commendo.

O Judæi, quàm malignus vos agit spiritus! Terra movet, tartarum tremit, cautes dissiliunt, templi velum scinditur, monumenta panduntur, extinguuntur sidera, tunduntur pectora, & adhuc veritati resistitis? sed æquiore jure dixerim: O Christiani, clamant Prophetæ, clamant Apostoli, clamat è cruce Christus, & adhuc vitiorum somno indulgetis? ô surdi & impio lethargo mersi! clamatum hactenus satis est, tot cohortationibus, tot monitis, tot concionibus laboratum est excutiendo veterno, & adhuc jacetis pravâ vivendi consuetudine sepulti? saltem hic supremus morientis Christi clamor lethargum rumpat. Discite, dum vita est, vivere: suum quisque inquilinum vitium à se profliget, omnem in se vitiosam assuetudinem expugnet, seipsum animosè vincat, & triumphet. Hîc intimo scelerum horrore opus est, quisque malit ardentem potiùs rogum insilire, quàm sciens ac volens delinquere: satius est vitam centies & sexcenties amittere, quàm letali se culpâ vel unicâ obstringere. O Christiani, non tantùm saxa, sed & saxis duriora Judæorum corda discindit pœnitentia: *percutientes pectora sua revertebantur.* Et vester vos sopor etiámnum ligat, adhuc dormitis? adhuc otium & desidiam amatis? genium adhuc & profundam gulam tam sollicitè curatis? In omnem adhuc libidinem effusi ruitis? nummos adhuc ante virtutem colitis? adhuc invicem mordetis, & comeditis, & invidetis? Immortales adhuc iras geritis? cædes adhuc & vindictæ supplicia spiratis? Etiámnum animi sublati estis, & tantos vobis spiritus tantámque sumitis arrogantiam? suum vobis spiritum commendat & clamans, & expirans Christus. Surgite & exurgite à mortuis, & illuminabit vos Christus. Quem hic ultimus Christi clamor non excitat, non veternosus tantùm, nec tantùm mortuus, sed jam sepultus est, & propè in inferno. *Luc. c. vers. 4.*

§. VII. *Præceptiones ad institutum duæ aliæ.*

3. Discè mori. *Tot retinendi discendi mori.*

III. Discè mori. Notissimum illud Annæi: *Vivere totâ vitâ discendum est; & quod magis fortasse mireberis, totâ vitâ discendum est mori. Tot maximi viri relictis omnibus impedimentis, cum divitiis, officiis, voluptatibus renuntiássent, hoc unum in extremam usque ætatem egerunt, Seneca l. ut scirent: plures tamen ex his nondum se scire confessi, è vitâ brevis, vi abierunt.* Ab hac unâ profectò scientiâ totius vitæ felicitas dependet. De summâ rerum agitur, quando mors vocat. In hoc puncto salutis nostræ cardo vertitur. De beatitudinis & cæli jacturâ periclitamur, cùm ad æternitatem evocamur. Nullum in omni vitâ graviorem, nullum magis serium laborem habemus, quàm hoc unum, *Mori.* Ad hunc igitur novissimum, sed & difficillimum, sed & periculosissimum laborem nos omni vitâ paremus: nullis hîc impendiis, nulli operæ parcendum. Ad ultimum hunc actum nostræ fabulæ nos priùs horis omnibus exerceamus. Quotidie & vel quâvis horâ dicendum: *In manus tuas, Domine, commendo spiritum meum.* Ecclesia vocem præit. Nam eâ, quod Amalarius Trevirensis exponit, ter potissimùm utitur his vocibus. 1. In sacrâ synaxi porrigendâ, tamquam in mortis horâ sacerdos has voces effatur: *In manus tuas, Domine, commendo spiritum meum. Qui enim,* inquit Paulus, *manducat & bibit indignè, judicium sibi manducat & bibit, non dijudicans corpus Domini.* Alimentum aut venenum est. 2. Ad precum horariarum clausulam eædem voces aliquoties repetuntur. Dormientes majoribus pluribúsque periculis quàm vigilantes subjecti sumus. 3. Ad vitæ finem. Tunc certè cacodæmon hominis calcaneo insidiatur, & nihil non agit, ut siquà possit, moribundum irretiat. Nunc igitur quisquis es, dum sospes & vivus es, spiritum tuum conditori tuo commenda. Confessus magni æris debitor in omnem se partem torquet, & paullatim circumspicit asylum, quò se recipiat, interim vetusta nomina sarcit novis, & versuram facit. Si denique abdicant omnia, ad destinatum properat asylum. Dominus Jesvs crucifixus refugium nostrum & virtus, asylum tutissimum est. Huc quotidie, huc quâvis horâ, idque in actionibus nostris omnibus, vigilanti oculo collineemus. Hic esto terminus noster, hæc nostra meta, ad quam eant omnia. *Commendemus animas nostras,* ut monet Petrus, *in benefactis fideli creatori.* Non cognatis, non amicis, non filiis, frustra id agimus. Cùm itaque suprema hæc hora illuxerit, age quod agis, non auri negotium tracta, sed cæli, ad obeundam mortem promptus, paratus

Ecclesia ter antiphonis vocibus hoc innuit. Amalar. l. de offic. div. cap. 1. In sacrificio synaxis porrigendâ. 1. Cor. c. 11. vers. 29. 2. Ad clausulam precum horariarum. 1. Pet. c. 4. vers. 19. 3. Ad vitæ finem.

ratus esto. Hîc velle tergiversari, valde noxium. Te tuáque omnia plenissimè Deo commenda. Assiduè cum Stephano clama: *Domine* JESV, *suscipe spiritum meum.* Ita Basilius Magnus, ita Rex Galliarum Ludovicus, ita innumeri alii Christum Servatorem imitati precabantur. Spiritus eo tempore curandus, cetera omnia Deo permittendo. Orto incendio ad id quod domus pretiosissimum habet, curritur. Arcam nummariam, aut si quid gemmarum vel thesauri loco servavimus, igni subducere properamus. Thesaurus noster, est animus noster; commendemus illum *in benefactis fideli creatori.*

Aster. c. 7. vers. 59. Ludovicus Rex Galliæ IX.

4. Discebeati.

IV. Discebeati. Beatitudinis pars maxima est, divinis manibus & arbitrio Numinis committere omnia. Hîc solùm securitas, hîc rei nostræ augmentum, hîc opulentia, hîc vita est. Quæ nostris aliorúmve manibus inseruntur, mille periculis exponuntur, nimiùm intuta sunt. Monuit Christus, ut quod thesauri nobis est, hoc ærugini, furibus, igni, insidiis omnibus subtrahamus, & reponamus cælo, quò nec ærugo, nec fures, nec ignis, nec insidiæ illæ possint pertingere. Codicis divini phrasis est: Posuit animam suam in manu suâ, hoc est, in summum se discrimen objecit. Quæcumque in manu Dei collocantur, seu voluntas nostra, sive facultates, seu eleemosynæ nostræ, loco sunt tutissimo; nemo hanc custodiam effringet. Dilucidè hoc Christus affirmans, *Oves meæ*, inquit, *vocem meam audiunt; & ego cognosco eas, & sequuntur me. Et ego vitam æternam do eis, & non peribunt in æternum, & non rapiet eas quisquam de manu meâ.* Non miramur, Domine, è manibus tuis nil posse rapi; *Altissimum posuisti refugium tuum, non accedet ad te malum.*

Ioan. c. 10. v. 27. & 28.

Psal. 9. v. 9. & 10.

Qui se suáque omnia in manu Dei ponunt?

Is porrò in manu Dei se súaque omnia ponit, qui cuncta negotia sua, eorúmque exitum, qui tam gaudia sua, quàm suos mœrores, qui omnem suam voluntatem séque totum ex integro divinæ voluntati tradit ac submittit, sibíque ipse dicit: Deus suprà me curat, tamquam me solum curet; fido illi, cui me committo perfectissimè, quod partium mearum est, facio; cetera prorsus omnia divinæ gubernationi ac providentiæ permitto. Prævio Deo, prævio Christo nocere mihi nec hominum quisquam nec dæmonum potest, nisi ego mihi noceam ipse. Nisi meo mémet gladio convulnerem, hâc certè invulneratus persisto.

Laudat hûc locis Petrus Gregorius Tholosanus hom. 1. Comment. in syntaxes artis mirabilis, lib. 3. cap. 12. num. 1.

Terræ Beatitudo est peccatum fugere, & totum sese Deo committere.

Rabbi Moyses epistolâ ad Judæos Massiliæ degentes, ait, divinæ legis fundamentum esse hoc, quod omnium animis altissimè infigendum: omnia in mundo contingentia, miseriæ omnes & pœnæ, castigationes & turbelæ omnes, à voluntate nostrâ proficiscuntur, nobísque propter nostras immittuntur noxas. Ita profectò est: Unum atque unicum in orbe malum est peccatum, malorum omnium seminarium. Ab hoc tuti simus, & illæsi erimus ab omni malo. Verissima terræ beatitudo est, Peccatum fugere, & totum sese Deo committere. *Discebeati.* Et cur Deo non nostra omnia in manus demus? Sartori pannum, corium, telam, bombycinam, scutulatam, Damascenam, holosericam, pictam, Attalicam credimus, cum liberali dicto, Sume hinc quantum opus, & vestem concinna: non est quod textili materiæ parcas; Et avaritiâ tam exitiabili voluntatem nostram nostráque omnia non credamus Deo?

Psal. 30. v. 16. Hebræa: In manibus tuis tempora mea.

Sapienter & sanctè David, *In manibus tuis*, inquit, *sortes meæ.* Tu illas misce, tempera, dispone: quidquid demum mihi est eventurum, è manibus tuis expecto, id omne paratissimâ voluntate accepturus. Sat bonum, & sat fortem habeo protectorem Deum meum, cui vitæ mortisque meæ summam confidentissimè credo. Vivam quamdiu volueris, mi Deus, & quando volueris, moriar. Idcirco jam nunc & quovis momento spiritum meum in tuas manus commendo.

Si cui prospecturus dicat Deus: Elige tibi fidum hominem, cui negotia tua committas. Patrem, opinor, aut matrem, aut quem amicorum sciret fidelissimum, A eligeret. At habemus his longè fideliorem, quia & providentiorem & nostri amantiorem Christum Dominum. Hoc sciamus, *quia omnia dedit ei Pater in manus.* Si omnia, cur nos facultates à Patre datas his manibus subtrahamus? Obi orbem, homo diffidens, num invenias manus, quæ cælum condere, & stellis inoculare, quæ terram aëris medio firmare, & eam plantis, animalibus, metallis opulentare possint. Manus Domini fecerunt hæc omnia. *In manus ejus omnes fines terræ.* Orbem obi, homo incredule, & manus medicas quære, quæ cæcos, surdos, mutos, quæ hydropicos paralyticos, fanaticos, energumenos, lunaticos, quocumque morbo ægros contactu solo sanare possint. Hoc Christi manus possunt. Hinc *omnis turba quærebat eum tangere, quia virtus de illo exibat, & sanabat omnes.* Universos orbis sinus peragra, homo pusillanimis & emortuæ fidei, quære manus, quæ pro te vinctæ, terebratæ, confossæ, vulneratæ, clavis transfixæ sint, nec alias uspiam reperies nisi Christi B manus. Quin igitur his ipsis manibus quavis horâ, quovis momento te tuáque omnia, ingenti animo summâque fiduciâ commendas & clamas. *In manus tuas commendo spiritum meum; redemisti me Domine Deus veritatis.*

Ioan. cap. 13. vers. 3.

Psal. 94. v. 4.

Luc. cap. 6. vers. 19.

Psal. 30. v. 6.

CAPVT VII.

De beatissimo Christi Reviviscentis horto.

LVgentis Ecclesiæ sacrum carmen est: *Ecce quomodo moritur justus, & nemo percipit corde.* Verissimum. Moritur Christus, & quis est qui hanc mortem percipiat corde? Iconem crucifixi JESV salutamus osculis. Piè hoc: sed ubi cor? Ceremoniis inhæremus, sed ubi dolentis animus? Crucem veneramur, sed quis pendentis in cruce societatem ambit? Morientem Christum aspicimus; sed ubi commorientes sunt? Ah! nemo percipit corde. C

Ergo mortuus est justorum omnium justissimus, sed mortem vicit moriendo. *Si ergo*, inquit Bernardus, *desideras Deum videre sublimem, humilem priùs IESVM videre curato. Intuere priùs exaltatum serpentem in deserto, si videre desideras regem in solio residentem. Ista & humiliet visio, ut illa exaltet humiliatum; reprimat ista timorem tuum, ut illa repleat desiderium tuum.* Mors Christi tot sæculis sperata, tot annorum centuriis expectata, tot desideriis ac gemitibus optata, tot vatum oraculis denuntiata, tot sacrificiorum differentiis adumbrata, in vitam nos omnes restituit. Hac unâ morte vivimus, aliter æternùm moriturí, nisi illa præcessisset: æterno cælorum exilio damnandi, nisi mors illa patriæ, quam perdideramus, restituisset; æternâ premendi servitute, nisi mors ista in libertatem asseruisset; vinculis perpetuis, immiti æternitatis carcere damnandi, nisi mors Christi nos exolvisset. D

Bernard. serm. 1. de verbis Isaiæ.

Per mortem Christi vivimus, æternùm perituri ni præcessisset.

Non falsus, sed impius fuit vates, qui dixerat: *Expedit nobis, ut unus moriatur homo pro populo, & non tota gens pereat.* Periisset non Israëlis tantùm populus, sed humana gens universa. Unâ igitur morte vivimus omnes, morituri omnes sine hac morte. Mirum, ter mirum: Mors nisi perimere docta, vitam est largita.

Ioan cap. 11. vers. 50.

Vivit Dominus JESVS, qui in cruce nostri causâ est mortuus: *Surrexit sicut dixit.* Pendentis in trabe mortem consideravimus; nunc & redivivi gloriam contemplemur. Hæc duo tam sibi adversantia juxta se statuere nostri erat consilii, principio hujus libri. Et ejus rei causam assignabimus.

Matt. c. 28. vers. 6.

§. I. *Mors & vita juxta se posita magis elucescunt.*

ITa se habet multarum rerum venustas & pulchritudo, ut, nisi eam deformitas & opposita turpitudo comitetur, vel etiam præcedat, multum illa sui amittat, & in-

Venustas multarum rerum nisi eam defor-

mitas comiteturvel præcedat incipit vilescere.

& incipiat vilescere. Solem etsi per se pulcherrimum, illum tamen multò gratiorem roriflua nox facit, & nigræ matri obductum pallium. Æstatem ex se amœnissimam, plurimùm tamen hiems commendat, & glacialia illa marmora, & canæ nivis inamœnum velamen. Valetudinem nulli non jucundam, tamen eam jucundiorem reddit invaletudo. Cibus suavis non est, quàm qui post famem sumitur: potus hilaris non est, quàm qui post sitim conceditur. Non est accepta quies, quàm quæ laborem sequitur. Quid cælo favente & innubi lætius? minùs tamen esset, nisi ei formam hanc commendabilem faceret nigrarum nubium deformitas & horror. Risus etsi naturâ suâ delectet, magis tamen sapit post lacrymas. Illius diei, quâ Christus in vitam rediit, lætitiam, perquàm auget prægressa tristitia: ridentis denuo cæli favorem, emissæ priùs lacrymæ commendant. Christum in vitam reducem mors fecit, mors illa, quæ astra jussit expallescere, cælum nigrescere, ingemiscere saxa: mors illa, quæ vitam imperavit mori, & eos qui pridem mortui, è tumbis provocavit: mors illa, quæ totum fecit lugere orbem, eumdémque totum fecit gaudere. Hiems fuit & acerba, quæ multarum virtutum flores necavit, & ipsum vitæ florem conculcavit letali frigore. At conculcatus flos iste, caput denuo erexit & ostendit se vivere, stetitque erectus in eo ipso horto, in quo depressus ante jacuit. Horte beate, quàm mihi intimos percellis sensus, cùm de te cogito!

Prægressa tristitia auget illi⁹ diei lætitiam, quâ Christus in vitam rediit.

Superi, date veniam, avelli ab hoc horto nequeo, in quo noster Servator ut flos agri, aratro crucis contusus jacuit, livore, pallore, vulnere plenus. At odor & color, & recens vita huic flori in hoc horto rediit. Horte divine! si licet, pedem in te penetro: da, quæso te, ingressuro mihi aditum. Sed & vos omnes alios invito, ut hunc deliciarum locum juxtà mecum ingrediamini, fausto & benevolo, quod opto, pede. Neque puto, hujus ingressûs pœnitebit: ipse forsan hortulanus occurret, qui ducat, qui viam monstret, qui florum arcana, herbarum abdita, arborum secreta edisserat, & voluptatem nobis pariat Christo redivivo dignam. Ingrediamur propitio Numine.

§. II. *In Horto Christus ad vitam redit.*

CÆlum mihi videre videor, non hortum, cùm hoc amœnitatis theatrum intueor, in quo scintillantes micantésque variè flores magis profectò nitent, quàm illi astrorum ignes serenâ nocte. Campos Elysios prisca poësis somniavit, & locavit illos in inferorum regione. Somnium planè fuit, imò delirium: nam quæ sit apud inferos vel umbra voluptatis? Hic hortus, hic verè campus Elysius est, quem suæ post mortem quieti, quem suo post reducem vitam triumpho delegit Servator, cùmque magis ornavit, quàm ullus Imperatorum suum, etsi suâ manu consitum.

Egregium profectò & laudabile fuit priscorum studium in re hortensi, quam, qui Epicuro ut auctori attribuunt, meo judicio largiter errant. Nam in hanc hortorum voluptatem ab omni ævo cupidè consenserunt clarissimi virorum. Et sacras litteras lustramus? Videbimus unà cum orbe nato natos hortos, quos Deus ipse primo homini domicilium attribuit, & velut sedem beatæ vitæ. Profanas paginas inspicimus? Ecce Semiramidis hortus aëreus & pensilis, in quo construendo trecenta millia hominum desudârunt. Ah! quàm hic noster hortus minùs operosus, & multò cultior est: ille laborem, iste nitorem habet majorem. Quid enim ille habuit, nisi fontes, flores, arbores: iste verò eum in se recepit, à quo fons omnis, flos & arbos accepit originem. Celebres sunt & Hesperidum horti, in quibus

Horti à Deo primo homini pro domicilio attributi.

Arboreæ frondes auro radiante nitentes
Ex auro ramos, ex auro poma ferebant,

quæ Ladon draco custodiebat. Noti sunt & Corcyrei regis Alcinoi, Adonidis & Tantali vireta & horti, quos proverbia loquuntur & fabulæ. In certis verisque historiis reperiuntur Cyri regis manu instituta plantaria. Sed habeat suos sibi hortos rex Cyrus, hunc ego malo, cui Christus suum corpus quasi granum inseminavit, eúmque tanti thesauri custodem & tutorem esse voluit. Jam inter Græcos Romanósque, quot illustres viros est producere, qui positis aliis curis, soli fuerunt in hac curâ. E Græcis quidem reperio in hortis omnes Philosophos & sapientes, qui remoti ab insano foro & urbe, hortorum se spatiis sepibúsque clauserunt. E Romanis Tarquinium regem video jam tum priscâ illâ Româ, in hortis molliter ambulantem & papaverum capita resecantem. Catonem Censorium agnosco rei hortensi deditum, & de eâ seriò scribentem. Lucullum post Asiaticas contra Mithridatem victorias, in viridibus istis & floriferis ædibus orientem conspicor. Sullam abjectâ Dictaturâ, suaviter hîc inter flores senescentem intueor. Diocletianum Principem olera sua & lactucas ad Salonam, purpuræ & omnibus sceptris præferentem admiror. Sed en, dum illustres hortulanos recito, hortulanum video, qui humanâ quidem specie augustior, habitu tamen est ab humano nil differente. Et nisi me fallunt oculi, sermones miscet cum feminâ, quam Magdalenam nominant. Quis iste hortulanus? alium vultus, alium vestis loquitur; ille Deum, hæc hominem fatetur. Non errem, credo, si hunc hortulanum eum esse dicam, qui ante triduum magis sanguine quàm pulvere oblitus, vulneribus magis quàm sordibus deformatus, latronum medius in infami stipite exhalavit animam. Reverâ hic ipsus est, qui animorum hortos aliquot annis cælestis doctrinæ semine percoluit, tandem pro tam fideliter positâ operâ in crucem actus, & in horti monumentum è cruce delatus est; hodie redivivus pristinam & ampliorem dignitatem recuperavit. Non multùm absimili fato (si summis ima fas comparare) Abdalonymus ad diadema & purpuram pervenit.

§. III. *Abdalonymus ex horto ad purpuram & sceptrum prodit.*

ERat Sidoniæ rex dandus, Justino & Curtio testibus. Erant Hephæstioni Alexandri clarissimo duci clari juvenes, qui factâ sibi potestate regnandi, negaverunt quemquam patrio more in id fastigium recipi, nisi regiâ stirpe ortum. Admiratus Hephæstio magnitudinem animi spernentis quod alii per ignes ferrúmque peterent, Vos quidem macti virtute, inquit, estote, qui primi intellexistis, quantò majus esset regnum fastidire quàm accipere. Ceterùm date aliquem regiæ stirpis, qui meminerit à vobis acceptum habere se regnum. At illi statuunt neminem esse potiorem quàm Abdalonymum quemdam, longâ quidem cognatione stirpi regiæ annexum, sed ob inopiam suburbanum hortum colentem exiguâ stipe. Caussa ei paupertatis, sicut plerisque, probitas erat, intentúsque operi diurno, strepitum armorum, qui totam Asiam concusserat, non exaudiebat. Subitò igitur dicti juvenes cum regiæ vestis insignibus hortum intrant, quem fortè steriles herbas eligens Abdalonymus repurgabat. Tunc rege eo salutato, alter ex his, Habitus, inquit, hic quem cernis in meis manibus, cum isto squalore permutandus tibi est. Ablue corpus illuvie, æterniséque sordibus squalidum. Cape regis animú, & in eam fortunam, quâ dignus es, istam continentiam perfer. Et cùm in regali solio residebis, vitæ necisque omnium Dominus, cave obliviscaris hujus statûs, in quo accipis regnum, imò propter quem. Somnio similis res Abdalonymo videbatur. Interdum satisne sani essent, quòd tam protervè sibi illuderent, percunctabatur. Sed ut cunctanti squalor ablutus est, & injecta purpura, & fides à jurantibus facta seriò, jam rex iisdem comitantibus in regiam pervenit, quem cùm

Curt. lib. 4. cap. 1.

Abdalonymus hortulanus deligitur regem.

diu

diu contemplatus fuisset Alexander, Corporis, inquit, habitus famæ generis non repugnat: sed libet scire, inopiam quâ patientiâ tuleris. Tum ille novus rex, Utinam, inquit, eodem animo regnum pati possim! Hæ manus suffecere desiderio meo: nihil habenti nihil defuit. Alexander delectatus hac indole, non regiam modò supellectilem ei attribui jussit, sed pleraque etiam ex Persicâ prædâ, regionem quoque urbi appositam ditioni ejus adjecit.

Cui Alexander regiam supellectilem attribui jubet.

Videtis nostrum hunc cælestem hortulanum in Abdalonymo depictum. An non Christus Deus, qui in vitam hodie redux, regiam stirpem extremâ paupertate celavit, summâ abjectione texit, occultavit infandâ morte? Eò námque calamitatum sponte devolutus est, ut per totum corpus sputis, livore, plagis, cruore fœdatus, non tantùm non regiam, sed nec humanam quidem formam præ se ferret, & inter parricidas in furcâ pendulus, indignante cælo, fremente terrâ, astris lugentibus, gementibus saxis vitam poneret, sed triduo pòst recepturus. Recepit hodie, & revixit, in horto funeratus hortulanus. At non vitam tantùm recepit, sed & accepit immortalem purpuram, & è cælo diadema. Somnium hoc visum est multis, ipsis etiam undenis hujus hortulani asseclis. *Et regressæ à monumento*, inquit Lucas, *nuntiaverunt hæc omnia illis undecim, & ceteris omnibus. Erat autem Maria Magdalene, & Iohanna, & Maria Iacobi, & ceteræ quæ cum eis erant, quæ dicebant ad Apostolos hæc: Et visa sunt ante illos sicut deliramentum verba ista, & non crediderunt illis.* Vix induci poterant, ut crederent, hominem illum tam ignominiosâ morte sublatum, in vitam assertum tam gloriosam. Sed adest in hoc ipso horto juvenis è cælo candidâ byssо amictus: adest, non ut redivivo huic hortulano insignia regni deferat, sed ut delata nuntiet, & fidem faciat incredulis. Hic ergo verus Abdalonymus à morte ad vitam, à cruce ad solium, à spineo serto ad diadema, à sordibus ad purpuram, ab ignominiâ ad gloriam, ab horto ad cælum vocatus, prædam non è Perside, sed ex orco abductam secum avexit: hanc suo cruore partam stitit æterno Patri, à quo, vitæ necisque omnium constitutus Dominus, regnum accepit orbem universum.

Christus non solùm vitam sed & immortalem purpuram accepit, & è cælo diadema. *Luc. cap. 24. vers. 9. & seqq.*

Ejus rei testis angelus.

§. IV. *Paulinus ab horto in sacrum solium revertit.*

Occurrit hîc, quod de Paulino Nolano Præsule, testes credi dignissimi referunt. Hic magnus Antistes, cùm in captivorum libertatem argentum omne erogâsset, nec liberâsset omnes, tandem pro redimendo viduæ filio, seipsum in Africam vendidit, & pervenit ad generum Guntharii regis, cui eâ lege se mancipavit, ut liber abiret viduæ filius. Abivit ille, remansit iste. Quem cùm barbarus hortorum culturam callere intellexisset, sthis illum hortis præfecit, imò suum fecit & amicum. Vultu siquidem Paulinus erat elegantiore, industriâ rariore, cultiore sermone, quibus se ita probavit suo hero hic servus, ut tandem illi Dominus reditum in patriam, & quidquid aliud à se peteret, promitteret annuendum. Cui Paulinus, Unum est, inquit, beneficium, ô Domine, quod à te postulem. Me liberum esse, in patriam redire, meis restitui quid juvet, si multi meorum absint, & adhuc in vinculis ingemiscant? Quæso te, meæ civitatis aliquot captivos tenes: dimitte unà, & æquam libertatem indulge omnibus. Omnia annuit regis gener, & naves ad abitum frumento instrui præcepit. Interea illud Vandalorum flagellum Guntharius moritur, Paulinus dimittitur, & ad suos cum suorum parte redit feliciter.

Paulinus Nolanus præsul pro redimendo viduæ filio se vendidit.

Christe, Rex redivive & immortalis, quàm in plerisque omnibus huic hortulano feciſti paria? Serviviſti, non in cælo (quæ enim ibi servitus?) sed in hac horridâ solitudine. Serviviſti, non coactus (quis enim cogeret?) sed sponte tuâ & volens lubens. Serviviſti non pro amicò (quid enim hoc tanti?) sed pro inimicissimo tibi homine. Et quis tuæ servitutis potissimus labor? Hortus iste, mundus iste, quem sterilem & incultum percoluisti. Sed gratia, quam hic hortus optimo suo cultori rettulit, crux fuit, in quo durissimo lecto hîc hortulanus occubuit. Funus illius ex infami monte in hortum delatum, & illatum est saxeo sepulchro. Actuarius cæli Joannes id testatur: *Erat autem in loco, inquit, ubi crucifixus est, Ioan. c. 19. hortus, & in horto monumentum novum, in quo nondum v. 41. & 42. quisquam positus erat. Ibi ergo propter Parasceven Iudæorum, quia iuxta erat monumentum, posuerunt* Jesvm. Lugubria hactenus omnia & tristia. At tertio die à suo funere redivivus obambulat in horto hortulanus iste, & cum magnâ suorum parte, reditum in patriam, hoc est, in cælum meditatur.

Horte fortunatissime, qui conscius fuisti magni simul mœroris & gaudii! Tu hortule lactymas excepisti, quas fuderunt, qui tulerunt in tuum gremium orbis Servatorem. Tu mœstitiam vidisti eorum, qui mortis victorem mortuum, intra tua septa sepeliverunt: Tu lamenta illorum & planctus audivisti, qui vitam in cruce extinctam, in te, ô horte, sepultam deseruerunt. Sed hæc tibi amara & funebria. Illud verò lætissimum, quòd tu idem horte, vitæ Dominum in vitam restitutum, hortulani formâ in te inambulantem primus vidisti, & multis illum ut mortuum lugentibus, vivum videndum exhibuisti. Cujus umquam horti dignitas, ô veræ voluptatis sedes, tuâ fuit superior? quæ tempe aut viridaria, quæ silvæ aut vivaria nitelam tuam æquârunt & elegantiam? Valere mihi vel mille paradisi, valete. Vestras ego voluptates non ambio. Hic mihi hortus vobis jucundior est, quia illum regem in illo reperio, qui, quotquot vult paradisorum millia, vel verbo potest extruere. Verè hortorum omnium decus es, ô magnum terræ delicium & mundi ocellus Solymæe horte! Sed heu, quàm vix ullum à mœrore purum fluit gaudium! Est & hîc quod lætitiam turbet, & hujus horti ex parte fœdet elegantiam.

§. V. *In Christi Resurgentis horto sibilant serpentes, mendacissimi milites.*

Serpentes sub herbis hîc delitescunt, & quò metum augeant, horrendum sibilant pestilentes hi colubri. An non viros dracones, milites illi, qui Dominicum sepulchrum accubant? Non in vitam revocatus, vociferantur illi, sed è conditorio ablatus est Galilæus vester. Agnosco noxios afflatus istorum draconum, quos Hebræi Pontifices argenteâ offâ demulserunt, & hæc in Christum tam impia jusserunt evomere. Sed dicite, scelestissimi milites, si ille crucifixus homo ablatus est, quis abstulit? Discipuli. Itáne discipuli? Illi scilicet, qui pæne ad ancillæ voculam exanimati conciderunt? Illi, qui triduo antè vivum deseruerunt, tanto cum periculo repetiverunt mortuum? Mendacissimi blaterones quid dicitis? Et quando hi discipuli suum Magistrum ita subduxerunt? Cùm dormiremus. Itáne verò? ad vigilandum & servandum vos appositos censebam: ut video, ad dormitandum conducti estis, egregii vigiles. An non vestram tam apertam vanitatem & manifestò arguendam putâstis? Hoc sub Alexandro Severo feciſſetis, fumo (ut vobis dignum) in cruce fuissetis necati, clamante præcone: Fumo puniuntur, qui vendiderunt fumum. Et moris fuit in Thessaliâ, ut si quis mortui custodiam promisisset, perpetem noctem eximiè vigilaret, exertis & inconversis oculis, semper in cadaver intentis, nec aciem usquam divertetet, imò nec obliquaret quidem: & manè si corpus non integrum restituisset, quidquid inde decerptum imminutumque fuisset, id omne de facie suâ desectum sarcire compellebatur. Si hæc lex in vos valeret, an non totum corpus vestrum deberetis, qui cadaver custodiendum, totum perdidistis? Sed uti

Christus à militibus custodibus ablatus è monumento dicitur.

essions vestra falsitas pateat magis, agite, ô vigilantissimi excubitores: si discipuli illud saxo clausum cadaver sunt furati, cur nemo vestrûm restitit, cur omnes hoc passi? Dormivimus. Quomodo ergo clancularios illos fures vidistis, si dormivistis? nisi fortè vos apertis oculis dormiatis ut lepores? At forsan id quod narratis, somniastis? Fidem ergo dictis vestris ne sperate, somnia narratis, quibus nihil est fallacius. Quid igitur obducitis venenatæ hydræ, quid respondetis Plutonis vernæ, quâ ratione fures factus Christi discipulos? Audivimus id ex aliis. Ejà verò ex aliis; quibusnam illis aliis? An præter vos alii quoque aderant, qui ipsos custodirent custodes, ne quis auferret dormientes? Perfrictæ frontes, adeóne pudorem omnem decoxistis, ut hanc fabulam in vulgus spargere non vereremini? Quis heri natus infans hoc tam luculentum commentum non tangat? sed crocitate mendaces corvi, & Christum in vitam denuo assertum negate: nihil evincitis, nisi hoc solùm, ut plus majestatis & laudis habeat in lucem producta veritas. Resurrexit cruci affixus sicut dixit. Cerne jam manus Judææ, quas fixeras cerne latus Romane, quod foderas; intuere, Fallitas, corpus redivivum, quod à discipulis subductum sparseras. Hoc Petrus Chrysologus aurei vir eloquii venustè prosecutus, *Inter hæc*, inquit, *Iudæi crimina, aut malè emunt sua, aut distrahunt pejus aliena, dum peccata taxant pretio, dum pecuniâ pensant & compensant delicta: dum in sceleribus suis fundunt, quod toto scelere congregaverunt. Sic Iudam comparant traditorem Domini sui, & pretio Redemptoris mundi sanguinem pensant: sic aperti sepulchri fidem claudunt sæculo, ut negandæ resurrectionis crimen nummis criminum mercarentur. Pecuniam*, inquit, *copiosam dederunt militibus, dicentes, Dicite, quia discipuli ejus venerunt nocte, & furati sunt eum, nobis dormientibus: & si hoc Præses audierit, nos suadebimus ei, & securos vos faciemus. At illi acceptâ pecuniâ fecerunt sicut erant edocti; & diffamatum est verbum istud apud Iudæos usque in hodiernum diem. Apud Iudæos; numquid apud Christianos? Iudæe, quod tu in Iudeâ obscurabas auro, fide toto clamavit & eluxit in mundo: discipuli receperunt, non furati sunt Christum: tu perfidiam comparâsti, sed non furatus es veritatem. Iudæe, resurrexit Christus, tu pecuniam perdidisti.* Sanguis ejus super nos, & super filios nostros. *Iudæe, Christus vivit: tu & te & tuos posteris occidisti.*

Petrus Chrysolog. serm. 77. mihi p. 203.

Matt. c. 27. vers. 25.

Sed ad te redeo, divine Hortulane, & quàm tecum finio, priùs id unum exte quæro: Cur, Christe, hos virulentos basiliscos in horto illo passus es, in quo placidè letalem somnum dormivisti? Cur circa illud sepulchrum, in quo à cruce quievisti, has bestias stabulari permisisti? Si bene conjicio, bone Jesv, per hos ipsos fabularum præcones veritatem magis in lucem dari voluisti. Et naturæ opera si spectemus, spinæ rosas armant, mella defendunt aculei, aurum imæ specus, gemmas intima maria; & est cùm sol per nubem ferit potentiùs. Tu item Sol vere, Christe triumphator, per hanc commentorum nubem potentiam tuam magis asseruisti; neque sic effulsisset veritas, nisi eam falsitatis caligo sic pressisset; neque hortus iste ita frequentatus fuisset, nisi priùs ab istis serpentibus fuisset ita vastatus. Honor istius horti è contemptu crevit, fama illius auxit ab infamiâ. Furtum in eo commissum spargebatur, sed tandem patuit Veritas, & purpureum honoris Ver per hoc viretum semet difflavit. Ita fieri decuit in eo horto, in quo vita sepulta jacuit, & à seipsâ sibi restituta, mortem sepelivit.

Veritas resurrectionis Christi per fabularũ præcones magis in lucem data est.

CAPVT IX.

De futurâ mortuorum in vitam revocatione.

Luc. cap. 18. vers. 32. CHristus igitur resurrexit, sicut de seipso dixit: *Tradetur gentibus, & illudetur, & flagellabitur, & conspuetur; & postquam flagellaverint, occident eum, & tertiâ die resurget.* Resurrexit, sicut dixit: *Ego sum resurrectio & vita; qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, vivet. Et omnis qui vivit & credit in me, non morietur in æternum. Hæc est enim voluntas ejus, qui misit me, Patris, ut omne quod dedit mihi, non perdam ex eo, sed resuscitem illud in novissimo die.* Resurrexit sicut dixit. *Nolite mirari hoc, quia venit hora, in quâ omnes, qui in monumentis sunt, audient vocem filii Dei; & procedent, qui bona fecerunt, in resurrectionem vitæ, qui verò mala egerunt, in resurrectionem judicii.* Ne miremur, neque dubitemus: *de his qui dormiunt in terræ pulvere, evigilabunt alii in vitam æternam, & alii in opprobrium ut videant semper. Si credimus, quòd* Jesvs *mortuus est, & resurrexit, ita & Deus eos, qui dormierunt per* Jesvm, *adducet cum eo. Scientes, quoniam qui suscitavit* Jesvm, *& nos cum* Jesv *suscitabit, & constituet vobiscum. Si complantati facti sumus similitudini mortis ejus, simul & resurrectionis erimus. Si mortui sumus cum Christo, credimus, quia simul etiam vivemus cum Christo; scientes quòd Christus resurgens ex mortuis jam non moritur, mors illi ultrà non dominabitur.* De Reviviscente Christo superiori capite diximus; jam & de nostrâ in vitam revocatione paucula addamus.

Ioan. cap. 6. vers. 40.

Ioan. cap. 5. vers. 28.

Dan. cap. 12. vers. 2.

1. ad Thess. cap. 4. vers. 14.

2. ad Cor. cap. 4. vers. 14.

Rom. cap. 6. vers. 5. & 9.

§. I. *Mortuorum in vitam reditus nec priscis Philosophis ignotus.*

AQuila cornicum aut psittacorum insidiis intercepta, pennis se spoliari non vetat, occasionem nacta injuriam ulciscitur, & obvium inimicum rostro transfigit. Avis est, quam Indi Zebut appellant, hæc balænæ os insidet, seque grandibus illis faucibus hauriri permittit, callido consilio: nam alvo recepta in cor rostro incurrit, quo perroso cæte illud immane perimit. Aquila quæ supernè se se in has valles ruit, ab Hebræis capta, ligata, laniata, vulsa, trabi fixa, à morte transfixa, opportunè tertiâ post mortem obitam die, hostem ultum ivit, & in mortem telum illud regessit, quod suómet gessit corpore. Revixit Servator noster. Absorptus videbatur, & erat etiam à mortalium voracissimâ voragine, sed dum saxeo illo ventre clausus jacuit, cor morti peredit, & mortem ipsam mori coëgit. Capiti nostro vitam redditam spectamus, nobis uti membris speramus reddendam. Sed spes hæc vacillat sæpe, ideo nunc illam confirmatum ibo, & de mortuorum in vitam reditu pauca disseram.

Christus aquila Hieron. capta, ligata, laniata, vulsa, trabi fixa, à morte transfixa, in mortem telum illud regessit, gessit.

Rem magnam adfectas, inquis, & campum ingrederis, quem vix pervolet Tertullianus Pegasus. Omnia consentio, & cedo. Sed quis nescit rerum etiam maximarum esse compendia? Reperit & orbis suam epitomen Romam. Carolo Imperatori anulus fuit, in quo præter indicem, libramenta, rotulas, etiam campanula; & hic digito, ut ceteri, insertus est anulus. Notus & ille Pyrrhi, in quo gemma, quæ Novensiles Deas cum Apolline citharam tenente, à naturæ artificio accepit. Homericam Iliadem nux unica concluſit. Neque ego me inter hos artifices numero. Hoc solum affirmo, multa dici posse compendio. Bono animo lectorem esse jubeo, ad Romanam clepsydram non perorabo.

Leonis exuvias à tineis immunes durare, naturæ scriptores docent. Leo noster è stirpe Judâ, in prælio cruento cecidit, sed ideo ut nos cadentes erigeret. Illatæ sunt tumulo illius quasi exuviæ, vermium familiæ credebatur offusum pabulum. Sed Leo fuit, nec quidquam in illum juris tinearum dentibus. Integer è marmoreâ tumbâ prodiit, & sacro rugitu universum orbem à funere revocavit. Nos quidem morti paramur omnes, illam experti antequam nati: mors enim est non esse, & hunc ipsum, quem agimus diem, cum morte dividimus. Æterna lex à principio dicta omni huic mundo, oriri, aboriri. Nec quidquam stabile aut firmum arbiter ille rerum esse voluit, præter seipsum. Abeunt omnia in nascendi pereundique fatalem gyrum, & longævum aliquid

Christus mortuus est, & à mortuis erigens.

quid est in hac machinâ, æternum nihil. Mors it per omnes, & vivere non vult, uti rectè Seneca, qui non vult mori. Sed post mortem denuo vita erit, & vera vita. Dies erit, cùm tellus parturiet, quotquot fovit intra viscera tantâ sæculorum ambage. Animabuntur ossa divino flamine, & umbræ prodibunt è tumulis. Nihil esse post mortem, vociferatur senex ille de horto. Sed ad haram abeant hæ voces, è quâ prolatæ, vel ad orcum potiùs, in quo natæ. Meliùs aliorum Philosophorum scholæ, quæ animos in sua domicilia redituros adstruxerunt. Donandus veniâ præ aliis Pythagoras, qui non interire, sed transire animum de corpore in corpus voluit vagâ quadam peregrinatione. Sed decantatum hoc satis & etiam explosum. Certè plerique olim sapientes, in ceteris cæci, hoc tamen viderunt, cum corpore non extingui animas. Præclarissimè hac de re Annæus philosophus dissertans, *Mors*, inquit, *nullum habet incommodum. Quòd si tanta cupiditas longioris ævi te tenet, cogita nihil eorum, quæ ab oculis abeunt, & in rerum naturam, ex quâ prodierunt, ac mox processura sunt, reconduntur, consumi. Desinunt ista, non pereunt. Et mors quam pertimescimus ac recusamus, intermittit vitam, non eripit. Veniet iterum, qui nos in lucem reponat, dies. Æquo animo debet redituros exire. Observa orbem rerum in se remeantium: videbis in hoc mundo nihil extingui, sed vicibus descendere ac resurgere. Æstas abit, sed alter annus illam adducit: hiems cecidit, referent illam sui menses: solem nox obruit, sed ipsam statim dies abiget. Stellarum iste decursus, quidquid præterierit, repetit.* Tangit & Lucretius hoc dogma lib. 3.

Nec si materiam nostram collegerit ætas
Post obitum, rursúmque redegerit, ut sita nunc est,
Atque iterum nobis fuerint data lumina vitæ.

Sed nihil roboris ab illis ad meam caussam postulo. Alia mihi firmamina & solidiora.

Epicurus.

Seneca ep. 36. fine.

§. II. *Mortuos in vitam redituros, variis argumentis docet Natura.*

ANastasin Deus priùs operibus docuit, quàm litteris; ante viribus ostendit, quàm verbis. Naturam præmisit, missurus naturæ interpretes. Quid diei noctisque ortus & obitus clamant, quàm animi in corpus reditum, cui tot sectarum hydræ obsibilant. Considera mihi, quisquis Sadducæam luem oles, quotidiana naturæ miracula. Quot diebus dies moritur, & tenebris sepelitur. Funestatur orbis honor, & atro syrmate cuncta vestiuntur. Sordent, silent, stupent omnia; ubique justitium est, ubique rerum alta quies. Sic amissa lux lugetur: & tamen rursus cum suo cultu, cum suâ dote, cum sole suo eadem & integra dies orbi universo reviviscit; mortem suam, noctem internecat: tumulum suum tenebras disturbat, hæres sibimet existit, donec & nox reviviscat cum suo & illa comitatu; donec & nocturnus sol, luna, os suum cælo exerat, & accendantur denuo nocturnæ cæli faculæ, quas mundi oculus matutinâ luce obruerat. Quid menstrua senescentis lunæ dispendia tam constanter tot annis reparata, quid docent aliud quàm exulum animorum in suas domos regressum?

Diei & noctis ortus & obitus, animi in corpus reditum significat.

De cælo terra disciplinam accipit, & discit arbores post folia vestire, floribus colorem & odorem reddere, herbis viridem vitam restituere, exhibere eadem quæ mortua sunt semina, nec priùs exhibere quàm mortua. Mira ratio. Ut reddat tellus, eripit; perdit, ut custodiat; ut integret, vitiat; enecat, ut in vitam revocet. Omnia in statum redeunt, cùm abscesserint; omnia incipiunt, cùm defierint; & ideo finiuntur, ut fiant. Totus hic igitur revolubilis rerum ordo, quàm perdocet manifestè, omne hominum genus post longum illum & ferreum somnum huic luci, & quidem meliori, restituendum. Quòd si necdum docenti te naturæ accedis, vestigia mea sequere, ad agros te manu duco. En tibi; unum dumtaxat granum seritur sine folliculi veste, sine fundamento spicæ, sine munimento aristæ, sine culmi superbiâ. Ita, inquam, seritur, & satum etiam moritur, sed morte tam fœcundâ, ut post certas anni vices resurgat, cultu munitum, numero auctum, ordine structum, compagine ædificatum. Et adeò in hac morte sterile fenus non est; ut (sic me docent Indicæ historiæ) duo millia granorum fuerint numerata ex unicâ aristâ. Et adhuc ambigis ossa nostra & cineres in vitam post mortem asserendos? An & aër mihi scrutandus, & montium juga, ut futuram ἀνάστασιν illic ostendam? Non recuso. Neque inviæ rupes, neque aspera cautium malignitas auspicata comprimet vestigia. Tu modò præeuntem sequere. Intuere homo nullius fidei, orientis amicum, qui redivivus suo è funere nascitur. Quippe senio jam tardus in flammis finire parat, ut vitam, quam vivus retinere non potest, recipiat mortuus. Odorum comportat fomitem, è quo tenuem acervum molitur, qui nidus sit & tumulus, bustum & domicilium, in quod à sole flammam devocat alarum concussu. Mox Sabæis ramis illapsus ignis plumas populatur, & avem post avitium victuram consumit. Protinus è cinerum massâ vermis, inde ovum, hinc alter aut idem Phœnix prodit, fine suo expers finis, sibimet parens & soboles, spei nostræ verum specimen, & ingens argumentum animandi denuo post putredinem humani cineris. Ergo nos interibimus, nec redibimus in vitam, Arabiæ volucres immortales vivent? Multis passeribus antistamus, si non & phœnicibus, nihil magnum: colubri stringunt exuvias, & novam sibi juventutem concinnant, homo id nequeat?

Phœnicem.

§. III. *Profanis & sacris historiis noster in vitam reditus affirmatur.*

SEd num hic limus, inquis, & hoc cœnum, corpus hominis æstimandum tanti, ut solutum reparetur? Certè tanti. Nec; oberit illi origo sua è terrâ, quia opus est summi artificis. Phidiæ manus Jovem Olympium figurat ex ebore, & adoratur. Nec jam bestiæ dens, sed Deus creditur; non quia elephantus, sed quia tantus Phidias. Et Numen corporis vilitatem nequeat ad sublimiorem dignitatem attollere? An hoc supererit, ut honestiùs homo Deum finxerit, quàm hominem Deus? Caro limus fuit, aliud erit. Aut, an nos Deo diligétiores, qui rubri littoris candens granum auro cingimus, ferro gemmeas vaginas cum Dario inducimus: Et Numen spiritûs sui auram, cum Tertulliano loquor, orisque sui operam commiserit vilissimo capulo in terram mutando, nec redeunte animâ honorando? Certè reficere poterit, qui fecit. Neque animus sine suo hospite, neque hic sine suo inquilino judici sistentur. Simul delinquerunt, simul luent. Ambo laborârunt, & ambo præmium ferent. In ærumnis socii, an in gaudiis separentur?

Anima sine corpore judici non sistetur.

Sed quid illud corpus quod omnia pœnarum ingenia expertum; in quo plura tormenta visa quàm membra; quod ferarum rictibus discerptum, freti fluctibus absorptum, flammæ viribus consumptum? an ædes sic disturbatæ denuo inædificari poterunt? Ne trepida, mi homo, & Tertullianum audi. Reddent, inquit, carnem & ignes, & undæ, & ferarum alvi, & ipsius temporis immensa gula, quidquid omni ævo hausit, revomet. Prodibunt ergo manes tubâ vocati, suisque artubus vestientur. Docet hoc cælum, docet aër, docent hoc terræ germina. An forsan terræ moles obstabit evocatis è terrâ? Deliria sunt hæc, quæ ad crudelitatem C. Cæsaris referenda. Hic morituris scindi vestimenta, & in os farciri pannos imperavit, quasi exituræ animæ locum negaturus. Cajus mihi es, quisquis evigilantes ad illam tubam mortales terræ pondere detinendos metuis. Sed ut discas Numinis potentiam, sequere, & mecum in terræ viscera pedem penetra, sepulchreta rimabimur. Sed prætereo hîc Aviolam Consularem, & L. Lamiam Præto-

Manes tubâ vocati suis artubus vestientur.

Prætorium virum, quos in rogo revixisse, & cùm subveniri non posset, prævalente flammâ vivos crematos asserit Plinius. Taceo Hermotimi Clazomenii vagum relicto corpore animum. Sileo Corfidium, qui funeris sui locatorem extulisse fertur. Neque huc arcesso Gabienum, qui Siculo bello, ab inferis, uti vult Plinius, remeavit. Abeo à fabulis, & te marcentis spei hominem duco ad vera prodigia. Primum ocellum mitte in Sareptanæ viduæ filium, qui, uti sentit D. Hieronymus, non alius fuit quàm Jonas vates, cui ab Eliâ vitale lumen restitutum. Non commemoro Sunamitidis puerum ab alio vate secundâ vitâ donatum. Lazari tumulum quis nescit? è quo ille redivivus ad Servatoris vocem surrexit. Transeo ceteros à Christo & sacro Christi Collegio ab umbris ad vivos translatos. Constantinus quidam cùm Hebræam perfidiam ejurâsset, puellæ à se exanimatæ, crucis signo animam in cadaver insinuavit. D. Severinus, teste Eugippio, Silvinum Sacerdotem vitâ functum in vitam restituit, sed priusquam ex urnâ prodiret Silvinus, quæsivit Præsul, num vitam mortalem denuò luberet vivere, cui ille, Per Numen, inquit, te rogo, ne mihi patriam morare. Sopiri placet iterum & illic vivere, ubi nulla mors est. Et cùm divum haberet non obnitentem, quievit exanimis. Maclovius Antistes, auctoribus Vincentio & Sigeberto, cùm in Insulis Fortunatis giganteæ molis sepulchrum cerneret, ingens Mausoleum fidenti voce concussit, & cadaveri, surgeret, edixit. Paruit illud, & procerâ mole è tumulo sese levavit. Multa hic gigas Maclovio super alterius vitæ statu enumeravit, post dies demum quinos denos ad umbras remigravit. Notum ex orbis Antistite Gregorio, à Fortunato Marcellum, ab Agnete Præfecti filium, patrem familias à Severo mortuis exemptum. De Trajano & Falconillâ nihil attingo.

Plinius l. 7. natur. hist. c. 52. initio, ubi plura talia recensentur. Valer. Max. lib. 1. cap. 8. Celsus l. 2. cap. 6. Resurrectio probatur è sacris historiis.

§. IV. *Geminis singularibus exemplis dicta firmantur.*

ÆVo Heracli miles Carthaginensis, uti ex Menæis Græcorum disco, subitò post patratum quoddam facinus exstinctus, ab ephebis duobus ad cælum ductus, sed non perductus. Moram injecerunt in viâ cacodæmonum diversa telonia, in omnibus vectigal exactum. Hic pro invidiâ, ille pro avaritiâ, pro superbiâ iste sibi satisfieri voluit. Satisfactum. Ventum ad cæli fores, ubi spurcum agmen in Veneris telonio excubias egit, & ob impuras noxas vectigal exegit, cúmque non esset quo fieret satis, recesserunt florentes illi juvenes ab animo, quem in subterraneum ergastulum venerea phalanx deturbavit. Dum plangit illic captivus, dum gemit, dolétque commissum scelus, adsunt iterum cælestes genii; educunt tandem specu illo diu precantem animum, & ad conditorium deducunt, jungúntque corpori. Atque dum in æde sacrâ canitur, cadaver postliminio animatum ex imo tumulo, Miseremini, exclamat, & solvite. Accurritur ad vocem, crepidatur, panditur tamen sepulchrum, sepultus solvitur, & ad Thalassium Præsulem adducitur; cui omnem rei gestæ seriem exponit, dies quadraginta impastus templa obit, corpore pavimentum verrit, perpetuos imbres ex oculis pluit, & has voces, Væ peccantibus, & non dolentibus! irrequietus iterat, & sic secundâ morte defungitur. Nota, inquit, historia. Pro me facis, qui sic contra me. Notam censebam & ego, ideo recensebam. Ignoris fabulis hîc locum non esse probè sciebam. Innumera alia in hanc rem sese offerunt: Dimitto; satis ista evincunt, Agmen mihi claudet locuples testis Cyrillus. Narrat is de Andreâ purpurato Patre, qui Romæ multis lectulo circumfusis fato concessit. Cadaver jam pollinctum, unguine odoro jam delibutum, jam busto paratum effertur, & sacram ædem infertur. Exequias veniunt plurimi. Adest Romanus Præsul, adsunt sacri, politici omnis ordo, sexus omnis: ardent mortuales cerei, voces inclinatæ lugubre carmen plorant mortuo. Subitò attonitis cunctis, mortuus altiùs ingemiscere, adstantes circumspicere, abrupto velut somno residere, feretro sese erigere, tandem etiam surgere. Affirmavit is postmodum Romano Pontifici, animum ad D. Hieronymi preces in corpus remissum, quò rectiùs contractas sordes elueret redintegrato luctu. Neque verò hîc mihi quis animam in corporis latibulis delitescentem denuo per membra sese diffudisse opponat. Nullus hîc effugio locus. Neque hunc, quem dixi, mortuum Asclepiades aliquis vespillonum manibus extorsit, & medicamentis quibusdam spiritum latentem provocavit. Verè defunctum asserunt non unus scriptor. Et quid adhuc in causâ tam clarâ trepidamus? Anastasis erit omnium mortalium: expergefiemus olim è longo sopore. De tempore nec tango quidem: nemini illud notum, quia nemo Fati tabellas legit. Certum nihilominus, rediviva ossa latibulis suis excienda ad tubæ clangorem. Monstratum hoc nobis in nostro capite. Rediit illud ad amissum vitæ munus, & suismet viribus jam in mortis familiâ numeratum sese morti eripuit. Caput sequentur membra, & decretorio illo die patebunt cum vilibus tumbis mausolea. Prodibit universum hominum genus, sistendum judicj.

Dicta omnia luculentissimè confirmans Paulus, *Si Christus*, inquit, *non resurrexit, inanis est ergo prædicatio nostra, inanis est & fides vestra. Nam si mortui non resurgunt, neque Christus resurrexit. Quòd si Christus non resurrexit, vana est fides vestra, adhuc enim estis in peccatis vestris. Ergo & qui dormierunt in Christo, perierunt. Si in hac vitâ tantùm in Christo sperantes sumus, miserabiliores sumus omnibus hominibus.*

Nunc autem Christus resurrexit à mortuis, primitiæ dormientium, quoniam quidem per hominem mors, & per hominem resurrectio mortuorum. Et sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes vivificabuntur. Alioquin quid facient, qui baptizantur pro mortuis, si omnino mortui non resurgunt? Ut quid & baptizantur pro illis? ut quid & nos periclitamur omni horâ? *Quid mihi prodest, si mortui non resurgunt? Manducemus & bibamus, cras enim moriemur. Ecce mysterium vobis dico: Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur. Itaque fratres mei dilecti, stabiles estote & immobiles; abundantes in opere Domini semper, scientes, quòd labor vester non est inanis in Domino* †.

Vide Matthæum Raderum p. 1. Viridarii Sanctorum, mihi p. 184. Exemplo resurrectio probatur ex Menæis Græcorum petito.

Aliud exemplum ex Cyrillo.

1. Cor. 15. v. 14. & seq.

Ibid. v. 22. & seq. In Adam omnes moriuntur, in Christo omnes vivificabuntur. Rupertus. Ad sanctificationem pertinet, quod baptizantur pro mortuis, quod communicant mortuis, quod libenter ritu fiebat. Seu, quæ verior videtur interpretatio: Cur omnes fideles venerabilem baptismum suscipiunt, ad testandam spem resurrectionis, ut ipsis stolicis bene sit post mortem, si mortui non resurgunt? Nam, uti Tertullianus loquitur, dum Sacramentum Baptismi impenditur corpori, corpus consecratur immortalitati.

† 1. *ad Corinth. cap. 15. vers. 32. & 51. & 58.*

§. V. *Revocationem mortuorum ad vitam à plurimis non credi.*

SEd quid, objiciat quis, contra larvas disputas? hæc nobis à verâ fide certa; neque ullus est, qui te audiat, & non priùs hæc talia quàm audiat, credat. Audio & ego. Et quæso liceat vel in summâ Christi resurgentis gloriâ ingemiscere, & quod sentio, liberè profari. Post mortem in vitam reditum, verbis fatentur omnes, factis negant innumeri. Neque fieri potest, sic vivere, uti passim vivitur, & vitam aliam sperare. Ab iis hoc disco, qui de secundâ vitâ certi, primam illam amittere pro levi habuerunt, corpus quod sciverunt in foveam abjiciendum, buboni viperæque in rixam objiciendum, cespite non suo tegendum viliùs illi texerunt, paverunt parciùs; & cùm opus, omnem sanguinem per stillicidia emiserunt, cum fenore recepturi. Spes hujus tam illis indubia fuit, ut nihil non tolerare sint ausi. Laminas, bestias, tædas, rogos, rotas, cruces perpessi (recentia memoro) lento sarmentorum ambitu tosti, vivi terrâ obruti

De secundâ vitâ certi primam amittere pro levi habuerunt.

obruti, pro metâ & scopo infandi lusûs constituti, acutissimo injecti saxo, tabulâ tecti librarum mille pondo superjecto pondere in frusta comminuti, eò crudeliùs quò lentiùs, pellibus ursorum vestiti, molossis laniandi objecti. Taceo ceteros qui torti, lacerati, dissecti, quorum spirantium adhuc & à suspendio tepentium viscera palpitantia erepta, in ahenum bullienda injecta sunt. Alii intestina lentâ ad baculum circumductione educenda, ut tardior mors iret, præbuerunt: dissecto ventre (horret animus) inspersam avenam receperunt, equis pabulum offusuri, plantis ferreas soleas prægrandibus clavis adfixas gestârunt; linguam sub mento evellendam non recusârunt; tibiarum pellem in modum ligularum avellendam porrexerunt; bulliens oleum per os infusum impavidi hauserunt; nudis ventribus injectos vivos glires ignitis & obversis pelvibus detentos, atque dentibus effugium parare coactos pertulerunt. Et hæc quæ Tiberius aliquis & Totila erubescat, hæc, inquam, ævum hoc nostrum vidit paucis abhinc annis in Galliâ, Angliâ, Belgicâ Christianis in Christianos designata. O nimiùm miseros, si vitam in tantis suppliciis & innocentes amiserunt, illam non ampliùs recuperaturi! Certi fuerunt, aliàs numquam passi tam immania, animos suos tanto furore exturbatos, in corpora non lacerata, sed integra, & quovis sole splendidiora reversuros. Sed heu! quàm à multis in contrarium itur, quibus verminosa caro colitur, comitur, pascitur, mulcetur, saginatur; jacet neglectus & incomptus animus. Atqui hoc non est, uti mihi objectum, de meliori vitâ nil ambigere. Nam & lex illa scitur, neminem fictis voluptatibus saturum, ad veras illas admitti. Hanc legem promulgans Paulus, *Si*, ait, *commortui sumus, & convivemus; si sustinebimus, & conregnabimus. Si tamen compatimur, ut & conglorificemur.* Nimirum Christus in doloribus, nos in deliciis vivemus? illius erunt, sputa, spinæ, flagra; nostrûm erunt mensæ, risus, joci, voluptates, gaudia, honores, tripudia? Et quamdiu consiliis tam fatuis inhærebimus? Humiliavit semetipsum, & exinanivit Christus, nos extollimur, & quidquid humilitatem sapit, ut inimicum detestamur & refugimus. Hoc profectò sustinere, hoc compati, hoc commori non est: quâ igitur ratione conregnabimus? Quàm verendum, ne quàm longè à Christi humilitate, tam longè ab illius gloriâ simus. Hæc illam sequitur mensurâ pari reddenda, ut quantùm quis sese hîc abjecerit, tantùm in meliore vitâ extollatur, nec ultra; & quantùm hîc sese quis extulerit, tantùm abjiciatur in alterâ. Vera gloriæ mensura humilitas. Proinde seriò vide, an hîc abjici malis cum Christo, an extolli cum lucifero. Spes vana est, quæ promissa affectat præmia, & præmittenda detrectat supplicia. Non conglorificabimur, si non compatiamur; non convivemus, si non commoriamur; non conregnabimus, si non sustineamus. Optimè Chrysostomus: *In omni re aut actu virtus agendi, spes est præmii futuri. Qui enim arat, arat ut metat; qui pugnat, pugnat ut vincat. Nam cùm sit ita difficile in hoc mundo servare justitiæ sanitatem, quis contentus esset adversus seipsum quotidie luctamina exercere, nisi ad spem respiceret resurrectionis? Tolle ergo spem resurrectionis, & soluta est tota observantia pietatis. Si igitur,* inquit Damascenus, *resurrectio non est, neque Deus neque providentia est, sed casu feruntur omnia. Videmus justos plurima patientes, improbos florentes, voluptatibus diffluentes. Quis non mutandas aliquando vices dixerit, sed suo ac definito tempore? Erit igitur resurrectio, justus est Deus omnem virtutis actionem remuneraturus, omnem sceleris turpitudinem puniturus. Laboremus Christo, & speremus.* At verò meliorem vitam nemo verè sperat, qui perituram nimiùm amat.

Nemo fatur fictis voluptatibus ad veras admittitur. 2. Tim. c. 2. vers. 12. Ad Rom. cap. 8. v. 17.

Humilitas est vera gloriæ mensura.

Chrysost. tom. 2. in 22. Matth. homil. 42. mihi p. 909.

Damascen. lib. 4. de fide orthodoxâ.

CAPVT X.

Christus revivisens varie suis se spectandum præbet.

A Dolescentis prodigi pater, ut filio natu majori persuaderet festæ domûs ingressum, & communis lætitiæ societatem, *Epulari autem,* inquit, *& gaudere oportebat, quia frater tuus hic mortuus erat & revixit, perierat & inventus est.* Moriente Christo, Apostoli velut optimi pastoris oviculæ videri poterant amissæ, ita in latebras sese penetrârunt; pastor ipse à lupis intercèptus, ad crucis pedum occubuit, nec à vivis visus est ampliùs in diem usque tertium, prout vaticinatus Zacharias, *Percute pastorem,* inquit, *& dispergentur oves.* Percussus pastor & mortuus erat, sed revixit, & dissipatas oviculas collegit; ad mutuos aspectus & colloquia utrimque cum gaudio ingenti reditus est apertus. *Gavisi sunt discipuli viso Domino.* Hîc necessarium prorsus compendio docere, quomodo suis Dominus JESVS sese à reditu in vitam ostenderit, quo loco, quo tempore, quâ horâ sepultum corpus animârit.

Luc. cap. 15. vers. 32. Zach. c. 13. vers. 7. Ioan. c. 20. vers. 20.

§. I. *Quo tempore Christus, & an primus omnium resurrexerit.*

CÒrpus beatissimum quod habitavit Verbum æternum, non solùm non in cineres & tabem ire debuit, sed nec mori debuisset, si hujus hominis dignitatem spectare mors potuisset. Cùm enim anima beatitudine suâ jam frueretur, corpori quoque immortalis debebatur vita. Sed bono nostro subiit mortem, amor nostri in crucem illum extulit. At postquam justitiæ divinæ litatum est, cælestis vita, quam moriendo promeruit, huic corpori concessa. *Humilitas passionis,* Augustino teste, *meritum est resurrectionis.*

Quàm autem certum est hebdomadis sexto, seu Veneris die Servatorem esse mortuum, tam compertum est ante diem Dominicam ad vitam non esse revocatum. Sed finem primæ, & principium tertiæ diei sumamus. Die Veneris sero vespere in tumulum receptus, initio Dominicæ è tumulo progressus. En optimus pastor absentiæ tempus & tristitiæ, quantùm potuit, contraxit solatio suorum.

Quod horam reviviscentis Christi attinet, sunt è priscis Patribus, qui censeant Christum post noctis medium horâ primâ in vitam rediisse. Alii, à quorum parte nos stamus, ad auroræ ortum redeunte jam sole id factum existimant. Hebræus Vates cantando velut provocans, *Exurge,* inquit, *gloria mea.* Respondetur: *Exurgam diluculo.* Itaque à Christi morte ad reditum vitæ fluxerunt horæ quadraginta. His anima fuit in limbo. Triginta sex horis corpus exanime sepulchro claudebatur. Christus enim mortuus est horâ nostrate tertiâ pomeridianâ. Quod divus Prosper hac sententiâ expressit. Vespere Dominus in cruce, manè in Resurrectione, meridie in Ascensione. Quod & sacrum Ecclesiæ metrum confirmat.

Quâ horâ Christus resurrexerit.

Psal. 56. v. 9.

A Christi morte ad reditū vitæ fluxerunt horæ 40.

Aurora cælum purpurat,
Resultat æther laudibus,
Mundus triumphans jubilat,
Infernus horrens infremit:
Rex ille dum fortissimus
De mortis inferno specu
Victor triumphat, & suo
Mortem sepulchro funerat.

Dixerat Christus, *Me oportet operari opera ejus qui misit me, donec dies est.* En dies operantis Christi, triginta quatuor annis; nox autem triginta solùm sex horæ. His elapsis denuo illuxit vetustissimus dies.

Ioan. cap. 9. vers. 4.

Christus omnium primus ad immortalem vitam rediit.

Hîc Theologorum scholæ quærunt, num Christus omnium primus ad vitam redierit, cùm Matthæus asserat, Christo etiámnum in cruce pendente *monumenta esse aperta, & multa corpora Sanctorum qui dormierant, surrexisse*. Sed liquidum est responsum : Christus omnium primus ad immortalem vitam rediit, *dormientium primitiæ*, uti Paulus loquitur. Sed & Matthæus ipse affirmans, *Exeuntes*, inquit, *de monumentis post resurrectionem ejus, venerunt in sanctam civitatem, & apparuerunt multis*. Quod Ambrosius confirmans, *Primogenitus*, inquit, *ex mortuis dicitur, quia primus resurrexit*. Num autem eo tempore omnes illi ad vitam immortalem sint evocati, jam olim gravis fuit quæstio. Priscorum Patrum aliqui censuerunt, illos ad modicum temporis velut Resurrectionis testes è tumulis prodiisse. Sed pace illorum, & cum veniâ sentire liceat diversa, è sepulchris evocatos ad immortalitatem. Ita Cyprianus, Origenes, Epiphanius, Clemens Alexandrinus, aliique complures sentiunt. Nam, Matthæo teste, apparuerunt multis. Hæc inter ceteras glorioſi corporis prærogativa est, gloriam suam aliis quoque pandere. Et certè hoc pœnæ ac supplicii fuisset, revivisc̃ere ad novam mortem. Deinde cùm Christi deliciæ sint esse cum filiis hominum, hanc utique redivivorum societatem in cælo desideravit. Et cur inferi jure potiori gaudeant quàm Beatorum sedes? Ad inferos Dathan, Core, Abiron, ipsa etiam corpora deportârunt, cur in cælo nondum sint tam corpore quàm animo Beati, idque in testimonium Dei misericordiæ singularis & copiosæ redemptionis? Et quid aliud beati manes quàm suorum corporum societatem desiderant? Miraculum fuit, Christi animam jam ante funera beatam mortali corpore detineri. Nec dubium quin illam Beatorum revivisc̃entium cohortem vultus divinus exhilarârit, quàm primùm oculos Christus in mortem clausit. Sed videamus jam, quibus & quo ordine Christus redivivus sese spectandum præbuerit. Nam ipso Paschatis lætissimo die quinquies aut sexies suis spectandi sui copiam fecit.

Matt. c. 27. vers. 52. 1. Cor. c. 15. vers. 20. Matt. c. 27. vers. 53. Ambros. l. 5. epist. 22.

Corpora mortuorũ cum Christo resurgentium ad immortalem vitam evocata sunt.

§. II. *Quibus, quo ordine cernendum se Christus redivivum exhibuerit.*

B. Maria prima resurgentis filii spectaculo est recreata.

I. MAnè summo Virginis Matris oculos amœnissimo resurgentis filii spectaculo recreatos, nemo rationis incorruptæ ambigit. Rem veterum testimoniis variè assertam, & Ecclesiæ consensu stabilitam, pluribus docere supersedemus.

II. Mulieres Solymææ, Christo devotissimæ, Maria Magdalena, Maria Jacobi, & Salome cum ceteris ante lucem ad monumentum venerunt, saxum ab ostio revolutum viderunt, terræ tremores audierunt. Harum mulierum plures tribus fuisse constat, sed earum certus numerus & nomina nesciuntur.

III. Iis, quæ diximus, auditis & visis redierunt omnes feminæ, & Apostolis ea narrârunt. Magdalena Petro & Joanni singulariter audita & visa exposuit. Idcirco hi duo cum mulieribus ad sepulchrum properârunt, quos & currere coëgit Domini amor. Spectârunt omnia, quæ à mulieribus narrari audierunt; sed Magistro ipso non invento redierunt. At verò mulieres ad monumentum perstiterunt, viderúntque Angelum in sepulchri vestibulo sedentem, qui Dominum surrexisse asseruit, & hortatus est portò ipsum subirent monumentum, ac sepulti locum cernerent. Ingressæ duos Angelos invenerunt, ut in ore trium testium staret Resurrectionis verbum. Hoc insolito viso territæ mulieres abeunt à monumento.

IV. Magdalena sola ceteris digressis perstitit plorans, & iterum iterúmque se inclinans in sepulchrum quærebat quem diligebat. Hæc amoris indoles est, illic etiam scrutari, ubi præsciat nil posse reperiri : *Plus affectat amor quàm confici queat*. Hoc tamen effectum est. A Duos Angelos denuo vidit, qui eam allocuti, *Mulier*, ajunt, *quid ploras?* At illa secum ipsa utique cogitabat: Non Angelos sed Angelorum Dominum quæro: non Regis famulos, sed Regem ipsum videre desidero. O perseverantia recti propositi tenacissima, ad laborandum & tolerandum promptissima!

Imit. Christi lib. 3. cap. 5. num. 4.

V. Dum igitur Magdalena plorans perstat, Christus à tergo adstat: hunc ubi Angeli reverente gestu præsentem significârunt, conversa illa hortulanum vidit, à quo unicâ eâ voce, *Maria*, compellata, mox Dominum agnoscens & exclamans, *Rabboni*, ait. Nec distulit quin illico rueret ad oscula pedibus figenda. Sed istud genus obsequii nondum tempestivi prohibens Christus, *Vade*, inquit, *ad fratres meos, & dic eis : Ascendo ad Patrem meum, & Patrem vestrum, Deum meum, & Deum vestrum*. Ita Christus post Matrem, non solùm ante alias feminas, sed & ante discipulos omnes soli se spectandum præbuit Magdalenæ. Nimirum prima merebatur gaudia, quæ plus ceteris amabat. Atque hæc altera revivisc̃entis Christo visio est. B

Joan. c. 20. vers. 11. Ibid. v. 17. 2. B. Virgo Magdalena ante omnes discipulos & alias mirabiliter spectatum præbuit Christum.

VI. Magdalena igitur viso Domino lætitiis jam omnibus perfusa ocyùs monumento egressa, & ceteras feminas etiámnum assecutâ, quid viderit, narravit. Ita simul inter admirationem & gaudia pergebant. In obviâ Christus occurrens, *Avete*, inquit, *illi autem accesserunt & tenuerunt pedes ejus, & adoraverunt eum*. His JESVS: *Nolite timere, ite, nuntiate fratribus meis, ut eant in Galilæam, ibi me videbunt*. Hæc ipso die Paschatis tertia est Christi Resurgentis visio. Omniáque ista ex Evangeliis certa.

Matt. c. 28. vers. 9. 10. 3. Se iterum ostendit.

VII. Mulieres Christi tabellariæ ad discipulos eâdem domo collectos perveniunt, & narrant omnia. Nemo credit narrantibus. Duo veluti rebus desperatis iter parant in Emmaus. Petrus desiderio videndi Domini ardens ad sepulchrum redit, & priùs visa inspicit, eamdémque viam meditabundus relegit : in viâ Christus cernendum sese objicit. Paulus & Lucas testes: *Christus resurrexit die tertiâ, & apparuit Cephæ, & post hoc undecim. Surrexit Dominus verè, & apparuit Simoni*. Et quidem citiùs quàm aliis discipulis. Nam Petri mœror & pœnitentia vehementior, amórque in Christum erat ardentior. Hinc & Angelus peculiarem Petri mentionem injiciens, *Ite*, inquit, *dicite discipulis ejus, & Petro*. Et hæc in ipso die nostri Paschatis quarta visio. C

4. Petrus via se mentionem obtinuit. 1. Cor. c. 15. vers. 4. 5. Luc. c. 24. vers. 34. Marci c. 16. vers. 7.

VIII. Eodem hoc die Christus geminis discipulis Emmaunta peregrinantibus viæ comitem se junxit, eorúmque pectora productiore colloquio calefaciens, *Nónne*, inquit, *hæc oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam? Et incipiens à Moyse & omnibus Prophetis, interpretabatur illis in omnibus scripturis quæ de ipso erant*. Demum jam vicinus Emmaunti, violentiâ familiari ab ipsis tractus, idem cum ipsis hospitium subiit. Hîc pane fracto, sui corporis edulio * cognoscendum se præbuit. Atque hæc quinta fuit die Resurgentis visio.

*5. Duos discipulos Emmaunta peregrinantes junxit. Luc. cap. 24. vers. 15. & 27. * Ita inter epulas Christus discipulis se cognoscendum præbuit.*

IX. † Duo hi discipuli Magistro jam cognito, ab Emmaunte rectà redeunt Hierosolyma sub serum vesperem. Hîc discipulorum ceteros de Petri visione colloquentes inveniunt, visa & audita omnia de redivivo Domino confirmant; narrant insuper itineris sui rationem, comitis in viâ divinam facundiam, ejusdémque in diversorio luculentam notitiam concessam. Dum hæc percensent, en ipse Christus discipulorum medio consistit, & vitam à se receptam documentis pluribus ostendit. Hæc sexta fuit Christi Resurgentis primo die visio. D

Ejusmodi Hieronymus, Eusebius, Theophylactus, alii. † 6. In congressione discipulis Christus in medio constitit.

Hoc prorsus ordine sibi ea, quæ diximus, successerunt. Gavisi sunt ergo discipuli viso Domino, quamvis Thomas his gaudiorum primitiis non interfuerit. Adfuit quidem cùm illi ab oppido Emmaunte reducem testatissimam narrarent, ejus tamen narrationis epilogum non expectavit, audiendi tædio, aut tam arduæ rei credendæ difficultate victus. Ita Dominum eo

dis

die non vidit, quia finem prolixioris historiæ operiri non sustinuit. O perseverantia ad patiendum fortis, ad obtinendum stabilis!

§. III. *Quàm lætum Pascha Servator nobis omnibus seipsum dederit.*

EN pastorem interfectum, & oviculas dissipatas; en Magistrum crucifixum, & discipulos in latebras coactos, iterum tamen in amplexus mutuos convenire. Perierat Pastor, & inventus est, mortuus erat & revixit.

1. ad Corint. cap. 5. v. 8. *Itaque epulemur*, inquit Paulus, *non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ & nequitiæ, sed in azymis sinceritatis & veritatis.* Lex priscæ de pane fermentato non edendo gravissimè præcipiens, *Quicumque*, ait, *comederit fermentum, peribit anima illa de Israël, à primo die usque ad diem septimum. Omne fermentatum non comedetis, in cunctis habitaculis vestris edetis azyma.* Sat diu fermenti acorem nostra impatientia, fastus, pigritia & invidia nostro incoxit pani. Nunc azymos patientiæ, submissionis, piæ sollertiæ, spiritalis lætitiæ, casti amoris comedamus. *Pascha nostrum immolatus est Christus.* Hunc nobis agnum cælestis Pater dedit in epulum beatissimum. Epulemur, sed in azymis, absit omnis amaritudo & acor nequitiæ.

Exod. c. 12. v. 15. & 20.

1. Cor. cap. 5. vers. 7.

Hebræus rex Josias, quod Regum fasti produnt, tale pascha celebravit, cui simile numquam fuisse historicus sacer memorans, *Præcepit omni populo*, inquit, *facite Phasè Domino Deo vestro. Nec enim factum est Phasè tale à diebus Iudicum, & omnium dierum Regum Israël & regum Iuda, sicut in octavo decimo anno regis Iosiæ factum est Phasè istud Domino in Hierusalem. Sed & pythones & ariolos, & figuras idolorum, & immunditias, & abominationes, quæ fuerant in terrâ Iudæ & Hierusalem, abstulit Iosias, ut statueret verba legis.* Nimirum hoc est paschales dies agere, vitiorum sordes, & quidquid in animo abominandi est tollere, & Christi Patientis monita ac exemplas, memori menti altùm infigere.

4. Reg. c. 23. vers. 21. & seq.

Paschales dies agêdi sunt, vitiorum sordes, & quidquid in animo abominandi est tollendo.

2. Paral. c. 35. v. 13.

Rex Israëlis Joas, cùm Amasiam regem Juda prælio vicisset, captivum duxit *in Hierusalem destruxitq; murum ejus à portâ Ephraim usque ad portam anguli quadringentis cubitis.* Hierusalem cælestis, ô Christiani, patet, dejecti sunt muri, qui cælum obvallaverant. Ingrediamur illam urbem ad celebrandum pascha sempiternum. Ingressum aperit victoria; vincenti dabitur manna. Vince teipsum, & expugnâsti cælum.

2. Paral. c. 30. v. 21. 23. & 24.

Ævo Ezechiæ regis laudatissimi (quod Regum Chronicon testatur) *fecerunt filii Israël, qui inventi sunt in Hierusalem, solennitatem azymorum septem diebus in lætitiâ magnâ, laudantes Dominum per singulos dies. Placuitq; universæ multitudini, ut celebrarent etiam alios dies septem, quod & fecerunt cum ingenti gaudio. Ezechias autem rex Iuda præbuerat multitudini mille tauros, & septem millia ovium: Principes verò dederant populo tauros mille, & oves decem millia.* En, duo millia boum, & septemdecim millia ovium consummanda dantur in paschale epulum. Sed parum hoc, si grandiora perpendamus.

2. Paral. cap. 35. v. 7. & seq.

Rex *Iosias dedit omni populo, qui ibi inventus fuerat in solemnitate Phasè, agnos & hædos de gregibus, & reliqui pecoris triginta millia, boum quoque tria millia. Hæc de regis universâ substantiâ.* De suo principes & sacerdotes addiderunt octingentos boves, & reliqui pecoris septem millia sexcenta. Quæ omnia Regum Chronicon fideli calculo signavit. Ita universè boum quatuor millia, ovium trigintà octo millia paschali gaudio sunt jugulata. *Fecerúntque filii Israël, qui reperti fuerant ibi, Phasè in tempore illo, & sollemnitatem azymorum septem diebus. Non fuit Phasè simile huic in Israël à diebus Salomonis Prophetæ, sed nec quisquam de cunctis regibus Israël fecit Phasè, sicut Iosias, Sacerdotibus & Levitis, & omni Iudæ & Israël, qui repertus fuerat, & habitantibus in Hierusalem.*

Ibid. v. 17. & seq.

Nos verò longè ampliorem lætandi caussam in nostro paschate habemus. Divinus Pater unicam nobis oviculam dedit, quæ ad occisionem ducta obmutuit, & *non aperuit os suum.* Hæc in furcam crucis appensa nos ab interitu suâ morte servavit. Cum hoc agnello unico non centum millia taurorum, non ovium decies centena millia vel minimum comparanda. *Victimæ paschali laudes immolent Christiani, Agnus redemit oves, Christus innocens Patri reconciliavit peccatores.* Verùm hîc illud accuratissimè observandum, quod Regum Chronicon apponit: *Cúmque hæc fuissent ritè celebrata, egressus est omnis Israël, qui inventus fuerat in urbibus Iuda, & fregerunt simulacra, succiderúntque lucos, demoliti sunt excelsa, & altaria destruxerunt, donec penitus everterent.* Nimirum hoc Christiani paschatis primarium est: succidendi sunt luxuriæ luci, excelsa superbiæ demolienda, altaria gulæ destruenda. Hæc forsan hactenus escarum deliciis, dapibus opimis, potu prælargo nimiùm oneravimus; destruatur. Nec illud negare possumus, suum ferè cuivis homini clandestinum esse simulacrum, uti suos quisque manes patimur, & sua quemque trahit voluptas, nam vitiis nemo sine nascitur. Hic irâ urgetur, ille invidiâ, avaritiâ ipse, hic socordiâ & pigritiâ. Hæc nostra sunt simulacra, quæ furtivis sacrificiis propitiamus. Frangantur, & evertantur penitus. Decernat ille statuátque sanctè non irasci ampliùs, hic invidiam detestetur, iste omnem odisse avaritiam incipiat; hic ignaviæ validè resistat. Sterili cultu celebramus Pascha, nisi vitiorum evertamus simulacra.

2. Paral. cap. 31. v. 1.

Primariũ Christiani Paschatis est succisio luxuriæ, superbiæ demolitio, & gulæ destructio.

Horatius serm. lib. 1. sat. 3.

§. IV. *Laudata vita, resurrectio assiduè cogitata.*

NVnc igitur monente Petro vivamus justitiæ. Nam ille mortuus est & revixit, *qui peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum, ut peccatis mortui justitiæ vivamus.* Debitam peccatis pœnam expers peccati pertulit, ut qui peccatis mortui eramus, soli jam viveremus justitiæ. O verè vitam quæ vincit peccatum omnis mali seminarium! Illud hîc solatii plenum: *Cujus livore sanati sumus.* Nova omnino res, per Christi Vulnera curari nostra, nec nos aliter curandos, nisi ipse vulneraretur; per illius livores medelam fieri nostris languoribus, illius morte nobis donari vitam; nec aliter nos vitâ donandos, nisi ipse moreretur; fuso illius Sanguine, non ampliùs peti nostrum; nec aliâ nos lege servandos, nisi ipse periret in cruce, nec umquam nos vinculis exolvendos, nisi ligaretur ipse, ut ipsius vincula libertas esset nostra, ipsius flagra, sanitas nostra, ipsius vulnera, integritas nostra, mors denique ipsius, nostra vita. Quâ de re Paulus Colossenses erudiens, *Et vos*, inquit, *cùm essetis mortui in delictis, &c. convivificavit cum illo, donans vobis omnia delicta, delens quod adversùs nos erat chirographum decreti, quod erat contrarium nobis. Et ipsum tulit de medio, affigens illud cruci, & expolians principatus & potestates, traduxit confidenter palàm, triumphans illos in semetipso.* Mortui omnino eramus delictis, imò per delictum mortui. Interemerat enim nos delictum morte omnium pessimâ. Sciebat hoc qui dixerat: *Mors peccatorum pessima.* Sed hoc peccati chirographum, hoc mortis decretum, jam Christi sanguine delerum; primigeniæ libertati à Christo sumus restituti. Fortior armatus fortem armis exuit & prædâ, *captivam duxit captivitatem*, triumphum egit de omnium retrò sæculorum hostibus. *Surrexit Dominus verè, & apparuit Simoni.*

1. Petr. c. 2. vers. 24.

Ibid.

Per Christi vulnera curantur nostra, & illius mortem nobis donatur vita.

Ad Coloss. cap. 2. v. 13. & seqq.

Psal. 33. v. 22.

Luc. cap. 24. vers. 34.

De Resurrectione assiduè commeditandâ divinè Petrus Chrysologus, *Tota spes*, inquit, *fidei Christianæ in Resurrectione constituta est mortuorum. Repetere hæc eadem, inculcare hæc ipsa vehementiùs, Resurrectionis ipsius ardore gestimus. Fratres, semper de Resurrectione libet dicere, jugiter de Resurrectione delectat audire, quia mori numquam libet, vivere semper delectat. Resonet ergo in ore nostro Resurrectio semper, semper Resurrectio ad nostræ mentis transmittatur auditum, ut mors, quæ nostros semper obsidet sensus, cum terrore suo, cum lamentis suis à nostris sensibus effugetur. Quia sic agri-*

cola fructus uberes & exsatiatas epulas cantat, ut imminentem vomeris laborem non sentiat & sudorem. Sic nauta portus modulatur & lucra, ne undarum ruinas, ne maris discrimina pertimescat. Sic miles, ne vulnera metuat, ut gladios non pertimescat, prædas personat & triumphos. Vnde Resurrectionem mente, ore, oculis aspectet, cantet, cogitet Christianus, ut totam mortis possit despicere & calcare formidinem. Mors est, Fratres, desperationis domina, incredulitatis mater, germana corruptionis, inferni parens, diaboli conjunx, omnium malorum regina, quæ omne genus hominum tali ordine inexplebili impugnat, ut primum susurratricem suam desperationem præmittat talia suadentem: Homo, cur tua perdis tempora? Ecce domina mors tua venit animam tuam in nihilum redigens, carnem tuam putredine, ossa tua vetustate consumens, ut te qui non fuisti antequam nascereris, faciat non esse post mortem. Redde ergo debita ante mortem, moriturus citò, tibi, ætatibus tuis: da lusibus infantiam, da deliciis adolescentiam, da voluptatibus juventutem da senectutem mihi, ne sine causâ de spe cogites desperatus. Post istam mittit incredulitatem suam filiam, sic minantem: Quasi non moriturus, quasi evasurus mortem, sic de vitâ disponis. Homo, te decipit fides, tu fidei credis, quæ, ut tollit præsentia, futura promittit, & ut auferat, quæ sunt ante mortem, nescio quæ invisibilia pollicetur esse post mortem. Quis inde venit, aut quis sapiens credit tot sæculis promissa non reddita? O si manduces & bibas! manduca & bibe, cras enim morieris. Tertiam germanam nequitiæ suæ corruptionem tali dirigit cum furore, ut aspectus hominum invadat, attrahat, occupet, per sepulchra extremos ostendens carceres, suos jacere ibi demonstrat immobiliter vinculatos: & ut homines sensúsque hominum horrore toto, toto pavore conturbet, effundit putredinem, eructat saniem, spargit fœtores, atque ad unum corpus hominis innumeros carnifices ab se vermes dedisse proclamat. Quare non desperationi, quare non incredulitati crederent Christiani? Hæc sunt mortis cella, his ducibus, his consiliis, tali conflictu captivat, vastat, interficit omnes, quos natura præsentem perducit ad vitam; ducit reges, trahit populos, gentes impellit; non divitiis redimi, non flecti precibus, non lacrymis molliri, non viribus umquam potuit ista superari.

Mors est desperationis domina.

Ejus suasiones.

Sed nemo his larvis terreatur: *Surrexit Dominus verè.* Et nos omnes resurgemus. Nam *in Christo omnes vivificabuntur, unusquisque in suo ordine, primitiæ Christus.* In eam rem Chrysologus à se dicta stabiliens, *Non solùm,* inquit, *sine causâ credidit, sed & sine causâ vixit, qui se ad hoc solum natum credidit, ut periret. Homo, quid tibi oritur, quod non occidat? quid tibi quod occiderit, non resurgit? Dies manè oritur, & iterum resurgit in mane: serò sepelitur in nocte, & iterum resurgit in mane. Sol quotidie nascitur, quotidie moritur: resurgit ipse quotidie: tempora dum transeunt, pereunt: dum redeunt, reviviscunt. Vnde homo si Deo non credis, si non acquiescis legi, si non consentis auditui, vel oculis tuis crede, vel elementis Resurrectionem tuam tibi jugiter prædicantibus acquiesce. Certè si ista longè sunt inferiora, quæ in tuis manibus sunt, & de morte tuo opere suscitantur, te posse Dei opere doceant suscitari. Vade ad semen, Apostolo te docente: tolle triticum aridum sine sensu, sine motu, duc sulcum, fodi terram, fac sepulchrum, sepeli triticum, inspice quemadmodum morte deperit, humore turgescit, putredine corrumpitur: & cùm pervenerit ad totum quidquid desperatio, quidquid incredulitas, quidquid corruptela tibi superiùs ingerebat, tunc subitò reviviscit in germine, in herbâ pubescit, juvenescit in caule, maturescit in fruge, & ad illam totam ipsam, quam tu periisse deflebas, speciem resurgit & formam: ut te homo triticum non tam doceat manducare, quàm sapere, non tam cogat laborare, quàm credere. O homo accipe fidem, quia gratis datur: crede Resurrectionem, quia qui promittit illam, pretium non requirit.*

1. Cor. c. 15. v. 22. & 23.

Petrus Chrysologus serm. 118. mihi p. 307. & seq.

§. V. *Resurrectionis fides stabilitur, Resurgentis Christi victoria summatim attingitur.*

1. Cor. c. 15. vers. 36. & seqq.

IGitur resurgemus omnes, sed non omnes immutabimur. De resurgendi modo jam olim respondens Paulus, *Insipiens,* inquit, *tu quod seminas, non vivificatur, nisi*

A *priùs moriatur. Et quod seminas, non corpus, quod futurum est, seminas, sed nudum granum, Deus autem dat illi corpus sicut vult.* Ad ingerendam altiùs Resurrectionis fidem, variè Deus in rerum naturis hoc mysterium depinxit. Et, Ecce, arbores post spolia vestiuntur, cœcæ inoculantur, emortuæ in vitam redeunt, in frondes & fructus denuo erumpunt; ita suus redit color floribus, succus & liquor vitibus, anima vitáque plantis omnibus. Nec priùs tamen exhibentur ista quàm absumpta fuerint: incipiunt cùm desierint, redeunt cùm abscesserint, & quod amisimus, iterum est, quasi hæc finiantur ut fiant. Ita totus hic revolubilis rerum ordo, manifesta est Resurrectionis testatio. Haud aliter dies in noctem moritur, & tenebris sepelitur; amissa lux lugetur, ea tamen rursus cum suo cultu reviviscit orbi, noctem mortem suam interficiens, tenebras sepulchrum suum reserans. Ita revolvuntur hiemes & æstates, ver & autumnus cum suis quisque moribus revertuntur. Et quis de Resurrectione

B hæreat? Nónne manus Mosis emoritur exanguis, & refuso vitam recipit colore? Nónne ad contactum ossium Elisæi revisit inhumatum pridem cadaver? Nónne ad ejusdem Elisæi imperium Sunamitidis filius in vitam revocatus? Nónne ad dimensionem Eliæ, filius Sareptanæ viduæ jam defunctus iterum cœpit vivere? Nónne ad vocem Petri mortua resedit Tabitha? Nónne ad complexum Pauli Eutychus adolescens in vitam redit? Nónne resurrexit caro & sanguis in Christo? An verò plus in suam quàm in alienam potuit? Quid in alienam potuerit, vide filiam Jairi, vide viduæ filium, vide Magdalenæ & Marthæ fratrem Lazarum. Audi ipsos Apostolos, Evangelistas, Angelos. Matthæus post narratam ne. Domini sepulturam, *Vespere autem sabbathi,* ait, *quæ lucescit in primâ sabbathi.* De his Petrus Chrysologus eleganter differens, *Quid hoc,* ait, *verbi est? Hoc nescit dies sæculi, hoc non habet mundi usus. Vesper finit, non inchoat diem; tenebrescit vesper, non lucescit, non in auroram vertitur, quia*

C *lucis ortum ignorat. Vespera, noctis mater jam parturit diem, & mutat ordinem, dum agnoscit auctorem; radiat de novitate mysterium, anhelat conditori servire, non tempori. Resurgente Christo fidelibus lucescit vesper, dies infidelibus tenebrescit: discipulis nox mutatur in diem, Iudæis dies vertitur in noctem.* Et ecce terræ motus factus est magnus. Angelus enim Domini descendit de cælo, & accedens revolvit lapidem, & sedebat super eum. *Tremuit terra, non quia Angelus descendit de cælo, sed quia ab inferis dominator ascendit.* Ecce terræ motus factus est magnus. *Movetur chaos, disiliunt ima terrarum, timet terra, montium tremunt pondera, orbis fundamenta quatiuntur, corripitur tartarus, sistuntur infera: adducitur mors, quæ in reos tendens incurrit in judicem; dominata servis, exarsit in Dominum; sæviens in homines, prosilivit in Deum. Meritò ergo perit lex tartari, remota sunt inferni jura, potestas mortis ablata est, & in pœnam temeritatis suscavit mortuos cognitoris injuria: denique redduntur corpora, redintegratur homo, vita reparatur: & constat de venia*

D *jam totum, quia in auctorem vitæ mox est transgressa sententia. Mutatur hic ordo rerum: mortem, non mortuum devorat hic sepulchrum, domus mortis mansio fit vitalis, uteri nova forma mortuum concipit, parit vivum.* Angelus enim Domini descendit de cælo, & accedens revolvit lapidem, & sedebat super eum. *Et Angelo quæ causa sedendi erat, cui nulla inerat lassitudo? sed sedebat ut fidei Doctor, ut Resurrectionis Magister: sedebat super petram, ut soliditas sedis daret credentibus firmitatem. Ponebat Angelus super petram fundamenta fidei, super quam Christus erat Ecclesiam fundaturus, qui dixit:* Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Erat, *inquit,* aspectus ejus sicut fulgur, & vestimenta ejus sicut nix. *Ad Angeli gloriam non sufficit fulgor, ad cælestem naturam quid facit vestimentum? sed splendore tali referebat speciem nostræ Resurrectionis & formam: quia resurgentes per Christum, Christi mutantur in gloriam.* Præ timore autem ejus exterriti sunt custodes, & facti

sunt

sunt velut mortui. *Miseri, quos tunc perculit pavor mortui, quando securitas redditur vitæ: sed crudelitatis ministri, perfidiæ executores alienæ, fiduciam sumere quomodo poterant de supernis? obsidebant sepulchrum, Resurrectioni januas obstruebant, & ne quà posset intrare vita, mors perire, servabant: meritò eos Angeli perculit & prostravit adventus. Misera & sibi semper inimica mortalitas dolet se mori; ne resurgere possit, oppugnat: sepulchrum aperire convenerat, & ad resurgendum quidquid erat facilitatis afferre, ut esset miraculum de facto, de exemplo spes, de reverso res, credulitas de videndo. Grandis dementia est, hoc hominem nolle credere, quod sibi desiderat evenire.*

Cur custodes sint custodes in adventu Angeli. *Ibid. v. 5.*

Præ timore autem ejus exterriti sunt custodes. Quare territi? Quia custodiebant crudelitatis studio, non pietatis obsequio. Ruit, destruitur, stare non potest, quem conscientia destituit, impellit reatus. Hinc est, quod Angelus percellit impios, pios alloquitur & solatur: Nolite timere vos. *Hoc est, illi timeant: quærentes non timeant, timeant persequentes. Timeat Iudæus qui tradidit, Pilatus qui cruci addixit, miles qui crucifixit: timeat impietas quæ illusit, crudelitas quæ acetum & fel propinavit; timeat sævitia, quæ sepultum obsedit, perfidia quæ mendacium emit, & fidem vendidit, inhumanitas quæ suum Dominum occidit. Vos autem gaudere convenit, non timere: quia resurrexit, quem quærebatis mortuum, vivit quem lugebatis occisum.* Nolite timere vos, scio enim quòd Jesvm qui crucifixus est, quæritis: non est hîc. *Hoc est, ego veni ut instruerem vos, non ut illum eximerem, qui & rerum factor est, & sui est suscitator.* Non est hîc. Surrexit enim sicut dixit. *Vides quia venit Angelus; ut factis assereret servus, quæ Dominus prædixerat verbis, & doceret morandi & vivendi penes illum potestatem fuisse, qui ante suam mortem prædixerat resurrectionem: nam utique qui scire potuit, potuit & cavere: sed quia vincere potuit, declinare contempsit, quia Resurgentis gloria sepelivit morientis injuriam.*

Ibid.

Ibid. v. 6.

Igitur cæli plaudite, aër insona, triumphum clamate littora, terra resulta; & tu Echo mille ora indue; gratulentur, jubilent, applaudant universa. Vicisti, Domine Jesv, vicisti. *Victricem manum tuam laudamus pariter.* Videmus etiámnum in bono duce victoriæ vestigia, plagas adversas, trophæum nobile, purpuratam crucis arborem prædicamus. Non est gloriosa victoria, ni ubi fuerint laboriosa certamina. Tutissima est pro Christo & cum Christo pugna, in quâ nec vulneratus, nec prostratus, nec conculcatus fraudaberis victoriâ. Tu tantùm ducem tuum non desere; cum illo pati, est vincere.

Sap. cap. 10. vers. 20.

Ibid. v. 1.

Tertull. de fuga in persecut. Cyprian. de exhort. martyr. Ambros. de virginib. Hieron. ad Eustoch. de custod. virginit. Aug. de sanct. virginit. cap. 27. & serm. 291. de tempore. Chrysolog. serm. 130. & seqq.

CAPVT XI.

De Christi Reviviscentis triplici victoriâ.

ANte annos circiter octoginta Francofurti ad Mœnum duo Principes foràs prodeambulabant animi causâ. Et ut lætior iret hic dies, geminos falcones emiserunt in auras prædatum. Incurrit in aleatos venatores istos avis plebeia. Mox uterque prædo eo impetu in oblatam sibi volucrem ruebant, ut seipsos rostris confixerint, fœdéque lacerârint; ita delapsi & volare simul & vivere desierunt. Pica, ea erat avis, hostium quidem ungues evasit, sed territa decidit, & antequam subvolaret, à canibus discerpta est.

Sanguinariâ sententiâ in Christum pronuntiatâ robusti duo falcones, Mors & diabolus, subvolârunt ad diripiendam prædam. Jam ante inter olivas Christus dixerat: *Hæc est hora vestra, & potestas tenebrarum.* Sed uterque hostis turpissimè victus est. Oseas hoc prædixit: *Ero mors tua, ô mors; morsus tuus ero inferne.* Avis discolor pica, fallax mundus & mendax synagoga, quamvis etiámnum spirent, destinatum tamen sibi supplicium non evadent. O bone Jesv, *ecce confundentur & erubescent omnes, qui pugnant adversum te. Absorpta est mors in victoriâ.*

Luc. cap. 22. vers. 53. Oseæ c. 13. vers. 14. Isaiæ c. 41. vers. 11. 1. ad Corint. c. 15. v. 54.

Vicit Christus elephantum, leonem vicit & crocodilum. Hoc ajo: Mundum crucifixus, & diabolum & mortem debellavit. De illustrissimâ triplici hac victoriâ nunc disserendum.

Christi triplex victoria.

§. I. *Christus Reviviscens vicit elephantum.*

ELephantò mundum confertimus sagaci belluæ, & quæ Plinio atque Æliano testibus, religione singulari crescentem lunam veneratur. Jam intelligis, credo, Lector, cur huic bestiæ mundum comparem Elephantorum varius est usus in bellis. L. Metellus primo bello Punico elephantes centum quadraginta duos cepit. Hi Romæ omnes in circo jaculis & hastis occisi, inopiâ consilii, quoniam neque ali placebat, neque Regibus donari. In præliis, ut veteri jactatur verbo, primi omnium vincuntur oculi. Ingenti mundus apparatu aciem struxit adversùs Christum tamquam primis insultibus debellandum, atque ut ipsi omnium primi viscerentur oculi, armatas copias velut ad latronem capiendum emisit in olivetum. Nam irruentibus in se turbis Servator, *Tamquam ad latronem*, inquit, *existis cum gladiis & fustibus comprehendere me.* In Christi necem omne genus hominum conjuravit; sacri, profani, summi, imi, Hebræi & Romani, Sacerdotes & Reges, amici & hostes. Agmen duxerunt Pharisæi, Scribæ, Legisperiti, Senatus omnis Hebræus, Pontifices, Annas, Caiphas, Herodes, Pilatus. Censuit mundus Christum Dominum adversâ multitudine opprimendum. Deceptus est mundus, & suâmet fraude victus.

1. De mundo. *Plin. lib. 8. nat. hist. c. 1. Ælian. l. 4. de Animalibus c. 10.*

Matt. c. 26. vers. 55.

Eduxerat rex Antiochus contra Machabæos Principes numerosissimum exercitum, centum millia peditum, & viginti millia equitum, elephantorum triginta duos ad incunda prælia eruditos. Et commovebantur omnes inhabitantes terram à voce multitudinis eorum, & incessu turbæ & collisione armorum: erat enim exercitus magnus valdè & fortis. Huic Judas Machabæus cum suis itidem copiis in occursum venit. In ipso congressu & ardore prælii, *vidit Eleazar unam de bestiis loricatam loricis regis, & erat eminens super ceteras bestias: & visum est ei, quòd in eâ esset rex: & dedit se, ut liberaret populum suum, & acquireret sibi nomen æternum. Et cucurrit ad eam audacter in medio legionis interficiens à dextris & à sinistris, & cadebant ab eo huc atque illuc. Et ivit sub pedes elephantis, & supposuit se ei, & occidit eum, & cecidit in terram super ipsum, & mortuus est illic.*

Elephantem. 1. Machab. c. 6. v. 43. & seqq.

Hunc elephantum regium fortissimus Eleazar noster Christus prostravit. Vehebantur hac belluâ ducum maximi peltis aureis armati, Annas, Caiphas, Pontifices, rex Herodes, Pontius Præses; singuli speciosâ ratione Christum addixerunt morti: illi ut blasphemum, iste ut stultum, hic velut hominem plurimorum sententiis damnatum. Hac armaturâ mundus velut turritus elephantus in Christum bat. Ex hujus belluæ turri quatuor viri illi, judices iniquissimi in innocentem pugnabant. Sed cæsus est elephantus, judices dejecti. *Resurrexit Christus, sicut dixit.* Et videre nostrum Eleazarum, quo ausu & animo dimicantem in se belluam jugulârit.

Audacia Christi in suo contra mundum congressu.

1. *Vidit unam de bestiis loricatam, & erat eminens super ceteras bestias.* Testatus id Psaltes, *Quare*, inquit, *fremuerunt gentes, & populi meditati sunt inania? Astiterunt reges terræ, & principes convenerunt in unum adversùs Dominum, & adversùs Christum ejus.* 2. *Et dedit se, ut liberaret populum.* Cruciatus & mortem Christus subiit fine duplici, cùm ad omnem humanam gentem ab interitu servandam, tum ad gloriam æternam suo nomini parandam. *Propter quod & Deus exaltavit illum, & donavit illi nomen, quod est super omne nomen.* 3. *Et cucurrit ad eam audacter in medio legionis.* Quàm intrepidè Christus in oliveto, irruenti armatæ legioni dixit, *Ego sum!* Quod & ingeminans,

Psal. 2. v. 1. & 2.

Christus duplici fine cruciat & mortem subiit.

Philip. c. 2. vers. 9.

Ioan. cap. 8. v. 6. & 8.

Ioan. cap. 8. v. 6. & 8. nans, *Dixi vobis*, inquit, *quia ego sum: si ergo me quæritis, sinite hos abire.* 4. *Et ivit sub pedes elephantis, & supposuit se ei.* Ut nos extolleremur, non recusavit Dei filius conculcari. Hinc illæ voces; *Miserere mei Deus, quoniam conculcavit me homo, totâ die impugnans tribulavit me. Conculcaverunt me inimici mei totâ die, quoniam multi bellantes adversùm me.* 5. *Et occidit eum.* Exarmatus, cæsus, prostratus est mundus; universæ mundi machinationes dejectæ. Et ubi nunc saxum ostio sepulti advolutum? ubi appressum monumento sigillum? ubi tot armati milites unius mortui custodes: Surrexit mortuus; illi ceciderunt, & *facti sunt velut mortui.* Vicit Eleazar, vicit Dominus, vicit Christus. Jure meritissimo proclamat victor: *Confidite, ego vici mundum. Si mundus vos odit, scitote, quia me priorem vobis odio habuit. Non est servus major Domino suo.* In mundo pressuram habebitis: sed confidite, ego vici mundum. Nemo sævientem mundum formidet: periculosior mundus & magis cavendus, cùm blanditur, quàm cùm sævit? Optimè dixit Augustinus: *Ecce ruinosus est mundus, & ambitur; quid si dulcis esset? Ecce turbat mundus, & amatur; quid si tranquillus esset? Formoso quomodo hæreres, qui sic amplecteris fœdum? Flores illius quomodo colligeres, qui à spinis non revocas manum?* Hic fallax mundus perversitatem habet veram, jucunditatem falsam, certum dolorem, incertam voluptatem, duram servitutem, timidam quietem, rem plenam miseriæ, spem beatitudinis inanem. Hæc Augustini verbis consigno: *Non nos teneat voluntas propria, non nos terreat crudelitas aliena, & victus est mundus. Quoniam omne quod natum est ex Deo, vincit mundum: & hæc est victoria, quæ vincit mundum, fides vestra.* Confidamus; Christus vicit mundum.

Matt. c. 28. vers. 4.
Ioan. c. 16. vers. 33.
Ioan. c. 15. vers. 18.
Ioan. c. 13. vers. 16.
Aug. tom. 8. in Psal.
Idem to. 10. serm. 1. de S. Vincentio.
Ioan. cap. 5. vers. 4.

§. II. *Christus Revivíscens vicit Leonem.*

2. Diabolo. 1. Petr. c. 5. vers. 8. Petrus Iarricus de rebus Indicis cap. 1. mihi pag. 240. & Horatius Tursellinus lib. 3. vitæ Xaverii, cap. 11. mihi pag. 309.

Illum ipsum certè leonem vicit, qui *rugiens circuit quærens quem devoret.* Jam licet proclamare: Vicit bonus ille Jesvs, vicit, vicit leonem ab orco. Petrus Jarricus & Horatius Tursellinus memorant eo ipso die, quo Lusitana classis prælio navali cum Acenis barbaris conflixit (erat is Dominicus dies) Franciscum Xaverium Malacæ in æde primariâ circa nonam decimámq; horam ad cives verba fecisse. Inter perorandum Franciscus (iisdem testibus) miram vultûs, oculorum, ac totius corporis mutationem concipere, adeò ut cœptum orationis filum abrumpens, utriusque classis congressum eloquentiâ & ardore non solito per ambages ordiretur describere, auditoribus admiratione plurimâ defixis. Aberat enim à navali pugnâ centum quinquaginta leucis. Ita narrationem novam ingressus Xaverius, mox vultu oculisque ardentibus, junctis manibus ante imaginem Crucifixi effusiùs lacrymans exclamare: O Jesv Christe, Deus cordis mei, obsecro te quæsóque per supremos vitæ tuæ cruciatus, ne deseras quos tuo Sanguine redemisti. Hæc elocutus inclinatum ac deficiens caput, summâ suggesti spondâ paullisper excepit, ac quadrante medio quievit. Exin, velut ingentem defatigationem absterssisset, caput subitò attollens, vultu alacri & læto proclamat: Vicit, vicit, ô Fratres, bonus ille Jesvs. Nunc igitur mœrore posito, hilaritati vos ac lætitiæ date. Jam nostri hostem prælio devicerunt, non amplius quatuor è nostris desideratis. Tantulo impendio tam insignis stetit victoria. Propediem victores aderunt incolumes. Nam sextâ feriâ proximâ spoliis & prædâ onusti cum captivis navigiis revehentur domum. Agitedum ergo & Deo victoriæ auctori gratias agamus. Vicit, vicit, ô Fratres, vicit bonus ille Jesvs.

Quid rectiùs Redivivo ac Victori Christo acclamemus, quàm hoc ipsum: Nostra est victoria; jam fusi fugatique sunt hostes. Vicit, vicit, ô Christiani, vicit bonus ille Jesvs, & vicit victorem nostrum leonem achero*Ioan. cap. 12. vers. 31.* nticum. Futurum hoc prædicens dux noster, *Nunc*, inquit, *princeps hujus mundi ejicietur foràs.* Nunc autem ejectus est foràs. *Cùm* diabolus, ille *fortis armatus custodiret atrium suum, in pace erant ea quæ possidebat.* Sed jam *fortior eo superveniens vicit eum; universa arma ejus abstulit, in quibus confidebat, & spolia ejus distribuit.* Morsus tuus, inferne, homo est crucifixus, jam à funere redivivus. Summo id nobis solatio est atque gaudio. Leo avernalis jam ligatus est: rugire potest: mordere non potest, nisi propiùs accedentem.

Luc. cap. 11. vers. 21.

Palladius Helenopoleos præsul memorans, Erat adolescens, inquit, emortui pudoris ac profligatæ vitæ, vario scelere contaminatus. Resipiscens tandem & alto dolore saucius sepulchro quodam velut virtutis scholâ se conclusit. Hîc gemitus iterare, lacrymas fundere, solo adsterni, preces perpetuare, non ausus nec oculos quidem cælo attollere, aut Dei nomen pronuntiare, illud unum ingeminans: Miserere mei Domine, miserere mei. Pessimè habuit cacodæmonem tam seria & ardens pœnitentia. Exactâ igitur hebdomade adest veterator ex orco cum sociis, & vociferatur: Quid agis hominum flagitiosissime? Nempe jam libidinum spurcitiâ satur, videri vis castus & religiosus? & vires quas inter flagitia consumpsisti, jam Deo consecras, & cælum tibi polliceris, jam pridem inferis devotus? Noster es, ne dubita, serò nimiùm è nostris castris transfugium moliris. Redi ergo, & quod vitæ reliquum est, assuetis gaudiis consume. Non deerit voluptas, novis te deliciis fovebimus, juventutis florem reparabimus. Revivisces. Quid enim verò teipsum ante tempus suppliciis frustrà conficias? actum agis. Spes aliunde affulget nulla. Nec apud nos passurus es diriora quàm tu ipse tibi mala irrogas. Nunc igitur oblatis fruere, & dulcem carpe vitam dum licet. Hæc terrore amicabili certatim hostes ingerebant. At ille inter preces & lacrymas immobilis hærebat terræ affusus. Nec illi tamen iisdem cantilenis precantem obtundere desistebant. Ubi nec minis nec blanditiis quidquam profecissent, verberibus etiam, annuente Deo, in transfugam sævierunt. Contusum probè, nec tamen à cœptâ pœnitentiâ retractum deseruerunt. Die altero adsunt cognati, & pugnam movent periculosiorem. Quantò enim humaniùs egerunt, tantò proniorem ad malos assensus viam struxerunt. Nec defuerunt preces; rediret saltem, & suis viveret legibus, neminem impedimento fore, dummodò non pœnitentè hominem exueret. Sed à cœpto non dimovent: persistit ille anteactam vitam lacrymis expiare. Proximâ nocte diaboli redeunt, acerbiùs sævituri. Nec tamen alia vox atrocibus plagis expressa, quàm insigne illud constantiæ testimonium: Malo mori, quàm vobis obsequi. Nocte tertiâ eo assultu, iisque terroribus, tantâque verberum sævitiâ ruunt in obluctantem, ut corpore inter plagas collapso, constans animus hoc unum vocis emiserit: Vobis non obtempero. Hac constantiâ exarmati hostes stygii, Vicisti, clamant, vicisti, vicisti. Et præcipiti fugâ discesserunt.

Dei filius, si divina liceat conferre humanis, contra triplicem hostem patientiâ constantissimâ pugnavit. Victus tamen videbatur Jesvs, nam in crucem actus, in cruce mortuus, sepulchro absconditus est. Ira Deus fieri præcepit ob humanæ gentis crimina. Attritus est propter scelera nostra tam strenuus pugnator, qui voluit mori, ut Patri posset obsequi. Hic die tertio à morte ad vitam rediit, jam mundi, mortis & diaboli victor. Hinc orbis universus, humana gens omnis, ipsi etiam hostes victori huic acclamant: Vicisti, vicisti. Rex gloriæ, vicisti.

Iudic. c. 14. vers. 6.

Iverat Samson unà cum parentibus in Tamnatha. In itinere ad oppidi vineas apparuit catulus leonis sævus & rugiens, & occurrit ei. *Irruit autem spiritus Domini in Samson, & dilaceravit leonem, quasi hœdum in frusta discerperet, nihil omnino habens in manu.* Diabolus leo sævissimus, omnes exeruit vires, ut Samsonem nostrum sterne-

sterneret; hinc illi rugitus terrifici: *Crucifige, Crucifige.* Et *occurrit ei*, quanto potuit impetu: nam hoc unum egit, ut Christum in crucem raperet. Eò Pharisæos, Pontifices, Judæos, Romanos, judices iniquissimos, ipsos etiam Christi discipulos concitârat, ut quem suis unguibus destinâsset, perderet. At Samson noster leonem hunc sævissimum velut hœdulum discerpsit, nihil omnino habens in manu. Hic olim Samson dextrâ gerebat, ignes, gladium, aquas, serpentes, fulmina, grandines, quibus noxios feriebat. Jam verò penitus inermis, nec ullum teli genus præferens, ligari sibi manus permisit, & tamen vicit; vicit bonus ille JESVS, ostenditque nobis modum triplicis istius hostis vincendi.

Luc. cap. 23. vers. 21.

Modus triplicis istius hostis vincendi: 1. Mundum vincimus contemnendo.

I. Mundum vincimus *Contemnendo.* Qui mundi falsa judicia, vanos sermones, impia vaframenta metuit, jam pæne victus est. Hæc acer bellator spernit omnia. Eleazar ad regium elephantum properans interfecit à dextris & à sinistris obvium quemque. Ita nos tot vanas considerationes, tot inania terricula impavidi proteramus. Sed mundus, inquies, totâ mole suâ in me ruet, & opprimet me. Ruat & opprimat; invito non nocebit. Nam Eusebio Emisseno teste, *Dejectio prostrati, occasio fit triumphi.* Contemptu mundus vincitur. Contemne mundum, & vicisti mundum.

Euseb. Emis. homil. 8. de Pasch.

2. Diabolũ vincimus resistendo.

II. Diabolum vincimus *Resistendo.* Eò Jacobi Apostoli hortatus spectat: *Resistite diabolo, & fugiet à vobis.* Adversùs cacodæmonem Christus imperterritâ patientiâ pugnavit. Post triplicem orationem in horto versus ad suos, *Surgite*, ait, *eamus.* Et hostibus jam jam invasuris, *Hæc est*, inquit, *hora vestra, & potestas tenebrarum*: prehendite, vincite, ducite. Cùm Petrus ab ipso audisset Christum Hierosolymis occidendum, magno in Magistrum affectu, *Absit à te Domine*, ajebat, *non erit tibi hoc.* Cui Christus: *Vade post me Satana, scandalum es mihi: quia non sapis ea quæ Dei sunt, sed ea quæ hominum.* Hæc diaboli sunt molimina. Nos absterrere nititur à generosâ malorum perpessione. Cùm dolus non succedit, vim parat, & hostiũ multitudine timidiores cogitat opprimere. Resistite; & victus est adversarius. Hic verus illud verissimum:

Luc. cap. 4. vers. 7. Marci c. 14. vers. 42. Luc. cap. 22. vers. 53. Matth. c. 16. v. 22. & 23.

Audere, pars potissima est victoriæ.

Iambi vet.

3. Mortem vincimus non vincendo, sed moriendo: Euseb. loco dicto.

III. Mortem vincimus *Non vincendo*, sed moriendo. Eusebius Emissenus, quem dixi, hanc vincendi artem commonstrans, *Dabit ipsa*, inquit, *infirmitas fortitudinem, lapsus palmam, ruina victoriam.* A morte Christus configi se passus cecidit, sed cadendo vicit. Cum priscis hic licebit dicere:

Plerumque vincunt, vitam qui minimè æstimant.

Luc. cap. 23. vers. 46.

Mortem non timere, est mortem vincere, & suo sepeliri triumpho. Christus jam acturus animam, *Pater*, inquit, *in manus tuas commendo spiritum meum. Et hæc dicens expiravit.* Nos ipsos nostráque omnia divinæ voluntati atque providentiæ quàm integerrimè committamus, & illam ineluctabilem horam non formidabimus. Cadendo surgimus. Mors vincitur non vincendo.

§. III. *Christus revivíscens vicit crocodilum.*

3. De morte.

*Plinius l. 8. Nat. histor. cap. 25. mihi pag. 164. Ab hac narratione paullulum abit Ælianus lib. 8. de animal. cap. 25. mihi pag. 506. * Ab aliis Ενυάλιος appellatur.*

CVm crocodilus cibo piscium, aut humanæ carnis, cujus est appetentissimus, jam satur, ad somnum se componit in littore, avis parva, quæ Trochilos ibi vocatur, rex avium in Italiâ, exporrectam belluam ad hiandum invitat, pabuli sui gratiâ. Nam (uti Ælianus & Plinius testantur) primùm os ejus assultim purgans, mox dentes & intus fauces quoque ad hanc scabendi dulcedinem maximè patulas oberrat. In hac voluptate crocodilum somno pressum conspicatus ichneumon *serpens, per easdem fauces ut telum aliquod immissus, alvum erodit. Quis ichneumonem alvo crocodili mersum conspiciens, non putet victum & absorptum? sed hæc callidi serpentis est victoria, dum hostis faucibus glutitur, hostem perimit. Ita mors planè Christum glutiit, sed ita quoque victoriam amisit. Serpenti se Christus conferens, *Sicut Moyses exaltavit serpentem*, ait, *in deserto, ita exaltari oportet filium hominis.* Capitalissimus Christi hostis mors. Nec mirum. Christus se vitam affirmans, *Ego sum*, inquit, *Via, Veritas, & Vita.* Quid novi, gravissimis odiis mortem & Vitam dissidere? Ichneumon, quod dicti scriptores memorant, cum crocodilo prælium ingressurus, mergit se limo sæpius, siccâtque sole: mox ubi pluribus se coriis loricavit, in dimicationẽ pergit. Christus corpore humano tectus, sed & limo mersus tot ludibriorum & execrandæ crucis, *Infixus sum*, inquit, *in limo profundi.* Ita loricatus miseriis humanis in hostem pugnavit, quem & vicit. *Ubi est mors victoria tua, ubi est mors stimulus tuus?* Ecclesia ob victoriam hanc Christi lætissima, cantat: *Qui mortem nostram moriendo destruxit, & vitam resurgendo reparavit.* Eadem etiam agendo gratias, ita precatur: *Deus, qui per Unigenitum tuum, æternitatis nobis aditum devictâ morte reseravisti, vota nostra, quæ præveniendo aspiras, etiam adjuvando prosequere.*

Luan cap. 3. vers. 14. Idem c. 14. vers. 6. Pſ. 66. v. 3. 1. Cor. c. 15. vers. 55.

Sed dicas: Quomodo mors victa est? *Omnes morimur, & quasi aquæ dilabimur in terram, quæ non revertuntur.* Hinc rectè quærimus cum Psalte: *Quis est homo, qui vivet, & non videbit mortem?* Ausculta, mi homo, in capita conferam responsum.

3. Reg. c. 14. vers. 14. Pſal. 88. vers. 49.

I. Mortem non ita vicit Christus, ne moriamur amplius: jus suum morti non abstulit, tyrannidem ejus infregit. Nam ante Christi cum morte congressum nullus mortuorum ad vitæ principium potuit evolare. Frustrà erat dicere: Mortem obii, debitum persolvi, finite nunc ad conditorem meum rectâ proficiscar, Deum desidero videre. Incassum hæc jactabantur. Mortis imperium & tyrannos omnes omnino quos jugulavit, ad inferiora terræ misit, velut æternæ mortis reos. In ponte dejici, tolerabile videri poterat; è ponte in aquas præcipitari, rigidum. Atqui hoc ante Domini mortem fiebat. Nunc tantùm in ponte dejicimur; momento spiritus à labe purus ad conditorem subvolat, Angelorum medius Deum intuetur, vix à corpore abit animus, & inter cælites numeratur. Ita Christus devictâ morte æternitatis nobis aditum reseravit.

Christus nõ abstulit jus suum morti, sed tyrannidem ejus infregit.

II. Prærogativa mortuos ad vitam revocandi multò amplior est in lege novâ quàm in priscâ, in Ecclesiâ quàm in synagogâ.

Prærogativa mortuos ad vitam revocandi amplior est in lege novâ quàm in priscâ,

Ruffinus Aquilejensis memorat, ad Macarium seniorem Ægyptium venisse Hieracitam, pravæ religionis hominem. Hic ubi plurimos loquendi arte turbâsset, Macarium etiam suis officiis ausus est invadere, & de fidei scitis audacissimè disserere. Restitit vir sanctus, ut potuit. At homo vafer simplicem senis dictionem argumentatione callidâ elusit. Macarius adstantium auditorum fidem periclitari animadvertens, Quid opus, inquit, verbis contendere? exeamus ad sepulchretum, & cui Deus concesserit ad vitam evocare mortuum è tumulo, ejus religionem asseremus veram. Placet omnibus fiduciæ plena sponsio. Egrediuntur ad sepulcros. Hieracitam Macarius hortatur, ut in suæ religionis demonstrationem è sepulchro jubeat prodire mortuum. Cui adversarius, Tu, inquit, tuâ sponsione provocasti me; tu prior defunctum evoca. Macarius ergo in genua ruens, ingenti fiduciâ precatus est. Ad finem precum oculis cælo elatis, Mi Deus, inquit, quis è nobis duobus veram fidem teneat, ostende hoc mortuo in vitam reducto. Et cum dicto hominem illic non ita pridem sepultum evocavit nomine. Ad humanam vocem obsequentissimus mortuus mox respondit, & amotâ tumuli mole, præsentium oculis se vivum stitit. Adversarius prodigio tam luculento victus in fugam se vertit.

Ruffin. c. 8. mihi p. 480. apud Rosweyd.

Et in lege novâ pluribus concessa.

Hæc gratia à mortis victore Christo pluribus in nova lege concessa. Turonensis præsul Martinus, Ecclesiâ teste, tres mortuos ad vitam revocavit. Totidem beatus Dominicus Calaroganus, eodem testimonio laudatissimus, sanctæ familiæ parens. Franciscus Xaverius Indiarum

A quâ trium mortuorum suscitator magnificus appellatur.

diarum Apostolus, viginti quatuor defunctos vitæ restituit. Taceo complures alios è Divorum tabulis jam notos.

Hæc mortis victoria in adversis summo est solatio.

III. Hæc mortis victoria summo est solatio in adversis planè omnibus. Job vermibus scaturiens, carnibus jam corrosis, omni pecore abacto, liberis ruinâ domûs obtritis, vix jam ossibus hærens, spirans cadaver, animâ in corpore ulceroso & in extremis pæne labris malè morante, in fimeto velut in sepulchro compositus, canit tamen: *Scio, quòd Redemptor meus vivit, & in novissimo die de terrâ surrecturus sum.* Spes ista sic exhilarat, ut qui verus Christi amicus est, totum fellis dolium exhauriat, nec querelarum aut impatientiæ quidquam prodat: nam illud inter lacrymas lætus canit: *Scio, quòd Redemptor meus vivit: Quem visurus sum ego ipse, & oculi mei conspecturi sunt, & non alius. Reposita est hæc spes mea in sinu meo.* Nos quidem, quanta Jobus, vix umquam patimur, nihilominùs eandem Jobi spem in sinu repositam habemus: Scimus, quia Redemptor noster vivit, & nos de terrâ denuo surrecturi sumus. Ita licet nobis quotidie honoris, pecuniæ, valetudinis, virium, vitæ aliquid defluat; non refert, redibit vita, & cum eâ bona omnia. Mors victa est. Dejicere nos potest in ponte, præcipitare in aquas non potest, nisi volentes.

Job cap. 19. vers. 25.

Ibid. v. 27.

Ad omnẽ virtutis actionem exstimulat.

IV. Victoria hæc Mortis ad omnem virtutis actionem exstimulat. Cùm Paulus resurrectionis mysterium argumentis compluribus affirmâsset, addit excitandis ad virtutem Christianis: *Deo autem gratias, qui dedit nobis victoriam per Dominum nostrum* JESVM *Christum. Itaque fratres mei dilecti, stabiles estote & immobiles, abundantes in opere Domini semper, scientes, quòd labor vester non est inanis in Domino.* Quòd si quis adeò sibi parcat, viam ad cælum nimis arctam & arduam ueratur, hærere ac quiescere ubique velit, uti pigri viatores solent, ne quæso fidem ac spem Resurrectionis jactet. Nec credit iste, nec sperat, nisi forsan fide mortuâ, spe vanâ. Qui reditum in vitam fide vivâ, spe certâ opperitur, etsi orbis universi jacturam faciat, Quantillum est, ait, quod perdidi: redibunt hæc omnia, & nos cum illis. Quid enim sunt caduca hæc omnia, nisi umbra, non plaudentis manûs sibilo digna? Perierint peritura; quid meâ interest? modò mihi non pereat cælum. Unum atque unicum damnum est æternam vitam perdere. Cetera titivilitium sunt & somnium. Et licet via ad cælum confragosa sit & aspera, non refert, pergamus impigro pede, scientes quòd labor noster non est inanis in Domino.

1. Cor. c. 15. v. 57. & 58.

*Nos monet ut quomodo Christus surrexit à mortuis per gloriã Patris, ita & nos in novitate vitæ ambulemus.

V. *Hæc mortis victoria hoc ipsum idemtidem monet, quod Paulus clamat: *Vt quomodo Christus surrexit à mortuis per gloriam Patris, ita & nos in novitate vitæ ambulemus. Hoc scientes, quia vetus homo noster simul crucifixus est, ut destruatur corpus peccati, ut ultrà non serviamus peccato.* Hîc nobis ad istam mortis victoriam quæstio duplex nascitur. Prima: Cur Lazarus resurrexit cum sudario, Joanne teste, *& statim prodiit, qui fuerat mortuus, & facies illius sudario erat ligata.* At verò Christus sudarium reliquit in sepulchro. Nam, eodem teste, *venit Simon Petrus, & introivit in monumentum, & vidit linteamina posita, & sudarium, quod fuerat supra caput ejus non cum linteaminibus positum, sed separatim involutum in unum locum.* Hæc prima quæstio. Altera: Cur hoc ipso tempore hujus victoriæ monumenta sint aperta, Matthæo teste: *Et monumenta aperta sunt, & multa corpora Sanctorum, qui dormierant, surrexerunt.* Utrique quæstioni respondebimus.

ad Rom. c. 6. v. 4. & 6.

Ioan. cap. 11. vers. 44.

Idem c. 20. v. 6. & 7.

Matt. c. 27. vers. 52.

§. IV. *Cur Lazarus cum sudario, Christus sine illo prodierit è tumulo.*

ERgo Lazarus cum sudario, sine illo Christus è sepulchro prodiit. Ægypti prorex Josephus iconicum Christi simulacrũ tam in aliis multis quàm etiam in isto. Ab herâ Joseph ne malâ vi teneretur, pallium reliquit: Nam, quod facer historicus prodit, *Relicto in manu ejus pallio fugit, & egressus est foras.* Hæc Eusebius Emissenus expendens: Joseph, inquit, detinetur à muliere, Christus à morte; Joseph pallio relicto aufugit, Christus linteamina in sepulchro reliquit, & exsurrexit. Non ita Lazarus prodiens è sepulchro cum sudario, quod Christus reliquit, & Angelus monstravit. Nec id mysterio vacat. Christus resurrexit non moriturus ampliùs, immortalis æternùm. Lazarus morti subjectus, iterùmque moriturus, secum fert sudarium.

Gen. c. 39. vers. 12.

Si quando classicus remex triremi exeat, sibi aliquid de foro præstinaturus, compedum aut catenæ partem pede trahit. Quod certè argumento est, cum à scalmo & transtris non esse liberum. Ita velit nolit, ad trahendum remum ipsi est redeundum. Ita & Lazarus è tumulo prodit, sed secum institas, sudarium, lodicem mortualem trahit, ut ipse aliiq; omnes nôrint esse mortis subditum, spectare ad maris mortui remum, sandapilâ denuo claudendum. At verò Christus sine sudario emergit tumulo, solutissimus, liberrimus ab omni mortis vinculo. Gratulatur Paulus, & sacro applausu, *Scientes*, inquit, *quòd Christus resurgens ex mortuis jam non moritur, mors illi ultrà non dominabitur. Quòd enim mortuus est, peccato mortuus est semel: quòd autem vivit, vivit Deo.*

Rom. c. 6. v. 9. & 10.

Nec Christus tantùm immortalis, sed & Christi sudarium inter ipsos etiam ignes immortalitatem præ se tulit. Mahultias Sarracenorum Princeps, quod Beda & Baronius narrant, hoc ipsum, quod diximus, sudarium octo pedes longum habuit: ut autem exploraret quàm certæ id fidei esset, in ignem conjici præcepit. At illud exigne in aëra se librans, & aliquamdiu velut placidissimè volans in alto cunctabundum hæsit, demum cernentibus cunctis in præsentis cujuspiam Christiani brachia tranquillo motu se demisit. Prodigium tot testatum oculis, quot spectatum.

Beda libro de locis sanctis. Sudarium Christi ignẽ combustis credit.

Porrò alterum sudarium, cui cruenta Christi facies impressa, in supremo illo itinere mœstissimo Veronicæ relictum est. Hæc matrona civis Solymæa Christi discipula, Magistri ultimos labores miserata, hoc munus à morituro Domino, ut suprà demonstratum est, accepit. Perinde si dixisset Christus: Hoc donarium hæredes sequitur. Testimonia cruciatuum meorum habeant Christiani. Hi nôrunt quantæ molis, quanti & sudoris fuerit, hominem æternæ mortis reum redimere. Penes Christianos ergo mea sint sudaria. Quocirca Christus Dominus sine sudario, Lazarus cum illo ad vivos rediit, ut luculentum esset discrimen inter Lazarum resurgentem, sed denuo moriturum, & Christum mortis victorẽ, immortalitate supra omnes beatissimâ coronatum.

Parte 2. Clerici militantis §. 2.

§. V. *Quid mysterii fuerit, moriente Christo tumulos reserari.*

ALtera erat quæstio: Quid mysterii, tumulos reserari. Ex Matthæo discimus. *Et monumenta aperta sunt, & multa corpora Sanctorum, qui dormierant, surrexerunt.* Sed an non major fuisset gloria Resurgentis Christi, solum resurgere? Isaias aliquoties minatus, *Væ*, inquit, *qui prædaris, nónne & ipse prædaberis?* Non est in orbe prædo similis morti; rapit ea omnibus omnia, terrâ marique, mendiculos & reges juxtà habet, & istos & illos peræquè spoliat; petasos & diademata, ligones & sceptra eâdem mergit foveâ. Mors orbis expilator & prædo, nemini non horribilis, nullum umquam se fortiorem invasit, nisi illum unum atque unicum cruci suffixum. Væ tibi, mors rapacissima, quæ ab orbe condito innumera commisisti furta, quæ tot milliones hominum spoliâsti vitâ. Immanis bellua, quæ nescit parcere, doctos, indoctos; pauperes, opulentos; debiles, robustos; juvenes, adultos; senes, pueros, infantes, decrepitos sine delectu, vi pari abripit: omnes quos umquam vidimus, omnes de quibus aliquid audivimus aut legimus, & quantula ea pars hominum est quam nôsse possumus;

Matt. c. 27. vers. 52.

Isaiæ 33. vers. 1.

Non est in orbe prædo similis morti.

sumus; omnes omnino qui vel olim nati sunt, vel omnibus terris ac sæculis pascentur, in hujus prædonis ungues incidant necesse est. Nemo hactenus ab hoc prædone liber evasit, evadet nemo. Cerne animo longissimam præcedentium, nec minùs longam sequentium catervam. Hac ipsâ, quâ loquimur, horâ quot mortalium millia mortis falaricâ sternuntur? Mors artes omnes eludit, preces conceptissimas spernit, amplissima promissa rejicit, non ætatem, non sexum attendit, natalium imagines, titulos, fasces proterit, imperium nescit, Principes non agnoscit, blanditias omnes contemnit, vim nullam metuit, superstitum omnium vitam extinguit.

Sed æquo simus animo, jam ipse etiam in prædam cessit tam immanis prædo. Fit subinde ut juvenis malè ingenuatus, & ad furta pronus modò pecuniolâ, modò strophium, modò chirothecas, modò telâ; jam cingulû, jam librum, jam pileum furaci manu subducat. Ita minutioribus furtis initiatus ad majorē harpagandi peritiam in dies proficit. Audacior tandem ex aulâ Principis argenteum vel scyphum, vel patinam, vel guttum aut maluvium clepit, sed apud aurificem miser, quem furtum venditurus adit, à Principalibus insignibus proditur; in vincula trahitur, torquetur; hîc minora furta omnia prioris vitæ fatetur. Mors ab orbis origine furtis & rapinis continuis assueta, mortalium nemini non carissimum quod habuit, vitam eripuit. Hanc protoplastis, hanc posteris universis extorsit; nulla domus quam non expilârit, nullæ latebræ è quibus prædam non extraxerit; ita oppida, civitates, provincias, regna, jam sæpius vacuavit incolis, huic rapiendi licentiæ jam nimiùm assuetæ. Sed hæc omnia minuta possunt conferi furta, & Lavernæ artes jocosæ. Illi omnes erant homines caduci, velut poma vermiculosa, putrida, ad moriendum nati. Hinc homines ejuscemodi abripere in prædam, morti non erat probrosum. Sicuti cerasos ad viam consitas depopulari, aut silvestria pira vel poma furtis nata carpere, viatoribus non vetitum; quis enim ea curat? ita mors impunè sustulit, quos ad interitum editos scivit. At ubi mors Christum Dei Filium, benedictum virginei uteri fructum carpsit, cùm vitæ Dominum occidit, cùm aureum hoc carchesium surripuit, furtum audacissimum, & prioribus minutis omnibus longè grandius commisit, nec enim peculatus tantùm, aut rapina vel sacrilegium, aut plagium, sed læsæ majestatis crimen fuit maximum. In hoc flagrantissimo delicto mors deprehensa, & ad crucem Dominicam, velut ad equuleum torta priora furta omnia est confessa. Atque hoc obeunte Christo sepulchra reserata, testantur sepulchrorum apertio, sceleris confessio, rapinarum restitutio. Perinde si mors dixisset: En Domine arcum & sagittas meas, en prædam, quam rapui ac sepulchris abdens occultavi. Me victa fateor, parata furtum omne restituere.

Ab origine mundi furtis & rapinis continuis assueta est mors.

In Christi morte fit rapinarum restitutio.

Vicit ergo, vicit bonus Iesvs, vicit Elephantem, vicit Leonem, vicit & Crocodilum. Mundus, mors, diabolus, triumphali curru Christi captiva mancipia trahuntur. Iò triumphe! Absorpta est mors in victoria. *Vbi est mors victoria tua, ubi est mors stimulus tuus?* Nónne prædictum: *Ero mors tua, ô mors:* væ qui prædaris; jam prædata, jam ipsa facta es præda. *Deo autem gratias qui dedit nobis victoriam per Dominum nostrum* Iesvm *Christum.* Iam mori non formidemus. Bona mors, initium est vitæ.

1. Cor. c. 15. verſ. 55. Oſeæ c. 13. verſ. 14. 1. Cor. c. 15. verſ. 57.

CAPVT XII.

De Christi in cælum ascendentis gloriâ.

Promissis, reor, stetimus, & de Christo etiam Resurgente disseruimus. Sed omnino par est, ut qui Resurgentis victoriam spectavimus, Ascendentis quoque triumphum hilari erectóque vultu prosequamur. Hîc ego, mi Lector, quàm potero, brevissimus ero, & summa rerum capita non explicabo, sed eò solùm digito monstrabo, altiori cogitatione commeditanda. Esset quidem dignissimum & Ascendentis gloriam singulari libro proponere spectandam: nec ad eam rem parata jam copiosior scriptio deesset, sed ne nimiùm extra promissum abeam, & demum de tabulâ manum amoveam, hanc visum est coronidem ac clausulam apponere.

§. I. *De Christo in cælum ascendente oracula & vaticinia.*

Enoch homo justus in cælum à Deo translatus est, idque ante Moseas leges. *Et facti sunt omnes dies Enoch trecenti sexaginta quinque anni. Ambulavitq; cum Deo, & non apparuit, quia tulit eum Deus.* Elias dum Moseæ leges starent, in cælum curru igneo subvectus est. *Cúmque pergerent, & incedentes sermocinarentur* (Elias & Elisæus) *ecce currus igneus & equi ignei diviserunt utrumque: & ascendit Elias per turbinem in cælum.* Servator orbis Christus novâ lege gratiæ stabilitâ, nec translatus, nec subvectus, orbes cælestes suâ virtute penetravit, non sine spoliis eò reversus unde ad nos descenderat. Ascensionis ergo suæ Dominus prænuntios & testes habuit: unum ante legē, unum sub lege, ut quandoq; veniret ipse, qui veraciter cælos transire posset.

Gen. c. 5 v. 23. & 24.

4. Reg c. 2. verſ. 11.

Christus novâ lege gratiæ stabilitâ suâ virtute cælos transivit.

Ita nepos Abrahami Iacob, *In baculo meo*, inquit, *trasivi Iordanem istum: & nunc cum duabus turmis regredior.* Ita noster è cælo peregrinus ad nos pauperrimus venit stabulo exceptus, nunc hominum & Angelorum turmis stipatus revertitur. Hac in re nō dissimilis ovi, *qui habet centum oves, & si perdiderit unam ex illis, dimittit nonaginta novem in deserto, & vadit ad illam quæ perierat, donec inveniat eam: & cùm invenerit eam, imponit in humeros suos gaudens, & veniens domū convocat amicos & vicinos, dicens illis: Congratulamini mihi, quia inveni ovem meam, quæ perierat.* Ita Christus Angelis relictis, perditæ genti humanæ in subsidium properavit. Vbi amissam hanc oviculam invenit, inter gaudia in cælum remeavit.

Gen. c. 32. verſ. 10.

Luc. c. 15. v. 4. & ſeq.

Canebat olim Moyses: *Sicut aquila provocans ad volandum pullos suos, & super eos volitans, expandit alas suas, & assumpsit eum, & portavit in humeris suis.* Christus aquilę non absimilis è pluribus caussis: 1. Aquila volucrū regina, volatu vincit omnes. 2. Solem irretortis oculis intuetur. 3. Vngue & rostro victum sibi parat è prædâ. 4. Pullis suis providet sollertissimè. 5. Solis aspectum recusantes pullos exturbat nido, & ut degeneres abjicit. 6. Adultiores ad evolandum exemplo suo provocat. 7. Tandem illos deserit, ut ipsi suo se labore alant. Christus 1. Rex est tam in præsepi quàm in cruce, tam à Magis adoratus, quàm à militibus & Pharisæis irrisus. 2. Christus Deus seipso beatissimus, etiámnum viator, & cùm inter nos ageret, aspectu Dei fruebatur. 3. Exarmatis hostibus, quos occumbendo vicit, spolia detraxit. 4. *Cùm dilexisset suos qui erant in mundo, usque in finem dilexit eos*; & hoc unum moriendo egit, ut sui viverent. Filios in malum obstinatos, disciplinæ osores, à paternâ indole alienos exhæredat, rejicit, à se segregat. 6. Suos ad cælestia inuitans, *In domo Patris mei*, ait, *mansiones multæ sunt: Vado parare vobis locum.* 7. Rediturus in cælum suis valedicens, *vado*, inquit, *ad eum qui misit me. Sed quia hæc locutus sum vobis, tristitia implevit cor vestrū. Sed ego veritatem dico vobis, expedit vobis vt ego vadam.*

Christus aquilæ non absimilis è pluribus caussis.

Deut. c. 32. verſ. 11.

Ioan. c. 13. verſ. 1.

Ioan. c. 14. verſ. 2. Idē c. 16. v. 5. 6. & 7.

Hæc omnia diversis oraculis & vaticiniis illustrissima. Michæas præcinit: *Ascendet pandens iter ante eos. Et transibit Rex eorum coram eis, & Dominus in capite eorum.* Huic regius Psaltes respondet velut rem gestam com-

Mich. c. 2. verſ. 13.

Ps. 56. v. 6. Psal. 67. v. 18. & 19. commemorans. *Ascendit Deus in jubilo, & Dominus in voce tubæ. Currus Dei decem millibus multiplex, millia lætantium: Dominus ejus in Sinai in Sancto. Ascendisti in altum, cepisti captivitatem, accepisti dona in hominibus.* Isaïas non

Isa. c. 63. v. 1. & 2. sine admiratione interrogans, *Quis est iste*, inquit, *qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosrâ, iste formosus in stolâ suâ, gradiens in multitudine fortitudinis suæ? Quare rubrum est indumentum tuum, & vestimenta tua sicut calcantium in torculari?* Hunc ipsum è bello reducem victorem Psal-

Psal. 103. v. 1. 2. & 3. tes divinus prædicans, *Deus meus*, inquit, *magnificatus es vehementer. Confessionem & decorem induisti, amictus lumine sicut vestimento. Qui ponis nubem ascensum tuum, qui ambulas super pennas ventorũ.* His vaticiniis Paulus con-

Ad Ephes. c. 4. v. 8. 9. & 10. sideratis, *Ascendens in altum*, inquit, *captivam duxit captivitatem, dedit dona hominibus. Quòd autem ascendit, quid est, nisi quia & descendit primùm in inferiores partes terræ: Qui descendit, ipse est & qui ascendit supra omnes cælos, ut*

Greg. hom. 29. in Evan. *impleret omnia. Illuc enim revertebatur, ubi jam erat, & inde redibat, ubi remanebat: quia cùm per humanitatem ascenderet in cælum, per divinitatem suam, & terram pariter continebat & cælum. Quia igitur,* inquit B. Leo, *Christi ascen-*

Leo serm. 1. de Ascens. Dom. mihi pag. 203. *sio, nostra est provectio, & quò præcessit gloria capitis, eò spes vocatur & corporis; dignis exultemus gaudiis, & piâ gratiarum actione lætemur.* Sed hoc probè sciamus: Quò profundiùs jam descenderimus, hòc deinde altiùs ascendemus.

§. II. *Christi in cælum ascendentis imagines & umbræ.*

Imago Christi in cælũ ascendentis fuit Samson, Iudic. c. 16. vers. 3. HEbræus Hercules Samson ingressus Gazam urbem, mox Philistæis insidiis cinctus est. At ille, quod Iudicum Annales memorant, *Dormivit usque ad medium noctis: & inde consurgens apprehendit ambas portæ fores cum postibus suis & serâ, impositasque humeris suis portavit ad verticem montis, qui respicit Hebron.* Dominus Iesvs, Samson verissimus, Iudæorum tribulium suorum perfidiâ in crucem actus, & in tumulo compositus dormivit ultra noctis medium. Denique portas æternitatis complexus in altissimos cęli montes evasit. Hic ille noster Samson leonem ab inferis, sęvum

Cant. c. 5. vers. 1. nimis, in viâ confecit. Hic nostræ libertatis vindex & assertor, myrrham cum aromatibus messuit moriendo, favum cum melle comedit resurgendo, vinum cum lacte bibit ascendendo.

David. 1. Reg. c. 18. v. 6. & 7. Postquam Regius Saulis citharœdus & armiger David formidinem Hebręi agminis Goliathum dejecit & obtruncavit, à Palestinę Metropoli Hierusalem ceterisque civitatibus, ingenti plausu & gratulatione, non sine symphoniâ & festivis choreis est receptus. Christus devictis hostibus, mundo, morte, diabolo, festivissimis plausibus ab omni cælo salutatus, in civitatem illam manentem, beatissimam, est introductus.

Hic idem David jam unctus rex, cùm adversùs Amalecitas eruptionem moliretur, quadringentis solùm viris stipatus, *Ecce illi* (quod fasti Regum asserunt)

1. Reg. c. 30. vers. 16. 17. & 26. *discumbebant super faciem universæ terræ comedentes & bibentes, & quasi festum celebrantes diem, pro cunctâ prædâ & spoliis quæ ceperant de terrâ Philistiim, & de terrâ Iudâ. Et percussit eos David à vespere usque ad vesperam alterius diei. Venit ergo David in Siceleg, & misit dona de prædâ senioribus Iuda proximis suis, dicens: Accipite benedictionem de prædâ hostium Domini.*

Iam hostes Christi velut re optimè gestâ, & amoto grandi adversario triumphabant. Sed ecce dum sibimet applaudunt stultissimè, diémque festum agunt, Christus à funere redivivus è tumulo prodit, novâ suos lætitiâ perfundit, benedictionem & munera di-

Leo ser. 2. de Ascen. Dom. pag. 206. vidit, in cælum triumphans redit. Iam revera, quod beatus Leo dixit, *infirmitas in virtutem, mortalitas in immortalitatem, contumelia transivit in gloriam, quam Dominus* Iesvs *in multis manifestissimis documentis, multorum declaravit aspectibus, donec triumphum victoriæ, quem reportarat à mortuis, inferret & cælis.*

Iacob. Iacob-Isaaci filius Iosepho sibi nato socerum Labanum conveniens, *Dimitte me*, inquit, *ut revertar in patriam, & ad terram meam.* Raphaël Angelus suo munere in Tobiæ itinere perfunctus, *Tempus est ergo*, inquit, *ut revertar ad eum, qui me misit. Vos autem benedicite Deum, & narrate omnia mirabilia ejus.* Christus non uno sed pluribus filiis inter labores & dolores acquisitis, *Et nunc*, ait, *vado ad eum, qui misit me. Exivi à Patre, & veni in mundum; iterum relinquo mundum, & vado ad Patrem.*

Hic ille magni consilii Angelus est, hic ille rex gentium, orbis domitor & triumphator, *Qui*, ut canit Psaltes, *in sole posuit tabernaculum suum; & ipse tamquam sponsus procedens de thalamo suo, exultavit ut gigas ad currendam viam; à summo cælo egressio ejus, & occursus ejus usque ad summum ejus; nec est qui se abscondat à calore ejus.* Psalтæ accinit Ecclesia: *Omnis pulchritudo Domini exaltata est super sidera, species ejus in nubibus cæli, & nomen ejus in æternum permanet.*

Iam sopitis undequaque bellis, jam templo Salomonis perfecto, *Intulerunt arcam fœderis Domini in locum suum, in oraculum templi, in sanctum sanctorum subter alas Cherubim.* Cruentum prorsus prælium in monte Golgothâ finitũ est. Iam arca Domini, Humanitas Christi destinato loco, cælesti solio recipitur. *Iam*, inquit B. Leo, *naturæ humilitas in Christo super omnem cæli militiam, supra omnes ordines Angelorum, & ultrà omnium altitudinem Potestatum ad Dei Patris est provecta consessum.*

§. III. *Christi in cælum ascendentis potestas, per quindecim prærogativas, & decora illius explicatur.*

CHristus à suis abiturus, *Vos autem*, inquit, *sedete in civitate, quoadusque induamini virtute ex alto. Et cõvescens præcepit eis ab Hierosolymis ne discederent, sed expectarent promissionem Patris. Undecim autè discipuli*, quod Matthæus asserit, *abierunt in Galilæam, in montem ubi constituerat illis* Iesvs. *Et videntes eum adoraverunt, quidam autem dubitaverunt. Et accedens* Iesvs *locutus est eis dicens: Data est mihi omnis potestas in cælo & in terrâ.* Omnis potestas eáque integerrima, non restrictè aut parcè præfinita, sed absolutissima & perfectissima, quam naturâ & æternùm habuit ut Deus, dono accepit ut homo; quâ quidem potestatis auctoritate ac impenio non in corpora tantùm, sed in animos etiam & spiritus dominetur. Huic potestati rectiùs explicandæ et. prærogativas Domini Iesv decoráque quindecim divinissima alto pectore consideranda subjungo.

DOMINI IESV QVINDECIM PRÆROGATIVÆ AC DECORA.

I. Dominus Iesvs naturalis Dei filius est, non extraneus, non adoptivus, uti nos. Et verè unigena; *Quem Deus*, Paulo teste, *constituit hæredem universorum, per quem fecit & sæcula.* Cui Pater dixit: *Filius meus es tu, & ego hodie genui te.* Hic *est imago Dei invisibilis, primogenitus omnis creaturæ, quoniam in ipso condita sunt universa in cælis & in terrâ, visibilia & invisibilia, sive throni, sive dominationes, sive principatus, sive potestates: omnia per ipsum, & in ipso cõdita sunt: & ipse est ante omnes, & omnia in ipso constant.*

II. Mirificè conceptus, natus, adoratus, in Thabore Patris voce, niveâ veste, obumbrante nube, radiante facie, Mose ac Eliâ testibus declaratus: *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui; ipsum audite.* Vicinâ jam morte dixerat Christus: *Pater clarifica nomen tuum. Venit ergo vox de cælo, dicens: Et clarificavi, & iterum clarificabo. Turba ergo quæ stabat & audierat, dicebat tonitruum esse factum. Alii dicebant: Angelus ei locutus est. Respondit* Iesvs *& dixit: Non propter me hæc vox venit, sed propter vos. Nunc judicium est mundi; nunc princeps hujus mundi ejus-*

di ejicietur foràs. Et ego si exaltatus fuero à terrâ, omnia trahàm ad meipsum. Verè exaltatus omnia trahit ad seipsum, qui penetravit cælos, excelsior cælis factus.

III. Ob unionem naturæ diuinæ cum humanâ omnem divinitatis gratiam sibi naturalem & congenitam habet, *Portans omnia verbo virtutis suæ* a: Tot millium in cœlo Angelorum voce: *Dignus est agnus, qui occisus est, accipere virtutem, & divinitatem, & sapientiam, & fortitudinem, & honorem, & gloriam, & benedictionem* b.

IV. Scientiam habet infusam, ita ut actu unico † intuitivè, uti Theologorum scholæ loquuntur, & quidditativè per proprias species intelligat omnia præterita, præsentia, futura tam naturalia, quàm supernaturalia, eáque etiam quæ merè sunt possibilia. Nam in Christo Iesv *sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi* c.

V. Voluntatem habet ab omni labeculâ peccati immunissimam, summis virtutibus decoratam, & quæ peccare non possit. *Talis enim decebat ut nobis esset Pontifex, sanctus, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus, & excelsior cælis factus* d. *Quia in ipso complacuit, omnem plenitudinem inhabitare; & per eum omnia reconciliare in ipsum, pacificans per sanguinem crucis ejus, sive quæ in terris, sive quæ in cælis sunt* e.

VI. Solus obsequia Deo digna præstitit. *Unus mediator Dei & hominum, homo Christus* Iesvs, *qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus* f. *Huic omnes Prophetæ testimonium perhibent, remissionem accipere per nomen ejus omnes qui credunt in eum* g.

VII. Actiones & opera Christi tanti valoris ac pretii sunt, ut hic ipse homo possit contrahere ex justitiâ cum Deo. Verè sanctus sanctorum, & qui omnes sanctificat. *Ad quem autem Angelorum dixit aliquando Deus: Sede à dextris meis, quoadusque ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum* h?

VIII. Insuperabilia superavit; mundum, mortem, diabolum, & omnem diaboli exercitum, peccati comitatum vicit. *Ecce vicit Leo de tribu Iuda, radix David* i. Atque hinc promissum illud: *Qui vicerit, dabo ei sedere mecum in throno meo: sicut & ego vici, & sedi cum Patre meo in throno ejus* k.

IX. Caput est omnium hominum & Angelorum. Attestantibus Petro & Paulo: *Hic est omnium Dominus* l. Quem Pater constituit *ad dexteram suam in cælestibus, supra omnem principatum, & potestatem, & virtutem, & dominationem, & omne nomen, quod nominatur non solùm in hoc sæculo, sed etiam in futuro, & omnia subjecit sub pedibus ejus: & ipsum dedit caput supra omnem Ecclesiam, quæ est corpus ipsius* m.

X. Sacerdos in æternum, auctor Sacramentorum, conditor Ecclesiæ. *Ipse est caput corporis Ecclesiæ, qui est principium, primogenitus ex mortuis, ut sit in omnibus ipse primatum tenens* n. Proclamat Psaltes: *Iuravit Dominus, & non pœnitebit eum: Tu es sacerdos in æternum secundùm ordinẽ Melchisedech* o. *Alii quidem sine jurejurando facti sunt sacerdotes, hic autem cum jurejurando, in tantum melioris testamenti sponsor factus est* Iesvs. *Et alii quidẽ plures facti sunt sacerdotes; idcirco quòd morte prohiberentur permanere: hic autem eò quòd maneat in æternum, sempiternum habet sacerdotium, unde & salvare in perpetuum potest accedens per semetipsum ad Deum: semper vivens ad interpellandum pro nobis* p.

XI. Princeps, Gubernator, Iudex totius orbis. *Ipse est*, inquit Petrus, *qui cõstitutus est à Deo judex vivorum & mortuorũ* q. *Neque enim Pater judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio, ut omnes honorificent Filium. Qui non honorificat filium, non honorificat Patrem qui misit illum* r.

XII. Instrumentali omnipotentiâ præditus est. *Quia in ipso* s, ait Paulus, *inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter, & estis in illo repleti, qui est caput omnis principatûs & potestatis. In eo enim quod omnia subjecit ei, nihil dimisit non subjectum ei.*

XIII. Idiomata divina participat. Nam sicut alti sanguinis filius se Comitem, se Principem aut Regem scribit, à parente Comite aut Principe aut Rege; ita Christo homini ut vero Dei filio, Patris divini nomina conveniunt. Christus verè immortalis, immutabilis, immensus, altissimus, justissimus, misericordissimus, sapientissimus, providentissimus, fortissimus, patientissimus, benignissimus, ditissimus, liberalissimus, sanctissimus, omnipotens, æternus. Mille tales tituli non exhauriunt dignitatem Christi. De Filio Dei Ioannes, *Hic est*, inquit, *verus Deus, & vita æterna. Qui habet Filium, habet vitam: qui non habet Filium Dei, vitam non habet* t.

XIV. Ipsa Christi humanitas adoratur latriæ † cultu, quo scilicet Deus afficitur. Hunc enim hominem *Deus exaltavit & donavit illi nomen, quod est super omne nomen, ut in nomine* Iesv *omne genu flectatur, cælestium, terrestrium, & infernorũ, & omnis lingua confiteatur, quia Dominus* Iesvs *Christus in gloriâ est Dei Patris* u. Hoc honoris Filio hominis à Deo delatũ clarissimè vaticinatus Daniel, *Et dedit ei potestatem*, inquit, *& honorem, & regnum: & omnes populi, tribus, & linguæ ipsi servient: potestas ejus, potestas æterna, quæ non auferetur, & regnum ejus quod non corrumpetur* x.

XV. Objectum beatitudinis secundarium est. Primarium namque Deus corporis expers, alterum ab illo est Christus humano corpore sed immortali vestitus. *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te, solum Deum verum, & quem misisti,* Iesvm *Christum* y. In concilii Hebræi plenissimo cõsensu vociferatur Petrus: *Hic est lapis qui reprobatus est à vobis ædificantibus, qui factus est in caput anguli. Et non est in alio aliquo salus. Nec enim aliud nomen est sub cælo datum hominibus, in quo nos oporteat salvos fieri* z. Ergo *attollite portas principes vestras, & elevamini portæ æternales, & introibit Rex gloriæ. Quis est iste Rex gloriæ? Dominus fortis & potens, Dominus potens in prælio* *. Christus Iesvs, *qui est imago Dei invisibilis, primogenitus omnis creaturæ: quoniã in ipso condita sunt universa in cælis & in terrâ, visibilia & invisibilia, sive Throni, sive Dominationes, sive Principatus, sive Potestates: omnia per ipsum, & in ipso creata sunt: & ipse est ante omnes, & omnia in ipso cõstant* †.

Atque hæc quindecim Christi decora, suo, putem, loco inserta, inter delicias humanæ gentis jure meritissimo numeranda sunt. Sed progredimur.

§. IV. *Quomodo, quibus præsentibus, ex quo loco Christus in cælum ascenderit.*

SVum in cælos reditum ab anastasi suâ distulit Servator ipsos quadraginta dies, *quibus & præbuit seipsum vivum post passionem suam in multis argumentis, per dies quadraginta apparens eis, & convescens, & loquens de regno Dei.* Hoc temporis spatio Christus suorum fidem firmare ac stabilire instituit. *Hinc illud est*, ut divus Leo sentit, *quòd post Resurrectionem suam Dominus Mariæ Magdalenæ personam Ecclesiæ gerenti, cum ad contactum ipsius properaret accedere, dicit*: Noli me tangere, nondum enim ascendi ad Patrem meum, *hoc est, nolo ut ad me corporaliter venias, nec ut me sensu carnis agnoscas. Ad sublimiora te differo, majora tibi præparo: cum ad Patrem ascendero, tunc me perfectiùs vertúsque palpabis, apprehensura quod non tangis, & creditura quod non cernis.*

Non igitur illi dies, qui inter Resurrectionem Domini Ascensionemque fluxerunt, otioso transiêre decursu, sed magna in eis confirmata sacramenta, magna sunt revelata mysteria. Nam per omne illud tempus providentia divina hoc curavit, hoc docuit, hoc suorum oculis insinuavit & cordibus, Vt Dominus Iesvs *verè agnosceretur resuscitatus, qui verè erat natus, & passus, & mortuus: ut non dubiâ fide, sed constantissimâ*

Ad Eph. c. 4. v. 10. & 1. Cor. 15. 47. Ioan. 12. 32.
a Omnem divinitatis gratiam habet Christus homo tam naturalem & naturalem. Ad Hebr. c. 1. v. 3.
b Apoc. c. 5. vers. 12.
c Scientiã habet infusam. † Forte: nã aliis paulo altior.
d ad Col. c. 3. vers. 3.
e Volunt. habet ab omni labe peccati immunissimam.
f ad Hebr. c. 7. v. 26.
g ad Col. c. 1. v. 19. 20. 1. Solus obsequia Deo præstitit. Act. 10. 43.
h Opera Christi tanti pretii sunt, ut hic ipse homo possit contrahere ex justitiâ cum Deo.
i ad Hebr. c. 1. v. 13.
k 1. Insuperabilia superavit. Apoc. c. 5. vers. 5. l Ibid. c. 3. vers. 21.
m Caput est omnium hominum & Angelorum. 1 Act. c. 10. vers. 36.
n ad Ephes. c. 1. v. 22. & seqq.
o Est sacerdos in æternum, auctor sacramentorum, & Ecclesiæ conditor.
p ad Col. c. 2. v. 18. q Psal. 109. vers. 4. p ad Hebr. c. 7. v. 20. & seqq.
r Ioan. c. 5. v. 22. & 23. 12. Instrumentali potentiâ præditus est. s ad Col. c. 2. v. 9.
t 13. Idiomata divina participat. Ita D. Thomas parte 3. q. 48. art. 3. ubi hæc ejus verba sunt: Christus etiã secundùm quod homo, sedet ad dexteram Patris secundùm æqualitatem honoris: in quantũ scilicet eodẽ honore veneramur ipsum filium Dei cum naturâ assumptâ.
u 1 Ioan. c. 5. v. 12. & 20. 14. Humanitas Christi adoratur cultu latriæ. † Est actus à virtute Religionis elicitus, qui Deo debetur.
x ad Phil. c. 2. v. 9. & seqq. x Dan. c. 4. vers. 12.
15. Est objectũ beatitudinis secundarium.
y Ioan. c. 17 vers. 3.
z Act. c. 4. v. 11. & 12. * Psal. 23. v. 7. & 8. † ad Col. c. v. 15. & 16.

Act. c. 1. v. 3. & 4.
Leo ser. 2. de Ascen. Dom. pag. 307.
Ioan. c. 20. vers. 17.
Idẽ ser. 1. de Ascen. Dom.

tissimâ scientiâ teneretur, eam naturam in Dei Patris consessuram thronо, quæ jacuerat in sepulchro.

Discipulos Dominicæ Resurrectionis fide confirmatos, ad eam ipsam fidem aliis explicandam animans: *Euntes*, inquit, *in mundum universum, prædicate Evangelium omni creaturæ: docete omnes gentes.*

Marc. 16. vers. 15. Matth. c. 28 vers. 19. Luc. c. 24. vers. 50.

Ad hoc docendi munus jam eruditos, Ascensionis suæ testes adhibere voluit. *Eduxit autem eos foràs in Bethaniam.* Non uno agmine incedentes, nec prælato vexillo, sed diversis viis manipulatim exeuntes, ne ea res populum ad novos motus concitaret, si omnes simul discipuli egrederentur urbe. Alii tamen fortasse rectius censent per mediam urbem attonitis, sed vi divinâ cohibitis Iudæis discipulos Domini eductos. Credibile quingentos ad ascensuri locum convenisse. Educti ergo, non ad ipsum usque oppidum Bethaniam, sed per viam quæ illuc tendebat, in oliveti montem, qui ab Hierosolimis itinere sabbati, hoc est, mille passibus distabat *, erátque inter Bethaniam & Hierosolyma medio itinere. Aut, quod probabilius, & sacræ narrationi cõformius, duxit eos in ipsam Bethaniam, ut familiarem amorem in Magdalenâ ejúsque fratrem & sororẽ ostenderet, & hanc ipsam charissimã sibi familiam ad grande ascensionis suæ spectaculum educeret. Porrò cacumen oliveti in hujus spectaculi theatrum elegit. 1. Quia hoc loco cruciatus suos orsus, cùm in horto sudans sanguine precaretur, & inde vinctus ad Annam & Caipham traheretur. Hîc igitur coronidem certamini ac finem dare voluit, ubi dederat initium. 2. *a* In hoc monte sæpius oravit, & orans pernoctavit. *b* Hîc David Absalonem filium rebellẽ fugit. 3. In conspectu patricidalis Hierusalem Ascensionis suæ gloriam exhibere, & abolitis Iudæorum ritibus Christianam disciplinam sancire voluit. Mons autem oliveti ejus erat altitudinis, ut ex illo ferè omnes Hierosolymorum plateæ, ac ipsum mare mortuum conspici potuerit. 4. Oleum oliveti donum, gratiæ ac misericordiæ symbolum, quam nobis Christus in hoc monte Patiens & ascendens impertiit. 5. Supra hunc montẽ in fine mundi considebit Christus judex. Hoc enim judiciũ exercebitur in Iosaphati valle, quæ olivifero monti subjacet. Sentient hîc impii Iudæi fel & acetum, ubi mel & oleum spreverunt. 6. Oliva concordiæ, pacis, obedientiæ, eleëmosynæ, æternitatis symbolum, quæ omnia Christo & imitatoribus Christi ex asse conveniunt.

**Seu 2000. pedes, uti Hieronymus refert epist. 151. ad Algasiam q. 10. & 30. Beda q. 1. in Acta: Bethania in latere mot. is Oliveti ab Hierosolymis distabat 15. stadiis, seu ferè bis mille passibus.*

Causæ cur Christus cacumen oliveti in hujus spectaculi theatrum elegerit.

a Luc. c. 21. 22. 23.

b 1. Reg. c. 15. toto.

Quæ porrò inter Christum, Christi Matrem, & discipulos colloquiorum suavitas, quæ valedicentium verba, qui gemitus & suspiria, quæ lacrymantiũ gaudia, qui amplexus & castissima oscula, quæ oculorum voluptas, qui animorum motus, quæ omnium in admirandis his spectandis fuerit lætitia, cogitari potest, percenseri ac narrari non potest. Est qui censeat, Christum in cælos rediturum (ut sui amorem discipulis altiùs infigeret) manus & pedes præbuisse tangendo atque osculandos, sacris cicatricibus odorem mirum halantibus: Matri verò latus etiam obtulisse supremis osculis salutandum, in quod illa sese abdere, in cóque ascendere cum filio gestiebat. Neque verò credibile Apostolis minùs permissum quàm feminis illis, quæ, Matthæo teste, *Accesserunt & tenuerunt pedes ejus.*

Ludovic. de Ponte par. 5. med. 18. puncto 1.

Matth. c. 28 vers. 9.

Asserit Paulus: *Deinde visus est plus quàm quingentis fratribus simul: ex quibus multi manent usque adhuc, quidam autem dormierunt.* Probabile, hos omnes unà cum Apostolis præsentes adstitisse tam amœno spectaculo. *Et elevatis manibus suis*, ait Lucas, *benedixit eis. Et factum est, dum benediceret eis, recessit ab eis.* Ita Isaac benedicens filio Iacob: *Qui maledixerit tibi*, ait, *sit ille maledictus; & qui benedixerit tibi, benedictionibus repleatur.* Ita Iacob cancellatis, seu decussatis in crucem manibus, benedixit suis nepotibus. Ita idem Iacob ad suum fatalem lectulum filios suos congregavit, *benedixitq; singulis benedictionibus propriis.* Ita Moyses & Aaron sacrificio perfecto *benedixerunt populo.* Ita Christus elevatis manibus affuso cœtui benedicens, in tantâ triumphi gloriâ, crucis figuram representavit: quo quidem corporis habitu gestúque in oliveto precatus creditur. Formulam, quâ benedixit, opinantur aliqui fuisse istam: *Benedicat vobis Dominus, & custodiat vos: ostendat Dominus faciem suam vobis & misereatur vestri: Convertat Dominus vultum suum ad vos, & det vobis pacẽ d.* Hanc enim Deus præscripsit Aaroni, qui fuit imago Christi. Aut usum censent illâ: e *Pater sancte serva eos in nomine tuo, quos dedisti mihi, ut sint unum sicut & nos: Pater quos dedisti mihi, volo ut ubi sum ego, & illi sint mecum, ut videant claritatem meam.* At certè similem arbitrantur id loci ac temporis adhibitam. Efficacissima fuit utique hæc Christi benedictio, quæ beatos spectatores illos cælestibus bonis liberalissimè ditavit. Non poterat ejus benedictio non esse efficax, cujus dicere, est facere.

Et factum est, dum benediceret illis, recessit ab eis, & ferebatur in cælum. Nam *videntibus illis elevatus est, & nubes suscepit eum ab oculis eorum. Nec enim*, inquit Bernardus, *subitò raptus, ut Elias & Enoch, non furtim sublatus, sed virtutibus illis est elevatus. Quid putatis, Fratres, quantus dolor & timor irruerit Apostolica pectora, cùm eum viderunt à se tolli, & attolli in aëra, non scalis adjutum, non funibus sublevatum, etsi Angelico comitatum obsequio, non tamen sultum auxilio, sed gradientem in multitudine fortitudinis suæ.* Suâ igitur virtute, agilitatis dote, idque sensim, ut diutiùs oculos intuentium pasceret, sese in aërem libravit.

Nec ullum fere dubium, quin prisci Patres subterraneo limbi carcere soluti & qui cum Christo è tumulis prodierunt, cum eodem immortale corpus induti ascenderint, velut Resurgentis Domini primitiæ. Quò illud Paulinum spectat: *Ascendens in altum captivam duxit captivitatem.* Nec etiam dubium, quin Christo reseratum cælum adeunti tota cælestis aula, omnes omnino Angeli in occursum venerint. *Ascendit Deus in jubilo, & Dominus in voce tubæ.*

§. V. *Quibus de causis Christus in cælum ascenderit.*

Quòd Christus hac triumphi formâ in cælum rediderit, diversæ caussæ nobis compendio libandæ. 1. Vt doctrinam & legem suam firmaret, & se cæleste esse vel oculis monstraret. 2. Vt cælum furto pomi obseratũ reserat, & ostenderet regnum suum esse cæleste ac æternum, ideóque suis res terræ despiciendas. 3. Vt corpus tot cruciatibus, tot vulneribus confectum debitâ non privaretur gloriâ. Congrua immortali corpori sedes est cælum. 4. Vt Angelos & omne cælum præsentiâ suâ exhilararet. Cæli *lucerna est agnus*, qui est occisus ab origine mundi. 5. Vt Spiritum sanctum mitteret, & nostram apud Patrem peroraret caussam advocatus potentissimus. *Ita cæpit esse divinitate præsentior, qui factus est humanitate longinquior.* 6. Vt Apostolorum & omnium nostrũm oculos animúmque in altum educeret, secúmque aveheret in cælum. Eò monemur: *Quæ sursum sunt quærite, ubi Christus est in dexterâ Dei sedens; quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram.* Dominus Iesvs sit noster amor: at ubi amor, ibi & oculus, & cor, & thesaurus. Cælum patria est, terra exilium & carcer. Cælum animo habitemus. 7. Vt vel oculis ingereret, quanti promeriti sit humilitas. Recubuit Christus in novissimo loco: jussus est igitur ascendere. *Qui descendit, ipse est qui & ascendit super omnes cælos, ut impleret omnia.* Non enim, ait Bernardus, ascendere poteris, nisi descenderis. Æternâ lege fixum est: omnis qui se exaltat, humiliabitur, & qui se humiliat exaltabitur. 8. Vt doceret suos heroicas virtutum

tutum actiones exercere, & dura pati. Pro se quisque possit dicere: *Ideo omnia sustineo, ut ego salutem consequar, quæ est in Christo* IESV, *cum gloria cœlesti.* Christi ascensio potentissima est ad omnem virtutis cultum exhortatio: quò enim præcessit caput, eò sequentur membra, si capiti suo maneant subjecta. 9. Ascendit Christus in cælum, ut nostram augeret fidem. *Ad Patrem*, inquit, *vado, & jam non videbitis me.* Atqui verò *beati qui non viderunt & crediderunt. Hanc fidem Ascensione Domini auctam*, ait beatus Leo, *non vincula, non carceres, non exilia, non fames, non ignis, non laniatus ferarum, nec exquisita persequentium crudelitatibus supplicia terruerunt. Pro hac fide per universum mundum non solùm viri, sed etiam feminæ, nec tantum impubes pueri, sed etiam teneræ virgines usque ad effusionem sanguinis decertârunt. Hæc fides dæmonia ejecit, ægritudines depulit, mortuos suscitavit.* 10. Ad spem erigendam. Apertum Christi promissum est: *Vado parare vobis locum. Et si abiero & præparavero vobis locum, iterum venio, & accipiam vos ad meipsum, ut ubi sum ego, & vos sitis.* Nam *ubi fuerit corpus, illuc congregabuntur & aquilæ.* Nimirum ascendit pandens iter ante nos. Per Ascensionem Domini non solùm paradisi cives declarati sumus, sed jam etiam cæli adyta penetravimus in Christo. Ergo animos sursum vocatos desideria terrena non deprimant, ad æterna jam electos peritura non avocent, viam veritatis ingressos, illecebræ non retardent; peregrinari nos meminerimus in hac absynthii valle, in quâ etiamsi voluptatis aliquid & commodi blandiatur, non illud tamen nequiter amplectendum, sed transeundum fortiter. 11. Ad amorem inflammandum, ut ibi esset cor nostrum, ubi est thesaurus noster. Ecce amor noster triumphans Capitolium cœleste subiit: plenissimis amoris affectibus sequamur. Subvolemus ad alta; bonum est nos ibi esse. Sin aliter sequi non liceat, saltem ad Christi triumphantis currum hæreamus vincti, appendix ultima triumphi. Et dum imus, aut dum volamus, hilares simul cantemus:

Salutis humanæ sator
IESV, *voluptas cordium,*
Orbis redempti conditor,
Et casta lux amantium.
Tu dux ad astra, & semita.
Sis meta nostris cordibus,
Sis lacrymarum gaudium,
Sis dulce vitæ præmium.

Hanc amoris flammam beatus Gregorius sentiens clamat: *Trahe nos post te, curremus in odorem unguentorum tuorum. Unde, fratres carissimi, oportet ut illuc sequamur corde, ubi eum corpore ascendisse credimus. Desideria terrena fugiamus: nihil nos jam delectet in infimis, qui Patrem habemus in cælis. Ecce iste venit saliens in montibus. Veniendo quippe ad redemptionem nostram, quosdam, ut ita dicam, saltus dedit. Vultis ipsos ejus saltus cognoscere? de cælo venit in uterum, de utero venit in præsepe, de præsepi venit in crucem, de cruce venit in sepulchrum, de sepulchro rediit in cælum.* 12. Vt Christus homo legationis suæ veluti rationem redderet, & tantæ molis opere felicissimè peracto, novum toti cælo gaudium inferret. Ita prisci Patres loquuntur. Cyprianus hanc triumphi gloriam expendens: *Nec linguis hominum*, inquit, *nec Angelorum, nec cujusquam acumine ingenii definiri potest, quæ Patris in reditu filij hilaritas fuerit, perinde ac si ulla ad immortale illud gaudiũ esse accessio potuerit.* Hoc ipsum ponderans Epiphanius: *Christus*, ait, *ingenti gaudio triumphans, ovem humanæ naturæ humeris impositam Patri obtulit, atque pro tali munere, munus Spiritûs sancti quod redderet, impetravit.* Aureus orator Chrysostomus, *Et hæc vobis*, inquit, *dicta sunt, propter corpus quod Christus obtulit: igitur nostræ naturæ primitias obtulit Patri, & oblatum donum miratus est Pater, quod & tanta dignitas offerebat, & quod offerebatur nullâ maculâ fœdabatur. Nam & suis manibus suscepit oblatum, & suæ sedis fecit esse participem, & quod plus, ad partem suæ dexteræ collocavit. Cognoscamus, quis est ille, qui audivit, Sede ad dexteram meam; quæ natura est, cui Deus dixit, Esto meæ particeps sedis? Illa natura est, quæ audivit, Terra es, & in terram ibis. Non enim ad omnem gloriam cælos transisse sufficerat, non cum Angelis stare, sed cælos transivit, supra Cherubin ascendit, ultrà Seraphin elevatus, nec antè stetit, nisi sedem Dominicam meruisset. Vide quo spatio cælum separetur à terrâ, imò terra, quantò ab inferis est, & ipsum cælum quantò ab altiore cælo separatur, & de altiore cælo ad Angelos quantum spatii est, ad superiores etiam potestates, ad ipsam quoque Dominicam sedem. Per hæc omnia natura nostra elevata est, ut homo, qui loco tam humili tenebatur, ut descendere non posset ulteriùs, ad tam excelsam sedem elevaretur, ut altiùs non posset ascendere.*

§. VI. *Nubes Christo ascendenti obvia, Angelorum ad Apostolos verba, impressa rupi vestigia.*

ET *nubes suscepit eum ab oculis eorum.* Hanc nubem veluti sellam curulem misit obviàm Pater Filio. Hinc eam Alphonsus Abulensis Tostatus sedis instar & throni fuisse opinatur. Hæc nubes eximii splendoris indubiè fuit, eo fine submissa, ut ascendentis majestatem suo fulgore vel muta promulgaret, & spectantium oculis illum amœnissimum solem subduceret. De nube hac differens Chrysostomus, *Elias*, inquit, *in curru igneo, Christus in nube ascendit ad cælum. Quando servus vocabatur, currus mittebatur, quando Filius ascendebat, Dominica sedes occurrebat, nec tantum Dominica, sed & paterna. Nam & de Patre ejus ait Isaias, Ecce Dominus sedet in nube levi.*

Sensim eò Christus ascendit, quò poterant Apostolorum oculi pertingere, dein illum nubes spectatoribus subduxit. Mox instar fulguris Christus dote agilitatis in empyreum sese cælum libravit, ubi supremus cæli terræque Dominus, possessionem nostrûm omnium accepit: *ut*, quod Paulus dixit, *impleret omnia* †.

Sed quo vestitu hic triumphator cælos petiit? Solo splendore gloriæ vestitum censet Tostatus. Alii candidam ei vestem, purpuream alii assignant. Crediderim ego veste communi, quâ usus ante mortem, Apostolis sese spectandum præbuisse. Nam cum iis familiariter agere, ab iis videri, tangi, & eum ipsum esse, non alium, qui in cruce pependisset, credi voluit. Atque in hac ipsâ veste in cælum rediisse probabilissimum, ita tamen ut eam gloriæ splendor radius & jubare partim candicante, partim purpurascente perfunderet. Has oculorum delicias cernebant nostræ religionis proceres, lætitiâ exultantes. *Cumque intuerentur in cælum*, ait Lucas, intentis defixi oculis, & ut Ambrosius loquitur, suspensi hoc delectabili aspectu, toti pendebant à cælo. Putat Alphonsus Salmeron, ultimam omnium desiisse videre filium, beatissimam Matrem Virginem; è reliquis eò altiùs quemque oculis secutum, quò plus promeritis excelluisset. Attentiùs hîc expendenda religiosissimæ turbæ dicta, gestus, facta. Quis hîc omnium sensus, cogitationes, admiratio; qui animorum motus, quæ gaudiorum dulcedo, quæ amoris, lacrymarum, & spei suauitas, quæ in ipsâ tristitiâ fuerit jucunditas. Volare sibi sunt visi cum magistro per sublime hoc iter. Prædictum illis, *Amen, amen dico vobis: videbitis cælum apertum, & Angelos Dei ascendentes & descendentes supra Filium hominis.* Viderunt. Nam, *ecce duo viri adstiterunt iuxta illos in vestibus albis, qui & dixerunt: Viri Galilæi, quid statis aspicientes in cælum? Hic* IESVS *qui assumptus est à vobis in cælum, sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in cælum.* Hoc loco interrogat Gregorius, *Quid est*, inquit, *quòd nato Domino non in albis in vesti-*

Non pervolando ab extremo ad extremum sine medio, uti sensit Abulensis, paradoxo 5. c. 13. sed successivè mirâ celeritate singulos cælos ascedit.

† *Ad Ephes. c. 4. v. 10.*

Act. c. 1. vers. 10.

B. Maria ultima desiit videre Christum ascendentem.

Act. c. 1. v. 11

Greg. ho. 29. in Evang.

Cur Angeli in Nativitate Christi nō in albis vestibus, in Ascensione verò in albis vestibus apparent.

vestibus, ascendente autem Domino in albis vestibus Angeli apparent, nisi quòd tunc magna solennitas Angelorum facta est, cùm cælum Deus homo penetravit. Quia nascente Domino videbatur divinitas humiliata, ascendente verò Domino est humilitas exaltata. Albæ etenim vestes exaltationi magis congruunt quàm humiliationi. In Ascensione ergo ejus Angeli in albis vestibus videri debuerunt, quia qui in Nativitate suâ apparuit Deus humilis, in Ascensione suâ ostensus est homo sublimis. Non ergo candidati descendunt Angeli ad nascentis, pugnantis, patientis, morientis Domini humilitatem, sed ad resurgentis & ascendentis triumphum & sublimitatem. Vt autem humaniter & aptè ad persuadendum agerent, juxta illos adstiterunt, dixerúnque, *Quid statis aspicientes in cælum?* subductus est oculis amantissimus Magister, jam eum non ampliùs videre licet. Sed illum ad judicium scitote redituram eâdem hâc formâ, quâ ad immutabilem statum & æternitatis cōsortium ascendit. Sic ergo veniet cum iisdem vulnerum vestigiis, cum nube & signo crucis, cum duplici hominum & Angelorum turmâ, cum incredibili majestate, cum cælesti suorum benedictione, cum judiciariâ potestate. Hic veniet è cælo descendens in eumdem oliveti montem, quemadmodum vidistis eum ascendere in cælum. Vos qui deduxistis euntem, suscipietis redeuntem, sed securi & assessores judicis. Quid ergo statis? Ite; jam ad labores & certamina vocamini. Ergo ad munus vobis demandatum vos accingite. Ite; non canitur triumphus ante victoriam. Ite bonæ oviculæ luporum medio cingendæ. Ite; vos lapides, gladii, cruces, tormenta varia, mors dira exspectat. Sed per hæc ardua itur ad astra. Magistrum in cruce finientem assiduè cogitate. Non est discipulus melior Magistro. Ite & pugnate cum antiquo serpente, vel per mille mortes cœlum vili emitur.

Porrò ascendens Christus in cælum, impressa rupi vestigia reliquit. Quæ beatissimus rex David velut eminus contemplatus, *Introibimus*, inquit, *in tabernaculum ejus; adorabimus in loco, ubi steterunt pedes ejus.* De his pedum Christi vestigiis sanctus Hieronymus, Optatus Melivitanus, Paulinus, Severus Sulpicius, aliíque testantur, ea rupi mansisse impressa, cunctis perspicua, & miraculo indelebilia, locúmque sine pavimento relictum, eò quòd excuteret, quidquid ad ornatum poneretur; hunc insuper, quâ cælum lineâ rectâ suspicitur, & Christus aërem transivit, camerâ seu fornice nequaquam operiri potuisse, sed relictum ita patentem semitæ Domini ascendentis indicē. Quæ Cyrillus Hierosolymitanus confirmans, *Stat*, inquit, *ad hodiernum usque diem mons Olivarum, qui Dominum ascendentem in nube, oculis fidelium modò commonstrat, & portam, quâ ascendit in cælum, indicat.* Christianus Adrichomius urbem Solymæam describens, *Ex istis*, inquit, *Domini vestigiis liquet Christum ascendisse facie & oculis ad Occidentem versis.* Atque hæc Christi Servatoris vestigia tot annorum centuriis permanserunt humo impressa, quidquid erasum inde fuerit & asportatum à Christianis. De his ipsis explicatissimè & cum fide Illustrissimus Dux Nicolaus Christophorus Radzivilus Princeps Polonus, qui ea ipsamet spectavit, ita compendio testatur: Mons Oliveti celsus admodum & latus, ad duo miliaria ejus sese longitudo porrigit; plus spatii ambitu comprehendit. Quà urbem Hierosolyma respicit, amœnam præfert faciem, undique ficu & olivâ consitus frequentissimâ. Istius montis medio Christi ascendentis vestigia cernuntur veluti saxo insculpta. Olim illic templum ab Imperatrice Helenâ erectum jam jacet dirutum. Turcæ ibi exiguum templum habent, cujus medio vestigium Christi unum saxo visitur, quod & ipsi barbari colunt & reverenter osculantur. Alterum verò vestigium exciderunt è rupe & ollâ Turcæ, &, ut dicitur, in templum Salomonis transtulerunt. Turcicum illud templum Christianis ingredi negatum. Nam Caddi Præses Syriæ religionis suæ tenacissimus, ipsas etiam cruces à peregrinis parieti appictas & odit & arcet. Iámque ante biennium sub capitis pœnâ sanxit, ne Christianorum ullus ædem illam, in quâ Christi vestigium est, ingrederetur. Hinc Polonus ille Princeps, quem dixi, ad ostium ædis substitit, & sacrum illud signum Dominici pedis vestigium eminus cernens veneratus est. Hoc Zacharias vates velut digito monstrans, *Stabunt pedes ejus*, inquit, *supra montem oliveti, qui & contra Hierusalem ad Orientem.* Inde morem ad posteros transiisse, ut Christiani ad Orientem versi precarentur, quæ auctor est Athanasius.

Hęc mira oliviferi montis, & vestigiorum in eo impressorū venerabilis Beda posteris consignans, ita verbum è verbo expressit: *In ejus summo vertice ubi Dominus ad cælos ascendit, Ecclesia rotunda, grandis, ternas per circuitū cameratas habet porticus desuper tectas. Interior namque domus propter Dominici corporis meatum, camerari & tegi non potuit, altare ad Orientē habens augusto culmine protectum, in cujus medio ultima Domini vestigia, cælo desuper patente, ubi ascendit, visuntur. Quæ, cùm quotidie à credentibus terra tollatur, nihilominus manent, eamdémque adhuc speciem sui, velut impressis signata vestigiis servant.* Et post nonnulla: *In die Ascensionis Dominicæ, per annos singulos Missâ peractâ, validi flaminis procella desursum venire consuevit, & omnes qui in Ecclesia fuerunt, terræ prosternere. Totâ illâ nocte lucernæ ardent, ut non illustrari tantùm, sed & ardere mons & supposita loca videantur. Hinc in Palestinâ, Ægypto, aliisq; mundi templis usus lampadum consuetus.*

Illud memoratu non indignum addi posse arbitror, quod noti Scriptores narrant. Hierosolyma profectus est cum sociis Lethbaldus gente Burgundio. Vbi ad Olivarum montem pervenit, in crucis modum ad impressa Domini vestigia non sine lacrymis se abjecit; inde corporis pronum erigens diductis brachiis ita precatus: Domine IESV, inquit, qui propter nos de sede majestatis tuæ descendere dignatus es, ut humanum genus salvares, qui etiam ex hoc loco, quem oculis intueor, carne vestitus ad cælos, unde veneras, remeâsti: tuam igitur omnipotentissimam bonitatem obsecro, ut si anima mea hoc anno è corpore migratura est, non hinc recedam, sed in conspectu ascensionis tuæ id fiat, & hâc viâ postte gaudens ingrediar paradisum. Dixit, & in hospitium rediit, jámque cibi nauseans & somni appetens lectum petit cum his vocibus: Gloria tibi Deus. Monetur prandii jam parati. Ille valetudinem excusans, sibi gratiorem cibo quietem ait. Vesperi sacram Eucharistiam poscit, valedicit, moritur.

In hoc ipso monte ad hæc ipsa Domini vestigia beatus Ignatius Loiola, quoad ibi morari licuit, magnis gaudiis affluebat. Nova semper voluptas erat loca alia ex aliis obire, hunc præsertim montem, & in eo pedum sacrorum signa religiosè venerari. Nec verò consilium illi fuit, inde aliquando recedere, sed omnem ibi de cetero vitam, & hisce studiis, & traducendis ad Christum barbaris addicere. Sed loci Præses opportunis eum consiliis in Hispaniam redire compulit. Igitur posteaquam diligenter omnia piéque perlustrārat, datur ex more signum profectioni, cùm hic advena subitis cupiditatibus denuo exarsit, ad olearum montem revisere, & sacrorum pedum vestigia, quæ in lapide ibi Christus reliquerat, contemplari. Quare solus repentè, nemine conscio, & quod periculi formidinisque plenum erat, nullis Turcarum præsidiis septus, eódem redit, impensè

Psal. 131. vers. 7. S. Hieron. de locis Hebraïs in Acta Apostol. Optatus Milev. contra Parmen. l. 6. S. Paulinus ad Severum l. 11. Severus Sulpicius l. 2 hist. sacr. Cyrillus catech. 14.

Adrichom. in descript. Hierus. numer. 192. mihi p. 170. Nicol. Christoph. Radzivil. epist. 2. de suo itinere Hierosolymitano, mihi pa. 78. & ep. eādē pag. 102.

Vestigia pedum Christi, in monte Oliveti impressa, à barbaris coluntur,

pensè obſervaturus, in quam terræ plagam dexteri, in quam lævi pedis indicia ſpectarent: cuſtodi, quòd alia omnia deſierent, cultello forſiculâque in mercedem relictâ. Interim advertitur ex advenis Ignatium deſiderari. Hîc alii metuere, & reducem increpare, ſed & alter quiſpiam Chriſtianus impendio commotior acerbè hominem turbidéque accipere. Sed Ignatius his nihil turbatus identidem intuebatur in Chriſtum, quem totâ è monte in urbem viâ anteambulonem ſecutus, non modicas voluptates hauriebat. Nimirum hunc montem olivarium gaudiis & miraculis poſt mœrores Chriſtus nobilitavit. Mons iſte rex montium, Chriſti precibus frequentatus, certaminis & luctæ conſcius, Servatoris Sanguine irrigatus, videbit & morientem Antichriſtum, & cadentem ſatanam, & revertentem Chriſtum judicem.

§. VII. *Ad parandam cum Chriſto aſcenſionem varii priſcorum Patrum hortatus.*

ERgo quæ ſurſum ſunt quæramus, ubi Chriſtus eſt in dexterâ Dei ſedens; quæ ſurſum ſunt ſapiamus, & præparatas nobis ſedes oculis prœmetiamur. Aſcendit mortis victor poſſeſſionem terræ promiſſæ accepturus. Terra quam daturus eſt nobis Dominus Deus noſter, terra optima eſt, ubi rerum omnium abundantiâ perfruemur. Iam illuc animo prœmigremus, quò & corpus demum ſequetur. Nam *nos qui vivimus, qui relinquimur, ſimul rapiemur cum illis in nubibus obviam Chriſto in aëra, & ſic ſemper cum Domino erimus.* Itaq; conſolamini invicẽ in verbis iſtis. Cùm Chriſtus apparuerit vita noſtra, tunc & nos apparebimus cum ipſo in gloriâ.

Divino juſſu portavit *Aaron* ſummus ſacerdos *nomina filiorum Iſrael in rationali judicij ſuper pectus ſuum, quando ingrediebatur ſanctuarium, memoriale coram Domino in æternum.* En ſummus Pontifex noſter ſancta ſanctorum ingreſſus noſtra nomina deportavit ad Patrem. Gaudeamus & triumphemus. Quò præceſſit gloria capitis, eò ſpes vocatur & corporis. Chriſti Aſcenſio noſtra eſt provectio. *Non ſolùm enim,* ait B. Leo, *paradiſi poſſeſſores firmati ſumus, ſed etiam cælorum in Chriſto ſuperna penetravimus, ampliora adepti per ineffabilem Chriſti gratiam, quàm per diaboli amiſeramus victoriam.* Auguſtino teſte, *Reſurrectio Domini ſpes noſtræ eſt; Aſcenſio Domini glorificatio noſtra eſt. Si ergo rectè, ſi fideliter, ſi devotè, ſi ſanctè, ſi piè Aſcenſionem Domini celebramus, aſcendamus cum illo, & ſurſum corda habeamus. Servator noſter aſcendit in cælum, non ergo turbemur in terrâ. Ibi ſit mens, & hîc erit requies. Aſcendamus cum Chriſto interim corde, ut cùm dies ejus promiſſus advenerit, ſequamur & corpore. Scire tamen debemus, Fratres, quia cum Chriſto non aſcendit ſuperbia, non avaritia, non luxuria, nullum vitium noſtrum aſcendit cum medico noſtro. Et ideo ſi poſt medicum deſideramus aſcendere, debemus vitia & peccata deponere. Inter deponenda, prima ſit omnium ſuperbia. Et videte magnum miraculum. Altus eſt Deus: erigis te? fugit à te. Quare hoc? quia excelſus eſt, humilia reſpicit, & alta de longè cognoſcit. Humilia de proximo reſpicit, ut attollat; alta, id eſt, ſuperba de longè cognoſcit, ut deprimat.*

Igitur qui fecerat omnia, ferebatur ſuper omnia: *Elevata eſt, ô bone* IESV, *magnificentia tua ſuper cælos.* Ne priùs elevata, quàm depreſſa. Gloriam antecedit dejectio. Nam Salomone teſte, *antequam glorificetur cor hominis humiliatur.* Priùs in carcerem Ioſeph detruditur, quàm in currum triumphalem elevetur: priùs venditur ut mancipium, quàm Ægypti prorex dicatur. Hæc regia eſt via ad immenſam cæli altitudinem. Hac viâ Dei Filius cum cœtu tot Beatorum inter occurſus & comitatum tot Angelorum aſcendit, exhilarans & implens omnia. De quo Auguſtinus, *Quàm mirificè*, ait, *myſterio noſter* IESVS *Chriſtus vel tactu corporis ſui, vel tranſitu gloriæ ſuæ omnẽ ad mo-*

mentum creaturam ſanctificat, vivificat, & illuſtrat? Aquas enim conſecrat, dum baptizatur; terram ſanctificat, dum ſepelitur; mortuos ſuſcitat, dum reſurgit; cæleſtia glorificat, dum ad cælum aſcendit. Hinc unique gaudiorũ ſeges ampliſſima. *Et reverà magna*, inquit ſummus Antiſtes Leo; *& ineffabilis erat cauſa gaudendi, cùm in conſpectu ſanctæ multitudinis ſuper omnium creaturarum cæleſtium dignitatem, humani generis natura conſcenderet, ſi regreſſura angelicos ordines, & ultra Archangelorũ altitudines elevanda, nec ullis ſublimitatibus modum ſuæ provectionis habitura, niſi æterni Patris recepta conſeſſu, illius gloriæ ſociaretur in throno, cujus naturæ copulabatur in filio.* Apoſtolorum gaudia beatus Lucas explicans, *Et ipſi adorantes*, ait, *regreſſi ſunt in Hieruſalem cum gaudio magno: & erant ſemper in templo laudantes & benedicentes Deum.* Hæc animo volvens Bernardus, *Nunc*, ait, *verè adimplevit omnia, qui natus eſt inter homines, cum hominibus converſatus eſt, ab hominibus & pro hominibus paſſus & mortuus eſt, reſurrexit, aſcendit, ſedet ad dexteram Dei. Agnoſco tunicam deſuper contextam per totum, quam ſuperna illa manſio claudit, ubi adimpletus eſt, & adimplevit omnia Dominus* IESVS *Chriſtus. Verumtamen quid mihi & ſolemnitatibus iſtis? Quis me conſolabitur Domine* IESV, *quia te non vidi in cruce ſuſpenſum, flagis lividum, pallidum morte, quia non ſum crucifixo compaſſus, obſecutus mortuo, ut ſaltem lacrymis meis loca illa vulnerum delinirem? Quomodo me dereliquiſti inſalutatum, cùm formoſus in ſtolâ tuâ rex gloriæ in alta cælorũ te recepiſti? Prorſus renuiſſet conſolari anima mea, niſi me Angeli in voce exultationis prævenîſſent, qui dixerunt:* Viri Galilæi, *quid ſtatis aſpicientes in cælum? Hic* IESVS *qui aſſumptus eſt à vobis in cælum, ſic veniet, quemadmodum eum vidiſtis euntẽ in cælum. Sic, inquiunt, veniet. Ergóne veniet quærere nos in illâ tam ſingulari quàm univerſali proceſſione, cùm præcedentibus omnibus Angelis, & ſubſequentibus hominibus univerſis, deſcendet judicare vivos & mortuos? Proculdubio veniet, ſed quomodo aſcendit, non quomodo antè deſcendit. Humilis enim priùs venit animas ſalvare, ſublimis autẽ veniet cadaver iſtud reſuſcitare, & configurare corpori claritatis ſuæ, ut infirmiori huic vaſculo abundantiorem impendere videatur honorem. Tunc enim videbitur cum poteſtate magnâ & majeſtate, qui priùs in infirmitate carnis latuerat. Intuebor & ego eum, ſed non modò; videbo eum, ſed non propè, ita ut hæc ſecunda glorificatio priori glorificationi propter excellentem gloriam manifeſtè præluceat. Manipulus primitiarum noſtrarum Chriſtus oblatus eſt, ad dexteram Patris aſſumptus, & aſſiſtit nunc vultui Dei pro nobis. Sedet autem ad dexteram, habens in dexterâ miſericordiam, in ſiniſtrâ judicium; & miſericordiam multam nimis, & judicium multum nimis: in dexterâ aquam, in ſiniſtrâ ignem immobiliter tenens.*

Cum Bernardo exultans & geſtiens Auguſtinus, *Sanctus*, inquit, *& ſolemnis dies illuxit. Exultemus & jucundemur in eo. Chriſtus deſcendit, inferiora patuerunt. Chriſtus aſcendit, ſuperiora claruerunt. Chriſtus in ſepulchro, mentiuntur cuſtodes. Chriſtus in inferno, viſitantur quieſcentes. Chriſtus in cælo, credant omnes gentes. Aſcendit ad Patrem per id quod homo erat, ſed manſit in Patre per id quod Deus erat. Aſcenſionis ergo Dominicæ inclytum & regale myſterium, quòd Chriſtus terram levavit ad cælum, totus canit mundus, & feſtis agit gaudiis triumphos Domini, quia erexit à terrâ inopem, & de ſtercore exaltavit pauperem, eúmque levavit ad Patrem. Pavet omne cælum, mutantur aſtra, concurrit conſeſtim fulmineus illæ militiæ cæleſtis exercitus. Vident regem ſuum vivæ carnis manubias reportare, atque hoſte debellato hominem in ſuperna conſcendere, agnoſcunt in cicatricibus ſigna bellorum: adorant in carne vulnera jam ſanata, ubi nihil peccati macula extinxerat, nec quidpiam ſuâ virulentiâ gravidus ille venẽi draco vomuerat. Serpens enim veſtigium in petrâ non figebat. Plaudunt agmina, tubæ ſonant, lætis ſe miſcentia blanda modulamina choris ſunduntur. Ecce conſeſtim ſplendidus ille ſenatus cæleſtis ex regnis ſolvitur. Viderunt cælites cuncti ſpecioſum vulneribus Chriſtum, ſpoliæ caſtris*

Cor in Aſcenſione Domini ſit gaudiorũ ſeges ampliſſima. *Leo ſer. 1. de Aſcen. Dom. pag. 204.*

Luc. c. 24. v. 52. & 53.

Bern. to. 1. ſer. 2. de Aſcenſ. Dom. pag. 251. & ſeqq.

Act. c. 1. verſ. 11.

Aug. ſer 3. de temp. ſerm. 177. videtur alius quàm Auguſtini calamus.

Aug. ſer. 5. de Aſcen. Dom. in ord. ſer. 178. Neque hæc, putem, Auguſtinum ſapium.

Deut. c. 8. v. 9. & 10.

1. ad Theſſ. c. 4. v. 17. 18.

Ad Col. c. 3. verſ. 4.

Exod. c. 28. verſ. 29.

Leo ſer. 1. de Aſcen. Dom.

Aug. to. 10. ſer. 1. de Aſcenſ. Dom. qui eſt ſermo 50. inter diverſos, ſer. 171. de tempore. p. 339.

Cum Chriſto qui cupit aſcendere, peccata debet deponere. Idem ſer. eodem.

a Inter deponenda vitia prima omniũ eſt ſuperbia.

b Pſal. 8. verſ. 1.

c Prov. c. 18. verſ. 12.

Aug. ſer. 37. de tempore.

castris tyrannicis reportata, & admirantes fulgentia divinæ virtutis vexilla, tubis concrepant hymnis, deducúntque lætantes: Quis est, inquiunt, iste Rex gloriæ? Et ajunt: Dominus virtutum ipse est Rex gloriæ. *Hic est ille candidus & roseus, compunctus à multitudine; hic est ille qui non habuit speciem neque decorem, infirmus in laqueo, fortis in solio, vilis in corpusculo, armatus in prælio, fœdus in morte, pulcher in resurrectione, candidus ex Virgine, rubicundus in cruce, fuscus in opprobrio, clarus in cælo. Iam cælum didicit portare hominem.*

Ps. 23. v. 10.

Bern. tom. 1. ser. 6. de Ascens. Dom. mihi p. 263. & seqq. Matth. c. 17 vers. 4.

Hîc Bernardus opportunissimè interrogans, *Vbi illud jam Petre*, inquit, *quod dixeras*: Domine bonum est nos hîc esse, faciamus hîc tria tabernacula? *Ecce enim ingressus est amplius & perfectius tabernaculum, non manu factum, id est, non hujus creationis. Quomodo ergo jam bonum est nos hîc esse? Imò verò molestum est, grave est, periculosum est. Numirum ubi malitiæ plurimum, sapientiæ modicum si tamen vel modicum invenitur: ubi viscosa omnia, omnia lubrica, operta tenebris, obsessa laqueis peccatorum: ubi periclitantur animæ, ubi spiritus affliguntur sub sole, ubi tantùm vanitas & afflictio spiritûs est. Levemus igitur, fratres mei, levemus in cælum corda cum manibus, & ascendentem Dominum sequi, velut quibusdam passibus devotionis & fidei contendamus. Erit enim cum sine morâ, sine difficultate obviam illi in nubibus rapiemur: & id poterunt corpora spiritualia, quod meritò interim nequeunt spiritus animales. Nunc enim quantis conatibus corda levare necesse est, quæ quidē (ut miserabiliter satis in libro propriæ experientiæ legimus) & corruptio corporis aggravat, & terrena inhabitatio deprimit. Sequamur, fratres, sequamur agnum quocumq; ierit: sequamur Patientem, sequamur & Resurgentem; sequamur multò libentius Ascendentem. Crucifigatur vetus homo noster simul cum illo, ut destruatur corpus peccati, ut ultrà non serviamus peccato, mortificatis nimirum membris nostris quæ sunt super terram. Sed & quomodo ipse resurrexit à mortuis per gloriam Patris, ita & nos in novitate vitæ ambulemus. In hoc enim mortuus est & resurrexit, ut peccatis mortui justitiæ vivamus. Ceterùm quoniam vitæ novitas locum exigit tutiorem, & resurrectionis dignitas altiorem expetit gradum, sequamur etiam ascendentem, quærere videlicet & sapere quæ sursum sunt, ubi ille est, non quæ super terram.* Ipsâ jam oculatâ fide docti sumus, supplices in cælum levare oculos, puras tendere manus. Apostoli nos docent, exilium & carcerē non amare, cælum tam animi quàm corporis oculis identidem suspicere, patriam anhelare; conscripti sanctorum cives, & domestici Dei sumus.

Quorundā in cælum aspicientiū assiduitas.

S. Martini Turonum præsulis ab aspectu cæli, *Suspex cæli*, dicti.

Ita beatissimus Turonum præsul Martinus jugi aspectu inhærebat cælo, eâq; notâ à ceteris dignoscebatur: unde vulgò sortitus nomen, *Suspex cæli*. Cúmque letali febre arderet, supino cubitu jacens, oculis in cælum defixis, precabatur. Rogatus à discipulis ut corpore tantisper verso quiesceret, dum vis morbi remitteret: Sinite me, ajebat, cælum potiùs quàm terram aspiciam, ut suo jam itinere iturus ad Dominum spiritus dirigatur.

Antonii Magni.

Antonius Magnus totas noctes precibus pervigilans, eodem corporis habitu, iisdem oculis sursum elatis, quibus occidentem solem dimiserat, orientem aspiciebat.

Francisci Assisiatis.

Sanctissimus vir Franciscus Assisias eo animi affectu, eâ oculorum assiduitate cælum spectabat, ut ipsum etiam corpus præeuntem animum auderet sequi, & terrâ sese altiùs efferre. Ita vis desiderii & amoris attollebat molem corporis. Hinc & pingitur terræ globum calcans, addito hoc lemmate: *Quæ sursum sunt, non quæ super terram.*

Ignatii Societatis Iesv parētis.

Ignatius minimæ Societatis nostræ Parens, in solarium ascendere solebat, unde cælum liberrimè liceret suspicere. Hîc ille aliquantisper corpore immotus, oculis in cælum defixis stabat, tum capite aperto, genu submisso cæli Regem adorabat; subinde humili scabello fessum corpus excipiebat, & manantibus ubertim lacrymis, erectóque vultu in cælestes plagas illud secum ingeminabat: Heu quàm sordet terra, cùm cælum aspicio!

Maria Magdalena, illa olim non unius cacodæmonis hospitium, sed ab his hospitibus liberata, jámque Domini amatrix castissima, non tantùm suis ipsa oculis ascendentem Christum, quod probabilissimum, affixa cælo spectavit, sed ab eo tempore vitam omnem reliquam ita egit, ut, quemadmodum Anselmus loquitur, Angelis vivendo & diligendo similis, cælum potiùs habitaverit, quàm terram. Maria Magdalena.

Maria Ægyptiaca ubi ab impuriore vitâ resipuit, cælesti voce monita trans Iordanem abiit, & totis quadraginta septem annis solitudinem, imò cælum habitavit. Nam fonte ac radiculis assiduam famem solabatur. De cælo hoc unum habuit agere, cælum jugiter suspicere, cælum perpetuis precibus & suspiriis pulsare, cum cælitibus suavissima colloquia miscere, gaudia cælestia animo præcipere, à cælo tota pendere. Maria Ægyptiaca.

Maria Oegniacensis facultatibus suis omnibus in egenos sparsis, iis insuper, præcipuè leprosis inserviit; pane nigerrimo prorsus & asperrimo eóque solo cum fonte maximam anni partē victitavit; quâ mensâ famem vexavit potiùs quàm extinxit, deliciis inhians cælestibus. Et verò quid illi cælum negaret centies per diem flexo poplite supplicanti, trecentis plagis corpus castiganti? Non durâsset sanè inter hæc supplicia, nisi cœlitum præsentiâ sæpius fuisset recreata: è cælo, quod assiduis votis salutabat, omne subsidium vitæ hauriebat, veluti jam recepta cælo vivebat. Maria Oegniacensis.

Atque isti & istæ, tótque alii Patientis & Morientis, Resurgentis & Ascendentis Christi sectatores atque amici cum beatissimo Paulo de seipsis verè poterant affirmare: *Nostra conversatio in cælis est.* Peregrini erant terræ, sed municipes & cives cæli. Accesserunt *ad Sion montem & civitatem Dei viventis, Hierusalem cælestem, & multorum millium Angelorum frequentiam:* Hîc quidem *hospites & advenæ, sed illic cives & domestici Dei.* Nolebant mentem ad caduca dejicere, nec in infimis cogitatione habitare. Vitam agebant puram, cælestem, sanctam, cœlo dignam. De beatâ vitâ, de Angelis, de Deo, imò cum Deo atque Angelis assiduè loquebantur: ita tendebant ad cælum, & sperabant ad Christum, qui viam ascendendo præmunivit, se brevî perventuros. Ad Philip. 3. vers. 20. Ad Hebr. 12. vers. 22. Ad Ephes. 2. vers. 19.

Eò, mi lector, Deliciæ gentis humanæ, eò nos Christus Nascens, Moriens, Resurgens vocat; eò tendit hæc scriptio. Actiones vitæ sic nobis instituendæ eóque dirigendę sunt, ut, quod Ecclesia canit, ibi nostra fixa sint corda, ubi vera sunt gaudia: uti, qui Redemptorem nostrum ad cælos ascendisse credimus, ipsi quoque mente in cælestibus habitemus.

Rogatus Empedocles cur viveret, Vt cælum aspiciam, ajebat; tolle cælum, & nullus ero. Si Christiani sanguinis homo interrogetur, Cur vivis? Iure optimo respondebit: Vt cælum non tantùm aspiciam, sed & possideam. Hinc meritò Bernardus ad caduca malè depressum increpans, Non pudet te, inquit, erecto vultu cælum suspicere, dejectâ mente in terrâ repere? Ita igitur jam cogitationes nostras erudiamus, ut Dominum Iesvm Nascentem, Morientem, Resurgentem in oculis assiduè habeamus. Hæc una vitæ nostræ requies est; nusquam non alibi turbæ, & magni mœroris seges. Ad Nascentis Christi præsepium, ad Morientis crucem, ad Resurgentis monumentum mens nostra nullo non momento dies nocteśque hæreat affixa. Hinc omne nobis subsidium, hinc solatia, hinc ad omnem pugnā tam vires quàm arma sunt petenda. Præsepe, Crux, Tumulus nostri Regis

Regis ab omni nos hoste, ab omni vitio illæsos tuebuntur. Hac parte vincimur, si amamus.

Et quid magnum est, eum amare, qui tam prodigè nos amavit? Verus amor mutuas vices amat, & ex altero in alterum transit, ut meritò vel belluâ immanior dici debeat, quem nullus in amorem amor provocet. Amorem verbo testari, omnium est, etiam inimicorum. Sincerus in Deum amor, æquo fert animo adversis concuti; convitiis lacerari, rideri, calcari non horret. Inter majora beneficia reponit sperni & cædi pro Christo, quàm divitiis extolli & deliciis affluere cum mundo. Magnam prærogativam interpretatur pro amato quàm plurima pati, solatio est atque gaudio, doloris socium adhiberi. Ex his judicium ferre potes de te déque amore tuo. Nam forsan dices, amari à te Deum. Credam, si verbis facta respondeant. Amare linguâ, & factis hostilitatem profiteri, non amare sed ludere est. Amor parium est. Non amavit nos Christus ore solùm delicato; ad columnam, ad judicum tribunalia, ad crucem sui specimen amoris præbuit, amorem à nobis similem deposcit, robustum & pati omnia paratum.

Sincerus amor in Deum æquiori fert animo adversis concuti, quàm divitiis extolli.

Delitiarum gentis humanæ partis tertiæ finis.

NOE
ARCHITECTVS ARCAE
IN
DILVVIO NAVARCHVS.

CAPVT. I.

Primum diluvii principium, multiplicatio hominum, & flagitiorum.

Definitio felicitatis.

RO GATVS SOCRATES, STOBÆO teste, quid esset felicitas, sapienter in hunc modum respondens, Felicitas, inquit, est voluptas, quam non sequitur pœnitudo. Si terrarum orbem lustremus, & omnes ubique voluptates probè delibemus, non inveniemus ullam è caducis omnibus, quam denique non sequatur presso pede pœnitentia, sed plerumque nimis sera. Denique voluptatum asseclis Paulinum illud jure objicitur: *Quem ergo fructum habuistis tunc, in quibus nunc erubescitis?* Ad Rom. c. 6. v. 21.

Ævo Noëmi conviviis & voluptatibus traducebant vitam, nemo non helluabatur, totus orbis lasciviebat, moribus ubique terrarũ corruptissimis. Quod ingemiscens Christus, *Sicut erant*, inquit, *in diebus ante diluvium comedentes & bibentes, nubentes & nuptui tradentes usque ad eum diem, quo intravit Noë in arcam, & non cognoverunt, donec venit diluvium, & tulit omnes.* Maxima tunc Dei oblivio ubiq; locorum fuit. Vnus atque unicus Noë, quod de Tobiâ dicitur, *Memor erat Domini in toto corde suo. Noë vir justus cum Deo ambulavit.* Dei præsentia locis omnibus assiduè cogitata, in tantâ scelerum colluvie servavit illum velut unicam in denso & horribili vepreto rosam. Matth. c. 24 vers. 28. Tob. c. 1. vers. 13. Gen. c. 6. vers. 9.

Hanc orbis gemmam Noëmum orbi dabimus redivivum, unà cum arcâ annuo omnium animantium stabulo, & diluvio humanæ gentis sepulchro. Totis divinis litteris vix quidquam, putem, adeò divinam bonitatem ac misericordiam unáque justitiam & æquitatem summam sub oculos ponit. Primum est, quod sacri codices dictioni offerunt: *Cúmq; cœpissent homines multiplicari super terram, & filias procreássent.* Hic principium interitûs declarandum. Ibid. v. 1.

§. 1.

IN turbis semper turbæ; magnus populus, grandis tumultus; multi homines, multa sæpenumero vitiorũ colluvies. Cœperunt homines multiplicari super terram, simul & libidinum illecebræ. Multiplicati fuerunt etiam ante diluvium, sed non in eam hominum frequentiam. Ante orbis eluviem ab orbe cõdito pæne duo millia annorum fluxerunt; quo quidem tempore gens humana plurimũ auxit numero; nunc in immensam ferè multitudinem excrevit, sed pari ferè passu succrevit nequitia. Multiplicationem hominum multiplicatio flagitiorum comitabatur, idque Enochi ævo circa septimam ab Adamo & Setho generationem. Hic omnia in pessum ruere cœperunt. Ioseph. l. 1. Antiq. c. 3.

Verè cecinit Hebræus vates Isaïas: *Multiplicásti gentem, non multiplicásti lætitiam.* Multi homines, multa scelera. Idem in Ægypto videre fuit, ubi stirps Iacob in eum numerum excrevit, ut in emigratione sexcenta millia virorum bellicosorũ sint censa feminis, liberis, senibus, ancillis, famulis in hunc numerum minimè relatis. Rex Ninus anno à diluvio ducentesimo quinquagesimo imperare cœpit, quo tempore ita aucti sunt homines, ut in solo Nini exercitu decies septies centena millia peditum, ducenta millia equitum, decem millia falcatorum curruum numerarentur: quod Diodorus Siculus testatur. *Multiplicásti gentẽ, non multiplicásti lætitiam.* De hoc humanæ gentis argumento disserens Iosephus, Qui priùs certatim, inquit, virtutem exercuerant, posteà duplo majori studio malitiam consectabantur. Isa. c. 9. v. 3. Diodor l. 3. cap. 2.

Hoc bono Numini suprà quàm dici potest, displicet, suis nos beneficiis tam turpiter abuti, suâ nos bonitate fieri pejores. Atqui scivit Deus, inquies, hoc futurum. Ita sanè scivit & Christus Iudam fore proditorẽ & furem, eum tamen in Apostolum elegit. Hæc Dei mirissima bonitas est & clementia, ut ea se retardari non sinat ab humanâ nequitiâ. Neque verò decet Deum propterea parciorem esse ad benefaciendum, quantumvis ejus beneficiis abutantur homines in Dei contemptum, suúmque exitium. Quod expendens Ambrosius: *Secuturo*, inquit, *diluvio non debuit æstimari defuisse gratiam fœcunditatis illi generationi, quam diluvia*

Bonitas & Dei clementia nõ retardatur ab humanâ nequitiâ. Ambros. to. 4. l. de Arcâ & Noë c. 3. pag. 141.

diluvia absorbuerunt, ut quod fuit humani generis abundantia, divinæ deputetur gratiæ; quòd diluvium secutum est, nostris adscribatur iniquitatibus, qui peccatis nostris avertimus Dei misericordiam. Principale enim est virtutis inchoare à beneficiis, & præseminare gratiam. Divinum est igitur quòd bona præmittuntur, nostrum quòd mutantur. Sed illud novi nihil est: quò plures, hoc pejores; multi homines, multi delinquentes. Paucitas & paupertas habent pedissequas industriam & frugalitatem; multitudo & opulentia socordiam & nequitiam.

In iis cœtibus, Rebuspublicis, urbibus, quæ hominum frequentiâ non abundant, multò exactior servari potest disciplina, quàm ubi multitudo turbat. Vbi penuria sese contrahit, laboratur, ut acquiratur quod deest; ubi abundantia sese dilatat, in laboris locum succedit otiũ, & quod priùs virtutis erat invitamentum, vitii fit præmium. Si Austria & Boëmia terræ fuissent steriles, numquam fuissent Cæsari tam rebelles. Proterviores facit opimitas soli. Idem Græcorum & Romanorum fertiliores terræ testantur. Annibalem cetera invictum, fomenta Campaniæ fregerunt. Multi custodes malè custodiunt: multa marsupia plerumque parsimoniam & frugalitatem non docent; sanctiùs vivitur parvo. In urbibus populosis, si sævire incipiat pestis, ingenti numero sternit homines, velut autumno folia pruinæ. Ita vitium inter multos vel unicum serpens ingentem trahit catervam; mali contagio pessima, major inter paucos concordia.

Maximè ab anno 1618. ad an. 1622.

§. II.

HOc parentes, & omnes qui familiam ducunt, hoc Consules & urbium Præfecti, hoc Gubernatores & Principes curent, multitudinem in officio continere: si domus plena liberis, aut famulis, aliisq; domesticis, urbs plena civibus, provincia regnúmque populo plenum, hîc maximè attendendum, ne disciplina labet, ne reverentia legum pereat; alioqui perit pudor peccandi, & quivis sui sensûs ac juris temere leges violat, detrectat obsequium peccátque contumaciter. Hîc disciplina domi forisque sancienda.

Et quemadmodũ magister in scholâ singulis mensibus, prudenter judicio exemplum ponat insignius vel in garrulo, vel in obediente, vel pigro, eóq; flagellato ceteros ad frugẽ terreat: sic in domibus, urbibus, provinciis, regnis, disciplinæ vis sæpius instauranda legibus non in memoriâ solùm, sed in opus revocatis. Sunt domus, sunt & urbes atque provinciæ, quæ leges quidem habeant laudatissimas, quarum tamen observantia sit nulla; tabulis hærent inscriptæ, non manibus, nõ actionibus: pulchræ leges, fœdi mores; decreta sancta, executio nulla. Hîc mi paterfamilias, mi Consul, mi optime Princeps, disciplinam & legum observantiam fœcundioribus exemplis instaura; alioqui multiplicabitur gens, & non multiplicabitur lætitia, fiétque, quod Noëmi ævo, *cùm cœpissent homines multiplicari super terram, & filias procreassent.* Artificiosè hîc & prorsus verecundè verbis pauculis immania flagitia divinus spiritus describit. Filias ait procreatas. An non idem anteà, & non superiori ævo? Ita, sed jam longè plures sunt natæ. Causa non una. Prima, flagitiosum, turpe, temulentum, libidinosum vivendi genus; non explico hanc causam, sordet. Altera, singularis Dei permissio. Neque hîc ulteriùs scrutandũ. Tertia suspicio sit, ne forsan historicus sacer ironixῶς loquatur, & tam filias notet, quàm filios, qui tamen tam imbelles, effeminati, molles erant, ut filiæ potiùs potuerint dici. O verè phrygiæ, neque enim phryges. Quarta, jam infamia pharmaca & parricidalia medicamenta in extinguendis fœtibus vulgò nota & in usu erant, ut vetus scriptor notat. Filias quærebant, filios extinguebant, quos volebant; nam

Gen. c. 6. vers. 1.

Causæ cur divinus scriptor dicat filias procreatas.

Virgil. l. 9. Æneid. post med.

A polygamiæ initium jam fecerat Lamechus. Nos hæc scelerum arcana non invenimus, sed auximus, & excoluimus; facilè inventis addere præsertim cùm Geneseos scriptor dicat: *Sensus & cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab adolescentiâ suâ.* Geminis enim & diversissimis partibus constamus: Appetentiâ, quæ mentis vacua, & voluntate, cui ratio moderatur. Reperias homines religiosos & sacros solâ veste tales, corde profanissimo. Pictores, quibus quidlibet audendi fas, talem dimidiâ parte militẽ, alterâ sacerdotẽ pingunt. Talis ferè homo est; parte unâ luteus, quaquà tangis, facillimè frangis; alterâ parte aureus, ratione prædituS. Pars lutea in illud tota propendet, quod suave, quod amœnum, quod sapit; pars aurea, ratione plena, honestum & æquum, & quidquid Deo placet, appetit. Hęc autem miseriarũ humanarum pæne prima est, quòd rationis expers appetentia hominẽ jam in cunis occupet; ratio post elapsos aliquot annos vix B demum se modicè prodat, & imperare incipiat, sed sceptro parum firmo. Hinc levi pugnâ vincitur, & servit, ad imperium nata. Atque hinc etiam pronuntiatum illud: *Sensus & cogitatio humani cordis in malum prona sunt*: nec inferior tantùm & sequior, sed superior etiam ac nobilior pars hominis. Non rarò cogitatè ac consultò mali sumus, animum per omnia versamus, & toto pectore cogitamus, quomodo fruamur voluptate. Rationis quidem esset belluinam hanc appetentiam coërcere, sed ea blanditiis sibi persuaderi sinit non litigare, jure suo cedere, sensibus imperium permittere, consilii pravi dulcedinem sequi, vitiis non reluctari. Ita *sensus & cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab adolescentiâ suâ.*

Hinc humana vita alphabeti litteræ Ypsilon confertur, quæ ab unô pede in geminas sese partes dividit. Infantia & pueritia rationis maximâ partem expers, uno ferè impetu unóque tramite incedit, quo C quidem tempore nec boni possumus dici nec mali. Sequitur adolescentia & juventus, hîc sanguis bullit, & in omne se vitium effundit. Plerumque ad lævam hæc ætas tendit, in vetitum ruit, noxiæ voluptatis mella lambit; ita cum ætate culpa crescit. Proni sumus ab adolescentiâ in malum.

§. III.

Duo ve discenda. 1. Declinare turbam.

EAm ob rem hîc duo nobis solerti studio perdiscenda. Primum est, *Declina turbam.* In turbis semper turbæ. Inter multos homines vix umquam non magna inquies. Consultissimũ est subinde cum Christo & cum Baptistâ Christi acuendæ pietati in domesticam solitudinem sese recipere, solum agere, res animi curare, cum Deo solo & secum loqui. Id operæ sibi Tertullianus sumens, *Vnicũ negotium mihi est*, inquit, *nec aliud nunc, quàm ne curem alia, sed me.* Antonius Magnus loca sola abditáq; habitans, *Iam ego*, inquit, *à triplici bello liber sum; nec enim me oculorum, nec aurum, nec linguæ prælii fatigat, sola cordis pugna superest: cùm enim diabolus non possit esse otiosus, cum corde mihi luctandum est.* Antisthenes Philosophus interrogatus, quid lucri retulisset è philosophiâ; Hoc, inquit, posse mecumipso versari & loqui. Multum verè didicit qui istud didicit. Quanti sunt, qui nec versari secum norunt, nec loqui, turbis & tumultibus sic innutriti, ut cùm coguntur esse soli, pisces sibi esse videantur non tantùm muti, sed extra aquam positi. Eruditè dixit Epictetus: *Mali tragœdi soli canere non possunt, sic quidam non soli deambulare.* Musicus, qui discendi finem nondum attigit, non facilè solus canit, quia facilè impingit; ita homo turbarum amans solitudinem extremè odit, quia hoc unum optimè novit, cum aliis fabulari & garrire. Verè nihil dicimus, si soli esse, in nosmetipsos descendere, cum solo Deo colloqui nesciamus. Quod

Orige-

Origenes apertissimè pronuntians, *Quamdiu quis, inquit, permistus est turbis, & in multitudine fluctuantium volutatur, non vacat soli Deo, nec potest esse sanctus.* A

Origen. ho. 8 in Leuit.

Turbas ante omnia fugiendas Annæus Philosophus exactissimè tradens, *Quid tibi,* ait, *vitandum præcipuè existimes quæris? Turbam. Numquam illi te tutò commiseris. Ego certè confiteor imbecillitatem meam. Numquam mores quos extuli refero. Aliquid ex eo quod composui, turbatur; aliquid ex his quæ fugavi, redit. Quod ægris evenit, quos longa imbecillitas usque eò afficit, ut numquam sine offensâ proferantur, hoc accidit nobis, quorum animi ex longo morbo reficiuntur. Inimica est multorum conversatio. Nemo non aliquod nobis vitium aut commendat, aut imprimit, aut nescientibus allinit.*

Sen. epist. 7. init. mihi pag. 195.

Sen. epist. 10. init. p. 402.

Hæc eadem denuo inculcans. *Sic est*, inquit, *non muto sententiam. Fuge multitudinem, fuge paucitatem, fuge etiam unum*, maximè vitiosum, qui similes tibi mores affricabit, ni fugâ tibi consulas. Turbas igitur, quantum potes, declina.

2. Maturè Deo servi.

Alterum est: *Deo maturè servi.* Quando enim vitia nos tam maturè vellicant, ut ipsas cunas & infantiam illibatas non sinant, adeò ut jam tum urere incipiant urticæ, idcirco etiam maturè in partem alteram inclinandũ, struenda virtutis principia, rebus divinis assuescendum. Quod Salomon monet: *Adolescens juxta viam suam etiam cum senuerit, non recedat ab eâ. Bonum est viro cùm portaverit jugum Domini ab adolescentiâ suâ.* Id faciunt senes, quod facere assueverunt juvenes. Pœnitentia Deo tantò est gratior, quantò magis voluntaria & celerior. Pars optima pœnitentiæ & laude dignissima, cùm juvenis maturè se subtrahit à noxiâ voluptate. Illaudata & iners pœnitentia est, cùm pauper tas aut senium subducit voluptatem; neque verò temperantiæ adscribendum, cùm æger vel deliciarum nauseans cibo potúq; abstinet; hic talis vitia non deserit, sed illa deserunt ipsum. Is volens Deo servit etiámnum qui viribus servit integris. Primogenita & primitias Deus à nobis exigit. Plurimorũ frequens est delirium & stultissima persuasio, eum cibum, quem petulans caro, quem fallax mundus, quem homicida diabolus fœdissimè delibarunt, Deo adhuc honorificè posse apponi; defloratam scilicet juventutem, & exhaustas vires tum demum Deo cõsecrare, cùm Dei hostes ea respuunt. Hoc impietatis commentum est, Deum prærosis dapibus gaudere. Vis servire Deo? servi maturè, & declina turbam, saltem subinde & opportuno tempore. Nimis est imperitus, qui non didicit cum Christo esse solus.

Exod. c. 22. vers. 6. Thren. c. 3. vers. 27. Pœnitentia Deo tantò est gratior, quantò magis voluntaria & celerior.

CAPVT II.

Alterum diluvii principium, oculorum licentia, societas prava.

TAmetsi Moyses ad omnem Ægyptiorum sapientiam fuerit excultus, tam artificiosâ tamen & succinctâ scriptione infandam diluvii vastitatem complecti non potuisset, nisi Spiritus divinus illius calamum imbuisset arcanâ scribendi notitiâ. Ita tribus omnino capitibus mysteria concluſit plurima. Et sexto quidem Geneseos capite diluvii causas percensset, ut neque ij qui perierunt, nec nascitur us post illos orbis injustitiæ Deum possit arguere. Septimo miserandum & pecoris & omniũ hominum in cataclysmo interitum enarrat. Octavo restaurationem mundi, & causas subsidentium aquarum aperit, atque ostendit, quâ ratione Noëmus post annuum ferè carcerem in continentem cum pauculis suis prodierit.

Nos cum Moyse singula exponemus ordine. Hoc quidem capite alterum tot malorum principium adstruemus, *Oculorum licentiam & societatem pravam.* B C D

§. I.

Oculorum licentia est primũ interitus orbis principium.

VTi prima pestis ac pernicies, ita hic ipse orbis interitus nõ minùs ab oculis sumpsit principium. Oculi ad omnia prorsus vitia volantes perniciſſimi tabellarii: & quod Gregorius affirmat, oculi raptores ad culpam. *Videntes filii Dei filias hominum, quod essent pulchræ, acceperunt sibi uxores ex omnibus quas elegerunt.* Hîc ingens interpretum altercatio, quinam fuerint hi filii Dei. Huic bello me miscere supervacaneum censeo; rem paucis perstringam. Sunt è priscis doctrinâ & sanctimoniâ clari scriptores, qui putârunt Angelos bonos cum mulieribus fuisse. Quos Chrysostomus non immeritò acri verborũ aceto defricat, quòd Angelos Dei in culpam trahant tam pudendi consortii. Neque Theodoretus illis parcens, *Quidam*, inquit, *nimis stupidi & stolidi existimarunt eos fuisse Angelos, putantes forsan suæ intemperantiæ patrocinium habituros, si Angelos ejusdem criminis reos tenerent.* Ipsius Dei verba hunc errorem refellunt: *Non permanebit spiritus meus in homine.* Ergo deliquerunt homines, non Angeli. Figmentum illud vix ulli credibile fuisset, nisi auctores habuisset insigniores. Sunt qui filios Dei interpretentur apostatas angelos, qui corpora induerint, & exarserint in feminas, quæ ab illis suis amatoribus stibii & purpuriſſi usum didicerint. Alii viros insigniter proceros & gigantes censent nominari Dei filios. Alii viros potestate eximios, judices, magistratus, præsides. Alii sacerdotes illius ævi putant designari. Suã quisque sententiam propugnat. Vera & vulgata est, Dei filios fuisse Sethi posteros, filias hominũ è Caini stirpe oriundas. Sethi nepotes & abnepotes filii Dei appellantur, quia sanctè majorẽ partem educati, modesti, verecundi, Dei cultores, justitiæ amantes, ad omnẽ probitatem facti. Atque hoc à Setho avo didicerunt, duravit; stirps illa in septimã usque generationem. Tandem ita vulgari vitia cœperunt, ut etiam sanctos mores hęc sæculi corruptela infecerit; inde homines etiam sancti traxerunt labes ab impiâ societate. Deinde solent Hebræi grandia quæque & selecta, *Dei* nomine efferre, montes Dei, cedros Dei, fluvios Dei dicere, uti nos selectiſſimas dapes dicimus ore divino dignas. Ita Sethi filii probitate morum, sed & dignitate formæ commendati. Sethus, Suidâ teste, vocatus Deus, tam sanctis moribus, tam pius ac justus fuit. Idem litteras invenit, & quædam Mathematicę principia. Ita Sethi liberi, filii Dei.

Vera & vulgata sententia est Dei filios fuisse Sethi posteros, filias hominum è Caini stirpe oriundas.

Sethus vocatus Deus quia tam sanctis moribus, tam pius ac justus fuit.

Videntes filii Dei filias hominum: stirps Caini, filię hominum. Ita mala societas coalita est. Ex lege patris Sethi perversis & improbis nubendũ non fuit. Tandem, uti fit cùm primi fervores intepescunt, facilis gratia legis est, parentum monita ut nimiùm prisca negliguntur, excusationes & prętextus in promptu sunt. Ita Sethini connubiis mixti Cainis, nequiores facti sunt illis. Ita res humanę labuntur in pejus. Qui diu fuerant religiosiſſimi, paullatim alienis exemplis imbuti, pravis consortiis tracti sanctiores mores exuunt, alios nequitiâ vincunt, projectiores & scelleratiores vel pessimis. Cum vate Venusino hîc canendũ:

Damnosa quid non imminuit dies?
Ætas parentum pejor avis, tulit
Nos nequiores, mox daturos
Progeniem vitiosiorem.

Horat. l. 3. Carm. oda 6

Nimirum omnis mutatio (quod Aristoteles docet) è contrario fit in contrarium: sic sensim vel optimi ad vitiorum licentiam prolapsi fiunt pessimi; aut ob animum diuis favoribus ingratum, aut quia nequitia recens longè dulcior est jam diu ingurgitatâ.

Arist. to. 6. de longitud. & brevit. vitæ, c. 2. pag. 294.

Deinde sublimes animi & ingenia peracria mediocritatem non ferunt: nam plerumque optimos edunt, aut pessimos partus.

Ita

Ita seri nepotes Sethi ab avis turpissimè degenerârunt. *Videntes filii Dei filias hominum quòd essent pulchræ, acceperunt sibi uxores ex omnibus quas elegerant.* Gen. c. 6. vers. 2. Eruditè Moyses & simul verecundè belluinas nuptias depingit. Nam lascivientes illi homines finem matrimonii nõ spectârunt, sed ut pecudes in pratis nubunt, & sicut equus & mulus conveniunt, ita illi junxerunt connubia. Psal. 31. v. 9. Quod detestatus David, *Nolite*, inquit, *fieri sicut equus & mulus, quibus non est intellectus.* Neque verò illi unam tantummodo uxorem in matrimonium duxerunt, sed plures, nec eas parentum consilio aut rationis ductu, sed prout eis placuit, Venere & Pluto pronubis sibi copulârunt. Neque verò honores aut sanctos mores, aut familiæ ac natalium decus valde ambierunt, sed oculis lenocinantibus, *Acceperunt sibi uxores ex omnibus quas elegerant.* Hinc mera matrimonia malè oculata, quæ diabolus confarreare consuevit.

§. II.

Collyrium adhibendũ oculis ut sani serventur.

Hic sanè discamus, quod collyrium oculis adhibendũ, ut sani serventur. Lippire incipiunt oculi, cùm pecuniam tantùm, aut tantùm formam attendunt. Paullatim vanescit luxu pecunia, defloresçit senio forma; ita postquam suum oculi perdiderunt pabulum, aliò se avertunt, & unà secum cor trahunt. Quanti ab oculis perierunt, his lenonibus ad pudenda tracti flagitia! quot conjuges serò nimis ingemiscunt & plangunt: ut vidi, ut perii, ut me malus abstulit error! Non ignoramus quàm crebrò & alios & nosipsos oculi seduxerint ingenti damno, & tamen oculorum vela & collyria passim omnia rejicimus. Oculorum quidem est videre, sed voluptatis est, quæ auriga illorum, habenas adducere. Verùm aurigâ dormitante, petulantes & effrenes equi, quà ferit impetus, excurrunt. Matth. c. 5. vers. 28. Christus hîc frenos injiciens, *Ego autem dico vobis*, inquit, *quia omnis qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est in corde suo.* Ideo Zaleucus oculos jussit effodi adultero. Nam, ut Clemens Alexandrinus loquitur, prima fornicationis & adulterii sagitta est oculus, & dum lasciviunt oculi, calescunt appetitiones. *Videntes filii Dei filias hominum.* In formatione humani fœtûs oculi omnium ultimi perficiuntur, primi moriuntur. Non malè hoc instituit natura, ut quò majus est nocendi periculum, eò brevius esset spatium. Idcirco etiam fletus sunt instrumentum, ut quia sunt peccati, simul etiam essent pœnitentiæ principium. Pars innocentiæ cæcitas est: incustoditus visus incustoditæ mentis est nuntius. Si fenestræ domûs effractæ, nec pluvias nec nives arceant, putredini ac ruinæ domum exponunt: eadem humani pectoris est ratio. Si oculi ad omnem curiositatem pateant, mens sordibus impletur, & cogitationum pessimarum fit desiderabulum. Cor Salomonis tale; nec ipse diffitetur locupletissimus in seipsum testis: *Omnia*, inquit, *quæ desideraverunt oculi mei, non negavi eis, nec prohibui cor meum, quin omni voluptate frueretur.* Eccles. c. 2. vers. 10. Eam ob rem David sollicitè rogans, *Averte*, inquit, *oculos meos, ne videant vanitatem, in viâ tuâ vivifica me.* Psalm. 108. vers. 37. Ægrotis cibi noxii non tantùm non dandi, sed nec monstrandi quidem sunt: tolle cucumeres & pepones, aufer frigidâ aut cerevisiam, amove à febrientis conspectu vinum; nam inter os & oculos facilis est proditio, levissimè persuadetur æger idem esse salubre quod suave, libenter agitur quod citò creditur. *Oculi*, ait Augustinus, *membra carnis, fenestræ sunt mentis.* Aug. to. 8. in ps. 41 p. 152. Solus aspectus via recta est ad opus.

Oculi ultimi perficiuntur, primi moriuntur: Sunt fletus instrumentum.

Oculus scandalizans abs se projiciendus est. Matth. c. 18. vers. 9.

Oculus urens, aut sicut eum Christus appellat, scandalizans, non eruendus tantùm, sed & projiciendus est, Christi jussu: *Erue eum, & projice abs te.* Eruimus quandoque, sed non projicimus: intermittimus libidinem, sed occasiones libidinis non fugimus. Sic Alipius ex Augustini familiaribus, oculos eruit, non statim projecit. Obstinaverat is animum theatrũ non adire, at cùm amici & condiscipuli violentiâ familiari traherent, Totum, inquit ille Alipium eò non pertrahetis; oculi & animus ibi non erunt: addero velut absens; ita & vos & spectacula superabo. Clausit oculos, aures non clausit. Subitò pugnæ casu ingens populi clamor coortus, Alipius curiositate victus, sed quasi paratus quidquid illud esset, etiam visum cõtemnere, oculos quos eruerat solùm non projecerat, sibi iterum infixit & aperuit. Sed dum immanes illas voluptates vidit, percussus est graviore vulnere in animo, quàm ille in corpore, quem cernere concupivit, ita pugili cadente miserabiliùs cecidit. Vt enim sanguinẽ vidit, non se avertit, sed immanitatem simul hausit, aspectum fixit, furias combibit, delectatus scelere certaminis, & cruentâ voluntate inescatus. Et jam non erat ille, sed unus de turbâ, ad quam venerat; spectavit, clamavit, exarsit, & insaniam secum inde abstulit, quæ non tantùm stimulabat redire cum illis, à quibus abstractus est, sed etiam præillis, & alios secum trahere. Tanti est non eruere solùm oculos, sed & projicere, visum non tantùm custodire & claudere, sed videndi occasiones sollertissimè cavere ac fugere. Quâ in re miraculum haberi potest purpuratus Senator Carolus Borromæus, qui Mediolani habitavit ad forum, curiositatis promontorium amplissimum, eâ tamen oculorum sanctimoniâ & fide, ut in illud prospexerit numquam. Reverà vir iste sanctissimus oculos non solùm eruit, sed projecit. Iobus oculorum custos acerrimus, *Pepigi*, ait, *fœdus cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de virgine.* Iob. c. 31. v. 1. *Quam enim partem haberet in me Deus desuper?* Iobo non satis tutum videbatur non aspicere virginem, sed nec cogitare de virgine necessarium ducebat. Eleganter & religiosè submonet Poëta:

Quid facies, facies Veneris si veneris ante?
Non sedeas, sed eas, ne pereas per eas.

Edictum Christi strictissimũ est: *Si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum, & projice abs te; expedit enim tibi, ut pereat unum membrorum tuorum, quàm totum corpus tuum mittatur in gehennam.* Matth. c. 5. vers. 29. Oculos ergo cohibe, quod satis doceant hi filii Dei, qui oculis non custoditis facti sunt filii diaboli.

§. III.

Alterum. Pravam societatem fuge. Illi ipsi nepotes Sethi *acceperunt sibi uxores ex omnibus quas elegerant*, contra majorum sancita. Consuetudo cum impiis & societas prava, feminarum consortia, res pestilentissima. Cave Sirenes, ni mergi velis & pereas. Exitio id discite alieno. *Filii Dei videntes filias hominum, quòd essent pulchræ*, utique simul & comptæ, illecebrosæ, musices peritæ, societate cum illis initâ in omne flagitium præcipites ierunt. Hanc talem cum feminis societatem Deus gravissimè suis interdicens, *Non ingrediemini ad eas*, inquit, *neque de illis ingredientur ad vestras, certissimè enim avertent corda vestra, ut sequamini deos earum.* Exod. c. 34. vers. 16. His certè artificiis sapientia Salomonis everſa. Idem deplorans David, *Commisti sunt*, inquit, *inter gentes, & didicerunt opera eorum.* Psal. 105. vers. 35. *Fornicatus est populus cum filiabus Moab, quæ vocaverunt eos ad sacrificia sua. At illi comederunt & adoraverunt deos earum.* Num. c. 25. v. 1. 2. *Initiatúsque est Israël Beelphegor. Et iratus Dominus ait ad Moysen: Tolle cunctos principes populi, & suspende eos contra solem in patibulis.* Simul etiam judicibus Israël Pontificibus imperatum: *Occidat unusquisque proximos suos, qui initiati sunt Beelphegor.* Tantorum malorum caussa societas mala. Tersum speculum vel halitu solo inficitur; ita probus homo solâ improbi vicinià inquinatur.

natur. *Qui tetigerit picem, inquinabitur ab eâ, & qui communicaverit superbo, induet superbiam.* Mali mores, contagiosissima lues. Hæc indoles vitiorum est, cum sociis perire velle. Hinc Isaias hortatur & clamat: *Recedite, recedite, exite inde, pollutum nolite tangere.* Præstat malorum æstuare odio, quàm consortio. Sunt animalcula, quæ non sentiuntur cùm mordent, sed cùm relicto morsu nocent, & pars læsa intumescit. Ita & pravi homines occulto blandóque lædunt vulnere, & quod de basiliscis ferunt, solo venenant aspectu vel halitu pravi exempli. *Modicum fermentum totam massam corrumpit.* Si dextra sit offensioni, abscindenda: idem cum amico faciendum. Melius est enim facere jacturam amicitiæ, quàm animæ.

Abrahamus à Deo monitus, solum patrium deseruit, ne corruptorum hominum pravis moribus imbueretur. Neque verò illum Deus ad crebrum familiare colloquium priùs admisit, quàm societatem impiam jussus declinavit.

Inter nequissimos Sodomæ cives quantum periculi adiit Lothus, quem inde vix Angeli extrahere potuerunt?

Ludus Ismaëlis cum Isaaco non immeritò Saræ displicuit. Ab homine nequam vel silente discitur nequitia.

Ut societatem omnem perduellium Core, Dathan, & Abiron populus Israëlis fugeret, gravissimè Moyses edicens, *Recedite*, inquit, *à tabernaculis hominum impiorum, & nolite tangere quæ ad eos pertinent, ne involvamini in peccatis eorum.*

Illaudata familiaritas Amnonis regii juvenis cum Jonadabo artem docuit, quâ sororem ad infame scelus pelliceret.

Optimo regum Josaphato è bello reduci occurens Jehu, illúmque acerbè increpans ob societatem cum Achabo rege initam, *Impio*, inquit, *præbes auxilium, & his, qui oderunt Dominum, amicitiâ jungeris, & idcirco iram quidem Domini mereberis, sed bona opera inventa sunt in te.*

Insignissimè hac in re saput Tobias. *Cùm enim irent omnes ad vitulos aureos, quos Ieroboam fecerat rex Israël, hic solus fugiebat consortia omnium, & pergebat in Hierusalem ad templum Domini.*

Tobiæ natu junioris conjux religiosè gloriabatur: *Numquam cum ludentibus miscui me, neque cum his, qui in levitate ambulant, participem me præbui.*

Judas Machabæus optimus princeps & invictus, sed ubi cum Romanis idololatris, etsi tunc rerum potentissimis, amicitiam & societatem junxit, in prælio victus cecidit. Idem Jonathæ fratri evenit.

Inter Apostolos Petrus animosissimus erat, & carceris & mortis societatem Domino pollicitus. In atrio Caiphæ inter impios ad vocem ancillulæ trepidavit.

Nihil est contagiosius malis exemplis. Mali mores, lues pessima, contagiosissima. Qui communicaverit superbo, ait Siracides, induet superbiam. Idem de aliis vitiis septiendum. Proinde Paulus severè imperans, *Ne*, inquit, *commisceamini fornicariis, quia modicum fermentum totam massam corrumpit.* Verum, verissimum, cum perversis pervertimur.

Oculorum licentia & societas mala è filiis Dei mancipia fecerunt diaboli. Hîc neque avus neque abavus, nec Sethus, nec Enos juverunt pereuntes, qui seipsos his periculis exposuerunt. Tueri vis animum? Hanc serva legem, oculos cohibe, pravam societatem fuge. Oculi vagi, socii mali, ductores ad orcum certissimi.

CAPVT III.

Extrema hominum nequitia, caussa diluvii æquissima.

FLAGITIORVM incrementa & orbis interitus ab oculorum libertate, & hominum pravorum societate cœpit. Frequens ubique populus; viri sanctiores è vitâ decedebant, hinc in dies raritas illorum maxima; nam improbi eorum vicem succedebant, vitia in immensum crescebant: non erat, qui haberi vellet nequitiâ postremissimus: junctis viribus in nefas ruebant, tamquam cælum expugnaturi, & dejecturi Deum. Hoc nimirum laborabat diabolus, Dei consilia turbare, ne luteus homo in Angelorum sedibus locaretur, & quia prima omnium molimina felicissimè cesserunt, jam animosior cœpit insistere operi & robustior.

Diabolus laborabat ne homo in angelorum sedibus locaretur.

Adverterat priùs veterator, familiam Sethi ad optimos mores institutam, & piorum numerum augeri, hinc omnibus viribus contendit, ut homines Deo redderet exosos. Rem eò certè deduxit, ut vitæ integros sanctósque Dei filios ad flagitia gravissima pertraheret. Sua profectò consilia eò promovit, ut videri potuerit consilium divinum penitus turbâsse: siquidem Deus ipse fassus est: *Pœnitet me fecisse hominem.* Hanc orbis miserandam in pejus ruinam hoc capite sub oculos ponemus; unà etiam causas explicabimus æquissimas, ob quas Deus gentem humanam omnem aquis extinxerit.

Ideo Sethi familiam Deo exosâ reddere contendit.

Gen. cap. 6. v. 6. & 7.

§. I.

NOëmi ævo nequitia ingens, horrenda, intolerabilis, quatuor maximè de caussis.

4. Caussæ cur Noëmi ævo nequitia fuerit Deo intolerabilis.

I. Non paucorum ea fuit nequitia, sed omnium & universalis. *Dominus de cælo prospexit super filios hominum, ut videat, si est intelligens aut requirens Deum: omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt: non est qui faciat bonum, non est usque ad unum.* Sanctitas in unico pæne Noëmo est reperta. De uxoris, filiorum & nuruum probitate altùm silent divinæ paginæ. Credibile illos à Noëmo ad optima quæque verbis & exemplis concitatos; num monitis paruerint, incertum. Cham irrisor patris exasse nequam fuit. Certum est, ob Noëmum familiæ Noëmi parsum. Grex piorum nimiùm pusillus. Extra hunc nulla uspiam alibi sanctitas & innocentia.

1. Nõ paucorum, sed omniũ & vniversalis nequitia fuit.

Psalm. 13. v. 2. & 3.

II. Iræ divinæ caussa fuit nequitia omnibus numeris absoluta. *Omnis quippe caro corruperat viam suam super terram.* Ad apicem ea pervenit. *Vidit Deus quòd multa malitia hominum esset in terrâ, & cuncta cogitatio cordis intenta esset ad malum omni tempore.* Quod Hebræi dicunt hac phrasi: Omne figmentum cogitationum cordis eorum tantùm ad malum. Dies & noctes cogitabant, quomodo suis satisfacerent libidinibus. Intellectus cæcus, voluntas perversa in veritum junctis operis ruebant. Cor, malitiæ officina, hoc egit studiosissimè, ut omnem ad se viam intercluderet virtuti. *De corde enim exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia, blasphemiæ.* Nequitiæ fons cor est, quod in illis improbis à Deo aversum hoc unum volutabat, quomodo insignitiùs esset flagitiosum. Actiones bonæ nimis quàm modicæ tenues, taræ fuerunt!

2. Nequitiâ omnibus numeris absoluta.

Gen. cap. 6. v. 12.

Ibid. v. 5.

Matt. c. 15. v. 19.

III. Nequitia fuit prolixa, ad annos pæne septingentos extensa. Quis hîc satis miretur patientiam & longanimitatem divinam, quæ tantò tempore tam fœdam scelerum colluviem tolerabat, & expectabat resipiscentiam? At illi secundùm duritiam suam & impœnitens cor thesaurizabant sibi iram Dei.

3. Nequitia prolixa, ad annos pæne septingentos extensa.

Ad Rom. cap. 2. v. 5.

IV. Sic submersi erant libidinum cœno, ut nec minas, nec monita, nec dehortationes pensi haberent, & impavidi res nefarias committerent. Vitæ melioris monebantur

4. Impavidi res nefarias committebant.

nebantur assiduè, ædificium arcæ cernebant crescere, aquarum supplicium pridem prædictum imminere, rem denique valde seriò agi audiebant. At illi dapsiles mensas, hilares ludos, nubiles filias, feminas formosas pluris æstimabant. Vulgatum illis canticum erat: Sinite delirum vetulum architectari & fabricare; nos hilariter, nos hodie vivamus. Feris sanè ferociores ac stultiores: illæ ad arcam properârunt, ut angustum in eâ caperent latibulum; isti arcam & architectum ejus Noëmum irriserunt, monentem contempserunt; emendatio vitæ nulla; nemini placuit ad frugem sapere. Multi in pravæ societatis gratiam, ne timidi aut inconstantes haberentur, à parte sceleſtorum hominum stabant: dulce videbatur perire cum multis. Sociata damna minùs feriunt.

Beatus Lucas ex ore Christi hunc orbis interitum deplorans, *Edebant*, inquit, *& bibebant, uxores ducebant & dabantur ad nuptias, usque in diem, quâ intravit Noë in arcam, & venit diluvium, & perdidit omnes.* Ita solent homines; corpus accuratissimè comunt, in rebus animi & salutis incuriosissimi sunt: ludus & jocus illis est animi jactura: connubia, nuptias, convivia, choreas agitare princeps eis studium fuit. Matrimonia lascivientibus fuerunt honestatis vela. Effrenatæ cupiditates sic eos inescârunt, ut pœnarum securissimi viverent in diem, perinde si periculi aut mali nihil esset metuendum. Vir eruditus, Lucas Brugensis de Noëmo disserens, Non dubium inquit, quin fama arcæ orbem penetrârit, etsi Noë non ad omnes venerit; nihilominus pars irrisit, pars parvi fecit; aliqui monitis aliquantulùm commoti, quia tamen differri pœnam videbant, lascivire pergebant.

Luc. cap. 17. v. 27.

Hujus genii est luxuria, ut hominem reddat oscitantem, securum, negligentem, temerarium, in omnem turpitudinem projectum, omnium curarum, quæ ad animum spectant, expertem. *Non cognoverunt*, inquit Matthæus, *donec venit diluvium, & tulit omnes.* Exitium futurum nôsse poterant, sed nolebant, fidem habere dictis recusabant, hiantibus oculis nihil videbant, scientes & prudentes nesciebant, quæ ad animum facerent & salutem. Libido eis meliores cogitatus omnes rapuit. Idcirco tantopere laborat diabolus, ut homines hac escâ libidinis fallat: captus est, quisquis hoc vitio inescatus est; in omnem scelerum turpitudinem facilè miser trahitur, & non resistit. Jámque diabolus multâ didicit experientiâ, viros etiam sapientes & cetera pios hoc libidinis mulso ita dementari posse, ut levi nisu in magna etiam flagitia impellantur. Argumentum diabolorum hoc est: Non eris fortior Samsone, sapientior Salomone, sanctior Davide.

Matt. c. 24. v. 39.

Diabolus laborat ut homines escâ libidinis fallat.

§. II.

1. Luxuria vincit cetera vitia amplitudine.

PRæterea nôrunt exactissimè diaboli, quàm variè vitia cetera vincat luxuria. I. quidem *Amplitudine.* Dilatat sese libido, & vires suas in cujusvis generis hominibus explorat: nec enim divites tantùm, sed & pauperes infestat; non in auro solùm & purpurâ, sed & in paleis & fœno cubat: nulli sexui, ætati, ordini parcit, pæne omnes invadit: rari sunt, heu rari nimis, quos non vellicet. Nubentes & nuptui tradentes. Hæc omnium erat cogitatio, libidini vacare. Neque verò leges & onera matrimonii expendebant, sed uxores sibi eligebant ad oculorum arbitrium. Omnium erat votum, copulari nuptiis.

Gen. cap. 6. v. 3.

Hinc gravissima illa Numinis indignatio: *Non permanebit spiritus meus in homine, quia caro est*; totus homo carnem sapuit, non naturâ, sed nequitiâ. Illud de tali dicitur: Pro sale accepit animam, ne scilicet putrescat corpus. Luxuria igitur vitium universale.

2. Diuturnitate.

II. Luxuria vitiorum turbam vincit *diuturnitate*, si quem pedem in animo fixerit, adeò firma hæret, ut vix avelli queat. Eam ob caussam juvenes summâ sollicitudine ab omni hac peste servandi. Hîc maximè principiis obstandum. Nam si libido in adolescente aut juvene aliquantulum irroborârit, væ misero, consenescet in hoc vitio, & contabescet; pæne priùs esse vivus desiner, quàm vitiosus. Subinde forsan conabitur hanc pestem excutere, sed videbitur sibi hoc numquam effecturus. Ahlmalum libidinis glutinosum nimis & viscatum est: & quamvis fomes in corpore sopitus videatur, nihilo seciùs scintillat in animo; cur non restitisti, cùm accenderetur? En Noëmi ævo nec meta nec finis ullus libidinum; adeò hic avernalis luxuriæ ignis in flammam validam exarsit, ut in immensum creverit seipso semper fortior. Annis septingentis venerea hæc lues per orbem grassabatur. Nec cessâssent impuri homines libidinari, nisi Deus tempori adfuisset, & hanc in nefarios sententiam tulisset: Nimiùm invalescit libidinum ignis in terrâ; cogor aquam his flammis affundere, alioquin hoc inferorum incendium in orbe non sopietur.

III. Luxuria vincit alia flagitia *fœcunditate*: nam seminarium est ceterorum, & innumerabilium malorum ex hac basilisci fœturâ emergentium. Luxuriæ leve quid est, hominem unum perdere, totas domos, civitates, provincias, regna evertit. Judas Josephi frater tres educavit filios, quorum hæc nomina, Her, Onas, Sela. *Fuit Her primogenitus Iuda, nequam in conspectu Domini, & ab eo occisus est.* De Selâ idem asserit Geneseos liber: *Percussit eum Dominus, eò quòd rem detestabilem faceret.* Homines impuri morte præmaturâ meritò mulctati. Sed nec parens filiis castimoniæ præbuit exemplum. Exiguus igitur luxuriæ triumphus, vir unus aut una femina malè perdita, qualis Jezabel regina, canum morsibus lacerata. Nec grande quid, domus una libidinibus pessumdata. Heli duo filii unâ perimuntur in bello, pater eversâ sellâ cervicem frangit, nurus in partu extinguitur. Cur eos Heli à flagitiosâ consuetudine ad amorem pudicitiæ non revocavit? Nec magnum quid est, urbes totas luxuriæ sordibus deletas. Urbs Gabaa ob unicam feminam ab impudicis civibus vitiatam, ferro & flammis exscisa, cæsis ad eam quadraginta tribus millibus virorum. Neque istud luxuriæ satis, totas domos & familias, civitates totas funditus deletas; totas provincias, nationes, regna tota pessumdat & evertit. Reverâ Hispaniæ regnum ob regem Rodericum, qui honestam virginem violârat, in Maurorum potestatem redactum est. Sed & hoc luxuriæ parum est, tota excindere regna; orbem totum in exitium adduxit, aquis submersit, in stagnum redegit. Videte, obsecro, quale scelerum & malorum sit omnium seminarium luxuria. Ideo Chrysostomus hanc luxuriæ sæviſſimam fœcunditatem expendens, *Vidit Dominus Deus*, inquit, *quòd multiplicata sunt malitiæ hominum. Ex hoc enim malo quasi è fonte multa alia oriebantur mala. Nam ubi scortatio & luxuria, ibi ebrietas & crapula; magna injustitia, avaritia, & innumera alia mala.*

IV. Luxuria præ ceteris vitiis curatu difficillima. Chrysostomus, quem dixi, huic pæne insanabili morbo præ cæteris ingemiscens, *Vidisti*, ait, *stupidas & sensu carentes animas nihil eorum capiunt quæ spiritûs sunt, nullis moventur monitis, perinde ac si rationis expertes sint. Nec pœnæ timor, nec divinæ longanimitatis tempus arcunt illos à malis operibus, sed semel in præceps dejecti, à malâ concupiscentiâ quasi ab ebrietate demersi, redire ultrà noluerunt.* Ita priùs mersi sunt suis concupiscentiis, quàm aquis. Quis talis juverit sui exitii amantes, qui vitia in mores & peccandi licentiam in consuetudinem deducunt? Atque istud suo nomine malitiam appellamus, cùm quis non tantùm semel iterumque labitur, sed quod decies, quod vicies ac tricies, quod centies pessimè patravit, tandem necessitate se vinctum existimat eadem sine numero patrandi. Ita qui priùs subtimidè peccavit jam amoto metu omni, velut exlege peccat

ge peccat audaciſſimè. Hinc ſacer Hiſtoriographus, *Corrupta, inquit, eſt terra coram Deo, & repleta eſt iniquitate.* Ita tellurem ipſam ſceleribus contaminârunt: ubique Bacchus & Venus imperabant, temulentia & luxuria orbem univerſum inquinabant. Et certè tam acervata fœdæ libidinis flagitia Domino puritatis amantiſſimo ita ſtomachum moverunt, ut diceret: *Quia caro ſunt, non permanebit ſpiritus meus in eis.* Hîc duo ſingulariùs condiſcenda.

§. III.

1 Carnem doma.

PRimum: *Carnem doma.* Ægrè perſuademur, ut credamus, hoſtem nobis tetriorem non eſſe carne. Nihil verius: exitioſiſſimus hoſtis eſt caro, niſi quotidianis dometur rigoribus. Indulges ei, & connives? certam tibi ſtruis perniciem. Hæc beſtia blandimentis & deliciis nimiùm quantum efferatur; quantò enim magis ei parcitur, tantò minùs officio ſuo fungitur. Certè ſi domeſtica carnis proditio diabolum & mundum non juvaret, multò faciliorin eos pugna foret. Sed inquilinus ac ſubdolus fur iſte, dum à mundo & ſatanâ facit, nos extremè perdit. Quod Siracides ſapienter adſtruens, *Quid nequius*, inquit, quàm quod *excogitavit caro & ſanguis?* Narrat Tacitus, Agrippinæ Neronis matri prædictum, à filio, ſi regnet, occiſum iri matrem. At illa promptè & intrepidè, Occîdat, inquit, dum imperet. Vociferantur Prophetæ, vociferatur Chriſtus & Apoſtoli: *Caro & ſanguis regnum Dei poſſidere non poſſunt. Si ſecundùm carnem vixeritis, moriemini.* A ſuæ carnis amans, Moriar, inquit, modò priùs cupitis deliciis fruar. Non permanebit ſpiritus Dei in homine tali, quia caro eſt.

2 Luxuriâ execrare.

Alterum, quod hîc condiſcendum: *Luxuriam execrare.* Cauſſam dicti aſſignans Ambroſius, *Nihil eſt*, inquit, *quod tam miſeræ ſervituti ſubjiciat hominem, quàm libido atque ejuſmodi cupiditates, quæ jugo criminum gravi deprimunt miſeram conſcientiam.* Quiſquis diabolum ſuâ domo vult excluſum, obturet hoc impuritatis oſtiolum, deteſtetur & fugiat, quidquid animi corporiſque puritati adverſatur, alioqui certè cacodæmon animum illius ſibi mancipem faciet, & miſer id neſciet, quia caro eſt. Unuſquiſque pro ſuâ pugnet caſtimoniâ & pudicitiâ conſtantiſſimè; neque ſeipſum ſolùm, ſed & familiam ſuam omnéſque ſibi commiſſos ab hac libidinis lue pro viribus tueatur. Quâ in re conſultum foret, ut concionatores ſæpius clamarent ex alto: O patres & matresfamilias, ô domini & dominæ nihil hac in re connivete; mores inverecundos, carmina, feſcennina, cantiunculas propudioſas, verba prætexta & impudica neutiquam tolerate. Procul, ô procul hanc peſtem à veſtris ædibus. Inde vel libidinis umbram eliminate; quoſcumque hujus delicti reos deprehenderitis, ita ſeriò caſtigate, ut ſentiant ſe caſtigatos. Hoc carnis vitium inter veſtros nequaquam pullulare ſinite; ſceleris radices & fibras maturè convellite; ſeveram horum rationem à vobis Deus exiget. Libido, peſtis teterrima. Fuge hanc, fuge, quiſquis Beatorum amas æternitatem.

CAPVT IV.

Quomodo DEVM *pœnituerit creati hominis.*

SI triſtis agricola ingemiſcat altùm, caput fricet, & dicat: Utinam ego mea ſemina poſſim recipere! pœnitet me, quòd vel unicum huic agro granulum inſeminaverim, eique tantum laboris impenderim. Expectati fœnoris nihil recipio; oleum & operam perdidi; nec unius nummi pretium ad me redit. Hoc lacrymoſum agricolæ *pœnitere* ſatis oſtendit, agrum aut ſterilem & infecundum votis operoſis non reſpondere, omnem in eo laborem perditum, aut certè jam ſtantem lætámque ſegetem grandine jugulatam. Et quamvis ſex ſeptémve graciles ſurgant ſpiculæ, nec milleſima tamen pars eſt ſementis diu ſperatæ.

Deus hunc orbem velut agrum conſevit: cœperunt homines multiplicari ſuper terram. Cùm autem expectaretur meſſis, ager hic urticis & ſpinis obſitus, jam merum ſenticetum ſolam vitiorum ubertatem exhibuit. Hîc mœſtus agricola negatis fructibus ingemiſcens. Pœnitet me, inquit, & jacti ſeminis; & operæ conſumptæ in ſteriliſſimum hunc agrum? Pœnitet me feciſſe hominem.

Neque ſolùm facti Deum pœnituit, ſed valde & ex animo pœnituit, tactus dolore cordis intrinſecus. Quid hoc, mi Deus, tam vehementis, tam novæ ac ſingularis pœnitentiæ? Hic agricola ſemper alioqui lætiſſimus, jam triſtatur & dolet, tunditque pectus, ut probè monſtret, quàm ſui ſe laboris & ſparſi ſeminis in agro tam ſterili acerbè pœniteat. Sed num pœnitentia Deum afflictare poteſt? Reverâ, dixit, *pœnitet me feciſſe eos.* Neceſſarium igitur hac de re pluſculum diſſerere. Explicandum, quare, & quomodo Deum collati in homines beneficii pœnituerit. *Gen. cap. 7. v. 7.*

§. I.

Peccatum totum orbem turbavit & Deum cõtriſtavit.

PEccatum ita turbavit & confudit orbem, ut ipſum etiam cælum penetrârit, ad Dei ſolium perrepſerit, ipſum etiam Deum contriſtârit. Filius Dei in crucem ſuffixus eſt, ſed in terrâ, ſed in corpore mortali. Quòd autem Deus in cælo pœnitentiæ ſe ſubjiciat, inter dolentes ſe ſtatuat, dicátque, *Pœnitet me feciſſe eos*, hoc intelligentiâ & ratione comprehendi vix poteſt. Et quæ hæc demum tanta fuit orbis confuſio, ut reperta ſit pœnitentia in Deo, qui gaudiorum & voluptatum omnium fons eſt? Pœnituit eum, quòd hominem feciſſet, idque bis tèrve reperitur. Tantam confuſionem orbis & conturbationem excitavit peccatum, quòd elementa, quòd cælum & terram, quòd res creatas omnes turbavit, præcipuè verò dominum orbis hominem in errores induxit fœdiſſimos. Iſtud enimverò per ſex primos Dei operoſos dies luculentè monſtrari poteſt.

Peccatum res omnes creatas turbaſſe per ſex primos Dei operoſos dies monſtratur. *Hier. cap. 4. v. 23. Iſa cap. 34. v. 4.*

Primo dierum lux creata; lucem fugat peccatum. Hieremias vates ingentem ubique vaſtitatem cernens, *Aſpexi cælos*, ait, *& non erat lux in eis.* Altero die conditi ſunt orbes cæleſtes, quos peccatum etiam temerare audet. Miratus hoc Iſaias, *Tabeſcet*, inquit, *omnis militia cælorum, & complicabuntur ſicut liber cæli*, ne ſcilicet operiant peccantes. Die tertio creata ſunt germina, plantæ, arbores, quas itidem peccatum inficit. *Aſpexi terram*, inquit Hieremias, *& ecce vacua erat & nihili.* Sol quarto die fulgere cœpit, de quo Iſaias, *Obtenebratus eſt ſol*, inquit, *in ortu ſuo.* Cur, obſecro? Cauſſa apponitur: *Viſitabo ſuper orbis mala, & contra impios iniquitatem eorum.* Quintus dies volucres & piſces dedit. Hîc iterum Hieremias lugens, *Sapientes ſunt*, inquit, *ut faciant mala, bene autem facere neſcierunt. Intuitus ſum, & non erat homo, & omne volatile cæli receſſit.* Die ſexto pecudes & homines orbem cœperunt habitare. Oſeas orbem à peccato miſerrimè vaſtatum deflens, *Non eſt enim veritas*, inquit, *& non eſt miſericordia, & non eſt ſcientia Dei in terrâ. Propter hoc lugebit terra, & infirmabitur omnis qui habitat in eâ, in beſtiâ agri, & in volucre cæli.* Cum homine delinquente, puniuntur creata omnia, quia delictis auxilium ſubminiſtrârunt. Hinc reus in delicti pœnam rebus omnibus privatus eſt. *Iſa. cap. 13. v. 10. Ibid. v. 11. Hier. cap. 4. v. 22. & 25. Oſea cap. 4. v. 1. & 3.*

Sic igitur peccatum orbem univerſum perturbavit, ita hominem inſtigavit in Deum, ut Deus, qui tam ſuiipſius quàm rerum omnium perennis eſt beatitudo, ſuos ſibi labores quaſi ſordere permiſerit & diſplicere, tamquam facti ſui pœnitentiam acturus. Hanc è divinis paginis deſcribemus hîc ordine. *Gen. cap. 1. v. 6.*

Deum pœnituit feciſſe hominem.

I. *Pœnituit eum, quòd feciſſet hominem.* Vide, inquit Chryſoſtomus, verbum craſſum, & noſtræ pravitati accommodatum. Quemadmodum qui malè rem gerit, ſeipſum

seipsum turbat & accusat: Cur hoc feci? Utinam non feciſſem! Si hoc præſciſſem, illud profectò numquam attentâſſem; Vellem dicta facta revocare, ſi poſſem. Ita ſeipſum erroris arguit cum dolore. Pœnitet eum conſilii. Ita Deum creati hominis pœnituit. In eâdem Geneſeos hiſtoriâ ſub exordium refertur: *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona.* Unde jam igitur hæc tam matura pœnitentia? Si quis pictorum imaginem pingat ad omnes artificii leges abſolutam, elegantiſſimam, quam ſciat nemini non placituram, quam & ipſe inter elaboratiſſimas picturas approbet, aliquot tamen poſt diebus ab oculis eam amoveat, damnétque tenebris & carcere, dicátque. Mei me laboris pœnitet: quid cauſſæ dicemus eſſe, quòd ſubitò diſpliceat artis exactiſſimæ imago? Rhyparographus aliquis, & cucurbitarum pictor eam emendaturus, artificium omne extinxit. Ita peccatum hominem ad omnem morum innocentiam conditum fœdiſſimè deſtruxit. Hinc Deus facti pœnitens ut homo. Verè tunc affirmari potuit de Deo: Et homo factus eſt; pœnituit eum, uti ferè hominem liberalitatis malè collocatæ ſolet pœnitere. Atque hoc Deus ſcribendum Moyſis calamo dictavit, ut orbis univerſus ſummam peccati fœditatem tantò caperet exactiùs, quantò certiùs ſciret peccato Deum graviſſimè læſum, & iram ejus implacabilem commotam.

Gen. cap. 1. v. 31.

Ut fœditatem peccati tantò exactiùs caperet orbis univerſus.

II. *Et prævidens in futurum,* non ſibi, ſed poſteris. Perinde ſi dixiſſet Deus: Hac aquarum eluvie cautos reddam poſteros, hoc orbis ſupplicium erit illis ad edomandam carnem documentum, ad cavendam libidinem monimentum: & vel hinc ſatis condiſcent, quantùm mihi diſpliceat peccatum. Ita benigniſſimus Deus humanam gentem ſibi ſumpſit erudiendam velut præceptor puerulum, qui non ſolo virtutis amore, ſed metu ac formidine pœnæ in officio continendus, alioqui vix ferè aliud quàm malè agere diſcit. Hebræi Sapientis monitum eſt: *Noli ſubtrahere à puero diſciplinam: ſi enim percuſſeris eum virgâ, non morietur. Tu virgâ percuties eum, & animam ejus de inferno liberabis.* Omne humanum genus Deo velut puerulus unicus, ſed petulantiſſimus, indomitus, ad audendum projectus, præceptori optimo inobedientiſſimus. Mundum ergo adoleſcentem, juveniculum, laſcivientem, protervum, velut puerulum ſtultum providentiſſimè ita corripuit, ut per omnem reliquam vitam meminiſſet poſſe ſe corrigi.

Gen. cap. 6. v. 6.

Diluvium eſt hominibus ad cavendam libidinem monimentum.

Prov. c. 23. v. 13. & 14.

III. *Tactus dolore cordis intrinſecus,* quod Hebræi ſolent dicere: Doluit Deus in corde ſuo; contriſtavit ſe & anguſtiâ affectus eſt ad cor ſuum. Horum interpres Hugo, Non eſt dolor, inquit, niſi de amiſſione ejus quod amatur: quantò profundior erat amor, tantò altiùs tangebat dolor. Subinde judex quæſtionis capitalis, muneri ſuo ingemiſcens, Animo, inquit, doleo, quòd cogar in hunc hominem decretoriam dicere ſententiam, ſed iſtud à me meum officium, prætura exigit. Ita Nero ſub initia imperii ſententiæ capitali ſubſcripturus. Quàm vellem, ajebat, neſcire litteras! Ita mitiſſimus Deus dolore cordis tactus, animo dolebat, gentem humanam omnem capitis & ſubmerſionis eſſe damnandam. Quem dolorem Nicolaus Liranus explicans, *Dolores,* inquit, *& paſſiones nullo modo ſunt in Deo ſecundùm rem, ſed ſecundùm modum.* Nam, quod Auguſtinus dixit, *Dei eſt de omnibus omnino rebus tam fixa ſententia, quàm certa præſcientia.*

Gen. cap. 6. v. 6.

Dolor non eſt niſi de amiſſione ejus quod amatur.

Sueton. in Nerone c. 10. mihi p. 326.

Aug. lib. 15. de Civitate cap. 25.

§. II.

IV. *Delebo hominem, quem creavi, à facie terræ, ab homine uſque ad animantia, à reptili uſque ad volucres cæli.* Quanta & quàm deteſtanda ſcelerum immanitas! Hominem Deus, quem creavit, perdidit: creavit è nihilo; rationem, arbitrium, boni maliique ſcientiam dedit, aliquot annorum centuriis reſipiſcentiam impiorum expectavit, quod potuit, fecit. Sed quia nil penitus profecit, demum juſtitiæ neceſſitate adactus, tot annis acervatas mundi ſordes immiſſis aquis eluere, & totam familiæ rationem commutare debuit: ita quidem ut familiâ priori ejectâ, nova de integro fuerit inſtauranda. Neque tamen id factum ſine gravi Numinis indignatione. Neque enim ſoli homines, ſed ipſæ quoque animantes propter homines extinctæ: omnia turpitudine plena erant, omnia igitur expianda. Hîc tamen magna clementiæ mixtura interceſſit, uti Ambroſius obſervat, nam dixit: Delebo hominem; uti facere ſolet, qui, dum ſcribit, litteras aut voces delet, non conſcindit, non lacerat chartam; quædam verba delet, alia vicem eorum ſcribit. Ita Deus: Hos tollam, alios reponam. Si humano more excanduiſſet, orbem univerſum penitus evertiſſet.

Gen. cap. 6. v. 7.

V. *Pœnitet enim me feciſſe eos.* Rupertus Tuitienſis Geneſi lucem affundens, Nullus homo, inquit, ſatis explicare ſufficit, quomodo Deus ſine motu ſævit, ſine crudelitate occidat, ſalvâ pietate ultionem agat, & cum tranquillitate habeat furorem. Ita Deus dixit: *Pœnitet me, quòd conſtituerim Saul regem.* Hîc humano ritu modóque locutus eſt Deus. Nec enim cadere in Deum poteſt pœnitentia, quæ plerumque culpam, & non rarò ignorantiam præcedentem conſequitur. Quæ omnia procul à Deo. Hac igitur loquendi formulâ ſignificavit Deus Samueli, velle ſe regnum, quod indulſerat Sauli, ab eo auferre. Ita hoc Dei conſilium de humanâ genre abolendâ dicitur pœnitentia ab effectu: quia id fecit Deus quod homines ſolent, quos facti aut conſulti pœnitet. Hi enim conſulta mutant, conſtructa ſolvunt, facta revocant, nova inſtituunt.

Ibid.

Exod. 32. v. 14.

Reg. 15. v. 11.

Num. 23. v. 19.

VI. *Finis univerſæ carnis venit coram me.* Uti reo in carcere dicenti, aut accuſatori in foro peroranti, ita Deus clepſydram ponens peccantibus, *Erúntque,* ait, *dies illius centum viginti annorum.* Quibus verbis denuntiat, non adeò multos ſupereſſe annos velut horulam, eâ elapſâ proximum fore interitum. Sunt, qui putent vivendi ſpatium à Deo præfixos centum viginti annos. Adverſus hanc opinionem Auguſtinus pugnans, *Nullo modo,* inquit, *vitæ, ſed pœnitentiæ tot annos poſuit, nec ullum abſcidit, ut opinabantur aliqui, qui annos viginti demptos cenſebant.* Nam etiam à diluvio nonnulli ad trecentos, imò ad quingentos annos pervixerunt. Quòd verò tempus ad reſipiſcendum conceſſum non contraxerit, vel inde liqueat. Cùm arcæ fabrica imperaretur, Noëmus annum egit quadringenteſimum octogeſimum. Divinæ paginæ more ſuo quingentos Noëmo annos aſſignant, cùm illos proximè acceſſerit. Cùm verò jam ſexcenteſimum annum ageret Noëmus, initium ſumpſit diluvium. Adeóque Deus non tantùm nihil præſcidit de centum viginti annis, ſed etiam ſeptem ſerenos & quadraginta pluviarum dies addidit, velut bonitatis ſuæ auctarium. Denique cùm clepſydra, quam ſtatuerat Deus, effluxiſſet, promulgatum eſt: *Finis venit univerſæ carnis.* His terminis claudenda erat malitia humana, quæ ubi metam attigit, pronuntiavit judex: *Non parcet oculus meus, neque miſerebor: & ſcietis, quia ego ſum Dominus percutiens.*

Ezech. 7. v. 4.

§. III.

HAnc Numinis iram, has calamitates in orbem immiſit ſolum peccatum. Ergo peccatum deteſtare, Dei pœnitentiam tuâ præverte. Veriſſimè dixit Anaſtaſius: *Iniquitates nobis mala conciliant univerſa.* Profectò quidquid ærumnarum & calamitatum orbis continet, quidquid nos urit, aut dolorem parit, ab unico peccato eſt, huic ſoli omnes omnino miſerias in acceptis referamus. Hoc Auguſtinus affirmatiſſimè confirmans, *Peccatum,* inquit, *eſt ipſa deordinatio*: ſtimulus enim mortis peccatum eſt, *quia mortem urget, & impellit in hominum quamcædem, ac ſi quis carnificem urgeat, dicátque: Fac officium, cæde, feri.*

Anaſt. Sinaita Quæſt. 5. Omnium miſerarum quæ nos premunt, peccatum eſt origo. Aug. de virgin. c. 41. Simplic. Cato. c. 1. de ſeri. v. 5.

de, feri, sterne. Haud aliter coëgit & Deum ad sumendum de impiis supplicium. Eò enim audaciæ progressa erat nequitia, ut connivere aut dissimulare ulteriùs, nec quidem summa Dei Bonitas potuerit. Hinc Chrysostomus ad quæstionem illam, Peccatum quid est? ausus dicere: Voluntarius dæmon est peccatum, & spontanea insania. *Anima, quæ peccaverit, ipsa morietur.*

Eccl. c. 18. v. 30.

Hoc autem nimium quantum, supérque omnem modum aggravat peccatum, quòd sciamus, quantùm id Deo displiceat, nec tamen id caveamus. Præterea toties verbis monemur, exemplis toties erudimur, pœnis & nostris & alienis corrigimur, quæ tamen omnia non magni pendimus. Hinc peccati gravitatem fœdissimam perquam pauci capiunt, illi omnium minimè qui in peccatis, velut in amœnis stagnis natitant; & quemadmodum qui sub aquis sunt, aquarum molem non sentiunt; extra eas hydria eis non maxima oneri est; ita dum in peccatis degimus, peccati turpitudinem non attendimus. *Impius cùm in profundum venerit peccatorum, contemnit.* At cùm resipiscere incipimus, pondus intolerabile sentimus. Hinc regii Psaltæ gemitus illi: *Iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum, & sicut onus grave gravatæ sunt super me.* Non est seria emendatio vitæ, ubi exigua est cognitio peccati. Sunt qui piacula commissa fateantur sæpius, numquam emendent, quia peccati molem non expendunt, nec sentiunt; deest necessaria noxarum notitia. Nosce igitur peccatum & detestare; pœnitentiam Dei anteverte tuâ, clepsydra jam posita est, fluit illa, & ad finem properat, quem ignoramus. Taciturnum hoc arenularum stillicidium plurimos decepit, qui nescio quàm prolixas moras somniabant, & subitò jam defluxisse horam apparuit. Maturemus igitur pœnitentiam, centum & viginti annos ad resipiscendum non habebimus, incerti an diem habituri simus crastinum. *Præoccupemus faciem ejus in confessione.* Nam, quod Chrysostomus dixit, satius est mille fulmina sustinere, quàm vultum illum mansuetudinis plenum nos aversantem videre. Ut ergo amantissimum Deum non pœniteat quòd creârit nos, pœnitentiam nos ipsi præoccupemus, quòd offenderimus illum. Unusquisque tactus dolore cordis intrinsecus dicat: Pœnitet me fecisse, delebo quod feci. Omnium errorum reparatrix Pœnitentia.

Prov. c. 18. v. 3.

Psalm. 37. v. 5.

Pœnitentia est maturanda.

Psalm. 94. v. 1.

CAPVT V.

Noëmus pæne unicus apud Deum gratiosus.

VINVM aromatites cariophyllis conditum, vinum sanè pretiosum & gulæ gratum, sed plerumque non firmum. Nocte quandoque unâ, si negligenter sit tectum, in vappam expirat. Favor humanus plurimis tam carus, quàm pretiosus, sed sæpissime parum diuturnus, nonnumquam diu collectus subitò effunditur. Favor divinus ejus est pretii & constantiæ, ut unica ejus guttula melior sit & utilior, quàm tota humanæ gratiæ plaustra. Omnium hominum gratia sanctiorem reddit neminem, gratia Dei sanctum facit & beatum.

Noëmus gratiâ divinâ opulentus, verè sanctus, magnâ in offensâ fuit apud homines, omnium flagravit invidiâ. Sed id ei non potuit esse nocumento, favoribus divinis præpolluit. *Noë vir justus atque perfectus fuit in generationibus suis, cum Deo ambulavit.* Gratiâ exciderat, & offensam habuerat orbis universus; at verò gratiâ Noëmus floruit. Cum Deo ambulavit famulorum fidelissimus, imò solus inter innumeros fidelis, qui assiduè Dominum Deum ferebat oculis, ad omne obsequium & ad omnem nutum paratissimus, hinc suo Domino tam charus, ut propter hunc suum sibi charissimum centum annorum fabricam ordiretur. Noëmus

Noëmus fuit gratiâ divinâ opulentus. Gen. cap. 6. v. 9.

A in gratiâ fuit. Quâ verò ratione bonam hanc gratiam quæsierit, quâ stabilierit, explicandum.

§. I.

ADolescens laudem maximam habet, si dicatur: Hic puer scholæ doctissimus est. Egregium ac glorioſum, & in maximâ laude ponendum, sermonibus hominum ita celebrari, ut passim audias, pictorum artificiosissimus, causidicorum facundissimus, Medicorum experientissimus, Jurisconsultorum doctissimus, Theologorum subtilissimus: illustria præconia, litteræ laudis plenæ, sed non signatæ: è cælo laudem ascersere, & dicier, Hic est inter omnes in orbe sanctissimus. Hæ litteræ sunt elogiorum plenissimæ, sed & signatæ. Has Noëmus obtinuit, his verbis conceptissimis scriptas: *Noë verò invenit gratiam coram Domino.* Gratiam, quam Theologi *primam* nominant, emereri haud possum, nec eam Noëmus nisi gratuitam accepit, cui tamen insignissimè respondit; adeóque auxit obsequiis, ut unus atque unicus Noëmus Deo charior fuerit, quàm orbis universus, quàm totum humanum genus: omnes alios submergi voluit, hunc unum velut oculos suos curavit. Ecclesiastes velut indagator sollertissimus, *Virum,* inquit, *de mille unum reperi.* Noëmus è decies centenis, aut centies millenis millibus vir unus, atque unicus planè singularis, eximiè sanctus. Ne miremur: Melior est unus faciens voluntatem Domini, quàm decem millia prævaricatorum. Deo inter omnes charissimus fuit: *Melior est enim,* inquit Siracides, *unus timens Deum, quàm mille filii impii.* Noë invenit gratiam coram Domino. Tanti est vitæ integritas & innocentia.

Gen. cap. 6. v. 8.

Eccles. c. 7. v. 29.

Eccli. c. 16. v. 3.

Sed in illis, quas dixi, signatis litteris copiosior laus Noëmi comprehenditur. Nam dictis additur: *Noë vir justus, atque perfectus.* Hîc, obsecro, sacri scriptoris artificium observemus. Ita loquitur Moyses: *Hæ sunt generationes Noë.* Quis hîc natalium claritatem non expectet, & longam propaginis seriem? Ipse Chrysostomus velut audiendi avidus, Aures nostras, inquit, spe implet quasi genealogiam narraturus, quis ejus pater fuerit, unde genus duxerit. Verùm relictis his omnibus hoc unum ait: *Noë vir justus atque perfectus.* Non patrem, non avum, non atavum, non Lamech, non Mathusalem, non Enoch nominat, sed Noëmi virtutes narrat. Mos novus prosapiæ atque originis scribendæ. Quid enim tantæ habet utilitatis è claris parentibus originem ducere, si tua vita sit in tenebris? quid damni, si tui parentes obscuri, modò tu in luce sis virtutum? Hæc formosissima sunt nomina, hæc nobilitas antiquissima: *Vir justus atque perfectus. Viri probati genus,* inquit Ambrosius, *virtutis est prosapia. Quid enim superbis divese? Quid dicis pauperi? Noli me tangere. Nónne sic utero conceptus, & natus es ex utero, quemadmodum & pauper est natus? Quid te jactas de nobilitatis prosapiâ? Soletis & canum vestrorum origines, sicut divitum recensere, soletis & equorum vestrorum nobilitatem, sic Consulum prædicare. Ille ex illo patre generatus est, & illâ matre editus: ille avo illo gaudet, illis se proavis attollit. Sed nihil istud currentem juvat. Non datur nobilitati palma, sed cursui. Deformior est victus, in quo & nobilitas generis periclitatur. Cave igitur dives, ne in te erubescant tuorum merita majorum, ne fortè & illis dicatur: Cur talem instituisti, cur talem elegisti hæredem?* Quid igitur propaginem vetustam, originem claram tantopere jactamus? Alieno gloriari, ridicula est jactantia. Avorum merita, nepotum degenerantium notæ sunt, nec aliud magis posterorum maculas aperit, quàm majorum splendor ac gloria. Veram laudem non nisi de proprio sumpseris; ab alio non expectes. Age aliquid & tu, unde sis nobilis: nam majores tui, nisi aliquid egissent laude dignum, numquam nobiles fuissent. Corpus & patrimonium accipimus à parentibus: qui claritatem habent, rarò eam in filios transferunt. Rarò excellentis viri

Moyses Noëmi genealogiam narraturus incipit ab ejus virtutibus.

Ambr. tom. 4. mihi pag. 283. Nulli gloriandum est de nobilitatis prosapiâ & parentum meritis.

Avorum merita nepotum degenerantium sunt notæ.

tis viri filius excellens fuit. Mille nunc ergo tales clarissimorum hominum obscurissimos hæredes, si vacet, enumerem. Claritas nascendo non acquiritur, sed vivendo; sæpe etiam, quod mireris, moriendo. Verus nobilis non nascitur, sed fit non potando strenuè, sed in acie pugnando; non opulentâ veste; non vitiis; sed eruditione, sed virtute. Nobilior est vir fortis, etsi rusticus, quàm nobilis ignavus. Euripides olim cecinit:

——— nâmque ab animo strenuos
Iustósque, quamvis orti & è servis sient,
Stirpe anteire vulgò nobiles puto.

Magna fuerit avorum, proavorum, abavorum, atavorum tuorum claritas: quid si major est tua obscuritas? Dixi jam: pugnando, non potando in nobilitatis censum transitur. Desine igitur tuum nomen alienis obumbrare virtutibus, ne unoquoque suum reposcente, nudus ipse de proprio ridearis. Annæus Seneca de verâ nobilitate sapienter ac verè pronuntians, *Non facit nobilem*, inquit, *atrium plenum fumosis imaginibus. Nemo in nostram gloriam vixit; nec quod ante nos fuit, nostrum est. Animus facit nobilem: cui ex quacunque conditione supra fortunam licet surgere. Qui imagines in atrio exponunt, & nomina familiæ suæ longo ordine ac multis stemmatum illigata flexuris, in parte primâ adium collocant, noti magis quàm nobiles sunt. Unus omnium parens mundus est, sive per splendidos sive per sordidos gradus ad hunc prima cujusque origo perducitur.* Ita Senecæ nemo nobilis, nemo generosus est, nisi qui ad virtutem bene à naturâ compositus est. Sed testem Senecâ locupletiorem sisto Chrysostomum, qui ore libero, *Tu*, inquit, *qui magna de nobilitate majorum jactas, ultrà proavos atque atavos tuos si progrediaris, invenies multos è genere tuo agasones fortè aut capones fuisse.* Hunc cursum habet genus humanum. Salomon Regis filius, & Regis illustrissimi, hujus tamen pater ignobilis & abjectus fuit, maternus etiam avus adeò vilis, ut nec gregario militi collocare posset filiam. Plato dicebat: Neminem regem non ex servis esse oriundum, neminem servum non ex regibus. Omnia ista varietas longâ miscuit. *Intuendum est*, ait Seneca, *non unde veniant, sed quò eant.* Quod & Bion dixit Antigono: O rex, sagittariis si opus habes, non unde sint, interrogas, sed scopum proponis, & qui tangunt, eligis: sic & alios explora, non unde, sed quales sint. *Dic enim quæso*, ait Chrysostomus, *quid genus est? Nihil aliud certè quàm verbi sonitus ab omni re destitutus, quod in extremo die illo probè scies.* Pestis nobilem & ignobilem æquè rapit, mors non discernit; inter illum & istum non distinguit orbis judex. Ille igitur sublimis, ille clarus, ille nobilis, qui dedignatur servire vitiis, & ab eis recusat vinci. *Noë vir justus atque perfectus in generationibus suis. Hæ sunt generationes Noë*, hoc illius genus & stemma, hæc nobilitas illius & prosapia.

Senec. epist. 44. mihi pag. 456. Romanus propriè mos, collocandi in tabulariis per atria imagines majorum. Atque ex iis nobilitas æstimata. Lipsius lib. 1. Electorum, cap. 29. Idem lib. 3. de benef cap. 28. mihi pag. 302.

Sen. ep. 44.

Chrys. tom. 2. hom. 59. in cap. 18. Matt. mihi pag. 434.

Gen. cap. 6. v. 9.

§. II.

Morum perfectio duo habet brachia.

NVlli Patriarcharum, nec Setho, nec Enos, nec ipsi Henocho hoc elogii tributum, *Perfectus*. Morum perfectio, ut ajunt, duo habet brachia, lævum quidem, *Letalis noxæ fugam*, dextrum autem *Assiduum virtutis studium*. Chrysostomus de Noëmo differens, *Noë*, inquit, *in nullo claudicavit, in nullo defecit*. Sunt homines orationis multæ, sed non minoris avaritiæ; alii egregiæ liberalitatis, nullius pietatis; alii prudentes, sed nec fortes, nec patientes; aliqui satis animosi, sed minùs casti; reperias quosdam utcumque verecundos, nonnihil tamen elatos & superbos; alios laudabiliter mites, sed unà pigros ac desides. Sunt homines optimorum verborum, in factis enerves & nulli. Non desunt, qui ad obsequia prompti sint, sed seipsos negligant. Sunt taciturni, sed invidi. Sunt abstinentes & sobrii, sed admodum iracundi. Sunt utcumque placidi, sed potulenti & frequenter ebrii. Sunt sedduli, sed simul præparci. Sunt largi, sed ignavi. Perfectus nullo deficit. *Noë vir justus atque perfectus.* Unde illi, quæso, hæc justitia? cùm eâ tempestate summa ubique fuerit non annonæ, sed virtutis caritas, imò nusquam virtus in orbe visa. Historicus sacer accuratissimus, *Hæ sunt*, inquit, *generationes Noë: Noë vir justus atque perfectus fuit, cum Deo ambulavit.* Hieronymo interprete: Vestigia Domini secutus, in rebus omnibus id unicè spectavit, quid vellet Deus, quid juberet Deus, hunc sibi præsentem semper intuebatur, in id solum attentissimus, quid oculus Dei annuendo aut abnuendo fieri vellet. Hinc Noëmus Numini devotissimus, hinc in omni actione modestissimus, atque cautissimus. Alii omnes ut pecudes in præsis lasciviebant, immemores Dei, divinæque præsentiæ. Impii cum mundo, carne, diabolo ambulârunt: Noë pæne solus ambulavit cum Deo.

Hinc illud encomii additur: *Perfectus fuit in generationibus suis.* Ah, mi Deus, inter quos, & quo tempore, constitit sanctimoniæ tam tenax fuit? Inter homines nequissimos, nec eos paucos, sed universos, in quibus nec virtutis scintillula, vivebat. Atqui Deus veluti paterfamilias providentissimus suos in medio impiorum numquam non habuit. Elias queritur olim Numini: *Dereliquerunt pactum tuum filii Israël, altaria tua destruxerunt, & v. 14. Prophetas tuos occiderunt gladio, derelictus sum ego solus.* Cui Deus, *Derelinquam mihi*, ait, *in Israël septem millia virorum, quorum genua non sunt incurvata ante Baal, & omne os, quod non adoravit eum osculans manum.* Idem cum Eliâ potuit Noëmus dicere, Derelictus sum ego solus, *non est qui faciat bonum, non est usque ad unum.* Hoc raræ virtutis est, inter sceleratos versari sine scelere. Quod Gregorius Moralium suorum exordio summi æstimans, Dicatur, inquit, ubi habitaverit Job, nec enim valde laudabile est bonum esse cum bonis, sed bonum esse cum malis. Sicut enim gravioris culpæ est inter bonos bonum non esse, ita immensi est præconii, bonum etiam inter malos extitisse. Idcirco Jobus, *Frater fui draconum*, inquit, *& socius struthionum.* Lothus vel ideo laudatissimus, quia inter impios pius. Eo nomine Paulus Philippenses laudans, *In medio*, inquit, *nationis pravæ & perversæ, inter quos lucetis sicut lumina in mundo.* Unica tulipana vel rosa inter silices aut urticas merx rara & admiranda. Talis profectò fuit Ecclesiæ Pergamenæ Episcopus, ad quem litteræ hunc in modum scriptæ: *Scio, ubi habitas, ubi sedes est satanæ; & tenes nomen meum ibi, & non negâsti fidem meam.* Maximæ laudis est, lilium candere ac fragrare inter spinas.

§. III.

HIc occasio nobilissima non negligenda; hîc famam colligere, nomen cælo inscribere, & immortalitati licet mandare. Pæne nusquam non inter malos degimus, ubique lateri hærent homines vitiosi. Inter hos autem lex illa mundi neutiquam attendenda: *Quod illis & istis licet, licebit & mihi; calcabo semitam vestigiis aliorum tritam: Sectari singularia odiosum.* Artis est, ceterorum ingeniis sese aptare. Non assentiri pluribus & subscribere, invidiam & obtrectationes parit. Sentiamus cum multis. Hæc, inquam, lex mundi minimè curanda. Virtus vel inter pessimos colenda. Cuivis laborandum, ut sit in generatione suâ perfectus. Mathathiæ ducis Hebræi vox generosissima fuit: *Et si omnes gentes regi Antiocho obediunt, ut discedant unusquisque à servitute legis patrum suorum, & consentiant mandatis ejus: ego & filii mei, & fratres mei obedimus legi patrum nostrorum.* En Horatios Coclites solos non pro ponte, sed pro lege pugnantes. Hi viri erant perfecti in generatione suâ.

Noëmum utique cogitationes istæ sæpius sollicitaverint: Num ego inter tot millia hominum solus sapiam?

piam? num cæteris omnibus sim sanctior? num mihi uni servatur cælum? In odium & offensionem omnium incurram? omnibus me invisum faciam? ab universorum moribus me disiungam? vix fieri potest tantæ multitudini non quandoque suffragari, inter tot malos tam strictis religionibus virtutem adorare; aliquid nonnumquam amicitiæ tribuendum: Deus dabit veniam. Velle ac posse, grandibus sæpe distant intervallis. Torrenti non facilè resistendum. Prudentiam inter & sanctimoniam sancienda est concordia. Non omne continuò malum est, quod plurimi, quod omnes faciunt. Medium tenuêre beati. Non omnia igitur plebis studia probanda, non damnanda omnia.

Has Noëmus cogitationes excludens, & iis longè sanctiores substituens, Pro aliis, ajebat, non respondebo Numini, sed pro me, meâque familiâ. *Anima, quæ peccaverit, ipsa morietur: filius non portabit iniquitatem patris, & pater non portabit iniquitatem filii: justitia justi super eum erit, & impietas impii erit super eum.* Quisque rem suam agat. Nemo alterius vicem æternis suppliciis se objicier. Et tametsi orbis universus à Deo deficiat, ego tamen & domus mea adhærebimus Deo, & illi soli serviemus. Nec intra cogitationes solas res hæc stetit. Noëmus haud dubiè ab omnibus fastiditus & irrisus, omnium convitiis, maledictis, sibilis, sputis etiam notatus est. Voces illorum fuerint, Sinite delirum vetulum, sinite morosam fabricam moliri, forsitan sibi struit sepulchrum. At ille dictis & cachinnis minimè motus, divinis parebat imperiis, ille unus omnium vitam & mores scelestos, tam vitâ & moribus, quàm monitis & exhortationibus arguebat: hinc velut fanaticus senex omnibus exosus, omnium fuit ludibrium.

At verò Deus longè aliter judicans, *Te*, inquit, *vidi justum coram me.* Ne angaris animo, te omnium odiis premi: mihi charissimus es: *Ponámque fœdus meum tecum.* Deserit me orbis universus, & deficit à me: tecum igitur amicitiam inibo, tu mihi unus instar omnium eris, ego & tu novum constituemus orbem.

O mi Deus, & ô anima mea, quàm nihil ei obest odium orbis, cui non deest favor Numinis? Neminem bonæ mentis Deus despicit: talis ei unicus pro multis millibus est. Ab hac bonitate divinâ longè divertit humana insulsitas, & perversum judicium, quod tibi nævorum aliquid in homine deprehendit, mox omnem illius vitam accusat: ob pauculos grandi in familiâ improbos, totam mox damnat familiam: ob nequiores aliquot cives, totam infamat civitatem: ob domesticum unum alterúmve non laudandum, integram traducit domum: ob putridum membrum unicum, corpus exectatur totum. Hirundo nobis unica ver facit. Quasi verò propter unicum Chamum Noëmi filium nequam tota ejus familia nequitiæ fuerit damnanda. Nimirum judiciis temerariis promptissimi sumus, istique proximos quosque incursamus. At verò Deus suavissimè bonus; ob unicum hominem toti pepercit orbi nascituro. Dixisset more nostro. Nemo non pessimus est; pereat orbis, mergantur canes impudici; abolendum est infame genus hominum universum. Aliter divina longanimitas agit: *Cognovit enim Dominus, qui sunt ejus*; nec dormitat oculus ille pervigil, arcanorum omnium, & vel latentissimarum cogitationum scrutator: ad hunc unum in rebus omnibus suspiciendum; huic uni placere, felicitas suprema, etsi oculis displiceas aliis omnibus.

Hoc sanè animo fuit Noëmus: maluit omnium oculis displicere, modò placere posset supremo. Huic viro & Sibyllinus liber istud tribuit elogii: *Solus in cunctis justissimus erat, & verax, Noë fidelissimus, & bonis operibus addictus.* Quod Siracides confirmans, *Noë*, inquit, *inventus est perfectus & justus, & in tempore iracundiæ, factus est reconciliatio. Ideo dimissum est reliquum terræ, cùm factum est diluvium.* Deus Noëmum quasi reveritus variis modis honoravit. Unde non immeritò eum Paulus ejus modis honoravit. *Ad Hebr. c.11.v.7.* pro, *de iis, quæ adhuc non videbantur metuens, aptavit arcam in salutem domûs suæ, per quam damnavit mundum, & justitiæ, quæ per fidem est, hæres est institutus.* Hi sanè titulli formosissimi contra omne aurum chari: Noëmus justus, perfectus, isque in orbe solus, invenit gratiam coram Deo: illud testimonii Deus ipse dixerit: *Te vidi justum coram me.* *Gen.cap.7. v.1.*

Sed hîc obstupescendum aliud, quod paginæ divinæ non negligunt: *Noë verò cùm quingentorum esset annorum, genuit Sem, Cham, & Iaphet.* Existimat Chrysostomus, Noëmum ad annum quingentesimum distulisse nuptias, & cælibem vixisse vitam. Chronologiâ veteri teste, cùm Noëmus annum ageret quingentesimum tertium, natus ei primogenitus Sem, hunc secutus Japhet; liberorum ultimus Cham. En obsecro, quàm senex, sponsus annorum quingentorum! O Phœnix ævi perditissimi! Cùm nemo vitæ melioris exempla proderet, nemo specimen virtutis ederet, cùm orbis scelerum infamiâ flagraret, cùm nec oculis nec auribus quidquam documenti honestioris posset haurire, Noëmus, velut in familiâ religiosâ degeret, honestatis léges arctissimas secutus est. Quod Chrysostomus vehementer admiratus, *Considera*, inquit, *quantæ fuerit virtutis, in tantam temporis longitudinem, concupiscentiæ rabiem refrenare, viámque longè diversam ab iis ingredi.* Quid miri, hunc virum adeò charum fuisse Deo? nec continentia tam sublimis virtus est, ut amari, & observari non possit, cùm tot suppetant exempla pudicitiæ quàm integerrimè inter corruptissimos servatæ. Si quis cælibem possit vitam agere ad annum usque quingentesimum, ad quinquagesimum etiam poterit. Aque hinc geminum elicimus documentum. *Gen.cap.5. v. ult.* Noëmi castimonia. Duo documenta.

§. IV.

1. *Castimoniam cole*, quâ se Deo Noëmus tantopere probavit. Adversus hanc luxuriam orbis ita peccavit, & exinde Numen ad eam commovit iram, ut nec unico quidem sonti, tametsi forsan resipiscere statuenti, pepercerit. Sapientissimè dixit Salomon: *Qui amat cordis munditiem, habebit amicum regem.* Et Paulo testante, *Non vocavit nos Deus in immunditiam, sed in sanctificationem.* Mens casta, gemma omnium pretiosissima, nullis thesauris æquiparanda. Quod Siracides apertissimè pronuntians, *Omnis ponderatio*, inquit, *non est digna contrarii animæ.* Quisquis es qui libidini indulges, valedic cælo, & morere. 1. Castimoniam cole. *Prov.c.22. v. 11.* *1. Ad Thess. cap.4.v.7.* *Eccli.c.26. v.20.*

Libidinè parit torpor animi resistere nolentis, & vitium gulæ. Quid igitur miri, filiam post parentes sequi? Gulam certè ac luxuriam communes nobis esse cum belluis, vitámque nostram maximè bellualem facere, semper visum est sapientibus. Hominem qui fœdis appetentiis obluctari non vult, libido rapit ad interitum animi & corporis, & infamem notam serámque pœnitentiam, fortassis inutilem. I nunc igitur, & libidinem tuam sequere, quæ te tales raptet ad exitus. *Qui seminat in carne suâ, de carne & metet corruptionem:* Nihil certius, *si secundùm carnem vixeritis, moriemini.* Cogita, obsecro, innumerabilium famosos ac miserabiles casus, non modò singularium hominum, sed urbium & regnorum, qui tibi partim visu, partim auditu, maximè lectione debeant esse notissimi. Expende hanc ipsam, de quâ lòquimur, eluvionem orbis. Voluptates blandissimæ dominæ, superiores animi partes à virtute detorquent, & in hoc nos complectuntur, ut strangulent. Quod Masinissæ regi Scipio Africanus præclarissimè dixit, id tibi puta dictum: Vince animum, & cave illum deformes. Ne, quæso, bona plurima & tot meritorum gratiam vitio uno corrumpas. Quod faciliùs fiet, si acriter Homo fœdis appetentiis non obluctans rapitur in interitum animi & corporis. *Galat.c.6. v.8.* *Rom.cap.8. v.13.*

rei tam vilitatem & obscœnitatem, quàm brevitatem & finem cogites. Horæ fugacis, forsitan momenti unius illecebras longum dedecus, multorum annorum pœnitentia, supplicium æternum comitatur. Ergo abdicatâ omni libidine castimoniam cole. *O quàm pulchra est casta generatio cum claritate, immortalis est enim memoria illius, quoniam apud Deum nota est & apud homines.* Bernardus paucis multa complexus vecissimè dixit: *Castitas est securitas mentis, & sanitas corporis. Ibi habitat Deus, ubi permanet continentia. Castitas jungit hominem cælo. Castitas facit hominem proximum Deo. Castitas perducit hominem ad regnum. Bona est castitas conjugalis, sed melior est continentia vidualis, optima verò integritas virginalis.*

Sap. cap. 4. v. 1.

Bern. lib. de modo bene vivendi, ser. 22. de continentiâ mihi pag. 1650.

2. Dei amicitiam ambi.

II. *Dei amicitiam ambi.* Dei amicitia non tantùm è comburendâ civitate Lothum liberat, sed in ipsis flammis Sidrachum, Abdenago, Misachum conservat; Noëmum mediis undis incolumem defendit. Hoc patrocinium amicis Dei promittens Isaias. *Noli timere,* ait, *meus es tu: cùm transieris per aquas tecum ero, & flumina non operient te.* Amicus Dei pallium aptat in navigium, & mare trajicit tam prodigioso lembo: quod divum Raymundum ferunt fecisse in Vandalo fluvio trajiciendo. De hac cum Deo initâ amicitiâ præclarissimè Augustinus, Si non debes, inquit, propter quædam toleranda dissolvere hominis amicitiam, Dei amicitia quibus rebus debet cogi, ut dissolvatur à te? Sæpe quos amicorum fidissimos habebamus, invenimus infidos. Hac in re selectus est difficillimus & erroribus plurimis expositus. Amicus fidus & ex omni parte sincerus res dulcissima simul & sanctissima. Dulces, fateor, parentes, dulces filii, dulces fratres, possunt tamen amarescere; nec parentes ideo, nec fratres quidem, nec filii esse desierunt, cùm desierunt esse dulces; at amicus solus, si sit verus, dulcis & charus esse non desinit. Cùm igitur in genere illorum, qui charissimi videntur, odiis sæpe latentibus, sæpe etiam manifestis multa insit amaritudo, amicitia sola, si vera, vacat odiis: nemo umquam, non dicam occîdit aut perdidit amicum, sed ne læsit quidem volens. Hunc tibi amicum statue Deum, amicorum omnium multò fidelissimum, & qui ea omnia non possit tantùm, sed & velit præstare, quæ exigas ab amico. Sapientiæ de hoc amicorum optimo testimonium est: *Non habet amaritudinem conversatio illius, nec tædium convictus illius, sed lætitiam & gaudium.* Igitur Deo jungere, & summum bonorum omnium divitias infinitas invenisti. Illud vide, ac ne quod optimum es nactus, negligas. Ne quâ umquam re offensus, ne quo verbo alienatus à te recedat. Amicus hic, thesaurus est immensissimus: sed magnâ servandus curâ, acri, si fugiat, revocandus pœnitentiâ.

Isa. cap. 43. v. 1. & 2.

Quem Ecclesia colit die 16. Augusti.

Dei amicitia nullis afflictionibus debet dissolvi.

Sap. cap. 8. v. 16.

Conetur unusquisque Noëmi titulis insigniri, Justus, Perfectus: cordis amet munditiem, & amicum habebit Supremum Regem. Orbis universus ei nocere non poterit, quisquis Deum habuerit amicum.

CAPUT VI.

Noëmi assiduæ de imminente interitu exhortationes.

OBLIVIO Dei & omnigena vitia ab illâ radice proseminata adolescentê mundum in talem dederunt veternum, ut Deus huic veternoso ægro variam admoverit medelam, expergefaciendo illum, & ad vigilantiam suscitando. Sicuti ægrotus, quem invasit veternus, moveri, trahi, vellicari, concuti, pungi solet, ut toties tractus, vellicatus toties denique evigilet: * ita Deus sceleratos orbis incolas assiduè moneri, instrui, doceri voluit. Ad eam rem præcipuè usus est Noëmo, qui assiduis exhortationibus aures improborum idemtidem

* Horat. lib. 2. Sermonum, Sat. 3. *Quondam lethargo grãdi est oppressus — Hunc medicus multùm celer atque fidelis Excitat hoc pacto.*

A obtundebat, & omnem movebat lapidem, ut monendo ac erudiendo impios excitaret ad pœnitentiam. *Verba sapientum sunt stimuli.* Ita Christus furibundum Saulum Damasco imminentem exstimulans, *Durum est tibi,* ait, *contra stimulum calcitrare.* Mox Saulus evigilans, *Domine,* inquit, *quid me vis facere?* At verò nefarii homines illi, quidquid Noëmus diceret, moneret, dehortaretur, occineret, omnia ipsi nihili habentes, quo cœperant pede, pergebant audacissimè. Imò salutis monita in risum jocúmque vertebant: Clama, mi Noë, clama, vaticinare, mone, concionare, suade, minare, dehortare quamdiu placet, nos læti pergimus, has ex pelvi minas curamus scilicet. Tu architectare, quid ad nos? His terriculamentis non movemur, nobis bene est. Quàm erat, mi Deus, gravis hic veternus! Nihilominùs vindicta divina non ex abrupto puniit, nec protinus vivendi spatium præsecuit, sed resipiscendi moras concessit, concionatorem eis Noëmum dedit, quem B beatus Petrus Justitiæ præconem nominans, *Originali,* ait, *mundo non pepercit, sed octavum Noë justitiæ præconem custodivit, diluvium mundo impiorum inducens.* Atque hic concionator orbis optimus, non monitis solùm, sed & exemplis sanctissimis pœnitentiam assiduè ingerebat; ni parerent, iram Numinis in pœnas meritas exarsuram. Interim arcam spectantibus omnibus, futuri supplicii juge monimentum, ædificabat. Ita Noëmus non viginti solùm, aut triginta, non septuaginta tantùm, aut octoginta, sed ipsis centum annis, aut, ut Chrysostomus loquitur, annis quingentis concionatus, pœnitentiam jugiter inculcabat. Hæc Noëmi monita, has conciones interpretabimur.

Exod. cap. 4. v. 21.

Isa. cap. 1. v. 5.

Noë concionator orbis.

orbis ni-

plus fo-

Gilbert.

pœnitentiæ

ingerit.

§. I.

TAm bonus est Deus, ut priùs omnia tentet, diversasque ad pœnitentiam occasiones submINISTret, quàm omni gratiâ merentem privet. Cùm nullus remediis locus, jamque beneficia in noxam trahuntur, demum æquissimus Pater & Dominus, *Quid est,* inquit, C *quod debui ultrà facere vineæ meæ, & non feci? An quòd expectavi, ut faceret uvas, & fecit labruscas? Et nunc ostendam vobis, quid faciam vineæ meæ. Auferam sepem ejus, & erit in direptionem: diruam maceriam ejus, & erit in conculcationem.* Exitii caussam nemo in me conjecerit; perituram servare voluit, sed ille auxiliares manus rejecit, & noluit servari. Vigilantissima sollicitudo mea neutiquam desiderata est, & patrem egi, & monitorem: frustrà omnia, tam consilia mea quàm præcepta sunt neglecta. Jacturam ego, contemptum tuli, non tantùm uvas edules & maturas non accepi, sed insuper vites optimæ in silvestres labruscas degenerârunt. Ideo non ampliùs purandæ, sed exscindendæ sunt in ignis pabulum. Ita Deus cum omnibus, atque cum singulis hominibus solet agere, remedia suggerit pœnitentiæ; humani arbitrii est, ea vel admittere, vel abjicere. Ita cum perditis illis mundi juve- Monitis D nibus civibus est actum. 1. Frequenter & fideliter sunt moniti. 2. Videbant equidem quotidiana funera, & vel inde discebant, se non esse immortales; non nesciebant, aliam post hanc superesse vitam. 3. Noëmi & familiæ, quam duxerat, ad sanctos mores compositæ videbantur exempla. 4. Spectabant ingentem ad arcæ fabricam apparatum, nec ignorare poterant minitabunda Dei consilia, complurium annorum opus, Deum ipsum esse architectum. Quis non movendus tot argumentis? 5. Tantum pabuli pro tot feris undequaque comportabatur, non dubium prædictæ calamitatis argumentum. 6. Ipsa tot ferarum & animantium confluxus quid aliud testabatur, quàm illam ipsam, quæ imminebat, orbis eluviem? 7. Noëmus constanter & continuè monebat atque hortabatur, resipiscerent, mores emendarent, malum imminens caverent. Et monstrum videri potuit, nullum, & nec quidem unicum ad hæc monita è

Deus bonus.

Pœnitentiam omnibus

pœnitentiæ

Isa. cap. 5. v. 4.

Monitis mundi

ante diluvium

vitiis

vitiis emersisse. Sed nemini hoc mirum videatur; idem hodiéque fit, hæc monstra etiamnum durant. E cathedris assiduè clamatur, & nihil proficitur, objurgantur mali mores, sed non emendantur. Grandi premimur lethargo.

Noëmi conciones dignissimæ consideratu. Siquidem beatus Petrus Noëmum justitiæ præconem nominat. Hinc Chrysostomi sensu in ipsis incunabulis concionari cœpit Noë hac ratione. Nato puero quærebant cives, quod nomen esset infanti. Dictum, Noë, hoc est, quies, quòd cupiat Deus humanæ nequitiæ finem imponere, & flagitiosos demum cessare ac quiescere ab assuetâ improbitate. De quo Chrysostomus disserens, *Hîc, obsecro,* inquit, *animadvertite dilecti, quomodo puellus iste paulatim crescens, omnibus ipsum videntibus discendi occasio sit. Nam mox ut quis pueri nomen sciscitatus est, ex interpretatione vocabuli dudicit eventurum generalem interitum. Porrò obstupescenda est ineffabilis misericordia Dei, & prodigiosa hominum, qui tunc erant, ingratitudo. Ecce enim quingentos annos vixerat justus ille, clamans & testificans suo nomine, futurum per universum orbem diluvium ob nimias hominum malitias, & neque sic à malitiâ abstinere voluerunt.* Chrysost. hom. 21. in hom. 22. in Genes. pag. 134.

Hæc à se dicta Chrysostomus ipse confirmans, *Didicisti heri*, ait, *quomodo à nativitate suâ justus ille accepto à patre nomine obambulabat, omnibus, qui tunc erant, doctor calamitatum, quasi clamans, & dicens per nomen suum: Desistite à malo, operemini bonum, timete præparatam pœnam. Commune diluvium in toto orbe erit, magna & excellens Dei indignatio est, quia magna & in malitiam prolivitas. Et hoc non tantùm duobus aut tribus annis faciebat, sed quingentos vixit hæc admonens.* Berosius Anianus existimat per omne illud temporis spatium concionatores & Prophetas missos, qui idemtidem hortarentur ad meliora, præter Noëmum, qui ordinarius & continuus erat exhortator, uti Josephus & Rupertus sentiunt. Et potuit is certè ingens verbis pondus addere spectaculo præsenti, quod intento digito monstrabat. Et voces hominum nullæ fuerint, sola tamen silens loquebatur & monebat arca.

Credibile prorsus est has arcæ ac Noëmi conciones cunctis urbibus & oppidis sparsas. Hic namque Dei mos est, universali supplicio non vindicare, antequam admonitio præcesserit generalis. Eapropter Elias & Enoch exequiarum orbis & supremi judicii erunt prodromi, ad denuntiandam divini tribunalis viciniam. Deinde Noëmus à Petro Justitiæ præco appellatur. Atqui præconem non agit, qui latebras & reconditos provinciæ angulos complet clamando, sed qui urbe, vel provinciâ tota, prout res exigit, præconium facere consuevit. Ita & Noëmus non in recessibus Numinis iras minásque denuntiavit, sed peragravit orbem: quod quidem eâ occasione factum quâ ipse cum Semo & Japheto filiis ex orbe feras undique collegit, & illas velut oviculas ante se agens ad arcam deduxit. Ecquis hic hominum sensus, quæ cogitationes, quæ dicta, quis rumor populi, qui bestiis longè fuit hebetior? Varius utique concursus hominum ad cœptam erat fabricam, varii spectantium motus & sermones, promptum semper paratúmque admirantibus à Noëmo redditum responsum. Verosimile est, Mathusalem & Lamechum nepotis & filii fervens studium adjuvisse plurimùm, sed nec filios huic operi defuisse sic institutos à parente, ut non tantùm suæ, sed & alienæ salutis curam agerent.

Noëmus per totum orbem iras minásque Dei denuntiavit.

Hîc expendamus, quàm molestum fuerit hoc officium, omnibus exosum se reddere. In offensionem omnium incurrere. Neque enim sicuti Jonas, tergiversatus est Noëmus id muneris obire, etsi convitiis, cachinnis & sibilis omnium notaretur. Non dubitem quin occentatum illi fuerit, quod Isaiæ vati: *Manda, remanda, expecta, reexpecta, modicum hîc, modicum ibi.* Nam istud pravi homines illi ad perfectæ cumulatæque nequitiæ consummationem habebant, omnia deridere, monita cavillis eludere, objurgationes & minas joco digerere. Hominum genus pessimum nullis facilè monitis aut consiliis juvandum, quò magis monentur, crebriùs instruuntur, eò plus rident. *Væ vobis, qui ridetis nunc, quia lugebitis & flebitis.* Luc. cap. 6. v. 25.

Noëmus cachinnis & sibilis omnium notatus. Isa. cap. 28. v. 10.

Ab illusoribus istis Noëmus creditur appellatus Prometheus, qui vulturem pectore pascebat, uti vetustissimæ Græcorum fabulæ docent, ob ignem è cælo sublectum Jovi, in pœnam vinculis affixum Caucaso. Hæc fabula cudebatur in Noëmum, cui jugiter irrisores occinebant: O filicernium! ô mi capularis senex, vulturem alis pectore, superfluas coquis curas, quæ cor tuum exedunt? ignem videris è cælo furatus, ideo nunc aquam minitaris affundendam. Hæc dicteria in Noëmum jacta post diluvium à filiis narrata, fabulæ ajunt ansam dedisse, dictúmque Prometheum Caucaso alligatum, quòd Noëmus ad Caucasi radices perdius & pernox hærens, arcæ fabricam elaborârit. Nihil est jubii, quin cavillatio dicacissima Noëmo fuerit glutienda. Si sarcasmis & sibilis necare potuissent senem optimum, non illius canis pepercissent. Oleum & operam perdidit Noëmus; æthiopas illos frustrà lavit, incassum monuit irrisores, nemo nec quidem unicus ad frugem se correxit. *Visus est eis quasi ludens loqui.* Gen. cap. 19. v. 14. Prometheus appellatus.

§. VI.

ET quid hodiéque tot concionibus ac cohortationibus promovetur? Nihil admodum, cùm tamen huc aliunde plurima accedant auxilia, Sacramentorum usus, sanctiorum hominum exempla, doctrina, vita & & mors Christi. Hæc variè inculcantur, concionum satis est, clamoris & exhortationum satis; quid inde proficitur? quæ vitia eluriguntur? qui abusus tolluntur? quæ virtutes inferuntur? quæ demum sequitur emendatio? Aut exigua, aut rectiùs nulla. Sunt qui cantent, at verò non sunt qui saltent. Poterunt olim Ecclesiastæ dicere: *Cantavimus vobis tibiis, & non saltâstis; lamentavimus, & non plorâstis.* Luc. cap. 7. v. 32. Culturam frustrà solo tam sterili adhibuimus. Sed ubi serius non est proficiendi animus, quid mirum, si nullus subsequatur profectus? Sunt non pauci, qui conciones audiant, sed in iis parum attendant, fabulentur, garriant, dormiant, ab auribus ad animum nihil transmittant. Sunt, qui quidem attendant, sed dictorum nihil ad actionem referant. Plurimi sunt, qui divina nec quidem audiant. Dicite, Christiani, quis obsecro, Magnatibus præsertim, verum sine velo & ex animi sui sententiâ ausit sub oculos ponere, nisi solus concionator? quem audire si nolit, actum est, ô cives, perdidimus veritatem. Christi voces ad Pilatum non ignoramus: *Ego in hoc natus sum, & ad hoc veni in mundum, ut testimonium perhibeam veritati: omnis qui est ex veritate, vocem meam audit.* Ioan. c. 18. v. 37. Sunt tamen plurimi qui nec Christi, nec eorum quos Christus mittit, vocem audiunt, concionibus nullis, aut sanè pauciſſimis intersunt, unicam hebdomadis horulam Deo divinisque dare renuunt. Neglectus, aut contemptus manifestissimus audiendæ veritatis. Status hominum diversus in audiendis concionibus.

Id quod quemvis maximè impellat ad audiendas conciones, istud est. Quorumdam vitiorum à nemine umquam monemur nisi à concionatoribus; hos audire nolle, est admonitiones salubres respuere: ita mali & pertinacis incepti studia pessimè perpetuamus; & hic quidem inolitâ consuetudine ducitur, iste familiaribus vitiis trahitur, iste assuetis voluptatibus inescatus mergitur; ita monitoribus rejectis pergimus, dum in mortis vicinia simus. Hîc jam templis ceram, oleum, tabulas, vestes sacras vovemus, largissimam stipem promittimus, omnium divorum genua inceramus: Nimirum, *cùm occideret eos, quærebant eum, & revertebantur.* Non damnat Deus pia vota, sed cuperet maturiora. Et memineris, mi Christiane, quàm æquo jure Deus non auditus *Psalm. 77. v. 34.* Quid quevis impellat ad audiendas conciones.

ditus non audiat! Monitores ad te missos rejiciebas, concionatores tibi destinatos non audiebas, tuus ipse tibi & discipulus & magister, sed unà & seductor eras, salutis documenta constanter negligebas; quid iniquè fers, si tibi fiat quod faciebas: par pari redditur, monitorum contemptor æquissimè eo, quo deliquit, modo punitur. Serum est in undis luctatorem, & pæne jam haustum suppetias clamare.

Sed dices: Quæ in concionibus dici solent, jam decies, jam vicies, jam centies audivi, ea jàm ante scio, & forsan facundiùs, quàm concionator, eloqui possem. O virorum optime, sed plùs æquo nasute, Annæum Senecam tibi huc sisto, qui erudiè, sapienter, & Christianè, *In duas*, inquit, *partes virtus dividitur, in contemplationem veri, & actionem: contemplationem institutio trahit, actionem admonitio. Ita primum à scholis & præceptoribus, alterum à templis & concionatoribus habemus.* Sed addit Annæus: *Virtutem & exercet & ostendit recta actio, acturo autem si prodest, qui suadet; & qui monet, proderit. Ergo si recta actio virtuti necessaria est, rectas autem actiones admonitio demonstrat, & admonitio necessaria. Duæ res plurimum roboris animo dant, fides veri & fiducia, utramque admonitio facit.*

Senec. epist. 94. mihi pag. 581. Virtus dividitur in contemplationem veri & actionem.

Imperitissimus quorundam error est, conciones eo nomine non magni faciendas, quòd tanti eas faciant Catholicorum adversarii. Fatua prorsus ratiocinatio, perinde si continuò malum sit, quidquid adversæ parti probatur. Ergo & Christum colere desinemus, quòd eum pars colat adversa. Sed geminum hîc documentum nectamus.

Duo documenta:

1. Monita ne sperne.

I. *Monita ne sperne.* Variè Deus nos monet per Angelos, Prophetas, Apostolos, Concionatores: monet verbis, exemplis, minis, suppliciis, per suam quemque conscientiam monet. Monita ne sperne. Noëmus, quod sui muneris est, exequitur, fidelissimus admonitor, quisquis parere non vult, peribit inter turbas; jam versa est clepsydra, ad finem properat: parendum est aut pereundum: Monita ne sperne. Quisquis monitoribus asper est, plerumque nec frugi, nec homo bonus est.

2. Conciones frequenta. *Ioan. cap. 8. v. 47. Luc. cap. 11. v. 28.*

II. *Conciones frequenta.* Luculentum Christi oraculum est: *Qui ex Deo est, verba Dei audit, propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis. Beati, qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud.* Ne quæso, somnia, Christiane, nullis te legibus ad audiendas conciones adigi, Deus jubet, natura & ratio præcipiunt. Naturalis & divini juris est, Verbo Dei, Oratoribus Evangelicis patientem accommodare aurem. E Christianis homo sapiens, Ego, ajebat, toto orbe tres viros quæro, quos nuspiam reperio. Primus, qui verè solers, industrius, & diligens sit, victu tamen necessario careat. Multos reperias suâ culpâ egentes & miseros, quos ad mendicitatem detrudit socordia. Alter est, quem quæro, & non invenio, qui abstinentiâ, moderatis jejuniis, inediâ valetudini obfuerit: eorum qui valetudinem, insuper & vitam vorando aut potando perdiderint, innumeros est invenire. Sed nec tertium, inquiebat, uspiam locorum indagare licet, qui conciones cùm eas audire possit, negligere soleat, homo tamen frugi sit, & moribus integris: maximus illorum numerus est, qui conciones audiendas subterfugiant, sed intus & in cute nequam sint. Res certa & ad amussim examinata: nec homini verè sedulo victus, nec prudenter abstinenti valetudo, nec obsequenter audienti virtus deest. Qui verò præcones Evangelii, & conciones fugiunt, camelis & simiis non absimiles sunt. Cameli, quam transeunt aut bibituri sunt aquam, turbant, ne deformitatem gibbi sui videant. Simiæ, cùm corpus pilosum, minimè glabrum, cùm turpem vultum cernunt, speculum confringunt, & ita turpitudinis suæ indicem defugiunt: haud aliter illi concionum fugitantes, nævos suos objurgari graviter ferunt, suos defectus nôsse nolunt, moneri & ad meliora impelli respuunt, sed illi alias culpæ causas prætexunt, ideo conciones sacras refugiunt, homines plerumque sui cerebri sine Deo, & sine lege, seipsos docent & decipiunt. Deus audiri se priùs vult, tum demum suis jussibus obediri. *Beati qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud.* Luc. cap. 11. v. 28.

Tres viri qui in toto orbe non inveniuntur.

CAPVT VII.

Noëmo Deus dictat Arcam, & de Arcæ amplitudine.

TRIA admodum sunt memoratu dignissima, quæ Tria Deus olim non tantùm fieri præcepit, sed ordine ipse velut Architectus dictavit singula. Primum erat tabernaculum, quod Moyses instruxit: alterum erat templum, quod Salomon ædificavit: tertium arca, quam fabricavit Noëmus, sed hæc illis magis admiranda quinque partibus. 1. Mirabilis hæc fabrica, annis centum operas tenuit. 2. Magnitudine & habitationum multiplici varietate tabernaculum longè superavit arca. In aquis certè ab omni ævo nil visum tale. 3. Totum conclusit orbem arca Noëtica: siquidem octo homines orbis futuri erant principium. 4. In arcâ tale fuit ornithotrophium, tale vivarium, qualia nemo Regum aut Imperatorum habuit; in aviario omne genus volucrum, in vivario omne genus animantium, cicurum & ferarum pascebatur. Neque hoc obstupescendum navigium humanâ solùm arte confectum, sed Numinis potentiâ, & Angelorum tutelâ atque operâ. 5. Tot mysteriorum arca parens fuit, quot vix simul in aliis reperienda.

Hoc igitur capite percensendum, quo tempore, quóve modo supremus Architectus Deus, Noëmo velut fabro lignario ingens hoc opus dictârit, quam longitudinem, quam porrò latitudinem, quam denique totius operis esse voluerit amplitudinem, explicatè trademus.

§. I.

ANno ab orbe condito millesimo quingentesimo trigesimo septimo denuntiavit Deus Noëmo, decretum esse post annos centum & viginti, omnem gentem humanam suffocare aquis. Atque hoc Deus Noëmo patefecit, anno, quo diximus, ab ipsis mundi incunabulis millesimo quingentesimo trigesimo septimo, cùm Noëmus annum ageret quadringentesimum octogesimum primum. Anno autem ab orbis natali die millesimo quingentesimo septimo, cùm Noëmus annum ageret quingentesimum primum, Deus illi arcæ fabricam dictans, *Fac tibi*, ajebat, *arcam de lignis lævigatis.* Hîc sanè plurimum mirari subit, cur Deus modum hunc seu Gen. 6. v. 14. Noëmus annum ageret quingentesimum primum. Anno autem ab orbis natali die millesimo quingentesimo septimo, cùm Noëmus annum ageret quingentesimum primum, Deus illi arcæ fabricam dictans, *Fac tibi*, ajebat, *arcam de lignis lævigatis.* Hîc sanè plurimum mirari subit, cur Deus modum hunc seu Gen. 6. v. 14. Noëmus annum ageret quadringentesimum octog

...n.cap.5. 24.&25.

...nsiminis initium duceret, interim urgebat jussum: Fac tibi arcam de lignis lævigatis: mansiculas in arcâ facies, & bitumine lunies intrinsecus & extrinsecus. Et sic facies eam: Trecentorum cubitorum erit longitudo arcæ, quinquaginta cubitorum latitudo, & triginta cubitorum altitudo illius. Hîc quæstio ferè mechanica nascitur, an cubiti naturales communes, an verò fuerint Geometrici. Communis & naturalis cubitus sesquipedalis est; Geometricus verò novem pedum, sive sex communium cubitorum. Certantes hîc opiniones aperiam. Et quæso te, mi Lector, tuâ veniâ de re mechanicâ, Architectonicâ, loquamur mechanicè architectonicè; scapham appellemus scapham.

...bitos, ...ibus ar... ...o insta... ...fuisse Geometri... ...es proba... ...er et Ori... ...gnæ.

Origenes ad positam quæstionem asserit fuisse cubitos Geometricos, ita ut cubitus unus pedes novem, aut communes sex cubitos continuerit, qualis apud Ægyptios esse solet Geometricus. Nec desunt rationes. 1. Origenes istud non sine auctoritate asserens, Quæ, inquit, à prudentibus viris, & Hebraicarum traditionum gnaris, atque veteribus magistris didicimus, ad auditorum notitiam deferemus. Quid autem nostri ævi opifices priscis illis oblucentur, è quibus hæc Origenes hausit? 2. Moyses Geneseos scriptor, apud Ægyptios natus, educatus, in Geometriâ Ægyptiâ probè institutus, de hac absque dubio locutus est. Quis Suevorum in Suevîâ, cùm ulnarum est mentio, de ulnâ Gallicâ, vel Belgicâ vel Hispanicâ loquitur? 3. Origenis sententia optimis probata est Auctoribus, cumprimis Augustino, qui objectionem de arcæ magnitudine calumniam ineptissimam vocat, & arcam urbi magnæ comparat. Ab Origene & Augustino stant Isidorus, Clarius, Thomas Cajetanus, è recentioribus Martinus Delrius & Benedictus Fernandus Lusitanus. 4. Noëmus cum omni familiâ, & tot aliis mercenariis operis vix decem annis integris arcæ fabricam elaboravit. Hinc colligere est, eam incredibilis & maximæ molis fuisse: & quidem si ad ulnas dimensionem hanc revocemus, longitudo ulnas nongentas, latitudo centum quinquaginta, altitudo habuisset nonaginta.

§. II.

Rationes quibus monstratur non fuisse Geometricos.

VNam Origeni, mi Lector, dedisti aurem; alteram, non dubitem, servâsti aliter sentientibus, quorum rationes non leviter difflandæ. 1. Moyses de tam longo Geometrico cubito nusquam alibi locutus est, ergo nec isto loco. Verosimillimum, hîc eum omnia iis metiri cubitis, quibus altare, tabernaculum, aliáque talia mensus est: sed in iis omnibus dimetiendis communi utebatur cubito, alioqui scalis ad altare ascendendum fuisset; ergo hunc communem cubitum in hujus etiam fabricæ mensura usurpavit. 2. Architecti nostri sedulò interrogati de cubito tam extenso, nil habent dicere; monstrum illis & figmentum est cubitus tam longus. 3. Si quidem sententia Origenis censenda sit vera, profectò arca duo millia & septingentos pedes fuisset longa, quadringentos quinquaginta lata, & alta ducentos septuaginta; prodigium navigii, quod fidem excedat. Si autem fabricæ hujus mensuram ad communem cubitum exigamus, longitudinem deprehendemus pedum quadringentorum quinquaginta, latitudinem septuaginta quinque, altitudinem quadraginta quinque, quâ quidem ratione totum interius spatium & capacitas arcæ quadringenta quinquaginta millia cubitorum complexa est. Quâ in re proportionem Architectus servavit istam: Decies erat arca longior, quàm altior. Eadem sexies longior, quàm latior. Hæc humani corporis bene conformati proportio est: illud enim decies longius, quàm à pectore ad tergum penetrando profundum, & sexies longius, quàm latum ab extimâ parte lateris ad alterum.

Nam decies 30 faciunt 300.

Sed quando inter ipsos pedes Architectonicos est discrimen, nam Toletanus, Parisinus, Syriacus, Hebræus, aliique differunt; nos ad pedem Hebræum exigemus singula. In fundamentum statuimus, communem cubitum, omnium ære, sesquipedem esse Hebræum. Atque ad istum cubitum hujus fabricæ dimensionem omnem explicabimus. Enimverò ut ipsis etiam oculis ædificium hoc ligneum subjiciamus, utemur comparatione Templum Monacense sancto Michaëli Archangelo inscriptum, cui vix simile Germania monstrabit, in paradigma statuimus. Spatia hujus templi quantâ licuit diligentiâ & accuratione dimensus sum ex omni parte. Et longitudo quidem centum quinquaginta cubitorum est; si alterum tantùm addamus, & templum duplo longius esse dicamus, compertissimam arcæ longitudinem, videlicet trecentos cubitos habebimus. Latitudo ejusdem templi, quâ latissimum est, quinquaginta septem cubiti: arca verò quinquaginta solùm cubitos lata fuit. Templi altitudo, unus, & quinquaginta cubiti: arca verò triginta tantùm cubitis alta fuit, quam altitudinem Collegium Monacense Societatis Jesv ab imo solo ad usque tectum ostendit.

Opinio Origenis improbatur.

Quòd si opinionem Origenis probemus, præsidenter asserendum erit, Noëticam arcam Monacensi templo duodecies longiorem, latiorem quinquies, ter & semis altiorem fuisse. Cras credam, hodie non; credat hoc qui volet. Accedit, quod Origenes arcæ formam descripserit prorsus ineptam, vix ulli facilè probandam. Non miremur aliquammultos Origenis errores ab Ecclesiâ damnatos. Arca igitur longa pedes (non cubitos) Hebræos quadringentos quinquaginta, lata pedes septuaginta quinque, alta pedes quadraginta quinque cubitorum, quos vocant cubicos, quadringenta quinquaginta millia est complexa. Habemus dimensionem arcæ. Nunc porrò arcam ipsam ingrediamur, & singula ejus domicilia ab imo lustremus.

Quinque partes arcæ. Prima.

Habuit arca partes omnino quinque. Prima pars illius infima omnium fuit sentina, quatuor cubitos seu sex pedes Hebræos alta. Hîc saburra ad arcæ libramentum & fimetum erat; nam eò per laxiores ligneos canales stercora sordésque animantium potuerunt dejici. Putat Delrius, has fornicas ita dispositas, ut omnis generis sordes in aquas potuerint emitti, aquis non admissis. Quid si fimus sursum attractus, & per unam illam communem fenestram, de quâ locuturi, ejectus? Hæc igitur arcæ pars prima; primus & infimus locus tabulato tectus.

Secunda.

Pars secunda & proximus priori locus erat contignatio prima, seu primum cænaculum, decem cubitis altum, habitatio animalium, trecenta ferè stabula, prout Deus jusserat, Mansiunculas in eâ facies. Hîc omnia animalia, terrestria, reptilia, & gradientia. Hæ stabulationes asseribus distinctæ, mediæ illarum viæ.

Tertia.

Pars arcæ tertia, contignatio secunda, sive secundum cænaculum octo cubitis altum. Hîc penarium & universi pabuli conditorium. Hîc straminis & fœni plurimum. Hîc semina, hordeum, avena, frondes, legumina, hîc fructus omnigeni, molles & duri. Hîc complura dolia dulcis aquæ plena, potioni, lotioni destinata. In locis vacuis & rustica urbana supellex post diluvium usurpanda. Ex hoc loco tubi & foramina laxiora in pecoris mandras derivata, ad fœnum, stramen, pabulum submittendum.

Quarta.

Pars arcæ quarta, seu tertia contignatio, cœnaculum tertium octo cubitis altum, in tres classes divisum, hominibus & avibus assignatum: classem mediam homines occupârunt, extremas duas volucres tam feræ quàm cicures habitârunt, media classis sua habuit cubicula virorum separatim ac mulierum. Hîc etiam culina & focus, hîc trusatiles molæ ac clibanus, hîc lignorum ac carbonum, & quæ necessaria vitæ, receptaculum. Huc lumen obliquum & suspensum per arcæ fenestram immittebatur

mittebatur. In alia habitacula accensis cereis eundum; aut si plures unâ fenestræ (quod Auctoribus ferè dubium) potuit in totam contignationem hanc duásque cæteras immitti lumen. Credibile, fenestram è lapide speculari factam. Multæ scalæ ascensui & descensui, foramina multa tam ad deferendum commeatum, quàm ad sordes efferendas.

Quinta. Pars arcæ quinta, Tectum illius fam modicè declive, ut in medio non altius uno cubito fuerit. Quod Noëmo Deus singulariter præcipiens, *In cubito*, ajebat, *consummabis summitatem ejus.* Id ideo factum, ut & ventis resistere, & nimbos posset effundére. Hæc omnia divino jussu & consilio sunt perfecta. Hanc enim partium divisionem Deus clarissimè præscribens, *Deorsum*, inquit, *cænacula, & triflega facies in eâ.* Quod Hebræi sic efferunt: Inferiora, & secunda, & tertia facies eam. Voluit ergo Deus tres esse contignationes in arcâ. Infimam, uti Hieronymus interpretatur, vocat deorsum, mediam cænacula, supremam seu tertiam appellat triflega.

Gen. cap. 6. v. 16.

Ibid. In arcâ fuerunt tres contignationes.

Multa hîc prorsus admiranda: ipsa maximè compages arcæ, multitudo trabium & magnitudo, omniúmque inter se partium firmissima connexio. Hanc autem obstupescendam fabricam appellari Deus voluit non navim, sed arcam: nam arcæ aut feretro longè similior erat, quàm navigio. Asseres non curvati, sed directi; supra infráque clausa omnia: nam ex omni parte impetebatur pluviis, saltem per illos quadraginta dies; arte regebatur, non humanâ ut navis, sed divinâ. Arca Varroni quòd fures arceat, hæc aquas. Deinde hic totus velut arcâ inclusus tamdiu natabat orbis.

§. III.

Arcæ compages fuit à Deo dictata. HOc loco accuratiùs observandum, arcæ compaginem adeò minutim & membratim esse dictatam à Deo, perinde si ipse nullam habiturus esset illius curam, quam tamen habuit providentissimè. Nihilominùs omnia Noëmi curæ videbantur transcripta: quidquid enim adversus aquarum vim repellendam, ad sustentationem vitæ spectabat, curis Noëmi mandabatur, speciatim illud: *Bitumine linies intrinsecus & extrinsecus.* Bitumine, non pice. Bitumen Syriacum censebatur optimum, tenacissimum. Omnes ergo parietes totúmque opus intus oblitum, ut si quid exteriùs aquæ vis abraderet, interior firmitas resisteret. Dein fœtorem animalium, in loco concluso ceteroquin intolerabilem, bituminis & cedrorum odor dispellebat. Sed & istam habuit utilitatem hic bituminis illitus, ne fabrica, priusquam sui finem attingeret, vitium faceret, ruinam minaretur, aut vermes cariémque reciperet.

Gen. cap. 6. v. 14. Cur bitumine oblita fuit arca.

Opinatur Joannes Buteo, in supremo tabulato adrenovandam auram, erecta utrimque spiracula velut caminos sub arcæ tectum pertingentes, eo artificio, ut aquarum nihil admitteretur. Præterea Noëmo sic erant disponenda omnia, ut in neutram partem nimiùm arca vergeret, sed æquilibrio ferretur.

Ergò mandata Numinis ad præscriptam formam exhaurienda erant exactissimè. Siquidem nemo unus erat, qui minis crederet, monitis pareret, vitiis emergeret. Frustrà exhortationes, frustrà fatidicum arcæ spectaculum, jam pridem luxu & deliciis submersi nil audiunt, nil admittunt sani consilii, dies noctesque pergræcari & libidinari unum omnium erat negotium. Heu statum orbis miserrimum! Sed hîc geminum pro more documentum nectimus.

Duplex documentum. 1. Delicias abdica.

Primum: *Delicias abdica.* Felices & quieti dies, otium voluptari junctum, certum hominis exitium: lasciviens felicitas morbus est pæne immedicabilis, Pauli Tarsensis dicto: *Quæ in deliciis est, vivens mortua est.* Ejusmodi mortuis concionari difficile; nil audiunt. Apud hos nec Noë, nec Isaias, nec Ezechiel, nec Hieremias, nec Oseas, sed nec Petrus, nec Paulus quidquam proficiunt. Petrus

1. Ad Tim. cap. 5. v. 6.

A quidem contentissimè concionatus, *Hi verò*, inquit, *vel. 2. Petr. 2. uti irrationabilia pecora, naturaliter in captionem & perni- v. 12. ciem, in his, quæ ignorant, blasphemantes, in corruptione suâ perib. v. 13. ibunt, percipientes mercedem injustitiæ, voluptatem existimantes diei delicias coinquinationis & maculæ, deliciis affluentes, in conviviis suis luxuriantes, oculos habentes plenos adulterii & incessabilis delicti, pellicientes animas instabiles, cor exercitatum avaritiâ habentes, maledictionis filii derelinquentes rectam viam erraverunt.*

Nil horum audiunt, mortui sunt, nec arcam nec Noëmum flocci faciunt; deliciis suffocati sunt. Ergo delicias abdica, & fac tibi arcam. Deliciæ corrumpunt & perdunt. Arca operosa defendit ab interitu. Quæso te, mi Christiane, ne quietem otiosam & suaves vitæ periodos hîc cogites. Nondum domi, nondum es in patriâ. In cælo quies est numquam turbanda, super astra veræ sunt deliciæ. Hîc inter ventos & fluctus, inter procellas & tempestates elactandum, ne trepida, néve animum demitte. Medius undarum fluctuat Noëmus, sed ita servatur, aliter periturus. Ad portum non nisi per fluB ctus tenditur, ad cælum non nisi per adversa pervenitur.

Alterum documentum: *Dei protectionem implora.* Cum a. Dei Psalte hilaris canta: *Qui habitat in adjutorio Altissimi, in tec- impe- tione protectione Dei cæli commorabitur.* Expende tecum, obse- Psal. cro, quî Deus impiorum gaudia turbarit? Eluvione si- Psal. nivit nefarios lusus. Interim suos idem optimus Deus in ligneum carcerem conclusos, in orbis interitu servavit incolumes; cistâ eos robustissimâ velut sacra pignora custodivit. Quisquis supremum hunc protectorem agnoscit suum, séque illi quàm integerrimè committit, salvo animo indemnis & securus agit: ruat cælum, non ferient illum ruinæ: in adjutorio Altissimi habitat, in protectione Dei cæli commoratur, liber est & tutus. Fecit sibi arcam, Deo se tradidit penitissimè. *Dixit Domino: Susceptor meus es tu, refugium meum, fortitudo mea, firmamentum meum, liberator meus, protector meus, misericordia mea, virtus mea, Deus meus sperabo in te.* Idcirco Dominus cum ipso est in tribulatione, exaudiet eum, proteget C eum, liberabit eum, eripiet eum, glorificabit eum, longitudine dierum replebit eum, & ostendet illi salutare suum, quoniam in Domino speravit.

CAPUT VIII.

Noëmus ædificat Arcam.

PLuvia, si naturam ejus spectemus, humectat terram & fecundat: est tamen alicubi solum, quod pluviis infusum siccius fiat & durius. In Narniensi agro, Plin. teste Plinio, tellus siccatur imbribus, æstu humescit. Ad- Hist. monitiones, hortamenta, conciones eò sunt, ut is qui pag. monetur, mitior fiat ac tractabilior. Verùm sicut subinde pluviis, ita sæpe monitis non respondet, qui sperabatur effectus. Non rarò asperi ingenii homo commonitionibus deterior redditur & obstinatior; quemadmodum immitis & degener tellus magis magisque indurescit imbribus.

D Noëmus eos habuit auditores, qui quantò plus monebantur, plus ridebant & jocabantur, tantò contumaciores, quantò crebriùs admoniti. Decretum igitur suum Deus exequi coactus, non solùm dictavit arcam fabricari, sed & expeditas manus admoveri jussit fabricæ illi horrendæ. Itaque Noëmus operis initium fecit, & industriâ fabrili ligna cœpit construere, ut vel ipso ædificii aspectu tabulis terrerentur, & ad pœnitentiam emollirentur impii. Quo autem loco Noëmus ædificare cœperit, quo tempore, quâ materiâ, num solus, an cum filiis & operis mercenariis, & quomodo denique omnia Dei jussa exhauserit jam explicabimus.

§. I. Sicut

§. I.

Noëmi obedientia in exequendis Dei mandatis.

SIcut Deus in minutis partibus ad arcam spectantibus dictandis admirabilem ostendit providentiam, ita Noëmus in exequendis jussibus divinis insignem exhibuit obedientiam. Quàm providus Deus in jubendo, tam promptus Noë in exequendo. Quod divina pagina testatur: *Fecit igitur Noë omnia, quæ præceperat illi Deus.* Idque in confirmatione repetitur: *Fecit Noë omnia, quæ mandaverat ei Dominus.* Idque spe singulari, eximiâ fide, charitate maximâ, nec voculâ, nec apice, nec litterulâ omissâ, nec solùm fecit omnia, sed eo etiam prorsus modo quo illi fuerat imperatum, & in eo quidem opere, in quo sexcenta tædia tempore tam prolixo facilè obrepserint. Quod cœpit, finiit, mille molestias devoravit, laborem centum annorum constantissimè perfecit. Satis ei erat, Deum ita velle; Voluntas Dei suavia illi fecit omnia.

Gen. cap. 6. vers. 22. & cap. 7. vers. 5.

Arcæ fabrica ad Caucasum montem est structa.

Quod ad locum attinet, quo arcæ fabrica surrexit, paginæ divinæ nihil asserunt. Conjectura est promissima, ad Caucasum montem, qui in Indiam porrigitur, hoc opus elaboratum, ubi faciliùs & è monte & per aquas haberi ligna potuerunt. Huc profectò fabula Promethei spectat, qui Noëmum jugi labore Caucaso alligatum priscis repræsentabat. Hoc certum satis videtur, arcam extra urbem in planitie ubi ubi tandem locorum in oculis omnium ædificatam, ut sic assiduè monerentur resipiscentiæ, & vel serò dicerent: Dies annique transeunt, surgit opus, fatale tempus imminet, agamus pœnitentiam. Quis umquam vidit ipsam concionari cathedram? Hîc factum, uti Rupertus loquitur; prædicante ipsis publicâ arcæ fabricaturâ. Ita Noëmus monitis & exemplis, ipso silentio, ipsâ cathedrâ suâ, & arcæ incremento concionatus est.

Tempus fabricæ, centum anni.

Quod ad fabricæ tempus spectat, Origenes, Augustinus, Gregorius, alii centum annis elaboratum hoc opus asserunt. Mi Deus, quàm assiduus, quámque diuturnus labor! Sexcenties illum fastidire ac nauseare, sexcenties in perficiendo desperare, quid adeò fuisset mirî? Plurimi alii in hanc operam conducti liberè dixissent: Malo mori, & horulam tristiorem unam subire, quàm tamdiu, annorum serie tam prolixâ, tantis laboribus exerceri, conviviis omnium & calumniis peti. Cur ego solus sim eximius & singularis, cur excipi velim numero, & conditione esse præcipuâ? si quid omnibus & universis imminet mali, me quoque feriat. Quantus hîc Noëmus, quàm erectus, ingens, quàm excelsus laborem tot annorum conductitium admittit, operam infinitam in se recipit, quod Deus verbulo, quod nutu in Angelorum aliquem transferre potuisset. An Noëmus Deum absurdè rogitâsset, hunc in modum: Mi Domine, quid me meámque familiam fatigare vis fruſtrà? Tot tibi millia sunt Angelorum, pæne dixerim, otiosorum, quorum unicus hæc omnia mihi præcepta confecerit celerrimè. Quid opus huic structuræ tot annos, valetudinem, vitam impendere? Nihil horum opposuit expeditissima Noëmi obedientia. Nos sæpius ante laborem fessi, non annos tantùm numeramus, sed dies & pæne horas, uti queruli vinitores illi, *Nos*, ajebant, *portavimus pondus diei & æstus.* Nos excepimus solis jacula, nos sudavimus, nos perseveravimus in vineâ. Ità servorum plurimi, Huic domino, inquiunt, tot annis servimus fidelissimè, vix tenue ac præparcum ad nos salarium redit, nihil præmii, nihil amplioris gratiæ sperandum, sed nec æstimatio ulla est obsequiorum. Sed dic tu, obsecro, quisquis hæc quereris, cui serviisti? Huic domino soli, nónne? quandoquidem à solo remunerationem expectas.

Matt. c. 20. vers. 12.

Hîc ego ingratum durúmque animum tui domini non laudo, sed hæc tibi meritissimo contingere ajo; hæc pœna te digna est, qui Deum non cogitabas, sed humanis solùm oculis placere affectabas, solius domini tui favores ambiebas: en mercedem, quam quærebas. Hæc tibi, tuique similibus jure fiunt æquissimo. Hoc illis præmium debetur, qui divinis favoribus neglectis, tam studiosè ambiunt humanos. Noëmus centum annorum operam, promptus, paratus suscipit, quia soli placere Deo quæsivit. Cùm igitur sumpti laboris tædium obrepit, cùm fatigatio ejicit, in oculis sit annorum centenorum labor Noëmi, cui perpetuando pæne adamantinâ opus erat patientiâ.

III. Materia porrò fabricæ diversi generis fuêre ligna, cùm alia aliis partibus sint commodiora. Nimirum tecto, parietibus, scalis, pavimento, aliud præ alio ligni genus magis conveniebat. Multi cum Paraphraste Chaldæo existimant arcam parte maximâ è cedro factam. Durat hæc cedri materiatio in aquis, levitate præstat, supernatando excellit, cariem nescit.

Materia fabricæ, ligna diversi generis.

Magnam cedrorum copiam gignit Syria, nec arbor ulla ferè melior ad asseres proceros. In Cypro succisa cedrus ad Demetrii regis navigium, pedes triginta & centum longa, ad trium hominum complexum crassa fuit. In divinis voluminibus cedrorum proceritas laudatissima; altiora quæque cedro conferuntur. De profectu virtutem amantium Hebræus Psalmes, *Justus*, ait, *ut palma florebit, sicut cedrus Libani multiplicabitur*, ad meliora jugiter succrescendo. Ita cedrus ad arcam struendam commodior visa, quia firma, levis, odorifera. Qui pineam aut abiegnam arcæ materiam affirmant, faciliùs hæc, putem, asserunt, quàm probant.

Psal. 91. v. 13.

§. II.

Noëmus non solus cum filiis arcam confecit.

SEd hîc quæstio sit, an solus cum filiis Noëmus tantam machinam confecerit, an socios opifices adhibuerit. Equidem centenis annis ab industriis quatuor viris maximæ molis machina exasciari potest. Credibile tamen, plures mercede conductas operas in arcâ condendâ laborâsse. Perinde ut impius miles, vel ducem sequeretur diabolum, modò is castrense peculium numeraret: ita illi fabri lignarii homines improbi, tametsi minaciis divinis nihil tribuerent, & suos ipsi labores irriderent, tamen lucri gratiâ & mercede adducti auxiliares manus præbebant. Quòd si complures in opere illo desudârunt, facile conjectare est, quàm prodigiosum opus annis centenis possit confici.

Navigii ab Hierone rege Siciliæ structi magnitudo.

Athenæus fide dignus scriptor memorat, ab Hierone Siciliæ rege navigium incredibilis magnitudinis structum. Tantus ad id apparatus ex Ætnâ convectus, quantus sexaginta triremibus faciendis sufficeret. Fabri lignarii trecenti, præter alias subservientes operas fuêre. Habuit ea navis contignationes tres, remigum ordines viginti. In eâdem aquarium amplissimum, pice illitum dulcis aquæ plenum duo millia metretarum capiebat. Attica metreta, qualis hîc, mensuras triginta sex nostrates continet. Universè igitur picatus hic aquæ carcer septuaginta duo millia mensurarum continebat. Hîc insuper piscina laminis plumbeis operta, copiosissimo pisce frequentata. In eâdem hac navi, tres mali, duodecim anchoræ, octo turres visebantur. Ad commeatum spectantia hîc erant decem millia salsamentorum dolia, orcæ carnium viginta millia, aliarum sarcinarum totidem modiorum frumenti sexaginta millia. Hîc cum sacello domicilia plurima, hîc stabula & exercendis equis circus. Hæc navis inventum Archimedis dicitur, quod Archimelus Poëta epigrammate celebravit, eóque modios tritici mille sibi peperit. Verbo, hæc structura potiùs *Urbs ambulans*, quàm navis appellanda. Atqui unius anni spatio manus ei ultima fuit imposita. Quid igitur de arcâ dicendum, quam vix centum annorum industria ad umbilicum deduxit? Ne, quæso, sese Hieronis navigium cum Noëmi arcâ exæquet, fortassis illâ majus fuerit, aliis tamen pluribus ea fuit inferius.

Quanta portò incredulitas eorum hominum & improbitas erat, non solùm oculis spectare præsens opus, sed & manus ad id commodare, ut alii evadant, seipsos perditè negligere. Miratus id Augustinus, *Arcæ fabricatores*, inquit, *præstiterunt aliis, ut evaderent, non sibi.* Proinde Paulus Noëmum prædicans, *Fide*, inquit, *Noë responso accepto de iis, quæ adhuc non videbantur, metuens aptavit arcam in salutem domûs suæ, per quam damnavit mundum, & justitiæ, quæ per fidem est, hæres est institutus.* Fecit Noë omnia quæ præceperat illi Deus, & eo etiam modo quo præceperat.

Hebr. c. 11. vers. 7. Justitiæ hæres Noëmus, de quo & Sibylla l. 1. Inter eos omnes unus justissimus, atque verax Noë fuit, fidúsque & rebus omnibus additis.

Cur autem Deus ad strictam adeò formulam, & perquisitè ad unguem facienda exigit? ita, ut si paullulùm à præscriptâ formâ exerramus, frustra & perniciosè laboremus. Complures numerantur causæ.

§. III.

1. Causa cur Deus tam exquisitè sibi velit serviri.

I. UT debita in cunctis servetur ordinis connexio, quod in artibus & opificiis fieri videmus, cùm alia aliis adjumentum subministrant. Typographium ingredere; hîc cernes, qui formas æneas componat, illic qui sepiam typis illinat, istic qui prælum regat: si eorum unicus sit negligentior, chartæ sordidæ, mendosi libri, characteres & versus fugientes excuduntur. In Belgio pictores studiis nonnumquam pinguntur partitis. Est qui solùm pingat quidquid florum & frondium imago desiderat, alius vestes tantùm, iste vultus, animantes ille penicillo exprimit; alter alteri fert suppetias. Ita Deus nobiscum paciscitur: Fac tu quod in te est, & fac gnaviter, ego meis partibus non deero. Deus Hebræo populo annis quadraginta ideo dedit manna è nubibus, quando agriculturæ in vastâ solitudine non poterat vacare; at ubi Jordanem transmiserunt, subtraxit eis hanc alimoniam: tunc enim serere poterant & metere. Jussi ergo sunt, quod suum erat facere. Ita Deus cum unoquoque nostrûm partitur operas, monétque fideliter: Hoc mei muneris est, hoc mihi curandum linque; hoc autem tui est officii, hoc tu cura; tuas mete segetes, in alienas ne falcem mitte. Ita in Republicâ cavet Magistratus, ne quis alienis inhiet commodis, ne partes alterius præoccupet. Ad præscriptum autem nos laborare vult Deus, quoniam ipsius voluntas, omnis humanæ actionis regula est; curvum est quidquid ab hac aberrat.

Secunda.

II. Causa, cur Deus tam exquisitè sibi velit serviri, est, ut noverit homo pauperculus, quantum Deo debeat pro assiduis, quibus afficitur, beneficiis. Quantillum verò est omne id, quod humana præstat actio, si conferatur cum eo quod Deus actioni confert humanæ. Inspiciamus pomum Punicum, aut de vite botrum: quis grana componit, quis acinos jungit, quis colore tam nobili pingit, quis liquorem tam suavem infundit? si humanâ hoc efficiendum sit industriâ, quanto tempore, quibus ad id instrumentis opus foret, & parum tamen efficeretur. Vult igitur Deus optimus, ut quis, quod potest, faciat, cetera divinæ providentiæ commendet: quemadmodum filiolus in paternâ domo de frumenti pretio sollicitus non est, parentis id curæ relinquit. Unicus sit parvuli labor, sollicitudo unica, exactissimè parentibus obedire.

Tertia.

III. Causa, ut condiscat homo accuratè obsequi Deo, testetúrque quâ dictis quâ factis illum esse Dominum omnium. Deus olim imperans Hebræo Jonæ, *Surge*, ajebat, *& vade in Niniven civitatem grandem, & prædica in eâ.* At verò bonus Jonas divina jussa suavissimè suo arbitrio interpretatus, navim conscendit, & torsit iter in Tharsis. Inde cælum omne turbari, mare furere, naves atrocibus procellis concussæ, ea maximè, quâ Jonas vehebat, decumanis fluctibus impugnata, proximum minabatur interitum. Jonas missis sortibus velut Neptuno victima in aquas præcipitatus, & ab immani ceto, in escam exceptus est. Triduum hoc vivo carcere latitavit miserè, sepultus antequam mortuus. Triduo elapso cetus bolum hunc indigestum, quem præcipitanter glutierat, revomens, Jonam in littus ejecit. Deus iterum urgens, *Vade*, ajebat, *in Niniven.* O mi bone Deus! potuisti præcipere pisci, ut esset Jonæ triduo pro navi, eodem jussu, eâdem prorsus potentiâ, eidem belluæ imperare licuisset, ut Jonam usque Niniven deveheret: quanto vir iste supersedisset labore? itineris, quod erat conficiendum, ingens habuisset compendium. At Deus in priore sententiâ perseverans, *Vade*, inquit, *in Niniven.* Pedibus hoc iter conficiat, & obedire discat. O mi Prophete, mi optime Jona! en mare tibi schola, condiscipuli nautæ, cetus magister: ita nimirum docendus eras ritè omnia ad præscriptum exequi, non ut Tharsis, sed ut Niniven ires imperabatur. Deus, quæ mandat, ea exactissimè, ad unguem accuratissimè vult confici. Ubi negligitur, aut respuitur, aut minùs studiosè perficitur, imperium, ibi mox subit peccatum.

Jonæ cap. 1. vers. 2.

Jonæ circa divina jussa tergiversatio.

Dic enimverò, quid est peccatum? *Voluntarius damon*, ait Chrysostomus, *& spontanea insania.* Si verbo respondendum huic quæstioni quid peccatum est? Dicimus: Transgressio. Liceat ulteriùs rogare: Quid est transgressio? Petulans ultra metam saltus. Deus & ipsi mari metas ponens, *Usque huc venies*, inquit, *& ampliùs non procedes.* Has metas pelagus, has creatæ res omnes obsequiis strictissimis observant. Nempe *terminum posuisti eis, quem* ? *non transgredientur.* Homo rationis compos transilit & ridet. Ubi ratio? ubi obedientia? Quid Deo respondebis homo fatue? Quid hoc aliud quàm cùm ratione furere? Salomonis effatum est: *Sapiens declinat à malo & timet, stultus transilit & confidit.*

Jobi 38. vers. 11.

Prov. 14. vers. 16.

At dices: Nimis vehemens est appetentia, cohiberi sese non sinit; laxandæ sunt aliquantulùm genio habenæ. Quæso te, mi homo, quid aquarum vortices, quid fluctuum impetus, nisi vehementissimus appetitus egurgitandi se in terram? Et tamen continet se mare, & inconcessos reprimit excursus. Tibi rationis frenum, timoris retinaculum in manu est; nihilominùs effundis te in vetitum, inque omnem carnis petulantiam. Cur non angustiùs freno uteris, cur habenas non adducis? Promittit Isaias vicem Dei: *Laude meâ infrenabo te, ne intereas.* Frenum aureum est, laudis, reverentiæ, amoris in Deum: adhuc habenas, & compesce pravas appetentias, ne transili metas. Ah, quoties positas transgredimur metas, fines, terminos, quos Deus nobis fixit; transilimus, & non dolemus, in aliis sapimus, & acutùm cernimus, hîc talpæ sumus, & dementiâ grandi laboramus. Esdras sacerdos hîc erudit, qui *panem non comedit, & aquam non bibit; lugebat enim transgressionem.*

Rationis freno, & timoris retinaculo.

Isaiæ 48. vers. 9.

1. Esdræ cap. 10.

IV. Causa. Vult Deus ad amussim, quam ille duxit, nos laborare, ut deprimamur simul, & elevemur atque nobilitemur. Hæc duo sibimet opposita ad unum tendunt finem. Nec mirum: *Gloriam præcedit humilitas*: ad submissionem plurimùm facit, jugiter laboris aliquid subire. Est labor noster defectibus tam plenus, ut modestiæ & submissioni augendæ maximè prosit opus suum, præsertim ad præscriptam normam faciendum inspicere. Ad istud Christus nos erudiens, *Cùm*, inquit, *feceritis omnia quæ præscripta sunt vobis, dicite, Servi inutiles Luc. 17. sumus.* Imperito scribæ, qui curvos pingit versus, nigræ lineæ subtus chartam ponuntur tralucentes, eique dicitur, Hos ductus sequere. Nempe discipulis & artium tironibus leges definimus, normam & regulam præscribimus. Dum vivimus, in scholâ degimus, discipuli sumus, Deus definit nobis, quid faciamus, atque istud profectò maximo nobis honori est; hoc utilitatem nostram insigniter nobilitat, quòd Deus formulam rerum agendarum præbeat, homo laborem adjungat. Hæc societatis proba est conventio: suam partem dat Deus, dat suam & homo: Deus normam & agendi gratiam suppe-

Prov. 15. vers. 33.

Omnia opera sua perficiunt normam.

Luc. 17. vers. 10.

suppeditat, apponit homo industriam, idque pro lucro communi & æterno.

Deus Noëmo particulatim quid faceret, dictârat, perinde si diceret: Vir mihi unicè charus, sed etiamnum tiro & discipulus es, ideo ad præscriptum singula, & prout jussero, fac. *Fecit igitur Noë omnia quæ præceperat illi Deus.* Hîc geminum ad incepti rationem suggerimus documentum.

Gen. cap. 6. vers. 22. Duplex documentum: 1. Deo labora.

I. *Deo labora.* Si tibi tuisque solùm commodis, si humanis tantùm oculis labores, frustrà laboras, ventum seminas, & turbinem metes; *culmus stans non est in eo, germen non faciet farinam, quod etsi fecerit, alieni comedent eam.* Cùm non laboratur Deo, sæpe maximi laboris præmium meræ sunt ingratiæ. Merces æquissima laboribus tam vanis. Deo igitur labora, cui non solùm est dives arca, sed etiam exactissima scientia, quantum quisque laborârit, quantum promeritus sit. Labores nostros omnes præmium longissimè superabit. Ergo quidquid agas, Deo labora.

Osee cap. 8. vers. 7.

2. Industriâ vinces omnia.

II. *Industriâ vinces omnia.* Certum; industriæ nihil inexpugnabile; perrumpit hæc omnia mille artium inventrix, in laboribus indefessa. Inspiciamus, obsecro, Noëmum, cùm caput, cùm manus pedésque lassescunt, contemplemur laborem centum annorum assiduum, quàm grandis hîc patientia, quàm insignis constantia inter tot calumnias & convitia eluxit! In mortis vicinià summo erit solatio, hanc auferre laudem: *Fecit igitur omnia quæ præceperat ei Deus.* Obedientiæ omnia sunt facilia. *Vir obediens loquitur victorias.* Omnia sunt expugnabilia industriæ.

Prov. c. 21. vers. 28.

CAPVT IX.

Arcæ janua & fenestra à Noëmo inserta.

ACcuratissimè quidem omnia fabricandæ arcæ membra dictavit Deus, præcipuè verò illa duo, Januam & fenestram. Nam de primo singillatim præcipiens, *Ostium autem,* inquit, *pones ex latere.* Hîc Noëmus, ut superiori capite demonstratum, tironem se ac discipulum gerere debuit, cui Magister ordine dictat singula, & præscribit, non solùm quid faciendum sit, sed etiam quomodo. In arcâ utique figenda fuit janua, ut ingressus ad eam pateret; utique & fenestra fuit aperienda, ne esset ex toto aut tenebricosus carcer, aut expers lucis sepulchrum. Quid opus hæc multis præcipere? Nihilominùs præcepit ei Deus, peculiariter januâ & fenestram patefaceret in arcâ. Atque hoc ita præceptum est Noëmo, ut ne latum quidem unguem abiret à præscriptâ formulâ, non altiorem, non depressiorem, nec januam, nec fenestram faceret, sed nec alio loco, quàm quo præceptum esset. Serius est atque severus hic Ædilis, qui non vult, ut Noëmus ædificator suus suopte ingenio aut arbitrio quidquam faciat, sed prout ipsi faciendum monstratur. Quid autem hoc ostium & fenestra ista significatûs & mysterii habuerit, hoc capite dicemus.

Gen. cap. 6. vers. 16.

§. I.

Arca ostiũ habuit unicum.

OStium habuit arca unicum, idque, quod volebat Deus, ex arcæ latere. Credibile prorsus, hoc ostium non in arcæ imo, sed ab imo pedes septenos & semis numerando, nempe uno ac dimidio pede altiùs sentinâ ita collocatum ut catenis attrahi ac dimitti, sicut pons versatilis, potuerit; ita ut omnia animalia velùti per pontem ascenderint. Eo modo ostium istud rectà ad tertiam & infimam contignationem pertingebat, ita quidem, ut pecus omne ingressu primo in suas statim mansiunculas & stabula deduci potuerit. Putatur hoc ostium quindecim pedes longum, septem aut octo latum fuisse; foris claudi, intus aperiri ad instar fenestræ potuisse.

Ostii longitudo.

In arcâ an una tantùm

Ita unica in arcam janua dabat ingressum. An unica tantùm fuerit fenestra, incertum. Plurimorum opinio est, nec incelebris, plures fuisse. Cùm autem pagina divina nullam ejus rei mentionem faciat, difficile est plures unâ statuere. Hinc autem sciri poterit, Deum structuræ hujus fuisse architectum, quando se noscendum exhibet è stylo suo. Omnes pæne artifices certis dignoscuntur sui artificii notis. Sic architectos non difficulter nôris ex ipso ædificandi modo: iste operosâ, hic gracili, iste durabili structurâ; speciosè alius & ad pompam ædificat: ita pictores, iste leni penicillo, duriore alter, ille volante pingit; hic è proportione ac symmetriâ, alius noscitur è coloribus; iste amœniores vultus, ille vestes, & omnes earum plicas pingit feliciùs, suo quisque stylo & pingendi modo animadvertitur: ita musici dignoscuntur, iste solum spectat artificium, sed minùs probatur auribus, iste canit templis graviter & accommodatè verbis, hic suavitatem maximè sectatur; cantum alius pingit, flexiones & ornamenta cromatica precipuè quærit, suis quisque modulis arguitur. Ita scribendi Latinè ac loquendi stylus diversissimus; hic lacinias laxat, ampullatur verbis, & sesquipedales jactat voces; hic verò non longos logos, sed orationem adstrictè factam in usu habet: hic pictam amat & floridam dictionem; ille vulgari ac flaccidâ phrasi utitur, iste erigit sese & plebem non sapit, tersam alius & castigatam Latinitatem æmulatur; quisque suo loquendi, scribendi, cantandi, pingendi, ædificandi gaudet stylo.

fuerit fenestra.

Omnes artifices certis dignoscuntur sui artificii notis.

Primus omnium architectus ingens initio, & pæne dixerim, infinitum struxit ædificium. *Principio creavit Deus cælum & terram.* Ampla profectò domus. Amplitudinem terræ difficulter capimus; immensitatem cæli quomodo capiemus? Hîc quæstio sit, quâ portâ cælum ingressi sint Angeli, quâ nos? per amplissimam sanè, per grande nihilum: *Terra autem erat inanis & vacua. Vnus ergo, Sapientiâ teste, introitus est omnium ad vitam, & similis exitus.* Sed idem hîc Architectus magni hujus ædificii adumbrationem in homine delineavit; in ædificio hoc modico magni imagine fenestellas duas, geminos locavit oculos, sed unam dumtaxat januam, os seu linguam pontem planè versatilem, modò submittendum, modò attrahendum, *Ex ipso ore procedit benedictio & maledictio.* Ecce igitur hic stylus est Architecti summi, plerumq; unam tantummodò januam suis inserit ædificiis, imò in suam ipsius domum dũtaxat unum unicum patefecit ostium. Christus apertissimè, *Ego sum ostium,* inquit, *nemo venit ad Patrem nisi per me.* Hic stylus est hujus Architecti, ad maxima ædificia unicam plerumque januam pandere, ut tantò meliùs custodiatur domus, quantò paucioribus clauditur ostiis. Multæ januæ vitiis non paucis favent, hac Mercurius, hac irrumpit Venus, per alias alia vitiorum monstra subrepunt. Cùm igitur unum sit corporis humani ostium, os seu lingua sollertissimè attendendum, ne quis ingredientium aut egredientium furetur & expilet domum.

Gen. c. 1. v. 1. Ibid. v. 2. Sap. c. 7. v. 6. Isa. cap. 3. vers. 10. Stylus architecti summi in extruendis ædificiis. Ioan. c. 10. vers. 9. & c. 14. v. 6.

An autem in arcâ plures unâ fuerint fenestræ, incertum esse diximus. Non pauci opinantur, in tertiâ contignatione, in hominum & volucrum domicilio fuisse plures minores, è vitro aut speculari lapide, qui perinde ut cornu, teste Plinio, in lamellas tenues secari potest, ita ut per illas lux, non item aqua potuerit penetrare. Rabbini Hebræorum è vocum origine somniârunt, grandiorem gemmam lychnitem, aut carbunculum illic loci, ubi homines habitarent, positum, ut eâ saltem ratione splendoris aliquid & luminis domicilium acciperet. Hoc certum, fenestram, quæ aperiri & claudi potuerit in arcâ, patefactam. Alphonsus Tostatus existimat fuisse foramen, non pellucidum, sed toto eluvionis tempore clausum. Joannes Buteo, qui complura hîc bene adumbravit, fuisse unam tantùm fenestram judicat, eámque pellucidam in hominum usus: lumine non egebant pecudes, quarum contignatio pæne toto natabat

Plin. lib. 36. Nat. histor. cap. 22.

bat aquis. Hanc feneſtram Oleaſter credit in ſummitate arcæ locatam, cælum verſus, quod per eam potuerit ſpectari. Sed numquid forſan conſultius fuiſſet aquarum incrementa & decrementa per feneſtram proſpicere, indéque tempeſtivum ex arcâ egreſſum metiri? ſed videtur Deus noluiſſe, ut cerneret Noëmus miſerabilem hominum pecoriſque interitum. Triſte nimis ſpectaculum, cernere cum undis & morte luctantes, domos, oppida, civitates, provincias fluctibus ſorberi. Mœrore acerbiſſimo Noëmum affeciſſet hoc genus ſpectaculi. Ergo, mi Noëme, ſatis tibi ſit te ſervari. Quid vis videre, unde debeas dolere?

§. II.

In omnibus adverſis, mœroribus & doloribus in Deo fiendum. *Pſal. 30. v. 1.*

HIc nobiliſſimum ſpei ſymbolum ingeritur. Quicumque nos eventus rerum turbent, quantumcumque adverſa ſæviat fortuna, undequaque nos venti & feri maris fluctus impugnent, mœrores & dolores certatim nos dividant, modò unica hæc feneſtella non obſtruatur: *In te, Domine, ſperavi, non confundar in æternum.* Non ſemper & olim ſic erit: non ſemper iraſcetur mare, nec æternùm turbines & procellæ in nos incurrent, permittamus ſuum & mari & ventis imperium. Deus ſuorum pauperum non uſquequaque obliviſcetur: ad hoc loci, & temporis, & turbationis nos deduxit: educet demum ex his fluctibus. Hanc mihi feneſtram ſpei confirmatiſſimæ nemo obſtruxerit, per hanc & cælum, & cæli Dominum ſuſpicio: *Etiamſi occiderit me, in ipſo tamen ſperabo. Cunctis diebus, quibus nunc milito, expecto, donec veniat immutatio mea.* Immutationem Jobus appellat felicem à luctu tranſitum ad gaudia. Expecto in dies ſingulos, dum mori deſinam, dum ad vitam immortalem deliciis affluentem perveniam. Expecto, dum per hanc ſpei feneſtellam cælum eminus ſaluto. Militiam Jobus nominat hanc mortalem vitam, miſeriis & ærumnis plenam. Quid enimverò militem in prœlia protrudit, niſi ſpes ſtipendii, ſpes victoriæ ac prædæ? alioqui certè labor & rigor militaris videri poſſet intolerabilis. Ita prorſus futuræ ſpes vitæ continuas hîc quas patimur mortes ſupra modum mitigat. Beatus Paulus hanc nobis feneſtram aperiens, *Fortiſſimum*, inquit, *ſolatium habeamus, qui confugimus ad tenendam propoſitam ſpem.* Itaque ſi modò feneſtra hæc unica lucem in animum admittat, omnia toleratu facilia erunt. Videri quidem poterat Noëmicæ familiæ vita miſerrima, cui non conceſſum aliud aſpicere quàm cælum, & quidem iratum, ſpes tamen certa & conſtans patientia hæc pertulerunt omnia. Si quem mœror & pavor dejiciat, argumento id eſt, hanc ei feneſtram eſſe obſtructam, ſpem pæne omnem collapſam. In ſpem igitur erigatur mœſtus, ut *ſentiat de Domino in bonitate, & in ſimplicitate cordis quærat illum.*

Iob cap. 13. verſ. 15. *Idem c. 14. verſ. 14.* Immutatio eſt felix tranſitus à luctu ad gaudia. Militia eſt mortalis hæc vita. *Ad Hebr. c. 6. v. 18.* Spe & patientiâ familia Noëmica pertulit omnia incommoda. *Sap. c. 1. v. 1.*

Quinque cauſſæ cur Deus voluit Noëmum tot angoribus exponere. 1. Cauſſa. *Pſal. 87. v. 8 & 17.* *Pſ. 68. v. 3.*

Cur verò Deus, obſecro, Noëmum tot ærumnis & angoribus voluit exponere? non defuiſſent tot alia ſubſidia, quibus ſervari potuiſſet. Ita ſanè non defuiſſent; ſed nec defuerunt cauſſæ, ob quas optimus Deus Noëmum pati plurima, & unà laborare ad præſcriptum voluit. Sed quæ laborandi, eæ etiam tolerandi fuerunt cauſſæ. Sed ex iis pauculas numeremus. 1. Si rerum omnium Conditor tanta ſuſtinere, ſi tam gravia pati voluit, & quidem adeò ſine menſurâ ut ipſius vicem queratur Pſaltes: *Omnes fluctus tuos induxiſti ſuper me. In me tranſierunt iræ tuæ, & terrores tui conturbaverunt me. Veni in altitudinem maris, & tempeſtas demerſit me.* Si tanta, inquam, paſſus Creator, quid reluctaris res creata, homuncio vilis? caliculum, quem tibi propinat Dominus, exhauri. 2. Non eſt obſequium gratuitum, ſed planè debitum, etſi plurima, etſi graviſſima patiamur. Agnoſce ac fatere tot mille nominum obærate homò, decem millia talentorum debes, nec ſolvendo es; pelle igitur luas, quod non potes ære; ſubi carcerem, & aliquid incommodorum tolera, ut vel milleſimam tuorum nominum partem expungas. Et ſcito nihil tam grave te paſſurum, quin tua debita petulanter contracta ſine comparatione ſint graviora: obolum reddis centum millibus Philippeorum. Nec enim umquam ære alieno exires, niſi tuus pro te Servator ſolveret patientiâ inæſtimabili. Bernardus hæc expendens, *Agnoſce*, inquit, *ô homo, quàm gravia ſint vulnera, pro quibus neceſſe eſt Dominum Chriſtum vulnerari.* Adeò peccati malum impunitatem habere non poteſt, ut cæleſtis Pater quod condonavit ſervo, vindicârit vel in Filio. 3. Qui triſte quid patitur, parere diſcat, & Deo ſe ſubditum profiteri. Ad parendi ſtudium maximè ſpectat, immiſſas à Domino calamitates non repugnanter pati. Cùm ruſticis imponitur onerum vehendorum bajulandorúmque neceſſitas, velint nolint parendum eſt, hoc clientelæ opus recuſare non poſſunt. Ita Deus nobiſcum clementiſſimè agens, & variis nos miſeriis exercens, Ut ſciatis, inquit, *quia ego ſolus ſum Dominus, & non eſt alius præter me.* Afflictio clientelare opus eſt, omnes tangit, nemini licet ſe ſubducere, patiendum eſt. Sic Iſaac, ſic Jacob, ſic Moyſes, & omnes qui placuerunt Deo, *per multas tribulationes* tranſierunt fideles. 4. Submiſſioni ac Humilitati vel obtinendæ, vel augendæ jam obtentæ atterimur adverſis. O quantos cetera indomitos redegerunt in ordinem ærumnæ! Antiochum Epiphanem videte: jam pæne ſidera tangébat, rex ſuâ opinione invictiſſimus, maris fluctibus imperare, & montium molem in lance appendere ſibi viſus, ignem ſpirans in Judæos, minabatur ſuperbiſſimè Hieroſolymam in congeriem ſepulchri à ſe redigendam & ſolo æquandam. Cùm verò curru excuſſus gravi corporis colliſione affligeretur, cùm eum dirus viſcerum dolor torqueret, cùm è putridis ejus membris ebullirent vermes defluente carne, & mœror ingens animum laceraret, quàm modeſtus, ſi Deus quàm oris placidi, quàm ſubmiſſus eſſe cœpit! Hîc demum impius in ſeipſum deſcendere, ſuperbiæ alas ſubmittere, in ſui notitiam venire, Deum ſe longè potentiorem agnoſcere. Jam denique piſcator ictus ſapit, jam ſceleratus rex ſaniſſimas voces erumpens, *Iuſtum eſt*, inquit, *ſubditum eſſe Deo, & mortalem non paria Deo ſentire.* Jam & cælum pollicitationibus implet, & ſummam Hieroſolymæ libertatem promittit, jam Judæos, quos inhumatos feris objicere decreverat, Athenienſibus æquales ſe facturum, ſumptus ſacrificiis è ſuo ærario præſtiturum; vaſa ſancta multiplicaturum, templum maximis donis ornaturum, imò ſuper hæc omnia Judæum ſe futurum, & omnem locum peragrando, Dei potentiam ubique prædicaturum ampliſſimè ſpondet. Quantus promiſſor è quanto tortore! Quomodo lupus migravit in oviculam, quomodo tigris in agnellum eſt mutata? Ita, mi Antioche, verbera & plagæ divinitus immiſſæ, ſi non plenè ſapere, ſaltem modeſtè te loqui docuerunt. Eſt quòd maximas agamus gratias calamitatibus, quæ ſubmiſſionem ac modeſtiam, alioqui negle&tiſſimam, amare ac colere docent ſalubri compendio. 5. Meritis cumulandis & augendæ gloriæ, rebus incommodis & aſperis exercemur. Et *beatus vir, qui ſuffert tentationem, quoniam cùm probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam repromiſit Deus diligentibus ſe. Quem enim diligit Dominus, caſtigat, flagellat autem omnem filium, quem recipit.* Tobiæ viro ad omnem virtutem facto dicitur: *Quia acceptus eras Deo, neceſſe fuit ut tentatio probaret te.* Tobias ipſe animo ad Deum erectiſſimo, *Hoc autem*, inquit, *pro certo habet omnis, qui te colit, quòd vita ejus, ſi in probatione fuerit, coronabitur: ſi autem in tribulatione fuerit, liberabitur: & ſi in correptione fuerit, ad miſericordiam tuam venire licebit. Non enim delectaris in perditionibus noſtris: quia poſt tempeſtatem tranquillum facis, & poſt lacrymationem & fletum exultationem infundis.* Quid denique res afflictas & turbidas horremus? Quoniam per

Secunda.

Act. c.14. vers. 21. *per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei.* Sicut autem optimus Deus præscribit nobis mensuram laborandi, sic & patiendi. Quod affirmans Psaltes, *Psal. 79. v. 6.* *cibabis nos*, inquit, *pane lacrymarum, & potum dabis nobis in lacrymis, in mensurâ.*

§. III.

Duplex documentum: 1. Spe gaude.

SEd hîc iterum ad arcæ januam & fenestram duplex documentum instillamus.

I. *Spe gaude.* Notum Tibulli carmen:

Spes etiam validâ solatur compede vinctum,
Crura sonant ferro, sed canit inter opus.

Quis nostrûm est, qui non suas ferat compedes? modò corpori, modò animo ægrè est; jam liberi, jam servi, jam cognati, jam alii turbant; jam fama, jam facultates, & bona faciunt jacturam. Suis quisque compedibus vinciûr, numquam deest quod cruciet. Sed erigamus animum, hortante Paulo, *spe gaudentes, in tribulatione patientes.* O quoties aut ærumnæ, aut ærumnarum nuntii in mœrorem nos dant, & salsos oculorum imbres excutiunt! Sinamus hos nimbos fluere, & interim spe gaudeamus; accedamus arcæ fenestram, & inde cælum suspiciamus, *spe vitæ melioris & æternæ.* Cum Jobo pro se quisque dicat: Expecto immutationem meam cunctis diebus, cunctis horis. Quotiescumque mœror, aut tædium, aut animi languor & dejectio subrepit, ad arcæ fenestram properemus, spe gaudeamus, quoniam *debet in spe, qui arat, arare.*

Ad Roman. c.12. v. 12. *Job cap. 14. vers. 14.* *1. Cor. c.9. vers. 10.*

2. Cælum crebrò suspice.

II. *Cælum crebrò suspice.* Quàm multa quotidie in oculos admittimus effectu vario: multa nocent, quædam docent, hæc contristant, illa exhilarant. Ex omnibus oculorum spectaculis, præstantius non est, quàm cælum creberrimè spectatum. Iter tutissimum eò habent oculi, quò Christus suis toties, & ingemiscens & illacrymans præcessit. Nemo illac viam nobis obstruxerit. Omnia possideat, non possidet æthera mœror. Quis non intimâ voluptate gestiat, cùm illam Dei sedem, Beatorum viridarium & diætam aspicit?

Cùm circa Natales Domini ferias crescentem habemus diem, solamur nos, & de propinquante vere gaudemus. Hîc multò magis gaudeamus: appropinquat ver æternum, quod nullus autumnus, hiems nulla excipiet. Inscriptum cælo: *Qui vicerit, possidebit hæc.* Brevis est lucta, audeamus & velimus vincere, jam nostra est victoria.

Apoc. c.21. vers. 7.

Cælum est nostri certaminis præmium.

Cælum, nostri certaminis præmium, quàm frequentissimè suspiciamus, & inter omnes fortunæ turbines durati, decumanas etiam tempestates superare, & vel pugnantibus ventis, navem ad portum, quem edixit Deus, appellere condiscamus. Nemo hîc nisi volens naufragatur.

CAPVT X.

Pecoris & hominum in Arcam ingressus; Arcæ claustrum.

Dianæ templum Ephesi opus admirandum quatuor annis perfectum.

DIanæ templum Ephesi, opus planè admirandum, cui perficiendo Asia tota auxiliares manus & aurum commodavit, quatuor annis perfectum est. Quis historicorum memorat unam aliquam domum annis quinquaginta, non dicam centum, sæculari spatio, ædificatam? Arca, quam cæli Architectus dictaverat, majorem partem aviarium, pecori claudendo stabulum, pabulo servando conditorium erat, & tamen centum annis in his receptaculis struendis laboratum est. Tandem laboris appetiit finis, sed necdum ullus nequitiæ; nullum pœnitentiæ vestigium; hodiernus dies mores sanctiores non videt quàm hesternus, nec præsens annus, quàm præteritus. Estur, poratur, luditur; nuptiæ, convivia, choreæ, luxus & luxuria, universa imò vitia felicissimos habent progressus. Omnium idem studium, nequitiæ insignitè operari.

Post arcæ structuram centum annorum nullum apparuit pœnitentiæ vestigium.

Vindicta igitur divina ulteriùs se continere non potuit. Maluisset quidem Deus ligneam domum illam non esse usui, & ædificationem eam frustra susceptam, sed nullus fuit, nec quidem unicus, qui oblatam gratiam non respueret. Decretum ergo divinum cælo missum Noëmo: *Ingredere tu & omnis domus tua in arcam: te enim vidi justum coram me in generatione hac.* Post hæc tamen omnia, septem insuper dies divina bonitas sustinens expectare, *Adhuc enim*, ait, *& post dies septem ego pluam super terram quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, & delebo omnem substantiam, quam feci, de superficie terræ.* Quî potuisset tandem Deus majorem patientiam & longanimitatem humanæ genti exhibere? & quî tandem humana gens potuisset Deo graviorem injuriam inferre, quàm nequitiâ tam contumaciter obstinatâ? Hîc tria nobis sollertiùs expendenda. 1. Quomodo Deus denuo severas cum summâ benignitate minas intentârit. 2. Lugubrem tam pecoris, quàm hominum in arcam ingressum spectabimus. 3. Quomodo Deus Noëmum cum familiâ in arcâ concluserit.

Unde vindicta secuta est.

Gen. cap. 7. vers. 1. *Ibid. v. 4.*

Tria hîc expenduntur.

§. I.

1. Quomodo Deus denuo severas cum summâ benignitate minas intentarit.

AB omni ævo in omne ævum semper verissimum illud Hebræi Psaltæ: *Miserationes ejus super omnia opera ejus.* Mirabilem prorsus se justitia Dei exhibet, longè mirabiliorem patientia Dei & misericordia; centum & viginti annos expectat resipiscentiam summâ longanimitate. *Non vult Deus perire animam, sed retractat cogitans, ne penitus pereat qui abjectus est.* Ille quidem gladium & ignem, mortem & inferos manu claudit, & tamen dissimulat, connivet, parcit, honorem suum atrocissimè violari permittit. Cunctatur, & moram adhibet; vindictam in annos decem, in annos quinquaginta, in centenos differt. Ita Noëmi ævo centum viginti annis summè misericors & longanimis expectavit, nec desideravit aliud, quàm pœnitentiam. Nemo vel pedem vel digitum movisset pœnitentiæ agendæ. Et tamen post tot annorum & olympiadum decursus, necdum impatiens Deus, necdum vi agere, & sceleratos interimere, imò novam supremi termini dilationem constituere, & ita promulgari jubet: *Adhuc enim & post septem dies ego pluam super terram quadraginta diebus & quadraginta noctibus.*

Psal. 144. vers. 9. *2. Reg. c.14. vers. 14.*

Adhuc enim, adhuc unam do hebdomadam ad resipiscendum: properate, pœnitentiam agite, ad finem festinat clepsydra, vicinus est interitus, resipiscite. Fruſtrà fuerunt hactenus admonitiones, minæ, conciones. Spectaculum arcæ jam consummatæ neminem movet. Pabulum animantibus, annona hominibus in annum arcæ illata neminem terret. Tot volucrum, tot quadrupedum confluxus nec vel unico quidem homini pœnitentiam persuadet. Fortassis ubi viderint omnes ordine animantes, sed & homines in arcam velut asylum ultimum se recipere, toto cogitabunt animo. Jam denique seriò res agitur, resipiscamus; dies instant noviſſimi; res est jam ad extremum perducta. Nemo quidquam horum, quin imò alia omnia cogitabant; etiamnum ridebant & jocabantur: vitiorum dulcedinem nemo ejurabat, libidinis cænum nemini displicebat. Summe Deus, quàm occæcati cupiditatibus & vitiis, quàm pervicaces & obdurati, quàm refractarii & surdi! Num illi soli? Imò omnes vitiis assueti, hæc enim est peccati indoles, excæcare, in perniciem dare, ad omne vetitum indurare. Ah quàm incredibilis patientia Dei & longanimitas! Verè *miserationes ejus super omnia opera ejus.* Post centum viginti annos etiamnum moras interponens, supplicia jam pridem infligenda extrahens, *Adhuc enim*, inquit, adhuc, adhuc. Post longissimum hoc temporis spatium, jam elapsum, cor paternum à pœnis expetendis adhuc sese continet: ægerrimè adducitur, ut quos condidit, perdat, Misericordia infinita, dum potest, plagas

arcet à reis, speratque etiam de desperatissimis. Sed an nimiùm festinata pœnæ post tot annos? Sed obsecro, ait misericordia, septem adhuc dies, unam adhuc hebdomadem ad resipiscendum impetrem, fortassis enim ad Deum revertentur.

Tam leni & placido animo Deus in hostes suos, in luxuriosos, in superbos, in alios vitiosos est, ut eos longanimitate mitissimâ expectet, vindictam usque & usque differat, & solam quærat pœnitentiam. Sed terminum Deus non omnibus ponit æqualem. Huic annum unum, huic septem, huic viginti, plures aliis indulget annos: illi aliquot dies, isti horas pauculas indulget. Cur illi tam multum, isti tam parum spatii concedat, solus novit justissimus Deus, cujus judicia falli non possunt. Moram oppidò brevem constituit, opulento illi, qui frugibus inferendis cogitârat ampliare horrea, & vitam consecrare voluptatibus. *Dixit autem illi Deus: Stulte, hac nocte animam tuam repetunt à te, quæ autem parâsti, cujus erunt?* Habuit miser horas pauculas, qui multos sibi promittebat annos. At illis Noëmi ævo tam obstinatis, tam perditis spatium temporis prælongum mitissimus Deus concessit, eo tamen nec unus quidem unicus bono suo voluit uti, ita omnes libidinis & vitiorum furor occupârat. In eam rem Chrysostomus, *Vidisti*, ait, *ingratitudinis excellentiam? vidisti stupidas & doloris sensu carentes animas? Neque pœnæ timor, neque longanimitatis tempus arcuit illos à malis operibus: sed semel in præceps dejecti, & oculo mentis excæcati, à malâ concupiscentiâ, quasi ab ebrietate quadam demersi, redire ultrà noluerunt: quemadmodum & Sapiens dicit:* Impius cùm in profundum ceciderit malorum, contemnit. *Grave enim, grave est, dilecti, capi laqueis diaboli. Anima enim postea, quasi in retibus comprehensa trahitur: & sicut sus in luti volutabro oblectatur, sic & ista à malâ consuetudine obruta, ne sentit quidem peccatorum fœtorem. Ideo opus est, ut sobrii & vigiles simus, ne ab initio diabolo ingressum concedamus; ut ne, dum obtenebrata fuerit nostra ratio, & excæcata mentis perspicacia, faciat quasi privatas hujus solis lumine, ne valeas in radios solis justitiæ contueri, & ita in præceps feraris: id quod & illis accidit.* Si in tenebras has deveniamus, frustra clamatur: *Adhuc enim, adhuc.* Nec homines nec Angeli hanc pervicaciam expugnaverint. Hoc primum.

Luc. cap. 12. vers. 20.

Chrysost. hom. 22. circa med. mihi pag. 137.

Prov. c. 18. vers. 3.

§. II.

2. Lugubris tam pecorum quàm hominum in arcam ingressus. *Gen. cap. 7. v. 7. & 6.*

ALterum. Quando igitur patientia Dei & longanimitas adhibitis tot remediis ne tantillum quidem profecit, Noëmus jussu divino eruditus, supplicationem & pompam admirabilem in arcam instituit. Siquidem *ingressus est Noë, & filii ejus, uxor ejus, & uxores filiorum ejus cum eo in arcam propter aquas diluvii, eratque sexcentorum annorum Noë.* Pecus omne in hujus supplicationis ordinem compositum, arcam, grandem hanc lipsanothecam, subiit. Hanc pecoris supplicationem publicam facer historicus describens, *De animantibus quoque mundis,* inquit, *& immundis, & de volucribus, & ex omni quod movetur super terram, duo & duo ingressa sunt ad Noë in arcam, masculus & femina, sicut præceperat Dominus Noë.* Instituerat antè Deus non per Noëmum, sed per Angelos venationem grandem & admirabilem, qua cicures & feras, agrestes & domesticas bestias coëgit. Ita omnis generis animantes obedientes ad arcam confluxerunt: leones, ursi, tigrides, bardi, similésque feræ, velut agnelli & oviculæ suum pastorem Noëmum sunt secutæ. Adamus protoplastus hoc dominium in feras perdidit; Noëmi, Danieles, alii singularis sanctimoniæ viri recuperârunt, & sub imperium immanes belluas redegerunt. Ita Noëmus omnes feras veluti parvas oviculas in unicum collegit stabulum.

Ibid. v. 8. & 9.

Adami protoplasti ossa in arcam illata.

Non omittendum, quod Jacobus Edessenus, Ephremi sanctissimi viri magister, memorat, Noëmus, eodem Edesseno teste, Adami protoplasti ossa religiosè in arcam intulit, eáque diluvio finito ita filiis distribuit, ut Semo natu maximo calvam, & cum eâ Judæam, totámque Palæstinam tradiderit. Tanta scilicet priscis Patribus cura sepulturæ fuit ob immortalitatem animi celebrandam. Hinc multi Adæ calvam in monte Golgothæo defossam, & Christi Sanguine rigatam asserunt †. Vult Deus memoriam mortis inter suos propagari. Et eo quidem tempore peropportunum erat, mortem commeditari, cùm moriendum esset omnibus, exceptis solis octo hominibus, quorum septem gratias egerint Noëmo, & suam illi salutem in acceptis retulerint. Quemadmodum in naufragii periculo Angelus dixit Paulo: *Ecce donavit tibi Deus omnes, qui navigant tecum.* Erant homines ducenti septuaginta sex. Ita pauculi illi Noëmo velut donati, quod voces illæ satis indicant: *Ingredere tu, & omnis domus tua, te enim vidi justum coram me.* Noëmo neutiquam pares ceteri, quamvis non æquè cum pereuntibus improbi. Nec dubitem ego, quin in arcam receptus quoque fuisset, si alius ullus bonæ mentis reperiri potuisset. Hinc Chrysostomus ingenuè professus, *Melior,* inquit, *est unus faciens voluntatem Dei, quàm decem millia prævaricatores.*

Act. 27. vers. 24.

Gen. 7. vers. 1.

Chrysost. hom. 22. ut supra pag. 136.

† *Tertull. lib. 2. adversus Marcionem post med. mihi pag. 1060.*
Golgótha locus est, capitis calvaria quondam,
Lingua paterna prior sic illum nomine dixit:
Hic medium terræ est, hic est victoria signum.
Os magnum hic veteres nostri docuère repertum,
Hic hominem primum suscepimus esse sepultum,
Hic paritur Christus, pio Sanguine terra madescit,
Pulvis Adæ ut possit veteris cum Sanguine Christi
Commixtus, stillantis aquæ virtute levare.
Vide etiam Cyprianum tract. de Resurrect. Christi, cum annotat. Iacobi Pamelii.

§. III.

TErtio loco quod hîc expendendum venit, est occlusa arca. *Et inclusit eum Dominus deforis.* Jam actum est, pereundum est omnibus, quicumque arcâ recepti non sunt. Quisquis perit, seipsum exclusit, sibi ipse culpam impingat. Noëmus cum suis timens, ingressus est arcam, & clausa est janua. *Inclusit eum Dominus.* Noëmus quidem attrahere potuit januam, sed eam divino jussu Angelus bitumine obkevit, ne quid aquæ penetraret. Ita Angelus vietorem egit, & arcæ ostium pice ferruminavit. Angeli nihil non promptè agunt in nostrum bonum; Noëmus decretum de diluvio, arcâ, ingressu, ab Angelo secum loquente accepit. Feræ ad arcam congregatæ sunt non solâ Noëmi industriâ, nec enim orbem peragravit, ut ferarum cogeret senatum (immensi res laboris fuisset) Angeli eas ut pastores gregem congregarunt.

3. Occlusa arca. *Gen. cap. 7. vers. 16.*

Quòd verò paginæ divinæ dicant, *Inclusit eum Dominus deforis,* id insigniter demonstrant, quâ Deus curâ in Noëmum fuerit, ne quid ei contingeret mali. Chaldæus paraphrastes, Protexit eum Dominus, inquit, verbo suo. Chrysostomus rem paucis dixit: *Præbuit se janitorem Deus.* Quis hîc non obstupescat, & res creatas omnes ad Conditoris laudes non impellat? Enimverò dicite, quid commoverit Deum Noëmo centum & viginti annorum assiduos labores injungere, sibi januam tantùm observandam reservare, cùm opus integrum tam facile fuisset per Angelos conficere, atque ostium unum claudere? Sed in promptu causa est. Poterat Noëmus ædificare arcam, etsi plurimum temporis labor hic absumpserit, non potuit foris obserare januam. Hinc pronum est perspicere, quem morem teneat Deus. Solus ipse facit, quod facere non possunt homines. Arcam Noëmo fabricandam mandârat, sibi alia, quæ Noëmi vires excesserant, reservabat. Atque hoc peculiariter conscribi voluit, ut ejus bonitas, providentia, æquissima voluntas constaret omnibus. Hoc nimirum exigit Deus, ut, quod possumus, faciamus. Fac ergo, quod potes;

Dei cura in Noëmum.

Cautio in Deum.

januam ne obseranda reservata.

res; studiosissimè omnia diligentissiméque cura; pro viribus labora; cetera securus ac hilaris Deo committe; suo muneri providentissimus Pater non deerit.

Cur Deus Noëmum suâ obsaeptâ includit. Noëmum autem januâ obseratâ ideo sic inclusit, ut ab aquarum irruptione cunctisque periculis tutus ageret; ita cimelia claudimus & custodimus dactyliothecâ, quem subinde annulo sigillari firmamus. Priùs autem eripit justos Dominus, quàm perdat impios; priùs subducit Lothum, quàm inflammet Sodomam; priùs oves à dextris statuit, quàm hœdos ad sinistram rejiciat. Deinde inclusit Noëmum Dominus, ne angustias peruentium cerneret, ne lamentantium voces audiret. Sunt enim boni in miserationem promptissimi, ideo & orant pro improbis, uti Abraham pro Sodomitis, Prophetæ pro Judæis. Ne igitur Noëmus spectaculo tam horribili turbaretur, & cohorreret rei novitate, inclusit eum Dominus. Verè, jam clausa est janua. Jam actum est, jam omnibus pereundum est, effugium vicinissimæ mortis nullum est. Credibile prorsus jam aliquos fluctibus abreptos jamjam faucibus aquâ strangulandis ultimùm vociferatos, O Noë, Noë, ô si tecum sim! Votum bonum, sed nimis serum; ad finem ventum est: periistis, occidistis, auxilium nullum est, nec esse potest, spes omnis decollocavit. Jam clausa est janua; centum & viginti annis dies & noctes patebat omnibus hoc asylum, & ad ingressum invitabat. Nemo erat, qui vellet ingredi. Nunc posse negatum est; moriendum, pereundum est. Hîc iterum duplex pro more documentum suggerimus.

Duplex documentum.

§. IV.

1. Oblatam Dei gratiam amplectere. I. *Oblatam Dei gratiam amplectere.* Gratiæ humanæ metûs aliquid ineſt, ne beneficium sit viscatum: divina nil habere potest periculi, nil mali, Dei gratia putum purissimum aurum, cujus vel minima pars pretiosior est omni favore humano, & montibus aureis. Nec occasioni multùm dissimilis est divina gratia: tempori vult admitti, sæpius rejecta tandem se subducit, deseritque refractarios. *Matth. c. 23. v. 37. & 38.* *Ierusalem, Ierusalem, quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, & noluisti. Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta.* Oblatam gratiam ne respue, alioqui ea sibi alas parat, & avolat. Impius Esau gratiâ divinâ toties rejectâ, *non invenit pœnitentiæ locum, quamquam cum lacrymis inquisisset eam.* *Ad Hebr. c. 12. v. 17.* *Scelestus* Antiochus *orabat Dominum, à quo non esset misericordiam consecuturus.* *2. Machab. c. 9. v. 13.* Oblatam igitur à Deo gratiam obviis ulnis amplectere, ne lugeas non redituram, quam præsentem contemnebas.

2. Dei minas expavesce. II. Dei *minas expavesce.* Minatur Deus totis Bibliis. Apertissimè Christus, *Dico vobis*, inquit, *nisi pœnitentiam habueritis, omnes similiter peribitis. Sicut illi decem & octo, super quos cecidit turris in Siloë, & occidit eos.* *Luc. cap. 13. v. 3. & 4.* Ecquid horrendum magis illo Judicis decreto, quod centies, quod sexcenties, quod millies jam occentatur: *Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis ejus.* *Matth. c. 25. v. 41. & 46.* *Et ibunt hi in supplicium æternum.* Hæ minæ plurimis sunt uti tempestas mitissima, quæ solùm tonat, non fulminat; aut sicut æstivis noctibus sola crebriùs repetuntur fulgetra, nullum tonitru auditur; nemo tertetur, nemo iratum cælum perhorrescit, omnes cæli clementiam interpretantur. Ita Christus fulgetrum misit per orbem: *Ibunt hi in supplicium æternum.* Sicut fulgur exiit ab Oriente, & patet usque in Occidentem, ita hæ minæ utramque mundi plagam penetrârunt. Sed nos has minas interpretatione benignissimâ explicantes, Dominum bonum dicimus, & mitem habemus, qui nos cupiat sanctos. Pergamus ut cœpimus. Hæ nostræ sunt næniæ, dum diluvium opprimat contumaces. Ita Paulus tonans, & proximum fulmen nuntians, *Manifesta sunt*, inquit, *opera carnis, quæ sunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, inimicitiæ, contentiones, iræ, rixæ, æmulationes, dissensiones, invidiæ, ebrietates, comessationes, & his similia, quæ prædico vobis, sicut prædixi, quoniam qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt.* *Gal. cap. 5. vers. 19. & seqq.* Hæc vociferatur Paulus, sed quàm pauci sunt, qui monita vociferantis audiunt! ita & invidia, temulentia & luxuria pessumdant orbem. Quidquid cælites minentur, nos vitiis indulgemus.

Fulgetrũ Christi, *Ibunt hi in supplicium æternum*, totum orbem penetravit.

Irrisorum Noëmi voces. Quemadmodum ævo Noëmi passim irrisorum voces jactabantur: Ea senem meticulosum, ne ruat cælum metuit. Et quando tandem lignea hæc moles ultimam spectabit manum? Quibus denique fatuum silicernium ædem hanc vacuam locabit? Quis lignei hujus ædificii finis? Finem hunc, ô nequissimi, jam spectate: ingressus Noë cum familiâ suâ, & includit eum Dominus, & clausa est janua; omnibus aliis occumbendum in aquis. Viceni vobis anni iterum iterúmque ac sexies viceni ad resipiscendum dati sunt, demum clausa est janua. Unam adhuc hebdomadem expectate, & Noëmum inclamabitis: Aperi nobis, aperi, aperi: sed clausa est janua: perite, interite miseri: sera est in fundo pœnitentia. Verissimè Augustinus dixit: *Non facilè inveniuntur in adversitate præsidia, quæ non fuerint in pace quæsita.* Ægyptius tyrannus Pharao Hebræam gentem cum exercitu insecutus eâdem sibi viâ promittebat transitum. At ubi jam mediis clauderetur fluctibus, clamabatur undique, *Fugiamus Israëlem, Dominus enim pugnat pro eis contra nos.* *Exod. c. 14. vers. 25.* O seros nimiùm clamores! Hebræum sanguinem sitiistis, jam pelagus totum bibite: in mediis undis sublata est omnis deliberatio. In oculis est interitus, jam clausa est janua. Ad rem opportunè Gregorius, *Regni janua*, inquit, *lugentibus claudetur, quæ quotidie pœnitentibus aperitur.* *Gregor. hom. 12. in Evang.*

Nimis serum est tunc vivere incipere, cùm est desinendum. Hos Annæus Seneca irridens, *Quidam*, inquit, *vivere tunc incipiunt, cùm desinendum est. Si hoc judicas mirum, adjiciam quod magis admireris: quidam antè vivere desecerunt *, quàm inciperent. Vivere totâ vitâ discendum est, & quod magis forsàsse miraberis, totâ vitâ discendum est mori.* *Sen. ep. 23. fine, & de brevitate vitæ cap. 7.* * *Quid si, desierunt?* Nunc arcæ januæ diebus & horis, & momentis singulis patet. Gratia Dei & misericordia nemini non obvia, venia noxarum vel gemitu impetranda. Jubilæum offertur omnibus paratissimum. Veniet dies, aderit horula, cùm claudetur janua. Agamus quod agendum.

CAPVT XI.

Quæ animantes Arcam ingressæ, quale mundarum & immundarum sit discrimen.

Quæstionem injiciens beatus Paulus, *Numquid*, ait, *de bobus cura est Deo?* *1. Cor. cap. 9. vers. 9.* Hæc sanè quæstio non eò spectat, perinde ac si Deus pecudes, oves, arietes, boves penitus non curet, sed quia Paulus unam aliquam è Deuteronomii legibus sibi sumpserat explicandam, affirmat, principem curam Numinis in eâ lege non defuisse de bobus. Profectò nostræ nos religiones docent, pecudes divinâ curâ non excludi. Qui enim immensâ providentiâ passerculis etiam alimoniam destinat, qui corvorum pullis vitam non negat, qui universis animalibus suum submittit pabulum, hic idem providentissimus Pater sollicitus fuit, ut omnium animantium genus & propago ad cujusvis indolem accommodatè conservaretur. Nec enim eis locum tantùm constituens in arcâ, Mansiunculas, inquit, in eâ facies; sed etiam suum cuique pabulum destinavit, quod Noëmus comparavit in annuam pabulationem. Eâdem sollicitudine atque accuratione jussit quot animalium mundorum, quot immundorum in arcam recipienda: nec enim tantùm quadrupedia gradientia, sed & reptantia, sed & omne volucrum genus in arcâ diversari & Noëmo voluit consuescere, ut nec minimæ quidem aviculæ progenies interiret. Sic enim edixerat Deus: *Ex cunctis animantibus universæ carnis bina induces in arcam, ut vivant tecum.* *Gen. cap. 6. vers. 19.* Fa-

Pecudes divinâ curâ non excluduntur. *Psal. 103. & Psal. 146.*

ctum ordine: nam *ex omni, quod movetur super terram, duo & duo ingressa sunt ad Noë in arcam.* *Ibid. cap. 7. vers. 8.*

Si ergo acanthis & troglodytes, si serpentes & viperæ Deo curæ sunt, multò magis boves ceteræque animantes erunt. Hoc igitur jam explicandum, quæ animalia, & quot in arcam ingressa, unde mundorum & immundorum discrimen; quomodo in arcâ sint nutrita.

§. I.

NOëmo sæpius ab Angelo imperatum est de omnigeno pecore cogendo: *Ex cunctis animantibus universæ carnis bina induces in arcam, ut vivant tecum.* *Gen. cap. 6. vers. 19.* Expressiùs hoc præceptum: *De volucribus juxta genus suum, & de jumentis in genere suo, & ex omni reptili terræ secundùm genus suum, bina de omnibus ingredientur tecum, ut possint vivere.* *Ibid. v. 20.* Tertium decretum longè luculentissimum: *Ex omnibus animantibus mundis tolles septena & septena, masculum & feminam. De animantibus verò immundis duo & duo, masculum & feminam. Sed & de volatilibus cæli septena, masculum & feminam.* *Ibid. cap. 7. v. 2. & 3.* Decretum quartum: *Tolles tecum ex omnibus escis, quæ mandi possunt, & comportabis apud te, & erunt tam tibi quàm illis in escam.* *Gen. cap. 6. vers. 21.* Admirabilis providentia Dei; verè de bobus cura est Deo, qui curæ sibi habet etiam passerculorum vitam, quam aviculis illis providentissimè conservat.

5. Classes animalium in arcam deductorum.

Omnia igitur animalia in arcam deducta sunt, quorum quinque omnino classes faciendæ. Prima volucrum, ab aquilâ, struthione, olore, ceterisque usque ad regulum ordiendo, Altera reptilium & serpentium. Tertia quadrupedum carnivororum. Quarta grandium aliorum quæ carnibus non aluntur. Quinta minorum, quæ pariter non vescuntur carnibus. Arias Montanus numerat animalium terrestrium familias centum quinquaginta, serpentibus & repentibus exceptis, quorum viginti quinque species esse creduntur. Ita animalium paria centum septuaginta quinque, universè trecenta quinquaginta animalia, avibus exceptis, in arcam ingressa. Apud Gesnerum & Aldrovandum species avium centum quinquaginta numerantur. Hîc aliquorum Arithmetica nimiùm liberalis: quâ in re signifer Origenes, qui illud, *Ex omnibus mundis tolles septena & septena, de immundis verò duo & duo,* ita interpretatur: Ex animalibus mundis omnibus quatuordecim, ex immundis quatuor, è volatilium singulis etiam speciebus pariter quatuordecim. Cùm ergo volucrum species sint centum quinquaginta, & è quavis septem in arcam fuerint immittenda, nongentas aves dicemus in arcam convolâsse. Numerus sanè prodigiosus, & animalium nimia turba.

Quot animalia ierint arcam ingressa:

Opinio Origenis:

Origene rectiùs sensuerunt Josephus, Ambrosius, Chrysostomus, alii, qui asserunt, jussu Dei è mundis animantibus non nisi septem, ex immundis dumtaxat duo, ex avibus earúmque quavis specie septem solùm in arcam receptas. Quod Deus eo fecit consilio, ut par unum propagationi, alterum sacrificio, tertium usui & esui servaretur. Perinde ac si præcepisset: Pars una mihi, altera pars hominibus, ipsis denique bestiis ad propagandas species pars tertia conservetur. Septimum autem ideo jussit diluvio subduci, quia sciverat à Noëmo ad cataclysmi finem sacrificandum è mundis omnibus unum: ne ergo tria illa paria dividerentur, aut animalium propagatio impediretur, providentissimè septimum quoque jussit seligi, & in subliciam domum illam induci.

Josephi, Ambrosii, Chrysostomi, & aliorum.

Sed unde mundorum & immodorum discrimen, præsertim Decalogi tabulis nondum constitutis? Et numquid Deus omnia à se condita probavit? Nam *vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona.* *Gen. cap. 1. vers. 31.* Unde igitur hæc animalium immundities, & unde illam scire potuit Noëmus? Hanc quæstionem Romanus Pontifex Hieronymo posuit. Ad eam respondit Hieronymus, eâ de re Tertullianum copiosè agere libro singulari, quem tamen temporum injuria vivere non permisit.

Nobis verosimillimum videtur, ea quæ Moyses lege sanxit, usu piorum hominum pridem invaluisse, idque ab orbis incunabulis. Ejusmodi sunt. Aras struere, sanguine & suffocato abstinere, vovere decimas & offerre. Ita differentia mundorum & immundorum animalium non quâ esu, sed quâ sacrificio facta, & hanc dedicit Noëmus à suis majoribus. Hinc accuratior iste selectus animantium earum, quas Deus ab arâ rejiceret, idque abdito Dei instinctu & majorum usu. Porrò animantes mundas lex eas pronuntiabat, quæ ruminarent & dividerent ungulam. Plura verò mundorum animalium in arcam convenire voluit Deus eam etiam ob caussam, ut plura essent utilia homini quàm noxia, siquidem post orbis eluviem omne genus animantium permissum est mensæ in cibum. Id autem clarè præmonstravit Deus, cupere se plures esse mundos in Ecclesiâ futurâ, quàm immundos. *Non enim vocavit nos Deus in immunditiam, sed in sanctificationem. Hæc est enim voluntas Dei, sanctificatio nostra: Sicut elegit nos in Christo ante mundi constitutionem, ut essemus sancti & immaculati in conspectu ejus in charitate.* *1. Thess. 4. v. 7. & Eph. 1. v. 4.*

§. II.

SEd quæsiverit non nemo. Cur Deus hanc mundarum & immundarum animantium differentiam non etiam in avibus designat? Numinis voces sunt. *Sed & de volatilibus cæli septena & septena.* Mysterii aliquid hîc latet, quod aperiendum. Quos rerum blandimenta, quos voluptatum illecebræ, quos cupiditates effrenatæ, quos libidines in omni intemperantiâ effusæ etiamnum detinent, immundi sine alis, sine castis desideriis, pecudes sunt ad pabulum natæ, qui verò mentem ad divina erigunt, quorum conversatio in cælis est, hi voluctum similimi, hi mundi & Deo conjuncti sunt.

Ab arcâ verò duplex animalium genus excluſum est. Primum, è putredine nasci solitum, uti mures, glires, scarabæi, vermes, sordidæque similes bestiolæ. Aliorum nec avicula quidem, nec sciurulus desideratus. Alterum, pisces & omnes animantes, quæ in aquis degunt. His diluvium non nocuit, neque enim in eâdem domo cum homine deprehensæ sunt. Fit in urbibus nonnumquam ut Magistratus civicus in domum mali criminis suspectam excubitores immittat, qui sontes, insontes in illisce ædibus deprehensos abducant; iis autem qui extra eas ædes sunt, vis nulla infertur: ita hîc factum in orbis eluvie, universa animalia in eâdem quasi domo cum flagitiosis hominibus deprehensa, in eamdem supplicii locietatem tracta sunt. Quod apertè minatus Deus, *Delebo,* inquit, *universam substantiam, quam feci, de superficie terræ.* Pisces igitur ceteris animalibus nequitiam hominis minùs juverunt: putat enim Tostatus, usum piscationis & navigationis nondum viguisse.

Quod animantium pabulationem attinet, Noëmus tam pro illis omnibus, quàm pro domo suâ comparavit alimoniam. Ita Deus jusserat: *Tolles igitur tecum ex omnibus escis quæ mandi possunt, & comportabis apud te, & erunt tam tibi quàm illis in escam.* Quid autem pabuli cuivis bestiæ conveniret, Noëmus partim experientiâ, jam sexcentorum annorum vir, partim indiciis & paretactione divinâ facilè nôsse potuit. Sed numquid Deus has & pecoris & hominum familias absque alimentis servare, quemadmodum in locis desertis Christum; aut numquid Angelus vel unicus satis commeatûs omnibus convehere potuisset? Utique non defuerunt Deo modi plurimi ad inquilinos arcæ pascendos; sed, quod sæpius inculcandum, vult Deus, ut pro viribus laboret homo, & quidquid facere potest, faciat, cetera sibi facienda committat. Quando igitur congestus pabuli vires humanas non excessit, quamvis operosissimus fuerit,

Noëmi

Noëmi tamen industriæ demandatus est. Hinc & sufficiens in annum annona, & dulcis aqua in arcam fuit convehenda.

Num verò carnivoris belluis, quarum triginta quinque species numerantur, inter quas leones, pardi, dracones, pantheræ, crocodili, tigrides, lupi, num his, inquam, satis carnium in pastus annuos parârit, non immeritò addubitat Augustinus. In eam denique sententiam potiùs concedit, ut credat carnivoras etiam bestias communi ceterarum pabulo contentas victitâsse, idque Numinis peculiari placito, præsertim cùm carnium penuria castaneis & ficubus potuerit sarciri. Fames cocorum magister crudas fabas mirificè condit; fami panis avenaceus, mucidus, furfuraceus, supra primarium, siligineum, dominicum sapit. Fames edulium omne aromate gratissimo perspergit. Quemadmodum verò tam multigenas animantes non sine prodigio coactas, ita non sine miraculo pastas, dicendum.

Carnivoræ belluæ uti non sine prodigio in arcam coactæ, ita non sine miraculo pastæ.

Sed fingamus, quod aliqui contendunt, animalia carnivora non nisi carnibus nutrita, ubi demum locus tot ovibus, & aliis pecudibus in lanienam servandis? ubi macellum in arcâ, ubi quotidie tantum pecoris mactaretur, & per stabula dispensaretur. Sed ponamus carnivora omnia in singulos dies non plus fuisse absumptura, quàm ferè soleant centum lupi. Non malè congruet alterius ad alteram proportio. Atqui cuivis lupo in dies singulos octava pars ovis minimùm assignanda in quotidiana cibaria. Quâ quidem ratione dies singuli oves duodecim & dimidiam, trecenti sexaginta quinque dies, seu annus, quatuor millia sexaginta duas oves & dimidiam exigent. Num verò in arcâ centum illa septuaginta quinque paria animantium tantum spatii reliquerunt ad tantos greges alendos in aliorum saginam? Non ignobilis scriptor conceptis verbis, Non omittam, inquit, considerate notare bubulas & ovillas carnes ad esum hominum salitas, ut mos est navigantibus, in arcam illatas. Quo quidem Deus singulariter significare voluit humanam carnem luxuriis corruptissimam, deinceps pudicitiâ ut sale siccandam. Proba omnino explicatio, si tamen verum sit, quod esse verum ponit, animalium carnes ante diluvium comestas, quod ægrè, putem, è sacris paginis demonstrabitur. Sed hîc pensum damus, & geminum, uti cœpimus, documentum nectimus.

Duplex documentum:

§. III.

1. Dei providentiam venerare.

I. *Dei providentiam venerare.* Bonus Deus pater sollicitus, & amans rerum quas condidit, quàm providentissimè curavit, ut omnes animalium, tam gradientium, quàm volantium atque repentium species conservarentur; unà suum cuique pabulum, suum cuique locum, suas omnibus mansiunculas destinavit. Verè Deo cura est de bobus: neque de his solùm, sed & de aviculâ minimâ, de vermiculo vilissimo. Quod Christus assiduè cogitandum luculentè docens, *Respicite*, inquit, *volatilia cæli, Pater vester cælestis pascit illa. Nónne duo passeres asse vænunt, & unus ex illis non cadet in terram sine Patre vestro? nolite ergo timere multis passeribus meliores estis vos.* Idem & aliorum calamo ingeminans, *Nónne quinque passeres*, inquit, *væneunt dipondio, & unus ex illis non est in oblivione coram Deo? Sed & capilli capitis vestri omnes numerati sunt.* Si aviculas & pecus tam amanter suâ curâ complectitur Deus, quomodo vivam effigiem suam habebit tam neglectim? *Custodit Dominus omnia ossa eorum, unum ex his non conteretur.* Idem Dominus eâdem curâ, & defendit ossa suorum, & auget ossium medullas: si medullas & ossa, ergo & carnes quæ ossa vestiunt. *Multa tribulationes justorum, & de omnibus his liberabit eos Dominus.* Qui penuriam rerum patitur, cum curâ & diligentiâ expendat, Deum non tantùm promum condum, sed & medicum agere. Et quidem promus condus est liberalissimus, qui alimoniam omnium viventium in manibus habet, & partitur eam amantissimè, sed & medicus est, qui multis cibum imminuit, quibus inediam judicat salubriorem. Indigentia corporis multis est occasio salutis. Novit peritissimus ille medicus, quid pharmacorum cuique conveniat: hunc frigidis, illum calidis, acidis alium & austeris, istum medicatur amaris; temperiem uniuscujusque exactissimè perspectam habet. Tu tantùm arti & providentiæ hujus medici fide, téque illi quàm integerrimè committe: valetudo tua in manu illius est.

Matth. c. 6. vers. 26. Idem c. 10. vers. 29. Luc. cap. 12. v. 6. & 7. Psal. 33. v. 21. Ibid. v. 20.

medicus omnium vivêtium.

2. Curam domesticorũ gere.

II. *Curam domesticorum gere.* Noëmum, oro, sæpius consideremus, qui non tantùm pro se ac suis, sed pro animantibus cunctis, quidquid ad victum est, studiosissimè comportavit, sollicitudine summâ distribuit; familiam sanè grandem duxit, multas centurias convictorum suâ mensâ aluit. Tam cuniculo & sciuro, quàm urso & elephanto conveniens pabulum dedit, suum omnibus cibum potúmque subministravit, omnium domicilia cum suis purgavit; nulla bestiola, avicula nulla est neglecta; in omnes tam feras quàm homines sollicitus hic paterfamilias curam dispensavit, domesticos omnes amantissimè complexus. *Si quis suorum & maximè domesticorum curam non habet, fidem negavit, & est infideli deterior.* Domesticorum corpus solùm curate, modica nimiùm & exilis cura est; animus etiam curandus est. Cibum & vestem domesticis præbes; ubi animi, partis nobilissimæ, cura est? Familiam igitur ad templa mitte, rem divinam audiant, conciones frequentent, disciplinam Christianam, & pudicos mores condiscant. Queruntur non rarò patres ac matresfamilias de famulorum & ancillarum corruptis moribus, sed ipsi, qui familiam ducunt, in culpâ sunt, qui suos ad templa, ad expiandam conscientiam, ad obeunda sacra rarissimè mittunt. Sunt famuli & ancillæ, quæ totis annis conciones nullas adeunt, nihil eruditionis sacræ è suggestu accipiant, ut jumenta clitellaria oneribus portandis nata vivant. Subinde herus & hera sævùm stomachantur, & fures domesticos accusant. Pace vestrâ dixerim, ô domine, & ô bona domina, vos ipsi fures, quos facitis, fovetis, alimoniam parcissimam, sæpe sordidam, fœtentem, verminosam oggeritis, salarium præbetis tenuissimum vix calceis præstinandis sufficiens; honestè nihilominus vestitos cupitis. Quæ crumena vestem suppeditabit? Ita non docetis tantùm furari, sed pæne cogitis. Et quomodo fidos vobis speratis, qui quàm fidi sint Deo, penitus non curatis? Animus domesticorum ante omnia curandus, doctrinâ Christianâ, præceptionibus optimis imbuendus. Eò Dominici festique dies ad templa vocant; mores in domibus exhibendos, in templis discant. Doceantur obedire, non otiari, non mentiri, non furari, non impudica, non lasciva loqui, opportunis horis precari. Hæc illis domi forisque inculcanda, monitis & exemplis urgendi. Quàm malè sibi consulunt, qui nec monitis nec exemplis domesticos formant, qui ingentem convitiorum & maledictorum nomenclaturam semper in promptu habent, nec ferè quidquam sine convitiis & appellationibus probrosis imperant. O nullam domesticorum curam! ô gubernationem pessimam! Hebræus Sapiens, *Novit justus*, ait, *jumentorum suorum animas; viscera autem impiorum crudelia*: amoris ac miserationis adeò pleni sunt probi, ut nec in ipsas quidem pecudes, nedum in homines sibi commissos sæviant. *Viscera autem impiorum crudelia*: & licet quandoque benigniùs videantur aliquid dare, dum tamen cunctantur, dum opprobrant, dum comunt & jactant sua, cruciant. Quod Seneca jure ut vitiosum reprehendens, *Plerique*, ait, *beneficia asperitate verborum & supercilio in odium adducunt, eo sermone, eâ superbiâ usi, ut impetrâsse pœniteat.* Curam ergo domesticorum gere; sed ut congruè cures corpus, priùs cura animum.

1. Tim. c. 5. vers. 8.

Domestiorũ corpus & animus curandus est.

Prov. c. 12. vers. 10.

Seneca l. 2. de Beneficiis, c. 4.

Et ante omnia ut imbuatur doctrinâ Christianâ.

Deus est promus condus, &

CAPVT

CAPUT XII.

Cur unà cum homine omne genus animantium in aquis perierit.

HEbræus rex David, vir mansuetissimus, imò idea & archetypon mansuetudinis fuit, cùm tamen fatuus Nabal eleemosynas ab eo modestissimè petitas recusasset, insuper & convitia addidisset, David capulo manum admovens, & signa jubens canere, *Accingatur*, inquit, *unusquisque gladio suo. Et accincti sunt singuli gladiis suis, accinctúsque est & David ense suo.* Jamque omnibus ad pugnam paratis, David ad cædem excandescens, *Hæc faciat Deus*, inquit, *inimicis David, & hæc addat, si reliquero de omnibus, quæ ad ipsum pertinent usque manè, mingentem ad parietem.* Omnem Nabalis familiam occidione occidam, ut nec domesticus quidem canis evadat.

1. *Reg. c. 25. v. 13. & 22.*

Profectò demum patientia læsa fit furor, & quandoque justitiæ est, seriò in ejusmodi noxas animadvertere.

Deus exerrantis orbis flagitia diu satis dissimulare, connivere, & annos quingentos tolerare tot injurias; tandem mitissimus Rex jure meritissimo post tot sæcula irasci, classicum canere, è nubibus & ex abyssis aquas evocare ad vindictam & ad inferendum supplicium pridem commeritum emittere. *Et accincti sunt gladiis suis* tam nimbi supernè ruentes, quàm aquæ suo Conditori obedientissimæ ex imo emergentes. Nec in hominem tantùm, sed in omnia animantia motum est maritimum hoc bellum. Ita Rex supremus edixerat: *Si reliquero de omnibus quæ ad ipsum pertinent.* Quidquid hominis est, pereat, ut nec avicula quidem, nec lepusculus, nec scarabæus, nec vermiculus evadat. Magna Dei ira, sed justissima. Quid autem miserum pecus deliquit? cur bestiæ alienum luant peccatum? Persolvat pœnas, qui admisit culpas. Homines peccârunt, non pecudes. Atqui debuerunt persolvendis pœnis sociari hominibus scelestis, idque pluribus de caussis, quas hoc capite aperiam.

Causæ cur pecudes debuerunt persolvendis pœnis sociari hominibus:

§. I.

1. Quia ad hominis obsequiũ animalia erant creata.

CAussa prima, ob quam Deus animalia unà cum homine suffocarit aquis, est ista: Ad hominis obsequium animalia Deus omnia condidit, ut eum vestirent, alerent, servitiis juvarent. Quis eorum alioquin indigebat? Ab eis homini cibus, potus, vestitus est; serviunt trahendo, portando, vehendo: ab eis etiam homo recreandus. Utilitatibus illorum carere homines haud possunt. Sublatis igitur hominibus, & ipsa etiam erant è medio tollenda; perinde uti in domo, mortuo domino exauctorantur servi. Est qui dicat illis, Operâ vestrâ non egemus ampliùs, ire licet. At Deus, inquis, animalia retinere voluit, cur igitur non retinuit priora? Hîc itidem prorsus factum, quod in lugubri, quam diximus, fit domo: alius dominus, alii servi; ita hîc alii homines, aliæ pecudes.

2. In majus hominis supplicium.

Altera caussa, in majus hominis supplicium, punita sunt & ipsa etiam animalia, quorum dominus erat homo. Jure merito Deus homini ademit, quidquid priùs concesserat fruendum, facultates, delicias, opes, cognatos, vitæ gaudia, vitam ipsam. Capitalem fraudem admiserat. Et sicut parentes sæpius puniti filiorum morte, cùm morientium spectaculo interesse coacti sunt. Ita Mauritii Imperatoris quinque filii sub oculis patris occisi, quibus funus ultimum ipse pater accessit. Hoc revera est in suis sæpius mori. Ita Beata Felicitas in septem filiis per mortem præmissis septies est mortua. Ita homines sceleratissimi, qui mortem sæpe sæpius commeriti non simplici morte fuerant perimendi.

3. Capite præciso membra omnia moriũtur.

Tertiam caussam subjiciens Ambrosius, *Naturam*, inquit, *nemo accusat, quòd membra omnia moriantur capite præciso. Manus, pes, brachium amputati possunt, reliqua tamen*

A *vivere; imò ut ista vivant, illa nonnumquam amputantur; adempto capite, actum est de membris omnibus: atque ob hoc naturam nemo arguit. Ideo cùm caput omnium animalium homo fuerit perimendus, aliis omnibus velut membris ob cohæsionem pereundum fuit. Hæc sese mutuò sequuntur. Pereant ergo cum homine omnia, propter quem nata sunt omnia. In suis divitiis consumatur homo, cum suâ dote moriatur.*

4. Hom

Quarta. Vix ullum est dubium, quin multæ animantium hominis nequitiam insigniter juverint; usum sui præbebant homini. Sileo fœdissimum illud flagitium consuetudine bestiarum committi solitum, cui pœnas lex Moysis sancit. Sunt & alia hominum crimina, quibus suum & laborem & ministerium largiter impertiebantur animantes, aves, pisces, ferè silvestres, nec tantùm sese ad victum, sed etiam ad gulam, luxum, luxuriam homini præbuerunt. Sic aliæ pilos, lanam, pelles, serica, pannos bombycinos non ad tegendum dumtaxat, sed ad superbiendum subministrant. Animalia venenata suum porrigunt venenum, iræ, odiis, invidiæ, ut alter alterum clam & silentio possit tollere; edendum aut bibendum ponitur, quod toto anno, aut totâ vitâ non digeratur. Nec infrequentia sunt illa delicta, cùm pecudum longè major geritur cura quàm hominum: sæpe cani objicitur, quod homini negaretur: sunt qui mallent suarum dominarum esse catelli, quàm famuli, mensâ profectò longè nobiliori uterentur. Reperias dominos nec adeò paucos, qui canes suos & equos multò exquisitiùs curent, lautiùs tractent, quàm suos servos. Theophylactus Patriarcha Constantinopolitanus, præclarus, ut ajunt, custos ovium lupus, vigintitribus annis tam excelsam sedem occupavit. Equos aluit ad præsepe aulicum ducentos, quos dactylis, amygdalis, pistaceis, pinorum fructibus, item croco, cinnamomo, balsamo, vino odoratissimo, aliisque fructuum & aromatum generibus pavit. Adeò enim equorum amore insaniit, ut eis tam pretiosum pabulum offundere non erubuerit. Pridie Parasceves, die Cenæ Dominicæ, cùm in templo sub re divinâ de insignis equæ partu nuntium accepisset, ille divinum officium deserens mox properavit ad stabulum, ut videret pullum: spectato satis recenti partu rediit ad templum. Talem insaniam, tales pariunt amores. Sed suum, ut solet, ab equis præmium tulit Theophylactus. Nam parieti adequitans, à petulantiori equo illisus muro, sanguinem cœpit vomere. Hoc morbo biennium laborans, demum hydropem incidit, & mortuus est. Quando igitur bestiæ cum hominibus magnâ fide societatem gerunt in peccatis, gerant etiam in suppliciis.

B

C

Quinta. Jus bellicum in lege priscâ valde usitatum secutus est Deus. Cùm Hebræus miles regem Chananæum Arad, cùm regem Amelec, cùm Gabaonitas, & urbem Jericho expugnâsset, jussit Deus tam pecudes quàm homines jugulari, ut quidquid ab hostis parte viveret, periret. Idcirco rex Saul tam graviter impegit, & omni gratiâ excidit, qui melioribus gregibus & armentis pepercit. Sceleratus orbis pæne à sui primordio annis mille sexcentis cum Deo bellum gessit. Deus cedere, dissimulare, pæne se victum dicere. Tandem viribus suos ad arma evocavit, & quartum elementum aquas omnes in hostem immisit cum imperio strictissimo. Parcendum nulli.

5. Jus bellicum a lege prisca usitatum secutus est Deus.

D

§. II.

VLtima caussa. Potissimus hîc Dei finis fuit, divinæ & offensæ & iræ magnitudinem orbi monstrare. Qui diu iram colligit, tandem iratissimus erumpit, furit, obvia quæque ferit & sternit; omnes se abdant, nemini parcit: ita Deus irasci cœpit ante annos quingentos; tot jam annis collegit iram, & quia jugiter crescebant scelera, ira etiam semper augebat: demum erumpens, Omnia, inquit, pereant, unico Noëmo dempto fideli servo,

6. Ultima caussa.

cui

cui uni ac soli, & propter ipsum septem hominibus ad ipsum spectantibus parcam. Quâ in re Deus hoc fecit, quod adsolet fieri, cùm crimen læsæ majestatis committitur: nec enim reus tantùm plectitur, sed nonnumquam etiam domus comburitur, in testimonium publicum nefandi criminis. Sic reverâ Deus non tantùm omnes homines, omnésque ferè pecudes morti addixit, sed ipsam etiam terram sceleratorum domum eluvie vastavit. Quod nimirum antè prædixerat: *Disperdam eos cum terrâ.* Et supplicio jam sumpto, *Nequaquam*, ait, *ultra maledicam terræ propter homines.* Hanc talem iram non repetam. Grande maledictum feriebat terram, vastabatur illa propter hominum vesanas libidines, alienis noxis trahebatur in pœnæ societatem. Cùm enim priùs emineret aquas, quibus obvallabatur velut septo, pòst in merum mare transiit, tamquam si nulla umquam terra fuerit. Omnia terræ ornamenta undis hausta, fluctibus sepulta. Quàm pulchra & amœna varietas illa montium, vallium, pratorum, fontium, hortorum, fluminum, silvarum, nemorum, oppidorum, civitatum, provinciarum, regnorum, omnia hæc aquis pessumdata. Nec terra flores tantùm, & plantas, arborésque perdidit, vastatis ac dirutis omnibus ædificiis, sed & filios suos amisit, exhausta jam tota & vacua. Hieremias vates lacrymans, *Confusa est*, inquit, *mater vestra nimis, & adæquata pulveri, quæ genuit vos, deserta, invia & arens.* Diluvio certè jam superato, terra postliminio patefacta, neutiquam ita fertilis, ut antè fuit, nec fructus æquè bonos ac salubres tulit. Credunt Rabbini, terram sallis marinis aquis ad tres palmos corruptam.

Gen. cap. 6. vers. 13. Ibid. cap. 8. vers. 21.

Hier. c. 50. vers. 12.

Ita hominum scelera tam pecudes quàm terra luere cogebantur. Imò utraque suam commodârunt operam, ut homines rei plecterentur. Cùm vindicta Dei exardescit, res creatæ omnes concurrunt, & in exitium Dei hostium conspirant. Sapientia monet in antecessum: *Armabit creaturam ad ultionem inimicorum. Acuet autem diram iram in lanceam, & pugnabit cum illo orbis terrarum contra insensatos. Ibunt directè emissiones fulgurum, & tamquam à bene curvato arcu nubium exterminabuntur, & ad certum locum insilient. Et à petrosâ irâ plenæ mittentur grandines, excandescet in illos aqua maris, & flumina concurrenter. Contra illos stabit spiritus virtutis, & ad eremum perducet omnem terram iniquitas illorum.* Ignis sæpius sui carceris impatiens rupit habenas: cælo lapsus Pentapolim inflammavit, bis quinquaginta milites interfecit. Aër in David regis noxiam armatus ita veneno pro Dei gloriâ pugnavit, ut exiguo tempore septuaginta millia hominum interemerit. Inobedientiam & tumultuationem rebellem Abironis ac sociorum non tulit terra, sed hiatu horribili discedens glutiit contumaces. Cùm Dei Filius in crucem actus expiraret, sol vultum abdidit, terra movit, tumuli reserârunt, cautes dissiluere, infremuit orbis. Aqua ad sumendum de homine supplicium mersit orbem.

Res creatæ omnes in exitium hostium Dei conspirant: Sap. cap. 5. vers. 18. & seqq.

Ignis,

Aër,

Terra,

Sol,

Aqua.

Bestiæ quoque sua arma, cùm opus, expediunt, dentes, cornua, ungues: nec solùm venenatæ, aut grandiores feræ, leones, ursi, dracones, colubri; sed animalcula minima, culices, locustæ, cyniphes, muscæ, crabrones, apiculæ pro Deo pugnant. Hoc vaticinii prædictum: *Consumentur fame, & devorabunt eos aves morsu amarissimo: dentes bestiarum immittam in eos cum furore trahentium atque serpentium: foris vastabit eos gladius, & intus pavor.* Idem prænovit Isaias: *Sibilabit Dominus muscæ, quæ est in extremo fluminum Ægypti, & api quæ est in terrâ Assur, & venient.* Illatam mortem ab his bestiolis testata Sapientia, *Illos enim*, inquit, *locustarum & muscarum occiderunt morsus.* Idcirco Augustinus ad veternum excutiendum expergefaciens, *Ne putes*, inquit, *Dominum dormire. Quando tu vides quæ facta sunt in impios, cave ne fiant in te. Ad hoc enim & contra illos facta sunt, ut tu transires, & eos non imitareris, & talia non paterêris. Vide quoniam flagellum Domini est su-*

Deut. c. 32. v. 24. & 25.

Isaiæ cap. 7. vers. 18.

Sap. cap. 16. vers. 9.

August. in psal. 134. fine.

A *per omnem carnem.* Imò Dei hostibus peccare perseverantibus demum omnia spinæ fiunt, quæcumque pedem figunt, spinas calcant. Hæc rerum conditarum dialectica est, hæc illarum argumenta: Tu Deo non obedis, neque nos tibi: tu Deo non das quæ debes, neque nos tibi: anteà tui eramus servi, nunc tui sumus capitales triumviri, & mulctam à te Domini vicem exigimus. In rem optimè dixit Gregorius: *Qui in cunctis deliquimus, in cunctis ferimur.* Certè quod Nahum clamat, *Deus æmulator & ulciscens Dominus; ulciscens Dominus & habens furorem, ulciscens Dominus in hostes suos, & irascens ipse inimicis suis, Dominus in tempestate & turbine ejus. Increpans mare & exiccans illud, & omnia flumina ad desertum deducens.*

Dei hostibus peccare perseverantibus omnia fiunt spinæ.

Gregor. hom. 35. in Evang.

Nahum c. 1. vers. 2. & seqq.

Ita Noëmi ævo homines scelerati Dominum irascentem & ulciscentem experti, qui in cunctis deliquerunt, in cunctis feriebantur: quia omnibus abusi animalibus & elementis, aëre, terrâ, aquis; omnia ipsis, aër, terra, aquæ in vindictam versa: aër & terra illis subducta, aqua in carnificem mutata. Hîc denuò duplicem ex more præceptionem tradimus.

B

Duplex præceptum:

§. III.

I. *Servis non abutere.* Omnia vestra sunt, inquit Paulus, in obsequium & commodum vestrum conducta; tot servi, tot ancillæ, quot res creatæ. Dei mensâ vivunt omnes. Deus omnibus suum salarium persolvit. Nobis sæpius cogitandum, quod domino fortunæ admodum modico. Alit is quidem domi suæ famulum, sed non suis expensis, è Principis ærario hi sumptus fluunt. Atque hic talis dominus, si quidem sapiat, modestè aget, ne illi famulorum aliquis occenteat: Quid iste regulus mendicissimus nos adeò exagitet, & imperet nobis quæ nostri numeris non sunt, cùm tamen illius peculio non vivamus? Ita nos homines mera mendicabula sumus, & quid rebus creatis pro earum obsequiis rependimus? Deo ipsis explicatissima solutio, Deus repræsentat, Deus etiam in antecessum dat, ex ærario Dei omne pretium enumeratur. Ergo his famulis nostris modestissimè utamur, & nullam umquam rem creatam in Creatoris offensam pertrahamus. Impiæ voces sunt, & in supremum Dominum admodum injuriosæ: Huc ades vinum, potandum es, etiam ultra sitim: Veni gallina, veni perdix, veni columba, devoranda es, etiam ultra famem: Huc adeste nummi, expendendi estis, (quid enim arcam occupatis?) etiam in luxum, etiam in libidines. Huc corium, huc tela byssina; vestis Coa, huc sericum & holosericum, non tegendo tantùm, sed ad pompam comendo corpori. Hoc sanè res creatæ in mandatis non habent, ut gulæ famulentur, ut serviant temulentiæ, ut superbiæ ancillentur. Hæc summa in Deum injuria est, quòd servis, quos ipse nobis conduxit, quibus & salarium persolvit, in ipsius contemptum, ignominiam, probrum, injuriam utamur. Pugnabit cum illo orbis terrarum contra insensatos. *Creatura enim tibi factori deserviens excandescit in tormentum adversus injustos, & lenior fit, ad benefaciendum pro his qui in te confidunt.* Ergo his servis tuis rebus creatis, quàm potes, modestissimè utere.

C

D

1. Servis non abutere.

Sap. cap. 16. vers. 24.

II. *Vindictam Dei reverere atque adora.* De Numinis pervigili vindictâ Paulus, *Voluntariè enim*, inquit, *peccantibus nobis, post acceptam notitiam veritatis, jam non relinquitur pro peccatis hostia; terribilis autem quædam expectatio judicii, & ignis æmulatio, quæ consumptura est adversarios.* Ita ignis in Dei hostes furit & pugnat. Si quis sibi malè conscius sit hominis læsi, metuit & cavet, ne se periculis exponat: facilè enim conjectat injuriam non impunè dimittendam, ideo se munit, ferream tunicam induit, solertissimè attendit, ne alteri occasionem præbeat sui aggrediendi. Hæc in hominem valet armatura. Christus subinde vigilantissimo dormit oculo, patientissimè agit, injurias sibi factas supplicio nullo punit. Tandem

2. Vindictâ Dei reverere atque adora.

Ad Hebr. c. 10. v. 26. & 27.

excitatur

Ps 77. v. 65. *excitatur tamquam dormiens, tamquam potens crapulatus à vino,* consurgit ep hostes. Non jam hostiæ, non veniæ, non gratiæ, sed Dei vindictæ justissimæ locus est. Quòd si quid vindictæ debeamus divinæ, nec modus, nec tempus, nec locus ullus est effugiendi. Verissimus Tobias, *Non est,* inquit, *non est qui effugiat manum tuam.* Eximiè, & ad rem sapienter dixit Zonaras: *Sui muneris non oblita Dei vindicta, tametsi lento gradu procedit, venit tandem.* Uti fur subinde magistratui se ultro ingerit, & suppliciis offert, vel invitus. Ita Nemesim divinam nusquam est effugere. Adscendis in cælum? expectat te. Abis ad inferos? jam adest. Maris extrema petis? Prævertit te. Quocumque fugias, sub unguibus jam captus hæres. Ita Noëmi tempestate effugium non erat ullum. *Non est sapientia, non est prudentia, non est consilium contra Dominum.* Dubium non est ullum, quin plurimi metu, alii providentiâ extemporales domos transtulerint in altissimos montes, quò creb. poterat non perventuram eluviem. Frustra omnia, nil opis supereſt, auxilium omne concidit, præsulii tempus omne periit. Jam actum est. Agamus, dum licet, pœnitentiam.

Cõtra vindictam divinam non est locus nec tẽpus effugiendi. *Tob. cap. 13. vers. 2.* *Zon. tom. 3. in Romano Lecapeno.* *Ps. 138. v. 8. eò alludit.* *Prov. c. 21. vers. 30.*

§. IV.

SEd antequam ipsum diluvii spectaculum horrendum in oculos, inque animum admittamus, Elegiographum veterem de diluvio, quod vocabant, Deucalionæo canentem audiamus. Hoc metrum est, sed herois pedibus instructum:

Pœna placet diversa, genus mortale sub undis
Perdere, & ex omni nimbos dimittere cælo,
Protinus Æoliis Aquilonem claudit in antris,
Et quæcumque fugant inductas flumina nubes,
Emittitq; Notum, madidis Notus evolat alis,
Terribilem piceâ tectus caligine vultum,
Barba gravis nimbis, canis fluit unda capillis,
Fronte sedent nebulæ, rorant pennæq; sinúsque.
Vtque manu latè pendentia nubila pressit,
Fit fragor, & densi funduntur ab æthere nimbi,
Nuntia Iunonis varios induta colores
Concipit iris aquas, alimentáque nubibus affert,
Sternuntur segetes, & deplorata colonis
Vota jacent, longiq; perit labor irritus anni.
Nec cælo contenta suo est Iovis ira, sed illum
Cæruleus frater juvat auxiliaribus undis.
Convocat hic amnes, qui postquam tecta tyranni
Intravêre sui, Non est hortamine longo
Nunc, ait, utendum, vires effundite vestras;
Sic opus est, aperite domos, ac mole remotâ
Fluminibus vestris totas immittite habenas.
Iusserat, hi redeunt, ac fontibus ora relaxant,
Et defrenato volvuntur in æquora cursu.
Ipse tridente suo terram percussit, at illa
Intremuit, motúque vias patefecit aquarum.
Exspatiata ruunt per apertos flumina campos,
Cúmque satis arbusta simul, pecudesque virósque,
Tecta áque cúmque suis rapiunt penetralia sacris.
Siqua domus mansit, potuitq; resistere tanto
Indejecta malo, culmen tamen altior hujus
Vnda tegit, pressæq; latent sub gurgite turres.
Iámque mare & tellus nullum discrimen habebant:
Omnia pontus erant, deerant, quoque littora ponto.
Occupat hic collem, cymbâ sedet alter aduncâ,
Et ducit remos illic ubi nuper arârat.
Ille super segetes, aut mersæ culmina villæ
Navigat, hic summâ piscem deprendit in ulmo.
Figitur in viridi (sic fors tulit) anchora prato,
Aut subjecta tegunt curvæ vineta carinæ,
Et modo quà graciles gramen carpsêre capellæ,
Nunc ibi deformes ponunt sua corpora phocæ.
Mirantur sub aquâ lucos, urbésque domósque
Nereides, silvásque tenent Delphines, & altis
Incursant ramis, agitatáque robora pulsant.
Nat lupus inter oves, fulvos vehit unda leones,
Vnda vehit tigres, nec vires fulminis apro,
Crura nec ablato prosunt velocia cervo.
Quæsitis, diu terris ubi sistere possit,
In mare lassatis volucris vaga decidit alis.
Obruerat tumulos immensa licentia ponti,
Pulsabántque novi montana cacumina fluctus.
Maxima pars undâ capitur; quibus unda pepercit,
Illos longa domant inopi jejunia victu.

Hæc ludicra in antecessum videbantur præmittenda. Nunc animum in nimis quàm seria defigamus.

CAPVT XIII.

Miserabilis tot hominum in diluvio interitus.

B SPectaculum iræ divinæ inauditum, infandum, nimisque horribile hoc capite proponendum, quod Geneseos scriptor paucis executus, *Factúmque est,* inquit, *diluvium quadraginta diebus, & quadraginta noctibus super terram, & multiplicatæ sunt aquæ, & elevaverunt arcam in sublime à terrâ.* Hebræus Psaltes rex David quàm pavidus dixit: *Quis novit potestatem iræ tuæ, & præ timore iram tuam dinumerare?* Fulminatrix est ira Dei, quam nulla vis arceat. Iratus Deus ob unicum peccatum hominis unici omnem humanam gentem capite damnavit, & morti addixit, omne vivendi spatium laboribus, miseriis, doloribus, ærumnis infinitis opplevit. Argumentum iræ multò quàm vivacissimæ. Quæ tamen hîc non consistit, sed insuper mortales innumeros morte primâ sublatos in alteram eámque æternam præcipitat, flammis objicit æternis. Hoc prorsus humanam intelligentiam excedit. *Quis novit potestatem iræ tuæ? Et quis non timebit te, ô Rex gentium?*

Gen. cap. 7. vers. 17. *Psal. 89. v. 11. Ira Dei nulli vi arcetur.* *Hier. c. 10. vers. 7.*

C Ira Dei non præcipitat, ubi autem sumpserit initium, in furorem crescit implacabilem. Hinc David rex toties precatur: *Domine, ne in furore tuo arguas me.* Annis Deus quingentis iram æquissimam cohibuit. Erupit denum tot annis compressum fulmen. Nihilominus cùm irascitur Deus, misericordiæ recordatur. Quod idem Hebræus Psaltes confirmans, *Iratus es,* inquit, *& misertus es nobis.* Hæc ipsa Dei gravissima ira summæ habuit mixturam lenitatis. Potuisset Deus tam perditè malos momento mergere, noluit tamen bonitas divina subitis eos fluctibus obruere, sed aquas jussit sensim crescere, ut esset etiamnum resipiscendi spatium, dum aquæ omnium montium cacumina superarent.

Psal. 6. v. 2. *Psal. 77. v. 38.*

Josephus diluvii mentionem injiciens, *Hujus diluvii,* ait, *& arcæ meminerunt omnes barbaricæ historiæ scriptores.* De eo explicando nos primo loco diximus, Quis eo tempore orbis status fuerit, quid impulerit Deum ad omnem humanam gentem exscindendam. Secundo loco, in quantâ Noëmus gratiâ, quibus virtutibus ornatus, quàm Deo unicè charus fuerit, quot annis imminens supplicium prædixerit. Tertio, quantâ Deus accuratione arcam singuláque ejus membra dictaverit, quàm longam, quàm altam illam esse voluerit, quæ contignationum discrimina, quo loco januam, quo fenestram particulatim esse jusserit. Quarto, quomodo Noëmus denique cum familiâ, & omni pecore ingressus, quis pecoris numerus, quî Noëmus à Deo in arcâ occlusus. Nunc ipsum sequitur diluvium, præcipuè quo modo immissum fuerit, explicandum.

Josephus Antiquit. Iudaic. l. 1.

D

§. I.

DIluvii tempus sacræ paginæ hunc in modum designant: *Mense secundo, septimo decimo die mensis, rupti sunt omnes fontes abyssi magnæ, & cataractæ cæli apertæ sunt, & facta est pluvia super terram quadraginta diebus & quadraginta*

Gen. cap. 7. v. 11. & 12.

ginta noctibus. Primus Hebræorum mensis Yar Marsonane appellatur, nostratem Martium & Aprilem occupat. Secundus Nisan Aprilis & Maii partes complectitur. Ita diluvium mense Majo cœpit, anno ab orbis conditi principiis millesimo sexcentesimo quinquagesimo sexto, cùm Noëmus annum ætatis sexcentesimum jam explêsset. Idcirco autem omnium amœnissimo mense Majo initium sumpsit eluvies, ut luculentè doceret Deus, caussam irruentium aquarum non esse naturalem è pluviis hiemalibus, sed id jussu suo fieri, idque sub æstatis principium, quo calor & siccitas solerent invalescere. Ut igitur tantò majore dolore torqueretur obstinata impietas, tantóque acerbiùs flagitia vindicarentur, tempore anni amœnissimo rapiuntur ad supplicium, quo sibi læta omnia polliciti *edebant & bibebant.* Moriendum miseris, cùm maximè cogitarent genio ac voluptati vivere.

Quo mense & anno diluvium cœperit fluere, & cur mense Majo sumserit initium.

Luc. cap. 17. vers. 27.

Hoc Nabuchodonosori, hoc Amano, hoc Herodi, hoc Epuloni purpurato, hoc aliis innumeris evênit, cùm potentiam & opes, cùm favorem & dignitates, cùm delicias & voluptates avidiùs inhiarent, perdiderunt. Ita futurum Christus apertissimè prædicens, *Quâ horâ*, inquit, *non putatis, Filius hominis veniet.* Quod confirmans Paulus, *Cùm enim*, inquit, *dixerint pax & securitas, tunc repentinus eis superveniet interitus, sicut dolor in utero habentis, & non effugient.* Incredibilis prorsus mortalium ea est cæcitas. In aliâ re nullâ, præsertim pecuniariâ, eventibus incertis fidimus. Omnium vox est: Non fido, non fido; da syngraphàm, da chirographum, subscriptionem volo; certus, securus esse cupio. Tu meam pecuniam petis? ego verò non solùm tuam fidem, sed tui chirographi cautionem exigo; pecuniis meis plenissimè cautum volo. Tanta est in locandis aut commodandis nummis accuratio nostra. At verò in rebus animi (hæc, obsecro, probè notentur) & in iis quæ felicitatem perpetuam, aut exitium æternum spectant, planè incurioši, oscitantes, somniculoši, negligentes sumus. Indiligentia vix umquam laudanda. Nil autem æquè vituperandum, aut adeò nocivum, quàm rei maximè necessariæ incuria, quâ nos maximè laboramus, cùm de thesauris & & deliciis agitur æternis. Et quod culpam insuper plurimùm auget, quando etiam, idque sæpius, & quidem à fidelissimis monemur, nihilominùs tamen ad frugem sapere negligimus, & expertes curæ securum ævum agimus. Quo nomine hos animi sensus compellem, fatuitatis & stultitiæ, an cæcitatis & insaniæ? Hos tales deplorans Hieremias, *Renuerunt*, inquit, *accipere disciplinam, induraverunt facies suas supra petram, & noluerunt reverti. Ego autem dixi: Forsitan pauperes sunt, & stulti, ignorantes viam Domini, judicium Dei sui. Ibo igitur ad optimates, & loquar eis: ipsi enim cognoverunt viam Domini, judicium Dei sui: & ecce magis hi simul confregerunt jugum, ruperunt vincula.*

Ibid. cap. 12. vers. 40.

1 Thess. c. 5. vers. 3.

In rebus animi homines sunt incuriosi & negligentes.

Hier. cap. 5. v. 3. 4. & 5.

Ita diluvium mense Majo, idque octavo die Maii, ut Scriptorum nonnemo censet, eo certè tempore cœpit, quò minimè supplicium hoc metuebatur. Ita *rupti sunt omnes fontes, & cataractæ cæli apertæ sunt. Et facta est pluvia super terram quadraginta diebus & quadraginta noctibus.* Fossæ, antra, specus, omniáque aquarum receptacula rescrârunt, maria omnia, suis terminis egressa, effuderunt sese, quidquid latuit aquarum sub terrâ, erupit; omne barathrum, omnis aquarum matrix voragines omnes ebullierunt; abyssus ad flumina & maria venis pertingens aquas torâ vi evomuit, in aquarum locum aër successit. Hæc aquagia, has undarum cellas Rex cælestis aperuit in supplicium tot noxiorum capitum. Nec enim infernè solùm, sed & supernè ruebant flumina, cataractæ cæli apertæ sunt. Perinde si dixisset Deus: Utrimque vos impugnabo, includam ab omni parte, undequaque mors captos in sua retia compellet. Ita Deus aquaria sua in noxios effudit, ut ipso illapsu suo quasi dicerent. Jam

Gen. cap. 7. v. 11. & 12.

Ita Francisc. Valesius in sacrâ Philosoph. cap. 63. Ita Basilius, Hieronym. Damascen. Bernardus, ita Plato & Philo.

tempus est puniendi; lætamur summam hominum nequitiam tandem ad finem perductam.

En, obsecro, quæ Deus armamentaria in nubibus, & sub terrâ abdiderit. Mirantis ea Jobus, *Numquid ingressus es*, inquit, *thesauros nivis, aut thesauros grandinis aspexisti?* Quæ *præparavi in tempus hostis, & in diem pugnæ & belli.* Utrumque hoc armamentarium Deus aperuit, & tamen ad cuculum pulverarium non pervenit, nec enim opus; aquariam turrim sic nutu movit, ac si omnes nubes, totúsque aër colliquatus fuisset. Flavius Josephus jugulatrices has aquas describens, *Ceterùm*, inquit, *Deus signo dato imbres emisit, qui cùm quadraginta continuis diebus ruerent, ad quindecim cubitos aqua super terram extitit, quæ causa omnem salutem ademit, non habentibus quò sese in tutum reciperent.* Cùm vindictæ tempus appetit, Deus paratissimus est ad puniendos noxios, ad perdendos hostes. Conditor supremus est, Jobo teste, *Qui ligat aquas in nubibus suis, ut non erumpant pariter deorsum. Si continuerit aquas, omnia siccabuntur, si emiserit eas, subvertent terram.* Emisit, subuerterunt. Habenas aquis laxavit, & tam ex alto, quàm ab imo ruebant impetu, idque, ut diximus, anno mundi millesimo sexcentesimo, quinquagesimo sexto, octavo die Maii, cùm Noëmus annum ageret sexcentesimum. Atque hæc de diluvii tempore. Nunc ipsæ turbæ pereuntium contemplandæ.

Iob cap. 38. vers. 22. & 23.

Iosephus l. 1. Antiquit. Iudaic. c. 4.

Iob cap. 26. vers. 8. & cap. 12. v. 15.

§. II.

EMittamus in orbem oculos, iisque sollerter & attentè contueamur, quomodo ubique locorum homines passim ab aquis abrepti, ubi diu restiterunt, succumbant demum & suffocentur: non potuisset non animo percelli & dolere, quisquis vel partem tragœdiæ tam lugubris spectâsset. Quàm graviter afficit animum, vel unicum hominem videre morientem: tot turbas miserrimè pereuntes cernere, quis sine gemitu ac lacrymis potuisset? Idcirco Deus hanc etiam ob caussam Noëmum tam sollicitè inclusit, ne, si vellet, aspicere posset tot cadentia funera. Nos etiamnum in tuto misericordiæ clivo locati consideremus non perfunctoriè extremam hanc calamitatem, spectaculum luctuosissimum. Videamur nobis videre sensim crescentem aquam, huc illuc discursantes homines, seminudos, pavoris plenos, pæne insanos, semimortuos. Matres rapiebant parvulos, sed quò fugerent nesciebant. Alii mensam deseruerunt, effugii locum indagantes. Alii, quantumvis ægri, lectulis excussi prosilierunt in apertum, ut locum quærerent securum, nusquam inventuri. Alibi, ut sese casus subiti dabant, vir manu trahebat uxorem, illa puerulum, uterque prolem vehebant, dorso enisuri in altum, sed in lubrico labuntur, cadunt, hauriuntur. Alibi familiæ totæ subitis fluctibus oppressæ, eo ipso loco sepeliuntur. Multi supremum tectum, alii quas potuerunt celsissimas arbores conscenderunt. Alii perreptârunt in montes, sed nec ibi effugium ullum. Hinc illinc jam verè naufragi de tabulis, quas ministrabat necessitas, certabant, adjuti illis, sed exiguo tempore, denique nihil poterat tueri pereuntes. Alii natantia jam cadavera cernebant, nec aliud fatum serò lacrymantes exspectabant. Nunc hi, nunc isti, nunc illi, nunc alii ab undis abripiebantur. Ingens ubique fletus, clamor, ejulatus, mugitus, ululatus, horrenda ubique desperatio. Nulla jam domus, nullum tectum, nulla arbor, mons nullus servare potest certæ neci destinatos. Assilientes fluctus veluti dracones, aut immanes ceti glutiebant noxios. Pavor, angor, horror maximus occupârunt omnia. Miserandæ morientium voces locis omnibus audiebantur. Mutuam quidem opem implorabant, & verò etiam juvare laborabant, sed irrito conatu: dum clamant & ululant, abripiuntur fluctibus & merguntur. Huic inevitabili mortis necessitati vis nulla

Spectaculum orbis pereuntis.

valuit resistere. Horis singulis incrementum sumpsit calamitas. Spectaculum pereuntis orbis atrocissimum.

Hîc altâ mente pertractandum, quî tandem aliqua sese prodiderit pœnitentia, sed nimiùm sera; dolent, sed frustra, Noëmo non parcisse. Nunc animo commoventur, quòd optimum senem ut fatuum irriserint. Nunc undique acclamatur: Quàm felix es tu cum tuis, ô Noë, quàm vera vaticinatus es! O utinam etiámnum pateret arca, quàm tolerantèr famem & sitim ferremus omni vitâ, modò in illâ liceret vivere. Potuissemus illâ recipi, si voluissemus. Sed negleximus, minis non credidimus, improbè insanivimus. Eheu! quàm fecimus malè! Ah! si Deus etiamnum nostri misereatur! Hæc bene, sed nimiùm serò: Serò sapiunt Phryges: diu satis expectatum. Sæculum totum in pœnitentiam concessum. Erant qui monerent, qui erudirent, qui frustra prædicerent, sed non erant qui audirent. Cunctantem Deum impulistis ad expectandas pœnas. Jam parendum est fatis.

At conná plurimi haud dubiè, velut jam ad orcum detrusi, impias voces jactârunt in Deum, veluti sævum & crudelem tyrannum, qui tot homines velut catellos recèns natos mergeret: ita undis occupati, ut nec resorbere quidem voces impias liceret.

Diluvio quantum sit malum peccatum mostratur.

Hinc verò discamus, Christiani, quid demum mali sit peccatum, quod orbem universum in extremas deduxit calamitates. Hinc etiam liquet, in quas iras exardescat Deus, si peccatis non ponatur modus & finis, si cohortationes flocci pendantur, si sola curæ sit voluptas, emendatio seria sequatur nulla. Hæc vivendi temeritas solam cogitat Dei misericordiam, justitiæ oblita. Quod accuratiùs expendens Gregorius, *Quisquis eum*, inquit, *justum nunc non timet, postea non valet invenire misericordem, & omnipotentis Dei misericordia dicitur ejus non recordari, qui omnipotentis justitiæ fuerit oblitus.* Hinc vana certè somnia solantur, dum sibi ipse idem idem promittit: Nondum eò periculi res deducta est: ubi ad extrema venero, Deus, spero, non omne tempus mihi præripiet, spatium ad colligendum me habebo. Sed numquid tempus & spatium est ei negatum, qui licet repentè opprimatur, duos tamen, trésve, quatuórve, ac plures etiam annos, ut resipisceret, monitus, dum rediret exspectatus est? At spretâ totiès misericordiâ, neglectâ gratiâ, insurgit demum justitia, punit vindicta. Ita Deus denique oblitterat, delet, eradit, abolet, expurgat fame, ferro, peste. Ita eluendum est scelus obstinatum. Quòd si tale sit diluvium aquæ in terrâ, quale diluvium erit flammæ in gehennâ? Quàm *terribilis* Deus *in consiliis suis super filios hominum!* Qui convertit mare in aridam, & aridam in mare. *Mirabiles elationes maris, mirabilis in altissimis Dominus.*

Greg. lib. 16. moral. c. 31.

Psal. 65. v. 5.

Psal. 92. v. 4.

§. III.

QVid ergo fiet supremi judicii die, qui similiter omnes obruet ex improviso? Id Christus ipse in divinissimis concionibus suis in exemplum commemorans, *Sicut autem*, inquit, *in diebus Noë, ita erit & adventus filii hominis. Sicut enim erant in diebus ante diluvium comedentes & bibentes, nubentes & nuptui tradentes usque ad eum diem, quo Noë intravit in arcam, & non cognoverunt, donec venit diluvium, & tulit omnes: ita erit & adventus filii hominis.* Quò cunctantiùs Deus ad sumendum supplicium descendit, eò terribiliùs. Et quemadmodum in iram vehementer accensus, præ irâ membris omnibus tremit, ita Deus in omnibus creatis rebus, ut aliqui sentiunt, terrores concitatos & iracundos præ se tulit. Cælum omne infremuit, audiebantur crebra tonitrua, fulgura & fulmina emicabant, atratus incessit æther atris nubibus vestitus, perinde si diceret: Funus orbis vobis omnibus indictum, cui ducendo Deus suas faces ac tædas, fulgura & fulmina accendit. Ad extremum flere cœpit, & grandibus guttis terram obruere: nec mirum, ipse Dominus tactus dolore cordis intrinsecus. Atque ut morientis orbis funestissimum luctum attentiùs commeditemur:

Matt. c. 24. vers. 37. & seqq.

Fingamus animo in editissimi montis vertice nos stare, & inde oculos in omnem partem circumferre, & vegetissimo visu acutùm cernere, quàm tristi spectaculo viri, feminæ, liberi, senes, juvenes, huc illuc per montium juga velut amentes & rabiosi discurrent, & asylum ab aquis jam vicinissimis investigent: interim inundatio magis magisque excrescat; jámque domos, castra, pagos, oppida, civitates tegat, & quidquid residui vivit, impetu abripiat, & in imum mittat gurgitem, jámque pæne summorum montium capita horribilis eluvies transcendat. Hinc inde simul audiantur voces: Pereo, absúmor, obruor, mergor, morior. Spectaculum luctûs plenissimum.

Sèd, ô Christiani, etiam nos nostrum hauriet diluvium; mari mortuo submergemur omnes, in ipso brevi opprimemur lectulo. Et forsan hoc diluvium jam genua, jam lumbos, jam collum tangit. Eximiè Anselmus & Bernardus tam nostrum hoc diluvium, quàm præteritum illud oratione complexi sunt: *Angustæ erunt vitæ undique reprobis. Suprà judex iratus, infrà chaos horrendum, à dextris peccata accusantia, à sinistris dæmonia ad supplicium trahentia; intus urens conscientia, foris mundus ardens. Sic deprehensus miser, quò effugies? Latere impossibile, apparere intolerabile. Sed quæris, quis te accusaturus sit? Totus mundus, qui offenso creatore omnis creaturæ odit offendentem. Rogo*, inquit Bernardus, *quid inter hæc mentis erit peccatoribus, qui nunc lætantur cùm malefecerint, & exultant in rebus pessimis? Quid, inquam, animi tunc habebunt, ardentibus elementis, terrâ dehiscente, & hiatu terribili chaos demonstrante tartareum, consurgentibus mortuis, & judice illo, cui Pater omne judicium dedit, cum omnibus Angelis cælitus advenente? Miserum me, dum hæc scribo, hument oculi, & cor timore palpitat.* Sed hîc iterum pensum solvimus, & geminum in coronidem adjungimus documentum.

Anselmus de similit. cum tempus erit. Bern. ser. de tempore, tom. 4. pag. 411.

Duplex documentum.

I. *Mortem ubique expecta*, nam & illa te expectat ubique. Bone Deus, quàm cautè, quàm sollicitè fugimus, cùm mortuum hoc mare vicinum sentimus, cùm morbus lecto affigit; ligari nos, uri, secari sustinemus, nec ullius amarorem pharmaci horremus, toleramus omnia, modò vitam tueri liceat. Sed etiamsi viridem colliculum aliquanto tempore teneamus, mortis tamen assultum non evademus. Fatale hoc diluvium tandem os occupabit, & auferet. Decretum istud nemini evitare licet. *Statutum est*, quidquid contrà moliamur, statutum *est hominibus semel mori.* Quod sapiens illa Thecuitis familiariter omnium auribus instillans, *Omnes morimur*, inquit, *& quasi aquæ dilabimur in terram, quæ non revertuntur.* Uti nix ad solem liquescens assiduè defluit, dum evanescat, sic vita nostra horis omnibus sui aliquid perdit, dum tota defluat. Hodiernâ certè brevius est vivendi spatium, quàm hesternâ die: pars bona defluxit, dilabimur, idque jugiter & sine morâ. Mortem igitur ubique expecta. Respice, à tergo te sequuntur fluctus qui rapiant vitam; Respice, mors ponè te stat; Respice.

1. Mortem ubique expecta.

Ad Hebr. cap. 9. vers. 27.

2. Reg. 14. vers. 14.

II. *Vitam continuè emenda.* Isidorus calcar admovens, & in hanc mentem perpellens, *Festinare ad Deum*, inquit, *unusquisque debet dum potest, ne, dum non vult cùm potest, tardè velit cùm non possit. A malo in deterius vadit, qui tempus sibi ad pœnitentiam indultum, ad libertatem pravi operis vertit.* Noëmus quantò minùs sceleratos homines sibi parere, & quantò magis eos vitiorum dulcedini succumbere vidit, tantò magis & regendæ familiæ, & perficiendæ arcæ attendit. Lapis quò propior terræ cadit, eò fertur concitatior. Sunt cerei, qui quò magis ad finem tendunt, eò luculentiorem præbent flammulam. Ita omnino vita nostra quò magis defluit, ad excessum eò sese

2. Vitam continuè emenda.

Isid. de sum. bon. lib. 2. cap. 13.

sese ardentior erigat ad Deum. Quisque sibi ipse dicat: En, huic tuo centro, terræ, sepulchro quotidie tendis vicinior. Festina igitur, & quò propinquior es fini, eò expeditior tende ad Deum. Diluvium sepelit obstinatè improbos.

CAPVT XIV.

De Noëmi in Arcâ laboribus, & de aquarum incremento.

ATheni in solemniore convivio viri feminæque mixtim consederant, virgines & matronæ pleræque omnes stibio & purpurisso pictæ. Cùm autem convivium suam hilaritatem ludo jocisque jam maximè explicaret, convênit inter convivas risui augendo circulares facetias admittere. Hîc una feminarum ceteris longè formosior, nec stibio fucata, hoc consilii dedit. Pelluvium aquâ plenum adferri jussit eâ lege, ut omnes in orbem convivæ à summo ad imum faciem lavarent. Ita illius unius forma inter omnes feminas in hoc balneo se insignissimè probavit, ceteræ tametsi faciem parcente manu lavarent, pigmentorum tamen & cerussæ fucum maculis contractis cogebantur fateri.

Diabolus Noëmi ævo ita orbem ad suas leges formaverat, ut perpetuæ celebrarentur epulæ, assidua agitarentur convivia. In his veterator factitios colores facillimè vendidit. Nihil dubii est, quin in conviviis illis & symposiis omnis generis petulantiæ, levitates, nequitiæ, protervitates, lasciviæ ac libidines acroamatum vicem usu & more fuerint receptæ, hilaritatis & recreationis nomine fucatæ. Hoc enim stygius myropola solet, ubique locorum vitia, non ut vitia, sed ut mores honestâ specie, titulo, nomine velatos vendit. Ita nequam pigmentarius cerussatam cutim, purpurissatas buccas nusquam non ostentat, vitia virtutis prælinit colore.

Hoc diaboli stibium, hanc cerussam & purpurissum istud acheronticum diutiùs Deus tolerare nequiit, sed copiosam effudit aquam in orbem, ut elueret factitios hos scelerum colores, & aboleret tot flagitiorum turpitudines. Noëmus ex tantis millibus se Deo eximiè probavit. Ille quidem in arcâ ab inundantibus aquis securus, ei tamen in ligneo hoc sepulchro plurimum laboris & ærumnarum erat tolerandum. Quod hoc capite, & unà inundationis incrementum exponemus.

§. I.

NEmo quæsierit, quid Noëmus tanto tempore in arcâ fecerit. Annum & dies septemdecim in arcâ latuit, ut infrà demonstrabimus. Deus illi non permisit in otio esse. Dies noctésque abundè habuit cum suis quod ageret. Expendamus aliquantulùm viri labores. Noëmi in arcâ opificium.

Convictores Noëmus nimis multos aluit. Plusquam septingentis animalibus cibum potúmque submini-stravit. Neque verò omnibus ex unâ eâdémque ollâ, uti fit pluribus contubernalibus, inferre potuit fercula; suam cuique mensam, suum pabulum parare debuit, prout specie, vel ipso etiam genere, distinctæ erant animantes. Nec solum pabulum afferre, & suam cuique offam obsipare, quotidiani officii erat, sed fimetum insuper efferre, stabulorum sordes purgare, & ne quid defieret, singula quorumque domicilia quotidie lustrare. Ita Noëmus cum filiis suis famulus erat pecuarius, ancillæ pecuariæ cogebantur esse quatuor feminæ, Noëmi & filiorum conjuges. Ita Paulinum illud quotidianum fuit: Erat pecuarius.

2. Cor. c. 6. vers. 4. *In multis tribulationibus, in laboribus, in patientiâ multâ:* Præsertim eo loci, quo nec auræ nec lumini penetrare licuit, ubi nihil liberioris prospectûs, ubi fœtor animalium tantus, ubi merum stabulum. Chrysostomus Chryst. to. 1. hom. 25. in hæc animo volvens, *Ego autem,* inquit, *super omnia virtu-*

A *tem justi admiror, Dominiq; bonitatem & ineffabilem misericordiam, quando considero, quomodo potuerit versari in medio bestiarum, leonum dico, & pardorum, & aliarum immitium ferarum.* Quî tandem ista, & quidem tanto tempore ferre potuit, tam tenebricoso carcere, sepulchro tam fœtido inclusus? Nil erat, quod gaudio, recreationi, solatio esset, nisi hoc unicum: In manu Dei sumus. Si placeat Deo, servabimur; sin minus, in arcâ etiam perire possumus. Imperium divinum & Voluntas unicè solabantur. In ceteris omnibus laboris & molestiarum plurimum. Et quamvis alia omnia nihil turbâssent, diurna tamen nocturnáque arcæ inquies, & assidui fluctuum assultus, satis superque homines captivos afflixissent. Quod pariter expedens Chrysostomus, *Anno toto,* inquit, *novum & rarum illum carcerem inhabitat, neque aërem respirare valens. Quomodo? undequaque enim arca munita erat: quo modo subsitit? quo modo duravit? dic mihi? nam si ferrea & adamantina illis fuissent corpora, quomodo potuissent, qui neque aëre fruebantur, neque vento, qui non minus quàm aër ad refocillanda corpora nostra factus est, neque oculos pascere poterant, aut cæli, aut terræ floribus pictæ spectaculo? Quomodo non excæcati oculi eorum qui tamdiu ibi egerunt? Et si humanis rationibus hæc deprehendere volumus, & illud cogitandum, unde fluvialis & potabilis aquæ copiam habebant in arcâ viventes? Et ut hæc præteream, quomodo potuit justus ille cum filiis & uxoribus conversationem cum feris & aliis animalibus ferre? quomodo tulit fœtorem? quomodo tulit cohabitationem? Prætereà quid passus est, quando apud se recogitabat solitudinem, vastitatem, vitam illam doloribus plenam, omni solatio undequaque destitutam, neque colloquio neque aspectu jucundam: & ignorabat, quanto tempore ferenda in illo carcere conversatio; sic enim strepitus aquarum, & æstus timorem in illo quotidie crescentem generabant. Quid enim jucundi suspicari ipse poterat, qui videbat centum quinquaginta alies aquas in eâdem quantitate manentes, & in altum elevatas, & non subsidere.* Imperium divinum & voluntas Noëmum solabatur. Chryst. to. 1. hom. 25. in Genes. c. 7. mihi p. 164. & 167.

B

C E triplici autem argumento discimus aquas supra fidem humanam crevisse. Primum è sacræ paginæ verbis illis petitur: *Multiplicatæ sunt aquæ, & elevaverunt arcam in sublime à terrâ.* Vis aquarum ingens fuerit necesse est, quæ tam obstupescendum pondus attolleret, uti naves attolluntur à mari. Credibile prorsus, Noëmum eo artificio arcam ingentibus trabibus, tamquam basibus impositam struxisse, ut aqua subiens molem elevare illam & veluti succollare potuerit, ne in alterutrum latus vergeret, sed æquilibrio ferretur. Indicium incrementi secundum: *Vehementer inundaverunt, & omnia repleverunt in superficie terræ: porrò arca ferebatur super aquas.* Hugo Victorinus opinatur arcam ad cubitos novem, Liranus ad duodecim aut tredecim cubitos aquis mersam natâsse. E divinis libris nil affirmandum. Tertium diluvii incredibiliter crescentis indicium: *Et aquæ prævaluerunt nimis super terram, opertiq; sunt omnes montes excelsi sub universo cælo.* Nullo penitus excepto, nec eo, qui nubes transcendit, Olympo. 1. Indicium aquas supra fidem humanam crevisse. Gen. cap. 7. vers. 17. 2. Indicium. Gen. cap. 7. vers. 18. 3. Indicium. Ibid. v. 19.

D Admirandum illud, quod additur: *Quindecim cubitis altior fuit aqua super montes quos operuerat.* Hoc denique fato quidquid vixerat, sepultum est. Quod auctoritas divina gravissimè testatur his omnino verbis: *Consumptáque est omnis caro, quæ movebatur super terram, volucrum, & animantium, bestiarum, omniúmque reptilium, quæ reptant super terram. Vniversi homines, & cuncta in quibus spiraculum vitæ est in terrâ, mortua sunt.* Præter morem copiosus hîc est sacer historicus, perinde si dicat: Tam formidandos eventus non capit humana levitas, nisi eadem bis tèrve repetantur & inculcentur: ea enim hominum incuria est, ut damnis alienis non facilè moveantur; tunc dolent, cùm suis capiuntur malis. Idcirco prioribus sat claris addendum: *Et delevit omnem substantiam, quæ erat super terram ab homine usque ad pecus, tam reptile, quàm volucres cæli, & deleta sunt de terrâ. Remansit autem solus Noë, & qui* Ibid. v. 20. Ibid. v. 21. & 22. Ibid. v. 23.

cum eo erant in arcâ. Hîc sanè quinquies terræ fit mentio, ut magnitudo malì caperetur, & animalia in aquis degentia scirentur sanctæ cladis immunia.

Quis verò illud intelligentiâ satis assequatur, quindecim cubitis altiorem fuisse aquam super universos montes, quos operuerat? Quis eò locorum ascendit, & hanc undarum exuperantiam mensus est? Eam certè Noëmus non videre, necdum metiri potuit. Verùm Geometer ille atque Architectus hæc aquarum incrementa mensus est exactissimè, qui & flammas supra fornacem Babylonicam quadraginta novem cubitis evolantes dimetiri, & ad ulnam revocare potuit. Ex quo etiam patet, hanc diluvii historiam à divino Numine dictatam. Quòd verò aquam eò voluerit excrescere, ut Olympus & Atlas altissimi montes operirentur, & caput undis abderent, id factum ideo, ut viventium nihil evaderet, nec bestiola, nec avicula ulla, & nec homo quidem unicus, sed nec gigas maximus se posset exitio subducere. Si enim non omnia montium juga undis fuissent tecta, potuisset vir giganteus editissimi montis culmen conscendere, & illic tueri vitam. Pereundum fuit omnibus, Noëmo solo cum familiâ eximio. Quàm iratus Deus, quàm graviter ab humanâ gente offensus, qui aquas ad supplicium sumendum evocatas ad eam eduxit altitudinem, ut ad mediam aëris regionem credantur pervenisse! Censent aliqui, ad mundi finem supremo die deflagrationis ignem eò evolaturum. Cui sententiæ nec Augustinus repugnat.

Historia diluvii à divino Numine dictata.

Fabula est, quam Hebræi somniant; Og gigantem eluvionis impetum evasisse, eóque trahunt illud Deuteronomii: *Solus quippe Og rex Basan restiterat de stirpe gigantum.* Quæ si vera interpretatio, rex iste ad octingentos annos ætatem perduxisset. Tot enim à diluvio fluxerunt anni, ad ingressum Hebrææ plebis in provinciam Chanaan: quæ quia illis in prædam cessit, *Tradidit,* ajunt, *Dominus Deus noster in manibus nostris etiam Og regem Basan, & universum populum ejus, percussimúsque eos usque ad internecionem.*

Deut. cap. 3. vers. 11.

Ibid. v. 3.

§. II.

Solus Noëmus eluvionis impetum evasit incolumis.

ITaque Noëmus solus eluvionis impetum evâsit incolumis, qui tamen annuum suum hospitium largiter laborando, precando, gratias agendo, patientiam cumprimis admirandam exercendo exsolvit. Chrysostomus hac de re ita disserit, ac si Noëmus in perpetuis egisset tenebris, cùm tamen alii navigantes aperto cælo fruantur, suúmque iter ad astrorum motus componant; & licet dies aliquot tempestatibus jactentur, vident tamen montes, oppida, civitates, & ubi in portum appulerint, reficiunt sese, procellarum obliti. Hîc nihil tale, toto enim anno carcerem recenti aurâ carentem habitavit. Et tamen utique Noëmo hæc diuturna incarceratio jucunda fuit, quia sic Deo placuit. Nempe omnia divini consiliis transcripsit, non disputans, an non ista rectiùs alio modo peragi potuerint. Nil harum quæstionum movit, illud manere ac fixum esse voluit, in rebus omnibus Voluntate Dei ac nutu acquiescere. Lex hæc & regula proborum omnium est, non id quod patiuntur, sed ejus causam, Dei voluntatem intueri.

Diuturna in arcâ detentio fuit Noëmo jucunda.

Noëmus cognatos, amicos, domum tot annis habitatam deserere cogebatur, nihilominùs serenam Deo conscientiam exhibere, idem cum illo sentire, probare factum, Dei justitiam adorare, suarum partium esse scivit. Omnes justitiæ serii cultores generoso animo audent dicere: Si jus & fas exigant, pereat mea domus, imminuantur facultates, comburatur mea uxor, filia, soror, quid ego demum hæc curo, modò detrimenti nihil capiat Dei honor. Doluit Noëmus tot milliones hominum interire; id tamen omne Deo divinæque justitiæ commisit. Nam hic ipse omnium malorum interitus pauculis illis fuit fructuosus. Etenim ad diluvii finem nemo fuit, qui piam illorum vitam turbaret, qui convitiis aut maledictis afficeret, qui pravis exemplis, aut impuris illiciis corrumperet. Nequitiæ semen jam fuit extinctum. Deinde illa ipsa interitus tam horrendi memoria frenum erat, quod à vitiis abstraheret, & calcar quod adigeret ad honesta. Non dubium quin tempore postero quotiescumque pluvia vel iris visa, amplissimæ stragis præteritæ memoriam reduxerit.

Tot homines interire doluit Noëmus, id tamen

Hîc illud observemus, diluvium mundi geminum Diluvii esse metuendum, primum Culparum, Pœnarum alterum. Nam sicut Noëmi ævo, rupti sunt omnes fontes abyssi magnæ, ita diluvium culparum ex inferis velut flumen emergens, undas libidinum & pravarum appetitionum vomit. Quam eluviem impurissimam Oseas aversatus, *Non est veritas,* inquit, *& non est misericordia, & non est scientia Dei in terrâ: maledictum, & mendacium, & homicidium, & furtum, & adulterium inundaverunt, & sanguis sanguinem tetigit: propter hoc lugebit terra.* Quod Beato Anselmo Christus ostento cælesti dicitur monstrâsse. Videbat Anselmus flumen rapacissimum sordibus plenum, quod magno rueret impetu, & cænum orbis veheret. Quotquot hominum ad ripam hærebant, flumen abripiebat, viros, feminas, opulentos, egenos, quibus nimirum volupe fuit tam impuris undis volutari. Obstupuit vir sanctus viso tam prodigioso, & nôsse cumprimis cupiebat, quid oblata species portenderet. Divinitus intellexit, fluvio mundum, mundique fallacias, qui illo volutarentur, designari eos, quos pascerent sordidissimæ mundi deliciæ.

Duplex documentum.

Verè fluvius est, quidquid fluxarum rerum possidemus, ab alio ad alium atque alium transeunt. Non tantùm hîc æternum nihil, sed nec stabile. Quisquis affectu inhæret tam caducis, trahitur & sordes bibit. Detestatus hanc sitim Jobus, *Abominabilis,* inquit, *& inutilis homo, qui bibit quasi aquam iniquitatem.* Quò autem decurrit hæc aqua? In fauces Behemots. Nam eodem Jobo teste, *Ecce absorbebit fluvium, & non mirabitur, & habet fiduciam quòd influat Jordanis in os suum.* Nec enim idololatras solos, sed & Christianos in prædam sibi cessuros sperat.

Job. cap. 34. vers. 7.

Job. cap. 40. vers. 18.

Arque hoc effrenatarum cupiditatum & culparum diluvium ævo Noëmi primum erat; natabat in eo sceleratus orbis, homines, ubi hominem exuissent, velut vitúli marini in hoc vitiorum oceano luserunt. Hos fulminans è cathedrâ Chrysostomus, *Ob carnales,* inquit, *voluptates, quibus immersi erant, amiserunt esse homines. Noë solus homo, ceteri non homines, sed ex hominibus in bestias mutati malitiâ voluntatis.*

Post istud igitur culparum diluvium sequebatur alterum Pœnarum à cælo terrâque immissum tot sordibus eluendis. Quid miramur orbem plenissimum erumnis, cùm exunder peccatis? diluvium delictorum non claudo pede comitatur diluvium morborũ, luctûs & dolorum. Hîc geminum ex more documentum appendimus.

§. III.

I. Obscœna omnia & spurca fuge. Obscœna omnia & spurca fuge.

OBscœna omnia & spurca fuge. Quod carnem sapit, picis instar inhæret, inquinat, verbis & cogitationibus se miscet, inficitque omnia. Unicus subinde nutus oculi hominem venenat. Si orbis olim adversus Deum succlamâsset: Eccur, Domine, tuam effigiem vivam, hominem perdis? respondisset Dominus: Quia caro est. Cur tamdiu benignus non parcis diutiùs? Quia caro est. Sed cur, ô Domine, summum orbis artificium vis destruere? Quia caro est. Cur animantium regem tam infami damnas supplicio? cur cælo conditum submergis? Haud aliud à priori dedisset responsum. Quia caro est. Nos sæpe libidines nostras speciosò nomine humanæ fragilitatis præteximus, maximam continentiæ difficultatem objicimus, & plurima hîc excusamus. Hæc dici speciosè possunt; nec enim suus vitiis color deest. Interim vociferantur sacræ paginæ, orbem abolitum, homines

homines extinctos, quia caro fuerunt. Hoc enim summè displicitum est Deo, hominē ratione præditum, non ad rationis, sed ad carnis dictamen pleraque omnia factitare. Atque hoc cænosum illud ac turbidum flumen est, quod maximam orbis partem ad ventris curas & carnis voluptates trahit. Cave ripam fluminis, cave quidquid carnem & libidinem olet, pus est, fœtor & turpitudo, cænum est, certa pestis animi est. *Obscœna omnia & spurca fuge.*

2. Adversa tolera. II. *Adversa tolera.* Humanæ miseriæ diluvium sunt pœnarum. Velimus, nolimus, omnes eo volvimur. Ubi culpa, ibi & pœna; ubi peccatum, ibi & peccati supplicium. Hîc eximius nemo. Sed hoc soletur: Flumen est, non consistit, labitur assiduè, defluit. Quod hodie patimur, cras non dolet. Imò quod hodiernâ luce toleramus, crastina exhilarabit, ob diei præteritæ tolerantiam. *Lætati sumus pro diebus, quibus nos humiliâsti, annis, quibus vidimus mala.* Psal. 89. v. 15.

Hoc pœnarum diluvium omnibus hominibus destinatum balneum, hoc nostrum est lavacrum. *Quoniam per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei.* Ne quis autem malorum moli succumberet, solatur & eripit Tobias his omnino monitis: *Hoc autem pro certo habet omnis qui te colit, quòd vita ejus, si in probatione fuerit, coronabitur.* Ecquid trepidamus, cùm pœnarum nos diluvium unà cum aliis involvit? Vox amantis etiam nota est: *Ego, quos amo, arguo & castigo.* Certissimum: *Quem diligit Dominus castigat, flagellat autem omnem filium, quem recipit.* Nemo spem abjiciat, nemo cadat animo. Judithâ teste *Abraham tentatus est, & per multas tribulationes probatus, Dei amicus effectus est. Sic Isaac, sic Iacob, sic Moyses, & omnes qui placuerunt Deo, per multas tribulationes transierunt fideles. Illi autem, qui tentationes non susceperunt cum timore Domini, & impatientiam suam, & imperium murmurationis suæ contra Dominum protulerunt, exterminati sunt ab exterminatore, & à serpentibus perierunt.* Quàm nervosè & ipse Tobias, *Tu flagellas*, inquit, *& salvas, deducis ad inferos & reducis, & non est qui effugiat manum tuam.* Duremus, & nôsmet cælestibus servemus deliciis: *Iuxta est Dominus iis, qui tribulato sunt corde, & humiles spiritu salvabit. Multæ tribulationes justorum, & de omnibus his liberabit eos Dominus.*

Hebr. c. 14. vers. 21. Tob. cap. 3. vers. 21. Apoc. cap. 3. vers. 19. Hebr. c. 12. vers. 6. Judith c. 8. vers. 22. & seqq. Tob. cap. 13. vers. 2. Psal. 33. v. 19. & 20.

CAPVT XV.

Cur Deus diluvio tantum temporis permiserit. Longanimis patientia Noëmi.

Nullus malorum exitus in rebus adversis est quid tristissimum.

IN rebus adversis & tristibus illud plerumque tristissimum solet accidere, cùm exitus malorum nullus apparet. Hinc illæ querelæ nostræ: Et necdum ullus est finis? & quando tandem desinet hęc tempestas? & quando cessabit hæc ægrimonia? quis terminus Iliadis tam luctuosæ? Cuicumque malè est, ei horæ videntur hebdomades, aut menses, aut etiam quandoque anni. Mora omnis molesta est mali finem exspectantibus. Nec eis quidquam longius videtur, quàm tempus omne, quod miseriarum finem non apportat.

Noëmus hanc ipsam moræ tarditatem accusans dixerit: Ergóne nullus calamitatis finis? necdum cælestes iræ deferbuerunt? necdum in portu sumus? Ecquando demum è carcere tam fœtido educemur? Cibus, potus, pabulum paullatim deficiunt: si diu differatur exitus, immunes à diluvio conficiet fames, penuriâ cibi consumemur. Quid juverit vulgarem mortem evasisse, si pereamus diriore? Hæc, inquam, Noëmus queri potuisset, nisi aspera omnia, & ipsas longiores moras incredibili patientiâ & æquanimitate condisset. Alia post aliam hebdomas, alius post alium mensis labebatur, nec tamen ullum Noëmus indicium audierat aut viderat subsidentium aquarum, nec Deus illi significari jusserat quis diluvii futurus finis.

Obtinuerúntque aquæ terram centum quinquaginta diebus. Anno prorsus dimidio, nullum nec minimum quidem indicium erat decrescentium aquarum. Ita ignoravit Noë, quando demum in libertatem cum suis esset asserendus. Duo igitur hîc explicanda. 1. Quid præcipuè Noëmum in arcâ perturbare, angere, sollicitare potuerit. 2. Quid sibi voluerit hæc Dei cunctatio, cur Noëmum arcâ non citiùs emiserit. Gen. cap. 7. vers. 24.

§. I.

POst exactos à diluvii principio quadraginta dies pluvios,

Omnia pontus erant, deerant quoque littora ponto:
nec enim apex ullius montis est visus. Latuerunt pressæ sub gurgite turres. Hîc magna sanè fides, fideique constantia poscebatur à Noëmo. Tam enim vario tentamine exploratus est in eo carcere, ut nobilis hoc ævo scriptor ausus dicere, mirum eum non desperâsse. Inspiciamus tentamenta. Ovid. lib. 1. Metamorph. mihi pag. 6. post initium. Cornelius de Lapide.

1. Domum tot annis habitatam, cognatos, vicinos, amicos, cara omnia & jucunda deserere cogebatur, & velut victimam offerre morti. 2. In carcerem tenebricosum & fœtidum unà cùm feris compingebatur. 3. Terrebatur utique irâ Dei tam ardentis ac implacabili, velut innocentes parvuli attonantur, cùm parens in famulos excandescit. Noëmus vel insons formidare malum poterat: quacumque enim prospexisset, mors præsens in oculos incurrebat. 4. Quia probus & inde pavidus metuebat, ne quid Deo forsan in se fuisset displicitum, & idcirco deseri commeruisset. 5. Ignorabat, quamdiu inaudita hæc tempestas esset sævitura. Anno dimidio nullum subsidentis aquæ indicium sciri poterat. 6. Exitus inde nullus, arca obserata, captivi omnes quotquot in eam conclusi. Solum cælum & immensum æquor aquarum poterant spectari. Tentamenta, quibus Noë expositus erat:

Vnus erat toto naturæ vultus in orbe. Ovid. lib. 1. Metamorph. initio.

7. Tot hominum tótque animantium interitus virum minimè crudelem affligebat; ex orbe toto, & ex omni gentis humanæ numero soli octo homines vivi supererant, cæterorum omnium cadavera fluctibus sepulta. 8. Laborabat in exili grege domestico firmando ac consolando. 9. Curæ de futuro rerum statu sollicitabant angebántque. Quò enim tanti cadaverum cumuli? Num ego cum meis (cogitaverit) omnium ero vespillo? Num pecuarius sum & bubsequa?

His offensionibus expositus erat Noëmus: sustinuit tamen & superavit omnia. Magna prorsus fidei constantia, solo Deo divináque voluntate ac prudentiâ niti. Quanti non durâssent inter tam molesta simul & operosa! mors pæne dulcior fuisset visa. Ita Deus exercet suos perficitque. Nos sæpe sollicitudini & curis nostris fulcra statuimus, sed nimiùm infirma. Ita enim quandoque rationamur. Si non succedat istud, spes meas alteri affigam: si promissum hîc fallat, illum eligam patronum, qui non facilè injiciat mihi frustrationem: si & hîc spes decollet, ad illius me potentiam applicabo. Ita hominibus & humanâ potentiâ, auctoritate, gratiâ, humanis præsidiis ac promissis nitimur vani, facilésque decipi. Sed inania hæc vota irridens Deus, *Quæ est ista*, inquit, *fiducia, quâ confidis? vel quo consilio aut fortitudine rebellare disponis? super quem habes fiduciam, quia recepisti à me? Ecce confidis super baculum arundineum confractum istum, cui si innixus fuerit homo, intrabit in manum ejus, & perforabit eam.* Ita Deus subducit fulcra, non succedunt cœpta, absunt plurima. Quisquis in his angustiis deprehensus, divinæ voluntatis ac providentiæ mysterium ignorat, facilè despondens animum, Actum est, inquit, vellem me pridem esse mortuum; non eluctor è tot ærumnis; perii. At verò divini nutûs intelligens & observans, Hic Dei mos est, inquit, hic cælestis curiæ stylus. Jam novimus Dei artes in erudiendis nobis, subtrahit fulcra, quibus Ejus fiducia. Infirma hominum fulcra. Isaiæ c. 36. vers. 4. 5. & 6.

nitebamur, ut in illum solum inclinemur; ego me meis necessitatibus accomperabo, & sperabo in æternâ bonitate. Hîc errare aut falli non possum, certus sum. Divini Siracidæ syngraphum habemus: *Nullus speravit in Domino* (nullus, nullus) *& confusus est.* Ita in divinas manus me totum repono: *etiamsi occiderit me, in eo tamen sperabo: Dominus mortificat & vivificat, deducit ad inferos & reducit: Dominus pauperem facit & ditat, humiliat & sublevat.*

Eccli. cap. 2. vers. 11. Iob cap. 13. vers. 15. 1. Reg cap 2. v. 6. & 7.

Ita Noëmus suis sese tentationibus oppositum, suum aquis imperium, & has curas Deo permisit; crescerent porrò aquæ, pergeret diluvium, fluitaret arca, quamdiu Deo visum. *Obtinuerúntque aquæ terram centum quinquaginta diebus,* quibus nec creverunt, nec etiam decreverunt, ne constitutam sibi mensuram excederent. Obtinuerunt terram, inquit Moyses, quod Hebræi dixêre, roboraverunt se. Nam totis quadraginta diebus in altum eluctabantur, & veluti cum terrâ certabant, dum cubitis quindecim omnia montium cacumina superarent. Has potitæ victoriâ, dominium in terram anno dimidio retinuerunt. Cur Deus, obsecro, tanto tempore totum terrarum orbem aquis sepultum voluit latere, & aspectu cæli damnatum, quem contemplando cælo condiderat? Quis autem consiliarius Domini fuit? Hîc satis est dicere: Ita Deo visum, sic placuit bonitati divinæ. Nihilominùs possunt assignari caussæ.

Gen. cap. 7. vers. ult.

Caussæ cur tanto tempore Deus voluit mũdum aquis esse sepultum:

§. II.

1. Ut offensæ iræque divinæ magnitudo appareret.

I. VT offensæ iræque divinæ magnitudo argumentis testatissimis appareret. Aliquot nonnumquam diebus aut hebdomadibus facinorosorum, aliquando etiam Magnatum cadavera spectaculo & terrori jacent aperta. Ita Orientis Imperator Andronicus dies aliquot inhumatus velut canis mortuus publicè relictus: haud aliter Deus triste cælo spectaculum dedit anno dimidio, quo humanæ gentis veluti cadaver unum volvebatur fluctibus. In aliis scelerum suppliciis, quando Deus in noxas hominum animadvertit, longè mitiùs actum, & facilior fuit pœnarum oblivio. Sed hîc longè aliter sese res habet. Nam quocumque figamus pedem, quocumque conjiciamus oculum, ubicumque locorum sedeamus, stemus, jaceamus, ambulemus, licebit dicere: Huc Dei vindicta penetravit, hunc ipsum, quem occupamus, aut calcamus locum, occupárunt aquæ; hîc mare mortuorum fuit. Humanæ genti Deus iratissimus.

2. Ut tantò magis Noëmi patientia & fiduciæ constantia probaretur.

II. Caussa. Ut tantò magis Noëmi patientia & fiduciæ constantia probaretur. Vir patientissimus nil adversus diluvii diuturnitatem obmurmuravit. Numquam auditæ voces: Cur non educimur demum ex hoc stabulo? Quid hîc velut umbræ ac mortui obambulamus? Cur è carcere tam fœtido non tandem aliquando liberamur? nihil horum. Sed ingenti longanimitate operiebatur tempus, quod Deus libertati suæ decrevisset; firmissimè persuasus Deum non oblivisci suorum.

3. Ut tot cadavera consumerentur, vel ut fluctus terrã hinc illinc aggererent & sic tanta cadaverũ strues humaretur.

III. Tametsi quadragesimo diluvii die omnes homines jam expirâsse censendi sint, nihilominùs immensum hoc mare relictum est, ut tot cadavera consumerentur, vel etiam ut fluctus terram hinc illinc aggererent, eáque ratione tantas cadaverum strues humarent. Inde locis pluribus, nec dubium, tam inæqualis terra, tot clivis & collibus montuosa, in monimentum & memoriam universalis excidii sempiternam. Ita in rebus omnibus Dei providentia se noscendam exhibet. Insepultos omnes relinquere, intolerandus fœtor; omnes sepelire, infinitus labor.

Æquè admirandam se providentia Dei præbuit in secundarum & adversarum rerum mixturâ. Videbatur Deus Noëmi & modicæ illius familiæ oblitus, arca huc illuc vagabatur, nullus è cælo mittebatur nuntius, videri poterat dormire cælum, adeò nullum dedit vigilantiæ signum; nec singulis hebdomadibus, sed nec singulis mensibus se stitit Noëmo. Dixerit quis: Non curat illos Deus ampliùs, quos initio tam sedulâ complexus est curâ. Imò verò eos quàm maximè curans, *recordatus est Dominus Noë, cunctarúmque animantium.*

Gen. cap. 8. vers. 1.

En admirabilem ac prorsus salutarem alternationem & vicissitudinem, quâ Deus amara & dulcia, læta & tristia, secunda & adversa, luctum & gaudium commiscet, temperátque, ut sibi ipsis homines fiduciam fidant, sed divinâ providentiâ nixi spem inter metúmque operentur virtuti. Hæc tutissima Deo serviendi via est. Hinc codices divini toties timorem castum lætámque spem ingerunt. *Beatus homo qui semper est pavidus. Initium sapientiæ timor Domini. Qui timent te, magni erunt apud te per omnia.* E diverso sæpius ad piam hilaritatem erigimur. *Servite Domino in lætitiâ. Deus auxilii mei, & spes mea in Deo est: sperate in eo omnis congregatio populi. Sentite de Domino in bonitate.*

Cur bonis amaritudines & tristitias commiscuerit.

Prov. 1. vers. 10. Psal. 111. vers. 10. Judith 8. vers. 19. Psal. 99. vers. 5. Psal. 61. v. 8. & 9. Sap. 6. v. 8. Tob. cap. 3. vers. 22.

Ita nonnumquam experiendo potiùs, quàm legendo discimus à Tobiâ verissimè dictum: *Hoc pro certo habet omnis qui te colit, quòd vita ejus, si in tentatione fuerit, coronabitur; si autem in tribulatione fuerit, ad misericordiam tuam venire licebit. Non enim delectaris in perditionibus nostris; quia & post tempestatem tranquillum facis, & post lacrymationem & fletum exultationem infundis. Sit nomen tuum, Deus Israël, benedictum in sæcula.* Ita Deus in cunctis operibus suis vicissitudinem amat & alternationem. Adeóque apud ipsos etiam inferos, quod mirissimum videatur, commutatio & vices sunt fletus & stridoris, sævissimæ flammæ & frigoris acerrimi. Quàm amœnum illud in cælo erit: *Vt edatis & bibatis super mensam meam in regno meo?* Quantæ voluptatis erit cernere, audire, ceterisque sensibus percipere, *quod nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit?*

Luc. cap. 22. vers. 30. 1. Cor. cap. 2. v. 9.

Quemadmodum ergo Deus in vitâ meliori, in vitâ illâ vitalissimâ, ita etiam in hac, quæ vitæ illi præludit, vices amat, variè miscentur & temperantur omnia. Ubi hedera, ibi & vermis; ubi gaudium, ibi & luctus. Quantùm lætatus est Jonas super inumbrante hederâ, tantùm tristatus est super verme tam gratam umbram corrumpente. Ubi mel, ibi fel. Conjunctissima semper mellis & fellis discordia. Luctus in matrimonium duxit lætitiam, toro utriusque conjugis indissoluto. Nec Poëtis id ignarum, quorum illud decantatum,

Jonæ cap. 4. vers. 6.

Candida nullius it sine nube dies.

Sed longè nervosiùs Hipponensis Præsul Augustinus cum Deo colloquium miscens, *Et cùm blandiris,* inquit, *& cùm cædis, pater es; blandiris ne deficiam, cædis ne peream.* Permiserat Deus Noëmum cachinnis, sibilis, calumniis peti; illi ipsi tamen promittens, *Ponam,* inquit, *fœdus meum tecum;* laborem centum annorum imperat, ei tamen totique ejus familiæ vitam servat; concludit eum carcere tenebricoso, & maritimo sepulchro, huc illuc fluctibus jactari sinit nescientem ubinam esset, illius tamen non obliviscitur. *Recordatus autem Deus Noë.* Hæc eò tendunt, ut geminum hîc documentum probè capiamus.

Augustin. in Psal. 58. Gen. cap. 9. vers. 11. Illud à Davide documentum.

§. III.

1. Inter spem & metum ambula. Exemplum Iobi.

I. INter spem & metum ambula. Ex amicis afflictissimi Jobi unus aliquis, *Si subverterit omnia,* inquit, *vel in unum coarctaverit, quis contradicet ei, vel quis dicere ei potest, cur ita facis?* Deus cælum terrámque miscet. Subindè lætior quis cælum sibi videtur habitare, adeò ex voto fluunt omnia, amœna lux in animum ejus sese infundit; volat ille, & suavi volũtate permulsus clamat: *Domine, bonum est hic esse:* hoc juvat; ita fruimur vitâ, paratus est hic homo ad omnia, quæ jusserit Deus, facienda. Subitò hic idem ita mutatur, affligitur, turbatur, ut inferos sibi videatur habitare. Ita paullo antè in tertium cælum cum Paulo raptus, jam velut ad orcum detrusus clamat: Sentio *aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis mæ.*

Inter & metum ambula. Iob cap. 12. vers. 14. Iob cap. 2. vers. 10. Rom. cap. 7. vers. 23.

mea. Projectus sum à facie oculorum tuorum. Angelus satanæ colaphizat me. Quis autem contradicet ei, si in unum coarctaverit omnia, terram & maria? Quòd si verus Numinis amicus est, constans etiam & firmus est, credit & sperat omnia, quæ Deus manifestavit, & promisit. Ita quidquid nebularum, fluctuum, procellarum, tempestatum est, tolerat, & unà rogat: *Credo, Domine, adjuva incredulitatem meam.*

Ita inter spem & metum, tamquam inter geminas rupes transeundum. Ecclesiastes metum incutiens, *Sunt justi atque sapientes,* inquit, *& opera eorum in manu Dei: & tamen nescit homo, utrùm amore an odio dignus sit.* Hinc non immeritò pavor insurgit & timor. Quem Hieronymus augens, *Scire volui,* ait, *quos Deus diligeret, & quos odisset; & inveni justorum quidem opera in manu Dei, & tamen utrùm amentur à Deo, an non, nunc eos scire non posse & in ambiguo fluctuare, utrùm ad probationem sustineant, quæ sustinent, an ad supplicium; in futuro igitur scient.* Hinc certè metus augetur. Spem porrò Augustinus excitans, *Est quidam modus,* inquit, *in conscientiâ gloriandi, ut noveris fidem tuam esse sinceram, noveris esse spem tuam certam, noveris charitatem tuam esse sine simulatione.* In eamdem spem erigens Cyprianus, *Viget apud nos,* inquit, *spei robur & inter ipsas sæculi labentis ruinas, erecta mens, & de Deo semper anima secura.* Nihilominùs hæc subinde vellicat cogitatio: Deum promisisse veniam delictorum scio, sed nescio, an ego veram acturus sim pœnitentiam. Viri sanctissimi sub vitæ finem trepidârunt; quid ego mihi de me pollicear? Sed speremus, & ingenti adversus Deum fiduciâ erigamur. Ita prorsus inter spem metúmque medio itinere gradiamur.

II. *Esto longanimis.* Noëmum vide, quot ille quadragintadialia servârit jejunia, nullum tamen sequebatur pascha. Quadraginta diebus & noctibus continuis pluit. Rogaverit Deum Noëmus: Obsecro, mi Domine, si quidem omnibus moriendum est, accelera finem, & hoc unum perituris per beneficium & gratiam concede, ut citò pereant. Aliter Deo visum. Nam post quadraginta dies pluvios, secuti centum quinquaginta, dimidius annus, quo toto tempore nihil penitus mutârunt aquæ, sed eâdem semper iverunt altitudine. Hîc Noëmus sentire moras potuisset & queri: Quis tandem finis tam miseræ navigationis? ecquando demum fœtidissimus hic carcer reserandus? Sed anno dimidio jam elapso decrescere primùm cœperunt aquæ, verùm tam lentè, ut totus laberetur annus, insuper & aliquot dies, dum Noëmus denique assereretur in libertatem. Et tandem incredibili longanimitate sustinuit tamdiu vivus sepeliri. Adagium Judæis erat, quod Deo valde displicebat. Nam Ezechiel hoc illis exprobrans, *Quod est,* inquit, *proverbium istud vobis in terrâ Israël dicentium: In longum differentur dies, & peribit omnis visio?* Quis expectet tamdiu? Perit omne desiderium inter moras tam prolixas. Longè aliud docet longanimitas. *Expecta Dominum, viriliter age, & confortetur cor tuum, & sustine Dominum.* Insignissimè longanimis rex David, *Expectans,* inquit, *expectavi Dominum, & intendit mihi. Et adhuc pusillum, & non erit peccator.*

Ita inter spem & metum cum longanimitate magnâ ex hujus vitæ fluctibus eluctandum. Hortatur Isaias & clamat: *Beati omnes qui expectant eum.* Non carpet rosas, non leget flores, qui veris adventum præstolari nescit; non intrabit portum, qui maris iracundiam recusaverit tolerare. Esto longanimis. Constans patientia, non mensibus, nec annis metienda est, sed sæculis. Sapientissimè dixit Seneca: *Unicum est levamentum malorum ingentium, pati, & necessitatibus suis obsequi.* Vera patientia nullum sibi figit patiendi terminum, nec umquam dicit: Ohe, satis est miseriarum. Sat diu hæc pertuli. Patientia perseverans tolerandi metam non quærit aliam, nisi voluntatem divinam.

CAPVT XVI.

Quò diluvii aquæ devenerint, quo consilio corvus ex Arcâ emissus fuerit.

REx cæli in suis insignibus strictum gladium, & frondentem olivam præfert, ut nôrit orbis, quomodo suam ille Rem-publicam gubernet, *Præmio* nimirum & *Supplicio*; hos punit, hos muneratur; his misericordiam, illis exhibet justitiam: gladio & olivâ cives suos coërcet. Et quemadmodum diluvio monstravit, quàm sibi facile sit impiorum gaudia luctu turbare, ita etiam ostendit, quàm sibi non difficile piorum luctum gaudiis emutare. *Recordatus autem Deus Noë.* Divini codices sæpissimè in rebus etiam maximi momenti sensu nostro, & ad humanæ intelligentiæ captum consuerunt loqui, quod Chrysostomus sedulò monet observandum. Ergo recordatus Deus Noë. Hactenus cælestis Patris æquissimæ iræ habenas eò laxavit, ut humanæ gentis jugulum petens innumeros homines neci dederit. Hinc amici sui optimi & pæne unici velut oblitus potuit censeri. Sed *non in finem oblivio erit pauperis, patientia pauperum non peribit in finem.*

Ita & Noëmi Deus (humano ritu loquimur) iterum recordatus, cujus videri poterat oblitus; imminuta subsedit aqua, montes iterum sua exeruerunt capita, spes affulsit vicinioris jam libertatis. Quâ in re duo potissimùm consideranda. 1. Quò diluvii mare immensum devenerit, in quas sese cavernas penetrârit. 2. Quomodo Noëmus aquarum diminutionem explorare voluerit per corvum, qui emissus non rediit. Utrumque hoc explanandum.

§. I.

POstquam centum quinquaginta dies abierunt, quibus aquæ terrarum orbem tenuerunt sepultum, ipsæ verò uti non auctæ, ita nec imminutæ sunt. Hoc igitur exacto tempore, *Adduxit Dominus spiritum super terram, & imminutæ sunt aquæ.* Immisit Deus ventum calidum & vehementem, qui vi non naturali, sed divinâ, eam aquarum eluviem in suas cavernas, in antra, specus, foveas, inque suam abyssum, unde emerserat, cogeret redire. Hinc Historicus sacer dixit: *Et clausi sunt fontes abyssi, & cataractæ cæli, & prohibitæ sunt pluviæ de cælo.* Nimirum Deus aquagia sua, quæ aperuerat in supplicium gentis humanæ, iterum observavit. Dein ventus seipso potentior, viribus divinis eluvionem siccavit. Chrysostomo teste, Præceptum est Domini, quod facit omnia. Aliter certè venti omnes pluribus annis illam aquarum molem exhaurire non potuissent. Nec solùm aquas ventus ingenti fauce glutiit & digessit, sed id etiam effecit, ne mortalitas sequeretur & pestis. *Adduxit Dominus spiritum,* idque providentiâ singulari & potentiâ. *Et prohibitæ sunt pluviæ,* non quòd illis centum quinquaginta diebus pluviæ durârint, sed quòd Deus pluvias in terram alioqui defluxuras totis septem mensibus continuerit, & eò citiùs terra siccaretur.

Hoc tempore arca post jactationem tam longam in montibus Armeniæ, aut uti Hebræi loquuntur, Ararat, quietis aliquid invenit. *Requievitq; arca mense septimo, vigesimo septimo die mensis, super montes Armeniæ.* His montibus, qui sese in maximam porrigebant longitudinem, diversis locis diversa fuêre nomina. Hoc sibi nomen Armenia à Noëmi nepote Semi filio Aram accepit. Inter omnes orbis partes altissimum locum occupat Armenia. Atque hîc arca subsidentibus aquis sese recepit sessum. *At verò aquæ ibant & decrescebant usque ad decimum mensem; decimo mense primâ die mensis apparuerunt cacumina montium. Cúmque transissent quadraginta dies, aperiens Noë fenestram arcæ, quam fecerat, dimisit corvum, qui egredie-*

Deus rempublicam suam præmio ac supplicio gubernat. *Gen. cap. 8. vers. 1.* *Pſ. 9. v. 19.*

Gen. cap. 8. vers. 1. *Ibid. v. 2.* Arca requievit in montibus Armeniæ. *Ibid. v. 4.* *Ibid. v. 5. 6. & 7.*

egrediebatur, & non revertebatur, donec siccarentur aquæ super terram. Cùm igitur Noëmus apices & fastigia montium per fenestram prospiciens vidisset, quadraginta dies expectavit, & ita demum exploratorem corvum emisit.

Lis ingens eruditiorum de hoc corvo. Nos illi pennas non vellicabimus, neque enim instituti nostri est, omnium hîc lites componere, præsertim cùm Hebræi, Græci, Latini contextus, septuaginta Interpretum, & Hieronymi verba non ita conveniant, & inde tenebrarum aliquid inducant. Ea tamen omnium sententia est, corvum in arcam non reversum. Ivit quidem & redivit, quod Hebræa phrasis asserit, sed in arcam denuo includendus non venit, longiùs propiùs circumvolans, & ob libertatem obtentam lætus, pabulum, quod inhiabat, abundè reperit. Subinde mensam in ipso arcæ tecto, aliàs ad cadaver in montium uno reperit, & non revertebatur in exosum sibi carcerem. Explorator planè infidus, liberi & vagi volatûs ales, pessimus tabellarius: nam gustatâ libertate caveam iterum subire noluit malignum animal. Cur verò Noëmus corvum emisit, furacem, immundam, prædatricem avem, an non meliores habuisset nuntios? Videte, quæso, quàm omnia volumini diuino scitè apteque cohæreant. Deus per octo nec plures homines, non solùm propaginem humanam, sed & mores, ac vivendi modum restaurare, suam Noëmus operam commodare instituit. Initium fuit ejectio corvi, consummatio sacrificium.

Corvus ex arcâ emissus non est reversus in arcam.

Corvus avis tenebrosa, imago peccati, uti Tertullianus, Ambrosius, Augustinus, Clemens Alexandrinus, alii docent.

§. II.

In ōni peccato duo sunt considerandi: Aversio à Deo, & Conversio ad rē creatam & ad malum.

In omni graviore peccato duo maximè consideranda, 1. Aversio à Deo, 2. Conversio ad rem creatam, & unà ad malum. Cùm respicimus, aversio à re creatâ & à malo, conversio ad Deum necessaria est. Primum adumbrat corvus ejectus, alterum significat institurum sacrificium. Sed liceat denuo quærere: Cur, mi Noëme, nuntium mittis ineptissimum? cur non aquilam, cygnum, accipitrem? Neutiquam, sed ejiciatur corvus: peccati symbolum est. Cùm metus est, ne invehatur navis in arenam, in scopulum, aut aliter evertatur, quidquid oneris est, ejicitur. Onerum omnium gravissimum est peccatum, certum hominis exitium. Quod Cyprianus adstruens, *Hoc est*, inquit, *peccatum lapsis, quod sæva tempestas navigiis.* Corporea quidem suâ indole sunt gravia, gravioribus tamen collata, dici possunt levia. Subernus cortex in aquâ levissimus, sursum nititur, deorsum nonnisi vi trahendus. Plumbum in aquâ & aëre gravissimum, mole suâ ad ima rapitur celerrimè. Corvus ad cadavera deorsum velocissimè fertur. Carnibus jam fartus non ita facilè sursum evolat.

Corvus peccati symbolum ideo emissus. Cyprian. serm. 5. de lapsis.

Hic sanè genius est naturæ, hæc illius indoles, ad malum & ad quasvis turpitudines impetu volat, cùm verò sursum enitendum ad Deum seriâ pœnitentiâ, heu quàm piumbei sumus! Impudicum & libidinosum hominem non rarò miti nomine, incogitantem, levem, petulantem appellamus: pari modo dicere solemus: En ille leviori vitâ lapsus est, en illa dissolutiùs vivendo cecidit. Tam facilè tamque celeriter hoc fit, quàm citò asparagi coquuntur. Unica subinde tentatio in lapsum præcipitat. Si lapsus gravis est, cur levitas vocatur? Peccatum & leve potest dici & grave. Leve, quia celeritate nimiùm quàm agili patratur; momento fit, quod æternùm noceat; grave, quia detrahit è cælo, & tartaro mergit infiniti ponderis noxa.

Familiare dictum Augusto Cæsari, ut Trāquillus notat.

Peccatum leve, & grave potest dici.

Habet terra Lusitania aves avium maximas, quas Condores vocant. Hæ vitulum audent invadere, quem sternunt, lacerant, occidunt, vorant. Pastores gnari alatas prædatrices istas capiendi, copiâ carnium eas inescant. Ubi sese largiùs impleverint, nec currere commodè nec volare possunt. Hîc pubes rusticana fustibus ac sudibus armata in alites saturatas irruit & mactat. Ita popinones isti caras solvunt symbolas. Quoties in hunc modum pœnas dedit libido? Quoties libidinosi homines in scelere deprehensi vitâm simul ac flagitium finierunt? Rex Longobardorum Rodoaldus, Paulo Diacono teste, in fœdo facinore oppressus miserrimè vitam perdidit. Peruanus Prorex, nomen silemus, cùm alienam pudicitiam expugnâsset, ex alienâ domo in suam probè contusus, jámque semimortuus relatus & extinctus est. E divinis libris notiora taceo. Quòd si libidinis peccatum hominem tam luculento dolo inescet, & sibi obnoxium in pedicas trahat, quid fiet animo, qui seipsum ingluvie tam fœdâ prægravat? omnium gravium multò gravissimum est peccatum, animæ pondus exitiosissimum, immensum. Gregorii dictum est: *Peccatum, quod pœnitentia non diluit, ipso suo pondere mox ad aliud trahit. Ex illo quippe vitio culpa subsequens oritur, ex quo cæcata mens ducitur, ut pejùs ex alio ligetur. Sed peccatum, quod ex peccato oritur, non jam peccatum tantummodo, sed peccatum & pœna peccati; quia justo judicio omnipotens Deus cor peccantis obnubilat, ut præcedentis peccati merito etiam in aliis cadat.* Infinitum peccati pondus est.

Greg. lib. 1. Moral. c. ultim. mihi 3. Reg.

Quid autem miri, si corvus gravitatem habeat, etsi habeat alas? Grave cor delinquentium, & tamen in malum celerrimè fertur. *Veloces pedes eorum,* inquit Psaltes, *ad effundendum sanguinem: contritio & infelicitas in viis eorum.* Alas & talaria gerunt pedibus, ut Mercurium pingunt Poëtæ, & tamen offendunt pedes & cruentant, impingunt & conterunt. Hæc nostra est deceptio, propter hoc diabolorum irrisui exponimur. Peccatum credimus leve, labore facili luendum, scilicet à fronte alatum est. Jucundam, satietatem, animi levamen, optatam voluptatem reperturos arbitramur, cùm peccatum complectimur. Hæc illius frons est; à tergo fœdum, minimè leve, neutiquam alatum, impurissimum, ponderis est immensi. Exemplo rem monstramus. Subinde luctui mederi nitimur, socios quærimus, sympoſia instituimus, calicem ducimus, choros agitamus, ut mœstæ menti oblivionem conciliemus. At ubi discussâ crapulâ mens ad se redit, deteriùs habet, & morbo pejus apparet pharmacum; non enim luctus, sed peccatum gravat. Foràs ejiciatur hic corvus ex arcâ, ex humano pectore.

Psal. 13. 3.

Sed & istud in corvo vitiosum. Pullos suos non curat, nec eos, ut aves ceteræ, alit, non educat quos genuit, sed nido extrudit sævus pater. Simillimum corvo peccatum, innumeros parit filios, quos sacra pagina filios iniquitatis nominat. Judæis hoc Christus exprobrans, *Vos*, inquit, *ex patre diabolo estis.* Sed corvus ille suos filios deserit implumes & impastos, hinc illi mortis æternæ pericula non evadunt. Et quemadmodum corvus cadaverum primos omnium invadit oculos, ita peccatum, maximè libidinis quæ diluvii caussa fuit, hominem, quem occupat, excæcat. Vide mihi hominem: antequam peccaret, Deum sibi præsentem sæpius cogitavit, & timuit; inferos consideravit, & horruit; aspexit cælum, & exultavit: jam verò iniquitatis filius in vitium delapsus nil horum cernit, oculos ei eruit corvus, libidinis peccatum, aut aliud huic affine flagitium.

Aristoteles aliúq; hic docent. Aristoteles animal. l. c. cap. 5. mihi pag. 210. lib. 2. cap. 2. mihi pag. 240. Isaiæ cap. 1. vers. 4.

Peccatum libidinis hominem excæcat.

§. II.

ET hæc, Christiani, germanissima caussa est, cur tot ubique concionibus nil ferè vitiositatis corrigatur. Clamant è cathedrâ Ecclesiastæ, vitiorum fœditatem aperiunt, cælum monstrant, inferos ostendunt, pœnitentiam inculcant. Frustra omnia: tonitrua ex pelvi censentur. Vix ullus suas corrigit libidines, nummi amorem, mentis tumorem nemo ponit, nemo suam stringit iracundiam, nemo suam sanat invidiam; pede, quo cœperunt, pergunt omnes: nil efficitur clamando. In promptu

pru causſa eſt : ii, quorum vitia tanguntur, in vitiis vivunt, & avaritiâ ſepulti, aut libidinibus merſi, aut aliis ſordibus inquinati, jam cæci in vetitum ruunt; peccata, peſſimi corvi, oculos eorum effoderunt. Cohortationes & minas omnes negligunt. Digito monſtratur cælum? non vident. Monſtratur tartarum? non vident. Deus parens mitiſſimus proponitur? neque hunc vident. Et niſi eos Deus iterum cæleſti gratiâ inoculet, perdurant cæci. Hinc liquet rem eſſe omnium difficillimam, hominem aſſuetum vitiis, ad virtutis imperium reducere. Si cum priſcis Patribus loquendum, facilius eſt mortuum excitare, quàm hominem à conſuetudine vitioſâ revocare. Si tales iſti mentis oculos non perdidiſſent; ſi poſſent, aut potiùs ſeriò vellent cælum aut inferos, Deum aut æternitatis volumen immenſiſſimum intueri, non difficile foret, illos denuo virtuti aſſerere: ſed quia peccatum admiſſum oculos mox adimit, cæci ruunt, quâ fert impetus, niſi ſingulari gratiâ Dei mentis aciem recipiant.

Sophonias vates Hebræus id prædicans, *Ambulabunt, inquit, ut cæci, quia Domino peccaverunt.* Ergo ante omnia foras ejiciendus eſt corvus iſte, quod Noëmus fecit: perinde ſi dixiſſet: Cernite pulchellam aviculam, quod vos ſefellit toties peccatum. Hoc vobis pulchrum videbatur, uti corvorum pulli priùs albicantes, dein nigreſcunt. Cavete, vos alliciat & ſeducat, formam mentitur; picta eſt & variè colorata voluptas, hæc avis blanditur, mulcet, exhilarat, ſed apparet tandem, quàm deformis & ater ſit hic corvus, qui hominis animum & famam atrore infigit fœdiſſimo. Omnem animi nitorem aufert peccatum, deformitas multò ſpurciſſima. Uti putredo venuſtiori pomo coloris, & odoris, & ſaporis gratiam ſubducit, ita quidquid animus virtutis & gratiæ habet, peccatum eripit, corvus immundiſſimus, & priſcâ lege in eſum vetitus. Sunt qui paginæ divinæ verba illa, *Emiſit corvum, qui egrediebatur & non revertebatur*, ſubtiliùs interpretati dicant: Non alacer evolabat corvus, ſed tamquam invitus hoc officii ſubiret. At ubi cadaver repetit, in arcam redire non ſuſtinuit. Hinc Hebræis natum proverbium: Corvus nuntius, de homine aut tardiùs aut numquàm redeunte. Sunt qui principiò verecundiùs, & velut inviti peccent, at ubi gratius ſibi pabulum reperiunt, irrevocabili contumaciâ vitiis inhærent.

Atque hujus etiam indolis eſt peccatum, ex hominibus bonis, aut ex optimis facit quandoque peſſimos. Peccatum à tergo erubeſcendum, fœdiſſimum monſtrum, ideo ſubinde tardiores invenit amatores: egreditur, non evolat corvus. At ubi jacta eſt ſemel alea, & vitium guſtatum ſapit, alterâ tertiâque & inde multiplici vice reditur. Hinc peccandi creſcit audacia, & quod initiò ſubtimidè fiebat, jam confidentiſſimè patratur, ab arcâ ſalutis avolatur longiſſimè; ſicut aviculæ caveis elapſæ procul avolant, ac ſi faterentur ſe non redituras. Ita ſenſim diſcimus nequitias, ita ex optimis improbiſſimi, ex Angelis fiunt diaboli. Philoſophia id docet & experientia. Omnis mutatio, ut ſcholæ loquuntur, è contrario fit in contrarium: vinum dulciſſimum cùm degenerat, in acetum acerrimum mutatur; homines moratiſſimi, cùm jugum excutiunt, nequiſſimi evadunt. Tales in homine mutationes ſæpe ab ingrato animo ducunt originem: cùm Dei beneficia non æſtimamus, nec de eis gratias Deo meminimus, jure meritò divinis auxiliis deſtituimur, perinde ſi cui hominum dicatur: Abi hominum ingratiſſime, indignus es quem Deus donis cumulet, canis gratior eſt pro panis bucceâ, quàm tu pro beneficiis maximis; abi vecors, & age quod vis: odit Deus ingratos, & arcet.

Deinde ingenia magna rarò admodum in mediocritate ſubſiſtunt. Hinc plerumque tales aut vitiis aut virtutibus inſignes eminent mediocritatis impatientes. Ita avis paradiſea corvum induit, Apoſtolus in proditorem tranſit, qui ſceleſtiſſimos prævolat in olivetum, ad capiendum Dominum JESVM. Caſſianus Martyr ſanctiſſimus quales corvos educavit, quos Papulos, qui ſtylis ipſum confoderent Magiſtrum! Hîc geminam ex more præceptionem nectimus. Duplex documentum.

§. IV.

I. *Expelle peccatum.* Suggeſſimus ſuprà: Deteſtare peccatum? Nunc magis arduum inſtillamus, Expelle peccatum. Nemo eſt vigilantioris conſcientiæ, qui non tam ſua quàm aliena peccata ut mala maxima deteſtetur: atrorem hujus corvi & ingenium improbiſſimum non negamus. Scimus, quid noſtra nos Cateheſis doceat, luxuriam capitale crimen eſſe non ignoramus. Eſt qui dicat: Mihi ipſi corvus iſte diſplicet, nihilominùs eum ut avem domeſticam alo, quod damno, hoc facio; video meliora probóque, deteriora ſequor; peccati ſupplicium horreo, nec tamen peccare deſino. Expelle corvum, expelle. Hæc avis unica plus gravat arcam, quàm ceteræ omnes. Peccatum unicum miſeriorem reddit hominem, quàm miſeriæ humanæ omnes magno cumulo incumbentes. Idcirco Paulus commonens, *Deponentes*, inquit, *omne pondus, & circumſtans nos peccatum, per patientiam curramus ad propoſitum nobis certamen.* Omne pondus & circumſtans nos peccatum, è pectore ejiciendum; nec enim tantùm crimen animi, ſed & occaſio peccati fugienda: arceatur hic corvus, & non redeat. Quid juvat veniam peccatorum conſequi, ſi eadem mox repetas? Expelle peccatum. 1. Expelle peccatum. Unicum peccatum miſeriorem reddit hominem, quàm omnes miſeriæ humanæ. *Ad Hebr. c. 12. v. 1.*

II. *Teipſum circumſpice.* Noëmus corvum emiſit, ut inde diſceret, quantùm decreviſſet diluvium. Seipſum quiſque circumſpiciat, & interroget: Ubi ſum, quibus, vel animi vel corporis periculis irretitus? Ut ſeſe res meæ habent? Num hoc anno probior ſanctiórque evaſi, atque prioribus fui? Num aliquid in virtutis ſtudio promovi, & quantum? an forſan defeci, factus deterior? quid annis prioribus in virtutum cultu me impedivit? quo potiſſimùm vitio laboravi? quid antidoti in illud adhibui? quâ demum parte ſum melior? num largiùs an parciùs do ſtipem? num rariùs malè loquor? num infrequentiùs imprecor? ſæpiùſne fleo, an rideo? Num toties Deum cogito, quoties iraſcor, & furioſam bilem effundo? Quò tendo? Num eò perventurus ſum, quò pervenire cupio? Circumſpice teipſum, an tuum diluvium decreſcat, an verò augeat, aut ſibi ſimile permaneat. Fortaſſis brevî jubebit Deus animum arcâ ſuâ egredi. Circumſpice teipſum. Proximus eſt ad æternitatem tranſitus. 2. Teipſum circumſpice.

CAPVT XVII.

Quam ob cauſſam & quoties ex Arcâ Noëmus emiſerit columbam.

NOëmi arca & diluvium priſcis tam notum erat, ut in fabulam demum abierit. Hæc origo fabulæ. Annis ab hoc Noëtico diluvio ſeptingentis ſeſtuaginta, cùm Moyſes annum ageret ferè quinquageſimum, Theſſalia tota eluvione horribili obruta & ſubmerſa periit. Hanc aquarum inundationem Deucalionis diluvium vocârunt, ut ſuprà demonſtratum eſt, & in fabellæ ludicrum redegerunt. Hæc profectò cacodæmonis fuit vafrities, ut diluvii formidabilis hiſtoria à Moyſe ſcripta in ſomniorum nugas fatiſceret. Finxerunt igitur hoc Deucalionis diluvio ſubmerſum orbem, ſolùm Theſſaliæ regem Deucalionem cum Pyrrhâ conjuge, navi, quæ arca diceretur, delatum in Parnaſſi apicem; emiſſam etiam ab eis columbam quæ ſuo reditu diluvium durare ſignificârit; ſed eam ſæpius evolantem demum emanſiſſe, in ſignum eluvionis ſopitæ. Quâ de re in hunc omnino ſenſum Ovidius:

Et ſupereſſe virum de tot modò millibus unum, *Ovid. lib. 1. Metamorph.*

Et

Is eſt difficillima hominem aſſuetum vitiis ad virtutis imperium reducere. — Greg. M. d. Moral. c. ance mu. mihi p. — Hoſhem. c. 1. verſ. 17. — Pſal. 130. — Ipſe ſcriptor, qui putet egatum corvum à Noëmo emiſſum. Valerii ille, qui hæc probat. — Peccatum & hominibus bonis facit quandoq; peſſimos. — Ariſtoteles alibi ſæpe docent. — Ariſtoteles animal. l. cap. 5. mo pag. 220. lib. 4. cap. 1. mihi p. Exod. 16. Peccatum libidinis hominem excæcat. — Mauritania, ſeu, Aptus Indica.

Et supèresse videt de tot modò millibus unam:
Innocuo ambos, cultores Numinis ambos.

Idem de diluvio jam cessante hæc addit:

Iam mare littus habet, plenos capit alveus amnes,
Flumina subsidunt, collesque exire videntur;
Surgit humus, crescunt loca decrescentibus undis.
Póstque diem longam nudata cacumina silvæ
Ostendunt, limúmque tenent in fronde relictum.
Redditus orbis erat, quem postquam vidit apertum,
Et desolatas agere alta silentia terras
Deucalion, lacrymis ita Pyrrham affatur obortis:
Nos duo turba sumus, possedit cetera pontus.
Nèmque ego (crede mihi) si te quoque pontus haberet,
Te sequerer conjux & me quoque pontus haberet.

Plutarchus Parte tertiâ de animalium solertiâ refert dilucidè, à Mythologis tradi columbam nuntiam à Deucalione missam. Et sanè, inquit, qui fabulas narrant, ii columbam ajunt ex arcâ emissam Deucalioni certum indicium detulisse tempestatis, cùm rursus ingrederetur; serenitatis, cùm avolâsset. Hebræus Philo non minus apertè: Hunc Græci Deucalionem, inquit, Chaldæi Noam nominant, cujus ætate ingens illud diluvium acciderit. Lucianus Christiani dogmatis non ignarus, diluvium & arcam Deucalionis æquè memorat. Quòd verò scriptores isti asserant, Deucalionis ævo universum orbem fluctibus obductum, tam scripturæ sacræ, quàm ipsi etiam Philosophiæ adversatur. Deucalion certè octingentis pæne annis à Noëmo vixit. Deinde nec Plato, nec Aristoteles, nec Philosophorum ullus asserit ejusce modi eluvionem naturalibus caussis provenire posse, quæ orbem submergat. Hoc semel dumtaxat factum Noëmi ævo: vice alterâ orbis non aquâ, sed igne obruetur.

Philo lib. de Præmiis & Pœnis, post init. mihi pag. 707.

Deucalionis ævo non fuit diluvium.

Gen. cap. 8. vers. 8. De Noëmo sacer historicus ita loquitur: *Emisit quoque columbam post eum, ut videret, si jam cessassent aquæ super faciem terræ.* Hîc explicandum, quoties & quam ob caussam emissa sit hæc columba, deinde qui fese illa gesserit, quid exoptabilis hîc nuntius apportârit, quando emanserit.

§. I.

POst corvum exploratorem perfidum, Noëmus ter columbam misit nuntiam. Prima eodem prorsus die post corvum abiit, eodémque die rediit. Hîc Noëmus septem alios dies expectans iterum emisit columbam, quæ vesperi non sine litteris, ut dicemus, rediit. Expectavit denuo Noëmus alios septem dies, & tertiùm columbam evolare jussit, quæ in arcam non est reversa. Harum legationum caussam interpretatur Chrysostomus horribilem diluvii formidinem: nec enim Noëmum per fenestram ausum prospicere diluvii metu. Hoc enim objici posset. Cur Noëmus ipse non prospexit, nam aquæ subsederint? metus continuit. Chrysostomi verba sunt: *Ecce justus ille nondum per se audet videre, sed corvum mittit, ac per illum discere vult, an bona rerum mutatio aliqua sit exspectanda.* Alphonsus Tostatus censet fenestram non magnam & sublimi loco sitam, arcam admodum fuisse crassam, unde solum pæne cælum suspici, terra ægrè, nec eminus prospectari potuerit. Per aves igitur tabellarias erat explorandum, num aquæ tellurem jam siccam destituerint. Cur autem corvum & columbam, non alias aves exploratum misit? Haud dubium quin Deus illi singulariter id suggesserit ob significatum & mysterium.

Cur Noëmus ipse non prospexit num aquæ superstederint.

Chrysost. hom. 26. in c. 8. Genes. mihi p. 172.

Non pauci asserunt, corvum & columbam longinquè ac perseveranter volare, solere quoque rostro aliquid referre, uti columba vice alterâ in apertum provolans, virentem retulit olivam. Nam ea quæ primam obiit legationem, loca utique aquis detecta reperit, sed quia omnia etiamnum madida & lutosa, illa munditiem amans, & sordidare pedes recusans, ad fenestram reversa, à Noëmo retracta est. Quod divinus scriptor ita narrat: *Quæ cùm non invenisset ubi requiesceret pes ejus, reversa est ad eum in arcam; aquæ enim erant super universam terram; extendit(que) manum suam, & apprehensam intulit in arcam. Expectatis autem ultrà septem diebus aliis, rursum dimisit columbam ex arcâ. At illa venit ad eum ad vesperam; portans ramum olivæ virentibus foliis in ore suo. Intellexit ergo Noëmus, quòd cessássent aquæ super terram. Expectavit(que) nihilominùs septem alios dies, & misit columbam, quæ non reversa est ultrà ad eum.*

Columba, quæ secundo loco missa evolavit, non ingratum utique pastum invenit, sed sub vesperum frigus noctémque fugiens, ad hospitium notum rediit. *Fidus iste nuntius*, ait Chrysostomus, *bonas attulit litteras, decerptum ex olivâ surculum reportans.* Imperatores Romani, si quam victoriam obtinuissent, laureatas ad Senatum literas miserunt, ut solus epistolæ aspectus lætum quid loqueretur. Deus Noëmo epistolæ vicem columbam misit olivâ insignitam: ex hac oliviferâ epistolâ intellexit Noëmus, quòd cessâssent aquæ super terram.

§. II.

INterim Noëmus anceps animi hærebat, quid statuendum de progressu ex arcâ. Expectavit igitur alios septem dies, & rursus misit columbam tertiam, quæ nuntiaret, quantùm aquarum imperium esset imminutum. Mi bone Deus, quid Noëmum crucias? si diluvio decrescente Angelum illi misisses, qui diem egressûs indixisset, omni hoc labore supersedere potuisset: quid enim opus sollicitudine tantâ, tot curis? Nimirum sæpius inculcandum, quod suprà demonstratum est, velle Deum, ut homo pro viribus laboret, faciátque quod potest, quod humanis viribus impar, hoc sibi Deus perficiendum sumit; *Dei enim perfecta sunt opera.* Probè igitur noverimus, otium nostrum Deo penitus esse displicitum. Non desides aut ignavos cessatores, sed quà possumus, laboris nos socios esse cupit. Labori nos creavit, non quieti, nisi illi, quæ sequetur in cælo. Ita Noëmus quatuor omnino nuntios amandavit, semel corvum, ter exploratricem columbam. An una eadémque columba ternas legationes istas obierit, incertum, verosimile unam eamdémque fuisse. Cùm volatu primo abiit, lutata rediit, maximè pedibus, ait Josephus. Itione alterâ viridantem oleæ ramusculum rostro deportavit. Sed unde frondes huic arbori quæ anno toto jugulatricibus aquis mersa latuit? Ambrosius multùm ambigit, num ea ante diluvium frondere cœperit, & sub undis servata has comas non amiserit. Ante diluvium frondusse verosimilius. Nam olea, teste Plinio, iis arboribus accensenda, quæ per hiemem folia & virorem non perdunt. Quod Chrysostomus confirmans, *Olea*, inquit, *semper virens est.* Ex quo facilis conjectura est, diluvium etsi pleraque omnia humi nascentia eradicârit, eam tamen oleam, aliásque arbores quæ minùs resistebant aquis, perdurâsse. Rabbini somniant hunc ramum ex olivifero Sionis monte, alii ex paradiso sumptum. Somnia sunt & nugæ. Eam arborem Deus vivere, sub aquis voluit, ut columba, exploratum evolatura, reperiret quod domum referret in mysterium futuris sæculis.

Tertullianus mysterii non ignarus, *Quemadmodum*, inquit, *post aquas diluvii, quibus iniquitas antiqua purgata est, post Baptismum (ut ita dixerim) mundi, pacem cælestis iræ præco columba terris adnuntiavit dimissa ex arcâ, & cum oleâ reversa, quod signum etiamnum apud nationes paci prætenditur.* Sicut igitur à primordio imaginis divinæ præco serpens, ita divinæ pacis præco fuit columba. Nec verò sine caussâ Rex David columbinas alas expetens, *Quis*, inquit, *dabit mihi pennas sicut columbæ, & volabo, & requiescam?*

Tertull. de bapt. cap. 8. pag. 262.

Psal. 54. v. 7.

An non, regum optime, accipitris, aut cygni, aut aquilæ, aut struthionis alæ ad hos volatus longè commodiores

modiores forent? Non sanè, alis columbinis hîc opus est. De cælestis sponsi oculis facer Auletes canit: *Oculi ejus sicut columbæ super rivulos aquarum, quæ lacte sunt lotæ, & residentes juxta fluenta plenissima.* Multæ aves aquis se mergunt, anates, mergi & olores. At verò columba rivis adsidet, & in aquâ velut speculo observat vulturis, ac milvi, aut aliarum avium volatus, ut ab iis sibi caveat. Istius volucris alas aptari sibi vult rex David. Si enim sublime tantùm volare voluisset, alas aquilæ petiisset; si prædam avehere, ardeæ; si oculis placere, pavonis pennas sibi quæsiisset. At ille volare desiderat; ut requiescat, & quidem non in aquâ, sed juxta aquam. Aquæ multæ, homines multi: qui cogitat quiescere, fugiat adire turbas, convivales frequentare mensas, sectari delicias. Beata quies in his diverticulis non invenitur. Hîc iterum præceptiones geminæ sedulò pensitandæ.

Cant. cap. 5. vers. 12.

Duplex documentum.

§. III.

1. Fuge mundi cœnum.

I. *Fuge mundi cœnum*, fuge lutosas vias, heu fuge crudeles terras. Reperisset equidem columba Noëtica aquis extantia loca, sed omnia ubique madida, lutosa, lubrica. Has sordes exosa hæc ales, inquinare pedes noluit, perinde si dixisset: Revertar in arcam meam, loco illic meliore hospitor. Quisquis præsentem mundi statum considerat, vel pressis etiam oculis, modò mentibus apertis, facilè percipiet, quàm omnes cœno mersi jacent. In urbibus non paucis justitia planè cerea est: torqueri, flecti, fingi facilis in quamcumque partem. Alibi aperta imperat injustitia. Libido nusquam non regnat & triumphat. Pudicitia passim exulat, impuræ Veneri locis omnibus largissimè litatur, ad carnis leges vivitur. Qui cælum vi rapiant, qui æternitatem seriò expendant, vix pauculi & pæne nulli sunt; qui alienam famam obtrectent, seipsos non inspicant, innumeri sunt: mores improbi, sermones fœdi, magna scelerum ubertas: Prætextata & obscœna verba ubique locorum audias: *Nemo quod bonum est, loquitur. Non est qui faciat bonum, non est usque ad unum.* Conviviorum luxus, vestium pompa jam in mores transierunt, non ampliùs annumeranda vitiis: sudores pauperum haurire, inopum medullas sugere, jam pervulgatæ consuetudinis est. Hæc vel cæcis patent. Hoc tali cœno mundus refertissimus. Praga, Parisii, Roma, urbes maximæ, sed sanè lutosæ; cùm pluit, merum cœnum viæ sunt. Haud aliter mundus spurcitiis & sordibus exundat. Sed sicut in illis urbibus ea, quæ quotidiana sunt, minùs curantur: ita in mundo, quod pæne omnes faciunt, vix vitiosum habetur. *Inquinatæ sunt viæ illius in omni tempore.*

Jer. cap. 8. vers. 6. Psal. 13. v. 1. Psal. 10. v. 5.

Lex mundi. Lex mundi est: *Qui nocet, noceat adhuc, & qui in sordibus est, sordescat adhuc.* Hanc legem plerique omnes religiosissimè servant, & insignes in nequitiis faciunt progressus. Alter alterum impellit, & ad vetita viam comiter præeundo monstrat. Exemplis mutuis suavissimè perimus. Sunt qui omnia superbiæ ac avaritiæ præcepta exactissimè doceant, sunt qui ea studiosissimè discant. Hîc sæpe discipulus superat magistrum. Non desunt, quibus hæc artificia sordere incipiunt; cuperent ii in officinis melioribus sudare, sed pudore inertissimo, aut consuetudine multâ vinciuntur. Quid agis, ajunt ipsi secum, tu mundi leges non migrabis; hoc plerique omnes faciunt; te ceteris sanctiorem ne crede; his artibus, huic vitæ modulo assuevisti; exuere pellem difficile; hæc sacra aliter non constant. Exosa nimis sapientia est, ubi omnes publicè insaniunt. Monitum illud non nescio: *Non intrabit in eam aliquid coinquinatum.* Excutiam ergo cœnum, antequam ad cæli portam venero. Pergamus igitur, quo cœpimus pede. Ita qui in sordibus est, sordescit adhuc.

Act. c. 21. vers. 11. Apoc. c. 21. vers. 27.

Quàm longè aliter sapiens rex David, & cœnosas mundi voragines declinare cautus, *Ab omni viâ malâ*, inquit, *prohibui pedes meos.* Nec illi satis fuerat sordentes vias exiisse, insuper & volatûs appetens, *Quis dabit mihi pennas*, inquit, *& volabo?* non traham per cœnum pedes, non mergam me luto, alta & divina meditor, volabo, plùs conscientiam & cælum, quàm pecuniam & pompam curabo.

Psal. 118. v. 101. Psal. 54. v. 7.

Fuge mundum, fuge, fuge, quicumque mundus cupis vivere. Ubicumque, potes, te turbis exime; pessimus ad virtutem dux est populus. Utique quò major est populus cui commiscemur, hoc periculi plus est. *Arcta via est, & angusta semita quæ ducit ad vitam, & pauci inveniunt eam.* Spatiosa via & ampla porta est quæ ducit ad mortem, ad interitum, multi intrant per eam. Fuge multos, fuge etiam teipsum, si vitiosorum multitudinem sequaris. Ante omnia fuge libidinem, & vel libidinis umbram, & omne vitiorum cœnum faciliùs declinabis. Speciosa scelerum porta, detestabilis luxuria. Ergo fuge mundi cœnum, si amas cælum.

Pessimus ad virtutem dux est populus. Matth. c. 7. vers. 14. Multitudo fugienda.

2. Pacis tranquillitatem ama.

II. *Pacis tranquillitatem ama.* Columba Noëtica secundùm emissa non vano volatu terras lustravit; nec enim vacua rediit, sed olæ germen rostello reportavit, velut recentes fructus, novam arboris sobolem post diluvium natam. Heu quot in orbe hominum sunt, non columbæ, sed corvi, accipitres, milvi, vultures, lapidarii falcones, qui semper strictum acinacem nostro ferunt: quisquis eos tangit, acinacem sentit. Hi tales tranquillitatem & pacem animi, quam ipsi non habent, in aliis turbant & evertunt. Quidquid loquuntur, lapides aut cultros putes, adeò tumultibus, excandescentiâ, rixis omnia miscent, homines asperi, altercatores, turbidi, pugnaces, iracundi, litigiosi, litis satores, discordiosi, intractabiles, qui assiduè tumultuantur, currunt, volant, evaginatum gladium ore semper præferunt.

Christus à cruce jam redivivus quotiescumque suis se discipulis spectandum præbuit, instar placidissimæ columbæ ramum olivæ semper prætulit, cum dicto: *Pax vobis.* Quo ritu & suos instruxit, ut in orbem evolaturi columbinis sese moribus nemini non probarent: *Estote simplices sicut columbæ. Intrantes in domum salutate eam, dicentes: Pax huic domui.* Hæc olearum germina ori eorum inseruit. Ita quivis Christiani sanguinis, qui se columbis istis Christo & Apostolis aggregare cupit, olivam ore semper præferat, adversùs omnes placidus, mitis, benevolus, lenis, moderatus, bonorum verborum largus, oris mellei, verbo columba sit, quæ nec unguibus, nec dentibus, nec cornibus pugnet. Christianorum est olivas, non scorpiones, non taureas præferre, verbis omnia mitigare, inter dissidentes pacem conciliare.

Ioan. c. 20. vers. 21. Matt. c. 10. vers. 16. Ibid. v. 12. Luc. cap. 9. vers. 4. Spinosos fustes. Lora bubula.

Ruffinus Aquilejensis rem memoratu dignissimam refert de pace inter duos miro artificio conciliatâ. Prisci auctoris verba, Lector, fide optimâ tibi admetiar, nec vocula quidem mutatâ, ne priscæ venustatis ingenuam ac simplicem amœnitatem corrumpam. Ruffinus rei gestæ narrationem ingressus de verbo ad verbum hæc memorat.

Ruffin. Aquil. lib. 3. num. 6. apud Rosvveyd. mihi p. 501.

§. IV.

Referebant sancti seniores nobis dicentes: Quia fuit quidam monachus in eremo Scithi; venit autem ad visitandos sanctos Patres in loco, qui dicitur Cellia, ubi multitudo monachorum divisis habitabat cellulis. Cùmque non inveniret ad præsens cellulam ubi posset manere, quidam de senioribus aliam vacantem cellulam dedit ei, dicens: Interim repausa in hac cellulâ, donec invenias ubi possis manere. Cùmque ad visitandum eum convenirent quàmplurimi fratres, desiderantes ab eo audire verbum salutis æternæ (habebat enim spiritualem gratiam docendi verbum Dei) videns ille senior qui ei ad habitandum præstiterat cellam, invidiæ livore cor ejus vulneratum est, & indignari cœpit ac dicere: Quoniam ego tantis temporibus in hoc loco habito, & ad me non veniunt fratres, nisi

Ruffin. dicto loco apud Rosvveyd.

nisi rarissimè, & hoc in diebus festis, & ecce ad istum impostorem pene quotidie fratres quamplurimi vadunt; dixitque discipulo suo: Vade & dic ei, ut egrediatur de cellulâ illâ, quoniam necessaria mihi est. Cùm autem perrexisset discipulus ejus ad illum fratrem, dixit ei: Mandavit abbas meus sanctitati tuæ, jube ei per me mandare, qualiter habeas; audivit enim te infirmari. Ipse verò remandavit ei, dicens: Ora pro me, domine Pater, quia valde stomachum doleo. Reversus autem discipulus dixit abbati suo: Nimis rogat sanctitatem tuam, ut vel duos dies jubeas ei inducias dare, ut possit sibi aliam cellam providere. Transactis autem tribus diebus, iterum misit discipulum suum, dicens: Vade, dic ei, ut egrediatur de cellulâ meâ; nam si rursus distulerit, dices ad eum, quia continuò venio, & cum baculo cædendo expello eum de cellâ meâ. Pergens autem discipulus ad supradictum fratrem dixit ei: Quoniam valdè sollicitus est abbas meus de infirmitate tuâ, ideo misit me requirens si melius habeas. At ille respondens dixit: Gratias ago, domine sancte, charitati tuæ, quia sollicitus es de me, verumtamen precibus tuis melius habeo. Reversus autem discipulus dixit abbati suo: Etiam & nunc deprecatur sanctitatem tuam, dicens, ut usque ad diem Dominicum expectes, & statim egredietur. Cùm autem advenisset Dominicus dies, & non egrederetur; accipiens vectem senior, inflammatus invidiæ & iracundiæ spiritu, pergebat, ut cædendo expelleret eum de cellulâ suâ. Accedens autem discipulus ejus dixit ei: Si jubes, præcedo te, & video, ne forsitan aliqui fratres ad salutandum eum venerint, & si viderint te, scandalizentur. Præcessit ergo discipulus, & ingressus ad eum dixit: Ecce abbas meus venit ad salutandum te, egredere ergo celeriùs, & cum gratiarum actione occurre ei, quia pro nimiâ charitate & dilectione venit ad te. Qui statim surgens, cum nimiâ alacritate occurrit ei. Cùmque vidisset eum, antequam approximaret ad eum, prostravit se pronus in terram, adorabátque senem cum gratiarum actione, dicens: Retribuat tibi Dominus, charissime pater, bona æterna pro cellulâ tuâ, quam mihi propter nomen ejus præstitisti, & in cælesti Jerusalem inter sanctos suos Christus Dominus tibi gloriosam & splendidam præparet mansionem. Hæc autem audiens senior, compunctus est corde, & projiciens baculum recurrit in amplexus ejus, & osculatus est eum, & invitavit illum ad cellulam suam, ut pariter cum gratiarum actione sumerent cibum. Vocavit autem senior suprà memoratum discipulum suum, & interrogavit eum, dicens: Dic mihi, fili, si dixisti verba isti fratri, quæ propter cellulam mandavi, ut diceres ei. Tunc discipulus ejus confessus est ei, dicens: Verè Domine dico, quia propter humilitatem, quam tibi exhibere debeo, tamquam patri & domino, ideo non audebam respondere tibi aliquid, quando me mittebas ad eum: verumtamen nihil eorum dixi ei, quæ mandabas ad eum. Hæc audiens senior, statim prostravit se ad pedes ejus, dicens: Ex hodiernâ die tu meus pater esto, & ego discipulus tuus: quoniam te festinante & moderante, ac cum timore & charitate Dei agente, & meam & illius fratris animam de peccati laqueo Christus Dominus liberavit. Pro fide enim & sanctâ sollicitudine & intentione discipuli, qui perfectè in charitate Christi diligebat abbatem suum, & anxiè timebat, ne per invidiæ & iracundiæ vitium, aliquid tale ageret pater suus spiritualis, ut perderet omnes labores sanctos, quos ab ineunte ætate in Christi servitio, pro vitæ æternæ præmiis laboraverat; ideóque Dominus donavit gratiam suam, ut in pace Christi pariter lætarentur.

Matth. c. 5. vers. 9. Pacis amatores cœle-

Beati pacifici, beati, *quoniam filii Dei vocabuntur*. Et quemadmodum Noëmo columbæ oleam ferentis reditus ad arcam fuit gratissimus; ità tales pacis amatores, cùm veniunt sanctissimam Eucharistiam sumpturi, convivæ sunt gratissimi: nam olivam secum afferunt, sive animum tranquillum & pacatum, qui pacem & in seipso & in aliis amet ac tueatur.

Sed ea subinde tempora sunt, quibus olivæ ramus unicus haud sufficiat; fasce opus est. Quisque cautus circumspiciat, quibuscum agat, si cum biliosis, fremebundis, asperis, iracundis agendum, ramis oleaginis compluribus est opus: *Responsio mollis frangit iram*. Prudenti verborum moderatione in amorem pacis omnes trahendi. Atque hos reverà dixeris columbas, qui tumultuantium, iracundorúm, rixantium medii, nihilominùs benigni, mites & pacifici degunt. Eâ de re sibiipsi gratulatus rex David, *Cum his*, inquit, *qui oderunt pacem, eram pacificus*. Hoc artis, hoc virtutis est. Inter quietos & pacificos placidè ac sedatè agere, inter turbatores & impacatos turbare & altercari etiam improbi nôrunt; at verò inter turbidos ac litigatores, inturbidum & quietum esse, hoc soli nôrunt virtutis amatores. Hæ laudatissimæ sunt columbæ, quæ in olivetum evolitant; ubi Christus cruciatus suos exorsus, tam hostes suos, quàm suum discipulum Iscariotem proditorem humaniter & amicè salutavit. Per hæc vireta dociles columbæ illæ pascuntur, hîc gemunt, hîc amare inimicos discunt, hîc sese ad omnem animi tranquillitatem componunt, illud Paulinum sedulò meditantes: *Quod ex vobis est, cum omnibus hominibus pacem habentes*. Verum pacis studium, summum animi solatium.

Prov. c. 15. vers. 1.

Psalm. 119. vers. 7.

Ad Rom. cap. 12. vers. 18.

CAPUT XVIII.

Noëmus ex Arcâ progreditur, & sacrificat Deo.

AQuarum inundationes non rarò terris ingentem vastitatem attulerunt. Melchior Nugnetius anno millesimo quingentesimo quinquagesimo octavo, die octavo Januarii litteras è Coccino dedit, quibus deploravit apud Scias in provinciâ Sanciorum, eluvione horrendâ septem omnino urbes, præter pagos vicósque plurimos periisse, tam pecore omni quàm hominibus submersis. Et ut constaret hæc fieri Deo vindicante, multi aquas evadere conati, igne cælesti sunt consumpti, septennis puerulus evasit.

Apud Scias in provinciâ Sanciorum.

Anno millesimo quadringentesimo primo, quod Ludovicus Guicciardinus narrat, in Batavià inundante mari septuaginta duo grandes pagi fluctibus repentinis obruti sunt; supra centena millia hominum interierunt.

In Batavià inundante.

Plura ejusce modi provincialia diluvia, cum illo generali orbis maximo conferri neutiquam possunt, quod omnes tam homines quàm animantes hausit. Noëmus solus Deo visus est dignus, qui cum pauculis servaretur. Servatus est in aquis anno toto & aliquot diebus. In arcâ velut in hypocausto tutus abdebatur. Nullam potuit remigationis curam gerere. Deus erat navarchus, Angeli remiges; his fidendum, qui etiam in portum, altos Armeniæ montes, felicissimè deduxerunt.

Postquam igitur jussu divino terram subierunt aquæ, Noëmo Deus præcepit: *Egredere ex arcâ tu & uxor tua, filii tui, & uxores filiorum tuorum tecum. Egressus est Noë & filius ejus, uxor ejus & uxores filiorum ejus cum eo. Sed & omnia animantia jumenta & reptilia, quæ reptant super terram secundùm genus suum, egressa sunt de arcâ*. Hoc loco exponendum, quâ ratione hic egressus velut è cœnobio institutus sit. Deinde quomodo Noëmus se gratum Deo exhibuerit, & mox ab egressu sacrificarit.

Gen. cap. 8. vers. 15. & 19.

§. I.

AFfirmari verissimè potest, Deum anno toto totóque orbe terram non habuisse, nisi unicum monasterium; hoc in terrâ omnis ejus familia fuerat. Neque verò monasterium illud incolis frequens & numerosum

rosam extitit. Isidorus olim in uno cœnobio ultra mille monachos numeravit. Apollonius suprà quinque millia monachorum religiosâ disciplinâ gubernavit. Pachomius anno à partu Virginis quadringentesimo diversis domibus non adeò dissitis, ad septem millia discipulorum habuit, quos in viginti quatuor Græcorum litteras divisit. Serapion, quod Palladius suis se oculis vidisse asserit, certis habitaculis decem millia cœnobitarum censuit suæ curæ commissa.

Tot religiosos homines in suo Asceterio Deus non aluit. Divisum potiùs monasteriolum dicendum, cujus pars vtraque non nisi octonos homines, viros quatuor, totidémque feminas clausit. Arcam monasterium aut Asceterium fuisse, vel inde liqueat. Tres primæ principésque cœnobiorum leges sunt, Paupertas, Castitas, Obedientia. Et paupertas quidem in arcâ ita colebatur. Hi octo religiosi homines cognatos, parentes, amicos, suásque domos deseruerunt, seséque totos divinæ providentiæ commiserunt; quivis eorum dixerit: Omnia mea mecum porto. Commeatus in annum arcæ inferendus erat, spes simul ingens concipienda, aut congestam annonam non defecturam, aut sese à Deo velut incluſas aviculas pascendos. Nulla hîc divitiarum sed vitæ potiùs & salutis cura.

Justiniani Codex in fine. Arca monasterium aut ascaterium fuit, & in eâ principes cœnobiorum leges fuit servatæ.

1. Paupertas.

2. Castitas.

Pudicitiam verò & castimoniam, dum arcam habitârunt, religiosissimè colebant. Hîc divini scriptoris singulæ voces, earúmque nexus & ordo accuratè pensitandus. Imperatum est Noëmo: *Ingredieris tu, & filii tui, vxor tua, & vxores filiorum tuorum.* Separatim viri feminæque, divisis scilicet contuberniis. Factúmque quod jusserat Deus: *Ingressus est Noë, & filij ejus, vxor ejus & vxores filiorum ejus.* Alius in egressu servabatur ordo. Noëmo namque dictum: *Egredere de arcâ tu & vxor tua; filij tui & vxores filiorum tuorum.* Profectò non subibant arcam velut choreas ducturi, cùm vir feminam manu trahit. Viri bini ac bini, binę ac binæ feminę ingrediebantur arcam. Alius fuit egressus. Atque hoc primus videtur obsevâsse Ambrosius, quod oratione uberi & disertâ explicat. Iámque Hebræorum & Christianorum Doctorum pervulgata sententia est, Noëmum & tres filios, Noëmi conjugem & tres nurus pudicè ac castè anno toto velut religiosam familiam in monasterio viduos & cœlibes vixisse; perinde ac si quatuor matres cum totidem filiis unà habitarent. Ita etiam Hieronymus, Rabanus, Anselmus, Cajetanus, alii sentiunt. Hieronymi verba sunt: *Quando ingreditur in arcam Noë, tam ipse quàm filij ejus ab vxoribus suis separantur*: (ingredieris tu & filii tui) *quando egrediuntur in terram, junguntur paria.* Non soli autem homines toto diluvii tempore castè ac cõtinenter toro cœlibe vixerunt, sed & ipsæ pecudes hanc continentiæ legem non ruperunt. Nam, uti Ambrosius aliique docent, tempus erat lugendi, tristandi, dolendi; dies pœnitentiæ dicti, non choreis, non lasciviæ: bacchanalia tunc vivere, nimis importunum: luctus & lacrymæ hos sibi menses rapuerunt. Neque verò aliud in totius orbis funere decebat fieri. Nec paupertas solùm & castitas, sed & obedientia, eáq; strictissima exercebatur in arcâ, quam divinus scriptor sæpius dilaudans, *Fecit*, inquit, *Noë omnia quæ præcepit illi Deus.* Ita primariæ cœnobiorum leges paupertatis, castitatis & obedientiæ sanctiones in hoc arcæ ascaterio servatæ.

Gen. c. 6. vers. 18.

Gen. c. 7. vers. 7.

Gen. c. 8. vers. 16. In ingressu & regressu arcę diversus ordo servatus est.

Hieron. l. 1. contra Iovinianum.

Ambros. to. 4. l. de Arcâ & Noë c. 21.

3. Obedientia.

Gen. c. 6. vers. 22.

Arca fuit monasterium obseratum.

Neque verò monasterium dumtaxat religiosum, sed clausum & obseratum arca fuit, cujus janitorem Deus ipse egit. Et uti quandoque monasteria in aquis conduntur, ut insulę sint, & plus habeant quietis, nec aliorum vicinià turbentur, ita Deus hoc suum monasteriũ in immensi maris medio collocavit. Hîc octo homines verè soli & clausi, verè Ascetæ & monachi agebant, omnia circumquaque mortua jacebant; illi inter se solos, & cum solo Deo loqui commodissimè poterant. Prætereà hoc arcæ monasterium in monasterii ritum est ædificatum cellulis distinctis, unicam & quidem parvam habuit fenestram, per quam non animi caussà prospicerent, & aliquot horas malè cõburerent, prospiciendo, transeuntésque numerando, uti in civitatibus fieri amat, ubi totos subinde dies ad fenestras inanissima non rarò & noxiâ curiositate consumunt otiosi spectatores. Illæ in arcâ moniales & monachi cœlum dumtaxat suspicere, & auræ aliquid potuerunt admittere. Et forsan fenestra majorem partem obstructa fuit, quandoquidem Chrysostomus miratur in egressu non occœcatũ. Ipsius Chrysostomi verba do expendenda. *Iterum hic*, inquit, *me invadit stupor, ut admirari cogar justi hi jus virtutem, & Dei misericordiam. Quo modo enim (dic mihi) post tantum tempus, ut se aëri cõmisit, & oculos ad se spectandum intendit, non captus est oculis & excæcatus? Scitis enim bene, quòd solet hoc contingere hominibus, etiam ad parvam diei partem in tenebrosis caliginosisq; locis agentibus, quàm subitò in lucis fulgore aspicere volunt. Iustus autem illo anno integro & tot mensibus in arcâ, quasi in tenebris agens, etiam nunc viso lucis jubare, nihil tale expertus est. Dei enim gratia erat, & patientia ab eâ illi concessa, quæ etiam corporis sensus firmiores reddiderat & potentiores quàm qui à corporalibus necessitatibus vincantur.*

& ad ritum monasterii edificatũ, cellulis distinctum.

Chrys. hom. 26. in c. 8. Genes. p. 183.

§. II.

ITa annuum hoc tempus quo Noëmus arcam habitavit, rigidum fuit tirocinium, imò annum excessit. Si namque totum tempus quo Noëmus in arcâ latuit, ad verum calculum revocemus, dies trecentos octoginta duos supputabimus. Ita Noëmus annum integrum insuper & septemdecim dies arcę utero cõclusus delituit. Annus sanè prolixus & liberaliter extensus. Vbi ergo Noëmus cum suis asterius hoc tentamentum superavit, & Deo Angelisque suę virtutis specimen dedit, ostenditque luculentè, quo feratur animo ad serviendum Deo, dimissus est ex annuo ascetrii illius carcere, & in libertatem assertus. *Locutus est autem Deus ad Noë, egredere de arcâ tu, & uxor tua, filij tui & uxores filiorum tuorum. Egressus est ergo Noë & filij ejus: vxor ejus & vxores filiorum ejus cum eo.*

Ann. is alioqui dies habet 365.

Gen. c. 8. v. 16. & 18.

Sed quid opus hîc ad egressum novo mandato? Post missos quatuor exploratores, terrâ jam siccâ, cur non illico spontè progreditur? Sed excellens & perfecta Noëmi obedientia volebat, ut sicut arcæ limen ad Dei jubentis vocem nutúmque iniisset, ita prorsus nec aliter eo exiret. Quod Ambrosius perspicuè affirmans, *Iustus*, inquit, *nihil sibi arrogat, sed totum se divino committit imperio, & maximè qui cœlesti fuerit ingressus oraculo, cœleste debuit, ut egrederetur, expectare responsum. Verecunda enim justitia est, quæ inverecunda iniquitas.* Ita Ioseph Christi nutritio præcipit Angelus: *Esto ibi usq; dum dicam tibi.* Quòd autem Deus singulariter præceperit unà omnes animantes egredi, id causæ assignatur: Sicut divinæ providentiæ miraculum fuit, omne genus animalium tam facili concordiâ in arcam induci; ita non minus fuit miraculi, eadem educi ex arcâ.

Noëmi obedientia in egressu arcæ.

Ambr. to. 4. c. 21. de Noe & arcâ mihi pag. 158. Matth. c. 2. vers. 13.

Cur unà omnes animantes Deus jusserit egredi.

Noëmus autem vix progressus ex annuo carcere illo, mox struere cœpit & ædificare, non sibi suisque domum, sed Deo altare, historico sacro teste: *Ædificavit autem Noë altare Domino.* Pius & gratus in Deum animus gratiarum actionẽ differri noluit. Ideo Noëmus continuò & quamprimùm pedem in terrâ fixit, se gratum Deo stitit, quòd sibi suisque pauculis ex omni humanâ gente servârit vitam in illâ ineluctabili mortis necessitate. Ita mox divinum cultum, exteriori sacrificio, quod Deo soli adolendum, testatus est. Inter sacrificia primas habet holocaustum, quod

Gen. c. 8. vers. 20.

absumit omnia. Atque hoc Noëmus obtulit Deo: *Ibid. v. 20. & 21.* *Tollens de cunctis pecoribus & volucribus mundis, obtulit holocausta super altare: Odoratúsque est Dominus odorem suavitatis.* Prima hîc altaris mentio. Ejus usum Noëmo traditum à majoribus, verosimillimum. Altari jam structo Noëmus è quâvis specie tam avium, quàm ceterorum animalium mundorum, Deo unum par holocaustum obtulit.

Ratio cur Noëmus holocaustũ obtulit injussus.

Quærit hoc loco Ambrosius, quid istuc Noëmus fecerit injussus, cùm alia omnia aut monitus fecerit, aut jussus. Ad suam ipsius quæstionem, *Non debuit Dominus*, inquit, *quasi avarus mercedem gratiæ postulare. Et justus eam intellexit veram actionem gratiarum esse, quæ non juberetur sed deferretur: itaque nec dilationem passus est. Etenim grata animi virtus passionem dubitationis excludit; qui autem debitum gratia, ut à se exigatur, expectat, ingratus est.* Seriò gratus homo jussa & imperium non expectat. Ideo facit quod suarum partium esse judicat. Ingratus est, qui cunctatur, dum gratiarum actio postuletur. De Noëmi etiámnum captivi patientiâ, de liberati grato animo differens & Chrysostomus,

Chrys. to. 1. in c. 8. Gen. hom. 26. mihi pag. 174. *Nam si ille*, inquit, *inter tot improbos versans, in medio molestiarum jactatus, neque habens familiarem aliquem, in tantum virtutis fastigium pervenisse inventus est: quæ nostra erit excusatio, cùm nec talia nobis sint præpedimenta, & tamen negligentes sumus ad bona opera? Nolo enim dicas mihi solam illam quingentorum annorum vitam, quando subsannabatur & irridebatur, versabaturque in medio flagitiosorum: sed & annum illum narra, quem in arcâ transegit, qui sanè conferendus mihi videtur toti tempori superiori. Tantam ibi afflictionem ferre cogebatur justus ille, in tantâ existens angustiâ, & neque auram recentem captare valens; & ferarum brutorumque convictum ferens: qui & in omnibus mentem suam solidam declarabat, & voluntatem flecti nesciam, & fidem erga Deum; per quam facilè & leviter omnia sustinebat. Atque idcirco, quoniam quod suum erat, totum asserebat; & eorum quæ Deus dat, abundè potitus est. Quamvis enim multam ferret in arcâ angustiam, attamen terribilem tempestatem & communem omnium internecionem effugiebat. Et propterea post angustiam illam & intolerabilem carcerem, securitatem & quietem adeptus est unà cum divinâ benedictione. Et iterum suam gratitudinem operibus indicavit, & ubique invenies primatum illum obtinere. Nam sicut per ætatem primam omnem virtutem sectatus est, & à vitiis se alienavit, quibus, qui tunc vivebant, infecti erant; unde neque pœnarum particeps fuit, & cùm alii omnes suffocarentur, ipse solus servatus est: ita rursus quia fidem quoque habuit, & cum gratiarum actione suam in arcâ habitationem tulit, iterum divina dona copiosè illi concessa sunt. Et cùm egressus ex arcâ & in pristinum statum restitutus esset, statim benedictionem consecutus est, & iterum solitam præ se tulit gratitudinem, factáque gratiarum actione etiam tunc majoribus beneficiis divina gratia ipsum cumulavit. Mos enim divinæ misericordiæ est, ut si nos tenuia quædam & vilia obtulerimus, multâ liberalitate nos remuneretur. Et ut discas, quanta sit humana tenuitas, & quanta Dei magnificentia. Nos etiam si quid voluerimus offerre, quod amplius offerre possumus, quàm quantũ verbis gratias referimus? Ea sanè quæ ipse exhibet, opere præstat. Quàm imparia autem sunt verba & opera?* Hîc prout cœpimus documentum geminum instillamus.

Duo documenta.

§. III.

1. Esto gratus Deo.

1. ESto gratus Deo. Grati animi principium est ac fundamentum, agnoscere beneficium. Noëmus hanc cum Deo rationem disputabat: Solâ Deus in me miseratione, motus gratiâ, mirissimâ jussit arcam à me ædificari, meæ meorumque vitæ tuendæ. O bonitas divina! mihi è tot centenis millibus pepercit uni cum pauculis. Beneficium nunquam satis æstimabile. Est ergo æquissimum, ut ego eum, qui me servavit in arcâ, sacrificio, quo quidem possum optimo colam, aram illius honori struam, meipsum in victimam, si quidem fieri posset, imponam. Omnia illi debeo, qui mihi tam largiter dedit omnia. Nimirum noverat Noëmus hoc beneficii æstimare. Et quia sciverat Deum humanis victimis non placandum, munda solùm animalia selegit obtulitque; non ignarus quibus hostiis Numen esset propitiandũ. Atque hoc holocaustum Deo placuit, ut volumen sacrum asserat: *Odoratúsque est Dominus odorem suavitatis.* Hoc ad modulum intelligentiæ nostræ captúmque dictum est. Quemadmodum assi altilis opimi odor mirificè recreat, salivam movet, & pascit ac satiat; ita Deus holocaustum Noëticum tam gratum habuit & acceptum, perinde si eo delectaretur ut homo, cujus odoratum mulcet nobilis suffitus. Chaldæa interpretatio est: Suscepit Dominus cum beneplacito oblationem ejus, haud aliter, ac si hujus sacrificii præstans odor peccatorum dispelleret fœtores. Voluntas Dei in Deum grata, Deo gratissima. Et quid nos hominum dictiones miselli minore impendio præstamus quàm gratiam referre, & honorem beneficio habere? Beneficiis divinis quî respondere possumus nisi hoc uno, gratias agendo? Animus gratus jucundum Deo sacrificium.

Nos beneficia innumera jugulamus solius animi ingrati crimine. Nec enim immeritò negatur ei gratia, quam non ut gratiam accipit, sed exigit ut debitum, acceptam non æstimat, sed eam celeri oblivione sepelit, numquam minùs distortus, quàm in gratiis agendis. Quando igitur, ingrate, beneficia pensi non habes, & sumptuosum nimis tibi videtur gratis meminisse, idcirco quidquid hactenus beneficiorum in te collatum est, in alterum jure derivabitur. Nec enim ignorare potes patrisfamilias vocem: *Tollite ab eo talentum, & date ei qui habet decem talenta.* Scitum Aristotelis est: Sensibile supra sensum positum non facit sensationẽ. Nos plurima Dei beneficia nobis proxima & intima quasi non videmus, ideo nec æstimamus vires, valetudinem, decoram formam, egregiam staturam, perspicacem intelligentiam, fortunas amplas. Cùm igitur ista non æstimamus, nec gratiâ persolvimus, jure Deus ingratis valetudinem adimit, fortunas minuit, vires frangit, morbos immittit. Hîc jam vociferamur & ejulamus, beneficâ Dei manum contractam, divinorum beneficiorum fontem siccatum querimur, nos à Deo desertos lamentamur. Quid dicitis, ingratissimi, quas in Deũ voces mittitis, quam expostulatis cum Deo injuriam? Culpa, quam Deo impingitis, vestra est. Tot annis valetudo vobis prospera fuit, nemo vestrûm inter singularia beneficia eam numeravit; honestissimæ vobis facultates à Deo tamdiu concessæ sunt, quis vestrûm eâ de re Deum amavit, & memori mente gratias egit? Quot & quanta in vos alia beneficia Deus congessit, quis seriò se gratum præbuit? Beneficia vobis proxima, vobis intima transiistis cæci, imò maleficiis beneficia compensâstis; nunc jure merito ab ingratis Deus, quod suum est, abstulit. Hîc Dei mos est, beneficas manus ab ingratis abstinere, & eas gratis porrigere. Ergo, quod Ecclesiæ quotidianum votum est, *Gratias agamus Domino Deo nostro. Verè dignum & justum est, æquum & salutare, nos tibi* SEMPER & VBIQVE *gratias agere.* Quod Paulus impensissimè commendans, *In omnibus*, inquit, *gratias agite. Hæc est enim voluntas Dei in Christo* IESV *in omnibus vobis.* Idem sæpius & unicè inculcans, Et gratis *estote*, ait, *grati.* Et ejus rei seipsum statuens in exemplum, *Non cessо*, inquit, *gratias agens pro vobis.* Hanc ob causam suos iterum iterúmque de agendis gratiis cõmonefaciens, *Gratias*, inquit, *agentes semper pro omnibus in nomine Domini* IESV *Christi, Deo & Patri. Vt gratia abundans per multos in gratiarum actione abundet in gloriã Dei.*

Quo-

2. Cor. c. 9. v. 12. *Quoniam ministerium hujus officii non solùm supplet ea, quæ desunt sanctis, sed etiam abundat per multas gratiarũ actiones in Domino.* Noëmus beneficiis divinis gratissimus, vix egressus est arcâ, mox in gratiarum actione sospitatori tot munda animalia sacrificavit. Immolemus Deo, & nos hostiã laudis sacrificemus sacrificium justitiæ. Psal. 49. v. 14. & c. 4. v. 6. c. 50. v. 19. *Sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum Deus non despiciet.* Hoc illud mundum est animal quod Numini gratissima est victima. Quantâ possumus submissione animi, grati simus in omnibus & pro omnibus gratias agentes. Hæc est enim voluntas Dei. Sed alterum hîc documentum instillo.

Omnia cum Deo incipe, omnia fini cum Deo. II. *Omnia cum Deo incipe, omnia fini cum Deo.* Noëmi hoc ingressus in arcam & egressus significat. Eò nimirum vitæ actiones omnes dirigendæ, ut quidquid ordimur vel terminamus, ad Dei nutum arbitriúmque fiat. Ecclesiæ quotidianum votum est: *Cuncta nostra oratio & operatio à te semper incipiat, & per te cœpta finiatur.* Prisce sapientiæ monitum est: A Iove principium: Deus non decimas tantùm, sed & primitias petit. Quod Bernardus ad mores Christianos trahens, *Surgentibus nobis*, inquit, *ad laudes Dei, omnis exinde tenor operis nostri, in ipsius laudibus formetur & vivificetur.* Omnes vitæ nostræ actiones, præsertim principio sui & fine, consecrandæ sunt Deo. Alioqui multùm agimus, & nimium parum agimus, quia deest actionum anima; nec enim illæ formantur, nec vivificantur, quæ Deo non consecrantur. Ita nonnunquam totis triginta, quadraginta, quinquaginta annis laboramus, sed ubi labores nostri? si non cum Deo cœpti, aut finiti saltem cum Deo perierunt. Voluit olim Deus, ut Aaron ad ingressum & egressum sanctuarii campanulis aureis officii sui moneretur. Vmbra fuit sanctissimæ præceptionis, quæ Dei nos meminisse jubet ad omne actionis principium & finem. Quod Christus Ioannis ore ac calamo cõmendans sæpius, *Ego sum ostium*, inquit, *per me si quis introierit, salvabitur: & ingredietur, & egredietur, & pascua inveniet. Ego sum α & ω, principium & finis, dicit Dominus Deus.* Omnium igitur actionum nostrarum principium & finis sit Deus. Atq; hoc est, quod adeo Paulus inculcat: *Omne quodcumque facitis in verbo aut in opere, omnia in nomine Domini* IESV *Christi fœnite.* Quocircà omnia cum Deo incipe, & fini cum eo.

Exod. c. 21. vers. 35. Ioan. c. 10. vers. 9. Apoc. c. 1. vers. 8. Ad Col. c. 3. vers. 17.

FINIS NOEMI.

IOSEPH AEGYPTI PROREX DESCRIPTVS.

CAPVT. I.

Historiæ de Iosepho laus meritissima.

Elogia historiæ Iosephi Ægypti prorogis.

OSEPHVM, MI LECTOR, Ægypti nominatissimum Prorogem, sub oculos, & in lucem educimus. Historia est multo nomine cõmendatissima. Nam

1. Fecundissima rerum est.

1. Fecundissima rerum est. Non opus hîc Rhetorum purpurisso ac stibio, res ipsa loquitur: copia dicendi abundantissima. Hîc verba rei deerunt, non res verbis. In sacris paginis vix quidquam uberius ad dicendum. Hîc seges disserendi multò quàm amplissima.

2. Iucundissima est.

2. Iucundissima est historia. Varii eventus in eâ, perquàm miri; adversi, prosperi; tristes, læti; felices, tragici; sperati, optati, insperatissimi. Hîc plurimum amœnitatis, præter maximam præceptionum varietatem. Nihil hîc fastidii, putem aut nauseæ obrepatulli. Nec enim totis bibliis jucundius quid legi censeam. Series rerum plena voluptatis.

3. Curiosissima est.

3. Curiosissima. Liceat sic loqui. Hîc possumus *Athenienses esse, qui ad nihil aliud vacabant, nisi aut dicere, aut audire aliquid novi.* Curiosa nonnumquam veluti sacrum piper parcâ manu inspergere ad libandum quid vetat? Non nescio illud Isaiæ clamantis: *Hæc dicit Dominus redemptor tuus sanctus Israël: Ego Dominus Deus tuus docens te utilia.* Eruditionem priscam à sacris penitus excludere, est vites non putare, sed eas cum Thrace rustico ab radicibus exscindere. Prisci Patres tam pro suggestu, quàm in scriptione historias profanas, gentium mores, litteraturam Ethnicam rebus seriis ac sacris inseruerunt. Augustinus de civitate Dei viginti duos libros, quos suum partum agnoscit, & grande opus nominat, ita conscribit, ut quidquid in Romanâ, & Græcâ historiâ eruditum, elegans, memoratu dignum, iis appositissimè inseruerit. Idem Cyprianus, Basilius, Hieronymus, idem & alii fecerunt. Paulus, Ecclesiastes orbis, carmina, poëtas, & Athenienstum Deum modicis cæteroqui scriptis immiscet. Sutor non suit setâ sed filo, aut chelcumate, eo tamen soleas non consueret, nisi setam adhiberet. Ita veterum profana eruditio, quandoque libanda, sed libanda tantùm, non avariter ingurgitanda. Elegantiæ priscæ velut Ægyptiorum vasa sunt populo Dei commodata. Nos ad contextum rectiùs intelligendum aliquid scientiæ curiosioris adspergemus.

Aug. l. 2. Retract. c. 43.

4. Aptissima est omnibus ordinum hominibus, summis, infimis, opulentis, egenis, nuptis, innuptis, senibus, juvenibus, viris, feminisque. Hîc omnis ætas, sexus, status documentorum satis habet, quæ combibam, satis habet. Iosephus venditus virtutum maximarũ Magister. Quem Hebræus Psaltes commendans: *Constituit eum*, inquit, *dominum domûs suæ, & principem omnis possessionis suæ. Vt erudiret principes ejus sicut semetipsum & senes ejus prudentiam doceret.* At Iosepho erudimur omnes.

4. Aptissima est omnibus ordinum hominibus.

Psal. 104. v. 21. & 22.

5. Compositissima & ordinatissima est.

5. Compositissima & ordinatissima est historia. Alterum ex altero pendet, velut torquis annulus ex annulo. Neque hîc opus ordine artificioso, naturalis, sat decorus est. Vt quæque suo sunt gesta tempore, ita narrantur. Neque nos alium quàm historiæ ipsius & rerum gestarum ordinem servabimus.

6. Compendiosissima est, & velut archivum earum maximè præceptionum omnium, quas de Conformatione humanæ voluntatis ad divinam, cùm in Heliotropio, tum alibi spargim tradidi. Hæc una historia divinæ Providentiæ vigilias insopitas falli nescias sub unum collocat aspectum.

6. Compendiosissima est.

7. Vtilissima politiæ. Philo Iudæus vir eruditissimus universè quadraginta sex libros scripsit, inter eos decimus nonus est, quem inscripsit: Vita viri civilis Iacobi filius, Prorex Ægyptius, integerrimus Iosephus; vir verè civilis, civilissimus fuit, qui non solam Ægyptum, sed & orbem pæne universum à famis interitu servavit incredibili prudentiâ; qui adversa, & prospera, amara & dulcia, læta & tristia liberalissimè gustavit; qui summi Magistratûs forma, qui optimi Principis idea, qui virtutum effigies exstitit viva. Hanc Moses in libro Geneseos ex asse pinxit.

7. Vtilissima politiæ. *In editione meâ incipit hic Philonis liber pa. 411. Vltimum de mundo, inter Philonis libros non numerabatur.*

8. Vtilissima sanctis moribus simul & pulcherrima. In libris divinis nulla, reor, historia est, quæ ad mores sanctè componendos magis faciat. Si quis pictorum primæ iridis colores non satis possit exprimere, secundæ forsan poterit aut reflexæ, vel certè tertiæ, quæ non tam colores quàm eorum umbram refert. Ita si Christi sanctissimos mores, cujus vita nihil fuit unquam in terris sanctius, quæ virtutum omnium absolutissimum fuit exemplar, ad imitationem proponam, arduum videbitur sublimissimam hanc perfectionem imitari. Ergo Apographum ostendo, Iosephum Christi Domini typum. Hîc suum quisque penicillum expediat, & pingat, quod facere poterit, imitatione multò faciliori. Hoc certè Pater cœlestis nos conari vult. *Nam quos præscivit & prædestinavit conformes fieri imaginis filii sui.* Ideo vociferatur Paulus: *Imitatores mei estote, sicut & ego Christi.* Sic horter & ego, imitatores estote Iosephi, sicut ille in plurimis imago fuerat Christi. Hîc certè virtutũ nobilissimarum cernere est contextum. Hîc vera imago illustris patientiæ, charitatis magnæ, castitatis admirandæ, singularis constantiæ.

8. Vtilissima sanctis moribus simul & pulcherrima. *Rom. c. 8. vers. 29.* *1. Cor c. 11. vers. 1.*

9. Plenissima affectibus: Benedictus Fernandus Lusitanus Theologus: Historiam Iosephi venditi, ajebat, nunquam memoro, nunquam lego, quin mihi ubertim lacrymæ prorumpant. Non miremur; Homini etiam siccoculo hi fontes fluant necesse est, cùm cœperit legere Iosephum in collo Benjamini lacrymantem. Si vis me flere, flendum priùs ipsi tibi est. In hac historiâ nobilissimi flent oculi: Quid mirum si alii sequantur. Præsertim cùm nihil hîc fabularum, aut figmentorum, auxeses, aut exaggerationes nullæ; nihil per hyperbolen dictum. Omnia ex asse verissima. Spiritus sanctus dictavit, Moses amanuensis fuit. Ecclesia, ut cetera Geneseos scripta, recepit. Historiæ animam ajunt esse veritatem. Hîc ipsa sermocinatur veritas. Hinc

9. Plenissima est affectibus.

10. Efficacissima est ad persuadendum. Divinæ paginæ immensum sapientiæ mare, & incredibile dicendi pondus continent: hîc infinita latent mysteria: sua vis vel singulis, iisque minimis vocalis, vel syllabis, vel litteralis, vel ipsis punctulis. Christus id pronuntians: *Amen quippe dico vobis, donec transeat cælum & terra, iota unum aut unus apex non præteribit à lege, donec omnia fiant.* De hac divini sermonis efficaciâ Paulus: *Vivus est*, inquit, *sermo Dei & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti.* Eam ob rem consultum credo, fecerim, & multis utile ac gratum, si historiæ sacræ contextum suo cuique capiti præmittam. Latinus ille ac elegans est, præ aliis divinarum legum libris. Quamvis scripta cælestia his ornamentis non egeant.

10. Efficacissima est ad persuadendum. *Matth. c 5. vers. 18.* *Hebr. c. 4. vers. 12.*

CAPVT II.

Iosephus fraternâ invidiâ, malo insanabili exercetur.

Ioseph cum sexdecim esset annorum, pascebat gregem cum fratribus suis adhuc puer; & erat cum filiis Balæ & Zelphæ uxorum patris sui, accusavitq; fratres suos apud patrem suum crimine pessimo. Israël autem diligebat Ioseph super omnes filios suos, eò quòd in senectute genuisset eum: fecitq; ei tunicam polymitam. Videntes autem fratres ejus, quòd à patre plus cunctis filiis amaretur, oderunt eum, nec poterant ei quidquam pacifice loqui. Accidit quoque ut visum somnium referret fratribus suis, quæ causa majoris odij seminarium fuit. Dixitq; ad eos, Audite somnium meum, quod vidi. Putabam nos ligare manipulos in agro, & quasi consurgere manipulum meum, & stare, vestrosque manipulos circumstantes adorare manipulum meum. Responderunt fratres ejus: Nunquid Rex noster eris? aut subjiciemur ditioni tuæ? Hæc ergo causa somniorum atque sermonum invidiæ & odij fomitem ministravit. Aliud quoque vidit somnium, quod narrans fratribus, ait: Vidi per somnium quasi solem, & lunam, & stellas undecim adorare me. Quod cùm patri suo, & fratribus suis retulisset, increpavit eum pater suus & dixit: Quid sibi vult hoc somnium, quod vidisti? Num ego, & mater tua, & fratres tui adorabimus te super terram? Invidebant ei igitur fratres sui: Pater verò rem tacitus considerabat. Gen c. 37. v. 2. ad 11.

Ioseph ocellus patris sui, inter fratres suos opiliones opilio, invidiam eorum evitare non potuit. Cùmque duplex somnium, agreste, & cœleste commemorâsset, magis furebat invidia velut stimulis agitata. Fraternum hoc odium & invidiam triplex fomentum accendit. Primum, Impatientia; nequibant illi ferre se accusatos. *Accusavit autem Ioseph fratres apud patrem de crimine pessimo*, vel quòd assiduis diem litibus ac rixis frangerent, vel aliàs immemores Numinis verecundiam pensi non haberent, & pæne in bestias degenerarent. Ne scrutemur hîc plura. Alterum, Superbia; nam somnium narrans: Vidi, ait, nos ruri colligare manipulos, porrò meum erigi & à vestris circumfusis adorari. Vidi etiam, inquit, à Sole & Lunâ, & venerabundis undecim sideribus me coli. Hoc Germani Ioseph ægerrimè ferentes: *Nunquid Rex noster eris?* Inquiunt, num ad genua tua supplices advolvemur? Tertium, Invidia; Patri omnium charissimus erat. *Invidebant ei igitur fratres sui.* Nec leviter invidorum oculos vestis polymita ussit, quam adolescenti Iosepho parens fecerat. Hæ odiorum causæ.

Ioseph ocellus patris sui, inter fratres suos opiliones opilio, invidiam eorum evitare non potuit. Cùmque duplex somnium, agreste, & cœleste commemorâsset, magis furebat invidia velut stimulis agitata. Fraternum hoc odium & invidiam triplex fomentum accendit. Primum, Impatientia; nequibant illi ferre se accusatos. *Accusavit autem Ioseph fratres apud patrem de crimine pessimo*, vel quòd assiduis diem litibus ac rixis frangerent, vel aliàs immemores Numinis verecundiam pensi non haberent, & pæne in bestias degenerarent. Ne scrutemur hîc plura. Alterum, Superbia; nam somnium narrans: Vidi, ait, nos ruri colligare manipulos, porrò meum erigi & à vestris circumfusis adorari. Vidi etiam, inquit, à Sole & Lunâ, & venerabundis undecim sideribus me coli. Hoc Germani Ioseph ægerrimè ferentes: *Nunquid Rex noster eris?* Inquiunt, num ad genua tua supplices advolvemur? Tertium, Invidia; Patri omnium charissimus erat. *Invidebant ei igitur fratres sui.* Nec leviter invidorum oculos vestis polymita ussit, quam adolescenti Iosepho parens fecerat. Hæ odiorum causæ.

Ioseph ocellus patris sui. *Ioseph ocellus patris sui.* Inter fratres suos opiliones opilio. *Inter fratres suos opiliones opilio.* Invidiam eorum evitare non potuit. *Odium invidiosum.* Cùmque duplex somnium, agreste, & cœleste commemorâsset, magis furebat invidia velut stimulis agitata. *Fraternum odium triplex fomentum.* Fraternum hoc odium & invidiam triplex fomentum accendit. *Fraternum odium triplex fomentum.* Primum, Impatientia; nequibant illi ferre se accusatos. *Accusavit autem Ioseph fratres apud patrem de crimine pessimo*, vel quòd assiduis diem litibus ac rixis frangerent, vel aliàs immemores Numinis verecundiam pensi non haberent, & pæne in bestias degenerarent. *Impatientia.* *Superbia.* *Somnium.* Ne scrutemur hîc plura. Alterum, Superbia; nam somnium narrans: Vidi, ait, nos ruri colligare manipulos, porrò meum erigi & à vestris circumfusis adorari. *Somnium.* Vidi etiam, inquit, à Sole & Lunâ, & venerabundis undecim sideribus me coli. *Ibid.* Hoc Germani Ioseph ægerrimè ferentes: *Nunquid Rex noster eris?* Inquiunt, num ad genua tua supplices advolvemur? *Ibid. v. 8.* Tertium, Invidia; Patri omnium charissimus erat. *Invidebant ei igitur fratres sui. Ibid. v. 11.* Nec leviter invidorum oculos vestis polymita ussit, quam adolescenti Iosepho parens fecerat. Hæ odiorum causæ.

Hîc velim, mi Lector, novam in hac scriptione methodum, sed rei accommodam observes. Dixerat Ioseph fratribus: Somniabam nos in campis ligare manipulos, & manipulum meum stare sublimem & erectum, eúmque à vestris in terram pronis salutari. Ad Iosephi animum nos in singulis dissertationibus manipulos ligabimus, ad historiam enucleatiùs proponendam. Ita demum supra septuaginta præceptionum moralium manipulos collecturi. Placet hoc ei nomen indere, eam etiam ob causam, quòd in quavis dissertatione plures quidẽ manipulos ligaturi, non nisi unum tantùm alterúmve soluturi finus in spicas, & pensiculatiùs de iis locuturi, ut historiæ mysteria melius in lucẽ eruamus. Manipulus plurium spicarum fascis collectus est. Ad hunc ritum nos documenta, præceptiones, monita dabimus, velut manipulos, quos Lector solvat, acuratiùs singula perpendendo. Exemplo rem monstramus. Hoc capite nobis considerandæ hæc monita, hi manipuli.

Hîc velim, mi Lector, novam in hac scriptione methodum, sed rei accommodam observes. Dixerat Ioseph fratribus: Somniabam nos in campis ligare manipulos, & manipulum meum stare sublimem & erectum, eúmque à vestris in terram pronis salutari. Ad Iosephi animum nos in singulis dissertationibus manipulos ligabimus, ad historiam enucleatiùs proponendam. Ita demum supra septuaginta præceptionum moralium manipulos collecturi. Placet hoc ei nomen indere, eam etiam ob causam, quòd in quavis dissertatione plures quidẽ manipulos ligaturi, non nisi unum tantùm alterúmve soluturi finus in spicas, & pensiculatiùs de iis locuturi, ut historiæ mysteria melius in lucẽ eruamus. Manipulus plurium spicarum fascis collectus est. Ad hunc ritum nos documenta, præceptiones, monita dabimus, velut manipulos, *Quatuor manipuli.* quos Lector solvat, acuratiùs singula perpendendo. Exemplo rem monstramus. Hoc capite nobis considerandæ hæc monita, hi manipuli. *1. Homo.*

1. *Homo homini dæmon: Non tantùm* homo homini lupus. Ferarum nullam, sed nec ullum diabolorum *homini dæmon.* homo

homos jure metuat, atque hominem inimicum, insidiatoren, invidum. Daniele in leoninum cavum dejecto, *ex annulo suo, & optimatum suorum os spelunca signavit, ne quid fieret contra Danielem.* Qui à leonibus tutus, non item ab hominibus erat. Leones ab eo dentes & ungues suos abstinuerunt, homines invidi autem lapidibus eum obruissent, aut telis confixissent, aut extractum gladiis confodissent, si ullo modo potuissent.

Dan. c. 6. vers. 17. Daniel à leonibus tutus, non item ab hominibus.

2. *Ambitio inquietissimum malum*: Optimè dixit Basilius in epistolis: *Ambitio dæmon pessimus.* Subi aulas, ingredere curias, egredere ad castra, Ambitionem calamitatum fecundissimam parentem ubique reperies. Omnes hominum ordines, orbem universum turbat. Vbi ambitio, ibi nihil non malorum est.

2. Ambitio inquietissimum malum.

3. *Humilitas honoris mater*: Dum Saul parentis sui asinas quærit, regnum Israëlis invenit. Iosephus nunquam eò fastigii fuisse evectus, nisi priùs in carcerem dejectus, in humilitate infimâ suspirâsset. Ab ore veritatis oraculum est: *Qui se exaltaverit, humiliabitur; & qui se humiliaverit, exaltabitur.* Singuli horum trium manipulorum singuis sufficerent dissertationibus. Sed nos quartum solvamus.

Matth. c. 23. vers. 12.

3. Humilitas honoris mater.

4. *Invidia malum insanabile* Invidia sanè principium fuit totius de Iosepho Tragicomœdiæ. De hac nos dissertationem istam instituemus, quia, ut Nazianzenus loquitur: *Invidia non solùm multos sed & optimos tangit.*

4. Invidia malum insanabile.

§. I.

VErbo veteri ferebatur: Plurimi habent in horto suo arborem Timonis. Hic omnibus invidebat, actiones omnium arrodebat, nullorum hominum homo, misanthropos, hominum vestigia vitans, soli Alcibiadi adolescenti familiaris, quod non nemini mirum videri potuisset. Rogatus igitur causam hanc assignabat: Hic adolescens Athenienstibus suo tempore ingens conflabit malum. En invidiam malo alieno gaudentem. Timonis epitaphium ad mare, hoc fuit: Hic sum post vitam miseramque inopemque sepultus, Nomen non quæras; Dii, Lector, te malè perdant. Hic Timon arborem in suo horto consitam habebat, quam erat succisurus, idcirco priùs evulgari voluit: arborem sibi esse, in quâ se aliquot miserorũ hominum suspenderint. Nunc illam esse succidendam, ideo properandũ illi, qui sui in eâ suspendium cogitaret. Timonibus orbis plenissimus. Vbique locorum & invidiæ, & invidorum ingens numerus.

Beatus Prosper in rem nostram disserens: *Invidus certè*, inquit, *alienum bonum, suum facit invidendo supplicium.* Bernardus de nimiâ fallaciâ præsentis vitæ: *Erraverunt*, inquit, *in solitudine, in inaquoso. Solitudo hæc superborum est, quia solos sese æstimant, se solos appetunt reputari. Litteratus est? odit socium. Æstutus est in negotiis sæcularibus? Neminem vellet sibi similem inveniri. Pecuniosus est? Si ditescere viderit alterum, cruciatur. Fortis aut formosus est? Da ei parem, & contabescit. Solitarius est, sed erroneus, errat in solitudine suâ. Cor ei elatum, durum, expers pietatis, ignarum compunctionis, siccum ab omni rore gratiæ cœlestis. Quis facilè potest, quale sit hoc malum, verbis exprimere, quo invidus odio hominis prosequitur divinum munus in homine. Tantos porrò invidus pœnâ justâ habet tortores, quantos invidiosus habet laudatores. Siquidem invidiosum facit excellentia meriti, invidum pœna peccati. Nec ei ab homine potest remedium adhiberi cujus est occultum vulnus. Considerate, obsecro, qualiter invidos punitura sint mala sua, quos etiam bona puniunt aliena. Vbi isti fieri potuerunt boni, qui sunt in bono mali: aut quando malis bene usuri sunt, qui malè bonis uti non desinunt.* Rem omnem paucis dixit: Invidi desiderant soli esse docti, soli consulti, soli gratiosi, soli formosi, soli opulenti: Verbo, soli soles.

S. Prosper l. 3. de vitâ contemplat. c. 5. pag. 105. & 4. p. 108.

Bern. de miseriâ fall. præs. vitæ, ser. 3. p. 331.

Invidus tantos habet tortores, quantos invidiosus habet laudatores.

Alexander Macedo, cùm ei Darius in fœdus amicissimum, magnam regni partem, & triginta millia talentûm auri obtulisset cum precibus; Amicè illud acciperet. Vnicum auri talentum? Lector, sex millia septingentos quinquaginta philippeos continet; Tu jam triginta millia talentorum ad calculos revoca. Sed Dario respondit Alexander: Cœlum unum non fert duos soles, nec Asia una duos reges. En errantem in solitudine. Ita invidi omnes, sed in suâ solitudine solos se Magnificos, Excellentes, Eximios esse cupiunt. Iuvectus in hos Iobus: *Ergo vos estis soli homines*, inquit, *& vobiscum morietur sapientia.* Rex Macedo, quem dixi, cùm in Oceano admirandis progressibus ultra solitum proveheretur, ad Insulam appellens Neptuno fecit, hoc unum singulariter votis omnibus agens. Ne quis mortalium ultrà progrediatur. Votum prorsus invidum. Hæc rabies est invidiæ, quæ non tantùm vivos, sed necdum natos lacerat. Cùm autem Aristoteles mundum censuerit æternum, credibile illius etiam discipulum id sensisse. Sic infinita erat invidia, quæ innumeros sæculis futuris homines, ab ulteriore progressu in mari arcere conabatur. Erravit & rex Macedo in suâ solitudine Malitia invidiæ infinita.

Alexander se solũ esse regem cupiebat.

Iob c. 12. vers. 2.

Ejus in ceteros homines invidia.

§. II.

INvidia inventum diaboli nobilissimũ, perniciss-ima est omnium affectionũ. Pelasgus orator Chrysostomus jure merito graviter in eam commotus: *Invidia*, inquit, *pestiferum malum, hominem in diaboli conditionem ac in dæmonem immanissimum convertit. Nam tale malũ invidia est, quâ nulla unquam malignitas pejor invenitur.* Addit in diversis orationibus: *Fera venenosa est invidia, omni veniâ & excusatione indigna, omnium malorum & mater & auctor. Quamobrem radicitùs eam evellamus. Nam invidus ipso diabolo magis diabolus. Invidet Satan, sed hominibus, socio jam nemini: tu verò homo cùm sis, hominibus invides, odium adversus genus, naturámque communem exerces, quod ne Satan quidem facit. Quam igitur veniam assequêris, quam tandem excusationẽ prætendes; si fratris successum videns palleſcas. Diabolus quidem omnes in paradiso insidias ad nutum exasciavit; summa votorum assecutus est. Non sine tripudio audivit: Terra es, & in terram ibis. Sed ultrò paratragediare placuit, plura invidiæ spectacula hic Editor paravit, eò certe machinas perduxit, ut frater in fratrem iret, filius in oculis patris caderet, frater fratrem jugularet. Invidia insatiabilem diaboli mentem explevit.* Finit & hortatur Chrysostomus: *Fugiamus hanc pestem. Non licet illum ignem diabolo paratum evadere, ab hoc malo non liberatis.*

Invidia est inventum diaboli. Chrys. to. 1. hom. 46. in c. 21. Gen. & to. 2. ho. 41. in c. 12. Matth. & to. 3. in c. 9. Ioan. ho. 54. fine. & to. 4. in 2. Cor. c. 12. hom. 31. mihi p. 495. & to. 5. homil. 53. ad Antioch. mihi p. 303.

In orbe graviora non fuêre mala, quàm Adami lapsus, & Christi excessus, acerba mors. Vtrumque ab invidiâ ortum. De primo sapientia testatur: *Invidiâ diaboli mors intravit in orbem terrarum.* De altero Matthæus loquitur: *Sciebat enim* (Pilatum nominat) *quòd per invidiã tradidissent eum.* His malorum maximis addamus tertium, dicamúsque: Adami lapsus, Christi excessus, Iosephi servitus invidiæ sunt impulsus. Sine omni ratione furit, qui huic belluæ fidit, qui huic teterrimo monstro se committit.

Sap. c. 2. vers. 24.

Matth. c. 27. vers. 18.

Germanorum vetus verbum est: Invidia in Aulis nascitur, in monasteriis educatur, in Xenodochiis moritur. Si Aularum invidiæ multiplices olerent moschum, reverà nemo vel gratissimi odoris tam assiduum, & potentem ferre posset afflatum; Aulis exigerentur omnes nimiùm illic odorifero cœlo. Beatissimus ille, qui animo potest dicere: Nihil hujus moschi mecum fero: Omnes mihi invident, aut plurimi; ego nulli. Sed è dictis triplex nobis documentum emergit.

Triplex documentum.

§. III.

1. Invidia malum insanabile.

PRimum, quod diximus, *Invidia malum insanabile.* In Saule pertinacissimè: invido id perquam luculentum. Quoties rex impius non solùm statuit, sed & promisit, sed & juravit, Davidi non ampliùs sese nociturum. Mox ad ingenium redijt. Post illam certè

1. Reg. c. 8. vers. 7. puellarem olam: *Percussit Saul mille, & David decem millia*, nunquam non lividis fuit oculis. Insanabile malum invidia. Quàm ipsi fratres Germani Davidis invidi? Venerat in castra David parentis jussu; continuò maximus natu frater Eliab verbosam bilem in eum evomens: Puer improbe, inquit, quid hîc negotij habes? Siccine custodis oves: *Ego novi superbiam & nequitiam cordis tui.* Sola te curiositas huc egit. Accurristi, ut videres castra. *O zelus*, ait Chrysostomus, *ô invidia omni malitiâ cumulata!* Invidia ignis oculatus, pervigil, vix ullis artibus sopiendus. Vti teredo lignum, & vestem tinea consumit, ita hominem exedit invidia, quem occupavit. Quoties Christus invidis Pharisæis os ita consuit, ut vel responsis, vel quæstionibus Dominicis in ruborem dati abierint, & tamen usque redierunt. Pervicax malum, & impudens; invidia; Millies contusa, millies superata, usque tamen revertitur, & aggreditur hostem. Malum insanabile. Papinius canebat olim:

Statius l. 5. Silvar.

Qui summam impacata consanguinitate ligavit
Fortunam invidiámque Deus, qui jussit iniquas
Æternùm bellare Deas? ——

Apologus est ingeniosus: Fortuna & Invidia manicis ligneis sunt colligatæ, veluti duæ vulgati corporis femellæ. Invidia nimiùm oculata, Fortuna nihil, quia cæca. Mirabile par mulierum noxiarum. Sed prudenter unà vinctæ sunt, nam cæca regetur oculato duce. Hoc ajo: invidorum sermones, obtrectationes, technæ dirigunt felicitatem nostram, alioquin erraturam & periturâm. Quisquis invidorum linguis petitur attentus est & cautus, ne nudum hosti latus præbeat. Vexatio dat intellectum. Qui multos habet æmulos, multos habet oculos, qui eum vigilantem faciant, & cautè ambulantem.

2. Invidia clariorem facit eum, cui invidetur.

Alterum documentum *Invidia clariorem facit eum cui invidetur.* Chrysostomus id explicatè asserens: *Ne*, inquit, *ad principum eorum quibus invidetur, sed ad finem respice, & attende, quia malitia invidentium, eos, quibus invidet, clariores efficit.* Is namque qui invidiam insons patitur, Deum habet sibi faventem & pro se stantem: Ille alter invidus, Deo exosus à suismet vermibus corroditur miserè ac consumitur, nec aliud habet expectare, quàm grande malum, & ipsum avernale supplicium. Invidia in altum evehit, & cœlo attollit innocentem, nec unquam plus ulli incommodat, quàm Deus permittat. Quid opus testibus? Nunquam Ioseph ad sublimissimam Proregis dignitatem ascendere potuisset, nisi eum fraterna invidia ad illud culmen extulisset. Homini homo invidet; Deus dirigit & promovet insontem. Ita mali bonis felicitatem struunt. Arbor honori sibi ducat & laudi, si fructus illius vellant, & vermes: hoc genus prædonum fructibus delicatioribus insidiatur: sic invidia plurimis est testimonium virtutis, signum innocentiæ, argumentum laudis. Misera fortuna, quæ caret inimico, dicebant prisci. Virtus agitata crescit; marcet sine hostibus; Invidorum dentibus limatur & exacuitur ad perfectiora. Animus vereri qui scit, tutò scit ingredi. Cur igitur adeò nos turbat malevolorum invidentia? Homines lividi alienâ laude dolent, alienis bonis mœrent, cladibus alienis gaudent? Opes, eruditio, honores; virtus habere solent invidiam. Non enim in invidiam rapiuntur, nisi qui meliores creduntur invidiosis. Aliena invidentia bonis est decori, cautioni, profectui, commendationi emolumento grandi, etsi videatur nocere, & verbum vulnus infligere. Veteres, sed sanè parum tetes versiculi monent:

Invidia in altum evehit innocentem.

Est testimonium virtutis.

Tempore felici multi insurgunt inimici,
Cùm fortuna perit, nec livor ullus erit.

Sola sine invidiâ miseria est. In cetera ubi mel, ibi fel; ubi uber, ibi tuber. Vbi mel gratæ, virtutis, doctrinæ, ibi fel invidiæ; ubi uber opulentiæ, ac prosperitatis, ibi tuber indignationis & livoris. Nimirum dulcia vertuntur in bilem. S. Ioseph minùs parenti charus, minùs verecundus & castus, minùs integer & sanctus fuisset, fratrum invidiâ facilè caruisset. Sed eâ carere noluisset, si rerum sese consequentium seriem præsciviisset. Princeps & summa ipsius fautrix fuit invidia. Absque hac fuisset, nunquam in Ægyptum, nunquam in Pharaonis palatium, nunquam ad secundum sceptrum & solium, nunquam ad orbis patrocinium perveniisset.

Miseria sola sine invidia certum regni.

Cato Censorius, Phœnix Romanæ gentis, Prudens dictus, moribus & virtute optimus, nihilominùs tamen neminem in urbe odium & invidia tam diræ, & frequenter exagitavit, atque hunc ipsum Catonem. Quadragies sexies accusatus, & in jus ambulare jussus, semper absolutus est. Summa erat ei gloria, multiplex invidia. Iosephus omnem suam felicitatem debet Deo, ut artifici optimo, & invidiæ, ut instrumento ad eam rem commodissimo. Dixerit Iosephus: O Magnifica & dires! ô felix & præpotens invidia! tu me Dominum, tu principem, tu alterum à Pharaone regem effecisti: tibi gratias ago, tuisque machinationibus nequissimis. Huc ego nunquam penetrassem, nisi tua me improbitas in has terras evomuisset. Tu mihi profectò plus profuisti, quàm omnis parentum amor.

Multis invidia fuit Catonem gloriæ.

Iosephus invidiæ instrumento ad fidelis civium commodissimum.

Tertium. *Invidus ipse suus est carnifex.* Certissimum. Malevolus detractator sui ipsum varia commentando exhaurit, et iscerat, consumit. Quâ de re Gregorius Nazianzerus: *Invidia*, inquit, *tabes possessorum, virus ac rubigo eorum, qui eâ agitantur; sola aquissima, simul & iniquissima.* Quisquis alium in invidiam trahit, seipsum ad supplicium rapit. Invidere & non dolere, nimis quàm rarum. Anacharsis invidentiam, animæ ferram appellavit, quæ animum miserrimè non tantùm in multas partes divideret, sed etiam laceraret. Invidia Socrati est Vlcus animæ, quod nunquam non suppurat. Invidus altero tantò miserior, quàm quisquis alius; alij namque propriis malis, iste alienis etiam bonis cruciatur. Salomon multa paucis complexus: *Vita carnium*, inquit, *sanitas cordis: putredo ossium, invidia.* Non carnes tantùm, sed & ossa commolit invidia. Eliminandum hoc venenum toto pectore. Hortatur & urget Petrus: *Deponentes igitur omnem malitiam, & omnem dolum, & simulationes, & invidias.*

S. Invidus ipse suus est carnifex.

Prov. 14. vers. 30.

1. Pet. 2. vers. 1.

Augustinus dicta luculentè confirmans: *Sicut erugo ferrum*, inquit, *ita invidia illam ipsam animam, in qua est, interimit, & consumit. Et sicut, ajunt, viperas dilacerato, & dirupto illo ipso materno utero, in quo conceptæ sunt, nascis: ita & invidiæ natura illam ipsam animam, à quâ concepta est, & consumit, & perdit. Qualis hæc anima tinea est? Quæ cogitationum tabes pectoris? Quanta rubigo, zelare in homine donum Dei, & in malo opprobrio bona aliena convertere, aliorum gloriam facere pœnam suam, velut quosdam pectori suo admovere carnifices, cogitationibus, & sensibus suis adhibere tortores, qui se intestinis cruciatibus lacerent. Non cibus talibus latus, non potus potest esse jucundus. Suspiratur semper & ingemiscitur ac doletur: diebus ac noctibus pectus obsessum sine intermissione laniatur. Et quantum ille, cui invidet successu meliore profecerit, tantùm invidus in majus incendium livoris ignibus exardescit, pallor in facie, tremor*

Aug. in serm. de temp. pag. 279.

mor in labiis, stridor in dentibus. Cuiusquis ille est, quem in zelo suo persequitur invidus, subterfugere eum forsitan poterit, & vitare: Invidus verò fugere non valebit. Vbicunque fuerit, adversarius suus secum est hostis in pectore semper inclusus. Denique Dominus in Evangelio, cùm eum discipuli interrogarent, Quis inter illos major esset, respondit: Quisquis c. 9. v. 48. *fuerit, inquit, minimus in omnibus his, hic erit magnus. Quo verbo omnem caussam & materiam mordacis invidiæ eruit, & abscindit. Christiano ergo populo zelare non licet.*

CAPVT. III.

Vitia esse catenata; Iosephi fratres suâ monstrant perfidiâ

Gen. 37. v. 12. ad finem. CVmque fratres illius in pascendis gregibus patris morarentur in Sichem, dixit ad eum Israël: *Fratres tui pascunt oves in Sichimis, veni, mittam te ad eos. Quo respondente: Præsto sum, ait ei, vade & vide si cuncta prospera sint erga fratres tuos, & pecora, & renuntia mihi quid agatur.* Missus de Valle-Hebron venit in Sichem: *inventq; eum vir errantem in agro, & interrogavit quid quæreret. At ille respondit: Fratres meos quæro, indica mihi ubi pascant greges. Dixitq; ei vir: Recesserunt de loco isto, audivi autem eos dicentes, Eamus in Dothain.* Perrexit itaque Ioseph *post fratres suos, & invenit eos in Dothain. Qui cùm vidissent eum procul antequam accederet ad eos, cogitaverunt illum occidere. Et mutuò loquebantur: Ecce somniator venit. Venite occidamus eum, & mittamus in cisternam veterem: dicemúsque, Fera pessima devoravit eum, & tunc apparebit quid illi prosint somnia sua. Audiens autem hoc Ruben nitebatur liberare eum de manibus eorum & dicebat: Non interficiatis animam ejus: nec effundatis sanguinem, sed projicite eum in cisternam hanc, quæ est in solitudine, manúsque vestras servate innoxias: hoc autem dicebat volens eripere eum de manibus eorum, & reddere patri suo. Confestim igitur ut pervenit ad fratres suos, nudaverunt eum tunicâ talari & polymitâ, miserúntque eum in cisternam veterem, quæ non habebat aquam. Et sedentes ut comederent panem, viderunt Ismahelitas viatores venire de Galaad, & camelos eorum portantes aromata, & resinam, & stacten in Ægyptum. Dixit ergo Iudas fratribus suis, Quid nobis prodest si occiderimus fratrem nostrum, & celaverimus sanguinem ipsius. Melius est ut venundetur Ismahelitis, & manus nostræ non polluantur, frater enim & caro nostra est. Acquieverunt fratres sermonibus illius: Et prætereuntibus Madianitis negotiatoribus, extrahentes eum de cisternâ, vendiderunt eum Ismahelitis viginti argenteis, qui duxerunt eum in Ægyptum. Reversúsque Ruben ad cisternam non invenit puerum, & scissis vestibus pergens ad fratres suos, ait, puer non comparet, & ego quò ibo? Tulerunt autem tunicam ejus, & in sanguinem hœdi, quem occiderant, tinxerunt; Mittentes qui ferrent ad patrem & dicerent: Hanc invenimus, vide utrum tunica filij tui sit, an non? Quam cùm agnovisset pater, ait: Tunica filij mei est, fera pessima comedit eum: bestia devoravit Ioseph. Scissíq; vestibus indutus est cilicio, lugens filium suum multo tempore. Congregatis autem cunctis liberis ejus, ut lenirent dolorem patris, noluit consolationem accipere, sed ait: Descendam ad filium meum lugens in infernum. Et illo perseverante in fletu, Madianitæ vendiderunt Ioseph in Ægypto Putiphari eunucho Pharaonis Magistro militum.*

Missio Iosephi ad fratres.

Iosephum pater amandans ad fratres pascendis gregibus occupatos (hoc olim usitatissimum negotiandi genus) jussit, videret, quid agerent, Iosephus imperij paterni tenacissimus sollicitè oberrabat, dum inveniret non jam fratres, sed pæne carnifices. Vix enim procul venientem intuiti, continuò de illius cæde deliberârunt. Collatisque capitibus: En, inquiunt, somniator adest; occidamus illum, & videamus, quid ei somnia profuerint. Vt autem patri os oblinerent, à ferâ discerptum dicere statuerunt. Hîc mitior Ruben: Ne fratrem, inquit, jugulemus, potiùs eum cisterna glutiat. Placuit consilium. Veste igitur polymitâ exutum ille siccam foveam demiserunt. Non diu pòst transeuntibus mercatoribus, Iudas ad ceteros versus: vendamus illum, inquit, Madianitis. Ita venditus argenteis viginti, & ductus in Ægyptum. Colligamus manipulos.

De ejus cæde deliberant.

Resistit Ruben.

Venditur.

Quinque monita.

1. Lætitia sceleris signũ damnationis. * *Prov. c. 2. vers. 14.*

2. Famulus minoris venit quàm Dominus. † *Sunt vectes Hispani 80. Laurei Lusitani 8. Floreni Brabantici 20. Nostrates floreni 10. & decem bacii. Christus ita venditus est, 36. nostratibus florenis.*

3. Cilicium usus antiquissimus.

4. Immortalis animus ruinosam casam habitat. * *Gen. c. 37. vers. 35.*

5. Vitia sunt catenata.

1. Lætitia sceleris. signum damnationis. Iocabantur Iosephi fratres, En venit somniator. Mox ore tragico cruenti: Venite, ajunt, occidamus eum. Ore ridente cogitant fieri parricidæ. Cúmque jam projecissent in cisternam, læto animo sedentes comederunt panem. De his Salomon locutus: * *Lætantur*, inquit, *cum malè fecerint, & exultant in rebus pessimis.*

2. *Famulus minoris venit, quàm Dominus.* Ioseph famulus viginti, Christus Dominus argenteis † triginta venditus est. Non decuit, ait Hieronymus, tanto servum, quanto Dominum vendi pretio. Siclus, stater, argenteus, idem sunt, seu quatuor drachmæ Græcorum, quatuor Iulij Romanorum, quatuor reales Hispanorum, sive octo nostrates victoriati.

3. *Officiorum usus antiquissimus*, Protoplasti è ficulneis mordacibus foliis prima sibi contexuerunt cilicia. Neque statim abolevit horridum hoc indumentum. Siquidem in luctu Iacob, scissis vestibus indutus est cilicio. Luctus & pœnitentiæ vestis cilicium in veteri lege usurpatissimum.

4. *Immortalis animus ruinosam casam habitat.* Iacob nuntiatâ filij morte, amiculum jam lugubre indutus: * *Descendam*, inquit, *ad filium meum lugens in infernum.* Corpus filij mei fera glutiit; melior illius pars ad plures abiit, illuc & ego penetrabo, congregationi majorum nostrorum adscribendus.

5. *Vitia sunt catenata.* Iosephi fratres non unum solum flagitium commiserunt, sed facili compendio sex septémve nexuerunt. Hęc vitiorum natura est, vitium vitio velut in catenâ annulus annulo, cohæret. Vix unquam invenitur scelus solum ab aliis sceleribus incomitatum. Quod in hac ipsâ Iosephi historiâ hoc capite luculentè monstrabimus.

§. I.

TAm Pholosophorum, quàm Theologorum lites ac disputationes hoc sibi habent proprium, ut qui affatum unicum ineruditum, non verum profert, ita dictis & sententiis urgeri possit, ut horulæ unius spatio, aut citiùs, sex septémve pronuntiata non vera, inepta cogatur agnoscere sua, quia primo congressu nimiùm liberalis aberravit à vero. Hinc alia super aliam sequitur absurditas, ita nectatur catena. Philosophorum vetus verbum est: uno admisso absurdo, multa sequúntur absurda. Ita prorsus in peccatis fit: peccatum ex peccato trahitur, facto initio alia super alia audemus. Hinc longa sed horribilis catena. Catenata sunt vitia, & invicem nexa. Iosephi fratres videte, quam illi scelerum catenam traxerint, flagitium junxerunt flagitio.

Catena scelerum fratrum Iosephi.

1. Invidia.

Primum fuit *Invidia*, basis ac fundamentum ceterorum. Invidiam concit ârunt, singularis amor patris in hunc unum filium, amiculum polymitum, narrata somnia. Augustinus pulcherrimè: *Invidia*, inquit, *filia est superbiæ, sed ista mater superbia nescit esse sterilis; ubi fuerit continuò parit.* Suffoca matrem & sustulisti filiam. Tolle invidiam & tuum est quod habeo; tolle invidiam, & meum erit quod habes. Hæc suavissima vivendi ratio erit in cœlo.

Aug. to. 10. de verbis Domini ser. 53. c. 9 p. 78

2. Odium capitale.

Alterum, *Odium capitale.* Sanguinis fraterni sitiens. Ioannis Apostoli assertio est: *Omnis, qui odit fratrem suum, homicida est.* Nam etsi non statim sicam expe-

1. Ioan. c. 3. vers. 15.

diat, inimicum latus hauriat; mortem inferat, hoc tamen mente agitet, animo jam homicida est. Accedit & illud, quòd odium sit prodromus & dispositio ad homicidium, sicut animi libido ad adulterium.

3. Homicidiū ipsum. *Gen. c. 27. vers. 20.*

Tertium, *Homicidium ipsum: Venite*, inquiunt, *occidamus eum, & mittamus eum in cisternam veterem.* Consensus in homicidium expressus. Facturi erant, quod destinârant, ni Ruben velut tribunus plebis intercessisset. Nec ille tamen eos adeò multum mitigavit. Nam miserunt eum in cisternam veterem, fame, siti, frigore periturum. Odium non utitur balneo nisi sanguinis: odium nemini parcit.

4. Mendacium letale, multiplex.

Quartum, *Mendacium letale, multiplex*, aliquot inter se figmenta connexuerunt. Polymitâ Iosephi vestem hœdino sanguine tinxerunt, & miserunt patri per hominem facinorosi consilii non cōscium, jusserúntque dicere: *Hanc invenimus.* Mendacium est: Non inveniſtis, seu fratri eam vi detraxistis. Conscientiæ tamen etiamnum gliscebat hîc scintillula; nolebant crassissimè mentiri, ac dicere: Fera devoravit eum. Sed satis fuit mendacii re dicere, quod verba non exprimebant.

Ibid. v. 32.

5. Simuliatio & hypocrisis. *Chrys. in c. 7. Matth.*

Quintum *Simulatio & Hypocrisis.* Solari patrem venerunt, tanquam si valde dolerent fratris interitum. En simulatores nequam & hypocritas! Chrysostomus hanc hominum luem exagitans: *Hypocrita*, inquit, *si bonum est, bonum esse, quid vis apparere, quod non vis esse? Si malum est, malum esse, quid vis esse, quod non vis apparere? Ergo aut appare, quod es, aut esto, quod appares.* Augustino *simulata æquitas, non est æquitas, sed duplex iniquitas.*

Aug. in psal. 63.

6. Impietas in patrem.

Sextum, *Impietas in patrem.* Seni optimo luctum viginti trium annorum creârunt. Gravissimi erat mœroris filiorum charissimum amisisse, & quidem tali modo amisisse, ut illius fuerit sepulchrum bellua. Vestis cruenta oblivionem doloris prohibebat. Nil miri fuisset, si senem hunc mœror confecisset. Has certè cogitationes mœstissimus pater animo volvens: *Vadam*, inquit, *ad filium meum lugens in infernum.*

Gen. c. 37. vers. 35.

7. Injustitia. *Exod. c. 21. vers. 17.*

Septimum, *Injustitia.* Turpissimum commiserunt plagium; furati hominem vendiderunt, vero nomine plagiarij. In quos divina lex ita decrevit: *Qui furatus fuerit hominem, & vendiderit eum, convictus noxæ morte moriatur.* Lex Fabia plagiarios non minùs capitis damnavit. Sed non impune plagium tam fœdum tulerunt. Arguebantur in Ægypto herilem scyphum sublegisse, & in carcerem rapiebantur. Quâ quidem in re insontes erant, sed furtum gravius commiserant.

8. Divinæ præsentiæ contemptus.

Octavum, *Divinæ præsentiæ cōtemptus.* Ignorans, rude, impium fuit illud sæculum, si cum ævo pietatis Christianæ conferatur. Videte viri; vos ut putatis, fallitis senem? certè non fallitis Deum, omnia videntem, rebus omnibus præsentem. Hoc apud nos pueri puellæque norunt, & notum sibi carmen canunt:

———*Deus omnia cernit.*

Hæc & Iosephi fratres utcunque scire poterant, divinis oculis nihil abscondi posse. Sed illi Deum, aut non cogitârunt, aut contempserunt. Invidia & odiū eos excæcârunt. Ubi hæ pestes sunt, ibi necessariò catena vitiorum est.

Fernandius to. 3. in Gen. pag. 732.

In eam rem Benedictus Fernandius Lusitanus Theologus memoratu dignum commemorans: Ulyssippone, inquit, unus aliquis ducebatur ob patratum homicidium extremo supplicio afficiendus. Affluxus hominum ingens. Dum per urbem ducitur, divi Sebastiani templum transit, ubi marmoream columnam humi temerè projectam conspicit, & consistit, cúmque illo feralis comitatus omnis. Hîc reus oculis fixissimis locum intuens: Audite, ait quotquot adestis: Numen supremum testor, me ab eâ cæde, ob quam à magistratu duci jubeor, penitus immunem esse. Sed ô justissime Deus, qui cernis, quidquid uel parietes, vel tenebræ tegunt, ad hoc ipsum saxum hominem ignotum hîc in tenebris sedentem furiosè jugulavi. Facinoris nemo mortalium nisi solus Deus conscius, hanc innocentis cædem modò vindicat & punit. Ah discant omnes, quàm Dei oculus nihil non videat, quàm nemo Dei justitiam effugiat! Ita promptus ad mortem perrexit.

§. II.

HUnc Dei oculum omnia cernentem fratres Iosephi non attenderunt, Dei providentiam non respexerunt, ideo scelus sceleri nexuerunt. Vitia sunt catenata. Humanæ gentis mater Eva celeri compendio triplex mendacium struxit. Primum; *De fructu ligni*, ait, *quod est in medio paradisi.* Arbor vitæ paradisi medio erat locata, non autem arbor illa scientiæ boni & mali vetita. Alterum; *Præcepit nobis Deus ne comederemus, & ne tangeremus illud.* Comedi prohibuit, non verò tangi. Tertium; *ne fortè moriamur.* Cùm tamen Deus non dubiè, sed severissimè prohibuerit: *In quacunque die comederis ex eo, morte morieris.* Trigeminum figmentum uno pæne halitu prolatum. Vitia sunt catenata.

Triplex Evæ mendacium. *Gen. c. 3. vers. 3.* Secundum. *Ibid.* Tertium. *Ibid.* *Gen. c. 2. vers. 17.*

Idcirco David contentis vocibus ad Deum succlamat: *Libera me de sanguinibus, Deus, Deus salutis meæ.* Recordabatur David, quam ipse nexuisset scelerum catenam. Primum erat otium, noxarum seminarium, ab otio fluxit curiositas, à curiositate libido & cupiditas, à cupiditate adulterium, ab adulterio homicidium: inde alia & alia promanarunt. Quemadmodum verò vitia, sic & virtutes sunt catenatæ. Ubi vera se prodit humilitas, ibi & patientia, ibi & charitas. Ubi hæc regina est, ibi comites & pedissequæ sunt, humilitas pars charitatis, charitas pars humilitatis est. Catenatæ sunt virtutes, sicut vitia. *Ibunt de virtute in virtutem.* Ibunt de flagitio in flagitium. Diabolus ut lupus quod in fabulis est, quò pedem infert, mole totâ sequitur.

Psal. 50. vers. 16. Virtutes sunt connexæ & vitia. *Psal. 83. vers. 8.* *Tob. c. 4. vers. 6.*

Ebrietas & Temulentia vix unquam sola. Comitatur eam sermo petulans, procax, maledicus, jurgiosus, lascivus, immodestia, invere cundia, libido, contentiones, vulnera, cædes, & plurima fatuitas. Eruditè dixit Ambrosius & verè: *Primum ebrietatis malum pudicitiæ periculum.* Et quot alia inde vitia nascuntur? Hinc illa criminis stultissima est excusatio: Ebrius feci, hoc est bis peccavi. Adulterium nunquam solum est; multiplex illud comitatur injuria tam in proprium, quàm in alienum matrimonium; sequuntur injustitiæ horribiles, supposititi hæredes, mendacia & juramenta falsa, sui muneris, & divinæ rei contemptus, confessiones sacrilegæ, furtiva & aperta homicidia, multa malorum series. Sic injustitia potens regina, nunquam incedit incomitata, quot enim illam falsitates, doli, fraudes, perjuria, technæ, captiones, rixæ, circumscriptiones, sycophantiæ, proscriptiones, præstigiæ sequuntur grandi comitatu? Ubi unquam sola seu graditur, seu volat superbia? Cingunt illam cæcitas & ignorantia tam Dei, quàm sui, contemptus aliorum, laus propria, cæcus furor, propago vitiorum amplissima. Nimirum catenata sunt vitia. Sapientiæ vox est: *Vinâ catenâ tenebrarum omnes erant colligati.*

Ambros. lib. de virg. to. 4. Lat. pag. 230. *Lib. 3. c. 14. pag. 236.* *Gen. 4. & seq.* *Prov. 5. vers. 22.*

§. III.

ATque Gregorius suo quoq; calculo confirmans, *Peccatum*, inquit, *quod per pœnitentiam non citò tollitur, suo mox pondere trahit ad aliud.* Parvus error in principio, magnus in fine. Eadem Theologorum doctrina: Unum peccatum est alterius & causa & pœna. Invi-

Unum peccatum causa & pœna alterius.

Invidit Cain Abeli fratri, hæc certè invidia fuit causa patrati homicidii; homicidiū autem prioris pœna, & desperationis causa. Petrus Apostolus olivetum cum Domino aditurus, primò nimiùm sibi præfidens, & arrogans fuit; deinde, cùm precandum, dormiit; cùm quiescendum, pugnavit; cùm standum, fugit; cùm liberè confitendum, negavit: juravit, anathematizavit. Catenam fabricavit, sed non virtutum. Iudas Iscariotes non statim sceleratissimus, sed primò tenax æris cupidus, dein avarus; & custos stipis infidus, hæc pœna prioris, causa sequentis. Deinde murmurator, fur obstinatus, Christi inimicus è discipulo, dominicæ cœnæ impius conviva, Christi proditor & venditor, Dux & antesignanus sicariorum. En firmâ scelerum catenam. Hoc autem omne malum inde suam trahit originem, cùm Deus gratiam subducit, homo velut ebrius huc illuc lapsando corruit, vacillat, repit, cœno se volutat, dum in profundum abeat. Ita prorsus, si vir religiosus vel unicam letalem noxam patrare audeat, brevî audacior seipso alteram patrat, paullatim illam frequentat. Iam actum est, brevî transfugam, desertorem, apostatam videbitis. Ita miser homo sibimet relictus, in omne vitiorum genus provolvitur. Vara Vibiam sequitur. Vno lupo ululante ululant omnes; vitia sunt catenata. Quâ in re homini fit, quod ædificiis. Si subtrahatur domui columna, cui nititur, cadit fornix, fornicem superius conclave sequitur, ruente conclavi ruit tectum; unum trahit alterum: subductâ homini divinâ gratiâ, remanet voluntas ad vetitum promissima; voluntate jam depravatâ quid nisi lapsus & præcipitium?

Quocirca manibus, pedibúsque resistendum, ne lupus acheronticus ostiolum vel minimum, ne vel unam solùm rimulam reperiat sibi patentem; principiis obsta, aut victus es. Caveamus ne ulli peccato consentiamus, quod filium Tobias fidelissimè monens: *Cave*, inquit, *ne aliquando peccato consentias*. Possumus labi nostris viribus, sed non resurgere. Qui catenâ tenebrarum colligari non vult, caveat, horreátque si vel unicam catenæ videat junctúram aut annulum. Peccatum primum januam referat secundo, secundum tertio, tertium quarto. Sic in longum itur, & peritur. Iosephus nos præit; De virtute ite licet in virtutem. Hæc certa est ad cœlum semita.

Tob. c. 4. vers. 6.

CAPVT IV.

Quàm grande sit libidinis malum, castissimi Iosephi docet exemplum.

Gen. 39. v. 1. & seqq. usque ad 13.

Igitur Ioseph ductus est in Ægyptum, emitq; eum Putiphar eunuchus Pharaonis Princeps exercitûs sui, vir Ægyptius de manu Israëlitarum, à quibus perductus erat. Fuitq; Dominus cum eo, & erat vir in cunctis prosperè agens, habitavitq; in domo domini sui. Qui optimè noverat Dominum esse cum eo, & omnia, quæ gereret, ab eo dirigi in manu illius. Invenitq; Ioseph gratiam coram domino suo, & ministrabat ei: à quo præpositus omnibus gubernabat creditam sibi domum & universa, quæ ei tradita fuerant. Benedixitq; Dominus domui Ægyptij propter Ioseph, & multiplicavit tam in ædibus, quàm in agris cunctam ejus substantiam. Nec quidquam aliud noverat, nisi panem, quo vescebatur; erat autem Ioseph pulchrâ facie, & decorus aspectu. Post multos itaque dies injecit domina sua oculos suos in Ioseph, & ait: Dormi mecum. Qui nequaquam acquiescens operi nefario, dixit ad eam: Ecce Dominus meus omnibus mihi traditis ignorat, quid habeat in domo suâ. Nec quidquam est, quod non in meâ sit potestate, vel non tradiderit mihi, præter te, quæ uxor ejus es: quomodo ergo possum hoc malum facere, & peccare in dominum meum? Hujuscemodi verbis per singulos dies, & mulier molesta erat adolescenti, & ille recusabat stuprum. Accidit autem quodam die, ut intraret Ioseph domum, & operis quippiam absque arbitris faceret: Et illa apprehensa lacinia vestimenti ejus diceret: Dormi mecum. Qui relicto in manu ejus pallio fugit, & egressus est foràs.

Ductus est igitur Ioseph à Madianitis, à quibus emptus, & venditus in Ægypto, Putiphari viro principi militiæ dicti, Pharaone rege. Nec Deus Iosephum suum peregrè destituit, cui in rebus omnibus successum dedit. Hinc Iosephi herus Putiphar famuli sui indolem & industriam admirari hominem Deo charum credere, miros in eo successus observare, prudentiam & fidem suspicere, sed & ceteras in illo virtutes venerari, ei denique totius domûs curam committere, eúmque, non ut mancipium, sed ut animam suam amare. Accessit Dei liberalitas, quæ omnes Putipharis complexa facultates, penora, agros, horrea, cellas, prædia, pecus, gazophylacia maximis augmentis locupletavit, propter unicum hunc famulum Ioseph. Ipse Putiphar in suâ domo velut beatus infans, curarum securus fruebatur mensâ, quam illi Ioseph struxerat.

Ioseph denuo venditur.

Dei erga Ioseph cura.

Dei liberalitas erga Putipharē propter Ioseph.

Sed ô nihil tutum in rebus humanis, nil ab omni parte beatum! Erat Iosephus eleganti formâ. Hæc dominam ad amorem non pudicum sine Iosephi culpâ impulit. Et quia vigilantissimus est amor, observavit amans hera tempus, quo Iosephus absque arbitris posset ad flagitium inuitari. At ubi castissimus juvenis hoc agi sensit, animum à verecundiâ obarmatus: En, inquit, dominus meus, domum omnem, præter te, suam conjugem, meæ curæ commisit, quomodo igitur in herum tam benevolum ego tam malevolus sim? Non possum hoc facere. Nec tamen improba mulier iisdem juvenem blanditiis, identidem oppugnare desiit. Ita solum aggressa, victoriam à suis precibus speravit. At ille pallio quod improba prehenderat relicto, profugit foras, celeris purissimus. Ex uberi hac messe manipulos colligamus.

Iosephi castitas ab herâ impetita.

Octo manipuli.

1. *Admiranda est formæ, ac pudicitiæ mixtura.* Iosephus licet servus, formosus tamen & castus, rarum orbis prodigium, Romanus olim satyricus: Rara est, inquit, mixtura pudicitiæ & formæ.

Primus. *Rara est adcò cōcordia formæ, atque pudicitiæ.* *Iuvenal sat. 10. v. 297.*

2. *Prudentia fortior est fortunâ.* Verecunda Iosephi prudentia malebat pati omnia, quàm fortunam retinere per nefas.

Secundus.

3. *Non rarò servitus libertate nobilior.* Serviebat Ioseph, sed hominibus, non vitiis, sibi ipse imperabat, Nobilior omni Pharaonis Palatinâ familiâ.

Tertius.

4. *Quò afflictior, hòc Deo vicinior.* Iosephus peregrè ab omnibus demum destitutissimus, faventissimum semper, & sibi *Proximum* Deum habuit. Fuitque Dominus cum illo.

Quartus.

5. *Felicitas heri, fidelitas servi. In Putipharis domum* Iosephus omnem secum felicitatem intulit: *Benedixitq; Dominus domui Ægyptij propter Ioseph.*

Quintus. *Gen. c. 39. vers. 5.*

6. *Ioseph servorum omnium solatium & exemplum.* Peregrinus hic juvenis, totam sibi domum creditam, fidelissimè gubernat, ut rem suam, servis exemplar & dominis.

Sextus.

7. *Virtutes non triumphant nisi oppugnatæ*, per tela, per ignes. Illæsa currit virtus ad destinatum sibi bravium; modò id assequatur; quo labore non curat.

Septimus.

8. *Præstat mori, quàm libidine inquinari.* Iosephus maluit à Dominâ suâ odio haberi, maluit falsò accusari, in carcerem rapi, in vinculis triennio detineri, maluisset & mori, quàm pudicitiæ non servatæ reus fieri. Atque hoc uberiùs explicabimus, ut nemini non liqueat, quàm tetrum & abominabile sit libidinis & lasciviæ vitium.

Octavus.

§. I. *Ser-*

§. I.

1. Servile & turpe vitium est impudicitia & libido.

I. *Servile maximè & proprio nomine turpe vitium impudicitia & libido.* Omnia quidem vitia suo genio servilia & turpia, hoc autem singulari modo. Hinc à sacris paginis & priscis Patribus jure merito vocatur *turpitudo*. Cùm Susanna ad tribunal Danielis innocens esset pronuntiata. *Helcias & uxor ejus laudaverunt Deum pro filiâ sua cum Ioachim marito ejus, & cognatis omnibus, quia non esset in eâ inventa res turpis.* Præceptum Pauli est: *Fornicatio, & omnis immunditia aut turpitudo, ne nominetur in vobis, sicut decet sanctos.* Nec turpe solùm, sed & servile vitium immunditia. Homo impurus, & libidinosus non nescit hîc talibus peccatis Dei gratiam perdi, pergit interim & peccat; non nescit cœlestem beatitudinem amitti, pergit tamen, & peccat; non nescit æternum se supplicium mereri, nihilominus pergit securus & peccat; nihil in seipsum habet imperii, neque hoc unum à se impetrat, ut sibi dicat: recede ab immunditiâ. En miserrimam suæ carnis mancipium! En bovem ut à diabolo se duci patiatur in macellum! Sapienter dixit Ambrosius: Nobilitas vera, Castitas. Ille dominus est, qui amantis non excepit faces, qui lenocinantis vincula non sensit.

Dan. c. 13. vers. 63.

Ephes. c. 5. vers. 3.

Dei odiū, diaboli gaudium lascivia.

II. *Dei odium, diaboli gaudium lascivia.* Qui Christo movere nauseam & horrorem, qui diabolo gratum spectaculum & tripudium cupit excitare, lasciviæ se dedat, & tam Deum habebit inimicum, quàm amicum satanam. Quod Augustinus clarissimè asserens: *Vbi immunditia est corporis*, inquit, *ibi habitatio diabolici spiritûs, qui maximè gaudet in inquinatione carnis nostræ. Omnes immunditiæ Deo displicent. Castitas Angelica est vita, Castitas cum humilitate spiritûs sancti merebitur habitationem, quam expellit immunditia libidinum. Illi miseri sunt, quorum corda sunt carnali concupiscentiâ polluta, quia æternas merguntur in pœnas.*

Aug. to. 10. ser. 249. de temp. init. pag. 395.

Deus horret hominem libidinibus ancillantē.

Nauseat Deus (sic loquar) & horret, hominem libidinibus ancillantem. Si Deus post filij ingressum in orbem, post latas Evangelij leges, post exhibita castimoniæ tot exempla, post innumeras ad pudicitiam exhortationes dixisset: *Non permanebit spiritus meus in homine in æternum, quia caro est*, nemo admodum mirari potuisset. Quòd autem Deus vitium carnis tantopere aversatus, id Orbis initio, & sub ipsa nascentis primordia pronunciarit, hoc nemini non mirum videri potest. Sed præoccupare voluit Deus hominum mentes, & maturè promulgare orbi potissimum istud: Homines carnales & spurcitiæ deditos non fero. Minas secutum est supplicium. Hinc orbem totum omnem humanam gentem libidinibus involutam cataclysmi aquis præfocavit. Hinc Sodomam, Gomorrham, Sebrim, Adamam, & Segor quinque nobilissimas, sed carnalibus vitiis inquinatas civitates flammis hausit cœlestibus. Hinc electi populi tot sæpe millia ab hostibus trucidari voluit in vindictam lasciviæ: Nimirum Deus in carnis spurcitiem aquis, ferro, flammis pugnat.

Gen. c. 6. vers. 3.

Pentapolis cœlesti igne consumpta. Gen. c. 19. vers. 24.

§. II.

3. Inemendabile pene vitiū carnis est.

III. *Inemendabile pene vitium carnis est.* Quædam vitia, hoc autem maximum gangrænam æmulatur, magis magisq; serpit, & novis semper auctibus se diffundit. Et quomodo persanetur ulcus, si ulcerosus omnia mox malagmata ab ulcere revellat? quomodo convalescat ægrotus, si pharmaca necessariò sorbenda effundat? Eò reverà miseros mortales hoc vitium videtur deduxisse, ut omnem mali medicinam respuant, monitoribus asperi. Silete, ajunt, & hæc acerba omittite, vosipsos inspicite; quisque suos manes patiimur. Ita surdis canitur fabula. Spes nulla sanitatis est, cùm etiam remedia spernuntur. Experientiam è bibliopolarum officinis sumere licebit. Sunt, qui ejusdem auctoris omnes emant scriptiones, eam solùm nimis quàm sagaciter excludant, quę incontinentiam & lascivos mores proscribit. Ab ipsis religiosis viris, fœminisque subinde hi tales veluti strictioris disciplinæ libri repudiantur. O munde immunde, *Insanabilis fractura tua, pessima plaga tua.* Peccata carnalia pæne immedicabilia. Hinc Gregorius miranda narrans de quodam Stephano: Eleemosynas, inquit, amaverat, sed vitiis carnis perfectè non restiterat. Constat, quia idem Stephanus, postquam & infera loca vidit, & ad corpus rediit, perfectè vitam minimè correxit. Hoc lascivæ vitiositati solennè est, nec cœlum, nec inferos curare, divinas, humanas leges in minimis ponere, calcare jura, monita omnia nauci habere. Homo libidinosus in apertas tartari fauces concitato cursu cæcus irruit. *Desperata est plaga ejus.* Vtique Iosephus dominæ rationes attulit, cur non debeat, non possit assentiri tam improbæ postulationi. Quid effecit? Malum irritatius sensit.

Nahum. 3. vers. 19.

Virgil. l. 6. Æneid. prope finem.

IV. *Idololatriæ supplicium libido & lascivia.* Quid dici possit gravius? Idololatria noxarum gravissima, hæc tamen in orbe nostro sæpius punitur turpitudine, ut malo maximo. Permisit Deus cæcas gentes ob crimen idololatriæ ac tantæ impietatis prolabi in probrum turpitudinis & impuritatis, ut ipsos pæne cogerentur erubescere. Clarissimè Tarcensis Paulus: *Quia*, inquit, *cùm cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, propter quod tradidit illos Deus in desideria cordis eorum, in immunditiam, ut contumeliis afficiant corpora sua in semetipsis.* Quid turpius? Hoc explicans Ambrosius: *Quoniam idololatria*, inquit, *principium & gravissimum delictum est, tantum & compensatio ejus horrenda, & præterida passio est. Propter quod*, ait Paulus, hoc ipso quia simulacrorum cultores ideo turpissimę Veneris mancipia. Quisquis hanc rationem capit, pæne securus est ab hac peste. Sed quomodo Iosephus restitit tentatrici tam improbæ? Videamus, obsecro, periculosissimi certaminis tentamenti.

4. Idololatriæ supplicium libido & lascivia.

Rom. 1. vers. 24.

1. *Periculum fuit à juventute.* Agebat tunc Iosephus annum vigesimum septimum. Nam anno ætatis decimo septimo fuit venditus; aduscque undecimum servivit. Ætate tam floridâ non opus oleum affundere camino; à se ardet.

1. Periculum fuit à juventute.

2. *Aspectus Dominæ quotidianus*, qui obtrudebatur vel invito, blandi oculi, vel illecebrosa forma in oculis erant.

2. Aspectus dominæ quotidianus.

3. Verba dulcissima, admistis forsan lachrymis, ponderosa, in invitas etiam aures instillabantur quotidie.

3. Verba dulcissima.

4. *Diuturnitas tentationis & importunitas*, quæ non unum dumtaxat diem, hebdomadem aut mensem, sed annos sibi sumpsit, ut vel tandem castissimus juvenis animus expugnaretur.

4. Diuturnitas tentationis.

5. *Munuscula & dona*, lautissimis promissis aucta. Nihil intentatum, nihil inausum Venus reliquit. Rimas quærit, si occludantur januæ.

5. Munuscula & dona.

6. *Fiducia latendi.* Notæ sunt sceleratorum voces: Soli sumus, nemo resciet, parietes loquuntur. Nemo arbiter, nemo proditor insidiatur.

6. Fiducia latendi.

7. *Terrores ac minæ frequentes*: Nisi assentiaris, Ioseph, certus tibi carcer, certa crux.

7. Terrores ac minæ frequentes.

§. III.

SI tentationem tam robustam, tam multiplicem, tam diuturnam penticulatiùs cogitemus, animum & virtutem Iosephi nunquam satis mirabimur. Defiunt verba laudandæ tam constanti castimoniæ.

Laus castimoniæ Iosephi.

Hanc

Hanc D. Chrysostomus iure merito extollens: *Magis miror*, inquit, *Iosephum in hoc igne penitus illæsum, quàm tres pueros in fornace Babylonicâ non combustos.* Fuit è Divi Dominici familia, qui etiam Dominicus audiit, vir summæ continentiæ: huic generosissimè certanti dæmones acclamârunt: Vicisti, vicisti, quia in igne fuisti & non arsisti. Idem acclamandum Iosepho: Vicisti Ioseph, vicisti, quia tot flammas extinxisti, tot incendia compescuisti. Quid nos Christiani tot exemplis incitati, tot documentis eruditi? non rarò tentatiunculæ cedimus levissimæ.

Quibus ergo artibus vicit Iosephus, quibus nos vincemus, quas servabimus præceptiones? Compendio eas hîc suggero.

I. *Timor Dei.* Vbi nulla Numinis reverentia, ubi formido judicii divini nulla, ibi minimè secura est pudicitia, ibi frustrà sunt omnia. Quod optimè Tertullianus dixit: Emendatio nulla, ubi nullus est metus. Illi procacissimæ tentatrici Ægyptiæ, Dii crevere in horto, cur eos timuisset? Verum Deum timuit Iosephus, & casto timore isto venerea tentamenta vicit. Ipsius animo assiduè illud observabatur: Deus videt; si peccas, Deus puniet.

II. *Fuga matura.* Non fugit tantùm Iosephus, sed & pallium fugæ testimonium reliquit. Apostoli, Petrus, Paulus, Iacobus, alii, cùm adversùs diabolum, & vitia nos armant, illud identidem inclamant; Resistite diabolo, resistite. Animum invadit ira? Resistite. Invidia mentem impugnat? Resistite. Avaritia & pecuniæ amor lacessit? Resistite. Arrogantia supercilium erigit? Resistite. Acedia & torpor degravat? Resistite. Libido & lascivia vellicat? Hîc aliud armorum genus capescendum: Fugite, clamant, fugite; ita vociferatur Paulus: *Fugite fornicationem.* Ipsissima hæc Augustini præceptio est: *Quòd libidinem fugiendam esse suggerimus*, inquit, *Apostolus Paulus evidenter ostendit: qui cum omnibus vitiis præcaverit resistendum, dum contra libidinem loqueretur, non dixit, Resistite, sed* fugite fornicationem. *Ergo contra libidinis impetum apprehende fugam, si vis obtinere victoriam. Nec tibi verecundum sit fugere si castitatis palmam desideras obtinere.*

III. *Finis consideratio.* Quisquis libidinum insultus pateris; vide, obsecro, quis patrati sceleris sit finis. Dummodo quis à seipso istud impetret, ut sibi ipse dicat: Quid inde nascatur, cogita; quæ pœna hanc culpam sequatur, respice. Libidini assentiris? Deum capitalem tibi statuis hostem, animum diabolo transcribis. Istius noxæ reus moreris? In omnes æternitates cœlo exclude̊ris; & corpus & animus æternùm luent brevem & spurcam oblectatiunculam. Vis teipsum huc tormentorum præcipitare? Paucas mellis guttulas tam carò vis emere? Vis datam Deo fidem violare? Quid enim tibi noxæ intulit, aut injuriæ, ut illum tam graviter his spurcitiis lædas? Priùs igitur pœnam expendas, quàm noxam audeas. Vide quid sequatur. Reverà libidinis initium continebit, qui exitum considerabit. Sapienter & piè dixit Annæus: *Non sunt tam ineptus, ut Epicuream cantilenam persequar, vanos esse inferorum metus.* At verò certè sunt tam inepti & fatui homines libidinosi, ut quidquid dicatur de inferorum incendiis, de suppliciis æternis; omnia illis sint somnia & fabulæ. Non sine causâ altum ingemiscens Augustinus: *Quanta iniquitas*, inquit, *& quam lugenda perversitas, ut animam, quam Christus sanguine suo redemit, luxuriosus quisque propter unius momenti delectationem libidinis diabolo vendat. Verè enim nimium plangenda & miseranda conditio est, ubi citò præterit, quod delectat, & per diabolum in cruce manet, quod sine fine cruciat. Libidinis impetus momento transit, & opprobrium infelicis animæ semper permanet.*

IV. *Intuitus exemplorum.* Si Iosephus alium ante se Iosephum tam strenuè pro pudicitiâ certantem habuisset, tam grande mirum castitatis defensæ non fuisset. Sed nulla illum armabant exempla: Primus fuit, Phœnix fuit in Ægypto. Nos innumeris omnis sexûs exemplis animamur ad easdem virtutis pugnas. Tot casti juvenes, tot pudicæ virgines maluerunt mori, quàm turpe quid facere aut mori, aut etiam solo animo succumbere turpitudini. Quid dicis ad hæc Christiane, quid ais impure? Tu non poteris, quod isti & istæ? Sed Christianam generositatem taceo. Iudex supremus orbis fatali die per ipsos idolatras Christianorum libidines damnabit. Spurinæ, Democriti, Scipiones, alii terribilem incutient pudorem pessundatæ verecundiæ reis. Cùm Spurina suam formam animadvertisset esse illicium ad inhonesta, oris decorem vulneribus confodit; maluitque tantam elegantiæ, quàm minimam verecundiæ jacturam facere. Democritus oculos licentiosiores evagari, nec redire sine fœdis cogitationibus deprehendens, seipsum oculis privavit, ut potiùs esset cæcus, quàm impudicus. P. Scipio Africanus captivam virginem, ob formæ excellentiam ævi sui miraculum, nec quidem ad oculos voluit admittere, ut eam, inquit, Gellius, nec suis quidem oculis contingeret, ne scilicet à libidine vinceretur, qui tot civitates expugnasset. O Spurina, ô Democrite, ô Scipio, ô vos tot alii homines verecundissimi, quàm turpes reperientur Christianorum plurimi vobis collati? Tam sapienter, quàm religiosè dixit Tullius orator: *Graves dominæ cogitationum libidines, infinita quædam cogunt, atque imperant, quæ quia explori ac satiari nullo modo possunt, ad omne facinus impellunt quos illecebris suis incendunt.* Haud aliter nec Hieronymus aliquis nec Chrysostomus dixerit. Hoc Ethnici, quid nos Christiani dicere habemus, aut scribere?

Balduinus Orientis Imperator, vitâ continentissimus, quod Nicetas memorat, nec unâ solùm exinius virtute, frequens in precibus & ardens, afflictis proniissimus, æquo animo audiit suæ sententiæ adversantes, absente conjuge nec aspexit quidem ullam feminam, bis quavis hebdomade proclamari jussit: Ne quis in Palatinâ domo dormiret, qui alienâ feminam attigisset. In cogitationes nihil sibi esse juris testatus; se facere, quod posset, divino tribunali arcana cordis relinquenda. *O quàm pulchra & casta generatio cum claritate! immortalis est enim memoria illius: quoniam & apud Deum nota est, & apud homines. In perpetuum coronata triumphat, incoinquinatorum certaminum præmium vincens.* Vivunt Iosephi, vivunt Balduini, vivunt æternâ sui memoriâ tot homines casti. Sed Balduino non imparis virtutis feminam jungamus.

Cameracensis proepiscopus Thomas hoc castimoniæ admirandum narrat. Elisabetha de Wans femina ad omnem sanctimoniam exculta, annum unum egit in conjugio, sed virgo. Alio dein convertit curas, & Christo servire cœpit, quem è cruce pendentem visa sibi est semper videre: ita quidem ut quotiescumq; sequior cogitatio animum vellicaret, suâ manu Christus præcordia illius regeret, velut hostem arceret. Hæc certè manus & oculos Iosephi & pectus protexit. Hinc Ioseph turris Veneri & omnibus illius Cupidinibus inexpugnabilis. Hinc illæ voces cedro & auro imprimendæ: *Quomodo possim hoc malum facere, & peccare in dominum meum.*

O Ioseph, Ioseph, suprema die judicii, Christianorum quanti ad tuam castimoniam erubescent? Tu nullum habebas, quod imitareris exemplum, solam secutus rationem acerrimè defendisti pudicitiam: Nos autem tot accendimur exemplis, tot exhortationibus eruc̊imur, tot urgemur monitis, tot

1. Fuga matura.

2. Cor. 6. vers. 18. Aug. serm. 310. de tempore, p. 395.

3. Finis consideratio.

Sen. ep. 24. pag. 430.

Aug. serm. 310. de tempore med. pag. 396.

4. Intuitus exemplorum.

Ioseph. castitatis defensæ primus Phœnix in Ægypto.

Gell. l. 6. Noct. Attic. c. 8. mihi pag. 217.

Cic. l. 6. fragment. de Rep.

Paradigmata continentiæ, in Balduino Orientis Imp.

Sap. c. 4. v. 1. & 2.

Camiprat. lib. 2. Apum cap. 50. n. 4. 5. 6. In Elisabetha de Wans

Gen. c. 39. vers. 9.

tot præceptionibus instruimur, tot subsidiis juvamur, tot Dei minis terremur, tot Dei promissis erigimur, tot stringimur legibus, & tamen contemptores horum omnium pudicitiam toties tam turpiter violamus; non rarò moribus in speciem sancti, cogitationibus impurissimi. Altissimè infigendum est animo, quod dixit Seneca: *Quid est præcipuum in rebus humanis? Animus luxuriæ non adversus tantum, sed & infestus.* Fugite fornicationem, fugite, fugite. Qui colubrum timet, etiam illius umbram horret.

Sen. l. 3. Natural. quæst. præfat. mihi pag. 708. ubi divina prorsus instillat documenta.

CAPVT V.

Iosephus falsò accusatur, & in carcerem mittitur.

Gen. c. 39. v. 13. usque ad 21.

Vmque vidisset mulier vestem in manibus suis, & se esse contemptam, vocavit ad se homines domus suæ, & ait ad eos: Ecce introduxit virum Hebræum, ut illuderet nobis: ingressus est ad me, ut coiret mecum: cúmque ego succlamâssem, & audisset vocem meam, reliquit pallium, quod tenebam, & fugit foràs. In argumentum ergo fidei retentum pallium ostendit marito revertenti domum, Et ait: Ingressus est ad me servus Hebræus, quem adduxisti, ut illuderet mihi; cúmque audisset me clamare, reliquit pallium, quod tenebam, & fugit foràs. His auditis Dominus & nimiùm credulus verbis conjugis, iratus est valde, tradiditq; Ioseph in carcerem, ubi vincti regis custodiebantur, & erat ibi clausus.

Iosephus apud Putipharem accusatur.

Ægyptia mulier, Putipharis conjux, famuli virtutem, sui contemptum interpretata, pallium, quod impudica invaserat, marito exhibuit, velut certum fœdatæ conjugalis fidei argumentum, simúlque famulum innocentissimum accusans: Vide, inquit, marite mi, qualem servum conduxeris. Homo ille Hebræus, homo nequissimus huc iit, ut dominæ suæ vitium offeret. At ego solis clamoribus pudicitiam defendi posse arbitrata, excivi huc domesticos. At ille territus, quò expeditior se hinc properet, fugæ impedimentum reliquit pallium. Et ne vel ipsis oculis fidem facio. *His auditis Putiphar*, fallaciis improbissimæ uxoris, *nimiùm credulus*, mox horrendum excandescens in Iosephum, in regium carcerem jussit eum abripi, suo tempore pro meritis plectendum.

Novem manipuli, seu monita.

Complures hîc manipulos habemus, quos colligamus. Singuli singulas desiderant dissertationes. Nos quidem ordine omnes, sed breviter, summatimque describemus, singulos ad compendium posituri.

§. I.

1. Impudicus amor non est amor, sed odium.

I. *Mpudicus amor non est amor, sed odium.* Affectus cupidinei sunt prorsus indigni, quos honestissimum amoris nomen condeceret. Nobilissimus atque sanctissimus est affectus *Amor*. Neque hoc nomen libidini tribuendum. Nam quid est amare? Alteri bene velle. At qui impuris in alium ardet affectibus, non alteri bene vult, sed sibi. Animum suum exsaturare, cupiditatem explere cupit. Ab exemplo, quod narramus, res liquet: Ægyptia hæc lupa, Putipharæa, certè non sui famuli felicitatem, sed suam quæsiit voluptatem, sibi suóque genio voluit gratificari: ubi lasciva cupiditas non successit, insanire cœpit, & vociferari: Hebræo carcer, servo crux, Iosepho malum maximum. Numquid hoc amoris fuit? Sibi bene voluit nequissima, non alteri. Libidinis impetus cæci & furiosi. Quod Ambrosius luculentè testatus: Perturbatâ mente, ait, latiùs se ac longiùs fundit appetitus, & ramquam efferato impetu, frenos rationis susçipit. Hispaniæ Rex Rodericus Cavam Comitis Iuliani filiam vitiando perdidit Hispanias. Ipse in prælio cæsus periit, cadaver ejus nusquam, sed vestis, corona, calceus & equus ad flumen sunt inventa. Epitaphium illi hoc scriptum: Hîc jacet ultimus Rex Gothorum. Memoria ejus in omni ore amarescat, & nomen ejus in æternum putrescat. Libidinis impetus furiosus, cæcus, nimis quàm exitiosus.

II. *Hostis est quisquis ad peccandum invitat.* Amicus Plato, amicus Socrates, sed magis amica veritas. Rogaverat Periclem amicorum quispiam, ut patrocinii aliquid suggereret ad palliandum figmentum. Huic Pericles sine fuco: Amicus sum, inquit, sed usque ad aras: Quamdiu nil contra jus fásve à me petis, tamdiu amicum habebis; sin autem injuriæ me cupias esse patronum, experieris adversarium. Ita quivis Christianorum dicat: Quamdiu herus meus, aut hera, cognati aut amici, sorores aut fratres mei, nihil à me petunt, quod Deo, quod rationi aut conscientiæ adversetur, tamdiu gratificari conabor pro viribus; sin autem quidquam postulent, quod Deum, & conscientiam lædat, hîc ego nec dominum nec dominam; non cognatos non amicos, non fratres, non sorores vel hilum curo; hostes sumus: hostis est quisquis ad peccandum hortator est. Ita Iosephus dixerit: Non agnosco dominam, non audio heram, quæ flagitium suadet, famularum postremissima, maleficarum prima est, quæ malum tam grande audet imperare. Non obsequor.

Cùm Moses lascivientes choreas ad aurei vituli pyramidem spectaret: *Si quis est Domini*, proclamat, *jungatur mihi.* Et ingenti manu collectâ: Expedite, inquit, gladios, & irruite in castra, hæc dicit Dominus Deus Israël: *Occidat unusquisque fratrem & amicum, & proximum suum.* Factum strenuè, quod imperatum fuerat à Mose. Et cæsi sunt *eâ die triginta tria millia hominum.* Copiosam hanc cædem laudans Moses: *Consecrâstis*, inquit, *manus vestras hodie Domino, unusquisque in filio & in fratre suo, ut detur vobis benedictio.* Non amicus est Iosepho; non ulli homini probo, quisquis inimicus est Deo.

III. *Virtus in afflictione clarior.* Eleganter dixit Bernardus: *Stellæ in nocte lucent, in die latent; sic vera virtus, quæ sæpe in prosperis non apparet, eminet in adversis.* Quis Iobi virtutes nosset, ni eas afflictionis æstus aperuisset. Nervus belli pecunia, virtutũ ærumna. Iosephi virtus nunquam adeò eminuisset, nî priùs tot adversis conflictata fuisset: Iosephus ipse nunquam ad illud fastigii ascendisset, nisi eum priùs ærumna multiplex depressisset. Vera virtus in adversis eminet, vires cit vulnere virtus. Iosephũ sęva fratrum invidia, falsa dominę accusatio, diuturna carceris injuria, in solium evexerant, & jusserunt esse Proregẽ Ægypti. Titulus longè speciosissimus, nomen prorsus augustissimum est, *Salvator mundi.* Ambis hos titulos Iosephe? Impetrabis: priùs tamen abjiciendus es in foveam, trahendus in servitutem, rapiendus in carcerem, accusandus adulterii tentati, collocandus inter fures & homicidas: Priùs tibi toleranda sunt plurima. Necesse est tua virtus antè in adversis eniteat, quàm in prosperis fulgeat. Enituit & fulsit utrimque. Quod Ambrosius dilaudans: *Ioseph*, inquit, *humilis usque ad servitutem, verecundus usque ad fugam, patiens usque ad carcerem, remissor injuriæ usque ad remunerationem.* Hic Dei mos est suos è tenebris in lucem educere, & *è stercore erigere pauperem, ut collocet eum cum principibus populi sui.*

3. Virtus in afflictione clarior. Bern. Serm. in cant.

Ambr. l. 1. Offic. c. 35.

Psal. 112. v. 7. & 8.

§. II.

IV. *Virtuti semper in acie standum.* Non dormit vera virtus, sed vigilat & excubat, ut cùm opus, intrepida se det in hostis conspectum. Iosephum jam considerate: Neminem habet amicum; desertissimus est;

4. Virtus semper in acie stat.

est, hera odit, herus punit, conservi maledicunt: quis quis audit Hebræum servum hoc sceleris attentasse, detestatur nequitiam audacissimi capitis. Plurima in eum mala conjurarunt; accusatio falsa, confictæ calumniæ, dedecus, & ignominia, tot carceris mala, tot pæne hostes, quot homines, solus ei amicus erat Deus.

Ad animosum cum ærumnis congressum Siracides providè cohortatus: *Fili*, ait, *accedens ad servitutem Dei, sta in timore, & præpara animam tuam ad tentationem.* Sine plagis non exibis: pulsaberis, contundêris, conquassaberis. Ideo maturè arma corripe, sta in excubiis & vigila, ut ad omnem hostis motum occurras non imparatus. Standum in armis, & vigilandum; pugnandum animosè. A Prophetis, à Christo, ab Apostolis undique acclamatur: Vigilate, viriliter agite. Ita Moyses: *Viriliter agite*, inquit, *& confortamini: Nolite timere, nec paveatis ad conspectum eorum: quia Dominus Deus tuus ipse est ductor tuus, & non dimittet, nec derelinquet te.* Ita & David exhortatur: *Viriliter agite & confortetur cor vestrum, omnes qui speratis in Domino.* Ita & Paulus: *Vigilate, state in fide*, inquit, *viriliter agite & confortamini.* Virtuti semper in acie standum.

V. *Stulta credulitas noxæ semper proxima.* Ægyptius dynasta Putiphar sui famuli Josephi fidem ac sanctimoniam annis undecim exploratissimè perspectam habuit: nunquam illum mendacem, nunquam perfidum, nunquam furacem comperit, nullam in eo vel umbram lasciviæ observavit, fidem semper & pudicum, semper obsequentem & castum deprehendit, nec in eo aliud unquam nisi summam pudicitiæ ac verecundiæ curam perspexit; nunc subitò ad uxoris, quam utique procacem esse satis noverat, falsissimam accusationem, inauditâ causâ sententiam præcipitat, & in vincula rapit servum in omnibus fidelissimum. Nimia, stulta credulitas. Nisi vitiosè credulus, stolidéque præceps fuisset Putiphar, examinasset utique factū: Quî enimverò fieri potuit, ut pallium reliquerit? siquidem adeò impudens & ad audendum projectus fuit, ut suæ dominæ vim afferre voluerit, quomodo tam timidus extitit, ut sine pallio profugerit? Nil horum est quæsitum, nil examinatum. Et an non rationis fuisset dicere: Audiamus, obsecro, & ipsum, quid fingat, quid respondeat, num trepidet, an expalleat, aut erubescat? Istorum nihil stulta credulitas admisit: abruptè & præcipitanter egit. Mox ad fontes famulum Hebræum ablegavit. Josephus historicus opinatur, hunc Putipharis famulum acriter flagellatum, deinde primùm carceri mandatum. Hæc nimiæ credulitatis imperia fuerunt. Sapienter dixit Seneca: *Utrumque vitium est, & omnibus credere, & nulli.* Extrema sunt, & tardè nimium, & nimiùm citò credere.

VI. *Carceres subinde Angeli, calum quandoque habitant diaboli.* Carcerem Tertullianus domum diaboli appellat, cùm illuc plerumque homines scelerati trahantur. Nihilominus in hoc diabolorum ergastulo nonnunquam Angeli, in beatorum domicilio deprehenduntur diaboli. Joannes Baptista moribus & vitâ Angelus in carcere jacebat, Herodes & Herodias in suo cœlo epulabantur. Petrus & Paulus vinculis attinebanturin ergastulo: Nero deambulabat in aureo palatio. Christiani bonâ conscientiâ freti cacerem ut templum subeunt. Certè tot centena millia sanctorum Martyrum ergastula & carceres jam pridem consecrarunt innocentiâ. *a* Supremus Orbis judex de seipso dicturus est: *In carcere eram, & venistis ad me; in carcere eram & non visitastis me.* *b* Libera est in ipsis carceribus vitæ integritas, & quod Ambrosius dixit: *Captivitatis nescia est pudicitia.* *c* Melius est, indignus carcer, quàm indigna libertas; multóque satius, immeritum mala pati pro justitiâ, quàm per scelus bonis affluere. Et quis carcere non claditur, aut quis inde digreditur, nisi cùm moritur? Vetus hæc nostrûm omnium sors est. Ex quo die nati sumus, imò antequam nasceremur, in carcerem & in vincula missi sumus illius imperio, cui omnis orbi ambitus exigua domus est.

Carcer non paucos ad insignem gloriam, alios ad eximiam fortunam, ad regnum alios, multos ad cœlum misit, ad sepulchrum omnes: nullum cepit, quem non redderet. Visne tibi tumulus omnis amplissima videatur? Sepulchrum cogita: Nullum virtus habitaculum spernit, nisi vitiis occupatum.

§. III.

VII. *Suis Deus nusquam deest.* Sicut Deus fuit cum Josepho in Putipharis domo, quod historicus sacer asserit: *Fuitq; Dominus cum illo*: ita eundem Deus protexit in ergastulo. Eodem teste: *Fuit Dominus cum Ioseph, & misertus est illius, & dedit ei gratiam in conspectu principis carceris.* Nimirum gubernatrix Dei Providentia, quod liber Sapientiæ canit, *venditum justum non dereliquit, sed à peccatoribus liberavit eum, descendit cum illo in foveam, & in vinculis non dereliquit illum; donec afferret illi sceptrum regni, & potentiam adversus eos qui eum deprimebant: & mendaces ostendit, qui maculaverunt illum, & dedit illi claritatem æternam.* Ad amussim omnia de Josepho dicta. Descendit cum illo in foveam. Adeò nunquam suos æterna Providentia usquam deserit, ut cum illis & carceres, & foveas, & ignes ingrediatur. Triennium Josephus cum suis virturibus pæne sepultus delitescebat; Deus illi semper aderat; demum etiam è sepulchro illo eduxit in lucem regnum. Ita Deus tres Hebræos juvenes in rogo Babylonico defendit. Tres quidem in flammas sunt immissi, sed *species quarti similis filio Dei.* Quandoquidem Christus in Orbem erat venturus, flagellandus, crucifigendus, immolandus pro humanâ gente, cruentam hanc tragœdiam ab ipsis Orbis incunabulis velut apparatu prævio in suis probavit: sic in Abele justo cæteriisque suorum omnibus usque ad Joannem Baptistam mortem pertulit. *Occisus est ab origine Mundi.* Ita in suis passus plurima, cum suis semper fuit. Hunc in adversis præsentissimum adjutorem monstrans Ambrosius: *Non turbentur*, inquit, *innocentes, cùm falsis criminibus appetuntur. Visitat Deus suos & in carcere, & ideo ibi est plus auxilii, ubi est plus periculi.* Jam olim Deus sanctissimè promittens: *Cum ipso*, inquit, *sum in tribulatione.* Sed unde scimus, ait Bernardus, quòd nobiscum sit in tribulatione? Ex eo utique, quòd in ipsâ tribulatione nos simus. Multi, licet dicere, affliguntur, qui tamen in afflictione non sunt, quia esse in eâ nolunt. Sicuti quidam pœnâ proscriptionis afficiuntur, qui tamen illam aut vi aut contemptu excutiunt, quia delictum non agnoscunt: ita multi acerbitatibus uruntur, qui tamen in hoc igne non sunt, quia esse in eo nolunt, atque adeò suâ impatientiâ Deum à se repellunt.

VIII. *Summum vitæ præsidium, divinæ Providentiæ veneratio.* Putiphar uxoriis calumniis in Hebræum servum durissimus, atque acerbissimus redditus absque dubio vehementer sæviit; quod autem hunc servum non statim pugione confoderit, aut in crucem attolli jusserit, sed in vinculis solùm custodierit, divinæ Providentiæ in Josephum benevolentia fuit. Putiphar vir militaris, regii exercitûs princeps, summus militiæ magistratus in levi habuisset hominem Hebræum, exterum, servum, & quidem emptitium in crucem affigere, nisi Providentia divina obstitisset. Hæc *venditum justum non dereliquit.* Utinam, ah utinam tandem caperemus, quomodo divina Providentia per omnes támque multiplices errores nostros suavissimè sua omnia perficiat decreta. Nos millies erramus, & impingimus quotidie, Deus tamen nihilominus sua consilia inoffenso pede ad finem pulcherrimè deducit.

Hîc jure quæsierim: Quid in Orbe rerum omnium longè admirabilissimum? Hoc ipsum certè, quòd Deus inter

7. Suis Deus nusquam deest. *Gen. cap. 39. v. 2. Ibid. v. 21. Sap. cap. 10. v. 13. & 14.*

Dan. cap. 3. v. 92.

Apoc. c. 13. v. 8.

Psalm. 90. v. 15.

8. Summum vitæ præsidium, divinæ providentiæ veneratio.

Deus inter innumeras hominum culpas suâ voluntatem ad exitum adducit.

inter innumeras hominum errationes & culpas, suum ipse consilium omne, suámque voluntatem ad exitum suavissimè adducat. Ex omni malo Deus aliquid boni eliquat. Quis non miretur patremfamilias domum optimè gubernare, & semper quod domui utilissimum est facere, cùm tamen domesticos habeat pessimos, qui quotidie plurima negligant; in plurimis offendant? Deus hic paterfamilias est, cujus providentia nunquam fallitur, nunquam errat, etsi erret in dies familia gravissimè. Divinam hanc Providentiâ credere, est etiam simul credere, omnia mala, quæ ab hominibus, aut aliunde proveniunt, in bonum vertenda illi, qui ipse fuerit bonus.

Rom. cap. 8. v. 28. 1. Pet. cap. 3. v. 13. *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum; & quis est qui noceat, si boni æmulatores fuerimus.* Exempli gratiâ: Hic nequam homo tribus millibus florenorum me decepit. Quis primus hujus non dico peccati, sed mali, seu pœnæ auctor? Certè, Deus, qui ex hac ipsâ, quam queror, fallaciâ, boni aliquid in meum bonum eliciet, modò ego non malus sim. Res certa, idem omnino in infinitis aliis injuriis, fraudibus, nequitiis, imposturis sentiendum. Considerate cadaverosam & prope perditam Germaniam, quæ bellis intestinis ardet, dum hæc scribo, jam annis viginti. Sed nec dum finis calamitatum. Aliud ex alio malum nascitur. Quę prima horum omnium origo? Jam dixi; Deus. Numquid enim *in civitate malum, est, quod Dominus non fecerit?* Hoc autem bellicum malum infinita suo complexu trahit mala. Et quanti diebus singulis errores, quæ non flagitia committuntur? quantæ negligentiæ, ambitiones, injustitiæ, libidines, rapinæ, cædes flagitiosæ, quot prava, noxia miscentur consilia, quot diversa cumulantur scelera, & tamen Deus omnia optimè gubernat, dirigit, remunerat, punit, ad nutum omnia conficit, ad suum quæque finem felicissimè perducit, & nec punctulo à suâ ipsius voluntate aberrat. *Tua, Pater, Providentia, ab initio cuncta gubernat.* Faciamus nos, quod nostrum, cetera omnia divinæ Providentiæ sine ullâ trepidatione, & quàm plenissimè committamus. Hæc divinæ Providentiæ veneratio summum vitæ præsidium est.

Amos cap. 3. v. 6.

Sap. cap. 14. v. 3.

9. Sua cujusque innocentia, defensio optima.

IX. *Sua cujusque innocentia, defensio optima.* Adversus omnes, & accusationes falsas, & impudentes calumnias non est potentior defensio, quàm innocentia, & bonæ conscientiæ testimonium. Josephus insons suam omnem caussam commisit Deo, suas tunc partes esse ratus, ea omnia silentio & patientiâ concoquere. Ita Susanna jam morti destinata victima, jam lapidibus adjudicata, jam ducta, non insanis sese clamoribus est tuita, propitio Deo suam transcripsit innocentiam, faceret, quod vellet bonus Deus. Ita Virgo beatissima, Dei Mater conjuge Josepho secessionem parante tacuit, & Deo providentissimo se suáque credidit. Actorem habet potentem, qui Deum sibi caussidicum adsciscit & patronum. Elector Saxoniæ Fridericus II. cùm in Magdeburgensem Præsulem pararet arma, ab exploratoribus renuntiatum est, episcopum Magdeburgi nil armorum cogitare, quietissimum esse; hanc unam ex ejus ore vocem exceptam: se caussam suam tradere agendam Deo, qui pro servo suo sumpturus esset arma. Ubi hoc Fridericus Elector audiit: Alius, inquit, meo loco insaniat, & bellum inferat illi, qui sui patrocinium, & belli summam Deo adhibuit. Tam religiosè quàm prudenter. Haud aliter nobis in caussis plurimis sentiendum: Insaniam hanc alii insaniant nostro loco, nos caussam hanc divinæ Providentiæ delegamus (nisi cogamur aliud facere) & opem expectamus ab alto. Innocentia, defensio optima. Sat potens est Deus suorum tutor. *Bonum est cum silentio præstolari salutare Dei. In silentio & spe erit fortitudo nostra.*

Causam suam commiserunt Deo Josephus, Susanna, B. V. Maria,

Præsul Magdeburgensis.

Thren. c. 3. v. 26. Isa. cap. 30. v. 15.

CAPVT VI.

In Iosephi carcerem duo ex aulâ Pharaonis conduntur. Omnia humana Somnium.

Fvit autem Dominus cum Ioseph, & misertus est illius: & dedit ei gratiam in conspectu principis carceris. Qui tradidit in manu illius universos vinctos, qui custodiâ tenebantur: & quidquid fiebat sub ipso erat. Nec noverat aliquid cunctis ei creditis: Dominus erat cum illo, & omnia opera ejus dirigebat. His itaque gestis accidit, ut peccarent duo Eunuchi, pincerna regis Ægypti, & pistor, Domino suo. Iratúsque contra eos Pharao (nam alter pincernis præerat, alter pistoribus) misit eos in carcerem principis militum, in quo erat vinctus & Ioseph. At custos carceris tradidit eos Ioseph, qui & ministrabat eis: aliquantulum temporis fluxerat, & illi in custodiâ tenebantur. Gen. 39. v. 21. & 22. & 40. v. 1. & 2. & 3. & 4.

In carcerem conjectus Joseph non minus Numinis favorem sensit, quàm in ipsâ parentum domo. Nam carceris præfectus juvenem illum non eleganti solùm vultu, sed & moribus sanctis præditum observans, ipsius curæ vinctos omnes, sed & alia domûs commisit. Cernebatur namque Josepho præsentissimus semper subministrator & opifer esse Deus. Interim in Pharaonis aulâ duo palatini famuli, pincerna & pistor, nescio quid carcere dignum commiserunt, in eandem ablegati custodiam, ubi ambos carceris Magister Josephi curæ tradidit. Colligamus hinc manipulos. Tanta favoris sensit. Quamvis in ipsa domo. Custos eos Ioseph. Quamvis seu mandatum.

1. *Omnis locus virtuti opportunus.* Quemadmodum dici solet: Etiam in lectulo locus est virtuti. Nam æger in lecto velut in theatro tam commodè potest exhibere patientiam, quàm sanus in templo. Josephus suas virtutes in carcere, velut Philosophiæ, aut Theologiæ professor, suam eruditionem in Lyceo, compluribus probavit. Ejus rei & Philo testis: Erudiebatur, inquit, sermonibus & præceptis Philosophicis, maximéque ipsius doctoris exemplis utilissimis. 1. Omnis locus virtuti opportunus.

2. *Vbi culpa, ibi pœna.* Quid aulici duo famuli deliquerint, non constat. Si ulla Rabbinis sit fides: Pincerna regi ministravit poculum illapsu muscæ teneratum. Pistor, ut ajunt, lapillum incoxit pani. Utrumque incertissimum, non tamen prorsus incredendum. Barbari reges similia & graviora statuerunt supplicia levissimis quandoque noxis. Impius Boëmorum rex Wenceslaus, qui anno Christiano millesimo quadringentesimo, decimo nono obiit, eâ in suos fuit sævitiâ, ut cùm coquus prandium semel non parasset tempori, cocum veru figi jusserit, & velut capum assari. Impios regis istius mores depingit Florimundus Ræmundus. Verosimile est duos regios illos ministros piceatas habuisse manus, & è re domini suam auxisse, aut aliter fidem & jusjurandum neglexisse. 2. Vbi culpa, ibi pœna. *Rom. lib. de orbis reg. cap. 3.*

3. *Bona Mundi instabilia.* Uterque palatinus servus, antequam collectam gratiam effunderent, magni erant, & domino suo chari, nunc ubi apud regem cœperunt esse in offensâ, irrisui sunt & ludibrio: jam nullos habent amicos, qui eos anteà vix numerare poterant. Jam illis occinitur: Excidisti gratiâ? omnium excidisti amicitiâ. Nemo te novit ampliùs. Hic Fortunæ Sardonius est risus, hæ Mundi vices, hæc ludibria; nil in eo firmum aut stabile; Favores, gratia, honores, opulentia lunæ simillima, suis & augmentis & decrementis convalescunt, & deficiunt. 3. Bona mundi instabilia.

4. *Humana felicitas, & vita somnium est.* Hic manipulus nobis solvendus nunc est, & explicandus. 4. Humana felicitas & vita somnium est.

§. I. Triplex

§. I.

TRiplex somniorum genus à Deo, à dæmone, à naturâ immissum. Si à Deo; conjectemus & attendamus quid moneat Deus. Si diabolo; negligamus & contemnamus. Naturalia pariunt affectus & cogitationes diurnæ; item diversa corporis constitutio, Homo dives sanguinis, volucres & prata, musicam & convivia somniat; subinde per aërem volat, quæ bonam corporis temperiem, & harmoniam humorum significant. Pituitâ & bile atrâ abundans, foveas & aquas; arduas, præcipites, periculosas vias; lapsus & fugas; nec ulla tuta effugia; plerumque tristia & tetrica, morbos, mortem, funera, sepulchra somniat. Quid porrò de somniis sentiendum? Quid ex iis sciri potest? num divinare licet & ea interpretari? Ajo, de valetudine, de futuris, de affectionibus corporis, de boni malive habitûs temperamento, conjectare licet ex insomniis. Medicorum principes Hippocrates & Galenus scripserunt libros, de sumendis præsagiis ab insomniorum naturâ & discrimine. Addo: Probè notæ scriptores asserunt, nec putem imperitè, posse quem è somniis suis facilem facere conjecturam, quantùm in virtute profecerit, aut defecerit ad vitia. Ita quidem, ut si cui somnium turpe ac lascivum obliciatur, & ille acriter repugnet, argumento est, vigilantem non solere illi vitio succumbere. Sin autem somnians assentiatur turpitudini objectæ, signum erit; eum interdiu vitio illi subinde obsequi. Ita Zeno sentiebat, ex insomniis suum quemque progressum posse deprehendere, si videlicet non turbida aut turpia ea sint, sed altâ tranquillitate composita, imagines & animi motus hilariores habeant.

Somniis inest quis facere conjecturam quantum in virtute profecerit, aut defecerit ad vita.

Nihilominus tutissimum, majorem partem somnia putare somnia, hoc est, parvi facienda; interpretationes eorum non exquirere: nam iis facilè aut fraudes se miscent, aut superstitiones. Lex Hebræis lata: *Nec invenietur*, inquit, *in te, qui ariolos scisciteur & observet somnia.* Nam somnia eorúmque explicationes raro admodum è cœlo descendunt: Somnia Joseph Pharaoni, Daniel Nabuchodonosori explicavit. Hoc autem docendi genus, quàm ratum est? Nec è solido hîc quidquam sciri potest, nisi Deus id patefaciat. Siracides canit: *Somnia extollunt imprudentes: Quasi qui apprehendit umbram, & persequitur ventum, sic & qui attendit ad visa mendacia. Multos errare fecerunt somnia, & exciderunt sperantes in eis. Nuper*, ait Gregorius, *somniavit quispiam sibi vitam in plurimos annos prorogandam. Ille somnio tam benevolo credidit, & magnam pecuniæ vim collegit, sed subito fati genere abreptus, non lacrymas, sed risum movit lætissimis hæredibus.*

Tutissimū est somnia parvi facere. Deut. c. 18. v. 10. Eccli. c. 34. v. 1. 2. & 7. Greg. lib. 4. dial. cap. 48. & 49. Vide Lucianum Danforium, in cap. 40. Genesis pag. 295.

Sapienter Plato dixit: Spes mortalium, sunt somnia vigilantium, Humanus favor merum somnium, Mundi felicitas merum somnium, Vita omnis humana somnium merissimum. Quod vel ex hac Josephi historiâ fit perspicuum.

Vitam humanam esse somnii, probatur: 1. Humanus favor est somnii. Prov. c. 31. v. 30.

I. *Humanus favor somnium.* Salomoni hoc credemus asserenti: *Fallax gratia, & vana est pulchritudo.* Ad rem hîc Philo: Vir civilis, inquit, somniorum interpres est, non sicut isti nugatores garruli, mercenarii, qui pecuniolam studeant emungere, sed vigilantium somnium intelligit. In somnio videntes non videmus; audientes non audimus; loquentes non loquimur; deambulantes non deambulamus, sed mens fingit sibi simulachra non existentium. Disquirat quis apud se: Nónne fuimus infantes, pueri, adolescentes, juvenes, non eodem, sed progrediente tempore, jam viri, jam senes sumus, sæpius ægroti, nonnunquam pæne mortui. Et hæc omnia velut somnium transierunt. Forma, vires, valetudo, an non breve somnium sunt? Ingentes opes sæpe una dies abstulit. Imperia regum maximâ brevi temporis spatio funditus subversa. Verissimè Annæus, *Regna*, inquit, *ex infimo coorta supra Imperatores jacuerunt. Vetera imperia in ipso flore ceciderunt. Iniri non potest numerus, quàm multa ab aliis fracta sint. Nunc cum maximè quis Deus exaltat, alia submittit, nec molliter ponit, sed ex fastigio suo nullas habitura reliquias jactat.* Dionysius Siculorum rex Corinthum profugit, & ludimagistrum egit inops litterator factus è tanto principe. Crœsus regnum opulentissimus regnum Persarum ibat eversum, suum interim non tantùm amisit, sed & in rogum comburendus venit. Huic somniorum veritati testimonium denuntiant non singuli duntaxat homines, sed totæ civitates, provinciæ, regna, populi. Omnia umbris, spectrisque similia. Fallax gratia, fallacissima. Et quoties miseri somniamus, gratiam non appetiisse solùm, sed & apprehendisse. Cùm evigilamus, magnum reperimus inane, & cum Æsopi cane, qui carnem in aquis inhiabat, delusos nos ingemiscimus.

Sejanus Tiberii Cæsaris ocellus, eâ sanè pollebat gratiâ, ut illi Cæsar non facilè quidquam negaret, imò etiam parentem suum appellaret. Sejanus patrina munera cui voluit, prout voluit, divisit. Per Tertullam Tiberii aut Sejani, aut utriusque passim jurabant; saluti Tiberii & Sejani libabant. Sejanus imperator fuit, & ad clavum sedit, Tiberius imperatoris nomen & umbram habuit. Subitò mutavit aura, & evanuit omnis gratia. Tiberius è Campaniâ à Capreis ad senatum breve misit epistolium, quod Sejano & opes, & gratiam, & caput ademit. Nec simplici tantùm supplicio defunctus est.

De Sejano vide Dionē Cassium lib. 58. & Tacitum Salianum to. 6. Annal. ad annum Christi 31. mihi p. 876.

Sejanus ducitur uncо
Spectandus; gaudent omnes ———
Dum jacet in ripâ, calcemus Cæsaris hostem.

Juvenal. sat. 10. à v. 65. ad 100.

Priùs non tantùm salutabatur ut Cæsar, sed adorabatur ut Deus:

Visne salutari, sicut Sejanus? habere
Tantundem? ———

Hi tunc sermones in triviis de Sejano jactabantur:

——— *Sed quæ præclara, & prospera tanti*
Vt rebus lætis par sit mensura malorum?

A profano satyrio sanctissimè hæc dicta: O Sejane quàm fallax gratia, quàm instabilis? Fallacissima, instabilissima; somnium merissimum. Ubique conjugatio mellis & fellis: Unus subinde sincerus est amicus, & decemplex luctus. Sejanus altam sibi turrim condidit, sed ut tantò miserabiliùs corrueret, quantò altiùs ascendisset. Familia Sejani tota est extincta: Filia illius, ut posset occidi, à carnifice priùs debuit violari. Eò propudii devenit nobilissima domus. Casus Sejani horrendus, sed nec primus, nec ultimus; hac illũ viâ præiverunt multi, sequentur plurimi. Humanus favor innumeris illudit; somnium est.

Claudianus præfat. ad sextum Honorii Aug.

Omnia quæ sensu volvuntur nota diurno,
Pectore sopito reddit amica quies.

Dignitates nobis fingimus, & opes, & voluptates. Ah somnia sunt à desiderii æstu immissa. *Humanus favor somnium inanissimum.*

§. II.

II. *Mundi felicitas æquè somnium est vanissimum.* Pincerna regius magnam sibi felicitatem obvenisse censuit à sui restitutione in pristinam dignitatem & officium. Summa votorum fuit, vinculis emitti, denuo crateri regio admoveri, sed hoc certè somnium erat, iterum à populis stare, calicem Pharaoni porrigere, pristinum pincernæ munus ex integro recipere. Omnia hæc facta. Sed hæc omnia erant somnium, in auras brevi spargendum. Verissimè somniat, qui perituræ felicitatis melleas guttas inhiat. Non credimus hæc inquis. Expectemus igitur, obsecro, dum evigilemus, & somniorum vanitas patebit. Isaias certè potentiam Assyriorum, qui Synagogam, & vires Romanorum, qui Ecclesiam afflixerunt, somnium appellans: *Et erit sicut somnium*, inquit, *visionis nocturnæ, multitudo omnium gentium, quæ dimicave-*

2. Mundi felicitas æquè somnium est vanissimū.

Isa. cap. 29. v. 7.

micaverunt contra montem Sion. Sed neque his oraculis fidem habemus, alioqui tam calidè felicitatis vanæ somnia non appeteremus. At patebit tandem rei veritas cùm ad æternitatem evigilaverimus. Has somniorum fallacias deridens psaltes: *Dormierunt*, inquit, *somnum suum, & nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus suis.*

Psalm. 75. v. 6.

Ita Hieronymus, Zosimus, Marcellinus, Claudianus.

Ruffinus domo vilis, ære modicus, dignitate nullus, eò amplitudinis excrevit Constantinopoli in aulâ Theodosii, ut ad ipsum ascenderit consulatum, quem cum Arcadio gessit. Omnia egit pro libitu, Cæsari ad arbitrium moderatus est, neque jam aliud decrat, quàm ut ipse Cæsarem ageret. Sed nec istud ei fortuna deesse voluit. Jámque instabat dies, quo Ruffinus proclamaretur Imperator; jam diadema & purpura, jam epulæ ac spectacula, jam donativum militi, aurea moneta plebi spargenda, ejus effigie signata, jam inaugurationi parata erant omnia. Subitò mutavit aura, & Ruffinus à militibus in mille partes sectus est; caput conto affixum, manus ostiatim circumgestata, adjunctis vocibus: Obolum Ruffino pauperi date. Non defuerunt, qui joco dederunt: inserta in manum stipe, milites nervum sic attraxerunt, ut manus quasi stipis avida comprimeretur.

Aug. in psal. 72. p. 324.

Quàm præclarè dixit Augustinus: *Fac hominem in somnis videre se invenisse thesauros; dives est, sed donec evigilet. Quæritur thesaurus, & non est, nihil in manibus, nihil in lecto. Pauper dormierat, dives in somnis factus fuerat. Si non evigilasset, dives esset. Evigilavit; invenit æruminam, quam dimiserat.* Ruffinus, & ejus fortunæ mille alii, qui subitis incrementis in altum evadunt velut pegmata, * tamdiu divites sunt & felices, quamdiu non evigilant. Cùm autem æternitas diducit oculos & somnum excutit, somniorum patet vanitas. *Amaverunt præsentia*, † inquit Augustinus, *& dormierunt in ipsis præsentibus, & sic illis facta sunt ipsa præsentia delicioſa, quomodo qui videt per somnium invenisse se thesauros, tamdiu dives, quamdiu non evigilat. Somnium illum divitem fecit; evigilatio pauperem fecit. Tenuit illum somnus forte in terrâ dormientem, & in duro jacentem, pauperem & forte mendicum. In somnis vidit se jacere in lecto eburneo, vel aureo, & in plumis aureis altiùs extructis; quamdiu dormit bene dormit, evigilans invenit se jacere in duro, in quo illum somnus tenuerat. Tales sunt & isti: Venerunt in hanc vitam & per cupidinates temporales quasi obdormierunt hîc, & exceperunt illos divitiæ, & vanæ pompæ volaticæ & transierunt, non intellexerunt, quantum inde boni posset fieri. Nam si nossent aliam vitam, illic sibi thesaurizarent, quod hîc erat perituruin.* Hæc somnia interpretatur Isaias in hunc modum: *sicut somniat esuriens & comedit, cùm autem fuerit expergefactus, vacua est anima ejus, & sicut somniat sitiens & bibit, & postquam fuerit expergefactus, lassus adhuc sitit, & anima ejus vacua est.* Ita qui opes, qui honores, qui voluptates avariter in se ingurgitant, inexplebilem cupiditatem ah non exuant, quia somniant. *Omnis Mundi felicitas somnium.*

* *Pegmata, ligneæ moles, & machinæ consimiles, quæ ex inopinato in sublime solebant crescere. De his vide Commentarios Matth. Raderi lib. Spectaculorũ mihi p. 24.*

† *Aug. in psal. 75. mihi pag. 339.*

Isa. cap. 29. v. 8.

§. III.

§. Omnis hominum vita somnium. Philo in vitâ Viri civilis mihi pag. 424. & seq.

III. *Omnis hominum vita somnium.* Hoc disertissimus Philo egregiè prosecutus: *Ego non dissimulanter dico, civilem virum somniorum esse interpretem, non quales isti nugatores garruli mercenariique, quæstum facientes ex nocturnis somniorum ludibriis. Sed qui magnum illud somnium commune, publicúmque vigilantium non dormientium exactè intelligat. I, somnium, ne quid mentiar, est vita hominum. Nam sicut in somniorum visionibus videntes non videmus, audientes non audimus, gustantes, aut tangentes, nec gustamus nec tangimus, loquentes non loquimur, deambulantes non deambulamus: sed cùm videamur uti notibus & habitibus, nullo prorsùs utimur, mente inaniter sine ullis veris subjectis pingente sibi simulacra rerum non existentium, tanquam existentium. Eodem modo etiã vigilantium imaginationes somniis sunt simillimæ; veniunt, abeunt, occurrunt, refugiunt, priusquam comprehendantur avolant. Disquirat quisque apud se, & domi testimonium inveniet, ut ipse taceam, præsertim si quis est ætate provectior. Is fuit aliquando infans, mox puer, deinde pubens, deinde adolescens, postea juvenis, postea vir, postremò senex, sed non simul omnia. Nónne infans puero cedit, puer pubenti, pubens adolescenti, adolescens juveni, juvenis viro, vir seni, senectus morti? & fortasse singulæ ætates decedendo præmoriuntur; naturâ nos paullatim docente non timere mortem extremam omnium, quando priores facilè tulimus, infantiæ, pueritiæ, pubertatis, adolescentiæ, juventutis, virilitatis; quæ omnes ætates ante senectutem evanuerunt. Quid aliæ res corporis nónne somnia sunt? nónne pulchritudo momentanea pæne priùs marcescit, quàm floreat? sanitas incerta infirmitatibus obnoxia? robur morbis expugnabile per occasiones plurimas? Sensuum integritas honoribus vitiosis facilè corrumpitur? Iam quanta sit in rebus externis obscuritas quis nescit, ingentes opes sæpe una dies abstulit. Multi honoratissimi antea versis rerum vicibus in contemptum venerunt cum ignominiâ. Imperia regum maxima brevi temporis momento subversa sunt.* Quidam prolixas sibi felicitates fingunt, at istæ partim somnia, partim magnorum sæpe malorum initia sunt. Cùm igitur humana vita somniorum plena, imò merum pæne somnium sit, oportet intervenire virum civilem, qui somniorum interpretem agere, qui visa hominum, se vigilare credentium, dijudicare, de die somniantium ludibria explicare possit. Cùm equestris pompa & triumphus urbem ingreditur, primos & alteros, tertiósque mox alios atque alios ordines curiosis oculis spectamus: Ubi tota transvectio præteriit, tam nihil rei visæ remanet in oculis, perinde si somnium vidissemus. Sic vitæ negotiã currentia & præterlabentia videntur manere, cùm ne momentum quidem maneant; abeunt omnia & instar somnii evanescunt.

Non absimile somnium narrat Æneas Sylvius, dein Pius II. Pontifex Maximus. Matthias nondum rex Pannoniæ, Joannis Huniadis Corvini, qui Turcarum terror erat, filius, parente mortuo, à Boëmorum rege Ladislao captus, & vinculis arctissimis mandatus est, quòd Comitem Udalricum regis cognatum occidisset. Captivus primò Budam hinc in Bohemiam ductus, sine omni spe libertatis; nec enim aliud nisi mortis sententiam in dies opperiebatur. Ladislaus sponsus jam omnibus ad festas nuptias paratis, in balneo à feminâ pomum honorarium accipit, quod cultellus mediâ parte venenatus secuit, ne ulla esset virulentæ fraudis suspicio, cùm alteram pomi partem comederit, quæ primam porrexit. Ita dimidium pomum Ladislaus edit, post quod nil amplius edit. Mortuo Ladislao Matthias evocatur è carcere ad sceptrum, & ad solium Ungariæ Rex inaugurandus. O vices rerum admirandas! Singulare hoc fuit inconstantissimæ vitæ documentum. Alter è solio dejectus à morte, dum novæ nuptæ exornat thalamum, veneno interfectus defertur ad tumulum: alter dum capitale judicium trepidus expectat, è carcere vocatur ad regnum. O pulchri ludi in hoc Orbe! En somnia! quæ tandem illorum est interpretatio?

Æneas Sylvius, lib. de rebus gestis Friderici III. Imp. pag. 310.

Philo tanquam interpres eleganter sanè de horum somniorum vanitate differens: *Hoc prudenter factum*, inquit, *hoc fortiter, hoc piè, hoc sanctè, hoc utiliter; & è diverso hoc factum inutiliter, hoc imprudenter, hoc timidè, hoc profanè, hoc impiè, hoc noxiè, hoc ambitiosè. Hoc alienum est, ne concupiscas; hoc tuum, utere, non abutere. Affluunt opes? impertire. Multò pulchrior, multóque pretiosior est pecunia in pauperum dextrâ, quàm in arcâ. Pauca possides? Cave invideas divitibus. Pauperem invidum nemo miserabitur. Honoratus es? Cave insolentiam. Humilis conditionis es? Noli despondere animum. Succedunt tibi omnia ex sententiâ? Mutationem time. Offendis sæpius? Humanum est; collige animum, & jam cautior progredere. Spe falleris? Desiderata non obtines? Ne mirare.* Omnia humana somnium: fallax gratia, fallax felicitas, fallax vita. Quod Ambrosius pensiculatè cogitans: Caduca

Philo in vitâ Viri civilis mihi pag.

duca hæc, inquit, omnia cum damno, sine lucro: illud solum est lucrum, ubi fructus perpetuus, ubi æternæ merces quietis. Eam ob rem Nazianzenus hortatur: Præsentem molestiam in futuro ævo abde. Evigilate justi & quidquid boni fruendum, quidquid obtingit mali perferendum, in æternitatem trajicite. Is demum vivit, qui uni vivit æternitati.

CAPVT VII.

Iosephus somniorum interpres: Humani & Divini favoris quantum discrimen.

Gen. 40. v. 5. usque ad 20.

Vidérúntque ambo somnium nocte unâ juxta interpretationem congruam sibi. Ad quos cùm introisset Ioseph manè, & vidisset eos tristes, scisciatus est eos, dicens: Cur tristior est hodie solito facies vestra? Qui responderunt: Somnium vidimus, & non est, qui interpretetur nobis. Dixitq; ad eos Ioseph: Nunquid non Dei est interpretatio? referte mihi quid videritis. Narravit prior, præpositus pincernarum, somnium suum: Videbam coram me vitem, in quâ erant tres propagines, crescere paulatim in gemmas, & post flores uvas maturescere: calicémque Pharaonis in manu meâ. Tuli ergo uvas, & expressi in calicem, quem tenebam, & tradidi poculum Pharaoni. Respondit Ioseph: Hæc est interpretatio somnii. Tres propagines, tres adhuc dies sunt: post quos recordabitur Pharao ministerii tui, & restituet te in gradum pristinum, dabisq; ei calicem juxta officium tuum, sicut antè facere consueveras. Tantùm memento mei, cùm tibi bene fuerit, & facies mecum misericordiam: ut suggeras Pharaoni, ut educat me de ipso carcere: quia furtim sublatus sum de terrâ Hebræorum, & hîc innocens in lacum missus sum. Videns pistorum magister, quòd prudenter somnium dissolvisset, ait: Et ego vidi somnium. Quòd tria canistra farinæ haberem super caput meum: & in uno canistro, quod erat excelsius, portare me putabam omnes cibos, qui sunt arte pistoriâ, avésque comedere ex eo. Respondit Ioseph: Hæc est interpretatio somnii. Tria canistra tres adhuc dies sunt, post quos auferet Pharao caput tuum, ac suspendet te in cruce, & lacerabunt volucres carnes tuas. Josephus jam pene carceris præfectus cùm aulicos duos captivos accessisset, tristiores eos observans tristitiæ caussam quæsiit. Cui uterque: Somniavimus, ajunt, nec est, qui somnium interpretetur. Jussi dicere. Pincerna regius sic orsus est: Videbam vitem lentè crescentem in tres diffundi propagines. Ego maturas jam uvas in Pharaonis poculum expressi, regiúque porrexi. Cui Iosephus: Somnii, ait, explicatio hæc est: Evolutis diebus tribus tuo te muneri rex restituet; tu potionem more solito gustu libabis. Sed quæso te cùm bene tibi fuerit, mei memineris, & suggeras Pharaoni, ut innocentiam meam in libertatem asserat. At qui pistrino præfectus fuerat interpretis prudentiam audiens: Et ego, inquit, somniavi me capite portare canistrum triplex, supremo quidem contineri, quidquid artis est pistoriæ, & aves inde pasci. Cui Joseph: Tres, inquit, supersunt dies, quibus elapsis in crucem attolláris, & volucres cadaver tuum lacerabunt. Exinde dies natalitius Pharaonis erat tertius, quo epulum regale palatina familia celebravit, in eo rex memor vinctorum, jussit pincernam denuo sibi à poculis esse; pistorum principem in furcam egit. Eventu utroque conjectoris veritas comprobata est.

Joseph somnia explicat.

Ex uberrimâ hac Josephi messe nos more nostro manipulos colligamus.

Quinque manipuli seu monita:

1. Beatitudinem sperantis facilia omnia.

I. *Beatitudinem sperantis facilia omnia.* Integerrimus Joseph è custodiâ reorum, scholam fecit virtutis, in ratione vertit necessitatem, amara omnia condiit patientiâ, sermonibus & exemplo alios erudiit. Ad rem insigniter Tertullianus: *Nihil interest, inquit, ubi sitis in sæculo, qui estis extra sæculum.* Nihil sentit crus in nervo, cùm animus est in cœlo.

2. Aliena vitia magis tegenda, quàm propria.

II. *Aliena vitia magis tegenda, quàm propria.* Joseph quantumvis innocentissimus, non tamen fratres suos, non suum dominum, non dominam, non hominem ullum quàm accusat, id solùm significat: In Hebræorum terrâ furtivè venditus, & insons in carcerem missus sum. Ut omnium famæ nominíque parceret, nullius expressit nomen.

3. Injurias digerere Christianæ nobilitatis est.

III. *Injurias digerere Christianæ nobilitatis est.* Inde struthiocamelus prodiit, si soleam ferream possit concoquere; Inde Christianus noscitur, si possit injurias æquo animo tolerare. Josephus nullum edit verbulum de fratrum, déque dominæ injuriis. Nihil amaroris aut odii hæret animo; digesta est omnis injuria.

4. Oblivionis mater prosperitas.

IV. *Oblivionis mater prosperitas.* Josephus summis precibus pincernam adiit: *Memento mei, cùm bene tibi fuerit.* Bene illi fuit, optimè fuit, & tamen interpretis sui non meminit. Si regius pincerna in carcere mansisset, memoriam feliciùs exercuisset. Inter prospera obrepsit oblivio præteritæ afflictionis. Prosperitas oblivionis & socordiæ parens.

Gen. c. 40. v. 14.

5. Tantò constantior divina gratia, quantò inconstantior humana.

V. *Tantò constantior divina gratia, quantò inconstantior humana.* Hic manipulus nobis melius exequendus, ut divini favoris pretium æstimare discamus.

§. I.

Humanæ prosperitatis & gratiæ effigies.

Sederat opilio unà cum suis ovibus sub ingenti & patulâ quercu, quæ amplam & amœnam præbebat umbram. Arbor pulchra visu, nec soli nec pluviis pervia, ambrosum & pastori & pecori domicilium seipsam locavit. Bene hîc opilioni, bene ovibus. Pastor Aulœdus musicos modos fecit fistulâ, quâ oves & auras demulcebat: accinebant huic Orpheo in arbore supremâ considentes aviculæ. Ira concentus fuit jucundissimus totis resonans campis. Subitus exoritur turbo, cogit nubes, cœlum omne in iras acceusum tonat, fulgurat, fulminat. Opilio in tempestate tam sævâ putabat sibi ab arbore non discedendum, nec enim pluviam eò loci multùm nocituram, ubi solis spicula excluderentur. Interea tempestas mandata fatorum peragit, immani excandescentiâ. Denique illam ipsam nobilissimam arborem quatit fulmine. O amœnum, & pecoris, & volucrum domicilium, quàm miserè te vastarunt nubes iratæ! omnes pæne frondes, aut defluxerunt, aut in fumum abierunt, brachia magnam partem amputata, truncus violentâ flammâ exesus. Non jam arbor, sed arboris cadaver stat inhonorum, & fœdè ustulatum. Nullæ ampliùs hîc aviculæ audiuntur. Musici opilionis fistula jam elinguis obmuruit. Opilio ipse metu pæne exanimis vix salvâ vitâ ab incendio proreptare potuit; pars ovium fugata, pars fulmine perempta. En fortissimam arborem, misserimè deformatam: omnis in eâ amœnitas, omne gaudium conticuit. Effigies est humanæ prosperitatis & gratiæ.

Tres mihi captivos considerate, Pincernam, Pistorem, Josephum Putipharis famulum. Multi singuli gratiâ pollebant. Ea omnis momento effusa est. Heri in palatio, hodie agunt in ergastulo. Quid deliquerunt, obsecro, quid brevibus Gyaris dignum commiserunt? Josephi verbis credite: *Furtim sublatus sum de terrâ Hebræorum, & hîc innocens in lacum missus sum.* De duobus aliis Rabbini sominant, muscam in poculum illapsam in pane inventam. Conjectura est mera, non tamen sine ratione facta. Humanam gratiam facilè musca, vel istis minus quid turbat.

Gen. c. 40. v. 15.

Vidit Daniel vates arborem staturâ & amplitudine multò maximè admirandam: *Altitudo ejus nimia,* inquit, *proceritas ejus contingens cœlum; aspectus illius erat usque ad terminos universæ terræ. Folia ejus pulcherrima, & fructus ejus nimius, & esca universorum in eâ; subter eam habitabant animalia, & bestiæ, & in ramis ejus conversabantur volucres cœli, & ex eâ vescebatur omnis caro.* Simul tamen auditus clamor: *Succidite arborem, & precidite ramos ejus; excutite folia ejus, & dispergite fructus ejus. Fugiant bestiæ, quæ subter*

Dan. cap. 4. v. 7. 8. 9.

Ibid. v. 11.

eam sunt, & volucres de ramis ejus. Furor humanus huic arbori simillimus: In altum evehit, nubibus minatur, à nemine non expetitur, ab omnibus cupidissimè ambitur, fructus illius videntur dulcissimi, auro gemmis præferendi. At subita ex alto venit procella, quæ ramos hujus arboris frangit, fructus dispergit, homines sub eâ pabulantes in fugam vertit. Videre hos tres captivos, pincernam, pistorem, Josephum sub arbore hac procerissimâ suaviter morabantur, eximius illos tutabatur favor. Nunc arbore fulminatâ jacent prostrati, vinculis innexi, favore destituti, sententiam trepidantes expectant, ut rei. Ipse etiam Joseph initio vinciebatur catenis. Addit hoc psaltes: *Misit ante eos virum, in servum venundatus est Ioseph. Humiliaverunt in compedibus pedes ejus, ferrum pertransiit animam ejus.* O nimiam humani favoris inconstantiam.

Inconstantia humani favoris erga Josephum, pincernam, & pistorem. *Psal.* 104. *v.* 17. & 18.

Talis est humana gratia: tardissimè acquiritur, celerrimè perditur, terminis nimiùm angustis clauditur. Germanorum verbum est: Si te Romam usque veluti jumentum dorsuarium deportarem, in fine autem non quàm mollissimè deponerem, mox collectam omnem gratiam effunderem. Momento sæpe amissa est gratia, quæ annis pluribus collecta. Chrysostomus id confirmans: Assecutus est, inquit, aliquis magistratum, gloriam, principatum; tamen in eo perpetuus non manet, sed confestim ab eo excutitur. Exi, occinit successor, exi; da locum alteri. Ita *præterit figura hujus mundi.*

Humana gratia tardissimè acquiritur, & celerrimè amittitur.

1. *Cor. c.* 7. *v.* 31.

In aulis, sed & in ædibus privatis innumeræ sunt querimoniæ minorem meriti rependi gratiam: alios plus æquo favoribus attolli. Has cantilenas nusquam non audias. Justissimè ab humanâ deseruntur gratiâ, qui eam nimiùm ambiunt, & præferunt divinæ.

§. II.

Gratia divina celerrimè acquiritur,

GRatia divina longè diversissima est ab humanâ: Celerrimè obtineri, momento acquiri potest, unica precatiúncula gemitus ad Deum unicus, ardens suspirium unicum divinam gratiam emereri valet. Et verò etiam tantum gratiæ conceditur, quantum petitur; qui capacius vas adfert, plus aufert gratiæ; amplitudo pectoris, multitudo gratiæ. Quod Augustinus affirmans: *Quantum illuc,* ait, *capacis fidei afferimus, tantum inundantis gratiæ haurimus.* Deinde gratia divina stabilis est, & constans; nemo illam nisi volens amittit; invitus eâ non potest excidere; nihil illam eripit nisi letale crimen. *Anima quæ peccaverit, ipsa morietur.* Porrò de stabilitate ac constantiâ divinæ gratiæ beatus Paulus: *Habemus accessum,* inquit, *per fidem in istam gratiam, in quâ stamus.* Sed nec certis aut angustis terminis gratia divina clauditur. Alia in aulis est ratio. Cùm suam quis prudentiam & industriam probat, diversis officiis admovetur; ita paullatim evehitur, sensim grandioribus curis applicatur, eóque ascendit munerum, ut non supersit quò progrediatur; altius sibi culmen non quærat. Idem militiæ servatur. Principio miles gregarius ære merens parvo, dein duplicarius, pòst decurio, & centurio, signifer, ordinum ductor, tribunus militaris, chiliarchus, legionis dux, legatus, vigilum præfectus, prætor, Imperator. Hoc culmen jubet gradum sistere. Non his cancellis favor divinus stringitur; in infinitum augeri potest. Nec enim ullus hominum, nec ipsa Dei mater, Virgo beatissima tantum gratiæ acquisivit, quin acquisita crescere potuerit. Sub ipsum etiam moriendi tempus, accessio fieri potest ad gratiam, ut nunquam, dum supereret vita, dicere non liceat: Plus ultra, Plus ultra. Chrysostomi dictum est: *Dei gratia terminum non novit.* Ampliora dico.

Aug. ep. 2. *ad Donatum*

Estque stabilis & constans; *Ezech. c.* 18. *v.* 4. 20. & 24. *Rom. c.* 5. *v.* 2.

Nec certis terminis clauditur.

Ita Ioannes Tillius.

Vel guttula divinæ gratiæ pretiosior est quàm totum pelagus humanæ. Ridebat forsan non nemo, si dicam: Hæc gutta potabilis auri, majoris est pretii quàm centum plaustra vini generosissimi. Ementiens censeretur dictum. Si de gratiâ divinâ sit sermo nimis certum, illius vel guttulam longè pretiosiorem esse, quàm mille plaustra vini Cretici, Falerni, hoc est, humani favoris maximi. Quin imò nulla est comparatio inter illum & istum. Mirari liceat totis bibliis nusquam reperiri has voces: *Favor, Favco, Fautor.* Perinde si dixerit is, qui dictavit: Nec nominetur in vobis. Mysterio res non vacat. Cùm enim inter homines favore principum & magnatum nihil pretiosius credatur, contra & aurum & gemmas carum, at inter cælites lutum, aut quod luto vilius, fumus, vanitas, aura, nihil est. Non ad gratiam Deus partitur dona, sed ad justitiam; aut misericordiam. Nos homines fatui favorem attollimus in Deum, à quo sint impetranda omnia. Favoris elogium ad Mundi valvas scriptum hoc legitur: *Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil.* Duo sunt, quæ hominem inter homines magnum & grandem faciant, & auri & aræ plurimum habere. Hæ sunt geminæ columnæ Herculis; Non ultra. Hi sunt poli duo, his vertitur orbis. Aura favoris inter sacros & profanos supremi est pretii; nil ultra. Favorinus tria in seipso admiratus, tertium hoc commemorat: Aurâ non vivo.

§. III.

QVæri hoc loco possit, sed cum modestissimâ submissione: Quare Deus tam fidelem famulum post annum in vinculis exactum, post datam somnii explicationem, toto insuper biennio velut oblivioni traditum custodiâ detineri voluerit? Augustinus censet volente Numine pincernam jam liberum Josephi oblitum. Sed obsecro, quid caussæ assignabimus Josephi in carcere derelicti? Cum Augustino ita poterimus ratiocinari: Noverat Joseph, quantam sibi Deus aspirasset gratiam tam ad dominum suum, quàm ad carceris magistrum sibi devinciendum, nihilominus pincernæ ambiens favorem: *Memento mei,* ait *cùm tibi bene fuerit, & facias mecum misericordiam, ut suggeras Pharaoni ut educat me de isto carcere.* Quòd si perstitisset Joseph in priori patientiâ, fiduciâ in Deum, citiùs è vinculis exisset. Perinde si dixerit illi Deus: En Josephe, auxilium tibi potiùs à me quàm ab homine sperandum. Procopius alio paullulùm sensu: Nihil, inquit, *absurdi fecit Iosephus, quòd humanam opem implorarit, pincernæ gratiam ambierit, sui patrocinium rogarit.* Hæc congruè rationi. Procopium non refutamus, cum Augustino tamen sentimus, & rem magis in lucem damus. Cum nemine disputationem inibimus, an Joseph & quantum deliquerit, humanis favoribus emerendis. Satis certum est, illud virtutis non fuisse, & forsan aliquod è minoribus piaculis. Nec illud nesciendum, solere Deum leviores has noxas severiùs vindicare in iis, qui prudentiâ valent, & vitiorum sordes facilè discernunt à virtutis auro. Præsertim in sui diffidentiam severiùs animadvertit Deus Ezechiæ regis humanitatem (ita delictum illud videtur nominandum) quàm rigidis exemplis Deus est insecutus? Jusserat Ezechias comiter legatis exteris pretiosiora domûs monstrari. Mox adest à tergo pœna vaticinans, ea omnia in Babyloniam auferenda ut spolia. Rex Asa optimorum regum non postremus, quàm acerbè reprehensus est à vate Hanani, qui in os ei exprobrans: *Stultè egisti,* ait, *& propter hoc ex præsenti tempore adversum te bella consurgent.* Quid obsecro peccavit? Auxiliares copias regis Tyri accersivit, cum quo tam pater ipsius, quàm ipse fœdus iniit. Diffidentia in Deum vel minima exquisitè sæpius punita est: atqui pars diffidentiæ est, gratiæ humanæ ambitus. Amicis Dei solennissimum est, quod ipsis ante omnia discendum, divinæ providentiæ se totos quantos permittere, à rebus creatis solatia non mendicare, auxilia earum in postremis habere, in omnibus Deo, quàm perfectissimè fidere. Ita Domini Mater, & Virgo bea-

Elixir vocant.

Aug. c. Faust. l. 22. c. 94.

Amicis Dei solenne est se totos Deo committere.

go beatissima, conjuge Josepho secessionem molienте, rem omnem providentiæ divinæ quàm integerrimè commisit, vellet juberétque Deus, quod sibi placeret. *Beata quæ credidisti, quoniam perficientur ea, quæ dicta sunt tibi à Domino.* Auxilia humana non penitus spernenda, sed iis neutiquam fidendum. Gratiam divinam habemus? Omnia habemus.

Luc. c. 1. v. 45.

Porrò regii duo captivi, pincerna & pistor, quorum alter receptus in gratiam, appensus alter in furcam, duo fidei Christianæ capita; Prædestinationem & Reprobationem humanæ genti cogitanda repræsentant. Ab Orbis incunabilis hæc mysteria Deus oculis ingessit & animis: Intuemini Abelem & Cainum, quorum ille assumptus, iste rejectus; Isaacum & Ismaëlem, Jacob & Esau, Matthiam & Judam, duos cum Christo crucifixos latrones, hos ipsos duos pincernam & pistorem. Ambo servi, ambo rei, captivi ambo, meritique supplicium, huic tamen facta est gratia, negata illi, injuria neutri. Christi vaticinium est: *Unus assumetur, & alter relinquetur.* Die judicii dextrâ consistent oves, lævâ hœdi, in utramque partem æquissima proferetur sententia. Illos judex ab omni æternitate suos esse voluit, istos diabolis associatos, idque, ut alibi docemus, ex prævisis meritis. Securi sunt ab ultimo fulmine illo, quos Christus judex littera Tau signavit. Ezechiel vates ostendens quorum frontibus id signi sit inscriptum: *Dixit Dominus*, inquit, *ad eum: Transi per mediam civitatem in medio Hierusalem, & signa Tau super frontes virorum gementium, & dolentium super cunctis abominationibus, quæ sunt in medio ejus.* En, gementes & dolentes signanter. Doleamus de præteritis, sustineamus præsentia. In carcere omnes sumus, sed paullulùm laxiore quàm Joseph. Toleremus illum quamdiu regi supremo visum. Libertatem nobis non humanus favor, non hæc somniorum somnia, sed divina præstabit gratia.

Duo fidei capita gêti humanæ cogitanda repræsentantur.

Matt. c. 24. v. 40. Luc. c. 17. v. 34.

In Zodiaco lib. 11. sig. quo prædestinationis suæ libelli.

Ezech. c. 9. v. 4.

CAPVT VIII.

Ioseph memoriæ encomium, Pincernæ oblivioni vituperium deberi, Ingratus animus quàm grave vitium.

EXinde dies tertius natalitius Pharaonis erat: qui faciens grande convivium pueris suis, recordatus est inter epulas magistri pincernarum, & pistorum principis, restituitq; alterum in locum suum, ut porrigeret ei poculum: Alterum suspendit in patibulo, ut conjectoris veritas probaretur. Et tamen succedentibus prosperis præpositus pincernarum oblitus est interpretis sui.

Gen. c. 40. v. 20. & seqq.

Interpretatio somniorum à Josepho data fuit verissima.

Interpretationem somniorum à Josepho datam fuisse verissimam docuit eventus. Nam Pharao inter epulas sui Natalis hilarescens, carcerem jussit pandi, & pincernam quidem ad pristinum munus evocari, pistorem verò in patibulum corvis pabulum appendi. Pincerna non integræ solùm libertati, sed regio muneri restitutus, sui conjectoris & intepretationem, & preces in rebus secundis suaviſſimè potuit obliviſci. Quod sacer historicus singulariter notans, & velut miniatulam apprimens: *Et tamen*, inquit, *succedentibus prosperis præpositus pincernarum oblitus est interpretis sui.* Ex more manipulos hinc colligamus.

Gen. c. 40. v. 23.

5. Monita.

1. Invicta Josephi castimonia

I. *Invicta Josephi castimonia.* Regio ministro in libertatem asserto, manet nihilominus in carcere Josephus. Interim ex herili domo, quod credibile, adsunt impudicæ lenæ, furtivi nuntii, qui favores & munera promittant, qui patibulum & mortem minentur, qui rogent, & terreant, ut Josephum in dominæ amores illiciant. Frustra omnia. Inexpugnabilis est Josephus; invictâ perstat castimoniâ. Non illum minæ, non munera, non favores, non promissa, nulli movent terrores, nulla flectunt supplicia; ridet exilium, contemnit mortem paratissimus occumbere potiùs, quàm castimoniam violare. Non illi centum oratores persuaserint, tortores nulli ab eo impetraverint, ut in castitatem vel minimum delinquat. Saxum est Marpesia cautes constantius.

2. Cujusque status ornatur moribus, non statu mores.

II. *Cujusque status ornatur moribus, non statu mores.* Josephi status erat esse Hebræum, esse servum, esse captivum, vile caput censeri, sed hunc ille suum statum nobilissimis moribus, integritate vitæ, castimoniâ singulari ornavit adeò, ut sapientissimos ac honoratissimos excelluerit. Quod Ambrosius rarum ac grande artificium laudans: *Etenim*, inquit, *quò status inferior, eò virtus eminentior.* Nihil enim interest in quo statu quis probabilem se præstet, nam ille finis est bonorum, ut in quocunque statu probentur. Illúdque præcipuum, *si magis mores commendent statum, quàm status mores.* Hinc Urbanus III. Pontifex summus dicere solitus: *Magni viri non nascuntur, sed virtute fiunt.* Non facit nobilem aperta cassis, sed explorata virtus. Ridiculum est infantem in cunis strenuum salutare. Strenui parentis sanguinem habet, & nobilitatem, sed non suam. Si juvenis, si vir manu & animo se nobilem, strenuúmque monstret, talem esse credemus, qualem se esse monstraverit. Virtus nobilitat non aliena, sed propria.

Ambr. to. 3. l. 7. ep. 44. ad Constantium mihi pag. 180.

Ambr. ibid.

3. Sacra confessio Alexipharmacum delictorum.

III. *Sacra confessio Alexipharmacum delictorum.* Fateri culpam, est illam abolere, oblivioſus pincerna tandem seipsum ingrati animi damnans: *Confiteor*, inquit, *peccatum meum.* Ego ingratus & immemor beneficii, Hebræum juvenem illum in carcere desidentem vel rogatus, & auxilium pollicitus non juvi: *Confiteor peccatum meum.* Pæne innocens est, quem peccasse pœnitet. Noxarum mors Confessio.

Gen. 41. v. 9.

4. Rerum magnarum fundamentum, Humilitas.

IV. *Rerum magnarum fundamentum, Humilitas.* Affirmatissimè id pronuntians Ambrosius: *Iactum est*, inquit, *Humilitatis fundamentum, sine quo nulli justorum unquam res magnæ à Deo datæ.* Sionis rex David hoc sibi maximarum rerum principium obtigisse gloriatus: *Bonum mihi*, ait, *quia humiliasti me.* Priùs pileolum stramineum, quàm coronam auream, & diadema capite gessit; ante pedum, quàm sceptrum tractavit. Ita per Humilitatis gradus in solium ascendit. Sapientissimè in hanc rem Augustinus monens: *Magnus*, inquit, *esse vis? A minimo incipe. Cogitas magnam fabricam construere celsitudinis de fundamento priùs cogita Humilitatis.*

Psal. 118. v. 71.

Aug. ser. 10. de verb. Domini.

5. Ingrati animi ebrietas, oblivio.

V. *Ingrati animi ebrietas, oblivio.* Pincerna culpam fassus, oblivionem biennalem peccatum vocat. Rectè hoc quidem. Oblivio specus ampla, horribilis, tenebricosa, in quam sese plurima penetrant peccata. Nos itaque de hac pincernæ prælongâ oblivione, simul etiam de Josephi laudatissimâ memoriâ dicemus.

§. I.

Ebrietatis proprium est facere oblivioſum.

Oblivioso lævia Massico cibaria exple. — *Horat. l. 2. Carm. odâ 7. ad Pomp. Varum.*

EBrietatis & temulentiæ proprium est, facere oblivioſum. Est, qui die hodiernâ jam ebrius promittat ingentia, cras nihil penitus, meminerit promissorum. Oblivioſum Cæcubum, oblivioſa ebrietas, Crassa planè fuit, & diuturna, & reprehensione digna oblivio pincernæ. Nam valdè rogatus est, meminisset conjectoris sui etiamnum captivi: *Tantùm* ait Joseph, *memento mei, cùm tibi bene fuerit* *. Nec aliud poscens quàm miserationem miseri: *Facias*, inquit, *mecum misericordiam.* Neque hoc magnæ molis aut intricati negotii erat, cùm aliud non peteret, quàm hoc unicum: *Suggeras Pharaoni, ut educat me de isto carcere.* Et quî tandem fieri potuit, ut biennio tot nec carceris, nec sui in carcere socii recordatus fuerit? Num toto biennali spatio nunquam somniavit ut sui in vinculis amici meminisse potuerit. Oblivio sanè grandis & digna vituperio. Rectè

* Gen. c. 40. v. 14.

Gen. cap. 41. v. 9. igitur dixit: *Confiteor peccatum meum.* Sed istud Deus permisit, ut peccatum; voluit verò ut supplicium, & è re malâ, quod solet, fecit optimam.

Oblivionis stirps & familia. Sed num oblivionis stirpem ac familiam nosse cupitis: Prisci eam jambo explicabant.

Oblivionis mater negligentia,
Oblivionis verò Bacchus est pater.
Ingratitudinis parens oblivio.

Narrat Panormitanus, Alphonsum regem Aragonum Alvaro Lunæ viro primario plurimùm benefeciisse, signum tamen animi grati vix ullum deprehendi potuisse. Hoc cùm regiis auribus instillaretur, non ingratum solum, sed nec memorem quidem esse Alvarum. Ad hæc Alphonsus eruditè simul & hilariter: An ignoratis, inquit, ingenti beneficio, non nisi ingenti ingratitudine satisfieri? Pæne idem de pincernâ dixerit Josephus. Ingens ei beneficium dedit, Pincerna velut deficiente animâ, mœrore obrutus, expers solatii, inter spem, metúmque pendulus, regias iras expavescens, formidans supplicii, interpretatione Josephi gratissimâ, à mortis limine revocatus est ad vitam. Adeò eum Josephi verba refocillarunt. Vix autem evolavit è carcere, mox Josephi & beneficium & preces altâ oblivione sepeliit. Insignissimum animi ingrati specimen.

Pincerna animi ingrati fuit specimen.

§. II.

Animi ingrati paradigma. MAtthæus Paris. historiæ Anglæ scriptor memorat quod instituti est. Vitalis Venetus civis opulentus, sed avarus, filiam nuptui collocaturus, ad mensam lautiùs instruendam venatum iit in vastissimam silvam mari proximam. Dum feras insequitur, & hàc illàc oberrat, foveam illabitur lupis & ursis factam. Os angustum foveæ in amplam profunditatem desiit. Ita nulla fuit hinc emergendi facultas. Jam infra expectabant improvisum hospitem leo & serpens, sed ambas feras valde mansuetas fecit captivitas. Vitalis ubi animum à pavore subito collegit, quantum virium habuit, in clamores vertit. Nec semel tantùm & iterum, iterúmque clamavit, sed centies, & sexcenties opem imploravit clamando. Fruſtra. Nam uti nihil aurium habuit vicinia, ita nihil manuum. Ubi diem & noctem unam inter desperationem & clamores valde sobrius exegit, Deus opem submisit. Fortè fortunâ carbonarius ligna lecturus subterraneos clamores audiit, secutus vocem devenit ad foveam. Visus è cœlo delapsus illuc Deus, adeò captivum in spem maximam erexit niger hic adventor. Primùm erat quærere. Quis infrà clamat? Continuò eximâ scrobe succlamat captus: Ego, ego sum, Vitalis Venetus: miserere, obsecro, mi optime virorum: miserere; morior, ni protinus juves. Ut scias, gemina hîc animalia mecum sunt, leo & coluber. Per Christum Jesvm te summè rogo, subtrahe me vicinæ morti. Vitam meam tibi debebo in annos omnes reliquos. Et fidem meam obligo, ac pro certo polliceor hoc in me officium abundantissimè tibi rependendum, in præmium dimidiam partem mearum facultatum stipulor. At carbonarius animi præsagus: Faciam, inquit, domine, quod petis, si servare velis, quod promittis. Ille Deos omnes, Deásque jurare & horribili sacramento se obstringere. Et; Ita me Deus, inquit, multò pessimè perdat, si jusjurandum violâro. Ne dubites, mi vir, in fide stabo, meásque tecum opes partiar. Ingentibus his promissis motus carbonarius festinavit funes, & scalas adferre. Attulit. Leo, ut vidit subsidium ministrari, cauda blandiens velut canis modo quo potuit libertatem rogavit, idem serpens, & syrmatis motu, & blandis sibilis se velle ostendit. Vix demissæ in scrobem scalæ, mox leo & serpens per illas evaserunt in altum, mirè blanditi carbonario, tanquam gratias agerent. Vitalem manu prehensum carbonarius è barathro eduxit. Jam liber Vitalis dextram carbonarii exosculatus: Hanc, inquit, manum servet Deus, quæ me vindicavit à morte. Et, ô mi vir, tibi vitam meam debeo. Habebis me non memorem tantùm, sed liberaliter gratum dum vixero. Sic unà in viam deveniunt. Ante digressum cautè interrogans rusticulus: Sed, oro te Domine, inquit, quando exigam, quod pollicitus es. Cui Vitalis: Post triduum, inquit, aut quatriduum Venetias veni, & de Vitali quære, nemo est, qui viam ad meas ædes non monstraverit. Ita datis utrimque dextris, ille in urbem, iste in tugurium suum rediit. Dum autem ad mensam considet rusticulus, & malè unctos caules, crassúmque arto pemma glutit, adest leo hinnulum, velut lytrum offerens, & applaudens lingénsque viri pedes, ne quid scilicet humanitatis omitteret in agendis gratiis. Leonem ad cubile redeuntem comitatus est rusticus, ne bestiæ tam gratæ domum ignoraret, inde ad prandiolum suum rediit. Eò serpens nobiliorem lapillum ore perferens correpsit; nec satis casam subiisse; in mensam ascendit, & in disco suum & ipse lytrum deposuit, blandus omnibus tanquam si gratias ageret. Sed & hunc abeuntem secutus est carbonarius ad colubrinum cavum. Elapso triduo Venetias cum colubri gemmâ tendit, & Vitalem, quem quærebat, in convivio invenit. Evocari jubet, & appellat de servandâ fide. At Vitalis se ignotum simulans: Enimverò quis es tu, inquit, quid tibi hîc negotii? Videris somniare. Cui candidè ater ille ac fuliginosus petitor: Nosti, ait, domine, quid promiseris homini è foveâ te liberanti? Hoc jam exposco, & nisi me valde fallo; debitè. At Venetus torvo vultu. Quid ais, inquit, & quid petis? Quod promisisti, ait rusticus, cum demissis funibus ac scalis è fatali te foveâ educerem. Dimidium tuarum facultatum promisisti; hoc peto. Cui Venetus: Insanis, inquit, mi vir; túne tam facilè lucreris, quod ego tam operosè totannis collegi? Ussit hominem tanta tam ingrati animi nequitia. Ita non tantùm litigari cœptum, sed & clamari. Vitalis ad vim paratus: Heus famuli, exclamat, adeste, hic homo insanit, in custodiam abducendus. Ubi hoc agi audiit Carbonarius, in pedes se conjecit, & domo prosiliens ad magistratum cucurrit, cui omnia ordine, prout erant gesta, narravit. Vix erat, qui fidem haberet dictis. Gemmam ergo protulit, quam à serpente beneficii memore accepit, & una promisit se illam ipsam foveam, sed & leonis specum, atque serpentis latebras ostensurum. Ostendit, feris homini noto applaudentibus. Magistratus re satis cognitâ, jussit non tantùm reddi, quod promissum, sed etiam ad mulctandum animi tam ingrati injuriam, stipulatis nummis addi voluit auctarium. Hæc, ait Matthæus Paris, referebat rex munificus Richardus. Quam res fidem habeat, id auctoris curæ permittimus. Nos animi verè ingratissimi specimen sub aspectum posuimus.

Fuit ab gloria Ric. anno 1191.

Pincerna, ut videtur, germanus frater domini Vitalis, oblivioſus, ingratus, immemor beneficii, Josephum ope promissâ turpiter destituit. Josephus ei summâ comitate viam monstravit, quâ carcerem exiret. Nil gratius pincernæ hoc indicio. E carcere educitur, in regium palatium recipitur, in pristinum officium restituitur, biennium ita labitur, nulla Josephi memoria, nulla grati animi significatio, nullum captivi patrocinium, nec verbulum pro Josepho regi dicitur. Quis non miretur:

Mollis inertia cur tantam diffuderit imis
Oblivionem sensibus:
Pocula lethæos ut si ducentia somnos
Arente fauce traxerit:

Horat. lib. Epodon. od. 14. ad Mecœnatem pag. 196.

Oblivioſissimus juxtà & ingratissimus pincerna. Oblivio mater ingratitudinis.

O magnifice Domine Vitalis, quàm ampla tibi per Orbem est familia sororum, fratrum, cognatorum tuorum infinitus est numerus; genus tuum inter omnia multò

multò copiosissimum : affines numeras ubique quàm plurimos. Oblivioſorum, & ingratorum ubique ſeges longè maxima. Homo, ipſa oblivio in divinis litteris protoplaſtus triplex habet nomen ; Adam, Enos, Homo. Hinc Jobus interrogans : *Quid eſt*, inquit, *homo, ut immaculatus ſit ?* Hebræum idioma ſic effert iſta. Quis eſt Enos ? hoc eſt, oblivioſus. Ab orbe condito cœpit humana gens oblivione peccare. Hieremias in lamenta effuſus: *A ſæculo*, inquit, *confregiſti jugum meum, rupiſti vincula mea. & dixiſti : Non ſervvam. Nunquid obliviſcetur virgo ornamenti ſui, aut ſponſa faſciæ pectoralis ſuæ ? populus verò meus oblitus eſt mei diebus innumeris.* Primo ſtatim die quo cœpit eſſe homo, cœpit eſſe oblivioſus, & divinorum beneficiorum immemor jugum legis excuſſit. Hoc etiámnum aſſiduè agimus oblivioſi homines. Eo ipſe die, eâ ipsâ horâ, quâ emendationem vitæ ſpondemus, ſponſionis obliviſcimur. Dicimus, ſed oblivione mox capti, non facimus. Ita eadem atque eadem delicta annis & ſæculis repetimus. Hodie ſtatuimus ingentia facturos, eras nihil facimus, nihil præſtamus : ſubindè miram induimus manſuetudinem ; vix dies abit, & denuo in rabiem paucis ſæpe voculis efferamur, obliti omnis manſuetudinis. Ita ſanctiſſimis decretis ſtrictam caſtimoniam amplectimur, brevi obrepit oblivio tam bonæ mentis, & in libidinum ſordes iterum nóſmet abjicimus. Ita juramenta, & atrociores ejuſmodi voces ejuramus, non multò pòſt tempore jam propoſitorum obliti audaciſſimè & juramus, & pejeramus. Quantam non rarò ſanctimoniam morum pollicemur ; vix una alteráve præterit diecula, & facilis ſubit oblivio, quæ cœcos in priora omnia reducit vitia. Oblivio mater ingratitudinis ; oblivio ſanctioris vitæ labes maxima.

cap. 15. v. 14. Deus humana ab hinc cœpit oblivione peccare. Hier. cap. 2. v. 20 & 32.

§. III.

Joſephi in Deum & Putipharé herum gratiſſimi.

LOngè aliter Joſephus. Memoriâ is fuit tenaciſſimâ. Hinc animi & in Deum, & in Putipharem herum gratiſſimi. Gratus animus chalybe vincit hominem bonæ conſcientiæ, ne in vetitum ruat. Audit Joſephum dominæ ad flagitium invitanti fortiſſimè obſiſtentem. *Quomodo*, inquit, *poſſum hoc malum facere, & peccare in dominum meum ?* Quid quæſo, domina mea, cogitas ? Quod fieri non poteſt, id petis. Ego certè beneficiis domini mei ligatus, in dominum delinquere non poſſum : Summâ illius in me benevolentiâ, nimiùm illi obſtrictus ſum ; iniqui aliquid in eum patrare non poſſum. Ego huc veni pauper, orphanus, à parentibus abductus, exul patriæ, ignotis venditus, ab omnibus deſertus, in mancipium emptus. At verò dominus meus ſuâ me domo recepit, victum, & veſtitum ſuppeditavit, ſalarium largum adjunxit ; inſuper mihi omnia commiſit, ut ego potiùs dominus videri poſſim, quàm ſervus ; hactenus ut ſuum me filium amavit. Et hoc illi charisterium rependam, ut conjugem illius violem ? Hoc malum facere non poſſum. Cui blanda domina : Vide, mi juvenis, hoc, & hoc etiam tibi dono ; cetera meæ curę committe. Joſephus iterum in pudicitiam obſtinatus. Hoc malum facere non poſſum. Ad quem hera : Ego facilè hoc aſſequar, ut nec tuus dominus, nec mortaliũ ullus de noſtris amoribus quidquam reſciſcat. Joſephus ejuſdem conſtantiæ : Hoc malum facere non poſſum. Jámque domina à blanditiis ad iras, à promiſſis ad minas deſcendens : Si pergas, inquit, obſiſtere, faxo ædepol, ut in maximum malum, ut in altam crucem agaris. Præda fies corvis, aut ego non vivam. Joſephus animi caſti perſeverans : Quidquid me fiat, ait, ſive in cataſtam, ſive in patibulum rapiar, hoc ego malum facere non poſſum. Nec tamen cœptis abſiſtens domina : Miſerere, ait, dominæ tuæ, quam obſtinatione hac enecas. Joſephus : Etſi moriaris decies ; hoc ego malum, nec ſemel quidem facere poſſum. Quod ſi, ait domina, exorari te non ſinas, hoc ego agam, ut hac ipsâ die his ædibus ejiciaris, & in carcerem compingaris teterrimum, furum & latronum ſocius. Joſephus nil penitus motus : Utcúmque res cadant, inquit, torum alienum non temero. *Et quomodo poſſum hoc malum facere ?* In exilium, in crucem ire, & potiùs centies mori paratus ſum, quàm patrare hoc flagitium, non poſſum hoc malum facere ; non poſſum, non poſſum. Hæc Joſephi verba certè gemmis & auro exaranda.

Gen. cap. 39. v. 9.

Hæc gemina indoles virtutis, cujus hoc eſt placitum : Collata beneficia injuriis & ſceleribus rependere nefas. Ita caſtitatis amans, cùm vel à ſuâ carne, vel ab maligno homine invitatur ad libidinem, expeditiſſimè reſpondet : Apage hanc peſtem ; ego non ſolùm famæ, corpori, crumenæ parcam, ſed multò magis connitar ne Deum offendam. Suis me Deus beneficiis innumeris ligavit ; non poſſum hoc malum facere ; Deum benefactorem meum flagitiis laceſſere non poſſum. Hic animus eſt hominis verè grati. Si quis in periculo vel oculi, vel manûs, vel pedis amittendi certò ſit, & chirurgus artis exercitatiſſimæ hunc ei oculum, aut manum, aut pedem ſerver, aut oculum jam excuſſum, manum jam præciſam, pedem jam amputatum feliciter reſtituat, quid viro huic non debebit in noſtrum ? Deus hæc nobis & dedit & reſtituit, cùm ſæpius morbi & pericula urgerent illa perdendi ; Deus hæc donavit, Deus hæc eadem conſervavit. Quid mercedis petit ? Hoc unicum : Peccato, capitali hoſti meo, ne amicus ſias ; ne oculos, quos tibi conceſſi, in meam injuriam emittas ; ne manus, quas à me habes, violentas in me extendas ; ne pedibus, quos à me accepiſti, adverſum me curras. Hoc Deus æquiſſimè à nobis exigit. Oblivioſi nimiùm & ingratiſſimi ſumus, ſi nec tantillum quidem obſequii reddimus tanto benefactori.

Collata beneficia injuriis & ſceleribus rependere nefas.

Hanc ipſam ob cauſam Deus, Davidi regi per Nathanem dici juſſit : Locupletavi te facultatibus innumeris ; hæc, & hæc inſuper tibi largiſſimè ſuppeditavi, infinitis te ornavi beneficiis. Tu tanta nec ſperare, ſed nec optare quidem potuiſſes. Atque ſi mortea hæc tibi videantur, adjiciam multo majora. Tu tamen tot beneficiis, benefactori tanto ingratus potuiſti hoc malum facere ; adulterium & homicidium delinquendo nectere ? Pœna comitabitur culpam.

Reperias in aulis, quod Artaxerxes ſenſit, *qui non contenti ſunt gratias non agere beneficiis, & humanitatis in ſe jura violare, ſed Dei quoque cuncta cernentis arbitrantur ſe poſſe fugere ſententiam. Et in tantum veſaniæ prorumpunt, ut eos qui credita ſibi officia diligenter obſervant, & ita cuncta agunt, ut omni laude digni ſint, mendaciorum cuniculis conentur ſubvertere.* Ingrati animi nobiliſſimum paradigma. Esther c. 16. v. 4. & 5.

Hinc Polycarpus, Joannis Apoſtoli diſcipulus, Smyrnenſis Pontifex, cùm ab idololatris urgeretur, ut Chriſto ſuo renuntiaret, fictóſque Deos thure coleret, illud amoris plenum protulit dictum : Octoginta ſex annis Deo meo ſervio, & nullâ re unquam me læſit, cur ego tam ingratus ſim, ut illum negando lædam ? Non poſſum hoc malum facere.

Polycarpi Smyrnenſis Pontificis erga Chriſtum dictum amoris plenum.

Idem, obſecro, & nos ſentiamus. Cùm malè agendi vellicat occaſio, cùm maleſuada Venus pellicit, cùm auri nitor ad nefas trahit, ne quæſo, tam oblivioſi, & in Deum ingrati ſimus ; dicamus liberè : *Quomodo* ego Chriſtianus, ego Catholicus, ego Clericus, ego Sacerdos, ego religioſus *hoc malum poſſum facere, & peccare in dominum meum ?* Etſi moriendum mihi centies, etſi multa me opulentia inundet millies, Deo tam ingratus eſſe non poſſum ; non poſſum patrare hoc crimen : nimiùm ingratus eſt beneficiis, quiſquis audet etiam benefactorem lædere.

CAPVT

CAPVT IX.

Ioſephi conſilium, quàm prudens, maturum, mali affectus expers. Aliquid de malis aularum conſiliariis.

Gen. cap. 41. v. 1. ad 38.

POſt duos annos vidit Pharao ſomnium. Putabat ſe ſtare ſuper fluvium. De quo aſcendebant ſeptem boves pulchræ, & craſſæ nimis: & paſcebantur in locis paluſtribus. Aliæ quoque ſeptem emergebant de flumine, fœdæ, confectæq; macie, & paſcebantur ipsâ amnis ripâ in locis virentibus, devoraverúntque eas, quarum mira ſpecies, & habitudo corporum erat. Expergefactus Pharao, rurſum dormivit, & vidit alterum ſomnium. Septem ſpicæ pullulabant in culmo uno plenæ, atque formoſæ. Aliæ quoque totidem ſpicæ tenues, & percuſſæ uredine oriebantur, devorabántque omnem priorum pulchritudinem. Evigillans Pharao poſt quietem, & facto mane perterritus miſit ad omnes conjectores Ægypti, cunctóſque ſapientes, & accerſitis narravit ſomnium, nec erat qui interpretaretur. Tunc demum reminiſcens pincernarum Magiſter, ait: Confiteor peccatum meum. Iratus rex ſervis ſuis, me, & magiſtrum piſtorum retrudi juſſit in carcerem principis militum: Vbi unâ nocte uterque vidimus ſomnium, præſagium futurorum. Erat ibi puer Hebræus, ejuſdem ducis militum famulus: Cui narrantes ſomnia, audivimus, quidquid poſtea rei probavit eventus. Ego enim redditus ſum officio meo, & ille ſuſpenſus eſt in cruce. Protinus ad regis imperium eductum de carcere Ioſeph totonderunt, ac veſte mutatâ obtulerunt ei. Cui ille ait: Vidi ſomnia, nec eſt, qui ediſſerat: quæ audivi te ſapientiſſimè conjicere. Reſpondit Ioſeph: Abſque me Deus reſpondebit proſperæ Pharaoni. Narravit ergo Pharao quod viderat. Putabam me ſtare ſuper ripam fluminis, & ſeptem boves de amne conſcendere, pulchras nimis, & obeſas carnibus, quæ in paſtu paludis vireta carpebant. Et ecce, has ſequebantur aliæ ſeptem boves, in tantùm deformes & macilentæ, ut nunquam tales in terrâ Ægypti viderim. Quæ devoratis & conſumptis prioribus, nullum ſaturitatis dedêre veſtigium; ſed ſimili macie & ſqualore torpebant. Evigilans rurſus ſopore depreſſus, vidi ſomnium. Septem ſpicæ pullulabant in culmo uno plenæ atque pulcherrimæ. Aliæ quoque ſeptem tenues, & percuſſæ uredine oriebantur è ſtipulâ, quæ priorum pulchritudinem devoraverunt. Narravi conjectoribus ſomnium, & nemo eſt, qui ediſſerat. Reſpondit Ioſeph: Somnium regis unum eſt: quæ facturus eſt Deus oſtendit Pharaoni. Septem boves pulchræ, & ſeptem ſpicæ plenæ, ſeptem ubertatis anni ſunt, eandémque vim ſomnii comprehendunt. Septem quoque boves tenues, atque macilentæ, quæ aſcenderunt poſt eas, & ſeptem ſpicæ tenues, & vento urente percuſſæ, ſeptem anni venturæ ſunt famis. Qui hoc ordine complebuntur. Ecce ſeptem anni venient fertilitatis magnæ in univerſâ terrâ Ægypti, quos ſequentur ſeptem alii tantæ ſterilitatis, ut oblivioni tradatur cuncta retro abundantia: conſumptura eſt enim fames omnem terram, & ubertatis magnitudinem perditura eſt inopiæ magnitudo. Quod autem vidiſti ſecundò ad eandem rem pertinens ſomnium, firmitatis indicium eſt: eò quòd fiat ſermo Dei & velocius impleatur. Nunc ergo provideat virum ſapientem, & induſtrium, & præficiat eum terræ Ægypti; qui conſtituat præpoſitos per cunctas regiones, & quintam partem fructuum per ſeptem annos fertilitatis, qui jam nunc futuri ſunt, congreget in horreа, & omne frumentum ſub Pharaonis poteſtate condatur, ſervetúrque in urbibus, & præparetur futuræ ſeptem annorum fami, quæ oppreſſura eſt Ægyptum, & non conſumetur terra inopiâ. Placuit Pharaoni conſilium & cunctis miniſtris ejus.

Pharaonis ſomnium.

Dum Joſephus adhuc in vinculis eſt, Pharao rex ſomniat ſe ad flumen ſtare, è quo ſeptem obeſæ boves, & macilentæ totidem emergerent, paſcerénteque ad amnis ripam. Sed ſtrigoſæ illæ & exeſæ macie devorarunt pingues, & corpulentas. Expergefactus Pharao, rurſus & dormire cœpit, & ſomniare, ſeptem uberes ſpicas culmo attolli uno, juxta quas aliæ ſeptem graciles & uredine afflatæ ſurgerent, quæ priores devorarent. Terruit ea res Pharaonem jam vigilem. A conjectoribus ergo interpretationem ſomnii petivit; aptam nullus dedit. Hîc pincernarum magiſter ab oblivione diuturnâ evigilans: Fateor, inquit, oblivionis meæ culpam. Nam in vinculis tam ego quàm piſtor, jam ſuſpenſus, eâdem nocte præſaga vidimus ſomnia. Vinctorum ſocius Hebræus eam dedit intepretationem, quam eventus in utroque noſtrûm ad amuſſim comprobavit. His auditis rex Joſephum illico ſibi juſſit iſti. Ita Joſephus ritu Ægyptio attonſus, & veſtitus in regis conſpectum venit. Cui rex: Ea, inquit, per quietem vidi, quorum interpretem commodum non habeo, atqui te ajunt hac in re præcellentem eſſe. Cui modeſtiſſimè Joſeph: Abſque meâ operâ, inquit, Deus Pharaoni proſpera reſpondebit. Narrationem igitur ingreſſus Pharao: Oblata, inquit, mihi per ſomnum ſpecies, ſeptem boum præpinguium ex aquâ prodeuntium. Has aliæ ſeptem ſequebantur deformes, & extremâ macie correptæ, quæ prioribus devoratis nullum ſaturitatis indicium dedêre. Evigilantem rurſus depreſſit ſopor, & en ſomnium alterum. Septenas vidi ſpicas uno pullulare calamo, pulcherrimas illas & pleniſſimas. Has ſeptenæ ſequebantur aliæ in ſtipulâ eadem, ſed tenues & uricâ tactæ, quæ priores abſumpſerunt. Nihil hîc habent mei conjectores dicere. Te igitur audiam. Ad ea Joſeph: Unum, inquit, ſomnium eſt geminâ ſpecie oblatum, monens futurorum. Septem obeſæ boves, ſeptémque ſpicæ uberes ſeptem portendunt annos omni ubertate formoſiſſimos: At verò ſeptem boves vix oſſibus hærentes, ſeptémque inanes ſpicæ venturam famem prænuntiant. Nimirum hæc annorum ſeries ſequetur. Septem continui erunt anni Ægypto totâ fertiliſſimi. Hos ſeptem alii excipient tantâ ſterilitate deformes, ut in oblivionem abitura ſit prior omnis abundantia. Alterum porrò ſomnium prioris certum eſt argumentum, & confirmatio. Rex ergo velit jubeátque virum prudentem ac induſtrium Ægypto præfici, qui per provincias deſignet præpoſitos, ad quintam frugum partem ſeptennio felici convehendam, in futuræ famis ſolatium. Omne autem frumentum ſub regis poteſtate condatur. Ita Ægyptus & ſeipſam & alias extra ſe terras ſervabit. Placuit conſilium tam Pharaoni, quàm palatinæ omni familiæ. Colligamus ad inſtitutum noſtrum manipulos.

Ab re præſenti. Quinquennium fœcundum. Fiducia. Sui ſubmiſſione. Modeſtia. Gen. c. 41. v. 25. Luxus famis prodromus. Gen. c. 41. v. 29. Tam brevis. Deus quis ſit. Deus impleatur. Gen. c. 41. v. 32. Bona & mala, vita & mors, paupertas & honeſtas à Deo ſunt. Eccleſiaſt. 11. 14. luctus v. 14.

I. *Fiducia ſui comprimenda eſt ſubmiſſione ac modeſtiâ.* Ad animandum Joſephum Pharao dixerat: *Vidi ſomnia, quæ audivi te ſapientiſſimè conjicere.* Cui comiter & piè Joſephus: *Abſque me Deus reſpondebit proſperæ Pharaoni.* Soli hoc adſcribendum Deo eſt, quod humanis ſtudiis & diſcendo non licet aſſequi. Quâ in re Deus, per quemvis poterit, quod poſſe per me videtur.

II. *Luxus Famis prodromus.* Abundantiam frequenter comitatur penuria. Prandium nimis lautum ſæpe gracili digerendum eſt cenulâ. Septennio toto ridebant campi & ſegetes, molendina & piſtrina lætum canebant, triumphabant penora & horrea; Annonæ vilitas, ubique ſaturitas. Sed felix hoc ſeptennium excipit ſeptennium aliud infecundum & infelix; Annonæ caritas ubique atque ſterilitas: *Ecce,* ait Joſephus, *ſeptem anni venient fertilitatis magnæ in univerſâ terrâ Ægypti; quos ſequentur ſeptem anni alii ſterilitatis tantæ, ut oblivioni tradatur cuncta retro abundantia: conſumptura eſt enim fames omnem terram.* Ita crapulam præcedentium annorum digerere debuit abſtinentia ſequentium.

III. *Tam ſterilitatis, quàm fertilitatis auctor eſt Deus.* Quòd geminum ſomniavit rex ſomnium: *Firmitatis,* ait Joſephus, *indicium eſt, eò quòd fiat ſermo Dei, & velocius impleatur.* Affirmatiſſimè dixit Siracides: *Bona & mala, vita & mors, paupertas & honeſtas à Deo ſunt.* Tam morbi, quàm ſanitas, tam ſterilitas, quàm fertilitas, tam

luctus, quàm gaudium, tam adversa, quàm prospera æquè sunt à primo principio. Et hæc & illa Deus immittit. Quod Amos vates confirmans: *Si erit malum, inquit, in civitate, quod Dominus non fecerit?* Malum culpæ permittit, pœnæ malum efficit & infert. Vel millies hoc inculcandum.

Amos 3. 6.

Provi-dentia humana divinæ famula. Gen. cap. 41. v. 33 & 34.

IV. *Providentia humana divinæ famula.* Prudenter Pharaoni Iosephus suggerens: *Nunc ergo*, inquit, *provideat rex virum sapientem, & præficiat eum terræ Ægypti, qui constituat præpositos per cunctas regiones.* Faciat homo, quod Deus ab eo vult fieri, faciátque quàm id potest optimè; ita se suáque omnia, quàm plenissimè divinæ Providentiæ committat. Tam Providentia, quàm industria humana sit famula, non domina Providentiæ divinæ. Deus in parandis ferculis est ut cocus, homo coci servus, & aquæ bajulus.

Consilium prudens lætos habet exitus. Gen. cap. 41. v. 37.

V. *Consilium prudens lætos habet exitus.* Quod suasit Iosephus, nemini non probatum est: *Placuit Pharaoni consilium, & cunctis ministris ejus.* Hunc manipulum proponemus explicatiorem. Et primò quidem ostendemus, consilium tum demum laudandum, si sit prudens, maturum, sine affectu, sincerum. Deinde verò docebimus, eruditum etiam hominem plerumque sibi ipsi non bonum esse consultorem.

§. I.

MIrum, bis mirum, ter mirum, Iosephi consilium in aulâ Pharaonis tam fuisse benevolè auditum, ut nemo ei contradixerit, nemo dictis obtrectaverit. *Placuit Pharaoni consilium, & cunctis ministris ejus.* Non solùm rex ipse nihil à Iosepho dictorum impugnavit, aut in sensus dubios traxit, sed nec eorum ullus, qui regi à consiliis fuerunt. Alii plerumque sunt aulæ mores: si quis ignotior prorepat, etsi Thales sit, & sanissima consilia suggerat, plurimos tamen sentiet, qui adversentur. qui carpant, qui refellant, qui sua ingerant. Mirum igitur, bis mirum, in Pharaonis aulâ neminem repertum, qui diceret: Unde Hebræo huic juveni, hæc scientia & præsagitio futurorum? Nimirum Dii cum illo uno sunt locuti. Albæ mentis homines sumus, si somniorum conjectori credimus. Tanta rerum moles à conjecturis ruinosum ducit principium. Tanta impendia firmioribus necesse est nitantur fundamentis. Hæc talia in Iosephi consilia objicere, in aulâ proniissimum fuisset. Verùm, *Conticuêre omnes, intentiq; ora tenebant.* Nemo fuit qui Iosephi consilium non probaret. Aperta & simplex veritas favorem sibi omnium conciliabat. Deinde, altior hîc quædam vis, digitus Dei, animos omnium trahebat in assensum. Nemo contra mutiit. Nimirum Deus suo famulo eam aspiravit gratiam, ut ei omnes tanquam verissima vaticinanti crediderint. Christus Apostolis promittens: *Ego*, inquit, *dabo vobis os sapientiam, cui non poterunt resistere & contradicere, omnes adversarii vestri.* Hoc quidem Iosepho non promissum, sed certè præstitum. Os habuit Iosephus, & sapientiam, Consilium ejus optimis dotibus, quas requirimus, instructum. Nam,

Gen. cap. 41. v. 37. Consilium Iosephi nemo contradixit.

Virg. lib. 2. Æneid. v. 1. Aperta cum veritas sibi omnium favorem conciliabat.

Luc. cap. 21. v. 15.

Dotes optimi consilii: 1. Ut sit prudens. Gen. cap. 41. v. 25. Eccli. c. 34. v. 9.

I. *Prudens fuit consilium.* Quàm prudenter Joseph exordium struens: *Somnium regis*, inquit, *unum est; quæ facturus est Deus, ostendit Pharaoni.* Consilium ex asse bonum, ac prudens, politicorum etiam judicio, à multo usu est. Longa rerum experientia suasorem reddit prudentem. Quod Siracides affirmans: *Vir in multis expertus*, inquit, *cogitabit multa; & qui multa didicit, enarrabit intellectum. Qui non est tentatus quid scit?* Quòd si placeat à capite rem arcessere, atque cum scriptoribus politicis loqui, erudiè nos instruet Joannes à Cockier patritius Leodiensis Jurisconsultus, cujus hæc est sententia. *Bonum Consilium procedit ex imagine lætorum & tristium.* Non est ulla mens dandis consiliis aptior, quàm quæ longâ ac frequenti rerum patientiâ, multisque experimentis domita, mitigatis suadet affectibus. Multa demum intelligimus patiendo. Quod Mithridates rex, ut fertur, falsus: Mihi fortuna, inquit, multis rebus ereptis usum dedit bene suadendi. Non in hilari tantùm choreo, sed in palæstrico gymnasio necesse est, fuerit consultor qui non tantùm de bono viro sed etiam de fame, sitique possit loqui; qui non solùm decursionibus ludicris, sed cruentis prælis; non tantùm de verbosis disputationibus, sed de luctuosis naufragiis verba queat facere; qui sciat & angelos suis pingere doloribus, & diabolos; qui non prospera solùm, sed & adversa sæpius sit expertus: si semper pulvinum presserit, de imagine tristium parum peritè disseret. Iosephus hac in re exercitatissimus, tot naufragiis clarus, tot fortunæ procellis objectus, falsis accusationibus notatus, iniquis vinculis attritus, diuturnâ patientiâ illustrissimus. Hinc prudens consilium. Eam in rem suasit Seneca, nonnunquam in secessu pane secundario & atro, vestitu vili & rigido, lecto modicè instrato utendum; ut sciliset quantò minus est loci deliciis, tantò plus esset sapientiæ. Neque verò prudens tantùm fuit Iosephi consilium. Sed etiam

2. Maturũ.

II. *Maturum.* Hoc maximè urgebat Joseph, ne quid agendorum differretur aut procrastinaretur. Idcirco: *Provideat rex*, inquit, *virum sapientem & industrium*, qui cunctator non sit, nec occasiones inter inertiam patiatur diffluere; *Qui constituat præpositos per cunctas regiones*; solus enim negotiorum moli succumbet; qui *quintam partem fructuum per septem annos fertilitatis congreget*; non triennio solùm, aut quadriennio hoc faciendum, sed totis septem annis fertilibus. Jam statim primo quidem anno incipiendum, prolixis & grandibus eget curis, tam diuturna, quæ secutura est, fames. Ita Josephus censuit maturè fami occurrendum. Verbum vetus submonet: Antequam incipias, consulto; ubi consulueris, maturè opus est facto. Seneca præcipiens: *Consilium*, inquit, *sub die nasci debet: & hoc quoque tardum est nimis: sub manu, quod ajunt, sub manu nasciatur.* Opus jungendum consiliis; recte decreta manus actuosa roboret. Iosephus tam præclarè quàm maturè suadens: *Servetur*, inquit, *frumentum in urbibus, & præparetur futuræ septem annorum fami, quæ oppressura est Ægyptum, & non consumetur terra inopiâ.* En consilium, & quidem maturum præiit, secuta est præparatio. Ita faciendum docens Siracides: *Fili*, ait, *sine consilio nihil facias, & post factum non pœnitebis.* Unum emere, pòst domi primùm illud gustare; uxorem ducere, dein deliberare post nuptias, num fuerit ducenda, serum nimis est. Consilium facto posterius plerunque inutile. Mus antè deliberet, quàm picem gustet, priùs furti mulctam expendat, quàm muscipulam subeat. Ita priùs peccati supplicium perpendas, quàm peccatum committas. Non est sapientis dicere: *Non putaram.* Sera nimiùm est sapientia suo damno sapere. Maturè domum redi, si pœniteat exisse.

Gen. c. 41. v. 33.

Ibid. v. 34.

Senec. ep. 71. initio. Ubi pag. 509. Suetonius in Augusto: Quò celerius, ac sub manu annuntiari posset.

Gen. cap. 41. v. 35. & 36. Eccli. c. 32. v. 24.

Iosepho potuisset objici: Quid opus festinatione tantâ. Elapso septennio forsan non ampliùs erimus superstites; viderint posteri nostri, quid metant, quid comedant. At consilium Iosephi famis subsidia censuit maturanda, non ad septennii finem procrastinanda; primo mox anno futuris providendum. Consilium maturum.

§. II.

3. Sine affectu malo.

III. *Sine affectu malo consilium Iosephi fuit.* Nihil privatarum rerum miscuit; non fratres suos, non herum suum accusavit, contra quem jure multa potuisset dicere in suæ innocentiæ patrocinium. His omnibus omissis, quod ad rem erat, in medium consuluit. Cedant publicis privata. Personam agis publicam? exue igitur privatam. Ingrederis curiam? Ad curiæ limen privatos aut pravos affectus relinque. Senator medium se gerat, & neutram in partem inclinet, pro solâ stet æquitate. Malus Senator est, quisquis partium est; animi hominum partibus infecti malè consulunt. Aristoteles & Tullius

Dom. à Cockier lib. 3. Thesaur. politic. cap. 12. mihi p. 171. Sallust. l. 4. hist.

Tyrannis est rempublicam administrare ad suum quæstum.

& Tullius eam ajunt esse tyrannidem, quæ Rempublicam administret in rem suam, ad suum quæstum, bono suo. Quisquis igitur bonum publicum, & civile regimen in suam solius utilitatem derivat, tyrannus est philosopho & oratori. Divinæ gubernationi similis est illa, quæ civitatis, quæ provinciæ, quæ regni commune bonum tuetur. Deus bone, à quantis & quàm graviter hac in re peccatur! cùm publicis consiliis miscentur affectus privati, cùm privata commoda habentur publicis potiora. Consilium sine affectu, consilium aureum. Consilium affectibus corruptum, consilium plumbeum. Incredibile prorsus est, quantum boni præpediant, quantúmque inferant damni, affectus privati & mali. Ubi affectus imperat, exulat reverà virtus, & cùm eâ honestum omne.

4. Sincerū. Ejus distinctio à priore.

IV. *Sincerum consilium laudatissimum.* Distinguamus hoc à priore. Consilium sine affectu præstat, qui nihil amore aut odio aliorum miscet; sincerum adfert, qui nihil subtilicer dicendorum, qui scapham, scapham; ligonem vocat ligonem; qui candidum pro candido, atrum pro atro, picem pro pice, & ceram vendit pro cerâ. Philo regem Ægyptium huc sistit ita loquentem: Præsagit mihi animus non semper in obscuro, & operto fore, quod tegitur; hic juvenis veritatem, tanquam lumen tenebris inferens aperiet, & suâ scientia nostratium sophistarum insciriam deteget. Eam ob caussam Josepho metum omnem adimens, & animans ad sincerè loquendum: Cave, ait, vel metu quidquam supprimas, vel ad gratiam ac voluptatem loquaris, sed vera omnia, etsi fortasse non læta, nec grata mihi futura. Voluit nimirum explicationem somnii quàm sincerissimam.

Philo lib de Iosepho, mihi pag. 422. & Iosephus lib. 1. Antiq. Iudaic. cap. 3. mihi p. 43.

§. III.

Confessarii & consiliarii regum & principum explorantur consilii sinceritate.

COnsilii sinceritas Lydius lapis est, ad quem, velut ad coticulam aurum, ita principem, regum, Imperatorum confessarii, & consiliarii explorantur: qui enim sic aucupantur gratiam, ut quidquid putatur vel minimùm læturum, supprimant, consilium sincerum non dant. Cor eorum non rectum; vitium revelat Lydius hic lapis. Quanti autem, ô Deus, à consiliis non sinceris, quanti proveniunt errores? Oracula divina sæpissime correctum, & sincerum ingerunt, quod certè in his talibus non invenitur, qui dicenda silentio involvunt, aut silenda effutiunt, & mantelum veritati appandunt ne cernatur. Nec nescire queunt tales, quantum injustitiæ ac malorum longo comitatu sequatur è silentio tam exitioso, & tamen silent, quando illis hoc unum est propositum, non displicere, non offendere. Cor eorum non est rectum, non sincerum. Id solùm norunt dicere, quod gratum, quod placeat, quod auditu jucundum: Laudendenses, & Placentini, quidquid mœstioris est auditionis, quæriissimè declinant: Non est ad rem, ajunt. Ita sese ipsos suavissimè fallentes: Quid enim opus est, inquiunt, ut ego hæc primus dicam; dicent alii, quorum magis interest, quàm meâ. Nec tanti res momenti, etiamsi aliquid errorum consequatur. Expiari possunt hæc piacula. Ita conscientiæ cauterio inustæ silentium multis pestilentissimum specioso prætexunt fuco. Nec rarò fit, ut alter alteri rem magni narret momenti, quæ certè ad magistratum, vel ad eos, qui rebus præsunt deferendum foret. At narrator os audienti velut annulo obsignans: Si ista, inquit, efferre velis, jurejurando millies me obstringam, & per omnes Deos, Deásque negabo hęc à me dicta. O Deus, quàm surdæ conscientiæ! Quibus hoc unum est constitutum omnem veritatem, quæ parere possit odium, opprimere. Hæc una omnium lex est, non incursitare, apud neminem offendere, omnibus, præsertim magnis illis fastigiis, assentari. Cùm peccatur præcipuè in aulis, alter in alterutrum pulcherrimè novit derivare culpam. Hinc aliquando culpa impingitur illi, cujus non est. Hinc sæpe damna tam pecuniæ quàm famæ gravia sequuntur luenda insontibus. Hęc autem peccata tantò sunt nequiora quantò subtiliora. Videte vos Joannes Silentiarii, quid judici supremo brevî sitis responsuri. Væ vobis, quia tacuistis, aut locuti estis, sed neutiquam sincerè. Joannes Mariana rerum Hispanarum scriptor memorat. Henrico rege Castellæ mortuo, Rempublicam periculosè nutasse. Vidua erat regina, & filius viginti duorum mensium, Respublica novis turbis objicienda non videbatur. Hæc clam inter se, hæc palàm & in circulis conquerebantur; consilia mali vitandi non satis explicabant: quódque in tali re difficillimum est, primus auctor, primáque vox expectabatur, dum animis spes, timor, ratio, casus ancipites obversabantur. Loquebantur omnes, adjicere consilio periculum suum singuli detrectabant. Basilius Macedo Imperator, quod Cedrenus memorat, ædem Apostolorum solenniissimo die ingressus, civium vultus mœrore insolito turbatos observavit. Nec distulit peractâ re divinâ quærere: quid tristior compluriùm & exacerbatior aspectus sibi vellet, cur plerorumque vestis neglectior die festo? num publicæ calamitatis aliquid ingruisset, cujus ipse conscius non esset? Hîc unus aliquis facundâ libertate ceteris antistans, quod res erat minimè celandum ratus: Te, ait, Auguste Imperator, tuósque non ea premunt mala, quæ nos, & nostrum penu. Et forsan ad tuas aures nondum pervenit plurimorum res angusta domi. Certè annonæ caritas ob immitius cœlum ita jam accensa est, ut duo modii frumenti nummo væneant aureo. His auditis Imperator altum ingemiscens, non satis in statione lacrymas continuit, atque ut mœrentibus solatii aliquid instillaret, id porrò sibi curæ futurum est pollicitus. Ubi in palatium rediit, primum erat annonæ præsides accersere. Mox in præsentes acerrimè invectus: Et vos, inquit, homines nequam, ita principem vestrum, quæ illi maximè scienda, nequiter celatis? Sic omnino, quod Artaxerxes jam olim queritur, *aures principum simplices, & ex suâ naturâ alios assimantes, callidâ fraude decipitis.* Actutum igitur è granariis meis frumentum educite, atque ut publicæ calamitati medelam faciamus, duodecim modii frumenti nummo aureo sed unico vendantur. Factum Deus ex asse Christianum, mirâ fertilitate, quæ secuta est probavit. Deprehensi tales acerrimo lavandi sunt aceto, quod Basilius Imperator fecit, aut etiam quandoque gravius mulctandi.

Esther 6. 4.

Addo hîc, quod verbo veteri saluberrimè jactatur: Quemvis plerunque rectiùs suadere alteri, quàm sibi ipsi: Nec ullum in ullâ re minùs cernere, quàm in suâ. Eulogius Alexandrinus presbyter, quod Palladius narrat, leprosum annis quindecim in suâ domo nutrivit; neque suis solùm sumptibus, sed & suis manibus cibum ei potúmque, & cuncta vitæ necessaria subministravit curâ & studio ingenti. Leprosus homo rudis & querulus tanquam sibi hæc omnia deberentur obloqui, jubere, murmurare, si jussa non fierent ad nutum. Hîc Eulogius apud animum suum: Quid faciam, inquit, ingratissimum alam? Operam malè collocavero: Ejiciam illum in viam? seipsum nec manu poterit, nec consilio juvare. Ergo ad Antonium Abbatem me conferam consilium rogaturus. Cùm eò pervenisset: Suade, inquit, mi pater, quid mihi agendum cum leproso illo nimiùm ingrato. Hominem hucusque alui, sed omnem in eo & operam & oleum videor perdidisse; nihil æstimat beneficiorum, patientiæ vix quidquam habet; gratiani nihil. Imperat, obloquitur, murmurat: herum agit, non mendicum. Quis sua velit in dolium tam rimosum effundere? Num diutiùs hæc patiar? Num hominem non dimittam? Cui Antonius: Quæso te, inquit, imple meritum patientiæ, fortassis corriget ingratitudinem. Persuaderi se passus est. Post triduum moritur

Culpam in aulis alter in alterum derivat.

ritur reprosus. Eulogius impleto insigniter patientiæ merito, post diem quadragesimum eâdem mortis viâ sequitur. Junxit patientiam pietati, & duplum adeptus felicitatis præmium, geminæ virtutis diademate meruit coronari. Malum habuisset suasorem Eulogius seipsum: Nec Antonii consilium fuisset bonum, nisi ab Eulogio in opus redactum. Consilium in rerum nostrarum plurimis saluberrimum est istud: Imple patientiæ meritum, imple, imple; longanimis esto, ne præcipita, nihil abrupte facito; fortassis annus unicus, fortassis mensis, aut hebdomas tantùm, fortassis unica dies tuæ supereſt patientiæ. Dura, & rebus secundis te serva. Josephus post superatam cisternam, post venditionem, & accusationem falsissimam toleratam, post vincula, carcerem superatum emersit ad solium Prorex Ægypti. Ergo patientiæ meritum imple. Una dabit horula, quod multi non dederunt anni. Consiliarius fidelis, patientiæ suasor.

CAPVT X.

Iosephus quibus gradibus in tam sublime solium conscenderit. Felicitas humana quàm periculosa, brevis, noxia.

Gen. cap. 41. vers. 37. ad finem cap.

PLacuit Pharaoni consilium, & cunctis ministris ejus. Locutusque est ad eos: Num invenire poterimus talem virum, qui spiritu Dei plenus sit: Dixit ergo ad Ioseph: Quia ostendit tibi Deus omnia, quæ locutus es, nunquid sapientiorem, & consimilem tui invenire potero? Tu eris super domum meam, & ad oris tui imperium cunctus populus obediet; uno tantùm regni solio te præcedam. Dixitq; rursum Pharao ad Ioseph: Ecce, constitui te super universam terram Ægypti; tulitq; annulum de manu suâ, & dedit eum in manu ejus, vestivitq; eum stolâ byssinâ, & collo torquem auream circumposuit; fecitq; eum ascendere super currum suum secundum, clamante præcone; ut omnes coram eo genu flecterent, & præpositum esse scirent universæ terræ Ægypti. Dixit quoque rex Ægypti ad Ioseph: Ego sum Pharao, absque tuo imperio non movebit quisquam manum aut pedem in omni terrâ Ægypti. Vertitq; nomen ejus, & vocavit eum linguâ Ægyptiacâ: Salvatorem Mundi. Deditq; illi uxorem Aseneth filiam Putipharis sacerdotis Heliopoleos. Egressus est itaque Ioseph ad terram Ægypti. Triginta autem annorum erat, quando stetit in conspectu regis Pharaonis, & circuivit omnes regiones Ægypti. Venitq; fertilitas septem annorum: & in manipulos redactæ segetes congregatæ sunt in horrea Ægypti. Omnis etiam frugum abundantia in singulis urbibus condita est. Tantaque fuit abundantia tritici, ut, arenæ maris coæquaretur, & copia mensuram excederet. Natiq; sunt Ioseph filii duo antequam veniret fames, quos peperit ei Aseneth filia Putipharis sacerdotis Heliopoleos. Vocavit nomen primogeniti Manasses, dicens: Oblivisci me fecit Deus omnium laborum meorum, & domûs patris mei. Nomen quoque secundi appellavit Ephraim, dicens: Crescere me fecit Deus in terrâ paupertatis meæ. Igitur transactis septem ubertatis annis, qui fuerant in Ægypto, cœperunt venire septem anni inopiæ, quos prædixerat Ioseph, & in universo orbe fames prævaluit. In cunctâ terrâ Ægypti panis erat. Quâ esuriente clamavit populus ad Pharaonem alimenta petens. Quibus ille respondit: Ite ad Ioseph, & quidquid ipse vobis dixerit facite. Crescebat autem quotidie fames in omni terrâ: aperuitq; Ioseph universa horrea & vendebat Ægyptiis: nam & illos oppresserat fames. Omnésque provinciæ veniebant in Ægyptum, ut emerent escas, & malum inopiæ temperarent.

Gen. cap. 41. vers. 38. Ioseph præficitur toti Ægypto.

Audito Josephi consilio rex versus ad suos: *Num*, inquit, *invenire poterimus talem virum, qui spiritu Dei plenus sit?* Mox iterum ad Josephum: Quando igitur, inquit, divinâ polles scientiâ, te meliorem non habebo alterum, summæ rei te, meaque domui præficiam; tibi populus universus obediet, uno solùm regni solio te præcedam; Ægyptus omnis sub tuâ erit potestate. Cum dicto annulum è suo digito rex trahens, Josephi digitum eo induit, adjecit vestem byssinam, & torquem auream, justitque eum in curru regio considentem per urbem vehi, præeunte præcone ac monente, ut omnes genu flecterent & Ægypto toti præpositum salutarent. Sed & Josephi nomen mutatum, & appellatus est Salvator Mundi. Nec defuit par tanto principi conjux, quam ei Pharao despondit filiam Putipharis Heliopoli sacerdotis Aseneham. Trigesimum agebat annum Joseph, cum ad hoc fastigii evectus regiones Ægypti omnes obiit, ut sciret, quantùm annuatim conveherent frumenti. Ita septennalis cœpit fertilitas, & segetes in manipulos ligatæ ambularunt in horrea, singulis civitatibus rerum suarum satagentibus. Tanta porrò tritici fuit copia, ut arenam maris æquare videretur, & mensuram omnem excederet. Antequam verò grassari fames inciperet, duo filii Josepho nati sunt, primo nomen indidit Manasses, quòd sibi Deus jucundissimam omnium laborum oblivionem induxisset. Alterum appellavit Ephraim, quòd Deus crescere se voluisset in terrâ paupertatis suæ. Ita septennalis cœpit penuria, quam prædixerat Joseph per orbem propagandam. Ægypto tamen panis sub hæc initia non defuit. At paullatim & ipsam Ægyptum fames cœpit penetrare. Ita plebs esuriens à rege panem petiit. Quibus Pharao: Ite ad Joseph & ad illius imperium vos attemperate. Cùm autem fames augeret in dies & Ægyptios acriter stimularet, aperuit Joseph horrea & vendi jussit frumentum. Sic Ægyptus facta est Orbis granarium, eò enim provinciæ omnes confluebant. Ex istis, prout cœpimus, spicarum manipulos colligamus.

Filia Putipharis Aseneth in conjugem datur Josepho.

Duo filii Josepho nascuntur.

Ægypti fames incipit.

Quinque manipuli, seu monita:

1. *Divinæ providentiæ admiranda series. Attingit enim illa à fine, usque ad finem fortiter, & disponit omnia suaviter.* Catenam facit dispositio divina obstupescendis nexibus. Ab omni æternitate decrevit Deus Josephum clarissimum sibi famulum proregem Ægyptium constituere: cùm autem omnia *suaviter* disponat, non subitâ illum violentiâ evexit ad istud culmen, sed quia sapientissimus rerum moderator ab æterno simul omnes hominum cogitationes futuras, & actiones prævidit, unà etiam occasionem, & viam aditúmque ad summam auctoritatem Josepho aperuit. Via & occasio, seu caussa prima fuit fratrum invidia. Non poterant illi germanum fratrem in suo contubernio tolerare, hinc illius cædem meditari, demum vendiderunt in Ægyptum. Observa, mi Lector, observa obsecro, quod dico. Hoc facere Deus illis non imperavit, sed voluntate illorum pessimâ usus est pro caussa mediâ, è quâ boni aliquid expressit, quod Deus in hujusce modi malis omnibus facere consuevit: è malo, quod permittit, bonum elicit, quod vult, & cupit. Altera caussa: Ismaëlitæ videntur illac fortè fortunâ transisse ubi pecus pascebant fratres Josephi. His venditus venit in Ægyptum. Hæc quidem temere creduntur facta: consilio tamen divino sunt ordinata. Tertia caussa. Servitus extra patriam fuit subeunda. Quarta: Accusatio falsa toleranda, hæc illum in carcerem contrusit. Quinta: Quia Deus caussas rerum, & effectus mirabilissimè potest connectere (nil planè mirius in Orbe) disposuit, ut regii duo famuli eodem tempore truderentur in vincula. Sexta: Utriusque aulici somnia, & eorum interpretatio. Ab hac Deus biennio expectabat, dum & rex ipse somniaret. Septima: Pincerna tandem conjectoris sui memor retulit, quid Josephus sibi ad suum insomnium respondisset in carcere: hac viâ & occasione ultimâ Josephus in Pharaonis aulam vocatus est. Videte, obsecro, per quot ambages, per quot aditus, & ostia deductus Joseph, dum in triumphalem currum evectus est. Non aliter Deus nobiscum agit; hic Dei mos est. Nónne his gradibus & David in solium ascendit? Jam uncto regi quot insuper annis inter adversissimas fortunæ vices fuerat expectandum, dum in manus traditum est sceptrum? Hæc providen-

Sap. c. 8. v. 1.

Caussa prima quæ viam ad summam auctoritatem aperuit Josepho fuit invidia fratrum.

2. Trãsitus Ismaëlitarum.

3. Servitus extra patriam.

4. Accusatio falsa.

5. Dei dispositio.

6. Utriusque aulici somnia.

7. Pincerna.

Sap. c. 8. v. 1. tiæ divinæ miracula fiunt. *Attingit Deus à fine usque ad finem fortiter, & disponit omnia suaviter.* Nihil hanc providentiam subterfugit.

2. Amicis Dei oppignerata est Dei viva potentia.

II. *Amicis Dei oppignerata est Dei viva potentia.* Dixerat Romanus adulator:

Divisum imperium cum Iove Cæsar habet.

Nugæ, apinæ, affaniæ merissimæ. Qualis Deus, tale & imperium ejus. Numen supremum suam cum Josepho potentiam modo admirabili divisit. En juvenis Hebræus, venditus, servus, accusatus, captivus, eò demum progressus, ut regum potentissimus affirmarit, uno te regni solio præcedam. Hoc sanè divinæ solùm fuit potentiæ.

3. Felix regnū, quod bonos alit cōsiliarios.

III. *Felix regnum, quod bonos alit consiliarios.* Ægyptus fame periisset, nisi talem Deus consiliarium ei submisisset.

4. Oblivio laborum jucunda.

IV. *Oblivio laborum jucunda.* Ingenti cordis lætitia dixit Josephus: Oblivisci me fecit Deus omnium laborum meorum. Acti labores jucundi.

5. E carcere ad solium.

V. *Evaserat ad solium.* Hac viâ Joseph ascendit ad eminentissimum culmen. Hunc nos manipulum explicabimus, dicturi prosperitatem ac felicitatem vix ulli non periculosam & noxiam esse, tutam ab adversis reddi salutem.

§. I.

Vita humana polo duplici, felicitate, aut infelicitate nititur.

TOtum cælum, quod Astrologi docent, gemino rotatur cardine: ille, Polus Septentrionis, seu, Arcticus, iste, Polus Antarcticus, seu Meridionalis nominatur. Circa geminos hos apices, ajunt, cælum omne vertitur. Humana vita hoc polo duplici, Arctico, seu, Felicitate, & Antarctico, seu, Infelicitate nititur. Aut homini bene est, aut malè, aut adversæ sunt res, aut secundæ ac prosperæ; mediocritas prosperitati ferè accedit. Inter hos apices duos humana vita omnis vertitur. Summæ artis est, sese tam adversis quàm prosperis temperare posse. Polum Arcticum, seu, Felicitatem consideremus.

Prosperitas, seu, Felicitas tam blanda est omnibus, ut is, quem felicitatis blandimenta non fallunt, nec ab honesto, rectóque abducunt, appellari possit, *Vnus è mille.* Achilles sit necesse est, qui possit fortunatè simul & piè, sanctéque vivere. Rarissima est mixtura felicitatis & sanctitatis. Ei plerumque malè est, cui valde bene est. Caseus recens & madidus gignit vermes, fortuna mollis & blandiens parit corruptos mores. Vicinus est inferis, qui in cælo est felicitatis. Quod millies divinæ paginæ confirmant. Per Hieremiam vatē ita queritur Deus:

Hier. c. 22. vers. 21. *Locutus sum ad te,* inquit, *in abundantiâ tuâ. Dixisti: Non audiam. Hæc est via tua ab adolescentiâ tuâ, quia non audisti vocem meam.* Patres prisci existimant, plus obfuisse Salomoni rerum abundantiam, quàm profuisse summam sapientiam. Res in aperto est. Humana gens vix unquam insolentior fuit, quàm cùm rebus omnibus abundavit. Testes quinque nobilissimę civitates; Sodoma, Gomorra, Adama, Seboim, & Segor. Quod testatus Ezechiel:

Abundātia plus obfuit Salomoni, quàm profuit sapientia.

Ezech. c. 16. vers. 49. *Ecce,* ait, *hæc fuit iniquitas Sodomæ Sororis tuæ, superbia, saturitas panis, & abundantia, & otium ipsius, & filiarum ejus.*

Prov. cap. 3. vers. 10. Cùm promittat Hebræus sapiens: *Implebuntur horrea tua saturitate, & vino torcularia tua redundabunt.* Mox addit:

Ibid. v. 11. *Disciplinam Domini, fili mi, ne abjicias.* Perinde si dicat: Proniissimum est jugum excutere, & in vitia declinare, cùm omnia fluunt prosperè. Vetus est verbum: Cùm homini bene est, ipse sibi, aliisque coquit grandinem. Quàm autem istud in humanis rebus miserum est, non posse felicem esse sine damno. Ni Deus assiduè virgas intentet, & minetur pœnas, nimium quantum exorbitamus.

Crœsus potentissimus, ac opulentissimus rex Lydiæ, felicitatē hanc suam concoquere non potuit: ita Cyrum ad arma capienda compulit, & in se concitavit. Cyrus ubi Crœsum cœpit, & in ordinem redegit, Oriente toto potitus est. Sed nec ille suas potuit digerere fortunas.

A Non enim quievit dum Tomytidem reginam in se armaret, quæ ducenta millia Persarum unà cum rege ita internecioni dedit, ut nec nuntius cladis superfuerit. Sapientissimè dixit Annæus Philosophus: *Calamitas virtutis occasio est. Illos meritò quis dixerit miseros, qui nimiâ felicitate torpescunt, quos velut in mari lento tranquillitas detinet. Fugite delicias, fugite enervatam felicitatem, quâ animi permadescunt, nisi aliquid intervenerit, quod humanæ sortis admoneat, velut perpetuâ ebrietate sopiti. Cùm omnia, quæ excesserunt modum, noceant; periculosissima felicitatis intemperantia est.* Idem adstruens Archytas Pythagoræus: *Atqui,* ait, *majores morbos gignere solet ea, quæ ab omnibus appellatur felicitas, tanquam vinum inebrians etiam bonis viris mentem.* Iustin. lib. 1. hist. mihi pag. 12. Senec. l. de Provid. c. 4. mihi p. 136.

Regum Chronicon recenset rem memoratu dignissimam. Rex Ozias *ædificavit Ailath, & restituit eam ditioni Iudæ. Fecitque, quod rectum erat in oculis Domini juxta omnia, quæ fecerat Amasias pater ejus. Et exquisivit Dominum in diebus Zachariæ intelligentis & videntis Deum, cúmque requireret Dominum, direxit eum in omnibus. Denique egressus est, & pugnavit contra Philisthiim, & destruxit murum Geth, murúmque Iabniæ, murúmque Azoti; ædificavit quoque oppida in Azoto & Philisthiim: Et adjuvit eum Deus contra Philisthiim, & contra Arabas, qui habitabant in Gurbaal, & contra Ammonitas.* Et adjuvit eum Deus. *Appendebántque Ammonitæ munera Oziæ, & divulgatum est nomen ejus usque ad introitum Ægypti, propter crebras victorias. Ædificavitq; Ozias turres in Hierusalem super portam anguli, & super portam vallis, & reliquas in eodem muri latere, firmavitq; eas. Extruxit etiam turres in solitudine, & effodit cisternas plurimas, eò quòd haberet multa pecora tam in campestribus, quàm in eremi vastitate; vineas quoque habuit, & vinitores in montibus, & in Carmelo, erat quippe homo agriculturæ deditus.* Et adjuvit eum Deus. *Numerus principum per familias virorum fortium, duorum millium sexcentorum. Universus autem exercitus Oziæ trecentorum & septem millium, quingentorum, qui erant apti ad bella, & pro rege contra adversarios dimicabant.* Et adjuvit eum Deus. *Præparavit quoque Ozias cuncto exercitui clypeos, & hastas, & galeas, & loricas, arcúsque, & fundas ad jaciendos lapides.* Et adjuvit eum Deus. *Fecit quoque in Hierusalem diversi generis machinas, quas in turribus collocavit, & in angulis murorum, ut mitterent sagittas, & saxa grandia, egressúmque est nomen ejus procul, eò quòd auxiliaretur ei Dominus, & corroborasset eum.* Hactenus omnia præclarissimè. Sed audite, obsecro, quàm lacrymabilis & tragicus comœdiæ tam lætæ fuerit epilogus. *Cùm roboratus esset Ozias, elevatum est cor ejus in interitum suum, & neglexit Dominum Deum suum, ingressúsque templum Domini, adolere voluit incensum super altare thymiamatis. Statimq; orta est lepra in fronte ejus coram sacerdotibus in domo Domini. Fuit igitur Ozias rex leprosus usque ad diem mortis suæ, & habitavit in domo separatâ, plenus leprâ, ob quam ejectus fuerat è domo Domini.* Dignus lacrymis eventus post cœpta tam laudabilia. Quæ verò caussa lapsûs tam miserandi? Prosperitas. Cùm roboratus esset, elevatum est cor ejus. En originem ipsissimam interitûs, fortunam prosperam. Pluribus hîc testibus non egemus. Noverca virtutis prosperitas. Triplex hic documentum attexo. 2. Reg. c. 26. v. 1. & seqq. Josephus lib. 9. Antiq. c. 12. Prosperitas fuit causa lapsus Oziæ. Triplex documentum.

§. II.

I. *Nil brevius prosperitate.* Momento transit; hilaris cachinnus est, mox fletu diluendus, unicus tempestatis pulsus, levis per aërem saltus. Somniat rex Pharao de septem obesis bobus & spicis: sequuntur totidem fertilissimi anni. Cùm transissent illi, tam ingens fames est orta, ut oblivioni traderetur cuncta retro abūdantia, velut proximę noctis somnium. Idcirco monet regius psaltes: *Noli æmulari in eo, qui prosperatur in viâ suâ.* Ne ulli suam invideas felicitatem; momento tota evanescit. Felix es hodie? cras forsitan non solùm non felix, sed nec superstes eris. Suum insistit tumulum omnis felicitas, subitò in eum dejicienda. Non invidendi quid- 1. Nihil velocius. Psal. 36. v. 35.

quidquam habet, qui prosperatur in viâ suâ. Quod exi- A mana ad blandos prosperitatis calores emollescit, & perit. Unus è mille est, qui prosperis patiens non in transversum agitur. Quando igitur periculosissima est prosperitas, & proximè spectat interitum, tertium adjungo documentum.

Augustin. in psal. 36. mihi p. 113. & in psal. 41. mihi p. 152.

Ille prosperatur, inquit, *sed in viâ suâ: tu laboras, sed in viâ Dei. Via impiorum, felicitas transitoria; finitâ viâ, peracta est felicitas. Tibi labor in viâ, in perventione felicitas. Illi prosperitas in viâ est, in perventione infelicitas. Novit Dominus vias justorum, & iter impiorum peribit. Has vias ambula, quas novit Dominus. Si ambulas in eis, non te fallunt. Via verò impiorum felicitas transitoria: finita via peracta est felicitas. Quare; quia via illa lata est, finis illius in profundum inferni perducit. Via verò tua angusta est, & pauci ingrediuntur per eam: Sed ad quam latitudinem perveniant, debes cogitare. Quid ergo dicis? quasi gratulari me cogis, si aliqua hujus sæculi prosperitas arriserit? Nónne deceptoria est, nonne fluxa, caduca, mortalis? Nónne temporalis, volatica, transitoria? Nónne plus habet deceptionis, quàm delectationis, & dilectionis?* Momentum avolans est omnis prosperitas.

2. Nihil periculosius prosperitate: Eius paradigma.

II. *Nihil periculosius prosperitate.* Notum est Ambrosium præsulem in eâ domo pernoctare noluisse, in quâ B patersamiliàs se beatum, & ab afflictione omni eximium jactaret; & brevî domum illam corruisse. Sed ignotiora pando. Italus Comes Hugolinus Gidarescus Pisanus eò fastigii pervenit opibus, familiâ, liberis, nepotibus, fortunis omnibus, ut credi potuerit fortunam auream cum ingenti comitatu in illius ædes immigrasse. Sed in aurem illi debuisset insusurrari: Domine Hugoline, matura pira sæpe in lutum decidunt. Tantò autem magis hîc timeri potuit præcipitium, quantò ille altiùs erexit supercilium, plenus fastu. Sapientissimum monitum est: *Contritionem præcedit superbia, & ante ruinam exaltatur spiritus.* Die natali regium dedit epulum Pisanus, & super mensam non leviter fortunas suas jactavit, ausus etiam quærere: Quid sibi ad omnem felicitatem deesset? Hîc convivarum unus addacter, & ore renidenti: Cælestis ira, & blandiens fortuna plerunque vicina sunt. Haud multò post fortunatissimus Pisanus unà cum suis liberis à Gibellinis capitur, turri includitur, C fame perimitur. O Domine Hugoline debueramus istud præscisse: Cui felicitas adulatur, ei collum obtorquere nititur. Vel teipsum habemus locupletissimum testem. In sublime ascendisti, ut tantò calamitosiùs rueres, quantò altiùs ascendisses.

Prov. c. 16. vers. 18.

Fortunæ non fidendum. *Basilius orat. 1. de Ieiunio.*

August. in psal. 83. mihi pag. 389. & in psal. 129. mihi p. 617.

Nemo fidat fortunæ quotiescunque illa ridet, vicinas significat esse lacrymas. Fortunæ fulmen imminet, cùm in tuto videntur esse omnia. Eruditè Basilius Magnus: *Interroga medicos*, inquit, *& dicent tibi: Nihil esse periculosius habitudine corporis extremè bonâ.* Non satis sanus est, qui nimis sibi videtur sanus, & penitus nihil sentit invaletudinis. Augustinus hac de re sæpius insignissimè disserens: *Multi*, ait, *res adversas timent, res prosperas non timent. Periculosior est res prospera animo, quàm adversa corpori. Prius corrumpit prospera, ut inveniat, quod frangat adversa. Putatis, fratres charissimi, infelicitatem sæculi metuendam esse, & felicitatem non esse metuendam? Imò verò nulla infelicitas frangit, quem felicitas nulla corrumpit. In regione mortuorum, labor, dolor, timor, tribulatio, tentatio, gemitus, suspirium. Hic falsi, felices; veri, infelices; quia falsa felicitas, vera miseria est. Qui verò agnoscit in verâ esse miseria, erit etiam in verâ felicitate. Fallax felicitas, major est infelicitas. Felicitates sæculi, somnia dormientium. Attendite ut discernatis vos, attendite, ne putetis veram felicitatem esse, quam sibi optant homines aut infirmi, aut infimi. Fratres mei adversus felicitatem acriùs vigilandum est. Non ergo tibi videantur felices, qui florent ad tempus. Tu castigaris, illis parcitur. fortè tibi castigato & emendato hæreditas reservatur.* Idcirco Bernardus Iuum Eugenium jam Pontificem sollicitâ & prolixâ scriptione monens: *Quàm*, inquit, *carus extitit, qui non vel modicè in prosperitate animum relaxaverit à sui custodiâ & disciplinâ. Sapiens David, sapientior Salomon fuit; sed blandientibus nimis secundis rebus alter ex parte, alter ex toto desipuit.* Uti cera igni, nix aut glacies soli admota liquescit, ita mens hu-

Idem in psal. 50 mihi pag. 197.

Et in psal. 70. mihi p. 309.

Bernard. l. 2. de Consid. ad Eugen. c. 12. mihi pag. 1138.

Psal. 67.

III. *Nulli rei minùs fidendum, quàm prosperitati.* Nam 3. Nulli rei minùs fidendum, quàm prosperitati. in altum illa evehit, ut dejiciat. Cogita lapsum, quisquis arduum meditaris ascensum. Cùm res fluxæ adeò florent, cùm omnia fluunt ad votum, cùm tam bellè nobis est, ohe tempestas imminet, jam cælum coquit grandines, & fulmina, subitò suos jaculabitur ignes. At miser felicitate suâ ebrius nil horum prævidet, nec futuræ tempestati se parat: repentino cadet ictus fulmine. Rex Macedonum Philippus Alexandri pater, cùm in unum diem tot læti, ac voluptabiles nuntii convenissent, tem planè suspectam habens: O fortuna, exclamat, pro tot tantisque bonis parvum aliquod malum retribue. Temperandos censuit tot prosperos successus maligniore casu. Siracides aurem vellicat: *In die bonorum*, inquit, *ne immemor sis malorum.* Subitò vertit ventus momento ingruunt procellæ, & ubi luserunt, sorbentur navigia. Atque hoc Polus est Felicitatis Arcticus.

Philippo Macedonū regi prosperitas suspecta fuit.

Eccli. cap. 11. vers. 27.

§. III.

POlus infelicitatis Antarcticus multò est securior, imò, quod verbo dicam, Christus & omnis disciplina Christiana hoc tradit, non esse tutiorem ad astra viam, quàm quæ per adversa ducit, & aspera, arduáque. Testatur divus Lucas: *Quoniam sic scriptum est, & sic oportebat Christum pati.* Num etiam nos? Etiam nos? nil certius: Quoniam, eodem Lucâ teste, *per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei.* Hæ Dei leges sunt, ut quivis dies habeat, quod cruciet, quod reficiat. Sic scriptum est, & sic oportet. Hæc rectissima est via à Polo infelicitatis Antarctico, ad Polum Arcticum felicitatis æternæ. Ita Deus cum Josepho agit annis quatuordecim, malum ei ex malo nascebatur, tentatio tentationem, miseria miseriam excipiebat. Vixit universè annos centum & decem; magnam partem in Polo egit Arctico inter res duras & afflictas, annis scilicet triginta, quibus plurima ei tristia obtigerunt, ab his principatus ejus annis octoginta duravit.

Infelicitatis viâ nulla securior.

Luc. cap. 24. vers. 46.

Actor. c. 14. vers. 21.

Est forsan non nemo, qui objiciat: Expleste mihi videor annos luctûs; ad Polum infelicitatis Antarcticum jam egi diutissimè, sed nihil adhuc poli Arctici cerno. Continua pæne in me tempestas detonat, assidua ferè fulmina vel terrent me vel feriunt. Nondum serenat cælum post dies tam multos. Annos, mi homo, aliter Deus numerat, quàm nos. Quoniam *mille anni ante oculos ejus tanquam dies hesterna quæ præteriit.* Neque eandem temporis rationem cum omnibus servat. Aliqui partem, alii dimidium vitæ, vitam aliqui totam ad Polum Antarcticum consumunt, semper miseri, semper lugentes, semper afflicti, quis horum Deo dicat: Cur ita facis? Hoc scimus post superatum in adversis Polum Antarcticum, si duret patientia, transitum dari ad Arcticum felicitatis semper duraturæ. *Deo autem gratias*, ait Paulus, *qui semper triumphat nos in Christo* JESV. Omnis victoria nobis à Christo est. Infanda & innumera Paulus est passus, at hoc sibi summo duxit honori, pro Christo pati. Hi certè nostri sunt triumphi, hæ victoriæ, fortia pro Domino JESV & agere, & tolerare. Implendum est patientiæ nostræ stadium. Hâc itur ad sidera. Hâc ivit Joseph per fratrum invidiam, per tentationem crebram, per accusationem falsam, per grandem infamiam, per iniqua vincula, per adversa plurima, hoc tramite pervenit ad purpuram, & ad principatum, hac semitâ contendit ad superos. Non est ad beatos alia via, ô Christiani, non est, nisi hæc arctior inter adversa. Ideo vociferatur Chrysostomus: *Hæc audientes in afflictionibus animum nunquam despondeamus. Patiendo emitur cælum. Vis esse Beatus? disce prius, esse miser, & in miseriis magnanimus.*

Psal. 89. v. 4.

Deus cum omnibus non servat eandem temporis rationem.

2. Cor. c. 2. vers. 14.

Summo est honori pro Christo pati.

CAPVT XI.

Iosephi in fratres mitis austeritas; Dei in homines. Occasio arripienda.

Gen. c. 42. v. 1. ad 18.

AVdiens autem Iacob, quòd alimenta venderentur in Ægypto, dixit filiis suis: Quare negligitis. Audivi quòd triticum venundetur in Ægypto: descendite & emite nobis necessaria, ut possimus vivere, & non consumamur inopiâ. Descendentes igitur fratres Ioseph decem, ut emerent frumenta in Ægypto, Benjamin domi retento à Iacob, qui dixerat fratribus ejus: Ne fortè in itinere quidquam patiatur mali: ingressi sunt terram Ægypti cum aliis, qui ingrediebantur ad emendum. Erat autem fames in terrâ Chanaan. Et Ioseph erat princeps in terrâ Ægypti, atque ad ejus nutum frumenta populis vendebantur. Cúmque adorassent eum fratres sui, & agnovisset eos, quasi ad alienos durius loquebatur, interrogans eos: Vnde venistis? Qui responderunt: De terrâ Chanaan, ut emamus victui necessaria. Et licet ipse cognoscens, non est cognitus ab eis; recordatúsque somniorum, quæ aliquando viderat, ait ad eos: Exploratores estis, ut videatis infirmiora terræ, venistis. Qui dixerunt: Non est ita Domine, sed servi tui venerunt, ut emerent cibos. Omnes filii unius viri sumus, pacifici venimus, nec quidquam famuli tui machinantur mali. Quibus ille respondit: Aliter est, immunita terræ hujus considerare venistis. At illi dixerunt: Duodecim, inquiunt, servi tui fratres sumus, filii viri unius in terrâ Chanaan: minimus cum patre nostro est, alius non est super. Hoc est, ait, quod locutus sum, exploratores estis. Iam nunc experimentum vestri capiam: Per salutem Pharaonis non egrediemini hinc donec veniat frater vester minimus. Mittite ex vobis unum, & adducat eum: vos autem eritis in vinculis, donec probentur, quæ dixistis, utrum vera an falsa sint, alioquin per salutem Pharaonis exploratores estis. Tradidit ergo illos custodiæ tribus diebus.

Jacob mittit filios in Ægyptum ut emant familiæ necessaria.

Cùm hæc in Ægypto geri audisset Jacob Josephi parens, accersitis filiis: Audio, inquit, vendi triticum in Ægypto. Hæc certè occasio non negligenda. Ergo iter quamprimum parate: ite & emite, quod familiæ nostræ necessarium videtur, alioqui fame consumemur. Paruerunt filii parenti, & unà omnes ingressi sunt iter. Unicum Benjaminum Jacob domi retinens: Ne fortè, ajebat, mali aliquid huic adolescentulo eveniat in viâ, mecum manebit domi. Ita decem Josephi fratres cum aliis eò tendentibus profecti sunt in Ægyptum. Siquidem regionem Chanaan magna fames populabatur. Jam Ægypti princeps erat Josephus, ad cujus arbitrium nutúmque exteris frumentum vendebatur. Ad supremum hunc annonæ præfectum deducti, prono eum corpore venerati sunt. Agnovit Joseph fratres suos, sed id prudens dissimulavit. At illi fratrem à viginti & pluribus annis non visum, jam barbâ & comâ ad Ægyptios ritus insignem, veste principali ornatum non agnoverunt. Illos igitur Joseph tanquam exteros & ignotos asperiùs allocutus: Vnde, inquit, venistis? At illi: E terrâ Chanaan venimus, Domine, ut ad victum necessaria emamus in regione hac felici. Quibus ille objectorum olim somniorum non immemor: Exploratores estis, inquit, ad indaganda terræ infirmiora venistis. At illi trepidi: Nihil horum cogitamus, Domine, sola nos fames huc egit; & alimoniam empturi venimus. Et quò magis sit fides servis tuis, parentes & familiam nostram indicabimus: Omnes unius viri filii sumus, nec mali quidquam adversus pacem machinamur. Ad quos iterum Josephus duriusculè: Aliter est, inquit, atque dicitis, immunita hujus regionis exploraturi venistis, sed sceleri honestum nomen prætexistis; frumentum fingitis emendum. Ad quæ illi: Mi domine, ajunt, duodecim eramus fratres servi tui, parente uno geniti: natu minimus cum patre domi moratur, unus non ampliùs in vivis est. Et hoc est, ait Joseph, quod dixi; exploratores estis. Verùm hoc agam; experimentis vos inspiciam: Per salutem Pharaonis hinc non abibitis, dum frater vester minimus hîc adsit. Vos unum ex vobis mittite, qui eum mihi huc sistat. Intereà vos ceteros in vinculis servabo. Ita comperiam quàm vera sitis locuti. Alioquin per salutem Pharaonis exploratores estis. Triduum ergo in carcerem concluſi sunt. E dictis manipulos colligamus.

Adorant filii Jacob Josephum, & fratres agnoscit.

Josephi in eos objurgatio,

se excusât.

An sint exploratores experitur.

Sex studiosi, seu monita.

§. I.

I. *Cura domus in patrefamilias vigilet.* Audivi, ait Jacob, quod triticum venundetur in Ægypto. *Quare negligitis? Descendite & emite nobis necessaria, ut possimus vivere, & non consumamur inopiâ.* Opportunè emere, ac vendere pars bona Oeconomiæ. Et nisi Jacob familiæ caput hæc curasset, filii in multos insuper dies hanc curam distulissent. 1. Curandomus ingressus vigilet. Gen. c. 42. v. 1. & 2.

II. *Divina vox immutabilis.* Quod Deus semel dicit, id non minùs firmum fixúmque est, quàm quod dictum millies. Affirmat Job, *semel loquitur Deus, & secundò idipsum non repetit.* Decreta Dei immutabilia; nec syllabâ, nec litterulâ, nec apice mutari possunt; verbis suis insistit Deus. Decretum Dei erat: Josephum adorent fratres ejus. Factum est, quidquid restiterint. Adorarunt demum, dum id se facere nescirent. Quod apertissimè sacer historicus: *Cúmque adorassent eum*, inquit, *fratres sui, quasi ad alienos durius loquebatur.* 2. Divina vox immutabilis. Job. cap. 33. vers. 14. Gen. c. 42. v. 6. & 7.

III. *Deus mitißimè severus est.* Parentem Jacob viginti trium annorum luctu castigavit. Putarat optimus pater filium à ferâ discerptum. Ab eo tempore semper in luctu egit. Cur Deus, obsecro, senem optimum servum charissimum tamdiu voluit affligi? Viginti tribus annis de filio, quem mortuum credebat, nihil audiit, continuis pæne mœroribus extinctus. Nunquid non Deus suos sibi titulos scribens: *Ego*, inquit, *sum Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Iacob.* Cur Abrahamum, cur Isaacum, cur Jacobum tot malis exercuit? In terrâ sine causâ nihil fit; nihil facit Deus, nisi definito consilio & præscientiâ. Et assignemus aliquid causarum. 3. Deus mitissimè severus est. Exod. cap. 3. vers. 6. Quatuor causæ cur Deus Jacobum tot malis exercuerit.

1. Si scisset Jacob suum filium esse captivum, quantolibet eum pretio liberare contendisset, sua potiùs omnia oppignorasset, quàm suum Joseph in vinculis destituisset: quod si Josephus maturiùs fuisset liberatus, in carcerem non pervenisset, ita nec somnia explicuisset, nec unquam in aulâ innotuisset; ita etiam nec futura prædixisset, ita nunquam Ægypti prorex jussus fuisset. Hæc Deo disponente causarum & effectuum inter se fuit connexio. Idcirco providentiæ divinæ nunquam obloquendum, nunquam ei præscribendus est modus, quo disponat humana, causas ipse, causárumque effectus artificiosissimè novit connectere. Scit Deus futura omnia, quem præteritorum, & præsentium nihil latet. 1. Causa.

2. Si scisset Jacob etiámnum vivere Josephum, multa interveniſſent, quæ ipsius in Ægyptum profectionem impediissent, nunquam Jacob cum omni familiâ eò commigrasset, quod tamen divinæ providentiæ visum est rectè futurum. Hinc monens Abrahamum: *Scito*, inquit, *præscens, quòd peregrinum futurum sit semen tuum in terrâ non suâ: & subjicient eos servituti, & affligent quadringentis annis.* Quòd si Jacob cum familiâ suâ in Ægyptum profectus non fuisset, hoc Dei consilium successu caruisset. 2. Causa. Gen. cap. 15. vers. 13.

3. Voluit Deus, ut intereà temporis tam Jacobi, quàm Josephi virtus experimentum ac specimen sui præberet, ut aliquando sciret Orbis, quàm hi homines divinæ Voluntati fuissent devoti, quàm tolerantes, quàm obedientes, quàm amantes Dei. Deus in omnibus pœnis ac suppliciis nostris certos sibi constitutos habet fines, quos plerunque nos ignoramus. Sinamus providentissimum Deum agere: sapientissimè ac amantissimè disponit omnia, etiamsi nos horum nihil videamus. 3. Causa.

4. Voluit Deus, ut Jacob viginti tribus annis velut in ex- 4. Causa.

in expiantibus flammis ageret, ut si quid nævorum contraxisset, expiaret. Josephum Jacob pæne nimiùm amavit, quod etiam caussa fuit invidiæ. Consuevit hoc Deus facere, & amicorum suorum affectus sive in hominem, sive in aliam rem nimios temperare, & veluti vinum potens merâ cum aquâ frangere, affectus imminuere, amorem luctu emutare. Quod confirmans Augustinus: *Dei judicia, inquit, plerumque occulta, nunquam tamen injusta: Deus mitissimè flagellans prolixiore hoc luctu in famulum, imò & amicum suum Iacob animadvertit.* Ita Deus ab Orbis incunabulis solitus est agere cum suis, idque singulari gratiâ. Quamvis enim servi & amici Dei capitalia scelera devitent, aliquas tamen sordes contrahunt, & minoribus sese maculis obstringunt, quas amantissimus suorum pater castigationibus quotidianis eluit. *Flagellat Deus omnem filium, quem recipit.* Hic nulli parcitur. Divina ferula tam reges, quàm mendiculos coërcet. Sed quod diximus, iste Dei rigor mitissimus est, austeritas suavissima.

Hebr. c. 12. vers. 6.

§. II.

4. Nequitia hominum, Dei instrumentum.

IV. *Nequitia hominum, Dei instrumentum.* O mi bone Lector, quàm sæpe jam & dixi, & scripsi hoc, quàm illud tamen perpauci capiunt! Etiámnum, sat scio, gravissimè in his hallucinamur. Aures & animum huc, obsecro, advertite. Nos crebrò id maximam interpretamur jacturam, quod nobis maximo, si velimus, bono est, divinâ sic moderante providentiâ. Si tot malevolæ fratrum Josephi cogitationes, si invidentia, si venditio, si fames non præcessissent, quando Patriarchæ filii, quando ipse Patriarcha in Ægyptum venissent, quando decem Pharaonis plagæ, ecquando magnus Israëlis egressus fuisset secutus? Ergo, dices, filii Jacob non peccarunt invidendo, & vendendo; Josephus illis hospitium debebat conducere. Sequela pessima, imò nulla. Non imperitè tantùm, sed & impiè hoc dicitur. Quàm enim indocta est hæc Dialectica: Deus peccatum illorum vertit in bonum, ergo non peccarunt. Dilucidè Theodoretus: *Opus, inquit, illorum emulatione, & invidiâ plenum: Deus autem sapientissimus nequitiâ illorum usus est in contrarium finem.* O quantus est artifex Deus! Eodem prorsus conatu, quo fratres Joseph nitebantur somniorum eventus amoliri, hoc ipso somniorum ostenta deduxerunt ad facta. Humanâ Deus malitiâ utitur ad obtinendum finem optimum. Quâ in re opulentus testis Hieronymus: *Si Iudas, inquit, Christum non prodidisset, quomodo nos fuissemus redempti? Si Iudæi Dominum non crucifixissent, & increduli fuissent, quomodo nos credere mus?* Verùm nec Judæ, nec Judæis Deus, ut hoc facerent, præcepit, sed quia id facturos ab æterno vidit, eorum nequitiâ est usus ad grande hoc opus. Eadem prorsus in mille, iterúmque mille aliis, est ratio. Exemplo, quod dicimus, monstramus. Est qui noxiam in caput meum struat nequitiam, & meo me officio submoveat. Ego ingens vociferor damnum, & cælo terræque queror injuriam. Post pauculos annos deprehendo hoc nocumentum mihi profuisse plurimùm. Nam viliori submotus officio coactus sum aliò migrare, ubi longè ditius & opulentius obtinui. Est alius, qui famam, noménque meum denigret mendaciis, non sine damno meo. Sed sinite loqui hominem; Deus hoc audiit; satis est. Ego me non moveo. Post aliquot menses, aut annos hoc ipsum malum mihi animum pander ad insperatam felicitatem. Innumera fiunt talia quotidie.

Deus utitur humanâ malitiâ ad obtinendum bonũ finem. Hieron. in Psal. 104.

At ego, inquies, non video, quâ tandem ratione hoc malum tam grande futurum mihi sit bono? Homo bone, non opus id nos videre. Quædam ipsi post aliquot hebdomades, aut menses, post annos aliquot videmus admiranda metamorphosi, è malo mutata in bonum. Sed licet nos ista non palpemus, licet ignoremus talia, satis est, ohe satis est, nos olim visuros ista, quod in Josepho cernimus. Joseph Ægypti princeps evasit, nam *abs-*

Gen. cap. 42. vers. 44.

A *que illius imperio non movebat quisquam manum aut pedem in omni terrâ Ægypti:* Hanc ei suprem m dignitatem invidia fratrum conciliavit. Non statim vidit Josephus, sed vidit tandem, idque post annos quatuordecim, quantùm sibi profuerit paterna invidia. E lictorum domo educitur dux Ægypti, regis tutor, nutritius tam ampli regni, Salvator Mundi. Unde illi tantum dignitatis, tantúmque boni? A malo maximo, Invidiâ. Nequitia hominum, Dei instrumentum.

5. Pium disciplinæ magisterium, parcendo tollere culpas.

V. *Pium disciplinæ magisterium, parcendo tollere culpas.* Quæsierit nonnemo: Cur Joseph tam asper & acerbus in fratres extitit, quos novit? Quid illis objicit: *Exploratores estis, immunita terræ hujus considerare veni stis; per salutem Pharaonis exploratores estis.* Quòd eos noverit historicus sacer testatur: *Cúmque adorassent eum fratres sui, & agnovisset eos.* Cur ergo exploratores vocat? Exploratores voluit, quid ad ea responsuri essent, simul etiam hac verborum acrimoniâ sanguinem cognatum tegere, B & homines rudes, prout merebantur, aliquantulùm exercere, & ut tantò majus sequeretur gaudium ex agnitione mutuâ, quantò acrius præcessisset objurgationis experimentum. Pium disciplinæ magisterium. An non suspicatus fuerit Josephus, eos invidiâ stimulatos, etiam in Benjaminum aliquid machinatos maligni: nam uterini fratres erant Benjamin & Josephus è Rachele; alii Liæ, Balæ & Zelphæ filii.

Gen. c. 42. vers. 6. Cur Joseph vocet fratres exploratores cùm eos agnoverit.

Censet Chrysostomus ideo duriùs locutum, ut eliceret narrationem de statu patriæ. Nec enim hoc oris aceto vindicare voluit illatas sibi injurias, alioqui omnes in crucem rapi jussisset, quod & commeriti fuissent divinâ lege. Hoc solùm egit, ut eos lixivio mordaciore defricaret, quò illi in sese faciliùs descenderent, & commissam culpam agnoscerent. Quod expendens Augustinus: *Ioseph, ait, fratres suos medicabili tribulatione decoxit, ut illos corrigeret.* Addit Gregorius: *Ioseph nec sine ultione pius, nec sine pietate districtus. Ecce hoc est magisterium disciplinæ, culpis discretè parcere, & eas piè resecare.* Quemadmodum mitis ac placidus magister supplicium virgarum condonat, sed versus aliquot ediscendos imperat. Qui discretionis spiritum non habent, aut sic dimittunt peccata, ut non corrigant, aut corrigendo sic feriunt, ut non dimittant. Josephus quasi ad alienos duriùs loquebatur, ut cumulatiùs esset gaudium finitâ hac comœdiâ, quæ nonnihil tristior fuit sub initium. Sic sæpissime cum suis ludit Deus comœdias & tragœdias. Daniel leonibus pabulum bis objicitur, Susanna angustiis undique & undique urgetur, Job morbis, inopiâ, & infelicitate omnigenâ ad usque mortem discerpitur; lætus omnium exitus. Christus apertissimè suis prædixit: *Plorabitis & flebitis vos, Mundus autem gaudebit, vos verò contristabimini: In Mundo pressuram habebitis.* Addit tamen: *Tristitia vestra vertetur in gaudium: Iterum videbo vos & gaudebit cor vestrum.* Dominus *deducit ad inferos, & reducit.*

C Gregorius hom. 9. in Ezech.

Ioan. cap. 16. vers. 20. Ibid. v. 33. Vers. 20. Vers. 22. Tob. cap. 13. vers. 2.

§. III.

6. Fœcundum desidiæ ingenium.

VI. *Fœcundum desidiæ ingenium.* Non paupertas solùm, sed & pigritia est ingeniosa, nunquam illi verborum fucus deest, quo se comat. Jacob filios objurgans: *Quare, ait, negligitis?* quare vos ipsi aspicitis? Ignavi & segnes mutuis sese aspectibus notant, perinde si dicerent: Quis nostrùm tam audax est, ut aggrediatur laborem? Quare negligitis, ait pater filiis, iter parate, proficiscimini, frumentum reportate, num nobis hìc fame pereundum? Quò id diutiùs differtis, hoc validiùs urget fames, & minus est subsidii: quare negligitis? Hìc filii utique parenti varias texuerunt caussas ad oblinendum os seni, viam esse admodum longam, nec à prædonibus omnino tutam, monetam non omnino expeditam. Sed urget pater: Quare negligitis: vestra lentitudo in culpâ est, quò minus frumentum habeamus, nec est, quo purgetis noxiam dilationem: quanti enim alii in Ægyptum

Gen. c. 42. vers. 1. Hebraus contextus.

proficiscuntur emendo tritico, cur vobis hæc via videatur difficilis? sed desidiæ proprium est caussari, noxam honesto nomine prætexere, culpam excusationibus amovere. *Dicit piger, leo est in viâ, & leæna in itineribus.* Ita occasionem negligit.

Prov. c. 26. vers. 13.

Occasio actionum anima, & rerum gerendarum mater.

Priscis in ore fuit: Occasio actionum anima, & rerum gerendarum mater. Vigilantis est occasionem observare properantem. O quantas, Christiani, occasiones negligimus? Frumentum electorum, Eucharistia cælestis, Panis Angelorum in templis proponitur venalis pretio modestissimo. Iscariotes Judas argenteis triginta vendidit cœlestem hunc panem. Emendus nobis offertur sine argento. Isaiæ verbis proclamat Ecclesia: *Omnes* esurientes *venite ad panem: & qui non habetis argentum, properate, emite, & comedite; Venite, emite absque argento, & absque ullâ commutatione. Quare appenditis argentum non in panibus, & laborem vestrum non in saturitate? Audite audientes me, & comedite bonum, & delectabitur in crassitudine anima vestra.* Quid torpemus, & negligimus? quot mensibus, quot hebdomadibus, imò quot diebus licet hunc panem emere, cur anno toto vix semel iterúmque hunc panem gustamus? Oscitantia prorsus damnosa.

Isaiæ c. 55. v. 1. & seqq.

panculis mutatis ad institutum.

Nicephorus bellum inter Martianum & Zenonem de imperio certantes gestum memorans: Occasio, inquit, aquila est ad pedes advolans, & facilè capi se sinens. Negligis? In altum aufugit? Vis sequi? Ridet illa tam citò non reditura. Nunc occasio est orandi, eleemosynas largiendi, jejunandi, culpas expiandi, virtutes omnigenas exercendi. Cur negligimus? Fronte capillata est, sed pòst occasio calva.

Nicephorus lib. 16. hist. Eccles. c. 22.

Philippus Bosquier è divi Francisci familiâ de hac ipsâ occasione mentionem injiciens: Novi, ait, Ernestum Comitem Mansfeldium senem pæne centum annorum Gallico idiomate dicere solitum: Qui tempus expectat, cùm tempus habeat, in tempus incidet, quo eum moræ pœniteat. Ecclesiæ cantantis hortamenta non ignoramus: *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis: Emendemus in melius, quæ ignoranter peccavimus, ne subitò præoccupati die mortis, quæramus spatium pœnitentiæ, & invenire non possimus.* Hoc monentis Ecclesiæ carmen est. Quare ergo negligimus? Hic animi torpor ex imperfectâ voluntate nascitur. Agamus rem nostram dum licet, ne incidamus in tempus, quo nos moræ pœniteat. Occasio, velut aquila, ad nostros nunc pedes sedet, finitque se capi. Ubi avolaverit, non facilè redibit: pòst occasio calva est. Audimus, quòd triticum venundetur in Ægypto, descendamus, & emamus nobis necessaria, ut possimus vivere. Nunc forum & mercatus est, nunc invitat occasio, nunc dies pacis sunt & gratiæ. Emamus dum licet, utamur occasione, dum uti possumus, dies optimos in nostrum trahamus commodum. Sequamur Christi monentis vocem: *Ambulate dum lucem habetis.*

Bosquier in sobriis jentaculis, mihi pag. 392. Quod & alibi inculcamus.

Ioan. c. 12. vers. 35.

CAPVT XII.

Iosephus fellis aliquid propinat fratribus. Felle oculos purgari. Hîc de inspiciendis Mundi nequitiis.

Gen. c. 42. v. 18. ad 26.

Die autem tertio eductis de carcere ait: Facite, quæ dixi, & vivetis. Deum enim timeo. Si pacifici estis, frater vester unus ligetur in carcere; vos autem abite, & ferte frumenta, quæ emistis in domos vestras, & fratrem vestrum minimum ad me adducite, ut possim vestros probare sermones, & non moriamini. Fecerunt, ut dixerat. Et locuti sunt ad invicem: Meritò hæc patimur, quia peccavimus in fratrem nostrum, videntes angustiam animæ illius, dum deprecaretur nos, & non audivimus, idcirco venit super nos ista tribulatio. Et quibus unus, Ruben, ait: Nunquid non dixi vobis: Nolite peccare in puerum, & non audistis me? en sanguis ejus exquiritur. Nesciebant autem, quòd intelligeret Ioseph, eò quòd per interpretem loqueretur ad eos, avertitq; se parumper, & flevit, & reversus locutus est ad eos: Tollénsque Simeon, & ligans illis præsentibus, jussit ministris, ut implerent eorum saccos tritico, & reponerent pecunias singulorum in saccis suis, datis suprà cibariis in viâ: qui fecerunt ita.

Mitissima fuit Josephi in fratres austeritas, quæ illos ad triduum in custodias minimè duras inclusit. Elapso triduo jubens Josephus fratres educi carcere, & jam præsentes allocutus: Vos, inquit, facite, quæ dixi, & ego vobis faciam vitæ gratiam; Deum enim timeo. Quòd si potestis fidem dictis vestris addere, nec adversùs pacem quidquam molimini, vestrûm unus servetur obses in carcere, vos ceteri abite, frumentum reportate. Sed fratrem vestrum natu minimum, primo quoque tempore huc sistite, ut quàm vera dixeritis, re ipsâ comperiam. At illi collatis inter se capitibus: *Meritò hæc patimur*, ajunt, *quia peccavimus in fratrem nostrum*, cùm in supremis angustiis sibi vitam rogaret non auferri. At nos in saxa obrigescentes omnem ei gratiam negavimus. Idcirco jam pœnas damus. Hîc Ruben: Nunquid non dixi vobis, inquit, ut manus ab adolescente abstineretis: & non audistis me. En pœnæ à nobis repetuntur ob fratrem tam crudeliter habitum. Dum hæc inter se dicerent, suspicati non sunt ea intelligi à Domino quicum loquerentur, quandoquidem per interpretem loquebantur. At Josephus comiter se avertens flevit: oculis jam compositis sermonem cœptum pertexit. Ergo Simeon velut obses ligatur in custodiam ducendus. Ceteri remittuntur domum cum tritico, repositâ simul in ore saccorum pecuniâ, quæ debebatur venditori; additis in viam cibariis. Ita iter ingressi sunt. Manipulos hinc colligendos non negligamus.

Gen. c. 42. vers. 21.

Mitissima Josephi fratres austeritas.

Simeon obses ligatur in custodiam ducendus.

Quinque monita.

I. *Sontium & insontium subinde par supplicium.* Cur Rubeno Deus non pepercit insonti? Dominus Deus exercituum ferè ritu militari hoc agit: *Miserebor, cujus misereor, & misericordiam præstabo, cujus miserebor. Igitur non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei.* Militiæ, sons insons cæditur, & cum nocente perit innocens; nocens punitur, & luit quod meruit, innocens probatur & exercetur, anhelátque præmium, pro quo pugnat.

1. Sontium & insontii subinde par supplicium.

Rom. c. 9. v. 15. & 16.

II. *Nullum malum impunitum.* Nam etsi condonetur culpa, non continuò remittitur pœna, quæ culpam omnem non claudo pede sequitur. Josephus fratres custodiæ mancipavit triduo. Idque jure merito. Nam triplex facinus commiserunt in fratrem. 1. Statuerunt occidere. 2. Miserunt in cisternam fame periturum. 3. Vendiderunt transeuntibus mercatoribus, hoc maximè spectantes, ut eum à se atque parentibus amolirentur. Sanè non leves culpæ, utique tamen dolentibus dimissæ, sed luendæ nihilominus pœnæ.

2. Nullum malum impunitum. Fratres Josephi triduo custodiæ mancipant propter triplex facinus in fratrem commissum.

III. *Vaticinium conscientiæ non spernendum.* Josephi fratres inter se colloquentes: *Meritò, inquiunt, hæc patimur, quia peccavimus in fratrem nostrum, videntes angustiam animæ illius, dum deprecaretur nos, & non audivimus, idcirco venit super nos ista tribulatio.* Non vanè ominabantur post commissam culpam, sibi luendam esse pœnam. Ubi peccatum, ibi & Nemesis. Omne delictum suam à tergo habet vindictam, etsi frequenter seram.

3. Vaticinii cônscientiæ non spernendum.

Gen. c. 42. vers. 21.

IV. *Fel & mel nusquam non simul sunt.* Frumentum acceperunt Josephi fratres, sed priùs subierunt carcerem, benevolentiam fratris, & severitatem experti, adversa & prospera fortuna arctè colligata. Nimirum sæpe pluit ridente sole, sæpe tonat sereno cælo; inter spinas rubent rosæ, inter flores nobilissimos aconita leguntur, apiculæ melli proximum ferunt aculeum, nec ipse sol sine maculis est, absinthium non rarò vicinum thymo nascitur. Fellis & mellis dissidium in eâdem habitat vicinîâ.

4. Fel & mel nusquam non simul sunt.

V. *Fel purgat oculos.* Aphorismus pæne paradoxus, non Hippocratis, non Galeni, sed Spiritûs divini. Atque hoc

5. Fel purgat oculos.

hoc explicatiùs trademus, quâ ratione fel collyrium sit oculis, ut quis & seipsum & Deum perspicaciùs intueatur.

§. I.

Cæcitas humanæ gentis à primigeniâ protoplastorum culpâ.

A Primigeniâ protoplastorum culpâ, tanta premit cæcitas humanam gentem, ut quisque secum ingens hoc habeat negotium oculorum noctem pellere. Quid parentes non tentant, ut liberos paullatim doceant mentis oculis uti & aliquantulum supra infantiam sapere. Quantùm sudatur & disputatur in scholis, quorsum hic omnis scholasticus sudor? ut ratio plus luminis accipiat. Quantùm laboratur & clamatur in templis. Quò clamores isti? ut auditores videant, quam viam insistant. Liceat dicere: Sollicitus est Deus, & varia subministrat auxilia, ut cæcus homo illuminetur, & suâmet tam præsentia, quàm futura pericula circumspiciat. Eò calamitates spectant plurimæ, ut *vexatio det intellectum*, & animi tenebras dispellat, docéatque lumen B oblatum non spernere. Christus cæcum sanaturus, massulam è salivâ & luto subegit, eóque cæci oculos linivit. Quis hîc non exclamârit: Domine, quid hoc agis? Istud collyrii genus visum adimet, non reddet; oculis non quadrat lutum. Quiesce, mi homo, quisquis es, & has medico curas permitte; ille sciet, quo artificio medendum sit cæcitati. Reverà lutum sputo madidatum oculos cæci reseravit. Cæcus ipse testis: *Modò*, inquit, *video*. Hoc ipsum certè, quod nobis lutum est, quod affligit, quod cruciat, id oculos pandit. Hinc verè Gregorius: *Oculos*, inquit, *quos culpa claudit, pœna aperit.* Eâdem de re Augustini sententia est: *Tribulatio excitat torpentem, humiliat superbientem, purgat pœnitentem, illuminat cæcutientem, coronat innocentem.*

Isaiæ c. 28. vers. 19.

Ibem. cap. 9. vers. 25.

Fel afflictionis visum restaurare Tob. cap. 11. v. 7. & 8.

Fel istud afflictionis visum mirificè restaurat. Tobiæ comes Angelus jam circa finem itineris filium herilem instruens de salutando patre: *Vbi introieris domum tuam*, inquit, *statim adora Dominum Deum tuum, & gratias agens* C *ei accede ad patrem tuum, & osculare eum, statimq; lini super oculos ejus ex felle isto piscis, quod portas tecum. Scias enim, quoniam mox aperientur oculi ejus, & videbit pater tuus lumen cæli, & in aspectu tuo gaudebit. Tunc sumens Tobias de felle piscis, linivit oculos patris sui. Et sustinuit quasi dimidiam ferè horam, & cœpit albugo ex oculis ejus, quasi membrana ovi, egredi. Quam apprehendens Tobias traxit ab oculis ejus, statimq; visum recepit. Dicebátque Tobias: Benedico te Domine Deus Israël, quia tu castigasti me, & tu salvasti me, & ecce ego video.* Quoties istud in seipso quisque experitur, cùm gravis urget, simúlque etiam docet afflictio, cùm afflictus cogitur fateri: *Ecce ego video*, quas mundus agat gratias, quale persolvat stipendium, quod suis reddat præmium. *Ecce ego video*, quòd solus Deus amicorum omnium fidissimus sit amicus: ceteri omnes tempore nubilo destituunt, ridéntque pereuntem, amici ad ollam & ad mensam, desertores in periculis. *Ecce ego video*, D quàm totus homuncio nil sit, quàm omnis vita hominum velut umbra fugiat; subitò insurgit aura strictior & difflat vitam. *Ecce ego video*, summum & unicum esse solatium providentiæ ac voluntati divinæ se totum committere: agat quod vult optimus Deus; ipsi de nobis cura est, moveatur terra, confligant montes, ruat cælum, divina nos voluntas proteget. Quid opes vani struimus, quid esurimus honores, perituri peritura cumulamus, studiis prorsus infantilibus? quid horum ad tribunal Christi asportabimus? Servire Deo, regnare est; obsequi Mundo, servire diabolo, perire est. Meritò igitur hæc patior, quia peccavi in fratrem meum, Christum Dominum. Ita hæc modò video.

Ibid. v. 13. ad 18.

In seipso quisque experitur.

Ecce nunc iste videt: Fel piscis amarissimum, plurium incursus adversorum, lumen oculorum communicavit. Nunc & Deum, & seipsum, & Mundum longè cernit acutiùs.

§. II.

Triplex documentum.

I. Deum calamitas luculentiùs spectandum offert.

2. Paral. c. 26. v. 20. Ibid. c. 12. v. 1. & seqq.

Adversa fortuna visum restituit Oziæ,

I. Deum certè calamitas luculentiùs spectandum offert. Videte magnos reges diu cæcos; adversa demum fortuna oculos eis restituit. Talis Ozias, qui cæcus Sacerdotii munus invasit, *sed perterritus festinavit egredi, eò quòd sensisset illico plagam Domini.* Talis & Roboamus: *Cúmque roboratum fuisset regnum Roboam, & confortatum, dereliquit legem Domini, & omnis Israël cum eo.* Ruebant in vetitum ut cæci. Quapropter Felle curandi erant. Venit igitur *Sesac rex Ægypti in Hierusalem (quia peccaverant Domino) cum mille ducentis curribus, & sexaginta millibus equitum, nec erat numerus vulgi, quòd venerat cum eo ex Ægypto. Cepitq; civitates munitissimas in Iudâ, & venit usq; in Hierusalem. Semeias autem Propheta ingressus est ad Roboam, & principes Iuda, qui congregati fuerant in Hierusalem fugientes Sesac, dixitq; ad eos: Hæc dicit Dominus: Vos reliquistis me & ego reliqui vos in manu Sesac. Consternatiq; principes Israël, & rex, dixerunt: Iustus est Dominus. Cúmque vidisset Dominus, quòd humiliati essent, factus est sermo Domini ad Semeiam, dicens: Quia humiliati sunt, non disperdam eos, daboque eis pauxillum auxilii, & non stillabit furor meus super Hierusalem per manum Sesac. Verumtamen servient ei, & scient distantiam servitutis meæ, & servitutis regni terrarum.* Sapiant suo damno, discántque nosse Dominum, quem hactenus habuerunt, & Dominum quem habituri sunt. Ita rex Sesac abiit, sed omnes thesauros templi ac palatinæ domûs, clypeósque aureos à Salomone factos abstulit. Et ecce jam videt rex Roboam: & ecce jam vident principes Juda: oculos eis restituit rex Sesac. *Quia humiliati sunt, aversa est ab eis ira Domini, nec deleti sunt penitus: siquidem in Iudâ inventa sunt opera bona.* Ibid. v. 12.

Ita Manasses, ita Nabuchodonosor, ita & Antiochus Epiphanes, ubi sensérunt fel illud, lucem oculis admiserunt. Manasses, *postquam coangustatus est, oravit Dominum Deum suum, & egit pœnitentiam valde coram Deo patrum suorum. Deprecatúsque est eum, & obsecravit intentè. Et exaudivit orationem ejus, reduxitq; eum in Hierusalem, in regnum suum. Et cognovit Manasses, quòd Dominus ipse esset Deus.* Et ecce vidit. At verò Nabuchodonosor: *Nunc igitur ego Nabuchodonosor*, inquit, *laudo & magnifico, & glorifico regem cæli, quia omnia opera ejus vera, & viæ ejus judicia, & gradientes in superbiâ potest humiliare.* Et ecce jam videt. Antiochus fel dolorum sentiens: *In quantam*, inquit, *tribulationem deveni, & in quos fluctus tristitiæ, in quâ nunc sum: qui jucundus eram & dilectus in potestate meâ. Nunc verò reminiscor malorum, quæ feci in Hierusalem, unde & abstuli omnia spolia aurea & argentea, quæ erant in eâ: Cognovi ergo, quia propterea invenerunt me mala ista.* Perinde si diceret: Meritò hæc patior quia peccavi. Et ecce hi cæci vident. Tam potens est fel afflictionis, ut maximorum regum oculos reserarit. Nunc vident Deum, quem anteà non viderant. Idem Judæis evenit: *Cùm occideret eos, quærebant eum, & revertebantur.* Sic & aliorum hominum multa millia incipiunt videre Deum, cùm incipiunt sentire fellis amarorem, & afflictionis morsum. Ita nos quotidie nostris malis erudimur. Et ecce videmus Deum.

2. Paral. c. 33. v. 12. & 13. Manassi.

Nabuchodonosori. Dan. cap. 4. vers. 34.

Antiocho. 1. Machab. cap. 6. v. 11. 12. & 13.

Psal. 77. vers. 34.

II. Seipsum quis optimè videt in miseriis, in morbo, in ærumnis, sibique ipse concionatur in hunc modum: Vidésne tandem, quantus herus sis, quàm firmus, & robustus, quantarum virium, quàm infractus. En quid forma sit, quàm inconstans, quàm fragile bonum, quid corporis cultus jam juvat? quid congestæ opes? quid cetera vana & fluxa? Cùm sanus esses patientem te credebas: vide nunc quàm modica, quàm nulla tibi sit patientia, quàm divinæ voluntati ægrè consentias, quàm paternam Dei castigationem molestè feras, tanquam si insons & minimè reus plectaris: agnosce caussas tui morbi, tuas noxas: tute tibi intrivisti, quod tibi exedundum est. Et ecce jam videt ægrotus iste, anteà cæcus.

2. Seipsum quis optimè videt in miseriis, in morbo, & in ærumnis.

Plinius secundus in epistolâ, quam dedit ad Maximum, eleganter super morbo disserens: Nuper me, inquit,

Plin. Secundus l. 7. epistolar. ep. 26. ad Maximũ.

quit, cujusdam amici languor admonuit, optimos esse nos dum infirmi sumus. Quem enim infirmum aut avaritia, aut libido sollicitat? non amoribus servit, non appetit honores, opes negligit & quantulumcunque, ut relicturus, satis habet: tunc Deos, tunc hominem se esse meminit: invidet nemini, neminem miratur, neminem despicit, ac ne sermonibus quidem malignis aut attendit, aut alitur; balnea imaginatur & fontes. Hæc summa curarum, summa votorum, mollémque in posterum & pinguem si contingat evadere, hoc est, innoxiam beatámque destinat vitam. Possum ergo, quod pluribus verbis, pluribus etiam voluminibus Philosophi docere conantur, ipse breviter tibi mihique præcipere, ut tales esse sani perseveremus, quales nos futuros profitemur infirmi. Exhortatio prorsus Christiana. Certè libidinum petulantia non infestat, cùm dolores sæviunt in corpus, nec gula temulentiam suadet, cùm nauseat stomachus, & necessariam quoque alimoniam reculat. Piget lasciviæ, cùm pæne etiam tædet vivere. Insignem secum modestiam affert morbus, cogitóque aperire oculos inter vitia clausos.

3. Mundum mundique fallacias perspicimus, cùm afflictionis fel in oculis sentimus.

III. Mundum etiam, Mundique fallacias perspicimus, cùm afflictionis fel in oculis sentimus. E placitis philosophorum est: Sensibile supra sensum positum non facit sensationem: Non probè cernitur, quod oculo nimium admovetur. Cùm omnis pæne affectus noster in Mundum tendat, vafritiem & æstus Mundi non satis perspicimus. Hinc malè ignoramus, quàm ille vanus, fallax, instabilis, amarus, nequam & malus sit. *Vanus est*, teste regio psalte: *Filii hominum usquequo gravi corde, ut quid diligitis vanitatem?* Mundum putatis serium cùm ridet, & dona spargit? merus lusus est, dat ut iterum rapiat, & datis plura. *Fallax est.* Nam pollicitis dives plurima promittit, non stat promissis. Tres Italæ civitates, Urbinum, Senæ, Ferraria, Eugenium IV. Pontificem summum magnis precibus convenerunt, ut Senensis Bernardinus sibi daretur Episcopus. At vir sanctus oblatas tres mitras constanter respuit, valde veritus ne quid mundanæ vanitatis lateret in mitrâ. Hinc sibi tutius fore censuit, mitram pede calcare quàm capite gestare. Non fidit Mundo, quisquis novit Mundum. *Instabilis est*; Vir opulentus, & principum favore magnus à nonnemine interrogatus est: Quid ad omnem fortunam sibi deesse judicaret? Ille prudenter, Clavum, inquit, unicum, quo fortunam mihi tam propitiam & blandientem affigam, ne avolet. Sed hactenus hic clavus nusquam est repertus. *Amarus* est Mundus, quod Deuteronomii liber adumbrans: *Vva fellis, uva eorum*, inquit, *& botrus amarissimus.* Ajunt olitorem cùm ad sceptrum & diadema vocaretur, interrogatum, quî tandem fortunam priorem tolerare potuisset? Hoc potiùs, ajebat, interrogate, quomodo recèns oblatam sim toleraturus. Jámque capite coronam recipiens: O gravem, inquit, pileum, & speciosum magis, quàm delectabilem: sub te amaroris plurimum latet. Talis est omnis Mundanus favor & honor. Mundus feculentis amaritudinibus refertissimus, quas tunc experimur maximè, cùm videmur suavissimè haberi. Ostentat Mundus poma mitia, pira dulcia, sed ingerit agrestia, & acerba. Quæ Heliodorus flagellatus, Aman suspensus, Absalon confossus, & similes alii probè gustárunt. *Malus* denique Mundus est. Quod apertissimè Joannes pronuntiat: *Mundus totus in maligno positus est.* Pessimus certè pannus est, cujus nec unicum quidem filum numeraveris bonum. Ægyptus, Sodoma, Babylon germana Mundi imago. E fraudibus & nequitiis facilè Mundus noscitur. Hæc autem tunc maximè vera credimus, eáque velut oculis subjecta cernimus, cùm mœrores & curæ, cùm morbi & dolores, cùm paupertas & injuriæ, cùm obtrectationes & calumniæ premunt, angúntque. Et ecce tunc videmus, cùm ærumnarum fel urit oculos.

Mundus est vanus: *Psal. 4. v. 3.*

Fallax.

Instabilis.

Amarus. *Deut. c. 32. vers. 32. Abdalonymus apud Curtium l. 3 hist. c. 2. Hic interrogatus, quâ patientiâ inopiam tulisset: Vinâ, ajebat, eodem animo regnum pati possem.*

Malus. *1. Ioan. c. 5. vers. 19.*

§. III.

APologi veteris hæc est narratio. Duo sunt Jovi dolia, melle unum, alterum felle plenum. E priore stillat gustatim dulcis, & rorulentus liquor, veluti cùm olitor per hydriæ minuta foramina irrorat plantas; ex altero fellis imbres largi defluunt. Sentimus equidem, quàm liberaliter sese in nos egurgitet hoc dolium; undique compluimur nimbis felleis, cùm interim vix paucæ in nos mellis guttulæ delabuntur. Signum bonum hæc sentiri: modò reserentur oculi nostri, modò sciamus distantiam servitutis Dei, & servitutis regni terrarum. Discamus nosse, quid sit servire Deo, quid Mundo. Fateamur interim, quod Josephi fratres: *Meritò hæc patimur, quia peccavimus in fratrem nostrum*, Christum. Sed apologo profano, sacrum attexo, quem Damascenus narrat. *Gen. c. 42. vers. 21.*

Monoceros, seu, Unicornis insequebatur hominem fugientem. Hæc eum fuga rapuit in altam foveam. In hanc dum præceps ruit, in ipso lapsu excrescentem è veteri muro arbusculam apprehendit, & lapsum utcunque sustentavit. Dum in arbusculâ hærer anceps vitæ, in imâ foveâ hiantem cernit draconem, & è muro quatuor aspides diversis locis promicantes, duos etiam mures conspicatur, album & nigrum, qui arbusculam illam assiduis morsibus convellerent. Sed ille periculorum omnium horum contemptor, ex arbusculâ reliquias apum, mellis aliquid stillare animadvertit. Inexpectatâ hac dulcedine illectus miser, oblivisci cœpit, & ferocissimæ belluæ insequentis, & draconis in imo insidiantis, & aspidum è pariete imminentium, & murium arbusculam corrodentium, & veluti rerum omnium securus mellis stillâs incepit lingere. Atque hoc vitæ nostræ vera effigies est. Unicornis, mors est; fovea, Mundus; Arbor, Vita; Mures, nox & dies vitam consumentes; Aspides, elementa nostri corporis; uno nimiùm excedente, actum de vitâ; Draco, diabolus semper in insidiis excubans; Mel, fatua dulcedo Mundi. O ter miseros, qui hac fatali melligine tracti, & cælum, & inferos, & Deum, & seipsos oblivisciuntur! Hi tales nihil vident, nisi quod proximum est oculis mel. *Vitæ nostræ effigies.* *Mellis, vel, malum.*

Agamus igitur Deo gratias, quando ærumnarum fel sic oculorum nostrorum aciem instaurat, ut cernamus Unicornem, geminósque mures, ut horreamus draconem, quatuórve aspides, ut fugiamus foveam, tótque in ea latitantes hostes. Bene homini quantumvis calamitoso, cui licet dicere: *Ecce nunc video.* Et ideo tanti mel Mundi non emo; suaviùs esurire possum. Quæcunque patior, meritò patior, quia peccavi in fratrem meum Christum Dominum. Sed placabilis Josephus, exorabilis Christus; modò placandi opportunum tempus non negligatur. In promptu est gratia poscenti.

CAPVT XIII.

Iosephus nondum agnitus suorum fami succurrit. Famis & omnium malorum caussa peccatum.

AT illi portantes frumenta in asinis suis profecti sunt; apertóq; unus sacco, ut daret jumento pabulum in diversorio, contemplatus pecuniam in ore sacculi, dixit fratribus suis. Reddita est mihi pecunia, en habetur in sacco. Et obstupefacti, turbatiq;, mutuo dixerunt: Quidnam est hoc, quod fecit nobis Deus? Venerúntque ad Iacob patrem suum in terram Chanaan, & narraverunt ei omnia, quæ sibi accidissent, dicentes: Locutus est nobis Dominus terræ durè, & putavit nos exploratores esse Provinciæ. Cui respondimus: Pacifici sumus, nec ullas molimur insidias. Duodecim fratres uno patre geniti sumus: unus non est super, minimus cum patre nostro est in terrâ Chanaan *Gen. c. 42. v. 26. ad finem capitis.*

naan: Qui ait nobis: Sic probabo, si pacifici sitis. Fratrem vestrum unum dimittite apud me, & cibaria domibus vestris necessaria sumite & abite, fratrémque vestrum minimum adducite ad me, ut sciam quòd non sitis exploratores, & istum, qui tenetur in vinculis recipere possitis: ac deinceps, quæ vultis, emendi habeatis licentiam. His dictis cùm frumenta effunderent, singuli repererunt in ore saccorum ligatas pecunias, exteritisq; simul omnibus, dixit pater Iacob: Absque liberis me esse fecistis, Ioseph non est super, Simeon tenetur in vinculis, & Benjamin auferetis: in me hæc omnia mala reciderunt. Cui respondit Ruben: Duos filios meos interfice, si non reduxero illum tibi: trade illum in manu meâ, & ego eum tibi restituam. At ille: Non descendet, inquit, filius meus vobiscum: frater ejus mortuus est, & ipse solus remansit: si quid ei adversitatis acciderit in terrâ, ad quam pergitis, deducetis canos meos cum dolore ad inferos.

Retento Simeone in vinculis ceteri fratres Josephi abierunt emptum triticum, jumentorum operâ revecturi in patriam. At in primo itineris diversorio, cùm pabulum jumentis offendendum, in unius sacco frumentario, qui tunc solvebatur, inventa simul est pecunia. Obstupefacti omnes utramque hanc mercem retulerunt patri, & quidquid interea gestum, narrare orsi: Asperè, inquiunt, Ægypti princeps nobiscum locutus est, perinde si exploratores venissemus. Nos respondere contra; pacificos adesse, ne insidiarum quidquam moliri, duodecim fuisse fratres, uno parente genitos, ex his unum naturæ convenisse, natu minimum remansisse cum patre in Chanaan regione. Mox ille voces nostras excipiens: Facilè, ait, probavero, quæ fides dictis vestris habenda sit: Unum è vobis hîc retinebo in pignus, vos ceteri abite, & triticum inferte patriæ; mox germanum natu minimum huc adducite: inde colligam vos exploratores non esse. Ita obsidem reddam, faciámque vobis licentiam, quæ placuerit, emendi. His dictis cùm omne frumentum effunderent, in saccorum summo singuli pecunias non sine terrore repererunt. At verò Jacob: In me unum, inquit, hæc omnia mala recidunt. Ita violenter orbor liberis. Joseph interiit, captivus est Simeon, & Benjamin auferetis. In me solum hæc faba cuditur: Cui Ruben: Geminos, inquit, filios meos tibi oppignero; interfice illos, nisi Benjaminum huc tibi stitero; Mihi eum committe, & hospitem reducam. At Jacob obfirmati animi: Benjaminum, inquit, non dimitto. Mortuo Joseph hic mihi unus relictus est solatio. Si & hunc cogerer dimittere, & ei adversi aliquid in viâ contingeret, cani mei præ doloribus defluerent ad sepulchrum. E dictis unum alterúmve manipulum ligemus.

Pecunia in saeculo frumentario inventa.

Filii Jacob quæ sibi in Ægypto evenerant narrant patri.

Jacobi patris dolor & querelæ.

Duplex manipulus, seu monitum:

I. *Dux omnium virtutum prudentia.* De hâc unâ virtute multa dixi & scripsi annis superioribus. Velim hæc tuo bono, mi Lector, in lucem dare. Sed aliæ atque aliæ scriptiones præveniunt. Si vires & vitam aspiret Deus, Prudentiam typis depictam cernes. Joseph prudentissimus fratres suos extrema meritos feriebat sed parcente manu, verbis moderatis; ut emendaret, non ut vulneraret; percussit eos aliquantulum, ore, quàm animo asperiore.

1. Dux omnium virtutum prudentia.

II. *Famis & omnium malorum causſa peccatum.* Atque istud jam fusiùs explicabimus.

2. Famis & omnium malorum causſa est peccatum.

§. I.

ANnos, quibus hæc scribo, infelices & ærumnosos vocamus, nec immeritò. Sed erramus certè, si putemus nos vinitoribus illis similes, qui ajebant, se tolerasse pondus diei & æstus. Nam si terræ sterilitatem, bella, pestilitatem horum annorum conferamus ad elapsa retro tempora, simul etiam futura prospiciamus, ludum jocúmque dicemus nostra hæc præsentia. Ferit Deus nos non pugno, sed planâ manu, aut betulis jam detritis, ut parvuli solent à parentibus objurgari mitissimâ ferulâ. Calamitates multò majores olim extiterunt. Ævo Josephi, fames omnem terram vehementer premebat. Sub Honorio Imperatore, quæ Zosimus narrat, Romæ tanta caritas & raritas omnis annonæ fuit, ut homines hominibus jam imminerent, & in circo palam audita sit illa vox, *None pretium humanæ carni.* Castaneæ pro frumento commolitæ, & in panem qualemcunque coactæ. Procopius, & ex eo Baronius narrant Justiniani Cæsaris ævo, Gothis Italiam vastantibus, eam famis tyrannidem sævisse in solo Picenorum agro, ut quinquaginta millia hominum fame sint mortui. Duæ mulieres septemdecim viros in somno, occiderunt & eorum carnes pararunt in epulas quotidiani victûs. Decimus octavus pariter jugulandus letales insidias prævertit, occidítque ambas.

Zosimus l. 6. Annal. anno 413. Roma,

Procopius de bello Gothico lib. 2. Baron. tom. 7. anno 539. Picenorũ ager,

Lipsii Constantia l. 2. c. 23. v. l. Hierosolyma,

Josephus ex Hebræis Græcus scriptor memorat Hierosolymis ab hoste cinctis, veteramenta calceorum, zonarum, scutorum aliquantulum lixata & in cibum apposita; fenum ut equos vorasse, ne ab humanis carnibus temperasse; fimetum è stabulis undique in alimentum humanum erutum. Horresco referens, annonæ caritatem ita incensam fuisse, ut homines mare[illegible] de in seipsos sint grassati ob victûs inopiam. Eò autem progressa est fames, ut in usum versæ sint non solùm carnes humanæ, sed humana etiam excrementa. Reperti hinc illinc mortui, quorum ore semesum exabat gramen, quod dum evellerent defectis viribus conciderunt exanimes. Sigismundus Sarmosaghius vir illustris, fide dignus testis, cùm iter faceret in Transilvaniâ, delatus est ad pagum funeribus exhaustum, in quo puerulum novennem reperit juxta cadaver, cujus non nisi caput & extremæ manus, pedésque restabant; cetera canes jam absumpserant. Quæsiit Sarmosaghius: Cujus hoc esset cadaver? Ad quæ puerulus: Matris meæ, inquit, fame mortuæ. Hanc canes cœperunt lacerare; me fames adegit, ut etiam aliquid inde sumerem, nam pæne edecor fame. Malè suadum malum rabies edendi, quæ matrem jubet redire in suámet viscera.

Anno 1604. Transilvaniâ.

Joannes Mariana scriptor elegans Hispanarum rerum testatur, ævo regis Habidis, tantam in Hispaniâ fuisse siccitatem, ut aquæ omnes, ipsíque fontes exaruerint; idque annis viginti sex duravisse. Quâ tempestate soli duo fluvii Bætis & Iberus aliquid aquæ retinuerunt. Agri hiantes & fissi, quia potum non accipiebant, nullum reddebant pabulum. Eduliorum omnium inopia ubique summa, tam pecora, quàm homines acervatim fame sitiúque necabantur. Qui spirarunt etiámnum & aliquid animæ traxerunt, tam exhaustis erant viribus, ut aliò fugere non possent. Hispania solitudo erat horrida, totis familiis per tot funera extinctis. Sterilitatem secuti sunt venti, qui arbores stirpitus evulserunt.

Mariana l. 1. de rebus Hispan. c. 13. mihi p. 221. Hispania.

Quid, quæso, sibi vult Deus suppliciis tam longè latéque deditis? Si Basilio & Hieronymo credimus, Fames flagellum est à Deo propter peccata. Mitissimum hoc puniendi genus est: nam plerumque ita temperatur à bono Deo, ut inter pœnas deprecari liceat culpas. Hęc quidem supplicia sunt, sed temporis, non æternitatis.

Basil. hom. de Fame. Hieron. in c. 3. Malachiæ.

Peccatum miseriarum omnium & calamitatum causſa. Melius mori, quàm peccare. Imò melius mori millies, quàm vel semel peccare. Siquidem letale peccatum tam pœnâ temporis, quàm æternitatis plectitur. Liceat hoc peccati genus volante penicillo leviter adumbrare, si vel præsentis instituti coloribus. Obstinaverat Jacob non dimittere Benjaminum. Ruben ut persuaderet parenti cedere sententiâ, suos ei liberos oppignerans: *Duos, inquit, filios meos interfice, si non reduxero illum tibi.* Non persuasit. Sed idem Judas persuadere patri conatus: *Nisi reduxero, inquit, & reddidero eum tibi, ero peccati reus in te omni tempore.* Hoc movit Jacob, hoc persuasit. Origenes acutissimus divinæ paginæ interpres: Hanc, inquit, Judæ filii conditionem acceptavit Jacob, figurabat enim pœnam æternam: Damnati, sunt peccati in Deum rei omni tempore: Conditio à Ruben proposita pœnas

Peccatum miseriarũ & calamitatum omnium causſa est.

Gen. c. 42. vers. 37.

Gen. c. 43. vers. 9.

Annus erat 1633.

Matt. c. 20. vers. 12.

Ægypt⁹ fame pressa, *Gen. c. 43. vers. 1.*

Caussæ cur mori sit minus, quã reum esse peccati:

pœnas temporis, acerbas eas quidem, sed non diuturnas significabat. Ita sanè minus est mori, quàm reum esse peccati. Caussæ plures.

1. Peccatũ infinita est in Deum injuria.

I. Peccatum, summa, infinita in Deum injuria est. Ea mens integerrimorum eorumque hominum semper fuit, omnia potiùs deserere, pati omnia, ignes penetrare, ipsos etiam inferos subire, quàm Deum graviùs offendere. Visum est illis multò quàm atrocius injuriâ Deum afficere, Numen datâ operâ semel duntaxat spernere, quàm æternùm ardere. Horresco pæne memorare, quod sanctissimæ viduæ Birgittæ divinitus patefactum est. Audiit illa vociferantes hunc in modum diabolos: Sines illa, quam præ omnibus diligis, quæ est Virgo, quæ te genuit, peccasset mortaliter, & sine divinâ contritione mortua fuisset, sic diligis justitiam, quòd anima ejus nunquam obtineret cælum, sed esset nobiscum in inferno. Verba hæc calamo fidelissimo excerpsi.

Revelationes S. Birgittæ lib. 7. cap. 4. ante med.

Bloſ. Monit. ſpirit. cap. 1. ad finem.

Et idem Ludovicus Blosius eruditione ac cælesti sensu illustris scriptor testatur. Tam exacta est Dei justitia, ut ipsa, sacra Domina, si noxam contraheret letalem, obrétque sine animi dolore, & facti pœnitentiâ, cum diabolis Dei hostibus summis æternùm cruciaretur. *Justus es, ô Domine, justissimus, & justum est judicium tuum.*

2. Unicum letale peccatum abolet omne promeritũ prioris vitæ.

II. Unicum letale peccatum abolet omne promeritum omnis prioris vitæ. Nam, etsi quis octoginta annis sanctissimam egisset vitam, gravissima quæque incredibili tolerantiâ perpessus, si demum post tot annos, vel solâ unicâque cogitatione maculam letalem conscisceret, collectum omne promeritum, velut uno flatu dissiparet. Non absimilis illi, qui annis plurimis ingentem vim auri collegisset, subitò amens & furiosus totum aurum unico jactu in flumen excuteret: perderétque tot annorum tam operosas, quàm opulentas vigilias. Atque hoc letale crimen est. Hoc Hebræus vates Ezechiel luculentissimè testatus: *Si averterit se justus, inquit, à justitiâ suâ, & fecerit iniquitatem, omnes justitiæ ejus, quas fecerat, non recordabuntur.* Perinde si nihil unquam egisset boni. Accedit illud insuper: Actio nulla, quantumvis ardua, & sancta, dum letalis nævus hæret animo, quidquam promereri potest. Peregrineris licet Compostellam usque ad divi Jacobi ædem, inedià fatiges corpus, in stipem universas eroges facultates, dum Dei hostis es, nil promereris. Mortalis noxa inficit, & perdit omnia, thesauros actionum bonarum eripit universos.

Ezech. c. 18. verſ. 24.

3 Letali crimine obstrictus tam miser est, ut nec velit, nec possit sponte suâ resurgere à lapsu.

III. Letali crimine obstrictus tam miser, & imbecillis est, ut nec velit, nec possit sponte suâ resurgere à lapsu. Hac mole pressus jaceret æternùm, ni Deus favore singulari porrigeret dejecto dexteram, & è cæno extraheret. Theologiæ & Concilii Tridentini scita sunt. Sine gratiæ justificantis dono neminem à peccato posse resurgere; Gratiam primam neminem mereri. Sicut enim equus in altiorem fossam præceps datus emoliri suum lapsum non potest, nisi validè juvetur; ope destitutus periret: Ita, qui letali se crimine obstrinxit, revocare gradum non potest ab interitu, nisi cum erigat subsidium ex alto. *Longè à peccatoribus salus.* Reverà sub sole rerum creatarum miserior nulla est homine letalis noxæ reo. Ah quàm ista non cogitant, qui peccant!

Pſal. 118. verſ. 155.

4. Peccatũ infiniti boni est privatio.

IV. Peccatum infiniti boni privatio est; Deum eripit, & omnem gratiam divinam. Nihil hoc fure iniquius. Si enim Deo nostro verè optimo, verè Maximo Deum alium ditiorem, formosiorem, liberaliorem præferremus, tam iniquè non ageremus, sed, heu nefas, Deo præferimus pecuniolam, voluptatulam, mulierculam, rem creatam creatori. Nam in omni graviore delicto homo medius, velut arbiter, inter Deum & diabolum consistit. Deus suas leges, & cruci suffixum filium proponit; diabolus illam voluptatis escam ingerit, quam ab homine ardentiùs appeti novit. Dic jam, mi homo, quis horum tibi charior? Deus an diabolus? à cujus parte A vis stare? Cui caussam addicere? Illi, ait, qui voluptatem mihi expetitam fecerit meam. O superi, ah hoc non est Belial Deo, Barabbam Christo præferre? Hoc æquè fit verissimè in quocunque letali peccato.

5. Unicus noxa letalis beatitudinem eripit.

V. Unicus peccantis ausus, letalis noxa unica beatitudinem immortalem, voluptates æternas, cælum eripit. Qui Deum sciens volens offendit, non minùs furiosè agit, quàm qui perscriptiones certas, syngraphamque decem auri millionibus factam ridente ore conjicit in ignem: qui quidem unicâ petulantiâ decies centena millia philippeorum comburit. Scio me parum hîc dixisse; quæ enim comparatio est decem auri millionum, & vel montis aurei, & vel orbis universi ad beatitudinem futuram? Nihil verborum sufficit, cùm de cælo sermo est. Atqui cælum sibi ipse rapit, qui mortali culpâ se obstringit. Jactura ingens, immensa. Cælum perdidisse, est bona simul omnia perdidisse.

6. Peccatũ fons est omnium calamitatum.

VI. Peccatum fons est omnium calamitatum. Hinc B fames, sitis, & maximum morborum agmen; hinc curæ, dolores, ægrimoniæ, cruciatus infiniti, & omnium clausula, vel initium mors. O quanta miseriarum series quotidianis nos conficit vulneribus! Ab unico peccato hæc mala promanant universa. Josephi fratrum verba rectissimè hîc usurpamus: *Meritò hæc patimur, quia peccavimus. Stipendia peccati Mors,* & omnes mortis anteambulones morbi & miseriæ innumeræ. Calamitatum omnium fons ubertimus est peccatum.

Gen. c. 42. verſ. 21. Rom. cap. 6. verſ. 23.

7. Peccatũ letale vel unicum in æternos rogos præcipitat.

VII. Peccatum letale vel unicum in æternos rogos præcipitat. Hoc demum malorum omnium complexus est. Ad inferos detrusibari, est tormentis omnibus cruciandum objici. Sed æterna hæc supplicia mereri potest cogitatio vel unica, tactus, & aspectus unicus. Infinita certè malitia peccatorum graviorum cuilibet inhæret, ideo eam Deus pœnâ plectit infinitâ, nunquam cessaturâ. Hoc mortalium nemo satis æstimaverit. Momento committitur, & æternitate totâ non possit exhauriri supplicium? O barathrum! O Abyssum! Melius revera mori, quàm peccare. Ita castissima Susanna inter sacrum & saxum posita: *Melius est mihi,* ait, *incidere in manus vestras* (accusari, duci, lapidari) *quàm peccare in conspectu Domini.* In eam rem sapienter sanè dixit Publius Mimus: Tolerabilior est, qui mori jubet, quàm qui malè vivere.

Dan. c. 13. verſ. 23.

Homo ad inferos damnatus, à duobus malis gravissimum patitur, merore, culpa & pœna.

Æternæ mortis reus, homo ad inferos damnatus, à geminis malis premitur, æternúmque premetur, Avernalibus tormentis & letalibus peccatis; illud pœnæ, hoc culpæ malum. Sed quod majus? Absque omni dubio & comparatione majus multóque gravius est malum culpæ, quàm pœnæ; longè formidabilius est peccatum, quàm quodcunque tormentum: Deinde in illis orci captivis totum simul peccatum est, pœna nunquam simul est, nec erit, atque ut Theologi loquuntur, citra condignum puniuntur, hoc est, cruciantur remissiùs quàm promeriti sint. Eam ob caussam Chrysostomus è cathedrâ suis auditoribus toties inculcat, Unicum in Orbe malum esse, Peccatum. Cum hoc cetera mala omnia si conferantur, ludus & jocus, fabula & somnium, nulla sunt. Audiamus terrifica malorum nomina, uti sunt capitales inimicitiæ, tyrannis, sævæ quæstiones, tormenta, atroces invidentiæ, vexationes acerbissimæ, mala, fateor, non levia, sed ad peccatum nulla. Pauperies, morbi, dira fames, nihil sunt ad peccatum: Omnium ludibriis exponi, ab omnibus deseri, omnium odiis lacerari, mala sunt gravia, sed ad peccatum nulla: Injuriæ, obtrectationes, calumniæ, accusationes falsæ, ignominiæ publicæ, carcer, exilium, rerum omnium spoliatio meræ malorum larvæ, & umbræ, si conferantur ad peccatum: Naufragia, pestilitas, incendia, fortunarum omnium eversio, summa creduntur mala, sed reverà mala non sunt, cùm ad peccatum malorum maximum, & malum unicum collata sunt. Peccatum solum verè damnum, verè

Præſentia p. 1. dicenda ſermonum.

Omnia mala ad peccatum collata nulla ſunt.

verè malum, verè mors est. Animum jugulat peccatum, eo quo patratum est momento. Annuat jam Deus, jubeátque sterni hominem, actum est, eheu, de corpore & animo. Pereundum, & ardendum æternùm. Peccatum igitur solum, uti malorum omnium summum, & unicum malum metuendum, & fugiendum. *Videte*, inquit Chrysostomus, *quæ passus non sit Ioseph, domi foris q; falsò accusatus, habitus adulter, carceri mancipatus: hæc, aliáque omnia constanter tulit, modò non peccaret; ille potiùs in patibulum aut in rotam agi, in ignes conjici, bestiis objici voluisset, quàm peccasset.* Mori profectò meliùs, quàm peccare.

Ita Hebræus optimus princeps Matthatias in extremis quinque filios suos exhortatus: *Ioseph*, ait, *in tempore angustiæ suæ custodivit mandatum, & factus est Dominus Ægypti. Et ita cogitate per generationem, & generationem.* Ioseph extrema quæque pati maluisset, quàm Dei leges violare; mandatum Domini custodivit constantissimè. Cúmque velut medius inter Deum & diabolum staret; atque hinc Deus leges suas conscientiæ inscriptas, illinc diabolus libidines ab herâ oblatas ostenderet, pro Deo Joseph pronuntiavit, etsi Christum crucifixum non viderit, etsi diabolum acheronta moturum facilè scierit, etsi supplicia sibi imminentia satis præviderit, custodivit tamen mandatum, maluitque omnia pati maluitque mori, quàm peccare. Joannis Apostoli oraculum est: *Qui facit peccatum, ex diabolo est. Omnis qui natus est ex Deo, peccatum non facit. Oculi Domini super justos, & aures ejus in preces eorum: Vultus autem Domini superfacientes mala, ut perdat de terrâ memoriam eorum.* Solum igitur peccatum par est metuere, solum fugere, summum, & unicum Orbis malum.

1. Machab. 2. v. 53. & 61.

1. Joan. c. 3. v. 8. & 9. Psal. 33. v. 16. & 17.

CAPVT XIV.

Iosephus fratres suos convivio excipit, sed frugali. Conviviorum pudendus luxus. Ebrietas pæne omnis flagitii compendium. Fons noxarum, & malorum omnium.

Genes. 43. init.

INterim fames omnem terram vehementer premebat. Consumptisq; cibis, quos ex Ægypto detulerunt, dixit Iacob ad filios suos: *Revertimini, & emite nobis pauxillum escarum.* Respondit Iudas: *Denuntiavit nobis vir ille sub attestatione jurisjurandi, dicens: Non videbitis faciem meam, nisi fratrem vestrum minimum adduxeritis vobiscum. Si ergo vis eum mittere nobiscum, pergemus pariter, & ememus tibi necessaria. Si autem non vis, non ibimus. Vir enim (ut sæpe diximus) denuntiavit nobis dicens: Non videbitis faciem meam absque fratre vestro minimo. Dixit eis Israël: In meam hoc feciſtis miseriam, ut indicaretis ei, & alium habere vos fratrem. At illi responderunt: Interrogavit nos homo per ordinem, nostram progeniem, si pater viveret: Si haberemus fratrem: & nos respondimus ei consequenter juxta id, quod fuerat scisscitatus: Nunquid scire poteramus, quod dicturus esset: Adducite fratrem vestrum vobiscum? Iudas quoque dixit patri suo: Mitte puerum mecum, ut proficiscamur, & possimus vivere, ne moriamur nos, & parvuli nostri. Ego suscipio puerum, de manu meâ require illum. Nisi reduxero, & reddidero eum tibi, ero peccati reus in te in omni tempore. Si non intercessisset dilatio jam vice alterâ venissemus. Igitur Israël pater eorum dixit ad eos: Si sic necesse est, facite, quod vultis: sumite de optimis terræ frugibus in vasis vestris, & deferte viro munera, modicum resinæ, & mellis, & storacis, stactes, & terebinthi, & amygdalarum. Pecuniam quoque duplicem ferte vobiscum; & illam, quam inveniſtis in sacculis, reportate, ne fortè errore factum sit. Sed & fratrem vestrum tollite, & ite ad virum. Deus autem meus omnipotens faciat eum vobis placabilem: & remittat vobiscum fratrem vestrum, quem tenet in vinculis, & hunc Benjamin: ego autem quasi orbatus absque liberis ero. Tulerunt ergo viri munera, & pecuniam duplicem, & Benjamin: descenderúntque in Ægyptum, & steterunt coram Ioseph. Quos cùm ille vidisset & Benjamin simul, præcepit dispensatori domûs suæ, dicens: Introduc viros domum, & occide victimas, & instrue convivium, quoniam mecum sunt comesturi meridie. Fecit ille sicut fuerat imperatum: & introduxit viros domum. Ibiq; exterriti, dixerunt mutuò: Propter pecuniam, quam retulimus priùs in saccis nostris, introducti sumus, ut devolvat in nos calumniam, & violenter subjiciat servituti & nos & asinos nostros. Quamobrem in ipsis foribus accedentes ad dispensatorem locuti sunt: Oramus, Domine, ut audias nos. Iam ante descendimus, ut emeremus escas; quibus emptis cùm venissemus ad diversorium, aperuimus saccos nostros, & invenimus pecuniam in ore saccorum: quam nunc eodem pondere reportavimus. Sed & aliud attulimus argentum, ut ememus, quæ nobis necessaria sunt: non est in nostrâ conscientiâ, quis posuerit eam in marsupiis nostris. At ille respondit: Pax vobiscum, nolite timere: Deus vester, & Deus patris vestri dedit vobis thesauros in saccis vestris: nam pecuniam, quam dediſtis mihi, probatam ego habeo. Eduxitq; ad eos Simeon. Et introductis domum, attulit aquam, & laverunt pedes suos, deditq; pabulum asinis eorum. Illi verò parabant munera, donec ingrederetur Ioseph meridie: audierat enim, quòd ibi comesturi essent panem. Igitur ingressus est Ioseph domum suam, obtuleruntque ei munera tenentes in manibus suis: & adoraverunt proni in terram. At ille clementer resalutatis eis, interrogavit eos, dicens: Sanúsne est pater vester senex, de quo dixeratis mihi: Adhuc vivit? Qui responderunt: Sospes est servus tuus pater noster, adhuc vivit. Et incurvati adoraverunt eum. Attollens autem Ioseph oculos, vidit Benjamin fratrem suum uterinum, & ait: Iste est frater vester parvulus, de quo dixeratis mihi? Et rursum, Deus, inquit, misereatur tui fili mi. Festinavitque, quia commota fuerant viscera ejus super fratre suo, & erumpebant lacrymæ: & introiens cubiculum flevit. Rursúmque lotâ facie egressus continuit se, & ait: Ponite panes. Quibus positis seorsum Ioseph, & seorsum fratribus, Ægyptiis quoque, qui vescebantur simul (illicitum est enim Ægyptiis comedere cum Hebræis, & profanum putant hujuscemodi convivium) sederunt coram eo, primogenitus juxta primogenita sua, & minimus juxta ætatem suam. Et mirabantur nimis, sumptis partibus quas ab eo acceperant, majórque pars venit Benjamin, ita ut quinque partibus excederet. Biberúntque, & inebriati sunt cum eo.

Jacob filios remittit in Ægyptum.

Fames interim regiones omnes dirè populabatur. Jacob consumptis omnibus Ægypto exportatis, filios denuo cohortatus: Revertimini, ait, in Ægyptum, & modicum saltem annonæ coëmite. Hîc Judas locum dicendi nactus: Ille, inquit, Ægyptius annonæ præfectus severissimè nobis imperavit jurejurando addito, ne rediremus sub aspectum suum, nisi fratrem nostrum minimum adduceremus. Si igitur placet, pater, eum mittere nobiscum, ibimus, uti cupis; sin ille domi retinea-

Sine Benjamino ire detrectant.

tur, nostrûm nemini permissum eò ire. Etenim quod sæpe diximus, rigidissimus ille dynasta palàm nobis edixit: Sub oculos meos ne redite, nisi unà frater vester minimus huc adducatur. Cui Jacob: Hoc, inquit, meis miseriis augendis factum est: quid opus erat indicare viro fratrem alium superesse: At contra filii: Scisscitatus est ajunt, de familiâ nostrâ ordine singula, num pater etiámnum viveret, num alium haberemus fratrem? Nos ad quæstiones singulas respondimus cohærenter. Quis ominari poterat præcepturum, ut frattrem natu minimum adduceremus? Dictis Judas addidit: Rogo te, pater, mitte Benjamin nobiscum, ut liceat proficisci, & tueri vitam. Ego eum curabo ut meum filium; à me illum repetes. Et nisi reduxero, eúmque tibi reddidero, ero peccati reus in te omni tempore. Si dilatio non intercessisset, jam rediissemus secundùm. Ad quæ Jacob Pater: Dura, inquit, necessitas; si sic oportet, facite quod vultis. Pergite, sed unà de melioribus terræ frugibus viro munera deferte, mellis, resinæ, storacis, stactes, terebinthi aliquid & amygdalarum. Simul etiam duplicem referte pecuniam, ut errorem, qui forsan intervênit eluamus.

Ægypti præfecto munera deferunt.

mus. Optimus Deus conciliet vobis principem illum Ægyptum, ut reducere liceat, tam fratrem vestrum, quem tenet captivum, quàm hunc Benjaminum. Ita in Ægyptum profecti sunt. Quos ubi Josephus, & inter eos Benjaminum est intuitus, Oeconomo suo præcipiens: Convivium, inquit, instrue, exterósque hos viros in ædes introduc; mecum hodie transituri sunt. Fecit Oeconomus imperata. At illi extemplò collatis clàm sermonibus: Ob pecuniam, inquiunt, quam in saccis retulimus, vocat nos annonæ dominus, ut calumniam in nos devolvat, & violenter subjiciat servituti. Quamobrem in ipsis foribus Oeconomum allocuti: Domine rogamus, inquiunt, ut audias nos. Frumentum hic nuper emimus bonâ fide; dum revehimus, & saccos in hospitio primo aperimus, pecuniam in ore saccorum reperimus, quam nunc eodem pondere reportavimus. Sed & aliam insuper mole tam attulimus emendis necessariis. Si quisque nostrûm suam interroget conscientiam, scire non possumus, quis pecuniam reposuerit. Ad quos Oeconomus: Bono este animo, inquit, non est, quod metuatis. Faventem vobis Deum habuistis: Nec ego vos fraudis ullius accuso. Mox Simeon è vinculis eductus ceteris se stitit. Sic unà in domum introducti, pedes velut hospitum loti, præbitum jumentis pabulum. At illi cum muneribus opperiebantur solliciti, dum Josepho principi Ægyptio triclinium ingresso ea offerrent. Meridie igitur adest Josephus, at illi venerabundis manibus tenentes munera obtulerunt, pronóque corpore adorarunt fratrem adhùc semper ignotum. At ille clementer illos resalutans: An etiámnum, inquit, in vivis est pater vester senex, de quo mihi dixeratis, an sanus, & incolumis? Ad quæ illi: Domine, vivit adhuc servus tuus, inquiunt, & sospes est. Et unà cum dicto eum denuo submississimè adorarunt. Mox Joseph oculos in Benjamin fratrem uterinum reflectens: Hiccine, inquit, minimus natu frater est, ut dicebatis? Misereatur tui Deus, mi fili, atque hîc lacrymis vi erumpentibus properavit ad cubiculum, & indulsit fletui. Facie jam lotâ egressus jussit afferri fercula. Ita discubuerunt, sed ritu patrio seorsum Joseph à peregrinis convivis. Nefas enim habent Ægyptii cum Hebræis accumbere, convivio, ut vocabant, profano. Discubitûs ordo ad ætatis discrimen est observatus. Misitque Joseph è suâ mensâ fratribus nobiliora fercula, maximè Benjamino, ceteris obstupescentibus: nam etsi minimus, quintuplo tamen plus aliis acceperat. Liberaliùs omnes biberunt. Sed colligamus hinc manipulos.

Invitat Josephus eos ad convivium.

Munera offerunt.

Quadruplex manipulus seu monitum:

1. Munerũ suavis, sed sæpe fallax eloquẽtia. Ovid. de Arte. Gen. c. 43. vers. 26.

I. *Munerum suavis, sed sæpe fallax eloquentia.*
Munera, crede mihi, placant hominesque Deósque.

Jacob utique suos filios ita instituit, ut gestu non deformi Ægyptio principi offerrent aliquam muneris imaginem. Historici sacri verba sunt: *Obtulerúntque ei munera tenentes in manibus suis; & adoraverunt proni in terram.* Opulentum munus, orator est optimus.

2. Amantiũ affectus potentissimus. Gen. c. 43. vers. 30.

II. *Amantium affectus potentissimus.* Ut vidit Joseph Benjaminum fratrem, lacrymis moderari nullo modo potuit: *Festinavitq; quia commota fuerant viscera ejus super fratre suo, & erumpebant lacrymæ, & introiens cubiculum flevit.* O quàm difficile amorem dissimulare! Ira & amor validissimi affectus, frequenter impatientes freni. Pæne facilius sinu tegere ignem, quàm amorem.

3. Decorũ, ubiq; pulchrum.

III. *Decorum, ubique pulchrum.* In eodem triclinio, non eâdem mensâ; Modimperator, & convivæ pranderunt. Nam seorsum Joseph, seorsum etiam tam Ægyptii ceteri, quàm fratres Josephi consederunt. Prima quidem mensa Ægyptii principis Josephi fuit. Altera convivarum Hebræorum, qui ætatis ordine se collocatos mirabantur. Tertiam Ægyptii proceres occuparunt, quibus vetitum cum Judæis epulari. Nam Ægyptus pecudes non tantùm non mactat, sed pro Diis veneratur & adorat. Judæi vescebantur carnibus agninis, bubalis, ovillis, aliis: iis solùm abstinebant, quas divina lex prohibuerat.

4. Temerantia virtus laudatissima. Gen. c. 43. vers. 34. Quintil. lib. 11. c. 3. Temulentiã & ebrietatem statuemus effata.

IV. *Temperantia, virtus laudatissima. Biberúntque & inebriati sunt cum eo.* Quid hoc dicti: Num adeò largiter obiberunt, ut temulenti & probè appoti rationem vino merserint? Explicabimus Hebræam phrasim, & unà aliquot de Temulentiâ & Ebrietate statuemus effata.

§. I.

1. Temperantia veterum, & in cibo potũ, frugalitas sæpe admiranda. Augustus Cæsar, Orbis Monarcha, Cenam, Suetonio teste, ternis ferculis, aut cùm abundantissimè, senis præbebat, vini parcissimus, ter bibere in mensâ, solitus. En, Imperator Romanus, & Orbis dominus, velut cœnobio inclusus tres cibos, aut cùm lautissimè cenandum, sex admittit in mensam. Ita tribus de more ferculis totum transmisit diem. Romanus erat, cenare solùm non prandere solitus. Nec enim memini quidquam in ullo veterum scriptorum me legere de priscorum prandio: pueri aut ætatis decrepitæ senes, aut insigniter voraces prandiis usi. Ceteri omnes de die semel dumtaxat esse, ac cenare tantùm consuescebant. Optimum hoc prorsus ac salubrimum institutum, ipsius etiam corporis bono. Bis in die saturum fieri, res turpis & minimè salubris visa Platoni.

I. Temperantia veterum, & in cibo potũ, frugalitas sæpe admiranda.

Hoc Josephi convivium frugale; nec enim voluit prudentissimus dynasta in tantâ caritate annonæ luxum mensæ adhibere. Sunt, qui censeant, cuilibet fratrum quina fercula apposita: Benjamino tamen omnia copiosiùs submini strata, ita quidem, ut quinque partibus plura, quàm ceteri fratrum acceperit, vel decem fercula, vel quinque tantùm, prout alii, sed multò auctiora. Quâ in re Lectoris sit arbitrium: *Cúmque omnes comiter Josephi haberet*, ait Hebræus scriptor, *Benjaminum duplicibus partibus honorabat.* Præter hæc Josephus è suâ mensâ mittebat fercula his convivis honoraria. Quod sacer historicus affirmat: *Et mirabantur nimis sumptis partibus, quas ab eo acceperant, majórque pars venit Benjamin, ita ut quinque partibus excederet.* Asserit Plutarchus consuesse veteres non ex unâ scutellâ omnes, sed singulos è singulis, uti jam moris est in religiosorum hominum familiis, è suâ quemque modicâ lance cibum capere. Porrò Plutarchus disputat, utra sumendi cibi ratio videri debeat commodior. Profectò temperantia priscorum, laude dignissima, non unis alterisve pagellis, sed libris meruit celebrari. Hoc unum addo: Seneca, qui inter facultates suas pæne octo auri milliones numeravit, ostreis, & quidquid lautitiarum, atque delicatiorum escarum erat valedicens, pomis, & oluscúlis victitavit, fontanam bibit, carnes non attigit; tanquam Romanorum civium pauperrimus. Neque id in avaritiæ gratiam factitavit: solus Sobrietatis & Temperantiæ amor hos ei rigores persuasit. Qua in re asperam & exanguem agricolarum mensam Annæus, putem, superavit. Id velim priscorum semper meminerimus: *Quantum adimis escæ, tantum adjicis vitæ.* Siracides id luculenter affirmans: *In multis, inquit, escis erit infirmitas.* Multi cibi, multi morbi: Longa mensa, brevis vita: Oppletio ventris, læsio valetudinis.

Antiquit. Judaic. lib. 12. c. 4. mihi p. 458.

Plutarch. lib. de Esu carnium.

Ecclesiast. c. 37. vers. 33.

§. II.

1. Temperantia conviviorum nostratium pæne omnis extincta. Luxus, in his ingens, fercula ferè quinquaginta, aut sexaginta, centum aut ducenta. Hunc ferculorum numerum ad Augusti Cæsaris terna vel sena fercula conferamus, obsecro, & ævi nostri profectum incredibilem mirabimur. Eja profecimus certè, jámque etiamnùm quantùm veteres superamus luxu novo. Fassus mihi ante annos aliquammultos non adeò nummatus dynasta: Nisi, ait, convivis meis quinquaginta calentia à foco fercula ponerem, ludibrio me exponerem, & nemo ferè esset, qui non sordes meas accusaret: sic suaviter alteri

II. Temperantia conviviorum nostratium pæne omnis extincta.

alteri alteros expilamus comessando. Sed nobilius convivalis luxûs specimen recenset clarissimus scriptor Hypolitus Guarinonius.

Guarin. de alterum. humanæ miseriæ. 57. pag. 789.

Non ita pridem Baro, quem & nominare possem, inquit, convivium apparavit, in eóque ternis missibus, seu, itionibus trecenta fercula apposuit præter tragematum & bellariorum hecatomben ad mensam secundam spectantium. Quî, tandem, inquies, id fieri potuit, & quomodo mensa una tot capere fercula? Ingeniosè prorsus & commodè: quidquid enim capacissima mensa non capiebat, id famulorum, qui numerosi adstabant, manibus sustentabatur, ut quocunque vellet convivarum gula, vel in mensam, vel in mensæ viciniam excurreret amœna varietate.

Æneas Sylvius l. 2. de rebus gestis Alphonsi, initio p. 480.

Huic convivatori aliquantulum cedit Lituaniæ Dux Suitrigalus, cujus Æneas Sylvius in rebus gestis Alphonsi regis mentionem injiciens: Cena, inquit, apud Suitrigalum non minùs sex horarum fuit; nec fercula minùs quàm triginta, dum liguriret, allata sunt. Atque B hæc quotidiana illius erat cenula: O mores! ô sæculum! quo Temperantia laudatur, sed algèt. Veterum temperantia laudatur, sed moribus novis vivitur. O cives! virtutes pæne omnes egimus in exilium, sed omnium pæne primam Temperantiam. Hac unâ profligatâ proniissima est ceterarum fuga. Sed quid ego hæc inaniter deploro: Hæc sæpius pro suggestu dicta, hæc scripus reprehensa, hæc legibus prohibita: frustra omnia. Concionatores sibilantur, scripta plerumque non legunatur, aut spernuntur lecta, leges veluti superfluæ ridentur. Nec tamen identidem monere desinimus, de ingentibus luxûs augmentis. Nec enim solùm in leges Magistratûs sumptuarias, sed in Numinis divinas audacissimè peccamus, quod vel inde liqueat. Deus plurimùm in rebus omnibus odit, quod naturam, naturæque leges & ordinem invertit. Cur enim Sodomæa peccata tam diris suppliciis, incendiis repentinis, morte subitâ est ultus? Naturam oppugnarant abominandis nequitiis. Quod adversus naturam est, placere non potest. Quæro igitur, cibum ac potum quo fine natura suppeditat? Num ut iis oculos vel aures pascamus, an verò ut oris & stomachi hiatum expleamus? Habent suum & oculi & aures pabulum: cibus & potus in famis solatium est. At nos hunc ordinem naturæ tollimus, & cibos in oculorum spectacula paramus, ita prorsus ut in conviviis plus pæne devorandum oculis ponatur, quàm faucibus. Nimirum ad ostentationem & pompam hæc fiunt. Ita luxu nobiles agimus triumphos, & quod avarè multis hebdomadibus corraditur, illud in voraginosum hunc mensæ tumulum infertur. Hoc planè sacrificare est Diis inferis, & mensium, subinde annorum aliquot proventus in unicam cœnam abjicere. Aliæ sunt naturæ leges, alius ordo. Facili sumptu, parabili victu impletur venter; oculorum fami nil ferè satis est, Duodenis ferculis amicorum honoratissimi laurè satis excipiuntur. Eliogabalus, non homo, sed pecus, Imperator tamen Romanus luxu perditissimus belluando nemini cessit. In eo nihilominus ut prodigium notatum est, quòd viginti duo fercula in cœnam unam apposuisset. O Superi! quàm insigniter profecimus, qui vel ipsos prodigiosi luxûs principes longissimè superamus. Jam nostri opifices plura ponunt fercula, quàm olim Romani Imperatores. Si quot ciborum disci, tot mensarum sunt oculi, certè fæx hominum oculatiores jam habet mensas, quàm olim Reges & Cæsares. In immensum excrevit luxus. Quondam ob hunc Nabal fatuus non reprehensus solùm sed & graviter punitus: *Erat ei convivium in domo ejus quasi convivium regis, & cor Nabal jucundum.* Decem post diebus non solùm mensam, sed & vitam perdidit. *Percussit Dominus Nabal, & mortuus est.* Igitur *expergiscimini ebrii, & flete, & ululate omnes, qui bibitis vinum in dulcedine.*

Temperantia profligatâ, proniissima est ceterarum virtutum fuga.

Deus odit quidquid naturam, & naturæ leges invertit.

1. Reg. c. 25. vers. 36. Ibid. v. 38. Joël. cap. 1. vers. 5.

A Igitur, *sicut in die honestè ambulemus, non in comessationibus & ebrietatibus.* Rom. cap. 13. vers. 13.

§. III.

III. *Luxus conviviorum, neglectus pauperum.* Quod enim prodigalitas in convivium prandio uno effundit, id tenacitas famulis, ancillis, subditis, familiæ egenis subtrahit. Ar sumptibus comparcatur, reparandum, quod dilapidatum est. Quàm autem hoc Evangelio non consentaneum? Longè aliter imperans Christus: *Cùm facis convivium*, inquit, *voca pauperes, debiles, claudos, & cœcos, & beatus eris, quia non habent retribuere tibi, retribuetur enim tibi in resurrectione justorum.* Eo saltem convivio ad quod vocantur amici, aliquantulum fruantur egeni. Quòd si non tantùm nihil inde accedat illis, sed etiam decedat, & ideo minùs accipiant, quòd aliis æquo lautiùs detur, geminatum nefas est. Tunc maximè recipiendos esse pauperes, & reficiendos, cùm lautiorem mensam struimus, lex etiam prisca docuit. Esdras Sacerdos ejus rei commonefaciens: *Ite,* inquit, *comedite pinguia, & bibite mulsum, & mittite partes his, qui non præparaverunt.* Cùm scyphus adeò impletur, ut in summo liquor emineat, tum plerumque potum libando minuimus, ne quid pereat, aut in aliud vas refundimus. Cùm culina fervet, cùm cella spumat, cùm mensa triumphat, cùm domus epulis abundat, sinantur pauperes inde aliquid libando sumere, effundatur, quod supereſt, in famelicos eorum ventres, & non peribit. Voluit providentissimus Deus, ut quidquid acinorum, aut uvarum in vineis defluëret, peregrinis & pauperibus carpendum relinqueretur: In agris pariter, quidquid spicarum remaneret, advenis & egenis dimitteretur. Verba Legis sunt: *Cùm messueris segetes terræ tuæ, non tondebis usque ad solum superficiem terræ; nec remanentes spicas colliges. Neque in vineâ tuâ racemos, & grana decidentia congrebabis, sed pauperibus & peregrinis carpenda dimittes.* Vult Deus suorum in omnibus, & ubique rationem haberi.

Luxus conviviorum, neglectus pauperum.

Deus vult in conviviis rationem haberi pauperum.

2. Esdræ c. 8. vers. 10.

Levit. c. 19. v. 9. & c. 23. vers. 22.

IV. *Ebrietas imperfecta sæpe deterrima.* Subinde culpam honesto nomine purgamus: Non totus madidus vino me sepelii; scivi quid agerem: thyrso aliquantulum, fateor, percussus fui, sed ratione non penitus sopitâ. Atqui hoc nonnunquam ebrietate ipsâ deterius. Nam verè ebrius, & domum asportandus è mensâ, hominem se nescit, & inferorum faucibus proximus jacet, nisi fortè vini vires ignorarit, aut debilioris sit cerebri. Iste quidem dum ebrius est, in statu periculosissimo, pessimo, flammis stygiis vicinus est: hoc unum habet boni, quòd interim nil mali patret. At ille semigravis vino vitiis nimiùm quantùm expositus, fœda cogitat, absurda loquitur, secreta effutit, domesticos nonnunquam stricto gladio insequitur, uxorem, liberos, familiam omnem variè vexat, in omnem vitam pœnitenda deblaterat, non oculos, non manus, non linguam continet, cogitatus à libidine non refrenat, omnium vitiorum infame ludibrium. Hieronymi dictum est: *Plenus venter in libidines facilè despumat.* Nam ubi corpus incalescit vino, quæ libent, licere creduntur, hinc liberrimè peccatur: hinc & ille, qui cùm sobrius esset, pudicus erat, jam probè appotus exuit pudicitiam; impudens multò fit impudentior. Verissimè dixit Seneca, Ebrietatem nihil aliud esse, quàm voluntariam insaniam. Extende in plures dies illum ebrii habitum, numquid de furore dubitabris? nunc quoque non est minor, sed brevior. Refer Alexandri Macedonis exemplum, qui Clitum charissimum sibi ac fidelissimum inter epulas transfodit: & intellecto facinore mori voluit, certè debuit. Omne vitium ebrietas & incendit, & detegit: obstantem malis conatibus verecundiam removet. Plures enim pudore peccandi, quàm bonâ voluntate, prohibitis, abstinent. Ubi possedit animum nimia vis vini,

4. Ebrietas imperfecta sæpe deterrima.

Non in se, sed per accidens.

Ebrioſus incedit, Plauto.

Senec. ep. 83. mihi p. 548.

Ebrietas omne vitium incendit & detegit.

vini, quidquid boni latebat, emergit. Non facit ebrietas vitia, sed protrahit; tunc libidinosus ne cubiculum quidem exspectat, sed cupiditatibus suis quantum petierint, sine dilatione permittit? tunc impudicus morbum profitetur ac publicat: tunc petulans non linguam, non manum continet. Crescit insolenti superbia, crudelitas sævo, malignitas livido: omne vitium detegitur & prodit. Adjice illam ignorationem sui, rubia & parum explanata verba, incertos oculos, gradum errantem, vertiginem capitis, tecta ipsa mobilia, velut aliquo turbine circumagente totam domum: stomachi tormenta, cùm effervescit merum, ac viscera ipsa distendit. Tunc tamen utcunque tolerabile est, dum illi vis sua est: quid cum somno vitiatur, & quæ ebrietas fuit, cruditas facta est? Cogita, quas clades ediderit publica ebrietas. Hæc acerrimas gentes, bellicosasque hostibus tradidit: hæc multorum annorum pertinaci bello defensa mœnia patefecit: hæc contumacissimos, & jugum recusantes in alienum egit arbitrium: hæc invictos acie mero domuit.

Alexandrū Macedonē Herculaneus scyphus condidit.

Alexandrum, cujus modò feci mentionem, tot itinera, tot prælia, tot hiemes, per quas, victâ temporum locorumque difficultate, transierat, tot flumina ex ignoto cadentia, tot maria tutum dimiserunt: intemperantia bibendi, & ille Herculaneus ac fatalis scyphus condidit. Quæ gloria est, capere multum? Cùm penes te palma fuerit, & propinationes tuas strati somno ac vomitantes recusaverint, cùm superstes toti convivio fueris, cùm omnes viceris virtute magnificâ, & nemo tam vini capax fuerit, vincêris à dolio.

Furor & libido sunt ebrietatis filiæ.

Alphonsus, sapiens Aragonum rex, ebrietatem & ebrios cane pejus & angue oderat. Rogatus tanti odii causam: Quia scio, inquit, Furorem & Libidinem Ebrietatis esse filias. Certissimum: Libidinari, & insanire ebrietati proprium. Vide hominem alioqui oviculam; cùm ebrius est, vociferatur, clamat, tumultuatur, furit, bacchatur in omnem libidinem projectus, vapido sub pectore plurimum coquit insaniæ. M. Antonium, eodem Annæo teste, magnum virum & ingenii nobilis, quæ alia res perdidit, & in externos mores, ac vitia non Romana trajecit, quàm ebrietas: nec minor vino Cleopatræ amor: Hæc illum res hostem Reipublicæ, hæc hostibus suis imparem reddidit, hæc crudelem fecit, cùm capita principum civitatis cenanti referrentur, cùm inter apparatissimas epulas luxúsque regales ora ac manus proscriptorum recognosceret, cùm vino gravis, sitiret tamen sanguinem. Intolerabile erat, quod ebrius faciebat, etiam si sobrius faceret: quantò intolerabilius, quòd hæc in ipsâ ebrietate faciebat? Ferè violentiam crudelitas sequitur. Violatur enim, exasperatúrque sanitas mentis. Quemadmodum difficiles faciunt oculos diutini morbi, etiam ad minimam radii solis offensionem: Ita ebrietates continuæ efferant animos. Nam cùm sæpe apud se non sint, consuetudine insaniæ durata vitia, vino concepta, etiam sine illo valent. Tam hoc certum, quàm certum picem & resinam, cùm miscentur igni, ardere. Nec opus hîc testibus. Salomon ut testis locupletissimus, & æquissimus judex: *Luxuriosa res vinum*, inquit, *& tumultuosa ebrietas.* En Salomonem cum Alphonso paria sentientem. Iste vini genius est, Libidinem & Furorem suggerere. Unicus nobis pro nube testium Paulus: *Nolite*, inquit, *inebriari vino, in quo est luxuria. Ebrietas fornicationum fons est*, ait Chrysostomus. Augustinus ebrietatem suis planè coloribus depingens, *Ebrietas*, inquit, *flagitiorum omnium mater, omnis luxuriæ soror, naufragium castitatis.* Veritas è tripode: ego nec verbulum addo.

Seneca ibid. Marcum Antonium perdidit ebrietas, & Cleopatræ amor.

Prov. c. 20. vers. 1.

Ephes. cap. 5. vers. 18.

Vide August. tom. 10. serm. 231. mihi p. 376.

§. IV.

5. Ebrietas perfecta, vitiorum

V. *Ebrietas perfecta, vitiorum omnium periculosissimum.* Eam appellamus perfectam, quæ omnem rationis usum adimit. Videte hunc talem hominem, non A hominem sed pecudem extra hominum conditionem omnium positum, Orco vicinissimum. Nam si eum Mors insultu subito invadat (quod multis millibus evênit) quid faciet miser? nec animum ad Deum erigere, nec Dei opem poscere, nec de peccatis dolere, nec velle respicere potest: Omnia in eo sopita, & sensus, & ratio, mortuo simillimus cubat. Ita subitò ad tribunal & ad judicium vocatus, venit imparatissimus, & licet aliis non urgeantur noxis, hac tamen solâ ebrietatis trahitur ad Orcum, quia pœnitentiæ sensus in eo nullus est, nec esse potest. Qui à morte in aliis deprehenduntur vitiis, modò vel brevissimum gemitûs sanctioris spatium obtineant, de admissis culpis dolere queunt, & cælum brevi luctâ diripere, quod ebrii nequeunt, qui nec tempore, nec ratione uti possunt. Hinc ebrietas omnium planè vitiorum multò periculosissimum, & verè letalis, ac mortifera vivi hominis sepultura. Nec rarum est repentè mori: quotidiana hujus generis efferuntur B funera. Quàm crebrò & quàm facilè distillationes suffocantes, apoplexia, lapsus è scalis, casus ex equo, aut ex alto, letale vulnus, glans æneæ fistulæ, pectoris oppressio, animæ intercluso, gulæ obstructio, morbi repentini cujuscunque irruptio hominem ex inopinato sternit, mittitque ad judicem. Mille ad nos patent aditus morti. Quot pori corporis, tot ostiola Mortis, per quæ irruens subito nos aggressu dejicit. Ebrium sic finire, est æternùm interire. Pessima in alium Orbem comes Ebrietas. Viatorem in viâ jugulat ut latro. Quapropter clamat, & monet Christus: *Attendite vobis, ne forte graventur corda vestra in crapulâ & ebrietate, & superveniat in vos repentina dies illa.* Attendite, ut non tantùm non data opera rationem vino obruatis, sed nec in ullius gratiam, æquam bibendi metam excedatis. Quid bibis miser, ut alteri placeas, & ipse tibi noceas? Nemo sic tibi volet placere, ut ipsius vicem ad cælum eas, & illum tuam vicem ad inferos mittas. Stultissimus placendi furor est, Deum offendere, ne displiceas homini; crapulâ se mergere, ne quisquam possit objicere: Non respondisti. Nec cuiquam patrocinatur illud sacræ paginæ: *Biberúntque & inebriati sunt cum eo*: Ebrietas & lætitia Hebræis idem sunt. Josephi fratres quantum satietis erat, biberunt, non ultra primum satietatis atque hilaritatis craterem progressi. Ita sæpius divini codices loquuntur. Salomon in sacro carmine: *Comedite amici, & bibite*, inquit, *& inebriamini charissimi.* Naturam respuentem cogere, & plusquam sitias, adhibere, furiosum nefas est. Ubi ebrietas, ibi letalis noxa, & omnis vitiorum turba.

Ebrietas perfecta, vitiorum omnium periculosissimum.

Luc. cap. 21. vers. 34.

Gen. c. 43. vers. 34.

Cant. cap. 5. vers. 1.

Proclamat Salomon: *Cui væ, cujus patri væ, cui rixæ, cui foveæ, cui sine causâ vulnera, cui suffusio oculorum?* Chaldæus interpres addit, cui congeries malorum? *Nónne his, qui commorantur in vino, & student calicibus epotandis?* Idcirco Chrysostomus multa paucis complexus: *Vini*, ait, *largior usus infinitorum causa malorum est.* Quàm igitur illud Alphonsi verum: Libidinem, & furorem ebrietatis esse filias. Et quid à Christi monitis dici possit gravius, quàm quod dixit Ambrosius: *Ebrietas fomentum libidinis, incentivum insaniæ, venenum sapientiæ, accendit cupiditates, inflammat libidinem, animum capit, mentem submit, sensum extorquet: in quod facinus non præcipitat ebrietas?* Quàm igitur jure merito monens & hortatus Christus: *Attendite*, inquit, *attendite.* Cui jucunda cæli jactura est, ad eam facillimè pertinget ebrietate. Ad omnes spectat illud Christiani præconis: *Sobrii estote, & vigilate.*

Prov. c. 23. vers. 29. & 30.

Hom. 3. de Genes.

Ambros. lib. de Abrahamo cap. 5. num. 44. pag. 170. & lib. de Elia & jejun. cap. 12. num. 44. pag. 330.

1. Pet. cap. 5. vers. 8.

CAPVT

CAPVT XV.

Apud Iosephum fratrem perorat Iudas, & suam fratrúmque culpam fatetur. Ita demum omnia in lucem eruuntur. Nihil opertum quod non reveletur.

Gen. c. 44. vers. 1. PRæcipit autem Ioseph dispensatori domus suæ, dicens: Imple saccos eorum frumento, quantum possunt capere, & pone pecuniam singulorum in summitate sacci. Scyphum autem meum argenteum, & pretium, quod dedit, tritici, pone in ore sacci junioris. Factumque est ita, & orto mane dimissi sunt cum asinis suis. Iámque urbem exierant: & processerant paullulum. Tunc Ioseph accersito dispensatore domûs: Surge, inquit, persequere viros, & apprehensis dicito: Quare reddidistis malum pro bono? Scyphus, quem furati estis, ipse est, in quo bibit dominus meus, & in quo augurari solet: pessimam rem fecistis. B Fecit ille ut jusserat. Et apprehensis per ordinem locutus est. Qui respondérunt: Quare sic loquitur dominus noster, ut servi tui tantum flagitii commiserint: Pecuniam, quam invenimus in summitate saccorum, reportavimus ad te de terrâ Chanaan: & quomodo consequens est, ut furati simus de domo domini tui aurum vel argentum? Apud quemcunque inventum fuerit servorum tuorum, quod quæris, moriatur, & nos erimus servi domini nostri. Qui dixit eis: Fiat juxta vestram sententiam: apud quemcunque fuerit inventum, ipse sit servus meus, vos autem eritis innoxii. Itaque festinatò deponentes in terram saccos, aperuerunt singuli. Quos scrutatus incipiens à majore, usque ad minimum, invenit scyphum in sacco Benjamin. At illi scissis vestibus, oneratísq; rursum asinis, reversi sunt in oppidum. Primúsque Iudas cum fratribus ingressus est ad Ioseph (necdum enim de loco abierat) omnésque pariter ante eum in terram corruerunt. Quibus ille ait: Cur sic agere voluistis? an ignoratis quòd non sit similis mihi in augurandi scientiâ? Cui Iudas: Quid respondebimus, inquit, domino meo? vel quid loquemur, aut justè poterimus obtendere? Deus invênit iniquitatem servorum tuorum: en omnes servi sumus domini mei, & nos, & apud quem inventus est scyphus. Respondit q, Ioseph: Absit à me ut sic agam: qui furatus est scyphum, ipse sit servus meus; vos autem abite liberi ad patrem vestrum. Accedens autem propiùs Iudas confidenter ait: Oro, domine mi, loquatur servus tuus verbum in auribus tuis, & ne irascaris famulo tuo; tu es enim post Pharaonem dominus meus. Interrogasti priùs servos tuos: Habetis patrem aut fratrem? Et nos respondimus tibi domino meo: Est nobis pater senex & puer parvulus, qui in senectute illius natus est, cujus uterinus frater mortuus est: & ipsum solum habet mater sua, pater verò tenerè diligit eum. Dixistiq; servis tuis: Adducite eum ad me & ponam oculos meos super illum. Suggessimus domino meo: Non potest puer relinquere patrem suum: si enim illum dimiserit, morietur: Et dixisti servis tuis: Nisi venerit frater vester minimus vobiscum, non videbitis ampliùs faciem meam. Cùm ergo ascendissemus ad famulum tuum, patrem nostrum, narravimus ei omnia, quæ locutus est dominus meus. Et dixit pater noster. Revertimini, & emite nobis parum tritici. Cui diximus: Ire non possumus; si frater noster minimus descenderit nobiscum, proficiscemur simul: alioquin illo absente non audemus videre faciem viri. Ad quæ ille respondit: Vos scitis, quòd duos genuerit mihi uxor mea, egressus est unus, & dixistis: Bestia devoravit eum, & hucusque non comparet; si tuleritis & istum, & ei aliquid in viâ contigerit, deducetis canos meos cum mœrore ad inferos. Igitur si intravero ad servum tuum patrem nostrum, & puer defuerit (cùm anima illius ex hujus animâ dependeat) videritque eum non esse nobiscum, morietur, & deducent famuli tui canos ejus cum dolore ad inferos. Ego propriè servus tuus sim, qui in meam hunc recepi fidem, & spopondi dicens: Nisi reduxero eum, peccati reus ero in patrem meum omni tempore. Manebo itaque servus tuus pro puero in ministerio domini mei, & puer ascendat cum fratribus suis. Non enim possum redire A *ad patrem meum absente puero: ne calamitatis, quæ oppressura est patrem meum, testis astistam.*

Finitis epulis Josephus œconomo præcipiens: Singulorum saccos, inquit, frumento imple ad summum, & unà pecunias repone. At scyphum meum argenteum in sacco minimi natu absconde. Dictum factum. Ita mane postero abierunt: iámque urbem egressi perrexerant, cùm Joseph accersito œconomo: Mox, inquit, abeuntes illos Hebræos insequere, & opprobrans interroga: Cur malefactis beneficia repêdere studuistis? è scypho, quem furati estis, dominus meus & bibere, & augurari solet. Improbissimum facinus commisistis. Fecit, dixitque œconomus quod fuerat jussus. At illi: Cur dominо nostro, inquiunt, sic loqui placet, servos tuos tantum admisisse scelèris? Pecuniam in saccis inventam reportavimus è Chanaan, quomodo igitur è domo alienâ aureû quid vel argenteum furemur? Interficiatur ille apud quemcunque inventum fuerit, quod quæris, nos ceteri in servitutem rapiamur. Quibus œconomus: Fiat omninò, ait, quod ipsi in vos decernitis: Imò & minis agemus vobiscum. Apud quemcunque deprehensum fuerit furtum, sit servus meus, vobis aliis impunè ferentibus. Igitur frumentariis saccis quamprimum depositis, œconomus scrutari cœpit, initio sumpto à fratre natu maximo ad minimum. Ita demum scyphus in sacco Benjamini repertus. At illi ritu patrio diloricatis vestibus reverterunt in urbem. Et mox sistentes sese Josepho proni corruerunt omnes in terram, cúmque adoratunt. At Joseph iram simulans: Quæ, inquit, hæc vestra est protervia? Num ignoratis, quod in arte augurandi similis mei non sit? Ita epulum à me vobis præbitum pensatis furto? Hîc Judas ceteris cordatior: Quid respondebimus, inquit, domino meo, aut quod nomen huic culpæ prætexemus? *Invenit Deus iniquitatem servorum*, en omnes domino nostro servientes, & nos & apud quem inventus est scyphus: Cui promptè Joseph: Absit hoc à me, inquit, ut C sic agam, sed ille ipse qui scyphum est furatus, sit meus servus: Vos alii abite liberi ad patrem vestrum. At Judas de capite agi ratus, resumpto ad dicêdum animo, accessit propiùs, & exstimulatâ confidentiâ: Oro, inquit, & obtestor, mi domine, liceat servo tuo, quod in rem est proloqui: ne famulo tuo indigneris necessaria dicturo; te meum à Pharaone dominû jure veneror. Interrogasti nuper servos tuos de parente & fratre nostro. Respondimus, quod res erat, parentem jam senem etiamnum esse superstitem cum fratre parvulo, cujus uterinus frater obierit; illum autem parvulum parentibus unicè charum in deliciis haberi. Mox imperatum nobis, ut eum huc adduceremus, non minus charum hîc futurum. At nos domino nostro celare non debuimus, filium à parente abstrahi non posse sine letali parentis luctu. Hîc jussi sumus aut non redire sub oculos domini nostri, aut redire cum fratre parvulo. Cùm ergo rediissemus ad patrem, hæc ei omnia exposuimus, graviter attestati, redire in D Ægyptum nobis penitus negatum, nisi nobiscum redeat minimus natu frater. Quibus pater: Vos, ajebas, duos mihi filios solatio natos non ignoratis, unum laceravit bellua, nec de illo hactenus quidquam auditum: si & hunc à me violenter abstraxeritis forsan non reddendum, canos meos ad tumulum pertrahetis. Si ergo rediero ad famulum tuum parentem nostrum, & abfuerit parvulus, quem ut animam suam amat, morietur luctu, nósque causſa erimus præcipitati funeris. Ego, Domine, servus tuus ero, qui eum in fidem meam recepi, & spopondi, peccati me reum fore in patrem meum omni tempore, nisi à me reducatur. Ego itaque manebo domini mei servus ad omne obsequium paratissimus, modò hic adolescens redeat ad parentem. Ego certè nullo modo reverti possum ad patrem meum absente hoc ejus filio, ne mœroris, qui patrem meum conficiet, assistam testis. E dictis manipulos colligamus.

scyphus argenteus imponitur sacco Benjamin.

Furti incusantur,

A Josepho objurgantur,

Et Benjaminum servum vult habere.

Judæ pro eo deprecátio.

Séque ejus loco servũ exhibet.

Quinque manipuli, seu monẽta:

1. Innocentia premitur, non opprimitur.

I. *Innocentia premitur, non opprimitur.* Ruben olim ceteris se acriter opposuit, dissuasitque tam dirum in fratrem facinus. Benjamin penitus non interfuit, nec consilii tam immitis, nec facti particeps; nihilominus cum ceteris mœrore premitur & angustiis. Sed denique in lucem emersit utriusque innocentia.

2. Maxima bonæ conscientiæ fiducia.

II. *Maxima bonæ Conscientiæ fiducia.* Nullus è Josephi fratribus sibi conscius fuit subtracti cyphi, ideo promptissimi aperuerunt saccos, servituti ac morti se offerentes, si quis ipsorum deprehendatur reus. Hanc dicendi & agendi libertatem atque audaciam illis suggessit conscientia.

3. Quisque in sua caussâ eloquēs.

III. *Quisque in suâ caussâ eloquens.* Animosâ & longâ oratione Judas tam suam quàm fratrum suorum caussam egit. Nec tamen modestiæ ac submissionis oblitus. *Gen. c. 44. vers. 16.* *Quid respondebimus,* inquit, *domino meo, vel quid loquemur, aut justè poterimus defendere?* convicti sumus, habes fatentes reos. Et quia putabat suam suorúmque vitam in extremâ tegula stare, naturalem Rhetoricam omnem exprompsit, nam & innocentiam copiosiùs propugnavit.

4. Excusatio plerumque philautiâ, seu amorē sui olet. *Gen. c. 44. vers. 22.*

IV. *Excusatio plerumque philautiam, seu amorem sui olet.* Dixerat Josepho Judas frater nondum pro noto habitus: *Non potest puer relinquere patrem suum: si enim illum dimiserit, morietur.* Bona, non adeò virilis, aut nervosa excusatio. Excusare omnem culpam à primis parentibus didicimus. Inde cuivis nostrûm promptissimum est errores quoscunque honesto nomine velare.

5. Veritas temporis filia. *Gen. c. 44. vers. 16.*

V. *Veritas Temporis filia.* Omnia in lucem emergunt tempore. *Deus,* ait Judas, *invênit iniquitatem servorum tuorum.* Geminam hîc veritatem prompsit, etsi id nesciret. Ille quidem locutus est de scypho: At Deus hoc eum loqui voluit de facinore in fratrem ante viginti tres annos commisso. Verè Deus iniquitatem nostram omnem invênit. Secreta & arcana omnia in apertum protrahit Tempus. Nihil nimis abditum & abstrusum Tempori lentè indaganti. Quod multis sæculis latebat, demum ad solem & in conspectum eruitur à Tempore. Quod hoc capite fusius prosequemur.

Secreta omnia in apertum protrahit tempus.

§. 1.

Matth. c. 10. vers. 26. Luc. cap. 12. vers. 2. Eccles. c. 10. vers. ult. Luc. c. 19. vers. 40.

VOx Domini est, *Nihil opertum, quod non revelabitur, neque absconditum quod non sciatur.* Monet Ecclesiastes: *In cogitatione tuâ regi ne detrahas, & in secreto cubiculi tui ne maledixeris diviti, quia & aves portabunt vocem tuam.* Christus Pharisæis postulantibus, ut discipulis importunum silentium imperaret: *Dico vobis,* inquit, *quia si hi tacuerint, lapides clamabunt.* Belgis adagium est: Corvi delictum prodent. Hinc & *Ibyci grues.* Ibycus poëta oriundus ex urbe Rhegio, in latronum insidias delatus, unicè rogavit vitæ gratiam. Sed frustra tunc preces. Ergo grues fortè fortunâ prætervolantes tam immanis latrocinii testes invocavit, præbuitque jugulum sicariis: Videbatur facinus haud unquam facilè in lucem emersurum. Sed emersit tandem. Nam cùm illi ipsi homines facinorosi considerent in foro Corinthi, grues prætervolarunt; at illi joco alter ad alterum: En Ibyci grues. Excepta vox est, accessitque facinoris suspicio, quam diuturna Ibyci absentia, non leviter auxit. Interrogati de dicto expalluerunt ore, hæsitarunt linguâ, verbis titubarunt, quid apprimè respondarent dubitarunt. Ita capti, torti, rem fassi, demum ducti sunt. Idem evenit Besso. *Nil opertum quod non revelabitur.*

A gruibus Ibyci poëtæ cædes detegitur:

Plutarch. t. 2. Moral. de serâ vind. Num. ante med. mihi pag. 184.

Plutarchus de serâ Numinis vindictâ memorans. Bessus occidit patrem, inquit, & propitium tempus diutissimè celavit facinus. Fuit ut Bessus foris cenaret, & cùm fortè hirundinum nidos conspicaretur, perticâ eos decuteret, & decussos obtereret pede. Non defuerunt, qui volucrum involucrium miserti dicerent, &, ut assolet, interrogarent: Quid aviculæ insontes tam crudeli pede jugulantur? Ad quæ Bessus: Hæ nequam aves, jam pridem mentitæ sunt occisum à me patrem. Multos hoc dictum advertit, qui suspicionem non inanem detulerunt ad aures regias. Indagatum in auctorem cædis, & compertum à Besso patratum esse parricidium. Re autem certis indiciis compertâ facinus extremo supplicio punitum. *Nihil opertum quod non revelabitur.* Quod confirmans Ambrosius: Quidam Antiochiæ, inquit, comitante cane sub crepusculum vespertinum viâ publicâ incedens à nefario milite prædam inhiante obtruncatus est. Miles antequam dilucularet in abstrusum urbis locum secessit. Jacuit cadaver publicum spectaculum; assedit exululatus canis. Cædis auctor quò magis omnem à se suspicionem amoliretur, turbæ immixtus accurrit, miserationem, fictósque gemitus expromens largiter. Hunc assidens canis ex omni turbâ conspicatus, morsu tenacissimo invasit non dimissurus. Perinde si diceret: Hic est reus, hunc comprehendite. Nec ille crimen negare potuit. Ita canis ultionem persecutus est, qui defensionem præstare non potuit. *Nihil opertum, quod non revelabitur.*

Ambros. l. 1. Hexam. c. 7. Cædes quodam militis per canem detecta.

Hoc ipsum Plutarchus confirmans: Rex Pyrrhus, inquit, cum copiis iter fecerat. Repertum in viâ cadaver, à cui canis assederat, triduo impastus. Rex humari corpus mortui, canem in viam assumi jussit. Aliquanto post tempore cùm delectus militum ageretur, Rex spectator sedit prætorium transeunte milite. Canis ponè regem quietus jacuit velut expers latratûs. At ubi percussores sui domini transire conspicatus est, mox in iras consurgens, horrendum cœpit latrare. Inde repetitis ad regem recursibus, & blandis caudæ motibus caussam sui domini potenter peroravit, & mulcendo, & latrando. Mota regi ceterisque omnibus suspicio. Capti nocentes, fassi scelus, supplicio sunt affecti. Cùm patroni desint innocentiæ, non tantùm canes, sed mortui sine voce loquuntur. *Nihil opertum, quod non revelabitur.*

Aliud item à cane.

Proclus Constantinopolitanus episcopus, Chrysostomi successor, quod annales sacri memorant, die anno, quo Chrysostomus in exilio defunctus pro suggestu ad populum dixit oratione luculentâ & disertâ: Populus eâ dictione inflammatus strepitu ac clamore (pro ævi more ac loci) vehementissimè egit, ut mortuum saltem reciperent, quem non possent vivum. Finiri concio non potuit tot clamoribus turbata. A concione Proclus Theodosium Imperatorem adiit, ac rogavit, vellet, juberétq; Chrysostomum in urbem reduci, ut vel mortuus reciperet sedem, quæ amississet vivum violentiùs expulsum. Non benignus solùm annuit Imperator, sed & ipse venienti obvius prodire instituit. In eam rem religiosissima classis adornata Bosphorum sternebat navibus. Cereorum ac funalium ubique ingens numerus; ardere videbatur mare; cantus sacri exsonabant undique. Imperator corpus sacrum argenteâ thecâ clausum, suo recepit navigio. Dum navale agmen incedit, solennésque ducit pompas, subitò excandescit cælum, & magnis turbinum ac procellarum furiis incumbit in mare; navigia huc illuc disperguntur. Prætoria triremis Theodosii Cæsaris allisu fluctuum ad illum ipsum Callitropæ viduæ agrum impellitur, ad quem Chrysostomus honoris ac vitæ fecit naufragium. Nam cùm aureus hic orator agrum ab Eudoxiâ Imperatrice vi ablatum feriâ oratione sæpius repetiisset, apud Imperatricem in offensâ esse cœpit, ita demum gratiâ omni effusâ in exilium est actus, in eóque diem extremum obiit. Ad illum igitur agrum Imperatoria navis, in quâ Chrysostomi corpus, ejecta est, perinde ac si Chrysostomus jam defunctus diceret: Hic ager est, hic est, qui me sede pontificiâ expulit; hunc agrum Eudoxia vi attraxit; hic est. Mox iterum serenavit cælum, in ordinem redierunt collectæ naves, pompa solennis instaurata, sic in urbem introductus Chrysostomus. *Nihil opertum, quod non revelabitur.* Obsecro, igitur non præcipitemus; nondum dierum omnium soles occubuerunt. Quod etiámnum opertum

Vitæ ac honesti Chrysostomi narratio cum denegatâ

latet, revelabitur suo tempore. Expectemus æquo animo: Inveniet Deus iniquitatem vel totis sæculis sepultam.

§. II.

Vitruvius præfat. in lib. 7.

REx Ptolemæus, teste Vitruvio, nobilissimam Alexandriæ bibliothecam instruxit, ex omnibus undique melioribus scriptoribus quàm accuratissimè conquisitis. Ad finem eruditi laboris ludos Musis & Apollini celebravit, athletis, gladiatoribus, poëtis, scriptoribus ac recitatoribus diversis; si qui alios vicissent, præmia decrevit. Sex in eam rem lecti judices, septimus huic muneri ex asse aptus inveniri non potuit. Occurrit tamen ad id muneris adsciscere, qui bibliothecam curarent, & ex iis præcipuè Aristophanem, qui noctes & dies illic inter libros helluabatur, judicis officio insigniter videbatur functurus. Placuit consilium: in judicem adlectus est Aristophanes. Poëtæ recitarunt primi. Judices ceteri hoc maximè probarunt, quod populus ore, B oculis, manu, nutibus sibi plurimùm placere monstravit. Ita sex judices ei, qui plebi mirificè visus est placuisse, primum præmium concordi calculo adjudicarunt. At Aristophanes ab omnium sententiis diversus ei censuit deferendam palmam, qui populo minimè placuisset. Rege, ceterisque omnibus indignantibus, assurrexit Aristophanes, & modestè veniam dicendi rogans: Unus ex his, inquit, poëta est; ceteri omnes recitarunt non sua, plumis alienis superbientes corniculæ. Rex dubitabat, judices abnuebant, populus mirabatur, at ille illustri pollens memoriâ mox acervum codicum è bibliothecâ jussit proferri, & signatis tabulis facturus fidem: Hoc iste, ajebat, ex illo poëtâ sublegit; illius scriptio ex hoc auctore est; hic autem ex isto transcripsit; porrò ille, hæc & hæc pro suis vendidit, prolatisque scriptoribus, lectisque singulorum versibus ita eos convicit, ut fateri cogerentur; res oculis poterat judicari. Rebus tam evidenter in conspectu positis Aristophanes amplissimè C muneratus, in primum bibliothecæ præfectum electus est. En quàm pulchrè revelentur operta!

Niceph. l. 16. histor. Eccles. cap. 18. mihi p. 445. Sev. Flavian. Flaviani in episcopum electio illusa;

Sed redeamus Constantinopolim. Acacio Pontifici Constantinopolitano mortuo successit, quod Nicephorus memorat, Flavianus, homo parum Catholicus, dolis tam instructus, quàm ad audendum projectus. Zeno Imperator subveritus ne Pontificis electores in subrogando præsule novo, gratiæ aliquid, aut affectui darent, geminas signatasque schedas aræ imposuit eo discrimine, ut altera quidem charta virgo esset, sine ullis litteris, ab omni atramento intacta; altera libellus supplex esset, qui rogaret Deum, veller, juberétque ab Angelo nomen illius Pontificis inscribi, qui divinis oculis maximè probaretur. In eam rem preces, & quadragintadiale jejunium indictum est. Flavianus vir audax & vafer, summum Templi custodem, qui unà etiam cubiculo Cæsareo præfectus erat, magnâ vi auri corrupit, & D hoc unum petiit, suum nomen virgini chartæ inscriberet, & signo Cæsaris denuo consignaret. Facundum est aurum, & facilè quidvis persuadet. Factum est, quod improbè Flavianus petiit. Interim quadraginta dies jejuniis exacti, litteræ solennibus ceremoniis resolutæ, Flaviani presbyteri nomen inventum, Flavianus applausu magno in præsulem electus, pedo & mitrâ ornatus, in sublime solium elatus est. At Deus, cujus providentia in sui dispositione non fallitur, sceleratum hoc arcanum in lucem protraxit, & operta revelavit. Elapsis quatuor mensibus morte repentinâ Flavianus est sublatus. Argentarii pecuniam, Flaviano commodatam, ab hæredibus rigidiùs exigebant. Illi cum crebrioribus ejusmodi postulatis fatigarentur, Zenonem Imperatorem enixissimè rogarunt, tueretur sese ab importunis exactoribus; unà etiam Flaviani furtivum facinus narratione arcanâ detexerunt. Territus Imperator hominem pecuniâ cor-

Plauto, Trapezita.

A ruptum jussit interfici, æs alienum dissolvit è suo, & Episcopis liberam permisit eligendi potestatem. *Nihil opertum*, nihil, nihil, *quod non reveletur*; *nihil occultum, quod non sciatur.*

Jucundum scitu est, quod idem Nicephorus commemorat. Arcadius Imperator Marutham Antistitem ad regem Persarum Isdigerdem misit. Maruthas regis filium à malo dæmone insessum, regem ipsum Cephalæâ, seu, diuturno capitis dolore liberavit, quod magi regii nullo poterant conatu. Cùm autem Episcopo eam ob rem magnus adhiberetur honos, verebantur sacrificuli & magi, ne rex Christianam disciplinam complecteretur, fraudulentam sed stolidam vafritiem commenti. Rex Isdigerdes ignem æternum, qui Persarum Deus est, aluit & sæpe adoravit. Illi postquam locum exercendo dolo cavarunt, in hypogæum illud submiserunt hominem, qui per oblongam fundinem vocem, velut oracultum ederet ad regis aures deferendum. Oraculi effatum hoc erat: Exitium imminere regi, nisi Christianum Episcopum osorem Deorum occidat aut dimittat. Rex, ne minus obediens videri posset, Antistitem à se amoliri cogitavit. Maruthas, hoc cognito, regem de sacrificulorum dolis erudiit, rogavitque fodi juberet, eò loci, unde vox emergeret. Ita oraculi origo, latens ille Deus inventus est, & ob fraudem factam occisus. Nec ceteris omnino parsum, quorum decimus quisque jugulum præbuit securi. Dum autem rex deliberat, num Christiana sacra suscipiat, fato concedit. Nihil opertum, quod non reveletur, occulta omnia suo tempore sciuntur.

Nicephl. l. 14. hist. Eccles. cap. 18. mihi pag. 313.

§. III.

VEritas temporis filia, in lucem protrahit, quæ multis sæculis, latuerunt. Et quamdiu Cyrum regem ipsius sacrificuli astu securo fefellerunt? Mentiebantur nebulones splendidissimè quidquid eduliorum & potionum offerretur in sacrificium, à Deo Bel absumi. Ita diebus singulis huic voracissimo Deo liberalissimè esculenta & poculenta ministrabantur: duodecim modii similæ, oves quadraginta, & sex amphoræ vini. Lautum profectò prandium pro Deo mortuo. Rex stultè credulus putavit ea omnia consumi à Bel, id enim persuadere visus Danieli: *Non videtur tibi*, inquit, *esse Bel videns Deus: an non vides, quanta comedat, & bibat?* Ad quæ subridens Daniel: *Ne erres, rex*, inquit, luteus & æreus hic truncus nec comedit, nec bibit. Et excandescens rex accitis ad se Sacerdotibus: Moriendum est vobis, ait, nisi fateamini, quis tantum cibi & potûs absumat. Sin autem à Bel ista consumi monstraveritis, Daniel contemptum Numinis luet capite. Assensus in pacta Daniel. Belis autem Sacerdotum septuaginta erant præter liberos & uxores, qui regem antiquis offuciis deludere conati: En, inquiunt, ponatur Beli consueta cena; nos foràs egrediemur omnes, claudatur ostium, & annulo regio consignetur, nisi manè omnia Bel comesta reperiantur, nos fraudem luemus morte. Hanc illis loquendi audaciam suggerebant abditi & furtivi sub terrâ meatus, cæcúmque ostiolum, per quod in templum noctu irrepserant, & apposita vel devorabant, vel asportabant. Illis igitur egressis posita est Beli consueta mensa. At Daniel adferri mox cribrum, & per omne templum cinerem spargi præcepit spectante Rege, ita obseratum est templum, ostiumque regis annulo signatum. Nocte intempestâ Sacerdotes cum uxoribus & liberis veluti ad paratum epulum adrepserunt, edentes & bibentes affatim. Primo mane cum Daniele rex adfuit, qui ubi vidisset signa minimè violata, & mensam cibis vacuam, exclamavit: Bel magnus Deus! Subridens Daniel: Nemo ultra, inquit, pedem proferat; lubeat hoc loci consistere. Hîc jam regum optime pavimentum intuere, & quorum hęc vestigia sint, considera. Rex admiratione & excandescentiâ mixtis: Cerno, inquit, virorum, mulierum

Fallacia sacrificulorũ Cyri.

Artaba.

Dan. c. 14. v. 5. & segq.

& parvulorum vestigia. Deprehensis ergo fraudibus coacti sunt miseri ostiola furtiva pandere. Mendacissimæ religionis convicti supplicio extremo sunt affecti. Patuerunt tandem, quæ diu tegebantur ostiola furtiva: sol demum detexit abditos sub terrâ cuniculos; & helluationes nocturnas in lucem prorraxit tempus. *Nihil opertum, quod non reveletur; neque occultum, quod non sciatur,* modò nos possimus præstolari suum cuique rei destinatum tempus.

Fratrum Josephi invidia.

Poterant Josephi fratres facinus suum annis viginti tribus contegere; oblitus videbatur Deus tam truculentæ invidiæ, jam pridem extinctum omne hoc crimen concidisse putabatur; vix ullus erat, qui Josephum refoderet; ex oculis, ex animo apud plerosque eviluerat. Invenit tandem Deus iniquitatem servorum suorum: hoc ipsimet demum fassi, quamvis nescii. Qui tegit nequitiam, cogitet vindictam, quantumvis seram; differt & cunctatur? credat se nondum patibulo, nondum Orco maturum. Furem, qui jam ematuruit, vel claudus lictor fugientem assequitur. Multi hauriuntur fluctibus marinis, glutit illos Oceanus & absorbet, suo tamen tempore hos ipsos evomens reddit, & rem suam terræ non negat. Nequam duo senes alienæ pudicitiæ subsessores, subtilissimum texuerunt filum, ut Susannam lapidibus obruendam evincerent, sed patuit demum tragicus, impurissimus dolus. Ananias & Saphira callidè & obscurè rem suam egerunt; fraus denique detecta est, & rigidè punita. Nil occultum, quod non sciatur. Tandem omnia suo quævis tempore ad solis tribunal educuntur. Interea temporis toleremus, & perferamus vel iniquissima quæque; veniet qui operta hæc revelet, qui judicet, dies. Erunt sua vitiis supplicia, erunt & sua virtuti præmia. Veritas temporis filia ad solem ducit omnia.

Impurus duorum senum dolus erga Susannam. Ananiæ & Saphiræ fraus & furtum.

CAPVT XVI.

Iosephus se noscendam aperit, & injuriis omnibus sepultus fratres suos amantissimè complectitur. Christiana generositas inimicos & veniâ & beneficiis prosequitur.

Gen. cap. 45. v. 1. ad 25.

NOn se poterat ultro cohibere Ioseph multis coram adstantibus: unde præcepit, ut egrederentur cuncti foràs, & nullus interesset alienus agnitioni mutuæ: Elevavitq; vocem cum fletu, quam audierunt Ægyptii, omnisq; domus Pharaonis. Et dixit fratribus suis: Ego sum Ioseph: adhuc pater meus vivit? Non poterant respondere fratres nimio terrore perterriti. Ad quos ille clementer: Accedite, inquit, ad me. Et cùm accessissent prope: Ego sum, ait, Ioseph frater vester, quem vendidistis in Ægyptum. Nolite pavere, neque vobis durum esse videatur, quod vendidistis me in istis regionibus: pro salute enim vestrâ misit me Deus ante vos in Ægyptum. Biennium est enim, quòd cœpit fames esse in terrâ, & adhuc quinque anni restant, quibus nec arari poterit, nec meti. Præmisitq; me Deus, ut reservemini super terram, & escas ad vivendum habere possitis. Non vestro consilio, sed Dei voluntate huc missus sum: qui fecit me quasi patrem Pharaonis, & dominum universæ domûs ejus, ac principem in omni terrâ Ægypti. Festinate & ascendite ad patrem meum, & dicetis ei: Hæc mandat filius tuus Ioseph: Deus fecit me dominum universæ terræ Ægypti, descende ad me, ne moreris. Et habitabis in terrâ Gessen, erisq; juxta me tu, & filii tui, & filii filiorum tuorum, oves tuæ & armenta tua, & universa, quæ possides. Ibiq; te pascam (adhuc enim quinque anni residui sunt famis) ne & tu pereas, & domus tua, & omnia quæ possides. En oculi vestri, & oculi fratris mei Benjamin vident, quod os meum loquatur ad vos. Nuntiate patri meo universam gloriam meam, & cuncta, quæ vidistis in Ægypto: festinate, & adducite eum ad me. Cúmque amplexatus recidisset in collum Benjamin fratris sui, flevit, illo quoque flente super collum ejus. Osculatúsque est Ioseph omnes fratres suos, & ploravit super singulos: post quæ ausi sunt loqui ad eum. Auditúmque est, & celebri sermone vulgatum in aulâ regis: Venerunt fratres Ioseph, & gavisus est Pharao, atque omnis familia ejus. Dixitq; ad Ioseph, ut imperaret fratribus suis, dicens: Onerantes jumenta, ite in terram Chanaan, & tollite inde patrem vestrum, & cognationem, & venite ad me: & ego dabo vobis omnia bona Ægypti, ut comedatis medullam terræ. Præcipe etiam ut tollant plaustra de terrâ Ægypti ad subvectionem parvulorum suorum ac conjugum; & dicito: Tollite patrem vestrum, & properate quantocyus venientes. Nec dimittatis quidquam de supellectili vestrâ, quia omnes opes Ægypti vestræ erunt. Fecerúntque filii Israël, ut eis mandatum fuerat. Quibus dedit Ioseph plaustra secundùm Pharaonis imperium: & cibaria in itinere. Singulis quoque proferri jussit binas stolas: Benjamin verò trecentos argenteos cum quinque stolis optimis. Tantundem pecuniæ & vestium mittens patri suo, addens eis asinos decem, qui subveherent ex omnibus divitiis Ægypti, & totidem asinas, triticum in itinere panésque portantes. Dimisit ergo fratres suos: & proficiscentibus ait: Ne iratscamini in viâ.

Postquam Judas Josephi frater anxiâ prorsus eloquentiâ causam suam peroraverat. Non potuit ultra se Joseph cohibere, sed lacrymis & affectibus inter se certantibus facessere jussit è loco arbitros omnes, soliúsque fratribus retentis, in lacrymas simul & gestientem vocem erumpens: Ego, inquit, ego sum Joseph frater vester. Num adhuc pater meus vivit? Attoniti ad hanc vocem fratres, nec verbulum mutire poterant. Mox iterum humanissimè Joseph: Accedite, inquit, ad me. Accesserunt. Ad quos denuo: Ego, inquit, frater vester sum Joseph, ille ipse, quem vos vendidistis in Ægyptum. Mittite pavorem animis: non vos torqueat, me à vobis venditum esse Ægyptiis. Deus me in vestrum bonum præmisit in Ægyptum. Jam biennium est, quòd fames terras cœperit depopulari; supereſt quinquennium, quo nec arari poterit, nec meti. Idcirco me providentissimus Deus prodromum vestrum huc misit, ut vita vobis servaretur à fame defensis. Non vestro consilio, sed Dei voluntate huc missus sum. Videte potentiam divinam, quæ me Pharaonis pæne patrem, totius palatinæ domûs dominum, Ægypti principem constituit. Festinate, & ad patrem meum quamprimum redite, illiúque nomine meo dicite: Joseph filius tuus vivit, Ægypti universæ dominus, mandátque ut sine morâ descendas ad ipsum. Habitabis terram Gessen, erisque juxta me tam tu, quàm filii tui, tui nepotes, omne tuum pecus, omnésque facultates tuæ. Hoc loco te pascam, nam anni quinque famis etiamnum restant superandi. Illa te tuáque omnia consumeret, si solum non mutares. En oculi vestri, & oculi fratris mei Benjamin vident, quod os meum, & cor meum ad vos loquatur. Nuntiate igitur patri meo universam gloriam meam, & quidquid ipsi oculis in Ægypto cernitis. Properate, & meum ad me parentem adducite. Quibus dictis singulos suavissimè complexus est. Cúmque in Benjamini collum rueret, flevit largiter, non minùs flente Benjamino. Ita ceteros fratrum complexus Joseph & osculatus omnes ordine, singulos suis perfudit lacrymis. Mox per omnem Pharaonis aulam fama est didita, venisse fratres Joseph. Ad hanc auditionem gavisus est Pharao, & omnis palatina familia. Et ut rex suum testaretur gaudium, promptâ liberalitate ad Josephum: Manda, inquit, tuis fratribus, ut quamprimum reversi in Chanaan, vestrum parentem, & omnem secum cognationem huc ducant. Mecum eos esse volo, & regni mei divitiis frui: *Ego dabo vobis omnia bona Ægypti, ut comedatis medullam terræ.* In eam rem hinc plaustra secum accipiant ad conjugum & liberorum vecturas. Huc etiam omnem suam convehant supellectilem, *nam omnes opes Ægypti vestræ erunt.* Factum quod imperatum. Josephus & plaustra & alimenta in viam addidit, prout rex jusserat. Singulis præterea suorum fratrum geminam

Josephi lacryma & affectus.

Se eorum fratrem declarat.

Patrem ut Ægyptum evocat,

Terram Gessen habitaturus suæ assignat,

Adventum fratrum Josephi Pharaoni defertur, & in Ægyptum parentem cum cognatione venire mandat.

Plaustra & alimenta dantur.

gemina m vestem, Benjamino autem quinque vestes, quingentos insuper argenteos donavit. Tantundem pecuniæ, ac vestium patri mittens adjunxit decem asinos totidémque asinas oneribus subvehendis. Jamque accinctis ad iter fratribus: *Ne,* inquit, *irascamini in viâ.*

Gen. c.45. vers. 24.

Hîc præceptionum optimarum leges largissima. Cum poëtâ hîc dixerim:

Virgil. lib. 2. Georg. & 1. Æneid.

Non mihi si linguæ centum sint, oráque centum,

satis omnia exposuero. Sed pauculos pro more nostro manipulos colligamus.

Quadruplex motivum:

1. Palatium sine invidiâ prodigium ingens, albo corvo prodigiosius.

I. *Palatium sine invidiâ, prodigium ingens, albo corvo prodigiosius.* Josephi fratribus jam cognitis, gavisus est Pharao atque omnis familia ejus. Hactenus subinde spargebantur susurri clancularii, Josephum hominem exterum, obscuri sanguinis, servum captivum è latebris emersisse subitò. Jam scitur primarii viri esse filium, invidetur, sed gaudetur.

2. Nil dulcius amantium aut lætantium lacrymis.

II. *Nil dulcius amantium aut lætantium lacrymis.* Cùm Josephus larvam, quam prudenter sumpserat, humaniter ac comiter deposuisset, utrimque liberales admodum fusæ sunt lacrymæ, sed lacrymæ amoris, atque gaudii, quæ saccharum decoctionis septimæ, omnémque melleam superant promulsidem. B

3. Regius animus, gratus animus.

III. *Regius animus, gratus animus.* Nec enim generosum pectus quidquam sibi permittit fieri gratis. Rex Pharao Josephi merita non levi trutinâ æstimans, Josephum non solùm Ægypti principem constituit, sed omnem ipsius familiam amplissimè ditavit: Venite ad me, inquit, ego dabo vobis omnia bona Ægypti, ut comedatis medullam terræ; omnes opes Ægypti vestræ erunt. Tam humanus, tam liberalis, tam gratus in famulum suum rex Ægyptius fuit.

4. Generositatis Christianæ culmen est, injurias oblivisci, inimicis benefacere.

IV. *Generositatis Christianæ culmen est, injurias oblivisci, inimicis benefacere.* Josephi fratres plagiarii & parricidæ optimum fratrem in extremas conjecerunt angustias. At ille tam truculentum in se facinus beneficiis est ultus. Hæc nobilitatis Christianæ generositas factum illustre C ac gloriosum est, benefacere inimicis. Atque istud jam explicatiùs, ex ipsa rei gestæ historiâ sub oculos ponemus.

§. I.

1. Documenta.

AMnistiam, seu, generosissimam injuriarum oblivionem compluribus documentis Josephus exhibuit imitandam.

1. Errores fratrum suorum texit. Gen. cap. 45. vers. 1.

I. Errores fratrum suorum texit. Jam enim agnitionem & cõplexus mutuos instituturus, *præcepit ut egrederentur cuncti foràs, & nullus interesset alienus salutationi mutuæ.* Nec enim voluit ullo modo sciri ab Ægyptiis se venditum à fratribus. Hinc de immani hoc facinore in aulâ regiâ nihil innotuit, Josepho peramanter suorum nequitiam celante. Hoc generosum, hoc Christianum est. Si nobis sint hostes, qui variis in nos maleficiis certent, fatuæ sunt querelæ nostræ, si obviis quibuscunque dicamus: Hic capitalis meus hostis, hanc mihi fecit injuriam, D ille istud mali in me machinatus est, sic isti & isti me læserunt. Hoc non est diligere inimicos, eorum nequitias detegere. Hæc talia eorum duntaxat auribus committenda, quorum interest ea scire, qui & juvare possunt. Apud alios dissimulandæ sunt injuriæ. Quomodo Christus Dominus immanissimum Iscariotæ proditoris facinus velavit? Ipsum quidem cogitati sceleris, ut resipisceret, admonuit, detectam sibi proditionem monstravit, ab inauditi criminis immanitate miserum modis omnibus avertere conatus est, moderatione tamen tam suavi, ut id nullus Apostolorum, sed Judas solus intelligeret. Perinde si dixisset Christus: Post paucas quidem horas seipsum proditurus est miser, ego tamen etiamnum illi parcam, nec publicè coram aliis meis discipulis pudefaciam: ipse sibi culpam imputet, si hoc alii rescierint. Chrysostomus non malè morbum appellat hanc effutiendi libidinem, quâ quis alterius probra, defectus, vitia non sine voluptate narrat ac detegit. Os parturiens hîc oppillandum est, ne muriat vel verbulum de alienis sceleribus. Videte Josephi & Christi exempla. Et quantò Joseph suos fratres affecisset pudore, si coram aliis dixisset: Ego sum Joseph, quem vos vendidistis in Ægyptum. Hîc âliis proniissimum fuisset dicere: Itáne? hi homines pecuarii germanum fratrem suum vendiderunt? istine tam immania ausi in tam cognatum sanguinem? Joseph igitur prudentissimè texit suorum in se immanitatem, voluitque eam etiam ob causam ne primæ huic salutationi arbiter ullus interesset. Tegendi sunt aliorum, etiam hostium, nævi.

2. Josephus pæne gratias egit, quòd à fratribus fuisset venditus. Gen. cap. 45. vers. 5.

II. Josephus pæne gratias egit, quòd à frattribus fuisset venditus. *Nolite pavere,* inquit, *neque vobis durum esse videatur, quòd vendidistis me in his regionibus, pro salute enim vestrâ misit me Deus ante vos in Ægyptum.* Est quod agamus gratias divinæ providentiæ. Revereor & nos, si rem ad vivum placeret resecare, idem faceremus, quod sanctorum hominum multi, & ingenuè profiteremur. Hoc os, hæc manus, hæc lingua ad cælestes me honores provexit; magnas ago gratias insanæ hujus hominis nequitiæ, quæ mihi Deum cælitésque conciliavit, quæ viam mihi patefecit ad sublime solium. Ita prorsus Joseph ratiocinatus est. Nisi mei me fratres vendidissent, ut mancipium, nunquam Pharao jussisset principem. Probra, servitus, ignominia, carcer, vexatio plurima, in altum me evexerunt: Injuriæ me bearunt. Proinde non solùm veniam iis impertior, sed & ago gratias his patrociniis licet asperis. Hanc Josephi virtutem laudans Augustinus: *Mirati estis,* inquit, *castitatem Ioseph, aspicite nunc benignitatem; pro odio reddit charitatem.* Eodem elogio Ambrosius: *Iure ergo mirandus Ioseph,* inquit, *qui hoc fecit ante Evangelium, ut læsus parceret, appetitus ignosceret, venditus injuriam non inferret, sed gratiam pro contumeliâ solveret: quòd post Evangelium, omnes didicimus, & servare non possumus. Discamus ergo & sanctorum invidiam, ut imitemur patientiam, & cognoscamus illos non naturæ præstantioris fuisse, sed observationis, nec vitia nescisse, sed emendasse.*

Ambr. to. 4. l. de Ioseph cap. 1. mihi pag. 248. Quem librum & alibi locorum in hac scriptione volumus designatum.

3. Vindicavit se Joseph, sed modo planè novo: 1. Oblivione. Gen. cap. 41. vers. 51. 2. Silentio. Gen. cap. 45. vers. 4. 3. Suspiriis. Ibid. v. 2. 4. Blanditiis. Ibid. v. 4. & 5. 5. Osculis. Ibid. v. 15. 6. Lacrymis. Ibid. 7. Amplexibus. Ibid. v. 14. 8. Beneficiis continuis. Ibid. v. 48.

III. Vindicavit se Joseph, sed modo planè novo: & prorsus Christiano. Vindicavit se oblivione, silentio, suspiriis, blanditiis, osculis, lacrymis, amplexibus, beneficiis. 1. Oblivione; meminisse non vult injuriarum: *Oblivisci me fecit Deus omnium laborum meorum,* dominum me constituit universæ terræ Ægypti. 2. Silentio; ut ab omnibus germanissimus frater agnoscereturi, illud dicti ad jecit (*quem vendidistis*) cetera tacuit omnia. 3. Suspiriis; *Elevavitq; vocem cum fletu, quam audierunt Ægyptii, omnisq; domus Pharaonis.* Alti gemitus, profunda suspiria distinxerunt loquentis voces. 4. Blanditiis; ad quos ille clementer: *Accedite,* inquit, *ad me: Nolite pavere.* Tanquam si pavidos equos demulceret poppysmis. 5. Osculis; *osculatúsque est Ioseph omnes fratres suos.* Et hæc sinceriss- ma oscula dispensavit in singulos pro parricidali odio. 6. Lacrymis; *Et ploravit super singulos.* Non tantùm, non vindicem, sed matrem se gessit adversus cognatos hostes amantissimam. 7. Amplexibus; *Cúmque amplexatus recidisset in collum Benjamin fratris sui, flevit.* Non horruit amplexus eorum, qui ei vitam eripere parabant. 8. Beneficiis continuis. Nam omnes illos illorúmque familias aluit, suisque apud regem promeritis facilè impetravit, ut rex amplissimis pollicitis diceret: *Ego dabo vobis omnia bona Ægypti.* Videte, obsecro, novum injuriæ vindicandæ modum, largissimum benefaciendi animum. Quem Augustinus suspiciens: *Odium fratrum,* inquit, *charitatis lacrymis abluebat.* Sed objicias: Non iste semper est odiorum, & injuriarum exitus. Est sanè, modò nos simus Josephi, vindices injuriarum tam blandi. Non deerit, in orbe certè altero, merces amplissima, tolerantiæ promissa. Sed hæc plerunque languidissimè credimus. Hinc præmii tempus non expecta-

mus, sed præcipites ruimus ad injurias vindicandas. Si sapimus, more ritúque Josephiano nos vindicabimus; oblivione, silentio, suspiritis, blandimentis, lacrymis, amplexibus, beneficiis.

§. II.

4. Divinæ voluntatis decretum suis explicavit.

IV. Divinæ voluntatis decretum suis explicavit. Quis autem, obsecro, prior Josepho Heliotropium, seu divinæ voluntatis arcanum exposuit? Ubi hæc legit, ex quo audiit, quis hæc ipso audiente pro concione disseruit? Et tamen tam apertè, tam nervosè voluntatis supremæ mysterium exponens: *Non vestro consilio*, inquit, *sed Dei voluntate huc missus sum*. Utinam hoc eruditionis Christianæ summarium vel tandem capiamus. Josephum Deus ad summam amplitudinem extolli voluit; vendi autem, falsò accusari, in vincula rapi permisit, non voluit: quia peccata velle non potest. Ita omnis Theologia loquitur. Ita locutus Apostolorum princeps Petrus: *Hunc definito consilio*, inquit, *& præscientiâ Dei traditum per manus iniquorum affligentes interemistis*. Deus, ut crucifigeretur Christus, voluit, decrevit; Judæis autem non præcepit, ut ipsi hoc facerent, sed tamen facturos prævidit & permisit. Hinc Theologorum versiculus:

Gen. c. 45. vers. 8.

Actor. c. 2. vers. 23.

Actio displicuit, passio grata fuit.

Deus est auctor omnium pœnarum & malorum quæ patimur.

Ita Deus auctor est omnium pœnarum & malorum quæ patimur. *Non enim est malum in civitate, quod Dominus non fecerit.* Omnis pœna, omne supplicium à divinâ voluntate est, idque, ut scholæ loquuntur, effectivè, positivè. Exemplo, quod dicimus, monstremus.

Amos cap. 3. vers. 6.

Exemplo monstratur.

Deliquit in bello miles quispiam infelici arbori suspendendus: sed defuit carnifex, qui miserum funi indueret. Expectatum est aliquantulùm, dum fortè fortuna quispiam transiret; transiit è vicino pago rusticus, cui miles gallinas rapuit, & horreum incendit. Ad quem rerum capitalium prætor: Vis, inquit, hunc suspendere? Libentissimè, ait rusticus, capitalem rusticorum hostem, qui meas mihi gallinas rapuit, pecus abegit, date mihi nebulonem, date; de proximâ arbore suspendam. Hoc quidem rusticus animo vindicandi fecit, & peccavit ultionis libidine, eo tamen obsequio satisfactum est justitiæ & ducis voluntati. Ita planè Deus hunc, aut istum, aut illum punire vult seu obtrectationibus, seu rerum jacturis, seu diversis injuriis. Quis autem hæc faciat? Deus ab æterno prævidit homines malevolos hæc ultro ac sponte facturos: ita suo tempore prosiliunt, qui vel famam dictis lacerent, vel damnis afficiant, vel injuriis. Quis infert has pœnas? Deus, sed per hos, aut illos homines malignos, nequam, invidos, quibus ut instrumentis ab æterno prævisis utitur, ad decreta suæ voluntatis exequenda. Hoc sanè quotidianum est. Ita rectissimè Josephus dixit: *Non vestro consilio, sed Dei voluntate huc missus sum.* Divina voluntas fratribus Josephi usa est instrumentis ad Josephum honorandum. Fraterna consilia erant, fratrem jugulare, vendere, in Ægyptum amittere. Sed nisi Deus hæc illorum peccata permisisset, & Josephum his pœnarum ac malorum præludiis exercere voluisset, inanissima fuissent hæc eorum consilia omnia. Dei voluntate igitur, Dei nutu & arbitrio, non humano consilio hæc gesta sunt.

Gen. cap. 45. vers. 8.

5. Pacē suis fratribus imperavit injuriarum omnium immemor.

V. Pacem suis fratribus imperavit injuriarum omnium immemor. Viaticum illis dedit lautissimum, vestes, pecuniam, panes; cibaria, triticum, & viginti dorsuaria jumenta subvehendis oneribus, insuper equos, pilenta, currus, aurigas & famulos; hoc unum adjunxit moniti: *Ne iracamini in viâ*. Hæc Josephi præceptio perfectissimam Amnistiam, seu, laudatissimam injuriarum oblivionem, & animum in fratres mitissimum declaravit. *Ne iracamini*, ait, perinde si diceret: Nescire non possum, mei fratres, quid inter vos futurum in viâ, ni præveniam: Alter alteri culpam impinget, quòd in Ægyptum sim venditus, inde lites orientur & verborum pugnæ. *Ne* igitur *iracamini in viâ*. Ite unanimes, ut fratres decet, & cum parente, quamprimum redite. Quisquis vestrûm me primus voluerit vendi, non refert. Præteritum est; ne revocetur in lucem. Injuriarum omnium jam pridem oblitus sum: earundem & vos velim oblivisci. Ulcus jam persanatum est: non tangamus, ne recrudescat. Oblivione sepeliamus æternâ, quidquid inter nos injuriæ præteriit. Ite, & non iracamini in viâ. Hoc morale fuit à Josepho datum viaticum. Non enim ignoravit Joseph, boni consilii neminem non cupere auctorem dici; cùm malum suggestum est consilium, ab altero in alterum derivari culpam. His discordiis cavendis pacem suis & consensionem Joseph præcipit. Hanc Josephi virtutem Chrysostomus extollens: *Novæ legis philosophiam*, inquit, *tantò antè & perfectè cognovit, & commutatè adimplevit.* Generositatis Christianæ culmen est, injurias oblivisci, inimicis benefacere.

Ibid. v. 24.

Chrysost. hom. 44. in Gen.

Hoc suis è cathedrâ explicavit Constantinopoli Gregorius Nazianzenus: Nam Catholicis sub Valente Imperatore Arriano miserè vexatis & oppressis Theodosius successit, qui restituit rem moderatè ac sanctè imperando. Catholici cùm sibi viderentur respirare, ac superiores jam esse hostibus, par pari reddendum censuerunt, & Arrianos non minùs affligendos. Hic Gregorius pro suggestu: *Non hæc talia*, inquit, *à nobis Christus poscit, nec Evangelium ista nos docet. Mites animis ajtote filii. Cujus animus lenis ac tolerans est, is prudentiâ valet. Præstate illis beneficia, qui vos odio prosequuntur. Quòd si animus in vindictam æstuet, & manus pruriant in adversæ partis subitam ruinam, nec ira frenos ferat, vindicationem omnem, obsecro, Christo ejúsque tribunali permittite: Mea enim ultio*, ait Dominus, *& ego retribuam.* Hæc exhortatio Gregorii.

Deut. c. 32. vers. 35.

Eundem indutus animum Turonensis præsul Martinus Brictium presbyterum calumniatorem, officio movere noluit, etsi potuerit, optimâ ratione hac usus: *Si Christus passus est Iudam, cur ego non Brictium?* Ita & nos ratiocinemur. Si Christus tulit Iscarioten proditorem, cur ego non feram Achatium, Tiburtium, Titium, Servatium, inimicos & calumniatores meos? Logica hæc Christiana, Syllogismus optimus est.

§. III.

Justus ut palma florebit. Palma quidem in sublime crescit, & ad nubes sustollit brachia, petitque cælum, illius tamen fructus dactyli respiciunt terram, & ad ima vergunt, quóque plenior est arbor, eò fructus in terram proniores. Probæ mentis homo in altum se erigit, Deúmque in excelso solio residentem totis brachiis complectitur, eò certè cogitationibus excrescit; nihilominus sese, dimittit ad imbecillitates humanas, tolerat injurias, inimicos beneficiis mactat: omnibus suos veluti fructus offert, alieni sceleris in se comminisci obliviscitur, erigitur ad alta. Josephus, qualis palma, quàm sublimis, quàm in cælum porrecta? Quàm nervosè Dei voluntatem, Providentiam, Bonitatem prædicat: interim fructus suos fratribus suis parricidis porrigit amantissimè, tam opes quàm honores suos cum illis partiturus; injurias omnes leni delet spongiâ, quidquid contra se dictum factúmque est, penitus vult abolitum. Hoc generositatis Christianæ culmen est.

Psal. 91. vers. 13.

Probæ mentis homo se demittit ad imbecillitates humanas.

Hanc injuriarum felicissimam oblivionem phrasi notandâ exprimens Isaias: *Vtinam attendisses*, inquit, *mandata mea, facta fuisset sicut flumen pax tua.* Quid humini cum pace? *sicut flumen*, inquit, *pax tua.* Videte dictionis artificium. Percutiatur aqua baculo, hastâ, gladio, injiciantur saxa, dividetur quidem aqua, & velut vulnerata circulos complures loco cicatricis ostendet, mox tamen iterum coibit sine omni prorsus vulneris signo. *Vtinam* ergo *attendisses mandata mea.* Nam ubi observatio est legis divinæ, hîc vindicari non solent injuriæ,

Isaiæ c. 48. vers. 18.

Injuriæ non solent vindicari ubi est observatio legis divinæ.

riæ, miniatulâ non opprimitur offensæ, non scribit marmore læsus, sed velut aqua ferro aut saxo turbata mox oblitterat plagarum notas, in concordiam redit, oblivionem spondet injuriarum, pax illius sit sicut flumen, quod verberibus nec vulnerari potest, nec efferari. His artificiis inimici expugnantur, ut in amicos transeant. Ars nobilissima longè antestans illi, quæ plumbo nobilitatem auri induit. Quid igitur faciendum? Quæ præceptiones sunt hujus artis?

Vir magni & primi nominis interrogatus, quâ tandem ratione omnium sibi amicitiam conciliaret, nec enim quemquam sciri, qui illum odisse vellet: philtrum igitur quod omnibus propinaret, alios etiam doceret: *Pileo*, inquit, & *marsupio:* Verbo humanus, facto beneficus. Dicamus bona verba, & loculos aliquantulùm mulgeamus in aliorum obsequia, nunquam deerunt amici; omnium in nos benevolentia conspirabit. Querelas plurimorum audias, qui dicunt: Invidentia premimur variè, ab his & his exagitamur, odium apud plerosque omnes adipiscimur. Sæpius, ô boni, vos ipsi horum caussa estis adducto supercilio manúque nimiùm contractâ. Pileus vester plumbeus est, & manus vestra lapidea, vel pumice aridior. Hinc responsa vestra immitia, aspera; vix quidquam opis aut obsequii à vobis sperari potest; crumena vestra pluribus nodis constricta nummos retinet tenacissimè; os vestrum humanitate vacuum lapides non rosas loquitur. Ita nec Pileo, nec Marsupio benevolentiam captatis, nec verbo humani, nec facto benefici. Sed vos ipsi conscientiam vestram interrogate, num in vestro pileo, an in marsupio vestro major sit defectus: nam sunt qui pollent opibus, gratiâ, honoribus, non tamen alienâ fatigantur invidentiâ, quia sunt humani, affabiles, modesti, comes, obsequiosi, suaves, munifici, pileo pugnant & marsupio. Difficile est illis invidere aut famam illorum imminuere, omnium voce viri boni audiunt sine fastu & supercilio, ad gratificandum prompti, parati. Hi tales sibi omnes devinciunt. Hi virgæ Aaronicæ simillimi sunt, quæ licet arida fuerit, fronde tamen & fructu dulcium amygdalarum triumphabat: ita illi foliis abundant mitium verborum; nec fructus iis desunt; dulces amygdalas ferunt, consiliis, manu, solatiis, nummis juvant. Nota vafrities est eorum, qui auxilium rogati sibi supplices amandant aliò; & illum, inquiunt, accede; ille te juvabit: ad istas ædes pulsa, hinc impetrabis opem. Ah, fatui: Beneficiendi occasionem negligere, damnosius est, quàm oblata beneficia repudiare.

Pileo & marsupio omnium amicitia conciliada.

Luc. c. 10. vers. 4.

Cur Christus, obsecro, discipulos sine perâ, sine pecuniâ, sine virgâ, Evangelium docturos misit? Ambrosius ad quæstionem respondens: *Vt & incentiva litis,* inquit, *instrumenta eriperet ultionis.* En Christus suos voluit, & verbis humanos, & factis beneficos; ideo ab eis pecuniam, jurgiorũ causssam maximam, removit. Idcirco non tam sordidè parcamus pecuniæ, ut parcere possimus concordiæ. Et quis suavium verborum sumptus est? nequissima est avaritia, quæ nec bonis quidem verbis liberalem esse permittit. Pileo & Marsupio, Humanitate ac Liberalitate omnium mercamur amicitias.

CAPVT XVII.

Ioseph fratres suos instruit, quid Pharaoni regi respondeant. Omnes dum vivimus, pastores sumus.

Gen. c. 45. à v. 25. ad finem.

QVi ascendentes ex Ægypto venerunt in terram Chanaan ad patrem suum Iacob. Et nuntiaverunt ei, dicentes: Ioseph filius tuus vivit: & ipse dominatur in omni terrâ Ægypti. Quo audito Iacob quasi de gravi somno evigilans, tamen non credebat eis. Illi contra referebant omnem ordinem rei. Cúmque vidisset plaustra & universa, quæ miserat, revixit spiritus ejus, & ait: Sufficit mihi si adhuc Ioseph filius meus vivit: Vadam & videbo illum, antequam moriar. Profectúsque Israël cum omnibus, quæ habebat, venit ad Puteum juramenti: & mactatis ibi victimis Deo patris sui Isaac, audivit eum per visionem nocte vocantem se, & dicentem sibi: Iacob, Iacob. Cui respondit: Ecce adsum. Ait illi Deus: Ego sum fortissimus Deus patris tui, noli timere, descende in Ægyptum, quia in gentem magnam faciam te ibi. Ego descendam tecum illuc, & ego inde adducam te revertentem: Ioseph quoque ponet manus suas super oculos tuos. Surrexit autem Iacob à Puteo juramenti: tulerúntque eum filii cum parvulis & uxoribus suis in plaustris, quæ miserat Pharao ad portandum senem. Et omnia quæ possederat in terrâ Chanaan, venit, in Ægyptum cum omni semine suo. Filii ejus, & nepotes, filiæ & cuncta simul progenies, &c. Omnes animæ domûs Iacob, quæ ingressæ sunt in Ægyptum fuêre septuaginta. Misit autem Iudam ante se ad Ioseph, ut nuntiaret ei, & ille occurreret in Gessen. Quò cum pervenisset juncto Ioseph curru suo, ascendit obviam patri suo ad eundem locum: vidénsque illum, irruit super collum ejus: & inter amplexus flevit. Dixitq, pater ad Ioseph Nam lætus moriar, quia vidi faciem tuam, & superstitem te relinquo. At ille locutus est ad fratres suos, & ad omnem domum patris sui: Ascendam & nuntiabo Pharaoni dicámque ei: Fratres mei, & domus patris mei, qui erant in terrâ Chanaan, venerunt ad me. Et sunt viri pastores ovium, curámque habent alendorum gregum: pecora sua, & armenta, & omnia, quæ habere potuerunt, adduxerunt secum. Cúmque vocaverit vos & dixerit: Quod est opus vestrum? Respondebitis, viri pastores sumus servi tui, ab infantiâ nostrâ usque in præsens, & nos, & patres nostri. Hæc autem dicetis, ut habitare possitis in terrâ Gessen: Quia detestantur Ægyptii omnes pastores ovium.

Josephi fratres optimo viatico instructi redierunt in Chanaan ad parentem, cui mox faustissima nuntiantes: O pater, inquiunt, Joseph tuus filius noster frater etiámnum vivit, & eſ princeps ac dominus Ægypti. Hoc audito Jacob velut è gravi somno evigilans, non satis credidit, quæ dici audivit. At illi junctis vocibus omnem rei ordinem narrare, ostendere jumenta, currus, & plaustra à Josepho submissa monstrare, opes & gloriam fratris extollere. Cúmque jam non auribus solùm, sed & oculis fuisset fides facta, senex Jacob veluti à mortuis excitatus cœpit revivíscere, inde in lætas voces erumpens: Sufficit mihi, ait, sufficit, modò filius meus Joseph etiámnum vivat: ibo & videbo illum priusquam moriar. Non distulit ergo Jacob destinatum iter: Cum omni familiâ, omniúque supellectile & pecore in viam se dedit, venitque ad Puteum juramenti, ubi mactatis victimis audiit Deum noctu hæc sibi dicentem: *Ego sum fortissimus Deus patris tui: Noli timere; descende in Ægyptum, quia in gentem magnam faciam te ibi. Ego descendam tecum illuc, & ego inde adducam te revertentem. Ioseph quoque ponet manus suas super oculos tuos.* Jacob igitur divinis vocibus ad iter perseverandum confirmatissimus, cum omnibus liberis & nepotibus, cum facultatibus omnibus venit in Ægyptum. Capita hominum in familiâ Jacob universè fuerunt septuaginta. Quod ut Joseph per fratrem suum Judam agminis totius prodromum intellexit, parenti obvius curru vehens prodiit. Cúmque jam in mutuum venissent conspectum, in amplexus & oscula ruebant pater & filius, qui priùs lacrymis loquebantur, quàm verbis. Pater ad aspectum filii exultans gaudio: *Iam,* inquit, *lætus moriar, quia vidi faciem tuam, & superstitem te relinquo.* At Joseph omnibus amantissimè salutatis: Nuntiabo, inquit, Pharaoni regi, parentes meos & fratres cum omni familiâ, & cunctis facultatibus suis venisse ad me; viros alendi pecoris gnaros esse. Si vos ergo rex accersitos ad se interrogaverit, quid artificii calleatis, dicetis: Servi tui pastores sumus, & nos, & majores nostri. Hoc ideo respondendum censeo, ut terra Gessen vestræ habitationi cedat: Ægyptiis

Reditus fratrum Josephi in Chanaan.

Narrant patri Josephũ fratrẽ vivere.

Inde lætatur.

Ægyptum proficiscitur.

Deus ei apparet, & multiplicationem gentis suæ promittit.

Gen. c. 46. v. 3. & 4.

Joseph obvius occurrit patri.

Gen. c. 46. vers. 30.

Quid respondeant Pharaoni edocet.

5. Monita. ptiis enim pastores ovium exosi sunt. E dictis manipulos colligamus. A

1. Probæ mentis homo nunquam est sine Deo. *Gen. c. 46. v. 3. & 4.*

I. *Probæ mentis homo nunquam est sine Deo.* Tametsi Jacob nihil in Orbe terrarum maluisset videre, quàm filium ab annis viginti tribus non visum, nonnihil tamen hærebat, an sibi cum omni familiâ sit eundum in Ægyptum. Cui Deus secundùm quietem visus: *Descende*, inquit, *in Ægyptum. Ego descendam tecum illuc, & ego inde adducam te revertentem.* Perinde si dixisset: Ego semper tecum ero. Hoc hominem vel in extremâ Orbis solitudine versantem suavissimè soletur: Dominus mecum est. Porrò Jacob ex Ægypto reversus non est nisi in posteris.

2. Pietas in parentes, longævitas. *Ibid. v. 5.*

II. *Pietas in parentes, longævitas.* Filii Jacob in parentem hac in re pii. *Tulerunt eum cum parvulis & uxoribus suis in plaustris, quæ miserat Pharao ad portandum senem.* Ascensurum & descensurum è curru patrem suis illi manibus & levarunt, & deposuerunt, velut infantulum. Huic pietati Deus prolixiorem promisit vitam: B

Exod. c. 20. vers. 12. *Honora patrem tuum, & matrem tuam, ut sis longævus super terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi.*

3. Humilitas honorata, prodigium rarũ ac pretiosum. *Bernard. hom. 4. super missus est, & epist. 42. m. p. 1463.*

III. *Humilitas honorata, prodigium rarum ac pretiosum.* Optimè dixit Bernardus: *Non magnum est esse humilem in abjectione: Magna prorsus & rara virtus, Humilitas honorata. In alto non altum sapere difficile est, & omnino inusitatum; sed quantò inusitatius, tantò gloriosius.* En Joseph, pater Pharaonis, Dominus Ægypti, Salvator mundi, Princeps maximus, positis tamen fascibus, occurrit obviam parenti, viro pastoritio, quem filii pastores cinxerant. His opilionibus obviam venit Josephus in terram Gessen, Ægypti fines. Adeò familiam & originem suam non erubuit, publicè professus suum patrem suósque fratres esse pastores. Cùm autem jam in conspectum sui patris venisset,

Gen. c. 46. vers. 29. *irruit super collum ejus, & ibi per amplexus flevit.*

4. Summus luctus, summum gaudium.

IV. *Summus luctus, summum gaudium.* Quàm liberaliter Deus suorum omnem tolerantiam refocillat, & nonnunquam etiam in hac vitâ. Viginti tribus annis C velut orbus filiæ Jacob in luctu vixerat: nec enim ullas unquam à filio tabellas, schedulam nullam, nullum epistolium accepit de superstite filio. Denique grassante fame in Ægyptum amittendi filii erant, è quibus Simeon in vinculis retentus, Benjamin satis violenter abstractus. Ita mœror auxit mœrorem, ærumnas veteres exceperunt novæ. Optimus senex mœroribus potuisset confici. Tandem omnia gaudiis emutata sunt. *Iam lætus moriar*, inquit, *quia vidi faciem tuam.* Centum triginta annorum erat Jacob cùm ingrederetur Ægyptum, at verò Joseph annum agebat trigesimum nonum.

Ibid. v. 30.

5. Pastoris est, non se, sed pecus curare. Et: Pastoris est non pecus curare.

V. *Pastoris est, non se, sed pecus curare.* Et: *Pastor is est non pecus, sed se curare.* Sed quomodo hæc sibi adversa sunt intelligenda? Josephus instruens fratres suos: Si Pharao rex, inquit, vocaverit vos, & interrogaverit, quam factitetis artem, dicite: Pastores sumus, & nos, & patres nostri. Hîc duo nobis penitiùs explicanda: Primum in hac fratrum institutione eximiam Josephi virtutem eluxisse. Alterum, nos omnes esse pastores, quos geminum illud effatum spectet. D

§. I.

Joseph instruit fratres.

IOsephi fratres ceremoniarum, rituum, deliciarum aulicarum tam erant ignari, ut à Josepho fratre fuerint instruendi velut rudes pueruli in principalem domum ducendi, quibus dici solet: Ita manus tenete, ita pedem struite, ita oculos submittite, ita verba componite. Haud multò aliter Joseph. *Cùmque vocaverit vos,* inquit, *rex Pharao, & dixerit: Quod est opus vestrum? Respondebitis: Viri pastores sumus, servi tui, ab infantiâ nostrâ usque in præsens, & nos, & patres nostri. Hæc autem ideo dicetis, ut terrâ Gessen* habitationi vestræ assignetur.

Ibid. v. 33. & 34.

In fratrum catechesi Joseph tres virtutes exhibuit;

In fratrum catechesi Joseph egregias virtutes, Prudentiam præsertim, Simplicitatem, & Modestiam exhibuit.

1. Prudentiam.

I. Prudentiam. Fratres suos in aulâ versari noluit, ne in aulicâ desidiâ idololatriam, & omnia simul vitia condiscerent. Perinde si apertè dixisset: Nihil vobis sit cum aulâ; salubriùs inter labores sudabitis; procul à vobis otium, & mores aulici; majorum nostrorum vestigiis hæreamus. Deinde voluit illos dicere, pastores se esse, ut terram Gessen tantò certiùs obtinerent, & sic ab Ægyptiis separarentur, idque ob complures causas, ne scilicet inanium Deorum cultum, & flagitiosum vivendi ritum cernerent, &, quod proniissimum est, æmularentur; néve perpetuis rixis ac jurgiis implicarentur: etenim Ægyptii detestantur omnes ovium pastores. Habuerunt quidem & illi opiliones suos, sed voluptati, atque ut lac solùm & lanam ab iis acciperent: ovem aut aliam pecudem jugulare nefas; illorum Dii erant. Cogitabat insuper Joseph: Si aliquando (ut vices temporum sunt) reditus in terram Chanaan sit parandus, expeditum erit iter è terrâ Gessen, finibus Ægypti. Hæc terra ab omnibus Ægyptii regni suppliciis & publicis calamitatibus fuit immunis. Ex hac terrâ iter expeditissimum ac brevissimum in Chanaan. Hanc Hebræi ducentis quindecim annis habitarunt. Prudentia magna Josephi, qui reversionem hanc tam maturè prævidit.

2. Simplicitatem.

II. Simplicitatem ingenuam Joseph exhibuit, qui noluit suos fratres supra simplicem victum & cultum avorum sapere, & in album dominorum transire. Originis nostræ memores simus, nec in novam nos amplitudinem efferamus. Hoc certè multò laudabilius, se suósque intra modestiæ limites servare, quàm identidem altioribus imminere, & volatum meditari alis nondum adultis. Expectandum, dum dicat Deus tempore: *Amice, ascende superiùs.* Hoc honori est; alterum ambitionem olet, quòd hoc unum laborat, ut in alto sit, quocunque demum modo in altum evadat. Pulchrum est hominem originis modicum intra suam se fortunam continere. Malè miscentur aquilis columbæ. Culina non excedat censum. Utcunque fortuna permittet, ita aut explicabimus nos, aut contrahemus. Pastori pedum non screptum convenit. Pastores sumus nos & patres nostri.

Luc. c. 14. vers. 10.

3. Modestiam.

III. Modestiam insignem docuit Josephus; Nam voluit in aulâ regiâ sciri tam patrem, quàm fratres pastores esse; familiam suam modestissimus princeps nequaquam erubuit; eum se origine fassus est esse, qui erat; jure potestatis non intumuit, opum affluxu non superbivit, re nullâ insolenter sese extulit, Pastoris se filium esse neutiquam negavit. Quàm longè nunc alii mores sunt; nos talem consuetudinem non habemus. Satyra prisca feminam fuisse memorat, quæ cubito nares exterserit, aspirante dein fortunâ nummos modio metiebatur, domina imperiosissima omnibus aspera sui conjugis Topanta.

§. II.

Vilitatis pristinæ oblivisci non modestiam, & simplicitatem, sed etiam prudentiam graviter lædit. Reverâ regis Agathoclis laudes famámque ingniter auxit, quòd is abacos luto Samio, testeisque vasis ornarit, quæ patrem figulum fuisse dicerent. Ita Willigisum Moguntinum episcopum episcoporum antistitem rota ex officinâ patris carpentarii translata, & insignibus inserta plurimùm commendavit. Ita plurimis honori & laudi est, loco quidem humili natos, ingenio tamen & industriâ, eruditione ac virtute in altum emersisse. Qui prudentiam amant, & modestiam, ut paternæ rotæ, figlini operis, acûs & forficis, subulæ ac modulorum, aratri ac rastrorum nunquam oblivisc antur, hæc sibi ponunt sub oculos, & suæ originis commonent seipsos, ne unquam insolescant: Verbo humani, Facto benefici, suâ se pelliculâ continent, nemini insultant, neque

Vilitatis pristinæ oblivio modestiæ simplicitatem, & prudentiam graviter lædit.

que se supra alios ullos efferunt; & licet à trecentis, aut quadringentis annis suas derivent origines, illud tamen in ore habent: Et nostri majores tenui censu inter ignobile vulgus stabant. Inter Platonis dicta numerat Annæus: Neminem regem non ex servis oriundum, quemadmodum ingentia flumina ortum suum plerunque tenui debent rivulo. Sed quid opus tot monitis? Summus opifex protoplastis, nobisque omnibus seris nepotibus domum librumque natalem oculis ingerens: *Pulvis es*, inquit, *& in pulverem revertêris*. Simillimas voces ab ore divino excipiens Hieremias vates proclamat: *Terra, terra, terra, audi sermonem Domini*. Et etsi sileant prophetæ, ipsa tamen ratio modestè nec ultra metas sapiendum docet.

Gen. cap. 3. vers. 19. *Hier. c. 22. vers. 29.*

Phocioni Athenienſium clariſſimo principi legati regis Philippi magnam vim auri obtulerunt. Repudiavit Phocion. Urſerunt illi & rogarunt, ſaltem in liberorum gratiam aliquid liberalitatis regiæ admitteret, nec enim illos patris honorem propagaturos ſine novarum opum acceſſu. Quibus Phocion: Si mores, inquit, paternos æmulentur, ſufficient illis, quæ mihi ſufficerunt, prædiola: Sin autem patrem exuant, nolim ego luxui eorum fomentis talibus patrocinari.

Haud aliter ſe geſſit, cùm ei Menyllus ab Antipatro ferret munera, quæ peræquè repudiavit. Menyllo roganti, ſaltem Phocum filium vellet eſſe participem oblati muneris. Neque ſic quidem expugnari ſe paſſus: Si filius meus deſinat rem confringere, inquit, & frugi eſſe velit, ſuum ei patrimonium ſufficiet: Nam, ut nunc ſe gerit, nihil ei ſatis erit. En homines incorruptos & tam excelſi, quàm modeſti animi, qui nullum metuebant probrum, niſi vitium. Hos inter eminens Joſephus modeſtiâ, ſimplicitate, prudentiâ: Paſtores ſumus, inquit, & nos, & patres noſtri.

Nemo hoc ſibi probro ducat: Paſtores ſumus nos omnes, qui homines ſumus. Sunt quibus id nominis convenientiſſimum, uti ſunt Epiſcopi, Præpoſiti, Curiones, animarum Paſtores; ita & Reges, Principes, Magiſtratus, Domini, Patresfamilias, quibus oppida, urbes, provinciæ, regna committuntur, velut paſtori oves, curanda. Poëtarum princeps Homerus, Priamum, Agamemnonem, Menelaum reges, ποιμένας * vocat. Doctiſſimus Philo regem & paſtorem uberrima diſſertatione confert. In divinis paginis Deus non tantùm Reges & Imperatores, ſed & Angelos vocat paſtores. Per Iſaiam ita loquitur: *Qui dico Cyro: Paſtor meus es, & omnem voluntatem meam complebis.* Per Ezechielem pollicetur: *Et ſuſcitabo ſuper eas paſtorem unum, qui paſcat eas, & ipſe erit eis in paſtorem.* Michæas vates: *Et ſuſcitabimus ſuper eum*, inquit, *ſeptem paſtores, & octo primates hominis.* Septem paſtores, ſeptem fuerunt Angeli.

Paſtoris nomen convenit Epiſcopis, Præpoſitis, Regibus &c.

**Paſtores.*

Iſaiæ c. 44. verſ. 28. *Ezech. c. 34. verſ. 23.* *Michææ c. 5. verſ. 5.*

Ad paſtoris officium pertinet illa præceptio: *Paſtoris eſt, non ſe, ſed pecus curare.* *Bernard. epiſt. 42.* *Petrus Damian. lib. 1. epiſt. 2.*

Ad hos paſtores pertinet illa præceptio: Paſtoris eſt, non ſe, ſed pecus curare. Veteri verbo dicebant priſci: Lex paſtoris eſt, amor gregis. Quemadmodum enim paterfamilias domeſticos ſuos amore ſollicito complectatur neceſſe eſt; ita paſtor ſuas oviculas curabit & tuebitur; paſtoris officium ignorat, qui ſeipſum curat. Bernardus ad Archiepiſcopum Senonenſem Henricum, epiſtolam, qui liber ſit, perſcribens: *Non vos ergo felicem*, inquit, *quia præeſtis, ſed ſi non prodeſtis, infelicem putate.* Petrus Damianus Gregorium VI. epiſtolâ non abſimili erudiens: *Noverit beatitudo veſtra*, inquit, *piiſſime Domine, quia clerici digni epiſcopatûs officio non inveniuntur. Omnes, quæ ſua ſunt, quærunt. Præſſe inhiant, prodeſſe non curant.* Priſcorum eſt monitum: Ut proſis, præſis; ſi prodeſſe non vis, neque præeſſe velis. Officium paſtoris eſt pingue, ſed difficile. Pingue, quia lac, lanam, carnes porrigit; difficile, quia rationes ſeveras exigit. Princeps paſtorum luculenter id teſtatus eſt Marcellus II. Pontifex ſummus anno milleſimo quingenteſimo quinquageſimo quinto. Viderat bonus hic paſtor, quanta cogeret neceſſitas Romanam Curiam corrigere, & labentem Cleri diſciplinam legibus coërcere, pravarum conſuetudinum cervicem agere; nec animus deſuit lapſa reſtituendi, ſed deeſſe videbantur conſilia, quibus ea res expediretur, ingentia ſeſe opponebant obſtacula. Ad epulas ergo accumbens, & menſam manu feriens: Non video, ajebat, quomodo, qui locum hunc altiſſimum tenent, ſalvi eſſe poſſint. Exactiſſimam Deus rationem repetet à paſtoribus.

Officium paſtoris eſt pingue, ſed difficile.

§. III.

HInc illæ Numinis minæ: *Væ paſtoribus Iſraël, qui pascebant semetipsos.* Præſis igitur, ut proſis. Paſtoris eſt non ſe, ſed ſuum gregem curare. Quod Salomon documento ſalubertimo inſtillans: *Diligenter*, inquit, *agnoſce vultum pecoris tui.* Talis in ſuas oves Servator Orbis: *Ego ſum*, inquit, *paſtor bonus, & cognoſco oves meas, & cognoſcunt me meæ.* Philonis animo, qui ſummus eſt in arte pecuariâ, facilè bonus rex evaſiet. Paterfamilias, ut domûs ſuæ paſtor, norit quid domeſticis deſit, quis ſingulorum labor, quæ quemvis neceſſitas exturbet: ſciat hæc, inquam, & de remediis cogitet, omni quâ poteſt ope adjuvet: ita pagi, oppidi, urbis, provinciæ dominus cognoſcat oves ſuas, indaget diligentiſſimè, quæ ſubditorum facultates, quæ onera, quæ ſubſidia, quæ clades, quæ diſpendia eorum ſint, num meri pauperes, num annus fertilis an ſterilis, num iratum cælum ſegetes jugulaverit, an verò favens fecundo riſu horrea diſtenderit: expendat ſingula, & ſuorum ſe ſubditorum patrem meminerit, non tortorem, non carnificem, qui ſanguinem & medullas lambat. O domine diligenter agnoſce vultum pecoris tui. Nam uti pecus mutum nequit pabulum ſibi debitum poſtulare, ita ſubditi velut oviculæ miſellæ neceſſitates ſuas etſi poſſent, plerunque tamen non audent explicare. Non admittuntur, non audiuntur ut nimiùm queruli: Indecorum videtur, nonnunquam etiam periculoſum eſt, hæc talia domino in os à ſubditis occentari. Tu ergo ipſe, mi domine, tui pecoris vultum diligenter agnoſce, & in pauperum exactionibus hanc ſerva legem, ut potiùs minus, quàm plus æquo poſcas. Ita ſi paſtores conſcientiam bonam non offendunt, rationes cum Deo expeditas conficiunt præmium à Deo copioſiſſimum recepturi. Qui verò à ſubditis plus æquo exigunt, ſuam conſcientiam lædunt, alienam torquent & affligunt, reddendam rationem impediriſſimam faciunt, non præmia ſed ſupplicia ſibi colligunt. Pauperi lacrymanti reculam ſuam auferre duriſſimum, & ſæpiſſime letale delictum. Agnoſce igitur, & diligenter agnoſce tui pecoris vultum. Pecus tuum macie pereditur, & id queri non poteſt; agnoſce.

Hinc illæ Numinis minæ: Væ paſtoribus Iſraël, qui pascebant semetipsos. *Ezech. c. 34. verſ. 2.*

Diligenter, inquit, *agnoſce vultum pecoris tui.* *Prov. c. 27. verſ. 23.*

Ego ſum, inquit, *paſtor bonus, & cognoſco oves meas, & cognoſcunt me meæ.* *Ioan. c. 10. verſ. 14.*

Philonis animo, qui ſummus eſt in arte pecuariâ, facilè bonus rex evaſiet. *Philo l. de Ioſeph.*

Verùm paſtores nos omnes ſumus, quotquot animum & corpus accepimus regendum. His paſtoribus identidem illud ingerendum: Paſtoris eſt non pecus, ſed ſe curare; non carnem mulcere, ſed animum excolere; non bruto corpori, ſed animo ac rationi obſequi. Lex divina omnibus illis paſtoribus præcipiens: *Cuſtodi igitur teipſum*, inquit, *& animam tuam ſollicitè.* Idem ingeminat: *Cuſtodite igitur ſollicitè animas veſtras.* Paſtores ſumus, & corpus & animus nobis paſcendus, ſuum cuique pabulum præbendum. Atque hîc eadem quæ priùs ingerenda præceptio: Diligenter agnoſce vultum pecoris tui. Si quis ſeriò perpendat, quâ nobilitate animus vilitatem & ſordes corporis excedat, quàm caro in pigritiam omnéſque nequitias ſit prona, dolis & vaframentis plena, otii & libidinis aviditſſima, & hoc unum agat, ut ſibi bene ſit, certè pecus iſtud non molliter habebit, fame domabit, laboribus fatigabit, potum cibumque ad dimenſum dabit, tractabit ut inimicum pecus; animum verò divinæ particulam auræ, Numinis effigiem, Angelorum cognatum, curabit & excolet, animo principes curas omnes impendet: *Cuſtodi igitur teipſum & animam tuam ſollicitè.*

Paſtores ſumus omnes qui accepimus animum & corpus regendum; pertinétq; illa præceptio: Paſtoris eſt non pecus, ſed ſe curare. *Deut. c. 40. v. 9. & 15.*

Conſi-

Omnes amici Christi rigidè carnem suam habuerunt.

Considerentur, obsecro, & attentè intueamur omnes Christi amicos, quomodo suum illi corpus tractaverint: Nemo illorum non noverca fuit in suam carnem; rigidè, duriter, parcè, asperè illam habuerunt. Ut se curarent, pecus suum non curabant. Cultum, quem negarunt corpori, impenderunt animo, tantò attentiores ad meliorem sui partem, quantò eis videbatur onus luteum neglectiùs curandum.

Macarius annis viginti non pane, non aquâ, non somno unquam satur fuit. Mille tales nominare possim, quorum perpetuum ac unicum fuit studium suas cupiditates frangere, genium in esu potúque defraudare, novos quotidie rigores in carnem invenire, modis omnibus corpori facere ægrè.

Pallad. c. 2. de Isidoro & Dorotheo.

Dorotheus, teste Palladio, adeò parcè ac duriter seipsum habuit, ut ejus discipulus amicissimè quærens: Quid Pater faciemus, ajebat, hac senii declivitate his rigoribus corpus conficietur penitus. Cui Dorotheus: Occidit me, inquit, & ego illi parcam? Caro nequam & improba esse solet, nisi laboribus, abstinentiâ, fame cicuretur. Inter omnes edomandæ carnis exercitationes non est præstantior, sed nec salubrior jejunio, & abstinentiâ. Pharmacum planè divinum petulantiæ carnis curandæ jejunium. Pharmacum initio nonnihil insuave, sed supra omnem modum salubre, præ ceteris omnibus summi faciendum, quod usu ipso mirificè dulcescit. Pastores igitur simus, & nos ipsos, seu animum potiùs curemus, quàm pecus nostrum, corpus. Te ipsum, ô pastor, & animam tuam sollicitè custodi.

Inter edomãdæ carnis exercitationes non præstantior jejunio & abstinentiâ.

CAPVT XVIII.

Iosephi pater cum rege loquitur, & peregrinum se, vitam suam peregrinationem nominat. Omnes dum cælo absumus, peregrini sumus.

Gen. c. 47. v. 1. ad 15.

INgressus ergo Ioseph nuntiavit Pharaoni, dicens: Pater meus, & fratres, oves eorum, & armenta, & cuncta, quæ possident, venerunt de terrâ Chanaan, & ecce consistunt in terrâ Gessen. Extremos quoque fratrum suorum quinque viros constituit coram rege. Quos ille interrogavit: Quid habetis operis? Respondérunt: Pastores ovium sumus servi tui, & nos, & patres nostri. Ad peregrinandum in terram tuam venimus: quoniam jam non est herba gregibus servorum tuorum ingravescente fame in terrâ Chanaan: petimúsque ut esse nos jubeas servos tuos in terrâ Gessen. Dixit itaque rex ad Ioseph: Pater tuus & fratres tui venerunt ad te. Terra Ægypti in conspectu tuo est, in optimo loco fac eos habitare, & trade eis terram Gessen. Quòd si nosti in eis esse viros industrios, constitue illos magistros pecorum meorum. Posthæc introduxit Ioseph patrem suum ad regem, & statuit eum coram eo: qui benedicens illi, & interrogatus ab eo: Quot sunt dies annorum vitæ tuæ? Respondit: Dies peregrinationis vitæ meæ centum triginta annorum sunt, parvi & mali, & non pervenerunt usque ad dies patrum meorum, quibus peregrinati sunt. Et benedicto rege egressus est foràs. Ioseph verò patri & fratribus suis dedit possessionem in Ægypto in optimo terræ loco, Ramesses, ut præceperat Pharao. Et alebat eos, omnémque domum patris sui præbens cibaria singulis. In toto enim Orbe panis deerat, & oppresserat fames terram, maximè Ægypti & Chanaan. E quibus omnem pecuniam congregavit pro venditione frumenti, & intulit eam in ærarium regis.

Adventum patris cum totâ familiâ nuntiat Pharaoni.

Salutatis parentibus Ioseph mox regi nuntiavit parentes suos cum omni familiâ & facultatibus è Chanaan in terram Gessen advenisse, ibique voluntatis regiæ jussa præstolari. Unà etiam quinque fratrum suorum natu maximos stitit coram rege. Quos ille interrogans: Quam, inquit, artem factitatis? Illi ut à fratre jam edocti erant: Pastores sumus, inquiunt, servi tui, & nos, & majores nostri. Peregrini concessimus in regnum istud cogente fame, nam alimonia nobis, pabulum defecit pecori. Quocirca submississimè rogamus, ut regia benignitas in terrâ Gessen nos jubeat morari. Facilis in hæc vota rex Pharao ad Iosephum versus: Tui parentes, inquit, & tui fratres ad te venerunt. Ægyptus in manu tuâ est, terram fœcundissimam eorum habitationi assigna. Quòd si eorum aliqui probatæ industriæ viri sint, pecorum meorum magistros constitue. Non diu post Ioseph & patrem suum in conclave regium introduxit. Rex faustissimâ precatione senis acceptâ, primum illud interrogare habuit: Quot annos agis, mi senex? Cui Jacob: Dies peregrinationis vitæ meæ, quos vixi, centum triginta annorum sunt, pauci & mali, nec ad majorum metam pervenerunt. Finito colloquio, iterum faustissima precatus regi Jacob è regio conclavi abiit. Ioseph ad mentem regis terram pinguissimam suis attribuit, aluitque omnem suorum familiam. Nam Orbe toto panis erat penuria, Ægyptum maximè ac Chanaan fames exercebat. Hinc vendito frumento ingens in regium ærarium illata pecunia. Cùm æs deficeret emptores, adduxerunt pecora ne animas cogerentur oppignorare fami. Cúmque jam & pecuniæ simul & pecudes deficerent, agros, prædia, fundos, lubentes volentes obtulerunt. Nec enim, ajebant, præter terram, & corpora quidquam in facultatibus retinemus. Quid autem prosint latifundia, si ab eis nihil nisi sepulchri locum impetremus? Ita omnem Ægypti terram Ioseph coëmit. Siquidem dira fames cogebat fundos & agros emutare tritico. Ita in Pharaonis potestatem omnis Ægyptus à Tot novissimis finibus redacta est emptione. Sola immunis mansit terra Sacerdotum, quibus annona præbebatur è publicis horreis, idcirco possessiones non cogebantur vendere. Plebi autem undequaque concurrenti dixit Ioseph: Rex Pharao & vos, & agros vestros emptionis jure possidet: Accipite semina & arva conserite in futuram messem. Quintam partem dabitis regi: reliquas quatuor permitto vobis in sementem & familiæ alimoniam. At Josepho certatim omnes acclamarunt: Salus nostra in manu tuâ est: modò nobis cum domino nostro magna sit gratia, & regi cum voluptate serviemus. Ex eo tempore hactenus semper Ægyptus universa quintam frugum partem regibus pendit stabili lege. Terrâ Sacerdotum eximiâ. Jacob igitur cum omni familiâ terram Gessen habitavit auctus numero & divitiis. E 5. Mensa dictis manipulos, instituto nostro colligamus.

Terra pinguissimam suis attribuit, aluitque omnem suorum familiam.

Terram Ægyptiorum pontifices redigunt.

Finges ex bonaria.

I. Terræ fenus optimum, honestissimum.

O fortunatos nimium: sua si bona norint,
Agricolas, quibus ipsa procul discordibus armis
Fundit humo facilem tellus justissima victum.

1. Terræ nus optimum. Virgil. lib. 2. Georg. initio.

Ægyptii non pecora solùm, sed & agros Josepho annonæ principi præfecto vendentes; *Et nos*, inquiunt, *& terra nostra tui erimus; eme nos in servitutem regiam.* Emit igitur Ioseph omnem terram Ægypti vendentibus singulis possessiones suas præ magnitudine famis. Ob famẽ potest quis, Theologorum sensu, & liberos, & seipsum vendere. Sed videte quàm mercatio & contractus iste placidus fuerit ac tolerabilis! nemo gravatur, nemo ingemiscit, nemo lacrymatur. *En ut cernitis*, ait Joseph, *& vos & terram vestram Pharao possidet: accipite semina, & serite agros, ut fruges habere possitis. Quintam partem regi dabitis, quatuor reliquas permitto vobis in sementem, & in cibum familiis & liberis vestris.* O dominum modestum & æquum! ô dominum minimè atrocem & sævum! ô principem non ferreum, sed planè aureum! det illi Deus annos plurimos, etiam de nostris annis. Quàm nil avarè aut sordidè, interusurium & fœnebre malum, quàm iniquè nihil in nos statuit, quàm providè, quàm amanter suos subditos tractat, quàm non sua solùm, sed & suorum commoda considerat! Vivat patriæ pater, vivat & *respiciat nos tantùm noster Dominus; nos læti serviemus regi.*

Gen. c. 47. v. 15. & 23.

Ibid. v. 19.

Ibid. v. 23. & 24.

Ibid. v. 25.

II. Huma-

1. Humanitas sceptri formosissima.

II. *Humanitas sceptri formosissima.* Pharao rex hominem pastorem Iacob, & quinque illius filios, rudes & indoctos opiliones ad colloquium admisit, humanissimè ac familiarissimè cum illis egit. Filios interrogavit, quid haberent operis? senem parentem: quot annorum esset? senex faustissima quæque precatus regi, tam principio colloquij, quàm fine, ad quæstionem sibi positam tam prudenter, quàm piè respondit. Sublimis dignitas, & suavis humanitas in unâ sede commodissimè morantur. Magnatum certè ac principum benevola humanitas non solùm in se laudabilis & decora, sed à vilioribus hominibus per omnem vitam deprædicatur. Atqui humanitas sceptri tam rara, quàm cara.

2. Iusti ornamenta sua tegunt, infirma produnt. Genes. c. 47. vers. 2.

III. *Iusti ornamenta sua tegunt, infirma produnt. Ioseph extremos fratrum suorum quinque viros constituit coram rege.* Est nonnemo qui hoc ita interpretetur: Extremos, sive, omnium rudissimos, qui minimæ auctoritatis videbantur inter ceteros ad regem perduxit, eo etiam consilio, ne quis eorum vel aulæ vel militiæ adscriberetur.

3. Dos Ecclesiæ non temerandæ.

IV. *Des Ecclesiæ non temeranda.* Subjecit Ioseph Pharaoni regi cunctos populos, à novissimis terminis Ægypti usque ad extremos fines ejus, præter terram sacerdotalem, quæ à rege tradita eis fuerat, quibus & statuta cibaria ex horreis publicis prebebantur, & idcirco non sunt compulsi vendere suas possessiones. Si quis per veterum historias ambulet, & sacerdotes tam Hebræos, quàm idololatras consideret, digniore illos loco habitos, majore reverentiâ cultos reperiet, quàm alicubi sacerdotes Christianos. Et quales illi erant veterum, quæ tractârunt, mysteria? num illis cœlum reserare, vel claudere concessum, num ambrosiam & nectar, epulas cœlestes edere, aliis porrigere, Dei filium manibus gestare permissum?

4. Omnis vita peregrinatio. Genes. c. 47. vers. 9.

V. *Omnis vitæ peregrinatio.* Iacob interrogatus à rege, quot hyemes vixisset. Ad quæ senex: *Dies peregrinationis vitæ meæ*, ajebat *parvi & mali.* In hanc rem plura nunc à nobis dicenda sunt, idque eam etiam ob causam. Nam cùm Olympius vir sanctissimus rogaretur vitæ sanctioris documenta pauca traderet, hoc unum dedit. *Vbique æstima te peregrinum.* Hoc Christianæ vitæ compendium, hoc sanctimoniæ breviarium est. Iam igitur articulatiùs explicandum quid peregrinus à cœlo secum potissimùm meditetur, & quibus præcipuè miseriis assuescere conetur.

Sophron. prat. spir. c. 12.

§. I.

Omnes homines sunt peregrini. Psal. 38. vers. 13. 1. Par. c. 29. vers. 15.

PEregrini sumus, quotquot inter homines agimus. Ita Iacob, ita David, ita Salomon, ita sancti omnes de se locuti. Rex David nihil hîc dissimulans: *Advena ego sum apud te*, inquit, *& peregrinus sicut omnes patres mei.* Neque Salomon aliter: *Peregrini sumus coram te*, ait, *& advenæ sicut omnes patres nostri.* Toto aberrat cœlo, qui sibi patriam in exilio fingit, qui manentem civitatem in itinere somniat. Medij turbarum sumus; nusquam quies, nusquam manens civitas: ubicunque simus in exilio degimus. Hinc ille, quem dixi, Olympius solebat monere: *Vbicunque sederis, dic, peregrinus sum.* Sanctus Hieronymus divinorum voluminum intelligentissimus, in epistolâ quam ad Dardanum dedit, certam loquendi legem observans: *Vbicunque*, ait, *in scripturis sanctis legitur, habitator, aut habitatores terræ, si priora, & sequentia spectemus, liquidò scripturarum hæc poterit comprobari regula; plerumque habitatores terræ, peccatores appellari.* Id certè frequentissimum est.

Ruffin. l. 2. epilogo Pallad. c. 150. penult. apud Rosweidum

Ruffinus & Palladius peregrinationem susceptam per superiorem Thebaidam ita depingunt, ut non difficilè lectori lacrymas excutiant. Septies de vitâ jam actum videbatur. Diebus quinque per solitudinem errabant, prope proximè fuit ut fame, sitique necarentur. Paludes & senticeta occurrebant, quæ & viam morabantur, & dolores incredibiles afferebant, nam nudis pedibus incedebant frigore propemodum extincti. Erat autem via tam aspera, & vepribus adeò robustis plena, ut non pedes tantùm nudos læderet, sed ipsos etiam calceos terebraret ac rumperet. Insuper & cæno hærebant usque ad umbilicum mersi, diebus quatuor in aquis ambulabant. In Insulam desertissimam delati triduo toto dies noctésque sub dio inter ventos, pluvias & nimbos hiemali sævo frigore, initio mensis Ianuarii perdurabant. Nec insidiæ deerant: prædones & latrones infestabant vias, peregrinos illos longo itinere, sed frustrà insecuti. Et ne quid miseriarum peregrinis deesset, naufragium quoque accedebat, quod eos in Nilo pæne submerserat. A tribus crocodilis etiâ ingens imminebat periculum. Illi enim cibo saturi, more suo exibant aquis, ut apricarentur in sole. Dum igitur jacerent in littore extenti velut mortui, Ruffinus & Palladius immania hæc cadavera spectaturi adibant. At ubi belluæ pedum sonitum sentiebant, subitò excitatæ in hospites illos irruere parabant. At illis unicum hoc fuit præsidij, IESVM inclamare, & inde sese quàm celerrimè proripere. Adfuit hîc peregrinis Angeli tutelaris subsidium. Nam crocodili abdita vi acti sub undas præcipiti fugâ properarunt.

mihi p. 484. & 782.

Septem miseriarum capita, quibus peregrini sunt expositi.

Quemadmodum autem peregrino nihil eorum, quæ quotidie accidunt molestè, aut iracundè, aut iniquo animo ferendum; nihil quantumvis asperum in contumeliâ accipiendum: ita viator ad cœlum tendens, quidquid ei miseriarum aut calamitatum occurrerit, nec indignè ferat, nec atrociter, sed illud assiduè verset animo: *Peregrini sumus*; extra patriam inter solitudines erramus, miseriis omnibus expositissimi. Quas omnes in septem capita reducimus.

1. Fames, sitis, frigus, sarcinæ & onera per viam portanda. *Cyprian. ad Demetriad.*

Primum est. Peregrino insueta non sit fames, sitis, frigus; item sarcinæ, & onera, quæ per viam portanda. Viatorem ad cœlum curæ & molestiæ quotidianæ non terreant. In eam rem Cyprianus nos animans: *Nullus iis dolor est de incursatione malorum præsentium, quibus fiducia est bonorum futurorum.* Quotidianum & vetus peregrinantium verbum est: Hodie hîc, cras alibi. Nullo consistere loco peregrini proprium est.

2. Viarum difficultas.

Alterum: Viarum difficultas. Viæ sæpissime sunt fractæ, cænosæ, lubricæ, asperæ, saxosæ, inæquales, voraginosæ, acclives, declives, vallibus, aquis, paludibus, montibus, glacie, nivibus impeditæ. Ita prorsus viatorum ad cælum varij status, diversæ conditiones, difficultates & onera quamplurima. Nec enim ullus tam felix, qui suis semper miseriis pascatur, plerumque quò altior dignitas, hòc crebrior calamitas. Quod Marcellus II. Pontifex maximus affirmans: *Status*, ajebat, *sublimior, plerumque periculosior.*

3. Comites Garruli, importuni, infidi, &c.

Tertium. Comites importuni, garruli, infidi, molesti, subinde nulli, servi negligentes, in cauponas fures. Vxor, liberi, fratres, sorores, cognati, amici in viâ ad cælum sunt comites, sed sæpe molestiores, quàm ipsi hostes. De peregrinatione mentionem injiciens Augustinus: *Omnis*, inquit, *qui ad supernam pertinet civitatem peregrinus est mundi, & dum temporali utitur vitâ, in patriâ vivit alienâ, inter multa illecebrosa, & multa fallacia, Deum nosse & amare paucorum est.* Comites diversissimos, molestissimos peregrinus non ægrè ferat.

4. Prædones, grassatores, latrones, &c.

Quartum: Prædones, grassatores, latrones; luporum, canum, molossorum, ursorum, aliarúmque ferarum incursus peregrinis nil novi est. Subinde canis villaticus subitò prorumpit è tugurio, & transeuntem peregrinum invadit. Quisquis ad cælum tendit, ad omnigenas se paret injurias, peregrini sumus, nusquam ab injuriis & calumniis securi. Hæc via aliter non

non constat. Gregorius Nazianzenus Basilium Magnum funebri oratione laudans, hæc ceteris inseruit: Minabatur ei Valentis Imperatoris præfectus Prætorio, ejiciendum sede suâ in exilium. Cui animosè Basilius: nihil horum, ajebat, quæ dixisti, curo; nihil possidens ab exilij metu liber sum; unam omnium cognosco patriam, paradisum: peregrini sumus. Accepto exilij decreto, dixit comiti suo: Libellum hunc accipe, & vesti mecum. Priùs pannosam vestem, posteà aliquot libellos obtulit præfecto. Hæc omnis illius fuerat supellex. Hi tales animo, & re ipsâ possunt dicere; peregrini sumus. Gregorius Neocæsareæ Episcopus Thaumaturgus moriens rogavit solicitè, ne proprio ac singulari tumaretur sepulchro: Nam vitam egi, ajebat, ut inquilinus & peregrinus, nullius loci dominus, ita & mori & sepeliri cupio. Volebat vir sanctissimus hoc scire posteros, se nec vivum, nec mortuum eximi, aliquid aut sui possedisse.

§. II.

5. Tempestas, pluviæ, nives, &c.

QVintũ: Nulla peregrino tempestas formidanda: pluvię, nives, nimbi, venti, grando, turbines, æstus, frigus, fulgura, tonitrua, fulmina, quæcumque demum gravitas cæli aut atrocitas peregrino non metuenda. Haud aliter viatori, qui magnis itineribus ad cęlũ tendit, nihil adversarum rerum est expavescendum: cure, luctus, mœrores, morbi dolores, insectationes, angores, & quidquid humanarum miseriarum est, peregrino neutiquam reformidandum est. Rebus adversis Deus exilij tædium movere vult in viâ, ut cæli desiderium tantò magis crescat in assequendâ patriâ. Hugo Victorinus: Ille adhuc delicatus est, inquit, cui patria dulcis est; fortis autem, cui omne solum patria est; perfectus verò, cui totus mundus exilium est. Ille mundo amorem fixit, ille sparsit, hic extinxit. Magnum virtutis principium transitoria primùm cõmutare, dein derelinquere. Peregrini sumus; Eluctandum per adversa omnia. Interrogatus Socrates cujas esset: Cosmopolita sum, inquit. Nimirum omne solum viro forti patria est. Nos omnes mundi cives, & semper in itinere sumus. Atqui nullum, ut Chrysostomus loquitur, nullum sine exitu iter est.

6. Varij & tristes eventus, naufragia, &c.

Sextum: Quod peregrinos exercet, varij & tristes eventus, naufragia, incendia, equorum lapsus, pecuniæ defectus; cùm currus evertitur, aut rumpitur, brachia, cervix, crura franguntur, morbi contrahuntur qui in itinere peregrinum cogunt sistere. Venusinus vates iter faciens, in hospitium pervenit, ubi, dum macilentæ aviculæ assarentur, ignis culinam corripuit, inde evolavit in tectum; peregrini hospites cenulam suásque sarcinas rapuerunt, escam subducentes Vulcano. Inde in oppidulum delatus est, ubi lapideus panis, & aqua venalis deliciæ fuerant. Poëta sic canit:

Horat. lib. 1. serm. sat. 5.

Tendimus hinc rectà Beneventum: ubi sedulus hospes,
Paraverit, macros dum turdos versat in igne:
Non vaga per veterem dilapso flamma culinam
Vulcano summum properabat lambere tectum:
Convivas avidos cenam, servosque timentes
Tum rapere, atque omnes restinguere velle videres.
Quatuor hinc rapimur, viginti & millia rhedis,
Mansuri oppidulo, quod versu dicere non est:
Signis persacile est. Venit vilissima rerum,
Hic aqua: sed panis longe pulcherrimus, ultrò
Callidus, ut soleat humeris portare viator.
Nam Canusi lapidosus.

Peregrinus, si egenus, si æger, si fortunis omnibus evolutus sit, nemo miretur. Homines sunt peregrini, humanas ergo miserias non putent à se alienas. Nihil humanorum casuum videri debet peregrino grave nimiùm toleratu. Hodie hîc, cras alibi sumus; sive autem hîc, sive alibi simus, in viâ, & nondum in patriâ sumus. Tantisper igitur adversa omnia perferamus, dum perveniamus in patriam.

Hospitia miserrima quandoque nulla.

Septimum: Hospitia sæpe miserrima peregrinis obtingunt, quandoque nulla sunt. Vtrumque peregrino non iracundè ferendum. Omne autem hospitium plerumque non est nisi unius noctis, aut prandij, vel cenæ. Mox illud occinitur: Exi hospes, da locum aliis. Sæpe ipsi loculi, aut itineris ratio peregrinum diversorio ejiciunt. Mallet ille nonnunquam in diversoriolo quantumvis incõmodo hærere, & pausare largiùs, sed exeundum & pergendum est, deserenda taberna, ingredienda via; vocat viæ terminus. David rex filium Absalonem fugiens conversus ad Ethai: *Heri venisti*, ait, *& hodie compelleris nobiscum egredi?* Eadem peregrinorum lex est; qui heri venerunt, hodie compelluntur abire: sæpe miserum ac pauperum laudarent hospitium, modò illic moras liceret longiores trahere, sed exire compelluntur. Optimè dixit Augustinus: *Quid aliud est vita, quam cursus ad mortem? Et quidem assiduus. Non horula unâ, non ullâ horula particulâ morari licet, aut sistere: velis nolis, perpetuò, momentis omnibus progrediendum, ad metam mortis.* Hic jubebit Plato quiescere. Gregorius Nazianzenus de seipso: *A tumulo*, ait, *tumulum peto.* Idem in oratione de mortuis: *Defuncti*, ait, *tanquam in communi viâ paratiores, ad hospitium priùs pervenerunt.* Peregrini sumus nos omnes, nec ullum sine exitu iter est.

§. III.

IVstus Lipsius, eruditionis facilè princeps, molestissimum iter suum festivè prorsus describit hunc in modũ: Ego, mi Heurni, inquit, quod vos Medici mi remini, vivo. Passus enim ea in hoc itinere sum, quæ nemo olim Cynicus, aut patientiam professus. Omnia humana mala me exagitârunt, ab aëre, ab aquis, à cibis. Venti & pluviæ perpetuæ: cibi non dicam barbari, sed vix humani. Valetudinem meam nôsti, & quàm ea præcipuè mihi firmanda delectu dapum. Ecce autem in hospitiis (sic appellabo: etsi reverà stabula illa aut haræ potiùs) primo initu poculũ aliquod obtrusum cerevisiæ calentis; nec recusare fas est, nisi elegisses expelli. Hic gustulus erat, & ad ignem cum aurigis aliquot aut serophipascis eadem illa potiùs sępius iteranda, cum solenni elegantiâ ad singulos potus porrectæ manus. Intereà mensa sternebatur (nec dicam de mappâ; nôsti.) Et jam calor meus inhiabat in cibum: Sed, heu, primum ferculum è lardo spisso, pingui, & addo, crudo. O rem mei stomachi! quid facerem? poscere aliud nefas. Specto igitur & taceo, & buccellas aliquot panis frango; atq; utinam panis! sed reverà, mi Heurni, si colorem, si pondus, si totam faciem vidisses: juro tibi pejerâsses de pane. Ater ille, gravis, acidus, & formatus in massam quaternos aut quinos pæne pedes longam, quam ego nec elevâssem. Plinius mihi in mente, qui de hac aut finitimâ gente scribit, Miseram eam, quæ terram suam ureret. Ego veriùs, Miseram quæ terram ederet. Sed vide alios missus. Diu expectato, ecce tibi caput jam cenæ, patina grandis, plena brassicæ consectæ. Ea jurulenta est (virulentam mihi calamus scribebat) adipe porcino ad digitum eminente, aut superstante. Hanc ambrosiam non comedunt illi, sed vorant. Ego quid? Nauseo, & fameo; atque ad extremum passulas aliquot è sacciperio meo haurio, quas cum pane lentè gusto. Invidiam ea res habuit & sermonem. Sed ego cum hospite convivas iratos habere malui, quàm Hygeiam. Denique & famulus meus insusurrabat iis de morbo. Extremum ferculum caseus fuit, sed ita putridus, ut diffluëret; hoc ipsum tamen illi habent, ut cerebrum Iovis. In pagis ista: in oppidis haud multò

multò meliora; nisi quòd illic tamen pisces nobis pferumque appositi, ex his, qui Norwegiâ adferuntur sale indurati & vento, at panis è siligine eadem. Hos tamen cibos edere jam didici, imò concoquere: & si ad vos unquam redeo, virum videbis sive passerem marinum potiùs, qui vorare didicerim ferrum. Hæc in mensâ, vis etiam & lectum? planè electum. Lecticæ pleræque in ordinem ad utrumque latus; juxta eas vaccæ, equi, vituli: suprà pulli & galinæ: subter (testor fidem) porci. De pulvino aut linteis, oro te, noli quærere. Mendicorum nostrorum tegetes longè meliores ac puriores, aut centones. Itaque per dies totos octo vestem non posui. Iam illud corollarium pulchrum: quod duas noctes dormivi in apertâ navi sive cymbâ, in Hontâ flumine, sub puro Iove, idque cœlo pluvio & ventoso.

Quid Lipsius ad hæc omnia peregrinationis incommoda dixerit, nisi unum illud: Peregrinus sum, nihil peregrinantium à me alienum puto, peregrinationes aliter non constant. Ita & nobis omnibus sentiendum, quidquid demum occurrat adversorum, Peregrini sumus: & peregre vivimus, peregrinis nihil familiarius, quàm nova quotidie ferre incommoda.

Gen. c. 47. vers. 9. Iacob grandævus natu: *Dies peregrinationis*, inquit, *vitæ meæ centum triginta annorum sunt parvi & mali*, hoc est pauci & malorum pleni, *nec pervenerunt usque ad dies patrum meorum, quibus peregrinati sunt.* Abraham vixit annis centum & septuaginta quinque. Isaac centum octoginta: Iacob centum quadraginta septem; & in Ægypto quidem septemdecim vixit annis. Non mirum Iacob annis paucioribus vixisse, quàm parens, quàm & avus vixerit, in promptu causa est, diuturnis mœroribus conficiebatur. *Animus gaudens ætatem floridam facit; spiritus tristis exsiccat ossa.* Vis esse longævus? sis semper lætus. Conscientia bona nunquam sine lætitiâ est, de suo gaudet, intus sibi canit, & plaudit. Homo bonæ conscientiæ, divinæ voluntati ac providentiæ se totum plenissimè committit, securus futurorum, hoc uno semper lætissimus, quòd à Deo omnia sciente amantissimè regatur simul ac providentissimè. Hoc animus gaudens est, hoc ætatem facit floridam. Hoc peregrinum in maximis incommodis, in adversis omnibus solatur. Peregrini nos omnes sumus. Post annos quinquaginta ubi erimus? Tendimus, tendimus; sed nondum venimus in cœlum. Hic peregrino duplicè, sed brevem figo legem.

Iacob paucioribus annis vixit quàm parens & avus. Quæ causa. Prov. c. 17. vers. 22. Conscientia bona peregrinũ in adversis omnibus solatur.

Binæ leges peregrino datur.

Prima; *Ubiq; peregrinum te esse memento.* Hoc Olympius identidem monebat. Hæc memoriæ nostræ labes est, obliviscimur id quod sumus. Memento opulente, libidinose, potulente, iracunde, fastuose homo, memento te peregrinum esse, & ad unam cum omnibus properare metam mortis, memento.

1. Vbique peregrinũ te esse memento.

Altera; *Patientia peregrinis omnibus necessaria.* In eam rem eleganter Franciscus Petrarcha hoc docet compendij. Vis ut longum iter breve fiat, volens i. Quandoquidem non possumus non peregrinari, faciamus id non repugnanter, non gravatè, sine recusatione, egregiâ animi alacritate, summo studio, voluntate promptâ; quisquis peregrinus es, i volens & libens, & omnia mitigabis incommoda. Si fames aut sitis, æstus, aut frigus vexet; si via cænosa aut aspera; si comites importuni sint & molesti; si prædones, viarum insessores, obvij, si tempestas fœda, immoderata, atrox; si paupertas insequatur, si jumenta, currus, naves aut desint aut periculis objiciant, si hospitia vel nulla sint, vel paupertina, hæc omnia, quæ nec vitare potes nec emendare, quæso tolerare non pigeat; i volens. Incommoda & adversa, mi peregrine, quotidie perferre propriè tuum est. Gregorius Nazianzenus fortiter dixit: *Nobis omnis terra, & nulla terra patria est.* Vbique & nusquam domi sumus, dum extra cælum agimus.

2. Patientia peregrinis omnibus necessaria.

Greg. orat. 21.

CAPUT XIX.

Iosephi pater moritur & sepelitur. Moritur & Manasses & Iosephus. Omnes hesterni sumus.

HAbitavit ergo Israël in Ægypto, id est, in terrâ Gessen, & possedit eam: auctúsque est & multiplicatus nimis. Et vixit in eâ decem & septem annis, factique sunt omnes dies vitæ illius centum quadraginta septem annorum. Cúmque appropinquare cerneret diem mortis suæ, vocavit filium suum Ioseph & dixit ad eum: Si inveni gratiam in conspectu tuo, pone manum tuam sub femore meo: & facies mihi misericordiam & veritatem, ut non sepelias me in Ægypto: Sed dormiam cum patribus meis, & auferas me de terrâ hac, condásque in sepulchro majorum meorum. Cui respondit Ioseph: Ego faciam, quod jussisti. Et ille: Iura ergo? inquit, mihi. Quo jurante adoravit Israël Dominum, conversus ad lectuli caput. His itaque transactis nuntiatum est Ioseph, quòd ægrotaret pater suus: qui assumptis duobus filiis Manasse & Ephraïm, ire perrexit. Dictúmque est seni: Ecce filius tuus Ioseph venit ad te. Qui confortatus sedit in lectulo. Et ingresso ad se Ioseph ait: Deus omnipotens apparuit mihi in Luzâ, quæ est in terrâ Chanaan: benedixitque mihi & ait: ego te augebo & multiplicabo, & faciam te in turbas populorum: dabóque tibi terram hanc, & semini tuo post te in possessionem sempiternam. Duo ergo filij tui, qui tibi nati sunt in terrâ Ægypti, antequam huc venirem ad te, mei erunt. Ephraim & Manasses sicut Ruben & Simeon reputabuntur mihi. Reliquos autem quos genueris post eos, tui erunt, & nomine fratrum suorum vocabuntur in possessionibus suis. Mihi enim, quando veniebam de Mesopotamiâ, mortua est Rachel in terrâ Chanaan in ipso itinere, erátque vernum tempus, & ingrediebar Ephratam, & sepelivi eam juxta viam Ephratæ, quæ alio nomine appellatur Bethlehem. Videns autem filios ejus dixit ad eum: qui sunt isti? Respondit: filij mei sunt, quos donavit mihi Deus in hoc loco: Adduc, inquit, eos ad me, ut benedicam illis. Oculi enim Israël caligabant præ nimiâ senectute, & clarè videre non poterat. Applicitósque ad se deosculatus, & circumplexus eos, dixit ad filium suum. Non sum fraudatus aspectu tuo: insuper ostendit mihi Deus semen tuũ. Cúmque tulisset eos Ioseph de gremio patris, adoravit pronus in terram. Et posuit Ephraim ad dexteram suam, id est, ad sinistram Israël: Manassen verò in sinistrâ suâ, ad dexteram scilicet patris, applicuitque ambos ad eum. Qui extendens manum dexteram posuit super caput Ephraim minoris fratris: sinistram autem super caput Manasse, qui major natu erat, commutans manus, Benedixitq; Iacob filiis Ioseph, & ait: Deus, in cujus conspectu ambulaverunt patres mei, Abraham & Isaac; Deus, qui pascit me ab adolescentiâ meâ usque in præsentem diem; Angelus, qui eruit me de cunctis malis; benedicat pueris istis, & invocetur super eos nomen meum; nomina quoque patrum meorum Abraham & Isaac, & crescant in multitudinem super terram. Videns autem Ioseph, quòd posuisset pater suus dexteram manum supra caput Ephraim, graviter accepit: & apprehensam manum patris levare conatus est de Ephraim, & transferre super caput Manasse: Dixitque ad patrem: Non ita convenit pater, quia hic est primogenitus, pone dexteram supra caput ejus. Qui renuens ait: Scio fili mi, scio: & iste quidem erit in populos

Gen. c. 47. v. 27. usque ad finem.

Gen. c. 48. v. 1. per totũ.

pulos & multiplicabitur: sed frater ejus minor, major erit illo, & semen illius crescet in gentes. Benedixitque eis in tempore illo dicens: In te benedicetur Israël, atque dicetur: faciat tibi Deus sicut Ephraim, & sicut Manasse. Constituitque Ephraim ante Manassen. Et ait ad Ioseph filium suum: En ego morior, & erit Deus vobiscum, reducétque vos ad terram patrum vestrorum. Do tibi partem unam extra fratres tuos, quam tuli de manu Amorrhæi in gladio & arcu meo, &c. Finitisque mandatis, quibus filios instruebat, collegit pedes suos super lectulum & obiit, appositúsque est ad populum suum.

Gen. c. 49. vers. 32.

Iacob moritur, rogátque sepeliri in monumẽto majorũ.

Obiit Iacob anno mundi 2256. cùm Ioseph annum ageret quinquagesimũ sextum. Mors Iacobi egressum Hebræi populi ex Ægypto præcessit ann. 190. Dum verò in Ægypto fuit Iacob, natus est Iob patientiæ speculum.

Ad historiæ finem tendimus, mi Lector, & unà Iacob ad terminum vitæ. Imminente igitur morte optimus senex filium suum Ioseph acciri curans: Si me amas, inquit, mi fili, hanc mihi gratiam præsta, & mortuum me non in Ægypto, sed in majorum meorum monumento sepelias. Cui Ioseph: Faciam, ait, mi pater, quod jubes. At verò Iacob, ubi Ioseph filiis Ephraim & Manasse optimè precatus est, ubi & suismet filiis eventus varios prædixit, & præceptionibus optimis instruxit, collegit pedes suos super lectulum & obiit, appositúsque est ad populum suum, expletis centum quadraginta septem annis. Ioseph parentem functum arctè complexus lachrymis & osculis vultum expirantis notavit. Mox servis suis medicis præcepit, ut cadaver patris vario aromate condirent. Luctus autem funebris, Ægyptio more, diebus septuaginta duravit.

At Ioseph palatinos optimates conveniens: Obsecro, ait, si gratiosus sum apud vos, peregrinationi meæ apud Pharaonem regem favete. Parens meus sub obitũ jurejurando me adegit, ut se in terrâ Chanaan, in majorum nostrorum monumento sepeliam. Has ergo pietatis vices parenti meo deferam; mox ubi eum in terrâ humavero, huc revertar. Nec difficilis in eâ re Pharao, & petitioni Iosephi annuens: Ascende, inquit, & parentem tuum terræ manda. Proficiscente autem Iosepho comitati sunt eum, honoris causâ, non solùm omnes regis proceres, sed & omnes Ægypti totius satrapæ. Adfuit tota Iosephi familia, & omnes illius fratres, qui supremos patri honores habuerunt. Fuitque funus longè illustrissimum, equitum & curruum ingenti apparatu. Postquam diebus septem celebratæ sunt exequiæ maximis planctûs argumentis, dixerunt Chananæi: *Planctus magnus est iste Ægyptiis*, inde loco nomen inditum: *Ægypti planctus*. Ita Iacob à filiis suis sepultus est in Chanaan, in speluncâ duplici, quàm Abrahamus emerat ab Ephrone Hethæo in sepulchrale conditorium. Sepulto patre reversus est Ioseph in Ægyptum cum fructibus suis, omnique comitatu. At fratres malè veriti ne Ioseph injuriam, quam olim accepisset, jam parente amoto vindicatum iret. Quapropter omnes illi supplices pronóque corporis flexu eum adorantes, obsecramus, inquiunt, ut fraterni sceleris oblitus, nos licet immerentes perpetuâ gratiâ frui permittas. Hoc idem parens noster jam proximus morti, suo nomine rogari te voluit, ut quidquid peccassemus in te, id clementer servis tuis condonares. His precibus illacrymans Ioseph: *Ne timeatis*, inquit, *num Dei possumus resistere voluntati?* Vos malum in me cogitâstis, sed illud Deus in bonum vertit, ut ad eam, quam cernitis, eveheret dignitatem, & complures populos servaret à fame. Metum omnem mittite, ego vos, vestrósque liberos pascam. Hac verborum suavissimâ lenitate illos consolatus est. Ita Ioseph cum omni domo patris sui habitavit in Ægypto, viditque non tantùm nepotes, sed etiam pronepotes, tam Ephraim quàm Manasses. Cúmque jam & ipse Ioseph vicinus morti ageret futurorum præscius his monitis A fratres imbuit: Visitabit vos Deus post meum obitum, & Ægypto faciet migrare: vos autem istud humanitatis mihi exhibete, & ossa mea è loco isto asportate vobiscum. Ita & Ioseph diem suum obiit expletis centum & decem vitæ annis. *Et conditus aromatibus repositus est in loculo in Ægypto.* Hic nostrum omnium terminus est. Moritur Abraham, moritur Isaac, moritur Iacob, moritur & Ioseph. *Omnes morimur, & velut aquæ dilabimur in terram. Hesterni quippe sumus*, canit Iob, *& ignoramus, quoniam sicut umbra dies nostri sunt super terram.*

Illustrissimum Iacobi funus.

Gen. c. 50. vers. 11.

Fratres Ioseph obsecrant ut fraterni sceleris oblivisca-tur.

Ibid. v. 19.

Ioseph vicinus morti migra-

Diximus capite decimo septimo: Pastores sumus nos omnes. Subjunximus sequente Decimo octavo capite: Peregrini sumus nos omnes. Hoc igitur ultimo rectè sequitur: Hesterni sumus omnes. Istud ad obitum Iosephi quinque conclusionibus paullò enucleatiùs trademus.

Ibid. v. 20.

Omnium Christi amicorum vita arumnosa, mors pretiosa.

Iacobi sepulti funus.

Vita, mors, merces Iacobi.

Iacob sepultus.

Ioseph obitus.

Ioseph sepultus.

Vita, mors, merces Ioseph.

Ioseph sepultus.

Ioseph sepultus.

*Ioseph sepultus

vita sanè pretiosa, mors multò fuit ærumnosissima. Sic vertunt vices. Non formidemus vitam ærumnis variis onustam, modò mortem obeamus cælestibus præmiis honoratam. Hesterni sumus nos omnes; cùm tota desierit vita, videbitur transiisse dies hesterna.

§. II.

Mors bona bonis omnibus præferenda.

II. CONclusio. *Mors bona bonis omnibus præferenda.* Non est majus bonum, nec gratia major in orbe, quàm vitam piè sanctéque finire. Hanc summam gratiam mereri nunquam possumus de condigno (uti loquuntur scholæ) sed tantùm de congruo. Quod sæpius inculcandum. Hanc gratiam etsi centum annorum obsequiis accuratissimis ambiremus, nihilominùs æquissimè responderet Deus: Nihil tibi debeo; mera, merissima est gratia, in bono perseverantia. In hanc omnis cogitatus humanus assiduè sit intentus. Explicamus hoc.

Statuarius artificiosissimè finxit è marmore Damoclem Dionysij regis Assentatorem in sellâ sedentem eo habitu, sitúque, ut gladium cervicibus imminentem fixissimis oculis perdius & pernox suspiceret. Quisquis saxeum hunc hominem vidit, hoc ferè de illo pronuntiavit: Hic homo dies noctésque in gladium impendentem oculos erigit, perpetuus sine cessatione spectator. Huic similes simus, gladius nostro impendet capiti. Tandem cadet. Certissimum, nil certius. Sed refert, quà cadat, num dextrâ, num lævâ. Ideo casurum denique horis omnibus suspiciamus. Huc cogitationes, huc labores, huc nostra omnia spectent. Hesterni quippe sumus. De Iacob morituro dicunt divinæ paginæ: *Cúmque appropinquare cerneret diem mortis suæ, vocavit filium suum Ioseph.* Hæc miseriarum exitiosissima est hominum socorditer viventium, quòd mortem non cernant appropinquantem, nec in letali quidem morbo, cùm jam cominus adrepit. Moneri nolunt imminentis fati. Medicus plerumque fausta pronuntiat, aut silet tristia, & spem vitæ facit; solantur amici solatiolis inanissimis. Ita memoriam mortis excludit brevi moriturus. Hi tales moriuntur sicut Ægyptij, qui Hebræum populum migrantem insecuti sunt: subitò coïit reductum mare, & oppressit vociferantes: *Fugiamus; Dominus pugnat contra nos.* Serò nimiùm hæc clamatis, ô viri, serò nimiùm circumspicitis fugam. *Fugientibúsque Ægyptiis occurrerunt aquæ, & involvit eos Dominus in medijs fluctibus.*

Gen. c. 47. vers. 29. Miseria hominum socorditer viventium est, nè cernere mortem.

Exod. 14. vers. 25. Ibid. v. 27.

Idcirco rex David maturè vociferatur: *Illumina oculos meos, ne unquam obdormiam in morte:* ne unquam sine pio sensu, erectâ cogitatione, tuíque desiderio deprehendar. Probè mentis homo prævidet mortem, mors illum non invenit dormientem, aut exitioso torpentem frigore. Eam ob causam Christus præmonens: *Orate,* inquit, *ut non fiat fuga vestra in hieme.* Iusti omnes moriuntur vere, quocunque demum anni tempore moriantur: nam Deus illos velut vernantes rosas colligit. Pharmacopolæ sub vernum tempus uno quandoque die aliquot rosarum millia carpunt: ita Deus quotidie veris opes, suas decerpit sibi rosas; quotidie beatorum numerus augetur morientium decessu. Cælestis sponsa gratulatur sibimet: *Dilectus meus descendit in hortum suum.* Quod Theodoretus explicans: *De spinis colligit lilia,* inquit, *rosásque, scilicet animas de corporeis solicitudinibus.* Quid corpus nisi vepretum, sub quo dilitescit anima, & crebrò malè compungitur. Ex hoc vepreto Deus animam velut nobilissimam rosam sibi seligit. De brevi rosarum ævo eleganter canit Ausonius:

Psal. v. 4.

Matth. c. 24. vers. 20. Omnes justi moriuntur in vere.

Cant. c. 6. vers. 1.

Quam longa una dies, ætas tam longa rosarum.

Nemo mortalium die uno toto supervixit.

Nec longior est hominis. Nam mortalium nemo, si horas numeremus ad Dei Calendarium, die uno toto supervixit. Deo mille anni dies unicus sunt. Affirmat David: *Quoniam mille anni ante oculos tuos tanquam dies hesterna, quæpræteriit.* Idem affirmans & Petrus: *Vnum,* inquit, *verò hoc non lateat vos carissimi, quia unus dies apud Dominum sicut mille anni, & mille anni sicut dies unus.* Atqui longævorum hominum nemo unquam totis mille annis vixit. Ad hujus diei métam proximus accessit Matthusalem, non tamen diem totum, hoc est mille annorũ nostratium pervixit. Rosa fuit:

2. Pet. c. 3. vers. 8.

Quam modo nascentem rutilus conspexit Eous,
Hanc rediens sero vespere vidit anum.

Prudentius vates Christianus hominem rosæ conferens ita cecinit:

Salvete flores martyrum,
Quos lucis ipso in limine,
Christi insecutor sustulit,
Ceu turbo nascentes rosas.

Rosæ sumus, manè floremus, vesperi languemus, cadimus, extinguimur. Hesterni quippe sumus nos omnes.

3. Iusti in vitâ pugnant, in morte triumphant.

III. *Iusti in vitâ pugnant, in morte triumphant.* An non pugnavit Ioseph? *Certamen forte dedit illi Deus ut vinceret.* Complures hostium in unum Iosephi caput conjurârunt: Fratrum invidia, dominæ luxuria & calúmnia, domini sævitia, ingratus animus pincernæ, multiplex miseria. Pugnavit sanè acriter & vicit. Pugnavit & Iacob pugnas sanè difficiles. Ipsemet de seipso: *Do tibi partem unam,* inquit, *extra fratres tuos, quam tuli de manu Amorrhæi, in gladio & in arcu meo,* hoc est, in oratione ac deprecatione meâ. Pugnavit Iacob viginti tribus annis ob amissum filium carissimum. Arduas pugnas pugnavit Iacob, Nam Simeoni & Levi filiis dixit: *Turbastis me, & odiosum fecistis me Chananæis & Pherezæis habitatoribus terræ hujus. Nos pauci sumus; illi congregati percutient me, & delebor ego & domus meæ.* At verò in morte triumphavit; *benedixitq; filiorum singulis, benedictionibus propriis.* Iusti in vitâ pugnant, in morte triumphant. Pugnemus strenuè dum pugnandum est. *Militia est vita hominis super terram.* Recusat vivere, qui detrectat pugnare. Nec ipsa mors sine gravi luctâ appetitur; & plerumque quantò vicinior fini fit vita, tantò gravior exurgit pugna. Hîc depugnandum est, & aut vincendum, aut ardendum. Pugnemus, dum hostis nostros pulsat limites. Brevi sortietur finem pugnandi tempus: Hesterni quippe sumus nos omnes

Sap. c. 10. vers. 12.

Gen. c. 48. vers. 22.

Gen. c. 34. vers. 30.

Gen. c. 49. vers. 28.

Iob c. 7. v. 1.

§. III.

4. Mors justorum æterni paschatis initium.

IV. *MOrs justorũ æterni paschatis initium.* De Christo ocellus, Christi Ioannes: *Ante diem festum Paschæ,* inquit, *sciens* IESVS, *quia venit tempus ejus, ut transeat ex hoc mundo ad Patrem.* En exemplar, & imaginem istorum omnium morte occumbentium. Quid aliud est omnis vita nisi cineralia & soteria? Luctus è luctu nascitur, calamitas calamitatem excipit, alij super alios mœrores ingruunt, catenatæ sunt miseriæ nostræ; cineribus largè perspluimur; modò fames, modò sitis, modò aliud triste quippiam nos exerceret; semper aliquid cineris lambendum. vix unquam è toto læti sumus. Tandem vicina mors paschа proximũ esse denuntiat. Venit hora ut transeant. Terminus à quo, ut Philosophorum cathedræ loquuntur, mundus est, lacrymarum, periculorum, miseriarum, malorum omnium plenus. Terminus ad quem, cœlestis Patria est. Transitur ex hoc mundo ad Patrem. Mors horum talium Transitus, seu paschatis principium est. In istam spem certissimam nos erigens Augustinus: *Ecce pascha,* inquit, *ecce transitus. Vnde & quò? De hoc scilicet Mundo ad Patrem. Spes membris in capite data est, quòd essent illo transeunte sine dubio secutura. Quid ergo infideles, nonne & ipsi transeunt, quia non permanent. Transeunt, planè & ipsi, sed aliud est transire de*

Ioan. c. 13. vers. 1.

Mundus est terminus à quo. Cælestis patria terminus ad quem.

Aug. tom. 9. tract. 55. in Ioan. c. 13. pag. 160.

mundo, aliud est tum mundo: Aliud transire ad patrem, aliud ad hostem. Nam & Ægyptij transierunt. Non enim persequendo manserunt, Non tamen transierunt per mare ad regnum, sed in mari ad interitum. Cùm ergo noster nos transitus, seu, Pascha vocat, transeamus læti, spe bonâ pleni, transeamus cum pastoribus usque Bethlehem, transeamus usque ad patrem cœlestem, &, ut Augustinus loquitur, ad ejus fundatissimum regnum. Transeamus ne cum mundo pereamus, transeamus ad Patrem; Hesterni quippe sumus nos omnes.

5. Ut non metuamus venturum judicem, amplectamur nunc Dominum in cruce morientē.

V. *Vt non metuamus venturum judicem, amplectamur nunc Dominum in cruce morientem.* Hîc duo nobis sedulò consideranda. Metus venturi Iudicis, amplexus Christi morientis. Suos Iosephus filios Manassen & Ephraim ad Iacob parentem duxerat, ut ab avo precatione solenni lustrarentur. Quapropter natu majorem ad avi dexteram, natu minorem Ephraim ad lævam collocat. At senex Iacob quantumvis caligantibus oculis, hos nepotum situs perquisitè observans, commutavit brachia, manúsque decussatim applicans dexteram Ephraimo, Manasse autem sinistram imposuit. Hîc Ioseph errorem caligantium oculorum emendaturus, apprehensam patris dexteram ex Ephraim capite in Manasses caput conatus est transferre, & ad patrem aliquantulùm commotior: *Non ita convenit pater,* inquit, *quia hic est primogenitus; pone dexteram super caput ejus.* At reluctatus pater: *Scio, fili mi, scio,* ait, *& iste quidem erit in populos, & multiplicabitur, sed frater ejus minor, major erit illo.* Hoc nobis Deus ab orbe condito sub imaginibus diversis proposuit, ut id animo & cogitatione probè comprehendere mus, quę videlicet supremi judicij futura sit ratio, quàm distinctæ ac dispares duæ partes constituendæ, Massa damnatorum & chorus Angelorum. Hoc certè judiciū providus pater ab orbis incunabulis diverso schemate spectandū ingessit: Apostatas Angelos à se repulit æternùm, hominem luteum jam perditū è sordibus erexit; Abelem elegit, Cainum rejecit; Isaacum extulit, Ismaëlem repulit; Iacobum approbavit, Esau repudiavit; Iosephum natu pæne minimum in sublime erexit, Ruben primogenitum depressit; Davidem in regem evexit, Davidis fratres solio procul amovit; Hebræum populum abdicavit, eorum vicem gentes substituit; latronem unum cum filio crucifixo assumpsit, alterum præcipitavit. Hæc facies erit novissimi tribunalis; geminæ partes stabunt dexterâ lævâque, hinc beati, illinc damnati. Et quod obstupescendum in illis omnibus, quas diximus, electionibus natu minores, & qui videbantur viliores ac abjectiores, prælati sunt majoribus, quibus præeundi jus competere credebatur. Hinc illæ Iacob voces: Scio, fili mi, scio quid agam, nec hujus rei modum definiri mihi patior: Minor erit major e major. Hæc admodum tremenda sunt judicia, Hæc dies noctésque toto animo cogitanda sunt. Heu quanti nunc in honore, & in pretio sunt, florent, fulgent, nomen & decus gerunt, gloriâ circumfluunt, ubique ad dexteram consistunt, qui tamen ante tribunal Christi ad lævam hircorum partem stabunt. *Non enim cogitationes meæ, cogitationes vestræ, neque viæ vestræ, viæ meæ, dicit Dominus. Quia sicut exaltantur cœli à terrâ, sic exaltatæ sunt viæ meæ à viis vestris & cogitationes meæ à cogitationibus vestris. Non multi sapientes secundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles: sed quæ stulta sunt mundi elegit Deus, ut confundat sapientes; & infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia; & ignobilia mundi, & contemptibilia elegit Deus, ut ea, quæ non sunt, & ea quæ sunt destrueret.* Ita Deus judicat, sed longè aliter, fatemur, quàm homines. *Manè, manè judicium suum dabit in lucem, & non absondetur. Adhuc modicum, aliquantulúmque, qui venturus est, veniet, & non tardabit. Leo rugiet* (altâ iride) *quis non timebit?* Verè formidabilia sunt Domini judicia. Hæc æstimatione secretâ assiduè sunt pensanda. Verùm, ne metuas venturum judicem, amplectere Dominum IESVM in cruce morientem.

Gen. c. 48. v. 17. & 18.

Isa. c. 55. v. 8. & 9.

1. Cor. c. 1. v. 26, 27, 28.

Decussatæ manus Iacob mysterium crucis tantò antè præviśæ repræsentant. Servator orbis decussato palo suffixus unum oculum habet clausum, apertum alterum. Icone non absimili hoc explicamus. In Lusitaniæ urbe Bausas imago Crucifixi Domini magna è ligno facta visitur. Narrat, qui accuratè spectavit. Hoc pendentis IESV signum admirationi omnibus, & venerationi est. De hac religiosus, quem dixi spectator: Potui, ait, quietè, & seriò augustissimam patientis Christi effigiem spectare. Situs hic erat. Caput aliquantulùm in latus dexterum vergebat, dextero itidem oculo clauso, sinister, oculis omnium testibus, apertus, tota facies erecta prospiciebat cælum. Huc spectatum tota excurrit venerabunda Lusitania. Prisco sermone fertur à Nicodemo sculptam. Vt ut sit de imagine. Verè Christus in trabem affixus, oculum unum exhibet compressum, alterum reseratum. Germani gratiam facturi connivendo, alterum oculum dicunt claudendum. Christus Dominus à ligno regnans dextrum oculum claudit in omnes omnium electorum noxas, *dissimulans peccata hominum propter pœnitentiam.* Et hoc est, quod adeò efflictim rogat David: *Averte faciem tuam à peccatis meis.* Connive Domine, ac dissimula, qui misereris omnium, *quia omnia potes & diligis omnia, quæ sunt, & nihil odisti eorum, quæ fecisti.* Ita Christus claudit oculum justitiæ, ut aperiat gratiæ, ac veniæ. At enim in sceleratum latronem, ceterósque omnes pervicaces & impios apertus vigilat oculus. Quoties per Ezechielem monet & minatur: *Non parcet oculus meus super te, & non miserebor. Vultus meus contra vos Domini super facientes mala, ut perdat de terrâ memoriam eorum.* O homo sceleste, hic oculus etiámnum apertus vigilat & videt te. O fastuose, ô adulter, ô auare, ô impure & libidinose, ô livide & ambitiose, ô piger & ebrioše, adhuc vigilat hic oculus, apertus est, & videt te!

Gen. c. 47. v. 31.

Amplectamur ergo crucifixum Dominum IESVM, ne metuamus æquissimum judicem venturum. Iacob moriturus *adoravit Dominum, conversus ad lectuli caput.* Convertamur, ô Christiani, ad lectuli caput. Iacuimus forsan hactenus in suo quisque lectulo, suis quisque vitiis detinebatur. Ad caput hujus lectuli vertamur, pro se quisque sic ratiocinetur: Quodnam hactenus præcipuè vitium me ligabat, quibus potissimùm sordibus volutabar, quo in cœno ad id temporis hærebam? Huc me vertam, in hoc curas & cogitationes meas omnes impendam, hoc omnibus viribus agam, ut è vitiorum lectulo emergam. Adorabo Dominum ad lectuli caput.

Finis Ioſephi Ægypti Proregis deſcripti.

DANIEL

DANIEL
PROPHETARVM PRINCEPS DESCRIPTVS.

CAPVT I.
Danielis in servando proposito firmitas & constantia.

DANIELEM HEBRÆVM VATEM inter septemviros priscæ legis jure meritissimo numeramus, ævo ultimum, non rerum gestarum magnitudine. Quis porrò Daniel prosapiâ, quis & quantus eruditione, facultatibus, dignitate, sapientiâ, virtute, sanctimoniâ fuerit, suo loco dicemus. In antecessum hæc paucula sufficerit libâsse.

Daniel sanguine regio progenitus, supra nonaginta annos princeps palatinus, tam Chaldæâ, quàm aliâ omni literaturâ eruditus, vir ævo illo doctissimus, omnimque sapientissimus, & quod elogiorum caput est, divino spiritu afflatus, vaticinij laude florentissimus.

Sed stylum ad ipsam vertamus historiam, in quâ explicandâ eum servabimus ordinem, quem divinus historiæ scriptor servavit, qui maximam temperantiæ atque abstinentiæ laudem Danieli, sociisq; tribuens: *Proposuit autem Daniel in corde suo*, inquit, *ne pollueretur de mensâ regis, neque de vino potûs ejus*. Nimirum Daniel altissimâ mente combibit; Divina lex istud prohibet; hoc vetitum, ergo neutiquam faciendum, quidquid demũ sequatur damni. Ab eâ mente Daniel nec verbis, nec muneribus, nec minis, vi nullâ potuit abduci. Vetitum est, ergo factu fœdum, ergo minimè committendum est. Validissimum prorsus retinaculum peccaturis injicit hæc una cogitatio: *Vetitum est*. Quod hoc capite uberiùs disseremus.

Daniel. 1. vers. 8. Daniel legis divinæ observantissimus fuit.

Danielis elogia.

§. I.

Proposuit autem Daniel in corde suo ne pollueretur de mensâ regis. Divini vim edicti Daniel ita complexus est animo, ut omnes adversas ratiocinationes ariete hoc uno eliserit: *Vetitum est*. Quidquid objiceretur, ille animosissimè repudians: nec volumus, ajebat, nec possumus divinam legem violare, etsi facultatum, nominis, famæ, insuper & vitæ jactura sit facienda. Perdamus omnia, non refert, modò servemus leges patrias. Pereamus nos, quid interest, dummodò stet Dei decretum. Hos tales cibos admittere, nobis vetitum, ergo istud nunquam facturi sumus. Vel sanguinem potiùs placet prodigere, quàm legi fraudem facere.

Dan. citato.

Vetitum erat Hebræis, in obvios quosque cibos se effundere, sed jure non tam stricto, quàm furtum, adulterium, homicidium. Et primò quidem Iudæis nefas erat in societatem mensæ cum idololatris venire. Petrus in Cornelij Centurionis domo: *Vos scitis*, inquit, *quomodo abominatum sit viro Iudæo conjungi aut accedere ad alienigenam*, scilicet convictûs gratiâ, ad ejusdẽ mensæ familiaritatem. Hinc Dominum IESVM sitientem Samaritis oratione perstringens: *Quomodo tu*, inquit, *Iudæus cùm sis, bibere à me poscis, quæ sum mulier Samaritana? non enim conuntur Iudæi Samaritanis*. Deinde leporina & suilla caro, præter ejusmodi alia, Hebræorum mensis ex lege arcebantur. Atqui aularum mensæ id genus carnium minimè aversantur. Accedit, quòd idololatræ multa comederint, Diis priùs oblata, quæ si pari libertate in cibos Iudæi admisissent, grandi religionũ suarum dispendio id fecissent. Quod & Christianis initiò vetitum. Hinc illa senatûs Apostolici epistola: *Visum est Spiritui sancto & nobis, nihil ultrà imponere vobis oneris quàm hæc necessaria, ut abstineatis vos ab immolatis simulacrorum, & sanguine & suffocato, & fornicatione*. Ergo rectissimè Daniel: Hoc, inquit, inter vetita ducimus, eam ob caussam id nunquam committemus. Retinaculum peccati, memoria præcepti.

Interdicta quædam Iudaris facta. 1. Societas mensæ cum idololatris. Actor. c. 10. vers. 28. Iacob. c. 4. vers. 9. Deut. c. 17. v. 7. & 8. a. Leporina & suilla caro. 3. Immolata simulachrorum. Actor. c. 15. vers. 28.

Adversùs hanc Danielis & sociorum temperantiã tot rationes, tantóque pondere pugnârunt, ut nemo jure videatur offendi potuisse, si subductis rationibus dixissent: Quidquid rex jusserit, in mensam admittemus: Date, quod consuetum est huic aulæ apponere. Nam illis hæc momenta rationum ordine potuissent objici. 1. Quid, ô boni juvenes, hîc fruſtrà reluctamini? Captivi estis, nec enim domi vestræ agitis. Nihil vobis in regiam cujnam juris. Novas illi leges scribere non vestræ potestatis est. Num vestræ conditionis obliti, quid prandendum, quid cenandum sit, dictabitis? 2. Sed esto, captivi non sitis, peregrini certè atque exteri estis, quibus neutiquam permissum in alio regno novam cenandi consuetudinem inducere. Hic aulæ nostræ mos est, quem antiquare conatu vanissimo nitimini. Ergo edite, quod vobis apponitur, *Omne, quod in macello vænit, manducate, nihil interrogantes propter conscientiam*. 3. Sin obstinatè cibos regios repudietis, omni regis gratiâ excidetis. Rex istud sui cõtemptum interpretabitur. 4. Malasaris caput extremo periculo objicietis, si vestro stare judicio pertendatis. Officium Malasar & vitam perdidit, si contra regis jussa aliam vobis præbuerit diætam. Ergo alieni saltem capitis discrimen attendite, si vestrum vobis caput venale. 5. Et quales, obsecro, totius aulæ sermones commeabunt, quales irrisus? omniũ eritis fabula; triviale de vobis carmen cantabitur, omnium in vos cavilli jacientur. Ergo saniora inite consilia. Non licet hîc multùm tricari. Imperium regis exequendum. Ratiunculis cedendum omnibus, ubi regia urget jussio. Nihilominùs *Proposuit Daniel in corde suo, ne pollueretur de mensâ regis*. Idẽ & tres alij proposuerunt. Hinc liberrimæ voces illæ: *Dentur nobis legumina ad vescendum, & aquâ ad bibendum*. Atque ut istud suaviùs persuaderent: *Tenta nos, obsecro*, ajunt, *servos tuos diebus decem; & contemplare vultus nostros, & vultus puerorum, qui vescuntur cibo regio: & sicut videris, facies cum servis tuis*.

Rationes quibus potuisset temperantia Danielis & sociorũ expugnari. Dan. c. 1. v. 12. & 13.

En, quid propositi firmitas possit; quàm retrahat à malo! ô quanti quanta proponimus, & fit nihil: dicunt, proponunt, statuunt, & fit nihil; promissis implent æthera & fit nihil. Hæc quidem proposita nostra sunt, sed non firma, non in corde masculo nata.

§. II.

Observatio interdictorum. 1. In Susanna: Susanna, de quâ suo loco disseremus, cùm sciret adulterium omne prohibitum, proposuit in corde suo pudefieri potiùs Babylone totâ, ad extremũ po-

tiùs supplicium trahi, lapidari potiùs statuit, quàm adulterari. Vetitum est, nefas est, ergo neutiquam committendũ est. Pari animo Eleazarus senex laudatissimus: *Destinavit non admittere illicita propter vitæ amorem.* Suillam esse vetitã sciebat, idcirco proposuit in corde suo mori potiùs, quàm cibo vetito contaminari. Erant, qui miseratione parum laudandâ moti clanculum rogarent, ederet carnes lege non vetitas, eâq; ratione suaviter simularet porcinas à se comestas, itaque supplicium evaderet capitale. Quâ in re mirificè humanos se sensuerunt. At ille tam importunis suasoribus: Turpissimum est, inquit, cano capiti simulare, aut fingere. Quod si faciam, an non juvenes nostri putabunt Eleazarum nonagenarium ad alienigenarum vitam transiisse, unde & ipsi tum amore vitæ, tum exemplo meo inducti similia audere non refugient? Quocirca hoc nunquam facturus sum, neq; enim hactenus his moribus consuevi vivere, ut ingenitæ nobilitatis canitiem maculâ tam turpi polluam. Ergo secundùm sanctæ & à Deo conditæ legis constituta præmitti volo in infectum. *Nam etsi in præsenti tempore suppliciis hominum eripiar, manum tamen omnipotentis nec vivus nec defunctus effugiam. Quamobrem fortiter vitâ excedendo, senectutẽ quidem dignus apparebo; adolescentibus autem exemplum forte relinquam, si prompto animo, ac fortiter pro gravissimis & sanctissimis legibus honestâ morte perfungar.* Et verò etiam perfunctus est. Tanti fuit Eleazaro, nihil patrare vetiti. Cùm tamen suillam edere non illo jure strictissimo vetaretur, quo vetantur mendacia, furta, adulteria, homicidia, quæ Deus non lege solùm scriptâ, sed etiam naturali ac congenitâ gravissimè vetat. Nihilominùs divinas leges, ô Christiane, audes cõtumeliosissimè perfringere. Exactè illud nosti: *Non loqueris contra proximũ falsum testimonium*, & tamen non tantùm mentiris, sed ut mentiaris, datâ operâ & studio id agis. Non nescis, quid septima lex vetet: *Non furaberis.* Et tamen manũ in aliena mittis, & furaris. Integrè calles, quid sexta lex prohibeat: *Non mœchaberis.* Et tamen eo ipso animo domum subis, ut in vetitũ ruas & mœcheris. Nõ ignoras, quid quinta lex interdicat: *Non occides.* Tu tamen pugionem rapis, gladium stringis, & intentas alteri mortem temerarius legirupa. Atq; hoc est, quod peccata letalia nimiùm quantùm auget. Hęc illa noxarum est enormis gravitas, hæc illa iniquitas infinita, scire, & à dictante conscientiâ audire: Hoc vetitum est, & à Deo judice supremo vetitum est, & sub pœnâ mortis æternæ, sub jacturâ cæli & beatitudinis æternæ vetitum est; hanc ipsam tamen culpam nihilominùs committere, legem divinam rumpere, & scientem ruere in malum. Hoc sanè aliud non est, quàm Deo illud impiorum occlamare; *Manda, remanda; Manda, remanda*; ego tamen vel invito te, vel te vetante hoc facio. Hoc, inquam, infanda in Deum injuria est, nullis ignibus, nullisq; sæculis expianda.

Hinc Deus minuta in speciem delicta severissimè puniit. Ob pomum unicum inobedienter admorsum gens humana omnis periisset æternùm, nisi Dei Filius succurrisset pereuntibus. Sed etiámnum post mortẽ à filio Dei obitam, quot millena millia, quot hominum milliones in æternas flammas precipitantur? Sed esto, nullus pereat ex humanâ gente, an non satis hoc supplicij est, ob unicũ pomum, ex arbore vetitâ direptum, omnibus omnino hominibus esse moriendũ? Si protoplasti, prout erant ante ausum primũ sapientissimi, rem aliquantulùm examinâssent hoc modo: Quidquid sit, etsi arbor hæc mala non sit, illius tamen fructus libare vetitum est; sive Dij futuri simus, sive non, hoc vetitum est; sive aperiendi sint oculi nostri, sive non, gustare hos fructus vetitum est. Apertissimè nobis ab ipso Conditore denuntiatum: *De ligno scientiæ boni & mali ne comedas.* Ergo quod vetitum, nequaquam committendum. Si ita, inquit, ratiocinati fuissent, paradisum retinuissent.

Dux belli laudatissimus Iosue, expugnaturus Iericho urbem, edictum militare promulgari iussit istud: *Cavete, ne de his, quæ præcepta sunt vobis, quippiam contingatis, & sitis prævaricationis rei, & omnia castra Israël sub peccato sint, atque turbentur.* At verò Achan amore prædæ captus modestissimè, ut ipse putabat, clam aliquid accipit contra vetitum. Quod ipse demum fassus: *Vidi*, ait, *inter spolia pallium coccineum valde bonum, & ducentos siclos argenti, regulámque auream quinquaginta siclorum: & concupiscens abstuli, & abscondi in terrâ contra medium tabernaculi mei, argentúmque fossâ humo operui.* Res belli non magna nec ulli noxia, quia tamen vetita, hæc in Achanum sententia capitalis est pronuntiata: *Quia turbâsti nos, exturbet te Dominus in die hac.* Secutum mox supplicium. Ab omni populo lapidibus est obrutus. Omnia, quę illius erant, filij & filiæ, omne pecus, omnis supellex unà cum argento, aureâ regulâ & pallio, in detestationem criminis consumpta sunt igni. Tanti est audere vetitum.

§. III.

His firmandis Regum fasti rem miserandam memorant. Virum Dei, Prophetam verum rex Ieroboam invitaverat humanissimè ad prandium. Cui Propheta: Non venio, inquit, neq; si mihi dimidium domûs tuæ dones, non venio. Hoc enim mihi vetitum. Ita vates fortiter se gessit, & rex tulit repulsam. Abeuntem hunc vatem prophetes alius, sed falsus, in itinere assecutus invitavit in domum, & ad mensam suam. Nõ licet mihi, ait alter, reverti, nec in viâ quidquam vel comedere vel bibere. Hæc enim vetantis Domini vox est: *Non comedes panem, & non bibes aquam, nec reverteris per viam, quam ieris.* Cui alter: *Et ego*, inquit, *propheta sum similis tui: & Angelus locutus est mihi in sermone dicens: reduc eum in domum tuam, ut comedat panem & bibat aquam.* Ita *fefellit eum, & reduxit secum.* Nec diu abfuit pœna. Dum enim unà prandent, vox ruit ab alto: *Quia non obediens fuisti ori Domini, & non custodisti mandatum, quod præcepit tibi Dominus Deus tuus: & reversus es, & comedisti, & bibisti aquam in loco, in quo præcepit tibi, ne comederes panem, neque biberes aquam, non inferetur cadaver tuum in sepulchrum patrum tuorum.* Sententiâ tam tristi acceptâ abiit, & in viâ jugulatus est à leone, velut carnifice, qui prandium punivit vetitum.

Tu, ô Deus, *mandasti mandata tua custodiri nimis*, Væ nitentibus in vetitum. Hac in re Balaam insignissimè se gessit. Miserat ad eum rex Balac principes, qui virũ suaviter invitatum ad se perducerent. At ille principibus liberrimè: *Ite*, inquit, *in terram vestram, quia prohibuit me Dominus venire vobiscum.* Renuntiatum est hoc Balaco regi; *qui rursum plures & nobiliores, quàm antè, misit.* Legati virum humanissimè salutantes: Hæc ipsissima, inquiunt, regis te invitantis verba sunt: *Ne cunctéris venire ad me, paratus sum honorare te, & quidquid voueris, dabo tibi.* Cui Balaam iterũ: *Si dederit mihi Balac plenã domum suam argenti & auri, non potero immutare verbũ Domini Dei mei*, non venio; edictũ vetans non temero. Animus magnus & vetiti observans, modò & constans fuisset, retinaculum omnis peccati, memoria præcepti.

Iosue ad nutum & exactissimè obtemperabat jubenti. Divinus scriptor de illo: *Sicut*, ait, *præceperat Dominus Mosi servo suo, ita præcepit Moses Iosue: & ille universa complevit; nec præteriit de universis mandatis, nec unum quidem verbum, quod jusserat Dominus Mosi.* Vbi quis seipsum legibus solvere, religionibus liberare, & sibimet exceptionẽ dare incipit, jam actum est; varias sibi causas fingit temerandi vetiti: Tam gnaviter dicet, non est prohibitum. Cui enim noceo, si hoc agam; quod rarò fit, pæne fieri non censendum. Nunquid ob rem tam levi-

2. In Eleazaro sene. 2. Mach. c. 6. v. 20.

Ibid. v. 26. & seqq.

Exod. c. 20. vers. 16.

Ibid. v. 16.

Ibid. v. 15.

Ibid. v. 13.

Scire aliquid prohibitũ, nihilominùs culpam cõmittere, est noxa enormis.

Isa. c. 28. vers. 10.

Paradigmata ultionis divinæ in mandatorum contemptores.

1. In Adam & Evâ.

Gen. c. 2. vers. 14.

Iosue c. 6. vers. 18.

Iosue c. 7. vers. 1.

Quibus verbis damnatio vetiti exprimitur.

Num. c. 22. vers. 13.

Ibid. c. 22. vers. 17. & 18.

Ibid. c. 23. vers. 12.

Iosue c. 11. vers. 15.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

leviculam ad inferos mittat? Ita sanè, mi homo, vel ob pomum, quia vetitum, cogimur mori. Nec levis est culpa, vel in re levissimâ Deum vetantem spernere.

Gen. c. 1. vers. 8. *Proposuit Daniel in corde suo, ne pollueretur de mensâ regis,* tametsi gravibus & multis urgeretur caussis, ut hisce mensæ legibus se suósque solveret: Non solvit. Nemo dixerit, sum pauper, sum debilis & æger, immanis appetentia, vehemens me sollicitat tentatio, neque ego sum resistendo; licebit ergo aliquantulùm metas vetiti transilire. Neutiquam licebit. Neque enim divinæ leges talem admittunt explicationē. Nunquam mentiri licet, furari nunquam, aut pudicitiam temerare, quia vetitum. Sat caussarum est: Deus vetuit. Vetantem spernis? à tergo tua te Nemesis sequetur. Vocifeleges divinæ non admittunt talem explicationē.

Deut. c. 28. vers. & seq. ratus Moses: *Quòd si audire nolueris,* inquit, *vocem Domini Dei tui, venient super te omnes maledictiones istæ, & apprehendent te. Maledictus eris in civitate, maledictus in agro. Maledictum horreum tuum, & maledictæ reliquiæ tuæ. Maledictus fructus ventris tui, & fructus terræ tuæ; armenta boum tuorū, & greges ovium tuarum. Maledictus eris ingrediens, & maledictus egrediens.* Haud aliter Isaïas: *Abjecerunt legem exercituum,* ait, *ideo iratus est furor Domini.* Gravissimum est rem in se vel levissimam patrare, quam vetet Deus,

Isa. c. 24. v. 5. Prov. c. 28. vers. 9. Salomone teste; *Qui declinat aures suas ne audiat legem, oratio ejus erit execrabilis.*

Proponat igitur quisque in corde suo, opes potiùs ac facultates omnes, existimationem & famam, sanguinem & vitam animosè prodigere, quàm scientem ruere in vetitum, & vel unicam Dei legem violare. Hoc assiduè ob oculos obversetur: Vetitum est, ergo neutiquam admittendum est. Proponat in corde suo

Psal. 118. v. 93. & 106. cum Psalte regio: *In æternum non obliviscar justificationes tuas. Iuravi & statui custodire judicia justitiæ tuæ.*

CAPVT II.

Illustrissima Danielis, & sociorum abstinentia.

NE vel minimā adversùs Dei leges culpam conscisceret Daniel, Malasarem regium Diætariū

Dan. c. 1. v. 12. & 13. summè rogans: *Tenta nos, obsecro,* ait, *servos tuos diebus decem, & dentur nobis legumina ad vescendum, & aqua ad bibendum, & contemplare vultus nostros, & vultus puerorum, qui vescuntur cibo regio, & sicut videris, facies cum servis tuis.* En, juvenis sanguine regio prognatus cubicularo supplicat, seq; benevolo illius arbitrio veluti servum committit. Sed huic tam submissæ humanitati non licet immorari, ad alia festinamus.

Modestissimum consilium Malasari non displicuit; admisit tam humanas preces. Elapsis igitur decem

Ibid. v. 15. diebus, *Apparuerunt vultus eorum meliores, & corpulentiores præ omnibus pueris, qui vescebantur cibo regio.* Resiga Malasari visa est commodissima. Cogitare illi promptum fuit: si fontana & cicer formā adeò succi plenam concilient, cibus potúsque regius in meos cedet

Ibid. v. 16. & seqq. usus; polentæ illis, & aquæ satis dabo. Ita Malasar *tollebat cibaria & vinum potus eorum, dabátque eis legumina. Pueris autem his Deus dedit scientiam & disciplinam, in omni libro & sapientiâ: Danieli autem intelligentiam omnium visionum & somniorum. Compleris itaque diebus, post quos dixerat rex, ut introducerentur, introduxit eos præpositus eunuchorum in conspectu Nabuchodonosor. Cúmq; eis locutus fuisset rex, non sunt inventi tales de universis, ut Daniel, Ananias, Misaël & Azarias, & steterunt in conspectu regis. Et omne verbum sapientiæ & intellectūs, quod scisciatus est ab eis rex, invenit in eis decuplum super cunctos ariolos, & magos in universo regno ejus.* Hoc ipsum & hydriola, hoc divinæ legi conformis potuit abstinentia. Hic exponendum,

Rationes quibus ad abstinentiam impellimur. sed succinctè & compendio, quid rationum & caussarum ad abstinentiam nos impellat, & cur de illâ crebriùs sit disserendum.

A §. I.

PRima ratio, quæ abstinentiam nemini non persuadeat, est ingens hoc bonum: *Divinā iram mirificè placat Abstinentia.* Rex Iosaphat ab Ammonitis, & Moabitis hostiliter cinctus, *Totus se contulit ad rogandum Dominum, & prædicavit jejunium universo Iuda.* Ad abstinentiæ & jejunij preces divinā mitescit ira. Exactam pœnitentiæ normam dicturus Ioël: *Convertimini ad me,* inquit, *in toto corde vestro, in jejunio, & in fletu, & in planctu.* Prima. 2. Par. c. 20. vers. 3. Ioël. c. 2. vers. 12.

Altera ratio; *Abstinentia facillimè impetrat à Deo quod rogat.* Esdras sacerdos pro testimonio dicens: *Prædicavi ibi jejunium,* ait *ut peteremus ab eo viam rectam nobis & filiis nostris.* Rex David omni cibo abstinet, ut filiolo suo, quem ei Bethsabea genuerat, vitam impetret. *Iejunavit David jejunio, & ingressus secretum jacuit super terram.* Secunda. 1. Esdræ c. 8. vers. 21. 2. Reg. c. 12. vers. 16.

Tertia; Christi sobrietatē, abstinentiam, & jejunia ad nostrum modulum par est imitari. De suis apertè Christus: *Venient dies, cùm auferetur ab eis sponsus, & tunc jejunabunt.* Ablatus est sponsus: jejunium non recusat, B quisquis sponsi desiderio flagrat. Tertia. Luc. c. 5. vers. 35.

Quarta; Iejunium & abstinentiā expiandis peccatis unicè conducunt. Promulgante Ionā pœnitentiam in urbe populosissimā Ninive, *Crediderunt viri Ninivitæ in Deum, & prædicaverunt jejunium.* Quarta. Ionæ c. 3. vers. 5.

Quinta; superandis tentationibus facit jejunium. Quinta. Dilucidè Bernardus: *Tentationes,* inquit, *vincere non poteris, nisi carnem per abstinentiam castigaveris.* Hoc armorum genere usus Rex David adversùs hostes: *Ego autem,* ait, *cùm mihi molesti essent, induebar cilicio, humiliabam in jejunio animam meam.* Bern. de modo bene vivendi serm. 24. p. 1624. Psal. 34. v. 13.

Sexta; Tam corporis, quàm animi malis præcavendis plurimùm prodest abstinentiā. Idem, quem dixi, Clarevallensis Abbas luculentissimus testis: *Per abstinentiā,* inquit, *omnes virtutes radicantur, & ædificantur; per gulā omnia vitia nutriuntur, & confortantur. Ideo tres pueri in camino ignis non arserunt, quia abstinentes fuerunt. Daniel igitur* C *liberatus est de ore leonum, quia servavit abstinentiā ciborum.* Sexta. Bern. loco dicto.

Septima; Edomandæ carni abstinentia subsidium opportunissimū. Luxuria saturitati semper vicina, carnem subjugat, luxuriam refrenat abstinentia. Nam eodem Bernardo teste, *Pereunt Cupidinis arcus, cùm corpori subtrahitur cibus & potus. Amica castitati fames panem cogitat, non adulteria.* Danielis Abbatis scitum est: *Vigor corporis, languor animi.* Vis carnem ad obsequium flectere? jejuniis frange. Septima.

Octava; Animo vegetando adjumentum maximum Abstinentia. Iejunium animę alimentum. Mens multitudine ciborum fatigata perdit vigorem orationis. Sobrietas & Abstinentia longioris vitæ ac sapientiæ mater. De abstinentiâ productioris vitæ certissimâ caussâ jam sæpius & libro singulari egimus. Octava. *Vide Aloë amari, sed salubris succi de abstinentiâ & jejunio.*

Hæc ipsa Danielis historia dictorum confirmatiō-nem suppeditans: Et *apparuerunt,* inquit, *vultus eorum meliores & corpulentiores præ omnibus pueris, qui vescebantur ci-* D *bo regio.* Quod ipsa etiam natura potuit efficere: tum Dan. c. 1. quia Hebræi juvenes illi huic diætæ assuevērunt, vers. 15. tum etiam ob animi jucunditatem, quam ex eā temperantiā hauserunt. Si ad altiores caussas respiciamus, habitiorē vultum, abstinentiæ præmium dicemus. Sic Iuditha venustiorem formam, sic Samson fortitudinē auctiorem sibi conciliavit abstinendo. Exercitatio & abstinentia, si jungantur, superant aurum potabile, lapidem philosophicum, quintam essentiam è margaritis, sorbitiunculam elixir nobilissimam, omne omnino pharmacum multis modis præcellunt. Abstinentia puros, liberósque reddit spiritus, & mirum quantum valetudinem firmat. Cùm enim anima rationalis simul & sentiens, & vegetans sit, vires autem habeat certis limitibus circumscriptas, inde fit, ut quò minùs coquendis cibis impeditur, eò magis occupari possit perficiendis studiis. Hinc Salomon Sapientiæ miraculum:

Cogitavi

Eccles. c. 2. vers. 3. *Cogitavi*, ait, *in corde meo abstrahere à vino carnem meam, ut animũ meum transferrem ad sapientiam, devitarémque stultitiam, donec viderem, quid esset utile filiis hominum.* Sapientiæ mater Sobrietas. Hoc animo dixit Isaias: *Quem docebit scientiam, & quem intelligere faciet auditum? ablactatos à lacte, avulsos ab uberibus.* Qui etiámnum trahunt ubera, in cibi potúsque libidines effusi, ad capiendam sapientiam non sunt idonei.

Isa. c. 28. vers. 9.

§. II.

Ob abstinentiam in sacris codicibus laudantur Rechabæ, Nazaræi, Moses & Elias, Iuditha, Esther, Machabæi, Ioannes Baptista.

ANte diluvium Noëticum carne & vino abstinebant victitantes fructibus, & tamen ad nongentos annos propagabant vitam, homines longevi & sapientes. Nazaræi & Rechabitæ ob abstinentiã in divinis codicibus laudantur. Moses & Elias diebus quadraginta continuis sine culinâ & omni mensâ ad colloquium cum Deo ineundum sese parârunt, sapientiam & Dei familiaritatem suavissimam promeriti. Iuditha, Esther, Machabæi prudentiam & fortitudinem, B quâ Holofernem, Amanum, Antiochum vicerunt, per preces & abstinentiam obtinuerunt. Ioannes Baptista, dum inter mortales ageret, Angelus evasit abstinentiã. Tacebo eos, qui solitudinem habitantes ad octogesimum, nonagesimum, centesimum, & plures annos produxerunt vitã rigidâ & pertinaci abstinentiâ. Cœnobitę, Hieronymo teste assiduis ac quotidianis jejuniis egerunt vitam. In cibum panis, in potũ non è cellâ Massicum, aut Falernum, sed è proximo fonte frigida fuit: si quid lautius oluissent, oluscula, cicer, herbulas, pisum & legumina submittebat olla. Nam cocti & aliquid calidi comesse inter cupedias numerabatur.

Aug. l. 10. Confess. c. 31. num. 1. Augustini reficiendi corporis consuetudo:

Augustinus suam reficiendi corporis cõsuetudinem exponens, & divinam in eâ re agnoscens eruditionem. *Nunc autem*, inquit, *suavis est mihi necessitas, & adversùs istam suavitatem pugno ne capiar, & quotidianam bellum gero jejuniis sepius in servitutem redigens corpus meum. Hoc me docuisti, ut quemadmodum medicamenta, sic alimenta sumpturus accedam.* Quis autem adeò insanit, cùm aliquid glutire pharmaci, aut medicæ potionis cogitur haurire, medicum aut pharmacopolã roget, ut calices impleant capaciores, ut quindecim aut septemdecim pro novem C catapotiis oggerant sumenda. Nemo tam fatuus, qui copiam hâc in re amet. Pharmaca sumimus, quàm possumus parcissimè. Quò minùs, hòc gratius. *Sic alimenta*, inquit Augustinus, *quemadmodum medicamenta sumo.* Addit: *Non ego immunditiam opsonij timeo, sed immunditiam cupiditatis. Scio Esau lenticulæ concupiscentiã deceptum, & David propter aquæ desiderium à seipso reprehensum, & regem nostrum non de carne, sed de pane esse tentatum. Quod autem salutì satis est, delectationi parum est. Hæc ipsa nos modum necessitatis sentire non sinit, & ipsum limitem procurandæ salutis (si qua adsint delectabilia) rapiendo abscondit, & transilit: putantibus nobis satis non esse, quod satis est, dum libenter ejus provocationibus ducimur, æstimantes nos adhuc agere negotium valetudinis, cùm agamus potiùs voluptatis. Ita nescit cupiditas, D ubi finiatur necessitas.*

Pilulis.

Idem ibid. num. 6.

Aug. l. 4. contra Iulian. c. 14.

Ambr. to. 1. l. 3. de virginit. post init. pag. 107. Marcellinæ.

Ambrosij Mediolanensis Pontificis soror Marcellina eò abstinentiam coluerat, ut non tantùm non calcaribus, sed freno egeret. Ad eam igitur Ambrosius perscribens: *Iejunium*, inquit, *in præceptis habemus, sed singulorum dierum. Tu autem multiplicatis noctibus ac diebus innumera tempora sine cibo transigis, & si quando rogaris ut cibũ sumas, & paulisper codicem deponas, respondens illico*: Non in solo pane vivit homo. *Ipse epularum usus cibus obvius, ut edendi fastidio jejunium desideretur, potus è fonte, fletus in prece, somnus in codice.* Hæc sanè virgo fuit sapiens, quæ plurimam senectutem adepta est abstinendo.

Matth. c. 4. vers. 4.

Bern. serm. 66. in cant. pag. 995. S. Bernardi.

Bernardus de seipso: *Abstineo*, inquit, *de vino, quia in vino luxuria, aut si infirmus sum, modico utor juxta consilium Pauli. Abstineo à carnibus, ne dum nimis nutriunt carnem, simul & carnis nutriant vitia. Panem ipsum cum mensurâ studebo* A *sumere, ne onerato ventre ſtare ad orandum tedeat, & ne improperet etiam mihi propheta, quia panem meum comederim in saturitate. Sed nec simplici quidem aqua ingurgitare me* Eccles. vers. *assuescam, ne distentio sane ventris usque ad titillationem pertingat libidinis.* Tam rigidę cultor abstinentiæ Bernardus, & longævus fuit & sapientissimus animum sexagesimum quartum vivendo attigit.

Carolus Borromæus eminentissimum abstinentiæ speculum, hac in re geminũ istud tradidit documentum. 1. A parvis incipe, & sensim cresce, idque in omni virtute. 2. Constanter perge, & non languesce. Nos aut incipere nolumus, aut in cœptis pergere, si initium videatur difficilius. Ipse primitus carne, dein & ovis, postmodum & laganis, omniquè lactis usu abstinuit, tandem solo pane & aquâ victitavit.

Dionys. Carthus. de abstinentia. Bonavent. de modo confitendi.

§. III.

QVid autem, obsecro, causę est abstinentiam videri tam difficilem? Nihil hìc rationis admittimus. Venter epulis assuetus non habet aures. Nec Tullius nobis, nec Chrysostomus vel paululùm strictiorẽ abstinentiam persuaserint. Quid causſæ? Bernardus apositè ad quæstionem: *Ecce*, inquit, *molestus est nobis pœnitentiæ labor, corporis afflictatio gravis, abstinentia onerosa, in vigiliis dormitat anima nostra præ tædio, non ob aliud sane, quàm propter inopiam spiritus.* Ita prorsus est. Neq; verò credimus abstinentiã ipsi etiam corpori salubrem; opinio falsa jam pridem animũ occupavit, naturę nimiùm subduci, stomachum lędi, vires atteri, valetudinem frangi. Erramus luculentè & naturam calumniis iniquis infamamus. Ea paucis contenta valetudinem ciborũ parsimoniâ incredibiliter conservat, & firmat. At nos ad opimiorem quadram assueti, tantum animi non habemus, ut vel solùm incipiamus abstinere, & aliquanto tempore pergamus & exploremus, quid valeant humeri, quid ferre recusent. Atque cum primâ alterâve hebdomade aut mense non felicissimè succedunt cœpta, mox in impatientiam versi dicimus: res non procedit; operam inanem sumimus: ergo antiquum hoc nostrum obtineamus: edamus & bibamus largiter dum sapit. Quis juret in leges abstinentiæ tam arctas?

Bern. de diversis pag. 1169. Cassian. coll. 5. cap. 5. Rom. c. 8. vers. 13.

Multò sapientiùs Daniel: *Tenta nos*, inquit, *obsecro, servos tuos per dies decem, & dentur nobis legumina ad vescendum, & aqua ad bibendum.* Tentemus nosipsos, obsecro, & progressu temporis re ipsâ reperiemus, quàm non solùm utile, sed & facile sit frugalitatem & abstinentiam sectari, parciùs comesse, moderantiùs bibere. Nos plerumque ratiocinamur ab abstinentiâ immoderatâ, quam nemo laudaverit. Quod & Bernardus ipse neutiquam inficiatur: *Si carnem*, inquit, *supra modum affligis, civem tuum occidis; si eam, plusquam oportet, reficis, inimicum tuum nutris. Non nutrias carnem tuam vermibus: ita manduca, ut semper esurias; ita carnem refice, ut ea discat servire. Non potest quisquam accipere perfectionem virtutis, nisi priùs in se domuerit gulam ventris.* Hoc idem notissimus scriptor commendans: *Doma gulam*, inquit, *& omnia vitia facilius domabis.*

Dan. 1. vers. 12. Bern. in dedic. templi serm. 4. pag. 1168. Thom. Hibern. l. 1. de vit. Christ. c. 10. Chrysost. hom. 14. in 1. ad Cor.

Daniel princeps palatinus, negotij plenus, aulicorum optimatum primus, inter aulicas tamen delicias abstinentissimus. Hinc eximium Bernardi votum: *Det tibi Deus humilitatem Christi, devotionem Petri, charitatem Ioannis, obedientiam Abrahæ, patientiam Isaac, tolerantiam Iacob, castitatem Ioseph, mansuetudinem Mosis, constantiam Iosue, benignitatem Samuelis, misericordiam David, abstinentiam Danielis.* Daniel abstinentissimus.

Bern. de diversis pag. 1169.

Tantis igitur exemplis invitati, *Mortificemus membra nostra, quæ sunt super terram. Si enim secundùm carnem vixerimus, moriemur; si autem spiritu facta carnis mortificaverimus, vivemus.* Hìc animis opus; hìc audendum, & vis facienda pravæ consuetudini. Bernardo cõsultore, sic

Coloss. 3. vers. 5. Rom. c. 8. vers. 13.

rebe

Rom. c. 14. vers. 17. refice carnē, ut ſerviat. *Non eſt regnum Dei eſca & potus: ſed juſtitia & pax, & gaudium in Spiritu ſancto.* Abſtinentia productioris vitæ, & uberioris ſapientiæ mater.

CAPVT III.

Danieli Nabuchodonoſor rex ſomnium committit explicandum. Plura de ſomniis.

Nabuchodonoſor rex ab Aſſyriis & Magis ſibi indicari ſomnium, eſque interpretationem, Dan. c. 2. v. 1. & ſeqq.

NAbuchodonoſor anno nono regni, ſecundo Monarchię, Iudęis, Aſſyriis, Moabitis, Ægyptiis jam devictis, ſomnio inuſitato territus, præcepit omnē ſacræ ſapientię ſenatū cogi. Ita magis, ariolis, maleficis, Chaldæis jam convocatis: *Vidi ſomnium*, inquit rex, & *mente confuſus ignoro quid viderim.* Cui Chaldęi: *Rex in ęternum vive: dic ſomnium ſervis tuis, & interpretationem ejus indicabimus.* Ad quæ Nabuchodonoſor: *Sermo receſſit à me*, ait, *niſi indicaveritis mihi ſommū & conjecturā ejus narraveritis, peribitis vos, & domus veſtræ publicabuntur. Si autē ſomnium & conjecturam ejus narraveritis, præmia & dona, & honorem multum accipietis à me; ſomnium igitur & interpretationē ejus indicate mihi.* At illi multa excuſantes negārunt id fieri poſſe. Ita ſibi ſomnium à rege priùs narrandum, explicationem ſomnii à ſe ſubjungendam polliciti: Neminis eſſe, niſi Deorum, aliena ſcire ſomnia. Neq; ullum unquam regē hoc ab ariolis & Chaldæis ſciſcitatū. Rex inanibus logis ſe duci autumans, jámque in furorem verſus atrocem tulit ſententiam, juſſitque omnes Babylonis ſapientes ad necem abripi. Neq; verò Danieli & ſociis fuiſſet parſum, quos unà eàdemque fulminaverat ſententiâ, niſi capitale ſupplicium prævertiſſet Daniel. Qui ubi ex Ariocho regiæ militiæ principe, quid rerum ageretur, intellexit, ad regem ipſum penetravit, precibúſque demiſſiſſimis petiit, daretur ſibi tantum temporis dum in lucem erueret tam ſomnium, quàm ſomnii myſterium. Datum. Quo elapſo ſomnium explicatū eſt. Hoc loco non opportunū tantùm, ſed & neceſſarium de ſomniis diſſerere. Exponemus igitur quæ fides tribuenda ſomniis, & quid inde commodi poſſit hauriri.

Qui autumans ſe deciniinibus logis captiis ſententiam in eos tulit, Quam Daniel & ſe & ſocios prævertit.

§. I.

4. Somniorū genera.

THeologis quadruplex ſomniorum genus eſt: Naturale, morale, à dæmone, à Deo immiſsū.

1. Naturalia.

Naturalia ſunt, quæ corporis bonam malámve temperiem, ſtomachum oppletum aut vacuum ſequuntur: ex his bona maláque valetudo dignoſci poteſt. Hinc medicorum anteſignanus Hipocrates librum de inſomniis conſcripſit. Homo triſtis, tetricus, & quem atra bilis exercet, jam novit ſua ſomnia: fatigari, cadere, angi, lacrymas fūndere, humi repere, latebras quærere, pericula ſubire, inter mortuos agere, triſtia quæque audire creberrimum illi & pæne quotidianum. Qui multi & boni ſanguinis ſunt, ſomniantes hilareſcunt, tripudiis interſunt; rident, currunt, volant. Atque hæ meliores, aut deteriores affectiones, bonos malóſve corporis habitus apertè ſatis enuntiant.

Valetus in ſomno ſignā quoma conſtitutionis. Vide Galen. in lib. 1. Hip. prorſus cū mentur. 3. non procul initio.

2. Moralia.

2. Moralia è cogitatis, dictis & factis diurnis proveniunt. Hinc ſomnia Tullius cogitationum & negotiorum diurnorum reliquias appellat.

Cic. de divinat.

Claudianus poëtarum ocellus canit:

Claud. in 6. Honorij Augu. ęſtula. pa. 104.

Omnia quæ ſenſu volvuntur vota diurno,
Pectore ſopito reddit amica quies.

Hinc venator ſilvas & feras, judex lites, auriga curſus & equos, ægrotus & ſitiens fontes & aquas, poëta verſus ſomniat, avarus pecunias numerat, famelicus epulas tractat. E moribus hæc petuntur ſomnia.

3. A dęmone.

3. A dæmone immiſſa. Hic diabolus celer & vafer artifex, ipſis etiam ſomniis ſi Deus annuat, ad peccandum trahit. Cùm Pontius ſederet pro tribunali capitalem ſententiam jam jam dicturus in Chriſtum, en nuntius advolat à conjuge, quę oblato ſibi ſomnio maritum ſolicitè monebat: *Nihil tibi & juſto illi: Multa enim paſſa ſum hodie per viſum, propter eum.* Hîc nonnemo quærierit: Et quamdiu dormivit hæc femina? Ad ipſam uſque decimā noſtratem. Nam teſte Matthæo: *Sedente autem illo pro tribunali, miſit ad eum uxor ejus.* Ante meridiem circa decimam hæc agebantur: nam Chriſtus ipſo meridie, duodecimā noſtrate in crucem actus eſt. Ita diabolus omnem movit lapidem, omnem excogitavit ſtropham, ut Chriſti necem impediret. Cùm alia non ſuccederent, inſomniis etiam id conficere molitus eſt. Nimirum hic veterator minutiſſimè ſcrutatur omnia. Ita per ſomnia quoque, quantùm illi à Deo permiſſum, ad noxas illicit.

Matth. c. 27. verſ. 19.

Diabolus conatus eſt ut Chriſti necem impediret.

4. A Deo immiſſa.

4. A Deo immiſſa. Ita ſæpius cum ſanctiſſimis regibus, prophetis, aliiſque ſibi amiciſſimis locutus eſt Deus. Quod facturum ſe pollicitus: *Si quis fuerit inter vos propheta Domini*, ait, *in viſione apparebo ei, vel per ſomnium loquar ad illum.* Quod Iobus confirmans: *Per ſomnium*, inquit, *in viſione nocturna quando irruit ſopor ſuper homines, & dormiunt in lectulo. Tunc aperit aures virorum, & eruditos eos inſtruxit diſciplina.* De ipſo: *Terribus me per ſomnia*, inquit, *& per viſiones horrore concutis.* Ita Ioſeph oblatū ſibi ſomnium parentibus & fratribus narravit. Ita *venit Deus ad Abimelech per ſomnium noctis.* Ita Iacob *vidit in ſomnis ſcalam ſtantem ſuper terram, & cacumen illius tangens cælum: Angelos quoque Dei aſcendentes, & deſcendentes per eam, & Dominum innixum ſcalæ.* Ita Laban vidit in ſomnis Dominum ſibi dicentem: *Cave ne quidquam aſpere loqui aris contra Iacob.* Ita Pharaonis pincerna & piſtor in carcere, *viderunt ambo ſomnium nocte unā juxta interpretationem congruam ſibi.* Ita *cum veniſſet Gedeon* in caſtra hoſtium, *narrabat aliquis ſomnium proximo ſuo.* Ita Mardochæus: *Recordatus ſum*, inquit, *ſomnij, quod videram hæc eadem ſignificantis, nec eorum quidquam irritū fuit.* Ita Iudas Machabæus *expoſito digno fide ſomnio lætificavit univerſos.* Ita Abrahamo, Pharaoni, Salomoni, Danieli objecta ſomnia myſtorii plena. Ita Ioſephus Chriſti nutritius de conjugis ſanctimoniā monetur in ſomnis. Ita *viſio per noctem oſtenſa eſt Paulo.* Hebræus vates Ioēl ſomnia à Deo immittenda promittens: *Senes veſtri*, ait, *ſomnia ſomniabunt, & juvenes veſtri viſiones videbunt.* Ita quatuor ſomniorum genera. Cauſſæ illorum multiplices, diverſiſſimæ. Nos eas involvimus ſilentio, & ad geminas reſpondemus quæſtiones.

Num. c. 12. verſ. 6.
Iob c. 33. v. 15. & 16.
Idem c. 7. verſ. 14.
Gen. c. 37. verſ. 7.
Gen. c. 20. verſ. 3.
Gen. c. 28. verſ. 12.
Gen. c. 31. verſ. 24.
Gen. c. 40. verſ. 5.
Iudic. c. 7. verſ. 13.
Esther c. 10. verſ. 2. Machab. c. 15. v. 11.
Gen. c. 15. & cap. 41.
3. Reg. c. 3. Dan. c. 2. c. 4. & c. 7.
Matth. c. 1. verſ. 20.
Act. c. 16. verſ. 9.
Ioel c. 2. verſ. 28.

§. II.

Quatuor in ſomniis obſervanda.

I. QVæ igitur ſomnia ſunt obſervanda? 1. Ea, quæ ſanitatem aut morbos corporis, animíq; ſpectant. Hîc viderint medici tam ij, quibus cura in animum, quàm illi, quibus in corpus eſt commiſſa. 2. Ea, quæ turbant, impediunt, terrent, ita ſunt curanda, ut cauſæ & fontes, è quibus promanant, amoveantur. 3. Si quando ſcientias juvent ſomnia, non videntur negligenda. Eſt qui non tantùm totos verſus ſed tota etiam epigrammata ſomniando fecerit. 4. Quæ ad virtutum officia, ad dandam ſtipem, ad exercendam ſobrietatem, ad amplectendam religionem impellunt. Non igitur omnia falſa ſunt & fallacia cùm in divinis litteris complura fuerint vera, & eventus certos, quos exhibuerant, ſortita. Nolim tamen inde conficias: Ergo ſunt obſervanda. Nam iſtud ſecundę quæſtionis eſt.

Fidei nihil tribuendū ſomniis.

II. Quid ergo ſomniis tribuendū fidei? Vniverſè ac maximā partem inania, falſa, vana, nulla ſunt, nec ullā merentur obſervationem aut fidem. Quod Eccleſiaſtes dilucidè pronuntians: *Multas curas*, inquit, *ſequuntur ſomnia, & in multu ſermonibus invenietur ſtultitia. Vbi multa ſunt ſomnia, plurimæ ſunt vanitates, & ſermones innumeri: tu verò Deū time.* Huic Eccleſiaſticus Siraci filius ex toto accedit, & de ſomniis hæc ſentit: *Niſi ab altiſſimo emiſſa fuerit viſitatio, ne dederis in illis cor tuū. Multos errare fecerunt ſomnia*

Eccleſ. c. 5. v. 2. & 6.
Eccli. c. 34. verſ. 6. & v. 1. & 2.

somnia, & exciderunt sperantes in illis. Somnia extollunt imprudentes; quasi qui apprehendit umbram, & persequitur ventum, sic qui attendit ad visa mendacia. Vsitatæ sed magnæ fatuitatis est, somnio habere fidem. Somniat quis se fore Præsulem, purpuratum Patrem, potentissimum Regem, Summum Pontificem. Sed manè deprehendit somnium, & imaginem fallacem, somniat pauper rusticulus arcas auro refertas, sed cùm evigilat, crumenam reperit inaniis & araneis plenam. Hic Senecam tragœdam audio cantantem:

Sen in choro Herculis furentis.

Túque ô domitor somne malorum,
Requies animi, pars humanæ melior vitæ:
Veris miscens falsa, futuri
Certus, & idem pessimus auctor.

Somnia phantasiæ idola sunt, cur adorem illa? somnia fugienti vento, umbræ vanescenti simillima, cur apprehendã ea? Vmbris terrentur pueri, somniis decipiuntur homines valde creduli. Non vanè Diogenes dixit. *Laërt. l. 6.* *Quæ vigilantes agitis, ea non curatis; quæ verò dormientes somniatis, sollicitè perquiritis.* Perinde si dixisset: Vos potiùs quid vigilantes rectè perperámve committatis attendite, non quid somniantes. Nec vanum Poëtæ monitum est:

Somnia ne cures: nam mens humana quod optat
Dum vigilat, sperat. ———

Ad rem Comicus: Cùm Dij nobis, inquit, somnum dederint curarum & laborum delinimentum, superstitiosus sibi illum reddit carnificinã, & tormentum. Eruditè dixit Heraclites: *Vigilantibus communis & unus est mundus; sopiti in suum quisque discedimus. At superstitiosus ne vigilans quidem communi cum aliis mundo fruitur, cogitatione semper somniante.* Hinc Plato: *Spes mortalium, ajebat, somnia sunt vigilantium, plerumque inania & falsa.* Divini libri sanè, cùm quidpiam instabile, fugax, vanum, fallax notant, somnio id comparant. Ergo somnia pleraque omnia velut inania nihili facienda.

§. III.

Somniare sancta, sanctitatis est argumentum. *Laert. l. 1. cap. 5.*

NIhilominus hoc loco non omittendum, quod profani & sacri scriptores tradunt, somniare sancta, sanctitatis esse argumentum. Non imperitè affirmabat Zeno, è suis quemque insomniis posse deprehendere, quantum in philosophiâ profeciſſet, si in eis nihil nefariæ rei faceret, vel appeteret. Tunc enim animum in profundâ tranquillitate constitutum veros effectus prodere, indéque fieri, ut quæ vigilantes agere, aut profari non audent, ea nec noctu in somnis occurrant. Ejusdẽ animi Plutarchus censuit virtutis esse, de virtute somniare. Quemadmodum enim corporis affectiones, ita & animi possunt deprehendi ex insomniis. Etenim quæ cogitamus & agimus interdiu, ea somniamus noctu: scilicet amata recurrunt.

Arist. to. 7. sect. 30. problem. fine, pag. 629. Quod Aristoteles multò locupletissimus testis eximiè confirmans: Qui instructi virtutibus sunt, inquit, meliora somnia vident, quòd etiam vigilantes meliora animadvertunt: qui deteriùs animo vel corpore affecti sunt, deteriora concipiunt, quippe cùm etiam affectio corporis facit ad somni visionem.

Cui nulla unquam libido placuit, nunquam somniabit castimoniæ decreta a se violari.

E dictis istud asserimus: Quisquis sibi conscius est se nulli unquam impuriori cogitationi assensum præbuisse, nullas unquam libidines sibi placuisse, bono sit animo, non facilè unquam somniabit, quòd castimoniæ decreta violet, quòd pudicitiæ adversetur. Et quamvis aliud immundioris somnij objiciatur, ille tamen repugnabit, & velut vigilans sordes illas conabitur excutere. Ea vis est diuturnæ assuetudinis. Ita optimi est argumenti nunquam ea somniare, quæ si fierent, letale crimen essent. Nimirum meliora vident somnia, quod Aristoteles dixit, qui virtutibus sunt instructi. Franciscus Xaverius, magnã Orientis lumen, cùm Goæ ageret, Petro Iarrico teste, totas sæpe noctes inter suavissima cum Deo colloquia exegit, quotidianus & status illi somnus non duas horas excessit, cùm largissimè quievit, tribus horis dormiit. Hic sæpe auditus est loqui somnians, nec alias efferre voces, quàm istas: ô DEVS cordis mei, ô creator & Domine, ô bone IESV! &c. Hęc somniantis dicta facilè prodebant, quis animo sederet infixus amor. Nempe actio bona si sit frequentata, sibi similem bonam parit consuetudinem.

Sed tertio loco ad rem erit quærere: cur sua Deus arcana in somno pandat? Causarum satis. Hinc 1. Discimus non omnem homini scientiam auferri à morte: Homo sopore pressus, mortuo similimus, membris omnibus otiosis, & tamen aliqua pars animi multa interim cognoscit, videt, audit, gustat, odoratur, tangit. Hinc etiam liquet non omnes scientias sensuum adminiculo & ratiocinatione obtineri. 2. Hinc summa Dei potentia perspicitur; homo hominẽ docere non potest, nisi vigilantem, audientem, auscultantem; at verò Deus etiam dormientem erudit. 3. Cùm vigilamus, plerumque animo parum præsentes sumus: sensus licenter evagantur; curæ, negotia, & inquies circa nos plurima ita hominem sibimet surripiunt, ut rarò totus apud se, & domi suæ sit. Frequenter possis quærere: *Vbi es?* Atqui Deus cum solo solus vult loqui, idq; alto silentio, cùm homo sensus continet quietos, cùm animo collectissimus, cùm reverà apud se est, quod sanè fit in somno, cùm exteriores sensus ab omni vacant actione. Atque hinc erudimur, quâ ratione Deus nos secum loqui cupiat, cùm preces fundimus. Christi præceptio est: *Tu autem cùm oraveris, intra in cubiculum tuum, & clauso ostio, ora patrem tuum in abscondito.* Collige dissipatas cogitationes, turbas omnes, & curas expelle à te, remove quidquid precantem impedire potest, solum te adiri patere, animo fac sis præsentissimo, tunc maximè domi esto & apud te, attentissimus precare. Intra in cubiculũ tuum, intra, intra, & claude ostium. Deus delicatus hospes est, silentiũ sui hospitij & quietem amat, cogitationum tumultus maximè aversatur. Omni ergo cogitatione, curáque in hanc orandi curam incumbe; omnibus facultatibus hoc age, ut cum Deo, prout decet, loquaris. Ex omnibus usque opibus viribúsque nitere, ut attentus ores. Digna res est, ubi tu neruos intendas omnes. Huc intelligentiam, huc voluntatẽ, huc omnem memoriam confer. Hæc obnixè totâque mente facienda sunt. Colloquiis divinis rectè instituendis summum studium, vigilantiam maximam impende. Hîc omnis labor utilissimè collocatur. Verbo dicam: Vti sunt edones, & bibones, qui toti manducant, toti potant, ita totus ora. Hoc sapiens & dulce est somniũ vigilantis.

Tres cur Deus in somno pandat arcana.

Scrutã.

Terra.

Matth. 6. vers. 6.

CAPVT IV.

E Danielis verbis triplex monitũ. 1. Sapientiam à Deo postulandam. 2. In rebus agendis non præcipitandum. 3. Efficienter consummandũ.

DANIEL re non solùm maturè deliberatâ, sed etiam cum sociis eo fine communicatâ, ut quærerent misericordiam à facie Dei cęli super sacramento isto, & non perirent cum ceteris sapientibus Babylonis. *Tunc Danieli mysterium per visionem nocte revelatum est: & benedixit Daniel Deum cæli, & locutus, ait: Sit nomen Domini benedictum à sæculo, & usque in sæculum: quia sapientia & fortitudo ejus sunt. Et ipse mutat tempora & ætates: transfert regna atque constituit: dat sapientiam sapientibus, & scientiam intelligentibus disciplinam. Ipse revelat profunda & abscondita: & novit in tenebris constituta: & lux cum eo est. Tibi Deus patrum meorum confiteor, tęq; laudo: quia sapientiam & fortitudinem dedisti mihi, & nunc ostendisti mihi, qua*

Dan. 2. vers. 19. &c.

quæ rogavimus te, quia sermonem regis aperuisti nobis. Hîc tria sibi connexa sunt. 1. Sapientia à Deo postulanda. 2. Consilia non præcipitanda. 3. Quod decretum, efficaciter consummandum. De isthoc triplici saluberrimo monito, nunc pluribus agendum.

Monita.

§. I.

Sapientiam à Deo postula. Dan. c. 1. v. 5.

PRimum, *Sapientiam à Deo postula.* Quod discipulus Domini Jacobus submonens: *Si quis vestrûm*, inquit, *indiget sapientiâ, postulet à Deo, qui dat omnibus affluenter, & non improperat, & dabitur ei.* Sapientia est cognitio finis & actionum mediarum ad finem assequendum. Deus est fons sapientiæ. Ex isto fonte tam Angeli quàm homines, & creatæ res omnes, pro suo quæque modulo & capacitate hauriunt. Ex hoc mari hausit & Salomon, cujus petitio Numini valde placuit. Hinc illud è cælo testimonium: *Quia postulasti verbum hoc, & non petisti tibi dies multos, nec divitias, aut animas inimicorum tuorum, sed postulasti tibi sapientiam ad discernendum judicium: ecce feci tibi secundum sermones tuos, & dedi tibi cor sapiens & intelligens, in tantum, ut nullus ante te similis tibi fuerit, nec post te surrecturus sit. Sed & hæc quæ non postulasti, dedi tibi, divitias scilicet & gloriam.* Jam olim divinæ paginæ testantur: *Per sapientiam sanati sunt, quicunque placuerunt tibi, Domine à principio. Quoniam sapientia aperuit os mutorum, & linguas infantium fecit disertas.* Verissimè dixit Daniel: *Sapientia & fortitudo ejus sunt.* Hinc jure meritissimo ab eo petenda sunt.

Deus est fons sapientiæ. ex quo tum Angeli quàm homines hauriunt. 3. Reg. c. 3. vers. 11. & 9. Sap. c. 9. vers. 4. & Cap. 10. fine. Dan. cap. 2. v. 20.

S. Ignatius regul. 16. Summarii. S. Ignatius suos in virtutum solidarum studium incumbere jubet.

Beatus Ignatius minimæ Societatis conditor, eruditionem & sapientiam à Deo hauriendam non ignorans, hanc suis legem scripsit: Omnes in virtutum solidarum studium incumbant: ac in hujusmodi majus momentum, quàm in doctrinâ, vel aliis donis naturalibus & humanis constitutum esse ducant. Illa enim interiora sunt, ex quibus efficaciam ad exteriora permanare oportet. Hoc Christianis omnibus, palatino comprimis famulitio inculcandum: Mi optime Domine, si grandescere velis, & ditari, certissimò scias id tuâ solius industriâ minimè obtinendum, aut dives nunquam eris, aut eris tuo damno, si velis esse opulentus sine Deo. Ita famulorum cuivis altè imprimendum: Si captare voluptates hominum emolumento tuo, si oculis solùm tui Domini servire, gratiam illius aucupari, & obedire tantùm tempori velis splendidus captator, noris te actum agere, aut enim malè servies, aut noxiam tibi gratiam emereberis, nisi ante omnia divinos oculos observes. Omnis sapientia, & rectè famulandi facultas à Deo est. Ab hoc Domino hæc postula, aut incassum te fatigas.

A Deo sapientiam obtinuerit B. Antonius.

Beatus Antonius videri poterat illiteratus, rudis, & omnis sapientiæ expers, sed divo Athanasio teste, paudens, ingeniosus, & reverà sapiens fuit, tametsi litteras non didicerit, nec ullas Academias frequentarit. Ad hunc quandoque philosophi ventitarunt arbitrati bonum senem eruditâ verborum pompâ irretiendum facillimè, & fallendum. At sapiens iste Anachoreta, nervoso eos dilemmate constringens: Si ad stultum, inquit, venistis, vana est vestra itio; si prudentem me putatis, imitamini quod probatis, & estote, quod ego sum, Christiani. *Sapientia & fortitudo ejus sunt.* A Deo postulet, quisquis indiget sapientiâ.

S. Ambrosius.

Paulinus de Ambrosio Mediolanensi Pontifice testatus: Cùm, inquit, quadragesimi tertii psalmi dictaret interpretationem, me vidente & dictata excipiente, subitò delapsus ignis in modum brevioris scuti caput illius operuit, ac paullatim per os Ambrosii, tanquam in domum notus habitator est ingressus. Exinde tota ejus facies exalbuit nivem æmulata.

Rupertus Tuitiensis.

Rupertus Tuitiensis Abbas interrogatus, ubi eam hausisset eruditionem, quâ conaretur Evangelium in luce ponere, & commentarios in illud scribere? Ad quæ ille: Hoc, inquit, profiteor, quia visitatio ab Altissimo mihi melior quàm decem, quàm mò centum magistri. Si quis indiget sapientiâ, postulet eam à Deo. *Sapientia & fortitudo ejus sunt.* Thomas Aquinas Theologorum Phœbus planissimè professus, se quidquid haberet scientiæ, id omne precando potiùs à superis, quàm lectitando è libris hausisse. Deus sapientiæ fons est: hîc hauriendum.

Thomas Aquinas.

Beatus Ephrem, Gregorio Nysseno teste, precari solebat: Largire Domine, flumina tuæ gratiæ. Largitus est. Nam ei species cælestium oblata, quâ sibi visus librum ab Angelis accipere. Uti tamen humanâ omnia imperfecta, ita sapientiam quidem à Deo accepit Ephrem, ita tamen ut verborum fontes, rebus, quas mente conceperat, explicandis, pares nequaquam essent. Animo divina complecti poterat, eloqui non poterat. Ita solet Deus non uni simul dare omnia, ut præsentis ac secuturæ vitæ sit differentia.

B. Ephrem, Greg. Nyss. in ejus vitâ.

Equitius, vir admodum religiosus, quod Gregorius Magnus narrat, nondum initiatus sacris ad concionandum impigerrimè solebat excurrere. Hunc Felix homo nobilis, è Nursinâ provincia familiari ausu interrogans: Quî fit, ajebat, ô Equiti, cùm ad sacerdotii ordines nondum evectus sis, publicè tamen è cathedrâ docere audeas? Ad ista Equitius modestè: Non indignor, inquit, interrogationi: Verùm, quod sine jactantiâ dixerim, nocte quâdam venusti oris juvenis mihi assistere videbatur, & linguam meam calpro chirurgico contingere, unáque dicere: Ecce posui verba mea in ore tuo; egredere ad docenda Evangelia. Ex eo die, etiam cùm voluero, de Deo tacere non possum. *Omnis sapientia à Domino Deo est.*

Equitius, Greg lib. 1. dial. c. 4. Eccli. c. 1. v. 1.

Justinus, nobilis philosophus, illustris Martyr, dialogo adversùs Triphonem de seipso: Academias omnes, inquit, lustravi, sed quod quæsii, non inveni. Tandem ignotus senex familiariùs ad me accedens: Et tu, mi juvenis, ajebat, si quidem exquisitissimam doctrinam sitias, ante omnia divinæ lucis portas votis precibúsque tibi postules reserari. Illac penetranti licebit scientiæ sitim explere. Explevit certè. Nam ad Christi sacra traductus, libris, quos scripsit, insignem sapientiam ostendit. *Omnis sapientia à Domino Deo est.*

Justinus Martyr.

Beatus Trudo illustri prosapiâ natus in Belgio, ingenius fuit, eruditionem præsertim sacram amavit, divinas litteras ardenter cupiit condiscere. Hinc Deo nuncupavit votum, ut si sacra biblia cognitione ac scientiâ comprehenderet, templum à se in agro suo condendum. Tam æqua poscenti adfuit è cælo felix nuntius, qui diceret: Exaudita est oratio tua. Deus sapientiâ cor tuum imbuet, & legem suam inscribet pectori tuo. Si quis indigeat sapientiâ, (Ecquis non indiget?) à Deo illam postulet & dabitur ei. *Omnis sapientia à Domino Deo est.*

B. Trudo. Notgerus Leodiensis episc. in vitâ S. Remacli, c. 6. Vixit circa annum 850.

§. II.

2. Ne præcipita.

ALterum monitum. *Ne præcipita.* Quàm præceps Nabuchodonosor in damnandis ad supplicium sapientibus, tam consideratus Daniel in exponendo Nabuchodonosoris somnio. Nam, quod sacer historicus affirmat, *Daniel ingressus rogavit regem, ut tempus daret sibi ad solutionem indicandam regi.* Ne videri posset tenuiter ac nugatoriè respondere. Responsum non morosè distulit, nec illud tamen deproperandum censuit. Ad ista talia raptim respondere, plerumque est imperitè garrire. Non igitur præcipita, quæ deliberandi moram exigunt. Omnium ore tritissimum verbum submonet. *Festina, sed lentè.*

Dan. c. 2. v. 16.

De Oleâ & Cucurbitâ apologus.

Olea & Cucurbita, quod Apologus vetus recitat, unà succrescebant; olea lentissimo, cucurbita celerrimo incremento assurgebat festinatum germen, sed hyeme proximâ

proximâ succum & vitam omnem perdidit. Hinc oleæ sapiens cavillus: Non est invidendum tam citò crescentibus, quibus paratus est tam celer interitus.

Plutarc. to. 1. moral. de sectè dictis regum & Imppp. mihi pag. 370.

Athenodorus Philosophus ab Augusto Imperatore veniam redeundi domum petiit, excusans senium, quò minus reliquum vitæ curis aulicis impenderet. Non negavit Imperator. Ita supremum vale sapiens senex dicturus, hæc verba protulit: Cùm ifaceris, Auguste, nihil antè vel dixeris, vel feceris, quàm tecum viginti quatuor orationis Græcæ elementa repetieris. Augustus Athenedori dextrâ familiariter prehensâ: Etiámnum, inquit, tuâ præsentiâ mihi opus est. Sic annum porrò integrum præceptorem hunc secum detinuit. Consuluit sibi Augustus; & promptè didicit non præcipitare.

Baron. Annal. Eccles. anno 390. & ex eo Spondanus anno eodem.

Theodosius Imperator quot auri milliones potiùs expendere debuisset, quàm monitum illud negligere? Nota clades, quam Thessalonicæ attulit præcipitantia illius Cæsaris. Thessalonicenses Cæsareum belli ducem B obtruncarùt, quòd captivum, quem postulaverant, vinculis recusasset emittere. Imperator irâ præcipiti exardescens in plebem Circensibus intentam armatos immisit, qui obvium quemque jugularent, nocens, innocens civis, peregrinus, Tros, Rutulúsve fuat, nullo discrimine haberent. Ita trium horarum spatio septem millia hominum sunt cæsa. Factum Ambrosius principiò severioribus litteris castigavit, dein ipsum Imperatorem Theodosium publicè ab ingressu templi repulit, & Ecclesiæ communione indignum pronuntiavit, quousque illum post octo mensium publicam pœnitentiam die Nascentis Domini Jesv in templum admisit. Sed eidem hoc insuper injunxit, ut legem figeret, quâ deinceps executiones sententiarum, de cæde, ac publicandis bonis, triginta dies differrentur, ut eo temporis decursu res exquisitiùs examinari posset. Ne præcipita.

Virg. l. 10. Æneidos post init.

Quanti fatentur ultro in maxima se damna incurrisse præcipitando. Hinc crebrò illas voces audias: Me millies pœnituit, quod imprudenter dixi, quod præci- C pitanter feci. Non est sui compos præcipitantia; expers consilii est incogitans festinatio. Nimirum, ut vetus est est verbum: Canis festinans cæcos parit catulos. Nil boni fit, cùm præcipitatio & furor actionis duces sunt.

Tacit. l. 3. Annal.

Quod prudenter Tacitus advertens: *Festinatio*, inquit, *multos etiam bonos pessumdedit, dum tardam securitatem spernunt, & præmatura vel cum exitio properant. Festinatio improvida est & cæca.* Qui nimiùm properat, seriùs absolvit.

Livius Decad. 3. l. 2.

Dan. 6. 2. v. 12. & 13.

Videte Babylonium Monarcham Nabuchodonosorem, de quo sacra pagina: *Rex in furore & in irâ magnâ, præcepit, ut perirent omnes sapientes. Et egreßa sententia sapientes interficiebantur, quærebatúrque Daniel, & socii ejus, ut perirent.* Ne præcipita, quæso, ne præcipita, aut præcipitaberis. Non tam celeritas instituendæ rei quàm cura est adhibenda. Si res exigat, festina, sed lentè.

§. III.

3. Efficienter consumma. * *Alauda. Gell. l. 2. Noct. Attic. c. 29. mihi pag. 104.*

TErtium monitum. *Efficienter consumma.* Apologum D narrans Gellius ad rem appositissimum: Cassita, * inquit, in segetibus nidulatur id ferme temporis, ut appetat messis pullis jam jam plumantibus. Hæc avicula in sementes fortè concesserat tempestiviores; propterea frumentis flavescentibus pulli etiam tunc involucres erant. Cùm igitur ipsa iret cibum pullis quæsitum, monet eos, ut si quid ibi rei novæ fieret, diceretúrve, animadverterent; idque uti sibi, ubi redisset, nuntiarent. Dominus postea segetum illarum filium adolescentem vocat, &; Vidésne, inquit, hæc ematuruisse, & manus jam postulare; idcirco die crastinâ, ubi primùm diluculabit fac amicos adeas, & roges veniant, operámque mutuam dent, & messem hanc nobis adjuvent. Hæc ubi ille dixit, discessit. At ubi rediit cassita, pulli trepiduli circumstrepere, oraréque matrem, ut statim jam properet, atque alium in locum sese asportet: Nam Dominus, inquiunt, misit, qui amicos rogaret, uti luce orientè veniant, & metant. Mater jubet eos à metu otiosos esse. Si enim Dominus, inquit, messem ad amicos rejecit, crastino seges non metetur; neque necesse est hodie uti vos auferam. Die igitur postero mater in pabulum volat. Dominus, quos rogaverat, operitur, sol fervet, & fit nihil: & amici nulli erant. Tum ille rursum ad filium: Amici isti, inquit, magnam partem cessatores sunt, quàm potiùs imus, & cognatos, affinésque, & vicinos nostros oramus, ut adsint cras tempori ad metendum: itidem hoc pulli pavefacti matri nuntiant. Mater hortatur, ut tunc quoque sine metu, ac sine curâ sint; cognatos affinésque nullos ferme tam esse obsequibiles, ut ad laborem capessendum evocentur, & statim dicto obediant: Vos modò, inquit, advertite, si modò quid denuo dicetur. Aliâ luce ortâ avis in pastum profecta est; cognati & affines operam, quam dare rogati sunt, supersedent: ad postremum igitur Dominus filio: Valeant, inquit, amici cum propinquis, afferes primâ luce falces duas. Unam egómet mihi, & tu tibi capies alteram, & frumentum nosmetipsi manibus nostris cras metemus. Id ubi ex pullis dixisse dominum mater audivit: Tempus, inquit, est cedendi & abeundi; fier nunc dubio procul quod futurum dixit; in ipso enim jam vectitur, cujus res est; non in alio, unde petitur. Atque ita cassita nidum migravit, seges à domino demessa est. O quoties apud animum nostrum sanctè decernimus, ea precaturos, ea largituros in stipem; & fit nihil. Quoties in Castimoniæ ac pudicitiæ leges juramus castiores mores polliciti, & fit nihil. Quoties emendationem vitæ seriam proponimus; & fit nihil. Quanta in curiis, quanta in cœtibus aliis ad rem maximè factura statuuntur; & fit nihil. Quàm animosa sæpe consilia militiæ in hostem ineuntur, & fit nihil. Quàm generosi nonnunquam conatus, quàm præclara ubique cœpta ferventi demum fit nihil. Eximiæ igitur laudis est de aliquo dici: Novimus hunc virum; ubi cœpit, non cessat, dum efficienter finiat, quod cœpit. Quidquid operis sumit, elaborat; extrema persequitur. Non inceptor solùm, sed & confector est, actionibus suis ultimam imponit manum. Hoc reverà indolis est divinæ. Nam Deus *attingit à fine usque ad finem fortiter, & disponit omnia suaviter.* Si quis intelligat: Hoc æquum, hoc decens, hoc necessarium; ipse apud animum suum statuat: Hoc igitur agamus, & efficienter conficiamus. Laudis est non incœpisse bene, sed finiisse; si cœptus est asser terebrari, perfora, quantumvis crassus & nodosus sit. Orsus es opus? pertunde pressu, & cœpta confice.

Sap. 8. 1. v.

Danielem vide. *Proposuit Daniel in corde suo, ne pollueretur de mensâ regis.* Multa hîc obstabant optimis conatibus. Nihil videbatur hîc obtinendum adversùs tot remoras. Nihilominus Daniel iis rationibus pugnavit, eóque rem deduxit, ut efficienter, quod cœperat consummarit. Pari modo cùm somnium Nabuchodonosoris non protinus explicare posset, *Ingressus est domum suam, Ananiæ, & Misaeli, & Azariæ sociis suis indicavit negotium, ut quærerent misericordiam à facie Dei cæli super sacramento isto.* Efficienter consummavit.

Dan. 2. v. 17. & 18.

Hoc ergo monitum triplex conjungendum. 1. *Sapientiam à Deo postula*: ad fores hujus Domini pulsa. Sapientiam à Deo postulet, qui illâ indiget, *postulet autem in fide nihil hæsitans.* 2. *Ne præcipita*, aut in obvium rues præcipitium. Petrus Aldobrandinus senator purpuratus dicere solebat: Cùm temporis urget angustia, non accelerandum est, sed maturandum. 3. *Efficienter consumma:* Attinge à fine usque ad finem fortiter, operi bene cœpto incumbe, perfice, finem adde. Non qui decorè cœpit, sed qui præclarè finiit, sponsum certanti præmium obtinebit.

Jac. 1. 6.

CAPVT

CAPVT V.

Statua Nabuchodonosori visa, à Daniele explicata, formandis moribus proponitur.

DANIEL divinâ ope imploratâ somnium regi Nabuchodonosori aggressus est hunc in modum exponere: *Tu rex cogitare cœpisti in stratu tuo, quid esset futurum post hæc: & qui revelat mysteria ostendit tibi quæ ventura sunt. Mihi quoque non in sapientiâ, quæ est in me plus quàm in cunctis viventibus, sacramentum hoc revelatum est, sed ut interpretatio regi manifesta fieret, & cogitationes mentis tuæ scires. Tu rex videbas, & ecce quasi statua una grandis: statua illa magna, & staturâ sublimis stabat contra te, & intuitus ejus erat terribilis. Hujus statuæ caput ex auro optimo erat, pectus autem & brachia de argento, porrò venter & femora ex ære: tibia autem ferreæ, pedum quædam pars erat ferrea, quædam autem fictilis. Videbas ita, donec abscissus est lapis de monte sine manibus: & percussit statuam in pedibus ejus ferreis, & fictilibus, & comminuit eos. Tunc contrita sunt pariter ferrum, testa, æs, argentum & aurum, & redacta quasi in favillam æstivæ areæ, quæ rapta sunt vento, nullúsque locus inventus est eis: lapis autem, qui percusserat statuam, factus est mons magnus, & implevit universam terram. Hoc est somnium. Interpretationem quoque ejus dicemus coram te rex.*

Dan. cap. 2. v. 29. ad 37.

Hæc statua Nabuchodonosori visa quò magis à capite ad imum & ad pedes descendit, eò ignobilioris metallisuit; ab auro ad argentum, ab argento ad æs, ab ære ad ferrum, à ferro ad testam defecit. Ita quatuor regna seu Monarchiæ in pejus ibant. Secunda deterior primâ, tertia deterior secundâ, & ita deinceps, quod Venusinus canit: Ætas parentum pejor avis tulit nos nequiores, mox daturus progeniem vitiosiorem. Hæc hominis ad pejora semper defluentis est imago. Caput illius nonnunquam aureum: laudabile, bonúmque principium. Pectus & brachia sunt argentea; senescit ille non annis tantùm, sed & moribus, jámque multò quàm antè frigidior est aut negligentior. Ita miser homo, si se sibimet permittat, nunquam non in declive vergit. Tandem fateri cogitur: *Defecit spiritus meus.* Hunc talem Siracides describens: *Est homo marcidus,* inquit, *egens recuperatione, plus deficiens virtute.* Atque hæc viva statua luculentiùs ob oculos collocanda. Hîc igitur exponendum, quomodo humana indoles indentidem deficiat ad pejora, & quâ ratione huic malo occurrendum.

Horat. lib. 3. carm. ode 6. ad Romanos. Hæc statua est imago hominis ad pejora semper defluentis.

Psal. 142. vers. 7. Eccles. 11. v. 12.

§. I.

STatua Nabuchodonosori in quiete visa caput habebat aureum, brachia & pectus argenteum, tibias ferreas, pedes imos partim ferreos, partim fictiles & luteos. En ipsissimam hominis ad deteriora inclinantis effigiem. Germanum hominis encomium est, Jobo teste, *Nunquam in eodem statu permanere.* Aut enim assiduè ad virtutem proficit, aut deficit ad vitium: aut melior, aut deterior; vel sanctior, vel nequior: *Nunquam in eodem statu permanet.* Quisquis in progressu vitæ quotidiano incipit lentescere, tædium sentire, laborem fugere, otium atque ferias amare, solutè ac negligenter agere, ad honesta torpere, ad vitiosa fervere, jam deorsum fertur, nec enim incedit per proclive, sed currit, ad ima brevi perventurus. Hic homo fuerat aliquando aureus, successit auro metallum ignobilius, jam ferreus est atque luteus. Spiritu cœpit, carne consummavit, olim Angelus, jam pæne diabolus. Hoc triplici ferè modo fieri compertum.

Job cap. 14. v. 2.

Triplex status hominum ad pejora defluentium:

1. Adolescentes & juvenes paullatim a virtute in vitium degenerâres.

I. Adolescentia subinde ac juventus tractabilis, modesta, docilis; paullatim aurum in argentum, imò in testam degenerat. Hi enim cùm sui juris esse incipiunt, malitiam neglectam reddunt cum fenore, cupiditates & libidines diu latentes denique se produnt, & erumpunt

A in apertum. Nero Imperator talis, sub Senecâ præceptore aureus, Patris patriæ nomen recusavit, atque ut certiorem adhuc indolem ostenderet, ex Augusti præscripto imperaturum se professus; neque liberalitatis, neque clementiæ, nec comitatis quidem exhibendæ ullam occasionem omisit. Graviora vectigalia abolevit, aut minuit. Senatorum nobilissimo cuique, sed à re familiari destituto annua salaria, & quibusdam quingena constituit. Et cùm de supplicio cujusdam capite damnati, ut ex more subscriberet, admoneretur: Quàm vellem, inquit, nescire litteras! Omnes ordines subinde, ac memoriter salutavit. Agenti senatui gratias, respondit: Cùm meruero. O modestum, sanctúmque principem, ô aureum Imperatorem! sed qualis demum carnifex, qualis panthera, qualis imò diabolus evasit? *Quomodo obscuratum est aurum, mutatus est color optimus?*

Sueton. de eo c. 8. 9. 10. mihi p. 325. & seqq.

Thren. c. 4. v. 1.

B II. Sunt alii, qui frugi sint ad ætatem integram, & provectam. Tandem evanescit aurum, aliúd atque aliud deterius metallum succedit; illi scelere sese aliquo contaminant. Quod ubi vel semel sunt ausi, in eodem fiunt confirmatiores, & ita sensim nequiores evadunt denique merissimum lutum sunt. De istis illud verissimè dixeris: Ausum semel, geminatum decies. Gustatâ felis aruinâ semel, redit sæpius; ita melle vitiorum inescatus vel semel, dulcedini tam pravæ sæpius succumbet; quod ausus est semel, iterúmque, id decies, id vicies, atque tricies, id audebit centies ac sæpius. Hæc ferè peccandi ratio est. Qui letali noxâ vel unicâ se obstringit, in primâ non diu hærebit, brevi ad alteram, ad tertiam, ita ad decimam, ad vicesimam, ad centesimam transibit. Ubi cœperit audenter in nefas ruere, non facilè subsistet: gustavit suave toxicum; jam captus est, inhæret hamus faucibus. Vitia plerunque catenata sunt, si primum trahas annulum, sequuntur ceteri; nexi sunt. Rarissimè invenias unâ culpâ nocentem. Repetitur scelus quod semel placuit. Ingressio vitii in grandem numerum excurret. De plurimis verissimè dixeris: Ausum semel, geminatum millies.

2. Sunt alii, qui frugi sint ad ætatem provectam, tandem sese aliquo crimine contaminant.

C III. Sunt demum alii (atque hoc quotidianum est) qui octavo quovis, aut decimo quarto die singulisve mensibus animum atque conscientiam emaculent, divina mysteria frequentent, optima quæque facturos statuant. Hi primo alteróve die aurei sunt, dein argentei fiunt, sic semper aliquantulum remittunt, hebdomade aut mense finiente lutum & testa emergunt, vitiositates antiquæ omnes denuo vivunt. O miseros nos, qui nunquam in eodem statu permanemus! ô statuas aureas, sed in fine luteas! Hæc vivendi ratio est. Qui non identidem aspirat ad meliora, jam ad deteriora declinat. Dum vivimus, nunquam stamus, aut enim porrò imus, aut retrorsum tendimus. Quòd Bernardus præclarissimè commonstrans: *Quòd si studere perfectioni,* ait, *est perfectum est, profectò nolle perficere deficere est. Vbi ergo sunt, qui dicere solent: Sufficit nobis, nolumus esse meliores quàm patres nostri. O monache, non vis proficere? Non vis ergo deficere? Nequaquam. Quid ergo? Sic mihi, inquis, vivere volo, & manere in quo perveni, nec pejor fieri patior, nec melior cupio. Hoc ergo vis, quod esse non potes. Quid enim stat in hoc sæculo? Et certè de homine specialiter dictum est:* Fugit velut umbra, & nunquam in eodem statu permanet. *Ipse denique hominis, sæculiq; auctor: Quamdiu in terris vivis est, & cum hominibus conversatus est, nunquid stetit? Et quidem, teste scripturâ, pertransiit benefaciendo, & sanando omnes. Pertransiit ergo sicut non infructuose, ita non remisse: non pigrè, non lento gressu, sed quemadmodum item de eo scriptum est:* Exultavit ut gigas ad currendam viam. *Porrò currentem non apprehendit, qui & ipse parter non currit. Et quid prodest Christum sequi, si non contingat consequi? Ideo Paulus ajebat:* Sic currite, ut comprehendatis. *Ergo,* eodem teste, *non proficere sine dubio deficere est. Nemo proinde dicat: Satis est; sic volo manere; sufficit mihi esse sicut heri & nudiustertius. In viâ residet, qui*

3. Sunt alii, qui post conscientiam emaculatam optima quæque facturos promittunt, nihilominus vitiositates antiquas admittunt.

Bern. tom. 2. ep. 253. mihi pag. 293.

Iob cap. 14. v. 2.

Psal. 18. v. 6.

1. Cor. cap. 9. v. 24.

Idem epist. 341. mihi pag. 348.

ejusmodi est; in scalâ subsistit, ubi neminem Patriarcha vidit non ascendentem, ut descendentem.

Aug. tom. 10. serm. 15. de verbis Apostoli c. 8. & 15. mihi pag. 128. & seqq.

Hæc Augustinus disertissimè confirmat his monitis: *Tolle te, tolle*, inquam, *tecum à te; impedis te; si tu te ædificas, ruinam ædificas.* Addit epilogi vicem: *Proficite, fratres mei, discutite vos semper sine dolo, sine adulatione, sine palpatione. Semper tibi displiceat quod es, si vis pervenire ad id quod nondum es. Nam ubi tibi placuisti, ibi remansisti: Si autem dixeris: Sufficit, & peristi. Semper adde, semper ambula, semper profice. Noli in viâ remanere, noli retro redire. Remanet qui non proficit; retro redit, qui ad ea revolvitur, unde jam abscesserat.* Ad eosdem

Philip. c. 3. v. 13.

profectus incitans Paulus: *Ego me*, inquit, *non arbitror comprehendisse.* Adhuc sequor, adhuc proficio, adhuc ambulo, adhuc in viâ sum, adhuc me extendo; nondum

Aug. loco proximè citato.

perveni. *Ergo si & tu ambulas, si te extendis, si ea, quæ ventura sunt cogitas, obliviscere præterita, noli in ea respicere, ne ibi remaneas ubi respexeris.* Ergo non caput tantùm statuæ, sed & pectus, sed & umbilicus & pedes sint aurei.

§. II.

VIdete religiosos ordines principiis florentissimos; sensim remisit primus ardor, auri nobilitas in metallum ignobilius mutavit, hinc pedes imi fictiles, hinc

Sophron. Prat. spirituale c. 130. mihi p. 448.

mores primis dissimiles. Id jam olim Athanasius Abbas deplorans, Sophronio teste; Patres nostri, ajebat, continentiam & paupertatem ac nuditatem rerum omnium usque ad mortem servaverunt; nos autem ventres nostros & crumenas dilatavimus. Sub patribus nostris in studio erat distractiones animi vitare, nostris verò tèporibus olla obtinuit & opus manuum. Ita quivis hominum assiduè deflectit ad perversiora, factus nequior, si non seipsum identidem vi magnâ impellat ad sanctiora. Proniissimum tendere ad sequiora, immemorem sanctæ destinationis. Verissimè dixit Annæus Philoso-

Senec. ep. 87. mihi p. 609.

phus: *Ad deteriora faciles sumus, quia nec dux potest, nec comes deesse: & res etiam ipsa sine duce, sine comite procedit: non pronum est tantùm iter ad vitia, sed præceps.*

Mandabulus, Suidâ teste, thesauro grandi reperto ingentia pollicitus est Junoni quotannis in animi grati testimonium offerenda. Obtulit arietem aureum, sed primo tantùm anno; argenteum altero: tertio stanneum: plumbeum quarto: denique nullum. Ita nos planè in arctis rebus, in vehementi morbo, in gravi periculo montes aureos, mores emendatissimos, Deo Divisque omnibus pollicemur. Vociferamur & urgemus: Juva, ô Domine juva; vitam ego longè sanctiorem instituam, si hunc morbum, si periculum istud evasero: O Domine juva. Juvat Deus; evadimus. Quid verò? quæ sequitur vitæ sanctimonia? quâ liberalitate voti fidem solvimus? principiò aliquantillum auri promimus, mox argenteas cudimus lamellas, his brevi opus figlinum jungimus; post superata pericula, post valetudinem restitutam pauculis diebus substrictiores aliquantulum sunt mores; vix unus aut alter mensis abit cùm beneficii accepti labat memoria, idémque iterum, ut antè quædam licenter, quædam segniter & oscitanter, alia imprudenter, aliqua etiam petulanter fiunt. Ita in pristinum revolvimur chaos, ita sordes ejuratæ redeunt, & vetus calcatur lutum; ita priora & antiqua omnia. Hæc illa est tam seriò, támque firmiter promissa morum emendatio? Hæc illa procera, ter admiranda statua, caput quidem aureum attollit cælo, sed basi nititur infirmâ, pedibus argillaceis. Initium præclarum, pudendus finis.

In gravi morbo mores emendatissimos pollicemur Deo, quorum sensim obliviscimur.

Quemadmodum verò hominum sanctiorum sapiens industria è virtutibus nectit catenam: quod affirmans

Ps. 83. v. 8.

Psaltes: *Ibunt*, inquit, *de virtute in virtutem*: seipsis isti quotidie fortiores, ad parendum promptiores, ad patiendum submissiores, ad erogandum liberaliores, ad serviendum fideliores, ad precandum fiunt vigilantiores: sic alii contrà de vitio eunt in vitium, atque ita & suam isti nectunt catenam. Caussarum aliquid assignans

A Gregorius Magnus: *Peccatum namque*, ait, *quod pœnitentia non diluit, ipso suo pondere mox ad aliud trahit. Unde fit, ut non solùm peccatum sit, sed peccatum & caussa peccati. Ex illo quippe vitio culpa subsequens oritur, ex quo cæcata mens ducitur, ut pejus ex alio ligetur. Sed peccatum quod ex peccato oritur, non de jam peccatum tantummodo, sed peccatum est & pœna peccati: quia justo judicio omnipotens Deus cor peccantis obnubilat, ut præcedentis peccati merito etiam in aliis cadat. Quem enim liberare noluit, deserendo percussit.* Hanc ipsam in declive semitam monstrans Siracides: *Est*, inquit, *processio in malis viro indisciplinato.* Vir indisciplinatus, qui antè magister esse, quàm discipulus, docere priùs cupit quàm discere, suos & ipse progressus habet, sed à malo in pejus, ita ut magis magisque à virtutis genio degeneret.

Videte regem Salomonem. Caput is habebat aureum. *Dilexit Salomon Dominum, ambulans in præceptis David patris sui.* Pectus & brachia Salomonis fuerunt argentea: *Congregavitq; Salomon currus & equites, & facti sunt ei mille quadringenti currus, & duodecim millia equitum.* Nondum adeò malus, sed non ampliùs, ut antè, aureus.

B Paullatim verò cœpit esse æreus. *Rex autem Salomon adamavit mulieres alienigenas multas: his itaque copulatus est ardentissimo amore.* Ex æreo factus est planè ferreus, nam cives atque subditos ob nimium aulæ luxum indictionibus & tributis miserè vexavit. Hoc illi post Salomonem jam sepultum Roboamo filio questi: *Pater tuus*, inquiunt, *durissimum jugum imposuit nobis, tu itaque nunc imminue paullulum de imperio patris tui durissimo, & de jugo gravissimo, quod imposuit nobis.* Tandem Salomon in turpe lutum desiit. *Cúmque jam esset senex depravatum est cor ejus per mulieres, ut sequeretur Deos alienos: nec erat cor ejus perfectum coram Domino Deo suo, sicut cor David patris ejus, sed colebat Astarthen Deam Sidoniorum, & Chamos Deum Moabitarum, & Moloch idolum Ammonitarum.* En statuam, cui caput quidem aureum, sed luteæ fuerunt plantæ. Spiritu cœpit, sed carne consummavit.

§. III.

C PAlladius & Ruffinus memorant de viro religiosissimo, qui annis pluribus in solitudine ad omnem virtutis legem præclarè sese gesserat silentii & assiduæ orationis amantissimus. Eò autem sanctimoniæ perveni, ut omnem curam oblitus uni pæne animo vacaret, summâ in Deum fiduciâ. Dies atque noctes solùm suspirabat cælum, hinc magis ac magis ad suum Conditorem spectandum anhelabat. Unde nec tristis, nec tetricus, sed immortalitatis spe plenus jam pæne cælitum voluptatibus interesse sibi visus est. Nec paterna providentissimi Numinis cura defuit ei, qui seipsum minimè curarat. Ita reperit hic Ascera quotidie suam, quâ se aleret, annonam in mensâ, panem niveum exquisitè factum, palato gratissimum. Cum ingenti gratiarum actione solitus est inempto hoc victu frui, & mox iterum ad arctiora cum Deo colloquia redire. Nec visiones cæleste, & vaticinandi munus viro divino defuerunt. Ad istam vitæ sublimitatem evectus cœpit sibi videri ceteris aliquantulum altior gradu, unà etiam cogitationes illæ subrepserunt, quæ cælestis beneficii donum, tam continentis vitæ debitum æstimarent. Hæc ruinæ subtilissima origo. Nam inde paullatim languor & desidia, sed vix notabilis nasci, minùs calere preces, minùs fervere actiones, omnia, quod ægrè adverteres, esse aliquantulum fractiora. Hęc tamen negligentia, initio tam modica sensim auxit. Ita vir iste sanctus pluisculum somno addere, tardiùs stratu surgere, vigilias celeriùs finire, orationes citiùs absolvere, cenulam ultra solitum producere; jámque etiam tædium laboris sentire, subinde sibi ferias indicere, rigores ceteros laxare, cogitationes incautiùs custodire. Etiámnum stare videbatur, sed brevi ruiturus, uti Nabuchonosoris statua lapillo jugulata. Quod ipsis etiam oculis objecit Deus. Nam panem hic

eremicola,

eremicola, ut hactenus, sibi appositum reperit quidem, sed malè coctum, cineribus obductum ac sordidum. Agnovit ille hoc genus monstri, socordiæ suæ luculentum esse indicium, sed culpam, quam debuisset, non correxit. Jam eum cogitationes licenter evagatæ per diversa rapiebant præcipitia. Ita demum aridi ac mucidi panis crustula velut à muribus, aut canibus arrosa invenit. Ingemuit quidem, cùm ista cerneret, & fudit lacrymas, sed nequitiæ coërcendæ non satis valituras. Jámque in eo tumultus ingens erat cogitationum pessimarum, quæ hoc unum assiduè occentarent. Abi hinc, & tibi vive. Quid inaniter te fatigas? impendiis multò minoribus cælum emitur, Abi. Ille suasoribus tam importunis obsecutus, libertatem quærere statuit. In viâ viatici penuriâ coactus ad cœnobium divertit, sed animum mutatum dissimulavit. Jam pedes lotum, & hospitali mensâ refectum rogarunt cœnobitæ, id sibi gratiæ præstaret, & quod insigniter posset, de salute animi ad se verba faceret. Habebatur is omnium eruditissimus Pater. Hinc etiam quæsierunt; quomodo cogitationes noxiæ ac turpes repellendæ, quomodo diabolus impostor effugiendus. Non potuit religiosus hospes hoc officii recusare. Dixit, gravissimè illos hortatus, ut in laboribus sumendis, non fortes tantùm, sed & constantes essent, non multo pòst tempore in suavissimâ quiete collocandi. Persuasit omnium primo sibi ipsi, quod dixerat. Nam ab exhortatione animum resumens: Vide, ajebat apud se, quam verè sit in te pronunciatum: *Dicunt & non faciunt.* Alios corrigis, teipsum non emendas; doces alios ne pereant, tu nihilominus hoc unum agis ut pereas. Quin resipiscis? Nec distulit; sed cõcitato cursu rediit in solitudinem, ubi seipsum deplorans: *Nisi quia Dominus,* ajebat, *adjuvisset me, paullò minùs habitasset in inferno anima mea.* Eheu! *motus est pes meus: Misericordia tua, Domine, adjuvabat me.* Has super se lacrymas non nisi cum vitâ finiit. Nam mensa illa gratuita non rediit. Deinceps panis sudore fuit emendus. En hominem, qui spiritu cœpit, consummaturus carne, ni eum divina bonitas reduxisset in viam. En statuam magnâ parte auream & argenteam, sed demum luteam. Hæc vobis, ô filii narravi, ait Palladius, ut humilitatem exerceatis, seu in parvis, seu in magnis esse videamini. Hoc est enim primum præceptum Servatoris. Animi elatio ex homine aureo facit luteum, imò ex humano homine facit immanem bestiam, ut Nabuchodonosorem potentissimum regem in prodigiosam pecudem mutavit. Qui verè proficiunt, assiduè submissiores fiunt.

Matt. 23. v. 3.

Ps. 39. v. 17. & 18.

Plutarchus explicans, Quomodo quis in parandâ virtute suos possit profectus sentire, hæc ceteris immiscet: In hos congruit jocus Menedemi; Qui Athenas, inquiebat, navigant ad studia, plerique sibi sapientes sunt, deinde Philosophi fiunt, progressu temporis rudes ac plebei evadunt; quò enim magis doctrinæ se præbent, eò magis fastum & arrogantiam deponunt: ita planè Christianus quò plus melioris sapientiæ haurit, eò minùs sibi sapere videtur, & submissius se gerit. Hîc tria singulariùs observanda.

Tria observanda:

§. IV.

a Si fundamentum rei aut nullum, aut parum sit firmum, ad ictum lapilli corruunt universa.

1. SI fundamentum rei aut nullum, aut parum sit firmum, si pedes stent luto, ad ictum lapilli corruunt universa. Quisquis non seipsum suâque omnia solidissimè fundat in Deo, is in aëre ædificat sine basi domum, priùs ruituram quàm initium exituram. Homo, cujus præsidium robur ac fundamentum Deus non est, mille perundi periculis expositus est, omni malè agendi occasione utitur, adversis quibuscunque sternitur; illecebræ carnis, invitamenta Mundi, instigationes diaboli per varia illum rapiunt præcipitia: nimirum luteis pedibus miser nititur, fundamento caret. Hinc modò impatientiâ, modò libidinem, modò superbiam, modò gulam vagus erro sectatur. In solidum nihil extruit, vitiosi-

A tatis non unius mancipium. Tales Galatæ, quos acriter perstringens Paulus: *Sic stulti estis*, inquit, *ut cùm spiritu cœperitis, nunc carne consummemini.* O fatui! sine fundamento labant parietes, tota ruit domus. *Deus firmamentum nostrum.*

Galat. cap. 3. v. 3.

Ps. 17. v. 3. & Psal. 70. v. 3.

2. Quisquis non quotidie studet proficere in declive tendit.

II. Quisquis non quotidie studet proficere, & ire propior cælo, propior Deo, is in declive tendit, carne consummabitur, tametsi cœperit spiritu, in pedes luteos finietur statua, etsi caput erexerit aureum. Seipsum igitur quivis ad assiduos profectus quotidie impellat. In exercitationibus sacris millies iterúmque millies inciendum. Malè finiet, imò non finiet, qui non quotidie ardore novo virtutis studium inceperit. Quisque sibi dicat: Nil egi hactenus: jam incipio. *Justorum semita quasi lux splendens procedit & crescit usque ad perfectam diem.* Sol nunquam subsistit, sed constantissimâ celeritate progreditur, dum meridianum cæli punctum, quod est altissimum, attingat. In oculis est quotidianus hic monitor; æmulemur præeuntem. *Electi*, Gregorio teste, *usque ad finem vitæ in virtute proficiunt.*

Prov. cap. 4. v. 18.

Greg hom. 5. in Evang.

3 Quicunque gravius nunquam deliquit id etiã deinceps caveat audere.

III. Quicunque gravius nunquam deliquit, id etiam deinceps caveat audere. Verè semel ausum? id decies, id centies, id sexcenties geminatum. Quemadmodum laverniones illi & furum tirones, qui ob furta minutiora virgis excipiuntur, simúlque igni & aquâ interdicuntur, furtis abstinere possent utique si vellet, sed hoc longè rarissimum est: qui enim Mercurio his furandi rudimentis sunt initiati, vix unquam desistunt elepere, dum patibulum scandant, & longa ex eis fiat littera: ita qui semel iterúmque ausi letaliter delinquere, delinquunt sæpius, eadem crebrò repetitis vicibus audebunt jam satanæ auctorati. Ah melius in flammam præcipitari, aut oceano mergi, quàm letali noxâ obstringi, quæ argentum & aurum, hoc est, actiones bonas omnes præteritas, velut in favillam redigit. Si spiritu cœpimus, consummemus spiritu.

CAPUT VI.

Tres Danielis socii venerationem idoli aurei liberrimè recusant.

CVM somnium de statuâ visum adeò exactè ac feliciter Daniel interpretatus fuisset, *Rex Nabuchodonosor*, ut divina pagina testatur, *cecidit in faciem suam, & Danielem adoravit, & hostias & incensum præcepit, ut sacrificarent ei: Loquès ergo rex ait Danieli: Verè Deus vester Deus Deorum est, & Dominus regum, & revelans mysteria: quoniam tu potuisti aperire hoc sacramentum. Tunc rex Danielem in sublime extulit, & munera multa, & magna dedit ei, & constituit eum principem super omnes provincias Babylonis: & præfectum Magistratuum super cunctos sapientes Babylonis, Sidrach, Misach, & Abdenago ipse autem Daniel erat in foribus regis.*

Dan cap. 2. v. 46. & seqq.

Adoratio aureæ statuæ à Nabuchodonosore imperatur.

Hæc quidem Nabuchodonosor optimè, in Deum pius, in Danielem gratus. Sed brevi alius spiravit ventus. Rex aureum erexit statuam cubitorum sexaginta altam, sex latam; unà etiam edixit gravissimè, quisquis eam statuam dato signo non venerabundus adorasset, hunc eâdem horâ præcipitandum in flammas. Hîc invidia Chaldæorum se prodere, tres Hebræos principes Ananiam, Misaëlem, & Azariam ad regem deferre, ut regii edicti contemptores accusare, ita reos peragere, & jus poscere. Nabuchodonosor illos accersens: *Verène*, inquit, *Sidrach, Misach, & Abdenago deos meos non colitis, & statuam auream, quam constitui, non adoratis? Nunc ergo si estis parati, quacunque horâ audieritis sonitum tubæ, fistulæ, citharæ, sambucæ, & psalterii, & symphoniæ, omnisq; generis musicorum, prosternite vos & adorate statuam, quam feci: quòd si non adoraveritis, eâdem horâ mittemini in fornacem ignis ardentis: & quis est Deus, qui eripiet vos de manu meâ? Respondentes Sidrach, Misach, & Abdenago, dixerunt regi Nabuchodonosori:*

Tres Hebræi principes regii edicti contemptores accusãtur.

Dan. cap. 2. v. 14. ad 19.

Non oportet nos de hâc re respondere tibi. Ecce enim Deus noster, quem colimus, potest eripere nos de camino ignis ardentis & de manibus tuis liberare, ô rex. Quod si noluerit, notum sit tibi ô rex, quia deos tuos non colimus, & statuam auream, quam erexisti, non adoramus. Responsum prorsus cordatissimum, liberrimum: *Deos tuos non colimus, statuam, quam erexisti, non adoramus.* Frustra minæ, frustra cruciatus, & supplicia. Non colimus, non adoramus falsos Deos, idola non veneramur; mori potius parati, quàm hoc agere. Hæc vera spiritûs libertas est, tam in priscæ, quàm novæ legis volumine laudatissima. Hi planè Liberi Barones sunt, qui, quod animus & conscientia proloquendum dictat, animosè, liberè, sincerè proloquuntur. De hâc spiritus libertate hoc capite disserendum.

§. I.

2. Cor. c. 3. v. 17. Libertate animi & constantiâ adimplēda sunt Dei mandata.

TArsensis Pauli pronuntiatum est: *Vbi spiritus Domini, ibi libertas.* Hæc libertas, Augustini animo, affectus & amor est justitiæ. Hic ille Liber Baro est, qui legem divinam jubentem, prohibentem eò veneratur, ut apud animum suum ita statuat: Hoc Deus à me jure omni exigit, hoc igitur mihi faciendum, hoc cavendum & fugiendum. Hoc igitur faciam, hoc cavebo, hoc fugiam eâ libertate animi & constantiâ, ut nullus neque hominum, neque diabolorum, sed nec Angelorum ullus hoc gradu me dimoturus sit. Sic agam: quod jubeor, quod vetor, hoc & dicere, & facere paratissimus sum. Nec humani favoris aut gratiæ quidquam me prohibuerit. Gratus & ingratissimus aliis, id ego non curo. Hoc loquar, quod loqui me voluerit Deus, quòd præceperit, hoc exequar. Et en hujus rei luculentissimum paradigma.

Et ad id paradigmata in tribus juvenibus Hebræis.

Nabuchodonosor rex ardens irâ, & in tres Hebræos procères gravissimè commotus: Quid de vobis, inquit, audio? Itane Deos meos non colitis, & statuam auream, quam erexi, non adoratis? Vos istud audere, homines captivi, mei servi, mei provinciis à me præfecti? Vos edictum meum spernere, imperium ludificare? Faxo id vobis impunè non sit. Sed mitiora priùs tentare, & supremam gratiam offerre placet. *Dan. cap. 3. v. 15.* *Nunc ergo, si estis parati, quâcunque horâ audieritis sonitum tubæ, fistulæ, citharæ, sambucæ, & psalterii, & symphoniæ, omnisq; generis musicorum, prosternite vos, & adorate statuam, quam feci: quòd si non adoraveritis, eâdem horâ mittemini in fornacem ignis ardentis: & quis est Deus, qui eripiet vos de manu meâ?* Videri poterant hæ regis furiales minæ ingentem incussuræ terrorem. *Vers. 2.* At illi nil penitus terrefacti in os regi liberrimè dicunt: *Non oportet nos hâc de re respondere tibi.* Nec enim hîc opus consiliis, aut ullâ deliberatione. Non facimus, nec unquam facturi sumus, quod hîc jubemur. Ad impietatem istam mortalium nemo nos adegerit. Deum verum, & hunc unum adoramus. Hæc vera spiritûs libertas. Absque hâc illi longè aliter ratiocinati, in animo secum ita statuissent. Non est profectò cum hoc rege jocandum, isto præsertim tempore: irâ nimiùm quantùm exæstuat. Et in oculis est præsens supplicium, accensa fornax, si resistimus vel verbulo, periimus. Faciamus igitur, quod faciunt omnes, aut saltem facere simulemus. At *Ibid. v. 17. & 18.* illi nihil horum. Sed liberiùs insuper: *Ecce Deus noster,* inquiunt, *quem colimus, potest eripere nos de camino ignis ardentis, & de manibus tuis ô rex liberare. Quòd si noluerit, notum sit tibi, rex, quia Deos tuos non colimus, & statuam, quam erexisti, non adoramus.* Potentiam Dei nostri noveris. In ipsis flammis vel unico nutu tueri nos potest. Non illi difficile ignes mutare in rorem, & rosas. Quòd si suas ignibus vires permittere, & nos consumi velit, en adsumus pro Numinis gloriâ paratissimi tolerare omnia. Neque enim nos illi servimus, ut operæ mercenariæ mercedis amore, aut ut grandia patret miracula nostri causâ. Nos illi jure meritissimo servimus, quia Deus est, & Dominus noster, cujus nutu reguntur universa. Si ergo nos A mori velit in suppliciis, moriemur promptissimè. Scimus enim tam illi mortem nostram, quàm nostram vitam esse commendatissimam. Scimus eum posse omnia, sed non omnia petinde velle, quæ potest. Ab ipsius igitur arbitrio pendemus toti. Ipsius velle ac nolle nos pariter & volumus & nolumus. Quod ipsi placuerit, in nos decernat. Illi servimus, statuas non adoramus. Atque hoc, si opus, vel millies ingeminabimus.

Hæc illa libertas spiritûs verissima. Cujus mentionem injiciens Augustinus: *Nulla,* inquit, *vera libertas, nisi* Aug. ser. 6. de verb. apost. c. 13. mihi *legi æternæ adhærentium. Hæc est libertas nostra, cùm isti subdimur veritati.*

§. II.

BEatus Zeno Veronensis Præsul, & Martyr hanc libertatem spiritûs extollens: *Tres,* inquit, *pueri in illo* Zeno serm. 6. de Sanct. *sacro certamine Deum sibi proposuere, non flammas; futurum* & 7. de Exod. *gaudium, non præsentes pœnas: sicq; intra tetros undantis in-* B *cendii globos triumphantes barbarum regem, minas omnes,* tam hic quam in versione. *ipsum quoque supplicium, docuerunt ignes sanctis hominibus non esse fortiores. Quis non optet sic ardere, quando mors transit in vitam, metus in gloriam?*

Sed nostræ hoc imbecillitatis argumentum est, nimiùm in præsentia oculos defigere. Hinc semper trepidatio, & plurimum pavoris. Beatissima æternitas grandes facit animos, si ea in oculis sit humanâ felicitate omni contemptâ. Aureum Ptolemæus dictum jaciens: *Ille,* Ptolem. in præfat. Almagest. Pamias in Dionysium Areopag. *inquit, altior est Mundo, qui non curat, in cujus manu sit Mundus.* Ita divus Cyprianus Carthaginiensi Proconsuli furiosè jubenti: Aut Diis sacrifica, aut periisti; subjecit liberè: In re tam justâ deliberatio nulla est. Christianus quæ nos sum: Diis sacrificare non possum: tu fac, quod tibi præ- 1. In Dionys. ceptum est. Dictâ in se capitali sententiâ: Omnipotenti Pamias Deo, inquit, gratias ago, qui me dignatur è vinculis hujus corporis dimittere. Sic ante Cyprianum, ævo Valeriani & Gallieni Imperatorum, trecenti martyres Car- Dion. Carth. Euseb. thagine libertatem admirandam præ se tulerunt. Cùm C enim daretur eligendi optio, aut thus adolere Jovi aut Aug. de civit. Dei lib. 22. c. 10. in accensam fornacem calcariam demergi: illi Dominum Jesvm Dei filium liberrimè confessi, in ignes animosissimo jactu seipsos præcipitarunt. Hinc candidatus Euseb. hist. Martyr. tom. 3. conc. 220. c. 9. iste victorum exercitus *Massa candida* vocari promeruit. Baron. ad ann. Christ. 303. Sever. Sulpit. lib. 2. hist. sacr. c. 11.

Ita & Liberius Pontifex cùm ei Constantius Imperator Arrianus dici juberet: Biduum ei permitti in deliberationem. Quo exacto, ni sententiam mutet, & Ar- Liberius. rianæ parti faveat, decretum certissimò norit sibi exilium, in quod illico deportandus sit. Ad quæ Liberius: Ista jam olim, inquit, deliberata mihi sunt. Sententiam non muto. Impiis patrocinari non possum. Itaque parate sum jam statim hinc discedere. Ita omnes ferme martyres Christi, libertate summâ promptissimè respondérunt, malle se mori millies, quàm Dominum Jesvm vel levi probro afficere. Hoc animo Tertullianus Tertull. Apolog. cap. 50. vicem omnium respondens: *Cruciate,* inquit, *torquete,* D *damnate, atterite nos. Probatio est enim innocentiæ nostræ iniquitas vestra. Ideo nos hæc pati, Deus patitur; nam & proximè* Pag. 56. *ad lenonem damnando Christianam potiùs quàm ad leonem,* Impugnat. *confessi estis labem pudicitiæ apud nos atrociorem omni pœnâ &* Pag. 57. *omni morte reputari, nec quidquam tamen proficit exquisitior* Pag. 58. *quæq; crudelitas vestra; illecebra est magis secta. Plures efficimur, quoties metimur à vobis. Semen est sanguis Christianorum:* Pag. 59. *multi apud vos ad tolerantiam doloris, & mortis hortantur, ut Cicero in Tusculanis, ut Seneca in Fortunis, ut Diogenes, ut Pyrrhon, ut Callinicus. Nec tamen tantos inveniunt verba discipulos, quantos Christiani factis docendos. Illa ipsa obstinatio, quam exprobratis, magistra est. Quis enim non contemplatione ejus concutitur, ad requirendum, quid intus in re sit? Quis non, ubi requisivit, accedit? ubi accessit, pati exoptat? ut totam Dei gratiam redimat, ut omnem veniam ab eo compensatione sanguinis sui expediat? omnia enim huic operi delicta donantur. Inde est, quod ibidem sententiis vestris gratias agimus, ut est amulatio*

emulatio divinæ rei & humanæ, cùm damnamur à vobis, à Deo absolvimur.

In virginibus millibus Christianorum in templo clausis. Surius. to. 6. Baron. an. 281.

Die nascentis Christi, quod Nicephorus narrat, Nicomediæ supra viginti millia Christianorum in templo clausâ foribus à Diocletiano eo fine obseratis, ut qui vellet vivere, exiret, & Jovi thurefaceret, qui Christum colere perseveraret, in accenso templo flammis interiret. Ex omni támque incredibili numero nec quidem unicus fuit, qui metu mortis mallet vivere, quàm fortiter pro Christo mori. Ita unus omnium loco liberrimè respondit: Christiani sumus omnes, soli sacrificamus Deo, pro quo vel centies, vel millies mori sumus paratissimi. Ad has voces succensum templum, in quo unà omnes viginti millia flammis & fumo necati.

In Claudio Nicostrato, Symphoriano, Castorio, Simplicio Surius.

Ita Claudius Nicostratus, Symphorianus, Castorius, Simplicius, nobiles statuarii, nullis nec minis, nec precibus, nec promissis persuaderi potuerunt, statuas idolorum fingerent. Ad venerandum solis simulachrum ducti, liberè professi sunt, nunquam se commissuros ut manus humanæ opus pro Deo adorent. In carcerem reducti, & pluribus diebus variè vexati, nec hilum ab instituto deflexerunt. Demum scorpionibus lacerati, & vivi loculis plumbeis inclusi in flumen excussi sunt. Hâc

B

1. In Basilio. Tit. c. 2. n. 11.

ipsâ libertate Christianâ Basilius impio Juliano respondit: Fac quod facturus es. Nam cras idem ero, qui hodie sum. *Sic loquimini*, ait Jacobus Apostolus, *& sic facite sicut per legem libertatis incipientes judicari.* Tam animosè ac fortiter, tam liberè ac constanter quà verbis, quà factis vos gerite, ac si jam ad Christi tribunal steteris judicandi de hâc ipsâ Evangelii lege, quam accepistis. Eodem illud Paulinum spectat: *Non sumus ancillæ filii, sed liberæ, quâ libertate Christus nos liberavit.*

Gal. c. 4. fin.

§. III.

2. Exempla homines servos demonstrantia. Primum.

QVàm autem hæc libertas rara est, quàm fœda plurimorum servitus, qui ancillæ filii sunt, non liberæ. Exemplis, quod diximus, demonstretur.

C

I. Est qui inter religionis suæ adversarios agat. Sed ne cavillis aut risu excipiatur, nullum opsonii delectum habere, nulla orationis tempora observare, nec sacra sua explicare, nec religiones suas defendere, nec objectationem ullam audet refellere. Hic ancillæ filius est. Liber Baro non est. Hic religiosâ libertate opus. Hic vitiliter, intrepidè, animóque magno pro avitis religionibus standum, sicut per legem libertatis incipientibus judicari.

Secundum.

II. Est qui rogetur obsequium, sed parum honestum, & divinæ legi adversum. Ille trepidus rem secum exputans: Hoc quidem obsequii, ait, illæsâ præstare conscientiâ non possum; divina lex vetat. Sed quid volumus? diversis ego rationibus ad obsequendum impellor; amici non destituendi, patroni non offendendi, tam humanæ preces non aspernandæ; mutuum ab his expectes officium, quod illis priùs præstiteris; forsan & ego brevi alienâ operâ indigebo, tales autem habebo adjutores, qualem me illis exhibuero: quòd si amici conscientia hoc possit concoquere, & mea poterit. Hanc igitur illi gratiam gratificabor. Ita miser varias sibi ratiunculas consarcinat, ut speciosо nomine libertatem perdat, &

D

Seneca l. 6. de Benef. c. 30. Gal. c. 5. v. 1.

faciat, quod improbum est. En & iste ancillæ filius est, Liber Baro neutiquam est. Quàm verè dixit Seneca: *Non vides, quomodo illos in præceps agat extincta libertas?* O Christiani, *state, & nolite jugo servitutis contineri.*

Tertium.

Exod. c. 23. v. 8. Deut. c. 27. v. 25.

III. Munera non accipienda sat probè sciunt qui accipiunt. Nec enim ignorant illa divinæ legis: *Nec accipies munera, quæ etiam excæcant prudentes, & subvertunt verba justorum. Maledictus qui accipit munera.* Ipsa clamat conscientia: Ne tibi manus inaurari, neque os argento finas obstrui. At ille: Enimverò quid faciam, ait, vir iste opulentus nil damni sentiet muneribus dandis, cùm libentissimè det, ego accipiendis plurimùm juvabor. Ita & iste sibi rationes concinnat, & contra fas capit munera. Hinc aut silet cùm loquendum, aut loquitur, cùm silendum, aut quod omittendum facit. Nec aliter potest; libertatem vendidit, jam ligatus est. Hinc silentium suum & dictionem suam non suæ conscientiæ, sed alienis muneribus attemperat. Ancillæ filii sunt isti, extincta est libertas eorum. Ad institutum Paulus: *Falsi fratres*, inquit, *subintroierunt explorare libertatem nostram, quam habemus in Christo Iesu.* Haud aliter de istis sentiendum: Redacti sunt in servitutem.

Gal. cap. 2. v. 3.

IV. Est qui mensam principalem aut opulentam accumbat. Multæ hîc invitationes ac propinationes, varia poculorum certamina. Conviva Christianæ libertatis oblitus vino se obruit in gratiam accumbentium. Scit ebrietatem esse vetitam, gravem ac letalem noxam, valetudini suæ incommodam, quia verò nil penitus Christianæ libertatis habet, ultra vires & appetentiam propinat & respondet propinantibus. Ita in gratiam aliorum, & ne cuiquam cõvivarum displiceat, displicere Deo nil veretur; leges divinas audacissimè spernit, dummodò favorem accumbentium non perdat, dummodò apud pauculos homines sit gratiosus; quid tum posthæa, etiamsi Deum habeat offensum. O mortales! ecquis fœdissimam hanc insaniam non hilariter insanit? quis eam non amabilem censet? Hîc homines oris aliàs liberrimi silent, non verbulo, nec serio, nec jocoso ebrietatis hostes se fateri audent. Mancipia & ancillæ filii, Temulentiæ servi, homines nullius libertatis nisi cùm peccandum est.

Quartum.

V. Sunt qui veritatem probè capiant, sed malè supprimant silendo. Hoc illi unum apud se mussant: Cave incurras, cave offendas; ori digitum impone, & erupturas voces contine: hîc tibi cautè incedendum, ne caput impingas. Hi utique cavere damna, & prodesse plurimùm possent, si quod res & verum est, eloquerentur, at illi dissimulant & silent, planè ancillæ filii, & occulti hostes veritatis. Omnis eorum libertas est extincta; ligati sunt, Liberi Barones non sunt. Ita pænè *nemo est*, quod & Senèca queritur, *qui verum dicat, qui ex animi sui sententiâ suadeat dissuadeatque, sed adulandi certamen est, & unum amicorum omnium officium, una contentio, quis blandissimè fallat. Ita fides omnis in obsequium servile submittitur.* Atque hoc quotidianum est in rebus diversis. Videt auditve quis divinos honores dictis factis violari, sermones impudicos, & lascivos seri, at ille ut bos mutus tacet; modò acerbioribus oculis, vultu severiore petulantiam auderet castigare, & eam sibi displicere ostenderet. Sed extincta est libertas spiritûs. Quod si quotidiana hæc & levia libertatem adeò extinguant, quæ nihil habent seriæ formidinis, quid faceremus, obsecro, si oculos terrerent rotæ, cruces, flammæ, bestiæ, & plurima, mortis imago, num animi tantum foret dicere: *Notum sit tibi rex, quia Deos tuos non colimus, & statuam, quam erexisti, non adoramus?* O Christiani, non sumus ancillæ filii sed liberæ, quâ libertate nos Christus donavit. *State, & nolite servitutis jugo contineri.* Liberum non facit fortuna, sed virtus. *Quæris*, ait Seneca, *quæ sit absoluta libertas? nec turpia velle, nec timia, in seipsum habere maximam potestatem. Inæstimabile bonum est, suum fieri. Nunquam me caro ista compellet ad metum, nunquã ad indignam bono simulationem, nunquam in honorem hujus corpusculi mentiar. Contemptus corporis sui certa libertas est.*

Quintum.

Dan. c. 3. v. 18. Gal. c. 5. v. 1. Senec. ep. 75. mihi p. 523. Et epist. 65. mihi p. 295.

An liberum dicet, qui servit corpori?
Servire summo summa libertas Deo.

Vet. Iambi.

CAPVT VII.

Danielis socii in rebus creatis omnibus Creatorem quærendum docent.

VBi tres Hebræi principes animosissimè, summâque libertate responderunt regi se nunquam commissuros, ut idolum venerentur, rex Nabuchodonosor ira

irâ exæstuans, jamque ardenti vultu jussit fornacem septuplo magis, quàm consuerat aliàs, succendi: Viris autem robustissimis sui exercitûs præcepit, ut tres illos principes Hebræos, Ananiam, Misaëlem, Azariam ligatis pedibus in flammas excuterent, idque sine omni cunctatione. Moris aliàs erat ejuscemodi reos hoc supplicii genere plectendos vestire. Sic verò tantùm moræ permissum non fuit, *Nam jussio regis urgebat, fornax autem succensa erat nimis.*

Dan. cap. 3. v. 22.

Ps. 67. v. 36. Quàm autem *mirabilis Deus in Sanctis suis!* Rex atque populus censebat vix in ignem perventuros, & mox in cinerem vertendos; contrarium evenit. Nam tres Hebræi præceres mediis ignibus velut sub hortensi & frondosâ pergulâ cantabant. Ligatis pedibus in flammas præcipitati fuerant, at illi *ambulabant in medio flammæ.* Quis non putasset vocem omnem in tam violento incendio intercludendam? At ipsi velut phonasci symphoniam atque concentum instituunt, & ad eum res creatas omnes ita invitant: *Benedicite omnia opera Domini Domino, laudate & superexaltate eum in sæcula.* Hoc sacrum carmen inter medios ignes decantatum adeò rerum abundans est, ut dignissimum sit, quod singulari libro explicetur. At nobis non licet esse tam prolixos. Nos hoc loco præceptionem sanctiorum quorumcunque hominum trademus, Deum in rebus creatis omnibus esse quærendum.

Dan. cap. 3. v. 24.

Ibid. v. 57.

§. I.

Deus in omnibus rebus creatis quærendus.

DOctrinæ sacratioris eruditissimi docent; Deum assiduè in rebus creatis omnibus quærendum. Ita Jobus præcipiens: *Nimirum interroga,* inquit, *jumenta & docebunt te; & volatilia cæli, & indicabunt tibi. Loquere terræ & respondebit tibi; & narrabunt pisces maris. Quis ignorat, quòd omnia hæc manus Domini fecerit?* Beatus Paulus Romanos instruens: *Invisibilia ipsius,* inquit, *à creaturâ Mundi per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur. Sempiterna quoque ejus virtus & divinitas, ita ut sint inexcusabiles.* Revera longè artificiosissimus opifex sit necesse est, qui non solum sine instrumentorum, sed etiam sine manuum usu, unico nutu opera edit omnibus obstupescenda. Discipulus Domini Jacobus: *Appropinquate,* inquit, *Deo.* Nec opus cælum empyreum conscendere, & Deum illic inter Angelorum exercitus quærere; quocunque quæsieris loco, invenies: in te ipso illum, in corde tuo quære, & in amplexus tuos totus se Deus infundet.

Iob cap. 12. v. 7. 8. & 9.

Rom. cap. 1. v. 20.

Iac. cap. 4. v. 8.

Rex David aperuit ludum musicum, in quo ipse & res creatæ nomen Domini laudarent.

Cogitaverat Hebræus rex David aperire ludum musicum, in quo ipse veluti præcentor modulos præiret, ac præmonstraret, eâ lege, ut rerum conditarum quælibet accineret. In hunc ludum musicum invitati omnes Angeli, sol & luna, omnia sidera, omnes cæli, elementa omnia; huc meteora, ignis, grando, nix, glacies, venti, pluviæ, ros, nimbi, pruinæ; Huc gelu & æstus, lux & tenebræ, dies & noctes, nubes & fulgura; Huc terra cum omnibus suis germinibus, & animantibus, gradientibus atque repentibus; Huc aër cum universis volatilibus; Huc flumina, fontes & maria; Huc omnis ordinis, sexûs, ætatis homines; Huc omnes populi & gentes; Huc principes & reges invitati, ut laudarent nomen Domini, *quia exaltatum nomen ejus solius, & confessio ejus super cælum & terram.*

Psal. 148. toto.

Ibid. v. 13. & 14.

Hoc ludo usi sunt tres Hebræi,

Simili modo tres Hebræi, principes isti velut missis per orbem epistolis res creatas omnes ad ludum musicum convocarunt. Ad hos concentus cælum cælique incolas, ignem & aërem, terram & aquas, aves, pecudes, pisces, demum & sacerdotes, hominésque sancti, & animo submissi eâ lege evocantur, ut & ipsi accinant canentibus. Nimirum Deus in omnibus rebus conditis quærendus.

Augustinus.

Augustinus hoc ipsum animo agitans: Circuivi, ait, vicos, & plateas civitatis hujus Mundi, quærens te, & non inveni, quia malè quærebam foris, quod erat intus.

Aug. Soliloq. cap. 31.

A Mecum eras, & tecum non eram. Ea me tenebant longè à te, quæ esse non poterant nisi in te: Circumibam enim omnia quærens te, & propter omnia derelinquens me. Interrogavi terram, si esset Deus meus. Interrogavi mare & abyssos. Interrogavi flabilem aërem. Interrogavi cælum, solem, lunam, & stellas. Et clamaverunt omnes voce grandi: Ipse fecit nos. Interrogavi deinde Mundi molem: Dic mihi, si es Deus meus, an non? Et respondit voce forti: Nõ sum ego, sed per ipsum sum ego; quem quæris in me, ipse fecit me, supra me quære eum, qui regit me; qui fecit me. Interrogatio creaturarum profunda, est consideratio ipsarum, responsio earum attestatio illarum de Deo, quoniam omnia clamant, Deus nos fecit. Erat tempus, quando non cognoscebam te. Væ tempori illi, quando non cognoscebam te: Væ cæcitati illi, quando non videbam te: Væ surditati illi quando non audiebam te: cæcus & surdus per formosa quæ fecisti, deformis irruebam. Illuminasti me lux Mundi, B & vidi te, & amavi; nemo te amat, nisi quit te videt, & nemo te videt, nisi qui te amat.

Videmus autem hunc opificem, in suo tot rerum conditarum opificio, velut in grandi speculo. Eo Beatus Antonius, tótque alii viri sanctissimi sunt usi. Antonium Philosophus interrogans: Et quomodo, inquit, mi homo, sencx fallis tempus, cùm careas libris, qui omne tædium morosi temporis levant? sine libris esse est inter mortuos agere, & vivum mori. Hîc Antonius promptè: Meus codex, inquit, semper mihi ad manum est, rerum creatarum natura. Hic liber quinque paginarum est. Prima Terram mihi explicat, tot terræ germina, flores, herbas, arbores, plantas, tot centena millia diversissimorum animalium. Altera mihi proponit Mare, tótque maris prodigia & monstra, conchas, ostrea, majas, murices, lupos & vitulos marinos, cercopithecos, astacos, cetos, quibus homo vivus unicus est bolus. Tertia tres aëris regiones continet, & innumeram pecoris volatilis C multitudinem. Quarta commonstrat Ignem adeò purum, ut oculis nostris transitus per illum ad ipsas pateat stellas. Quinta ostendit Cælum, in quo diversæ classes Angelorum, qui & avium, & ceterorum animantium, atque quod credibile, omnium conditarum rerum numeros longissimè excedunt. Has ego paginas volvo, hæc mea studia sunt, nec unquam deest, quod legam. Ita Deus in rebus creatis, in grandi hoc naturæ speculo videri potest.

B. Antonius.

Codex liber.

1. Mar.

2. Tres aëris regiones.

3. Ignis.

4. Cælum.

§. II.

ATque hoc exercitationis sacræ genus tanti fecit beatus Ignatius minimę Societatis parens, ut hanc suis legem fixerit. *In omnibus quærant Deum, eum in omnibus creaturis amando.* Quippe noverat vir sapiens, quanti referret hæc solers supremi Numinis investigatio.

Reg. 17. Summari.

Sabas vir sanctissimus dabat operam, quod Cyrillus Monachus testatur, ut se suósque ex rebus etiam minimis ad Creatoris notitiam & amorem provocaret. Hi tales viri subinde floseulum aut foliolum arboris unicum, apiculam, vermiculum, animalcum quodvis obvium sumebant, & ab eo in altum celeri volatu se se librabant, ad Deum quietissimè contemplandum. Quæ- D rendus Deus in omnibus, qui & inveniendum se præbet in omnibus. Nam creata omnia, 1. aut Dei vestigium, 2. aut Ferculum, 3. aut Thuribulum, 4. aut Organum, 5. aut Speculum, 6. aut Liber sunt. Ita sanè, ut exteriores sensus omnes Deum quodammodo tangere, gustare, odorari, cernere possint. Quod divus Gregorius eruditè confirmans: *Vestigia quippe Creatoris nostri,* inquit, *sunt mira opera visibilis creaturæ. Ipsum namque adhuc videre non possumus, sed jam ad ejus visionem tendimus, si eum in his, quæ fecit, miramur. Ejus ergo vestigia creaturam dicimus, quia per hæc, quæ ab ipso sunt, sequendo imus ad ipsum. Ita miro modo ipsis formis exterioribus nos ad interiora perducit: innuit immeniâ*

Ratio quærendus Deus in omnibus, & invenidum se.

Greg. lib. Moral. cap. 5.

mensâ admiratione, quod est; mira hæc exteriùs ostendendo, quæ A *non est. Hinc enim de sapientiâ scriptum est:* In viis ostendit se
Sap. cap. 6. v. 17. hilariter, & omni providentiâ occurrit illis. *Viæ quippe ad Creatorem sunt, opera considerata Creatoris. Quæ dum facta cernimus, potentiam factoris miramur. In istis viis omni nobis providētiâ occurritur, quia factoris nobis virtus inquirenda proponitur in omne, quod mirabiliter factum videtur: quocunque se verterit anima, si vigilanter intendit, in isdem ipsis Deum invenit, per quæ reliquit, ejúsque potentiam ex eorum rursus consideratione cognoscit, quorum amore deservit: & per quæ perversè cecidit, per hæc conversa revocatur. Vbi enim lapsi sumus, ibi incumbimus ut surgamus: & quasi ibi surgendo manum considerationis figimus, ubi pede amoris lubrici corruentes negligendo jacebamus. Quia enim ab invisibilibus per visibilia cecidimus, dignum est, ut ad invisibilia ipsis rursum visibilibus innitamur: ut quo casu anima venit ad infima, eo gradu revertatur ad summa, atque eisdem, quibus corruit, passibus surgat, dum illa nos ad Deum bene considerata revocant, quæ nos ab eo, malè electa, diviserunt. Ipsis enim rebus creatis atque corporeis agnoscimus, quantùm à Creatoris nostri sublimitate distamus; quia* B *per omne, quod cernimus, esse humiles admonemur; ut quasi quædam sit electio mentis nostræ, species considerata creaturæ.*

§. III.

Res conditæ sunt Vestigia Dei. Actor. c. 17. v. 27. REs ergo conditæ *Vestigia Dei* sunt. Quocirca Tactu Deum modo aliquo contrectare licet. Quod Paulus asserens: *Quærere Deum*, inquit, *si fortè attrectent eum, aut inveniant; quamvis non longè sit ab unoquoque nostrûm.* Sed
2. Ferculū. Psal. 33. v. 9. & *Ferculum* sunt omnia à Deo condita. Huc adsit *Gustatus*, invitante Hebræo Psalte: *Gustate & videte, quoniam suavis est Dominus.* Vel panis buccea in mensâ plurimorum Dei beneficiorum moneat. Quanti laboris est, dum in panem formetur seges. Frumentum enim seritur, omnes tempestates fatum excipit, metitur, trituratur, molitur, in massam cogitur, committitur furno, pinsitur dum inferatur ori. Sed quanta alia sunt in mensâ; hîc quidem lixa, hîc assa, hîc frixa; quanta carnium, jusculo- C rum, oleris, ciborum aliorum varietas? *Gustate*: à Deo hæc sunt omnia; sub his omnibus latet conditor. Sed &
3. Thuribulum. *Thuribulum* sunt creata omnia. Ad odorandum hoc thuris genus invitatur *Odoratus.* Ipsi etiam impii & blasphemi laudant Deum. Nam & in his elucet Dei potentia, quæ fecit illos; bonitas & sapientia, quæ regit illos; misericordia & justitia, quæ expectat illos, ut resipiscant & pœnas dependant pœnitentiâ. Differunt aut recusant?
4. Organū. Psal. 18. v. 2. Ad pœnam non emansuram destinantur. Sed & *Organum* sunt sociatâ vocum concordiâ. Huc *Auditus* accersitur. Nam, *Cæli enarrant gloriam Dei, & opera manuum ejus annuntiat firmamentum.* Pythagoras è cælestium orbium motu nescio quam harmoniam & concentum resultare somniabat. At verò somnium non est Augustini pronuntiatum: *Cælum & terra clamant, ut amemus te Deus.* Hos clamores observamus, si surdi non sumus. Sed & Dei
5. Speculū. *Speculum* sunt res creatæ omnes. Hoc speculum consule- D re, oculorum, & *Visûs* est. Si quis ante speculum consistat, & ab illius tergo alius, cujus solum vultum in speculo cernat alter, quamvis ipsummet hominem non cernat, si eum tamen aliàs viderit aut noverit, dicet; Hic ipsissimus est, quem vidi, aut novi. Ita nos olim in cælo pronuntiabimus: Hic ille nostrûm omnium est conditor, quem etiámnum mortales in rebus conditis spectavimus. *Omnes homines*, ait Jobus, *vident eum, unusquisque intuetur procul.* Hunc subsecutus Paulus: *Nos verò omnes*, inquit, *revelatâ facie contemplantes gloriam Domini.* Adhuc quidem per speculum, in ænigmate, Deum videmus, velo tamen amoto per Evangelii doctrinam. Hinc olim fatebimur, illum ipsum Deum, quem plenissimè visuri sumus, jam antè in rebus conditis, sed longè obscuriùs à nobis fuisse visum. Sed &
6. Liber. *Liber* ac volumen est grande quidquid uspiam creatum. In hoc libro tot characteres, tot syllabæ, tot verba sunt, quotquot res conditæ. Optimè dixit Clemens Alexandrinus: *Creatio Mundi, scriptura Dei.* Mundus Trismegistro veteri Liber est divinitate plenus, speculum divinorum. Deus revera perfectiùs ac potentiùs est in toto Mundo, & quavis Mundi parte nusquam inclusus, nusquam exclusus quàm anima in corpore. Vermiculus vilissimus, si naturam ipsius spectes, tam est perfectus, quàm nobilissimus Angelus. Omnia verò, quæ tangi adeò nunc jucunda, quæ gustari suavia, quæ olfieri grata, quæ aspici tam amœna sunt, hæc simul omnia ad Deum collata sunt velut arenula ad montem Olympum, velut scintilla ad ignem immensum, velut guttula ad totum oceanum. Sciant, proclamat Sapientia, *quantò his dominator eorum speciosior est; speciei enim generator hæc omnia constituit.* Innumeros olim Mundos, qui creari potuissent, in Deo summâ cum voluptate spectabimus. Ad æternum hoc spectaculum invitans Augustinus: *Quid est ipse Deus*, inquit, *qui talia ac tanta præparavit, quid nisi inæstimabilis, ineffabilis, incomprehensibilis: ultra omnia, extra omnia, præter omnia. Omnem creaturam suam excedit, omnem facturam præterit, universa præcellit. Si enim quæras magnitudinem, major est; si pulchritudinem, pulchrior; si dulcedinem dulcior; si splendorem, fulgidior; si justitiam, justior; si fortitudinem, fortior; si pietatem, clementior. Nulla enim ratio patitur, ut vel factura factori suo æquetur, vel opus artifici comparetur. Sicut legitur in Prophetâ: Qui fecit fortia, fortior est & qui fecit pulchra pulchrior est illis.*

Deus est perfectiùs in toto Mundo quàm anima in corpore. Sap. cap. 13. v. 3. Aug. tom. 10. serm. 1. de verbis Apostoli, cap. 1. mihi pag. 93.

Quid igitur ô mortales, mellis guttulas lingitis, quid umbras vanissimas, quid res conditas conditore spreto tam perditè amatis? Amate bonum unum, bonum verum, bonum pulchrum, in quo vera, & bona, & pulchra sunt omnia. Alioqui eveniet vobis, quod decepto cani, qui carnium umbram pro carnibus appetebat. Deum quærite in rebus omnibus. Nam, quod Augustinus asserit: *Quærentes invenerunt eum, & invenientes laudant eum. Letetur cor quærentium Dominum. Exultent & lætentur in te omnes, qui quærunt te. Quærite Dominum, & vivet anima vestra.*

Aug. lib. 1. Confess. c. 1. Psal. 104. v. 3. Psal. 69. v. 5. Psal. 68. v. 33.

CAPVT VIII.

Idem aliorum exemplis illustratur.

DEVM in re omni quærere, subsidium ingens spiritalis vitæ. Quod Hebræus rex David unicè commendans. *Quærite Dominum*, inquit, *& confirmamini, quærite faciem ejus semper.* Qui Deum hac assiduitate quærit, Deum ubique invenit, & in rebus omnibus. Utile hoc, inquies, sed difficile. Non autem difficile amanti. Erubescit verus amor fateri quidquam sibi difficile. Deinde multa hoc uno sunt difficilia, quia non assueta. Ex frequentatis actibus consurgit habitus. Quod sæpe fit, facilè fit. Nos plerumque impatientes moræ aut tardioris successûs producendum diutiùs laborem ante finem finimus. Hinc nisi actutum conatui respondeat secundus exitus, mox animis abjectis querimur: Non succedit res; Nihil ago. Hinc illæ voces: Non possum vigilare, jejunare, & ab istis atque istis temperare non possum. Heus, ô boni, vigilando vigilare discimus, jejunando jejunare, ab illis atque illis temperando discimus temperare. Hîc opus prolixiore paullulum patientiâ, dum res in usum ac consuetudinem ducatur. Ita prorsus quærere Deum in rebus omnibus non difficile amanti, non difficile assueto. Sed non amanti & nauseanti, aut assuescere recusanti difficile. Scilicet invitis canibus venatio injucunda. Ita Deum non continuò invenit, qui eum adeò desidiosè quærit. *Quærite Dominum, & confirmamini, quærite faciem ejus semper.* Atque ut dictis fides sit, id exemplis jam monstrandum. Ab iis hoc optimè discemus, qui peritissimè istud sunt executi.

Psal. 104. v. 4.

Amanti quærere Deum non est difficile.

§. I. *Quæ-*

§. I.

Christus è rebus obviis, quæ cernuntur parabolas desumpsit ut homines ad Deũ traduceret.

Quærite faciem ejus semper. Quâ in re artificium monstravit Christus, qui è rebus obviis, quæ cernuntur, & audiuntur, parabolas desumens, hominem peccatis obnoxium cum asino in puteum lapso contulit; quinque panes ex hordeo ad Eucharistiam transtulit; semen frumenti, cum verbo Dei, thesaurum in agro repertum cum cœlo comparavit. Ita denarium vineæ diurnum, ficum infœcundam ab olitore succidendam, aliâque complura talia ad mores, ad animum, ad interiora, ad Deum traduxit. Perinde si dixisset: Omnia, quæ vel cernitis, vel auditis, vel tangitis, vel etiam odoramini & gustatis, ad animum & interiora, ad Deum & sublimia ducite. *Quærite Dominum, quærite faciem ejus semper.* Qui noctu cernit faculas cælestes, stellas velut in excubiis vigilantes, an non ipse sibi dixerit: Hæc illa mihi promissa domus mutò formosissima; hanc conduxi: Et quando illuc immigrabo? Qui cantantes audit aviculas; is Angelos, cælitésque cœtus meditetur, qui Deum jugi laude afficiunt. Qui pecunias tractat, rectè quæsierit, quod monetæ genus probatur in cælo? Qui mensæ assidet, opportunè cogitet: *Beatus, qui manducat panem in regno Dei.* Qui cubitum it, animum ad æternitatis domum erigat, dicátque sibi: Illic nos dormire non sinet aut voluptatum in cælo, aut tormentorum in orco immensitas. Non absimili modo in rebus aliis omnibus mens cælo attollenda.

Luc. cap. 14. v. 15.

Quâ in re Paulus exercitatissimus, cùm de gentibus ad Christum trahendis ageret, de hortulano & insitione, de arboribus ex arbore in arborem inserendis disseruit; cùm de Christianorum luctis loqueretur, gymnasia, palæstras, stadium, agonem, bravium sub oculos posuit, hoc fine, ut per ea, quæ cerni possunt, ad ea quæ oculis subjecta non sunt, transiremus.

Sulpitius ep. ad Bassulam socrum suam.

Martinus Turonensis Præsul (quod Severus Sulpitius testatur) Condatensem suam diœcesin obiens cum suis, in itinere vidit, quî volucres, mergi, furarentur pisces: Hæc, inquit, forma dæmonum est; insidiantur incautis, capiunt nescientes, captos devorant, nec saturari queunt devoratis. Jucundissimum simul & utilissimum, Deum in rebus omnibus & præsentem, & agentem invenire.

Cocus quidam religiosus ex suo munere omnia ad usum trahebat in omnibus quærens Deum.

Joannes Climacus dum cœnobia ordinanda lustraret, cocum reperit, qui dono lacrymarum pollebat. Hunc seriò interrogans: Quæso te, mi frater, ajebat, unde tibi hæ juges lacrymæ? Ad ista religiosus ille plorator: Ego, inquit, meo munere ita fungor, ut Christo ejúsque discipulis coquere me censeam, quidquid tiborum paro; Cùm ad luculentum focum sto, & ignem sentio, ignium submoneor Avernalium. Hinc isti oculorum rores. Præclarè sapuit illiteratus hic cœnobita, qui terrissimis usus conspiciliis, pro suis fratribus Christum & Apostolos, in igne foci videre sibi visus est ignes Averni. Ita in suo quisque officio in suum usum omnia trahet, si velit, in omnibus quærendo Deum.

Socrat. hist. Tripart. l. 8. cap. 1.

Duplex luctûs caussa in Pambone.

Ita Pambo, vir notus è sanctimoniâ, invitatus Athanasii precibus Alexandriam contendit, in viâ feminam vidit ad omnem luxum exquisitissimè comptam. Non continuit lacrymas Pambo ad aspectum tam insolentem. Rogatus caussam tam subiti fletûs. Qui duplicem assignans: Primò, inquit, hæc femina in suâmmet aliorúmque perniciem tantis impendiis & laboribus se ornat: Ego verò quod alterum est, tantis studiis atque nisibus non contendo, ut Deo placeam in meum bonum, quantis illa ut placeat hominibus in suum malum. O si ego tam sedulus sim, ut serviam Deo, quam illa est, ut obsequatur Mundo & diabolo! Ita vir sanctus in ipsâ vanitate faciem Domini, quam quærebat assiduè, invenit.

§. II.

FRanciscus Borgias Dux Gandiæ ad modestiam, submissionem, suíque despicientiam omnia trahens, Deum reperit in omnibus. Romam iverat nobili comitatu Borgias, cui purpurati senatores ex more obviam miserunt mulos. Ille ad occursum hunc: Nihil, inquiebat, opportunius; bestiæ bestiam exceptúræ adveniunt. Jam titulis Ognati in Cantabriâ bonisque omnibus abdicatis Pinciam ingressus, accurentibus vicatim visendi gratiâ, tanquam ad novæ rei spectaculum civibus, Bustamantio comiti ait: Feram credo è caveâ emissam, beluámque spectatum veniunt. Equidem quâvis beluâ immanior essem, nisi me Deus singulari gratiâ in suam familiam ascivisset. Fortè illi nobilissimus Hispaniæ dynasta occurrerat, qui vicem miseratus tanti ducis, quòd jam inops, attrità veste, sine comitatu ambularet, hospitia subiret paupertina. Cui Borgias: Ego mihi, mi Domine, satis caveo. Dum enim iter facio desígnatores duos præmittere soleo, qui hospitium mensámque adornent. Quinam isti sunt? ait dynasta, nusquam apparent, num eos videre licet? Et nosse etiam, ait Borgias, illius nomen est *Cognitio sui*, hujus *Considératio inferni*, Cogitatio quem promerui. Hi mei structores & prodromi, ita rem agunt, ut in quodcunque diverforium deferar, tametsi desint omnia, id tamen in lucro ponam, & tanquam in immerentem collata beneficia interpreter. In Calensi Lusitaniæ Collegio janitoris officio functus Borgias, cùm civium quidam jugulatũ porcum elegantiorem vice obtulisset, Franciscus humeris sublatum tacitùs in superiorem partem domûs non sine labore per gradus asportavit. Mirantibus sociis facti commendationem sic elusit: Quid mirum, si porcus porcum commodè portet? nec domi solùm Franciscus operam coco dedit, mensis ministravit, pedes singulorum frequenter osculari consuevit, sed in Xenodochiis etiam ægrotis alacritate mirâ serviit. Indignè tulit cacodæmon tantum submissionis studium, & sumptâ specie humanâ: Quid tibi, ait, hîc negotii? Tantus cùm sis, in hominum fæce versari quî potes? Franciscus subodoratus dolum, ut fastum retunderet: Equidem ego, inquit, magis miror, te ingenio præditum tam superbo, me miserum tamen alloquio dignari. Hîc speciosa larva in auras abiit. Audierat Borgias impostorem quemdam triremibus addictum quòd se Franciscum Borgiam simulans jactasset. Hîc Borgias mirari hominem extitisse adeò excordem, qui maximi peccatoris personam induisset. Quòd si ille, inquit, triremibus affigitur, quia meum sibi nomen usurpavit, quid me fieri par est, qui non inane peccatoris nomen gero, sed & peccatis scateo? Ita Borgias ad humilitatis studium derivans omnia, in omnibus semper faciem Domini quæsivit & reperit.

Beatus Ignatius Societatis minimæ parens frequenter è vilissimis quibusque rebus, è frondis, plantulæ, floris, aut fructûs, è vermiculi aut alterius animalculi aspectu mentem in Deum rapuit. Atque ex hac ipsâ Numinis in omnibus quærendi assuetudine Ignatius, utilissima ad omnem vitam documenta hausit. Et revera Deus in minimis etiam maximus est, & nusquam non familiarissimè aditi potest. Vel apiculum, vel culicem, vel formiculam sumamus, uberrimam laudandi Conditoris materiem subministrabunt. Considera, quæso, corpusculum gracillimum quidem, membris tamen partibusque certis distinctissimum: inspice capitellum, oculos, oscula, totámque reliquam corpusculi compagem mirissimam; expende tam minuti animalculi pastum, motum, incessum, laborandi officium, colligendi studium, peritiam obstupescendam, quid cavere, quid fugere, quid aversari, quid porrò quærere, quid amare, quid debeat prosequi. Attende totius bestiolæ colores, ductus, lineas, etiã in tantillâ iras, apperentias, ceteramque

que naturalem indolem. Ubinam ille artifex, qui manu opifice, vivum tale animalculum repræsentet?

§. III.

ERgo *quærite Dominum, quærite faciem ejus semper* in minutissimis etiam atque abjectissimis Mundi particulis.

Quærite, inquam non ut iis instar pecorum fruamini, quæ ad præsepe aut in pratis structam sibi mensam invadunt, & herbas pascuas linguâ demetunt, nec longas precationes ante sumendum pabulum texunt, suo tamen modo Conditorem colunt. Ultra pecudes sapiat homo, cui triplex temporis differentia solertissimè observanda. Aut enim homini bene est, ut ægrè ac malè, aut demum nec malè nec bene, sed mediocriter est. 1. Cùm homini bene est, cùm labor succedit, cibus sapit, somnus ac quies reficit, cùm & oculi & aures cetericque sensuum suâ quisque voluptate pascitur, cùm animus sibi plaudit, & gaudio exultat, cùm pæne omnia ad votum respondent, hîc animus humanus, quàm potest suavissimis ac plenissimis affectibus, sese in Deum erigat, & ante omnia secum ipse quærat; à quo obsecro, cibus tam gratus, tam suavis potus, tam pulchra vestis? unde mihi hoc gaudium? hæc amœnitas & refocillatio, hæc festivitas & oblectatio, unde & à quo? A Deo bonorum omnium fonte hic rivulus fluit. O mi amantissime Deus, tu ista das, è tuâ manu hæc accipio. Sed quantò tu omnibus istis melior, pulchrior, dulcior?

II. Cùm homini malè est, labor molestus, irritus, negotia non procedunt, cibus non sapit, somnus brevis & inquietus, dolores aut morbi vellicant, curæ turbant, multa displicent, affligunt, cruciant, adversa sunt plurima. Unde hæc omnia? Ab ipsissimo Deo. Hîc quisque dicat: O mi optime Deus, aut me justissimè punis, aut exerces & probas amantissimè. Te Deum ac Dominum meum æquè complector dulcem & austerum, non minùs te veneror flagellantem ac coronantem. Adutrumque, tui causâ, paratus sum. Profectò & istâ Deum invenit in omnibus, quæ patitur, malis.

III. Cùm homini nec bene est, nec malè, cùm malacia obtinet & rerum mediocritas: *non est satan nec occursus malus*; nec dulcis est vita nec amara, nec gaudium, nec luctus afficit; mediocria omnia, & tolerabilia, singulare nihil aut eximium. Hîc maximè quærendus Deus, & vel agendæ gratiæ ob placidam hanc quietem, aut placandus Deus ob futuram forsan turbationem: nec enim diu hic rerum status durabit. Fors mite hoc serenum tempestatem nuntiat, fors prosperitas sequetur omnibus procellis periculosior. Deus igitur quàm ardentissimè quærendus, ut quoquo modo res cadant, præsentarius sit auxiliator.

Neque verò Deum ita quærere, magni molimînis, aut operosi conatûs est. Solis duabus voculis hoc totum agitur; dic animo: *Mi Deus, mi bone* JESV *Domine* JESV; mox adest invocatus, & noscendum se præbet cernendum se exhibet. Sed absit quærendi tædium; nauseanti tam facilè non occurrit Deus. Ludunt subinde cum liberis parentes, & suaviter jubendo dicunt: Quære, quære; tuum est, quod invenis; nec ita occulunt, quod quæri volunt, ut non facilè inveniri queat. Simillimè Deus non ita se abdit ut reperiri non possit, qui quæri tantopere cupit. Ita herus prodeambulans foras, studio chirothecam manibus finit elabi, mox cani ad ista erudito: Quære, ait, quære, quære. Haud aliter nobiscum agit Deus, atque cum familiari animante dominus, cum filiis pater aut mater. Quærite, quærite: nec enim ita me abscondam ut inveniri nequeam. Planissimum Christi promissum est: *Quærite & invenietis.* Quàm sedulò illa vidua vel unicam amissam drachmam quæritat, *accendit lucernam, everrit domum & quærit diligenter, donec inveniat eam.* Ergo *quærite Dominum, quærite faciem ejus semper.*

Quàm accensus animo Augustinus ad quærèndum Deum: *Domine Deus meus,* inquit, *una spes mea, exaudi me, ne fatigatus nolim quærere te, sed quæram faciem tuam semper, & ardenter. Tu da quærendi vires, qui inveniri te feci-sti, & magis magisq; inveniendi te spem dedisti. Coram te est firmitas & infirmitas mea; illam serva, istam sana. Coram te est scientia & ignorantia mea. Ubi mihi aperuisti, suscipe intrantem; ubi clausisti, aperi pulsanti. Nemo te amat, nisi qui te videt; & nemo te videt, nisi qui amat.* Reciproca sunt ista; alterum sine altero nullum est. Quocirca *quærite Dominum & confirmamini, quærite faciem ejus semper.* Tam suavis, quàm utilis est labor in rebus conditis quærendo agnoscere Conditorem.

Aug. tom. 3. l. 15. & ult. de Trin. ca. 28. & ult. mihi p. 988.

Idem in Soloq. c. 31.

Psal. cit.

CAPVT IX.

Danielis, sociis in rogo Babylonico illæsi miraculo multiplici. Quantæ virtutis sit in igne non ardere.

TRIBVS Hebræis optimatibus in ignem missis, mox adfuit è cælo quartus. *Angelus Domini descendit cum Azariâ, & sociis ejus in fornacem & excussit flammam ignis de fornace, & fecit medium fornacis quasi ventum roris flantem.* Hunc quartum Nabuchodonosor qui solus eum viderat, similem filio Dei appellat. Tertullianus, Ireneus, Hippolytus Martyr, Augustinus, Rupertus, alii, hunc quartum existimant fuisse Christum, qui humanæ naturæ olim assumendæ imaginem induerit, ut sese ad futurum Servatoris officium velut exerceret, & cruentam in cruce tragœdiam in flammis innoxiis ordiretur. Ab his non alienus Joannes Maldonatus: Opinio est, inquit, valde probabilis. Nam & Christus sæpe appellatur Angelus. Hinc & sacrum Ecclesiæ carmen: *Surrexit Christus de sepulchro, qui tres pueros liberavit de camino ignis ardentis, Alleluia.*

Dan. c. 3. v. 49. 50.

Tertul. l. 4. contra Marcionem c. 10. & 21. & l. adversus Praxeam c. 16. Ireneus l. 4. c. 37. & l. 5. c. 5. Hippol. Mart. Orat. de Consummatione mundi. Augustinus concione ad Catechum. Rupertus l. 6. de Victoria Verbi c. 21.

Hic ergo quartus in flammis cantor musicus, seu Christus, sive, quod pæne malim dicere, Angelus, *Fecit medium fornacis, quasi ventum roris flantem.* Hinc Hebræi tres juvenes inter horrendos flammarum vortices, velut in amœnissimo prato inter rorifluos flores securissimè deambularunt. In igne non comburi, non grande tantùm, sed & multiplex mirum, de quo hîc disserendum. Addemus; quantæ sit virtutis inter impudicitiæ ignes non ardere.

8. Miranda in igne Babylonico.

§. I.

PRimum ignis Babylonici miraculum numeramus istud: Luxit & non ussit. Quod explicans Basilius: Deus, inquit, nonnumquam duas ignis vires, alteram lucendi, alteram urendi sic invicem separat, ut aliquando vis lucendi suo munere fungatur, non autem vis urendi, ut contigit tribus his juvenibus in fornace ignis; interdum contrà supprimitur vis lucendi, & libera relinquitur vis urendi. Talis est ignis inferni, ut cùm maximè urat, minimè tamen luceat.

1. Luxit & non ussit.

II. Hic Babylonicus ignis, longè dissitos consumpsit, sui medios, nec quidem contigit. Quod luculentè sacra pagina testatur: *Porrò viros illos, qui miserant Sidrach, Misach, & Abdenago, interfecit flamma ignis.*

2. Sui medios non contigit. *Dan. c. 3. v. 22.*

III. Funes & vincula combussit, vestes & corpora nec minimo læsit. Hebræi optimates isti veluti tres canes ligatis pedibus in flammas præcipitati sunt, aut sicut pistor in furnum immittit panes. Sed habuit flamma, ut Gregorius loquitur, vim suam ad solatium, non habuit ad tormentum. Quàm sapiens ignis vincula exussit, vinctos non læsit! Auget miraculum Theodoretus qui catenas vinculaque ferrea eis injecta vi ignis liquefacta, indumenta nec levissimè adusta pronuntiat.

3. Funes & vincula combussit, vestes & corpora non læsit.

IV. In igne tam violento ac rapido non respirare tantùm & loqui, sed & cantare potuerunt. Admiratus hæc

4. In igne cantare potuerunt.

Chryſ. to. 5. hom. 4. ad pop. mihi pag. 39.

hæc Chryſoſtomus: *Ignis*, ait, *murus illis factus eſt & veſtis flamma, & ſuus fornax, & ligatos capiens, ſolutos reddit; mortalia excepit corpora, & tanquam ab immortalibus abſtinuit; non agnovit naturam, ſed pietati exhibuit reverentiam: vinxit pedes tyrannus, & ignis vim pedes vinxerunt. O rem mirabilem vinctos ſolvit flamma, & ipſa à vinctis vincta eſt.*

5. Angeli ſpecie ſunt recreati.

V. Angelus humanâ ſpecie, ſed ſingulari ſupra omnem humanam formam oris venuſtate ad eos ſeſe adjunxit. Societas ſanè nobiliſſima, quam quis ambiat vel in ipſis inferorum flammis. Nam illi *ambulabant in medio flammæ, laudantes & benedicentes Domino.*

Dan. c. 33. v. 24.

6. Juvenes Hebræi in medio ignis cecinerunt.

VI. Hi juvenes Hebræi à divino numine tam liberaliter ſunt afflati, ut in hypocauſto adeò æſtuante ac calido longiſſimum ac venuſtiſſimum carmen cecinerint. Ad inferos videri poterant dejecti, at illi concentus inſtituerunt, & Dei admiranda ex ordine decantarunt.

7. Inter incendia vēntus rorulentâ voluptate perfudit.

VII. Inter incendia adeò ſæva, & tam in orbem undequaque quàm altum effuſa flans ventus hos tres Aulædos rorulentâ voluptate perfundebat. Hæc aura ſupra omne balſamum, & cinnamum amœniſſimè ſpirabat.

8. Nabuchodonoſor ſolus ambulantē cum eis angelum ſpectavit.

VIII. Rex Nabuchonoſor ſolus ambulantem cum damnatis tribus Hebræis Angelum ſpectavit. Hæc flammæ Babylonicæ mira. Hîc priſci patres eleganti dictionis luſu flammeum hunc carcerem celebrarunt. Ex omni eorum numero duos hîc tréſve ſiſto.

Zeno ſer. 8.

Beatus Zeno Veronenſis Antiſtes: *Mors refugiens*, inquit, *officium mutat. Incenſores cremantur, incenſis hymnum canentibus flamma blanditur, Deus à creaturâ benedicitur. In tribus una mens, una virtus, unus triumphus: Melioratur vita ſupplicio.* Auguſtinus more ſuo eruditè prorſus ac elegan-

Aug. to. 10. ſerm. 240. de Tempore pag. 386.

ter de his ipſis tribus Hebræis juvenibus: *In fornacem*, inquit, *miſſi ſunt ſancti, fugiunt flammæ, cedunt ignes, incendia expaveſcunt. Timent ignes lædere, quos juſſi ſunt incolumes reſervare. Oſtendunt juſtorum meritum, dum tyranni contemnunt imperium. Licet ſanctis cum igne jocari, quibus cum hominibus non licuit commorari. Licet in pœnâ eſſe ſecuros, quos extra pœnam non licuit eſſe intactos, ut ubi interitus, ibi ſalus; ubi ſupplicia, ibi inveniantur refrigeria. Accipe hoſtis à ſupplicis exemplum, qui humanitatis perdidiſti conſilium. Homines ſæviunt & ſupplicia venerantur, ignes hoſpitio juſtos cum omni honore ſuſcipiunt, & libenter obſequium parant. Hoſtis mutato genere ſævit, nec aliqua pietate movetur, nec humanitate blanditur: poſſet vincere, ſi poſſet ignibus imperare. Offeruntur ergo ignibus juſti, veſtitu tecti, vinculis colligati, ſed defenduntur ardoribus, & quos humana vis damnavit, ignis abſolvit.*

Chryſ. to. 4. hom. 19. in 1. Cor. c. 6. pag. 402.

De eodem hoc ignium miraculo Chryſoſtomus: *Rex*, inquit, *magis arſit irâ, quàm in fornacem conjecti arſerint flammâ.* Et videte, obſecro, furioſam Iræ ſtultitiam. In gravius tormentum jubet rex fornacem ſeptuplo plus incendi. Illuſtris planè inſania. Nam majus incendium, minus ſupplicium. Ignis tam vehemens & ſævus ſi fuiſſet ſuæ indoli permiſſus, ſibi objectos celerrimè conſumpſiſſet. Sed providentiſſimus Deus irâ tam rabidâ

Seu Pyralis.

eò eſt uſus, ut miraculum eſſet tanto evidentius. Pyrauſta animalculum pennatum muſcæ conferendum, in igne naſcitur & vivit. En vivaciſſimas hîc pyrauſtas, tres Hebræos proceres, qui in ignibus non ſolùm vivunt, ſed & ambulant, & cantant. Amiantum, ſeu Aſbeſtinum nobiliſſimi textûs linteum igne non comburitur, ſed purgatur, tres Hebræi principes Babylonicis incendiis non tantùm non conſumuntur, ſed multò illuſtriores redduntur. Salamandra prunas non nimias extinguit, Caſtimonia rogos etiam atrociſſimos ſopit. Certè cùm Abſtinentiæ, tum Caſtimoniæ tribuendum, quòd caſtiſſimi & abſtinentiſſimi heroës iſti in ætnâ tam crudeli non amiſerint vitam, ſed vegetarint. Temperantiæ ac Caſtitatis præmium ætas longæva.

§. II.

Iſa. c. 43. v. 1. & 2.

HIc Iſaias ingens ſolatium inſtillans: *Noli timere*, ait, *quia redemi te, & vocavi te nomine tuo meus es tu. Cum ambulaveris in igne nō comburêris & flamma non ardebit in te.* Præſidium in periculis omnibus pollicetur. Hîc ego eos omnes appello, qui periculorum medii vivunt, & in iis verſantur ædibus, in quibus parum Chriſtianæ pietatis cernunt audiúntque. Quid verò paſſim uſitatius quàm obſcænitatem plurimam colloquiis miſcere? Impudici & laſcivi ſermones pæne locis omnibus ſparguntur, decantantur, ſcribuntur, pinguntur, ipſis etiam geſtibus, ipſis etiam patinis & poculis ingeruntur. Veneris ignes depaſcuntur omnia. Nuſquam ab hac uredine ſecuritas. Ii ſubinde quos putes honeſtiſſimos, ab his ſordibus non abhorrent. Nimirum quod malè coquit animus, cùm occaſio eſt, in alienas aures egurgitat. Oris laſcivia in Orbe ubique frequentiſſima. Accedunt interiores ab Adamo impuritatis traduces igniculi. Ita facillimum eſt tot fomentis concitare flammam. Sed ô quicumque bonæ mentis homines, flamma non ardebit in vobis; modò vos eſſe Dei filios memineritis; In igne ambulantes non comburemini. Et plurimùm hac in re juverit has rationes; quas ſubjungemus, ſæpius conſideraſſe.

I. Arbitrio noſtro permiſit Deus, ab impuris ignibus illis aut illæſum conſervari, aut comburi. Clariſſimè Siracides: *Appoſuit tibi aquam & ignem*, ait, *ad quod voluerit porrige manum tuam.* Bonum & malum, vita & mors in manu noſtrâ ſunt. Si videas, vel audias, quod impudicum & turpe, ignis eſt; ſed aquam habes proximam, Dei gratiam, tutelarem Angelum, tuam conſcientiam, cogitationes ſanctiores, pios ad Deum gemitus. Huc igitur manum porrige. Tui eſt arbitrii, num uri velis & lædi, an illæſus in his ignibus ſervari. *Ecce ego*, ait Hieremias vates, *do coram vobis viam vitæ & viam mortis.* Tu ſi fuge mortem, amplectere vitam. Inſaniæ eſt perire velle, cùm ſervari poſſis.

II. Tam admirandum, quàm pulchrum eſt, inter impuros ignes, quos aures oculique hauriunt, non ardere. Et majus profectò miraculum eſt, ut priſci Patres loquuntur, animum in tentatione libidinis, quàm corpus in medio ignis perdurare illæſum. Bartholomæus Piſanus de rebus geſtis Franciſci Aſſiſiatis: Franciſcus, inquit, in vitium libidinis acerrimè invectus inter ceteros auditorem habuit Fridericum II. Imperatorem, qui ſuum hunc eccleſiaſtem vocavit ad menſam. A menſâ ductus eſt religioſus conviva in cubiculum, ubi proterva mulier ingreſſum improbis verborum lenocinis excepit. Compoſito id factum eſt. At vir ſanctus ad accenſos ignes camini properans, iiſque ſemet ingerens: Huc, inquit, adeſto, hîc colloquemur. Erubuit hîc petulans procacitas: mox ergo femina fugam arripuit exemplo caſtimoniæ inexpectato nimiùm quantùm perculſa. Exinde Fridericus virum ſanctiſſimum majoris quàm antehac æſtimavit. Admirandum & pulchrum, inter laſcivos ignes non uſtulari. Noli ergo timere, quiſquis pudicitiam amas; in igne non comburêris.

§. III.

Tertia.

III. HÆc nota eſt electorum ad vitam, amicorum Chriſti, filiorum Dei inter libidinum flammas non incendi. O quotquot pudicitiam colitis, & caſtimoniam amatis, cùm obſcæna ſermonibus ſpargi auditis, cùm cacodæmonem ad talia pellicientem ſentitis, tres Hebræos juvenes æmulari non pigeat, opem divinam implorate: *Ne tradas nos in perpetuum, neque auferas misericordiam tuam à nobis. Quoniam non eſt confuſio confidentibus in te. Et nunc ſequimur te in toto corde, & timemus te & quærimus faciem tuam. Erue nos, & da gloriam nomini tuo Domine.* Hi ſunt filii Dei, amici Chriſti, cælitibus aggregandi, qui, quando Venereos ignes ſentiunt vicinos, ad Deum confugiunt, ſubſidium divinum invocant, animum adverſus Dæmonis illecebroſas inſidias communiunt. Hi in igne non comburuntur, & flamma non ardet in illis. Hi *in medio nationis pravæ & perverſæ lucent ſicut luminaria in Mundo.*

IV. Hæc

Quarta.

IV. Hæc sancta inter impuros ignes immunitas argumento est, ejusce modi homines castitatis amantes inferorum ignibus nunquam urendos. E familiâ beati Dominici, * vir religiosus & cognominis gravissimas in- * Rem alibi explicamus. tus & foris luctas sustinuit; caro contumax & rebellis ad illicita trahebat. Difficilem reddebant pugnam diaboli, qui suos ignes variè subdebant. Sed eluctatus est, & vicit constans athleta. Victi hostes proclamare cogebantur: Vicisti, vicisti, quia in igne fuisti, & non arsisti. Quisquis animi puritatem diligis, & omni obscœnitati aures claudis, *Noli timere, meus es tu.* Et quia sæpius in igne fuisti, & non arsisti, nec apud inferos ardebis; avernalis flamma non tanget te. Isaiæ c. 43. vers. 1.

Quinta.

V. Quot sanctissimorum hominum in ignibus perdurârit penitus illæsi? Joannes Apostolus in balneum crudele bullientis olei sine noxâ mersus vegetior exiit quàm ingressus. Polycarpus Smyrnensis Præsul, vir octoginta sex annorum jussus Christo malè dicere: Et quî possum, inquit, ei malè dicere, qui mihi tot annis nil mali fecit unquam? Ad rogum igitur damnatus est. Sed virtutem ipse absolvit ignis, dum tangere veritus structo velut è flammis fornice ambivit innocentem; nec jam læsit, sed texit, suavissimum interim in adstantes odorem ejaculatus. Ad extremum gladio confossus sanguine suo extinxit ignem; nobili nimbo, & quem imbribus suis præferat cælum. Ita divorum alii quamplurimi in ignibus intacti. Pauculos velut per satyram nominemus. Ita Dionysius Areopagita, ita Pantaleon Martyr: ita Ephrem, Barlaam, Andronicus, Probus, Taracus, Theodorus, Victor, Vincentius, cæteriqúe beatorum tabulis inscripti. Gregorius Magnus rem miram ad institutum memorans: Ævo regis Totilæ, inquit, reperierunt Gothi virum integerrimum, cui Benedicto nomen. Hunc unà cum tugurio comburere conati sunt hostes. In orbem cellulæ arserunt omnia, sed ipsa cum suo inquilino nil ignium concepit. Jámque irritatiores Gothi, è domicilio virum extraxerunt præcipiti sævitiâ, & in propinquum clibanum coquendo panibus inflammatum conjecerunt, ostio probè occluso. Sed die altero repertus est ab igne adeò illæsus, ut nec vestium quidem extrema quidquam fuerint ambusta. Ita beata Thecla virgo, quæ Leones, quibus objecta, cicuravit; tauros, quibus alligata domuit; undarum monstra, quibus immissa, vicit; ignium rogos, quos conscenderat, triumphavit. Flammæ, quæ nec Herculi pepercerant, pepercerunt virgini. Ita & Lucia virgo cremanda rogo imponitur. Sed lucet pulchriùs suis ignibus Lucia, & è flammis Imperatoribus mortem, Syracusanis præsentem opem, Ecclesiæ pacem vaticinatur. Ita Cæcilia è balnearum ignibus, quos tyrannus succenderat, pulchrior emersit. Ita Agnes ab Aspasio addicta flammis, quas ad preces virginis ros illico extinxit. Ita Juliana flammas, ad quas damnata fuerat, lacrymis repressit, lebetem ab igne ferventem precibus rupit. Ita Christina sævientem rogum, ardens oleum, liquatam picem, accensam fornacem, salva superavit. Ita aliæ virgines quamplurimæ, cum ignibus jocatæ, supplicium mutarunt in triumphum.

Hieron. l. 1. contra Iovinianum.

Plurimi divorum in ignibus intacti.

Gregor. l. 3. Dial. c. 18. initio p. 107.

Quemadmodum verò Deus tot suorum amicorum vestes & corpora in flammis servavit inviolata, sic & animos & mentes suorum inter exempla pessima, sermones spurcissimos, inter colluviem vitiorum in omni tentatione servat incorruptos. His insuper Angeli sese associant, ut eos singulariter tueantur, quos præcipuè amant. Cassianus id asserens: *Nullâ virtute,* inquit, *homines Angelis imitatione conversationis æquantur, quàm merito & gratiâ castitatis.* Æstimemus, obsecro, hanc suavissimam cum Angelis societatem, ob quam extrema potiùs omnia sunt tentanda, quàm ea destituenda. Hîc quisque secum animo statuat: Etsi omnes, inter quos ago, fœdissima loquantur, etsi tacentem risu & sibilis excipiant, etsi diabolus dies ac noctes infestet, præsidio divino fultus, Angelorum amicitiâ defensus hæc vincam omnia, & hoc unum assiduè precabor: Mi amantissime Deus, sequor te in toto corde meo, & timeo te, *quoniam non est confusio confidentibus in te.* Ne tradas me in perpetuum, neque auferas misericordiam tuam à me. Domine JESV, meus es tu, tuus ego sim. Ita non timebo, nec flamma arrebit in me. Ita spe sum maximâ omnes adversarios à me vincendos, promissam castis lauream feliciter obtinendam. *Quantò enim,* Cassiano teste, *sublimius est præmium castitatis, tantò gravioribus adversariorum insidiis lacessitur.* Victori palma; cessatori dedecus & ignominia. Dan. cap. 3. vers. 40. Cassian l. 6. c. 17. initio.

CAPVT X.

Daniel alterum Nabuchodonosoris somnium interpretatur: Interpretationis summa est; Deus exaltat; Deus dejicit, & humiliat.

ÆSopus, tam festivi ingenii, quàm cultûs fœdi, interrogatus quid faceret Jupiter? Profectò sapienter respondit istud: Excelsa deprimit, extollit humilia. Hi reverâ summi Numinis labores sunt, dejicere quidquid superbum & altum; quidquid submissum & imum evehere. *Dispergit Deus superbos mente cordis sui; deponit potentes de sede, & exaltat humiles.* Hæc Dei sunt opera. Ita cum rege Nabuchodonosore, ita cum innumeris superbis aliis egit. Dispersit, deposuit, excelsa depressit. Luc. cap. 1. v. 51. & 52.

Vidit Nabuchodonosor somnium, cui nullus reperiebatur interpres præter Danielem. Qui somnium aggressus explicare: *Arborem,* inquit, *quam vidisti sublimem atque robustam, cujus altitudo pertingit ad cælum, & aspectus illius in omnem terram: & rami ejus pulcherrimi, & fructus ejus nimius, & esca omnium in eâ, subter eam habitantes bestiæ agri, & in ramis ejus commorantes aves cæli. Tu es rex, qui magnificatus es, & invaluisti: & magnitudo tua crevit, & pervenit usque ad cælum, & potestas tua in terminos universæ terræ. Quòd autem vidit rex vigilem & sanctum descendere de cælo, & dicere: Succidite arborem, & dissipate illam, attamen germen radicum ejus in terrâ dimittite & vinciatur ferro & ære in herbis foris, & rore cæli conspergatur, & cum feris sit pabulum ejus, donec septem tempora mutentur super eum. Hæc est interpretatio sententiæ Altissimi, quæ pervenit super dominum meum regem. Ejicient te ab hominibus, & cum bestiis ferisq; erit habitatio tua, & fœnum ut bos comedes, & rore cæli infunderis, septem quoque tempora mutabuntur super te, donec scias quòd dominetur Excelsus super regnum hominum, & cuicumque voluerit det illud.* Hanc interpretationem rex accuratam quidem & legitimam agnovit, non tamen è toto resipuit. Expectavit annum solidum divina patientia, sed pœnitentia secuta est nulla. Vox tandem cælo ruit: *Regnum tuum transibit à te.* Factum ordine. Hîc dicendi campus multò fecundissimus, distincta themata complura. Nos unum hoc commutatis vicibus totâ dictione hac ingeremus: Deus exaltat, Deus humiliat. Dan. cap. 4. v. 17. ad 23. Dan. cap. 4. vers. 28.

§. I.

I. *DEus exaltat. Facile est enim in oculis Dei subitò honestare pauperem.* Rem miram, ter miram hîc audite, quâ ratione Deus amicos suos honoret in orbe hoc etiam inferiore. Nabuchodonosor rex potentissimus æquè ac superbissimus, jam pæne monarcha orbis, nihilominus Danielem collegam suum perquam honorificè appellans: *Donec,* ait, *collega ingressus est in conspectu meo Daniel.* Hic minimè falsus aut nimiùm blandus testis de Nabuchodonosoris incredibili potentiâ hoc pronuntiavit: *Tu es rex, qui magnificatus es & invaluisti; & magnitudo tua crevit, & pervenit usque ad cælum, & potestas tua in terminos universæ terræ.* Hic tantus princeps, qui & Eccli. cap. 11. vers. 23. Deus honorat amicos suos in hoc mundo. Dan. cap. 4. vers. 5. Ibid. v. 19.

Deus haberi voluit, nihilominus hominem exterum, captivum, Judæum, & quod amplius est, famulum suum nominat Collegam: *Donec ingressus est Collega.* Nam Daniel præfectus erat omnibus Babylonici regni provinciis, omnes ei magistratus, principes omnes subjuncti. Ita Deus, quem vult extollit. Hinc proclamans David: *Psal. 138. vers. 17.* *Mihi autem, inquit, nimis honorificati sunt amici tui Deus, nimis confortatus est principatus eorum.* Deus exaltat.

II. *Deus humiliat.* Vox illa cælo lapsa hoc etiam edixit: *Verumtamen germen radicum ejus in terrâ sinite.* *Dan. cap. 4. vers. 12.* Adversus arborem illam gravissimè Deus exacerbatus, nihilominus non æquissimam tantùm, sed & mitissimam sententiam tulit in exscindendum lignum. Hoc indoli divinæ proprium, in ipso furore uti moderatione. Homo cùm irâ furit, nihil moderationis admittit: Deus in superbos sævit, sed moderatissimè. In eo genere non absimilis pharmacopolæ, qui omnia ad libellam exigit minutissimè, nec enim drachmam tantùm, aut drachmæ dimidium, sed & scrupulum, sed & piperis granum unicum in trutinam mittit. Ita Deus Jobum Satanæ pro libitu cruciandum dedit, unà tamen etiam imperavit: *Verumtamen animam illius serva.* *Job c. 2. v. 6.* Ut libuerit, vexa; sed citra mortem, quam inferre prohibeo. Hinc illæ Jobi voces: *Mirabiliter me crucias* (plagas accumulans plagis) *& propter superbiam, quasi leænam capies me* (videris enim me veluti feram insectari, & ut rapacem, superbum, crudelem exagitare.) *Sagittæ Domini in me sunt, quarum indignatio ebibit spiritum meum.* Ulceribus, & vulneribus sum plenus, quorum acerrimi dolores omnem animi & corporis mei vigorem exhauriunt. Deus humiliat.

Deus pectatores punit, sed moderatissimè. *Idem c. 10. vers. 16.* *Idem cap. 6. vers. 4.*

III. *Deus exaltat.* Nabuchodonosor somnium narrans. *Videbam,* inquit, *in visione capitis mei, & ecce vigil & sanctus de cælo descendit.* *Dan. cap. 4. vers. 10.* Percensito autem somnio subjungit: *In sententiâ vigilum decretum est, & sermo sanctorum, & petitio.* *Ibid. v. 14.* Beatæ mentes, Angeli, rectissimè dicuntur *Vigiles,* qui in Dei hominumque obsequium semper excubant. Porrò fama in cælo percrebuit, & omnium sermone celebratum est regis illius Nabuchodonosoris superbiam excrevisse nimium, supplicio jam maturam esse. Secuta cælitum petitio, velit jubeátque Deus servari justitiam, & Babyloniam regem illum ex æquo puniri, aliis in exemplum. Ita demum sententia lata est; decreverunt Vigiles exscindendam arborem illam. En humanissimus Deus, ministros suos in assessores, consiliarios, cognitores causæ adhibet. Sacra pagina clarissimè: *In sententiâ Vigilum decretum est.* Hoc Senatusconsultum ab Angelis scriptum est: Exscindatur arbor; Rex Nabuchodonosor ex hominum cætu ad bestias abjiciatur. Ita Deus ædificium turris Babel impediturus: *Gen. cap. 11. vers. 7.* *Venite,* inquit, *descendamus, & confundamus linguam eorum.* Ita aliquot ante sæculis Achabo regi Michæas: *Vidi,* ait, *3. Reg. c. 22. v. 19. & 20.* *Dominum sedentem super solium suum & omnem exercitum cæli assistentem ei à dextris & à sinistris. Et dixit Dominus: Quis decipiet Achab regem Israël? Et dixit unus verba hujusmodi, & alius aliter.* Ita Joannes Apocalypseos scriptor animas in cælo vidit, quæ clamabant voce magnâ: *Apoc. cap. 6. vers. 10.* *Usquequo Domine, Sanctus & verus, non judicas, & non vindicas sanguinem nostrum de iis qui habitant in terrâ?* Deus amicos suos, Angelos suos exaltat. Ita planè Christus discipulos suos mirificè exaltans: *Matth. c. 19. vers. 28.* *Vos,* inquit, *qui secuti estis me, in regeneratione, cùm sederit filius hominis in sede majestatis suæ, sedebitis & vos super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israël.* Uti pater meus agit cum Angelis suis, ita vobiscum ego discipulis meis. Deus exaltat suos, ut deprimat superbos.

Consiliarii & causæ cognitores.

§. II.

IV. *Deus humiliat.* Nabuchodonosori regi somniorum interpres Daniel in os apertissimè dixit: *Ejicient te ab hominibus, & cum bestiis feriæ erit habitatio tua, & fœnum ut bos comedes, & rore cæli infunderis; septem quoque tempora mutabuntur super te, donec scias, quòd dominetur Excelsus super regnum hominum, & cuicumque voluerit, det illud.* Ita Deus superbos jubet sedere humi, támque frigidum eis jentaculum apponit: prandendum & cenandum cum bestiis: boum & onagrorum lactucæ, hominum fiunt deliciæ. Quæ verò hæc dicendi est Danielis libertas, in os tanto regi dicere: Ita res agentur: *Ejicient te ab hominibus;* feram ages inter feras. Fuissent qui priùs centies deliberationem habuissent, quàm ista talia dixissent regi. Quis enim timidiorum non ita secum statuisset: Si nuntium feram tam ingratum, si ista proloquar tam liberè privabor meo munere, collectam gratiam omnem effundam, in discrimen capitis certissimum me conjiciam: præstat igitur tacere. At verò Daniel longè aliter ratiocinatus: ut ut sint ista, veritatem hîc celare nefas. Hæc aulicis consiliariis, hæc palatinis optimatibus altissimè imprimenda. Commeditandum est non quâ ratione vafrè artificioseque dicenda construamus, & ex ambiguo loquamur, ne principales aures offendamus, sed potiùs quâ libertate in lucem efferamus veritatem. Augustus Imperator ob impudicitiam filiæ Juliæ contractâ jam infamiâ altum ingemiscens: Horum, ajebat, nihil mihi accidisset, si Agrippa aut Mæcenas vixisset, viri ab ingenuâ dicendi libertate plurimùm commendandi.

Dan. cap. 4. vers. 22. *Deus exaltat.*

V. *Deus exaltat. Dominatur Excelsus in regno hominum, & cuicumque voluerit dat illud, & humillimum hominem constituet super eum.* Hoc Deus sæpissime factitavit; ab ovibus, & ab asinis assumpsit reges. E latrone factus est Jephte princeps. Arsaces è latrone rex Parthorum est creatus. Rex Lydorum Gyges pastor fuit. Darius Hystaspis rex Cyri regis armigerum egit. Valentiniani I. Imperatoris parens fuit restio. Tamerlanes rex Tartarorum bubulcus fuit. Agathocles Syracusanorum rex parentem figulum non erubescens sæpe abacos luto Samio, testeisque vasis oneravit. Aurelianus & Diocletianus humili loco oriundi. Tullus Hostilius rex inter armentarios censebatur. Maximinus Imperator ab ovibus ad diadema pervenit. Maximi Puppieni parens fuit cultellarius. Justinus I. Imperator à subulco ad bubulci dignitatem promovit, à bubulco ad machæropæi officinam transiit, ex officinâ ad militiam prosiluit, è milite factus Imperator. Mahometes jam pæne Deus, aliquando fuit camelarius. Othomannicæ Imperatoriæ domûs origo & caput Othomannus I. rusticis parentibus est prognatus. Ita *dominatur Excelsus in regno hominum, & cuicumque voluerit, dabit illud, & humillimum hominem constituit regem.*

Quæstiones poni solent inanes: Quis hominum inter vivos sanctissimus? quis Luciferi sedem occupaturus? Ad utrumque commodè respondetur: Sanctissimus, qui humillimus, suique ipse despicientissimus: Summus illic futurus, quisquis hîc fuerit ex virtute imus. Et an non istud cuivis maximum sit calcar ad animi submissionem ardentissimè sectandam? ita quidem ut si non liceat præmium primum consequi, & inter primos consistere, saltem alterum obtineat, & in secundis consistat. Neque ad eam rem opus rigidis jejuniis, aut asperis ciliciis, aut quotidianis extentis; vigiliis, aut precibus assiduis. Ab hoc brabeo consequendo nullus hominum ordo, ætas, sexus excluditur; patet omnibus. Vicisti, si seriò velis vincere. *Quid tibi opus est,* ait Seneca, *ut sis bonus? Velle.* Brabeutes Christus æquè favet omnibus, humillimo dat brabeum. Quin igitur hoc unicè agimus, ut nos in omnibus & adversus omnes quàm maximè submittamus? Sola verò exterior submissio, quæ tritam vestem, sanctas ceremonias, humiles gestus, depressas voces maximè spectat, lenta nimis & invalida est ad præmium tam nobile obtinendum. Deus exaltat, sed hominem verè humilem. *Humillimum constituet super eum.*

VI. Deus

VI. *Deus humiliat. Omnia venerunt super Nabuchodonosor regem. Eádem horâ sermo completus est super Nabuchodonosor, & ex hominibus abjectus est, & fœnum ut bos comedit, & rore cœli corpus ejus infectum est, donec capilli ejus in similitudinem aquilarum crescerent, & ungues ejus quasi avium.* O Deus, cujus providentia in sui dispositione non fallitur, quàm *omnia in mensurâ & numero, & pondere disposuisti!* Nec vocula, nec syllabula, nec punctulum, nec apiculus, nec momentum unicum divinæ sanctionis erat. Testatus id Christus: *Iota unum,* inquit, *aut unus apex non præteribit à lege donec omnia fiant,* prout æterna & inconcussa veritas decrevit. Salvo tamen humano arbitrio, cui nullam vim faciunt decreta cælestia. Nam, ut hîc quàm castigatissimè loquamur, damnationis caussa non est prævisio, sed caussa prævisionis est damnatio. Rem exemplo monstramus. Vidit quis è turri Hierosolymis Judam Iscarioten collum laqueo inserentem, & continuò pronuntiavit: Miser hic certissimè se suspendet. Prævisio & prædictio non fuit caussa suspendii, sed prævisionis ac prædictionis caussa fuit suspendium. Idem in aliis, quæ ab humanâ pendent voluntate.

Dan. cap. 4. vers. 25. & 30.

cap. 11. vers. 22.

Matth. 5. vers. 18. Omnia fiant prout æterna veritas decrevit, salvo tamen humano arbitrio.

§. III.

ITa ad unguem omnia venerunt super Nabuchodonosor. Imò quod ampliùs miremur, *cúmque sermo adhuc esset in ore regis, vox de cœlo ruit.* Necdum verba rex finierat, necdum voces dentibus eliserat, jam ultor à tergo instabat. *Momenta* scilicet *& tempora pater posuit in suâ potestate.* Et en ut Deus execretur superbos subitò illos fulminans. Prædictum: *Tonabit de cœlo Dominus, & Excelsus dabit vocem suam.* Ita Isaias clamat: *A voce Domini pavebit Assur virgâ percussus. A voce Angeli fugerunt populi. Vox de templo, vox Domini reddentis retributionem inimicis suis.* De subitis Hebræorum supplitiis canit psaltes. *Adhuc esca eorum erant in ore ipsorum, & ira Dei ascendit super eos.* In Babylonium regem grandi ore ampullantem vox de cælo ruit velut improvisum tonitru & fulmen. Dixerat Nabuchodonosor: *Nónne hæc est Babylon magna, quam ego ædificavi in domum regni, in robore fortitudinis meæ, & in gloriâ decoris mei?* Nónne ego, inquit, nónne ego tantæ civitatis conditor? Sed mox audit: *Tibi, Nabuchodonosor rex, tibi,* tibi *dicitur: Regnum tuum transibit à te, & ab hominibus ejicient te.* Deus exaltans, & Deus humilians. Hoc ab orbe condito Dei opus est, dejicere superbos, & humiles evehere. Quod Nabuchodonosor post rigidum septennii tirocinium inter bestias exactum ore plenissimo confessus: *Potestas ejus,* inquit, *potestas sempiterna, & regnum ejus in generatione & generatione. Et omnes habitatores terræ apud eum in nihilum reputati sunt: juxta voluntatem enim suam facit tam in virtutibus cœli, quàm in habitatoribus terræ; & non est qui resistat manui ejus, & dicat ei: Quare fecisti? Nunc igitur ego Nabuchodonosor laudo, & magnifico, & glorifico regem cœli, quia omnia opera ejus vera, & viæ ejus judicia; & gradientes in superbiâ potest humiliare.* O fastuosi mortales. Nabuchodonosori, quæso, credite experto: Tobiæ credite præceptori optimo, qui filium erudiens: *Superbiam,* inquit, *nunquam in tuo sensu, aut in tuo verbo dominari permittas. In ipsâ enim initium sumpsit omnis perditio.* A re præsenti testimonium est luculentissimum. Germania ab anno Christiano 1618. ad annum 1638. quo hæc scribo, inquilinis bellis miserimè deformata in merum pæne cadaver expiravit. Luctus, mœror, deprædationes, incendia, bonorum omnium eversiones, & facies rerum pæne ubique miserrima. Quæ tanti origo mali? Elatio & superbia. *In ipsâ initium sumpsit omnis hæc perditio.* Summi principes alter alterum bellis, ut visum est, minùs necessariis lacessebant. Hinc incendium trans mare flammas misit, & regem evocavit exterum qui Germaniam funeribus oppleret, & Imperatori Romano alas accideret. Factum profectò. Acciſæ sunt alæ. Sed cui bono? Ut sola non succuberet superbia. Loquamur, mi lector, inter nos amicissimè. Si quis sapiens & sanctus, vel duos solùm pileos, sed aureos, possit in concordiam sinceram ac stabilem componere, brevî omne religionis dissidium finiret. Fieret, quod promisit Christus: *unum ovile, & unus pastor.* Sed hactenus ad eam Orbis beatitatem non pertigit. Quid impedimento fuit? Id unum in quo omnis perditio sumit initium. Aurei duo pilei ad hoc temporis non potuerunt à mortalium ullo persuaderi, ut alter alteri vel minimum se submitteret. Non ænigmata loquor, res in aperto est. Ex orbe superbiam tolle, & hæreses omnes, bella omnia, omnéque malum sustulisti. *In ipsâ initium sumpsit omnis perditio.*

Ioan. c. 10. vers. 16.

Hanc ob causam Tobias filio Tobiæ tam sedulò inculcans: *Superbiam,* inquit, *nunquam in tuo sensu, aut in tuo verbo dominari permittas.* Nec os, nec animum tangat vel minimum elationis. Merum, teterrimum venenum omnis arrogantia. Subitò ex alto Deus fulminat arrogantes & elatos. Regna dividit prout vult, & humillimum hominem super ea constituit. Fuge superbiam, fuge, fuge; & omnium vitiorum originem declinasti.

Loc. cit.

CAPUT XI.

Daniel Nabuchodonosori suadet eleemosynas. Quod in iis erogandis maximum sit impedimentum?

DAniel Nabuchodonosori somnium de arbore succidendâ fidelissimè interpretatus: Tu es, inquit, arbor illa, *quam vidisti sublimem atque robustam, cujus altitudo pertingit ad cælum, & aspectus illius in omnem terram, & rami ejus pulcherrimi, & fructus ejus nimius, & esca omnium in eâ, subter eam habitantes bestiæ agri; & in ramis ejus commorantes aves cæli.* Tu es, inquam, hæc arbor, quam vidisti. *Hæc est autem interpretatio sententiæ Altissimi: Ejicient te ab hominibus & cum bestiis feris erit habitatio tua.* Neque hoc pauculos dies, aut unum alterumve mensem, aut semestre spatium, sed septennium totum, *donec scias quod dominetur Excelsus in regno hominum.* Nunquid non illud concionari est? Nunquid non interpretari somnium hoc est; nunquid non diem actionis constituere & in jus vocare? Fuissent, qui dixissent: Si mihi vrbs tota Babylon in præmium cedat, non ausim ego tam acerbam regi sententiam denuntiare. Ausus est Daniel. Ut autem detecto jam & aperto ulceri malagma imponeret: *Quamobrem,* inquit, *ô rex, consilium meum placeat tibi, & peccata tua eleemosynis redime, & iniquitates tuas misericordiis pauperum: forsitan ignoscet delictus tuis.* Et animum, & marsupium pandi jubet. Animum misericordiis pauperum, ut pronus sit, ad juvandos pauperes, affectus; marsupium, ut opimos affectus expedita manus comitetur, quæ peccata redimat largioribus eleemosynis. De eleemosynâ singulari libro jam egimus. Hîc ergo jam ista solùm explicanda. Cur Daniel Nabuchodonosori solas suaserit eleemosynas: deinde, quidnam sit potissimùm quod ab eleemosynis largiendis retrahat.

Dan. cap. 4. vers. 17. & seqq. Daniel Nabuchodonosori somnium interpretatur.

Ibid. v. 24. Detecto & aperto ulceri malagma imponit.

In Gazophylacio Christi, quod anno 1617. editum.

§. I.

EArum actionum quæ pro contractis noxis satisfaciunt, triplex genus assignant Theologi, Orationē, Jejunium, Eleemosynam. Cur igitur Daniel ad expiāda scelera solam in erogandis eleemosynis liberalitatem suasit? Inter primas hanc assignamus caussam: Rex Nabuchodonosor Monarcha potentissimus jam annis triginta septem voluptatibus affluentem vitam egit, victoriis diversis & ingenti rerum successu potentior in dies, & quod sequitur insolentior persuaderi neutiquam potuisset, ut operosiori pœnitentiæ, jejunis & precibus vacaret.

Triplex genus actionum.

Cur sola Eleemosyna Nabuchodonosori suasa?

vacaret. Insuavis nimiùm fuisset conuiuo: *Precos funde, cibis abstine.* Hæc ille nimis, quàm insueta & nova. Quia verò grandes collegerat thesauros, tam difficile illi non potuit videri, aliquam inde partem decerpere in subsidium egenæ plebis. Hinc consilium mite ac opportunum: *Peccata tua eleemosynis redime.* Deinde ipsa hoc exegit Justitia. Etenim Nabuchodonosor ærarium suum ex alieno iniquè ac variè ditavit, prædis ac spoliis parum æquis implevit. Quod Daniel luculenter asserens: *Quos volebat,* inquit, *interficiebat; & quos volebat, exaltabat, & quos volebat, humiliabat.* Hoc ergo justitiæ fuit, vel isto saltem modo malè parta & violenter erepta reddere. Addo: Daniel norat optimè quibus unguentis hi sinus ulcerum explendi, quàm aptum & salubre talibus morbis tale pharmacum. Nec ignorare poterat, Misericordiam divinam, si aliâ re ullâ, hac certè impetrandam. Sciebat, quid alii prophetæ in eleemosynarum laudes pronuntiassent. Rex David: *Beatus vir, qui intelligit super egenum & pauperem: in die malâ liberabit eum Dominus.* Rex Salomon: *Per misericordiam & fidem purgantur peccata. Misericordiâ & veritate redimitur iniquitas.* Dux Tobiæ Angelus: *Eleemosyna à morte liberat, & ipsa est, quæ purgat peccata, & facit invenire misericordiam, & vitam æternam.*

Dan. cap. 5. vers. 19.

Psal 40. v. 2.

Prov. cap. 15. vers. 27.

Ibid. c. 16. vers. 6.

Tob. cap. 12. vers. 9.

Augustinus eleemosynarum semper facundissimus encomiastes: *Sacrificium Christiani,* ait, *eleemosyna in pauperes. Hæc duorum generum est, Erogando & Remittendo: erogando quod habes bonum, remittendo quod pateris malum.* Et sua ipse dicta explicans: *Qui diligit Christum in Christiano,* inquit, *hoc animo ei porrigit eleemosynam, quo accedit ad Christum. Quoniam Deus non cui detur, sed quo animo detur attendit.* Addit: *Mirari soleo etiam apud Virgilium istam reperiri sententiam:* Facite vobis amicos de Mammonâ iniquitatis, ut & ipsi recipiant vos in tabernacula æterna. *Nam cum Elysios campos pœta ille describeret, ubi putant habitare animas beatorum; non solùm ibi posuit eos, qui propriis meritis ad illas sedes pervenire potuerunt, sed adjecit, atque ait: Quique sui memores alios fecêre merendo: id est, qui promeruerunt alios, eósque sui memores promerendo fecerunt.*

Augustin. l. 50. hom. 29. Duplex eleemosyna: Erogationis, & Remissionis.

Augustin. l. 21. de Civitate cap. 27 mihi pag. 29.

Luc. cap. 16. vers. 9.

Eleemosyna porrò peccata redimit his ferè modis. I. Hominem ita liberalem ad scelerum patratorum veniam obtinendam parat, cui divinam gratiam instar validissimæ orationis conciliat. II. Culpâ jam condonatâ meretur eleemosyna (ut Theologorum scholæ loquuntur) ex condigno supplicii brevioris veniam, seu, pœnæ reliquæ laxamentum & remissionem. III. Piacula minora eluit, à gravioribus servat immunem.

Tres modi quibus eleemosyna redimit peccata.

Hinc illud Siracidæ: *Ignem ardentem extinguit aqua, & eleemosyna resistit peccatis.* Quod Ambrosius illustrissimis eleemosynarum elogiis exponens: *Nullum,* inquit, *tam grave delictum est, quod non purgetur abstinentiâ, eleemosynis extinguatur. Aut enim sanctus propheta:* Sicut *aqua extinguit ignem, ita eleemosyna extinguit peccatum. Magna ergo est eleemosyna quæ ardentium criminum globos benevolentiæ suæ fonte refrigerat, & quodam irriguo largitatis obruit incendia delictorum, ut quamvis offensus, quamvis crimimibus provocatus Deus cogatur liberare eleemosynis, quem disposuerat punire peccatis.* Et dicta disertissimè confirmans. *Nihil tam commendat Christianam animam, quàm misericordia. Primùm in pauperes, ut communes judices partus naturæ, quæ omnibus ad usum generat fructus terrarum, ut quod habes largiaris pauperi, & consortem & conformem tuum adjuves. Tu nummum largiris, ille vitam accipit. Tu pecuniam das, ille substantiam suam æstimat. Tuus denarius census illius est. Adhæc plus ille tibi confert cùm sit debitor salutis. Si nudum vestias, teipsum induis justitiam. Si peregrinum sub tectum induceas tuum, si suscipias egentem, ille tibi acquiret sanctorum amicitias, & æterna tabernacula. Non mediocris ista gratia. Corporalia seminas, & recipis spiritalia. Miraris judicium Domini de sancto Iob, mirare virtutem ejus, qui poterat dicere: Oculus eram cæcorum, pes claudorum. Ego eram infirmorum pater, velleribus agnorum meorum calefacti sunt humeri eorum. Foris non habitabat peregrinus. Ostium autem meum omni venienti patebat. Beatus planè de cujus domo nunquam vacuus sinu pauper exivit. Neque enim quisquam magis beatus, quàm qui intelligit super pauperis necessitatem, & infirmi atque inopis ærumnam. In die judicii habebit salutem à Domino, quem habebit suæ debitorem misericordiæ.* Quàm longè sit felicior qui stipem expendit, quàm qui tributum reddit, idem Mediolanensis Pontifex disserens: *Tributum reddit,* inquit, *alii prodest, eleemosynam facere ipsi proficit, qui largitur. Tributi enim redditio illi præstat beneficium, qui accipit, eleemosynæ autem operatio sibi confert meritum, qui ministrat. Tributi, inquam, redditio detrimentum infert solventi, eleemosynæ erogatio lucrum tribuit eroganti. Ditior enim fit vir misericors posteà quàm minùs habere incipit pauperibus largiendo. Beata igitur est eleemosyna, quæ & accipientem reficit, & lætificat erogantem.* Hilarem enim datorem diligit Deus. *Atque ideo melius est illi priùs dare. Lætus ergo & hilaris est qui pauperibus subministrat. Rectè planè lætus est, quia per nummulos paucos, æternos thesauros sibi cælestes acquirit. Et contrà semper tristis est & mœstus, qui tributa dissolvit. Nec immeritò tristis est, qui ad solutionem non dilectione adducitur, sed terrore constringitur; Christi enim debitor lætus, Cæsaris tristis est, quia hunc ad solvendum amor cogit, illum pœna compellit. Hic præmiis provocatur, ille suppliciis coarctatur. Tibi igitur proficit, quidquid inopi contuleris, tibi crescit, quidquid in pauperes erogaueris. Scriptum est,* qui miseretur pauperi, fenerat Deo. *Ipse cibo in paupere pascitur, & fructus jam in his est misericordiæ. Seminatur in terrâ, germinat in cælo: plantatur in pauperes, apud Deum pullulat. Ne dixeris, inquit Deus,* cras dabo, *Qui non patitur te dicere: Cras dabo, quomodo patietur te dicere, non dabo. Non de tuo largiris pauperi, sed de suo reddis. Quod enim commune est in omnium usum datum, tu solus usurpas? Omnium est terra, non divitum: sed pauciores qui non utuntur suo, quàm qui utuntur. Debitum igitur reddis, non largiris indebitum, idcóque tibi dicit scriptura:* Declina pauperi animam tuam, & redde debitum.

Eccli. cap. 3. vers. 33.

Ambr. to. 3. serm. 15. de Natali Domini, mihi pag. 294.

Idem tom. 1. lib. 1. de offic. cap. 11. mihi p. 6.

Iob cap. 29. v. 15. & 16.

Error est qui peccata propter eleemosynam fieri licentiam.

Eccli. cap. 5. vers. 5.

§. II.

Sed error est gravissimus eorum, qui improbam delinquendi licentiam sibi fingentes: Quid mihi malè metuam, ajunt, modò stipem spargam, etsi peccare pergam? Quos Cæsarius Arelatensis hac perbrevi admonitiuncula erudit: *Prodest eleemosyna, si omittas peccata.* Augustinus errorem illum validissimè convellens: *Christum,* inquit, *se ad hoc pascere existimant, ut licentiam malefactorum ab illo se emisse, vel quotidie potiùs emere credentes, securi damnabilia tanta committant. Qui si pro uno scelere omnia sua distribuerent indigentibus membris Christi, nisi desisterent à talibus factis, habendo charitatem, quæ non agit perperam, aliquid eis prodesse non posset. Qui ergo dignas pro suis peccatis eleemosynas facit, priùs eas facere incipiat à seipso. Indignum est enim ut in se non faciat, qui facit in proximum, cùm audiat dicentem Dominum:* Diliges proximum tuum tanquam teipsum. *Itémque audiat:* Miserere tuæ animæ placens Deo. *Propter hoc ergo eleemosynæ facienda sunt, ut cùm de præteritis peccatis deprecamur, exaudiamur, non ut in eis perseverantes, licentiam malefaciendi nos per eleemosynas comparare credamus. Ideo autem Dominus, & dextris eleemosynas ab eis factas, & sinistris non factas se imputaturum esse prædixit, ut hinc ostenderet quantum valeant eleemosynæ ad priora delenda, non ad perpetua impunè committenda peccata. Tales autem eleemosynas non dicendi sunt facere, qui vitam nolunt à consuetudine scelerum in melius commutare.*

Rom. cap. 6. vers. 1. Eccli. c. 35. vers. 20. Aug. lib. de mirab. S. Scr. mihi p. 1. Eleemosynæ facientes sunt, ut præteritis malis impetrentur exaudiantur. Idem tom. 10. Enchirid. Laurent. cap. 72. & 73. mihi p. 78.

Hæc à se dicta confirmans Augustinus: *Sanè,* inquit, *qui sceleratissimè vivunt, nec curant talem vitam, moresque corrigere, & inter ipsa facinora & flagitia sua eleemosynas frequentare non cessant, frustra sibi ideo blandiuntur. Qui enim vult eleemosynam ordinatè dare, à seipso debet incipere, & eam sibi primò dare.* Atque ut apud omnes Christianos eleemosynæ studium unicè ac summè ferveret, idem Augustinus: *Sic pronuntia iniquitatem tuam,* inquit, *ut curam gerat pro*

Idem tom. 1. in Psal. 50. mihi p. 150.

ras pro peccato tuo. Quid est curam gerere pro peccato tuo? Curam gerere pro vulnere tuo. Si diceres, curam geram pro vulnere meo, quid intelligeretur; nisi, dabo operam, ut sanetur? hoc est enim curam gerere pro delicto: semper niti, semper intendere, semper studiosè & sedulò agere ut sanes peccatum. Ecce de die in diem plangis peccatum tuum, sed fortè lacrymæ currunt, & manus cessant. Fiant eleemosynæ; redimantur peccata, gaudeat indigens de dato tuo, ut & tu gaudeas de dato Dei. Eget ille, eges & tu, eget ille ad te, eges & tu ad Deum. Tu contemnis egentem tui, Deus non te contemnet egentem sui? Ergo impleto tu egentis inopiam, ut impleat Deus interiora tua. Hoc est curam geram pro peccato meo, faciam omnia quæcumque facienda sunt, ad abluendum & sanandum peccatum meum. Et curam geram pro peccato meo. Ne quis autem forsan dixerit: Alii nihil dant, aut minus dant quàm ego, occurrens Augustinus: *Pharisæi dant decimas,* inquit, *tu si centesimam dederis aliquid magnum te feciſſe gloriaris. Attendis enim quid alius non faciat, non quid te jubeat facere Deus. Metiris te de comparatione pejoris, non de juſtione melioris. Non quia ille nihil facit, ideo tu magnum aliquid facis: Sed quia gaudetis ad quædam minima opera veſtra; quia tanta eſt ſterilitas veſtra, ut ad modica gaudeat. Quaſi ſecuri vobis blandimini de minimis eleemoſynarum granis, & acervos oblivi ſcimini peccatorum. Protuliſti fortè neſcio quid parvum, quod alius aut non habuit, aut non protulit cùm haberet. Noli attendere poſt te quis non faciat, ſed quid te jubeat Deus facere.*

Idem tom. 9. de 10. chordis cap. 12. mihi p. 273.

Aug. to. 10. ſerm. 227. de Tempore, mihi p. 374. A ductione eleemoſynæ pauper non excuſatur.

Sed dicit aliquis Pauper ſum, ideo eleemoſynam dare non poſſum. Vt nullus ſe pauper excuſare poſſet, Dominus & Salvator noſter pro calice aquæ frigidæ mercedem ſe redditurum eſſe promiſit. Dives ergo, Pauper ſum. Si nihil amplius habes in ſubſtantiâ tuâ, quàm tibi aut in victu, aut veſtitu rationabili aut mediocri ſufficiat, ſola tibi poteſt bona voluntas ſufficere. Sed rogo te, diligenter conſcientiam tuam interroga, ne fortè aliquoties per ebrietatem perdas, quod per eleemoſynam dare poſſe tueras: ne fortè per gulam ſtudeas in terrâ conſumere, quod per eleemoſynam debueras in cælo recondere. Ne fortè delicias præparando, ornamenta ad luxuriam comparando, non habeas, quod pro remedio animæ tuæ poſſis pauperibus erogare. Et cùm pretioſa veſtes noſtra à tineis ſoleant devorari, pauperes nec vilia veſtimenta merentur accipere. Si ergo iſta omnia impedimenta non aggravant animam noſtram, & hoc ſolùm habemus, quod nobis vel noſtris ſufficere poſſit, non apparebimus rei, ſi eleemoſynam pauperibus non erogamus. Si verò ut jam dictum eſt, frequenter luxuria devorat, quod miſericordia in cælo theſaurizare potuerat; corrigamur dum tempus eſt: & quod hucuſque aut non fecimus, aut fortè minus, quàm oportuit, fecimus, implere totis viribus ſtudeamus. Et ideo, ô anima Chriſtiana, quæ mecum audis & legis, adjuva te conſilio ſanctiſſimi Danielis. Sic enim ait: Conſilium meum *accipe, &* peccata tua eleemoſynis redime. *Quod conſilium ſi non libenter audieris, ad cælum ſine cauſsâ pulſabis. O anima, quæ intra carneos & fragiles parietes habitas, vigila, ora, pete, quære, pulſa. Vigila, inquam, petendo, ora quærendo, pulſa operando. Vigilanti tibi, & petenti reſpondet Dominus:* Ecce adſum. *Si tranſieris per ignem tecum eſt Dominus tuus, & flamma non ardebit in te: quia ſicut aqua extinguit ignem, ſic extinguit eleemoſyna peccatum. Si ergo aperueris pauperibus manus tuas, Chriſtus tibi aperiet januas ſuas, ut paradiſi poſſeſſor introëas.*

Dan. cap. 4. verſ. 24.

Iſaiæ c. 58. verſ. 9.

Idem ibid. & ſeq.

Accipe ergo conſilium, dum in manibus tuis habes pretium tuum. Dona tibi de tuo dum tuum eſt; quia fragile eſt, quod tenes, & ceterorum eſt, quod attendis. Quare non accipiat partem de ſubſtantiâ tuâ, qui tibi præmia præparavit æterna? Quare non accipiat vel decimum, qui contulit totum? Contra terrenum patrimonium Deus offert cælum. Sic enim ait: Venite benedicti, percipite regnum, quia eſurivi & dediſtis mihi manducare. *Cæleſtia reddam, dabo æternum præmium, & ad partem dexteram, regnum. Non quia non peccaſtis, ſed quia pecata veſtra eleemoſynis redemiſtis.*

Matt. c. 25. verſ. 34.

Decretum divinum in Nabuchodonoſor eleemoſynas dilatum.

Hoc de dandis eleemoſynis ſalubertimum conſilium ſecutus utique Nabuchodonoſor regias dedit eleemoſynas. Imò, quod Hieronymus cenſet, ob eleemoſynarum largitatem in duodecimum uſque menſem anno toto divini decreti peractio eſt dilata. Quia verò priſtinam rediit ſuperbia, & omnia in antiquos mores revoluta, vox de cælo ruit. Ita, Hieronymo teſte, per ſuperbiam perdidit regnum, quod per eleemoſynam fuerat conſervatum.

§. III.

Cur non demus eleemoſynas duplex incredulitas obſtat.

QVid igitur Chriſtianus manus ligat, quid crumenas claudit, quid à dandâ ſtipe revocat? Promiſſa Chriſti non ſolùm ampliſſima ſunt, ſed & certiſſima, fallere & falli neſcia. Servatoris ſyngrapham tenemus manu. Nil certius quàm ſtipis etiam exiguæ præmium ampliſſimum, æternum. Cur ergo aut nihil, aut adeò parcè damus? Cauſſa gemina, incredulitas duplex.

1. Non credimus aſſenſu firmo id quod pauperi damus, Chriſto dari. Non practicè, non vivaciter, non executivè, ut loquuntur. Matt. c. 25. verſ. 40.

I. Non credimus, certè non aſſenſu firmo, id omne quod pauperi damus, Chriſto ipſi dari, cùm ſignatas à Chriſto tabulas, cùm chyrographum Chriſti multò fidelisſimum ſinu circumferamus. Ita non diligimus Chriſtum in Chriſtiano. Cùm enim hominem egenum cernimus: Hic homo nauci, dicimus, non eſt verus, non eſt ipſe Chriſtus. Triobolare iſtud mendicabulum eleemoſynas potu aut luſu perdit, nequam eſt, malè ſe gerit. Quid obſecro ad nos iſta, ſæpe etiam falſa. Quod nos pauperi, ut pauperi, & in nomine Chriſti damus Chriſto damus ipſiſſimo. Res teſtatiſſima: *Quod uni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis.* Hoc Galliarum rex Ludovicus I. aſſenſu credidit firmiſſimo. Hinc pauperes ad ſuam ipſius menſam aſſeſſores, tanquam ipſum Chriſtum, & diſcipulos Chriſti admiſit. Poterat dicere: Hi mei Chriſti ſunt.

2. Non credimus eleemoſynas noſtras tã amplis præmiis afficiẽdas. Eccli. cap. 3. verſ. 33. Eleemoſyna modica peccata plurima nõ expiat. Chryſ. to. 5. homil. 37. ad pop. mihi pag. 236. poſt hom. med.

II. Altera incredulitas noſtra. Non credimus, eheu, non credimus eleemoſynas noſtras tam largo fenore, tam amplis præmiis afficiendas; hinc mercedulam non grandem expectamus; hinc tenaci manu, & præparcè damus, ſæpe rationibus ducti politicis, non Chriſti cauſsâ. Hîc cum Ambroſio ſubmonemus, veriſſimum eſſe, quod dixit Siracides: *Ignem ardentem extinguit aqua, & eleemoſyna reſiſtit peccatis.* Sed ſi validus ſit ignis, & illi paucas aquæ guttulas inſperſeris, ignem certè non frenabis: ita prorſus, peccata plurima eleemoſyna modica difficulter expiabit. Quod Chryſoſtomus è ſuggeſtu apertiſſimè prolocutus: *Si, ait, pariem argenti dederitis, tanquam totum exſolveritis, ita vos geritis: neſcientes quòd non dare, ſed cum copiâ dare præſertim, hoc eſt eleemoſyna. Propterea quæ propheta non dantes ſimpliciter prædicat, & beatificat, ſed copioſè præbentes. Nec enim ſimpliciter dixit,* DEDIT, *ſed, quo modo?* DISPERSIT, *dedit pauperibus. Quid enim utilitatis cùm tantum abundans dederis quantum ſi quis ex mari cyathum hauſerit, & neque generoſum viduæ mulieris animum imitatus ſis? Quomodo verò dices:* Miſerere mei Deus ſecundùm magnam miſericordiam tuam, & ſecundùm multitudinem miſerationum tuarum dele iniquitatem meam: *cùm ſecundùm ejus miſericordiam ipſe non miſereris; fortè verò neque ſecundùm parvam.*

Eccli. cap. 3. verſ. 34.

Quod ſi Theologorum ſenſum exquiramus, & propriè velimus loqui, non damus eleemoſynas, ſed reddimus. Siracides teſtis, ut eleemoſynæ proventus maximos commoſtraret: *Deus,* inquit, *proſpector eſt ejus, qui reddit gratiam: meminit in poſterum, & in tempore caſûs ſui inveniet firmamentum.* Nimirum illi Deus proſpicit, qui gratiam reddit. Gratiam reddere, eſt ſtipem ſpargere. Nos diſpenſatores ſumus; non damus ſed reddimus accepta. Hinc eleemoſyna in ſacris Juſtitia, & debitum appellatur. Itaque in eum, qui egenis debitum & gratiam reddit, oculos Deus amiciſſimos conjicit, *proſpector eſt ejus, & meminit in poſterum.* Deus quidem omnium ac ſingulorum multò quàm exactiſſimè meminit. Jobus atteſtatur: *Scio, quia univerſorum memineris.* Nihilominus Deus eleemoſynarum largos ſingulariter velut libro inſcribit & annotat, ſuo tempore remunerandos. In Aſ-

Homines ſunt diſpẽſatores & cùm dant reddunt accepta.

Iob cap. 10. verſ. 13.

fueri regis aulâ, si quis insigniùs de rege fuisset meritus, A
Ephes. c. 2. verf. 23. *Mandatum est historiis, & annalibus traditum coram rege.*
Ita Deus de se suisque bene meritos obliviscí non potest; hæc beneficia annalibus traduntur æternis. Sed addit Siracides: *In tempore casûs sui inveniet firmamentum.*
Los. cit. Deus homini in pauperes beneficio fert opem, cùm is eâ eget maximè. Si quis ex alto cadat, quàm gratum est, si in ipso casu funem aut tabulatum habeat, quo casum suum fulciat: ita si quem res arctæ urgeant, jámque ruere videatur, quàm opportunum est si amico sinu aut molli lecto excipiatur. Purpuratus ille gulo, Lazari carnifex
Luc. cap. 16. verf. 22. cœpit ruere: *Mortuus est & dives.* Ruina grandis, sed nullum ea reperit firmamentum. Nam in imum decidit
Dan. cap. 4. verf. 24. *& sepultus est in inferno.* Idcirco Daniel: *Peccata tua,* inquit, *eleemosynis redime.* In arcto sumus, ô rex, minatur arbor ruinam; eleemosynis eam, ut possumus, fulciamus.

Nos, cùm aliqua necessitas obvenerit, ingentia pollicemur, & nescio quæ anathemata vovemus templis. Est B
qui statuam ceream ad sui corporis pondus & molem promittat. Non malum hoc, nec reprehendo, sed meliora suggero. Suam ille ceram liquefaciat, eámque in egenos dividat. Nam subinde nescio quid vanitatis sub tali anathemate latet. Nec enim solùm hoc suasit Daniel: *Eleemosynis redime peccata.* Sed addidit: *Et iniquita-*
Ibid. *tes misericordiis pauperum.* Unà cum stipe proniorem in
Sic explicanda verba: Forsitan ignoscet Deus. pauperes affectum exigit. Si ulla tot delictis medicina sit, hæc una erit.

Hoc Christus planissimis verbis subjiciens: *Verum-*
Luc. cap. 11. verf. 41. *tamen,* inquit, *quod superest date eleemosynam, & ecce omnia*
Ambr. to. 1. lib. ad Virg. cap. 1. mihi pag. 166. *munda sunt vobis.* Hoc Ambrosius expendens: *Munus bonum est,* inquit, *eleemosyna, quæ purgat omnem sordem, &*
Idem tom. 5. in epist. ad Philip. c. 5. mihi p. 365. *squalorem.* Hoc ipsum ingeminans: *Quàm gratum ergo opus est,* ait, *ut omnem maculam hominis & sordes emundet.* Sacræ paginæ omnes, & totus priscorum Patrum senatus eleemosynas mirificè commendant. Compendium
C omnis elogii hoc est: *Verumtamen date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis.* Sed objicias. Hæc toties audimus diversis cohortationibus, libris, concionibus: Jam saturi sumus hac crambe. Hujus ego nauseabundi auditoris medicum non agam, ne spernat medicinam.
Chrys. to. 3. in cap. 17. Ioan. homil. 80. mihi pag. 325. Chrysostomum hîc sisto, qui opportunissimè respondet iis, qui pariter aures sibi eleemosynarum commendatione obtundi querebantur. Hos exporrecta fronte perstringens: *Quisque,* ait, *de nobis dicat quid velit, agrè ferat nostram assiduam admonitionem, nos nugatores appellet, graves, molestos; non cessabimus ab admonendo, & cum pro-*
Dan. cap. 4. verf. 24. *phetâ omnibus vobis frequenter prædicabimus:* Peccata tua eleemosynis redime, & iniquitates tuas miserationibus pauperum. *Neque hoc hodie tantùm facias, cras desistas. Quotidie peccamus, eleemosynis peccata quotidie redimamus. Eleemosyna est quæ omni caret iniquitate. Hæc omnia munda facit, hæc jejunium, hæc humi dormire exuperat, quamvis molestiora & laboriosiora sint illa, hæc tamen lucrosior illuminat animam, saginat, pulchram & decoram facit. Quare vos hortor, atque obsecro, ne nobis ipsis simus detrimento, néve pro luto supernis nos thesauris fraudemus, & culmorum ac palearum plenâ navi*
Luc. cap. 11. verf. 41. *portum subeamus.* Date eleemosynam, & omnia munda sunt vobis.

CAPUT XII.

Nabuchodonosor, quod ei Daniel prædixerat, in belluam migrat. Peccati proprium, hominem in bestiam commutare.

PEccatum tam potens est incantamentum, superbia tam exercitata trivenefica, ut hominem, nec eum vilem, sed regem, & regum regem, monarcham potentissimum mutare potuerit in pecus. Nabuchodonosori regi silva fuit culina, sed frigida, & sine foco; nam fœnum ut bos comedit, idque septennio continuo. Ita Deus convivas insolentiores tractat, tam frigida eis apponit fercula. Inauditum, & pæne incredibile est adeò mutari hominem ut induat belluam. Quî autem fieri potuerit, ut Nabuchodonosor humanam exuens naturam induerit ferinam, suo loco explicabimus.

Hac inusitatâ prorsus metamorphosi Deus non auribus tantùm, sed & oculis concionatur, & ingerit hæc monita: En ut peccatum hominem transformet! En quantum mali sit adversus rationem niti, cupiditatibus obsequi, superbiâ efferri, ita demum in pecudem migrat homo, quod in rege potentissimo factum cernitis. Non credidissemus sanè id fieri posse; nisi Deus id oculis spectandum exhibuisset. Ita peccatum hominem deturpat. Peccati proprium est, hominem in bestiam commutare. Quod capite hoc explicandum.

§. 1.

HEbræus psaltes humanam cæcitatem deplorans: *Homo,* inquit, *cùm in honore esset, non intellexit; com-*
Psal. 48. v. 13. & 21. *paratus est jumentis insipientibus, & similis factus est illis.* Grande hîc mysterium lateat, quod idem iisdem verbis mox repetat. *Et similis factus est illis.* Sicut enim pecudes, Homo si solùm præsentia, & quod in oculis est spectant, futuri non sollicitæ, ita homo vanus, æternitatis & vitæ melioris oblitus in res præsentes & fluxas se immergit, totus quantus perituris affixus. Hic Orbis status est. Caduca & res corporis curantur unicè, in præsentaria commoda omnes intentissimi rapiuntur. Hæ principes & summæ omnium curæ sunt, ut corpus bene habeat: ut valeat animus, posteriores & perfunctoriæ geruntur curæ. Hinc verissimum dictum Tullii: *Sunt quidam homines*
Cic. lib. 2. Offic. *non re, sed nomine.* Est qui humanus, tractabilis, placidus sit dum sobrius est, cùm vino madet temulentus, furit, tonat, sævit, exagitat domesticos, in uxorem etiam ac liberos immitis & barbarus, quos stricto ferro per domum insequitur. Nunquid hic homo est? Non tantùm non humanus, sed nec homo ampliùs, sed leo est. Quem Siracides corripiens: *Noli esse,* inquit, *sicut leo in domo tuâ,*
Eccli. 4. verf. 35. *evertens domesticos tuos.* Sunt homines litigiosi, altercatores, turbidi, jurgiis assueti, litium satores, hos profectò non homines, sed canes aut feles dicas. Quos Paulus:
Philip. 3. verf. 2. *Videte canes,* inquit, *videte malos operarios.* Sunt qui hodie peccata defleant, cras eadem repetant audacissimè. Num istos appellabis homines, quos Petrus inter canes numerans: *Canis,* inquit, *reversus ad suum vomitum.*
2. Pet. 2. verf. 22. Arcentur cælo tales: *Foris canes & venefici, & impudici, & homicidæ, & idolis servientes, & omnis qui amat & facit menda-*
Apoc. 22. verf. 15. *cium.* Sunt alii astutiarum & fallaciarum pleni, reipsâ vulpes, & serpentes. Quod Herodi Christus nuntiari
Luc. cap. 13. verf. 32. jussit, hoc & in illos quadrat: *Dicite vulpi illi. Sed & ser-*
Gen. 3. 1. *pens callidior erat cunctis animantibus terræ.* Hinc callida
Matth. 23. verf. 33. hæc *progenies viperarum* nascitur. De hominibus in pecu-
D des mutatis Severinus Boëthius ita philosophatus: *Fateor,* inquit, *nec injuriâ dici video vitiosos, tametsi humani corporis speciem servent, in belluas tamen animorum qualitate mutari. Quid igitur? His ne accedamus, quos belluis similes esse*
Boëth. lib. de Consol. philosoph. prosa 4. *monstravimus.* Aulus Gellius de hominis exterioribus
In pag. 171. Gell. lib. 19. Noct. Attic. cap. 2. in pag. 600. Voluptas gustûs & tactûs communis homini cum omnibus bestiis. quinque sensibus Christiano ritu philosophatus: *Nimia voluptas,* inquit, *è gustu & tactu, sicuti sapientes viri censuerunt, omnium rerum fœdissima est. Istæ autem voluptates duæ gustûs atque tactûs, id est, libidines in cibos atque Venerem prodigæ, solæ sunt hominibus communes cum omnibus bestiis, & idcirco in pecudum ferorumque animalium numero habetur, quisquis est his ferinis voluptatibus prævinctus.* Nec priscus Comicus id ignorans: Adeon', ait, homines immutarier ex amore, ut non cognoscas eundem esse? Cui Mantuanus vates accinens ad nostrum institutum apte positissimè dixit:

Fit pecus omnis amans, dum pro ratione libido est.

Iudi-

Iudicium nutu temperat omne suo.
Quisquis enim vivit sine lumine mentis & usu
Fert hominis vultus, ingeniúmque feræ.
Est pecus, & fallax hominem mentitur imago, &c.

Quando igitur homines vitiosi hominem exuunt, & in pecudes abeunt, quis jure jam culpaverit Diogenem, qui mero meridie cum laternulâ suâ per hominum cuneos in forum penetrans: Homines, ajebat, homines quæro. Cúmque inter sibilos & risus philosopho diceretur: Non satis hîc hominum est? Isti, ajebat, non ut homines vivunt, sed ut pecudes. Ita idem hic Cynicus subinde proclamavit: Heus homines. Cúmque passim turba & sex hominum undequaq; provolans concurreret, & philosophum cingeret, Diogenes baculo circumstantes abigens: Homines, ajebat, homines, non purgamenta, non pecudes vocavi.

Si summa imis liceat componere, non multùm absimili modo locutus videtur Hieremias vates: *Quomodo sedet sola civitas, plena populo?* dictum admirabile. Quomodo sola, si populo plena? quomodo autem copiosa, si vidua & deserta? Ita prorsus & plena fuit, & sola fuit: plena, sed bestiis: multæ facies humanæ pauci homines: vix enim ullum invenire fuit, qui rationem sequeretur & viveret ut homo. *Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt: non est usque ad unum.*

Thren. c. 1. vers. 1.

Psal. 13. v. 3.

§. II.

Homo est animal miserrimum, si desertâ ratione, ab humanâ desiscat indole.

MIserrimum animal est homo, si desertâ ratione, ab humanâ desiscat indole. Dilucidè Aristoteles hac in re philosophatus: *Ut enim*, inquit, *perfectione susceptâ optimum cunctorum animalium est homo, ita si alienus fiat à lege & à judiciis, pessimum est omnium animalium; itaque impiissimum atque immanissimum est sine virtute, & ad libidinem cibationémque deterrimum.* Nunquid non satis hoc demonstratum, homines vitiorum usu degenerare in bestias? Ejusdem prorsus sententiæ Platonis sectatores dicere solebant: Procul hinc affectiones bestiales, fugite inimici capitales. Quod Severinus Boëthius, quem dixi, oratione nobilissimâ prosecutus: *Evenit igitur*, inquit, *ut quem transformatum vitiis videas, hominem existimare non possis. Avaritiâ fervet alienarum opum violentus ereptor? Similem lupi dixeris. Ferox, atque inquietus linguam litigiis exercet? canis comparabis. Insidiator occultis surripuisse fraudibus gaudet? vulpeculis exæquetur. Iræ intemperans fremit? Leonis animum gestare credatur. Pavidus ac fugax non metuenda formidat? cervis similis habeatur. Segnis ac stupidus torpet? asinum vivit. Levis ac inconstans studia permutat? nihil ab avibus differt. Fœdis, immundisq; libidinibus immergitur? Sordidæ suis voluptate detinetur. Ita fit, ut qui probitate desertâ, homo esse desierit, cùm in divinam conditionem transire non possit, vertatur in belluam.*

Aristot. apud Plutarch. lib. de Consolat. philosoph. initio. Boëth. lib. 4. prosâ 3. mihi pag. 171.

Quocirca non miremur dictum illud gravissimæ censuræ: Nónne tibi videtur bestialior bestiâ, rationem habens, & ratione non utens? Non miremur, inquam ego, hominem vitiosum ipsis bestiis dici vitiosiorem. Incestus, flagitium abominandum, non tamen inter homines rarissimum. Quid Tranquillus de Nerone, quid alii scripserint de aliis, silere malo, quàm aures verecundas lædere. Beatus Paulus hanc libidinum fœditatem gravissimè detestatus: *omnino*, inquit, *auditur inter vos fornicatio, & talis fornicatio, qualis nec inter gentes, ita ut uxorem patris aliquis habeat.* Ipsæ pecudes ab hoc flagitio abhorrent.

Incestus flagitium est abominandum.

2. Cor. cap. 5. vers. 1.

Camelus, quod Aristoteles memorat, ad matrem suam, sed priùs opertam admissus, ubi delapso operimento agnovit matrem, commissi sceleris memor camelarium defixo morsu interfecit. Ita cum equâ & equo filio egit peroriga. At ubi equus emissarius equam ab admissione jam detectam vidit esse matrem, velut incestum erubescens, rupto freno, cursu perniciissimo evolavit in altum, unde seipsum præcipitem actum intermit. Ad audita talia pæne quis subdubitet, num ejuscemodi animantes intelligant, cùm homines intelligentiâ prædíti eâ se libidinum turpitudine contaminent, quam illæ reformidant, aut errore non vitatam in seipsis aliisque, morte vindicant.

Aristot. lib. 5. hist. animal. c. 47. initio p. 373.

Hinc jure Chrysostomus acerba interrogans: *Unde possum*, inquit, *cognoscere quòd animam habes hominis, cùm calcitres asinorum more, cùm lacessitus effereris ut cameli, cùm mordeas ut ursi, cùm rapias ut lupi, cùm fureris ut vulpes, cùm sis dolosus ut serpentes, cùm impudens sis ut canes; unde possum cognoscere, quòd animam habes hominis? An quòd ingrederis? Atqui istuc etiam brutorum est. An quòd edis & bibis? Atqui idem faciunt & feræ. An verò quòd erectus duobus incedis pedibus? At istud mihi declarat potiùs te feram esse humanâ specie. Quòd si viderem bestiam humanâ voce loquentem, haudquaquam eo dixerim hominem esse, sed potiùs ob hoc ipsum dicerem esse bestiam quavis bestiâ prodigiosiorem.*

Chrysost. tomo 4. in epist. 2. Cor. c. 3. hom. 6. mihi p. 667.

Sed etsi fileat cum suis Plato, etsi Aristotelis libri taceant, etsi os aureum obmutescat, rotundè tamen satis testantur sacræ paginæ in bestiam transire hominem peccando. Atque huic peccato libidinis singularissimum est, humanam mentem in lasciviam & belluinam indolem transformare. Septem maritos Saræ, an non equos potiùs & mulos dices quàm homines? qui matrimonium eo fine inibant, ut *libidini suæ vacarent, sicut equus & mulus.* Has pecudes Deus, quas ipse non creasset, aversatus diabolo tradidit necandas. Hinc *habuit potestatem daemonium super eos.* Idcirco David adeò contentè clamat & monet: *Nolite fieri sicut equus & mulus quibus non est intellectus.* Hoc pecus in superbiæ ac luxuriæ stabulis invenitur.

Hominem in bestiam transire peccando probatur ex scripturis sacris.

Tob. cap. 6. vers. 17.

Ibid.

Psal. 31. v. 9.

§. III.

QVisquis igitur peccato graviori vel unico est obnoxius sæpe secum altâ mente reputet: Ego igitur rationis imperium & Dei timorem excutiam, jumento similis tam, in belluam insaniâ voluntariâ transeam? Nec enim illud ignoro: *Spiritus sanctus auferet se à cogitationibus, quæ sunt sine intellectu.*

Sap. c. 1. v. 5.

Quapropter antequam aliquis vel minimâ se noxâ sciens volens obstringat, non decies tantùm aut centies, sed millies iterúmque millies consideret quid faciat. Vel capillus suam umbram, vel lenissimum piaculum suam pœnam habet.

Nabuchodonosor hîc in oculis est. Cor ejus ab humano commutatum, & cor feræ datum ei. Hanc imaginem regis adeò transformati Deus omnium illorum oculis opponit, qui flagitia & impuritates audent suscipere, qui scientes in malum ruunt. Hîc seipsos contemplentur. Nam etsi fœnum non comedant ut boves, ea tamen in eorum animis intemperies est, ut libidinibus se mergant sicut pecudes. Hominem peccatum in bestiam transmutat. Non tantùm comparatus, sed similis factus est illis, insipientibus jumentis ratione destitutis, quæ solùm spectant præsentia, sine omni æternorum curâ. Si ergo peccatum fecit bestiam, quid ergo facit hominem? Notitia. Quod clarè asserens Lactantius: *Cùm*, inquit, *divinitatis intellectus, quo differimus à belluis, in homine solo reperiatur.* Nihil humanius, imò nihil divinius quàm nosse Deum. *Hæc est vita æterna ut cognoscamus solum Deum verum.* Ita seipsum quisque ad Dei notitiam in dies potentiùs trahat, dicátque cum fideli jam Didymo: *Dominus meus, & Deus meus.* Ego mancipium & servulus tuus, à te non solùm conditus, sed à te tuo etiam sanguine emptus: Hinc omni prorsus jure obligatissimus ad nutum tibi in omnibus parere. Hoc volo, & hoc unicè volo. En hominem, quem divinitatis intellectus sic humanum & conditori subditum reddit. Ubi deest hic intellectus, omnia mores sapiunt ferinos. Homo similis fit jumentis.

Nabuchodonosor in feram mutatus est.

Notitia facit hominem. Lactant. l. 1. de irâ Dei cap. 12.

Ioan. c. 17. vers. 3.

Idem c. 20. vers. 28.

Supremo judicii die ad Judicis lævam meræ stabunt

pecudes diabolo mancipatæ. Zachærias id prædicens: *Super hircos,* inquit, *visitabo.* Apertissimè Christus: *Statuet hœdos à sinistris.* Hujus pecoris pastores diaboli, stabulum flammæ, macellum & assidua laniena æternitas. *Nolite ergo fieri sicut equus & mulus, quibus non est intellectus.* Nolite, obsecro, nolite vivere ut bruta, quæ solo sensu & cupiditate, non verò ratione ac judicio ducuntur. Procul, ô procul superbiam, & luxuriam, quæ omnem adimunt rationem. Sit in homine divinitatis intellectus, quo Deum agnoscat non tantùm ut Dominum, sed ut suum Dominum, cui debeat ad unguem in omnibus obedire. Exeste canes; Angelis & hominibus cælum, non brutis est conditum.

Zach. c. 10 vers. 3. Matth. c. 25. vers. 33. Psal. 31. v. 9.

CAPVT XIII.

Nabuchodonosor septennis bellua, uti à Daniele prædictum, indolem humanam recipit. Explicatur illud: Deus gradientes in superbiâ potest humiliare.

PRolixorum de Nabuchodonosore annalium epilogus hic est: *Omnia opera* Dei *vera, & via ejus judicia; & gradientes in superbiâ potest humiliare.* Postquam Nabuchodonosor rigidum septenne tirocinium in silvis inter feras exegit, ad se rediit, sensus ferinos exuit, hominémque rursus induit. De seipso fatentem reum audiamus: *Igitur,* inquit, *post finem dierum ego Nabuchodonosor oculos meos ad cælum levavi, & sensus meus redditus est mihi: & Altissimo benedixi, & viventem in sempiternum laudari & glorificavi; quia potestas ejus, potestas sempiterna & regnum ejus in generatione, & generationem. Et omnes habitatores terræ apud eum in nihilum reputati sunt: juxta voluntatem enim suam facit tam in virtutibus cæli, quàm in habitatoribus terræ: & non est qui resistat manui ejus, & dicat ei: Quare fecisti? In ipso tempore sensus meus reversus est ad me, & ad honorem regni mei, decorémque perveni: & figura mea reversa est ad me: & optimates mei, & magistratus mei requisierunt me, & in regno meo restitutus sum: & magnificentia amplior addita est mihi. Nunc igitur ego Nabuchodonosor laudo, & magnifico, & glorifico regem cæli: quia omnia opera ejus vera, & viæ ejus judicia, & gradientes in superbiâ potest humiliare.* Hæc longè alia est cantilena, quàm quæ ante septennium audita, cùm ore turgido non Deum, sed seipsum prædicaret: *Nónne hæc est Babylon magna, quam ego ædificavi in domum regni, in robore fortitudinis meæ, & in gloriâ decoris mei.*

Dan. cap. 4. vers. 34. & uli. *Ibid. v. 31. & ad finem cap.* *Ibid. v. 27.*

Ita Deus his avibus, quæ nimis sublimè volant, accidit alas; ita deprimit elatos, ita montes præcelsos, & astris minitantes solo coæquat. *Gradientes in superbiâ potest humiliare.* Superbia nunquam sine noxâ. (Nec unquam hoc satis inculcari potest). Superbia ubique Deum capitalem habet hostem: Superbia suum sibimet semper præcipitium molitur. Hujus igitur spectaculi tam admirandi cataströphen (*Gradientes in superbiâ potest humiliare*) sumemus hîc explicandam, ut nemini non pateat, ruinam homini elato esse certissimam. Subjungemus, quomodo Deus à submissis præcipuè ac humilibus laudetur.

Superbia ubique Deum habet capitalē hostem.

§. I.

SOlymæus Rex David superbos sacro carmine perstringens: *Cor,* inquit, *eorum vanum est,* quod arduos semper cogitat ascensus. Ergo, *Decidant à cogitationibus suis.* Quid istud mali est à cogitationibus suis decidere? qui cogitationes superborum, & sensus altos penitiùs habet exploratos, facilè mentem psaltæ assequitur. Duo fratres & Apostoli sedes geminas, eásque supremas, & regi proximas in Christi regno petierunt. O bone Deus! viri duo illitterati, piscatores egeni, homines inhonorati, discipuli Christi, Apostolis annumerati tam audacter regnum ambiunt! Quales hæ cogitationes eorum, se id meritos, tantâ sublimitate dignos, séque ceteris præferendos; & quales sunt cogitationes istæ? longè profectò altiores quàm æquitas & ratio permittebant. Ergo, Decidant à suis cogitationibus istis. Et certè Christus ceterà mitissimus, aliquantulum asperiùs respondit, tam sublimia petentibus ante promeritum. Hoc autem plurimùm torquet, à suis cogitationibus ita decidere, ut quod minimè negandum cogitaras, neutiquam tamen obtineas. Ita vinitores illi adversus patrem familias murmurabant, non quòd denarium promissum non acceperint, sed quòd alii mercedis tantumdem habuerint, contrà quàm ipsi cogitarant.

Psal. 5. v. 10. *Ibid. v. 11.*

Ita rex Antiochus Epiphanes incidit in languorem præ tristitiâ, quia non factum est ei sicut cogitabat. Ita Nabuchodonosor altissimè quidem è solio regni decidit inter belluas. Alta prorsus prolapsio, sed longè altior fuit & gravior, cùm ex ipsâ divinitatis, quam sibi finxerat, sede, in imum corruit. Cogitaverat rex iste Babylonius se veluti Deum in aureâ statuâ, quam erexerat adorandum. Longè secus evenit; in horrendum barathrum præcipitatus est. Decidit à suis cogitationibus. E Deo factus est non homo, sed bestia. Ruina planè nimis quàm alta. Ita mater Domini Jesu Virgo beatissima in ædibus Zachariæ cecinit: *Dispersit superbos mente cordis sui,* ex alto superbarum cogitationum præcipites dejecit. Hæ cogitationes mentis humanæ semper altiùs eniti cupiunt, quàm ordo, status, conditio, sors assignata velint. Nec enim superbus unquam satiatur obtentis honoribus. Illud sibiipse ideptiōm occinit: Eia altiùs iterúmque altiùs: quid feriaris? paullò altiùs, adhuc altiùs. Perge, perge, tuámque sedem promove, nondum omnem altitudinem superasti; scande altiùs, supereſt locus, eluctare ad altiora. Ergo decidant ab his cogitationibus suis, qui altiora se quærunt. Deus obsistit, qui *gradientes in superbiâ potest humiliare.*

1. Machab. cap. 6. v. 4. Nabuchodonosoris & Antiochi Epiphanis lapsus à tergo. *Luc. cap. 1. vers. 51.*

Superbus forsan miretur sed occultissimè, cur ipse Deum pæne semper experiatur hostem. Quæ ego, clam apud se dicit, tanta committo piacula, ut Deus assiduè me pungat ac vellicet? Num ego omnium facinorosissimus sum, ut tot suppliciis puniendus sim? O mi bone, digitum impone labellis, & tuam omnem conscientiam rimare, latebit utique quod ignoras ipse. Aliquid occultioris superbiæ in animo tuo desidebit quod nescis, nec credis affirmanti. Rumpe vomicam, virus evome, omnem penitus, & vel minimam superbiolam ex omni corde tuo proscribe. Quamdiu hîc moraris & ipse tibi parcis, tamdiu Deum experieris hostem, nec cessabit hîc adversarius tuus te pungere ac fodicare, donec scias quòd *Excelsus dominetur in regno hominum.* Atque hoc est, quod plerique omnes etiam ignoramus. Præceptiones veræ Humilitatis lentissimè addiscimus.

Dan. cap. 4. vers. 14.

§. II.

RObertus Nobilius Romanus senator purpuratus cùm sex mensibus quotidianâ febri laborasset, octoginta diebus uni solùm lateri coactus ita incubare, ut in alterum converti non posset ob sæviorem corporis abscessum, cùm ossa atque pellis totus esset, subrisit ipsum denique vitæ finem supremas has emisit voces: Humilitas, Humilitas, Humilitas. Dicti caussam fuisse censent, sive ut seipsum corrigeret, qui paullò antè confidentiùs dixisset: Domine adimplevi mandata tua; sive ut in ejus virtutis, quam maximè semper adamasset, laude moreretur. Hoc unicè omnibus ac studiosissimè discendum, Humilitas, Humilitas, Humilitas. Hoc pæne unum tota Nabuchodonosoris historia inculcat, nec satis unquam inculcari potest. Deus neminem fert in superbiâ gradientem, quem non demum è sublimi cogitationum dejiciat. Ita superbum turris Babel ædificium turbavit; ita insolentem Goliathum silice prostravit; ita rem fastuosum

Obiit anno 1559. die 15. Januarii, anno ætatis 58. Sacerdotii 34. Jesu Christi, die 15. mensis, 4. h.

Deus neminem fert in superbiâ gradientem.

fastuosum Aman patibulo prælato in humilitatem submisit. Ita Pharaonem, Antiochum, Nicanorem, Sennacheribum, Herodem in superbiâ gradientes ex alto deturbavit. Et tamen vix ullus tantis exemplis sapit, nemo cautior tot aliorum ruinis ima petit. Sed nec mirum; ubi superbia ibi stultitia & insania. Supra omnia Euclidis axioma certissimum est istud. Omnis superbus, stultus. Nabuchodonosor superbissimus, ergo stultissimus. Hoc exploratæ veritatis Dialectica est. Superbus namque ad exitum adducere conatur, quod ab orbe condito nullus unquam potuit. Deus neminem in alto cogitationum tolerat, non tantùm non hominem ullum, sed nec ullum Angelorum, sed nec matrem suam, nec ipsum filium suum fuisset illic loci passurus unde superbos omnes præcipitavit. Hanc nihilominus cogitationem stultissimam, hoc consilium tam fatuum superbus nititur effectum reddere. Hinc Chrysostomus: *Magnum est*, inquit, *elationis malum. Melius est esse stultum, quam esse insolentem ac superbum.*

Chrysost. hom. 39. ad populum.

Ægidius Francisci Assisiatis socius vir integerrimus cùm fratris Eliæ, qui regendæ toti familiæ præfectus, Friderico II. Imperatori malè se junxerat, lapsum narrasset, in terram se pronum abjecit, eámque veluti complexus & arctissimè stringens: Volo, inquit, descendere quantum possum, quia Elias cecidit, qui altiùs quàm debuit, ascendere voluit. Ita quivis Humilitatis amans secum ipse statuat: Volo descendere quantùm possum, ad ipsos usque inferos omnem animi sublationem deprimam, méque omnibus, etiam hominum vilissimis submittam. Neque verò pauca sunt quæ illuc impellant vel leviter prudentem. Deus reverà non fert, nec ferre potest gradientes in superbiâ. Superbus huc usque nullus non præcipitatus: Lucifer cum suis altissimè cecidit. Pharao cecidit. Nabuchodonosor cecidit. Superbi ceciderunt omnes. Omnes enim superbi stulti, qui solùm suas ipsi ruinas ædificant. Qui renuit haberi stultus, caveat esse superbus.

Magister Generalis in totum ordinem sancti Francisci.

Eccli. cap. 3. vers. 21. Verissimum est pronunciatum Siracidæ: *Magna potentia Dei solius, & ab humilibus honoratur.* Hinc illud Hebræorum principum in ignibus sacrum carmen: *Benedicite sancti, & humiles corde Domino, laudate & superexaltate eum in sæcula.* Rectissimè humilitas sanctitati jungitur: Sancti & humiles benedicite. Humilitas basis ac fundamentum sanctitatis. Homo corde humilis; & verè submissus suum inane ac nihilum puris oculis intuetur atque agnoscit, & quantò magis seipsum, tantò magis incipit nosse Deum, quem unicè laudat, ut unicum suæ salutis, omnisque boni auctorem. Magna patientia Dei solius, & ab humilibus honoratur.

Dan. cap. 3. vers. 87.

Humilitas est basis ac fundamentum sanctitatis.

§. III.

Sed nunquid honor accedit Deo à solis humilibus? Explico. Vetus Germanis verbum est: Donare nultùm, est honorificum. Paucos porrigere sestertiolos honoris est exigui, nisi mercenario id doni obveniat. Homini amplo marsupium auro stipatum erit offerendum, si munus velis esse honorificum. Ita prisci honestiùs ac liberaliùs sacrificaturi, pecora centena, seu hecatomben in victimas Diis litabant. Ita Salomon immolavit Domino *boum viginti duo millia, & ovium centum viginti millia.* Hoc sanè honorificum erat & regium. At istud pauperum crumenulæ non possunt. Nihilominus ab humilibus etsi pauperrimis honoratur Deus. Sit humilitas in animo, etsi non ultra tres quadrantes sint in marsupio, satis est quod divinos promoveat honores.

Honor accedit Deo ab humilibus.

3. Reg. c. 8. vers. 63.

Et audite: Superbiæ voces sunt: *In cælum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum.* Superbiæ anhelitus sunt: *Erimus sicut Dii, scientes bonum & malum.* Superbiæ consilia sunt: *Venite, faciamus nobis civitatem & turrim, cujus culmen pertingat ad cælum, & celebremus nomen nostrum.* Superbiæ instituta sunt: Tam sumptuosè me vestiam, hac supellectili, his ornamentis domum instruam, tantam familiam, tot servos alam, hanc mensæ rationem, hæc convivia instituam, hos titulos, has dignitates petam. Innumera talia, Superbiæ occultissimi sunt susurri: *Non est Deus.* En quàm non honoretur Deus à superbis: quàm parum, quàm nihil Deo donet superbia, dum id unum spectat, quid sibi, non quid conditori sit honorificum.

Isaiæ c. 14. vers. 13. Gen. c. 3. v. 5. Gen. cap. 11. vers. 4.

Psal. 13. v. 1.

At verò humilitas longè aliud loquendi genus usurpat. Humilitatis oratio est: *Loquar ad Dominum meum cùm sim pulvis & cinis.* Ita humilis Abrahamus loquitur. *Ego te glorificavi super terram.* Ita Humilitatis præceptor Dominus Jesus Dei filius loquitur. Humilitatis voces sunt: *Ecce ancilla Domini; Magnificat anima mea Dominum.* Ita Humilitatis magistra Mater Dei loquitur. Humilitatis germana phasis est: *Non sum dignus, ut solvam ejus corrigiam calceamenti.* Ita demississimus Christi prodromus Joannes Baptista loquitur. Humilitatis preces sunt: *Exi à me, quia homo peccator sum, Domine.* Ita princeps Apostolorum loquitur. Humilitatis confessio est: *Non sum dignus vocari Apostolus;* abortivum sum. Ita orbis Ecclesiastes Paulus loquitur. Humilitatis sermo est: *Domine non sum dignus, ut intres sub tectum meum, sed tantùm dic verbo, & sanabitur puer meus.* Ita modestissimus centurio loquitur. Humilitatis laudatissimum responsum est: *Etiam Domine, nam & catelli edunt de micis quæ cadunt de mensâ dominorum suorum.* Ita humilis illa mulier Chananæa loquitur. Humilitatis pium desiderium est: *Volo descendere quantum possum.* Ita humilis frater Ægidius loquitur, & cum eo omnes Humilitatis sectatores. Magna potentia Dei solius, & verè ab humilibus honoratur. Hi plurimùm, hi Deo dant omnia, omne illi sublime nomen tribuunt, suum omne promeritum illi uni adscribunt: hoc honorificum Deo.

Gen. cap. 18. vers. 27. Ioan. c. 17. vers. 4. Luc. cap. 1. v. 38. & 46. Ioan. cap. 1. vers. 27. Luc. c. 5. v. 8. 1. Cor. c. 15. vers. 9. Matth. c. 8. vers. 8. Matth. c. 15. vers. 27.

Huc igitur omne conferamus studium, idque summâ diligentiâ, ut infra omnes, quantum possumus, submissione animi descendamus. Religiosissimi viri commonitio est: *Non nocet si omnibus te supponas: nocet autem plurimùm, si vel uni te præponas,* quamvis postremo mendicabulo hominum vilissimo. Christus suos reprehendens: *Ut quid turbati estis,* inquit, *& cogitationes ascendunt in corda vestra?* Homines elati & arrogantes nunquam non turbati sunt, dum hoc unum assiduè in animo volvunt: Volo ascendere quantùm possum. Hinc despicatus vel minimus illis acerba mors est. Si vel levissimum quid existimationi eorum, & auctoritati decerptum eas, dimidium cordis perdidisse sibi videbuntur. Læde, aut imminue vel pauxillulùm eam, quam se assecutos censent, dignitatem, mox sævient, ringentur, insanient. Nimirum volunt ascendere quantùm possunt. Sinite illos; altè scandent, ut altè ruant. Innumeris, imò superbis omnibus hoc contigit. Hæ feles & sciuri isti nimis vertiginosi sunt, antequam ad culmen perveniant, decidunt. Et sæpe idem illis evenit, quod iis qui dormientes & somniantes ambulant, & recta conscendunt, subitò, cùm inclamantur, ruunt; sic alti ambulatores isti, dum honores captant, & omnia ad dignitatem referunt, repentè ad levem impulsum, præcipites conteruntur. Voluerunt ascendere, quantum potuerunt. Sed tantò gravior, & periculosior eorum est ruina, quantò audacior altiórque fuit ascensus. Quisquis sibi sapit, tam lubricum iter horreat, & cautè declinet. Præstat quietè in imo jacere, quàm ex alto in imum tam perniciosè cadere. Ergo sancti & humiles corde benedicite Domino: Deus ab humilibus honoratur.

Thomas à Kempis l. 1. de Imitat. Christi, c. 7. num. 3. Luc. cap. 24. vers. 38.

Minimus despicatus superbo est mors acerba.

CAPVT

CAPVT XIV.

Regi Balthasari temulento Daniel ignotus est. Temulentiæ mala exponuntur.

Quidquid tot alii contradicant. Hic sacra pagina nimis est dilucida.

FInita Nabuchodonosoris historiâ, transimus ad regem Balthasarem. Sed prima hîc quæstio sit, Rex Balthasar filius an nepos fuerit Nabuchodonosoris? Nos cum sacris paginis fuisse filium asserimus. Ita Daniel capite quinto vaticinii sui, septies eum appellat filium. Testatur idem Baruch multò clarissimè. Cohortantis popularis verba sunt: *Orate pro vitâ Nabuchodonosor regis Babylonis, & pro vitâ Balthasar filii ejus, ut sint dies eorum sicut dies cæli super terram, ut vivamus sub umbrâ Nabuchodonosor regis Babylonis, & sub umbrâ Balthasar filii ejus.* Varium istius regis nomen. Nabo, Merodach, Evilmerodach ab Josepho, Isaiâ & Hieremiâ, Laboñidus, à Beroso, Herodoto vocatur. Hæc in antecessum scienda. Quòd verò Deus Nabuchodonosorem parentem lentiùs atque mitiùs puniverit, quàm filium subitò peremptum, causarum non ultima hæc est: *Præcepit* rex Balthasar *temulentus ut afferrentur vasa aurea, quæ asportaverat Nabuchodonosor pater ejus de templo, quod fuit in Hierusalem.* Hoc Nabuchodonosor licet impius nunquam est ausus. Sed custodiit ea in templo Dei sui. At verò Balthasar jam mero æstuans proferri jussit tot annis recondita in probrum & contumeliam veri Dei, perinde si dixisset: Quàm infirmus est Hebræorum Deus, qui nec domum suam, nec domûs suæ vasa potuit tueri. Hæc temulenti regis fuit impietas, quam illi facilè persuasit temulentia, de quâ hîc paullò uberiùs quantùm huc spectat, disserendum.

Baruch c. 1. v. 11. & 12.

Dan. cap. 5. vers. 2.

Præceptũ de afferendis vasis aureis fuit causa punitionis repentinæ in Balthasare rege.

Nam de Ebrietate diximus in Tobiâ, parte 2. c. 6.

§. I.

VT subjiciatur oculis quid mali, quantúmque noxæ inferat Temulentia & Ebrietas non opus vetustioribus exemplis Noëmi, Lothi, Amnonis, Holofernis, Simonis Machabæi, regis Syriæ Benadadi, qui grandem exercitum, & unà secum alios triginta reges perdidit, à paucis victus & fugatus. Alexander Macedo tot amicorum ebrius, quot hostium occidit sobrius. Hæc omnibus nota. Hîc in oculis rex Balthasar est, qui jam temulentus id facinoris ausus, quod parens Nabuchodonosor sibi nunquam voluit licere. Tanta est temulentiæ atque ebrietatis noxa.

Ebrietatis mala ac noxæ: 1. Ebrietas homines trãsformat in bestias.

I. Ebrietas homines transformat in bestias, quia rationis usum intercipit, & ipsam veluti suffocat rationem. Aqua marina multas haurit naves, latex & vitibus multas hominum centurias quotidie submergit. Quos deplorans Isaias: *Hi quoque*, ait, *præ vino nescierunt, & præ ebrietate erraverunt; absorpti sunt à vino.* Quisquis sorbillare cyathos & potitare incipit, non facilè cessabit ampliùs. Morbus est, qui ubi leviter invaluerit, fit sonticus & pæne incurabilis, nullis expugnandus remediis. Merguntur, absorbentur, pereunt tales bibuli sorbillando. Idcirco monens Salomon: *Ne intuearis vinum*, inquit, *quando flavescit, cùm splenduerit in vitro color ejus, ingreditur blandè, sed in novissimo mordebit ut coluber.* Delinit quidem fauces vinum, sed uti venenum corpus totum permeat, & vitam aufert, ita ebrietas sensus torpore vincit, rationem [illegible]opit, animum interficit. Addit Salomon: *Et eris sicut dormiens in medio mari, & quasi sopitus gubernator amisso clavo.* In mari vel cùm minantur scopuli, aut vada periculum intentant, aut piraticæ naves imminent, navarchi est solertissimè attendere quò navem agat, ne scopulis eam illidat, ne in vada, vel syrtes ducat, ne piratarum deprædationi objiciat. Quòd si navarchus dormiat, erepto clavo seipsum secúmque omnes extremis periculis exponit; nil certius naufragio. Ita homo ebrius excusso velut clavo, rationis usu inconditè movetur, A delira loquitur, agit perversa; certum ac multiplex malum.

Hoc & alia peccata faciunt; dictũ hîc c. 12. sed singulariter ebrietas.

Isaiæ c. 28. vers. 7.

Prov. c. 23. vers. 31.

Ibid. v. 34.

Eruditè prisci pingebant navim hederâ coronatam, navis medio sedentem Bacchum inter potatores, aulædos, fidicines, turbam hominum lætissimam, cùm tamen nec malum habeant nec velum, nulli eis remiges, nulli remi, gubernator nullus, in prorâ tigris, panthera in puppi excubent. Qualis hæc navigatio, quàm vicina exitio? Ita ebrii inter clamorum, lasciviarum, jurgiorum, pugnarum tempestates certo se naufragio committunt, non sine jacturâ pecuniæ, valetudinis, virtutis. Ita Babylone rex Balthasar regium convivium temulentus agitat, dum arctâ obsidione urbs premitur, dum ad portas tigris & panthera Cyrus & Darius insidiantur. Ita homo ebrius lætatur & plaudit, nec curat quàm obæratus sit pistori, quàm lanioni, quantum sartori & sutori, multò minus cogitat, quàm multum Deo debeat quibus sceleribus obstrictus hæreat; panthera & tigris B mors & diabolus ad latus, sopitus gubernator dormit, naufragium certum.

Carneades apud Hieronymum de Imag.

II. Ebrietas, sopitâ jam ratione, vitia omnia in lucem protrahit. Nec enim vitiosæ solùm cogitationes ac cupiditates ebrium huc illuc impellunt, sed verba, gestus, facta pessimæ notæ se produnt, sensus omnes evagantur licentissimè, quidquid libet, licere credunt; nihil ordine fit, nihil ad legem veræ honestatis. Hincillud comminantis Isaiæ: *Væ qui consurgitis manè ad ebrietatem sectandam, ut æstuetis vino.* Marutinæ potatorum consultationes, in precum vicem, sunt istæ: Quis hodie dabit symposium? Ubi Pomæ sacrificabimus hodie? quæ domus, quæ mensa instruet convivium? ubi vinum generosius? ubi lautior quadra? ubi unctior patina? ubi sympositastæ lætiores? quomodo diem hodiernum poculis sepeliemus? Hæ quotidianæ illorum deliberationes, hæc pia sunt desideria. Consurgunt manè ad sectandam ebrietatem. Huic uni rei student, hæ illorum principes C curæ sunt, æstuare vino. Hinc illa tam seria cohortatio Paulina: *Nolite inebriari vino, in quo est luxuria.* Ubi ebrietas & crapula ibi libido & luxuria; res certa. Hieronymus res gestas nobilissimæ Romanæ viduæ percensens: *Cùm Paula*, inquit, *lustrando terram sanctam pervenisset in Segor, ubi Loth cum utrâque filiâ moratus, illa ad virgines comites, conversa humentibus oculis: O bonæ, ajebat, cavete immoderatum vinum, ne vos decipiat, quod probos etiam & sanctos pertrahit ad luxuriam.* Vinum, ut Ambrosius loquitur, libidinis fomentum. Quid igitur est homo ebrius? Hieronymi sensu: Nec vivus homo, nec mortuus dicendus. Quid ergo ebrietas est? Commune generis nostri opprobrium. Tam succinctè quàm verè dixit Chrysostomus: *Ubi ebrietas, ibi diabolus.* Quod confirmans Oseas vates: *Fornicatio*, inquit, *& vinum, & ebrietas auferunt cor.* Vinum, ait, & ebrietas: ut occurrat hæc forsitan objecturo: Ego tam largiter non obbibo, ut quid agam nesciam. Sed hoc ipsum, ô bone vitiosum est, plus paullò D adbibisse, madidum, vino semigravem, ebriosum esse. Rex Balthasar, quid diceret, quidve ageret, scivit, alioqui tam distinctè non imperasset, ut afferrentur vasa aurea & argentea. Et ne quid fieret erroris, addidit: *quæ asportavit pater meus de templo, quod fuit in Hierusalem.* Rex iste sibi præsentissimus fuit. Ita illi tales potulenti æstuant vino, sed hoc ipsum est periculosissimum, & planè trãsitus ad omnigena vitia. Qui crapulâ plenus, verè temulentus, vino depositus veluti truncus & stipes jacet, nullas coquit seditiones, nil grave molitur, sepultus est vino: qui verò semimadidus vino æstuat, periculosissimè, quia plerumque pernicios[illegible]imè loquitur & agit. Idcirco dixit Oseas: *Vinum & ebrietas auferunt cor.* Non ebrietas tantùm, sed & vinum æquo largiùs potarum. Filii Job ad optimos mores formati, dum agitarent cum sororibus convivia, sciebant utique quid agerent, sed inter convivandum ruinâ domûs obtriti sunt.

Ebrietas, sopitâ jam ratione, vitia omnia in lucem protrahit.

Ebrietas, sopitâ jam ratione, vitia omnia in lucem protrahit.

Matutinæ potatorum consultationes.

Ebriosi est humanum genus. Prodromus. Oseæ c. 4. vers. 11.

Dan. cap. 5. vers. 2.

III. Ebrie-

§. II.

1. Ebrietas est tam pervulgatum vitium, ut non tam grade peccatum censeatur, ut Theologi asserunt. Aug. to. 10. serm. 231. de Tempore, mihi p. 376.

III. EBrietas tam pervulgatum est vitium, ut aut omnino nullum, aut non tam grande censeatur peccatum, atque Theologorum scholæ asserunt. Hanc vulgarem insaniam deplorans Augustinus: *Cùm, inquit, ebrietatis malum sit grave vitium, & Deo odibile, ita per universum mundum in consuetudinem missum est, ut ab illis qui Dei præcepta cognoscere nolunt, jam nec putetur, nec credatur esse peccatum; in tantum ut in conviviis suis irrideant eos, qui minùs bibere possunt, & per inimicam amicitiam adjurare homines non erubescunt, ut potum ampliùs accipiant quàm oportet. Qui enim alterum cogit, ut se plus quàm opus est bibendo inebriet, minus malum ei erat, si carnem ejus gladio vulneraret, quàm animam ejus per ebrietatem necaret.* Addit: *Videte, quod de ebrietate nascitur, igni præparatur. Tales enim sunt, sicut jam dixi, omnes ebriosi, quorum prandia ducuntur usque ad noctem, quorum cenas lucifer videt; qui stare non possunt, etiam cùm videntur esse jejuni, quorum sensus tardi, graves, obtusi, & quodammodo jam sepulti. Denique in ipsâ frequenter ebrietate nec seipsos, nec alios recognoscunt, nec ambulare valent, nec stare, dicere aliquid vel audire, quod ad rationem pertineat, omnino non possunt. Frequenter etiam usque ad vomitum ingurgitare se non erubescunt, & ad mensuras sine mensurâ bibere.* Addit: *O infelicitas generis humani, quàm multi inveniuntur, qui ebriosos & luxuriosos ampliùs, quàm oportet cogunt bibere, & ante ostium pauperibus petentibus, vel unum calicem dissimulant dare; nec attendunt, quia illud, quod luxuriosis videntur ingerere, Christum in pauperibus deberet accipere, qui dixit:* Quod fecistis uni ex fratribus minimis meis, mihi fecistis. *Sed qui tales sunt, quando alios in nimio potu sepeliunt, pauperi eleemosynam petenti dicunt: Vade, vade in ante, & dabit tibi Deus, & utique dum ambulaverit hoc, ei daturus est. Quid est ergo quod dicit: Vade in ante, & dabit tibi Deus: nisi, Vade ad illum hominem, qui habet Deum, quia daturus est Deus? At sic ore suo ipse confitetur apud se Deum non esse, quo inspirante possit erogare pauperibus.*

Matth. c. 25. vers. 42.

Et quandoquidem beati Augustini viridaria sumus ingressi, protollamus aliquantulùm pedem, & subjiciamus, quæ idem disertissimus Præsul in ebrios perorans: *Illud verò quale est, inquit, quòd ipsi infelices ebriosi, quando se nimio vino ingurgitant, rident, & vituperant eos, qui rationabiliter hoc tantùm quod sufficit bibere volunt, dicentes eis: Erubescite & verecundia sit vobis, quare non potestis bibere quantum nos? Dicunt enim eos non esse viros. Et videte miseriam ebriosorum. Se dicunt esse viros, qui in ebrietatis cloacâ jacent, & illos non dicunt esse viros, qui honestè & sobriè stant. Iacent prostrati, & viri sunt: stant erecti & viri non sunt? Victor ebrietatis vituperatur, & victus ebrietate laudatur. Irridetur sobrius, qui & se & alios potest regere: & non irridetur, imò non plangitur ebriosus, qui nec se, nec alios potest agnoscere. Qui ergo credit ebrietatem esse parvum pectatum, si se non emendaverit, & pro ipsâ ebrietate pœnitentiam non egerit, cum adulteris & homicidis æterna sine remedio illum pœna cruciabit. Et ideo rogo, & per tremendum judicii diem vos adjuro, ut quantum potestis ebrietatis malum fugiatis.*

Augustinus tom. eodem serm. 232. de Tempore, mihi p. 377. & 378.

§. III.

Nocumenta in quæ rex Babylonius incidit per ebrietatē. Primum.

HÆc Augustini dicta rex Balthasar, tanquam decem millia testium, confirmat. En, obsecro, quantùm huic Babylonio regi nocuerit temulentia. In digitos mittamus nocumenta. I. Rex Balthasar jam Orbi universo gurges, abdomen, heluo, potator & bibax proclamatur, Rex temulentus. Nam eo ipso tempore, quo ipsi adversus hostem vigilandum, audiendi militiæ duces, excubiæ inspiciendæ, obsidio urbis fuisset mitiganda, ille se vino mersit. II. Præcepit ut afferrentur vasa argentea, & aurea, quæ annis triginta honestè latuerant, non sine veneratione asservata, nunc demum protrahuntur inhonoranda ebrietatis usu; ut jam madidus rex, & ipsius pellices, convivæque ceteri non ea venerarentur, aut cælaturas & artificium mirarentur, sed ut sitim ex eis accenderent potiùs, quàm restinguerent jam ante ebrii. Hæc vasa rot annis in templo regio servabantur, nunc ancillari coguntur temulentiæ.

Secundum.

III. Biberunt in eis rex, & optimates ejus, uxores, & concubinæ ejus. Biberunt in eis. Nam grandia & admodum capacia fuerunt, ita ut complures simul os immergere, & velut boves aut vaccæ aliquot, simul ex uno alveo, haurire possent. IV. Bibebant vinum, ait historicus sacer. Sed quid hoc inusitati aut novi? quis enim eos bibisse aquam credat frenandæ temulentiæ? Vinum ergo bibebant, sed vinum regium, & quod in cellâ latuit nobilissimium, opimianum, centum annorum, hoc ad vasa illa temeranda infusum; nec bibebant tantùm, sed etiam laudabant Deos suos aureos, & argenteos, æreos, ferreos, ligneósque, & lapideos. Hanc convivarum insolentiam modimperatoris regis provocavit temulentia. V. Cùm Balthasar rex vidisset manum scribentis ad parietem, exclamavit fortiter, velut insanus, ut omnes scirent quàm largiter eâ nocte obbibisset. Mox ariolorum, Chaldæorum, magorum, aruspicum, incantatorum, veneficorum turbam adduci jussit, cùm tamen ea res inter paucos multò rectiùs potuisset transigi. Sed consilii expers est ebrietas. VI. Rex temulentus haud novit Danielem. Hinc illa interrogatio absurda: *Tu es Daniel de filiis captivitatis Iudæ, quem adduxit pater meus rex de Iudæâ?* Tot annis tamque fidelibus obsequiis Nabuchodonosori parenti servierat Daniel, principibus universis præfectus, & jam à temulento filio velut ignotus homo in extremâ necessitate accersitur, sed nec eum accersiri jussisset, nisi regina mater monuisset. Expers consilii ebrietas. VII. Eâdem nocte urbs Babylon capta, rex ipse Balthasar occisus, ut vinum misceretur sanguine. Has Tigris & Panthera ebrioso regi struebant insidias. En ebrietatis optimos fructus.

Tertium.

Quartum.

Quintum.

Sextum.

Dan. cap. 5. vers. 13.

Septimum.

Est qui dicat: Parum ista ad nos, quibus ebrietas nihil negotii facessit. Agamus ergo singularissimas Deo gratias ob gratiam adeò singularem. Illustrissimi est encomii apud omnes tam bene audire: Vir iste, hic dominus, hic princeps non potat, non ludit, non amat. Beatus vir, qui inventus est sine omni maculâ tali; quòd si harum vel unica cum inficiat, ohe jam fœdam labem dignitati suæ asperserit. Est de quo verè dixeris: Non ludit, sed bibulus est & potat. Jam grandem sibi maculam inussit. Est alius de quo affirmes: Non potat, non helluatur, sed ludit. Et iste jam maculosus, jam contaminatus est. Est alius, qui nec potor, nec lusor, sed procus & amator; hem maculosissimus est, & alto immersus cæno hæret. Uti avicula libertatem perdidit, si vel uno capta sit unguiculo: ita quicumque vitio ejuscemodi vel unico est adstrictus jam contaminatus volutatur in sordibus. Si omnis hujusmodi maculæ purus, integérque vitæ sit, maximas Deo gratias agat, gravissimam, eámque triplicem potandi, ludendi, amandi luem evasit.

Ebrietas omnibus est prohibenda.

Neque verò morbos illos sonticos in seipso quivis, sed & in aliis, quantùm quidem potest, caveat, monendo, prohibendo, comminando, objurgando, puniendo, quibuscumque demum licuerit modis. Herus famulos sæpicule temulentos non ferat; aut vitium illi emendent, aut renuntient officium. Ita boni patrisfamilias est inter domesticos ebriosum neminem tolerare. Multa simul vitia cavet, qui unam cavet ebrietatem vitiorum pæne omnium fecundam matrem.

Fixum manet Chrysostomi scitum: *Ubi ebrietas, ibi diabolus. Ebriosi regnum Dei non possidebunt.* *1. Cor. cap. 6. vers. 10.*

CAPVT

CAPVT XV.

Rex temulentus Balthasar manum scribentis in pariete cernit, & expavescit; Danielem acciri præcipit.

CVm Anna Samuelis mater amaro quidem, sed ardenti & attento animo precaretur, Heli sacerdos precantem illam curiosiùs observans, & temulentam arbitratus: *Vsquequo*, ait, *ebria eris? digere paulisper vinum quo madet.* Babylonius rex Balthasar non leviter vino se obtruit, jámque ebrius audax facinus admisit, & sacra vasa Solymæi templi in mensam adferri jussit. Verùm subitò digessit, quo madebat, vinum, cùm ad parietem scribentis manum vidit. Scriptura hæc admodum succincta, & breve prorsus, sed reverà terribile fuit epistolium. Hoc sili crapulam ita discussit, ut vehementer pavefactus, expallescens, attonitus mox omnes urbis litteratos ac sapientes imperaret acciri, qui brevissimum illud epistolium ad parietem suffixum legerent, & exponerent. Sed hoc illorum nullus legere, ne dicam exponere potuit. Iv demum vocatus Daniel compendiosam scriptionem illam legit, & exposuit.

1. Reg. cap. 1. vers. 14.

Res sanè prodigiosa, & in omne ævum memorabilis fuit, solam dumtaxat manum latentis scribæ cerni, & pauculis verbis tot támque grandia mysteria contineri. Hîc Justitia Dei, & æquissima Vindicta vigilarunt in supplicium damnati rei.

Virgil. lib. 6. Æneid. post med. *Discite justitiam moniti, & non temnere Divos.*

Scripturæ parietem commendatæ capita: Ad divinam hanc justitiam meliùs noscendam hæc ipsa parieti commendata scriptura hac dissertatione per summa rerum capita est explicanda.

§. I.

1. Hæc scriptitans manus regi temulento sese importunissimam objecit. *Apoc. c. 16. vers. 15. Ibid. cap. 3. vers. 3. 1. Thess. c. 5. vers. 2. 2. Petr. c. 3. vers. 10.*

I. HÆc scriptitans manus regi temulento sese importunissimam objecit. Eo enim tempore visa est, cùm hilaritas convivalis maximè vigeret. Vix autem isthæc scriptio absoluta, mox ludi, jocique, mox omnis lætitia & voluptas interciderunt. Ita solet Deus. Quod Christus cùm ipse, tum per suos sæpissime monens: *Ecce*, inquit, *venio sicut fur. Beatus, qui vigilat. Si non vigilaveris, veniam ad te tanquam fur, & nescies quâ horâ veniam ad te. Dies Domini sicut fur in nocte, ita veniet. Adveniet dies Domini ut fur.* Rex Balthasar nequaquam vigilavit nisi ad pocula, & venit ad illum scribentis manus tanquam fur, & nesciit quâ horâ veniret ad se. Cogitemus, obsecro, quis fuerit in regio cenaculo tumultus, quæ trepidatio tot convivarum modimperatore ipso ita graviter perterrefacto. *Discite justitiam moniti.*

2. Scribentem hanc manum rexit Angelus.

II. Scribentem hanc manum rexit Angelus, cui multò facillimùm è densato aëre formosissimum corpus subitò efformare. Ex Angelorum numero, si Hebræis fides, Gabriel fuit. Hæc autem actuaria manus convivis sese omnibus spectabilem præbuit, illi maximè cujus causâ hæc scripta sunt. Sed cur Angelus sententiam decretoriam parieti inscripsit? Nabuchodonosor Balthasaris parens in somniis & voce fuit monitus; cur non eodem modo & filius? Nimirum voluit Deus ut impio regi sententia judicis quàm apertissimè panderetur, perinde si dixisset: En ego tibi litteras, & quidem signatas, & meâ manu conscriptas mitto: Inspice, lege. Voluit Deus insuper judicii sui æquissimi quamplurimos habere testes. Aderant autem, convivarum mille, amplissimum gynæceum; tot famuli, famulæque, qui omnes spectatores, & testes vigilantissimam Dei Vindictam, Justitiam exactissimam in oculis habuerunt. *Discite justitiam moniti.*

Nabuchodonosor Balthasaris parens in somniis & voce fuit monitus; cur nō eodem modo & filius?

3. Chartam manus scriptoris abditi delegit sibi parietem regii cenaculi, & quidem

A loco maximè visibili & illustrissimo: *Contra candelabrum in superficie parietis aulæ regiæ, & rex aspiciebat articulos manûs scribentis.* Videri poterat hæc ipsa manus dicere: Ego lucem quæro, spectari volo. Dei námque Justitia videri vult, & audiri, atque ab omnibus probè cognosci. Rex vidit distinctissimè scribentis manum, sed scribam ipsum non vidit: Uti nos ubique locorum Dei manum, hoc est, Dei opera, supplicia, præmia videmus, Deum ipsum videre nondum possumus. *Discite justitiam moniti.*

Dan. cap. vers. 5. — dicit dolorem filiorum ejus ximè videbilem. — locum ubi-

§. II.

4. Spectabilem hanc regem terror maximus invasit. Et reverà istud horrendum quid fuerit necesse est. Nam si sexaginta millia armatorum militum contra se ire Balthasar rex vidisset, terreri tamen neutiquam debuisset, sed ita secum ratiocinari: Ego plures, sit. ego centum millia virorum in aciem possum educere. — regem horror mutus invasit.

IV. SPectantem hæc regem terror maximus invasit. Et reverà istud horrendum quid fuerit necesse est. Nam si sexaginta millia armatorum militum contra se ire Balthasar rex vidisset, terreri tamen neutiquam debuisset, sed ita secum ratiocinari: Ego plures, sit. ego centum millia virorum in aciem possum educere.

B At verò hunc regem longè potentissimum manus unica ita terruit, ut pæne vitam mero terrore ademerit. Si leonis ungues aut draconis pedes, aut ursi ungulas ad parietem oberrantes vidisset, triste ac terribile omen censeri potuisset. Quid autem manus terret, & quidem humana? Nihilominus, quod sacer historicus testatur: *Facies regis commutata est*, è roseâ in pallidam. Nam exalbuit metu; vividus illi color excidit mutatus in exanguem. *Et cogitationes ejus conturbabant eum.* Cor pavefactum & attonitum variæ atque ancipites cogitationes huc illuc rapuerunt: insidias sibi parari vidit, nec tamen auctorem nosse potuit. *Compages renum ejus solvebantur.* Norunt eruditi cum Aristotele, subito metu vim fieri artuum retinentem debilitari, intestina laxari, humorem foras extrudi. *Et genua ejus ad se invicem collidebantur.* Velut febriens corpore toto tremuit. Hanc febrim manus unica occulti scribæ movit ei, qui archigrammateos mille, qui decem millia scribarum non timuisset. *Excalmavit itaque rex fortiter*, velut insanus convivii medio. Quid obsecro vult (quæsierit aliquis) quid ei accidit adversi? Protinus & actutum omnes ariolos, Chaldæos, magos, augures, aruspices, incantatores, venificos, sapientes, & suæ gentis theologos omnes convocari jubet. Cùm repentè quis opprimitur morbo, plerumque clamat: Vocate medicum: Ita rex Balthasar metu subito consternatus vocari jubet eos, qui juvent. Nec uno alteróve contentus, medicorum turbam, Chaldæos omnes, & quotquot urbs Babylon eruditos aluerat, acciri præcipit.

Dan. cap. 5. vers. 6. — Ibid. v. 7. — Arist. probl. 4. Num. 8.

5. Nemo eruditorum omnium scripturam illam vel legere solùm potuit. Sed quibus ea litteris constabat? Hebræis an Chaldæis? Hebræis ajunt Judæi. Verùm, nullúsne totâ Babylone litteratorum fuerit, qui potuerit linguam Hebræam legere? cùm Hebræa & Chaldæa dialecto tantùm differrent, uti Dorica, & Attica, Græcæ ambæ: num ignotæ forsan, aut transpositæ fuerunt litteræ? Credibile prorsus primas solùm litteras singularum vocum, & consonantes tantùm sine vocalibus, seu, punctis expressas fuisse. Hinc Chaldæi scire non poterant, an legendum Mane, vel Mina, vel Meno: legendum Tekel, an Tokel, an Takel. Quemadmodum & hoc nostro ævo, vix ulli Hebræum idioma sine punctis nôrunt legere. Ergo Chaldæi litteras quidem viderunt, sed eas componere nequiverunt; nihil commodioris sensûs eruere potuerunt. Indagandum itaque fuit quis uspiam inveniretur hominum, qui scripturam tam ignorabilem posset hîc regina Nitocris, mater regis audiit pavore subito correptum regem, omnibus etiam optimatibus turbatis, itaque ingressa domum convivii: *Rex in æternum vive*, inquit, *non te conturbent cogitationes tuæ, neque facies tua immutetur. Est vir in regno tuo, qui spiritum Deorum sanctorum habet in se, & in diebus patris tui scientia & sapientia inventæ sunt in eo, &c. quia spiritus am-*

Dan. cap. 5. v. 10. & 11. — plior

plior & prudentiâ, intelligentiâque; interpretatio somniorum, & ostensio secretorum, ac solutio ligatorum inventæ sunt in eo, hoc est in Daniele, cui rex posuit nomen Balthasar. Nunc itaque Daniel vocetur, & interpretationem narrabit. Igitur introductus est Daniel coram rege.

Femina temulentū regem instruit de accessēdo Daniele ejus tei expecto.

VI. En femina temulentum regem instruit, cujus memoriam temulentia & subitus pavor valde turbaverant, nec enim occurrerat illi accire Danielem ejus rei experientissimum, quem non poterat non nosse parentis sui Nabuchodonosoris præfectum aulæ, omniumque principum supremum. Sed satis hinc liquet Danielem apud Balthasarem regem parum valuisse, nec ferè ullo in numero fuisse. Nam illum rex velut ignotum allocutus: *Tu es,* inquit, *Daniel de filiis captivitatis Iudæ, quem adduxit pater meus rex de Iudæa? Audivi de te quoniam spiritum Deorum habeas, & scientia, intelligentiâque ac sapientia ampliores inventæ sunt in te. Et nunc introgressi sunt in conspectu meo sapientes, magi, ut scripturam hanc legerent, & interpretationem ejus indicarent mihi, & nequiverunt sensum hujus sermonis edicere. Porrò ego audivi de te quòd possis obscura interpretari, & ligata dissolvere.* Ita Daniel non magnâ pollebat auctoritate apud Nabuchodonosoris filium, cui nec nomen quidem bene meritissimi famuli occurrisset, nisi monuisset regina mater. Sed veniam demus regi bibulo; memoriam ei omnem excussit terror & crapula.

Dan. cap. 5. vers. 13. & segq.

Sed illud hîc documenti observandum probissimè; Neminem inter quisquilias & rejectanea ponere, neminem abjicere, ne cogat necessitas, cum honore denuo producere abjectos. Quod sanè hîc factum Danielem, quem ebriosi regis oblivio sepelierat, eum acerbus casus refossum, in lucem iterum non sine laude asseruit.

§. III.

Balthasar rex lectori & interpreti scripturæ præmium decernit.

VII. HInc Balthasar rex lectori & interpreti scripturæ præmium decernens: *Si valueris,* inquit, *scripturam legere, & interpretationem ejus indicare mihi, purpurâ vestieris, & torquem auream circa collum tuum habebis, & tertius in regno meo princeps eris;* à me & conjuge meâ proximus dignitate. Regnum Babylonicum sub Dario centum viginti satrapæ administrarunt, his Triumviri, seu, alii tres principes imperarunt, quorum primus Daniel, qui ad Balthasaris munificas promissiones promptè: *Munera tua, sint tibi,* ait, *& dona domûs tuæ alteri da: scripturam autem legam tibi, rex, & interpretationem ejus ostendam tibi.* Generosè sprevit munera. Quàm verè dixit Plato: Non habent reges felicius prædium, quàm familiaritatem eorum, qui cauponari nesciunt. Leges divinæ jubent: *Nec accipies munera, quæ etiam excæcant prudentes, & subvertunt verba justorum. Maledictus qui accipit munera.* Nihilominus queritur Hebræus vates Isaias: *Omnes diligunt munera, sequuntur retributiones. Discite justitiam moniti.*

Dan. cap. 5. vers. 16.

Ibid. v. 17.

Exod. c. 23. vers. 8. & Deut. c. 16. vers. 19.

Ibid. cap. 27. vers. 25.

Isaiæ cap. 1. vers. 23.

In eâdem horâ apparuerunt digiti, quasi manus humanæ scribentis.

VIII. In eâdem horâ apparuerunt digiti, quasi manus hominis scribentis. In eâdem etiam nocte Chaldæus rex Balthasar est interfectus. Justitia & Vindicta divina semper in excubiis sunt vigilantissimæ ad omnia rerum momenta & puncta. Idem de Nabuchodonosore affirmatum: *Cúmque sermo adhuc esset in ore regis, vox de cælo ruit. Eâdem horâ sermo completus est super Nabuchodonosor.* Et en quàm Justitia divina nec latum quidem unguem exerret! Nabuchodonosor Hierosolymam obsidere cœpit decimo sexto imperii sui anno, & eodem prorsus in lucem editus est Darius, qui ultor captæ Hierosolymæ cepit Babylonem & Babylonicum regnum ad Medos, Persasque transtulit, anno ætatis suæ sexagesimo secundo, qui septuagesimus fuit, & ultimus Hebrææ plebis captivæ. Ita igitur divinæ Justitiæ oculus ubique pervigilat, ut ubi delictum, id ibi etiam sit supplicium; ubi venenum, ibi & pharmacum; ubi contagium, ibi & antidotum.

Dan. cap. 4. v. 28. & 30.

Observant Chronologi quod eodem die quo in Scotiâ Pelagius, in Africâ natus sit Augustinus, qui Pelagium & asseclas acerrimè oppugnavit. Sic eo tempore quo Pelagianorum & Manichæorum tenebræ orbem involvebant Deus Ambrosium & Augustinum duo Ecclesiæ lumina candelabro infixit, ut errantibus facem præluceret. Ita providentia divina beatum Cyrillum Nestorio, beatum Hieronymum Joviniano, beatum Athanasium, beatum Basilium, utrumque Gregorium in oriente, beatum Silvestrum, beatum Martinum, beatum Hilarium in occidente opposuit Arrio, qui magnam Regum, principum ac Præsulum partem laqueis suis irretiit. Ita sanctissimos viros Dominicum & Franciscum in Albigensium hæresin armavit. Ubi venenum ibi pharmacum; ubi delictum ibi & supplicium; nec ulla noxa sine suâ pœnâ est. Ita Deus pœnas sumpsit de Judæis per Nabuchodonosorem, de Nabuchodonosore verò per Darium regem. Alter alterius est castigator, ita constituente divinâ Justitiâ. Hæc Balthasarem regem, in eâdem horâ, in ipso hilaris insaniæ momento citavit ad subeundum judicium, & velut hospes tabellæ nigræ solvendam symbolam inscripsit. Hæc Dei Justitia nec punctulo, sed nec momento unico aberrat: subitò adest, & à reo repetit pœnas. Hoc est quod optimi quique sanctissimique viri assiduè metuebant. Semper in oculis erat actionis dies, accuratissima judicii ratio, strictissima judicis sententia. De ipso Jobus: *Verebar,* inquit, *omnia opera mea, sciens quòd non parceres delinquenti.* Quisque sibi ipse dicat: Attende, suo tempore, & forsan brevî cernes & tu scribentis manum, quæ scriptura est contra te amaritudines, & consumet te peccatis adolescentiæ tuæ. Si repentè interroget, *quid respondebis ei?* Quod scribi non vis, ne cogita, ne loquere, ne fac. Quidquid enim cogitas, quidquid dicis ac facis, refertur in rationes, ad oculos examinatur. In omnibus igitur Dei justitiam agnosce ac verere. Disce justitiam vel centies vel millies monitus. *Iudicia Dei, abyssus multa. Plurima illius opera sunt in absconsis, sed opera justitiæ ejus quis enuntiabit, aut quis sustinebit.*

Vide tomum 7. Augustin. & in eo libros duos contra Pelagianos, & alibi complura contra eosdem.

Iob cap. 9. vers. 28.

Idem c. 13. vers. 26.

Idem cap. 9. vers. 12.

Psal. 35. v. 7. Eccli. c. 16. vers. 22.

CAPUT XVI.

Daniel in Balthasarem regem acerrimè perorans illud ei singulariter in os objicit: Cùm scires hæc omnia.

COnsilio reginæ accersitus ad turbatissimum convivium Daniel, non ut unà poculis certaret, aut choreas duceret, aut lusibus vacaret (hilaritas jam omnis expirarat) sed ut ignotum epistolium ad parietem fixum legeret & exponeret. Legit, exposuit, ut sequenti capite dicemus, sed in antecessum horribili dictione ad mensam peroravit. Quid enimverò gravius aut horribilius dici potuisset, quàm quod Daniel in os regi objiciens: *Tu quoque filius ejus Balthasar,* ajebat, *non humiliasti cor tuum, cùm scires hæc omnia, sed adversùs dominatorem cæli elevatus es.*

Dan. cap. 5. v. 22. & 23.

Lixivium pro capite regio sanè acerrimum; peroratio ad mensam ingratissima, quam non solus rex in suo conclavi, sed omnis Aula, & mille invitati convivæ audierunt. In religiosis familiis amarissimum erudiendi genus est publicè ac coram omnibus unum aliquem reprehendere, omnes ei nævos, & quidquid de ipso vitiositatis scitur, sub ipsius & omnium oculos in apertum exponere. Idem hîc Balthasari regi fuerat tolerandum. Hanc Danielis concionem & in regis vitia invectivam hoc caput ordine, illa præcipuè Danielis verba (*Cùm scires hæc omnia*) explicabit, unde pateat quid error, quid studium; quid hallucinari aliquid, & quid datâ operâ sit delinquere.

Danielis peroratio nis triplex caput:

§. I.

1. Res gestæ Nabuchodonosoris. *Dan. cap. 5. v. 18. ad 22.*

PRimum perorationis caput, res gestæ Nabuchodonosoris. Sic enim exorsus Daniel: *O rex*, inquit, *Deus altissimus regnum & magnificentiam, gloriam & honorem dedit Nabuchodonosori patri tuo. Et propter magnificentiam quam dederat ei, universi populi, tribus & linguæ tremebant & metuebant eum. Quos volebat, interficiebat; & quos volebat, percutiebat; & quos volebat, exaltabat; & quos volebat, humiliabat. Quando autem elevatum est cor ejus, & spiritus illius obfirmatus est ad superbiam, depositus est de solio regni sui, & gloria ejus ablata est: & à filiis hominum ejectus est, sed & cor ejus cum bestiis positum est, & cum onagris erat habitatio ejus. Fœnum quoque ut bos comedebat, & rore cæli corpus ejus infectum est: donec cognosceret, quòd potestatem haberet Altissimus in regno hominum, & quemcunque voluerit suscitabit super illud.* Hæc summa rerum à Nabuchodonosore gestarum. Ex homine in feram, è rege in onagrum muratus est ob superbiam.

2. Opprobratio facta Balthasari regi. *Ibid. v. 22. & 23.*

Alterum caput tam acerbæ ad mensam perorationis: Tu quoque filius ejus Balthasar, non humiliasti cor tuum, *Cùm scires hæc omnia: sed adversus dominatorem cæli elevatus es, & vasa domûs ejus allata sunt coram te: & tu, & optimates tui, & uxores tuæ, & concubinæ tuæ vinum bibistis in eis. Deos quoque argenteos, & aureos, & æreos, ferreos, ligneósque, & lapideos, qui non vident, neque audiunt, neque sentiunt, laudasti. Porrò Deum, qui habet flatum tuum in manu suâ, & omnes vias tuas, non glorificasti.* Illud singulariter Balthasari opprobratum: *Cùm scires hæc omnia.* Neque enim parentis sui Nabuchodonosoris commeritum supplicium, ut veterem fabellam audiit, neque ut pictam tabellam spectavit, sed rem gestam suis ipse oculis hausit, nec tamen superbos mores emendavit, *sed adversus dominatorem cæli elevatus est.* Superbia vitiorum omnium matrix. Quod verissimè Tobias asserens: *In ipsâ*, inquit, *initium sumpsit omnis perditio.* *Tob cap. 4. vers. 14.*

3. Divinũ imperium, impietas & peccata. *Dan. cap. 5. vers. 24.*

Tertium dictæ perorationis caput: *Idcirco ab eo missus est articulus manûs, qui scripsit hoc quod exaratum est.* Non vana fuit, quòd probè noris, imago manûs scribentis, nec inane oculorum ludibrium. Huc eam manum is misit, qui perscrutatur animos, qui cogitationes latentissimas penetrat cæli Dominus, quem tu variè inhonorasti. Idcirco istud ad te misit epistolium, quod ipse scripsit, qui non aureus, nec argenteus, nec æreus, nec ferreus, nec saxeus, nec ligneus, sed verus est Deus, qui mortificat, & vivificat; qui deducit ad inferos, & si quidem ipsi placet, reducit. Te igitur hæc scriptura petit, tibi divinum nuntiat imperium. Porrò scripturæ hujus caussa impietas & peccata tua. Cùm scires hæc omnia, te tamen ad frugem non correxisti, nec vitiis inolitis emersisti. Diu satis expectavit longanimis Deus, pepercit & indulsit, sed quia emendatio secuta est nulla, tandem judicium factum, caussa cognita, sententia dicta, decretum irrevocabile prolatum est. Justitia & illius comes pœna sunt proxima. In foribus est supplicium.

Quàm animosa hæc fuit denuntiatio, quàm libera reprehensio! Daniel cogitaverit utique: Rex iste furiosi capitis est, si illi tam acerba, tam tristia coram tot aliis in os objiciam, extemplo me concidi gladiis jubebit. Nil horum veritus orator Daniel. Quod dicendum erat, dixit liberrimè. Nihilominus, quod longè mirissimum, purpuram, torquem auream, & dignitatem à rege tertiam obtinuit, in præmium explicationis tam inamœnæ. *Tunc jubente rege indutus est Daniel purpurâ, & circumdata est torques aurea collo ejus, & prædicatum est de eo, quòd haberet potestatem tertius in regno.* Quî tandem fieri hoc potuit? quomodo Danielem non statim per fenestras præcipitari jussit rex ebrius? Latuit hîc aliquid superbiolæ politicæ, nec malæ. Promissa sua Balthasar inania esse noluit. Regum fides nunquam non sancta est habita. Deinde Deus obstitit, ne quid maligni fieret adversus Danielem. Qui Deum faventem habet, obstaculum *Ibid. v. 29.*

A omne securus penetrat. Divinus favor Danielis animum erexit, hinc animosissimè regi ausus occentare istud: *Cùm scires hæc omnia*, non tamen resipiscere in animum induxisti.

§. II.

HOc ipsum, *Hæc talia sciviſſe omnia*, plurimorum caussas ad Christi tribunal reddet afflictissimas. Christianorum plurimi vel eo potissimùm nomine rei sunt, quod facienda sciant & non faciant. Omnes catechismi præceptiones exactè norunt; Decalogum intelligunt, septem capitalia peccata, totidémque Miseri-cordiæ opera. Quatuor hominis novissima, & quidquid hujus est doctrinæ, probè callent; Patientiæ præcepta, Castimoniæ leges, obedientiæ jura non nesciunt, sed mores illis attemperare nolunt: Cúmque sciant hæc omnia, longè plus ab iis exigitur, quàm à rudioribus, qui vel ista nesciunt, vel minus explicatè sciunt. Scire quid faciendo sint & facere die quid reddet rimos. flictissimos.

Maxima sanè differentia est, Error & Studium; invitum labi, & volentem cadere; error subrepit; error ignorantiâ, fragilitate, oscitantiâ, incuriâ committitur. At verò studium est cùm datâ operâ malè agitur, cùm à sciente ac volente lex divina rumpitur. Nolunt intelligere, ut benè agant. Iniquitatem meditantur in cubili suo; assistunt omni viæ non bonæ, malitiam autem non oderunt. Ex destinato satagunt, ut improbi sint. Hoc enim secum repetunt, & dies noctésque cogitant, quibus se figmentis tueantur, quibus artificiis impetant, quos oderunt. Hanc studiosam dixeris malitiam, aut ignorantiam improbè affectatam. Quod in omnibus rebus admodum grave est. Hinc etiam sæpè in speciem parva graviter punita, ob studiosam illam, quæ miscebatur nequitiam. Sciviſſe & non feciſſe mergit navem licet argento & auro, licet mercibus pretiosissimis onustam. Sciviſſe & non feciſſe perdit hominem dotibus rarissimis ornatum. Exemplo rem monstramus. Errorisne B Studii differentia. *Psal. 35. v. 4.*

Est qui diu noctúque in omnem partem verset animum, quibus vafra mentis quàm dexterrimè astutiam instituat, sycophantiam struat, ad hunc illúmve aliquam fingat fabricam, istius aut illius famam obtrectationibus imminuat, huic aut isti notam inurat, damnum inferat. Innumera ejuscemodi quotidianus parit usus. Hæc autem valde gravia sunt, quæ imperatam à Christo charitatem acie directissimâ impugnant. Hæc illa est, quam dixi, studiosa nequitia. Qui studio quos eruore delinquat exemplo C indolitam.

Error autem ita committitur. Est qui à sociis ad sympotiolum trahitur. Ille hilariùs nec ultra sitim bibit, sed vini vim nescit, ita suaviter vino se obruit. Error est. Nollet enim hoc factum. At verò studium est nequissimum cùm vinolentus & potor matutinas preces ita concipit. Hodie in hac domo nemo non madidus sit. In hunc finem pocula disponit, famulos instruit, diversum vini genus prælibat, ut potentius seligat. Ita temulentiæ operosè præluditur. Hoc vinosorum infame studium est. Haud imparem erroris & studii differentiam in iracundis est cernere. Est qui bile commotâ iram evomat; sed eam brevî reprimit, & ad se redit, dolérque stomachatum se fuisse. Erravit. Est alius, qui excandescat, & in quosdam bacchetur, qui etsi aliquantulum ad se rediat, iram tamen retinet, eámque fremebundus vapido sub pectore coquit, & ita sciens ac volens irascitur. Hoc flagitiosum est studium. Huic homini illud Navarri & theologorum ingerimus: *Ira est peccatum mortale, si deliberatè vult vindictam notabilem.* Videte quantis intervallis Error Studiúmque differant. D

§. III.

HInc illa Jacobi Apostoli conclusio: *Scienti igitur bonum, & non facienti, peccatum est illi.* E verbis istis beatus Ephrem certam assertionem hanc deducens: *Si scienti bonum*, inquit, *& non facienti peccatum est illi, Ephrem de multò magis malum scienti, & illud facienti peccatum erit.* Quæ suo quoque calculo firmans Bernardus: *An non*, inquit, *Jac. cap. 4. vers. 17.* de gemin.

Bernard. serm. 36. in Cant. mihi pag. 886. Luc. cap. 12. vers. 47.

inquit, *inflationes & torsiones in conscientiâ sustinebit, qui hujusmodi est, sciens videlicet bonum & non faciens? An non responsum mortis & damnationis in semetipso habebit, quoties in mentem venerit sermo quem dixit Deus, quia servus sciens voluntatem Domini sui, & non faciens digna, vapulabit multis.* Hæc eadem Deus per Isaiam graviter inculcans: Isaiæ c. 40. vers. 21. *Nunquid non scitis?* inquit, *nunquid non annuntiatum est vobis, nunquid non intellexistis?* Subinde querimur, eadem nobis sæpius in exhortationibus & pro concione ingeri: Nempe hoc assiduè? Et quoties eadem? Ergo agite, cùm sciatis hæc omnia, cùm ista decies, cùm centies ac sæpius audita, cur nihilominus contrarium facere non erubescitis? Sobrietatis, Temperantiæ, Castitatis præcepta vel sexcenties, vel millies ingeruntur, interim ebrietati, crapulæ, libidini protervè sacrificatur. Atque hoc est, quod scriptoris arcani manum calamo armat, quod sententiam severam dictat, quod supplicio gravi vindicat. Scire facienda, & non facere; cavenda nosse & non cavere castigabilis est nequitia.

Luc. cap. 12. vers. 47. Luculenta sunt verba Servatoris: *Ille autem servus, qui cognovit voluntatem domini sui, & non præparavit, & non fecit secundùm voluntatem ejus, vapulabit multis.* Grandis virgarum manipulus expectat eum, qui non errore, sed studio in domini voluntatem delinquit; multis vapulabit. Cùm ergo sciamus hæc omnia, quæ & scienda & facienda sunt; cùm divinæ voluntatis arcanum satis habeamus perspectum, ita suos quisque mores formet, ne illa formidandi scriptoris manus contra nos scribat amaritudines. Deum, qui habet flatum nostrum in manu suâ, in omnibus extollamus & veneremur. Ille diligentes se diligit, & quicumque glorificaverit eum, honorificabitur.

Prov. cap. 8. vers. 17. 1. Reg. cap. 2. vers. 30.

CAPVT XVII.

Daniel tres voculas arcanissimæ scripturæ explicat.

PRæmissâ jam invectivâ in Balthasarem acerrimâ, Daniel ad ipsam sese lectionem & expositionem convertens: Dan. cap. 5. vers. 25. *Hæc est autem scriptura*, inquit, *quæ digesta est: Mane, Tekel, Phares.* Tres voculæ, sed sensu fecundæ, mysteriis plenæ. Aliorum nullus, præter unum unicum Danielem has voces novit legere, nam aut sine punctis consonantes, aut litteræ fuerunt capitales, sola vocum principia. Uti est tritissimum illud S. P. Q. R. *a* Ita Protoplasti nomen quatuor litterularum ADAM, quatuor Orbis partes designat. *b* Tale fuit Rudolphi II. Imperatoris notissimum ADSIT. *c* Æsopus deformis sed ingeniosus ac sapiens fabulator in ædibus semirutis conspicatus est columnam, cui septeni characteres Græci fuerant inciſi. Hic suum ille ingenium exercere, voces suppressas indagare, latentes sensus rimari, omnia explorare ac tentare, nec priùs quiescere quàm verba reperisset penitus abstrusa. Certè reperit feliciter, & ita demum pronuntiavit: Χοπβὰς βήματα πασαρρούξας, ὠρύσεις θησαυρὸν χρυσίου. *d* Non rarò satis est sapienti vel solùm initia vocum posse cernere; Ita solers indagator totas demum voces in lucem eruit.

a Senatus, Populusque Romanus. b ἀρχαὶ, Orbis, Oriens; Occasus; ἄρκτος, Septentrio; μεσημβρία, Meridies. c Adjuvante Deo superabo Imperatorem Turcarum. d Defendit; quatuor passus fodiendo, invenies thesaurum auri. Inventus est. Sic fertur.

Sapientissimus arcanorum interpres Daniel è tribus tantùm voculis, quas legit, utilissimam struxit dissertationem. Hæc porrò manus, quæ mysteria illa parieti appinxit, divinæ justitiæ monstrat bilancem, quâ minima, maxima, quâ vel ipsi atomi, vel ipse aër & ventus, vel ipsæ cogitationes & spiritus ponderantur. Nos terna hæc vocabula *Mane, Tekel, Phares*, eò exponemus, ut, quam diximus, justitiæ supremæ libram assiduè in oculis feramus.

Dan. cap. 5. vers. 26. Explicatio vocis Mane.

§. I.

MAne, Numeravit Deus regnum tuum & complevit illud. Chaldæum idioma voces illas geminat *Mane*, seu, *Numeravit, Numeravit*. Idiomatis Hebræi est, Numerando numeravit, hoc est, exactissimè ad calculum usque minutissimum, ad usque pulvisculum numeravit. Talis támque peritus Arithmeticus est Deus; non errat numerando, nec errare potest. In suarum rationum libro perscriptum habet, quot capite capillos quivis hominum feret: *Omnes numerati sunt.* Hic Arithmeticus omnes pluviarum stillas, omnes oceani guttulas, omnia arenæ granula, omnia arborum folia, omnia terræ gramina, omnia temporis momenta & puncta dinumeravit, nec unico halucinatus. Hic ipse Arithmetices magister, qui nec falli potest nec fallere, annos imperii tui, sed & vitæ tuæ numeravit, & utrumque voluit desinere ac expirare. Age; in fine laborat decrepsydra; jam effluxit. Erat autem hic annus septuagesimus à Deo præstitutus, qui carcerem Babylonicum Hebræis panderet, & Chaldæum regnum terminaret.

Matth. c. 10. vers. 30. & Luc. cap. 12. vers. 7.

Joannes Zonaras Constantinopolitanus memorat virum primarium Antiochiæ pridiè Juliani Apostatæ occisi vigilasse noctu, oculis ad apertum cælum crebriùs elatis, ita ei objectam è stellis litterarum instar compositis scripturam hoc sensu: Hodie Julianus occiditur in Perside. Occisus est prout prædixit cælum. Dum Babylonem obsidione arctâ premeret Darius, Zopyri mula peperit, quod passim militi urbis capiendæ omen fuit: nam uti Herodotus refert, Zopyrus à cive Babylonio audiit, tum demum capiendam urbem, cùm mula pareret. Ergo Zopyrus fœdis se vulneribus conscindens & mutilans ad Babylonios transfugit, seque à Dario tam crudeliter acceptum callidè simulavit. Facilis data fides à deceptis oculis. Occasionem nactus transfuga suo regi urbem prodidit. Rem alii longè aliter narrant, quod suo loco non silebimus.

Juliani Apostatæ mors è cælo conspicitur.

Herodotus lib. 3.

Henricus Bavariæ dux nondum Imperator, dum ad beati præsulis Wolfgangi tumulum precaretur, sensit repentè præsulem coram astare juberéque, ut vicinum tumulo parietem contemplaretur, legerétque notas illic exaratas. Scriptum erat, POST SEX. * Henricus vigil oraculo territus existimavit sextum inde diem fore fatalem & vitæ ultimum, nec enim præ animi modestiâ de imperio quidquam somniabat. Ad mortem igitur & sepulchrum, non ad diadema & sceptrum se parare, curas ceteras abdicare ut superfluas, magnam pecuniæ vim in egenos partiri, & in id unum ferri, ut quàm sanctissimè vitâ decederet, re nullâ prætermissâ, quæ depositis in illo articulo esse usui posset. At ubi præceptum animo diem salvus transisset, comperendinationem scilicet eam esse credidit in totidem hebdomades, deputandumque in lucro istud benigni Numinis auctarium. Sex igitur hebdomades absque ullâ suâ noxâ, inter piam spem & metum, emensus sextum sibi mensem designatum conjecit, rursùmque per semestre in curâ mortis obeundæ fuit. Cúmque jam sextum etiam mensem sospes exegisset, sextum denique annum in expectatione mortis, ut suo ipse fato occurreret, sanctissimè consumpsit. Ita POST SEX annos religiosissimè traductos, ut sua vaticinio staret veritas, Henricus tandem rex atque Augustus à proceribus imperii pronuntiatus, prædictionem sui magistri in solidum intellexit. Scriptura felicior Henrico quàm Balthasari regi Babylonio monstrata est. Illa imperium decet, hæc abstulit, & unà vitam. Ergo *Numeravit Deus regnum tuum, & complevit illud.* Imperii & vitæ finis instat.

Fuit Henricus V. Dux Bavariæ, Henricus II. Imp. Claudus & Sanctus dictus. * Bavaria Sancta Matthæi Raderi Volum. 1. mihi p. 104. Iacobus Gretserus de SS. Bambergensibus, in vitâ S. Henrici cap. 2. P. Andreas Brunner Annalium Boior. l. 8. mihi p. 568.

§. II.

TEkel, Appensus es in statera & inventus es minus habens. Hac in re Deus ut mercator sedulus agit, qui coronatos, scutatos, philippeos, ducatos aureos ad aurariam libellam gnaviter examinat, & quemcunque deprehenderit ponderis iniquioris, rejicit. Ita Deus, ô rex, ad trutinam suæ justitiæ appendit omnes actiones, imò

Dan. cap. 5. vers. 27. Tekel.

Deus omnes actiones, cogi-

tationes ad trutinam suę justitię appendit.

omnes cogitationes tuas, verba tua omnia. In lancem unam venit superbia, libido, temulentia, injustitia; in alteram quidquid in te virtutis fuit, quod perquam exiguum moles contraria longissimè superavit: *Inventus es minus habens.* Deus cum regibus & principibus ita pacisci tur, &: Commutemus, inquit, atque argentariam faciamus. Ego vobis dignitates, potentiam, populos, gloriam, & terras dabo; Vos mihi virtutes regias, religionem & justitiam reddite. Rex Balthasar diadema, divitias, magnificentiam & imperium amplissimum à Deo habuit, virtutis aut bonæ actionis vix quidquam reddidit; Inventus est minus habens. Idcirco libripens æquissimus pronuntiavit: Rex Balthasar & vitam & regnum perdidit, neutro bene usus. Talentorum à Deo plurimum accepit, vix quidquam Deo dignum rependit. Verissimè Theodoretus dixit: Nil rerum est uspiam quod Deus non multò quàm exactissimâ perlibratione ponderarit. Nullus aurifex ramenta & scobem auream, nullus pharmacopola medicam potiunculam ullam examinat ad libellam tam gracilem & certam, quàm Deus universa quæ facit. Inter pharmacopolæ pondera minimum est piperis granum, Deus vel minimam grani partem in trutinam mittit, qui *omnia in mensurâ & numero, & pondere disponit.* Homo actiones, quæ oculis sunt expositæ, considerat, Deus voluntatem ipsam, cogitationes intimas, affectus latentissimos, suspiciones abstrusissimas, animum & intentiones universas, amores & cupiditates subtilissimas ad staterem suam examinat, neque tam attendit *quantum*, quàm *ex quanto.* Certè Deus admirabilis est libripens, qui aërem & ignem, qui ventum & spiritum, qui animi sensa & desideria explorat ad trutinam. Apud Deum nullius ponderis est, quod cum virtute conjunctum non est. Hinc Balthasar rex cum omni magnificentiâ & gloriâ, cum thesauris omnibus totóque regno in divinam lancem compositus nihil habuit ponderis, quia nihil habuit virtutis; Inventus est minus habens.

Sap. cap. 11. vers. 21.

Ioan. Turpinus Rhemensis Archiepisc. in vitâ Caroli Magni c. 32. Henrici Imper. res gestæ 28.

Hæc divinæ justitiæ libra Petrum Telonarium ad sanctiorem vitam perduxit, cùm vidisset nocte secundùm quietem suas omnes noxas in lance unâ, in alterâ verò panem reponi unicum, quem ex indignatione mendiculo projecisset. Ita Carolus Magnus, ita Henricus Imperator, ita & alii, sub vitæ finem in staterâ memorantur appensi. Quisquis es, hoc jam unicè age, tuisque actionibus quantum potes adde ponderis, ne cogaris illud audire: Inventus es minus habens.

§. III.

Dan. cap. 5. vers. 28. Phares.

Phares. Divisum est regnum tuum, & datum est Medis & Persis. Darius & Cyrus hostes tui à te contempti regiam opulentiam tuam dividunt. Ita scriptura hæc omnis tribus voculis comprehenditur: *Numeravit, Appendit, Divisit.* Hæc omnium animis summâ cum curâ & diligentiâ cupio inscripta. Nobis omnibus, quotquot vivimus, hoc judicium erit subeundum; hoc trium vocularum epistolium ad superstites nos omnes missum est.

Hoc trium vocularum epistolium ad omnes homines missũ est.

1. Numeravit.

Iob cap. 14. vers. 5. Matth. c. 3. vers. 10. Sap. cap. 16. v. 13. & 15.

I. Numeravit Deus singulorum non annos solùm & menses, nec hebdomades tantùm & dies, sed horas & quadrantes, omnia vivendi puncta & momenta à primo ad ultimum. Nimirum quod dixit Jobus: *Constituit terminos ejus, qui præteriri non poterunt.* Ita mors certa nobis indicitur. *Iam securis ad radicem arborum posita est. Tu es enim Domine qui vitæ & mortis habes potestatem, & deducis ad portas mortis, & reducis. Sed tuam manum effugere impossibile est.*

2. Appenderet.

II. Appendet; vox ista tribunal & judicium nobis denuntiat fugiendum. Nos, nostráque omnia promerita & delicta ad divinæ justitiæ libram appendentur. Tribunal Christi summum, inevitabile. Comparendum est, velimus nolimus, comparendum; causa pro capite, pro æternitate dicenda. Nec Cæsares ulli, nec Pontifices hîc eximii. Annuant, abnuant, comperendinent, differant, cùm Deo visum, in jus rapiuntur, nullius nomen de reis hîc eximitur. Væ misero, qui causâ ceciderit. Quanta nunc ubique facinora tenebris sepeliuntur, ad nullum tribunal Cæsareum satis probanda: supremum in lucem eruet universa. Nihil dissimulabitur, nemini parcetur. Pondus & statera judicia Domini, ad omnes æquitatis leges, & usque ad novissimum quadrantem usquequaque exactissima. Judicabimur, appendemur omnes.

3. Dividet.

III. Dividet; Cùm quis diem ultimum obit, hæredes bona, cadaver vermes partiuntur; animus ubi est? Hîc sanè metuenda divisio ac separatio longa nimis. *Separabit enim eos ab invicem sicut pastor segregat oves ab hœdis.* Quisquis inventus fuerit minùs habens, societate beatorum excludetur; nullus ampliùs pœnitentiæ locus; res & spes omnis decollavit: actum est. Divisi sunt; Chaos magnum inter illos & istos firmatum.

Matth. 25. vers. 32.

Audite igitur superbi & invidi, audite ebriosi ac libidinosi. Attendite accusationem, reddite rationem, accipite judicium. Deus Numeravit, Appendit, Divisit. Mors certissima; non minùs certum est judicium. Vos vestros jam mores inspicite, ne à morte ac judicio, amarissima sequatur divisio. Vos jam ad pocula totos pænè dies, totas sæpe noctes persedetis læti, futurarum rerum securi, oblivioso Massico & risu æternitatem sepelitis. Sed nunquid scriptitantem manum illam non cernitis, jam movet digitos, jam scribit, brevi suam finiet scripturam. Deus ab æternis sæculis suum moriendi diem, horam, momentum cuivis hominum præfiniit; constituit terminos non prætereundos. Fortasse hæc ipsa dies, aut hæc ipsa est hora, quâ nostro sistamur judici; fortassis in hoc ipso, quod committimus, peccato, in hac ipsâ forsan, quam non cavemus, ebrietate rapiemur ad tribunal. *Numeravit* Deus & *Appendit.* Sciviſse hæc omnia & non feciſſe mille sunt plumbi centumpondia, quæ nullam navim non mergant. Vetus dictum illud: Mors omnium terribilissimum; ridere tutò possumus & explodere. Mors jocus est, & optandus miseriarum finis: At verò, quod mortem sequitur, Judicium & Divisio inter formidabilia prorsus omnia, serió, summéque formidanda. Mori non adeò *horrendum*, sed Judicari & *incidere in manus Dei viventis.* Appendi, & Dividi, hoc sanè omnium formidolosissimum; hoc metum & pavorem omnibus incutiat. Nunc igitur, nunc unum istud unicè satagamus, ne in nobis judicandis minus quàm oportet Humilitatis & Sobrietatis, minus miserationis & stipis, minus patientiæ ac mansuetudinis, minus castimoniæ ac puritatis inveniatur. Dei trutina non errat. *Iudicia Domini, pondus & statera.* Hæc libra Justitiæ divinæ semper obversetur oculis cum hac cogitatione: Mea omnia, cogitata, dicta, facta ponderabit libripens æquissimus. Nunc illa igitur amore Christiano, religioso spiritu, fervore sancto, intentione rectissimâ faciam ponderosa. Ne, cùm appensus fuero in staterâ, minus habens inveniar.

Bonil. de libero pugn. Lori mus. de Temerand. Deo fii.

Mors est optandus miseriarũ finis: Hebr. c. 10. vers. 31. Appendi & dividi omnium formidolosissimũ. Prov. c. 16. vers. 11.

CAPVT XVIII.

Daniel satraparum invidiâ exagitatur. Invidia quàm oculatum, subtile, ferox sit malum.

DArius occupatâ Babylone, & Chaldæo imperio Medis & Persis subjecto, facilè deprehendit, quantus vir esset Daniel, quàm peritus rerum, quàm fidelis obsequio. Eum ita secum duxit in Mediam, & centum viginti satrapis, seu, principibus, totidémque principatibus præfecit. Nam Daniel Triumvirorum unus & quidem primus, verbo, Rex fuit. Darius ei fidebat in omnibus. Cùm enim rex annum ageret sexagesimum

simum secundum, quod sacra pagina testatur, ut *non sustineret molestiam*, gubernationem totam omnium rerum Danieli committens: Regem, age, inquiebat, & rem bene administra. Hoc apud omnes principes & satrapas incredibilem movit invidiam: hominem externum, alienigenam, Judæum, imò & captivum sibi præferri. Res invidiæ fuit plenissima. Hinc nullam quietis partem cupiebant, dum variis machinationibus modisque omnibus id unum efficerent, ut Danielem principem in leonum lacum specioso nomine dejicerent. Dejectus est. Eò præpolluit Invidia. Non immeritò dixit Augustinus: *Duobus malis, Superbiæ, & Invidentiæ diabolus præest.* Utique malis omnibus præest, sed singularissimè illis geminis malis. De Invidiâ differere non magnæ artis est, semper enim vel copiosissimè dicenti superest quod dicat. Hoc capite id solùm persequar quod res præsens postulat. Quàm igitur subtile, quàm oculatum, quàm crudele, quàm noxium sit vitium Invidia, nunc explicandum.

Dan. cap. 6. vers. 2. Darius gubernationē omnium regnorum Danieli committit, inde in eum invidia exoritur.

Aug. tom. 6. Lib. Virginitate c. 30. mihi p. 344.

Invidiæ elogia, & nocumēta.

§. I.

I. INvidia oculis plena, oculatissima, quin etiam oculea tota, imò merus oculus, qui omnia altero tanto grandiora sunt, quàm in se sint. Sunt fabri oculorii, quibus frequens & quotidianum, specilla ita polire, ut cernenti sint omnia triplo vel quadruplo majora. En hîc Invidiam, quàm polire possit & comere, quàm insigniter norit amplificare, & muscam ad elephanti molem extollere. Accusant satrapæ Danielem, quòd in edictum regium gravissimè deliquerit. Unde hoc rescierunt? quomodo eis hoc constare potuit? aut quomodo ausi laudibus insontis maledicere? Invidia, ut diximus, est oculatissima. Et primò quidem satrapæ curiosiùs in Danielem indagantes multa è domesticis illius elicere sciscitando, aut ipsimet domesticas consuetudines observando cognoscere potuerunt. Deinde hominem externum, alienigenam, & etiámnum pæne hospitem principibus indigenis proponi visum ipsis intolerabile. Tertiò, non exterum tantùm, sed & captivum de filiis captivitatis Judæ, inter Triumvitos esse principem, suam interpretati sunt ignominiam & dedecus. Quartò, Judæi apud omnes nationes exosissimi. Quintò, non semel tantùm, inquiunt, perfregit legem, sed eandem culpam iterum, iterúmque committens contra regium mandatum, *tribus temporibus orat per diem obsecratione suâ*, & quidem flexis genibus ritu Hebræo; & quod amplius, fenestris patulis Hierosolymam versus, quasi bos alienus foràs prospectans. Sextò, Contemptus, ajunt, hic maximus: *Non curavit de lege tuâ, & edicto quod constituisti.* En crimen læsæ Majestatis. Nunquid non hoc est comere, & magnificare culpam sine omni culpâ commissam? Ita nimirum perspicacissima Invidia omnia triplo quadruplóque grandiora, quàm sint solet reddere. Imò hæc Danielis accusatio è figmentis & mendaciis erat consarcinata. Oravit Daniel, sed neutiquam eo animo ut regias leges sperneret. Invidia nimis quàm oculata.

1. Invidia est oculis plena.

Causæ cur satrapæ & alii principes invidebant Danieli.

Dan. cap. 6. vers. 13.

Ibid.

II. Invidia vitium subtilissimum. Hîc civili suavitate actum, ne primâ statim fronte invidorum pateret nequitia. Decretum satrapæ impetrarunt, decretum impium, crudele, nimis quàm barbarum. Occasio rei hæc fuit. Ubi Darius victoriam illustrissimam Babylone captâ obtinuit, totúmque Chaldæorum regnum potestati suæ subjecit, mox adfuerunt blandi principes, qui humanæ superbiæ facilè persuaserunt, regem Darium inter homines agere ut Deum, non minùs certè quàm Nabuchodonosorem, aut Balthasarem, victos reges. Atqui necessarium ut aliquanto saltem tempore divinitas hæc innotescat. Hoc molitionis nequissimæ fundamentum. Decretum inde scriptum, ne quisquam ab ullo vel hominum vel Deorum intra dies triginta quidquam petat præterquam à solo rege, ut magnus iste in terrâ

2. Invidia vitium est subtilissimum.

A Deus in suorum saltem notitiam perveniat. Non adeò displicuit Dario hæc satraparum pro se sollicitudo. Quid enim novi superbia in homine idololatrâ? Neque verò solus fuit Darius qui haberi voluit Deus. Idem Alexander Macedo, idem Domitianus & Commodus, idem alii complures affectarunt. En Livor & Ambitio, sive, Invidia & Superbia principes inferorum furiæ, germanæ diaboli filiæ, quò malorum non sint progressæ? Viri potentes ac prudentes, magni principes, ab invidiâ excæcati turpissimè contra omne jus fasque, contra ipsam rationem decretum scribunt absurdissimum. Quomodo enim ægrotus reparandæ valetudini non medicum sed regem invocet? quomodo agricola impetrandis pluviis non cælo supplicet, sed regi? quomodo viator restinguendæ siti à rege absente frigidum laticem non à præsente hospite petat? Rex tamen humilitatis parum gnarus ita expedire credidit, ratus satrapas suos non nescire quid regno utile, quid subditorum vires ferant,
B quid recusent. Subtile toxicum invidia.

Darius nō fuit solus, qui voluit haberi Deus.

§. II.

III. INvidia ferocior omni bestiâ. Quod ex unâ hac historiâ perquam luculentum. Rex venenum invidiæ subodoratus, cum suis satrapis die solido altercatus, *pro Daniele posuit cor ut liberaret eum.* At principes Danielis hostes cùm regis animum conatúsque perspicerent, velut manu factâ simul omnes aggressi regem, & pæne contra eum tumultuati: *Scito rex,* ajunt, *quia lex Medorum atque Persarum est, ut omne decretum quod constituerit rex, non liceat immutari.* Ita rex vel invitus assensum præbens, & Danielem ad supplicium tolerandum animans: *Deus tuus,* inquit, *quem colis semper, ipse liberabit te.* Nec sese comitem negavit Danieli ad leonum cavum tendenti. Innocentissimo reo ad leones dejecto, allatum est saxum & supremæ foveæ impositum, quod rex tam suo quàm optimatum suorum annulo
C obsignavit. Quid opus, obsecro, tot signis saxo appressis? Non avolabit Daniel è fovea tam profundâ; capitales illius hostes scalas non porrigent? sat insuper custodum habet tot impastos leones. Sed aliud hîc latet mysterii. Rex Darius satrapis non fidebat: cùm enim insontem crederet Danielem, leones illi parsuros speravit, sed unà etiam prudenter timuit; ita ratiocinatus: Si ei parcant belluæ, tot invidi & capitales inimici neutiquam parcent; aut enim illum extrahent occisuri, aut infra jacentem lapidibus obruent, aut certè configent telis. Danielem non lædendum credidit, accusatoribus autem minimè fidendum judicavit, ideo supremum os barathri obsignavit suo annulo, *Ne quid fieret contra Danielem.* Ne verò ulla de se oriretur suspicio, quasi Danielem clam liberasset, suorum etiam optimatum annulo fidem loci voluit adstruere. En, pepercerunt feræ,
non pepercerunt homines, non pepercit Invidia. Homo homini lupus. *Ab homine homini quotidianum periculum.*
D Interrogatus Anacharsides Scytha: Quid hominibus maximè infestum esset? Ipsi, ait, sibi ipsis. Nec invidia humana ulli parcit. Invidia ferocior omni bestiâ. *Alius alium,* inquit Sapientia, *per invidiam occidit.* Invidia justum Abelem latrocinio fratris sustulit; Invidia castissimum Joseph in cisternam dejecit; Invidia sanctum David regi Saul exosissimum fecit; Invidia insontem Danielem leonibus objecit; Invidia Christum Dei filium in crucem egit. De Pilato clarè Matthæus: *Sciebat enim, quòd per invidiam tradidissent eum.* Invidia ferocior omni bestiâ. *Væ igitur illis, qui in viam Cain abjerunt.*

3. Invidia ferocior omni bestiâ. *Dan. cap. 6. vers. 14.* *Ibid. v. 15.* *Ibid. v. 17.* Darii de Daniele cura.

Ibid.

Nota in Plauto paramia. Sen. ep 103. mihi p. 624.

Sap. cap. 14. vers. 24.

Matt. c. 27. vers. 18.

Iudæ Apostoli Catholica v. 11.

De Invidis ergo verissimè Chrysostomus: *Invidi,* ait, *pejores feris, dæmonibus autem pares, fortè verò pejores & istis: Propterea omni venia caret istud peccatum.* Quid enim tibi decedit, quòd alteri plus doctrinæ, plus opum, plus honoris & gratiæ sit? Quid ergo Invide suspiras? propriúmne malum, an alienum bonum? Homo impurus

Chryſ. to. 5. hom. 44. ad pop. mihi pag. 264.

libidine contaminatus tentationes carnis, & vim insitæ cupiditatis, fur pauperiem, homicida furorem vitiositati suæ obtendit, alii aliis nominibus suas prærexunt culpas. *Tu verò inquit*, ait Chrysostomus, *quam dices causam, rogo? Nullam penitus, nisi tantùm intensam nequitiam.* *Chrysost. tomo eod. homil. 44. mihi p. 265.* *Sicut furentes sæpenumerò gladios in se convertunt, itidem & invidi, solam invisi perniciem intuentes, propriam negligunt salutem, feris etiam pejores. Invidia homicidii mater est. Sive miserearis, sive vigiles omnium es sceleratissimus, cùm invideas fratri, & hoc illinò est manifestum. Quidam olim apud Corinthios fornicatus est, sed accusatus fuit, & brevi correctus. Abeli Cain invidit, sed sanatus non est, quin & Deo statim ipsius ulceri curam afferente, magis intumescebat & fluctuabat, & ad cædem properabat. Ita hoc vitium illo pejus est nec medicinæ, quamcunque adhibuerimus, facilè cedit. Quod scientes hujus quæso vitii pestem fugiamus, & totis viribus ex nostris relegemus animis. Omnium enim vitiorum perniciosissimum est, &* Invidia est omnium vitiorum perniciosissimum & diaboli inventum. *ipsam salutem nostram super omnia vastat. Improbè namque diaboli est inventum.* Hoc autem verè Invidia est, ut diximus, dolor ex alieno bono, ex alieno malo gaudium. Hæc labes per orbem vulgatissima. Sunt duo famuli, aut famulæ duæ in eâdem domo, quarum una florenos septem, sex habet altera; illam humaniùs hera, quàm istam alloquitur, mox livor & invidia se prodit. Hæc tabes omnem sexum, ætatem, ordines, opulentos, pauperes, adultos, juvenes invadit. Apostolos ipsos turbavit hæc Avernalis furia. Cùm enim Zebedæa mater supplicem libellum Christo porrigeret, peterétque proximum regali solio consessum. *Audientes decem*, ait Marcus, *cœperunt indignari de Jacobo & Ioanne.* Daniel vix in Mediam pervenit, mox eum aliena Invidentia è solio in leonum voraginem excussit. *Marci c. 10. vers. 41.*

En, obsecro, quàm verum sit vetus illud: Invidia in aulis nascitur, in cœnobiis educatur, in xenodochiis moritur, ubique locorum identidem renascitur malum pæne inexpugnabile, & prorsus Acherontiacum. Supremo Christus ad suos sermone: *In hoc*, inquit, *cognoscent omnes, quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem.* Diabolus Christi simius: In hoc ait, cognoscent omnes, quia filii mei estis, si invidiam habueritis ad invicem. Quòd verò cacodæmon dies noctésque adeò nos insectetur & impugnet, meridiana est invidia; cælum ille invidet lupo, unde projectum cecidit aurum. Haud aliter progenies ipsius & patrissantes filioli, ubi vel suspicantur tantùm auctiores aliorum fortunas, mox invidiâ tabescunt. *Ioan. cap. 13. vers. 35.* Dilectio est signum discipulorũ Christi; Diaboli verò Invidia.

§. III.

ERuditè Calpurnius Flaccus: *Sic est*, inquit, *livoris ingenium: Omnia suspicantur, qui nihil audiunt.* Hæc lues multò quàm pestilentissima sit necesse, quam omnes prisci Patres, omnes sacræ paginæ tam crebrò tam efflictim monent cavendam. Ex omni tamen scriptorum numero, meo quidem sensu, nec breviùs quisquam, nec significantiùs dixit quàm Alanus Siculus orator & poëta eximius, qui de Invidiâ differens: *Invidiâ*, inquit, *quod monstrosius monstrum, quod damnosius damnum? quæ culpabilior culpa, quæ pœnalior pœna? Hæc est erroneæ cæcitatis abyssus, humanæ mentis infernus.* Verè ac propriè de re pessimâ. Cavete, Christiani, toxicum letalissimum Invidiam. Peccatum prorsus grande, atque, ut Chrysostomus sentit, inexcusabile, in Dei leges, præcipuè in charitatem acie directâ pugnans, divinum spiritum, illiúsque gratiam oppugnans, tanquam si Deus in dividendis muneribus suis errasset. Ubi Invidia, ibi nihil Christianæ Charitatis, aut Humilitatis est. *Vbi zelus & contentio, ibi inconstantia, & omne opus pravum.* Pro humilitate hîc superbia, pro charitate cupiditas imperat & avaritia. Nec errant veteres senarii. *Calp. Flac. declamat. 22. fine.* *Alan. Sic. de planctu Naturæ.* Invidia in Dei leges & in charitatem pugnat. *Iac. cap. 3. vers. 16.*

Invidia morbus omnium gravissimus:
Felicitas summa, invidere nemini.

Beatus planè ac felix qui sincero pectore, qui linguâ non fucatâ de seipso potest pronuntiare: Ego nemini non honestissimè maximéque cupio, ego bene omnibus volo, idque ex animo, omnium ego honori, opibus ac fortunis faveo. A

Nec grande tantùm Invidia peccatum, sed & grave damnum est invido, Valetudini & Famæ exitiosissimum: nec enim tantùm nomen præclarum inficit, sed & vires atterit atque cor exedit; mali & coloris & nominis est invidus, qui nemini studet, qui apud omnes flagrat infamiâ, qui nullius favet fortunæ. Verissimè dixit Chrysostomus: *Sola sibi nocet Invidia.* Quam Chrysostomi assertionem nervosissimo dicto Salomon confirmat: *Putredo ossium Invidia.* Hæc adeò malè afficit corpus, ut ipsa etiam ossa, quæ dura sunt & solida, tabefaciat. *Ipso*, ait Basilius, *fatentur ore hoc vitium Invidi: aspectus est illis aridus, gena subtristis & cava, supercilium demissum.* Revera, Invidia grave damnum invido. *Prov. c. 12. vers. 4.* *Basil. hom. de Invidiâ.*

Livor tabificum malis venenum,
Intactis vorat ossibus medullas
Et totum bibit artubus cruorem. *Inter Martialis epigr.*

Cui Venusinus vates accinit, suis Invidiam coloribus expingens: B

Invidus alterius macrescit rebus opimis,
Invidia Siculi non invenêre tyranni
Tormentum maius. ——— *Horat. lib. 1. epist. ep. 2. ad Lollium.*

Suo calculo idem confirmant sacri scriptores. Gregorius Nyssenus: *Invidia*, inquit, *malorum princeps, mortis mater, prima peccati janua, vitiorum radix, doloris initium, calamitatis parens, inobedientiæ causa, ignominiæ principium, mortifer stimulus, mucro reconditus, naturæ morbus, bilis venenosa, tabes sponte adhibita, telum amarum, figens animam clavus, flamma cordis, intestinorum ignis. Hanc qui habet, non suis malis, sed alienis bonis infelix est. Similis est invidus imilvis, quos cadaveribus pasci, & pretiosis unguentis emori dicunt.* Imago Invidi Basiliscus, qui, Solino teste, C serpens exitialissimus, in funera terrarum natus, solo aspectu auras inficit, plantas urit, animalia perimit, ipsa saxa dissolvit; si tamen in seipsum contueatur, halitu in sese percusso, suis necatur spiculis. Ita invidus, qui maledicas voces & ignes venenatos in insontem ejaculatur suo se ferit gladio, suis configitur sagittis. Invideri & invidere cognata mala sunt: sed invidere longè majus est malum: invideri enim virtutis est, invidere sceleris & furoris. Hinc illi veteres Jambi: *Greg. Nyss. in vitâ Moysis.* Basiliscus est imago Invidiæ. Invideri est virtutis, invidere sceleris & furoris.

Parum alteri, multùm sibi invidus nocet;
Ærugo ferrum, invidia perimit invidum.

Solent pastores quercus annosas ignibus cavare, ut eo se recipiant vitandis imbribus. Ita cavatæ arbores facilè ruunt, suóque nonnunquam inquilinos opprimunt: Haud aliter ægrescente ac exeso animo non potest valere corpus. Neque verò bene mori potest, quem toties interficit invidia. *Invidiâ diaboli mors introivit in orbem.* *Sap. cap. 2. vers. 24.*

Theophylactus Alexandriæ Pontifex æmulatione D non laudabili ferebatur in Chrysostomum, quem in templo nominari non est passus. Sed vindicem sui habuit potentissimum Chrysostomus Deum. Nam Theophylactus in fatali lectulo acerbè cum morte luctatus emori non potuit, dum imago Chrysostomi afferretur: hanc religiosè veneratus, tranquillè obiit. Ita è Damasceno testatur scriptor eminentissimus Cæsar Baronius. *Damascen. de Imagin. lib. 3. Baron. an. 404.*

Ergo quod Petrus Domini discipulus hortatur: *Deponentes omnem malitiam & omnem dolum, & simulationes, & invidias*, radicitus livorem omnem extirpemus è pectore. Eò Gregorius nobilissimo scripto impellens: *Qui livoris peste*, inquit, *plenè carere desiderat, illam hæreditatem diligat, quam cohæredum numerus non angustat, quæ & omnibus una est, & singulis tota, quæ tantò largior esse ostenditur, quantò ad hanc percipientium multitudo dilatatur. Imminutio ergo livoris, est affectus surgens internæ dulcedinis, & plena mors ejus, est perfectus amor æternitatis.* *1. Petr. cap. 2. vers. 1.* *Greg. lib. Moral. cap. fine, mihi pag. 431.*

CAPVT

CAPVT XIX.

Daniel solenne sibi Studium precandi constantiâ illustri perpetuat.

REx Darius à satrapis malè circumventus legem tulit iniquam & fatuam. Et quî tandem assentiri potuit sanctioni tam absurdæ & impiæ? Ergo tanto tempore nil æger à medico, nil egenus ab opulento, nil famulus ab hero, nil filius à parente suo petere præterquam à Rege possit, qui nec ubique esse, nec omnibus potuit satisfacere? Sed partim à principibus Medorum deceptus, partim arbitratus id spectare ad Majestatis regiæ dignitatem, consentit. Nonnihil etiam timidus suffragiorum multitudine ac numero vinci se passus est. Lex igitur rogata, fixa, promulgata: Ne incolarum ullus ab ullo homine vel Deo quidquam nisi à rege solo petat. At verò Danieli jus divinum potius fuit. Is igitur religiosissimè consuetudinis suæ retinens, *Ingressus est domum suam, & fenestris apertis in cænaculo suo contra Hierusalem tribus temporibus in die flectebat genua sua, & adorabat, confitebatúrque coram Deo suo, sicut & ante facere consueverat.* Hîc laudatissimum orandi Studium, & admirabilis in Daniele constantia animi explicanda.

Dan. cap. 6. vers. 10.

Quinque causæ, ob quas Daniel precandi studium suscipit: 1. Ob negotiorum molem.

§. I.

LAudabilissimum fuit precandi studium in Daniele, nec uno solùm nomine suspiciendum. I. Ob negotiorum molem, quâ Daniel premebatur. Non levis negotii est vel unicam tantùm provinciam administrare. Quantæ igitur molis, quàm ardui laboris, quàm immensæ occupationis, fuerit centum ac viginti satrapias seu provincias regere? quod certè cõmissum fuerat Danieli, *ne scilicet rex sustineret molestiam.* Ita Daniel multò quàm occupatissimus, antiquum tamen suum nihilominus obtinuit, tèrque de die sedulò & velut ex promisso in divinas sese precationes effudit.

Dan. cap. 6. vers. 2.

2. Observandus precantis locus. Ibid. v. 6.

II. Observandus precantis locus: *Ingressus est domum suam, & apertis fenestris in cænaculo suo contra Hierusalem adorabat.* Sublimius ædium conclave, seu cænaculum Hebræo ritu Daniel suis precibus delegit, quia hinc liberior cæli aspectus, minor à domesticis molestia, quies & silentium altius. Hierosolymis Apostoli orant in cænaculo, in quo eos divinus Spiritus afflavit. Sic Sara Raguelis filia in Ninive civitate *perrexit in superius cubiculum domus suæ, & tribus noctibus non manducavit, neque bibit, sed in oratione persistens cum lacrymis deprecabatur Deum.* Sic Juditha vidua, *in superioribus domus suæ fecit sibi secretum cubiculum, in quo cum puellis suis clausa morabatur: & habens super lumbos suos cilicium, jejunabat omnibus diebus vitæ suæ præter sabbata, & neomenias, & festa domûs Israël.* Oratio amans est silentii & religiosæ solitudinis. Ita Daniel in editiore loco ædium suarum, in cænaculo precari solitus vultum obvertit Hierosolymis ad occasum. Quemadmodum * verò Judæi, cùm orarent, certum habebant locum, quò venerabundos oculos, & supplices intenderent manus; sic & Christiani à primis incunabulis Ecclesiæ suum quoque locum habuêre, quem orando spectarent. Ad orientem namque versi suas ad Deum preces fundebant. Ejus rei † habuerunt caussam Christum cruci affixum, qui occasum moriens spectabat, ideo necesse fuit, ut Christiani Christum in alto pendentem adoraturi, ad solem orientem sese verterent. Alia Christianis caussa fuit ille ipse mos Judæorum, qui ad occidentem solem se vertebant oraturi. Ne igitur cum illis exteriore hac ceremoniâ convenirent (quod etiam in celebrando Paschate observant) situ corporis contrario precari consueverunt.

Esth. c. 2. v. 1. & 2. Tob. cap. 3. v. 10. & 11. Judith c. 8. v. 5. & 6.

* Tertull. in Apologetico adversus gentes. Origenes hom. 5. in Num. Athanasius hom. 14. ad Antiochum. Justinus qu. 18. ad Orthodoxos. Epiphan. hæres. 19. Ossenorum. Basil. lib. de Spiritu sancto cap. 27.

† Vide Baronium tomo 1. ad annum 58. Bellarmin. tomo 1. de cultu Sanctor. l. 3. c. 3.

Aug. l. 2. de serm. Dom. in monte c. 9. Damasc. l. 4. de fide c. 13.

III. Tempus orantis Danielis observandum. Tribus temporibus in die precabatur. Judæi horam Tertiam, Sextam, Nonam singulari religione venerabãtur. Tertia illis religiosè culta, quâ Decalogum, in monte Sinâ Mosi traditum credebant. Hac Spiritus Sanctus discipulos Christi, ceterósque Christianos in monte Sion docuit. Sextâ Judæi erectum in conto serpentem æneum credunt persanandis læsis. Eâdem sextâ pro nobis omnibus Dei filius in funestam trabem elatus non vulneratis tantùm curandis, sed & mortuis ad vitam revocandis. Nonâ horâ scaturiens rupes effudit aquam Hebræis in Cades; hac horâ Christus aquam & sanguinem è suo pectore jussit fluere. Sed objeceris, à Marco Christum horâ tertiâ, à Matthæo horâ sextâ in crucem actum asseri. Scriptores sacros in concordiam rediget brevissima interpretatio. Marcus ad finem Tertiæ, Matthæus ad initium Sextæ Dominum Jesum asserit crucifixum. Uterque verissimè; consensio amborum liquidissima. Ergo Daniel manè, meridie, vespere oravit. Siquidem Judæi diem, uti noctem Romani in vigilias seu partes quatuor dividebant. Prima cœpit ab ortu solis ad nostratem Nonam. Ab nostrate Nonâ ad duodecimam vigilia sive pars altera, quæ illis Tertiâ. Ab duodecimâ nostrate ad tertiam pomeridianam illis dicebatur Sexta. A Tertiâ nostrate ad serum vesperem Nona illorum fuit. Hæc temporum discrimina Daniel magnis religionibus servavit.

3. Tempus orantis Danielis observandum. Judæi horam Tertiam, Sextam, & Nonam singulari religione venerabantur: & ejus rei ratio.

Finis Tertiæ & initium Sextæ est meridies, seu hora duodecima nostra.

IV. Orantis situs hîc attendendus: *Flectebat genua sua, & adorabat, confitebatúrque Deo suo.* Nil novi orantes genua submittere. Ita Salomon orans, *Surrexit de conspectu altaris Domini, utrumque enim genu in terram fixerat.* Quid ad ista, mei aulici, quid dicitis? Dum barbam mulcetis, dum fabulas cum socio miscetis, dum oculos in omnes templi partes emittitis ægrè prorsus & vix poplitem unum submittitis: & qui sumus nos, ac Salomonem collati? mera mendicabula. Rex longè opulentissimus utrumque genu flectit, mendiculi ægrè unum, sæpius nullum. Stephanus gemma Martyrum, pro inimicis capitalibus rogaturus, *positis genibus clamavit voce magnâ dicens: Domine, ne statuas illis hoc peccatum.* Per Isaiam Deus promulgans: *Mihi*, ait, *curvabitur omne genu.* Tertullianus de hoc precandi ritu mentionem injiciens: *Die dominico*, inquit, *jejunium nefas ducimus, vel de geniculis adorare. Eádem immunitate à die Paschæ in Pentecosten usque gaudemus.* Daniel serius orator ad Deum flectebat genua sua, & adorabat.

4. Orantis situs hîc attendendus. Dan. cap. 6. vers. 10. 3. Reg. c. 8. vers. 54. Actor. c. 7. vers. 60. Isaiæ c. 45. vers. 23. Tertull. lib. de coronâ milit. cap. 3. mihi p. 341.

V. Constantia Danielis hâc in re admiranda. Ter in die adhibuit preces Deo, sicut & antè facere consueverat. Hoc enim jus adorandi Numinis, à mortalium nullo eripi cuiquam potest. Quod si amicorum fidissimus dixisset Danieli: Quid hoc agis, optime princeps, hîc capitis periculum est, in extremum vitæ discrimen te conjicis; ad leones ibis, nisi consuetas preces intermiseris. Huic utique animosè, ac constanter Daniel respondisset: Quidquid edictum regium minetur mali, diebus triginta, mense toto non orare, Deum non invocare, & ita ut pecus vivere, Deo non quotidie gratias agere, à quo quotidie beneficia mille accipio, à quo momentis singulis inundor gratiis, id lex mihi nulla persuaserit. Dein grande nefas est, orationis solitæ neglectu in homine divinum aliquid, imò Deum profiteri.

5. Constantia Danielis hac in re admiranda.

§. II.

ITa Daniel moris sui retinens, non infrequentiùs, non furtim, neque negligentiùs, sed sicut antè facere consueverat, orandi studium perpetuabat. Animi constantia prorsus illustrissima. Homo verè constans nec minis, nec blanditiis, nec promissis, nec donis; non verberibus, non tormentis, vi nullâ eò adigi potest, ut contra Deum, & conscientiam vel minimum quid patret. Theologorum antesignanus Thomas Aquinas inter

S. Thom. 2. 2. q. 137. art. 3. post conclus.

Perseverantiæ & Constantiæ discrimen.

Perseverantiam & Constantiam discrimen assignans: *Virtus Perseverantiæ*, inquit, *propriè facit firmiter persistere hominem in bono contra difficultatem, quæ provenit ex ipsâ diuturnitate actûs. Constantia autem facit firmiter persistere in bono contra difficultatem, quæ provenit ex quibuscumque aliis exterioribus impedimentis: quo in genere cum patientiâ maximè convenit.* Quod in amicis Dei constantissimis est videre.

Apostolis Hebrææ curiæ senatores severissimè denuntiarunt ne omnino loquerentur, neque docerent in nomine Jesu. Ad quæ Petrus & Joannes: *Si justum est*, ajunt, *in conspectu Dei, vos potiùs audire, quàm Deum, judicate. Non enim possumus, quæ vidimus, & audivimus, non loqui.* *At illi comminabantur eis, ne ultra loquerentur in nomine hoc ulli hominum.* Verùm Apostoli etiam virgis cæsi *non cessabant omni die in templo & circa domos docentes & evangelizantes Christum Iesum.*

Actor. c. 4. v. 17. ad 22. Constantia Apostolorũ in prædicatione Christi: *Ibid. cap. 5. vers. 42.*

Ante Apostolos, quæ animi constantia obarmavit septem Machabęos fratres: Illorum primus Antiochum regem constantissimè affatus: *Quid quæris*, inquit, *& quid vis discere à nobis? parati sumus mori magis, quàm patrias Dei leges prævaricari.* Maluerunt omnes fortissimè mortem occumbere, quàm vel frustillum porcinæ carnis libare. Et primò quidem juveni excisa lingua, capitis abstracta cutis, pedes manúsque summæ sunt amputatæ; & adhuc spirantem jussit rex in sartagine torreri, ceteris hoc crudelitatis monstrum inspectantibus. At illi nihil penitus commoti aut territi, *Vnà cum matre invicem se hortabantur mori fortiter.* Ita sex alii tormentis acerbissimis admoti, pro se quisque constantissimè dixit: *Non faciam.* Non obedio præcepto regis, sed præcepto legis. Ita non adultiores tantùm locuti, sed & natu minimus: *Ego*, inquit, *sicut & fratres mei animam & corpus meum trado pro patriis legibus. Tunc rex accensus irâ, in hunc super omnes crudeliùs desæviit, indignè ferens se derisum. Et hic itaque mundus obiit, per omnia in Domino confidens. Novissimè autem post filios & mater consumpta est.* Hanc tantam in summis cruciatibus constantiam quisquis consideratè legerit, non poterit non haurire spiritum constantiæ, nisi planè stipes sit, aut jam etiam in saxum obrigueris. Novi ægrotos, qui in summis podagræ, calculi, viscerum tormínumque doloribus hæc sibi prælegi voluerint, & multum inde solatii, ac constantiæ perceperint.

Septẽ Machabæorũ fratrũ cum matre erga leges patrias. *2. Machab. cap. 7. v. 2.* *Ibid. v. 5.* *Ibid. v. 8.* *Ibid. v. 37. 39. 40. & 41.*

Mardochæi cõtra Amanum.

Ante hos, Mardochæus vir quidem tenuis fortunæ, sed constantiæ prorsus admirandæ fuit. Illius hostis infensissimus Aman dynasta potens & in Assueri aulâ pæne rex, nihil non egit, ut Mardochæum & Judæos omnes extingueret. Eum tamen Mardochæus constanti patientiâ vicit. Nec nescire potuit Judæus pauper agi de suo capite, nisi submisso poplite Amanum, ut ceteri adoraret. Nihilominus constantissimè id recusavit, paratus vel decem, vel centum, vel capita mille potiùs perdere, quàm facere, quod iniquum factu censuit.

Constantiæ suæ conscium testem Deum invocans: *Domine*, inquit, *Domine rex omnipotens, Cuncta nosti, & scis quia non pro superbiâ, & contumeliâ, & aliquâ gloriæ cupiditate fecerim hoc, ut non adorarem Aman superbissimum. Libenter enim, pro salute Israël, etiam vestigia pedum ejus deoscularì paratus essem: sed timui ne honorem Dei mei transferrem ad hominem, & ne quemquam adorarem excepto Deo meo.* Animosè prorsus ac constanter. Ejusdem animi princeps Daniel, non pertinaciâ ductus, nec arrogantiâ elatus legem regiam rupit, sed constantissimè aversatus est quod sacris religionibus sciret aversari.

Esther c. 13. vers. 9. & seqq.

Jobi in fimeto sepulti: *Iob cap. 27. v. 3. 4. 5. & 6.*

Ita Jobus jam pæne funeratus in fimeto & sepultus, adhuc tamen constantissimus: *Donec supereſt halitus in me*, inquit, *non loquentur labia mea iniquitatem. Iustificationem, quam cœpi tenere, non deseram.* Tametsi ærumnæ tam acervatæ annos insuper viginti durent, justificationem non deseram; etsi annos durent quinquaginta, cœptam justificationem non deseram; etsi annos durent centenos, etsi durent ad ipsum usque supremi judicii diem, quam tenere cœpi justificationem non deseram. *Donec deficiam, non recedam ab innocentiâ meâ.* Animam potiùs relinquam, quàm conscientiam lædam. Ejusdem constantiæ Tobias, justificationem, quam tenere cœpit, non deseruit. A Sennacheribo rege, quòd mortuos sepelisset, occidi jussus, facultates omnes, sed & valetudinem atque oculorum usum perdidit, à suâ tamen innocentiâ non recessit. Tobias constantissimus non sævientem tyrannum, sed rebus omnibus præsentem Deum attendit.

Tobiæ sepulti mortui.

§. III.

QVanta, Deus, hominum, præsertim in virtutis studio, inconstantia? ob inane lucellum, ob quæsticulum tenuissimum scientes & volentes conscientiam lædunt, Deum offendunt, cælum ridendo perdunt. O arundines vento agitatas! Constantiæ est firmiter persistere in quocumque bono contra omnem difficultatem.

Cantuariensis Archiepiscopus Thomas septennis exul cùm reditum in patriam sedémque pristinam paraaret, ab amicis monitus est, caveret iter periculosissimum, vix enim patrios fines ingressum mox in vincula rapiendum. Quibus ille constanter: Nec si membratim, inquit, discerpendus sim, ab incepto itinere desistam. Non metus, non vis, non cruciatus degenerem revocabit ulteriùs. Sufficiat dominicum gregem pastoris sui absentiam septennio luxisse.

Thomæ Cantuariensis Archiepiscopi. *Baronius. anno 1170. Spondanus eadem ann. nu. 5. &c.*

Zonaras & Cedrenus memorant Anastasium Imperatorem Oeniando præsuli promisisse, illum à se impetraturum quidquid peteret, modò cùm Severo, Eutychete, Dioscoro sentiret: Cui Oeniandus tam animosè, quàm constanter, Tu potiùs, inquit, ad orthodoxos transi. Et unà cùm dicto paludamentum Cæsaris prehendens: Hanc purpuram, inquit, non sumes tecum, ô Cæsar, in orbem alterum. Sed & ista summâ libertate addens: Indoctus es, ait, & ratiocinandi ignarus, nec ullum Ecclesiæ decretum perfectè intelligis. Satis tibi sit, quòd Imperator es; antistites Ecclesiæ vexare noli.

Oeniandi Præsulis.

Nunquid hoc apertè satis & liberè? Et quamvis hic episcopus à fortunis esset pauperrimus, nec obolum tamen ab Imperatore sustinuit accipere. Hæc Constantiæ indoles est; in bono persistit firmiter adversus omnem difficultatem. Hinc Zeno dicere solebat: Facilius utrem inflatum mergi, quàm virum constantem & probum ad pravè agendum adigi. Nam animus rectæ rationis placitis confirmatus nemini non recta suadenti cedit; invictus est.

Inde cùm Anaxarchus à Nicocreonte Cypri tyranno in saxo concavo tunderetur, philosophus animo infractus: Tunde, clamabat, tunde Anaxarchi vasculum; Anaxarchi constantiam non lædis. *Constantia, rectum est*, inquit Lipsius, *& immotum animi robur, non elati externis, aut fortuitis non depressi. Vt autem columna, quæ recta stat, impositò pondere magis firmatur, sic altas rectasque mentes non oportet cedere oneri, sed obniti. Constantiæ vera mater Patientia, & animi demissio. Lenitas & Constantia maximè illustria sidera sunt in choro virtutum. Domum has virgines vis ducere? Fluctuatio ante omnia, & timor abjicienda sunt. Maximum indicium est malæ mentis assidua, inter simulationem Virtutum, amorémque vitiorum, jactatio. Non ut pulvis aut paleæ ab omni vento, sic nos à perturbatione rapi sinamus; hanc coërcere, & animum pondere rationis ac constantiæ stabilire debemus. Tiro aliquis miles ad primum vulnus collabitur, veteranus sine motu sanguinem suum spectat. Ergo profice, & ante omnia hoc cura, ut* Constes Tibi. *Quoties autem experiri voles, an aliquid in virtutis studio promoveris, observa an eadem velis hodie, quæ heri. Mutatio voluntatis indicat animum natare aliubi, atque aliubi apparere, prout fert ventus. Non vagatur, quod est fixum & fundatum.* Quisquis in se-

Lipsius de Constantia cap. 4. Idem Prof. ad Mat. Sen. Idem lib. 2. Manuduct. Stoicam Philosoph. distert. 19.

in seipsum profundiùs descendit, cogitur demum fateri: Arundo sum; ad omne venti arbitrium moveor, frangor, mergor, comburor. Salamandra in ignibus se jactet; Non comburor. Culleus inflatus in aquis dicat; Non mergor. Vitrum ductile allisum terræ glorietur; Non frangor. At ego inconstantissimus, quod hodie sanctè statuo, cras actione contrariâ damno, ad omnem fortunæ sævientis ictum expallesco, concido; ad omne blandientis poppysma in vitium diffluo. Danielem genua flectentem, & de die sæpius precantem conspicor, non imitor. Subinde vix semel die toto, quandoque nunquam genua in preces submitto. Quædam præclarè incipio, vix ulla ad finem perduco; in pravas consuetudines delabi promptissimum mihi; melioribus assuescere quàm lentè, quàm nihil conor! Ergo proficiamus, & ante omnia hoc curemus, Ut CONSTEMVS NOBIS.

CAPVT XX.

Daniel in leonum cavo illæsus servatur, quia credidit Deo suo. Fiducia in DEVM quàm omnibus necessaria?

TAm potenter egit Invidia, ut Danielem innocentissimum principem in leonum lacum præcipitârit, heu nimis pretiosum bestiis pabulum! Habuit quidem Daniel causidicum & advocatum potentissimum, regem Darium, sed potentior fuit Invidia. Doluit Darius famulo tam fidi interitum, *Et pro Daniele posuit cor, ut liberaret eum*, sed Invidia tulit sententiam; *Daniel ad leones*. Neque rex leviter ac perfunctoriè innocenti patrocinatus, *usque ad occasum solis laborabat ut erueret eum*, sed Invidia captum ex unguibus non dimisit. Censuit Darius legis gratiam Danieli ex causâ non unâ faciendam, sed vicit Invidia, & nullam hîc penitus exceptionem dari permisit. Ergo, *Adduxerunt Danielem, & miserunt eum in lacum leonum*; virum grandævum, nonaginta octo annorum senem, centum viginti satrapis præfectum, principem, Triumvirum, cubiculariorum regiorum decurionem, tribus Regibus fidissimum administrum: Hunc ipsum leonibus objecit Invidia.

Darius fuit Danielis causidicus. Dan. cap. 6. vers. 14.

Ibid.

Ibid. v. 16.

Darius hoc fato admodum tristis eam noctem incenatus & insomnis egit. Quod testatissimum è sacris paginis: *Cibi non sunt allati coram eo, insuper & somnus recessit ab eo.* En vites conscientiæ, quam ea vel in idololatrâ vigilet, & exprobret, contra jus & æquum leonibus innocentem objectum. Transactâ nocte summo mane rex Darius ad leonum foveam properans, & Danielem lacrymabili voce inclamans: *Daniel serve Dei viventis*, inquit, *Deus tuus, cui tu servis semper, putasne valuit te liberare à leonibus? Cui Daniel: Rex in æternum vive, ait: Deus meus misit Angelum suum, & conclusit ora leonum, & non nocuerunt mihi: quia coram eo justitia inventa est in me; sed & coram te, rex, delictum non feci. Tunc vehementer rex gavisus est super eo, & Danielem præcepit educi de lacu. Eductúsque est Daniel de lacu, & nulla læsio inventa est in eo, quia credidit Deo suo.* Hoc prodigium & miraculum rectè tribuitur magnæ in Deum fiduciæ; Nulla læsio est in eo, *quia credidit Deo suo.* De hac in Deum fiduciâ, quod quidem huc spectet, hoc capite disserendum.

Ibid. v. 18.

Ibid. v. 20. & segq.

§. I.

LEonibus objici, supplicium Medis notissimum, uti apud Romanos & Judæos crucifigi, apud nos capite plecti, patibulo appendi, rotâ frangi. Sæpe olim in Christianos populi clamor exarsit: *Christiani ad leonem, Christiani ad bestias.* Ita Cyprianus ad Cornelium Pontificem perscribens de seipso: *Toties*, inquit, *ad leonem petitus in Circo.* Hominem non facilè lædit leo satur aut cicur, vel beneficiis affectus, aut si capiti ejus injiciatur pallium velandis oculis; leonem itidem terrent & fugant collisi lapides, gallorum cantus, effulgentes ignes. Quòd leones Danieli dentes non infixerint, nihil hujusce modi caussæ fuit. *Deus misit Angelum suum, & conclusit ora leonum.* Danielis ingens in Deum fiducia hos promeruit in leonino cavo habere hospites è cælo.

Cyprian. epist. 55.

A

B

C

D

Dan. cap. 6. vers. 22.

Hieronymus Malchi hominis pudici, & ob pudicitiam à lænâ defensi res gestas prosecutus: Ut sciant, inquit, virgines & casti inter glacios & bestias pudicitiam nunquam esse captivam, & hominem christianum posse mori, non posse superari. Chrysanthi martyris conjux Daria à leone defensa est. Ita Thecla, aliæque virgines complures leonibus feriisque aliis immanibus objectæ mitissimos senserunt agnellos illæsæ. Hinc illud Gregorii Nazianzeni metrum:

Memoriam illius venerantur Ecclesia die 25. Octobris.

Virginitas fulvos potuit sopire leones.

Pontianus Martyr Spoleti ævo Antonini Imperatoris objectus est leonibus. At ille sacri carminis non immemor: *Salva me*, ajebat, *ex ore leonis: Narrabo nomen tuum fratribus meis.* Ita lusorias habuit & blandientes belluas. Hebræi de Daniele cantant: *Venit leo, & liberavit leonem de ore leonis.* Leo venit Deus, de quo Amos: *Leo rugiet, quis non timebit?* Liberatus leo Daniel de stirpe Judâ, quem leonis catulum appellat Jacob. Leones autem ideo pepercerunt Danieli, quia credidit Deo suo; potentiæ divinæ ac providentiæ totum se commisit.

Ps. 21. v. 22. & 23.

Rabbini in Midras Tehillim in Psal. 63. v. 1.

Amos cap. 3. vers. 8.

Gen. c. 49. vers. 9.

Ad istud Augustinus quemvis nostrûm insigniter hortatus: *Subdere*, inquit, *illi, qui supra te est, & infra te erunt illa, quibus præpositus es. Intendite quid dicam. Deus, homo, pecora. Supra te Deus, infra te pecora. Si autem non agnoscis illum, qui supra te est, superiorem contemnis, subderis inferiori.*

Ita Galatinus l. 5. de arcanis, cap. 8.

August. to. 9. tract. 8. in epist. 1. Ioan. cap. 4. mihi pag. 259.

Agnosce *(per fiduciam)* eum, qui supra te est, ut agnoscant te, quæ sunt infra te. Ideo cùm Daniel agnovisset supra se Deum, agnoverunt illum supra se leones. Cur autem Deus juvenes Hebræos flammarum medios non comburi, septenos fratres Machabæos variis tormentis perimi voluerit, causarum aliquid assignans Augustinus: *Sed Danielem*, inquit, *agnoverunt leones, quia ille subditus Deo erat. Quid Martyres, qui ad bestias pugnaverunt, & ferarum morsibus laniati sunt? Non erant sub Deo? Aut erant servi Dei tres viri; & non erant servi Dei Machabæi? Agnovit ignis servos Dei tres viros, quos non ussit, quorum nec vestimenta corrupit: & non agnovit Machabæos? Agnovit & Machabæos fratres, agnovit & istos. Sed opus erat quodam flagello, permittente Deo, qui dixit in Scripturâ: Flagellat omnem filium, quem recipit. Putatis enim fratres, quia ferrum transverberaret viscera Domini, nisi ipse permitteret; aut hæreret in ligno, nisi ipse voluisset? Non eum agnovit creatura? An exemplum patientiæ proposuit fidelibus suis? Ideo Deus quosdam liberavit visibiliter, quosdam non liberavit visibiliter: omnes tamen spiritaliter liberavit, spiritaliter neminem deseruit. Visibiliter quosdam visus est deseruisse, quosdam visus est eripuisse. Ideo quosdam eripuit, ne putes illum non potuisse eripere. Testimonium dedit quia potest: ut ubi non facit, secretiorem intelligas voluntatem, ne suspiceris difficultatem.* Sed ad Danielem redimus.

Augustin. ibid. Cur Deus juvenes Hebræos flammarum medios nō comburi, septē fratres Machabæos variis tormentis perimi voluerit?

Prodigium ingens fameliços leones appositis sibi epulis non prandere, sed strictum præsente pabulo jejunium servare. Atqui tam grandis prodigii beneficium erectissima in Deum fiducia obtinuit. Videte, oro, quantæ Daniel fiduciæ fuerit, quàm animosè Deo crediderit.

I. Daniel favore regio præpollens, patentissimos utique ad regem accessus habuit; suam ipse causam agere, invidorum fallacias detegere, suam innocentiam diversis argumentis asserere, accuratiorem ficti criminis inquisitionem poscere, latæ legis subdolam iniquitatem potuisset ostendere; at ille invidiam dissimulans, negotia tractans, &, ut priùs consueverat, orationibus vacans divinæ se voluntati è solido tradit, para-

Quinque rationes, quibus Danielis in Deū fiducia ostenditur.

paratissimus perferre, quidquid ipsa in se permiserit. A
II. Non appellat à judice minùs perito, non provocat à rege nequiter circumvento, ad regem cautiorem, aut ad judicem periti̇orem. III. Non accusat æmulos doli ac fraudis plenissimos, non eos arguit parricidii in collegam. IV. Non allegat officia sua & promerita tam apud reges Nabuchodonosorem & filium Balthasarem, quàm apud ipsum Darium. V. Non turbas excitat, nihil seditionis aut tumultûs movet, sed corde tacito conservat patientiam; altum Danielis silentium, incredibilis patientia; Dei providentiæ ac voluntati, & regis sententiæ licet iniquæ totum se permittit. Fiducia maxima. Credidit Deo suo.

§. II.

Marci c. 9. verſ. 23. Fides credentis meretur de congruo, ut ei, quod petit, detur per omnipotentiam Dei.

BEato Marci ore Christus: *Omnia*, inquit, *omnia possibilia sunt credenti.* Hoc fundamento solidissimo nixus Tarsensis Paulus: *Omnia*, inquit, *possum in eo qui me confortat.* * Nos homuli ad divina parũ exercitati aliquâ B
in Deum ferimur fiduciâ, sed admodum infirmâ & modicâ: quemadmodum ægroti arteria movetur quidem, sed motu valdè debili, & conciso. Beato Marco narrante venit ad Christum eum filio pater, qui accessûs caussam exponens: *Magister*, inquit, *attuli filium meum ad te habentem spiritum mutum, qui ubicumque eum apprehenderit allidit illum, & spumat & stridet dentibus & arescit.* Interrogante Christo: *quantum temporis est, ex quo ei hoc accidit?* Respondit parens: *Ab infantiâ, & frequenter eum in ignem, & in aquas misit, ut eum perderet. Sed si quid potes, adjuva nos, misertus nostri.* En istius pessimè affecti pueri parens fidei fuit & fiduciæ, sed exiguæ. Hinc & trepidæ voces illæ: *Si quid potes, adjuva nos.* Fiducia, sed pavida & dubia. Nam puer ab infantiâ malignum genium sui tortorem sensit. Deinde discipuli Christi non poterant eum ex nospitio, quod annis pluribus occupârat, pellere. Accessit quòd ipso etiam Christo præsente miserum exagitârit. Hinc fiducia mœsti parentis titubans vacil- C

Marci c. 9. verſ. 16. & ſeqq.

Matth. c. 8. verſ. 2.

labat. Longè aliter leprosus: *Domine*, inquiebat, *si vis, potes me mundare.* Modestissima hæc petitio fidem ac fiduciam spirabat erectissimam, quæ summam Christi potentiam venerabatur. Hinc omnia potuit credendo, ipsam quoque lepram sine pharmaco abstergere. *Omnia possibilia sunt credenti.* Paradoxum videri posset tam liberale ac dives dictum. Sed veritatis est effatum, & neutiquam fallax promissum: *Credenti possibilia sunt omnia:* perinde si dixisset Christus: Valetudo integra filio tuo restituenda penes te est, à fide ac fiduciâ tuâ pendet filii tui sanitas. Si sanandum à me diffidis, nihil impetras; si fide ac fiduciâ firmâ niteris, omnia quæ postulas, impetrare poteris. Crede atque potestiæ meæ fide, & filius tuus jam sanatus est. Quid autem est CREDERE? Conceptâ fiduciâ ab alterius bonitate ac potentiâ pendere. Omnia igitur credibilia, quod probè notandum, credenti sunt possibilia. Porrò credibilia sunt quæcumque D
vel ad divinum honorem, vel ad nostram salutem sunt. Quæcumque verò Dei voluntati & gloriæ, aut saluti nostræ adversantur, credibilia non sunt dicenda; nec ad fidem referenda; infra illam sunt, aut eam excedunt.

Marci c. 9. verſ. 23.

Quæ dicantur credibilia.

Matth. c. 9. verſ. 28. & ſeqq.

Hinc Christus geminis cæcis visum redditurus: *Creditis*, ait, *quia hoc possum facere vobis? Dicunt ei: Vtique Domine. Tunc tetigit oculos eorum, dicens: Secundùm fidem vestram fiat vobis. Et aperti sunt oculi eorum.* En diem obedientissimam ad fidei nutum in cæcorum oculos sine omni morâ reversam. Ita etiam Servator cum Syrophænissâ egit. Hæc fœdum ac pudendum morbum, sanguinis fluxum totis jam duodecim annis perpessa, facultates suas omnes in medicos erogârat, nihil adjuta. Demum fiduciâ ingenti ad hoc asylum confugiens,

Ibid. v. 20. & ſeqq.

Acceſſit retro, & tetigit fimbriam veſtimenti ejus. Dicebat enim intra ſe: Si tetigero tantùm veſtimentum ejus, ſalva ero. At Ieſus converſus, & videns eam dixit: Confide filia; fides tua te ſalvam fecit. Bono sis animo, neque timeas tuum hunc contactum mihi displicuisse. Placuit quàm maximè tua fides & fiducia, quæ ad obtinendam sanitatem via est certissima; *fides tua te salvam fecit. Et salva facta est mulier ex illâ horâ.* Hæc è Cæsareâ Philippi oriunda in eâdem urbe, quod Eusebius, Sozomenus, Theophylactus testantur, Christo sospitali monimentum accepti beneficii erexit statuam, sub quâ nascentes herbæ, simul ac fimbriam contigissent, morbis quibuslibet medebantur. Statuâ hâc dejectâ Julianus Apostata substituit suam, quæ mox icta est fulmine.

Theologi meritum congrui. Matth. 9. verſ. 22. & ſeqq. Euſeb. lib. 7. hiſt. cap. 14. Sozom. l. 5. cap. 21. Theophyl. in Matthæum.

§. III.

FIdes igitur & fiducia salvat; possibilia credenti sunt omnia. Deus omnia potest virtute suâ, nos autem alienâ & divinâ. Hinc Jacobus precaturum instruens: *Postulet autem in fide*, inquit, *nihil hæsitans.* Daniel fidei ac fiduciæ plenissimus hoc animo habuit impressum: sint B
licet hostium meorum plurimi, potentissimi, sint centum viginti, sint leones esurientissimi, ego Deo meo credo. Eâdem hâc fiduciâ David erectissimus: *In Deo*, inquit, *speravi, non timebo quid faciat mihi caro.* Mox in eandem fiduciam assurgens: *In Deo*, ait, *speravi, non timebo, quid faciat mihi homo.* Mihi quidem Deus promisit regnum, sed necdum vel leve regni vestigium apparet, hostes undique in me ruunt grandi numero; sed sint altero tanto plures, ego Deo fido. *Si consistant adversum me castra, non timebit cor meum: Si exurgat adversum me prælium, in hoc ego sperabo. Dominus firmamentum meum, & refugium meum, & liberator meus. Deus meus, adjutor meus, & sperabo in eum: protector meus, & cornu salutis meæ, & susceptor meus.*

Chriſtus omnipotens active, non paſſive. Luc. 1. v. 37.

Pſal. 55. v. 5. & 12.

Pſ. 26. v. 3.

Pſal. 17. v. 3.

Nostra in Deum fiducia duo potissimùm respiciat: Primum, cælestem illam & beatissimam æternitatem. Fallere divina nequeunt promissa; Dei syngrapha in manibus nostris: *Sic Deus dilexit mundum ut filium suum* C
unigenitum daret; ut omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam. Alterum, ea quæ temporis sunt præsentis. Quòd si Deo fidendum de bonis immortalibus ac sempiternis, quantò magis de victu & vestitu, bonis minutulis, quæ Deus adjicit. Millies iterúmque millies hæc inculcanda, nec tamen unquam satis capiuntur. Hanc nobis fiduciam pæne omnia regii psaltæ carmina instillant. Divinæ pollicitationis est: *Omnis locus quem calcaverit pes vester, vester erit.* Ibi pedem figimus, ubi nostram stabilimus fiduciam. Theodorus, de Pherme dictus, indolem in se timidam ac diffidentem deprehendit. Deum igitur impensissimè rogavit, omnem à se pavorem ac diffidentiam auferret. Abstulit bonus Deus. Jámque Theodorus eò animi ac confidentiæ pervenit, ut dicere sit solitus. Si cælum terræ adhæreat, Theodorus non formidat. Hæc etsi sexcenties sint dicta, nihilominus assiduè Paulinum illud ingerendum: *Nolite amittere confidentiam vestram, quæ magnam* D
habet remunerationem. Sed hîc opus est prolixiore paululum experientiâ. Nec enim ullus perfectè Deo fidit, quàm qui eum sibi per diuturniorem experientiam cognovit planè fideliſſimum, & pæne ad ipsa usque sed occulta miracula. Quisquis igitur hoc experiri voles, monito Salomonis pare, &, *Habe fiduciam in Domino. ex toto corde tuo.* In omni expectatione, in omni afflictione ac metu, in periculis omnibus, ut felix sit successus, spes omnis in uno Deo collocanda, idque ex toto corde. *Beatus*, teste Basilio, *qui omni spe rerum hujus mundi seipsum orbavit. Spes mortalium sunt somnia vigilantium. Sicut enim execrabilis est, qui spem ponit in homine; ita omni laude dignus, qui ex Deo totus pendet.*

Nostra in Deum fiducia duo reſpiciat: Primum. Deut. cap. 33. verſ. 24.

Hebr. c. 10. verſ. 35.

Prov. cap. 3 verſ. 5. In omnibus ſpes oculis ſua in Deo collocanda. Baſil. q. 10. ad Gregor. Nazianz.

Quidquid ergo sollicitudinum ac curarum, quidquid malorum & ærumnarum nos premat, non amittamus confidentiam: licet hostes nostri sint potentes & numerosi, etsi nos mari medio natemus, etsi leonum

caveam

caveam habitemus, etsi mœroribus & angoribus undique circumfluamus, etsi humanis auxiliis omnibus destituti simus, nihilominus non amittamus confidentiam, *omnem sollicitudinem nostram projicientes in eum, quoniam ipsi cura est de nobis.* Etsi amittamus omnia, erectam tamen in Deum fiduciam retineamus.

1. Petr. c. 5. vers. 7.

CAPVT XXI.

Danielis æmuli hostes in leonum caveam dejiciuntur, æquissimâ Talionis lege ac pœnâ: de quâ jam plura.

CVm Darius rex luculentissimum divinæ potentiæ argumentum, Danielem inter impastos, famelicos leones cerneret intactum, facilè deprehendit se à suis satrapis turpissimè circumventum. Non igitur differendum ratus debitum invidiæ tam captiosæ supplicium, mox imperavit Danielis falsissimos accusatores eâdem viâ in eandem leonum foveam præcipitari. Ita *jubente rege adducti sunt viri illi, qui accusaverunt Danielem, & in lacum leonum missi sunt.* Neque soli, sed *& filii, & uxores eorum.* Imperium herele severum & atrox. Quid enim eorum conjuges, quid potuerunt liberi, cur illæ maritorum, hi patrum luant noxas? Nihil hîc contra Divinam, Naturalem, Humanam legem ullam est actum. Naturalis legis est, ut facinus tam immane non in ipsis solùm facinorosis, sed in illorum etiam adjutoribus omni supplicio vindicetur; ita quidem, & non solùm auctores scelerum, sed scelestorum etiam uxores ac liberi, veluti pars illorum, jugulentur. Cùm Deus orbem universum eluvione mergeret, cùm Sodomam & Gomorrham finitimásque civitates incendiis cælestibus absumeret, multa millia innocentum infantum unâ eadémque clade voluit involvi. Ita cum Amalecitis, Chananæis, Benjamitis, aliisque populis egit. Atque hoc juris & moris apertè sibi tribuens: *Ego sum,* inquit, *Dominus Deus tuus, fortis, zelotes, visitans iniquitatem patrum in filios, in tertiam & quartam generationem eorum qui oderunt me.* Jus verò istud Judæis noluit esse liberum, ne illi speciosо legis nomine crudelitatem suam amplificarent. Hinc divina lex illa: *Non occidentur patres pro filiis, nec filii pro patribus, sed unusquisque pro peccato suo morietur.* Sed & politicæ leges ób crimen læsæ Majestatis non solùm in reos, sed etiam in eorum liberos severè animadvertunt. Daniel Majestatis læsæ accusatus, si conjugem habuisset & liberos, eâdem secum pœnâ traxisset ad leones. Æquissimum ergo fuit ut Danielis accusatores unà cum filiis & uxoribus ad supplicium Danieli ab ipsis paratum raperentur. At illi invidi longè aliter, quàm Daniel, à leonibus sunt salutati. Divinus liber asserit: *Et non pervenerunt usque ad pavimentum loci, donec arriperent eos, & omnia ossa comminuerunt.* Quàm bellè scelus in auctorum caput rediit, quàm luculenter Deus, quod Danielis hostibus debebatur, pari monetâ solvit! Hîc nobis Lex, sive, Pœna Talionis exactiùs explicanda, eo fine, ut non tantùm neminem lædamus, sed nec læsi vindicemus; quoniam Vindex est Dominus, qui omne malum quod alter alteri parat, æquissimo talionis jure vindicat. Quintilianus senior de Talione differens: *Talio,* inquit, *est injuriæ ultio. In hoc scripta est Lex, ne quis impunè petulans sit.* Atque de hoc jam uberiùs agendum.

In punitione accusatorum Danielis cum filiis & uxoribus nihil cõtra divinam, naturalem, & humanam legẽ actum est.

Dan. cap. 6. vers. 24.

Deut. c. 24. vers. 16. L. Quisquis, Cod. ad l. Iuliam 6. quæst. 1. cap. Si quis, & extra de Hæreticis c. vergentis.

Dan. cap. 6. vers. 24.

Quint. Declam. 372. ante finem.

§. I.

HOrtatus studiosissimè Paulus: *Ne quis,* ait, *supergrediatur, neque circumveniat in negotio fratrem suum, quoniam Vindex est Dominus de his omnibus, sicut prædiximus vobis, & testificati sumus.* Idem ego nunc omnibus inclamo, prædico, & testificor, *Quoniam Vindex est Dominus*: quod divini codices pæne omnibus loquuntur paginis. Labanus suum generum Jacob sæpius decepit nequiter, non solùm filiarum conjugio, sed & pecore, quod promiserat, reddendo. Questus id Jacob uxoribus: *Pater vester,* inquit, *circumvenit me, & mutavit mercedem meam decem vicibus: & tamen non dimisit eum Deus, ut noceret mihi.* Imò voluit Deus, ut pariter per filias, quæ parentis deos aureos furatæ, & per pecus deciperetur. *Vindex est Dominus.*

1. Thess. c. 4. vers. 6.

Pœnâ talionis puniti sunt:

Labanus.

Gen. cap. 31. vers. 7.

Ægyptii Hebræos miserè oppressérunt, & fortunis exuerunt. Talionem reddidit Deus, auctores suos repetiit scelus. Nam Hebræi, jussu divino, *Petierunt ab Ægyptiis vasa argentea & aurea vestémque plurimam. Dominus autem dedit gratiam populo coram Ægyptiis, ut commodarent eis; & spoliaverunt Ægyptios.* Nimirum vindex fuit Dominus. Ita ipse Pharao talionis pœnam jure sustinuit. Hebræos ille parvulos velut catellos recèns natos flumine submergi jussit. Justissimâ talione submersus est & ipse, cum omni exercitu suo. *Involuit eos Dominus in mediis fluctibus. Reversæq, sunt aquæ, & operuerunt currus & equites cuncti exercitûs Pharaonis, qui sequentes ingressi fuerant mare: nec unus quidem superfuit ex eis.* Vindex fuit Dominus.

Ægyptii Hebræos miserè oppressérunt, & fortunis exuerunt.

Exod. c. 11. vers. 2. & c. 12. v. 35. & seqq.

Ibid. cap. 14. v. 27. & 28.

Abimelechus, ut regnum, quod ambierat, sibi uni securiùs obtineret, *occidit fratres suos septuaginta viros super lapidem unum.* Sed & iste talionis pœnam persolvit. Deus lapidem in caput ejus dejecit, & ademit vitam. Nam Abimelech Thebes oppidum oppugnans, dum turrim incensurus subit, *Ecce una mulier fragmen molæ desuper jaciens, illisit capiti Abimelech, & confregit cerebrum ejus.* Qui vocavit citò armigerum suum, & ait ad eum: *Evagina gladium tuum, & percute me: ne forte dicatur quòd à femina interfectus sim. Qui jussa perficiens interfecit eum.* Ita talionem ad perpendiculum. Et saxo & gladio Abimelechus periit, uti suos ille fratres peremit. Agagus rex Amalechitarum cùm Samuelis ferro caderet: *Siccine,* ait, *separat amara mors?* Cui Samuel jam morienti legem Talionis ingerens: *Sicut,* ait, *fecit absque liberis mulieres gladius tuus, sic absque liberis erit mater tua. Et in frusta concidit eum Samuel coram Domino in Galgalis.* Talionis pœna non dormit, aut certè non nimis diu dormit. In suos recidunt auctores scelera. *Vindex est Dominus.*

Abimelechus fratres suos occidens.

Iudic. cap. 9. vers. 5.

Ibid. v. 53. & 54.

Agagus.

1. Reg. c. 15. v. 32. & 33.

Achabus & Jezabel non inhumaniter solùm, sed & iniquè egerunt cum Naboth, cui & vineam & unà vitam ademerunt: nam insontem lapidibus obrui per falsa & fucata judicia jusserunt. Quod flagitium Elias in os opprobrans Achabo: *Occidisti,* ait, *insuper & possedisti. Hæc dicit Dominus: In loco hoc in quo linxerunt canes sanguinem Naboth, lambent quoque sanguinem tuum.* Ad amussim Talio secuta. *Mortuus est enim rex Achab, & perlatus est in Samariam, sepelierúntque regem in Samariâ, & lavérunt currum ejus in piscinâ Samariæ & linxerunt canes sanguinem ejus, juxta verbum Domini, quod locutus fuerat.* Rex Jehu Jezabelem à canibus laceratam & consumptam audiens: *Sermo Domini est,* inquit, *quem locutus est per servum suum Eliam Thesbiten, dicens: In agro Iezrahel comedent canes carnes Iezabel.* Regibus etiam & reginis pœna Talionis dependenda est, quoniam *Vindex est Dominus.*

Achabus & Jezabel, Nabotho vineam & vitam adimentes.

3. Reg. c. 21. vers. 19.

Ibid. c. 22. v. 37. & 38.

4. Reg. c. 9. vers. 36.

Amanus Mardochæo sublime fixit solium, patibulum quinquaginta cubitos altum. Jam pœna in missum erat constituta, malum jam paratissimum, nec deerat quidquam nisi ut Mardochæus collum induceret laqueo. Sed subitò verterunt vices; repentè Talionis pœna in Amanum est decreta. *Suspensus est itaque Aman in patibulo, quod paraverat Mardochæo.* In hanc turrim evehenda fuerat hæc campana. Meditata in alios flagitia ad suam recurrunt originem: *Vindex est Dominus.*

Amanus Mardochæo parans patibulum.

Esther c. 7. vers. 10.

§. II.

VRiæ conjugem abstraxit David & vitiavit. Sed Talionis pœna pede non claudo est insecuta. Hoc ipsum à suómet filio Absalone sibi fieri tolerare debuit. Nam Absalon rebellis patri, quem apertissimo Marte oppu-

David Uriæ conjugem abstrahens.

2. Reg. c. 16. vers. 22.

oppugnavit, claro meridie Israëlis exercitu inspectante tentorium subiit parentis sui conjuges vitiaturus. Reddidit Davidi Deus quæ fecit, *quoniam vindex est Dominus.*

Absalon patrem sede regiâ fugans. 2. *Reg. c.* 18. *vers.* 14.

Porrò Absalon, qui patrem sede regiâ fugavit, ipse quoque fugatus, & veluti aper, aut silvestris fera, est agitatus, sed hæsit reti. Nam miseram hanc bestiam querêus brachiis detentam dux militiæ Joabus conto triplici confodit. Ita regius formosissimus juvenis pœnam Talionis persoluit, *quoniam vindex est Dominus.*

Rex Joas Zachariam jubens lapidari. 2. *Paralip. cap.* 24. *à v.* 21. *ad* 26.

Ita rex Joas Zachariam Jojadæ filium sacerdotem jussit lapidari. *Qui cùm moreretur, ait: Videat Dominus, & requirat.* Vidit certè & requisivit vindex æquissimus. Nam *cùm evolutus esset annus, ascendit contra eum exercitus Syriæ, venitq; in Iudæam & Hierusalem, & interfecit cunctos principes populi, atque universam prædam miserunt regi in Damascum. Et certè cùm permodicus venisset numerus Syrorum, tradidit Dominus in manibus eorum infinitam multitudinem, eò quòd dereliquissent Dominum Deum patrum suorum: in Ioas quoque ignominiosa exercuêre judicia. Et abeuntes dimiserunt eum in languoribus magnis. Surrexerunt autem contra eum servi sui, in ultionem sanguinis filii Iojadæ sacerdotis, & occiderunt eum in lectulo suo.* Subinde Talionis pœna differtur, sed certè non aufertur; suis illa momentis adest improvisa, & ferit nocentem, *quoniam vindex est Dominus.*

Nequissimi duo vetuli alienæ pudicitiæ subsessores.

Nequissimi duo vetuli alienæ pudicitiæ subsessores fucatis mendaciis Hebræum populum eò permoverunt, ut castissima Susanna velut adulterii rea ad lapides & ad mortem jam duceretur. Sed æquissima Talionis pœna lapidibus puit in eorundem capita; supplicium, ad quod insontem prodiderunt, ipsimet exhauserunt. *Fecerúntque illis sicut malè egerant adversùs proximum, & interfecerunt eos.* Lex Talionis sceleſtos perdidit æquissimè. *Vindex est Dominus.*

Dan. cap. 13. *v.* 61. *&* 62.

Medi Satrapæ Danielem falsò accusantes.

Sed hoc ipsum in Daniele luculentissimum. Satrapæ Medi invidiâ stimulati, subdolis, falsisque accusationibus eò rem deduxerunt, ut principum non solùm primus, sed & optimus in leoninum barathrum fuerit dejectus. Nullum hîc innocentiæ patrocinium tam sceleratis conatibus potuit obsistere. Sed Justitia divina fiduciam Danielis non usquequaque destituit, sed intra mortis fauces à morte servavit. Accusatores improbissimi eandem ad leones viam jerunt, sed non redierunt æquissimâ Talionis pœnâ in eos sæviente.

Quintilian. Declam. 11. §. 4.

Quid æquius excogitari, ait Quintilianus, quid justius potest? Grassatus aliquis est ferro? Præbeat & ipse cervices. Miscuit noxium virus? Refundatur in suum facinus auctorem. Oculos rapuit, effodit? Reddat de suâ cæcitate solatium. Brevissima justitia est vindicta, cùm facinus pœnæ mensura est. Atque si naturam ultionis inspicias, optimè vindicatur quisque quo modo miser est.

Ioan. Dubravius hist. Bohemica l. 22.

Carolus IV. Imperator, Talionis pœnam in lege veteri usurpatam, severus scelerum vindex suâ etiam ætate imperióque usurpavit. Cùm ergo Carolus sederet pro tribunali oblatus ei vir nobilis (cui Zachora nomen) qui presbyterum utroque oculo privârat. Admissum crimen partim excusare reus, partim largitione pecuniarum diluere conabatur. At Imperator Talionis pœnam exigens: Hæc pulla, inquit, satisfactio est. Nec enim cæco restitui possunt oculi. Ut igitur jus æquum sit, utroque oculo privandus es. Jus istud, facinorose, nequaquam ut rigidum accuses, Talionis pœnâ oculorum dies tibi auferetur, qui eum innocenti abstulisti.

Trochaicus vetus.

Nil acerbi est, si in te fiat, alteri quod feceris.

Non æquâ solùm sed & pari eademque Deus mensurâ remetietur.

Idcirco hæc prædico vobis, & testificor: ô Christiani, *quoniam vindex est Dominus in his omnibus. Eâdem quippe mensurâ quâ mensi fuerimus, remetietur nobis.* Nos verò cæci & fatui, ad nocendum aliis promptissimi nimis quàm stultè hos tales nequitiæ damus colores. Est qui dicat: Sinite, huic homini hoc facto illudam, sycophantiam illi struam, quid enim vetat astutiam instituere? Ergo fabricam ad hunc hominem fingam, illum stratagemate percutiam, isti os oblinam offuciis, &c.

1. Thess. c. 4. *vers.* 6. *Luc. cap.* 6. *vers.* 38.

Mille talia quotidie vel invitus audies. Sed quid ista, ô insani homines, quid ista vel in animum admittere audetis? Hanc ipsam sycophantiam, & forsan damnosiorem vobis alii struent; hoc ipso stratagemate pereutiemini. Hæc ipsa fabrica, ô vafer & nequam homo, ad te fingetur; quidquid veneni coxeris propinandum alteri, tu ipse sorbebis, justissimâ Talionis pœnâ; in tuumnet caput recidet quidquid malorum in alios fueris commentus, *quoniam Vindex est Dominus de his omnibus.*

§. III.

Plin. lib. 35. *Nat. hist. cap.* 8. *pag.* 712.

REm notam passim, & testatam narrans Plinius: Perillum, inquit nemo laudat sæviorem Phalaride tyranno, qui taurum fecit æneum, mugitus hominis pollicitus, igne subdito, & primus eum expertus est cruciatum, justâ prorsus sævitiâ, & commeritâ Talionis pœnâ. Quod & Naso cecinit:

Ovid. in arte.

Et Phalaris tauro violenti membra Perilli
Torruit; infelix imbuit auctor opus.

Veteri jactatur verbo: Si quis, quod fecit, patiatur, jus erit æquum. Nam, ab alio expectes, alteri quod feceris Deus pari monetâ soluit. Deus profectò

In te talis erit, qualem te senserit alter.

Certissimum. Eâdem quippe mensurâ, quâ mensus fueris, remetietur tibi. Quisquis alterum fallit, falletur. Phædrus Augusti Cæsaris libertus elegantis vir ingenii hoc ipsum apologo monstrat, quem recito:

Phædrus fab. 26. de Vulpe & Ciconiâ.

Nulli nocendum; si quis verò læserit,
Mutilandum simili jure, fabella commonet.
Vulpes ad cenam dicitur Ciconiam
Prior invitasse, plerâque in lance liquidam
Posuisse sorbitionem, quam nullo modo
Gustare cupiens potuerit Ciconia.
Quæ vulpem cùm revocasset, intrito cibo
Plenam lagenam posuit: huic rostrum inserens
Satiatur ipsa, & torquet convivam fame.
Quæ cùm lagenæ frustra collum lamberet
Peregrinam sic locutam volucrem accepimus:
Sua quisque exempla debet æquo pati.

Nimirum qui decipit, decipietur; hærebit in tendiculâ, quam locavit alteri. *Quoniam vindex est Dominus.*

Iudic. cap. 1. *vers.* 4. *& segq.* Ab Adonibezec Deus pœnam talionis sepetiit.

Israëlis populus, quod Judicum fasti memorant, sumptâ expeditione adversus urbem Bezec victoriam retulit nobilissimam. Etenim non solùm decem millia virorum in hostili exercitu interfecit, sed & urbis dominum, regem Adonibezec è fugâ retractum, quo alios ipse mulctaverat infami supplicio, eodem ipsum etiam affecit Judas dux belli victor. Nam Adonibezec septuaginta reges, seu, regulos diversarum urbium &, provinciarum diversis præliis debellatos & captos ad potentiæ & victoriarum ostentationem, simul etiam ad crudelis animi sui, suorúmque convivarum oblectationem coëgit sub mensâ suâ, præcisis antè pedum manuúmque digitis, decidua panis & ciborum fragmina canum instar hiante ore excipere, atque ita ludos dare convivantibus. Quantus, obsecro, hîc epularum luxus fuerit, è cujus diffluentibus micis septuaginta viri pascerentur? Sed à barbaro & crudeli tyranno justissimam Talionis pœnam Deus repetiit. Nam sicut ipse alienum manuúmque digitos præcidit, ita & ipsi in manibus pedibúsque sunt præcisi, talione meritissimâ. Nam *per quæ* [illegible] *quis peccat, per hæc & torquetur.* Cùm igitur ita malè mulctaretur, in has voces erupit: *Septuaginta reges amputatis manuum pedúmque summitatibus, colligebant sub mensâ meâ ciborum reliquias: Sicut feci, ita reddidit mihi Dominus.* Ita tibi reddidit, ita & aliis quibuscunque redder, qui, quod sibi

Sap. cap. 11. *vers.* 17. *Ne vel ipse gere, vel emma. tradam possint ser-*

sibi nollent fieri, id tamen fecerint alteri. Pœna Talionis divinitus sumenda est certissima, etiamsi ea triginta vel quinquaginta, vel etiam annis centum videatur cantari. Hæc prædico vobis & testificor. *Nemo igitur supergrediatur neque circumveniat in negotio fratrem suum, quoniam vindex est Dominus de his omnibus,* tam minimis, quàm maximis. Nemo læsus ulciscatur ipse injuriam. Jus gladii sacrosanctum Deo soli competit, aut quibus id ille commiserit. Quod Hieremias vates promulgans: *Fortis,* inquit, *ultor Dominus, reddens retribuet, vindicans vindicabit,* sed in tempore suo. Ad quod etiam Juditha vidua non semel acriter cohortata: *Non ulciscamur nos,* inquit, *pro his quæ patimur, Dominus omnipotens vindicabit in eis. Lætabitur justus, cùm viderit vindictam.* Attendite mortales: Nemo nocet alteri gratis. Æqua Talionis pœna in omnem ejuscemodi noxam animadvertit vigilantissima. Non igitur læde, nec læsus vindica.

Nemo malum malo rependit nisi malus.

CAPVT XXII.

Idem copiosiùs & confirmatiùs docetur.

LEx Talionis olim à Deo constituta hæc erat: *animam pro animâ, oculum pro oculo, dentem pro dente, manum pro manu, pedem pro pede, adustionem pro adustione, vulnus pro vulnere, livorem pro livore, fracturam pro fracturâ: sicut fecit, sic fiet ei: qualem inflixerit maculam, talem sustinere cogetur.* Hoc autem jus sibi uni usurpandum excepit Deus. Hunc gladium humana manus tractare nequit. *Omnes enim qui acceperint gladium, gladio peribunt.* Deus ultor, Deus vindex: *Scietis,* inquit, *ultionem meam* ex eis.

Danielis innocentia nec regio quidem patrocinio satis defensa invidiæ coacta est cedere, exceptionem omnem rejecit invidia; in leonum caveam demissus est Daniel. Sed qui ei hoc confecerunt malum, suo id exitio pertulerunt ipsi; exedendum eis fuit, quod intrivetunt alteri; monerâ pari repensum est flagitium. *Apprehendit Deus sapientes in astutiâ eorum, & consilium pravorum dissipavit.* Hunc lusum divina sapientia toto terrarum orbe ludit etiámnum quotidie; minimæ, maximæ culpæ ab altero in alterum admissæ justâ Talionis pœnâ sunt luendæ. Nemo in alium impunè malevolus est. Lex Talionis etsi nonnunquam connivere videatur, vel serò tandem plectit nocentem. Idcirco tanti refert, ut hanc Talionis pœnam & legem quàm optimè capiamus, eámque mentis oculis assiduè contemplemur, & nobiscum ipsi nunquam non reputemus istud: Si noceas, imò si vel solùm velis nocere, nocebitur tibi; malum, quod alteri dictaveris, ipse patieris. Atque de hoc priori capite cæpimus disserere; jam cœpta pertexemus, atque demonstrabimus, cur neminem scientes ac volentes vel minimùm lædere, cur læsi non vindicare illud & ulcisci debeamus. Jus istud divini tribunalis est, non nostri. Lege Talionis Deus peritissimè utitur, & ad justitiæ libellam exactissimè Talionis mulctam infligit, quod jam explicatiùs trademus.

§. I.

HAtto Moguntinus episcopus (quod Gazophylacium Christi cum attributionibus memorat) hominum egenorum plurimos, ut fama est, concluſit horreo, quod incendit. Dum miseri ejularent in ignibus, dixisse fertur: Audite, ut sibilent mures. Sed ipse demum, quidquid faceret, quocunque fugeret, quidquid muniminis adhiberet, & licet è continenti sedem suam in aquas transferret, mediis tamen aquis à muribus deprehensus & corrosus est. Hinc etiámnum vetus rei vestigium esse affirmant Turrim murium, Rheno cinctam. Luculentum prorsus divinæ Talionis testimonium, si verum. Est qui pluribus hanc esse fabulam contendat. Sed isthoc sanè testimonio nos non egemus; certiora supersunt.

Nicolaus Serarius lib. 4. de rebus Moguntiacis cap. 1. usque ad 7. mihi pag. 693.

Filius ad flagitia natus, immorigerus & inobsequens parentibus, patrem suum capillis dicitur extra ostii limen extraxisse in viam. Stolidus pater, & olim nimiùm indulgens filio, precabatur gratiam, nec sine ratione, se quidem aliquando simile quid ausum, sed suum à se patrem non extra fores protractum. Non nescimus similia crebrò contigisse, & filios suis se parentibus tales exhibuisse, quales olim & ipsi parentes se suis exhibuissent progenitoribus: refractarii refractarios, obsequiosi & morigeri obsequiosos & morigeros senserunt. *Vindex est Deus de his omnibus.* Pœna Talionis nunquam non vigilat in reos. Rudolphus dux Sueviæ à plerisque omnibus Germaniæ principibus Imperator dictus, arma sed non adeò fortunata movit in Henricum IV. Imperatorem, qui Pontificem Romanum Gregorium VII. variè exagitavit, eámque ob caussam diadema & purpuram exuere jussus est. Rudolphus cum exauctorato jam Imperatore Henrico ad Ellestrum amnem collatis signis congressus, sed infeliciter; nam dextrâ præcisâ & ventre suffosso, vivus tamen pugnâ excessit. Hîc proceres suos, ut dicitur, allocutus: En, ajebat, Henrico domino meo, quas debui, pœnas dedi, eâdem dextrâ, quâ olim sacramentum dixi, & fidem illi meam obligavi, nunc mutilo mihi moriendum; & ut perfidiam mortuo exprobrare possit tumulus, eum non ampliùs integer subibo. Ita Urspergensis Abbas & Antonius Bonfinius memorant. De Henrici & Rudolphi caussâ hîc disceptare nostri muneris sanè non est. Uter jure fuerit æquiore, æquo historiarum lectori permittimus judicandum. Nos Talionis legem hîc prosequimur. Jámque asserimus omnium propè tarum testimoniis divinum jus istud multò æquissimum esse, nec illius in alterum fraudes & nequitias vel levissimas inultas impunitásque dimitti, sed præsenti sæpius monetâ reddi. Ita divino jussu vociferatus Isaias: *Ecce vos omnes,* inquit, *accendistis ignem, accincti flammis ambulate in lumine ignis vestri, in flammis, quas succendistis. De manu meâ factum est hoc vobis; in doloribus dormietis.* Hoc idem jus Hieremias promulgat: *Sicut fecit, facite ei, quoniam Domini ultio est.*

Nicolaus Serarius lib. 4. de rebus Moguntiacis cap. 1. usque ad 7. mihi pag. 693. In Rudolphum Ducē Sueviæ. *Conradus à Liechtenau Abbas Urspergensis in Chronico suo mihi p. 172. & Anton. Bonfin. Decade 2. Rerū Vngaricarū lib. 3. mihi pag. 212. Sed ne quid dissimulem, hi scriptores refelluntur ab Andreâ Brunero p. 3. Annal. Boiorum lib. 11. mihi p. 1074. Dux Sueviæ Rudolphus in Roman. Regem electus est anno 1077. Ita Vrspergensis. Isaiæ c. 50. vers. 11. Hier. c. 50. vers. 15.*

Hoc idem jus sententiis & consensu omnium gentium jam pridem confirmatum. Tam apud Græcos quàm Romanos usurpatissima sunt isthæc talia: Hanc technam in teipsum struxisti; hoc commentum in tuum ipsius exitium reperisti. Quod túte intrîsti, hoc tibi exedendum erit. Turdus ipse sibi malum creat. Nam è fimeto turdi viscus, & viscatæ virgæ parantur, quibus & turdus & aliæ aves capiuntur. Eloquii Tulliani est: In tuum ipse mucronem incurres. Ita Livius bellum Punicum secundum executus: Sentiebat Hannibal, inquit, suis se artibus peti. Hinc illa passim decantata: Suâ arte, suo gladio, suâ lege, suo telo jugulari. Hinc ingemiscentis questus illi:

Glutinum aucupum.

Heu patior telis vulnera facta meis.

Ovid. in epist. Heroidum.

Ita Goliathus dux Philistæus suómet gladio interemptus. *Banaias* ex agmine Hebræo vir robustissimus (quod Chronicon Regum memorat) *percussit virum Ægyptium, cujus statura erat quinque cubitorum, & habebat lanceam ut liciatorium texentium: descendit, igitur ad eum cum virgâ & rapuit hastam, quam tenebat manu & interfecit eum hastâ suâ.*

1. Par. c. 11. v. 22. & 23.

E scriptoribus Augustæis Trebellius Pollio refert, Marium, qui ævo Gallieni è triginta tyrannis unus fuit, olim fabrum ferrarium in officinâ cultros & gladios fabricasse. A follibus & ferro ad militiam provolavit: hîc eos fecit progressus, ut Imperator demum evaserit. Sed quod tam miserum quàm ridiculum; omnis Imperatoria ejus potestas unico triduo finita expiravit. Nam miles è Marii officinâ, Marium confodiens: Hic est, inquit,

Idem refert Aurelius Victor lib. de Cæsaribus, mihi p. 140.

inquit, gladius, quem ipse fecisti. Ita scorpium cornix rapuit, sed à suâmet prædâ vulnus & unà mortem accepit, ita rapinæ vitam impendit suæ.

Hæc omnia monitorum vicem sunt; quæ hoc unum identidem instillant: Quoniam Deus vindex est, & ultor usquequaque exactissimus in vindicandis fraudibus & injuriis omnium, qui vindictam ipsi uni transcribunt Tolerantiâ.

Hanc Talionis legem & pœnam sicut Latini & Græci, sic & Hebræi parœmiis diversis enunciantes. Securis, ajunt, è silvâ prodit, sed & redit in silvam & arbores succidit. Sagitta ferit eum, à quo emissa est. Faber gerit compedes quas fecit; cochleari, quod ipse fecit, os comburit. Nervosè ac sapienter dixit Attalus: Malitia maximam sui partem bibit. A quo non multùm abludens Hesiodus: Consilium malum, inquit, rex pessima consulenti.

Cùm Theodosius Imperator acie jam structâ Eugenium tyrannum peteret, ita faventem habuit ventum, ut missilia ab hostibus jacta in hostes revolarent. Quod Claudianus hoc metro executus.

Claudian. in paneg. Theodos.

O nimiùm dilecte Deo, cui fundit ab antris
Æolus armatas hiemes, revolutaque tela
Vertit in auctores, & turbine reppulit hastas.

Saul & Achitophel suiipsorum carnifices fuerunt.

Ita Saul & Achitophel, qui exitium Davidis & interitū summis studiis, impendiis maximis quærebant, suiipsorum carnifices fuerunt, suâ ipsi manu jugulati. Rex David à Saule ad necem undique quæsitus, cùm occidendi Saulis occasionem haberet paratissimam, manus tamen

1. Reg. c. 24. v. 13. & 16.

à cæde abstinuit, atque hoc unum dixit: *Iudicet Dominus inter me & te, & ulciscatur me Dominus ex te; manus autem mea non sit in te. Sit Dominus judex.* Certè fuit, simul & vindex. Ipse suo se gladio Saul induit; ipse suâ se manu suspendit Achitophel.

Talionis pœnam subiit rex Antiochus. 2. Machab. cap. 9. v. 4. 5. 6.

Ita rex Antiochus minabatur *se venturum Hierosolymam, & congeriem sepulchri Iudæorum eam facturum. Sed qui universa conspicit Dominus Deus Israël percussit eum insanabili & invisibili plagâ. Vt enim finivit hunc ipsum sermonem apprehendit eum dolor dirus viscerum, & amara internorum tormenta: & quidem satis justè, quippe qui multis & novis cruciatibus aliorum torserat viscera.* Ita eum cæleste perurgebat judicium & æquissima Talionis pœna. *Igitur pessimè*

Et v. 28.

percussus, & ut ipse alios tractaverat, peregre in montibus, miserabili obitu vitâ functus est. Vindex est Dominus.

§. III.

Eccli. c. 27. vers. 28. Ita Nicol. Liranus. Ibid.

HÆc omnia oratione brevi complexus Siracides: *Qui*, ait, *in altum mittit lapidem, super caput ejus cadet.* Duræ scilicet vindictæ sententia, quæ mentem perpetuo dolore cruciet. *Et plaga dolosa dolosi dividet vulnera.* Ita quidem ut partim vulneret percussum, partim ipsum etiam percutientem, & quandoque hunc multò gra-

Ibid. v. 29.

viùs; ita vulnera dividentur: *Et qui foveam fodit, incidet in eam.* Idem præcinit & psaltes: Lacum aperuit, & effodit eum, & incidit in foveam, quam fecit. Convertetur dolor ejus in caput ejus, & in verticem ipsius iniquitas ejus

Ibid.

descendet. *Et qui statuit lapidem proximo suo, offendet in eo, & qui laqueum alii ponit, peribit in illo.* In falsis Susannæ judicibus, in invidis Danielis accusatoribus compertum est hæc omnia esse verissima. Lapis in altum missus in ipsorum caput recidit. Dolosa invidiæ plaga Danielem leviùs, quàm dolosos ipsos vulneravit; inciderunt in leoninam foveam, quam Danieli effoderunt. Ad lapidem offenderunt, quem Danieli statuerunt. Perierunt laqueo, quem innocenti posuerunt. Nimirum, quod psal-

Ps. 9. v. 16. Eccli. c. 27. vers. 30.

tes dixit, *in laqueo isto, quem absconderunt, comprehensus est pes eorum.* Addit Siracides: *Facienti nequissimum consilium, super ipsum devolvetur, & non agnoscet unde adveniat illi.* Nam subitò & ex improviso illud idem consilium, quo alteri malum machinabatur, ipsum opprimet consultorem. Deus enim ulciscetur illius noxam eâ ratione ac viâ, quam ille nunquam suspicatus est. Quocirca David multâ ejus rei experientiâ confirmatissimus: *Cognovi*, ait, *quia faciet Dominus judicium inopis, & vindictam pauperum: Vlciscens in omnes adinventiones eorum.* Ad institutum faciunt, quos è Rhadamanto versus recitant:

Ps. 139. vers. 13. Ps. 58. v. 6.

Iusta malis hæc est admisso crimine pœna,
Si quæ fecerunt, eadem patiamur & ipsi.

Res certissima Auctorem scelus repetit, suóque premitur exemplo nocens. *Et sicut exemplum bonum*, ait Seneca, *circuitu ad facientem revertitur: sic mala exempla recidunt in auctores, nec ulla miseratio contingit his, qui patiuntur injurias, quas posse fieri, faciendo docuerunt.* Plutarchus de serâ Numinis vindictâ memorat, Callippum eodem ipso pugione, quo Dionen ille sub amici specie interemerat, à sociis fuisse jugulatum. Innumera talia quotidianæ sunt experientiæ documenta.

Facetiæ & nequioris notæ sales sine Talionis pœnâ sunt.

Nec ipsæ quidem facetiæ, & nequioris notæ sales sine Talionis pœnâ sunt. Anno Christiano millesimo quingentesimo septuagesimo octavo, ejectis Antuerpiâ urbe minimæ Societatis Patribus, inter eos qui vacuas eorum ædes invisebant, partim avidè alienas domos, ut fit, inspecturi, partim usurpaturi oculis gaudium ex inimicorum infortunio, fuit unus aliquis è trivio scurra, ut sibi videbatur, non infacetus, qui ludum populo daturus, hasce ædes ingressus, fasciculum straminis albæ appensum virgæ pro foribus suspendit è fenestrâ quasi civicam plebem domestici funeris ac pestilentiæ, more gentis admoniturus. Movit ea species prætereuntibus admirationem, nonnullis & risum. Atque ex eis uni fores importunè pulsanti, ille intus exclamans: Quid, malum, hic pulsas? inquit. An non præfixa mortis insignia, virgam & stramen inspicis? Quotquot has ædes incolebant, pestilentiâ sublati sunt. Mirum dictu: eodem die cùm nusquam esset in urbe contagio, malevoli derisoris domum invasit pestis, coëgitque illum domi suæ flere id, ex quo risum in alienâ captaverat. Ad minima quæque vigilat justissima Talionis pœna. Cùm enim vindicta divina, inquit Nicetas Choniates, tot manus & pedes habeat, cùm acutissimè omnia perspiciat, & patentibus prædita sit auribus, nil oblivíscitur, nil inultum præterit.

At nos adeò præfractè fatui, & ad nocendum aliis tam prompti sumus, ut ubi vel minima sese prodit occasio, mox velut gratulabundi advolemus dicamúsque: Hàc vulneri patet locus, configamus hunc nebulonem; impellamus illum in has pedicas, his hærebit: *Venite, eradamus eum de terrâ viventium.* Mille talia quotidie est audire. Insania incredibilis, & cæcitas humana non cogitantium: Deus etiámnum orbem administrat inspector & scrutator animorum. Quid hæc ago? Hic lapis in caput meum recidet, hoc jaculum latus meum hauriet: quidquid ego vaframenti aut infortunii in alium struxero, in meum verticem revolvetur. Nam quamvis ille, quem meis artibus peto, tam imbecillis sit, ut mihi resistere non possit, Deus reverà hoc impunè non sinet. Humanis fraudibus non fallitur Numen. Hoc machinamentum, hunc astum meum *Vindicans vindicabit, Altissimus enim patiens est redditor*, etiam minimorum, quæ nos hilares nugas, & joculares astutias specioso nomine appellamus. At Deus etiam horum pœnas repetit, *Vlciscens in omnes adinventiones*. Hinc cum inopinato, quod sæpe fit, malo involuimur, pro se quisque cogitet: An non tu simile quid alteri fecisti? Cogita. Nunc igitur Talionis pœna te tangit, & non agnoscis unde adveniat. Sed anni sunt, inquit, jam multi cùm hoc à me factum. O te albæ mentis hominem! *Patiens redditor est Altissimus*, qui expetendam Talionis pœnam in annos triginta, septuaginta, centum ac plures possit differre. Vadimonii diem producit, non omittit.

Hier. c. 15. vers. 15. Eccli. c. 5. v. 5. Ps. 58. v. 6. Eccli. cap. 5. vers. 4.

Non ergo quemquam vel re minimâ lædamus, sed, nec lædere cogitemus, *quoniam vindex est Dominus.* Eâdem

1. Thess. 4. vers. 5.

dem quippe mensurâ (quod millies ingerendum) quâ mensi fuerimus, remetietur nobis eâdem. Sed non tantùm neminem lædamus, sed nec vindicemus læsi. Quod Deus sæpius severè præcipiens. *Non quæras ultionem, inquit, nec memor eris injuriæ civium tuorum. Mea est ultio, & ego retribuam eis in tempore. Mihi vindicta, ego reddam.* Aut igitur neminem læde, nec læsus vindica, aut à Deo certissimam Talionis pœnam expecta.

Levit. c. 19. vers. 18. Deut. c. 32. vers. 35. Hebr. c. 10. vers. 30. & Rom. cap. 12. vers. 19.

CAPVT XXIII.

Danielis admiranda visio de quatuor diversis bestiis.

SAcra Danielis historia sex primis capitibus res gestas quatuor regum, Nabuchodonosoris, Balthasaris, Darii, Cyri recenset. Capite insequenti septimo ab historiâ fit transitus ad visiones. Vidit Daniel anno Balthasaris regis primo, Hebrææ plebis captivæ quinquagesimo quarto: Daniel, inquam, vidit quatuor diversas belluas è mari emersas. Prima divino spectatori objecta fuit Leæna, & quidem alata. Ursus altera. Tertia Pardus, sed alis pariter, perinde ut leæna, instructus. Quarta horribilis & ignota fera; dentibus ferreis, cornuta. Per quatuor has bestias à se visas Daniel diversas quatuor Monarchias orbis adumbrat, quod jam explicabimus.

Quatuor bestiæ à Daniele visæ quatuor orbis monarchias adumbrant.

§. I.

Dan. cap. 7. vers. 2. VIdebam, inquit Daniel, *in visione meâ nocte, & ecce quatuor venti cæli pugnabant in mari magno.* Num propheta quatuor Angelos, regnis quatuor Præfectos, an verò varias regnorum mutationes, tumultus, seditiones intelligat, ab eruditis disceptari potest. Nos scholis hæc talia permittimus enucleanda. Quatuor diversæ bestiæ, priscorum patrum consentiente explicatu, quatuor regna seu monarchias designant.

Prima quasi leæna, & alas habebat aquilæ. Hæc Babylonis, regni Chaldæi, & Nabuchodonosoris est effigies. Mirabilis sanè bellua Nabuchodonosor, alatus leo. Et quamvis à Daniele hoc loco dicta Babylonicum regnum primario significatu spectent, ipsum tamen etiam Nabuchodonosorem demonstrârt, qui Babylonis * amplificator & alter conditor. Hinc leoni alis aquilinis prædito comparatur. Nam uti principes animantium sunt Leo & Aquila, ita metallorum rex est aurum. Atqui statuæ in somnio visæ caput aureum Nabuchodonosorem notabat. Quod clarissimè Daniel: *Tu*, inquit, *rex regum es, Tu es ergo caput aureum.* Hebræus vates Hieremias Nabuchodonosorem sub leonis schemate describens: *Ascendit leo de cubili suo*, ait, *& prædo gentium se levavit: egressus est de loco suo, ut ponat terram tuam in solitudinem: civitates tuæ vastabuntur remanentes absque habitatore. Super hoc accingite vos ciliciis, plangite & ululate.* Sed & Aquila fuit Nabuchodonosor, qui magnâ celeritate, multisque victoriis imperium Babylonicum ampliavit. Quod vaticinatus Habacuc: *Opus*, inquit, *factum est in diebus vestris, quod nemo credet, cùm narrabitur. Quia ecce ego suscitabo Chaldæos, gentem amaram & velocem, ambulantem super latitudinem terræ, ut possideat tabernacula non sua. Horribilis & terribilis est: ex semetipsâ judicium & onus ejus egredietur. Leviores pardis equi ejus, & velociores lupis vespertinis, & diffundentur equites ejus: equites namque ejus de longè venient, volabunt quasi aquila festinans ad comedendum. Omnes ad prædam venient, facies eorum ventus urens: & congregabit quasi arenam captivitatem. Et ipse de regibus triumphabit, & tyranni ridiculi ejus erunt: ipse super omnem munitionem ridebit, & comportabit aggerem, & capiet eam. Tunc mutabitur spiritus, & pertransibit, & corruet: hæc est fortitudo ejus Dei sui.*

Lib. v. 4. Leæna Babylonis, regni Chaldæi, & Nabuchodonosoris effigies.

** Quadrias Semiramis Assaltuica candidisse dicitur: Semiramis Assyria muri cinxisse. Dan. cap. 2. v. 37. & 38. Hier. cap. 4. v. 7. & 8. Nabuchodonosor dicitur aquila, quia magna celeritate imperium Babylonicum ampliavit. Habac. c. 1. vers. 5. 6. & seqq.*

Nabuchodonosori porrò leoni adeò creverunt alæ aquilinæ, ut ei reges alii, quantumcunque potentes essent risui: *Tyranni*, ait Habacuc, *ridiculi ejus erunt*; ludibrio eos habebit, faciétque illos moriones suos, vel scabella pedum, quod Sapor fecit Valeriano Cæsari, & Tamerlanes Bajazeti Turcarum Imperatori. Tunc elato tot victoriis Nabuchodonosori *mutabitur spiritus* ex humano quasi in divinum; volet enim in aureâ statuâ, quam eriget, adorari ut Deus. Hanc ob causam ex humano spiritu mutabitur in ferinum, ut sibi bos esse videatur. Unde ex hominum cœtu transibit ad convictum belluarum, & ex altissimo fortunæ fastigio, in abyssum miseriæ & infelicitatis corruet. Atque ob eandem Chaldæorum superbiam ab ipsis Monarchia ad Persas & Medos transibit. Hæc scilicet ista est divina Nabuchodonosoris & Dei sui fortitudo. Glorietur nunc leo iste de suis & Beli sui viribus, quibus adeò insolescebat. Idcirco & Daniel primam hanc belluam considerans: *Aspiciebam*, inquit, *donec evulsæ sunt alæ ejus, & sublata est de terrâ, & super pedes quasi homo stetit, & cor hominis datum est ei.* Geminæ alæ Nabuchodonosori sunt præcisæ, duplex imperium Assyriacum & Babylonicum illi ademptum, ipse insuper rationis usu, & humano sensu privatus in silvas instar onagri correptit, dum sériò resipisceret, Deúmque agnosceret. Ita hæc bestia in pedes erecta ut homo. Nec diu tamen hoc gradu perstitit. Nam Darius & Cyrus non solùm pennas aliquot sibduxerunt alis, sed alas totas evulserunt; siquidem Babylone occupatâ geminum imperium ad Persas & Medos transtulerunt. Hic Tullianum illud usurpemus. *Qui mihi pennas inciderunt, nolunt easdem renasci.* Nabuchodonosor alatus leo, volatus nimis altos meditatus, tam altè corruit, quàm ascendit, insuper & alas amisit. Discant homines non altè volare, sed modestè incedere, ne (beati Maximi verbis) ambulare non possimus, qui volare tentavimus, & amittamus plantas qui assumpsimus pennas.

Dan. cap. 7. vers. 4. Geminæ alæ Nabuchodonosoris Assyriacũ & Babylonicum imperium.

Cicero l. 4. epist. ad Atticum.

Maximus hom. 4. de SS. Apostolis Petro & Paulo, mihi pag. 221.

§. II.

ALtera bestia Danieli visa, Ursus. *Et ecce*, inquit, *bestia alia similis urso in parte stetit: & tres ordines erant in ore ejus, & in dentibus ejus, & sic dicebant ei: Surge, comede carnes plurimas.* Persarum & Medorum monarchia hîc repræsentatur ursus. Crudeles ursos esse sacræ docent paginæ. Salomonis effatum est: *Leo rugiens, & ursus esuriens, princeps impius super populum pauperem.* Hieremias vates: *Ursus insidians*, inquit, *factus est mihi, leo in absconditis.* Persarum crudele ingenium *a* Theodoretus pluribus commonstrat. Isdegerdes, Sapor, Baramenes reges Persici heu quales fuêre in Christianos? lentis eos suppliciis affecerunt, membratim mori jusserunt, pellem vivis abstraxerunt usitatâ crudelitate. *b* Cælius Rhodiginus suis illos coloribus expingens: Callidi sunt, inquit, superbi, crudeles, vivis hominibus cutes detrahunt per partes, sed & integras quandoque. Ministris inter epulas nec hiscere licet, nec ipuere. Ursi sunt Persæ sævitiâ.

Dan. cap. 7. vers. 5.

1. Inter Ursum & Persarum monarchiam cõparatio.

Prov. c. 28. vers. 15. Thren. c. 3. vers. 10.

a Theodoret. lib. 5. cap. 18. Socrates l. 7. cap. 8. v. 11.

b Cælius l. 18. Antiq. lect. cap. 18. pag. 695.

Deinde ursi laborum & inediæ patientissimi Aristotele, Plinio, Æliano testibus, hiemem suctu priorum pedum agit ursus: idem facit ursa nimium pinguescens. *c* Persæ vetères quod Xenophõ *d* affirmat, laboriosi, parsimoniâ & abstinentiâ præcipui pæne solo cum sale ac cardamo victitârunt. Thomas Aquinas è Trogo Pompeio testimonium recitans: Persæ, inquit, adeò parci sunt in victu, ut pæne sicco pane semper utantur, nisi gratiâ hospitum, vel festi caussâ rationem mensæ mutent. Quæ Herodotus *e* confirmans: E coriis, inquit, reliquam vestem ferunt, qui non quibus volunt, cibis vescuntur, sed quos habent, utpote regionem asperam incolentes. Ad hæc potu non vini utuntur, sed aquæ.

Secunda.

c Aristot. l. 8. hist. animal. cap. 17. Plin. lib. 8. Nat. hist. c. 36. Ælian. l. 6. histor. Animal. cap. 3.

d Xenophon lib. 1. & 7.

e Herod. l. 1.

Tertiò, ursi sunt hebeti visu, molli ac debili capite. Plinius id asserens: Invalidissimum, ait, ursо caput, quod leoni fortissimum? Hinc ursi caput vel minimi vulneris

Tertia. Plin. loc. cit.

impatiens, quod ei grave admodum aut letale. Hinc ursus sæpe colapho infracto exanimatur. Quâ in re illis Persæ simillimi, quibus caput mollissimum, si cutem detrahas, non difficulter friabile. Herodotus pugnam inter Ægyptios & Persas commissam memorans: Ibi ego, inquit, rem mirandam vidi, ab indigenis edoctus. Ossa eorum, qui in acie ceciderunt, quæ jacerent fusa, ut ab initio distincta fuerant, seorsum erant Persarum, seorsum Ægyptiorum. Sed Persarum capita adeò fragilia sunt, ut si velis ferire vel solo calculo, perforare possis; Ægyptiorum autem firma, ut ea vix ictu lapidis elidas.

Herodot. in Thaliâ.

Quarta. Quartò ursus mellis appetentissimus inter apum examina se immittit, atque certè ut apicularum aculeis, velut scalpellis, sanguis sibi mittatur à capite. Ita ille cucurbitulæ usum seu scarificationem suam ac phlebotomiam ad alvearia invenit. Sed & illud de hac bestiâ notum. Ursus quandoque adeò gravatur somno, ut nec verberibus facilè possit excitari. Ei autem somnus alimenti loco est, quo pingueſcit, uti & glires. Hinc desidi ac otioso homini sua cognomina. Persæ non prudentiâ, neque vigilantiâ, sed numero & turbâ subinde hostes devicerunt. Ignavia hostium sæpe ad victoriam stravit iter.

Quinta. *Ælian l. 2. de Animalibus c. 19.* Quintò, informis est ursæ fœtus, rudis & alba caro sine pilis, sine oculis & cruribus, sed mater catulum formatlambendo. Exiguum fuit Persici regni principium; Cyrus in silvas exportari, & feris objici jussus ab Astiage avo, sed contra voluntatem avi ad diadema & solium evectus suos tractare arma docuit, imperii Persici princeps & auctor: qui in tantum Imperatorem evasit, sicut ursus ex informi & pæne mortuâ carne in horribilem feram.

Sexta. *Rhodigin. l. 18. Antiq. lect. cap. 19.* Sexto Provincia Persica, sterilis & confragosa, ursos alit & plures; quàm aliæ terræ, & ferociores. Hinc Persidis symbolum Ursus.

§. III.

Dan. cap. 7. vers. 6. Pardo Macedonicũ imperium designatur. 1. Inter se cõparatio: A maculis & vario colore.

TErtia bestia Danieli visa Pardus, de quo ipse: *Post hæc aspiciebam*, inquit, *& ecce alia quasi pardus, & alas habebat, quasi avis, quatuor super se; & quatuor capita erant in bestiâ, & potestas data est ei.* Græcum & præcipuè Macedonicum imperium, quod Alexander rex victo Dario auxit & stabiliit, Pardo designatur.

I. Pardus maculosus & varii coloris. Ingenium Græcum simulare, fallere, dissimulare doctum, quod in Ulysse Homerus, in Sinone Virgilius expressit, quem specimen Græcorum esse voluit:

Virg. lib. 2. Æneid. init. mihi p. 139.

Accipe nunc Danaûm insidias, & crimine ab uno
Disce omnes. ———

Hier. cap. 13. vers. 23. 2. In velocitate. *Habac. c. 1. vers. 8.* Tales sunt Græci omnes, quales in Sinone cernis describi. Mentionem Pardi maculosi faciens Hieremias: *Si aut mutare potest Æthiops pellem suam, aut Pardus varietates suas.* II. Pardus eximiæ velocitatis est. *Leviores Pardis equi ejus.* Alexander Imperii Macedonici conditor usque adeò incitatâ fuit tam velocitate, quàm felicitate, ut brevi tempore immensa confecerit spatia. Quod obstupescens Hieronymus: *Nihil*, inquit, *Alexandri victoriâ fuit velocius, qui ab Illyrico & Adriatico mari usque ad Indicum oceanum & Gangem fluvium, non tam prælii quàm victoriis percurrit, & sex annis partem Europæ, & omnem sibi Asiam subjugavit.* De eodem hoc Alexandro rege historia Machabæa: *Qui constituit prælia multa*, inquit, *& obtinuit omnium munitiones, & interfecit reges terræ, & pertransiit usque ad fines terræ, & accepit spolia multitudinis gentium, & siluit terra in conspectu ejus.* Ita Pardus iste instar avis habuit alas celeritate victoriarum. III. Pardus, Æliano ac Plinio teste, pergratum halat de se odorem, quo Dorcades, cervos, capras, aliásque animantes allectas ad se trahit, capit, discerpit. Neque hîc Alexander Pardo seu Pantheræ, vel Pardali dissimilis: Nam, quod Plutarchus & Rhodiginus asserunt, rex ille Macedo usque adeò gratum odorem ex se spirabat, ut illius vestes aut aromate infectæ, aut unguentis viderentur delibutæ. Plutarchi verba sunt: Dicitur corpus ejus suavissimè oluisse, ita ut tunicularum fragrantiâ repleretur, aromatum odorem æmulante. Quod ipsum etiam videtur caloribus deberi: siquidem terræ ficissima & calidissima locathus & casiam proferunt: & fragrantiam Theophrastus nasci tradit coctione quadam humorum, quando quod noxium erat, calore excoctum fuerit ac dissipatum.

Hier. cap. 4. comment. in Danielem.

1. Machab. cap. 1. v. 2. & 3. 3. In odore & fragrantiâ. *Ælian l. 5. de Animal. c. 40. Plin. l. 21. Natur. hist. cap. 7.*

Plutarch. l. 3. Mor. lib. 1. Sympos. fascic. qu. 6. mihi p. 134. Rhodigin. l. 22. Antiq. lect. c. 20. Athen. lib. 27. c. 17.

Hæc tertia porrò bestia, uti Daniel vidit, quatuor habebat capita, quæ quatuor repræsentabant reges Alexandri Macedonis successores. Alexander moriturus, cùm vox deficere jam cœpisset, annulum detractum digito Perdiccæ tradidit, propiúsque adire jussis amicis, iisque quærentibus, cui relinqueret regnum? respondit: Ei, qui esset optimus. Ceterùm providere jam se ob id certamen magnos funebres ludos parari sibi. Nec vanus augur fuit. Duodecim ambitiosi juvenes regnum invaserunt, sed mutuis sese bellis attritos consumpserunt. Hinc Græcum hoc imperium ad quatuor reges redactum. Seleucus, qui & Nicanor in Syriâ & Babyloniâ, Ptolemæus in Ægypto, Philippus qui & Arideus in Macedoniâ, Antigonus in Asiâ imperavit. Ubi nunc, obsecro, sunt reges isti? Sed ad quartam bestiam.

Quatuor Pardi capita, quatuor Alexandri Macedonis successores designant.

Curtius lib. 10. init. cap. 7.

§. IV.

Dan. cap. 7. vers. 7. Hæc bestia Romanum imperium oculis subjicitur.

POsthæc, ait Daniel, *aspiciebam in visione noctis, & ecce bestia quarta terribilis atque mirabilis, & fortis nimis; dentes ferreos habebat magnos, comedens atque comminuens, & reliqua pedibus conculcans.* Romanum hîc imperium oculis subjicitur, quod bestiæ mirabili, ignotæ, terribili comparatur: nec enim unam eandémque sed variam gubernandi rationem tenuerunt Romani. Aliquamdiu reges, pluribus annis Consules, Imperatores, subinde Dictatores summæ rei præfuerunt: ita Monarchia, Aristocratia, Democratia Romanis placuit pro temporum varietate. Hæc bestia profectò gentes & populos omnes devoravit. Quod Daniel repetitâ dictione asserens: *Post hoc volui*, ait, *diligenter discere de bestiâ quartâ, quæ erat dissimilis valde ab omnibus & terribilis nimis: dentes & ungues ejus ferrei; comedebat & comminuebat, & reliqua pedibus suis conculcabat.* Romanos rerum dominos, omniúmque gentium domitores quis nescit? Istius dominii origo triplex. 1. Amplitudo ditionis. 2. Potentia bellica. 3. Ærarii opulentia.

Dan. cap. 7. vers. 19.

Virg. lib. 1. Æneid. Triplex Romani dominii origo.

Primum *Amplitudo ditionis*. Romani tribus Mundi partibus latissimè imperârunt. Imperii terminus ad Occidentem fuit extremitas Hispaniæ, Euphrates, Taurus, & Armenia ad orientem. Ad septentrionem Rhenus & Danubius. Ad Austrum Æthiopia. Dominabantur toti mediterraneo mari & omnibus in eo insulis; in Boreali oceano, ipsi Britanniæ. Non dubitat affirmare Appianus, priores monarchias omnes Assyriorum, Persarum, Medorum, & Græcorum vix dimidiam imperii Romani partem possedisse. Quod Polybius ad historiæ suæ exordium confirmat. Justus Lipsius admiranda Magnitudinis Romanæ quatuor libris complexus, de amplitudine ditionis affirmatè pronuntians: *Fines*, inquit, *imperii Romani, orbis & oceanus, ita ut quidquid opportunum aut dignum vinci, vicerit. Itaque terminos sibi fecit orientem & occasum, exceptis locis inaccessis & inhabitatis.* Eò Maronis illa spectant non colorata nimiùm & ficta:

1. Amplitudo dominii.

Appianus in proœmio historiæ. Liv. ca. Velleius Strabo lib. 6. sine fi. lib. 17. sub finem lib. 2. de bello Jug. cap. 3. Lipsius lib. Admiranda. cap. 2.

His ego nec metas rerum, nec tempora pono,
Imperium sine fine dedi. ———

Alterum quo Romanum dominium excrevit, *Potentia bellica* terrâ marique prorsus admiranda. Adriani Cæsaris ævo, Appiano teste, Romani diversis locis ducenta millia peditum, quadraginta millia equitum sub signis alebant; elephantos trecentos, curruum falcatorum tria millia. De potentiâ bellicâ affirmatè Lipsius:

2. Potentia bellica.

Summa,

Summa, inquit, *Legionum*; *Cohortium*, *Alarum ducenta quinquaginta millia. Legio autem quatuor millium accipitur. In urbe viginti sex millia, vel post Severum sexaginta millia. In classibus centum millia militum remigúmque. Ita in universum fient ordinariorum supra quadringenta millia*. Ita bellici sumptus fuêre maximi, quia continui.

Lipsius l. 1. Admiranda. cap. 5.

3. Ærarii opulentia. Lipsius l. 1. Admirand. cap. 4.

Tertium, *Ærarii opulentia*. De hac testis locupletissimus, quê dixi, Lipsius, fide optimâ: Ægyptus sola, inquit, Romanis titulo tributi dedit annua talenta duodecim millia & quingenta. Gallia, ut credibile, quindecim aut viginti milliones. Quid jam reliquus orbis? Syria, Asia, Africa, Hispania, Græcia, Illyricum, Insulæ simul omnes. Summa tributorũ universa supra centum quinquaginta milliones. Immensa vis auri solo tributi nomine congesta. Appianus attestatur Romanos ad struenda ædificia, & ad fovendam militiam in diversis æratiis habuisse septuaginta quinque millia talentorum Ægyptiorum. Unum ejuscemodi talentum Ægyptium octoginta libras auri, una verò auri libra coronatos centum continet, ergo unicum talentum Ægyptium octo millia coronatorum habet. Facillimum jam rationes colligere, è septuaginta quinque millibus talentorum confici sexcentos auri milliones.

Sunt 15000 0000. centies quinquagies millena millia coronatorum.

Sunt 6000 0000. sexagies millena millia coronatorum.

Quâ tandem viâ, obsecro, ad has opes, ad tantam potentiam, ad istud fastigii pervenerunt? Julius Cæsar apud Dionem Cassium, Cato apud Salustium, Augustinus de Civitate Dei, Thomas Aquinas de Regimine Principum, rationem ac modum explicant, quo Romani ad illam imperii sublimitátem ascenderint. Sed optimis scriptoribus istis dabo meliorem. Spiritus divinus historiæ Machabææ auctor de Romanis hæc pronuntiat: *Possederunt omnem locum consilio suo & patientiâ: locáque quæ longè erant valde ab eis, & reges, qui supervenerant eis ab extremis terræ, contriverunt, & percusserunt eos plagâ magnâ, ceteri autem dant eis tributum omnibus annis.* Omnem locum, ait, possederunt consilio & patientiâ.

Dion. lib. 38. Sallust. de Bello Catil. August. de Civit. Dei lib. 5. c. 12. & Thom. 2. de Reg. Princ. cap. 4. 5. 6. 1. Machab. cap. 8. v. 3. & 4.

Principiò quidem consilio atque prudentiâ, quibus plurimùm valuerunt, tam domi, quàm in castris & in acie, rem præclarissimè gesserunt. Præcipuum decus & stabilimentum Romani imperii erat tenacissimum vinculum militaris disciplinæ, è cujus sinu omnes triumphi manârunt. De quâ verissimè Alexander Severus Imperator ad milites: Disciplina majorum, inquit, Rempublicam tenet, quæ si dilabatur, & nomen Romanum & imperium amittemus. At ea tamen hodie non dicam languet apud nos, sed obiit; neque mala, sed nulla est. Prædari, rapere, pejerare, pauperes spoliare, agros vastare, domos & villas, amicorum etiam, inflammare; omne genus petulantiæ ac libidinis exercere, hæc nostratis militiæ illustrissima sunt facinora. Ambitiosæ ducum æmulationes & insatiabilis avaritia omnem victoriam aut impediunt, ne obtineatur, aut obtentam corrumpunt. O magni Principes & Reges! multò melior est vel afflicta pax, quàm bella usque adeò calamitosa. His bellis nulla salus. Omni adeò eversâ militari disciplinâ & vinci & vincere miserum est. Iterum inculco Justi verbis: Si plenam, ô Reges, & Principes, legitimámque disciplinam vultis, inquirenda vobis disciplina militaris populi Romani, qui, ut Vegetius loquitur, ex parvissimis finibus, imperium suum pæne solis regionibus, & mundi ipsius fine distendit: idque post Deum hac unâ duce.

Romani consilio & prudentiâ rem præclarissimè gesserunt. Valer. Max. lib. 2. cap. 7. init. Lamprid. in eo.

Veget. lib. 1. cap. 8.

Et rerum orbem patientiâ possederunt.

Nec *Consilio* solùm ac prudentiâ, sed & *Patientiâ* viam sibi ad illud fastigii munierunt. Nec enim vere uno, aut autumno, nec uno alteróve anno tot victoriis sibi orbem subegerunt. Nam in solâ expugnandâ Hispaniâ ducentos triginta annos consumpserunt. Ita incredibili patientiâ usi paullatim ulteriùs atque ulteriùs itemúmque ulteriùs protulerunt pedem, dum locum omnem, dum totum orbem *Consilio* & *Patientiâ* possiderent. Interim gravissimis subinde belli cladibus affecti sunt, quas tamen concoxerunt patientiâ, & perrexerunt. Quis nescit Romanorum clades ad Trebiam fluvium, ad Thrasumenum lacum, ad Cannas Apuliæ vicum, ubi Hannibal Paulo Æmylio & Terentio Varrone Consulibus victis Romanorum militum quadraginta millia, tantúmque numerum equestris ordinis interfecit, ut tres annulorum modios in signum victoriæ Carthaginem transmiserit. Hanc tantam calamitatem bellicam Roma fortiter digessit patientiâ tam illustri, ut Terentio Varroni, qui temerario pugnæ ingressu Rempublicam confregit, & vires populi Romani exhausit, redeunti obvius senatus gratias egerit, quòd de Republicâ non desperasset, & in urbem redire voluisset; simul etiam gravissimæ cladis auctori detulit dictaturam. Non ergo vanus ad Machabæum principem Judam delatus rumor. Nam, *audivit Iudas nomen Romanorum, quia sunt potentes viribus, & acquiescunt ad omnia quæ postulantur ab eis.* Mansuetudo & Patientia & possunt omnia & vincunt omnia. Quàm verè pronuntiavit Servator: *Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram.* Mansuetudo & Patientia solvunt omnia debita, in integrum restituunt lapsa omnia, tam corda expugnant quàm regna, sibique subjiciunt universa. Ubi vel unum figit pedem Patientia, illuc paullatim promovet & alterum. Ita linguam frenat, pacem gubernat, vim tartari conculcat, cælites omnes oblectat, virtutes omnes adjuvat, cælum, quod anhelavit, occupat.

Valer. Max. lib. 3. c. 4. & lib. 4. cap. 5.

1. Machab. c. 8. v. 1.

Matth. c. 5. vers. 4.

Patientiæ, vinci, unica est victoria,
Regina rerum est omnium Patientia.

Iamb. Vet.

CAPVT XXIV.

Daniel Deum judicem videt, & visum describit.

VBi Daniel marinum quadruplex prodigium, quatuor diversas bestias, summorum totidem regnorum imagines spectavit, vultum extollens ad sidera, grandævum senem vidit, cujus tam capilli quàm vestimenta nivem æmulabantur, cujus solium ignis, cui mentium beatarum innumerabiles exercitus ministrabant. Hæc visa ipse Daniel explicans: *Aspiciebam*, inquit, *donec throni positi sunt, & antiquus dierum sedit: vestimentum ejus candidum quasi nix, & capilli capitis ejus quasi lana munda; thronus ejus flammæ ignis, rotæ ejus ignis accensus. Fluvius igneus, rapidúsque egrediebatur à facie ejus: millia millium ministrabant ei, & decies millies centena millia assistebant ei.* Hîc omnia Danieli visa exponere, prolixæ nimium & grandis est operæ. Nos igitur unum illum in flammeo solio residentem senem describimus. Magni profectò est robustam de Deo cogitationem admittere.

Dan. cap. 7. v. 9. & 10.

§. I.

Quatuor hîc considerandа: 1. Antiquus dierum sedit.

PRimum quod hoc loco considerandum, *Antiquus dierum sedit*. Rerum omnium auctor Deus, qui ante omnes dies omniáque fuit tempora, conditor temporum, ab omni æternitate, & ante æternitatem omnem extitit, quia ab eo est æternitas. Futuram non capimus æternitatem, multò minus priorem. Deus igitur senex, & antiquus dierum rectissimè appellatur, nec enim unquam divinæ senectutis annos numerabimus. Admirabundus Jobus: *Ecce Deus magnus*, inquit, *vincens scientiam nostram, numerus annorum ejus inæstimabilis.* De Deo cecinerunt, uti Job loquitur, viri eruditi, insignes philosophi, sublimes theologi, prophetæ divini, post hæc tamen omnia vincit scientiam nostram; nulla est nostra arithmetica, cùm ad numerandos Dei annos calculum movemus. Quod & psaltes confirmans: *Tu autem*, inquit, *idem ipse es, & anni tui non deficient.* Æternitas istius senis

Deus senex & antiquus rectè appellatur. Iob cap. 36. vers. 26.

Psal. 101. vers. 28.

ignorat finem, deficere nequit, numerum omnem excludit. Quòd verò cælestis Pater dicatur, senex, cùm & Filius & Spiritus sanctus ejusdem sint æternitatis, id primò fit propter originis *prioritatem*, uti Theologorum scholæ loquuntur. Deinde quia Filius humanam induit naturam. Tertiò hic senex ut sapientissimus judex contemplandus monstratur. Nam, quod Jobo visum: *In antiquis est sapientia, & in multo tempore prudentia.* Ad senem hunc judicem, *Ecce cum nubibus cæli quasi filius hominis veniebat*, inquit Daniel, *& usque ad antiquum dierum pervenit*, tanquam acturus caussam suam adversus Antichristum, idque ad tribunal summi judicis. Deus igitur antiquus dierum; numerus annorum ejus innumerabilis.

Cur Pater dicatur senex cùm filius & Spiritus sanctus ejusdem sint æternitatis triplex ratio. *Iob cap.12. vers. 12. Dan. cap.7. vers. 13.*

Alterum: *Vestimentum ejus candidum quasi nix, & capilli capitis ejus quasi lana munda.* Numinis supremi puritas & mundities incomparabilis. Nil, collatum Deo, mundum est. Cælestes orbes, cælorum oculi stellæ, ipsique Angeli Deo comparati sordent. Jobus id asserens: *Ecce*, inquit, *qui serviunt ei, non sunt stabiles, & in Angelis suis reperit pravitatem. Ecce inter sanctos ejus nemo immutabilis, & cæli non sunt mundi in conspectu ejus. Ecce luna etiam non splendet, & stellæ non sunt mundæ in conspectu ejus.* Cæli superbissimo diabolorum ausu temerati, eos proinde velut sordidissimas fœces expuerunt; stellæ cum nitore divino compositæ splendoris expertes, impuræ sunt faculæ. *Lux omnis*, ait Dionysius, *& mundities creata, comparata increatæ, non videtur esse lux, sed solùm umbra lucis.* Quo sensu Christus: *Nemo bonus, ait, nisi unus Deus.* Ens purissimum est Deus, quod nequit inficì. Hinc vestimentum ejus supra omnem nivem candidissimum. Christus in Taboris fastigio, Angeli in redivivi Christi monumento, iidem in Oliveti cliyo, incolæ beatissimi in cælo niveas gerunt vestes.

2. Vestimentũ ejus candidum quasi nix, &c. *Iob cap. 4. vers. 18. C. 15. v. 15. Cap.25.v.5. Marci c.10. vers. 18. Actus Theologis. Matth.c.17. vers. 3. & cap.28. v.3. Actor.cap.1. vers. 10. Apoc.cap.7. vers. 13.*

Sed & grandævo huic judici vestimentum candidum rectissimè tribuitur. Candor cùm puritatem tum simplicitatem judici summè necessariam adumbrat: Candor, color est purus alio nullo infectus, ut proinde judicis animus in neutram partem detortus sit, qui nihil nisi leges, jus, fas & æquum respiciat. Ah quoties judicum animi fœdè variegati in omnes sese colores induunt, in partium affectus miserè seducti. Nihil hîc candoris aut candidi. Color aureus apud hos tales gratissimus; & plerumque caussam is habet optimam, qui crumenam habet in munera largissimam. Licebit cum vate prisco canere:

Cur Deo Patri vestimentum candidum tribuitur.

Aurea nunc verè sunt sæcula plurimus auro
Venit honos. ——— *Ovid. lib.2. de Arte.*
Auro pulsa fides, auro venalia jura,
Aurum lex sequitur ——— *E Propertio.*

Qui magistratus olim ambiebant, candidati populum prensabant, quo colore vestis significabant, se puros animos ad obeunda munia, ad judicandas caussas adferre, nec sua commoda sed Reipublicæ bonum spectaturos. Deus judex multò quàm æquissimus amici & inimici, filii & hostis caussæ arbitrum se præbet candidissimum. Vestimentum ejus candidum quasi nix.

Mos ambiẽdi olim magistratus.

§. II.

3. Thronus ejus flãmæ ignis, &c. *Ezech. c. 1. & 10. Apoc. cap.1. vers. 13.*

Tertium: *Thronus ejus flammæ ignis, rotæ ejus ignis accensus, fluvius igneus rapidúsque egrediebatur à facie ejus.* Huic non absimilem vidit Ezechiel, & Joannes Apocalypseos scriptor. Cælestis hic judex in solio residet, quo judicantis tranquillitas designatur. Non præcipitat hic judex, non tumultuatur, non perfunctoriè caussas cognoscit, non levi brachio jus dicit, non supinè sententiam promit: Thronus ejus flammæ ignis. Gloria istius judicis immensa, aditus inaccessi. Omnia illius oculis patentissima & perspectissima; indagatione ac inventione veri non laborat; judicia illius etiamnum occulta, Orbi olim patebunt universo. Sententiam ab hoc judice pronuntiatam summa executionis celeritas sequitur & efficacitas. Dictum factum. Idcirco rotæ throno subjectæ & quidem igneæ. Sella curulis, currus triumphalis, solium curule, Imperatorum, Regum, Consulum, magistratuum erant, quos inde curules nominabant. Supremus judex curulem habet thronum, cujus rotæ sunt igneæ, in omnem partem volubiles, vento perniciores. Omni momento Deus cælum terramque pervidet, abyssos omnes intuetur, omnium corda scrutatur, omnium vel arcanissimas cogitationes rimatur & penetrat: quod fieri vult, illico & temporis puncto fit. Nunquam sera est imperii divini executio. Rex Nabuchodonosor orationem superbam nondum finierat, statim ab extremâ parte verbi consurrexit Nemesis, *Cúmque sermo adhuc esset in ore regis, vox de cælo ruit.* Ita Balthasari *in eâdem horâ apparuerunt digiti quasi manus hominis scribentis. Eâdem nocte interfectus est Balthasar rex Chaldæus.* Rotæ ejus ignis accensus, formidabilis, velocissimus: Ita Dei vindicta subitò in iras exurgit, sternitque adversa omnia. Executio in rebus humanis sæpissimè languida, lenta, cunctabunda, nulla. Præclarè quoties decernit curia? & nihil transactum redditur: quoties lex æqua imperat? obtemperat nemo: quoties jubente hero, jussorum nihil à famulo conficitur? mille sumuntur negotia, nullum explicatur, nullum transigitur. Ignis & rotæ desunt; deest executio. Dei velle, est facere. Porrò *fluvius igneus rapidúsque egrediebatur à facie ejus.* Illud supremum *Ite* maledicti, *Ite, Ite*, instar fluvii rapacissimi igneique damnandos omnes involvet & merget Tartaro. Eam ob caussam tam sedulò Paulus commonens: *Si quis* autem, inquit, *superædificat super fundamentum hoc aurum, argentum, lapides pretiosos, ligna, fœnum, stipulam, uniuscujusque opus manifestum erit: Dies enim Domini declarabit, quia in igne revelabitur: & uniuscujusque opus, quale sit, ignis probabit.* Nec est quod ullus speret hîc quidquam ignoratum iri, qualia quisque opera illi fundamento inædificaverit; quia judicii dies probabit illa per ignem, divinæ justitiæ veluti lictorem. A facie illius flumen igneum egredietur.

Divini numinis perniciosa celeritas. *Barbarius effe. tom. 1. in Actus miles p. 313.*

Iudæi cap. 1. vers. 15. Humanarum rerum languida & nulla.

Dan.cap.7. vers. 10. 1.Cor.cap.3. v.12. & 13.

Quartum: *Millia millium ministrabant ei, & decies millies centena millia assistebant ei, seu, mille milliones.* Majestas judicii, immensa, inexplicabilis. Nam assessorum subsellia & throni plures. Quod Joannes cernens: *Et in circuitu sedis*, inquit, *sedilia viginti quatuor, & super thronos viginti quatuor seniores sedentes, circumamicti vestimentis albis, & in capitibus eorum coronæ aureæ.* Comitatus verò regius ingens, innumerabilis: *Millia millium ministrabant ei, & decies millies centena millia assistebant ei.* Hoc ajo, inquit Daniel, nemo mente complecti, nemo effari linguâ potest numerum eorum, qui super astra Deo serviunt: innumerabilitatem istam certis, sed extensissimis numeris comprehendi; plures utique sunt, sed plures enuntiari haud possunt. Infinitam multitudinem illam numeravit solus Deus, qui & maris arenam habet numeratam. Hos ipsos innumerabiles cæli exercitus obstupescens Jobus: *Nunquid est*, inquit, *numerus militum ejus?* Infinitæ Angelorum myriades. Dionysius Areopagita de cælesti Hierarchiâ differens: Multi sunt, inquit, beati cælestium mentium exercitus, qui infirmum & contractum numerorum corporeorum, quibus utimur, modum superant & transeunt; definiuntur à solâ & summâ intelligentiâ. Ita viri tam illustris animo ac sensu plures sunt Angeli quàm omnium arborum frondes, cæli sidera, arenarum granula, aëris aviculæ, oceani guttæ, pluviarũ stillæ, telluris herbulæ, hortorum flosculi, imò & solis atomi, denique plures quàm omnia in orbe, ut vocant, individua. *Millia millium & decies millies centena millia.* Verbo, innumerabiles. Magnus reverà porrò sit, cujus ministros aulicumque famulitium nullus Arithmeticæ magister dinumeret, & ad calculos revocet. Quos igitur è dictis sensus animi ac motus de divinâ

4. Millia millium ministrabãt ei, &c. *Apoc.cap.4. vers. 4.*

Iob cap.25. vers.3. De Angelorum numero innumero. *Vide, modum Dion. Areop. Hierarch. cap. 14. part. 1. q. 50. artic. 3.*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

vinâ Majestate capiemus? Ad compendium conferamus dicta.

§. III.

Observandorum compendium.

I. DEi ætas est Æternitas, principii & finis expers. II. Vestitus candidus summam & incomparabilem Numinis puritatem repræsentat. III. Dei solium ignis purgatissimus. IV. Dei famulitium millia millium, & decies millies centena millia, innumerabiles Angeli: Numerum certum Daniel expressit pro illo notabis incerto quem ignoramus. Sed ponamus Angelorum non esse plures, quàm mille milliones, quàm istud ingens & ægrè comprehensibilis est numerus? Quid ergo, inquis, est Deus, si tot ejus sint servi? Da veniam, mi optime Lector, ad quæstionem hanc non nisi balbutiendo respondere possumus. Ætatem, annósque plurimos, vitam omnem in litteris consumimus, ad unicam demum quæstiunculam hæremus muti & elingues. Theologię antistes Thomas Aquinas: *Deus est suum esse*, inquit, *sed quidnam sit nos latet*. Ut tamen divinæ notitiæ saltem scintillulam hauriamus, addit: *Deus ens primum, ens optimum, ens necessarium, immobile, nobilissimum, primum efficiens, primum gubernans per intellectum, ultimus finis omnium, ens entium, Causa prima, bonum summum, interminatum essentiæ pelagus, & ipsum esse supereссentiale omnium rerum quæ sunt, & non sunt*, &c. Sed etsi de his annos & sæcula disseramus, etiámnum tamen urgebit quæstio: Quid est Deus? quâ ratione illum noster sibi depingat intellectus? Hîc duo probiùs observanda.

Millies millies mille Angeli: 100000000.

1. Theol. parte 1. q. 1. a. 1. & 3.

Duo observanda in quæstione Quid sit Deus:

Primùm est. Intellectûs imbecillitas, de quâ Philosophiæ princeps Aristoteles: *Intelligere*, inquit, *non est sine phantasmate*. * Quemadmodum autem vespertilionum oculi ad lumen diei se habent, ita & intellectus animæ nostræ ad ea quæ manifestissima omnium sunt. Quòd si intelligentia humana cæcutiat ad ea quæ oculis subjecta, quantò minùs acutùm cernet divina? Quid ergo est Deus? quàm illius imaginem in nostrâ intelligentiâ conformabimus? Imago Dei verissima Dominus Jesus, Servator orbis, de quo Paulus apertissimè: *Qui est*, inquit, *imago Dei invisibilis, primogenitus omnis creaturæ*. Et hæc etiam caussarum fuit aliqua, quòd Deus hominem induerit, ut scilicet in homine possemus cernere Deum. Sed & seipsum Deus in rebus creatis omnibus depinxit, illámque sui effigiem ubivis locorum proposuit spectandam. Nam etsi Deus nec coloribus, nec verbis, nec cogitationibus depingi possit, omnia tamen Dei opera Deum ingerunt contemplandum: quidquid enim uspiam vel cernimus, vel sensibus aliis admittimus, id omne nos in Dei notitiam suaviter ducit. Exempli gratiâ. Est qui digito artificiosam monstret tabulam, dicátque: Vide mihi, obsecro, summum hunc artificem, ingeniosissimum pictorem, ipsum hîc Apellem cerne. Tabula certè nec artifex, nec Apelles est, sed ab artifice, ab Apelle picta: Ita Dei opera non sunt Deus, sed Deum nobis ingerunt noscendum. Disertissimus hac in re Augustinus: *Mi Pater*, inquit, *summe bone, pulchritudo pulchrorum omnium. Pulchra opera tua, sed tamen opera tua, non tu. Cælum & terra, & omnia quæ in eis sunt, ecce undique mihi dicunt, ut te amem. Nec cessant dicere omnibus, ut sint inexcusabiles; surdis loquuntur laudes tuas*. Ita *invisibilia Dei, per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur*. Idem beatus Prosper asserens: *Cælum*, inquit, *ac terra, & mare, omnisq; creatura, quæ videri atque intelligi potest, ad hanc præcipuè mihi p. 334. dispositæ est humani generis utilitatem, ut natura rationalis de contemplatione tot specierum, de experimentis tot bonorum, de præceptione tot munerum ad cultum & dilectionem sui imbueretur auctoris, implente omnia spiritu Dei, in quo vivimus, movemur, & sumus. Cælum ergo cunctáque cælestia, mare, & terra, omniáque quæ in eis sunt, consono suæ speciei ordinationisq; concentu protestantur gloriam Dei, & prædicatione perpetuâ Majestatem sui loquuntur conditoris*. Igitur imago Dei est Christus Dominus, sed & universæ res conditæ sui notitiam præbent opificis.

Augustin. l. 3. Confess. c. 6. & 10. c. 6.

Rom. cap. 1. vers. 20. Prosper l. 2. de Vocatione gen. cap. 4.

Universæ res conditæ Dei præbent notitiam.

Alterum: Intellectûs illa, quam diximus, imbecillitas roboranda est facili cogitatione istâ: Quidquid denique agamus rerum, sive legamus, seu scribamus, sive loquamur, seu taceamus, sive laboremus, seu quiescamus, sub oculis versamur hujus Domini, quem mille iterúmque mille milliones Angelorum cingunt. Si cogitatio hæc unica foret assidua, ab omni graviore noxâ facilè quemvis coërceret. Quomodo enim auderemus tanto Domino inspectante nefas ullum, vel etiam leve piaculum committere? Ideo Tobias cautus pater tam filio, quàm cuivis nostrûm inculcans: *Omnibus diebus vitæ tuæ*, inquit, *in mente habeto Deum, & omnia consilia tua in ipso permaneant*. Quod & Salomon sapientissimè omnibus ac singulis instillans: *In omnibus viis tuis*, inquit, *cogita illum, & ipse diriget gressus tuos*. Optimè dixit Severinus Boëthius: *Magna nobis indicta est necessitas probitatis, cùm omnia agamus in oculis Dei cuncta cernentis*. Præceptionis hujus observantissimus David, *Providebat Dominum in conspectu suo semper*. In eandem curam intensissimus Job: *Nonne*, inquit, *Deus considerat vias meas, & cunctos gressus meos dinumerat?* Ergo bonæ mentis homo, quod Abbas Bessarion tradit, totus sit oculus, velut Cherubim & Seraphim, qui Deum jugi memoriâ & veneratione intueatur. *Cogita illum in omnibus viis tuis*. Promittit Deus amantissimè: Filia, cogita semper de me, & ego cogitabo semper de te. Tu, ut mihi obedias & servias; ego ut te dirigam ac protegam. Optima ratio ad omnes vincendos hostes, ánimi Deum semper cogitantis recordatio.

2. Intellectus imbecillitas roboranda est hac cogitatione: *Quidquid rerum agimus, legimus &c. in conspectu Dei versamur, quem cingunt mille & mille millines Angeli.* Tob. cap. 4. v. 6. & 20. Prov. cap. 3. vers. 6. Psal. 15. v. 8. Iob cap. 31. vers. 4.

Ita Christus Catharinæ Senensi.

CAPVT XXV.

Daniel cernit aperiri libros in judicium consessu. Hîc de malæ conscientiæ supplicio.

CVriam cælestem Daniel suis coloribus depingens oculis subjecit Thronum Dei igneum cum igneis rotis, exuberantem è throno fluvium, thronos assessorum, grandævum judicem, capillos & vestimenta judicis, ejusdem famulos & nobiles ephebos. Et reverà grandis illa sit aula necesse est, quæ præter judicem & ejus assessores, mille insuper milliones famulorum & & plures capiat. Post hæc, ait Daniel, *judicium sedit, & libri aperti sunt*. Sed quinam illi? Summa librorum varietas est. Priscæ novæque ac Christianæ legis instituta, liber grandis & à nemine satis unquam evolvendus. Liber alius Prædestinationis, seu Vitæ, qui omnium beatorum nomina complectitur. Sed & alius est liber Mortis, seu Reprobationis, qui damnatorum omnium nomenclaturam habet. Præter hos, alii sunt libri, quorum unum quivis hominum habet. De his arcanorum scriptor: *Libri aperti sunt*, inquit, *& judicati sunt mortui ex his, quæ scripta erant in libris, secundùm opera ipsorum*. Hi libri in ipsis hominibus sunt propriæ singulorum conscientiæ, in Deo autem omniscientia ejus, & specialis memoria factorum cujusque. Mentionem horum injiciens Ephremus: *Formidabiles libri*, ait, *in quibus scripta sunt opera nostra, & actus & verba, & quæcumque egimus in hac vitâ: nec solùm actus, sed & cogitationes & intentiones cordis*. Liber amplus & secretorum plenus, cujusque Conscientia. De hac, mi Lector, librum singularem dabimus. Interea in gustulum propinabimus bonæ malæque tam dulcedinem quàm amarorem, de Bonâ Conscientiâ hoc capite locuturi, eo fine ut in omnibus non tam spectemus famam quàm conscientiam.

Dan. cap. 7. vers. 10.

Apoc. c. 20. vers. 12.

Ephrem lib. de verâ pœnit. cap. 4.

§. I.

Lipſ. lib. 1. Polit. c. 5. Definitio conſcientiæ.

HIc in anteceſſum è profanis paucula libemus. *Conſcien* ut eam Juſtus Lipſius deſcribit, *eſt reliqua in homine ſæ rationis ſcintilla, bonorum malorúmque facinorum in. & judex.* Conſcientia ante peccatum eſt frenum, poſt peccatum verò flagrum, quia perfecto demum ſcelere magnitudo ejus intelligitur. Sed frenum eſt ante peccatum, quia infixa nobis eſus rei averſatio, quam natura damnavit. Improbitas, Plutarcho teſte, ex ſeipsâ ſibi ſupplicium ſtruit, ipsâ morte amarius. Cui

Boëth. l. 4. de Conſol. philoſ. proſâ 3. Boëthius exactiſſimè conſentiens. *Sicut probis*, inquit, *probitas ipſa ſit præmium, ita improbis nequitia ipſa ſupplicium eſt.* Tiberius Imperator flagitioſæ conſcientiæ pœnas perſentiens, jámque ſemetipſum pertæſus, ſummam

Sueton. in Tiberio cap. 67. malorum ſuorum pœnam profeſſus eſt his vocibus: Dii me Deæque pejùs perdant, quàm quotidie perire ſen-

Sen. ep. 97. mihi p. 609. tio, ſi ſcio. Profectò quod Annæus aſſerit, prima & maxima pœnâ peccantium eſt, *peccaſſe*. Nec ullum ſcelus B impunitum eſt, quoniam ſceleris in ſcelere ſupplicium eſt. Conſentiamus ergo mala facinora conſcientiâ flagellari, & plurimum illi tormentorum eſſe, eò quòd perpetua illam ſollicitudo urget ac verberat. Subeſt animis etiam in peſſima abductis boni ſenſus, nec enim ignorant quid faciendum, ſed negligunt. Tam verè quàm appoſitè priſcus canit Satyricus:

Iuvenal. ſat. 13 à v. 1. ad 5.

Exemplo quòdcumque malo committitur, ipſi
Diſplicet auctori; prima eſt hæc ultio, quòd ſe
Iudice, nemo nocens abſolvitur, improba quamvis
Gratia fallaci Prætoris vicerit urnâ.

Conſcientia mille teſtes, O miſerum te, ſi contemnis hunc teſtem. Nam, ut Polybius, *Nullus neque teſtis tam*

Polyb. in fragmentis. *formidabilis, neque judex tam gravis quàm conſcientia, quæ mentibus cujuſque inſidet & inhabitat.* Sed addit Aquinas poëta:

Iuvenal. eadem ſat. v. 139.

——— *Hos tu*
Evaſiſſe putes: quos diri conſcia facti
Mens habet attonitos, & ſurdo verbere cædit,
Occultum quatiente animo tortore flagellum?

Veſtibulum ante ipſum primiſq; in faucibus Orci, Luctus & ultrices poſuére cubilia Curæ. Virgil. lib. 6. Æneid. ante medium. Abſconditum illud malæ conſcientiæ flagellum Maro eruditè *Curas ultrices* nominat. Hinc illud Comici vetuſtiſſimum:

Nihil eſt miſerius, quàm animus hominis conſcius. a Nam etſi à ceteris ſilentium eſt, tamen ipſe ſe reus accuſat. b Prætoris urnam & judicium evadere poſſumus, conſcientiæ lanienam, & cruciatum non poſſumus. Romanus Orator Tullius c Sextum Roſcium Amerinum propugnans: *Nolite*, inquit, *putare, quemadmodum in fabulis ſæpe videtis, eos, qui aliquid impiè ſceleratéque commiſerunt, agitari & perterreri furiarum tædis ardentibus: ſua quemque fraus, & ſuus terror maximè vexat; ſuum quemque ſcelus agitat, amentiáque afficit: ſuæ malæ cogitationes, conſcientiæq; animi terrent. Hæ ſunt impiis aſſiduæ, domeſticæq; furiæ.* Hinc nemo crimen geſtat in pectore, qui non idem Nemeſin in tergo. Niſi forſan piſcem, qui hamum voravit captum neges, antequam à cocis aſſetur, aut in fruſta concidatur. Cognatum, imò innatum, omni ſceleri ſceleris ſupplicium. Quis enim ille unquam tam projectus ad omne nefas, qui non acria quædam flagella in animo, & velut ictus ſenſerit, ſive in faciendo ſcelere, ſive magis poſt factum? Ut cruciarii, Romano ritu, crucem ſuam ferebant, ipſi ab eâ mox ferendi: ſic

Conſcientia eſt impiis hominibus crux.

impiis omnibus conſcientiæ hanc crucem Deus impoſuit, in quâ pœnas luant, priuſquam luant. An ſolam eam punitionem cenſemus, quæ incurrit in oculos? quàm corpuſculum hoc ſubit? Non eſt. Externa iſta omnia leviter, nec in longum nos tangunt; interna ſunt quæ angunt. Ut magis in morbo judicantur, qui tabe aut marcore laborant, quàm qui inflammatione aliquâ aut febri; & tamen hæ magis apparent: ſic in graviore ſunt pœnâ improbi, qui lento illo paſſu ducuntur ad

a Plautus in Moſtellariâ.
b Madaurenſis.
c Cicero pro Sext. Roſc.

A æternam ſuam mortem, quos animus, latens carnifex, quotidie minutis ictibus cædit & pungit. Uno verbo abſolvam: Mala conſcientia, carcer, infernus, & gehenna eſt. Inſpice nunc igitur conſcientiæ librum, ut effugias gehennæ ſupplicium. Ab innumeris profanorum teſtimoniis ad ſacra tranſeamus.

§. II.

FAcundiâ Romanâ Tullii multò potentior Pelaſga Chryſoſtomi de Conſcientiâ malâ hæc ſuggerit: *Ante ſupplicium, vitium infigit ſupplicium; peccatum in ſe continet pœnam, antequam puniatur. Iudex incorruptus Conſcientia, cùm adverſus hominem exurgit, clarâ voce clamat, & accuſat, & oſtendit, & quaſi ante oculos ſcribit peccatorum magnitudinem. Eámque ob rem miſericors Deus principiò cùm formaret hominem conſcientiam illi indidit accuſatricem perpetuam, quæ decipi, & deceptionem ferre poſſet nunquam. Et licet quis admiſſo peccato, perpetratóque aliquo facinore illicito, omnes homines celet, illam tamen accuſatricem non poterit latere: nam hanc intrinſecùs habentes, ubicumque ſumus circumferimus. Ipſa nos circumit, obturbat, laniat, flagellat, nunquam quieſcit: ſed & domi, & in foro, & in templis, & in menſâ, & dormientem, & ſurgentem adoritur, rationem delictorum exigit, óbque oculos proponit & delictorum gravitatem, & ſubſequuturam pœnam. Et quaſi medicus optimus non ceſſat ſua medicamenta apponere: & ſi ſemel depellatur, neque ſic deſiſtit, ſed continuam curam gerit. Hoc & conſcientiæ opus eſt, ut jugiter memoriam ingerat, nec permittat unquam in factorum oblivionem nos venire: ſed ob oculos proponat, uti vel hac ratione nos tardiores faciat, ne in eadem peccata prolabamur.* Hæc Chryſoſtomi confirmans Ambroſius: *Quæ enim*, inquit, *pœna gravior, quàm interioris vulnus conſcientiæ? Quod ſeverius judicium, quàm domeſticum, quo unuſquiſque ſibi eſt reus, eque ipſe arguit? omnia adverſa habet, qui ipſe ſibi diſplicet, ipſe ſui accuſator, ipſe ſui teſtis, nec invenit, quò fugiat, qui ipſe ſe perurget & ſtimulat.* De conſcientiæ irrequieto verme Chriſtus verba faciens ter ingeminat horrendum iſtud: *Vermis eorum non moritur.* Cur autem laniena conſcientiæ rodenti vermi confertur? Æquiparatio exacta. Nam uti vermes carnem bubulam, ferinam, aliam, è quâ naſcuntur, penetrant & conſumunt, ita ſuis ipſa culpis corroditur conſcientia. Deinde vermes diu noctúque non facilè unquam feriantur, ita conſcientia morſibus aſſiduis reum convellit, diem noctémque amaroribus inficit. Vivaciſſimus vermis iſte non moritur. Non abſimili querelâ Jobus: *O cuſtos hominum*, inquit, *quare poſuiſti me contrarium tibi, & factus ſum mihimetipſi gravis?* Cur, obſecro, mi Deus, me tuum ſtatuis antagoniſtam, cum quo velut pari duello congrediaris? Sed tantùm abeſt ut tibi ſim reſiſtendo, ut etiam me ipſum meáſque ipſe miſerias, dolores, cruciatus, & interiores morſus ferre diutiùs vix poſſim. Heri aut heræ oculos exire, fallere, offuciis oblinere nec rarum nec difficile; nemo vigilantem conſcientiæ oculum ſopire ad lubitum, aut decipere ad votum unquam potuit. Bernardus eleganter prorſus ac ſapienter: *Nullus*, inquit, *de tantâ numeroſitate ſpectantium moleſtior oculus ſuo cujuſque. Non eſt aſpectus ſive in cælo, ſive in terrâ, quem tenebroſa conſcientia ſuffugere magis velit, minus poſſit. Non latent tenebræ vel ſeipſas. Se vident, quæ aliud non vident. Opera tenebrarum ſequuntur illas, nec eſt quò ſe abſcondant ab illis, nec in tenebris quidem. Hic eſt vermis, qui non moritur, memoria præteritorum. Semel injectus vel potiùs innatus per peccatum, hæſit firmiter, nequaquam demceps avellendus. Nec ceſſat rodere conſcientiam, eáque paſtus, eſcâ utique inconſumptibili perpetuat vitam.* Canit regalis pſaltes: *Multa flagella peccatoris.* Sed, ô regum optime, aliud canis alibi: *In labore hominum non ſunt, & cum hominibus non flagellabuntur.* Hæc ſibimet videntur contradicere. Bernardus hic interpretetem agens: *Qui*, ait, *in labore hominum non ſunt, in labore dæmonum profectò erunt. Infernus quidam & carcer*

anima,

August. in Psal. 45.

anima, rea conscientia est. Quod Augustinus confirmans: *Inter omnes*, inquit, *tribulationes humanæ animæ non est major tribulatio quàm conscientia delictorum.* Rea conscientia sedes inferorum. Hîc vermes mordent, diaboli torquent. Tu ergo tuum inspice librum, ut effugias hunc infernum. In eandem hanc sententiam concedens Ambr. to. 1. de offic. lib. 2. cap. mihi 8.

brosius: *Vides convivium peccatoris*, inquit, *interroga ejus conscientiam. Nónne gravius fœtet omnibus sepulchris? Intueris lætitiam ejus, & salubritatem miraris corporis, filiorum atque opum abundantiam: introspice ulcera & vibices animæ ejus, cordisq; mœstitudinem. A quo absolvi potest, qui nec sibi innocens est? Ergo impius ipse sibi pœna est; justus autem ipse sibi gloria.*

§. III.

NOn ergo splendor ille tibi imponat, & circumfusa potentia aut opes: quia non magis illi ideo felices, aut beati, quàm sani, quorum febris aut podagra recumbit in purpureo strato. Mendicum aliquem in fabulâ vides, qui regis personam sustinet, auratum & pulchrum: vides sed non invides, quia latere sub auro illo scis scabiem, pædorem, sordes. Idem existima in magnis omnibus istis & superbis mortalibus: quorum mentes si recludantur, ait Tacitus, possint aspici laniatus & ictus: quando ut corpora verberibus, ita sævitiâ, libidine, malis consultis, animus dilaceretur. Rident illi sæpe, fateor; sed non verum risum: gaudent; sed non germanum gaudium. Non certè magis quàm ii, qui capitis damnati in carcere attinentur, subinde tamen tesseris aut talis se fallere conantur, nec fallunt. Manet enim impressus ille imminentis supplicii terror, nec tollit se unquam ab oculis imago luridæ mortis. Vide mihi, sodes, dimoto externorum isto velo, Siculum tyrannum:

Horatius lib. 3. Carm. ode 1. med.

Districtus ensis cui super impiâ
Cervice pendet, non Siculæ dapes
Dulcem elaborárunt saporem;
Non avium, citharæq; cantus
Somnum reducent. ———

Conscientiæ morsus vere sint cruciatus, quibus nulli comparemus equuleos, fidiculas, uncos. Hæc vera animorum tormenta sunt, angi semper, pœnitere, metuere, pavere. Proprium est nocentium, trepidare.

Atqui hi conscientiæ morsus profectò veri sunt cruciatus, quibus nullos comparemus equuleos, fidiculas, uncos. Hæc vera animorum tormenta sunt, angi semper, pœnitere, metuere, pavere. Proprium est nocentium, trepidare.

Hos conscientiæ terrores immittendos minatus olim Deus: *Timebis*, ait, *nocte & die. Manè dices, quis mihi det vesperum? & vespere, quis mihi det manè? Propter cordis tui formidinem, quâ terreberis.* Ejusdem generis minæ sunt: *Dabo pavorem in cordibus eorum, terrebit eos sonitus folii volantis, & ita fugient quasi gladium.* Fugient, inquit, ut gladium, non ut gladiatorem, quem aut precibus exorare, aut vi repellere, aut conciliare pretio licet; gladius volans & cervicibus imminens supplicium inevitabile. Hoc & verba Jobi graphicè docent: *Sonitus terroris semper in auribus illius; & cùm pax sit, ille semper insidias suspicatur. Non credit quòd reverti possit de tenebris ad lucem, circumspectans undique gladium.* Quemadmodum Dionysii Siculi assentator Damocles è serâ equinâ pendulum supra caput gladium formidabat: ita Solymæum epulonem Lazari interfectorem conscientia terrebat ut judex, torquebat ut carnifex. Quod oratione luculentissimâ Chrysostomus exponens: *Nec mihi dixeris*, ait; *illum mensâ sumptuosâ frui, vestibus circumdari fericis, mancipiorum greges circumferre, alios submovere in foro; sed explica mihi istius conscientiam, & videbis intus gravem peccatorum tumultum, jugem metum, tempestatem, turbationem: videbis velut in curiâ mentem ad thronum conscientiæ conscendisse regalem, & tanquam judicem quempiam sedentem, & cogitationes loco carnificum adhibentem, in equuleo suspendentem, lateráque conscientiæ radentem ungulis pro commissis, vehementer inclamantem, cùm nemo sciat, nisi quòd solus Deus hæc videre noverit. Etenim qui committit adulterium, etiamsi nullum habeat accusatorem, non desinit tamen intus seipsum accusare: & voluptas quidem temporaria est, dolor verò perpetuus, timor undique ac tremor, suspicio & anxietas, angulos metuit, umbras ipsas formidat suos ipsius famulos, conscios, inscios, ipsum ipsam quam corrupit, & virum quem affecit contumeliâ: obambulat amarum accusatorem circumferens conscientiam, cùm sit suo ipsius judicio damnatus, nec vel ad breve tempus possit respirare. Nam & in lecto, & in mensâ, & in foro, & in domo, & interdiu, & noctu, & in ipsis frequenter somniis hæc iniquitatis simulachra videt, ipsiúsque Cain vitam vivit gemens ac tremens super terram; cùm nemo sciat, intus tamen habet ignem implicitum. Idem patiuntur & qui rapinam exercent, & qui fraude lucrum faciunt; hoc & ebrioso; in summâ, quotquot in peccatis vivunt. Neque enim ullâ ratione judicium illud potest corrumpi muneribus.*

Audit protoplastum in ipso deliciarum loco ad occursum Numinis trepidantem: *Vocem tuam*, inquit, *audivi in paradiso & timui, eò quòd nudus essem, & abscondi me.* Quid hoc, oro, formidinis in paradiso? Nullus locus tam tutus, tam sacer, tam amœnus, qui malam conscientiam tranquillet. Fugit Adam nemine persequente. Sed quid istud est pavoris tam malè solliciti in ipso voluptatis horto? Deus ipsa est clementia; quem hostium timet? Interiorem accusatricem conscientiam, quæ noxas exprobrare, punire, flagellare non cessat.

Gen. cap. 3. vers. 10. Post peccatum timor invasit Adam;

Cainum post fratricidium. Gen. cap. 4. vers. 14.

Cainus à parente fure non degener homicida filius, fratre jam interfecto: *Ecce*, ait, *ejicis me hodie à facie terræ & à facie tuâ abscondar, & ero vagus & profugus in terrâ: omnis igitur qui invenerit me, occidet me.* Quid, obsecro, aut quem metuit? præter parentes duos in orbe mortalium nullus est, quem horret fratricidam? Campum, & ipsum cæsi fratris locum veluti testem oculatum perhorrescit. Deinde potuit vereri ne Angelorum aliquis supernè rueret in se, atque occideret. Sed & feras, serpentes, viperas, ursos, leones, pardos timebat, ne fraternæ cædis pœnas à se repeterent. Quin & ipsos parentes, ne homicidii forsan ultores essent, pavebat. Potuerunt enim & parentes à filio discere, quod didicerunt posteri à parente. Idcirco & urbem struxit, ut se tueretur ac muniret. Nam *egressus Cain à facie Domini, habitavit profugus in terrâ ad orientalem plagam Eden, & ædificavit civitatem.* Sed quare Deus fratricidæ huic flagitioso gratiam vitæ fecit? capitalem pœnam decies commeritus fuisset: Nihilominus mitis Deus: *Nequaquam*, ait, *ita fiet; sed omnis qui occiderit Cain septuplum punietur. Posuitq; Dominus Cain signum, ut non interficeret eum omnis qui invenisset eum.* Dedit ergo Deus Caino publicam vitæ fidem, sed altiore consilio, idque in illius pœnam, cui celerior mors, minus fuisset supplicii. Perinde si Deus illi dixisset: Graviùs te puniam, quàm ut è vivis tam citò te tolli permittam; dum vixeris avernale conscientiæ supplicium sustinebis. Quod Ambrosius clarissimè testatus: *Cain longævitas indulta*, inquit, *vindicta est, eò quòd vixit metu, & prolixum spatium multo cucurrit & infructuoso labore, quâ pœnâ nil gravius, quàm ut quis ipse sibi majorum caussa pœnarum sit.* &c.

Ibid. v. 16. & 17.

Ibid. v. 15.

Signum illud è communi sententiâ fuit tremor corporis, maximè capitis aut vultus consternatio.

Ambros. tomo 4. l. 2. de Cain & Abel c. 10. mihi pag. 137. Martinus Lutherus in suis Bibliis Francofurti editis Anno 1562. mihi pag. 305. am Rucken deß Blats hæc scribit: Nichts ist so hart wider yno / als vnser eigen Gewissen / damit wir / als mit eigner Hands schrifft vberzeugt werden.

§. IV.

QVocirca in rebus omnibus, ut initio dixi non tam spectemus famam quàm Conscientiam. Quod dictatrice ratione. Plinius Secundus luculentissimè docens: *Meminimus*, inquit, *quantò majore animo honestatis fructus in conscientiâ, quàm in famâ reponatur. Ornat hæc animi magnitudo, quæ nihil ad ostentationem, omnia ad conscientiam refert, rectéque facti, non ex populi sermone mercedem, sed ex facto petit. Quoto autem cuique eadem honestatis cura secreto,*

Plin. Secund. l. 1. ep. 8. & l. 1. ep. 22. & l. 3. epist. 20. med.

In cõscientiâ major honestatis fructus quàm in famâ reponitur.

secreto, quæ palam? Multi famam, conscientiam pauci verentur. A

Si nobis frons nondum periit, in ruborem dabunt nos ista. Ita priſci, & à ſacris Chriſtianis alieni ſapuerunt ad virtutem, ut ad oſtentationem nihil, ad conſcientiam omnia cenſuerint referenda. Hem, miſeri, nos, ab hominum judiciis & ſermunculis pendemus toti: Quid iſti, & iſti, & illi, ajunt de nobis dicent? in ora hominum abibimus, in fabulas mittemur, in ore & ſermone omnium erimus. Quid, ô fatue, attendis famam, & negligis conſcientiam? Hortatur Iſaias: *Requirite diligenter in libro Domini, & legite.* Quid hominum ora, quid ſermones & judicia formidamus. Quiſquis es inſpice conſcientiæ librum, ut effugias gehennæ ſupplicium. Sapienter ac ſanctè dixit religioſiſſimus ſcriptor: *Non eſt culpanda ſcientia, ſed præferenda eſt ſemper bona conſcientia, & virtuoſa vita. Quia verò plures magis ſtudent ſcire quàm bene vivere, ideo ſæpe errant, & pæne nullum vel modicum fructum ferunt.* Quid multiplex notitia, quid omnigena prodeſt ſcientia, ſi ſua reum accuſet conſcientia? B

Iſaiæ c. 34. verſ. 16.

Thomas à Kempis de Imit. Chriſti lib. 1. cap. 3. num. 4.

Gyges armento regio præfectus annulum aureum, ut in fabulis eſt, è digito extincti hominis ſubducens in paſtorum cœtu, ſic eo uſus eſt: Cùm annuli palam introrſus & ad palmam converteret, à nullo videbatur, cùm ille tamen videret omnes; cùm verò annulum in priorem locum reduceret, & gemmam foràs verteret, ab omnibus denuo cernebatur. Hac annuli beneficâ opportunitate Gyges & Cadaulen Lydiæ regem interfecit, & ſibi conjugem ac regnum vendicavit. Hanc è Platone fabulam percenſens Ambroſius: *Da hunc annulum ſapienti*, ait, *ut beneficio ejus poſſit latere, cùm deliquerit, non minùs fugiet peccatorum contagium, quàm ſi non poſſit latere. Non enim latebra ſapienti ſpes impunitatis, ſed innocentia eſt. Nihil namque agit ſapiens, niſi quod honeſtum ſit, niſi quod cum ſinceritate, ſine fraude ſit: neque quidquam facit in quo ſe crimine quoquam obliget, etiamſi latere poſſit. Sibi enim eſt reus priùs quam cæteris, nec tam pudenda apud eum publicatio flagitii, quàm conſcientia eſt.*

Ambr. to. 1. l. 3. offic. c. 5. mihi p. 70.

Hoc igitur cuivis bonæ mentis homini ſanctiſſimè decretum ſit: Etiamſi nulli ſint inferi, mors nulla, nulli diaboli, quia tamen peccatum Deo tantopere ſcio diſplicere, non patiar me unquam eò adigi, ut ſciens volens vel noxam leviorem committam. Niſi quiſque ſecum ita ſtatuat, actum eſt de diuturnâ innocentiâ. Facilè collutulant conſcientiam prava deſideria, quam non vigilantiſſimè cuſtodiunt ſancta propoſita. Ubi verò conſcientiæ ſordes, ibi nulla quies, ſed turbæ & intemperies plurima. Mediolanenſis Antiſtes, quem dixi, Ambroſius de inquinatæ conſcientiæ tormento diſſerens: *Nónne*, ait, *hoc magis fugiendum, quàm mors, quàm diſpendium, quàm inopia, quàm exilium, quàm debilitatis dolor?*

Sancta propoſita cuſtodiunt conſcientiam, prava deſideria collutulât.

Ambroſ. l. 3. offic. cap. 4.

Sic igitur quiſque apud animum ſuum conſtantiſſimè decernat: Etiamſi hoc nequam auſum nemo reſciat, nemo puniat, etiamſi nec corpori nec animo, nec temporis nec æternitatis ullum ſupplicium impendeat, quia tamen peccatum omne Deo diſplicet, in æternum non faciam quod Deo diſplicere ſcio. Hujus animi homo magis veretur conſcientiam quàm famam; alii magis famam verentur quàm conſcientiam, rectéque facti laudem non ex facto, ſed è vulgi judicio & ſermone petunt; pleraque omnia ad oſtentationem referunt. Supremo die Judicii, pandentur hi libri, & ſic unus omnium, ita unius conſcientiam pervidebunt omnes. Nunc igitur ſuæ quiſque conſcientiæ librum inſpiciat, ut gehennæ ſupplicium evadat. Pura conſcientia, theſaurus in orbe maximus. Nihil in vitâ ſecurum ſolutúmque eſt metu præter innocentiam. D

In die judicii omnes videbunt conſcientiam uniuſcujuſque.

CAPVT XXVI.

De Conſcientiæ bonæ tranquillitate ac gaudio.

COnſcientiæ vis magna eſt in utramque partem; ut neque timeant ii, qui nihil admiſerunt, & pœnam ſemper ante oculos verſari putent, qui peccaverunt. Hoc animi judicium bona approbans, mala abhorrens ex religione & Dei metu oritur. Omnes illuc vocamur ab interno iſto judice velut ad tribunal: & homini formato indelebilem hunc characterem Deus impreſſit. De conſcientiâ pulchrè Tertullianus: *Poteſt obumbrari*, ait, *quia non eſt Deus; extingui non poteſt, quia à Deo eſt.* Utrumque rectè. Nam & nubes aliqua ſive aulæum ei obducitur, affectu aut contemptu jubente; ſed prorſus non amovetur aut tollitur, imò ipſa aulæum tollit. Itaque bona illa ſemper metu vacua, imò in gaudio eſt: Mala autem etiam in ſolitudine anxia & ſollicita eſt. Poteſt enim nocenti contingere ut lateat, latendi fides non poteſt. Subinde Conſcientia obumbratur aliquamdiu, non extinguitur.

Cicero pro Cluentio.

Animi judicio bona approbat, mala abhorret ex religione & Dei metu oritur.

Tertull. de testimonio animæ c. 2.

Nocte dieque tuum geſtas in pectore teſtem.

Iuv. ſat. 13. verſ. 198.

Improbiſſimi hominis eſt contemnere hunc teſtem, imò & tortorem. Urit enim, cædit, lancinat; eò gravius quia ſine morte. Græcorum adagium verum: Conſcientia animum verberat. Et quidem aſſiduo illo & ſurdo verbere. Namque animus impurus, diis hominibúſque infeſtus, neque vigilibus, neque quietibus ſedari poteſt. Ita Conſcientia mentem excitam vaſtat. Sic tamen hodie vivitur, ut multi famam, quod diximus, pauci conſcientiam vereantur. Conſcientiæ malæ tormentum diſſertatione ſuperiori explicavimus, Conſcientiæ bonæ tranquillitatem & gaudium ſequenti hac explicaturi.

Græc. ἄσπερ ὑπὸ ῥάβδου τύπτεται.

§. I.

BErnardus de interiore domo verba faciens: *Conſcientia bona*, inquit, *templum eſt Salomonis, hortus deliciarum, aula Dei, habitaculum Spiritûs ſancti, liber ſignatus & clauſus, in die judicii aperiendus.* Quæ autem inter Salomonis templum & Conſcientiam æquiparatio? Non modica certè. Nam *malleus & ſecuris non ſunt audita in domo cùm ædificaretur.* Prodigium prorſus & Architectonicum ingens miraculum, tantam ædificii molem tali ordine, tantâ quiete, tali ſilentio educi, ut nec dolabra, nec ferramentum cavatorium, nec runcina, nec aſcia audiretur. Quo quidem bona Conſcientia huic templo ſimillima; pavor, metus, terror, cupiditatum ſtrepitus, affectuum immoderatorum tumultus, peccatorum tundentes mallei, iracundiæ fragores, non audiuntur in eâ. Templum eſt, ſumma hîc quies & ſecuritas eſt, quomodocumque demum res cadant, feliciter, infeliciter, etſi vel baſtis pluat, etſi terra collabaſcat, etſi cælum ruat, bona Conſcientia caſuum ſecura, ſine metu, in tuto eſt, in portu navigat. Hinc Bernardus liberè pronuntiat: *Nihil eſt jucundius, nihil tutius, nihil ditius bonâ Conſcientiâ. Premat corpus, trahat mundus, terreat diabolus, illa erit ſecura.* Salomonis templum, bona Conſcientia, aſylum tutiſſimum. Neque verò, eodem Bernardo teſte, ullum certius futuræ benedictionis teſtimonium, quàm, *Nil conſcire ſibi, nullâ palleſcere culpâ.* Nec tantùm aheneus murus, quietiſſimum templum, ſecuriſſimum aſylum beatitudinis futuræ teſtimonium utiliſſimum, ſed cælum eſt extra cælum Conſcientia tranquilla. Ubi rex, ibi curia; ubi Deus, ibi cælum. *Factus eſt in pace locus ejus.* Conſcientia munda, quod Bernardus aſſerit, habitaculum Spiritus ſancti, aula Dei tam voluptarius Deo locus, quàm ipſum cælum. Hebræus vates Iſaias fungendæ legationi ſe offerens: *Ecce ego*, inquit, *mitte me.* At contra Moſes legationem obeundam à ſe removens:

Bernard. de interiore domo c. 35. & de Conſcientia.

Hugo Victorinus l. 3. de Animâ c. 10. qui ex Bernardo, Reg. c. 6. verſ. 7.

Comparatio inter Salomonis templum & Conſcientiam.

Bernard. de Conſcientia.

Bona conſcientia nihil eſt jucundius.

Horat. Epiſt. ad Maecenatem.

Pſ. 75. v. 3.

Iſaiæ c. 6. verſ. 8.

Quis

Exod. cap. 3. vers. 11. *Quis sum ego, inquit, ut vadam ad Pharaonem?* Utrumque Hieronymus expendens: Propheta, inquit, non tam merito sui, quàm misericordiâ Dei confisus postquam à Seraphim audierat: Ecce tetigit hoc labia tua, & abstuli iniquitates tuas; otio torpere noluit, ultro in ministerium Dei, velut à peccatis liber, obtulit se zelo fidei. Sed Moses disciplinis profanis eruditus, & Ægyptii interfecti conscientiâ tactus difficiliorem legationem reformidavit. Ita Isaiam bona Conscientia confidentem reddidit & ad ardua erexit, Mosen malæ Conscientiæ sola pæne suspicio timidum fecit. Jessæus David nondum diademate potitus quantis à Saule premebatur calamitatibus: quanta sustinebat certamina? undique desertus, insidiis undique cinctus, vitam inopem & vagam prosecutus tot miserias subiit, tot adiit periecula, tam varios sub casus se subjecit, nihilominus in summis miseriis in extremis periculis animosissimus ursos & leones generosâ manu debellavit, gigantem Philistæum fundâ dejecit, totos Philistæorum exercitus pæne uno spiritu difflavit, qui de seipso: *Loquebar, inquit, de testimoniis tuis in conspectu regum & non confundebar.* En apud Reges & Imperatores cordatissimum veri professorem. Pura Conscientia hos illi animos suggessit. At ubi eum filius rebellis Absalon oppugnavit, quàm pusillo, imbecilli, fractóque animo consternatus David: *Surgite, ait, fugiamus: neque enim erit nobis effugium à facie Absalon: festinate egredi, ne fortè veniens occupet nos & impellat super nos ruinam, & percutiat civitatem in ore gladii.* Hem, miles tam peritus & exercitatus, dux belli tam strenuus & animi plenus, qui toties in acie stetit, qui unus & solus Philistæa castra evertit, qui silice unico decem millia hostium percussit, qui in omnia pericula impavidus ruit, quàm animo timido, vecors, pavidus imbellem & præliis minimè assuetum fugit juvenem, & suum quidem filium? Hos illi terrores addidit Conscientia. Adulterium & homicidium, liberi molliùs educati hunc heroem ita fregerunt ac debilitârunt ut metum fatis & fugam sibi suisque omnibus circumspiciens dicat: Fugite, festinate. Conscientia mala timidissima; Conscientia bona est intrepida, robustissima, alacerrima.

Pura conscientia animos suggessit David, post peccatum vero timorem. 2 Reg. c. 14. vers. 14. Ita chorus verissimum canebat.

§. II.

Isaaci filius Jacob è Mesopotamiâ redux in patriam, germanum fratrem Esau cum quadringentis viris hostiliter occurrentem habuit inermis cum imbelli grege viator. Ita, *Timuit Iacob valde, & perterritus divisit populum, qui secum erat.* Sed & Deum anxiis precibus convenit: *Erue me, inquit, de manu fratris mei Esau, quia valde eum timeo, ne fortè veniens percutiat matrem cum filiis.* Nihilominus sacer historicus subjungit: *Cúmque dormisset ibi nocte illâ.* Quomodo hîc dicta dictis convenient? Timor non admittit somnum; malus dormientium custos est metus. Sed respondemus, hunc timorem non trepidantis Conscientiæ, sed vigilantis fuisse providentiæ. Providus paterfamilias Jacob sua omnia quàm potuit solertissimè disposuit, cetera bono Deo commisit, & ad quietem se recepit, quia eum Conscientia non accusavit. Quod Ambrosius studiosissimè observans: *Petiturus, inquit, à fratre concordiam dormivit in castris. Perfecta virtus habet quietis tranquillitatem & stabilitatem. Ideo Dominus donum ejus perfectioribus reservavit dicens:* Pacem meam relinquo vobis, pacem meam do vobis. *Perfectorum est enim non facilè mundanis moveri, non turbari metu, non exagitari suspicione, non terrore concuti, non dolore vexari, sed quasi in littore tutissimo adversum insurgentes fluctus sæcularium procellarum mentem immobilem fidâ statione placidare. Hoc firmamentum Christianis mentibus Christus invexit, pacem internam invehens animis probatorum, ut non turbetur cor nostrum, neque exagitetur animus. Hanc pacem super omnem mentem esse Apostolus doctor asserit, dicens:* Et pax Dei, quæ exuperat omnem mentem, custodiat corda vestra & sensus in Christo Jesu. *Fructus itaque pacis est non perturbari in pectore. Denique vita justi quieta est, injustus autem inquietudinis & perturbationis plenus est. Itaque amplius suis suspicionibus affligitur impius, quàm alienis plerique verberibus, majoresque vibices vulnerum in ejus animo sunt, quàm in eorum corpore, qui ab aliis verberantur. Grande est intra se aliquem tranquillum esse, & sibi convenire. Foris pax aut Imperatoris sollicita providentiâ, aut manu militum quæritur, aut bellorum prospero cedit eventu, aut internecione aliquâ barbarorum, si in se hostili motu arma convertant. In eâ pace nulla nostra virtus, sed eventus est. Certè gloria pacis illius ad Imperatorem refertur, istius pacis fructus in nobis est, quæ est in mentibus singulorum, quæ tenetur affectibus. Istius pacis major est fructus, quo spiritalis nequitiæ tentamenta, quàm quo arma hostilia repelluntur. Ita pax sublimior, quæ corporalium passionum excludit illecebras, perturbationesque mitigat, quàm ea quæ barbaricos sedat incursus. Plus est enim clauso intra te hosti resistere, quàm remoto.*

Philip. c. 4. vers. 7. Fructus pacis est non turbari in pectore. Major est pacis fructus, quo spiritalis nequitiæ tentamenta, quàm quo arma hostilia repelluntur.

Hanc animi pacem, hanc Conscientiæ tranquillitatem licet obtinere hac expeditâ & facili ratione: Quilibet, quod potest, faciat. Ceteras omnes curas & seipsum totum quantus quantus est, providentissimo Deo quàm integerrimè committat. Ita mens liberâ prorsus & tranquillâ poterit dicere: Feci quod mearum partium fuit, cetera omnia bono Deo commisi. Jam taceo & Deum specto. Nihil me turbaverit, quisquis demum eventus rerum futurus sit. Quid enim curis & mœroribus cor frustra præbeam exedendum? Feci quod potui: cetera curabit Deus, omnem sollicitudinem meam in ipsum projicio, *quoniam ipsi cura est de nobis.* Ubi seceris quod tuum est, jam supervacaneum est angi, trepidare, luctari. Tace ac quiesce. Si bonæ Conscientiæ es, Deus reget te, & nihil tibi deerit.

Ratio quâ conscientiæ tranquillitatem possumus obtinere.

1. Petr. c. 5. vers. 7.

Psal. 22. v. 1.

Christus dimissis turbis ingressus navim commisit se mari. *Et facta est procella magna venti,* quod Marcus testatur, *& fluctus mittebat in navim, ita ut impleretur navis. Et erat ipse in puppi super cervical dormiens.* Apostoli velut jamjam submergendi trepidabant. At verò Dominus Jesus suaviter dormiebat, idque super cervical. Quid hoc? Num adeò delicatus est Christus rigoris in seipsum assiduus monitor? num in navi eget pulvinari? Euthymius & Theophylactus ligneum fuisse putant hoc cervical in puppi fabricatum, velut pulpitum. Sed Græca dictio ὅπου τὸ πρόσκεφάλαιον, pulvinar subjicit cogitandum. En igitur ipsissimam bonæ Conscientiæ imaginem. Conscientia sceleris expers inter turbines, fluctus, & procellas, inter irati maris minas; inter omnia pericula, miserias, calamitates, ærumnas, inter adversa omnia mollissimus est pulvinus conciliando somno aptissimus. Hinc homo pacatæ conscientiæ inter ruinas erectissimus: Non turbor, inquit, non angor, non crucior: tumultûs & turbarum medius meam mihi reperio quietem. Ego dormio sine sollicitudine, cor meum ad Deum vigilat rectâ Intentione. Dulce pulvinarium Conscientia criminis vacua. Bernardo teste, *Lectulus respersus floribus Conscientia bonis referta operibus.* Hîc tranquillitas & gaudium, hîc securitas & solidissimum solatium, inter omnes maris furias, adversa omnia.

Marci c. 4. vers. 37.

Conscientia sceleris expers inter omnia adversa est mollissimus pulvinus somno conciliando aptissimus. Bernard. serm. 47. in Cantic. mihi pag. 920.

§. III.

Quocirca non vereamur famam, ut jam monere cœpimus, sed conscientiam: honestatis fructus non in famâ, sed in conscientiâ reponatur: nihil ad ostentationem, omnia ad conscientiam referantur. Quod Chrysostomus identidem urgens: *Vehementer, inquit, rogo atque obsecro, ut suspicionibus, & laude, ac vituperatione multorum neglectis, diligenter invigilemus ac faciamus, ne alicujus nobis mali conscii simus.* Judicia hominum, obtrectationes æmulorum, sermones populi, destinatum cuique præmium, beatitudinem futuram nec minimâ parte queunt

Chrysost. tomo 2. in c. 27. Matt. hom. 88. mihi pag. 600. Judicia hominum beatitudinem futuram non possût imminuere.

Splendor nominis neminem nec sanctũ reddit nec beatum. *Lapis aurei coloris.*

queunt imminuere. Splendor nominis, celebritas famæ, præclara existimatio, honoris amplitudo, dignitatis claritas, memoriæ perennitas neminem nec sanctum reddunt nec beatum: hæc vitrum, non margaritum, ammochrysus, non aurum sunt; hæc vana & inania, hæc scarabæi umbra, hæc meriſſima ſunt ſomnia, quæ ad vitæ ſanctimoniam, & beatitudinem obtinendam nihil faciunt. Bona Conſcientia Tranquillitatis templum, & reverà cælum eſt vel extra cælum. *Vis*, inquit Iſidorus, *nunquam triſtis eſſe? Bene vive.* Veriſſimè dixit Auguſtinus: *Corda fidelium cælum ſunt, quia in cælos quotidie eriguntur.* Tranquillitate conſcientiæ nihil excogitari poteſt beatius & propinquius cælitum voluptati. Nihil igitur ad oſtentationem, omnia ad Conſcientiam referenda. Hoc agit bonæ mentis homo, cui fixum in omni vitâ, tranſverſum unguem à rectâ Conſcientiâ non diſcedere.

Iſidor. Soliloq. lib. 2. Aug. to. 10. ſerm. 44. de Tempore, mihi p. 238.

Cic. ad Attic. lib. 13.

Ita tres Hebræi principes, quorum abſtinentiam initio propoſuimus, ad conſcientiam omnia referentes: Hos, ajunt, cibos è mensâ regis non edimus; quidquid rex dicat, quidquid aula regia de nobis ſpargat, quidquid incommodi ſequatur, his cibis conſcientiam noſtram non temeramus, ſed nec ſtatuam adoramus, licet ea foret altero tanto altior ſtaturâ, & auro ditior, licet è pyropis & adamantibus meris, compacta ſtaret, non eam adoramus, conſcientiam attendimus: Ita Daniel: Nabuchodonoſori, ait, & filio ejus Balthaſari veritatem in os ingero: tametſi gratiâ omni excidam; potior mihi conſcientia, quàm gratia, quàm & ipſa vita. Quòd ſacra templi vaſa temulentiæ ſerviant, reprehendo, etſi voces per jugulum ſint redituræ, etſi caput reprehenſioni huic impendendum; conſcientiam ſpecto. Deum verum venerari & quotidianis precibus invocare non ceſſo, etſi ad leones præcipiter; conſcientiam obſervo.

A

Ita prorſus, ita nihil ad oſtentationem & pompam, nihil ad vanam ſpeciem & futilem gloriam, nihil ad inane ſpectaculum & ludi proſcenium, ad conſcientiam verò referenda ſunt omnia. Mala conſcientia infernus, carcer eſt inter ipſas voluptates: Bona conſcientia in aſperrimâ etiam ſolitudine cælum eſt, nec eâ certius ullum futuræ beatitudinis teſtimonium. Hic cujuſque liber ſupremi judicii die pandetur coram orbe inſpectantibus univerſis, quidquid vel bonæ vel malæ notæ jam inſcripſeris.

Omnia ad conſcientiam referenda ſunt.

Peſſimi doctores in politicis, qui conſcientiam ſeponunt aut calcant, qui externam virtutum ſpeciem nobis ingerunt, ipſas admitti negant. Sed, Vela te, quiſquis es, & verte in varias formas; ubicumque vera virtus non eſt, vitium ſubſequitur, ut ex eo inquies in animo, aut timor. Quod Tertullianus dilucidè affirmans: *Omne malum*, inquit, *aut timore aut pudore natura perfudit.* Sicut *virtutum omnium*, Annæo teſte, *pretium in ipſis eſt. Et rectè facti merces eſt, feciſſe.* Quantò igitur melius, ſecurius, firmius, rectâ apertâque viâ incedere, Deo, ſuæque conſcientiæ Dei vicario ſe probare, illùdque fixiſſimè cum animo ſtatutum habere: Nihil opinionis, conſcientiæ cauſsâ faciam omnia. Populo ſpectante fieri credam, quidquid me conſcio facturus ſum. Mille teſtes, ſexcenti judices, Conſcientia.

B

Tertull. in Apologet. cap. 1. mihi pag. 26. Senec. ep. 11. mihi p. 40.

Finis libri Danielis.



TOBIAS

TOBIAS
MORALI DOCTRINA
ILLVSTRATVS.
PARS PRIMA.

CAPVT I.
Tobias primarii generis, vir honoratus.

TOBIAM VIRVM HEBRÆVM B exactissimæ virtutis, omnibus noscendum, imò & imitandum proponere animus est. Præfanda tamen pauculâ de libro, qui Tobias inscribitur.

§. I.

Liber Tobiæ formandis moribus utilissimus est. Ejus elogium.

TObiæ liber moribus formandis utilissimus est. Non nemo ex iis, qui librum obtrectare solent, ingenuè dixit. Libellus est verè aureus. Ediscendus esset à pueris, haud secus quàm decalogus, & in imo pectoris diligentissimè condendus, in quo nihil nisi mera pietatis semina, imò flores & fructus inveniuntur. Non minùs honorificum de eodem hoc libro elogium est istud: Inter historias primum tenet locum liber Tobiæ, qui meâ quidem sententiâ feliciùs Xenophonte ac Aristotele tradit œconomiam. Nam & exemplis vivis omnia, & salutaribus præceptis demonstrat. Nulla hominum ætas est, ordo nullus aut C sexus, qui non habeat ex hoc libro discere præceptiones optimas, nemo est, qui sui hîc officij non moneatur.

Est Canonicus. *Matth. c. 18. vers. 16.* † *Vixit à Christo nato an. 180.*

Liber Tobiæ Canonicus est. *In ore duorum aut trium testium stat omne verbum*, assertione Christi: tres nominâsse sufficerit. Divus Irenæus libro adversus Valentinum cap. 34. in testimonium venit. † Divus Cyprianus epistolâ 52. argumentum ex eo libro sumpsit adversus Novitianos. Divus Augustinus l. 2. de doctrinâ Christianâ c. 8. hunc ipsum in canone Scripturæ Sanctæ collocavit, & ex eo ipsemet partem sermonis ducentesimi vicesimi secundi pro concione proposuit. Sat testimonij. Mihi unus Augustinus loco mille testium est. Ad hunc cùm antiquissimi Irenæus & Cyprianus aliique accedant rem omni modo testatissimam habemus. Taceo Concilia, quæ Tobiæ librum inter divina monumenta, ut germanissimam eorum partem numerant. Ita dilucidè D Concilium Tridentinum. Ita totius Ecclesiæ consensus & decreta. Sed jam in libri auctorem indagemus.

Sessione 4. post initium.

Hic liber scriptus est ab utroque Tobiâ. *Tob. c. 12. vers. 20.*

Scriptus hic liber creditur ab utroque Tobiâ tam parente quàm filio. Nam Angelus utrique præcipiens: *Vos autem*, inquit, *benedicite Deum, & narrate omnia mirabilia ejus.* Hebræus & Græcus contextus apertissimè hunc in modum loquuntur; scribite omnia hæc, quæ contigerunt in libro. Nihilominùs non usque adeò id certum est, cùm initio hic liber Chaldaïcè sit scriptus; quod Hieronymus præfatione ad Chromatium, & Heliodorum testatur. Ab utriusque Tobiæ obitu, tertius aliquis versus pauculos censetur adjecisse. De hoc tam gracili libello Paulus suum illud pronuntiavit: *Omnia quæcunque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt, ut per patientiam & consolationem scripturarum spem habeamus.* Sanctorum vita, lex viva, instructio nostra. Chrysostomus sanctorum hominum res gestas à Spiritu divino eam ob caussam dictatas, & à nobis relictas asserens: *Ut discentes*, inquit, *quòd licet ejusdem fuerint naturæ, virtutibus tamen studuerint, ne simus nos ignavi & desides in iis exercendis.*

Rom. c. 15. vers. 4.

Chrys. ho. 11. in Gen.

Meum hîc votum est, quod Iobi fuit: *Quis mihi tribuat, ut scribantur sermones mei? Quis mihi det ut exarentur in libro stylo ferreo, & plumbi lamnâ, vel celte sculpantur in silice?* In fimeto statuere cogitat tablinum, & ordiri scriptionem non vulgarem: nec enim tabulis ceratis, aut arborum corticibus, aut candidis linteis, sed nec chartæ, vel membranæ, sed marmori, imò chalybi mandare vult verba, quæ scriptitare meditatur. Vtinam & ego hunc librum scriptionis neutiquam prolixæ omnium memoriæ imprimere, aut quod mavelim pectoribus omnium, velut marmoreę, aut chalybeæ laminæ possim insculpere. De hoc Tobiæ libro, qui pagellas pauculas complectitur, verè ausim pronuntiare: Liber mole quidem modicus, sed Christianæ perfectionis est commentarius.

Iob c. 19. v. 23. & 24. † *Alii certè.*

Ordo scriptionis.

Scriptionis porrò hic erit ordo, qui est historiæ. C Ordiamur à Tobiæ genere & familiâ.

Tobias ex urbe & tribu Nepthali oriundus primariis Natalibus. Pater illius Tobiel, Avus Ananiel proavus Adiel, abavus Gabaël, tritavus Asaël, tritavi pater Nenathiel.

Iudæi suprà quàm dici potest, in conscribendis genealogiis diligentissimi. Hinc ista talia tam exactè sciri potuerunt. Sed porrò eamus.

§. II.

Quo anno natus Tobias & mortuus. Patria.

NAtus est Tobias anno quater millesimo quadringentesimo vicesimo. Denatus est sub Manasse Rege quater millesimo quingentesimo vicesimo secundo. Ita vixit centenis & duobus annis. Tobię patria fuit Galilæa superior, urbs Nepthali, quæ à tribu sortita nomen. Ergo non ignobili familiâ ortus est, quod ex accuratissimâ prosapiæ, generisque descriptione cuivis facilè constet, in qua avus, proavus, abavus, tritavus, & pater tritavi tam distinctè nominantur.

Regis Salmanasaris œconomus.

Deinde si Tobiæ munus aulicum spectemus: Salmanasaris Regis princeps œconomus fuit Tobias, ad quem omnia emenda pertinerent. Neq; verò credibile huic officio hominē ignobilē præfectum. Itaque Tobias primarij generis vir honoratus. Et hæc natalium ornamenta Deo in acceptis referenda. Ista enim Deus, quibus vult, concedit; negat innumeris. Habet generis dignitas, familiæ vetustas suos honores, quibus emineat. Nemo id negaverit. Paulina præceptio est: *Reddite ergo omnibus debita; cui honorem, honorem.*

Rom. c. 13. vers. 7.

Triplex nobilitas. Prima. Secunda.

Gregorius Nazianzenus triplicem statuit nobilitatem. Prima suam supernè trahit originem: Ad imaginem divinam conditi sumus. Quâ quidem ratione omnes peræquè sumus nobiles. Altera prisem san-

guinem & claros præfert natales. At hæc nobilitas uti suum habet ortum, ita suum etiam occasum & interitum ignorare non potest. Tertia, quam virtus parit est eruditio. Vulgatâ phrasi dicitur: Homo nobilis est, aut quia ingenij nobilis, judicij maturi, memoriæ excellentis; aut quia bene institutus, optimè moratus, insigniter doctus, eximiè sedatus, omnibus sese attemperare gnarus. Hîc quivis dispiciat, quibus velit nobilitatis insignibus ornari, si nondum eâ claritate fulgeat. Seneca de nobilitate verâ differens: *Bona mens*, inquit, *omnibus patet, omnes ad hoc sumus nobiles. Si quid aliud est in philosophiâ boni, hoc est, quod stemma non inspicit. Patricius Socrates non fuit: Cleanthes aquam traxit, & rigando hortulo locavit manus: Platonem non accepit nobilem philosophia, sed fecit. Quis ergo generosus? Ad virtutem bene à naturâ compositus. Hoc unum est intuendum. Non facit nobilem atrium plenum fumosis imaginibus: Nemo in nostram gloriam vivit: quod ante nos fuit, nostrum non est. Animus facit nobilem, cui ex quacunque conditione supra fortunam licet surgere.*

Tertia.

Sen. ep. 44. mihi pag. 456. & seq.

Paulus Timotheum suum hortatus: *Divitibus*, inquit, *hujus sæculi præcipe, non sublimè sapere.* Præcipi vult, non suaderi his, qui ceteros facultatibus, nobilitate, aliis dotibus antistant, supercilium non erigere, non insolescere: Dic eis & manda, ut famulos atque subditos, & quoscunque alios, non minùs quàm se, ac suos putent esse homines. Contrarium subinde factum. Homines potentes ac nobiles supercilio tam grandi servos suos, & ignobiliores alios despexerunt, perinde ac si magnates isti de longè meliore luto sint facti. Minimè Christiana, & amens, barbaráque insolentia hoc est. Præcipe igitur, præcipe tam fastuosis pavonibus cristas ponere, & meminisse, non solà nuditi rudine fumosarum imaginum, nec stemmatis tantùm & longi sanguinis æstimatione censeri hominem; vera nobilitatis insignia, virtutis & eruditionis esse ornamenta; plus aliis scire, auctiorem doctrinam comparare, sanctiùs ad virtutis leges vivere, hoc facit nobilem.

1. Tim. c. 6. vers. 17.

Talem in exemplum statuimus Tobiam, qui familiâ, & stirpe clarus, clarior fuit virtute, vir exactissimus ad omne virtutis imperium. Talis & Romanus martyr vir nobilissimus, qui Galerij Imperatoris ævo, Asclepiadi Antiochiæ præfecto in os objiciens: Absit à me, inquit, ut nobilem me præstet parentum sanguis, aut lex curiæ; generosa Christi sequela nobilitat viros. Non cupio ut mihi, meóque generi quidquam parcas. Christi sanguis pro me fusus me nobilitat. Oratione tam ingenuâ irritatus Asclepiades, Christi Athletam flagris & plumbatis cædi, latera mucronibus conscindi jussit: At Romanus non minùs fortiter ac liberè: Gratias ago tibi, ô præfecte, inquit, quòd in meo corpore multa reseraris ora, quibus Christum meum deprædicem. Tot ecce Christum in me linguæ, tot laudant labia, quot vulnera.

Tobias fuit vir ad omne virtutis imperium exactissimus.

§. III.

Nostro hoc ævo in aulis principum illustre nobilitatis ornamentum & insigne est clavis aurea, quam reges, Principésque dant Magnatibus, qui sibi à cubiculis sunt. Oratio & eleemosyna claves cæli sunt aureæ. Has quisquis desiderat, quavis horâ eas impetrat, hac geminâ clave momentis omnibus cælum reserat. His ornamentis ad omnem nobilitatis perennitatem insignimur.

Oratio & eleëmosyna claves cœli sunt aureæ.

Ante annos quadraginta & plures, quod recentissimè memini, vir non longi sanguinis, nec lunulis pedem insignitus, sed arte musices clarissimus auream à suo principe clavem in eximij favoris signum accepit. Sapuit vir iste, & intra suam sese fortunam continuit, clausam galeam non perforavit, non se alium, quàm erat, jactavit: Scitur, ajebat, qui sim; & gloriosius mihi meâ me arte evehi; satis est mihi clauis aurea, maximi favoris argumentum, hæc una clavis satis me nobilitat. Prudenter hæc & modestè.

Lunula in calceis prisca nobilitatis insigne.

Clave aureâ nobilibus inseri potest, quisquis id seriò affectat. Et genus & formam regina non pecunia, sed pecuniæ largitio, sed eleemosyna, sed oratio donat. Eleemosyna & oratio, duæ claves aureæ. Eleemosyna cælum, oratio cor reserat divinum, eò spiritus ardenter precantis ingreditur. Hieronymus Celantiâ sapienter instituens: *Nulli te unquam*, ait, *de generis nobilitate præponas, nec loco humiliore natas te inferiores putes. Nescit religio nostra personas accipere, nec conditiones hominum, sed animos suspicit singulorum. Sola apud Deum libertas est non servire peccatis; summa apud Deum nobilitas est clarum esse virtutibus.*

Eleëmosyna orationi divinum reserat. Hieron. ad Celantiam.

De eleemosynâ cæli clave aureâ Hebræus vates Daniel luculentissimè: *Quamobrem*, inquit, *rex consilium meum placeat tibi, & peccata tua eleemosynis redime, & iniquitates tuas misericordiis pauperum.* Hoc noster nobis Tobias suo loco dicet. *Quoniam eleemosyna ab omni peccato, & à morte liberat, & non patietur animam ire in tenebras. Fiducia magna erit coram summo Deo eleemosyna omnibus facientibus eam.*

Dan. 4. vers. 24. Tob. 4. 11. & 12.

Hîc dices: Quàm ego velim in egenos esse liberalissimus, & quâvis hebdomade centum philippeos in pauperum turbam partiri. At reculæ tenues sunt & acisæ, vacuâ manum non explicant. Vellem si possem. Solatium hîc ingens Augustinus suppeditans: *Quidquid vis*, inquit, *& non potes factum Deus computat. Discutit Deus quid quisque voluerit, non quid potuerit.*

Aug. in psal. 37. & in psal. 118. pag. 1171.

De oratione aureâ cæli clave dixit Siracides: *Oratio humiliantis se nubes penetrabit, & donec propinquet non cõsolabitur, & non discedet donec Altissimus aspiciat.* Applica hanc clavem, & reserâsti cælum & expugnâsti cor divinum.

Eccli. 35. vers. 21.

Qui geminas has claves aureas habent, hi regum regi à cubiculis sunt primæ admissionis amici, summæ nobilitatis magnates. Orando & eleemosynas erogando jus civitatis supernæ, nomen nobilitatis æternæ obtinetur.

CAPUT II.

Tobias inter omnes tribules suos eximius.

Tobiæ genus & patriam exposuimus. Positum viri nomen, continuò multiplex comitatur elogium.

Elogium Tobiæ multiplex.

I. Puer etiámnum & pæne infans, puerile nihil aut infantile moribus præ se tulit. *Cúmque esset junior omnibus in tribu Nepthali, nihil tamen puerile gessit in opere.*

Tob. c. 1. vers. 4.

II. Ceteris omnibus ad Ieroboami vitulos aureos properantibus, ille solus Hierusalem ibat, & templum Domini frequentabat. Ita divinæ paginæ testantur. *Denique cùm irent omnes ad vitulos aureos, quos Ieroboam fecerat rex Israël, hic solus fugiebat consortia omnium, & pergebat in Hierusalem ad templum Domini, & ibi adorabat Dominum Deum Israël.*

Ibid. vers. 5. & 6.

III. Societatem hominum pravorum cautissimè declinabat; illud Siracidæ monitum sectatus: *Qui tetigerit picem, inquinabitur ab eâ, & qui communicaverit superbo, induet superbiam.*

Eccli. 13. vers. 1.

IV. *Omnia primitiva sua & decimas suas fideliter offerebat, ita ut in tertio anno proselytis & advenis ministraret omnem decimationem.* Fidelissimus debitor, mitissimus exactor.

Tob. c. 1. vers. 6. & 7.

V. *Hæc & his similia secundùm legẽ Dei puerulus observabat*: parentes honorabat: statis de die temporibus Deũ adorabat, mensam, somnum, actiones omnes precibus Deo commendabat, leges divinas memoriæ diligentissimè mandabat. Iosephus scriptor Græcus Hebræorum

Ibid. vers. 8.

rum liberos sic educatos asserit, ut in ipsis pæne incunabulis divinas leges cœperint ediscere. Quemadmodum alicubi locorum, ubi morum corruptela est, politicæ Machiavelli præceptiones vel in cunis immulgentur pueris. Ita Tobias etiámnum parvulus,& pæne cum nutricis lacte leges divinas combibit. De his singulis Tobiæ actionibus singulariter agendum foret. Sed unicum sumemus illud: *Cùm irent omnes ad vitulos aureos, hic solus fugiebat consortia omnium.* Ergo Tobias inter omnes suos tribules eximius. Quod jam uberiùs dicemus.

Tob. v. 5.

§. I.

INcredibile prorsus videtur unicum exercitui posse resistere. Sed id factum docent decantatę veterum historię. Rex Porsena, Tarquinios reges expulsos in gradum pristinũ restituturus exercitum ad portas perduxit. Hetrusci jam in urbem ponte sublicio irrumpentibus Horatius Cocles extremam pontis partem occupavit, totúmq; hostium agmen, donec post tergum suum pons abrumperetur, infatigabili pugnâ sustinuit. Atque ut patriam imminente periculo liberatam vidit, armatus se in Tiberim misit, non fluvij altitudine dejectus quassatúsve, non pondere armorum pressus, nec ullo vorticis circuitu actus; ne telis quidem, quæ undique cõgerebantur, læsus, tutum natandi eventum habuit. Vnus itaque tot civium, tot hostium in se oculos convertit, stupentes illos admiratione, hos inter lætitiam & metum hæsitantes: unusquisque duos acerrimâ pugnâ consertos exercitus, alterum repellendo, alterum propugnando, distraxit. Deniq; unus urbi Romæ, tantum scuto suo, quantum Tiberis alveo suo, munimenti attulit. Quapropter discedentes Hetrusci dicere potuerunt: Romanos vicimus, ab Horatio victi sumus. Ita vir unus in multa millia hostilis exercitûs pugnavit. Sed Horatium Coditem salvere ac valere jubemus. Tobias adhuc puerulus adversus populi multitudinem ingentem stetit, pugnavit, gradu se moveri neutiquam passus: Cùm irent omnes ad vitulos aureos, hic solus fugiebat consortia omnium. Cùm omnes ederent ex cibis gentilium, iste custodivit animam suam, & nunquam contaminatus est in escis eorum. Videte puerum, qui in suâ gente multa millia adultorum abstinentiâ, fide, constantiâ, longè superavit. Verè lilium in spinis, lampas in obscuro, smaragdus in luto, sidus in tenebris: columba in accipitrum medio, ovis in luporum circulo; sanctus & impollutæ fidei inter improbissimos. Nepthalitę omnes idololatræ, Tobias solus uni & vero Deo adhæsit.

Horatius Cocles totam Hetruscorum gentem sustinuit.

Tobias adhuc puerulus adversus populi multitudinem ingentem stetit, pugnavit, gradu se moveri neutiquam passus: Cùm irent omnes ad vitulos aureos, hic solus fugiebat consortia omnium. Cùm omnes ederent ex cibis gentilium, iste custodivit animam suam, & nunquam contaminatus est in escis eorum. Videte puerum, qui in suâ gente multa millia adultorum abstinentiâ, fide, constantiâ, solus & vero Deo adhæsit.

Mundi ratiocinatio.

Pulchella mundi ratiocinatio est, & maximarum virium, quæ etiã fortes animos enervat: Syllogismus iste est, sed planè informis: tamen alij omnes hoc faciunt. Cur ego eximi numero & singularis esse velim; si hoc aliis, cur mihi non liceat? Hoc illud mundi robustissimum epicherema est. Exemplis rem monstramus; vulgatissimæ voces sunt: 1. Omnes jam vivunt bacchanalia, nemo sobrius. 2. Quisque ad crumenam suam vigilat, quisque suum venatur lucrum. 3. Nemo est, qui corporis cultum non amet. Hoc vestium genus jam ubiq; usitatissimum. 4. Hanc pecuniæ exercendæ rationem nemo non sequitur. 5. Nemo aliter hac de re loquitur. 6. Ad quietem omnes properamus, laborem fugimus omnes. 7. Nemo tolerat se dictis contumeliosis aut acerbis peti. 8. Nemo non amicus esse cupit reginæ pecuniæ: certè nec ego hostis ero. Centum talia: Hoc omnes faciunt, omnes, omnes; ego unus sim eximius? Sic alter alterum ad gehennã suaviter inter brachia ducit; alienis perimus exemplis. Quis est, qui cum paucis, quis est, qui seriò, totóque pectore solus cupiat potiri cœlo?

Et voces.

§. II.

Bonę mentis homines inter impios soli: Tobias. Noemus.

TObias solus fugiebat consortia omnium. Noëmus solus inter nequissimos bonus: Noë vir justus atque perfectus fuit in generationibus suis. *Omnis caro corruperat viam suam.* Mundus fœtentium hircorum refertissimus, solus ovicula Noëmus, cui dixerat Deus: *Te vidi justum coram me.* En hic solus. Iosephus in Ægypto, quàm non sanctâ domo exceptus est? Dominus, aulæ aselecta non magnam domũs curam habuit, domina impudica & nequam femina, ancillæ dominâ non sanctiores, inverecundæ; domestici omnes idololatræ. Vnicus Iosephus inter tot corvos & Harpyias veluti columbula se cõtinuit. Deum coluit, virtuti studuit En iterum hic solus. Iobus idea patientiæ, solus veri Numinis cultor inter idolorum servos. Vir erat in terrâ Hus, ubi homines impij idololatræ, nequiores quàm bestiæ. Hinc ille ingemiscens: *Frater*, inquit, *fui draconum & socius strathionum.* Ille tamen unus religione in Deum, virtúque sanctimoniâ eminuit, & ad mores paternos suos quoque filios formavit. En etiam hic solus. Non adeo magnæ artis est probum inter probos, sed inter improbos probũ perseverare. Quod Gregorius erudite commendans: *Sicut enim*, inquit, *gravioris culpæ est inter bonos bonum non esse, ita immensi est præconij, bonum inter malos extitisse.* Lothus inter Sodomęos & Gomorrhęos, falaces hœdos, vir integerrimus, quem Petrus Apostolus laudans: *Aspectu*, inquit, *& auditu justus erat, habitans apud eos, qui de die in diem animam justam iniquis operibus cruciabant.* Ecce iterum hic solus. Iosephus ab Arimathæa inter septuaginta duos senatores confederat, qui omnes in Christi caput pronuntiarunt: *Reus est mortis.* Quid ille unus & solus hic diceret? Solus tamen & unus cõtrariam dixit sententiam: Non est reus mortis: *non enim consenserat consilio & actibus eorum.* Ecce & hic solus, Horatius Cocles, Tobias inter suos omnes eximius. Episcopo Pergami vox divina hæc scribi jussit: *Scio ubi habitas, ubi sedes est Satanæ, & tenes nomen meum, & non negasti fidem meam.* Medius filiorum Belial religionem non mutavit, mores sanctos non exuit. Ecce & hic solus. Thomas Morus Angliæ sidus illustrissimum in Londinensi curiâ consedit, cõtiliis regis improbis obstiturus: ceteri suadentes omnes & Placentini senatores id decreverunt, quod maximè rex Henricus voluit, in cujus sententiam omnes alij concesserunt, solus Morus restitit, illas Baptistæ voces usurpans: *Non licet tibi.* Ecce hic solus viam veritatis non deseruit, caput insuper huic sententiæ impendit, verè curiæ Britannicæ Phœnix. Hinc Carolus V. Imperator dixit: Rex Henricus toti Angliæ caput amputavit, cùm Morum sustulit. Si Morus, præ ceteris videri voluisset, aut solâ restitisset pertinaciâ, laudem non tulisset. At verò dictante scientiâ & conscientiâ caput consecrare veritati, hoc sanè immensi est præconij. Ecce hic solus Tobias verus Phœnix.

Iob. Iob c. 30. vers. 29. Greg. to. 2. l. 1. moral. c. 1. mihi pag. 316. Lothus. 2. Petr. c. 2. vers. 8. Josephus ab Arimathæa. Matth. c. 26 vers. 66. Luc. c. 23. vers. 51. Episcopus Pergami. Apoc. c. 2. vers. 13. Thomas Morus.

Quotidianum est bonæ mentis homines inter improbos versari. Est famulus, aut ancilla in domo, in quâ mores regnent pessimi, de quâ vix alio modo judicare possis quàm isto: Mi Deus, quàm dissolutis moribus in hac domo inquilini sunt, quàm vitâ hîc vivitur vitiosâ, estur, potatur, luditur totos dies, totas subinde noctes. Excluſum est his ædibus Iejunium, exclusa pudicitia omnis; turpia, obscœna verba pæne omnium ore sparguntur; exempli boni vix quidquam videas. Precando mensam adire, aut ab eâ recedere pæne dedecori est; somnum ut pecudes ordiuntur. Hæc mihi parum videntur christiana, hæc divinis legibus non conformia. Hunc ergo domesticorum furorem non sequar? At irridebor, & vexabor? Paruna refert: modò id Deo Angelisque placeat. Ecce hic solus

lus; ecce hic Tobias. Iste custodit animam suam, hic sanctus est. Hæc talis ancilla non servit vitiis, animo libera, inter spinas rosa est. Quod Origenes per priscæ legis sanctos confirmans: *Qualis fuit Melchisedech*, inquit, *in medio Chananæorum, qualis Abraham in medio Chaldæorum, inter profanos sanctus, inter obscœnos mundus, pius inter impios. Sunt etiámnum in orbe, non dubitem, ejuscemodi latentes sancti, quos difficile est digitis demonstrare, & dicere: hi sunt.* Isti custodiunt animas suas. Deus defendit illos ab omni vitiorum turpitudine.

Vnicus talis homo pluris est apud Deum, quàm aliorum multa millia. Quod Siracides apertissimè cõfirmans: *Melior est*, inquit, *unus timens Deum, quàm mille filii impii.* Hoc Chrysostomus expendens, & idem omninò adstruens: *Melior est*, inquit, *unus faciens voluntatem Dei, quàm innumeri peccatores.* Davidi Regi olim à populo dictum: *Tu unus solus pro decem millibus computaris.* Idem hîc usurpare liceat in hominem inter improbos tam castis & probis moribus viventem. Hic unus solus computatur pro decem millibus. Multitudo vitiis favens non curanda quidquam, nec sectanda. Quod Deus expressissimè præcipiens: *Non sequeris*, ait, *turbam ad faciendum malum: nec in judicio plurimorum acquiesces sententiæ, ut à vero devies.* Nec enim refert, quàm multi, sed quàm boni. Socrates imprudentissimum judicat, qui unicũ adulterinum nummum rejecit, ut monetam improbam, & marsupium his nummis plenum admittit, ut pretium non spernendum. Argentum falsum, non ideo probum est, quia multum est: vitia non ideo laudanda, quia plurimos habent cultores & patronos. Laurigeri multi, pauci Phœbi. Eam ob rem optimus princeps Mathathias, cùm suaderetur ei à multis, ut Antiocho regi pareret, & præsenti sese necessitati attemperaret, voce generosissimâ dixit: *Etsi omnes gentes regi Antiocho obediunt, ego & filii mei & fratres mei obediemus legi Patrum nostrorum. Propitius sit nobis Deus, non est nobis utile relinquere legem & justitias Dei.* En germanum Tobiæ imitatorem. Hîc geminum documentum exactiùs observandum.

Ecclí. c. 16. vers. 3. Chrysost. hom. 8. in Acta. 2. Reg. c. 18. vers. 3. Exod. c. 23. vers. 2. 1. Machab. c. 2. v. 19. 20. & 21. Duplex documentum.

§. III.

1. Neminẽ pigeat virtuti solum operari. Horat. lib. 1. ep. ep. 6. ad Numicium pag. 753. Ovid. l. 3. de Amor.

I. CVm irent omnes ad vitulos aureos, &c. Mundum inspice, imò teipsum intuere, ad vitulos aureos nemo non festinat. Pecuniæ obediunt omnia.

Scilicet uxorem cum dote fidémque & amicos
Et genus & formam regina pecunia donat.

Dat census honores, inde gravis judex, inde severus eques. Athenienſium nummi bove, Peliponesiorum testudine signati. Hinc verum & vetus verbum: Virtutem & sapientiam vincunt boves, vincunt testudines. Quantum quisque suâ nummorum servat in arcâ, tantum habet & fidei, religionis, nobilitatis, ingenii, dignitatis.

Iuvenal. sat. 3. v. 140.

Protinus ad censum; de moribus ultima fiet
Quæstio. Quot pascit servos? quot possidet agri
Iugera? Quàm multâ, magnáque paropside cenat?
Quantum quisque suâ nummorum servat in arcâ
Tantum habet & fidei. ———

Hor. ep. lib. 1. ep. ad Mæcen. pa. 245.

O cives, cives quærenda pecunia primum est.
Virtus post nummos. ———

Aurum potest omnia. Quidvis nummis præsentibus opta. O igitur beatus uir, ô ter beatus, qui post aurum vitulósque aureos non abit!

Hor. loc. cit.

Vilius argentum est auro, virtutibus aurum.

An hi vituli fusiles è puro puto auro sint conflati.

Quæstio hîc sit, num fusiles hi vituli è puro puto auro sint conflati? aio, non vitulos fuisse, sed vitulorum capita, eáque aurea. Hæc illa Hebræorum idola, quorum effigiem in Ægypto utique viderunt, & ad suos ritus impiè transtulerunt. Vitulari, priscis erat lætitiâ exultare, uti amœnitate vernâ pecudes in pratis solent. Quivis hominum à suo protoplasto suos habet impetus, & procursus, seu latentem petulantiam, seu exultantem lætitiam, aut vehementem excandescentiam aut tetricam & lacrymis exundantem tristitiam. Hinc propensiones & affectus diversissimi: alii in aliud ferimur, sua quemque trahit voluptas, eáque sibi dissimillima. Sunt, quibus summæ sit voluptati viles animas ad jurgia & pugnos mutuos concitare. Alii potando, alii ludendo, aliqui venando plurimùm oblectantur. Aliquorum indoles summis studiis quærit nummos, alii honores & dignitates aucupantur industriâ incredibili, plurimi ad cultum pompámque vestium curam atque operam omnem conferunt. Iuvenilia desideria, aurea vitulorum capita. Timotheũ commonefaciens Paulus: *Iuvenilia*, inquit, *desideria fuge.* Cùm igitur omnes ad vitulos eant aureos, & suam quisque cupiditatem ac libidinem sectetur, vos soli, quicumque in rem vestram sapitis, custodite animas vestras, juvenilia desideria fugite. Exemplis optimis præit Tobias. *Hic solus fugiebat consortia omnium, & pergebat in Hierusalem ad templum Domini, & ibi adorabat ad Dominum Deum Israel.* Ninive, ubi Tobias habitabat, colluvies erat idololatriæ, vitiorum officina, & tamen ab omni sese turpitudine Tobias abstinuit. Hic nempe solus. Neminem pigeat virtuti solum operari; nec enim pigeret, si posset, vel solum cælo frui, Dei aspectu potiri.

2. Deus præmium in hac etiam vitâ tribuit. Iuvenilia desideria fuge. 2. Tim. c. 2. vers. 22.

II. Deus subinde præmium in hac etiam vitâ tribuit, qui nullam actionem bonam mercede suâ destituit. Hæc illa Numinis paterna in suos est providentia. In exilio Tobias longe fuit felicior, quàm in patriâ; Deus illum periculis plurimis subduxit, & eas concessit facultates, quibus familiam honestissimè aluit, insuper & egenos juvit. Macello & lanienæ destinatus à Sennacheribo rege incolumis evasit, à Gabelo pecuniam mutuo datam recepit, optatissimum filii matrimonium vidit, visum perditum recepit, ætatem longissimam vixit. Scutum divinæ providentiæ illum protexit. *Benedictio Domini super caput justi*, dixit Salomon: quod verissimum fuit de Tobiâ.

Prov. c. 10. vers. 6.

Anno Christiano millesimo sexcentesimo trigesimo primo Vesuvium montem ea egit intemperies, ut à mille quingentis annis nihil tam terribile visum, auditum, lectum credatur. In ejusmodi terræ motu, qualem & Plinius secundus narrat, qui sub dio agebant, cervicalia capitibus imponebant, & linteis constringebant, ne à volantibus lapidibus læderentur. *Beatus vir, qui in sensu cogitabit circumspectionem Dei*, ac providentiam infinitam, quæ omnia circumspiciendo intuetur & lustrat, omnia rectissimè disponit, ordinat, regit ac gubernat. *Omnes viæ hominis patent oculis ejus: spirituũ ponderator est Dominus.* Huic igitur *Domino revela opera & dirigentur cogitationes tuæ.* Quidquid agis, ad Deum, & ad ultimum finem tuum referas, & divina providentia amantissimè semper, & in omni loco te proteget. Hoc cervical capiti tuo hæreat, & nusquam non tutus ibis. Divina providentia non solùm cervical est mollissimum, sed adversùs mala & pericula firmissimum scutum, præsidium tutissimum. Hanc imponamus capiti & in viâ, quæ ad superos ducit, pergamus. Sub hoc cervicali, sub scuto isto non potest lædi, nisi, qui non vult defendi.

Similimodo scribit Plin. Lam. l. 6. ep. 20. fin.

Eccli. c. 34. vers. 22.

Prov. c. 16. v. 2. & 3.

Omnes actiones ad Deum ut finem ultimum referantur.

CAPVT III.

Tobias in cogitando Deo assiduissimus.

TObias adeò honestè & sanctè se gessit, ut rex Salmanasar hunc captivum suum eximiè amârit, eúmque gratiâ non simplici honorârit. Nam Tobiæ integrum erat eundi, quò vellet, agendi quod liberet. Deinde ad insigne in aulâ officium adscitus est. Erat enim, quod Græci dicunt ἀγοραστής: quidquid emendum,

Tobias ad insigne officium in aulâ adscitus est.

dum, Tobias emit, cibum, potum, vestem, jumenta, equos, vasa, supellectilem. Tobias œconomus & procurator aulicus fuit, nec defuerunt ampla dona, quibus rex suum sibi famulum arctiùs devinciebat. Ex his Tobias in alios suæ gentis plurima liberalissimè derivabat. Nam ad omnes unà captivos frequentissimè revisebat, solatiis & monitis instruebat, adversis non frangi docebat: *Pergebat*, ait sacer Historicus, *ad omnes, qui erant in captivitate, & monita salutis dabat eis.* Gabelo sui generis viro non abundanti decem argenti talenta dedit mutua. Ad nostram monetam philippeorum sex millia. Cardanus censet fuisse ducatorũ quinque millia. Tobias insuper omnes ubiq; pauperes miseratus famelicis cibum, seminudis vestitum, mortuis sepulturam dedit, in neminem non beneficus. Et quod honestissimas actiones istas plurimùm commendabat, assiduam Dei memoriam pectore fovebat. *Et quoniam memor fuit Domini in toto corde suo, dedit illi Deus gratiam in conspectu Salmanasar regis.* Tobias ergo in cogitando Deo assiduissimus. Memoriam Dei assiduam in animo nutrire, non animum tantùm incredibiliter juvat, sed & facultates auget, & quidquid agendarum rerum est occultis beat successibus. Memorem esse Dei in corde suo, veræ sanctimoniæ fundamentum est, quod jam uberiùs explicandum.

Ita fuit gentis captivum liberalis.

Tob. c. 1. vers. 19.

Tob. c. 13.

Memorem esse Dei in toto corde sito est fundamentum veræ sanctimoniæ.

§. I.

TObias *memor fuit Domini in toto corde suo*, nec enim meminisse tantùm Numinis, sed ex toto corde voluit meminisse. Atq; hoc est omnia cum Deo, omnia in Deo, per Deum omnia transigere, animúmque suum penitus in Deum transfundere & immergere: quod vivendi genus in hoc orbe felicissimũ est, quando quis vel horulam credit infelicem, quã Dei non meminerit, aut animũ ad divina non erexerit. Theologorum princeps Thomas Aquinas: *Oblivio*, inquit, *parvi pensionis est evidens signum, cum ea magis infigamus memoriæ, quæ magis æstimamus.* Oblivio Dei, vilipensio Dei. Rex David hoc uno pæne lætatus: *Providebam*, inquit, *Dominum in conspectu meo semper*: providebam, quia diligebam, & ideo diligebam, quia memoriam dilecti semper retinebam. Contrarium est cernere in homine improbo, qui Dei memoriam excutiens in vetitum ivit, quod Psaltes dixit: *Non est Deus in conspectu ejus, inquinatæ sunt viæ illius in omni tempore.* E diverso mundæ sunt viæ illorum, qui memores sunt Domini in toto corde suo. Germanam in Tobiâ hujus rei effigiem habemus. Oblivio Dei, interitus animi. Memoria Dei assidua, non dubia hominis sanctimonia.

2. Thc. 1. 2. q. 47. ar. 2. ad 3.

Psal. 35. v. 8.

Psal. 10. secundum Ieron. v. 4. & 5.

Memoria Dei

1. Auget amorem divinum.

Hoc plurimùm auget amorem divinum: quotiescunque enim Dei meminimus, Deúmque cogitamus, velut ligna subjicimus huic amoris igni fovendo.

1. Patientiam mirificè roborat.

Deinde patientiam mirificè roborat hæc Dei memoria: quæ animo identidem suggerit: Recordare Iesvm, aspice flagellis cæsum, intuere spinis coronatum, suspice cruci suffixum; vide morientem. Summæ cernis exempla patientiæ: bibe, fili mi, bibe servule impatiens è calice, quem tuus ebibit Dominus.

3. A peccatis committendis retrahit.

Tertiò hæc Dei memoria validè à peccatis committendis retrahit: nam fieri non potest, ut seriò in Deum affectu ferar, mox tamen abeam, & in scelus me præcipitem. Iesv dulcis memoria, dans vera cordis gaudia. Hinc sanè non quæruntur falsa. Eam ob causam Tobias filio suo præcepit: *Omnibus diebus vitæ tuæ in mente habeto Deum, & cave, ne aliquando peccato consentias.* Perinde si dixisset: Cavebis facilè peccatum, si memoriâ jugi aspexeris Deum.

Tob. c. 4. vers. 6.

4. Omnes hominis actiones felicitate incredibili & S. benedictione afficiũtur.

Quartò: certa docet experientia omnes hominis actiones felicitate incredibili & sanctâ benedictione affici ab hac jugi memoriâ Dei, adeò ut omnia negotia in hominis emolumentum cedant. Quod luculentissimè hoc loco confirmatur: *Et quoniam memor fuit Domini in toto corde suo:* Mox nulla interjecta vocula subjungitur: *Dedit illi Deus gratiam in conspectu Salmasar regis.* Hoc Quoniam accuratè cogitatéq; perpendendum: Et *quoniam* memor fuit Domini, ideo dedit Deus illi gratiam. Hanc ipsam ob causam, quòd assiduâ Deum memoriâ complecteretur, Deóque adhæreret individuo & indissolubili nexu, idcirco Deus fortunas etiam & facultates illius miris auxit successibus. Quam prosperitatẽ rerum Salomon prædicens: *In omnibus*, inquit, *viis tuis cogita illum, & ipse diriget gressus tuos.* Quod & Tobias filio identidem instillans: *Omni tempore*, ait, *benedic Deum, & pete ab eo, ut vias tuas dirigat, & omnia cõsilia tua in ipso permaneant.* Summa hominis felicitas, assiduâ pæne cogitatione Deum cõplecti.

Tob. c. 1. vers. 13.

Prov. c. 3. vers. 6.

Tob. c. 4. vers. 20.

5. Viri sanctissimi priscæ legis excellucrunt profectu rerum omnium incredibili.

Quintò, viri sanctissimi priscæ legis hac Dei memoriâ singulariter excelluerunt, profectu rerum omnium ac successu increbibili. Abrahamo Deus imperaverat: *Ambula coram me, & esto perfectus.* Conatus certè id facere, ambulavit coram Deo. Dixerat Deus: Patriam tuam & omnem cognationem tuam defere; obedivit, deseruit. Iusserat Deus: Circumcisionem recipe; paruit, recepit. Præceperat Deus: Filium tuum uti vitulum in victimam jugula; non restitit, manum gladio armavit, jugulare voluit, ferire cœpit. Quidquid injunxisset ei Deus, quàm promptissimè fecisset, quia coram Deo ambulavit, hoc est, jugem Dei memoriam retinuit. Hinc maximis facultatibus & copiâ rerum omnium abundavit, vir longè ditissimus, cui semper præsto essent trecenti octodecim famuli. Memoria Dei solet esse opulentissima.

Gen. c. 17. vers. 1.

Jugem Dei memoriã retinuerũt, Abraham.

§. II.

REx Sionis David sibimet gratulatus unicè: *Dominus*, inquit, *regit me, & nihil mihi deerit.* Deus auriga meus est, ego patulo vehor pallento, & meum ante me aurigam semper aspicio; ita hîc tutus consideo; subinde suaviter in hoc curru dormio, quia pericula non metuo, sed totum me divinæ prouidentiæ committo; vias omnes & viarum compendia novit auriga meus: Vbi hospitium mihi fuerit accommodatum, substistet, & hospitio me reficiet opportuno; *Dominus regit me, nihil mihi deerit*; nihil unquam, quamdiu Dominus me ita rexerit, quamdiu ego in hoc curru progressus fuero. Hinc omni cogitatione, curáque in unum istud incumbo, ut in curru hoc permaneam, ne forte subitâ temeritate hinc desiliam; dum mansero, felix ero, & nihil mihi deerit.

David, *Psal. 23. v. 1.*

Atque hic Hebræi regis animus erat, Dei semper meminisse. Hinc notissimæ voces illæ toties repetitæ: *Providebam Dominũ in conspectu meo semper. Oculi mei semper ad Dominum. Memor fui Dei, & delectatus sum.* Hinc ego, mi Lector, toties dictis, scriptisque urgeo, & precatiunculam illam brevissimam omnibus familiarissimam esse, & vel uno die millies ingeminari cupio: *Domine* Iesv, *miserere mei, & dirige me.* Dic istud centies, vel unâ horâ, dic millies. Ita in omnibus viis cogita Deum, & ipse diriget gressus tuos. Imò vel illas solùm geminas voces: *Domine* Iesv, identidem & assiduè animo vel ore ingemina.

Psal. 15. v. 8. *Es. 24. v. 15.* *Psal. 76. v. 4.*

Josephus.

Iosephus licet servus, licet extra patriam longè positus, licet alienigena & Hebræus, tamen ei Deus in Ægypto tantam aspiravit gratiam, ut Putiphar primus illius Dominus omnem domum suam commiserit illi gubernandam. In ipso carcere Deum expertus faventissimum, in regios captivos curæ suæ creditos imperium tenuit. Demum rex Pharao regnum Ægypti in annonâ procurandâ ei tradidit. Ad hanc honoris sublimitatem per gradus ascendit; primò domum, dein carcerem & captivos, denique regnum parte magnâ administravit. Vnde huic homini ignoto, ex-

Tob. c. 1. vers. 13. Gen. c. 39. vers. 2. Mardochæus.

tero, servo, captivo tanta gratia? *Memor fuit Dominus in toto corde suo. Fuit* [illegible] *Dominus cum eo.* Quis Mardochæus? Homo vilis, inglorius, & ignobilis, Hebræus, contemptus, altissimo patibulo jam destinatus, jam pæne in ep pendulus; repentè ad summas dignitates evectus, abundans & felix, regi proximus. Quæ tantæ mutationis causa? Mardochæus memor Domini in toto corde suo, tam mirabiles rerum eventus divinæ providentiæ adscripsit, dixitque: *A Deo facta sunt ista.*

Esther c. 10. vers. 4. Daniel.

Daniel in Persia succedentibus diversis quatuor regibus felicissimè servivit, à singulis honore maximo affectus. Illum quidem invidia in leonum cavum dejecerat, sed divinus favor eum sospitem in lucem iterum asseruit; ingentia ei oblata munera; Nabuchodonosor, ceterà superbissimus, Danielem tamen collegã nominat: quemadmodum duo Consules sunt, qui civitatem unà gubernant. Profectò Daniel amplissimum dignitatis gradum adeptus in summam venit gloriam. Testimonio sunt hæc verba: *Erat autem Daniel conviva regis, & honoratus super omnes amicos ejus.* Sed unde huic Hebræo juveni tanta felicitas? Memor erat Daniel Domini in toto corde suo, nam, *tribus temporibus in die flectebat genua sua, & adorabat confitebatúrque Deo suo, sicut & antè facere consueverat.*

Dan. c. 4. vers. 5.

Ibid. c. 14. vers. 1.

Ibid. c. 6. vers. 10.

Tobias.

Tobias quantis peregre successibus floruit? nam uti Hebræus contextus loquitur, constitutus est super omnia, quæ habuit Salmanasar; qui *dedit illi potestatem, quocunque vellet ire, habent potestatem quæcunque facere voluisset.* E terrâ patriâ urbeque Nepthali nec obolum Tobias extulit, cum sacco Niniven ingressus, ut captivus & mendicus, in exilio nihilominus, Deo prosperante, iis crevit successibus, ut evaserit ditissimus: præterquam enim quod innumeris victum, vestitum, aliáque vitæ subsidia gratis præbuerit, decem insuper argenti talenta apud Gabelum deposuit. Quæ obsecro causa tam insignitæ crescentis opulentiæ? *Quoniam memor fuit Domini, dedit illi Deus gratiam.* Hæc jugis & suavis memoria Dei viliora etiam ista secundat. Sed heu verendum est, ne pauci sint, qui curæ ac cordi habeant hanc cogitandi Dei assiduitatem. Ideo inter nos multi infirmi, & imbecilles, & dormiunt multi. Malus somnus, qui Dei oblivionem inducit.

Tob. c. 1. vers. 14.

§. III.

HAnc ego Dei memoriam omnium animis ita cuperem insculptam, ut eam nulla delere posset oblivio. Sunt annuli, sunt libelli, sunt flosculi memoriales: uti ex annulis est lunula & annulus purus, è flosculis serratula Chamædris, seu quercula minor. Tales annuli, tales libelli & flosculi eo loco ad manũ sint, ut semper sint in oculis. Hoc ajo: suam quisque conscientiam interroget, quid frequentissimè cogitet, seu tristia sint illa, seu lætæ. Atque huic rei, quam creberrimâ versat cogitatione memoriam Dei eâ lege affigat, ut quotiescunque consueta cogitatio redierit, toties unà etiam memoria Dei recurrat. Hebræi legis divinæ memoriale compendium vestimentis, præsertim manticis, pileis, limbis inscribebant. Nos pectori pauculas has voces inscribamus:

Voces pectori inscribendæ.

Domine IESV *miserere mei, & dirige me.* (aut)
Domine IESV *miserere nostri, & dirige nos.*

Sed objicias: Qui negotiis, curis, ærumnis pluribus submersi sunt, his talibus vacare non possunt. Possunt optimè, modò velint: negotia juvat, curas sublevat, ærumnas mitigat, die unò vel unâ etiam horâ sæpius animum erigere, & Dominum IESVM pauculis his verbis suaviter compellare: *Domine* IESV, *miserere mei, & dirige me.* Aut illa solùm animo versare: *Domine* IESV. Sat longa est oratio hæc intelligentissimo Deo, qui magis affectus nostros, quàm nostra verba ponderat. Nihil hîc laboris, nihil impensarum, nihil ardui moliminis: imò quò sumus occupatiores, aut turbatiores, eò crebriùs sint istæ ad Deum aspirationes. Qui mare navigant, in mari secum vehunt anchoram, quæ in oculis & ad manus est, sed otiosa. Ubi verò fluctus insurgunt, & sævit mare, non tantùm aspicitur anchora, sed & in altum dejicitur: Dei memoria nobis est anchora, tunc maximè usurpanda, cùm inter fluctus volvimur. Divo Francisco Xaverio, in navigiis aut asseres, aut anchorarii funis volumina stratum dederunt. Nos auspicaturi somnũ, aut finituri, & quidquid demum operis, aut laboris aggressuri, nunquam id sine Dei memoriâ faciamus.

Dei memoria omnis boni causa.

Dei oblivio omnis mali origo.

Dei memoria omnis boni causa; Dei oblivio, omnis mali origo. Quod Moses Israëlis plebi tantopere inculcans: *Observa*, inquit, *& cave, ne quando obliviscaris Domini Dei tui, & negligas mandata*, &c. *Sed recorderis, quod ipse vires tibi præbuerit.* Baruch de captivorum à Babylone reditu vaticinatus: *Exurge Hierusalem*, inquit, *& sta in excelso & circumspice ad orientem, & vide collectos filios tuos ab oriente sole usque ad occidentem, in verba Sancti gaudentes Dei memoria.* Ecclesiastes divinas præceptiones suas concluturus: *Deum time*, inquit, *& mandata ejus observa, hoc est enim omnis homo.* Quod Bernardus explicans: *Si hoc est*, dit, *omnis homo, ergo absq; hoc nihil est omnis homo.* Et reverà potiùs pecudis quàm hominis ritu vivit, qui Dei sui, non quàm potest creberrimè meminit.

Deut. c. 4. vers. 9. & 23. Baruch. c. 4. vers. 5. Eccles. c. 12. vers. 13.

Ionas fugitivus conscendit navim: hîc à nautis pro mercatore habitus & examinatus perquisitissimè, quâ patriâ, quâ domo, quâ gente, unde veniret, quò tenderet, quid operis aut mercimonii haberet: *Quod est opus tuum?* inquiunt. Ad quos Ionas prout septuaginta Hebræi proceres interpretantur: *Servus Domini ego sum, vers. 9.* inquit, *& Deum cæli colo.* Hæc mea mercimonia, hoc opus meum. Hoc sanè sit opus & nostrum, hæc primaria negotiatio, hæ primæ sint curæ nostræ, semper meminisse Dei. Ad hoc conditi sumus.

Deum coli fit mercimonium Jonæ.

Jonæ c. 1.

Isaias, Ezechiel, Oseas, Prophetæ alii quoties illud ingeminant: *Quia oblita es Dei Salvatoris tui*, ô Hierusalem, ô Damascus, ô Iudæa, *quia oblita es Dei creatoris tui, & fortis adjutoris tui non es recordata, propterea plantabis plantationem infidelem, & germen alienum, obliviscar filiorum tuorum & ego.* Dei oblivio omnis mali origo.

Isa. c. 17. vers. 10. Ezech. c. 23. vers. 35. Osee c. 4. vers. 6.

Subinde querimur nos mergi salsissimo mari, ærumnis multiplicibus cumulari. Verè Dei oblivio horum malorum omnium causa. Vox Domini est: *Ego diligentes me diligo.* Ita: Ego obliviscentes me obliviscor. Iussa Christi novimus: *Quærite primùm regnum Dei, & hæc omnia adjicientur vobis.* Quod exponens Gregorius: *Quia enim nobis*, inquit, *in intentione æternitas, in usu verò temporalitas esse debet; & illud datur, & hoc ex superabundanti superadditur.* Continua sit nostra ad Deũ aspiratio: exemplo Tobiæ. Memores simus Dei in toto corde nostro: Dominus reget nos, & nihil nobis deerit.

Matth. c. 6. vers. 33.

Cælius Rhodiginus memoriam illam appellat *Matutinam*, quæ illius, quod complectitur, retinentissima est. Hac tali memoriâ matutinâ tenacissimâ opus est ad institutum, ut bonitatis divinæ nunquam agamus immemores.

Cælius Rhodig. lect. antiq. lib. 20. c. 8. extrem.

Andreas Zoërardus (cujus res gestas Maurus Boëmus Episcopus conscripsit, quem & puer vidit) solitudinem & seductum vitæ genus sectatus parcè ac duriter se habuit. Moris autem erat, ut Anachoretæ ad jejunium vernum tolerandum, quadraginta quinque dactylos tuguriolis suis inferrent: Zoërardus quadraginta nuces accepit, & eo victu cõtentus diem Christi Resurgentis cum gaudio expectavit. Cavata quernus, cus domum illi præbuit, hanc intus totam acutis clavis ligneis asperavit, ad caput doliarem circulum appensis quatuor lapidibus affixit; ut quocunque caput, vel reliquum corpus sese acclinaret, lapides aut clavos monitores sentiret. Monitores, Deus bone, asperi!

Zoërardi vitæ genus.

Cum

Cum plurimis hoc idem agit divina providentia, quæ perpetuo aliquid perpessu asperum immittit, ut nunquam desit monitor de cogitando Deo. Iam liberi turbant, jam servi non obtemperant, jam mali nuntii occurrant, jam curę somno privant, jam vexat corpus, jam cruciat animus; tot monitores, quod dolores, aut mœrores, idem omnes unâ voce dicunt: Memor esto Dei in toto corde tuo; Dominus regit te, & nihil tibi deerit. Iugis Dei memoria virtutum omnium cognata, bonorum plurimorum caussa.

CAPVT IV.

Tobias tam studiosus sepulturæ, quàm patiens cæcitatis.

QVàm felix & beatus egerat Tobias Salmanasare imperante, tàm afflictus ac miser fuit Sennacheribo rege, qui Salmanasari successit. Sennacheribus tyrannus omnes Tobiæ facultates in ærarium suum rapuit, & Tobiam occidi jussit. Hæc viro sancto caussa fuit deserendi Niniven. At ubi tyrannus à suismet filiis jugulatus, Tobias Niniven rediit, pristinam domum suam recepit, facultates denuo acquisivit, quas utraque manu in egenos tribuit. Nam festo die Pentecostes, cùm lautiùs parasset prandium, solus epulari non sustinuit, sed suæ religionis pauperes ad illud invitavit. At audiit Hebræorum aliquem jugulatum jacere in viâ, ille mox accubitu exiliens, velut venator visâ prædâ, relictis epulis impransus ad cadaver properavit, quod furtivâ pietate rapiens, quàm potuit occultissimè in ædes suas deportavit, ut illud sub primas tenebras cautè sepeliret. Tam opimis spoliis ditatus ad mensam rediit, epulas luctu temperans, dum super mensam Prophetæ Amos vaticinium memoraret: *Dies isti vestri convertentur in lamentationem & luctum.* Ad occasum verò solem cadaver, quod interdiu texerat, humavit. Tam pius in defunctos animus non placuit cognatis, amicis, qui pietatem hanc velut temerariam, & nimis simplicem graviter objurgantes: Nonne, ajebant, *hujus rei caussâ interfici jussus es, & vix effugisti mortis imperiũ, & iterum sepelis mortuos:* At verò Tobias Deum, divinásque leges magis veritus, quàm dicta hominũ, rapiebat occisorum corpora, & occultabat in domo suâ, dum mediis noctibus ea sepeliret.

Contigit autem, ut quadam die à sepulturis fatigatus domum rediret, & ad parietem in grabato se componens obdormisceret, hiantibus oculis: in quos ex hirundinum nido excrementa calida defluxerunt, intulerúntque cæcitatem. At verò Tobias, *cùm ab infantiâ semper timuerit Deum, & mandata ejus custodierit, non est contristatus contra Deum, quòd plaga cæcitatis ei evenerit, sed immobilis in Dei timore permansit, agens gratias Deo omnibus diebus vitæ suæ.* Tobias tam studiosus sepulturæ, quàm patiens cæcitatis. Hîc geminum istud & sepeliendi studium, & patiendi robur uberiùs explicandum.

§. I.

SEpulturæ cura & sedulitas apud Hebræos magna fuit. Quâ quidem in re, quemadmodum in genealogiis & stemmatum libris æternam, quâ liceret, sui memoriam quæsierunt. Deinde fides, quæ reditum à morte ad vitam expectat, nõdum irroborarat, quamvis eam his ipsis sepulturis viderentur testari. Abrahamus conjugi Saræ locum sepulturæ quadringentis argenti siclis monetâ probâ emit. Idem officii Isaac Rebeccæ & Liæ præstitit. Jacob Ægypto voluit efferri quibuscumque demum sumptibus, & in Palæstinâ humari. Hæ curæ funebres in omni priscâ lege obtinuerunt. Augustinus causam assignans: *Non sunt,* inquit, *abjicienda corpora defunctorum, maximè justorum ac fidelium, quibus tanquam organis & vasis usus est Spiritus sanctus.* Ambrosius sui discipuli dicta confirmans: *Nam si viventes nudos,* ait, *lex operire præcipit, quantò magis debemus operire defunctorum corpora? Si viantes ad longiora deducere solemus, quantò magis in illam æternam domum profectos, unde jam non revertentur? Ego,* inquit Job, *super omnem infirmum flevi. Quis infirmior defuncto? Nihil hoc officio præstantius, ei exhibere officium, qui tibi jam non possit reddere.* Theologorum assertio est gravem committi noxam, si corpora Christianorum inhumata destituantur. Nam opera charitatis, ut ipsi loquuntur, in casu necessitatis obligant. Historia Machabæa Iasonem insepultum esse abjectum memorat in commeritum supplicium, quòd aliis hoc injuriæ fecisset. Pœna maxima, privari sepulturâ, quod patibulatis fit & suâ manu jugularis.

Ælianus de religione priscâ submonens. Lex etiam hæc, ait, inter Atticas scripta fuit: *Si quis in hominis insepultum cadaver incidat, saltem terram ei injiciat, & ita sepeliat.* Lege Athenienſium cautum erat, ut dux, qui cæsum militem non sepelisset, neglectam hanc humanitatem capite lueret. Feræ ipsæ, cùm nollent homines, aut non possent, vespillones egerunt. Hieronymus in vitâ Pauli Anachoretæ, memorat ei sepulchrum à duobus leonibus effossum. B. Vincentii corpus, Augustino teste, corvus à direptione volucrum defendit. In sanctorum rebus gestis id crebriùs factum poterit observari. Quod Ambrosius quoque adstruens: *Feræ,* inquit, *hanc humanitatem defunctis corporibus detulisse produntur, & homines negabunt, vindicare à volatilibus, vindicare à bestiis poris dapes consortem naturæ?* Non tamen nesciendum hos sepulturę honores animo defuncti non prodesse. Quod nec idolatræ penitus ignorârunt. Lysimachus crucem minabatur Theodoro Cyrenæo, qui animosissimè respondens: Hæc mors, inquit, formidabilis sit purpuratis tuis: Theodori nil interest, humi an sublimè putrescat. Diogenes se mortuũ in apricos campos jussit ejici. Cui amici: A feris, ajunt, laceraberis. Quibus iterum Diogenes: Date mihi ergo, inquit, baculum in manus, avibus abigendis: Nil sentiet, dicunt. Quid igitur opus, ait Diogenes cadaver magnis impendiis integrum servari, nec diu tamen servari posse? Ferarum ventre an terrâ condar, quid refert? Tot igitur ceremoniæ, sumptus, & pompa funeris; sepulturę ac monumenti splendor, mausolæa & elogiorum artificia nil juvant defunctos.

Nihilominus hîc consuetudines indoctæ, & abusiones magnæ, ac quotidianæ jam plurimùm invaluerunt. Sæpe funeris sumptuosa nimiùm pompa est; ipsis mortuis induimus superbiam. Ah quid ista manes juvant? Verbo neteri non rarò dixeris: Honorantur ubi nõ sunt, & ubi sunt, cruciantur. Nec illud hîc ullo modo probandum, quòd ii, qui sanguinem cognatum lugent; cõplures dies publicum & templa vitent velut contagiosas domos. Error luculentus, & consuetudo seriò damnanda. Quid enim obsit luctui adire templum, ubi cum ceteris Deum exores, & solatium è suggestu accipias? sed satanas honestissimis etiam actionibus se miscet, incautósque facilè fallit religione vanâ & larvâ virtutis.

Tobias certè laudatissimus ob sepulturas tam religiosè curatas. Et hîc, obsecro, discamus quanti sit honestæ actioni nervũ & vim reddere, summâ fide, optimo animo. Hîc triplex à Tobiâ nervus. 1. Convivium Tobias apparavit, & convivales hospites jam præsentes habuit, nihilominus convivium & convivas deseruit, ut cadaver temere abjectũ sepeliret. Nec moras tulit tam pium officium. Nec enim auditus est dicere: Curemus priùs vivos, & paratum epulum sumamus, dein mortuos sepeliamus. Non distulit, sed statim exiliens de accubitu suo, & relinquens prandium jejunus pervenit ad corpus. 2. Naturæ ac Dei legem longè pluris fecit, quàm regis: quod æquum & justum videbatur, fecit; tametsi hoc faceret non sine grandi capitis ac vitæ discrimine. 3. Illustrem de mortalibus ad vitam revocandis fidem monstravit. Nec enim eos unquam tam sedulò sepelisset;

A *l. de Tobiâ, c. 1. p. 304.*

Ælian. l. 5. var. hist. c. 14. p. 178. Aug. to. 10. serm. 13. de Sanctis. pag. 410. ubi hæc concepti ssima verba; ut vincẽtio gratia cõferatur mittitur corvus avis inimica cadaveribus, expositas corporis dapes servatura jejuna.

Ambr. l. de Tobiâ. c. 1. fine.

Cic. in Tusc. qq.

Funeris sumptuosa pompa est abusio magna.

Tobias ob sepulturas laudatissimus, & ad id triplex nervus: Primus.

Secundus.

Tertius.

B

C

D

Sepulturæ cura & sedulitas apud Hebræos magna fuit.

Aug. l. 1 de civit. c. 13.

Ejus rei ratio: *Ambr. to. 4.*

Tobiæ è Ninive egressus & regressus. Beneficentia erga pauperes.

Amos c. 8. vers. 10. Tob. c. 2. vers. 6.

Tobias ergo defunctos. *Idem v. 8.*

Ibid. v. 13. & 14.

Patientia in cæcitate.

lisset; nisi credidisset illos in lucem denuo asserendos. Hæc sunt, quæ nostris actibus maxima tribuunt momenta & actiones à se bonas ad gradum dignitatis excellentissimum extollunt. Hinc & Angelus singulatim & significanter: *Quando orabas*, inquit, *cum lachrymis & sepeliebas mortuos, & derelinquebas prandium tuum*, &c. *ego obtuli orationem tuam Domino.* En gemmam nobilissimam auro clausam, en annulum pretiosissimum, sepulturæ studium non unâ solùm virtute decoratum. Sed hic altera pars dictionis, tolerantia cæcitatis inspicienda.

Tob. c. 12. vers. 12.

Summa fuit Tobiæ tolerantia in cæcitate perferendâ. Hîc cum Psalte regio dixerimus: Verè Deus mirabilis tu es, quia omne, quod volueris, facies, *sermo tuus potestate plenus est, nec dicere tibi quispiam potest: Quare ita facis?* Expostulare cum Deo nefas, facti rationem à Deo poscere non licet. Et en judicia Dei occulta, admiranda, semper tamen æqua. Tobias post tot virtutum officia, & actiones sanctas, dum Dei causâ laborat, cæcitatem incurrit. Hîc multi, qui valetudinem & bona fluxa nimis æstimant, aliter debuisse fieri judicaverint. Nam Tobias eodem Pentecostes vespere à sepeliendi labore admodum fessus, cùm aliquid immunditiæ legalis, à cõtactu mortuorum contraxisset, domum suam non omnino ingressus, sed in vestibulo juxta parietem decumbens, obdormivit; hîc hirundines in dormientis oculos dejecerunt sordes. Quomodo autem si dormiit? Interpretes septuaginta censent apertis eum oculis dormiisse. Pro testimonio dixit Plinius: Patentibus oculis dormiunt lepores, multique hominum. Hoc tamen mirum videri possit cùm siccum hirundinis excrementum oculis medeatur, quemodo eos recens & calidum perdat. Nam & hirundinum pulli sic cæcantur, eorum tamen oculares medici sunt parentes. Quâ de re Tertullianus ita loquitur: Hirundo si excæcaverit pullos, novit illos oculare rursus de suâ chelidoniâ.

Psal. 115. vers. 1.
Eccles. c. 8. v. 3. & 4.
Plin. l. 11. Natur. hist. c. 37.
Vide Alexandū Ornithol. l. 17. c. 6. fine §. Tertull. l. de pœnit. c. 12. pag. 199.

Tobias igitur usum oculorum perdidit anno ætatis quinquagesimo sexto, sed non perdidit casu, aut fortuitò. Hîc igitur ambos oculos immergamus in divinam providentiam, quæ ab omni retro æternitate, quidquid nobis tolerandum, ad unguiculum dimensa est. Nil in orbe fortuitò, aut casu fit, si divinâ spectemus scientiam; si nostram, plurima. Deus puncto temporis omnes terrarum & marium, omnes cæli & inferorum recessus, ac sinus, omnium Angelorum & hominum corda, cordiúmque latebras pervidet ac penetrat, disponitque omnia sapientissimè. *Non est ulla creatura invisibilis in conspectu ejus; omnia autem nuda & aperta sunt oculis ejus. Quoniam oculi Domini multò plus lucidiores sunt super solem, circumspicientes omnes vias hominum, & profundum abyssi, & hominum corda intuentes in absconditas partes. Opera omnis carnis coram illo, & non est quidquam absconditum ab oculis ejus.* Hinc nihil in terrâ sine causâ fit. Divina providentia *attingit à fine usque ad finem fortiter, & disponit omnia suaviter.*

Tobias anno ætatis 56. perdidit usum oculorum.
Heb. c. 4. vers. 13.
Eccli. 23. vers. 28.
Idem c. 39. vers. 24.
Sap. c. 8. vers. 1.

Augustinus in Psalmum illum interpres: *Confitebor tibi in toto corde meo, narrabo omnia mirabilia tua:* Occultum, inquit, *judicium est pœna, quâ nunc unusquisque hominum, aut exercetur ad purgationẽ, aut admonetur ad conversionem: aut si contempserit vocationem & disciplinam Dei, excæcatur ad damnationem. Non in toto corde confitetur Deo, qui de providentiâ ejus in aliquo dubitat. Omnia ad divinæ providentiæ regimen referantur, quæ stulti quasi casu & temerè, & nullâ divinâ administratione fieri putant.* Paulus in tribulatione gaudet, quia non casum, sed Dei donum tribulationem agnoscit. Ægrotat quis? si probus est, exercetur ad præmium; si improbus, monetur ad conversionẽ; si obduratus, præparatur ad damnationem. Moses infantulus in picatâ viminea fiscellâ à Pharaonis filiâ non casu, sed certo Dei consilio inventus est. Ad Hie-

Aug. in psal. 9. pag. 24.
Tribulatio est Dei donum.

remiam in vinculis hærentem venit, sed non casu, patruelis ejus offerens emendum prædium: Eme, ajebat, à me agrum meum, è quo tamen nec manipulus, sed nec spica meti poterat, cùm Chaldæi Iudææ jam pæne totâ occupatâ Solimæis portis imminerent. Nihilominus Hieremias agrum illum, qui jam in potestate hostis fuerat, signatis tabulis emit, testes adhibuit, argentum adnumeravit, non casu, nec temere, sed causam hanc addidit: *Intellexi autem, quod verbum Domini esset.* Hussæi principis armentum omne abactum, greges ovium combusti, liberi ruinâ domûs obtriti, non casu, nec fortuitò: *Dominus abstulit, & sicut Domino placuit, ita factum est.*

Hier. 32. 8. & seq.
Iob c. 1. v. 21.

Cùm sorti nos committimus, & ex urnâ fortuitorum bonorum feliciorem sententiam expectamus, schedulæ inanes, & vacuæ extrahuntur plurimæ, sed non casu; subitò huic inauratus scyphus, illi pretiosa vestis, isti pictura nobilis obtingit, neque hoc casu. Nam *sortes*, Salomone teste, *in sinum mittuntur, sed à Domino temperantur.* Hoc regem Hebræum David mirè solabatur in ærumnis etiam gravissimis, cùm Amnon filius carissimus ad mensam jugularetur, cùm nequissimus Semei verba & lapides in regem suum jaceret, cùm Absalon rebellis filius in parentem arma moveret. David ad Deum se vertens: *Ego autem*, inquit, *in te speravi Domine; Dixi; Deus es tu, in manibus tuis sortes meæ.* Dicant, faciántq; homines quod volunt, laudent, vituperent, extollant, abjiciant, parum interest; quod tua, mi Deus, providentia me fieri decreverit, id fiet, non istud sorti, sed tuæ potentiæ ac voluntati adscribendũ.

Prov. c. 16. vers. 33. Sortes sunt in sinu Dei.
Psal. 30. vers. 15.

Ambigebat rex Babylonis Nabuchodonosor num vim bellicam in Ammonitas verteret, an verò adversus Hierusalem tenderet: *Stetit enim rex Babylonis in bivio*, inquit Ezechiel, *in capite duarum viarum, divinationem quærens, commiscens sagittas interrogavit idola, exta consuluit. Ad dexteram facta est ejus divinatio super Hierusalem, ut ponat arietes, ut aperiat os in cæde, ut clever vocem in ululatu, ut ponat arietes contra portas, ut comportet aggerem, ut ædificet munitiones.* Sed hoc non casu, neque fortuitò factum, sed divinâ voluntate has sortes temperante. Rex quidem gravissimè deliquit, quòd tanti momenti bellum sorti subjecerit, nihilominus prout Deus voluit, ita sors exiit.

Ezech. c. 21. v. 21.

Rex Israëlis Achab mutatâ veste in aciem prodiit adversus Galaaditas, eóque loco substitit, quo extra teli jactum esse videretur. *Vir autem* (miles gregarius) *tetendit arcum in incertum sagittam dirigens, & casu percussit regem Israël, inter pulmonem & stomachum.* Hoc sanè, si spectemus providentiam humanâ casu factum est, neutiquam verò, si divinâ. Quod Michæas apertissimè prædixit: Dei sagitta nunquâ aberrat metâ. Ad sanandum, ad vulnerandum certissimæ sunt manus divinæ; non evadit ullus, quem eæ sibi ad ictũ destinaverint.

3. Reg. 22. vers. 34.

Cùm Ioas rex Iudæ animo angeretur ob vicinum hostem, humentibus oculis Elisæum adiit, & quàm rebus omnibus urgeretur, exposuit, ejus auxilium imploratus. Elisæus, qui unum hunc plurimùm solari & juvare poterat, sub hoc ipsum tempus ægrotavit, & mortuus est, sed non casu, sed nec in sepulchrum casu illatus est. Nam eo ipso anno Moabitæ latrones irruptionem illàc fecerunt, hinc cadaver hominis eo tempore sepeliendi latronum metu in tumulum Elisæi abjectum revixit. Neque hoc certè subito casui tribuendum, quod maximè casu factum videri potest. Augustus Imperator non casu descripsit orbem nascente Christo, nec Christus casu pro natali domo stabulum habitavit. Hæc omnia divina providentia disponit, dirigit, ad exitum perducit. Ita nec Tobias casu oculorum usum perdidit. *Hanc tentationem ideo permisit Dominus evenire illi, ut posteris daretur exemplum patientiæ, sicut & sancti Iob.*

4. Reg. 13. vers. 21.
Tob. c. 2. vers. 12.

His

His jam annis, quibus hæc dixi, & scripsi, Germania bellis intestinis fuit afflictissima. Sed direptiones, cædes, funera, famis & pestis sævitiem, militarium scelerum immanitatem, incendia, eversiones urbium, Christianorum Principum dissidia, & quidquid publicæ calamitatis cernimus, hoc Deus omne definito consilio in nos immisit. Ita Domino placuit. Ita factum est. Sed hanc divinæ voluntatis doctrinam plerumque oppugnat argumentatio absurdissima. Sic ratiocinantur: Hanc urbem Deus occupari voluit, ergo ignavia ducum, qui eam hosti diripiendam permiserunt, non est punienda. Epicherema fatuum, syllogismus pessimus. Et, quæso, num probè hoc modum concluderem: cælestis pater filium crucifigi voluit, ergo non malè fecerunt, qui eum crucifixerunt; ergo innocentes Iudæi, ergo Annas & Caiphas, ergo Herodes & Pilatus insontes. Cohæsio, aut sequela nulla est.

§. III.

QVod de publicis calamitatibus dictum, idem de privatis rerum jacturis quibuscunque sentiendum. Dixerit quis: Hoc perdo, hoc patior, hoc metuo, hoc me penitus mactat & occidit. Verùm esto: sed hoc omne non casu, aut fortuitò, sed divinâ providentiâ & voluntate justissimâ fieri asserendum. Has in te pœnas Deus ab æternitate cum hoc tempore commensus est. Et quæso te, mi homo, hoc demum, quod tibi sæpius inviti, mente altissimâ repone: Malorum pœnalium nihil usquam esse, quod Auctorem non habeat Deum. Verissimè dixit Augustinus: *Nihil fit, nisi quod aut ipse facit, aut fieri ipse permittit.* Omnes miseriæ & cladès, omnes ærumnæ ac calamitates, omnes pœnæ, infortunia, jacturæ tristes & acerbi casus omnes, solum si demas peccatum, à Deo sunt. Quidquid enim malorum talium humana vita, velut Lerna in nos effundit, id omne à Deo ita volente provenit. Atque hoc explicatissimè confirmamus. Est, qui hominem innocentissimum occidit. Hæc cædes à Deo est, uti omnes injuriæ tales & injustitiæ. Quod Augustino credes, qui è censu tuo pro te ratiocinatur in hunc modum: Ergo, inquis, qui innocentem interemit, justè id fecit, an iniquè? Iniquè sanè, ait Augustinus, iniquissimè. Et tamen non fieret, nisi Deus permitteret. Et quamvis ille iniquè fecerit, non tamen iniquè Deus permisit. Hîc dixeris: Quare hoc permittit Deus? quare dat homini nequam potestatem tantam in hominem innocentem? disputare vis, antequam facias unde dignus sis disputare. Discite bonum facere, judicate pupillo ac viduæ, & venite, disputemus, dicit Dominus. Noli dicere, quare dat Deus potestatem hæc faciendi: qui dat potestatem, habet æquitatem. Tu iniquè murmurare potes, ille æquitatè perdere non potest. Nunquid iniquitas apud Deum? Absit. Hoc fige in corde tuo, hoc de cogitatione tuâ nõ excutiat inimicus. Facere potest aliquid Deus, ut tu nescias, quare faciat: iniquè tamè facere non potest, apud quem non est iniquitas.

Atque hoc per Christi Domini mortem luculentè monstrans idem Augustinus: *Quanta*, inquit, *bona egit passio Domini? Et tamen passio hujus justi non esset, nisi Dominum iniqui occidissent. Quid ergo? Bonum hoc, quod nobis præstitum est de Dominicâ Passione, imputandum est iniquis interfectoribus Christi? Absit. Illi voluerunt, Deus permisit. Illi nocentes essent, etiamsi tantummodo voluissent. Deus autem non permisisset, nisi justum esset. Voluit ergo facere impius, ut damnaretur; permissus est, uti tibi præstaretur. Quod volunt, imputatur iniquitati impii; quod permissum est, imputatur potestati Dei. Ille ergo iniquè voluit, Deus justè permisit. Vide, quid tibi fecerit iniquus, quid justus; Ille voluit, iste permisit. Ille injustè voluit, iste justè permisit. Voluntas injusta damnetur, permissio justa glorificetur. Quanta bona facta sunt justi de malo injusti? Hoc magnum Dei, quia ejus bonum, quod facis, ipse tibi dedit, & de malo tuo ipse bene facit. Noli ergo mirari, permittit Deus, & judicio permittit; permittit & mensurâ, numero, pondere permittit. Apud illum non est iniquitas, tu tantùm ad illum pertine.*

Verùm hac in re plurimi etiámnum miserrimè hallucinantur, dum causas secundas, et in scholis loquimur curiosissimè attendunt, causâ primâ penitus non consideratâ. Quod dixi, re simili sub aspectum pono. Fuit, ut in obeundis publicis religionibus magni principes plebem civicam præcederent. Hîc spectatorum aliquis, seu principem, seu religionis contemptu, capite tecto adstare, reverentiæ nihil ostendere, & nec dominicos quidem oculos vereri. Hunc principum unus cõspicatus, & ad famulum mox versus: Abi, ait, & impolito illi spectatori pileum decute, & doce genua cum ceteris submittere. Actutum eò famulus pervolans, stantis pileũ excussit, & impactâ in tergum hastâ jussit reverentiùs adesse. At ille, licet incultissimus homo, mox pronum corpus inclinare, pileum manu tenere, pariáque ceteris facere. Cur quæso tam facilè hic homo cessit? Quia vidit principem famulo innuentem, & in aurem aliquid inandantè. Secum igitur non sine ratione cogitabat: Tam extremè stultus nõ sum, ut turbas hîc excitem. Cedo, & obsequor. Nam princeps ille nimis multos habet famulos, etsi resistam uni, alii catervatim in me irruent, unum non metuerem Antagonistam: tam multis non cedere, insaniæ est. Huic namque principi tota civitas, tota provincia famulatur. Longæ manus regum. Cedo igitur, nec invado famulum, qui mihi decussit pileum. Ad sui principis nutum hoc fecit.

Nunquid non prudenter istud? prudentissimè. Nam caussam primam attendit, non secundam; Dominum jubentem, non famulum exequentem consideravit: famulus quidem, ut caussa secunda, pileum decussit; sed princeps, ut caussa prima, hoc fieri non tantùm permisit, sed & præcepit.

§. IV.

HOc ipsum in omnibus omninò injuriis, quęcunque demum nobis ab aliis inferantur, altissimâ mente perpendamus. Intueamur non secundas hasce caussas, non homines, non diabolos, nec res alias creatas, sed caussam primam, omnium auctorem Deum. Ita Iobus, ita rex David, ita tam priscæ, quàm novæ legis sanctissimi viri, injuriis aut damnis affecti non caussas secundas, sed primam respexerunt: nec enim, qui noceant, sed à quo permittantur nocere, attenderunt. Chaldæi & Sabæi decusserunt Iobo pileum, cùm omnes pecoris divitias auferrent. At Iobus non secundas has caussas, sed Deum, caussam primam, respexit. An non regum optimo Davidi pileum decussit Semei, cùm suum Principem non verbis tantùm, sed & luto ac lapidibus peteret? At prudentissimus rex David: *Sinite illum*, inquit, *sinite, sinite, ut maledicat: Dominus enim præcepit ei, ut malediceret David. Dominus præcepit ei.* En documentũ multò potentissimum, ad sedandum animum adversùs omnes injurias, & incommoda à quocumque demum homine, quibuscunque modis proveniant. Hęc enim omnia non fortuito casu, sed vidente ac jubente, aut annuente Deo contingunt. Vos, ajebat David, caussam secundam, maledicum Semei, ego verò caussam primam, Deum delictorum meorum vindicem attendo. Nec enim tam fatuus sum, ut nesciam, unde ista in me mittantur fulmina. Id circo non quid Semei dicat, aut faciat, sed quid Deus velit, ac jubeat observo. *Cognovi Domine, quia æquitas judicia tua, & in veritate tuâ humiliâsti me. Obmutui, & non aperui os meum, quoniam tu fecisti.* Absalon

In omnibus malâ & bonâ prima caussa consideranda.

Caussam primam in adversis respexerũt: Jobus, David.

2. Reg. c. 16. vers. 10. Documentũ potentissimũ ad sedandum animum adversus omnes injurias & incõmoda.

Psalm. 118. vers. 75. 138. v. 10.

Omnia mala, quæ nobis eveniunt auctorem habent Deũ. Aug. ep. 77. 2. ad Prosper. & Hilar. de bono Perseu. p. 560.

In Isaiæ verba c. 1. v. 17. Augustinus.

Aug. tom. 8. in Ps. 61. pag. 256. & 257.

lon meus filius coronam de meo capite molitur decutere. Ego taceo, *quoniam tu fecisti*. Subditi mei insultant mihi. Ego perfero, *quoniam tu fecisti*. Israëlis tribus defecerunt à me. Ego non excandesco, *quoniam tu fecisti*. Hæc omnia, sat scio, tuis fiunt placitis. A te & tuæ sunt hæ plagæ; Amove à me plagas tuas.

Ita David non ad secundas, sed ad caussam primâ respiciens, non lædentem famulum, sed jubentem Dominum considerans, injurias maximas animo tulit æquissimo. Hinc illæ Bernardi voces: *O verè hominem secundùm cor Dei, qui de corde Dei in seipsum ferebat sententiam. Savebat lingua Semei maledica, sed intendebat David, quid in occulto ageret Deus. Vox maledicentis in auribus erat; & regis animus ad benedictionem se inclinabat. Nunquid in ore blasphemi Deus? Absit: sed eo usus est ad humiliandũ David.*

Bern. ser. 34. in Cant. mihip. 878.

Sara.

Ita Iobus, Augustino teste, non attendit, quis percuteret, sed quis permitteret. Ita Sara à suâmet ancillâ interfectrix viforum appellata, pluribúsque conviciis affecta, non pugnis, sed nec verbis in famulam sæviit, nec eam domo exturbavit, sed nec verbulo cõtrà hiscens in superius cubiculum perrexit, toto triduo impransa & incenata inter preces & lacrymas sua omnia cum Deo transegit. Ita prorsus & ipsa non secundã, sed primam caussam indefessis oculis aspexit.

§. V.

REm miram, & nescio, risu an indignatione digniorem attexo. Fuit non ita pridem ex opulentis civibus jacturam octo millium philippeorum passus, jacturæ caussam in civium aliquem devolvebat. Ad illum igitur à damno pecuniario tam mœstum vir religiosus revisens, & inter solatiorum fomenta illud Iobi adhibens: *Dominus dedit*, ajebat, *Dominus abstulit*. Cui alter promptè: Ita est, inquit, ut dicis, Dominus dedit, sed nebulo, sed trifurcifer abstulit. Ohe voces non hominis, sed bovis! Procul ista, procul ab ore, à pectore Christiano. Indocta nimis insania, furor impius est de divinâ providentiâ tam malè sentire, tam fatuè loqui. Manet illud confirmatissimum: *Dominus dedit, Dominus abstulit*: seu Chaldæi, seu Sabæi, seu alij pecus abegerint: Dominus abstulit, quoniam ipse hoc fecit. Nil penitus possunt caussæ secundæ, nisi annuat, nisi velit ac permittat prima.

Iob c. 1. vers. 21.

Atque ut facta fiant è verbis, quod dicimus exemplo monstramus. Nobiliores viri complures in orbem steterunt circulo facundo varia dissertantes. Inter hos dicacior unus certum aliquem oratione aculeatâ non leniter perstrinxit, & illi velut pileum decussit. At verò alter tanquam Tisiphones angue in se conjecto altum coquens dolorem ita secum statuit: Non impunè hoc dixeris. Hæc in me sparsa reddam cum fenore. Inultam, ut scias, non sinam, oris tui libidinem: hæ voces per tuum jugulum redibunt. Hoc igitur ulciscar probè, aut potiùs bonis & urbe cedam.

Si quis interrogâsset hunc hominẽ, num etiam vellet cœlo cedere, valde vereor ne responsurus fuisset: Etiam cœlo cedam, modò vindicem hanc injuriam. O stulti & tardi corde! Ita fatui sumus, ut subinde placeat jacturam potiùs cœli facere, quàm injuriam non vindicare. Hoc autem inde provenit, quia fixissimis oculis caussas secundas intuemur, primam cæci transimus; cum famulo litigamus, & nutus heriles minimè observamus. Ad Tobiam redeo.

Tobias in cæcitate non est cõtristatus contra Deum, sed in timore Dei permansit.

Tobias non est contristatus contra Deum, quòd plaga cæcitatis evenerit ei, sed immobilis in Dei timore permansit, agens gratias Deo omnibus diebus vitæ suæ. Tobias non caussas secundas, non hirundines, sed caussam primam, sed Deum pœnarum omnium auctorem consideravit. Hinc animus ei tranquillus, & tantâ in Dei timore constantiâ. Nos itidem nullus mœror, nullus dolor, timor nullus à Deo abducat: in timore Domini permanebimus immobiles, si in rebus omnibus divinam providentiâ, primam rerum omnium caussam, devoto pectore suspiciamus.

A

CAPVT V.

Tobias in adversis erectissimus.

TOBIAS non inopiâ tantùm, sed & cæcitate, gemino & alto ictus vulnere, præterea domi suę reperit sibilantes colubros, qui eum dictorum aculeis multò acerbiùs sauciarent. Vxor & cognati, quorum fuisset mœstum solari, contumeliis, irrisu & vario scommate jam cæcum & pauperem confixerunt.

Hîc geminâ sese spectandum dedit patientiâ, adversus Deum nec voculam animi reluctantis indicem ejecit, adversus conjugem & cognatos, nihil quod lædere posset protulit; immobilis in timore Dei gratias agens Deo perstitit. Cognati & uxor illum simplicé, delirum, fatuum, amentem appellârunt. *Nam sicut beato Iob insultabant, ita isti parentes & cognati ejus irridebant vitam ejus dicentes: Vbi est spes tua, pro quâ eleemosynas & sepulturas faciebas?* At verò Tobias non par pari reddidit, nec acerbi quidquam respondit, sed eos, quod Paulus præcipit, in spiritu lenitatis instruens: *Nolite ita loqui*, ajebat, *quoniam filij Sanctorum sumus, & vitam illam expectamus, quam Deus daturus est his, qui fidem suam nunquam mutant ab eo.* Quo sermone Tobias spem æternę vitę vivacissimam sibi esse monstravit. Eo autem vir sanctus & probus integritatis laudem summâ est consecutus, quòd tametsi pauper fuerit, nec obolum tamen malè partum retinere domi voluerit. Nam cùm uxor ipsius quotidie operis textrini aliquid faceret, mercede hœdum in manu pretium accepit. *Cumque balantis vocem audisset* Tobias: *Videte*, inquiebat, *ne fortè furtivus sit; reddite eum Dominus suis, quia non licet nobis edere ex furto aliquid, aut contingere.* Hîc uxor tota in fermento jacens, & fremebunda: *Manifestè*, inquit, *vana facta est spes tua, & eleemosynæ tuæ modò apparuerunt.* Vide, mi vir, vide, mi sancte, sed simplex hypocrita, quid tot eleemosynis tuis lucratus sis. Ego stipẽ tuam omnem non asse redimerem. Et tamen Tobias tam aculeatam & maledicam linguam æquo animo ferens, irâ incendi, aut exacerbari nequit.

B

C

Hîc explicandum cur Deus virum integerrimum tot experimentis, támque vario tentamine fatigârit, & quâ ratione Tobias non contristatus, in Dei timore immobilis gratias Deo egerit. Ita Tobiam in adversis erectissimum hîc sistam.

Eximia Tobiæ patientia.

Tobiæ c. 2. & 3.

Ibid. vers. 23.

Ibid. c. 2. vers. 14.

§. I.

IVlius Fatius de vitiosis affectibus edomandis differens: Deus, inquit, non ut pictor agit, sed ut phrygio. Pictor tabulam politam aut laminam cupream, aut telam expassam in partes non secat, non commiscet, sed eos colores artificioso penicillo illinit, ut omnibus pictura placeat, omnes eam mirentur & laudent. At verò phrygio telam sericam, holosericam, Attalicam conscindit, particulas unionibus & gemmis distinguit. Hinc opus elaboratum, & pretiosum. Deus ab orbe sic egit: tot centena millia suorum mutilari, lacerari, secari permisit. His decussa capita, his confossum pectus, his discerpti artus, illi patibula, rotas, cruces corporibus cruentis vestierunt; isti membratim lacerati, flammis consumpti, aquis præfocati, belluis objecti, telis confixi, plumbatis contusi, flagris & taureis concisi, saxis & lapidibus instrati. Quorum lanienæ ingemiscens Paulus: *Secti sunt*, inquit, *lapidati sunt, in occisione gladii mortui sunt.* Est nonnemo, qui credat plures homines, Christi martyres in lege novâ occisos, quàm in priscâ pecude mactatas. En tot centena millia, tot hominum milliones pro Christo jugulia præ-

D

Fatius de morbis animi. c. 21.

In vitiis affectibus edomandis Deus se gerit ut Phrygio.

Hebr. 11. vers. 37.

Chrysost. in Genes. homil. 30. pag. 229.

præbuerunt, ferrum receperunt, vitam non rarò per membra singula profuderunt. En quomodo noster hic Phrygio holosericum optimum in particulas cõscindat: caussas ipse novit; opus elegans, artificiosum inde prodibit. Hoc Deus ab Abele cœpit, & ad Iobum perduxit; inde ad Tobiam, ad Isaiam, Hieremiam, prophetas alios: ab his ad Christum, ad Apostolos, ad Stephanum, Laurentium, Vincentium, martyres innumeros. Venustum hoc opus totum ac perfectum Phrygionis nostri supremo die spectabimus.

Tobiam Phrygio noster miserià multiplici conscidit, diversas ob caussas. Illarum aliquot numeremus. 1. Vt illustris virtus, & patientia illius singularis, se Deo dignam præberet, & luctando inter adversa creseeret; certè sicut liberalitatem non exercebit, quem omnis pecunia destituerit, ita nec solida patientiæ dabit specimina, quem nulla pressérint adversa. 2. Vt eadem virtus aliis quoque innotesceret. Eruditè canit poëta vetus:

Quæ latet, mag, bonis cessat non cognita rebus:
Apparet virtus, arguiturque malis.

3. Vt eminentissimam Tobiæ virtutem, non solùm alij scirent, sed & imitarentur, ut ideam actionum illustrium. Hanc assignans caussam sacer historicus: Vt, inquit, posteris daretur exemplum patientiæ ipsius. Iobus & Tobias exactissimi patientiæ præceptores. 4. Vt Tobiæ apud Deum promerita plurimùm augescerent. 5. Desiderium, ac sitis Dei in promovendâ salute nostrâ. Quod expendens Ambrosius: Quanta est, inquit, circa nos Dei nostri solicitudo! illos examinat, ut nos erudiat; illos conterit, ut nos acquirat; eorum cruciatus nostros vult esse profectus. 6. Vt virtutis studiosi non nimis altè sapiant, & sese plus æquo extollant, aut ab aliis extollantur, Deus illis præcidit alas, opes subducit, valetudinem affligit, obtrectatores & adversarios non reprimit, in communes cum aliis miserias eos dejicit. 7. Vt immensa Dei potentia hinc effulgeat, quæ suis animum, vires, tolerantiam suppeditat, & demum à periculis, & malis universis liberat. 8. Vt mundus tam turbulentus, ut præsens vita tam amara desipere incipiant, atque ut hoc vitæ tædium cogitationes crebras & sanctas de abitu ad meliorè vitam, de beatitudine, de paradisi gaudiis inflammet. Exilium desipiat, patria dulcescat. 9. Vt ij, qui plura & graviora patiuntur, documento & solatio sint ceteris cogitantibus: O quanta isti, & isti, & illi sunt passi! bona omnia insuper & vitam inter gemitus & dolores, inter contumelias & probra perdiderunt. Illi ipsi, quos hodie novimus & oculis contuemur, quanta patiuntur? Et tamen suis se necessitatibus attemperant, æquo animo sunt, Deo gratias agunt, inter tot miseriarum acerbitates à Deo non recedunt. 10. Vt afflictiones & ærumnæ velut piaculares flammæ cõmissas noxas aboleant & extinguant, Deus, cum solvendo non simus, suæ justitiæ satisfacit de nostro tergore, idque ex gratiâ. Ita, quod Iurisconsulti dicunt, gratiosè rationes expungit, solutionem sibi monetâ explicat præsente. Epuloni purpurato in flammis dicitur: *Fili recordare, quia recepisti bona in vitâ tuâ; Lazarus similiter mala; nunc autem hic consolatur, tu verò cruciaris.* Melius est hîc uri & secari, ut in æternum parcatur. Quando igitur brevioribus his pœnis patienter toleratis peccata non tantùm extinguuntur, sed & magna cœlestium donorum fit accessio, non immeritò dixit Chrysostomus: *Multos audivi talia quærentes. Quid tandem ille modestus & mansuetus homo ab alio quodam impio & improbo per singulos dies trahitur & innumeras patitur molestias, & Deus permittit? Quare alter accusatus injustè mortuus est? Ille submersus est, inquit, alius præcipitatus? Et multos possumus referre sanctos, & temporibus nostris, & majorum nostrorum, qui multas sustinue-*

A *runt tribulationes, differentes & varias. Vt igitur horum omnium rationem videamus, & neque ipsi tumultuemur, neque alios scandalizatos negligamus, nunc diligenter dicendis intendamus. Variæ enim, & omnimodæ sanctorum afflictionis caussas numero octo charitati vestræ dicere possum. Idcirco omnes vos ipsos cum diligentiâ colligite, scientes quòd nulla deinceps nobis venia & excusatio dabitur, si de cõtingentibus scandalizemur; quippe qui cum sint multæ occasiones, tanquã nulla sit ita tumultuabimur, & perturbabimur. Itaq; prima quidem est, quòd cùm facilè in arrogantiam propter meritorũ magnidinem & miraculorum tollantur, ipsos sinit affligi. Secunda, ne ceteri majorem habeant de ipsis opinionem, quàm humana patitur natura, & ipsos Deos, non autè homines esse arbitrentur. Tertia, ut & Dei virtus appareat per ægrotantes, & compeditos exuperans, & prædicationem augens. Quarto ut ipsorum illorum patientia manifesta fiat, non propter mercedẽ Deo servientium, sed & tantam exhibentium gratitudinem, ut & post tot mala sincera in ipsis benevolentia ostendatur. Quinta,* Variæ Sanctorũ afflictionis caussæ. Prima. Secunda. Tertia. Quarta. Quinta.

B *ut de resurrectione cogitemus: cùm enim virũ justum, & multâ plenum virtute, innumera passum mala, & sic hinc digressum videris, oportet ex hoc omnino aliquid de illo judicio cogitare. Si enim homo pro se laborantes sine præmiis, & retributione abire non permittit: multò magis eos, qui tantũ laboraverunt, nunquam incoronatos remanere Deus decerneret. Si autem ipsos laborum suorum retributione privare non elegit, omnino necesse est, quoddam aliud tempus esse post præsentium finem, per quod præsentis vitæ laborum retributionem reciperent. Sexta, ut omnes in gravia incidentes, sufficientem consolationem & mitigationem habeant, in eos respicientes, & malorũ, quæ ipsis accidêre, recordantes. Septima, ne quando exhortamur vos ad illorum virtutem, & cuiq; dicimus: Imitare Paulum, imitare Petrum; propter gestorum excessum alterius ipsos naturæ participes fuisse cogitantes, ad imitationem torpeatis. Octava, ut quando beatos, vel miseros censere oporter, discamus, quos quidẽ beatos, quos autem miseros & ærumnosos putare debeamus.*

C *Tot igitur habentes caussas de Sanctorum afflictione dicendas, ne in tentatione indignemur neque angustiemur, neque tumultuemur: sed & ipsi nostros instruamus animos & alios hæc doceamus, & si videris hominem in virtute viventem, philosophiam sectantem, placentem Deo, postea innumera patientem mala, ne scandalizeris dilecte. Et si videris aliquẽ spiritualibus vacantem operibus, & aliquid utile expediturum, posteà supplantatum, ne tumultueris. Etenim novi multos sæpius talia quærentes. Ille, inquiunt, ad templum peregrinatus est pauperibus pecunias perferens, & in naufragiũ incidit, & amisit omnia. Alter rursum idem faciens, in latrones incidit, & vix animam suam salvavit, nudus inde discedens. Quid igitur dicemus? quod horum nullo tristari oportet. Etsi enim naufragium fecit, sed & habet justitiæ fructum appensum: sua enim omnia implevit, collegit pecunias, deposuit, cùm recepisset, abibat, peregrinationem attigerat: naufragium verò de reliquo, non de ipsius fuit sententiâ. Sed quare hoc Deus concessit? ut nunc spectatum exhiberet. Sed pauperes, inquis, privati sunt pecuniis. Non tantam tu pauperum providentiam habes, quantam, qui fecit eos Deus: etsi enim his privati sunt, tamen aliunde potest majorẽ copiæ occasionem ipsis præbere. Ne igitur gestorũ rationes repetentes, ipsum reprehendamus, sed in omnibus glorificemus: non enim imprudenter, & temere talia sæpe fieri permittit.* De Sanctorum afflictione non est indignandũ nec tumultuandum.

D Tobias triplex illustre suæ patientiæ dedit specimen. Primum. *Non est contristatus contra Deum, quòd plaga cæcitatis ei evenerit.* Duplicem solent assignare tristitiam. Vna secundùm Deum est, *quæ pœnitentiam in salutem stabilem operatur.* † Hanc etiam sensêre sancti cùm bonis spoliarentur, cùm ad tormenta raperentur, cùm inopiâ, morbis, doloribus exercerentur: Sentiunt hæc amici Numinis, & ingemiscunt; nec enim ferrei & lapidei sunt, sed adversus Deum nil querulæ vocis emittunt, mœrent illi & tristantur, ad divinam tamen voluntatem se conformant. Assidua illorum vox est; *Ita pater, ita mi pater, quoniam sic placitum fuit ante te.* Cùm Christus tragœdiam illam cruentam ordiretur, Triplex specimen patientiæ Tobiæ. Duplex tristitia: Una secundum Deũ. † 2 *Cor. c. 7. vers.* 10. *Matth. c. 11. vers.* 26.

Causæ quas dedit Tobias miseriæ multiplici concidit. Prima. Secunda. Tertia. Quarta. Quinta. Sexta. Septima. Octava. Decima. *Ovid. l. 4. Fastorum. Luc. c. 16. vers. 25. Chrys. to. 5. primæ omnium hom. ad Antioch. pag. 11.*

diretur, unà etiam *pavere cepit & tædere*, ac mœstus esse. Nihilominùs in victimam voluntariam seſe offerens: *Luc. c. 22. vers. 42.* *Pater*, inquit, *non mea, sed tua voluntas fiat.* Paulus etiam *Rom. c. 9. vers. 2.* mœroribus variis confectus: *Tristitia*, inquit, *mihi magna est, & continuus dolor.*

Altera adversus Deum.

Sed & alia est adversùs Deum tristitia, mater impatientiæ, quæ Deum obliquè ferit & accusat, audet hiscere contra Deum & occultè dicere: Quid adeò me Deus affligit? Heus lingua improba! pessulo coërcenda es, Ori digitum impone, qui talia in Deum spargis. Tobias afflictissimus non est cõtristatus contra Deum, neque Iobus ulceribus plenus contra Deum est contristatus, neque contristatus est David adversùs Deum, neque tot alij viri, feminæque tristitiam adversùs Deum conceperunt. Vt sileam tot centena millia martyrum. Sed huc quæso vertamus oculos in nostri ævi viros feminásque. En tot bonæ mentis Christianos fortunis omnibus exuti, ad saccum & mendicitatem devoluti, militaribus injuriis vexati, patriâ profugi, in extremas miserias projecti, nihilominus adversùs Deum non sunt contristati, gratias Deo egerunt, immobiles in timore Dei persistentes. His annis toparcha magnus omnibus terris suis cedere jussus: Per libenter, inquit, & imperio Cæsaris, cujus mea sunt omnia, me promptissimè submitto. Mehercle vox generosa, & vel in hoste admiranda! Aristoteles, Cælio teste, ob indefessum legendi studium ἀναγνώστης χαλκέντερος est appellatus, quòd ferrea haberet viscera, lector infatigabilis, fititor laboris, & studiorum inexplebilis. Sunt & inter Christianos ânimi robustioris qui ferreis pene visceribus, quidquid calamitatis accipiunt, mente generosâ digerunt, contra Deum nil contristati.

S. Francisci Xaverii in Deum fiducia.

Franciscus Xaverius fiducia in Deum, & adversorum tolerantiâ exercitatissimus, licet subinde incommodis omnibus conflictaretur, miseriarum omnium compos, nihilominus familiarissimas illas ad *Iob c. 6. vers. 10.* Deum voces effundebat: *Etiam amplius, Domine, etiam amplius.* Quod & Iobo in votis fuit, qui à Deo acerbiùs & manu nõ parcente desiderans flagellari: *Et hæc mihi*, ajebat, *sit consolatio, ut affligens me dolore non parcat.*

2. Immobilis in Dei timore permansit.

Alterum patientiæ specimen in Tobiâ hoc erat: *Immobilis in Dei timore permansit.* Nos curtæ patientiæ homines, sæpe vt arbores sumus, quæ vere florent uberrimè; flos merus adeò liberaliter totam arborem vestit, ut spectatores usitato præsagio dicant: Hæc pomus, hæc pyrus non erit ferendo fructuum abundantiam. Brevî nebula, vel pruina unica omnem decutit florem, & spem fructuum rapit universam. Autumno arbor tam miserè spoliata, si felicissimè proveniat, poma paucula, eáque calculosa, nana, verminosa velut artis suæ specimina, profert. Ah, quàm speciosè vernabat hæc arbor, quantam pomorum copiam pollicebatur, & quantam nunc à seipsâ degenerat, tam deformi sterilitate? promisit plurima, nihil præstitit. Nos haud aliter hiatu ingenti promissores sumus amplissimi; in florem nos induimus magnis propositis, mox unica tentatio, aut paulò gravior afflictio, & florem & fructuum spem omnem abripit: quod remanet pusillanimitas, impatientia, consternatio est. O ver, ô autumne quàm estis dispares! ubi *Matth. c. 11. vers. 7.* immobilitas in timore Dei? Arundines sumus vento agitatæ; huc illuc impellimur, ad omnem strictiorem auram mutamus propositum: jam surgimus, jam denuo cadimus, cerei in vitiũ flecti, omni vento mobiliores, solâ constantes vitiositate. Tobiam cæcitas & paupertas graviter usserunt, & tamen in timore Dei permansit immobilis. Ærumnas suas valde sentiens: *Tob. c. 5. vers. 12.* *Quale*, inquit, *gaudium mihi erit, qui in tenebris sedeo*: nihil hic gaudij aut solatij est, & tamen in timore permansit immobilis. Oravit cum lacrymis Tobias, adeò

A mœrores illum urserant, & tamen in timore Dei permansit immobilis.

Tertium patientiæ specimen, *Agens gratias Deo omnibus diebus vitæ suæ.* Magnæ artis est Deo peræquè in miseriis, in luctu, in ærumnis, in calamitatibus, atque in gaudiis gratias agere: hanc artem non callent, nisi ex asse probi Christiani. Chrysostomi monitum hîc habemus cedro litterandum & auro: *Nihil*, inquit, *hac lingua sanctius est, quæ in adversis agit: certè non est inferior lingua martyrum; utraque pariter coronatur. Si ergo dolores pertulerit, & gratias egerit, martyrij coronam sortitur.* Gratias itaque agamus in omnibus, quidquid fiat: Hoc enim est gratũ esse. Etenim rebus prosperis hoc facere, nihil magni fuerit. Nam ipsa rerum natura eò impellit. Quando verò in extremis existentes gratias agimus, tunc præclarum est. Videte, quanta sit philosophia. Primum, Deum lætificas: Alterum, diabolum pudefacis: Tertium, & quod malefactum est, B nihil esse facis. Nam & tu simul gratias agis, & Deus dolorem tuum amputat & diabolus abscedit. Nam si tu quidem difficilis fueris, ipse magis incumbit, tanquam qui jam, quod volebat, effecerit, & Deus tanquam blasphematus deserit, & augetur malum. Si verò gratias egeris, abscedit diabolus, tanquã qui nihil profecerit. & Deus vicissim, velut honoratus, majore honore afficit. Non potest etiam fieri, ut afflictiones sentiat homo ille, qui in afflictionibus gratias agit.

Hæc sua Chrysostomus confirmans: *Ignis ingruens*, inquit, *substantiam tuam absumpsit, & totam domum populatus est? Reminiscere eorum, quæ Iob acciderunt: age gratias Domino, qui prohibere potuit, & non prohibuit: & tantam recipies mercedem, quantam, si omnia illa in pauperum manus reposuisses. Nullũ gratiarum actioni par bonum, quemadmodum blasphemia pejus nihil. Est nobis telum maximum, quod omnes tales Diaboli machinas repellere valet; qui per hæc omnia gratias Deo agit, diabolum superavit. Magnus thesaurus gratiarum actio, magnæ divitiæ, inconsumptum bonum, armatura fortis. Perdidisti pecunias? si gratias quidem egeris, animam lucratus es, & majores nactus es divitias, quia Dei benevolentiam hausisti ampliorem.* C

Hac certè linguâ, quæ Chrysostomo sanctissima est, præditus David: *Benedicam*, inquit, *Dominum in omni tempore.* Et quando, obsecro, istud dixit, nunquid cùm in regem ungeretur? Sanè non, sed cùm sævientis Saulis insidias fugeret, & ad regem Achis exul diverteret, parum humaniter exceptus, pæne malis simul omnibus pressus, adeò ut etiam fatuitatem simulârit, modò vitam servaret, eo ipso tamen tempore vociferatur: *Benedicam Dominum in omni tempore.* Iobus jam omni pecore abacto, inter tot liberorum funera, ulceribus scatens, inter vermium agmina ad fimetum veluti cadaver elatus, canit tamen, & gratias agit: *Sit nomen Domini benedictum.* Hebræi juvenes in flammis Babylonicis velut in æstivâ pergulâ canunt: *Benedictus es in throno regni tui, & superlaudabilis, & superglorioſus, & superexaltatus in sæcula.* Inter ipsos flammarũ vortices *Benedicite* ac *Benedictus* toties ingeminârunt, ut gratiarum actionem in adversis tantò altiùs imprimerent afflictis, quantò eam crebriùs repeterent in ipsis faucibus mortis. Tarsensis Paulus tam gravi ærumnarum catenâ oneratus, ut quotidie videri posset mortuus, nihilo tamẽ sciùs: *In omnibus*, inquit, *gratias agite, hæc est enim voluntas Dei.* In omnibus tam in adversis, quàm in prosperis, tam in luctu, quàm in gaudiis, tam in inopiâ, quàm in opulentiâ, tam in afflictâ valetudine, quàm in integrâ; tam in tormentis, quàm in deliciis; tam beneficiis acceptis, quàm injuriis; tam delatis honoribus, quàm illatis contumeliis, in omnibus. Qui enim tunc solùm gratias agit, cùm quis ei beneficium tribuit, is debitum reddit: qui verò gratias agit, cùm quis eum maledictis figit, is debitũ acquirit.

§. III. Obji-

§. III.

OBjicias: Hæc quidem commodè dicuntur, sed aliud est dicere, aliud verò facere: *Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma.* Nec imperitè dixit Ludovicus Cælius: *Simile simili nutritur, spiritus spiritu: odorem corporis esse nutrimentum negant.* Spiritum odoribus nutriri argumento est, odoratum & fragrans vinum, quod vires mirificè refocillat. Aristoteli vitam præsuavi odore pomi aliquamdiu prorogatam asserunt. Sed hæc rara sunt, hæc paucis obtingunt. Ita & gratias agere, cùm mœror medullas exedit, rarum est, paucorum est.

Non negamus, pauci sunt, qui pro plagis gratias agunt, sed isti Numinis veri amici sunt. Simus, obsecro, & nos inter hos paucos & inter quascunque turbinum ac procellarum furias, quæcunque ad nos aggerantur mala, Deo agamus gratias bonorum omnium fonti, qui mala hæc omnia permutat bonis maximis. *Odor oris tui,* Domine JESV, *sicut odor malorum,* qui sanitatem & vitam suavissimè instillat.

Jacobus Interciſus, ita nominatus, quia membratim & intercisè mortuus, quoties ex ejus corpore vel articulus digiti, vel pars membri resecaretur, toties dixit, *Deo gratias.* Non aureæ, sed gemmeæ voces in tantis doloribus. Ruffinus Aquilejensis memorat, Ascetam senem virum sanctissimum ægroto fratri fomenta varia solationis admovisse, illud eximiè in documentum dixisse: Summa religio est, inter adversa Deo gratias agere. Dixi ego, & scripsi sæpius vel millies inculcandum, idque ab ore & calamo religiosissimi scriptoris: Unum Deo gratias plus valet in adversis, quàm sex millia in prosperis.

Tobias fidelissimus Dei famulus à paupertate ac cæcitate pessimè habitus, probris, contumeliis tam cognatorum, quàm uxoris lacessitus, *Deo* tamen *gratias egit, omnibus diebus vitæ suæ.* Nos itidem quomodocunque res succedant, bene an malè, feliciter an infeliciter, suaviter an insuaviter, hilariter an flebiliter, lentè an dolenter, serenum sit cælum an nubilum, amœna sit tempestas an fœda, opulenti an inopes, sani an ægroti, tristes an mœsti simus, & quamvis è voto nihil succedat, etsi res omnes cadant reterrimè, hoc tamen faciamus quod facere nos jubet Paulus: *Gratias agamus Deo semper pro omnibus in omnibus.* Ecclesia diebus singulis sapientissimè hortatur: *Verè dignum & justum est, æquum & salutare, nos tibi semper & ubique gratias agere.* Gratiarum actio in adversis cumulabitur mille præmiis.

CAPVT VI.

Tobias convivator frugalissimus.

PAulina præceptio est: *sive manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite.* Hanc legem Tobias examussim servans, *cùm esset dies festus Domini, & factum esset prandium bonum in domo Tobiæ, dixit filio suo: Vade & adduc aliquos de tribu nostrâ, timentes Deum, ut epulentur nobiscum.* Convivium apparavit Tobias, idque non unâ ex causâ, nam festus dies Pentecostes erat, quem Hebræi, sicut & alios dies festos conviviis agitabant. Voluit certè Deus, ut ejusmodi solennia non sine hilaritate peragerent, ut eò promptiùs Hierosolyma contenderent. Ad hoc ergo convivium Tobias non temerè quosvis, sed tribules, & populares suos vocarat, ut eos exules ac captivos solaretur atque reficeret. Nec quosvis popularium aut tribulium vocavit, sed pios dumtaxat & timentes Deum, & quibus tenue domi salinum erat. Neque hæc conviviola Tobias ceremoniæ tantùm aut animi causâ instituit, aut ut convivalem gratiam remuneraretur, sed ut amorem & amicitiam inter præsentes restauraret, ac conservaret.

Convivia Græcis charistia dicebantur, ad quæ consanguinei dumtaxat & amici conveniebant: ut si quid forsan offensiunculæ, aut dissensionis inter eos fuisset natum, inter amicas epulas sepeliretur. Primævi Christiani tam divites, quàm pauperes sacrosancta mysteria percepturi, agapas & convivia præmittebant, in monimentum Dominicæ cœnæ. Quia verò abusiones & vitiosæ consuetudines unà subrepserant, mos iste antiquatus est, & sancitum lege, cœlestem panem ut jejuni sumerent.

Convivia divinis legibus non quidem prohibita, sed mores plerunque insulsos ac vitiosos pariunt. De his jam dicendum, & explicandum ordine, quanti abusus reprehensione digniſſimi convivia passim occupent.

§. I.

TRochaico veteri ac vero jactabatur:

Difficile est mediocritati dare operam in conviviis. —

Parsimonia & sobrietas, circumspectus & castus sermo raræ alites, prodigia magna inter convivas. Nemo est, qui hac in re non velit videri lautus, nemo, qui alteri cedere. Hinc suos quisque ordines, statúsque affectato luxu transilit. Hinc conviviorum abusus maximi, plurimi. In digitos mittamus ex his notiores.

7. Conviviorum abusus:

1. Abusus, Ferculorũ multitudo.

Primus conviviorum abusus, *Ferculorum multitudo.* Ob unicum hoc delictum jure meritissimo convivia veteraque omnia magnopere damnanda. Ingens, pernicioſus, intolerabilis luxus jam mensas passim occupavit. Ad ostentationem & ad pompam, hîc pæne omnia congeruntur. Ante annos centum, velut prodigium ingens è publico suggestu proclamatum est, in principalem mensam subinde novem fercula inferri. Joannes Gailer Kaiserspergensis Theologiæ Doctor cùm anno millesimo quingentesimo quinto Argentorati in æde summâ ipsis cineralibus concionaretur, in mensarum luxum & copiam ferculorum graviter invectus est conceptissimis verbis, quæ videbantur non mutanda: Es muß da seyn ein Suppen / oder ein Gemüß / vnd kammen Häring / Bachfisch / vnd ein grüne Kraut darzu / darauff folgt ein Pfeffer / vnd dann Gallerey / wol fünff oder sechs Trächten / vnd das geschicht auch bey Fürsten / da wöl einer etwan neun Trachten hat vber ein Mahlzeit. Nimirum hoc illud luxûs grande portentum erat, mensæ vulgari sex cibos, principali novem inferri, quod ab hinc ante annos ferè centenos è cathedrâ videbatur publicè objurgandum. Bone Deus, quantùm & quàm immanè multùm ab ævo illo divertimus! Si quis Kaiserspergensi Theologo, ut vates dixisset, Domine Doctor, vix anni abibunt centum, cùm annona ingraveſcet, & multò, quàm nunc sit, durior erit, nihilominus mensis ditioribus, & dominicis quinquaginta calentia fercula inferentur, adjectis totidem in mensam secundam bellariorum pateris. Quid ad hoc tale vaticinium dixisset Gailer? De re nihil est dubii. Hoc mihi certè ante annos aliquammultos vir generosi ac illustris sanguinis conquestus: Si quis dominorum, inquit, me invitet ad convivium, quinquaginta calentes à foco epulas apponit, comitantibus eodem numero tragematum phialis, idque recepto jam ritu. Si hunc iterum invitem, nec enim hoc officii genus defugere licet, idem mihi faciendum; vix aliter honestè possum. Ita alter alterum luxu mensarum perdimus, ut pompam vestium taceamus. Prô Superi! quæ hæc tempora, qui mores isti? Et quàm illud præclarum & magni exempli, quod aliquando in Præsulum & Antistitum mensis videre fuit. Cùm ad esurialem refectiunculam, collationem vocant, convenitur vesperi, esuritores illos octo aut novem fercula, sed frigida exspectant, lactuca triplex, pisces assi, sed, quod maximæ religionis est, frigidi, præter dominicum panem & bellaria copiosa, triplex aut quadruplex generosioris vini genus. Reverà commodum est esurire ad præsepia tam plena. Et numquid hoc, ô viri, jejunare est, tot bellaria, tot lactucas, tantum piscium, panem niveum, opimiamum vinum propitiandæ fami ponere? Sunt

Gailer Von den Sünden deß Mundo mihi pag. 11.

Principio, inquit, offa ponitur, aut aliquid pulmentarii, sequuntur haleces & frixi pisces, hos comitatur hortensæ olus. Accedit jus atrum aut flavum, quinque aut sex fercula. Atque hoc etiam in mensis principum fit, ubi nonnunquam novem fercula uno prandio ponuntur. Vide Gazophylacium Christi p. 3. c. 4. §. 3.

Matt. 26. vers. 41. Lud. Cælius lib. 24. c. 21. mod.

Cant. cap. 7. vers. 8.

Summa est religio in adversis gratias agere.

Tobias tũ in prosperis quam adversis Deo gratias egit. Tob. cap. 2. vers. 14.

1. Cor. c. 10. vers. 31.

Tob. cap. 2. v. 1. & 2.

Causa cur Tobias apparavit convivium.

Sunt tamen, quæ speciosè opponantur: Hæc, inquis, frigent omnia, quæ ponûtur. Quid magni, quæso, interest, frigidis, an calidis ventrem ita farcias, ut esurire desinas? Deinde: Non omnia hæc, inquis, libantur: At certè periculum est ne tangantur multa. Tertiò: Hæc, inquis, postulat principalis mensæ dignitas. Hilarion superfluum censebat in sacco quærere munditiem, ego æquè superfluum censeo in jejunio quærere splendorem. Quartò: Ad frigidam hanc cenulam subinde viri primarii & peregrini adhibentur. Si, ut simul cenent, invitantur, nihil eis calidi apponere, nimis parum est; si ut simul jejunent, tot missus ponere frigidos nimis multum est. Sed nunquam deest loxui, quæ obducat. Jam morem, jam convivarum, jam convivatoris dignitatem prætexit culpæ.

Baro fuit, nomen silemus, qui convivio unico trecenta posuit fercula, quod scripta publica testantur. Ohe portentum luxûs, & monstrum nobile! Ante annos centum in mensis principum novem fercula, malo exemplo & offensioni erant; nunc lautiores servi, qui quadras panis aliquando mendicabant, quinquaginta ponunt, & plura. Quò luxûs & abusionum non devenimus, & quò tandem non deveniemus luxu crescente? Hoc prorsus est rem familiarem cum ratione perditum ire. Multitudo ferculorum, abusus conviviorum maximus.

1. Abusus, Ferculorũ pretium.

Abusus alter priori proximus, *Ferculorum pretium*. Elementis omnibus servitia indicuntur, ut mensa ritè oneretur. Id quod rarissimum, quod exquisitissimum, in convivii apparatum expetitur, quidquid impensæ fiat, hîc sumptibus nullis parcitur. Terra suppeditare cogitur omnis generis herbas, radices, olera, fructus, omnis generis feras. Caro bubula, agnina, ovilla, hædina, virulina, nisi exotico jure perfusa non admittitur; leporina, aprugna, cervina, & quidquid animalium silvas pererrat, in mensas extrahitur. Plinius de Carduis satis differens: Portenta quoque terrarum, inquit, ingeniam vertimus, etiam ea, quæ refugiunt quadrupedes conscia. Post terram, aqua pretiosissimos pisces gulæ subministrare jubetur. Hoc autem nimiæ ac noxiæ voracitatis est, cùm carnibus jam abundè saturi sunt convivæ, pisces etiam inferre in ventrem plenum dejiciendos. Aër volucres, & omnis generis præbet altilia, perdices, phasianos, meleagrides, gallinas Decumanas, Numidicas, Africanas, Indicas, ficedulas, gallinagines, pullastrorum stragem. Si possemus Salamandras & Phœnices ad culinam trahere, cogeremus ignem has delicias non negare; coquere & lixare illas facilè disceremus. Heliogabalus Imperator, Lamprídio teste, convivis pollicitus phœnicem, aut mille libras auri.

Plin. lib. 19. Natur. hist. cap. 8. mihi pag. 451.

Ad incêdendum convivii pretium insigniter faciunt epulæ fictæ & adumbratæ, seu veriùs epularum ludibria & figmenta, quæ mensis, ad solam ferè spectandi voluptatem inferuntur, merus oculorum pastus, escaria imitamenta, spectacula mensaria, & oblectamenta, quæ magni sumptûs sunt, nullius aut perexigui usûs. Et nunquid epularium spectaculorum satis est, si quinquaginta, si centum missus in mensam veniant, quid opus est novis epularum ludibriis? Objicias: Hoc meus status & conditio, hoc opes meæ, hoc liberalitas, hoc dignitas mea expetit: mille talia prætexuntur. Sed luxus, & modum excedens sumptus, vérorum optime, nulli statui, nullis opibus, nulli convenit dignitati. Hunc dynastam, hunc regulum, hunc satrapam, hunc esse principem jam antè novimus, etiamsi nec hic, nec iste, nec ille sumptu extra modum prodeat.

§. II.

3. Abusus, Conviviorum prolixitas, consessus nimiùm diuturni.

TErtius abusus, *Conviviorum prolixitas, consessus nimiùm diuturni*. De Centaurorum, & Lapitharum cenis, quæ duos trésve dies & nocte, aut etiam hebdomades durabant, fileo; de nostris vulgaribus loquor, quæ sæpe prandium cenæ nectunt, aut cenam ad noctis umbilicum, ad primam, ad tertiam, adusque quartam, diei principium extendunt. Hoc nimirum est ad preces matutinas, sed temulentas pervigilare. Vale, rex David, vale & abi, nimis matutinus es, quem dixisse novimus: *Mediâ nocte surgebam ad confitendum tibi.* Non nescio inter homines etiam Christianos mores tam fœdos invaluisse, ut quandoque diem unum, noctémque totam subinde biduum triduúmve, nonnunquam septem aut octo dies, continuum pæne convivium occupet; omni hoc tempore estur, potatur, luditur, furtim dormitur. Sanctissima sunt ista Bacchi & Veneris pervigilia, ad quæ popinones, & sympósiastæ punctis digitorum, & sacramento dexterarum fidem suam obligant, ne quis fugitivus hoc poculorum prælio excedat, ne quis signa deserat, standum & pugnandum ad usque guttam ultimam.

Psal. 118. vers. 62.

Verùm nec illud laudandum, quatuor, aut quinque horis mensam accumbere, &, quod prisci dicebant, diem epulis & mero frangere. Id verecundiores aliqui non sine valetudinis dispendio malè tolerant. Duabus aut tribus horis abundè genius propitiari potest.

4. Abusus, Acroamatum.

Abusus quartus, *Acroamata*. Romani veteres aliquot gladiatorum paria, mutuis se cædibus conficientium ad mensam componebant, qui Cubicularii dicebantur, uti doctissimus Lipsius in Saturnalibus attestatur. Hoc cruento acroamate, nostra non multò puriora sunt. Malum acroama est chartarum lusus ardens nimiùm & pretiosus, cùm quadræ argento vel auro plenæ multùm in singula puncta ejiciunt. Malum acroama cùm ministri mensæ, & moriones inter se committuntur, ut ora fœdis sibi pugnis fœdent, unguibus lacerent, dentes excutiant, humi se sternant. Memores estote, obsecro, viri magni, quos alitis fatuos esse etiam homines, vobis ipsis nonnunquam aut sapientiores, aut sanctiores, humano ritu tractandos. Fœdum dictu & indignum prorsus est, quid illud hominum genus ad Magnatum mensas cogatur ferre. Vidi ego meis oculis homini non tanæ mentis ad herilem mensam altiliam carduorum capillitium vi per os ingeri. Sexcenta talia fiunt, acroamata sanè pessima. Quasi verò ea demum sit amœna recreatio, torquere miseros, & eos velut feras tractare. Aliud acroama malum, Choreæ & quidem peregrinæ, Germanis ante hac ignotæ, ad quas duarum aut trium hebdomadum prolusione sit opus, si concinnè in numerum saltare velis. Sit, obsecro, venia verbo. Hæc Germaniæ stultitia est, cui domestica sordent, & exterorum omnia placent, vestes, idioma, ipsa etiam vitia, quæ hoc potissimùm nomine speciosa sunt, quia peregrina sunt. Senarii veteris monitio est:

Lipsius de Saturnal. cap. 6. Malè acroamatum in constri- tis fuit. Lusio charta- rum.

1. Chorea peregrina.

Cena optima est in quam Choraules non venit.

Præsertim talis, qui non tam auribus servit, quàm libidini. Malum aliud acroama est, insana garrulitas, fœdi clamores, crebra obtrectatio. Quantis famam, nomen- que subtrahunt convivia, cùm modò hujus, modò illius mores carpuntur: non mirum si multis aures tinniant, de quibus adeò liberè detrahitur. Acroama pessimum est diversæ libidinum formæ, quas ebriorum verba & gestus exprimunt; cùm non pocula tantùm, sed & oscula fiunt ambulatoria; cùm morsiunculæ ac compressiunculæ, similésque Veneris imitatiunculæ in orbem eunt animi causâ; cùm oculis, cùm & linguæ, ac manibus summa libertas est; cùm oculi ad omnem lasciviam vagi evolant; cùm lingua promit quidquid animus diu celarat; cùm petulantissimæ manus omnem verecundiæ legem perfringunt. Ea nonnunquam sermonis turpitudo est in conviviis, ut verecundus auditor dixerit: Hi potulenti homines omnis pudicitiæ obliti, minimè Christiani, obscœni, barbari, pæne diaboli sunt. Divina lex jusserat: *Et comedetis ibi in conspectu Domini Dei vestri, ac lætabimini.* Epularem nobis lætitiam concedit, sed in conspe-

3. Insana garrulitas fœdi clamores, crebra obtrectatio.

Deut. 12. vers. 7.

conspectu suo, ut illud pectori assiduè hæreat: Deus videt, Deus audit. Ubi autem tam inverecundi gestus, tam propudiosa volant verba, id certè in conspectu Dei non fit. Hæc turpitudo, si posset, Dei oculos velaret, aures obturaret. Impia sunt, & neutiquam Christiana, hæc conviviorum acromata.

§. III.

1. Abusus, Exemplū pravum.

Abusus quintus, *Exemplum pravum.* Nusquam pæne magis stricta fervet imitatio, quàm cùm luxûs & pompæ Archetypon videmus. Ita enim bellè ratiocinamur: Iste me ferculis tricenis, ille quinquagenis, hic centenis etiam excepit: num ego me vinci patiar, & apponam pauciora? decorum graviter violarem. Ergo ego idem, quod ille, faciam; totidem missus, quot ille, apponam, imò hoc potiùs agam, ut illum vincam, neque enim illi opibus aut dignitate cedo; tot ego aro jugera, quot ille & plura; tot ego pasco servos, quot ille & plures, dives agris, dives positis in fœnore numis. Mea igitur culina tot dapes in mensam potest mittere, quot illius, & hujus, & istius. Ut cedam, ut illo sim inferior, nemo mihi persuaserit. Hæc nostra sunt epicheremata, hic Logicus noster Sorites; alter alterum trahit in exemplum, & prototypon quod imitetur, & superet imitando: quemadmodum in ædificiis nonnunquam alter alterius luminibus obstruit, ita alter alterius pompam & luxum solerti studio excedit. O Christiani! amore Christi *æmulamini charismata meliora.*

Beat. de Arte Politi. ad post med. l. 1. form. fac. initio.

1 Cor. c. 12. vers. 31.

2. Abusus, Pauperes à conviviis penitus excluduntur.

2 Esdræ c. 8. vers. 10.

Abusus sextus, *Pauperes à conviviis penitus excluduntur.* Rem magnam præstamus, si pauperibus demus conviviorum rejectanea, quæ lautiores culinæ solent canibus objicere. Longè aliud lex prisca docet. Esdras sacerdos epularem aliquam lautitiem non prohibens: *Ite,* inquit, *comedite pinguia, & bibite mulsum, & mittite partes his, qui non præparaverunt sibi.* Fruantur suis prandiis opulenti, sed partes mittant egenis. Judæis ab Amani cruento edicto liberatis, in gratiarum actionem constitutæ sunt solennes feriæ, ut *essent dies isti epulares & lætitiæ, & mitterent sibi invicem partes, & pauperibus munuscula largirentur.* Exporrectam pauperum memoriam nusquam desse vult Deus. Hebræus vates Amos pauperum oblivionem exprobrans: *Qui comeditis,* inquit, *agnum de grege, & vitulos de medio armenti, bibentes vinum in phialis, & nihil patiebantur super contritione Ioseph.* Extremam aliorum paupertatem hi tales non miserantur, neque verò curant quid inopes lambant, vel rodant. Corinthios ditiores objurgans Paulus: Hoc *non est,* inquit, *dominicam cenam manducare. Vnusquisque enim suam cenam præsumit ad manducandum. Et alius quidem esurit, alius quidem ebrius est.* Nam illi ita cenabant, ut pauperes non invitarent, sed excluderent, vel certè non exspectarent. Et quis hodièque audit Christum præcipientem: *Cùm facis prandium, aut cenam, noli vocare amicos tuos, neque fratres tuos, neque cognatos, neque vicinos divites; ne fortè te & ipsi reinuitent, & fiat tibi retributio. Sed cùm facis convivium, voca pauperes, debiles, claudos, & cæcos. Et beatus eris, quia non habent retribuere tibi; retribuetur enim tibi in resurrectione justorum.* Quis ista Domini præcepta curat, quis obtemperat? Prisca sunt ista, inquiunt, & pridem desita. Hoc est, quod querimur, nec Petrum, nec Paulum, nec ipsum Christum audiri præcipientem, leges divinas, velut voces desitas contemni.

Esther c. 9. vers. 22.

Amos c. 6. vers. 4. & segg.

1 Cor. c. 11. v. 20. & 21.

Luc. cap. 14. vers. 12. 13. & 14.

3. Abusus, Conviviorum luxum pauperes & domestici luunt.

Abusus septimus, *Conviviorum luxum pauperes & domestici luunt.* Non tantùm non fruuntur epularum apparatu, sed ob hunc ipsum parciùs pascuntur. Res nota in familiis, convivio peracto has plerunque iniri rationes: Magnos sumptus fecimus, ergo jam marsupium contrahamus, mensam, famulorum præsertim & ancillarum tenuiùs instruamus, attentiore parsimoniâ stipem demus, ut ita paullatim redeant expensæ. Ita de victu quotidiano semper aliquid abraditur, & perparcè vi-

A citatur. Cùm adsunt creditores, laniones, pistores, cupedinarii, fartores, negatur id esse tempus exigendi, commodiore redeant: undique desunt nummi, nisi cùm litandum est luxui. Ah, unus quidem esurit, alius autem ebrius est. Convivis cibus & potus abundans pæne pistillo ingeritur, ut pæne crepent saturitate; domestici vix solantur famem. Pessima hæc divisio est, quæ non rarò è conviviorum luxu nascitur.

In splēdore conviviorum irridetur Deus.

Deinde quàm hæc tempora, hi nostrates anni acriter reclamant omni luxui? Fames, bellum, pestis sæviunt, annonæ magna charitas est. Nos interim hæc obstacula non curamus. Quod prorsus est irridere Deum, perinde si dicamus: Etiam duplo, aut triplo arctior sit annona, hunc nihilominus conviviorum splendorem nemo nobis prohibuerit. Non deerunt nobis nummi, si honoris & existimationis negotium agatur; si moneta præsens deficiat, syngraphas implebimus, nomina faciemus, expectare poterunt lucri aucupes. Domine, tu quidem B nobis accidisti alas, nihilominus vel invito te volabimus. Hoc prorsus est irridere Deum. *Nolite errare, Deus non irridetur.* *Galat. c. 6. vers. 7.*

Ante annos quinquaginta dabant adolescentes patrifamilias convictûs pretium viginti quatuor florenos annuos, honestâ & liberali mensâ habiti. Erat enim vilitas ubertásque rerum venalium, annona laxa, & tamen luxus nondum eò fuit ausus progredi; nunc anni sunt in summâ caritate, & supra modum ingravescit annona, nihilominus populator opum, dissuasor honesti luxus maximis incrementis proficit, & augescit. Quousque tandem? Ad perniciem & interitum. Sunt quidem sumptuariæ convivales tabulæ ac leges, quis illas servat: M. Antonius olim & Lucius Flaccus Censores Romæ, Valerio teste, Duronium senatu moverunt, quòd tribunus plebis legem de coërcendis conviviorum C sumptibus abrogasset. O quàm hoc ævum censoribus egeret, qui conviviorum immoderationem & intemperantissimas perpotationes severissimis legibus coërcerent. Periit Respublica, si crescere non desinat tam nociva intemperantia.

Valer. lib. 2. cap. 9. Duronius senatu motus, quia legem de coërcendis conviviorum sumptibus abrogasset.

Sed dicas: Res satis liquet; quis autem primus erit, qui luxum minuat, & sumptus revocet ad moderationem priscam? Hoc opus, hic labor. Vir prudens & modestus non recusat esse primus, cùm certamen indicitur virtutis. Suam quisque crumenam & culinam coërceat, ne sumptu extra modum prodeat. Frugalitas & moderatio non valetudini solùm servandæ, sed opibus etiam parandis plurimùm facit.

CAPVT VII.

Tobias ad divinam voluntatem formatissimus.

D Tobias tam cæcitate, quàm paupertate aliisque incommodis ærumnosus, à cognatis irrisus, *ingemuit, & cœpit orare cum lacrymis.* Ardebant preces Tobiæ suspiriis, gemitibus, oculorum rivulis distinctæ. In his justitiam & misericordiam Dei extollens: *Iustus es Domine,* inquit, *& omnia judicia tua justa sunt, & omnes viæ tuæ misericordia, & veritas, & judicium.* In iisdem precibus tam se, quàm tribules suos criminis obnoxios fatetur, & deprecatur noxas: *Domine, memor esto mei, & ne vindictam sumas, neque reminiscaris delicta mea, vel parentum meorum, quoniam non obedivimus præceptis tuis, ideo traditi sumus in direptionem & captivitatem, & mortem, & in fabulam & in improperium omnibus nationibus, in quibus dispersisti nos. Et nunc Domine magna judicia tua, quia non egimus secundùm præcepta tua, & non ambulavimus sinceriter coram te.* Demum ad divinam voluntatem conformatissimus: Et nunc Domine secundùm voluntatem tuam fac mecum. In tuâ manu sum, ut pilâ me utere, & projice quò volueris.

Tob. c. 3. v. 1.

Ibid. v. 2.

Ibid. v. 3. 4. & 5.

Tobias ad divinam volūtatem conformatissimus.

lueris. Tobias ad arbitrium & nutus divinos se fingens totum, præsto est. Quod hoc capite erit exequendum. In quo mihi maximè sequendam duxi præceptionem Senecæ, qui sapienter: *Plus prodest*, inquit, *si pauca præcepta teneas, sed illæ in promptu & in usu tibi sint, quàm si multa quidem didiceris, sed illa non habeas ad manum.* Consilium saluberrimum. Eam ob rem hoc capite, præceptionem hanc unicam ingeremus. Conformitatem humanæ voluntatis cum divinâ, fundamentum esse omnis sanctimoniæ solidissimum, optimum; nec esse, quod Deo magis placeat, quàm iste voluntatum consensus & conspiratio: de quâ ordine, sed brevi, septem monita trademus.

Senec. lib. 7. de Benef. c. 1. initio.

Septem monita:

§. I.

1. Conformatio divinæ voluntatis ad divinam est apex & perfectio omnium doctrinarum.

I. MOnitum. Hæc doctrina de Conformatione humanæ voluntatis ad divinam non solùm præceptiones & doctrinas Christianorum omnes complectitur, sed omnium est apex & perfectio. Si mihi centum annis ad Christianam plebem è cathedrâ dicendum, hanc ego præceptionem semper unicè instillarem: *In omnibus velis, quod vult Deus.* Leonardus Lauredanus Venetus, vir oppidò doctus memorat beatam Catharinam Genuensem ita cælitùs edoctam, ut ex oratione dominicâ unum illud sumeret: *Fiat voluntas tua.* E Salutatione Angeli hanc unam sibi vocem excerperet: JESVS. E bibliis totis unicum illud verbulum retineret: *Amo.* Sanctioris vitæ solidius fundamentum non habemus, quàm istud unicum: *Fiat voluntas tua, sicut in cælo, & in terrâ.* Nil explicatum, nil & factu melius, nil Deo gratius, quàm velle hominem, quod vult Deus.

2. Voluntas Dei est duplex, prima *Signi*, altera *Beneplaciti*.

II. Voluntas Dei duplex est Theologis, prima *Signi*, altera *Beneplaciti*. Illa *Signi* est, quâ Deus significat, jubet, præcipit, quid à nobis fieri velit. Ista *Beneplaciti* est, quâ Deus creat, disponit, renovat, agit, quod vult: hæc Dei voluntas ab omnibus retro sæculis, ab omni æternitate gubernat, regitque omnia. Hæc Dei voluntas nunquam non perficitur, hæc semper consummatur, quidquid mortales hîc infrà turbent, aut exerrent. Nos, non tantùm voluntati, quæ signi est, quæque leges & præcepta continet, sed ei etiam, quæ Beneplaciti est, nostram voluntatem omnem attemperemus. In iis maximè, quæ nobis mira, insolita, & pæne absurda videntur, dicamus paratissimè: Fiat, Domine, voluntas tua. Contingit sæpenumero, ut viri animosi, prudentes, eruditi, bellicosi, sancti & integerrimi rem omni curâ, ingenti studio, summâ solertiâ tractent, rei tamen exitus infelix, malus, calamitosus sit. Hîc, obsecro, rectissimâ viâ curramus ad divinam voluntatem Beneplaciti, ad Providentiam Dei; dicamus cum Ecclesiaste: *Vidimus sub sole nec velocium esse cursum, nec fortium bellum, nec sapientium panem, nec doctorum divitias, nec artificum gratiam.* Summa Dei providentia in his omnibus aurigatur. Atque hinc quandoq; prioribus contraria videmus. Nonnunquam homines ineruditi, imprudentes, timidi, scelerati ocitanter quippiam, indoctè, imprudenter, segniter, aggrediuntur, & ad felicem exitum adducunt; quod malè moliuntur perficiunt, summa votorum impetrant. Hinc subinde provincia tota, totúmve regnum turbatur & labat. Non ignota cano. Hîc iterum ad Dei voluntatem ac providentiam currendum, quæ hæc omnia destinatissimis consiliis, permissionibus ordinatissimis disponit. Huc respiciens sapienter dixit Seneca. *Invadit temperatissimos morbus, validissimos phtisis, innocentissimos pœna, secretissimos tumultus.* Hîc in solâ Dei voluntate acquiescendum. In aliis liceat subinde dicere: Plus ultra. Hîc religiosissimè servandum illud: Non ultra.

Eccles. c. 9. vers. 11.

Senec. ep. 91.

3. Dei voluntas rerum omnium est moderatrix.

III. Dei voluntas rerum omnium moderatrix est, omnia ad perpendiculum facit, omnia vel minima quæque in parato, in expedito habet.

Ditescere, depauperari, bellè valere, morbis corripi; Vincere, vinci ab hac est. Abraham contra Babylonios victoriâ potitus potuisset sibi videri magnus. At verò rex Salem Melchisedech: *Benedictus Deus excelsus*, inquit, *quo protegente hostes in manibus tuis sunt.* Sennacheribus Assyriorum tyrannus circumquaque urbes & propugnacula multâ vi cepit, inde suam potentiam grandi supercilio circumspexit. Huic Deus per Isaiam dici jussit: *Habitationem tuam & egressum tuum, & introitum tuum cognovi, & insaniam tuam contra me. Cum fureres adversum me, superbia tua ascendit in aures meas: ponam ego circulum in naribus tuis, & frenum in labiis tuis, & reducam te in viam, per quam venisti.* Mi rex Sennacherib à me hæc habes omnia; ego tibi pandebam portas ad arces & civitates capiendas; absque me nullæ fuissent vires tuæ; me disponente ac permittente innumeros pauperum afflixisti, plurimos divitum depauperasti, sed nec tu manus meas evades, præmium te dignum recipies. In templo tuo à tuismet filiis occideris. Ita Deus voluit, ita factum est. Dei voluntas omnium moderatrix.

Genes. c. 14. vers. 20.

Isaiæ c. 37. v. 28.

§. II.

4. Sacrificium summum, propriæ voluntatis oblatio.

IV. SAcrificium summum, Deóque gratissimum, propriæ voluntatis oblatio. Sanctissimos quosque viros priscæ legis consideremus; Noëmum, Abrahamum, Josephum, Davidem, Tobiam; cur eos Deus tot ærumnis ac calamitatibus exercuit, quid ab eis extorquere voluit? Hanc unicam audire cupiit cantiunculam: Domine, secundùm voluntatem tuam fac mecum. Abrahamus & David de consequendo primo præmio certarunt, & nescio an non uterque primus fuerit in hac suæ voluntatis conformatione ad divinam. Abrahamus suum ipse sanguinem, suum filium obsequentissimè in victimam daturus, jam gladium vibrabat in jugulum, priùs tamen suam jugulaverat Deo voluntatem. David autem id testimonii tulit è cælo: *Inveni David, filium Iesse, virum secundùm cor meum, qui faciet omnes voluntates meas.* An non uterque dignus primo præmio? Narrat cælitum encomiastes, Surius rem memoratu dignam in rebus gestis Eugenii Carthaginiensis Pontificis, qui ævo vixit, quo Hunnericus Arrianorum rex impius Catholicorum cœtus immaniter afflixit. Ex eo numero mater Catholici nominis, pia femina & heroïs, parvulum manu trahens: Curre, ajebat, curre, curre, mi fili, ut assequamur ceteros martyres. Alii è spectatoribus parvulum miserari. Quid filiolum, inquiunt, ultra vires fatigas? His adeò generosè ac piè respondit mater, ut illi lacrymis opleti, hoc unum haberent dicere: Fiat voluntas Dei. Istud in rebus omnibus, adversis maximè, dicendum. Non est sanctius Deóque gratius sacrificium ab homine, quàm propriæ voluntatis oblatio, seu vera cùm divinâ voluntate Conformitas.

Act. 13. vers. 22.

5. Hæc ipsa cum divinâ voluntate Conformitas, nihil agendum, aut patiendum excipit. Noëmi, anus Hebræa, Ruthæ socrus decennio laborabat, ut Rutham nurum suam ad Dei cultum, veramque religionem pertraheret, sed nullo successu; frustra fuerunt dicta. Denum vale ultimum dictura: Nunc enim verò, inquit, abi mea filia cum cognatâ tuâ Orphâ. Cui Rutha ingenuè: *Ne adverseris mihi, ait, ut relinquam te & abeam. Quocunque perrexeris, pergam, & ubi morata fueris, & ego pariter morabor. Populus tuus, populus meus, & Deus tuus, Deus meus: quæ & ipsa terra morientem susceperit, in eâ moriar, ibiq; locum accipiam sepulturæ. Hæc mihi faciat Deus, & hæc addat, si non sola mors me & te separaverit.* Paraphrastes è Complutensi bibliothecâ ita loquendum sistit Noëmi: Præceptum nobis est filia, ut iter sabbathi non ultra dimidium milliare instituatur. Cui Rutha: Ibo, quò iveris. Sed iterum Noëmi: Nos, inquit, sexcentas tredecim habemus leges servandas. Ad quæ Rutha: Quidquid tuus servarit populus, & ego servabo. Noëmi denuo: Imperatum nobis est à Deo, ne ritus & cæremonias exterorum nostris misceamus sacris. Cui Rutha: Deus tuus, Deus meus erit; quid

5. Hæc ipsa cum divinâ voluntate Conformitas, nihil agendum, aut patiendum excipit. Noëmi, anus Hebræa, Ruthæ socrus decennio laborabat, ut Rutham nurum suam ad Dei cultum, veramque religionem pertraheret, sed nullo successu; frustra fuerunt dicta. Denum vale ultimum dictura: Nunc enim verò, inquit, abi mea filia cum cognatâ tuâ Orphâ. Cui Rutha ingenuè: *Ne adverseris mihi, ait, ut relinquam te & abeam. Quocunque perrexeris, pergam, & ubi morata fueris, & ego pariter morabor. Populus tuus, populus meus, & Deus tuus, Deus meus: quæ & ipsa terra morientem susceperit, in eâ moriar, ibiq; locum accipiam sepulturæ. Hæc mihi faciat Deus, & hæc addat, si non sola mors me & te separaverit.* Paraphrastes è Complutensi bibliothecâ ita loquendum sistit Noëmi: Præceptum nobis est filia, ut iter sabbathi non ultra dimidium milliare instituatur. Cui Rutha: Ibo, quò iveris. Sed iterum Noëmi: Nos, inquit, sexcentas tredecim habemus leges servandas. Ad quæ Rutha: Quidquid tuus servarit populus, & ego servabo. Noëmi denuo: Imperatum nobis est à Deo, ne ritus & cæremonias exterorum nostris misceamus sacris. Cui Rutha: Deus tuus, Deus meus erit; quid

Ruth. c. 1. vers. 16.

Ruthæ & Noëmi colloquium.

quid vis amplius? sed lex nostra rigida est, inquit Noëmi, maleficos & reos gladio, lapidibus, rogo, cruce punit; adulteri, blasphemi, fontes alii comburuntur, lapidantur, crucifiguntur, gladio feriuntur. Neque sic territa Ruth: Ubi tu, inquit, morieris, moriar & ego. Sed nos, ait Noëmi, sepeliendi ritu, locóque multùm à gentibus distinguimur. Cui Rutha: Quæ te sepultura texerit, eadem & me teget. Si hominis cum homine tam indissolubilis consensus, tanta esse potest animorum conjunctio, quantò magis hominis cum Deo? Hæc autem geminæ voluntatis concordia nihil excipit, quod aut pati recuser, aut facere.

4. Conformitas humanæ voluntatis cum divinâ prima est & summa obligatio nostra.

VI. Conformitas humanæ volûtatis cum divinâ prima est & summa obligatio nostra. Utique plus obligati sumus Deo, quàm fuerint olim gladiatores suo domino, cui se auctorarant. Gladiatores prisci seipsos quasi vendebant, auctoramento horribili, his conceptissimis verbis: *Sacramentum juro, uri, vinciri, verberari, ferróque necari.* In has tam cruentas leges ob exiguam pecuniolam animosè jurabant. Et nos ob honorem Dei & amorem, ob immortale regnum, non vendamus nos ipsos Deo? Non sacramentum juremus istud? Domine secundùm voluntatem tuam fac mecum: Liga, ure, seca, verbera, jugula: Tibi me vendo, tuus sum, jure omni obligatissimus, & facere & pati fortia tui caussâ paratissimus: Fac mecum Domine secundùm voluntatem tuam.

§. III.

5. Conformitas humanæ voluntatis cũ divinâ est permutatio cordiũ optima.

VII. COnformitas humanæ voluntatis cum divinâ est permutatio cordium optima. O beatus! ô ter beatus! qui cor humanum sordibus & nævis plenissimum permutare potest cum divino, omnis sanctimoniæ fonte purissimo. Cantiuncula est omnium, qui JESVM diligunt: hanc ego hîc voce præeo; ita cantandum: Domine JESV, meum à me cor tolle, tuum mihi redde, utrumque cor unius voluntatis effice. Non fileo hîc quid mihi amicorum optimus, vir doctissimus de hac suavissimâ cordium commutatione, de amantissimo divinæ voluntatis complexu sæpius scripsit. In specimen sint hæc paucula, quæ subjungo, & verbum è verbo fideliter exprimo. Injecta igitur pestiferæ luis mentione: Nemo, inquit, nunc lætus vivit, qui vitam divinæ voluntati anteponit, qui in flagella non est paratus; solus tranquillitatem habet inæstimabilem, qui magno animi robore, & internis oculis voluntatem Dei semper intuetur, divinam providentiam veneratur & se divinæ voluntati penitus conformare studet; in hoc solo studio proficit Christianus; hoc studium labore constat & patientiâ; hoc hominem, quò minùs peccet conservat, ubi fortè peccavit, ad meliorem vitam revocat, & ad dignos fructus pœnitentiæ perpetuò invitat, & incitat. Quid multis? hoc studium & assidua divinæ voluntatis meditatio, atque exercitium hominem facit Deum, & omnes humanas actiones efficit divinas, ut in extremis calamitatibus gaudere possit homo, & ridere inter lacrymas. Jam nunc mors omnibus præforibus est satis vicina: si me contingat mori, volens moriar, & in æternum velle non cessabo, quod vult Deus.

Litteræ ultimo Septembris datæ anno 1634.

Bellum & pestis sævientibus.

Voces me hercle viro erudito dignissimæ. Sed idem in aliis ad me datis litteris de verbo ad verbum hæc præscribit: Funebrem do historiam, quam & lugubrem dicerem, si in sanctissimâ Dei voluntate luctûs aliquid esset reperire. Dum nutant humeri miseriarum pondere, en onus Dei leve est, en jugum Domini suave, dum amariorum medicamentorum poculis medicatur animæ. Sed quis assequitur hæc talia? Ille certè, qui divina mysteria non sensibus, sed fide percipienda existimat. Divinæ providentiæ veneratio summum vitæ præsidium est. Quis intelligit in hac rerum omnium extremâ perturbatione, occultam Dei gubernationem esse re-

Ex litteris datis die 29. Decemb. anno 1634.

ctissimam & ordinatissimam? quis in gravissimorum scelerum frequentiâ sanctissimam Dei voluntatem veneratur & suspicit, nisi qui jam priùs divinæ se consecravit voluntati, quam vitæ suæ unicam & regulam habet, & metam. Abstulit mihi bonus Deus charissimo tria pignora, sed quæ priùs dederat, abstulit volens & volenti. Imò non abstulit, sed repetiit, & eripuit ex miseriis æternùm servanda.

Hæc profectò stylum Christianum sapiunt, hæc virum, hæc Jobi affinem monstrant; ita cor humanum permutatur divino.

Bavariæ Sancta volum. 1. mihi p. 141. med. Elisabethæ Pannoniæ regis filiæ in divinam volũtatem reverentia.

Elisabetha Pannoniæ regis filia, illa pauperum mater laudatissima, Hassiæ princeps, cùm ei Ludovicum conjugem mors abstulisset, illa in gemitus & lacrymas soluta: Deus, inquit, cordium scrutator novit, quantus inter nos, quámque sincerus fuerit conjugalis amor. Meus pro me conjux, ego pro meo conjuge mori paratissima fui, & hoc inter beneficia numerassem. Sed aliud Deo visum. Quòd si nunc maritum meum vel unico crine capitis mei è sepulchro vivum possem extrahere, id autem Deo non valdè placiturum scirem, id reverà non facerem. Major mihi in divinam voluntatem reverentia est, quàm ut tale quid audeam.

Deus, quàm generosus ac virilis animus in feminâ! Hæc illa est cordium commutatio felicissima, omnem voluntatem suam ita transfundere in divinam, ut vel in maximis ærumnis ingenuè profiteri audeat: Domine, si ego meas ærumnas omnes à me amovere, & excutere possem, id tamen divinæ voluntati tuæ non optimè placiturum nossem, id profectò non facerem. Domine, fac mecum secundùm voluntatem tuam. Hæc Tobiæ precatio, hoc unicum illius votum, hæc vera est nostræ voluntatis ad divinam Conformatio. Hæc virtutum summa est. His compendio non multa solùm, sed omnia licet discere. Aude hoc velle, & in Deum transiisti.

CAPVT VIII.

Tobias Saræ comprecator in fide firmissimus.

Orantis Saræ virtutum specimina: 1. Eximia patientia. *Tob. cap. 3. v. 9. & 10.*

EXplicatis Tobiæ precibus exponit sacra pagina preces etiam Saræ alibi orantis, quæ non unius tantùm virtutis specimen præeundo dedit.

I. Eximiam certè patientiam præ se tulit. Nam cùm eam ancilla ipsius ore maledico invaderet, eique acerbissimè opprobraret ista: *Amplius ex te non videamus filium aut filiam super terram, interfectrix virorum tuorum. Nunquid & occidere me vis, sicut jam occidisti septem viros?* Quis hîc prurientem manum continuisset, quis maledicentiam tam effrenem non pugno vindicasset? Sara siluit, & contumeliam non tantùm non colapho, sed nec verbulo vindicavit.

2. Insignis abstinẽtia. *Tob. cap. 3. vers. 10.*

II. Insignem exhibens abstinentiam *perrexit in superius cubiculum domûs suæ & tribus diebus & tribus noctibus non manducavit, neque bibit.*

3. Singularis constantia. *Ibid. v. 11.*

III. Constantiam monstrans singularem: nam, *in oratione persistens cum lacrymis deprecabatur Deum.* Epilogum orationi suæ hunc attexuit: Hoc autem pro certo habet, omnis qui te colit, quòd vita ejus, si in probatione fuerit, coronabitur. Hinc illud sumitur certissimum: Cùm filios castigat Deus, percutientis verbera magna sunt amoris argumenta. Quod jam paullò uberiùs exponendum.

§. I.

Verba Dei punientis meliora sunt quàm mundi blandientis beneficia. *Amos cap. 3. vers. 2.*

QVemadmodum meliora sunt amantis vulnera, quàm odio persequentis blandimenta & oscula: ita prorsus meliora sunt Dei filium punientis verbera, quàm blandientis Mundi beneficia. Hebræus Amos Numinis vicem: *Tantummodò vos*, inquit, *cognovi ex omnibus cognationibus terræ: idcirco visitabo super vos omnes iniquitates vestras.* Vos ut notos, imò ut filios meos virgis & flagris

flagris compellam ad officium. Quod Hieronymus confirmat, illa Ezechielis verba interpretatus: *Non parcet oculus meus, neque miserebor. Non parcit ut parcat; non miseretur, ut magis misereatur. Percutit autem Dominus, quem diligit, & castigat omnem filium, quem recipit.* Hinc nos rectissimè philosophamur: Quem Deus non verberat, hunc non amat. Quod & Gregorius confirmans: *Peccantes quosque, ait, nunc consideramus amplius miseros, quando conspicimus eos in culpâ sine flagello derelictos.* Maximum supplicium (in hoc orbe) est delinquentem à Deo non corripi. Quod Bernardus disertissimè affirmans: *Tunc, inquit, magis irascitur Deus, cùm non irascitur.* Ulcus nimis malignum est, quod omnem abhorret tactum. Non puniri, maxima est punitio. Tam luculentæ veritatis Deus ipse testis: *Dimisi eos, inquit, secundùm desideria cordis eorum; ibunt in adinventionibus suis.* Idem per Ezechielem pronuntiavit: *Zelus meus recedet à te, & non irascar tibi amplius.* Coërcitionis patris verbera, sunt dilectionis indicia.

Gregor. homil. 12. in Ezech.

Bernard. serm. 42. in Cant.

Ps. 80. v. 13.

Ezech. c. 16. vers. 42.

Scripturus historiam hujus ævi, quo hæc scribo, commodè apponet illud è Machabææ gentis historiâ: *Obsecrò autem eos, qui hæc lecturi sunt, ne abhorrescant propter adversos casus, sed reputent ea, quæ acciderunt, non ad interitum, sed ad correptionem esse generis nostri. Etenim multo tempore non sinere peccatoribus ex sententiâ agere, sed statim ultiones adhibere, magni beneficii est indicium.* Pars maxima est misericordiæ, pœnas debitas ad supremum judicium non differre. In hac vitâ percutiens Dei manus materna est & medica. Hîc planâ & porrectâ manu ferit Deus, uti matres solent infantulos; at verò illic in orbe altero duobus pugnis cædit, corpus & animam in gehennam perdit. Quos odit, manibus ferreis contundit æternùm occidit. Hîc autem, quos amat, castigat. Nos homunciones infantuli miselli, ac stoliti vellemus suaviùs amari, blandis & parcentibus manibus tractari, pulvillo collocari, rosis coronari. Hæc nostra est stulta infantia; adeò non dura reliquimus nuces, ut ea solùm, quæ temporis sunt, pueriliter attendamus; iis non magni æstimatis, quæ promittit æternitas. Rex David longè maturiori sensu hæc levia contemnens, & minimos etiam nævos à Deo puniri singularem gratiam interpretatus: *Deus, inquit, tu propitius fuisti eis, & ultiscens in omnes adinventiones eorum.* De Mose, Aarone, Samuele sermo est, qui quidem primæ admissionis amici erant, à levioribus tamen etiam labeculis impunitatem non habuerunt. In sanctissimis etiam viris pæne semper est, quod corrigi, quod emendari possit. Actiones humanas veluti pictorum tabulas nos pagani, imperitissimi spectatores, parum limatis & indoctis oculis aspicimus: hinc judicia temeraria & perversa. At verò Deus sicut artifex, & picturarum peritissimus æstimator vel minutissimos errores oculis æquissimis deprehendit & punit; omne virtutis officium vel tenuissimum sine præmio non dimittit.

2. Machab. cap. 6. v. 12. & 13.

Pœnæ ad supremum judicium non dilatæ est signum misericordiæ.

Ps. 98. v. 8.

§. II.

Hinc illa fidei certitudo, quam Deus Tobiæ ac Saræ patefecit: *Hoc autem pro certo habet omnis, qui te colit, quòd vita ejus, si in probatione fuerit, coronabitur.* Luculentissimè id spectare est in Jobo, qui quidquid facultatum & opum perdidit, geminato fœnore recepit. *Addidit Dominus omnia quæcunque fuerant Iob duplicia:* pro septingentis ovibus, mille quadringentas, mille asinas, & mille juga boum pro quingentis; pro tribus, sex millia camelorum recepit. Priùs tamen in probatione grandi fuerat, quàm ita coronaretur. Omnes illum amici, cognati, famulæ, famuli deseruerant, imò & oppugnabant: post ærumnas septem annis toleratas, ad fimetum denique publicum velut cadaver vivum elatus, rerum omnium extremè inops. Hoc septennali decurso stadio Deus illum velut faucibus mortis extrahens in solium reduxit. Adfuerunt postliminio amici, cognati, familia multa nimis. Amicorum singuli ovem unam & inaurem auream donarunt. Opibus denuo post longam & asperam probationem coronatus est amplissimis. Joseph Ægypti prorex à suismet fratribus iniquè venditus, à suâ dominâ falsò accusatus, à suo domino in carcerem conjectus, tandem emersit post rigidam probationem à Deo coronatus. Daniel in leonum foveam bis præcipitatus in probatione fuit, sed à Dario rege honoribus summis coronatus est. Castissima Susanna jam ducebatur, destinata morti victima, jam ei minabantur lapides ut adulteræ. Austera fuit hæc probatio. Sed adfuit Deus; innocens & pudica mulier ingentibus elogiis coronata in celebritate maximâ, atque in oculis omnium vixit; nec ullis post sæculis partam pudicitiæ gloriam amittet. Pro certo habuit Susanna mortem innocenter obitam à Deo amplissimè coronandam.

Tob. cap. 3. vers. 21. Qui in probatione fuerunt geminato fœnore receperunt quæ perdiderunt: Iob cap. 42. vers. 10. Jobus.

Joseph.

Daniel.

Susanna.

Ista tamen probatio non negamus, vehementer excruciat, sed modicum durat, & æternùm coronat. Hæc probatio est lixivium mordax & asperum, sed egregiè purgat & sanat. Ad hanc fidei certitudinem divinus Petrus nos erigens: *In quo exultabitis, inquit, modicum nunc si oportet contristari in variis tentationibus, ut probatio vestræ fidei multò pretiosior auro (quod per ignem probatur) inveniatur in laudem & gloriam & honorem in revelatione Iesu Christi.* In ipso luctu, intérque lacrymas gaudere nos jubet & exultare. Et ejus rei affignat caussas. 1. Probationes & tentationes, ærumnæ atque afflictiones omnes, modicum sunt exiguissimum, ad infinitum, immortale, immensum cæli præmium. 2. Quod patimur non modicum solùm, sed & breve ac momentum est. Beatus Eucherius ad Valerianum cognatum: Nihil est, inquit, magnum re quod parvum est tempore. 3. Si oportet contristari: quid enim luctamur cum necessitate? si oportet, toleremus quod immittitur tolerandum: hæc Dei voluntas est. 4. Vices rerum humanarum considerandæ, quæ gaudia identidem miscent luctibus, luctúsque gaudiis: neque enim assiduis mœroribus aut doloribus obtundimur, quemadmodum damnati ad inferos. Nos subinde respiramus, & pausam interjungimus, & vires reparamus: perpetua & non ingrata rerum omnium vicissitudo est. 5. Probè norint quicunque miseriarum compotes sunt, afflictiones esse probationes, experimenta, tentationes, exercitationes, eásque varias: Hunc morbus, illum paupertas, istum odia & invidentia, hunc contemptus & infamia, alios curæ, angores, & occulta pectoris vulnera exercent. Quidquid ærumnarum & exercitationum sit, *hoc pro certo habet, omnis qui te colit, quòd vita ejus, si in probatione fuerit, coronabitur.* In probatione fuerunt omnes amici Dei, jam omnes coronantur.

1. Pet. cap. 1. v. 6. & 7. Quinque caussæ cur in luctu sit Petrus non gaudere jubeat. Prima. Secunda. Tertia. Quarta. Quinta.

Quorsùm in eruenda annus exercitii Jobi.

§. III.

Longissimus fuit Jobo tirocinii annus, septennium ipsum, quo toto velut ad inferos dejectus morbos & ærumnas incredibiles perpessus, non singulis solùm diebus, sed singulis pæne horis mortuus. Noëmus quidem mitiùs, sed diuturniùs, annos centum & unum variis & gravibus molestiis fatigatus est. Calumnias & carcerem Joseph triennio sustinuit. David pæne omni vitâ in miseriis fuit. Daniel tirocinium suum inter leones posuit. Hebræi tres juvenes in ipsis etiam flammis specimen suæ virtutis dederunt. Machabææ heroïdis filii in sartagine & exquisitissimis tormentis constantiam suam insignissimè demonstrarunt. Athanasius non ab Arrianis tantùm, sed ab orbe toto exagitatus locum ex loco mutavit exul & profugus. Sed hoc modicum fuit, probatio fuit. Ad hoc animi robur Sebastianus martyr Marcum & Marcellianum fratres cohortatus est, ne tentati à fide deficerent. Tormenta vel levia sunt, vel acria & gravia. Si levia, tolerabilia sunt; si gravia, non

Noëmi.

Joseph.

David.

Daniel.

Trium Hebræorum juvenum.

Athanasii.

Marci & Marcelliani.

non diuturna sunt, sed ad mortem adigunt, & per mortem ad immortalitatem transmittunt. Toleremus ergo tam levia, quàm gravia; illa, quia modica; hæc, quia brevia. *Hoc enim pro certo habet, omnis qui te colit, quòd vita ejus, si in probatione fuerit, coronabitur.*

Beatus Leo præsul Romanus summus ad hanc ipsam spem nos animans: *Certa est,* inquit, *& secura expectatio promissæ beatitudinis, ubi est participatio dominicæ passionis. Scientes,* inquit Paulus, *quòd sicut socii passionum estis, sic eritis & consolationis.* Nam *si commortui sumus, & convivemus: si sustinebimus & conregnabimus.*

Arnulphus quidam religiosæ Cistertiensis familiæ vir eximiè pius morbo & viscerum doloribus colicis adeò laboravit, ut aliquanto tempore in mortuum jacuerit. Ubi demum ad se rediit, coram pluribus exclamavit: Vera sunt omnia, Domine JESV, quæ dixisti. Idque sæpius ingeminavit. Interrogatus, quî valeret, has ipsas voces reddidit: Vera sunt omnia, Domine JESV, quæ dixisti. Qui adstabant, linguâ eum delirare, & aliena loqui præ doloribus putabant. Quibus ille: Sanæ mentis sum, inquit, & affirmo verissimum esse, quidquid Christus in Evangeliis amatoribus crucis promisit. Magnus hic dolor qui me exercet, sed hoc mihi nomine gratus est, quia spem certam ingerit æternæ voluptatis. *Hoc* igitur *certò habet, omnis qui Deum colit, quòd vita ejus, si in probatione fuerit, coronabitur.* Et necesse prorsus est, homo fidelis & superis carus sit, cui Christus suam crucem ferendam committit, tolerantiam amplissimè remuneraturus. Ponaventura rem ita explicat: Qui pedites eunt peregre, æstuante jam cælo sarcinulas suas, si possint, in alios partiuntur; sed non cuivis pallium, aut cum pecuniâ bulgam, sed noto homini ac fido tradunt, ita Christus ad patiendi societatem vocat, quos charissimos habet & fidelissimos. Hos inter felleum partitur calicem, & onera, quæ ipsemet gestavit, amicis dividit, in amicitiæ symbolum & futuræ remunerationis argumentum.

Dices: At enim æquè multa, vel plura patiuntur homines mali. Fateor, sed ea, quam ferunt, non est crux Christi, sed mundi, sed diaboli. Sed unde, inquies, hoc scitur? E pluribus, nec fallacibus signis: verba & gestus horum crucigerorum considera; observa eorum diffidentiam, pusillanimitatem, impatientiam, murmurationem, inconstantiam. Verbum vetus est: Laurigeri multi, pauci Phœbi: ita prorsus crucigeri multi, pauci patientes & probi. Inter illos & istos discrimen invenire non difficile. Non obmurmurat, neminem accusat, præmium in cælo expectat, qui crucem Christi causâ portat. Ideo Sara tam signanter dixit: *Hoc autem pro certo habet, omnis qui te colit, quòd vita ejus, si in probatione fuerit, coronabitur.* Subinde mater terrificam se fingit infanti, pugnos complicat, tonat, minatur, fulminat, quasi jam jam infantem vivum devoratura; ira est, imprecatio dira est, sed matris; nollet fieri, quæ imprecatur, quia mater est: ita Christus nonnunquam vultum leonis induit, ungues exerit, ignes vomit, dentes stringit; nihilominus sæviendo parcit, quia pater est. Hoc igitur pro certo habet, quisquis illum colit, suas miserias amplissimis præmiis emutandas. Hoc unicum ergo quærendum: Colitis Christum, amatis Deum? Colimus, amamus. Hoc ergo habetote pro certo, *quòd vita vestra, si in probatione fuerit, coronabitur.* Altum ingemiscens Jobus: *Solum mihi,* ait, *supereſt sepulchrum.* Nos hilariùs loquamur: Solum nobis supereſt cælum. *In reliquo reposita est mihi corona justitiæ.* Non sum primus, cui sævitia calamitatis attulit exordium salutis. Progrediamur magno animo, & patiamur cum Christo, pro Christo. E cruce in paradisum compendiosissimus est transitus.

CAPVT IX.

Tobias præsentiæ divinæ cultor observantissimus.

SI quis ideam & prototypon vitæ Christianæ ex virtute agendæ inspicere, & compendio velit discere, quidquid ad omnem virtutis exercitationem spectat, vix melius quid, aut brevius, aut ordinatius inveniet, quàm præceptiones, quas Tobias parens dedit filio. Nam primò erudiit illum, quî se geretet erga Deum, idque præceptis tribus. Deinde docuit illum, quî se gereret erga homines, idque sex præceptis. Tertiò denique instruxit illum, quî se gereret erga seipsum, idque tribus etiam præceptis. Hic ordo paternæ cohortationis est: præceptiones singulas inspiciamus.

Tobias erudiit filium qui se gereret erga Deum, homines, & seipsum.

Officium erga Deum præceptiones ternas complectitur. Prima est, Religio & Pietas: *Omnibus diebus vitæ tuæ in mente habeto Deum.* Quibus verbis filio assiduam divinæ præsentiæ venerationem commendavit. Altera est, Laudatio Dei continua: *Omni tempore benedic Deum, & pete ab eo, ut vias tuas dirigat, & omnia consilia tua in ipso permaneant.* Tertia est, Aversio ab omni peccato perpetua: *Cave, ne aliquando peccato consentias, & præterimittas præcepta Dei nostri.*

1. Erga Deũ præceptũ. *Tob. cap. 4. vers. 6.* Secũdum: *Ibid. v. 20.* Tertium. *Ibid. v. 6.*

Officium erga homines, quod in charitate potissimùm, & justitiâ consistit, præceptionibus senis comprehenditur. Prima est, erga parentes: *Honorem habebis matri tuæ omnibus diebus vitæ ejus.* Secunda, erga pauperes: *Ex substantiâ tuâ fac eleemosynam: Quomodo potueris, ita esto misericors.* Ubi etiam docet, quibus, quomodo, ex quâ crumenâ, quo fructu sit largiendum. Tertia, erga mercenarios: *Quicunque tibi aliquid operatus fuerit, statim ei mercedem restitue.* Quarta, erga Consiliarios: *Consilium semper à sapiente perquire.* Quinta, erga Defunctos, *Patrem tuum, & vinum tuum super sepulturam justi constitue.* Sexta, erga quoscunque alios: *Quod ab alio oderis fieri tibi, vide ne tu aliquando alteri facias.* En sapientissimum Charitatis & Justitiæ breviarium.

1. Erga homines præceptum. *Ibid. v. 3.* Secũdum. *Ibid. v. 7. & 8.* Tertium. *Ibid. v. 15.* Quartum. *Ibid. v. 19.* Quintum. *Ibid. v. 17.* Sextum. *Ibid. v. 16.*

Officium erga seipsum, est victoria sui, & decorum quod præceptionibus tribus continetur. Prima est, Submissio & modestia: *Superbiam nunquam in tuo sensu, aut in tuo verbo dominari permittas.* Secunda, omnis lasciviæ & adulterii fuga: *Attende tibi, fili mi, ab omni fornicatione, & præter uxorem tuam nunquam patiaris crimen scire.* Tertia paupertatis, & aliarum ærumnarum tolerantia: *Noli timere, fili mi, pauperem quidem vitam gerimus, sed multa bona habebimus, si timuerimus Deum.* Atque hoc vitæ Christianæ compendium. Has præceptiones uberiùs explicare magni voluminis negotium est: Nos primam omnium præceptionem delibabimus, explicaturi divinæ præsentiæ venerationem assiduam, ob quam jure merito dici possit Tobias præsentiæ divinæ cultor observantissimus.

1. Erga seipsum præceptum. *Ibid. v. 14.* Secũdum. *Ibid. v. 13.* Tertium. *Ibid. v. 23.*

§. 1.

DE Dei præsentiâ in omni loco venerandâ Nicetas meus paullò fusiùs dissertat, hunc lector consules. Hîc angustè rem attingemus, & eam omnem doctrinam ponemus ad compendium. Rei fundamentum è divinis litteris hîc locamus. Deum in omni loco verissimè præsentem Salomon testatus: *In omni loco,* inquit, *oculi Domini contemplantur bonos & malos. Omnes viæ hominis patent oculis ejus, spirituum ponderator est Dominus.* Quod Hieremias vates confirmans: *Magnus consilio,* inquit, *& incomprehensibilis cogitatu; cujus oculi aperti sunt super omnes vias filiorum Adam, ut reddas unicuique secundùm vias suas.* Idem adstruens Paulus: *Non est,* inquit, *ulla creatura invisibilis in conspectu ejus: omnia autem nuda & aperta sunt oculis ejus: discretor cogitationum & intentionum cordis:*

Nicetas l. 2. cap. 10. per novem paragraphos.

Deus est in omni loco verè præsens. *Prov. cap. 15. vers. 3. & c. 16. v. 2. Hier. c. 32. vers. 19. Hebr. cap. 4. v. 12. & 13.*

cordis: Clarissimè Propheta, quem dixi, & ad institutum accommodatissimè. *Si*, inquit, *occultabitur vir in absconditis, & ego non videbo eum? dicit Dominus. Nunquid non cælum & terram ego impleo? dicit Dominus.* Est ergo religionis Christianæ dogma multo certissimum & primarium, Deum locis omnino omnibus esse præsentissimum, & quidem, cùm dividi non possit, totum Deum. Hanc evidentissimam sidei nostræ veritatem priscæ legis Triumviri sanctissimi, Noë, Job, David probè perspexerunt, eam summè venerati. *Noë vir justus atque perfectus fuit in generationibus suis: cum Deo ambulavit.* Perinde uti duo euntes peregre inter mutuos aspectus suaviter colloquuntur, alter alterum intuetur. Ita non solùm Deus Noëmum, sed & Noëmus Deum identidem aspexit. Et nisi hoc sanctum exercitationis genus habuisset, mores tam sanctos inter vitiorum colluviem, homines nequissimos, tueri ægrè potuisset. Lasciviebat orbis universus impiis delicijs intentissimus, at ille ambulabat cum Deo, solum Deum respiciebat: hinc centum annorum ædificio molestissimo non succubuit.

Hier. c. 23. vers. 24. *Genes. c 6. vers. 9.*

Jobus de seipso: *Nonne ipse*, inquit, *considerat vias meas, & cunctos gressus meos dinumerat?* Facilè quis persuadetur sibiipsi attendere, si cogitet gressus omnes, quibus nihil inest mali, à Deo numerari. Si numerat gressus, multò magis spurcas cogitationes, impios sermones, pravas actiones. Deus exactissimus est Arithmeticus, qui videt, auditque omnia, & nihil non habet in numerato. Quod & Jobus expendens: *Observasti*, ait, *omnes semitas meas, & vestigia pedum meorum considerasti.* Hoc me terret, continétque in officio.

Iob cap. 31. vers. 4. *Idem c. 13. vers. 27.*

Psal. 15. v. 8. Ejusdem animi beatissimus rex David: *Providebam*, inquit, *Dominum in conspectu meo semper.* Crebriùs tui, mi Deus, recordor, cogitatione frequentiùs te, quàm dexteram meam, intueor: jugi hoc divinæ præsentiæ intuitu vir tantus, vir secundùm voluntatem Dei evasit. Hæc illi studia sanctimoniam contulerunt. Nec ipse diffitetur: *Servavi*, ait, *mandata tua, & testimonia tua, quia omnes viæ meæ in conspectu tuo.* Hæc una mentis exercitatio plurimos ad sublimem sanctimoniæ gradum evexit.

Psal. 118. vers. 168.

Idololatræ Deum locis omnibus præsentem esse non ignorarunt.

Deum locis omnibus præsentem nec idololatræ ignorarunt. Homero Deus sol est omnia collustrans, omnia cernens. De supremi Numinis in omni loco præsentiâ Annæus Seneca pluribus epistolis ea disserit, quæ ab Ambrosio aliquo, aut Augustino, aut Chrysostomo dicta, scriptáve censeas. Hinc mores & vita Senecæ tam composita, & à vitiis remota, ut viros non Christianos solùm, sed & religiosos Deóque sacros in ruborem dare possit. Quisquis aut ignorantiâ, aut desidiâ istud circa præsentiam divinam studium negligit, ingentem cumulum vitiorum brevi colliget: ita enim vivet, perinde ac si eum oculus omnium actionum arbiter non cernat.

Reperias asylum alicubi, quod securitatem magis promittat, quàm præstet, asylum mendax & chartaceum. Joabus belli dux in asylum se recepit, ad aram tabernaculi confugit. Quod ubi Salomon rescivit, eum exire jussit. Joabus noluit. Illuc igitur fulmen regium penetravit, & missa vox: *Interfice eum ibi.* Ita plures è refugii latebris extracti, quod asylum crediderunt, locum supplicii esse senserunt.

3. Reg. c. 2. vers. 29.

§. II.

Peccatores nullum habent asylum nisi diaboli.

QVicunque culpis gravioribus se obstringunt, omnes unicum habent asylum, sed diaboli, sed chartaceum, malè tutum. Nec enim in cælo securi sunt cum Lucifero, nec in terrâ cum Adamo, nec cum Jonâ in pelago, nec cum Judâ in tartaro. Hæc omnia latibula mente obiens David: *Si ascendero*, inquit, *in cælum, tu illic es; si descendero in infernum, ades; si habitavero in extremis maris, ades.* Nusquam asylum, nusquam. Quibus ergo latibulis homines vitiosi se abdant, quo se asylo claudunt? diaboli chartaceo: asyli hujus nomen est: *Non videor.* Elatæ mentis homo, fastu turgidus, qui se aliis caetur non æquiparare tantùm, sed & præferre audet, in asylum hoc confugit: *Non videor.* Ambitiosus, quem auræ pascunt inanes, qui basilicas in aëre struit, in asylum istud se recipit: *Non videor.* Qui iras & odia coquit, plenus invidiâ & alienâ felicitate tabescens hoc ipso clauditur asylo: *Non videor.* Cocus venenarius, qui viperas & colubros lixat, qui libidinosis & impuris cogitationibus sese oblectat, in hoc eodem latere se posse sperat asylo: *Non videor.* Fures, obtrectatores, ganeones, impostores, adulteri in hoc ipsum se illatebrant asylum: *Non videor.* Ipse etiam David in asylum istud se propripere cogitans, jámque pæne fugam adornans: *Et dixi*, ait, *forsitan tenebræ conculcabunt me.* Quis enim rescíat, quid in tenebris rex faciat? Perinde, ut ceteri è plebe, tutus latebo.

videor *Psal. 36.*

Sed pedem mox revocans: *Quia*, inquit, *non tenebræ obscurabuntur à te, & nox sicut dies illuminabitur.* O Domine, tui oculi in tenebris æquè omnia pervident, atque ipso claro meridie. *Et nox illuminatio mea in deliciis meis.* Voluptas, quam ego mihi in abdito quærebam, in apertissimam lucem protracta est, scelera mea jam omnibus nota. Furtivi in Bethsabeam amores, clancularia Uriæ Epistola, jam urbe totâ, jam regno meo, jam orbe universo innotuerunt. Deprehensus sum in flagitiis, videor, Domine, videor, à tuis certè oculis, licet omnes humanos fallam, tuos fallere, fopire tuos non possum. Medius mei pectoris, medius oris mei, medius mei cerebri, & corporis totius resides: quò vel oculis, vel manus, vel pes meus exerrat, te Deum invenit præsentissimum. Arcanissima cordis mei penetralia, tibi, ô Deus, nunquam non patent; Videor. Atque hoc illud omnium proborum asylum est munitissimum: Videor, videor, ô mi Deus, videor à te, etsi mortalium nemo videat. Hoc illud asylum est, quod à gravioribus noxis omnibus defendit ac protegit. Contra priores illos in cacodæmonis asylo malè latitantes Isaias altùm vociferatur: *Væ, qui profundi estis corde, ut à Domino abscondatis consilium; quorum sunt in tenebris opera, & dicunt, quis videt nos? & quis novit nos? Perversa est hæc vestra cogitatio.* Flagitiis exundat orbis; *Mundus totus in maligno positus est, non est, qui faciat bonum, non est usque ad unum.* Ut autem tantò licentiùs peccent, ad unum omnes confugiunt asylum: *Non videmur.* Quod testatissimè affirmans Ezechiel: *Dixerunt enim*, inquit, *dereliquit Dominus terram, & Dominus non videt.* Idem impietatis & nequitiæ asylum digito monstrans David: *Et dixerunt*, inquit, *non videbit Dominus, nec intelliget Deus Iacob.* Idem ex ore impiorum Jobus pronuntiat: *Quid enim novit Deus? & quasi per caliginem judicat: Nubes latibulum ejus, & nostra non considerat, & circa cardines cæli perambulat.*

Præsentia Dei est asylum noxis negatum. *Isaiæ c. 29. & 30. vers. 15. & 16.* *1. Ioan. c. 5. vers. 19.* *Psal. 13. v. 1.* *Ezech. c. 9. vers. 9.* *Psal. 93. v. 7.* *Iob cap. 22. v. 13. & 14.*

In hos jure merito excandescens David: *Intelligite*, inquit, *insipientes in populo; & stulti aliquando sapite. Qui plantavit aurem, non audiet, aut qui finxit oculum, non considerat? Dominus scit cogitationes hominum.* Dei oculos omnia momento intuentes nemo clauder, nemo sopiet, nemo eos velamine ullo conteget: *Non præterit illum omnis cogitatus, & non abscondit se ab eo omnis sermo. Abyssum & cor hominum investigavit; & in astutiâ eorum excogitavit. Cognovit enim Dominus omnem scientiam.*

Psal. 93. v. 8. & 9. *Eccli. c. 42. vers. 18. & 20.*

Idcirco, mi Tobia, mi Christiane, *omnibus diebus vitæ tuæ in mente habeto Deum*; Dei præsentiam in omni loco assiduè venerare. Huic præceptioni sacræ, conjunctissima est illa, quæ primam ultro sequitur: *Omni tempore benedic Deum, & pete ab eo, ut vias tuas dirigat, & omnia consilia tua in ipso permaneant.* Quemadmodum autem fieri non potest, ut homo jam cælo receptus Deum apertè aspiciat, & Deum non intimè diligat; ita prorsus fieri vix potest, ut quis Deum complectatur animo, & Dei præsentiam jugi veneratione prosequatur, & non singulis horis aliquoties Deum invocet, ac lauder. Quàm

Tob. cap. 4. vers. 6. Dei præsentia in omni loco veneranda. *Ibid. v. 20.*

pronum

pronum & facile cuivis de die sæpius Christum ita compellare: Domine JESV, miserere mei, & dirige me. Imò illæ geminæ solùm voculæ: *Domine* JESV, precatio sunt non minùs pia, quàm succincta. Nam cetera illis vocu-
Duæ voces Domine Jesv, assiduè ore, quàm cor- de volvendæ. lis addenda, vel pius affectus satis exprimit, aut pactum matutinum cum Deo initum pronuntiat. Hinc saluberrimi consilii est ut non sani tantùm, sed & ægroti ac moribundi has ipsas voces, *Domine* JESV, assiduè tam ore, quàm corde volvant: alia his voculis duabus in ritum precationis adjicienda satis intelligit Deus, qui etiam corvorum se invocantium idioma novit. Nec enim opus omnem orationis sensum & affectum verbis exprimere, quando Deo loquimur, qui ab omni æternitate scivit, quid non tantùm locuturi, sed & cogitaturi unquam essemus. Has voces, *Domine* JESV, à beato Paulo, Stephano, aliis sanctissimis viris usurpatas discimus, & easdem meritò assiduè usurpamus.

Ubi ergo præsentiæ divinæ venerabundum studium est, illic continua pæne ad Deum sequitur aspiratio. Deus omni tempore benedicendus. Beati cælites indesinenter, continuè, summâ cum suavitate Deum & amant & laudant, & nec puncto quidem temporis has actiones dulcissimas intermittunt. Omne cæli momentum mel merissimum, merissimas habet voluptates. Dum vivimus, beatos cælites hac amoris & laudis indesinente ac jugi perpetuitate imitari non possumus; nihilominus urget præceptio. *Omni tempore benedic Deum*, saltem horis singulis, saltem aliquoties in horas singulas.

§. III.

Ut viæ nostræ à Deo dirigantur petendum. VErùm præceptioni huic additur: *Et pete ab eo, ut vias tuas dirigat*. Si vel ad pusillum temporis spatium nostro nos pede gradi permittat Deus, mox impingimus, cespitamus, hallucinamur, offensamus, labimur, conculcamur; adeò à Deo pendemus, ut heri natus infantulus à nutricis vel gerulæ manu. Verissimum illud Deut. cap. 25. vers. 5. Christi: *Sine me nihil potestis facere*. Omnis *sufficientia nostra ex Deo est*. Promissis nos Deus erigens per Psalten: 2. Cor. c. 3. vers. 5. Psal. 31. v. 8. *Firmabo*, inquit, *super te oculos meos*. Tu contra & tuos in me perpetim flecte: hoc saltem age, ut tuos nunquam à me penitus avertas, quin iterum, ac iterum, iterúmque horis singulis me aspicias. Sic ad me identidem respicienti *intellectum tibi dabo, & instruam te in viâ hac, quâ gradieris: firmabo super te oculos meos.*

Platus lib. 3. de bono statu Relig. cap. 16. mihi pag. 536. Ad hoc paradigma. Hieronymus Platus memorat Andream Spinolam virum triginta & octo annorum animo ingenti exarsisse ad fluxa omnia deserenda, quò se penitus divinis obsequiis in religiosâ familiâ obeundis consecraret. Obstabant multa, quæ moram injiciebant, & jam pæne ad sanctiora transeuntem revocabant. Alia sanè suadebant nobilissima prosapia, valetudo tenuis, incommoda, morbis obnoxia, lautior antehac mensa, quies affecto corpori necessaria, dignitatis amplitudo, disciplinæ religiosæ difficultas. Plura talia ad sanctiorem vitam properanti præpedimentum objiciebant. At ille in hoc cogitationum æstu sæpius ad Deum versus precabatur: Dirige me, Domine JESV, dirige me. Non frustra fuit hæc precatio. Repentè animo illud psaltæ objectum: Ps. 17. v. 33. & 34. *Deus, qui præcinxit me virtute, & posuit immaculatam viam meam, qui perfecit pedes meos tanquam cervorum, & super excelsa statuens me.* Hîc pavidæ cogitationes evanuerunt omnes. Ergo se totum divino arbitrio permisit, & demum ausus, quod cœperat, reliquum omnem spiritum impendit Deo, in Societatem JESV adscriptus. Ipse dein fassus est, in eo se triclinio sæpius prandisse, & lautiùs ut hospitem exceptum, pleraque tamen fercula & insulsa sibi & sordida fuisse visa, nunc verò strictissimam ferculorum legem & diætam palato insigniter respondere; & verò etiam interrogavit, num sibi singulare quid pararetur? Non solùm fames, sed omne verbum, 2. Cor. c. 3. vers. 5. quod procedit de ore Dei, condit epulas. *Omnis sufficientia nostra ex Deo est*; in eo res vertitur. Deus nos dirigat, & vicimus. Nec refert, per quos anfractus & ambages nos ducat Deus, modò ducat, modò dirigat. Falco cùm ad ardeam oppugnandam emittitur, si quidem probè sit eruditus, non viâ rectâ sursum evolat, sed velut fugiens lævorsum, aut dextrorsum ascendit, ut supernè ruens configat hostem. Haud aliter in vitâ nostrâ sunt plurima, quæ planè anfractuosa videantur, aut noxia: quòd si Deus nos ducat, Deus dirigat, & valde recta, & admodum utilia suo tempore patebunt.

Primam præceptionem de Dei præsentiâ locis omnibus venerandâ; Alteram de Deo omni tempore benedicendo. Tertia rectè sequitur: *Cave ne aliquando peccato consentias.* Letali peccato vel unico consentire, non est aliud, quàm ictum Deo letalem intentare, promissi cæli syngraphum lacerare, & in flammas excutere. Letaliter peccasti? Deum tibi hostem constituisti, beatitudinem cælestem perdidisti, ignis æterni supplicium commeruisti. Hoc verissimè habet mali quælibet letalis noxa, & letalium vel minima. Et quod miserabilius: culpæ capitalis reo plerunque non satis est semel deliquisse, sed delicta iterum iterúmque repetit, & scelus nectit sceleri. Nam sicuti furum tirones novelli laverniones, cùm semel carnificis ferulam acceperunt, vix amplius Mercurii tribu excedunt, jam patibulo initiati sunt: ita prorsus, qui semel graviori noxæ consenserunt, jam cacodæmonis jugum subierunt, jam in ejus potestatem transierunt, jam tartaro consecrati sunt; si mors vitam raperet, ad inferos recta migrarent. Hinc sanè dubitem, an ullus hominum apud inferos pœnas luat, qui uni soli m graviori culpæ se obstrinxerit. Peccatum primum celerrimos habet transitus ad alterum. Qui semel malus, sæpius malus, verosimillimâ conjecturâ. Rex David adulterium & homicidium facillimo nexu copulavit, levi motu à flagitio in flagitium egressus. Impius Saul semel ausus Deo non parere, ausus invidere Davidi, omnia denique flagitia ausus est patrare. Eunt aliqui, sed pauci, *de virtute in virtutem*, quod psaltes dixit, ita plurimi eunt de vitio in vitium. Hinc maximi refert, quod Tobias monet, nec semel quidem ulli culpæ graviori consentire. Gustatâ vel semel vitiorum dulcedine difficillimum infrenem appetentiam, ne prolabatur ulteriùs, coërcere. Ergo trigeminam hanc Tobiæ præceptionem insculpamus pectori. 1. Deum in mente habeamus omnibus diebus vitæ nostræ. 2. Benedicamus Deum in omni tempore. 3. Caveamus ne aliquando peccato consentiamus. Hanc porrò viam teneamus: Ibimus de virtute in virtutem.

Tob. cap. 4. vers. 6. Peccatum omni modo cavendum. Cur?

Psal. 83. v. 8.

Triplex Tobiæ præceptio pectori insculpanda.

CAPVT X.

Tobias eleemosynarum largitor liberalissimus.

PRæceptione triplici Tobias filium formavit ad optimos mores. Quippe illum erudiit. 1. Quâ ratione se gereret adversus Deum. 2. Quem adversus hominem se præberet. 3. In seipsum quis esset. De his omnibus singillatim differere prolixæ nimium dictionis foret. Nos hîc de eo solùm loquemur, quod omnes homines spectat, & de quo supremi judicii die maxima & pene sola erit quæstio: quo nimirum animo fuerimus in pauperes & afflictos, quid eleemosynæ ac stipis sparserimus in egenos. *Eleemosyna*, inquit Tobias, *ab omni peccato & à morte liberat, & non patietur animum ire in tenebras.* Eleemosynam omnes divini libri plurimùm commendant. Ergo de eleemosynis, sed oratione adstrictè factâ breviter, summatimque disseremus.

Tob. cap. 4. vers. 11.

§. I. Filium

§. I.

FIlium Tobias erudiens, & in amorem pauperum instigans: *Noli*, ait, *avertere faciem tuam ab ullo paupere.* Varia est vultûs aversio, prout diversa est animi affectio, quod paullò explicatiùs tradendum.

Ibi l. p. 7. Triplex vultûs aversio.

1. Cùm sciens pauperis necessitatem, ne suam illi operam cogatur impêdere, ad alium amandat.

I. Vultum à paupertate avertit, qui penuriam hominis non nescit, cùm satis videat, quâ necessitate stringatur, sed ne suam illi operam aut pecuniam cogatur impendere, illum à se ad alium amandans; Ito, inquit, mi amice, ito, ille juvabit te. Ille alter æquè nummorum tenax, & operæ parcus similiter ad alium mittit, dulcia effundens verba, ut hominem tantò celeriùs à se amoveat. Tertius eodem artificio ad quartum, quartus ad quintum, hic ad plures alios ablegat. Mirè omnes munifici sunt verbis, re nullus; operam nemo, nemo crumenam commodat: omnium sagax cura est hominem egentem à quo nihil speres, quàm celerrimè à se amoliri. Hoc creberrimum, hoc imò quotidianum est. Nemo est, qui ipse sibi dicat: *Tibi derelictus est pauper*, tibi, non aliis; Imò seipsum quisque purgat frigidissimis his logis: Cùm pauper cusum hunc nemo velit juvare, cur ad me mittitur, cur ego juvem? Nunquid Deus ego sum? Num mea crumena ad omnium necessitates singultiat? Ego mihi & meæ familiæ prospicio, quid ad me alieni? Ita omnes excusant, ita opem negant omnes. Ita omnes isti quantumcunque suaves & politici sint, facies suas à paupere avertunt. In hos Joannes acriter declamans:

Pſ. 9. v. 14.

1. Joan. c. 3. verſ. 17. *Qui habuerit substantiam hujus mundi*, ait, *& viderit fratrem suum necesse habere, & clauserit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo?* Misericordia verâ non linguam facundam, sed manum actuosam poscit. *Filioli mei non diligamus verbo, neque linguâ, sed opere & veritate.* Quod &

Ibid. v. 18.

Eccli. cap. 4. verſ. 1. & ſeqq. Sirac ides præcipiens: *Fili*, ait, *eleemosynam pauperis ne defraudes & oculos tuos ne transvertas à paupere. Animam esurientem ne despexeris, & non exasperes pauperem in inopiâ suâ. Cor inopis ne afflixeris, & non protrahas datum angustianti. Rogationem contribulati ne abjicias, & non avertas faciem tuam ab egeno. Ab inope ne avertas oculos tuos.* Mirum, bis mirum, sapientissimum doctorem Ecclesiasticum idem sæpius reperitis phrasibus profari: quod hîc, certè fit.

Cur Siracides sæpius repetit à pauperũ nullo avertẽdum vultum.

Oculos tuos ne transvertas à paupere: Non avertas faciem tuam ab egeno. Ab inope ne avertas oculos tuos. Nimirum hæc stupori nostro dicta sunt, cui centies, cui millies hæc ingerenda, dum ea satis capiat. Siracides ergo persuasurus à pauperum nullo avertendum vultum: priusquam, inquit, panem, vestes, pecuniam des, da aliquid oculorum, & humani affatûs, da priùs particulam cordis, quàm æris; & ne ludificatione vapâ circum amicos mittas, qui nec teruncium quidem, aut assem porrigent, Tu da, tu juva, quidquid alii faciant.

2. Cùm pauperes graviore verbo appellat, & asperè tractat.

II. Facies avertit à pauperibus, qui eos graviore verbo appellat, & asperè tractat. Hic ferè morbus divitum est; egenos inhumaniter, impolitè, severiter, acerbè, inclementer accipere. Quòd si quis meliore pallio, undante bombycinâ veste sese inferat, mox saccarum oris promunt, & byssina verba jaciunt: adeò docilem habent linguam, quæ mel & acetum fundat, prout collibuerit, mel divitibus, acetum pauperibus, quos sæpe nec responso dignantur. Hoc prorsus est à pauperis facie avertere. Ad mores longè mitiores nos formans

Eccli. cap. 4. v. 2. & 3. Siracides: *Animam*, inquit, *esurientem ne despexeris: non exasperes pauperem in inopiâ suâ; cor inopis ne afflixeris; non protrahas datum angustianti.* Noli obsecro tam esse cunctabundus, cùm pauperibus dandum est. Da quàm primùm potes; multum dederis, si citò dederis; tolle moras tam exosas, & exporrige cunctatricem manum, & ne rimeris pauperum promerita: largire stipem pauperi, quia pauper est. Quid anxiè scrutaris, quàm eâ sit dignus: Joannes Chrysostomus pro suggestu sæpe totis concionibus docuit: Pauperes non esse scrutandos; cur

In dandis eleemosynis non est cunctandum.

A pauperi des, caussarum satis esse scias paupertatem. *Deus*, inquit Augustinus, *non cui detur sed quo animo detur attendit. Qui Christum diligit in Christiano, hoc animo ei porrigit eleemosynam, quo accedit ad Christum. Occurrit tibi homo peccator; duo nomina dixi. Hæc duo nomina non sunt superflua. Duo nomina, aliud quòd homo, aliud quòd peccator. Quòd homo, opus est Dei, quòd peccator, opus hominis est. Da operi Dei, noli operi hominis.*

Auguſt. in l. 21. de Civit. cap. 27. Idem in Pſ. 102. m. hiſp. 476.

§. II.

3. Cùm debitores egenos, ad expedienda nomina compellit.

III. FAcies avertit à pauperibus, qui debitores egenos, aut subditos depauperatos rigidâ vi ad expedienda nomina compellit. Severus instat exactor; heus solve ad diem, solve. Non possum; Fac possis, solve. Expediam nomen, sed hoc mense non possum. Hoc mense debes. Ultra omnes vires meas est, æs alienum tam citò luere. Nisi mox luis, cogam. Ah grando vastavit agros, jugulavit segetes, arva non responderunt, B prædator miles, aut subitum fulmen combussit horreum, statum frumenti pensum reddere non possum. Nihilominus premit creditor: heus rustice frumentum repræsenta, aut cippo includêris. Non possum, etsi velim repræsentare. Ergo tibi compedes impingam, corpus in nervum dabis. Mitiùs, mi here, mitiùs. Redde, quod debes, aut proximus est lictor, qui in robur terapiat. Ita vultus & unà omnis humanitas avertitur à paupere. Quod testatus Isaias: *Ecce*, inquit, *in die Jejunii vestri invenitur voluntas vestra, & omnes debitores vestros repetitis.* C *Ecce ad lites & contentiones jejunatis, & percutitis pugno impiè.* In priscâ lege Deus hanc vim vehementer averſatus præcepit suis: *Cùm repetes à proximo tuo rem aliquam, quam debet tibi, non ingredieris domum ejus, ut pignus auferas: sed stabis foris & ille tibi proferet, quod habuerit. Sin autem pauper est, non pernoctabit apud te pignus.* Quod solitus interpres ita explicat. Qui repetit non habentem, Deo facit violentiam. Nam sæpe vestis stragula, & lectuli operimentum & curtissima supellex pauperibus violenter adimitur, ut ad expediendam solutionem adigantur. *Viscera impiorum crudelia*, planè ferrea. Sed his talibus non parcet Deus, cujus & specimen dedit in Belisario Justiniani Cæsaris supremo duce, qui tot reges vicit, tot egit triumphos, tandem erutis oculis devolutus ad saccum publicè mendicavit. Ajunt Constantinopoli eam columnam etiámnum stare, ad quam solitus sedere, ac clamare: Date obolum pauperi Belisario. Hujus ego facinora non proclamabo, sed verosimillimum est, quod militiæ fieri amat, à Belisario pauperes spoliatos, fortunis omnibus exutos, eorum domus combustas; aut certè has tales injurias illis allatas, ab ipso dissimulatas. Tandem suorum vindex consurgit Deus, par pari reddit: Quâ enim *mensurâ mensi fuerimus, remetietur nobis.* D

Pſal. 36. verſ. 25. *Pſal. 108. verſ. 10.* *Luc. cap. 6. verſ. 38.*

Turbarum bellicarum in Germaniâ causâ fuit pauperum incredibilis oppressio.

Turbarum bellicarum, quibus Germania ab Anno 1618. ad Annum 1636. miserrimè deformata caussas complures est assignare. Inter primarias hæc censenda, pauperum incredibilis oppressio; quanti, ah, quanti sine numero reculis suis exuti ad saccum, ad extremam mendicitatem, ad diram famem, mortémque adacti sunt! Grave est pupillam Dei tangere, ne dicam, violare, aut lædere: qui pauperes lædit, Dei pupillam fodit. Deus quidem patientissimus, summè longanimis, immensæ misericordiæ est, has tamen injurias sibi in suis irrogatas, vix unquam diu dissimulat. Viderint illi, qui aut has Germaniæ turbas concitarunt, aut mederi concitatis cùm possent, ambitione aut socordiâ, aut avaritiâ ducti noluerunt. Usque & usque & usque Tobias cohortatus: *Noli avertere faciem tuam ab ullo paupere.* Si desit pecunia, non desit mitis affectus, humanitas vultûs, non desint benigna verba.

Tob. cap. 4. verſ. 7.

Jacto fundamento præceptionem de dandâ stipe subjungit Tobias: *Quomodo potueris, esto misericors.* Da pro viribus, da pro facultatibus tuis, da quantum potes da-

Idem v. 8. & 9.

re. *Si multum tibi fuerit, abundanter tribue: si exiguum tibi fuerit, etiam exiguum libenter impertiri stude.* Simul etiam ostendit, quos fructus pariat eleemosyna, & cur ea sit danda. Inter fructus eleemosynæ hos numerat.

Fructus Eleemosynæ: A te non avertetur facies Domini.

I. *Ita fiet, ut nec à te avertatur facies Domini.* Eleemosyna seu misericordiæ studium, præ virtutibus ceteris hoc habet singularissimum, Deo mirificè placet, eique magis in amoribus est, quàm aliæ actiones plurimæ honestissimæ. Neque enim ulla res est, Nazianzeno teste, quæ Dei benevolentiam perinde conciliet ac misericordia, sacrificium Deo gratissimum. *Talibus enim hostiis promeretur Deus.* Talis reverà in nos Deus est, quales nos sumus in pauperes. Avertimus nos? Et ipse se avertit. Damus, sed parcè? Et ipse suam substringit liberalitatem. Damus, sed largiter? Et ipse in nos largissimus est. Da igitur, fili mi, da liberalissimè; pro posse da, & non avertetur à te facies Domini; Deum semper benevolum habebis.

Heb. c. 13. vers. 16.

1. Præmiũ bonũ tibi thesaurizas in die necessitatis.

Tob. cap. 4. vers. 10.

II. *Præmium bonum tibi thesaurizas in die necessitatis.* Hebræa phrasis depositum bonum appellat: nam quidquid in pauperem erogatur, apud Deum deponitur, ubi totum fideliſſimè custodiatur, cum inæstimabili lucro, nec obolo inde decessuro. *Tibi thesaurizas,* ait Tobias: qui enim dant eleemosynas, verè sibi thesaurizant; qui pecunias congerunt, thesaurum quidem colligunt, magis tamen aliis, quàm sibi. Nam condus quærit promum, & quod ille comparsit, id alter universum abripiet. At verò qui eleemosynas dat, sibi ipse thesaurizat. Chrysostomus rem putat absurdissimam, eleemosynam parcam. *Nam eleemosyna,* inquit, *non est eleemosyna, quæ non est larga.* Addit: *Sunt misericordes, sed modica tribuentes per totum annum.* Et quale hoc prandium est censendum, quo ovum unicum apponitur, quod dum lixaretur, dimidium effluxit, avenacei panis particula, gustatorium pocillum acescente zytho plenum? Qualis hæc cena est, quam uno alteróve bolo totam glutias; qualis hæc eleemosyna, quæ tam parca, tam sordida? Qui plus stipis spargit, thesaurum ampliorem colligit. Vir magnus & eruditus affirmavit, alchimiæ artificiis id efficere se posse, ut in ipso hypocausto suo intra unius anni spatium, quinque millia florenorum sibi velut sub manibus nascantur. At ego, ajebat, non hoc ago, sed lapidem philosophicum quæro. Promissum magnum, & ponamus verum, sed quid hoc ad eleemosynæ lucrum? Panis quadrâ, veste obsoletâ, pecuniâ vilissimâ, si vis, regnum lucrari potes: das parvulam stipem, & recipies auri millionem, frange panem esurienti, & emisti cælum. Neque petenti solùm dandam eleemosynam, sed etiam præoccupandum esse non petentem docens Augustinus? *Noli dicere,* inquit, *si petierit, dabo. Expectas, ergo, ut petat. Sic pascis bovem Dei, quomodo transeuntem mendicum? illi petenti das, quia scriptum est; Omni petenti te da. De isto quid scriptum est?* Beatus qui intelligit super egenum & pauperem: *Quære cui des, beatus enim qui intelligit super egenum & pauperem, qui præoccupat vocem petituri. Si sic inter vos indigent milites Christi, ut etiam petant, videte ne vos judicent, antequam petant. Quomodo, inquis, quæro? Esto curiosus, esto providus. Prospice, attende, unde quis vivat, unde se transigat, unde habeat: non reprehendetur ista curiositas tua, terra eris producens fœnum jumentis & herbam servituti hominum. Curiosus esto, & intellige super egenum & pauperem. Alius ad te venit, ut petat: alium tu præveni ne petat. Sicut enim de illo, qui te quærit, dictum est: Omni petenti te da: sic de illo, quem juberis quærere dictum est: Sudet eleemosyna in manu tua, donec invenias justum, cui eam tradas. Perfecta est ergo misericordia, ut ante occurratur esurientibus, quàm roget mendicus. Non est enim perfecta misericordia quæ precibus extorquetur. Sed si tacet mendicus, loquitur pallor in facie. Festina pietate succurrere, ne audias rogantem: ne quod debetur Domino, vendices tibi.*

Chrys. to. 4. hom. 32. in 9. ad Hebr.

Pauper in dandâ eleemosynâ præoccupandus est.

Aug. to. 8. in psal. 103. num. p. 491. idem asserit in psal. 146. pag. 698. Idem to. 10. homil. 39. pag. 290. Ps. 40. v. 2.

§. III.

3. Eleemosyna ab omni peccato, & à morte liberat, &c.

Tob. cap. 4. vers. 11. Vide Aug. to 5. l. 21. de Civit. c. 27. mihi p. 290. Ioan. cap. 8. v. 21. & 24. S. Leo serm. 2. & 5. de collectis.

III. *Eleemosyna ab omni peccato, & à morte liberat, & non patietur animam ire in tenebras.* Ab omni peccato liberat: disponit hamque ad pœnitentiam, quæ gravissima quæque peccata eluit. Si quis verò stipem erogaret, nihilominus in immensum aggregaret noxas, nec seriam cogitaret pœnitentiam, incassum pæne laboraret. Sed eleemosyna saniorem injicit mentem, & maturiùs ad resipiscentiam impellit. Neque à peccato solùm, sed & à morte liberat. Illi demum verè moriuntur, qui in peccatis moriuntur. Quod Christus Judæis vaticinatur: *Vos,* inquit, *in peccato vestro moriemini.* Hanc mortem pessimam arcent eleemosynæ. Nam, beato Leone teste, *eleemosynæ peccata delent, mortem perimunt, & pœnam perpetui ignis extinguunt.* Quæ Chrysostomus illustrissimo dicto confirmans: *Eleemosyna,* inquit, *remedium est ad omne vulnus utile.* Nabuchodonosor ex erat scelera-

Dan. cap. 4. vers. 24.

tissimus, ulceribus & vulneribus letiferis plenus; Daniel nihilominus velut chirurgus peritissimus ipem sanitatis afferens, & jacentem erigens: Rex, inquit, animos revoca, reperiemus malagmata, his vulneribus tuis omnibus curandis. *Peccata tua eleemosynis redime, & iniquitates tuas misericordiis pauperum.* Hoc empiastrum usûs accommodandum animo: da eleemosynas, & restituetur sanitas. Nam *eleemosyna ab omni peccato, & à morte liberat.*

Tob. cap. 4. vers. 12.

4. Fiducia magna erit coràm summo Deo, eleemosyna omnibus facientibus eam.

IV. *Fiducia magna erit coram summo Deo, eleemosyna omnibus facientibus eam.* Hebræo idiomate: Munus amplum & bonum reddetur coram Sancto. Misericordiæ singulare, inæstimabile præmium, tam in hac mortali, quàm in meliore, immortali vitâ persolvendum. Fatali orbis die, qui de nostris annis omnibus sententiam dicet, de Misericordiæ actionibus maxima instituetur quæstio. Si confectis studiis Medicus aut Jurisconsultus examen subiturus sciret, quid examinatores quæsturi essent, rem sibi optatissimam duceret, & ad ipsas quæstiones se solertissimè pararet. Ecce, ô Christiani, examinator & judex supremus præmonet sincerissimè, quid supremo die singillatim sit interrogaturus. Interrogationes hæ erunt: In quos inclementes, duri, immisericordes, in quos humani, misericordes, benefici fuerimus; cui pecuniam aut panem, aut vestem dederimus; quem morbo aut carcere detentum inviserimus, cui hospitium aut sepulturam concesserimus. Quid ad quæstiones istas respondebimus? Jam præmonemur millies; iterúmque millies, hæc ipsa eo die interroganda; quin paramus nos summis studiis, quid ad quæstiones istas, quàm opportunissimè respondeamus? Cur autem Orbis Judex supremi judicii die, solius eleemosynæ facturus sit mentionem disertissimè Augustinus id explicans: *Dominus noster IESVS Christus,* inquit, *prænuntians nobis judicium suum futurum, omnia cetera recta facta justorum, & solas eleemosynas commemorare dignatus est. Tacuit omnia mala facta iniquorum, & solam sterilitatem eleemosynæ increpandam esse judicavit, non nisi ad nos commonendos. Quare hoc? Quia omnia crimina eleemosynis redimuntur. Ideo illam laudavit fœcunditatem, istam culpavit & damnavit ariditatem. Sed audistis omnia malefacta eleemosynis redimi: nolite sic intelligere, ut intelligunt quidam perversè. Eleemosyna enim possunt tibi prodesse ad delenda peccata præterita, si mores mutaveris. Si autem in eisdem malis perseveraveris, eleemosynis tuis non corrumpes judicium Dei.* Fiducia magna erit coram summo Deo eleemosyna omnibus facientibus eam.

Cur orbis Judex supremi judicii die solius eleemosynæ facturus est mentionem?

Hanc certè fiduciam expertus Tobias nobilissimos eleemosynæ fructus collegit. 1. Oculorum usum per Angeli cataplasma felleum recepit: si centum milha ducatorum huic beneficio rependere potuisset, beneficium non æquasset. 2. Pecuniam omnem, talenta decem à Raguele fide optimâ recepit. 3. Filium honestissimo matrimonio collocavit. 4. A rege Salmanasar gratiam,

Hos fructus eleemosynæ expertus est Tobias etiam vivens.

gratiam, honores, opes obtinuit. 5. Senectutem lætam, vegetam, vitam diuturnam habuit, annos duos supra centenos vixit. An non omnis eleemosyna illius abundantissimè repensa, in hac etiam mortali vitâ? Salomonis oraculum est: *Qui dat pauperi, non indigebit; qui despicit deprecantem, sustinebit penuriam.* Eam ob caussam utilissimè suadet Ambrosius: *Necessitates aliorum quantùm possumus juvemus, & plus interdum quàm possumus.* Nusquam magis noxia est parsimonia, quàm in dandâ eleemosynâ, cujus, quivis obolus centuplici gaudet lucro. Nemo hîc magis perdit, quam qui nihil vult perdere.

Prov. c. 28 vers. 27.

Ambr. to. 1. lib. 2. offic. c. 28. initio, mihi p. 62.

CAPVT XI.

Tobias luxuriæ hostis acerrimus.

MOnuerat Tobias filium, respiceret cum turâ Deum, respiceret homines, respiceret seipsum. Primum illud assiduam divinæ præsentiæ venerationem, continuam Dei laudationem, jugem à peccatis omnibus aversionem complectitur. Hæc dicendo libavimus. Subjunximus præceptionem de juvandis pauperibus. Ea, quæ ad parentes honorandos, amicos & consiliarios audiendos, mercenarios tractandos, mortuos curandos spectant, alibi explicanda jam seponimus. Tertium illud est: Respice teipsum: quo documento superbiam potissimùm, & luxuriam monet cavendam. Nos hîc explicabimus, quare Tobias libidinis osor maximus tam accuratè ac sollicitè filium instruxerit, omnem vel luxuriæ umbram vitare.

§. I.

Tob. cap. 4. vers. 13.

TObiæ præceptio est: *Attende tibi, fili mi, ab omni fornicatione.* Cùm Prophetę, cùm Christus, cùm Apostoli suum illud inclamant: *Attendite:* animus certè adhibendus, & agendum seriò. Vociferatur David: *Attendite populę meus.* Vociferatur Hieremias: *Attendite & videte.* Christus toties vociferatur: *Attendite à falsis prophetis, attendite à fermento Pharisæorum*; Attendite ne graventur corda vestra crapulâ. Paulus valedicēs hoc ipsum Ephesinis majoribus altè impressit: *Attendite vobis, & universo gregi.* Ita Tobias: *Attende tibi, fili mi.* Cùm sermo est de libidinis vitio, inclamandum ubique omnibus altissimâ voce: Attendite vobis, attendite. Cur autem Tobias filium tam anxiè monuerit, libidinem caveret, plures sunt caussæ considerandæ dignissimæ.

Ps. 77. v. 1. Thren. c. 1. vers. 12. Matth. c. 7. vers. 15. Luc. cap. 12. vers. 1. Actor. c. 20. vers. 28.

Cur Tobias filium monuerit libidinem cavere.

1. Quia vitium libidinis est vulgatissimum.

I. Vitium libidinis vulgatissimum, quod vix ulli hominum ordini aut ætati parcit. Omnia libidinum referta. *Mundus totus in maligno positus est.* Orbi universo labem fœdissimam infert luxuria. Quod Oseas jam olim deplorans: *Furtum,* inquit, *& adulterium inundaverunt, & sanguis sanguinem tetigit.* Omnia his nequitiis plenissima: quod satis constat: & quantum ejusmodi nequitiarum supremus dies in aperto ponet, de quo jam nihil constat, quod parietes & tenebræ velant. Vir eruditus dicere solebat: Si centum juvenes ad inferos mittantur, nonaginta novem ob hoc unicum flagitium in flammas præcipitantur. Verosimilis planè conjectura. Idcirco Paulus apertissimè prædicens: *Hoc enim,* inquit, *scitote intelligentes, quod omnis fornicator, aut immundus non habet hæreditatem in regno Christi & Dei.* Ille Domini ocellus Joannes beatorum civitatem digito monstrans promulgat: *Foris canes & impudici.* Exeste Veneris mancipia, exeste libidinum prostibula, homines impuri, turpes, obscœni cogitatibus, verbis, actionibus: exeste canum & hœdorum lascivi greges, in flammeum Orci stabulum vestra vos rapit lascivia. Attendite vobis, ô Christiani, attendite ab omni fornicatione.

1. Ioan. c. 5. vers. 19. Oseæ cap. 4. vers. 2. Ephes. c. 22. vers. 5. Apoc. c. 22. vers. 15.

2. Vitium libidinis est pertinacissimum.

II. Vitium libidinis pertinacissimum, & pæne insanabile. Vix enim vitiorum ullum est, quod adeò pervicaciter & obstinatè divino spiritui resistat. Quod Sirachides clarè testatus: *Verbum sapiens audivit luxuriosus, in-*
Eccli. c. 23. vers. 28.
quit, & displicebit illi, & projiciet illud post tergum suum.
Idem & Oseas deplorans: *Non dabunt,* inquit, *cogitationes suas, ut revertantur ad Deum suum, quia spiritus fornicationum in medio eorum, & Deum non cognoverunt.* Qui cor suum hac libidinū piceatâ fœditate inquinat, nec citò, nec facilè, nisi sibi vim faciat, nitori pristino illud restituet: picem tetigit, jam hæret captivus & maculatus. Et quod longè miserrimum, nonnunquam in extremo pæne spiritu hoc lasciviæ malo infestantur, qui principiis noluerunt obsistere. Novimus viros magnos, qui sub vitæ finem à nemine persuaderi poterant, ut pellices domo ejicerent; non dederunt cogitationes suas, ut reverterentur ad Deum suum. Ante annos aliquammultos vir primi nominis familiæ illustrissimæ morbo letali conflictabatur, filii jam grandes natu unà & viri religiosi complures, is maximè, qui à confessionibus erat, rogabant simul omnes, juberet feminam famæ sequioris domo excedere. Verùm nec precibus, nec rationibus ullis moveri se passus, neque tunc quidem cùm extremis labris hæreret anima, amores impuros desiit, maluitque animam potiùs relinquere, quàm deserere luxuriam. Veriſſimum: *Non dabunt cogitationes suas, ut revertantur ad Deum suum.* Libido vitium pæne immedicabile. Cæcitas mentis, filia libidinis. Quod apertissimè dixit Oseas: *Fornicatio, & vinum, & ebrietas auferunt cor.* Attendite vobis, attendite ab omni fornicatione.

Oseæ v. 4. Ibid. v. 11.

3. Luxuria & fornicatio vitiorum compendium.

III. Luxuria & fornicatio vitiorum compendium. Quid oro virtutis habuit Herodes Antipas, qui Joannem occidit, & Christum ut fatuum irrisit? Postquam enim ausus est sui fratris conjugem Herodiadem inauspicatis nuptiis sibi jungere, omnia denique ausus est. Cetera non deterrimus regum fuit: nam conciones audiit, aulicum concionatorem suum eremi cultorem non contempsit, nec dicta illius animo excluſit. *Herodes enim,* beato Marco teste, *metuebat Ioannem, sciens eum virum justum & sanctum, & custodiebat eum, & audito eo multa faciebat, & libenter eum audiebat.* Nihilominus Joannes tot divinis concionibus adulterium impedire nequiit, & insuper veritati caput impendit. Salomoni non tantùm regum omnium sapientissimo, sed etiam in divinis eruditissimo, veri Numinis cultori maximo, idololatriam, flagitiorum omnium Lernam, nil efficacius persuadere potuit, quàm luxuria palliata; thesauros ei maximos, complures vitæ annos, summam sapientiam unica ei subtraxit incontinentia. Potuit de se fateri Salomon:

Marci c. 6. vers. 20.

Illa fuit mentis prima ruina meæ.

Videte illos Saræ septem viros infelicissimos, alius super alium à cacodæmone jugulatus est. Profectò testis è cælo Angelus non eos stuprorum, aut immanium turpitudinum, aut adulteriorum insimulat, hoc unum ceteris sui cautelam asserit: *Qui conjugium ita suscipiunt, ut Deum à se, & suâ mente excludant, & suæ libidini ita vacent sicut equus & mulus, quibus non est intellectus, habet potestatem dæmonium super eos.* Quanti alii gravissimis sceleribus irretiti, non tamen cacodæmoni objiciuntur necandi, quemadmodum hi viri septem, quos Asmodæus interemit. Revera tam impuros homines aversatus Deus jam olim dixit: *Non permanebit spiritus meus in homine in æternum, quia caro est.* Spiritus divinus ab eâ mente procul exulat, quam libidinis malum occupat. Idcirco Jobus cùm dixisset: *Pepigi fœdus cum oculis meis, ut ne cogitarem* [illud] *quidem de virgine*; continuò subjunxit; *Quam enim partem haberet in me Deus desuper, & hæreditatem omnipotens de excelsis?* Idcirco & Tobias non immeritò: *Attende tibi,* ait, *fili mi, ab omni fornicatione.* Cur autem filio tam sanctè educato fugam adulterii tam severè ingerit? *Præter uxorem tuam nunquam patiaris crimen scire.* Quid his monitis opus? Adulterii summam turpitudinem, nequitiam nefandam brevibus perstringam.

Tob. cap. 4. vers. 13. Gen. cap. 6. vers. 3. Iob cap. 31. v. 1. & 2. Tob. cap. 4. vers. 13.

§. II. Cle-

§. II.

CLemens Romanus verè dixit: *Venenum adulterii cunctis malis perniciosius.* Eò plerunque quatuor homines gravissimè læduntur, adulter & adultera, & atque utriusque conjuges. Hæc certè fœdissima est, & prorsus iniquissima matrimoniorum violatio. Et certè si mœchus aut mœcha expenderent cohæsionem illam & catenam tot malorum, quæ patratum adulterium comitari solent, facilè illud caverent, dicerentque ingenuè: *Tanti pœnitere non emo.* Plurima, gravissimáque damna & mala ex hoc uno malo consequuntur. Quod Jobus probè perspiciens: *Hoc enim nefas est*, inquit, *& iniquitas maxima. Ignis est usque ad perditionem devorans, & omnia eradicans genimina.* Frondes & fructus, ipsámque arborem, stirpem & radicem aufert. Quod & Hieronymus affirmans: *Omnia*, inquit, *virtutum bona, & universa sanctarum rerum incrementa in homine consumit luxuria.* Eam ob rem Jobi ævo adulteri combusti, aliàs lapidibus obruti. Nostro hoc ævo adulteria aut impunè comittuntur, aut mollissimè puniuntur, & pœnam plerunque sola sentit crumena. Plinius mentionem injiciens adulterii vel in rege puniti: *Canem locutum*, inquit, *serpentem latrasse in prodigiis accepimus; cùm regno pulsus est Tarquinius.* Reverà nunc opus foret loquerentur canes, latrarent serpentes, tot enim adulteria committuntur, tam rara plectuntur, ut pæne verendum, ne belluæ nos accusent libidinis audacissimè patratæ, rarò aut timidissimè castigatæ. Adulter jure gentium omnium morte mulctatur. *Adulterium* Chrysostomo *crimen est inexcusabile. Luxuriosus ebrio aut energumeno similis.* Subinde pauperculus furatur, quia rerum omnium inopiâ premitur; fames illum audacem facit. Adulterii scelus prætexi non potest tam honesto nomine; nefas est, iniquitas maxima est, famæ ac fortunarum eversio, certa mors est animæ. Quod Salomon confirmans: *Qui autem adulter est*, inquit, *propter cordis inopiam perdet animam suam: turpitudinem & ignominiam congregat sibi, & opprobrium illius non delebitur.* Atque hæc fuit caussa Tobiæ filium tam sollicitè monendi: *Præter uxorem tuam nunquam patiaris crimen scire.* Præsertim cùm Ninive habitarent, ubi Bacchus & Venus plurimùm colerentur. Ne igitur filius tam pravis, támque quotidianis exemplis sensim corrumperetur, præcepta sanctiora in antecessum fuerant instillanda.

§. III.

QVòd si libido tam severè prohibita Judæis, si ea verecundiæ ac conjugiorum fuit ratio in lege priscâ, ne miremur in novâ Pudicitiam & continentiam toties inculcari à Paulo, qui divino jussu severissimè præcipiens: *Fugite*, inquit, *fugite fornicationem. Fornicatores enim & adulteros judicabit Deus. Nolite errare, neque fornicarii, neque idolis servientes, neque adulteri, neque molles* &c. *regnum Dei possidebunt. Fugite fornicationem. Omne enim peccatum, quodcunque fecerit homo, extra corpus est; qui autem fornicatur, in corpus suum peccat. An nescitis, quoniam membra vestra templum sunt Spiritûs sancti, qui in vobis habitat, quem habetis à Deo, & non estis vestri?* Atque ut discerent Christiani prudenter declinare quidquid olet carnem, Paulus libidinis spurcam varietatem discriminans: *Manifesta sunt*, inquit, *opera carnis, quæ sunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, idolorum servitus* &c. *ebrietates, comessationes, & his similia, quæ prædico vobis, sicut prædixi, quoniam, qui talia agunt, regnum Dei non consequentur.* Tam strictam verò vult esse Christianorum pudicitiam, ut hæc talia non tantùm neutiquam patranda, sed nec quidem nominanda dicat: *Fornicatio & omnis immunditia, aut avaritia, nec nominetur in vobis, sicut decet sanctos, aut turpitudo, aut stultiloquium, aut scurrilitas.* Denique in verba conferens paucissima omnes continentiæ leges: *Caro & sanguis*, inquit, *regnum Dei possidere non possunt.*

A Medicinæ princeps Galenus de simplicibus medicamentis disserens: Oleum, inquit, cutem mollit, sed interiora mordet; ita prorsus libido ad carnis petulantias bellè facit, at conscientiam lædit, animam interimit. Quod Hebræus Sapiens de generoso ac nobili vino dixit; idem omnino de libidine affirmandum: *Ne intueatis vinum, quando flavescit, cùm splenduerit in vitro color ejus: ingreditur blandè, sed in novissimo mordebit, ut coluber, & sicut regulus venena diffundet. Oculi tui videbunt extranea, & cor tuum loquetur perversa, & eris sicut dormiens in medio mari, & quasi sopitus gubernator amisso clavo:* ita fornicatio, adulterium, & omnis libido blandè ingreditur, sed demum ut coluber & regulus letale ac erodens toxicum dispergit, periculis objicit, diversis vitiis exponit, maximis malis obruit, ita incautos perimit. Atque hîc est ab ingressu blando miserabilis & infelix exitus. Attendite vobis, attendite ab omni fornicatione. *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* *prov. c. 23. v. 31. & seq.* *Matth. c. 5. v. 8.*

B

CAPVT XII.

Tobias inter lacrymas jubetur esse lætus.

TObias filius cùm præceptiones aureas à parente accepisset, & unà intellexisset pecuniam apud Gabelum depositam, dixit parenti: *Omnia quæcunque præcepisti mihi, faciam Pater: quomodo autem pecuniam hanc requiram, ignoro.* Nam neque Gabelum, neque viam ad Gabelum novi. Cui pater: Gabeli syngrapha, inquit, penes me est, quam cùm exhibueris pecuniam sine cunctatione reddet. Tu hoc age, fili, inquire comitem fidelem, qui te mercede ducat ignotas vias. Non distulit filius jussa parentis exequi, & mox invenit juvenem, nitida veste amictum, & ad iter jam paratum, sed nesciebat esse Angelum. Hunc salutans: Unde, inquit, mi bone juvenis, quâ gente, quâ domo es? Cui personatus Angelus respondit: Ex Israëlis pop[illegible]. Tobias iterum: Quæso te, inquit, num viam nosti, quæ in Medos ducit? Ad quæ Angelus promptissimè: Hæc itinera, inquit, itione crebrâ mihi exactissimè nota & in ipsâ metropoli Medorum Rages apud Gabelum tribulem nostrum hospitatus sum. Obsecro te, inquit Tobias, pauxillum moræ tolera, dum hæc parenti meo nuntiem. Nuntiata omnia. Continuò senex pater accersiri eum ad se rogavit. Nec cunctatus cælestis juvenis seni sistens: *Gaudium*, inquit, *tibi sit semper.* Vocem cum gemitu excipiens Tobias cœcus: *Quale*, inquit, *gaudium mihi erit, qui in tenebris sedeo, & lumen cæli non video?* Illico solatium instillans Angelus: *Forti animo esto*, ait, *in proximo est, ut à Deo cureris.* Hîc senex quærere, quod juveni nomen, quæ patria, quæ tribus, quæ familia sit, num filium in Medos ad Gabelum velit ducere, mercedem non defuturam. Angelus promptissimè, *Ego*, inquit, *Azarias vocor, Ananiæ Magni filius. Tuum* verò *filium ducam sanum, & reducam ad te.* Ita in sponsionem hanc conventum, iter paratum, vale parentibus dictum, profectioni datum initium. Hîc è pluribus, quæ dictione prosequenda forent, unum illud Angeli votum seligimus, *gaudium sit tibi semper.* Hoc loco explicandum an in rebus adversis & turbidis, an in luctu & mœrore seriò hilarescere possimus; & quâ tandem ratione hæc hilaritas excitanda. *Ibid. v. 11.* *Ibid. v. 12.* *Ibid. v. 13.* *Ibid. v. 18.*

C

D

§. I.

In serio luctu gaudere quis possit, pluribus rationibus probatur: Prima.

NOn absurdè quæritur, num in serio luctu gaudere quis possit? Posse ajo, & quandoque etiam debere. Pluribus id rationibus docebo.

I. Apostoli hanc animi lætitiam non imperassent, in rebus etiam adversis exhibendam, si ea non possit exhiberi. Atqui præcipiens Paulus: *Gaudete*, inquit, *in Domino semper, iterum dico gaudete.* Quibus, obsecro, & quandónam *Philip. c. 4. v. 4.*

quandònam hæc dixit: Eo potissimùm tempore, quo Christiani, ad quos scripsit, fortunis pæne omnibus provoluti ad quæstiones, & tormenta, ad lanienam & supplicia rapiebantur. Hos ipsos hoc ipso tempore jubet *Gaudere semper*. Scivit utique Paulus, & verò etiam expertus est ipse, quantis tunc injuriis, & ærumnis vexarentur Christiani, nihilominus jubet illos *Gaudere semper*. Eodem animo Iacobus jugem in adversis lætitiam persuasurus: *Omne gaudium, inquit, existimate fratres mei, cùm in tentationes varias incideritis*. Severius hoc priori est imperium. Nec enim eos tantùm in adversis, sed ob adversa vult gaudere. Hoc ipsum & Petrus præcipiens: *Communicantes, inquit, Christi passionibus gaudete*. Neque verò istud Domini Jesv discipuli epistolis solùm & pro cathedrâ, sed reipsâ, & exemplis docuerunt. Tarsensis Paulus fame, siti, frigore confectus, catenis vinctus, ter virgis cæsus, ter naufragus, semel lapidatus, periculis innumeris expositus, calamitatibus & insidiis undequaque cinctus, quotidie pæne mori coactus, nihilominus exultans gaudio: *Repletus sum, inquit, consolatione, superabundo gaudio in omni tribulatione nostra*. Et etiam, mihi credite, inter lacrymas gaudii locus. Non ergo miremur Angelum dixisse, & pauperi, & cœco Tobiæ. *Gaudium sit tibi semper*. Luculentè dixit Salomon: *Non contristabit justum, quidquid ei acciderit*.

Iacob. cap. 1. v. 2.

1. Petr. c. 4. v. 13.

2. Cor. c. 7. v. 4.

Tob. cap. 5. v. 11.

Prov. c. 12. v. 21.

Secunda.

II. Subinde viatoribus totos dies plorante cælo incedendum in pluviis, vesperi vestes madidissimæ stillant, aliis emutari non possunt; corpus friget, deest hospitium, fames urget, panis deficit, nox subsistere cogit, animus pendet, quid faciat? Si quis animosior ex isto viatorum numero dicat: Eja, bono animo, fratres, quin canimus *Te Deum laudamus*, quin nostrum ipsi balneum ridemus? Ah, dicent ceteri, quàm frigidus & Sardonius est hic risus, quàm intempestiva hilaritas! Sed, ô boni viatores, confirmate animos, & actores comicos cogitate: subinde illi lacrymas fundunt, quas fabula poscit, sed sub personâ rident, intus lætissimi sunt. E diverso, in comœdiis nonnunquam convivia celebrantur, fercula ponuntur, pocula ministrantur, sed plerunque satis sobria & sicca; lætitia, sed parum seria; intus quandoque mœrent: Quid vita nostra, nisi comœdia & fabula? Multi ridere ac hilarescere videntur: hilaritas est non solida, non seria; intus dolent & gemunt, occultis vulneribus carpuntur; alii lacrymas fundunt, quas nimirum excit comœdia & instabiles rerum vices, sed intus solatiis pascuntur, Christum non tantùm anteambulonem & ducem, sed & futurum muneratorem aspiciunt, nec unquam in luctu tam acerbo sunt, quin animo dicant: Domine Jesv, hæc quidem amara sunt, & mihi lacrymas excutiunt, sed tui amore hæc libenter atque hilariter perferam, in te gaudebo semper. Non possit ista Christianus? Videte Apostolos, qui probris affecti, minis onerati, virgis cæsi, *Ibant gaudentes à conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine* Jesv *contumeliam pati. Omni autem die non cessabant in templo, & circa domos, docentes & evangelizantes Christum* Jesvm. Supplicium virgarum utique senserunt, sed amor Christi & supplicii caussa gaudium illis pepererunt. Quod grave & acerbum corpori, suave & jucundum est animo ac spiritui.

Vita nostra comœdia & fabula est.

Act. c. 6. v. 41. & 42.

Tertia.

III. Inter mœrores & dolores gaudiis locum esse non nescierunt homines à disciplinâ Christianâ etiam alieni, quorum illud effatum erat: Sapiens vel in Phalaridis tauro dicet: Quàm hoc non curo, quàm mihi hoc suave! Nec defuerunt ex iis, qui hoc non solùm dicerent, sed & facerent. Ignem Mutius, paupertatem Fabricius, exilium Rutilius, venenum Socrates, dolium clavis armatum Regulus æquo & hilari animo tulerunt. Quod illi de hac animi generositate somniarunt, id per umbram ostenderunt: At nostri Martyres istud reipsâ exhibuerunt.

Animo læto ad mortem.

Beatus Ignatius Antiochenus Pontifex, illustrissimus Martyr animo lætissimo ad bestias, certissimámque tam pro mortem properavit. Si in carnificinam, in patibulum, in rotam, in crucem ire fuisset jussus, iviſſet paratissimus; si clibanum, si rogum, si scrobem serpentibus plenam subire jussus fuisset, lætissimus subiisset. Hinc illæ voces exultantis: Utinàm fruar bestiis, quæ mihi sunt præparatæ, quas & oro mihi veloces esse ad interitum, & allici ad comedendum me, ne, sicut & aliorum martyrum, non audeant corpus attingere. Quod si venire noluerint, ego vim faciam, ego me urgebo ut devorer. Ignis, crux, bestiæ, confractio ossium, membrorum divisio, & totius corporis contritio, & tota tormenta diaboli in me veniant, ut tantùm Christo fruar. Generosæ voces, animoso risu excipientis mortem.

Ita Marcus & Marcellianus fratres patriâ Romani, hoc uno nomine, quia Christiani, ad stipitem ligati, pedes clavis confixi, à Fabiano duce diis facere jussi: Nunquam, ajebant, tam jucundè epulari sumus, quàm hæc hilariter Domini Jesv caussâ perferimus; cujus amore jam fixi esse cœpimus. Utinam nos tamdiu relinquat in his tormentis, quamdiu erimus in vivis. Ita diem, noctémque inter supplicia Deo cantantes, telis denique confossi, astris, palmisque sunt potiti.

Marcus & Marcellianus fratres.

Agatha Catanensis virago, ad carcerem & tormenta vocat ad epulas invitata lætissimè ibat. Hac fronte, hac animi hilaritate multa millia beatorum martyrum carnificinas tripudiando adierunt. Hîc sanè non somnium, non umbra, sed res ipsa, inter cruciatus erectissimâ lætitiâ sese spectandam dedit.

Agatha Catanensis virago.

§. II.

IV. Homines pagani & artifices mechanici tunc sæpe lætissimi sunt, cùm gravissimos labores obeunt. In agros, obsecro, ad segetes prodeambulemus, & spectemus messores. Hi à summo mane in serum usque vesperem in opere continuo, corpore incurvato perseverant, urentem tot horis solem tolerant, vix unquam manibus otiosam falcem emittunt, tot manipulos succidunt & ligant, lassitudine se conficiunt, & multo sudore. Experiatur hæc delicatior quis otiosus, vel ad horæ partem, mox falcem velut lampadem trader alteri. At verò homines rusticani in opere tam multi sudoris sunt lætissimi. Ita Martyres Christi, ita tranquillæ mentis Christiani, gravia quidem & acerba ferunt, & tamen læti sunt, sicut qui lætantur in messe, dixit Isaias, & *sicut exultant victores captâ prædâ, quando dividunt spolia*. Sicut autem villici æstate apricissimo die, flagrantissimo sole laboribus sese conterunt, ita hieme in horreis stant totos dies, & messem exterunt, triturámque conficiunt, & tamen læti sunt; etsi cibus vilis & crassus, jus solis cepis oculatum, olus non unctum, nonnunquam cum Apollo ridet, & mensa lautior hydropemmata, aut coliphia frixa cibus valentissimus. Subinde, cùm lautissimè vivitur, vaccini lactis alveus mensam coronat; interim dum malè cenant, dum labores gravissimos continuant, lætari tamen non cessant messem ad flagellum, ad trituram deveniſſe: ita homo verè patiens, tametsi pluribus ærumnis exerceatur, ille tamen non sine gaudio: Hæc, inquit, mea messis, hæc tritura mea est, nulli parcendum operæ, nulli sudori. Adversùs omnia fortunæ fulmina clypeus septemplex validissimus est lætus animus; nec est, quod magis mitiget tempora tristia, quàm animi sereni lætitia; altero tanto lævior est afflictio, quæ lætum sortitur animum. Eja ergo, miserias humanas, & quidquid tolerandum venit, tranquillè ac hilariter toleremus. Uti Deus hilarem datorem, ita quoque hilarem amat crucis gestatorem. Calamitatem jam pæne vicit, quisquis eam hilàriter perferre cœpit.

Quare lætus animus clypeus septemplex adversus omnia fortunæ mina.

Militiæ dux Gedeon adversus Madianitas victoriam illustrissimam obtinuit admirando stratagemate. Trecentos non tam milites, quàm tubicines in prælium armavit

mavit hoc ritu: Cuivis militum unâ manu tubam, alterâ lagenam fictilem cum ardente abditâ face dedit præferendam. Sic armatos in tres centurias divisit, & unâ præcepit: *Quidquid me facere videritis, & hoc & vos facite*; me tubam inflante, & vos tubâ clangite, ac simul *conclamate: Domino, & Gedeoni.* Hoc paratu Madianitarum castra tribus locis aggressus bellicum cœpit canere, mox omnes classicum canentes, collisérunt lagenas, extulerunt faces, & voce unâ conclamarunt: *Gladius Domini, & Gedeonis.* Continuò tantus terror castra hostilia invasit, ut hostes luporum instar ululantes in fugam præcipitem effusi, mutuâ se cæde truncarent. Victoria prorsus nobilissima, gaudium Israëlis maximum. Sed quibus sumptibus, quanto sanguine stetit hæc victoria? trecentis solùm hydriis, totidémque facibus, quarum illæ frangendæ, istæ fuerant comburendæ. Ita vera patientia in luctu & mœrore, inter ipsas lacrymas, inter ipsos dolores solet gaudere; sola est testarum & facium jactura; ærumnis corpus atteritur, laboribus frangitur, & exhauritur, facultates minuuntur, morbi & dolores graviter sentiuntur. Quid tum? num ideo omne gaudium ex animo proscribendum? Est etiam in afflictione summâ gaudio locus. Quod è verbis Domini luculentum. Ad gaudium & exultationem excitans Christus: *Cùm, inquit, maledixerint vobis homines, & persecuti vos fuerint, & dixerint omne malum adversum vos, mentientes propter me, gaudete, & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cælis.* Calumniæ profectò & probra, contumeliæ & maledicta supra modum affligunt; nihilominus cùm his configimur, gaudere jubemur & exultare. Neque verò Christus præcipit, quod fieri non possit. Ergo gaudere in luctu & possumus & debemus. Sed quomodo?

A

B

C

D

§. III.

SI Deus & homo conjungant vires, res hæc facillima est; amicum Deus agit fidelissimum, modò hominem non habeat inimicum; Deus animum jacentem excitat, solatia instillat, spe præmii confirmat, dat siceram mœrenti, amariori pharmaco addit saccatum, uti pharmacopolæ solent. Expertus hoc David: *Secundùm multitudinem, inquit, dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ lætificaverunt animam meam.* Fit nonnunquam, ut herus nobilis obliquos oculos in famulitii mensam flectat & unâ meminerit querelas ad se delatas, cerevisiam esse acidam, ferinam putidam & verminosam, panem mucidum; de suâ igitur mensâ cantharum vini, & cuilibet quadram panis dominici mittit: illi amplas agunt gratias, lætique ac hilares refectiunculam herilem conficiunt, ac suavibus modis acceptos se credunt; tum quia Domini benevolentiam sentiunt, tum etiam quia vinum suâ indole jucundum bibunt. Videte, obsecro, hos homines ad acerbum & acescentem zythum festivè & amœniter cenare, quia vinum gustant, quod domini gratia submisit. Ita planè Deus cum servulis suis liberalissimè agit, recreat, solatur, animos auget, hilarem alacritatem dilargitur. Hinc Paulus alacerrimus in adversis & erectissimus: *Benedictus Deus, inquit, & pater Domini nostri* Jesv *Christi, pater misericordiarum, & Deus totius consolationis, qui consolatur nos in omni tribulatione nostrâ, ut possimus & ipsi consolari eos, qui in omni pressurâ sunt; per exhortationem, quâ exhortamur & ipsi à Deo: quoniam sicut abundant passiones Christi in nobis, ita & per Christum abundat consolatio nostra.* Ergo Deus mœstos adeò exhilarat, ut in afflictione magis affligi cupiant, & tantò sibi magis gratulentur, quantò magis affliguntur. Hinc audent dicere. Ampliùs, Domine, ampliùs. Hæc hilaris sanctáque alacritas ita illos in divinâ voluntate firmat, ut eorum quisque cum Paulo dicat: *Placeo mihi in infirmitatibus, in contumeliis, in necessitatibus, in persecutionibus, in angustiis pro Christo.*

Divinis hac in re auxiliis suam jungat opellam homo, & curas, metum, angores, quantum potest, animo pellat hac geminâ cogitatione. 1. Deo sic visum, sic placuit Deo, ita Deus voluit: quid obluctor ego decretis divinis? 2. Etsi ego hanc rerum jacturam fecerim, hoc damnum passus sim, licet his ærumnis jam premar, nihilominus cælum mihi patet, imò celeriùs & tutiùs hac viâ illuc penetravero. Hæc duplex cogitatio in corde etiam amarissimo mel optimum est. Deus hoc permittit, Deus istud vult: hoc beatitudinem non minuit, sed auget. Nunquid non puella chorearum amantissima, si malo casu pede claudicet, chirurgo animos addens: Ure, inquit, & seca, hæc parum curo, modò ad choreas liceat redire. Et Christianus non æquè animosus dicat Deo: Ure, mi Deus, & seca: infestet morbus, vexet paupertas, invidia exerceat, injuriæ conturbent, omnis in me calamitas conspiret, parum hæc moror, modò ad cælum liceat pervenire. Subinde infans nam acerbum clamat & plorat ut cultro confixus videatur; sed monstra ei pomum, aut aliud quidpiam charum, mox flere desinet: cùm mœrores & angores nos turbant, modò cælum & æternas delicias seriò cogitemus, mœror & angor omnis remittet. Ea subinde tempora sunt, quibus dicere possimus: Nunquam meliùs. Lamentatus Abacuc vates: *Ficus, inquit, non florebit, & non erit germen in vineis; mentietur opus olivæ, & arua non afferent cibum; abscindetur de ovili pecus, & non erit armentum in præsepibus.* Segetes jugulabit grando, arbores pruina & gelu interficiet, pecus omne mortalitas auferet, vacua mœrebunt stabula, deerunt agris semina; hæc, panem, carnes frustra expetet mensa. Pejus nunquam, sed & nunquam melius, nam addit vates: *Ego autem in Domino gaudebo & exultabo in Deo* Jesv *meo, Deus Dominus fortitudo mea, & ponet pedes meos quasi cervorum, & super excelsa mea deducet me victor in psalmis canentem.* Licet mala illa omnia in me unum irruant, ego tamen lætus & hilaris cantabo.

Apollo Abbas, Ruffino & Palladio testibus quingentos monachos curæ suæ commissos habuit; omnes mirè læti erant. Si quis aliquantulum mœstior visus, mox interrogabatur quid ægrimoniæ sentiret? Quod si ille dolorem dissimularet, aut tegeret, mox Abbas pectus manu palpans dicere solebat: Hic ulcus est, in corde latitat. Exhortationes suas omnes Apollo ita instillabat, ut identidem commendaret istud: Non oportet iis ullam prorsus inesse tristitiam, quibus est salus in Deo, & spes in cælorum regno. Æternitatis expectationem habemus, cur non omni exultatione lætemur? En hîc nostrum illud geminum: Deus hoc vult, & multa pati beatitudini non officit.

Ludovicus Granata memorat fuisse virum religiosum, qui licet rebus omnibus urgeretur, ore tamen renidente dicere solebat: Bonum, quod expecto, tam est immensum, ut omne supplicium & omne tormentum mihi vertatur in gaudium. Ad hanc animi lætitiam erigens Christus: *Gaudete, inquit, quòd nomina vestra scripta sunt in cælis.* Etiamsi nomen vestrum ex omnibus omnino libris eradatur, & affigatur patibulo, insuper vos ipsi in idem attollamini, etiamsi in ardentem rogum rapiamini, gaudete. At, ô mi Domine, bonis omnibus exuti sumus. Nihilominus gaudete. Amœnorum & patronorum optimi sunt mortui. Vos tamen gaudete. Extremè affligimur; Gaudete, ajo. Combustæ sunt ædes nostræ, mendici sumus; Gaudete; comburi non potest cælum. Ægrimoniâ cor tabescit. At ego dico vobis, gaudete, nomina vestra scripta sunt in cælis; hanc scripturam nulla manus, vis nulla, nullus ignis poterit abolere. Æternitatis expectationem habemus, cur non omni exultatione lætemur ô Christiani, gaudium vobis sit semper. Hoc verum animi gaudium futuri gaudii gustulus est & exordium.

Duplex cogitatio metum & angores pellens.

In summâ afflictione summo gaudio locus.

Matth. c. 5. v. 11. & 12.

Lætitia in adversis est facilis si Deus & homo conjungant vires suas. Psal. 93. v. 19.

Ibid. c. 12. v. 10.

Abacuc c. 3. v. 17.

Ibid. v. 18. & 19.

Ruffinus Aquil. c. 27. & Pallad. cap. 52.

Luc. cap. 10. v. 20.

CAPVT XIII.

Tobias junior, Angeli comitantis socius.

TObiæ senis filius cognominis Tobias, ubi parentibus valedixit, in viam cum comite suo se dedit. Matri non valde probabatur hoc iter, quod multis lacrymis prosecuta est. Non enim putabat filium à grandævis parentibus sic abstrahendum : jacturam pecuniæ potiùs, quàm filii faciendam censuit. Salvo filio satis opum fuisse futurum. Solatus eam maritus : *Noli flere,* ajebat, *salvus perveniet filius noster, & salvus revertetur ad nos.* Quod veluti vates pronuntiavit. His vocibus acquiescens mater lacrymas repressit.

Tob. cap. 5. v. 26.

In viâ nos omnes esse nescire non possumus, sed nescimus quo tempore, quàm commodè ad metam perventuri simus. Angelus Tobiæ socius exemplo suo suaviter ostendit, quâ ratione nos in nostro geramus itinere. Nam uti sacer historicus loquitur : Egressus Tobias invenit juvenem splendidum stantem, præcinctum, & quasi paratum ad ambulandum. Hæc tria nobis in nostro ad cælum itinere sint commendatissima. 1. Ut juvenes. 2. Ut Splendidi. 3. Ut Præcincti & ad ambulandum parati progrediamur. De hoc triplici in viam paratu jam disserendum.

Triplex in viâ ad cælum apparatus.

§. I.

1. Ut simus juvenes piis desideriis imbuti.

PRimum quod ad iter peragendum valde facit, est juventus. Qui seriò contendit ad cælum, seipsum sanctis desideriis identidem renovet necesse est. Hoc viatori rex David commendans: *Qui replet in bonis desiderium tuum,* inquit, *renovabitur ut aquilæ juventus tua.* Norat utique sapientissimus rex, hominem jam annis senem non posse recoqui, ut Jasonem, & juvenescere, sed mentis vires perditas quotidie reparandas, piâ desideria, animique decreta instauranda, & hanc esse juventutem illam, in quam homo sapiens quotidie sese induat. Sanctissimi quique homines hoc vitæ compositissimæ habuerunt compendium : Quotidie ab integro incipere. Diebus singulis sibimet ipsi dicebant : Hactenus reverà nihil fecimus, nunc ergo, nunc incipiamus; hoc die, hac horâ; jam res procedet.

Psalm. 102. v. 5.

Vide vitam illius lib. 8. cap. 21. S. Caroli Borromæi sanctimoniæ compendium.

Carolus Borromæus pater purpuratus, vir sanctissimus, hoc ad amussim fecit, hoc omnis sanctimoniæ compendium habuit. Nutritus delicatè, ad ævi & patriæ morem, modicis se rebus cœpit frangere; ita principiò faciliori pugnâ seipsum triumphavit. Ipse sibi quotidie dixit: Hoc sanè nihil est ad illud, quod peragendum restat; Carole, nihil dum fecimus; paullò majora canamus. Nunc igitur ex integro incipio. Ita hebdomade primâ vino abstinuit; alterâ carne, tertiâ pisce, ovis quarta. Hoc pede progressus eò pervenit, ut annis postremis in dies singulos nihil libaret eduliorum præter panem & aquam ad dimensum, & parcè sumpta. Festis solùm diebus aliquid calentis opsonii admisit, carne tamen, & ovis atque vino semper exclusis. Jejunio verno pane etiam abstinuit, fabis tantùm & ficubus inediam toleravit; sanctiore hebdomade solis lupinis, legumine amarissimo victitavit. Somnum non admisit in lecto jacens, sed in sellâ sedens aut culcitræ stramentitiæ indormiens. Taceo asperrimum illius cilicium & flagellum, creberrimo usu attritum utrumque. Illud insuper multò laudatissimum vir iste sanctus quotidianum habuit, nunquam otiari, sed aut precari, aut laborare. Et quomodo, inquis, ad hanc vitæ sanctimoniam pervenit? Quotidie de integro incepit.

Non igitur miremur complurium abstinentiam eò progressam, ut illi victus diurnus fuerit nux unica, & unica somni horula. Admirandâ in omnibus patientiâ quotidie donati sunt juvenescere, & animum instaurare ad sanctiora. Ita non pauci aliquot annorum spatio ingentes in virtutis studio progressus fecerunt. Nimirum fabricando fabri fimus, vigilando vigilare, jejunando jejunare, continendo nos discimus continere. Hoc plurimis obstaculo est; incipere nolunt, aut à cœptis mox resiliunt. Hoc opus, hic labor. Ex integro incipiendum quotidie. Hi certè juvenes sunt, qui assiduâ mentis innovatione juvenescunt.

Memorat Paschasius duodecim Anachoretas insenatum coisse, principem quæstionem fuisse hanc : Quodnam spiritalis vitæ fundamentum sit? Primus sententiam rogatus dixit: Me ipsum crucifixi totum: Quis à tergo mihi pendeat, non video; quid Mundus fremat, non curo, à tergo mihi est; ego autem me ipsum inspicio, vix mihi oculorum satis est ad hoc spectaculi. Alter hoc sententiæ dixit: Ex quo hoc vitæ genus amplexus sum, mihi ipse quotidie dico : Hodie renatus es, hodie primùm cæpisti servire Deo; sic esto quotidie peregrinus, crastino forsan ad terminum perventurus. Hic pedarius quidem Senator religiosissimè omnium dixit, & congruè prorsus paginis divinis. In confirmationem dictorum addo, quod Pelagius narrat : Pambo eâ ipsâ horâ quâ mortuus, dixit. Non nemini me locutum, cujus pœniteat : quidquid comedi, his manibus & operâ paravi. Nunc ad Deum vado, ut qui nec initium quidem fecerim serviendi Deo.

Paschas. cap. 44.

Pelag. lib. vit. patr. pag. 561. apud Ros. vit. patr.

Sed eodem Pelagio teste, Abbas Moses Silvanum Abbatem interrogavit : Potéstne aliquis quotidie initium facere conversationis? Cui Silvanus: Si est, inquit, operarius, potest omni die & horâ inchoare conversationem.

Idem libr. vit. patr.

Hæc optima proficiendi ratio est: In nosmetipsos descendamus quotidie, solennioribus saltem diebus. Dicat quisque sibi: Quàm exiguum hactenus, quàm nullum in virtutibus progressum feci, in eâ præsertim, in quâ maximè debuissem : quàm in me friget Christianus aliorum amor, quàm debilis est patientia, quàm mansuetudo & animi submissio nulla! Eja igitur, eja cum Davide sanctissimè statuo alium induere hominem. *Dixi, nunc cœpi.* Hac invocatione sui quotidie seipso robustior David ad Deum contendit grandi passu. Hæc illa est juventus, ad arduum iter, quod cœpimus, conficiendum necessaria. Hoc modo vegeti juvenes, optimi sunt viatores. Hoc ritu sub ipsum vitæ finem in extremis, ut Pambo fecit, juvenescendum.

Optima proficiendi ratio est in seipsum quotidie descendere.

Psal. 76. v. 11.

§. II.

2. Ut simus splendidi, intentionis rectæ & conscientiæ bonæ.

ALterum, quod in juvene cælesti admodum erat spectabile, *Stetit Splendidus*, vultu decorus, veste nitidus. Viator ad cælum, ante omnia intentionis sit rectæ, & conscientiæ bonæ. Alterum ex altero sequitur. Qui agenda optimo agit animo & fide summâ, seu, quod diximus, Intentione rectâ, non potest non esse conscientiâ bonâ. De Intentione rectâ, quæ amussis est omnium humanarum actionum ante annos aliquammultos librum dedi; quem subinde, mi Lector, relegere non pigeat, & præceptionum meminisse. Omnia sunt sita in Intentione rectâ, Christi dicto : *Si oculus tuus simplex fuerit, totum corpus tuum lucidum erit.* Si recta & sincera est intentio nostra, omnes actiones nostræ coram divinis oculis pretiosæ sunt : Sin autem prava est & malignâ Intentio, actiones nostræ nullius pretii, & ut nuces cassæ sunt. Hæc certè Intentio semel minimùm in die instauranda, matutinis præsertim horis. Illud consultissimum & magni promeriti est, actiones singulas Deo consecrare hisce talibus formulis: Domine Jesv, honori tuo, & tibi scribo, tibi lego, tibi canto; tibi comedo, bibo; tibi curro, ambulo, quiesco, dormio, tibi omnia facio. Porrò non tantùm veste nitidum, sed & vultu decorum se Tobiæ stitit juvenis cælestis. Priscorum placitis.

Luc. cap. 11. v. 34.

Augusta forma multum de cælo trahit,

Egregia

Egregia forma diu latere non potest.

Vtrumque hoc verissimum de Intentione rectâ pronuntiatum. Intentio bona forma est augustissima, quæ cuncta de cælo trahit. Bonæ mentis, seu, rectæ Intentionis homo, vultum à Deo nunquam avertit: nam illius oculi in divino vultu habitant. Atque hinc talis Intentio diu non potest tegi. Quàm erectæ Intentionis utterque Tobias fuerit, è verbis & actionibus, è stipe liberalissimâ, è melioris vitæ spe certâ facilè sciri poterat: hæc optimi animi signa sunt non fallacia. At uxor Tobiæ, & cognati pravam Intentionem suam conviciis, irrisione, maledictis satis prodiderunt. Jurisconsultorum scito: *A fine denominatur res*: si finis bonus, bona sunt omnia: atque ut Aristoteles loquitur: *Cujus finis melior, & ipsum quoque melius est.* Summi momenti est bona sit an mala Intentio. Hic cardo est, in quo vertuntur omnia. Tanti profectò est Intentio, ut Augustinus dixerit: *Quidquid vis, & non potes, factum Deus computat.* Si vis plurimum stipis dare, nec potes, jam dedisti, factum Deus computabit; si tolerare inediam velis, nec possis, jam tolerasti, Deus factum remunerabitur. Eodem sanè modo, si furari vis, aut mœchari, nec potes; jam furatus, jam mœchatus es; Deus computabit factum. Uti vestis & vultus corpori splendorem, sic confert animo bona intentio omnem virtutis ornatum.

§. III.

TErtium, quod in tabellione cælesti suspiciendum: *Præcinctus stans, paratus ad ambulandum quavis horâ.* Infame priscis esse discinctum. Nebulonius Satyricus canit:

Non pudet ad morem discincti vivere Nattæ.

Ignominiosum erat militiæ, discingi. Hordeum pro tritico datum, & jussum ante castra fodere discinctum, magni dedecoris erat. Discinctus & mollis, atque iners homo, plerunque sunt affinia. Hinc jussa Christi: *Sint lumbi vestri præcincti.* Hinc Petri & Pauli hortamenta: *State ergo succincti lumbos mentis vestræ*; in omnem horam ad omnem nutum parati. Maximi refert, hoc unum probè capere, peregrinos ac viatores nos esse, cælum viæ terminum, finem peregrinationis incertissimum, nec quidem momentum à morte tutum, iter brevi & forsan subitò finiendum. Idcirco Petrus ingenti sollicitudine: *Charissimi*, ait, *obsecro vos, tanquam advenas & peregrinos, abstinere vos à carnalibus desideriis*: atqui certò abstinebitis, si firmiter credatis, quòd advenæ & peregrini sitis.

O mi Deus, quantæ hoc levitatis & incogitantiæ est! Quotidie morientes cernimus, ad sepulchra mortuos deducimus, & tamen nos moritutos suaviter obliviscimur, qui morti proximi sumus. Nemo hîc manentem habet civitatem. Credimus hoc quidem, sed languidissimè, & quod credimus, obliviscimur. Moribundis oculos manu claudimus, viam ejus, qui moritur, finitam pronuntiamus, nostram tamen finiendam perfunctoriè cogitamus. Epicedia, threnos, nænias, ferales campanas, solennes inferias quotidie audimus, notissimorum tumbas & tumulos transimus, & tamen nos eò brevi ducendos obliviscimur. Qui Augustâ Antverpiam tendit, in viâ frequentissimè loquitur de Antverpiâ, Antverpiam cogitat, Antverpiam somniat. Nos ad cælum tendimus, quis nostrûm, & quando loquitur de cælo? de pecuniâ sermones longissimi & pæne perpetui texuntur; de rerum damnis juges ploratus, de lucro & quæstu altercationes æternæ, quis de cælo litigat? vix ulla uspiam unquam cæli mentio, tanquam si eò perventuros nunquam seriò vel cogitemus, vel speremus. Obsecro vos, viri pecunioſi, de pecuniâ loquimini, pecuniarias disputationes vestras non prohibeo, sed paullulùm muto, si possim. Hoc sermone creberrimo pertractate, quàm tuto collybo pecuniam in terram sanctam, in cælum transmittatis. Egena pauperum manus securissimus est collybus, quo thesauros omnes transmotu tutissimo licet mittere in orbem alterum. Mittite, quæso, mittite, quidquid cupitis non perdere; brevi omnia fenore millies aucto recepturi.

Obsecro ergo vos, tanquam advenas & peregrinos, aptate vos itineri, quod differri potest, nec interrumpi. Peregrinandum est, & assiduè pergendum. Huic itineri rectè conficiendo plurimùm facit, quot diebus juventutem animi restaurare. Quotidie vel in ipsâ mortis vicinâ ex integro incipiendum, tanquam si præterito tempore parum ad rem sit actum. Intentio recta non singulis tantùm diebus, sed & horis & horæ momentis innovanda, ne unquam desit conscientia bona. Hîc vultûs & vestium splendor est. Denique præcincti stemus, & ut Tertullianus loquitur, *expediti ab impedimentis lacinosæ & implicitæ vitæ.* Illas superflui cibi, superflui somni, curarum & sollicitudinum superfluarum lacinias auferamus, *Habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti simus.* Ambulemus dum dies est, sed ambulemus præcincti. *Tertull. lib. 4. contra Marchionem cap. 29. 1. Tim. c. 6. v. 8.*

CAPVT XIV.

Tobias junior docentis Angeli discipulus.

TObias Angelo comitante ad fluvium Tigrim pervenit, ubi pedes loturus merserat. Hîc prædo maximus, immanis cetus ex undis emergens impetum in Tobiam videbatur facturus. Exterritus Tobias, comitis inclamans opem: *Invadit me*, inquit. Cui comes, *Branchiam illius*, ait, *apprehende, & ad te trahe.* Fecit, ut jussus. Mox Angelus: Hunc piscem, inquit, exentera, & jecur illius cum corde ac felle tibi sepone; sunt enim ea medicamentis necessaria. Omne reliquum piscis partim assarunt, partim sale condierunt, & in viam sumpserunt quotidiano hoc victu contenti, dum in urbem Rages pervenerunt. Hîc Tobias discendi avidus interrogavit Angelum: Obsecro te, frater Azaria, dic mihi, quid ea, quæ servari voluisti, medicinæ conferent? Cui Angelus: Cordis, inquit, particula prunis imposita omne genus dæmonum fumo pellit: fel oculorum albuginem tollit. Hîc interrogatio Tobiæ ansam nobis præbet, ut ad quæstiunculas aliquot de cane, de medicamentis, de pisce respondeamus. E quibus facile erit colligere, quantùm in rebus etiam minutis profuerit Tobiæ comitatus Angeli. *Tob. cap. 6. v. 3. & 4.*

§. I.

QVæstiuncula. 1. Cur Canis à scriptore sacro describatur? Historicorum mos est subinde frivola, minuta, vilia, miscere narrationi, ut tanto plus auctoritatis accedat veritati, & lector ad dandam fidem tantò sit promptior. Beatus Marcus narrans Domino JESV vinculà in oliveto injecta, rem modicam attexit de adolescente, qui solâ Sindone amictus, ut injectas manus falleret, rejecit Sindonem, & profugit nudus. Beatus Lucas Christo Domino in olivetum prodeunte duos gladios è cenaculo ad illud itineris sumptos memorat. Beatus Joannes inconsutilem Christi tunicam, & duos ad monumentum excurrentes Apostolos summis mysteriis immiscet. Ita hîc divina providentia voluit mentionem fieri canis, qui sicut suum herum abeuntem est prosecutus, ita revertentem præcurrit, & præoccupavit evangelia. Insuper fidelitas canum humanis moribus insignia præbet documenta. Omnium animantium canis à fide in Dominum maximè laudandus. Quemadmodum verò Salomon pigrum ad formicam mittens: *Vade ad formicam, ô piger*, inquit, *& considera vias ejus, & disce sapientiam.* Haud aliter dixerim ego: Vade perfidiose ad canem, & disce fidelitatem. De docili ac fideli prorsus indole canum eruditè scripsit Justus Lipsius. Non igitur hîc supervacaneum mentionem canis fieri. Nam, quod

1. Quæstio: Cur canis à scriptore sacro describatur. *Marcic. 14. v. 51. Luc. cap. 22. v. 38. Ioan. c. 19. v. 23. & cap. 20. v. 4. & 5. Prov. cap. 6. v. 6. Lipsius centuriâ 1. ad Belgas epist. 44.*

Chrysostomus, & Hieronymus observant, in scripturis divinis singula verba, syllabæ, apices, puncta plena sensibus & mysteriis; nihil hîc superfluum, nihil minutum. Hoc loco, uti Raphaël tutelarem Angelum, ita canis conscientiam designat, quæ certè fidelissimis latratibus suis usque & usque monere non desinit.

2. Quæstio: Quis piscis iste fuerit Tobiam invasurus.

Vales. in sacrâ philosophiâ, c. 42. mihi p. 332.

Gal. lib. 10. de simplici medicam. cap. 12.

Quæstiuncula 2. Quis piscis iste fuerit Tobiam invasurus. Quæstio videtur sterilis. Viri docti hac de re sententia verbo expedienda. Franciscus Valesius Philippi II. Hispaniarum regis medicus censet carnivorum illum immanem cetum, appellari Callionymum, sive Uranoscopum; quòd insignem præferat fronte oculum, qui cetum spectet; fel autem hujus piscis in varios usus esse commodissimum. Nam, Galeno teste, quorundam animalium bilis singulariter à medicis extollitur, tanquam aciem acuant, velut piscis, quem Callionymum vocant. Assertio verosimillima. Morales hujus piscis significatus prudenti lectori defero eruendos. Hoc unum addo: Norunt Angeli omnium herbarum, arborum, plantarum, animalium, gemmarum vires & agendi vim. Hinc illis longè facillimum quovis morbos persanare. Nos miseri, palpamus in ignorantiæ tenebris. Quàm exiguum, quàm nihil est, quod scimus ad Angelos. In beatorum sedibus hæc omnia cum Angelis sciemus.

Adami protoplasti & Salomonis scientia.

Sap. cap. 7. vers. 17. & seqq.

Amplissimam hanc scientiam Adamus protoplastus & Salomon rex sapientissimus habuit. Scivit enim *dispositionem orbis terrarum, & virtutes elementorum, initium & consummationem, & medietatem temporum, vicissitudinum permutationes, mutationem omnium morum, anni cursus, & stellarum dispositiones, naturas animalium, & iras bestiarum, vim ventorum, & cogitationes hominum, differentias virgultorum, & virtutes radicum, & quæcunque sunt abscondita & improvisa didicit. Omnium enim artifex docuit illum sapientia.* Volumen medicum, à Salomone scriptum, combussit rex Ezechias, uti asserit Eusebius, quòd populus morborum ex eo medelas sumeret, & sanitatem à Deo postulare negligeret.

§. II.

3. Quæstio: Cur Angelus in re medicâ Tobiam instruxerit.

Eccli. c. 38. v. 2. & 4.

Quæstiuncula 3. Cur Angelus Tobiam in re medicâ instruxerit? origo medicinæ à Deo petenda. Quod Siracides affirmans: *A Deo est enim omnis medela*, inquit, *altissimus creavit de terrâ medicinam, & vir prudens non abhorrebit illam.* Sive jam medicamenta bene vel malè respondeant, magni aut nullius sint effectûs, ad sanitatem aut morbum proficiant, utrumque à Deo est. Medicinis utor, inquis, sed frustra. Medicamenta non comprehendunt, venis non concipiuntur, nihil auxilii valentis adferunt. Ne id, quæso te, mirare; complures sunt caussæ medicamenti malè respondentis. 1. Ah quoties exterioris, & repurgantibus medicamentis curamus corpus? Animus egeret, quem turpiter negligimus; suam corpori vitam tuemur, & animus jacet mortuus. 2. Humana remedia sæpe priùs quærimus, quàm divina; nonnunquam admovemus ea primo, quæ ultimo loco aut nullo essent ponenda. 3. Auxiliis humanis & arte medicâ nimiùm plerumque nitimur. Quod Rex Asa ceterà optimus fecit, qui *magis in medicorum arte confisus est.* Ideo permittit Deus, ut vanissima spes eludatur à medicamentis nihil proficientibus.

Medicamenti malè respondentis tres caussæ. Prima. Secunda. Tertia.

2. Paral. cap. 16. v. 12.

Ne verò miremur ab Angelo Tobiam aliquid artis medicæ hausisse, Sanctissimi quique homines ægrorum maximam curam gesserunt. Isaias regi Ezechiæ non solatium tantùm adhibuit, sed etiam è ficubus malagma imposuit. Obsequiis ægrotorum Angeli suam operam crebrò impenderunt, cur homines id officii detractent? Angelus tot morbidorum bono Solymæam aquam statis vicibus movit. His igitur præceptis medicis amorem suum tam in parentem, quàm in filium Angelus monstravit.

4. Reg. c. 20. v. 7.

Ioan. cap. 5. v. 4.

4. Quæstio: Cur omne piscis reliquum, quod

Quæstiuncula 4. Cur omne piscis reliquum, quod non assarunt, sale condierint? In Oriente itinera tot cauponis & diversoriis non distinguebantur, uti apud nos. Eo ævo viatores suum commeatum secum portarunt, aut jumentis vexerunt. Cenæ aut prandii tempore ad rivulum diversati cenarunt symbolis allatis, noctem sub arbore patulâ, aut in viridi cespite sub puro Jove egerunt. Ita Jacob æquore aperto noctu dormiit, saxum capiti pro cervicali subjecit. Ita Joseph fratres ad iter instruxit, datis suprà cibariis in viâ. Ita hîc Tobias *paratis omnibus, quæ erant in viâ portanda, fecit vale patri suo, & matri suæ, & ambulaverunt ambo simul.* Ita Raguel uxori suæ dixit, ut præpararet omnia quæ in cibos erant iter agentibus necessaria. Et quamvis via peregrinis vicos & pagos offerret, in iis tamen aliud non petebatur, quàm hospitium, & esse sub tecto, quod hodieque in Poloniâ & Hispaniâ moris est. Ævo veteri cauponas & vinarias tabernas non admittebat eorum hominum partim frugalitas, partim etiam hospitalitas. Sumptibus hac in re multùm parcebatur. Necdum artes illæ in usu erant, doctis dolis attondere hospites, marsupia exterare, æs emungere. Sunt quidem hîc sumptuariæ leges bonæ, sed malè servantur. Ita prisci ad amicorum aliquem, aut hominem notum diverterunt. Priscis enim Hospitalitas usitatissima. Quam Paulus admodum commendans sæpius: *Necessitatibus sanctorum communicantes*, inquit, *hospitalitatem sectantes. Charitas fraternitatis maneat in vobis. Et hospitalitatem nolite oblivisci, per hanc enim placuerunt quidam Angelis hospitio receptis.* Hæc virtus inter Ceritum tabulas, & pæne ex omni virtutum syllabo erasa, jam propè nullius inter homines pretii est, cùm tamen non desint egeni, pauperes, peregrini, quibus hospitalitas esset exhibenda. Sunt quidem diversoria & hospitia, sed pauperum crumenulis nullus hîc locus est. Ævo Christi Domini jam pandochia, stabula, tabernæ cauponariæ fuerunt. Et constat quantum humanitatis ac reverentiæ in primo omnium diversorio Bethlehemi Christo fuerit exhibitum. Leges ab Apostolis sancitæ nulli Clericorum permittunt peregrinare popinas, multò minùs illic comportare, aut choreas ducere.*

piscis reliquum, quod non assarunt, sale condierint

Gen. c. 18. v. 11.

Iudic. c. 19. v. 21.

Tob. cap. 7. v. 22.

Idem cap. 8. v. 22.

Ævum veterum cauponas & tabernas vinarias non admittebat

Hospitalitas eratutissima.

Rom. cap. 12. v. 13.

Hebr. c. 13. v. 1.

* *Conciliorum apostolicorum. 55. cap. Non oportet Clericos, & dist. 44. Nulli Clerici &c.*

§. III.

TObias igitur, ejusque comes priscæ frugalitatis tenaces, quidquid reliqui habuerunt è pisce, salierunt, & asportarunt. Hinc verosimilis quorundam conjectura est, Tobiam & comitem iter equites confecisse. Erat enim Tobias primarii viri, œconomi regis filius, hunc à patre peditem in viam tam longam amandatum parum credibile. Et vix fieri potuit tam multum salsi piscis usque Rages perferre tergo. Hîc autem singularissima Dei providentia toto animo cogitanda, quæ in rebus à se gerendis planè admirandam se præbuit. Et en ejus specimen animal, quod vivum censebatur noxium & mortiferum, jam mortuum, itineris maximum est subsidium. Ex hoc fluviatili prædone Deus insigne suis viaticum providit. Poterant viatores isti cantare: *salutem ex inimicis nostris.* Præclarissimè dixit Cyprianus: *Habenti Deum nihil deerit, si Deo ipse non desit.* Ita Daniel cavo leonum morsus delicias messorum à volante dapifero accepit: Judæis annona venit è cælo: Eliæ commeatum, avium furacissimæ deportarunt. Nihil deerit habenti Deum. Sed quid opus erat his salsamentis? Christus totis quadraginta diebus inediam toleravit, & *postea demum esurit.* Moses in Sinai jugo *quadraginta dies & quadraginta noctes panem non comedit, & aquam non bibit.* Elias totidem diebus impransus & incenatus ad montem Horeb peregrinatus est. Cur Deus Tobiæ famem, sitimque non simili modo sedavit, cur salsus piscis per viam deportandus? Nimirum hoc agit Deus, ut providentiam suam mortalibus quàm perspectissimam reddat, variis eam modis sub oculos ponit, ut quantùm potest maxima

Singularissima Dei providentia erga Tobiam.

Matth. c. 4. v. 2.

Exod. c. 34. v. 28.

3. Reg. c. 19. v. 8.

Cur Deus Tobiæ famem & sitim non simili modo ac Eliæ & Mosis sedavit.

maximâ in eum fiduciâ ferantur. Revera providentissimus hic pater pro victu ac vestitu filiorum longè vigilantiorem gerit curam quàm gerere possint pro seipsis filii. Hinc & ægerrimè fert filios amantissimo patri tam parum fidere, sibiipsis vanissimam & nihil profuturam sollicitudinem struere, frustra trepidare, & animo angi.

Hoc quidem non negamus: Deus suos in deliciis non habet; cibum eis submittit, sed minimè delicatum, panem hordeaceum, sub cineribus coctum, pisces salsos, pulmentum & messorum prandium, cùm tamen eodem sumptu exquisitissimas posset præbere epulas. Nam ille idem Angelus qui Abacuc è Judææ in Babylonem agili vecturâ transtulit, & Danieli pulmentum messoribus paratum obtulit, potuisset ex aulâ regiâ unum aliquem dapiferorum, unà cum ferculis in leonum caveam avehere. Noluit Deus ita fieri, neque sine causâ noluit. *Quis autem cognovit sensum Domini, aut quis consiliarius ejus fuit?* Tertullianus aliquid causæ assignans: *Constitui oportebat exemplum*, inquit, *in tempore pressuræ Xerophagiis esse vivendum.* Vult Deus suos, præsertim in afflictionibus, non lautè, nec delicatè vivere, necessitati enim non voluptati subvenit. Quòd Danieli Deus pulmentum tantùm, non etiam potum submiserit, in promptu causa est, pulmenta & offæ, humidiores cibi suum secum potum adferunt. Quòd Christus in solitudine tot millibus hominum sine potu panes distribuerit, ne miremur, utique ad rivulum vicinum consederunt, ubi sibi propitiare poterant. Odit Deus superflua. Addo: Cibi viliores & generis unius precationi & luctæ spiritali sunt aptiores. Hinc Sethi nepotes & posteri herbis tantùm & fructibus victitabant, carne & vino abstinentes. Daniel tres sibi sumpsit hebdomades precibus & vitæ rigoribus exigendas: *Panem*, ait ipse, *desiderabilem non comedi, & caro & vinum non introjerunt in os meum.* Oraculum Dominicum habemus: *Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei.* Nimirum in eo situm est, cui Deus benedicat. Dei benedictio modicum & vilem cibum vel præstantissimo efficit alibiliorem. Habenti Deum nihil deerit.

Mittamus ergo curas superfluas, *omnem sollicitudinem* nostram, quod Petrus monet, *projicientes in Deum, quoniam ipsi est cura de* nobis. Ita vigilantissimæ Dei providentiæ nihil penitus diffidamus. Hoc infantes stulti & homines modicæ fidei solent, qui plus suæ credunt sollicitudini, quàm sapientissimæ Numinis gubernationi. Clemens Alexandrinus eruditâ elegantiâ: *Sunt*, inquit, *quæstiones, quæ sensu indigent; an nix candescat, an ignis uratʔ vide, tange: Aliquæ admonitione egent, aut increpatione. Vtrum inimicis ignoscendum, jejunium servandumʔ ignosce, serva: quædam dignæ sunt, ut puniantur, ut est, quærere, an sit providentiaʔ* Deus pro omnibus & singulis curat, nec curat tantùm, sed omnibus & singulis, quod illis maximè profuturum, suppeditat. Fidamus Deo in omnibus. Habenti Deum nil deerit.

CAPVT XV.

Tobias junior ab Angelo contra dæmonem instructus.

PEtrus Maffejus Indiarum historiam prosecutus: Cùm, inquit, Emmanuel Lusitaniæ rex Anno Christiano millesimo quadringentesimo nonagesimo septimo navigationem expediret, quæ Orienti Evangelium & Christiana sacra intulit, primæ prætoriæ navi nomen dedit Gabriel, qui primus è cælo terris Evangelia deportavit: Alteram Raphaëli viatorum duci ac tutori inscripserunt. Fidelissimi duces nostri sunt Angeli: summâ fide, amore incredibili, peritiâ maximâ nostris itineribus moderantur.

Nicephorus Callistus & Cæsar Baronius narrant, Theodosio Imperatori à secretis fuisse virum perfidum Joannem, qui nullam quietis partem capturus videbatur, dum æquè Imperator cum Theodosio salutaretur. Nec miles defuit ad eas insolitiones: In hunc Theodosius supremum militiæ præfectum misit Ardaburium, cui omnis pugna felicissimè terrâ cessit, non item mari; hîc verterunt vices, nam ventus subitò coortus ducem Theodosii cum copiis tyranno tradidit capiendum. Nimirum causa æquissima videbatur labare. Eventus tam infelix Theodosium supra modum habuit sollicitum, adduxitque in angustias. Putaverat certè tyrannus Theodosium jam sui fore arbitrii, si quidem Ducem cuperet liberatum. Sed Aspar Ardaburii filius parentem inter hostium ungues deserere nefas ratus, eo quo potuit collecto milite tyrannum insequi decrevit. Nec pii Cæsaris preces defuerunt. Nam Angelus pastoris habitu præcessit Asparem & Ravennatem arcum trajiciendi modum monstravit, eásque vias duxit, quas nullus hominum isse auditus. Ita Ravennam non adeò numerosus miles occupavit, & Joannem perfidum tyrannum cepit, qui Aquilejam ductus, dexterâm unâ cum capite amisit.

Nicephorus lib. 14. hist. cap. 7. Baron. tom. 5. anno 425.

Auctores viæ multò peritissimi sunt Angeli, nec unico quidem vestigio fallunt. Peritiam hanc comitis sui fidelissimam expertus est Tobias, quem Angelus non solùm suavissimè duxit, sed etiam variè in rebus agendis erudiit. Nos dissertatione priori quatuor posuimus quæstiunculas super hoc itinere Tobiæ. Apponamus hîc tres alias, responsuri ad singulas.

§. I.

QVæstiuncula 1. Quâ ratione & an verè dixit Angelus: Ego sum Azarias Ananiæ filius? Est nonnemo, qui hunc è cælo tabellionem arguat mendacii. Nos vera dixisse asserimus. Nam Azariæ formam comes cælestis induit. Atqui nos phrasi vulgatâ ita loquimur, cùm templi aram loquente manu monstramus atque dicimus: Hîc Christus est à Magis adoratus, hîc Christus in oliveto sanguinem sudans, hîc Christus in crucem suffixus, quia imago Christi adorati, sudantis, crucifixi est. Ita olim sub orbis primordia locutus cum Jacob Angelus: *Ego sum Deus Bethel, ubi unxisti lapidem & votum vovisti mihi.* Erat certè Angelus, qui Deum repræsentavit. Quod in lege veteri frequentissimum fuit. Deinde, si vim vocis spectemus, Azarias auxilium Dei, Ananias donum Dei designat. Quàm ergo congruè istud sibi nominis vindicavit Angelus?

1. Quæstio: Quâ ratione & an verè dixit Angelus: Ego sum Azarias Ananiæ filius. *Vitakerus lib. 1. contra Edmundum Campianum pag. 77. Gen. cap. 31. v. 13.*

Quæstiuncula 2. Cur Angelus servari jusserit cor, fel, & jecur piscis? duplicem caussam ipsemet assignavit; fugandis diabolis, & oculis persanandis. Interpretatio certè, quam divinus Spiritus hîc spectabat, nobis commodissima. Tria potissimùm sunt, quæ interiorem hominem juvent, sanent, alunt: Contritio cordis, tolerantia afflictionis, edomatio, vel ut loquuntur, mortificatio carnis. Primum corde, alterum felle, tertium jecore adumbratur.

2. Quæstio: Cur Angelus servari jusserit cor, fel, & jecur piscis? Ejus Duplex caussa. Tria interiorem hominem juvant: 1. Córitio.

1. Contritio, seu, cordis dolor ob admissas noxas earum virium est, ut animus dolore hoc concepto, etsi letalibus peccatis saucius, mox reviviscat è mortuo. Uti Mithridaticum Alexipharmacum omne pellit venenum, ita cordis contritio, omne letiferum extinguit peccatum. Hinc multò saluberrimi consilii est, eadem mox horâ, quâ commissa est noxa, animum letaliter vulneratum contritione persanandum. Hinc ille, quem vocant contritionis actus tot libellis, tot chartulis ad creberrimum usum perscriptus. Nec enim differenda est medicina, quamprimum admissa capitalis aut gravior noxa. Contritio ad vitam momento revocat. *Cor contritum & humiliatum Deus non despicies.* Quamprimum David seriò dixit: *Peccavi.* Mox Nathan subjunxit: *Dominus*

Ps. 50. v. 19.

2. Reg. c. 12. v. 13.

minus transtulit peccatum tuum. En, inquit Ambrosius, *quantum tres syllabæ valeant.* Cui subscribens Cyprianus: *O pœnitentia*, inquit, *quid de te novi referam? omnia ligata solvis, omnia contrita sanas? Atque hoc cor est, quod servari jussit Angelus.*

2. Fel, seu afflictionis tolerantia.

2. Fel, est afflictionis tolerantia, quæ & Contritionem juvat & Mortificationem. Fel istud ærumnarum amarore suo nitidos & acutos admodum reddit oculos. *Isa. cap. 28. v. 19.* Nam, quod Isaias dixit: *Vexatio dat intellectum.* Afflictio elleborum est, quo Deus noxiam & peccantem redundantiam à nobis depellit, & ad mentem sanam reducit. Nos sæpe deturbamur de mente, & ad insaniam redigimur ob gravas animi afflictiones, quæ in furorem & mentis alienationem nos agunt, ideo Deus elloboro suo consilium & sensus fugitivos revocat.

Garsias l. 2. de plantis Indicis c. 1. Indiæ arbor est, quam arborem Tristem indigenæ appellant. De hac Garsias ab horto dissereus: Arbor Tristis in Indiâ, inquit, nunquam floret nisi post solis obitum; interdiu folliculos, seu, calyces clausos habet, B noctu aperit, tanquam solem reformidans, sicut vespertiliones non volant nisi nox offundatur, & tenebræ incedant: sic plurimi hominum nunquam ita compositi ac modesti, ita dociles, ac devoti sunt, quàm cùm ægroti, aut aliis ærumnis pressi sunt. Tunc precantur, tunc manus cælo attendunt, & omnem promittunt sanctimoniam. Tunc demum oculos aperiunt, & acutùm cernunt, cùm in oculis fel ærumnarum sentiunt. *Vexatio dat intellectum.*

3. Jecur, seu Mortificatio.

3. Jecur prunis impositum, est edomatio carnis, seu, Mortificatio. Lex certa est, quam beatus Paulus divino Spiritu jubente dixit: *Si secundùm carnem vixeritis, moriemini; si autem spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis.* *Rom. cap. 8. v. 13.* Quantò magis viget, vivitque caro, tantò magis interit Spiritus. *Tob. cap. 6. v. 8.* Prunis imponendum est jecur; *fumus ejus extricat omne genus dæmoniorum, sive à viro, sive à muliere, ita ut ultra non accedat ad eos.* De dæmonibus fugandis Christus: *Hoc autem genus*, inquit, *non ejicitur nisi per orationem & jejunium.* *Matth. c. 17. v. 21.* Nemo unquam vicit diabolum, qui nequiit carnem vincere. Hîc ingenti opus est sui edomandi sollertiâ. Multa corporis commoda fastidienda, gravia contra & aspera in amore habenda, ut quibus solis adolescere virtus insuerit, quæ mollibus aliis qui & jucundis præfocatur. Res certa: *qui sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis, & concupiscentiis.* *Galat. c. 5. v. 24.* At verò caro, ejúsque pravæ cupiditates nullis clavis aptiùs figuntur, quàm abstinentiâ & jejuniis. Hoc autem est, quod maximè horremus: ne inediam toleremus, excusationes mille adferimus. O bona pecora ad pastum nata! Saturitate diabolus non fugatur, qui veluti canis non recedit, dum patet macellum carnibus plenum. Hic Cerberus non abigitur copioso & lauto pastu; per orationem & jejunium ejicitur,

§. II.

3. Quæstio: Quomodo res sensibilis agat in spiritalem.

QVæstiuncula 3. è Theologiæ scholis petita, quo- D modo res sensibilis agat in spiritalem, fumus jecoris in diabolos. Dixerat enim Angelus: *Cordis ejus particulam, si super carbones ponas, fumus ejus extricat omne genus dæmoniorum.* Quid virium habet fumus contra spiritus? *Tob. cap. 6. v. 8.* Multa hîc Theologi. Et constat è fastis Regum, Saulem in furorem à diabolo actum, modis musicis restitutum ad se rediisse. Ideo David in citharœdum regium aulæ adscriptus. Plurimi ante Saulem intemperiis acti & à malo dæmone infesti symphoniâ convaluerunt ex malo. *Josephus l. 1. Antiquit. cap. 2. post initium mihi pag. 257.* Josephus testis oculatus: Vidi enim, inquit, ex popularibus meis quendam Eleazarum, in præsentiâ Vespasiani, & filiorum & tribunorum, reliquorúmque militum, multos arreptitios percurantem. Modus verò curationis erat hic. Admoto naribus dæmoniaci annulo, sub cujus sigillo inclusa erat radicis species à Salomone indicatæ, ad ejus olfactum per nasum extrahebatur dæmonium, & collapso mox homine, adjurabat id, ne ampliùs rediret: Salomonis interim mentionem faciens, & incantationes ab illo inventas recitans. Volens dein Eleazarus his, qui aderant, ostendere suæ artis efficaciam, non longè inde ponebat poculum, aut pollubrum aquâ plenum: imperabátque dæmonio hominem exeunti, ut his subversis signum daret spectantibus, quòd reliquisset hominem. Quo facto nemini dubium erat, quanta fuisset Salomonis scientia, & sapientia. A

Ergo energumeni, si Josepho fides, odore singularis herbæ curati. Alii fanaticos virgis aut flagris cædunt in remedium, ita enim agitantes ab iis furias expelli ajunt. Sunt, qui insessos à malo dæmone, excrementis caprinis velut catapotiis curent.

Theologorum responsio.

Ad hæc omnia Theologorum scholæ, si cum iis loquendum, ita respondent: Corporalia in spiritum, aut spiritalia nequeunt directè agere, sed indirectè; naturaliter tamen dum corpus à malo genio insessum ita comparant, ut demum cedere cogatur dæmon. Exempli gratiâ: In homine Iracundo, qui flavâ vel atrâ bile (choleram vocant & melancholiam) abundat, in eo certè cacodæmon longè suaviùs habitat, quàm in homine sedate indolis. Quòd si in altero illo fel minuatur, diaboli habitatio destruitur: mavult enim cedere, quàm incommodè habitare. Quòd si caprarum excrementa, vel ridiculum quid energumenis appensum fuget dæmonem, id eâ causâ fieri dicendum, quòd summa dæmonis superbia ferendo non sit ejusmodi contemptum. Sed & illud ingenuè fateamur, in indagandis rerum naturis plurima latere, quæ ignoremus. In hoc etiam Orbe nostro innumera rerum naturalium arcana tegi, quæ nesciamus, nec unquam dum hîc vivimus, penetraturi simus. Plurima scholarum conclusiunculis affirmantur, aut negantur, quæ etiámnum incertissima sub judicis sceptro pendent. *Hæc*, inquit Augustinus, *videt Auctoritas divina.* Certissima ea est sententia, scire quàm parum sciamus, & quàm in multis nihil cogniti, nihil experti habeamus. C Non nimium æstimemus, obsecro, argutas conclusiunculas nostras scholasticas, secreta naturæ plurima nunquam rimabimur; infinita Dei arcana nec quidem eminus hîc contuebimur. Rex David simile quid conatus: *Existimabam*, inquit, *ut cognoscerem hoc; labor est ante me, donec intrem in sanctuarium Dei.* *Psalm. 72. v. 16. & 17.* Tanti regis sapientia hîc cæcutit, quid tu tibi angustæ vernula capsæ polliceris? sapienter & ingenuè fecerimus, si nostram potiùs ignorantiam confiteamur, & cum Paulo succlamemus: *O altitudo divitiarum sapientiæ & scientiæ Dei!* *Rom. cap. 11. v. 33.* Hæc tamen sciemus omnia, sed olim, sed in cælo, ubi scientem omnia contuebimur.

Cessant diabolus quo non.

§. III.

HIc in minimis sæpe hallucinamur, aut ore hiante miramur, quæ non satis capimus. Quàm illa nobis nova & admiranda, Petri umbra, Pauli sudaria & semicinctia persanarunt ægros. Petri verba paucula Ananiam & Sapphiram ita fulminarunt, ut subitò expirarint. Et quod magis admirandum. Sensilis est corporeus avernalis ignis, diabolos tamen & damnatorum manes cruciat. Ergo corporatum aliquid in spiritale agit. Quâ tandem tatione? nescimus. Occulta Dei vis rebus creatis juncta patrat hæc admiranda. Deus hîc primarius actor, cetera illi ut instrumenta subserviunt. Complura sunt, quæ Ecclesiæ precibus sacra fiunt (Theologis sacramentalia dicuntur) in his numerantur aqua, oleum, cera, herba, vinum, edulia, suis quæque temporibus consecrari solita. In horum numero habentur Exorcismi, sacra Martyrum, aliorúmque divorum lipsana, signum crucis, sanctissimum nomen JESVS.

Greg. lib. 4. dialog. cap. 36.

Assistunt, agunt Theologi. Legi jussum subsequi.

Nomen Jesu est illiterum ac venerabile.

Hoc salutiferum ac venerabile nomen & pectore clausum & ore promptum assiduè feramus. *Nec enim aliud nomen est sub cælo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri.* *Actor. c. 4. v. 12.*

salvos fieri. Hoc certè nomen longè potentius, quàm ulla piscium exta cacodæmonas fugat. Quod pollicitus Servator: *Signa, eos, qui crediderint, hæc sequentur: In nomine meo dæmonia ejicient.* Querelam ad Christum deferens Joannes: *Magister,* inquit, *vidimus quendam in nomine tuo ejicientem dæmonia, qui non sequitur nos & prohibuimus eum.* Cui Christus: *Nolite prohibere eum, nemo est enim, qui faciat virtutem in nomine meo, & possit citò malè loqui de me.* Ita septuaginta duo discipuli à Christo, velut in messem novam emissi, non sine gratulatione ac gaudio reversi: *Domine,* ajebant, *etiam dæmonia subjiciuntur nobis in nomine tuo.*

Marc.c.16. v.17. Luc.cap.9. 49.& 50. Luc.cap.10. v.17.

Imò Patres prisci hoc unico pæne argumento sunt usi adversus idololatras, Christum verum esse Deum, quòd audito Christi nomine cacodæmones ex humanis corporibus cogantur cedere. Tertullianus certè compluribus testimoniis asserit à Christianis solo Christi nomine impuros Spiritus profligari. Cùm autem apologeticum suum, seu Christianæ disciplinæ defensionem Romam misisset, eóque scripto parum promovisset, & Chartaginiensis Præses Scapula graviùs in Christianos sævire cæpisset, ad hunc ipsum Scapulam librum conscribens: *Dæmones,* inquit, *non tantùm respuimus, verùm & revincimus, & quotidie traducimus, & de hominibus expellimus, sicut pluribus notum est.* Hoc autem Christiani fecerunt pronuntiato Christi nomine. Eam ob caussam jure meritissimo Paulus id unicè commendans: *Omne,* inquit, *quodcunque facitis, in verbo aut in opere, omnia in nomine Domini nostri* Jesv *Christi.* Hoc igitur divinum nomen penitissimo pectori insculpendum assiduéque magnâ reverentiâ & ingenti fiduciâ corde & ore versandum. In rebus prosperis pro gratiarum actione, in adversis pro scuto & defensione usurpandum. Præsertim cùm occasio, & periculum peccandi, cùm aspera perpessu toleranda, cùm ardua & difficilia factu aggediendâ, ardente animo identidem ingeminandum: Domine Jesv, fiat voluntas tua, fiat, fiat. Domine Jesv, à peccatis protege me. Domine Jesv, da patientiam & conforta me. Et utinam toties liceat sanctissimum hoc nomen ingeminare, quoties spiritum ducere. Illud ego mihi & omnibus Dominum Jesvm amantibus toto animo voveo & opto, ut in ipsâ mortis vicinià, & in extremis singultibus, dum vocis usus erit, geminas saltem has voculas (*Domine* Jesv) assiduè pronuntiem, sintque hæc mea ultima verba, & meorum omnium verborum clausula, *Domine* Jesv. Denique in hac sanctâ ad Dominum Jesvm aspiratione expirem. Hoc, inquam mihi & omnibus Christum amantibus, animo precor. Ita fiat, Domine Jesv.

Marc.c.16. v.17. Luc.cap.9. 49.& 50. Luc.cap.10. v.17. Nomine suo Dæmonia ejiciuntur à hominibus. Iustin.apol.2. n.6. Tertull.apol.c.23. Omnia in verbo aut in opere, in adversis pro scuto & defensione usurpandum. Psalm.118. v.109. Rom.cap.10. v.13. Theodoret. in Psalm. Cessant dæmones divinum nomen.

CAPVT XVI.

Tobias junior ab Angelo matrimonii leges edoctus.

Tabellarius è cælo Raphaël Archangelus Tobiæ suo dixerat: Saram Ragueïis filiam in conjugem sibi posceret, eam ipsi servatam. Cui Tobias: *Audio,* inquit, *quia tradita est septem viris, & mortui sunt: sed & hoc audivi, quia dæmonium occidit illos. Timeo ergo ne fortè & mihi hæc eveniant.* Ad quæ Angelus: Mi Tobia, inquit, me audi, planissimè tibi aperiam, quinam sint illi, in quos tantum licentiæ cacodæmon habeat. Nimirum illi, qui conjugium ita ineunt, ut Deum omnémque verecundiam ab animo proscribant, & suæ libidini indulgeant, perinde ut equus & mulus, ceteræque pecudes solent; nempe hi sunt, in quos imperium habet cacodæmon. Tu autem mi frater Tobia, rem longè aliter geres. Finito nuptiali die non statim à te omnem continentiam profligabis. Triduo simul eritis, sed sicut fratrem & sororem decet, assiduam comprecationem jungetis. Et

Tob.cap.6. v.14. & 15. Tobias instruitur ab angelo in quos cacodæmon habeat licentiam. Et quomodo in conjugio se gerere debeat.

A primâ quidem nocte piscis jecur offerendum prunis, ad dæmonem fugandum. Nocte alterâ votis & precibus sanctos Patriarchas ad benevolentiam vobis & amicitiam conciliabitis, eorum verecundia & sanctitas menti vestræ obversabitur. Nocte tertiâ benedictionem conjugio largiendam impetrabitis. Hac nocte transactâ in torum convenietis pudicum, non impetu libidinis, sed spe & amore prolis, idque cum Dei timore. Has matrimonii leges Tobiæ dedit Angelus. Hîc tria potissimùm veniunt quærenda. 1. Num diabolus in homines aliquid possit, absque singulari Numinis licentiâ. 2. Quænam ea sint peccata, ob quæ Deus juris aliquid in hominem diabolo permittat? 3. Cur diabolus non omnes libidinosos jugulet? Ad singula jam respondebimus. Tria examinanda:

§. I.

PRimæ quæstionis est, Num humanæ gentis inimicus uti viribus possit in hominé sine Dei licentiâ? Asserimus, in hominem nil penitus potestatis esse cacodæmoni, Deo abnuente. Nec pilum quidem lædere, aut eripere potest ulli, si Deus nolit. Matthæus narrat dæmonas ex homine, quem insederant, pulsos non priùs in porcos abjisse, quàm ejus rei potestatem acceperint à Christo. Jobum non priùs invadere ausi, quàm id Deus concessisset; nec graviùs eum torquere conati, quàm Deus præscripsisset, ad dimensum diabolo potestas hæc concessa: *Ecce in manu tuâ est, verùntamen animam illius serva.* Exerce ipsum & crucia prout vis, sed salvâ vitâ. Quod Augustinus expendens: *Satanas,* inquit, *cùm habet semper nocendi cupiditatem, nocere cuique non potest, nisi ab omnipotente acceperit potestatem.* Quòd 1. diabolus non summam potestatem, nec infinitum habet imperium, multò minùs habebunt ejus mancipia. Hinc malevolorum hominum nullus alteri plus nocere potest, quàm velit Deus, aut permittat: potestas, quæ ei traditur, ad unguem limitata est. Ita Christus vinctus expressissimè Pilato: *Non haberes,* inquit, *potestatem adversum me ullam, nisi tibi datum esset desuper.* Ergo, mi Christiane, quidquid tibi, quidquid mihi, quidquid aliis infert injuriæ hic mendax, hic malevolus, hic obtrectator, hic invidus & nequam homo, id omne illi permissum à Deo: non haberet in te, in me, in alios potestatem ullam, nisi ei datum esset desuper. Certum hoc, certissimum. Ergo me, inquies, non defendam, nec obsistam adeò in me arietanti? Hoc non ajo: Jure tuo adversus injuriam utere, quantum licet, cetera omnia Deo committe. Illud tamen etiam scito: Non rarò consultissimum esse, injurias pati, & silere. Plurima silendo rectissimè refutamus. Loqueris & Camerinam moves? auctiorem senties injuriam. Christianum vindictæ genus est, aut nulla, aut mitissima responsa maledictis rependere. *Hæc enim,* inquit beatus Petrus, *est gratia, si propter Dei conscientiam sustinet quis tristitias patiens injustè: quæ enim est gloria, si peccantes & colaphizati sufferetis? sed si bene facientes patienter sustinetis; hæc est gratia apud Deum.* Non ergo *reddentes malum pro malo, nec maledictum pro maledicto; sed è contrario benedicentes: quia in hoc vocati estis, ut benedictionem hæreditatis possideatis.*

1. Num diabolus uti viribus possit in hominem sine licentiâ Dei? *Matth.c.8. v. 32.* *Iob cap. 2. v. 6.* *Aug. lib. 2. contra Adversarium legis cap. ult.* *Ioan.c.19. v. 11.* Quidquid injuriæ ab aliis immittitur à Deo permittitur. Christianum vindictæ genus est, nulla aut mitissima responsa maledictis rependere. *1. Petr.c.2. v.19. & 20.* *1. Petr.c.3. v. 9.*

Secundæ quæstionis est: Ob quænam peccata Deus potestatem det diabolo, ut in hominem licentiùs grassetur? Quandoque ob ea etiam, quæ videri possunt leviora. Gregorius narrat virginem sacram appetentiâ gulæ ductam in horto contra religiosas leges aliquid lactucæ carpsisse, & omisso crucis signo furtim comedisse, mox à diabolo insessam humi corruisse. Cùm autem Equitius vir sanctus vim adhiberet diabolo, clamavit hospes malignus: Ego quid feci, & unà hospitio cessit. His affinia memorat Cassianus. Vult Deus ut diabolum etiam pictum, etiam vitro clausum, ipsam etiam diaboli umbram horreamus, & non graviores solùm ac capitales noxas, sed leviores quoque studiosè caveamus.

2. Ob quænam peccata Deus potestatem det diabolo, ut in hominem licentiùs grassetur? *Greg. lib. 1. dialog. c. 4.*

Sed ne

6. Peccata ob quæ diabolus habet in homines potestatem.

Sed ne ab instituto abeamus, peccata tetriora, ob quæ frequentiùs cacodæmon in humanum corpus immittitur, hæc ferè numerari solent. 1. Infidelitas, adversùs quam pugnant in fonte sacro exorcismi. 2. Hæresis, affine crimen priori. 3. Sacramentorum contemptus, aut neglectus. Grave quid est in omni vitiorum turbâ contemptus. 4. Ingratus animus. Immundus spiritus, Christo teste, habitatâ sede pulsus socios septem se nequiores assumit, jâmque ad insultus paratior: *Revertar,* inquit, *in domum meam unde exivi: & fiunt novissima hominis illius pejora prioribus.* Ingratus animus, malus dæmon, beneficia omnia pessundat, gratiam in odium vertit, factique posteriora prioribus deteriora: diabolus pœnitentiâ expulsus, ab ingrato animo revocatur. 5. Superbia & invidia. Rex Hebræus Saul vitio utroque nobilis à spiritu maligno sæviter exagitatus est. 6. Libido. Hinc septem Saræ mariti à diabolo necati. Symphoriani Præsidis Romani filius juvenis impurus, Ambrosio teste, à malo dæmone obsessus, quia libidinibus variè contaminatus. Cornelius Gallus, & Titus Ætherius homines lascivi, teste Valerio, ipsis flagitiis immortui sunt; diabolus eos Dei permissu interemit. Eodem fati genere ob eandem caussam Giachetus Salvianus homo contaminatus periit. Super eos habet dæmonium potestatem.

Matth. c. 12. v. 44. & 45.

1. Reg. c. 18. v. 10.

§. II.

Conjugii abusiones à Deo puniri exemplo probatur. *Thomas Cantip. lib. 2. mira. cap. 3. n. 20. 27. 38. 55.*

Neque verò tantùm, quod sedulò notandum, fœdiora luxuriæ scelera omni supplicio à Deo vindicantur, sed ipsæ etiam conjugii abusiones gravissimè puniuntur. Cameracensis Proepiscopus Thomas Cantipratanus, horrenda, sed fide digna narrat, quæ ipse vel oculis hausit, vel auribus. Hoc è pluribus: Cameraci, ait, vir omnibus notus, non quidem jura fidémque tori, sed Christiani matrimonii pudicas leges violârat, inde haud aliter, quàm Arrius à Deo punitus viscera per alvum ejecit. Relatus in lectum, in manibus ignes horribiles persentiscens, hoc unum instituit vociferari, manus abscinderent, doloribus mitigandis; ita sub tertiam pomeridianam mortuus. Si ergo mariti cum uxore suâ inverecundius delictum animadversione tantâ punitum est, quid acturi sunt illi, qui omnes pudicitiæ & tori leges perrumpunt. Ceteri quos Cantipratanus memorat, homines libidinosi subitò sunt extincti. Nempe Deus permittit, ut ejusmodi homines spurci diabolo, cui se ultro manciparunt, ex toto tradantur. Cavete, mortales, Deus puritatis auctor impuros arcet & odit. Mundi sunt oculi ejus, nec libidinum immunditiem diu sinunt impunitam. Gregorius Magnus in exemplum memorans: Matrona nobilis, inquit, ætate florens, gente Tuscanâ, in æde divi Sebastiani occupata à dæmone, & atrociter vexata est. Hospitem tam sævum non adduxit adulterium, sed matrimonium impudicè usurpatum. Parentes eam à magis voluerunt liberari; Liberata est. Sed in locum ab uno desertum legio diabolorum successit: dum denique Fortunatus episcopus prolixis orationibus impurissimum hospitem exegit. Revera super hos tales dæmonium habet potestatem.

Greg. lib. 1. dial. cap. 9.

Prosper lib. de dimidio Temporis cap. 6. initio, mihi p. 65. Vbi etiam enarrat, quâ ratione à diabolo sit liberata.

Gregorii dicta beatus Prosper confirmans: Nostris, inquit, temporibus res testatissima & omnibus civibus † nota contigit. Puella ferulans ex Arabiâ in thermis obtutu parum verecundo Veneris effigiem conspicata credidit se formâ certare posse cum amorum Deâ. Mox diabolus, etsi non invitatus adfuit, & miseram invasit eâ immanitate, ut diebus septuaginta nec cibum, nec potum, imò nec miculam cibi, guttulâmque potûs potuerit glutire. Ah qualis hospes in humano corpore diabolus! ostium ei libido pandit, & introducit. * Nicolaus Serrarius miserabile fatum commemorans: Non ita pridem, inquit, in cauponâ miles lasciyam ad parietem tabellam vidit, & mox: Heus caupo, ajebat, quanti vendis hoc quidquid picturæ est, emptorem habes: Subridens caupo: Nihil abnuo, inquit, per me licet, tua sit hæc imago, non centum assium est. Et leve pretium exegit. Miles, dum tabulam molitur refigere, à diabolo corripitur, & pavimento affigitur. Hoc illisu miser animam ejecit. Reverâ super hos tales dæmonium habet potestatem.

† *Quis illius patriæ civis ignorat? ait Prosper.*

* *Serrarius comment. in hunc librum mihi p. 77.*

§. III.

Sed, ô cæcos mortales, qui tam tragicis exemplis toties moniti nihilominus in Christianam pudicitiam tam graviter delinquunt, libidinum cæno tam temerariè se mergunt.

Sed quæri possit hîc tertio loco, cur diabolus nocendi cupidissimus tot equis & mulis, tot impudicis & ab omni castimoniâ alienis hominibus parcat? cur Deus non denuo sulphure, pice, ignibus pluit? Poëta vetus ab exilio responderit.

Si quoties peccant homines sua fulmina mittat
Iupiter, exiguo tempore inermis erit.

Hoc nemo Christianorum nec dixerit, sed nec somniarit. Nam etsi totos dies & annos assiduè Deus igne pluat, fulmine feriat, sua tamen armamentaria hoc telorum genere non vacuabit: nunquam arma desunt justitiæ divinæ. Quòd ea verò homines libidinosos non illico cacodæmoni tradat jugulandos, aut flammis præcipitet, ejus rei complures sunt caussæ. 1. Deus naturæ ordinem à se constitutum non facilè turbat, tametsi scelera quandoque insolitam exigant vindictam. Hinc impuri vivere sinuntur, diuin suâ morte decedant. Nimirum mitissimus Deus *solem suum oriri facit super justos & injustos.* Ita tolerantur vel improbissimi, ut cives Mundi. 2. Non omnes libidinosi subito fato tolluntur, ut resipiscendi spatium sit. Interim Paulus ad resipiscendum excitans: *An,* inquit, *divitias bonitatis ejus, & patientiæ & longanimitatis contemnis, ignorans quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit?* 3. Deus quò connivet diutiùs, eò tandem punit graviùs. Divina Nemesis lanceum serpit pede; nonnunquam cunctabunda & lenta venit, sed tarditatem supplicii gravitate compensat. Insigniter Plutarchus scripsit de his, qui serò à numine puniuntur. Sed & beatus Paulus stimulat: An *exîstimas, ô homo, quia tu effugies judicium Dei? secundùm duritiam tuam, & impœnitens cor thesaurizas tibi iram.* Ut ira Numinis in te demum exardescat, tu ipse quotidie apponis ligna. Sara, quia castissima ideo etiam Deo charissima, marito alteri septem illis longè sanctiori fuerat servanda: nec enim illi eâ digni fuerunt. Quod ipsamet testata: *Aut ego,* inquit, *indigna fui illis, aut illi forsitan mihi non fuerunt digni.* Tam spurci homines tam pudicâ conjuge prorsus indigni erant.

3. Cur Deus homines libidinosos non illico dæmoni tradat jugulandos. Prima. *Matth. 25. v. 41.* Secunda. *Rom. cap. 2. v. 4.* Tertia. *Plutarch. tom. 2. moral. mihi pag. 571. Rom. cap. 2. v. 3. & 5.*

Singulariissimam Deus providentiam suam monstrare voluit, cùm Tobiæ oculorum usum reddidit, cùm Saræ inviolatam castimoniam defendit, cùm triste libidinosis omnibus exemplum statuit. Paucos punit, ut multi alieno exemplo sibi caveant.

Duplex dæmonum potestas. Duplex dæmonum potestas est. *Prima* quidem illa maxima, quantum apud inferos divinæ justitiæ rigor poscit. *Altera* magna, sed restricta, & ad dimensum concessa, prout naturæ ordo, aut Dei permissio sinit. Hic occulta Dei judicia, quæ nobis non scrutanda, cur repentinis aliquos, dilatis alios suppliciis afficiat. Utrimque justissimus est Deus.

Abusus matrimonii fugiendus est. Abusus igitur matrimonii cavendus, libido modis omnibus in omni hominum statu fugienda. Quod beatus Fulgentius prudentissimè monens: *Sic,* inquit, *quærendus est ex nuptiis fructus, ut cohibendus sit lubricæ voluptatis excessus.* Et psaltes clamat: *Nolite fieri sicut equus & mulus, quibus non est intellectus.* Saræ septem mariti à diabolo necati, non quia adulteri, vel Sodomæi, sed quia libidinosi, qui nuptias contraxerunt non decenti fine, sed pronâ

S. Fulgentius ep. 1. c. 3.

pronâ libidine ducti, ut suis offunderent offam nequitiis. Ideo dixit Angelus: *Habet potestatem dæmonium super eos.* Asmodæus libidinum præses libidinosos sibi vendit. cap. 6. v. 17. tos & mancipatos habet, quos etsi non statim jugulet, eos tamen sub unguibus suis facilè coërcet. Idcirco Paulus: *Fornicatores*, inquit, *& adulteros judicabit Deus.* Addit: *Honorabile connubium in omnibus, & torus immaculatus.* Quibus altiùs in animum imprimendis Augustinus: *Sit castus*, inquit, *cum conjuge torus non sit effrenata luxuries libidinum, quia membra estis Christi ambo.* Conjugium sit honorabile in omnibus, ne verecundia, decorum, concordia violetur. In omni hominum statu certæ sunt pudicitiæ ac castimoniæ leges. *Beati mundo corde.*

CAPVT XVII.

Tobias junior in ambiendâ conjuge, quæ septem viros extulit, impavidus.

TObias unà cum regio, ac cælesti, sed ignoto tabellario divertit ad patruum suum Raguelem, qui adventores insperatos gaudio magno excepit, & mirè hospitalem se monstravit. Sermonis initium fecit Raguel. Nam Tobiam suaviter intuitus, & conjugem compellans: *Quàm similis est*, inquit, ô Anna, hic juvenis, *consobrino meo.* Mox instituit quærere, unde advenissent, & an Tobiam nossent virum integerrimum, tribulem? Cui ambo: *Novimus*, dixerunt. Hîc multa Raguel in Tobiæ laudem instituit commemorare. Orationem prosecutus Angelus: *Tobias*, inquit, *quem jure merito prolixè laudas, istius juvenis parens est.* Hîc Raguel lacrymis è gaudio prorumpentibus, Tobiam complexus & osculatus: Mi fili, ait, quàm sancti parentis es filius! Non minùs Anna uxor, & Sara filia lacrymatæ sunt, ad tam grati hospitis adventum. Mox Raguel culinæ dans dictata convivium parari jussit. Cúmque epulis jam illatis ad accubitum invitaret, Tobias ingenuè professus est se nihil cibi potúsve libaturum, nisi priùs, quod rogaturus esset, impetraret. Audacter ergo Saram Raguelis filiam in uxorem postulavit. Cohorruit ad has preces Raguel, qui sciret, quo fato septem mariti ordine fuissent extincti. Non ergo sine ratione veritus ne idem huic juveni eveniret, anceps animi hærebat, quid diceret. Cúmque diutulè fileret; Angelus sequester optimus: Quæso te, inquit, omnem animo timorem pellas, & isti filiam tuam ne nega conjugem.

Multa hîc ampliore digna sunt, vel elogio, vel explicatu. 1. Raguelis hospitalitas. 2. Admirabilis similitudo ac dissimilitudo inter homines. 3. Lacrymæ è gaudio natæ. 4. Conjugii ambitus. 5. Raguelis metus. At nos ex omnibus hoc sumemus ultimum. Raguelis metum & unà impavidum Tobiæ animum explicaturi, quantum mali vanus, fatuus timor adferat: & quid in Orbe maximè timendum.

§. I.

Psalm. 110. v. 10. DE optimo timore dixit Psaltes: *Initium sapientiæ timor Domini.* Verto & canto: Initium stultitiæ, timor Mundi, timor vanus & fatuus. Judæi certè in hac timidorum classe numerandi: Cùm enim exploratores eorum ex uberrimâ Chanaitidis regione rediissent, terram quidem illam fertilissimam lacte & melle manantem plurimùm commendabant, allatos fructus spectandos exhibebant, *Sed cultores*, ajebant, *fortissimos habet, & urbes grandes nimis, atque muratas. Stirpem Enac vidimus ibi.* Ad hos sermones ea plebem trepidatio incessit, ut reditum cogitaret in Ægyptum. En plebeculæ stultissimæ vanissimos timores! Non enim ista, quæ metuebant, ipsi viderunt, sed ex aliis tantùm audierunt. Nec ignorare poterant famâ & rumoribus omnia in majus extolli. Diserant quidem exploratores, urbes esse grandes nimis, sed si fidem habuissent prudentiæ humanæ, respondissent, tantò citiùs fame domandas & occupandas. Super hæc omnia expressissimum Dei promissum contempserunt, dum sibi nimias vires hostium, quibus nemo satis possit resistere, animo finxerunt. Hinc inconditi clamores illi: *Vtinam mortui essemus in Ægypto & non in hac vastâ solitudine! Vtinam pereamus, & non inducat nos Dominus in terram istam, nec cadamus gladio, & uxores ac liberi nostri ducantur captivi. Nónne melius est reverti in Ægyptum? Constituamus nobis ducem, & revertamur in Ægyptum.* Stultitia luculentissima! O verè stultitiæ principium, timorem vanum! Nam reditus in Ægyptum nec quidem poterat somniari. Nam unde illis commeatus? Manna Deus non dedisset tam rebellibus. Objectum mare quomodo superassent? Quomodo eos Ægyptii salutassent? Tot millia suorum in mari submersa non fuissent ulti? Ergo cogitare illuc reditum stultitia, imò insania merissima. Sed initium hujus stultitiæ timor vanus. Porrò Josue & Caleb ut seditiosum populum sedarent: *Nolite*, ajunt, *rebelles esse contra Dominum, neque timeatis populum terræ hujus, quia sicut panem, ita eos possumus devorare. Recessit ab eis omne præsidium, Dominus nobiscum est, nolite metuere.* Deus nobis terram Chanaan promisit: quis iste tam puerilis timor, ad pollicitationes divinas trepidare; iis diffidere; ab hostibus, quos divina vis obteret, metuere, & pavore marcere? Reverà Deus timores tam vanos insigniter punivit: nec enim pervenerunt, quia se perventuros diffidebant. Fiat ergo vobis secundùm fidem vestram, secundùm stultum timorem vestrum. Animus timidus & metu abjectus nil unquam egregii patrabit. Inanis metus omnium virtutum remora.

Num. c. 14. v. 2. & 4.

Ibid. v. 9.

Eorum punitio.

Perversi trepidant, & ad omnia fulgura pallent.

Sicævo Christi Hebræi Pontifices, & Pharisæi, totumque concilabulum trepidabat. Hinc meticulosæ volabant voces illæ: *Quid facimus? hic homo multa signa facit.* Si sinamus hunc vitum concionari & opera miranda edere, omnem ad se populum trahet, omnes illi credent; nos cum Mose nostro spernemur. Neque hanc occasionem negligent Romani; mox aderunt, gentémque nostram suæ potestatis facient, nósque omnes in ordinem redigent unà cum terris nostris. Maturè igitur rebus consulendum, seditiosi excursus & concionès ad populum prohibendæ.

Pontifices Hebræi & Pharisæi ævo Christi.

Ioan. cap. 11. v. 47.

O boni Domini! Principium stultitiæ timor vanus. O ridiculi senatores, hominem innocentem occidere non veremini & ipsa hominis innocentia in metu vobis est. Fatua timiditas, horrere à præterfluente rivulo conspergi paullulum, & in eum interim totum prolabi. Quod psaltes regius dixit: *Illic trepidaverunt timore, ubi non erat timor.* Pontifices & Pharisæi metuebant, ne terram perderent; cælum & terram simul perdere non curabant.

Psal. 13. v. 5. Psal. 52. v. 6.

§. II.

SEdeciæ Regi malum metum injicientes regni proceres de Hieremiâ Prophetâ: *Rogamus*, ajunt, *ut occidatur homo iste: de industriâ enim dissoluit manus virorum bellantium* &c. *Siquidem homo iste non quærit pacem populo huic, sed malum. Et dixit rex Sedecias: Ecce ipse in manibus vestris est: neque enim fas est regem vobis quidquam negare.* Ita formosis rationibus & picto metu Hieremiam eorum potestati tradidit. Mox illi insontem in cænosam foveam dejecerunt. Initium stultitiæ timor vanus.

Sedecias. Hier. c. 38. v. 4. & 5.

Idem prorsus evenit Danieli. Persarum satrapæ omnem lapidem moverunt, ut specioso nomine liceret Danielem damnare ad leones. Darius *rex pro Daniele posuit cor, ut liberaret eum, & usque ad occasum solis laborabat, ut erueret illum.* At primates regi incusso metu: *Scito rex*, inquunt, *quia lex Medorum, atque Persarum est, ut omne decretum, quod constituerit rex, non liceat immutari.* Rex victus vanâ formidine, importunis accusatoribus cessit.

Darius. Dan. cap. 6. v. 14. & 15.

Illis

Illic trepidavit timore, ubi non erat timor. Ita Daniel culpæ purus leonum dentibus est objectus: objecit timor vanus stultitiæ principium.

Discipuli Christi. *Matt.c.10. v. 28.*

Servator noster Christus suos animans: *Nolite*, inquit, *timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere: sed potiùs timete eum, qui potest animam & corpus perdere in gehennam.* Nimirum umbra gladii formidanda non est, sed gladius. Corporis interitus umbra gladii est, mors animi ipse gladius, qui adigitur in hominem, quem jugulaturus est æternùm. Socrates in Platonis Phædone: Tu verò, inquit, tuam metuis umbram. Steriliſſimus hic metus est, quod & vetus verbum opprobrat, utilem suam metuere.

Nos homines.

Nos homines meticuloſi noſtram ipſi umbram horremus in plurimis. Servus extimeſcit ſuum Dominum quandoque magis, quàm Deum ſuum; aſſentitur hero, quà non licet, quà non decet. Ita herum ſibi conciliat, Deum à ſe alienat perverſiſſimo metu. Romanus Præſes Pilatus Tiberium Imperatorem ſuum metuit, Deos ſuos non metuit, inſontem auſus in crucem ſuffigere. Pecuniæ jacturam in metu ponimus, Philippeos aliquot, imò pauculos ſeſtertios amittere, damnum irreparabile cenſemus; quis jacturam cæli, diſpendium æternitatis luget? Ignominiam, probra, contemptum horremus, futuram in judicio ſupremo coram omni humanâ gente infamiam non pertimeſcimus. Invaletudinem, morbos, dolores pavidi refugimus, & inferorum cruciatus, ignes æternos, flammas nunquam deſituras non perhorreſcimus: ad primæ mortis adventum tremimus, illam immortalem alteram non formidamus. Peccare non veremur, ſed pœnitentiam agere; prædari inter metuenda non ponimus, ſed reſtituere; venenum non averſamur, ſed Alexipharmacum, veneni antidotum; ſordes non cavemus, ſed balneum; ad cæliſum è nube fulmen conſternamur, at fulmen illud ſupremi judicis: *Diſcedite à me maledicti in ignem æternum*, heu quàm rarò cogitamus, de futuris malis peſſimè ſecuri.

Romanus præſes Pilatus.

Matt.c.25. v. 41.

Plin. Nat. hiſt. lib.25. cap.2. poſt med. mihi pag.560.

Naturæ panegyrites Plinius de vulnere canini rictûs memorans: Inſanabilis fuit ad hoſce annos, inquit, tabidi canis morſus, pavorem aquæ, potúſque omne afferens odium. Quem Cerberus commorden ſauciat, is plerumque aquam pœnitentiæ reformidat; ipſum accuſare, animi vulnera detegere, amarius medicamentum admittere, dura videtur neceſſitas. Sed, obſecro, pareamus religioni, & non maſi remedium, ſed malum ipſum metuamus, peccatum fugiamus, non exomologeſin peccati, Cerberi morſus ſanare non abhorreamus.

§. III.

VIr integerrimus ab exploratâ ſanctimoniâ notus interrogabatur, quid in Orbe rerum præcipuè timeret? Nihil ſanè, ajebat, nihil timeo. At illi certatim quæſtionibus urgebant virum: Non times lanienam cordis, angores conſcientiæ? Num mortem non times? Non penitus. Non times diabolum? Tam parum atque canem mortuum. Non times inferorum ſupplicium? Neutiquam. Non Mundum, non inſidias, non tyrannos, & tormenta times? Nil eorum timeo. Deum ſaltem timebis. Deum, inquit, amo non timeo. Dic tandem; quid ergo times? Nihil ſuo ſole, nihil ſupra ſolem, nihil in Orbe hoc univerſo timeo; & dicti rationem cœpit reddere. Egeſtatem, inediam, nuditatem, famem, ſitim, & hæc talia non timeo; quia mala eſſe non poſſunt niſi malis. Nam & filius Dei pauper fuit, eſuriit, ſitiit, nudus in crucem aſcendit. Morbos & dolores non timeo, hæc ſobrium faciunt animum, & vel nolentem compellunt ire ad Deum; Dei filius in doloribus fuit. Infamiam, contumelias, maledicta, calumnias non timeo, hæc enim ad modeſtiam ſalubrem deprimunt: nec enim ego contemni magis, aut irrideri poſſum, quàm contemptus fuerit & irriſus Dei filius. Mortem non timeo, hæc enim fores A cæli effringit. Somnium non timemus, quid verò aliud eſt noſter obitus, niſi prolixior ſomnus? Dei mater, Dei filius eſt mortuus, amici Dei quotidie moriuntur. Diabolum non timeo, quò enim magis me dolis tentat & vexat, hoc ego Deum arctiùs complector & ſtringo, plus inde præmii ſpero. Gehennam, damnatorum carcerem, non timeo, pro ſolis enim diabolis & Dei inimicis ædificatus eſt; Ego Deum amo, & Dei amicum eſſe me cenſeo, ſaltem eſſe laboro. Tyrannos afflictores, carnifices, tortores non timeo; nam hi ſunt Dei aurifices, qui aureas nobis & gemmatas fabricant coronas. Sed neque Deum timeo, quia in Orbe toto fideliorem amicum non habeo, amicorum omnium fideliſſimum, optimum. Ita nec inferos, nec diabolos, nec humanas miſerias, nec cruciatus ullos timeo. Nihilominus timore magno ſum. Quid ergo, inquiunt, times? ſi nihil times; & interim plurimùm times? Quibus ille demum apertiſſimè hunc in modum reſpondit: Nihil, hoc eſt, peccatum ſupra omnem modum timeo. Nam, ut noſtis, peccatum eruditis eſt non ens, ſeu, nihil. Ita unicè timeo hoc ſolum Nihil, ſeu peccatum, quod à divinâ lege & rectâ ratione difformitas eſt.

Atque hæc illa eſt Larunda, quæ filium ſuum diabolum in cælo quidem peperit, ſed non in cælo educavit. Hoc monſtrorum omnium prodigioſiſſimum monſtrum reverà ſolùm & ſummè timendum. Abjiciamus tot vanos & ſuperfluos timores. De fiduciâ in Deum multa dixi & ſcripſi, ſed nunquam hactenus ſatis eam commendare potui. Nil enim æquè Deo placet, quàm cùm ſummâ in eum fiduciâ nos illi totos integerrimè committimus. Tunc autem exercendæ hujus fiduciæ maxima eſt occaſio, cùm animus metu ſuſpenſus & fractus pleroſque omnes alios advertit pavidos, formidinis plenos; Tunc enim maximus votorum locus, cùm ſpei nullus. Non immeritò Navarchus ortâ tempeſtate prætrepidos illos & effeminatè pavidos objurgat, eiſque in os exprobrat: Apparet vos maris & navigationum planè inexpertos: Hi maris mores ſunt: mare fugiat, qui procellas adeò formidat. Hæc timidis & metu abjectis occinenda: Nunc animum exere, & oſtende, quòd fidas Deo. Tunc plurimum ſit animi, cùm plurimum eſt periculi. Et certè, quò magis humana deſunt auxilia, hoc magis nitendum eſt divinis. Corde vanum metum excute. Lorica nulli telo penetrabilis eſt, *Nil timere, niſi peccatum.* Nec enim ullum in Orbe malum eſt, niſi ſolum peccatum, è quo mala omnia naſcuntur. Tobias etſi ſciret jam ſeptem maritos Saræ ſubitâ morte oppreſſos, nihilominus velut omnis periculi ſecurus hanc ipſam Raguelis filiam, quæ virorum ſeptem interfectrix habebatur, in conjugem ſibi animoſiſſimè depoposcit. Comiti ſuo credidit ad iſtam ſeſe petitionem animanti. Ita nec jugulantem diabolum, nec improviſum fatum, ſed ſolum timuit peccatum. Animus Tobiæ in rebus ceteroqui formidoloſiſſimis impavidus. Pellamus igitur vanum timorem, & quòd vir ille ſanctus maximo ſubſidio habuit, Nihil, hoc eſt, unum atque unicum peccatum timeamus. Sapientia clamat: *Qui me audierit, abſque terrore requieſcet, & abundantiâ perfruetur, timore malorum ſublato. Fugit impius nemine perſequente, juſtus autem quaſi leo, confidens abſque terrore erit.* Quod Siracides confirmans: *Qui timet Dominum*, inquit, *nihil trepidabit, & non pavebit, quoniam ipſe eſt ſpes ejus.* Enimverò cur paveat? ſi Deus pro illo, quis contra illum?

B

C

D

Nil æquè Deo placet, quàm cum ſummâ in eum fiduciâ nos illi totos integerrimè committimus.

Lorica nulli telo penetrabilis eſt, Nil timere, niſi peccatum.

Peccatum eſt, Nil timere, nihilominus peccatum.

Prov.cap. v. 33.

Iſaiæ cap. v. 1.

Eccli.cap. v. 16.

Rom.cap. v. 31.

CAPVT XVIII.

Tobias ab bene agendi occaſionem attentiſſimus.

CVm Raguel ad Tobiæ petitionem de filiâ ipſi nuptum locandâ cunctaretur annuere, Angelus partes ſuas

tes suas interponens, animum Raguelis erexit, suasitque ne assensum extraheret, sed potiùs divinam laudaret providentiam, quæ sibi generum submisisset tam bonum. Ergo matrimonium contrahitur, matrimoniales tabulæ scribuntur, dos filiæ despondetur, dantur sponsalia, nuptiæ junguntur.

Quàm Deus res humanas mirandis temperat eventibus! Tobias à parente mittitur ut decem argenti talenta apud Gabelum deposita repetat; ille non pecuniam tantùm, sed & uxorem omni pecuniâ longè digniorem domum revexit, feminam oppidò prudentem & piam, virtutibus ornatam, gemmis omnibus præstabiliorem. Hanc nactus est, quam non quæsivit, sed ab occasione oblatam accepit. Hinc Raguel divinam providentiam extollens: *Non dubito*, inquit, *quòd Deus preces* Tob. cap. 7. vers. 14. *& lacrymas meas in conspectu suo admiserit. Et credo, quoniam ideo vos fecit venire ad me, ut ista conjungeretur cognationi* Deus bene agendi occasionem suppeditat. *sua.* Ita Deus bene agendi occasionem suppeditat. Apprehendis? Facilè ducis capillatam quò vis. Negligis? Mox calva erit, in nullum trahenda commodum. Hîc igitur explicandum, quàm occasione oblatâ utendum sedulò.

§. I.

HEsiodus sapienter dixit: *Opportunitas in omni re optima.* Et Germanorum vetus verbum submonet: Para tibi tibias dum inter salicetum ambulas, in pratis extra non licebit. Occasionis frons comata est, occiput calvum. In sacro Salomonis carmine narratur sponsus è cælo animæ dilectæ fores adiisse, pulsasse, aditum petiisse. At illa morabatur, & deliberabas, lentè moliebatur surgere; & tandem cubitu surrexit. Sed serò nimis; jam recesserat sponsus. Hinc illæ dolentis querulæ voces: *Pessulum ostii mei aperui dilecto meo; at ille declinaverat,* Cant. cap. 5. vers. 6. *atque transierat.* O bona filia, dilectus homines promptos & celeres querit, qui non diu deliberent & morentur. Si redierit, vide ut ipsius pulsare, sit tuum aperire; quamprimum adest, arripienda est occasio.

Nautæ aut primùm secundus & favens adspirat ventus, mox navim impellentes clamant. Agite nunc sultis, agite, pergamus dum ventus dat operam. Idem in virtutis studio, & in rebus actuosis omnibus observandum. *Opportunitas in omni re optima.*

Mercatores nec minimum lucelli tempus negligunt, nec enim ignorare possunt, multa modica in acervum denique ingentem excrescere. Rutha egestatis suæ non ignara tempus colligendis spicis opportunum studiosissimè observavit. Quâ quidem re opes magnas feliciter Val. Max. lib. 6. cap. inter Exempla, pag. 361. enisa est. Semiramis Assyriorum regina dum calceatur, dum vestitur, dum caput & capillos componitur nuntium non lætum audit, Babylonem defecisse. At illa, ut illico in rem præsentem veniret, passos, turbatósque crines ventis involitandos præbens, omnia moliri & satagere, nec priùs decorem capillorum in ordinem, quàm tantam urbem in suam potestatem redegit. Ita demum factiosâ urbe compositâ & alteram crinium partem colligandam dedit. Quocirca statua ejus Babylone posita est illo habitu, quo ad ultionem exigendam celeritate præcipiti tetendit.

Parva momenta sæpe maximas rerum attulerunt mutationes. Nocuit differre paratis. Jam tunde ferrum, tunde, tunde, dum candet. Prudenter dixit Romanus Cicero Philipp. 5. Boſquier in Amiac. mihi pag. 393. orator Tullius: *Minimis momentis maximæ temporum inclinationes fiunt.* Philippus Bosquier è divi Francisci familiâ vir eruditus asserit, Ernestum Comitem Mansfeldium centum pæne annorum senem sæpius dicere solitum, quod ab ore dicentis exceperit: Qui tempus expectat, cùm tempus habeat, in tempus incidet, quo eum moræ pœniteat. Nimirum:

Fronte capillata est, sed pòst occasio calva.

Occasio actionum anima, & rerum omnium bene gerendarum mater est. In eam rem hortatur regius psal-

A tes: *Hodie, si vocem Domini audieritis, nolite obdurare corda* Ps. 94. v. 8. *vestra.* Si hodie, si hac horâ sit occasio bene agendi, arripite occasionem. Si hodie, si hac horâ dilectus ad fores pulset, quàm primùm aperite, ne declinet & aliò transeat.

§. II.

MArcus Cato, quod Frontinus memorat, in Hispaniâ Frontin. l. 3. Strateg. c. 2. brevissimo tempore loca munitissima occupavit complura primis insultibus. Interrogatus, quâ tandem arte, quibus viribus id effecisset, id unum respondit: Usus occasione, iter quatridui, biduo confeci. Eâdem usus occasione, ad omnes civitates, quas Romanis subjicere cogitarat, misit litteras, sed ejusdem omnino argumenti, & eodem prorsus tempore tradendas, quibus imperavit, ut lectis litteris, quamprimum mœnia solo æquarent; ni parerent, eas vim experturas, & apud Romanos in offensâ futuras. Quælibet earum urbium sibi uni id imperatum credidit, ita omnes obtemperarunt, B & fecerunt jussa. Quòd si spatium decisset deliberandi, communicatis inter se litteris ac consiliis, factâ conspiratione nunquam paruissent. Occasionem capillatam Cato in rem suam traxit.

Sanctissimi quique homines, quàm sollerter & industriè omnem bene merendi occasionem vestigarunt, inventâ quàm accuratè & gnaviter sunt usi! Beatus Paulus Athenis à Stoicis & Epicureis philosophis cinctus rationem poscebatur ejus, quam spargeret, doctrinæ de Resurrectione & Christo. Dum autem in Areopagum duceretur, transeundo vidit aram cum hac inscriptione, *Ignoto Deo.* Hinc ille occasionem arripiens, & ex tempore struens exordium: *Viri Athenienses*, inquit, *per omnia* Act. c. 17. *quasi superstitiosos* vos video, prætereuntes enim, & videns simu-* vers. 22. *& seqq.* *lachra vestra, inveni & aram, in quâ scriptum erat*: Ignoto * Superstitiosiores; alia exer. Maria. *Deo. Quod ergo ignorantes colitis, hoc ego annuntio vobis: Deus, qui fecit Mundum, & omnia, quæ in eo sunt, hic cæli & terræ cùm sit Dominus, non in manufactis templis habitat.*

C Occasione usus pulcherrimè veri Numinis cultum instillabat.

Ita Joannes Baptista discipulis eum ad Christi dignitatem evehentibus, causam & occasionem sumpsit, mittendi ad Christum duos è suis, velut legatos, quibus dicendum illud commisit: *Tu es, qui venturus es, an alium expectamus?* Noverat eâ occasione discipulos suos actuosâ Christi sapientiâ ita imbuendos, ut desituri sint falsa opinari. Ita Christus ipse artificiosissimè usus occasione, ad fontem Sichar ex itinere fessus substitit, quò venturam noverat Samaritidem adulteram. Ab eâ velut sitibundus viator primulùm fontanam petere, deinde sensim aliò sermonem trahere, de Dei donis & aquâ vivâ disserere, immortalis vitæ desiderium movere, denique ut accersat virum, jubere, & occulta quæque pandere. Ita mulier victa manus dedit Christo, religionem & mores mutavit. Haud aliter Christus occasione usus Hierosolymis, ad convivia & mensas se vocari passus, D subinde etiam invocatus ultro venit ad prandium, quò scribas & pharisæos præsciverat venturos? Nempe omnem occasionem quæsiit hos homines alloquendi, erudiendi, ad se trahendi. Venator feras sequitur, non feræ venatorem. Oblata occasio, si non repudiatur, lucri maximi esse solet. Dum vivimus, horis singulis locus nobis datur exercendæ virtutis. Curtis nostrûm dicitur: Tempus oblatum noli prætermittere.

Data occasione Joannes Baptista mittit duos è suis ad Christum. *Matth. c. 11. vers. 3.* Christus ad fontem Sichar substitit ut Samaritidem instrueret.

Sic Hierosolymis se ad convivia vocari passus, ut Scribas & Pharisæos eruditet.

§. III.

QVod Paulus omnium animis infixum cupiens; *Ecce*, ait, *nunc tempus acceptabile; ecce nunc dies salutis.* 2. Cor. c. 6, vers. 2. Quanta occasio largiendæ stipis! *Nam*, verbo Christi, *semper pauperes habemus nobiscum.* Hi petitores oblivioni Matt. c. 26. vers. 11. nostræ medentur, rogant, monent, vellicant, urgent & instant: Christus sponsor appromittit, & cautionem præstat, eleemosynas omnes cum ingenti fenore restituendas;

tuendas: nihilominus cunctamur, & occasione non utimur. Quanta ubique precandi occasio! tot templa, tot ædes sacræ, tot sacella, tot domi recessus & loca sola, tot exhortationes ad precandum, tot bene precantium exempla. Nihilominus occasione non utimur, & tot horas garrulis nugis transmittimus. O aurea occasio; ubi transieris, quàm eris plumbea! Et quanta occasio jejunandi? monent stati dies, cineralium tempus, Ecclesiæ leges, Christi patientiæ memoria. Quanta porrò est occasio patiendi pro Christo? Nullius rei vilior est annona quàm afflictionis & pœnarum. Nusquam deesse potest, quod vexet, torqueat, cruciet. Horis pæne omnibus sua hæret cruciabilitas. O gemmea nunc occasio, quàm omne perdis pretium neglecta! Nihilominus tot pretiosissimas negligimus occasiones. *Ecce nunc, ecce tempus acceptabile, & dies salutis.* Quâ in re duo potissimùm expendenda summatim subjicio.

De occasione duo expendenda: 1. Occasionis indoles est, ut fugiat non illico arrepta.

I. Occasionis indoles hæc est, ut fugiat non illico arrepta. Occasio enim est punctulum temporis ad ea, quæ conducunt vel peragenda, vel providenda opportunum. Qui punctum illud temporis non tangit, procul ab ostio cæli peregrinorum abit. Idcirco Pittacus è septem Græciæ sapientibus prudenter monuit: γνῶθι καιρόν. Nosce tempus. A momento pendet æternitas, si ictus iste temporis negligatur, si tantulum offensum, tituba-túmque sit, æternitatis beatitudo intercidit. Serum est in mediis malis cavendi tempus.

2. Occasio ubi abierit in omnem æternitatem non redibit.

II. Hæc, & hæc, & illa, & ista occasio, quæ hac hebdomade, hoc die, hac horâ, hoc temporis articulo venit, ubi abierit, in omnem æternitatem non redibit. Alia forsan, atque alia succedet, sed ea ipsa brevî avolatura. Hanc igitur hebdomadem, hunc diem, hanc horam, hunc ipsum temporis articulum fac tuum, tibi applica, & lucrum tuum converte.

Apud inferos summi, ac immensi erit doloris, desperatissimæ pœnitentiæ tot optatissimos dies, tot optimas horas, tot imò menses, tot annos, tot commodissimas occasiones neglexisse. Seræ nimiùm sunt voces illæ: O si vel horulam, ô si vel horulæ partem! Serum est in mediis flammis dolendi tempus.

Idcirco quisque sibi ipse dicat: Nunc igitur orabo, nunc jejunabo, nunc stipem dabo, nunc adversa quæque tolerabo, idque hac die, hac horâ. Quid die crastinâ, quid hebdomade alterâ, quid sequenti mense, quid anno proximo facturus, quam occasionem sim habiturus, incertissimum. Sed habeam sanè occasionem, non erit ista, si eam neglexero, sed alia. Utar igitur præsente, occasionem hodiernam inutiliter elabi non sinam: quis novit, num secutura sit crastina, vel perendina? Hodie vocem Domini sequar, an eam cras iterum sim auditurus inter futura, ideo inter incerta numerandum. *Ecce nunc tempus acceptabile. Dixi, nunc cœpi.*

Ps. 76. v. 11.

CAPUT XIX.

Tobias junior orationis crebræ studiosissimus.

INito matrimonio, datóque nuptiali epulo, conclave Raguel novis conjugibus habitandum assignavit. Tobias primitus in illud introductus, præceptionem sui comitis mente memori cæpit revolvere. Ergo jecoris è pisce sumpti partem imposuit prunis, ad arcendum cacodæmonem. Hîc variæ ponuntur quæstiones. 1. An per hepatis fumum expulsus sit dæmon. 2. An ulla naturalis huic fumo efficientia sit tribuenda. 3. Possintne alia sensilia, exemplo hujus jecoris adversus dæmones parari? 4. Quomodo & quare Asmodæus à Raphaële sit apprehensus & ligatus? 5. Quo loco, quâ de causâ, quamdiu ligatus sit Asmodæus? Sunt, qui ad plura talia exactè respondeant. Aliquam hujus rei jam

Nicolaus Serrarius in c. 8. Tobiæ, mihi p. 79.

A suprà mentionem fecimus. * Jam nobis ad ista non vacat. Nec enim faciunt hæc bonos, sed doctos. Hîc autem vitæ discimus, non scholæ.

* Supra cap. 15.

Tobias igitur Raguelis filiam, quam in conjugem jam duxerat, illustri pietatis argumento ad preces cohortatus: *Exurge, inquit, & deprecemur Deum hodie, & cras, & secundum cras.* Et ejus rei geminas addit rationes, 1. *Quia his tribus noctibus Deo jungimur.* 2. *Filii quippe sanctorum sumus, & non possumus ita conjungi sicut gentes, quæ ignorant Deum. Surgentes autem pariter, instanter orabant ambo simul.* E tanto precandi studio rectè asserimus: Tobias crebræ orationis studiosissimus. Hîc explicandum, quâ ratione quotidie non semel dumtaxat, iterúmque, sed sæpius orandum.

Tob. cap. 8. vers. 4. & seqq.

§. I.

LIceat hîc succinctâ catecheſi quærere: Quoties, mi Christiane, de die oras? num manè ac vesperi, num quando discumbis, aut è mensâ recedis? Quòd si oras, quamdiu? an orationem ut ceremoniam capessis, an verò ut debitum obsequium perficis? Da veniam, quòd hæc interrogem: plerunque ad precandum non perinde atque ad epulandum prompti sumus. Sed aurem jam accommoda. Primum, quod ad crebriores preces impellat, est Tobiæ cohortatio: *Exurge deprecemur Deum. Exurge*, oremus, sed animo alacri, prompto, volenti & attento, quíque hoc unum, quod agit, agat seriò. Rex David Salomonem filium ad templi structuram animans: Ego, inquit, lignorum & lapidum, ferri, argenti, & auri impendiæ paravi. *Surge igitur, & fac, & erit Dominus tecum.* Creberrimè opus foret hominem languidè precantem his talibus extimulare: Surge, torporem excute: cum Deo loquendum est: age, quod agis, & quidquid in te cogitationum, quidquid virium est, in hoc unum impende, ut attentè ores. *Quia Deo jungimur*, inquit Tobias. Ad intimam cum Deo conjunctionem nobilissimum est adjumentum oratio. Ubi rarò aut perfunctoriè oratur, mens Deo non conjungitur.

Ad preces crebriores impellitur: 1. A cohortatione Tobiæ.

1. Paralip. c. 22. v. 16.

II. Tempus ipsum tam matutinum, quàm vesperti-num, tam antemeridianum, quàm pomeridianum orationis nos monet. An non æquissimum est, ut homo Christianus tam manè, quàm vesperi duo hæc attentissimè commeditetur. 1. Peracta est & ista nox. Bonus Deus ad hunc usque diem me pervivere concessit. Quot hominum millia hac ipsâ nocte præteritâ transierunt ad plures? Ego etiámnum vivo. Ergo Domino meo, & Deo meo gratias omni jure debitas meminero. 2. Jam diem auspicor, quo, nisi me Deus tueatur ac dirigat, periculis & tentationibus plurimis expositus in exitium ruam. Quid enim mali vel dies unica invehere non potest? Perii, nisi dextera Numinis mihi opituletur. Toto igitur animo Deum precabor, ut me ducat, regat, custodiat. Absque divino præsidio nullus sum. Quod manè nobis, hoc & vesperi præstandum, agendæ gratiæ, deprecandæ culpæ per eum diem commissæ, tranquilla nox efflagitanda. Hoc sanè & nobis ipsis & Deo debemus. Pari modo mensa precibus initianda, & inter preces deserenda. Non priùs accumbendum, nec ante ab accubitu recedendum, nisi & præmissâ & subjunctâ oratione. Tam prandii, quàm cenæ, omnisque refectionis exordium, & epilogus sit oratio. Verùm eò prolapsi sunt mores, ut multi Christianorum erubescant ad mensam stare, ac precari. Nimirum id officii pueris & puellis relinquunt. Interim ipsi circumspiciunt, fabulantur, garriunt. Pudet agere Christianum. Hem verecundiam prorsus stolidam & impiam! Omnes, mendicabula sumus; omnibus ad Magni Regis ostium mendicanda est sportula. Hîc nemo Rex, nemo Imperator eximius; nemo non succlamare cogitur: *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.* Quòd si nescio quam opulentiam jactare placeat, si eleemosynas petere, datis gratias

2. A tempore ipsius. Duo hominis Christiano tam manè quàm vesperi commeditanda.

Omnis mensæ refectionis exordium & epilogus debet esse oratio.

Matth. c. 6. vers. 11.

tias agere, mendiculum se profiteri verecundiæ sit & pudori, ad bestias ablegabimur: Ite pecudes ad vestra pascua, ad præsepia vestra, quæ nec prævia precatione, nec posterâ, sacratis. Ite boves, & asini, cibum ingerite ventri, nil opus gratias referre Deo largitori. Nos aliter eruditi Christus præceptis & exemplo. Nam cibum sumpturus, aut divisurus: *Intuens in cælum benedixit & fregit.* Nos frangimus; at verò intuitus in cælum, benedictio, gratiarum actio ubi est? Exurgite, deprecemur Deum, & cras, & omnibus vitæ diebus.

Matth. 14. vers. 19. Marci c. 6. vers. 41. Luc. cap. 9. vers. 16. Joan. cap. 6. vers. 11.

§. II.

III. A Priscis Philosophis & ipsis idololatris.

III. PRiscis philosophis, & ipsis idololatris hoc solenne fuit, statis per diem temporibus venerari Deum. Pythagoræ religiosa præceptio est: Salutate Auroram. Apollonius Thyanæus, teste Philostrato, suos docuit, ad Auroram cum Diis versandum: ita quidem, ut in lucis ortu cum Diis loquerentur, & Diis in progressu. Alexander Severus Imperator, quod Lampridius de illo prodit, matutinis horis in larario rem divinam faciebat. Non litigem, vero an falso Numini id præstiterit obsequii: illum certè veneratus est Deum, quem putarat esse verum. Illius mater Mammæa minimè exosam habuit religionem Christianam, quæ illo ævo, maximè hymnos antelucanos Christo canere solebat. Nunquid deteriores esse idololatris placet? Et nec diluculo, nec crepusculo; nec ad Luciferum, nec ad Hesperum, Deum precibus venerari, sed neque auroram, neque vespernam cultui divino consecrare. Quot homines sunt languidæ, imò sepultæ pietatis, & pecudes potiùs, quàm homines, qui diem ordiuntur & finiunt sine omni Dei & divinorum memoriâ? Nullæ preces, nulla gratiarum actio, nulli ad cælum gemitus eunt. Manè calentem nidum ægrè ac serò deserunt. E lecto ad laborem. Nec isti tamen pessimi sunt. Alii è lecto ad fabulas rectà & ad nugas, alii ad jentaculum viâ proximâ, aut ad ipsum prandium. Vix semisomnes oculos exterierunt, & jam cochlear aut cyathum manu tenent, aut jam ad abacum lusorium sedent, & fritillum movent, aut chartulas pictas miscent. Nimirum hæc illorum sublucanæ sunt ad Deum aspirationes. Atqui hi prout diem incipiunt, ita eundem finiunt. Nempe qualis prologus, talis & epilogus est. Neglectis precibus & surgunt, & cubitum eunt. Diceres fessos à tritura boves in stramenta procumbere. Salutis nulla cogitatio, cura conscientiæ nulla. Vix vestem excutiunt, & raptim lectum insiliunt. Vix manè laciniam injiciunt, & ad sua vel negotia, vel otia indocta convolant profanissimi. Si deteriores illis esse non recusamus, tam manè, quàm vesperi ad Deum vigilemus, principium mensæ ac finem precibus frequentemus. Exurgamus & deprecemur Deum, quia sic jungimur Deo.

§. III.

4. A Priscis Patribus.

IV. ORationem tam matutinam, quàm vespertinam, eam etiam, quæ cibo præmitti & adjungi solet, plurimùm urgebant prisci Patres; nam istud unà cum Christianâ religione cœpit, & adolevit. Tertullianus disertissimè: *Non priùs*, inquit, *discumbitur, quàm oratio ad Deum prægustetur: Editur, quantum esurientes capiunt; bibitur, quantum pudicis est utile; ita saturantur, ut qui meminerint etiam per noctem adorandum Deum sibi esse; ita fabulantur, ut qui sciant Dominum audire. Post aquam manualem & lumina, ut quisque de scripturis sanctis, vel de proprio ingenio potest, provocatur in medium Deo canere. Hinc probatur, quomodo biberit. Æquè oratio convivium dirimit: inde disceditur non in catervas cæsionum, neque in classes discursationum, nec in eruptiones lasciviarum, sed ad eandem curam modestiæ & pudicitiæ, ut qui non tam cenam cenaverint, quàm disciplinam.* In nostri ævi conviviis benedictio præmitti solita plerumque est brevissima, gratiarum actio

Tertull. in Apologetico cap. 39. mihi pag. 82.

Tertull. in eadem Apolog. cap. 2. mihi pag. 7.

A nulla. Sed addens Septimius Florens: Plinius Secundus, inquit, cùm provinciam regeret, damnatis quibusdam Christianis, quibusdam gradu pulsis, ipsâ tamen multitudine perturbatus, quid de cetero ageret, consuluit tunc Traianum Imperatorem allegans, præter obstinationem non sacrificandi, nihil aliud se de sacris eorum comperisse, quàm cœtus antelucanos ad canendum Christo & Deo. Ipsius Plinii Secundi verba sunt: *Affirmabant autem hanc fuisse summam vel culpæ suæ vel erroris, quòd essent soliti stato die ante lucem convenire, carmenque Christo quasi Deo dicere secum invicem.* Plin. Secund. lib. 10. epist. ep. 101.

Ergo Christianorum olim proprium erat summo mane, idque ante lucem convenire & Christum Dominum sibi precibus in diem præsentem conciliare. Quod Chrysostomus frequenter non immeritò ac vehementer urgens: *Hîc sanè mihi*, ait, *& ad viros, & ad mulieres sermo est; flecte genua, ingemisce, ora Dominum, ut tibi misericors sit; imò inflectitur nocturnis precibus.* Et in exemplum B monstrat David regem, qui mediis noctibus ad precandum surgere solebat. At dicis: Laboravi pedibus multùm, & non possum. *Cavillum est*, inquit Chrysostomus, *& excusatio.* Vide tot in castris excubitores milites in pluviarum & nivium fœdissimis tempestatibus malè vestitos, ob vile stipendium, quod plerumque non accipiunt, sub dio vigilantes. Vide tot in urbibus opifices, ligharios & ferrarios fabros, sutores, pistores, viatores, totque alios, quorum opus horâ matutinâ quartâ jam fervet, quod adultâ nocte deseruerunt. Et quorsum tam operosæ vigiliæ? ad extundendam farinam, ad lucrandum panem. *Si nihil aliud*, ait Chrysostomus, *erubescamus, quòd nocturni vigiles ac custodes propter hominum leges obambulant in frigore clamantes, & in vicis euntes sæpe compluuntur, rigéntque propter te ac tuam salutem, pecuniarúmque tuarum custodiam. Illi pro tuis pecuniis tantam habent curam, tu neque pro animâ tuâ. Quare ipse Christus pernoctavit in monte? nónne ut typus nobis fieret?* Non autem hoc C agitur, ut precando totas noctes pervigilemus, sed ut saltem ad principium & finem noctis preces repetamus. Hîc vigila, flecte genua, Dominum ora. Exurge & deprecare Deum, quia sic jungeris Deo.

Chrysost. hom. 26. in Acta, mihi pag. 534.

Chrysost. loco citato.

§. IV.

5. A Prophetarum vocibus.

V. AD hoc ipsum orandi studium tot prophetarum vocibus excitamur. Rex David geminati regni curis intentus, negotii plenus, at verò nihilominus: *Memor fui*, ait, *nocte nominis tui Domine. Mediâ nocte surgebam ad confitendum tibi.* Nocte, inquit, nocte tui memor. *Nox & amor, vinúmque nihil moderabile suadent:* Vesper somniculosus, & xenter epulis fartus orationis studium non promovent. Nihilominus: *Nocte*, ait, *memor fui nominis tui.* Imò, *Mediâ nocte surgebam ad confitendum tibi:* sopor & quies mihi minimè tam chara, quin surgerem & orarem. Sed dicas: Quid magni, surrexisse hunc regem noctibus? Manè dormire potuit, dum libuit. D Falleris, ô bone, & imperitissimè vigilias regias interpretaris. Nam audi: *Præveni*, ait, *in maturitate & clamavi: Prævenerunt oculi mei ad te diluculo, ut meditarer eloquia tua.* Mane summo diem antevertens rex David cum Deo loquebatur. Etsi iis non urgeretur exemplis, quibus nostra somnolentia quot diebus excitatur. Hæc, obsecro una cogitatio animum nostrum altè penetret: jam mediâ nocte, jam horâ tertiâ, vel quartâ matutinâ vigilant complura millia hominum, qui aut itineribus, aut laboribus, aut studiis, aut precibus intenti sunt; ego non solus vigilo. Hac cogitatione Rex David sese impellere non potuit, tamen surrexit & oravit. Ita Jobus exurgens *diluculo offerebat holocausta per singulos.* Et unà secum ad eandem vigilantiam alios cohortatus: *Tu tamen*, inquit, *si diluculo consurrexeris ad Deum & omnipotentem fueris deprecatus, statim evigilabit ad te, & pacatum reddet habitaculum justitiæ tuæ.* Dies cum Deo & ordiendus & finiendus

Psal. 118. v. 55. & 62. *Ovid. lib. 2. Amor.*

Psal. 118. vers. 147. & 148.

Job c. 1. v. 5.

Idem cap. 8. v. 5. & 8.

est. Sumendum à Deo principium; omnis in eo finis claudendus; omnia Dei beneficia paratis gratiis accipienda. Exurgite ergo, & deprecemur Deum, quia sic jungimur Deo.

§. V.

6. A Servatore orbis Domino Jesu.

VI. AD hoc ipsum precandi studium Servator Orbis, Dominus Jesvs corporem nostrum suis tam præceptis, quàm exemplis excitavit. Et erat, quod Lucas asserit, *pernoctans in oratione Dei*. Ambrosius hanc pervigilis orationis ideam nictantibus oculis opponens: *Species tibi datur, Christiane*, inquit, *forma præscribitur quam debeas æmulari. Quid enim te pro salute tuâ facere convenit, quando pro te Christus in oratione pernoctat?* Illud Christiani frigidissimi argumentum est. Non tantùm nec unicam quidem noctem, sed nec duas trésve horulas vel semel quidem pro Christo pervigilare velle. In conventiculis nocturnis quàm facilè vigilatur? Chrysostomus id suis exprobrans: *Scitis etiam mulieres*, inquit, *si qua vos necessitas facit ire in agrum, vel ad vigilias progredi, quomodo per totam noctem vigilant.* Toto anno Christi Nascentis nox pervigilari solet, sed nec tota. Sunt, qui vel heriis officii, vel aliter coacti surgant, sed eam noctem pæne omnem lusibus consumant. Sunt & alii, qui surgant, sed etiam inviti, hinc angulos quærunt & latebras, ubi somno intempestivo indulgeant. Hinc jure Christus suum occinat: *Siccine? Non potestis unâ horâ vigilare mecum?* Vigilare & orare vel semel in anno his talibus nemo persuaserit. Pari modo plurimos nemo Tullius permoverit, ut vel unico Parasceves die, vel horam consueto somno detrahant, & ad matutinam de Christi cruciatibus cor cionem maturi conveniant. Nec objurgationes, nec preces apud ejusmodi pecudes quidquam proficiunt; ab assuetis vel latum unguem abduci se non ferunt. Christiani sanè frigidissimi, aut prorsus mortui hæc signa sunt. Interim quotidianum est pistoribus, potatoribus, lusoribus, amatoribus, saltatoribus, nonnumquam & sartoribus, venatoribus, piscatoribus, viatoribus, aurigis, vectoribus, cursoribus publicis, castrensibus excubitoribus & urbicis noctes pervigilare totas. Illi ad pictas chartulas, ad calicem, ad choreas, ad fabulas & tibias amatorias, isti ad vestes pro nuptiis aut funeribus suendas, ad furnum instruendum, ad feras indagandas, ad onera transvehenda, ad litteras deferendas, noctibus totis sunt vigilantissimi. Et vos, ô Christiani torpidissimi, cum Christo horulâ vel unicâ non potestis, imò non vultis vigilare. Vel horulæ pars matutinis & vespertinis precibus danda, prolixum vobis & nimium videtur, auspicari mensam, & claudere precationibus puerile censetur. Eóne mali moris prolapsi sumus, ut molestum sit & grave, initium diei & exitum ritu Christiano dare? eóne vitiositatis degeneravimus, ut etiam erubescamus Deo preces adhibere? Exurgite, & deprecemur Deum, quia sic Deo jungimur. *Præoccupemus faciem ejus in confessione*, quod David monet, *& in Psalmis jubilemus ei.* Priusquam alii hesternam crapulam edormiant, & stratis consurgant, divina nos obsequia paremus: Vigilemus ad Deum diluculò, nec vesperi sine Deo vigilare desinamus. Hoc nos Tobias, hoc Ratio, hoc ipsum Tempus, hoc sapientum voces, hoc exempla optimorum, hoc prisci Patres, hoc Prophetæ & Apostoli, hoc ipse Christus nos docet. Nimiùm indocilis est discipuli, sub tot magistris nil proficere. Oratio nervus animi, caput omnis boni; Oratio nos Deo jungit. *Sine intermissione orate.*

Luc. cap. 6. vers. 12.

Ambros. l. 5. in Luc. c. 6. post initium.

Chrys. to. 3. hom. 26. in Acta Apostolorum, tuihi p. 534.

Matt. c. 26. vers. 40.

Psal. 94. v. 2.

1. Thess. 5. vers. 16.

PARS SECVNDA.

CAPVT PRIMVM.

Tobias junior sanitatis à Deo impetrandæ cupidissimus.

Tob. cap. 8. v. 6. & 10.

TOBIAS & Sara matrimonio juncti tribus noctibus *instanter orabant ambo simul, ut sanitas daretur eis*. Orationis hæc erat formula: *Miserere nobis, Domine, miserere nobis, & consenescamus ambo pariter sani*. An non erant alia potiùs à Deo quàm sanitas petenda? Petere valetudinem, sapiens petitio, quæ plurimum complectitur boni. *Et consenescamus*, rogant *ambo pariter sani*. Quàm amabilis sit thesaurus sanitas, à plurimis tamen neglectui habeatur, dissertatione hac exponendum.

§. I.

Sanitas est suavissimũ vitæ condimẽtum. *Vet. Iambi.*

SAnitas divinum maximè suavissimúmque vitæ condimentum semper habitum. Qui sanus est, sat dives est, etsi se divitem esse nesciat. Metro veteri ferebatur:

Quid sanitate vita habet præstantius?
Rectè valere, res est jucundissima.
O sanitas, nobis bonum tu maximum es!
Morbis nullum sanitate gratius.

Latinis ad omnem epistolam solennissima coronis est, VALE. Hoc enim est dicere: Mi Domine, mi frater, mi amice inter corporis bona excellentius nullum est secundâ valetudine; hanc tibi opto, voveóque, VALE. Ardens Tobiæ votum fuit: *Consenescamus ambo pariter sani*. Tam sibi, quàm conjugi longævam sanitatem petit. Multum profectò petiit, tametsi rem corporis solùm petierit. Quærit Theologorum princeps: Utrum debeamus aliquid determinatè à Deo petere? Socrates olim censuit, nihil à Diis petendum, quàm ut bona tribuerent; ipsi enim sciunt, ajebat, quid cuique sit utile. Tobias rogat valetudinem prosperam velut adjumentum maximum ad rectè ac laudabiliter Deo serviendum.

S. Tho. 2. 2. q. 83. ar. 5.

Sanitas est corporis bonum, ab eâ omnis voluptas det. Horatius: *Si sentis me, si sanus, si potens, quæ tuis, mi Dionysi, pecuniis operum exornes addere magnis.*

Reverà rale corporis bonum est valetudo, ut omnis ab eâ hilaritas vitæ ac voluptas pendeat. Omnia amica, grata omnia reddit sanitas: quid honores, aut quid opes absque sanitate magni conferunt? Mors est diuturna, quæ vivitur sine sanitate, vitâ. Valete regum deliciæ, si vitæ pedesit vobis contubernium sanitatis. Ille verè vivit, qui valet. Arabes dicere solebant: Sicut omnia, quæ ambitus Cæli continet, à sole, sic voluptas omnis à valetudine dependet. Hominem ægrotum doloribus correptum in argenteâ lectică, quàm blandissimè componite, plumæ lectuli olorinæ sint mollissimæ, lecticam operiant phrygii operis cortinæ pretiosissimæ, apponantur exquisitissimi cibi, cerebrum Jovis, præstantissimum nectar, in ægri conclave Aulædi veniant peritissimi, & modulis ægrum mulceant suavissimis, hæc ægro sunt amara omnia; nil horum afficit. Lectus etsi mollissimus eum tamen urit, conopæum non delectat, cibus ac potus selectissimus non exhilarat, nobilissima musica non recreat; fastidit æger & nauseat omnia, quia æger est.

Idem simili Plat. lib. 2. de legibus.

Idcirco Pythagoras tria suasit à Diis petenda, formam, opes, sanitatem. Inter quæ optatissimum semper censebatur sanitas, hoc quidem triplici gradu. Optimum & primum, Bene valere: alterum, formosum esse; tertium, divitias habere nullâ fraude quæsitas. Ita inter hæc bona ducit agmen valetudo.

Primum, ait, bonum valetudo; secundum, forma; tertium, divitiæ sine injuria; quartum, opes non cæcæ, sed acutum cernentes, scilicet justitiam, robur;

Servitia Deo præstanda magnam partem pendent à valetudine. Nam subinde res minutissima, dens unicus, sed carioſus, aut corruptus, oculus læsus, digitus verminosus, vesicæ calculus ità hominem sibi rapiunt, ut nec legere, nec scribere, nec laborare, nec orare, sed nec sani quidquam aut serii cogitare libeat. Totum sibi hominem vendicat dolor. Hinc Pyrrhus Epirotarum rex, post Alexandrum Macedonem, non auctiorem potentiam, nec amplius regnum, nec horum quidquam petiit, sed unam, atque unicam sanitatem. Omnia cetera bellè succeſſura ratus, si non deesset sanitas. Satis sibi visus beatus, si satis esset sanus. Cælius Rhodiginus Pyrrhi mentionem injiciens, verbum è verbo ita expressit: Pyrrhum, qui Epirotis imperitavit, quique post Alexandrum rei militaris prudentissimus est adjudicatus, ferunt, ubi immolaturus templa inviseret, non regni ampliorem modum, non de hoste victoriam præsignem, neque item gloriam illustriorem, aut divitias & id genus alia, quibus mortalium plerique attoniti inhiant, sed sanitatem modò à Diis comprecari solitum; seu parte hac bene constitutâ, prosperiùs cessura viderentur omnia. Nam si toto sinu sese affundat Fortunæ afflatus, absit autem valetudo recta, nullum illinc profluit emolumentum quod juvet. Propterea Antiochum cognomento Sotera, prælio cum Gallatis congressurum legimus, in quiete arbitratum Alexandrum sibi assistere, monerèque, ut priùs quàm in aciem milites produceret, non aliud proponeret illis signum, quàm ὑγιαίνειν, id est, bene valere. Quod cùm is non neglexisset, nobilem de hostibus victoriam assecutus. Scimus porrò mandatorum librum ab Imperatore dari solitum, in quo præceptum primum erat de sanitatis curâ. Pythagoras quoque in epistolis non aliâ est usus consolatione, quàm ut juberet ὑγιαίνειν. Id institutum & Pythagorici mox servarunt, veluti animæ, corporique nil amplius congrueret, hócque uno hominis bona universa comprehenderentur. Quin & symbolum, quo inter compares uterentur, dicebatur ὑγίεια, id est, sanitas.

Cælius Rhodig. lib. 7. lect. antiq. c. 24. initio.

Ejusdem animi priscus Satyrographus Junius canebat, & monebat:

Orandum est, ut sit mens sana in corpore sano.

Juv. sat. 10. vers. 356.

Aristoteles Stagyræus libros de moribus ad Eudemum his omnino verbis orsus: *Qui*, ait, *Numinis sententiam in Delo edisserit, vestibulo templi inscripsit: Non in eodem omnia convenire: Bonum honestum & jucundum. Nam justitiæ quidem cultum, rem esse pulcherrimam, sanitatem præstantissimam, rei verò amatæ consecutionem suavissimam.* Ergo justitia res priscis venustissima; valere, præcellentissima. Sed sanctioribus nos agimus testimoniis. Siracides summo valetudinis encomio: *Non est*, inquit, *census super census per censum salutis corporis. Melior est mors, quàm vita amara, & requies æterna, quàm languor perseverans. Melior est pauper sanus, & fortis viribus, quàm dives imbecillis, & flagellatus malitia.* Quidquid argenti, quidquid gemmarum & auri acerves, id omne sanitati neutiquam poterit æquiparari. Sanitas *melior est omni auro & argento*, addit Ecclesiasticus, *& corpus validum melius, quàm census immensus.* Omnes Persicas gazas, montésque aureos antestat sanitas. Argæus mons Cappadociæ, Dardanus Apuliæ, Hæmus Thessaliæ, Caphareus Euboiæ, Alburnus Lusitaniæ, Pyrenæus Hispaniæ & Galliæ montium maximi, sint merum aurum, gemmæ meræ, census sanè immensus, sed melior illo est sanitas. Ergo verè dixerim: Quid sanitate vita habet præstantius? Rectè valere & sapere, duo vitæ bona maxima.

Aristoteles Stagyræus lib. 2. Rhetor. Homini bene valere optimum est.

Eccli. c. 30. vers. 16. 17. & 14.

Ibid. v. 15.

Beatus Ignatius Lojola cùm Romæ in suburbano domum cœpisset struere, quæ suorum valetudini commodaret; fuerunt, qui dicerent, penuriam rei familiaris obstare, neque verò id esse temporis, quo de structuris, sed de pane cogitetur. At verò Ignatius, plu-

Ribadin. lib. 5. cap. 8.

ris sibi ajebat esse cujusvis sanitatem è suis, quàm omnes thesauros. Et illud porrò addebat: Cùm homo ægrotat, rarò aliquid boni potest in aliorum utilitatem facere, quando verò sanus est, potest multa bona facere.

Albertus Imperator rogatus, quid demum in rerum naturâ sibi carissimum haberet? Sanitatem respondit. Tam enim pretiosus est, inquit, sanitatis thesaurus, ut quidvis potiùs, quàm hunc patiamur nobis eripi.

§. II.

Est qui dicat: Non opus hîc multis testibus; ista de præfacili credimus. Quid porrò? Certissimum igitur quod Siracides dixit; *Non est census super censum salutis corporis*. Jam ex te, mi Lector, paucula libet quærere.

Quatuor pro sanitate quæstiones:

I. Si summus, sanitas, thesaurus, cur illum non pluris æstimamus, cur Deo non frequentiùs de inæstimabili hoc beneficio gratias habemus? Verissimè Franciscus Petrarcha: Ingratissimi mortales, inquit, bona vestra vix aliter, quàm perdendo cognoscitis. Si corporis sanitas argenti & auri censum omnem excedit, assiduas Deo gratias de incomparabili bono referamus.

Prima. Petrarcha l. 1. de utra que fort. cap. 4.

II. Libet quærere: Si summus, sanitas, thesaurus, vel ex eo etiam capite, quòd in morbo nihil loci sit seriis laboribus, cur igitur pœnitentiam & emendationem vitæ, labores maximè serios ac difficillimos differimus in morbum? Quàm temeraria hæc insania est? scilicet laborem exantlabit ægrotus, quem vix potest sanus? Tandem inter angustias deprehensus cogitur fateri: *Velle adjacet mihi, perficere autem bonum non invenio.* Non possum, heu non possum. Cur noluisti, cùm potuisti.

Secunda. Rom. cap. 7. vers. 18.

III. Opportunè quæram: Si summus, sanitas, thesaurus, cur illum intemperantiâ tam frequenti, tam facilè dissipamus, imminuimus, projicimus? Apud plurimos nullus vitæ ordo est; omnia temere, & prout fert impetus, agunt. Nunc vesperi horâ quintâ, nunc septimâ, nunc octavâ, vel etiam nonâ cenant. Si necessitas id imperet, ferendum, legem ea non habet. At illi tales in ceteris quoque ordinis negligentes, promiscuè ac perturbatè agunt consuetâ immoderatione vitæ. Nam modò maturè cubitum eunt, modò tardè, ac serò, jam summo mane de toro surgunt, nunc ipso pæne meridie adhuc stertunt, nunc velut sudaturi calefaciunt, nunc eorum fornacula nihil animæ habet; jam corpus exercent vehementissimè, jam omnis languet exercitatio. Eâdem inconstantiâ, & perturbatione in aliis etiam feruntur. Vix quidquam tempestivè agunt, aut ex ordine, nisi casu. Pleraque omnia indispositè, turbulenter, sine ordine, promiscuè, ac confusè tractant; hinc intemperantia varia, diæta nulla. Moderatio, mundities, ordo plurimùm sanitati conferunt. Immoderatio vitæ morbis & vitiis patrocinatur. Saluberrima Pauli præceptio est: *Omnia honestè, & secundùm ordinem fiant in vobis.* Si tantùm ergo valetudinis pretium est, cur illud non pluris æstimamus?

Tertia. 1. Cor. c. 14. vers. 40.

IV. Jure quæsiverim: Si summus, sanitas, thesaurus, cur illum adeò negligenter, custodimus, & frequentissimè adeò petulanter perdimus, cibo, potúque nimio? Quot hominum millia intemperantiæ soli culpam & causſam sui morbi possunt impingere, quot millia vitam sibi adimunt potitando? seipsos jugulant vino. Non illos jam lectus, hos tumulus citaret, nisi cibo, vinóque prægraves expunctâ temperantiâ valetudinem vitiassent. Ideo illi ægrotant, quia stomachum onerarunt epulis, certâ valetudinis noxâ, quæ tantò gravior, quantò crebrior; ideo isti præmaturo cadunt fato, quia sanitatem perdiderunt comessando.

Quarta.

§. III.

Stobæus ser-mone 99.

GOrgias rogatus, teste Stobæo, quomodo tandem ad illud ætatis perveniſſet? quem cibum potúmque adhibuiſſet? At ille: Ego, inquiebat, nihil unquam voluptatis cauſsâ comedi, aut feci. Sapientiſſimè factum, & Chriſtiano dignum. Rogatus & Hippocrates quî tuenda eſſet valetudo? Elegans illud reſpondit: Σῖτα, ποτά, ὕπνοι, ἀφροδίσια, πάντα μέτρια: Cibus, potus, ſomnus, venus, moderati ſint hæc omnia.

Ad corrũpendam valetudinẽ non eſt deterius malũ libidine. *Quod Niceet. meus l. 1. c. 10. uberiùs exponit.*

Clariſſimus medicinæ doctor Hippolytus Guarinonius abominanda humanæ gentis eruditè proſecutus, quatuordecim prolixis diſſertationibus hoc unum ſolidis rationibus commonſtrat, ad valetudinem corrumpendam & extinguendam vitam non eſſe promptius, deteriùſque malum impurâ Venere, incontinentiâ, libidine. Hoc omnium ſapientum eſt effatum, corporis viribus & valetudini ſummè noxiam eſſe ſalacitatem ac laſciviam. Hippocrates ergo rectiſſimè tam cibi ac potionis, quàm ſomni ac veneris moderationem exigit ab iis, quibus curæ ſanitas eſt. Epulis ſe refercire, proximus ad morbum gradus eſt. Indignabundus olim Diogenes iis graviter ſuccenſebat, qui opimis ſacrificiis bonam valetudinem poſtularent, & in ipſo, quod facerent, epulis ſeſe ingurgitarent, atque ita bonæ valetudinis facerent jacturam, dum ejus peterent gratiam. Democritus dicere ſolebat: Belliſſimi homines ſumus, quod ardentiſſimè optamus, id curamus negligentiſſimè. Valetudinem omnes expetunt, interim immoderatè vivendo ſuæ ipſi valetudinis prodigores ſunt. Seſtertium vel unicum bis terve manu verſamus, antequam in alienos loculos emittamus, valetudinem rem omnium pretioſiſſimam intemperantiâ tam frequenti abjicimus.

Hic Maronis illud uſurpare liceat: Sed non ulla magis vires induſtria firmat, Quàm Venerem & cæci ſtimulos avertere amoris. l. 3. Georgic. ante med.

Plutarchus in præcept. de ſanit. Lævinus in exhortat. ad vitã optimè inſtituendam, c. 29. a Wolfgangus Kilian. in ſuis faſtis mẽſe Martio Anno 1637. his verbis utitur: Buht nit zuvil / ſo wirdſtu alt. b Syneſius epiſt. 115. c Cælius lib. 30. lect. antiquar. cap. 13. mihi pag. 1158.

Plutarchus conſervandæ ſanitatis præcepta tradens utiliſſima: Non refugere laborem, inquit, cibo non ſatiari, ſaluberrima ſunt. Idem Lævinus Lemnius Medicus peritiſſimus præcipiens: Tria, inquit, ſaluberrima: Veſci citra ſaturitatem; Non refugere laborem; Naturæ ſemen conſervare. His appoſita totidem inſalubertima: Cibo *a* aut potu diſtendi; Ignaviâ torpeſcere; Venere enervari. Hinc priſci tres Deas, quæ vitam extenderent, Veneri adverſarias ſtatuerunt: Minervam Temperantiæ ac Sapientiæ præſidem; Dianam exercitationis; Caſtitatis Veſtam. Syneſius *b* è Pentapoli Africæ Chriſtianus philoſophus: Neceſſarium, inquit, bonum eſt cibi parſimonia, quam alius forſan irriſerit; tibi nefas, cùm Hippocratem jactes, qui inediam dixit ſanitatis matrem. Cælius *c* Rhodiginus: Ad ſanitatem, ait, multò utiliſſima eſt in cibis temperantia. At nos veterum præceptiones de tuendâ valetudine non ignoramus, interim noſtris vivimus moribus. Potior nobis eſt gula, quàm valetudo bona. Germani veteres verbo tam celebri, quàm utili monebant: Os hominis aut carnifex eſt, aut Medicus ſtomachi. Os gulosum & intemperantiæ aſſuetum, tam ſtomachum quàm alia corporis membra jugulat; os regi patiens, & temperantiæ amicum ſuo domino pro centum medicis eſt.

Eccli. c. 37. v. 33. & 34.

Hoc profectò certiſſimum, nec ullis argumentatiunculis convellendum: Quò cibus ac potus eſt parcior, hoc valetudo firmior, conſtantior, hoc vita vegetior, productior. Luculentiſſimum eſt illud Siracidæ oraculum: *In multis eſcis erit infirmitas. Propter crapulam multi obierunt; qui autem abſtinens eſt, adjiciet vitam.* Si ergo non eſt cenſus ſuper cenſum ſalutis corporis, tantò quiſque impenſiùs Deo gratias agat, quantò diutiùs hoc cenſu fruitur; doleat hunc cenſum ſæpius cibo, potúque turpiter imminuiſſe; ſtatuat ſummâ moderatione ac cura, quod reliquum habet, tuerî. Theſaurus ſummus ſanitas.

CAPVT II.

Tobias junior divinæ gloriæ præco ampliſſimus.

SPeraverat quidem Tobiæ ſocer Raguel, ſuis precibus Deum annuiſſe, Aſmodæum cacodæmonem profligatum eſſe: nihilominus nuptiali gaudio jam finito ſollicitudinis & curarum plenus ſummo mane in imam domum cum famulis ſuis deſcendit, & in omnem eventum, arbitris remotis, clam effodit ſepulchrum, ita ſecum ratiocinatus: *Ne fortè ſimili modo evenerit ei, quod & ceteris illis ſeptem viris, qui ſunt ingreſſi ad eam.* Parato tumulo ad conjugem ſuam reverſus Raguel: Mitte, inquit, ancillarum unam, quæ videat, num conjuges novi etiámnum incolumes ſint & ſani. Sin minus, novo funeri, & noſtro honori ante lucem conſulemus. Ancilla brevî rediit, & ambos, quàm integerrimè valere nuntiavit. Raguel & Anna tam felici nuntio exhilarati, & continuò in divinas laudes effuſi: *Benedicimus te*, ajunt, *Domine Deus Iſraël, quia non contigit, quemadmodum putabamus. Feciſti enim nobiſcum miſericordiam tuam, & excluſiſti à nobis inimicum perſequentem nos. Miſertus es autem duobus unicis. Fac eos Domine plenius benedicere te, & ſacrificium tibi laudis tuæ, & ſuæ ſanitatis offerre, ut cognoſcat univerſitas gentium, quia tu es Deus ſolus in universâ terrâ.* Mox Raguel paratam foveam repleri juſſit, priuſquam illuceſceret, ne quid terroris ea res moveret.

Tob. cap. 8. verſ. 12.

Ibid. v. 17. & ſeqq.

Pari modo Tobias in divinas laudes excurrens ampliſſimè: *Domine Deus patrum noſtrorum*, inquit, *benedicant te cæli & terræ, maréque & fontes, & flumina, & omnes creaturæ tuæ, quæ in eis ſunt. Tu feciſti Adam de limo terræ, dediſtique ei adjutorium Evam. Et nunc Domine tu ſcis, quia non luxuriæ cauſsâ accipio ſororem meam conjugem, ſed ſolâ poſteritatis dilectione, in quâ benedicatur nomen tuum in ſæcula ſæculorum.* Hinc meritò Tobiam divinæ laudis præconem ampliſſimum appellamus. Hîc geminum vitæ ſanctioris caput explicandum. 1. Sibi nihil adſcribere. 2. Deo adſcribere omnia. De utroque nunc plura.

Ibid. v. 7. & ſeqq.

Duo vitæ ſanctioris capita:

§. I.

PRimus Chriſtianæ ſanctimoniæ fons: Sibi nihil virtutis aut virium adſcribere, ſuam vilitatem maximam agnoſcere, ſe nihil hominis eſſe profiteri. Quâ in re regius vates David exercitatiſſimus: *Tu es ipſe rex meus, & Deus meus, qui mandas ſalutes Iacob. In te inimicos & ſeqq. noſtros ventilabimus cornu* (uti bubalus cornibus prehenſum hominem in altum eventilat) *& in nomine tuo* (non noſtro) *ſpernemus inſurgentes in nobis. Non enim in arcu meo ſperabo, & gladius meus non ſalvabit me.* Nam etſi armamentaria mea omnia ſint inſtructiſſima, etſi copioſi ſub meis ſignis militent exercitus, etſi æraria mea ſint auro refertiſſima, vanæ ſunt, nullæ ſunt vires meæ, ſi tua deſit dextera. *Non egredieris Deus in virtutibus noſtris.* Non acervata pecunia, belli nervus, nec miles veteranus & copioſus, nec expeditus & abundans commeatus bella reddunt felicia, & victorias donant, ſed invicta Numinis dextra. Quandoque illas nobiſcum ratiunculas conficimus, ut credamus non poſſe non feliciſſimos ſucceſſus tam bene conſtitutis rebus reſpondere. Toto ſæpiſſime cælo erramus. Ruunt omnia divinis præſidiis non fulta; vaniſſimum, nullum eſt omne humanum firmamentum potentiâ Numinis deſtitutum.

1. Sibi nihil virtutis adſcribere.

Ibid. v. 10. In hac verba Iaannes Oſorius in orationes ſcriptis, quas tomus 4. exhibet legendas.

Cùm Samſon Philiſtæorum mille ſtrage in unâ unum velut cumulum jugulaſſet, nullam erexit aram, nullum obtulit ſacrificium, non audita gratiarum actio ulla, ſed illud: *In maxillâ aſini, in mandibulâ pulli aſinarum delevi eos, & percuſſi mille viros.* Mox eâ correptus eſt ſiti ut diceret: *En ſiti morior.* O Samſon, hæc ſitis aliter te docebit loqui, & victoriam hanc obſtupeſcendam non tibi, ſed

Iudic. cap. 15. verſ. 16.

Deo

Deo adscribere. Igitur extremè fitiens, jam Deo supplicans: *Tu*, inquit, *dedisti in manu servi tui salutem hanc maximam atque victoriam*. Hæc verba præ primis multò commendabiliora; hæ voces Deo reddunt, quæ Deo debentur. Ita loquendum cum psalte regio: *Non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam.* Jure suo Deus hac in re neutiquam cedit, hoc debitum exactissimè poscit; gloriam suam alteri non dabit: nostris promeritis nihil hîc sperabile; homines nihili sumus, & sine Deo infirmissima, mera vanitas.

Judith. c. 9. v. 18.

Psal. 113. v. 9.

Hinc sæpissime Deus vilissimis utitur instrumentis, & quæ ad opus producendum minimè sint apta, ut tantò magis eluceat scientia opificis; sulphurato scribit, ut scribæ peritia innotescat; ab infecundis arboribus uberes fructus colligit, ut magnificè laudetur hortulanus; exiguo militum numero ingentes fundit exercitus, ut Domino exercituum adscribatur victoria. Chananæus Dux Sisara ingens Hebræis terror feminæ manu cecidit, Jahelis clavo confixus morti soporem sociavit. Unica vidua universum Assyriorum exercitum, Holoferne cæso, profligavit. Ita Gedeon innumeram multitudinem Madianitarum, qui locustarum instar universa compleverant, cum trecentis militibus fudit & fugavit. Deo soli debetur facti gloria. *Domine*, clamat Isaias, *exaltetur manus tua: omnia enim opera nostra operatus es in nobis.* Rex David ne quid divinæ gloriæ decerperet: *Benedictus es*, inquit, *Domine Deus Israël patris nostri ab æterno in æternum. Tua est, Domine, magnificentia, & potentia & gloria, atque victoria, & tibi laus; cuncta enim quæ in cælo, & in terrâ, tua sunt: tuum, Domine, regnum, & tu es super omnes principes. Tuæ divitiæ, & tua est gloria; tu dominaris omnium: in manu tuâ virtus & potentia; in manu tuâ magnitudo & imperium omnium.* Hoc ipsum, ne quid nobis tribueremus, sæpius commendans Paulus: *Deus est*, inquit, *qui operatur in nobis, & velle & perficere, pro bonâ voluntate.* Non solùm Deus cuique rei perfectionem, & animam adspirat, sed & ipsum velle nostrum ab ipso est. Hoc autem fatemur quidem verbis, nihilominùs crebrò & verbis & factis negamus. Hinc illæ voces turgidæ: Absque me fuisset, successum sanè nullum res habuisset; hoc meo consilio confectum, sine meis viribus negotium istud intercidisset; hoc meis patrociniis, hoc promeritis meis, hoc industriæ, hoc vigiliis meis tribuendum. Ita profectò videmur nobis aliquid esse, valere posse. O homo bulla, quæ demum tua est potentia? Vociferantem Paulum audi: *Qui existimat se aliquid esse, cùm nihil sit, ipse se seducit.* Incredibile dictu est, quanti referat, hoc pectori altè infigere, ne quis sibi quidquam tribuat, omnia Deo.

Judith. c. 4. vers. 11.

Judic. c. 7. vers. 2.

Isaiæ c. 26. v. 12. & 12.

2. Paral. c. 20. v. 10. & 12.

Philip. c. 2. vers. 13.

Deus omnipotentem animam adspirat, & nostrum velle in ipso est.

Galat. c. 6. vers. 3.

Hominis est dicere: Instrumentum ego sum, animatum quidem, sed ineptum & vile, nisi divina me dextera moveat. In opificis mei manu sum, quemadmodum malleus & lima in manu fabri, subula in sutoris, rota in figuli, dolabra in arcularii, trulla in cæmentarii, ascia in fabri lignarii, acus & filum in sartoris, infurnibulum in pistoris, penicillum in pictoris, calamus in scribæ manu est. Si tali opificis instrumento vox esset, ita loqueretur: Nihil unquam operis non tantùm non absolveretur, sed nec quidem inciperetur meâ solius operâ: meus omnis motus ab artificis dexterâ est, hac cessante omnis mea actio perit. Ego dies & annos otior inutilis truncus, si abstt meus artifex; hic unus & solus omnem mihi motum omnémque vitam tribuit. Isaias asserit: *Numquid gloriabitur securis contra eum, qui secat in eâ, aut exaltabitur serra contra eum, à quo trahitur? quomodo si elevetur virga contra elevantem se, & elevetur baculus, qui utique lignum est. Propter hoc mittet Dominator Dominus exercituum, in pinguibus ejus tenuitatem, & subtus gloriam ejus succensa ardebit quasi combustio ignis.*

Isaiæ c. 10. v. 15. & 16.

§. II.

Assiduè in suis actionibus à Deo dirigi rogādum.

NOs igitur opificis summi, divinæ manûs instrumenta, sed animata sumus, idcirco assiduè, pro se quisque roget, DIRIGE ME, O mi opifex, meam ne sperne opellam tenuissimam; utere me, prout vis; habes me tibi subjectissimum, & ad omnem motionem paratissimum; in tuâ manu sum, ad omnes nutus tuos servire promptissimus; ecce me, quocunque volueris modo, me applica: tibi uni laus operis debetur. Ita de Deo, déque seipso sentire maximi momenti est. Nam hæc arcanæ subtilitatis sunt, & quæ Deus singularissimè observat, gloriam suam alteri non daturus. Hæc notitia nobis summè necessaria est, scire ac profiteri quantùm in rebus omnibus à Deo pendeamus. Instrumentum pondus inutile, ni artificis manu regatur. Hunc ergo malleum, hanc limam, hanc securim, hanc asciam, hunc calamum, hoc penicillum, hunc, inquam, hominem Deus artifex necesse est moveat, alioqui conatus omnes vanissimi, nulli sunt. Deus est, qui operatur in nobis & velle & perficere. Nemo se aliquid posse somniet, nemo sibi quidquam virtutis aut virium adscribat. Hoc autem tum demum præstabimus, si divinam opem assiduè imploremus, non tantùm ut rectè perficere, sed etiam ut bene velle possimus. Primum igitur omnium est sibi nihil bonæ actionis adscribere.

2. Deo adscribere omnia, & ad majorē Dei honorem dirigere universa.

Alterum à primo est, Deo adscribere omnia, ad majorem Dei honorem dirigere universa, nisi ea sit actio quæ suopte genio honoribus divinis obstrepit. Exemplo rem monstramus. Est, qui animo fraudem, insidias, vafritiem, perfidiam, dolum malum coquat, ut alterum quoquo modo lædat. Hic etsi millies, iterúmque millies dicat, ad majorem Dei gloriam; hæc sua Deo non probabit. Ohe, religiosè nequam, hoc quidem cum Deo ludere est. Tu si seriò divinos honores ampliare cupis, divinas leges ne sperne. Quod accuratè Chrysostomus monens: *Homo colonus*, inquit, *cujus terram possidet, illius auxilio opus habet. Qui justitiam tenet, nullius patrocinio indiget, nisi Dei. Qui in diaboli iniquitatibus ambulat, diaboli adjutorium necessarium habet. Colonus enim Dei, diaboli auxilium non requirit; colonus autem diaboli, auxilium Dei etsi quærit, non invenit. Vidisti aliquando euntem ad furtum, Deum orare, ut bene prosperetur in furto? aut qui vadit ad fornicationem, numquid sibi signum crucis ponit in fronte, ut non comprehendatur in crimine? Quod si fecerit non solùm non adjuvatur, sed adhuc ampliùs traditur, quia nescit justitia Dei patrocinari criminibus.* Si ergo actio ex se mala sit, eâ dicendi formulâ (ad majorem Dei gloriam) emendari non poterit. Pilatus parricidium in Christo designatum in lavatione manuum non eluit. Actio in se corrupta melleis verborum globulis non reddetur sancta. Non verbis Deus, sed factis colendus. Quòd si actio vel bona, vel certè sit adjaphora, * ea omnis planè in unius Numinis gloriam est reducenda. Ita divinus Paulus præcipit: *Sive manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite.* Paulinam hanc præceptionem eximiè Bernardus explicans: *Quidquid hic*, inquit, *favoris captas quod ad Deum non retuleris, ipsi furaris. Tibi enim unde gloria putide pulvis, tibi unde? De vitæ sanctitate? Sed Spiritus est, qui sanctificat, Spiritus dico, non tuus, sed Dei. Etsi prodigiis aut signis effulgeas, in manu tuâ sunt, sed virtute Dei. An blanditur popularis favor, quòd verbum bonum, & bene forte deprompseris? sed Christus donavit os & sapientiam. Nam lingua tua, quid nisi calamus scribæ? Et hoc ipsum mutuò accepisti. Talentum creditum est, repetendum cum usurâ. Si inventus fueris ad opus impiger, ad fructum referendum fidelis, pro labore tuo mercedem accipies. Si quo minus, tolletur à te talentum, & nihilominus exigetur lucrum, & vocaberis servus nequam & piger. Omnis igitur de bonis multiformis gratiæ apparentis in vobis referatur ad ipsum laus; laudabilium siquidem universorum auctorem, & largitorem. Ida, non fictæ*

Pilatus in manuum lotione nō eluit parricidium in Christo perpetratū.

* *Nec bona in se, nec mala.*

1. Cor. c. 10. vers. 31.

Bern. tom. 1. serm. 13. in Cant. post med. mihi pag. 774.

quemadmodum ab hypocritis, nec solâ consuetudine, sicut à sæcularibus; sed nec quadam necessitate, ut jumenta ferendis oneribus applicantur: sed sicut decet sanctos sinceritate fidâ, devotione sollicitâ, hilaritate gratâ, sed non dissolutâ.

§. III.

ITaque omnia in Dei gloriam facienda. Hoc unum semper & oculis & animo sit affixum. Non ita pridem illustris dux belli centum grandiores auri monetas sacculo clausas assumpsit ut itineri, quod duobus famulis comitatus confecit. In hospitio non vanè sollicitus de tuendo auro. Quid faciam, ajebat ipse secum, ut servem aurum itineris comitem necessarium. Tradam cauponi. Quid si perfidus sit? depositum negabit. Custodiendum famulis committam? Quid si mercurium non pedibus tantùm, sed & manibus ferant? aufugient cum prædâ. Includam arcâ? quid si effringatur? nemo damnum fatebitur & sacciet. Ergo pulvino subjiciam & custodem caput meum apponam. Suo ipsius consilio paruit, & cervicali supposuit. Mane altero accelerans iter hospitio abiit, sed aurum lecto sepultum ex oblivione reliquit. Aliquantum viæ progressus aurum deesse deprehendit: Mox equo subdens calcaria viam omnem relegit, & ad illam mollem auri sepulturam avidus properavit. Reperit etiamnum fido loco celatum, quod oblivio destituerat, nobile metallum. Hîc ille thesaurum inventum exosculatus, sanctioribus curis censuit asservandum. Ideo illum non sacciperio, ut minùs fido immisit, sed intimæ vesti assui curavit, ut pæne citiùs perderet seipsum, quàm sistum tam carum comitem suum. Quàm solliciti, ô bone Deus, quàm & seduli sumus in custodiendis numis, in auro servando, capiti supponimus, vesti assuimus, nonnunquam glutimus aurum, ne perdamus, imò ipsam sæpissime vitam amore auri perdimus. Hoc nimirum est cum ratione furere. Quin potiùs divinum illud pronuntiatum *(ad majorem Dei gloriam)* non tantùm assuimus vesti, sed incidimus fronti, aut manui, ne ullus oblivioni locus sit, ut oculis semper obversetur. Sibi nihil, omnia Deo adscribenda.

August. l. de corrept. & gratiâ c. 13. Hoc Augustinus altè cujusvis animo defixerus, tam succinctè, quàm verè: *Redditur meritis*, inquit, *quæ contulit gratia.* Si herus famulo debitori nonaginta novem florenos donet, dicâtque: Florenos mihi centum debes: hoc age; his unicum appone, & contractum apud me nomen expunge; nunquid non hîc meritis redderetur, quæ gratia contulisset. Ita prorsus facilè accommodum est alieno ære exire, si priùs dono accipias, quod postmodum ex debito redhibeas. Sed Augustinus priora luculentiùs edisserens: *Omne meritum*, inquit, *in nobis non facit nisi gratia: & cùm coronat Deus merita nostra, nihil aliud coronat nisi munera sua.* Ergo jure meritissimo ad unius Numinis gloriam referenda sunt omnia. Hoc pii conjuges, Raguel & Anna, hoc Tobias & omnes virtutis amatores docent. Conjugum illorum voces sunt: *Benedicimus te Domine Deus Israël, fecisti enim nobiscum misericordiam tuam.* Tobias se unum & solum laudibus divinis imparem nimis judicans: *Benedicant te*, inquit, *cæli & terra, maréque & fontes, & flumina & omnes creaturæ tuæ, quæ in eis sunt.* Sed quid tandem est Deum benedicere, omnia Deo adscribere, laudem & gloriam in omnibus & de omnibus impertiri?

Augustinus epist. 105. ad Sixtum.

Tob. cap. 8. v. 17. & 18.

Ibid. v. 7.

Cyrillus Alexandrinus illa Malachiæ verba explicans: *Si ergo pater ego sum, ubi est honor meus? Quærenda*, inquit, *à nobis, quæ Deo sunt honorifica.* Glorificabitur à nobis, si non, quod nobis jucundum & amicum est, agere studuerimus, sed illi potiùs mentem nostram dedicaverimus, & in omnibus ad ejus nutum conformaverimus. Non singulis solùm hebdomadibus, sed & diebus plurima obveniunt, quæ mollior natura refugit, & horret. Hîc exurgat animus, & in Deum sese attollat, dicâtque grandi spiritu: Mi Deus, hæc & hæc à cibo, potûque abstinentia mihi difficilis est, sed *propter te*, abstinebo. Coërcere vagos sensus mihi molestum, sed *propter te*, coërcebo. His aut illis me submittere, nimis quàm arduum mihi videtur, sed *propter te*, submittam me. His aut istis ignoscere injuriæque gratiam facere, mihi multò difficillimum est, sed & hoc *propter te*, faciam, & promptam illis veniam dabo. Has aut illas preces extendere, has & illas eleemosynas erogare mihi grave, sed *propter te*, preces liberaliter extendam, eleemosynas largiter erogabo. Quæcunque mihi demum, vel factu ardua, vel perpessu nimis aspera videbuntur, ea omnia paratissimus sum facere & pati propter te. Quidquid autem vel sanctæ cogitationis, vel actionis bonæ à me fuerit susceptum, id uni & soli tibi referam acceptum. Tibi laus & gloria ab omnibus & de omnibus. Tuum munus est, quod meremur, ære tuo nostra dissolvimus debita, tuis te donis honoramus. E tuæ bonitatis mari bonum omne defluit, æquum est ut omne bonum à nobis in illud refluat. Omnia in Dei gloriam facienda.

CAPVT III.

Tobias junior mansuetæ comitatis plenissimus.

PEractis nuptiis, Tobias ad iter se accinxit, & ad parentes reditum paravit. Hîc Raguel omnia molitus, ut generum paullò diutiùs liceret retinere, *adjuravit eum, ut duas hebdomades moraretur apud se.* Tobias precibus armatis soceri expugnatus, cum cælesti tabellario agens: *Azaria frater*, inquit, *peto ut auscultes verba mea. Si meipsum tradam tibi servum, non ero condignus providentiæ tuæ. Tamen obsecro, ut assumas tibi animalia, sive servitia, & vadas ad Gabelum in Rages civitatem Medorum, reddasque ei chirographum suum, & recipias ab eo pecuniam, & roges eum venire ad nuptias meas. Scis enim ipse, quoniam numerat pater meus dies: & si tardavero unâ die plus, contristatur anima ejus. Et certè vides quomodo adjuravit me Raguel, cujus adjuramentum spernere non possum.*

Tob. cap. 8. v. 23.

Ibid. cap. 9. v. 1. & seq.

Tobiæ erga Azariâ comitem humanitas in loquendo.

Cælestis nuntius Raphaël Archangelus, Tobiæ, quem ut herum suum coluit, seu preces, seu imperia diligentissimè prorsus ac fidelissimè executus est: Non servus Domino, non fratrum ullus fratri suo tam integrè promptéque obsequitur, atque aliger hic nuntius suo, cui serviit, hero. Id profectò Tobias facilè potuit observare, hinc illum humanissimè affatus: *Azaria frater*, inquit, *peto, ut auscultes verba mea.* Tobias mansuetæ comitatis plenissimus. Hoc igitur loco explicandum, quanti referat erga homines humanum & comem esse, commodis omnes delinire dictis, lenissimis & amantissimis verbis uti, ita omnia hoc verborum melle ac saccaro condire. Res maximi momenti. Rationes adferimus.

Cur homo debeat esse comis & humanus in loquendo, rationes septem.

§. I.

Prima.

IHic nullis impendiis aut sumptibus est opus; nil harcæ, nil crumenæ demitur; tam facile bona verba dicere quàm mala, incommoda, aspera. Hoc tamen fatemur: homo duri oris, & calidæ mentis, seipsum necesse est vincat, dum suaviùs loqui addiscat. His solis expensis, sui victoriâ, hoc omne negotium agitur. Sed hic labor nemini sit difficilis, qui mille commodis pensatur. Salomon id pollicitus; *Mansuetis*, ait, *dabit gratiam.* Hanc sapientissimi regis promissionem Chrysostomus expendens: *Mirabile*, inquit, *Salomonis promissum. Et an iis nihil dabit gratiæ, qui jejuniis, qui castimoniâ, qui eleemosynis, qui virtutibus aliis suo se conditori commendarint? Imò verò dabit. Sed mites erunt primi, qui optimam partem, qui totos principatus auferent in præmium.* Quod Siracides apertissimè confirmans: *Sedes ducum superborum*, inquit, *destruxit Deus, & sedere fecit mites pro eis.* Inhumanos illos, immites, asperos, insolentes, ferrei oris homines sede suâ excutit, in eâdem

Prov. cap. 3. vers. 34.

Eccli. c. 10. vers. 17.

in eâdem mites reponit & imperat: Mutate vices; tu A surge, & sta; tu confide, & bona hujus occupa. Cùm igitur verborum suaviorum plaustra integra nil penitus crumenæ demant, cur hac in re parci simus, parsimoniâ prorsus damnosissimâ?

II. Quærit doctissimus Aquinas: Utrum hæc, de quâ agimus, mitis humanitas sit virtus? Ad quæstionem dilucidissimè respondens his omnino verbis sententiam pronuntiat: *Affabilitas, est quædam specialis virtus, secundùm quam inter se homines bene disponuntur, simul conviventes.* Imò verò etiam hæc addit: *Affabilitas, cùm sit ad alterum, secundùm aliquam debiti rationem est pars justitiæ.* Perit omnis humana societas ejectâ è cætu hominum hac virtute. Non homines, sed feræ sumus, quæ mutuis in se morsibus eunt, si virtutem hanc negligimus. Idem & priscorum sapientum sensus. Naturali debito ac jure hominem obligari, *ut aliis delectabiliter convivat.*

III. Hæc comitas, sive affabilitas, seu suavis humanitas maximum amicitiæ vinculum est. Quid autem B magis cupimus & ambimus, quàm omnes habere benevolos, faventes, amicos, omnium florere gratiâ, omnes nostri cupidos & studiosos esse, neminem inimicum, malevolum, infensum, neminem de nobis malè loqui. Atqui reverà potentius philtrum non est ad omnium voluntates & animos nobis conciliandos, quàm humanitas, comitas, affabilitas: mel verborum, gulam etiam hostium delinit & propitiat; homo suaviter humanus, & dulcis eloquii, non difficulter omnium sibi benevolentiam & favorem parat. Hoc Siracides testatissimis verbis affirmans: *Verbum dulce*, ait, *multiplicat amicos, & mitigat inimicos, & lingua eucharis* (seu, gratiosa) *in bono homine abundat.* Asperrimus homo est, & è mordacissimo aceto subactus, cui hæc Siracidæ cohortatio mel verborum in os ingerere non possit. Tria dixit Siracides. 1. Gratiosa lingua multiplicat amicos. Qui plurium amicitiam ambit, facundi mellis copiam paret, bona verba in promptu habeat, norit omnibus benedicere. Vetus & notum illud: Verbum, mentis vehiculum; dulce verbum, dulcis animi signum. 2. Gratiosa lingua mitigat inimicos: sermonis enim suavitas mirè penetrat mentem; nam uti falernum, aut Creticum per guttur, dulces Musicorum moduli per aures blandissimè illabuntur, ita affabilitas animum audientis subit, cúmque sibi devincit. 3. Lingua gratiosa & eucharis in bono homine abundat. Deus mare dulcedinis est: In hoc saccari, mellisque mari lingua hominis boni quotidie natat & lavat. Hoc ajo: Dei patientissimam suavitatem, summámque benignitatem quotidie commeditatur homo cælestium gnarus. Hinc illi verborum suavitas. Ergo lingua gratiosa, eucharis, cælesti melle imbuta non tantùm amicos multiplicat, sed & inimicos mitigat, & in homine bonæ mentis abundat. Beata Mechtildis miti suaviloquêtiâ ita rapiebat omnes, ut loquêtem Angelum audire sibi viderentur. Hanc illa suavitatem sermonis, ex illo, quod diximus, mari hauserat. D Tullius olim de virtute hac differens: *Difficile dictu est*, inquit, *quantopere conciliet animos hominum comitas, affabilitásque sermonis.* Hinc priscis Hercules Gallicus visus est, non rosas tantùm, sed & torques aureos loqui, adeò sermonis dulcedine trahebat & vinciebat auditorem. Hinc Persæ, Plutarcho teste, humanissimos se præbituri poculum mellis & lactis plenum propinarunt, tanquam si maximos favores & ipsam propinarent concordiam, quàm certè sermonis mel sive affabilitas maximè conservat. Quod Salomon affirmans: *Favus mellis*, ait, *composita verba.* Abigail femina sanè prudentissima quantum incendium hoc oris melle restinxit? Ibat David Nabalis domum eversurus cædibus; in viâ occurrit Abigail, eáque orationis suadâ, támque mellitis precibus placavit militarem animum, ut in vaginam redierit gladius cæde nullâ cruentatus.

Secunda. Thomas 2. q. 113. art. 1. & 2. Affabilitas est pars justitiæ.

Barrab. l. 3. Journal. mor. med. Tertia. Affabilitas est maximum amicitiæ vinculum.

Eccli. cap. 6. vers. 5. Triplex commodi ex gratiosâ linguâ. Primum.

Secundum.

Tertium.

Cic. lib. 2. de Offic.

Plutarch. in Artaxerxe.

Prov. c. 16. vers. 24.

§. II.

IV. AD mansuetudinem Christianam, seu comitatem exercendam maximorum præceptis & exemplis impellimur. Tarsensis Paulus neophytos Romanos erudiens: *Obsecro vos fratres*, inquit, *per misericordiam Dei, ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem.* Rogat, cùm potuisset imperare ejuscemodi jussu. Hoc faciendum, aut adversarium nae vertrum sentietis. Non ita Paulus, sed precibus agit, quod Dei spiritus amat facere. Nimirum medicus, uti Chrysologus loquitur, cùm austerior est medicina non imperio agit, sed precibus. Idcirco idem Paulus à falsis Apostolis tanquam vir vilis & sui commodi sectator pessimè tractactus, non excanduit, neminem fulminavit, sed mitissimè: *Obsecro vos*, inquit, *per mansuetudinem & modestiam Christi, qui in facie quidem humilis sum inter vos, absens autem confido in vobis.* Pari modo Ephesios cohortatus: *Obsecro*, ait, *ego vos vinctus in Domino, ut dignè ambuletis vocatione, quâ vocati estis. Vide*, inquit Chrysostomus, *quàm nihil imperiosum, nihil authenticum, sed contractum at submissum scribat! Non illud obtrusit: Ego, qui verba ineffabilia audivi, sed, Ego vinctus in Domino, meis vos precibus convenio, & obsecro.* Ita plurima suavissimè juberi possunt precando.

Quarta. Ad comitatem præceptis & exemplis impellimur Pauli. Rom. cap. 12. vers. 1. 2. Cor. c. 10. vers. 1. Ephes. c. 4. vers. 1.

V. Christus ipse hanc affabilitatis, seu comitatis pulcherrimam virtutem, & verbis docuit & exemplis divinissimis monstravit. Nam velut ludimagister ludum aperiens: *Discite à me*, inquit, *quia mitis sum, & invenietis requiem animabus vestris*: alioqui vitam omnem inter litigia & turbas acturi. Cùm apud superbum Pharisæum Simonem Christus ageret, hospiti suo civiliter deferens, & priùs dicendi facultatem postulans: *Simon*, ait, *habeo tibi aliquid dicere.* Discamus hæc cuivis facilè imitanda. Siracidæ frequens hac de re præceptum est: *Fili in mansuetudine opera tua perfice, & super hominum gloriam diligêris.* Subinde stimulos iræ senties, bilis efferveset, manus C prurient in verbera, vocis fulmen eruptionem molietur: sed tu, si sapis, frange hos æstus, efferveséentia verba contine, lenitatem adhibe, & omnium in te amorem trahes. Re verà hæc una res summi momenti est. Quantæ ubique lites ac discordiæ caverentur, si suavis verborum lenitas & mansuetudo in promptu foret. Austera & aspera verba tam provocant rixas, quàm inflammant & alunt. In omnibus pæne domibus litigia perstrepunt, quia nemo ferè discit benedicere, ac comiter loqui. Tumultuamur passim ac vociferamur, cultros & gladios loquimur, acerbis asperisque dictis nósmet mutuò proscindimus, nil mellis ore gerimus. Hinc jurgiorum ac bellorum ubique plurimum, ob penuriam tam pretiosi mellis.

Quinta. Christus nos docuit verbis & exemplis comitatis virtutem. Matth. c. 11. vers. 29. Luc. cap. 7. vers. 40. Eccli. cap. 3. vers. 19.

Quo tandem modo Moses ultra sedecim centena millia hominum; rebellem, refractarium, durissimæ cervicis populum gubernare potuisset, nisi hoc oris melle uti voluisset? *Moses vir erat mitissimus super omnes homines, qui morabantur in terrâ.* Hac unâ re ita omnes in sui amorem rapuit, ita omnes sibi devinxit, *Ut plus eum, inquit Ambrosius, pro mansuetudine diligerent, quàm pro factis admirarentur.* Quamvis enim cum Deo constanter loqueretur, homines tamen humili & gratâ appellatione affari solebat. Ita *Moses monstra placavit verbis*; leones & tigrides humanâ disciplinâ imbuit, hoc est, efferos ac pervicaces populi sui mores suo melliloquio cicuravit. *Nam bonitas*, eodem Ambrosio teste, *si mansuetudine morum adjuvetur, incredibile quantum procedit ad cumulum dilectionis.* Rex David, cum Mose certans mansuetudine morum, Deum armatis pæne precibus invadit: *Memento, Domine, David, & omnis mansuetudinis ejus.* Idcirco & Ambrosius regium hoc affabilitatis exemplum ingerens: *Rex David*, ait, *quàm mitis & blandus, humilis spiritu, sedulus*

Moses melle oris sui populũ Israël gubernavit. Num. c. 12. vers. 3. Eccli. c. 45. vers. 2. Ambr. to. 5. l. 2. de offic. c. 7. mihi pag. 477. Ps. 131. v. 1. Ambros. loco proximè cit. De his vide etiam Bernardum serm. 12. in Cant. ante med. mihi pag. 767. Vide & Philonem libro: Quis rerum divinarum sit hæres. mihi pag. 376.

lus corde, facilis affatu? fortis in prælio, mansuetus in imperio, patiens in convivio, ferre magis promptus, quàm referre injurias: ideo tam charus erat omnibus, ut juvenis ad regnum etiam invitus peteretur, & resistens cogeretur; senex, ne prælio interesset, à suis rogaretur, quasi malleet omnes pro ipso periclitari, quàm illum pro omnibus. Itaque parentes eum filiis, filii parentibus præferebant. Tantarum virium est affabilis mansuetudo ad conciliandos animos. Jus ea sibi vendicat in omnes, & in omnia, ec modo suavi prorsus & amabili. Homo mansuetus, suavis est Orpheus, qui lapides movit canendo.

Horatius lib. 3. Carm. odâ 11. init.

Sexta. *Matth. c. 5. vers. 4.*

VI. Promissum Christi est: *Beati Mites, quoniam ipsi possidebunt terram.* Promissum prorsus admirabile, si eo terra, quam calcamus, designetur. Nam in hoc Orbe nostro ubique ferè locorum mites ac cedere faciles suis sedibus expelluntur & exagitantur. Quomodo igitur terram possident? Ne desimus quæstioni, responsione brevissimâ exponimus promissum. 1. Sunt, qui mansuetis ac melliloquis hominibus productiorem vitam promitti asserant. 2. Nemo dignior mansueto possidere terram. 3. Mansuetorantis & solatiis & gaudiis perfunduntur, satietate tam jucundâ vivunt, ac si nescio quot prædiis, ac latifundiis abundarent. 4. Hic sanè agrum, civitatem, ditionem possidet, qui annuos inde census, qui vectigalia, indictiones, tributa, collationes recipit. Terra malis hominibus plena est, mansuetudo verò ab iis omnibus suum vectigal & tributum percipit. Non enim ullum est malum, quod homo mitis non in suum derivet commodum. Ita certè is terram possidet, cui omnia terræ mala tributaria suas deferunt pensiones, sua penitant vectigalia. Reverà mitis colligit *de spinis uvas, & de tribulis ficus.* 5. Adamus, etiámnum incola paradisi, terrarum dominus fuit; terra utique jam serpentes, viperas, noxias herbas, spinásque aluit, sed non in damnum aut noxam Adami. At ubi jam furti reus agebatur, denuntiatum illi: *Spinas & tribulos germinabit tibi.* Homi miti velut Adamo alteri, nil nocet dum mitis est. Conviciis appetitur, calumniis configitur, injuriis afficitur, variè contemnitur; at ille his spinis ac tribulis non pungitur, non uritur: Terram possidet, cujus est Dominus. Promissum Christi certissimum.

Expositio promissi Christi.

Matth. c. 7. vers. 16.

Gen. cap. 3. vers. 18.

Ps. 36. v. 11. Prædixit hoc psaltes: *Mansueti hæreditabunt terram, & delectabuntur in multitudine pacis.*

§. III.

SEd objicias: Quis semper mella loquatur, & quis semper adeò ad amussim mitis sit? Multi sunt, qui turbant; & subinde aliis mersi cogitationibus paullulum asperiùs loquimur. Quis hæc ita in numerato habet, quis ista usquequaque semper ad perpendiculum faciat? Hoc, ô bone, artis est: ideo, huic arti gnaviter studendum est. Ab exemplo rem disce. Agendum mihi est cum homine inhumano, agresti, tetrico, difficili, acerbo, immiti, aspero, à quo vix quisquam suavius, mitiúsque verbulum impetret. Ergo nec ego ab eo rosas & mella expectabo, nempe audiam, quod alii, sed audiam paratus & ad omnem mansuetudinem compositus, dictis illius asperrimis ego mollissima rependam; non proritabit nec inflammabit me, non asperiorem me faciet, quantumvis ore sævat. Mordacissimum fel ipsius melle meo vincam: ita me Deus juvet. Si paribus certare velim, & asperis improbisque dictis, improba, asperáque ejusdem styli reddere, victus, occisus sum.

Comitas est ars cui gnaviter studendum est.

Rom. cap. 12. vers. 21. Hoc, mi Christiane, artis est, *nolle vinci à malo, sed vincere in bono malum:* pro aceto mulsum, murinam, nectar, lene ac dulce vinum reddere: *non reddetes malum pro malo.*

1. Pet. cap. 3. vers. 9.

Hoc discamus, aut mansuetudinis magistro Christo tanquam indociles discipuli minerval repetamus. E scholâ Christi proscribitur, quisquis mansuetudinem & christianam comitatem discere recusat. Iratus & furens elephas, ut ajunt, ad aspectum agni mitescit. Aspice & audi Dominum Jesvm, mansuetudinis præceptorem mitissimum; & non poteris non mitescere.

Sed objicias iterum: Asperum esse, ac irasci nonnunquam necessarium. Sit ita: *Irascimini, sed nolite peccare.* Objurgatio duriuscula melle sit temperata. Ita beatus Paulus præcipiens: *Hunc notate,* inquit, *& ne commiscemini cum illo, ut confundatur, & nolite quasi inimicum existimare, sed corripite ut fratrem. Servum Domini non oportet litigare, sed mansuetum esse ad omnes, cùm modestiâ corripientem.* Ergo acetum, si opus instilla, sed cum melle. Ita, quod veteris est proverbii; *Melle merces tuas contege.*

Psal. 4. v. 5.

2. Thess. 3. v. 14. & 15.

2. Tim. 2. vers. 23.

Interrogatus Democritus, quâ ratione sanus quis ac valens in annos plurimos producat vitam? Hoc dedit responsi: Intus melle, foris oleo. Si valetudo sit conservanda, exercitationem sive oleum corpus, hilaritatem sive mel animus sibi deposcit. Nos idem asserimus: *Intus melle,* sed sensu paullulum mutato. Istud mel oris de quo loquimur, à cordis sinceritate promendum. Quod Ambrosius singulariss imè requirens: *Hanc affabilitatem,* inquit, *volumus esse sinceram, ac sobriam sine ullâ adulatione. Quales haberi volumus, tales simus.* Si impoliti, horridi, insuaves, rustici, immites, barbari, oris ferrei haberi nolumus, ergo nec simus. Emmanuelem divinum infantem prædicat Isaias, quòd butyrum & mel comesturus. Sponsam laudans cælestis sponsus: *Mel & lac,* inquit, *sub linguâ tuâ.* Ita olim infantulis recèns lustratis melli lac mixtum in os inserebatur. Locupletissimus testis Tertullianus: *Inde suscepti,* ait, *mellis, & lactis concordiam præguslamus.* Qui ritus commonebat, ad virtutem comitatis & mansuetudinis infantes è cunis erudiendos, ut à teneris unguiculis maturè discerent non acetum & fel, sed rorem lacteum & mel linguâ tegere. Ajunt sub canum linguâ vermiculum, * quem Lyttam vocant, abscondi, catulis eximendum maturiùs, ne rodere assuescant. Quàm multi hominum sub linguâ canium vermem hunc ferunt, mordent, rodunt, lacerant, perrodunt omnia. Mores prorsus canini. O homines! non obrodentes vermes, non asperos sermones, sed promulsidem lacteam, sed mansuetudinem, & suaviloquentiam, gestate lingua, dicta omnia saccaro, sesamóque † spargite. D. Aquinas ita erudiens. *Affabilitas,* inquit, *specialis virtus est, ad cujus munus officiúmque pertinet, dicta omnia alios attingentia ad decori regulam prudenter moderari.*

Mel oris cordis sinceritate promendum.

Ambros. l. de officiis cap. 7.

Isaiæ cap. 7. vers. 15.

Cantic. 4. 4. vers. 11.

Tertul. l. de corona militis, initio p. 341.

Vernula est.

† *Placenta olim à molâ sesamique confecta.*

S. Tho. 2. 2. q. 115. init.

VII. Quâ in re Tobias etiam noster, affabilis, suavidicus, mansuetæ comitatis plenus exemplo luculento famulum conductitium compellans ut frattrem: *Azaria frater,* inquit, *peto ut auscultes verba mea. Obsecro te, ut assumas tibi animalia, sive servitia & vadas ad Gabelum.* Ita servi cum dominis, non verò domini cum servis aut rarò sic loqui assolent. Nihilominus suaviloquens Tobias suo se servo, quem certè nesciebat esse Angelum, tam affabilem se præbuit. Ita Jobus: *Servum meum vocavi,* ait, *& non respondit mihi, ore proprio deprecabar illum.* Ita Turonum episcopus Briccium sacerdotem de se pessimè loquentem mitissimè toleravit, nec adduci unquam potuit, ut eum officio moveret. Ejus rei geminam assignans rationem. 1. Meam ego ipse injuriam, inquit, neutiquam ulcisci debeo: est, qui judicet & vindicet; illi vindicta omnis est transcribenda. 2. Christus Judam ferre potuit proditorem suum, cur ego non feram Briccium? Mansueti hæreditabunt terram. Sui victor, Orbis possessor est mansuetus.

Septimavidicus, mansuetæ comitatis plenus exemplo luculento famulum conductitium compellans ut frattrem: *Azaria frater,* inquit, *peto ut auscultes verba mea. Obsecro te, ut assumas tibi animalia, sive servitia & vadas ad Gabelum.* Ita servi cum dominis, non verò domini cum servis aut rarò sic loqui assolent. Nihilominus suaviloquens Tobias suo se servo, quem certè nesciebat esse Angelum, tam affabilem se præbuit. Ita Jobus: *Servum meum vocavi,* ait, *& non respondit mihi, ore proprio deprecabar illum.* Ita Turonum episcopus Briccium sacerdotem de se pessimè loquentem mitissimè toleravit, nec adduci unquam potuit, ut eum officio moveret. Ejus rei geminam assignans rationem. 1. Meam ego ipse injuriam, inquit, neutiquam ulcisci debeo: est, qui judicet & vindicet; illi vindicta omnis est transcribenda. 2. Christus Judam ferre potuit proditorem suum, cur ego non feram Briccium? Mansueti hæreditabunt terram. Sui victor, Orbis possessor est mansuetus.

Tob. cap. 8. v. 1. & 3.

Job cap. 19. vers. 16.

Duplex ratio cur Turonum Episcopus Briccium sacerdotem convicitorem non moverit officio.

Eam ob caussam Paulus hoc Tito summâ curâ commendans: *Admone illos,* inquit, *non litigiosos esse, sed modestos, omnem ostendentes mansuetudinem ad omnes homines.* Omne genus comitatis, mansuetudinis, affabilitatis vult exhiberi, & quidem omnibus tam servis, quàm dominis, tam egenis, quàm opulentis, doctis, indoctis, juvenibus, adultis, sapientibus, & rudibus. Quod & Siracides monet: *Congregationi pauperum affabilem te facito,* nempe

Tit. cap. 3. v. 1. & 2.

Eccli. cap. 4. vers. 7.

Alii Nicolaus Lirani.

nempe *suaviter & comiter loquendo.* Suaviloquus homo, nemini non gratus. Vultuosus, asper, austerus, sermonis acidi, oris ferrei homo, nemini non exosus.

Telecrus, quod Plutarchus memorat, fratri suo conquestus: Quî fit, ajebat, mi frater, quod nemo civium mei studiosus bene mihi cupiat. Tibi volunt, ad te voluntatum inclinatio incumbit; quî fit? Cui frater: Pace tuâ dixerim, ait, Tu homo extra omnem comitatem positus injuriam ferre nescis; ego autem scio. Hinc mei favore imbuti, mihi favent, studéntque; utor ego populo sanè meo. Tetricam morositatem tuam nemo non odit, & horrer, & fugit.

Suaviloquentia mater est benevolentiæ.

Nimirum suaviloquentia mater est benevolentiæ. Alios tibi cupis benevolos? Sis tu illis suaviloquus, melioris liberalissimè sparge, cum omnibus affabilis & humanus: oportet enim mansuetum esse ad omnes. Qui pacem & concordiam in cœnobio, in domo, in conjugio cupit alere, hoc agat, ut & ipse & omnes alii inter se verbis utantur bonis; comiter, placidè, suaviter loquantur. Sumptus hîc nulli, fructus maximi. *Videbit mitis,* quod Jobus vaticinatur, *torrentes mellis & butyri.*

Job cap. 20. vers. 17.

Prolixior fuit hæc dissertatio, sed eo fine, ut linguæ omnium discant non acetum, non fel, non acerbitates oris, & insuaves acrimonias, sed lac & mel, sed christianam ac decentem suaviloquentiam omnibus propinare, omnem ostendentes mansuetudinem ad omnes homines. Ita Deus jubet, ita Christus docet, ita exigit justitia. Res est maximi momenti. Ita domus, civitates, regna, Orbis universus longè rectiùs gubernari, ita innumeræ lites, & discordiæ aut penitus caveri aut multò citiùs ac faciliùs poterunt sedari. Oris mel, Orbis tranquillitas. Oportet mansuetum esse ad omnes.

CAPVT IV.

Tobias pudicæ sobrietatis amantissimus.

TObiæ tabellarius è cælo Raphaël pecuniam à Gabelo non solùm recepit, sed & Gabelum ipsum adduxit summo totius domûs gaudio, quod & lacrymas insoliti gaudii testes exciyit. Lacrymis effusa in divinas laudes oratio jungebatur. A divinis laudibus itum ad mensam, epulúmque sobrium. Nam *cum timore Domini nuptiarum convivium exercebant.*

Tob. cap. 9. vers. 12.

Hoc loco prorsus necessarium, si ævi nostri mores considerem, de vulgatissimo Ebrietatis vitio differere. Ego hîc more meo non colligam, sed seligam; rem summam paucis complectar, omniáque conferam ad compendium. Ab annis jam triginta vinolentiam deterrimum flagitium nec scriptis publicis, nec dictis insecutus sum. Aliqua caussarum erat: Ajebant fœdum compotandi morem per Germaniam passim aboleri. Nimirum tunc famuli sobrii sunt & frugi, cùm testes adsunt dominorum oculi: his amotis quidlibet audendi animus est. Jámque eò vitiositas invalescit, ut apud quosdam inter minora piacula censeatur vino sepeliri; apud alios virtutis etiam sit, plurimum vini capere & inter plures ultimum fieri ebrium. Hîc, mi Lector, rumpendum est silentium; faciet indignatio versum. Sed, ut dixi, agam quàm brevissimè potero, atque Ebrietatis damna & noxas, unáque caussas, cur ea modis omnibus fugienda, summatim edisseram.

Ebrietatis damna & noxæ:

§. I.

1. Ebrietatem Deus sub pœnâ capitis prohibuit.

I. EBrietatem Deus severissimè prohibuit sub pœnâ capitis. Supplicium æternum Temulentiæ decretum. Hoc Paulus promulgans: *Ebriosi,* ait, *regnum Dei non possidebunt.* Hoc edictum, hæc unica capitalis sanctio instar mille concionum sit. Ebrietas jacturâ cæli punitur, ad æternos ignes ablegantur ebriosi. Idcirco Christus tam sollicitè monens: *Attendite vobis,* inquit, *ne fortè graventur corda vestra in crapulâ & ebrietate.* Perinde, si dixisset: Pater meus sobrietatis legem capite sanxit. Attendite; transgressionem legis brevissimam supplicium excipit æternum: *Ebriosi regnum Dei non possidebunt.*

1. Cor. cap. 6. vers. 10. Luc. cap. 21. vers. 34.

Cur Deus Israëlis populo non jussit vinũ scaturire è petrâ.

Quærit Ambrosius, cur Deus Israëlis populo, non vinum scaturire jusserit è petrâ, quæ facilitate ac sumptibus iisdem præstantissimum fudisset nectar, si Deus annuisset. Sed providentissimus Deus non ebrium, sed sobrium sibi populum conservare voluit. Oblato vino ingurgitassent sese, saltitassent, in omne genus nequitiarum degenerassent. In officio continere non poterant, dum aquam bibebant; vini flamma in omnia eos scelera egisset. Quod Basilius egregiè testatus: *Ebrietas,* inquit, *malitiæ mater, virtutis inimica, justitiam ignorat, prudentiam extinguit.*

Basil. hom. in Ebrietat.

2. Ebrietas adimit homini rationem.

II. Ebrietas, optimum quod habet homo, rationem adimit, facitque hominem belluam, & belluâ tetriorem. Nullæ pecudes ultra sitim bibunt, cùm sitim extinxerunt, à nemine ad bibendum se cogi ferunt. At homo jam sátur & ebrius bibit, & seipsum, ut habat, stultissimè cogit. Hîc quæstio sit, quándonam in bibendo noxæ letalis fiat initium? Ajunt Theologi: Cùm notat quis vino se gravari, & esse periculum, ne largiùs bibendo inebrietur, & tamen bibit, mortifero se crimini exponit. Hoc peccati principium etiamsi post unam alteramve horam, ebrietatis sequatur complementum. Oseas clamat: *Fornicatio & vinum, & ebrietas auferunt cor.*

Quando in bibẽdo noxæ letalis fiat initium?

Osea cap. 4. vers. 11.

Nox & amor, vinúmque nihil moderabile suadent.

Ovid. lib. 1. de Arte.

Tiberius Cæsar Attilio Butæ viro prætorio cùm is ad inopiam per luxum & temulentiam esset redactus, falsè objiciens: Serò, inquit, experrectus es. Excordes vivunt imò non vivunt, sed vitiosè dormiunt, aut mortui sunt, qui vino se mergere consuerunt. Ideo vociferatur Joël: *Expergiscimini ebrii, & flete, & ululate omnes, qui bibitis vinum in dulcedine, quoniam periit ab ore vestro.* Bernardus hîc paucis multa complexus: *Ebrietas,* inquit, *ita alienat mentem, ut homo nesciat seipsum. Ebrietas mortale crimen est. Ebrietas ejicit hominem è paradiso, è regno Dei. Ebrietas demergit hominem in infernum. Multi per ebrietatem à dæmonibus capti sunt, nec est aliud Ebrietas, quàm manifestissimus dæmon.* Vinum & ebrietas auferunt cor, rationem sepelierunt.

Joël. cap. 1. vers. 5. In dulcedine, non in necessitate, sed in delectatione. Bernard. l. de modo bene vivendi cap. 25. mihi pag. 1656.

§. II.

3 Ebrietatem oderũt omnes Numinis amici.

III. EBrietatem semper angue pejus & cane oderunt omnes Numinis amici, omnes imò amantes recti ac honesti. Anna Samuelis mater vinum nunquam bibit, Magdalena & Martha post Christi in cælos reditum vino, ut fertur, omni abstinuerunt. Hoc virorum plurimi, quos alibi laudamus, abstinentiâ laudabili præstiterunt. De seipso Salomon: *Cogitavi in corde meo,* inquit, *abstrahere à vino carnem meam.* Quod ille cogitavit facere, hoc tot centeni alii fecerunt, non necessitate, sed virtute omnis vini abstemii. Noverant ii blandimenta noxia & vim hujus potûs. Sed non agitur, ut omne poculum vinarium manibus excutiatur, sed ut intemperantia caveatur, quæ licitum vini usum turpissimè corrumpit. Lacedæmonii servos obruerunt vino, & flagellis admoverunt sub oculis filiorum. His indecoros gestus ab ebriis editos monstrarunt, ut eos tantò facilius ab omni ebrietate absterrerent. Laudatissimus Aragonum rex Alphonsus interrogatus, cur adeò ebrietatem & ebrios odisset: Quia scio, ajebat, Furorem & Libidinem Ebrietatis esse filias. Romanus Sapiens Annæus: *Quàm turpe,* inquit, *plus sibi ingerere, quàm capiat, & stomachi sui non nosse mensuram! quàm multa ebrii faciunt, de quibus sobrii erubescunt. Nihil aliud est ebrietas, quàm voluntaria insania. Extende in plures dies illum ebrii habitum, numquid de furore dubitabis? Nunc quoque non est minor, sed brevior. Alexander Macedo Clitum carissimum sibi ac fidelissimum inter epulas transfodit: & intellecto facinore, mori voluit, certè meruit.*

In Pharmacopharmacorũ l. 1. c. 3. §. 1. & 2. Eccles. c. 2. vers. 3.

Sen. epist. 83. mihi p. 548.

IV. Cru-

4. Ebrietas crumenæ, valetudini, famæ nocumentum infert maximum: *Prov. c. 21. vers. 17. Aggæi c. 1. vers. 6.*

IV. Crumenæ, Valetudini, Famæ nocumentum infert maximum Ebrietas. *Crumenæ.* Locupletissimus testis Salomon: *Qui diligit epulas*, inquit, *in egestate erit; qui amat vinum & pinguia, non ditabitur.* Homo bibulus pecuniias suas perforato sacculo commendat. Quod Aggæus vates dixit: *Qui merces congregavit, misit eas in sacculum pertusum.* Quàm multi uxore ac liberis esurientibus, ipsi in tabernis potitant, & lucellum omne gulâ profundâ obliguriunt. Hoc prorsus est nummos in sacculum pertusum mittere. At ego, inquis, gratis bibo; aliis me adjungo. Sed ille alii, num & ipsi gratis bibunt? Non tarò dominis suis furantur, aut suis familiis, ut dixi, subtrahunt. Cùm morbus, aut senectus adest, nummarium omne præsidium deest. Miseri, ter miseri, nisi ope alienâ subleventur. Crumenas exhaurit Ebrietas. Sed & *Valetudinem* hoc idem vitium rapit. Res certissima Siracidæ oraculo: *Propter crapulam multi obierunt, qui autem abstinens est, adjiciet vitam.* Quot millia singulis hebdomadibus hoc fati genere cadunt & tumulo merguntur, ante toties tersi vino? Plinius secundus ebrietati, & ebriis jure merito infensissimus: *Solem orientem*, inquit, *non vident, ac minùs diù vivunt. Hinc pallor & genæ pendulæ, oculorum ulcera, tremulæ manus, effundentes plena vasa, & (quæ sit pœna præsens) furiales somni, & inquies nocturna, præmiúmque summum ebrietatis libido portentosa, ac jucundum nefas. Posterâ die ex ore halitus fœdi, ac ferè rerum omnium oblivio mórsque memoriæ. Rapere se ita vitam prædicant, cùm priorem diem semper perdant, imò verò & venientem.* Quod addit verissimum: *Nullâ in parte mundi cessat ebrietas. Nam & hac necessitas vitium comitatur, ut bibendi consuetudo augeat aviditatem. Quantò plus biberint, tantò plus sitiunt.* Ebrietatem non minùs Seneca detestatus: *Adjice*, inquit, *illam ignorationem sui, dubia & parum explanata verba, incertos oculos, gradum errantem, vertiginem capitis, tecta ipsa mobilia, velut aliquo turbine circumagente totam domum; stomachi tormenta cùm efferuescit merum, ac viscera ipsa distendit. Quid cùm somno vitiatur, & quæ ebrietas fuit, cruditas facta est. Inde pallor & nervorum vino madentium tremor, & miserabilior ex cruditatibus, quàm ex fame macies: inde incerti labantium pedes, & semper qualis in ipsâ ebrietate titubatio: inde in totam cutem humor admissus, distentúsque venter, dum malè assuescit plus capere, quàm poterat: inde suffusio luridæ bilis, & decolor vultus, tabesque in se putrescentium, & retorti digiti articulis obrigescentibus, nervorum sine sensu jacentium torpor, aut palpitatio sine intermissione vibrantium. Quid capitis vertigines dicam? quid oculorum, auriúmque tormenta, & cerebri æstuantis verminationes, & omnia, per quæ exoneramur, internis ulceribus affecta? Innumerabilia præterea febrium genera, aliarum impetu sævientium, aliarum tenui peste repentium, aliarum cum horrore, & multâ membrorum quassatione venientium? Quid alios referam innumerabiles morbos, supplicia luxuriæ?* Alexandrum Macedonem tot itinera, tot prælia, tot hiemes, per quas, victâ temporum, locorúmque difficultate, transierat, tot flumina ex ignoto cadentia, tot maria tutum dimiserunt, intemperantia bibendi, & ille Herculaneus ac fatalis sciphus condidit. Hunc Athenæo teste, bis exhausit, & concidit; aliquot dies decubuit, & obiit. Augustinus in ebrietatem & ebrios sæpius excandescens: *ô ebrietas*, ait, *nunquid non cuncta membra debilitas, nunquid non mortem acceleras?* Et valetudinem & vitam rapit ebrietas. Nec Famæ parcit, quam inficit & extinguit. Grande mirum, nemo se contemni patitur, & tamen homine potulento contemptibilior nemo est. Quoties sermones isti obambulant? Bonus homo, vir bonus, bonus dominus, sed cùm ebrius est, stultus, insanus; amator sordidus, obscœnus, prodigus, tyrannus, turpissimus homo est, in quem Plautinum illud ex asse conveniat: Neque perjurior, neque pejor alter usquam est gentium, neque tam luteus, neque tam cœno pollutus, quàm herus meus est. Ita laus omnis periit, quisquis sit. Si de bellitudine cetera corda-

Valetudini, *Eccli. c. 37. vers. 34.*

Plin. lib. 14. Natur. hist. cap. 22.

Senec. ep. 95. mihi p. 539. post med.

Athen. lib. 1. Dypnosophn. & 12.

Aug. to. 10. serm. 31. ad fratres in eremo, mihi pag. 731.

Famæ. Homine potulento contemptibilior nemo est.

to, & qui sese præclarè gesserit, sit sermo, si ejus encomiis addatur, *Bibit*, jam omnia conciderunt encomia. Si de famulo aulico fiat mentio, dicatúrque sedulus, comis, urbanus, intelligens, doctus: si tamen adjiciatur, *Bibit*, jam elogium omne evanuit; à nemine magni fit, nec à suis dominis, tanquam homo minimè frugi, amatur. Profectò notam nimis luculentam gerit inustam, hac maculâ quisquis affectus est. Lauda, quantum velis, si addis: At bibulus est, jam laudem omnem corrupisti. Homo potulentus & calicum traho, plurimus necessariò vitiis obnoxius. Ebrietas nusquam incedit sola; catervam secum trahit sceleſti agminis, quod jam dicemus.

§. III.

5. Ebrietas est omnis vitiorum causa & mater. *Aug. to. 10. serm. 33. ad fratres in eremo, mihi pag. 731. Senec. ep. 83.*

V. Vitiorum omnium mater, & causa Ebrietas. Effatum hoc Augustinus testimoniis clarissimis firmans: *Ebrietas*, inquit, *malorum mater, omnis luxuriæ soror.* Sed non opus hîc testibus; res ipsa loquitur. Annæus, quem dixi, philosophus verissimè pronuntiavit: *Omne vitium ebrietas incendit, & detegit. Obstantem malis conatibus verecundiam removet. Plures enim pudore peccandi, quàm bonâ voluntate prohibitis abstinent. Vbi possedit animam nimia vis vini, quidquid mali latebat, emergit. Tunc libidinosus cupiditatibus suis, quantum petierint, sine dilatione permittit, tunc impudicus morbum profitetur ac publicat, tunc petulans non linguam, non manum continet. Crescit insolenti superbia, crudelitas sævo, malignitas livido: omne vitium detegitur & prodit. Cogita quas clades ediderit publica ebrietas. Hæc acerrimas gentes, bellicosásque hostibus tradidit; hæc multorum annorum pertinaci bello defensa mœnia patefecit; hæc invictos acie, mero domuit. Non est animus in suâ potestate, ebrietate devinctus. Quemadmodum musto dolia ipsa rumpuntur, & omne, quod in imo jacet, in summam partem vis caloris ejectat: sic vino exæstuante, quidquid in imo jacet abditum, effertur & prodit in medium. Onerati mero, quemadmodum non continent cibum, vino redundante, ita ne secretum quidem, quod suum alienúmque est, pariter effundunt. Quæ autem gloria est (ô Christiani) multum vini capere? Cùm penes te palma fuerit, & propinationes tuas strati somno ac vomitantes recusaverint, cùm superstes toti convivio fueris, cùm omnes viceris virtute magnificâ, & nemo meri tam capax fuerit; vincêris à dolio. M. Antonium, magnum virum, & ingenii nobilis, quæ alia res perdidit, & in exteros mores ac vitia trajecit, quàm ebrietas? Hæc illum res hostem reipublicæ, hæc hostibus suis imparem reddidit, hæc crudelem fecit. Ferè vinolentiam sequitur crudelitas, violatur enim, exasperatúrque sanitas mentis.* Ebrietas omnium vitiorum fecunda parens. Hoc ipsum Plinius deplorans: Tanto labore, inquit, & impendio constat, quod hominis mentem mutet, ac furorem gignat, millibus scelerum huic deditis tantâ dulcedine, ut magna pars non aliud vitæ præmium intelligat. Jam verò quæ vasa adulteriis celata? tanquam per se parum doceat libidines temulentia. Ita vitia ex libidine hauriuntur, atque etiam præmio invitatur ebrietas. Tunc avidi matronam oculi licentur, tunc animi secreta proferuntur; alii mortifera loquuntur, redituráque per jugulum voces non continent, quàm multis ita interemptis. Sed etsi fileant hi testes, unus Bernardus loco mille testium: *Ebrietas*, inquit, *corpus debilitat, animam illaqueat. Ebrietas generat perturbationem mentis, ebrietas auget furorem cordis, ebrietas nutrit flammam fornicationis. Ebrietas inter homicidia, & adulteria, & fornicationes reputatur.*

Animus ebrietate devinctus non est in suâ potestate.

Secretum suum alienúmque effundit.

Ebrietas perdidit M. Antonium.

Bernard. lib. de modo bene vivendi ser. 15. mihi pag. 1655.

Interrogârat Christus à malo dæmone infestum: *Quod tibi nomen est?* Cui promptè dæmon: *Legio*, inquit, *mihi nomen est, quia multi sumus.* Idem de se dixerit Ebrietas: Mihi nomen est Legio, innumeros mecum traho comites; omne vitiorum agmen me unam comitatur. Hominem cetera non malum dæmon importunissimis, ut solet, illecebris obtundens: Aut vicini conjugem, ajebat, in tuos amores pertrahe, aut ipsum occide,

Matth. 8. vers. 9.

Per ebrietatem in alia vitia labi exemplis ostenditur.

aut

aut eliumscule bibe, ac vino te ad jucundam ebrietatem merge; nec enim à me quietem impetrabis ullam, dum aliquid horum audeas. Diutissimè restitit illecebroso serpenti religiosus homo. Tandem ebrietati, malo dulci succumbens, & feminam corrupit, & feminæ marium sustulit, scelerato prorsus compendio. Sed isto magis tragicum è cathedrâ singulari oratione percensuit Augustinus. Atque ut omnes id probè caperent, universum urbis Hipponis populum in concionem ad hoc unum audiendum cogi voluit. Hæc præsul sanctissimus pro suggestu dixit: *Ecce Cyrillus civis vester filium habebat, ut nostis, unicum, quem perditè diligebat, & idcirco à vitiis minimè coërcebat. Filius hac patris indulgentiâ pessimè usus, ruebat in omne genus scelerum. Iam nota vobis recito. Sed non refert, recentissimè facta publicè narrare non erubesco, ut sit in omnem vitam, quod vos à vitiis, ab ebrietate absterreat. Ille ipse Cyrilli filius hac ipsâ die de vino ebrius matrem gravidam nequiter oppressit, patrem occidit, unam sororum vitiare voluit, duas mortifere vulneravit.* Hæc ebrietatis pulchra sunt stratagemata. O Ebrietas verè omnium malorum mater!

Hîc quadrigis albis diabolus invehitur, & triumphat, ubi hominem ad crebriorem Ebrietatem tot scelerum epitomen adegerit. Quod Ambrosius sapienter advertens: *Diversa*, inquit, *singulis peccatoribus mala eveniunt, temulentis omnia.* Hoc certum: Qui sacrificat Baccho, Nacrificat & Veneri: Et quæso, estne in Orbe, aut fuitne aliquis obnoxius temulentiæ, qui obnoxius non esset luxuriæ? Vinolentia & luxuria pari plerunque passu incedunt, sororas sibi conjunctissimæ. Apertissimè Salomon: *Luxuriosa res vinum, & tumultuosa ebrietas: quicunque his delectatur, non erit sapiens.* Plato epistolâ, quam ad Dionis propinquos dedit: *In vitâ parum sobriâ*, inquit, *nemo unquam sapiens, multò minùs moderatus*: addo, multò minùs castus efficitur. Castus & Ebriosus, niger cygnus, corvus candidus. Idcirco Paulus monitor fidelissimus: *Nolite*, inquit, *inebriari vino, in quo est luxuria.* Crapula impudicitiam, sordes, omnis generis spurcitiam secum vehit. Quod Hieronymus candidè, ac nervosè adstruens: *Ubicunque*, ait, *saturitas & ebrietas, ibi libido dominatur. Nunquam ego ebrium putabo castum, qui est vino consopitus dormiverit, tamen potuit peccare per vinum. Venter mero æstuans despumat in libidinem. Dicat quisque, quod volet, ego loquor conscientiam meam: Scio mihi abstinentiam & nocuisse intermissam, & profuisse repetitam.* Heu Lothum, non vicit Sodoma, sed vicerunt vina. Omnia vitia Ebrietas incendit, omnium primò luxuriam: deinde rixas, altercationes, discordias, pugnas, cædes. Hinc Bromio rectè appinguntur cornua. Alciati metrum est:

Tympana non manibus, capiti non cornua desunt.

Quod Salomon luculenter exprimens: *Cui væ*, inquit, *cujus patri væ? cui rixæ? cui foveæ? cui sine causâ vulnera? cui suffusio oculorum? Nónne his, qui commorantur in vino, & student calicibus epotandis? Ne intuearis vinum, quando flavescit, cùm splenduerit in vitro color ejus: ingreditur blandè, sed in novissimo mordebit ut coluber, & sicut regulus venena diffundet.* Hoc ipsum Augustinus contentissimè crebriùs inculcans: *Majora*, inquit, *pocula providentur, certâ bibendi lege contenditur, qui poterit vincere, laudem meretur ex crimine. Inde lites & rixæ nascuntur, inde diversis & horrendis saltationibus membra torquentur: inde adulteria & nonnunquam homicidia perpetrantur. Et quoties nimium potum accipiunt, tanquam in paralysin resoluti, suis pedibus ambulare non possunt. Hinc oculorum caligo, vertigo, fatigatio & dolor capitis, suffusio vultûs, membrorum omnium tremor, animæ ac mentis stupor. In talibus impletur, quod scriptum est*: Cui væ, cui iræ, cui rixæ? &c. Nónne his, qui morantur in vino, *& eis, qui investigant, ubi potus sunt*, & student calicibus epotandis.

§. IV.

VI. EBrietas vitium est inter omnia omnino vitia periculosissimum. Atque hoc huic uni vitio proprium est, in periculum certum ac inevitabile mortis æternæ conjicere. In aliorum vitiorum usu, cùm mors adest, ingemiscimus, & de noxis dolemus: homo ebrius nec pœnitentiæ, nec sacramentorum capax, nihil ad Deum suspirii mittit, nihil doloris de peccatis concipit. Truncus est, saxum est, rationis jam expers veluti brutum animal est. Quam autem ista sunt frequentia? Gravedines & distillationes subitæ, apoplexia, & nervorum sideratio, lapsus ex equo, aut curru, præcipitium per scalas, repentina vulnera, ænearum fistularum glandes, mors præpropera, subitanea. Quid hîc faciat ebrius? Ad Deum se vertat, de noxis doleat, veniam poscat? sui & mentis impos est. Hîc nulli penitus bonæ, seriæque cogitationi locus. Ita ebrietas letale crimen, licet ablint alia omnia, hunc hominem tradit morti, mors cacodæmoni æternis ignibus torquendum. Hæc vitæ ratio est. Idcirco Christus toties, tam contentè monet: *Videte, vigilate: & orate; nescitis enim, quando tempus sit. Vigilate ergo, nescitis enim, quando Dominus domûs veniat, serò an mediâ nocte, an galli cantu, an manè, ne cùm venerit repentè, inveniat vos dormientes. Quod autem vobis dico, omnibus dico, Vigilate.* Quis autem minùs vigilat, quis magis dormit, quis magis veterno impio sepultus quàm ebrius? Periit, & quidem æternùm periit, si repentè veniat Dominus, & inveniat non tantùm dormientem, sed ita mortiferè dormientem, ut excitari non possit ad ullam pœnitentiæ vigiliam. Vitiorum omnium longè periculosissimum Ebrietas. Eam ob caussam excitat & hortatur Petrus: *Sobrii estote, & vigilate, quia adversarius vester diabolus tanquam leo rugiens circuit quærens, quem devoret.* Ad eandem vigilantiam Paulus severissimis minis excitans: *Manifesta sunt*, inquit, *opera carnis &c. homicidia, ebrietates, comessationes, & his similia, quæ prædico vobis, sicut prædixi, quoniam, qui talia agunt, regnum Dei non consequentur.*

Ejus præstantia.

Ebrii vitæ ratio.

Marci c. 33. v. 33. 35. 36. & 37.

1. Pet. cap. 5. vers. 8.

Galat. c. 5. vers. 19. & seqq.

VII. Deus etiam in hoc Orbe gravibus suppliciis ebrietatem affecit. Jam olim minatus Isaias: *Væ*, inquit, *qui potentes estis ad bibendum vinum, & viri fortes ad miscendam ebrietatem*; tanquam ad perdenda vina geniti, & tanquam illa effundi non possint, nisi per humanum corpus. *Atque utinam*, ait Augustinus, *potum tantummodo perderent, & non etiam ipsi perirent.* Lothus Dei amicissimus ab illecebris Sodomæ invictus, ad incestum geminum ab ebrietate impulsus est. Noëmus post tot centurias annorum ebrius à suômet filio irrisus est. Samson mero gravis, à Dalilâ hostibus est objectus. Temulentus Holofernes non victoriam tantùm & exercitum, sed & caput suum perdidit. Liberi Job dum poculis, & conviviis vacant, ruinâ domûs sepeliuntur. Herodes vino madens Joanni Baptistæ caput auferri jubet. Purpuratus heluo quotidianis epulis saginatus apud inferos sepultus à Lazaro nec guttulam aquæ impetrat. Ultimus Babyloniorum rex Balthasar, dum convivatur, & mero se onerat, ad parietem manum scribentem cernit, proximâ nocte & regnum & vitam amittit. Ebrius, jam sui compos factus, hæc tria solùm verbula sæpius expendat, *Mane*, dies vitæ tuæ numerati, & decurtati sunt. *Thecel*, appensus in staterâ, inventus es sobrietatis minus habens. *Phares*, dividetur regnum tuum; corpus toties vino repletum, vermibus; animus in prædam cedet dæmonibus. Ergo, *attendite vobis, ne graventur corda vestra crapulâ & ebrietate. Ebrioſi regnum Dei non possidebunt*: Sed quid hîc remedii? In verba conferam pauciſſima.

7. Ebrietatem Deus in hoc orbe gravibus suppliciis affecit.

Isaiæ cap. 5. vers. 22.

Multi homines ab ebrietate ad alia vitia impulsi sunt.

Luc. cap. 21. vers. 34.

1. Cor. cap. 6. vers. 10.

§. V.

7. Remedia contra ebrietatem: Primum.

1. FEl & acetum in theatro crucis Christo propinatum sæpius expendendum, iis maximè, qui vino solent madere. 2. Et quanta innumerabilium hominum quorum aliquos etiam ipsi novimus, fuit abstinentia, qui vino se nunquam obruerunt. Idem de plurimis aliis affirmare licet: nec iste, neque hic, nec ille, mero se unquam onerat, & ego solus homo spurcus, vini bibulus,

Secundum.

Tertium. lus, & potator sim? 3. Quanti sunt, quibus nec aridus panis in prandium aut cenam est? Tu ergo, qui victu uteris tam commodo, datorem agnosce tuum, & beneficium vertas in injuriam datoris & probrum? 4. Attende igitur, & vigila, ne per eandem portam diabolus sub vino irrepat, per quam ingreditur Christus sub sacramento. 5. Hæc edendi & bibendi voluptas quantilli spatii, seu loci & temporis est. Locus vix duorum digitorum: Tempus brevissimum, dum cibus scilicet ac potus hæret in faucibus. Hinc ista qualis qualis voluptas velut somnium evanescit, & tamen sui avidos ad Orcum dejicit. *Voluptas bonum pecoris*, inquit Annæus, *cui indulgere, initium omnium malorum est.* Chrysostomus hominem hujus voluptatis avidum hoc modo interrogat. *Nunquid voluptatem quæris amice? hanc à frugalitate parabis. Num sanitatem? etiam hanc inde: num securitatem, & sollicitudinis immunitatem? etiam hanc: num animæ sobrietatem? num alacritatem? ita omnia hîc. In crapulâ autem contraria insuavitas, mala valetudo, infirmitas, illiberalitas, sumptus. Vnde igitur ad illam currimus omnes?* inquit. *Ab infirmitate: Dic enim mihi, quare nocivum ægrotans inquirit, nónne & istuc ipsum signum est ægritudinis? Quare claudus non rectè incedit? istuc ipsum autem nónne ab ignaviâ, & quòd non vult accedere ad medicum? Rerum enim aliæ temporariam voluptatem habent, & perpetuum supplicium: aliæ contrà temporarium laborem, & perpetuam fruitionem. Qui igitur sic dissolutus & ignavus est, ita ut præsentes delicias præ futuris non contemnat, statim capitur.* Voluptas ergo maxima, voluptatis victoria.

Sextum. 6. Vinolentus inediam, famémque Lazari, sed & sinum Abrahami sæpe cogitet, unà etiam opulenti epulonis hîc lautam mensam, & illic apud inferos æternam abstinentiam cum animo suo expendat. Quid post omnes delicias & voluptates remanet nisi vacua crumena, effætum ac morbidum corpus, imminuta & deturpata fama, læsa & desperata conscientia? Hoc autem unum tibi manet, quod tibi subtraxeris. Gulam & ebrietatem vicisse, solatium suavissimum. 7. Sed, inquis, hujus Domini aut Septimum. fautoris magni, aut principis tanti gratiam amitto, nisi bibo, & ultra necessitatem bibo. *Solent ebriosi*, ait Augustinus; *ita se excusare, ut dicant, Persona potens me coëgit, ut amplius biham, & in convivio regis non potui aliud facere. Ad excusandas excusationes ista in peccatis prætendimus.* Quid autem hac in re faciendum? continuò subjungens Augustinus. *Etiamsi*, ait, *ad hoc veniretur, ut tibi diceretur, Aut bibas, aut morieris: Melius erat, ut caro tua sobria occideretur, quàm per ebrietatem anima morcretur.* Imò illa plerunque objiciuntur falsò. Nam illi tales domini, quia prudentes & Christiani, ubi vident virili ac constanti animo potum nimium & ebrietatem repudiari, etiamsi indignationis aliquid ostendant, postea tamen tacitè admirantur & laudant, & secum ipsis non sine profectu reputant: quantis cum illo egimus, quot illum minis ac terroribus fatigavimus, & tamen à sobrietate abducere nequivimus. Subjungens Augustinus: *Nam & Deus*, inquit, *qui te videt per ejus amorem inebriari non velle, ipse tibi gratiam etiam eorum dabit, qui te, ut amplius biberes, videbantur hortari & cogere.*

Hæc à se dicta conceptissimis verbis Augustinus confirmans: *Tolerabilius est*, inquit, *in carne mori, quàm per ebrietatem in animâ interfici. Non sit tibi amicus, qui te Deo vult facere inimicum, qui & tuus, & suus est inimicus. Si & te & alium inebriaveris, habebis hominem amicum, habebis Deum inimicum. Et ideo sapienter considera, si justum sit, ut te à Deo separes, dum te ebrioso conjungis. O infelicitas generis humani, quàm multi inveniuntur, qui ebriosos & luxuriosos amplius, quàm oportet cogunt bibere, & ante ostium pauperibus petentibus vel unum calicem dissimulant dare; nec attendunt, quia illud, quod luxuriosis videntur ingerere, Christus in pauperibus deberet accipere, qui dixit:* Quod fecistis uni ex minimis meis, mihi fecisti. *Ideo autem tantâ infelicitate se inebriant homines, quia putant ebrietatem, aut parvum, aut nullum peccatum esse. Sed pro istâ ignorantiâ maximè Sacerdotes in die judicii reddituri sunt rationem, si commissis sibi populis, quæ, vel quanta mala de ebrietate nascuntur, assiduè noluerint prædicare. Qui ergo credit ebrietatem esse parvum peccatum, si se non emendaverit, & pro ipsâ ebrietate pœnitentiam non egerit, cum adulteris & homicidis (hæc, quæso, non effluant) æterna sine remedio illum pœna cruciabit, secundùm illud:* Ebriosi regnum Dei non possidebunt. *Et ideo definiat ac deliberet unusquisque apud se, ebrietatem grave esse peccatum, & tunc aut nunquam aut difficilè eum ebrietas poterit superare. Et ideo rogo, & per tremendum diem judicii adjuro, ut quantum potestis, ebrietatis malum, auxiliante Deo, fugiatis, quia etiamsi reliqua peccata Christiani non admittant, sola eos, si frequens fuerit ebrietas, & emendatio ac pœnitentia non subvenerit, in inferni profunda præcipitat. Luxuriosa res vinum.* Chrysostomus dicta omnia velut compendio complexus. *Vbi ebrietas*, inquit, *ibi diabolus.* Ebrietas malorum omnium mater. *Ebriosi regnum Dei non possidebunt.*

Idem loco cit. & priori serm. 231.

Sen. ep. 92. & ep. 110.

Chrys. to. 3. in c. 13. Act. Apost. homil. 27 mihi pag. 538.

Idē loco cit.

Matth. c. 25. vers. 40.

Aug. to. 10. serm. 232. de Tempore, mihi p. 377.

Prov. c. 23. vers. 1. Chrysost. hom. 57. ad pop.

CAPVT V.

Tobias senior ob moram filii reducis vehementer anxius.

CVm Tobias junior ob conjugium recèns initum, atque celebratas nuptias, & ob Raguelis preces validissimas aliquantulùm moraretur, hinc seriùs suscipere iter, eámque ob caussam statò tempore domi non esset, parentes mœsti ac solliciti absentiam filii luctu non levi deplorarunt: Mœrorem Pater non dissimulans: *Quare*, inquit, *moratur filius meus, aut quare detentus est ibi? Putasne Gabelus mortuus est, & nemo reddet illi pecuniam? Cœpit autem contristari nimis, & Anna uxor ejus cum eo; & cœperunt ambo simul flere, eò quòd die statuto minimè reverteretur filius eorum ad eos.* Hîc anxia in adversis sollicitudo nonnihil erudienda, mala trepidatio in improsperis corrigenda, erigendus animus ad providentiam divinam in omni eventu considerandam.

Tob. cap. 10. v. 1. 2. & 4.

§. I.

SI res ad vivum revocanda, & origo nostrarum pæne omnium miseriarum scrutanda sit, eam esse comperiemus, quòd divinam providentiam verâ non satis capiamus. Hinc vanæ sollicitudines, vani metus, inanis luctus, & plurima perturbatio. Adversa gravius sentire, nil ex se mali. Hoc humanum est, quod à nobis alienum non putemus; sed turbari, fluctuare, angi, animi discruciari, id verò laudem non habet, hoc denique vitiosum est. Istius mali origo, divinæ providentiæ est ignoratio. Huc igitur & oculos & mentem advertite Christiani: ad divinam providentiam digitum intendo.

Ignorantia divinæ providentiæ est origo fluctuationis animi.

Divinæ providentiæ ita omnia sunt subjecta, ut nihil penitus nec minimum quidem ulli hominum evenire possit, quod providentia divina non præviderit, aut noluerit, aut malè permiserit. Invitâ vel nesciente Dei providentiâ neminem vel catellus allatrat, nec musca tangit, nec culex mordet. Quòd si hæc etiam minutissima divinæ providentiæ decreto fiant, utique graviora illa, nempe ab homine objurgari, lædi, vulnerari (infinita talia conglomerentur) absque decreto ejusdem providentiæ non fient. Nil rerum uspiam fit, quòd non ab omni æternitate Deus futurum præviderit, & ita prout fit, fieri voluerit, unicum si demam peccatum, quod permittit fieri, ipsa permissio in hostium tendit emolumentum. *Melius enim judicavit Deus*, Augustino teste, *de malis benefacere, quàm mala nulla esse permittere, bene utens bonus malis, & faciens bona de malis, ad faciendos bonos ex malis.* Exempli gratiâ: Est, qui me invadat, vituperet, carpat, objurget, laceret verbis mordacissimis. Quid ego hîc faciam? Primum omnium sit, cogitare: Deus, divina providentia hunc hominem in me immi-

Divinæ providentiæ omnia sunt subjecta.

Aug. to. 4. tract. 113. in Joan. c. 16. mihi p. 227.

sit,

sit, hanc plagam Deus, hunc ictum, hoc vulnus tergo meo, & quidem ab æterno, destinavit, voluitque ut me hic homo his modis exagitaret. Atqui, dices, hic homo peccat, dum tale quid patrat. Esto: peccatum Deus non vult, sed permittit, idque in bonum nostrum, atque ita voluntate malâ, voluntate pessimâ velut instrumento utitur ad suos exercendos, ad improbos puniendos & corrigendos. Quâ de re clarissimè Augustinus: *Magna opera * Domini exquisita in omnes voluntates ejus*, inquit, *ut miro & ineffabili modo non fiat præter ejus voluntatem: quia non fieret, si non sineret; nec utique nolens finit sed volens. Nec sineret bono fieri malè, nisi omnipotens etiam de malo facere posset bene.* Hæc centies, hæc millies occentanda, quia etiámnum plurimi ea non cupiunt; atque hinc mœrores, perturbationes, angores vani & mali. Nec enim illud Siracidæ perpendunt: *Bona & mala, vita & mors, paupertas & honestas à Deo sunt.* Ea prorsus mala omnia, quæ nos appellamus mala à Deo sunt, & quidem à volente Deo. Subinde malis alienis moti dicimus: Grande malum hanc domum occupavit: Vir mortuus, inops vidua octo liberos habet, è quibus tres ægrotant, nec totâ domo vel buccea panis reperienda est. Sed & tempus urget mercedes annuas habitationum solvere, nec obolus in arcâ est. Non soluit? in plateas ejicitur omnis supellex. Immites consanguinei juvare nolunt, quia cognatæ paupertatem erubescunt. Hinc istæ lacrymæ. Atqui hæc mala à Deo sunt omnia. Et plerunque hæ tales ærumnæ malè initi matrimonii sunt supplicia. Nam sæpe spreto Deo nubitur; conveniunt ut pecudes, junguntur nuptiis ante nuptias. Non claudo pede sequitur pœna divinæ legis contemptores. Subinde tamen etiam ejusmodi mala experimentum sunt pauperis ac probi hominis, cujus promerita mirificè augent. Quod de malis illis affirmavi, de malis omnibus, quæ in Orbe sunt, affirmo. A Deo mala omnia proveniunt, solum demo peccatum. Ita Deus vult, ut iste sit opulentus, hic egenus; iste sanus, ille ægrotus; hic honoratus, iste abjectus; ita in omnibus sentiendum. Hæc Dei providentia ante oculos assiduè obversetur.

Ad rem instruens Paulus: *Nihil solliciti sitis*, inquit, *sed in omni oratione, & obsecratione cum gratiarum actione petitiones vestræ innotescant apud Deum.* Atqui, ut dictum, hæc ab æterno Deus novit, Nihilominus *innotescant*. Hîc diversa quatuor edocemur. 1. Oratio, est animi ad Deum elevatio, quo quidem modo ad Deum accedimus. 2. Petitio est, quâ victum, valetudinem, sapientiam, alias à Deo virtutes poscimus. 3. Gratiarum actio est, quâ nos Deo memores & gratos sistimus ob accepta ab eo beneficia, quæ una res nostras preces plurimùm commendat. 4. Obsecratio est, quâ precibus nostris vim & pondus ad impetrandum addimus, quod ipsa Dei bonitas est, & promeritorum filii thesaurus infinitus. Hinc preces ita concipimus: Domine Jesv, per nativitatem tuam, per baptismum & sanctum jejunium tuum, per crucem & passionem tuam libera nos. Sed quomodo hæc Deo jam omnia scienti *innotescant*? Vult Paulus. 1. Ut Angeli etiam, quid petamus, sciant. 2. Assiduitatem & vigilantiam orationis extimulat. 3. Ut causas physicas ad æternam veritatem referamus. Hoc explicans Augustinus: *Dicuntur Angeli*, ait, *orationes, & vota nostra offerre Deo, non quia Deum doceant, qui omnia, antequam fiunt, sicut & postea facta sunt, novit: sed quia ejus voluntatem super his consulant, & quod jubente Deo completum esse cognoverint, hoc nobis evidenter, vel latenter reportant. Unde Angelus hominibus ait: Cùm orasti, orationem vestram obtuli Deo. Similiter & nos cum oramus non Deum docemus, quasi nesciat, quid velimus & quo indigeamus, sed necesse habet rationalis creatura temporales causas ad æternam veritatem referre, sive petendo, quid ergà se fiat, sive consulendo, quid fiat.* Hoc pectori altissimè infigendum: *Necesse habet rationalis creatura temporales causas ad æternam veritatem referre.* Hoc igitur age, mi homo, & Augustini monitu, Temporales causas ad æternam veritatem refer. Deo te siste, & dic: Scio Domine, scio paupertatem, injurias, morbos, & quidquid est horum malorum, à tuâ Providentiâ & voluntate provenire. Scio & agnosco, sed in his, si fieri potest, levamen peto. Hoc reverà est causas temporales ad æternam veritatem referre. Ita innotescunt apud Deum petitiones nostræ. Subsidii hujus ignorantia humanas omnes miserias incredibiliter exasperat. Rem exemplo monstramus.

§. II.

Alaricus Gothorum rex Anno Christiano quadringentesimo nono, cum exercitu Romam movit, expilaturus Urbem & eversurus: quod Socrates & Sozemenus me docent. Vir sanctus magni animi, professione monachus regem adiit & rogavit, parceret urbi & humano sanguini, mala inde ingentia oritura. Cui Alaricus rex, se pæne invitum expeditionem hanc suscepisse. Sed esse monitorem latentem, qui animum cunctantem urgeat, ac si quotidie hæc auribus ingerat: Iter capessito, Romam vastato. Tantæ urbis eversio, malum ingens, malum maximum, sed hoc Deus voluit, quia voluit his bellorum flammis punire sontes ac purgare. Nihilominus è tantis malis plurimum eliquavit boni, velut pharmacopola è floribus pretiosum liquorem. Inter bona eversæ urbis numero Augustini duos libros de Civitate Dei, grande opus, multóque nobilissimum, quod pro suo agnoscit sanctissimus scriptor & fatetur scribendi causam fuisse eversionem Romæ sub Alarico. Atqui hoc unicum est è multis bonis tam miserandæ vastationis. Quòd si nihil aliud boni eversam Romam sit secutum, nihilominus quæstio planè sit, an Reipublicæ Christianæ non magis expediat, hoc Augustini divino scripto jam posse frui, quàm urbem eo tempore non expilari.

Socrates l. 7. hist. Eccles. cap. 10. Sozomenus lib. 9. cap. 6.

Eversio Romæ fuit S. Augustino causa scriptionis librorum de Civitate Dei.

Superiores annos in memoriam revocemus. Ab anno millesimo sexcentesimo trigesimo secundo ad trigesimum quintum, Deus bone, quale triennium fuit, quo Germaniæ pæne omnis in cadaver & miserabile bustum extabuit. Sentimus etiámnum flammas, & ustulationes bellicas, sed utique ex his incendiis Deus plurimum boni collegit, quod supremo die cominus & luculentè spectaturi sumus. Quemadmodum verò Deus, cum urbe totâ, cum provinciâ, cum regno, ita prorsus cum quovis homine agit, & sicut mala urbis, provinciæ, regni, universi Orbis, ita mala cujusvis hominis universa à Deo, à divinâ Providentiâ, & Voluntate proveniunt, quæ illa ipsa mala ad unguiculum, ad drachmæ partem minimam, ad granum dimensa, in hunc ipsum hominem, bono ejus, destinatissimè & ex decreto æterno immittit. Idcirco Paulus: *Nihil, ait, solliciti sitis*: hæc vos non turbent, supra vos curat providentissimus Deus, & vestra vobis mala in vestrum usum attemperat. Vos causas physicas ad æternam veritatem referte.

Philip. c. 4. vers. 6.

Atque hæc, quæ audimus, quæ legimus, quæ Christiana religio docet, non nictante oculo consideranda, sed eo mentis ardore, ac si præsentem cerneremus Christum Dominum, qui suâ nobis manu amariorem calicem propinet, ac dicat: Sume fili, sume filia, & honori meo, propter me hos amaritudines exhauri; erunt saluti. At nos homunciones queruli & in perniciem nostram stolidè cati, nostras hîc considerationculas opponimus & vociferamur: Quomodo homo ille sanctulus hoc in me audet; non sibi religioni ducit, tam iniquè mecum agere? mea mihi tam dolosâ vi eripere? tantis me incommodis afficere? fas omne temerario insultu proterere? Num hoc æquum & justum? quid à me unquam mali passus est? Quid, obsecro, argutamur miseri? æquum an iniquum, justum an injustum sit, priores læserimus, an lædamur primi. Ad rem non faciunt hæ quæstiuncula.

Philip. c. 4. vers. 6.

Quatuor documenta: Primum.

Secundum.

Tertium.

Quartum.

Quomodo petitiones nostræ Deo innotescant.

Augustin. to. 9. l. de diligendo Deo. c. 3. mihi p. 367. Illa tamen ab Augustino Epistola dist. erquam.

Hoc quæramus, quid pati nos velit Deus. Si mutare, aut mitigare non possimus, quo premimur, malum, divinam Providentiam & Voluntatem venerabundi agnoscamus; feramus, quod ferre nos vult Deus; exhauriamus, quem propinavit pater amarum calicem; mala, quæ nos urgent, toleremus sine hæsitatione, sine murmure, sine querimoniis, sine perturbatione, in unam Dei voluntatem animo intentissimi. Ita causas temporales physicas ad æternam voluntatem referamus.

§. III.

E Chrysostomo quærebant auditores Constantinopoli: Cur permisisset Deus, ab homicidâ sceleratissimo Herode tot millia infantum jugulari. Etsi enim, ajebant, ille egit injustè, cur tamen Deus ista permisit? Ad ea Chrysostomus: *Quid igitur*, inquit, *ad hujusmodi objecta respondeam? Illud profectò, quod semper, & in ecclesiâ, & in domo, & in publico, & omnino ubique inculcare non desino, quódque à vobis summâ cum diligentiâ cupio servari. Stat enim certa illa, fixáque regula, & una contra omnes hujuscemodi aptissima ac validissima quæstiones. Quænam igitur hæc regula est, quæve ratio?* Quòd videlicet, qui lædere velint, multi sint; qui verò ab alio lædatur, omnino nullus. *Et ne in longum vos sententiæ hujus conturbet ambiguum, rem absolvam. Quidquid illud à quolibet hominum passi fuerimus injustè, aut remissione peccatorum Deus, aut amplioris mercedis retributione compensat.* Exemplis dicta consignemus. Servorum aliquis suo Domino septingentos florenos debet, quos tamen reddere non potest, variè impeditus: nam quædam illi erepta sunt furto, quædam malis artibus & fallaciis adempta; deinde multam satis pecuniam à suis debitoribus habet exigendam, sed nullus ei vel obolum reddit. Hinc servus ille ad suum sese Dominum vertens: Here, ait, paratissimus sum, omne æs alienum, quo apud te laboro, exactissimè vel ad teruncium dissolvere, & illos septingentos florenos vel hac ipsâ luce reddere. Sed ab aliis ita mecum agitur; mei debitores multa satis apud me nomina contraxerunt, nulla expediunt, isti & isti, & illi, quod meum est, vi etiam eripiunt. Here adjuva. Herus debitores sui famuli & raptores facillimè coërcere, & ad nomina expungenda posset adigere. Verùm hoc agamus, inquit, versuram faciamus, & æquemus rationes; ego tibi florenos septingentos, tu creditas minores pecunias tuis debitoribus condona. Quid obsecro, & à quibus huic servo nocitum est? Pari modo viri pauperis tugurium ab hoste incenditur. Tota hæc moles ducentis, ad summum trecentis stetit florenis. Vir iste pauper inflammatâ ædiculâ profugus, mendicat, & florenos colligit quingentos reparandæ domui largam prorsus collationem. Quis hostium huic viro nocuit? Profuit ad lucrum.

Chrys. to. 8. homil. 9. in c. 2. Matth. mihi p. 70.

Injuriarũ tolerãtiam Deus aut remissione peccatorũ, aut amplioris mercedis retributione compensat.

Ita igitur ratiocinemur, quidquid denique injuriarum ab aliis patiamur. Aut nostra nobis in Deum delicta condonantur; aut si ea non sint tanta (quod longè rarissimum) copiosior in cælo merces ob illatas & patienter toleratas injurias reddetur. Hoc nobile compendium non ignorans David: *Respice*, inquit, *inimicos meos, quoniam multiplicati sunt, & odio iniquo oderunt me: Vide humilitatem meam & laborem meum, & dimitte universa delicta mea.* M. Domine, par sit calculorum ratio: Tu mihi, ego meis hostibus, dabo veniam.

Ps. 24. v. 18. & 19.

Ergo erigamus oculos ad divinam Providentiam, quæ omne malum, omnémque peccati pœnam & supplicium destinatione certissimâ in nos immittit, sed ideo, ut vel contractas à nobis noxas condonet, vel injurias æquanimiter toleratas, aliáve mala patienter accepta in sublimi regno remuneret. Reverà quisquis hoc probè capit, in adversis omnibus, in ærumnis maximis est erectissimus. Obfirmat animum, quem cum Deo jungit. Ruat jam cælum, collabatur Orbis, stabit erectus, qui divinam sibi Providentiam posuerit firmamentum.

CAPVT VI.

Tobias junior Raguelis soceri facultatibus & obsequiis ditatus.

VOluisset quidem Raguel generum suum diutiùs in suis ædibus retinere, viri præsentiâ mirificè delectatus. Impetrandæ huic moræ pollicebatur certum ad parentes nuntium ablegare, qui cunctationis causas exponeret. At verò Tobias suaviter obluctatus: *Ego novi, Tob. cap. 10. vers. 9.* ait, *quia pater meus & mater mea modò dies computant, & cruciatur spiritus eorum in ipsis; Cúmque verbis multis rogaret Raguel Tobiam, & ille eum nullâ ratione vellet audire, tradidit ei Saram, & dimidiam partem omnis substantiæ suæ, in pueris, in puellis, in pecudibus, in camelis, & in vaccis, & in pecuniâ multâ & salvum atque gaudentem dimisit eum à se, dicens: Angelus Domini sanctus sit in itinere vestro, perducátque vos incolumes, & inveniatis omnia rectè circa parentes vestros, & videant oculi mei filios vestros, priusquam moriar.* Vir fuerit sanè honestus, & animi liberalis ac finceri Raguel, qui cum genero suo tam non parcâ manu, sed prælargè ac munificè & quidem ex æquo sua diviserit. Beneficus & liberalis animus divinæ bonitatis nobilissimum simulacrum. Hîc explicandum, quàm obligati simus ut alter alteri adjutorem se præbeat, præsidium ferat, opem porrigat consiliis, manu, obsequiis, pecuniis, patrocinio, quibuscunque demum poterit modis. Alter in alterius bonum nati sumus. Hoc exponemus. *vers. 10.* *Ad quibuscunq; modis possimus mo subveniendum 7. Inventa.*

§. I.

I. HOmo facilè obsequiosus & in alios benignus pulcherrima Numinis est effigies; Deo assimilatur. Eleganti dictionis nervo Gregorius Nazianzenus: *Nihil*, inquit, *tam divinum habet homo, quàm de aliis bene mereri.* Et scimus neminem sibi nasci, neque nos nobis tantùm vivere. Idcirco Christus toties Patrem divinum monstrans: *Estote ergo vos*, inquit, *perfecti, sicut & pater vester cælestis perfectus est.* Liberalissima patris vestri natura vobis est æmulanda; omnibus benefacit, ipsis etiam hostibus. Suum solem astrorum regem nemini negat; summè misericors & liberalissimus in omnes. Eam etiam ob causam Paulus: *Nemo*, inquit, *quod suum est, quærat, sed quod alterius.* Cùm verò istud minimè quotidiani usûs esse comperisset: *Omnes*, inquit, *quæ sua sunt, quærunt. Suum* quisque commodum, suam crumenam, suum attendit quæstum, quisque suis adest rebus, nemo alienis. Atqui hoc patrissare non est; Hoc à patris virtute turpiter est deflectere; ita degeneres filii à parentis ingenio fœdùm declinant. Verus Dei filius, imago patris, cupit omnibus benefacere. Indoles Boni est se diffundere, ac communicare*.

1. Homo facilè obsequiosus & in alios benignus Deo assimilatur. Matth. c. 5. vers. 48. 1. Cor. c. 10. vers. 24. Philip. c. 2. vers. 21.

* Bonum sibi communicativum, pernix materia.

II. Angeli hac in re nobis exemplo sunt, qui licet longè nobilioris sint prosapiæ, quàm nos, nihilominus obsequiis omnium nostrum apparent; serviunt & ministrant nobis. *Nónne enim omnes sunt administratorii spiritus, in ministerium missi?* Non illis vile nimis est, sensili luto sua officia consecrare; non dedignantur nostris crepundiis pervigiles interesse, cùm tamen inde nec minimum quid commodi, vel voluptatis hauriant. Una atque unica Dei Voluntas eos ad ista ducit servitia. Quia sic visum Deo, ideo res nostras vigilantissimè curant. Hæc ipsa, quam explicamus, historia omni admiratione dignissima. *Raphaël Angelus, unus ex septem, qui adstant ante Dominum*, è primis cæli princeps, sex hebdomadibus bajulum & mercenarium agit, iter facit, jumentorum curam gerit, inter servos & mercenarias operas se numerari non refugit, humano ritu comedit, bibit, huc illuc Tobiâ etiam absente, mitti se sinit, Tobiam suum Dominum agnoscit, ad nutum obedit. Verbo; exactissimè servit. Angeli profectò non quærunt, quæ sua sunt, nostris

2. Angeli hac in re nobis sunt exemplo. Hebr. cap. 1. vers. 14. Tob. cap. 12. vers. 15.

nostris commodis non suis inserviunt. Siracides divinæ bonitatis æmulator: *Respicite*, inquit, *quoniam non mihi soli laboravi, sed omnibus exquirentibus disciplinam.* Eadem de se genii cælestes dixerint: Non tantùm non solis nobis, sed nec nobis quidem laboramus, universus labor noster saluti, & bono hominum subservit. O homines non placet imitari exempla tam illustria, tam vicina, tam vobis fructuosa?

Eccli. c. 33. vers. 18.

Exemplo Raguelis.

III. Raguel vir fidus, liberalis, obsequiosus, æqui amantissimus fuerit necesse est, qui Tobiæ tradidit dimidiam partem omnis substantiæ suæ: nam præter mancipia & jumenta, grandem pecuniæ acervum in manus consignavit. Id pæne inauditum est, socerum universas opes suas in partes geminas ad æquam bilancem dividere, sibi unam, genero assignare alteram. Quàm non suo solùm quæstui vigilavit Raguel? quàm istud paciscì nihil habuit iniqui? Admiranda hîc liberalitas, & ingens benefaciendi studium. Tradidit ei dimidiam partem omnis substantiæ suæ, idque sine dilatione, statim, monetam præsentem, ceteráq; omnia in manus consignando. Quod verbis iteratis sacer historicus exprimens: *De omnibus*, inquit, *quæ possidebat Raguel, dimidiam partem dedit Tobiæ, & fecit hanc scripturam, ut pars dimidia, quæ supererat, post obitum eorum, Tobiæ domino devenirent.* Non quæsivit Raguel, quod suum erat, non sibi soli laboravit. Ut alter alteri prosimus, nati sumus. Quod Annæus præclarissimè confirmans: *Quantulum est*, inquit, *ei non nocere, cui debeas prodesse? Magna scilicet laus est, si homo mansuetus homini est. Præcipiemus ut naufrago manum porrigat, erranti viam monstret, cum esuriente panem suum dividat? Quando omnia, quæ præstanda sunt, ac vitanda, dicam, cùm posim breviter hanc formulam humani officii tradere? Omne hoc, quod vides, quod divina, atque humana concluſa sunt, unum est; membra sumus corporis magni. Natura nos cognatos edidit, cùm ex iisdem, & in eadem gigneret. Hæc nobis amorem indidit mutuum, & sociabiles fecit: illa æquum justúmque composuit: ex illius constitutione miserius est nocere, quàm lædi, & illius imperio paratæ sunt ad juvandum manus. Iste vultus, & in pectore & in ore sit:*

Tob. cap. 8. vers. 24.

Senec. ep. 95. initio. 598.

Homo sum, humani nihil à me alienum puto.

Habeamus in commune, quod nati sumus. Societas nostra lapidum fornicationi simillima est: quæ casura, nisi invicem obstarent, hoc ipso sustinetur.

Hæc Dei per orbem constitutio est, ut alter alteri succurrat.

IV. Hæc Dei per Orbem constitutio, hoc decretum est, ut alter alteri succurrat, & adjumentum ferat: eam etiam ob caussam uni non concessit omnia, nec enim omnes omnia possumus, ut alter alterius indigeat, uti provinciæ ac regna subsidiis servantur mutuis, prout diversa cælo dona defluunt. Huic Deus provinciæ singulariter præ cæteris frumentum, vinum illi, pecus isti, lanam & pannos alteri, huic fructus arborum, illi thesauros montium metalla, isti divitias hortorum aromata concessit, ut altera provinciæ alteri opem tendat, aũ alterâ petat, quod sibi deest. Eâdem hac lege societatem humanam optimus pater voluit coalescere. Hinc uni robur corporis & vires, alteri potentiam & imperium, illi sapientiam & ingenium, isti facultates & aurum, alii scientias & artes contulit. *Divisiones gratiarum sunt: divisiones ministrationum sunt, divisiones operationum sunt.* His utendum non arbitrio & libitu nostro, sed Ecclesiæ ac Reipublicæ bono. Nemo sibi nascitur. Hinc ille vecors & nihili homo non objurgatus tantùm gravissimè, sed & multatus est, qui acceptum à suo Domino talentum argenti defodit humi. Cumque pecunia commissa, unà cum ejus lucro repeteretur, pigerrimus nebulo ore promptior, quàm manu: Scio, ajebat, quia homo durus es, meris ubi non seminasti, & congregas, ubi non sparsisti, timens abii, & abscondi talentum tuum in terrâ: ecce habes, quod tuum est. Cui dominus: Nimirum hæc sciebas, inquit, serve male & piger, meámque parsimoniam metuebas, quomodo igitur tam temerarius & ne-

1. Cor. c. 12. vers. 4. & seqq.

Bonis non utendũ ad arbitrium nostrum, sed Ecclesiæ & Reip. bono.

Matth. c. 25. vers. 26. & seqq.

quam esse poteras, ut pecuniam meam otiosam, numos sepelires vacuos, unde jam ad me nec minimum lucelli, nec assis quadrans redit. Nec mihi, nec tibi, sed nec ulli alteri quidquam profuisti. Ergo, heus famuli, *tollite ab eo talentum, & date ei, qui habet decem talenta. Et inutilem servum ejicite in tenebras exteriores.* Cuique sua sunt talenta; Argentum & aurum mutuum omnes ab illo divite domino accepimus, modò illud occupemus, exerceamus, fenori locemus. Possemus mutuam dare operam, & commodare manum, si vellemus, plurimis occasiones quotidianæ non desunt, officiis & servitiis, præsidiis & auxiliis alios juvandi. Sed plerunque nemo domi est, cùm auxilium subministrandum est. Nos nobisipsis nascimur. Socordia, tædium, somnolentia, sublinde & avaritia vincunt, & omne mutuæ opis officium tollunt. Hoc aliud non est, quàm divinam ordinationem omnem eliminare, suis sibi vivere legibus, suo solùm marsupio, suis commodis studere, sibi uni & soli prodesse velle.

B De his severissima exigetur ratio: servis inutilis, qui pecuniam commissam non occuparit, in exteriores tenebras ejicietur.

5. Proborũ hominum exemplis ad mutua obsequia provocamur.

V. Proborum hominum exemplis ad alternas operas & obsequia mutua provocamur. *Quantas*, Moses, quod Ambrosius dilaudat, *à populo illatas absorbebat contumelias, & cùm Dominus insolentes vindicare vellet, se famen pro populo offerebat frequenter, ut indignationi divinæ plebem subduceret. Quàm miti sermone post injurias appellabat populum, consolabatur in laboribus, delinibat oraculis, fovebat operibus.* Vir mitissimus, omnium obsequiis erat intentus. Eandem laudem Mosi tribuens Chrysostomus: *Moses*, inquit, *multa & magna operatus est miracula, sed nullum tam magnum eum fecit, ut beata illa vox, quam ad Deum habuit, cùm inquit, Aut dimitte eis hanc noxam, aut si non facis, dele me de libro tuo.*

Ambr. to. 5. lib. 2. offic. cap. 7. mihi pag. 476.

Chrys. to. 4. homil 25. in 1. Cor. c. 11. mihi p. 452.

Exod. c. 32. vers. 32.

Rex David ante regnum, eodem Ambrosio teste, se pro omnibus offerebat, suam cum omnibus æquabat militiam, partiebatur laborem. Non suam, sed Dei gloriam affectabat, non tam præesse, quàm prodesse cupiebat. Pascebat oves, non ut suas, sed ut sui domini, non ut herus, sed ut servus à domino, in omnium obsequia constitutus. Zabulon & Nephtali summis præconiis efferuntur, quòd, cùm indiceretur bellum per prophetidem Deboram contra ducem Sisaram, illi relictis oppidis, in quibus quietos agebant annos, relictis domo & liberis, postpositis viæ commodis ad subsidium Reipublicæ ultro se morti obtulerint. Eandem ardui obsequii laudem sibi vindicans Paulus: *Græcis ac barbaris*, inquit, *sapientibus & insipientibus debitor sum. Nam cùm liber essem ex omnibus, omnium me servum feci, ut plures lucrifacerem. Factus sum Iudæis tanquam Iudæus, ut Iudæos lucrarer: Iis, qui sub lege sunt, quasi sub lege essem, ut eos, qui sub lege erant lucrifacerem: iis, qui sine lege erant, tanquam sine lege essem, ut lucrifacerem eos, qui sine lege erant. Factus sum infirmis infirmus, ut infirmos lucrifacerem, omnibus omnia factus sum, ut omnes facerem salvos.* Hæc autem Paulus, non mentiendo, sed compatiendo, non simulantis astu, sed commiserantis affectu dixit. *Hæc*, inquit Augustinus, *dicuntur compassione misericordiæ, non simulatione fallaciæ. Fit enim tanquam ægrotus, qui ministrat ægroto, non cùm febres habere mentitur, sed cùm animo condolentis cogitat, quemadmodum sibi ministrari vellet, si ipse ægrotaret.* Ergo Paulus omnium servus, omnium ultro debitor, officia erga omnes & obsequii plenissimus.

Iudic. cap. 5. vers. 18.

Rom. cap. 1. vers. 14. 1. Cor. cap. 9. vers. 19. & seqq.

Aug. tom. 2. epist. 2. mihi pag. 16.

6. Summi est promeriti auxiliũ omnibus, quà licuerit, submi-nistrare.

VI. Atque hoc summi est promeriti, sua in omnes, quantum quidem fieri potest, obsequia dispensare, omnibus velle bene ac cupere, auxilium omnibus, quà licuerit, subministrare. Hoc indolis est divinæ, hoc Deum est æmulari. Hoc actiones omnes alias cum pietate susceptas multùm superat. Quod Chrysostomus luculentè docens: *Hæc*, inquit, *perfecta Christianæ religionis regula est, hic certissimus terminus, hoc supremum cacumen, quæ communem omnium comprehendant utilitatem. Nihil enim adeò*

Chrys. to. 4. homil 25. in 1. Corint. 11. mihi p. 451.

poteſt nos Chriſti imitatores efficere, ut erga proximum cura. (obſervemus, obſecro, has oris aurei voces). Pergit Chryſoſtomus: *Licet jejunando*, ait, *& humi dormiendo corpus maceraveris, nullam autem proximi curam habueris, nihil egregium feceris, ſed adhuc longè ab hujuſmodi abfueris imitatione. Tu igitur, mi frater, quamvis fame conficiaris, quamvis humi jaceas, quamvis cinerem comedas, quamvis ſemper lacrymis madeas, ſed nihil cuiquam proficias, nihil magnum facis.* Ita loquebatur Chryſoſtomus teſte Chryſoſtomo precatiunculis, atque peregrinatiunculis, & neſcio quibus devotiunculis aliis, omnibus longè anteponenda proximi cura. Nihil agis, ſi hoc non agis, & tam aliorum ſtudes commodo quàm tuis. Aſperrima cilicia, rigidiſſima lectiſternia, triduana jejunia, jugiter fluentes lacrymas, prolixas & frequentes vigilias tanti Deus non æſtimat, quanti obſequia, quæ alteri ab altero mente ſincerâ deferuntur. Hinc illa toties à Paulo inculcata: *Omnia veſtra in charitate fiant. Super omnia autem, charitatem habete. Finis præcepti eſt charitas.* Sed eam commendat charitatem Paulus, quæ proficiſcitur *de corde puro, & conſcientiâ bonâ, & fide non fictâ.*

1. Cor. c. 16. verſ. 14. Coloſſ. c. 3. verſ. 14. 1. Tim. c. 1. verſ. 5. Ibid.

Eſt quædam aulæ charitas minimè laudanda: Quotidianum eſt, ut ſubſidium aliquis & patrocinium petat à Domino è palatinâ familiâ. At verò aulicus, qui rogatur, effugii urbani jam gnarus ſuaviſſimè illum à ſe ablegans: Hoc, inquit, age amicorum optime, & Dominum illum, quem monſtro, accede; certa tibi ab illo ſalus eſt. Accedit. At iſte alter iiſdem artibus hunc ſupplicem à ſe dimittens: Si quid impetratum cupis, air, iſtum, quem dico, Dominum adi; in ipſius manu eſt te tui voti compotem fieri. Paret, & tertium adit, eademque rogat. Sed tertius eaſdem ſtrophas callens hominem oratione melleâ priùs delibutum humaniſſimè mandans: Ego, inquit, non levitor te juvero, ſi monſtrem cujus genia oporteat incerare. Illum è palatinis officiis virum noſti? Novi, ait ſupplex. Ergo hunc ipſum conveni, & tuam illi cauſſam expone. Conſilii te mei non pœnitebit; quod cupis, impetratum auferes. Ita itur ad quartum. Hic ejuſdem farinæ ac ſimulationis, jam eminus odoratur hominem ductari verbis; igitur ore, quàm maximè compoſito: Quin tu meo pares conſilio, inquit, & itionem non differs. Si tua ibi cauſſa cordi eſt, dominum illum in illiſce ædibus habitantem ſaluta, & ſuccinctè, quid velis, explica; patronum ſenties quem optas. Ita infelix irritè, inani, caſſo itu mittitur ad quintum. Ita quintus ad ſextum, alii ad alios verbis à ſe blandiſſimis amittunt. Omnes rogantur, nemo juvat. Cujuſvis aulicum artificium eſt, negotio illi civiliter ſe ſubducere, & à ſe in alios atque alios, quòd ingratum, vafrè, ſed humaniter amoliri. O viri, hæc charitas non eſt de corde puro, nec de conſcientiâ bonâ, ſed de fide fictâ. Ita Pilatus Chriſtum vinctum miſit ad Herodem, Herodes denuo ad Pilatum. Hîc cujuſvis eſt cogitare: *Tibi derelictus eſt pauper* (Tibi, Tibi, non aliis) *orphano tu eris adjutor.*

Pſ. 10. v. 14.

VII. Hortatur & jubet Salomon: *Deriventur fontes tui foràs, & in plateis aquas tuas divide.* Non te unum, ſed & alios attende; non tuos ſolùm loculos, ſed & aliorum dignos cenſe, qui augmentum capiant. Ne, quæſo, tibi tam benignus, aliis tam iniquus; ne in alios tam illiberalis, tam largus, in teipſum ſis; ne, obſecro, tuis omnia commodis metiaris. Foràs deriva fontes tuos, foràs, ut & alii ex illis hauriant. Quod tibi vis fieri ab aliis, hoc tu aliis facito. Vis alios in te benignos, faciles, promptos, obſequibiles, parati eſſe auxilii? & tu talis in alios eſto. Reverâ hac unâ in re ſæpius graviſſimè delinquimus, cùm adeò reſtricti, difficiles, cunctabundi, inofficioſi, adjumenti tam parci, & lenti ſumus. Jure meritiſſimo permittit Deus, ut tandem & ipſi hæreamus in luto, & nemo ſit, qui manum porrigat, qui extrahere velit, qui ſuppetias ferat. Hîc illud rectè occinitur: Recordare fili, quod idem aliis feceris. Subindè charitas, ſubinde ipſa etiam juſtitia nos obligat ſubſidio venire; non rarò neutrum curamus. Talentis à Deo conceſſis non caremus, intelligentiâ, auctoritate, ſcientiâ, opibus pollemus, & non juvamus cùm poſtulat opportunitas. Solent nonnunquam ruſticorum avariſſimi cùm multi peregrinorum tranſeunt, fontes occludere, & publici usûs elementum negare: qui cupit aquam, porrigat pecuniam; nemo bibit, qui potum non emit; digniſſimi prorſus hi barbari, qui ſiti moriantur. Ita nos quandoque agimus inter nos, opellas mutuas, vel leviter moleſtas abnuimus: qui poſcit, obſequium emat; qui gratis gratificetur gratiam, nemo eſt. Tinnulæ rationes plurimum habent virium ad perſuadendum. Non eſt indolis divinæ nemini precariò auxiliari velle. *Idem Dominus omnium, dives in omnes.* Dives tantùm? Liberaliſſimus in omnes. Hoc patris divini mores ſapit, operam, manúmque omnibus, quibuſcunque demum licuerit, commodare. Hoc priſci, hoc & veri noſtri Salomonis præceptio eſt: *Deriva fontes tuos foras. Benefacite, & mutuum date, nihil inde ſperantes: & erit merces veſtra multa, & eritis filii altiſſimi, quia ipſe benignus eſt ſuper ingratos & malos. Eſtote ergo invicem benigni.*

Rom. c. 10. verſ. 12. Prov. cap. 5. verſ. 16. Luc. cap. 6. verſ. 35. Epheſ. c. 4. verſ. 32.

CAPUT VII.

Tobias ſenior mœroris nimii præclarus medicus.

TObias pater principiò quidem, ob filii moras in itinere, non leviter ſollicitus & mœſtus; ſed ubi rem perquiſitiùs examinavit, recepit in mœrore animos, & uxorem etiam ſolatus eſt. Venia ſeni optimo danda, ut patri filium valde amanti.

Res eſt ſolliciti plena timoris amor.

Ovid. in Penelop. Tob. cap. 10. verſ. 4.

Quod in Tobiæ matre clariſſimum. *Flebat illa irremediabilibus lacrymis atque dicebat: Heu, heu me, fili mi, ut quid te miſimus peregrinari, lumen oculorum noſtrorum, baculum & ſenectutis noſtræ, ſolatium vitæ noſtræ? ſpem poſteritatis noſtræ? Omnia ſimul in te uno habentes, te non debuimus dimittere ire à nobis. Cui dicebat Tobias: Tace, & noli turbari; ſanus eſt filius noſter; ſatis fidelis eſt vir ille, cum quo miſimus eum. Illa autem nullo modo conſolari poterat, ſed quotidie exiliens circumſpiciebat, & circuibat vias omnes, per quas ſpes remeandi videbatur, ut procul videret eum, ſi fieri poſſet, venientem.* Quantò majus deſiderium præſentem cernere, tantò gravior erat luctus abſentem non redire. Hinc mœror impatiens ſolatii. Hunc pæne nimium animi dolorem verbis ſuaviter caſtigans Tobias: *Tace*, ait, *& noli turbari.* Saluberrimum & duplex doloris remedium. *Tacere, & non Turbari.* Hîc duo nobis explicanda. Primum, in omni perturbatione, irâ, & tetriore affectu, maximè cùm quis ab alio læditur, optimum eſſe atque utiliſſimum, ſilere. Alterum, quàm eximiè ac conducibilis ſit artis neceſſitatem vertere in rationem. Gemina hæc præceptio capite hoc expendenda.

Ibid. v. 6. Duplex doloris medium. Tacere, & non Turbari. Duplex præceptio in omni perturbatione obſervanda.

§. I.

PRima præceptio. In omni turbamento, ægritudine, ac commotione animi, præſertim cùm vulneris aliquid ab ore maledico inflictum eſt, homo conturbatus aut læſus digitum imponat ori, & ipſi ſibi dicat: Sile, ſile, impetum contine, alioquin à teipſo graviſſimè lædêris. Exemplum regis Davidis æmulare, qui de ſeipſo: *Turbatus ſum*, inquit, *& non ſum locutus.* Lex ſapienti certa ſit: Turbor, ergo non loquar. Si verbis habenas laxem præſentiſſima eſt noxa. Tacere ſumma aliquando eſt ſapientia. Aut, quod Ennodio placet, aliquando pro facundiâ ſilentium eſt. Silentio peccata linguæ excluſeris. Si vinum caupo cellæ mandet hodie, cras ſtatim publico vendat, rem utique inſulſam fecerit, & artis cauponariæ

Prima.

Pſ. 76. v. 5.

ponariæ imperitissimus habebitur. Vinum adhuc turbidum terret bibentem. Ergo aliquot dies concedat vino, dum subsidat, & suum recipiat colorem: ita cùm vehementior affectus, sive iracundiæ, seu impatientiæ occupavit animum, ori silentium imperandum, cohibenda lingua, ne voces ejiciat plurimùm nocituras. Nam si mentis saniſſimæ homo locuturus bis tèrve consideret, priusquam loquatur; Bernardi suasu: *Antequam verba proferas, bis ad limam, quàm ad linguam veniant*; Multò magis id faciat homo iratus aut aliter turbatus, qui salubria toto animo cogitare non potest: eo námque tempore nec suus est, nec domi suæ est; immoderatior eum affectus hàc illàc rapit. Igitur, quod proximum, & securissimum est, taceat. Semper tacere præstat, quàm loqui indecentia. Loqueris tali affectu concitatus. Spumam rabidi canis, pus merum, abominandam pestem evomes.

Ebriosorum hominum pessima est indoles.

Ea ebriosorum hominum pessima est indoles; aliis se ultro ingerunt, cùm latebras deberent quærere, ac sese abdere; loqui volunt, cùm maximè tacendum. Nam teste Plinio, secreta proferunt, & mortifera loquuntur, redituráque per jugulum voces non continent: retractanda eis sunt dicta & resorbenda, aut etiam subinde capite luenda. Ita iracundi nil magis quærunt, quàm vociferari & clamare. Hîc illud Tobiæ opportunissimè ingerendum; *Tace, & noli turbari.* Turbatam animadvertit conjugem, senex optimus, ideo silentium statim imperavit. Silentium tali tempore præstantissimum medicamentum.

Cibum capere dum æstuat, nocivum.

Medicorum sententiis cibum capere, dum ita fervet, dum mœror insidet, aut dum animus cogitationibus severis mergitur, valde noxium & pæne venenum est. Nam qui tali affectu, aut cogitationum æstu abreptus prandet aut cenat, plerumque properat, tuburcinatur, malè mansa raptim ingerit, quod nocentissimum rectè tradunt: Si cibum corpori velimus accedere, depuratus sit affectus necesse est, sedata sit ira, exclusa tristitia, luctus mitigatus, tumultus cogitationum compositus, alioqui venenum potiùs est cibus, quàm alimentum: ita prorsus sicut in irâ, similive gravi affectu pasci, ita & loqui damnosum; extrudentur verba in omnem vitam pœnitenda.

Artis summæ, virtutis est maximæ, Turbari & non loqui. Amici Job istud lubricum linguæ confessi. *Si cœperimus loqui tibi*, ajunt, *forsitan molestè accipies, sed conceptum sermonem tenere quis poterit?* Prurit sermo & exitum quærit in iracundo: qui sapit, cohibet molientem erumpere cum noxâ. Verbum vetus est: Tangi & silere, lædi & non mordere, summæ est fortitudinis. Hoc canes nesciunt, hoc ignorant stulti, hoc nondum compotes sui, & seipsos vincere nescii non possunt. Hoc autem docet ratio, hoc frequentissima ingerunt exempla, hoc quotidiana persuadet experientia. Turbatus sum, & non sum locutus. Quod Bernardus altè infixurus animo: *Turbatio tua*, inquit, *ibi moriatur, ubi oritur, nec permittatur exire, quæ mortem portat.* Vis loqui? Tecum ipse loquere, teipsum objurga, & dic: Adeóne stultus es, ut postquam toties incursitasti & offendisti, iterum & iterum, iterúmque redeas, inque eandem oris effrenem stultitiam impingas? Nec quidem piscator ictus sapis? Verissimè dixit Seneca: *Nihil æquè proderit, quàm quiescere, & minimùm cum aliis loqui, plurimùm secum.* Turbari & non loqui, hoc artis summæ, virtutis est maximæ.

Bernard. serm. 29. in Cantic.

Sen. ep. 305.

§. II.

Secunda.

Altera præceptio artis est majoris; necessitatem vertere in rationem, seu, prout Livius loquitur, oblata casu flectere ad consilium. Tobias pater *cæpit* quidem *contristari nimis, & cœperunt ambo simul flere.* Mox tamen idem Tobias, veluti jam alius homo: *Tace*, inquit, *& noli turbari; sanus est filius noster; satis fidelis est vir ille, cum quo misimus eum.* Hæc longè alia est cantilena. Solatium priùs omne respuebat, nunc abundans solatiis ipsam etiam consolatur uxorem. Quàm citò mutatus in meliorem! Nimirum priùs ostenderat, quid animi pars inferior sensilis velle, quàm ea sese intorqueret in adversis, quàm trepidaret, ac paveret rebus afflictis. Jam verò monstrat, quàm potenter appetitiones & motus animales, atque sensificos gubernet, & quomodo necessitas in rationem sit verter da.

Tob. 5. v. 3. Tob. 6. 6.

Heli sacerdos necessitatem vertit in rationem.

Heli sacerdos hac unâ re insignis, dextrè profectò necessitatem vertit in rationem. Eum à Numine accepit nuntium, qui exanimare potuisset, & neci dare. Nam Deus eum alloquio non dignatus, Samuelem adolescentem accersens: *Ecce ego*, ait, *facio verbum in Israël, quod quicunque audierit, tinnient ambæ aures ejus. In die illâ suscitabo adversus Heli, omnia quæ locutus sum super domum ejus; incipiam & complebo. Prædixi enim ei, quòd judicaturus essem domum ejus in æternum, propter iniquitatem, eò quòd noverat indignè agere filios suos, & non corripuerit eos. Idcirco juravi domui Heli, quòd expietur iniquitas domûs ejus victimis & muneribus in æternum.* Hæc omnia Samuel jussu Dei ad sacerdotem suum candidissimè referens? *Indicavit itaque ei universos sermones, & non abscondit ab eo.* Sed enim Heli non expostulavit: Cur ego noxas liberorum meorum luam? ætatem habent; ad ista ipsi respondeant. Num ego in alienum arbitrium dominus sum? Cur Deus non ipse mihi hæc significat? Ego filios meos profectò de his monui. Si parere nolunt & sequi, quid ego possum? Nil horum Heli objecit, sed necessitate in rationem versâ: *Dominus est*, inquit, *quod bonum est in oculis suis faciat.* Reverâ Heli oblata casu in consilium flexit, & necessitatem in rationem vertit. Hinc pronuntiatum de eo: *Meruit Heli remissionem peccatorum suorum, & pro eis temporaliter est punitus, non æternaliter damnatus.*

1. Reg. cap. 3. vers. 11. & seqq.

Ibid. v. 18.

Ibid. v. 18.

Dion. Carthus. in hunc locum.

Hieronymus in litteris ad Paulam: Rem, inquit, dicturus sum incredibilem, sed, teste Christo, non falsam. Melaniæ inter Romanas feminas nobilissimæ, mortuus est maritus. Nondum tepere funus defierat, cùm duos insuper filios unà perdidit. Matres aliæ tam acerbis casibus prostratæ planxissent pectus, crines vulsissent, mente totâ excidissent. Melania stetit immobilis, & tanquam ad Christi præsentis pedes advolveretur, suo se conditori quàm integerrimè permittens: Nunc, inquit, expeditiùs tibi servitura sum, Domine, quia tanto me onere liberasti. Factum illustrissimum. Hoc prorsus est arte quæstuosissimâ necessitatem vertere in rationem.

Melania Romana nobilis femina.

§. III.

TAbellio fuit, qui aliquot annis solitum iter emensus est equo vehens. Videri poterat hic homo religiosus, & qui plurimùm odisset pecuniam: vix enim unquam cubitum ibat, quin priùs æs omne hilariter expendisset. Ita homo potulentus facultates suas omnes obliguriit comessando: Cùmque jam nummus fundo suspiraret in imo, non tantùm non equum, sed seipsum alere vix potuit. Ex equo igitur dejectus in pedes, rodenti ore: Gratiæ, inquit, sint superis summæ, qui mihi pedum usum tamdiu amissum restituerunt. Profectò & iste vir oblata casu acerbo in hilare flexit consilium, & necessitatem vel coactus ancillari justit rationi.

Remigius Remensis Episcopus. *Vide Heliotropium meum lib. 4. c. 3. §. 4. ubi hæc fusius narrantur.*

Sanctiùs illo Remensis Præsul Remigius, qui cùm tristem nuntium accepisset omni ejus frumento ignes subjectos, ille extemplò equum conscendit & advolavit pernix ad triste incendium. At ubi vidit flammis grassantibus nil moræ posse injici, ex equo desiliens, & vultu ad hilaritatem composito ignes propiùs accedens: Seni, ait, bonus est focus quovis tempore. Ita ingens damnum ore hilari, mente placidâ concoxit. Sapienter planè necessitatem in rationem vertit, & tristi casu objecta in hilare flexit consilium. Hoc ipsum Sapiens Romanus monito longè utilissimo instillans. *Unum est*, inquit, *levamentum*

Senec. l. 3. de Irâ c. 16.

mentum malorum ingentium, Pati, & suis necessitatibus obsequi.

I. Lipsius Centur. 1. epist. ad Belgas, ep. 44. mihi p. 45.

Vel ab ipsis canibus hoc discamus. Bruxellæ canis fuit ex illis grandioribus, Britanni generis, quibus cerdones Belgæ uti solent ad currum coriis onustum in forum & è foro trahendum. Ille, præter hanc operam, doctus fuit ad macellum ire, pecuniam ferre, carnem referre. Id ita fiebat. Corbem viminem collo appendebant, pecuniâ in corbe positâ. Ille rectâ & nusquam insistens ferebat, in macello apud notum lanium se sistebat, carne acceptâ redibat. Sed eveniebat interim, ut in viâ canes alii odore moti adspirarent, & accederent erepturi. Tum ille corbem deponere, in orbem propugnare, fugare. Cùm copiâ & robore vinceretur, unà irruere, & partem de prædâ capere. En ut gladiator iste in arenâ ceperit consilium, & suis necessitatibus sit obsecutus. Carnes defendit quamdiu potuit. Hostium multitudine victus necessitati cessit, & prandium jam commune unà sumpsit. Non minus, obsecro, B sapiamus bestiis, & quæ mutare non possumus, tolerare non recusemus, necessitatibus nostris tranquillâ mente obsequamur.

Isaiæ c. 39. vers. 6. Israëli vates Isaias ingentia mala vaticinatus, Hierosolymam urbem vastandam, cives captivos in Babyloniam abducendos, eam servituram annis septuaginta duraturam; addidit nihilominus: *Consolamini, consolamini populo meus, dicit Deus vester.* Perinde si dixisset vates: Agite, stat Numinis sententia, decretum immutabile, migrare illud non licet; in Babylonem transferemini. At vos duriorem hanc necessitatem vertite in rationem, parete Numini, & destinatum vobis supplicium parato animo subite. Ita & vos ô Christiani, licet ærumnis oneremini, calamitatibus affligamini, nihilominus *Consolamini, consolamini*; Deo, divinæque Providentiæ ac Voluntati plenissimè, in solidum vos tradite, necessitates vestras omnes in rationem vertite. Ita necessitas ipsa minùs erit dura, malum omne multò erit C mitigatius. Nempe omnium malorum levamentum est opportunissimum, pati, & suis necessitatibus obsequi.

Idem c. 40. vers. 1.

Malorum levamentũ est pati, & suis necessitatibus obsequi.

Ad œconomum appositissimè, dixit Tullius: *Sed quanti, quanti: bene emitur, quod necesse est.* Subinde longissimam teximus malorum seriem narrando. Est, qui dicat: Ego tot & tantis difficultatibus circumventus, tot & tantas patior ærumnas. Alius: Tanta, inquit, & tanta, atque tanta perfero. Iste sibi miser & infortunatus: Maximam, ait, calamitatem capio. Ille afflictus & jacens: In summas, inquit, miserias projectus sum. Hic suâ opinione miserè perditus: Gravissimis, inquit, incommodis conflictor. Alius, ut sibi videtur, coopertus miseriis: Talia & tam acerba tolero, ait, in infinita mala præcipitatus sum, omnibus undequaque urgeor. Sed, ô mei homines, sed quanti, quanti: bene emitur cælorum regnum, quod emere necesse est. Ad hoc emendum conditi sumus; ad hoc nascimur, ad hoc vivimus, ad hoc emendum morimur. Periimus æternùm, nisi hoc emi- D mus. Hîc omnium necessitatum summa nos urget. Bene ac vili emimus, quanti quanti emamus, quia necesse est emere. Hæc una necessitas nullas admittit leges, nullas horret difficultates, nullos meruit dolores, nullas sentit calamitates, pullos refugit cruciatus, nulla formidat supplicia, tormenta summa, innumera non recusat tolerare mala. Quanti quanti, minimo emitur, quod emere necesse est.

CAPVT VIII.

Tobias junior parentum suorum thesaurus optatissimus.

TObiæ mater, cùm filius peregre moras traheret, nec statò die se sisteret parentibus, in querelas A amarissimas effusa: *Heu, heu me, fili mi,* ajebat, *ut quid te misimus peregrinari? omnia simul in te uno habentes, te non debuimus dimittere ire à nobis.* Tu ocellus noster, tu nostrum delicium, tu spes una nepotum, tu thesaurus noster, tu nobis omne pretium. Ergo parum prudenter egimus, qui te à nobis peregrinatum misimus, cùm in te uno omnia habeamus. Homo, Dei amans, has voces identidem usurpat: Deus meus, thesaurus meus, & omnia, quidquid velle, aut optare possum, in Deo invenio, Deus mihi omnia, & plusquam omnia. Ita prorsus animo penitissimo sentiendum. Hîc igitur exponendum, quàm fatuum sit hujus rei perfunctoriam cogitationem suscipere, facilè obsequiis divinis obnuntiare, levi de causâ Deum deserere, & velut venalem exponere, cùm verè in Deo habeamus omnia. Hæc hujus capitis summa.

Tob. cap. 5. v. 4. & 9.

§. I.

Xerxes Persarum insignioris quinque deliria commisit. Herod. libr. 7. Plutarch. in Themistocl.

REx Persarum Xerxes non ab unâ fatuitate notissimus insigniora quinque deliria commisit. 1. Montem Athon ad mille quinquaginta passuum longitudinem perfodit, eâ amplitudine ut maximarum navium duæ juxta se in occursu commodè transierint. Atque hoc, Herodoto teste, potentiæ monstrandæ, & memoriæ propagandæ fecit. 2. Oceanum * frenavit ponte, & Abydum Sesto conjunxit, ut Græciæ pavorem injiceret. 3. Cùm ipsius classem dissipasset maris tempestas, mari colaphos, & trecenta verbera insligi, stigmata inuri, compedes nõ sine gravi convicio † in illum dejici jussit. Juvenalis nos sine risu hanc demens am sugillat.

* Hellespontum. † Civium quod imperium ejus mari, hoc fuit: *O amara aqua, Rex, compedes has injicit, quod illum injuste laseris, abs quo nihil malum passum fuisti. Etenim Rex Xerxes, velis nolis, transivit, meritòque tibi nemo amplius sacrificabit, ut amaro doloso que fluvio.*

> *In Corum atque Eurum solitus sævire flagellis*
> *Barbarus, Æolio unquam hoc in carcere passos*
> *Ipsum compedibus, qui vinxerat Ennosigæum.*

Juv. sat. 10. vers. 180.

4. Cùm iter faceret per Lydiam, ad Platanum proceram, & diffusis largè brachiis umbroſam est delatus. Hîc diem integrum, non sine damno exercitûs placuit morari. Hanc insuper adeò venustè comatam arborem armillis & torquibus ad eam suspensis veneratus est. 5. Sed & virum è suis reliquit, qui ligneæ hujus Amasiæ custodem, nutricium, procuratorem ageret. Illustrissima fatuitas. Quam & Ælianus risu excipiens: Ridendus profectò, inquit, Xerxes ille est, quòd cùm mari terrisque Jovis operibus posthabitis, nova itinera & insolitam navigationem sibi parasset, servivit platano, & arborem coluit, quam ventus dejicere, securis exscindere, ignis comburere potuit, quæ non solùm ratione, sed & sensu caruit.

Ælian. l. 2. Variar. hist. c. 14. initio.

Verùm, ô Christiani, hæc videmus, & similia facimus, nonnunquam & stultiora. Vide hominem, qui cœli, qui suiipsius, qui Dei oblectationculas sterilissimas quærit sub opacâ platano; huic tempus pretiosissimum, huic cogitationes & curas, huic suas pecunias, huic imò valetudinem suam impendit: nam aut gloriam vanam, aut mulierculæ formam, aut aliam voluptatem putidam adeò insanè deperit, ut non dissimulanter fareatur: Hi amores mei, hoc meum delicium, hoc gaudium, hoc melliculum meum, hoc mihi volupe est. Miser & cœcus, pro conditore rem è conditis vilissimam amat, & ut Laurentius Justinianus loquitur, peregrinationem, atque exilium diligit pro patriâ; creatus à Deo ad obtinendam beatitudinem, ad intuendum Deum, at ille crepundiis, nugis, somniis, deliriis, vitam consumit. Hunc talem Bernardus acriter, prout par est, exstimulans, & ad meliora erudiens: *Verùm, inquit, qualibus ista tu tibi impedias rebus, utinam sine dissimulatione attendas: Væ, væ, vapor est ad modicum parens, quod æternæ felicitatis aditum intercludit, quod perennis luminis incircumscriptam claritatem abscondit, quod universitatis scientiâ fran-*

Laur. Justin. de lignis vitæ init. Eccles. 1.

Bernard. ep. 107. initio pag. 141.

tia fraudat, quod summæ privat dignitatis honore. Quousque tu tantæ gloriæ præfers fœnum, quod hodie est, & cras in clibanum mittitur, carnem dico & ejus gloriam? Siquidem omnis caro fœnum, & omnis gloria ejus tanquam flos fœni. Si sapis, si habes cor, si tecum est lumen oculorum tuorum, desine jam ea sequi, quæ & assequi miserum est. Beatus, qui post illa non abiit, quæ possessa onerant, amata inquinant, amissa cruciant. An non ea satiùs cum honore spernis, quàm cum dolore perdis? An non ea prudentiùs Christi cedis amori, quàm morti? Est in insidiis prædo, cujus manibus nec te, nec tua potes subducere. Non poterit prævideri, quia tanquam fur in nocte ita veniet. Nihil intulisti in hunc mundum, haud dubium, quia nec quidquam auferes. Dormies somnum tuum, & nihil invenies in manibus tuis. Eadem paucis Innocentius instillans: Quid prosunt, inquit, divitiæ, quid epulæ, quid deliciæ? non liberabunt à morte, non defendent à verme, non eripient à fœtore. Fluxa illa omnia, in quæ tantopere ardemus; Platani umbra, frondes sunt & folia, sub initium hiemis casura.

Differentia inter unum mundi & unum Dei est infinita.

Inter eam voluptatem, quam quis è re caducâ, &, quam à Deo haurit, immensa, nimia est differentia. Sit, qui omnibus mundi deliciis ac voluptatibus, omnibus exteriorum sensuum oblectationibus abundet ac diffluat magis, quàm Hebræus rex Salomon; crescant acervatæ voluptates diebus singulis, idque annis plurimis, eò tamen nunquam excrescent, ut cælitum voluptatibus æquari possint: mel illud cæleste ex alveario longè alio hauritur, hinc illius suavitas omnem aliam suavitatem infinitè superat. Hinc guttam unicam cum Oceano toto rectiùs comparavero, quàm omne mundi gaudium cum gaudio cæli minimo. Res liquet: guttula maris & mare totum solo differunt quanto; nam maris guttulæ ita multiplicari queunt, ut mare fiant. At verò mundi gaudia quomodocunque multiplicentur, gaudium cæleste nunquam æquabunt. Omne mundi gaudium quantumcunque grande ac cumulatum, semper tamen sordidum, turpitudinis & luti, pavoris, sollicitudinis, mœroris & cæni plurimum habet.

§. II.

EXperientia hoc quotidiana testatur. Eò deliciarum Salomon est progressus, quò mortalium, putem, nullus. Tandem post omnem omnium voluptatum affluentiam, hanc demum cantilenam cecinit, hoc unicum ei remansit: *Vanitas vanitatum, & omnia Vanitas.* Hæc omnia inane magnum, afflictio spiritûs, merum fastidium, grande nihilum. Experientissimo regi, obsecro, credamus. Sapienter credidit Augustinus. Hinc illius voces illæ: *Quidquid mihi præter Deum est, dulce non est: quidquid mihi vult Dominus meus dare, auferat totum, & se mihi det.*

Eccles. cap. 1. vers. 2.

August. in Psal. 26. Enar. 2.

Tobiæ mater sibiipsi & marito querimoniam tristem occinens: *Heu, heu me, fili mi,* ait, *omnia simul in te uno habentes te non debuimus dimittere.* Deliri senes fuimus, rem sanè stultam fecimus, cùm filium in regionem exteram amandavimus. Debita omnia infra hunc filium erant collocanda. In eo simul habuimus omnia.

Tob. cap. 10. v. 4. & 5.

Sed quomodo, ô bona mater, omnia in uno filio habuistis? *Appretiativè* ajunt, in scholis: nam filium supra omne cimelium æstimârunt, hinc eis universa filio viliora.

Fatuum est deserere Deum, in quo omnia habemus bona.

Si fatuum dimittere filium adeò charum, quantò magis fatuum deserere Deum, super omnia summè amandum, sectari gaudium in rebus vanis caducum, cùm in uno & solo Deo, non *appretiativè*, sed reipsâ verè omnia omnino habeamus bona. Roganti Mosi: *Ostende mihi gloriam tuam:* Humanissimè Dominus gloriæ respondit: *Ego ostendam tibi omne bonum.* Seipsum erat ostensurus, in vitâ certè meliori.

Exod. c. 33. vers. 18. & 19.

Matth. c. 6. vers. 33.

Præceptum Christi Domini est. Verumtamen *quærite primum regnum Dei, & hæc omnia adjicientur vobis.* Quærite Deum, & simul omnia in Deo possidebitis.

A Hoc optimè, putem, margaritarum & unionum piscatu explicavero. De illo eruditè Plinius naturæ præco: Otigo, inquit, atque genitura conchæ, haud mullum ostrearum est differens. Has ubi genitalis anni stimulaverit hora, pandentes sese quadam oscitatione, impleri roscido conceptu tradunt, gravidas posteà eniti, partúmque concharum esse margaritas pro qualitate roris accepti: si purus influxerit, candorem conspici; si verò turbidus, & fœtum sordescere; eundem pallere, cælo minante conceptum. Ceterùm in aquâ mollis unio, exemptus protinus unio. Concha ipsa cùm marsum videt, comprimit sese, operitque opes suas, gnara propter illas se peti; manúmque si præveniat, acie suâ abscindit, nullâ justiore pœnâ, & aliis munita suppliciis, quippe inter scopulos major pars invenitur. Dos unionum omnis in candore, magnitudine, orbe, levore, pondere, haud promptis rebus, in tantum, ut nulli duo reperiantur indiscreti: unde nomen unionum Romana, scilicet imposuêre deliciæ. Nam id apud Græcos non est, nec apud barbaros quidem inventores ejus aliud, quam margaritæ. Et in candore ipso magna differentia. Quidam tradunt sicut apibus, ita concharum examinibus singulas, magnitudine, & vetustate præcipuas, esse veluti duces, miræ ad cavendum solertiæ; has urinandum curâ peti: illis captis facilè ceteras palantes retibus includi. Hîc duo quædam singulariùs observanda.

Plin. lib. 9. Natur. hist. cap. 35.

§. III.

Duo observanda: Primum.

I. PIscator unionũ subinde remeritatis suæ præmium asportat, quod nollet, nam manum aut perdit, aut lædit: Nullâ, inquit Plinius, justiore pœnâ; nam concha mater insidiatricem manum cernens contrahit sese, & arma parat suam aciem, quâ nonnunquam piscatoris dexteram, si possit prævenire, abscindit. Ita prorsus & nobis extra Deum delicias quærentibus sæpissime contingit. In pœnam peccati malè mulctamur, pro gaudio luctum auferimus, & veluti fels aut canis in furto deprehensi, os probè contusum referimus; cor inde amarum, inquietum, perturbatum, saucium, terrore, stimulis, angore, morsibus, scelerum commissorum cruciatu miserè vexatum. Hæc animi vulnera, hæc conscientiæ laniena, justissima peccati pœna. Hîc ultro cogimur fateri: *Vanitas vanitatum & omnia vanitas; & agnovi, quòd in his quoque esset labor, & afflictio spiritûs.* Ista satis agnoscimus, sed ista non perinde satis cavemus. Cupediarum nimis amantes catillamus & ligurimus non sine damno, quod tamen non cavemus. Jacturam facultatum, famæ, valetudinis, conscientiæ, corporis, animique facimus, & tamen non cavemus. Monemur, rogamur, dictis & exemplis ad saniora excitamur, & tamen nociva non cavemus. Deprehendimur quandoque in ipsâ flagranti noxâ & punimur, sed nihilominus non cavemus; Mel ipsum nobis amarescit; ut muribus jam melle saturatis, & tamen pestiferum mel istud lingere non desinimus. Morbos inde contrahimus, crumenam vacuamus, ignominiam incurrimus, & tamen oblectationes vanas, vetitas, gaudia lasciva, noxia usque & usque & usque sectari pergimus. *Filii hominum usquequo gravi corde, ut quid diligitis vanitatem?* Hîc nostrum quemvis inclamat Hieremias vates: *Scito & vide, quia malum & amarum est, reliquisse te Dominum Deum tuum,* in quo uno habebas omnia.

Qui extra Deũ quærit delicias sæpe in pœnã peccati malè mulctatur.

Eccles. cap. 1. v. 2. & 17. Heu omnia multo corrupta dolore voluptas. Horat. lib. 1. satyr. 2.

Psal. 4. v. 3.

Hier. cap. 2. vers. 19.

II. Piscator unionum, si ducem seu regem concharum capiat, levi negotio ceteras omnes includit retibus: Qui Deum habet, omnia habet, thesauros, gaudia, voluptates omnes possidet, ut verissimè possit dicere: Deus meus & omnia. Mens proba & juncta Deo non vel centies, vel millies die uno dicat: Mi Deus, omnia simul in te uno habens, non debeo te dimittere. Deus meus & omnia. Ita divus Augustinus cum Deo suavissimè loqui solitus: *Domine Deus meus,* inquit, *da cordi meo te desiderare,*

Secũdum.

Qui Deum habet voluptates omnes possidet.

Aug. de diligendo Deo c. 1. & c. 18. init. & med.

derare, desiderando quærere, quærendo invenire, inveniendo amare, amando mala mea redimere, redempta non iterare. Da mihi Deus meus te, redde mihi te, en amo te; atque si parum est amem validiùs. Non possum metiri, ut sciam, quantum mihi desit amoris tui ad id, quod satis est, ut currat vita mea in amplexus tuos, nec avertatur, donec abscondatur in abscondito vultûs tui. Hoc tamen scio, quia malè mihi est præter te Domine, non solùm extra me, sed & meipso. Omnis enim copia, quæ Deus meus non est, egestas mihi est.

Deus est bonũ quod in deterius commutari non potest.

O ergo Deus meus, & omnia. Extra te omnia vanitas, amaritudo, tædium, sollicitudo, deformitas, sorditudo, mera umbra, mors merissima. Qui te unum deserit bona simul omnia à se projicit. Bonum namque, quod neque in deterius commutari potest, tu solus es; qui simpliciter solus es, cui non est aliud vivere, & aliud beatè vivere, quia tua beatitudo tu es. Nos verò, quibus est aliud vivere, & aliud beatè vivere, omne quod vivimus, & beatè vivimus, tibi debemus. Deum deseruisse, est bonis omnibus excidisse. Hîc denuo Hieremias vates vociferatur: *Duo mala fecit populus meus: me dereliquerunt fontem aquæ vivæ; & foderunt sibi cisternas, cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas.* Heu quàm insana fatuitas! In proximo salit fons saluberrimus, & stolidi ad volutabrum properant immundissimum, ut inde hauriant.

Hier. cap. 2. vers. 13.

O tandem icti piscatores sapite! Quid conchas venamini labore tam vano, tam noxio? Deus est gemmarum, unionum, margaritarum, bonorum omnium mare immensissimum. Vestrum est hoc mare totum, si vultis esse vestrum.

CAPVT IX.

Tobias senior, cœcus, piscis felle curatus.

IAm patriam repetebat Tobias cum comite suo Raphaele Angelo. Ubi verò ad urbem Charan, quod itineris dimidium erat, devenerunt, comes cælestis: *Tobia frater,* inquit, *scis quemadmodum reliquisti patrem tuum. Si placet itaque tibi, præcedamus & lento gradu insequantur ter nostrum familiæ simul cum conjuge tuâ, & cum animalibus.* Placuit consilium comitis & ad eum omnino modum iter est institutum. Mox iterum comes: *Tolle tecum,* inquit, *ex felle piscis, erit enim necessarium.* Nam *ubi introieris domum tuam, statim adora Dominum Deum tuum, & gratias agens ei, accede ad patrem tuum, & osculare eum, statimq; lini super oculos ejus ex felle isto piscis, quod portas tecum. Scias enim, quoniam mox aperientur oculi ejus, & videbit pater tuus lumen cæli, & in aspectu tuo gaudebit.* Omnia ex ordine fecit Tobias; oculos parentis felle inunxit. Nec parens hoc collyrium recusavit, sed horâ fermè dimidiâ illud sustinens suâ ipse manu gramias * ab oculis abstersit, & ita visum felicissimè recepit. Tantarum virium fel fuit. Hoc loco disserendum, mordaci felle rerum adversarum intelligentiam mirè collustrari, ideóque quidquid ejusmodi fellis allinitur patienter & æquo animo tolerandum esse. Humanæ miseriæ fel illuminat, & visum hebetatum vel perditum restituit. Ita de utilissimo hoc collyrio jam plura.

Tob. cap. 11. vers. 2. & seqq.

* Pelliculam.

§. I.

IN domibus, quibus nihil tapetiorum est, & tamen mundities cordi est, omnia lignea, sellæ, scamna, mensæ, lacunar, parietum crustæ juniperino gummi præliniuntur. In hoc Orbe, in hac lacrymarum valle omnia obliniuntur felle humanæ miseriæ. Quocunque vertas oculos, mœroris, sollicitudinis, doloris, amaritudinis & afflictionis plurimum ubique videas; omnia felle lita. Quod testatus Hieremias vates: *Dominus Deus noster,* inquit, *silere nos fecit, & potum dedit nobis aquam fellis, peccavimus enim Domino.* In luctu sumus, & fel bibimus. Ita minatus olim Deus: *Ecce ego,* inquit, *cibabo populum istum absinthio, & potum dabo eis aquam fellis.* Idem Hieremiæ Threni loquuntur: *Circumdedit me felle & labore.* Ubique mœror, ægrimonia, dolor, & plurima mortis imago. Nulla domus tam felix, ubi fel istud in cibum ac potum non apponatur.

In hoc orbe omnia obliniuntur felle humanæ miseriæ.

Hier. cap. 8. vers. 14.

Idem cap. 9. vers. 15.

Thren. 3. vers. 5.

Non domus & fundus, non æris acervus & auri
Ægroto domini deduxit corpore febres,
Non animo curas. ———

Horat. lib. epist. 1. ad Lollium.

Sed quisquis es, mi Christiane, tolle fel istud non invitâ manu: est enim necessarium ad reparandam oculorum aciem. Reverà si quidquam est, quod oculos mentis vegetet, acuat, novo donet lumine, fel istud est. Quæ nocent, docent. Adversa intelligentiam mirificè collustrant. Afflictio Christianæ prudentiæ mater. Multa cernimus errando. Fellea calamitatis amaritudo certum ac nobile pharmacum ad visum marcentem ac hebetem corrigendum: ad cæcam oculorum caliginem abstergendam non est potentius nec salubrius collyrium, quàm afflictio. Homo afflictus in seipsum descendit; præterita deplorat, futura sperat, æternitatem cogitat, tam Deum, quàm seipsum rectiùs nosse orditur. *Vexatio dat intellectum,* Siracidâ teste: *Flagella & doctrina in omni tempore sapientia.* Hinc & ejusdem votum est: *Quis superponet in cogitatu meo flagella.* Glaucoma demit oculis fel istud afflictionis. * Hîc in exemplum Triumviros singulares Numinis amicos, Hieremiam, Petrum, Tobiam, sub aspectum dare proderit.

Afflictio est Christianæ prudentiæ mater.

Isaiæ c. 28. vers. 19.

Eccli. c. 6. vers. 21.

Idem c. 39. vers. 2.

* Valerio Probo, Cyrano Sinon Batavo lib. 2. c. 4. §. 1. 2. 3.

Hieremias multis lacrymis infusus: *Ego,* inquit, *vir videns paupertatem meam in virgâ indignationis ejus.* Non pauperem tantummodò se fatetur: nam Israëlitarum nemo non pauper illo ævo; captivi omnes erant: Sed insuper suam à se paupertatem videri ait, perinde si dicat: Ego, meique cives ac tribules oculis jam cernimus, quod Isaias, Sophonias, aliique vates prædixerunt. Vera sunt, verissima eorum oracula. Pauperes facti sumus inmis. Nunc demum capimus, quàm serium habeamus patrem Deum, qui connivere aliquantulùm videtur & indulgere filiis petulantibus, correptis demum virgis & baculo ferit nocentes. Nunc oculi nostri ad hæc omnia aperti. *Castigasti me, & eruditus sum, quasi juvenculus indomitus. Converte me, & convertar; quia tu Dominus Deus meus.*

Thren. 3. vers. 1.

Hier. cap. 31. vers. 18.

§. II.

PEtrus charissimus quidem Christo discipulus, sed à magistro crebriùs mordaci hoc felle aspersus. Monuerat Christus de futuris cruciatibus suis & morte. Et *assumens eis Petrus, cœpit increpare illum, dicens: Absit à te Domine, non erit tibi hoc.* O Petre, quàm parum consideratè ista? Hæc pia cæcitas felle curanda est: *Vade post me Satana,* ait Christus, *scandalum es mihi, quia non sapis ea, quæ Dei sunt, sed ea, quæ hominum.* Ita etiam cùm ad olivarium clivum præfervidus Petrus gladium stringeret, & vim pararet, audiit à magistro: *Omnes qui acceperint gladium, gladio peribunt.* Quàm parum oculata fuit hæc audacia, se unum, tot armatis opponere? Sed dixerit Petrus: Hoc potentiæ divinæ non difficile. Sanè non est. At si modò defensione foret opus, An non illa Numinis potentia, plus quàm duodecim legiones Angelorum exhibere potuisset? Petre, scripturarum rudis es. *Quomodo enim implebuntur scripturæ, quia sic oportet fieri?* Mordere poterat fel istud, sed oculos Petro reddidit, ut gladium conderet vaginâ. His annumerandum & illud. In Herodis carcere servabatur Petrus quatuor quaternionibus militum traditus, geminis catenis vinctus, ad capitale supplicium die altero producendus. Eâ ipsâ nocte *Angelus* carcerem ingressus *adstitit, & lumen refulsit in habitaculo, percussoque latere Petri excitavit eum, dicens: Surge velociter. Et ciciderunt catenæ de manibus ejus. Dixit autem Angelus ad eum: Præcinge, & calcea te caligas tuas. Et fecit sic. Et dixit illi. Circumda tibi vestimentum tuum, & sequere me.*

Matt. c. 16. vers. 22.

Ibid. c. 25. vers. 52.

Matt. c. 26. vers. 52.

Ibid. c. 31.

Act. c. 12. vers. 5. & seqq.

Quanti

Catenis geminis ligantur peccatores Dulcedine peccandi, & Horrore pœnitentiæ.

Quanti, ô Deus, jacent captivi vario scelere contaminati, quos vitiorum consuetudo inolita, societas prava, & mali affectus custodiunt, ne carceres effringant. Catenæ geminæ, *Dulcedo peccati*, & *Horror pœnitentiæ*. His ligantur, ne ad veram animi libertatem evolent. Inter tot ac tanta corporis animique pericula sæpe cogitatio nulla de Deo, de inferis, de cælo nulla. Heu miseri & cæci! Luce craſtinâ ducentur; jam hiant inferi & expectant; animi salus agitur æterna; Æternitas vicinissima est. Si malus est obitus, immortalis sequitur interitus. Et quomodo tandem nil horum metuunt? Quia dormiunt. Monet Angelus, Ecclesiastes urget, conscientia vellicat, homines probi erudiunt, & cavere jubent; Non cavent, quia dormiunt: Exempla sub oculos ponuntur sanctiora, ingeruntur libri, memoria mortis inculcatur. Sed frustra: Oculi sunt clausi; dormiunt. Tandem adest excitator Deus, & gravi morbo, aut grandi pecuniæ damno, aut acerbo casu alio dormientis pigrum latus tundit, fel inspergit, acerba redditur vita, evanescit voluptas, tædet vivere. Hîc jam panduntur oculi, jam vigilant, jam cernitur adstare Angelus. Quòd si nec percussi quidem vigilent, non jam inter dormientes, sed inter mortuos numerandi. Quibus fel istud nil adfert medelæ, jam depositi, jam conclamati sunt: moriantur, abeant, quò adeò festinant. Evigilabunt demum, sed nimis serò. Epulo purpuratus, elevans oculos suos, vidit Abraham, sed vidit à longè, sed vidit, cùm jam esset in tormentis. Vera quidem, sed sera nimis vigilia. Sed hoc ipsum Petri dormientis speculum vertamus; alia & meliora cernemus.

Quibus fel afflictionis nihil adfert medelæ, jam sunt depositi.

Petrus inter milites duos sibi proximos jacet, duplici catenâ vinctus, jam capitis damnatus, die alterâ supplicio afficiendus, ille tamen tranquillâ conscientiâ, exclusis curis, omni metu posito securus dormit, ac si mollissimo cubaret lectulo, in hominis amicissimi cubiculo: Ita prorsus placidissimè conquiescit & respirat, qui divinam providentiam erectâ mente considerat, & illud alto pectori gerit infixum: Ita Deo visum est, ita supremo Numini placet, ut hoc, & hoc, & illud atque istud patiar. Lubens volens. Hic certè dormit suaviter, licet ærumnarum medius agat; nam velut tutissimâ navi recubat, quâ vel dormiens provehitur semper tam magnis itineribus, quàm tutis. Navarchum habet Deum, cui se suâque omnia plenè commisit. Ita Jacob indormit saxo, & amœnissimo pascitur spectaculo. Ita idem fatali lectulo jam compositus ad mortem placidissimè supremam horulam expectavit. Quod divinæ paginæ dicunt: *Adoravit Israël Dominum, conversus ad lectuli caput.* Quod septuaginta Interpretes ita efferunt: Adoravit Israël summitatem virgæ ejus. Providentia divina lectulus est suavissimus consideranti eam. Hîc sine metu securus conquiescit, quisquis divinæ se providentiæ integrè committit. Supplicia & pœnæ omnes, quibus hîc afficimur, patris amantissimi virgæ sunt, quibus ad cælestem sapientiam erudimur. Idcirco Hebræorum regum optimus: *Virga tua*, inquit, *& baculus tuus ipsa me consolata sunt.* Hæc alios terrent & dejiciunt, me consolantur & erigunt, aliis molestiam & fastidium, jucunditatem mihi pariunt & gaudium, me docent & illuminant.

Qui divinam providentiam considerat animi mediocriter concutitur.

Gen. cap. 28. vers. 11. & seqq.

Psal. v. 47. vers. 31.

Providentia divina est lectulus suavissimus.

Supplicia & pœnæ sunt virgæ Dei, quibus eruditur.

Psal. 22. v. 4.

Tolle igitur tecum ex isto felle, est enim necessarium. Mordet quidem, & urit, sed oculos aperit, visum restituit. In Tobiâ Triumvirorum hîc tertio id cernere licebit. Tobias pater, cùm ejus oculos hoc felle piscis linivisset filius, *sustinuit quasi dimidiam ferè horam, & cœpit albugo ex oculis ejus, quasi membrana ovi egredi. Quam apprehendens Tobias traxit ab oculis ejus, statimq; visum recepit.* Extemplò senex optimus in divinas laudes effusus: *Benedico te Domine Deus Israël*, inquit, *quia tu castigasti me, & tu salvasti me.* Cæcitatis meæ causam non fortunæ malæ, non hirundinibus; non eventui fortuito impingo: Tu castigasti me, perinde ac si hirundinem sordes in oculos meos tuâ manu conjecisses. Quidquid hoc mali fuit, à te fuit: Tu hoc fecisti, tu visum, quem dederas, jure ademisti in meam cogitationem justissimam. Tu meæ cæcitatis auctor, tu meus, & omnium hominum castigator es æquissimus. Tibi ad inferendam mihi cæcitatem hirundines pro instrumento sunt famulatæ. Sicut igitur mihi à te ipso cæcitas est immissa, ita etiam à te solo sanitas est restituta, & visus redditus, illitum fel palpebris instrumenti vicem habuit. Tu castigasti sicut filium amantissimus pater. Scio, *Quem diligit Dominus, corripit, & quasi pater in filio complacet sibi.* Tu quoque salvasti me. Tibi uni ut medico longè peritissimo postrum debeo. Eadem manus tua, & vulnerat & sanat.

Prov. cap. 3. vers. 12.

Atque hæc talis cogitatio totum hominem mirificè illuminat. Ita cogitemus, ita loquamur: Hæc amaritudo, Domine, hæc afflictio, hæc ærumna, hæc calamitas & ægrimonia, à te uno & solo est; te auctore, te volente ac jubente hoc mihi contingit. Ita fieri melius tibi visum, quàm non fieri. Scio, ab omni æternitate voluisti, ut ego hoc, & hoc, atque hoc quoque paterer. Patiar libenter, quia tu voluisti me istud pati; quia tibi sic placet. Tu castigas me, tu salvas me.

Tobias visu jam restituto, actisque Deo gratiis: *Et ecce*, inquit, *ego video Tobiam filium meum.* An non suam quoque conjugem, filii ductorem, suam familiam vidit? vidit utique & ista. Sed oculis singulariter in filium defixis: video, inquit, hominem mihi charissimum, & alterum me, proximum mihi. Ita homo cujus oculis fel cæcitate illitum afflictionis: Nunc demum, ait, Deum meum video, & meipsum: Nunc agnosco, quàm paterno animo me corripias. Urit quidem fel tuum, sed oculorum tenebras extergit: ita suam quilibet paupertatem, suas ita miserias cernit, & oculos identidem ad te Deus reflectit. Benedictus Deus Dominus Israël, quia tu castigas, & tu castigando salvas.

Tob. cap. 15. vers. 17.

An Tobias solum filium vidérit cùm à cæcitate sanatus est?

Non tantùm acetum felle mixtum Christus præbibit, sed & nobis eundem fellis calicem propinavit; respondendum est propinanti. Hîc illud legis est certissimæ: Aut bibe, aut abi: Lex ista, teste Tullio, in Græcorum conviviis obtinebat. Istius moris Diogenes Laërtius mentionem injiciens: At nostri Mnamones, inquit, has quoque leges præscribunt. Aut bibe, inquiunt, aut, hunc cantharum, quantus est, in caput impingam tuum. In cenâ jam profanâ poculum oblatum non respuimus, & Christo ad suum calicem bibendum exhortanti obluctabimur? Hunc morti jam vicinus nobis omnibus destinavit. Ita enim inter oliveta Patrem rogavit: *Transeat à me calix iste*; ad meos à me transeat; & ipsi felleum hunc potum hauriant meo honori, suæ saluti.

Christus nobis fellis calicē propinavit: *Cicero lib. 5. Tusculanar. quæstionum.*

Matt. c. 26. vers. 39.

Hîc ego Christianos omnes Angeli vetbis altùm inclamo: Tollite vobiscum ex isto felle, est enim necessarium. Nemo abnuat, nemo tergiversetur, aut gravatè id faciat. Fruſtra recusamus. Bibendum & respondendum est. Aut ergo bibite, aut abite, cum Christo partem nullam habituri. Fel istud afflictionis oculos claros, acres, vegetos reddit; tam Dei, quàm suiipsius notitiam ingerit. Initium veræ sapientiæ, desiderare Deum, & seipsum nosse.

CAPUT X.

Tobias uterque divinis beneficiis mirè gratus.

Tob. cap. 11. vers. 7.

TAbellarius è cælo herum suum Tobiam in viâ instruens: *Vbi introieris*, inquit, *domum tuam, statim adora Dominum Deum tuum, gratias agens ei.* Perinde si dixisset: Mi Tobia hoc agamus ante omnia, divinorum beneficiorum memores simus. At nunquam erimus grati, nisi statim simus. Qui gratè beneficium accepit, primam Deo:

Pro beneficiis divinis ante omnia gratiæ agendæ Deo:

primam ejus pensionem solvit. Quamprimum igitur paternæ domui pedem intuleris, mox Domino Deo tuo gratias memineris. Magnis & compluribus à Deo beneficiis aucti sumus. Iter sani confecimus, pecuniam mutuò elocatam referimus, uxorem censu & virtutibus dotatam adducimus, unà cum grandi familiâ, parenti collyrium reportamus. Omnia nobis è voluntate Dei prosperè successerunt, simus grati. Optima monenti paruit integerrimè Tobias. Quod sacer historicus affirmans: *Cúmque, ait, adorassent Deum, & gratias egissent, consederunt.* Itaque in rebus omnibus, & ante omnia, déque omnibus beneficiis jugiter Deo gratiæ sunt agendæ, quod capite isto explanabimus.

Ibid. v. 12.

§. I.

1. Deus Creationis beneficiũ septimo quovis die voluit esse venerationi.

I. DEus sub ipsa conditi Orbis principia Creationis beneficium septimo quovis die venerationi esse voluit, singulari, gratáque ejus diei memoriâ. Quod Moses asserens: *Complevitq; Deus*, inquit, *die septimo opus suum, quod fecerat, & requievit die septimo ab universo opere, quod patrarat.* Hoc sui laboris præmium semper exegit Deus, gratam animum. Ita Gubernationis divinæ ac Conservationis beneficium mensibus singulis restaurari jussit. Huic rei dies festus Neomenias decretus. Ita beneficium libertatis post servitutem Ægyptiam concessæ, quot annis celebrando Phase recoli præcepit. Datæ legis memoriam Pentecoste reducebat. Ob subministratam annis quadraginta alimoniam è cælo festi dies tabernaculorum instituti, qui habitatæ solitudinis monebant. Primitiæ, decimæ, stata certis ceremoniis sacrificia hoc uno fine imperata sunt, ut beneficiorum memoria identidem refricaretur, ne unquam gratus animus & gratiarum actio deesset.

Gen. cap. 2. vers. 2. *Num c. 28. v. 11. & 18.* *Exod. c. 12. vers. 14.*

2 Gratiarum actio utilis,

II. Gratiarum actio utilis, sancta, necessaria. *Vtilis* prorsus est, nam prima gratiarum actio, quid aliud est, nisi alterius & secundi beneficii suavis petitio atque impetratio. Beneficiorum mater gratitudo. Verbo veteri jactatur: Ferrum ferro acuitur, simile simili delectatur, donum dono honoratur, obsequium obsequio paratur, beneficium beneficii memoriâ excitur. Ista mutuis crescunt adminiculis. Gratus animus novis identidem beneficiis ornatur.

Sancta,

Sancta est gratiarum actio. Rex Ezechias, ut primùm è lethali morbo revaluit, amplissimam gratiarum actionem non verbis solùm, sed & scriptis consignavit. Quod Isaias vates testatus: *Scriptura*, inquit, *Ezechiæ regis Iuda, cùm ægrotasset, & convaluisset de Infirmitate suâ.* Nam statim rex optimus hoc restitutæ valetudinis beneficium publicis monumentis mandari jussit, ut ad posteros etiam ejus memoria propagaretur. Quoties Rex David gratissimo in Deum affectu recentissimâ veterum beneficiorum memoriâ exclamans: *Quid retribuam Domino*, inquit, *pro omnibus, quæ retribuit mihi. Confitemini Domino; quoniam bonus, quoniam in æternum misericordia ejus.* Quod ampliùs, Christus ipse absolutissimum virtutis specimen gratias agendo velut voce præivit: In desertis locis quinque millia virorum pisce & pane refecturus: *Accepit panes, & cùm gratias egisset, distribuit discumbentibus.* Lazarum à morte reducturus ad vitam: *Pater*, ait, *gratias ago tibi, quoniam audisti me.* Suum corpus & sanguinem in cibum ac potum daturus: *Accepto pane gratias egit.* Pari modo, *Et accepto calice gratias agens dedit eis.* *Sancta* est gratiarum actio, quod suo nos exemplo Christus docuit.

Isaiæ c. 38. vers. 9. *Ps. 115. v. 3.* *Psal. 135. psalmo toto, vicies septies hoc repetit.* *Ioan. cap. 6. vers. 11.* *Idem cap. 11. vers. 41.* *Luc. cap. 22. vers. 19.* *Marci c. 14. vers. 23.*

Necessaria.

Sed & *Necessaria est* gratiarum actio tam frequenter in novâ & veteri lege, nostro bono imperata. Hoc unicum habemus, quod tantis tórque Dei beneficiis rependamus, gratias agere. Deus infinitè bonus, & qui bonorum nostrorum non eget, hoc tamen pretium nostræ gratiarum actioni posuit, ut eo pretio beneficia quodammodo exæquemus, & æquale aliquantula portione reddamus æquali. Idcirco Augustinus ad assiduam gratiarum actionem impulsurus: *Cultus Dei*, ait, *in hoc maximè constitutus est, ut anima ei non sit ingrata. Vnde in ipso verissimo & singulari sacrificio, Domino Deo nostro gratias agere admonemur.*

Augustin. l. de spiritu, & littera, c. 11.

3. Gratia beneficia non levia beneficiorum sunt penitus exhauriunt.

III. Gratiæ beneficia non secutæ beneficiorum sontem penitus exhauriunt. Nos, hac in re promptissimi solemus dicere: Ohe, non agit gratias, me benefactorem non habebit unquam ampliùs. Ego meos panes, meum butyrum, vinum meum in ingratos non effundam: Vale, vale mortalium ingratissime, impostorum à me nec obolum extundes. Hæc nostra in ingratos non iniqua est sententia. Ita & Deus jure multò potiori beneficam manum subducens: Tu ingrate, dixerit, nec istud quidem mercedulæ tuo benefactori reddis, ut gratias agas. Auferam ergo quæ in te contuli beneficia, dotibus, quibus te ornaveram, spoliabo, deinceps mea dona in alios divisurus, te excluso. Quod Bernardus altè affixurus animo: *Peremptoria res*, inquit, *est ingratitudo, hostis gratiæ, inimica salutis. Dico ego vobis, quoniam pro meo sapere, nihil ita displicet Deo, præsertim in filiis gratiæ, in hominibus conversionis, quemadmodum ingratitudo. Vias enim obstruit gratiæ, & ubi fuerit illa, jam gratia accessum non invenit, locum non habet. Felix qui ad singula dona gratiæ redit ad eum, in quo est plenitudo omnium gratiarum: cui dum nos pro acceptis non ingratos exhibemus, locum in nobis facimus gratiæ, ut majora adhuc accipere mereamur. Omnino enim sola nos à profectu conversationis impedit ingratitudo nostra, dum quodammodo amissum reputans dator, quod ingratus accepit, cavet sibi de cetero, ne tantò plura amitteret quantò plura conferret ingrato. Felix proinde, qui etiam pro quibúsque minimis beneficiis, non minimas refert gratias.*

Bern. ser. de septem misericordiis p. 525. Nihil ita Dei displicet in Christianos atque ingratitudo. Idem lib. de diligendo Deum c. 10. pessimum vitium ingrati, mali pag. 521.

Animus ingratus est ut ventus, qui omnem divinæ pietatis fontem exsiccat. A rebus creatis aliis licebit hoc discere. Si arbor hortulano suo non respondeat, si terram infecunda occupet, si fructus nullos reddat, succiditur: si ager coloni sui vota non expleat, si non multa gratiarum millia rependat, ut effætum ac degratigarum solum deseritur. Ager reverà gratus tricies, sexagies, centies pro granulo vel unico gratias agit. Ita beatus Lucas: *Et ortum*, inquit, *fecit fructum centuplum.* Ita flores & herbæ cùm eliquantur igni, mox succos & liquores medicos per vitreum siphonem in subjectum vas exsudant. Ita nos peræquè statim accepto beneficio meritam benefactori gratiam persolvamus. Ubi differi gratias & procrastinari incipiunt, ibi languet gratus animus: *Deo gratias* tardum, est pæne nullum. Hanc ob caussam Angelus Tobiæ singulari monito instillans: *Statim*, inquit, *adora Dominum Deum tuum, gratias agens.* Gratiarum actio si est vera, est celerrima. Qui gratus futurus est, statim dum accipit, de reddendo cogitat. Morá & dilatione nimiùm intepescunt grates, velut ferculum bonum, sed jam frigidum.

Animus ingratus est ut ventus, qui omnem divinæ pietatis fontem exsiccat.

Luc. c. 8. 11.

Deo gratias quid est pæne nullum. *Tob. cap. 12. vers. 7.*

Verùm desidia humana, ne dicam, malitia, hac in re sæpe maxima. Nullum vitium frequentius, quàm ingrati animi. Mille in nos iterúmque mille congeruntur beneficia, vix gratias de uno referimus. At dixeris: Dies toti agendis gratiis forent destinandi. Ita sanè, mi homo, dies toti inter gratiarum actiones expendendi. Non dico totis diebus submittenda humi genua, attollendas cælo manus, laudes divinas voce decantandas. Hocajo, crebriùs de die iteratis victibus, & quàm potest sæpissime gratias Deo tribuendas his talibus voculis: Gratias tibi ago, mi Deus, gratias ago. Cùm autem singulare beneficium, quamvis id videri possit minimum, accipitur, mox suo se conditori sistat animus, & quibusdam velut saltibus attollens dicat: Ago tibi, mi Deus, ago mille gratias, ago decem millia, ago centies millia, ago decies centena millia, ago gratias immensas, infinitas. Hoc nimirum est, ut sacræ paginæ loquuntur exultare. Quod toties in psalmis David factitans: *Exultabo*, inquit, *Ps. 30. v. 8. & lata-*

Nullum virtutis quoniam ingratitudine.

& lætabor in misericordiâ tuâ. Idem & aliàs quàm creberrimè repetit. Ita & Sophonias: *Lætare*, ait, *& exulta in omni corde.* Ita Lucas de Christo: *In ipsâ*, inquit, *horâ exultavit in spiritu, & dixit: Confiteor tibi Pater.* Idem de Christianorum primis: *Sumebant cibum*, ait, *cum exultatione.* Maxima laus hominis defuncti, si ei funebris oratio hoc tribuat elogii: De beneficiis omnibus, minimis, maximis, de rebus lætis, tristibus; de suavibus, acerbis; de prosperis, adversis jugiter Deo gratias egit.

& defuncta conjuge, quæ Anno 1634. Cal. Iunii sanctè obiit.

§. II.

VIdete vel barbaras gentes, quàm gratum animum idolis suis, Diis falsissimis exhibuerint. Qui è præliis, è naufragiis, è morbis è gravibus periculis evaserunt incolumes, ut sese gratos ostenderent, implerunt templa tabulis votivis. Quod affirmans Tullius: *Tu*, inquit, *qui Deos, putas humana negligere, non animadvertis ex tot tabulis pictis, quàm multi vim tempestatis effugerint, in portúmque salvi advenerint.* Strabo memorat Epidauri templum Æsculapio sacrum ægrotantium multitudine confertissimum, suffixis passim tabellis, quæ redditam sospitatem magnâ grati animi significatione testarentur. † Aristoteles Gratiarum templum medio urbium collocari solitum ait, ut omnes opportunius discerent dari beneficia, & reddere. Stagiræi philosophi verba sunt ista: Unde etiam Gratiarum templum obviam statuunt, ut retributio efficiatur. Quippe cùm id proprium gratiarum sit, ut & ei, qui nobis gratificatus est, vicissim inserviamus, & ipse rursùm gratificando nos provocet. *

Ad eandem dandi & reddendi beneficii memoriam conservandam priscis celebratior nomine quàm pretio fuit *Batti annulus*. Battus in Africâ Cyrenē urbem condidit. Cives ne ingrati essent urbis Conditori Silphium, *a* unáque annulum, in quo ea herba erat insculpta, obtulerunt. Munus non magnum, sed magni affectûs testimonium. Quidquid nos Deo gratiarum referimus, heu quàm modicum, quàm nullum est munus, nisi & annulum addamus, æternitatis memoriam, & eo, quo possumus modo, infinitas gratias agamus. Sed & ejus rei nos Batti annulus monet, ut, qui gratum animum in seipso cupit fovere, ea oculis opponat, quæ identidem ad beneficiorum memoriam inducant, & gratiarum moneant. Hîc quivis res sibi opportunas circumspiciat, quas ante oculos ponat. Sunt qui strophii aut cinguli nodum, chartulam humi abjectam, memorialem annulum, alii alia sub aspectum collocant, ne quid eorum, quæ sibi facienda sciunt, oblivione obruât.

Nec ullum beneficium velut exiguum spernendum. Ita scriptor religiosissimus docet: *Esto gratus pro minimo, & erit dignus majora accipere. Si dignitas datoris inspicitur, nullum datum parvum, aut nimis vile videtur.* A viro principe vel flosculum accepisse, magni æstimamus; è tali manu pretiosum venit munus, quodcumque venit. *Qui gratiam Dei retinere desiderat, sit gratus pro gratiâ datâ, patiens pro ablatâ.*

Beatus Paulus in agendis gratiis summè assiduus fuit. Hinc de beneficiis tam in se, quàm in alios collatis millies agens gratias: *Gratias ago*, inquit, *Deo meo per* JESVM *Christum pro omnibus vobis.* Hoc ipsum ingeminans, *Gratias Deo*, inquit, *quòd servi fuistis peccati, obedistis autem ex corde.* Idem aliàs repetit: *Gratias ago Deo meo semper.* Nec cessat eadem epistolis inserere: *Gratias ago Deo meo, cui servio.* Ita non Romanis solùm & Corinthiis, sed etiam Philippensibus, Ephesiis, Colossensibus, Thessalonicensibus, assiduè hoc ipsum commendans: *In omnibus*, inquit, *gratias agite, hæc est enim voluntas Dei, in Christo* JESV *in omnibus vobis.* Nec ferè aliud quidquam est, quod adeò frequenter & contentè ingerat, quàm istud ipsum: *Grati estote*: Quod Colossensibus unicè commendans:

A *Pax Christi*, ait, *exultet in cordibus vestris, in quâ & vocati estis, in uno corpore. Et grati estote.* Hîc ego Christianos omnes voce magnâ vel millies, atque millies iterúmque millies inclamo: *Estote grati.* Verendum sanè ne hac in re nimis modici simus. Nequeunt placet Deo, ut ei ad pecuniam numeratam, seu nummo, ut Jurisconsulti loquuntur, semel prætorâ hebdomade, vel mense, sed partibus, pro singulis quibuscunque beneficiis gratias agamus. Ita ipse sanctorum hominum quosdam erudit, ut ad singulas quantùm fieri possit, buccellas, quas ori ingererent, gratias agerent. Ita divæ Mechtildi dictum: *Etiam dormiturus quisque desideret, ut singulas respirationes, quas nocte illâ faciet, tanquam eximam mihi laudem suscipiam.* Ergo quod Paulus imperat, *in omnibus gratias agite, hæc est enim voluntas Dei.* Id nos profectò docent optimorum exempla, id ratio jubet & conscientia. Nec enim aliud habemus hostimenti, quod divinis beneficiis reddamus, quàm istud unicum: *Deo gratias.* Aut nimium avarus, aut certè desidiosus nimium est, qui gratias meminisse benefactori, cùm possit, nolit.

Colos. c. 3. v. 15.

Ludovicus Blosius in Monili spirit cap. 2. mihi p. 93.

Vid. Amussim meam lib. 1. cap. 5. §. 4. & lib. 2. cap. 8. §. 7.

CAPVT XI.

Tobias uterque orationi, jejunio, eleemosynæ deditissimus.

TObias uterque tam pater, quàm filius seriò deliberarunt inter se, quid præmii viro illi fidelissimo darent. Tandem tot ejus beneficiis enumeratis, in eam sententiam conspirant, eorum omnium, quæ allata sunt, partem dimidiam offerre. Neque verò nimiam fore liberalitatem istam, quæ optimè merito, cùm deberet totum, assignaret partem. Vocant igitur auctorem viæ, unáque ambo pluribus rogant, *dignaretur dimidiam partem omnium, quæ attulerant, acceptam habere.* Quibus suavi humanitate: *Benedicite Deum cæli*, ait, *& coram omnibus viventibus confitemini ei, quia fecit vobiscum misericordiam suam. Etenim sacramentum regis abscondere bonum est: opera autem Dei revelare, & confiteri honorificum est.* Mox subjungens: *Bona est*, inquit, *oratio, cum jejunio & eleemosynâ, magis quàm thesauros auri recondere. Quoniam eleemosynâ à morte liberat, & ipsa est, quæ purgat peccata, & facit invenire misericordiam, & vitam æternam.*

Tob. cap. 12. v. 5.

Ibid. v. 6. & seqq.

Hîc mihi, mi Lector, mens neutiquam est de oratione, jejunio & eleemosynâ disserere. Id libris singularibus jam factum. Animus est hoc loco solùm de mixturâ, conjunctione, ac concordiâ orationis, jejunii, & eleemosynæ, compendio disserere. Aures obsecro vacivas dissertationi præbe. Ab ore Angeli hæc doctrina fluxit, pectori penitissimo inscribenda.

Vide è meis Rhetoricam cælestem; Gazophylacium Christi, & Pharmacum cum Pharmacorum omnium singulares libros.

§. I.

BOnam esse orationem cum jejunio & eleemosynâ sapientissimi quique ac sanctissimi viri ac fœminæ omni ævo censuerunt. Ita Moses, Elias, David, Ezechias, Daniel, Judith, Esther, tótque alii priscæ legis opTimates judicarunt. Christus ipse hoc sermonibus & exemplis docuit. Moses, ut audientiam suo ad Deum accessui impetraret, in monte non tantùm precationibus submississimis egit, sed quadragintadiale jejunium præmisit instituendis cum Deo colloquiis. Illiberalem aut immitem in pauperes fuisse Mosen nemo cogitet. *Erat enim Moses*, quod sacra pagina testatur, *vir mitissimus super omnes homines, qui morabantur in terrâ.* Cùm Imperator Josue conflictu acerrimo in Amalecitas pugnaret, in rupe Moses passis ac sublatis brachiis oravit. Tamdiu verò Israëlis populus vincebat, quamdiu Moses hoc precantis habitu persistebat. *Sin autem paululùm remisisset brachia, vincebant Amalecitæ.* Quid hoc quæso superstitionis est? Num oratio non satis ex se nervosa, nisi eam diductæ ac cælo elatæ manus commendent? Num bonitas divina

Bonam esse orationem cum jejunio & eleemosynâ omnes sancti censuerunt, in lege veteri. Moses. *Num. c. 12. v. 3.*

Exod. c. 17. v. 11.

his cæremoniarũ legibus adstricta à Mosis brachiis pendebat? En imaginem & ideam planè luculentam: Qui orat, & non jejunat, nec eleemosynas erogat, contractis manibus Deum invocat. Audit has preces Deus, sed audire dissimulat: cadit Israël, vincit Amalec & triumphat. Qui orat, & simul jejunat, nec non & eleemosynas dat, hîc verè Deum expugnat. Quando igitur fatigatæ Mosis manus defluebant, *Aaron & Hur sustentabant eas ex utraque parte.* Aspice Archetypon. Bona est oratio, & victoriæ potens conciliatrix, si tamen manus utraque sit extensa, si orationi jejunium jungatur & eleemosyna. Hac trigâ evehimur cælo.

Exod. c. 17. v. 12.

David, Rex Hebræus David hac ipsâ trigâ usus habitabat cælum dum diversaretur etiamnum in terrâ. Quoties quámque calidè vel uno die precari solitus est? Totarduis, regiisque negotiis distractus, nihilominus septies in die precari, mediâ nocte divinas laudes iterare, summo mane somnum abrumpere, preces repetere consuescebat. In promptu testimonia: *Septies in die laudem dixi tibi super judicia justitiæ tuæ. Memor fui nocte nominis tui Domine. Mediâ nocte surgebam ad confitendum tibi super judicia justificationis tuæ. Anticipaverunt vigilias oculi mei. Prævenі in maturitate & clamavi: Prævenerunt oculi mei ad te diluculo, ut meditarer eloquia tua.* His tam crebris aut pæne assiduis precibus eleemosynas jungebat largissimas, qui pauperum, egenorum caussam disertissimus orator toties commendans: *Beatus vir,* inquit, *qui intelligit super egenum & pauperem; in die mala liberabit eum Dominus. Dispersit, dedit pauperibus, justitia ejus manet in sæculum sæculi, cornu ejus exaltabitur in gloriâ.* Porrò David ad Arcam honorificentiùs destinato loco collocandam triginta millia hominum (quod Regum fasti memorant) electos ex Israël congregavit. Quàm autem largificâ stipe, quàm gratis sportulis omnem Israëlis multitudinem, tot millia hominum refecit? Nam *partitus est universæ multitudini Israël, tam viro, quàm mulieri singulis collyridam * panis unam, & assaturam bitulæ carnis unam, & similam frixam oleo.* Ita verò hîc idem Rex jejunavit, ut vires inediâ prostratas persentiscens dixerit: *Genua mea infirmata sunt à jejunio.* Pro infantuli morituri valetudine, *jejunavit David jejunio & ingressus seorsum jacuit super terram.* In hanc concordiam David orationem, eleemosynam & jejunium redegit; ita primarias virtutum actiones sibi attemperavit, ut neutra neutri decesset. Haud aliter Regum optimus Ezechias. Ita rex Josaphatus, cùm mœstissimi ad eum nuntii pervolarent, dicerentque; *Venit contra te multitudo magna de his locis, quæ trans mare sunt, & de Syriâ.* At ille totum se contulit ad rogandum Dominum, & prædicavit jejunium universo Juda. En promptissimam orationis & jejunii mixturam. Eleemosynas ab Ezechiâ in plebem sparsas satis indicat illud: *Totum se contulit ad rogandum Dominum:* omnem placandi Numinis rationem iniit. Neque verò pientissimus rex ignorare potuit, bonam esse orationem, sed cum jejunio, quod prædicavit, sed cum eleemosynâ, quam utique liberalitate regiâ erogavit. Neque verò ullus tam piorum principum unquam dixit: Parcamus ærario, parcamus & corpori; satis est, si oremus. Bona est oratio, sed tunc demum bona est, si geminis comitibus, jejunio & eleemosynis stipata est.

Psalm. 118. v. 164. Ibid. v. 55. Ibid. v. 62. Ps. 76. v. 5. Psalm. 118. vers. 147. & 148.

Psalm. 40. v. 2. Psalm. 111. v. 9.

*2. Reg. c. 6. v. 19. * Tortam panis, 1. Par. cap. 16 v. 3. Psalm. 108. v. 24. 2. Reg. c. 12. v. 16.*

Ezechias, Josaphat, *2. Paralip. cap. 20. v. 2.*

2. Para. cap. 20. v. 3.

§. II.

Judith, Orationis, abstinentiæ ac eleemosynæ temperamento est usa: *Judith c. 8. v. 5. & 6.*

HOc orationis, abstinentiæ, ac eleemosynæ temperamento assiduè usa est Judith sanctissimi nominis vidua. Eo seipsam & totam urbem Bethuliam ab hoste potentissimo servavit illæsam. Judith suo conjuge defuncto (quod sacra pagina testatur) *fecit sibi secretum cubiculum, in quo cum puellis suis clausa morabatur, habens super lumbos suos cilicium, jejunabat omnibus diebus vitæ suæ, præter sabbatha & neomenias, & festa domus Israël.* Cùm autem Holofernes Bethuliam arctissimâ obsidione cingeret, *ingressa Judith oratorium suum, & induens se cilicio posuit cinerem super caput suum, & prosternens se Domino clamabat ad Dominum:* cúmque jam in castris Holofernis ageret, & cibus è mensâ Imperatoris ad eam deferretur, illa jejunii tenacissima & lautitias suaviter recusans: *Nunc,* ait, *non potero manducare ex his, quæ mihi præcipis tribui, ne veniat super me offensio: ex his autem, quæ mihi detuli manducabo.* Ita vili, aridâ, & tenui prorsus annonâ, quam sacciperio attulerat, victitavit. Imò cùm jam ipsam Imperatoris mensam accumberet, exquisitissimis epulis intactis, non aliud in cibum & potum admisit, quàm suas aliquot esuriales bucceas ab ancillâ ministratas: *Manducavit & bibit coram ipso ea, quæ paraverat ancilla ejus.* Decusso jam Holofernis capite, obtentáque victoriâ, collectisque spoliis Judith sese non orationis tantùm & jejunii, sed & piæ liberalitatis amantissimam ostendit: nam *universa vasa bellica Holofernis, quæ dedit illi populus, & conopeum, quod ipsa sustulerat de cubili ipsius, obtulit in anathema oblivionis.* Ita hæc herois divina per istam precum, abstinentiæ, eleemosynæ temperantiam, & sibiipsi, & omnibus civibus suis salutem atque incolumitatem omnibus sæculis obtupescendam attulit.

Judith c. 8. v. 6. Judith c. 10. v. 5. Judith c. 16. v. 20.

Hac ipsâ ratione jejunio, precibus, eleemosynis Regina Esther omnem Israëlis populum ab interitu vindicavit. Urgebat modis omnibus Mardochæus, ut Assuerum Esther accederet, pro populo suo deprecatura. At illa sapienter cauta persuaderi non poterat, ut regi supplicem libellum porrigeret non vocata. Sed Mardochæo impensiùs instante, demum illa: *Vade,* inquit, & *congrega omnes Iudæos, quos in Susan repereris, & orate pro me.* En oratio pars vitæ impetrandæ prima. Addit: *Non comedatis, & non bibatis tribus diebus, & tribus noctibus.* En jejunium pars altera. Ne verò videretur Regina sibimet indulgere, & omnem jejunii austeritatem aliis injungere, subjunxit: *Et ego cum ancillis meis similiter jejunabo, & tunc ingrediar ad regem, contra legem faciens non vocata tradénsque me morti & periculo.* Credibile prorsus omnem cibum & potum reginæ ac ejus pedissequis apponendum in aulâ, in pauperum domos eo triduo fuisse deportatum. En eleemosyna, tam ardui negotii pars tertia. Ita demum Esther Regina hoc triplici præsidio, precibus, jejuniis, piâ liberalitate firmata, eam animo audaciam concepit, ut ultro regem adire non dubitarit. Res omnis ex voto longè felicissimè successit. Servati Hebræi, Aman auctor exequendæ cædis pependit solus. Videte necessariam orationis, abstinentiæ ac eleemosynæ temperaturam. Hæc una tot hominum millia à destinatissimo interitu servavit. Hæc triga cælum expugnat, hæc Dei solium terræ propitiat, hæc quidquid impetrabile non difficulter impetrat. Quod Petrus Chrysologus facundiâ eruditâ explicatissimè tradens: *Chrysol. ser. 43. mihi pag. 111. Fides & Tres sunt,* inquit, *tria fratres, per quæ stat fides, constat devotio, manet virtus: Oratio, Iejunium Misericordia. Quod oratio pulsat, impetrat jejunium, misericordia accipit. Oratio, devotio Misericordiâ, Iejunium, sunt hæc tria unum, dant hæc sibi invicem vitam. Est namque orationis anima jejunium: jejunii vita misericordia est. Hæc nemo rescindat: nesciunt separari. Horum qui unum habet, & ista simul non habet, nihil habet. Ergo, qui orat, jejunet: qui jejunat, misereatur: audiat petentem, qui petens optat audiri: auditum Dei aperit sibi, qui suum supplicanti non claudit auditum. Iejunium jejunator intelligat, esurientem sentiat, qui vult Deum sentire, quòd esurit: misereatur, qui misericordiam sperat: pietatem, qui quærit, faciat: qui præstari sibi vult, præstet. Improbus petitor est, qui, quod aliis negat, sibi postulat. Homo esto tibi misericordiæ forma, sic quomodo vis, quantum vis, quàm citò vis, misericordiam tibi fieri, tam citò alii, tantum, taliter ipse miserere. Ergo oratio, misericordia, jejunium, sint unum patrocinium pro nobis ad Deum, pro nobis hæc advocatio sint una, hæc pro nobis oratio sit triformis. Hæc sunt fratres, hæc sunt, quæ tenent cæli arcem, quæ secretum Dei judicis pulsant, quæ ante tribunal Christi caussas humani* consilii. orationis, jejunii, & miseri-

humani generis exequuntur, quæ injustorum petunt indulgentiam, reorum veniam promerentur. Hæc cui in cælestibus non assistunt, ipse non subsistit in terris; hæc cùm teneant in cælestibus principatum, in terris rerum summam moderantur; hæc regunt prospera, hæc adversa propellunt, vitia extinguunt ista, virtutes ista succendunt, hæc reddunt casta corpora, corda pura, hæc pacem membris, mentibus dant quietem, humanos ista sensus, scholam faciunt disciplinæ: per hæc in templum Dei pectora humana consurgunt, hæc hominem præstant Angelum, homini deitatis deferunt hæc honorem. Et nos fratres, si volumus Moysi gloriæ, Eliæ vitæ, Ioannis virtutibus, omnium Sanctorum meritis applicari, insistamus orationi, vacemus jejunio, misericordiæ serviamus: qui in his vixerit, qui per ista fuerit communitus, jacula peccati, diaboli tela, mundi machinas, vitiorum cuncos, mala carnis, voluptatum laqueos, arma mortis, Christianus armiger, bellator dominicus non timebit. Bona igitur oratio, sed bona cum jejunio, & eleemosynâ.

Daniel Nabuchodonosori regi somnium explicaturus, ad id muneris cum Hebræis tribus Satrapis precando & jejunando se disposuit. Idem rogaturus è servitute Babylonicâ libertatem, tres hebdomades inter orationem, jejunia, consuetam in egenos liberalitatem exegit. *In diebus illis,* ait, *ego Daniel lugebam trium hebdomadarum diebus, panem desiderabilem non comedi, & caro, & vinum non introierunt in os meum.*

Dan. 10. vers. 3.

§. III.

EAdem in lege novâ orationis, & misericordiæ fuit observata conjunctio. Anna vidua octoginta quatuor annorum, turtur castissima, *non discedebat de templo jejuniis, & obsecrationibus serviens die ac nocte.* Dux belli Cornelius Christianus sacris nec initiatus, sed solo naturæ melioris instinctu, *Vir religiosus ac timens Deum cum omni domo suâ faciens eleemosynas multas plebi.* Primum largitionis elogium. *Et deprecans Deum semper.* Assiduæ orationis alterum. Sequitur jejunii tertium. *A nudiustertiâ die, usque ad hanc horam, orans eram horâ nonâ in domo meâ, & ecce vir stetit ante me in veste candidâ, & ait: Corneli, exaudita est oratio tua, & eleemosynæ tuæ commemoratæ sunt in conspectu Dei.* Perinde si dicat: A diebus quatuor, ab horâ nonâ vesperrinâ, † quando mihi apparuit Angelus, mansi orans & jejunus. * Ita Cornelius preces & inediam quatriduo continuavit. Videte, amore Domini Jesv, videte, quid miles disciplinâ Christi nondum imbutus rationis ductu fecerit, quantâ pietate jejunium & eleemosynas orationi junxerit. Quid hîc ampliùs egemus testibus? Quid porrò nos Christiani? Quid agimus his exemplis dignum? si præire non lubet, cur sequi dedignamur? Sunt qui orent, sed hoc tantùm: abstinere cibis, erogare nummos non placet. Sunt qui eleemosynas spargant: sed hoc tantùm; oratio eorum frigida & rara, jejunium nullum. Sunt etiam, qui scabinde inediæ aliquid ferant, sed hoc tantùm; cetera deparci, ac sordidi, nec assem partiuntur in stipem. Ubi hoc necessarium orationis, jejunii, & eleemosynæ temperamentùm? Servatoris dictum hîc usurpem. *Hæc autem oportuit facere, & illa non omittere.*

Cornel. Christianus sacris nec initiatus, sed solo naturæ melioris instinctu. Act. cap. 2. vers. 2. Omni domo suâ faciens eleemosynas multas plebi. Act. cap. 10. vers. 2. Et deprecans Deum semper. Act. cap. 10. vers. 3. A nudiustertiâ die usque ad horam orans eram horâ nonâ in domo meâ. Act. cap. 10. vers. 30. † quando mihi apparuit Angelus. Act. cap. 10. vers. 3. * Ita Cornelius preces & inediam quatriduo continuavit. Videte, amore Domini Jesv, videte, quid miles disciplinâ Christi nondum imbutus rationis ductu fecerit, quantâ pietate jejunium & eleemosynas orationi junxerit. Quid hîc ampliùs egemus testibus? Quid porrò nos Christiani? Quid agimus his exemplis dignum? si præire non lubet, cur sequi dedignamur? Sunt qui orent, sed hoc tantùm: abstinere cibis, erogare nummos non placet. Sunt qui eleemosynas spargant: sed hoc tantùm; oratio eorum frigida & rara, jejunium nullum. Sunt etiam, qui scabinde inediæ aliquid ferant, sed hoc tantùm; cetera deparci, ac sordidi, nec assem partiuntur in stipem. Ubi hoc necessarium orationis, jejunii, & eleemosynæ temperamentùm? Servatoris dictum hîc usurpem. Hæc autem oportuit facere, & illa non omittere. Luc. cap. 11. vers. 42.

Servator ipse, Dominus Jesvs, hanc doctrinam non solùm verbis, sed ipse suis exemplis tradidit. Noctes totas orando pervigilavit, Lucâ teste: *Et erat pernoctans in oratione Dei.* Teste Matthæo, *Quadraginta diebus, & quadraginta noctibus jejunavit.* Et quamvis eleemosynarum subsidio vixerit, nihilominus & ipse quoque dedit eleemosynas sui œconomi Iscariotæ manu. Res liquet. In suprema cenâ Christus proditori Judæ dixerat: *Quod facis, fac citiùs.* Exceptâ voce hac, *Quidam putabant,* inquit Joannes, *quòd dixisset* Jesvs; *Eme ea, quæ opus sunt nobis ad diem festum, aut egenis ut aliquid daret.* Ergo solebat Christus è suo suorumque discipulorum ærariolo in egentes stipem conferre. Idcirco Cyprianus orationem jejunio & eleemosynâ destitutam rectè appellat sterilem & infecundam: *Inefficax,* inquit, *est petitio cùm precatur Deum sterilis oratio.*

Luc. cap. 6. vers. 12. Matth. cap. 4. vers. 2. Joan. cap. 13. vers. 27. & 29. Oratio sine jejunio & eleemosynis sterilis est & infecunda.

Sed est, qui dicat: Cùm Hebræus Daniel Nabuchodonosori Regi modum suggereret expiandorum scelerum, solius eleemosynæ mentionem faciens: *Peccata tua,* inquit, *eleemosynis redime, & iniquitates tuas misericordiis pauperum: forsitan ignoscet delictis tuis.* Respondemus: Quid enimverò Idololatræ studium orationis suaserit? Piacularem inediam inculcare regi, dura nimis concio. Ergo solas eleemosynas suâsit, sed & addidit: *Forsitan ignoscet:* Non usquequaque certum. *Inefficax petitio cùm precatur Deum sterilis oratio.*

Dan. cap. 4. v. 24.

Primitias olim Deus decimásque omnium frugum ab omnibus accuratione summâ exigens: *Decimas tuas,* inquit, *& primitias tuas non tardabis reddere. Tolle de cunctis frugibus tuis primitias.* Boni triplicis usumfructum concessit nobis Deus; Animi, Corporis, Facultatum, seu fortunarum. Par est omnino, ut è singulis bonis illis nos usufructuarii primitias & decimas demus, nisi usumfructum amittere velimus. Det igitur orationem Animus, abstinentiam Corpus, Arca facultates. Oratio bona est, bonum jejunium, eleemosyna bona, sed hæc invicem jungenda Domino, ut Esdras loquitur, *in holocaustum omnia.* Hoc autem censendum est verum holocaustum, cui de suo totus homo impendit, quod offerri possit: cùm ab animo preces, à Corpore Abstinentia, à crumenâ facultates in hujus holocausti pretium conferuntur. Hic omnium priscorum Patrum sensus fuit.

Exod. c. 22. v. 20. Deut. c. 26. v. 2. Boni triplicis usumfructum cõcessit nobis Deus, animi scilicet, corporis, & facultatum. Esdr. cap. 8. v. 35.

§. IV.

CYprianus, quem dixi, hac de re disertissimus: *Orantes,* inquit, *non infructuosis nec nudis precibus ad Deum veniant: inefficax petitio est, cùm precatur Deum sterilis oratio. Nam cùm omnis arbor non faciens fructum excidatur & in ignem mittatur, utique & sermo non habens fructum, promereri Deum non potest, qui nullâ est operatione fecundus. Et ideo scriptura divina instruit, dicens:* Bona est oratio cum jejunio, & eleemosynâ. *Nam qui in die judicii præmium redditurus est, hodie quoque orationem cum operatione adserentis benignus auditor est. Nam & Raphaël Angelus ostendit orationes nostras, & jejunia minùs posse, nisi eleemosynis adjuventur. Revelat Angelus, & manifestat, & firmat eleemosynis petitiones nostras efficaces fieri, eleemosynis vitam de periculis redimi, eleemosynis animas à morte liberari.* Tam eximiè, quàm succinctè dixit Augustinus: *Vis orationem tuam volare ad Deum? Fac illi duas alas, jejunium & elemosynam.* Beatus Leo ejusdem animi ac sententiæ: *Hæc,* ait, *triplex observantia omnium virtutum comprehendit effectus. In oratione permanet fides recta, in jejunio innocens vita, in eleemosynâ mens benignâ.* Bernardus de triplici petitione disserens: *In his ergo tribus,* inquit, *ut cordis petitiones sint, tria nobis sunt observanda. Nam & in primâ quidem superfluitas, & in secundâ impuritas, & elatio interdum surrepere solet in tertiâ. Nonnunquam enim temporalia quæri solent ad voluptatem, virtutes ad ostentationem; sed & vitam æternam fortassis nimis mihi aliqui non in humilitate quærunt, sed tanquam in fiduciâ suorum meritorum.* Ergo animi bona impetraveris? Da orationem & cave impuritatem, ne cor tuum curis sæculi gravetur. Corporis bona postulas? Da jejunium & abstinentiam, & cave superfluitatem, ne corpus delicias, otium, libidines, saliares mensas sectetur. Æternitatis præmium ambis & bona cælestia? Da elemosynas & cave injustitiam, è bonis tibi commodatis cælum eme. *Inefficax petitio, cùm precatur Deum sterilis oratio.*

Cyprian. lib. de oratione Dominicâ, & lib. de opere & eleemosynâ. Tob. cap. 12. v. 8. Aug. Enarr. in psal. 42. fine. Orationis duæ alæ. Leo serm. de jejun. sept. mensis. Bern. ser. 5. in Quadr. de triplici modo orationis pag. 150. Tria sunt observanda in petitionibus.

Paulus Apostolum cœpit agere ab oratione & jejunio, quod toto triduo continuavit. *Erat enim tribus diebus non videns, & non manducavit, neque bibit.* Loco omnium illi oratio fuit. *Ecce enim orat,* ait Dominus Ananiæ. Eleemosynas & pecunias collatitias Paulus epistolis sæpius commendat, & monet, ut eæ ordine animóque benevolo fiant.

Act. cap. 9. v. 9. Ibid. v. 11.

Sapuit profectò Rex Ninives, qui civibus universis ita juſſit edici: *Homines & jumenta, boves & pecora non guſtent quidquam nec paſcantur & aquam non bibant.* En jejunium. *Et clament ad Dominum in fortitudine.* En orationem. *Et convertatur vir à viâ ſuâ malâ, & ab iniquitate, quæ eſt in manibus eorum.* En eleemoſynas, quæ manuum iniquitates, avaritiam, & in pauperes duritiam emendant. *Jonæ cap. 3. v. 7 & 8.*

Vide Gazophilacium Chriſti. Sophron in Prato ſpirituali cap. 85. mihi p. 398.

In cœnobio Divi Theodoſii (quod explicatiùs alibi narramus, nec orationis, nec jejuniorum uſus, ſed eleemoſynarum largitas deſiderata eſt. Solebat quot annis die cenæ Dominicæ triticum & vinum in egenos liberaliùs diſtribui. Eo autem anno, quo agri maligniùs reſpondebant, ſtultâ providentiâ eleemoſynas illas cenſuit ſubtrahendas ſpecioſo hoc nomine, ne annona monaſterio deeſſet. Paullò pòſt quidquid in horreis condebatur tritici in frondem effuſum eſt. Ea jactura quinque mille modiis æſtimata. Hîc Abbas ſuis tam ſtolidè cautis in os objectans: Nimirum, ait, hoc lucri jam habemus. Eleemoſynæ pro more dandæ modios quingentos tritici haud exceſſiſſent: nunc iis negatis modiorum quinque millia perdidimus. Perbene factum. Has ſegetes metit fatua diffidentia.

Tit. cap. 2. v. 12. Sobrietas, Juſtitia, pietas quibus rebus nutriantur.

Ergo quoque ſedulò Paulus hortatur: *Sobriè, & juſtè, & piè vivamus in hoc ſeculo.* Sobrietas abſtinentiâ & jejuniis, juſtitia eleemoſynis, pietas orandi ſtudio nutritur. Quod Franciſcus Georgius Venetus pulchrè proſecutus: Cur oratio, inquit, cum eleemoſynâ, & jejunio (Raphaele teſte) Deo gratiſſima eſt? An quia, cùm oratio ſit (ut Damaſcenus inquit) elevatio mentis in Deum, tantò magis mens ipſa elevatur, quantò orans à gravaminibus expeditior exiſtit? Duo enim ſunt gravamina, quæ mortales valde deprimunt: oblectamentum carnis videlicet, & terrenorum affectus. Illud autem gravanti corpori animam ſubjicit, & hic fæcibus terræ ipſam animam ſuffocat. Hinc ab utroque expectus homo faciliùs ad Deum mente conſcendit. An quia, ſi oratio eleemoſynæ aſſocietur, operi charitatis Deo gratiſſimo conjungitur; & ſi jejunium addatur, quantò magis animalis homo per ipſum debilitatur, tantò magis ſpiritualis roboratur. His igitur, tanquam duabus alis, evolat oratio.

Duo gravamina mortales deprimentia: Oblectamentum carnis, & terrenorũ affectus.

Tob. cap. 12. v. 8. Ergo *bona eſt oratio cum jejunio & eleemoſynâ*; &, ut nemo neſciat quàm hoc bonum ſit, Angelus ſubjungit, *magis quàm theſauros auri recondere.* E cælo deſcendit hoc ſcitum. Non hoc Pythagoras aut Plato, non Auguſtinus, aut Chryſoſtomus, ſed Angelus dixit: Suas Deo decimas demus, & non tardemus. Si non orare ſolùm, ſed & impetrare cupimus, quod oramus, geminas orationi alas affigamus, Jejunium & Eleemoſynam. Orator ſobrius, juſtus & pius; orator optimus, potentiſſimus, victoriæ certus.

CAPVT XII.

Tobias uterque ad remunerandum liberali voluntate paratiſſimus.

IN eâ deliberatione, quam Tobias parens unà cum filio inſtituit, ut filii animum exploraret, ſententiam illius exquirens: *Quid poſſumus*, inquit, *dare viro iſti ſancto?* Cui filius: *Pater*, ait, *quam mercedem dabimus ei? aut quid dignum poterit eſſe ejus beneficiis? Me duxit & reduxit ſanum, pecuniam à Gabelo ipſe recepit, uxorem ipſe me habere fecit, & dæmonium ab eâ ipſe compeſcuit, gaudium parentibus ejus fecit, meipſum à devoratione piſcis eripuit, te quoque videre fecit lumen cæli & bonis omnibus per eum repleti ſumus. Quid illi ad hæc poterimus dignum dare? Et vocantes eum, pater ſcilicet & filius, tulerunt eum in partem, & rogare cœperunt, ut dignaretur dimidiam partem omnium, acceptam habere.* *Tob. cap. 12. v. 1. & ſeqq.*

Tobiæ liberalitas.

Si ævi noſtri ſordidos quorundam & illiberales mores conſiderem, fuiſſent, qui dixiſſent: Heus bone vir, eam tibi mercedem ſoluo, quâ tuam mihi operam conduxi. En illam ipſam; ampliorem, puto, non poſtulabis: utrimque pactis conventis ſtabimus. Qui lautiſſimus haberi voluiſſet, gracile auctarium adjiciens diviſſet: En honorariam ſtipem, philippeorum aſſem. Omne reliquum ſibi retinuiſſet. Ad has ſordes liberalitas Tobiæ neutiquam deſcendit. Paratiſſimi erant, tam pater, quàm filius, non dimidiam tantùm partem, ſed dare omnia, modò verecundiam accipientis non haberent repugnantem. Arbitrabantur, quidquid dediſſent, minus quàm promerita poſtularent, eſſe daturos. *Quid dignum poterit eſſe beneficiis ejus?* Eximia remunerandi voluntas, inſignis in bene merentem liberalitas. Hæc ſemper dives & abundans eſt; hæc dat etiam cùm non dat. Hîc explicandum quantæ divitiæ in unâ lateant voluntate; quid probitatis, ac ſanctitatis deſiderium, quanta ſit opulentia ſeriò velle probum eſſe.

Remunerandi voluntas ſignis inſigne merentem liberalis.

§. I.

AD virtutem & omnigenam probitatem aſſequendam, princeps ſubſidium eſt ſeriò velle accupere probum fieri, virtutem adipiſci. Ad honeſtiſſimum hoc deſiderium variis agimur impulſibus.

Hebræis olim Deus per Iſaiam: *Si quæritis*, ait, *quærite & convertimini, venite.* Si urbem ab hoſte defenſam vultis, hoc agite, ut ſeriò velitis, conſilium pacatum, auxilium opportunum non reſpuatis. Ita & Moſes: *Cumque*, ait, *quæſieris ibi Dominum Deum tuum, invenies eum; ſi tamen toto corde quæſieris, & tota tribulatione animæ tuæ.* Nimirum invenitur Deus à ſeriò quærentibus & cupientibus invenire. Virtutis acquirendæ pars prima, & ſanè præcipua, velle virtutem acquirere. Lucilium equitem Romanum Annæus Seneca hortabatur, & ad optima quæque formabat. Eò & illa ſpectat Annæi epiſtola: *Quid aliud, inquis, adhuc? Volo. In hoc plurimum eſt. Nam ſic quomodo principia totius operis dimidium occupare dicuntur, ita res animo conſtat: pars magna bonitatis eſt velle fieri bonum.* Vatis Venuſini ſapiens monitum eſt.

Dimidium facti, qui cœpit, habet. Sapere aude:
Incipe vivendi qui recte prorogat horam:
Ruſticus expectat, dum deſluat amnis,

Ergo velis & tanta ſapere: dimidium rei erit. Ergo fieri ſanctior velis, & optimum ſanctimoniæ fundamentum poſuiſti. Nec enim totum eſt poſitum, neque ſola voluntas ſufficit: ſed videndum, ut recta ea ſit, & firma. Actio enim recta non erit, niſi voluntas ſit recta; ſiquidem ab hac eſt actio. Rurſus voluntas non erit recta, niſi habitus animi rectus ſit; ab hoc enim eſt voluntas. Habitus porrò animi non erit ſine ſcientiâ. *Quemadmodum verò*, ait Seneca, *primum militiæ vinculum eſt religio, & ſignorum amor, & deſerendi nefas; tunc deinde facilecetera exiguntur, mandantúrque juſjurandum adactis: ita in his, quot velis ad beatam vitam perducere, prima fundamenta jacienda ſunt, & inſinuanda virtus; hanc ament, cum hac vivere velint, ſine hac nolint.* Sed hæc in divinis libris longè affirmatiùs traduntur, altiùs inſeruntur diſcenti. Liber Sapientiæ, amorem virtutis, deſiderium ſanctitatis efficaciſſimè commendat his verbis: *Initium ſapientiæ, veriſſima eſt diſciplinæ concupiſcentia; & inventur ab his, qui quærunt illam.*

Quando actio & voluntas ſit recta.

Sap. cap. 6. v. 13. & 18.

§. II.

SEd hîc in anteceſſum probè capiamus, Quid ſit ſeriò velle, quantúmque diſtet ab eo, quod in ſcholis *Volitionem* aut *Velleitatem* vocant, Torpidum velle. De leviter volente Salomon pronuntians: *Vult*, inquit, *& non vult piger.* Deſidioſis ſolenniſſimum eſt fortunas amplas, proſperos ſucceſſus, felicitates maximas deſiderare: ſed admoliri manum & ad illa adipiſcenda ſeriam navare operam horrent & refugiunt. Ita & volunt, quod deſiderant, & nolunt, non enim quidquam ultra inania

Prov. cap. 13. v. 4. Quomodo piger velit & non velit.

inania vota procedunt. Vult piger, quia impensissimè optat; & non vult, quia nullam industriam optatis applicat. Desidiosi votum est: Vellem esse doctus, dives, probus. Finem cupit, sed viam refugit, quâ pertingitur ad finem. Est, qui vellet ire Venetias, sed via homini pigro longa nimis videtur & operosa. Est, qui vellet nummos jam partos arcâ claudere, scientiam jam acquisitam ingenio complecti, sanctimoniam obtentam animo possidere. Mi bone, sed piger Christiane, vis opes? Ergo aut venum expone merces:

Impiger extremos curras mercator ad Indos
Per mare pauperiem fugiens, per saxa, per ignes.

Aut Galeni scholas frequenta: dat Galenus opes; aut certè principum servitiis para salarium. Hàc ad opes itur. Via, inquis, laboriosa, fatigari nolo. Ergo vis & non vis. Eruditionem ambis & honorem? Ludus litterarius est subeundus, excipienda ferula, voluendi libri, discendæ litteræ, idque septem aut octo annis, dum ex inferioribus paullulum emergas. Ubi ferulæ manum subduxeris, in Lycea & Academias proficiscendum, ubi etiam anni complures exigendi, dum philosophiam haurias, dum aut Jurisprudentiæ, aut Medicinæ, aut Theologiæ exactiorem scientiam adjungas. Hos labores refugis? hos sumptus metuis? Ergo eruditus esse cupis, sed modum, quo comparanda est eruditio, rejicis: finem quæris, sed ea, quæ ducunt ad finem, spernis. Ergo vis & non vis. Sed scias eruditionem minoris non vendi. Aut eme tanti, aut illiteratus asinus abi. Sine labore nihil felix, à Sophocle sapienter dictum.

Pari modo vis esse sanctus & probus, virtutis cultor? Finis optimus: ea igitur, quæ ad finem hunc ducunt, sectare. Virtutis studiosus sustinere, & abstinere, ante omnia os & linguam frenare, gulam substringere, sibimet, suisque cupiditatibus imperare, animum frangere discat; crebriùs precari, inediam tolerare, egentibus benignè facere. His gradibus ad virtutem ascenditur. Tu autem iter arduum fortassis horres, nec sudare, nec algere sustines? Hoc prorsus est velle, & non velle, finem quærere, veram ad finem viam declinare. Ergo apage ignavum pecus. Romam non pervenies, si Romam proficisci nolis, Pegasorum alis eò non deportaberis. Eò ire licet aut equo, aut rhedâ, aut pedibus; volare non licet. In editam virtutis rupem licet evadere, sed per ardua eluctandum est. Hic ascensûs emitur sudore. Sudare non vis? ergo ascendere non vis. Hic revera vulgatissimus est error; à nobis ipsis persuademur nos velle, cùm nolle totis viribus obsistat. Sed hoc ipsum explicatiùs tradamus.

§. III.

PLurimi sunt ejusmodi Volones frigidissimi. Est, qui secum ipse dicat: Quàm meæ valetudini conduceret, si poculis valedicerem, si ebrietatem omnem caverem. Sobrietatem iste cupit, sed sobrietatis imperium spernit, ubi ubi symposiolum, popinationem, convivium vultur iste olfacit, mox advolat, & glutit; placet, quod sapit. Sobrietatem iste vult & non vult. Est, qui ipse sibi dicat: Quàm decorum esset, & verò etiam necessarium castiores mores induere, pudicitiam sanctiùs habere, leges divinas non violare? Occasiones interim nullas fugit, oculos non continet, genium re nullâ fraudat, cupiditatibus nihil imperat. Hîc certè castitatem seriò non amat. Vult esse castus & non vult. Haud aliter iracundus mansuetudinem laudat, & eâ præditus esse desiderat; sed mansuetudinis leges observare recusat, sibi ipse in omnibus assentitur, habenas bili laxat, adversus tam improbum affectum vi nullâ utitur. Vult esse mansuetus & non vult. Hi tales non sunt absimiles ei, qui sub fecundâ cerasô ore stat hianti, quàm vellet cerasis vesci! sed cerasum ascendere, aut brachia paullò laboriosiùs in altum mittere non vult. Maturos fructus cuperet in os defluere. Ita illi omnes pigerrimi Volones nucleum volunt, nucem nolunt frangere. Hoc sanè non est seriò velle. Hæc Voluntas, seu Velleitas adeò non seria, non robusta, inferos non claudit, cælum non reserat. Hinc vetus & verum verbum: *Cælum bonis operibus, gehenna bonis desideriis est plena.* Quod asseverans Salomon: *Desideria*, inquit, *occidunt pigrum, noluerunt enim quidquam manus ejus operari.* Prov. c. 21. v. 25.

Ore Salustii perorans Cato. *Non votis*, inquit, *neque suppliciis muliebribus auxilia Deorum parantur: vigilando, agendo, bene consulendo prosperè omnia cedunt. Vbi socordiæ te, atque ignaviæ tradideris, ne quidquam Deos implores; irati infestiq; sunt.* Tam ignavas preces & vota somni plena sic irridet Maro:

——— alitur vitium, vivitq; tegendo;
Dum medicas adhibere manus ad vulnera pastor
Abnegat, & melior Deos sedet omnia poscens.

Virg. lib. 3. Georg. post med.

Hoc *Velle* tam lentum ac frigidum parum facit ad virtutis studium. Idcirco suam quisque conscientiam interroget: Num serius & animo cupis virtutem, & mores repræsentare emendatiores? Hoc verè totóque animo Velle ad Virtutem assequendam plurimùm conducit. Huc spectant consolatoria dicta psalmographi: *Animam esurientem satiavit bonis:* Et beati Lucæ. *Esurientes implevit bonis.* Et ipsius Christi: *Si quis sitit, veniat ad me, & bibat.* Jam satur aut ebrius si potum poscat, non sitire judicatur, nec facilè quod poscit, impetrat, ita desideriis languentibus non obtinetur Virtus.

Velle frigidum parum facit ad virtutis studium. Ps. 106. v. 9. Luc. cap. 1. v. 53. Ioan. cap. 6. v. 37.

Verè ac seriò Velle est acquirere. Quod Lactantius Firmianus adstruens: *Quid est*, inquit, *virtutem colere, nisi eam animo comprehendere? quod unusquisque simul ac cœpit velle, assequitur.* Thomam Aquinatem soror germana interrogans: Quâ ratione, mi Pater, inquiebat, salvari possum? Continuò vir sanctus respondit: Si volueris, salvaberis. In eo res vertitur; hic causæ cardo est. Si volueris, mi homo, proficies; si volueris esse sobrius, castus mansuetus, eris. *Si volueritis*, ait Isaias, *bona terræ comedetis.* Si desit facultas, remuneratur voluntas. Augustini pronuntiatum est: *Non attendit Deus facultatem, sed voluntatem; sed cupiditatem. Coronat Deus intus voluntatem, si non invenit facultatem.* In rebus omnibus, ut philosophi docent, præsertim moralibus amor, ac desiderium finis, est causa prima, quæ alias omnes ad agendum movet, ita quidem ut quò majus est desiderium finis, major etiam sit industria illius obtinendi. Hinc languente desiderio cadit virtutis assequendæ conatus.

Seriò velle est acquirere. Lactant. lib. 5. divin. Instit. cap. 20. Hist. Præd. part 1. lib. 3. c. 17. Isa. cap. 1. v. 19. Aug. tom. 8. in psal. 131. fine, mihi pag. 629. Amor ac desiderium finis, est causa prima in rebus moralibus.

Quàm promptus, paratus fuit Rex David templum ædificare Domino! Hæc voluntas tam fuit robusta, simul & opulenta, ac si revera templum ædificasset. Nec dilatum est præmium. Mox enim Nathan divinæ liberalitatis interpres: *Domum*, inquit, *ædificabo tibi, regnum tuum usque in æternum ante faciem tuam, & thronus tuus erit firmus jugiter.* 2. Reg. c. 7. v. 16. & 27.

§. IV.

SEriò velle sanctiorem fieri, res maximi est promeriti. Nam quemadmodum Christus cupiditatem pravam, velut ipsam actionem flagitiosam puniturus pronuntiat, *Omnis, qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo*: Ita sancta proficiendi desideria, velut ipsa virtutis opera remuneraturus laudat: *Ego sitienti dabo de fonte aquæ vivæ gratis.* Ita & Paulus: *Qui volunt*, inquit, *divites fieri, incidunt in tentationem & in laqueum diaboli.* Hîc Augustinus: *Cupiditates*, ait, *non facultates accusat.* Ita prorsus, qui plurimum stipis erogare, plurima pro Christo tolerare, multos ad Christi disciplinam, aut ad meliorem vitam adducere ardenter desiderat, nec potest, facti præmium recipiet: ita, qui modestiæ, submissionis, patientiæ, temperantiæ virtutem seriis conatibus sectatur, jam assecutus censebitur. Abrahamus filium Isaacum non jugulavit in vi-

Seriò sanctiorem velle fieri, res est maximi promeriti. Matth. c. 5. v. 28. Apoc. c. 21. v. 6. 1. Tim. c. 6. v. 9. Aug. lib. 50. homil. hom. 13.

ctimam, sed jugulare voluit. Hîc etiam voluisse sat fuit. Coronavit Deus voluntatem, ubi justio abstulit facultatem.

Petierat à Deo Daniel Hebræi populi libertatem è servitiis Babylonicis. Mox Gabriel Archangelus responsum deferens: *Exaudita sunt*, inquit, *verba tua*. Ratione hac adjunctâ: *Quia vir desideriorum es*. Hoc Danieli è cælo sæpius nuntiatum: *Noli timere, vir desideriorum, Pax tibi*. Nimirum toto pectore sinceriscque studiis adniti & cupere Deo placere, servire, Dei voluntatem exequi, res summi meriti est. Pati modo ex animo velle alios juvare, stipem plurimam erogare, sibimet acriter imperare, cupiditates pravas frangere, inediâ corpus macerare, inquilinum, familiare vitium superare, quàm creberrimè orare, virtutibúsque ceteris graviter studere, licet non sint adeò in expedito posita, nihilominus coronabit Deus voluntatem, ubi conjunctam non invenerit facultatem.

Dan. c. 10. v. 12. *Idem cap. 9. v. 23.* *Idem c. 10. v. 19.*

Tobias obsequia sui comitis, si conventa pacta spectamus rex florenis exsolvere potuisset, nec amplius quidquam debuisset: at ille liberalissimâ voluntate, ultra sex millia florenorum, quod infrà demonstrabimus, obtulit. Hanc proinissimam largiendi voluntatem pro facultate Deus coronavit. Dimidiam allatorum partem expendere Tobias paratissimus fuit, sed nec assem expendit, adeò hæc tam dives & liberalis voluntas Deo placuit.

Gertrudi sanctæ virgini fertur dixisse Christus: Latus meum semper est apertum donis ac gratiis plenum, quicunque vult haurire, potest, modò aureum applicet siphunculum, bonam voluntatem. Hac fistulâ è divino pectore diversa dona trahimus, hac sugimus salutem. Quisquis hoc probè capit, sæpius de die hunc syphonem suum admovet, spiritum Christi attrahit, & eruditâ jam siti gratias bibit. Quàm juvat hîc castis sanctisque desideriis, ardenti Deo serviendi voluntate, ac cupiditate inexplebili totos Mundos, mille Orbes implere, ad meliora semper tendere, jugiter velle proficere. Quisquis es, si volueris, salvaberis: si volueris, & hoc vitium expugnare, & virtutem hanc adispisci, & hosti tuo ignoscere, & quod vetitum vitare poteris. Quin igitur pro se quisque dixerit vel uno die centies, vel millies. Volo, Domine, volo: Fac veks, & eris, quod esse volueris.

Bona voluntas attrahit è latere Christi dona & gratias.

CAPVT XIII.

Tobias uterque cum Deo familiarissimus.

A Deo pẽdere filium & nepotes Tobias senior docet.

NOn satis fuerat Tobiæ patri familiarissimè cum Deo agere, à Deo totum pendere, sed hos insuper affectus optimos, in suos posteros, in nepotes, & pronepotes studuit propagare. Hinc cohortationes illæ pietatis plenissimæ: *Audite filii mei patrem vestrum: servite Domino in veritate, & inquirite, ut faciatis, quæ placita sunt illi: & filiis vestris mandate, ut faciant justitias & eleemosynas, ut sint memores Dei, & Benedicant eum in omni tempore, in veritate, & in totâ virtute suâ.* Hæc Tobias senex filio & septem adolescentibus suis nepotibus unicè commendarat. Hinc discere licet, quibus Tobias affectibus, quàm calidis Deum complectus, quàm arcanâ cum Deo familiaritate sit usus. Tobiam assiduè memorem suprà sub aspectum dedimus. Ex istâ porrò assiduâ Dei memoriâ, familiaritas cum Deo suavissima enascitur. Hanc ipsam cum Deo intimam familiaritatem hoc capite pertractabimus.

Tob. cap. 14. v. 10. & 11.

§. I.

Quomodo in hac vitâ possit esse assidua Dei memoria.

QVæstio sit, an esse possit jugis & assidua Dei memoria, in hac turbatione vitæ. Sunt enim, qui dicant: Occupationibus variis implicamur, negotiorum pleni sumus; hàc illàc trahimur, cogitationes sparsas huc illuc volvimus, inquietum animum per omnia versamus, vel cibi ac mensæ oblivisceremur, nisi fames moneret. Quâ igitur ratione jugiter Dei meminisse possimus? Possumus, mi Christiane, possumus, modò velimus. Nec enim Deus id à nobis exigeret, si humanam facultatem excederet. Hoc Abrahamo scimus imperatum: *Ambula coram me & esto perfectus.* Hoc age, tuos in me oculos defige; nunquam non præsens sim tuis obtibus. Par est, ut famulus fidelis hoc suo Domino præstet obsequii. Servientis oculi sint in manu operantis, & ad omnem nutum attendant. Hoc jussus est facere Abrahamus. Atqui hoc omnino est Dei assiduè meminisse. Rex David hoc unicè summis religionibus observans: *Providebam*, inquit, *Dominum in conspectu meo semper.* Non exigit à nobis Deus, quod fieri non possit. Hoc quidem non die uno, nec hebdomade aut mense, forsan nec anno uno ad usum facilem perduci potest; Assuetudo constans hæc talia leni progressu docet. Volenti hoc facillimum, quia solatii refertissimum. Sapientiâ teste, *Non habet amaritudinem conversatio illius, nec tedium convictus illius, sed lætitiam & gaudium.* Inter amicissimos aliàs litigii aut fastidii aliquid facillimè obrepit. Assiduè Dei meminisse, omnia cum Deo peragere, merum mel ab omni amarore defecatum. Atque per hanc Dei memoriam assiduam, & orationem quàm frequentissimam aditus patet ad conflandam cum Deo familiaritatem arctissimam.

v. 12. *Gen. c. 17. v. 1.* *Psal. 15. v. 8.* *Sap. cap. 8. v. 16.*

Dei memoriâ & oratione familiaritatem insinuat.

Nobilissima hujus rei idea Moses, quem Deus faventissimo testimonio commendans: *At non talis*, inquit, Moses. *servus meus Moses, qui in omni domo meâ fidelissimus est; ore enim ad os loquor ei. Quare ergò non timuistis detrahere servo meo Mosi?* Sciverat is illum tantâ apud me gratiâ pollere, nihilominus dentes in eum stringere non est is reveriti: Ego hunc virum mihi charissimum amicitiæ jure tueor. Hoc Moses obtinuit mansuetudine incredibili, & oratione jugi, coties locutus cum Deo. Hæc modus est; ita nos in familiaritatem Dei insinuamus.

Num. c. 12. v. 7. & 8.

Samuel etiámnum adolescens ad Dei tamen familiaritatem admissus est. Heli Sacerdotem omittens & inhonoratum transiens Deus, Samuelem ter unâ nocte accersiit, familiarissimè cum Deo locuturus. Neque verò Samuel ad familiaritatem istam segniter sese applicans: *Loquere Domine*, ait, *quia audit servus tuus.* Hîc imperia Deus prolixiora dictans, ad Heli omnia suo nomine fideliter perferri jussit. Pertulit Samuel fideli obsequio.

Samuel

1. Reg. 3. vers. 4. & seqq. vers. 9.

Tobias cum Deo familiarissimus fuerit necesse est, quando talem à Deo accepit è cælo tabellarium, qui non sermonis tantùm sed & itineris iniit commercium, qui humano ritu comedere, bibere, dormire, ambulare, equitare, carpento vehi, navigare; qui pecuniæ, matrimonii, medicinæ, omnis generis negotia tractare visus est per complures hebdomades. Nil simile nec vetus, nec nova lex in annales misit. Tobias utique, perinde ut Moses, in omni domo Dei fidelissimus fuit. Quàm autem illa Tobiæ senioris ad virtutem valida cohortatio: *Servite Domino in veritate, & inquirite, ut faciatis, quæ ei placita sunt semper.* Sincero animo serviri vult Deo, & summâ curâ indagari, ne quid fiat, quod Deo displiceat, cùm vitæ nostræ lex unica sit, Deo in omnibus placere cupere. Addit: *Filiis vestris mandate ut faciant justitias & eleemosynas; ut sint memores Dei, & benedicant eum in omni tempore, & in veritate, & in totâ virtute suâ.* Ad auream justitiæ libellam cum omnibus vult agi. Neque hoc tantùm, sed & egenis debitum, quod justitiæ pars est, jubet persolvi. Neque solùm continuam Dei memoriam, sed & Dei orationes ac Dei laudes exigens continuas: *Benedicant eum*, inquit, *in omni tempore.* Neque hoc oscitanter, aut perfunctoriè, sed *in veritate, & in totâ virtute suâ*: summo studio, nervis omnibus, ac facultatibus, omnibus opi-

Tobias senioris virtutem cohortatio.

Tob. cap. 14. v. 10.

bus opibus, viribúsque, totâ mente, omni cogitatione & curâ, contentione maximâ. Hic Tobiæ sensus fuit de obsequiis Deo præstandis, quæ, si ardens adsit constantia, è servo non difficulter faciunt amicum.

David. Psalm.131. 1.

Rex David quàm familiari ac dulci confidentiâ dixit: *Memento Domine David, & omnis mansuetudinis ejus.* Fruar, obsecro mansuetis moribus tibi amicissimo, ni fallor, probatis. Subitò in angustiis deprehensus exclamat, & suppetias ab amicorum familiarissimo flagitat: *Apprehende arma & scutum, & exurge in adjutorium mihi. Effunde frameam, & conclude adversus eos, qui persequuntur me: dic animæ meæ: Salus tua ego sum.* Hæc amicorum sunt mutuas inter se operas communicantium.

Psalm 34. v. 2. & 3.

Ananias. Act. c. 9. v. 13. & 14.

Ananias Pauli Magister Christo familiarissimus fuisse credendus est. Cùm enim Christus legationem ei demandaret ad Saulum Tarsensem, Ananias grandi prorsus, & perquam familiari fiduciâ: *Domine*, ait, *audivi à multis de viro hoc, quanta mala fecerit Sanctis tuis in Hierusalem. Et hic habet potestatem à principibus Sacerdotum alligandi omnes, qui invocant nomen tuum.* Tergiversatur suaviter legationem hanc obire, & amicam adfert excusationem. Sed non minus amicè Christus: *Vade*, inquit, *vas electionis est mihi iste.*

Psal. 115. v. 16.

§. II.

Familiaritas cum Deo maximi momenti.

Atque hæc cum Deo familiaritas summi est momenti, fructúsque nobilissimus, quem parit assidua Dei recordatio. Nihil beatius in hoc Orbe tali amicitiâ, cùm duo inter se adeò peramanter, candidè, sincerè, fideliter, loquuntur, velut unus aliquis secum ipse: Judicio Sitacidæ: *Fideli amico nulla est comparatio, & non est digna ponderatio auri & argenti contra bonitatem fidei illius.* Deus verissimè talis est amicus. Inter homines id rarissimum, vix ullis exemplis commonstrandum. Sed dictis addit Siracides: *Amicus fidelis, protectio fortis, qui invenit illum, invenit thesaurum. Amicus fidelis medicamentum vitæ & immortalitatis.* Nimirum illud Euripidis decantatissimum:

Eccli. cap. 6. v. 15.

Amicus in malis amico est gratior
Quàm navigantibus serenitas maris.

Omnibus thesauris pretiosior thesaurus amicus prudens & benevolus.

Omnibus thesauris pretiosior thesaurus, benevolus & prudens amicus. Quod Darius Rex Persarum ad Histiæum scripsit. Hinc Socrates rectè solebat dicere. Vero & bono amico pretiosiorem nullam esse possessionem, nec aliunde plus fructûs & voluptatis capi: itaque præposterè illos facere, qui gravius ferant dispendium pecuniæ, quàm jacturam amicitiæ, quique beneficium clamentperditum, quo sibi conciliarint amicum quovis lucro potiorem. Quem autem, mi Christiane, amicum tibi eliges, qui sapientior, qui magis benevolus, qui fidelior sit Deo, aut Domino Jesv Dei filio? Amor à Romanis pingebatur juvenis, nunquam enim senescit amor: veste lacerâ; cùm enim omnia largiatur aliis, ipse pauper efficitur: in vestis limbo scriptum erat *Vita & Mors*: in fronte, *Hieme & Æstate.* Apertum & nudum præferebat latus: in ipso hæc legebantur verba, *Et longè, & propè.* Hæc Christo ex asse conveniunt. Immortalis Christi vita senii est expers. Adeò autem liberaliter Christus omnia largiebatur aliis, ut ipsæ vestes illius sub cruce sint divisæ. In manu Christi vita & mors. Amicorum integerrimus, fidelissimus est Christus, hieme, æstate, omni tempore. Pectus gerit patulum in cruce lanceâ reseratum. Et longè, & propè Christus est; Longè deferentibus se, propè diligentibus se. Uti, quod Ambrosius dixit, *dormit tepidis, vigilat perfectis.* Ergo *apparuit benignitas & humanitas Salvatoris nostri Dei.* Phrasi Græcâ: Apparuit amor hominum. Verissimè Christus non tantùm homines amans, sed amor hominum, qui amicitiâ humanâ plurimùm delectatur.

Quæ de amore à Romanis picta sunt, hæc Christo conveniunt.

Ambr. lib. 4. in cap. 1. Luc. à propè fin.

Tit. cap. 3. v. 4.

Quid arcanum Deo familiaritas.

Hîc quærat nonnemo: Quid est arcana hæc cum Christo, cum Deo familiaritas? Est amor benevolentissimus utrimque cognitus. Explico. Est qui corde sincero ac perfecto quàm potest fidelissimè Deo serviat, & cui servit, quàm integerrimè in omnibus fidat. Hunc talem hominem Dei Potentia, Bonitas, Misericordia, Providentia, Justitia, Sapientia mirificè delectant. Huic ex æquo summè placent omnia Dei decreta, leges, præcepta, constituta; illi omnis Dei tam nutus, quàm permissus gaudio est. Hic animum gerit Deo tam devotum, ut mille orbes, mille capita, millies vitam & fortunas omnes pro Deo relinquere paratissimus sit. Hinc illud medullitus & ex animo sæpius pronuntia: *Deus meus, & omnia.* Hunc certè amorem sui Deus novit, qui novit omnia. Ergo amor ille, quem dixi, benevolentissimus jam unâ parte notus est. Sed & parte alterâ sic innotescit. Ille ipse homo beneficiorum divinorum non immemor: Ea, inquit, beneficia in me congessit Deus, tam potenter & suaviter suâ me hactenus providentiâ duxit, ut signorum satis & argumentorum habeam me denique cælo recipiendum, Dei aspectu, summâ beatitudine donandum. Hinc illæ prorumpunt voces: O amantissime Deus, tibi nihil, quod à me petas, negare possum. Dic nutu, & impetrasti. *Paratum cor meum Deus, paratum*, paratissimum, *Domine, quid me vis facere?* Hinc in homine illo novum & mirabile lumen oritur. Cui augendo psaltes invitans: *Accedite*, inquit, *ad eum & illuminamini.* Ita prorsus, ita ille quem dixi, inter Deum & hominem amor benevolentissimus utrimque fit cognitus. Hinc arcana, & contra mel omne suavis illa cum Deo familiaritas contrahitur. Cogitari hoc rectiùs, quàm dici potest. Nec contemptorem habet ullum, nisi talia non expertum. *Gustate, & videte, quoniam suavis est Dominus.* In hujus multò suaviissimæ familiaritatis notitiam sola ducit experientia.

Psal. 56. v. 8. Act. cap. 9. v. 6. Psal. 33. v. 6. Ibid. v. 9.

Familiaritas cum Deo non parit contemptum.

Sed plebeium illud hîc objeceris: Familiaritas parit contemptum. Hîc neutiquam. Absit metus. Quò quis meliùs Deum, hoc meliùs novit & seipsum. Hinc excitatior in Deum amor, reverentia submissior: hinc major sui despicientia, virtutum omnium caput. Deinde famulus licet hero commendatissimus, non ei tamen ad lubitum, quavis horâ, ad colloquium cum hero ineundum, in conclave licet erumpere. Humani mores hoc non ferunt. At verò cum Deo cujusvis horulæ parte decies ac sæpius, monentis omnibus, & quotiescunque demum lubet, licet colloqui. Ut amici, ac familiares, ut domestici benevolentissimè admittimur. In hanc fiduciam Paulus nos animans: *Iam*, inquit, *non estis hospites & advenæ, sed estis cives Sanctorum, & domestici Dei.* Oculi Domini super omnes quidem mortales, sed quod psaltes regius dixit, *Oculi Domini super justos.* In familiares & amicos singulariter tendunt hi oculi amoris & benevolentiæ pleni. *Vultus autem Domini super facientes mala:* Vultus terribilis & minarum plenus.

Ephes. c. 2. v. 19. Psal. 33. v. 16. Ibid. v. 17.

§. III.

Triplici modo potest contrahi familiaritas cum Deo.

Sed quæras, quibus modis, quo aditu hæc cum Deo familiaritas possit contrahi? Ajo, triplici: Orationis assiduitate, Voluntatis concordiâ, Rerum omnium communicatione. Primum oratio. Ea autem *Orationis assiduitas* hîc requiritur, ut de die quàm sæpissimè oremus, imò nunquam à Deo amoveamus oculos, qui sub ipsis negotiis identidem meliore aliquo affectu sunt erigendi. Quâ in re plurimùm juverit, vel duas solùm voculas (Domine Jesv) continuis, piisque motibus ore aut corde volvere. Exemplum hujus nobilissimum Tobias, qui *memor fuit Domini in toto corde suo.* Hæc assidua Dei memoria, oratione quàm creberrimâ sed brevi, facilè conservatur, ut follibus prunas iterum, ac iterum, iterúmque animamus ad vitam igneam, ita Deum sæpius cogitando, frequentiùs invocando animum restauramus ad jugem Dei memoriam. Huc ea potissimùm spectant Apostolorum & Christi monita: *Quoniam oportet*

1. Oratio.

Tob. cap. 1. v. 13.

Luc. cap. 18. v. 1.

1. Thess. c. 5. v. 6. Iac. cap. 5. v. 16. *oportet semper orare, & non deficere. Sine intermissione orate. Multum valet deprecatio justi assidua.* Hinc tot ac tanti è Dei familiaribus totas horas, totas dies, totas noctes pervigilarunt orando; totam alii vitam inter preces & colloquia cum Deo exegerunt. Fuerunt, qui septies interdiu orationem repeterent; alii de die centies; fuerunt, qui centies vel ipsâ nocte precationem restaurarent; alii etiam trecentiens in preces effusi Deum venerabantur. Maria Oegniacensis *a* die uno centies supplicare Numini, trecentis plagis corpus lacerare, pane atro famem vexare potiùs, quàm extinguere solebat. *b* Orationis assiduitas vel geminis solùm voculis *c* continuata jucundissimam cum Deo familiaritatem conflat.

a *Alii Doignies, vel Ognies.* b *De hac Surius, alii die 23. Iunii.* c *Domine* JESV.

2. Voluntatis concordia.

Alterum, *Voluntatis concordia*. Idem velle ac nolle amicorum est proprium. Mirificè solatur & roborat hæc una atque unica cogitatio. Errare non possum, si semper velim semperque nolim, quod vult & non vult Deus. Et quamvis id nesciam, modò hoc intendam: Volo, quod vult Deus, quod Deus non vult, æquè nolo. Hæc humanæ cum divinâ voluntate concordia, nullis erroribus est obnoxia, aut ipsos errores, si qui interveniant, reddit fructuosos. Christi Domini Mater, Virgo beatissima suam divinæ Voluntati ita subjunxerat, ut si nullus uspiam mortalium commodare operam voluisset filio in crucem agendo, suas ipsa manus, Deo ita volente, admovisset, & suum mater ipsa filium fixisset cruci. Adeò suam attemperaverat divinæ Voluntati. Eruditè dixit Aristoteles: *Concordia simile quid esse videtur amicitiæ*. Ubi ergo hæc, quam diximus, animorum ac voluntatum concordia, illic & amicitia.

Aristot. parte 3. lib. 8. moral. Nicomach. cap. 1.

3. Rerum omnium communicatio.

Tertium, *Rerum omnium communicatio*: hæc docet de agendis & omittendis cum Deo sermonem priùs conferre, & cum Deo transigere omnia, suas illi necessitates omnes, non ut ignaro, sed ut amicorum fidelissimo detegere, & opem poscere. Ita vicissim Deus non rarò cum suis familiaribus agens: *Num celare*, ait, *potero Abraham, quæ gesturus sum?* Perinde si dixisset: Ea mihi cum Abrahamo amicitia est, tantâ inter nos consuetudine conjuncti sumus, ut non possim, quin illi aperiam consilium meum de Sodomâ & Gomorrhâ delendis. Ita quilibet, qui Deo familiaris esse cupit, secum ipse statuat. Deum de re nullâ, nec de intimis quidem & arcanissimis cogitationibus, aut cogitationum umbris celare possum. Quid facturus, imò quid cogitaturus sim per omnem vitam, ab omni æternitate novit; sed ea sibi vult exponi, ut inter nos sit non sermonis tantùm, sed rerum omnium familiarissima communicatio. De his Dei familiaribus Sapientia: *Participes facti sunt*, ait, *amicitiæ Dei. Et in amicitiâ illius delectatio bona. Qui autem*, ait, Paulus, *adhæret Domino, unus spiritus est.* Ut igitur in divinam familiaritatem sese insinuet homo, triplex ei accessus patet. Orationis assiduitas, Voluntatis concordia, Rerum omnium communicatio. Amici Numini, si esse volumus, sumus. Ab Augustini calamo hoc scitum est: *Amicus Dei, si voluero, ecce nunc fio.*

Gen. cap. 18. v. 17.

Sap. cap. 7. v. 14. & c. 8. v. 18. 1. Cor. c. 6. v. 17.

Aug. lib. 8. Confess. c. 6. num. 6 post med.

CAPVT XIV.

Tobias utrique hostis peccati maximus.

Ps. 10. v. 5. QVàm verè canit psaltes regius: *Qui diligit iniquitatem, odit animam suam.* Idem Angelus in ædibus Tobiæ pronuntiat: *Qui faciunt peccatum & iniquitatem, hostes sunt animæ suæ.* Qui meditatur & secum agitat, ut peccet; qui modos excogitat, quibus malignè cogitata mandet operi, hoc agit, pugionem acuit, quo animum suum perimat. Qui hominem verberat, vulnerat, occidit, id judice magistratu vel ære luit, vel pelle; qui verò animum suum ita lædit, ut æternùm curari non possit; qui eum ita occidit, ut inter mortuos reviviscere, nil ei profuturum sit ad vitam; qui animum gravissimè sau-

Tob. cap. 12. v. 10.

A cium ad inferos præcipitat, & in flammis sepelit, hostis est animæ suæ capitalissimus. Nullus hominum, sed nec diabolorum ullus ei animæ ita nocere potest, atque is ipse, cujus est anima.

Ideo Tobias pater id filio documenti dedit: *Cave, ne aliquando peccato consentias.* Non tantùm nullum committas, sed nec committere in animum inducas. Qui faciunt peccatum, hostes sunt, carnifices, latrones sunt animæ suæ. Duo maximè spectat latro, ut spoliet, ut jugulet. Hoc quivis facit, qui gravius delinquit; Animam suam & spoliat & jugulat. Quod isthoc capite differendum.

Tob. cap. 4. v. 6.

Peccati duo momenta.

§. I.

1. Peccatum omni bono animam spoliat.

QVi peccat, animam suam spoliat. Anima divinæ gratiæ non expers velut Attalicâ veste induta, & gemmis ornata nitet. Hanc uestem, hæc ornamenta diripit, qui mortiferè delinquit, animam omni gratiâ divinâ exuit, omnia prioris temporis promerita perdit. Nam etsi annis priùs quinquaginta solo pane, modico & fonte tolerasset vitam, inedîâ quotidianâ emaciatus, etsi nudos lumbos ferreo strinxisset cingulo, etsi bis quotidie corpus flagris cecidisset, etsi omnes facultates suas in pauperum alimoniam erogasset, etsi diebus singulis, flexis genibus orando septem horas consumpsisset, aut adeóque ad omnem sese virtutem exercuisset, & promeritorum collegisset plurimum, jam id omne tot annis collectum, unico peccato perditum, omnis gratia Dei, amor omnis extinctus. Dei professus hostis est. O *utinam* ergo *saperent, & intelligerent*, quid mali sit gratiâ divinâ spoliari, Dei hostem esse. Quòd si homo divinâ gratiâ spoliatus annos sibi quinquaginta alios sumat, & eadem illa jejunia, rigoresque ceteros vitæ repetat, nil gratiæ obsequii exhibebit Deo, nihil cælestis gaudii emerebitur, dum animæ suæ latro, dum Dei hostis est. Dein commisso peccato vel unico plerunque impetus & furor peccandi non sistitur, ad alia atque alia & graviora proceditur: qui semel ausus est libidinosis cogitationibus assentiri, sæpius audebit; ebrietas semel admissa sæpius admittetur; furtum primum gradus est ad alterum; adulterium semel patratum ad plura provocabit. Felis gustatâ semel aruinâ crebriùs redibit. Ira Rex David adulterii scelere susceptо, mox in homicidii flagitium incidit. Hoc nimirum est peccata nectere peccatis, & catenam texere: unum alteri viam pandit. Quem diabolus semel sui juris & mancupi fecit, ex uno in aliud crimen facillimè propellit. Hinc non miremur tam fœdas à bonis moribus, ab avitâ pietate ac priscâ religione defectiones, tam crebra è religiosis familiis transfugia, tam execrabiles à Christo ad Satanam transitiones. Quisquis venenatam vitiorum dulcedinem semel gustaverit, ad eandem frequentiùs lingendam revertetur; qui animam in miserabilem hunc casum vel semel dedit, sæpius dabit: audacia successu primo roboratur. Amicis Christi gratulatus psaltes: *Ibunt*, inquit, *de virtute in virtutem.* Sic animæ suæ latrones & Dei hostes de vitio eunt in vitium: Neque id quisquam miretur: In letale crimen prolapsus fit infirmissimus, & promptissimus ad lapsum alterum; jam scilicet omni gratiâ Dei exutus. Hîc summa ad peccandum proclivitas est. Et qui per se cecidit, per se nequit resurgere, nisi Deus singulari excitante, ut vocant, ac præveniente gratiâ dextram porrigat dejecto. Peccatum omni bono spoliat.

Omnis virtus jejuniis & flagris pauca unico peccato perit.

Commisso uno peccato sæpe alia graviora proceditur.

Deut. c. 32. v. 29.

Psalm.

§. II.

HIc talis homo, quem diximus, Dei gratiâ spoliatus longè miserrimus est: nec enim rerum creatarum ulla, nec ullum animal esse potest tam detestabile: infra canem, porcum, felem, serpentem est. Nam animantes illæ unam naturæ mortem debent, huic geminata mors decreta est; prima brevis, immortalis altera;

Homo Dei gratiâ spoliatus est miserrimus:

nec

nec infelix ullum ab hac morte securum habet momentum; singulis horæ partibus ad inferorum fauces obambulat, & ignorat quo puncto temporis eò abripiendus sit. Quis enim novit, an somno, an conflictu, an subito lapsu, an temulentiâ, an defluxione repentinâ obrutus ad judicem, à judice ad supplicium trahatur sempiternum. Æternùm periit, qui è vitâ sic discedit. Sed esto, vigilantem & intelligentem in letali tamen noxâ hærentem mors impetat, nihilominus æternùm periit, ni Deus illi efficacem, quam nominant, resipiscendi gratiam nemini debitam, ultro largiatur. Hæc verè nemo cogitat, nemo; illi omnium minimè, qui maximè deberent.

Hichomo letali noxâ, vel unicâ iniquinatus, planè surdus, cæcus, mutus, à malo dæmone obsessus est, haud aliter quàm ille, quem Matthæus, Marcus, Lucas, memorant Christo adductum. *Surdus* est: quidquid ei spiritalium rerum occinas, quidquid de cæli gaudiis, de tartari tormentis memores surdo fabulam; non capit à sensibus tam remota. Narra facetias, sympofia, choreas, convivia, voluptates, mox utramque aurem porriget; rebus divinis surdus. Nemo miretur dominicis ac festis diebus omnibus omnia templa personare cohortationibus, pæne rumpi pulpita concionatorum clamoribus, acerrimè perstringi vitia, virtutum officia centies, ac sexcenties inculcari, & interim mutationes morum vix ullas sequi, stare vitia, virtutes eliminari: hoc, inquam, nemo miretur; auditorum plurimi divinâ gratiâ sunt vacui, hinc *audientes ista non audiunt, & intelligentes non intelligunt*, surdi sunt, ridentes è concione abeunt.

Ita concionatores cantant quidem, si autem nemo sit, qui salter, abeunt illi, & rem Deo committunt, illud olim exprobraturi: *Cecinimus vobis, & non saltastis; lamentavimus, & non planxistis.* Surdus est, qui gratiâ divinâ vacuus est. Nec surdus tantùm, sed & *Cæcus*; æternitas ei monstratur digito, non expavescit, non tremit, quia nihil videt; monstrantur ei corporis & animi pericula proxima, summa, non horret, quia nihil videt. Judex ei proponitur cernendus sententiam decretoriam brevi pronuntiaturus, æternus ignis depingitur. Cæco colores. Nec illum, nec istum metuit, mentis oculos peccando perdidit; Cæcus est. Nec tantùm surdus & cæcus, sed & *Mutus* est: nihil orat, nec orare potest, dum letali noxâ obstrictus est. Nam etsi precatorios orbiculos centies quot mensibus decurrat, libellos precatorios mille evoluat, precationes istæ Deo non sunt acceptæ; peccator ingratus animæ suæ latro, Dei hostis est. Quemadmodum in templo Pharisæus, quia superbus, multum quidem locutus, sed nihil precatus est. *Quid rogaverit Deum*, ait Augustinus, *quære in verbis ejus, & nihil invenies. Ascendit orare; noluit Deum rogare, sed se laudare.* Ita homo ille mortifero crimine impeditus nil orat, nisi de peccatis doleat, & resipiscere statuat. *Anima, quæ peccaverit, ipsa morietur. Justitia justi super eum erit, & impietas impii erit super eum.* Verùm non *surdus* tantùm, & *cæcus* & *mutus*, sed & à cacodæmone insessus est, qui letali noxâ vinctus, qui Dei gratiâ spoliatus est. Res aperta. Seipsum vendidit & mancipavit diabolo, spectat ad diabolum, qui rem mancipi possidens gloriari potest ac dicere: propriè meus est, à Deo desertus nunc inter meum pecus numeratur. Et certè si vel nutu Deus (sic loquimur) hunc hominem juberet tolli, perditissimus foret, & occisissimus in omnes æternitates. Talis revera est anima, Dei gratiâ spoliata. Spoliat eam mortiferum quodlibet peccatum. Idcirco clamat Oseas: *Væ eis, quoniam recesserunt à me vastabuntur.* Sicut urbem hostis vi occupatam incendiis, cædibus, rapinis, deprædationibus, latrociniis miscet: ita diabolus animam suam dolis expugnatam modis miserrimis vastat. *Væ eis, cùm recesserò ab eis.* Hoc primum peccati nocumentum, *spoliat.*

§. III.

ALterum, *Jugulat.* Qui facit peccatum hostis est animæ suæ, perinde ac si eam gladio confodiat: ita enim unico invidiæ, vel libidinis, vel vindictæ latentissimo etiam crimine occidi. Oraculum istud non fallit: *Anima, quæ peccaverit, ipsa morietur: Omnes justitiæ ejus, quas fecerat, non recordabuntur: in prævaricatione, quâ prævaricatus est & in peccato suo, quod peccavit, in ipsis morietur. Et dixistis: Non est æqua via Domini: Audite ergo domus Israël: Nunquid via mea non est æqua? (æquissima) Viæ vestræ pravæ sunt. Cùm enim averterit se justus à justitiâ suâ, & fecerit iniquitatem, morietur in eis: in injustitiâ, quam operatus est, morietur.* Certissimum: Sicut enim corporis vitæ est anima, sic animæ vita est Dei gratia. Hac sublatâ extincta est omnis vita. Quid igitur est peccatum? Animæ mors æterna. E beato Paulo liquet: *Stipendia peccati mors.* Nil certius: Stipendium peccati, æterna mors animæ: Quandoque etiam corporis, prima æternitatis famula. In Babylonio Monarchâ id clarum. Balthasari regi dixit Daniel: *Appensus es in statera, & inventus es minus habens. Eadem nocte interfectus est Balthasar Rex Chaldæus.* Idem tot aliis evenit, qui sceleribus suis vitam rapuerunt corpori suo, & incurrerunt mortem animæ suæ. Carolus Sigonius illustris scriptor de Occidentis regno memorat, Anastasium Imperatorem non uno flagitio infamem præcipiti morte sublatum. De imminente tamen fato prænonitus est hoc modo. Imperatori secundùm quietem vir terribilis spectandum sese objiciens, & librum manu præferens: *Ecce*, ait, *ob perversitatem tuam quatuordecim annos vitæ tuæ deleo.* Imperator nonnihil territus, quid sibi hoc somnii vellet studiosissimè indagavit, non tamen mutavit mores. Deniquè velut ab oraculo responsum, igne pereundum Anastasio. Ille, ut hoc fati genus evaderet, cisternam in palatio meatibus aquarum plurimis fecundam aperuit. Huic inditum nomen, Frigida. Sed frustrà humanæ sunt molitiones adversus consilia divina. Cum Deo pugnare nimis difficile. *Non est*, ait Tobias noster, *qui effugiat manum tuam.* Adfuit demum fatalis hora Cæsari. Fulgoribus & tonitru multiplici cœpit irasci cælum. Anastasius à suâmet fulminatus conscientiâ locum ex loco muravit, & aliam atque aliam lectulam subiens in latebras huc illuc corripsit. Fruftra sunt diverticula. Fulmine percussus in regio cubiculo impius imperator occubuit. Stipendium peccati mors animi, & quidem æterna, quam sæpe præit præcipitata mors corporis. *Anima quæ peccaverit, ipsa morietur.* Quod Chrysostomus expendens: *Peccatum*, inquit, *ita se habet, ut mox atque patratum fuerit, sententiam ferat judex.** Hinc conclusiones istæ: Peccatum morte, & quavis pœnâ, & ipsâ gehennâ gravius multò ac deterius. Unicum orbis malum, peccatum, malorum omnium & æternæ mortis seminarium. Præstat millies mori, quàm vel semel peccare; suaviùs rogum insilias, quàm peccatum cõmittas. Anselmi dictum est: *Si hîc peccati pudorem, & illic cernerem inferni horrorem, me potiùs inferno mergerem, quàm peccato.* Ita Ludovicum nonum Galliarum regem etiámnum adolescentem Blancha mater assiduis monitis docebat, mori potiùs, quàm letali culpâ inquinari. Ita Ludovicus Philippo filio inter præceptiones septemdecim hanc dabat secundam: Cave unquam peccatum admittas mortiferum: Omne potiùs feras tormentum quàm tali culpâ offendas Deum. Ita idea pudicitiæ Susanna: *Melius est mihi*, ait, *absque opere incidere in manus vestras, quàm peccare in conspectu Domini.* Ita omnes veri numinis amici sentiebant. Accensam priùs pyram insilire, ipsam potiùs gehennam subire, quàm letali se noxâ obstringere.

Nam eo Deus in peccatum odio fertur, ut Ludovicus Granatensis scriptor religiosissimus litteris hoc consignarit. Si omnium & Angelorum & hominum intellectus in

2. Animam jugulat.

Ezech. c. 18. v. 20. 24. 25. & 26.

Vita corporis est anima, animæ vita est Dei gratia.

Rom. cap. 6. v. 23.

Stipendium peccati est mors.

Dan. cap. 5. v. 27. & 30.

Sigonius de Occidentis imperio, l. 7.

Tob. cap. 13. v. 2.

* Peccantem sequitur excommunicatio lata sententia ipso facto incurrenda.

Anselmus de similitudinibus cap. penult.

Dan. cap. 13. v. 23.

Odium, quo Deus prosequitur pecatum, est inexplicabile.

ctus in unum, si & linguâ omnium in unam conflaretur linguam, nec ille satis capere, nec ista satis exprimere posset odium, quo Deus prosequitur peccatum. Hinc nemo miretur peccati supplicium, mortem æternam. Nemo etiam seipsum fallat, & dicat: Quid istud adeò magni sit flagitii, num ideo animæ latro, Dei hostis ero? Humana sunt ista & parvula.

Unicum superbum Nolo Luciferum & asseclas flāmis addidit.

Ne spernamus modica. Luculenta nimium exempla in oculis sunt. Unicum Luciferi & asseclarum superbum NOLO, cùm homini Christo nollent se submittere, æternis eos flammis addidit. Pomum unicum, quia vetitum, protoplastos cum posteris omnibus in extremas calamitates præcipitavit. Punit Deus omnem à se aversionem, quomodocunque demum ea, vel quantulacunque ex causâ fiat, imò quò minus est illicii, eò plus est delicti & gravior à Deo aversio: Qui faciunt peccatum & iniquitatem, hostes sunt animæ suæ, seipsos spoliant, jugulant.

Hæc equidem scimus, ah scimus probissimè! hæc nobis centies iterúmque centies occinuntur, cuilibet letali noxæ decretam mortem æternam. Scimus, quod quotidiana nos docent funera, quàm nostra omnis vita sit incerta, singulis horæ partibus ad interitum fatiscens, quàm nullum morte tutum sit vel monsentum. Hæc, inquam, scimus, at nihilominus inolitas consuetudines pravas non emendamus; tam audacter peccamus perinde si peccatum nullâ lege vetitum sit; tam impudenter & præfractè delinquimus, perinde si Deus non audiat, non cernat delinquentes, nec animi penetralia scrutetur. *Intelligite hæc, qui obliviscimini Deum.* Siracides unumquemque nostrûm inclamat: *Miserere animæ tuæ placens Deo, & contine, & congrega cor tuum. Contine*, quantâ vi potes, à noxiis te abstrahe. *Congrega*, ad salubria teipsum urge ac impelle, thesauriza tibi fundamentum bonum in futurum: *apprehende vitam æternam.*

Psalm. 49. v. 22. Eccli. c. 30. v. 24.

1. Tim. c. 6. v. 12.

CAPVT XV.

Tobias uterque admodum longævus.

DE annis, quos vixit Tobias Senior, divinæ paginæ ita pronuntiant. *Postquam illuminatus est Tobias, vixit annis quadraginta duobus, & vidit filios nepotum suorum. Completis itaque annis centum duobus, sepultus est honorificè in Ninive.* De juniore Tobiâ filio divinus codex asserit: *Et completis annis nonaginta novem in timore Domini cum gaudio sepelierunt eum.*

Tob. cap. 14. v. 1. & 2. Græca pagina ait vixisse illum annis 158. Ibid. v. 16.

Dixerat Tobias parens oculorum usu jam privatus: *Non delectaris in perditionibus nostris, quia post tempestatem tranquillum facis, & post lacrymationem & fletum, exultationem infundis. Sit nomen tuum, Deus Israel, benedictum in sæcula.* O mi amantissime Deus, post tempestatum furias, post ventos, grandines, pluvias, post fulgores & tonitrua, serenum aperis cælum. Ita Deus cum Jobo egit, ita cum amicis suis omnibus solet agere, non quòd vivendi spatium in geminas partes dividat (hic error noster est) sed post tempestates & fletum brevissimæ hujus vitæ, tranquillitatem & gaudia vitæ melioris jubet succedere. Hoc in Tobiâ & paucis aliis velut in ideâ monstravit, quantum amicis omnibus præmii esset largiturus in patriâ, & in ipso voluptatum loco, qui aliquibus suorum tam multum solatii & gaudii dedisset in exilio. De Tobiâ parte dicitur: *Reliquum vitæ suæ in gaudio fuit, & cum bono profectu timoris Dei perrexit in pace.* Tobias sanè uterque admodum fuit longævus. *Quis est homo, qui non vult vitam, qui non diligit dies videre bonos?* Anno Christiano 1628. Claudius Deodatus Basiliensis Pontificis medicus trigeminum volumen edidit Bruntruti, quo fusè ac eruditè docet, quâ demum ratione vita humana ad annos centum viginti quatuor sit producenda. Nobis non licet esse tam disertis. Contractiùs hîc agendum. Geminas ego radices porrigam, quibus vivendi spatium

Tob. cap. 3. v. 22. & 23.

Tob. cap. 4. v. 4. Ps. 33. v. 13.

Duæ radices, quibus in multos annos vita

si non ad centesimum vigesimum quartum, in multos prorogatur: certè annos prorogari possit.

§. I.

ILlæ, quas dixit, radices vitæ producendæ perutiles non ex Indiâ, nec ex Arabiâ, non à Sinarum regno, nec à Thule ultimâ, sed nec ex Hispaniâ, Cantapi*, aut Italiâ inter peregrinas merces adferenda: In cujusvis horto succrescit, imò antè fenestras in testâ fictili exsurgit, uti rusticis sua medicina sebum minus provenit in stramineis tectis. Radici primæ nomen est *Sobrietas, pietas* alteri.

* Calca.

Prima radix utilissima extendendæ vitæ Sobrietas. Res longè certissima, neque hîc congerendis testimoniis opus. Hoc oracula & paginæ divinæ satis abundè pluribus assertionibus dilucidè tradunt. Ad rem Siracides: *Propter crapulam*, inquit, *multi obierunt; qui autem abstinens est, adjiciet vitam.* Si scias escæ aliquid demere, mensæ non necessaria subtrahere, scies, etiam annos addere vitæ; parca mensa, longa vita. Quot hominum millia jejuniis, & vigiliis quotidianis ad octogesimum, ad nonagesimum, & centesimum, ad plures imò annos pervixerunt. Videte Paulum Thebæum inter Anachoretas primum, cui eadem palma & victum & vestitum dedit, latex è vicino rivulo sitim sedavit. Vir ille ad annum centesimum decimum tertium pervenit abstinendo. A Paulo longissimam licebit seriem hominum eorum texere, qui unâ & unicâ vitæ sobrietate admirandam ævi longitudinem sunt assecuti. Hos inter numerandi veniunt, politici, sacri, docti, indocti, pauperes, opulenti, rurestres, civici, summi, imi, principes, reges, imperatores, Præsules, Pontifices, qui sobrietate, radice hac scienter usi, inter longævos meruerunt censeri. * Certissimum: vita sobria, vita diuturna.

Vide hîc pluribus pr. cap. 2. & 4.

Eccli. 37. v. 34.

Horum primus nomen in Pharmacopœis Thermutis est, simillimus vocabulo Cereris.

Hoc omnium eruditorum placitis firmatur. Ante annos pauculos. † Medicorum celeberrimus venustè ac eruditè suadens: Domine, inquit, si teipsum curare velis abstinentiâ, crede mihi non opus erit joculatâ *a.* Medicorum Phœbus, Hippocrates, quid ad vitam producendam magis requirit, quàm exercitationem & Abstinentiam? Ipsa Hippocratis verba ex ejus aphorismis quàm integerrimè adnumerabo. Ita igitur Hippocrates de hac re sentiens: *Non pura corpora*, inquit, *quanto plus nutries, tanto plus lædes: Ubi cibus præter naturam plus ingestus est, hic morbum facit.* Platonem in Timæo asserentem veneror: *Diætâ conveniente initia morborum curare oportet.* Eadem mens Celsi est: *Multi & magni morbi abstinentiâ & quiete arcentur.* Eadem & Chrysostomi sententia est: *Quod necessitatem in edendo excedit, id non alimentum, sed pestis & venenum est.*

† Anno 1623.

a Bidas ipse ait socio, nomen medicinæ.

Hippocr. sect. 2. aph. 10. & 17.

Quotidiana hoc docet experientia, quòd quivis in seipso facillimè observarit, nisi plus æquo sibi credulus indulgere soleat appetentiæ, plerumque avidiùs in noxia ruenti. Quamvis & hic ipse non ægrè deprehendet, quantæ sint sobrietatis vires ad obtinendum longævæ senectutis votum.

Exempla Sobrietatem ad longam vitam obtinendam esse necessaria demonstrantia.

Nicolaus Serarius è scriptis notus ex fide narrat, quod ipse suis & oculis & auribus hausit memoratu dignum, quódque ad institutum mirè faciat. Ante annos quinque, ait, cùm Vogesum montem, qui Alsatiam intermedius & Lotharingiam dividit, transirem, in Senonensi cœnobio diversatus sum. Cœnobii Abbas ex ejus montis pago longiusculè dissito grandem natu rusticum, qui jam annis pluribus centesimum excesserat, accersiri & ad mensam dominicam vocari jussit. Prompte adfuit vocatus, non equo, non cisio, aut vectabulo usus; pedes venit incanus viator. Jámque mensa vocabat lotas manus ad epulum. Inter hospites ceteros ad prandium assedit etiam ille ipse decrepitus senex, abbate ita jubente. Dum prandetur, lautè ac hilariter, dum alia, atque alia fercula inferuntur mensæ, grandævus ille rusticus limis ea oculis intueri, escariam seriem illam mirari, secum nescio

Serarius in 1. 1. Josue. mirab. 3. 2. c. 1. n. In rustico seno.

nescio quid mussitare, ac musinari; visum est aliquid deesse silicernio. Hîc abbas: Mi Pater, ait, (id reverentiæ dedit senio) quid dicis? num aliquid deest? Effare, juvabimus. Cui senex: Istud enim verò est, inquit, quod mecum ipse loquor: si mensam tam offertam semper habuissem, tamdiu profectò non vixissem. Ab omnibus arrisum suaviter. Nec unus omnium fuit, qui dicta vellet refellere: Oraculum ex tripode censuerunt. Hic ipse longevus agricola jam abiturus, scipionem suum Serario monstrans: Adhuc hodie, inquit, hic meus equus ligneus domi me sistet. Rectissimè addit Serarius: Nulla hominum viribus pestis capitalior, nulla longiori vitæ infestior securis quàm intemperantia, quam, qui sectantur, fiunt imbecilles, pallidi, cadaverosi, tremuli, enerves, antequam senes.

§. II.

DE M. Porcio Catone temperantissimo sene Livius. Invicti, ait, cupiditatibus animi erat, & rigidæ innocentiæ: contemptor gratiæ, divitiarum. In parsimoniâ, in patientiâ laboris, periculique, ferrei propè corporis, animique: quem ne senectus quidem, quæ solut omnia, fregerit: qui sexum & octogesimum annum agens caussam dixerit, ipse pro se oraverit, scripseritque: nonagesimo anno Sergium Galbam ad populi adduxerit judicium.

Ausonii pater escariis deliciis aut intemperanti potu minimè fractus de seipso potuit gloriari.

Nonaginta annos, baculo sine, corpore toto
Exegi, cunctis integer officiis.

Guilielmus Postellus Barensonius de quadam Æthiopum gente: Multi, ait, centum octoginta annos nati etiam operas ditioribus locant. Neque desunt in Germaniâ nostrâ longævi, qui vitam ultra centesimum annum produxerunt unâ radice illâ sobrietate. Homo Dilinganus non ita pridem de avi sui senectute ad annum centesimum vigesimum, de proavi ad annum centesimum quadragesimum propagatâ sanctè restatus est. In Poloniâ Felix à Schrensco Palatinus & Plocensis Præfectus avo suo paterno epitaphium scripsit, quo publicè testatur cum annos centum quadraginta vixisse. Hebræus explorator Caleb ætatis suæ robur, & annos apud Josue ducem exponens: *Quadraginta annorum eram*, inquit, *quando misit me Moses famulus Domini de Cadesbarne, ut considerarem terram, nuntiavique ei, quod verum videbatur. Hodie octoginta quinque annorum sum, sic valens, ut eo valebam tempore, quando ad explorandum missus sum: illius in me temporis fortitudo usque hodie perseverat, tam ad bellandum, quam ad gradiendum.* Hîc ingentem possim eorum catalogum conscribere, qui temperantiâ & sobrietate ad ætatem spectatissimam, senectutem summam pervenerunt. *Ipsa*, inquit Tullius, *defectio virium adolescentiæ vitiis efficitur sæpius, quàm senectutis. Libidinosa & intemperans adolescentia effetum corpus tradit senectuti. Arbitror te audire, Scipio, hospes tuus avitus Masinissa, quæ fecit hodie nonaginta annos natus: cum ingressus iter pedibus sit, in equum omnino non ascendere: nullo imbre, nullo frigore adduci, ut capite operto sit: summam in eo esse corporis siccitatem: itaque exequi omnia regii officia & munera. Potest igitur exercitatio & temperantia etiam in senectute conservare aliquid pristini roboris.* Rex Masinissa comessabundus & potator adeò non erat, ut prandere tantùm solitus, quod Frontinus asserit: nam meridie stans vel inambulans ante tabernaculum suum in castris jentaculum, & prandium, & merendam & cenam & pocemium simul sumpserit frugali sanè compendio grandi sobrietatis encomio. De Spurinnâ exercitationis & temperantiæ observantissimo sene Plinius Junior: Apponitur, ait, cena non minùs nitida, quàm frugi. Inde illi post septimum & septuagesimum annum, aurium, oculorúmque vigor integer, inde agile & vividum corpus, soláque ex senectute prudentia.

Galeno medicorum principi septuaginta vitæ annos A Suidas, liberaliùs longè Cælius Rhodiginus centum quadraginta tribuit. Eò ætatis venit Gasenus, quia crudi nihil gustavit, arboreis fructibus abstinuit, ad satietatem nec comedit unquam, nec bibit.

Quo minus tam illustria sobrietatis exempla nos Incredulitate & assuetudine retrahimur à sobrietate.
æmulari conemur, duo sunt, quæ retrahant: Incredulitas & assuetudo. Non credimus sobrietate vires firmari, vitam extendi. Ita corpus epulis & potionibus in nostram perniciem farcimus, vires perdimus, vitam non extendimus. Aut certè si credamus sobrietate valetudinem & vitam conservari, assuetudine contrariâ à victu sobrio avocamur. Nimirum aliter assuevimus; quotidie bis ad præsepe plenum stare à puero assuefacti sumus; hæc imò in cunis didicimus, esci stabilire centrem, & famem ut grande malum horrere. Ita malam assuetudinem in quotidianum morem perducimus: inde sobrietatis leges aut contemnimus ac ridemus, aut certè victi assuetudine, in leges, quas non nescimus esse salutberrimas, assiduè peccamus. Si audes, mi Christiane, cum sapientissimis sapere, si tibi valetudo prospera, si longæva vita cordi est, resiste consuetudini, & imperium sobrietatis tam jucundum senties, quàm fructuosum. *Qui abstinens est, adjiciet vitam.*

§. III.

PIetas, radix altera prolongandæ vitæ multò aptissima. Affirmatissimè dixit Salomon: *Timor Domini appetet dies, & anni impiorum breviabuntur.* Leges divinæ jubent & pollicentur. *Honora patrem tuum, & matrem tuam ut sis longævus super terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi.* Virtutis præmium prolixior vita. Hanc ob causam tam sedulò Hæbreus sapiens hortatur: *Fili mi, ne obliviscaris legis meæ, & præcepta mea cor tuum custodiat. Longitudinem enim dierum & annos vitæ, & pacem apponent tibi.* Divinæ paginæ sub oculos constituunt ingentem numerum eorum, qui ob pietatis defectum, quos potuissent, annos minimè attigerunt. Obliti sunt legis divinæ, ideo longitudo dierum, & anni vitæ & pax eis non est apposita. Inter eos Saul, Balthasar, Antiochus, Absalon; alto quidem sanguine reges, sed vario scelere infames ad canos non pervenerunt. Ita Core, Dathan, Abiron, Achitophel, quadraginta duo pueri irrisores Elisæi; quinquaginta, ireúmque alii quinquaginta milites cum suis ducibus ad Eliam missi; opulentus, sed fatuus & superbus Nabal quem *percussit Dominus & mortuus est.* Hos forsitan ad certum calculum revocare liceat, sed totam gentem humanam, quæ Noëmi ævo, aquarum supplicio periit, quis numeret? Tot millena millia, tot milliones hominum, quos Noëticum mare sepeliit, una & sola impietas extinxit. Profligatâ pietate libidines suas secuti vitam egerunt tam fædam, ut in supplicium illis fuerit non vivere.

Pietas est radix prolongandæ vitæ aptissima. *Prov. c. 10. v. 27. Exod. c. 20. v. 12. Prov. cap. 3. v. 1.* Ingens numerus eorum, quibus ob pietatis defectum longitudo dierum & pax nō est apposita. *1. Reg. c. 25. v. 38.*

Sed omisso hoc infinito hominum numero, quibus vitam ante vitæ finem rapuit impietas, & intemperantia, nosipsi quantos novimus, qui suaviter ad annos septuaginta, octoginta & plures vitam potuissent perducere, si sobriè voluissent vivere. Sed duas illi coluerunt Parcas, Iracundiam & Temulentiam, quæ filum vitæ non tam præciderunt, quàm abruperunt. Ubi crebrò pitissatur, ubi livor & excandescentia dominatur, ibi nec sobrietas, nec pietas domi est. *Viri sanguinum & dolosi non dimidiabunt dies suos.* Longitudinem dierum & vitæ annos apponit pietas.

Iracundia & temulentia filum vitæ abrumpūt. *Ps. 54. v. 24.*

Moses centum & viginti annorum erat, quando mortuus est: non caligavit oculus ejus, nec dentes illius moti sunt. Post hæc mortuus est Iosue filius Nun, servus Domini, centum & decem annorum. Ita rex David *mortuus est in senectute bonâ, plenus dierum*, annos natus septuaginta; ex his quadraginta annis imperavit. Ita Tobias pater *completis annis centum duobus*, desiit vivere. Tobias filius *completis annis nonaginta novem in timore Domini cum gaudio* abiit ad plures. Quid istos tótque alios fecit longævos? Geminæ radices illæ,

Deut. c. 34. v. 7. Iosue c. 24. v. 29. 1. Paral. cap. 29. v. 28. Tob. cap. 14. v. 2. & 16.

Pietas

Pietas & Sobrietas. Quid exigat sobrietas, non ignoramus. Quid velit Pietas, inquirendum.

Prov. c. 17. v. 22. Eccli. c. 30. vers. 24. &

Salomonis est oraculum: *Animus gaudens ætatem floridam facit.* Quod Siracides amplissimè confirmans, *Tristitiam*, inquit, *longè expelle à te: multos enim occidit tristitia, & non est utilitas in illâ. Zelus & iracundia minuunt dies.* Vel è triviis notum, quod veteri metro canitur.

Si vis incolumem, si vis te reddere sanum,
Curas tolle graves, iracundiam crede profanum.

Angores & mœrores præsentia vitæ mala non mitigant, sed geminant & duplicant, vires dejiciunt; denique

Ibid. v. 23. vitam extinguunt. *Iucunditas cordis*, ait Siracides, *hæc est vita hominis, & thesaurus sine defectione sanctitatis.* Velim, ais, esse lætus, modò possim. Poteris, si volueris. Animus re verâ gaudens & hilaris firmâ lætâque in Deum fiduciâ sese attollit, divino nutu & arbitrio in omnibus acquiescit. Hæc animi tranquillitas, hæc vera est lætitia. Paradigma hujus nobilissimum Tobias. Erat is senex & eger:

Est vera tranquillitas in omnibus divino arbitrio acquiescere.

senectus enim ipsa est morbus: erat cæcus, erat egens & pauper facultatibus ereptis, in aulâ regem habebat hostem, importunam domi & acerbam conjugem, irrisores cognatos; & tamen non *est contristatus contra Deum, quòd plaga cæcitatis evenerit ei, sed immobilis in Dei timore permansit, agens gratias Deo omnibus diebus vitæ suæ.* Ita divinæ voluntati ac providentiæ omnia commisit, se à Deo non penitus deserendum scivit, ita Deo placuisse tranquillè tulit, ita reliquum vitæ suæ in gaudio fuit, & cum bono profectu timoris Domini in pace perrexit. Ita prorsus, ita sanè,

Hujus exemplum in Tobiâ: Tob. cap. 2. v. 13. & 14.

Prov. c. 12. v. 21. *non contristabit justum, quidquid ei acciderit.* Hæc Pietas vera, hæc sincera est lætitia, hæc vita longa. Nam licet quandoque impii diu vivant, non tamen pergunt cum bono profectu timoris Dei in pace; quamvis pii citiùs moriantur, obdormiunt tamen in bonâ senectute. Melior vita bona quàm lõga. Satis diu vixit, qui bene vixit. Vita quæ scelerosus impeditur, non vivitur, sed perditur. Præclarè dixit Ambrosius: *Insipiens in bello nutritur & in discordiis justus in senectute bonâ vivit, quia bene senescit: Injustorũ autem nemo quamvis cornicibus vivacibus diuturniore vitâ vixerit. Ille ergo bene senescit, qui bene senescit.* Hæc vitæ diuturnitas in omnium est potestate. Ita cuilibet volenti senescere permissum. Miserat Hieronymus ad Paulum Concordiensem centum annorum vegetissimum senem epistolam: in eâ senis optimi sanctos mores, corpus validum, ætatem insolitè prorsus longævam eleganter commendans: *Ecce*, ait, *jam centenus ætatis circulus volvitur: & tu semper præcepta Domini custodiens, futuræ beatitudinem vitæ per præsentia exempla meditaris. Oculi puro lumine vigent: pedes imprimunt certa vestigia: auditus penetrabilis, dentes candidi, vox sonora, corpus solidum, & succi plenum: cani cum rubore discrepant, vires cum ætate dissentiunt. Non memoriæ tenacitatem, ut in plerisque cernimus, antiquior senecta dissolvit. Non calidi acumen ingenii frigidus sanguis obtundit. Non contractam rugis faciem arata frons exasperat, non denique tremula manus per curvos ceræ tramites errantem stylum ducit. Futuræ nobis resurrectionis virorem in te Dominus ostendit, ut peccati sciamus esse, quod ceteri adhuc viventes præmoriuntur in carne; justitiæ, quòd tu adolescentiam in alienâ ætate mentiris. Et quamquam multis istam corporis sanitatem, etiam peccatoribus evenire videamus: tamen illis hoc diabolus ministrat, ut peccent: tibi Dominus præstat, ut gaudeas.* Videte, obsecro, quàm peritè hic juvenis centum annorum geminis radicibus illis *Sobrietate, & Pietate* sit usus ad vitam ultra seculum propagandam.

Ambr. tom. 1. lib. 2. de Abraham cap. 9. mihi pag. 335.

Hæc in tomo 4. habent editiones aliæ.

Hieron. tom. 1. ep. 12. ad Paulum Cõcordiensem mihi p. 55.

In Paulo Concordiense.

Hæc ergo lætitia prorsus vera, hæc Pietas est verè longæva, ita suam divinæ Voluntati subjungere, ut in eo solo suavissimè acquiescat, quod Dei nutu consilióque geritur. Inde nullæ super ullo infortunio audientur querelæ, sed quæcunque adversa acciderint, animo vultúque hilari excipientur. Dei consilium in omnibus approbabitur: *Non contristabit justum, quidquid ei acciderit.*

Prov. c. 12. v. 21.

CAPVT XVI.

Tobias uterque in mercenarium suum munificentissimus.

PRiusquam ad finem decurramus, liceat hîc aliquid curiosioris quæstiunculæ movere de Tobiæ cane, de nepotibus, de salario, quod comiti cælesti ab utroque Tobiâ est positum. Quid opus, dixerit quis, tam minuta in codices sacros mittere? cùm è diverso longè majoris ponderis videantur omissa. Paucis ad ista respondendum.

§. I.

CVm Tobias à paternâ domo non procul abesset: *Tunc*, ait historicus sacer, *præcurrit canis, qui simul fuerat in viâ, & quasi nuntius adveniens, blandimento suæ caudæ gaudebat.* Nec illud videtur grandis momenti. *Anna autem sedebat secus viam quotidie in supercilio montis unde respicere poterat de longinquo.* * *Et dum ex eodem loco speculatur adventum ejus vidit à longè, & illico agnovit venientem filium suum, currénsque nuntiavit viro suo dicens: Ecce venit filius tuus. Et consurgens cœcus pater ejus, cœpit offendens pedibus currere, & datâ manu puero occurrit obviam filio suo.* Nec istud tanti ponderis videri posset, cùm alibi omissa, quæ scire cuperemus, mysteria.

Tob. cap. 11. v. 9.

Hîc canis colloquio Rattisbonensi laureatus fit multumque in aliis mortalibus Anno 1619.

*Anna 1619. * Hebr. 11. & seqq.*

Miratur Simon Cassianus de Dei filio humanam mortalitatem induente, hoc unum ab Evangelii præconibus dictum: *Verbum caro factum est.* De Christo nato hoc solùm: *Et peperit filium suum primogenitum.* De Christo in crucem acto: *Crucifixerunt eum.* Nos seriem rei gestæ quærimus, & nosse avemus, an in jacente, an verò in erectâ & stante cruce, num tribus aut quatuor clavis sit fixus, myrrhatum vinum acerbus an dulcis potus fuerit, quod acriter eruditi litigant. Quis vulnerum in Christo numerus, quot millia spectatorum morienti adfuerint. Plurima sunt ejusce modi, quæ memoratu digna, & pæne necessaria præ minutis aliis videantur fuisse recensenda.

Eminentissimus Card. Cæsar Baronius, & P. Lucius Gratianus libro singulari de hac re edito, Rationes cur in hâc scriptura minuta narrentur, longè veris majoris ponderis videantur omissa, Greg. hom. 26. in Evang. Deus 33. v. 13. & 30.

Ajo summatim. 1. Sunt quamplurima voluminis divini tam sublimia, ut ea verbis nequeant satis attingi. Hinc Spiritus divinus sæpe factum, non facti modum enuntiat. 2. Ut enim considerationis promeritum remaneret integrum, magis illa talia cogitari voluit, quàm dici. 3. Ut major daretur locus Fidei. Sic Eucharistiæ arcanum oratione angustâ clausum, ut fides tantò esset valentior, quantò extrinsecus ad eam impulsus esset debilior. *Fides enim*, quod Gregorius dixit, *non habet meritum, cui humana ratio præbet experimentum.*

Quod illa, quæ videntur minutiora, spectat, complura sunt divinis paginis mandata talia. Quàm illud priscæ legis, non minutum duntaxat, sed pæne sordidulum videatur: *Habebis locum extra castra, ad quem egredieris ad requisita naturæ, gerens paxillum in balteo, cúmque sederis, fodies per circuitum, & egesta humo operies, quo relevatus.* Sed & caussam adjungit: *Dominus enim tuus ambulat in medio castrorum.* Quàm accuratè scribit Matthæus iter Domini Jesv è Bethphage in urbem Hierosolymæ, ubi rami per viam sparsi, substratæ venientis pedibus vestes, cantus plebeii, asina & asellus vectaria jumenta, imò & ephippium, Apostolorum vestimenta diligenti calamo consignantur. Quàm conquisitè Joannes cæci oculos subactâ massulâ è luto, & salivâ perlitos recenset? Idem jam revivum Christum in littore stantem, & discipulorum naviculam ducentis cubitis ab eo dissitam, trecentos quinquaginta tres pisces captos annotat cum curâ. Rem miram! Fuit, qui Babylonicæ fornacis flammas velut ad ulnam metiretur, & earum altitudinem quadraginta novem cubitos pronuntiaret: Fuit igitur, qui cymbæ à ripâ distantiam, fuit qui piscium capturam numeraret,

Matt. 21. v. 7. & seq.

Ioan. cap. 9. v. 6.

Idem c. 21. v. 8.

Dan. cap. 3. v. 47.

meraret, & non fuit, qui Christi flagellati & in crucem actipl agas & vulnera ad aliquem numerum revocaret? Ita Paulus Timotheo Asiæ primati rem vilissimam commendans: *Penulam, inquit, quam reliqui Throade apud Carpum, tecum affer, & libros, maximè membranas.* De regnis ad Christi disciplinam traducendis agitur, & cura est penulæ? Ita præcurrentem ac blandientem canem historia Tobiæ memorat. Quod observans Ambrosius: *Talis, inquit, canis viator, & comes Angeli est, quem Raphaël in libro prophetico non otiosè sibi & Tobiæ filio adjungendum esse putavit. Quando perrexit, ut Asmodæum fugaret, firmaret copulam conjugalem. Memoris enim affectûs gratiâ pellitur dæmonium, stabilitur conjugium. Mutæ itaque bestiæ specie sanctus Raphaël Angelus, Tobiæ juvenis, quem tuendum receperat, ad relationem gratiæ erudiebat affectum. Quis enim non erubescat gratiam bene de se merentibus non referre, cùm videat etiam bestias refugere crimen ingrati? Et illæ impartitæ alimoniæ servât memoriam, tu non servas salutis acceptæ? Quid nos dignum referimus nostro creatori, cujus cibo vescimur?* Nimirum, quod Jobus monet, *interroga jumenta, & docebunt te, volatilia cæli & indicabunt tibi.*

A

B

§. II.

DEinde mentionem canis injicit sacra historia veritati commendandæ; hæc enim verè sic gesta, prout narrata sunt, ne quis adeò admiranda visum aut figmentum crederet. Ista suas insuper figuras, significatus, allegorias habent, quas Doctores sacri explicant, uti hunc ipsum Tobiæ canem venerabilis Beda sibi sumpsit ad humanos mores transferendum, & nos suprà de illo plura.

Omnis igitur *scriptura*, Paulo teste, *utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in justitiâ.* Idcirco Chrysostomus auditores suos ad summam reverentiam divinis paginis habendam excitans: *Ego autem*, inquit, *omnes vos obsecro, ne simpliciter ea, quæ in scripturis sacris contenta sunt, transeatis. Nihil enim hîc scriptum est, quod non multas sensuum habeat divitias. Quandoquidem divino spiritu afflati prophetæ locuti sunt, ideo uti à spiritu scripta ingentem in se continent thesaurum. Neque enim vel syllaba, vel apiculus est in sacris litteris, in cujus profundo non sit grandis thesaurus.* Atque hoc idem repetens: *Neque enim syllabam*, ait, *neq; apicem in divinâ scripturâ præterire oportet.*

C

Ergo & domestici canis mentionem injicit divinus codex, ut vel hinc etiam Dei providentia & liberalitas tantò altiùs infigatur pectori. Deus in suis famulis remunerandis est liberalissimus. Antea in Tobiæ domo mœror & luctus habitabat. Nunc omnia gaudiis referta: nec canis ipse expers est lætitiæ. Quam facili momento Deus omnia mutat! In luctu & excidio familiæ subinde nec canibus parsum, ita communi familiæ lætitiâ nec ipsum canem divina liberalitas vult exclusum. Idcirco etiam Deus hæc in speciem modica conscribi voluit, ut ad omnia vel minutissima quæque vigilantissimam Dei providentiam extendi probissimè caperemus. De eâ Christus pro concione disserens non Eliam à dapiferis cotvis nutritum, non Israëlis populum, * in solitudine quadraginta pastum in exemplum statuit; sed ad apiculas flosculos, animalcula vilissima nos mittit. Quæ omnia Deus perinde curat ut maxima. De hoc ad populum perorans Christus: *Nonne*, inquit, *duo passeres asse † veneunt, & unus ex illis non cadet in terram sine patre vestro.* Passerculis etiam ita providet Deus, ut eorum nullus sine certâ Dei destinatione involvatur reti. Capis hoc, Christiane? Ergo si quis obliquo te oculo stringat, verbulo maligno feriat, petulanti manu tangat, exerrante pede trudat, obvio de viâ non cedat; si ancilla focaria olus adurat, aut plus æquo carnes saliat, aut pultem malè condiat; si famulus offam effundat, aut inscitè vinum infundat; si uxor ogganiat, si filius non obediat, si amicus deserat, si labor non respondeat; si spes destituat, si feliciter cœptum siniſtrè cadat; cujuscemodi mille solent obtingere quotidie, quæ omnia singulaque non minus divinæ Voluntati ac Providentiæ, quàm summa rerum momenta sunt tribuenda; ab illâ siquidem origine fluunt. In minimis etiam agnoscendus Deus, qui illa omnia ab omni æternitate prævidit, & voluit ut essent, vel delicti pœna, vel promerendi præmii materia.

D

Providentia Dei in minutissimis rebus est inspicienda.

Ergo in rebus etiam minutissimis ad Dei Providentiam & voluntatem horum omnium originem, & auctorem Deum identidem respiciendum, cùm non tantùm non passerculus ex aëre, sed nec capillus è capite, sed nec foliolum ex arbore defluat, quin Deus ita fieri & prævideri, & voluerit. Vox Christi est: *Amen dico vobis, donec transeat cælum & terra, iota unum aut unus apex non præteribit à lege. Facilius est cælum & terram præterire, quàm de lege unum apicem cadere.* Lex æterna voluntas & Providentia divina, nec apice uno falli possunt nec fallere: omnia hoc circulo clausa. Nec ullum punctulum hinc exerrat. Armatura in omnes acerbos casus est optima, assiduè istud animo volutare: Deus ita prævidit, ita voluit, vel ut malè meritum castiget, vel ut bene meritum remuneret.

Matth. c. 5. vers. 18. Luc. cap 16. vers. 17.

§. III.

QVod Tobiæ posteros & seros nepotes attinet, ita pagina divina loquitur: *Omnem hereditatem domûs Raguelis ipse percepit, viditq; quintam generationem.* Prodigium pæne inauditum. Sed calculum ponamus. Tobias junior anno ætatis suæ vigesimo quarto conjugem duxit; annis nonaginta novem universè vixit; mortem obiit anno post Orbem conditum ter millesimo quadringentesimo decimo, post emplum Hierosolymis structum trecentis octoginta octo. Ante diem natalem Christi sexcentis quadraginta tribus annis. Additur, quod summè admirandum: *Viditq; quintam generationem.* Ita Tobias junior fuit pater, fuit avus, proavus, abavus, atavus. Ita idem habuit filios, habuit nepotes, pronepotes, abnepotes, & atnepotes, idque hoc ordine. Tobias natu minor habuit septem filios, horum primogenitus Eleazar genuit nepotem Nadabum, Nadabus progenuit Salemothum pronepotem, Salemothus progenuit Jadiam abnepotem, Jadias progenuit Nathanaëlem atnepotem: hunc ipsum & priores alios omnes vidit, dum vixit Tobias: ita generationem quintam vivendo attigit. Res prorsus obstupescenda, cui nec sacra, nec profana, nec Græca, nec Romana, nec barbara historia geminam probatis tabulis proferre possit. Potuisse id fieri, cùm ætatis primæ homines octingentos, nongentos annos excederent, nihil est dubii, factum esse non pronuntiat divinus scriptor. De Josepho Moses Geneseos auctor: *Et vidit Ephraim filios*, inquit, *usque ad tertiam generationem*, nimirum proavus pronepotes. At verò abnepotes & atnepotes non vidit, abavus & atavus non fuit. Admirandum hoc pæne inauditum, Tobiæ hoc servatum. Nec enim otiosè id affirmant paginæ sacræ de pauperum laudatissimo benefactore. Non fallax Salomonis oraculum est. *Anima quæ benedicit, impinguabitur.* Quidquid de virtutibus aliis eruditissima disserant volumina, encomium singulare obtinet eleemosyna. Hic nobilissimus Christianæ charitatis actus, singulariter placet Deo præ ceteris virtutibus. In eleemosynæ largitorem Deus non liberalis tantùm & effusus, sed liberalissimus, effusissimus est. Pectus divinum thesauris omnibus immensè abundantissimum eleemosynis vult expugnari. Eleemosyna in cælo gratiosissima apud Deum potest omnia. Quisquis id credere potest, id etiam sentire ac experiri potest. Non fallunt, nec inaniter promittunt Christi voces. *Verùntamen, date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis. Fiducia magna*, inquit Tobias, *erit coram summo Deo eleemosyna omnibus facientibus eam. Quoniam eleemosyna ab omni peccato (Ecce*

Annus vitæ Tobiæ junioris, & mortis.

Solus Tobias vidit quintam generationem.

Gen cap. 50. vers. 22.

Prov. cap. 11. vers. 25.

Ita S. Tho. 2. 2. qu. 32. art. 1. concluſ.

Deus in eleemosynæ largitorem est liberalissimus.

Luc. cap. 11. vers. 41. Tob. cap. 4. v. 11. & 12.

omnia munda sunt vobis) & à morte liberat, & non patietur animam ire in tenebras. Anima quæ benedicit, impinguabitur. Et en illustrissimum specimen piæ liberalitatis in utroque Tobiâ.

Prov. c. 11. vers. 25.

§. IV.

TObias minor natu sex hebdomades domo abfuit, quod tempus peregre consumpsit & in itinere. Hinc suo, quem conduxerat, mercenario Raphaëli Angelo, non nisi quinque nostrates florenos & novem victoriatos debuisset locatæ operæ.

Hoc autem, in antecessum non ignoremus. Quod Romanis denarius, hoc Græcis drachma, Italis Julius, Hispanis est Realis, octo trientes, vel crucigeros, aut duos victoriatos pretio æquans. Hinc denarius diurnus tam militum, * quàm operarum & mercenariorum merces diuina. Non nescio denarium quandoque novem, imò etiam duodecim crucigeris æstimatum. Pretium tamen denarii consuetum octo crucigeri. Quocirca mercenarii opera sex hebdomadibus impensa florenos quinque, victoriatos novem exigebat. Hanc Angelo mercedem debuit Tobias. Hîc jam liberalitatem parentis & filii mirissimam probè consideremus. Uterque Tobias mercenarium suum vocantes *rogare cœperunt, ut dignaretur dimidiam partem omnium, quæ attulerunt, acceptam habere.* Tres attulit partes filius, eâsque sanè opulentas. Pars prima decem talenta, quæ Gabelus sibi commodata reddidit expuncto nomine; sunt hæc sex millia philippeûm. Hoc debitum parens filio exigendum committens: *Indico etiam tibi fili mi,* ait, *dedisse me, decem talenta argenti, dum adhuc infantulus esses, Gabelo in Rages civitate Medorum, & chirographum ejus apud me habeo.* Hoc igitur nomen Gabelus expedivit. Ita Tobias sex millia philippeorum, seu octo millia florenorum retulit, primam allatorum partem. Pars altera, dos Saræ, quam ei parens dedit Raguel, vir inter Medos primarius, cui servi & ancillæ, familia copiosa, multimque pecoris fuit. Hic in suis facultatibus minimum decem millia florenorum numeravit. Atqui Raguel, quod sacræ paginæ affirmant, *de omnibus, quæ possidebat, dimidiam partem dedit Tobiæ, & fecit hanc scripturam, ut dimidia pars, quæ superat, post obitum eorum Tobiæ domino deveniret.* Ergo dotis nomine dedit Tobiæ Raguel, quinque millia florenorum, atque hoc pars altera. Pars tertia allatorum erat supellex, vasa, multum pecoris, servi & ancillæ. Nam, quod sacer historicus tradit: *Post septem dies ingressa est Sara, uxor filii ejus, & omnis familia, & pecora sana, & cameli, & pecunia multa uxoris, sed & illa pecunia, quam receperat à Gabelo.*

* *Militare in diem stipendium.*

Utriusque Tobiæ in mercenarium liberalitas.

Tob. c. 2. v. 5.

Tob. cap. 4. vers. 21.

Talentum auri, seu majus habet 6750. philippeos.

Talentum argenti, seu minus, habet philippeos 600.

Tob. cap. 8. vers. 24.

Idem c. 11. vers. 18.

Sumamus igitur ex allatis triplicibus his bonis partem dimidiam hac ratione, ex octo florenorum millibus, millia quatuor; è quinque millibus, duo millia & quingentos florenos subtrahamus. Ergo dimidia pars allatorum erunt sex millia florenorum, & quingenti. Hanc argenti summam obtulerunt mercenario pater atque filius, & rogare cœperunt, ut dignaretur accipere. Honesta sanè merces pro sex hebdomadibus in itinere consumptis sex florenorum millia rependere, supellectilem & pecora non computamus. Et tamen nesciverunt esse Angelum, quem sic remuneratum voluerunt.

Summa argenti mercenario ab utroq; Tobiâ oblata.

§. V.

VIdete, obsecro, videte liberalitatem summam utriusque Tobiæ, quàm largâ & explicatâ manu, quàm prolixo & munifico animo, quàm benignâ & liberali voluntate in suum sese mercenarium effuderint! Tulerunt eum in partem, dimidium omnium, quæ allata fuerant, bonorum offerendo. Tenax alius, præparcus, & sordidus Nabal florenulos quinque deprompsisset, adjecisset forsan mercedulam, seu stipem honorariam non grandem; & hanc liberalitatem suam aut cælo appingendam, aut æternis annalibus dignam censuisset. Hi duo viri misericordiæ dimidiam summam, tam monetæ, quàm ceterorum beneficâ mente offerunt, idque non verbis solùm honorificis, sed ingenuè, atque seriò; nam & precibus agunt, ut bene merentis verecundiam expugnent.

A

Divina beneficia familiæ Tobiæ.

Hinc mira cæli effusio in hanc familiam; hinc abundantia & felicitas divina, quæ in his tribus potissimùm eluxit. 1. Non filios tantùm & nepotes, sed & neporum filios pronepotes; sed & horum filios abnepotes; denique, quod pæne fidem superet, abnepotum filios atnepotes, cum gaudio vidit. 2. Non paternam tantùm & maternam hereditatem adiit, sed & soceri, & socrûs, quibus oculos clausit, ex asse hæres fuit. Scriptoris sacri verba sunt: *Inventa, eos incolumes in senectute bonâ, & curam eorum gessit, & ipse clausit oculos eorum, & omnem hereditatem domûs Raguelis ipse percepit.* Opulentia singularis, & divini favoris spectabile argumentum. 3. Super omnia verò æstimandum illud, quod additur. *Omnis cognatio ejus, & ilius omnis generatio ejus, in bonâ vitâ, & in sanctâ conversatione permansit, ut accepti essent tam Deo quàm hominibus, & cunctis habitantibus in terrâ.* Elogium multò illustrissimum. Nempe *anima, quæ benedicit, impinguabitur. Benedicere,* Salomoni est, eleemosynam dare. Hinc Origeni, *anima benedictionis ea est, quæ in egenos benefica est.* Hoc sensu dixit Paulus: *Qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet.* Divinis paginis idem est, Benedictio & Eleemosyna. Hinc & Salomon seipsum explicans iisdem monitis, phrasi diversâ: *Alii dividunt propria,* inquit, *& ditiores fiunt: Alii rapiunt non sua, & semper in egestate sunt; Anima, quæ largiter dat, pinguescet; & qui inebriat, ipse quoque inebriabitur;* * & qui satiat pauperes, ipse quoq; satiabitur. Ubi * *Hinc tot eleemosynæ, ibi cælestium donorum copiosæ pluviæ.* Hanc ob causam Tobias filio præcipiens: *Quomodo potueris,* inquit, *ita esto misericors.* Si abundes, da plenâ, da utrâque manu, abundanter tribue: si difficultate domesticâ labores, & exiguum tibi fuerit, ne dicas: Largiri non est meum: res angusta domi vetat. Da quantum potes, & *etiam exiguum libenter impertiri stude.* Nihil dispendii habet eleemosyna. Quidquid erogas in egenos lucrum est, thesaurus est expensis nullis minuendus. *Quoniam eleemosyna ab omni peccato, & à morte liberat. Date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis.* Millies iterúmque millies expendendum illud: *Quidquid meis, id mihi feci stis. Manducat Deus panem in cælo,* ait Chrysologus, quem pauper acceperit in terrâ. Da ergo panem, da potum, da pecuniam, da vestimentum, si Deum vis habere debitorem, non judicem. Misericordem hominem nescit divinus ignis exurere. Si metuere non vis gehennam, animosè in egenos excute crumenam. Summus eleemosynarum largitor Deus est, cùm æmulatorem videt, sibi similem, suam effigiem videt. Petrus Chrysologus, quem dixi, eleemosynas largiter dandas suadet & convincit brevi hac ratione: *Clamat Deus; misericordiam volo homo: da Deo, quod vult, si vis tibi dari à Deo, quod vis. Fratres, prandium nostrum sit pauperis cena, ut Christi mensa fiat nostrum prandium. Homo, dando pauperi, das tibi, quia, quod pauperi non dederis, hoc alio relinquere cogêris. Hoc solum tibi retinebis, quod pauperi dederis.*

B

C

D

Divitum bona quomodo fiant pauperum.

Tob. cap. 4. vers. 9.

Ibid. v. 11.

Luc. cap. 11. vers. 41.

Petrus Chrysolog. serm. 42. initio.

CAPUT XVII.

Tobias Senior providentiæ ac justitiæ divinæ scientissimus.

VBi Angelus vale supremum dixit, & humanis oculis se subduxit, Tobias cum omni familiâ suâ in terram sese abjecit, & affusus humo continuis tribus horis divinæ bonitati gratias egit. Ita precando triho-rium consumpsit. Historicus sacer testatur: *Tunc prostrati per horas tres in faciem, benedixerunt Deum.* Divinis laudibus finitis, *Aperiens Tobias senior os suum, benedixit Dominum, & dixit, Magnus es, Domine, in æternum, & in omnia*

Tobiæ post tot accepta beneficia gratiarum actio.

Tob. cap. 13. vers. 22.

Idem c. 13. v. 1. & 2.

sæcula

sæcula regnum tuum: quoniam tu flagellas & salvas; deducis ad inferos, & reducis: & non est, qui effugiat manum tuam.

Oratio hæc quidem succincta, sed sensûs optimi refertissima. Nempe Tobias etsi annis aliquot cæcus, animi tamen oculos in divinæ Providentiæ ac Justitiæ solem assiduè defixerat. Hinc ista succi plena dictio, & vivax æternitatis memoria; *In omnia sæcula regnum tuum.* Singulariter illa veniunt expendenda: Quoniam tu flagellas, & salvas; tu deducis ad inferos, & reducis. Utrumque hoc dictionis membrum explicatu dignissimum: Quâ ratione Deus non flagellet tantùm & salvet, sed etiam deducat ad inferos, & reducat.

§. I.

Aperiens Tobias senior os suum benedixit Dominum, & dixit, Magnus es Domine in æternum, quoniam tu flagellas & salvas. Quid hîc, ais, mi optime Senex, quid loqueris? Deum agnoscere debemus ac venerari Salvatorem, & tu tortorem ac flagellatorem illum asseris? quæ deliramenta sunt ista, quid hæc dicis? sed perseverat senex, *quoniam tu flagellas.* Id quidem verissimum, ait, excrementis hirundinum in oculos defluentibus oculorum usûm fuisse mihi ereptum; sed tu, ô Deus hirundines misisti, tu avicularum istarum sordes in oculos derivasti, tu voluisti, ut lumina oculorum amitterem, sicut etiam tu voluisti, ut oculi mei in pristinum restituerentur aspectum, tuo nutu & arbitrio mihi cæco relux it dies: te volente hactenus inops fueram, eodem te volente jam opes recepi: *tu flagellas & salvas.* Nihil fit fortuitò, & teste Jobo, *Nihil in terrâ sine causâ fit.* Fortuna inane spectrum, larva picta, puerorum est terriculum: nullæ sunt illius in nos vires. Sermones sunt vanissimi: Huic fortuna favet, huic adversatur, hunc deprimit, hunc attollit. Hæc idololatrarum sunt somnia: Deus est, qui facit hæc omnia, aut præcipiendo ut fiant, aut certè permittendo. Deus flagellat, Deus salvat. Augustini ævo fœdus serpebat error Manichæorum, qui duplex ajebant esse principium, bonorum unum, malorum alterum. Delirium & insania. Unum atque unicum est principium, *Deus.* Auctor omnium, bonum & malum ab ipso sunt. Sed quâ tandem ratione auctorem mali constituemus Deum?

Utinam capiamus, quod nunquam inculcari sat potest, geminum esse malum; illud *Culpæ*, istud *Pœnæ* malum appellari. Malum *Culpæ* peccatum est, & quidquid legibus divinis vetitum. Malum *Pœnæ*, fames, sitis, dolores, morbi, tempestates, grandines, eluviones, bella, seditiones, incendia, pestilitas, annonæ caritas, injuriæ, vexationes, tyrannides, & quidquid horum numeraveris. Mala sunt ista, & grandia, sed mala *Pœnæ*, quæ Deus & vult & infligit. Peccata verò seu mala *Culpæ*, quæ plerunque *Pœnæ* malis miscentur, ea permittit Deus, sed volens permittit, cùm impedire possit. Illa verò alia omnia *Pœnæ*, quæ maximè sentimus & dolemus sunt Pœnæ mala, quæ Deus in nos immittit; Deus, horum omnium Auctor, hæc infert: Deus flagellat. Quod Tertullianus dilucidè asseverans: *Ad omnia*, inquit, *tibi occurrit Deus, idem percutiens, sed & sanans; mortificans, sed & vivificans; humilians, sed & sublimans; condens mala, sed & pacem faciens.* Res liquida, divinæ paginæ testimoniis confirmatissima.

Hebræus vates Hieremias urbis Hierosolymorum deprædationem, famem, vastationem, excidium, commemorans: *Fecit Dominus*, inquit, *quæ cogitavit, complevit sermonem suum quem præceperat à diebus antiquis: destruxit, & non pepercit, & lætificavit super te inimicum, & exaltavit cornu hostium tuorum.* Et dicta firmans: *Præcipitavit Dominus*, inquit, *nec pepercit, omnia speciosa Iacob: Destruxit in furore suo munitiones virginis Iuda, & dejecit in terram, polluit regnum & principes ejus.* An non hæc satis clara? sed pergens & ingerens clariora: *Quis*, inquit, *est iste, qui dixit, ut fieret, Domino non jubente? Ex ore Altissimi non egredientur nec bona, nec mala?* Egrediuntur verissimè & egressura sunt tam mala, quàm bona ex Altissimi ore. Quod & Isaias apertissimè confirmans: *Ego Dominus*, inquit, *& non est alter, formans lucem, & creans tenebras; faciens pacem, & creans malum. Ego Dominus faciens hæc omnia.* Neque aliter Amos: *Si est*, inquit, *malum in civitate, quod Dominus non fecerit?* Sed omnium multò clarissimè Siracides pronuntiat: *Bona & mala, vita & mors, paupertas & honestas * à Deo sunt.* Quid egemus ultrà testibus? Hoc sanè in adversis omnibus summo est solatio: habere persuasissimum, Nil evenire, cujus Auctor non sit Deus, omniáque quantúmvis gravia mala ab eo nobis attemperari ad nostram salutem, modò nostram fateamur culpam, ipsius opem imploremus, agnoscamus clementiam.

In rebus igitur humanis nihil homini contingit præter Dei voluntatem, præceptum, ordinationem, seu jubentem, sive permittentem. *Quid murmuravit homo vivens, ait Hieremias, vir pro peccatis suis?* Nos infantes stulti, modò malam fortunam, modò hanc aut illam provinciam, modò hunc aut illum tyrannum, hunc aut illum hominem perversum, hujus aut illius impetitiam, socordiam, malevolentiam accusamus, cùm pœnæ mala sentimus. O fatui! Deus flagellat. Ille *Dominus est faciens hæc omnia.* Homines, hominum peccata, humana imperitia, socordia, malevolentia, nequitia, instrumentum & flagellum seu lorum sunt, quo Deus, quo divina manus nos cædit: Quid, homo inerudite, ne dicam, stolide, contra lorum, quo verberaris, litigas? quid baculo indignaris, quid in flagellum excandescis? Illum, qui te flagellat, & flagellantis manum attende, huc respice. Deus te flagellat, ad Deum oculos flecte, horum auctorem malorum Deum agnosce. Si istud, mi Christiane, altâ mente capis, nec boni, nec mali, quidquam evenire tibi posse, cujus auctor non sit Deus, longè alium in rebus turbidis te geres, adversa omnia non difficulter vinces, à Deo flagellante, ad Deum salvantem confugias, in bonum tibi vertentur omnia. Sed addit Tobias.

Ex ore Altissimi egrediuntur mala & bona. *Isaiæ c. 45. v. 6. & 7.* *Amos cap. 3. vers. 6.* *Eccli. cap. 11. vers. 14.* * *Honestas, hoc est, Opulentia.* In adversis summo est solatio sibi persuadere, nihil evenire, cujus auctor non sit Deus. *Thren. c. 3. vers. 39.* *Isaiæ c. 45. vers. 7.*

§. II.

Tu deducis ad inferos, & reducis. Infernus, si notionem nominis spectemus, est diversus. Nam 1. Locum, quo Deus perduelles suos ignibus æternis cruciat, infernum Lucas appellans: *Mortuus est*, inquit, *& dives, & sepultus est in inferno.* Hunc ipsum locum lugubris vox Ecclesiæ designat: *In inferno nulla est redemptio.* 2. Inferni nomen sortiuntur abominanda scelera; hæc Isaias enumerans: *Humiliata es*, inquit, *usque ad inferos.* Synagoga quondam Dei templum, jam lupanar & prostibulum. 3. Infernus appellatur acervata calamitas, ærumnarum cumulus, mare miseriarum. Diversis malis conflictatus David: *Circumdederunt me*, inquit, *dolores mortis, dolores inferni circumdederunt me.* *Iis premebatur angustiis, ut jam ad inferos se dejectum crederet. Sed tu, ô Deus, qui flagellas & salvas, tu quoque deducis ad inferos, & reducis. Permittit non rarò Deus ad extremas calamitates, & miserias devolvi suos; hîc demum opitulatricem manum porrigit, educit, consolatur, reficit. Ut sciatur divinæ id potentiæ fuisse non humanæ; Deum esse Dominum creantem hæc omnia. Si quis vitæ suæ periodos inspiciat, facilè deprehendet se quoque ad inferos fuisse non semel dejectum. Subinde is mœror, horror, ægritudo, angor, pavor hominem invadit, ut ab omnibus tam superis, quàm inferis, tam Deo, quàm hominibus, sibi videatur desertus; omnia desperationi proxima censentur: hîc talis ad inferos præcipitatus est. Malis maximis rex David septus: *Quantas*, inquit, *ostendisti mihi tribulationes multas & malas: & conversus vivificasti me, & de abyssis terræ iterum reduxisti me.* Est tamen aliquis, imò maximus in hoc inferno spei

Infernus diversa significat: 1. Locum, quo Deus perduelles cruciat. *Luc. cap. 16. vers. 22.* 2. Abominanda scelera. *Isaiæ c. 54. vers. 9.* 3. Ærumnarum cumulum. *De hoc inferno meum Gymnasium Patientiæ, parte 1. c. 5. §. 5. Vbi de fœnore.* * *Psal. 17. v. 5. & 6.* *Psal. 70. & vers. 20.*

In hoc inferno est spei locus.

spei locus, est ex illo peropportuna redemptio. Deus deducit illuc & reducit. Hinc revocare gradum, & superas evadere ad auras conceſſum. Nemo ad hos inferos præcipitatus deſperet: ductorem eò Deum habuiſſe ſatis eſt, qui duxerit, reducet. *Dominus mortificat, & vivificat, deducit ad inferos, & reducit: Dominus pauperem facit, & ditat, humiliat & ſublevat.* Hunc luſum Deus cum ſuis luſit ſæpiſſime, bono ſuorum. In Ægypto populum ſuum flagellari, & modis diriſſimis permiſit opprimi, eduxit demum ex hoc inferno. Sed in ipſo egreſſu iterum infernus aliquis Iſraëlem uſſit. Fugienti opponebatur à fronte pelagus, utrinque montes claudebant, à tergo inſequebatur hoſtis Pharao. Jam capti videbantur Hebræi, nemo non occiſiſſimos cenſuiſſet. Vociferabantur illi: *Forſitan non erant ſepulchra in Ægypto, ideo tuliſti nos, ut moreremur in ſolitudine* &c. *Multò melius erat ſervire eis, quàm mori in ſolitudine.* Subitò Deus aperuit mare, *Filii autem Iſraël*, quod Exodus teſtatur, *perrexerunt per medium ſiccum maris, & aquæ eis erant, quaſi pro muro à dextris & à ſiniſtris: liberavitq; Dominus in die illâ Iſraël de manu Ægyptiorum.* Deducti ſunt ad inferos, & reducti.

1. Reg. c. 2. v. 6. & 7.

Exod. c. 14. v. 11. & 12.

Ibid. v. 29. & 30.

Ab hoc inferno liberatus populus Iſraël:

Urbs Bethulia,

Bethuliam urbem obſidione arctiſſimâ cinxerat Holofernes, & ad extremam aquæ penuriam redegerat. Nam, quod ſacer hiſtoricus tradit, *defecerunt ciſternæ, & collectiones aquarum, omnibus habitantibus Bethuliam, ita ut non eſſet intra civitatem, unde ſatiarentur vel unâ die, quoniam ad menſuram dabatur populis aqua quotidie.* At Deus per Juditham viduam in arctiſſimis rebus opportuniſſimè obſidionem ſolvit. Deduxit ad inferos, & reduxit.

Iudith c. 7. verſ. 13.

Hebræus rex David.

Quoties Hebræus Rex David jam in ipſis mortis faucibus hærebat, deſertus à ſuis, cinctus ab hoſtibus, nec ullam effugii rimulam, quâ elaberetur, habere viſus, actum de illo dixiſſent omnes. Ille tamen animo commaſculato, & ad Deum erecto: *Omnes gentes, exclamat, circuierunt me: Circumdantes circumdederunt me: Circumdederunt me ſicut apes, & exarſerunt ſicut ignis in ſpinis: Impulſus, everſus ſum, ut caderem.* Ad inferos deductus clamat, ſed denuo reductus, *Dominus ſuſcepit me, ait, fortitudo mea, & laus mea Dominus, & factus eſt mihi in ſalutem. In tribulatione meâ invocavi Dominum, & ad Deum meum clamavi. Et exaudivit de templo ſancto ſuo vocem meam.* Deductus ad inferos, & reductus eſt.

Pſal. 117. v. 10. & pluribus ſeqq.

Pſ. 17. v. 7.

Chriſti Diſcipuli.

Ipſos etiam ſuos diſcipulos Chriſtus ad inferos duxit non ſemel, ſed & reduxit. Mare navigabat diſcipuli abſente Chriſto. Nox & tenebræ horrorem navigantibus incutiebant, ventus vehemens augebat metum, intumeſcebat mare, ſtadiis compluribus navis à litore diſtabat, & quod omnium maximè terrebat, Chriſtus aberat. Salute igitur jam prope deſperatâ Chriſtus aquis inambulans: *Ego ſum, inquit, nolite timere.* Deducti ſunt ad inferos, & reducti. Eadem diſcipulorum navicula iis procellis quatiebatur, ut fluctibus operta jamjam mergenda videretur, præſente quidem Chriſto, ſed dormiente. Hinc illi pereuntium clamores, *Perimus:* jam vita eſt navicula undis expugnata, jam de ſalute actum, jam medio ſe mari natare putaverunt, brevi fluctuum impetu hauriendos. Continuò *Chriſtus imperavit vētu & mari, & facta eſt tranquillitas magna.* Deduxit eos Chriſtus ad inferos, & reduxit.

Ioan. cap. 6. verſ. 16. & ſeqq.

Ibid. v. 20.

Matth. c. 8. verſ. 23.

§. III.

Inter duo nobis mediis tranſeundum eſt:

QVocunque pæne vertamus oculos in hoc Orbe, conjuncta hæc duo, *Flagellum & Sceptrum*, appenſo *Tintinnabulo*, cernemus. Flagellat Deus & ſalvat, Deducit ad inferos & reducit: hoc flagrum adumbrat & ſceptrum. Inter hæc duo nobis eſt mediis tranſeundum. Inter Timorem & Spem, Tormentum & Solatium, Supplicium & Præmium, Luctum & Gaudium, Juſtitiam & Miſericordiam. Hîc medio ibimus tutiſſimi.

A 1. Tranſeundum, inquam, inter timorem & ſpem. Jobus ſua omnia habens ſuſpecta, & timoris plena: *Verebar*, inquit, *omnia opera mea.* Spe tamen erectus: *Repoſita eſt*, inquit, *hæc ſpes mea in ſinu meo.* 2. Tranſeundum eſt inter tormentum & ſolatium: Caſtigari & flagellari non pœnæ tantùm, ſed & ſolatii eſt: quia etiam filii haud aliter tractantur. *Quem enim diligit Dominus, castigat: flagellat autem omnem filium, quem recipit.* Illud Auguſtini aſſiduè volvendum animo: Si exceptus es à paſſione flagellorum, exceptus es à numero filiorum. 3. Tranſeundum inter ſupplicium & præmium. Si labor fatiget, ſi dolor cruciet, ne frangaris animo, nam plurimum illa emolumenti ferunt, ſi ferantur toleranter. Placeat, obſecro, flagellum, quia proximum ei eſt ſceptrum. 4. Tranſeundum inter Luctum & Gaudium. Hæc mixtura luctûs & gaudii omnem vitam obtinet: in luctu ſceptrum reſpice. Scriptus es hęres regni; quid eſt, quod perhorreſcas? age viriliter. In gaudio flagellum intuēre, & animum ſubſultantem contine, nondum evaſiſti ferulam. 5. Tranſeundum inter Juſtitiam & miſericordiam. O quantò beatius, nunc jam dum vivimus divinam ſentire Juſtitiam, ut in meliore vitâ obtinere liceat Miſericordiam! Iſaias pollicitationibus ſuaviſſimis: *Ad punctum*, inquit, *in modico dereliqui te, & in miſerationibus magnis congregabo te: In momento indignationis abſcondi faciem meam parumper à te, & in miſericordiâ ſempiternâ miſertus ſum tui: dixit redemptor Dominus.* Flagellum brevi deſinet ferire; flagello ſubſtituetur ſceptrum nunquam eripiendum. Sed ne flagellum & ſceptrum, quod monſtravimus, excidant memoriâ, Tintinnabulum appendimus, quod identidem flagelli & ſceptri aſpiciendi commonefaciat. Romani veteres in triumphali curru ſervum collocare conſuērunt, qui coronam, lauream ſupra triumphantis vertici teneret. Ipſi verò currui flagellum & nolam ajunt appenſam, quæ duo tacitè monebant; Meminerit triumphator humanæ imbecillitatis & inconſtantiæ, ne ſibi nimium placeret, ne inſolesceret, aut ſuperbiret; poſſe illum eò miſeriarum fortunæ ludibriis devolui, ut inter viros tintinnaculos * cenſeatur & ducatur ad ſupplicium. Auguſtæ Vendilicorum in turre civicâ ingens campana eſt, quam Incendiariam, Martiam, Sanguinariam vocant. Hanc viri ſex validi pulſant, quotieſcunque reus è carcere civico ad capitis ſupplicium educitur. At verò hæc eadem campana ſolenniſſimo civitatis die, Auguſti menſis Principio † cum urbis proceres, Duūmviri, Septemviri, ſenatores ceteri recèns electi è curiâ deſcendunt, pulſatur, eo etiam, ut ajunt, ſignificatu: Meminerint optimates, ſi contra jus faſque egerint, juſtitiam non parſuram, hanc ipſam campanam ſicut aliis reis, furibus, homicidis, latronibus, ita & ipſis ſenatoribus pulſandam. Laudabilis ritus, civilis admonitio.

1. Interſtitium & morem & ſpem. Iob cap. 9. verſ. 28. Idem c. 13. verſ. 25. 2. Inter tormentum & ſolatium. Hebr. cap. 12. verſ. 6. 3. Inter ſupplicium & præmium. Tob. cap. 2. verſ. 2. 4. Inter luctum & gaudium. Iſaiæ c. 61. v. 7. & 1. Cor. c. 7. verſ. 30. 5. Interſtitium & miſericordiam. Iſaiæ c. 54. v. 7. & 8. * Plato viri immanium ſuos, qui damnantur ad ſupplicium appendi vult, ne quis inſanis mentis ocium, aut ſibi, aut aliis commentetur. † Prima die Auguſti ea proceres quotannis.

Nos Chriſtiani Flagellum & Sceptrum meditabundis oculis identidem contueamur: ſi memoria deſtituat, tintinnabulum moneat. Aſſiduè cogitemus illa: *Si filii, & hæredes. Si compatimur, ut & glorificemur.* Si in labore hominum ſumus, ſi cum hominibus & Chriſto flagellamur, cum Chriſto etiam coronabimur. *Si commortui ſumus, & convivemus, ſi ſuſtinebimus, & conregnabimus.* Flagellum & Sceptrum nunquam non in oculis ſint. Quoniam tu, ô Deus, flagellas & ſalvas: Tu deducis ad inferos, & reducis. Tranſeundum igitur eſt inter Flagellum & Sceptrum. Deſcendendum eſt ad inferos, ſed inde denuo emergendum. Hâc itur ad ſuperos, ubi nulli amplius metuendi ſunt inferi.

Rom. cap. 8. verſ. 17. Pſ. 72. v. 7. 2. Tim. c. 2. v. 11. & ſeq.

CAPVT

CAPVT XVIII.

Tobias Senior relapsæ in pejus Ninives interitum vaticinatus.

TObias Senior cùm annum centesimum secundum attigisset vivendo, demum illam Jobi cantilenam canere coactus: *Solùm mihi supereſt sepulchrum.* Mors ultima linea rerum. Ultimus, sed & optimus morborum medicus Mors. Cùm ergo jam fatalis horula Tobiam vocaret ad plures, ille filium, & filii filios, septem nepotes ad lectulum accersens ita eos cohortari orsus: *Propè erit interitus Ninive*, inquit; *non enim excidit verbum Domini.* Urbs Ninive flagitiis miserè deformata & exosa cælo, ad voces Jonæ cœpit resipiscere, ac grandi conatu Pœnitentiæ luctum exorsa die uno videbatur cælum expugnatura. Annuit benignissimus Deus, & scelerum patratorum gratiam fecit. Sed non duravit hæc Ninives sanctimonia, brevî iterum vitiorum dulcedini Ninive succubuit; in antiquum & in pejus relapsa sunt omnia. O Ninive, quàm bene cœpisti, & quàm non bene finisti! Scelerum tuorum multitudo ministravit arma Nemesi divinæ. Non potuit tandem non vindicare Deus in continuatam impietatem tuam. Peribis ô Ninive, peribis, quia voluisti perire. *Perditio tua ex te, auxilium tuum in Deo fuerat tantummodo.* Hoc Ninives exitium Tobias prævidens vaticinatur: *Propè erit interitus Ninive.* Idem iis occinendum, qui assiduè in priores noxas relapsi, in eandem insolentiam, in eadem omnino libidines, in eandem temulentiam, in easdem scelerum turpitudines revolvuntur. De his hoc capite ultimo sermo erit. Hîc tria nobis explicanda. 1. Eos qui toties in eadem peccata relabuntur, periculosiùs semper & graviùs relabi. 2. Hos ipsos difficillimè avelli, & ad sanctiores mores retrahi. 3. Deum in illos ipsos severiùs animadvertere ac graviùs punire.

Tob. cap. 14. vers. 4.

Tob. cap. 14. vers. 6.

Osee cap. 13. vers. 9.

Tria in hoc capite explicatur:

§. I.

1. Relapsus lapsu gravior.

I. RElapsus lapsu gravior. Hoc Bernardus eximiè demonstrans: *Si*, ait, *dixerit mihi IESVS: Dimittuntur tibi peccata tua. Nisi ego peccare desiero, quid proderit? Exui tunicam meam, si reinduero eam, quantùm profeci? Si rursus pedes meos, quos laveram, inquinavero, nunquid aliquid lavisse valebit? Sordens omni genere vitiorum jacui diu in luto fœcis: sed erit sine dubio recidenti, quàm jacenti deterius.* Ita prorsus est. Nam quisquis pœnitentiâ peractâ non cessat iterum, iterúmque pœnitenda facere, ita labitur in pristina, ut semper graviùs relabatur, profundiùs mergatur, damnosiùs involvatur, arctiùs constringatur, dum denique velut ingratus & refractarius à Deo penitus deseratur. Quâ de re ita sentiunt Theologi, His talibus in pristina semper scelera recidentibus efficacissimum auxilium gratiæ Deus subministrat. Si repudient illi, & resistant, non redit ampliùs tam copiosa gratia, sed suis infelices cupiditatibus permittuntur. Pulsat quidem Deus iteratis monitis, sed una est ultima vocatio, quâ rejectâ, deseruntur cunctatores illi hominum miserrimi. Ita itur & interitur. Quapropter, vociferantur contentissimè diversi: *Hodie, si vocem Domini audieritis, nolite obdurare corda vestra.* Hodie audite, hodie; nescitis enim an eam cras sitis audituri.

Bernard. serm. 3. in Cant. posſ init. mihi pag. 737.

Recidentes in pristina scelera si repudiant auxilium gratiæ Dei, suis permittuntur cupiditatibus.

Psal. 94. v. 8. Hebr. cap. 3. vers. 15. & cap. 4. v. 7.

Hos ipsos homines assiduè ad antiqua vitia redeuntes velut digito monstrans Petrus: *Hi sunt*, inquit, *fontes sine aquâ, nebulæ turbinibus exagitatæ, quibus caligo tenebrarum reservatur.* Fontes sunt, inquit, sed aquâ carent. Quemadmodum calens furnus, aut clibanus sine panibus, grandis piscina sine piscibus, ampla cella sine zytho aut vino, crumena pulchra sine argento vel auro, spatiosus ager sine frumento, magnum penu sine omni escalento nil juvat; ita illi homines in eadem crimina

2. Pet. c. 2. vers. 17.

A toties relabentes boni notitiam habent, sed actione carent; dicunt & non faciunt; multa statuunt, nihil exequuntur; volunt & non volunt: exomologesin obeunt, sed peccata nulla corrigunt; ob noxas suas ingemiscunt, sed mox easdem repetunt; desiderium eorum videri posset bonum, nisi esset tam frigidum; hortulum suum venenatis herbis purgant, sed radices non extirpant: hinc brevî eadem, iterum veneni messis succrescit; meliora sibi sæpius proponunt, sed nihil sequitur emendationis. *Si enim*, ait Petrus, *refugientes coinquinationes Mundi in cognitione Domini nostri & Salvatoris IESV Christi, his rursus implicati superantur, facta sunt eis posteriora deteriora prioribus. Melius enim erat illis, non agnoscere viam justitiæ, quàm post agnitionem, retrorsum converti ab eo, quod illis traditum est sancto mandato. Contigit enim eis illud veri proverbii: Canis reversus ad suum vomitum, & sus lota in volutabro luti.* Petrus ipsemet expertus, multò graviorem esse lapsu relapsum. Nam altera Petri negatio gravior erat B primâ, tertia gravior secundâ. Matthæo teste, iterum negavit cum juramento. Denique anathematizare ausus, & detestari, *quia nescio*, inquit, *hominem istum, quem dicitis.* Relapsus lapsu gravior. Beatus Eligius Noviomensis Antistes rem oculis subjiciens; Crus, inquit, semel fractum difficili curâ restituitur; crus idem alterâ, tertiâque vice contusum difficillimè curatur. Quod Cyrillus etiam confirmans: *Animæ*, inquit, *febricitatio secunda est admodum periculosa.* Peccatum auferre, & peccati affectum non tollere, vanus & sterilis labor. Cicuta horti centies convulsa, radice stante, centies recrescit, & fertilior. Letalis noxa, cicuta est pestilentissima, hanc millies convelle, recrescet millies, nisi eam stirpitus, & radicitus evellas. Peccati radix, cupiditas & libido peccandi est; nihil agis, nisi radicem hanc sustuleris.

Ibid. v. 20. & 21. & 22.

Relapsum esse graviorem lapsu Petrus est expertus.

Marci c. 14. vers. 71. & Matt. c. 26. vers. 74.

Cyrillus l. 5. in cap. 17. Ioannis.

Letalis noxa est cicuta pestilentissima.

Chrysostomus in eandem hanc curam intentus: *Noli peccare*, inquit, *post veniam, noli vulnerari post curam, noli sordidari post gratiam. Cogita, ô homo! gravorem esse culpam, C post concessam veniam.* Cicatricem jam obductam refricare, malum vix sanabile. Si Hebræus rex David adulterium aut homicidium secundo tertióve ausu repetere voluisset, longè aliud à Nathan vate judicium accepisset. Quod diximus, Christi Domini dicta & facta reddunt confirmatissimum. Homini morbido qui annis triginta octo in Salomonis pensili ambulacro decubuerat, jam persanato dixit Christus: *Ecce sanus factus es, jam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat.* Adulteræ mulieri crimine jam condonato: *Vade*, inquit, *& jam ampliùs noli peccare.* Relapsus lapsu gravior.

Chrysost. homil. de lapsu primi hominis.

Ioan. cap. 5. vers. 14.

Idem cap. 8. vers. 11.

§. II.

2. Relapsi ægriùs corriguntur.

II. RElapsi corrigantur ægriùs. Ambrosius disertissimè: *Faciliùs*, inquit, *inveni, qui innocentiam servaverint, quàm qui congruè egerint pœnitentiam.* Ambrosio non est vera pœnitentia, quæ non est valde seria, & quæ non totum mutat hominem, & ab usque radicibus vitia D extirpat. Nam addit: *Renuntiandum seculo est, somno ipsi minùs indulgendum, quàm natura postulet, interpellandus est gemitibus, interrumpendus est suspiriis, sequestrandus orationibus, vivendum ita, ut vitali huic moriamur usui; seipsum sibi homo abneget, & totus mutetur. Sed eheu, quàm rarum est, ita totum mutari & ab imis radicibus extirpare vitia.* Sed à se dicta explicans Ambrosius: *Quendam*, ait, *adolescentem ferunt post amores meritricios peregre profectum, & amore abolito regressum, veteri occurrisse dilectæ, quæ ubi non interpellata putaverit se non recognitam, rursus occurrens dixerit: Ego sum; Respondit ille, Sed ego non sum ego. Etenim qui mortui, & sepulti Christo sunt, non debent iterum velut viventes de hoc mundo decernere. Ne tetigeritis, inquit, omnia, quæ sunt ad corruptelam.* Nimirum hoc est mutari totum, hoc agere pœnitentiam, hoc ad frugem corrigi. Hoc autem rarum, pæne dixerim, rarissimum est. Hanc ob caussam spiritalis medicus in istud omni cogitatione, curâque incumbat,

Ambr. to. 1. lib. 2. de Pœnitent. c. 10. p. 219.

Ibidem.

Ibidem.

Pars hæc boni Confessarii est.

bat, non tantùm ut sanet ægrum, & à sceleribus liberum dimittat, sed ut sanato ita prospiciat, ne in morbos eosdem recidat. Vicinas igitur peccandi occasiones amoliri studeat, antidota, & alexipharmaca præscribat, sincerè moneat, hunc locum, hos homines cave, hoc sceleris illicium vita; fuge libidinem, fuge, fuge vel omnem libidinis umbram; ita superbiam elide, sic avaritiam coërce; ita invidiam elimina, sic edoma gulam, sic iram comprime, ita socordiam expugna. *Jacobi c. 4. vers. 7.* *Resiste diabolo, & fugiet à te.* Hac, inquam, ratione medicus spiritalis hominem infirmum servet à relapsu: alioqui frustra est medicina, quam è vestigio comitatur invaletudo pristina.

Luc cap. 11. vers. 24. & seqq. Hoc apertissimè Christus oculis subjiciens: *Cùm*, inquit, *immundus spiritus exierit de homine, perambulat per loca inaquosa, quærens requiem. Et non inveniens, dicit: Revertar in domum meam unde exivi. Et cùm venerit, invenit eam scopis mundatam & ornatam. Tunc vadit & assumit septem alios spiritus nequiores se, & ingressi habitant ibi. Et fiunt novissima hominis illius pejora prioribus.* Satanas sede suâ pulsus non otiatur, dum aliud commodum sibi hospitium indaget. Si nullum reperiat: In meam, inquit, tabernam veterem me recipiam, lautè illuc diversatus sum. *Matth. c. 12. vers. 44.* *Et veniens*, quod Matthæus testatur, *invenit eam vacantem.* Jam vicit cacodæmon, jam effregit hospitium, si hominem inveniat otiosum. Otium omnigenæ vitiositatis seminarium. Res certa, si vacat domus, diabolo patet. Inter Anachoretas priscos in proverbii consuetudinem venit: Otiosus homo à mille diabolis impugnatur; ab uno tantùm lacessitur is, qui laborat. Domus vacua, diabolo sacra. Non solùm verò vacantem, sed scopis mundatam, obiter, perfunctoriè, negligenter versam invenit. Cera, pix, sevum pavimento hærens scopis non tollitur, majore vi opus. Ut homo à vitiis respiscens constanti sanctimoniâ veneretur virtutem, ardenti proposito, decretis opus est validissimis. Hîc leniter vellē, nocentis habet speciem. *Scitote*, ait Eliachim Sacerdos, *quoniam exaudiet Dominus preces vestras, si manseritis permanseritis in jejuniis & orationibus, in conspectu Domini.* *Judith c. 4. vers. 12.* Tobias *immobilis in Dei timore permansit. Dixi*, ait David, *non movebor in æternum.* *Tob. cap. 2. vers. 14.* *Psal. 29. v. 7.* Voluntate hîc opus robustissimâ. Sed neque vacantem tantùm, & scopis mundatam, sed & ornatam domum invenit hospes ab Orco. Consuetudines malæ, occasiones pristinæ, voluptates aliquantulùm omissæ pulchro ordine, nonnunquam etiam virtutis specie revertuntur. Non ignoramus honesto nomine culpas prætexere. Erranti vix deest titulus. Quædam sub obtentu civilitatis aut affabilitatis, alia sub prætextu necessitatis liberè peccamus; nonnulla per causam boni majoris secuturi delinquimus; vix unquam titulus deest erranti. En ornatam domum, quæ avernalem hospitem ultro inviter. *Luc. cap. 11. vers. 26.* *Tunc* igitur *vadit, & assumit septem alios spiritus nequiores se, & intrantes habitant ibi: Et fiunt novissima hominis illius pejora prioribus.* Hæc relabentis series est. Relapsi difficillimè corriguntur. Intersunt quidem tales rei divinæ, precationes recitant, conciones audiunt, stipem erogant, quandoque etiam jejuniis vacant, ita domum mundant, sed scopis; stat interim inconcussa peccati radix; ad antiqua identidem reditur, sapiunt boleti, quibus assueverunt, placent peccata, quibus non ex toto renuntiarunt; veterem retinemus pelliculam. Hinc emendatio vera tam rara. Fruſtra cantharides admoventur, si capitis, vel stomachi, vel hepatis malum non ex integro curetur. Nihil proficiunt unctiones, si lien aut pulmo sit vitiosus. Inveteratum malum non admittit manum medicam, nisi admodùm peritam & potentem, quæ mali radicem norit tollere. *Bernard. serm. 3. in Cant. circa med.* *Qui dedit voluntatem pœnitendi*, ait Bernardus, *opus est ut addat virtutem continendi, ne iterum pœnitenda, faciámque novissima mea pejora prioribus.* *Aug. to. 10. serm. 3. de Natali Domini, mihi pag. 213.* Verissimè dixit Augustinus. *Inanis est pœnitentia, quam sequens coinquinat culpa; nil prosunt lamenta, si replicentur peccata. Ista est filioli, vera pœnitentia*, inquit Augustinus, *quando sic convertitur quis, ut non revertatur; quando sic pœnitet, ut non repetat.* Sed istud perquam rarum est. Relapsi difficillimè corriguntur.

§. III.

III. *Relapsi à Deo severiùs puniuntur.* Nobilissimum in eadem semper relabentium paradigma rex Pharao, qui clade tam multiplici affectus, nunquam non rediit ad ingenium. Quoties auditum illud: *Peccavi in Dominum Deum vestrum, & vos; peccavi etiam nunc.* Nec tamen desiit peccare. Post aquas in sanguinem mutatas saniùs est locutus Pharao, sed non diu. Post copiosissimas ranarum pluvias doluit, neque hoc diu. Post cinisphum examina resipuit, mox tamen ad suam contumaciam reversus. Post muscarum nimbos pœnitentiam monstravit, sed minimè diuturnam. Post animalium mortalitatem visus est ad clementiam motus; mox idem, qui antè, fuit. Post ulcerum dolores abitum populo permisit, quem tamen statim revocavit. Post fulgura, grandinem, tonitrua veniam erroris petiit; cessante grandine, errores auxit. Post immissos locustarum exercitus se peccasse fassus est; locustis jam amotis, eadem, quæ priùs, egit, pelliculam veterem retinuit Æthiops. Post triduanas horribiles tenebras mitem sese præbuit, sed in furores pristinos brevi relapsus. Denique post omnia primogenita in Ægypto jugulata videri poterat priorem pertinaciam ac sævitiam omnem emendasse, jam mutatus ex toto: *Surgite*, ait, *& egredimini; ite & immolate Domino, sicut dicitis.* Jam tandem rex alius, rex bonus es. Jurasses Pharaonem immite ac barbarum ingenium omne exuisse, in mores placidos ex integro reformatum. Sed neque nunc tigris ista constantem humanitatem didicit. Vix enim egressus populus, confestim Pharao jam sævior, quàm antea, cum ingenti exercitu secutus hoc reperit, quod quæsivit, tam crebri relapsûs certum supplicium. Cum copiis suis omnibus alto mari sepultus est. Hoc habet.

1. Relapsi à Deo severiùs puniuntur. Exemplo 1. in Pharaone. *Exod. c. 10. vers. 16.* *Ibid. cap. 9. vers. 27.* *Ibid. cap. 12. vers. 31.*

Ita & Hebræi ipsi capitones duri ad reditum in Ægyptum macellum pronissimi. *Recordamur piscium*, ajunt, *quos comedebamus in Ægypto gratis: in mentem nobis veniunt cucumeres, & pepones, porrig, & cepe, & allia. Anima nostra arida est, nihil aliud respiciunt oculi nostri nisi Man.* Deus igitur illis carnes submisit copiosas, sed sanè salsas: Nam, *adhuc carnes erant in dentibus eorum; & ecce furor Domini concitatus in populum, percussit eum plagâ magnâ nimis.* Displicuit Deo tam immoderata carnium appetentia, tam pruriens in Ægyptum redeundi animus jure punitus est acerbiùs.

2. In Hebræorum populo. *Num. c. 11. v. 5. & 6.* *Ibid. v. 33.*

Saul coronatus Proteus, blandus latro, quoties fassus est insidias, quas genero suo Davidi struxerat? quoties rege delicti veniam rogavit? quoties & lacrymas profudit nequam crocodilus? quoties persanctè dejerans meliora omnia pollicitus? videri poterat ex toto mutatus, regum mitissimus, sed brevi tempore hic falsæ sanctimoniæ vultus tenuit: mox lusum priorem lusit, ad ingenium rediit, acerbior in Davidem insurrexit, hoc tamdiu factitavit, & nequitias ejuratas toties repetiit, dum illum Deus denique deseruit. Jámque infelicissimus regum, suus ipse carnifex suo se gladio peremit. Hoc habet & Saul. Relapsi puniuntur acerbiùs. Hunc lusum Deus aliquanto tempore, velut dissimulans, tolerat; tandem è destinato ferit, & præscindit improbo lusori spatium relabendi. *Nolite errare, Deus non irridetur.* Amotis jocis secum vult agi; impatiens est ejuscemodi lusûs. Quemadmodum serius pater post filium toties monitum, toties castigatum: Abi, ait, abi furcifer in malam crucem, & corvos pasce. Fruſtra est omnis paterna castigatio tibi admota. Ergo, quam mereris, carnificinam subi. Ita hominem Deus deserentem se deserit, & torquendum cacodæmoni permittit. Ita Semei post impetratam veniam relapsus capite punitus est. Sit delicto primo venia, fiat & secundo forsan gratia, in tertium certa est

3. In Saule. *Gal. cap. 6. vers. 7.*

decreta

decreta pœna. Primum maledicentiæ flagitium maledico Semei condonatum: at verò cùm rediret, & præscriptos exeundi fines negligeret, capite luit. Jure illi in os objectum. *Tu nosti omne malum, cujus tibi conscium est cor tuum, Reddidit Dominus malitiam tuam in caput tuum.* Hoc omnibus in easdem identidem noxas relabentibus occinendum: Malitia tua in caput tuum recidit.

Hoc ipsum & Ninives civitatis interitus abundè doceat. Vociferabatur Jonas: *Adhuc quadraginta dies, & Ninive subvertetur. Et crediderunt viri Ninivitæ in Deum, & prædicaverunt jejunium, & vestiti sunt saccis à majore, usque ad minorem.* Quis negarit hanc esse seriam pœnitetiam? Ita profectò evaserunt pœnam. Sed ô incredibilem ingenii humani nequitiam! Pœnitentia illa tam seria minimè fuit diuturna. Brevî pristinus flagitiorum status rediit, mali mores denuo subrepserunt, pessima vetus consuetudo universam postliminio civitatem occupavit, antiquum hoc suum obtinuerunt, edere, bibere, ludere. Passus secum agi Deus ad humanissimam conditionem descendit. At ubi vitiosæ vitæ nullus finis, utrâque demum manu cædit, & à se profligat. Quod vates Hebræus in re præsenti elocutus: *Et Ninive, inquit, quasi piscina aquarum aquæ ejus. Dissipata est, & scissa, & dilacerata; & cor tabescens, & dissolutio geniculorum, & defectio in cunctis renibus, & facies omnium eorum sicut nigredo ollæ.* Ita Deus cum quovis homine agit, sicut cum hac urbe. Monet, minatur, terret, rogat, urget, variam opem subministrat. Parere monitus recusat. *Propè est interitus Ninives* (propè hominis illius.) *Non enim excidit verbum Domini.* In Jurisconsultorum scholis scitum est annotatu dignum: Duæ vices faciunt consuetudinem & delicta iterata plus puniuntur. Hoc juris ad suum etiam tribunal Deus observat: Delictum iteratum graviùs punit.

Cùm igitur immundus spiritus è veteri tabernâ fuerit exactus, ne, huæso, relinquatur vacans & segniter quieta domus; nemo unquam otietur ex toto; otium diabolo commodissimum est hospitium. Sed nec scopis tantùm mundata sit domus. Pœnitentiâ hîc opus est admodum seriâ, acri de noxis dolore, proposito firmissimo, ut non peccatum solùm, sed & affectus, & radix peccati evellatur: ex integro resipiscendum. Denique ornare tantummodo domum, manis, sed gratus dæmoni labor est. Itaque illecebræ & occasiones delinquendi omnes sedulò fugiendæ, ne posteriora fiant pejora prioribus, ne post pœnitentiam denuo committantur pœnitenda; ne pristina superbia, ne vetus libido & gula, ne prior invidia & ira, ne cetera omnia in antiquum, & vitiosum chaos revolvantur. *Interitus Ninive propè est; Verbum Domini non excidit.* Perquam serius, & æqui tenacissimus est, rex qui læditur. Pœnitentiam exigit non perfunctoriam, non inconstantem, aut desultoriam, sed stabilem, & usquequaque firmam. Inanes lacrymæ falsa est pœnitentia, si finis commissi mali, gradus est futuri.

Otium est diabolo hospitium commodissimum.

De noxis commissis dole, à committendis cave.

FINIS.

PALÆSTRA CHRISTIANA.

PARS PRIMA DE TENTATIONVM NATVRA.

CAPVT PRIMVM.

Tota hominis vita tentatio & militia.

Iob c.7. v.1. Vitam hominis esse militiam probatur: Primò.

HVssævs princeps Job de omni humanâ vitâ pronuntians: *Militia est*, inquit, *vita hominis super terram.*

1. Dum homo hanc vitam vivit, militem agit; non domi, nec in pace, sed foris & militiæ versatur; tenenda ei statio quam Imperator assignaverit, quantumvis illa labori ac discrimini sit obnoxia; vigilandum, excubiæ agendæ; amplectenda vitæ conditio quam dederit Deus.

Secundò. 2. Summa hîc parendi necessitas est. Obediendum non Imperatori tantùm, sed duci, tribuno, centurioni, aliis. Divinum imperium quantumvis durum, nunquam detrectandum; divinæ voluntati obsequendum, etsi ea cædat & verberet acerbissimè.

Iuven. sat. 8. vers. 247. *Nodosam post hæc si frangat vertice vitem,*
non obloquendum duci, non centurionibus, non resistendum divinæ iræ, non ejus administris.

Tertiò. 3. Universa militiæ ratio miseriarum plena; humana vita difficultatibus, periculis, ærumnis, tentationibus refertissima: ubivis terrarum atque gentium triste aliquid aut sævum occurrit, quod vel corpus vel animum *Sap. cap. 14. vers. 11.* percellat. *Creaturæ factæ sunt in tentationem animabus hominum, & in muscipulam pedibus insipientium.*

Quartò. 4. Militia explorat militum robur, vires, animum, tolerantiam, fortitudinem, constantiam, quid quisque vel pati possit, vel aggredi ausit: Humana vita experimentum sumit de quovis homine, quàm ille tolerans, quàm fortis & constans sit, quid agere, quid sustinere Dei causâ valeat. Militia est hominis vita, tentatio mera, & pæne continua.

Eliphaz Themanites unus aliquis ex amicis Jobi dixerat: *Homo nascitur ad laborem.* Huic Jobus: Dixisti, air, *Iob c.5. v.7.* mi Eliphaz hominem nasci ad laborem. Hoc ipsum ego lubens confiteor, & unà tecum affirmo, hominum vitam instituto militari quàm simillimam, in quâ laboris plurimum, & in quâ dura omnia sint toleranda. *Militia est vita hominis super terram,* in quâ laboriosa & per- *Idem cap. 7. vers. 1. Cic. lib. 2. Tusc. qq. med. ferè, mihip. 183.* molesta plurima.

Et quanti, obsecro, laboris est vel solùm militaris incessus sub tantis oneribus? Quod affirmans Tullius: *Deinde qui labor,* inquit, *quantus agminis, ferre plus dimidiati* † *Serra, corbis, rutrum, securis, lorii, falx, catena, olla, veru, & si quæ alia ad victum.* * *Hastam, loricam.* *mensis cibaria, ferre si quid ad usum* † *velint, ferre vallum? Nam scutum, gladium, galeam,* * *in onere nostri milites non plus numerant, quàm humeros, lacertos, manus; arma enim membra milites esse ducunt.* Labores alios vetus Poëta enumerat.

A *Sæpe feres imbrem cælesti nube solutum,*
Frigidus in nudâ sæpe jacebis humo. *Ovid. lib. 2. de arte.*
Nox & hiems, longæq; viæ, sævique labores
Et terror castris, & dolor omnis inest.

Militia est vita hominis. Septuaginta interpretes: *Tentatio*, ajunt, *est vita hominis labore, luctu, pavore, lacrymis, dolore plenissima: ubique plurima mortis imago.* Hoc Jobus abundè satis expertus: *Terrores Domini*, ait, *militant contra* *Iob c. 6. v. 4.* *me. Cunctis diebus quibus nunc milito, expecto donec veniat* *Idem c. 14. vers. 14.* *immutatio mea.* Job usquequaque tentatissimus, sed in omni tamen tentatione fuit firmissimus. Est enim tentatio, si etymologiam spectemus, Examen ad probandam rei firmitatem adhibitum. Hinc familiares illæ voces: Tentemus hominem, & pungamus aliquantulum, & appareat quid in eo vitii aut virtutis lateat. Et hostis, & amicus tentat, sed animo diverso. Adversarius armati B hominis pectus tentat, num rimulam inveniat, quâ gladius aut contus penetret ac vulneret; amicus eundem ferreum thoracem explorat, quam omne telum illæsus excipiat, an tutum à vulnere præmuniat. Ita Deus tentat, & diabolus, sed modo ac fine diversissimo.

Tentatio est examen ad probandam rei firmitatem adhibitum. Hostis & amici tentatio est diversa.

De Tentationibus disserere animus est. Thema dicendi ac scribendi multò utilissimum, imò & necessarium. Et quem ea res non tangit? Quis tentationum omnium expers? Quidam principio, sine alii vehementiùs tentantur. Sunt qui per omnem vitam tentationum ventis gravissimè concutiuntur, prout æterna Sapientia & æquitas ad auri libellam hæc omnia habet exactissimè appensa. Sed ante omnia noscendus est nobis ex Orco tentator vaferrimus, mille stropharum artifex. Magnæ virtutis, maximæ mercedis est tentationes hujus impostoris nosse eludere.

De tentationibus disserere est thema utilissimum.

Dicendi ordinem porrò hunc servabimus. Primò Tentationum naturam aperiemus. Deinde Tentatoris C genium sub oculos ponemus. Tertiò resistendi modum suggeremus. Militia & Tentatio est vita hominis. Hoc ipsum jam explicabimus.

§. I.

Triplex hominis hostis: Mundus, Caro, & Diabolus. *Bern. ser. 7. de 7. spiritibus mal. p. 516.*

TRiplex potissimùm hostis cervicibus nostris imminet assiduè, *Mundus, Caro, Diabolus.* In triplicem hunc hostem Bernardus velut digitum intendens: *Semper enim*, inquit, *spiritus Carnis mollia spiritus mundi vana, spiritus malitiæ semper amara loquitur. Quoties ergo importunè (ut assolet) carnalis cogitatio mentem pulsat: verbi gratiâ, cùm de potu, de cibo, de somno, cæteris q; similibus ad carnis curam pertinentibus cogitantes, humano quodam inardescimus desiderio: certum sit nobis spiritum carnis esse qui loquitur: & tanquam adversarium repellamus eum, dicentes:* Vade retro *Matt. c. 16. vers. 23.* Satana, quoniam non sapis ea quæ Dei sunt: *sed magis vers. 33.* *Sapientia tua inimica est Deo. Cùm autem non de illecebris carnis, sed de ambitione sæculi, de jactantiâ & arrogantiâ, cæteris-*

versi, similibus cogitatio una versatur in cordibus nostris, spiritus mundi est qui loquitur, longè pernicioſior hoſtis, & majori ſollicitudine repellendus. Interdum verò ſatellitibus iſtis terga vertentibus, princeps ipſe habens iram magnam tanquam leo rugiens inſurgit adverſus nos, cùm videlicet non ad voluptatem carnis aut ſeculi vanitatem, ſed ad iram, ad impatientiam, ad invidiam, ad amaritudinem animi provocamur: importunè ingerendo ſi quid minùs amicabiliter minúſve diſcrete factum videtur aut dictum: ſi qua denique aut in ſigno aut in opere quolibet data videtur indignationis occaſio, materia ſuſpicionis. Huic ergo cogitationi non aliter quàm ipſi diabolo reſiſtendum eſt: nec aliter ab eâ quàm ab ipsâ perditione cavendum.

Cùm igitur à Mundo, Carne, Diabolo tam variè & pæne aſſiduè impugnemur, Jobus rectiſſimè dixit: *Tentatio eſt vita hominis.* Aut quod Græcis vocibus effertur: Tentatorium eſt vita hominis. Solent chimici, qui flores & herbas igni eliquant, officinam ſuam, *Laboratorium* appellare. Hîc carbones, hîc diverſi generis vitra, hîc prunæ, hîc clibanus, hîc aquæ in clibano exſudatæ, hîc demum eſt quidquid ad illam florum & herbarum expreſſionem ſpectat: pari modo quidquid ad tentandum pertinet, in hac vitâ obvium eſt. Tentationibus plena omnia; nuſquam non bellum; prælia & opiniones prælíorum in regnis pæne omnibus. Non Aſia tantùm & Africa, ſed & Europa tot jam annorum ſpatio bellis inteſtinis miſerrimè laborat. *Militia eſt vita hominis.* Verùm de quânam hîc Jobus militiâ loquitur? An de Aſianâ, num Europæâ, an Africanâ? De harum nullâ, ſed de illo interiore bello quod adverſus Cacodæmones gerendum, diſcrit. Cur igitur hoc non expreſſit & ſcripſit, Militia eſt vita hominis contra dæmones? Non opus hoc diſcrimine: res ipſa loquitur. Illa alia bella huic collata umbræ ſunt; Interioribus prælíis de vitâ decernitur, eáque immortali.

Conflictus exercituum picti & veri ſummè differunt. Pingit nonnunquam excellentior aliquis Apelles iconios duces, congreſſus armatorum, cruentas pugnas eâ penicilli ani[illegible] ſpectatoris præſto putet intereſſe: hîc ignes, & volantes globi, hîc hominum & equorum curſus, luctæ, lapſus, vulnera, mortes; hi cadunt, illi jacent, iſti ab equis calcantur, hi expirant; omnia penicilli artificio ſic animata, ut ſpectatorem pæne terreant; ſed animus errorem ſuum corrigens ponit pavorem & ipſe ſibi ait. Hæc picta ſunt vulnera, picta Mors; tormenta bellica, micantes gladii, plumbeæ glandes, arma univerſa ſunt picta, pictum prælium; nil formidemus. Talia prorſus ſunt bella omnia, bella picta, ſi conferantur cum eo quod adverſus Cacodæmonem movemus, idque ex iſtis cauſſis. Inter hoſtiles duas acies magna plerumque æqualitas eſt; miles militi opponitur, vir contra virum pugnat & plerumque pari armaturâ; alter alterum cernit, uterque rem ferro gerit, collato pede congrediuntur, utrimque res capitis eſt. At interioris belli longè diverſiſſima ratio; Nos omnium oculis expoſitiſſimi nullum hoſtium noſtrorum cernimus; cum dimicatione capitis pugnamus: at hoſtes noſtri non habent, quod perdant, niſi hoc unum, non vincere. 2. Nimis impares ſunt qui manus conſerunt, quod Paulus affirmans: *Non eſt nobis,* inquit, *colluctatio adverſus carnem & ſanguinem, ſed adverſus principes & poteſtates, adverſus mundi rectores tenebrarum harum.* Cum eis luctandum eſt, qui naturâ angeli, nequitiâ diaboli, jam plurimo uſu milites ſunt experientiſſimi. Saul olim Davidi contra Goliathum pugnaturo dixerat: *Non vales reſiſtere Philiſthæo iſti, nec pugnare adverſus eum, quia puer es, hic autem vir bellator eſt ab adoleſcentiâ ſuâ.* Idem hîc dicendum: Nos pumiliones ſumus & pueri bellis inexperti & inſueti, at illi milites ſunt exercitatiſſimi, gigantes, Samſones, qui Antonios, Hilariones, Macarios invadere, qui Paulum Apoſtolum, qui Chriſtum ipſum Dei filium audent aggredi. Jam enim ſex millibus pæne annorum

1. Cauſſa cur bella omnia ſint picta ſi conferantur cum eo quod adverſus dæmonem movemus.

Secunda.

Ephes. c. 6. verſ. 12.

1. Reg. c. 17. verſ. 33.

A hanc militiam exercent, omnia nôrunt ſtratagemata, conſilia imperatoria percallent, tot victorias adepti fortiſſimum quemque ſubegerunt. 3. Numerus hoſtium noſtrorum tantus, ut Theologorum alii qui dicant, unicum hominem à centum diabolis oppugnari. O bone JESV, diabolorum unicus! oppugnandos centum homines ſat virium & animorum habet, quid igitur decuria Cacodæmonum? quid non poterit centuria, ſi hominem undequaque imbecillimum, eúmque unicum impugnet? 4. Hoſtium noſtrorum machinæ, tela, Catapultæ, arma omnia perinde ut ipſi hoſtes eludunt oculos, ſpicula in nos evolantia obtutum omnem fallunt: in conflictu ſpectabili cùm alienum in nos gladium ſtringi cernimus, noſtrum & ipſi ſtringimus; at in illo B cum diabolis congreſſu ſæpe priùs vincimur, quàm pugnare nos ſciamus. Non repugnat qui oppugnari ſe ignorat: pulvis nitratus Satanæ nil habet fragoris; ſilentio perimit. Omne quidem peccatum eſt voluntarium, ſæpe tamen incogitantes & inconſiderati peccamus. Eſt qui fortè fortunâ non cuſtoditum cernat annulum, nec ſciamus. illúd religioſè cogitet: *Non furtum facies.* Mox igitur illum ſibi ſubducit & ſæculo condit. Hoc quidem eſt voluntarium, ſed inconſideratum: re meliùs examinatâ dolet & reſtitutum vellet annulum. Ita compluries incautis excidunt mendacia. Ita ſæpe victoriam perdimus, priuſquàm pugnam ſubeamus. 5. Vulnera hîc C ſæpiſſime ſunt letalia; atque quod longè peſſimum, non rarò ſauciamur & non dolemus, mortiferam plagam accipimus, & ridemus. Talis reverâ ille ſaucius: *peccavi, ait, & quid mihi accidit triſte?* En iſte joco moritur, cælum perdit, nec jacturam ſentit. Si læſum ſe ſciret, ad chirurgum properaret, ſi damnum ſentiret, de eo ſarciendo cogitaret. 6. In exterioribus bellis locus ſubinde tam commodus & opportunus eſt, ut ab hoſte ſecuritatem promittat; ſunt Urbes, Caſtra, Arces munitiſſimæ, quæ hoſtiles inſidias omnes facilè propulſent. Non ubique locorum in acie ſtamus, extra teli jactum ſæpiſſime agimus. At verò nullus uſpiam à diaboli tentatione ſecurus eſt locus: Non in templo, non ad ſacram Aram, non ad ipſam Chriſti menſam; multò minùs in foro, viâ, domo. A Satanæ inſidiis tam parum tutus eſt Monachus in Odeo, Sacerdos in Altari, Anachoreta in Antro, quàm tuta non fuit Eva in paradiſo. Hi hoſtes ſubitò à ſexcentis milliaribus, trans mare, ex orbe novo advolant. Tam quietus, tam deſertus, tam ſecretus, tam munitus, tam ſacer locus nullus eſt, qui ſuis latebris ſecurum quemquam præſtet à diaboli tentamentis. Quod Gregorius aſſerens: *Quia,* inquit, *in hac vitâ adhuc homo poſitus in cujuſlibet ordinis loco, in cujuſlibet ſecreti receſſu vivere ſine tentatione nullatenus poteſt, plerumque in eo, quod ad requiem conſtruitur, major dolor tentationis invenitur.* 7. Uti nemi- D nem Locus, ita nec Tempus ullum ab inſultu diabolorum defendit. Dixerat quidem Eccleſiaſtes: *Tempus belli, & tempus pacis.* Neque enim ſemper pugnæ fervent & prælia. Sunt quandoque induciæ, ſunt aliæ armorum feriæ: hiems è caſtris æſtivis in hiberna trahit, ubi plus otii & quietis permittitur. At verò ſtygius tentator nec feriás, nec ullas ſervat inducias: mediis precibus obturbat, diebus * ſacratiſſimis infeſtat, & quidé magis quàm aliis, (uti Rex Antiochus Judæos Sabbato) nullo unquam tempore ab Acheronticæ hujus belluæ incurſu tuti agimus, diu noctúque excubandum, & pugnandum. Militia eſt vita hominis. Non dixit Jobus: In vitâ hominis militandum, ſed ipſa tota eſt militia & tentatio. Arma nunquam nec momento quidem ponenda ſunt. Aſſidui ſunt illi clamores Dalilæ: *Philiſtiim ſuper te Samſon.* Cacodæmones ſuper te, ô homo. Neque velitationes tantùm, aut decurſiones ludicræ, ſed pugnæ ſunt decretoriæ, internecini congreſſus; de vitâ agitur & quidem æternâ.

Tertia.

Quarta.

In congreſſu cum diabolis ſæpe priùs vincimur, quàm pugnare nos ſciamus.

Exod. c. 20. verſ. 14.

Quinta.

Eccli. cap. 5. verſ. 4.

Sexta.

Nullus locus à tentatione diabolii ſecurus.

Greg. l. 23. Moral. c. 15. mihi p. 838.

Septima.

Nullum tempus à diabolorũ inſultu defendit.

Eccleſ. cap. 3. verſ. 8.

* Vide S. Leonẽ ſer. 3. de Jejunio decimi menſis, mihi p. 22. & Franciſcũ Mendozam to. 2. in libros Regum, Anno. 28. ſect. 1. mihi p. 507. de hoc uberiùs diſſerentes.

Iudic. c. 16. verſ. 9. & ſeqq.

§. II. Idcirco

§. II.

1. Petr. c. 5. v. 8. & 9.

IDcirco Petrus contentissimè vociferatur & monet: *Sobrii estote, & vigilate, quia adversarius vester diabolus tanquam Leo rugiens circuit quærens quem devoret, cui resistite fortes in fide.* Sobrietas, vigilantiæ, Castitatis, Sapientiæ, Sanctitatis mater est, gula & crapula Somnolentiæ, Libidinis, Oscitantiæ, Insipientiæ, aliorúmque vitiorum fecunda parens. Timotheo Paulus: *Tu verò,* inquit, *vigila.* Sardensi Episcopo Christus: *Esto vigilans & confirma cetera.* Eam ob caussam Cyrillus: *Opus est,* inquit, *sobriâ mente, & vigilantibus oculis, ut zizania vitemus pro tritico, pro ove lupum, pro Angelo bono diabolum.* Hîc semper vigilat in omnem nocendi occasionem intentissimus. Ergo vigiles cum vigili luctemur. Hîc Argi simus; mille oculis in hunc unum hostem est vigilandum.

Sobrietas virtutum mater est, Gula & crapula vitiorum.

2. Timoth. cap. 4. v. 5.

Apoc. cap. 3. vers. 2.

Ad vigilias quoque excitans Hieronymus: *Erras frater,* inquit, *erras, si putas nunquam Christianum persecutionem pati. Tunc maximè oppugnaris, cùm te oppugnari nescis. Adversarius noster insidiatur in occulto, sicut leo in spelunca suâ; insidiatur ut rapiat pauperem: & tu frondosa arboris tectus umbraculo, molles somnos, futurus præda, carpis? Inde me persequitur luxuria, inde avaritia conatur irrumpere, inde venter meus vult mihi Deus esse pro Christo: compellit libido, ut habitantem in me Spiritum sanctum fugem, ut templum ejus violem: persequitur, inquam, me hostis, cui nomina mille, mille nocendi artes: & ego infelix victorem me putabo, dum capior?* Uti verò sollicitus est Deus, ut nos foveat & servet, ita sollicitus est diabolus, ut nos perdat & mactet.

Hieron. to. 1. epist. 1. ad Heliodorum ante med.

Nec comedere tantùm sed devorare prædam cupit. Qui assum vituli armum comedunt, ossa relinquunt; diabolus devorat: nam homini, quem tentando vicit, Deum, Dei gratiam, cælum, cælique gaudia rapit, glutit & consumit omnia. *Militia est vita hominis,* tentatio jugis. Vigilandum & certandum. Nemo immunis à tentationibus. Cum Petro Chrysologo proclamare licet: Communis cursus est præsentis vitæ, tentationibus apprehendi. Arenam pugnæ ancipitis ingressus es, in quâ non apprehendes bravium nisi curras, non coronaberis nisi pugnes.

Cur diabolus dicitur devorare.

Iob c. 7. v. 1.

Loca omnia diabolus tentator reddit infesta, aërem, terram, aquas, jámque venatorem, jam aucupem, jam piscatorem agit. Aviculas fallit viscatis virgis, virgatis decipulis, laxioribus nodis, dispositis cassibus. Pisces capit hamo, reti, nassâ, tridente. Eam scilicet infigit hamo escam, quam scit appetituros pisciculos; insidiæ locis omnibus instructæ. Quòd si aviculam vel plumulâ vel unguiculo detineat unico, jam capta est. Ita hominum quosdam illecebris oculorum, alios illecebris aurium, hos gulæ, illos luxuriæ delinimentis, hos linguâ, illos vestium pompâ, hos nimiâ corporis curâ irretit. Omnia tentationum laqueis plenissima, quod Antonium Magnum ferunt vidisse. Laqueorum medii stamus, sedemus, ambulamus, dormimus; imò laqueos comedimus & bibimus. Copiosissima utique tentationum materia; defectu aut excessu nusquam non laboratur. Militia & tentatio est vita humana. Hebræus psaltes: *Ecce,* inquit, *mensurabiles posuisti dies meos.* Sunt qui cum Ambrosio legunt: Ecce palæstras posuisti dies meos. En, mi Domine, ait, omnes dies vitæ sunt palæstrici, luctationibus sacri. O mortales, nemo hîc somniet dies quietis, feriarum, soporis, deliciarum, ludorum, otii, gaudiorum, bacchanalium. Breves & pauci dies sunt, sed laboris, vigiliarum, negotiorum, exercitationis, dolorum, afflictionis, dies luctûs & luctæ, dies operosi valde. Ecce palæstras posuit Deus dies hominis. Rectè additur: *Universa vanitas omnis homo vivens. Et substantia mea tanquam nihilum ante te.* Subitò totus homo veluti follis aut pila vento inflata. Si compungatur aciculâ, diffluit & solvitur: sic vita hominis, re minutissimâ dissipatur, & in vagum pulverem suúmque nihilum fatiscit.

Omnia loca diabolus tentator reddit infesta.

Diaboli cassus ad decipiendum homines.

Psal. 38. v. 6.

Ibidem.

Re minimâ vita hominis dissipatur.

§. III.

HOminis vita est militia: quam Epictetus etiam exponens: An nescis, inquit, longo vitæ tempore necesse esse multa, eáque varia accidere: hunc succumbere febri, illum latroni, alium tyranno. Talis enim mundi natura est, tales amici tui. Frigora & æstus, & victûs ratio minùs apta, & itinera & navigationes, & varii casus, alium perdunt, alium extorrem agunt: alium legationem obire, alium militare cogunt. Sedero * ergo ad hæc omnia attonitus, lugens, impos voti, calamitosus, aliunde pendens, neque ex uno atque altero, sed ex infinitis. Istâne audisti è Philosophis? Ista didicisti? An nescis negotium hoc esse militiam? huic excubias agendas, illi speculatum abeundum, alii etiam pugnandum in hostem? Fieri nequit, ut eodem in loco sint omnes: neque etiam expedit. Tu verò omissis Imperatoris mandatis quæris, tibi aliquid durius mandatum esse, neque id exequeris, nec animadvertis qualem facias (quantum quidem in te est) exercitum? Nam si te quidem omnes imitentur, non fossam quisquam fodiet, non vallum muniet, non excubabit, non pugnabit: sed nullum usum expeditioni præbere videbitur. Rursus nave cùm veheris, unum locum tene, in eóque permanento. Si verò malus conscendendus erit, recusa. † Si in proram currendum, nolito. Quis autem gubernator te ferret, ac non potiùs tanquam inutile vas ejiciet, qui nihil aliud sis nisi impedimentum & malum exemplum ceteris nautis? Ita & hîc res sese habet: militia quædam est cujusque vita, eáque longa, & varia. Tuendum tibi est militis munus: & quidquid Imperator jusserit, ad nutum ejus exequendum: & si fieri queat, divinandum etiam quid velit. Obtemperandum & vigilandum. Vigilate itaque, & cetera confirmate. His geminam præceptiunculam subnecto.

* Ironia.

† Ironia iterum.

Duplex præceptiuncula.

I. Si nostra omnis vita est militia, Palæstra meritissima, uti est verissimè, constitutum nobis sit omnia perpeti, quæ militaribus moribus Imperator ac Editor Christus nos pati voluerit. Quisquis olim ad arenam, ludum, palæstram auctorabatur, jurabat se omnia passurum ausurúmque quæ legitimum gladiatorem facere jus, mos esset hoc modo: Sacramentum juramus uri, vinciri, verberari, ferróque necari. Ergo in ustionem, verbera, necem juratum. In has ipsas leges & nos Christo Ludi Domino juremus. Nec mirum, nec novum nec insolitum, nec nimis durum videatur, quidquid denique obvenerit perferendum. Milites, Palæstritæ, gladiatores sumus ad hunc ludum, & ad hanc palæstram auctorati. Contusiones, plagas, vulnera si non ridente ore, tranquillo saltem ac patiente animo perferamus. Medii tentationum agimus. Nihil inopinatum sit nobis, quod in arenâ gymnasticâ fieri consuevit. Gladiatorum non est ad ullum ictum trepidare.

1. Constitutum nobis sit omnia perpeti, quæ Christus nos pati voluerit.

Vide Lipsii Saturnalia lib. 2. cap. 4.

II. Imparati nunquam simus ad luctandum. Ubique hostes & antagonystæ, ubique tentationes & pericula, ubique luctationes & certamina, ideo nunquam ponenda sunt arma, nunquam condendus gladius. Cavendum ne vel læsi quidem unquam de statu & gradu dejiciamur. Quod Paulus præcipiens: *State ergo,* inquit, *succincti lumbos vestros in veritate, & induti loricam justitiæ, & calceati pedes in præparationem Evangelii pacis. In omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere: & galeam salutis assumite, & gladium spiritûs (quod est verbum Dei) per omnem orationem & obsecrationem orantes omni tempore in spiritu, & in ipso vigilantes in omni instantiâ & obsecratione pro omnibus Sanctis.* Athletæ Christiani est, nunquam inermem aut imparatum inveniri.

2. Imparati nunquam simus ad luctandum.

CAPVT

CAPVT II.

Tentationes frequenter eò graviores, quò tentati homines sunt sanctiores.

METallum formosissimum est aurum, formosum in crumenâ, formosum in dextrâ, formosum in abaco & mensâ; suam & in cæno retinet formam, intérque sordes amœnùm splendet. In aquâ nil sui perdit, in igne plus nitoris & auræ * acquirit. Metallum sanè nobilissimum, quod ubi ubi sit, nobilitatis suæ semper est retinentissimum. At verò fœnum & lutum nec aquam nec ignem ferunt; in aquâ lutum soluitur, durescit igne; in aquâ putrescit fœnum, in igne comburitur. Aurum ubique & semper pulchrum. Talis est homo bonæ mentis, inter tentationes velut aurum, inter ignes durat illustri patientiâ & fortitudine. Hinc plerumque quò sanctior est homo, eò gravior est tentatio. Quod jam uberiùs explicabimus.

* Aura auri.

§. I.

PRudens ac vetus scitum est: Ubi sanctiores homines, ibi vehementiores tentationes. Quàm arbor sit robusta, turbinis monstrat procella; quos animos gerat miles, declarat pugna; quàm peritus sit nauta, in tempestate cernitur; Ignis probat aurum, tentatio Christianum. *Tempestas*, ait Basilius, *probat nauclerum, athletam stadium, ducem conflictus & prælium, calamitas hominem magnanimum, tentatio probum aut improbum.*

Scilicet adversis probitas exercita rebus
Tristi materiam tempore laudis habet.
Si nihil infesti durus vidisset Vlysses,
Penelope felix, sed sine laude foret.

Basil. hom. 1. in diversos. Ambros. lib. 5. in Luc. cap. 5. vers. 111.

Cur charos amicos Deus acerbiùs tractat, alios verò humaniùs habet.

Sed miretur quis charos amicos, sanctiores viros à Deo plerunque acerbiùs tractari, exagitari graviùs, alios longè humaniùs haberi. Quid causæ? Cristallinum longè cautiore manu quàm poculum aureum tractatur, quia illud admodum fragile allisu aut lapsu unico in testas jugulatum abit: ita Deus parcit infirmioribus; naturam vitri æmulantur, tentatione facillimè vincuntur. Solidæ virtutis homines & in palæstrâ sæpius exercitati velut vasa aurea cadunt illæsa, allidúntur sine noxâ: his sanè non parcitur. Siracides tironem in Dei obsequiis perhumaniter erudiens: *Fili*, ait, *accedens ad servitutem Dei sta in justitiâ, & in timore, & prepara animam tuam ad tentationem*. Filium appellat, qui Deo servit: homines è filiis servos faciunt; contra Christus è servis filios constituit. STARE vox bello usitatissima. In exercitu Romano stationes distinctæ à vigiliis, quòd illæ diurnæ & ante portas. Stabatur ab equitibus & peditibus, aliis super aliis & longè abjunctis, & ob defatigationem circa meridiem mutatis. Et omnino capitale fuerat locum deseruisse aut penitus fugisse ex *Statione*. Tu ergo quisquis Deo serviturus venis, jam ad portas, jam ad signa in acie sta; quocunque loco dux tuus te collocârit, ibi sta; & quamvis hostis irruat, tu tamen sta; & licet spiculis in te pluat, tu tamen sta; ita enim Sacramento dixisti, apud tuum ducem te constantissimè staturum. Locum deseris, aut statione excedis? aut tu, aut certè nomen tuum in patibulum ibit ad infames illas ædes figendum. *Sta* igitur, sed *in justitiâ & timore*. Bene age, & tamen time. Diabolo totis viribus resiste: in eos enim insurgit sævior, quos sentit à Deo ardentiùs amari, in hos magno fertur impetu: nam ex hac victoriâ nobiliorem sperat triumphum; superbissimus coluber gloriosiùs censet filios Deo rapere, quàm mancipia; Avernalis hic gulo dapes appetit selectas. Inter filios Jacob non multum discordiæ vigebat, nec alter alterum excruciabat, omnium tamen invidia in unum collineabat Josephum, hunc capitalibus odiis insectati:

Ecclesiast. cap. 2. vers. 1.

Stare vox bello usitatissima.

Eccles. cit.

Omnium fratrum Jacob invidia in unum collineabat Josephum.

A *Venite*, ajunt, *occidamus*. Nimirum invidos eorum oculos ussit tunica polymita quam ei pater fecerat. Diaboli quâ Angeli, fratres nostri sunt majores natu, quia verò nos Deo chariores cernunt, incredibili & prorsus internecinâ in nos furunt invidiâ. Exagerat Christus, quod Marcus narrat, ab adolescente dæmonem, qui *exclamans, & multùm discerpens eum, exiit ab eo, & factus est sicut mortuus, ita ut multi dicerent, quia mortuus est*. Cur illum non anteà tam crudeliter habuit? quia illum ut suum possedit. Ita reverà diabolus sede, quam occupavit, pulsus, atrocissimè sævit, & omnem movet lapidem, ut in hospitium assuetum paret reditum. Ita Ægyptius tyrannus Pharao Israelis populum nunquam incrementiùs accepit, quàm cùm ille abitum moliretur. Ita prædones non multùm exultant ad prædam, si præter olus & rapas nihil inveniant; argentum quærunt & aurum. Ita piratæ naves vacuas non oppugnant sed onustas: ità omnino & diabolus, ubi plus collegi est thesauri, plus B gratiæ divinæ, ibi vigilantior prædam inhiat, & conatu animosiore pugnat.

Gen. c. 37. vers. 20. Diaboli quia nos Deo chariores cernunt internecinâ in nos furunt invidiâ. Marci c. 9. vers. 26.

Est qui seipsum miratus dicat? Cùm ego cuticulam meliusculè curarem, cenarémque lautiùs, jaris precibus, jejuniis longè rarioribus initis, cùm liberiùs delinquerem, tot manè tentationibus non urgebar, quibus jam obruor: precationes jam frequentiores ineo, inediam crebriorem tolero, plus stipis erogo, & nisi valde fallor, modestiùs & cautiùs me gero, tentationibus tamen plurimis exagitor, alia ex aliâ nascitur; videtur omnes catenas diabolus rupisse. Ne mireris hoc, ô bone, sed *accedens ad servitutem Dei sta in timore & justitiâ, & prepara animam tuam ad tentationem*. Acheronticus Pharao eos maximè insectatur, qui fugam adornant Deum secuturi. Furem maturum lictor etiam claudicans non difficulter assequitur. At ubi vinctus insignis carceres effregit & erupit, omnis apparitorum & lictorum tribus eum persequitur. Hoc solenne cacodæmoni, cùm C observat aliquem suorum jam imminere cælo, omnes intendit vires, vim omnem exerit, ut hominem à cœptis avertat. Hoc enim perduellis angelus laborat, ut neminem eò sinat ascendere, unde ipse detrusus est.

Eccli. cap. 2. vers. 1. Diabolus eos maximè insectatur qui fugam adornant Deum secuturi.

§. II.

CVm Paulus Ecclesiam Christi vexaret auctoritatis maximæ fuit & potestatis, ab omnibus cultus, Pontificum litteris commendatus: at ubi verterunt vices, & Paulus oppugnatam Ecclesiam defendere, Christum Dei filium extollere, religiones novas suadere, orbis universus ei reclamavit, omnes illum persecuti, præcipuè Judæi, innumeræ tentationes obortæ. Verissimum: *Omnes qui piè volunt vivere in Christo, persecutionem patientur: mali autem homines proficient in pejus*. Rex David ad omne Dei obsequium animatissimus: *Iuravi*, ait, *& statui custodire judicia justitiæ tuæ*. Vix hæc dixerat, & continuò subjunxit: *Humiliatus sum usquequaque Domine*. D Si ita sese res haber, quis adeò ardenter cupiat sanctimoniam & innocentiam complecti? Ergo supra mediocritatem probitatis, ajunt, non ascendamus; non simus nimiùm pii: in turbâ consistere sit fortè minùs gloriosum, at erit etiam minùs periculosum. Nos Ephesi natos credamus, ubi neminem oportuit excellere. Singularis morum sanctitas tentationibus nimis est obnoxia.

Paulus Ecclesiam vexans auctoritatis fuit maximæ, defendens ab omnibus persecutus. 2. Tim. c. 3. v. 12. & 13. Psal. 118. vers. 106. Ibid. v. 107.

Impiæ prorsus & damnatissimæ voces sub orcum mittendæ. Vos potiùs quicunque cælum ambitis, jurate & statuite custodire judicia justitiæ divinæ. Sequitur tentatio? Humiliaris usquequaque? In lucro id ponendum. Cum psalte regio pro se quisque clamet: *Vivifica me secundùm verbum tuum*.

Ibid.

De diabolo Hebræus vates Habacuc velut de tyranno subMonens: *Et ipse*, ait, *de regibus triumphabit, & tyranni ridiculi ejus erunt: ipse super munitionem ridebit. Et facies hominis quasi pisces maris, & quasi reptile non habens principem.*

Habac. c. 1. v. 10. 14. 15. & 16.

principem. Totum in hamo sublevavit, traxit illud in sagenâ suâ, & congregavit in rete suum. Super hoc lætabitur & exultabit: propterea immolabit sagenæ suæ, & sacrificabit reti suo, quia in ipsis incrassata est pars ejus, & cibus ejus electus. Delicatissima diaboli gulæ est; cupedias esurit; perquàm eruditum habet palatum satanas, saliares sectatur cenas, viros sanctos adoritur, tentat, allicit, suadet, fatigat, dum denique in nassam suam pertrahat. Nec quinquaginta quidem annis vel unicum hominem tentare negligit, modò tandem vincat. Nec ratò illi pertinacissimus hic labor ad votum successit. Ideo Dominus Jesvs in supremâ cenâ pridie mortis apertissimâ commonitione: *Ecce,* inquit, *satanas expetivit vos, ut cribraret sicut triticum.* Expetivit vos (ait optimus pastor) & magnis rogatibus instituit ut ventilando vos concuteret, turbaret, à me avelleret pusillanimitate, impatientiâ, infidelitate. Et ut sciatis, vos expetivit, vos Apostolos, qui cœpistis sanctè vivere, qui propter me omnia deseruistis, qui meâ carne ac sanguine jam pasti estis, vos jam designatos orbis Episcopos & concionatores expetivit. Et certè non omnino vacuam traxit sagenam hic piscator; inanem operam non sumpsit, nec cribro aquam hausit. Hinc enim proditio Judæ, negatio Petri, incredulitas Thomæ, ceterorum fuga: Judam devoravit, ceteros cribro succernere & evannare voluit. Atque hoc in Apostolos est ausus. Cibus ejus electus. Quod & Jobus, Tobias, David, Daniel, tot alii sunt experti. Diaboli gula cupediarum talium amantissima.

Diaboli gula est delicatissima:

Ideo in tentatione hominum non fatigatur.

Luc. cap. 22. vers. 31.

Paradigma. *Ioan. Major in speculo, &c. mihi pag. 250.*

Anachoretam memorant à cælesti ductum ad diversa sanè spectacula. Primum quod videndum ei objectum Congregatio fuit Monachorum, ad quam innumeri cacodæmones velut agmina muscarum ad rusticanam cauponam convolârunt. Expavit ad hoc spectaculi homo solitarius. Mox inde in urbem pertractus unicum vidit diabolum eúmque otiosum veluti fatigatum canem portæ civitatis incubantem. Admiratus istud Anachoreta. Et quid hoc rei est, inquit, viri illi religiosi à tot diabolis obsidentur, hanc urbem totam unicus non infestat, sed per otium tanquam sibi metuens prospectat. Cui Angelus: Hi civici homines, inquit, devoti satanæ ad ejus leges & imperium suos mores conformant. Hinc tentatoribus ut impulsoribus non egent; sponte currunt. Ad eos in officio continendos satis est vel unicus ex inferis custos, uti puerulus magnum gregem ovium ante se agit. At verò illi alii jurati sunt hostes diaboli, cui pro viribus resistunt. Hinc eos Lucifer facto agmine incursat, hos verò Numini devotos in suam nassam pertrahere nititur. Ut scias, cibus ejus est electus.

§. III.

Cvm Angeli Hussææ regionis principes velut in curiam convenissent, & unà etiam orbis circuitor dæmon adfuisset. Senatûs præses Jobum impensiùs laudans: *Nunquid considerasti,* ait, *servum meum Iob, quòd non sit ei similis in terrâ, homo simplex & rectus, ac timens Deum, & recedens à malo.* Mox satan veluti sagax venaticus canis conspectâ ferâ concitatissimo cursu ruens hunc ipsum sibi expetiit tentandum. *Et cibus ejus electus.* Oves & vaccas, ignava pecora non venatur, sed cervos & feras generosiores: illos qui ut jumenta vivunt, ventris aut Veneris mancipia, tentationibus non sollicitat, sed quos pudicis & sanctis moribus ornatos sibi minùs habet obsequentes. Quod dilucidè affirmans Gregorius: *Hostis callidus,* inquit, *quos justitiæ luce enitescere conspicit, eorum mentes illicitis desideriis inflammare contendit, ut plerunque plus se urgeri tentationibus sentiant, quàm tunc, cùm lucis internæ radios non videbant. Et multos Deus illicit atque perversa perpetrantes gratuitò prævenit, atque ad opera sancta convertit, & nonnullos rectis artibus deditos, flagello interveniente corripit ac si placentes quasi deplicent, affligit, Salomone attestante, qui ait:* sunt justi quibus multa eveniunt, quasi opera egerint impiorum; & sunt impii qui ita securi sunt, ac si justorum facta habeant. *Quo nimirum omnipotens Deus inæstimabili pietate dispensat, ut & justos flagella crucient, ne opera extollant, & injusti saltem sine pœnâ hanc vitam peragant, quia ad tormenta, quæ sine fine sunt, malè agendo festinant. Hostis noster adhuc in hac vitâ nos positos quantò magis nos sibi rebellare conspicit, tantò amplius expugnare contendit. Eos enim pulsare negligit, quos quieto jure possidere se sentit. Contra nos verò eò vehementiùs incitatur, quò ex corde nostro, quasi ex jure propriæ habitationis expellitur.*

Greg. l. 29. moral. c. 12. mihi p. 966.

Idem l. 24. moral. c. 10. mihi p. 857. Deus multos pervertit.

Anno Christiano 1566. Laoduni feminam à malo dæmone infestam homines parum sancti liberare conabantur ab hospite Avernali. At ille cunctis audientibus clamabat: Nihil mihi à vobis metuo; amici sumus & federati. Res est toti Picardiæ notior, quàm ut negari possit.

Martinus Delrio tom. 2. Disquisit. Magic. l. 3. p. 7. sect. 3. mihi p. 70.

Annales Regum memorant Hebræum populum in Masphat convenisse ad agendam pœnitentiam, ad Numen lacrymis, precibus, jejuniis placandum. Hoc ipso tempore Philistæus hostis irruit ad oppugnandos Hebræos. Res mira; tunc maximè terrebantur ab hostibus, cùm illi sincerissimè divinam opem poscerent. Quod Gregorius expendens: *Cùm,* inquit, *altiori vitâ proficimus, maligni spiritus, qui semper bene agentibus invident, nobis infestiores sunt. Nec solùm unus spiritus malus electorum singulis sed innumeri deputantur. Nam si diabolorum legio potest hominem unicum occupare, poterit etiam tentare.* His appositè dixit Cyprianus: *Eos cupit deficere, quos videt stare.* Quæ Petrus Chrysologus insigni facundiâ confirmans: *Diabolus,* inquit, *hæreses inter fideles; inter sanctos, peccatum; inter pacificos, lites; inter simplices, dolos; inter innocentes nequitiam gratis serere consuevit, non ut acquirat zizania, sed ut triticum perdat, nec ut reos capiat, sed ut adimat innocentes. Hostis plus ducem, quàm militem petit; nec obsidet mortuos, sed impugnat viventes: sic diabolus non peccatores quærit capere, quos possidet subjugatos, sed ut justos capiat sic laborat.* Et cibus ejus electus.

Diaboli sanctioribus hominibus sunt infestiores.

Cyprian l. 3. epist. 1. Chrysolog. serm. 44. mihi p. 230.

Ita sanè quò sanctiores homines, eò plerumque molestiores tentationes. Sed homini pio hinc crescat animus dum cogitat: Ego jam quidem tentatior sum, sed inde, putem, Deo etiam commendatior. Non est vir fortis & strenuus qui laborem fugit: verùm ibi crescit illi animus, ipsâ rerum difficultate, sperátque è rebus etiam difficillimis salutarem exitum. Non enim nescit optimum quemque inopiâ aut invaletudine, aut aliis incommodis à Deo affici. Nec ignorat in castris etiam periculosa fortissimis imperari. Dux certè lectissimos mittit, qui nocturnis hostes aggrediantur insidiis, aut iter explorent, aut præsidium loco dejiciant. Nemo eorum qui exeunt, dicit: *Malè de me imperator meruit:* sed, *bene judicavit.* Ita quicunque plus aliis jubentur pati, & acerbiùs tentantur, idem dicant: Digni visi sumus Deo, in quibus experiretur nostrum in se amorem. Quisque igitur apud se statuat: quantò Cacodæmon vehementiùs me oppugnârit, tantò illi animosiùs resistam. Hic vincit, qui resistit.

Modus quo homo tentationibus resistat.

Senec. ep. 22. mihi p. 43. & l. de Providentiâ cap. 4. mihi pag. 138.

CAPVT III.

Tentationes amicis Christi neutiquam ignominiosæ.

Lignum in officinâ statuarii jam dolandum, quod in Apologis est, opificem seriò affari cæpit hunc in modum: Mi Magister, quàm inhumaniter, quàm rigidè ac inclementer nos tuas arbores tractas, bipenni, ascià, securi ita nos cædis tanquam si tuæ non simus, dein ferramento cavatorio & cultellis acutissimis ita nos conscindis & scalpis, ut ligni & arboris formam penitus perdamus, nobis ipsis jam planè dissimiles. Huic statuarius:

rius: Tu planè, inquit, ut lignum, & ut truncus loqueris, cui nihil ineſt cerebri. Si tibi vel mica ſalis foret, ingentes mihi gratias ageres, quòd hoc laboris ſubeam, & è trunco ſtatuam ſcalpendo faciam. Tibi iſtud ſummo eſt honori; in ſilvâ ſtanti nemo caput aperiet, nemo genua flectet. Ubi ſupremam operi manum impoſuero, accedet piétor & inaurabit te, inauratam dente poliet & lævigabit; inde in aræ collocaberis, hîc vario cultu tanquam imago hominis ſancti afficieris. Querela tua prorſus lignea & fatua eſt; neſcis quid dicas; tu igitur ſilvæ tuæ obliviſcere, ſcalprum ſuſtine, & brevi tuos ipſa miraberis honores. Arbores aliæ foris manent in ſilvis inhonoræ, pabulum ignis futuræ; tibi perpetuus ex merito continget honor.

Nos homines exiguiſſimæ ſapientiæ quàm cuperemus jam eſſe ſancti, jam cælo locati, ſed aſciam, ſcalprum, dolabram, ſecurim pati recuſamus. Hîc adverſus ſtatuarium querelæ oriuntur ſexcentæ. Nimirum *homo cùm in honore eſſet non intellexit*; ſed neque jam intelligit in honorem reponendus; tentationes velut aſcias & ſecures horret. O trunce, ô lignum rude manus artificis & acutiora ferramenta ne repelle; ſecari & ſcalpi te permitte. Hoc tuo fit honori. Cùm in nobilem ſtatuam evaſeris, ſilvâ exiiſſe, frondes tótque alia perdidiſſe non pœnitebit. Ita prorſus tentationes amicis Chriſti nequaquam ignominioſæ ſunt. De quo jam diſſerendum.

Pſal. 72. 23. Tentationes ſunt cis & ſecures, quibus homo ab ignominia eradit.

§. I.

PRincipiò hîc varia obiiciuntur. Eſt qui dicat: Meas ipſe ſordes erubeſco; & nolim videri ab aliis aut ſciri quàm fœdæ, execrabiles, abominandæ cogitationes nonnunquam me infeſtent; Ah, divinos oculos exire nuſquam licet; ſpectatores cælites formido, quò profugiam? Non mala hæc cogitatio. Sed ne cadamus animis; tentationes quantumcunque turpes & horribiles, nec dedecori, nec damno ſunt, ſi adoriantur reſiſtentem. Hîc vinci, eſt pugnare nolle.

Cùm fortè pagum tranſimus, graviſſimè indignamur, ſi è ruſticanis tuguriis moloſſi in nos prorumpant. Mox enim vociferantes audias: Cur iſti nebulones non alligant ſuos canes, ut cuivis tutò liceat tranſire? Ita forſan obliquè querimur: Cur Deus ſuos Cerberos non coërcet inferorum catenis? nuſpiam nec momento quidem ab illis tuti ſumus: ad latus ſemper hærent diaboli, & omnes nobis vias obſepiunt. Ergo Deus illos vinculis adſtringat; ita quieti ab illis agemus. Iſta nos humano more ſupputamus, & quietem præproperè, loco non ſuo, nec tempore, anhelamus. Nimirum extra tentationis aleam eſſe cuperemus. Erimus: ſed nondum. Priùs pugnandum, à pugnâ & victoriâ venit quies. Hoc Deo & nobis magis honorificum, idque pluribus de cauſſis.

1. Ceſſare tentari ſe Deo & nobis magis honorificum.

Hinc enim elucet 1. Suavitas regiminis divini. Optimus Deus quemadmodum homini, ſic & dæmoni arbitrium, ſubinde ſaltem, permittit. Violentum nimis ad omnia manus ei ſtringere.

1. Elucet ſuavitas regiminis divini.

2. Clementia divina hîc cernitur, quæ cacodæmoni alas non evulſit, ſed accîdit, dentes non excuſſit, ungues non præſcidit, ſed illos iſtos ita detrivit limâ, ut nec mordere jam, nec inuncare ullum poſſit niſi volentem. Debilitatus & fractus eſt in plurimis. Alioquin certè, ſi quod vult, & naturæ viribus poteſt, ſineretur agere, orbem ſuſque déque jam pridem vertiſſet, noſtrum omnium confodiſſet jugulum. Sed adeò acciſæ poteſtatis eſt, ut illud ei in omnibus præfixum, HVC USQVE. Sicuti Magiſtratus in reum carnifici dictat: Hunc in modum ſubjiciatur quæſtioni, eò uſque torqueatur, tot mulctetur plagis, illud ſupplicii luat. Ita omnino Deus ad unguem præfinivit dæmoni quouſque in nos illi liceat ſævire. Quod loco ſuo uberiùs explicandum. Nam maximi refert hoc quàm probiſſimè capere.

2. Clementia divina hîc cernitur.

3. Divina Sapientia hîc apparet, quæ quidem genium ſuperbiſſimum viribus uti naturalibus ſinit, nihilominus ab homunculis multò infirmiſſimis vincitur creberrimè. Hoc ſanè menti tam ſublimi, angelo tam potenti ſummo dedecori & probro eſt ab hominibus lureis velut beſtiam cæcam rideri. Obibat olim Monachii per plateas urſus cæcus, puerorum & puellarum ludibrium. Cùm enim miſerum pecus ſibi mendicaret pabulum, paſſim illis vocibus ſalutabatur: pande fauces bellua; quantum potes, hia. Hiavit, fauces pandit, ſed ſæpe pro panis bucceâ ſordes, lapilli, lutum in os fremenris beſtiæ conjectum. Ita diabolus, veriſſimo nomine, pauper, hinc illinc ſibi pabulum mendicat, ſed à multis ludibrio habetur. Athanaſius refert Antonium ſuis dixiſſe: Creditiſne filioli, quod dicturus ſum vobis? Vidi aliquando diabolum excelſum corpore, qui ſe DEI virtutem & providentiam auſus eſt dicere, & ait ad me: Quid vis ut à me tibi donetur, Antoni? At ego in eum Chriſti nomine armatus, ſputaculum maximum in os ejus ingeſſi. Et ſtatim procera virtus illa evanuit. En Lucifer Angelorum formoſiſſimus, velut urſus cæcus ab homine conſpuitur. *Iam tu*, ait Auguſtinus, *illude draconi, ad hoc enim hic factus eſt draco.*

3. Divina ſapientia apparet.

Diabolo ſummo eſt dedecori ab hominibus rideri.

Athanaſius in vitâ Antonii cap. 20. apud Roſweid. mihi pag. 46.

Aug. tom. 8. in Pſ. 103. mihi p. 497.

4. Potentiæ divinæ hîc elucet, quæ grande bonum elicit è tentationum malo. Diaboli tentatio, noſtra perfectio: unius peccatum, alterius meritum. Diabolus Deo ſubjectiſſimus ſine licentiâ divinâ nil poteſt. In Ægypto aquas in ſanguinem mutare, & ranas potuit producere, quia id Deus permiſit; culices procreare non potuit, quia Deus id non permiſit.

4. Potentiæ divinæ elucet.

5. Juſtitia divina hinc eniteſcit, ſic enim multa puniuntur delicta. Tentatio velut ſpuma cauſtica noxarum ſordes eluit. Quod Gregorius aſſerens: *Fit*, inquit, *mirâ diſpenſatione pietatis, ut unde malignus hoſtis cor tentat, ut interimat, inde miſericors conditor hoc erudiat ut vivat.* Jam olim Deus per Iſaiam id ſe facturum monens: *Et convertam*, inquit, *manum meam ad te, & excoquam ad purum ſcoriam tuam, & auferam omne ſtannum tuum.* Aurifaber argentum eliquat igne, ut à ſtanno, plumbo, metalliſque aliis ſecernat & expurget; Ita Deus hominem urit tentatione, ut purget à criminum labe. Et fructuoſum nobis & honorificum eſt tentari. Gregorius quem dixi, aſſignans cauſſam: *ut tantò*, ait, *ſit copioſior fidelium gloria, quantò eis irrogata fuerint graviora prælia.*

5 Juſtitia divina eniteſcit. *Greg. lib. 2. Moral. cap. 24. mihi pag. 349. Iſa. cap. 1. v. 25.*

Deus hominem urit tentatione, ut purget à criminum labe. *Greg. in lib. 1. Reg.*

§. II.

CVm hoſtis ſingulari ſtratagemate ac inſidioſo excurſu aggrediendus eſt, non tirones, non ignaviſſimi militum ſeliguntur ad id genus pugnæ: veterani & exercitatiſſimi quique ad ſigna evocantur. Hoc illis laudi eſt, ad aggreſſus arduorum adhiberi. Ita & jis, quos Deus gravius tentari ſinit, honori eſt, in arduis occupari. In munitiſſimis caſtris, eò locorum optimi collocantur, ubi vehementior inſultus hoſtium timetur. Quis hoc illis probroſum dixerit? Haud aliter Deus ad eam vitæ conditionem multos evocat, in quâ tentationibus abundent. Hîc certandum pro Rege & pro lege. *Felix perſecutio*, ait Auguſtinus, *cujus Deus eſt cauſſa.* Eodem prorſus modo licebit dicere: Felix tentatio, quæ auctorem habet & adjutorem Deum. Quid verò aliud eſt tentatio quàm hoſtis avernalis perſecutio?

Hominibus, quos Deus gravius tentari ſinit, honori eſt, in arduis occupari.

Purpuratis Chriſti Athletis nil æquè magnam peperit gloriam, quàm pro Chriſto contumelias, carceres, plagas, tormenta, ſannas, vulnera, necem pertuliſſe. *Ibant Apoſtoli gaudentes à conſpectu concilii, quoniam digni habiti ſunt pro nomine* JESV *contumeliam pati.* Cædebantur virgis tanquam crucis candidati; at illi hanc ignominiam & virgarum ſupplicium ſummi honoris argumentum interpretabantur; non quia hæc paſſi, ſed quia hæc pati pro nomine JESV digni ſunt habiti. Primæ dignitatis eſt pro

Unde gloria ſanctorum emerſerit. *Act. c. 5. v. 41.*

Primæ dignitatis eſt pro Chriſto dimicare,

pro Domino Jesv dimicare. Cùm ergo tentamur, animosissimè resistamus. Pro hoc Rege, pro hac lege certasse immortalem parit gloriam.

Videte obsecro Tarsensem Paulum; nequissimus illi apparitor adjunctus? non ut serviret, sed ut colaphis suum Dominum cæderet Angelus Satanæ, stimulus carnis. Quid hoc monstri, obsecro? Apostolus, & tantus universi orbis doctor carnem sentire stimulantem? In paradisum, in supremum cælum eductus fuerat, & caro illi jam faciat injurias? An non istud pudori & verecundiæ fuit? Rogavit quidem Dominum, nec simplici vice, à vexatore tam importuno liberari. At ubi audiit hac in re divinam gratiam sufficere, mox ad omnes tentationes excipiendas paratissimus: *Libenter igitur*, inquit, *gloriabor in infirmitatibus meis, ut inhabitet in me virtus Christi. Propter quod placeo mihi in infirmitatibus, in contumeliis, in necessitatibus &c. Cùm enim infirmor, tunc potens sum.*

2. Cor. c. 12. v. 9. & 10.

Virtus non solet esse otiosa.

Virtus non solet esse otiosa, nec enim socordes ferias, aut ignavam ab opere cessationem quærit, quam scit sibi non solùm esse inutilem, sed & turpem. Ut igitur ea semper habeat quod agat, varias illi tentationes Deus submittit; & ut cum diabolo identidem altercetur & pugnet, Pauli dicto: *oportet & hæreses esse*; oportet & tentationes esse, *ut & qui probati sunt, manifesti fiant.* Siracidæ dicto: *Vasa figuli probat fornax, & homines justos tentatio tribulationis.* Non est probrosum vasi fictili in fornacem mitti, & ad usum durari, sed ignes non pati & crepare, hoc fœdum est. Nec argentum nec aurum inhonestat, ad coticulam examinari, flammis explorari, sed illam & istas non posse sustinere hoc pudendum tam nobilibus metallis. Hebræus psaltes: *Probasti nos Deus*, inquit, *igne nos examinasti, sicut examinatur argentum.* Dum argentum & aurum in fornace sudant, suam nobilitatem oculis non probant, ejusdem cum igne coloris sunt, merus esse ignis videntur; at ubi fornacem exierunt, nitorem suum explicant: ita nos planè dum solatiis & sensibus suaviòribus aliis non caremus, vera virtus ab indole naturali & bonâ propensione difficulter distinguitur; at verò cùm amarescunt omnia, cùm tentati, torpidi, solatiis destituti sumus, si Deo tamen nihilominus adhæreamus, laborem non fugiamus, officium nostrum non negligamus, nec preces statas omittamus, hæc vera virtus, hoc argentum purum, hoc aurum recoctum est. Cor istud rectum ac sincerum est, quod nullis tentationibus à Deo avelli potest.

1. Cor. c. 11. v. 19.

Eccli. c. 27. v. 6.

Ps. 65. v. 10.

Quando virtus ab indole naturali distinguatur, & quando non.

§. III.

A Fornace in hortum egrediamur. Vitem non decorat olitoris falcula * putari, circumcidi, pampinari; illi ungues ferrei palmites orbos & superfluos amputant. Attestatur Joannis calamo Servator: *Omnem palmitem qui fert fructum, purgabit eum, ut fructum plus afferat.* Haud aliter tentatio, atque falx vinitoria, incidit & resecat, sed hominis bono, ut instar vitis maturos tempori racemos omnium commendatione offerat.

* Scripicula Varroni.

Joan. cap. 15. v. 2.

Tentatio evexit ad sublimem gloriam: Jobum, Job cap. 16. v. 13. 14. 15. & 17.

Ad quàm sublimem gloriam evexit Jobum acerbissima septennii tentatio? seipsum Jobus deplorans: *Ego ille*, inquit, *quondam opulentus, repentè contritus sum; tenuit cervicem meam, confregit me, & posuit me sibi quasi in signum. Circumdedit me lanceis suis, convulneravit lumbos meos; non pepercit, & effudit in terrâ viscera mea. Conscidit me vulnere super vulnus, irruit in me quasi gigas. Facies mea intumuit à fletu.* Hæc illi omnia in gloriam, posteritati in exemplum, dæmoni in contumeliam evenerunt. Josephum, Josephum à pastoris filio, è mancipio vendito, è servo captivo Ægyptium proregem fecit tentatio. Quantum Tobiæ, quantum & Susannæ pepererunt decus utriusque gravissimæ tentationes, quæ illos longè fecerunt gloriosiores, quàm si eos Deus mox cælo recepisset. Ergo non tentari, sed tentationibus assentiri & succumbere ignominiosum. Sicut qui adolescentes ad discendum animant: Non turpe est, inquiunt, nil scire, sed nihil velle discere.

Tobiam, Susannam,

Narrat Valerius maximus Q. Fabium Maximum quinquies consulem, virum jam pridem summæ auctoritatis, & tunc ultimæ senectutis Legatum à senatu ad filium Consulem tunc Suessæ agentem perveniisse. Filio extra urbem cum lictoribus prodeunti occurrit in equo pater, quem ubi è lictoribus nemo, more veteri jussisset equo descendere, plenus iræ senex sedere perseveravit. Quod cùm filius sensisset, proximo lictori ut sibi appareret, & senem equo descendere juberet imperavit. Cujus voci Fabius continuò obsecutus: Non ego, inquit, fili, summum imperium tuum contempsi, sed experiri volui, an scires Consulem agere. Nec ignoro quid patriæ venerationi debeatur; verùm instituta publica privatâ pietate potiora judico. Ita Deus quos tentari sinit, non contemnit, deserit, nec eos pudefacere sed experiri vult & explorare, num sciant hominem Christianum agere, num munere suo ritè fungi, num tentanti adversario se norint opponere, idque aliis etiam vult constare. Hoc omnibus fortiter agentibus maximo est honori. In cælo primæ dignitatis est pugnasse pro Deo.

Valer. lib. 3. cap. 2.

Deus quos tentari sinit, non contemnit, sed experiri vult, ut cognoscant, hominem Christianum agere.

CAPVT IV.

Tentationes ostendunt quàm quisque Deo sit fidelis.

Ciborum numero sunt qui nec sanis hominibus salubres, nec digestu faciles sunt, & tamen ægrotis dantur. Cochleæ robusti prorsus alimenti, & concoctu difficiles, iis tamen qui Phtisi laborant in alibile nutrimentum exhibentur. Vinum rubellum, encyphias aut pulmentum amygdalinum, oryza lacte cocta, corporibus sanis sæpe non congruunt, ægrotis tamen quos licenteria aut alvus citata vexat, salubriter porriguntur. Ovum igni duratum valentissimæ materiæ est, adjuncto tamen aceto ad bilem non irritandam suadetur. Tentationes à principio morositates magnas, difficultates operosas creant, sed semel evictæ animum insigniter firmant. His saluberrimæ sunt, qui peritè illis uti norunt. E pluribus tentationum commodis primum est: Quàm fidelis quisque Deo sit, tentationes ostendunt. Quod hoc capite exequemur.

§. I.

Tentationes plurimùm prosunt, sed scientibus eas veluti farinaceam massam subigere. Tentatio nos Deo amicos conciliat. Siracidæ præceptio est: *Si possides amicum, in tentatione posside eum, & non facilè credas ei: est enim amicus secundùm tempus suum, & non permanebit in die tribulationis.* Bene Antisthenes: In auctione, inquit, vas empturus curiosè illud inspicis, pulsas, huc illuc versas, tinnitu explorasque antequam emas. Ita Numertes interrogatus, quod Plutarchus refert, quâ ratione amici fidam probitatem exploraret: Per fortunam, inquit, adversam. An Navigii firma sint latera, compago solida, costæ validæ, commissura probè ferruminata, tempestas monstrat. Ita Thelassius ad Paulum presbyterum: *Sinceritas*, inquit, *amici, in tentatione ostenditur, quando scilicet in necessitate communicat.* Amicos suos Deus adversis experitur, urget difficultatibus, in deliciis non habet, in tentatione possidet, virtutum non lenis exactor. Inter homines probos & Deum non tantùm amicitia, sed necessitudo etiam, imò & similitudo est conciliante virtute: quoniam quidem homo probus est Dei discipulus, æmulatórque & vera progenies, quam pater ille magnificus instar patris severi, durius educat.

Laert. lib. cap. 8. Amici fides probatur per semetipsa adversam fortunam exercitam.

Thelassius in Basilium cap. 2. Amici sinceritas ostenditur quando scilicet in necessitate communicat.

Inter homines probos & Deum est amicitia & similitudo.

educat. Itaque cùm videris viros bonos acceptósque Deo laborare, sudare, per arduum ascendere, malos autem lascivire & voluptatibus fluere, cogita eos tristiori disciplinâ contineri, filiorum modestiâ non vernalarum licentiâ delectari. *Ergo contemnatur*, ait Augustinus, *superbia tentatoris mei, sustineantur flagella patris mei.* Imago Dei sumus. Æmulatores verò aut certè sumus esse debemus, Pauli etiam hortatu: *Estote ergo imitatores Dei, sicut filii charissimi.* Dies mali, horæ tristes, turbidi soles, acervatæ tentationes aperiunt quàm quisque Deo fidelis sit amicus. Peramanter Christus discipulos pridie mortis suæ solatus: *Iam*, inquit, *non dico vos servos, quia servus nescit quid faciat dominus ejus. Vos autem dixi amicos.* Et velut rationem redditurus dicti: *Vos estis*, ait, *qui permansistis mecum in tentationibus meis.* Observat Hieronymus dictum: In tentationibus ait, nec enim in unâ solùm, sed in omnibus fidelitatem monstrandam. Amicos Deus tentatione multiplici exercitatos possidet. Jurisconsultis possessio est quasi pedum positio. Locum, in quo pedem quis figit, & quò lubet deambulat, hunc possidet. Videtur Deus in bonæ mentis homine pedem figere, eúmque velut pavimentum calcare. Hunc tentatione facit suum, in tentatione possidet.

Invitatus quispiam ad cenam magnam, ut purgaret absentiam: *Iuga boum*, ait, *emi quinque, & eo probare illa.* Christus Dominus nos veluti suos boves allocutus: *Tollite*, inquit, *jugum meum super vos*, Agite dùm mei boves, vos jugo non gravi aptate. Hic homo grandi admodum pretio, sanguine suo vos emit. Nunc verò abit probare vos. Hunc habere dominum vobis utilissimum. Ergo dum vester vos dominus probat, jugum ne detrectate, tentationi ne cedite.

Jobus de Avernali tauro Behemoth copiosè disserens: *Ecce*, inquit, *spes ejus frustrabitur eum, & videntibus cunctis præcipitabitur.* Hic plurimorum votum est: Jam illum Deus præcipitet, & ab illo nostra quies non turbabitur. Cur præcipitatio ista tamdiu differenda? Ita visum providentiæ divinæ ad vitam hominum per hos rebelles angelos exercendam. Nam sicut à Deo cuivis hominum sub ipsum exordium vitæ assignatur tutelaris custos Angelus: sic etiam à tenebrarum principe angelus adversarius cuilibet apponitur, qui ad noxas, inde ad exitum trahat. Ita Jobo dicitur. *Ecce Behemoth, quem feci tecum*, qui assiduus imminebit tibi ut tentet, irretiat, perdat. Hæc à plerisque priscis patribus recepta est sententia.

Ita unicuique nostrûm assiduè gemini adsunt stipatores. E cælo ille, ut tueatur & ad omnem ducat virtutem; ex orco iste, ut insidietur & ad vitia omnémque nequitiam impellat. Nos horum medii dies noctésque agimus. In eo autem salutis nostræ cardo vertitur, cuinam assentiamur, quem sequamur ducem. Duo domini sunt diversissima jubentes; utrique obsequi non licet. *Nemo potest duobus dominis servire.* Alteruter vel odio erit vel amori. Cautissimos fige pedes, quisquis es, duorum medius incedis, hic propinat vitam, hic mortem sempiternam: tui arbitrii est in hujus vel illius sententiam velis concedere. Hunc rerum ordinem divina statuit providentia. Non casu, non irâ Numinis hoc factum; nec effractis carceribus illi perduelles in nos ruunt, sed providentissimo Deo permittente nos observant assiduè atque oppugnant, ne Palæstra nostræ desit virtuti; sic nostra exacuitur patientia, sic submissio eruditur, ita excitatur oratio, ita fides instruitur. At multi, ais, hac pugnâ vincuntur. Viderint ipsi. Nec enim illis arma, nec divina deest gratia; possunt resistere, possunt vincere. Nolunt? Eorum socordiâ vel malitiâ fit. Hæc culpa solis ipsis impingenda. Alii dum tentationibus resistunt, generosè vincunt, & sua quotidie augent promerita. Tentationes istis utilissimæ, A virtutes augent dum exercent. Marcet sine adversario Virtus.

§. II.

PRincipiò quæsitum: Quid est Tentatio? Experimentum probatio. Hinc tentatus, aut tentator aliique discunt, quid boni malive lateat in homine. Hac scientiâ Deus non egeret, alii & nos eâ egemus nobis ipsis sæpe ignotissimi. Eximiè Augustinus de Jobo: *Noverat eum Deus*, inquit, *& ei testimonium perhibebat. Diabolus eum non noverat, & ideo dixerat: Nunquid gratis colit Deum? Videte quò provocat inimicus? Videbat hominem Deo servientem, in omnibus obsequentem, omnia bene operantem. Videbat Deus in corde servi sui cultum gratuitum. Diabolum latebat, quia in tenebris erat. Admisit Deus tentatorem, non ut ipse nosset quod noverat, sed ut nobis noscendum & imitandum præberet. Tentaris ergo ut exercearis, tentaris ut proberis, tentaris ut à teipso invenianris. Deus tentat ut doceat, diabolus tentat ut decipiat. Si Deus cessat tentare, magister cessat docere.* *Aug. tom. 8. in psal. 55. mihi p. 224.* *Idem tom. 10. ser. 72. de Tempore, mihi p. 263.*

A Deo quærens Jobus: *Quid est homo*, inquit, *quia magnificas eum, aut quid apponis erga eum cor tuum? Visitas eum diluculo, & subitò probas illum.* Hebræâ phrasi ita loquitur: quid est miser homo, ut ceterorum quasi oblitus hunc unum magnifices? Jam licet dicere: Magnificus cinis. Sed quæso, Jobe mi, quid magnificare, & magnificentiam appellas? Hoc reipsâ est deprimere ac humiliare. Quis enim ita visitari velit, quis tam acerbè cupiat probari? Si principum aut magnatum aliquis eâ dignatione oculos in famulum coniiciat, ut dicat: Videam, num me amet. Hunc sanè magnificare censendus. Mox enim alii atque alii quærerent: Quid hoc hominis est, cujus amorem tanti æstimat princeps, ut illius specimen & experimentum expetat? ita Deus electum sibi populum probaturus: *Ego*, inquit, *non delebo gentes, quas dimisit Iosue, ut experiar Israël, utrum custodiant viam Domini, & ambulent in eâ.* Hæc populi mei in me fidelitas, ut omnibus fiat explorata, Hethæos, Gergezæos, Amorrhæos, Chananæos, Pherezæos, Hevæos, Jebusæos, & omnem hanc hominum fæcem non auferam. Ad Lydium hunc lapidem populus meus est probandus. Sic amantissimus Deus cum quovis nostrûm agit, *subitò probat nos*, imò assiduè (quod Hebræa vox testatur) & momentis præsse singulis. Ideo Jacobus Domini discipulus ad hilaritatem sanctam excitans: *Omne gaudium*, inquit, *existimate fratres mei, cùm in tentationes varias incideritis, scientes quòd probatio fidei vestræ patientiam operatur.* Tentatio est fidelitatis ac fidei nostræ in Deum probatio. Cùm examen instruitur ad Philosophiæ vel Jurisprudentiæ supremam lauream obtinendam, examinandi juuenes, non ut pueruli de Grammaticæ præceptiunculis interrogantur; Quid est nomen, pronomen, verbum? quid est metaphora, quid Metalepsis, quid Metonymia? quid est Ens rationis, quid materia prima? Quid est feudum, quid emphyteusis, quid usucapio? Non his quæstiunculis res agitur, sed theseos defensor hinc illinc oppugnatur, premitur, urgetur, constringitur, omnis elabendi via occluditur, iterum iterúmque novis rationum jaculis configitur. Hîc demum apparet, quid eruditionis maturæ, quid virilis scientiæ sibi comparârit, quàm dextrè norit volantia in se tela excipere. In tentatione hac eruditâ præclarè stare laudis est, & doctorum albo inscribit. Hic vir ille, hic est, qui viri docti congressum audeat sustinere, hic laureâ supremâ dignus. Sic Abrahamus rigidè à Deo examinatus & tentatus est. De hac Abrahami tentatione Augustinus insignissimè: *Tentatur Abraham*, inquit, *de immolando dilectissimo filio suo Isaac, ut pia ejus obedientia probaretur, sæculis in notitiam proferenda non Deo. Neque enim omnis est culpanda tentatio, quia & gratulanda est, quâ sit probatio. Et plerunque aliter animus humanus sibi ipsi innotescere* *Iob cap. 7. v. 17. & 18.* *Hebr. Enos, hoc est, homo miser.* *Iudic. cap. 2. v. 21. & 22.* *Iacobi cap. 1. v. 2. & 3.* Tentatio est fidelitatis ac fidei nostræ in Deum probatio. *Aug. tom. 5. lib. 16. de Civit. c. 32. mihi p. 199.*

innotescere non potest, nisi vires suas sibi non verbo sed experimento tentatione quodammodo interrogante respondeat: ubi si Dei munus agnoverit, tunc pius est, tunc solidatur firmitate gratiæ, non inflatur inanitate jactantiæ. Abraham non trepidavit credere, quando sibi promittebatur, non trepidavit offerre quando exigebatur: nec fuit religio credentis contraria devotioni obtemperantis. Credidit suscepturus filium, credidit occisurus; ubique fidelis, nusquam crudelis. Omnino perduxit filium ad locum victimæ; armavit etiam dexteram cultro. Attendis quis feriat, & quem feriat, attende quis jubeat. Pius Abraham obtemperando; quid Deus jubendo? Quòd si Abraham bene fecit obtemperando, multò melius, & longè melius, incomparabili modo, Deus jubendo. Nescit se homo, nisi in tentatione discat se. Cùm autem didicerit se, non negligat se. Sibi enim se negligebat latentem, non se negligat notum sibi. Quid ergo dicimus, fratres? Etsi sciebat se Abraham, nos non noveramus Abraham. Aut sibi, aut certè nobis, prodendus erat. Sibi, ut sciret, unde gratias ageret; nobis, ut sciremus, quid à Domino deprecaremur, vel quid in homine imitaremur. Quid ergo nos docet Abraham? Ut breviter dicam: Ut Deo non præponamus, quod dat Deus. Ergo nec illud quod tibi pro magno præstat Deus, præponas illi qui præstitit. Et cùm voluerit subtrahere, non tibi vilescat, quia gratis amandus est Deus. Quod enim dulcius à Deo præmium, quàm Deus ipse?

Aug. tom. 10. ser. 72. de Tempore, mihi p. 263.

Tentatio Abrahami sibi profuit & nobis.

Horribilissima prorsus fuit hæc tentatio. Singulæ tentantis voculæ cor patris discindere potuissent: *Tolle filium tuum unigenitum, quem diligis, Isaac, & vade in terram visionis; atque ibi offeres eum in holocaustum super unum montium quem monstravero tibi.* Hoc erat non filii tantùm, sed & parentis jugulum petere. Nos mille aliisque mille tentationibus petimur, quarum tam gravis & vehemens nulla: sed adjecit animum Abrahamus ad Dei jussum, &, ut Augustinus loquitur, non credidit aliquid impossibile esse Creatori. Tulit itaque filium, in montem perduxit, veste nudavit, manus colligavit, aræ admovit, gladium strinxit, ictum destinavit. Hîc manum cohibe. Meritissima fuit tentationis probatio. Jam cælo, jam terræ notum, quàm Dei amans, quàm fueris Deo fidelis usque in montem, usque ad aram, usque ad victimam, usque ad jugulum victimæ multò carissimæ. *Beatus vir,* Jacobo teste, *qui suffert tentationem, quoniam cùm tentatus fuerit, accipiet coronam vitæ.* O beatum hominem, qui sustinere novit tentationem, quam certè mel dicet & sacharum, si futurum cogitet tentatione victâ præmium. Hoc animo Paulus: *Ego jam delibor,* inquit; *& tempus resolutionis meæ instat: bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi. In reliquo reposita est mihi corona justitiæ.* Maximas, continuas tentationes vir iste passus ab omni hominum genere, ab orbe universo: totus Acheron in unum hunc virum pugnavit, catenatus eum labor exercuit, undique & undique pericula cinxerunt. At ille fidem servavit: in reliquo reposita est illi corona justitiæ.

Gen cap. 22. v. 2.

Iac. cap. 1. v. 12.

2 Tim. c. 4. v. 6. 7. & 8.

§. III.

Tobiæ tentationum sex capita: Primum. *Tob. cap. 2. v. 19.* Secùndum. Tertium. Quartum. Quintum. *Idem cap. 1. v. 22.* Sextum. *Idem cap. 2. v. 12.*

Tobias tentatissimus, sed Deo verè fidelissimus. In digitos mittamus tentationis capita. I. Fortunis provolutus ad inopiam devenit: uxor ipsius textrix *ibat ad opus textrinum quotidie, & de labore manuum suarum victum, quem consequebatur, deferebat.* II. Cæcus fuit: geminatum, grande supplicium paupertas & cæcitas. III. Irrisus à parentibus, cognatis, conjuge. IV. Captivus regis Salmanasaris. V. Occidi jussus à Sennacheribo rege, qui omnes Tobiæ facultates fisco regio addixit; *Tulit omnem substantiam ejus.* VI. Fugitivus, exul, facultatibus lapsus latuit cum familiâ. *Hanc autem tentationem ideo permisit Dominus evenire illi, ut posteris daretur exemplum patientiæ ejus, sicut & sancti Iob.* Si minus patientiæ & in Deum fidelitatis habuisset Tobias, dixisset: Num igitur ego unus adeò stultus sim, ut omnibus serviam; sit alius aliis exemplo, & ista tam gravia patiatur. Nil horum somniavit, sed immobilis in timore Dei permansit, nil unquam sibi displicere passus, quod Deo placuisset. Unica Dei voluntas, unicum illud: *Sic Deo visum,* instar multarum millium causarum illi fuit. Quapropter Deo semper fidelissimus: *Vitam illam,* inquit, *expectamus, quam Deus daturus est his, qui fidem suam nunquam mutant ab eo.* Porrò tentatio Tobiæ tam diuturna, tam gravis fuit, ut ab ipso voces illas expresserit: *Præcipe Domine in pace recipi spiritum meum: expedit enim mihi mori magis quàm vivere.* Sed Angelus demum tentationis sudores anxios abstergens: *quia,* inquit, *acceptus eras Deo, necesse fuit, ut tentatio probaret te.* Alia è diametro plerisque omnibus est ratiocinatio: Qui Deo, ajunt, acceptus est, à tentatione, miseriis, rerum difficultate immunis est. At verò Angelus apertissimè dixit: *Necesse fuit, ut tentatio probaret te.* Non tantùm conveniens & decorum, sed necessarium fuit te tentari, & diversis malis exerceri. Lex pridem lata: *Per multas tribulationes oportet vos intrare in regnum Dei.*

Tob. cap. 2. v. 18. *Idem cap. 3. v. 6.* *Idem cap. 12. v. 13.* *Actor. c. 14. v. 21.*

Hæc Romanus sapiens ad amussim rationis executus illustrissimè: *Quare,* inquit, *multa bonis viris adversa eveniunt? nihil accidere bono viro mali potest. Non miscentur contraria. Quemadmodum tot amnes, tantum supernè dejectorum in vivum, tanta medicatorum vis fontium, non mutant saporem maris, nec remittunt quidem: ita adversarum impetus rerum viri fortis non vertit animum. Manet in statu, & quidquid evenit, in suum colorem trahit. Est enim omnibus exterior potentior: nec hoc dico, non sentit illa: sed vincit, & aliquin quietus placidúsque contra incurrentia attollitur. Omnia adversa, exercitationes putat. Quis autem, vir modò, & rectus ad honesta, non est laboris appetens justi, & ad officia cum periculo promptus? cui non industrioso otium pœna est? Athletas videmus, quibus virium cura est, cum fortissimis quibusque confligere, & exigere ab his, per quos certamini præparantur, ut totis contra ipsos viribus utantur. Cædi se vexarique patiuntur: & si non inveniunt singulos pares, pluribus simul objiciuntur. Marcet sine adversario virtus. Tunc apparet quanta sit, quantùm valeat, polleátque, cùm quid possit patientia ostendit. Scias licet, idem viris bonis esse faciendum, ut dura ac difficilia non reformident, nec de fato querantur: quidquid accidit, boni consulant, in bonum vertant. Non quid, sed quemadmodum dum feras, interest. Non vides, quantò aliter Patres, aliter Matres indulgeant? illi excitari jubent liberos, ad studia obeunda maturè, feriatis quoque diebus non patiuntur esse otiosos, & sudorem illis, & interdum lacrymas excutiunt; At Matres fovere in sinu, continere in umbrâ volunt; nunquam flere, nunquam tristari, nunquam laborare. Patrium habet Deus adversus bonos viros animum, & illos fortiter amat: &, operibus, inquit, doloribus, ac damnis exagitentur, ut verum colligant robur. Languent per inertiam saginata: nec labore tantùm, sed mole, & ipso sui onere deficiunt. Non fert ullum ictum illæsa felicitas, &c.*

Senec. lib. de Providentia c. 2. mihi pag. 151. Deus habet paria animum ergà bonos viros.

Quapropter ubi virtus, ibi & virturis obrussa tentatio, ubi aurum, ibi & coticula; ideo tentati, quia Deo accepti: Quantò plus pugnæ, tantò plus erit gloriæ. Quando igitur nec ipse de se homo, nec ulli alii nosse queunt, quàm Deo sit fidelis, nisi tentatio hanc ingerat notitiam, non est quòd tentationem & experimentum nostri tantopere horreamus. Nullum tam vile opificium est, quod à suis specimen artis non exigat: Videamus, ajunt, quid didicerit, tirocinium faciat, edat artis specimen Christus sub vitæ finem, suorum in tentationibus constantiam laudans, regiæ mensæ societatem promisit. Cupis, mi Christiane, in hac eâdem societate numerari, amicus regis dici, fidelis Christo permanere? In tentationibus Christi permane.

Tu ne cede malis, sed contra audentior ito,
dic centies, dic uno die millies audentior ibo in casus omnes.

Virg. lib. 6. Æneid. Idem lib. 9. Æneid.

Solebat vir princeps & perlætus animi caussà promptum sui famulitii obsequium molestiùs explorare, nec suis

suis ipse vestibus parcere, quò penitus posset suorum in se animum inspicere. Nam subinde cùm placidum rivum transiret, illum expeditus junctis pedibus insiliit hoc hortatu: Qui me amat, me sequitur parili saltu. Hîc diversum oris habitum in famulis erat videre. Hi alios, num præeant circumspicere; isti promptissimè sequi, & mox eòdem insilire, alii aliquantulùm cunctari, & vesti velle parcere; illi ridere & domino applaudere, isti contractiore vultu hunc lusum ægriùs ferre. Planè illis tentatio fuit. Ita de singulorum indole ad aquas sumptum est experimentum. Servator Noster Christus *habitu inventus ut homo, ductus est in desertum à Spiritu, ut tentaretur à diabolo. Non enim habemus Pontificem qui non possit compati infirmitatibus nostris; tentatum autem per omnia pro similitudine absque peccato.* Ita tentationum aquas insiliens clamat: Amici mei me sequuntur: *Qui vult venire post me, abneget semetipsum.* Vis esse amicus Christi? Vesti tuæ, corpori tuo ne parce, fidem serva; in tentatione possidebit te amicus hic tuus. In reliquo reposita est tibi fidem servanti corona justitiæ. Nam *vitam illam expectamus quam Deus daturus est his qui fidem suam nunquam mutant ab eo.*

CAPVT V.

Tentationes industriam acuunt & fervorem.

AQuila, quod Ulysses Aldrovandus annotat, subinde pullos permittit leniter cadere, ut tantò promptiùs in alas sese librare discant. Interim Mater sollicita cùm errant pulli & cadunt, mox adest, & alis sublevat portátque. Ita Deus cum suis amantissimè agit, labi eos & cadere permittit, ut quos humana imbecillitas dejecit, divina erigat potentia. De seipso rex David: *Impulsus*, inquit, *eversus sum ut caderem: & Dominus suscepit me.* En pullum aquilinum suópte ingenio cadentem, sed maternâ ope surgentem.

Petrus Christi discipulus inambulabat aquis, Magister eum mergi aliquantulùm sinebat. Mox ille suppetias inclamans: *Domine*, inquit, *salvum me fac. Et continuò* JESVS *extendens manum, apprehendit eum, & ait illi: Modicæ fidei, quare dubitasti?* Vide mi Petre, per aquas gradi, nondum plenè didicisti: absque me fuisset, in imum traxissent te aquæ.

Ita labi, cadere, mergi, impingere, quod in tentationibus solet fieri, nonnunquam valde conducit. Casus cautiorem facit & attentiorem. Tentatio ad agendum stimulat, industrium & ferventem efficit, quod capite isto explicandum.

§. I.

INdustriam & fervorem non rarò ingerit tentatio. Unde Batavis, Belgis, aliisque Germanis tot támque exercitati milites? Ab assiduis bellis, quæ modò Pannoniam, modò Gallias, modò Italiam involvunt. Mars inquietus & vagus jam istud, jam aliud regnum occupat. Hinc Europa magnam partem ab annis pluribus armata militandi artes excellenter didicit: utinam & militarem disciplinam disceret. Carthago æmula Romæ, populo Romano plurimum negotii facessivit. Hinc quæstio illa in senatu sæpius ventilata, Num Carthago penitus evertenda? Plurimi ajebant evertendam, & unà tot bellorum seriem tollendam. Negabant alii hoc ullo modo committendum, ut juventuti Romanæ nobilissima virtutis & armorum exercitatio non subtraheretur. Quâ in re primarii duo senatores Cato & Scipio Nasica pugnantibus sententiis colluctabantur. Cato infidæ pacis metu aboleri Carthaginem volebat. Nasica militiæ gerendæ peritissimus non exscindendam judicabat ut illius metu cohiberentur vitia, mores optimi propagarentur. Nam eâ deletâ, inquiebat à continuo armorum usu ad otium & delicias diffluemus. Rebus adversis certiùs efflorescit virtus, quàm secundis. Sed Cato cum suis præpolluit sententiâ; Carthago est eversa. Sed magno Romæ detrimento. Hinc Q. Metellus devictâ jam Carthagine asseveravit in Curiâ: Nescire, se, illa victoria boni ne plus an mali attulisset. Quoniam ut pacem restituendo profuisset, ita Annibalem submovendo, nonnihil nocuisset. Enim verò transitu in Italiam, dormientem jam populi Romani virtutem excitatam; metuique debere ne acri æmulo liberata in eundem somnum revolueretur. Tentatio, velut Annibal, dormientes excitat, somnum pellit, ad laborem & opus instigat. Ita Deus Israëlis populum crebrerrimis bellis funesto arcuit veterno. Ita tempestas fragoribus & fulgetris noctem exterrens ad vigilandum & orandum multos lecto excurit. Haud aliter tentatio plurimos ad vigilias & preces impellit.

De Judâ Israëlis Principe annales Judicum narrant: *Fuitq; Dominus cum Iudâ & possedit montana; non potuit delere habitatores vallis, quia falcatis curribus abundabant.* Res mira: multis & illustribus victoriis montes in suam potestatem Hebræus populus redegit, cur expugnare valles nequivit? Falcatis curribus, dices, abundarunt. Esto. Sed potuisset Deus facilè hoc armorum genus aut subducere aut enervare. Sed vallium incolas vinci noluit, ut per eos populum suum identidem expergefaceret. Cur oporter esse hæreses? Ut per Antiperistasin istam à frigore augmentum accipiat calor. Ita tentationes in via virtutis impedimento non sunt, sed incitamento; quemadmodum flagella, virgæ, calcaria non sunt ad equum conficiendum, sed ad equi cursum promovendum. Et sicut his stimulis nonnunquam equus etiam citatus, ita homo etiam probus tentamentis eget acuendæ industriæ. Et qui rarus oret & vagus, stipem eroget prorsus exiles, inediam nullam toleret, hostis jejunii, suas undecunque oblectatiunculas avidè aucupetur. Hunc repentè vehemens invadit tentatio, subitò probat illum Deus. At ille in arcto deprehensus opem circumspicit, crebriùs orat, liberaliùs stipem erogat, frequentiùs jejunat; eò facit omnia, ut à tentatione liberetur. Ita Deus à malis debitoribus officium Christiani hominis suaviter extorquet.

In patre & filio Regibus hoc luculentissimum. Rex David Salomonis parens aliud ex alio bellum est orsus. Hostes habuit Ammonitas, Moabitas, Philistæos, Amalecitas, ipsum etiam filium Absalonem expertus est rebellem: vix unquam rex David toto imperii tempore clausit armamentaria, & tamen ærarium regium inter assidua bella incredibiliter ditavit, thesauros maximos argenti, auri, & gemmarum Salomoni filio reliquit; ita quod mireris, Rex potentissimus atque ditissimus gerendis bellis est effectus. At verò filius Salomon, quod Regum fasti dicunt, *obtinebat omnem Regionem, quæ erat trans flumen quasi à Taphsa usque ad Gazam, & cunctos Reges illarum regionum; & habebat pacem ex omni parte in circuitu. Habitabátque Iuda & Israël absque timore ullo, unusquisque sub vite suâ, & sub ficu suâ, à Dan usque Bersabee, cunctis diebus Salomonis.* Omnes ferè populi Salomonis erant tributarii. Navigationem insuper in Tharsis argenti & auri feracissimam quot annis expedivit. In tantâ rerum tranquillitate, inter has auri segetes, inter opes planè immensas demum depauperatus ærarii fundum rasit, ita quidem ut suos cives ac subditos emungere, tributa justo graviora imponere, pecunias undique corradere cœperit. Unde, obsecro, hæc ærarii labes? Pax ipsa, & in pace luxus Salomonem depauperavit. *Requiem dederat ei Deus per circuitum: & non erat satan neque occursus malus.* Hinc omnia in aulæ luxum, in gynecæi delicias expensa. Tandem reverà tot auri fontes in egestatem exaruerunt. Videte, obsecro, Regem David ditarunt bella. Pax & rerum

Tentatio dormientes excitat, & ad laborem & opus instigat.

Tentationibus homo ad viâ virtutis incitatur.

David inter assidua bella thesauros maximos Salomoni filio reliquit; 3. Reg. c. 4. v. 24. & 25.

Salomon verò in summâ rerum tranquillitate depauperatus est. 3. Reg. c. 5. v. 4.

rerum omnium abundantia Salomonem depauperarunt. Ita prorsus tentationes & pugnæ ditant innumeros, quos ferventes reddunt & industrios. Pax alios & otium ad miseriam, paupertatem animi detrudunt.

§. II.

TEstudines, Cheles, Musica & Pneumatica Organa, æratarum fidium instrumenta si diu ferirentur, fides remittunt & corrumpuntur; vestes si non usurpentur, à tineis consumuntur; stagnantes aquæ ranas & hoc genus piscium progenerant; ager quem aratrum non inverat, lolio & spinis exuberat; homo per tentationes non exercitatus, ob languorem noxium malis moribus & vitiis abundat.

Plutarch. parte 1. in Laconicis, mihi p. 393. Cleomenes Rex Spartanus Anaxandridæ filius, Plutarcho teste, interrogatus, cur Argivos victos non delesset? Ne desint, ajebat, qui juvenes nostros exerceant. Noluerunt enim Spartani à suo rege urbem licet molestissimam excindi, ne eos acuendæ in bella juventuti eriperetur.

Cùm equi jugales & vectarii lassescere incipiunt, & lentiùs progredi, auriga concutit habenas, & insonat flagello, mox illi celeriùs incedunt, & tamen auriga eis nihil nocuit, in aëre duntaxat plausum fecit. Nos identidem, quod fatemur, velut jumenta pigra lassescimus. *Psalm. 118. v. 28.* Rex David de seipso: *Dormitavit anima mea,* inquit, *præ tædio; confirma me in verbis tuis.* Mi Deus, excita me; tu es auriga meus. Ergo adest Deus & facultates, aut valetudinem, aut dignitates, aut homines charos adimit. Hæc valde sentimus; gravis tentatio. Sed quid indignaris, ô jumentum plaustrarium? hæc animo non nocent nisi impatienti; hæc somnum pellunt, hæc industriam acuunt, hæc jubent celerare gressum.

Superioribus annis pluribus Europa, & in eâ Germaniâ dormitavit præ tædio; cauponæ magis, quàm templa frequentabantur: comprecationes in templis raræ, compotationes in tabernis quotidianæ, & quæ inde scelerum lues sequi consuevit, per omnes ubique urbes grassabatur: Bacchus & Venus latissimè imperabant; corruptela morum maxima passim irroborabat. Tandem Deus hunc ævi lethargum dispulsurus Anno Christiano 1617. horribilem cometam, velut virgas * ad fenestram cæli affixit. Inde bella, horrida bella: Inferior & Superior Germania omnis bellorum incendiis miserrimè deformata: exusta tecta, vastati agri, exhausta æraria. Nulla defuit malorum facies per annos viginti & plures. Bellicæ tentationes istæ plurimùm afflixerunt. Sed oculos & animum erigamus in cælum, ita Deus militaribus his fragoribus, dormitantes præ tædio excitare consuevit. Tam gravis sopor pilis plumbeis, venatoriis fistulis, tormentis æneis erat pellendus. Profectò vigilare cœpit aliquantulùm Germania. Hinc publicæ comprecationes, cùm decem, tam quadragintahorarum toties repetitæ, quibusdam locis pæne quotidianæ, hinc largiores aliquorum eleemosynæ, hinc crebriora jejunia, hinc vestium & conviviorum luxus alicubi, volentibus nolentibus nobis, repressus. Nam facultatibus valde jam accisis negat crumena nummos superfluis, cùm desint etiam necessariis. Nimirum jam strictiùs philosophari jubemur: quod dixisse ferunt Platonem, cùm audisset sua omnia naufragio periisse. Vir nobilissimus in Bavariâ unâ & litteris excultissimus novam suæ mensæ sobrietatem subridendo commemorans: Ante hos annos, inquit, mensam habui ferinæ carnis & altilium omni genere oppletam, flore Liberi coronatam. Nunc verò præter jusculum & carnem vaccinam acidámque cervisiam nec prandium nec cena quidquam apponit: Nunc certè strictiùs philosophari jubeor. His tamen tam strictis mensæ legibus magis quàm anteà sospes & sanus ago.

* *Cometa illa Virgarum formam habuit.*

Dixit hoc in mensâ publicâ Anno 1634. die 21. Augusti.

A Ita bellicæ tentationes tot præcedentium annorum, non tantùm sobrios sed industrios ac laboris tolerantes fecerunt. Gratias agamus tentationibus, quæ licet diuturnæ videantur, sunt tamen brevissimæ: *modicum* 1. Petr. 1. *nunc si oportet contristari in variis tentationibus.* v. 6.

§. III.

THeodoretus varias sanctorum hominum pugnas percensens, demum de viro sanctissimo, luctatore prorsus magno sermonem instituens: Jacobus, inquit, Maronis discipulus, tugurio & murorum tegumento hisque omnibus valere jussis, pro tecto cælum habuit, omnes aëris injurias passus: jam solaribus radiis exustus, jam nimbis perfusus, jam nive ac glacie opertus: quæ omnia ita fortiter & constanter pertulit, ac si corpore non suo uteretur. Nec tamen tentationes dæmonis evasit, etsi maximis rigoribus carnem domaret. Alimenti calidi nil unquam admisit. Tres sæpe dies totidémque noctes ita tegebatur nivibus ut glaciaretur, nec tamen orare desisteret. Sæpe ligonibus è nive ac glacie vicini eum eruerunt. Semel duntaxat, idque vesperi corpus refecit; lens malefacta pro totâ ei cenâ fuit. Tam pectus, quàm tergum catenis ferreis decussatim constrinxit; collum insuper & lumbos circulo ferreo ligatos semper in ipso etiam morbo habuit. Quod Theodoretus ipse vidit & contrectavit, & viro in seipsum rigidissimo ægrè persuadere potuit, ut tantisper in febri ferreum illud multorum talentorum onus seponeret. Nunc quidem, ô pater, ajebat Theodoretus, febris officio ferri ungitur; cùm ea verò remiserit, tunc rursus suum corpori laborem ex ferro imponemus. His demum precibus ægrotum flexit. Ter quatérve illum diabolus diuturnâ prorsus siti afflixit. Cùm enim unus aliquis soleret bis quavis hebdomade aquam adferre, dæmon Jacobi formam induens à ministro illo aquam accepit & effudit. Tandem Jacobus jam pæne confectus siti, quam diebus quindecim sine omni potu toleraverat, quæsivit è socio, Cur aquam tam diu non tulisset? Ego verò, inquiebat iste, semper eam attuli, & tu obvius, à me consuetum potum accepisti. Hîc Cacodæmonis fraudes patuerunt. Nec tamen sanctissimum virum tentare desiit veterator. Nam nocte quadam vociferatus altùm: Ego, inquit, iis te fœtoribus opplebo & tantum infamiæ inuram, ut nemo te vel oculo dignaturus sit. Cui Jacobus promptè: Ego verò, inquit, gratias tibi agam, quia in tuum inimicum beneficus, hoc unum efficies, ut Dei ardentiùs meminerim. Quò enim mihi plus otii fuerit, hoc magis in divinâ pulchritudine contemplandâ occupari potero. Paucis pòst diebus visæ sunt duæ mulieres è monte descendere, quas Jacobus ad insolitum aspectum expavescens lapidibus insectari statuerat, sed minarum quas noctu audierat, memor: Hæc est, ajebat secum, illa infamia infernalis colubri. Ego autem nec quidem movebo me, sed Deum deprecabor. Dixit, & illæ ambulantes feminæ evanuerunt. Sed necdum ullæ tentationum induciæ. Omnia molitus est dæmon, ut vel saltem turbaret viri preces, si propositum mutare non posset. Hinc varii noctu terrores & incredibilis sæpe inquies objecta. Audiebantur nonnunquam currus & vehicula transeuntia, aurigarum clamores, hinnitus equorum, pedestris turbæ strepitus, rixantium tumultus, mulierum ululatus, imminentium latronum excursus. Sed irrita fuerunt hæc omnia tentatoris terriculamenta. Nec tamen destitit tentare. Ita floridissimi juvenis formam induit; decorâ cæsarie, eleganti vultu, ore subridente Jacobum adiit. At vir sanctus jam notas fraudes persentiscens: Quomodo, inquit, maligna vulpes terram obis & omnes homines tuis tentationibus sollicitas? Cui dæmon: Non solus, ait, hoc ago; multi sumus, qui & ludimus, & in serium ludos vertimus. Huic denuo Jacobus: Abi, air,

Theodoret. cap. 22. apud Rosweid. mihi p. 38. & segq. Jacobi contra tentationes pugnat.

ait, imperante Domino JESV, & notum tibi hospitium porcos subi. Non tulit Christi Nomen speciosa larva, & in auras abiit.

His sese artibus miserrimi cacodæmones tenent, hoc eorum est negotium, tentare. Quod infrà demonstrabimus, de Tentatione locuturi.

Nos sedulos opifices æmulemur, cùm eos varius exercet labor, cùm vestiendi aut calceandi exigunt quæ facienda conduxerunt: Ergo, ait Magister, laboremus & satagamus. Ad fores expectat lucrum, certè ad nos ingressurum, si fores pandat labor. Amici desidiâ & morâ non sunt fugandi. Ergo citiùs surgendum, ad lectum seriùs redeundum. Noctes utrimque multilatæ longos faciunt dies. Agamus socii, agamus. Non deambulandi, non otiandi, non potandi, sed laborandi & lucrandi jam tempus est. Ita sua senio providebimus solatia.

En mechanicum ingenium, si quidem frugi sit, in rem suam tam catum est, vt opportunitatem augendæ pecuniolæ non sinat elabi vacuam. Ita prorsus cùm maximè quis tentatur, ipse sibi dicat: Age age; jam attentiùs & crebriùs orandum, exteriores sensus custodiendi cautiùs, plus stipis largiendum, parciùs prandendum, subinde cenâ abstinendum. Nec enim abit tentator cerberus, dum macellum patet. Vigiliis, abstinentiâ, precibus hic canis stygius fugatur. Ergo Deum totis brachiis, & quàm arctissimè potes, complectere. Nulla tibi tentatio, nulla nocebit adversitas, ut Ecclesia canit, si nulla tibi dominetur iniquitas. Nunc animis opus; aude aliquid cælo dignum. Non spectatorem tantùm, sed & auxiliatorem habes Dominum JESVM, Pontificem tentatum per omnia. Hunc intuere in deserto esurientem, in oliveto precantem, in prætorio sputis, flagris, spinis opertum, in clivo Golgothæo linguis, sannis, clavis confixum, pro te mortuum. Quid tu pro illo? Si crucem tuo corpore vestire non potes, eam saltem patienter porta. Resiste diabolo, & fugiet à te. Si pugnare non vis, præmium non amas, cælum odisti. Quid trepidas? Solus non es; Dominus JESVS tecum est, ut pugnantem juvet, ut vincentem coronet. Vicisti, si audes & velis vincere. Omnia, vel maxima quæque mala diligentibus Deum cooperantur in bonum.

Hæc omnium validissima est cohortatio quâ se ipsum quisque ad virtutem concitat. Sibi ipse quilibet potentissimus virtutis suasor est.

CAPVT VI.

Tentationes animum emaculant & Sapientiam docent.

MVlta sunt aromata, quibus sine omni detrimento vitæ carere possumus. Et quanti sine pipere ac gingibere, sine croco, cariophyllo, cinnamo sine macè & unguentariâ nuce, sine omni peregrino aromate vitam agunt commodissimè. Has merces Germani è terris alio sole calentibus apportant. Sine aromate Germanico, sine *Sale* difficillimum est vivere. Sal non tantùm panibus pinsendis, sed omnibus pæne cibis coquendis admiscetur. Nec tantùm cibis, sed & aliis quæ parantur in cibos, sal adhibetur. Carnes bubulas, ceruinas, aprugnas, pisces, & quidquid ejuscemodi eduliorum est, diutiùs servare non licet, nisi sale aut fumo durentur. Butyrum diuturniori usui servandum, priùs est saliendum. Mensa sine sale profana, culina sine sale paupertima, nulla est. Hinc Origenes: *Sicut caro*, inquit, *si sale non aspergatur, quamvis sit præcipua, corrumpitur: ita & anima nisi tentationibus assiduis saliatur continuò resoluitur & relaxatur.* Caro sale non conspersa corrumpitur, animus tentatione non duratus contabescit. Quod divus Leo asseverans: *Nulla sunt*, inquit, *sine tentationum experimentis opera virtutis; nulla sine perturbationibus fides, nullum sine hoste certamen, nulla sine congressione victoria.* Tentatio hominem ab ignaviæ tabe conservat, tentatio purgat, tentatio prudentiâ donat, sapientem efficit. Quod jam explicatiùs dicendum.

Sal omnibus pæne cibis coquendis admiscetur.

Orig. in lib. Num. Ita anima nisi assiduis tentationibus saliatur, continuò resolvitur. Leon. 35.

§. I.

TEntatio delictorum sordes expurgat, prudentiam & sapientiam ingenerat. Quod Hebræus psaltes testatus: *Igne nos examinasti*, ait, *sicut examinatur argentum.* Valde quidem urit, ô Domine, tua fornax, sed istud est solatio; sicut nobilioris notæ metalla, ex igne prodeunt formosiora, ita nos tentatione purgamur & recoquimur, excusâ scoriâ prodit argentum purum, aurum excoctum. Quod Zacharias prædicens: *Vram eos, inquit, sicut uritur argentum, & probabo eos sicut probatur aurum.* Annis superioribus ussit Dominus Germaniam fame, bellis, peste. Illud tamen solatur omnem publicam & privatam calamitatem: Deus aurifex peritissimus scit quid faciat, nec ullas sibi leges figi patitur; argentum suum, quamdiu vult, excoquit & purgat, idque argenti bono. Nam addit Zacharias: *Ipse vocabit nomen meum, & ego exaudiam eum.* Sed sunt, qui querantur: Vocamus, ajunt, sed non audimur. O malè queruli! Nemo istud cogitet. *Non audimur*, ait Augustinus, *ad voluntatem, sed audimur ad sanitatem.* Eramus, quis enim neget, argentum rude, impurum; hoc ergo fuit excoquendum. Quod Isaias dixit: *Convertam manum meam ad te, & excoquam ad purum scoriam tuam, & auferam omne stannum tuum.* Res mira, non omnia mollit ignis. Cera quidem in igne liquescit, diffluuit metalla, limus durescit. Maronis metrum est:

Limus ut hic durescit, & hæc ut cera liquescit,
Vno eodemque igni ———

Virgil. eclogâ 8.

Sunt qui tentatione efferatiores fiant & pertinaciores, divina negligant, Deum precari desinant, cæli surditatem accusent & impiè dicant: Quamtumvis diu multúmque orem, nihil tamen efficio; ferreum est cælum arque inexorabile; Labori ergo parcam. Quid enim frustra clamem si non audiar? En lutum graviter induratum. At verò probi dolore animi conliquescunt in ipsas quandoque lacrymas. Metallum probum, argentum purum. *Tentatio*, inquit Augustinus, *tempestas est, ex quâ hic emergit, ille suffocatur.* Israëlis populus per mare medium viam transeundi reperit spatiosissimam; rex Pharao cum suis in eodem maris vado submersus est, Noëmus cum suis in diluvio super omnia montium cacumina in sublime per arcam vectus est, reliqua omnis turba in aquis periit. Tentationes ita quosdam purgant, ut ii ad Deum, ad cælestia & divina ardentiùs ferantur. Hos inundantes aquæ in altum elevant.

Improbi hominis voces.

Gen. cap. 7. v. 17.

Quartana febris, morbus planè admirabilis. Adversùs hunc subinde plurima tentantur, profectu nullo. Ægrotus demum liberalissimè, & quantum appetentiæ lubet, jentare sinitur, sed à cibo, vel ante illum propinatur poculum quod ciet vomitum. † Ita æger cum amplo fenore reddit, quidquid priùs ingessit: nam unà cum cibo glutinosos humores & alui coacta rejicit. Hæc hominis sanitas; ita quartana pellitur. Tentatio velut medicata potio, in mente turbas excitat, molestias creat, parit nauseam, sed ita purgat; tentatus sæpe omnem conscientiam in aures fidas exonerat, ita gravi se onere levat. Mare circumflantibus ventis & tempestate commotum, perinde ut homo nauseabundus, vomitat & unà plurimum purgamenti rejicit, eóque vomite seipsum depurat: tentationes velut turbines & tempestates valde commovent, sed simul sordes diu collectas ejiciunt.

† *Vomitorium appellant.*

Tentatio est potio medicata.

Joannes Gerson vir ad omnem pietatem eruditissimus hîc solatur, &: *Quamvis*, ait, *in tentatione quispiam non usquequa-*

In tentatione homo se di-

vinæ voluntati conformare debet.

usquequaque cautissimus aliquantulum delinquat, nihilominus si divinæ voluntati sese conformans dicat: Sit, Domine, sit istud, pro ut vis: hic erroreſ suos insigniter legit & amplam promeretur gratiam; excoquitur & fit mundus. Divinus Moses etsi virorum omnium mitissimus, tamen tentatus, & velut è stomachi nauseâ æger querimoniam non unam ultro citróque jactans, & velut cum Deo suaviter expostulans: *Cur*, inquit, *afflixisti servum tuum? quare non invenio gratiam coram te? & cur imposuisti pondus universi populi hujus super me? Nunquid ego concepi omnem hanc multitudinem, vel genui eam, ut dicas mihi, porta eos in sinu tuo, sicut portare solet nutrix infantulum &c. Unde mihi carnes, ut dem tantæ multitudini? &c. Non possum solus sustinere omnem hunc populum, quia gravis est mihi.* En Mosem hominem mansuetissimum, sed tentatum, quantâ fiduciâ omne cor suum in Dei aures egurgitavit? Purgat animum tentatio.

Num c. 11. v. 11. & seqq.

§. II.

Tentatio sapientiam instillat. *Eccli. c. 34. vers. 9.*

SEd sapientiam instillat tentatio. Siracides apertissimè pronuntiat: *Qui non est tentatus quid scit?* De homine ad omnia inexperto ita solemus loqui: Quid ille rerum omnium rudissimus sciat? nunquam nec pedem patrio solo exsilit, lucem non aspexit; gladium nunquam strinxit, bombardam nullam explosit, nullam academiam vel eminus unquam vidit, celebritatem nullam adiit, Veronensi sene stupidior,

Claudian. de sene Veronensi, mihi pag. 151.

Indocilis rerum, vicinæ nescius urbis;

qui non solùm in acie nunquam stetit, sed nec aciem, nec ullum unquam hostem spectavit, ad suam domi fornaculam consenuit, nec portis quidem urbicis egressus, quid ille de bello disserere norit? Ita prorsus, qui non est tentatus quid scit? cùm nihil didicerit, rudis & fatuus in plurimis? Quibus consiliis, quâ juvabit ope tentatum ipse nunquam tentatus? Experientia & usus Magister rerum optimus. Illum laudabimus chirurgum, qui multa obligavit vulnera, medicum illum qui multos curavit ægros, ipse nonnunquam æger, illum pugilem & lanistam, qui in palæstrâ sæpius probè contusus non rarò cruentum cum corollâ caput abstulit: ita ille nobis erit sapiens qui per tentationes è cælo eruditus, per experientiam ex se scientiam sibi comparavit, doctrinam demum discendo ab aliis accepit. De Christo ipso clarissimè Paulus: *Et quidem*, inquit, *cùm esset filius Dei, didicit ex iis quæ passus est, obedientiam.*

Sapiens per tentationes sibi scientiam comparat. *Hebr. cap. 5. v. 8.*

Cassianus narrationem fide dignissimam ingressus: Juvenis, inquit, nobis optimè notus, nec omnium ignaviſſimus ad senem quærendi remedii causâ profectus, tentationes suas omnes candidè aperuit. At imperitus senex amarissimis eum verbis excipiens, religione ac Monachi nomine indignum dixit, qui talibus laboraret cupiditatibus. Hæ senis tam importunæ objurgationes ita juvenem vulnerarunt, ut letali tristitiâ involutus animum penitus desponderit, nec jam ampliùs cogitarit, quomodo tentationi obsisteret, sed quâ proximâ viâ illi satisfaceret. Dum ergo è senis tugurio mœstissimus abit; jámque cogitationum æstu abreptus vix sciret ipse quò tenderet, Apollo abbas optimis ominibus illi obvius statim è juvenis vultu didicit, quid turbationis animo lateret. Scisciatur ergo familiarissimè, quid illæ frontis nebulæ significarent, quis animum occupasset mœror? At juvenis pisce magis mutus, nec verbulum habuit respondere. Apollo mellitissimis verbis hominem aggressus, quædam quærere, & unà ad responsum animare, spémque optimam injicere. Hîc silentium rumpens juvenis, & ingenuè animi vulnus detegens: Quandoquidem, inquit, è senis illius sententiâ, religione indignus sum, & vestem hanc & simul religionem omnem exuam. Ad meos redibo, facturus quod meus mihi genius dictaverit. Ita statui. Ubi Apollo senex detectum vulnus vidit, ita læsum oratione blandâ demul-

Cassianus Collat. sacrâ 8. cap. 13.

Ejus rei paradigma.

cendum ratus, narrare cœpit, quantas ipsémet, & planè simillimas, imò easdem prorsus tentationes sentiret. Sed, ô mi optime juvenis, non est quod desperemus, inquit, sed nec adeò miremur hæc talia nobis evenire; nequissimus hostis noster non feriatur, sed nec erubescit teterrima quæque suggerere. Hæc illius negotia sunt. Sumamus animos: ope divinâ, Dei gratiâ adjuti non difficulter vincemus hostem. Et quæso te, vel diem unicum differ quod facere destinasti. Spe plenus ad tuam cellulam redi. Ego exequar cetera. Mox hic ipse Apollo in pedes se conjiciens ad tugurium morosissimi senis illius properavit. In viâ passis brachiis fusísque lacrymis Deum precatus: O Domine, inquit, humani cordis arbiter & medicus omnis imbecillitatis nostræ scientissimus, morbum & impugnationem illius juvenis in senem istum converte; sentiat unde commiserescere aliorum discat. Dixit, & unà vidit ab Æthiope ignitum jaculum in senis casam torqueri. Continuò senex ædiculâ procurrens & iterum rediens, iterúmque in apricum provolans, jámque velut ebrius & amens huc illuc cursitabat, imò & eam ipsam viam, quâ juvenis meditabatur aufugere, insistebat. Apollo satis intelligens quale vulnus senis animo ignitum illud diabolo telum inussisset, æstuantem & mirè turbatum senem accedens, ejúsque manu prehensâ: Quò properas, inquit, omnis maturæ gravitatis oblitus? An iterum juveniles impetus induisti? dic quò te vagi pedes? At ille conscientiâ convictus, & arcanum sui pectoris patere ratus siluit; altus gemitus vicem responsi fuit. Cui Apollo: ad cellam, inquit, revertere, & tandem intellige, quàm hactenus miles imperitus fueris, nec versutias hostiles noveris. Et certè diabolus vel ignoravit te, vel contemptim præteriit, & despexit. Nec enim in eorum numero censendus es, quorum ille studia & sacros profectus quotidianis præliis lacessit. Unicum in te jaculum contorsit, & tu illico victas manus præbere, religiosam disciplinam velle abrumpere, sacra castra deserere. Vide, post tantam annorum seriem quam hoc vitæ genere trivisti, etiámnum tiro es, & prima religionis rudimenta nescis. Disce igitur vel senex imbecillitati alienæ lenitatem ac misericordiam tribuere. Hoc ideo in te permisit Deus, ut ipsâ docereris experientiâ mitiùs cum tentatis agere. Juvenem illum non tantùm solatiis & consiliis non fovisti, sed quantùm in te erat, in desperationis foveam egisti ab hoste devorandum. Et utique illum hostis tam validè non oppugnasset, nisi eum judicasset te fortiorem. Sed pepercit illi Deus, imò & tibi magis, illum pernicioso tentationis æstu liberans, te pio condolendi affectu instruens. *Dominus est qui flagellat & salvat, deducit ad inferos & reducit. Dominus mortificat & vivificat; Dominus pauperem facit & ditat, humiliat & sublevat. Quia ipse vulnerat & medetur, percutit & manus ejus sanabunt.* Hæc oratione copiosâ impressit seni Apollo ut eum doceret mansuetiùs cum tentatis agere.

Tob. cap. 13. v. 2. 1. Reg. cap. 2. v. 6. & 7. Job cap. 5. v. 18.

§. III.

VEtus est præceptio: *Cum tentato noli duriter agere, sed consolationem ingere, sicut tibi optares fieri.* Idque convenienter paginis divinis. Salomonis scita jubent: *Erue eos qui ducuntur ad mortem, & qui trahuntur ad interitum, liberare ne cesses.* Qui graviter tentatus est, non procul ab interitu est. Hic ergo alloquiis placidissimis à præcipitio abducendus. Quando igitur vel Paterfamilias, vel cœnobii Guardianus, vel monasterii, vel collegii Rector, vel domûs dominus videt filium aut servum aut domesticorum alium tentatione gravi pæne absorptum, cogitet: Hic homo jam igneus mons est, quacunque tangam, uret; Objurgationem acerbiorem jam ægrè capiet. Quid enim mirum: apud se non est; suo tempore vbi ad se redierit, monitorum patiens erit. Hæc illa

Thomas à Kemp. lib. 1. cap. 13. n. 4. Prov. c. 24. v. 11.

Tentatus à præcipitio alloquiis placidissimis abducendus.

est sapien-

est sapientia quam è tentatione discimus, quam & divinus Paulus commendans: *Vos*, inquit, *qui spirituales estis, hujusmodi instruite in spiritu lenitatis; considerans teipsum, ne & tu tenteris.* Non ab simili sensu sibimet gratulatus Isaias vates: *Dominus*, ait, *dedit mihi linguam eruditam, ut sciam sustentare eum, qui lassus est, verbo.* Quod & de Servatore Christo Isaias & Matthæus affirmantes: *Calamum quassatum*, ajunt, *non conteret, & linum fumigans non extinguet: in veritate educet judicium. Non erit tristis neque turbulentus.*

Hanc Christi sapientiam tantò faciliùs discimus, quantò ipsi graviùs & frequentiùs tentamur. *Qui non est tentatus, quid scit?* Reverà quod idem Isaias asserit: *Vexatio dat intellectum.* Nam uti asinus nec minis movetur nec promissis, sed baculo; & Phryx non nisi plagis emendatur: ita quidam hominum tentationibus & stimulis compelluntur ad meliora. Tentatio protoplastis aperuit oculos, qui tamen meliùs mansissent clausi. Sed optimus Deus illam tentatoris colubri in paradiso victoriam Christi morte in nostrum emolumentum ita flexit, ut oculos nobis referet tentatio sed bono nostro. Dicamus hanc sapientiam, & nos ipsos consideremus, ne cum tentato duriùs agamus.

Hîc opportunæ quæstionis est, cur dæmon protoplastos tentaturus schema serpentis induerit? Nam ea forma terrorem potiùs, quàm benevolentiam & amorem conciliare potuit. Cur non columbæ aut cygni candorem induit, ut quod suasurus venerat, expeditiùs persuaderet? Augustinus super hac ipsâ quæstione disserens: *Si autem quæritur*, inquit, *cur potissimum per serpentem diabolus tentare permissus, jam hoc significandi gratiâ factum esse quem non admoneat scriptura tantæ auctoritatis, tantis divinitatis documentis agens in prophetando, quantis effectis jam mundus impletus est? Non quod diabolus aliquid ad institutionem nostram significare voluerit, sed cùm accedere ad tentandum non posset nisi permissus, num per aliud posset nisi per quod permitteretur accedere? Quidquid igitur serpens ille significavit, ei providentiæ tribuendum est, sub quâ & ipse diabolus suam quidem habet cupiditatem nocendi, facultatem autem non nisi quæ datur vel ad subvertenda ac perdenda vasa iræ, vel ad humilianda sive probanda vasa misericordiæ.*

Gregorius Nyssenus sapientiam hîc instillans iis qui tentantur: Discè, ait, qualis te hostis oppugnet: serpens tortuosus, lubricus, exitiosus, igneus, veneno plenus. Tu cautè ac prudenter age; vaferrimus est hostis tuus & celerrimus qui adversarium dormitatorem facilè fallit. Rectè igitur serpens æneus à Mose in ligno suspensus, ut saltem serpentis statua, cùm ipse serpens non posset, in patibulum attolleretur. Solent nonnunquam judices, cùm reum ipsum non possunt plectere, effigiem rei ad furcam aut rogum damnare. Ita diabolus primorum conjugum duorum deceptorum reus in crucem actus, non quidem ipse, cùm sit spiritus, sed imago ipsius: perinde ac si dixisset Deus, quo habitu deprehensus est, eo etiam puniendus es. In monstri colubriferi formâ te deprehendi, in eâ te judico, te damno, te suspendo. Sapere nos doceat vel ipsa hæc tentatoris forma in furcam sublata.

CAPVT VII.

Tentationes in sui Notitiâ eruditum, submissum & humilem efficiunt.

CVm scitur in vicino subsidere hostis, longè diligentiùs vigilatur, quàm cùm remotus esse creditur. In lubrico subinde minùs quis cadit, quia cautiùs incedit, & ad passus singulos solertiùs attendit, gradum movet formicinum.* In viâ planissimâ non pauci manus & crura fregerunt, qui periculosos calles transierunt illæsi. Inter scopulos maris & voragines rariora sunt naufragia, quàm in vado, ubi naves in arenam invehuntur, aut etiam in ipso portu, qui nonnunquam navigia omnium periculorum secura glutiat. Olla, quæ rimas agit, subinde diutiùs ad fontem fertur, quàm quæ omni caret vulnere, sed ab incautâ manu tractatur. Homo debilitatis tractisque viribus, non rarò robustissimos quosque vivendo vincit, quia sibi gnarus suæ valetudini studiosiùs attendit. Homo tentatus, qui ad lapsum invitatur, sæpe minùs labitur, modò seipsum observet, quàm qui rarissimè tentatur. Tentatio ad scholam trahit, ubi discentem sui ipsius notitiâ imbuit. Qui seipsum novit, seipsum etiam utique submittit & modestiam sapit. Tentatio quia hominem sibi notum, eundem quoque humilem & submissum efficit. Quod hæc ipsa dissertatio exponet.

Tentatio hominem imbuit sui ipsius notitiâ; ac Humilem & submissum efficit.

§. I.

ETentatione sibi quisque innotescat, & superbiæ alas submittit. Hieremias vates de humano corde non sine admiratione proclamat: *Pravum est cor hominis, & inscrutabile, quis cognoscet illud? Ego Dominus, scrutans cor.* Homo ipse quamvis dominus sui cordis quid tamen eo tectum lateat, partem maximam ignorat. Cor humanum velut antrum est infinitum & immensum, quod vix quisquam satis rimetur. Quavis die, qualibet horâ illud ingredere, & nunquam non novas in eo latebras invenies. Istud semper audies: Plus ultrà tende, plus ultrà; penitiùs scrutare, hîc longiores sunt recessus, tenebrosiores latebræ; hîc delitescunt affectus tibi nondum cogniti. Rimare; ad finem antri non pervenies. Non pravum duntaxat, sed & inscrutabile cor humanum. Nos de nobis ipsi si non optimè, plerunque bene sentimus: si quando nósmet censurâ stringimus, ea est mitissima; & quis sibi nil indulget? quis omne quod in se vitiosum perfidet? Est qui sibi blandissimè persuadeat, Deum à se amari super omnia, & profectò tamen seipsum aliâve plus amat. Hujus illum argue; negabit. Sed paullulùm expectate. Tentatio hoc brevî non dissimulanter fatebitur. E reculis aut pecuniolis aliquid pendendum, hîc virum cerne, qui manibus ac pedibus resistat, qui denique malit Deum suum, quàm res suas perdere. Et tamen paulò antè gloriabatur magnificis verbis: Diligo Deum super omnia. Est famulus à quo herus obsequii quiddam inhonesti poscat. Ille ne offendat herum, offendit Deum, & promptus paratus suo domino postulatam gratiam gratificatur. Est qui se admodum liberalem existimet. Sed adest qui velit, jubeat mulgere crumenam. Tentatio horribilis; huic homini cor ferit, quisquis illius loculos petit. Hoc impiæ, quas fundit, voces satis testantur, cùm pecunia est eroganda. Est qui sibi videatur humilis & immunis ab omni fastu. Tenta illum sed lenissimè. Auctoritatem illius & existimationem vel pauxillulum tange; oculi pupillam terigisti. Non cedit vel hilum, existimationis propriæ tenacissimus. Videte homines istos sibi ipsis ignotissimos. Sed illis tentatio illôsmet ipsos ingerens, & semetipsum cuilibet proponens: Vide, inquit, qualis sis.

Cùm subita est occasio, periculosa est plerumque tentatio. Hîc pulvis nitratus, & fomes igniarius conveniunt, vicini pessimi. Est qui minimè se furem suspicetur, at ubi fortè fortunâ occasio sese offert inexpectata & benigna, hîc sanctus iste homo clepit. Præcipitans manus scilicet rationem prævertit. Ita Maximiliani I. Imperatoris famulus Chrysendeton aureâ monetâ plenum invasit. Sed libare tantùm voluit hoc vini genus, & paucos inde aureos sublegit. Hoc illi occasio subita & tentatio periculosa persuasit. Ita & Ferdinando I. Imperatori adstantium dominorum aliquis horologiolum celeri manu subduxit & caligis abdidit. Nimirum ad expositas nundinas venerat, cur non emisset quippiam?

Occasio est periculosa tentatio: Furti,

Gal. cap. 6. v. 1.

Is. cap. 50. v. 4.

Num 7. 42. & 43. Judicium non extinguam fumigans. Matth. cap. 12. v. 20. Psalm. 134. v. 2. Job cap. 28. v. 29.

Tim. Diaconus protoplastos tentaturus schema serpentis induit.

Aug. lib. 11. super Genes. ad literam cap. 2. initio pag. 70. & cap. 37. 670.

Greg. Nyssenus de vit. Moysis.

Thomas in 2. dist. 21. q. 1. art. 1. Hâc assignat causam: Ne permissa Deus Evam sub aliâ quâm serpentis specie tentari, ne eam illa terreret & à colloquio averteret. Alii aliam assignant causam.

* Nazianz.

piam? Sed quâ ratione uterque suaviter sit deprehensus, alibi narramus. Utrumque certè subitanea occasio, & vehemens tentatio ad Lavernæ artes impulit. Notissimum: Occasio facit furem.

Nicetas dicet lib. 2. cap. 10.

Libidini.

Sed est qui pudicus sibi videatur & castis moribus. O Samson! Animam tuam ad tentationem præpara. At ille suis viribus fidit. Ita repentinus & petulans mulierculæ occursus, improvisa Dalilæ alicujus blandimenta miserum sternunt; Occasio & tentatio pudicitiam illi non invito eripiunt. Occasionem si cavere voluisset, tentationem non difficulter vincere potuisset.

Iracundiæ,

Est qui tractabilem sese ac mitem credat. Sed iste suâ opinione tam mitis homo vix oculo stringitur obliquo, vix salutatur verbulo, vix tangitur, mox furit irâ, dentes acuit, pugnúmque facit, involaturus etiam, si possit, adversarium. Fortassis subitam irascendi occasionem non prævidit, & iræ succubuit.

Inconstantiæ, & pusillanimitatis.

Est qui magnanimus & constans videri velit. Sed repentè rebus adversis ita concutitur, ut imbellis ac pavidus nec tantùm gradu moveatur, sed fugiat, arma projiciat, cadat, omnem pæne animum despondeat. Subitus eum tentationis acrioris incursus in illam consternationem dejecit. Tam imbecilles à nobis & miseri sumus. Tandem pro se quisque cogitur fateri: Non putassem me furem. Tentatio me mihi patefecit. Alius: Non putassem ab Asmodæo libidinis diabolo me vincendum. Tentatio me mihi prodidit. Alius: non putassem tam multum in me fellis delitescere; columbam & oviculam me censui. Tentatio me mihi, qualis sim monstravit. Alius: non putassem unquam me tam pavidum, impatientem, animo tam angusto, imbecilli, pusillo; me sanè multò fortiorem judicavi, sed istud jam tentationi credo. Vide igitur qualis sis, vide: In pace leo, in prælio cervus, & maximus super mensam lautiorem ad congressum miles, promptissimus ad Bacchi pugnas Archistrategus. Quærit Athanasius cur permittat Deus hominem ita vexari & tentari ad malum? Duas assignat causas. Prior, Tentatio causa est victoriæ. Alexander Magnus, Julius Cæsar, Scipiones, Annibal, Themistocles, Pericles ad eam nominis celebritatem nunquam pervenissent, nisi per tot bella tot sibi peperissent victorias. Altera, ut qui Deum verè diligunt, manifesti fiant.

Athanas. tom. 4. initio Inquæstionibus ad Antiochum principem q. 7. Sed tamen sunt Athanasii.

§. II.

GRavis olim agitabatur controversia, num Jobus timeat diligátque Deum. Timeri & diligi Deum à Jobo asseverans Angelus: *Vir ille*, inquit, *simplex & rectus ac timens Deum, & recedens à malo.* At contra diabolus Deum à Jobo non timeri contendebat: omnem illius probitatem esse superficiarum; Jobum haud aliter jam stare quàm domum foris venustam, intus ruinosam; Husiæum principem istum esse panem avenaceum sed triticeâ crustâ obductum; vaginam auream, sed machæram plumbeam; sepulchrum marmore candido tectum, sed mortuorum ossibus plenum; adeóque Deum à Jobo nec timeri verè, nec diligi. Hæc igitur erat quæstio: Num Jobus ex asse probus sit, an non: An purum purum sit aurum, an adulterinum. Aurum esse obryzum & excoctum affirmabat Angelus; diabolus negabat. Quid jam? Probetur igitur & tentetur. Ad coticulam, ad lapidem lydium examinetur; igne ac malleis exploretur. Hîc ergo diabolus, permissâ veniâ, vim omnem exerere, totos vermium exercitus in unum Jobum ducere, corpus totum ulceribus opplere, omne pecus abigere, facultates omnes eripere, ipsam conjugem adversùs miserrimum concitare, septennio toto doloribus assiduis, maximis ærumnosissimum excruciare; hoc uno parcere, quod Deus jusserat, non penitus occidere, ceterùm suppliciis omnibus dies noctésque validissimè impugnare, idque modis omnibus agere ac tentare, ut Jobus providentiam divinam malediceret. Frustra hæc omnia, Incassum sæviit Avernalis carnifex; successu caruit tanta illius atrocitas; in nihilum abjit omnis tentatio. Victoriam Jobus multò illustrissimam è septennali prælio reportavit. Exarmatus, victus, triumphatus est cacodæmon. Hîc demum orbi patuit à Jobo Deum verè timeri ac diligi. Job aurum purissimum, ignibus & malleis probatum. Hîc innocens Iobi simplicitas, hîc odium peccati, timor Dei, & amor invictus enituit. Tentatio dotes animi profert in lucem; virtutem jubet clarescere tentatio. Tentatio hominem sibi ipsi notum efficit. *Pœna interrogat*, inquit Gregorius, *si quis veraciter amat.* Quod & Augustinus asserens: *Noli ergo timere*, inquit, *permissum aliquid facere tentatorem: habes enim misericordissimum salvatorem. Tantùm permittitur ille tentare, quantùm tibi prodest ut exercearis, ut proberis; ut qui te nesciebas, à te ipso inveniaris.*

Per tentationes probatur Jobus. Deus verè timetur ac diligitur.

Aug. tom. 10. in Psal. 30. huj. 3.

Atque hinc quod è priore sequitur, submissionem animi & humilitatem docet tentatio; nemo insolescit & superbit, quàm qui se ipsum ignorat; nemo non humilis & modestus, qui ipse sibi ex toto notus. Ideo quod Divus prosper dixit; *Ad magnam utilitatem fidelium materia est reservata certaminum, ut non superbiat sanctitas, dum putatur infirmitas.* Hîc fidelissimè religiosus scriptor submonens: *Nemo*, inquit, *tam perfectus est & sanctus, qui semper non habeat aliquando tentationes, & plenè eis carere non possumus. Sunt tamen tentationes homini sæpe valde utiles, licet molestæ sint & graves, quia in illis homo humiliatur, purgatur & eruditur. Nescimus sæpe quid possumus, sed tentatio aperit quid sumus.* Tentatio non solùm docet, sed pæne cogit hominem ut sese submittat, si paullò attentiùs hæc secum ipse perpendat: Ah mi bone Deus, quàm ego fragilis homo sum! vel aura leviuscula me dejicit, asperius verbulum turbat, & ad omnem impatientiam exasperat. Ego hactenus & scivi & expertus sum temulentiam mihi non leviter obesse, & tamen cùm in oculis, aut in manu vinum est, contra scientiam, & conscientiam, & experientiam meam liberrimè deliquo. Scivi hactenus & expertus sum mulierum consortium & libidinis malum mihi plurimùm nocuisse, & tamen cùm tentatio invitat, in præceps voluntariè ruo. Scivi hactenus & crebrò nimiùm expertus sum, quantum hæc, & illa & ista mihi attulissent damni; quapropter & hæc illa, & ista execenties, vel imò millies iterúmque millies decrevi ac statui cavere constantissimè. At ubi vel levis tentatio me titillat, illa omnia jam toties ejurata in meam perniciem avidissimè resumo, & meipsum capitis ego ipse damno. O quoties, bone Jesv, animo firmissimè proposui, gulæ nil indulgere, necessitatis limites edendo non excedere, in voluptatis gratiam nihil tangere: hæc mea quotidiana sunt decreta, in ea tamen ferè quotidie pecco. Cùm epulæ placent oculis, mox natant salivâ dentes, manus præcipitant, & ad os rapiunt ter millies damnata. Tales sumus heroës, tam constantis propositi Martyres. Imò, quod turpius etiam, dum statuimus gulæ moderari, pro libitu gulam pascimus. Eheu quotidiana hîc pugna, utinam legitima, & rara est victoria: Ah, quid ego sum in tentatione, quàm debilis, quàm nullarum virium! Ut vitrum Venetum, tenerrimum lapsu vel illisu levi unico in testulas abit: haud aliter homo tentatus tam nullius roboris est, ut eum vel musca, vel vermiculus, vel cicindela turbet, & ad noxam trahat. Tentatio plerumque malos non facit, sed malitiam latentem detegit.

Tentatio docet submissionem animi & humilitatem. Prosp. lib. de Vocatione Gentium. c. 13. Thom. de Kempis lib. 1. c. 13. n. 2. & 3.

§. III.

HÆc quisquis secum ipse reputat, non potest quin cristas omnémque fastum ponat, & in sui nihilum pudibundus se immergat. Ita beatissimus Paulus: *Ne*, inquit, *magnitudo revelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ, Angelus Satanæ, ut me colaphizet.* In supremo

2. Cor. 12. v. 7.

premo cælo fuit, in Angelorum curiâ consedit, arcanissima quæque audiit, semicinctiis suis sanavit morbos, dæmones fugavit; potuissent ista vel modestissimum virum efferre aliquantulùm. Pulsata est ergo infirmitas, ut non superbiret sanctitas. Adolescentes nonnunquam in scenâ Magistratum vel politicum vel sacrum gerunt, Regum & Imperatorum filios agunt, in theatro, aut alibi etiam in templis episcopos induunt: ubi verò personâ positâ redeunt ad scholas, & Magistro vel recitationis vel scriptionis pensum non reddunt, ferulam subeunt, mulctantur virgis. Profectò non Imperatoris filius, non episcopus cæditur, sed pulsatur negligentia, plectitur inscitia, ut adolescentem non nimium extollat scena, ne superbiat episcopi dignitas, vel regia majestas, virgis castigatur puerilis levitas. Ita nos homunculi quandoque grandia spiramus, & nostram ipsi sanctimoniam & dignitatem circumspicimus. Et quis enim verò neget? Hæredes cæli, Angelorum cognati, cohæredes Christi sumus; & diabolus nos ita vexet ac tentet? Sufflemus; * quid pulmonem ventis rumpimus? Hæc, quæso, modestiùs. Nondum in cælo sumus; in arenâ etiámnum & in palæstrâ luctamur. Si diabolus nos tentet, pulsatur infirmitas, ne efferatur sanctitas; nihil hac in re demitur nostris honoribus: tantò enim citiùs, nos cælum hæredes, nos suos Angeli cognatos, nos Christus cohæredes suos agnoscet, quantò promptiùs nostram ipsi maximam imbecillitatem cognoverimus. Atqui, Gregorio teste, *nemo vires suas in pace cognoscit. Si enim bella desunt, virtutum experimenta non prodeunt. Improvidus miles est, qui fortem se in pace gloriatur. Nemo scit quantum profecerit, nisi inter adversa. Cùm enim adsunt prospera, cerni virium documenta non possunt. Feriamur paternis perturbationibus, ut quantùm proficimus, agnoscamus. Tentatus quisque ostendit quidem quantùm de Deo profecerit, sed in ipsis flagellorum afflictionibus etiam quantum de semetipso sit infirmus, agnoscit.*

Petrus Galilæus promissa ingentia & perquam magnifica super mensam jactans: *Paratus sum*, inquit, *tecum & in carcerem & in mortem ire: Etsi omnes scandalizati fuerint in te, ego nunquam scandalizabor: Etiamsi oportuerit me simul commori tibi, non te negabo.* Hæc quidem amplè ac splendidè dicta. Ampullabatur Petrus magnificis pollicitationibus. Non abiit diecula, non abiit tertia vel quarta hora, cùm longè aliud monstrârunt facta. Nec unicam quidem horulam Petrus vigilare sustinuit, sed capto Domino ex horto se proripere, captum à tergo & eminus sequi, ad focum bis terque capti discipulum se negare, idque etiam jurejurando & anathemate interposito affirmare. Hæc à prioribus quàm plurimùm dissona. Ah quid est Enos, hoc est, homo miser? Pulsanda igitur fuit infirmitas, ne extolleret sese sanctitas. Petrum Petro ostendit tentatio. Permisit Christus labi Petrum, ut labentium Petrus commiserescceret, & lapsos erigeret. Ab hac tentatione tam gravi, quâ victus cecidit, jam multò moderatior ac mitior, jam & cautior atque submissior loquendo fuit. Illustri hoc exemplo patet. Christus à Cruce redivivus Petrum examinans: *Simon Ioannis*, inquit, *diligis me plus his?* Ad ea Petrus: *Etiam Domine, tu scis, quia amo te.* Videte obsecro, respondit ad primam quæstionis partem, non ausus ad alteram respondere. De se profitetur, de aliis altùm silet, dicturus aliàs: Plus his, plus omnibus te diligo. Demissiorem fecit tentatio.

Haud absimili modo rex David: *Ego dixi*, ait, *in abundantiâ meâ non movebor in æternum.* At tentatione non levi concussus: *Avertisti*, ait, *faciem tuam à me, & factus sum conturbatus.* Eheu quid homine infirmius. Vir spiritûs divini plenus, tentatione sollicitante otiatur & adulteratur, mentitur & latrocinatur. † Pulsata est infirmitas, ne superbiret sanctitas. Davidem ostendit Davidi tentatio. Fateamur igitur cùm tentamur, quàm parum nobis sit solidæ virtutis, patientiæ, charitatis, fiduciæ, humilitatis. Proxima est ad humilitatem via, sui notitia. Hanc dabit tentatio. Tentatoris nequitia, profectûs nostri principium.

CAPVT VIII.

A tentationibus nemo mortalium securus.

TAm gratus plerumque ignis, quàm ingratus fumus. Ignis in foco ad coquendos cibos, in fornace ad calefaciendum conclave, ad purgandum aërem pergratus est. Compluribus locis amamus ignem, sed fumum odimus, quem & nares & oculi exterrantur. Atqui ignem excitare sine fumo nimis quàm rarum. Uti capillum umbra, ita & igniculum fumus sequitur. Flamma fumo proxima. *a* Ignem cupimus, fumum igitur non aversemur. Ita differens Chrysostomus: *sicut ignem præcedit fumus*, inquit, *victoria pugnam, ita gloriam Christi, tentatio Antichristi.* *a Plautus, Chrys. hom. 49. inc. 24. Matth.*

Christus ipse tentatus. Sanctissimi homines in priscâ etiam lege tentatissimi. Ecquis æquè tentatus atque Abraham? An non & Patriarchæ alii Isaacus, Jacobus, Josephus, Jobus, Tobias gravissimè tentati? An non Josue, Calebus, David, Ezechias & Elias tentationibus variis exagitati? An non & Anna, Esther, Judith, Abigail, Sara, aliæque laudatissimæ fœminæ suas senserunt tentationes? An non Paulus fidelissimus Dei servus omni tentationum genere vexatissimus? Nemo mortalium à tentatione securus. Atque istud isto capite dicendum.

§. I.

A tentatione nusquam securitas. Nam, quod Paulus dixit: *Oportet & hæreses esse, ut & qui probati sunt, manifesti fiant in nobis.* Ita oportet & tentationes esse. Luculentissimè Augustinus: *Vita nostra*, inquit, *in hac peregrinatione, non potest esse sine tentatione: quia profectus noster per tentationem nostram fit, nec sibi quisquam innotescit nisi tentatus; nec potest coronari nisi vicerit, nec potest vincere nisi certaverit, nec potest certare nisi inimicum & tentationem habuerit.* Qui molendinum ingreditur se farinario pulvere aspergi non miratur; qui officinam subit coriariam madori & fœtori non irascitur, qui fabrum ferrarium ad incudem adit, fuliginosos vultus, malleorum ictus non reprehendit; qui mari se committit, nauseam & vomitum tributi loco pendendum non nescit; nemo miles miratur in bello jugulari homines: ita qui Orbem subit, omnia tentationibus esse plenissima ne miretur. *Tentatio est vita hominis super terram.* Verissimè dictum: *Quamdiu in mundo vivimus, sine tribulatione & tentatione esse non possumus.* Nec loci sanctitas, nec sanctorum societas à tentatione ullum præstat immunem. Et plerunque, quod addendum, unâ tentatione seu tribulatione recedente, supervenit alia. Christus clarissimè: *Nolite arbitrari*, ait, *quia pacem venerim mittere in terram: Non veni pacem mittere, sed gladium.* Dixerat quidem Ecclesiastes: *Tempus belli & tempus pacis.* Verùm, quamdiu hanc vitam vivimus, tempus belli habemus. In regione beatorum sequetur tempus pacis. *Factus est in pace locus ejus.* Humana vita est militia, non triumphus; est velitatio, prælium, pugna, conflictus assiduus; loco meliore speranda quies & victoriæ fructus. Veteranum militem audio vociferantem: *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ.* Loco longè beatiore audientur victoriæ voces: *Absorpta est mors in victoriâ.* Nunc psalmos canimus pœnitentiæ scriptos; Nunc ubique bellum & tentatio. Sed quod Jacobus Apostolus pronuntiat: *Unde bella & lites in vobis? Nonne hinc ex concupiscentiis vestris, quæ militant in membris vestris?* Radix & causa tentationis, rebellio carnis. Ni-

A tentatione nusquam securitas. *1. Cor. c. 11. v. 19.* *Aug. in psal. 60 post initium, tibi pag. 249.* *Initatio Christi lib. 1. c. 13. n. 1.* *Matt. c. 10. v. 34.* *Eccles. cap. 3. v. 8.* *Psf. 75. v. 3.* *Rom. cap 7 v. 23.* *1. Cor. c. 15. v. 54.* *Iac cap. 4. v. 1.* *Sap. cap. 9. v. 15.*

mirum

mirum *corpus quod corrumpitur, aggravat animam.*

Adolescentem prisci pingebant qui unâ manu alatâ in altum nitebatur, sed appensum saxum alteram in imum trahebat, eo significatu, ingenium, sæpius, quo minus emergat, inopiâ impediri. Ita sanè animus ad sui originem adspirat, sed eum corpus miserabili mole degravat. *Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma.* Hinc dilucidè Hieronymus: *Impossibile est*, inquit, *humanam animam non tentari. Vnde & in oratione Dominicâ dicimus:* Ne nos inducas in tentationem: *quam ferre non possimus. Non tentationem penitus refutantes, sed vires sustinendi in tentationibus deprecantes. Ergo & impræsentiarum non ait*: Vigilate & orate, *ne tentemini*, sed ne intretis in tentationem, *hoc est non tentatio vos superet & vincat, & vos intra casses teneat.* Josephus Ægypti prorex à libidinum præsidio Amnodæo tentatus est adulterio, sed juvenis castissimus in tentationem non intravit. Susanna quoque à nequissimis duobus vetulis est tentata, sed nec illa intravit in tentationem. Has vires, hanc vincendæ tentationis gratiam à Deo postulamus. *Nam vinci*, ait Hieronymus, *vel vincere, nonnunquam in nostrâ est potestate; cæterùm tentari in potestate tentantis est. Si enim Salvator tentatus est, quis potest esse securus intentatum se vitæ hujus maria transire?*

Matt. c. 26. v. 41. Hier. tom. 6. lib. 4. in cap. 26. Matth. mihi p. 60. Matth. c. 6. v. 13. Idem c. 26. v. 41. Hieron. eod. tomo in c. 6. epist. ad Gal. mihi p. 155.

§. II.

SVnt homines animi pusilli qui secum jam planè actum putent, cùm paullò acerbiùs tentantur. Hominem ita pavidum erudiens Gregorius: *Vnde fit*, inquit, *ut dum subitâ tentationis procella tangitur, despectum se à Deo & perditum suspicetur? Quæ quidem tranquilliùs si prævidet, tolerat; eorum tamen omnino certamina, etiamsi prævideat, non declinat, quia cursus nostri itineris nequaquam peragitur sine pulvere tentationis. Subinde verò ita circumfremuntibus tentationum motibus angustatur, ut recte de eo dici debeat: Abominabilis ei fit in vitâ suâ panis, & anima illius cibis antè desiderabilis.* Sed nemo desperet: Misericors Deus probari nos permittit tentationibus, non reprobari. Hîc oleum Solatii affundens Jobi liber: *Appropinquavit corruptioni anima ejus*, inquit, *& vita illius mortiferis. Consumpta est caro ejus à supplicio.* Sed addit: *Deprecabitur Deum, & placabilis ei erit, & videbit faciem ejus in jubilo.*

Greg. l. 24. Moral. c. 13. Job cap. 33. v. 20. In tentationibus non desperandum. Ibid. v. 22. & 25. Ibid. v. 26.

Nemo liber, nemo tutus à tentatione, sicuti bellum neminem pronuntiat securum à plumbeâ glande, aliisque vitæ periculis. Fistulis ferreis in bello personant omnia, & hoc quotidianum est; tormentorum æneorum tonitrua non expavescit miles, qui sæpe pulverem tormentarium habet, & panem non habet. Ita tamen eroſum militem nihilominus solatur, quòd hosti [illegible] resistere, cùm fami vix possit. Ita prorsus Christianum non terreant tentationes, etsi magnâ vi catervatim irruant: habet unde iis resistat, etsi solatiorum fomenta non habeat quibus animum reficiat: Non refert; Non pugnare tantùm, sed & vincere possumus, tametsi solatiis careamus. Imò tantò glorioſior est victoria, quantò difficilior pugna, quantóque minus sensilis habet præsidii. Non est arduum pugnare pro Christo cùm divina desuper rorant solatia: hoc viri est, & verè Christiani militis, omni solatio destitutum, pro Domini Jesv gloriâ decertare, & cælum licet nubilum, licet ferreum amicissimis tamen vocibus salutare. Hoc prorsus est conformem fieri imaginis filii Dei, qui crucis tormenta passus: *Sustinui*, ait, *qui simul contristaretur, & non fuit, & qui consolaretur, & non inveni. Omnes videntes me, deriserunt me. Quoniam non est qui adjuvet. Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?* Hæc certandi norma Christianis ad imitationem proponitur, ut tentati vel acerbissimè ad istum se ducem conforment. Hæc omnis vita plena laqueis, tentationibus plenissima.

Christianus miles omni solatio destitutus pro Domini Jesu gloria certare debet. Rom. cap. 8. v. 19. Ps. 68. v. 21. Psalm 21. v. 8. & 12. Matt. c. 27. v. 46. * Ambros. tom. 1. lib. de bono mortis mihi p. 249.

Quod explicans Ambrosius *: *Injiciunt*, inquit, *honoris appetentiam potestates mundi, ut te extollas. Quoties in oratione nobis, quâ maximè Deo appropinquamus, offunduntur ea, quæ plena sunt opprobrii aut sceleris, quo nos à studio precationis avertant. Quoties inimicus cordi nostro conatur inserere, quo nos reflectat à sanctitatis proposito & pii voti. Quoties corporeos inflammat ardores. Quoties occurrere facit oculos meretricios, quibus castum justi tentet affectum, ut improviso amoris spiculo feriat imparatum. Quoties inserit animo tuo verbum iniquum, & cogitationes cordis abscondita, de quo tibi dicit lex: Attende tibi, ne fiat verbum absconditum in corde tuo iniquum, & dicat tibi Dominus: Quid cogitas mala in corde tuo? Sed tu obluctare quasi bonus miles Christi* Jesv, *& inferiora obliviscens, terrena despiciens ad cælestia & æterna contende. Attolle animam tuam, ne eam illiciat esca laqueorum. Voluptates sæculi, escæ sunt, & quod pejus est, escæ malorum, escæ tentationum. Dum voluptatem quæris, laqueos incurris. Omne iter istius vitæ, plenum laqueorum est. Laquei in corpore, laquei in lege, laquei in pinnis templorum, in crepidinibus parietum tenduntur à diabolo. Laquei in philosophis, laquei in cupiditatibus, oculus enim meretricis laqueus est peccatoris. Laqueus in pecuniâ, laqueus in religione, laqueus in studio castitatis. Exiguis enim momentis mens inclinatur humana, & huc atque illuc pro versutiâ suadentis frequenter impellitur.* Quisquis es, strenuè pugna, ut denique cantare possis illud epinicion: *Anima nostra sicut passer erepta est de laqueo venantium, laqueus contritus est, & nos liberati sumus.*

A

B

Idem in c. 4. Luc. mihi p. 41. Ps. 123. v. 7.

§. III.

HEbræus psaltes canit: *Dominus interrogat justum & impium.* Sed quémnam, oro, crebriùs? illum an istum? quem severiùs interrogat, quem asperiùs tentat? Hoc scire nostrum non est. Hoc sciamus, tentationes foribus excubare, ubique obvias occurrere, in conclave nostrum (parum hoc) in cor nostrum penetrare. Tentatio in hortum omnium amœnissimum perrepsit. Orcinus coluber rimam certè reperit, quâ inserperet. Vel ipsius cæli foribus se furtim admovere ausa superbiæ tentatio, imò in ipsum etiam cælum perreptavit, & seditionem illic inter Angelos inauditam, infandam concitavit. Locis omnibus insidias struit tentatio.

C

Ps. 140. v. 5. Tentatio in omnibus locis insidias struit.

Chrysostomus creberrimam mentionem regis Hebræi David injiciens: Hæreo, inquit, & æstuo, ac mente excido, quomodo David rex, propheta, Dei servus Christi pater & avus carne, humilitate armatus, virtutibus plenus, vir secundùm cor Dei, peccatis maximis pessumdari permittitur? Tentatus & lapsus corruit. Legem sciverat: *non mœchaberis, non occides.* Et mœchus tamen & homicida fuit, Dei propheta. *Itaque qui se existimat stare, videat ne cadat.* David ipsémet orabat: *Cum defecerit virtus mea, ne derelinquas me. Et usque in senectam & senium, Deus, ne derelinquas me.* Nec sibi ipsi nec diabolo quisquam fidat, tamesi possit dicere: Ego vigiliis, ego precibus, jejuniis, lacrymis, ciliciis in hostem me armo; castigo corpus meum, largas do eleemosynas, sacras præceptiones optimas & legi sæpius & audivi, hactenus utcunque feliciter progressus sum. Nihilominus quisquis es, vide ne cadas. Nam illa omnia & regi David fuerunt usitata. Oravit rex iste. Hinc illa psalmorum testimonia: *Septies in die laudem dixi tibi. Jejunavit: Gemua mea immutata sunt à jejunio & caro mea immutata est.* Vigilavit: *Mediâ nocte surgebam ad confitendum tibi.* Flevit: *Lavabo per singulas noctes lectum meum, lacrymis meis stratum meum rigabo.* Castigavit corpus: *Induebar cilicio, humiliabam in jejunio animam meam.* Aliis etiam rigoribus carnem maceravit: *Cinerem tanquam panem manducabam, & potum meum cum fletu miscebam.* Et tamen tentatus & lapsus est. *Ne confidamus itaque stantes*, ait Chrysostomus, *sed nobis ipsis dicamus: Qui videtur stare, videat ne cadat. Neque jacentes desperemus, & nobis dicamus:* Nunquid

1. Cor. 10. v. 12. Psalm. 70. v. 9. & 18. Psal. 118. v. 164. Psalm. 108. v. 24. Psalm. 118. v. 61. Psal. 6. v. 7. Psal. 34. v. 13. Psal. 101. v. 10. Chrysost. tom. 5. hom. 72. mihi p. 378.

Numquid qui cadit, non resurget? Nam & multi postquam in ipsum ascenderunt cali verticem, & omnem exhibuerunt tolerantiam, & in desertis morati sunt, nec in somnis quidem viderunt mulierem; quòd paullùm torpuerint, supplantati sunt, & ad ipsum malitiæ barathrum devenerunt. Vigilemus charissimi, per angustam ambulemus viam; confidentes simul & timentes: timentes quidem propter utrimque posita præcipitia; confidentes propter nos præcedentem JESVM. *Ambulemus vigilantes & expergefacti: vel si paullùm quis dormitaverit, illico prostratus est. Non enim sumus Davide solertiores, qui cùm parumper neglexisset, in ipsum præcipitatus est peccati barathrum; sed citò surrexit. Quòd si justus ille paullulum torpefactus talia cepit vulnera, quid patiemur nos si negligentes fuerimus? Ne consideres itaque quòd cecidit, aut torpeas, sed quanta post hæc fecit, considera, quot lacrymas exhibuit, quantum pœnitentiæ, noctes jungens diebus, fontes emittens lacrymarum, lectum lacrymis abluens, saccum indutus. Si verò ille tantâ eguit conversione, quando nos salvari poterimus, qui post tot peccata nullo dolore afficimur?*

Chrys. to. 2. simil. 35. in 10. Matt. oper. imp. 864.

Ergo in hoc Mundo periculosissimo, quod idem Chrysostomus affirmat, *vivimus quasi in pelago, ubi nunquam est minor tempestas. Etsi tempestas interdum non fuerit, tamen semper timor est tempestatis. Sic & in hoc mundo viventibus, nunquam est minor tentatio: etsi tentatio interdum facta non fuerit, tamen timor tentationis semper est.*

Hieron. to. 1. ep. 22. ad Eustoch. mi. pag. 56. & 65. Isa. c. 34. vers. 5.

Quæ Hieronymus nervosâ dictione confirmans: *Stadium est,* inquit, *hæc vita mortalibus. Hic contendimus, ut alibi coronemur. Nemo inter serpentes & scorpiones securus ingreditur.* Inebriatus est, *inquit Dominus,* gladius meus in cælo; *& tu pacem arbitraris in terrâ, quæ vix bulos germinat, & spinas, quam serpens comedit? Magnis inimicorum circumdamur agminibus; hostium plena sunt omnia. Caro fragilis, & finis futura post modicum, pugnat sola cum pluribus. Nonne autem melius est, brevi tempore dimicare, ferre vallum, arma sumere, lassescere sub loricâ, & postea gaudere victorem, quàm impatientiâ unius horæ servire perpetuò?* Paulus, vas electionis, separatus in Evangelium Christi, vocatus de cælo, post famem & tot jejunia, post nuditatem & carceres, ter virgis cæsus, ter naufragus, semel lapidatus, periculis & laboribus continuis, assiduâ morte occupatus, & tamen à tentationibus nequaquam liber exclamat: *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus?* Et tu putas te securum, non tentandum? Tu cave tibi à teipso, carni non nimiùm parce. Paulus jam flagellatum & virgis concisum corpus suum ipse insuper castigat, atque in servitutem redigit, & tu deliciis vacas, affectibus indulges? Tentatio ubique proxima est. Quod & beatus Leo adstruens: *Quis enim,* inquit, *in hujus vitæ constitutus incerto, aut immunis à tentatione, aut liber inveniatur à culpâ? Quis est, qui nihil virtutis sibi adjici, aut qui nihil vitii sibi optet auferri? cùm & adversa noceant, & secunda corrumpant, nec minoris sit periculi carere desideratis, quàm abundare concessis? Insidiæ sunt in divitiarum amplitudine, insidiæ in paupertatis angustiis. Illa elevant ad superbiam, hæc incitant ad querelam. Tentat sanitas, tentat infirmitas: dum & illa materia est negligentiæ, & hæc causa tristitiæ. Laqueus est in securitate, laqueus est in timore, nec interest utrum animus, qui terreno tenetur affectu, gaudiis occupetur, an curis: cùm par morbus sit, vel sub vanâ delectatione languere, vel sub anxiâ sollicitudine laborare.* Omne genus hominum tentationes vellicant.

Tom. cap. 7. vers. 24.

Leo serm. 11. de quadrag. mihi p. 128. Nullus in hac vitâ immunis est à tentatione.

Ipsum etiam Servatorem à diabolo tentatum considerans Gregorius: *sed ecce,* inquit, *cùm dicitur Deus homo vel in excelsum montem, vel in sanctam civitatem à diabolo assumptus, mens refugit credere, humanæ hoc audire aures expavescunt. Qui tamen non esse incredibilia ista cognoscimus, si in illo & alia facta pensamus. Quid mirum, si se permisit ab illo in montem duci, qui se pertulit etiam à membris illius crucifigi? Non ergo indignum Redemptori nostro, quòd tentari voluit, qui venerat occidi.* Omnia ubique laqueorum plena, tentatio nusquam non vicinissima. Sed solatium grande Climacus præbens: Nullum, inquit, certius argumentum est, quòd dæmones à nobis victi sint, quàm si nos acerrimè oppugnent. Tu verò animosissimè obluctare, & quod idem Climacus monet, Congregata custodi.

Gregor. hom. 16. in Evang. Non fuit indignum Christo tentari. Climacus gradu 27. de Quiete, mihi p. 284.

CAPVT IX.

Tentati hominis duodecim in spirituali pugnâ stultitiæ.

Dies diei eructat verbum. Victus hodie cras pugnat cautiùs. Ducis artem infausta prælia quasi tristes, sed fidi edocent magistri, atque ubi sit erratum, plagis admonent: sic agricolam sterilitas agrorum, Architectum lapsus ædium, iterati casus equitem, nauam graves acuum procellæ: errando discitur. M. Marcellus prælio victus die proximo in aciem rediit, victorem suum majore quàm ab illo pridie victus erat, prælio vicit. Julius Cæsar ad Durachium inferior, ad Pharsaliam moxingenti prælio victor fuit. Ita Romani millies strati surrexere altiùs, ut non hostes tantùm suos, modò tam formidabiles, sed totum ex ordine terrarum orbem virtus illis accelicitas subjiceret. Multos docet experientia, quos non docuit schola, & præceptoribus surdum caput hausit oculis, quod auribus non valebat. Nulla rerum humanarum certior Magistra, nulla discutiendis erroribus aptior, quàm tentatio & experientia. Nusquam clariùs, quàm inter tentationum vulnera prominet animi magnitudo. Ut igitur quivis se ipsum meliùs nosse discat, quantarúmque sit virium vel ictus intelligat, duodecim stultitias in spiritali pugnâ passim committi solitas hîc exponemus.

Psal. 18. v. 3.

12. Stultitiæ in spirituali pugnâ committi solitæ.

§. I.

1. *Ante pugnam armare se nolle.* Sunt qui tunc primùm arma corripiunt, cùm vulneris dolorem sentiunt. Hîc Siracides monet: *Præpara animam tuam ad tentationem.* Hostium medius semper excubet armatus.

1. Ante pugnam armare se nolle. *Eccli. cap. 2. vers. 1.*

2. *Arma sumere nimis ponderosa.* Orare perpetuò, nunquam laborare velle; immoderatis se jejuniis exhaurire; subitò se iterum cibis farcire, oneri sunt non defensioni.

2. Arma sumere nimis ponderosa.

3. *Arma in ipso conflictu projicere.* Arma sanè projicit & certatim fugit, qui in ipsâ tentatione Patientiam & Humilitatem exuit. Sapientiæ vox apud Boëthium est: *Talia tibi contuleram arma, quæ nisi prior abjecisses, invictâ te firmitate tuerentur.* Homo verè patiens & humilis planè inviolabilis, insuperabilis, inexpugnabilis.

3. Arma in ipso conflictu projicere.

4. *Eâ parte, quâ quis impugnatur, minùs se munire.* Ad avaritiam pronus eleemosynarum liberalitate se muniat. In luxuriam propensus Abstinentiâ & fugâ se armet. Ad superbiam concitatus, sui contemptu se tutetur. Ubi te sentis debiliorem, eò vires collige. Ulceri & parti læsæ, non sanæ, malagma est admovendum.

4. Eâ parte, quâ quis impugnatur, minùs se munire.

5. *Nolle hosti resistere loco opportuno.* Ut hostis excludatur urbe, arcendus est à portis. Ad exteriorum sensuum portas hostili agmine te oppone: oculos & aures claude, manus contrahe, gulam substringe, odoratui moderare. Væ urbi, si hostis occuparit portas.

5. Nolle hosti resistere loco opportuno.

6. *Hostem jugulare nolle, dum parvulus & invalidus est.* Beatus qui tenebit & allidet parvulos suos ad petram. Serpens antiquus est lubricus, ni maturè illum arceas ab animo, in eum totus illabetur. Caput serpentis obtere dum parvus est, ne in grandem colubrum excrescat. Principiis obsta, tentationem, antequam invalescat, enerva.

6. Hostem jugulare nolle, dum parvulus & invalidus est.

7. *Oppugnare amicos, inimicis applaudere.* Propria voluntas, proprium & contumax judicium plus nocent homini, quàm alii omnes illius inimici, hos tamen propriam

7. Oppugnare amicos, inimicis applaudere.

priàm voluntatem propriúmque judicium complectimur, illos odimus & aversamur, qui Voluntati & Judicio nostro vel minimùm contradicunt. Verte & pugna.

8. Cùm eo hoste velle congredi, & cominus pugnare, qui eminus est vincendus.

8. *Cum eo hoste velle congredi & cominus pugnare, qui eminus est vincendus.* Sæpe hostis acquirit vires è vicinià; talis est libidinis tentatio, & omnia vitia voluptatis aliquid stillantia, quæ longè rectiùs fugâ, quàm collato pede superantur. Adversus hæc tantò felicior pugna suscipitur, quantò remotior.

9. Fugiendo velle hostem vincere, qui pugnâ vincendus est statariâ.

9. *Fugiendo velle hostem vincere, qui pugnâ vincendus est statariâ.* Ejus generis sunt adversa & incommoda omnia, his vera patientia non cedit, nec ea vincit fugiendo, sed ferendo. Pedem cum illis confert, & universa superat, placidè tolerando. Verberant nos & lacerant res adversæ. Non est sævitia; certamen est, quod quò sæpius adierimus, fortiores erimus. Ad contemnendam malorum omnium potentiam, animus patientiâ durandus est.

10. Armis pugnare similibus, cùm pugnandum esset contrariis.

10. *Armis pugnare similibus, cùm pugnandum esset contrariis.* Quid stultius & minùs Christianum, quàm odio contra odium, garrulitate contra garrulitatem, stultitiâ contra stultitiam, conviciis adversùs convicia pugnare. Disparibus hîc armis certandum est. Odium amore, Garrulitas taciturnitate, fatuitas sapientiâ, convicium faustâ precatione oppugnandum. Primæ legis est: *Non reddentes malum pro malo, nec maledictum pro maledicto: sed è contrario benedicentes. Ne respondeas stulto juxta stultitiam suam, ne efficiaris ei similis.*

1. *Pet. cap. 3. vers. 9.* *Prov. c. 26. vers. 4.*

11. In eo hoste debellando frustra se fatigare, qui debellari potest sine labore.

11. *In eo hoste debellando frustra se fatigare, qui debellari potest sine labore.* Melior est patiens viro forti. * Quid igitur vindictam operosè moliris? Expecta Dominum, & liberabit te. † Magis eminet fortitudo in perferendis adversis, quàm in aggrediendis arduis. Tu ergo, quiesce, sile, patere, & causlam tuam Deo committe. Ille in hostes tuos, te quiescente ac silente, acerrimè vindicabit tempori.

† *Prov. c. 16. vers. 32.* * *Prov. c. 21. vers. 22.*

12. Hostem suum ad suimet exitium & interitum juvare.

12. *Hostem suum ad suimet exitium & interitum juvare.* Non est timendus hostis, qui non vincere potest nisi volentem aut juvantem. Diabolus certè nec vincere nisi volentem nec jugulare potest, nisi juvantem. Diabolus pectori gladium apponit, cùm fœdas noxiásque cogitationes suggerit, tu ipse hunc gladium cordi tuo infigis, cùm cogitationibus consentis. Diabolum juvas, cùm ad foveam, in quam præcipiteris, properas. *Fovea profunda est meretrix, & puteus angustus aliena.*

Prov. c. 23. vers. 27.

§. II.

3. Præceptiones contra dictas stultitias:

ADversus istas, quas memoravimus, stultitias in spiritali pugnâ, non leviter juvabunt præceptiones istæ.

1. Tentationes aperiendæ, sed non obvio cuique.

I. *Tentationes aperiendæ, sed non obvio cuique.* Aperiendas esse tentationes omnium sapientum est consilium, sed aperiendas intelligenti rerum harum perito. Veluti duo nebulones Susannæ pudicitiam tentantes, alter alteri suam tentationem pessimè aperuit, nam cœcus cœcum duxit, & ita uterque in foveam corruit. Saccus frumentarius nucibus plenus seipsum prodit, animus tentationibus agitatus ægerrimè se continet, quin erumpat, aut certè signis pandat. Jacob Rachelem & Liam affatus: *Video*, inquit, *faciem patris vestri, quòd non sit erga me sicut heri & nudiustertius.* E vultu didicit avunculi contra se tentati notas. Tentationes detegere sed prudenti, & qui conscientias tractare nôrit, consultissimum, imò necessarium, alioqui cor exedunt, & ad pessima quæque impellunt, tam insipienter clausæ. Spirituales viri experimentis creberrimis, & malo suo didicerunt, non sibi priùs lucem è cælo alluxisse, quàm ipsi conscientiam & animum tentationibus inquietum Magistro spiritali aperuerint. Silentium hac in re pernicioſissimum est. Tentationes patefacere, sed imprædenti aut obvio cuique, pessimum, nocentissimum. Nam tentatus alium turbat & seipsum non juvat.

Gen. cap. 31. vers. 5.

2. Tentationum multitudo præmeditanda.

II. *Tentationum multitudo præmeditanda.* Solebat Abbas tirones suos in turrim editam educere, & loquente manu remotissimum locum commonstrans: En, ajebat, si ab hac turri usque illuc quò pertingere possunt oculi, omnia crucibus essent oppleta, tu tamen tuas esse numerosiores crede. Animam tuam ad tentationem præpara. Innumera tibi etiámnum toleranda. Ita in antecessum muniit tironem.

Anno Christiano millesimo decimo sexto Benedictus VIII. summus Pontifex regem Sarracenum prælio vicit. Rex fugit, sed vires denuò collegit. Atque ut Pontificem terreret, grandem saccum sardianis glandibus, seu, castaneis plenum misit cum hac denunciatione: Tot milites æstate proximâ expectaret, qui vastarent Italiam. At Pontifex ut litteris nimiùm animosis responsum congrueret, Marsupium milio jussit impleri, & Sarraceno regi transmitti, his additis: Veniret modò; salutandum eum à tot armatis, quot milii grana marsupio clauderentur. Darius, ut ferunt, hosti Alexandro Macedoni peram misit papavere stipatam, & unà dici jussit: Auderet progredi si vellet: peditatum & equitatum sibi tam esse numerosum, quàm missum papaver esse cerneret. Quod Alexander solùm gustans expuit, & sacculum pipere non contuso plenum remisit cum dictis: Tam peditatus quàm equitatus meus tuo est minor, sed est animosior. Tales sunt minæ diaboli, quales erant insanorum ducum illorum. Sed adsit, & innumeris nos tentationibus incurset, quisquis auxiliatore Deo pugnat, impavidus proclamat: *Dominus illuminatio mea & salus mea quem timebo? Si consistant adversum me castra, & non timebit cor meum. Si exurgat adversum me prælium, in hoc ego sperabo. Non timebo millia populi circumdantis me.*

Ps. 26. v. 1. & 3. *Psal. 3. v. 7.*

Othoni I. Imperatori bellum memorant denuntiatum adjectis his minis: Plures hostiles galeas in Germaniâ spectandas, quàm ea tota pileolos habeat stramineos. Risit Imperator præstitudam barbariem, & insolenti regi vicissim nunciari jussit: Veniret, si animo id sedisset, & coram cerneret quàm militares essent straminei pileoli. Hinc miles pileatus non galeatus in aciem jussus descendere. Venit igitur rex barbarus, & vidit, sed reverà non vicit. Nam prælio fusus, fugatus, captus est. Multitudo tentationum & copia quæ vel unicum hominem infestat, sit velut culeus castaneis, aut marsupium milio, aut pera papavere, aut crumena pipere, aut saccus nucibus refertus, nil tamen trepidandum. Solatio est quod Elisæus ministro suo dixit: *Noli timere; plures enim nobiscum sunt, quàm cum illis.*

plures 4. Reg. c. 6. vers. 16.

Assyriorum rex Sennacherib ingenti cum exercitu in Judæam sese infudit, omnémque impetum belli adversus Hierosolymam vertit. At verò rex Ezechias rebus bellicis prudenter ac maturè dispositis, ad cohortandum populum progressus: *Viriliter agite*, inquit, *& confortamini; nolite timere, nec paveatis regem Assyriorum, & universam multitudinem quæ est cum eo, multò enim plures nobiscum sunt, quàm cum illo. Cum illo enim est brachium carneum: nobiscum Dominus Deus noster, qui auxiliator est noster, pugnatque pro nobis. Confortatus est populus hujuscemodi verbis.* Ita omnino præmeditanda tentationum multitudo, non formidanda. *Nobiscum est Dominus Deus, qui auxiliator est noster pugnatque pro nobis.*

2. Par. cap. 32. v. 7. Ibid. v. 8.

§. III.

3. Removendus tentationum fomes; agendum viriliter.

III. *Removendus tentationum fomes; agendum viriliter.* Silex & chalybs si collidantur, scintillæ prosiliunt, celer emicat ignis, fomitem huic igni subtrahe, si eum nolis vivere; sua tentationibus fomenta dirige, si eas nolis invalescere. Ite nunc vani; pecunias acervate, honores & dignitates inhiate, voluptates undequaque conquirite, indulgete genio, sit plena sensibus licentia.

His

His fomentis tentationes gaudent, his crescunt. Ita culeus nucum refertus colligitur.

Nuces relinquere Latinis est, imagunculas, crepundia, pupas, ineptias, nugas, fabulas amovere, tractare seria. Ita Persius:

——— *Et nucibus facimus quæcunque relictis.*

Apud Romanos veteres sponsus cùm domum duxisset sponsam, nuces sparsit, ut eo ritu sese jam emancipatum, puerilitiam & puerilitatem finitam testaretur. Perinde si diceret: Reliqui nuces. Nuces repetere, ad nuces redire, aut à nucibus nunquam recedere, est apinas, puerilia, affanias semper tractare. Atque hoc est, quod crebriùs instillat Paulus: *Cùm essem parvulus, loquebar ut parvulus, sapiebam ut parvulus, cogitabam ut parvulus. Quando autem factus sum vir, evacuavi quæ erant parvuli. Fratres nolite pueri effici sensibus.* Pueri pluris faciunt nuces deauratas, quàm centum aureos. Nimis quàm puerile est, culmum unicum attendere, & manipulum totum negligere; sestertiolos aliquot lucrari, & mille coronatos perdere. Hoc mundi vanitas & vanitatum maxima vanitas est. Hæc nostra est infantia, hæc insipiens pueritia: Res temporis solertissimè curamus, quod æternitatis est, oscitanter transimus; ludicra & vana impigerrimè tractamus, animi salutem inter postremas fortè curas habemus. Expendendos nummulos etsi paucos, decies versamus manus, in omnem vitam pœnitenda & nocitura ore liberrimo profundimus, nec damnum æstimamus. Terræ punctum inter nos ferro & igni dividimus, eheu, neglecto cælo. Infantia miserabilis, deploranda pueritia. Hæ nostræ tentationes sunt, nec eas esse credimus; muscas venamur & apros dimittimus. Ita rarò aut admodum serò recedimus à nucibus. Nuces ô pueri, nuces à seriis, à divinis, à cælestibus, ab æternis vos avocant. Exuamus, obsecro, hanc pueritiam; viriliter agamus; & æterna fluxis nunquam non præferamus. Confortemur & animosè resistamus hosti. Citra laborem non constat hæc pugna, non venit palma, non obtinetur victoria. Comesse qui vult nucleum, frangit nucem.† Qui quærit honorem, ne fugiat laborem; qui sectatur voluptatem, impendat priùs sudorem. Nux culleolis tegitur amaris & duro putamine, recens nucleus suâ tunicâ evolutus pergratus est. Hæc sine morâ & labore non fiunt. Idem in omnibus scientiis. Vis Poëtæ & Rhetoricæ studere? Grammaticæ leges priùs sunt ediscendæ. Vis Physicæ, Metaphysicæ, Theologiæ navare operam? Priùs in spinosissimâ Logicâ sudandum. In virtutis studio initium amarum, progressus facilis, finis jucundus. Tentatio nucis instar corticem habet durum & acerbum. Sed frange nucem, si vis esse nucleum. Cave, nux ista te robustior sit.

Ambianum* narrant nucibus expugnatum hoc stratagemate. Ferdinandus Antellus ortu Cantaber, Prætoris Pompejopolitani filius, Dorlani præsidio præfectus validâ manu Ambianorum fines obterrabat, si fortè casum urbis occupandæ reperiret. Quod ut ex voto succederet, conflictâ famâ sparsum, prælidiarios S. Pauli in Belgio, quòd stipendia non procederent, tumultuari. Hac scenâ Belgarum quinque millia evocati Dorlanum advolant, ubi fortuito eodem recreati de nocte magnis itineribus Ambianum tendunt, & appetente die ad tertium ab urbe lapidem in ruderibus ac maceriis latent. Antellus portis multâ jam luce reclusis, quadraginta milites, qui villatico habitu cultúque annonarias sarcinas dorso gestent, subornat. Hic quidem gallinas, ille ova, hic scopas, iste caseolos, alii vitulos, aliqui olera, alias alii rusticanas merces ferebant. Hos intus loricatos, & brevibus sclopis ac pugionibus accinctos præmittit, qui diverso itinere portam, quâ in Atrebates exitur subeunt, & sub fasce anhelantibus similes ad levandas sarcinas in urbis aditu subsistunt, donec onustum plaustrum à quatuor militibus rustica veste dissimulatis actum insideret pontem pensilem, ex illis unus sacciperium nucibus plenum, veluti casu solutum effundit; accurrunt portæ custodes per lasciviam, & nucibus attéti, à rusticis confodiuntur, qui, ne pensiles cancelli * fune secto demissi aditum obstruerent, plaustrum opponunt, & explosi sclopeti signo dato vestibulum insident, quo sonitu Antellus cum suis excitus advolat, & in urbem irrumpit, mœnia, turres, compita, & munitiora urbis loca præsidiis firmat; populus sacris quadragesimæ concionibus attentus, audito campanæ classico, & discurrentium fremitu, in vicos exit, sed hostium armis territus, in domos refugit. Comes S. Pauli, provinciæ & urbi præfectus cum suis evolat, & fugâ periculo se subducit. Nemo repertus in tanto discrimine, qui manus moveret; plus omnes in pedibus quàm in dextris spei reposuere. Ita Ambianum, urbs Galliæ Belgicæ præstantissima, nucibus expugnata Anno 1597. die decimâ Martii.

* *Cataractes, aut cataracta.*

Hoc etiámnum diaboli stratagema, est frequentissimum, imò quotidianum, mentem humanam expugnare nucibus. Quid enim honor, amplitudo, dignitas, nominis splendor, famæ celebritas? Nuces sunt ista & plerunque cassæ. Quid auri laminæ, quid opes & divitiæ, quid omnes orbis thesauri? Reverà nuces sunt in orbem alterum à nemine asportandæ. Quid voluptates fluxæ nisi nuces verminosæ? Attendite, Christiani, attendite, diabolus rusticus larvatus, sed jam à quinque millibus annorum miles exercitatissimus, sacciperium nucibus plenum effundit ut decipiat, ut urbem munitam mentem humanam occupet, & cælum rapiat. Nemo fidat, fraudes sunt. Nemo fidat, impostura sunt, quibus incautos fallit. Nuces absondit sacco, stratagemata mendacio, scelera virtutis velo. *Amicitiæ identidem specie*, ait Chrysostomus, *crudelitatis venenum ejaculatur.* Hostiles fallaciæ cùm notæ sunt, jam pæne victæ sunt.

Chrys. to. 4. in cap. 6. ad Rom. homilia 10. mihi pag. 90.



PARS ALTERA
DE
TENTATORIS GENIO.

CAPVT PRIMVM.

Tentatoris genius generatim describitur.

Florus l. 2. cap. 6.

VArium prorsus obsidionis genus est. Carthago Hispaniæ, quod Florus memorat, quo die obsessa, eodem etiam est capta.

Quàm verò diras & longas obsidiones tolerarunt Potidæa urbs maritima Macedoniæ, Tunes Africæ minoris seu Zeugitanæ * urbs à Carolo V. Imperatore Anno 1535. expugnata. Hanc olim continuis sedecim diebus arsisse, sed jussu Senatûs Romani reparatam esse memorat Eutropius. Utica ejusdem Africæ urbs olim post Charthaginem summæ dignitatis ab Amilcare Hannibalis patre oppugnata. Hierosolyma à Tito & Vespasiano obsessa & capta sexto mense à die Paschatis, quo obsideri cœpta.

** Aliis propria dicitur.*

Eutrop. l. 4.

Obsidionem triennalem non unam produnt scriptores. Bysantium ævo Severi Imperatoris tribus annis & dimidio obsessa. Bethoron Hebrææ civitatis obsidio triennium tenuit. Totidem annis ab hoste cincta Samaria.

Vienna Austriæ sub obsessore Solymanno & protectore Carolo V. viginti octo impressiones toleravit & repulit. Vejorum decennalis obsidio fuit, quo quidem tempore miles Romanus sub pellibus durare cœpit.

Obsidio vix ulla contumacior, quàm ad Ostendam fuit.

Vix ulla tamen unquam obsidio contumacior, quàm ad Ostendam fuit, nulla urbs majore vi oppugnata, nulla fortiùs propugnata, nusquam plus artis & industriæ adhibitum, nusquam plus molitionum, munitionum, insidiarum: Lue grassante, tormentis fulminantibus miles de capite suo ludebat, & contemptâ morte ferocior, sciens prudens in pericula ruebat. Ita vitæ prodigi mortem ultro lacessebant, & pedibus cadavera calcantes hominum ingenium exuisse, ac naturam ejurasse videbantur. Nusquam magis invicti spiritus in obsessis, nusquam majus victoriæ in obsidentibus studium est repertum. Canant poetæ & fabulis attollant decenne Ilii obsidium. Lacones viginti annos in pertinaci Messanæ oppugnatione posuerint, tres Ostendanæ obsidionis anni & aliquot menses illustribus omnibus veterum facinoribus tenebras offundunt.

Unica obsidio Bredana quantum temporis & laboris, quantum auri & militum glutierit, Hermannus Hugo singulari libro commonstrat.

Urbium robur ostendit obsidio, hominum virtutem aperit tentatio. Hactenus de tentatione actum: Nunc porrò agemus de Tentatore.

§. II.

Chrysolog. ser. 11. initio, mihi pag 33. Diaboli elogia.

PEtrus Chrysologus arrepto veluti penicillo diabolum suis coloribus expicturus: *Diabolus*, inquit, *mali auctor, nequitiæ origo, rerum hostis, secundi hominis semper inimicus, ille laqueos tendit, lapsus parat, foveas fodit, aptat ruinas, stimulat corpora, pungit animas, cogitationes suggerit, immittit iras, dat virtutes odio, vitia dat amoris, errores serit, discordias nutrit, pacem turbat, affectus dissipat, conscindit unitatem, sapit malum satis, bonum nil, violat divina, humana A tentat.* Jam suprà monui & identidem monere non cessso: Nemo fidat diabolo, cui nomina mille, mille nocendi artes. Nulla ejus tentatio non colorata, nulla non *specie boni* velata. Nam intelligentia humana nihil nisi Verum, aut sub Veri specie: Voluntas nihil nisi Bonum, aut sub Boni specie potest recipere. Nemo philippeum plumbeum, nemo cupreum sestertium in loculos admittit, nihilominus multi & plumbum & cuprum, monetas adulterinas sed argenti aurive palliolo honestatas, recipiunt. Diabolus monetæ adulterator insignissimus, nummis quos cudit, argenti & auri colores incoquit. Quid enim tentatio nisi fallax species? Ita Petrus Chrysologus: *Tentatio est*, inquit, *species fallens, quæ prospera ser. 71. mihi in adversis, adversa occultat in prosperis, humanámque ignorantiam doloso educit in lapsus.* Quis autem sit spiritus qui tentat, ipsa declarat suggestio. Nam spiritus Carnis B mollia, spiritus mundi vana, spiritus malitiæ amara semper loquitur, sed speciosissimis quibusque titulis præfixis, amœnâ semper & honestâ fronte scorpionis caudam occulit: boni specimen præ se fert omnis tentatio. Tu verò cave, latet anguis in herbâ, latet sub osculo Joabi sica; frumenti manipulum messor amplectitur ut eum falce succidat, venator viridi vestitu gaudet, ne feras fugeret, piscator hamum obvoluit escâ, ne illum pisces horreant, rete operit Auceps, ne terreat aviculas, venenum sæpe conditur saccharo, propinatur aureo carchesio: fraus & fucus plerunque conjunctissima.

pag. 131. Suggestio declarat quis spiritus qui tentat.

Si Aristoteli credimus, sunt mendacia, quæ majorem veritatis speciem habeant, quàm ipsa veritas? At verò, eodem teste, modica transgressio à veritate discedentibus fit longè decies millies major. Angelum lucis repræsentat tenebrarum princeps, veritatem assimilat primus C mendaciorum figulus. Pharisæos, scribas, Pontifices Hebræos ad scelus maximum, ad parricidium immanissimum venustis falsitatibus pertraxit. *Quid facimus*, ajunt, *quia hic homo multa signa facit. Si dimittimus eum sic, omnes credent in eum, & venient Romani, & tollent nostrum locum & gentem.* Sacrilegii summi statuebant fundamentum, æquitatem. Ergo, ajunt, convenientissimum est rationi, ut tanto huic malo, maturè admoveamus remedium: bonum publicum privato anteponendum. Hic homo eâ plebis gratiâ valet, ut exercitum conflare, & Rempublicam possit evertere aut certè mutare. Romani nobis infensi non deerunt his molitionibus. Ita & nomen, & populum, & sacra nostra difficile illis non erit pessumdare.

Aristot. l. 1. de Cœlo summa 7. mihi p. 256. Ioan. cap. 11. v. 47. & 48.

Quid quæso fingi posset speciosius? Ita nonnunquam qui ad clavum sedent, homines privatos nullo jure opD primunt, in communis boni, ut ajunt, gratiam. Nulla olla quæ sibi suum non inveniat operculum. Hoc Tentatoris primum vaframentum est, umbrâ virtutis & nomine specioso fallere. Ita nullum flagitium, scelus & sacrilegium nullum est quod callidissimus tentator ratione ac æquitate non possit obvolvere.

Tentatoris primum vaframentum est umbrâ virtutis & nomine specioso fallere.

De astutiâ hujus Tentatoris disserens Jobus: *Cartilago illius*, inquit, *quasi lamina ferrea. Quid per Cartilaginem*, ait Gregorius interpres, *nisi simulatio ejus accipitur? Cartilago namque ossis ostendit speciem, sed ossis non habet firmitatem: & sunt nonnulla vitia, quæ ostendunt in se rectitudinis formam, sed ex pravitate prodeunt infirmitate. Hostis enim nostri malitia tantâ se arte palliat, ut plerunque ante decepte mentis oculos culpas virtutes fingat, ut inde quisque quasi expectet præmia,*

Iob cap. 40. vers. 13. Greg. lib. 23. Moral. cap. 10. p. 1076.

mia, unde dignus est æterna invenire tormenta. Hinc, ulcisci se, justitiæ putatur; boni zeli meritum Ira creditur; Ignavia mansuetudini, prodigalitas miserationi; tenacitas parsimoniæ, pertinacia constantiæ tribuitur; Superbia, libertas, lascivia, affabilitas, loquendi procacia veritatis defensio censetur; pigritiæ quietis amor, præcipitantia agendi fervor, exequendi tarditas à procrastinatoribus illis consilii maturitas appellatur. Error mantelo se virtutis velat, hinc & longè minùs agnoscitur & difficiliùs emendatur. Eam ob causam monet Joannes: *Charissimi nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus si ex Deo sint.* Examinandus est larvatus ille lucis angelus, quis sit, & unde sit; quid spectet ac velit? Ita ducum præstantissimus Josue cernens angelum sed sibi ignotum, & interrogans: *Noster es,* inquit, *an adversariorum?* Ita extremæ tentatoris ungulæ sunt observandæ, quò potissimùm collineet, attendendum. Ratio dialectica exponit omnem falsitatem, consideratio finit, elidit omnem tentationem. Finem inspice, diabolo ne fide.

1. Joan. c. 4. vers. 1.

Josue cap. 5. vers. 13.

§. II.

VUlpes animalium astutissima ut aves alliciat, mortuam se simulat. Cùm simplices ad lætum funus advolant, vaferrimum quadrupes in rem suam vigilans incautas subitò corripit & jugulat: ita dæmon inducias simulat & pacem, se fingit mortuum; repentè adest & prædas agit vario stratagemate quæsitas.

Imagenin expugnandâ civitate simul Duæ Hadingi.

Dux Normannorum Haddingus regio sanguine prognatus, vir ferox, ad arma natus, Lunam, Italam civitatem expugnaturus, dolum sic armavit. Misit in urbem qui commeatum peterent & hospitium, simul nuntiarent fatalem morbum, in quo Christianis sacris ante mortem imbui cuperet. Ad omnia annuerunt Lunenses. Ingreditur Haddingus baculo nixus & lustrali fonte tingitur, exploratâ tacitè urbe ad naves cùm exercitu redit. Brevi fama volat, mortuum principem, Ecclesiæ Lunensi legata ~~observata~~ arma ducis & equum cum gemmis & multo auro. Credunt cives & funus regium instruunt. Armatus & vivus dux feretro imponitur, omni exercitu ad tumulum prosequente. Quid urbs, nisi suum ipsa funus duxit? Ponitur jam feretrum auro & & gemmis coruscum. En tibi subitò mortuus surgit & armatus, primus obvios sternit, quem secuti milites urbem incenderunt, captivos cum prædâ detulerunt in naves.

Solimanni in expugnando Adeno. Petrus Maffæus lib. 11. hist. Indic. mihi p. 310.

Ita Solimannus Peloponesius Ægypti Præses ab Ottomanno Imperatore Turcico missus Adenum Arabiæ oppidum munitissimum occupavit. Cùm enim ab Zebito ejusdem felicis Arabiæ civitate superatis faucibus Adenum pervenisset, legatos jam ante præmisit, qui ab Rege commeatum vacuásque in urbe ædes curandis ægroris pro amicitiâ peterent; utrumque cum cura præstitit Rex, & alimenta in classem & hospitium laborantibus datum. In id hospitium simulato morbo, singuli milites à quatuor valentibus à mari transuehebantur, armis in lectulo sub veste contectis, per eam fallaciam nihil ejusmodi suspicante populo, quingenti paulatim intromissi. Tum Solimannus ex composito per satellites Regem ad naves accersit, ille cùm, suæ dignitatis haud quaquam oblitus, indignabundus abnueret; confestim insidiatoribus, quod jam antè convenerat, è classe proponitur signum, ii cum armis extemplò coorti stupente ad inopinatam rem civitate, regiam circumsistunt, comprehensúmque regem ad Solimannum vi pertrahunt. Ibi superbè interrogatus ab eo, cur tertium jam diem ad se officii causâ venire distulisset, cùm liberiùs responderet, quàm prædonis aures ferre consuessent, arreptus propalam ex ipsius prætoriæ navis antenna suspenditur. Urbs dein crudelem in modum direpta; præsidium impositum.

Diaboli ad decipien-

Ita diabolus ad omne stratagema exercitatissimus in

A angelum lucis se transformat, pacem & amicitiam simulat, suam tentandi vim velut emortuam commonstrat, ut certiùs celeriúsque decipiat. Ad Simeonem Stylitam cum curru & equis igneis tanquam Angelus è cælo missus suaviter accedens. Tempus est, inquit, ut Eliæ instar hinc emigres in cælum. Ascende currum quem tibi Deus amico suo misit obvium. Simeon jam ascensurus pedem alterum in fallacissimo curru posuit, sed unâ dominum Jesvm inclamans se cruce signavit. Mox currus, & equi, & auriga evanuerunt.

Simeonem Stylitam: *Antonius Simeonis discipulus in vitâ ejus cap. 5. apud Rosweyd. mihi p. 172.*

Rathbodum regem Frisonum narrant aureo palatio, quod ater hic angelus repræsentavit, eò deceptum, ut à divo Ulfrano fonte sacro jamiam tingendus, pedem revocârit mutatâ subitò mente, dixeritque, Nolle se baptizari, sed à morte illuc commigrare velle, ubi se sciret majorum suorum & plurium amicorum societate in aureo illo palatio fruiturum. Triduo post ajunt mortuum; & quo migrasse? ad illud utique palatium aureum,

Rathbodū regem Frisonum. *Vincentius in spec. hist. l. 23. c. 146. Annal. Frācor. in Dagoberto circa annū 708. Apoptheg. Gall. Paris. pag. 20.*

B Avernale cælum.

Ita execrandam illam & ter miseram fæcem, veneficos & veneficas Orcinianus hic architectus jam noto dolo deludit. Ædificia splendoris ac voluptatis refertissima pingit aëre, suisque ea discipulis illis ac sororculis spectanda, & brevi habitanda exhibet. Hinc illi martyres diaboli, quod jam sæpius compertum, quæstionis tormenta, rogum, flammas, supplicium extremum tolerant constantissimè. Tanti apud eos est aëreum nugacissimum spectaculum, præstigiæ fallacissimæ. Quid in tentatione trepidas Christiane ignave, cur pro Christo pati recusas? *Gloria & divitiæ in domo ejus. Salvi erimus in vitâ ipsius.* Idcirco *gloriamur in spe gloriæ filiorum Dei. Non solùm autem, sed & gloriamur in Deo per Dominum nostrum Iesum Christum.* Ergo, *exue te stolâ luctus & vexationis tuæ, & indue te decore & honore ejus, quæ à Deo tibi est sempiterna gloria.* Eximie Petrus Damianus: *Diabolicæ tentationis,* inquit, *proponuntur tibi exempla, ut & ipse contra hostis callidi deceptoris insidias solerter evigiles, & dum te delectat aliorum audire victorias, ipse te per languidi corporis ignaviam non remittas.*

Psal. 111. v. 3. Rom. cap. 5. vers. 10. Ibid. v. 2. & 11. Baruch c. 5. vers. 1. Damianus lib. 6. epist. ep. 21.

§. III.

STratagema memorans Vir doctissimus Erycius Puteanus historiographus regius: Franci, ait, Perthariti * causam, ad quos confugerat, bello & vindictâ dignam arbitrati, ingentibus copiis in Italiam perrumpunt. Hos viribus destituerat, sed astu valens, Grimoaldus prope Astam aggreditur. A levi prælio metum simulans, fugam capessit, & castra vino ciborúmque lautitiis capiendo hosti referta, deserit. Franci fausto victoriæ auspicio decepti, & in ventris prædam effusi, tanquam ad epulas non ad pugnam venissent, vino se onerant & in dolia præliantur. Priùs igitur ebrietate quàm bello victi, clademque suam strati adumbrant. Quippe post secundam vigiliam somno vinóque mersos Grimoaldus adoritur, tantámque sterrentium stragem edit, ut plus sanguinis fusum sit, quàm vini hostes exhauserant. Quid dicam? præproperam maléque digestam victoriam revomuêre. Sic validus exercitus parvâ manu oppressus est, & res Perthariti ad desperationem prolapsæ. Tam insigni cladi cùm vix nuntius superesset, memoriam apud posteros locus fecit, Francorum rivulus huc usque appellatus.

Erycius Puteanus l. 2. hist. Insubrica. Vide etiam volumen 1. Annal. Boiocorum P. Andreæ Brunner lib. 5. mihi p. 610. & seqq.

* *Alii* Pertharites, *&* Partheritus *aut* Partharicus *nobis propriè* Bartreich.

Fuit Longobardorum Regis Ariperti, vel Ariberti filius, qui regno excidit, idémque tragicis casibus, & mutatis crebrò exiliis jactatus recuperavit.

Haud aliter diabolus tentator verè Grimoaldus eam illis quos tentat, offundit escam, quam novit fore gratissimam: putridum sed scitè coloratum porrigit pomum, ut totum rapiat regnum, voluptates exhibet, sed impuras & fluxas, ut spoliet cælestibus & æternis. Hoc ferè stratagemate ille suas victorias parit; non dat regna sed promittit, rerum umbras pro rebus objicit. Nimis quàm imperitus & fatuus est, qui à dæmone malorum omnium satore aucupatur commoda. *Faciem ejus,* Job teste,

Stratagemata dæmonis ut suas victorias pariat: Promittit regna, non dat.

Iob cap. 41. vers. 13. ceste, *præcedit egestas.* Divitias non habet ullas, quibus assecias suos & clientulos beet, eorúmque inexplebilem cupiditatem exsaturet. Inani & ludicrâ divitiarum umbrâ fallit, quæ famem non sedat sed provocat, perinde ut si quis famelico panem pictum aut lignum apponat.

Verba illius ambigua sunt ne inhonestum appareat. Multa simul agẽda sub aspectũ ponit.

Dæmon principio sensim ac molliter inserpit, dein vehementer atque hostiliter premit & urget; illius verba sæpe obliqua & ambigua sunt, ne inhonestum appareat, quod turpissimum est, & prorsus execrabile.

Multos decipit dum eis multa simul agenda sub aspectum ponit, atque eos acervo & mole rerum terreat. Tu verò respondе tentatori: Hac horâ hoc faciam, sequente aliud, aliúdque tertiâ; non simul omnia. Ita pedetentim & per gradus confici possunt plurima.

Non paucos multitudine precum fallit;

Non paucos fallit precum multitudine, qui hoc unum satagunt ut precatiunculas recitent quàm plurimas, num illud attentè faciant, hoc ipsi non multùm curant; interimque etiam sæpe magis necessaria & meliora negligunt.

Nequissimæ humilitatis specie seducit,

Quantos nequissimæ humilitatis specie seducit, qui actiones sanctiores multas omittunt, ne ab aliis habeantur sancti, & inde ipsi fiant superbi.

Honesto correctionis titulo in iram, vindictam impellit;

Honesto correctionis titulo multos in iram, contumeliam, vindictam, severitatem nimiam impellit: Alios mansuetæ comitatis fuco impedit, quò minus lasciva, obtrectatoria, pessima quæque garrientes aut agentes corrigant.

Spe vanâ, taciturnitate superbâ deludit,

Quàm multos spe vanâ, taciturnitate iracundâ, vel timidâ & superbâ, insomniis falsis, religionibus fictis, superstitionibus veris, scrupulis exitiosis, curiositatibus noxiis, odiis & simultatibus speciosis, lacrymis & solatiis captiosis, suspicionibus malignis, tristitiis aut gaudiis inanissimis deludit.

Tam blandè quàm malitiosè suadet,

Nonnullis tam blandè quàm malitiosè suadet: Ut demum ab hac tentatione liberaris, concede aliquantulum naturæ, satisfac animo, satia gulam, indulge genio, explе appetentiam, da aliquid hilaritati, laxa voluptati frenos, remitte arcum, ut denuo intendi possit. En tentatoris astutiam: *Dixerunt animæ suæ,* monet Isaias, *Incurvare ut transeamus. Noli acquiescere,* ait Bernardus, *non est enim transiturus, sed te graviter oppressurus.* Quò magis volueris explere voluptatis sitim, eò magis sities. Tentationem non vincis, sed irritas & accendis, cùm ei satisfacis. Sed hæc infrà explicatiùs trademus.

Isaiæ c. 51. vers. 23.

Constãtia dæmonis in tentandò est indefessa.

Porrò indefessa est dæmonis in tentando constantia. Non eum frangit temporis diuturnitas, non illum moræ tædet, ne si iterum iterúmque ac sæpius repellatur, animum despondet, aut in pugnandi contentione languet. *Ossa ejus velut fistulæ æris,* ait Jobus, *cartilago illius quasi laminæ ferreæ.* Uti enim ossa non flectuntur, nec mollescunt, ita dæmon non incurvatur domitus, non cedit victus, non continuò fugit pulsus. Musca est impudens, identidem redit, etsi centies rursúmque centies abigatur. Et sicut in exagitandâ & persequendâ prædâ non fatigatur, ita etiam in retinendâ impigerrimus nulli pareit operæ. Ex ejus unguibus non minùs difficulter extorseris prædam, quàm, ut vetus est verbum, ex Herculis manibus clavam, aut à leonis unguibus semesum agnum. Enimverò tentator iste non initio statim dentes & ungues exerit; à levioribus incipit, piacula minora suggerit, paullatim ad graviæ flagitia & crebriora transit, in eos demum omnem malitiam effundit, & ad gravissima quæque pertrahit, quos illis tentationum præludiis vicerit. Nimirum quò serpens caput immiserit, eò & reliquum corpus non difficulter introducit. Quò diabolus digitum, eò & manum, brachiúmque totum inserit.

Iob cap. 40. vers. 13.

In retinẽdâ prædâ est impigerrimus.

Franciscus Assisias vir sanctissimus monere solitus: si diabolus, ajebat, vel unicum capillum nobis extorserit, grandem inde camum, aut rudentem validum texit: si vel semel reminimâ nos irretiat, inde ad alia atque alia non difficili suasu proturbat. Si manum nolis perdere, cave digitum tentatori porrigas.

CAPVT II.

Tentator diabolus Cupedinarium & Aurificem agit, deliciis & divitiis fallit.

Pelag. lib. vitæ patr. num. 35. pag. 593. Diabolus non tam bonus est messor atque sator est.

VIr sanctissimus abbas Mathois, quod Pelagius memorat, dicere solebat: Diabolus non perinde bonus messor atque sator est; industriæ plurimum expendit seminando, sed tantundem non recipit metendo. Quòd si tam abundantem haberet messem, quàm copiosam spargit sementem, in sua horrea orbem universum conveheret. Diversis planè seminibus instructissimus, malorum omnium seminator est. Neque verò aliud, quàm herbas malas & inutiles, frumenti vitium, adulterina semina, segetum pestes, lolium, urticas, tribulos, lappas serit. Sed, Numini sint laudes, non omnis ejus satio surgit, hinc minus metit, quàm serit. Stygii seminis multum interit.

Demõ varias sumit figuras,

Quemadmodum verò Satanas modò seminatorem, modò messorem, ita subinde mercatorem, modò restionem aut pellionem, nonnunquam Phrygionem, jam verò pistorem, jam satorem, jam & sutorem; brevî vietorem aut tinctorem, modò pictorem agit; mille larvas die uno, unicâ horâ induit. Jam pavonis, jam columbri, jam leonis formam subit; formas se vertit in omnes. Uti verò Archeronteus hic tentator varias sumit figuras, & vultus præfert diversissimos, ita omnis generis tentationes admovet, jam minatur & terret, jam blanditur & mulcet; modò rogantis, modò imperantis personam gerit; quascunque vult, facies sibi aptat, ut ad omne vitiorum genus pertrahat. Præcipuè verò triplici tentatione humanam gentem ad malum sollicitat. Nam sæpissime aut Cupedinarium, aut Aurificem, vel Bractearium, aut Pileonem agit. Tonsus filius Joannes jam olim pronuntiat: *Quoniam omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ, quæ non est ex Patre, sed ex mundo est.* Cupedinarius Concupiscentiam carnis, Aurifex vel Bractearius Concupiscentiam oculorum, Pileo Superbiam vitæ persuadere nititur. Ut igitur Tentatoris indolem ac genium probè noverimus, hunc vobis Christiani, Cupedinarium, hunc Aurificem & Pileonem depingam, ut tantò minùs lædat, quantò magis patuerint lædendi artes. Hoc quidem caput Cupedinarium & Bractearium dabit noscendum.

Et omnis generis tentationes admovet.

Triplici tentatione humanam gentem ad malum sollicitat.

1. Ioan. c. 2. vers. 16.

§. I.

Dæmon ut concupiscentiam carnis concieat homines gulâ, libidine, delicijs tentat.

VT Concupiscentiam carnis concitet Tentator, Cupedinarium agit, & homines gulâ, libidine, deliciis tentat. Edendi appetentiâ Protoplastos & omnes eorum posteros pessumdedit & in exitium adduxit. Gulâ & libidine orbis universus ab hoc Cupedinario infectus diluvii aquis submersus est. Pentapolis (seu quinque civitates Palæstinæ) flos & medulla omnium regnorum, quia libidini serviit, igne cælitus lapso consumpta est. Gula & libido Cupedinarii illius notissimæ tentationes Hebræum populum idololatriâ & omnibus flagitiis contaminarunt: *sedit populus manducare & bibere, & surrexerunt ludere.* Moabitides feminæ Hebræos blandâ humanitate ad polluctum, seu, votivum epulum vocarunt. Hîc Gula, Libido, Idololatria & omne malum suavi compendio persuadebatur ab illo ipso Cupedinario. *Fornicatus est populus cum filiabus Moab, quæ vocaverunt eos ad sacrificia sua. At illi comederunt & adoraverunt Deos earum.* Hoc consilii gravissima fuit Cupedinarii hujus tentatio, cùm omnis populus Israëlis præstantissimum manna nauseareret, & carnes appeteret. Hac duplici Gulæ & Libidinis tentatione Cupedinarius iste maxi-

Exod. c. 32. vers. 6.

Num. c. 25. v. 1. & 2.

Gulâ & libidine

mam

mam orbis partem quotidianis lucris in suum censum redigit. Illud in tentationibus Gulæ miserum: Cum Gulâ quotidie litigandum & luctandum cominus. E ceteris plurima licet fugere. Et sæpe optimum loricæ genus est procul abesse. Hîc autem longè alia est ratio. Quotidie comedere ac bibere, debitum tamen modum nunquam excedere, exactam semper moderationem servare, difficile. Gulosa cupiditas & palliata necessitas tam vicinæ & validæ tentationes sunt, ut ab eis sæpissime vincamur. Et quod plerunque vetitum est, magis tentat & allicit: ita diebus esurialibus plerunque major sentitur fames; jejunio verno magis sapiunt carnes. Nitimur in vetitum cupimúsque negata.

In Paschatis pervigilio usitata cocorum & pistorum tentatio est, à carnibus recèns assatis allici ad libandum. Hîc nares & oculi lenones agunt, & facillimè quod volunt persuadent, præsertim esurienti. Et quid interest, ajunt, si dieculâ dimidiâ præveniamus Paschatis lætitiam? Ubi tam pronum est os, tam promptæ manus, tam expeditæ rationes, multò facillimè vincit Cupedinarius, qui suis insuper ratiunculis & enthymematis rem omnem facit expeditissimam. Quin audes, inquit, rem leviss imam, & nullius piaculi? aut certè si quid contrahatur labeculæ, aquâ lustrali abstergitur. Aude; nimius in suum genium rigor non placet superis. Ita patinarius hic Orator quodlibet non ægrè persuadet.

Ita diabolus maximam orbis partem quotidie sternit gulâ vel luxuriâ, vel utroque vitio, quod passim conjunctum. Si nolites de insidiis præmoneremur, vigilarent utique & internecionem caverent. At nos quotidie monemur: è cathedris omnibus clamatur: Attendite, diaboli est tentatio, stratagema ex Orco, quem cacodæmon aliter suæ potestatis facere nequit, gulâ & luxuriâ vincit; Attendite. Nos verò insidiarum securi obvia quæque in prædam trahimus, glutimus, voramus, haurimus sine lege ac modo; vinci volumus. Longè aliter agunt quibus victoria salus est cordi.

§. II.

BEatus Helenus, quem Ruffinus Aquilejensis, & Palladius Helenopolitanus laudant, divinis servitiis se mancipavit. Hunc cùm solus ageret, vescendi mellis appetentia invasit. Circumspexit, viditque mellis favum è rupe defluentem & pæne dicentem: Fruere inemptâ dape. At ille fallacias diaboli subodoratus: Discede, inquit, à me illecebrosa & deceptrix Concupiscentia. Scriptum Galat. cap. 5. vers. 16. est: *Spiritu ambulate, & desideria carnis non perficietis.* Jamque Helenus ipsum tentationis locum metuens & in abditiores recessus penetrans inediâ se macerare cœpit. Neque hîc defuit tentatio. Nam ubi tertiam eò loci hebdomadem egisset, varium pomi genus huc illuc sparsum vidit. At ille repetitos diaboli dolos satis intelligens: Non comedam, inquit, imò nec tangam, ne fratrem meum, hoc est animam meam, offendam. Scriptum est: Deut. cap. 8. vers. 3. & Matth. c. 4. vers. 4. *Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo quod egreditur de ore Domini.* Sic & aliam priori abstinentiæ hebdomadem adjunxit. Cui demum Angelus quiescenti: Surge jam, inquit, & quæ tibi apposita reperies, tutò vescere. Jussus abiit & invenit rivulum placidissimum, odoratis herbis prætextum. Ita lactuca in cibum, in potum fons fuit. Herbas demessuit, comedit, bibit. Sed (liceat dicere) quàm parcus est in suos ditissimus Deus! Psal. 49. v. 10. & 12. *Cujus sunt omnes feræ silvarum, cujus est orbis terræ, & plenitudo ejus?* Famulo tam fidèli aquam solùm & lactuculam crudam apposuit, sed, quod etiam sciamus, ita condiit, ut affirmarit Helenus se omni vitâ suaviùs nunquam epulatum. Cyprian. l. de bono pudicitiæ. Quod & nos alibi confirmamus. Verè, quod Cyprianus dixit; *Voluptatem vicisse, voluptas est maxima, nec ulla major est victoria, quàm quæ de cupiditatibus refertur.* Nulla major est victoria quàm tentatori non cessisse. Et Deus modo sanè admirabili, & prorsus incredibili suavissimè compensat quidquid de hac in re tentationis victor sibi ipse subtrahit. Nos pariter exemplo Heleni in tentatione nobis ipsis occinamus: Scriptum est: *Spiritu ambulate.* Scriptum est: *Non in solo pane vivit homo.* Scriptum est: *Si secundùm carnem vixeritis, moriemini.* Abi Concupiscentia fallacissima, in præcipitium duci sequentem. Ita loquitur, ita se ipsum erudit homo sui potens, qui à gulâ superari recusat. Sed plerique ita comparati sumus, ut etsi nobis centies, etsi millies occentetur: Vince gulam, vince luxuriam; & has, & illas tentationes vince: Scriptum est, *Vincenti dabo edere de ligno vitæ, quod est in paradiso Dei mei.* Scriptum est: *Qui vicerit, non lædetur à morte secundâ.* Scriptum est: *Vincenti dabo manna absconditum.* Scriptum est: *Qui vicerit, faciam illum columnam in templo Dei mei, & foràs non egredietur amplius.* Scriptum est, *Qui vicerit, dabo ei sedere in throno meo.* Scriptum est, *Esto fidelis usque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ.* Hæc talia, inquam, tametsi multis vel sexcenties voce altâ occinas, illi tamen unum hoc frigidissimum respondebunt: Credimus ista, sed homines sumus fragiles, potens est tentator; vincimur.

Quid hæc dicitis, ignavi? Equidem homines sumus, sed *qui omnia possumus in eo qui nos confortat.* Philip. c. 4. vers. 13. Porrò tentator ita enervatus est, ut lædere non possit, nisi volentem lædi; ut nequeat vincere, nisi prorsus cupientem vinci. Scriptum est? *Super aspidem & basiliscum ambulabis, & conculcabis leonem & draconem.* Psal. 90. v. 13. Scriptum est: *Nonne si bene egeris, recipies: sin autem malè statim in foribus peccatum tuum aderit? sed sub te erit appetitus ejus, & tu dominaberis illius.* Gen. cap. 4. vers. 7. Et gulæ, & luxuriæ, ceterisque vitiis omnibus dominari possumus, modò velimus. Ad gulam edomandam potissimùm spectat, observare Tempus, Modum, Mensuram cibi sumendi. 1. *Tempus*; ne quid extra prandium & cenam libeat: sine summâ necessitate. Quisque sibi dicat: Non ieris sanè aut siti ad proximum usque prandium, aut cenam. Saluberrimum hoc, si continuum. 2. *Modus* est, comedendo non tuburcinari, bolos non raptim ingerere, non præcipitare, nimiam ad cibos aviditatem coërcere. 3. *Mensura*; Homo temperans & sobrius utcunque novit, quanto cibo potúque necessitati ac naturæ possit satisfacere; quidquid hos terminos egreditur, id redundans & nimium censet, eóque abstinet. *Tam insalubre, quàm turpe est*, ait Seneca, *plus sibi ingerere, quàm capiat, & stomachi sui non nosse mensuram.* Seneca epist. 83. mihi pag. 548. Natura modico contenta, sobrietatis amantissima.

Ad gulam edomandâ quædam observanda: 1. Tempus. 2. Modus. 3. Mensura.

Ergo cui corporis animique salus est cordi, Cupedinarii illius fraudes exactè norit, ut promptè resistere tentanti possit.

§. III.

QVemadmodum verò Tentator Cupedinarium, ita & Aurificem atque Bractearium agit, & uti deliciis, ita & divitiis tentat tam pauperes, quàm divites. Assiduæ pauperum querelæ sunt: Pecuniis egemus, sed eas difficillimè comparamus. Sine pecuniis nulla est vita. Ad pecunias quærendas nos extrema stimulat necessitas. Rapiendæ sunt, si eas aliter non liceat parare. At verò divites non minùs ambiunt pecunias, quia plerunque illas magis esuriunt, dum nullis satiantur. Et uti vix ullus tam senex, qui non diutiùs vivere desideret, ita nemo ferè tam dives, qui non esse ditior laboret. Sub hoc doloso cinere tentationes latent innumeræ. Quid sceleris non patratur pecuniæ amore? Ab hac unâ radice omnis generis vaframenta, imposturæ, fraudes, injustitiæ pullulant. Nos quidem Paulus saluberrimâ præceptione imbuens: *Habentes alimenta, inquit, & quibus tegamur, his contenti simus.* 1. Tim. c. 6. vers. 8. Sed Mundus hanc legem jam pridem antiquavit; abolita est præceptio ista; jam dudum eviluit. Sed Paulus præceptionis suæ caussam assignans: *Nam, ait, qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem & laqueum diaboli, & desideria multa inutilia & nociva, quæ mergunt* Ibid. v. 9. & 10.

Dæmon divitiis tã pauperes quàm divites tẽtat.

Amore pecuniæ omne scelus patratur.

homines in interitum & perditionem. Radix enim omnium malorum est cupiditas, quam quidam appetentes erraverunt à fide, inseruerunt se doloribus multis. Desiderium ditescendi comitatur cupiditas præ aliis eminendi; hinc amor pompæ in vestitu, in famulatu, in ædificiis, in mensâ, in conviviis, in omni demum exteriore apparatu. Hæc animum à Deo crebris sed blandissimis furtis abducunt, cúmque ad se traxerunt, absorbent. Inde animus vanus, cupidus, elatus, Deo vacuus.

Bias: Φιλαργυρία ἐστὶ μητρόπολις κακίας πασῶν.

Sapientissimè dixit Bias: Studium pecuniæ est Metropolis omnis malitiæ. Quod æquè sapienter confirmans Timon: Duo sunt, inquit, malorum elementa; inexplebilis eorum cupiditas, & gloriæ appetentia. Quid enim Auri dira fames mortalia pectora non cogit? Eruditè canit Venusinus ac verè:

Horat. lib. 1. epist. ep. 16. ad Quintium. fine. mihi p. 269.

Perdidit arma, locum virtutis deseruit, qui
Semper in augendâ festinat, & obrutur re.

Ambros. tomo 4. lib. 1. de Cain & Abel cap. 5. mihi p. 119.

Hanc stigii auricis tentationem & pecuniæ cupiditatem Ambrosius quandam æris libidinem appellans: *Omnibus, inquit, est invida, sibi vilis, in summis divitiis inops, affectu extenuat, quod sensu abundat. Nullus rapiendi modus, ubi nulla mensura cupiendi: elementa concutit, mare sulcat, terram effodit, cælum votis fatigat, nec sereno grata nec nubilo, comdemnat proventus annos, fœtúsque terrarum arguit. Qui diligit argentum non satiabitur argento. Pecuniæ cupiditas omnia mala potest admittere, ideo radix omnium malorum est: quia ut desideria sua expleat, quod impossibile est, & maleficia & homicidia, & obscœnitatem, & quidquid sceleris est, perpetrat, nec ad præsens secura, quia semper cupida, & in futuro damnata.*

Idem to. 5. Comment in epist. ad Timoth. cap 6. m. p. 400.

Augustinus de Verbis Domini. secundùm Matth. serm. 12.

His subscribens Augustinus: *Extirpa ergo, inquit, cupiditatem, & planta charitatem: sicut enim radix omnium malorum est cupiditas, ita radix omnium bonorum est charitas.*

Nemo igitur huic Aurifici deceptori credat; argentum & auram monstrat, ut laqueos tegat. Tu autem, ô homo Dei, fuge hos laqueos, fuge, fuge. Tentator iste bractearius non capit te opulentum, sed servum & quidem suum efficere. Pecúniæ cupiditas servitus est, non fœda solùm, sed & omnibus modis noxia. Hos servos excludit cælum.

Pecuniæ cupiditas fœda est servitus.

Horat. lib. 1. epist. ep. 9. ad Claudium Neronem, mihi p. 261.

Serviet æternùm, qui parvo nescit uti.

Horat. lib. 2. Carminum, Odâ 14. ad Postumum, mihi p. 60.

Quid igitur, obsecro te mi Christiane, quid tantoperè amas ea quæ amata inquinant, possessa onerant, amissa cruciant?

Linquenda tellus, & domus, & placens
Vxor: neque harum, quas colis, arborum
Te præter invisas Cupressos
Vlla brevem dominum sequetur.

Chrysost. to. 3. de S. Philogonio epist. mihi p. 836.

Chrysostomus de sancto Philogonio disserens: *MEVM ac TVVM*, inquit, *frigidum illud verbum, & quidquid est malorum, in vitam nostram invehens, innumeraque gignens bella.* Gemma nox illa MEVM, TVVM orbem universum horribili adstringit frigore. Hinc animorum torpor; hinc simultates, rixæ, odia, malorum omnium lerna.

David jam unctus, nondum coronatus rex injurias maximas prævalido sanè stomacho concoquere poterat, at ubi sordidus & stultus Nabal stipem escariam contumeliosis verbis negavit, hîc Davidem tentatio ingens incessit Nabalis cum omni familiâ jugulandi. Petierat David militares eleemosynas; idque modestissimè: *Quodcunque invenerit manus tua, da servis tuis, & filio tuo David.* At Nabal elato supercilio turgidus & tenacissimus suarum rerum, nec panem unicum, sed nec obolum dedit, etsi ditissimus. Hæc ita bilem Davidi in nasum conciebant, ut mox classicum canens ad arma suos convocaret. *Accingatur, inquit, unusquisque gladio suo.* Hunc diem Nabal cum omni familiâ suâ vixit ultimum. Omnibus in Nabalis domo, & vel ipsis canibus pereundum est: suo natabunt sanguine. Non parcet ulli noster gladius. Et verò successum etiam hæ minæ cruentum habuissent, ni prudens Abigail interveniisset, & disertissimâ suadelâ tragœdiam sopiisset planè sanguinariam.

1. Reg. c. 25. vers. 8.

Ibid. v. 13.

Videte quomodo Avernalis Aurifex tentationibus pecuniariis totas domos, oppida, civitates, provincias, regna, orbem totum soleat turbare. Verissimè dixit Chrysostomus: *Amor pecuniæ, cæcitas animæ.* Quod Siracides confirmans: *Nihil est iniquius, inquit, quàm amare pecuniam, hic enim & animam suam venalem habet.*

Chrysost. hom. 11. ex imperfectis in Matth.

Eccli. c. 10. vers. 10.

Est ergo tam vehemens, quàm vulgata tentatio, pecuniæ cupiditas, impietatis nutrix, laborum & ærumnarum, atque adeò aliorum scelerum & flagitiorum fecunda Mater. Quæ divi Prosperi verbis consigno: *Iis, inquit, qui militant Deo, fugiendæ sunt ex toto corde divitiæ, quas qui habere volunt, sine labore non quærunt, sine difficultate non inveniunt, sine curâ non servant, sine anxiâ delectatione non possident, sine dolore non perdunt.*

S. Prosper lib. 2. de vitâ contemplativâ cap. 13. mihi p. 94.

CAPVT III.

Tentator diabolus pileonem agit; ambitione decipit.

ANtonius Magnus tam variè tentatus est à cacodæmone, ei tamen tam animosè restitit, ut hujus artis haberi possit Magister. Inter præceptiones, quas suis fuderat, hæc erat: Cacodæmones vitia persuadent affinitate virtutum. Hominum animos leni ac dulci veneno inficiunt. Sunt enim dæmones, quos *Pios* appellemus, ad templa hi compellunt, ad preces adigunt, sed suo lucro. Nam oculi multarum in templo in ompem partem evolant; orationis aliquid lingua commurmurat, cor interim in fines orbis evagatur. Sunt dæmonum alii, quos *Vigiles* dicas, hi noctu somnum subducunt, vigilias persuadent hoc duplici quæstu, ut noctu vigilantium animos cogitationibus sterilissimis, imò & noxiis fatigent, ita illi tales interdiu cùm laborandum & orandum foret, dormiunt. Sunt alii, quos *Humanos* nomines: amicitias hi jungunt colloquiis initio sacris, sed inter eos, quorum mores non usque adeò probati, ita paulatim concordia spiritalis delinit in carneam & animalem. Sunt alii cacodæmones, quos *Iureconsultos* & *Theologos* vocites, qui è scholis & legibus pronunciata recitant: *Fama ff. de reg. præponderat emolumento pecuniario. Fama plus est custodienda quàm oculi.* Qui propriam famam negligit crudelis est. Mox illi unicam subvertunt voculam & pertendunt: Crudelis est, qui proprium honorem negligit. Hoc erudito velamine omnem vindicationis, jurgiorum, ambitionis nequitiam operiunt. Ita planè vitia virtutum affinitate persuadentur. Ita diabolus non Cupedinarium & Aurificem tantùm, uti capite superiori demonstratum, sed & Pileonem agit, & pileos è plumis venustissimos concinnat. Non carnis tantùm & oculorum concupiscentiâ, non deliciis solùm & divitiis, sed etiam superbiâ vitæ & ambitione tentat. Ita Cupedinarium, Aurificem, Pileonem induit. De priore duplici modo tentandi dictum: Tertium de Ambitione hoc Caput proponet.

Dæmonum nomina varia: Pii, Vigiles, Humani, Iurisconsulti, & Theologi dicuntur.

l. 1. §. ult. ff. de iust. & iur. l. infamia 7. de decur. lib. 10.

Dæmon hominem superbiâ vitæ & ambitione tentat.

§. I.

NOvi orbis incolæ, Orientales * Æthiopes, aliique sicut quasdam corporis partes, ita & caput solis plumis contegunt. Plumæ illis & vestes & pilei sunt. Suos diabolus pileos è discoloribus plumis conficit, Ambitione maximam Orbis partem seducit. Quid Ambitio, nisi elegans plumarum connexio? Quid honores & dignitates nisi plumulæ per aërem volantes? has tamen, velut infantes, sequimur ardentissimis studiis. Hæc Ambitionis tentatio nulli hominum ordini parcit. Non Christi Amicis, non Apostolis, non ipsis Angelis. In Christi cenaculum, in ipsum cælum penetravit hæc lues. Munia splendida, existimatio honorifica, Auctoritas magna, dignitas ampla, celebre nomen, cit. sublimes

* Esi & Hesperi.

Tentatio ambitionis nulli hominum ordini parcit.

sublimes sellæ, tituli & compellationes magnificæ, hi sunt Dei tui, Munde. Nihil in orbe sanctius honorum & dignitatum splendore. Hi sunt illi plumatiles pilei; his diabolus ambitiosissimos suos candidatos ornat: ita Mundus vult falli.

Quàm horribilis illa tentatio fuit Corebi, Abironis & Dathani, qui & ipsi Sacerdotũ officio fungi cupientes, & Mosi in os objectantes: *Sufficiat vobis, ajunt, quia omnis multitudo sanctorum est, & in ipsis est Dominus.* Vocati à Mose, responderunt: *Non venimus: Nunquid parum est tibi, quòd eduxisti nos de terrâ quæ lacte & melle manabat, ut occideres in deserto, nisi & dominatus fueris nostri?* Non venîmus. Ambitio contumacissima. Cúmque jam starent, Core, Dathan, & Abiron sacris operaturi thuribulis, quod Numerorum liber memorat; *Dirupta est terra sub pedibus eorum, & aperiens os suum devoravit illos cum tabernaculis suis & universâ substantiâ eorum, descenderúntque vivi in infernum, operti humo, & perierunt de medio multitudinis. Sed & ignis egressus à Domino interfecit ducentos quinquaginta viros qui offerebant incensum.* Neque hîc clades stetit, nam è populo, qui eorum causâ obmurmuravit, *percussi sunt quatuordecim millia hominum septingenti, absque his qui perierunt in seditione Core.* Deus bone! Unica Sacerdotalis muneris ambitio universè quindecim millia * hominum improvisæ morti glutiendos objecit. Tanti sunt impendii plumatiles illi pilei. Tam internecina fuit tentatio illa: *Omnis multitudo sanctorum est.*

Sed enim tam audax & præfidens est Tentator in hoc uno tentandi genere, ut vel Sanctissimos homines non vereatur aggredi plumarum & Ambitionis tentatione. Joanni Baptistæ plumatilem pileum per Pharisæos offerens Messiæ dignitatem detulit, modò unicum illud respondisset: *Sum.* Imò ad supremum hunc dignitatis gradum obtinendum sufficisset non abnuere. Eodem stratagemate aggressus Paulum & Barnabam plumatile diadema illis obtulit per Lystrenses. Hi namque cùm claudum, cui pedum usus ab utero matris negatus, cernerent integerrimè ambulantem, Lycaonicè proclamarunt, *Dii similes facti hominibus descenderunt ad nos. Et vocabant Barnabam Iovem; Paulum verò Mercurium, quoniam ipse erat dux verbi. Sacerdos quoque Iovis qui erat ante Civitatem, tauros & coronas ante januas afferens, cum populis volebat sacrificare.* At Paulus & Barnabas ut divinos à se honores quàm longissimè removerent, laceratis tunicis profilientes in turbam: *Quid hæc facitis, inquiunt, & nos mortales sumus similes vobis homines.*

Aliàs hæc Ambitûs tentatio vix unquam infecunda malorum est. Hinc ita erexit animos tentator, ut Christum ipsum adoriri ausus: *Si filius Dei es, inquit, mitte te deorsum, sciat orbis te talem esse.* Hinc autem omnes id optimè discent, si te viderint per aëra vel ambulantem vel volantem. Hem impudentiam tentatoris incredibilem! Ipsi orbis Servatori pileum plumatilem conatus est imponere. Quàm autem detestabilis fuit illa Jeroboami regis ambitio, quæ omnem populum sollicitavit & traduxit ad abominanda sacra. Ut enim Jeroboamus sibi suisque regnum stabiliret, ambitiosissimam hanc nequitiam commentus est. Edicto cavit ne quisquam ex Israëlis populo Hierosolymam tenderet oblaturus in templo sacrificia. Verebatur namque Jeroboam, ne populi favor à se in Roboamum Juda regem declinaret, si passim omnes Hierosolymæum templum sacrificiis frequentare permitterentur. Ne verò impium hoc consilium destitueretur successu, geminum vetulinum caput aureum duobus locis in edito collocavit, & unà promulgari jussit: *Ecce dii tui Israël, qui te eduxerunt de terrâ Ægypti.* Prô, Deum immortalem, quò humanum pectus non adigit ambitio? Non est ulla tam detestanda impietas, quam plumatilis pilei cupiditas non persuadeat. Nihil non audet Ambitio. Ipsum Apostolorum Collegium etsi non numerosum hæc tentatio invasit, & velut Eridis pomum, plumatilem pileum in Apostolorum medium conjecit, velut diabolus dixisset: Honoratissimus omnium habeto. *Facta est & contentio inter eos, quis eorum videretur esse major.* O mei Apostoli, quid ista lis vestra sibi vult tempore prorsus importunissimo, & eo ipso quidem loco, ubi summæ humilitatis specimina sunt in oculis. En Magister & Dominus vester Dei filius vobis pedes abluit, jamque ad olivetum doloris principium, ad vigilandum & orandum ad fundendum sudorem sanguineum tendit, cras inter latrones medius in cruce spectandus, & vos altercatione nimiùm intempestivâ de pileo plumatili contenditis? Apage hanc concertationem hoc loci & temporis absurdissimam. Diaboli tentatoris instigatio est.

Quàm verè Ambrosius: *Hoc ipso, inquit, pernicioſtior Ambitio, quòd blanda quædam est conciliatricula dignitatum, & sæpe quos vitia nulla delectant, quos nulla potuit movere luxuria, nulla avaritia subruere, criminosos facit ambitio. Habet enim forensem gratiam, domesticum periculum; & ut dominetur alius, prius servit; curvatur obsequio ut honore donetur.*

Non prohibemur magnanimitatem ostendere, & honoris fundamentum jacere, hoc est, honore digna facere, sed honorem quærere vetans Sirac ides: *Noli, ait, quærere cathedram honoris.* In virtutis actione duo sunt, honor & meritum, ille Dei, istud hominis est; qui Deo rapit honorem, illi Deus aufert meritum. Eos qui honorem quærunt, reprehendens Christus: *Amant primos recubitus, inquit, in cenis, & primas cathedras in Synagogis, & salutationes in foro, & vocari ab hominibus Rabbi.* Honorem isti quærebant, non illos honor.

At pulchrum est, digito monstrari, & dicier, hic est. *Persius sat. 1.*

At etiam non ignotæ sunt prisorum cantiunculæ ac fabellæ *Icarus* & *Phaëthon*. Quantò altior fuit utriusque ascensus, tantò gravior casus. Veteratum oculum scimus: *Quod altum est hominibus, abominatio est apud Deum.* *Luc. cap. 16. vers. 15.*

Hinc Chrysostomus altùm ingemiscens: *Grave quiddam est, ait, Ambitio, grave, inquam, & quæ animam perdere valeat. Quemadmodum sævi venti in tranquillum mare delati, totum ab imo subruunt, sic & Ambitio, & turpis quæstus animam subeuntes omnia subvertunt.* * *Excæcat mentis intuitum præcipuè gloriæ furor. Nam pecunias quidem contemnere volenti satis est facile; honorem autem à multis collatum despicere, multi laboris indiget, magnæ est sapientiæ. Non est enim, non est, inquam, vitium ita tyrannicum, & ubique dominans ex majori quidem, vel ex minori parte, attamen ubique. Cogita, cùm gloriam concupiscis, quòd eam sis affecturus: sed disce finem, & nihil invenies. Cogita, quam multa res habeat jacturam, quot & qualibus bonis privet. Cogita, quod Deus videt, & omnem illam extingues concupiscentiam: de terrâ recede; ad illud cæleste respicias theatrum. Homines licet laudaverint, mox tamen accusant, vel invident, vel carpunt. Sed hoc si non fecerint, nihil omnino tamen laudato prosunt. Nihil hominum gloriâ vilius. Honore delectaris? Hunc repelle, sciens quòd te debitorem constituit. Anima cupiens honorem & glorificari, non videbit regnum cælorum.* Plumatilis pileus ad lævæ ducit ad tra Proserpinæ.

Hunc ipsum plumatilem pileum probè inspiciens Bernardus: *Ambitio, inquit, subtile malum, secretum virus, pestis occulta, doli artifex, mater hypocrisis, livoris parens, vitiorum origo, criminum fomes, virtutum ærugo, tinea sanctitatis, excæcatrix cordium, ex remediis morbos creans, generans ex medicinâ languorem. Quantos hoc negotium perambulans in tenebris trudi fecit in tenebras exteriores, veste spolians nuptiali, & virtutum exercitia fructu pietatis evacuans? Quantos ergo pestis hæc nequiter supplantatos, turpiter dejecit, ut ceteri quoque quos latuit occultus effossor, subitam expavescerent ad ruinam? Ambitionis via, adoratio diaboli, ambitionis usus brevis, finis ignotus. O ambitio, ambientium crux, quomodo omnes torques, & tamen omnibus places? Nil acerbiùs cruciat, nil molestiùs inquietat, nil tamen apud miseros mortales crebriùs*

negotiis

Bern. to. 1. serm. 6. in Psal. 90. mihi pag. 681.

Idem to. 2. mihi p. 900. & seqq.

Arnbr. to. 5. l. 4. in c. 4. Lucæ, mihi pag. 50.

Eccli. cap. 7. vers. 4. In virtutis actione duo sunt, honor & meritum. Matt. c. 23. v. 6. & 7.

Luc. cap. 22. vers. 24.

Chrys. to. 3. in c. 19. Ioan. hom. 83. mihi pag. 338. Chrys. to. 5. hom. 42. ad pop. Antiochenum, mihi pag. 261. * Elementa malorum Avaritia & Ambitio C. proximo priore.

Gen. c. 16. vers. 3. Num. c. 16. vers. 13. Num. c. 32. Num. c. 25. Num. c. 16. vers. 49. * Alias magna.

A dæmone hoc tentandi genere usus: Joannes Baptista, Luc. cap. 1. vers. 20. Paulus & Barnabas, Act. c. 14. vers. 10. & seqq.

Jesus Christus. Matth. c. 4. vers. 6.

Ambitio Jeroboami regis fuit detestabilis.

3. Reg. c. 12. vers. 28.

Collegium Apostolorum.

negotiis ejus. Quàm pauci evadunt, quibus non dominandi libido dominetur?

§. II.

Ambitionis tentatio totum orbẽ pæne evertit.

HÆc ambitionis tentatio universum pæne Orbem evertit. Ab hac unâ peste quot lacrymæ, quot ubique mala? Quot amica, non dicam, convivia, sed quot præclara Principum & Electorum comitia hæc sola furia, Ambitio disturbavit unica? Hic princeps præcedere contendebat, sed abnuebat ille sequi. Hinc sæpe rebus infectis, animis offensissimis subitò discessum est. Hinc & alii conventus creberrimè soluti, ob unicum illud ambitiosum PRÆCEDERE. Quot jam annis in Europâ fovimus bella sed sanè miserrima, quæ alternantibus victoriis utramque partem miserè attriverunt & fortunis exhauserunt pæne omnibus. Sic utraque pars vicit, & neutra vicit. Occasiones rei optimè gerendæ frequentissimè turbavit æmulatio ducum & ambitio, quolibet eorum primas ambiente. Eædem in Aulis & Curiis turbelæ sunt, ob hunc ipsum plumosum pileum. Nemo non vult ornari his cristis. Sed hinc eversiones domorum, civitatum, regnorum, Orbis. Nec enim ullum facinus intentatum linquit ambitio, nec ulli hominum parcit, nec ipsi Deo, sed nec ipsa sibi, ut potiatur votis ad omnes scelerum species impellit.

Ad improbas cædes imperandi libidine incitati: Ægyptius Pharao, Herodes Ascalonita, ✶ *Menæa Græcorum expressè.*

Ægyptius tyrannus Pharao, ne quem regali solio metum injicerent Hebræi, omnes eorum infantes masculos velut catellos mergi jussit flumine. Herodes Magnus Ascalonita, ne quis infantulus Hebræus in spem regni succresceret, quatuordecim millia infantum, ut tradũt,✶ ferro messuit.

Abimelechus. *Iudic. cap. 9. vers. 5.*

Abimelechus, ut sibi uni regnum, quod ambierat, armaret, fratres suos omnes, septuaginta numero super unum lapidem jugulari jussit.

Rex impius Saul.

Rex impius Saul, quia sibi saóque regno metuebat à Davide, capitalibus insidiis famulorum fidelissimum locis omnibus insectatus, insuper octoginta quinque Sacerdotes, quòd Davidi favissent, velut victimas mactavit, urbem Sacerdotum Noben cepit, & in eâ omnes interfecit.

Absalon.

Absalon cristatus Phaëthon ut sede regni parentem optimum non evomeret tantùm, sed vi ejiceret, arma impia rebellis filius movit in suum genitorem, virum charissimum.

Romanus.

Constantinus VIII. Porphyrogenitus, quod Curopalates docet, cùm annis quadraginta novem imperii clavum tenuisset, à suómet filio Romano toxicum accepit, hoc uno nomine præpinatum, quòd nimium diu imperasset.

Frãciscus I. Galliarum rex.

Franciscus I. Galliarum Rex cum Carolo V. Imperatore pacem sanciens sed parum diuturnam: Ille enim, ajebat, non superiorem; ego non parem fero. Ubi hæ tales sunt plumæ, ibi parum est firmæ pacis & concordiæ. Bovi uni campus non grandis in pabulum satis est, pluribus elephantis silva sufficit: homini ambitioso non totus mundus. Omnium sæculorum ephemeridas, fastos, annales, chronica inspice, plena omnia dissensionibus, injuriis, cædibus ob honorum plumas. Quid narro priscа? in oculis sunt recentissima. Ambitionis Fridlandiæ præcipitium quis heri natus infans non ignorat? Paucissimis summam rem complector. Albertus de Walstein è nobili jam Fridlandiæ, Pharodeni, Lugiduni, Sabariæ, princeps, Ferdinandi II. dux supremus, eò fastigii ascendit ut proximum fuerit, Boëmiæ regem salutari. Eò certè molitionibus bellicis ambitionem suam extulit, ut diadema sceptrúmque regium sibi jam longè certissimum suâ se manu gestare sit visus. Sed parum hoc illi, Regem esse: Imperatorem agere jam illi decretum erat. Nam Cæsarem suum ita in ordinem redigere certò destinârat, ut Cæsaris filii aquam suis manibus cogerentur infundere. Atque hæc certis non solùm consiliis, sed viribus bellicis, & conspirationibus occultis eò erant deducta; ut hoc unum restare videretur, capite coronam regiam recipere & Imperatoris dominum promulgari. Omnia in hunc finem paratissima credebantur. Hic aliud cælo decretum venit. Nam duces nationis peregrinæ nec rogati, nec promissis aut pretio inducti, mandati Cæsarei etiámnum ignari pulcherrimam cædem aggressi Germaniæ proditorem in conclavi confoderunt. Neque hoc arduum facinus sui lucri commodive causâ patrârunt. Nam omnem prædam principis cæsi non sibi rapuerunt, sed quid eâ Imperator fieri vellet, exquisiverunt. Et quod ampliùs mireris. Habuit dux Fridlandus in sui custodiam famulorum ducentos, & amicorum plurimos, copiosissimum tam in urbe, quàm extra eam militem. Nihilominus soli quadraginta homines rem omnium periculosissimam ausi, ad epilogum tamen hanc tragœdiam felicissimè perduxerunt Anno Christiano 1634. die 26. Februarii ✶: quo quidem die, ejusdem Fridlandi principis imperio Iesuitæ omnes, qui tunc quidem Pragæ agerent, unà cum Optimatibus aut occidendi, aut regno exigendi fuissent.

✶ *Ipsâ Dominicâ Quinquagesimæ. Alii dicunt 25. Febr. Conciliamucis 25. exeunt, die 26. incipiente.*

O Deus, cujus providentia in sui dispositione non fallitur! *Iustus es Domine, & rectum judicium tuum.* Nam Egræ in eâ ipsâ urbe, in eo ipso conclavi, ut ajunt, ubi supremam militiæ potestatem accepit, hanc ipsam cum vitâ perdidit. Imò eodem ipso mense, eâdémque hebdomade, quâ ante annum proximè elapsum in innocentes fugæ suæ tegendæ sæviit, & ipse de medio sublatus est. Cùm enim grandi prælio contra Sueciæ regem Adolphum Gustávum ad urbem Luzam infeliciter conflixisset, eos qui pugnæ infaustæ causſam præmaturâ ex acie fugâ dedisse videbantur, duci & cædi jussit. Ex his dux *Hagen*/ Comes Broglianus, & juvenis nobilissimus de Wobersnaw publicè testati se insontes mori, & porrò ad divinũ tribunal invitare, † responsurum Fridlandium, quando nec dicta nec obtestationes ullius hominis apud furiosum ducem valerent. Nec fefellit ista ad supremum Judicem postulatio. Annus abiit, & illo ipso tempore annuo Albertus Walsteinius in jus ambulavit.

Psal. 118. vers. 137.

† *Vide Tribunal Conscientiæ, l. 2. c. 9.*

Ita Deus potentes de sede deponit. Militiæ nomen cùm dedisset Walsteinius, brevi ad honoris culmen errore hominum emersit, Cæsariani militis renunciatus Imperator. Summam armorum potestatem nactus tentare ausus est, quantùm nocere posset armatum scelus, Gloriæ alienæ invidus, suæ ambitionis, fortissimos duces plerumque in castris otiari jussit, ne Imperatoris sui in campo inertiam damnarent. Timidus aut perfidus pepercit hosti, at verò crudelis amicorum bona rapinæ militum objecit. Diu visus est dubitare, Numine an astris humana regerentur. Tandem maluit ab astris felicitatem sibi polliceri, à Ferdinando II. Imperatore eò bonorum ac opum evectus est, quò nec impudentis militis vota aspirassent. Verùm ter ingratus, ter perfidus, in Dominum & in Auctorem dignitatis suæ conspiravit non levibus præsidiis fultus. Et certè benefactori optimo vitam ac prolem, Principi dignissimo sceptrum ac coronam ambitu vix audito abstulisset, nisi Numen illum non astra sustulissent. Tandem lectissimorum militum armis confossus funestissimæ ambitionis dedit pœnas. Pæne nefas, honestâ eum manu occumbere, quem non puduit tam inhonestis actibus coronam quærere. Anno salutis reparatæ 1583. die 14. Septembris natus est Walsteinius: Egræ in Bohemiâ anno 1634. die 25. Februarii sub noctem vivere desiit, ætatis anno quinquagesimo primo.

Ambitionis Fridlãdiæ præcipitium.

O ambitio, ô pestis & lues Orbis, origo scelerum, tinea virtutum! sapiens Romanus ambitionem omnem gravissimè detestatus: *Ambitio*, inquit, *res tumida est, vana, ventosa: nullum habet terminum; tam sollicita est, ne quem ante se videat, quàm post se alium. Non patitur quemquam*

Senec. ep. 84. mihi p. 170. & lib. 1. de benefic. c. 27. mihi pag. 285.

ambitio

ambitio in eâ mensurâ honorum conquiescere, quæ quondam ejus fuit impudens votum, quò scilicet pervenire, cùm parvus obscurúsque esset, nec optare quidem ausus fuisset. At ea nunc assecutus, iterum altiora, atque altiora quærit. Fit series infinita. Quid tandem? præcipitium. Huc demum stygii pileonis tentamina, huc plumosus pileus, huc hominis ambitiosi vota perducunt. Eruditè dixit Favorinus Philosophus: *Ambitio partim ridiculos, partim miserabiles, partim odiosos facit.* Quid hîc remedii? Triplex pauciſſimis suggero.

ar. apud Gellium.

Triplex remedium.

§. III.

PRimum: probè nosse immoderatum illud & anxium honoris desiderium, merum esse diaboli tentamentum, quod malis maximis Orbem implet, quod Christi Collegium turbavit, quod à regno Dei plurimos abduxit, & etiámnum numerosissimam turbam abducit. Quisquis animam suam Satanæ non exponere vult venalem, caveat vaferrimum hunc pileonem, plumas & cristas caveat, ambitionem omnem fugiat. Præclarè scripsit Augustinus è sententiâ Catonis: *Omnia virtutis præmia ambitio possidet.*

1. Probè esse immoderatū honoris desiderii, merum esse diaboli tentamentum.

Aug. l. 5. de Civit. c. 12. mihi p. 59.

2. In schola Christi contrarium prorsus docetur.

Ibi cap. 22. vers. 26.

Alterum: In scholâ Christi contrarium prorsus docetur. Christus apertissimè suis præcipit: *Vos autem non sic.* In Christi lyceo honoratior est qui humilior & submissior; honoratissimus qui animi demississimi ac humillimus. Homines vani, sui ipsius amatores & Mundi de plumis & cristis litigent: *Vos autem non sic.* Nil penitus loci sit inter vos ulli ambitioni: pileum aut sertum plumeum etiam oblatum rejicite, calcate, discerpite. Vestris animis nunquam excidat me Magistrum esse mansuetudinis & humilitatis, non elationis aut ambitionis. Alii humanam gloriam adspirent: *Vos autem non sic.* Aliter enim à me instituti estis; ego honorum doceo contemptum, non studium. Hoc gentes & idololatræ sectantur. *Vos autem non sic: Nam qui major est in vobis, fiat sicut minor; & qui præcessor est, sicut ministrator.*

3. Ambitio suiipsius carnifex.

Augustin. lib. 10. Confess. cap. 5. mihi pag. 49.

Tertium: Ambitio suiipsius carnifex, sicut invidia, cruciatus & dolores infert admirabiles, in hoc & Orbe altero. Testis sat locuples Augustinus: *Inhiabam,* inquit, *honoribus, lucris, conjugio: & tu irridebas. Patiebar in eis cupiditatibus amarissimas difficultates, te propitio tantò magis; quantò minùs sinebas mihi dulcescere, quod non eras tu.* Et heu lacrymabilem psalmum cantant in tartaro ii, quos ambitio in transversum egit, qui honorum cristas rebus omnibus antepositurunt, qui serto plumeo coronati, non magni æstimarunt cælum, hi apud inferos jam canunt, sed serò nimis. *Quid nobis profuit superbia?* His olim dulcius fuisset mori, quàm aliquid existimationis acquisitæ perdere. Jam moriuntur, & æternùm. Jam demum intelligunt Phryges serò sapientes extremæ fuisse stultitiæ honorum plumulas colligere, & negligere regnum immortale. Vos ergo, Christiani, non sic: exempla vos sanctiora ducunt ad honores non perituros. Ambitiosum Aman altissimum expectat patibulum.

Sap. c. 5. v. 8.

Diabolus quos ambitione nō potest fallere, iis cōscientiæ angoribus invadit.

Verùm tam vafer & nequam est diabolus tentator, ut quos pileo vel serto plumeo nequit fallere, iis sertum plumbeum infixis aculeis & spinis horridum imponat; quos honorum cupidine non decipit, eos *spiritu blasphemiæ* & miris conscientiæ angoribus invadit. Sunt homines bonæ sed simplicioris plerumque mentis, quibus cacodæmon adversus Deum & superos terrimas & atrociſſimas cogitationes suggerit, quibus conscientia, præsertim ex se jam ante pavida ita terretur ac perturbatur, ut ejusce modi homines rerum suarum trepidi in maximas adducantur angustias. Nonnunquam non animo tantùm ægri, sed ipso etiam corpore tabescunt; cibus, potus, somnus, non ut solebant, eos reficiunt, subinde tales non procul ab insaniâ & phreneſi absunt; tædet illos vivere. Nec adeò rarum hoc viris feminisque contingit. Aliquando hæc mali origo est: Initio vulnus istud alioqui minimè periculosum non satis est detectum. Intereà dies noctésq; tentatio velut teredo * rodit & consumit, & quidem præcipuè, quod observatum, tempore ineundæ orationis, percipiendæ Eucharistiæ & animi curandi. Hîc pessimæ cogitationes magno impetu consternatos obruunt.

* *Aut tos-sus.*

Huic malo mederi non difficile, modò ægri capiant medentis dicta & sequantur. 1. Ante omnia qui eo modo tentatur, sciat verba illa tam impia, cogitationes illas tam nefandas, non esse suas sed diaboli, & ideo non curandas. Prudenter Climacus præceptiunculas sed salutares instillans: *Non solent eos diaboli oppugnare,* inquit, *qui non dimicant cum ipsis.* 2. Qui liberari cupit, pro certo habeat, non suam animam cogitationum tam detestabilium esse causſam, sed impurum illum spiritum, ideo quæ ab eo suggeruntur, contemnenda omnia. Satis est unum illud respondisse: *Vade satana.* 3. Quisquis hîc pugnare, & collato pede consertisque armis vult contendere, ventos includere, fulgetrum manibus prehendere conatur. Qui hunc spiritum despicit, liber evadit; qui ei aliter reluctari nititur, tandem subjacebit. 4. Magno sit solatio, si hac de re interrogatus: Num illæ cogitationes illi placeant? Animo possit dicere: Extremè displicent, & odi, & arceo. Hîc salva res. Non igitur, mi Christiane, metuas, ne tibi ista noceant, si tibi tantoperè displiceant.

Contra hos angores media-mina: Primum.

Secūdum.

Matth. c. 4. vers. 10.

Tertium.

Quartum.

Climacus, quem dixi, ut tantò firmiùs erudiat tentatos, rem gestam ex fide memorans: Homo religiosus, inquit, rerum suarum satagens & industrius annis viginti jejuniis ac vigiliis macerare carnem instituit, nec tamen quidquam se profecisse credidit. Etenim blasphemiæ, & immunditiæ spiritus assiduè illi inhærebat, vexabat, obtundebat nefandis cogitationibus. Demum se imparem hosti censuit insultibus tam malignis & continuis oppugnatus. Hoc ergo cepit consilii. Tentationis suæ voces impias adscripsit chartæ, quàm protractissimo seni obtulit legendam, tanquam rei atrocissimæ grande arcanum. Ille interim prostratus in terram, contra obtueri senem non audebat. Cùm verò senex legisset scriptum, subrisit, & unà jacentem erigens: Pone, inquit, mi fili, tuam manum super oculos meos. Fecit, quæ fuerat jussus. Moxiterum natu senior. Tuum hoc peccatum, ait, mei capitis periculum esto; totum ego in me recipio, quorquot demum annis se oppugnaverit aut oppugnaturus sit. Tu istud unum observa, ut quidquid hujusce suggestionis est, stoccipendas & pro nihilo æstimes. Tam miti documento ita roboratus est æger, ut antè morbus illius evanesceret, quàm ille senis cellâ excederet. Hoc ille ipse, ait Climacus, cui haud contigit, Deo gratias agens mihi retulit.

Climacus gradu 23. de meſſabil cogitat. mihi pag. 209.

Ita nimirum diabolus tentator longè astutissimus, quos pileo serto ve plumeo nequit fallere, illis imponere conatur plumbeum, ut quos honorum blandimentis non circumvenit, eos conscientiæ terroribus irretiat. Pugna prima periculosior alterâ, non tantùm quia crebrior & communior, sed etiam quia ad fallendum accommodatior. Verùm, pars magna est victoriæ, scire hæc esse mera diaboli tentamenta. Nemo animum demittat; Quisquis tentatur cum Psalte regio cantet: *In te eripiar à tentatione; & in Deo meo transgrediar murum.*

Ps. 17. v. 30.

CAPVT IV.

Tentatoris genius, præcipuæ artes, & diversæ tentandi fallaciæ.

PElagius interpres è Græco memorat Mosem abbatem tam validis tentationibus à diabolo exagitatum, ut ille tugurio se continere ampliùs non potuerit, sed locum eò temporis habitatum, qui *Petra* dicebatur, *pag. 638.* cellámque deserens, velut ex acie fugitivus ad Abbatem Isidorum

Pelag. lib. ll. 18. & ibi. n. 12. apud Rosweyd.

Isidorum venerit luctam animi expositurus. Hunc Isidorus familiariter rogavit: Malis ne cederet, ad cellam suam rediret, suámque pugnam Deo auxiliatori optimo committeret. Cui Moses: Mi pater, inquit, non possum. Illum igitur Isidorus in locum editum educens: Ad solem, inquit, occidentem respice. Fecit Moses, quod jussus, & vidit immensam multitudinem cacodæmonum, qui omnes ad pugnandum & invadendum videbantur paratissimi. Hoc iterum Isidorus: Nunc verò ait, flecte oculos & surgentem solem intuere. Hîc etiam obsecutus Moses innumeros Angelorum exercitus vidit. Ad hoc spectaculi digitum intendens Isidorus: En istæ sunt, inquit, auxiliares copiæ, quæ nobis præsidium ferunt adversus omnes hostes. Plures igitur sunt & longè fortiores, qui nos adjutant, quàm qui oppugnant.

Propter vigilantiam & solertiã diabolus vocatur Tentator.

In hominibus tentandis tanta est diaboli vigilantia & solertia, ut vero nomine appelletur *Tentator*. Hujus *Tentatoris* genium, & primas ejus in tentando artes, hoc capite sub aspectum subjiciemus.

§. I.

Diaboli primarius labor est tentare. *Deut. c. 13. vers. 3. Gen. c. 22. vers. 1. Sap. c. 3. v. 5. Isa. c. 1. v. 13.*

DIaboli primarius labor hominem tentare. Quid igitur dicendum de Deo? Quando Israëlem Moses tam apertè commonens: *Tentat vos*, inquit, *Dominus Deus vester, ut palam fiat, utrum diligatis eum, an non.* Pari modo tentavit Deus Abraham. Idem affirmat sapientia: *Quoniam Deus tentavit eos.* Atqui Jacobus Domini discipulus: *Deus intentator malorum est, ipse autem neminem tentat.* Quot Moses ait, Jacobus negat. Quî conciliabimus partes tam sibi adversas? In expedito res est? Tentat nos Deus ut amicus. Hinc rectissimè intentator malorum dicitur, quia neminem tentat, ut decipiat, aut seducat, sed ut probet & exerceat. Tentat nos diabolus ut adversarius & inimicus, ad præcipitia ducit, ut dejiciat, allicit, ut interimat. Hic Tentator nobis optimè noscendus, quia revera innumeri hoc ipso malè pugnant, quia hostem suum non nôrunt. Hinc insidias minùs cavent, fallacias non observant, perfidissimo impostori fidunt. Hîc sollicitè admonens Paulus: *Ut non circumveniamur, inquit, à satanâ, non enim ignoramus cogitationes ejus.*

Tẽtat nos Deus ut amicus, Diabolus ut adversarius & inimicus.

2. Cor. c. 2. vers. 11.

Experientissimus tentator est diabolus. Hoc nominis Matthæus illi tribuit. *Et accedens tentator dixit.* Quemadmodum verò Poëtæ nomen Virgilio, Oratoris Tullio, Philosophi præ omnibus alii attribuimus Aristoteli, ita nomen Tentatoris ex asse convenit diabolo: Allicere, tentare, decipere, illius artes & munia sunt. Syncletica sancta femina, Pelagio teste, solebat dicere: Adversus dæmones nos undequaque armatos esse convenit. Foris & intus oppugnamur. Nam uti navis aliquando irruentium fluctuum mole obruitur, non rarò intrinsecus augescente nimiùm sentinâ mergitur; ita & nos quandoque operum extra commissorum iniquitate damnamur, sæpe latentium nequitiâ cogitationum in exitium adducimur. Ideo necessarium est non solùm extra spirituum immundorum impetus observare, verùm etiam cogitationum intimarum immunditiem exhaurire. Civitas, quæ non tantùm ante mœnia, sed intra portas intestinum habet hostem, excubiis eget accuratissimis: ita planè cùm diabolus non oculos solùm & aures & linguam & manus, sed etiam voluntatem atque intelligentiam sollicitet ad malum, & pravarum cogitationum aliquot myriadas in animo serat, summâ opus est vigilantiâ. Quod Petrus Chrysologus exponens: *Diabolus*, inquit, *non quærit hominem, sed hominis interitum quærit. Ille malis nostris gaudet, surgit ruinis nostris, nostris vulneribus convalescit, nostrum sanguinem sitit, nostrâ saturatur ex carne, nostris vivit ex partibus. Diabolus hominem non vult habere, sed perdere. Quare? Quia ad cælum, unde ille cecidit, non vult, non fert, non patitur * hominem pervenire.*

Matth. c. 4. vers. 3.

Pelag. libell. 11. n. 33. apud Rosvveyd. mihi pag. 611.

Nõ solùm impetus diaboli observãdi, sed etiam cogitationum intertinarum immunditiem exhaurienda.

Petrus Chrysolog. serm. 96. mihi p. 254.

* *Quantum in se.*

Diabolus subtilissimè tentat.

Hinc *subtilissimè* tentat. Nonnominem illecebrosâ A carnis suggestione ita impugnat, ut non cupiat tentando vincere, sed ut homo tentationis victor, vanâ gloriâ sese efferat: hoc ille cupit, hoc quærit. Et quàm istud subtiliter? Subtilem hanc vafritiem Bernardus explicans: *Ergóne*, inquit, *bestiæ sumus nos? Bestiæ prorsus.* Homo cùm in honore esset, non intellexit, comparatus est jumentis insipientibus. † *Bestiæ profectò sunt homines, oves errantes, non habentes pastorem. Quid superbis, ô homo? Quid te sciolum jactas? Vide quia bestia factus es, cui venandæ laquei præparantur. Sed qui sunt venatores isti? Venatores utique pessimi & nequissimi, callidissimi & crudelissimi. Venatores qui cornu non sonant ut audiantur, sed sagittant in occultis immaculatum. Ipsi rectores sunt tenebrarum harum, astutissimi versutiâ & malitiâ diabolicæ fraudis, ita ut sicut est ante venatorem bestia, sic ad eorum comparationem sit quilibet astutissimus hominum, præter eos dumtaxat, qui cum Apostolo non ignorant cogitationes eorum, quibus in Dei sapientiâ datum est fraudes deprehendere malignorum. Obsecro vos novellæ plantationes Dei, vos qui nondum exercitatos habetis sensus ad discretionem boni & mali, nolite sequi cordis vestri judicium, nolite abundare in sensu vestro: ne vos tanquam rudes adhuc versutus ille venator decipiat. Sed ecce quia jam venatores & bestias novimus, quisnam sit laqueus iste, quærendum est. Ostendat nobis Apostolus laqueum istum, ipse enim venatorem illorum non ignorat cogitationes. Dic nobis, inquam, beate Paule, quis sit laqueus iste diaboli?* Qui volunt, *inquit*, divites fieri *in hoc seculo*, incidunt in tentationes, & in laqueum diaboli. *Ergóne laqueus diaboli divitiæ sunt hujus sæculi? Heu quàm paucos invenimus, qui ab hoc laqueo liberati exultent, quàm multos qui dolent, quòd parum sibi videntur irretiti, & adhuc quantum possunt, ipsi se involvere & intricare laborant.* Ita laqueos & pedicas amplectimur pro aureis & gemmeis armillis. Tentationes diaboli subtilissimæ.

Bernar. ser. 3. in ps. 90. mihi pag. 674.

† *Psal. 48. vers. 13.*

1. Tim. 6. vers. 9.

Protogenes pictorum celeberrimus, quod Plinius narrat, Rhodi vivebat: quò cùm Apelles adnavigasset, avidus cognoscendi opera ejus, famâ sibi tantùm cogniti continuò officinam petiit. Aberat ipse sed tabulam amplæ magnitudinis in machinâ aptatam pictura, anus una custodiebat. Hæc Protogenem foris esse respondit, interrogavitque à quo quæsitum diceret. Ab hoc, inquit Apelles; arreptóque penicillo lineam ex colore duxit summæ tenuitatis per tabulam. Reverso Protogeni, quæ gesta erant, anus indicavit. Ferunt artificem protinus contemplatum subtilitatem, dixisse: Ergo Apelles Rhodum venit: non enim in alium cadit tam absolutum opus. Mox & ipse Protogenes alio colore subtiliorem lineam, in illâ ipsâ telâ duxit præcepitque abiens, si rediret vir ille peregrinus, ductum tenuioris lineæ ostenderet, adjicerétque hunc esse, quem quæreret. Atque ita evenit. Revertitur enim Apelles, sed vinci erubescens tertio colore lineas secuit, nullum relinquens ampliùs subtilitati locum. At Protogenes victum se confessus, in portum devolavit, hospitem quærens. Placuitque sic eam tabulam posteris tradi, omnium quidem, sed artificum præcipuo miraculo. Consumptam eam constat priore incendio domûs Cæsaris in palatio, avidè ante à nobis spectatam, spatiosiore amplitudine nihil aliud continentem, quàm lineas visum effugientes, inter egregia multorum opera, inani similem & eo ipso allicientem tanto subtilitatis prodigio. Uti artifices isti lineas pingebant, ita diaboli tentationes adornant subtilissimas & revera visum effugientes. Sed singulares aliquot tentandi modos & technas, quibus utitur, particulatim aperiamus.

Plin. lib. 35. Natur. hist. cap. 10. mihi pag. 737.

9. Tentandi modus quibus utitur diabolus.

§. II.

1. Sub necessitatis velo tentat.

I. *SUb necessitatis velo tentat.* Quàm multos aggreditur speciosis dictis illis: Pauper es, & multa te premit necessitas, tu jam vide, quî te alas. Rarò cælum pluit panibus: opulenti plerumque tantum habent avaritiæ quantum pecuniæ. Periit liberalitas inter homines.

Nemo

Nemo gratis vel bucceam panis porrigit. Circumspice igitur, unde vestem pares & alimoniam. Ita blandè inserpit hæc tentatio, ut demum furta, usuræ, aliæque artes improbæ hoc honestatis pallio tectæ censeantur non iniquæ. Necessitas, ajunt, non habet legem. Ita nubiles sed egenæ virgines, ita viduæ juniores, aliæque feminæ, ut egestatem fugiant, frontem exuunt, & venalem vulgant pudicitiam. Nimirum ut corpus servent jugulant animam. Paupertas, ajunt, eò nos adigit. Pessima & stultissima commutatio, vendere animam, ne operimentum desit corpori. Ita quotidie dum mensam accumbimus, dum cibum potúmque sumimus speciosò necessitatis nomine, in cibo potúque metas temperantiæ transilimus. Prandia cenæque nostræ tentationibus assiduis plenæ sunt. Hic ergo assiduè cum regio psalte precandum: *De necessitatibus meis erue me.*

Psal. 24. vers. 17. Ad cujusvis sese inclinationem attemperat.

II. *Ad cujusvis sese inclinationem attemperat.* Talem aviculis cibum ministrat, talem piscículis escam objicit, qualem scit appetituros. Est qui nummos amet: huic si monetam monstres, quocunque lubuerit eum, facillimè pertrahes. Alius honorum appetentissimus, laude & inani aurâ gloriæ mirificè pascitur. Iste verò patinas & calices sectatur; hic à vino velut stipula à succino trahitur. Aliis voluptates sunt, quod ferro Magnes; à voluptatibus ad omnem criminum turpitudinem ducuntur. Alius canes & equos intemperanter amat, hic tesseras, fritillum, pictas chartulas, alveum lusorium in oblectamentis habet, iste pascitur colloquiis, ille conviviis indulget, alii nitorem vestium curant

——— *trahit sua quemque voluptas.*

Florentem cythisum sequitur capella, saccharum & amygdales simia; *Ramum viridem*, inquit Augustinus, *ostendis ovi, & trahis illam; Nuces puero demonstrantur & trahitur. Et quod currit, trahitur, amando trahitur.* Ita omnino diabolus suis quemque trahit amoribus ac propensionibus, quas ille novit exactissimè, & longè melius, quàm suas ipse noverit homo. Sed de hoc paullò pòst plura.

Aug. tom. 9. in Joan. post ostendis ovi, & trahis illam; Nuces puero demonstrantur & trahitur. Et quod currit, trahitur, amando trahitur. lib. 36. q. 6. mihi 93. fine.

III. *Eâ quemlibet parte oppugnat quâ debilissimus est.* Lupum ajunt faucibus robustissimum esse, infirmissimum tergo; hîc ergo feriendus; lupi tergum, non fauces diverberandum. Diaboli tergum nostra caro est; hac sese tegit, & abscondit. Hanc igitur feriat, qui diabolum vult percussum.

3. Eâ quemlibet parte oppugnat qua debilissimus est.

IV. *Occasiones offert delinquendi*; commendat eas, suadet arripiendas: Januam pandit, & invitans ad ingressum: Tu tantùm ingredere, ait, mi homo, patens cernis ostium, ingredere. Ponit sellam: Tu modò hîc conside, inquit, tibi hæc quies est parata. Qui fatuus est, & sui negligens, ingreditur & considet. Hic victus est.

4. Occasiones offert delinquendi.

V. *Obruere malis nititur tentatum*, ut eâ mole pressus omnem animum ulteriùs pugnandi abjiciat, & ipse sibi dicat: Actum est, non sum ferendo ampliùs tam continuas vexationes; tot hostiles impetus sustinere non possum. Hæc nimis diuturna est obsidio; dedam me hosti. Ita Jobum tot morbis, tot doloribus, tot annis adeò fatigandum censuit, ut in apertam demum impatientiam pertraheret. Sed spe suâ frustratus est tentator. Patientiam Jobus non excussit, quantumcunque graviter & diu tentatus.

5. Obruere malis nititur tentatum.

VI. *Sæpe subitò imparatum, oscitantem, semisomnem, ut prædo & latro invadit.* Hebræus rex David postquam suaviter fuisset meridiatus, in solario deambulabat otiosus, nec ullum scelus animo coquebat; non libidines, non cædem meditabatur. Sed ecce mox adfuit tentator, & nullas insidias metuentem aggressus, oculos primùm in vicinum viridarium, deinde in lavantem feminam traxit. Hinc libidinum flammæ, hinc incendium fœdissimum vix ullis lacrymis extinguendum.

6. Sæpe subitò imparatum, oscitantem, semisomnem, ut prædo & latro invadit.

VII. *Suadet, quod in se bonum, sed ratione temporis, vel personæ, vel loci occultè malum est.* Nonnunquam tentationis bonus est finis, sed mala sunt, quæ medio interrunt. Exempli gratia: Ut eleemosynas quis eroget, pecunias undecunque per fas & nefas corrogat. Finis bonus, sed via ad finem non bona. Pari modo: Eleemosynas quis largitur, ne avarus habeatur. Hîc via quidem bona est, sed viæ finis est malus. Ita diabolus tentator exomologesin suadet, sed imperfectam & sacrilegam.

7. Suadet, quod in se bonum, sed ratione temporis, vel personæ, vel loci occultè malum est.

§. III.

VIII. *Consilii sui plerunque plurimas adfert rationes, sed fucatas.* Hebræis Pontificibus totique curiæ Solimææ magnificis rationibus persuasit Christum licet hominem innocentissimum omni jure occidendum. Causarum causa fuit illud Orbis idolum, *Ratio status.* Hinc acervatæ rationes illæ: Vir iste undequaque omnes ad se trahit, ex omni vicinâ regione ingens ad eum concursus est; plerunque multa millia conciones illius frequentant. Fama de illo jam totam pervasit Syriam. Quàm porrò hic ipse vir acerbus & contumelioso est præcipuè in magistratum sacrum; quàm odiosè prisca & Pharisæas religiones publicè traducit? An non ab ore illius excerptæ voces illæ? *Serpentes, Genimina viperarum, Generatio mala & adultera, Hypocritæ, Sepulchra dealbata, Cæci & cæcorum duces.* Hæc talia ore pleno in Legisperitos, Scribas, Pharisæos effundit, & plebem adversus eos concitat. Deinde homo est thaumaturgus & signa patrat grandia, sed quâ virtute? Neque hoc nescire potest Syriæ præses Pontius Pilatus. Quod ubi Romani fuerint odorati, mox aderunt, nósque magis sub jugum mittent, sanctissimum templum eripient, gentem nostram omnem & regionem oppriment. Quapropter res nostras agamus, & quod magistratum decet, initia nascentis mali eliminemus solerti vigilantiâ. Virum illum Galilæum Nazarenum è medio tollamus. Ita factiosæ illius conciones cessabunt. Alioqui hostem inquilinum alimus. Res certè proximè seditionem est. Maturè igitur, ne quid Respublica detrimenti capiat, religionum Novatorem in crucem tolli curemus, ut omnis plebs videat se splendidè deceptam. Ita Caiphas in pleno Patrum consessu: *Vos*, inquit, *nescitis quidquam, nec cogitatis, quia expedit nobis, ut unus moriatur homo pro populo, & non tota gens pereat.* Si virum hunc vivere sinamus, in totius gentis perniciem id vergeret.

8. Consilii sui plerunque plurimas adfert rationes, sed fucatas. Causarum causa occisionis Christi fuit Ratio status.

Matth c. 23. vers. 33. & c. 12. v. 39. & c. 16. v. 4. & cap. 23. vers. 24. & 27.

Joan cap. 11. vers. 50.

An non speciosi Juris ærculi sunt isti? Profectò speciosissimi. Ita parricidale, summum facinus adumbratis, sed tamen formosis rationibus fuit velatum. Ita diabolus tentationes suas, & multos scelerum milliones vendit sub palliolo virtutis. Nos interim blandimur nobis, dum seipsum quisque solatur hoc ritè: Id respicio, id curo, has facti causas, has rationes habeo. Sed non continuò licitum, quod certis de causis factum, nisi bonæ ac probatæ sint causæ. Nec satis est posse rationes adferre rei malè gestæ; quis enim hoc non potest? Et quanti sunt, qui cum ratione furunt? Hoc diabolo solenne ac quotidianum est, tétrationes & scelera rationibus fucare, hamum escâ tegere, utilitatis aut honestatis, aut etiam necessitatis mantelum deformitati vitiorum injicere.

IX. *Peccatum, antequam committatur, extenuat, infinitam Dei misericordiam deprædicat*: Non est, inquit, tam grande hoc facinus atque tu putas, & insuper facillimus ad pœnitentiam recursus. Quid obstat, hoc audere, cum idem & alii faciant? Quandoque artis est aut prudentiæ, aliquantulum à lineâ exerrare. Aude; & occasione oblatâ fruere. Concedendum aliquid naturæ. Offenduncula tantilla misericordiam divinam quovis gemitu sibi propitiat. Ergo aude. Peccatum verò jam patratum immaniter exaggerat, Dei misericordiam velut exilem & arctam contrahit, ut miser homo rebus suis diffidens animum abjiciat, pœnitentiam ut rem difficillimam differat, interea noxas augeat, ita in profundum abeat, unde non facilè emergat. Hanc ob causam solli-

9. Peccatum, antequam committatur, extenuat, infinitam Dei misericordiam deprædicat.

2. Cor. c. 2. vers. 11. citus Paulus: *Ut non circumveniamur à satanâ, inquit, non enim ignoramus cogitationes illius.* Astutissimus & subtilissimus est, atque quod pugnæ difficultatem auget, in insidiis latet, & videri non potest. Quod Chrysostomus expendens: *Si serpentem, inquit, ad lectum nostrum latitare sciremus, hîc magno admodum studio ad illum perimendum ferremur: diabolo autem in nostris ipsorum animis latitante, nihil adversi nos pati arbitramur, sed supini ac desides, animisq; concidentes, malis nostris indormimus. Cujus rei causſam hanc esse arbitror, quòd illum corporeis oculis non contuemur, quanquam hoc potissimùm nomine vigilantes nos ac sobrios esse oportebat. Nam sensibilem quidem hostem facilè declines: at invisibilem, nisi undique armati fuerimus, difficilè evitare possumus: & quidem ob id potissimùm, quòd recta ille depugnare non novit: alioqui enim è vestigio à nobis victus caperetur. Verùm amicitiæ identidem specie, crudelitatis venenum ejaculatur.* Idcirco ad pugnam semper paratum esse oportet. Et gladius & scutum nunquam non in manu sit. Adjutor Deus assiduè vocandus; in illo auxilium est pugnanti, nec vinci potest, qui sic pugnaverit.

Chrysost. to. 4. in c. 6. ep. ad Rom. hom. 10. mihi pag. 90.

CAPUT V.

Tentatori vires augent humana infirmitas, & naturales cujusque propensiones.

SI quis aviculas ad aucupatoriam aream convolantes ita moneret: Cavete ô simplices: esca vobis offunditur, & convivium instruitur, sed caras pendetis symbolas. De capite vestro agitur. Subitò concurrent retia, & involvent captas. Cavete hoc epulum; merissima est tentatio. Caverent utique si saperent, præsertim sic monitæ. Si quis & pisces, indociles alioqui animantes de insidiis præmonens nassam & hamum singulariter caveri illum diceret, nec nassâ facilè nec hamo fallerentur. Si quis ambulanti per hortum acclamaret: Cave, latet anguis in herbâ: lædêris si contigeris. Ita monitus cautissimos pedes figeret, ut latentis colubri venenum evaderet.

2. Reg. c. 20. vers. 9. Si quis Amasæ viro militari dixisset: Caye Joabum ducem, accinctus est gladiolo, qui tuo lateri minatur, purpurabis illum suo sanguine, ni caveas. Cavisset equidem attentissimus ad omnem occursum Joab. Rex Antiochus cùm audiisset Judæum Machabæum ducem cum copiis in aciem dispositis adversùs se tendere, & ipse suum exercitum digessit in ordinem. *Et distincta est pars exercitûs regis per montes excelsos, & alia per loca humilia: & ibant cautè & ordinatè.*

1. Machab. cap. 6. v. 40.

Marcic. 12. vers. 38. Matth. c. 16. vers. 11. & c. 10. v. 17. Luc. cap. 12. vers. 15. Christus aliquoties suos monuit: *Cavete à Scribis; Cavete à fermento Pharisæorum; Cavete ab hominibus. Tradent enim vos in conciliis, & in synagogis suis flagellabunt vos.* Cùm interpellaretur à quopiam ob dividendam hæreditatem: *Videte, inquit, & cavete ab omni avaritiâ; quia non in abundantiâ cujusquam vita ejus est, ex his quæ possider.*

Marci c. 14. vers. 44. Judas ipse mercator nequissimus, cùm turbam scelerata in Olivetum duceret, præmonuit, ad datam tesseram solerter attenderent, virum esse mirabilem, qui norit humanis sese oculis subducere; ideo: *Tenete eum, inquit, & ducite cautè.* Videndum & cavendum quando cum hostibus vafertimis agendum. Hoc ipsum hactenus nostra urgebant monita: Cavete à dæmonibus; celerrimi sunt & versutissimi mille artium magistri. Jam suprà ostendimus, quâ ratione diaboli Cupedinarios, Aurifices, & Pileones agant; deliciis, divitiis, & ambitu tentent. Sed quoniam hi hostes nostri oculorum fugiunt obtutum, quò meliùs è tentandi modo noscantur, ampliùs describendi sunt. Hoc ergo capite declarandum, quàm constanter & assiduè homines impugnant, & quàm exquisitè ac impigrè humanas observent propensiones.

§. I.

Diabolus exitium nostrum ardenter sitit.

QVàm diabolus exitium nostrum ardenter sitiat, Chrysostomus non secum dumtaxat voluens, sed & auditoribus pro suggestu edisserens: *Non satis erat diabolo, inquit, hominem factum esse mortalem, mortis genere majorem facere luctum aggrediebatur, & ut Cain fieret fratricida, persuadebat.* Festinabat enim & cupiebat videre sententiam in opus prodire, qui nostris nunquam malis exsatiatur: quemadmodum si quis captivum habens inimicum, & protelatâ videns damnatum sententiâ, priusquam urbem exeat, properet & intus jugulatum videre, neque congruum tempus expectet: ita tum quoque diabolus licet audiisset, quòd in terram homo reversurus esset, optabat & aliquid majus cernere, coram patre filium morientem, & germanum interimentem germanum, & præmaturam violentámque necem. *Vides quantis fuit ministra malis invidia? qualiter insatiabilem diaboli mentem implevit, & ei tantam apposuit mensam, quantam is cernere concupivit?*

Chrysost. to. 5. ep. ad Antioch. homil. 33. ad pop. medio, mihi pag. 393.

Cùm Christus Dominus in Gerasenorum agro iter faceret, duo viri à malis dæmonibus infesti è monumentis provolârunt agitantibus furiis nimis quàm truculenti. Senserant nimirum inferni lemures è suis sibi hospitiis migrandum. Quocirca Dominum JESVM rogare instituerunt, liceret sibi mutare diversoria, & ex humanis corporibus immigrare in porcos. Permissum est. *At illi* (quod Matthæus, Marcus & Lucas memorant) *exeuntes abierunt in porcos, & ecce impetu abiit totus grex per præceps in mare: & mortui sunt in aquis.* Affirmat Marcus fuisse ad duo millia porcorum. Licebit, credo, hîc quærere: Cur obsecro, Domine, tantum licentiæ permisisti tam sævis prædonibus? tua hactenus miracula nemini fuerunt noxia. Imò & istud, dixerit Christus, plus proderit, quàm fronte primâ censeatur nocuisse. Hîc enim vel oculis nostris monstratum, quomodo isti ex inferis tyranni hominem sui juris factum exagitent: eò enim impellunt, ut illum in mare sulfureum, igneum præcipitent. Hoc modis omnibus agunt; exitium nobis, idque æternum cupidissimè struunt.

Matth. c. 8. vers. 32. Marcic. 5. vers. 13. Luc. cap. 8. vers. 32.

Neque verò subtilissimi tantùm tentatores, sed vaferrimi, fallacissimi, insidiosissimi hostes sunt, & quod omnem nobis torporem excutiat, assiduissimi ac perseverantissimi malorum omnium suasores & impulsores sunt. Canit olim rex Psaltes: *Misit Deus misericordiam suam, & veritatem suam, & eripuit animam meam de medio catulorum leonum: dormivi conturbatus.* Quid hoc rei: si à Deo liberatus, cur non dormivit securus & in utramque aurem? Hîc Hieronymus interpres: Hi leones, inquit, sunt dæmones, qui non solùm ante partam victoriam, sed etiam post illam attentissimè cavendi. Nec enim superati cedunt: sed alias atque alias machinationes reperunt, occasionem nullam negligunt, nullus insidiarum finis. Nam etsi decies, etsi tricies aut quinquagies, etsi centies aut sexcenties, etsi millies, bis millies, ter millies & sæpius victi sint, usque tamen redeunt & aleam tentant. Jam primùm repulsi, mox tamen adsunt iterum, velut importunissimæ muscæ, quæ toto prandio cenáve centies abactæ centies eundem locum insident. Hîc nunquam dormiendum quando tam vigilans hostis tam vicinus semper imminet. Hîc nemo sibi ullam promittat securitatem; hi hostes nec ad horulam quidem omittunt nos vexare. Miramur felem murium venatricem patientem & totos subinde dies hærere impastam ad musculi foramen; hîc potiùs miremur Angelum olim longè formosissimum tot annis animulæ unicæ insidiari, ne momento quidem opportuniore neglecto. Non enim comedit, nec bibit, nec dormit pervigil insomnis draco.

Dæmones non solùm ante partã victoriam, sed etiam post illam sunt cavendi.

Quia nec ad horam quidem omittunt nos vexare.

Beatus Lucas triplicem Christi Domini tentationem commemorans: *Et consummatâ omni tentatione, inquit, diabolus recessit ab illo, usque ad tempus.* Perinde si dixisset: Arma non depono, jus tentandi non remitto, jam quidem pugnâ cedo, sed rediturus. Hinc Theologorum aliqui

Luc. cap. 4. vers. 13.

aliqui censent, totis quadraginta diebus Christum tam acriter tentatum, ut literis id consignari non potuerit, eo autem tempore transacto formam humanam induerit tentator, & spectabilis prodierit ad conflictum & certamen publicum. Ita solet hostis nequissimus, discessum & fugam simulat, repentè redit ut incautum obruat, sicut Josue civitatem Hai. *Cúmque elevasset clypeum ex adverso civitatis, insidiæ quæ latebant, surrexerunt confestim; & pergentes ad civitatem, ceperunt & succenderunt eam.* Ita & diabolus agit, qui non solùm fallacissimus, sed & improvisus ac importunissimus tentationes instaurat. Cùm Christum in fastigio rupis tentaret: *Hæc omnia,* inquit, *tibi dabo.* Mentitus est; nec enim dare potuit, quæ fallacissimè promisit. Et quamvis abierit victus, rediit tamen perquam importunus. Quod divinus Lucas pariter testatur: *Tunc vadit, & assumit septem alios spiritus nequiores se: Et ingressi habitant ibi.* Hîc interpres Beda: *Sæpe,* inquit, *antiquus hostis, postquam menti nostræ tentationum certamen instixerit, ab ipso suo certamine ad tempus recedit, non ut illatæ malitiæ fidem præbeat, sed ut cordi, quæ per quietem secura reddidit, repentè rediens facilius inopinatè irrumpat.*

Josue cap. 8. vers. 9.

Matth. c. 4. vers. 9.

Luc. cap. 11. vers. 26.

Beda super c. 11. Luca. Cur dæmon ab uno certamine ad tempus recedit.

§. II.

ADhæc perseveranter admodum tentat diabolus. Cùm enim ab Angelo Hussæ regionis præside interrogaretur: *Unde venis satana? Circuivi,* ait, *terram, & perambulavi eam. Per circuitûs gyrum,* ait Gregorius, *solet laboris anxietas designari. Satan ergo laborans terram circuivit, non enim se pervolasse sed perambulasse dixit.* Quemadmodum dux belli civitatem obequitans, quidquid immunitum lustrat, ut illac incursionem faciat: ita diabolus nos circuit, ut exploret, quam partem impressione incurset, idque indefessus planè constantiâ peragit incredibili. Energumenus ille, quem Marcus memorat occurrisse Christo, *domicilium habebat in monumentis, & neque catenis jam quisquam poterat eum ligare: quoniam sæpe compedibus & catenis vinctus dirupisset catenas, & compedes comminuisset: & nemo poterat eum domare.* Hunc interrogavit Christus: *Quod tibi nomen est? Et dicit ei: Legio mihi nomen est; quia multi sumus.* Mi Deus, hominem unicum multa millia diabolorum, legio tota impugnet & occupet? unicus dæmon legioni hominum toti suffecerit. Quanta hæc sitis perdendæ gentis humanæ!

Ibi c. 11. v. 7. Greg. lib. 1. moral. cap. 3. tom. 1. p. 333.

Marci c. 5. vers. 3. & segq.

Ingressus Christus urbem Galilææam Capharnaum, docuit in synagogâ. Hîc homo à malo dæmone insessus exclamavit: *Quid nobis & tibi,* JESV *Nazarene? Venisti perdere nos.* Ita illi duo Energumeni clamaverunt: *Quid nobis & tibi,* JESV, *fili Dei? venisti huc ante tempus torquere nos.* Expulit, non torsit eos novis suppliciis. Sed satis hoc tormenti erat cogi humanum hospitium deserere; salutem nostram perditionem suam interpretantur. Hinc Paulus ad vigilantiam nos expergefaciens: *Non est, nobis,* inquit, *colluctatio adversus carnem & sanguinem, sed adversus principes & potestates, adversus Mundi rectores & tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ in cœlestibus. Propterea accipite armaturam Dei, ut possitis resistere.* Induite vos armaturam Dei, ut possitis stare adversus insidias diaboli.

Luc. cap. 4. vers. 34. Marc. c. 8. vers. 29.

Ephes. c. 6. vers. 12. & 13.

Veriſſimi sunt illi gemitus: Heu qualis est hæc vita, ubi non desunt tribulationes & miseriæ; ubi plena laqueis & hostibus sunt omnia? *Nam unâ tribulatione seu tentatione recedente, alia accedit: sed & priore adhuc durante conflictu, alii plures superveniunt, & insperatè.* Magna est nostrorum hostium potentia. Natura eorum quæritur? Spiritus sunt. Forma? videri non possunt. Indoles? nequissimi, vaferrimi. Potestas? Mundi rectores. Fraudes? Tenebrarum principes. Locus? Ex aëre in nos irruunt. Hoc bellum nullis fœderibus conciliandum, nullis sopiendum induciis. Basilius ad bellicam circumspectionem excitans: *Athleta es,* inquit, *attende ipsi. In adversarium immotum oculum intendito fixiùs. Animo non sis supino aut concidenti, sed arrecto; non dormiturienti, sed pervigili ac sobrio, qui nôrit sibi præesse.* Ergo *attende tibi, & huic pugnæ.* Cùm totæ in nos ruant acies, quo animo torporem & delicias sectamur? Chrysostomus ad vigilantiam acriter extimulans: *Sobrii estote,* ait, *& vigilate. Nemo dormiens coronabitur, neque recumbens & stertens bravium capit: sed pulvere, & plagis squalens ipse apud Agonothetam priùs invenitur, vulnera gerens & sanguinem ostendens defluentem. Unde postquam experientia didicimus, quàm sit grave & difficile diaboli ministerium (fugit enim vigilantem, & dormientem spoliat) ne des somnum oculis tuis, nec palpebris dormitationem, ut salveris velut dorcas ex cassibus, & velut avis ex laqueo. Fugiamus, inquam, vitæ hujus laqueos & curas, & velut Mundo abrenunciantes nil carnale circumferamus: multæ enim diaboli insidiæ.* Adversarius noster diabolus, *inquit,* tanquam leo rugiens circumit quærens, *non quem mordeat vel frangat, sed quem devoret. Fuge diaboli astutias, & dic Domino: In te eripiar à tentatione, & in Deo meo transgrediar murum. Ne fugias itaque laborem, ut assequaris coronam. Mercator non deficit, sed sustinet undas, ut pecunias inveniat. Decertans Athleta generosè fert vulnera, respiciens ad coronam. Agricola non invenit manipulos, nisi priùs per proprios sudores semina mittat. Similiter in cœlum respicientes nihil putant tribulationes, bonorum spe roborati. Vigilantiâ tibi opus est, ut domum tuam à latrone custodias. Adversarius enim diabolus te supplantare quærit, ne ascendere possis, unde ille cecidit. Multæ sunt ipsius artes.*

1. Tim. c. 4. v. 16. Hinc doctrinæ, Apostolo verba sunt. Chrys. to. 5. hom. 23. ad pop. Antioch. mihi p. 166. & 176.

1. Pet. cap. 5. vers. 8.

Inter has singularis illa: Bovem cornu, cercopithecum caudâ, asinum auribus prehendit; suâ quemque naturali proclivitate irretit. Ita diabolus cognitâ cujusque hominis propensione vim suæ tentationi addit ab eâ re, quâ quisque magis afficitur. Ita qui se honoribus & dignitatum nitore sentit tentari, ad superbiam se pronum credat; quem cibi tentant, ad gulam se proclivem censeat; quem libido stimulat, ad luxuriam se propensum judicet; quem pecunia trahit, avaritiæ aliquid in se latere suspicetur: has tales cujusvis propensiones diabolus novit penitiùs, quàm nos ipsi. Itaque hic piscator eam hamo infigit escam, quam scit appetituros pisciculos. Avaro nummos & lucra, ambitioso & superbo laudes, encomia, favores, libidinoso familiaritates suspectas, & gratas voluptates, guloso epulas & pocula, iracundo discordias & rixas, lusori socios & lusûs supellectilem, desidi & ignavo ferias, otium, quietem ingerit; alios mœrore, hos gaudio, illum timore, istum audaciâ, hunc securitate nimiâ sternit, attentissimus ad singulorum affectus, quis scilicet in quolibet præpolleat. Ita Catilina factiosorum Romæ coryphæus cuilibet ea promisit, quæ ipsi videbantur grationa, sive opes, sive munia, seu dignitates; ita Mahometus Asiæ pestis, non ignorabat humanam indolem ad voluptates propensissimam; has ipsas confertim promittebat. Hinc illud longè mirissimum quomodo tandem Apostoli austeram Evangelii disciplinam successu tam felici per Orbem sparserint, cùm ea sequiori naturæ prorsus contraria amorem paupertatis, corporis afflictationem, fugam voluptatis, sui odium, inediam, vigilias, sui contemptum doceat?

Diabolus vim suæ tentationi addit ab eâ re, quâ quisque magis afficitur.

§. III.

RVffinus Aquilejensis, Pelagius interpres, Paschasius Diaconus ex æquo perquisitè rem scitu dignam ita memorant. Macarius Abbas dum solitudinem superiorem solus habitaret, inferior enim à plurimis frequentabatur, nocte appetente cacodæmonem humanâ specie, & ad luxum dissectâ veste contra se gradientem vidit. Hunc senex interrogans: Quò veterator tendis, inquit, & quid istæ tot ampullæ, quid tot sibi volunt vascula, tot pyxidulæ, quas lateri appensas geris? Cui dæmon: Fratribus tuis, ait, fero matteolas & scitamenta, sed eâ varietate, ut si primum nauseent, mox porrigam secundum tertiúmve; nec fieri potest, ut ex

Russin. n. 61. apud Rosweyd. p. 510. Pelag. libell. 18. n. 9. pag. 637. Paschas. l. 1. n. 8. p. 665.

omnibus nullum placeat. Cum dicto abiit. At senex eodem loci permansit, dum rediret stygius pharmacopola. Redeuntem denuo allocutus: Et quî habent fratres, inquit, ut valent? Cui larvatus genius? Ut solent, ait, hi tales. Eorum tamen unus mihi perquam familiaris est. Macario de nomine sciscitanti respondit: Theopistus * audit; pulcherrimè inter nos cõvenit. His auditis Macarius quàm primùm viam ingressus magnis passibus ad illum ipsum, quem audierat nominari, contendit, non sine ceterorum admiratione. Nam obvii in suum quisque luguriolum hospitem tam charum invitabant. At ille ad Theopistum properans, & hunc denique solas solum nactus: Fili mi, ajebat, quomodo vales? & quomodo stant res tuæ cum Deo? Cui promptè Theopistus: Bene mi pater, ait, quod tuis precibus adscripserim. Sed iterum senex: Non te impugnant cogitationes pravæ? Erubuit miser fateri, quod ita erat, & ulcus aperire: ita unum illud ad omnia respondit: Hactenus bene. Sed peritissimus chirurgus ut latenti vomicæ mederetur, seipsum simulans ægrum: Ecce, mi optime frater, inquit Macarius, tot ego jam annis eremum habito, ab omnibus honoror, tam grandis natu sum, nihilominus à meis ipse cogitationibus graviter infestor. Hoc sermone tam candido hominem eò traxit, ut demum æger se fassus ægrum: Pater crede mihi, ajebat, idem & ego patior, turbant & concutiunt me graviter cogitationes meæ. Ita plura & plura sensim elicerat senex, dum ille omnem animi sui morbum fateretur. Jamque ad alia delapsus abbas, & diversa interrogans: Quousque diei, ait, jejunas? Ad nonam, respondet. Cui spiritalis medicus: Deinceps ad serum vesperem jejunato. Hoc primum. Alterum: Ex Evangeliis vel scripturis sactis assiduè aliquid meditator nunquam non occupatus, hoc alterum. Tertium: quotiescunque tibi occurrerit impura cogitatio, oculos animúmque attolle cælo, & Deum auxiliatorem voca. Aderit vocatus; nihil ambigas. Ita Macarius in suam rediit solitudinem, cùmque denuo vidisset cacodæmonem novas insidias molientem, quæsiit: quomodo res fratrum jam haberent? Cui mœstus respondit Satan: Malè, neque enim unquam in me agrestiores fuerunt. Et quod pejus: Ille ipse mihi antea tam obsequens, nunc adversatur pænè asperior & animosior ceteris. Mox Macarius in suam se casulam recipiens Deo Servatori gratias egit.

* *Ruffino Theopeptus, Pelagio Theoctistus.*

Ergo attende tibi; diabolus omnium ventilat curas, discutit consuetudines, examinat propensiones: scrutatur omnia; & ibi quærit caussas nocendi, ubi aliquem viderit studiosiùs occupari. Tu ergo, quisquis es, vide, quò tua te trahat indoles & natura, quò tui properent affectus, quò inclinent propensiones, quò tendant consuetudines; hac parte te muni quâ debilior es, ut dux belli in urbe quam propugnat, copiosiorem illic militem constituit, ubi naturâ loci minùs munitam cernit: ita nos diabolus illic invadit, ubi debiliores esse non nescit. Quæ nobis in viâ victuris sunt impedimenta, ea Satanæ sunt præsidia. *Tentationes non sentire, est angelicum*, ait Anselmus; *tentationes sentire & vincere, Christianum; tentationibus consentire & ex malitiâ delinquere, diabolicum est.*

CAPUT VI.

Tentator nil potest sine licentiâ; & quomodo Deus nos tentet.

Iob cap. 4. vers. 11.

EX amicis Jobi Eliphas Themanites dixit: *Tigris periit, eò quòd non haberet prædam.* Septuaginta interpretes ita vocem emutant: Periit Myrmicoleon, Leo formicarius, seu, formica leo. Olympiodorus hîc designari censet diabolum, qui illis quos vincit & subjugat, est leo; formica iis à quibus vincitur & triumphatur. De hac bestiolâ differens Gregorius: *Myrmicoleon*, inquit, *parvum valde est animal, formicis adversum, quod se sub pulvere abscondit, & formicas frumenta gestantes interficit, interfectásque consumit. Apostata angelus in terram de cælis projectus, justorum mentes, quæ bonorum sibi operum refectionem præparant, in ipso actionis itinere obsidet; cúmque eas per insidias superat, quasi formicas frumenta gestantes improvisus necat. Recte autem Myrmicoleon, id est, leo & formica dicitur: formicis enim leo est, volatilibus formica; quia nimirum antiquus hostis, sicut contra consentientes fortis est, ita contra resistentes debilis. Si enim ejus suggestionibus assensus præbetur, quasi leo tolerari nequaquam potest; si autem resistitur, quasi formica atteritur. Aliis ergo leo est, aliis formica: quia crudelitatem illius crudeles mentes vix tolerant, spiritales verò infirmitatem illius pede virtutis calcant.* Greg. lib. 6. moral. c. 17. Diabolus est leo & formica, quomodo.

Deus Azotios clade grandi affecit, quod Regum fasti memorant, ob Arcam irreverenter visam. *Et ebullierunt villæ & agri, in medio regionis illius, & nati sunt mures.* Si Dæmonum spectetur crudelitas, sunt scorpiones; si infirmitas, mures. Quod Rupertus clarè pronuntians: *Quid sunt illi, ait, qui ebullierunt, & terram demoliti sunt mures, nisi sunt scilicet maligni spiritus, justis quidem contemptibiles ut mures, peccatoribus autem terribiles ut leones.* Quod Tertullianus de scorpionibus, hoc de dæmonibus verè affirmari potest: *Tot venena, quot ingenia; tot pernicies, quot & species; tot dolores quot & colores; unus omnium violentiæ gestus de caudâ nocere. Dæmones tam dulce in amarum, quàm lucem in tenebras reformant, atque ita miserrimam hanc vitam illi beatissimæ prævertendo, tam amarum pro dulci, quàm tenebras pro luce supponunt.* De scorpionum horum veneno, de tentandi artificio quo diabolo gentem humanam fallunt, diximus: Jam porrò, quâ ratione Deus nos tentet, dicendum.

1. Reg. c. 5. vers. 6. Si Dæmones sint scelerati, & crudelitas, & infirmitas, mures. Rupert. l. 1. cap. 14. Tertull. in Scorpiaco cap. 1. & 2. Ambr. l. 5. in Luc. & 590.

§. I.

TEntat Deus, sed longè aliter quàm diabolus, qui tentando cupit decipere, nocere, perdere; omnia ejus consilia & molimina ad perniciem, interitum, exitium nostrum spectant. Deus tentat, sed in nostrum commodum, promeritum, æternitatis præmium. De divinis tentationibus differens Gregorius: *Tribus modis*, inquit, *nos Conditor noster interrogare consuevit, cùm aut flagelli districtione nos percutit, & quanta nobis insit, vel desit patientia, ostendit: Aut quadam, quæ nolumus, præcipit, & nostram nobis obedientiam, vel inobedientiam patefacit, aut aliqua nobis occulta aperit, & aliqua abscondit; & nobis mensuram humilitatis nostræ innotescit. Tentare quippe Dei, est magnis nos justionibus interrogare. Scire quoque ejus, est nostram obedientiam nosse nos facere.* Deus non tentat in nostrum cõmodum. Greg. l. 31. moral. cap. 9. mihi p. 940.

Hirudo admota ægro sugit sanguinem, ut se satiet, at medicus illam admoveri jubet, ut ægrum sanet: Chirurgus ferro candente urit ægrum, non ut lædat, sed ut læsum meliori valetudini restituat. Ita & tortor ignitâ forcipe Christianum martyrem carpit, sed ut cruciet, & à Christo avertat. Ita Deus & diabolus dissimillimè tentant, ille ad cælum per aspera vocat, iste ad Orcum per amœna invitat. Tentationes Deus admirabili providentiâ & bonitate temperat. Quod omnium solatio promulgans Paulus: *Fidelis Deus est*, inquit, *qui non patietur vos tentari supra id, quod potestis, sed faciet etiam cum tentatione proventum.* Tam ampli juris diabolus non est, ut quemcunque sibi designat, invadere audeat: Nec invadendi locus, tempus, modus in ejus potestate est; licentiâ strictiore coërcetur; nil nisi ad Dei præscriptum potest agere. Id Gregorius asserens: *Diabolus*, inquit, *licet afflictionem justorum semper appetat; tamen si à Deo potestatem non accipit, ad tentationis articulum non convalescit, unde omnis voluntas ejus injusta. Ex se eum tentare appetit, sed eos, qui tentandi sunt, & prout tentandi sunt, Deus justè tentari permittit.* Idem de quibuscunque aliis hostibus nostris, quos cernimus, dicendum. Hinc satanas Jobi constantiam tentaturus licentiam rogat: *Extende paullulum manum* 1. Cor. c. 10. vers. 13. Diaboli tentamenta diversa sunt. Invadendi locus, tempus, modus, in potestate diaboli non est. Greg. l. 22. moral. c. 2. Iob c. 2. v. 5.

nianum tuam, & tange cuncta, quæ possidet. Tu Domine meas mihi manus colligasti; neutiquam liber sum, sed amplia potestatem adeò accisam, & videbis mira. Annuit Deus, & ampliavit, quam petiit potestatem, sed eâ legis præscriptione, ne ultra facultates Jobi sæviret: *Ecce universa, quæ habet, in manu tuâ sunt: tantùm in eum ne extendas manum tuam.* Denique in ipsum etiam corpus Jobi licentiam sæviendi accepit, salvâ tamen vitâ. Hinc Augustinus insignissimè rem oculis subjiciens: *Sæviant modò inimici*, ait, *humilient, faciant non quidquid volunt, sed quidquid desuper permittuntur. Non enim quidquid passi ab inimicis fuerimus, inimicis deputandum est, & non Domino Deo nostro. Quandoquidem in ipso suo exemplo mediator demonstravit, quando nobis desuper permittit homines nocere, non voluntatem nocendi desuper dari, sed potestatem. Vnusquisque enim malus apud se habet voluntatem nocendi: ut autem possit nocere, non habet in potestate. Vt velit, jam reus est; ut possit, occultâ dispensatione providentiæ Dei in alium permittitur ad pœnam, in alium permittitur ad probationem, in alium permittitur ad coronam. Ad pœnam Iudæos affligere permissi sunt Idololatræ: Ad probationem Iobum diabolus; probatus est autem Iobus, confusus est diabolus. Ad coronam permissi sunt persecutores in martyres. Occisi sunt martyres; quasi victisse se arbitrati sunt persecutores. Illi in manifesto falsò triumpharunt, isti in occulto verè coronati sunt. Non attendebat Iobus, quis percuteret, sed quis permitteret. Novi ego, inquit, à quo sit permissus. Diabolo tribuatur nocendi voluntas, Domino meo probandi potestas.*

Non igitur formidemus diabolum; sepiceps quidem bellua est, sed mordere non potest nisi volentem; cornua habet, quibus ferire possit, sed accedentem; caudam habet, quâ & cedros queat dejicere, sed nec pilum unius hominis non tantùm non evellere, sed nec tangere valet, nisi potestatem Deus concedat. Habet arcum, pharetram, sagittas, sed nec sagittulam vel unicam in illum torquere potest, nisi Deo annuente.

Cùm Jacob è Mesopotamiâ rediret in Chanaan, gregem prorsus imbellem secum adduxit. Non erat ex omni numero, qui gladium animosè stringeret. At verò Esau capitalis hostis cum militibus quadringentis occurrit. Ah, quadraginta, imò vel quatuor milites contra feminarum, & parvulorum agmen sufficissent. At Deus animum Esau subitò ita mollivit, ut diceret humanissimè: *Gradiamur simul, eróque socius itineris tui.* Cui Jacob: *Præcedat dominus meus ante servum suum, & ego sequar paullatim vestigia.* Mox iterum Esau jam planè frater: *Oro te*, ait, *ut de populo, qui mecum est, saltem socii remaneant viæ tuæ.* Videre feram in hominem humanissimum mutatam, quæ laterare venerat & devorare, jam modis omnibus juvare nititur.

Ita cacodæmon septem maritos Saræ jugulare potuit, sed octavum Tobiam nec quidem potuit tangere. Ejus rei assignans caussam Angelus: *Ostendam tibi*, ait, *qui sunt, quibus prævalere potest dæmonium. Hi namque qui conjugium ita suscipiunt, ut Deum à se, & à suâ mente excludant, & suæ libidini ita vacent, sicut equus & mulus, quibus non est intellectus; habet potestatem dæmonium super eos.*

§. II.

Goliathum Philistæum Hebræi milites & duces omnes fugerunt, nullus erat ex omnibus, qui congredi cum eo auderet. Et en juvenis pastoritius David inermis opilio formidandam illam giganteam molem silice unico dejecit. Hic certè Deus Goliathum vinxit, Davidi vires vincendi dedit, ut vel oculis cerneremus, quæ pugnæ spititalis esset ratio. At verò tempore; quo Dei filius in crucem actus, filio manus ligatæ, diabolo & asseclis solutæ sunt.

Ita Deus electum populum bellis variis exercens: *Et ego*, inquit, *non delebo gentes, quas dimisit Iosue, ut in ipsis experiar Israël, utrum custodiant viam Domini, & ambulent in eâ. Hæ sunt gentes, quas Dominus dereliquit, ut erudiret in eis Israëlem, & omnes qui non noverant bella Chananæorum; & posteà discerent filii eorum certare cum hostibus, & habere consuetudinem præliandi.* Deus milites quærit, & quidem exercitatos. Hoc fine illos exercri vult & erudiri ad pugnam. Novit autem Imperator, quousque suos milites debeat exercere: quemadmodum citharœdus ita temperare novit fides, ne rumpant, néve nimiùm remissæ sint; quemadmodum & chirurgus novit, quando cataplasma mordax corpori accommodet, quando amoveat: Ita Deus Augustini ore: *Ego novi*, ait, *quid apposuerim; ego novi, unde ægrotes, ego novi, unde saneris.*

Auguſt. in ps 130. mihi pag. 622.

Duodecim Domini Jesv discipuli, magistro moriente graviter concussi sunt, graviùs Thomas ceteris, gravissimè Petrus, Judas à tentatore in exitium æternum præcipitatus est. Omnium tentationes Christus providentissimè moderatus hunc longè, illum longiùs, longissimè alium à se abstrahi permisit, omnes tamen iterum ad se benignissimè attraxit, præter unicum illum gehennæ filium, qui periit, quia petire voluit. Ita Deus tentationes nostras omnes profectui nostro attemperat, uti medicus, aut pharmacopola peritus idem nonnunquam pharmacum, sed diversâ dosi pluribus præbet; huic solùm tres drachmas aut scrupulos, ut vocant, vel tria tantùm grana; sex illi aut septem; robustiori decem aut plura porrigit, prout cujusvis vires & valetudo desiderat: ita Deus exactissimam in omnium tentationibus moderationem adhibet; omnia modo & ratione, rectè & ordine facit. Quod luculenter Augustinus asserens: *Deus hominem*, inquit, *in tentationem inducit, cùm tentari permittit, ut probet, non ut perimat. Tentat autem non quasi mentium nescius humanarum, sed ut suos fideles faciat in sæculo manifestos. Sic Abraham tentavit in filio, & honoravit; sic Iob dando in tentationes varias probavit, sic sanctos Apostolos, sic beatissimos Martyres per ignem quoque & gladios coronavit.* Fidelis Deus est, fidelissimus, qui facit cum tentatione proventum, ut possimus sustinere. Augustinus, quem dixi, de Christi morte disserens: *Quòd Christum*, ait, *occidere voluit impius, imputatur iniquitati impii: quod permissum est, imputatur potestati Dei. Ille ergo iniquè voluit, Deus justè permisit. Vide, quid tibi fecerit iniquus, quid justus. Ille voluit, iste permisit. Voluntas injusta damnetur, permissio justa glorificetur. Noli ergo mirari, permittit Deus, & judicio permittit: permittit & mensurâ, numero, pondere permittit. Apud illum non est iniquitas, tu tantùm ad eam pertine. In ipso spem pone, ipse sit adjutor tuus, salutare tuum. In illo sit locus munitus, turris fortitudinis. Refugium tuum ipse est, & non te finit tentari suprà quàm potes ferre, sed faciet etiam cum tentatione exitum, ut possis sustinere; ut quod te finit pati tentationem, potestas ejus sit, quod non finit ultrà in te fieri, quàm potes ferre, misericordia ejus sit: quoniam potestas Dei est, & tibi Domine misericordia, quia tu reddes unicuique secundùm opera ejus.*

Deus in omnium tentationibus exactissimam moderationem adhibet.

Aug. to. 10. serm. 126. de tempore. cap. 3. mihi pag. 309.

Auguſt. to. 8. in pſal. 61. mihi p. 257.

Occisio Christi imputatur iniquitati impii, permissio autem Dei potestati.

§. III.

Ergo diabolo potestas quædam est, plerunque tamen vult nocere, & non potest, quia potestas ista sub potestate est. Nam si tantùm posset nocere diabolus, quantùm vult, non aliquis justorum remaneret, aut aliquis fidelium esset in terrâ. Ipse per vasa sua impellit quasi parietem inclinatum; sed tantùm impellit, quantùm accipit potestatem: *Vt autem non cadat paries, Dominus suscipiet: quoniam qui dat potestatem tentatori, ipse tentato præbet misericordiam. Ad mensuram enim permittitur tentare diabolus.*

Auguſt. in eundē pſal. poſt mediū.

Ad mensurâ permittit Deus tētare diabolum.

Sed: Esto, inquies, ad mensuram diabolus tentet, atque ideo ad tentandum Jobum à Deo petierit licentiam, hanc tamen scimus à Deo liberalissimè datam: *Ecce*, ait, *universa, quæ habet, in manu tuâ sunt.* Ita videtur Deus nostris nos hostibus objicere, & in eorum dare manus. Non negamus: Dedit, sed cum hac moderatione, & ad hoc præscriptum: Veruntamen animam illius serva. Ex quo manifestum est, quanti Deus æstimet di-

Iob cap. 1. vers. 12.

Aug. præfat. in enarrat. 2. pſal. 29. mihi pag. 61.

Iudæus alli mortis ſui voluerem.

Tob cap. 3. v. 16. & 17.

Cur Diabolus non potuit tangere Tobiam octavum mariti Saræ. Tob cap. 6. v. 16. & 17.

Iudic. cap. 2. v. 21. & 22.

vitias & facultates, non pluris sanè, quàm ipsas Jobi lacinias & vestes. Additamenta sunt moderatissimè usurpanda. Deindè Jobum Deus hostis manibus concessit, sed è suis non dimisit. Quod affirmatissimè docens Gregorius: *Ecce*, inquit, *permissionem verberis comitatur custodia protectionis, & electum suum divina dispensatio custodiendo deserit, deserendo custodit: alia illius prodit: alia protegit. Si enim totum Iob desereret in manu tanti adversarii, homo quid esset? In ipsâ ergo justitiâ permissionis permiscetur quædam libra pietatis: quatenus in uno eodémque certamine & servus humilis ex oppressione proficiat, & hostis superbiens ex permissione succumbat. Manui itaque adversarii sanctus vir traditur, sed tamen interimis adjutoris sui manu retinetur. De illis quippe ovibus fuit, de quibus in Evangelio ipsa Veritas dicit:* Non rapiet eas quisquam de manu meâ: *& tamen expetenti hosti dicitur:* Ecce in manu tuâ est. *Idem ergo in manu Dei, idem in manu est diaboli, quia tenuit, quem concessit, & dando non dedit, quem adversarii sui jaculi ejiciens abscondit.* Adstrinxit Deus potestatem dæmonis ad tentandum, sed non adstrinxit robur & vires Jobi ad luctandum. Devenit Jobus in diaboli manus ad tentationem, remansit in manu Dei ad remunerationem.

Christus dixit: Hæc omnia adjicientur vobis. Matth. c. 6. vers. 33.

Greg. to. 2. lib. 2. moral. cap. 3. mihi pag. 338.

Deus Jobum manibus hostis concessit, sed è suis nō dimisit.

Ioan. c. 10. vers. 28.

Iob cap. 1. vers. 12.

Apoc. cap. 2. vers. 8. & seqq.

Edixit Deus per Apocalypseos scriptorem: *Hæc dicit primus & novissimus, qui fuit mortuus, & vivit: scio tribulationem tuam, & paupertatem tuam, &c. Nihil horum timeas, quæ passurus es. Ecce missurus est diabolus aliquos ex vobis in carcerem: & habebitis tribulationem diebus decem. Esto fidelis usque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ.* Sed quid illud est solatii? *Habebitis tribulationem diebus decem*, hoc est, multis aut omnibus vitæ diebus. Hoc certè præmeditandum, ad hoc parandus est animus, neque enim hîc gaudii locus esse potest, ubi tota hominis vita tentatio mera est. Esto igitur fidelis, ut fias beatus: Aspice coronam, omnigenæ voluptatis affluentiam. Ne diaboli & improborum in te machinationes metue; omnis eorum malevolentia, omnis vexatio & injuria in tuum cedet bonum. Affirmat & hortatur Augustinus: *Cùm aliquid tale patitur Christianus*, inquit, *non debet facilè velut odio ire in eum, à quo patitur, & velle ventum vincere: sed convertere se ad orationem, ne amittat dilectionem. Neque enim timendum est, ne aliquid faciat homo inimicus. Quid enim facturus est? Multa mala dicturus, opprobria jaculaturus, in conviciis sæviturus. Sed quid tibi?* Gaudete, *inquit*, & exultate, quoniam merces vestra magna est in cælis. *Ille in terrâ geminat convicia, tu in cælo lucra. Sed sæviat amplius, possit & aliquid amplius. Quid te securius, cui dictum est:* Nolite timere eos, qui corpus occidunt, animam autem non possunt occidere? *Quid est ergo timendum, quando pateris inimicum? Ne conturbetur in te dilectio, quâ diligis inimicum.* Non pateris persecutionem? Non vis ergo piè vivere in Christo. Omnes enim qui volunt piè vivere in Christo, persecutionem patientur. Vis probare verum esse, quod dictum est? Incipe piè vivere in Christo. Addit: *Ne putetis gratos esse malos in hoc mundo, & nihil boni de illis agere Deum. Omnis malus aut ideo vivit, ut corrigatur, aut ideo vivit, ut bonus per illum exerceatur.*

Num. c. 14. vers. 22. Tentaverūt me jam per decem vices, hoc est, sæpissime.

Improborum machinationes nō metuendæ:

Augustin. in psal. 54. mihi pag. 214.

Matth. c. 5. vers. 12.

Matt. c. 10. vers. 28.

Sed ne cōturbetur dilectio, quâ diligitur inimicus.

Idē in eundem psal.

CAPUT VII.

Tentatorem Deus cur sæpius permittat esse victorem.

Hier. c. 50. vers. 23.

QVærit Hieremias vates: *Quomodo confractus est & contritus malleus universæ terræ?* Quàm validus ille malleus sit, qui tot ferri centumpondia, in lamellas tenues diffundit? Diabolus verè malleus universæ terræ, sed magnam partem contritus, idque à puero Bethlehemi nato & in cunis gramineis collocato. Antonius Magnus, ut suos adversus cacodæmones animaret: Nos, inquit, diabolo nihil credamus, & vincemus. Advenientе Domino Jesv destructus est inimicus, & omne robur ejus elanguit. Propter quod pristinæ virtutis memor, quasi tyrannus jam senescens, cùm ruisse se videat, in perniciem grassatur humanam; nec tamen potest firmum Deo pectus, cogitationum & ceterarum fraudum arte pervertere. Nam etiamsi irruentes mortem nobis intentare videantur, ridendi potiùs sunt, quàm timendi, quia cùm sint debiles, minantur cuncta, nec faciunt. Addit cum hoste ipso colloquens: Scimus, quia idcirco vivimus Christiani, & contra te nobis secura est congressio, quia infirmatus es à Domino. Ideo tuis ipse jaculis confoderis. Eodem sensu Augustinus: *Videte fratres*, inquit, *ubi David Goliath percusserit; in fronte utique, ubi crucis signaculum non habebat. Quòd autem David non habens gladium ascendit super Goliath, & suo eum proprio interfecit gladio; designatum est, quòd in adventu Christi suo gladio diabolus victus est; qui per nequitiam suam & injustam persecutionem, quam exercuit in Christum, omnium in eum credentium perdidit principatum.*

Aug. to. 10. serm. 139. mihi 339.

In adventu Christi suo gladio diabolus victus est.

Nihilominus hic adversarius non desinit tentare & impellere ad vitia. Nec verò Deus non tantùm sinit tentari, sed & vinci. Hoc non satis capit intelligentia humana, & identidem quærit: Cur ergo Deus tentari nos permittit, cùm plurimos præsciat vincendos? Ad istud jam respondendum.

§. I.

Cur Deus non impedit tentationes diaboli cum præsciat tot hominum cessuros tentationibus.

QVæstionis igitur est; Cur Deus non impedit hanc pugnam, quando toties hostis obtinet victoriam? Cùm præsciat tot hominum cessuros tentationibus, cur eos sinit tentari? Primum est, quod altè imprimendum animo: Deus in omnibus suis operibus & Misericordiam ostendit, & Justitiam. Nam, *Vniversa viæ Domini Misericordia & Veritas*, sive Justitia. Infinitè misericors est Deus, sed & infinitè justus. Idcirco psaltes maximo affectu: *Misericordiam*, inquit, *& judicium cantabo tibi Domine, Psallam & intelligam.* Hæc supremi Numinis sunt insignia; Oliva & Gladius. Considerate Domini Jesv in Orbem ingressum & egressum, primum vitæ & ultimum, Natalem & Mortalem diem, utrobique spectandam se dabit tam Misericordia, quàm Justitia. Dei filius jam in Crucem sublatus, habuit supplicii socios latrones duos, sed diversissimè affectos; illum Misericordia eodem die è cruce in paradisum emisit, istum Justitia in tartarum dejecit. Idem ad Infantis divinissimi præsepiolum est videre. Misericordia tres Orientis satrapas ad Christi cunas pertraxit, Justitia Herodem sicarium & latronem cum scribis antro nascentis beatissimo exclusit. Evolve codices divinos ab omnium primo Geneseos libro, ad ultimum Apocalypseos, in omnibus luculentè cernes, quâ ratione Dei Justitiam & Misericordiam in universis operibus suis admirabili fœdere conjunxerit. *Vniversæ viæ Domini Misericordia & Veritas.*

Psal. 24. vers. 10.

Psal. 100. v. 1. & 2.

Oliva & gladius est supremi numinis insignia.

Ab ingressu & egressu Christi in orbem spectantur.

Ita planè misericors & justus Deus impugnari nos permittit tentationibus & etiam sæpe superari. Misericors est, qui tentationes immittit, ut per eas probetur virtus, & excitetur parandis promeritis, augendis præmiis. At verò justus, cùm concedit eos corruere, qui nolunt pugnare, nec Domino suo fideles permanere. Tam autem potens est arbitrium hominis, ut eum nec quidem omnes simul diaboli ad ullum vitium pertrahere, si nolit, à virtute ullâ possint avertere, si eam velit exercere. Deus ipse neminem cogit: ignem & aquam, bonum & malum, vitam & mortem proponit; tui est arbitrii, optio eligendi soluta. Quod Siracides apertissimè testatus: *Deus*, inquit, *ab initio constituit hominem, & reliquit illum in manu consilii sui. Ante hominem, vita & mors, bonum & malum, quod placuerit ei dabitur illi.* En, mi homo, Deus *apposuit tibi aquam & ignem, ad quod volueris, porrige manum tuum.* Ad utrumque liber es; elige, sed cave, ne beatus Basilius suum illud tibi occinat: *Malè ponderas, prava bonis præferens, vana veris potiora ducens, temporaria æternis*

Qvando Deus est misericors.

Et quando justus.

Eccli. c. 15. vers. 14. 17. & 18.

Basilius in mil. 15. in psal. 61.

æternis præponens, prætereuntem voluptatem pro indesinente lætitiâ eligens. Deus neminem jubet esse impium, & ad peccandum nulli facit potestatem. Figulus vasa omnia, quæ ad rotam figularem fingit, ollas, discos, urnas, hydrias furno committit: quædam concrepant, alia calores tolerant. Non damnemus inertiæ manum figuli; opifex vasa cupit integra, non fracta; æqualem omnibus industriam impendit. Sed excoquenda sunt & duranda igni; si æstum non ferant & rumpant, extra culpam est figuli; fecit quod potuit, quod debuit. Ita prorsus multi tentationibus vincuntur, sed suâ culpâ; pugnare nolunt, resistendi laborem fugiunt, suo vitio succumbunt, alii in tentationibus multò gravioribus vincunt. Utrobique Deus *cum tentatione facit proventum.* Sed illi desides divinis auxiliis non utuntur; sunt ollæ fictiles ignis impatientes, uri nolunt & excoqui; dissiliunt: alii durant in ignibus, & suo se figulo probant. Atque hi Misericordiæ, illi Justitiæ sunt specimina.

1 Cor. 6. 10. vers. 13.

§. II.

AD illa regii psaltæ verba: *Catuli leonum rugientes, ut rapiant & quærant à Deo escam sibi:* Augustinus interpres: *Qui sunt,* inquit, *catuli leonum? Principum & potestatum aëris hujus, dæmones & angeli diaboli. Quomodo quærunt sibi escam, quando tentant: sed quia non accedunt, nisi eis Deus dederit potestatem, ideo dictum est:* Quærentes à Deo escam sibi. *Petiit Iob tentandum. Qualem escam? Opulentam, pinguem, justum Dei. Petivit illum tentandum, & accepit tentandum, sed non opprimendum; purgandum, non evertendum; aut fortè nec purgandum sed probandum. Tamen & qui tentantur, aliquando traduntur occulto merito suo in manus tentatoris, quia traditi sunt fortè in concupiscentias suas. Nam diabolus nulli nocet, nisi acceperit potestatem à Deo. Quare autem datur potestas? Aut ad damnandos impios, aut ad probandos pios. Iustè hoc totum Dominus agit, & in neminem habet diabolus potestatem, vel in aliquid ejus, nisi ille concedat, cui est potestas summa & sublimis. Sic diabolo, sic homini nulla est potestas in dominem, nisi desuper detur. Et homo, & diabolus, & qualibet dæmonia, nonnisi acceptâ potestate nocent, sed proficientibus non nocent. Malis ita sunt sicut ignis fœno, bonis ita sunt tanquam ignis auro. Manducatus est Iudas ut fœnum, probatus est Iob ut aurum. Aliquando Satanas transfigurat se in Angelum lucis ad tentandos eos, quos ita vel erudiri opus est, vel decipi justum est.*

Ps. 103. vers. 21. August. in Ps. 100. num. 2. Diabolus nulli nocet, nisi acceperit potestatem à Deo. Idem in Ps. 103. num. 494. Idem tom. 5. in de Civit. cap. 9. mihi pag. 247.

Puerulus olim ex alto decidit, sed quia in ipso casu togula puerilis in campanæ formam se diffudit, illæsus terram contigit. Permittit Deus nos periculis exponi, tentari, labi, sed non conteri. Testatur carmen sacrum: *Apud Dominum gressus hominis dirigentur, & viam ejus volet.* Si gressus, ergo & cogitationes, ac tentationes secreto domini consilio diriguntur. Ideóque additur: *Cùm ceciderit, non collidetur, quia Dominus supponit manum suam.* Ne tentatus se præcipitet in consensum, ne patientiam perdat & fiduciam. *Novit Dominus,* teste Petro, *pios de tentatione eripere, iniquos verò in diem judicii reservare cruciandos.* Misericordiâ & Justitiâ hæc fiunt omnia.

Psal. 36. vers. 23. Ibid. v. 24. 2 Petr. c. 2. vers. 9.

Rex Sionis de seipso: *Impulsus, eversus sum,* inquit, *ut caderem; & Dominus suscepit me.* Huic regi ferè contigit, quod olim remigi. Id Valerius memorãs: Regios interitus, inquit, magnitudine miraculi remigis casus æquat, quem in Tyriorum navigio sentinam haurientem, cùm è navi fluctus abjecisset; altero latere repercussum, fluctus contrarius in navem retulit. Itaque miseri simul ac felicis comploratione permista fuit gratulatio. Ita quandoque Deus tentari sinit hominem, ut is secum actum, & pæne omnia jam deplorata existimet. Sed brevi seipsum velut perditum recolligit. Nam, *Dominus mortificat & vivificat, deducit ad inferos, & reducit. Dominus pauperem facit & ditat, humiliat, & sublevat.* Cadere sinit, sed manum supponit: Ejicit è navi, & reponit; robustiori plerunque severior, mitior debiliori. Quod de Patriarchâ Jacob asserens Sapientia: *Certamen,* inquit, *forte dedit illi, ut vinceret.* Sed ubi fortius certamen, ibi & auctius stipendium, nobilior corona, copiosius præmium.

Psal. 117. vers. 13. Valerius l. 1. c. 8. n. 11. 1 Reg. cap. 2. v. 6. & 7. Sap. c. 10. vers. 12.

§. III.

CHrysostomi ævo vir magni nominis, & opibus valens Stagyrius, res suas Mundum habere jussit, & monachum induit. Religiosæ familiæ jam adscriptus eas expertus est tentationes, quas nunquam senserat solutus sacris legibus. Hinc illius ad Chrysostomum querelæ graves & multæ, quas ipse Chrysostomus recensens: *Videtur mihi,* ait, *una esse causa mœroris tui, nequissimi dæmonis insania. Ajebas enim primò, eâ te consideratione turbari ac ferè in desperationem præcipitari, quòd cùm priore tempore laxiùs & negligentiùs viveres, nihil hujusmodi perpessus sis: posteà verò, quàm teipsum Mundo crucifixisti, tunc demum iste morbus invaserit. Secundò, quòd quàm plurimos noveris dum delicatè viverent, hac peste correptos: eos tamen parvo pòst tempore ita eâ infirmitate liberatos, ut perfectæ integritati restituti & uxores ducerent, & plurimos procrearent filios, omnibúsque vitæ præsentis voluptatibus diu ac jucundè fruerentur, nihilq; postmodum tale paterentur; contrà, tu cùm tantum tempus in jejuniis ac pernoctationibus, & reliquâ propositi & vitæ austeritate contriveris, nullam ærumnarum tuarum liberationem, nullum finem hactenus inveneris. Tertiò, quòd cùm sanctus ille vir tantam in reliquis adversùs dæmones potentiam ostenderit, nihil ejusmodi potuerit in tuâ dilectione perficere, neque ipse, neque hi qui cum illo erant, illo etiam in hoc genere potentiores, verùm omnes re infectâ abs te cum rubore discesserunt. Adhæc aliâ ex parte nimium te angi dicebas, quòd ita animam tuam incredibilis vis mœroris occupaverit, ut sæpius ad laqueum ferè, fluviúmque & præcipitium proveharis. Quarto deinceps loco, quòd æquales tuos & contubernales, qui tecum sacram hanc, cælestémque conversationem inierunt, tranquillè agentes aspicis: te verò sævissimæ procellæ expositum, & quod omnium profectò miserrimum est, carceri addictum. Neque enim his qui ferro vincti sunt, ita lacrymandum asserebas, ut his qui hujusmodi catenâ colligati fuerint.*

Chrys. l. 1. de Providentiâ Dei, mihi p. 505.

Ad ista tribus omnino laxioribus libris, quos de Providentiâ Dei composuit, Chrysostomus respondet. Atque hæc ceteris miscet: *Antehac, mi amantissime omnium Stagiri, spectator eras, nunc verò duellator es. In arenâ pugil neminem spectatorum provocat, sed eum, qui factionis pennatæ vel martiæ se quoque pugilem profitetur: Ita tu anteà in Mundo spectatorem agebas; videbat tecum diabolus; at verò jam agis pugnatorem & pancratiasten, professum diaboli hostem; nunc versis & decretoriis armis certandum. Serìò res agitur.* Certamen sorte dedit tibi Deus, ut vinceres, & scires, quoniam omnium potentior est sapientia. *Deus tibi hactenus suam misericordiam exhibuit, nunc & justitiam ostendit.* Universæ viæ Domini Misericordia & Veritas. *Deus te hactenus ut mater brachiis gestavit, nunc verò in aquas abjecit, ut tuo disceres natare cortice. Hæc ad probandam fidem, ad exercendam virtutem, ad augendum promentum fiunt. Nam adjecto laborum,* ait Chrysostomus, *incrementum meritorum est, ac firmissimum munimen nostrum, quo freti nunquam, sive sponte, sive etiam inviti corruamus. Nàmque fastum ac tumorem animorum comprimit, negligentiam avertit, prudentioresque ac religiosiores efficit. Prorsus verò si quis omnia enumerare velit, plurima tentationum emolumenta reperiet, nullúsque unquam ex his, qui Deo maximè chari atque acceptabiles fuerunt, sine pressuris vixit. Sin autem quidam ex istis tribulationibus emendati non sunt, non hoc illi imputandum est, qui causam emendationis præstitit, sed illorum potiùs negligentiæ & socordiæ.*

Sap. cap. 10. vers. 12. Psal. 24. vers. 10.

Sed etiámnum est quæstio: Cur Deus illos extrudit in pugnam, quibus victoriam præscit ab hoste rapiendam? Idem de Angelis quæritur: Cur Deus creavit Angelos quos scivit cælo extrudendos? Cur præcepit Protoplastis certæ arboris fructus ne gustarent, quos præsciverat præceptum non servaturos? Cur Christus in discipulum

elegit Judam Iscarioten, quem noverat fore furem & proditorem? Eximiè & amplè respondent ad ista, Cyrillus, Hieronymus, Ambrosius, alii. Ex his nos strictim paucula libemus. Ambrosius de paradiso disserens: *An sciebat*, inquit, *prævaricaturum Deus Adam mandata sua, an nesciebat? si nesciebat, non est ista divinæ potestatis assertio. Si autem sciebat, & nihilominus sciens negligenda mandavit, non est Dei aliquid superfluum præcipere. Superfluè autem præcepit primoplasto Adæ, quod eum noverat minimè servaturum.* His respondens Ambrosius: *Nec in eo*, inquit, *læsus est vel Adam, quia mandatum accepit, vel Iudas quia electus est. Non enim necessitatem Deus vel illi prævaricationis, vel huic perditionis imposuit, quia uterque, si quod acceperat, custodisset, à peccato abstinere potuisset. Ergo non in mandante culpa est, sed in prævaricante peccatum est. Quod in Deo fuit, ostendit omnibus, quia omnes voluit liberare.* Ergo & Adam & Judas prævaricationis convincitur, quia & ille mandatum accepit, ne laberetur, & hic in Apostolum adscitus est, ut vel beneficio Dei à proditionis affectu revocaretur: ut ita dum ab eo redarguuntur, Deus prodesset omnibus. *Neque enim ideo peccavit Adam, quia Deus hoc futurum præscieverat, sed præscivit Deus, quod ille fuerat propriâ voluntate facturus. Liberum animal*, ait Cyrillus, *est homo, & potest, sive dextrum, sive sinistrum iter, virtutem aut vitium eligere.* Ergo Deus non vult nos nihil agere, ne dormiamus, sed neque vult nos viribus nostris fidere, & totum agere, ne superbiamus. Non totum operatur Deus, ne otiemur; nec totum nobis permittit, ne gloriemur. Ita prorsus & tentationibus nos infestari permittit Deus, ut purgemur à noxis, erudiamur ad submissionem, probemur ad fidem, exerceamur ad promeritum & coronam. Vires etiam tentatis sufficit, ut ii resistere possint tentatori. Labuntur & corruunt? id ignaviæ suæ, non præsciæ cognitioni divinæ imputent: vitio suo vincuntur, non quia vincendos præscit Deus; *qui omnes homines vult salvos fieri.* Nullam pereundi legem divina prævisio & præscientia ulli hominum imponit. Vincendum te, damnandum te prævidet Deus, quia pugnare non vis, & vincere recusas, quia teipsum damnas. Non tamen ideo caussa tuæ damnationis divina est prævisio, sed caussa divinæ prævisionis tua est damnatio. In omnibus Deus & misericors & justus est.

Ambr. t. 4. l. de paradiso c. 8. mihi pag. 99.

Deus non imposuit Adam necessitatem prævaricationis, nec Judæ perditionis.

Hieron. l. 3. contra Pelagianos, c. 2.

Cyrill. l. 4. in Ioannem cap. 30.

1. Tim. 2. vers. 4. Divina Præscientia nullam pereundi legem illi homini imponit.

Idcirco Jobi vocibus divinam opem assiduè imploremus; *Libera me, Domine, & pone me juxta te, & cujusvis manus pugnet contra me.* Pugnam, Domine, non detrecto, tentari non refugio, sed tu, mi Deus, da mihi cor impavidum & manus ad prælium exercitatas; da spiritum rectum; qui te unum respiciat, tibi uni fidat, à te uno præmium expectet. Me igitur juxta te pone, & nullos hostium exercitus formidabo: adsint omnes Luciferi phalanges, & quidquid formidabile claudit orcus, in me unum omnia diabolorum agmina ruant, non trepidabo, tuis, mi Deus, auxiliis fretus. Timere nescit, qui cælum pro clypeo gerit.

Iob cap. 17. vers. 3.

PARS TERTIA
DE
DIVERSIS RESISTENDI MODIS.

CAPUT PRIMUM.

Primus in tentatione resistendi modus,
VIGILARE.

IOannes Abbas dicere solebat: In hac vitâ, quæ tentationibus plena, ita se homo habeat, perinde ac si in culinâ sedeat inter luculentum igne focum & ahenum aquâ plenum medius: si ignis nimiùm invalescat ad manum aqua est, quâ ignem reprimat: si caro lixanda sit, in promptu ignis est, quo aquam fervefaciat. Ita tentato, inquiebat, agendum: nori ille, quæ singulis quibusque tentationibus antidota opponat.

De tentationum natura, deque tentatoris genio dictum: Nunc porrò dicendum, quâ ratione tentationibus sit resistendum. Primum omnium est Antidotum, Vigilantia. Quàm ea sit necessaria in tentationum pugnâ hoc caput explicabit.

§. 1.

SI puer scholæ litterariæ sit mancipandus, prima omnium quæstio est, num aliquid ingenii ad discendum adferat. Nam si ingenium sit pingue, durum, infelix, fractum indocile, ah mi pater, quid Musis filium obtrudis? quid asinum ad lyram admoves? ad incudem, ad stivam applica: in scholis tanta tarditas ingenii vix quidquam capiet. Ad discendas litteras opus est ingenio. Ita prorsus cum tentationibus sermo instituitur, pæne omnium est quæstio: Num cordatus est? Num hostis vultum subire audet? quos animos gerit in prælium, num vir est? Nam si pavidus sit, & pelliculæ suæ metuens, capage hunc leporem à castris & armorum usu. Pessimus in præliis comes est timor. Animus prætrepidus, non pugnam cogitat, sed fugam; jam victus ante cõgressum, victoriæ nihil speraverit. Idcirco Gedeon volente Deo proclamari jussit: *Qui formidolosus & timidus est, revertatur. Et reversi sunt ex populo viginti duo millia virorum, & tantùm decem millia remanserunt.*

Iudic. cap. 7. vers. 3.

Militia & tentatio est vita hominis; si militi desit animus, frigebit pugna, nulla erit victoria.

Hic animis opus Ænea, hîc pectore firmo.

Virg. lib. 6. Æneid. fere medio.

Ergo ante omnia, qui Christo militat, generoso sit pectore ad vigilias & labores alacriter perficiendos. His positis,

Primum adversus tentationes munimentum est VIGILANTIA. Quàm ea summè necessaria sit homini tentato, eximiè disserens Bernardus: *Donec in carne est anima*, inquit, *inter spinas profectò versatur, & necesse est, ut patiatur inquietudines tentationum, tribulationúmque aculeos. Quòd si lilium est ipsa juxta sponsi verbum, videat quàm vigilem sollicitámque esse oporteat super custodiâ sui, septa undique spinis hinc inde aculeos intendentibus. Nec enim vel levissimam spinæ punctionem ullatenus sustinet floris teneritudo, sed mox ut modicè premitur, perforatur. Bene pungeris, si compungeris, multi cùm sentiunt pœnam, corrigunt culpam: & talis dicere potest*, Conversus sum in ærumnâ meâ, dum configitur spina. *Spina culpa est, spina pœna est, spina falsus frater, spina vicinus est malus.* Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias. *O candens lilium, ô tener & delicate flos, increduli & subversores sunt tecum, vide quomodo cautè ambules inter spinas. Plenus est mundus spinis. In terrâ sunt, in aëre sunt, in carne tuâ sunt. Versari in his, & minimè ledi divina*

1. Adversus tentationes munimentum est Vigilantia. Bern. tom. 2. serm. 48. in Cant. mihi pag. 913. & seqq.

Psal. 31. v. 4.

Cant. cap. 2. vers. 2.

divinæ potentiæ est, non virtutis tuæ. Sed confidite, *inquit,* quia ego vici Mundum. *Etsi igitur undique tibi intendi prospicias tribulationum tanquam tribulorum aculeos, non turbetur cor tuum, neque formidet, sciens quia* tribulatio operatur patientiam, patientia probationem, probatio spem, spes autem non confundit. *Considera lilia agri, quomodo inter spinas vigent & nitent.*

M. Cato, quod Julius Sextus memorat, urbem obsedit, quam vigilantia civium acerrimè tuebatur. Sed eam demum hoc stratagemate Cato cepit. Abitum simulavit veluti solutâ obsidione. Sed adeò procul non abiit. Urbs quartum jam diem ab obsessore libera, hinc malè secura, vigilias laxare & hostis oblivisci cœpit. At Cato per vias ignotas & avias regressus, & eandem civitatem vi subitâ incursans die quinto expugnavit. Vigilantes vincere nequivit, improvidos & dormientes facilè superavit. Hoc militiæ millies iterúmque millies factum. Tot urbes, tot munitiones expugnatæ solius vigilantiæ defectu. Quemadmodum verò in bellis princeps adversus hostem munimen, ita in repellendis tentationibus præsidium summè necessarium est, Vigilare. Atque hinc in divinis libris assiduè illud ingeritur: *Videte, vigilate. Quod autem vobis dico, omnibus dico; Vigilate.*

Rem memoratu dignissimam refert Pelagius Armandæ in tentationibus vigilantiæ.

§. II.

REligiosus senex in Thebaide habitans discipulum exploratæ virtutis erudiit. Huic vesperi potissimùm præceptiones sacras, & quæ ad animi cultum facerent, instillabat. Spiritali prælectione finitâ, precationes unà inibant. Nec enim ante quidquam quieti datum. Cùm verò admiranda senis abstinentia illic locorum venerationi esset, complures aliundè adventantes ad senem revisebant. Hos ille hospites salubberrimis monitis ad optima vitæ instituta formabat. Ita quandoque sermo in serum vesperem protractus. Fuit ut optimus senex à sacris hisce colloquiis fatigatior consideret, nec tamen discipuli negligeret institutionem. Dum ergo loquitur, quod pronissimum jam fesso, in somnum labitur. At verò juvenis nec ante orationem abire, nec dormientem excitare ausus perstitit vigil & silens, dum magister sponte suâ expergiscereturi. Interim & ipse discipulus graviter tentari somno, eique vix ampliùs posse obluctari; sed & cogitationes insuper molestissimæ hominem ad impatientiam sollicitare: quid stas hîc simplicissime infans, cur non dormitum abis? dormiat senex, quamdiu lubet: tu verò quid frustra te macéras vigilando? nimis fatuus es, nisi actutum te quieti mandas. At nihilominus constans juvenis tam somni quàm impatientiæ victor perduravit usque dum senex evigilaret. Nec illi tamen somnus & eædem cogitationes illæ desierunt esse molestæ; iterum iterúmque ac quartùm & quintùm, imò & sextùm ac septimùm tam à suismet cogitationibus identidem vellicantibus, quàm à somnifera vi assiduè urgebatur ad quietem. Nam tentator septies distinctis aggressibus eum invadens hoc semper inculcabat: Expectas frustra: & forsan ob nimiam simplicitatem istam objurgaberis. Ergo abi & dormi. At bonus juvenis se sibimet extorquens, & sopori & dæmoni tentatoribus geminis constanter restitit, ad dormientis latus vigilando. Nocte mediâ demum evigilans senex & discipulum cernens insomnem: Cur, inquit, non ivisti cubitum? Cui ille: Quia non dimiseras me, Pater. Et quare, ait senex, non excitasti me? Verebar, ait juvenis, tuum tibi turbare somnum. Ambo igitur in matutinas preces descenderunt.* Finitis illis jussus est juvenis secedere cubitum. Dum ergo senex jam solus ac meditabundus sedet, sublimè raptus videt ornatissimum locum, & in eo solium, inque solio septem coronas. Miratur & quærit, cui solium istud, cui coronæ illæ forent paratæ? Responsum est: Discipulo tuo. Locus & sedes priori vitæ, septem coronæ nocti præteritæ debentur. Ad ista senex attonitus & tremens discipulum accersivit, &: Dic enimverò candidè, ait, quid nocte hac feceris? At modestus juvenis velut reprehensus: Da veniam, Pater, nihil feci. Hoc senex loquendi modestiam interpretatus, jámque avidiùs quæritans: Mihi crede, ait, non desinam interrogare, donec ingenuè, quod res est, fatearis. Dic igitur, quid boni hac nocte feceris, vel cogitaris. At ille vix habuit, quod diceret. Nec enim malè sibi conscius: Ignosce mihi, mi Pater, ait, hoc unum habeo respondere; somnus non leviter, sed & meæ me cogitationes urgebant, ut hinc abscederem & dormirem, & quamvis somno ac cogitationibus obluctarer, identidem tamen redibant, idque sexies aut septies. Ita pæne cessissem à somno victus. Quia verò nondum pro more dimissus ante fueram, hîc permansi, & ut cœpi, adversus somnum pugnavi. His auditis senex, quamprimùm intellexit, quod suus discipulus quoties soporiferæ tentationi restitisset, toties coronam aliam atque aliam promeruisset: sed horum nihil discipulo exponens, ne vanæ gloriolæ caussam suggereret: Bene est, fili, ajebat, tu jam abi ad tua. Hæc autem aliis, ut gesta sunt, narravit ex integro. Asceta, ut discerent omnes, quanta Deus præmia iis persolvat, qui vel cogitationibus solùm resistunt. Bonum igitur est, ait Pelagius, ut homo sibi ipsum extorqueat propter Deum. Nam *regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.*

Hîc duo singulariter observanda. Primum, Longanimitas in omni actione licet vilissimâ, quanti sit momenti. Persistere, durare, perseverare, virtutum omnium coronis est. Alterum, si Vigilantia in rebus etiam minutis tam est pretiosa, quantò ea pretiosior erit magisque necessaria in rebus animi, & caussâ salutis.

§. 2. III.

HInc illæ cohortationes tam seriæ Christi & Apostolorum. Hinc vociferatur Petrus: *Sobrii estote & vigilate, quia adversarius vester diabolus tanquam leo rugiens circuit, quærens quem devoret, cui resistite fortes in fide.* Ad eandem vigilantiam extimulans Cyrillus: *Opus est,* inquit, *sobriâ mente ac vigilantibus oculis, ne zizania recipiamus pro tritico, ne pro ove lupum, ne diabolum pro Angelo bono.* Hîc oportet esse Argum. Quòd si mille habeamus oculos, & oculei simus toti, hæc omnes convertamus: nam & hostis noster dies noctésque innumeris ac insomnibus oculis nos observat. E fraude unicâ discamus ceteras. Aut enim satanas actionem bonam impedit, aut inficit, aut corrumpit. Ut preces vel eleemosynas impediat, variis rationibus pugnat, cur preces omittendæ, eleemosynæ non dandæ. Quòd si nequeat impedire, conatur inficere: nam etsi precationes & jejunia aliæve actiones præclaræ non desint, si tamen desit pura intentio, jam infecta est actio, jam victi sumus. Si nec impedire nec inficere possit actionem, studet eam corrumpere. Nam quamvis actio sit bona, nec malus sit finis, si quis tamen incipiat ipse sibi placere ac mirari se, opus quantumvis pulchrum jam tamen est corruptum. Ergo vigilate: nam hostis omnes prævertit, & omnem, si possit, ad sanctimoniam intercludit aditum, actiones bonas aut impediendo, ut diximus, aut inficiendo, aut certè quà potest corrumpendo? Pergraphicus sycophanta, versutissimus est sophista, syllogismos facit tricornes, ut si primum vel alterum cornu non feriat, tertium certè lædat.

Hinc Christus ipse vigilantiam toties commendans: *Videte, inquit, vigilate & orate. Quod autem vobis dico, omnibus dico, vigilate. Vigilate & orate, ut non intretis in tentationem.* Quicunque non vigilat & orat, tentationes non propulsat: neque solùm tentabitur, sed tentationi etiam succumbet, & intrabit in tentationem. Idcirco & Joannes

Duo observanda: 1. Longanimitas in omni actione quàti sit momenti. 2. Vigilantia est pretiosa rebus minutis. 1. Petr. c. 5. vers. 8.

Dæmon si non potest impedire bonam actionem, studet eam corrumpere.

Marci c. 13. v. 33. 35. 37. Matt. c. 26. vers. 41.

Apoc. cap. 3. vers. 2. nes Domini discipulus vociferatur & monet: *Esto vigilans, & confirma cetera.* In quo igitur, dices, hæc vigilantia consistit? Hoc Apostolorum princeps commonstrans:

1. Petr. cap. 5. vers. 8. Sobrietas est mater vigilantiæ: Crapula somni & negligentiæ. *Sobrii estote,* ait, *& vigilate.* Sobrietas mater vigilantiæ, quemadmodum gula & crapula somni & negligentiæ: quisquis vult esse vigilans & navus, sit sobrius. Et sicuti non ad unam solùm civitatis portam vigilandum, sed ad omnes: ita in homine non aures tantùm, sed & oculi, sensúsque cæteri omnes, quisque in statione suâ pro animi tutelâ excubet. Ubi primùm hostile aliquid observatur mox ad arma convolandum. Ita Hebræus Sapiens monet: *Omni custodiâ serva cor tuum, quia ex ipso vita procedit.* Idem & natura nos docet, quæ cor humanum medio ferè corporis situm aggeribus & propugnaculo non simplici munivit; pelle, ossibus, carne ac costis circumvallavit. Quòd si cor, non magna carnis particula, quæ vulturi non sufficiat in prandium, ita erat communienda, quàm vigilanti solertiâ, quibus propugnaculis sepiendus erit animus nullâ re creatâ, sed Deo solo sa- B tiandus. In hunc usum norit animi custos, quid cuique tentationi, quid avaritiæ, quid libidini, quid Iracundiæ vel Invidiæ, quid elationi vel socordiæ opportunè objiciat ad animi munimentum.

Prov. cap. 4. vers. 23.

Ergo *vigilate & sobrii estote.* Quod & Paulus frequentissimè ingeminans: *Propter quod vigilate,* inquit. *Vigilate, state in fide, viriliter agite, & confortamini. Orationi insiate,*

Actor. c. 20. vers. 31. *1. Cor. c. 16. vers. 13.* *Coloss. c. 4. vers. 2.* *1. Thess. c. 5. vers. 6.* *Apoc. c. 16. vers. 15.* *Aug. to. 10. serm. 23. de Verbis Dom. cap. 10. mihi pag. 40.* *vigilantes in eâ. Igitur non dormiamus sicut & ceteri: sed vigilemus, & sobrii simus. Beatus qui vigilat, & custodit vestimenta sua.*

Augustinus divinas voces secutus: *Sic clausit Evangelium,* inquit, *Vigilate. Si ergo dormituri sumus, quomodo vigilabimus? Corde vigila, fide vigila, spe vigila, charitate vigila, operibus vigila: Hodie laboramus, & lampades nostræ inter ventos sæculi hujus tentationesque fluctuant, sed ardeat in robore flamma nostra, ut ventus tentationis augeat ignem potiùs, quàm extinguat.*

CAPVT II.

Alter resistendi modus,

PRINCIPIIS OBSTARE.

Diaboli artificia ad impugnandum. Callidissimus ex orco tentator plurimis iisque sanè diversis utitur vaframentis & artificiis ad impugnandum. Compendio numeremus. 1. A tentatione

Primum. aliquanto tempore interquiescit, & ita obsidionem cœptam non soluit, sed interjungit, ut obsessus ad securitatem noxiam, aut elationem vanam defluens arma ponat. Subitò adest ab inferis pollorcetes actior, &

Secùdum. occupat inermem. 2. Virtutis actiones suadet, sed immoderatiùs exercendas: exempli gratiâ, peregrinationem nimis longam, flagellationem nimis severam, abstinentiam nimis rigidam & immoderatam suggerit. 3. Suam

Tertium. homini pietatem si nullâ re turbat, modò unicum idque vel minimum in ædes ostiolum servet apertum, per D quod liberè inserpat. Et talis subinde tentatio ab homi-

Quartum. ne non deprehenditur, dum eum mors evocet. 4. Diversis devotionibus, quas vocant, non rarò insigniter fallit. Sunt qui pio impetu choreas, sunt qui vinum, sunt qui tesseras & chartulas pictas ejurent. Sed remittente hac subitâ devotione invitat alicubi nova occasio, & hi boni iterum saltant, iterum potant, iterum lusitant, alia-

Quintum. que ejurata iterum frequentant. 5. Non paucos ad precationes impellit. Hi precantur quidem, sed cursim, oscitanter, perfunctoriè: hoc enim unum agunt, ut orent quàm plurimùm; quàm attentè orent, id parum laborant. Hinc subinde minùs curant officium suum, ut plus vacent intempestivis precibus suis, ob quas sibi à

Sextum. Deo putent omnia deberi. 6. Ad eleemosynas concitat nonnullos, qui eo nomine per fas & nefas undique

Septimum. corradunt, quod largiantur. 7. Plurimis ardorem ani- A mi & zelum, sed imprudentem & immoderatum injicit, quos specioso nomine ad iram, ad vindictam, ad punitionem injuriosam pertrahit. Venena scilicet non dantur nisi melle circumlita, & vitia non decipiunt, nisi sub specie umbrâque virtutum. Ita diabolus sæpissime fallit sub schemate & larvâ honesti, sub specie Angeli. *Nolite Ephes. 4. vers. 27. locum dare diabolo.* Vigilandum, quod proximè monuimus, & *Principiis obstandum*, quod isto capite docebimus. *1. Contentationes meminerunt Principiis obsidium.*

§. I.

PEtrus Chrysologus de Domino JESV tentato disserens: *Diabolus*, inquit, *semper primordia boni pulsat, tentat rudimenta virtutum, sancta in ipso ortu festinat extinguere, sciens quòd ea subvertere fundata non potsit.* Tu ergo *Principiis obsta.* Monitum saluberrimum ad omne quidem vitium arcendum, singulari tamen studio ad tentationes superandas observandum. Cùm morbi senti- B tur commotiuncula, occurrendum est morbo antequam penitus insederit; si permittatur ingravescere, vix ullis demum remediis cedet, magis ac magis crudescet, dum ad summum perveniat incrementum. Cur primis motiunculis non restitisti? Jam actum est de sanitate. Valedic vitæ, ac morere. Ergo. *Petrus Chrysol. serm. 11. pag. 34.*

Principiis obsta, serò medicina paratur,
Cùm mala per longas invaluere moras. *Ovid. lib. de Remed. amoris.*

Hoc omnes sapientes monent, hoc universus medicorum senatus imperat, hoc quotidiana docet experientia. E vero cecinit nebulosus Satyricus

Elleborum frustra, cùm jam cutis ægra tumebit
Poscentes videas: VENIENTI *occurrite morbo.* *Pers. sat. 3. med.*

Aristotelis scito: *Principium rei cujusque maximum est, quippe quòd rei dimidium sit.* Num quis equitandi artem calleat, hoc ipso scitur principio cùm equum conscendit. Vix ullus est hostis tam potens, cui principio non possit obsisti. Ergo antequam rotas vires colligat, invadendus & dissipandus est. Ad mores hoc transferens Hieronymus: *Dum,* inquit, *parvus est hostis, interfice, ut nequitia elidatur in semine.* *Arist. an. 7. sect. 10. prob. item, qu. 35. mihi p. 430.*

Si puerulus in ludo litterario Alphabetum & prima litterarum elementa discat, dicátque A. proximum est, ut dicat etiam B. & C. & D. indéque ad reliquos Alphabeti characteres transeat. Qui Satanæ ludimagistro versutissimo pronuntiavit A. qui dixerit *Admitto* hanc cogitationem. Hic nondum quidem totam combibit malitiam, sed cras, aut perendie alteráve hebdomade alterum sequetur elementum, dicétque hic discipulus B. *Blandior* huic cogitationi. Proximum est, ut audiatur & C. *Consentio* huic cogitationi. Neque hîc subsistet, sed à C. ad D. progredietur, & quod ausus est *Cogitare,* non verebitur *Dicere.* Brevî transibit ad E. & *Exempla,* quà verbis, quà gestibus pernicioſa edet. Prioribus elementis conjunctum hæret F. Quod Cogitare, quod Dicere, quod gestibus Exhibere non erubescimus, id D demum nec *Facere* verecundamur. Hi progressus sunt in scholâ cacodæmonis. Ita satanas suos erudit discipulos. Nec enim feriatur hic magister, dum sui totum calleant Alphabetum.

Beatus ergo *qui tenebit & allidet parvulos suos ad petram.* *Ps. 136. v. 9.*

Persæ ac Medi Cyro militantes cùm vastarent Babylonem, infantes alliserunt ad parietes. Hinc fortunatus & felix Cyrus, qui expugnatâ Babylone factus est monarcha celeberrimus, allisis ad parietem parvulis, ne ulla impiæ stirpis remaneret posteritas. Augustinus, Hieronymus, Hilarius: sic, ajunt, initia tentationum ad petram Christum allidenda. Beatus, qui tentationem eliminat, antequam increscat.

Suadet cælestis sponsus: *Capite nobis vulpes parvulas, quæ demoliuntur vineas.* Vulpes vult capi antequam adolescant, ne fructus optimos carpant, & vineas suffo- *Vulpeculæ* diant. Origeni vulpeculæ sunt cogitationes pravæ, quæ sunt cogi- *Cant. cap. 2. vers. 15.*

in ortu

in ortu sui sunt opprimendæ. Hoc enim divinus spiritus jubet fieri, vulpeculas seu cogitationes, antequam invalescant, exterminandas: ita mala plurima caveri posse. Quòd si crescere permittantur & liberè vagari, mens humana fiet fovea vulpina, pessimarum cogitationum specus horrenda, scelerum Lerna.

Principiis obstandum, & affectibus incipientibus resistendum. Prudentissimè monens Cordubensis Philosophus: *Non obtinebis*, inquit, *ut desinat, si incipere permiseris. Imbecillis est primò omnis affectus, deinde ipse se concitat, & vires, dum procedit, parat: excluditur faciliùs, quàm expellitur.* Ergo intrantibus resistamus, quia faciliùs, ut dixi, non recipiuntur, quàm exeunt. Idem de Irâ eximiè disserens: *Facilius est*, inquit, *excludere perniciosa quàm regere; & non admittere, quàm admissa moderari: nam cùm se in possessione posuerunt, potentiora rectore sunt, nec recidi se minuive patiuntur. Deinde ratio ipsa, cui frena traduntur, tamdiu potens est, quamdiu diducta est ab affectibus: si miscuit se illis, & inquinavit, non potest continere, quos submovere potuisset. Commota enim semel & concussa mens ei seruit, à quo impellitur. Quarundam rerum initia in nostrâ potestate sunt: ulteriora nos suâ vi rapiunt, nec regressum relinquunt. Vt in præceps datis corporibus nullum sui arbitrium est, nec resistere morarive dejecta potuerunt, sed consilium omne & pœnitentiam revocabilis præcipitatio abscidit, & non licet eò non pervenire quò non ire licuisset: ita animus si in iram, amorem, aliósque se projecit affectus, non permittitur reprimere impetum; rapiat illum oportet, & ad imum agat suum pondus, & vitiorum natura proclivis. Optimum est primum irritamentum iræ protinus spernere, ipsisq; repugnare seminibus, & dare operam, ne incidamus in iram; nam si cœperit ferre transversos, difficilis ad salutem recursus est. Quoniam nihil rationis est, ubi semel affectus inductus est, jásque illi aliquod voluntate nostrâ datum est. Faciet de cetero, quantùm volet, non quantùm permiseris. In primis, inquam, finibus hostis arcendus est. Non cum intravit, & portis se intulit, modum à captivis non accipit.*

§. II.

QVanti sunt, qui de seipsis dicant: Non possum me continere ac vincere, hoc pati, hoc sustinere, his carere non possum, ad istud adigere me nequeo. Hîc quæstio sit: Num iste mentiatur an non? num ei credendum. Utrumque de illo non malè dixeris, & mentiri eum, & non mentiri. Non sanè mentitur eo nomine: qui tentationibus cedit & obsequitur, seipsum ita involvit, eóque vitiositatis delabitur, ut difficillimè vires recuperare animúmque ad meliora possit flectere. Ita aliquid ægerrimè posse, est pene omnino nō posse.* Mendacii tamen hunc hominem non absolvimus, quia continere se ac vincere posset, si seriò ac robustè vellet, si vires intenderet; at ille languet, & mavult vinci quàm pugnare. Hinc istæ frigidissimæ illius voces. Non possum his abstinere, non possum. Unde, obsecro, hic homo tam imporens sui? Initio tentationis torpuit, principiis non obstitit. Cùm incendium imbecillius potuisset compescere, neglexit; jam validum & in omnes partes effusum vix sopiet ampliùs. *Qui primo tempore*, ait, Eusebius Emissenus, *non cœperit velle resistere, incipiet sequenti nec velle nec posse.*

Machabæus princeps *Ionathas, audivit quoniam regressi sunt principes Demetrii cum exercitu multo supra quàm priùs pugnare adversus eum: & exiit ab Hierusalem, & occurrit eis in Amathite regione, non enim dederat eis spatium, ut ingrederentur regionem ejus.* Prudenter sanè & ad eruditæ militiæ leges, obvium se dedit hosti extra suos fines; ita cùm satanas cum copiis egreditur te invasurus, occurre illi, ne regionem tuam, cor tuum ingrediatur armatus; ubi enim fixerit pedem unum, ibi mox figet & alterum. Beatus Franciscus Assisias dictitare solitus est; diabolus à nobis filum tantummodò petit, ex eo funem nauticum texit, quo nos vinciat; nactus digitum, brevî & manum totam impetrabit; si clavum unicum obtineat, propediem & clathros habebit, quibus suum claudat captivum; si vel pilum malæ cogitationis unicum acquirat, continuò totas pelles cogitationum pessimarum explicabit. Pæne jam omnem reportavit victoriam dæmon, si quem in demulceat, ut iis injectam cogitationem fœdam non excutiat, brevî in hominis tam desidiosi animam totus libidinum exercitus sese infundet. Ergo principiis obsta; occasiones vita, & vicisti tentatoris insultus.

Hæc sedulò monens Chrysostomus: *Periculosum certè, ait, periculosum, inquam, est, pernicioſissimis his passionibus locum concedere: quare oportet omni pacto rejicere ingressum ipsarum, atque repellere. Nam si comprehenderint animam atque superaverint, tunc sicut ignis ingentem ac siccam nactus materiam, maximam solent flammam accendere. Quare rogo atque oro omnia faciamus, ut quasi maceriâ excludamus à nobis harum ingressum. Nullus igitur frivolâ se illa ratione consoletur, quâ universa protervitas in animam inducitur: illâ, inquam, ratione nullus utatur: dicens, quid hoc est, aut illud? mille certè hinc mala oriuntur. Veterator enim malorum diabolus cùm sit, magnâ malitiâ, multâ operâ, ingenti studio, condescensionéque nonnullâ ad perditionem hominum utitur. A minimis enim plerumque incipit, quod intueri hoc modo licet. Studebat in Pythonisse nugas ac deliramenta Saul regem detrudere, sed id si ab initio suasisset, mentem ille non adhibuisset: quo modo enim illud fecisset, qui Pythonissas expellebat? Propterea sensim & paullatim ipsum inducit. Nam quoniam Samueli non obtemperavit, & holocausta illo absente offerri præparavit, accusatus, ait, necessitas hostium facta est major. Dúmque flere oportuisset, quasi nihil mali fecisset, latabatur. Iussit rursum nonnulla de Amalechitis Deus, ea quoque transgressus fuit: hinc adversus David illum insanivit, ac sic paullatim atque paullatim labens non stetit, quousque ad ipsum perditionis barathrum seipsum immisit. Similiter etiam de Cain factum esse videmus. Non enim confestim cædem fratris illi suggessit, ne magnitudine rei commotus tam scelestum facinus abominaretur: sed priùs persuasit deteriora offerre, nullum esse id dicens peccatum: deinde invidiæ veneno succendit, nihil etiam hinc mali secuturum persuadendo: Ita sensim in eum illapsus, ad cædem fratris, & ad negationem sceleris impulit; nec priùs cessavit, quàm malorum omnium verticem imposuit. Repellenda igitur malorum initia sunt. Nam etiamsi ad majora prima non progrederentur peccata, non esset tamen negligendum: nunc verò per istam incuriam gradatim semper ascendunt. Quapropter omni studio atque operâ funditus principia peccatorum sunt evertenda: non enim vim * delicti solam consideres, nec quia parvum sit, cogites: sed illud præcipuè tene, quia si radicem non evulseris, magnum inde peccatum succrescet.*

§. III.

ISchariotes Christi proditor in illam scelerum voraginem nunquam juisset præceps, si principiis obstitisset, & aliquid è Domini sui æratiolo sublegere non minutum censuisset. Diabolo igitur non clavus, non filum, non pilus unicus est concedendus. Alioqui callidissimus artifex è clavo totos clathros, è filo rudentem, è pilo totas pelles conficit. Idcirco Gregorius Magnus sollicitudine paternâ commonens: *Si tentationi in corde nascenti, ait, festinè non resistitur, hac eâdem, quâ nutritur, morâ roboratur. Neque enim culpa ad opus prodire permittitur, si intus ubi nascitur, extinguatur.*

Hugo Victorinus de occasionibus cautè declinandis: Devitent igitur, inquit, bivium Thamaris, solarium Bethsabeæ, thalamum Amnonis.

Narrant, Pachomio cacodæmonem sese spectandum objecisse, cui vir sanctus graviter opprobrârit, quòd homines, à quibus læsus non sit, diu noctúque improbissimè infestet. Cui genius infelix: Nos, inquit, pulsamus ad fores? dare aditum, aut negare, penes vos est.

Hominis qui injectam cogitationē fœdam nō excutit à dæmone victus est.

Chrysost. tom. 2. in c. 27. Matt. homil. 87. mihi p. 603. & seqq.

*Naturam,

est. Aperitis, & hospites admittitis? nos promptissimè in patulas involamus ædes, mox ignes struimus, & imaginationem occupamus, inde facillimum est cæcam voluntatem totumque hominem expugnare. Quòd si resistitis & mox initio prohibetis ingressu, nos victi sumus, & veluti fumus evanescimus. Hæc mendacii gulus verissimè. Hunc igitur avernalem colubrum arce vel à primâ januâ, & cordis tui domicilium non venenabit. Quod Augustinus eximiè capitis & calcanei observatione vigili declarans: *A Deo*, inquit, *quid dictum est serpenti? Ipsa tuum observabit caput, & tu ejus observabis calcaneum. Diabolus calcaneum tuum observat, quando labaris, ut dejiciat te. Ille observat calcaneum tuum, tu observa caput illius. Quod est caput illius? initium malæ suggestionis illius. Quando incipit mala suggerere, tunc repelle antequam surgat delectatio, & si quatur consensio, & tunc vitabis caput ejus, & non apprehendet ille calcaneum tuum.*

August. to. 8. in psal. 48. circa med. mihi p. 182.

Initium malæ suggestionis est caput diaboli.

Nolite locum dare diabolo. Non clavum, non filum, non pilum fraudis à nobis impetret hic alastor. Principiis obsta, & tua est victoria. Ab eodem eruditissimo calamo prioribus affinia sunt ista: *O Christiane, caput serpentis observa. Quod est caput serpentis? prima peccati suggestio. Venit tibi in mentem, nescio, quid illicitum, noli ibi tenere mentem tuam, noli consentire. Hoc, quod venit in mentem, caput serpentis est: caput calca, & evades ceteros motus.*

Augustin. eodem tomo in psal. 103. mihi pag. 496.

Matth. c. 16. vers. 26. *Sed lucrum, ait, magnum suggessit.* Quid prodest homini, si mundum universum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur? *Pereat Mundi lucrum, ne fiat animæ damnum. Hæc dicens observasti caput serpentis, & calcasti.*

CAPVT III.

Tertius resistendi modus,

ORARE.

Octavum diaboli ad Impugnandum artificium.

8. Quemadmodum diabolus non paucos fallit sub larvâ rigidæ castigationis, ita multò plures decipit sub velo debitæ moderationis. Hinc isti abstinentias, jejunia, famem, & quidquid inimicum est corpori & grave, à se jubent facessere: illi excessu, hi defectu peccant; nimiùm illi, isti nimis parum faciunt.

Nonum.

9. Multos valde credulos sortilegiis, auguriis, omniis

Decimum.

capit, innumeros superstitionibus irretit. 10. Quosdam conscientiæ pavoribus & latentis piaculi suspicionibus atque scrupulis exterret.

Undecimum.

11. His longè plures nimiis conscientiæ laxamentis seducit, hinc illis sunt omnia protinus alba.

Duodecimum.

12. Quosdam in ægritudines, perturbationes, fluctus æstúsque sollicitudinum iis fraudibus perducit, ut omnem animum pæne desponsleant. Uti enim peccatum committendum extenuat, & levissimum esse persuadet, ita commissum ingravat, & immensi ponderis montem nullis viribus amoliendum

Decimum tertium.

monstrat: hinc & hinc fallacissimus. 13. Tam vafer profectò & ingeniosus est artifex, ut non superbiâ tantùm & elatione, sed humilitate ipsâ & submissione incautos nectat. *Est enim qui nequiter humiliat se.*

Eccli. c. 19. vers. 23.

Voce, gestu, veste, corporis flexu ad omnium sese genua submittit, seipsum coram aliis reprehendit; si quis alius ei eadem objiceret, liberali dextrâ colaphum rependeret.

Decimum quartum.

14. Diabolus tentator fila trahit subtilissima, & pæne oculos fallentia. Hinc iis involuit innumeros, qui pæne priùs se victos sentiunt, quàm oppugnatos. Ergo *resistite diabolo, & fugiet à vobis.* Primum resistendi modum diximus, *Vigilare*; alterum, *Principiis obstare*; jam assignaturi tertium, *Deum orare.*

Iacobi c. 4. vers. 7.

3. Contra tentationes munimentũ, Deum orare.

§. I.

David contra tentationes præsidiũ ab oratione sibi parans.

Iessæus David tam ante, quàm post purpuram acceptam tentationibus gravissimis fuit infestatus. At ille primum, ac summum, & pæne unicum ab Oratione præsidium sibi parans: *Oculi mei*, ait, *semper ad Dominum, quoniam ipse evellet de laqueo pedes meos.* Dilucidissimè Christus, qui suos ad orationem hoc ipso nomine expergefaciens: *Vigilate*, inquit, *& orate, ut non intretis in tentationem.* O mei Apostoli, quàm non sentitis tentationem velut adhuc remotam. Est vicinissima: idcirco vigilate & orate; principiis obsistite. In eum finem præscripsit singularem precandi formulam: *Et ne nos inducas in tentationem.* Tentari nos refugimus, sed deprecamur vinci. Non igitur cessàdum ab oratione unquam: Quoniam, beato Lucâ teste, *oportet semper orare, & non deficere.* Non solùm ob assiduas miserias Mundi, sed etiam ob continuas tentationes diaboli.

Psal. 24. vers. 15. *Matt. c. 26. vers. 41.* *Idem cap. 6. vers. 13.* *Luc. cap. 18. vers. 1.*

Mirum, ter mirum, regem Hebræum ita precari solitum: *Averte oculos meos, ne videant vanitatem.* Quid opus his precibus, aut magno molimine? Tu ipse, mi domine rex, tuos oculos claude (quid enim facilius?) & rem factam habes. En regem & vatem, virum virtutibus ornatissimum, qui tamen nihilominus roget: Domine averte, vela, & claude oculos meos. Nos enim tam debiles sumus ac desides, diabolus tam impiger & attentus, tentatio tam pellax & blanda est, ut divinum è cælo subsidium assiduè nobis sit petendum. Hac in re circumspectus ac vigilans rex David vociferatur contentissimè: *Domine Deus meus in te speravi, salvum me fac ex omnibus persequentibus me, & libera me.* Quinam isti tot persequentes? Num homines tantùm? Neutiquam, sed satanas & omne illius satellitium. Nam addit Psaltes: *Ne quando rapiat ut leo animam meam, dum non est, qui redimat, neque qui salvum faciat.* Si, ô Deus, me deseras, nemo est, qui ab interitu me servet. Quod David in tentationibus repellendis fecit, hoc fecerunt, & etiámnum faciunt omnes, quibus sua salus est cordi. Vigilant, & orant. Qui vigilat, & non orat, perinde agit ut miles, qui quidem in excubiis stat, sed inermis sine tormento æneo, sine pulvere nitrato. Ergo *vigilate, & orate.*

Psal. 118. vers. 117. *Psal. 7. vers. 2.* *Ibid. v. 2.*

Cùm ad Josaphatum regem infaustissimus rumor deferretur: *Venit contra te multitudo magna de his locis, quæ trans mare sunt, & de Syriâ. Iosaphat autem timore perterritus, totum se contulit ad rogandum Dominum, & prædicavit jejunium in universo Iudâ. Congregatúsque est Iudas ad deprecandum Dominum; sed & omnes de urbibus suis venerunt ad obsecrandum eum.* Rex optimus se viribus imparem confessus publicè: *In nobis quidem*, inquit, *non est tanta fortitudo, ut possimus huic multitudini resistere, quæ irruit super nos. Sed cùm ignoremus, quid agere debeamus, hoc solùm habemus residui, ut oculos nostros dirigamus ad te.*

Josaphat: 2. Paralip. c. 20. v. 2. & 4.

Ibid. v. 12.

Deus utique præsentissimus est, eum tamen humana incuria veluti absentem transit. Contingit non rarò, ut hoc ipsum aliquis quærat, quod oculis expositum, quod manu versat, sed illud ideo non cernit, aut quia cæcutit, aut quia remotum credit: ita nos planè Deo undequaque cingimur; quocunque enim moveamur, in Deo stamus, sedemus, ambulamus, jacemus, à nemine præsentissimo, velut piscis aquâ, circumdati; dum tamen non oramus, Deum non tantùm non cernimus, sed nec præsentem advertimus; cùm autem oramus, ad Deum nobis præsentissimum cor vertimus. Atque hoc est oculos dirigere ad Deum, quod in omni tentatione sit primum.

§. II.

* Erasmus cum bestiis, Marci c. 1. vers. 13.

Quid, obsecro, Christus in solitudine diebus quadraginta totidémque noctibus actionis habuit? Fuisse cum bestiis asserit Marcus; * An cum illis animi caussâ, temporis fallendi caussâ lusit? Num manibus in sinum conjectis ex toto feriatus est? Non dubium quin omnis illius temporis partem maximam transegerit precando. Perinde si dixisset: Ad tentationem, & ad pugnam me paro, non quòd ego hoc paratu egeam, sed ut eam me

Christus contra tentationem orationi se paravit ut eũ imitaremur.

vobis

vobis imitationibus meis ostendam, quo armorum genere, quâ præparatione sit opus ad hos cum hoste congressus: *Vigilate, & orate, ut non intretis in tentationem.* Ita hic idem Servator noster cruciatibus suis initium dat. Matt. c. 26. vers. 41. Luc. cap. 22. vers. 43. Alphons. Salmeron. to. 10. tract. 15. mihi p. 133. & Theophil. Raynaud. to. 4. Comment. in Concord. Evang. l. 6. cap. 15. mihi p. 248. vide Christum Mirenem cap. 3. 2. Corint. cap. 12. v. 7. Iud. v. 8. Tale symbolum est exhortatione nimis frequentata, infinitè ac assiduè in quâ ter ora dicuntur. 2. Corint. 12. v. 9. & Iud.

tus, factus in agoniâ prolixiùs orabat: & quidem ut optimi auctores sentiunt, ad tres horas orationem produxit. Prolixiùs ergo, ait Sebastianus Barradius, orasse dicitur, quoniam trium horarum spatio oravit.

Beatus Paulus potenter admodum impugnatus: *Datus est mihi*, ait, *stimulus carnis meæ, angelus satanæ, qui me colaphizet.* a Vehemens fuit hæc tentatio & perquam molesta. *Propter quod ter Dominum rogavi, ut discederet à me.* b Perinde si æger medicum roget: Domine Doctor, nimium quantum naturæ meæ hoc pharmacum adversatur; nimis urit hoc malagma, tolle illud, obsecro. O Paule, tametsi tuum medicum ter c atque sæpius rogaveris, hoc medicamentum est exhauriendum; hoc urens caraplasma tam citò non amovendum. Hoc enim tuus tibi medicus respondet: *Sufficit tibi gratia mea.* d Nil ultra poscat ægrotus, quàm ut sibi faveat hic medicus. Facilè superatur omnis tentatio, si auxilium non desit è cælo; neque enim difficilis est victoria, ubi subvenit divina gratia. Deinde *virtus in infirmitate perficitur.* e In te quidem, ô homo, es debilis, sed in tuo adjutore fortis. Si conqueratur figulus, dicatque: Cur mihi semper, non nisi lutum calcandum & tractandum? Accommodè illi responderis: Mi magister figulus es, non aurifex, lutum tibi tractandum, non aurum, à luto tibi petendus panis non à metallorum rege; ita prorsus tentatio & infirmitas patientiæ, fortitudinis, temperantiæ materia; *in infirmitate perficitur virtus.* Homo debilitatis viribus & effæto corpore, si sapit, sobriam valetudinis curam gerit, sibique sollicitus attendit, ne per os admittat ullum hostium, non gulæ studet propitiandæ, sed vitæ propagandæ: Ita multos sepelit robustorum. Nam homo robustus obvia quæque vorat; quidquid sapit, hoc per os immittit, noceat an conducat, id ille non pensi habet, dummodò quod glutit, quod haurit, sapiat. Tales plerumque non sunt diuturnæ sanitatis & vitæ: ita virtuti plurimùm opitulatur infirmitatem, miserias, vitiositatem suam agnoscere. Hieronymus ad Ctesiphontem: *Hæc una*, inquit, *præsentis vitæ perfectio est, ut te imperfectum agnoscas; tibi penitus diffidas, in Dei bonitatem ac potentiam spem omnem transferas. Virtus in infirmitate perficitur.* Ubi Dei gratia, ibi tentationum victoria; gratiam autem impetramus precando.

In quo consistat patientis virtus perfectio.

§. III.

Prov. cap. 1. vers. 17.

SAlomon sapientem hanc cautelam in tentationibus necessariam persuasurus: *Frustra*, inquit, *jacitur rete ante oculos pennatorum.* Perinde si dixerit. Tu meis monitis eruditus laqueos, retia, insidias, quas tibi hostes diversi struent, facilè vitabis: nam eorum technas retexi, pedicas ostendi, quæ incassum explicantur, cùm eas vident aviculæ. Nam

Quæ nimis apparent retia vitat avis.

In tentationibus animus per precationes ad Deum erigendus.

Tu igitur simul atque tentationum laqueos conspexeris, præsidium cape ab alis, & avola, animum per precationes ad Deum erige. Diabolus auceps astutissimus nusquam non pandit sua retia; si nos pennati simus, & ad cælum orando evolemus hiantem sine prædâ aucupem ridebimus. At nos pullastri malè plumati, aviculæ nondum alatæ orationes longas texere non nostrum esse ducimus. Sit istud. Cùm igitur miluus esuriens oberravit, mox sub matris alas acceleremus, & ingeminemus has saltem precatiunculas brevissimas: *Domine* Jesv, *miserere mei, & dirige me.* Aut solùm, *Domine* Jesv, *dirige me.* Aut istud tantùm: *Domine* Jesv. Ardens ejusmodi clamor in tentatione omni facilè servabit. Beato Paulo teste: *Omnis, quicunque invocaverit nomen Domini, salvus erit. Discedat ab iniquitate omnis, qui nominat nomen Domini.* Licebit quotidie primo mane cum Christo amicissimè ita pacisci: Domine, quotiescunque hac die dixero, aut corde solo suspiravero (Domine Jesv) hoc à me dictum, hoc à te intellectum volo; ita non solùm tentationes vincere, sed etiam amoris actus & promerita poterimus augere. Sola in his adeò modicis & facilibus constantia desideratur. Sæpissime quidem talia incipimus, sed pauli pòst negligentiâ vel tædio victi, desinimus incepta; ii idem, qui fuimus, manemus.

Rom. c. 10. vers. 13. 2. Tim. c. 2. vers. 19.

Joannis Avilæ dictum est: *Tentatio ad te, tu verò ad Deum.* Hanc ipsam ob causssam plurimas tentationes immittit Deus, ut nos trahat ad se.

Gemini scriptores narrant, hominem inter delicias educatum in Cisterciensem familiam transisse. Hic religiosam mensam minimè lautam pæne omnem, præcipuè coctum cicer & confusaneum hordeaceum panem valde aversatus, paullatim cœpit moliri fugam. Tentatio gravis: nam aut esurire cogebatur, aut gulam offendere. Christus igitur sub quietis tempus spectabilem ei se præbuit, & panem porrigens dixit: Comede. Non possum, ait tiro, nec enim assuevi huic edulio. At cælestis medicus diductâ veste in lateris sui vulnere panem nauseatum tingens: Nunc, ait, comede. At ille jam magis aversari cruentum, & deprecari tam ingratam bucceam. Cui minaci vultu Dominus: Vel gusta tantùm. Gustavit, & esse censuit non secundarium panem, sed panis florem, & delicias mellitissimas. Disparuit Christus, & unà vitiosum gulæ fastidium. Tentatio si primâ fronte spectetur, hordeaceus, secalicius, avenaceus, ater, furfurosus, durus, sordidus panis est; ingratus sanè bolus, qui siccis hæret faucibus ægrè admodum glutiendus. Sed obsecro, mi Christiane, quidquid ejusmodi acerbioris edulii est, cruento latere Christi crucifixi merge, dic animo: *Domine* Jesv, *dirige me, tuere me, protege me.* Revera tentatio nulla quantumvis valida non tolerabilis & facilis superatu redditur, liquore tam pretioso tincta. Ora, & vincis. Subinde duplex inficit venenum, quod & frigore & calore pugnat, huic duplicatum etiam alexipharmacum opponendum, quod & frigus retundat & calorem. Adversus tentationes omnes primaria duo sunt remedia, *Oratio*, & *Patientia*; hæc refrigerat, accendit illa, & inflammat. Ad orationem Bernardus excitans: *Quoties ergo*, inquit, *gravissima cernitur urgere tentatio, & tribulatio vehemens imminere, invoca custodem tuum, doctorem tuum, adjutorem tuum in opportunitatibus, in tribulatione. Inclama eum, & dic*, Domine salva nos, perimus. * *Non dormit, neque dormitat, etsi ad tempus dissimulet: ne fortè periculosiùs ab illius te manibus ipse præcipites, sit te ea ignoraveris sustentatum. Quapropter rogo vos, fratres, ut semper ad manum habeatis tutissimum orationis refugium.* Romani, ut vetus ferebat verbum, sedendo vincunt; Christiani vincunt orando.

Cæsarius Heisterbacensis lib. 4. hist. mem. c. 80. mihi pag. 235. & Thomas Cantipratanus Mirac. mem. lib. 2. c. 57. n. 26. mihi p. 465.

Adversus tentationes duo sunt primaria remedia; Oratio, & Patientia. Bernard. serm. 12. in ps. Qui habitat, circa finem sermonis, mihi pag. 713. & serm. 5. in Quadrag. de triplici modo orationis, mihi pag. 148.

* Matt. c. 8. vers. 25.

CAPVT IV.

Quartus resistendi modus, REPVGNARE.

15. Diabolus quosdam, quod orsi sumus dicere, tam speciosè fallit, ut ii potiùs jejunium ab Ecclesiâ præceptum violent, quàm ut ea, quæ ipsi sibimet injunxerint, non servent. Idem in aliis plurimis fit: quod præcipitur, negligimus, & nova ipsimet nobis præcepta cudimus, quæ observamus. Nimirum, nitimur in vetitum, cupimúsque negata. 16. Deinde cacodæmon Orbem universum vanis suspicionibus & temerariis judiciis in perniciem dat, & quod longè pessimum, pauci notant tam blandos in exitium expulsus, alter alterius, ut putant, cor inspicit, quod ipse diabolus nequit. 17. Diabolus ad tentationis escam semper loquentem digitum

Decimum quintum diaboli ad impugnandum artificium.

Decimum sextum.

Decimum septimum.

digitum intendit; aut enim aliorum vitia commonstrat, hinc temerarium multiplex judicium; aut aliorum facultates & opes ostendit, hinc cupiditas & invidentia: ita omnis pax animi turbatur, hinc illa, inquies, quæ nec precari, nec ferè aliud fructuosi agere permittit.

Decimum octavum. Quod diabolus mille modis conficit. 18. Vexator hominum iis, qui nimiùm sui juris sententiæque, qui sui sensûs & cerebri sunt, persuadet, ut aliorum consilia exquirant: scit enim jam ante consiliis eos non obtemperaturos; ut ita tantò magis peccent, & minùs sint excusabiles.

Decimum nonum. 19. Multis contrà dissuadet aliorum consilia petere, idque artificiosè prorsus his argumentis planum facit: si consiliis sit opus, cum Deo inter precationes age, *Tob. cap. 4. vers. 20.* *& pete ab eo, ut vias tuas dirigat, & omnia consilia tua, in ipso permaneant, & ipse diriget consilium tuum.* Quid hac in re *Eccli. c. 39. vers. 10.* potissimùm expediat, tu omnium optimè intelligis; tu scis, quâ te parte urat calceus; alius id scire nequit. Plerumque multa interrogare, est multum errare; & iste quidem consultus album, ille atrum suadebit. Quisque sibi optimus est consiliarius. Atque hæc tam periculosa, quàm communis & artificiosa est tentatio. Cùm res ad vivum resecatur, mera hîc delitescit superbia. In omnem se formam induit Avernalis iste Proteus. Quod eruditè *Ambr. to. 4. l. 1. de Cain & Abel, c. 5. mihi p. 117.* ac verè prænonet Ambrosius: *Oculos delectat, demulcet aures, sed mentem inquinat; multa mentitur, falsa adjungit, vera subducit, spondet pecuniam, aurum offert, sed aufert disciplinam. Tu autem accipe potiùs disciplinam quàm pecuniam, & scientiam super aurum probatum.* Resiste diabolo. De Resistendi modis cœpimus disserere. Primo loco diximus, Vigilandum: Altero, Principiis obstandum; Tertio, Orandum: Hoc capite sequitur, Impugnanti repugnandum, de quo nunc plura.

4. Contra tentationes mu. timentum, Impugnanti repugnandum.

§. I.

Jac. c. 4. v. 7. DIscipulus Domini Jacobus validè hortatur: *Resistite diabolo, & fugiet à vobis.* Publicus hostis tyrannidi vos suæ conatur subdere per vestrâsmet cupiditates, at vos viriliter ei resistite, negando consensum, & fugiet à vobis victus, spretus, delusus. *Nam diabolus,* quod Ambrosius notat, *veræ virtuti solet cedere. Et si invidere non desinat, tamen instare formidat, quia frequentiùs refugit triumphari.* Ingentis hoc solatii est tam facilem repugnando victoriam posse obtineri. Homo ebrius & vini vitio furiosus, aut prædo, si quem invadat, certè non illico cedit, atque alter ei obsistit, ità sæpius quò acriorem alterum sentit antagonistam, eò ferociùs insultat. Multò aliter diabolus, qui fugatur & vincitur, cùm ei resistitur. Quo quidem lavernioni, nocturno furi simillimus, qui tacito pede per tenebras pone aliquem inserpit, & subitò manum injicit direpturus præeuntis pallium: quòd si istud vel alligatum sit, vel eo sese cautus ambulator involuerit, ut primo aggressu diripi non possit, mox in pedes sese conjicit, & in tenebras abdit: ita diabolus, ubi animosè resistentem sentit, fugam capessit. Sed dicas: Una subinde tentatio, unius hominis viginti aut triginta & pluribus durat annis. Resistitur huic inimico, sed non fugit. Ajo illum fugere, sed mox redire, uti musca iterum iterúmque ac denuo abacta, identidem redit. Atque hoc hominis certantis promeritum supra modum auget, cùm cacodæmon vel uno die centies sæpiúsque redintegratis semper actibus abigitur superatus. Sed ille tam impudens est ut toties victus, toties fugatus, usque tamen & usque redeat.

Ambr. to. 5. l. 4. in c. 4. Lucæ, mihi pag. 51.

Diabolus fugatur, cum ei resistitur.

Similis est furi nocturno:

Vulpi. Nec rarò facit avernalis bellua, quod animantium astutissimæ solent. Vulpes, ut gallinas fallat, se mortuam simulat. Cùm enim simplices illæ aves accedunt propiùs visuræ, num jaceat hostis mortuus, tunc vulpes velut rediviva prædam vicinam arripit, & gulæ suæ sacrificat: ita diabolus simulat se victum cedere, mox adest subitò & securum pugnæ inuncat. Resiste igitur & repugna, de pelle tuâ, imò de animâ tua agitur. Defende te, & gladium, si sapis, nunquam depone; famelica è tartaro vulpes viatores ad cælum repentinis insultibus audacissimè invadit.

Anno Christiano millesimo sexcentesimo trigesimo secundo, in Helvetiâ circa urbem Lucernam eò fames adegit vulpes, ut eæ viatores luporum instar sint aggressæ. Non facilè auditum. Vir procerus cum harum unâ ad horam dimidiam non sine suo vulnere pugnavit, dum eam denique confecerit. Longioris ævi & memoriæ viri narrant ejusce modi ostenta olim geminis suorum præliis præluisse. Astutissima ex Acheronte vulpes obvios quosque viatores invadit. Tu vulpi Acheronticæ adversarium te gere, & vicisti; resiste & fugasti.

Quo ille pro sequela dissens.

Sed dicas denuo: Tot jam annis restiti, sed necdum fugavi. Quot quæso, numeras annos? Forsan viginti, dices, aut triginta? Quid omnes isti? Quasi media hora. Cum Joanne canit Ecclesia: *Factum est silentium in cielo quasi mediâ horâ,* dum draco committeret bellum. Quot- *Apoc. cap. 8. vers. 1.* quot nos annis impugnet præcipitatus aliger draco, tametsi quinquaginta vel sexaginta, vel pluribus hæc pugna duret, quasi mediâ horulâ durasse arbitrandum. Quidquid temporis est, breve est, nihil enim longum nihil diuturnum, nisi quod æternum. *Perpende,* ait Chrysostomus, *si potes, labores & merita, sudores & præmia, cursus & regna. Exiguum sentis, sed immensum est quod mereris, modicum pateris, sed æternum est, quod regnabis. Quamvis voluptas magna sit, Deo juvante, currere, & Christo comite pergere, & favente Domino festinare.* Quantumcunque igitur prolixa videatur tentatio, quasi media horula, momentum est paullò productius, atra nubes est, celerrimè transvolatura. Tu modò resiste, & brevi cernes fugitivum hostem.

Quotquot nos annis impugnet diabolus quasi mediâ horâ durasse arbitrandum est. *Chrys. to. 4. ser. de Vita, Spe, Charitate, mihi pag. 612.*

§. II.

ÆNeas Sylvius memoriæ prodidit, Ungarorum quosdam in Sigismundum Cæsarem non bona coxisse consilia, sed & armatos irrupisse in palatinas ædes, ut Imperatorem, quem sibi destinârant hostem, vel vivum caperent, vel perimerent. At Sigismundus infracto animo strictóque pugione se illis præbens obvium: Ecquis vestrûm, ait, injiciet in me manus? Vos regem vestrum interficere? Si cui animus est mecum solo congrediatur. At conjurati tantâ vocis animique constantiâ territi, quâ data porta diffugerunt. Diabolus ejúsque socii apostatæ potentes spiritus sunt, callidiores ac celeriores nobis vel millies; quòd si eorum impetu conterriti cedamus, nósque illis dedamus victos, leones sunt; quòd si magnâ in Deum fiduciâ resistamus, & pro cælo propugnemus, lepores sunt, & victi diffugiunt. Adversùs pavidos leones istos Bernardus animum addens: *Videte,* inquit, *quàm debilis est hostis noster, qui non vincit nisi volentem. Potest inimicus excitare tentationis motum, sed in te est, si volueris, dare vel negare consensum. In tuâ facultate est, si volueris, inimicum tuum facere servum tuum, ut omnia tibi cooperentur in bonum. Ecce enim inflammat inimicus desiderium cibi, vanitatis aut impatientiæ cogitationes ingerit, aut excitat libidinis motum: tu solummodò ne consenseris; & quoties restiteris, toties coronaberis; sed & in ipso certamine, si viriliter resistimus, quædam pia tranquillitas de conscientiâ bonâ nascitur. Credo etiam si cogitationes istas, quàm citò in nobis advertimus, non patimur remorari, sed in spiritu vehementi animus adversùs illas excitatur, quoniam inimicus confusus abscedet à nobis, nec tam libenter illico revertetur.* Ergo rugientem hunc leonem neutiquam formidemus. *Nam,* eodem Bernardo teste, *rugire potest, ferire non potest. Rugiet, quantum vult, tantùm non fugiat ovis Christi. Quanta minatur, quanta exaggerat, quanta intentat? Non sinus * Ayunt nullam bestia, ut nos prosternat vacuus ille rugitus. * Verè bestia, vere rationis expers, qui tam pusillanimis est, ut solo timore cedat, qui solâ futuri exaggeratione laboris victus, ante conflictum non telo, sed tubâ prosternitur. Nondum resistis usque ad san-* *Bern. to. 1. serm. 1. in Quadrag. mihi p. 148.*

Bernard. to. 1. ps. 90. Sua habitat, ser. 12. mihi pag. 716.

Ayunt nullam bestiarum ad rugitum leonis stare posse. Bern. ibid.

guinem,

guinem, ait strenuus ille dux, qui leonis hujus noverat vanum esse rugitum. Si quis in militiam profecturus, se victorem, siquidem vellet, certò rediturum sciret, quàm hilariter & animosè ad arma convolaret. Hoc bellum adversus dæmonem prorsus tale est. Serium ac cordatum NOLO vel unicum parit victoriam. Exempli gratiâ. Diabolus blandè adrepens: En, inquit, occasio invitat commodissima; utere illâ & fruere. Ad hanc diaboli tentationem si tentatus vel unùm hoc dixerit: *Nolo:* Jam omnis jugulata est tentatio. Sed adest iterum ex orco vulpes, &: En, ait, præsentem monetam; ostende tibi manus esse, & fac tuam: mortalium nemo resciet. Si respondeo, *Nolo,* jam expiravit tentatio. Recurrit, & suadens: En locum, inquit, peropportunum, en formam ad tuos nutus facilè persuadendam. Aude. Non opportunior esse potest ipsa opportunitas. Indulge aliquid tibi. Tu verò si serius dixeris: *Nolo,* jam tota concidit hæc machina. Sed redit musca stygia, & insusurrans: En, ait, ipsissimum inimici ulciscendi tempus; cave id neglexeris. Si tu porrò dicas: Injuriam ulcisci nolo; Jam superatus est diabolus; tormentum in te paravit bellicum, sed pulvere tormentario vacuum. Verùm Orcinianus impostor denuo adest, & hortatur: permitte aliquid genio, delectare iis, quibus pasceris, perfruere bonis. Si tu iterum constanter tuum illud reperas, *Nolo:* jam exarmatus, jam victus est, fugiet. Resiste tantùm, & cedet.

Serium & cordatum NOLO patit victoriam contra dæmonem.

Beatus Hieronymus larvata illa tentatoris verba expendens: *Mitte te deorsum:* suadere potest, ait, ut teipsum dejicias, at verò neutiquam præcipitare, sed nec impellere te potest in ruinam. Imò in pleriſque, si seriò agamus, jocabimur cum dæmone. Opportunum erit generoso irriſu dicere illi: Tu te deorsum, ad inferos mitte; jam viam illuc nosti: Ego me mittere nolo; præcipitium tam formidandum horreo.

Dæmon suadere potest ut quisque se dejiciat, sed non præcipitet.

Historiæ veteris est, hominem religiosum à diabolo acerrimè impugnatum. Hic spiritalem magistrũ adiens: Ego, inquit, mi Pater, dies noctésque horrendè vexor à diabolo. Hic assiduè suggerit importunissimus suasor: Tu tuis ipse miseriis impone finem; quid tamdiu te torques? Si vis, descendere potes ex hoc patibulo; en cultrum, en laqueum, en præcipitium. Hæc assiduus suadet. Cui spiritalis Pater: Mi fili, ait, neutiquam his consiliis opus est. Tu diabolo id unicum responde, *Nolo.* Atque post octiduum de successu rei me redde certiorem. Obsecutus est recta suadenti, & brevi omnis tentatio evanuit. Superbissimus hostis ferre non potest sua consilia detegi, se sperni. Ergo *resistite diabolo, & fugiet.*

§. III.

Apoc. c. 20. v. 1. & 2.

MYsteriorum scriptor Joannes: *Et vidi Angelum,* inquit, *descendentem de cælo, habentem clavem abyssi, & catenam magnam in manu suâ. Et apprehendit draconem serpentem antiquum, qui est diabolus & satanas, & ligavit eum per annos mille.* * Cùm Christus expiraret in cruce, hic inferorum prætor Angelus ligavit Luciferum catenâ stricti imperii divini, ne vel inde egredi, vel per suos pro libitu nocere posset. Quomodo autem ligatus est, cùm ubique tot malorum concitor, tot centenis millibus tam graviter noceat? Respondemus nocere illum non posse nisi otiosis, negligentibus, ignavis, qui nolunt resistere impugnanti. Hic trifaux Cerberus latrare potest, sollicitare potest, mordere sanè non potest nisi volentem. Si lupus aut molossus, aut ursus catenis vinciatur, pueri etiam puellæque illudentes vinctum temere lacessunt, & joco dicunt: pande os bestia. Pandenti pro pane lutum aut lapillum injiciunt. Ita qui diabolo resistere non recusat, securè illi insultat. Vinctus est avernalis lupus; & vincere illum & illudere potes. Augustinus illud carminis sacri explicans: *Draco hic, quem finxisti ad illudendum*

* Per mille annos, hoc est per longum & totum illud tempus, quo Christus hîc in Ecclesiâ militante regnaturus est.

Aug. tom. 8. in psal. 103. vers. 26. mihi p. 497.

A *ei. Iam tu,* inquit, *illude draconi: ad hoc enim hic factus est draco. Regnum ejus, quod putas, carcer ejus est. Multi enim dicunt: Quare tantam potestatem diabolus accepit, ut dominetur in hoc sæculo, & tantum valeat, & tantum possit, quantum valet, & quantum potest?* Ligatum facilè vinces. *Alligatio diaboli,* ait idem Augustinus, *est non permitti exercere totam tentationem quam potest, vel vi vel dolo ad seducendos, in partem suam cogendo volenter fraudulenterque fallendo. Quod ne faceret alligatus est.* Hunc draconem alligatum illude; exprobra illi & dic: Spiritus miserabilissime, qui aliquando cæli princeps eras, nunc lutum tractas & fimum, sordidissima quæque ac fœdissima suggerendo. Eras olim Angelorum summus, nunc erro es circumforaneus, qui radiculas falsas & ampullas mendaciis plenas oggeris emptoribus. Hæc tua sunt artificia, diabolus verè pauperrimus es. Ita illudendus draco stygius.

Regnum diaboli carcer ejus est. *Aug. tom. 5. lib. 20. de Civit. c. 28. mihi p. 261.*

Antonius Magnus, cùm eum diaboli varias bestiarum formas induti cingerent; cùm alii leonum, alii tigridum, pardorum & taurorum, alii larvas gererent, ut Antonium terrerent, veluti cum jamjam laceraturi. At ille impavidus: O miseri, ait, si quid habueretis virium adversùs me, satis esset vel vestrûm unicus: nunc verò tot & tanti hominem unicum invaditis, quid opus apparatu tanto? En adsum, si permissum vobis, lacerate me: si negatum, frustra est rabies vestra. Ergò quod Paulus ait, *Deo gratias, qui dedit nobis victoriam per Dominum nostrum* IESVM *Christum.* Quocirca *resistite diabolo & fugiet à vobis.* Sed quomodo resistendum? Diversè: & hoc artis est, præsertim duplicis.

B

1. Cor. c. 15. vers. 57. Iac. c. 4. v. 8.

Duplex ars ad resistendum diabolo:

Sunt vitia quædam molesta, tædiosa, amaroris plena, ut est ira, odium, invidia, rixa, impatientia, vindicta, merum merissimum absinthium. Sed sunt & alia vitia, aut vitiis valde affinia, quæ voluptatis aliquid habent; ut sunt esse, bibere, nugari, ludere, fabulari, choreas ducere, lascivire, libidini parere: ita duplicis generis tentationes sunt, quæ ad illa & ad ista vitia invitant. Quemadmodum verò militiæ diversi generis milites sunt: alii quos manipulares & legionarios, alii quos extemporales & subitarios appelles: illi cum suâ quisque armaturâ, cum fistulis æneis aut hastis præpilatis in hostem eunt; isti è paganâ plebe, rustici, stipitibus duris sudibúsque præustis armati milites quandoque subitarii sunt; his certè aliter longè, quàm prioribus resistendum, alia iis opponenda sunt arma. Ita hîc prorsus: tentationes primi generis ad iram, odium, invidiam, & si quæ talia monstra, congressu & conflictu, pugnando & luctando sunt superanda. Sic & iracundum sibi quis statuat ante oculos, & unà expendat, quàm fœdum & nocivum sit vitium, velut insanum è vinculis erumpentem furere, in obvios quosque grassari, fel & ignem vomere, pœnitenda loqui &c. Imò ut Cassianus, Bonaventura, Climacus docent, bonus athleta se subinde in conspectum hosti det, atque cum eo congrediatur. Dicat mihi. En altercator hic est, cui Mars semper in linguâ, qui neminem amiciùs affari soleat: congrediar cum eo, sed verbis quàm potero mitissimis ac suavissimis, melle ac saccharo sparsis: ita me Deus juvet, rabiem illius expugnabo: si æquè velim ac ipse tumultuari & furere, iræ ignes auxero non sopivero. Ita & alius: Scio, dixerit, tam venalem esse invidiam in aulis, quàm lolium in agris. Sed istud me non terrebit; invidiam perferam, non inferam; sustinebo illam, non exercebo. Idem de aliis est judicium. Atque hoc est cum hoste pedem conferre, & manus conserere.

1. Est Pugna.

Aliæ tentationes sunt viscosæ, piceæ, solâ fugâ vincendæ. Quod beatus Paulus docet: *Fugite fornicationem.* Adversus bellica tormenta securissimus murus est procul abesse. Ita hîc, procul ò procul, quidquid Venerem olet & cupidinem. Occasiones omnes vitandæ, aures & oculi claudendi, cogitationes impuræ statim, ut se produnt, eliminandæ.

2. Fuga. *1. Cor. c. 6. vers. 18.*

Quæstio inter religiosos D. Franciscí: Quomodo tentationibus resistendum.

Inter religiosos viros è Divi Francisci familiâ quæstio fuit nata, Quomodo tentationibus sit resistendum. Diversi diversa. F. Ruffinus sententiam rogatus: Ego, inquit, humi me abjicio, & Deum oro, nec priùs ab oratione surgo, dum solatii aliquid & præsidii obtineo. F. Simon: Ego, ajebat, confidero, quàm fœdum & abominandum sit vitium, quod lucem fugit, & modis omnibus absconditur, quod coram Deo, & Angelis Dei, quod coram Orbe universo pudori est. F. Juniperus, Cùm sentio, inquit, incursionem hostilem, mox portas claudo, & pii aliquid cogitare incipio; hæ meæ sunt excubiæ. Si acrior insistat hostis, & fores minetur effringere, ego vi aliâ non utor, hoc unum proclamo: Abi, cum tuis, miser, abi: jam prævenerunt alii; huic perditissimæ inferorum fœci ostium non pando, ingressum non permitto. Ita risu & pudore obrutus cedit. Ad quæ F. Ægidius: Cum isto, ait, sentio. Optimum est ejuscemodi cogitationibus omnem aditum obserare, aut ingressas quàm primùm ejicere. Non est cum illis disputandum, nec blandientibus respondendum. Expelle, si vis vincere. Fuge fornicationem, & quidquid piceatam ejuscemodi oblectationem habet, fuge, fuge. Alia verò vitia cùm impugnant congressu & conflictu superanda sunt. Hîc resistendum diabolo. Sic partim fugâ, partim pugnâ comparandus est triumphus.

CAPVT V.

Quintus resistendi modus,

FIDVCIAM OMNEM IN DEO COLLOCARE.

Vigesimus diaboli ad impugnandum artificium.

VTi cœpimus, ita diversa diaboli vaframenta ad numeros revocare pergimus. 20. Diabolus ebriis nescio, quas scintillas pietatis immittit, & suavissimos de divinis sensus ad ipsas usque lacrymas. O dulces lacrymas, sed non Christi! Hinc illis ebriositas tam devota non est odio. 21. Plurimos fallit & irretit diabolus, quos tam exsuccos, aridos, omni solatio destitutos reddit, ut sint velut terra Samariæ triennio & semestri nullis pluviis rigata. Hinc pessimæ voces illæ: Deseruit me Deus: ergo meum erit obsequium, prout est salarium. 22. Satanas tam artificiosus est ocularius faber, ut quod videtur per specilla, longè aliud videatur esse quàm sit. Exempli gratiâ. Est qui de aliis amarulento affectu nocendique animo loquatur pessima quæque, nihilominus faber ille artificiosissimus ea ipsius naso conspicilia infigit, ut improbus obtrectator hæc in gratiam veritatis à se dicta, nec malum esse credat sciri talia. Quemadmodum verò diabolus istum decipit, ut sibi persuadeat se neutiquam perversè loqui, ita fallit alium, ut existimet se non vitiosè tacere, quæ forent dicenda. Omnia laqueis obducta. Ergo adversus hunc restionem & impostorem Vigilandum, Principiis obstandum, Orandum, & ei Repugnandum, ut diximus. Hoc porrò capite quintus resistendi modus explanandus, Fiduciam omnem in Deo collocandam.

Vigesimus secundum.

5. Contra tentationes munimentum: Fiducia omnis in Deo collocāda. *Thomas à Kempis l. 1. de Imitat. Christi, c. 13. n. 5.*

§. I.

VErissimè dixit religiosissimus scriptor: *Initium omnium malarum tentationum inconstantia animi, & parva ad Deum confidentia.* Ubi vera in Deum fiducia vacillat, ibi animus & vires satanæ crescunt. Deus olim Israëlis populo edici jussit: *Cùm introduxerit te Dominus Deus tuus in terram, quam possessurus ingrederis, & deleverit gentes multas coràm te, Hethæum & Gergezæum, & Amorrhæum, Chananæum & Pherezæum, & Hevæum, & Iebusæum, septem gentes multò majoris numeri quàm tu es, & robustiores te: tradideritq; eas Dominus Deus tuus tibi, percuties eos usque ad internecionem. Non inibis cum eis fœdus, nec misereberis ea-* *Deut. cap. 7. vers. 1. & seqq.*

A *rum, neque sociabis cum eis conjugia. Quìn potiùs hæc facietis eis: Aras eorum subvertite, & confringite statuas, lucosque succidite, & sculptilia comburite.* At verò Judæi timidissimi contra sic obducere. 1. O Domine, non possunt hæc fieri. Nos pauci sumus, & illis numero nimis quàm impares. Scio, ait Dominus, propterea dixi, Gentes multò majoris numeri. 2. Judæi iterum: Nos peregrini & alienigenæ, hostium medii sumus, & rerum pæne omnium penuriâ laboramus. Scio, ait Dominus, ideo solum peregrinum mutabo in patrium. 3. Sed Judæi denuo: Nos maximam partem inermes telis & machinis, commeatu & ceteris belli præsidiis destituti, quomodo geremus bella? illi plenis gaudent armamentariis, ab annonâ & aliis militiæ adjumentis instructissimi. Scio & hoc, ait Dominus, ego autem sum panoplia tua. 4. At iterum Judæi: Nobis nec unicum quidem propugnaculum est, quo in acie victis liceat refugere. Scit Deus & istud: sed Dominus refugium tuum & firma- B mentum tuum. 5. Nec obloqui cessant: Unde nobis pecunia belli nervus? unde panis militiæ anima? quis sine his ad arma eat? *Noli metuere,* ait Dominus, *devorabit* *Iliad. v. 16.* *omnes populos, quos Deus tuus daturus est tibi. Si dixeris in corde tuo, Plures sunt gentes istæ quàm ego, quomodo potero delere* *Vers. 17.* *eas? Noli metuere, sed recordare, quæ fecerit Dominus Deus tuus* *Vers. 18.* *Pharaoni & cunctis Ægyptiis. Sic faciet cunctis populis, quos* *Vers. 19.* *metuis. Non timebis eos, quia Dominus Deus in medio tui est, &* *21.* *Deus magnus & terribilis: ipse consumet nationes has in con-* *Vers. 22.* *spectu tuo paulatim atque per partes. Non poteris eas delere pariter, ne fortè contra te multiplicentur bestiæ terræ. Dabitq; eos* *Vers. 23.* *Dominus Deus tuus in conspectu tuo, & interficiet illos donec* *penitus deleantur. Tradétque reges eorum in manus tuas, & dis-* *Vers. 24.* *perdes nomina eorum sub cælo: nullus poterit resistere tibi, donec conteras eos.*

Homini Christiano cum septem gentibus: septem capitalibus mortiferis criminibus pugnandum, quæ non Palæstinâ tantùm, sed cælesti patriâ conantur excludere. C Hîc Deus trepidanti: Noli metuere, ait, sed recordare, quomodo tot centena millia beatorum hominum tibi pugnassimillimorum, qui jam cælo potiuntur, à tentationibus dum. omnibus ope divinâ sint eluctati, post tot pugnas demum victores. Dominus Deus tuus in medio tui cordis est, atque necessitates tuas vel millies novit melius quàm tu ipse. Et scies, quia Dominus Deus tuus, ipse est Deus fortis & fidelis. Fide illi: quid timidus es modicæ fidei?

Homini Christiano cum septem capitalibus criminibus

§. II.

ILlud Jobi decantatissimum, utinam & re usurpatissimum *(etiamsi occiderit me, in ipso sperabo)* altos revera sensus tegit vix satis eruendos verbis. Hoc ait: In ipsâ etiam morte jam semimortuus spem certam fovebo, & cum Abrahamo contra spem naturæ, spem gratiæ complectar. Hoc animi sensu Jobus summam Dei clementiam plurimùm commendat. *Job cap. 13. vers. 15.*

Ille à Ponto Romanus exul ut Augusti Cæsaris mitissimum ingenium extolleret, ita cecinit inter lacrymas: D

Sed solet interdum fieri placabile Numen; *Ovid. lib. 2. Tristium v. 141. elegia est nostra, sed longa.*
Nube solet pulsâ candidus ire dies.
Vidi ego pampineis oneratam vitibus ulmum,
Quæ fuerat sævo fulmine tacta Iovis.
Ipse licet sperare vetes, sperabimus: atque
Hoc unum fieri te prohibente potest.
Spes mihi magna subit, cùm te mitissime Cæsar;
Spes mihi, respicio cùm mea facta, cadit.

Sed Jobi fiduciam in Deum multò quàm maximam è Tarsensis Pauli epistolis meliùs eruemus. Paulus fiduciæ plenissimus: *Quis ergo nos,* inquit, *separabit à Charita-* *Rom. cap. 8.* *te Christi? tribulatio? An angustia? An fames? An nuditas? An* *vers. 35.* *periculum? An persecutio? An gladius? &c. Sed in his omnibus &* *seqq.* *superamus propter eum, qui dilexit nos. Certus sum enim, quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque principatus, neque*

que virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare à Charitate Dei. Quæ autem hæc altitudo, quod istud est profundum? Augustinus hîc facem præferens: *Si altitudine*, inquit, *& profundo superna & inferna hujus mundi significantur, quis mihi cælum polliceatur, ut à cæli fabricatore sejungar? Aut quis terreat infernus, ut Deum deseram, quem si nunquam deseruissem, inferna nescirem.* Si ergo alterutrum eligendum, aut conceptæ in Deum fiduciæ, aut cælo renuntiandum, ego potiùs cælo excidam, quàm fiduciâ. Pari modo, si aut ad inferos detrudendus sim, aut fiduciâ spoliandus, malim ego ad inferos detrudi, quàm fiduciâ spoliari.

Aug. tom. 1. lib. de morib. Eccles. Cathol. c. 13. pag. 323.

Atque hoc est in mediâ morte imò post ipsam mortem Deo fidere. Sperabo in eum, etiamsi occideret me. Hanc fiduciam in Deum ad inferos mecum asportabo. Sed dixeris: Pæne ridiculum est malle cælo excludi, quàm spe. Ad ista rex David respondens: *Neque irridеant me*, inquit, *inimici mei: etenim universi, qui sustinent te, non confundentur.* Qui suam omnem fiduciam constanter inædificant Deo, ædificium struunt non ruiturum unquam, auxilium, quod sperant, certissimò impetrabunt. Auxiliis & favoribus humanis nihil incertius & inconstantius. Spem magnam miseris modis sæpissime fallunt & illudunt. Hinc vetus verbum: Corvum deludet hiantem. Ita Coranus socerum Nasicam, qui hæredem se Corani fore speraverat, insigniter elusit, quod vates Venusinus canit:

Psalm. 24. v. 2. & 3.

Qui suam fiduciam constanter in Deo collocant, auxilium impetrabunt.

——— forti nubit procera Corano
Filia Nasicæ, metuentis reddere soldam,
Tum gener hoc faciet; tabulas socero dabit, atque
Ut legat, orabit. Multum Nasica negatas
Accipiet tandem, & tacitis leget, inveniétque
Nil sibi legatum, præter plorare ———
Captatórque dedit risus Nasica Corano.

Nasica socordiam & improbitatem taxat, qui nihil integrè agat ex fide mandatæ. Horat. lib. 2. Serm. sat. 5.

Ita spes humanæ præsidiis humanis nixæ, cùm minimè putes, collabascunt. Qui subsidiis nititur divinis, qui Deo fidit, non metuat, fallatur: *Etenim universi, qui sustinent illum, non confundentur.* Non deludet hiantem corvum Rex cæli, qui etiam corvorum pullis suam submittit escam. *Scitote*, ait Siracides, *quia nullus speravit in Domino, & confusus est.* Ergo *qui timetis Dominum, credite illi, & non evacuabitur merces vestra. Qui timetis Dominum, sperate in illum, & in oblectationem veniet vobis misericordia.*

Psal. 24. v. 3.

Eccli. cap. 2. v. 11. Ibid. vers. 8. & 9.

Quanti nihilominus sunt, qui Dominum non sustinent, qui non credunt Deo, nec sperant in eum. Est virgo vel nupta paupercula, quæ tamen videri talis non vult; ut igitur sibi alimoniam paret, obsequiis Veneris se mancipat & profitetur impudicitiam. Non sustinet Dominum. Est alius, qui victu gaudet commodo, sed malè parto. Ille tamen malos quæstus neutiquam aversatus: Si velim, inquit, quadram ungere, hoc lucrum non debeo spernere. Non sustinet Dominum. Quàm multi necessitate aliquâ vel tentatione graviori urgente ad remedia properantes non concessa: Nihil agimus, ajunt, nisi sic agamus. Nec isti sustinent Dominum. Quàm multi qui opimis inhiant donariis, dicunt & scribunt nec dicenda, nec scribenda. Planè hiantes corui. Sed hos deludet Deus; inanissimâ spe suâ frustrabuntur, votis excident, vacui redibunt piscatores, quia non sustinuerunt Dominum. *Vniversi* autem, *qui sustinent illum, non confundentur.*

Psal. 24. v. 3.

Narrat hoc Leonard. Lessius in silvâ moral. mihi pag. 250. Eodem Psal.

Fuit, qui plurimum auri expenderet in largitiones, obtinendo, quod ambierat, officio. Sed pisces & hamum & escam simul rapuerunt. Ita ille pecuniam perdidit, & officium non acquisivit. *Confundantur omnes iniqua agentes supervacuè.* Curio vitiosus famulam domi aluerat non bonæ famæ. Huic episcopus graviter præcepit, aut feminam domo exigeret, aut curiam melioti cederet. At parochus planè fatuus: Ego, ajebat, pa-

ræciâ potiùs carebo, quàm feminâ. Et illam & istam perdidit: Nam mulier in rem suam cata, cùm cerneret frigere jam nimiùm culinam, ultro aufugit. Confusus est iniqua agens supervacuè. Hoc prorsus est inter geminum sedile humi corruere. Sunt innumeri, qui peccent, ut cupiditati suæ satisfaciant oblectatione peccati. Atque hinc quietis aliquid sperant, & suavioris pausæ. Errant gravissimè. Cupiditates namque tantò irritatiores fiunt, & vehementiores, quò plus eis indulgetur; uti purulenta scabies, quò magis fricatur, magis exasperatur. Confunditur iniqua agens supervacuè. Hæc omnium noxarum labes est, fallere, contaminare, hiantes corvos deludere, in præcipitium dare. At verò spes omnis & fiducia in Deum nunquam indotata, nunquam sine munere dimittitur. Ad hanc in Deum fiduciam tria sunt potissimùm, quæ humanam mentem erigant.

A

Ad fiduciâ in Deum tria mentem humanam erigunt:

§. III.

B

PRimum: Deus nos oculo pervigili & insopito indesinenter aspicit; tum verò quàm maximè præsentem se spectatorem exhibet, cùm in tentationibus luctamur & resistimus. Neque otiosus est spectator, quales sunt, qui pomeridianum palæstræ spectaculum sestertio emunt, qui pugili seu palæstritæ succumbenti subvenire non possunt; contundi eum & vulnerari, vinci & solo affligi sinunt: & hoc illis videre volupe est. Non ita Deus. Sed, quod Hanani vates regi Asa ingerit: *Oculi Domini contemplantur universam terram, & præbent fortitudinem his, qui corde perfecto credunt in eum. Quia habuisti fiduciam in rege Syriæ, & non in Domino Deo tuo, idcirco evasit Syriæ regis exercitus de manu tuâ.* Deus athletas suos, dum spectat, juvat.

1. Deus nos oculo pervigili & insopito aspicit.

2. Paral. cap. 16. v. 9. Ibid. v. 7.

Alterum: De Dei honore, non solùm de nostrâ salute agitur, cùm tentamus. Quod Basilius firmans: Diaboli odium, inquit, & insaturabilis furor adversus homines tum imprimis ac præcipuè contra Deum sævit. Deus illum præcipitavit cælo. Sed quia is Deo nocere non potest, omnem iram effundit in hominem Dei effigiem. Hæc iræ indoles est: cùm iracundus illum, quem odio Vatiniano insequitur, non potest lædere, detractam alicunde illius imaginem pungit, eradit, lacerat, conculcat. Perinde si dicat: Ita ipsum hominem tractarem, si eo potiri possem. Ipsius igitur effigies luat, quæ non luit tergum. Haud aliter diabolus: Mea, inquit, indignatio, cùm maximè adversùs Deum est: sed quia ille nimiùm à me remotus est, huc adsis tu homo; ejus imago es, te conspuam, in te tantùm ejaculabor sagittas, cùm primarium hostem meum ferire non possim.

C

2. De Dei honore nō solùm de nostrâ salute agitur, cùm tentamur.

Quando igitur in tentatione non nostra tantùm salus, sed & Dei honor in discrimen & periculum vocatur, ita resistamus tentatori, ut non nostram tantummodo salutem, sed & Dei honorem propugnemus acerrimè. Hinc potiùs vel centies moriendum, quam vel semel tentationi consentiendum, ne honor Dei nostrâ ignaviâ violetur.

D

Tertium: Quandoquidem ergo diabolus oppugnando homines, Deum impugnat, ne dubitemus, quidquam de divinis subsidiis; securam in Deo fiduciam locemus, opem is feret certissimam, neque enim jus suum prodet; huic bello, quo diabolus ipsum petit per hominem, eas præstabit suppetias, ut non modò non vincamur, sed victoriam reportemus facilem & lætam. Suæ causæ Deus non deerit. Dominus exercituum sat fortis & potens est protector. Solent Principes & Reges, si famulum fidelem sui causâ in necessitate constitutum videant, non facilè desertum ire. Sic Assuerus rex Mardochæum in extremo discrimine cum suis laborantem, quòd regiæ domui fidis obsequiis serviisset, contra adversarium acerrimum ac potentissimum defendit, Amanum cetera charissimum in odi-

3. Quandoquidem diabolus oppugnando homines, Deum impugnat, non est dubitandum de divinis subsidiis.

tam crucem evehendo præcipitavit. Ita Deus certissimò sui causâ laborantes suis subsidiis non destituet: auxilio suis veniet potentissimus adjutor. Ad ipsius enim honorem præcipuè spectat hoc bellum, quod adversum nos geritur. Ergo fidarius Deo ex toto corde nostro, in omni tentatione nostrâ. *Ps. 24. v. 3.* *Etenim universi, qui sustinent Dominum, non confundentur.* Fiet Dominus refugium pauperi; adjutor in opportunitatibus, in tribulatione. Ergo sperent in te, qui noverunt nomen tuum, quoniam non dereliquisti quærentes te. A magnâ in Deum fiduciâ pendet omnis hæc victoria. Cum Deo audere, principium est victoriæ. Juvante Deo gigantem stygium vel puer sternit. Facta Deo virtus vincit omnia.

CAPUT VI.

Sextus resistendi modus,

TENTATIONUM ORIGINES EXPLORARE.

Diabolus in omnes quas vult formas sese induit.

NEmo unquam potuit tam vero nomine appellari Proteus aut Vertumnus, quàm tentator diabolus. Proteus, seu Vertumnus, ut somniabant prisci, in omnes, quas voluit, formas sese induit. Satanas omni Vertumno, Proteóque omni mutabilior in omnigenam speciem se variat.

Ovid. metamorph. l. 14. propius finem mihi pag. 193.

——— *formas fur aptus in omnes.*

Huic amabilem sese, illi formidabilem; huic formosum, isti deformem, huic blandum, alteri terrificum exhibet; huic dulcem illi acedulam, alii mixtam præbet potiunculam: & durus & mollis est, prout affectum esse novit, eum quem decipere conatur. Huic offert subsidium ad scandendum, illi ad natandum, alii ad volandum, isti ad reptandum. His pennas pavoninas, istis gruum aut struthionum plumas, illis gallinaceorum jubas, aliis upuparum cristas imponit, prout quemque ornatu plumatili scit delectari. Plurimis crumenas saturas, innumeris patinas onustas, cantharos plenos, coronata pocula, quibusdam etiam dulcissimum ingerit suffitum, mutabilior omni Protheo. Ipsa etiam regna pollicetur.

Ambr. tom. 4. lib. 1. de Cain & Abel, cap. 5. mihi p. 117. *Elevat enim*, inquit Ambrosius, *& extollit mentem suasoriis verbis, ostendit omnia terræ regna. Ibi tu cave, ne capiaris præterlabentibus & non manentibus, in quibus magna tentatio est. Tetenderat Christo diabolus primum laqueum gulæ, secundum jactantiæ, tertium ambitionis & avaritiæ.* Tu ergo Vigila, Principiis obsta; Tu Ora & Repugna, Fiduciámque omnem in Deo collоca; de his resistendi modis jam dictum. Addimus sextum: Tentationum origines explora, de quo jam disserendum.

6. Contra tentationes munimentum, Tentationum origines explora. *Exod. cap. 4. v. 2. & 3.*

§. I.

DEus cùm interrogans Mosen: *Quid est*, inquit, *quod tenes in manu tua? Respondit Moses: Virga. Cui Deus iterum: Projice eam in terram. Projecit, & versa est in colubrum, ita ut fugeret Moses.* Hìc quæri potuisset è Mose: Cur tuum ipse scipionem fugis? Respondisset Moses utique: Putabam me baculum gestare manu, sed ut video, coluber est, quem nemo non fugit. Quid esse censetis, ô mortales, res creatas omnes, præcipuè illas, quas Mundus velut aurea idola colit? Quid omnes Mundi voluptates, quid magni nominis amplitudo, & omnes honorum gradus, quid montes aurei & thesauri universi? Humanæ vitæ baculus sunt ista, inquiunt, his fulcimur, his nitimur; absque his vivere supplicium est. Inter vivos numeramus, & à nemine honorari mors est. Inter homines agere, & ab omni delectatione ac voluptate arceri tartarum est. Aurâ vesci, & omni pecuniâ destitui, vivi hominis sepultura est. Pecunia rerum omnium domina cibum, potum, vestitum, domum, cuncta vitæ subsidia suppeditat. Planè baculus vitæ, necessarius tam paci quàm militiæ; ubi non est pecunia, ibi non est vita. Sed, ô boni homines, projicite, obsecro, hunc vitæ baculum in terram, serióque cogitate istud: Cùm nos sepulchrum hauserit, quid pecunia omnis proderit? Jam versa est in colubrum virga, fugite, fugite.

Hìc Epictetus salubre monitum subjiciens: *Unaquæque res*, ait, *duas habet ansas: unam tolerabilem, alteram intolerabilem. Si frater injuriam fecerit, non eâ prehende, quâ facit injuriam, ea enim ejus ansa est intolerabilis. Sed illinc potiùs: esse fratrem, esse unà educatum; Sic prehendes eum, quâ est tolerabilis.* Res sanè quælibet suum, & commodum & incommodum habet. Aurum, voluptas, honor, ceteráque rerum conditarum, duabus apprehendi possunt ansis, tolerabili & intolerabili. Si honorem, aurum, voluptatem consideres solùm ut corporis bonum, ut grande emolumentum, ut suavissimum vitæ præsidium, ut pictum, & elegantissimum baculum, cave, mi Christiane, manus fœdè combures; hæc ansa candens est, non tangenda: si autem illa omnia penitiùs inspicias, ut tentationis materiam & fomentum, quo diabolus incautos agit in ruinam, jam non venustus baculus, sed venenatus coluber videbitur; fugies illum, si sapies. Divinæ paginæ attestantur: *Creaturæ Dei in odium factæ sunt, & in tentationem animabus hominum, & in muscipulam pedibus insipientium.* Cogita, quæso, quisquis es, non istud tantùm; hoc mihi suave, hoc jucundum, hoc volupe, hoc corpori gratissimum est: sed unà etiam cogita, hoc grande animi malum, tentationis fomes, dulce toxicum est, inescat ut occidat.

Epictet. in Enchirid. cap. 8. mihi pag. 17. In singulis rebus consideranda, cujusmodi sunt. *Eccli. cap. 9. v. 20.* *Sap. cap. 14. v. 11.*

Sapiens ille, quem dixi, à Stoâ philosophus: *Singulis in rebus*, inquit, *quæ vel delectant, vel usui serviunt, vel diliguntur, memento considerare, cujusmodi sint, exorsus à minutissimis. Si ollam diligis, te ollam diligere; nam ea confractâ non perturbaberis. Si filiolum aut uxorem; hominem à te diligi: nam eo mortuno non perturbaberis.* Consilium saluberrimum. Ita prorsus, si cereum icunculum, si crystallinum vitrum, si scutellam, porcellanam * ames, memento hunc amorem tuum ictu, allisu, lapsúque unico confringi; ita vestem furto subduci; habitationem & domum charam, incendio consumi, hominum charissimos tam facilè mori, quàm vitrum frangi posse. Hoc igitur cogitatione tibimet depinge: Istud quod delectat, quod diligo, duas habet ansas, una bonum corporis, altera malum animi monstrat; priorem ansam cave tangas; urit: tange alteram, quæ pericula & tentationes prodit. Eò Siracides monet: *Communionem mortis scito: quoniam in medio laqueorum ingredieris.* Ideo cùm tibi spes lucelli affulserit, præcipitantem manum contine, tentatio est, laqueus est. Voluptas blandiens invitat? substringe cupiditatem; meræ fraudes & insidiæ sunt. Arridens honor titillat? cautissimus incede, & muscipulam cave.

* De primo Ioanne Gonda P. meo item 3. Moralium, tit. 2. mihi pag. 141.

Ignorantia horum multa millia hominum misserrimè seducit, qui tentationis escam ab unâ solùm parte aspicientes: Hoc lucrosum est, ajunt, hoc jucundum, hoc honorificum: mox igitur illud obviis ulnis acceptemus. Ratiocinatio pessima. Rem ab alterâ etiam parte considera, & tentatoris dolum tentationisque periculum manifestè deprehendes: si inescari te pateris, jam vorasti hamum, non ampliùs tuus es, jam captus es.

§. II.

PHarmacopolæ ita inaurant catapotia, † ut iis conspectis dicas: En aureolos pulchellos globulos, quis illos non avidè glutiat? Sume igitur, & dentibus commole ac gluti, experieris illorum dulcedinem, breviúque senties, quantum molestiarum & tumultûs in ventre moveant. Ita diabolus inaurat ea, quæ doctis dictis consuadere cupit. Ita venenatam escam sed voluptatis sacharo sparsam alloquis blandissimis prosequitur. Ita Samuelis filios muneribus inescavit, quod Regum fasti testantur: *Declinaverunt post avaritiam, acceperúntque munera, & v. 3.*

† *Pilulas.*

Diabolus inaurat ea quæ doctis dictis consuadere cupit.

1. Reg. cap. 8.

nera, & perverterunt judicium. En catapotia inaurata, quæ A senis optimi duobus filiis attulerunt mortem. Nam illi præverterunt judicium donariis corrupti.

Rex sapiens & sanctus David, qui prudentiâ & sanctimoniâ reges omnes antecelluit, suos tamen liberos non optimè educavit. Illustre hujus specimen Amnon juvenis tentatione carnis turpissimè inflammatus oculos adjecit ad sororem suam Thamarem. Hem, quàm insolens tentatio! Ad explendas cupiditates nequissimas nactus est palatinum famulum valde opportunum Jonadabum, hominem ex asse nebulonem, qui non tantùm non dissuasit facinus, sed ejus exequendi modum docuit. O regie sanguis, ô juvenis inconsideratissime! hæc catapotia sunt inaurata, brevî senties amarorem, & quidem letiferum. Ita prorsus evenit, nam patrato jam flagitio eam ipsam sororem suam Thamarem, quod regiis fastis credimus, *Exosam habuit odio magno nimis, ita ut majus esset odium, quo oderat eam, amore quo antè dilexerat.* O pilulas nimiùm amaras! Ipse Amnon ob scelus B istud in mensâ fratris Absalonis jam temulentus est confossus. O bolos nimiùm acerbos! Videte quid effrenatæ possint libidines, En seriem malorum tristissimam, tentationibus obsequi. Si Amnon credidisset esse tentationem, cavisset.

Adonias æquè Davidis filius, Amnonis frater germanus, sacrificium & à sacrificio convivium instituit opulentissimum, ad quod omnes fratres suos, & belli duces invitavit, Salomonem solùm præteriit, idque suasu & impulsu tentationis pessimæ. O Adoniâ, ô nimiùm ambitiose juvenis! hanc, obsecro, ambitiosissimam temeritatem cohibe: quidquid enim speciosi nominis prætexueris culpæ, acerbo fato audaciam hanc lues; catepotia sunt inaurata, ne te fallant, brevî ea senties amarissima. Nihilominus quod cœpit, audere perseveravit. Dissimulata res est ad id temporis, miniatula tamen facinori oppressa est. Sed Adonias insuper, cùm minor natu frater Salomon jam ad clavum sederet rex, in con- C jugem petivit formosissimam puellam Abisag, quæ patri David ministraverat. Tentatio speciosa, sed multò pessima; sub auro letalis latuit amaror. Iniquum Adoniæ visum est, sic secum agi. Ego, ajebat, natu grandior frater minorem videam regali solio residentem, ita mihi diadema & sceptrum è manibus rapiantur? Hoc igitur conjugium, quod destinavi, successum habeat, velint nolint superi. De reliquis deinceps videbimus. Ne istud ausis, ô nimiùm projecte juvenis ad audendum. Hoc pharmacum auro vestitum fallit, actum de vitâ, si glutieris insidiosum hoc aurum. Hoc profectò Salomoni exactissimè suboluit, ideo Bethsabeæ matri dixit: *Quare postulas Abisag Sunamitidem Adoniæ? postula ei & regnum. Hodie occidetur Adonias. Eóque die occisus est.*

Sic Absalon ejusdem parentis filius, juvenis vafer & nequam, ambitione plenus, non adeò vesana consilia videbatur coquere, sed ea propriùs inspecta, su- D perbissimæ tentationis erant machinamenta. Sic argumentabatur Absalon: Pater meus rex admodum prudens & magni consilii est, sed consilium non perinde consequuntur facta; prospicienter decernit, sed decreta non exequitur, aut lentissimè: Ego si rerum potiar, longè aliter Reipublicæ me impendam; probè statuta serio molimine prosequar, ut nemini non consultum sit. En pharmacum & verè venenum, sed auro tectum. Abstine, quisquis es, abstine his talibus catapotiis; mors iis sese decentissimè abscondit. Absalon suismet consiliis irretitus, demum miserabile ac vivum funus cæli terræque odium pependit in quercu, suis capillis velut laqueis innexus, & tribus Joabi lanceis confossus, spiritum extremum infelici arbori suspendiarius infelicissimus impendit. Sua ipse consilia horruisset Absalon, si ea diaboli tentatoris credidisset esse merissima framenta. Ita tentationibus plena sunt omnia. Scito igitur, quia in medio laqueorum ingrederis. Optimè dixit Bernardus; *Minùs semper malitia parem nocuit; nec unquam bonus, nisi boni simulatione deceptus est.* *Bern. serm. 66 in Cant. initio, mihi pag. 993.*

§. III.

NOluit Christus in panes mutare saxa, noluit è fastigio templi se demittere, oblata regna Mundi noluit admittere; scivit non suæ fami, nec honori suo id suaderi, tentationem aureis scripturæ dictis velatam, paribus effatis repulit. Ita nos erudiit, omnia in utramque partem libranda, utramque rerum aniam examinandam, sed unam demum prehendendam. Una rei ansa est: Hoc auctoritatem conciliat, hoc crumenam auget, hoc mihi voluptatem creat. Hæc ansa prima est pessima, planè non tangenda. Altera est: Attende tibi, mera hîc latet tentatio, nisi pedem figas cautissimum, capieris: Creaturæ Dei factæ sunt in odium & in tentationem animabus hominum. Quisquis ea, quæ alliciunt, ab utrâque hac parte inspicis, hunc tentator non facilè decipit nisi volentem. *Omnia in utramque partem sunt libranda.*

Subinde herus aut hera studio strophiolum, aut chirothecas, aut pecuniæ aliquid neglectim spargunt, ut isto experimenti genere discant, quàm fideles in suâ domo famulos aut famulas alant. Hamus est escâ tectus; experimentum & tentatio est, non fortuna, bona invenire talia. Si ancilla aut servus vel leviter sapiat, dicet: tam fatuus non sum, ut ad ista meas ego manus commuram. Hîc cerno muscipulam; non ingredior, quidquid hoc lintei vel auri sit, non clepo. Ad experiendam fidem meam hæc sparsa sunt. Non tango insidiosam hanc picem. Sed hero potiùs aut heræ actutum id indico. Ita mediastinus vel focaria cavet, & à furto sibi temperat, quia tentationem esse non ignorat. At verò servus vecors & stultus, si pecuniæ sit avidus, ubi ubi invenerit propitiam fortunam, rapit; ita strophium, aut nummos, aut vinum inventum mox abdit, sed ita se furem prodit. His enim vestigiis deprehenditur, quàm homo nullius fidei, & promptæ furacitatis sit. Hinc illi nihil nisi probè clausum & obseratum committitur, quia pessimum dedit specimen in tentamento.

Hoc ipsum nos omnes ac singuli assiduè cogitemus: Cave tibi; tentaris. Attende, medius laqueorum ingrederis; Attende. Ubique & in rebus pæne omnibus tentationes gliscunt. Exemplis viciniissimis rem monstramus.

Accumbimus mensam, appetentia & fames stimulant, cibi sapiunt, potus insigniter respondet, humanissimæ ad edendum hortatiunculæ accedunt. En blanda quidem sed potentissima tentatio. Quàm pronum hîc Temperantiæ metas transilire. Attende igitur, & cave; alioqui certò vincêris, & comedendo ac bibendo transilies metam. Ita cùm pecunias quotidie tractemus, præsentissima semper est tentatio ad pecuniæ amorem inobservabili trahens fallaciâ. Et quoties nos ac nostra laudantur? Mera est tentatio, quæ hominem sui amore ac pretio rectissimè fallit. Scito igitur communionem mortis, scito plurimum amaroris teterrimi his inauratis globulis tegi, scito tentationum laqueos nusquam non oppansos. Tu igitur tentationum origines explora, & facilè invenies, quod à carne oritur, in carnem desinere; quod à superbiâ incipit, in superbiam finiri; invidiæ semen in invidiam excrescere; ambitionis lolium in ambitiosam stirpem surgere; avaritiæ vepres in avaritiam propagari: quale ovum, talis & pullus, quale semen, talis & seges. Quævis autem tentatio tantò periculosior, quantò ignotior. *Diabolus enim* non tantùm *se transfigurat in Angelum lucis,* sed in ipsam meridianam lucem. At Deus protector suos *à sagittâ volante in die, à negotio perambulante in tenebris, ab incursu & dæmonio meridiano* *2. Cor. c. 11. v. 14.* *Ps 90. v. 6.*

Quis dicatur dæmon meridianus.

meridiano liberat. Meridianus dæmon est, qui mollissimo accessu subdubitantē animat ad frontem perfricandam: Quid hæres, aut quid metuis? viâ rectâ graderis, nec malis rationibus niteris; audacter perge. Non est, quod formides; feliciter succedent omnia. En meridianum ex orco Angelum. Sunt fures holoserici splendidè vestiti, quos nihil minùs esse suspiceris, quàm exercitatos è Mercurii familiâ diætarios, donec crumena secta deprehendatur in manu furtivâ. His personatis furibus simillimus dæmon; Angeli splendores induit, familiarissimè accedit, omnem mentitur humanitatem, suadet, ratiocinatur, docet, instruit, ut quàm occultissimè decipiat. Cave, hunc suasorem, fuge palliatum hunc philosophum, diætarius est, fur est. *Fur* autem iste *non venit, nisi ut furetur, & mactet, & perdat.* Hîc primum & optimum est seipsum identidem commonere: Attende tibi; istud est tentatio, & hæc ejus origo.

Ioan. c. 10. v. 10.

Bern. tom. 1. festo die Sanctorum omnium, serm. 1. mihi pag. 370.

Bernardus primùm omnium tentationem oculis subjiciens: *Quid putamus*, inquit, *quàm plurimi usque hodie factum illud graviter dijudicant, & tamen inspienter imitantur. Indignantur adversùs Adam, quòd obedierit voci uxoris suæ plus quàm Dei: & ipsi quotidie Evam, suam carnem videlicet, audiunt plus quàm Deum. Fratres, si modò præsentem videremus Adam in eo articulo positum: ascendentibus cogitationibus in cor ejus, coarctari inter precem uxoris, & præceptum Creatoris: nónne clamaremus adversus illum, dicentes: Cave tibi miser: vide ne feceris, seducta est mulier, non acquiescas ei. Vt quid ergo, quoties apprehendit nos tentatio similis, non persuademus similiter nobis ipsis?*

Quando igitur vel levioris noxæ species, & vel sola peccati umbra se prodit, quisque sibi ipse dicat: Eho pharmacopola venit cum inauratis catapotiis; fur holosericus, dæmon meridianus inserpit ad tentandum: Attende, ac tentationis originem explora. Labori ne parce; modis omnibus resiste. Virtus vera nunquam est otiosa.

CAPVT VII.

Septimus resistendi modus,

TENTATIONVM ILLECEBRAS VITARE.

Triplex Diaboli tentatio: 1. Sui nominis & formæ defensio. *Eccli. c. 14. v. 5.*

IOabus Absalonem in quercu hærentem conto triplici confodit; diabolus plurimos robustâ sed tectâ triplici tentatione adoritur. Prima est sui nominis & famæ defensio. *Qui sibi nequam est*, ait tentator, *cui alii bonus erit?* Qui suam ipse famam negligit, in seipsum tyrannus est. Hæc tamen hominis sui tentatio, nisi moderata sit & prudens, in mala non levia impellit. Hinc enim ira, fastus, impatientia, animique nascitur perturbatio. Hinc remedia quæruntur ad tuendam famam non legitima, nimis acerba. Hinc simulatè multa fiunt & fictè, modò mereamur os populi, & apud omnes bene audiamus. Hinc omnia aliorum dicta & judicia sæpe non ex vano hausta creduntur temeraria: Quis enim omnibus satisfaciat, ajunt, vitæ rationes exponere parati sumus, famámque nostram & ore & manu propugnare.

2. Sui nominis & famæ incuria.

Altera priori est opposita. Sunt enim qui nihil penitus curent, quidquid de se dicatur. Offensioni sunt, nec adeò pudicè ac sanctè vivunt. Hinc sermones non optimi. Illi tamen inaniter semet solantes: Sinamus, ajunt, homines loqui, cùm anseres id nesciant. Rudissimæ plebis proprium est, aliis obtrectare. Quid enim hos malevolorum sermunculos moremur? Hoc nobis utile, hoc commodum, hoc volupe est; jam alii dicant, quod volunt. En & illi & isti ad extrema vergunt, illi nimiùm, hi nihil curant; nimirum medio gradi difficile. Quivis igitur suas actiones probè inspiciat. Si malæ sint, tantò magis culpandæ, quantò magis publicæ. Si bonæ sint, considerandum an aliter loquentes, ex ignorantiâ, simplicitate, nequitiâ id faciant, quod in aliis vix unquam satis emendabitur.

3. Est prædestinatio seu, divina ad æternam vitam electio.

Tertium Tentamentum est prædestinatio, seu, divina ad æternam vitam electio. Hac tentatione non facilè intricatur, quisquis rationes suas bene composuerit cum Deo, sic enim de se sentit: Ego vasculum è luto sum: quidquid meo figulo placuerit, quidquid ipse de me statuerit, id mihi placebit, sive alto me locare, aut humi affligere me voluerit; in ipsius manu sum testa famia. Et quando hactenus tam copiosis támque eximiis à Deo beneficiis ornatus sum, non possum nisi optima quæque ab illo expectare: *operi manuum suarum porriget dexteram.* Scio, quòd Deus immensæ miserationis pater eos omnes, qui seriò suam ad ipsius voluntatem conformare, itaque ad ipsius arbitrium & vivere & mori cupiunt, non velit, non possit æternæ morti addicere; Atqui ego unicè hoc cupio meam omnem divinæ voluntati subjungere. Intellexisti, diabole, hunc syllogismum? nunc porrò gradum refer, & cum tuis sycophantiis discede, Prædestinationis arcanum ego non scrutor. Quid, oro, satanas adversus hunc talem potest? Præsertim si accedat, quod jam explicaturi sumus; *Tentationum illecebras vita.* Qui septimus resistendi modus est, de quo nunc plura.

Iob cap. 14. v. 15.

7. Contemnere tentationes munimentum: Tentationum illecebras vita.

§. I.

PArietes ligneos hortis sepiendis, parietes lateritios domibus claudendis, sæpius & ubique videre licet; parietes ferreos & chalybæos thesauro custodiendo forsan nunquam vidimus: de hoc tamen Venusinus canit:

Horat. l. 1. epist. 1. ad Mæcenatem, & l. 3. Odarum ode 3.

——— *Hic murus aheneus esto.*
Nic conscire sibi, nullâ pallescere culpâ;
Ter si resurgat murus aheneus.

Nunquam otiari. Murus aheneus versationes.

Verè triplex, aheneus, adamantinus est murus adversùs tentationes, & omnia eorum irritamenta, *Nunquam otiari.* Bona conscientia sanè robustissima, non tamen à tentationibus secura est; at verò semper esse occupatum, à laboribus honestis nunquam feriari, triplex, aheneus, ter resurgens murus est. Priscorum Patrum nota est paræmia. Occupatus ab uno diabolo, otiosus à mille vellicatur, trahitur, tentatur. Qui non laborat, sine muro est, diabolorum ludibriis expositus.

Putem ego, si Antistes, si Decanus, si Rector, si Guardianus in suo quisque cœnobio aut collegio rem bene geri velit, hoc modis omnibus agendum illis, ut sui omnes semper sint occupati, nec unquam vel horulæ parte otientur. Si istud impetraverint, in ceteris omnibus religiosa disciplina non ægrè sancietur. Ubi feriæ & cessatio, ubi desidia & iners otium, ibi claudicant illa omnia, labat disciplina, languent studia, silentium exulat, perstrepunt colloquia, vigent sympoſia, somnus imperat, diabolus triumphat: ferè nusquam res bene geritur, cùm nihil agitur. Sanctus Ignatius Lojola legem quadragesimam quartam hanc scripsit: *Omnes quamdiu corpore bene valent, in spiritualibus vel exterioribus rebus habeant, in quo occupentur; ne otium malorum omnium origo, quoad ejus fieri possit, domi nostræ locum habeat.* Quemadmodum homo contagiosus peste infectus, ulceribus, chironiis ac pestiferis plenus, in nullum domûs angulum admittitur, ne lues propagetur; ita otium pestis ipsissima, contagio fœdissima, nullo ædium hypocausto, non conclavi, nullo cubiculo, non linâ, non stabulo, non ambulacro ullo recipiatur; nihil loci reperiat; ex omnibus undique angulis eliminatū & proscriptum sit; nusquam unquam totâ domo inveniatur ullus, qui sibi permissum puret ex toto feriari. A primo diei exordio ad usque postremam clausulam labor continuus omnes occupet. Sed nunquid semel iterúmque de die licebit respirare? Ita, licebit; sed hæc ipsa respiratio non penitus sit otiosa, suas & illa tam loquendi quàm agendi leges

Otium ut pestis ipsissima in nullo loco recipiendum.

Ab horâ quartâ matutinâ, ad noctis usque nam.

di leges habeat. Otium, origo, seminarium, lerna malorum omnium. Otium vita, & multa simul jugulasti.

Sed quid ego de Antistitibus, Decanis, Guardianis, Rectoribus hîc dicam? Deus ipse summè sollicitus est, & pæne hoc unum satagit, ut nos amantes otii mortales variis laboribus distineat, ne certatim defluamus ad vitia. Hinc multa millia hominum egestate premit, ut ad labores adigat. Vis esse? labora. Quòd si tot egenorum millibus in parato esset victus & vestitus, laborem & opus fugerent, libidines sectarentur. Ideo & divitibus ac opulentis suos Deus ingerit labores. Variæ illos exercent lites, non rarò turbulenta fatigant negotia, rationes rei familiaris & sumptuum inspiciendæ, æs otiosum, nummi vacui exercendi, pecunia fenori locanda, villæ suburbanæ & prædia lustranda, domestici gubernandi, liberi operosè curandi. Quia tamen labores isti opulentiorum sæpe non sunt catenati, nec enim in pistrino assiduè molunt, ideo has ipsas à labore cessationes & inducias diversis Deus occupat ærumnis. At pauperes, quia ferè semper in opere sunt, plerumque tam permolestis miseriis non urgentur. Malum eorum maximum paupertas, quam illi tamen ut rem necessariam jámque insuper assuetam non adeò acerbè sentiunt, ut divites ad egestatem devoluti. Ita Deus omnia molitur, ut palam & ligonem manibus nostris inserat, nósque adigat ad fodiendum. Velimus, nolimus, fodiendum est. Ad laborem nascimur, perinde ut avis ad volatum. In sudore vultûs nostri vescimur pane nostro, nec enim aliter possumus. Quisquis obluctatur, & illud pigri curatoris excusat: Fodere non valeo. Perinde loquitur, ac si dicat: Vincere non valeo. Nam observemus sedulò, an non plerunque verum sit: Ideo tentatus, quia non occupatus. Mille diaboli otiosum vellicant, trahunt, exagitant, & ad prava stimulant; laboriosum unicus, & velut jam exarmatus. Hinc cum Hieronymo præcipiebant prisci. Nunquam non occupatum diabolus te inveniat.

Deus mortales variis laboribus distinet, ne otiantur ad vitia.

Gen. cap. 3. vers. 19.

Mille diaboli otiosũ ad prava stimulant, laboriosũ unicus.

Ita Dei, liceat sic loqui, primaria est cura, nos ad opus ducere, & semper tenere occupatos. Ubi sedulus quis est magnæque operæ, ac laborem perpetuat, ibi Deus quasi sine curâ est.

§. II.

DEgebat in sacro Parthenone Euphrasia * maximæ sed occultæ sanctitatis Virgo. Hanc diabolus, quia omnium erat demississima, extremè oderat, & modis omnibus, quibus licuit, dies noctésque infestabat. Die quadam Euphrasia, dum hauriret aquam, præceps in puteum delapsa est, sed casu innoxio; nam fune situlæ prehenso suppetias inclamavit. Ad clamantis vocem accurrerunt ceteræ, & extraxerunt occultâ vi dejectam. Illa verò jam extra puteum familiariter subridens: Vivit Christus meus, ait, quia non me vinces diabole, neque cedo tibi. Hactenus unam tantummodò hydriam culinæ detuli: verùm ex isto die laborem duplicabo, & posthac deferam duas. Quod dixit, fecit. Oleum & operam perdit diabolus ubi labor non tantùm non minuitur, sed augetur. Labores multi tentationes paucæ. Beatus, quem ipse labor, velut importunus creditor locis omnibus compellat: Heus tu, quando absolves pensum? Nomina exacturus adsum. Hîc pro se quisque dixerit: Non cedo tibi, diabole; non vinces me. Si hactenus labori horam unam impendi, imposterum impendam duas. Ita faciam; ita me superi juvent. Sicut autem otium, ita omnes tentationum illecebræ sunt fugiendæ. Quemadmodum verò vitiorum, sic & illecebrarum ad illa discrimen est. Sunt vitia, quæ amarorem & nauseam propinant, hæc conflictu superanda. Sunt alia, quæ voluptatem, & nescio, quid mellis atque saechari lambendum oggerunt, hæc fugâ sunt vincenda; procul abesse, optimum hîc remedium.

* alii, Euphraxia. Vita S. Euphrasiæ, cap. 21. apud Rosweyd. lib. 1. mihi pag. 356.

Oleum & operam perdit diabolus ubi labor augetur.

Discrimen inter illecebras.

Carthaginiensium bellicus Imperator Hannibal, vir magni animi, singularis sollertiæ, manu & consilio fortis ac bellicosus Romanas vires non unâ fregit victoriâ. Fuit, cùm Roma tota tremeret, tanquam ad portas jam esset Hannibal.* Sed demum dux iste bellicosissimus miserè seipsum exarmavit & perdidit. Quod Annæus ingemiscens: *Vna*, inquit, *Hannibalem † hiberna solverunt, & indomitum illum nivibus atque alpibus virum enervarunt fomenta Campaniæ. Armis vicit, vitiis victus est. Nobis quoque militandum est, & quidem genere militiæ, quo nunquam quies, nunquam otium datur. Debellandæ sunt imprimis voluptates, quæ, ut vides, sæva quoque ad se ingenia rapuerunt. Si quis sibi proposuerit, quantum operis aggressus sit, sciet nihil delicatè, nihil molliter esse faciendum. Id agere debemus, ut irritamenta vitiorum quam longissimè profugiamus. Indurandus est animus, & à blandimentis voluptatum quàm longissimè abstrahendus.*

* *Post Trebiam, Trasumenam, & maximè post Cannensem Romanorum cladem.*

† *Seneca ep. 51. initio, mihi p. 468.*

Hebræus psaltes canit: *Rex virtutum dilecti, dilecti.* Chaldæus interpres cum Hieronymo: *Reges exercituum, inquit, fortissimi ac potentissimi cedent ac subuentur ditioni ejus, qui est dilectissimus Deo.* Sunt, qui legendum censeant: Reges exercituum fugerunt, fugerunt, hoc est, robustissimi & ab omni virtute instructissimi valde fugerunt vel minimas tentationum illecebras. Rex iste David ejus rei specimen præbens: *Deus qui præcinxit me virtute, inquit, qui docet manus meas ad prælium. Et posuisti ut arcum æreum brachia mea.* Videte regem David pectore leonino ferreum, adamantinum virum. Nihilominus adjungit; *Qui perfecit pedes meos tanquam cervorum.* Quorsum, obsecro, vires tam inauditæ videntur frustra concessæ. Et quorsum ferrata brachia? Si pedum celeritas paretur ad fugam. Ridiculum prorsus est dicere. Robustissimus, ferreus, animosissimus sum, armisque munitissimus; fateri tamen: sed cervorum timidos & fugaces habeo pedes. Hæc vera est fortitudo, Christiani, hæ vires regiæ. Nam quædam vitiorum aggressu magnanimo & conflictu sunt vincenda. Hîc manus ad prælium doctæ, hîc ærea brachia sunt opportunissima. Sed & alia sunt vitia viscosa, peccata, voluptatem, libidines, gulam ingerentia; huc cervini pedes conferunt quàm maximè. Fuge igitur, dilecte mi, fuge, fuge non vivum duntaxat, sed & mortuum, sic loquar, diabolum. Id certè simulat subinde, ut putari possit mortuus. Exemplis dicta firmamus.

Psal. 67. vers. 13. Hebræa hîc mysteria non excutimus. Inter alios videri potest Iacobus Tirinus in hûc locum.

Ps. 17. v. 33. & 35.

Ibid. v. 34.

§. III.

EST, qui diversi loci genium ita calleat, ut possit dicere: Hîc plerunque aliis detrahitur, & maledicitur, hîc litigatur, hîc luditur, hîc potatur, hîc amores & colloquia pessima seruntur, hîc chori agitantur, hîc lascivi mores exercentur, hîc nihil boni fit. Fuge hinc igitur dilecte mi, fuge has charybdes & scyllas, fuge loca naufragiis tam infamia, fuge societates & amicitias tam periculosas, tam noxias. Castissimus Joseph Ægypti Prorex cor habuit leoninum, sed cervinos pedes, libidinis illecebras fugit. Ambrosius hoc fugæ genus modis omnibus consuadens: *Persequuntur nos*, inquit, *peccatorum illecebræ, persequitur libido. Sed tu fuge, tanquam furiosam dominam, quæ si comprehenderit, nec die, nec nocte requiescere sinit, exagitat, incendit, urit. Iacob fortior in Labano tentatore, quàm in Esau persecutore fugiendo fuit. Fugit Elias secularem illecebram, & conversionis maculosæ contagionem, & impiæ ac prævaricatricis nationis sacrilegia. Fugiamus, sicut Loth, Sodomitana crimina amplius quàm supplicia formidans. Nam monitus ab Angelis de futuro incendio cunctabatur. Magis enim pius certa scelerum fugit contagia, qui Sodomitanis domum clausit, nec cohabitans, nec cogitans eos, quorum flagitia nesciebat, & opprobria aversabatur, nec fugiens respexit eos, quorum conversationes non desiderabat. Gloriosa hæc fuga est, fugere à facie peccati.*

Joseph Ægypti prorex habuit cor leoninum, pedes verò cervinos.

Ambr. to. 1. lib. de Fugâ sæculi, c. 4. mihi p. 226. Idem eodem l. c. 6 p. 234. & cap. 9. pag. 239. Gen cap. 19. vers. 16.

Hieronymus de suspecto contubernio vitando disserens: *Quid tibi, ais, necesse habes quotidie aut perire, aut vincere?*

Hieronym. epist. 47.

cere? *Quis unquam juxta viperam securos somnos capit? securius est perire non posse, quàm juxta periculum non periisse.* Origenes Apostoli monitum illud, *Fugite fornicationem*, exponens: *Ista fuga*, inquit, *virtutis est, ista fuga beatitudinem confert.* Ideoque cum psalte regio precamur: *Deus refugium nostrum & virtus.* Virtus est stantibus & pugnantibus, refugium fugientibus. Hæc Hieronymus, quem dixi, commonitione saluberrimâ confirmans: *Si quis existimat*, inquit, *posse se versari in deliciis, & deliciarum vitiis non teneri, seipsum decipit.* Rex Solymorum David asylum securissimum non ignorans: *Factus es*, ait, *spes mea, turris fortitudinis à facie inimici.* Augustinus ad Dominum JESVM patientem ac morientem velut in securissimam turrim festinans: *Hic est turris fortitudinis*, ait, *quò cùm fugero, non solùm vitabo tela inimici, sed etiam in illum, quæ voluero securus ipse jaculabor. Ipse enim Christus est turris: ipse nobis factus est turris à facie inimici, qui est & petra, super quam ædificata est Ecclesia. Cave, ne feriaris à diabolo: fugè ad turrim. Numquam te ad illam turrim diabolica jacula secutura sunt: ibi stabis munitus & fixus. Quomodo autem fugies ad turrim? Nè fortè quisque in tentatione positus corporaliter quærat turrim istam: & cùm eam non invenerit, fatigetur ac deficiat in tentatione? Ante te est turris: recordare Christum, & intra in turrim. Quomodo recordaris Christum, ut ineres in turrim? Quidquid pateris, cogita, quia prior passus est, & cogita, quo sine passus est, ut moreretur, & resurgeret. Talem & tu finem spera, qualis in illo præcessit, & intrasti in turrim non consentiendo inimico. Si enim consenseris inimico, tunc ad te pervenit oppugnantis jaculum inimici. Tu potiùs in illum jaculare tela, quibus feriatur, quibus vincatur. Quæ sunt ista tela? Verba Dei, fides tua, spes ipsa, tua bona opera. Non dico, sic esto in istâ turri, ut vates ibi, & sufficiat tibi, ad te hostis tela quòd non perveniant: age tibi aliquid, non cessent manus. Opera bona tua gladii sunt interficientes inimicum.* Quisquis igitur tentationes cupis vincere, tentationum illecebras disce fugere. Apertum est asylum, in turrim quam monstravi evola. Hîc vinces fugiendo.

Origen. homil. 8. in epist. ad Cor. cap. 6.

Ps. 45. v. 2. Deus est virtus stantibus & pugnantibus, refugium fugientibus.

Ps. 60. v. 4.

Aug. tom. 8. in psal. 60. mihi p. 249. col. 2. fine.

CAPVT VIII.

Octavus & Nonus resistendi modus;

CORPVS CASTIGARE, CARNEM JEJVNIIS EDOMARE.

HVmanam vitam esse tentationem & militiam initio libri è Jobo diximus. Hic omnium sapientum sensus est. Epictetus, sapiens verè monitor: *Militia est*, inquit, *cujusque vita, eaque longa & varia.*

Σκηπτέα τις ἐστὶν ὁ βίος, καὶ ἐπάνω, καὶ αὖτη μακρὰ καὶ ποικίλη.

Epictetus l. 3. dissertat. c. 24. mihi pag. 335.

Ergo cui vivendum, ei & militandum est. Quæ militi non ignavo præcipuè sint agenda superioribus dissertationibus explicatum. Præceptiones istæ sunt. 1. Vigila. 2. Principiis obsta. 3. Ora. 4. Resiste ac Repugna. 5. Fiduciam omnem in Deo colloca. 6. Tentationum origines explora. 7. Tentationum illecebras D vita. Hîc addimus octavam & nonam præceptionem: Corpus castiga; carnem jejuniis edoma.

8. & 9. Munimentum contra tentationes: Corpus castiga; Carnem jejuniis doma.

§. I.

CORpus non molliter habendum, pro mancipio tractandum, severiùs subinde castigandum, jejuniis frenandum, docuimus libro singulari, quem de jejunio dedimus. Hîc ergo dictorum memoriam solùm refricamus.

Misnensis Ecclesiastes Meffreth de triplici tentatione pro suggestu disserens: *Mali hospites in sinu sunt*, inquit, *mus, vipera, & ignis; nam malam pro hospitio relinquunt symbolam.* Mus avaritiæ, vipera luxuriæ, ignis superbiæ ac vindictæ tentationem adumbrat. Excute hos hospites malos; quisquis es, sed scias non excutiendos tam facilè: vi opus. Variis rigoribus exercendum corpus, nec indulgenter unquam habendum, alioqui certò insolescit & abrumpit frenos. Beatissimus Paulus, Gentium Apostolus, Orbis Magister & Doctor, è cælo vocatus, in tertium cælum evectus, divino spiritu plenus, omni virtute ornatissimus, exemplar & idea sanctimoniæ, nihilominus fatetur ipse de seipso: *Et ne*, inquit, *magnitudo revelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ, angelus satanæ, qui me colaphizet.* Perinde si dicat: Hic vexator meus, non perfunctoriè, nec planâ manu me cædit, ut mater solet infantulum, sed pugnis in me grassatur, & atrociter me verberat. Quid hîc opis, optime Paule, quid remedii? Sciendum ante omnia, quod & assiduè cogitandum, hanc vitam esse tentationem, militiam, velitationem, luctam, pugnam, conflictum, prælium: *Ego igitur sic curro non quasi in incertum; sic pugno non quasi aërem verberans, sed castigo corpus meum, & in servitutem redigo.* Si vir iste sanctissimus sui defendendi causâ his armis usus, cur nos ea rejiciamus, qui illis egemus quàm maximè? Tentationibus resistere est pugnare cum animo suo, & palæstricis vacare, quod sanè nec amœnum est, nec suave: nam ictus, plagæ, collisus, verbera, impulsus, vulnera sunt excipienda: sine his Palæstra non fervet. Nec est, quod palæstrita miretur, aut indignetur, si ex arenâ gladiatoriâ cruentum caput referat pro laureâ. Hæc certè sacra aliter non constant. Hodie illi, cras alteri; & forsan brevi acceptam plagam cum fenore rependet. Cum diabolo confligere, tentationes vincere, cordatum hominem desiderat, qui neutiquam parcat corpori. Hanc ob causam Paulus: *Induite vos*, inquit, *armaturam Dei, ut possitis stare adversus insidias diaboli.* Hic adversarius est callidissimus, tamque potens, quàm vigilans; oculorum plenus, imò merus oculus. Propterea accipite armaturam Dei, ut possitis resistere. *State ergo succincti lumbos. Quod & Christus præcipit. Sint lumbi vestri præcincti.* Equitatio ea est miserrima, si equi cingulum fluens sit & laxum, si ephippium malè hærens & solutum: ita humanum corpus indolis belluinæ ac brutum, nisi arctiùs stringatur, in libidines & pessimas appetentias efferuescit. Res certa. Stringe igitur lascivum pecus, castiga, & in servitutem redige. Da corpori, quod sufficit, non quod petit. Turpissima servitus, suo servire corpori. Ergo jejuniis carnem edoma. Inter omnes castigationes carnis nec antiquior, nec melior, nec probatior, quàm Cilicium & Jejunium. Ab Orbis incunabulis hæc approbavit usus. Josephum lugens Jacob *indutus est cilicio.* Cùm regi David molesti essent hostes, *induebatur cilicio, humiliabat in jejunio animam suam:* ponebat *vestimentum suum cilicium.* Populante Samariam fame Rex Israëlis Achab cilicio vestitus per murum transiit, cúmque audisset à matribus in cibum occidi filios & lixari, *scidit vestimenta sua. Viditq; omnis populus cilicium, quo vestitus erat ad carnem intrinsecus.* Judith in secreto cubiculo suo cum puellis suis clausa morabatur: *& habens super lumbos suos cilicium jejunabat omnibus diebus vitæ suæ.* Mardochæus audiens Judæos omnes jam macello destinatos *scidit vestimenta sua, & indutus est sacco, spargens cinerem capiti.* Dux Mathatias & filii ejus *operuerunt se ciliciis, & planxerunt valde.* Frequenter toti populo imperatum ciliciis uterentur: *super hoc accingite vos ciliciis. Plangite & ululate, quia non est aversa ira furoris Domini à vobis. Super omne dorsum cilicium.* Cilicium usitatum pœnitentiæ signum, tranquillum corporis supplicium. Cilicia Reges, Reginæ, Imperatores veste Attalicâ sæpius tegebant.

Gen. c. 37. vers. 34. Psal. 34. v. 13. Psal. 68. v. 12. 4. Reg. c. 6. vers. 30. Judith c. 8. vers. 6. Esther c. 4. vers. 1. 1. Machab. c. 2. v. 14. Isai. cap. 22. vers. 12. Idem c. 48. vers. 37.

Verùm in edomandâ carne nihil opportunius, præstantius nihil Jejunio. Jejunium sanè optimum, probatissimum, utilissimum, saluberrimum, summè necessarium, laudatissimum, Deo acceptissimum sacrificium, expedientissimum homini remedium; Christi omniumque ejus sectatorum exemplis conformissimum.

§. II.

I. AJo Jejunium esse præstantissimum ac probatissimum malis maximis persanandis remedium, quod totis bibliis impensissimè commendatur, frequentissimè præcipitur. Jejunium laudant Angeli. Aliger è cælo tabellarius: *Bona est, inquit, oratio cum jejunio & eleemosynâ.* Prophetæ ac reges jejunium non laudarunt tantùm, sed & ipsi jejunarunt. *Discipuli* JESV *esurientes cœperunt vellere spicas & manducare.* Sed multò magis ablato jam Domino jejunarunt & esurierunt. Tam Græci, quàm Latini Ecclesiæ doctores, omnésque prisci & sancti Patres Jejunium eximiâ laude ornarunt & usurparunt. Tam virgines quàm conjuges & viduæ Jejunium, quod summè laudârunt, religiosissimè servarunt. Verbo: Omnes amici & sectatores Christi, ob Christum assiduè corpus afflixerunt inediâ. Eò Paulina spectat & gloriatio & cohortatio. *In vigiliis multis, in fame & siti, in jejuniis multis. Exhibeamus nosmetipsos sicut Dei ministros, in multâ patientiâ, in laboribus, in vigiliis, in jejuniis, in castitate.* Rex David tam crebram támque rigidam inediam toleravit, ut de se ipso fateatur: *Genua mea infirmata sunt à jejunio, & caro mea immutata est* ab habitiore & corpulentiore vultu in macilentum. Rex David macrescebat jejuniis.

II. Ajo Jejunium esse utilissimum ac saluberrimum non ad animi solùm, sed & corporis valetudinem tuendam pharmacum. Imò ausim vel jurejurando confirmare, ex omni pharmacorum numero, Jejunium non tantùm sacrissimum, sed & excellentissimum esse pharmacum. Deus bone, quoties post innumera omnis generis exhausta medicamenta ad unius & solius abstinentiæ atque Jejunii crebriorem usum sanitas est restituta? Vox una omnium eruditorum ac sapientum est, & vel sexcenta testimoniorum millia, ad valetudinem conservandam aut reparandam, nec opportunius quidquam, nec aptius, neque salubrius esse, quàm moderatum jejunium. Moderatum passim appellamus, de die semel duntaxat comedere, & vel prandere tantùm, vel tantùm cenare. Et quid opus testibus? Apertissimè Ecclesiasticus: *Qui abstinens est, inquit, adjiciet vitam.* Saturitas omnis noxia. Citra saturitatem ergo vescere, & à mensâ cum fame, non cum fastidio surge. *Vtamur, inquit Ambrosius, temperantiæ naturali cibo pro remedio partis, non pro deliciis redundantiùs; propter infirmitatem, non propter voluptatem. Non enim solùm adversùs nequitiæ spiritualia, sed etiam adversùs carnem & sanguinem lucta nobis, lucta adversùs satietatem, lucta ab ipsis frugibus terræ, lucta cum vino, quo etiam justus inebriatus, quo etiam integer Iudeorum exercitus supplantatus est: lucta cum feris bestiis, lucta cum volatilibus cæli, quibus caro saginata non redigitur in servitutem. Vides, quanta certamina! Terra ergo exercitium est hominis, cælum corona.* Ob istas igitur tot luctas cum gulâ, ob quotidiana hæc pericula ad principium mensæ præmittuntur preces, ut appetentia in escas nimiùm effundi solita possit refrenari.

Sobrietas & Abstinentia sanitatis, sapientiæ, castitatis, sanctimoniæ ac longioris vitæ mater: Ingluvies verò & crapula hebetudinis, morborum, libidinis, vitiorum, ac brevioris ævi fecunda parens.

Gula cliens sanitatem ferò amare non potest.

III. Ajo Jejunium esse acceptissimum Deo sacrificium, expedientissimum homini remedium, & adversus diaboli tentationes singulare præsidium ac munimentum. Augustinus hac in re testis locupletissimus, qui certum abstinentiæ modum à Deo sibi traditum asseverans: *Reficimus, inquit, quotidianas ruinas corporis edendo & bibendo, priusquam escas & ventrem destruas.* * *Nunc autem suavis est mihi necessitas, & adversùs istam suavitatem pugno, ne capiar, & quotidianum bellum gero jejuniis sæpius in servitutem redigens corpus meum. Hoc nie docuisti, ut*

A *quemadmodum medicamenta, sic alimenta sumpturus accedam. In his ergo tentationibus positus certo quotidie adversus concupiscentiam manducandi & bibendi.*

Ergo Augustini sensu alimonia capienda est ut medicina. Quis autem ægrotorum adeò insanit, ut ubi novem glutierit carapotia, duodecim aut novendecim sibi velit porrigi; aut ubi unam potionem medicam exhauserit, mox alteram tertiámve infundi poscat. Sicut igitur ægrotus ad legem sanitatis pharmaca, ita nos ad necessitatis præscriptum sumamus alimenta. Hoc suos docet Deus, ruinas corporis reficere, ut Augustinus loquitur, non in cibo voluptatem quærere; non edendi cupiditatem explere, alimoniam ut medicinam sumere. Quod non Augustinus tantùm, sed & alii sanctissimè observarunt.

Alimonia capienda est ut medicina.

§. II.

B. Otho Babenbergensis episcopus triginta septem annis in mensâ nunquam ad satietatem comedit. B. Posthumius similiter à mensâ nunquam satur & ventre pleno recessit; corpus vigiliis, cilicio, jejuniis, laboribus assiduis fatigavit. Beatus Hieronymus Eustochio virgini diætam saturitatis expertem constituens: *Sit tibi moderatus cibus*, inquit, *& venter nunquam expletus. Plures quippe sunt, quæ cùm vino sint sobriæ, ciborum largitate sunt ebriæ. Sint tibi quotidiana jejunia, & refectio satietatem fugiens.* Hæc talis strictior diæta, non salubrior tantùm, sed & jucundior est vel ipsi corpori: Notum vetus illud

De his duobus vide l. 1. de Iejun. cap. 11. §. 3.

Hieron. ad Eustoch. de Custod. Virgin.

Plus habet molestiarum quàm voluptatum gula. *Trochaic. vet.*

Quod Socrates inter philosophos eximius frugalitatis sectator & præco confirmans: *Qui frugaliter vivunt*, ajebat, *plus amœnitatis, minus cruciatuum habent, quàm qui genio indulgent.* Certissimum vel ex aureo Ecclesiaste Chrysostomo, qui voluptati deditos negans vivere: *An non, ait, simul atque præterit linguam & fauces, voluptas omnis extincta est? sensus quippe omnis in gustu est. Cæterùm post hæc ubi voluptas illa pertransiit, magna prorsus tristitia relinquitur, sive stomacho per crudutatem oppresso, sive qualibet aliâ difficultate lacessente.* Ubi ergo tantillum faucis spatiolum persultaverit escarum titillatio, jam nulla est amplius oblectatio, nulla voluptas angustissimis his cancellis tota clauditur. Ita omnis ciborum sensus ad palatum terminatur. Idem Bernardus adstruens: *Voluptas gutturis*, inquit, *vix duorum obtinet latitudinem digitorum, & ejus tam modicæ partis tam exigua delectatio quantâ paratur sollicitudine, quantam deinde molestiam parit?*

Chrys. to. 4. homil. 13. in 1. Timot. c. 5. m. p. 1346.

Bernar. de Persecut. Justin. c. 12.

In cellâ quadam, quod ille Phryx fabulator narrat, effuso melle convolarunt muscæ, & ad inemptum epulum aviditer sese ingurgitarunt. Sed implicitis earum pedibus & volatu jam negato: Nos miseras! ajebant, ob voluptatem modicam hîc perimus. Ita plurimorum malorum causa plurimis est gula. Rectissimè Musonio, *Fundamentum sapientiæ est continentia circa cibum & potum.* Qui ventri deditus, teste Climaco, tentationem libidinis superare conatur, similis est ei, qui incendium restinguit oleo.

Æsopus parte 1. fab. 31. pag. 34.

Muson. l. 5. de Alimētis.

4. Diabolum absq; jejunio nō facilè vincendum.

IV. Ajo, diabolum absque jejunio non facilè vincendum. Ambrosius testatissimis monitis: *Iejuna*, inquit, *si vis vincere. Diaboli verbum est, cùm dicit: Homo fortis esto, manduca & bibe, & similis mane. Noli te tibi credere, non erubescas egere præsidiis, quibus non egebat Christus, & tamen ea non negligebat, ut te doceret, dicens: Cavete, ne gravetur cor vestrum vino & crapulâ.*

Ambr. to. 5. lib. 4. in c. 4. Luca, mihi pag. 94. Luc. cap. 21. vers. 34.

Fuit in eremo, quem libido acriùs vellicaret. Is igitur spiritalem patrem accedens: Tibi obsecro, ait, curæ sim, & Deum pro me ora. Oravit fideliter & constanter. Post aliquot elapsos dies tentatus rediens: Ora fortiùs, inquit, nil remisit tentatio. Oravit fortiùs, sed denuo tediit, & eodem se luto hærere non dissimulavit. Mirabatur senex suas preces tam nullius fuisse ponderis. At sequenti nocte oblata ei species illiùsmet tentati hominis, qui

Eremita quidam jejunio à libidinum tentatione liberatus est.

qui bene pastus, insuper & otiosus redit pugnam aversatus. Huic libidinum præses Asmodæus omnigenas imagines ac formas repræsentabat. Has ille spectavit; placuerunt; imò & delectatus est visis. Die alterâ se rursus senì stitit, & immaniter suas deploravit miserias. Cui senex candidè: Tuâ culpâ, inquit, mi homo, irritæ sunt preces pro te fusæ. Vis molestos ignes illos excutere sinu? vis vincere? Laborandum & certandum est. Luctare pugna, carnem cædo, vigiliis, laboribus, precibus, jejuniis. Quid ægro prosit medicina, si eâ recuset uti? si cibis vertis non abstineat? Tu hoc age, labores ne fuge, cibo abstine, & belles in te motus inediâ coërce. Nec surdo hæc dixit. Obsecutus is consilio jejunia inivit. Et brevì, cùm ille esurire, mox & tentatio cœpit remittere. Reverà hic hostis, non nisi his armis debellatur. Et quis unquam sine jejunio vicit diabolum? Apertissima Christi assertio est: *Hoc genus non ejicitur, nisi per orationem & jejunium*. Inediâ & jejunio hi mures, hæc vipera, hi ignes, diaboli tentationes excutiuntur sinu. Nec aliter constare potest hæc victoria. Non amat hujuscemodi victoriam, qui recusat perferre inediam. Quod Ambrosius luculenter affirmans: *Dominus* JESVS, inquit, *volens nos adversus diaboli tentamenta fortiores reddere, certaturus jejunavit, ut sciremus, quia aliter illecebras mali non possemus vincere. Quomodo enim voluptas (edendi) ad paradisum revocare nos potest, quæ sola nos paradiso exuit?*

Matth. c. 17. vers. 21.

Ambr. to. 3. lib. 10. epist. ep. 82. mihi pag. 240.

Palladius c. 113. apud Rosvveyd. mihi p. 770.

Hinc religiosissimus Deique amantissimus presbyter Philoromus, teste Palladio, triginta duobus annis nullos arborum fœtus, fructus nullos attigit: annis quadraginta nihil calentis & cocti edulii comedit, eo fine, ut tentationibus gulæ tantò potentiùs resisteret.

Chrys. to. 5. hom. 71. ad pop. mihi pag. 377.

Orationis & jejunii mixturam Chrysostomus ut remedium adversus diaboli tentationes valentissimum summè commendans: *Aspice*, ait, *quot ex umbobus (oratione ac jejunio) bona nascuntur. Orans enim, & ut oportet jejunans non multis eget; qui verò multis non eget; nunquam fiet avarus, & ad eleemosynam magis est aptus. Jejunans levis est, & alatus, & cum solertia orat, & improbat, extinguit concupiscentias, Deum placat, & insurgentem animum humiliat. Propterea & Apostoli ferè semper jejunabant. Orans cum jejunio geminas habet alas, & ipsis quidem ventis leviores: nec enim oscitat & distenditur, & orans langueſcit, quod multi patiuntur, sed est igne vehementior, & terrâ superior. Propterea talis maximè dæmonibus est infestus, & hostis.* Quæ Basilius confirmans: *Contumelia dæmonum*, inquit, *nihil audet adversus jejunantem, & vitæ nostræ custodes Angeli alacriùs manent apud illos, qui per jejunium sunt purgati.*

Orans cum jejunio geminas habet alas ipsis ventis leviores.

Basil. apud Anton. Melissam, seu Melissæ Abbatem. p. 1. cap. 38.

Cùm Elisæus grassante fame prophetarum filiis pulmentum coqui jussisset, *Egressus est unus in agrum ut colligeret herbas agrestes, invenitq; quasi vitem silvestrem, & collegit ex eâ colocynthidas agri, & implevit pallium suum, & reversus concidit in ollam pulmenti. Cúmque gustassent de coctione clamaverunt, dicentes: Mors in ollâ vir Dei, & non potuerunt comedere.* At Elisæus farinam, quam præceperat adferri, *misit in ollam. Et non fuit amplius quidquam amaritudinis in ollâ.* Hanc ollæ mortem pauxillo farinulæ hordeaceæ propheta sustulit momento. Habet abstinentia & jejunium amaroris aliquid, sed reverà multò plus intemperies gulæ, omnem verò amarorem tollit præstantissimum illud amylum, * *Spes futuræ satietatis.* Eò famem & appetentiam omnem rex David differens: *Satiabor*, inquit, *cùm apparuerit gloria tua.* Eandem satietatem inhiabant viri olim religiosi, quibus, Hieronymo teste, coctum aliquid accepisse luxuria videbatur. Tam procul à vino, quàm ab urbibus aberant, tantóque magis Deo ferebantur, quantò continentiùs vivebant. Spes deliciarum in cælo amylum illud est, quod omnem vel rigidissimi jejunii amaritiem emendat. Non pigeat, obsecro, perpaullum esurire brevissimo tempore; satiabimur æternùm.

4. Reg. c. 4. vers. 39. & seqq.

* *Alica, seu Halica.*

Ps. 16. v. 15.

CAPVT IX.

Quomodo diversi suis tentationibus vel resliterunt, vel cesserint, exemplis docetur.

HIc temporis vel rei gestæ seriem & connexionem attendere non est animus. Ordo nobis hîc erit optimus, qui confusus. Hæc, illa, aliáque mixtim, prout occurrerint, narrabimus. Auctores singulos fidelibus notis laudabimus; penes illos sit fides rei quam narrant. Verè dixit Augustinus: *Major est adjutor, quàm tentator.* Quòd è sequentibus etiam liquebit.

Aug. to. 10. serm. 160. cap. 4. mihi pag. 330.

§. I.

PVella quendam è juvenibus deperibat, sacerdoti tamen illi, cui conscientiam crediderat, bene monenti obtemperabat. Quodam mane adeò urgebat tentatio, ut jam sibi videretur impotens sui, quæ diutiùs tot cacodæmonis insultibus obsisteret. Itaque jam pæne ex toto victa moliendo facinori se accingit, cùm ecce oculis etiámnum semihiantibus à somno, Christi Crucifixi & velut recèns vulnerati species sese ingerit, affatúrque patriâ linguâ *, quàm latinè sic reddimus: Me ama: ego sum formosus, bonus, suavis & verè nobilis. Dixit, & cum objectâ effigie simul diuturna tentatio evanuit.

Thom. Cantipra. lib. 2. c. 57. nu. 15. Quomodo puella quædam meretrix ex toto victa tironibus suis resistere it.

* *Mey dyn aymer je sui, treshaut, Bon, & doux, noble & bien.*

Beati Faronis uxor cùm in Parthenonem marito consentiente jam Christo denupsisset, recidescentem mariti tentationem tam prudenter, quàm sanctè repressit. Cùm enim semel iterúmque ac tertiùm invitaretur à viro, illa tentationis vim in conjuge subodorata, ut suæ ac illius pudicitiæ consuleret, cultiori veste positâ, & attonsis capillis horrido se cilicio induit, eáque cultûs deformitate viro se obtulit visendam. Ille ad aspectum tam inopinatum cohorruit, ingemuitque tentationi eatenus se cessisse: sic ab opere illicito se ipsum generosè revocavit.

Zach. Lippelius tom. 4. die 28. Oct. pag. 331. Uxor Beati Faronis.

S. Hugo è Carthusiano Lincolnensis episcopus virginæ puritatis amantissimus fuit. Sed tantò magis illi cacodæmon insidiatus innumeris eum tentationibus Carnis diu noctúque fatigavit. At Hugo has diaboli oppugnationes, vigiliis, precibus, jejuniis, flagellis, ciliciis insigniter repulit. Panis aridus in cibum, fontana illi fuit in potum. Quadragintadiali jejunio ter quavis hebdomade solo pane & aquâ contentus victitavit.

Idem ibid. Nov. S. Hugo Lincolniensis episcopus.

Pallad. c. 20. apud Rosvveyd. mihi pag. 722.

B. Macarius Alexandrinus, Palladio teste, cùm membrorum & carnis rebellionem sentiret, sex mensibus in Scetes palude vestibus rejectis sedit & culicum * morsibus se exposuit, qui eum tam immaniter & fœdè vulnerarunt, ut aliis leprosus videretur, è solâ voce agnitus. Nimirum hoc est tentationes pellere.

* *Culices silvestres instar, & qui vel apes pellem perforent.*

B. Hilarion etiámnum juvenis opertus sacco (hæc ei vestis) quindecim tantùm caricas (hoc illius prandium & cena fuit) post solis occasum comedebat. Diabolus virtuti tantæ invidens, & à puero se victum cernens titillabat juveniles sensus, & Macario ignota voluptatis incendia subjiciebat. Incipiebat tiro Christi cogitare, quod nesciebat, & ejus rei pompam animo volutare cujus experimenta non noverat. Iratus itaque sibi & pectus pugnis verberans, quasi cogitationes cæde manûs posset excludere: Ego te, asselle, inquit, faciam ut non calcitres, nec enim te hordeo alam sed paleis: fame conficiam & siti, gravi onerabo pondere, per æstus & frigora exagitabo, ut potiùs escam cogites, quàm lasciviam. Igitur herbarum succo & paucis caricis post triduum vel quatriduum deficientem animam sustentabat. Interim fervebat opus. Aut enim laboribus vacabat, aut precibus, ut inediæ fatigationem labor operis duplicaret.

Hieron. in ejus vita, cap. 3. B. Hilarion.

Idem

Idem ferè contigit Senensi Virgini Catharinæ, quæ dæmonum in turpissimas quasque species se transformantium pugnam sustinens, vix ullo loco, ne sacro quidem potuit consistere, quin fœda illa monstra obscœnos gestus oculis, impuras voces auribus ingererent, exosasq; nuptias & detestanda flagitia suaderent. Multo tempore molestissima hæc probatio duravit. Illa interim corpus jam notis suppliciis afficere non cessavit. Nec dæmonum minæ defuerunt. Fuit qui vociferaretur: Non cessabimus, quod probè nôris, te dies noctésque infestare, dum nobis consentias. At illa è cælo firmata: Has, inquit, molestias omnes pro Domino Jesv perpeti, jucundum mihi erit, quamdiu illi visum fuerit. Placuit Christo tam prompta virginis ad divinos nutus conformatio. Mox hostilis cacodæmonum acies in fumum abiit. Jámque Christus spectatoris personâ positâ, solatoris induit. At illa sordium priorum, quas cogitatione volverat memor, ac pudicè metuens, ne iis animum contaminasset, in has voces erupit. Ubi obsecro, mi Domine, fuisti, cùm animus meus tot spurcitiis scateret? Cui Dominus: In corde tuo. Catharina denuo: Et quî fieri potuit, ô mi amantissime Jesv, ut esses in corde meo tot fœdis cogitationibus infecto? sed responsum tam candidè quærenti: Cogitationes illæ gaudiúmve an mœrorem tibi pepererunt? Mœrorem summum, ait illa. Atque hoc, inquiebat consolator, effecit mea præsentia, quâ destituta, spurcitiis illis fuisses oblectata. Conari talia repellere, nec posse, mœrorem adfert. Nec ego pœnis, sed voluntate pœnas fortiter perferente delector. Neque tu tuâ, sed virtute meâ certasti. Dilatum tibi præmium differendo crescet.

Catharina Senensis. Surius to. 2. die 29. Aprilis.

§. II.

Hic opportunè possim attexere? Abbatem Pæmenem, * interrogans quispiam è religiosis ascetis: Quid faciam, mi Pater, ajebat, & Impudicitiæ, & Iracundiæ tentationes me graviter exercent; quid faciam obsecro? Cui prudenter Pæmen respondit: Quid fecit David, cùm veniret leo vel ursus, & tolleret arietem de medio gregis? Percutiebat, suffocabat, interficiebat illos. Ita tu quoque, mi frater, leonem tuum, tuam iracundiam percute submissione, suffoca mansuetudine; ursum tuum, carnem tuam in libidines pronam laboribus & jejuniis exarma. Ita cum his leonibus & ursis ludendum. Optimè dixit Petrus Chrysologus: *Nemo quasi concretis sibi vitiis obsequatur, & quod est criminis, esse putet naturæ; sed sumat cum Christo arma jejunii, criminum propellat impetus, prosternat castra vitiorum, ut de ipso auctore mali sumat, Christo dimicante victoriam. Diabolo victo vitia nihil valebunt.*

Pæmen Abbas. Sigon. Antiq. tom. 16. apud Rosvvey. pag. 467. vide, Patrem. l. 2. c. 17. ref. 35. Tolli. c. 47. n. 2. & 3.

Chrysologus serm. 11. mihi pag. 34. Amissi jejunii crimina imperus sint prohibendi.

Marcus eremita, Palladius cap. 21. apud Rosvveyd. mihi p. 725

riò velit. Quem verè pœnitet peccasse, non solùm commissis noxis à Deo veniam, sed etiam ne eas denuo committat, opem obtinet largissimam.

Sed hæc est libidinis & luxuriæ expavescenda nequitia, quem ea semel robustiùs illaqueavit, non facilè ampliùs dimittit, nisi ligatus rumpat hæc vincula serio conatu. Hîc opus est vi. Languidè velle nolentis est.

Præclarè dictum à priscis: Voluntariam prædam diabolus etiam inermis expectat. Cave, quisquis es, Asmodæum libidinis præsidem. *Halitus ejus*, quod Jobus dixit, *prunas ardere facit, & flamma de ore ejus egreditur*. Dæmonis ad libidinem instigantis, non solùm teter & pestilens est anhelitus, sed adeò acer & igneus ut humanam mentem fœdi amoris incendio nimium quantum inflammet. Igitur *tentatio*, monente Paulo, *vos non apprehendat nisi humana*. Quod Gregorius Magnus explicans: *Ac si apertè diceret*, inquit, *Humanum quidem est tentationem in corde perpeti, dæmoniacum verò est in tentationis certamine & in operatione superari.*

Iob cap. 41. vers. 12.

1. Cor. c. 10. vers. 13. Greg. par. 1. Pastoral. cap. 11. mihi pag. 150. Climac. gradu 20. mihi pag. 195. Cassian. collat. 19. cap. 16.

Joannis Climaci sententiâ, vitio nullo ita delectantur dæmones, uti fœtore luxuriæ, & nostri corporis inquinatione. Hinc Cassiani salubre monitum: Impurioris affectûs recordationem vel tenuissimam minimè admittendam.

§. III.

B. Vincentius Ferrerius. *Surius die 5. Aprilis, è Petro Rausano Panormitano, l. de vitâ Vincentii, c. 9.*

B. Vincentio Ferrerio diabolus se spectandum præbuit venerandi senis habitu, barbâ ad usque genu promissâ, sed è consilio quod suggesserat, coluber tortuosus est agnitus. Sic autem loquebatur larva stygia: Ego, ajebat, unus sum è priscis patribus, qui Ægypti solitudinem annis compluribus magnâ vitæ austeritate habitavi. Juventutem ad Mundi leges inter delicias & voluptates exegi. Hinc senectutis vera & constans pœnitentia est secuta. Tu igitur mihi seni tot annorum usu pollenti tutò crede, & præmaturam, quam orsus es corporis castigationem defæcato senio reserva saluberrimo consilio. Paratissimam habemus Dei veniam, vel ad unicam pœnitentis vocûlam. Vincentius è dictis stygias fraudes subodoratus: Jam novi, ait, antique serpens, tuos sibilos. Abi, nihil persuades. Deprehensum se cernens dæmon non sine fœtore ac ejulatu grandi evanuit. Sed brevi rediit Avernalis hic lavernio, solâ voce tectus. Dum enim precaretur Vincentius, velut è cælo missam vocem audiit: Non omnes possumus esse virgines. Hoc voluit Acheronticus impostor, Vincentii decretum in servandâ castimoniâ expugnare. Hîc athleta Christi ardentiùs precari, divinæ Matris Virginis patrocinium ambire, & auditæ vocis sensum poscere. Ita demùm audiit non fallax, cæleste monitum: Tu autem cautus esto, & animo constanti perseverato: Virginitas sine luctâ & pugnâ non defenditur.

B. Ignatius Lojola.

B. Ignatius Lojola postquam difficili peregrinatione in Palæstinam defunctus in Hispanias rediit, non fuit consilium, reliquam ætatem sine litterarum cultu degere: nempe si quam Orbi laboranti opem ferre, Deóque impensius obsequium probare vellet, intelligebat esse cum studio virtutum subsidia scientiarum etiam conjungenda. Proinde annos jam natus triginta tres aggreditur prima linguæ Romanæ elementa condiscere: eámque ob rem in disciplinam se Hieronymo Ardebalo tradidit, viro probo in paucis & humano, grandis prærextatus. Hîc verò minimè otiatus artifex infernus, sed futuri sagax, magnis conatibus hoc sibi agere sumpsit, ut hæc Ignatii cœpta quàm primùm impediret. Eam ad rem conficiendam, in varios se vultus identidem abdere, aliásque fraudes ex aliis ducere nunquam omittebat, in hunc præcipuè adversarium ingeniosus. Cùm enim Ignatius nominum & verborum inflexiones memoriæ mandare laboraret, tanto splendore illustrabatur animus ad capienda cælestia, ut novi nihil posset ediscere, & quod jam antè memoriæ traditum erat, facilè totum effligeret. Neque videbatur Ignatius omni studio animique contentione tam amœnas & sublimes cogitationes posse excludere. Ita novitate tanti luminis perculsus: Quid hoc rei est, inquit, cùm oro, cùm exomologesin obeo, cùm Eucharistiam sumo, cùm totus ad divina vigilare contendo, tantum divini luminis se neutiquam offert; cùm tracto puerilia, & de Deo propter Deum non cogito, tam speciosæ imagines, tam miræ illustrationes menti occurrunt. Agnosco callidissimi hostis solitam vafritiem, agnosco nequissimi veteratoris fimbriatas fallacias: à discendis litteris avocare nititur. Ut igitur diaboli à studiis nequiter avocantis consilium eluderet, præceptorem suum adiit, eique dæmonis tentamenta exposuit, & novam in proximum biennium assiduitatem pollicitus (modò panis & aqua in victum suppetat) fidem suam obstrinxit. Unà ad præceptoris pedes se abjiciens, etiam atque etiam rogavit, ut sese haud aliter atque puerum, sicubi minùs diligens deprehenderetur, castigaret. Ita ille tantò maximè in incepris pergebat, nec patiebatur, ut ullam aliquando studiorum omissionem stygiis larvis gratificatus videretur.

Astutissimus est tentator ex orco, qui non refugit, per dispendia etiam lucrari. Quemadmodum is, qui latrunculis ludit, subinde locum adversario cedit, & unum aliquem latrunculum è suis auferri sinit, ut ipse duos aut plures subducat collusori: ita diabolus honesta suggerit & utilia, ut iis tegat noxia, voluptates offert, sed tectas, ita perituras, ut tamen faciliùs rapiat æternes.

Josaphatus Regis Abenneri filius. *Damascenus de vitâ Josaphat. cap. 30.*

Josaphatus regis Abenneri filius inter puellare famulitium, quod ei pater nequissimo consilio adhibuit, de Castitatis constantiâ gravissimè tentari cœpit. At ille sibi auxiliatorem Deum statuens, preces sub vesperam cœptas, ad solis ortum perpetuavit, & unà vim tentationis omnem excussit.

Edmundus Cantuariensis Præsul. *Surius in vitâ S. Edmundi Cantuariensis præsul. die 16. Novembr. cap. 1.*

Edmundus Cantuariensis Præsul etiámnum adolescens ab impudicis feminis ad improbos amores sæpius blandissimè invitatus, admirandâ semper constantiâ repugnavit. Semel etiam virgis insidiatricem excipiens ad frugem correxit.

Bernardinus Senensis. *Surius die 20. Maii in vitâ Bernardini, cap. 13.*

Pari modo Bernardinus Senensis, cùm jam præsenti periculo perdendæ pudicitiæ stringeretur inter angustias & preces, hoc unum reperit consilium: Flagro, quod ad manus tunc erat, invitantem feminam excepit, ut omnem in eâ libidinis ardorem extinxerit.

§. IV.

Martinianus. *Metaphrastes die 11. Februarii.*

Martinianus non procul Cæsareâ Palæstinæ in eremum juvenis secedens à perditâ muliere ad flagitium provocatus jam consenserat lupæ. Subitò ipse sui memor & tribunal cæli metuens raptim mediâ casâ è sparsis sarmentis flammam excitavit, eámque nudis pedibus semel iterúmque insiliit, dum ambustum eum doloris acerbitas humo affligeret. Septem ipsos menses inusta pedum vulnera tenuerunt decumbentem. At æger interim ex hac victoriâ tantum percepit gaudii & voluptatis, quantum ea mulieri primùm admirationis, dein pudoris attulit & emendationis.

Joannes Bonus Mareuanus. *D. Antonin. part. 3. hist. tit. 24. §. 13.*

Haud aliter Joannes Bonus Mantuanus incendium libidinis incendio doloris animosè repressit. Nam assulas cuspidatas unguibus infixit, & manus sic armatas lapidi allisit summo doloris sensu. Adfuit Deus tam legitimè certanti, eúmque solatus in somnis: Confide, ait, perseverabis.

Sara Thebaidis Antistita.

Sara Thebaidis Antistita tredecim annis secum ipsa & contra diabolum acerrimè luctata est orationibus assiduis. Nec tamen ut non impugnaretur, sed ut vinceret, oravit. Sic autem opé divinâ vicit, ut diabolus cogeretur vel invitus proclamare: Vicisti, Sara, vicisti. At illa nil penitus laudis sibi vendicans: Non ego te vici,

vici, ajebat, sed Dominus meus Jesvs. In omni tentatione ad divinam opem confugiendum; omnis victoria Christo soli adscribenda. Uti Joabus regi David civitate Rabbath jam expugnandâ nuntians: *Obside civitatem*, inquit, *& cape eam, ne nomini meo adscribatur victoria.*

2. Reg. c. 12. vers. 28.

Conon Alexandrinus castimoniæ amantissimus sacerdos rebellionem tamen carnis non ignoravit. Et quamvis eum ad certamen animasset divina vox: Tolera & perseverа: Nihilominus ille velut familiariter cum cælo expostulans: Auxilium, ajebat, promissum sæpius non respondet, prout putabam. Ergo mutandus mihi locus evitandis tentationibus tam infestis. Jam abituro Joannes Baptista viri hujus tutelaris divus se objecit cum his vocibus: Si aversaris pugnam, perdidisti coronam. Conon igitur resumpto animo id egit, non ut feriaretur pugnâ, sed ut potiretur victoriâ, & non privaretur coronâ. Non meretur miles donativum & stipendium, qui detrectat prælium.

Conon Alexandrinus.

Gregorius Nazianzenus vir sanctissimus illibatam virginitatem à puero non difficulter tuitus, jam senex & podagræ & aliarum ægritudinum molestiis vexatus, à diabolo nihilominùs variè impugnatus, illum ipsum castimoniæ florem multis lacrymis, precibus, vigiliis, jejuniis, meditationibus, aliisque corporis rigoribus, quod de seipso testatur, non sine grandi luctâ defendit. Nimirum ita disponit Deus, ut exercitatior miles quantò plus sperat honoris, tantò plus subeat laboris, quàm tiro qui etiamnum expalluerit, cùm suum spectat sanguinem. Ita veterani milites illi se gesserunt. Antonius Magnus ultrices gehennæ flammas, sordidæ libidinum igni opponit. Benedictus seipsum inter urticas & vepres volutat, ut malos animi æstus sopiat. Franciscus nives tractat, ut calores mentis noxios extinguat, Thomas Aquinas rapto ex ignibus titione pugnat, Bernardus ob incautiorem aspectum frigidissimo se stagno mersat. Wolstanus feminæ ad flagitium allectanti colaphum infligit. Hieronymus repugnantem carnem hebdomadarum inedià domat, precando diem nocti jungit, lacrymas fundit, pectus tundit, vigilias extendit, dum reluctantem & invitum somnus opprimat, & ossa malè sibi hærentia nudâ humo asternat. Nota cano. Sed nec recentia desunt triumphati tentatoris exempla.

Greg. Nazianz. Carm. alterius tenuis, Carm. de Calamitate animæ suæ, p. 196. ad Valent. Turin. & Rotomagenses ad An. 389. num. 3.

Antonius Magnus. Benedictus. Franciscus. Thomas Aquinas. Bernardus. Wolstanus. Hieronymus.

Triphati tentatoris recentia exempla:

§. V.

1. De Adolescente Ingolstadii. Anno 1614.

Ingolstadii adolescens ampliùs annum juges stimulos perpessus, quibus ad spurcas voluptates adigeretur, nullam interdiu noctúque quietem capiebat. Legit is Beati Aloisii Gonzagæ res gestas, & preces ei quasdam nuncupavit suimet vigilans custos. Brevi refrixit incendium.

2. De alio Adolescente.

Alius è divinæ Matris Virginis sodalitio clam admotis facibus in flagitium agebatur. Ter illum nocturnâ molitione Orcus impetiverat; jam in virum procerus; mox intra pusionis modum contractus; denique virgine assimulatâ nihil virgineum meditabatur. In his angustiis deprehensus juvenis, quidquid armorum habuit, hosti objicere; Præsidem suam aliquando ingeminare; rursum cruce pectora notare velle, sed irrito fermè conatu. Nam torpebat exanimis pollex, & manus nihil virium retinebat. Ad ultimum lingua suppetias rulit, ut cùm ardenter bis terve inclamasset, (Domine Jesv) rediret manus ad officium, & Sirenum ora in tumum dilaberentur. Nec restinctum tamen eâ fugâ incendium est; sed viventibus adhuc flammis miserè conflagrabat. Lecto igitur sese corripit, abjectúsque humi verberibus castigare corpus incipit. Sumptâ de se voluntariâ pœnâ, cùm per horam extra plumas decubuisset, tandem ab omni incendio liber triumphavit. Subinde vi planè opus, *& violenti rapiunt illud*: quod Christus Agonotheta proposuit castitatis præmium. Necesse est, ut ad omnem hostis occursum animus parati fortiter agere. Pacis tempore consilia belli tractanda sunt: *Quia cum dispositione initur bellum.*

Matth. c. 11. vers. 12.

Prov. c. 24. vers. 6.

Philopæmenes Megalopolitanus Dux Græciæ præcellentissimus tantùm abfuit, otiosus aliquando fuerit, ut cùm solus iter faceret, aut deambularet speculabundus, occurrentium locorum situm contemplaretur, seipsum ita explorans: Quid si tibi exercitum ductanti hostis hîc fiat obvius? Aut à lateribus eò repentè velut ex insidiis consurgat? quâ figurâ aciem instrues? Continendus miles, an illico signa inferenda? Quòd si continendus, quomodo præsidiarios locabis, ut subsidia dispones? Fecit ejusmodi meditatio, ut in præstantissimis Græciæ ducibus Philopæmenes sit demum celebratus. Ita planè animus ad excipiendas tentationes parandus, & ante pugnam seriò commeditandum: Quid si talis aut talis me tentatio invadat, quid opus facto? quomodo me geram? quibus armis resistam? quibus auxiliis hostem repellam? Hinc ad bellum erudimur, hinc animus crescit: hinc nascitur in tentatione constantia, quam in optimis pugnatoribus illis spectamus. Castissimus Joseph in impudicæ dominæ manu pallium relinquit: Bartholomæus non pallium solùm, sed & pellem pro Christo impendit pugnæ; pectus Agatha, dentes Apollonia, oculos Lucia, multi capita, Ignatius Antiochenus, Jacobus Intercisus, aliique membra omnia. Et juvenis ille fortissimus, qui, Hieronymo teste*, in hortulo amœnissimo inter flores ad lectulum plumis mollissimum nexu serico blandè alligatus à formosâ pellice omni blanditiarum genere ad amores improbos stimulatus, quàm generosè tamen restitit, quàm viriliter pugnavit, quàm gloriosè vicit? suam namque libertatem captivus etiam & inter vincula invenit. Cùm enim manibus pedibúsque vinctis negaretur omnis ad pugnam motus, nec alia arma ulla suppeterent, fauce pro pharetrâ, linguâ pro telo usus, suam ipse linguam suis dentibus præmorsam in lupæ os impurum expuit, victoriâ multò illustrissimâ, æternùm prædicandâ.

* *In vitâ Pauli Eremitæ primi, Surius die 10. Ianuar. Vide Nicetam meum, l. 1. c. 1. & 2.*

Ita olim tentatio ignem experta est in Mutio, paupertatem in Fabricio, exilium in Rutilio, tormentum in Regulo, venenum in Socrate, mortem in Catone. Ita Christiani sanguinis heroës ac heroides causâ meliori fidem suam inter tentationes acerrimas Christo suo probarunt: *Ludibria & verbera experti, insuper & vincula & carceres; lapidati sunt, secti sunt, tentati sunt, verè fortes facti sunt in bello. Deus tentavit eos, & invenit illos dignos se.*

Hebr. c. 11. vers. 34. 36. & 37. Sap. c. 3. v. 5.

EPILOGVS DICTORVM DE TENTATIONIBVS.

Athanasius in ejus vitâ, cap. 20. & cap. 58. apud Rosuveyd. mini p. 47. & 59.

Antonius Magnus vitæ jam peractæ additurus Epilogum, ad suos versus: Vos, inquit, ô viscera mea admoneo, ne tanti temporis laborem repentè perdatis. Varias dæmonum nostis insidias; vidistis eorum & impetus feroces & vires effeminatas. Jesvm suspirate, & credulitatem nominis ejus vestris figite mentibus, & à certâ fide universi dæmones fugabuntur. Si alacres fuerimus in Domino, & futurorum bonorum cupido nos succenderit; si semper omnia manibus Dei committamus, nullus dæmonum ad expugnandum valebit accedere. Una est ratio vincendi inimicum, lætitia spiritalis, & animæ semper cogitantis Dominum jugis recordatio.

Hæ voces geminæ: Domine Jesv: planè sunt aureæ, etsi sint solæ, in omni tentatione usurpandæ.

Cohortatio tentatis crebrius instillanda.

Hæc morientis optima cohortatio tentatis crebriùs instillanda. 1. In tentatione Jesvm inclama. 2. Omnia

nia divinæ providentiæ committe. 3. Futuras cæli voluptates considera. 4. Alacer & lætus resiste, contemne dæmonem, & vicisti. Fuge omnem libidinem, & tua est palma.

§. I.

Deut. c. 33. v. 26. & 27. POllicitus olim Moses: *Non est, inquit, Deus alius, ut Deus rectissimi; ascensor cæli auxiliator tuus: Ejiciet à facie tuâ inimicum, dicetque: conterere.* Tu tantùm occasiones *Eccli. c. 12. vers. 13.* & pericula peccandi fuge. *Quis enim miserebitur incantatori à serpente percusso, & omnibus qui appropiant bestiis? sic & qui comitatur cum viro iniquo, & obvolutus est in peccatis ejus.* Vir iniquissimus tentator diabolus, peccata illius sunt tentationis, & peccatorum, quas offert, occasiones. Tu cave hunc virum ultro comiteris, cave peccandi periculis teipsum ingeras & involvaris. Quis enim miserebitur tui, si loca illa easque domos frequentes, in quibus tentari soles, si cum feminis familiariùs ac blandiùs colloquaris, si mensendas, symposiola, & omne forum escarium tam cupidè sectaris, si omnem oculis licentiam indulgeas? Si legas, si spectes, si audias impudica, & hausto veneno gaudeas. Quis miserebitur tui, si taurum, si *Eccli. cap. 3. vers. 27.* serpentes, si leonem sponte tangas & lædaris? si ames hæc pericula, peribis in illis. Qui tentationi causam dat, culpâ non vacat, multò minus, qui è tentatione non invitus oblectationem percipit, quamvis ei non consentiat.

Hebr. c. 11. vers. 27. Fide reliquit Ægyptum. Psal. 54. v. 8. Matth. c. 2. vers. 22. Moses Ægyptum fugit, cùm in eâ sibi periculum cerneret; Rex David civitatem fugit, & in solitudine mansit, ut Achitophelis perfidiam exiret; Josephus Christi nutritius Judæam fugit, ut insidias Archelai declinaret. Quisquis es, vel umbram peccati fuge. Cùm peccandi occasiones & illecebras non vitamus, cùm tentationibus tam facilè cedimus, illud Judithæ ad Acheronticum *Judith c. 11. vers. 15.* Holofernem usurpare poterimus: *Et non latrabit vel unus canis contra te.* Gregorio teste, *Greg. lib. 9. Moral. c. 29. mihi p. 533.* dimissus sibi, cujuslibet tentationis aurâ raptatur. Miser iste impeditur, & non resistit; diripitur, calcatur, venditur, & nil contra mutit. Sed cur, ô ignave & defes homo, pugnare non vis? Hîc sanè aliud non habes dicere quàm inertissimum illud: Nolo laborare, nolo carnem fatigare, nolo genium suis commodis fraudare. At verò, qui pugnare non vult, non vult vivere, non cupit vincere, recusat coronari. *Psal. 138. vers. 23.* Ad pugnam promptissimus fuit, qui dixit: *Proba me, Domine, & scito cor meum, & vide, si via iniquitatis in me est.* *Aug. tom. 8. in psal. 59. mihi p. 249.* De totâ hominis vitâ verissimè pronuntians Augustinus: *Vita nostra,* inquit, *in hac peregrinatione non potest esse sine tentatione: quia profectus noster per tentationem nostram fit, nec sibi quisquam innotescit nisi tentatus, nec potest coronari, nisi vicerit, nec potest vincere, nisi certaverit, nec potest certare, nisi inimicum & tentationes habuerit. Hoc scio, quia tentatio est vita humana super terram.* Neque verò Jobus dixit: Multæ sunt in hac vitâ tentationes, sed, tota hæc vita tentatio est nequissima. *Deus meus,* clamat Augustinus, *libera nos ab adversario nostro quotidiano, qui sive dormiamus, sive vigilemus, sive comedamus, sive bibamus, sive quodcunque opus operemur, omnibus modis instat die ac nocte, fraudibus & artibus, nunc palàm, nunc occultè, sagittas venenatas contra nos dirigens, ut interficiat animas nostras: & tamen, Domine, pessima insania nostra: quia cum continuo videamus contra nos draconem ore aperto paratum ad devorandum, nihilominus dormimus, & lascivimus in pigritiis nostris, tanquam securi ante eum: qui nihil aliud desiderat, quàm ut nos perdat. Inimicus ut occidat semper vigilat sine somno, & nos ut custodiamus nos, nolumus evigilare à somno. Ecce tetendit ante pedes nostros laqueos infinitos, & omnes vias nostras variis replevit decipulis ad capiendas animas nostras. Et quis effugiet? Laqueos posuit in divitiis, laqueos posuit in paupertate, laqueos tetendit in cibo, in potu, in voluptate, in somno, & in vigiliâ: laqueos posuit in verbo & in opere, & in omni viâ nostrâ.*

Profectus noster fit per tentationem. Idem in ps. 118. mihi pag. 549. Vita hæc teratio est merissima. Aug. tom. 9. Soliloq. c. 16. mihi p. 378.

Tota igitur vita non solùm tentationibus referta, sed tentatio est assidua. Sed forsan quæras: Quæ autem tentatio est omnium gravissima? Nullam habere tentationem. *Si enim,* ait Augustinus, *nunquàm tentaris, nunquam probaris. Nonne melius est tentari & probari, quàm non tentatum reprobari?* Tentatio non est peccatum, Hieronymo teste, sed peccati initium. Non enim sensu tentationum vincimur, sed consensu. Suavius est autem vicisse tentationem, quàm consensisse. Porrò crebra tentationum victoria illustre Prædestinationis argumentum est. Policetur Veritas: *Vincenti dabo manna absconditum.* Si cui de singulis in tentatione victoriis promitterentur centum aurei, quis non paratissimus ad pugnam, quis non animosissimus in hostem iret? quis non ad sanguinem usque resisteret? O sordidissimi mortalium, ne dicam, ô stultissimi: si pugnæ præmium, si victoriæ donativum ponerentur centum aurei, nec pugnandi alacritas, nec vincendi cupiditas ulli deesset: Hîc verò cælum proponitur, felicitas æterna promittitur victori, & eâ quidem fide quæ nesciat fallere: Promisit enim, qui dixit: *Cælum & terra transibunt, verba autem mea non præteribunt.* Hic, inquam, vincenti promittitur cælum, & tamen ignavissimè agimus. Opulentissimus promissor Christus divitias & delicias immortales, sempiternas pollicitus est, vel seriò solùm volenti vincere, & tamen etiamnum torpemus atque sæpissime nec vincere volumus, nec repugnare. Ignavia fœdissima & vel sola inferis digna. Pro centenis aureis, pro auri libra unicâ vitam discrimini objicimus, & sanguinem prodigimus, pro cælo, pro thesauris infinitis æternùm possidendis languidissimè agimus, marcemus, foscitamus frigidissimè Christiani. *Nunquid non ita est, à dicit Dominus.* Nota sunt Christi cohortantis verba: *Fili, non te fragant labores, sed mea promissio in omni eventu te roboret & consolatur. Non diu hic laborabus, nec semper doloribus gravaberis. Modicum est & breve, omne quod transit cum tempore. Age quod agis; fideliter labora, ego ero merces tua. Sustine viriliter contraria: digna est huic requiem, quomodo pervenies ad æternam? Non ponas te ad multam requiem, sed ad magnam patientiam. Pro amore Dei debes omnia libenter subire, labores scilicet & dolores, tentationes, vexationes, anxietates, necessitates, infirmitates, injurias, obloquutiones, reprehensiones, humiliationes, confusiones, correctiones, & despectiones. Hæc probant Christi tironem, hæc fabricant cælestem coronam.* Ergo, quod Jobus monet, *memento belli.* Quomodo autem hoc bellum sit gerendum, diversas supra præceptiones dedimus. In auctarium memoriæ firmandæ, has breviores, quas Joannes Picus Comes Mirandulanus * tradit, apponimus.

Num. 11. Amos cap. 3. vers. 11. & Aggæi 2. vers. 4. Thomas à Kemp. imit. Christi, lib. 3. cap. 47. 20. & 2. Idem lib. 3. cap. 35. n. 2. Pro amore Christi omnia libenter subire debemus. Job cap. 40. vers. 37.

§. II.

Duodecim Regulæ in Tentationibus observandæ.

I. SI via virtutis videatur aspera, si molesta & difficilis pugna, scito in quâvis re aliâ multa esse dura & difficilia, Sapientissimo Ecclesiastæ: *Cuncta res difficiles.*

II. Quanta in gratiam mundi, corporisque tui & agis & pateris? Nihilne pro Christo agere, nihilne vis pati? Paulus præcipiens: *Humanum dico,* inquit, *propter infirmitatem carnis vestræ: sicut exhibuistis membra vestra immunditiæ & iniquitati ad iniquitatem: ita nunc exhibete membra vestra servire justitiæ in sanctificationem.*

III. Stultum est credere ad cælum sese aliter quàm vi perventurum. Clarum nimis Christi pronuntiatum: *Violenti rapiunt illud.*

IV. Conare quàm maximè potes, conformis fieri imaginis filii Dei. *Non enim habemus Pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris: tentatum autem per omnia pro similitudine absque peccato.*

V. Fiduciam summam in Christum auxiliatorem jacta. *In eo enim,* ait Paulus, *in quo passus est ipse & tentatus, potens*

Ecclesiast. cap. 6. vers. 8. Secunda. Rom. cap. 6. vers. 19. Tertia. Matth. c. 11. vers. 12. Quarta. Hebr. cap. 4. vers. 15. Quinta. Hebr. cap. 2. vers. 18.

* Et elegans & scriptum multo illustrissimum Auctor olim Anno 1494. 1. Regulis in tentationibus observandis.

potens est, & eis qui tentantur, auxiliari. Hortatur & ipse Christus: *Confidite, ego vici Mundum.*

Num. c.16. vers. 33. Sexta.

VI. Superatâ tentatione unâ, expecta aliam. *Quoniam per multas tribulationes* (& tentationes) *oportet nos intrare in regnum Dei*; non per unam tantùm, aut alteram. Nam, *In omnibus tribulationem patimur. Qui autem perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.*

Act. c.14. vers. 21. 2. Cor. c. 4. vers. 8. Matt. c.24. vers. 13. Septima.

VII. Non vincendus tantùm diabolus, sed etiam illius oppugnatio ad utilitatem trahenda, ut sit salus ex inimicis nostris. Exempli gratiâ; Superbiæ tentatio Humilitatis sit commonitio; irritamentum gulæ caussa sit abstinentiæ; lenocinium lasciviæ, stimulus sit pudicitiæ. Ita *diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.*

Rom. cap. 8. vers. 28. Octava.

VIII. Sic pugna, quasi post pugnam habiturus sis pacem perpetuam; sic vince, quasi mox iterum pugnaturus; dæmon non feriatur. Dum autem luctaris & pugnas, Christum crucifixum non tantùm cogita, sed amplexare, stringe, cruentos pedes osculare. Et scias inter Christum & diabolum te stare medium, ut pro alterutro pronunties, & vel Christi, vel diaboli partes defendas. Vociferatur olim Elias: *Si Dominus est Deus, sequimini eum: si autem Baal, sequimini illum.* Si Christum amas, propugna Christum. Si tuus Dominus est diabolus, diabolum ergo sequere.

B

3. Reg. c.18. vers. 21.

Nona.

IX. Peccati occasiones semper fuge. Hesiodi scitum est: Si juxta claudum habites subclaudicare disces. Fuligine notabitur, qui culinam frequentat; farinâ volaticâ conspergetur, qui molendinum non vitat; peccato vicinissimus est, qui peccandi occasiones non declinat. Illecebrosius sceleri nihil potest dulcedine vitiorum. *Qui tetigerit picem, inquinabitur ab eâ.*

Eccli. c.13. vers. 1.

Decima.

X. Principiis occurre. Flecte ramum dum tener est; jam validum non flectes sed franges. Ita puerilem indolem maturè corrigendam monens Siracides: *Curva cervicem ejus in juventute*, inquit, *& tunde latera ejus, dum infans est, ne forte induret, & non credat tibi, & erit tibi dolor animæ.* Ita tentationi, antequam invalescat, obsiste: inveteratam difficillimè aut nunquam expelles. Ergo, *velociter spolia detrahe, citò prædare.* Tentationem quamcunque principio sui exarma, aut amissa est victoria.

Eccli. c.30. vers. 12.

Jac. 4. v. 1.

C

Undecima.

XI. Conare semper victor evadere. Dulcius est tentationem vincere, quàm peccato succumbere. In hunc finem parata & in promptu semper habeas remedia contra omne vitiorum genus, præcipuè adversus domesticum & familiare tibi vitium, quod te magis, quàm alia, inficit & impedit. Vince teipsum in eo, in quo minimè vis vinci. *Securis ad radicem arboris ponenda.* Quotidie te ipso fias fortior, quemadmodum *David proficiens & semper seipso robustior.*

Matth. c. 3. vers. 10. 2. Reg. c. 3. vers. 1.

Duodecima.

XII. Tentatus bonas actiones ne omittas ob tentationis molestiam, nec facilè nova ineas consilia, sed in antiquis persevera, donec remittat tentatio. Homo tentatus nec aliis nec sibi bonus est consiliarius. In tentatione tristitiam, impatientiam, & animi perturbationem omnémque immoderationem summo studio cave. Hîc maximè mediocritati studendum: medium, non extrema tenuêre beati. Nec enim ad dextrum, nec ad sinistrum latus exorbitandum, medio tutissimus ibis. Ante omnia vide, ut tibi ipse sis præsens, & divinæ voluntati eò subjectus, ut animo possis dicere: Domine JESV, divinâ permissione tuâ omni contentissimus sum; placet mihi, quidquid in me decernis; quantumcunque afflictus aut tentatus sim. Unica voluntas tua, & vel nutus à te unicus mihi instar mille decretorum est. Fiat, *non quod ego volo, sed quod tu.* Hæc voluntas hominis divinæ sic conjuncta vincit omnes diabolos. *Vir* (ita) *obediens loquetur victoriam.*

D

Matth. c.14. vers. 36. Prov. c. 21. vers. 28.

§. III.

Nemo cùm tentatur, à Deo se desertum arbitretur, aut minùs charum acceptúmque Deo.

NEmo igitur cùm tentatur, à Deo se desertum arbitretur, aut minùs charum acceptúmque Deo. Tobiæ seni dictum scimus ab Angelo: *Quia acceptus eras Deo, necesse fuit, ut tentatio probaret te.* Tentatio cos virtutis, humilitatis nutrimentum, spei & orationis stimulus, mentis illuminatio, futuri argumentum præmii. *Tentatio*, ait Augustinus, *probatio est, non ad peccatum seductio: nec ideo probatio ut Deus noverit, sed ut ipse ipsis hominibus ostendat, quo humiliores fiant ad petendum adjutorium, & agnoscendam gratiam. Nescit se homo, nisi in tentatione discat se. Cùm autem didicerit se, non neglegat se. Se enim se negligebat latentem, non se negligat notum sibi. Petrus qui ante tentationem præsumpsit de se, in tentatione didicit se. Si Deus tentat, ut doceat, diabolus tentat, ut decipiat. Cui tamen nisi ille qui tentatur, dederit locum, inanis tentatio & irridenda repellitur.* Non facilè nocet, dum displicet tentatio.

Tur à Deo deseritur. *Tob. cap.12. vers. 13. Aug. tom.4. Quæst. super Exodum. qu. 58. mihi p.62. Idem tom.8. in psal. 36. mihi p. 112. Idem to. 10. ser. 72. mihi pag. 230.*

Clearchus Lacedæmoniorum dux egregio dicto militarem disciplinam continebat, identidem exercitûs sui auribus inculcando: *A militibus Imperatorem potiùs, quàm hostem metui debere.* Quo apertè denuntiabat futurum ut spiritum pœnæ impenderent, quem pugnæ acceptum ferre noluissent. Hoc à duce præcipi nemo miretur, cùm & ipsæ matres filios ad præliandum exituros monerent, ut aut vivi cum armis in conspectum suum venirent, aut mortui in armis referrentur. Hinc illud fortissimum Lacænæ dictum, cùm filio scutum traderet: Aut cum hoc, aut in hoc redi. Aut enim vince, aut gloriosus occumbe. Idem sibi ipse dixerit tentatus: Aut vincendum, aut moriendum.

Valer. Max. l. 2. c. 2. circa finem.

Idcirco non inimicus humanæ gentis diabolus est pertimescendus, sed Imperator Christus. Nam quisquis subeundam pro Christo detrectaverit pugnam, non effugiet pœnam. Pugnandum est. De Duce Christo ad pugnam præeunte Tertullianus: *Ipsum Dominum*, inquit, *post lavacrum statim tentationes circumsteterunt, quadraginta diebus jejuniis functum.*

Deus timendus, non diabolus.

Tertull. l. de Baptismo.

Iraque parandus est animus ad multiplex luctamen, ad continuas tentationes. Quod etiam vetus verbum monuerit: *Ne incalceatus in montes.* * Via ad virtutem, ad cælum ardua, confragosa, tribulis & spinis obsita. *Arcta enim est via, quæ ducit ad vitam.* Quapropter quod Ecclesiastes præcipit, *custodi pedem tuum ingrediens domum Dei, & appropinqua, ut audias.* Nec novi quidquam, nec miri est, hominem omnigenis & perpetuis tentationibus incursari.

* *Ex Euripide* ἐν νόμασι, *Bulte, cave pedibus nudis perrepere montem, quippe rubis tribulisque viret mons undique densus.*

Aufert coronam, qui aufert adversarios.

Matth. c.7. vers. 14. Eccles. c.4. vers. 17. Lamb. vet.

Æterna Sapientia quos amat, hos probat, exercet, tentat, recognoscit, indurat. Res certa ex oraculis divinis. Eos autem, quibus videtur indulgere, quibus parcere, molles venturis malis servat. Erratis enim, si quem judicatis exceptum à tentatione: veniet ad illum diu quietum sua portio, veniet vel sub ipsum vitæ terminum. Quisquis videtur dimissus esse, dilatus est. De sapientiâ æternâ differens Siracides: *Quoniam*, inquit, *in tentatione ambulat cum eo, * & in primis eligit eum. Timorem, & metum, & probationem induces super illum: & cruciabit illum in tentatione animæ suæ, donec tentet eum in cogitationibus suis, & credat animæ illius.* Quem Deus inter primos sibi vult adsciscere, eum revera in deliciis non habet, severè examinat, variè tentat, asperè duréque tractat, ad quotidianas ferè pugnas exturbat. Hinc optimum quemque aut paupertate, aut animi curâ & dolore, aut malâ valetudine, aut aliorum vexatione, aut aliis incommodis experitur, ut multifariè tentatus, & Deum rectiùs & seipsum nosse incipiat. Nimirum flores suaviùs halant contacti, odores non fragrant, nisi prunis injecti. Unguenta non redolent nisi commota, aromata non sentiuntur nisi contusa. Abel esse non poterit, quem malitia Caini non exercuerit. *Abraham*, quod Siracides affirmat, *in tentatione inventus est fidelis.* Tentationes Abrahami graviores decem numerant Hebræi. 1. Jussus proculà patriâ & cognatis in terram ignotam proficisci. 2. Jussus est ob grassantem in Canani-

*Eccli. cap.4. v.18. & 19. * Cum homine tentando.*

Amicos Deus severè examinat, & variè tentat.

Eccli. c. 44. vers. 21.

Decem graves Abrahami tentationes: Prima. Secunda.

Tertia. nanitide famem, in Ægyptum peregrinari. 3. Uxor ei à Pharaone ablata; ipse subiit periculum vitæ, uxor pudicitiæ. 4. Ob famulorum jurgia coactus est divelli à Loto, quem ut filium amavit & aluit. 5. Ad liberandum Lotum captivum contra quatuor reges in aciem descendit. 6. Agarem, quam in uxorem duxerat, à Sarâ compulsus est domo ejicere. 7. Jam nonaginta novem annorum senex cum omni familiâ virili jussus est circumcidi. 8. A rege Abimelech abstracta ei est uxor. 9. Receptam Agarem jussus est rursum cum Ismaële filio ædibus expellere. 10. Jussus est Isaacum filium multò charissimum immolare in victimam. Horribilis prorsus, & omnium gravissima tentatio: in hac ipsâ tamen inventus est fidelis. Luctatus est secum ipse Abraham, & seipsum oppugnavit, & verò etiam seipsum fortissimè vicit.

Quarta. Quinta. Sexta. Septima. Octava. Nona. Decima.

Pugnandum est, Christiani, pugnandum. Tolle pugnam, & sustulisti victoriam; non sit victoria, nec erit corona. Sed qui vincit, non sibi arroget victoriam, sed eam Deo deferat. Hoc & Abraham docet, qui triumpho humilior est factus non superbior.

Ambr. to. 4. l. 1. de Abraham, cap. 3. mihi p. 172.

Duos Pæanas prisci cantabant: Ante bellum Marti, post bellum Apollini. Nos uni & soli Christo JESV canimus Pæana; & ante conflictum quidem Christo tentato, Esurienti, Crucifixo; post commissum verò prælium partámque victoriam Christo Redivivo, Ascendenti, Glorioso.

Beatus Prosper de his victoribus disserens: *Quamvis,* ait, *auxilio Dei steterint, tamen quia in se habebant, unde caderent, ipsorum est meritum, quo steterunt.* Deo conjunctus homo in tentatione stat, sempérque superat & crescit malis, irâque dæmonis in laudes suas fruitur, ejúsque odium in suum vertit promeritum pugnando. Pugnandum est: diabolus inducias non init, nisi suo commodo. Dixerat, Ruffino teste, asceta senex alteri. Ego mortuus sum Mundo. Mox illi alter: Etsi tu dicas: Sum mortuus, diabolus tamen non est mortuus, cujus innumerabiles sunt artes malæ.

Prosper l. 5. de Vocat. gent. c. 28. mihi p. 345.

Ruffinus l. 2. nu. 116. Pelag. libell. 11. n. 78. apud Ros. vveyd. mis. pag. 670.

Quocirca nemo miretur, si quotidie classicum illásque belli voces audiat: *Ad arma, ad arma.* Etsi vel centies, etsi vel millies vincamur, aut vincamus, recurrendum identidem ad arma, & revocatis animis nováque semper alacritate certandum. *Vox belli in terrâ,* inquit Hieremias, *& contritio magna.* Ergo, *Præparate scutum & clypeum, & procedite ad bellum: state in galeis, polite lanceas, & induite vos loricis.* Non est gloriosa victoria, ubi non sunt laboriosa certamina. *Ad hoc enim,* ait Augustinus, *sunt Christiani, ut præsentia superent, & futura sperent.*

Hier. c. 50. vers. 22. Idem c. 46. v. 3. & 4.

August. to. 8. in psal. 90. mihi p. 410.

F I N I S.



AVRI-

AVRIFODINA
ARTIVM ET SCIENTIARVM OMNIVM.

PARS PRIMA.
EXCERPTORVM NECESSITAS, SEV EXCERPENDVM ESSE.

CAPVT PRIMVM.
Quid Excerpere, Quid Excerpta.

EVLOGIVS & FAVSTINVS colloquuntur.

EVLOGIVS Excerpendum ajo, & quidem cum curâ & studio. Ad plenam eruditionem vix ullus est accessus nisi hac semitâ. Quaesieris principiò: Quid est *Excerpere*, quid *Excerpta* nominas? Si de voce lis sit, eam à viris doctissimis usurpatam observo. Justus Lipsius in epistolicâ institutione asserit, ei, cui profectus litterarius cordi sit, opus esse *Excerptis* quibusdam & *Notis* rerum. Ita & Ciceronem audio loquentem: *Excerperes*, inquit, *ex his ipsis, si quid ineſt boni.* Unde Excerpta dicimus, quae veluti flores è libris enotamus.

Ad plenam eruditionem vix ullus est accessus nisi excerptis.

Cic. 3. de officiis.

Quid sit Excerpere.

Est igitur *Excerpere* è scriptore quocumque cum judicio in certas classes id annotare, ac seligere, quod judicetur usui futurum: legere, & nihil seligere, meo judicio, prorsus negligere est. FAVST. Ergo, nihil utiliter legero, nisi calamum, chartam, atramentum ad manum habeam? EVLOG. Ita prorsus censeo: paene omnis lectio perit, quae nihil excerpit. Et en, ut in rem praesentem venias: Hîc mihi Tertullianus Afer eruditissimus scriptor in manu. Sine hujus lectione Cyprianus diem nullum transmittebat. En igitur scriptorem, & en simul scriptoriam supellectilem, pennam, sepiam, chartam. Hic meus mos est à puero, non lecta tantùm, sed & audita, subinde etiam visa, dignioris notae in meum usum trahere annotando. Ita hunc, ita alios omnes auctores tracto; meos, ut possum, facio, dum ea, quae notatu digna censeo, in diversas chartas, ac classes excerpo. FAVST. Quas illas amabò? Hoc unum unicè nosse aveo. EVLOG. Festinemus, quaeso te, sed lentè; haec omnia quàm potero explicatissimè tradam, sed tempore, & loco. Jam quaerimus, quid studii sit, *Excerpere*. In quo, nisi me fallo, vel oculis tuis fidem faciam. Vides hunc Auctorem? Ex eo selectiora suis quaeque classibus inscribo. Atque hoc appello *Excerpere*.

Sepia, ater liquor piscis, atramentum.

Quid auctor appellet excerpere.

Quod enim Philologus, quod Poëta è Marone aut Nasone, quod Historicus è Curtio aut Plutarcho, quod Rhetor ex Arnobio aut Cicerone, hoc Philosophus ex Aristotele aut Platone, hoc Mathematicus ex Ptolomaeo aut Tychone, Medicus ex Hippocrate & Galeno, Jurisconsultus ex Bartolo, Baldo, aut Justiniano, Theologus & Concionator ex Augustino, Chrysostomo, aut A Bernardo in suum trahit usum excerpendo. Sine his notis nec Philologi, nec Medici, nec Jurisconsulti, nec Theologi, ad illustrem & amplam eruditionem pertingent. *Excerpendum est*, aut ignorantiae nomen in pluribus subeundum. Et primam assertionis hujus rationem subjungo.

CAPVT II.
Excerptorum necessitas ob memoriae inconstantiam.

OMnium, quae audis, quae vides, quae legis, meminisse, non hominis est, sed genii caelestis. Memoria humana segnis, angusta, volatilis, infidelis est, nisi suis fulciatur adminiculis. Sed tenacissima sit, fieri tamen non potest, ut omnium retinens sit, quae pluribus annis studiosa lectio retineri vellet. Labor improbus tot rerum imagines in hoc ararium memoriae recondit; reconditas diutissimè sine excerptis conservare, vix ullus labor impetraverit. Operosum est suis quaeque foribus in hunc memoriae recessum, & nescio quos secretos sinus congerere. Magnae molis est in hoc spelaeum, quod in occipitio suspendit natura, terrarum molem importare, caelorum immensitates, undarum flammarúmque regna concludere, difficillimum est huc congesta, velut aureos nummos arcâ coërcere.

Memoria humana nisi fulciatur suis adminiculis segnis & infidelis est.

Magna vis est memoriae, non nego, praetorium grande, penetrale amplum, sed non infinitum. Certos ea limites ac fines habet, ultra quos progredi non permissum. Hîc rerum diversarum imagines certis velut cellulis reponuntur, sed nisi repositа habeant custodes qui servent, illum memoriae carcerem nullo negotio effringunt, & aufugiunt. Fit nonnunquam, ut subinde frumenti plurimum in alatos vermiculos animetur, hinc totis paene granariis, frumentum vivum evolat: ita prorsus imagines rerum in memoriam velut pensile horreum immissae, domino non advertente se subducunt & evolant. Vis retinere? Custodes adhibe, *Notas & Excerpta*.

Custodes memoriae sunt notae & excerpta.

Questus jam olim Augustinus de memoriae labe: *Quàm multa*, inquit, *hujusmodi gestat memoria mea, quae jam inventa sunt, & sicut dixi, quasi ad manum posita, quae didicisse & nosse dicimur? Quae si modestis temporum intervallis recolere desivero, ita rursus demerguntur, & quasi in remotiora penetralia dilabuntur, ut denuo velut nova excogitanda sint in idem iterum.* Tot nimirum novae rerum notiones memoriam subeunt, ut priores & vetustae aboleantur, imago scilicet imaginem expellit, aliis aliae succedunt.

Auguſt l.10. Confeſſ c.11.

Memoria Platoni stomachus animi, Augustino animi venter est.

Memoriam Plato stomachum animi, Augustinus animi ventrem vocavit. Appositè. Nam uti stomachus quotidie multa variáque recipit, nec tamen diuturnum hospitium indulget; ita prorsus memoria plurima quidem cáque diversissima complectitur, sed brevi velut oneris impatiens, aut admissorum hospitum pertæsa, longè faciliùs dimittit, quàm admiserit. Huic malo Excerpta & Notæ medentur.

Memoria nisi notis & excerptis exerceatur, ab oblivione vastatur.

Memoria vas mutuorum capax, sed rimarum plenum, hâc atque illâc perfluit. Meminisse siquidem est, rem memoriæ commissam custodire; sed heu difficulter committitur, difficillimè custoditur commissum. Quòd si quid inhæresçat altiùs, nî repetitione perpetuâ recolatur, fluminis ritu dilabitur. Ut enim fecundus ager nisi cultione quotidianâ exerceatur, silvescit: sic egregia licet memoria nisi Notis & *Excerptis* ad reddendum depositum excitetur, ab oblivione miserè vastatur.

Quid ergo multa didicisse, quid legisse multa proderit, si ea quæ legeris, quæ didiceris, iterum elabi patiaris, non facilè umquam revocanda? Laboris nimirum amans est, qui discit, ut obliviscatur. Quàm multi florerent inter magnos magni & ipsi, nisi hæc uredo illos afflaret! Plurimos reperias, qui variæ ac multæ lectionis plurima sciunt, at ferè nesciunt, quæ sciant, quia meminisse nequeunt: quod incredibile est, quàm ad scientias potenter faciat.

Plin. lib. 2. Natur. hist. cap. 24. Memoria ad omnes oblivionis injurias est expositа.

Perspexit hoc probè perspicacissimus naturæ mystes Plinius, qui ore libero: *Memoria*, inquit, *necessarium maximè vitæ bonum, nec tamen aliud est aquè fragile in homine, morborum casus & injurias, atque etiam metus sentiens.* Memoria bonum grande, sed bonum fragile, & ad omnes oblivionis injurias expositum. Iis igitur Notarum & Excerptorum subsidiis roborandum, quæ oblivionem expugnant.

Catalogi Priscorū, qui memoriæ fuerunt felicissimę.

Sunt aliqui, sed pauci, memoriæ felicissimæ. Priscorum hîc texere catalogum operæ non est. Hæc scholis jam nota sunt. Rex Macedo Alexander totam Homeri Iliadem, & magnam Odysseæ partem edidicit. Cosroë Rex Persarum omnes Aristotelis libros memoriâ comprehendit. Demosthenes Thucydidem octies suâ manu descripsit, & ad verbum memoriæ mandavit. Mithridates viginti duarum gentium Rex, totidem linguis jus dixit, pro concione singulas absque interprete allocutus. Cyrus Rex Persarum in numerosissimo exercitu omnium militum nomina memoriter pronuntiare calluit. Crassus dives Romanus, Græci sermonis quinque differentias & dialectos memoriâ ita tenuit, ut quâ quisque apud eum linguâ loqueretur, eâdem ei commodissimè responderet. Theodectes Cilix, orator, versus quantumvis multos, ubi semel recitari audiisset, è memoriâ integrè reddidit. Cyneas à Pyrrho Thessalus Legatus Romam impetrandæ paci missus, postero die, quàm advenit, tam senatorios, quàm equestris ordinis viros nominatim salutavit. Hortensius orator Romanus totum aliquem diem in auctione persedens, vesperi demum res omnes venales, earúmque pretia, & emptores ordine recensuit, argentariis recognoscentibus, eum nec minimo falsum.

Gellius nit: Rex inclytus viginti quinq; gentium, quarū omnium linguas percalluit l. 17. Noct. Attic. cap. 17.

Plin. lib. 7. Natur. hist. cap. 24.

Genethlius & Palæstinus, Minutiani & Agapeti discipulus, eâ gaviſus est fidelitate memoriæ, ut totam declamationem semel auditam, mox memoriter recitaret. Nepotianus Heliodori Episcopi è sorore nepos juvenis militiam secutus, tandem vitam religiosam amplexus, libros eâ memoriæ facilitate tractavit, ut in familiaribus colloquiis ac disputationibus, si quid eruditionis medium fuisset prolatum, statim expeditè diceret: Hoc Tertulliani est, hoc Cypriani, hoc Lactantii, illud Hilarii est: Sic Minucius Felix, ita Victorinus, in hunc modum locutus est Arnobius *.

* *Ita Hieron. tom. 1. epist. 3. mihi pag. 10. Vbi addit: Lectione assiduâ & meditatione diuturnâ pectus suum bibliothecam fecerat Christi. Aug. tom. 2. in appendice*

Hieronymus Stridonienſis eâ fuit memoriâ, Augustino teste, ut Hebræorum, Græcorum, Chaldæorum, A Persarum, Medorum, Arabum, & nationum pæne omnium linguas ac litteras calluerit. Hinc illud à Pontifice Hipponensi scriptum est elogium: *Nullus hominum scivit, quod Hieronymus ignoravit.* Memoriam in seipso eatenus insigniter exercuisse scribit Seneca, ut non ad usum modò sufficeret, sed in miraculum usque procederet. Nam duo millia nominum recitata, inquit, quo ordine erant dicta, referebam; ducentos quoque versus ab ultimo incipiens recitabam.

epistolarum ad Cyril. Hieros. Episc. inter pag. 380. & vereor ne videatur eam epistolam Augustini calamus effudisse.

Hæc prisca & nota sunt; recentiora ista: Paulus IV. Pontifex Maximus scholæ Salernitanæ librum in memoriâ habuit: Galenum Græcè à capite ad calcem perlegit: sacra Biblia ad verbum edidicit. In extremâ senectute (vixit autem annis octoginta tribus) integras è Tullio, Virgilio, aliisque auctoribus paginas inoffensè recitavit. Memoria prorsus admiranda, cui parem non tulerint multa retrò sæcula.

Catalogus recentiorū qui memoriæ fuerunt admiranda. 1. Paulus IV. Pontifex Maximus.

Gregorius III. in eodem solio Antistes, omnes ordine psalmos memoriâ complexus est. Ammonius Abbas, magni Pambonis discipulus, vetus & novum Testamentum ita percalluit, ut memoriter dicere potuerit: in doctorum virorum, Athanasii præsertim & Basilii, scriptis ita versatus, ut decem millia versuum, & sexcentos ex iis protulerit. Rem ita se habere pro testimonio magni Patres dixerunt.

2. Gregorius III. Henricus Spondanus ad an. 731. *Pallad. c. 22. apud Rosweyd. inde pag. 716.*

Fridericus I. & Maximilianus I. Imperatores Augusti tam tenacis memoriæ fuerunt, ut omnium eorum, etiam infimorum, quibuscum vel semel locuti essent, longo pòst tempore recordarentur, & hominem nossent.

3. Friderici I. & Maximilianus I. Impp.

Franciscus Rex Galliæ tenaci ac expedito amplissimæ memoriæ captu pæne omnes suo ævo superavit. Quid & quantum peculiaris commeatûs unaquæque provincia suppeditare posset; quænam itinera, quæ flumina ad convectiones opportuniora & viciniora forent; è quibus hibernis equitum alæ celerrimè convenirent, tam exactè norat, ut rationes itinerum, compendia navigationum, civitatum vel remotissimarum copias, præcipua rerum omnium subsidia è memoriæ thesauro depromeret.

4. Franciscus Rex Galliæ. *Paulus Iovius l. 37. hist.*

Antonius Muretus asserit visum à se Paravii, atque auditum juvenem Corsicum, Juris Civilis studiosum, qui triginta sex millia nominum, eo quo recitata essent ordine, absque cunctatione recenseret. Artem à pædagogo homine Gallo, se accepisse ajebat. Hanc diebus pauculis Francisco Molino Patricio Veneto, magnâ omnium admiratione tradidit, cùm Molini memoria sibi priùs non constaret. Miraculum memoriæ.

Muret. lib. 5. Var. lect. c. 1. & l. 12. c. 6. 5. In quodā juvene Corsico.

Memoriæ elogia.

Memoria verè Musarum mater, artium & disciplinarum cella penaria, scientiarum custos. Tullio, divinitatis argumentum, eloquentiæ gazophylacium, eorum quæ discimus, reconditorium. Rerum omnium thesaurus, sed tamen ex omnibus animi partibus, ut Rhodiginus loquitur, res maximè delicata & fragilis. Memoria grande ac necessarium, sed tamen volatile ac caducum vitæ bonum, quod oblivio quotidie oppugnat, quod unicus subinde morbus totum eripit. Quos antè nominavi, Phœnices dixeris. Qui ad eos accedant, paucissimi, & pæne nulli sunt.

Imò ex illis ipsis, quos modò dixi, ingentis memoriæ viris, Excerpa & Notas aliqui velut certissimum, & summè necessarium memoriæ subsidium industriâ singulari adhibuerunt.

Hinc cum Lipsio persuasissimus affirmo: Lectionem ipsam non sufficere, ne repetitam quidem, imò nec in felicissimâ memoriâ, sed opus esse Excerptis quibusdam, & Notis rerum verborumque singularium.

Lipsius epist. Instit. c. 12.

Faustine, sit tibi Mithridatis aut Alexandri, aut Cosroës memoria, nihilominus excerpendum, alioqui plurima effluent, plurima non opportunè occurrent. Neminis, hercle, cujusquam memoria tam felix, quæ Excerptorum

cerptorum omnium vicem subire possit. Ergo Notandum, & Excerpendum.

CAPVT III.

Excerpendum esse testimonio & exemplo utriusque Plinii & Auli Gellii.

Excerpendum esse viri doctissimi nos docent. Plinius Secundus.

E Scriptoribus, qui leguntur, excerpendum esse, doctissimi quique viri nos docent. C. Plinius Secundus, Naturæ panegyristes nobilissimus ad prodigiosam prorsus eruditionem pervenit hoc uno tramite Excerptorum. De hoc avunculo suo Plinius Cæcilius Junior ad Marcum scribens: Pergratum, inquit, est mihi, quòd tam diligenter libros avunculi mei lectitas, ut habere omnes velis, quæráque qui sint. Fungar indicis partibus, atque etiam quo sint ordine scripti, notum tibi faciam. Et en catalogum librorum à Plinio majore scriptorum.

Catalogus librorum a Plinio majore scriptorum.

1. De Jaculatione equestri liber unus.
2. De vitâ Q. Pomponii Secundi libri duo.
3. Bellorum Germaniæ libri viginti.
4. Libri tres in sex volumina divisi, quos Studiosos vocavit: quòd iis maximum studium impendisset, & idem à Lectore fieri vellet.
5. Dubii sermonis libri octo.
6. Historiarum à fine Aufidii Bassi cœptarum libri triginta unus.
7. Electorum commentarii centum sexaginta minutissimè scripti, qui Largo Licinio in Hispaniâ, quadringentis millibus nummûm, hoc est, decem millibus philippeorum, vendi potuissent, & tunc aliquantò pauciores erant.

* Pandectas nominasse, inquit Salmas. nihil non complexus, ex quibus possit quod velit delibare & Cornucopiæ ejus deprome re. Plinii in excerpendo studium.

8. Naturalis historiæ libri triginta septem. Opus diffusum, eruditum, nec minùs varium, quàm ipsa Natura. Plinii libros qui Pandectas * appellaverit, me judice haud erraverit. Omnia ille vir legit, vidit, scivit, & in unum volumen Græciam & Latium concluſit.

Sed pergit Plinius Cæcilius avunculi sui summam industriam, & assiduum in excerpendo studium commendans: Miraris, inquit, quòd tot volumina, multáque in his tam scrupulosa * homo occupatus absolverit. Magis miraberis, si scieris illum causſas actitasse aliquamdiu: decessisse anno sexto & quinquagesimo. Medium tempus distentum impeditúmque, quâ officiis maximis, quâ amicitiâ principum egisse. Sed erat acre ingenium, incredibile studium, summa vigilantia. Erat sanè somni parcissimi, nonnunquam etiam inter ipsa studia instantis & deserentis. Ante lucem ibat ad Vespasianum Imperatorem. Nam ille noctibus utebatur. Inde ad delegatum sibi officium. Reversus domum, quod reliquum temporis, studiis reddebat. Post cibum sæpe, quem interdiu levem & facilem, veterum more, sumebat, æstate, si quid otii, jacebat in sole: liber legebatur, adnotabat, excerpebat. Nihil enim unquam legit, quod non excerperet.

* Difficilia, ardua.

Vigilabat ante diem, memorat Tranquillus.

Faustine, hîc figamus pedem. Tu mihi Plinium considera, virum undequaque doctissimum innumera legentem, sed ex omni lectione semper excerpentem. Hic solidus studiorum fructus est, ea quæ leguntur facere sua excerpendo. Negligimus & cessamus? Pleráque omnia dilabuntur, & effluunt. Ergo præ multis sapuisse affirmo Plinium, qui certissimam eruditionis viam ingressus, nihil umquam legit, quod non excerperet. An eadem nobis ad eruditionem via placet? nihil ergo umquam legamus, quod non excerpamus.

Solidus studiorum fructus est, ea quæ leguntur facere sua excerpendo.

Plinii consuetudo in excerpendo.

Sed audiamus plura de Plinii Excerptis, de quibus hæc Cæcilius: Post solem, inquit, plerumque frigidâ lavabatur. Deinde gustabat, dormiebátque minimùm. Mox, quasi alio die, studebat in cenæ tempus. Super hanc liber legebatur; adnotabatur, & quidem cursim. En iterum Excerpta, & Notas, & quidem super cenâ. Viri Religiosi lectionem quidem ad mensam habent, sed quis excerpit & notat, nisi fortassis post mensam? Plinius nec inter ipsas epulas ab hac Excerpendi consuetudine abiit. Hinc illa viri tam prodigiosa eruditio, hinc tot elucubrata volumina.

Non omittendum, quod addit Cæcilius: Memini quemdam ex amicis, inquit, cùm lector quædam perperam pronuntiasset, revocasse, & repeti coegisse: Huic avunculum meum dixisse: Intellexeras nempe? Cùm ille annuisset: Cur ergo revocabas? Decem ampliùs versus hâc tuâ interpellatione perdidisti. Tantâ erat parsimoniâ temporis. Hunc vitæ ordinem inter medios labores urbisque fremitum observabat. In secessu * solum balnei tempus studiis eximebatur. At dum strigilibus ad excitandum sudorem leviter raderetur, dum tergeretur, audiebat aliquid, & legentem attendebat, aut dictabat. In itinere quasi solutus ceteris curis huic uni vacabat. Ad latus erat Notarius cum libro & pugillaribus, cujus manus hiemè manicis muniebantur, ut ne cæli quidem asperitas ullum studiis tempus eriperet.

Ejus temporis parsimonia.

* *In villâ subrubanâ.*

Repeto me correptum ab eo, cùm ambularem: Poteras, inquit, has horas non perdere: Perire enim omne tempus arbitrabatur, quod studiis non impertiretur.

Plinius Secundus Junior l. 3. epist. ad Marcii, alii, Macrii, mihi p. 78.

O tempus! O temporis parsimoniam, quàm ignoras & rara? Hoc adolescentibus, hoc juvenibus, hoc omnibus litteras tractantibus vel uno die centies occinendum: *Perire tempus omne, quod studiis non impenditur.* Quoties ignavi cessatores Plinii censurâ compellandi: Poteratis (ô desidiosi) has horas non perdere. Omnes temporis particulæ velut ramenta aut fila aurea studiosissimè colligendæ. Rerum omnium jactura reparabilis est, præterquam temporis: Aurum & gemmas perdidisse, multò mitius damnum est, quàm tempus malè impendisse.

Temporis jactura irreparabilis.

Ad Plinium Juniorem redeo, qui de seipso ad Tacitum perscribens: Præcesserat per multos dies, inquit, tremor terræ minùs formidolosus, quia Campaniæ solitus. Illâ verò nocte ita invaluit, ut non moveri omnia, sed verti crederentur. Irrumpit in cubiculum meum mater: surgebam invicem, si quieseret, excitaturus. Resedimus in areâ domûs, quæ mare à tectis modico spatio dividebat. Posco librum T. Livii, & quasi per otium lego, atque etiam, ut cœperam, *Excerpo*. Ecce amicus avunculi, qui super ad eum ex Hispaniâ venerat, ut me & matrem sedentes, me verò etiam legentem videt, illius patientiam, securitatem meam corripit. Nihilo segniùs ego intentus in librum. Jam hora diei prima, & adhuc dubius, & quasi languidus dies, jam quassatis circumjacentibus tectis, quamquam in aperto loco, angusto tamen, magnus & certus ruinæ metus. Tum demum excedere oppido visum. Tu lege cetera prorsus admiranda.

Idem Plin. lib. 6. ep. 20. mihi p. 203. 2. Plinius Junior.

En, obsecro, Faustine, jam etiam Plinium Juniorem, non in museo, aut conclavi, non ad mensam & inter libros, sed in areâ, sub dio, in maximo terræ motu, non legentem solùm, sed etiam cum curâ & studio excerpentem.

Aulus Gellius ille Noctium Atticarum eruditissimus scriptor de seipso: Usi sumus, inquit, ordine rerum fortuito, quem antea in excerpendo feceramus. Nam proinde ut librum quemque in manus ceperam, seu Græcum, seu Latinum, vel quid memoratu dignum audieram, ita quæ libitum erat, cujus generis cumque erant, indistinctè atque promiscuè annotabam: eaque mihi ad subsidium memoriæ quasi quoddam litterarum penus, recondebam; ut quando usus venisset, aut rei, aut verbi, cujus me fortè recens oblivio tenuisset, & libri, ex quibus ea scripseram, non adessent, facilè inde nobis inventu atque depromptu foret. Ita & Gellius excerpsit. Hinc Atticæ Noctes in lucem emerserunt.

Gell. lib. 20. Noct. Attic. cap. ult. 3. Aulus Gellius.

Ad subsidium memoriæ excerpebat.

Quid

Quid nos? quæ nostra est industria? Legimus, sed quia plerique nihil excerpimus, ideo parum proficimus legendo. Pace tuâ dixerim. Caudices & stupores, qui fuimus, manemus. Post aliquot lustra in litteris consumpta, vel notissima quæque ignoramus, quia excerpere ac notare noluimus. En prisci ævi Triumviros pro Excerptis stantes. Excerpendum, ac notandum est, aliter ad seriam eruditionem accessus non est. Utriusque Plinii & Auli Gellii tam testimonium, quàm exemplum suadet, & invitat, sed non solùm. Plures ex eâdem classe huc sisto, & Triumviros nostri etiam ævi adduco.

CAPVT IV.

Excerpendum esse testimonio & exemplo Iusti Lipsii.

Triumvirorum nostri ævi in excerpēdo studium.

Senec. ep. 33. m. p. 444.

HIc præfari lubet è Senecâ, quem Lipsius inter omnes veteres scriptores laudatissimum & virtutis studio pæne Christianum semper veneratus Notis illustravit. Ergo Seneca in epistolis: *Non est*, inquit, *quòd exigas Excerpta & repetita: continuum est apud nostros, quidquid apud alios excerpitur.* Ad quæ Lipsius: Intelligitne, ait *Repetita*, laudabilia, & quæ solent lectione iterari? an quia etiam inter legendum dici solet, *Repete?* Hoc puto: etsi Repertita, quasi divisa, & in locos suos partita, possis legere. Jam ad Justum.

1. Justus Lipsius.

Justus Lipsius, eruditionis primæ, judicii maximi, Regius professor & historicus annis pluribus Lovanii, scriptis eruditissimis jam pridem orbi notus. FAVST. E Lipsii libris quatuor dumtaxat me legisse memini, Hallensem & Sichemiensem Virginem, Constantiam, & Exempla politica. Si quid ego judico, nervosus scriptor est, & plenus succi. Quæ alia scripserit, scire pervelim.

Catalogus librorum à Justo Lipsio scriptorum.

EVLOG. Audi compendio, & miraberis. In lucem dedit Lipsius, de Militiâ Romanâ libros 5. Poliorceticōn libros 5. de Admirandis Urbis Romæ libros 4. de Constantiâ libros 2. Antiquarum lectionum libros 5. Epistolicarum quæstionum libros itidem 5. Variarum lectionum libros 3. Syntagma de Bibliothecis, Amphiteatrum, Electorum libros 2. Satyram Menippæam, Saturnalium libros 2. Virginem Hallensem, Virginem Sichemiensem, Politicorum libros 6. Syntagma de Vestâ & Vestalibus, Politicorum monitorum & exemplorum libros 2. Lovanium, Manuductionis ad Stoicam philosophiam libros 3. Physiologiæ Stoicæ libros 3. de Cruce pariter libros 3. Librum de Una Religione adversus Dialogistam, de Pronuntiatione linguæ Latinæ, Centurias 8. epistolarum: Commentarios, Notas, Animadversiones, Scholia in Senecam, Tacitum, Velleium Paterculum, Dissertationes & alia talia non numero.

FAVST. Superi! vir unus tot libros, tam abundantes non verborum, sed rerum! EVLOG. Quod Plinius de Plinio avunculo suo dixerat, idem de Lipsio affirmandum: Miraris quòd homo occupatus tot absolverit volumina; magis miraberis, si scieris illum publicè docuisse, fracta & imbecilli valetudine fuisse, itinera prolixiora obiisse, bibliothecas in orbe nobilissimas lustrasse, negotiis diversis non defuisse. Unde igitur illi tam copiosa, & illustris eruditio? unde tam multiplex & insignis scriptio, tot librorum fecunditas? Caussam audi germanissimam: Non legit tantùm Lipsius, sed & Excerpsit, idque cum judicio, non obvia quævis in chartas rapiendo, sed seligendo, & excerpendo. Hinc ipsius dictum solenne: Non colligo, sed seligo. Selegit prorsus hæc apis mel eximium.

Justus Lipsius seligendo & excerpēdo fuit tot librorum scriptor.

Politicorū librorum elogium.

Unicum viri opus propono; Politicorum sex libros, opus planè accuratum, tersum, varium, elegans, eruditum, & pæne dixerim, obstupescendum, ac paucis imitabile. Inspice, & mecum senties. Artificioso, variegato, Babylonico, beluato tapeti Lipsiana Politica rectè compararim. Incredibili namque artificio & nexu è verbis optimorum quorumque scriptorum suum ille contextum elaboravit. Sua Lipsius loquitur, sed ore magnam partem non suo, idque tam dextrè ut Livii aut Taciti verba jures esse Lipsii. Hæc autem absque Excerptis nec felicissima quidem memoria non dicam perficere, sed nec tentare audeat. Fieri non potest, ut talis scriptio conficiatur, quin priùs plurimum Excerpatur. Ad murum erigendum cæmento, lapidibus, arenâ est opus; ad longiorem ejusmodi scriptionem Notæ ac Excerpta prorsus necessaria sunt. Imò nec declamationem, aut orationem ullam eruditè struxeris, ni priùs tam verba, quàm rem dictioni aptam excerpseris.

Sine excerptis nulla memoria tale opus tentare auderet.

Nec solùm ad exaranda Politica dicendus Excerpsisse Lipsius: idem in aliis fecit. Cetera illius scripta inspiciamus, & sine copiosâ Notarum & Excerptorum supellectili non potuisse confici affirmabimus.

Excerpendi modum à Lipsio doctus.

Sed ego hîc in amicas aures arcani aliquid instillaverim. Aliquem excerpendi modum Lipsius docuit, sed facillimè persuadeor, non eo solùm, sed & alio fuisse usum, quem non docuerit. Nimirum tales viri non omnia artis secreta vulgant. Principia in arte monstrant, secretius artificium sibi servant. Lipsius hanc omnem Excerpendi artem pagellâ unicâ nec quidem totâ tradidit. Verba Lipsii sunt: Quid *seligas*, & *à quibus*, partem feci alteram. De quâ etsi exemplis dicere facilius possem, quàm scriptis, tamen breviter hæc habe. Lectionem ipsam non sufficere, ne repetitam quidem, imò nec in felicissimâ memoriâ: sed opus esse *Excerptis* quibusdam & *Notis* rerum verborúmque singulārium, quas imitemur. Quæ *Excerpta* Memorialibus libellis, tanquam ærario contineri velim, unde sermonis illæ opes per tempus & ad usum promantur. Fieri autem libellos triplices: Unum quem *Formularum* dixerim; Alterum, quem *Ornamentorum*; Tertium, quem *Dictionis*.

Ex excerptis tres libelli instituendi.

Hæc autem, ô doctissime Lipsi, ferè tantùm epistolis scribendis faciunt. Quid porrò ad eruditionem ceteram, quid rerum ac historiarum è scriptoribus excerpendum? Hîc tacet Justus, & suum sibi secretum servat. Ne dubitemus Excerpta Lipsio fuisse copiosissima. Sed Excerpendi mysterium omnibus evulgare non lubebat.

Hoc ergo jam certum tam testimonio, quàm exemplo doctissimi viri, ad parandam eruditionem Notis & Excerptis opus esse. Sine his aliquid volatico haustu capere licet, ad doctrinam solidam pervenire non licet. Sed è Triumviris testem alium huc sisto, Martinum Delrium.

CAPVT V.

Excerpendum esse testimonio & exemplo Martini Delrii.

2. Martinus Antonius Delrius.

LIceat de hoc viro paucula præfari. Martinus Antonius Delrius Majores habuit, & parentes nobilissimos; summa eorum apud Hispaniæ reges auctoritas.

Ejus Pater.

Pater Delrii, Antonius Delrius, in agro Antverpiensi Toparcha, Regiâ Consiliis, post Fisci Regii in Belgio præfecturam. Domus illius Regibus & Proregibus eò adventantibus familiare fuit prætorium.

Mater Delrii Eleonora Lopesia Aragonum proceribus oriunda.

Mater Delrii Eleonora Lopesia Aragonum proceribus oriunda. Sed exteriora sunt ista, nec in censum viri suo peculio divitis referenda; sermo nobis est de supellectile & ornamentis litterariis.

Ortus studiis in Philosophiâ Magistrum habuit Joannem Maldonatum è scriptis notum: Duaci in Jurisprudentiâ Ludovicum Carrionem. Duaco Lovanium se contulit, ubi Cornelii Valerii disciplinâ, & Justi Lipsii familiaritate summos in litteris progressus fecit: præcipuam tamen

men diei partem Legum Jurisque scientiæ seposuit, quod in operibus ad id temporis à se elaboratis non semel palàm esse voluit. Nam & Salamanticæ acerrimas de Jure contentiones cum doctissimis subiit.

Hinc anno millesimo quingentesimo septuagesimo Lovanii primam in Jure lauream incredibili omnium admiratione decerpsit. Prodigio simile est vel ipsa sola Auctorum in Jure nomina meminisse, quos ille in epistolâ ad parentem suum se perlegisse commonstrat. Fuit verè (quod Tullius de Catone) librorum helluo.

Hâc eruditione partâ à Philippo II. Hispaniarum Rege in supremum Brabantiæ senatum cooptatur. Dein ab eodem Rege, anno millesimo quingentesimo septuagesimo septimo Palatinis ac militibus jus dicere jubetur. Anno sequenti Cancellarius, & Regii Fisci Quæstor constituitur.

Jam in summo stare videbatur Delrius, jam inter ipsius fortunæ, & honoris amplexus versari; cùm ille sese in præcipiti vacillare, & quò celsiorem, eò lubricum magis & abruptum locum premere intellexit, ex quo laberetur faciliùs, & post lapsum resurgeret difficiliùs: atque adeò, ut ibidem foret semper, numquam tamen sine periculo fore, numquam sine maximâ molestiâ: magnas illas regiasque cedros, in altissimis montibus nonnumquam pubescere, aut interdum etiam senescere; numquam tamen non ventis agitari; raro sole toveri, sæpius aëris injuriis obnoxias degere. Tandem igitur aliquando, ut Philosophus quondam, amicus sibimet esse cœpit, imò Deo; sibi consulere, Deo servire decrevit. Hic ille flexus decursu vitæ ad metam meliorem. Magnus hucusque sive ingenium spectes, sive honores, sive totius actæ vitæ integritatem: sed tum maximus esse cœpit, cùm ambiit esse minimus. Ergo ille in Brabantiæ senatum allectus, & ejusdem deinde Princeps, ille Palatinorum militumque juri dicundo Præfectus, ille nuper ærarii opulentissimi, & verè regii Quæstor, ille ad magna natus, perfunctus magnis, & majoribus maturus, minimam Jesv Societatem amplecti, fastum omnem exuere, omnibus subesse, nulli imperare, & quasi novellus tiro repuerascere propter Christum. Nullùm erat in tirocinii domo tam vile abjectúmque obsequium, cui non se promptum offerret, quódque non hilaris capesseret, veluti natus in eo & educatus. Talis fuit Delrius. Ex hoc ungue, ni fallor, hunc leonem satis noveris. Vidi ergo ipse virum, & cum eo egi familiarissimè. Et reverà sermo ac vultus Delrii, hunc ipsum, quem describo, loquebatur.

Hæc mihi præfanda censui, ut nemo nesciret, quantus vir illum eruditionis thesaurum sibi parasset Notis & Excerptis, quod jam demonstro. Tu porrò jam Faustine, ad tria potissimùm attende: Ad linguarum cognitionem, ad libros ab eo editos, ad studendi rationem. Ex his luculentissimè cognosces, quid Notæ prosint & Excerpta.

Delrius Latinè, Græcè, Hebraicè, Chaldaicè, Flandricè, Hispanicè, Italicè, Gallicè, Germanicè ita loquebatur (sunt distincta novem idiomata) ut in pleriisque eloquentissimus, in nullo hospes esset. Q. Ennius, teste Gellio, tria corda habere sese dicebat, quòd loqui Græcè, & Oscè, Latinè sciret. Num igitur non novem corda habuerit Delrius, qui novem linguas percalluit? Poëtarum, Oratorum ac Historicorum scripta omnia quæcumque in quibuscumque Belgicæ bibliothecis reperiri poterant magnâ cum curâ & diligentiâ evolvit.

Libris verò quos edidit, primus fuit Notæ ad Solinum, quas dedit nondum viginti annos natus. Post has secutæ sunt doctissimæ Notæ ad Claudianum. His successerunt tam Adversaria, quàm Commentarius in omnes Senecæ tragœdias. Scripsit & edidit libros duos de Principiis Juris; Repetitiones de l. *Transigere*; Exercitationem ad legem *Contractûs*; opuscula alia Juridica; Miscellanea item scriptorum universi Juris Civilis. Post hæc scripsit Commentarios rerum Belgicarum, Cæsarem in hoc imitatus. Elucubravit deinde Speculum Marianum, Speculum Patientiæ & Charitatis, Polemicas orationes Marianas, Florida Mariana. Successerunt sex libri Disquisitionum Magicarum, in tres tomos divisi, opus illustrissimum. Edidit & Orientium Notis suis illustratum. Conscripsit & Vindicias Areopagiticas. Nec omittendum magni laboris & limati judicii opus in Cantica Canticorum. Dedit & Emendationes in C. Julii Epitomen. Scripsit & in Threnos Hieremiæ. In omnes sacræ Scripturæ libros non facem modò accendere, sed Pharum attollere meditabatur. In Genesin dedit; reliqua mors intercepit. Hæc vivi scripta. Cùm tamen non ultra quinquagesimum septimum annum pervixerit. Quàm verò ad scriptionem tam variam ingens illi adjumentum tulerint Excerpta & Notæ, jam audi.

Studendi rationem Delrius hanc tenuit. Cùm pubertatis annos necdum attigisset, primo mane ipso diei crepusculo, postquam rei divinæ interfuit, intinctum vino panem modicè sumpsit, dein subìtò se illatebravit in cubiculum, quod ei sub bibliothecâ seu technophyon * quoddam fuerat. Hîc sellam & pluteum subjectis rotulis ita fabrefieri curaverat, ut levi pedis impulsu, per omnia circum pulpita, & loculamenta, seipsum, omnémque studiorum supellectilem circumveheret; illi cùm insedisset, non priùs inde dimovebatur, quàm adultâ nocte tempus, & familiaris ephebus ad cenam, non rarò invitum ac reluctantem cogeret. Ita totos soles, diésque totos in museo impransus, veluti jam sepultus inter libros exegit.

Vin' Faustine paucula de morte addam? Favst. Adde quàm maximè; avidus accipiam. Virum ipse vidi, sæpius cum eo, uti submisè humanus erat, familiarissimè collocutus, cùm per Superiorem Germaniam iter faceret in Belgium. Evlog. Cùm igitur ex Hispaniâ Lovanium rediisset, licet difficillimè, ob defectas vires & summos dolores, adfuit Pater qui illi edixit summum adesse discrimen, à morte parum abesse; rogavitque, vellétne mentem eluere. Tum Delrius nihil eo nuntio commotus, erectâ mente, nihil sibi admodum esse, cui obnoxium norit eum esse diem, cui tanto se tempore in in hoc sacrorum hominum cœtu parasset: sic vixisse, ut mori non timeret: velle tamen expiationis beneficium accipere, & abluere id nævorum, quod supereresset, in Jesv Christi sanguine. Mox Christi corpore pascitur. Rogatus, an vellet etiam oleo sancto inungi? ille hoc unum? Quid Rector censet? quid vult? ubi eum non abnuere intellexit, Ita, inquit, fiat; ita fiat. Verè usque ad mortem obediens. Nihil enim aliud toto hoc tempore, nisi majorum nutu faciebat: quod illi sancirent, sanctum arbitrabatur; quod interdicerent, nefastum censebat. Puerum crederes à patre, à maternâve manu trahi non reluctantem, sed hilarè blandientem. Post hæc veluti doloris expers, incredibili animi magnitudine naturam vincere, & de ipsâ quodâmodo morte triumphare; ac soli intentus cælo, Deo plenus, cetera omnia fastidire; in Crucifixi effigiem oculos figere, Crucifixum æmulari. Postero die horâ septimâ, vix ullo mortis indicio, inter suorum manus placidissimè expiravit. Anno ∞ IↃCVIII. die XIX. Octobris: annum agens ætatis quinquagesimum septimum.

Inter alia virtutum decora, hoc sibi proprium habuit: nihil vafrè aut subdolè moliri; non per cuniculos insidiari, non per vineas oppugnare. non palàm blandiri, clàm detrahere (quæ pestilentissima hujus ævi lues est) idem lingua promptum, quod animo meditatum, habere. Ita qui cum eo versabantur, nullas cæcas cogitationum foveas metuebant, nullos laqueos; omnibus sacris & religionibus confirmatum censebant, quod ab eo dice-

Lauream in Jure adeptus est.

A Philippo II. ad summas dignitates erectus est.

Jubis cautus.

Dignitatis vas se abdicat.

Societatem Jesv amplectitur, hinc ea obsequium.

Linguarum notitiâ percalluit.

Librorum ab eo scriptorum catalogus.

*Artium officina.

Idem ferè de seipso prædicat Gaspar. Schoppius Societ. Jesv professus hostis, in suo Hypobolymæo, mihi pag. 250.

Constantia ad nutum mortis.

Obedientia ad mortem usque.

Mors.

Ejus virtutes, & elogium.

Mortuus est Lovanii anno 1608.

Ejus studendi ratio.

dicebatur. Quâ de causâ Lipsius hominem eum vocat, cui non mentiri solùm nefas est, sed & blandiri. Fruſtra ad eum deferebatur, si quis absenti encomium diceret, si quis convicium; nisi ratione dictum animadverteret. Tum verò reprehendentibus ne minimùm quidem obluctabatur; in nulla excusationum dumeta correpebat: ex hostibus etiam capiebat fructum, ex venenis parabat antidotum. In omnibus rationem ducem sequebatur; cetera susque deque habebat. Submissio in eo maxima. Unum id præ reliquis domestici stupebant omnes, tantum virum oculis caligantibus & pæne cæcutientibus, gnaviter & prompto libentique animo, dum alii mensæ assiderent, stantem aut in loco anagnostæ solito incommodè sedentem, horum aliquem pium de more prælegere, & ad alterius arbitrium accentus & tonos vel invertere, vel dirigere. Quod quidem quanti sit, nôrunt illi præsertim, qui in Religiosis familiis degunt, & hujusmodi se exercitiis subigunt. Atque hæc vita fuit Delrii, inter libros, dum viveret, sepulti.

Submissio maxima.

Henrici Zeberti Dungæi Theologiæ Doctoris de ejus scientiâ testimonium.

Porrò de hoc viro Henricus Zebertus Dungæus Theologiæ Doctor testatur, in Adversariis, quæ Delrius annorum novemdecim, illustrando Senecæ dedit, plus minùs mille & centum variorum Auctorum in diversis scientiis, & linguis sententias maximo cum labore ac judicio conscribi. Quare fatetur Lipsius numquam se legisse, numquam vidisse, ac omnino nescire an sint scriptores quos non paucos illud ævi nostri miraculum (ita loquitur, & Delrium notat) ad testimonium dicendum citare solet. Cùm scriptorem Delrius arripuit, non antè dimisit, quàm attentè atque integrè perlegisset, quæcumque autem (nota hoc, Faustine, nota, obsecro) quæcumque in capeduncolas, Excerpta & notas litterarii sui thesauri referenda judicavit, ea scitè exscripsit. Ita plus simplici vice omnia Alphonsi Tostati Abulensis volumina (sunt quindecim) non suspenso, sed presso vestigio percurrit.

Hæc è vitâ Delrii, quâ scripsit Hermannus Langevelius, edidit q. Antuerpiæ anno 1609.

En ipsum eruditionis fontem, en veram tot librorum à Delrio editorum originem, Excerpta & Notas. Quod de Plinio, idem de Delrio dici potest: Nihil umquam legit, quod non excerperet. Hinc doctrinæ supellex amplissima, hinc eruditionis thesaurus maximus. Omnia è memoriâ, velut stamen è panno trahere, non Delrius, non alius quisquam potuit. Excerpta & Notæ subsidio venerunt. Excerpendum & Notandum. Aliter hæc sacra non constant.

CAPVT VI.

Excerpendum esse testimonio & exemplo Iacobi Pontani.

FAVST. Haberem quæ obducerem adversùs dicta. EVLOG. Sermonem, obsecro, finiti patere: & obducendi locus erit amplissimus. Pergo igitur; & Excerpendi ac Notandi necessitatem testimonio & exemplo plurium confirmo.

3 Jacobus Pontanus.

Jacobus Pontanus in politiori litteraturâ vir oppidò eruditus, qui ætatem omnem ad usque ultimos vitæ dies legendo ac scribendo duxit, reverà libris immortuus. Nec enim calamum ante posuit, quàm fatalis lectulus avocaret à chartis, quibus perdius atque pernox inhærebat. Annum vivendo attigit octogesimum quartum. Dignissimus senex, qui in Parnasso inter libros conderetur immemoriali memoriâ, quam sibi scriptis peperit. Libros, ut mea mihi excerpta suggerunt, hos edidit.

Augustæ Vindelicorum moritur an. 1626. die 25. Novembris.

Catalogus librorum ab eo scriptorum.

Progymnasmatum volumina quatuor, quibus omnia pæne, quæ in consuetudinem & usum communem incidunt, Latinâ dictione complexus est. Institutiones Poëticas, Florida versu eleganti, vario ac tereti scripta, Symbolas in Virgilium, opus grande ac laboriosum. E Græco plurima in Latinum idioma transtulit: uti sunt

A Joannis Cantacuzeni libri quatuor de bellis Andronici, Georgii Phranzæ Chronicon Orientalis Imperii, Philippi Solitarii Dioptra, & Nicolai Cabasilæ vita Christi, Simeonis Junioris orationes 23. Simeonis Episcopi Thessali de divino Templo, & Ascetica, Theophylacti Simocatæ historia de Mauritio Imperatore, Commentaria B. Cyrilli Alexandrini in Prophetas Minores, Dialogi de Spiritu & carne. Hæc è Græciâ in Latium translata sunt. Præter hæc scripsit Pontanus Commentarios in Ovidii Metamorphosin, Commentarios in Ovidii Elegos de Ponto & Tristibus, Ovidianas Gnomas, Philocaliam, Bellariorum Atticorum volumina tria, &c.

Hunc librorum numerum Pontanus sine ditioribus Excerptis numquam in lucem dedisset. Quid autem hic ipse vir litterarii artificii scientissimus de Excerpendi modo senserit, ipsiusmet verbis te docebo. Injectâ mentione Plinii Majoris, ejúsque summâ in Excerpendo industriâ laudatâ, hæc addens Pontanus: *Vir animi strenuissimi, ait, & exemplo rarissimi, compendiariam sibi & proximam viam excogitavit, quâ ad summas eruditionum facultates atque copias & gradi retur ipse, & eâdem ad usumfructum publicum in lucem aspectúmque proderet. De libris alios ab illo confectis, ut nihil loquar, Historia naturalis, quæ sola temporis injurias & dentes effugit, hisce instituta originibus, iisdem aucta profecit incrementis* (Notis scilicet & Excerptis.) *Quando enim vir ille, duorum millium circiter voluminum lectione, viginti millia rerum curâ & studio dignarum, sex & triginta libris inclusisset, si non è tot scriptoribus locos præcipuos adnotasset, & tamquam summarum summas collegisset? Quod quidem judicio, non temere, ordine non promiscue atque confusè, eum feciſſe suspicari libet. Quomodo pratereà, quid quisque, quâ distributione, quid proprium, quid alienum, aut in medio positum, quid electum ac reconditum, quid evulgatum ac populare afferret, diuturnâ custodire memoriâ, sine hoc certissimo* (nota, Faustine, nota) *opportunissimóque subsidio Excerptorum potuisset? Quæ tamquam breviaria, parvasque epitomas, quoties vellet* (volebat autem sapissimè) *operâ non difficili percurrebat.*

Ejus de excerpendi modo sententia.

Pont. vol. 3. parte posterior. Progym. 1. m. p. 1072.

Nec dubium quin sectatores Plinius jam olim hac in re habuerit. Pontani testimonio ex occasione geminum illi adjungo.

M. Antonius Muretus in Republicâ Christianâ Tullius, de illo ipso Plinio ejúsque Excerptis ac Notis differens: *Illum verò*, inquit, *Promum condum rerum omnium scitu dignarum, illud receptaculum ingenuarum artium, illum eruditionis oceanum C. Plinium quis umquam satis pro dignitate vel admirari, vel celebrare poterit? Qui nullum umquam librum vidit, quem non legerit; nihil cognitu dignum legit, quod non excerpserit; nihil excerpsit, quod non in litteras retulerit. Itaque unum ipsius opus, quod de plurimis extat, Naturalis historiæ, instar ingentis bibliothecæ videri potest.*

M. Antonii Mureti de Plinii excerptis ac notis sententia. Muret. oratione 2. orat. 13.

Ita Muretus & Pontanus de Plinio sentêre; ita nos de Mureto & Pontano sentiamus, eos sine copiosis ac variis Excerptis tam multa variáque nunquam scripturos. Eruditionem tam multijugem Excerpta pariunt & Notæ. Sed hoc jam pluribus confirmo.

CAPVT VII.

Excerpendum esse testimoniis & exemplis plerorumque omnium eruditorum.

QVod de Excerptis jam diximus, id omnium pæne doctorum hominum voces & exempla firmant. Quisquis umquam in litteris seriò proficere laboravit, Notandi & Excerpendi laborem non fugit. Hæc una ad artes & scientias compendiaria via est. Fugis hos labores? fugis ergo scientias, & ut desidiam non repellas, ignorantiam amplecteris; quia mavis plurima nescire, quàm ea cum studio *Excerpere*.

Alii plerique excerpta probantes.

Longè aliter ii, apud quos in pretio est lectio non otiosa. Omnes eruditorum classes percurramus, & quod

quod dixi, verissimum affirmabimus. Inspice Poëtas, Virg. Maronem, Ovidium Nasonem, Claudium Claudianum, Jacobum Sannazarium, Jacob. Bidermanum, Franciscum Remondum, Hermannum Hugonem.

Poëtæ: Virgilius Maro.

Virgilius inter Latinos princeps Poëtarum Bucolica sua annis septem, suam Æneida annis undecim elaboravit, & primus ipse sui rigidissimus censor ac judex divinam scriptionem ad rogum damnavit. Virgilius verò, ut scias, non tantùm legit, sed & excerpsit, & excerpta in suum poëma transtulit. Ovidii Metamorphosin inspice, & dic an caruerit excerptis. Claudianum Poëtarum ocellum volve, & idem dices.

Ovidius Naso. Claudianus. Jacobus Sannazarius.

Jacobus Sannazarius de partu Virginis tres libellos edidit, quos viginti annorum limâ perpolivit: Notandæ laborem non fugit.

Jacobus Bidermanus

Jacobus Bidermanus meus olim condiscipulus, quem ut Magistrum meum semper veneratus sum, Excerpta non solùm magno judicio, & singulari industriâ paravit, sed & iis ingeniosâ dexteritate usus est. Tot ejus scripta pro me loquuntur.

Hermannus Hugo deliciæ meæ (quid apud te dissimulem?) scriptor mihi è millibus charus: Nec putem à multis sæculis venustius aliquid, & suavissimis affectibus concitandis potentius in lucem datum. Hermanus autem maximè usus est Excerptis, nec aliter potuit. Nam elegans ille contextus è priscorum Patrum testimoniis, hac unâ ratione confectus. Gusta hoc scribendi genus, auribus & oculis loquitur. Confer sententias Bibliorũ cum dictis Patrum, ac chalcographi nobilissimi cælaturâ, & laudabis, scio, artificiosissimam mixturam. Nam modò elegidion & tersum carmen, modò prosa oratio, modò naturam & vitam spirans imago affectus suggerit dulciores. Sed liber non unius assis est; libri pretium auxit æraria scalptura. Placet emere? unicum omittamus symposium, & noster est liber. Inscriptio & frons libri est: *Pia Desideria*. Nec solùm hunc edidit Hermannus. Scripsit insuper Obsidionem Bredanam, Vitam Catoli Spinolæ, qui in Japone religionem Christi inter flammas defendit usque ad extremum halitum, Vitam Joannis Berchmanni, de Primâ scribendi origine, & universâ rei litterariæ antiquitate, de Militiâ Equestri antiquâ & novâ libros quinque.

Hermannus Hugo.

Sed hæc de Hermanno Hugone, cujus venustissimas elegias veneror & adoro. In cujus scriptione solutâ incredibilem Excerptorum usum agnosco & exosculor. Discamus, quod colimus, imitari. Sed jam & Historicos lustremus, an non & illi Excerptis usi? nomino paucos tam recentiores quàm priscos, sed quos ego ceteris eminentiores censeo: Titum Livium, Crispum Sallustium, Cornelium Tacitum, Quintum Curtium, Carolum Sigonium, Jacobum Salianum, Joannem Marianam, Petrum Maffeium, Andream Brunnerum.

Historici: Titus Livius.

Nulla historiæ foret ætas, nulla vita, si diaria, si ephemeridas, si commentarios, si Notas & Excerpta tollas. Ab his animam accipit Historia. Hinc fasti & annales publici conflantur, hinc rerum gestarum fides petenda. Hinc Livius & plures alii suam quisque concinnavit historiam. Hominum privatorum Notæ, familiarum insigniorum diaria Livianam historiam pepererunt. Quis autem Historicorum præ ceteris lectioni destinandus, dicemus infrà, cùm plura de legendis auctoribus dicendi erit occasio. Consideremus oratores: Tullium Ciceronem, Antonium Muretum, Joannem Perpinianum, Franciscum Benium, Dionysium Petavium, Tarquinium Gallutium, Franciscum Remodum.

Oratores: M. T. Cicero.

Num horum aliquem, Faustine, ad illum eloquentiæ apicem conscendisse autumas sine plurimis Excerptis & Notis? Oratoris est per scripta plurimorum ire, & ex iis succum meliorem trahere in destinatam paginam. Hoc Muretum, hoc Perpinianum, hoc ceteros fecisse ne dubita.

Marci Tullii assiduum in legendo scribendóque studium testatur illius libri, tum quos habemus, tum etiam quos desideramus. Illud mirum est inter tot Reipub. tempestates ac procellas, cum vel ad cogitandum locum, vel ad scribendum otium habuisse. *Negabat Cicero, si duplicaretur sibi ætas, habiturum se tempus, quo legeret Lyricos, eodem modo Dialecticos.* Sec ep. 49. mihi p. 465.

Vis alios complures nominem Oratoribus affines? Perlustra, obsecro, Claudii Ælliani Variam historiam, & de Animalium naturâ lib. 17. & Auli Gellii Noct. Attic. lib. 20. Cælii Rhodigini Antiq. lect. lib. 30. Alexandri Neapolitani Genialium dier. l. 6. Adriani Turnebi Adversariorum l. 24. Petri Fabri Semestria: Petri Victorii Variar. lect. lib. 31. opus eruditionis omnigenæ refertum, tomis duobus Parisiis editum. Horum omnium, quos dixi, tam varia, tam abundans doctrina sanè non nisi Excerptorum & Notarum sedulitate ad illud fastigii excrevit. Scriptionem illorum examina, & pæne meta dices Excerpta, sed arte ac judicio collecta. Tanti est vegetiores annos huic curæ studiosiùs impendisse. Sed ad Porticum & Stoam transeamus. Philosophi: Aristoteles Stagirita. Decem millia philosophorum nominavi, cùm Antesignanum hunc unum dixi. Argo 1564. & 1565. Philosophi:

Aristoteles Nicomachi filius, Platonis discipulus, Alexandri Magni præceptor, omnis philosophiæ Phœbus infinitos scripsit libros eâ diligentiâ, eóque artificio, ut superiores omnes vicerit, posterioribus omnibus palmam præripuerit. Quidam librorum ejus etiámnum vivunt; plurimos tempus injuriosâ nocte sepeliit. Non autem infinita tantùm scripsit, sed & infinita legit, imò, quod solebant veteres, infinita è lectis excerpsit Aristoteles. Vidit utique vir ingenii perspicacissimi tantam lectionis copiam non posse concoqui, nisi placeat simul etiam plurima excerpi. Cælius Rhodiginus hanc priscorum navitatem laudatissimam in exemplam statuens: *Scimus profectò*, inquit, *veteribus omnibus usitatissimi fuisse moris, ut omne scriptorum genus excuterent, nullas quas possent commentationes illectas intactásque præterirent, quòd in primis Aristoteles exactissimè fecit, qui ex nobili lectionis multijugæ variatisq; curâ est à Platone Anagnostes * nuncupatus, tamquam lector foret infatigabilis, & χαλκέντερος plane, ut Græci dicunt, stititor inexplebilis.* Hinc nullis sumptibus comparsit, ut quos melioris notæ libros censuisset, emeret. Testatur Gellius Aristotelem libros pauculos Speusippi philosophi post mortem ejus emisse talentis Atticis tribus. Ea summa fit nummi nostri HS. duo & septuaginta millia. Sunt mille octingenti philippei. Nec Plato hac in re parcior. Nam memoriæ mandatum est, Platonem tenui admodum pecuniâ familiari fuisse, atque eum tamen tres Philolai Pythagorici libros decem millibus denariûm esse mercatum. Tantus inerat his viris & legendi & excerpendi ardor. Aristoteles. Cælius l. 17. Antiq. lect. cap. 17. post init. mihi pag. 646. * Lector. Gell. lib. 3. Noct. Attic. cap. 17. Sunt 20000. bacii, seu victoriati, 1333. florenti, & 5. bacii, philippei 1000.

Medici, Hippocrates Cous, Claudius Galenus. Medici: Hippocrates.

Hippocrates medicorum antiquissimus, cùm intelligeret medicinæ studium præceptionibus egere, varias peregrinationes obiit, & quidquid in has curas usquam invenit utile, sollerter excerpsit. Adeò autem Excerptorum amans studiosus fuit, ut in ipsis templis morborum historias in tabellis anathematum descriptas diligentissimè excerperet & conscriberet. Ita observationes plurimas in ordinem componens, primus extitit qui artis medicæ præcepta generalia tradiderit. De scriptis Hippocratis illud licebit pronuntiare: pauperis esse numerare pecus; libros vir iste doctissimus plurimos venturis sæculis reliquit. Plin. lib. 19. Natur. hist. proœmio. Soranus in ejus vitâ.

Secutus hunc Galenus, qui scriptorum multitudine Hippocratem non æquavit tantùm, sed etiam superavit. Inde hoc elogii à doctis accepit: Galenus medicorum præstantissimus libros scripsit pæne infinitos, quos ipse commemorat peculiari scripto de libris propriis edito. Joannes Fernelius Ambianensis præfatione Me- Galenus.

Numerus librorum ab eo scriptorum.

dicinæ ad Henricum II. Galliarum Regem, asserit à Galeno libros de re mediçâ supra quadringentos, de aliis disciplinis ducentos quadraginta scriptos. Quis nostrûm tot evolvet legendo, quot ille commentando ac scribendo? Quis jam dubitare possit, quin Galenus in excerpendo & annotando fuit mè industrius fuerit, qui libros pæne octingentos edidit? Excerpta & Notæ thesauris litterariis opulentant. Sequuntur Jurisconsulti.

Jurisconsulti: Severus Sulpitius.

Ex his unicus Servius Sulpitius libros centum & octoginta de Jure Civili edidit; utique supellectili Excerptorum amplissimâ instructus fuerit; scriptionem tam prolixam nemo sani capitis absque Excerptis copiosissimis aggrediatur.

Theologi:

Sed aliquos etiam è Theologorum senatu huc sistamus. In priorum classibus nominandis id observavi, ut vel scientiarum duces, vel ceteris celebriores, aut mihi notiores, ac commendatiores nominarem. Idem in ultimâ hac classe attendam.

Theologi: Augustinus Hipponensis, Hieronymus Stridonensis, Bernardus Clarævallensis, Thomas Aquinas, Alphonsus Tostatus, Alphonsus Salmeron, Franciscus Suarezius.

Non temere hos nominavi; rationem addo: & unà ostendo quantùm maximis his viris profuerint Excerpta. Augustinus plura scripsit, quàm quis legerit, si fides Possidonio, Præsuli Africano, testi locupletissimo. Hic cum opinione suâ falli judicat, qui omnia, quæ Augustinus scripsit, legisse arbitratur. Accessit his Augustini libris tanta auctoritas (quod felicitati, vel sapientiæ viri assignari possit) ut nullius scriptis secundùm Evangelii historiam, & Tarsensis Pauli epistolas, &c. major hominum consensus accesserit. Elucubravit Augustinus inter cetera, viginti duos libros de Civitate Dei, opus profectò grande ac admirandum. Tu istud solùm hoc tomo quinto inspice, & dices absque multiplicibus Excerptis hanc talem scriptionem numquam potuisse confici. Volumen hoc eruditionis plenissimum incredibilem notantis & excerpentis Augustini diligentiam testatur.

Augustinus. *Quâ auctoritate magni nominis Ecclesiastes publicè pro suggestu dixerit, triginta millia librorum ab Augustino scripta, ego quidem nescire me fateor. Antonius Coccius l. 1. Exempl. c. 7.*

Hieronymus sex millia librorum Origenis affirmat se legisse, an nihil excerpsisse & subnotasse? Auxerunt aliorum studia bibliothecas, ac per partes compleverunt: unus ac solus Origenes ingenii felicitate bibliothecam unam quantamvis magnam implere potuit. Hanc Hieronymus legendo exhauserit, & nihil inde in suum usum extraxerit? Præsertim cùm de viro hoc jam olim sparsum fuerit: Neminem scisse quod Hieronymus ignorarit. Hoc certè priscorum erat studium, innumera legere, multa excerpere, plurima conscribere.

Hieronymus.

Cyprianus. *Hieron. de Scriptor. Eccles. in Tertull.*

Cyprianus sanè vir sanctissimus perinde ac doctissimus, facundus olim Carthaginiensis Rhetor; nullum prætermisit diem, quem Tertulliani lectione non imbueret. Hunc verò auctorem cùm posceret, *Da Magistrum*, dicere solebat. Ita de Cypriano Hieronymus.

Bernardus.

Bernardus verè Clarævallensis Apis sedulitate solâ sine Magistris (quod perquam rarum) maximos in litteris progressus fecit. Solebat autem conquèri, nihil temporis se magis perdere, quàm quod somno daret. Non occupatum numquam invenisses. Nullæ Bernardo feriæ, quies nulla. Aut enim orabat, aut legebat, aut meditabatur, aut scribebat, aut concionabatur. Apiculam agebat summè sedulam, quæ semper aliquid ex optimo florum genere conveheret in suum alveare.

Elogium.

Bernardi effigiem videre cupis? scripta intuere. Verbis distertus, sententiis venustus, rebus abundans, sensu ac succo meliore plenus, nervo dicendi lacertosus, eloquio suavis, & mera pietatis mella stillans assiduè, veritatis semper amantissimus. Superi! quàm ille delectat, docet, stringit, movet, persuadet, expugnat! Eam sui imaginem scribendo efformavit, ut illi Ambrosianum illud ex asse conveniat: *Laureatus spiritu scriptis coronetur suis.*

Quinque Considerationum libros ad Eugenium Pontificem scriptos aperio; tu tolle, lege, ac vide num Bernardus non accuratissimè, quæ sui usûs judicaret, excerpserit? Liceat dicere: In scripto hoc Bernardus superavit Bernardum. Nam modò cautum œconomum, modò sollicitum patremfamilias, modò fidelem monitorem, modò serium præceptorem; jam asceticum, jam ethicum, jam & politicum, nunc philosophum, nunc consiliarium, nunc Theologum agit. Illustre prorsus scriptum à multiplici eruditione. Hoc unum in tot Bernardi scriptis miserum; Bernardo multa tribui, quæ Bernardi balsamum planè non oleant. Sed illud ad rem nostram in Bernardo maximè laudem, quòd sacram paginam non solùm assiduissimus legerit, sed eam in suas scriptiones ita excerpserit, ut Bernardi calamus fluxu pæne continuo divinum instillet liquorem.

Thomas Aquinas Theologiam omnem in eum deduxit ordinem, eâ perfudit luce, iis locupletavit incrementis, ut universa posteritas illi quamplurimum debeat. Compendio utendum est in hujus viri elogiis, alioqui ea ad diei finem non finiemus. Aquinas sapientiæ ac sanctitatis magnum jubar, tametsi opem divinam suis scriptionibus faventem habuerit, humanam tamen industriam in se desiderari neutiquam passus est. Legit plurima, & excerpsit. Considera septemdecim tomos editionis Romanæ quos Thomas posteris reliquit: imò vel tres solùm tomos inspice, decimum, undecimum, duodecimum, quibus tres partes Summæ Theologiæ complexus est. Quanta, Deus, in his scriptis, quàm varia, quàm sublimis eruditio, quot è priscis Patribus, aliisque scriptoribus testimonia? Hæc profectò Notas & Excerpta postulant quàm maximè. Itaq; non solùm innumera legit beatus Thomas, sed & excerpsit, & sua fecit.

Thomas Aquinas. Baconius.

Alphonsus Tostatus Abulensis Antistes vir sanctimoniâ & doctrinâ celeberrimus, non nisi annos quadraginta vixit, & tamen quindecim tomos bene magnos in lucem edidit. In his quæstiones innumerabiles dissolvit. Hinc de eo illustre illud encomium versu, sed parum venusto, scriptum:

Alphonsus Tostatus.

Ejus illustre encomium.

Hic stupor est mundi, qui scibile discutit omne.

Alphonsum tam brevi tempore scripsisse tam multa, nullis Excerptorum, aut Notarum subsidiis adjutum, eras credam, hodie non. Non fuit, non erit ullum tam felix ingenium, quod omnia è seipso, velut aranea è suo utriculo fila, educat. Hanc igitur Excerpendi solertiam in Tostato etiam fuisse non negandum: quàm nos rectissimè venerabimur imitando.

Alphonsus Salmeron Toletanus à puero vitam omnem ad supremam senectutem in litteris consumpsit. Vir Religiosus è Societate Jesv, celeberrimas Italiæ civitates concionibus ad leges Christianas formavit. Peregrinationes laboriosas, easque plurimas in Galliam, in Poloniam, in Hiberniam, in Superiorem & Inferiorem Germaniam obivit, non tam suæ, quàm alienæ salutis causâ. Dixisses Salmeronem ad terras aliò atque aliò sese calentes obeundas natum. Viribus utcumque jam fractis, cùm voce non posset, stylo statuit alios erudire. Ita Neapoli ad quietem laboriosissimam sese componens, sedecim grandes tomos elucubravit, plerosque omnes de Christo Domino. Nam post Evangelii historiam pluribus voluminibus explicatam, Apostolorum cùm res gestas, tum epistolas tomis aliquot est prosecutus. Magnum in scriptione hac amplissimâ eruditionis mare cernitur, quod è plurimis Notarum & Excerptorum rivulis indubiè collectum & auctum. Hîc Adversaria juvent necesse est, plurimâque supellex scriptioni cogitatæ congesta. Nemo sibi utilis erit lector, qui non simul infatigabilis, sic loquor, sit Excerptor. Res ipsa loquitur, à Salmerone hoc præstitum impigerrimè.

Alphonsus Salmeron.

Franciscus Suarezius Granatensis Theologiam publicè plurimis annis professus Romæ, Pinciæ, Salmanticæ,

Franciscus Suarezius.

ticæ, Compluti, Conimbricæ demum calamo manum addixit, scriptioni se totum mancipavit, & illustrandæ Philosophiæ ac Theologiæ tomos minimùm viginti & unum (quos ego quidem viderim) typis commisit. Hunc librorum numerum edidisse, & priùs nihil annotasse, nihil excerpsisse nemini fit credibile.

Cornelius à Lapide Scripturam sacram pæne totam uberioribus commentariis illustravit. Illic illis foruli septem grandes tomos cernis: in dies expectamus plures. Jam Pentateuchum Mosis, Proverbia Salomonis, Ecclesiasticum, 4. Majores Prophetas, 12. Minores, Acta Apostolorum, Epistolas D. Pauli, Epistolas Canonicas, Apocalypsin explicavit uberrimè ad omnem usum. Plura, ut audio, sequentur, ut etiam à mortuo discant vivi. Jacobus Gretserus suo unus ipse calamo pæne integram bibliothecam conscripsit.

FAVST. Ego nec tot libros, sed nec tot paginas typis cogito committere, quid ergo mihi cum Excerptis? EVLOG. Num idem sæpius rogandus es? Quæso te, Faustine, ne designatum ordinem præpropere turbemus. Erit locus, quo satisfiat tuis objectionibus. Hoc jam contendimus, *Excerpendum esse*. Quomodo sit Excerpendum, & à quibus, id hujus quæstionis non est; ad istud infrà respondebimus: auditor,

Si modò culturæ patientem commodet aurem.

Præproperum tuum est ingenium. FAVST. Perge, quo cœpisti, pede; perge bonis avibus. EVLOG. Hoc igitur ajo, quod in fronte capitis hujus asserui, pæne omnium eruditorum vocibus & exemplis, Excerpta & Notas commendari: imò hoc genus industriæ tam esse necessarium, ut eo neglecto vix ullus sit ad eruditionem soli-dam accessus. Quò autem plus eruditionis quæritur, hoc Excerptorum, & Notarum studium contentius exigitur. Si priscum ævum huc arcessimus, ii plerumque plurimùm scripserunt, qui plurimùm legerunt & excerpserunt.

Zoroastres Persa vicies centena millia versuum, de Magiâ solùm edidit.

Theophrastus trecenta volumina reliquit, quorum catalogum recitat Laërtius.

Chrysippus volumina septingenta, & plura scripsit, è quibus trecenta undecim Dialectices artem exponunt.

Aristarchus Grammaticus Alexandrinus sub Ptolemæo Philometore supra mille commentarios posteris consignavit.

Chrysanthus Sardianus, Juliano Cæsari familiaris, octogenario major tantum librorum numerum suâ manu exaravit, quantum vix alii juventâ vegeti ac florentes legunt. Quo factum est, ut extremi digitorum articuli, ob juge scribendi exercitium incurvescerent intorti.

Didymus Grammaticus, quod Seneca testatur, quatuor millia librorum scripsit. *a*

M. Varro libros composuit pæne infinitos eruditione mirâ refertos. Ideo Augustinus hunc apud Latinos, Origenem & Didymum apud Græcos plus ceteris scripsisse commemorat. Tam multa verò legit, ut ei vacasse quidquam scribere miremur; tam multa scripsit, quàm ullum potuisse legere credamus.

De Eusebio Cæsareæ Palæstinæ Episcopo Hieronymus hoc testimonii tulit: Eusebius in Scripturis divinis studiosissimus, & bibliothecæ divinæ cum Pamphilo Martyre diligentissimus pervestigator edidit infinita volumina. *b*

Jamblicus affirmat Mercurium Trismegistum, non solùm philosophiæ, sed omnium pæne scientiarum in Ægypto auctorem, de universâ Ægyptiorum sapientiâ scripsisse triginta sex millia librorum, quingentos viginti quinque. Si vera fides Jamblico, aut Angelus fuerit Trismegistus, aut magnum hominis prodigium. Tot libellos evolvere maximi laboris sit, tot libros scribere operis immensi. *c*

Hi omnes aliique complures tot librorum velut copiosissimæ sobolis parentes, non tantùm indefessi scriptores, & assidui lectores, sed & studiosissimi Excerptores, quod verosimillimum fuerunt. Quod si voce priscâ clametur: *Numera senatum*; licebit pronuntiare: *Omnes, omnes* in hanc eunt sententiam, *Excerpendum esse*.

Nos, Faustine, ad facultatis nostræ modulum tot optimos viæ duces sequamur, Excerptis & Notis, in omni litteraturâ, quàm plurimùm juvabimur. Ad eruditionem variam per hos velut cuniculos tuti gradiemur. Excerpta & Notæ annorum plurium labores fidelissimè custodient; & ubicumque defecerit memoria, his subsidiis fulciemur. Quidquid agas, Excerpendum & Notandum est.

CAPVT VIII.

Excerpendum esse testimonio & exemplo hîc differentis Eulogii, aliorúmque complurium.

SI me in testem cum prioribus admittas, quod hactenus velut per satyram exquisitis sententiis docui, ego jam testimoniis exploratissimis firmabo.

Lex Satyræ uno rogatu multa simul complectebatur. Horat. de Arte poët. mihi p. 161.

In primis id probè scire te velim, hîc nihil à me doceri aut suaderi, quod prior ipse non fecerim. Horatianum illud noveram: Flendum ei priùs, qui flere velit alios. Ita te meo etiam exemplo ad Excerpta faciendâ humanissimè invito. Non pœnitebit operæ; securus polliceor. Mea ego Excerpta nullo pretio vendiderim. Isocrates orationem unicam talentis viginti, seu, duodecim millibus philippeorum vendidit. Da alterum tantum, nil Excerptorum vendo. Da auri & gemmarum, quantum vel avarissimus optare potest, da vel montes aureos, ego meas tibi chartas non vendo. Auge pretium, & nescio quos favores adde, non vendo. Summos honores, orbis imperium spondes, non vendo, Cælum pollicere, Christum licitatorem appone: Jam vendo. Huic mea omnia sacravi: hunc admitto emptorem; ceteris omnibus exclusissimis.

Plin. lib. 7. Natur. hist. c. 30. initio.

Sed quæris, quid inde commodi vel utilitatis hauriam? Optimâ fide, quod res est, fatebor. Fructus Excerptorum quotidianus & multiplex. Mittamus eum in digitos, & numeremus.

Excerptorum quintuplex fructus:

1. Est, quocumquè themate proposito, nominare posse auctores, qui de eo scripserint. Res hæc summæ utilitatis, & quotidiani usûs est. Fuit ut Rhetoricæ studiosis compluribus potestatem facerem ponendi quælecumque vellent thema, vel rem quamcumque aliam nominandi, quæ in dissertationem venire posset, mox à me nominandos è notis auctores, qui eâ de re illòve themate scripsissent. Diversissima hîc quæsita: Quis de typographiis, quis de campanis, quis de horologiis, quis de alchimiâ, quis de bombardis & tormentis bellicis, quis de venatu, aucupio, piscatu, quis de sideribus, de gemmis, de fontibus, de silvis, hortis, arboribus scripsisset. Quærebant alii, quinam de statuis, pyramidibus, ædificiis, thermis, palæstris, armamentariis: quis de veterum triumphis, ludis, nuptiis, funeribus, exequiis; quis de horis, clepsydris, coronis, navigiis, bibliothecis; quis de purpurâ, mercaturâ, de musicâ, picturâ; de re vestiariâ, nummariâ, cibariâ; quis de animantibus, equis, canibus, elephantis ageret. Alii quærebant longè rariora, & minimè in vulgus nota, quis de ductili vitro, de incombustili oleo, de lino vivo, de ære Corinthio, de papyro & byssо scripsisset. Malebant alii de virtutibus, aut vitiis sciscitari, quosnam laudatores, aut vituperatores habuissent. Ita quærebatur, quis de virtute illâ vix noti nominis indifferentiâ, quis de sui Contemptu, de sui diffidentiâ, de Longanimitate, de Familiaritate cum Deo, quis de vitio humanæ gentis Curiositate, de Choreis,

1. Est, quocumquè themate proposito, nominare posse auctores, qui de eo scripserint.

reis, de noxio pudore; de malâ tristitiâ, de munerum corruptelis, de prohibitis spectaculis, de damnosâ procrastinatione, de noxarum iteratione scriptis dissereret.

Hic ausim è vero dicere, ad omnes positas quæstiones, & alias tales innumeras è Notis & Excerptis meis facilè ac promptè responderi, & ad singulos titulos seu themata, non unum dutaxat, sed plures nominari posse auctores, qui rem illam quamcumque propositam, scripto explicarent. Notare autem & excerpere puer cœpi; ante annos verò quadraginta has Notas & Excerpta in formam meliorem certásque classes redegi, quas etiámnum retineo, eas parte alterâ explicaturus.

E Societate Jesv Patres novi quàm plurimos, qui hanc Excerpendi solertiam non laudant solùm, sed jam pridem usurpant. Singulorum chartas non inspexi, an hac ipsâ methodo, quam traditurus sum, sibi lectionem faciant fructuosam. Nec istud mihi hoc loco inquirendum. Jam enim hoc unum ago: Excerpendum. De modo videbimus.

Est igitur maximi usûs, summæque utilitatis, re quacumque in disceptationem aut familiare colloquium adductâ, nominare posse saltem è chartâ, quis scriptor ejus rei faciat mentionem. Hoc olim illustris Theologus tanti æstimavit, ut totam hanc lemmatum seriem, quæ rerum omnium auctores complectitur, permitterem suo bono describi, valde rogaverit; nec cessisset, nisi audiisset suas cuique familiares notas parum aliis profuturas, cùm character lectu nonnihil difficilis, contractior etiam ac compendiarius sit modus; cùm insuper auctorum plurimi, eos, à quibus lecti non sint, parum adjuturi sint.

Prima igitur utilitas, primúsque fructus Excerptorum est, quocumque themate proposito, auctores, qui de eo scripserint, compendio recitare posse.

Cresiphon Rhetorem eum non censebat esse, qui non posset die integro de quavis re propositâ disserere. Ego illum non diu, nec multùm excerpisse judico, qui non de quolibet themate in medium allato, saltem horâ integrâ, si non pluribus, è Notis & Excerptis suis perorare queat.

1. Est plurima supellex ad dicendum è cathedrâ.

II. Excerptorum fructus est, plurima supellex ad dicendum è cathedrâ. Ajunt Concionatorem, qui annis pluribus eodem loco pro suggestu dicat, non posse non exhauriri. Si sermo sit de Concionatore, qui tantùm legat, nihil autem excerpat, aut probum excerpendi modum nesciat, assentiemur non ægrè; sin homo sit industrius, & Excerptorum gnarus, nec centum quidem annis exhaurietur. Sic ajo, atque si opus teste, agam experientiâ. Ecquid dicitis, ô boni, Ecclesiaste materiam & rem ad dicendum defieri? Injuriam facitis divinæ paginæ. Si enim vel sola tantùm sacra volumina Ecclesiastes assiduè legat, & in suas paginas excerpat, ad dicendi fundum numquam pertinget. Addo sacrorum codicum tot interpretes, & tot meliorum commentarios, qui novam identidem messem exhibent, sed falci ad secandum expediæ. Evolve legum divinarum tot Scholiastas, & numquam deerit, quod è publico doceas. Quis umquam Concionatorum sacra Biblia à capite ad calcem deduxit explicando? Divini libri nullis concionibus exhauriri queunt. Addamus jam divinis litteris ceterorum scriptorum multitudinem immensam, quis dicendi sterilitatem excusare poterit, si modò se lectorem assiduum, & notatorem gnavum præstare velit? Priùs profectò vitam, quàm dicendi materiam absolvet. Ego reverà sic sentio.

2. Posse pluribus; præsertim interrogantibus, & instrui volentibus prodesse.

III. Excerptorum fructus est, posse pluribus, præsertim interrogantibus, & instrui volentibus prodesse. Cùm Excerpendi laborem multi fugiant, in plurimis, cùm aqua hæret, interrogare illos coguntur, quos talium Promos Condos scierint. Subinde rem lectam, vel auditam meminimus, sed locum, tempus, & ceteras attributiones rei jam pridem excussit oblivio; hìc prorsus necessarium ex aliis quærere, quo loco, quo tempore, quâ fide hoc gestum? Ad ejusmodi quæstiones omnium opportunissimè respondebit studiosus Excerptorum custos, qui aut promptiùs è memoriâ, aut certiùs è chartâ satisfaciet ad quæsita. Non facilè fallent consulti crebrò indices.

4. Posse in multum tempus partis vivere, sine novi lucri accessione.

IV. Posse in multum tempus partis vivere, sine novi lucri accessione. Explico. Est qui morbo, vel causâ sonticâ, vel negotiis impeditus, sibi ac litteris vacare non possit, multo tempore. Quid hic agat? Struenda nihilominus est oratio, paranda concio, accuratiùs aliquid scribendum; non vacat legere, novum apparatum corrogare non sinit tempus, forsan nec libri, quos vellet suppetunt: Notas igitur & Excerpta proferat, de suo vivat, ærariolum domesticum aperiat, utatur reconditis. O miserum, si nec olim voluit recondere, neque jam sinitur mendicare. Inter sacrum & saxum deprehensus, aut præsentem fateatur insciitiam, ut præteritam accusetinertiam. Pulchrum est, imò quandoque necessarium est, suo sumptu ac succo posse vivere, & lætari partis. Miserum est, alienas semper quadras lambere. Hoc fatum illos sequitur, quos Excerpendi tædium, facit inopes, iis persimiles qui quando prandendum est, à vaccio canistro ad pistoris misericordiam accurrunt, & opes alienas implorant, qui suis poterant gaudere. In æstate igitur vive memor hiemis; cum formicâ melioribus annis collige, quod deterioribus consumas. Incredibilem utilitatis fructum præber, maturè rem quærere, notare ac excerpere, ut cùm necessitas urget, suo liceat victitare peculio, & re partâ frui. Experior id ego in dies, quod in conspectu Domini testor, ad omne studiorum genus vix quidquam magis conducere, quàm pluribus annis Excerpendi solertiam perpetuasse. Hinc dives senectus & contenta suo. Ego jam, Faustine, oculis meis me vivente præmortuis, vix pauca, nec sine magnâ difficultate queo legere; nox utrumque lumen occupavit. Jam nimis serum esset parandis concionibus sermonarios, aut homiliarios, quos vocant, scriptoresve alios evolvere: nec tempus, nec oculi permittunt. Notis igitur & Excerptis fruor complures jam annos: Eam autem triginta plurium annorum Excerpta (quod præfiscini dixerim) dicendi ac scribendi supellectilem suppeditant, ut vita quantumvis longa his sese præsidiis solari possit, ad Excerptorum fundum numquam perventura. Addo igitur, & affirmatè, ut testis pronuncio.

5. Ingens ad omne dictionis ac scriptionis genus subsidium.

V. Excerptorum fructus est, ingens ad omne dictionis ac scriptionis genus subsidium. Candidissimè dico: Da mihi centum annos, & acriores oculos, & ego in annum quemliber duos minimùm libros policeor materiæ diversæ, quam liberaliter, sat scio, subministrabunt Excerpta. Nec enim arbitror, difficile illi erit ædificium educere, qui delectâ jam areâ, calcem, asseres, arenam, ligna & lateres convexerit. Ædificandi materies collecta est, hanc solùm digerat, & ædificet. Hæc Notarum commoditas, hoc lucrum est: materiam struendi convehunt; accede & construe: Excerpta dicendi ac scribendi copiam subministrant; adde manum, linguam, calamum, & dictionem aut scriptionem ordire. Hic unicus sanè ac optimus in ædificio litterario promovendo modus est. *Cùm Excerpta*, ut Gellius loquitur, *ejus generis seminiscj sint, ex quo facile adolescant aut ingenia hominum vegetiora, aut memoria adminiculatior, aut oratio sollertior, aut sermo incorruptior, aut delicatior sit notio*. Varius & amplus Excerptorum usus est. Dixi quæ à me pro testimonio volebas dici. Nunc ire porrò pergamus.

Gell. lib. 20. Noct. Attic. cap. ult.

CAPVT

CAPVT IX.

Excerpendum esse diversis rationibus docetur.

1. Rationibus excerpendum esse confirmatur: 1. Lectoris intentio scribendi & annotandi curâ multùm acuitur.

TEstimoniis & exemplis docuimus, Excerpendum esse. Idem rationibus confirmatum imus.

Prima est: Lectoris intentio scribendi & annotandi curâ multùm acuitur. Ita lectio fit multò meditatior, tantóque meliùs res intelliguntur, quantò exactiùs, dum in notas transeunt, expenduntur. Saputt sibi Demosthenes, qui, ut suprà dictum est, Dionysio Halicarnasseo teste, Thucydidem totum suâ manu octies descripsit. Multa etiam volumina suâ manu exscripsit Hieronymus. Multa quoque alii transcripserunt profectûs cupiditate accensi.

Theodosius Junior Augustus Imperator, non solùm venustos characteres, cùm scriberet, efformavit, quod Nicephorus commemorat, sed etiam tam multa descripsit, ut, si fortunæ tenuis fuisset, alere sese scribendo commodè potuisset. Nec diem dumtaxat, sed insuper & noctes scriptionibus, ad illam pervigilem lampadem suam impendit.

Niceph. l. 14. hist. Eccles. c. 3. post init.

2. Quod alterius rei intelligentiam profundius subit, menti altiùs imprimitur.

Altera ratio est: Quod exscribitur, intelligentiam profundiùs subit, menti altiùs imprimitur. Nam sæpiusculè lector oculis per paginas volat, & cursim ad alia atque alia properat; cùm gnaviter excerpit, & annotat, crebriùs subsistere cogitur, & pedem figere; ita dum lectis immoratur, dum relegit, & retractat, longè meliùs, quæ retinenda, penetrat. Vide Argentarium, quàm is sedulò philippeum aut aureum nummum examinet; quem modò coticulæ, modò libellæ admovet; jam metalli sonitum, jam fidem oculorum poscit, sic monetam probam ab adulterinâ discit distinguere: ita qui multa seligit ac notat, & auctores nosse, & stylum à stylo incipit discernere. Ita cura excerpendi attentionem legentis exacuit, festinationem remoratur, & altiùs infigit menti quidquid annotatur.

3. Excerpta & notæ medicamentum oblivionis nobilissimum, memoriæ suppetias ferunt suavissimè: quod singulari capite jam suprà demonstratum est. Memoria humana, segnis, lenta, labens, infida, fallax, rimarum plena, ut verbo dicam, cribrum est. Nimiùm eam oneras? obruitur: plus æquo imples? confunditur: commissa minutiùs & ad unguem repetis? turbatur: scrupulosiùs eam stimulas & scrutaris? penitus subinde obmutescit. Quid illi facias? rerum plurimarum capax est, sed non omnium. Finita est, suisque & ipsa terminis ac finibus arctatur, ubi dicere liceat: *Nihil ultrà*. De imaginariis extra cælum spatiis multa Theologi disceptant: hæc in infinitum protenduntur: quocumque in iis progrediare, semper audies, *Plus ultrà*. Non eadem memoriæ ratio est, suis illa clauditur angulis, quos si transire velis merum inane ac vacuum reperias. Hìc memoriæ subsidium ab Excerptis & Notis petendum, ut quod illi surripit oblivio, hoc chartæ in suas classes digestæ restituant. Uti sæpiùs è chartâ sapere, ita etiam sæpissime è chartâ meminisse ac recordari cogimur. Ei, qui solùm legit, elabuntur innumera, quæ in Notas relata magno forent usui. Faustine, ut possis esse Promus, fias antè Condus. In chartas conde, in Notas exscribe, quorum constanter meminisse cupis. Labat & vacillat, imò nulla est memoria nostra, cùm desunt ejuscemodi adjumenta. Effluit, quod in notas non venit? pæne totum frustra legitur, quod in Excerpta non seligitur. Ergo memoriam his fulcimentis firma. Ut compendiosè excerpas, lege; ut utiliter legas, excerpe. Alterùm sine altero, inanis & cassus labor.

3. Excerpta & notæ medicamentum oblivionis nobilissimum.

4. Volumina plurima communi bono prodierunt ab hac unâ Excerpendi sollertiâ.

Quarta ratio. Volumina plurima communi bono prodierunt ab hac unâ Excerpendi sollertiâ. Nam inde Variarum, inde Antiquarum lectionum tot libri; inde Miscellanea, Florilegia, Epitomæ, Summaria, Pandectæ, Collectanea & Conjectanea, Adversaria, Promptuaria, Rerum Silvæ, Quæstiones epistolicæ, Horæ subsecivæ, Farragines eruditæ, Memoriales tituli, Electorum libri, Musarum horti. Quibus omnibus litteraria Respublica careret, si notare ac excerpere desidia vetaret. Quòd si ea, quæ alienus labor annotavit, legenti sunt utilia, quantò magis illa proderunt, quæ quis ipse sibi, suúmque in usum collegerit?

Hìc ego cum cochleâ velut oraculum proloquor: Domus propria, domus optima: Notæ propriæ, Notæ optimæ. Unica Excerptorum pagina tuo labore scripta, magis tibi erit usui quàm decem, quàm aliæ viginti, quàm aliæ centum, quas diligentia obtuderit aliena. Nostra nobis & magis sapiunt, ut suaviora; & magis prosunt, ut notiora. Sed hoc, cùm opportunum fuerit, luculentiùs ingeram, & liberaliore cinere vas istud infricabo.

His & illud addo. Quàm multa sunt, quæ scriptores alii, aut studio præterrepti, aut incuriosi, transeunt, aut ad alia festinantes negligunt, aut reperta mutilant & frangunt? quæ attentus lector, hinc illinc ingenti suo commodo decerpet.

5. Hebræus Sapiens ad formiculas & apiculas colligendi magistras nos ablegat.

Quinta ratio. Hebræus Sapiens ad formiculas & apiculas colligendi magistras nos ablegat. Formicula illa parvula, atque ruricola omniparentis terræ agilis alumnula, promptâ repens velocitate, discurrens gnaviter, æstate congerit unde habeat quod consumat hieme; itionibus ac reditionibus eamdem viam relegit millies fatigari nescia; inertis otii sterilitatem assiduis damnat laboribus; futuri provida materfamilias, æstivi sideris perita, plurimum annonæ in suum penu convehit: ita brumæ injurias non metuit, famis imperium non horret, infecundam hiemem commeatu jam condito non ægrè tolerat. Dixerim, dum licuit, fideliter laboravit, nec segniter excerpsit, ita parùs jucundè fruitur. Non tamen unus formicis omnibus est labor. Hæ bajularum vices obeunt, & fascem ferunt se grandiorem, ut majora sint onera quàm corpuscula. Aliæ viarum obstacula moliuntur & amovent; aliæ herbarum semina oris forcipe trahunt, aliæ terram è foveis egerunt, & meatus aquæ aggeribus excludunt. Istæ, ne madefacta humus horrea in herbam vertat, illata semina prærodunt; istæ celebri luctu corpora defuncta efferunt. Quod mirius in tanto discurrentium agmine, egredientes non obstat intranti; quin potiùs, si quam viderint sub onere fatiscentem, aut sub fasce corruentem; humeris suppositis juvant & erigunt. Ubique fervet opus; omnes laboriosæ, nullæ otiosæ.

Vade ad formicam, quisquis excerpendi & annotandi molestiam fugis: disce congregare, dum vires & anni favent. Hiemem senectutis prospice; jam ergo collige, jam reconde, quo ætas posteriot sese soletur. Idem te docet apicula, & ad excerpendum sedula præit.

Apiculam intuere in Hyblâ volitantem, modò teretes hederarum corymbos, modò dulces tiliæ florentis surculos, modò gratos thymi odores, modò croceata genistarum * cacumina, modò pallentium violarum suaves divitias, modò rubentium rosarum odoratas gemmas ore legulo populantem, & numerosis crurum atque coxarum villulis implicantem. Omnes apicula flores delibat, ab omnibus excerpit, quod suum faciat. Hinc alveare ditat, hinc ceram liquoribus stipat, hinc favos construit, hinc mella diffundit. Sed apiculæ, ut sciamus, cum delectu maximo, & velut judicio excerpunt (quod in congerendis excerptis primum) nec enim temere quosvis flores insident, nec extrahunt, nisi quod melioris succi est, tam ceræ, quàm melli faciendo aptius. Venenum est, quod in flore deterius araneis relinquunt. Hæc apum sedulitas atque in excerpendo studium est, quod mellis & ceræ thesauris orbem opulentat.

* *Genista humilis arbuscula, minutâ fronde, flore luteo, apibus gratissima.*

Senec. ep. 84. init. Hîc ego tibi Senecæ verba ingero: *Apes, ut ajunt, debemus imitari, quæ vagantur, & flores ad mel faciendum idoneos carpunt: deinde, quicquid attulêre, disponunt ac per favos digerunt, & ut Virgilius noster ait,*

Virgil. lib. 1. Æneid. ——— liquentia mella
Stipant, & dulci distendunt nectare cellas.

Ita quidquid lectione collectum est, stylus redigat in notas.

Vade igitur ad apiculam, quisquis excerpendi modum aut ignoras, aut ignaviam amas. Quin sequimur, Faustine, melligeram hanc plebeculam, quin volucres innubas, & florilegas aviculas istas imitamur? Obsecro, non minùs his animalculis in rem nostram sapiamus. Præstantiores auctores veluti flores nobiliores eligamus, hinc succos exugamus meliores. Stertimus & otiamur? avolat ætas, fugiunt anni hauriendis scientiis apti; nos neque mel, neque ceram facimus; jejuna semper erit & dictio nostra & scriptio; tam oris, quàm calami paupertatem numquam effugiemus. Excerpendum, & Notandum est.

6. Excerpta nobis sunt instar bibliothecæ. Sexta ratio. Excerpta nobis instar bibliothecæ sunt. Locorum varietas, & librorum penuria hoc nobis compendium facilè persuadebunt. Expertus sum ego jam sæpissime hanc in libris permolestam difficultatem: quis enim eos semper ad nutum habeat? Non ita pridem vir Religiosus mihi graviter questus: Quos libros Augustæ, inquiebat, quos Ingolstadii, quos Dilingæ, quos Lovanii, quos Coloniæ, quos alibi ad manum habui, illos jam quæro, & nusquam reperio, aut tali domino mancipatos, qui eis carere nolit. Meis itaque fruor Excerptis, quæ mihi bibliotheca sunt, facili negotio in omnem locum asportanda. Felix eram Lovanii, ubi poëtas veteres, ubi priscos historicos omnes, & omnia Lipsii opera; ubi melioris notæ Philosophos & Theologos in meo museo inter ceteros numerabam. Nunc subinde vacuus in scopulo piscator hæreo. Vix pauculos historicos, & quidem editionis flagitiosæ cerno; Lipsium hoc loci in Pentheum migrasse credo, adeò lacer & dissipatus est; illius pauca invenio, & editionis dissimillimæ. In melioribus libris ceteris supellex curta. Itaque ursum æmulor, & fructu unguium meorum victito, Excerptis meis utor. Excerpta non confecissem, nec dicere quidquam, nec scribere haberem. Libri destituunt, memoria non succurrit, olim lecta jam pridem effluxerunt, interim dicendum aliquid & scribendum est. Ad meam igitur bibliotheculam memet recipio. Notas meas repeto: voces Timonis Venusini jacto,

Horat. lib. 1. Serm. sat. 1. ——— *populus me sibilat: at mihi plaudo*
Ipse domi, simul ac nummos contemplor in arcâ;

simul ac dicendi scribendique copiam in familiaribus mihi paginis intueor. Hæc apud me vir mihi amicissimus perorabat, cui ego totus assentior.

Incredibile profectò est, quàm utile volumen rerum selectarum, tempore non multo possit confici; è quo utilitatis plurimum ad eum redundabit, qui in hoc non hospes fuerit, sed civis. Hæc ut a Excerptorum opportunitas, si vel sola sit, omnem Excerpendi laborem abundantissimè compensat. Excerpta propria, bibliotheca compendiosissima, optima.

7. Hominũ eruditorũ ac sapientum pæne omnium testimonia, voces, & exempla excerpere suadent. Septima ratio. Hominum eruditorum ac sapientum pæne omnium testimonia, voces, & exempla, quod uberiùs jam suprà demonstratum est. In multis reperias doctores & suasores plurimos, plerumque tamen non adeò multos factores. Suadere pronum est, promptúmque vel imperito cuique; dextrè facere paucorum. Hîc verto & canto: Plures numerabis, qui fecerint istud, quàm suaserint. Neque enim omnibus lubuit sui profectus rationem aliis detegere. Suaserunt hoc multi, sed plures suasoribus fecerunt, de compendio arcano sibi plurimùm gratulati. Exercitium utique multò utilissimum est, & reverâ necessarium ad eruditionem non plebejam anhelanti. Si nos, Faustine, hîc soli velimus sapere, desipiemus soli, sed in nostram perniciem. Ego satius duco cum multis, sed eruditis desipere, quàm solum sapere. Licebit quidem non excerpere, sed licebit etiam plurima nescire, innumera oblivisci, pæne omnia incassum legere; licebit tempus frustra terere, & optimas horas pessimè perdere. Hoc senatus doctissimorum hominum pridem observavit, ideo è lectione omni excerpendum censuit; qui secus faxit, in supplicium habeat ignorantiam, & amissi temporis jacturam. Ita doctissimi quique sentiunt. Adversùs hunc torrentem obluctari fatuum est. Sed tuas nunc objectiones audiam.

CAPVT X.

Objectionibus contra Excerpendi sollertiam respondetur.

B Favst. Ergo fari jubes, & dictis tragulam * injicere. Evlog. Liberrimè, sanatur ulcus cùm rumpitur, & ejecta tragula quandoque in auctorem revolat. Dic quod sentis. * Teli genus, hastæ simile.

Favst. Principiò de illis fastigiis hominum multa 1. In excerpta objectio. disserebas, qui nescio quot decades librorum typis mandarent. Nihil hoc contra me; talem ego arietem, meique similes non timemus; hoc epichiremate nihil persuades. Ego nulla molior volumina, nec umquam in lucem quidquam extrudere cogitavi. Typi à meis libris æternùm feriabuntur. Ego Plinios, ego Lipsios, Pontanos, Delrios non expungam codicum edendorum multitudine. Nec cupio tot libros scribere, quot Didymus, quot Origenes, quot Trismegistus, aut Tostatus aliquis; ego me inter lectores censeri volo, non scriptores: quid ergo mihi cum Excerptis? hæc illi curent, qui publico sua parant vendere. Evlog. Audio; & verum esto, ut illud non cogites, saltem subinde voles, aut etiam C cogêris oratiunculam, vel epistolium componere: affirmatè dico, nec hoc ipsum quidem cum dignitate poteris, absque Excerptis. Vide plurimorum epistolas rerum omnium inanes, flaccidas, elumbes, steriles, ineptas, plumbeas, sine nexu, sine nervo, sine ullo colore, in quibus nec priscæ, nec novæ litteraturæ vel vestigium reperire sit. Sed eorumdem scriptas orationes inspice; verborum flumen est (& nec hoc quidem) rei aut rationis nihil, sed rivulus gracilis, & solo strepitu loquax; nullæ hîc elegantiæ, nulli sales, nullus nitor, gratiarum nihil est, subinde nec miculam in iis deprehendes, quæ priscam eruditionem sapiat, nihil sani aut vivi coloris; nil florum aut amœnitatis quidquam aspersum. Quod ille de Luscinià, hoc de scriptis talibus dicendum: Vox es, prætereáque nihil. Caussam tantæ paupertatis ne quære; in promptu est: nec verborum, nec phrasium, multò minùs rerum Excerpta habent: in dies vivunt; parati nihil est. Hinc dictio & scriptio tam paupertina, sordida. D Imò fit nonnumquam ut talibus dicendum in publico, cùm Philosophiæ, aut Medicinæ, aut Jurisprudentiæ, vel Theologiæ Doctores jubentur; sed illi tales, quia fodere noluerunt, mendicare coguntur. Cùm enim eorum nihil habeant, quæ ad orationem struendam faciunt, velut pueri vix Grammatices gnari alios appellant: Quæso te, orationem mihi scribe, gratiarum actionem para, ad quæstionem positam responde. O mendicimonium ignavum; si quidquam excerpere voluissent, jam aliis non supplicarent; sed quia non tantùm nihil notatum habent, sed etiam ignorant, ubi scribendorum aliquid quærant, unde dicendi subsidium petant, ideo ad mendicitatem indoctissimam sese applicant. Inscitiam malunt prodere, quàm emendare.

Excerpta non solùm libros scripturis, sed etiam orationem composituris sunt necessaria.

Vides, Faustine, non tantùm libros scripturis, sed etiam orationem, aut tale quid composituris. Excerpta esse necessaria.

Favst.

FAVST. Sed alteram in Excerpta tragulam intorqueo: Minùs memoriæ ſtudent, qui Excerpta curant: nam ubi quidpiam in Adverſaria ſua retulerint, ſine curâ ſunt, & ſegni animo, tamquam ipſi jam teneant, quod chartis commiſerunt. EVLOG. Mantelum pigritiæ coloratum, & ſcitè factum, ſed lacerum: quaſi verò primarium memoriæ ſubſidium memoriam oppugnet. Dixi neminem tam felicis eſſe memoriæ, qui omnia, quæcumque legerit, complectatur, & retineat. Igitur ab Excerptis petenda ſunt adminicula, non ut memoria minùs exerceatur, ſed ut feliciùs in opere ſuo promoveatur. Addo: Nemo Excerpta cum ſuis indicibus peritè tractaverit, qui noluerit reminiſcentiam exercere. Nec enim ſatis eſt, excerpere, niſi memineris, an, & quid excerpſeris. Atque adeò Excerpta & Notæ memoriam non ad deſidiam reſolvunt, ſed ad labores adigunt. Quiſquis igitur memoriæ quàm maximè conſultum cupit, Excerpta & Notas perpetuet. Niſi forſan Charmides Græcus ſit, aut ejus frater, qui ſimillimus Charmidæ. Vir iſte oriundus è Græcis eâ vi memoriæ pollebat, priſcis aſſeverantibus, ut quoſcumque libros in bibliothecis legiſſet, eos confeſtim memoriter recitare poſſet. Si talem te profitearis, Fauſtine, ab Excerptis te liberum pronuntio: ſin minùs, nec te, neque ullum alium à conſcribendis Notis eximium dico. Spartam quam nactus es, orna; memoriam, quam adeptus es, juva.

FAVST. Sed tertiam in Excerpta jacto tragulam: Plurimi ſunt, nec adeò indocti, qui hanc Excerpendi artem aut hactenus ignorarunt, aut certè non uſurparunt. EVLOG. Hîc velim digitum imponas ori, & ſiculneam argumentationem tuam alto ſilentio defodias. Argumentum iſtud, fateor, uſitatiſſimum eſt, ſed peſſimum: Plurimi hoc faciunt. Ergo. Tu verò quid inde commonſtras? Non ideo bene fit, quod à multis fit. Errantium multitudo nihil patrocinatur errori. Noli eos numerare, qui à viâ deflectunt. Sequere vel pauciſſimos, ſed recto calle incedentes. Pythagoræ monitum eſt: *Per viam publicam non ito.* Non ut eam inceſſu vitemus, ſed ut ſenſu, moribus, vitâ. Ignavia numquam erit pulchra, quòd ea multis placeat. Multi, ais, nil excerpunt. Quid tum? Multi etiam parum ſupra vulgus proficiunt, hunc inter eruditos in imo herent ſubſellio. Nec illi hoc penſi habent, modò farinam & panem eruditione quantumvis debili lucrentur. Neque verò quidquam dubii eſt, quin illi tam parcæ diligentiæ juvenes, multò præſtantiores evaderent, ſeu Philologi, ſeu Medici, ſeu Juriſconſulti, ſi maturè ac ſedulò excerpere inciperent. Multis danda venia ob ignorantiam; nil illis ignoſcendum eſt, quos laboris odium abſterret ab exercitatione tam fructuoſâ. Sed perge opponere.

FAVST. Quartam ergo tragulam expedio: Priſcorum ſapientum ævo, cùm artium & ſcientiarum cultus maximè floreret, auditione ac commentatione, non ſcripto tradebantur diſciplinæ. Hoc Pythagoræorum in Italiâ, hoc Druydum in Galliâ, hoc Gymnoſophiſtarum in Indiâ fuit inſtitutum. EVLOG. Specioſum videri poſſet hoc argumentum, niſi eſſet vitioſum non unâ parte. Fac eſſe nil ſcripſerint in ſcholâ, nil ergo in tabellas domi retulerunt? unde igitur eorum ſcripta ad nos permanarunt? Deinde, priſcorum ſcriptio fuit admodum operoſa & difficilis, nec ſine majore ſumptu. Cerâ illi, aut lino, philyris, corticibus, foliis arborum, plumbo, membranis, palimpſeſto utebantur. Nos commodiſſimè chartâ utimur, typographiis gaudemus; ratio ſcribendi expeditiſſima, modò non magis placeat labore otium. Addo: Si argumentatio tua ullarum ſit vitium, mos Academiarum omnium erit abolendus; ubi non audire ſolùm, ſed & ſcribere atque annotare diſcipuli ſolent. Quin igitur ad Academias excurris, & tuam illis auditionem ac commentationem ingeris, omnémque ſcriptionem tollis? cave hîc verbulum addas, aut ſupploſione pedum ſalutaberis. Sed quia pharetram tuam, ut conjicio, nondum exhauſiſti; dic porrò, & oppone plura.

FAVST. En ergo quintam tragulam: Quid ſi ejuſcemodi commentaria & Notæ tineis, muribus, blattis in epulum cedant, quid ſi aquæ illa jugulent, quid ſi canis ea concerpat, fur auferat, ignis comburat, caſus alius eripiat? EVLOG. Quid ſi cælum ruat? hi hoſtes non tantùm libris, ſed & veſtibus, pecuniis, domibus timendi: num ideo veſtem non conficias, pecuniam non colligas, domum non conſtruas, quia hæc vel auferri, vel comburi poſſunt? Non neſcio quid Antiſthenes cuidam dixerit, qui librum, in quem omnia retuliſſet, perditum plorabat. Cui vir ſapiens: Atqui hæc, inquiebat, oportuit, animo commendare, non chartis. Quo effato philoſophus non voluit memoriæ mandari omnia (quis enim id poſſit?) ſed multa, quod & nos docemus, ne ſcrinia noſtra doctiora ſint, quàm ingenia noſtra. Sed perge, ſi libet, obducere.

FAVST. Sextam igitur extollo tragulam: Quis characeam ſupellectilem ſuam quocumque ſecum circumvehat? Stilphon ſua ſecum omnia ferebat mente, non chartis. EVLOG. O te militem, Romanum ſcilicet, & priſci roboris! Vetus Romanus miles pro more ac ritu militiæ hæc habuit, quadruplicia portanda onera: *Cibum, Vtenſilia, Vallum, Arma.* Expende ſingula. *Cibus*, panis fuit buccellatus in menſem dimidium, ſæpe totum. *Vtenſilia*, Haſta & Scutum, præter hæc, ſerra, corbis, rutrum, ſecuris, lorum, falx, catena, olla, veru, & ſi quæ alia ad victum ſunt. *Valli*, tertium onus. Ex uſu ternos, aut quaternos, aliquando ſeptenos, aut etiam duodenos vallos tulerunt, ut, ſi caſtra ſubitò locanda, vel alia foret neceſſitas, vallare ſtatim ſe liceret. *Arma*, quartum onus, galea, lorica, gladius. Iſta omnia Romana militi ferenda. Hæc mihi, ut ſcias, è Lipſio Excerpta ſuggerunt. Et numquid rectè talem te militem dixi, quadruplici, tantóque huic oneri portando parem, qui duos trèſve chartaceos libellos ferre refugis? Addo; Excerpta, ſi cum judicio fiant, non facilè umquam in eam molem excreſcent, quæ non expeditè commodéque ex uno loco in alium transferatur. Mecum ſenties, cùm Excerpendi modum à me accipies. Stilponi paxſit, & eat bonis avibus, qui Demetrio Poliorcetæ interroganti, Num quid perdidiſſet? *Nihil*, inquit, *omnia namque mea mecum ſunt.* Cùm tamen patrimonium illius in prædam ceſſerit, filias & patriam hoſtis rapuerit. At ille habebat ſecum vera bona, intelligentiam & memoriam artium & diſciplinarum omnium capaces, inſuper & virtutes rectíque conſcientiam. His ſeſe bonis ſolabatur Stilpon. Sed quid hæc adversùs Notas & Excerpta? Etiámnum habes, quod obducas? Septimam quoque tragulam emitte.

FAVST. Dictis acquieſcere ſtatueram: ſed, ut jubes, hæc addo: Videri tempus non adeò religioſè ac utiliter expendi colligendis Excerptis. EVLOG. Hæc quidem, Fauſtine, commodiùs retinuiſſet ſilentium. Cave hîc idem tibi occinam, quod Apelles Alexandro Macedoni de coloribus imperitè multa diſſerenti, ſilentium comiter ſuadens: Aut ſile, ait, aut pueri, qui colores terunt, te ridebunt. Túne temporis prodigentiam hîc objicias? Re nullâ utiliùs expendes tempus quàm conficiendis Excerptis. Illud veriſſimè tempus eſt non ſolùm prodigere, ſed ſtudio perdere, libros otioſè volvere, multa legere, nihil excerpere, nihil memoriæ recolendum ſeponere. Hæc vera temporis jactura eſt, legiſſe, & aut nihil retinuiſſe, quod diu inhæreat, aut nihil excerpſiſſe, quod uſui futuro ſerviat. Si temporis pretium æſtimare noris, nil umquam leges, nec quidem animi cauſsâ, quin ſimul excerpas. Otioſa, vana, nugatoria eſt lectio, cui nulla miſcetur ſcriptio. Niſi Thomam Kempenſem aut ſimiles legas. Quamvis nec hanc qui-

1. Objectio. — Reſp. — Lib. 7. Gell. hiſt. cap. 14. — 2. Objectio. — Reſp. — Tantium multitudo nihil patrocinatur erroti. — 3. Objectio. — Reſp. — *De hoc vide Senecam l. de Conſtantiâ ſapient. c. 5. & ep. 9. poſt med.* — 4. Objectio. — Reſp. — De veterum ſcribendi ratione fuſius Guido Pancirollus, tom. 2. Memorab. tit. 13. & in nom Hiericus Schmuck. — 5. Objectio. — Reſp. — Quatuor onera portanda pro ritu militiæ habuit miles Romanus. — *De his Lipſius lib. 5. Rom. milit. dial.* — 6. Objectio. — Reſp. — 7. Objectio. — Reſp. — Tempus nullâ re utilius expenditur quàm conficiendis excerptis.

dem lectionem velim annotationis omnis expertem. At sunt, qui studiosos se putent, cùm libro signum infixerint, eúmque fecerint stigmariam. Ohe libellum miserum! ohe, quem tales sauciant injuriæ. Nam ungue codici notam imprimere, pagellæ auriculam inflectere, atramento aut minio, quæ placent, inducere, pigritia est prorsus sordida, & maximam partem inutilis, ac supervacanea. Quid libros his contumeliis incestamus? Exiguum, aut nullum est memoriæ subsidium, & magna libri infamia. Si quid notatum vis, breviter exscribe, & librum præsta immunem ab hoc dedecore.

Virgil. l. 7. Æneid. circa med. Si quid tragularum, Faustine, supereſt, pharetram omnem vacua; concute fecundum pectus, & objectiones spargo toto plaustro.

8. Objectio. FAVST. Restat unica, sed non hebes, ut arbitror. Octavam ergo tragulam emitto: Sunt hoc ævo scriptorum pæne omnium indices copiosi, indices optimi. Quid fatiger fruſtra? ab indicibus petam, quod lubet discere.

Resp. EVLOG. Has voces jam novi. Hoc pigri aut juvenculi ab experientiâ invalidi dicunt. Novi ego imperitissimos hoce sermunculos. Sunt adolescentuli vix litteris primis leviter tincti, qui his sese inaniis quietos reddunt: Ad indices, ajunt, confugiemus, & eruemus inde non grandi labore quidquid placuerit. O boni pueri, erratis toto cælo. Consilium ridiculum & vanum. Expertus sum ego ipse sæpissime, inter indices plerumque id minimè inveniri, quod maximè quæritur. Non dicam, quod amplius est, à plurimis ipsam quærendi artem ignorari, præsertim cùm indices sibi sint dissimillimi. Sed neque hîc indices in jus ambulare cogam, qui sæpe fallunt, & ludificant quærentem falsis numeris; non rarò magnum quid pollicentur, & vix pauculas repræsentant voculas. Quoties totas horas, totos imò dies jejunus & avidus scrutator indices pervestigat, & vix quidquam, quod ad rem sit, expiscatur; oleum perdit, & operam ludit. Quid? quòd auctores plurimi, eos indices, quos suis libris attexunt, non ipsi conficiant, sed id genus operæ aliis committant. Hinc errores in indicibus innumeri. Hoc autem creberrimè fieri, certò mihi constat. Quid verò facias libris illis, qui quidem optimi, sed nullos habent indices? undique repulsam ferimus. Verùm, ut sint ista, quæ opponebas, verissima, numquam tamen alienis tam jucundè, nec tam appositè, neque utilitate tantâ, ut nostris utimur. Et, ô mi Faustine, serum nimis est, cùm monstranda eruditio, eam ex alienis libris, aut librorum indicibus conari effodere. Negotium anceps & revera fallax est, velle fieri eruditum ejuscemodi Elenchis & Nomenclaturis.

Sed omnes pulchellas rationes istas excogitat pigritia. Hæc, ut scias, nonnumquam ingeniosa est, præsertim in sui patrocinium. Quòd Excerpendi curam aver-

Ratio unica cur a-

semur, ratio pæne unica hæc est: Odimus laborem & versemur. fugimus. In eo res vertitur, pigri sumus, & molestiam curam exfugimus. cerpendi. enotandi nolumus subire; ideo legimus; & nihil nobis seligimus, ut non laboremus. Operosum nobis videtur semper ad manum habere chartam, calamum, atramentum, & inter legendum, modò sellâ surgere, modò has, modò illas chartas prehendere, lectionem turbare, scriptionem interjungere. Lectores esse otiosi volumus. Ita dum alimus desidiam, fovemus ignorantiam. Hoc uno nobis blandimur, quòd multa legerimus. Optimè dixit Aristippus: *Non, qui plurima comedunt, ii perinde sani sunt; item non qui plurima legunt; ii perinde docti sunt.* Apage mihi otiosulos lectores illos, qui animi tantùm, voluptatis, & otii causâ legunt, qui, ut tempus fallant, librum arripiunt, & quod fors obtulerit, curiosis oculis percurrunt. His omnibus illud Plinii insusurrandum: *Potuisti, ô boni, has horas non perdere.* Quæ enim hæc lectio est, quæ nihil in Adversaria, nihil in scrinia recondit, quæ oblivioni & ventis spargit, si quid boni seminis repertum. Idem ilti faciunt, quod qui multùm edendo ingerunt, & nihil digerunt. Ut concoquas, sic comede; ut excerpas, sic lege. Hoc litterarum supellectilem parat, hoc seriam eruditionem conciliat. Non caret res labore, fateor, quid autem magni sine hoc mortalibus venditur? Novi ego complures mediocris ingenii homines, qui per hanc ipsam Excerptorum industriam evaserunt ad magna. Quod illis nec memoria, nec ingenium contulit, id liberaliter Notæ dederunt & Excerpta. Hoc verè tuum est, quod tuum feceris annotando, hoc tibi utilissimum experieris, quod in tuam extraxeris utilitatem excerpendo.

Excerpta litterarum supellectilem parat, & seriam eruditionem conciliant.

In primæ partis coronidem do testem virum doctissimum Franciscum Sacchinum, qui hanc ipsam Notandi sollertiam summè approbans, his omnino verbis: *Maximi, ait, quique viri & commendant, & adhibent sedulam Excerpendi curam. Profectò fidem superat, si quis & accuratè, & continenter scripto conservet, quidquid constans lectio memoriâ dignum in actes offert, quanta, quam brevi egregiarum rerum copia congeratur.*

Sacchin. de Ratione libros legendi. milit. p. 6.

Verissimum est, & oraculum puta. Testes adjungo mihi familiarissimos, qui mirari se ajebant, & verò etiam lætari litterariam supellectilem suam tam suaviter tempore non adeò multo è Notis crevisse. Levibus impendiis licet hîc dicescere: Faustine non legendum tantùm, sed & excerpendum. Atque hæc præfari oportuit. Jam constat, ni fallor, Excerptorum necessitas: quæ autem eorum methodus, & quomodo excerpendum sit, parte alterâ trademus. Atque ita jam diem deduximus ad umbilicum. Pars altera in pomeridianum tempus commodè rejicietur. Tu verò meus hodie conviva eris. Sed morem meum nôsti; nec Plautinum illud ignoras: Propter te vicinia non videbit majorem fumum. Eamus; vocat mensa, sed, quod præmoneam, frugalis.



PARS

PARS ALTERA.

EXCERPTORVM METHODVS, SEV QVOMODO EXCERPENDVM SIT.

CAPVT PRIMVM.

Ingressus ad sermonem de Excerptorum modo.

EVLOGIVS. En uvas, Faustine, per hiemem servatas: præludamus fami hac promulside. FAVST. Quid hoc novi moris in tuâ domo? Alibi vindemiam secundis mensis inferunt inter bellaria. Hîc ferculorum omnium anteambulones sunt uvæ. EVLOG. Memoriam mihi refricas uvæ ambulantis, quam mea mihi Excerpta, ni fallor, explicabunt. Sed priùs accusatio, de more novo, amolienda. Hoccine tibi peregrinum, aut novum videtur, in prandii caput apponi uvas? Medicorum placitis fit. Ajunt stomachum eo succo, præsertim si recentes sint uvæ, non malè initiari, cùm ad acuendam appetentiam, tum ad alvum ducendam. FAVST. Ut sese dant initia, non tam dapes hodie, quàm eruditionem prandebimus. Pareamus ergo Medicis, & uvas præmittamus offæ. Bromius præcedat Cererem. Sed tu interim, quæso, quod de ambulante uvâ cœperas, exequere. Prodigium luculentum, si uspiam uvæ ambulant. EVLOG. Quî sapit hæc gustatio? FAVST. Puto Apianas esse, adeò dulces sunt. EVLOG. Nec mea familia, nec aves id nesciunt: nam & illa, & illæ valde appetunt hoc genus vitis. Et quod sanè lepidum est, cùm domesticos furtivæ vellicationis insimulo, culpam in aves regerunt; si aves loqui scirent, domesticorum gulam accusarent. Tu botrum hunc totum jugula; modò sapiat. Hospiti hæc victima debetur. Ceteri missus non obruent te.

De ambulante uvâ, & legere me memini, & Excerpere. Heus puer portige sis Adversaria illic, & Lemmata cum indicibus. Huc oculos, Faustine, & animum: cerne paginam Adversariorum centesimam quinquagesimam quartam. UVA AMBVLANS majusculo charactere scriptum. Explicatio hæc est. Erinaceus erga suos catulos sollicitus paterfamilias, non patitur deesse illis pabulum, quod furto aut rapto colligit. In curam hanc intentus ingeniosè prorsus furatur. Nam sub adultum Autumnum ad vites perrepens uvarum baccas pedibus in terram decutit, quas, sese circumvolvens, spinis excipit, deinde in cavernam suam descendens illas catulis suis præbet decerpendas. Hoc nobis omnibus aliquando spectantibus & admirationem movit, & risum. Echinus verò sic acinis onustus speciem exhibuit uvæ ambulantis. Vin' & aliam explicationem?

Insigniorem uvam unus aliquis Macario Alexandrino detulit benevolentiæ argumentum. Macarius, qui seipsum odisse, & gulam substringere jam didicerat, vicino suo, qui fractioris videbatur esse valetudinis, uvam obtulit. Ille humaniter gratias egit huic amoris officio, sed quia vicinum suum hoc edulio digniorem, quàm se credidit, uvam retinere nefas censuit, & pertulit ad eum, qui proximus habitavit. Sed & iste obsequiosum A hoc honoris ferculum alteri mittendum duxit. Et ille rursus ad alium, & alius iste iterum ad alium, & ita deinceps alter alterum sese potiorem ratus, oblatum munus porrò ambulare jussit. Sic uva per tuguria plurimorum valde distantia ambulans ad primum rediit, dum ignorarent singuli, qui primus mittere cœpisset. Macarius sibi, suisque gratulatus de tam nobili continentiæ atque amoris specimine, Deo gratias egit. Sed nec ipse quidem hanc ambulantem uvam vel libare sustinuit, in quâ tot alii, charitatem & temperantiam exercuissent. En, Faustine, ambulantem uvam. Hac etymologiâ ferculum, aut poculum, quod in mensâ obit, ambulans cibus, ambulans calix congruè vocatur. Hæc mea mihi suggerunt Adversaria. Addo aliud ex iisdem, paginâ centesimâ septuagesimâ.

B Turcæ vinum non bibunt, præsertim cùm habent spectatores. In abdito, cunctisque arbitris remoris legem violare, non ducitur religioni, dummodò potator suos sibi oculos & linguam fideles spondeat. Licet ergo liquorem vitis ex lege non bibant, uvas tamen comedunt quovis tempore recentes. Sed eas sic servant. Dolioli fundum sinapi foliis sternunt, dein botros imponunt; iterùm miscent folia, racemosque racemos, dum dolioluum impleatur. Ut autem quidquid hîc vel aëris, vel vacui est excludatur, mustum affundunt, & arculam diligentissimè obturant. Hinc mediâ hieme uvas eximunt, velut à vite recentissimas. Liceat paucula de uvis attexere ut Excerptorum utilitatem, vel hinc etiam discas.

Turcæ vinum non bibût, cùm habêt spectatores.

Eorum methodus uvas conservandi.

C Affirmat Plinius in interiore Africæ parte botryones ac uvas nasci tam grandes, ut infantium puerorum magnitudinem exuperent. Nil supra fidem locutum autumo. Nam divinæ paginæ auctoritas astruit, Palæstinæ botrum eâ mole fuisse, ut illum vix duo viri ex Nechel-Escol ad Israëlis populum in vecte detulerint, ad fertilitatem terræ testandam.

Plin. lib. 4. Natur. hist. cap. 1.

Num. c. 13. v. 24. & 25.

Nicolaus Christophorus Radzivill Princeps Polonus, eques Hierosolymitanus, cùm in Palæstinam haberet iter, Alexandriæ uvas Rhodias non spectavit tantùm, sed & comêdit. De harum magnitudine oculatus testis affirmat; acinos earum esse ad instar nostratium prunorum, illarum verò longitudinem tres partes ulnæ nostratis exæquare. Hîc botrus unicus non prandii proludium, sed cena sit aut prandium.

Radzivill. in suo Hodœporico, ep. 3. mihi pag. 191.

Magnitudo uvarum Rhodiorũ.

D De usis pensilibus quæ multo tempore asservari solebant, ut mea mihi lemmata dicunt, mentionem facit Aurelius Macrobius lib. 4. Saturnalium c. 20. Hieronymus Mercurialis l. 4. Variarum lectionum c. 11. Isaacus Casaubonus in Athenæum. En gustulum ad pomeridianam dissertationem nostram de modo Excerpendi. Sed seponamus tantisper ista, dum fami dentes excusserimus. Dum calet cibus, sapiet.

Uva ambulantis descriptio.

Qui junior Ægyptius, Rufin. Aquil. c. 29. apud Ros. voyd. mihi pag. 481. Palladius c. 20. mihi pag. 721.

CAPVT II.

Leges pauculæ ad Excerpendum scriptæ.

EVLOG. Parentatum est, si non gulæ, saltem fami. Ergo ad rem. Excerpendum esse diximus. Nunc porrò

Leges ad excerpendi methodū septem.

porrò dicamus, quomodo sit excerpendum. Leges ad Excerpendi methodum præmitto.

Excerpe,

1. MATVRÈ.
2. CVM IVDICIO.
3. ASSIDVÈ.
4. SELECTA & NOTATV DIGNA.
5. EXCERPTA subsecivis horulis RELEGE.
6. EDISCE quædam, non tantùm EXSCRIBE.
7. FINEM studiorum ATTENDE.

Singula hæc paucis explico, & quid hæ leges sibi velint, summatim ac breviter instillo.

1. Excerpendum maturè

1. EXCERPENDUM MATVRÈ. Si fieri potest, à puero, & ab annis vegetioribus in hanc curam totâ mente incumbe. Tantò namque copiosior erit supellex, quantò studium hujus industriæ fuerit diuturnius. Ut illis, qui ad fidicinam designantur, jam in ipsis cunis datur plectrum, & lacerata citharæ nondum omnino soluta compages, ut infantibus ipsa lux non sit antiquior, quàm paternæ artis rudimentum: ita conducit hoc studiorum genus quàm maturrimè inchoare. Nil tamen obstat quin senex & grandævus hoc artis compendium ordiatur. Præstat seriùs, quàm numquam incepisse.

2. Cum judicio.

2. CVM IVDICIO. Hîc Rhodus, hîc saltus, hîc omnis Excerptorum cardo vertitur. Quid transeas, quid Excerpas, è quibus auctoribus, quo titulo præfixo, quo lemmate adscripto, quâ classe quidvis recipias, noveris. Judicium huic rei aptum hîc commonere, non autem dare possumus. Absit judicium, & labor ceteroqui utilissimus non multùm commodabit: judicio res fiat, & laborem fructus non leviter superabit. Vitii est omnia & obvia quævis excerpere; sed longè majoris est vitii nihil excerpere. Malim te in illam, quàm istam culpam incidere. Hîc ergo sæpius monendi sumus: Quod facis, fac cum judicio.

3. Assiduè.

3. ASSIDVE. Nec tantùm lecta, sed etiam audita, quandoque etiam visa, in Notas referenda. Dicere solebat natu major Plinius: *Nullum esse librum tam malum, ut non aliquâ ex parte prodesset.* Stylus itaque numquam è manibus dimittendus, & scribendi assiduitate, quod initio difficile videbatur, in naturam mitiorem cogendum: veluti feras cernimus sæpius manu plausas saltus & nemora dediscere. Quantò constantior fuerit hæc studendi sedulitas, tantò major erit excerpendi agilitas. Omni ergo lectioni misceatur enotatio. Nec ullum censuerim legendum librum, quin simul etiam excerpendum.

Plin. Iun. l. 3. ep. 5. ad Macrum.

4. Selecta & notatu digna.

4. SELECTA & NOTATV DIGNA. Nec enim omnia, ut dixi, in Notas trahenda. Quod obvium, quotidianum, protritum, millies decantatum est, sine damno transiri potest. Quamvis non ratò in communissimis hallucinemur: nam licet ea sciamus, auctorem tamen, & librum, librique caput, aliáque rei attributa ignoramus. Ideo multa non quasi nova & invulgata spernenda, sæpe nec communissima negligenda sunt. Illos, qui hac in re nimii, & obvium quidvis in Excerpta rapiunt, perstringens Gellius: *Græci maximè, inquit, multa & varia lectitantes, in quæcumque res inciderent, albâ, ut dicitur, lineâ, sine curâ discriminis, solam copiam sectati convertebant.* Ergo selige, & excerpe.

Gell. lib. 20. Noct. Attic. cap. 11.

5. Excerpta horulis subsecivis relege.

5. EXCERPTA horulis subsecivis RELEGE. Ad sequentem lex ista spectat. Sic enim memoria firmatur, quando non solùm exscribimus, sed exscripta, cùm opportunum, relegimus. Sic pleraque omnia & voluptati erunt legere, & cultui legisse, & usui meminisse. Incredibile dictu est, quantum mixtura hæc lectionis, memoriæ, scriptionis ad omnem studiorum facultatem conferat. Qui nullas hoc genus vigilias vigilârunt, vix umquam eruditionis mediocritatem superârunt. Vigiliis hîc opus est, non militaribus & rigidis, sed Socraticis & hemini non facilibus.

6. Edisce quædam, non tantùm exscribe & relege.

6. EDISCE quædam, non tantùm EXSCRIBE & RELEGE, idque memoriæ colendæ, quæ augetur, cùm frequentiùs exercetur. Idcirco illustriora non tantùm scribenda, & Notis inserenda, sed insuper etiam edisscenda judico. Non enim cùm Excerpendum dico, exercitationem memoriæ negligendam censeo. Alterum ab altero juvetur. Memoriæ opitulentur Excerpta, his illa suppeditet adjumentum. Hinc ista in familiari usu, colloquiis eruditis, scribendis litteris, disputationibus privatis & publicis dextrè misceri possunt, quò altiùs memoriæ inhæreant.

7. Finem studiorum attende.

7. FINEM studiorum ATTENDE. Cum hoc Excerpta sunt commetienda. Nam aliter Philologus excerpit, aliter Orator, aut Concionator, aut Jurisconsultus, aut Astronomus, aliter Medicus, aut Theologus. Ad sua quisque studia hanc annotandi operam attemperet, quod brevi uberiùs dicemus.

CAPVT III.

Tres Excerptorum classes faciendæ, suis cuique assignandus Index.

Hîc Faustine, seriò velim animum advertas. Id jam docendum, quod principiò maximè visus es expetere. Modus excerpendi nunc tradendus est. Tres ajo faciendas classes, & suum cuique Indicem assignandum. Quidquid enim notatu dignum videtur, aut in LEMMATA, aut in ADVERSARIA, aut in HISTORICA Excerpendum. Singulas classes sub aspectum dabo. Nunc eas breviter, ne peregrinæ videantur voces, explico.

Excerptorum tres classes.

1. Classis, Lemmata. Quid ad hanc classem spectat, & referendi.

I. Classis, LEMMATA. Sic appello. Huc spectat, & in hanc classem referendum, quidquid historia non est, & fusè non exscribitur, sed annotatur tantùm auctor, liber, caput, vel paragraphus, pagina, &c. Additis subinde voculis seu clausulis: *Hic breviter, Iste fusè, Ille optimè.* Huc præcipuè spectant virtutes, vitia, omniáque alia, quæ in sermonem familiarem adduci solent. Exempli gratiâ: Cælum, Sidera, Meteora; item Beatitudo, Cælites, Elementa, Animantes, Volucres, Quadrupedes, Pisces, Arbores, Montes, Metalla, Bombardæ, Horologia, Campanæ, Musica, Coronæ, &c. Infinita talia, quæ disceptationi hominum subjiciuntur. Sed speciem Lemmatum sub oculos ponam singulari capite.

2. Classis, Adversaria. Quid ad hanc classem spectat & referendum, & à superiore discrimen.

II. Classis, ADVERSARIA. Hoc illis do nomen. Huc spectat & in hanc classem enotandum, quidquid historia non est, sed tamen (nota discrimen à priore) paullò fusiùs exscribitur. Additis pari modo, auctore, libro, capite, paginâ, &c. In hanc classem potissimùm referuntur Ritus prisci, Epitaphia, Descriptiones insigniores; Sententiæ, vel Dicta uberiùs explicata, Rara, Admiranda, Nova, Vetera. Si tamen hæc, ut dixi, non sint historiæ, & plusculis verbis excerpantur. Exempla horum infrà dabimus, ut nemo sit, qui ea non facili negotio capiat.

3. Classis, Historica. Quid ad hanc classem referendū est. Triplex index his classibus accommodandus.

III. Classis, HISTORICA. Sic classem tertiam vocemus. Huc spectat, & in hac classe collocandum, quidquid historia est, vel (ut pueri loquuntur) exemplum, sive id fusiùs exscribatur, sive non: notatis pariter auctore, libro, capite; diligentiores etiam paginam observant. Tribus his classibus triplex accommodandus est index in libro chartaceo, sed separato, ut docebimus.

Hæ classes ita constitutæ sunt, ut quidquid in lectione occurrit excerpendum, notatu dignum, in unam illarum possit excerpi. Quidquid enim historicum est, ad HISTORICA: quidquid historicum non est, sed vel ritus priscus, vel simile quid, & cum explicatione aliquâ videtur inscribendum, ad ADVERSARIA spectat. Quidquid aut historicum non est, sed virtus, vel vitium, vel res aliqua quæcumque, de quâ possit institui sermo, ad LEMMATA pertinet; si quidem auctor tantùm sit

sit notandus, qui ejus rei mentionem faciat. Res erit clarissima, ubi non auribus tantùm, sed & oculis loquemur.

Hac autem enotandi methodo, vel centum, vel sexcentos auctores diversorum idiomatum die uno legere possum ordine prorsus imperturbato. Nam in dictis tribus his classibus nihil attendendum ad ordinem: quo res loco venerit, eo recipiatur; in solo indice ordinata series Alphabeti observanda. Nec opus magnis chartarûm voluminibus, modò unicus liber chartaceus * triplici destinetur Indici. Ceterarum trium classium quævis à quaternione duplicato faciet initium. Cùm duplicatus hic quaternio fuerit impletus Notis, alius atque alius ei addendus. Nunc singulas classes istas oculis exhibeo; idque practicè prorsus & mechanicè (da veniam fuligi-nosis voculis) aliter certè hæc talia non capiuntur.

CAPVT IV.

LEMMATA *quâ ratione sint facienda.*

VT promissis stem, Faustine, institutionem planè practicam, atque mechanicam accipe. Duo sint quaterniones chartæ, complicati in quarto (ut bibliopolarum officinæ loquuntur) sibimet inserti, habeántque latiores paullò margines; his præfige titulum, LEMMATA. En tantillæ molis est Excerptis initium dare. Si duos tantummodò quaterniones habeas, sat chartarum, sat libri est. Ubi duos quaterniones illos impleveris, alios illis atque alios appone, prout multum excerpseris. Ita hæc res in infinitum potest crescere sine ullo chartæ dispendio. De indicibus infrà singillatim agemus. Habemus chartam rei destinatæ idoneam; præfixa frons est, LEMMATA. Jam inscribendi modum, & ipsa LEMMATA, seu titulos Lemmatum, nullâ ordinis ratione habitâ subjungo. Exempli gratiâ.

LACRYMÆ, & quidquid ad illas. De his Cæsar Baronius tom. 2. an. 253. numero 80. & an. 254. nu. 55. Thamuz idoli concavi oculi infusum plumbum, & accensus intus ignis, ut idolum flere videretur. Hieronymus Pradus tomo 1. in Ezec. cap. 8. fine omnino. B. Genovefa quoties cælum suspiciebat, flebat. Zacharias Lippeloo tom. 1. die 3. Jan. De Annibalis risu inter flentes, Livius lib. 30. fine. De lacrymis Chrysostomus hom. 1. in Epiphan. Domini. Pererius tom. 3. in cap. 37. Genes. vers. 33. Psalm. 118. vers. 136. Vide Commentatores Bellarminum, Lorinum, alios. Eleganter dictum: Nimium risûs pretium est, si cum probitatis impendio constat. Cumis in arce Apollinem triduo lacrymasse duo æditimi Romæ nuntiarunt. Livius lib. 43. Perseus pro concione dicturus lacrymis impeditur. Livius l. 44. fine, & l. 45. initio. Sortis humanæ memor lacrymat Æmilius. Juliana virgo Martyr rogum lacrymis extinxit, Lippeloo die 16. Feb. De lacrymis Athanasiæ idem 26. Feb. Ericius calidis aquis necatur; ita dæmon lacrymis. De lacrymis Bellarmin. lib. 2. de Pœnitentiâ c. 11. De divinæ Matris lacrymis juxta crucem stantis, Delrius in Opere Mariano, sectâ lectione 4. propiùs finem, ubi de pulchritudine Christi. Soror in sororis funere sanguineas lacrymas fudit, idem Delrius Polemicâ 2. Marcellus expugnatis Siracusis flevit. Valerius Max. l. 5. c. 1. Jul. Cæsar illacrymavit capiti Pompeii hostis capitalissimi, ibidem. Lacrymæ legati ad Deum; Lacrymæ, oratio sunt efficacissima, Maldonatus in c. 2 Joan. v. 13. De Xerxis lacrymis, spectato exercitu, Valerius lib. 9. c. 13. Alexander Macedo illacrymat funeri conjugis Darii, Curtius lib. 4. post med. Darius etiam velato capite diu plorat. Lacrymæ viduarum ex oculis in cælum subsiliunt, Ecclesiastici cap. 35. v. 17. ad v. 20. illustris locus. Regius puer flevit quòd mensulam in quâ Darius comedisset, Alexandri pedibus subjiceret. Curt. lib. 5. Alexandro Magno occurrunt quatuor millia Græcorum, quorum alii pedibus, alii manibus, auribúsque mutili, frontibus inusti lacrymas lacrymando provocant. Curtius lib. 5. Crocodili lacrymæ, quales apud Darium Nabarzanis & Bessi. Curtius lib. 5. prope finem. Ubi simulatissimis lacrymis rex etiam illacrymavit. Alexander oborsis lacrymis queritur de militibus in patriam redire cupientibus. Idem lib. 6. initio. Exercitus omnis lacrymatur. l. eodem med. & l. 9. post init. Alexander super Clyti à se interfecti corpore acerbè plorat. Idem lib. 8. initio. Cùm Perdiccas diadema vestémque Alexandri cum armis & annulo sibi tradito in sellâ regiâ posuisset; illorum aspectu omnibus obortæ lacrymæ integraverunt luctum. Curtius lib. 10. *Observa, Faustine, non tantùm lectum à me Curtium, sed etiam excerptum. Illud etiam nota, nil horum de lacrymis in indice Curtiano positum. I nunc, & indicibus fide, quos adeò laudasti. Sed perge.*

De risu Sardorum misto lacrymis, Pacatus in Panegyri ad Theodosium. De lacrymis Christi, Maldonatus & Alvarez tom. 1. de vitâ Spirit. Hieronymus Natalis die Palmarum. Francisc. Borgia in opusculis. Alii. De lacrymis copiosè & bene Alphonsus de Horosco, in Horto sacro, c. 21. c. 22. c. 23. c. 26. Azor. tomo 1. l. 3. cap. 14. Clarus Sylvius Commentario in 12. tabular. leges, cap. 24. Homo cùm primùm plorat, vigilat; cùm primùm in cunis ridet, dormit. Cardanus l. 8. de Rerum varietate cap. 43. propiùs finem. De singulari dono lacrymarum in viro Religioso. Joan. Nider. l. 4. de Formicis, cap. ult. Brasilienses carorum adventum, circumdatis collo brachiis, appresso ad pectus capite, cum effusâ comploratione, altisque suspiriis primùm excipiunt, viæ laborem & incommoda commiserantes: momento dein siccant oculos; habéntque lacrymas in potestate. Maffeius lib. 4. histor. Ind. De virgine per lacrymas curata, Bredenbach. t. 4. Collat. Sacerd. c. 7. De primis lacrymis infantis, Guevarræ Zetterzeer. De lacrymis & illarum origine, Guevara l. 1. epist. materteram super catelli funere consolans. Narses qui Galliam subegit, Germanos vicit, numquam pugnavit, quin priore proximâ nocte fleverit. Ibid. Non absurdè dixit Regina Ethiquiti mater: Dignum est ut fleant sicut feminæ, quia non pugnaverunt sicut viri. Guevarra lib. 2. epist. Ubi de regno Granatensi. De lacrymarum & fletûs utilitate, l. 3. epist. Ptolemæus Philadelphus Ægypti Rex, cùm ei libri sacri, quorum magno desiderio tenebatur, litteris aureis descripti porrigerentur, ingenti lætitiâ velut ebrius illacrymavit ubertim. De la Cerda in lib. 1. Virgilii, Versum, Constitit & lacrymans, &c. Alexander Aphrodis. Problem. l. 1. c. 32. Lacrymas Orphei, & quæ similis notæ sunt, transeo. De piis lacrymis Meffret serm. 1. Dominic. 1. post Epiphan. & feriâ 6. post Domin. Oculi, & feriâ 4. post Dom. Lætare. De tyranno qui primò sermones, dein nutus, tandem & lacrymas vetabat, Philipp. Bosquier. in Arâ Cæli Conc. 23. c. 1. Imago Crucifixi per aliquot dies visa flere. Henricus Spondanus anno 888. n. 5. Ramirus rex sub vitæ finem cum lacrymis clamavit: Nudus egressus sum, &c. Spondanus anno 950. Otho III. Imperator palàm lætus erat, sed ob monita Beati Heriberti occultè ingemiscebat & flebat. Spondanus anno 1001. num. 7. *Hunc compendii causâ nomino, qui Cæsarem Baronium traxit in compendium. Sed ulteriùs paullulùm.* Hipponensis Virgo, cùm se oleo perunxisset, cui pro illâ orans presbyter instillaverat lacrymas suas, mox à dæmonio sanata est. August. tom. 5. l. 22. de Civit. c. 18. mihi pag. 298.

Pachomius nocte totâ sudans & lacrymans oravit, ut manè rivuli cernerentur in pavimento. Heribert. Rosweydus lib. 1. in illo cap. 15. plura c. 38. & 52. Quidam per annum integrum seipsum deflevit. Sebast. Barradius tom. 1. lib. 10. c. 17. De lacrymis in oratione, Dux spiritualis Ludovici de Ponte part. 1. tract. 1. c. 17. maximè

maximè pag. 280. Mirificum ac singulare lacrymarum donum habuit Domnina; Rosweid. pag. 850. col. 2. De Juliani Sabæ lacrymis in fontem versis, idem p. 796. col. 2. De lacrymis bene Malvenda in speculo Principum l. 1. c. 2. Diæta salutis Bonaventuræ. Lacrymæ cervorum in pharmacopoliis asservantur. De lacrymis Peraldus in Summâ virtutum, &c. tom. 1. ubi de beatitudine luctûs. De his multa optimè Didacus Vega in Psalmos Pœnitent. & in concionibus de Quadragesimâ. De his Bosquier part. 4. Academiæ, conc. 16. pag. 309. & seqq. usque ad pag. 317. Plus nos ridere, quàm flere, idem in Jentacilis sobriis, conc. 8. initio, & conc. 15. c. 2. pag. 589. & conc. 16. c. 1. pag. 637. & seqq. De lacrymis fictis non spontè cadentibus, sed extrusis vi, Sanctius in l. 2. Regum c. 11. pag. 686. fine. Alexander Macedo cùm sibi multa de matre scripsisset Antipater: Ignorat Antipater, inquit rex, unicam matris lacrymam multarum calumniarum epistolas deleturam. Plut. in Alexandro. Divinæ paginæ fontes patent omnibus. Nimius sim, imò infinitus, si sermonem omnem de lacrymis huc traham. Illud in Bibliis illustre: Flens David, & universus populus cum eo plorans ascendit in collem olivarum, 2. Reg. c. 15. & l. 1. Reg. c. 30. David & populus planxerunt, donec deficerent in eis lacrymæ.

Huc spectant juges D. Petri lacrymæ ob negatum Christum: de quibus Bosquier in Notis de Passione Dom. conc. 28. cap. 3. Huc lacrymæ Magdalenæ, cujus oculi velut geminæ fornaces incendiorum ordinem mutavêre: nam qui erant amoris lumina, cupidinis tela & fulmina, facti sunt lacrymarum flumina. Sic illa tota in fletus versa, per oculorum stillicidia guttatim defluebat, unâ & Dominicos pedes abluens, & suas sordes. Huc versiculi:

Consule tunc oculos, lacrymis albescere fusis;
Hunc habes ad sordes, felix Metanœa canalem.

Huc & alii referendi lacrymarum dono diviles: Qualis beata Monica, & filius Augustinus. Arsenius ob copiam lacrymarum semper ad manum habebat linteum, quo eas extergeret. De his & Pambonis lacrymis, Rosweid. l. 3. pag. 524. B. Adelhardus bis quotidie magno pietatis sensu flevit. Catharina Senensis triduo lacrymis fluebat. Gertrudis noctes diésque lacrymis & precibus sociabat. B. Domnolus uti mensam numquam sine mendicis, ita aram numquam sine lacrymis accessit. Piis lacrymis plurimùm indulserunt Hilarion, Hieronymus, Franciscus, Dominicus, Ignatius, Anthelmus, Philibertus, Philippus Nerius, viri sanctissimi: Lupus, Thomas, Stephanus etiam Episcopi. Macarius dono lacrymarum potens, sudario, quo eas absterserat, leprosum sanavit. Eleutherius mortuum ad vitam lacrymis revocavit. Claræ virgini continuos lacrymarum fluxus cœcitatis metu diabolus dissuadere nisus est. Hedvvigis princeps Poloniæ cæleste epulum numquam sine copiosis lacrymis accessit. B. Teresa his pluviis crebrò rigabatur. De his part. 1. operum Teresæ, pag. 114. & 116. & 190. Parte 2. operum Teresæ pag. 107. & 261. Bruno Archiepiscopus assiduis pæne rivulis madebat. Engelbertus pariter Archiepiscopus exomologesin obibat lacrymis infusus. Sanctus Anno concionaturus magnam vim lacrymarum profudit, & alios etiam ad has commovit. Sanctus Nonnus Pelagiæ vanissimam diligentiam lacrymis deploravit. De his & aliis innumeris Laurentius Surius, Zacharias Lippeloo, Franciscus Haræus.

De lacrymis, Faustine, copiosiora paullulùm Excerpta proposui; nam lacrymæ, principium & finis sunt humanæ vitæ. Hæc autem obiter & aliud agendo, atque, ut vides, ordine neglecto, dum alia quærerem, de lacrymis jam olim excerpsi, quæ in indicibus, sat scio, non reperies. Ne verò fastidium tibi parerem, multa prætermisi, lacrymis alioqui accensenda. Sed Lemmatum exempla subjicio breviora.

A Resvrrectio. De hac Tertullianus libro singulari. Ambrosius tomo 4. Ribera de Templo. Delrius in Opere Mariano, de Resurrect. Christi lect. 13. De Resurrect. Carnis lect. 38. Viegas in Apocalypsin. Maldonatus in Joannem, pluribus. Multa Azor. tomo 2. Instit. moral. De Paschate Bellarm. tomo 2. l. 3. De Cultu Sanctorum cap. 12. De Resurrect. eleganter Minucius Felix in suo Octavio propiùs finem. Universalis Resurrectio miraculum maximum, Bellar. De Ascensione mentis in Deum gradu 11. c. 3. Platonici ajebant post 36. millia annorum renasciturus omnes denuo, denuòque morituros, atque hoc iterum iterumque futurum. De Resurrect. Sanchez lib. 8. de Regno Dei c. 3. Suarez tom. 2. in partem 3. D. Thomæ, disput. 44. & seqq. copiosè, &c.

Observa, Faustine, ad Lemmata rectiùs facienda, & meliorem auctorum notitiam, voculas illas subinde inserendas: *Hic breviter, ille copiosè, iste eleganter, hic optimè.* Hæ annotatiunculæ eò etiam conducunt, ut inter Autores possis instituere selectum, & cùm tempus non suppetit inspiciendi omnes, omnium optimos, aut ceteris meliores consulas. Nec obstat, quin etiam sententiæ, aut alia ejuscemodi ad Lemmata trahantur, idque in eam classem, quæ res ipsis cognatas continet. Uti in proximo lemmate mentionem fecimus Platonicorum, quorum ridicula assertio ad Resurrectionem pertinet. Idem fecimus in lemmate de lacrymis, frequentiùs. Sed alia atque alia lemmatum exempla subjungo, quò res meliùs capiatur.

Ad Lemmata rectè facienda hæ voculæ sunt in its inserendæ: *Hic breviter, ille copiosè, iste eleganter, hic optimè.*

Inimicorvm amor. De hoc Lotinus multa in c. 7. Actor. v. 60. Azor. tomo 2. Moral. institut. lib. 12. Busæi Panarium. Bosquier conc. 39. Monomachiæ. Didacus Stella l. 3. de Mundi vanitatibus, cap. 9. & seqq. usque ad cap. 14. Viexmontius de Pœnit. part. 3. per 4. capp. Inimicos amandos esse, optimè docet octo rationibus Meffret, feriâ 6. post Cineres serm. 2. Guevarra lib. 1. epist. 1. Diogenes ajebat, opus esse homini aut fidis amicis, aut acribus inimicis. Quàm utiles sint inimici, & quomodo iis benefaciendum, Veridicus Christianus c. 58. 59. 62. 63. 64. De his jucundiora quædam Guicciardini Horæ Relaxat. p. 211. 222. 310. 448. Urbes non ab amicis didicerunt alta mœnia extruere, longas naves facere, &c. Suidas verbo Ἐχθροῖς, mihi pag. 361. Cum inimicis edere, affert reconciliationem. Ubi & hoc, Ἐχθρῶν ἄδωρα δῶρα. Porta cæli, injuriarum perpessio: Rosweid. pag. 659. Optimè Ludovicus de Ponte, tomo 3. de Perfect. tract. 1. c. 6. Plurima copiosissimè Hieron. Baptista de la Nuza, parte poster. tract. 4. & seqq. Cur inimicis ignoscendum, rationes 17. adfert Taulerus in Institution. c. 31. pag. 61. De his singularia quædam Carbonis Vir justus, cap. 47. p. 127. Barth. de Scobar, de vitâ Joseph, serm. 4. Cornelius à Lapide in cap. 12. epist. ad Rom. pag. 188. Thomas Morus ajebat: Ethnici & ingrati beneficia pulveri; si quid mali patiuntur, marmori inscribunt: Christiani est injurias pulveri, beneficia marmori insculpere. Ludov. Carbo in Theologiâ Pract. l. 3. cap. 9. 10. 11. 12. & 19. Alphonsus Avila tom. 1. conc. p. 145. & tom. 2. pag. 93. & 123. Bellarm. de septem verbis Domini c. 3. & 4. Pantheologia Raynerii tom. 1. pag. 644. Cælius Rhodig. l. 8. Antiq. lect. c. 17. Valer. Max. l. 7. cap. 2. Olim urbium medio templum Charitum situm, ut inter cives esset mutua benevolentia. Amicitias decet esse immortales, inimicitias mortales. Pulchrè Aug. tom. 8. in ps. 58. pag. 213. & 214. & in ps. 93. pag. 429. & 430. Idem August. tom. 10. p. 334. & 335. Cassian. collat. 16. c. 24. Chrys. tom. 5. hom. 71. ad pop. pag. 375. Bosquier parte 4. Academiæ, pag. 358. & 387. & parte 5. Academiæ, pag. 289. Mori à persequente, martyrium in aperto opere est; ferre verò contumelias, & odientem diligere, martyrium est in occultâ cogitatione. Greg. hom. de

de Martyr. Discè diligere inimicum, si vis cavere inimicum. August. in psal. 100.

Omitto alios plurimos. Hos ordine confuso, sed eo notavi, quo dabat lectio. Non nego his lemmatibus mistas subinde historiolas, quæ alioqui spectarent ad HISTORICA. Sed hîc non anxiè agendum, modò excerpamus. Nec obstat quin idem aliquid in plures classes excerpatur, tantò enim firmiùs hærebit, & quæsitum certiùs occurret. FAVST. Sed ego auctores, quos nominâsti, nec legi, nec forsan lecturus sum. EVLOG. Non refert: tuos tibi habeas, & ex iis, quod tibi videtur, enota. Addamus unum alterúmve lemma profanius prioribus.

CHOREÆ & SALTATIO. De his Lorinus in cap. 7. Actor. v. 41. Casaubonus in l. 1. Athenæi. Scaliger in suâ Poëticâ. Lucianus in suis dialogis, tom. 4. fusè. Dio, Chrysostomus. Macrobius l. 3. c. 14. Petrus Nannius l. 4. Miscellan. c. 22. Cælius l. 5. Antiquar. lect. cap. 3. & 4. Martinus de Rosâ l. 3. Rerum singularium c. 16. Petrarcha l. 1. de Fortunæ utriusque Remed. c. 24. Busæus in suo Panario. Rex Alphonsus dicere solebat: Saltatorem & stultum eo tantùm distingui, quòd ille totâ vitâ; iste, dum saltaret, stulteseceret. Guevarra l. 2. epist. pag. 73. & l. 3. pag. 69. usque ad pag. 80. Vetus dictum: Chorea est circulus, cujus centrum est diabolus, & circumferentia omnes angeli ejus. Meffret. Domin. Quinquagesimâ serm. 2. ubi saltus, ibi diabolus. Cornelius à Lapide in c. 15. Exodi, pag. 436. E SS. Patribus videndi, Ambrosius l. 3. de Virginibus, post initium. Chrysost. tom. 1. in c. 30. Geneseos, hom. 56. pag. 375. Idem tom. 2. pag. 281. & 363. & 364. tom. 5. pag. 660.

BACCHANALIA & EORVM ORIGO. De his Barthol. de Scobar, tom. de Quadragesc. circa finem tomi, pag. 826. Quo spectaculo Bacchanalia sunt impedita, Historia Societatis JESV tom. 1. l. 12. nu. 52. Contra Larvatos Petrus Chrysologus serm. 155. pag. 387. De Lupercalibus Romanis, quæ Bacchanalibus nostris non absimilia, Alexander Neapolit. Rosinus, alii. De Bacchanal. Delrius in opere Mariano lect. 4. de Passione Dom. Polydorus Virgil. l. 3. c. 17. Idem de personatis & larvatis l. 5. c. 2. Clarus Sylvius commentario in 12. Tabb. leges c. 17. & alibi. Aphthonius in suis progymnasm. Simon Majolus part. 2. Canicular. ubi de corporis voluptatibus. Idem de larvatis Comitibus miserè ustulatis Colloq. 5. & 6. ubi Hilaria vocat. Quâ ratione Turcæ suam Quadragesimam ordiantur, Dux Polonus Radzivill in suo Hodœporico, epist. 3. pag. 188. De Bacchanalibus Bosquier. Tab. 1. Naufragii. Philostratus in Apollonio l. 4. c. 7. &c. &c.

Si alicubi, Faustine, minùs accuratè librum, caput, paginam numeravi, da veniam, subinde bonus dormitat Homerus. Ante annos triginta & plures cùm initium darem Excerptis, nonnumquam leviore brachio hoc negotium curavi. Pœnitet oscitantiæ. Quòd si numeri à me notati cum libro non consentiant, scito, me fide optimâ egisse. Sed quia editiones diversæ numeris multùm variant, hinc paginæ non concordant. Sed antequam ad indicem Lemmatum procedam, paucula velim observes.

1. Hos titulos seu Lemmata *Lacrymæ, Resurrectio, Choreæ*, &c. non studio, nec ordine collegi, sed ea mihi auctores suggesserunt, quos legi. His nova quotidie addo, cùm scriptores alia atque alia subministrent. Quâ quidem ratione in infinitum augeri possunt.

2. In ipso margine, ut cernis, titulum seu lemma grandiore paullùm charactere scribo, seu vox una sit, seu plures. Cetera omnia post marginem.

3. Spatium inter lemma & lemma plerumque duorum aut trium digitorum relinquo: eo spatio impleto, titulum eundem, idémque lemma, si redierit, ibi colloco, ubi post ultimum lemma, spatium reperio. In solo indice diversarum ac plurium paginarum numeros appono. Dixi hæc talia ægrè capi, nisi pragmaticè subjiciantur sub aspectum. Et en notandi formam oculis sisto in hac chartâ, & unum tantummodò alterúmve auctorem laudo, relictis spatiis ad alios adjungendos. Exempli gratiâ.

JVDICIVM EXTREMVM. De hoc Gabriel Inchinus de 4. Novissimis parte 2. De hoc eodem innumeros notavi, quos hîc omitto.

AVLÆ, AVLICI, MORES, MISERIÆ. De aulâ Pontificiâ Scioppius in suo Hypobolimæo pag. 274. De aulâ Cæsareâ Bulengerus fusè ac bene l. 2. de Imperatore Rom. Aulicis præcepta dat Joan. à Chobier in Auctario Aphorismorum politic. c. 3. cap. 32. à pag. 339. usque ad pag. 368. Non addo plures, ne minùs servem, quod promisi.

JVDICIVM TEMERARIVM. De hoc Dux peccatorum Granatæ l. 2. c. 11. Amussis de Rectâ intentione l. 2. c. 7. Quomodo hoc ferendum sit, Scribanii Politica p. 436. Consultò non plures nomino.

JVDICIVM PARTICVLARE. Qui de eo librum scripserit, neminem scio; qui sparsim illius mentionem faciant, plures. Petrus Thyræus de eo disseruit, prout in scholis Theologorum mos est. Tu vide Tribunal Christi editum Monachii anno 1632. Latinè & Germanicè.

AMEN. De hac voce profectò plurimi; nomino unum alterúmve: Toletus in c. 3 Joannis. Sanctus Nestor cùm post preces in cruce dixisset, AMEN, expiravit. Lippeloo die 26. Febr. Julius Mazarinus in psalmum Miserere, &c. conc. 110. & conc. 130. copiosissimè.

NEMO LÆDITVR NISI A SEIPSO. Præter Chrysostomum divinè de hoc disserentem, tom. 5. pag. 637. Epictet. in Enchirid. c. 3. c. 22. c. 26. c. 27. Chilon: Cave tibi ipsi, & cave teipsum. Taceo tot alios, Bellarminum, Bosquiesium, ceteros.

JVDICIA DEI OCCVLTA. De his Benedictus Pererius tom. 4. in cap. 40. Genes. fine, de pincernâ & pistore Pharaonis. Idem in Danielem l. 3. versu: Omnia judicia tua vera sunt: & l. 5. versu: Nunc igitur ego Nabuchodonosor. Idem in c. 11. Exodi, disput. 5. fine.

En ideo ad quodvis lemma spatium est relictum, ut auctores secuturo tempore legendi possint addi jam notatis. Quòd si spatium lemmatis alicujus sit impletum, idem lemma, eúmdémque titulum illic iterum scribo, ubi lemma ultimum est, & ubi notare desii. In indice tantùm novæ paginæ numerum appono. Ita & chartæ parcimus & facillimè, quidquid placet, in suam classem, suúmque lemma excerpimus. Addamus paucula de Lemmatum Indice.

CAPVT V.

LEMMATVM *Index quâ ratione disponendus.*

Index Lemmatis in octavo disponendus.

VTi Lemmata in quarto scribenda suasi, sic Indicem in octavo, ut vocant, disponendum censeo. Quâ quidem ratione unicus liber chartaceus paullò crassior ad triplicem Lemmatum, Adversariorum, Historicorum indicem conficiendum sufficerit, nisi tu eum malis in duos aut tres libros dividere: hoc tui arbitrii est.

Dixi ad Lemmata reduci posse omnes virtutes, vitiáque omnia, & quidquid discepratione dignum familiaribus colloquiis misceri potest, ut brevi ostendam. Ille hîc egerit rectissimè, qui ad studiorum suorum finem, quem sibi præfixit, opportunissima excerpserit. Vitanda verò est infelix illa diligentia, quæ nugas, & apinas, affaniásque colligit, vix umquam usui futuras. Hujus generis lepidum quid commemorans Gellius:

Gell. lib. 14. Noct. Attic. cap. 6.

Homo nobis familiaris, inquit, in litterarum cultu non ignobilis, librum grandi volumine mihi dedit, doctrinis omnigenis, ut ipse dicebat, præfcatentem, quem sibi elaboratum esse ait ex multis, & variis, & remotis lectionibus, ut ex eo sumerem quantum liberet rerum memoriâ dignarum. Accipio lubens tamquam copiæ cornu nactus essem, & recondo me penitus, ut sine arbitris legam. At quæ ibi scripta erant, prô Jupiter, mera Grammaticorum miracula! Quo nomine fuerit qui primus Grammaticus appellatus est: quot fuerint Pythagoræ nobiles, quot Hippocrates: Euryclia Telemachum quo gestare clauftri incluserit, & quapropter idem poëta rosam non nôrit, oleum ex rosâ nôrit: quæ nomina fuerint sociorum Ulyssis, qui à Scyllâ rapti laceratique sunt: quis adeò versus sit, qui per singula vocabula, singulis syllabis increscat: & ex quinque operimentis, quibus Achillis clypeus mœnitus est, quod factum ex auro est, summum sit an medium, &c. Hæc atque item alia multa istiusmodi scripta in eo libro fuerunt, quæ cùm statim properans redderem: Virorum doctissime, inquam, librum hunc opulentissimum recipe, nil prorsus ad nostras paupertinas litteras congruentem.

En bellam varietatem ridiculorum quæstionum, quas scire, aut cum curâ exscribere, operæ non censeam; hæc colloquiis rarò inseruntur.

Vitandus est morbus hominum operosè nihil agentium. Thomas Haselbachius, Theologus & professor Viennensis, quod Æneas Sylvius recenset, duos & viginti annos in capite primo Isaiæ explicando consumpsit: quòd si eâdem methodo historiam, quam meditabatur, scripsisset, Antimachi Thebaida longè superâsset. Antimachus Colophonius poëta Græcus bellum Thebanum scribere aggressus viginti quatuor volumina implevit, antequam septem duces ad Thebarum civitatem perduceret. Docta vanitas, & otiosa sedulitas. Cur tempus consumamus nugis, cùm illud desit & necessariis?

Æneas Silv. lib. 1. epist. ep. 165.

Lemmatibus & illorum indici non solùm virtutes & vitia, sed quævis profana possunt misceri.

Ut autem nôris, lemmatibus, & quod sequitur, illorum Indici non virtutes solùm & vitia, sed quævis alia profana posse misceri, vide initium ad Alphabeti seriem digestùm:

Architectura.
Asylum.
Agricultura.
Aquarum admiranda.
Agilitas.
Annus.
Academiæ.
Ætna.
Aurum.
Acroamata, seu, convivio rum ludi.
Annuli.
Amor sui, quàm truculenta bestia.
&c. &c.

His titulis, seu lemmatibus, in Indice adscribendi sunt tituli, qui signent paginam, in quâ lemma perscriptum. Verbi gratiâ, inter lemmata mea hunc quoque enotavi, Affligi vtile. De hoc lemmate tam multi ac varii auctores scribunt, ideóque toties inter mea lemmata redit, ut ego sanctè jurem his paginis omnibus, quas tuis oculis subjicio, hoc ipsum lemma, *Affligi utile*, impleto spatio reperiri. Nimirum pag. 9. 19. 49. 53. 68. 73. 86. 95. 100. 110. 111. 113. 115. 117. 122. 129. 132. 134. 135. His, inquam, omnibus paginis lemma illud enotavi, adscriptis auctoribus una cum libro, capite, &c. auctoris, mistis subinde, ut in superioribus vidisti sententiolis, quæ ad rem, aut etiam historiolis. Ex his tot, támque variis lemmatibus nemini non promptum sit toto die, ut Ctesias volebat, vel etiam anno toto dicere. Et vide, quæso, Faustine, quàm multæ & prolixæ utilitatis sit pedetentim, & velut per otium excerpere. Ex illo, quod dixi, lemmate unico decuriam librorum facili negotio eduxerim. Sed plures Alphabeti litteras in exemplum hîc monstro. Initium secundæ litteræ hoc dedi.

Balnea.
Byssus, carbasus.
Barbæ.
Balsamum.
Bombyces.
Brevitas corporis, staturæ pygmæorum.
Brevitas orationis, styli.
Bibliothecæ.
Bombardæ, tormenta bellica.
Barritus in bellis quid.
Bacchanaliorum detestatio.
Bivium Herculis.
&c. &c.

Ne dubita in hac Indicis serie reperiri etiam hæc lemmata: *Beatitudo, Beneficia, Benedictiones, Blasphemiæ, Baptismus*, &c. &c.

Hanc seriem proximè comitatur ista:

Caduceatores.
Convivia, & quidquid ad illa.
Calendæ quàm religiosæ, Calendarium.
Circus, & quæ ad illum.
Comæ, Crines, Calvities.
Colores.
Crocodilorum mira.
Cursores.
Conscientiæ.
Carceres.
Casei, eorum bonitas, malignitas, varietas.
Cingulum, cincti, discincti.
&c. &c.

Uti hæc mixtim ad Lemmata revocavi, ita etiam Virtutes & Vitia, quæ ad seriem hanc pertinent, non omisi, quales sunt è virtutibus Charitas Dei, Charitas proximi, Castitas, Cognitio Dei, Cognitio sui, Contemptus sui, Conscientiæ examen, &c. è vitiis Curiositas, Consuetudo prava, Colloquia otiosa, Contemptus aliorum, &c. Sed addamus principium quod habet meus Index in proximos characteres duos.

Damnati ad bestias, ad metalla.
Discipuli erga Magistros quales sint.
Duella.
Dierum nomina, discrimina.
Dispositio Deanorum Athenis, quæ.
Delphinorum miræ.
Discordia.
Divinatio.
Deus videt omnia.
Diligentia.
Diaboli vafrities, doli, tentationes.
Devotio vera quæ.
&c. &c.

Favst. Licétne interfari? Evlog. Licet quàm maximè. Favst. Quid autem hæc Lemmata juvent Medicum, quid Mathematicum, quid Jurisconsultum, quid Theologum? Hæc illis erunt, quod fuerunt Gellio narrata Grammaticorum miracula. Hæc sanè illorum scientiam non augebunt. Evlog. Amico sua verba non erunt periculosa, spero, & ignosces voci, Faustine; Homo es multæ præcipitationis, & finis appetens ante finem. Quid Medicus, quid Jurisconsultus, quid Theologus, in Lemmata, in Adversaria, in Historica excerpat, loco & tempore dicemus opportuno. Tu interim moræ patiens substringe festinationem. Addamus quintam Alphabeti litteram: initium illius in meis lemmatibus hoc est.

Educatio liberorum.
Eluviones & diluvia.

Ebrietatis

Ebrietatis laus, vituperium.
Ebrietatis antidota.
Epistolæ occultè missæ.
Extemporalitas.
Experientia & usus.
Exilium.
Exercitationes corporis.
Electrum, seu, succinum.
Echo.
Extasis, Extatici.
&c. &c.

Ab hoc quinque litterarum initio conjecturam facies de ceteris. Atque hic Lemmatum Index est. Gradum faciamus ad Adversaria.

CAPVT VI.

ADVERSARIA *quomodo instituenda.*

Altera classis Excerptorum, *Adversaria*. Huc spectat, quidquid historia non est, in quo cum lemmatibus conveniunt; eo autem differunt, quòd in Adversaria referantur res illæ, quæ paullò fusiorem secum explicationem trahunt, uti esse Ritus priscos, Epitaphia selectiora, insigniores Descriptiones, & quæ his affinia.

Altera classis excerptorum, Adversaria à lemmatibus differens.

Reverâ fusiùs subinde quædam exscribenda sunt: tum quia id, quod enotatur, selectum, memorabile, rarum, animadversione præcipuum, notatu dignum; tum quia liber, qui in manibus est, non quovis loco consuli potest: hîc ego suaserim, si charta desit, inscribe manicæ aut strophio, quod excerpendum venit, ne memoriâ excidat. Quemadmodum Basilio Abbati Cosmas vir perinde sanctus ac eruditus suadens: *Cùm, inquit, inveneris aliquid ex opusculis S. Athanasii, nec habueris chartas ad scribendum, in vestimentis tuis scribe illud.* Ita ego: Si liber, cujus modo copiam habes, sit rarior, nec ubivis locorum prostet, exscribe, si quid selectius, aut memorabilius occurrit: nec laboris, aut temporis pœniteat; laborem utiliter impensum, tempus optimè collocatum putato. Sed accipe titulorum, qui in Adversariis præfigi possunt, exempla.

Cosm. Massiis in Prafat. part. 40. prolegom.

Luscinia maximæ admirationi est, quòd in tam exili corpusculo, vox tam varia, tam suavis, tam contenta insit; quòd verno tempore, cùm arbores frondent, herbæ pubescunt, quindecim diebus ac noctibus usque & usque liquidissimos cantus tenui gutture funditet. Unde in aviculâ tam pertinax spiritus? unde vis illa animæ contentæ tanta, ut unâ cantûs continuatione geminatæ vocis & contentio & remissio audiatur? unde tam perfecta Musices scientia, tam ingeniosa modulatio, tam dulcis sonus, qui modò trahitur in longum spiritu continuo, nunc variatur inflexo, nunc distinguitur conciso, copulatur intorto, promittitur revocato, infuscatur ex inopinato? Quid? cùm iterum vocem revocat, & integrâ comprehensione cantum edit? Quid? cùm modulos præter opinionem commutat? Quid? cùm ipsa secum jucundè murmurat? nulla sanè tam varia cantio, quam ipsa non exprimat: plenam, gravem, acutam, crebram, contractam, diffusam, attenuatam, inflatam, continenti aut intermisso spiritu emissam: vibrantem, summam, mediam, imam. Quid plura? tam parvulis in faucibus, tam angusto in gutture, omnia, quæ ars vario labore, diversis instrumentis, cantionum genera vix assequitur, plenè expressa reperiuntur. Plautinum nosti: Numquam deficit vox lusciniæ. Festivè Plautus in Bacchidibus.

Luscinia vox cui inest cantus.

Pol magis metuo, in momento ne mihi defluat oratio.
Ba. *Pol ego quoque metuo, luscinioli ne defluat cantio.*

Affirmat Plinius luscinium in ore Stesichori infantis cecinisse. Nec illud minùs mirum: Plures singulis luscinis sunt cantus, nec iidem omnibus, sed sui cuique. Certant inter se, palámque animata contentio est. Victa sæpe vitam morte finit, spiritu priùs deficiente, quàm cantu. Meditantur aliæ juniores, versúsque quos imitentur, accipiunt. Audit discipula intentione magnâ, & reddit; vicibúsque recitant. Intelligitur emendatæ correctio, & in docente quædam reprehensio. Ergo servorum illis pretia sunt, & quidem ampliora, quàm quibus olim armigeri parabantur. Scio sestertiis sex, candidam alioquin, quod est propè inusitatum, væmisse, quæ Agrippinæ Claudii principis conjugi dono daretur. Visum jam sæpe, jussas canere cœpisse, & cum symphoniâ alternasse.

Plin. lib. 10. Natur. hist. c. 29. med.

150. Thaler / nam utique sestertium hic, non sestertius nummus intelligendus.

En Adversariorum specimen, quod solùm exempli loco posui. Addamus paucula, ut tanto sit clarior hic excerpendi modus..

Corvi piscatores. Sinarum populi prægrandes ac domesticos alunt corvos capiendis piscibus assuetos. Eorum colla nodo ita laxo constringunt, ut respiratione neutiquam interclusâ, cibos tamen transmittere ac deglutire nequaquam valeant. Ita è caveis dimissi admirabili solertiâ sese in aquas immergunt; pisciculos minutos ore conceptos, majores autem rostro apprehensos, domum, unde abiere, identidem referunt, quoad solutis omnino rictibus ad satietatem ipsi quoque pascantur. Vide Maffejum l. 6. hist. Indic. med. ferè, pag. 163. & Guidonem Pancirollum, volum. 2. tit. 1. cum notis Salmuth.

Arbores vino rigatæ. Dionysius prior Siciliæ tyrannus platanos in urbem Rhegium transtulit, domûs suæ miraculum. Tantúmque iis postea honoris increvit, ut mero infuso illæ arbores nutrirentur: compertum id maximè prodesse radicibus; docuimúsque etiam arbores vina potare. Plinius lib. 12. Histor. Natural. cap. 12. med.

Platani vino nutritæ.

Istud ideò exempli loco posui, ut scires, quid sit, *fusiùs aliquid exscribere*. Nec enim prolixam adeò scriptionem somnies velim, sed cùm quippiam quatuor aut quinque pluribus aut paucioribus versibus, enotandum est, ad Adversaria spectare ajo, cùm historicum non sit, & tamen cum explicatiunculâ excerpatur, qualis est priscus ille ritus in arboribus vino rigandis. Addo:

Arbor vnica excavata triclinivm. Clara est arbor in Lyciâ, gelidi fontis sociâ amœnitate, itineri apposita, domicilii modo, cava 80. & unius pedum specu, nemoroso vertice, & se vastis protegens ramis, arborum instar, agros longis obtinens umbris: ac ne quid desit speluncæ imagini, saxeo intus crepidinis corona muscosos complexa pumices, tam digna miraculo, ut Lucinius Mutianus ter Consul, & nuper provinciæ ejus Legatus, prodendum etiam posteris putaret, epulatum se intra eam cum duodevicesimo comite, largè ipsâ toros præbente fronde. Atque hoc cavatæ arboris triclinium ab omni afflatu venti securum, suis convivis lætiorem exhibuit aspectum, quàm nitor marmorum, quàm picturæ varietas, quàm aurum, aut gypsum laquearium. In eodem hoc arboris triclinio Mutianus cubitavit. Addo brevius.

* * *Cum 18. servis.*

Plin. lib. 12. Natur. hist. cap. 1.

Mvres fvres, Vultures, milvi, caprimulgi, corvi, polypus, furacia quidem animalia sunt, sed illis non multùm mus cedit. In auratiis etiam officinis furantur mures (tanta est furandi dulcedo) sed ob id alvi eorum inciduntur deprehendendo furto. Nota fuisse homines, qui cùm aurum baltheo, thoraci, calceis insuere turum non putâssent, glutierint, tempore secessûs depositum ab alvi fidelitate recepturi. Lavinii clypeos argenteos, Antii coronam auream arroserunt mures. Livius l. 30. initio. Albertus Magnus scribit, visum à se murem, qui in convivio candelam teneret. De muribus Guido Pancirol. volum. 2. titul. 1. in Notis. Plinius lib. 18. cap. 57. Nec mures tantùm, sed & aviculæ domesticæ, quas alis aliquantulùm acisis alimus, nôrunt furari. Parus

cæruleus ex ære minuto patrisfamilias centum quadraginta tres nummos, totidem itionibus ac furtis subtraxit, & in fornacis verticem congessit. Sed illud magis mirandum. Inter Helvetios Parochus quotidianos quatuor convictores habuit, murem, felem, canem, & aviculam, quos adeò familiares miti disciplinâ & assuetudine reddidit, ut quoties vellet, ex eâdem jentarent, pranderent, cenarent scutellâ. Narravit is, qui suismet oculis spectavit.

ROSÆ ELOGIVM. Vide partem 1. Rosarum, quas Domini JESV Mater orbi exhibet cap. 1. ante §. 1. De Rosâ videri potest Plin. l. 21. Nat. hist. c. 4. Politianus cap. 11. Miscellan. Claudius Paradinus in Symbolis, pag. 215. & 226. Rosam loquentem optimè describit Joan. Crombecius l. 2. de Studio perfectionis, cap. 9. Addo:

ROSA HIERICHVNTINA. Venosus est frutex, odoratus quando recens, ramulis duriusculis & spinosis, colore subfusco, baculas habet racematim cohærentes, foliola olivæ similia, flores violæ candidos; non altè à solo exurgit. Saligniacus testatur, prope fontem Elisæi, hujus generis nasci rosaria, quorum fœtus sint istæ rosæ. Nocte, quâ natus est Servator orbis, hæ rosæ quamvis exsuccæ sint, & vel centum annorum, paullatim tamen sponte suâ hiare incipiunt, & tandem se totas pandere. Post eam noctem ramos iterum contrahunt, & in glomum sese colligunt. Quod ipse meis oculis spectavi annis pluribus. Id miraculi, pia fidelium devotio Virginei partûs honori, communibus suffragiis adjudicat.

Saligniac. to. 9. descriptionis terræ sanctæ, c. 6. Ne tamen erres, Lector, hæc rosa vel etiam cëtum ac plurium annorum, ut dixi, omni die, cùm aquæ imponitur, sese aperit. Ego ipse rei experimentum sumpsi, paratus id quavis horâ monstrare.

Multiformes porrò rosarum habitus sunt. Est quæ angusto foliorum galero tota contecta, fastigiatum pyramidis acumen primùm absolvit, corpus reliquum viridanti vaginâ continet. Aliam videas diu collectos in sinum amictus lætam exsingare, & foliorum suorum censum meditari, & patulo ridentis calathi honore, seminis inclusi crocum aureum ostentare. Verùm caduca est omnis rosarum gloria. Videas in eodem horto rosas virgines tore matutino florentes, & formosas: redi post pauculas horas, & videbis deformes anus, quæ decus omne ac divitias amiserint. Heu quàm præceps jactura formæ! vix natæ consenescunt, & terram nutricem suam exuviis suis operiunt: quæ denso comarum igne modò riserant, mox collapsis pallidæ foliis plorant & emarcescunt. Hæc vitæ nostræ conditio est: fugit ætas, avolat, evanescit. Quid moramur, quid procrastinamus? Tartaro aut cælo ambulamus proximi. Vis, Faustine, post flores è meis Adversariis, unam alteramve avium spectare? En quadrigam? Aquilam; volucrum reginam, Pavonem superbiæ, Psittacum loquacitatis, Columbam simplicitatis imaginem. Sed vetustioribus aliquot voculis ignoscas.

Caduca est omnis rosarum gloria.

AQVILA, Cùm sese nubium tenus altissimè sublimavit evecta alis, totum istud spatium, quâ pluitur & ningitur, ultra quod cacumen nec fulmini, nec fulguri locus est, in ipso, ut ita dixerim, solo ætheris & fastigio hiemis. Cùm igitur eò sese aquila extulit nutu elementi lævorsum, vel dextrorsum, tantâ mole corporis labitur, velificatas alas, quò libuit, advertens modico caudæ gubernaculo, inde cuncta despiciens, ibidem pennarum eminus indefesso remigio, ac paulisper cunctabundo volatu pæne eodem loco pendula circumtuetur, & quærit quorsus potissimùm in prædam supernè sese ruat fulminis vice. De cælo improvisa, simul campis pecua, simul montibus feras, simul homines urbibus, uno obtutu sub eodem impetu cernens, unde rostro transfodiat, unde unguibus inuncet, vel agnum incuriosum, vel leporem meticulosum, vel quodcumque esui animatum, vel inanimatum fors obtulit.

Alia editio: quodcunque esui alatum, vel lanatum fors obtulit.

PAVO. Quantum effert pavonem iris sua, & è plumatis stellis versicolor rota, quantum visas & maximè laudatas extollit avis Junonia pennas; tantum dejicit sua, tantum illius & iridem, & rotam, & animos, pedum; quos habet turpissimos, solus aspectus. Quid caussæ est, inquit Nazianzenus, cur arrogans ille & medicus Pavo elegantiam gloriamque adeò affectet, ut, quoties aliquem propiùs accedentem viderit, aut etiam feminis, ut ajunt, sese ostentare voluerit (nec enim pulchritudinis suæ ignarus est) protinus elatâ cervice, pennisque in orbem concinnatis, atque oculis aureo quodam gemmatique fulgore in acervum contractis, corporis sui elegantiam, cum fastuoso incessu, velut in theatro spectandum proponat. De hac avi, Ovid. lib. 1. Metam. fab. 16. De ovis pavoninis in Trimalcionis convivio, Arbiter. De pavonis cocti è mensâ regiâ avolantis prodigio, Bavaria Sancta vol. 1. pag. 113. ubi de Gunthero. Cetera de hoc alite dicet Ulysses Aldrovandus in suâ Ornithologiâ.

illius & animos dejicit pedum aspectus.

Greg. Naz. orat. de Theol.

PSITTACVS, Indiæ avis est, instar illi minimo minus quàm columbarum: * sed nec color, ut columbarum. Non enim lacteus ille, vel lividus, vel utrimque sublureus, aut sparsus est: sed color Psittaco viridis, & intimis plumulis, & extimis palmulis; nisi quòd solâ cervice distinguitur. Enimverò cervicula ejus circulo mineo, velut aureâ torque, pari fulgoris circumactu cingitur, & coronatur. Rostri prima duritia; cùm in petram quampiam concitus altissimo volatu præcipitat, rostro se velut anchorâ, excipit. Sed & capitis eadem duritia, quæ rostri. Cùm sermonem nostrum cogitur æmulari, ferreâ claviculâ caput tunditur, imperium magistri ut persentiscat. Hæc ferula discenti est. Discit autem statim pullus usque ad denos ætatis suæ annos: tum facile os, uti conformetur, cùm tenera lingua, uti convibretur. Senex autem captus, & indocilis est, & obliviosus. Verùm ad disciplinam humani sermonis facilior est psittacus, glande qui vescitur: & cujus in pedibus, ut hominis, quini digituli numerantur; non enim omnibus psittacis id insigne. Sed illud omnibus proprium, quò eis lingua latior, quàm ceteris avibus, eò faciliùs verba hominum articulantur patentiore plectro & palato. Id verò quod didicit, ita similiter nobis canit, vel potiùs eloquitur, ut vocem si audias, hominem putes: nam quidem si videas; idem conari, non eloqui. Verùm enimverò, & corvus & psittacus nihil aliud, quàm quod didicerunt, pronuntiant. Si convicia docueris, conviciabitur: diebus ac noctibus perstrepens maledictis. Hoc illi carmen est, hanc putat cantionem. Ubi omnia, quæ didicit, maledicta percensuit, denuo repetit eamdem cantilenam. Si carere convicio velis; lingua excipienda est, aut quàm primùm in sylvas suas remittendus.

** Quid de columbâ dictum.*

Capitis eadem duritia, quæ rostri in psittaco.

Malmsmesius in Flores, mihi pag. 57. Videtiam Stucium in Sylvâ, de Psittaco.

Cardinalis Ascanii psittacus, ut ajunt, totum Apostolorum Symbolum pronuntiare potuit. De psittaco admiranda refert Plinius, l. 10. Nat. hist. c. 42. ferè toto.

COLVMBA candida, collo colorata: Ales, quam simplicitati dicatam, & quòd summa culmina petere sit solita, Columbam dictam voluit antiquitas: instar illi minimo minùs quàm cornicularum, sed nec color ut cornicularum; non enim niger ille vel lividus, vel cinereus subæmulus, aut sparsus erat; sed color illi lacteus ac niveus, nisi quòd collum color diversus imbueret. Enimverò cùm super cerviculam ejus recidisset reverberatus dædali solis radius, omnem Parrhasii penicillum & Apelleæ artis industriam superavit. Pictissimæ enim iridis circulo velut aureâ torque, pari fulgoris circumamictu, luminis ingenio, cinxit & coronavit. Neque tam variegatus est aut psittacus in pennâ, aut pavus in caudâ, aut phasianus in alâ, aut apus * in Hyblâ, quàm perstrictum illud columbæ collum in Phœbi flammâ: circa quod, adverso sole, mille coloribus ludere voluit solers natura. Jam caput cristis & plumeo apice honestabatur. Formosum frontis suggestum geminis oculorum stellis intercurrentibus roseum terminabat rostellum,

** Avicula nomen.*

Quantum effert pavonem iris

lum, in pedibus mineis quini digituli, in digitulis totidem faculæ unguium, sed innoxiæ, numerabantur. Cetera omnia erant intactæ nivi simillima. A

Avem è rostro, scriptorem hunc è stylo facillimè noveris. Sed forsan non ingratum erit audire, quid è sententiâ Platonis sit Conscientia. Ita loquuntur Adversaria mea.

Platonis de conscientia sententia.

CONSCIENTIA. Plato autumat singulis hominibus in vitâ agendâ testes & custodes singulos additos, qui nemini conspicui semper adsint, arbitri omnium, non modò actorum, verùm etiam cogitatorum. At ubi vitâ editâ remeandum est, eumdem illum qui nobis præditus fuit, raptare & trahere veluti custodiam suam ad judicium, atque illic in causâ dicendâ assistere: si qua commentiatur, redarguere, si qua vera dicat, asseverare: prorsus illius testimonio ferri sententiam. Proinde vos omnes, qui hanc Platonis divinam sententiam me interprete auscultatis, ita animos vestros ad quæcumque vel agenda vel meditanda formate, ut sciatis nihil homine præ istis custodibus nec intra animum, nec foris esse secreti, quin omnia curiosè ille participet, omnia visat, omnia intelligat, in ipsis penitissimis mentibus, vice conscientiæ diversetur. Hic, quem dico, prorsus custos, singularis præfectus, domesticus speculator, proprius curator, intimus cognitor, assiduus observator, individuus arbiter, inseparabilis testis, malorum improbator, bonorum probator, si ritè animadvertatur, sedulò cognoscatur, religiosè colatur, ita ut à Socrate industriâ & innocentiâ cultus, est in rebus incertis prospector, dubiis præmonitor, periculosis tutator, egenis opitulator. Qui tibi queat tum in somnis, tum in signis, tum etiam fortasse coràm cùm usus postulat, mala averruncare, bona prosperare, humilia sublimare, nutantia fulcire, obscura clarare, secunda regere, adversa corrigere. B

FORTVNATÆ INSVLÆ. Ubi nullæ umquam nubes cælum asperant, nulla bruma segetes extinguit, nulli æstus adurunt: sed puro incorruptóque actis tractu liquidi ac pellucidi fontes campos alluunt, patentésque hinc inde plagæ, & amœna, seu salubritate montium, seu planitierum æquabilitate regio, homines ait genio loci, & fortunâ suâ dignos. Non illic in honore supellex curiosa, non gemmæ, non imperium, non opes, non ea omnia, quibus, impotens hominum libido pretium fecit: qualis hæc terra? quàm sponte suâ, nullis subacta jugonibus, autumno fructûs omnis est ferax, vere primo flores humo exerit, hieme aprica est, nec comam ponit, æstivo sole, nemore & fonte frigescit. Has insulas, beata hæc Tempe, hunc paradisum nusquam nisi in cælo reperire est. C

Verùm ne profana solùm à me putes excerpta, en etiam sacra meis Adversariis inserta. Sed satis erit, existimo, nominâsse titulos, eorum explicationes legemus, cùm plus otii fuerit.

VITIA ALIORVM TEGENDA.

NEMO MALVS NISI STVLTVS.

PECCATA OMNIVM OMNINO MALORVM CAVSSA.

Hujus generis innumera monstrare possim, quæ cum delectu superioribus annis collegi. Hos autem titulos, Neminem malum nisi stultum: Peccata omnium malorum caussam esse, &c. illustrissimè persequitur & explicat Salvianus Massilienses Episcopus, qui anno à Virginis partu quadringentesimo sexagesimo vixit, & plurima scripsit, sed ad nos non pervenerunt, nisi quatuor libri de Ecclesiâ, & libri octo de Dei Providentiâ: ex horum quarto excerpsi titulos proximè notatos, præsertim cùm auctor sit vetus, gravis, eruditus, illustris, & reverà ad illud ævi latinus ac elegans. Tantò autem in exscribendo promptior fui, quantò certior eram, librum non ubivis fore obvium. Sed de Adversariorum indice paucula subjungamus. D

CAPVT VII.

ADVERSARIORVM *Index quâ methodo construendus.*

Index Adversariorũ, in octavo disponendus.

QVod de Indice Lemmatum dixi, hoc in isto etiam observandum. Alphabeti series attendatur, & cuivis characteri tres quatuórve, plures aut pauciores pagellæ assignentur, prout gracilis aut crassus est charactereus indicis liber. Nec enim opus, ut omnes litteræ pares numero pagellas habeant. Nam K. Q. X. Z. & similes, qualis est etiam flatilis littera H. non grande Indicis spatium occupabunt. Jam suprà monui, Excerpta videri scribenda in quarto, indicem in octavo. Sicut igitur in Lemmata construendum indicem dixi, ita suus etiam Adversariis erit assignandus. Compendio ejus rei exempla subjiciam. In Lemmatibus è primis quinque litteris exempla posuimus, idem hìc faciamus è quinque sequentibus. Verbi gratiâ, si Adversariorum indicem inspiciam, in charactere F. hoc reperio initium.

Funera Cholchorum.
Faces prælii auspices.
Faces funerum & nuptiarum indices.
Florum sparsio.
Fatuæ Deæ sacrificium.
Fortuna aurea.
Fugitivorum calumniatorum stigmata.
Flabellum somno conciliando, aut ventulo.
Fieri quæ tibi non vis, alteri ne feceris.
Familiæ ordinandæ præceptiones.
Formæ conciliandæ artes.
Fausta nomina.
&c. &c.

Explicationes singularum, inscriptionum quâ paginâ sint quærendæ, numerus adscriptus indicat. Initium sequentis litteræ G. hoc est.

Gigantes heroës.
Gemmarum vilitas, & pretium.
Gigantis fraterculus.
Gleba injectio.
Gypsatissimæ manus.
Gulæ antidotum.
Gradus ad vitia deficientis.
Gladius Castrioti, & Bullionii.
Galli vaticinium.
Gallinæ appenso milvi capite inquietissimæ.
Gloriæ fumus pretiosus, sed momentaneus.
Græcæ Calendæ.
&c. &c.

Eadem est ratio litteræ flatilis, seu aspirantis elementi, H.

H. D. M. Hæc domus mortui.
Hoc age.
Histrionum sollennia verba, muta loquacitas.
Herba viva.
Homo homini lupus.
Hieronica.
Hìc vel ibi.
Hilarem & celerem datorem diligit Deus.
Hecalesium sacrum.
Horæ.
Helinum.
Herodiadis facinus.
&c. &c.

Hæc in exemplum recito; cetera omitto. Liquet, ni fallor, hic excerpendi modus, quem pariter in proximâ vocali observabis.

Iurandi ritus.
Insignia principatûs, ignis, alia.
Iuvenalia.

Inferium vinum.
Injuriarum oblivio.
Imaginationis vis maxima.
Imagines Imperatorum olim quanti fierent.
Inæqualitas in orbe maxima.
Iudicium temerarium quomodo refrenandum.
Impedimenta profectûs in virtute.
Iocare, aut tace, cùm ureris.
Iudicii humani contemptus.
&c. &c.

FAVST. Sed nunquid inter Lemmata censebas jam suprà, *Iudicium venerarium*, quod modò inter Adversaria collocasti? EVDOX. Nihil piaculi hoc est: idem & inter Lemmata, & inter Adversaria, & inter Historica referri potest. Ad Lemmata spectat, cùm rei auctores breviter annotantur. Idem Adversariis inserendum, cùm diductior accedit explanatio. Idem ad Historica pertinet, cùm rei gestæ series narratur, aut certè subnotatur, quis scriptorum eam narret. Et ut omni religione te solvam, nihil esse erroris scias, Adversariis inscribere, quod ad Historica videatur pertinere, modò inscribatur: index dirimet controversiam. Judicium hîc subinde hallucinatur; parum refert. Modò tui armenti pecus sit; de stabulo non litigemus. Sed ut in paradigmate hujus indicis quinque characterum exempla sint, prout cœpimus; vide initium etiam sequentis elementi.

Quâ ratione pertinere possint una ad Lemmata, Adversaria, & Historica.

Larvata funera.
Lucar.
Laticlavii.
Luctus, inhonorus dæmon.
Litteræ breves.
Lua.
Litteræ lepori insutæ.
Liber vitæ.
Locus nonfecit sanctum.
Linum Indicum.
Lararia.
Laterna surda.
&c. &c.

Hæc omnia, quod sæpius jam monui, in exemplum monstro. Tu alios, atque alios tibi titulos para. Habes indicem Adversariorum. Faciamus gradum ad Historica, quorum tibi paradigmata paucis exhibebo.

CAPVT VIII.

HISTORICA *ad quem modum excerpenda.*

Tertia classis, Historica, & quæ in eam classem sunt inserenda.

HVic classi tertiæ nomen dedimus, HISTORICA. Quidquid igitur ad historiam sacram, profanam, veterem, novam, Latiam, Græcam, barbaram spectat, in hanc classem excerpendum est; sive id fusiùs, & verbum è verbo placeat exscribere, sive historiam brevissimè notare consultiùs videatur. Utriusque modi exempla subjiciam, tam historiæ breviter notatæ, quàm integrè descriptæ. Hîc autem obvia sumo, & quæ priùs oculos manúsque occupant.

FORTVNÆ LVDIBRIVM. Alvarus Luna. Hic ab humili fortunâ ad summum pervenit: in præceps eum ambitio dedit. Nihil ei ad regnum præter nomen deerat. Tandem bona ejus omnia occupata, ipse Majestatis damnatus, mulâ ad supplicii locum vectus est. In medio foro theatrum, in eo crux alta, & geminæ faces, tapete substrato. Luna conscendens locum, crucem veneratus, annulum signatorium & galerum amanuensi puero dedit: proximæ felicitatis cum præsenti fortunâ comparatio, inimicis etiam lacrymas excusserat. Erat uncus ferreus sublimi ligno confixus. Rogat carnificem, & quem in usum paratus esset? Ille, ut sejunctum à trunco caput imponatur. Subdit Alvarus: Post mortem de corpore facito, quod lubet. Viro forti mors turpis esse non potest, nec immatura. Simul diloricatis tunicis intrepidè pis esse nô potest, nec immatura. caput securi subjecit, anno 1453. III. Nonas Julii. * Triginta annos ita in aulâ dominatus est, ut nihil nec majoris nec minoris rei, nisi eo arbitro gereretur, ita ut nec Joannes III. Rex Castellæ vestem mutaret eo non conscio. Truncus in theatro reluctus, pelvi juxtâ positâ ad colligendam stipem, quâ sepeliretur homo paullò antè regibus potentiâ exæquandus. Sic res humanæ variant. Alvarus prioribus annis vatem consuluit: prædictum est, Cadahalsum exitio fore. Est oppidum hujus nominis in Hispaniâ, quod semper vitavit Luna, & significat etiam ferale theatrum, quod vitare non potuit. Joan. Mariana l. 22. Rerum Hispan. c. 13. mihi pag. 47. De Comite Essexio in Angliâ Jul. Cæsar Bulengerus lib. 11. Rerum Gallicarum, mihi pag. 335. Bironius capite plexus in Galliâ; eventus mirri. Idem pag. 339. & seqq.

* Die 5. Julii.

Viro forti mors turpis esse non potest.

Liber hic minus ob. vius est, nec cujusvis sumptu parandus, idcò excribere, necessarium duxi.

De similibus fortunæ ludibriis innumera prorsus excerpsi. Ante diem clauso componat vesper olympo, quàm hæc omnia recitem. Possim ego his talibus hominibus theatrum ingens implere, & adornare scenam amplissimam è tot tamque variis tragœdiis. Fac initium excerpendi, Faustine, & experieris, quàm crebra sint in omni historiâ hæc fortunæ crepitacula. Sed en etiam paradigmata historiarum quas brevissimè annotavi.

TRANSFVGÆ CRVCIFIXI, & elephantibus substrati, proterendi. Valer. l. 2. c. 2. Auctor passim obvius est, ideo rem paucis notavi. Hoc autem historiæ veteris est: addo recentioris.

NEBVLÆ DVLCIARIÆ missæ juveni, sed venenatæ; & qui mortem exercerit. Sodalis Parthenius, l. 2. cap. 8. pag. 317. liber in manibus est.

INVENTIO QVANTI sit, Christophori Columbi ovum monstrabit. Lipsius l. 1. Antiquarum lectionum, initio. De Archimede hîc plura, pag. 143. & 145. Addo fusiùs notatum.

FAVSTI VITES. Convivas habuit infaustus ille Faustus multos amicorum. Petierunt hi, vites uvis prægnantes sibi repræsentaret in mensâ, quamvis putarint brumæ tempore ab uvis tam alieno, id fieri non posse. Nec tamen difficilis fuit magus persuasu. Vites igitur præstigiis è mensâ evocat racemis vegrandibus plenas. Priùs tamen eam omnibus edicit legem, ut alto silentio expectent, dum jubeantur uvas carpere. Omnes se legi obtemperaturos recipiunt. Mox infamis artifex, incantamentis carminum ita oculos appotæ turbæ præstrinxit, ut illis tot botri miræ magnitudinis, & succo maturo pleni apparerent, quot eorum mensa numerabat. Omnes ergo in gulam hanc avidissimi, jámque nonnihil sitibundi è temulentiâ, suum quisque cultrum ad uvam sibi proximam apponit, dum modimperator Faustus jubeat secare. Natant omnium dentes salivâ, & inæstivam hanc voluptatem pruriunt. Hoc situ aliquamdiu tenentur; ingens omnium expectatio: dum cultro jugulent jam captam prædam. Tandem formosissima vitis evanescit & in fumum abit. Illi nebulâ magicâ jam dispulsâ, visi sunt singuli suum quisque tenere nasum appositio cultello jam jam pro uvâ secandum. Quòd si quis immemor præcepti aut contemptor, botrum sibi destinatum præscrindere voluisset, nasum sibi joculari vulnere præsecuisset. Hîc omnium risus, & indignatio.

Faustus in convivio repræsentavit vites uvis prægnantes.

Hoc totum excerpsi, sed meis verbis. Vide Simonem Majolum part. 2. Canic. Joachimum Camerarium in Horis Subseciv. cap. 70. Ad has Fausti vites, historiam refero nobilissimam, de Auxentio, qui à Licinio Imperatore jussus, aut Baccho uvam ponere, aut militarem zonam solvere, ac facessere; ille nihil cunctatus zonam liberrimè solvit, Christum confessus. Suidas id fusè narrat, voce, Auxentius, pag. 156. Addo breviter enotata.

BOMBARDA HOMINE ONVSTA. Maffejus de Didaco Mesquitâ l. 9. Hist. Indicæ pag. 259. vide Lipsium in Poliorceticôn analectis.

LIBE-

LIBERALITAS IN PAVPERES. Hîc historiarum mare est, quod ingredi non vacat. Auctores quàm plurimos consignavi, qui narratu & fide dignas historias de eleemosynis scripserunt. Unicus Valentinus Leuchtius 99. capita in Viridario Regio, idiomate vernaculo in hanc rem posteris cum curâ excerpsit.

VINDICTA DIVINA. Hîc pæne diffusius se mare offert: non ingredior. Historias pæne innumeras hujus thematis selegi, auctoribus sedulò notatis. Nimirum in omne flagitium ultio divina vigilat. Nec ferè ullum est scelus, quod non à tergo & è vestigio sua sequatur Nemesis. Sed misceamus hîc historiam fusiùs excerptam, velut testem tertium.

VORACITAS UGOCIONIS * FAGIOLANI. Cùm in urbem Lucam properaret Ugocio, ut Castruccium, quem in vinculis habebat, securi feriendum objiceret, prandenti nuntiatum est, à Pisanis arma esse correpta. At ille tamquam incertus, & parùm verus esset nuntius, prandium continuavit. Adest alter & tertius, Pisis res perditas, Lucenses quoque ad arma convolâsse, carcerem effregisse, Castruccium è vinculis eduxisse, & principem civitatis salutâsse. Ugocio comploratis rebus cum prætoriano milite ad Canem Scaligerum Veronam confugit; non sine honore atque benevolentiâ recipitur, & multos dies lautè habetur. In convivio fortè mentionem facit Scaliger edonum & gulonum; cùm gloriabundus subjungit Ugocio, se juvenem quatuor altiles capos, totidem perdices assas, hœdi clunes, infarctum vituli pectus, præter salsamenta cetera, unâ in cenâ absumpsisse.

Dii talem terris avertite pestem.

Aderat tum & audiebat vir ingeniosus & salsus, Petrus Navus, qui gloriantem Fagiolanum facetè tangens: Non est mirum, inquit, hæc à te juvene absumpta, cùm senex & invalidis dentibus duas urbes integras uno prandio consumpseris. Nam fama erat Ugocionem, si à prandio citiùs temperare voluisset, facilè duas urbes, Lucam & Pisas, servaturum fuisse. Vide Jovium l. 1.

De tam strenuis comedonibus, manduconibus, potatoribus infinita seges historiarum est. Selectiores diversas, hoc ipso loco notavi. Egregium illud & certum epiphonematis loco addamus.

Femina Syra nobilis & locuples, tam tetrâ & prodigiosâ ingluvie laborabat, ut in singulos dies triginta gallinas devoraret, nec tamen insaturabilem appetentiam sedaret; alias triginta devoratura, si apponerentur. Dixisses eam quò plus ingereret, eò vehementiùs esurire. Portentum famis, & quod pæne superet Erisichthonis gulam. Ita paullatim acciæ opes, & in rem escariam exhausti loculi. Cognati esuritionis tam sumptuosæ miserti, beatum Macedonium virum sanctissimum conveniunt, & ejus auxilium implorant in feminæ tam malignam famem. Macedonius morbum precibus & hausto fontanæ, quam cruce signaverat, porrecto ita curavit, ut effreni appetitione jam pulsâ, gallinæ particula in alimoniam quotidianam sufficeret. Theodoretus c. 14. de B. Macedonio, pag. 824. apud Rosvveid.

Alia glutonum & popinonum miracula facilè observabis, si excerpere cœperis. Addo triplex, ut cœperam, paradigma historiarum succinctè transcriptarum, & *Historicorum* indicem propono.

FLAMMÆ SANCTORVM REVERENTES. De S. Mamerto Gregorius Turonensis l. 2. Hist. Francorum, c. 36. fine. De sancto Germano & aliis, Beda l. 1. Hist. Anglorum c. 19. & l. 3. c. 10. 16. 17. De S. Theclâ in igne illæsâ, Baron. tom. 1. an. 47. ab initio, pluribus numeris. De S. Polycarpo, idem, tom. 2. an. 167. n. 3. & seqq. De libris sacris per subitos imbres rogo subtractis, idem tomo 2. an. 393. n. 38. Auctores & historias hujus thematis innumeras, sed breviter excerpsi. Nimisque quàm prolixum sit, texere catalogum de sanctissimis hominibus, Clemente, Ancyrano, Constantio, Faustino & Jovitâ, Brictio, Modoaldo, Pontio, Francisco de Paulâ, Pergentino & Laurentino, Simplicio, Bonifacio, Cyrillo, Zenobio, Apollinari, Mamarte, Miniate, Sabâ, Heleno, Marcello, Copres, Apellen, Crispino & Crispiniano, &c. De Agnete, Juliânâ, Luciâ, Kunegunde, Austrebertâ, Christinâ, Ruffinâ & Secundâ, Menodorâ, Nymphodorâ, Metrodorâ, Theognidâ, Zenobiâ; horum omnium & plurium aliorum ferè reverentes fuerunt flammæ. Surium, Lippeloo, Haræum consule, & tot historias dicti thematis invenies, quot hîc nomina cernis. Ad aliud.

OPERTA OMNIA TANDEM APERTA. Ibyci grues; Bessi homicidium, &c. De hoc omnium optimè ac fusè Delrius tom. 2. Adagiorum sacrorum pag. 440. Cornelius à Lapide, in c. 21. Deuter. pag. 1015. Agrum viduæ ab Eudociâ Imperatrice iniquè ademptum, tandem patuit, Spondanus an. 438. De Comite innocente damnato & necato, idem an. 998. n. 3. Mitto cetera.

GVLÆ VICTORIA. Serapion Sindonites: Hominem, ajebat, tres pernicioſi feneratores exagitant; Avaritia, Fornicatio, Gula: cùm à prioribus jam liber est, tyrannidem Gulæ vix umquam penitus evadit. Historiam fusiùs narrat Palladius cap. 83. med. apud Rosvveydum, pag. 761. Sub eodem hoc titulo in mea *Historica* excerpsi quàm plurima, quod meo Indici credo, qui paginas mihi diversas nominat, in quibus historiæ illæ contractiùs pleræque sunt perscriptæ. Ipsum ergo Indicem saltem per transennam inspiciamus.

Tres pernicioſi fœneratores hominem exagitant, Avaritia, Fornicatio, Gula.

CAPVT IX.

HISTORICORVM *index qui ordinandus.*

INdex trigeminus, in *Lemmata* nimirum, in *Adversaria*, & in *Historica* faciendus, commodè chartaceo volumine unico comprehendi potest. * Nisi quis illum malit in duos aut tres distinctos libros dividere, & cuivis characteri liberaliter pagellas plures assignare. Id tuo, Faustine, aliorumque arbitratui permitto. Tu hoc unum maximè cura, ut titulum seu *Lemmatibus*, seu *Adversariis*, sive *Historicis* inscribendum cum judicio formes, id sollerter considerando, quid in eâ re, quam excerpturus es, cardo, aut caput; quid notius aut ignotius sit. Exempli causâ. Excerpendum est quippiam in Historica de incredibili divinæ gratiæ incremento. Tu imperitè prorsus & absurdè feceris, si hunc titulum vel ad characterem D. vel ad I. retuleris hoc modo: *Incrementum incredibile divinæ gratiæ*, aut hoc modo: *Divinæ gratiæ incredibile incrementum*. Rectiùs facies atque peritiùs, si eum ad elementum G. revocaris, hoc modo: *Gratiæ divinæ incredibile incrementum*. In hoc namque titulo caput rei est *Gratia*. Eodem sanè modo sit excerpendum istud: *Asserem vel tabulam cavarunt genua, creberrimè submissa.* Hanc tu historiam non ad Indicis characterem A. nec ad C. nec ad S. vel T. sed ad G. reduces, hîc enim res princeps, *Genua*. Ignosce, quòd te velut bimulum, aut trimulum puerulum ad litteras colligendas revocem. Jam suprà dixi, hæc sacra aliter non constare.

* *In octavo, ut diximus.*

Indicis Historicorũ modus designatur.

Occurrit hîc, quod Hispanus, vir Religiosus, memoriæ prodidit: Notum est, inquit, Ramirum Hispaniæ regem in suos proceres eò sæviisse, ut quosdam illorum in campanæ circulum suspenderit; alios autem ad id spectaculi eo nomine evocatos, ut campanam illam admirabilem, novam viderent. Hanc historiolam quo titulo in tua Historica excerperes? Ego eam in elemento C. collocarem hoc modo: *Campana mirabilis Ramiri.* Nam vox *Campana*, faciliùs tibi occurret quam Ramirus. Confirmo quod dixi: Cærilus poëtaster pessimus, Alexandri Macedonis bella describere præsidenter aggressus est. Cum eo regem sic pactum ferunt, ut pro singulis

Ramirus Hispaniæ rex proceres in campanæ circulum suspendit.

gulis bonis versibus numismate donaretur aureo, pro malis, colaphum reciperet. Placuerunt pacta conventa. Verùm tot mali versus reperti sunt, ut vatum miserrimus colaphis pæne necaretur. Cùm è tantis vix septem versus probari possent. Horatius mentionem facit:

Horat. lib. 2. ep. 1. ad Augustum prope finem.

Charilus incultis qui versibus & male natis
Rettulit acceptos, regale numisma, Philippos.

Tandem infelix apud Alexandrũ captivus periit inediâ.

Inclusúsque necem saevâ patiaris, ut ille
Non profecturæ conditor Historiæ.

Suidas & Cyral. dial. 3.

Hanc ego historiolam meo Indici hoc titulo commisi: *Colaphis ictus Charilus pæne necatus.* Certè vox *Colaphus* citiùs memoriæ se sistet, quàm nomen Charili. Quòd si de virtute, de morte Punici Ducis Annibalis aliquid excerpendum, ad primum elementum censeo revocandum hoc modo. *Annibalis militaris virtus. Annibalis generosa mors.* Nomen istius ducis ignotum nemini. Ita in mille aliis, ita in cæteris omnibus agendum: ideo monui, titulum rei excerpendæ cum judicio formares, illud spectando, quid in eâ re magis primarium, quid notius sit. Et en exempla paucula è meo Indice. Suprà è quinque characteribus posui paradigmata, è totidem hîc ponam. Accipe initium mugientis elementi.

Majestas populi Romani in Popilio.
Mortis memoria apud Caliphum.
Modestia in morte servata.
Machina Salmonei regis insani.
Mithridates fulmine bis tactus, nec læsus.
Morbo numquam tentati Asclepiades, alii.
Magica fascinatio Santabareni.
Minæ Saraceni regis cum sacco castanearum.
Mortis præsagia.
Mors & vita simul in Demosthenis calamo.
Musca picta artificem monstravit discendi cupidum.
Mutus pugil ex indignatione victoriæ sibi abjudicatæ vocem recipit.
&c. &c.

Mithridatem fulmine ictum rectiùs fortassis ad fulminum miracula retulissem, quia tamen Mithridatis nomen ex omni historiâ notissimum, errori facilis erit venia. Nec enim hîc anxiè agendum: modò excerpas, etiamsi non semper convenientissimus Excerptis sit locus. Elementum sequens hoc mihi monstrat initium.

Naufragia.
Nubes cinerem & saxa vehens, noctémque faciens.
Negotiorum cupiditas in Turannio.
Narses miles optimus, inter feminas nere jussus.
Navigii loco sunt, crocodilus & delphinus.
Noctuæ neutrarum olim partium sunt.
Nuntii quæ ignorarent nuntiantes.
Noctes precibus pervigilatæ.
Navis Raymundi pallium.
Nugandi tempus non est.
Nutriti à feris.
Neglectus rei divinæ quàm variè punitus.
&c. &c.

En sacra profanis mixta. Hi autem tituli, quos solùm loco paradigmatis recito, sic à me facti sunt, ut iis leviter inspectis mox totam historiam, quam signant, in memoriam reducant. Numquid hoc utilissimum memoriæ compendium esse feceberis?

FAVST. Fateor sanè; atque jam meis oculis plus credo, quàm olim auribus.

EVLOG. Elementum sequens hoc exhibet principium.

Oculorum castigatio admiranda.
Orandi studium ingens.
Origenis lacrymæ post lapsum.
Oblationes impiorum Deo invisæ.
Oleum stillant Sanctorum ossa.
*Orthyades * scribit trophæum suo sanguine.*
Olorum seniorum amor in pullos orto incendio.
Oculos Tygranis conjux in assertorem suum conjicit.
Obeliscus Thebaicus quanto molimine erectus.
Obedientiæ submissæ, simplicis, cæcæ specimina.
Opum contemptus in multis quantus.
Occultissima Dei judicia.
&c. &c.

* Alii, Orthryades.

FAVST. Jam pæne totus in tuas partes transii. Est tamen etiámnum quod opponam. Sunt libri qui ejusmodi titulos copiosissimè ingerant. Florilegia, Polyanthææ, Theatra. EVLOG. Responsum do non unum, tu ea in digitos mitte. Hi libri, pace illorum & veniâ dixerim, nimis quàm simplici, aut Græcâ fide agunt, lectorem diu fatigant, & crebrò miserè fallunt, auctores aut non nominant, aut mutilum testimonium producunt: nam neque librum, neque caput, neque paragraphum, multò minùs paginam notant. Quis fidat his testibus? Labores talium scriptorum neutiquam sperno, sed majorem in iis accurationem desidero. II. Sit accuratior aliquis in hoc scribendi genere (nominare forsan possim, sed unicum) is tamen è certis solùm & paucis auctoribus quæ ad rem videbantur, selegit. Id autem longè gravius est, quod mihi exploratissimè constat; auctores quidem subinde ita nominantur, ut laudatum testimonium reperire possis, sed verbis longè aliis conscriptum. Ejus rei experimentum sumpsi creberrimum: & tædet hoc sæpius explorare velle. Ah quoties Augustinus, aut Chrysostomus, aut alius talis nominatur, verbis eorum in medium adductis cùm verò Augustinum, aut Chrysostomum ipsum inspicio, hem quàm longè alia sunt verba Chrysostomi, longè alia Augustini, ab iis quæ liber objicit. Paullò pòst, ubi sermonem hodiernum finierimus, in rem præsentem te ducam, & collatis inter se libris ostendam, quantum hîc fallaciarum sit. Longè suaviùs, longéque tutiùs ex ipso fonte bibes, tametsi parciùs bibas. III. In iis, quæ dixeras, voluminibus, id plerumque minimè invenies, quod maximè quæsieris. Abi modò & scrutare tuos illos codices; quære è proximis titulis: *Minæ Saraceni regis, Musca picta artificem monstrat, Navigii loco crocodilus, Noctes precibus pervigilatæ, Oculorum castigatio, Ossa oleum stillantia,* & infinita talia si repereris, magnus mihi eris Apollo. Obvium se dabit quidquid tu ipse excerpseris. IV. Non cujusvis marsupii est, grandiorem illam librorum molem emere. Anno millesimo sexcentesimo trigesimo primo. Theatrum vitæ humanæ auctius & emendatius in lucem datum est: si placet, eme; septuaginta tantùm florenis vænit, quos bibliopolæ debeas, bibliopegum taceo. Hîc morbus noster ægrè annuet emptioni, cùm plerique avariores simus nummorum, quàm librorum. V. In grandioribus illis voluminibus innumera sunt, quæ tibi numquam proderunt, sæpe non scriptorum, sed tuo vitio aut ignorantiâ. Nam plurima in iis quidem comprehensa, tu tamen numquam invenies, quia quo loco lateant ignorabis. *Sapientia absconsa & thesaurus invisus, quæ utilitas in utrisque?* Tua, & à te collecta tibi erunt utilissima: hæc enim haud difficulter recenti memoriâ complectêris. Trigeminos indices, quos suasi faciendos, dimidio die facillimè percurres, & insuper tempus supererit aliis laboribus dandum. Sed ad numerum, quem hactenus servavimus, in hoc etiam tertio indice, quinque elementorum paradigmata statuamus.

Objectioni quintuplici respondeo satisfit. Primò.

Secundò.

Tertiò.

Quartò.

Quintò.

Eccli. c. 20. vers. 32.

Piscina Pollionis crudelissima.
Proditio proditori pessima.
Pedibus scribens.
Pelluvium Amasis.
Pomi argumentum Chartaginem evertit.
Pecunia in arcâ lapidescit.
Petra amantium.
Pater projicit è mœnibus hosti gladium jugulando filio.

Prunæ

Prunæ manibus allatæ.
Piscis reddidit Atilano suum annulum.
Pecunia in plebem sparsa; carpentum argenteum.
Panis mensæ non illatus sata in venatione conculcata tacitè reprehendit.
&c. &c.

Nec dubita inter elementi hujus titulos comprehendi etiam istos multiplici variatione: *Patientiæ, Perseverantiæ, Paupertatis, Pœnitentiæ, Providentiæ Divinæ* illustria specimina. Sic etiam non omissa *Pigritiæ, Procrastinationis, Pusillanimitatis, Pudoris noxii exempla.*

Litteram mutam, & ut Quintiliano videtur, propemodum supervacaneam, (Q) quia raros habet titulos, transimus. Elementum ergo proximum, ejusque initium inspiciamus.

Rosæ, aliique flores exhibiti mediâ hieme.
Riserunt, & cantarunt in morte plures.
Radbodus impius quærit societatem apud inferos.
Reges non irritandi.
Regale capillitium Chrotidis.
Rapa nobile donum regi.
Res è joco nata.
Regum Hierosolymæorum coronatio.
Repentina clades tripudiantibus immissæ.
Revixerunt aliqui in rogo.
Robustissimi, Glaucus Carystius, &c.
Risus inter lacrymas.
&c. &c.

Ita nunc etiam paradigma Indicis in Historica dedimus. Hîc pono, explicatos modos Lemmatum, Adversariorum, Historicorum, Oratori, Rhetori, Concionatori, Philologo cuicumque convenire. Transeamus igitur ad aliarum quoque facultatum exedras, ut constet tam Philosophiæ ac Theologiæ, quàm ceterarum artium ac scientiarum studiosis dictam excerpendi rationem profuturam.

CAPVT X.

Quî dictis Excerpendi modis Philosophus, Mathematicus, Medicus, Iurisconsultus, Theologus uti possint.

SVnt homines semidocti perquam tenui eruditione tincti, qui historiolas aliquot in medium recitare, dictum aliquod è melioribus proferre, facerias nonnumquam & sales narratiunculis inspergere nôrint: Putes eos ex Hippocrenes fontibus largiter bibisse. Sed sæpius cum iis versare, & eadem atque eadem decies, tricies, centies narrari audies. Deest varietas, quam illis suggereret Excerpta. At illi hujus exercitationis aut ignari, aut negligentes, quidquid memoriæ tenaciùs inhæserit, id ubique venditant. Deest nimirum supellex complurium ejuscemodi dictorum, aut historiarum, quæ familiari colloquio misceri possint. Sunt etiam, qui seipsos specioso nomine Politicos vocent. Suarum esse partium hi putant de quavis re, præsertim politicâ, facilè promptéque vel ad extemporalitatem usque posse disserere. Sermo nascitur de magistratu, rebúsque curiæ? copiosè disputant. De pace ac tranquillo Reip. statu? multa proloquuntur. De Marte rebúsque bellicis? etiam hîc sapere videntur. De venatu, aucupio, piscatu sit mentio? neque hîc tacent. De scientiis & artibus, de Poësi & Rhetoricâ, de Philosophiâ & Mathematicâ, de Medicinæ, de Jurisprudentiæ aut Theologiæ studiis oritur disputatio? neque hîc obmutescunt. Censeas eos per artium & scientiarum omnium hortos non sine spoliis ambulasse. Sed penitiùs hos dissertatores inspice, & invenies quàm multa è suópte solùm sensu proferant, quàm exigua, & rara eorum eruditio sit. Asperguntur quædam è Matheſi aut Philosophiâ naturali, è Galeno, aut Baldo, aut etiam Augustino quædam balbutiunt. Ex omnibus aliquid. Isti nimirum, quod dici solet, ex paleis inanibus triturâ faciunt. Scire volunt, & sciri, sed viam ad scientias ignorant. Monstremus illam comiter, ne nostri promissi fidem accusent. Quid, aut quomodo Medicinæ aut Jurisprudentiæ studiosis excerpendum sit; quæris. Proficiendi desiderium aperis. Te igitur manu ducam. Quod de Medicis & Jurisperitis dixerimus, id etiam Mathematicis, Philosophis, Theologis suasum putato. Ordiamur ab Arte Medicâ, quam ego semper plurimùm & amavi & veneratus sum. Imò huic studio, ni divini nutus alio duxissent, me totum consecrâssem in discipulum. Peritus Medicus ægroto Angelus, imò Deus est.

§. I.

Medicinæ studiosus scriptores notæ melioris tam priscos, quàm recentiores debet nosse.

MEdicinæ studium aggressurus, omnium primò, putem, scriptores notæ melioris, tam priscos, quàm recentiores norit. Inter priscos alii Græci, Arabes alii. E Græcis princeps *Hippocrates Cous*, qui ævo Artaxerxis Longimani vixit, annis circiter quadringentis octoginta * ante partum Virginis. Multa Hippocratis scripta lapsus sæculorum nobis invidit. Hic facilè Medicorum primus fit, etsi Medicinam in artem non redegerit, quod præstitisse dicitur *Galenus Pergamenus*, sexcentis annis posterior, qui ævo Antonini Pii Romæ verè floruit. Secundùm istos medicinæ principes è Græcis celebriores numerantur *Oribasius Sardus* (quem Galeni simiam dicunt) *Aëtius, Alexander Trallianus, Paulus Ægineta.*

* *Alii, 436. valdè variant hic auctores.*

Inter Arabes præcipui sunt Avicenna, Mesue, Rhasis, Joannes Serapion, Avenzoar, Haly abbas, Almansor. Doctrinam horum rejicit Leonardus Fuchsius in Institutionibus l. 5. c. 11. & ultimo. Sed errâsse hîc Fuchsium pronuntiat totus ferè Medicorum senatus, qui Arabes illos ut scriptores eximios complectitur.

Medicorum practicorum triplex methodus.

Medicorum Practicorum methodus pæne ab omnibus constituitur hæc triplex, Pathologia, Simiotica, Therapeutica.

1. Pathologia.

Pathologia morborum nomenclaturas, ideam, statum, naturam, differentias, causas, adeóque pathemata, & quæ corpus patitur, declarat.

2. Simiotica.

Simiotica continet morborum signa, tam ea, quæ morbum patefaciunt, & dilotica, vel pathognomonica dicuntur, quàm ea, quæ morborum eventus docent, & prognostica vocari solent. Hîc artificii est, comparatio virium cum morbi vi, & solers conjectura, utrum ab altero sit vincendum.

3. Therapeutica. Therapeutica dividitur in Diætam, Chirurgiâ, & Pharmaciam.

Therapeutica morborum continet curationem, quæ ab indicationibus petenda. Porrò Therapeutica, pars Medicinæ obsequiosa in *Diætam, Chirurgiam*, & *Pharmaciam*, dividitur. Diætæ accuratum studium, & tibi, Faustine, & omnibus Medicinæ amantibus summè atque unicè commendo. De hac tibi plura suo tempore, sed in aurem. Jam progrediamur.

Ego quidem tam Philosophis, quàm Theologis, tam Medicis quàm Jurisconsultis geminas classes illas *Adversaria* & *Historica*, censeo multùm profuturas, tam ad familiarem dissertationem, quàm ad scientiæ augmentum; sed maximè, meo quidem judicio, erunt adjumento *Lemmata*, quæ Medico quidem hunc in modum conficienda. Exempli gratiâ paucos titulos Lemmatum sub jungamus.

Febres in genere. De his Galenus l. 1. de Different. febr. c. 1. 2. 3. l. 1. ad Glaucon. c. 1. Daniel Sennertus l. 1. de Febribus, primis quinque capitibus. Hieronymus Mercurialis l. 5. Practicæ medic. quatuor primis capitibus. Nicolaus Piso l. de Febribus c. 1. Horatius Augenius l. 2. de Febribus, primis octo capitibus. Hercules de Saxoniâ l. 8. Panthæi sui, seu Medic. practicæ. Joannes Fernelius in Generali suâ Methodo curandarum febrium,

brium, toto tractatulo, capitibus 12. distincto. Joannes Heurnius l. de Febribus, primis quatuor capitibus. Donatus Antonius ab Altomari, parte primâ totâ, de Medendo febribus. Sunt universè 54. capita. Hieronymus Capivaccius l. 6. Medic. practicæ, qui de febribus agit, primis 28. capitibus. Ferdinandus Mena in Methodo medendi febribus, quæ Medicis Hispanis usitata.

Hîc, Faustine, nota: Scripturus aut docturus publicè de febribus, hos omnes lege. Sed unum, inquis, non plures lectioni meæ permittit tempus: quem seligam? salvo meliori judicio, Danielem Sennertum, nec brevem nimiùm, nec nimis prolixum. In ceteris hic scriptor seipsum commendabit. Sed paullulùm pergamus.

Febris Quotidiana. Galenus lib. 1. ad Glaucon. cap. 7. & 12. Sennertus l. 2. de Febribus cap. 19. Mercurialis l. de Febribus cap. 12. Augenius l. 5. de Febr. cap. 15. Piso lib. de Febr. cap. 10. Capivaccius l. 6. Pract. medic. c. 32. Ab Altomari de Meden. Febr. part. 3. cap. 6. Fernelius l. 4. Pathol. c. 12. De Saxoniâ Panthei, lib. 8. c. 35. Heurn. l. de Febr. c. 23. Mena Meth. meden. Febr. cap. 32. & 33.

Febris tertiana, nothæ, seu spuria, Galenus lib. 1. ad Glaucon. c. 5. & 10. Sennertus l. 2. de Febr. c. 18. Mercurialis l. 5. de Febr. c. 9. Augenius l. 5. de Febr. cap. 14. Piso l. de Febr. c. 9. Capivaccius l. 6. Pract. medic. c. 29. Altomarius de Meden. Febr. part 3. c. 4. Fernelius l. 4. Pathol. c. 23. De Saxoniâ Panthei, lib. 8. c. 32. Heurnius l. de Febr. c. 22. Mena Meth. med. Febr. c. 28.

Febris quartana. Galenus lib. 1. ad Glaucon. cap. 6. & 11. Sennertus lib. 2. de Febr. c. 20. Mercurialis l. 5. de Feb. c. 11. Augenius l. 5. de Feb. c. 16. Piso de Febr. c. 12. Capivac. l. 6. Pract. medic. c. 34. Altomarius de Med. Feb. pag. 3. c. 5. Fernellius l. 4. Pathol. c. 14. De Saxoniâ Panthei, l. 8. c. 36. Heurnius l. de Febr. c. 25. Mena Meth. med. Febr. c. 29. 30. 31.

Doctrina de febribus difficilis, necessaria, utilis.

Ophthalmia & Lippitudo. Christophorus à Vegâ, l. 3. de Arte medendi, sect. 2. c. 1. Heurnius de morbis oculorum, aurium, nasi, oris, dentium, cap. 3. Mercurialis l. 1. Pract. Medicinæ c. 3. Piso de morbis cognoscendis & curandis, l. 1. c. 27. Capivac. l. 1. Pract. Medic. c. 31. Altomarius l. de Medendo corporis malis, c. 10. Fernelius l. 5. de Partium morbis & symptomatis, cap. 5. De Saxoniâ l. 1. Panthei, c. 19. Sennertus l. 1. part. 3. sect. 2. c. 12.

Dentium dolor. Iidem, sed aliis atque aliis capitibus.

Angina. Priores, mutatis locorum numeris.

Asthma. Jam notati auctores, sed diversis capitum testimoniis.

Tussis. Priori modo scriptores annotandi. Ita, stomachi vitia; Gravedines, seu catarrhi, Vertigines, Bilis atræ & flavæ peccata, Pleuritis, Phlebotomia. Ita prorsus sine certo ordine, (quem Lemmatum index dabit) omnis generis morbi in Lemmata redigendi, adscriptis auctoribus eo modo, quem hîc oculis repræsentamus.

Quòd si aliquid singularis pharmaci & artificii medici legas vel audias, illud inter *Adversaria* referes, & conscribes fusiùs, aut certè inseres his ipsis lemmatibus. Scio Medicorum peritissimos id feciſſe, qui subinde ab aniculis quiddam vilioris in speciem remedii audierunt, & in usum industriâ grandi traxerunt. * Periti est addere, demere, cum judicio, quo vulgus caret.

* *Ita ipse fecit Galenus.*

Auctorum, quos laudavi, diversæ sunt editiones: ego eam adhibui, ne erres, quam hîc ostendo.

Galenus Venetiis apud Juntas, anno 1565. folio. Hieronymus Mercurialis Francofurti ad Mœnum, 1602. folio. Horatius Augenius Francof. 1604. fol. Nicolaus Piso Francof. 1580. folio. Hieronymus Capivaccius Francof. 1603. fol. Donatus Anton. ab Altomari Lugduni, 1597. fol. Herculis de Saxoniâ Pantheum, seu Medicinæ Practicæ templum, Francof. fol. sine anno. A Christophorus à Vegâ Lugduni, 1587. fol. Joannes Fernelius Francof. 1592. folio. Joannes Heurnius Lugduni Batavor. 1594. in quarto. Ferdinandus Mena Antverpiæ 1568. in quarto. Daniel Sennertus Vittebergæ 1628. in quarto.

Ex his auctoribus, creduntur omnium optimè scripsisse, Christophorus à Vegâ, Donatus Anton. ab Altomari, & Nicolaus Piso, ad hodiernum usum Daniel Sennertus, vir multæ lectionis ac diligentiæ.

Et quamvis omnes illos auctores Excerptis necessariò usos, iisque plurimùm adjutos credam (quî enim aliter potuissent?) id tamen singulariter ostendit Franciscus Valleriola; qui Locos communes, excerpendo utique confectos in lucem dedit.

Valleriolæ sunt ipsissima hæc verba: lege, obscero, lege: Itaque in id animum appuli, ut Medicinam longè latéque diffusam, & quasi incertis sedibus vagantem, totam componerem, atque in ordinem cogerem. Quod B hac ratione fieri posse putavi, si ad conscribendos locos de Medicinâ communes, totum me darem, ut quæ in arte rudia, impolita, perplexa, obscura, dispersáve essent, quæ etiam confusa, & quasi Cimmeriis tenebris involuta, ea in ordinem cuncta atque compendium, adhibitâ methodo, redigerem: Ut locorum de re Medicâ communium accuratâ tractatione, universæ Medicinæ placita atque scita suis sedibus reponi, dispersa in ordinem cogi, diffusa colligi, & confusa distingui possent. Quod cùm in aliis artibus ac disciplinis effectum à summis earum professoribus vidissem: idque in nostrâ tantùm desiderari Medicinâ, in quâ id præstari maximè, & ad compendium, & ad hominum utilitatem decebat, nolui hac in parte mutilam, mancámve Medicinam esse.

Valleriola in epistolâ nuncupatoriâ ad Montmorancium Duc. &c.

Institutiones porrò medicas scripserunt *Leonardus Fuchsius, Daniel Sennertus, Ludovicus du Gardin* cujus liber inscribitur, Hortensii Introductio, *Gilbertus Iacchæus.* Ex his materiam omnem medicam doctissimè censetur C tradere Sennertus, quòd si brevitatem institutionum quæras, omnibus præfertur Jacchæus.

Sed priusquam ad Jureconsultos transeamus, tu cedò ex illis forulis, quæso, Medicum illum, *Ioannes Iacobus VVeckerus* est, qui Medicinam universam non ingenioso solùm, sed perquam utili compendio complexus. Et en ista libri inscriptio. *Medicinæ utriusque Syntaxes, ex Græcorum, Latinorum, Arabúmque thesauris, per Ioan. Iacobum VVeckerum, singulari fide, methodo ac industriâ concinnatæ. Accessit Index locupletissimus.* Liber mihi in paucis charus, hinc semper ad manum est. Sine responso non facilè dimittor, quotiescumque illum consulo: summatim brevitérque docet, quod interrogo.

Sed ecce totam simul bibliothecam Medicam commonstro. Hæc libro præfixa frons est: *Bibliotheca Medica, sive Catalogus illorum qui ex professo artem medicam scriptis illustrárunt. Nempe Qui, Vbi, Quâ formâ, Quóve tempore scripserint.* Libri auctor Paschalis Gallus, qui parte primâ D suæ bibliothecæ mille ducentos viginti quatuor auctores percenset, & singulos è scriptis exhibet noscendos: Nonnulla scitu non indigna miscet. Parte alterâ appendices nectit non inutiles: Quinam hucusque de Medicinâ scripserint Sermone Gallico, & Germanico: Quinam in Hippocratem & Hippocratis Aphorismos, in Galenum, in Avicennam, in Dioscoridem: Quinam de re Chirurgicâ, Anatomicâ, Herbariâ commentarios dederint: Qui Pharmacopœas, qui Practicas, Consilia medica, Pestem, Luem veneream scriptis explicârint. Vide Bibliothecam, sed compendiosissimam, & quam manu vel sinu circumferas. Jam porrò Jurisprudentiam accedamus.

§. II.

EDictis, arbitror, satis luculentum, quomodo Civilis Scientiæ amans excerpat. Nam excerpendi ratio

hîc

hîc eadem est cum priori, mutatis solùm auctoribus. Et *Adversaria* & *Historica* Jurisconsulto proderunt, maximè verò *Lemmata*.

Quid autem Jurisconsulto de Solertiâ Excerpendi universè sit sentiendum, doctissimus Jureconsultus, Matthæus Gribaldus Cherianus his omnino verbis, monitor præcellentissimus explicans: Ultimus, inquit, studioso juveni labor supereſt (posteaquam & in legibus bene versari, & Doctorum opiniones discutere subtiliter atque ingeniosè didicerit) memoriam firmiter stabilire, ne (ut aliquando prædiximus) tot vigiliæ, tótque labores intereant. Quippe & memoriam hominis labilem esse constat, & nullam ferè disciplinam officium memoriæ magis, quàm legalem desiderare. Quocirca magnopere enitendum est, ut quod memoriæ viribus effici non potest, solerti id calamo suppleatur. Debet itaque juvenis, cùm ex lege aliquâ memorabilem regulam, vel sententiam notaverit, aut ex glossematis Doctoribúsve enuntiatum aliquod *excerpserit*, uciter in librum selectum, sub congruis locis ac titulis referre, nec aliorum fidere repertoriis, quæ parum quidem conferunt his, qui nullum laborem impenderunt. Id tandem firmiter retinemus, quod nostro ingenio ac sudore paravimus. Hoc certo certius est, nullum à legibus conditis spectatæ scientiæ virum, aut magni nominis Doctorem, suo indice, vel repertorio caruisse. Alius enim materiales tantùm regulas in elementorum ordinem redegit: alius Juris regulas sub congruis titulis collocavit: plerique verò decisiones Doctorum, seu communes opiniones, tum ex illorum commentariis, tum etiam consiliis latissimè congesserunt, ut (quoties casus occurreret) singula ad manum haberent. Mihi autem, studiosi juvenes, disponendus sic liber videtur, ut ab initio in tres partes distinguatur: in quarum primâ regulæ materiales, in secundâ morales, in tertiâ Juris regulæ sub congruis locis ac titulis statuantur. Rursum pars ultima, quæ Juris regulas continebit, in triplicem tractatum dividatur: quorum primus contractuum, secundus ultimarum voluntatum, tertius judiciorum regulas complectatur: atque ita perfectissimus totius Civilis scientiæ index modico labore comparabitur. Nec esset fortè contemnendi laboris opus, omnes Bartoli theoricas in regulas & explicationes redigere: quod permultos quidem attentasse scio, perfecisse adhuc neminem. Sunt præterea nonnulli (ut prædiximus) qui labori magis, quàm ingenio vacantes, rejectis legum subtilitatibus, solas Doctorum opiniones amplectuntur, easque omnium voluminibus collectas in ordinem redigunt, ac disponunt. Ad quod abundè sufficere potest amplissimum illud Firmani Bertachini repertorium in tria volumina distinctum. Nos aliquando (favente Deo) perfectum indicem in communem utilitatem proferemus, in quo non minus ingenio, quàm labori tribuisse probabimur. At verò, juvenes felicissimi, in præsentiâ satis sit, hanc brevissimam methodum, ex tempore meditatam, vobis progredi incipientibus, vice Saturnalitii muneris, edidisse; ut, quo pacto leges tractari debeant, tantisper ediscatis, donec alia majoris argumenti opera excudantur. Ceterùm locos ipsos, tam ad materiales, & morales, quàm ad Juris regulas pertinentes, studiosè subjecimus, quò futuri indicis specimen aliquod jam agnoscere incipiatis.

Hæc ad verbum Jurisperitissimus Gribaldus, qui ut efficaciùs hoc ipsum persuadeat, diversis id dissertationibus impensissimè commendat, his omnino titulis ad dissertationes singulas præfixis: Locos communes ingenii gratiâ habendos, & materiarum sedibus memoriam adjuvandam, capite 17. De Locis communibus, capite 18. De Sedibus materiarum, capite 19. Philosophos, oratores, historiographos, poëtas, aliósque idoneos auctores interdum recreationis gratiâ legendos, capite 20.

A Numquam parcendum calamo, & quæcumque vel ex legibus vel ex idoneis auctoribus excerpuntur, in repertorium atque ordinem redigenda, capite 22. docet.

Quid ego his addam amplius? Ex ore meo, è sensu, è meo pectore locutus mihi videtur vir iste Juris scientissimus. Et ne quis novitatem vocis, *Excerpere*, accusare possit, hac ipsâ ille, cùm ea his studiis sit propria, peritè utitur: ita etiam memoriæ defectum *solerti calamo* supplendum opportunissimè monet. Vel mille testium loco, hic nobis unus sit. Sed progrediamur paullulùm hoc calle.

Ad acuendam Excerpendi solertiam subsidium non leve conscriptum à pluribus Jureconsultis, Joanne Nevizano, Ludovico Gomesio, Joanne Fichardo, & Joanne Baptistâ Zileto, quos Joannes Wolfgangus Freymonius I. V. D. magnâ parte auctiores in lucem dedit hac libri inscriptione: *Elenchus omnium auctorum, qui in Iure tam Civili quàm Canonico, vel commentando, vel quibuscumque modis explicando, ad nostram usque ætatem claruerunt, Nomina & Monumenta complectens, &c.* Editus Francofurti ad Mœnum, anno M. D. LXXIV. Non grandis est hic liber, & levi pretio parabilis. Sed opus illud ingens est, & quod unum bibliothecam pæne constituat, cui inscriptio hæc præfigitur: *Tractatus universi Iuris in unum congesti, XVIII. materias, viginti quinque voluminibus comprehendens. Præter summaria singulorum tractatuum accessêre locupletissimi Indices, ita distinctè & ordinatè compositi, ut Lector materias, temere antehac sparsas artificiosâ distributione sub uno quasi aspectu positas contueri possit.* Hæc primi tomi frons est. Soli autem indices tribus justis voluminibus distinguuntur. Sunt ita universè viginti octo grandia volumina Venetiis edita, an. M. D. LXXXIV. Uti verò non cujusvis est Corinthum adire, ita nec cujusvis est tot libros emere. Florenis ducentis illa tot volumina vix emeris. Expensarum tamen neminem pœniteat, si possit ea emere vel trecentis. Vir Jureconsultissimus, C mihi non solùm notus, sed jam dudum familiaris, de hoc ipso Jurisprudentiæ thesauro sæpiculè disserens: Quid rivulos, inquit, sectamur, quid libros congerimus, & bibliothecas implemus? Hîc simul omnia possidemus, quæ de Jure dicundo docemus. Tu verò quod deest monetæ, ne patiaris deesse solertiæ. Excerpe, & aurum lege, ex his, quas monstro, Aurifodinis. Hîc te aurilegulum esse cupio.

Porrò Jurisprudentiæ tyronibus commendari præ ceteris solent Joachimi Minsingeri, Joannes Schneidewini, Hermanni Vulteii commentarii ad Institutiones scripti. Posterior horum * tam Theoriæ quàm Praxi conduxit. His Matthæi Wesembecii & Jacobi Cujacii Paratitla succedunt. Disputationibus publicis & privatis serviunt Theses Hieronymi Treutleri. Sunt qui Francisci Duareni, Udalrici Zasii, Jacobi Cujacii opera hoc ipso fine legant. Sed hæc fortasse absolutioris scientiæ viris plus commodant. D

Libri Jurisprudentiæ tyronibus præ ceteris commendati.

* *Schneidewin.*

Henricus Canisius vir integerrimæ vitæ, mihi olim Ingolstadii notissimus, in Jus Canonicum Summam scripsit, quæ illius Juris notitiam præbet. Huic parandæ aliqui legunt Institutiones Joannis Pauli Lancelloti Perusini, sed rariùs; prior frequentioris usûs est. *Ioannes Oldendorpius* Classes Actionum & Exceptionum scripsit, quas utiliter leget, qui à Theoriâ transit ad Praxim.

E recentioribus laudandâ methodo scripserunt, *Franciscus Cardinalis Mantica*, de Tacitis & ambiguis conventionibus. Item de Conjecturis ultimarum voluntatum. *Antonius Gomesius* Variarum Resolutionum dedit Tractatum, ubi de Successione ex testamento, de Contractibus, de Delictis agit. *Antonius Faber* de Observationibus practicis scripsit ordine librorum Justinianæi Codicis. *Andreas Fachinæus* de Controversiis Juris, non minùs Praxi, quàm Theoriæ commodus videtur. Materiam feudalem elaborârunt, *Henricus Rosenthal, & Hermannus*

mannus Vulteius, qui priori neutiquam deterior, sed succinctior Locos Communes, seu Excerpta ceteris meliùs censetur confecisse. *Nicolaus Vigetius*, geminâ methodo Juris Civilis, & Controversi, in primâ Leges, seu ipsos fontes; in alterâ certantes Doctorum opiniones refert. Sed ad ipsa jam Lemmata. Exempli gratiâ his ea titulis ordiamur.

Testamenta. De his Jus Civile integros offert titulos, Institutiones l. 2. tit. 20. Digesta l. 28. tit. 1. Codex l. 6. tit. 23. Jus Canonicum l. 3. Decret. tit. 25. Interpretes ad singulos titulos. Ad Institut. *Schneidivv. Minsinger. Vulteius*, alii. Ad Digest. *Bartolus, Baldus, Castrensis*, alii. Ad Cod. iidem, qui ad Digesta: è recentioribus *Ioannes Suchard.* Ad Jus Canonicum *Abbas Panormit.* Rem testamentariam ex instituto tradit è recentioribus *Ioannes Dauth.* 6

Restitutio in integrum. Præter leges & auctores jam nominatos, *Petrus Costalius* ad Digest. Hanc materiam professâ operâ tractant *Ioannes Mauricius*, sed uberiùs illo *Sfortias Oddus*. De Restitutione minorum in specie *Anton. Gomezius* tom. 2. c. 14. *Covarruvias* Variar. resolut. l. 1. c. 3. & seqq.

Usura. Distinctè hîc leges docent, De Usuris rei judicatæ, De Usuris Pupillaribus, De Fiscalibus, De Usuris & fructibus Legatorum, seu fidei commissorum, De Nautico fenore. Hanc omnem materiam ex instituto tractat *Henricus Canisius*. Hoc uno sat multos nominavi.

Cambium. Vox ista Jurisconsultis forsan ignotior. De Cambio tamen scripserunt *Thomas de Vio*, qui & de Monte pietatis scripsit. *Hieronymus de Lucâ* Theologiæ Professor, è sacrâ familiâ Servorum Æternæ Matris Virginis Mariæ *Fabianus Genuensis*.

Usucapio, Præscriptio. Post leges & auctores jam dictos, de Præscriptione & Usucapione, è recentioribus scripserunt *Ioannes Bolognetus*, & professis studiis *Franciscus Balbus*.

Nummaria res. Covarruv. de Veterum numismatum collatione. *Reinerius Budelius* de Arte cudendæ monetæ libro singulari: Addidit Quæstiones Monetarias lib. 1. *Albertus Brunus* de Augmento & Diminutione monetarum. *Ioannes Bodinus* de Republicâ lib. 6. cap. 5. *Regnerus Sixtinus* de Regalibus l. 2. cap. 7. Plures hac de re scriptores junxit Tractatus anno 1591. Coloniæ apud Joannem Gymnicum in quarto editus.

Ita, Faustine, alia atque alia lemmata, prout sese offerunt legenti, disponenda, appositis auctoribus, qui ea scriptione prosecuti sunt. Et quanti est, meliorum auctorum vel notitiam solùm in promptu habere. Nam uti edonibus & bibonibus magni est, hospitium nosse, quod nobilius vinum vendat: ita Juris aut Medicinæ studiosis plurimùm conducit, scire fontes, ad quos viâ compendiariâ pervenire liceat.

§. III.

Methodus excerpēdi quæ Medicis & Jurecōsultis, eadem Philosophis, Theologis, & aliis suadetur.

HAnc porrò methodum, quam Medicis & Jureconsultis, illam Philosophis, Mathematicis, & Theologis suademus. Idcirco nil opus hîc prolixiùs morari. Profuerit hæc paucula submonuisse.

Sciat Philosophiæ studiosus, quæ sibi post auditionem Logicæ potissimùm discenda. Libri 8. Physicorum. Libri 2. de Generatione & Corruptione. Libri 3. de Animâ. Libri 4. de Cælo. Libri 4. de Meteoris. Libri 10. Moralium Nicomachiorum. Libri 2. Magnorum Moralium. Libri 4. Moralium Eudemiorum. Libri 8. Politicorum. Libri 2. Oeconomicorum. Libri 2. de Re familiari. Libri 14. Metaphysicorum. Denique, quæ parva Naturalia vocant: uti sunt De sensu & sensibilibus, De memoriâ & reminiscentiâ, De somno & vigiliâ, De somniis, De divinatione per somnium, De longitudine & brevitate vitæ, De juventute & senectute, De sanitate & morbo, De physignomiâ, De plantis, De animalibus infinita.

Hîc valdè dubito, Faustine, an ridere largiter, an verò graviter potiùs irasci debeamus. Quot nomen Philosophi gerunt, qui Aristotelem inspexerint numquam; nec pagellam quidem præcipitante oculo pervolârint? Quot Theologi, qui Thomam Aquinatem vix umquam, Biblia rarissimè, aut numquam legant? Et qualem eum dixeris Jureconsultum, qui Bartoli aut Baldi libros nec eminus quidem salutaverit? Quis ille Medicus, qui Hippocratis & Galeni nomina vel millies & sæpius audierit, vix umquam viderit scripta? Hæc ævi nostri magna labes est: ad rivulos hæremus, spretis aut neglectis fontibus. Philosophus ante omnes Aristotelem legat: Theologus divinis libris principem legendi curam consecret, eos totos, nec cursim evolvat; scriptorem Angelicum subjungat. Hîc reverâ graviss imè malim irasci, quàm ridere, Theologum tam in Bibliis, quàm in divo Thomâ ignotum esse hospitem. Ita nimirum litteris studemus; omnia discimus, præterquam necessaria. Sed ad lineam.

Philosophus ergo convenienter suæ scientiæ lemmata conficiat, è quibus non solùm auctores nosse, & quinam ceteris meliùs ex iis scripserint discat, sed ut etiam in congressibus, in disputationibus, colloquiis, scriptionibus promptum habeat, quod è suo peculio promat; alioqui ut rudis scholasticus ridebitur, audiet, quod vulgò priscis objectum: Ex Academiâ venis: fastum spiras ex inani scrinio, ex indocto pectore.

Ita & Theologus, quæ in divinis scientiis singulariùs explicari solent, exactè norit: uti sunt, quæ traduntur de Trinitate, de Prædestinatione, de Incarnatione, de Angelis, de Gratiâ, de Legibus, de Fide, de Actibus humanis, de Jure & Justitiâ, &c. huc dirigat sua lemmata, & in ea referat, unde & auctores commendatiores nosse, & vel disputaturus, vel docturus, vel etiam scripturus, auxilium habeat paratum, quod disputantem, docentem, scribentem juvet, eorum saltem, quæ legit vel audiit, memoriam excitet. Sine Notis & Excerptis quod initio dixi, garruli sumus infantes, incerta, dubia, paradoxa, falsa veris miscemus. Nempe, quod veteris verbi est, campanum æs audivimus, & turrim ignoramus è quâ auditum: ex Aristotele quædam garrimus, & Aristotelem numquam inspeximus.

Quos verò scriptores Philosophus & Mathematicus, quos Medicus & Jurisconsultus, quos Theologus præ ceteris suæ lectioni seligat, infrà parte tertiâ monebimus.

PARS

PARS TERTIA.

EXCERPTORVM DIVERSVS VSVS, SEV MVLTIPLEX INDVSTRIA EXCERPENDI.

CAPVT PRIMVM.

Excerptæ rei Nummariæ: Prima singularis industria.

EVLOG. Ergo dimidium solis hodierni nostra sibi dissertatio vindicabit. Ita sesquidies colloquium nostrum finiet. Ducamus à Jove principium. Selecta excerpere, & pravos mores non corrigere, labor sterilis, vanus, inutilis. *Vnus ædificans, & unus destruens, quid proficit illis nisi labor?* Multa scire, seipsum ignorare, scientia periculosissima, turpissima ignorantia. Præceptoris mei dictum, sedulò commemini: Qui proficit in litteris, & deficit in moribus, plus deficit, quàm proficit. Inutilis, imò noxia scientia omnis prudentiáque est secreta à probitate morum. Misera & ambitiosa vita, quæ finem tantùm habet sciri aut scire! Multi celebres fuêre improbi, quorum gloria fumus. Jungenda est virtus litteris. Omnia huc eant, & subserviant. Ipsa eruditio sit ornamentum tantummodò, vel adjumentum. Decretum nobis sit bene hîc vivere, cum modestiâ & prudentiâ æquor hoc transire, sæpe tumidum & undosum. Quod tibi, & doctrinæ debes, exolue; sed cave virtutem litteris posteriorem habeas. In uliginoso agro qui molem struit, ruinam struit, quâ sepeliatur; vitiis qui doctrinam jungit, adfert gladium quo lædatur.

Philetas Cous Monogrammus ille, cùm corpore tam macro esset, ut non tantùm impulsu ictus, sed etiam vehementiori vento concussus in terram daretur, plumbeis uti soleis solebat, ut consisteret: sic tu debes, quisquis pallorem à chartis, maciem à studiis trahis, virtutem tibi substernere, ne admiratione tui afflatus in perniciem rapiaris, ac concidas. Ita igitur excerpamus & notemus, ut nosipsos non transeamus subinde mulctâ duriusculâ notandos.

Augustus Imperator, quod Tranquillo credimus, nepotes suos & notare docuit & natare, aliáque iis rudimenta ipsemet plerumque tradidit. Geminam hanc notandi & natandi artem à teneris unguiculis adolescentes discebant tam Athenis, quàm Romæ. Idem Tranquillus de Caligulâ prodidit, quòd ad cetera magnopere docilis, natare tamen nescierit, tamquam postremum hoc nemo nesciret. Hinc verbo veteri in hominem illiteratum & rudem dicitur: Neque natare scit, neque litteras.

Faustine, natatorem te non cupio, sed notatorem, Simiographum te volo & Notarium, qui sedulâ manu annotet, quidquid in scriptoribus est farinæ lectioris. Notandi modum ostendi: utilitatem ejus experientia monstrabit. Vidisti *Lemmata* cum suo Indice; vidisti *Adversaria* & *Historica* cum suis quæque Indicibus. Incipe tuis Excerptis has triplices classes aptare, & brevî non modicum profectum senties. Existimo ego nil esse rerum annotatu dignarum, quod non in unam aliquam trium classium reduci possit. Quòd si aliquid tam exoticum occurrat, ut in nullam è dictis classibus revocari commodè queat, infrà monstrabo locum, quo tale quid extrahatur. Hæc autem triplex Excerpendi ratio ita constituta est, ut, si die unico vel centum scriptores, idiomatis etiam diversi, adeas, ut excerpas, id commodissimè sine rerum confusione, sine chartæ dispendio, discrimine servato, ordine salvo præstare possis. Nam etsi res notandæ in ipsis classibus reperiantur, ab Indice tamen distinctè ac compendiosè tam oculis, quàm memoriæ subjiciuntur. Neque solùm scriptores Philologos & Oratores sacros, sed Philosophos, sed Medicos, sed Jurisconsultos ac Theologos, sed cujuscumq; artis ac scientiæ sectatores studiosos annotamenta hæc plurimùm juvabunt, modò non desit industria.

FAVST. Aut ego me valde fallo, aut tu plures alios Excerpendi modos observas. Videor mihi horum aliquid inter tua vidisse, sed tu hactenus id vafro silentio pressisti. Quæso te, apud cognatum ne cela, quod etiamnum latet reconditæ industriæ. EVLOG. Eblandiris suaviter: quòd industriam vocas id genus studii, meo sensu loqueris. Nam id omne quod restat explicandum, *Industrias singulares* appello. Et quandoquidem amicorum preces imperia sunt, exequar quod rogas, & in amicas aures arcaniora quædam instillabo.

Primum omnium est: Triplicem illam classem, quam priore parte tradidi, ego sextuplicem habeo, nimirum *Lemmata* sacra & profana, *Adversaria* sacra & profana, sic & *Historica* sacra & profana, cum suo quæque indice. Tibi autem & plerisque omnibus aliis id suadendum non videbatur. Minùs operosum, & minùs molestum est tres classes adornare, quàm sex. Itaque in primam classem *Lemmatum* tam sacra quàm profana sine omni operositate congeri possunt. Idem de alterâ & tertiâ *Adversariorum* & *Historicorum* classe affirmo; sacris & profanis una classis sufficit, mixtura minimè absurda, modò index sit accuratus. Ita sextuplicem uti non suadeo, ita nec prohibeo; assero non esse necessariam. Nisi quis fortè sacra simul & profana tractet studia, nec molestum putet versare plures libros. Aliis omnibus ad omnia Excerpta satis sunt tres explicatæ classes. Hoc primum est, quod inter amicos non censui dissimulandum, sed de hoc ipso paullò pòst pluta *.

Alterum est: Industrias quasdam singulares familiarissimè hîc exponam. Harum prima sit *Res nummaria* cum suo Indice. En volumen soli pecuniariæ rei dicatum. Hæc pleraque omnia referri potuissent ad Historica. Quia tamen priscæ ac nostratis monetæ inter se collatæ notitiam pauciissimi habent, & plurima hîc notatu digniſſima occurrunt, placuit in librum separatum excerpere, quæcumque pretium & monetam spectant. Nec operæ umquam pœnituit. Res mihi hactenus fuit utilissima. In hoc volumine breviter perscripsi, quid as & omnes assis partes, quid sestertius, & sestertium, quid denarius, quid libra Romana, quid philippeus, quid talentum tam auri, quàm argenti sit: hîc de didrachmo, tetradrachmo, Bove, statere, sicla, Tresse, Decusse, Centusse, Calculo æris signati dilucidus ac brevis contectus loquitur. Hac Excerpendi industriâ eò progressus sum, ut nulla facilè in prisco scriptore mentio fiat monetæ,

Fornerium lib. 3. Rerum quotidianar. cap. 2. & 3.

Lipsium Centur. 1. ad Belgas, epist. 27.

Arcaniora quædã circa excerpta instillantur.

Primum:

* *Infrà c. 4.*

Secũdum. Industriæ singulares: 1. Res numinaria cum suo indice.

monetæ, vel computationis, quam non è notis meis perspectam habeam. Ex jisdem omnium rerum pretia, præcipuè veteri ævo usitata, facillimum est indagare; cùm hîc omnem Hebræam, Græcam, Romanam monetam comprehenderim. Hîc notes, Faustine, velim: Quandocumque ego de me meâque Excerptis mentionem facio, tu semper priscorum illud memineris, *Præfiscini a*. Quod illis tantumdem erat perinde si dicerent: Hoc sine omni jactantiâ dictum esto. Aut: Absit dicto invidia. Et quid ego me meaque apud aures tam amicas & familiares jactem? Tecum ego velut mecum ipse loquor, hoc est, sinceriſſimè & candidiſſimè, & quem nō velim, nil possim celare. Quod enim apud alios silentii & modestiæ velo tegerem, id apud te libertimè proloquor. Sed exemplis, quod dixi demonstrō.

Christi venditi pretium quale.

Cupias fortassis scire, idque ante omnia, Christi Servatoris venditi pretium quale fuerit. Sententiæ hîc diversæ. Quæ mihi visa sit verisimillima, significabo, ubi priùs scriptores, quos hac in re consului, nominavero.

Varias hac in re sententias recitat Matthæus Hostus l. 4. de Re nummariâ, cap. 5. Sententia Hosti est, fuisse duodecim coronatos. Coronatum (quod notes Faustine) seu philippeum semper pro 20. nostratibus baciis, seu 40. sestertiis sumo. Benedictus Pererius, tom. 4. in cap. 37. Geneseos, ait Josephum à fratribus venditum 8. coronatis seu philippeis, quia viginti argenteos. Cornelius à Lapide Josephum asserit venditum 20. florenis Brabanticis: non enim decuit tanti servum, quanti Dominum vendi. Brabanticus autem florenus idem est, quod siclus, stater, argenteus, hoc est, 4. drachmæ, seu 8. nostrates bacii, 16. sestertii. Plura de hoc Lorinus in cap. 4. Actor. v. 37. Bosquier Codrus, conc. 31. cap. 2. Cæsar Baronius, & post eum Henricus Spondanus, anno 34. num. 7. putant fuisse 30. libras argenti, seu 330. philippeos. Verosimillimam, ut ego quidem judico, sententiam dixit Jacobus Salianus, tom 6. Annal. vet. Testament. anno Christi 34. pag. 890. qui eam summam arbitratur fuisse 36. Francorum *b* cum quadrante. Cum eo sentit Joan. Baptista Villalpandus, & Hieron. Pradus, tom. 3. in Ezech. part. 2. lib. 2. disput. 4. cap. 31. Ita etiam sentit Cornelius Jansenius, Emanuel Sà, Joannes Maldonatus, Sebastianus Barradius, rejectâ sententiâ de 330. coronatis. En pretio tantillo pretium orbis væniit.

Hoc solùm exempli loco attulerim. Vis alia complusecula? accipe compendio, è quibus Romanorum, & prisci ævi opulentia nocenda.

Quadringenta sestertia, hoc est, 10000. coronati, seu philippei *c*, erant census equestris sub Julio Cæsare.

Tributum Romanorū quale:

Tributa Romanorum collectim sumpta censentur fuisse 50351. quinquaginta millia, trecenta, quinquaginta unum talenta argenti Attica. Villalpandus, tom. 2. in Ezechiel. l. 5. disp. 3. c. 48. Unum talentum Atticum argenti 600. philippei. Tributum annuum Romanorum putant aliqui fuisse universim 140. milliones auri. Budæus l. 3. & 4. de Asse, Romanas opes extendit.

Darii ex Asiâ & Libyâ.

Tributum Dario ex Asiâ, & aliquantulum ex Libyâ obveniebat, talentorum quatuordecim millia, quingenta sexaginta; quòd si Atticum talentum minus intelligat Herodotus lib. 3. cùm dicat Euboicum, erit hoc tributum coronatorum, seu philippeorum, 8736000. ut jam ordine dicemus.

Cervical regium Darii Codomanni, prout scribit Chares Mitylenæus apud Athenæum, eò divitiarum & deliciarum pervenit, ut ad caput cubilis regii conclave haberet medio pariete distinctum, eâ capacitate, quæ quinque lectos contineret: in hoc semper quinq; millia talentûm auri asservata, sunt meo calculo 33750000. *a* coronati. Ipsum verò conclave, *Cervical regium* appellari solitum. E regione hujus, aliud fuit conclave trium lectorum, in quo tria millia talentûm argenti. Sunt 1800000. coronatorum *b*. Hoc *Scamnum suppedaneum* regis appellatum. In ipso regis cubiculo vitis erat aurea, gemmis ponderosa, eaque veluti pergula regio cubili obtendebatur. Hæc vitis ramos habebat pensiles ex lapillis æstimatissimis compositos. Non procul ab eâ crater aureus collocari solitus Theodori Samii opificio nobilis. Ita Villalpandus, tomo 2. in Ezech. lib. 5. disp. 3. cap. 59. Vide alium calculum Pererii in Danielem, l. 2. ubi de opibus Persarum, in illa verba: *Post te consurget aliud regnum*. Hic idem Darius, Q. Curtio teste, lib. 5. hist. c. 26. legatos ad Alexandrum Magnum misit hoc rogatu: Matrem & duas virgines filias redde: pro tribus corporibus triginta millia talentûm auri precatur accipias. Sunt meo calculo 202500000. *c* Pro reliquis captivis triginta millia talentûm argenti, seu 18000000. *d* philippeorum, sive coronatorum spondet. Ita Justinus l. 11. hist. mihi p. 93. Porrò Dario ex Asiâ tributum obvenit, uti Herodotus testatur l. 3. quatuordecim millia, & quingenta sexaginta talenta. Quòd si Atticum, vel Euboicum & minus designet, erunt 8736000. *e* coronati.

Cervical regium Darii Codomanni & regiū Dadeliciarum quam summam auri continebat.

Quā summam scamnum suppedaneum.

Bucephalus equus Alexandri Magni, emptus dicitur tredecim talentis, seu 7800. coronatis. Agell. l. 5. c. 2. De virtute hujus equi, Curtius lib. 6. ante med. Hic equus nudus conscendendum se equisoni suo præbebat, ornatus regiis phaleris neminem, excepto Alexandro, admittebat.

Demosthenis facultates, ipso teste in I. contra Aphobum, erant quindecim talenta, seu 9000. coronati.

Isocrates unicam orationem vendidit viginti talentis, seu 12000. coronatis. Plinius l. 7. c. 30. initio.

Julius Cæsar quinquaginta talentis, seu 30000. coronatis, se redemit à piratis apud pharmacusam insulam. Tranquillus in vitâ illius.

Idem Cæsar duas tabulas, Medeam & Ajacem Timomachi, in templo Veneris genitricis dicaturus, emit octoginta talentis, seu 48000. coronatis. Plin. lib. 7. c. 38. Idem lib. 5. c. 4. alium habet numerum, & plenè lib. 35. cap. 11.

Cleombrotus, vel Theombrotus, medicus, accepit à Ptolemæo pro servato Antiocho rege, centum talenta, seu 60000. coronat. Plin. l. 7. c. 37. Tanti quoque licitatus est Attalus rex unam Aristidis Thebani pictoris tabulam. Plinius lib. 7. cap. 37. qui idem pæne narrat aliter, l. 35. c. 4. & meliùs, cap. 10. libro eodem.

Stipendium militare olim hoc fuit. Pediti Romano decem asses, seu æris, quotidie pro stipendio dabantur, hoc est, denarius unus, seu duo victoriati, aut 4. sestertii: Auctor Tacitus, lib. 1. Annal. ab Excessu Augusti. Centuriones duplex stipendium, & equites triplex merebant. Stipendium ergo menstruum, tres aurei coronati,

Stipēdium militare: Peditis Romani.

Centurionis, equitis.

a *Præfiscini, aut Præfiscine dicebant veteres, Gell. l. 10. Noct. Atticar. c. 24. mihi pag. 336. Præfiscine de præsenti, Præfiscini de futuro dici notat Scaliger. Plautus, Præficini hoc nunc dixerim. Alibi: Ad laudem addito, Præfiscini. Ad amoliendum scilicet fascinum & invidiam, ubi quis impensiùs aut laudaret ipse se, aut præsens ab alio laudaretur. Vide Stevechium in lib. 3. Floridorum Madaurensis.*

b *Francus usitatè ac passim pro nostratibus novem baciis, seu, victoriatis sumitur. Parisiis Francus decem baciorum, in Lotharingiâ sex baciorum habet pretium.*

c *Coronatus* oder *Philippeus* ain zwaintzighatzner. In dísem werth/ vnd auff solche weiß wirdt da allzeit *Coronatus* oder *Philippeus*, ain Guldithaler oder Phimpothaler gerechnet.

a *Trigesies ter millies mille, septingenties quinquagies mille coronati.* Drey vnd dreissig tausent mal tausent/ sibẽ hundert vnd fünffzig tausent Cronen. *Cùm philippeum dicimus, semper intelligimus* ein zwaintzighätzner/ das ist/ ein Sübercronen/ oder ein Phimpothaler/ oder Guldithaler/ oder auch Goldgulden/ wie die Müntz vor Jahren gieng. *Assentiuntur ipsi publicè eruditi viri.*

b *Decies octies centena millia coronatorum*, Achtzehen hundert tausent Cronen.

c *Ducenties millies mille, vigesies quinquies centena millia* Zwayhundert tausent mal tausent/ fünff vnd zwaintzig hundert tausent Cronen.

d *Decies octies millies mille.* Achtzehen tausent mal tausent Cronen.

e *Octies millies mille, septingenta triginta sex millia.* Acht tausent mal tausent/ sibẽ hundert sechs vnd dreissig tausent Cronen.

nati, seu philippei, diebus triginta in mensem numeratis. Centurioni sex coronati, in mensem; equiti novem fuerunt. De Stipendio instituto, Livius l. 4. non procul à fine. Factum id anno Urbis conditæ CCC. XLIX. priùs suo ære militabant.

Sed exemplorum abundè satis est. E solis Excerptis talibus, Faustine, liber iste, quem cernis, conscriptus est; hîc vetera, nova; prisca, recentia mixtim, pleraque omnia historica sunt, nec aliò, quàm ad rem sumptuariam spectantia. Hinc omnigenas priscorum opes, vectigalia, expensas, luxum, facili compendio licet discere. Nihil ambige, quin Hebræorum regum, præcipuè Davidis & Salomonis, thesauros pæne immensos fideliter annotarim. Ea hîc legi prohibet angustum tempus. Sunt aliquot paginæ, quæs de sacrâ & politicâ regum illorum opulentiâ conscripsi. Obstupescendi & prorsus incredibiles thesauri tam à patre, quàm à filio sunt congesti. Quamvis Salomonis luxus eò virium excreverit, ut vel aureos montes concoxerit; demum reverâ cœperit egere, & novis exactionibus mulgere subditorum marsupia. Ita Salomon ærarium longè quàm opulentissimum deplevit luxu, quod parens illius tot bellis non tantùm non exhausserat, sed accumularat. Summatim dicam quantum thesaurorum rex David templo struendo reliquerit, idque ratione Germanicæ, Italicæ, Hispanicæ, Gallicæ monetæ.

Quantum thesaurorum ex David templo struendo reliquerit.

Fundamenti loco sit sacra pagina, & Regum Chronicon, seu Paralipomenon liber primus, caput vigesimum secundum, & vigesimum nonum: hîc auctoritas divina testatur à Rege David ædificando templo præter ligna cedrina, ferrum, æs, gemmas, destinata centum & octo millia talenta auri, argenti verò decies centena & septemdecim millia, si etiam Hebræorum procerum conjuncta munificentia in computationem veniat. Hæc omnia auri & argenti talenta pæne ter millies decies centena millia nummorum nostratium aureorum conficiunt. Ita Hieronymus Pradus, tom. 1. in Ezech. præfatione. Cornelius à Lapide hunc calculum subducens: Salomoni, ait, pro templo pater reliquit bis mille & quadringentos milliones auri. Unum millionem vocat decies centena millia aureorum. Fuit ergo hæc auri summa incredibilis, & quæ vix totâ Europâ hodie reperiatur.

Cornel. in 1. Esdræ, init. p. 196.

Reductio illustrissimæ ad monetam Italicam.

Ratione monetæ Italicæ illa tot auri & argenti talenta, faciunt scutatos Romanos aureos 3282134024. hoc est, tricies bis millies, octingenties semel & vicies centena triginta quatuor millia, viginti quatuor scutatorum Romanorum aureorum, seu ter mille ducentos octoginta duos milliones, insuper centum triginta quatuor millia, & viginti quatuor scutatorum aureorum.

Vnæ Italorum aureæ, seu, ut ipsi nominantur, scudi, æquales 25. baccis Hebr.

Ad calculum Hispanicum.

Ad calculum Hispanicum illa auri & argenti moles collata constituit 2812008375. Hispanicorum auri scutatorum, hoc est, duo mille octingentos duodecim milliones, dein octo millia trecentos septuaginta quinque scutatos Hispanicos. Ita Joannes Baptista Villalpandus, tom. 2. in Ezech. lib. 5. disp. 3. cap. 43.

Ad monetam Gallicam.

Ad monetam Gallicam vis illa pecuniæ comparata conficit 2745051666. hoc est, bis mille septingentos quadraginta quinque milliones, unum & quinquaginta millia, sexcentos & sexaginta sex aureos nummos Gallicos. Hanc auri summam, ut tota ex auro fit, non ferrent decem millia curruum nongenti & octoginta, quamvis singuli currus ducenta & quinquaginta millia aureorum ferrent. Hæc carptim de thesauris ad structuram templi præparatis.

Salianus de Dis amore, l. 6. c. 5. fine.

Porrò de opificibus, qui templum eduxerunt, eorúmque incredibili numero, de Salomonis familiâ, de ejusdem victu, annuo censu, & quidquid sumptuum ad hunc regem pertinet, in meam rem Nummariam fideliter excerpsi. Idem non difficulter assecutus sum circa Cæsarum, Regum, Principum aliorum opulentiam, & supellectilem gemmeam. Hæc certè non erant negligenda, cùm occurrerent. Cùm autem annotationum harum innumeræ sint, in certum eas volumen conjiciendas censui. Et feci operæ pretium. Nec prisca solùm, sed & recentia, & nostra crebriùs subnotavi. Exempli gratiâ, jucundum illud de Carduis sativis. Eorum incredibile pretium & veteri, & nostro ævo est.

Plinius de hoc non sine grandi admiratione: *Poterant, inquit, videri dicta omnia, quæ in pretio sunt, nisi res maximi quæstus restaret, non sine pudore dicenda. Certum est quippe carduos sativos apud Carthaginem magnam, Cordubámque præcipuè, sestertia sena millia (quis credat? sunt ipsi 150000. philippei) ut parcius, reddere. Quoniam pomenta quoque terrarum in ganeam vertimus, etiam ea, quæ refugiunt quadrupedes conscia.* Ego ipse, Faustine, hisce meis oculis vidi veluti agellum pulchro ordine cardûs sativis consitum, de quibus horti herus affirmavit, magnam se iis gratiam facere, quibus singulos carduos, singulis denariis, hoc est, duobus victoriatis, aut quatuor sestertiis vendat.

Plin. lib 19. Natur. hist. cap. 8. post med. mihi pag. 451.

Addo illud non adeò priscum. Justinianus Barbatus, Senator Venetus in manuscripto de bello cum Austriacis hæc habet: A patre meo audivi, jussu Senatûs populique Veneti, Jacobo Sannazario pro versiculis, quibus urbem nostram laudârat, sexcentos aureos esse datos. Versus memoriâ teneo; sunt isti:

Versus sexcentis aureis venditi.

Viderat Hadriacis Venetam Neptunus in undis
Stare urbem, & toti ponere jura mari:
Nunc mihi Tarpeias quantumvis Iupiter arces
Objice, & illa tui mœnia Martis, ait.
Si pelago Tyberim præfers, urbem aspice utramque:
Illam homines dicas, hanc posuisse Deos.

Pro singulis his versiculis centeni aurei poëtæ numerati sunt. O versus verè aureos! Hæc omnia tantummodò in exemplum & paradigma monstro. Vis etiam indicem inspicere? En duos characteres, quorum in superioribus nulla mentio.

Senecæ opes.
Statua aurea Claudii, & columna argentea.
Salaria diversorum.
Sardanapalus ardet cum auri summâ multò maximâ.
Saraceni quantum annuatim pendant Romanis.
Sepulchro Davidis aperto quantum abstulerit Hyrcanus.
Silentium injiciunt Oratori duodecies HS.
Syngraphæ unica centies HS.
Serici proventus annui.
Sepulchrum Christi Domini quàm lucrosum Turcis.
Sacerdotium novum Claudio quanti steterit.
Sepulchrum Amasis sumptuosum & admirandum.
&c. &c.

Addo & sequens Indicis elementum.

Tributum Antonio & Pompeio & Asiâ.
Tabulas duas Timomachi Cæsar emit 80. talentis.
Tabulam Aristidis rex Attalus 100. talentis licitatus est.
Tabulam Argonautarum quanti mercatus Hortensius.
Tabula Bularchi auro repensa.
Tiberius quantum pecuniæ coëgerit, Caligula absumpserit.
Tolosanum aurum.
Turcici Imperatoris reditus annui.
Tapetia Babylonica 20000. philippeorum.
Turris Pharus 800. talentis ædificata.
Testamentum Herodis.
Telonii Brabantici ratio.
&c. &c.

Atque hæc prima est earum, quas singulares Industrias appello, Res pecuniaria, pleraque omnis historica, quæ reverâ plurimum lucis, tam veteri, quàm recentiori historiæ allucet. Tu si nolis hujusce modi Notas in volumen proprium digerere (quod etiam non suadeo) in *Historica* refer, quod hujus generis censueris enotandum. Hæc mea paucula in exemplum dedi. Ista igitur

prima, sed singularis industria est. Non omnium est, scio, illam imitari. Ego autem hanc excerpendi methodum eâ causâ propositi, sed & reliqua ejus generis propositurus sum, partim ut apud amicos nihil Excerptorum tegerem, aut dissimularem, partim ut Excerpendi non tantùm primarium modum, quod promisi, sed & varium usum integrè docerem. Sed manum de tabulâ: industriam singularem alteram examinemus.

CAPVT II.

Altera singularis industria:

Lusus urbani, facetiæ, sales, & joci.

Secunda singularis industria Lepôres & historicam hilaritatē sectatur.

EVLOG. Hîc priori longè grandius volumen porrigo, dictis ac historiis festivioribus referendum. Hæc altera singularis industria est, Lepôres & historicam hilaritatem sectata. En librum minimè gracilem, amœniore historiâ plenum. Hîc gaudium & risus habitant, & unus in his ordo est, esse sine ordine. Index, ut priora omnia, ita hîc suis quæque elementis distinguit. Scitamenta, nuces, & mellita crustula pro pueris videri possunt hæc pleraque, sed mihi crede, nucleus & solidus cibus non deerit rimanti. Hæc, quamvis jocularia, politicos & urbanos mores non rarò formant, subinde docent & sacros; litterata namque monita, & ad vitam salubria, hîc non infrequentia; nonnullam etiam eruditionis supellectilem hæ chartæ subministrant. Hîc apologi, fabellæ, sales ac joci, narrationes ludicræ, lepidiores historiæ, omnis generis facetiæ reconduntur. Sed quod superiori capite monebam, id repeto, idem moniturus circa sequentes industrias: Imitatores hac in re si nullos habeam, aut paucos, non graviter indignabor. Hæc enim ferè omnia ad fortiam classem, scilicet ad *Historica* revocari possunt. Si enim in eâ classe non judicavi sacra à profanis secernenda, nec ludicra etiam ab iis separanda existimo, nè quidquam tædii adducam iis, qui hac in re discipuli esse non recusant.

Sed ante omnia mei voluminis frontem seu inscriptionem lege; hæc est:

Sales
DICTIS, FACTIS;
FESTIVIS, RIDICVLIS:
APOLOGIS, FABVLIS;
PRISCIS, NOVIS:
FACETIIS, IOCIS;
EDITIS, INEDITIS.
CAVILLATIONI, DICACITATI;
URBANÆ, PAGANÆ;
MORIBVS, LEPORIBVS
AVDITIS, INAVDITIS VARIÈ MIXTI.

Hæc libri frons est; materia risûs hîc abundans & copiosa. FAVST. Ignosce Præceptorum optime: Humanæ gentis vitium, ut nosti, curiositas est: aures mihi prurium ad hos lepôres & sales gustandos. EVLOG. Ergo in gustulum hæc habe, sed pauca: non hîc libros excudimus, sed libri specimen, methodi paradigma & exemplum proponimus, practicam, ut dixi, & mechanicam dissertationem instituimus, quæ non auribus solùm, sed & oculis præceptiones datas ingerat. Ad rem.

Convivatū aliquot in convivio festivius dictum:

Convivium erat non trium Charitum, non novem Musarum, sed ultra convivii leges, plurium amicorum. Convenerat inter eos, ut pro se quisque festivius aliquid narraret ad commendandam sui modimperatoris lautitiam.

Primus: Probat quandoque deesse astutiam.

Primus sic orsus est dicere: Vulpes prædivitis pagani domum expilatura per angustum foramen vix sese penetravit. Prædam nacta speratam & prorsus opimam, lautitiis se farsit, quantum quidem venter capere potuit; quem ita distendit, ut, cùm egressum moliretur, A eâdem viâ neutiquam jam ampliùs spatioso corpore transire potuerit: dum luctatur & hæret, adest mustela, & ô! te fatuam, inquit, quæ tentes numquam successura: venter tibi nimiùm tumet: deplendus est ille priùs, si quidem hoc ostio velis evadere; quare age, revome quod glutiisti, & tum demum per has fores fugam capesse. Est cùm & vulpi sua desit astutia. Huic prorsus geminum: Serpens lagenam est illapsus per angustum os. In hac cauponâ vinum in se ingurgitavit avidissimè. Atque cùm jam reditum pararet, omnem viam sibi sic inflato & magno nimiùm arctam reperit. Intervenit vini herus, ac luctantem vidit in vino, & cum vino viperam, ad quam comiter: O mea lacertula, inquit, hæc quidem frustra conaris. Te potiùs rumpes, quàm istud tam angustum ostium. Verùm hoc age (si quidem ego tibi sim consilio) vinum, quod adeò avariter tibi ipsa propinasti, hilariter revome, & redibis viâ, quâ ivisti in hanc vinariam domum. Apologus notat eos, B qui sæpe opes, quas malè glutierunt, revomere coguntur. Ita spongiæ jam turgidæ exprimuntur, tantúmque reddunt, quantum biberunt. Subjungens alter: est cùm philosopho sua desit scientia. Æsopus, ille ingenii abundans, cum hero suo non incelebri philosopho Xantho in alienum hortum concessit. Hîc hortulanus philosophum velut arcanioris naturæ omnis scientissimum sacerdotem interrogans: Quî fit, mi domine, inquit, quòd sine radice, & semine tantum lolii & inexpugnabilis graminis, tam largo & facili proventu succrescat: neque hæ manus meæ illi quotidie extirpando sufficiunt. Et licet pedibus invisas herbas conculcem, usque tamen & usque sese attollunt humo, & felicissimè succrescunt. At verò olus illud, plantæque, quas cum stirpibus terræ insero, insertas summo studio curáque foveo, non æquè tamen felici segete proveniant? Hîc philosophus trepidare, & anxius versare animo, quid demum responderet. Tandem aliud ab omni eruditione suâ impetrare non potuit, quàm remotum illud C & frigidum: Hunc esse singularem naturæ genium. Ad hæc subridens Æsopus: Atqui & ego, inquit, philosophus jam sum, hoc enim gladio vel innumeros Gordios nodos solverim. Quare tam olitor, quàm philosophus hominem urgent, ut, si quid nosset super eâ re scitus, proferret. Servus igitur ingenio quàm formâ commendatior; Xanthe, ait, herbæ, quæ hîc spontè, ultrò, injussæ pullulant, sunt terræ hujus germana soboles, veri filii. At verò illæ, quas olitor aliunde petitas terræ obtrudit, & inserit vel nolenti, privigni sunt. Ideo non mirum novercam in hos privignos minùs esse benignam, quàm in suos filios. Ergo & philosopho subinde deest scientia, ut vulpi astutia.

Secundus: Philosopho scientiam.

Tertius: Convivatori lautitiam.

Dicentis vocem excipiens conviva tertius: Nonnumquam & convivatori, ait, desunt fercula. At certè non huic nostro, sed illi, qui ad tenue salinum invitare ausus diademata. Ruri quis invitaverat regem Philippum D Macedonem, qui cùm multis comitantibus ad cenam paucis apparatam venisset, vidissétque hospitem ob id anxium, circumisit qui amicos clàm moneret, ut servarent locum rarioribus placentis, quarum expectatione, cùm illi parciùs vescerentur appositis, cena omnibus suffecit. Nil tale nobis hîc metuendum. Veniat rex Philippus cum suis, & epulum se dignum inveniet. Ergo & convivatori subinde desunt fercula.

Quartus: Chrysopœio aurum.

Imò, ait quartus, non rarò deest aurum Chrysopœio. Ad Leonem X. Pontificem Maximum ingeniosus veterator adiit, qui artem chimicam factitabat (quam hoc ævo exercent multi, qui, dum aurum quæritant, argentum etiam amittunt) libellum porrigens, quem de auro è quavis propemodum materiâ conficiendo non sine eruditionis foco conscripserat. Pontifex donum non aspernatus, benevolâ manu admisit, & hominem responso liberali censuit remunerandum. Cùm autem libelli

libelli auctor insigne amplúmque sibi munus speraret, Pontifex amplam certè crumenam sed vacuam redonari jussit, addito dicto: Non ingratum sibi fuisse munus oblatum, & videri aureâ munificentiâ compensandum: quia tamen ille ipse scientiam certam conficiendi auri calleret, judicare Pontificem, commodissimos ipsi fore loculos, ut habeat, ubi aurum à se confectum reponat. O aurificem miserum, qui mendicat aurum, quod facere, quod donare potest! Ergo & aurifici subinde deest aurum, sicut vulpi astutia, philosopho scientia.

Quintus: Ægrotanti & simul ingressus narratiunculam: Corvus morti vicinus, inquit, gravissimè decumbebat. Huic mater assidens à lactymis non temperavit. Hanc filius fractâ & imbecilli voce, ne sibi apploraret, monuit, quin precibus longè potiùs suam sanitatem Diis commendaret. Cui mater: O mi fili, ait, apparet te seriò ægrotare, omnis tibi memoria intercidit. Furtorum multiplicium non meministi? Et quem Deorum tibi propitium fore confidis, cùm pæne nullus sit, cujus tu aram non spoliaris, è cujus victimis nihil furatus sis. corvo memoriam. B

Antiochus rex Syriæ, & Maximinus Imperator Romanus ægrotanti corvo similimi.

Ægrotanti corvo simillimi, Antiochus rex Syriæ, qui Judæos immanissimè vexavit, & Maximinus Imperator Romanus, qui crudelissimis edictis & cruciatibus atrocissimis Christianos funditus delere statuit; uterque horum divinâ tandem exerente se justitiâ in morbum tetterrimum lapsus, cùm aliunde nulla spes auxilii affulgeret, ille Judæos, iste Christianos enixissimè rogavit, ut Deo suo pro reparandâ valetudine supplicarent. O corvi! non meministis, quantùm illos afflixeritis, quorum vota precésque nunc exposcitis. Nimirum ægrotanti subinde, nec mirum, labat facinorum commissorum memoria.

Servus: Ambulanti obnoxium non defuisse latronem.

Ita subinde moribundo, quod mirissimum (conviva sextus addidit) non labat animus ullo metu. Et: Ferunt hominem fuisse, inquit, jam in patibulo, jámque in ipsis C fatalibus scalis constitutum, nihilominùs ore renidenti ad judicem hæc infrà spectantem dixisse: Mirari se ubi senex ille non procul astans affigeret conspicilia, cùm naso esset admodum simo. Fuit, qui pariter in patibuli scalis jam consistens ultimum salutis poculum postularet. Porrectum est. At ille spumam è nobili zytho studiosissimè difflans: Nephritidem, inquit, & calculos hæc generat. Ne igitur ex renibus laborem, caveo. O ridiculos, & ô insanos homunculos, quibus jocari libet in ipso æternitatis punctistitio! Sed mitto hanc hominum fœcem, de quâ in has ipsas notas hinc illinc plurima excerpsi. Addo hæc brevicula. Thomas Morus illustrissimum sidus Angliæ, cùm rogaretur in carcere an non sententiam mutasset regiis decretis subscripturus; instare diem supremi fati, proinde aperiret animum, quid jam denique sentiret. Nec verò quidquam regi fore gratius, quàm audire sententiam à Moro mutatam. Imò verò, ait Morus, mutavi. Ad eam vocem D subitò adstantium ingens fuit gaudium & applausus. At Morus suæ vocis interpres: Mutavi, ait, sententiam. Constitueram enim antea barbam solam, nunc autem re pensiculatiùs examinatâ, consultissimum judicavi, barbam simul & comam præbere attondendam; cervices non subtraham securi. Hæc mea est sententia. Ite, illámque regi renuntiate. Mox ad amicum flentem subridens: Et, quid est, inquit, mortalis vita? Vivendo jam pridem ibam ad moriendum, vel, quod sapientibus visum, in horas singulas moriebar. Ante ipsas mortis fauces tranquillæ conscientiæ licet jocari.

Cosmas Medices jam-morti vicinissimus, cùm paullò ante obitum à conjuge interrogaretur: Cur, cùm vigilaret, oculos clauderet? Cuperem, ajebat, huic rei assuefieri, ut, ubi mors clausura esset oculos, id ego paterer non invitus. Ita, inquiebat con-

Septimus: Iracundis prudentiam.

Quemadmodum, inquit septimus, iracundi plerumque sine mente. Ferunt sanorem, quotiescumque in paupertinâ mensâ, olera minutim confecta apponebantur, iis pro loco suo signum crucis imprimere consuêsse. Hic adeò religiosus opifex inter reliquas operas, alebat famulum, aliis sagaciorem, quem cùm cares animadvertisset quandoque, primùm quidem id heri sui religioni tacitè transscripsit, at verò cùm id sæpe sæpius jam factitantem obliquè observitâsset, non religionis sed gulæ ergo fieri conjecit, quippe in depressos illos oleris sulcos ex omni ferculo redundans pinguedo colligebatur. Quare idem ille famulus, ut primùm scenne suum tenentem herum observavit, extemplò manu involans in patinam, sulcos illos pinguiores circumducto cochleari turbavit atque confudit. Herus elusum se conspicatus, & olere ipso jam multò turbatior, exasperari iracundiâ, graviter stomachari, & sublatum ex mensâ ferculum per patulas fenestras indignabundus praecipitare in viam: mox famulus convolutam raptim mappam cum omni instructu pransorio, pari jactu eâdem viâ sequi jussit; & ad herum: Ergo magister, inquit, jucundi hodie infrà comprandebimus: dignum profectò Cynicâ hac cenâ triclinium. Mens iracundis deest: nam Annæo Senecæ * *Ira, brevis est insania, impotens sui, decoris oblita, necessitudinum immemor, rationi consiliisq; præclusa, causis vanis agitata, ruinis simillima.* Arida & ab igne corripit facilia, scintillam quoque fovent usque in incendium. Ita grandis iræ exitus, furor est; ideo ira vitanda est, non tantùm moderationis, sed & sanitatis causâ. Ab iracundis mens & prudentia longè est.

* *Seneca l. 1. de Irâ, & epist. 18. fine. Sic & Themistius, Brevem furorem dejicit Iram. Cato Priscus: Iratus ab insano nō nisi tempore distat. Philemon poëta Græcus: Insaniæ omnes nos habet, cùm iracimur.*

Octavus: Anachoretis tyronibus experientiam.

Sicut, excipit octavus, à tironibus experientia. De Anachoretâ unius dieculæ, nihil ne umquam, ô viri, audistis? Nihil, ajunt, unáque rogant, ut narret, suam quoque symbolam collaturus in cenam & à dictis & à ferculis tam lautam. Mox igitur octavus: Ferunt, inquit, sub prima initia Societatis Jesv miræ symplicitatis tyronem fuisse. Jacobus is audiebat, homo cetera bonus, modò non nimiùm bonus esse voluisset. Primò quidem ad religiosam familiam Parisiis venit, nec inter illos malè se gessit, nisi quòd subitò eremum adspirare cœperit, nec aliud audire voluerit, quàm cultum solitudinis. Ergo missione impetratâ Lutetiam abiit, & inibi nescio quam silvulam ingressus, æternum, ut putabat, domicilium ibi fixit. Atque tu mihi jam bone Anachoreta salve. Diem unum eò loci exegerat inter quercus: atqui hic dies sæculum fuisse putandus est. Nocte intempestâ, quæ illi prima fuit in hoc hospitio, agasones, qui Lutetiam in mercatum ibant, nemus ingrediuntur, tarda, nec expectato somitu, quatit ungula campum, accedunt tintinnabula & nolæ, quæ nocturnam formidinem mirè auxerant. Hic bonus ille eremicola, ferè jam funus, attonari & pæne in saxum obrigescere, nec aliud credere, quàm omnem inferorum Lemurum plebem in suum caput ire: nec aliud misero subsidium occurrere, quàm ut à sacris vocibus opem posceret. Ingenti ergo voce Jesvm & Jesv Matrem inclamare: subinde & illud ingeminare: Et *Verbum caro factum est*, &c. Audierat enim & D. Joannis Evangelium contra stygios alastoras facere. Vix diluculavit, cùm ille vasa colligens, amatæ solitudini longum vale dixit, & ad Religiosam domum remigravit, ubi ita, brevi profecit, ut Christo complures reconciliarit, pupillis & orphanis, quos in plateis repererat, stipem corrogârit sæpius: jam bonus adjutor, anteà tam malus eremita. Nimirum defuit experientia, & subsidium opportunum.

Ioan. cap. 1. vers. 14.

Nonus: Simii vaframentum.

Hîc nonus conviva: Cùm, inquit, subsidii opportunitas deest, quærenda ea est, quà licet, quod à vafro animali discas. Audio viro primario simium fuisse, qui, quòd domesticus esset juxtà ac gratiosus, per ædes liberè discurrebat. Quadam verò die, dum ante culinam

excubat stomacho suo militaturus, cocus quidem eas excubias observavit, sed dissimulavit observasse, nec pro more quidquam dedit in stipendium. Enimverò ubi miles videt se spe suâ frustratum, mox in culinam, & simul, abeunte coco, in focum. Accidit autem, ut eo tempore prunis castaneæ torrerentur, quarum odor, qui vix jejunum exploratorem advertisset, simium accivit: ascendit ergo focum, vidit arridentes sibi castaneas, sed, quod dolebat, inter ignem parturientes. Maturat ille mox opem, & obstetricante manu partum tollere conatur, sed infelici successu, quippe qui & ipse ardoris impatiens adustos digitos retraxerit. Dum verò consilii anceps haeret, felem conspicit musculis insidiantem, eámque mox invadit, & quantum quantum renitentem, & sibilanti ore fulminantem ad vicariam operam cogit; produxit, inquam, suisque manibus felis pedem apprehendit, & sic eo ministro castaneam unam post alteram è prunis extrahit. At felis tam barbaræ servitutis impatiens, horrendè in lupum ululavit, illisque insolitis lamentis auxiliarem coci opem sibi accersivit.

Decimus: Simii infortunium.

Continuò conviva decimus narrationem de simio excipiens: Opportunè mones, inquit, ut nemo nostrûm abeat asymbolus, audite simii infelicem exitum. Habitabant unà simius & marina testudo amicissimè, mensámque pæne communem habebant. Invidebatur eis à serpente haec mensæ societas, & tantus amor. Nec aliud quærebatur, quàm nocendi occasio & amicitiæ dissolutio, quæ talis fuit. Febrire cœpit simius, nec pharmacum morbo scivit: serpens, uti catus medicus, accedens & visens ad simium: O hominum, inquit, simillime, tuus morbus sanari se patietur, sed non nisi corde testudinis. Et fortassis si roges, ipsa non negabit affectu in te tam prona. Simius valetudinis amans medicum hoc consilium exposuit testitudini, quæ, uti cata erat, in hunc sensum respondit: Nosci genus testudines cor nostrum non semper nobiscum gerimus; meum certè mihi trans mare est: sed hoc agamus, unà iter faciamus, ego natandi perita tergum sessori tibi præbebo. Ex ordine, & consilio omnia haec facta. Pontum ergo unà ingrediuntur, cúmque jam in medio ferè ponti essent, testudo sessori suo se subtraxit & undis abdidit; miser simius natandi imperitus, qui febrium igni perire horruit, aquâ maris periit. Sed vera turbatæ amicitiæ, imò conjugii concordissimi disturbati historia haec est. Immisit dæmon vetulam in uxorem optimi mariti; quæ primò, uti consilia sua celarentur, rogavit, habere se quod suaderet & moneret. Jussa dicere: Tuus, inquit, vir, ancillam magis, quàm te amat, nec fidem tori servat; hodie empturus est aliquid, non tibi, sed famulæ. Eadem anus alio loco & tempore virum etiam aggressa: Tua, inquit, uxor alios præter te habet conjuges, quos amet, & à quibus ametur. Persuasit & huic mendacium: nam hoc addidit argumenti: Reperies, ajebat, noctu cum novaculâ lectum petentem, & vitæ tuæ insidias struentem; credidit miser. Post haec vetula ad uxorem rediit, &: Si vis, inquit, huic malo remedium invenire, me audi, res facta facillima est; ubi te nocte hac cubitum contuleris, novaculam tecum sumes, novaculam, ajo, non aliud instrumenti genus, & jam dormienti pauculos pilos è barbâ, præcides; ita illum tibi denuo conciliabis, & à turpi amore avertes; credidit etiam misera, & fecit uti suaserat orcinian focaria. Nocte illâ maritus se in lecto composuit, & somnum, imò & ronchos simulavit: tum mulier pilos barbitii præcisura novaculam expedit, cùm maritus vigil & paratus: Hîc ego te, inquit, deprehendo scelus: tun' vitam mihi eripere? quin ego stylum verto, & hac ipsâ novaculâ animam tibi statim extorqueo: sed differo manus violentas, &c. tandem certè, etsi serò, fraus impurissimæ vetulæ deprehensa, & conjuges in amorem reconciliati.

Undecimus:

Vide igitur, cui fidas, ait conviva undecimus.

A Aliud sæpe linguâ promptum, aliud ore clausum tenemus: arcana pectoris detegere rarum, nam quandoque etiam noxium est. Atque ut & ego meam dem symbolam, gladiatoris illaudabilem astum attendite. Lanista fuit, qui nihil ita faciebat exactè, quin posset, si vellet, exactiùs; nec discipulis omnia suæ artis mysteria pandebat, quin sibi, quod solus sciret, reservaret. Habuit hic è tyronibus audaciorem aliquem, qui adeò sibi in eâ arte profeciisse visus est, ut magistrum vel æquaret, vel superaret. Quare experiundæ arti suæ, magistrum provocat ad duellum, idque de capite. Pacta conventa erant, licere uti quibuscumque quis posset artis arcanis; progrediuntur. Diu ventilant pro more: tandem & congrediuntur. Jámque magister tironi imminens: Atqui, ait, non ita convênit inter nos, ut mihi cum duobus certandum sit. Discipulus malè cautus respicit, ecquis à tergo adjutor sibi adstet. Hîc magister occupat, & gladium vi librans in caput, quâ potest mole intorquet, sternitque miserum cum hoc dicto: Den Streich hab ich dich nit gelehrt. Augustæ Vindelicorum præsigniores duo gladiatores erant, quorum ille Philipp Käßlin, iste Hanß Kühlin audiebat: ille Drusiano gladio (im Rappier) iste machærâ (im Schwerdt) pugnabat. Uterq; eodem ludo sauciatus est non perfunctoriè: cúmq; è palæstrâ descendissent, populus è re jocum faciens clamavit: Daß Käßlin hat man gestochen/ vnd das Kühlin geschlagen. In alienum corium ludere, perfacile.

Gladiatoris consilium malignum percensetur.

B

Duodecimus: Ingenium furis non spernendum narrat.

Duodecimus conviva demum: Semper ego auditor tantùm? inquit. Ut noveritis etiámnum mihi constare memoriam. Primus vestrûm quandoque vulpi deesse astutiam; Alter, philosopho scientiam; Tertius, convivatori lautitiam; Quartus, chrysopœio aurum; Quintus, ægrotanti corvo memoriam; Sextus, patibulandis nonnumquam non defuisse lætitiam; sed deesse, ajebat Septimus, iracundis prudentiam; Octavus, Anachoretis tironibus experientiam; Nonus, simii vaframentum; C Decimus, simii infortunium; Undecimus, gladiatoris consilium malignum percensuit; addam ego furis ingenium non spernendum. Mens omnium nostrûm, ni fallor, erat, hoc adstruere; cùm plurimum ubique soleat desideri, huic convivio nostro nil deesse, in modimperatoris nostri liberalitate nihil desiderari posse. Sed ne mea desint symbola, de Mercurii alumnulis hæc accipite. Ferunt in terrâ Italiâ furem fuisse præclustrem, qui ipsum suum magistrum, furúmque omnium antesignanum Mercurium, aut Mercurii filium in arte hac vinceret. Erat is probè doctus occultè tollere, clàm surripere, milvinis unguibus quidquid attrectasset, suum facere:

Martialis lib. 8. epigram. 59.

Nec fuit Autolici tam piceata manus.

multas ille domos jam expilarat, plures crumenas exenterarat, fortunam denique ubicumque reperiebat, amabat; manus nusquam apud se habebat; dixisses illum apud veteres Ægyptios natum, qui furta omnia licita sibi fecerunt, & impunita; aut etiam apud Lacedæmonios, sobrios illos & acres viros, apud quos jus atque usum furandi fuisse dicunt; idque à juventute eorum (Gell. l. 11. cap. 18.) Talis & iste, dignissimus sanè, qui tandem prealtæ crucis candidatus fieret, in sublime tolleretur, & in longissimam litteram extenderetur. Sed vivebant adhuc in homine melioris animi igniculi, & necdum omnes ille monentis conscientiæ extinxerat: ita homini religio incessit, ut subitò vellet vitam in melius mutare, furatinam desinere, impiatum animum ab omni noxiâ seriò emaculare. At multa erant, quæ ultro currentem jam incitarent, jam & revocarent denuo. Ecquid enim, ait ille secum, hunc ego familiarem carnificem & domesticum tortorem, ecquid hos ego inferos circumfero, stimulantem usque & usque conscientiam? vulturem intra me pasco; unâ hunc ego exomologesi jugulavero. Sed quid dicent, imò quid dicet venter esurire indoctus? & quid tandem dicent hæ manus non ligonibus

D

gonibus insuetæ sed furtis? Ergo æternùm sic crucier,& vivus adhuc tartari pœnas tolerem ? finiam tandem quotidianam hanc lanienam,& quidquid tot annis noxarum malè contraxi, dieculâ unâ,imò horulâ unâ bene diluam; obsirmo animum, & templum peto. Bonæ cogitationes istæ, conatus fuerunt boni, modò fuissent etiam diuturni: quid enim consceleratum animum juvat expiasse,si eadem statim piacula repetas? Templum ergo addit quærendo sacerdoti,apud quem vitam priorem omnem recenseret, & unâ confessione se eximeret à culpa omnium scelerum. Amavit hominem fortuna, quem aliàs semper (uti & fortunam homo) & primo ingressu aspectúque sacerdotem offert:crederes ad hoc eò jussum ire, nec ab aliis id temporis occupatum. Lavernio,prout assueverat, pensili gradu ad sacrum tribunal perrepit,ingeniculat, frontem notat demum & narrare orditur longos annales, atque à primis retro annis omnem vitam retexere: sed & gemitus addere, altiùs subinde suspirare, pectus etiam tundere,omnia demum facere pro more seriò resipiscentium. In sesquihoram pæne utrimque disceptatio hæc tenuit. Sacerdos multa monere, terrere, rogare; summum tribunal, ima tartara, & vicinium mortis proponere; ille ad omnia ingemiscere, emendationem promittere, denique omnium scelerum veniam accipere: interea dum res longiùs extrahitur, tabellio in hanc ipsam ædem sacram è viâ divertit, & occasionem nactus tam commodam purgandi animi, hastulam viatoriam ad confessarii sedile adclinat, & egressurum illum præstolatur, securus furti ob tantam loci religionem.Manticularius jam sceleris omnis purus, post ultima sacerdotis verba lætus & alacer surgit imperata facturus. At,ô consuetudo prava,quantum tibi vitium est in humanos mores! loco ille nondum abierat, cùm hastulam videt politam, & affabrè factam: mox oculum, dein & manum injecit, & ubi priùs omnia celerrimo oculorum rotatu circumspexit: Quod Deus fortunet, inquit, sic vitam novam ordior *(à Dio, che mi faccia ben commenciare una vita nuova)* & cum dicto è templo perniciter ad notas sibi latebras evolavit. Nimirum hoc est proficere, qui anteà fur tantùm fuerat, jam & sacrilegus esse didicit.

Huic subjungo supparem. Fur non tantùm viscatæ manûs, sed & ingenii fuit festivi. Hic in æde amplissimâ multum circumspiciens, aliud non vidit, quàm sui principis, Mercurii,statuam; quam aggressus: Memini, inquit, me etiámnum puerulum in scholis sæpe audire, à discipulo quandoque superari magistrum: tu mi optime Mercuri, facunde nepos Atlantis, meus quidem præceptor fuisti, sed da veniam,& patere,ut præceptorem vincat discipulus. Dixit, & statuam abripuit. His & istud addo. Affirmavit fide dignus hoc sibi factum quod narraturus,pro percepto liquere. Audierat caupo quispiam ex hospite suo: die crastini, seu extremo noctis, antequam dilucularet, Coloniam iturum in mercatum:Et rectè est,inquit,comes ero. Paciscuntur ergo de horâ, quâ ut expergefiat, impensè rogat hospes, aut fur potiùs. Interea clàm vaccam subducit, & in viâ aviâ arbori alligat; rediit ad cauponam, & manè cum caupone surgit, initóque iter. Venitur ad locum ubi furtiva vacca latitabat: hîc diversitoris comes; Quæso te, inquit, pedetentim procede, in proximo pago mihi negotii quid est cum debitore rustico. Caupo ergo solus progreditur. Mox assequitur alter cum vaccâ; &, me miserum,inquit, pro pecuniis optimâ fide datis,en vaccam recipio vix ossibus hærentem. Caupo contrà bovem dilaudans: Nisi, inquit, ipse heri vaccam meam stabulo concluisissem, hanc ipsam esse jurarem, adeò ex toto illi similis est. Veniunt Coloniam. Furi in foro boario,à quo sæpe inemptas pecudes abegerat, conspici tutum non erat; rogat ergo cauponem socium, faceret sibi hanc gratiam,atque dum ipse majoris momenti negotium curaret, vaccam illi venderet. Non recusat alter, vendit bovem, pretium expectato majus bonâ fide refert. Ad quem manticularius: Te hominem, inquit,fidum & plenum officii! cape tibi hanc rei venditæ partem: simul aureum protulit; & quia (addit) majus quàm vel exigere vel speram pretium poteram, è bove recepi, unà prandeamus: de rationibus tibi nulla cura sit; atque quò prandium lautius instruamus, duas ego assas gallinas præstinabo è proximâ publicâ coquinâ, ubi horum opsoniorum & varietas & vilis annona est: huic rei, quæso, tu bona hospita duas mihi stanneas lances præbe,& ne quid gestem pateat,pallium tu tuum mihi injice. Promptos habet & obsequentes illa discos, iste mantelum aptat furi,imò donat. Abit fur lætus tam opimis spoliis: interea cauponis filiola adest præ foribus, parenti nuntiatura, bovem noctu à fure abactum. Ad nuntium caupo exterritus,ait: Da schlag der Teuffel zu/& mox nequissimam vafritiem sui comitis advertens: Ego ipse, inquit, rem meam vendidi. Interea gallinæ assantur, sed plumæ illas alio avexerunt, unà cum suo Mercurio. Ita nec pallium, nec gallinæ, nec fur hactenus redierunt.

De Mercurio dixi, num & de Mercatore addam? Cunctis annuentibus: Erat Mercator,inquit,auri,ut fit, quàm templi amantior, rerum dives, virtutum egenus. Hunc conjux identidem monere instituit: rem divinam cordi haberet, non forum usque & usque & usque solum forum, sed & templum frequentaret. A Deo & divinis rerum omnium principium esse capiendum; à cælo potiùs expectandos esse thesauros, quàm à pelago. Hanc surdo fabulam occentarat sæpius, numquam tamen emendari potuit contumax consuetudo; nec tamen destitit pia mulier domi concionari marito, qui nollet conciones audire in templo; identidem monens infelicissimum futurum,si pergeret obstinare. Tandem, tandem è silice isto pietatis scintilla excussa est,&: Quid inquit, toties molesta es? non licèt abesse foro, sine rei nostræ certo dispendio. Sed hoc agamus, ego forum pro me & pro te, tu templum pro te & pro me adito. Sic opere partito rei familiari curabimus, divinam tamen non negligemus. Consilium videbatur non adeò improbum. At at vicariâ pietate cælum mercari, juxtà putes ac sine alis volare. Nocte ergo proximâ visus est sibi mercator iste ad tribunal in aëre situm citari unà cùm conjuge. Ut primùm ante Judicis conspectum factus est, omnia in judiciorum formam composita, formidinem accenderunt. Stetit accusator, & dixit,firmârunt testes, sedit Judex inadulabilis, contráque improbos immisericors; sententia demum lata est in divortium mœstissimum:nam uxori cælum, ut quæ illud unicè ambiisset, addictum est, tartarum marito. Neque mora, uxor stellato calle,ad gemmatum palatium tendere, jam & ingredi: hîc miserrimus maritus ad fores exclusum se miseranter ejulare, & postulare admitti; cùm palatii illius janitor: Abi, ait, mi homo; uxor tua pro se, & pro te huc ingressa est; tu ad inferos pro te, & pro illâ nunc abi. Rediit miser post severum hoc somnium ad se,& ad vitam meliorem.

Sed ego hîc,Faustine, manum de tabulâ. His talibus, hic quem cernis liber, plenus est. Innumera sunt hujus farinæ,quæ in sales meos excerpsi. Ista verò in specimen recitavi, in quæ primò incidi. Et ne prolixior narratio foret molesta, convivis assignavi has facetias exponendas. Sed numquid & partem Indicis in hos Sales videre cupis? Litteram ex ultimis Alphabeti litteris do istam, hactenus non monstratam.

Via ad inferos qualis.
Vrsina pellis ante captum ursum vendita.
Vxor mala, malum inemendabile.
Valetudo regi à stulto restituta, principi à simiâ.
Vinum aquâ submersum.

Vinum Iovi Servatori mixtum.
Vini Vis admiranda.
Venalis sapientia philosophi.
Varietas placet.
Vivus interrogatus num viveret.
Volantes homines.
Vxores viris imperant.
&c. &c.

Hæc, Faustine, de jocis salibus, facetiis excerpendis, aut annotandis dixerim. Tu verò probè memineris, me parte hac tertiâ de singularibus industriis agere; quas hac formâ adhibere, fortasse non cuivis promptum. Muneris istius est, quod ego mihi sumpsi, monstrare omnigenos enotandi modos. Capiat, qui potest, & in rem suam trahat.

CAPVT III.

Tertia singularis industria:

EPITOME *in Cæsarem Baronium, T. Livium, Corn. Tacitum, Suetonium Tranquillum, C. Salustium, Q. Curtium, Iulium Cæsarem, Ann. Senecam, utrumque Plinium, Iustum Lipsium, alios complures.*

Tertia pro excerptis singularis industria:

EVLOG. Aliam tibi hîc industriam, sed singularem, sed meam monstro. Vis imitari? non veto, imò & juvo. Eminentissimum scriptorem, Cæsarem Baronium hîc tibi propono, cujus duodecim volumina de Rebus Ecclesiæ sedulò lustravi. Lectio prolixa, fateor, nec omnium est. Ideo Henricus Spondanus duodena illa Annalium Ecclesiasticorum volumina in unum sed grande contraxit. Evolvi & hoc singulari curâ atque industriâ, & inde singulorum annorum epitomen excerpsi, quam uno alterove die totam facillimè possim relegere, & pleraque memoriæ mandare. Inde notitia rerum gestarum per duodecim centurias sæculorum. Et en paradigma annorum aliquot è primis, mediis, ultimis.

Et paradigma.

JESV *Christi annus* 1. *Augusti Imp.* 42.

Circumcisio Christi, Calendæ Januariæ expiatæ. Christus sub Quirino descriptus. Magorum adventus: Quinam ii fuerint, quando fuerint: Fuisse reges. Error de biennii morâ refutatus. De Stellâ. Epiphaniæ festus dies. JESVS in templo oblatus. JESVS in Ægyptum ductus. Memoria eorum, quæ de JESV in Ægypto. De Infantibus, Herodis jussu jugulatis. Infantes Martyres. De nece Zachariæ.

Christi annus 8. *Augusti Imp.* 49.

Herodis horrendus morbus & exitus. Archelai regnum. Palæstinæ in Tetrarchias divisio. JESVS in Palæstinam reducitur.

Christi annus 600. *Gregorii M.* 11. *Mauritii. Imp.* 18.

Romilda Agilulphi Ducis defuncti conjux, impudicitiæ ac proditionis suæ dignam accepit mercedem, palo publicè infixa. Chajanus rex Avarum Pannoniam & Thraciam vastans, jámque Constantinopoli imminens, Mauritio Imperatori captivos nummo uno viritim redimendos offert. Recusat Imperator hoc lytrum persolvere. Neglectus impius, qui tot insontes vili pecuniâ redimendos, passus est perire. Inter legatos regios Phocas centurio paullò liberiùs Imperatorem allocutus, & ob id à patriciorum uno alapâ percussus, occasionem nova moliendi arripit. Gregorius Mediolanensi Antistiti regem eligendi dat privilegium.

Mauritius Imp. recusat captivos nummo uno viritim redimeret

Christi annus 602. *Gregorii M.* 13. *Mauritii* 20.

Romanos Deus per Longobardos plectit. Tergestinus Episcopus Schismaticus, ad Ecclesiæ concordiam redit. Mauritium Imperatorem facti pœnitet, quòd captivos non redemerit. Ostenta necis suæ accipit. Philippicum sororium in suspicionem trahit, cùm præscierit, ut ajunt, ab eo se occidendum, cujus nomen à gemina tâ litterâ PH. inchoaret. Ergo ad omnes Orientis Patriarchas & religiosos viros epistolas mittit, & ab eis preces exposcit. Phocas ad imperium evehitur. Mauritius è fugâ reprehensus unà cum quinque filiis capite plectitur, dum illud inter suorum supplicia, ad singulorum necem proclamat: *Iustus es Domine, & rectum iudicium tuum.* Phocæ jam Imperatoris vultus & mores describuntur.

Facti pœnitet, Ostenta necis suæ accipit. Et capite plectitur. *Psal.* 118. *vers.* 137.

Annus Christi 1196. *Cælestini* III. *sextus.*
Henrici V. sextus.

Episcopus Bellovacensis ab Anglis militiæ capitur. Ejus lorica, quòd arma sibi non tangenda tractâsset, ad Pontificem mittitur cum dicto: Vide an tunica filii tui sit, an non? Ad quæ Pontifex: Non meus, nec Ecclesiæ, nec Christi, sed Martis est filius.

Episcopus Bellovacensis filius Martis à Pontifice renuntiatur.

Annus Christi 1197. *Cælestini* III. *septimus.*
Henrici V. septimus & ultimus.

Henricus V. ad Alexium Orientis Imperatorem Constantinopolitanum, legationem misit acerbissimam, & ab eo exegit sexdecim puri puti auri talenta. Eâ legatione ita concussus est Alexius, ut tributi asperam conditionem non rejiciendam censuerit. Hinc spoliata, tradit Nicetas, templa & cœnobia, suffossa Imperatorum sepulchra, ut imperatum aurum posset colligi. Sed illud tam violèter collectum aurum videre non potuit, qui indicendum jussit Henricus Imperator tunc è vivis exemptus. Qui tamen ante mortem ob rapinas ingemiscens, pium testamentum condidit. Fridericus II. Henrici filius pro patre imperat. Moguntinus Episcopus Armeniæ regem coronat, &c.

Ob eractionem Henrici V. templa spoliata & Impp. sepulchra ab Alexio.

Hoc pede progressus à primo Domini JESV anno ad hos ultimos, & subinde quædam, quæ mihi visa notatu digniora, liberaliùs excerpsi. Nec operæ pœnitet. Nam ista, mihi crede, ingens præbent lumen in omni genere studiorum. Ita Annalium veteris Testamenti ex volumina, quæ Jacobus Salianus Societatis JESV Theologus perquàm limato sanè judicio scripsit, in notas meas redegi & excerpsi, quæ mihi videbantur fore usui. Addo, ne quid te fugiat: Salianus à protoplastis ad usque Christum, non solùm sacram omnem historiam priscæ legis accuratione summâ persequitur, sed eâdem occasione profanæ historiæ Græcæ, Romanæ, Barbaræ, & alterius cujuscumque primaria capita, & quidquid demum ab Orbis originibus ad Christi natalem memoratu aut scriptu dignum est gestum exactissimè docet; signatis unà temporibus, quod historicorum plerique neglexêre, in rem tantùm intenti. Saliani sex libros memoriâ utcumque complecti, est omnem veteris historiæ seriem & mysteria callere. Hic unus ad omnem eruditionis historicæ notitiam sufficeret. Neque hujus operæ me piget.

Eodem modo Titum Livium rei Romanæ facundissimum scriptorem legi, nec omisso verbulo, non re solùm, sed & phrasi ac sententiis enotatis. Ita omnes historiæ Livianæ libros in meum succum & sanguinem verti, paratus exhibere quavis horâ cujusque libri compendium. A Livio decades tres cum dimidiâ, seu libros quadraginta quinque accepimus. Presso pede singulos evolve. Et en quadragesimi quinti strictissimam epitomen.

E libro 35. *Livii, aut* 45. *Nam Decas secunda periit.*

Romæ in circo nullo auctore ingens exorta est lætitia.

1. Romæ subitò ingens exorta est lætitia in circo, nullo ejus auctore. Tandem Romanus Consul litteras laureatas accipit, Perseum regem à Romanis esse victum.

ctum. Hîc festivissimus populi unà spectantis clamor & applausus maximus. Templa urbe totâ refertissima, dum pro se quisque privatim Diis gratias meminisse studet. Deinde supplicationes publicæ quinque dierum ad omnia Deorum pulvinaria decretæ; hostiis majoribus litatum.

2. Æmylius Consul visis Persei tabellis, illacrymavit dejecti fato. Quia tamen Perseus se regem in illis appellare non omisit, eorum nihil, quæ peteret, impetravit. Deinde frustra latebras & fugam in templo quæsiit. Romanis demum se dedidit, in castra Romana venit. Oratione Consulis de fortunæ perfidiâ humaniter, sed lacrymans exceptus est. Hic finis belli per quadriennium cum Perseo gesti.

3. Popilius Romanæ curiæ legatus Antiochum regem virgâ suâ, quam manu gerebat, circumscribit, & jubet priùs responsum reddere, quàm circulo excederet.

4. Masgaba Masanissæ filius miram suo parenti benevolentiam conciliat. Munera ei, omnisque sumptus, quoad in Italiâ fuit, publicè præbitus. Sacrificatum in foro Romæ quinquaginta capris ad expianda prodigia. Legationes de victoriâ gratulantium auditæ, Rhodiorum rejectâ. Elegans Rhodiorum oratio, unius aut paucorum crimen, non omnium esse faciendum. Post orationem omnes procubuerunt, & supplices jactarunt oleas. Rhodii nec hostes judicati, nec socii.

5. Descriptio locorum & urbium quarumdam Græciæ. Duobus ob bellum Macedonicum, triumphus est decretus, L. Paulo Æmylio meritissimo negatus. Actum pro illo prolixâ & admodum disertâ oratione, denique cicatrices corporis aliáque vulnera pro salute Reipublicæ excepta, sunt ostensa. Tandem & Paulus triumphavit, & Perseum regem cum tribus filiis ante currum duxit, sed triumphi lætitiam cognata duo funera temerârunt. Duos habuit Æmylius filios; mors unius, patris triumphum præcessit, alterius secuta est. Ipse pater laudatissimè oratione ad populum dixit.

6. Rex Prusias Romam venit, ubi victoriam Macedonicam gratulatus in Capitolio sacrificavit, & Nicomedem filium senatui commendavit. Dicitur & limen curiæ osculatus, senatores autem suos servatores appellâsse. Lustrum à Censoribus conditum, ait Florus in suâ epitome. Censa capita civium trecenta & duodecim millia octingenta quinque. Ego in Livio de his nihil reperio.

Hæc ego ante annos pæne quadraginta, meo bono subnotavi: & quod in hoc quadragesimo quinto seu ultimo Livii libro, id etiam in primo, id in omnibus observavi, eò connisus, ut non rem solùm, & historiam ptiscam condiscerem, sed ne phrasim & sententias negligerem, de quo paullò pòst. Sed hîc etiam istud probissimè tene, meliores ac notiores hos auctores non tantùm in compendium dicto modo redigendos, sed historias selectiores ex iis in tua Historica ita excerpendas, ut non ad verbum ea exscribas, sed ut lemmate posito, prout superiùs dictum, succinctè rem enotes; addito auctore, libro, capite, paginâ.

Quod autem in Livio, hoc in Senecâ, Tacito, Suetonio, Salustio, Curtio, Cæsare, utroque Plinio, scriptoribus Augustæis, Ælio Spartiano, Julio Capitolino, Ælio Lampridio, Vulcatio Gallicano, Trebellio Pollione, Flavio Vopisco, & quibusdam recentioribus sacris & profanis legendis feci. Et en Notas Livianis simillimas. Ideo ne frustrà hîc moremur, ad Justum imus.

Justus Lipsius eximii vir judicii, eruditionis summæ, & rex in mansuetiori maximè Musarum regno, ut suprà demonstratum est, libros scripsit plurimos, quos ordine recitavi. Horreat lecturus Lipsium, tam copiosæ scriptionis molem. Ego etiámnum juvenis, tibi uni Faustine hoc dixerim, quem nil celare possum, omnes Lipsii libellos & libros perlegi ad verbum, nec syllabâ dimissâ, idque singulari studio & curâ. Nulla scriptionum harum me præteriit, quin eam redigerem in meam epitomen. Hinc natus mihi liber meâ manu scriptus, seu, idiographus, neogracilis, & in eum simul liberalis index. Nec impensi me laboris umquam pœnituit. Hinc mihi (præfiscini & venià tuâ dixerim) antiquitatis eruditæ multa notitia. Hinc ego plurimùm sæpissimè adjutus sum, & etiámnum crebriùs in hac Lipsianâ domo diversor, non styli, (quem nemo imitari poterit, aut volet, nisi affectatio imprudens) sed eruditionis caussâ, quam copiosè suggerit. Atque hæc etiam usa è meis olim industriis fuit. Affirmo sanctissimè: Usumfructum ex iis omnibus tuli uberrimum. Hæc Faustine, non sunt, ut equi ad præsepe, qui quò numerosiores, hoc plures & ampliores avenæ agros demetunt. Hæc talia scripta sine impendiis ullis hospitantur: nec odium laxitatem quærunt; exiguis forulis tutò latitant. Sed esto industriarum talium mihi hactenus vix ullus fuerit usus, id tamen inter maxima emolumenta numero, Tempus non perdidisse.

CAPVT IV.

Quarta singularis industria:

Duplicis ordinis, profani & sacri, Excerpta.

IAm suprà parte secundâ, capite tertio, universè tres statuimus classes, in quas omnia, quæ sedulo lectori veniunt enotanda, referri possunt. In tres istas classes, tam sacra, quàm profana diximus conjicienda: neque revocabimus dicta. Sed singularem hîc industriam monstrabimus. Imitetur, qui volet, nihil hîc suademus; imò potiùs dissuademus, præcipuè juveni laboris impatienti.

4. Singularis industria pro excerptis tam profanis quàm sacris.

Ergo *Lemmata*, *Adversaria*, *Historica*, omnem Excerptorum materiem recipiunt; sacram, profanam. Ego tamen tres classes illas in Notis meis geminavi, statuique Lemmata sacra, & Lemmata profana; Adversaria sacra, & Adversaria profana; Historica sacra, & Historica profana: ita his sex uplices quoque indices adjunxi. Discrimen & quidem maximum inter profana & sacra, inter politica & spiritualia, vel heri natus infans norit. Verbi gratiâ: Alterius certè generis est, quod Tacitus de Nerone, & quod Lipomanus aut Surius de Hilarione memorant: profanum illud, hoc sacrum est. Idem de innumeris aliis sentiendum. Nec magni laboris est, quid sacrum, quid profanum sit, discernere; sed laboris non parvi est, utrumque in diversas classes excerpere. Nam si *Historica* non geminatam, sed unam tantùm classem constituant, tunc quidquid historiæ de Nerone, Hilarione, ac ipso Christo, &c. enotare lubeat, ad Historica, unicam classem illam reduces. Idem de *Lemmatibus* & *Adversariis* judicandum. Trigeminam ergo hanc classem meo consilio non multiplicabit, qui se labori imparem judicaverit. Præstat curare unum rectè, quàm duo malè. Hanc autem industriam, mi Faustine, censui aperiendam, ne tibi, quem ut alterum me complector, quidquam in his mysteriis tegerem. FAVST. Hunc tuum in me affectum exosculor, Eulogi, sed ne quid amittamus diei, tu, quantis potes, passibus perge. Omnes ego loquendi vices in mensam differo. Hodie nec mutum me habebis, nec abstemium convivam.

Methodus.

CAPVT

CAPVT V.

Quinta singularis industria:

Loci communes soluta ac ligatæ orationis.

5. Singularis industria pro excerptis: Loci communes.

TRes ordines Excerptorum tribus libellis Lipsius, ut suprà demonstratum, comprehendi voluit: Primus ei, *Formulæ*; alter, *Ornamenta*; tertius, *Dictio*. Ego pro his tribus libellis, *Locos communes* substitui, sed duplicatos. Primum ordinem orationi pedestri, equestri alterum assignavi. Orationem prosam omnem his titulis complexus sum.

1. Virtutes.
2. Vitia.
3. Missæ, doctrina, litteræ, eruditio.
4. Divitiæ, paupertas, servitus.
5. Honor, ambitus, tituli, dignitates, genus, prosapia.
6. Corporis bona malaque deformitas, vires, imbecillitas; juvenilis, senilis, &c. ætas.
7. Labores, pericula, forum, judicia, causæ, lites, leges, Jura.
8. Vestes viles, pretiosæ; & quæ ad has.
9. Contemptus, cavilli, calumniæ, dedecus, infamia.
10. Doli, fraudes, vaframenta, simulatio, dissimulatio, audacia.
11. Artes variæ, Musica, Geometria, Pictura, &c. etiam sordidæ ac mechanicæ; item exercitationes, venatio, piscatus, aucupium.
12. Amor, odium, amicitiæ, inimicitiæ.
13. Loca amœna, silvæ, fontes, viridaria, horti, diætæ, porticus, ædificia.
14. Cibus, potus, disci, pocula, mensæ.
15. Montes, flumina, maria, pagi, oppida, urbes, provinciæ, regiones, regna, terræ.
16. Luxus, convivia, acroamata, balnea, recreationes, lusus, voluptates.
17. Mors, morbi, funera, luctus, dolor, sepulchra, epithapia.
18. Dii, genii, sacrificia, ceremoniæ, juramenta, cultus divinus.
19. Theatrum, scenæ, gladiatores, spectacula, pugnæ, militia, bellum.
20. Tormenta, quæstiones, cruciatus, pœnæ, supplicium.
21. Cælum, inferi, elementa, partes anni, sidera.
22. Tempus, numeri.
23. Fortuna secunda, adversa, nuptiæ, triumphi, pompæ.
24. Statuæ, colossi, arcus, trophæa.
25. Populorum varii ritus.
26. Formulæ loquendi, laus, commendatio, vituperatio, execratio, gratiarum actio, &c.
27. Miscella.

Cur his titulis adjungitur Miscellæ titulus.

Miscella eo fine adjunxi, ut si quid forsan occurrat, quod in nullam priorum classium videatur commodè referri posse, ad hanc ultimam, *Miscella*, duceretur, ne quid uspiam notatu dignum hospitio excludatur. Hos ipsos communes locos, quos orationi solutæ, eosdem etiam ligatæ attribui. Vis hujus inductriæ paradigma? E viginti septem locis communibus, unicum nec totum exhibebo, sed qui ad ævi nostri mores sit. Ingens hac tempestate titulorum insolentia est, & confusio. Incrementis illi mirandis augent. Jam etiam imi subsellii viros, & strenuos, & nobiles, ac prænobiles, illustres, perillustres, gratiosos compellamus. Quò demum altitudinis pertingent? Bernardi ævo licebat dicere: *Domine Papa.* Tu jam de ceteris conjecta. Sed ad lineam. E locis communibus en tibi quintum.

5.

Honor, Ambitus, Tituli, &c.

Honorum insignia. Dona ampla data, quæ ferrent regi; vasa aurea, argenteáque; toga purpurea, & palmata tunica cum eburneo scipione, & toga prætexta cum curuli sellâ, &c. Livius l. 31.

Honorum gradus. Jam minora sperni, nec per honorum gradus documentum sui dantes nobiles homines tendere ad consulatum, sed transscendendo media, summa imis continuare. Livius lib. 32.

Honoris avidi. Probentur nunc cujuslibet gloriæ cupidi, qui ex desertis montibus, myoparonúmque piraticis rostris *, laudis inopes, laureæ ramulos festinabundâ manu decerpserunt †. Valer. Max. l. 2. c. 8. med.

* Lembis. †Lauream in mustaceo quærere.

Honoris fuga. Adrianus Cæsar, cùm triumphum ei senatus, qui Trajano debitus erat, detulisset, recusavit ipse, atque imaginem Trajani curru triumphali vexit, ut optimus Imperator ne post mortem quidem triumphi amitteret dignitatem. Patris patriæ nomen sibi delatum, statim, & iterum posteà, distulit; quòd hoc nomen Augustus serò meruisset. Idem, titulos in operibus non amavit, & cùm opera ubique infinita fecisset, numquam ipse, nisi in Trajani patris templo, nomen suum scripsit. Ælius Spartianus in Adriano, mihi pag. 5. & seqq.

Saturnini declinâdo imperio sententia.

Saturninus declinando imperio: Nescitis amici, ait, quid mali sit, imperare. Gladii & tela nostris cervicibus impendent; imminent hastæ undique, undique spicula, ipsi custodes timentur, ipsi comites formidantur: non tibus pro voluptate, non iter pro auctoritate, non bella pro judicio, non arma pro studio. Adde, quòd omnis ætas in imperio reprehenditur. Senex est quispiam? Inhabilis videtur; sin minùs, inest furor. Nam, quòd imperatorem me cupitis, in necessitatem mortis me trahitis, sed habeo solatium mortis: solus perire non potero. Flavius Vopiscus, mihi pag. 362.

Maximus honor, manibus portari. Alexander Severus Imperat. post Artaxerxem Persicum regem devictum, jam palatium Romæ conscensurus, levabatur manibus omnium, vixque illi per horas quatuor ambulare permissum est, undique omnibus clamantibus: Salva Roma, quia salvus est Alexander. Ælius Lamprídius, mihi pag. 201. Ubi plures ejuscemodi honorificentissimas acclamationes vide.

Tituli negati. Darius Persarum rex ad Alexandrum litteras dedit, quibus ut superbè scriptis vehementer offensus est Alexander. Præcipuè eum movit, quòd Darius sibi regis titulum, nec eumdem Alexandri nomini adscripserat. Contrà Alexander in hunc maximè modum rescripsit: Et vincere & consulere victis scio. De cetero, cùm mihi scribes, memento non solùm regi te, sed etiam tuo scribere. Curtius lib. 4. c. 1. mihi p. 65.

Tituli vanissimi, Regis Bisnagensis: Sponsus bonæ fortis, magnarum provinciarum Deus, regum potentissimorum Rex, omnium equitatuum Dominus, Magister & Doctor loqui nescientium, trium Imperatorum Imperator, omnium, quæ videt, Conquisitor, conquisitorum Conservator; quem octo mundi partes metuunt & formidant; exercituum Mahumeticorum Destructor, omnium provinciarum, quas subegit, Dominus, Eques, cui nemo par, & fortissimorum quorumque Debellator, &c. &c. Face opus ad hunc titulum, adeò longum. Plura subnectit Petrus Jarricus, tom. 1. de rebus Indicis, lib. 2. c. 20. mihi pag. 653. Ita Sapor Persarum rex ad Constantinum Imper. epistolam dedit, quam sic exorsus est: Rex regum Sapor, particeps Siderum, frater Solis & Lunæ, Constantino fratri meo salutem plurimam dico. In objurgandâ titulorum vanitate hunc facilè diem possim sepelire, si solas modò has notas meas consulam.

Sed

Sed satis est paradigmatis; nil addo. Innumera talia in hôsce, quos dixi, communes locos digessi. Tu jam & meam methodum, & puto illius usum cernis; ut sequaris, nec impero, nec veto. Ingenia meliora, ideóque superbiora, da veniam verbo, ductrices manus facilè aspernantur. Natare volunt, sed suo cortice. Nihil hoc contra me. Ego nihilominus fine meo potior, dum ingenuè ostendo, unde me putem aliquid in litteris promovisse. Sed addo hîc brevissimum orationis etiam ligatæ paradigmation. Sumamus geminum priori.

5.

Honor, Ambitus, Tituli, &c.

Honor, occasio ruinæ.

Quid Crassos, quid Pompeios evertit? & illum
*Ad sua qui domitos deduxit * flagra Quirites?*
Summus nempe locus nullâ non arte petitus,
Magnáque numinibus vota exaudita malignis.

Gloriæ miserabilis cupiditas.

Bellorum exuviæ, truncis affixa tropæis
Lorica, & fractâ de casside buccula pendens,
Et curtum temone jugum; victæq; triremis
Aplustre, & summo tristis captivus in arcu †
Humanis majora bonis creduntur: ad hoc se
Romanus Graiúsque ac Barbarus induperator
Erexit: causas discriminis atque laboris
Inde habuit: Tantò major famæ sitis est, quàm
Virtutis. Quis enim virtutem amplectitur ipsam
Præmia si tollas? patriam tamen obrue olim
Gloria paucorum, & laudis titulique cupido
Hæsuri saxis cinerum custodibus.

——— *Deus immortalis haberi*
Dum cupit Empedocles, ardentem frigidus Ætnam
Insiluit a.

Honorum sterilis vanitas.

Expende Hannibalem, quot libras in duce summo
Invenies? hic est quem non capit Africa Mauro
Percussa Oceano, Nilóque admota tepenti.
Exitus ergo quis est? ô gloria! vincitur idem
Nempe, & in exilium præceps fugit, atque ibi magnus
Mirandúsque cliens sedet ad prætoria regis,
Donec Bithyno libeat vigilare tyranno.
Finem animæ, quæ res humanas miscuit olim,
Non gladii, non saxa dabunt, nec tela, sed ille
Cannarium vindex b, *& tanti sanguinis ultor*
Annulus c. *I demens, & sævas curre per Alpes,*
Vt pueris placeas, & declamatio fias d.

Hos ego locos communes, tam augendæ rerum supellectili, quàm ornando stylo hactenus adhibendos censui. Favst. Liceat hîc interfari. Quæso te, Eulogi, quomodo tam multa, tam varia legendo potuisti tua facere? nam præter triplicem illam, imò tibi septuplicem classem Lemmatum, Adversariorum, Historicorum, tot insuper Industrias, tot Communes locos addidisti, tot arculas, tot cistulas Excerptis implevisti. Infiniti res laboris est. Evlog. Addidisses: Et quem plerique omnes fugimus. Vide, mi juvenis, annus trecentos sexaginta quinque dies, horarum octo millia, septingentas, sexaginta complectitur: qui esse vult frugi, & temporis parcus, plurimùm leget, multùm excerpet, vel anno unico, qui pæne novem millia horarum submínistrat. Quòd si cœptus labor constanter annis decem, aut viginti, aut etiam triginta perpetuetur, incredibile dictu est, quantum litterariæ hujuscemodi supellectilis congeratur. Tu hoc age, nullam diem, imò horam nullam sine lineâ transmitte, & brevî tuas ipse divitias miraberis. Lentissimè graditur testudo, sed si gradiatur assiduè, itinera etiam bene longa conficit. Assiduitas operis, ingens lucrum temporis. Favst. Sed hactenus à te dicta, Eulogi, pleraque omnia Rem excerpendam spectant. Quid de Verbis ac Sententiis agendum censes? Expecto avidè doceri. Evlog. Hoc pauciſſimis expediam: ne multas hîc præceptiones somnia. Unicam dabo.

CAPVT VI.

Sexta singularis industria:

Verborum & sententiarum excerpta.

Evlog. Non ita pridem apud amicorum aliquem vidi, nec sine risu, grandes tomos verbis & phrasibus excerpendis destinatos. Plus ii habebant chartæ quàm scripturæ. Ad instruendam dictionem, verba meliorum auctorum neutiquam negligenda; enotandæ sedulò phrases, sententiæ, loquendi modi, & quidquid ad ornatum dictionis pertinet. Neque hîc quidquam spernendum: opus tamen ut in aliis, judicio. Ego hac in re ita censeo. Verba rariora, imò & vetustiora, lectiores sententiæ, venustiores loquendi modi, & quidquid ornandæ dictioni facit, gnaviter est enotandum hoc modo, ut unius auctoris verba & phrases in easdem chartas excerpantur; simul sint, quæ ab uno sunt auctore. Neque hic ordinis ratio haberi potest: quæ lectori priùs occurrunt, priùsin notas veniant. His indicem adjungere nimis quàm operosum; imò pæne negem fieri posse. Vicem Indicis erit, suis temporibus sic notata relegere acuendo stylo. Hæc eadem ferè tradens Lipsius: *Phrases*, inquit, *enotari velim, quæcumque insigniores aut nitidiores occurrent. Verba quæcumque rara, nova, aut novo sensu, sive flexu usurpata. In phrasibus dispositionem non video; nisi quòd seorsim eas poni velim, pro discrimine scriptorum: Tullii solas, Plauti & Terentii solas, historicorum solas: quod quisque pro judicio suo aut industriâ facito.* Rem oculis subjicio. Fortè aliquem legis è Livii libris? Hunc ergo titulum præfige chartæ.

6. Industria methodū verba & sententias excerpere docet.

Lipsius in Institut. epist. c. 12.

E Livii lib. 6.

Tot super alia aliis bellis.
Fortunæ in præcipitem locum favore tollit, deinde in ipso discrimine periculi destituit.
Saginat suos ut jugulentur.
Fortunæ loci delegaverunt spes suas.
Postquam utrisque apparuit nihil per alteros stare.
Furem virgâ percuteret.
Quæ societas, aut quænam consortia.
&c. &c.

E Livii lib. 7.

Cælestis iræ placamina.
Impromptus linguâ.
Annuite nutum, numénque vestrum invictum Campani.
Vbi sententiam meam vobis peregero.
Circa collem castellatim dispositos.
&c. &c.

E Livii lib. 8.

Firmissimum longè imperium est, quo obedientes gaudent.
Consulere in victos crudeliter.
Vt ferme fugiendo in media fata ruitur.
Nihil ultrà, quàm ut pœniteret frustra, restabat.
Adversus quæ singula.
Pollutâ semel militari disciplinâ non miles Centurionis, non Centurio tribuni, non tribunus legati, non legatus Consulis, non magister equitum dictatoris pareat imperio, nemo hominum, nemo Deorum habeat verecundiam; vagi milites in pacato, in hostico errent, immemores sacramenti.
Tribuni quoque inclinatam rem in preces subsecuti orare dictatorem insistunt.
Incuriosè factum.
Dictatoris edictum pro numine semper observatum.
Manliana imperia.
&c. &c.

E Livii

E Livii lib. 35.

Clypea inaurata.
Equi, hominésque paculli & graciles. } Hæc rariora.
Ne cunctando senescant consilia.
Initium semper per jus injusta imperandi fieri.
Tabernacula statuere in asperis & inæquabili solo, difficile.
Ex eodem rivo hostes utrimque aquati sunt.
Id primum pro amicis eos facturo, hoc est, ut amicos.

E Livii lib. 36.

Ager palustèr omnis.
Corpora ex somno molliebantur.
Adversantibus asper: ita, si cederes, idem placabilis.
Deprecatos.
Non infabrè suo more factis.
&c. &c.

E Livii lib. 37.

In convivio res erat, & in multum vini processerat.
Neminem fidelius dare posse consilium dixit, quàm eum qui id alteri suaderet, quod ipse, si in eodem loco esset, facturus fuerit.
Eodem armatu.
Veluti cæci super alios alii ruebant. Ita alibi, *alia super alia facinora eduntur: aliarum super alias acervatarum legum cumulus.* Ita *castellatim, pagatim, regionatim, manipulatim.*
Execrabilis desertio juris humani, ad marginandas glareâ vias.
Extraordinarium, Germanitas, Inenarrabiliter.
Servitudinis inconscius. Audaciæ expertæ viri.
Ne litteræ palàm facerent conata. Ita
Vt Persei conatis obviam iret.
Iam antè præmeditatis, hoc est, cogitatis.
Cùm undique conserenasset.
&c. &c.

Hæc Liviana, imò & Tusciana, hæc Latina sunt, quæ imperitior aliquis damnet, ut barbara. Atque has tales voces ideo censeam enotandas, non ut eas in dictionem nostram importunè intrudamus, sed ut ab aliis usurpatas non temere carpamus, alioquin pueri (quod Apelles Alexandro dixit) qui colores terunt, nos ridebunt. Mi juvenis, non facilè quidquam, ut barbarum damna, nisi exploratè nôris id minùs esse Latinum.

Plin. lib. 35. Natur. hist. cap. 10.

Quapropter verba seu rariora & obsoletiora, seu selectiora, sententiæ, loquendi modi unius auctoris, in unum locum congerendi, ut subinde possint relegi. Loco indicis sit relegendi solertia. Nonnumquam tamen sententiæ (quod etiam observes) vel ad Lemmata, aut Adversaria, aut etiam Historica sunt revocanda, ad sibi similem materiam. Verbi gratiâ: Rotundior sententia contra gulam ac voracitatem ad *Historica*, De Fagiolano edone insignissimo spectat. Ita & de aliis loquendum. FAVST. Ergo verba, phrases, nobiliora dicta unius auctoris in unum velut cumulum conjiciam? EVLOG. Sic ajo. Nisi, quod jam monui, opportunum videatur in unam è tribus illis classibus illustre dictum sententiámve reducere. FAVST. Capio hæc. Sed cum Terentio fateri liceat: Unus scrupulus etiam restat, qui me malè habet. In rebus ipsis adhuc hæreo. Quid si valde dubitem, aut planè nesciam, in quam classem aliquid referendum sit? EVLOG. Hîc, obsecro, non fastidiosi lectores simus. Hac in re turpissima est laboris parsimonia. Si valde, ut ais, dubitas, quò quid referas, idem bis tèrve locis diversis enota. Et reverà non adeò infrequens est, ut eadem historia ad Justitiam, & ad Temperantiam, aut etiam ad Religionem dicatur pertinere. Tu nisi piger es, bis tèrve idem excerpe diversis titulis, eò minùs excidet memoriâ. Hoc ego me sæpius factitare memini, præsertim si quid magis placuit, visúmque dignius notatu. Quid obest eamdem, verbi gratiâ, patientis Christi effigiem diverso domûs conclavi, aut domibus etiam diversis reponere? Quid vitii est unâ fidelià duos très ve parietes dealbare? Ita prorsus quid dispendii est unam aliquam lectiorem sententiam, aut rariorem historiam diversis forulis mandare? nec pennæ, nec chartæ, nec laboranti dextræ hîc parcendum. FAVST. Quid si penitus ignorem, quò lectum aliquid referendum sit, quid agam? EVLOG. Hîc singularem docendus es industriam.

Aliquando sententiæ ad Lemmata, aut Adversaria, aut Historica sunt revocandæ, ad sibi similem materiam.

Quid agendum ei, qui dubitat in quam classem aliquid sit referendum.

CAPVT VII.

Septima singularis industria:

Miscellæ eruditionis excerpta.

GEllius, seu mavis, Agellius, quem suprà ad dicendum testimonium citavimus, variam ab aliquibus, & miscellam, & quasi confusaneam doctrinam asserit conquisitam. Hujus conquirendæ industriam te jam docebo. Si ergo, quod ais, legendo vel audiendo tale quid discas, quod videatur in aliquam classem certam referri non posse, hoc age, & præter tres illas, *Lemmata, Adversaria, Historica*, classem constitue quartam, eique præfige titulum *Miscella*. Huc refer, quidquid alibi nil habere loci videtur. Atque ut oculis tuis fidem faciam, quod & in ceteris factum, en librum meâ manu scriptum, qui solam hanc confusaneam doctrinam continet; libro nomen dixi, Olla pauperum. Nam uti opimiores culinæ offam, carnes, olera, pultes in ollam conjiciunt, pauperum ad fores expectantium solatio, ita miscellam eruditionem, in hunc, quem cernis librum, congessi, labore non difficili, utilitate maximâ. Hoc certè penarium in plurimos mihi usus serviit. Hîc reperies comœdiarum, orationum, elegiarum, problematum, scriptionum aliarum ingenti numero themata, hîc Artis & Naturæ miracula, omnigenæ formæ ac materiæ pocula, diversissimi generis parva quæque ac minuta, singularia quædam ab aliquibus numquam facta. Sunt, qui numquam mentiti, alii qui numquam irati, qui numquam jurârint aliqui; non desunt, qui numquam riserint, qui numquam fleverint, qui numquam sitiverint, qui numquam sat cibi aut somni admiserint, nil cocti ederint, è mensâ numquam saturi abierint, numquam litigaverint, numquam laverint, nullas umquam carnes gustaverint, nil umquam vini biberint, dormientes numquam jacuerint. Ita beata Euphrosyna numquam sedere visa, Isidorus nil umquam vestis lineæ gestavit, Or Abbatem nullius umquam sermonis pœnituit, Macarius ex quo salutis fonte tinctus est, numquam humi expuit, Theonas annis triginta numquam locutus est, Joannes Abbas annis quadraginta numquam mulierem, numquam pecuniam vidit, nec ipse umquam comedens, aut bibens visus est: Posidonius numquam ad dimidium diem injuriæ recordatus. Paphnutius annis octoginta numquam duabus tunicis usus, Gaddana toto vitæ tempore numquam sub tecto fuit, Abban numquam cubare; sed vel stare, vel genua flectere consuevit, Acepsimas annis sexaginta neminem umquam vidit, cum nemine sermonem miscuit, Chrysostomus numquam ulli maledixit, &c. Paucos nominavi ex eorum numero, quos hoc nomine in hæc Miscellanea retuli: neque verò auctores tantùm pro singulis testimoniis, sed & librum, caput, paginam adscripsi (tu tuis hoc oculis cerne) ut quodvis, cùm opus, repertu esset promptissimum. Et quæso te, vel hinc disce, quanti & usûs & fructus sit excerpere. Ex his unis tantummodò Notis, in hanc unam vocem, NVNQVAM, velut neglectim collectis, possim reverà librum conscribere singularem. Tanti nihil est negligere, & vel obiter, modò constanter excerpere. Quamvis omnia ista, fateor, quæ in ollam pauperum, seu miscellam eruditionem conjeci, commodè in Adversaria vel Historica referri

Gell. lib. 20. Noct. Attic. c. 11. init.

7. Industria Miscellæ eruditionis excerpta docet.

ferri potuissent. Sed ego, quod scias, hæc Excerptorum compendia principio mei conatûs non sciveram. Eam ob caussam forulos & loculamenta multiplicavi. Ut ut sit, præstat excerpere, quàm omnino negligere, in quamcumque demum excerpas classem. Modò bovem habeas, etsi stabulum bovi tam aptum non habeas. Verùm, ut aliquid etiam paradigmatis sit, ad noscenda rectiùs Miscellanea, sub aspectum dabo pocula. De poculis, quod præfabar, uti etiam de rebus minutis, de hac voce, *Vnum*, innumera excerpsi. In gustulum sint hæc obvia, eáque perpauca.

Pocula. Equulus argenteus inauratus, cujus mentionem facit Cicero oratione Vertinâ 6. Poculum Semiramidis admirandum, cujus pondus quindecim talenta auri colligebat, de quo Plin. lib. 33. Nat. Hist. c. 3. mihi pag. 697. In Minervæ templo Helena sacravit calicem ex electro mammæ suæ mensurâ. Plin. l. 33. Nat. Hist. c. 4. mihi pag. 700. Produnt electri variantia pocula virus. Serenus. Phialæ binæ lacte refertæ, quas Angelus Martyribus propinavit. Cæsar Baron. tom. 2. Annal. an. 262. n. 10. Posthumius Consul Romanus, ubi viginti millia suorum amisit, in silvâ ob incisas Gallorum stragemate arbores, & ipse occubuit: mortuo præcisum caput, calva auro cælata in poculum, quo solennibus litabatur. Livius, Decade 3. lib. 3. seu l. 23. mihi pag. 133. Hoc tamen in nullo indice Liviano reperies: & tu nihilominus fidas indicibus? C. Marius post Jugurthinum, Cimbricum, Teutonicum bellum, cantharo semper potavit, quòd Liber pater post victoriam in Asiâ partam hoc usus poculi genere ferebatur. Valer. Max. l. 3. c. 6. n. 6. Mazagarum regina Cleophes cum magno nobilium feminarum grege, *aureis pateris* vina libantium, processit obviam Alexandro regi, nec veniam modò, sed & pristinæ fortunæ decus impetravit. Curtius, lib. 8. hist. cap. 20. De capaci trium circulorum poculo vitreo vide Zschreden D. Martini Lutheri Francofurti ad Mœnum anno 1576. cap. 80. & ultimo, vom Hoffeben/ mihi pag. 446. Sed erravit typographus: nam esse deberet pagina 445. ordine. Etiam Germanicos, ut vides, à capite ad calcem evolvo, & more meo ex iis excerpo. Ajunt potum ex ursino cerebro confectum, & ex ejusdem cranio propinatum, ursinam rabiem inducere: ita ut is, qui bibit, in ursum se mutatum putet, quidquid cernit, speciem ursorum judicet; in eâ verò rabie perseveret, dum poculi vis fuerit resoluta. Apud Indos ex asini silvestris cornu fit poculum, è quo si quis bibat, eo die à morbo eximius est. Philostratus in Apollonio Thyanæo lib. 3. c. 1. & 10. Poculum ex hederâ, quod Cissybium vocant, conviviis dupliciter aptum; primò, quòd temulentiam arceat; deinde, quòd cauponum fraudes, qui vinum aquâ maritant, deprehendat: tanta est enim aquæ, & hederæ sympathia & amicitia, ut si vasculum potorium è ligno hederaceo fiat, eique vinum aquâ dilutum infundatur, vinum paullatim transfluat, aquâ, quæ fuerat mista, remanente. Plin. l. 16. Hist. Nat. c. 35. mihi p. 358. De B. Lupi Senonensis Episcopi calice, in quem, dum res divina fieret, cælo delapsam ferunt gemmam, Cæsar Baronius in suo Martyrologio die 1. Sept. De vitro D. Benedicti ad crucis signum crepante, Franciscus Haræus die 21. Martii, mihi p. 180.

Poculum ex hederâ, quod Cissybium vocant, conviviis dupliciter aptum.

D. Radbodus Ultrajectensis Episcopus, jejuniis ita exhaustus erat, ut vix ossibus hæreret. Hic carnium & vini semper abstinens, tegendæ sanctitati aquam onyche & auro bibit. Zacharias Lippeloo, tomo 4. die 29. Novembris, mihi pag. 620. In sacris calicibus olim imago erat Christi, formâ pastoris ovem errantem humeris reportantis. Tertullianus l. de Pudicitiâ, cap. 10. mihi pag. 1102. Fortè, inquit, patrocinabitur pastor, quem in calice depingis, de quo nihil libentiùs bibas, quàm ovem pœnitentiæ secundæ. De eodem, cap. 7. hoc ipso libro, mihi pag. 1199.

Rex Merciorum Withlafius scyphum suum inauratum, quem crucibolum nominare consuêrat, cœnobio Croylandiæ in monimentum donavit. Jacobus Gretserus in Horto S. Crucis, parte 5. c. 7. mihi p. 241.

De S. Donati Præsulis Aretini vitreo calice fracto & prodigiosè refecto, Simon Majolus, tom. 1. Dierum Canicularium, Colloquio 20. mihi pag. 699. Ad crateres Siculos periuria olim explorata. Simon Majolus, tom. 2. Dierum Canicul. Colloquio 2. mihi pag. 138.

Thomas Morus Angliæ Cancellarius munerum suspectorum osor, poculum aureum sibi à viduâ oblatum, humanissimè accepit, convocatâ familiâ donum magnificis verbis prædicavit, allato vino impleri jussit, demum comiter propinans præbibit, simulque poculum restituit, domum, unde extulisset, referendum. Thomas Stapletonus in vitâ Mori, c. 3. mihi pag. 38. Alboinus Longobardorum rex Veronæ in convivio hilarior Rosimundæ conjugi vinum offerri jussit è calvâ Chunimundi regis, qui Rosimundæ pater fuit. Illa & hanc injuriam, & parentis cædem, simul ultura, Helmigem armigerum in mariti necem impulit; cui etiam deinde nupsit. Sed Ravennæ eidem Helmigi venenatum poculum propinans ex eodem bibere coacta, una cum altero hoc marito periit. Henricus Spondanus ad annum 571. mihi pag. 639. Nicephorus in Oriente Imperator à Bulgaris captus, & occisus est. Occisi caput ostentui diebus pluribus suspensum. Exempta dein huic capiti calva, & argento clausa principibus Bulgarorum pro poculo fuit. Henricus Spondanus ad an. 811. mihi p. 778. Simile quid memorans Joannes Manlius parte 2. Collectaneorum, mihi pag. 47. Moscoviæ princeps, inquit, principem alium hostem suum militiæ cepit & interfecit; ex interfecti cranio formavit poculum cum istâ in aureum circulum inscriptione: Appetiisti aliena, perdidisti tua. Tantæ capacitatis poculum Herculis fuisse ferunt, ut ex eo non tantùm potare, sed in eo etiam navigare licuerit. Guido Pancirollus, tomo 2. Memorabilium, tit. 2. mihi pag. 221. Verùm;

Sol priùs oppositas perfundet lumine terras,

quàm nos reliquam poculorum seriem lustremus. Possim adhuc nescio quot mensas opplere, poculis, quæ mihi olla pauperum, mea Miscellanea, subministrent. Et hæc me pæne dormiente in Notis hasce confusaneas transierunt. Sed nolo hac viâ vel passum progredi. Tu, si plura velis, consule Macrobium l. 5. Saturnal. cap. 21. Lazarum Baysium de Vasculis & urceolis. De Principum poculis Benedictum Pererium, tom. 4. Geneseos, c. 44. initio. De Poculis Erycius Puteanus in suo Como. De Porcellanâ, Electro, Mulæ ungulâ; De poculis Saguntinis fictilibus, Samiis, Crystallinis, Aretinis Henricus Salmuth tomo 2. Memorabilium, titul. 2. in Notis, mihi pag. 142. Ohe satis est de his, satis. Ad alia. FAVST. Vel pauxillulum moræ impetrem. De *Minutis* etiam, & de *Vno* facta mentio. EVDOC. Dandum aliquid importuno monitori. Sed scias me neque de *Poculis*, neque de *Vno*, aut *Minutis* tantùm, plurima confusè in ollam pauperum congessisse, sed de rebus quibuscumque aliis, quibus non adeò erat opportunum, sedem certam assignare; quia tamen *Minuta* & *Vnum* in mentem tibi sunt, † en utriusque specimen, sed succinctissimum. Non hîc Iliades teximus, neque centones farcimus, neque Tellenis cantilenas canimus; Excerpendi modum tradimus, idque compendio. Sejuncta sunt hæc; *Multa, & apta ducere.* De Minutis igitur.

† *Plautinum.*

Minuta. Rerum natura nusquam magis, quàm in minimis tota est. Plinium vide l. 11. Nat. Hist. c. 2. & 5. & 24. Anatomiam formiculæ admirandam in Basilio Magno invenies, epistolâ ejus 168. ad Eunomium, mihi pag. 629. Augusto Imperatori ex Africâ misit procurator ejus ex uno grano (vix credibile dictu) quadringenta paucis minùs gemina. * Extántque de eâ re epistolæ.

Rerum natura nusquam magis, quàm in minimis tota est.

* *Alii, grana* 400.

Misit & Neroni similiter trecentas quadraginta stipulas ex uno grano. Plinius l. 18. Nat. Hist. cap. 10. mihi pag. 409. Idem de Torpedine pisciculo mira l. 32. c. 1. Myrmecides Milesius, & Callicrates Lacedæmonius quadrigas unà cum aurigis fecerunt, quas alis musca posset abscondere. Naves fabricârunt, quam apicula pinnis tegeret: iidem distichon elegiacum sesami minuto semini litteris aureis inscripserunt. Callicrates formicas etiam ex ebore, aliáque tam parva fecit animalcula, ut partes earum à ceteris discerni vix possent. Ælianus l. 1. Hist. Var. c. 17. mihi pag. 14. Plin. l. 7. Nat. Hist. c. 21. & l. 36. c. 5. In nuce inclusam Iliada, Homeri carmen in membranâ scriptum, tradidit Cicero in Academicis quæstionibus. Adrianus Junius testatur à se visum cerasi nucleum in quasilli formam exsculptum, quo quindecim paria tesserarum suis punctis affabrè distincta continebantur. Idem asserit Franciscum Alumnum in denariolo Symbolum Apostolorum & principium Evangelii divi Joannis, idque sine notis perscripsisse. Non hæc minuta satis? Anno 1584. Bolzani missi in montes metallici fossores cum suis quisque, ut solent, lampadibus. Eorum incautior unus lampadis mucum projecit in sulfuris venam, & ita incendit montem, ut socios omnes repentinum hoc incendium suffocârit, mons ipse biennium fermè arserit. Quàm verum! Scintilla modica magni sæpe mater incendii. Ita favilla in flammam, surculus in silvam, gutta in flumen crescit. Augustinus, seu, quisquis est auctor serm. 3. ad Fratres. Curtius l. 6. ante medium, & l. 9. initio. Dum funus Eudociæ Imperatricis transiret, puella casu dejecit sputum, quod morte luit comprehensa & cremata. Spondanus ad an. 611. mihi pag. 673. Planè incendium è scintillâ. Puncto quid minus? Encomium illius habet Delrius panegyri 3. de Matre Domini in cælum Assumptâ, medio ferè. Momenti ope maximi sunt minima. Ob unicam non rarò vocula, imò ob syllabam aut litterulam quandoque unicam, quantæ olim, quantæ & nunc subindè controversiæ? Avicula est, quæ bovem imitatur voce: hinc illi, *Taurus*, nomen. Æternum Antverpiæ monimentum, picta Musca. Philippus Bosquier, part. 4. Academiæ, Conc. 1. c. 2. mihi pag. 14. Sed abundè satis de *Minutis*, & plura, quàm volebam; taciturnis chartis relinquamus cetera. De *Vno*, unum alterúmve dictum addo, & ad alia transeo.

Non bona res multi domini.

Vnum. Non bona res multi domini. Res unicus esto. Hoc ubi dixerat Procopius Palæstinæ Martyr, cervices securi feriendas præbuit. Euseb. l. 8. c. 12. Et nihil minùs fit, quàm quod à multis imperatur. Imperium, ait Curtius, quod sub uno stare potuisset, dum à multis sustinetur, ruit. Curtius l. 10. Sol unus, luna una, unum empyreum cælum, unus, ut ajunt, phœnix. Vox ista (phœnix) aurem mihi pervellit. De Columbis, Pavonibus, Psittacis, &c. suprà mentionem fecimus p. 2. c. 6. Hîc ista lemmati de Vno, & phœnici placet jungere.

Imperator Rudolphus II. niveam & plumis omnibus candidissimam avem habuit, anati non dissimilem, rostro prægrandi, quam passim omnes den tächenden Hänset appellabant: nam ad edendum risum, quem soli homini tribuunt philosophi * & ad mira quævis instituta, sed eâ pecuniæ summâ est empta, quam notare non piguit, sed pæne pudet pronuntiare. Si tamen huic parem, ajunt, & sociam comparare potuisset Cæsar, alterum tantum adjecisset †. Hæc avis numquam lætiùs quàm laudata risit. Hæc Excerptis meis, Faustine; sed istud & oculis meis, spero, & auribus credes in domo parentum meorum aluerunt volucrem (Saxatilem Turdum nominârunt) sanè admirandam, si vel mores, vel colores aviculæ spectes. Dorsum illi cæruleum, insperſis decussatim albis plumulis. Collum ac ventrem inaurabat plumeum amiculum, eleganter mixtâ nive, in purpuram desinebat cauda. Atque hæc nostræ domûs psaltria, non minùs A hieme quàm æstate hilares cantus continuabat, mediis sæpe noctibus audita. Cantilenas iterabat non agrestes, sed quas à domesticis fuerat edocta. Solebat germanus frater meus fidium ærearum organo frequenter ludere. Hîc adesse ales, manubriis insidere, attentissima modulos excipere, quandoque suos interponere, nonnumquam sola symphoniam pertexere, atque æmulari paullò antè auditam symphoniam, & eâ quidem ratione aliquot cantiunculas edisce re. Cùm verò domûs familia prandium accumberet, illa sæpius apertâ caveolâ evagandi libertatem accepit. Hîc ei primus volatus ad patremfamilias fuit, cujus vel humeros, vel etiam digitos (ita ad altorem suum assueverat) cantillans insedit. Edulia omnis generis comedit; panem, oryzam, olera, rapas, hordeum, carnes ferinas, bubulas, vervecinas, ita & pisces, ipsas aves in minuta concisas imò & caseum esitavit. Æstivo vespere nonnumquam medio triclinii in depositam cum aquâ tepidusculâ pelvim velut in balneum, provolavit, séque in tepidario liberaliter, modò B insiliens, modò resiliès, abluit. Finitis thermis, nymphæo egressa Soli se diductis & passis alis exposuit, dum sicaretur. Ita demum silvestrem naturam omnem exuit, ut reseratâ caveâ, patulis fenestris & januâ, numquam meditari visa sit fugam. Sed hæc nostræ domûs vernacula cantatrix, hæc familiæ voluptas denique syntexi contabuit. Huc me duxit orbis ales unicus, phœnix. Sed ad *Vnum* addo paucula.

Unum in homine caput, anima una. Unum ovile, unus pastor. Esdras sacerdos, lilium unum, rigum unum, civitatem unam, columbam unam, ovem unam, vineam unam, populum unum prædicat. Deus, qui unus, & maximus, & maximè bonus est. Ævo Constantii Imperatoris, Romæ universus populus exclamavit in circo: Unus Deus, unus Christus, unus Episcopus. Spondanus ad annum 356. mihi p. 345. Mediolanenses patricii complures confederant Reipublicæ consultantes. Hîc audita vox, quæ unum ex omnibus evocabat nomine. Cùm autem evocatus moraretur, ignotus homo se spectandum præbuit, rogavitque, ut jam vocatus exiret quàm celerrimè. Dum ille unus exit, turris repentè corruit, & alios omnes præter unum illum oppressit. Spondanus, ad annum 1117. mihi pag. 997. Una Pherenice, filia, soror, mater Olympionicarum fuit. Una Curionum familia, in quâ tres continuâ serie Oratores, pater, filius, nepos. Una Fabiorum prosapia, in quâ continui tres principes senatûs. Sapienter Annæus Seneca: *Talem*, inquit, *animum esse nostrum volo, ut multæ in illo artes, multa præcepta sint, multarum ætatum exempla, sed in unum conspirata. Vnum quid fiat ex multis, sicut unus numerus fit ex singulis.* Seneca epist. 84. mihi pag. 550. De *Vno* nimis quàm multa. De Artis & Naturæ miraculis si initium facerem, finem non reperirem. Taceo. Hæc mihi olla pauperum. Rapsodia quotidiana Miscella mea suppeditant. Vis plura? Tua prome, aut conde aliena, ut inde promas tua. Favst. Quos legam? Et quomodo legam? à quibus incipiam? Evlog. Hoc ipsum jam indagabimus! Aures præbe vacivas.

CAPVT VIII.

Auctores quinam legendi.

Præceptiones in eligendis auctoribus.

Evlog. Hîc tibi præceptiones do ternas, sed brevissimas.

1. Legendus optimus quisque.
2. Legendus, qui maximè faciat ad cujusvis ingenium.
3. Legendus in quaque doctrinâ princeps: Recentioribus veteres plerumque præponendi.

Ita futuro poëtæ dixerim, Lege Virgilium: Historico, lege Livium: Oratori, lege Tullium: Philosopho, lege Aristotelem. Nõ intelligis? interpretes adhibe. Ita dixerim

* *Homo animal rationale, risibile.*

† *Pragense civium nõ unus graviter affirmabat, lactean alitem illam Imperatoris, viginti millibus florenorũ emptam. Sit penes illos fides: ego non adducor, ut hæc ullo modo credam. Ita enim credulũ vulgus plurima solet exaggerare, & Muscæ vilitatem ad Elephanti molem attollere. Prodigium sit, a vem unicam vel solidum duobus millibus florenorum venire, nisi phœnicopterus, aut ipse phœnix sit. Certè Heliogabalus imper. Lampridio teste, convivis suis phœnicem promisit, aut mille libras auri. De phœnicoptero, anem frembden Wasservogel aus Africa, Iuvenalis sat. XI. versu 136. mihi pag. 518. Et Scythica volucres, & phœnicopterus ingens, &c.*

Esdræ l. 4. cap. 5. v. 23. & seqq.

rim futuro Medico, lege Galenum, dein alios, atque alios: Jurisconsulto, lege Bartolum: aut rectiùs, lege ipsas Leges; Theologo, lege Thomam Aquinatem. Non refert quàm multi, sed quàm boni & bene legantur. Non enim legenda sunt multa, sed multùm. Hîc illud Annæi opportunissimè instillo: *Non refert quàm multos, sed quàm bonos habeas libros. Lectio certa prodest; varia delectat. Qui, quò destinavit, pervenire vult, unam sequatur viam, non per multas vagetur. Non ire istud, sed errare est.*

Sunt, qui exuccos, steriles, macros auctores ament, ubi è dumeto uvulam, è senticeto racemulum venentur. Imperitia miseranda. Quis vineam colit, qui non tantumdem lucri speret, quantum ei sumptuum impendit? quis agrum serit, qui non tantum segetis expectet, quantum seminis ejecit? quis montem perfodit, ubi tam exiles ac raræ metallorum venæ, ut emolumentum minus sit impendiis? quis librum legat, è quo lectionis fructus laboris impensas non æquet? Duces in quavis arte assumendi; horum volvenda sunt scripta. Quapropter optimos legamus: Adeamus fontes ipsos, transeamus rivulos. Non tantùm suaviùs, sed & salubriùs ex ipso fonte petuntur aquæ. Ita recentioribus præpone priscos; si abundas tempore, illos his conjunge, ut illorum scriptis lectionem horum stabilias. Optimi ergo legendi, quod prima docet præceptio.

Altera cum grano salis accipienda. Nec enim omnibus, sed prudentioribus, ac in eruditione provectioribus dixerim: Simile simili nutritur. Lege igitur ex optimis eum, qui tibi magis sapit. Cæteroquin illud (quod sapit, nutrit) in mensis etiam & in alimentis fallacissimum est. Plurima sunt, quæ valdè sapiunt, sed plurimùm obsunt: placentas aliáque butyro frixa, cucumeres, & pepones, caseum recentem, résque cibarias similes, non negâris sapere; sed si quidem tu sapias, fateberis etiam obesse. Idem in lectione verum comperies. Idcirco lectionem, quæ ad gustum est, maturioribus solùm ingeniis permittimus. Quod secunda monet præceptio. Tertia, in quavis arte duces præcipit legendos. Quemadmodum verò in Arte poëticâ dux habetur Maro, in oratoriâ Cicero, ita & aliæ artes scientiæque suos habent duces, quos sequi consultissimum. Nihilominus in tanto Scriptorum numero & varietate, quæstio gravis est & seria, quinam legendi? Cùm verò istud definire instituti mei propriè non sit, compendio auctores quosdam meliùs noscendos dabo.

In Poëticâ.

In Poëticâ qui auctores legêdi.

P. Virgilius Maro agmen ducit, communi, ni fallor, sensu, poëtarum princeps.

P. Ovidius Naso in elegis primus, poëtarum felicissimus, qui de seipso fassus: Quidquid conabar dicere, versus erat. Sed amatoria & hujus, & aliorum similium poesis procul à te, procul ipsomet monente: Teneros ne tange poëtas: Submoveo dotes impius ipse meas. Millies hoc inculcandum: Doctrinæ præstat, quàm verecundiæ jacturam facere. Quamvis reverà nulla penitus doctrinæ fiat jactura, cùm lascivas seu poëtarum, seu quorumcumque aliorum sordes non lambimus. Ista si legas, non doctiorem te facient, sed nequiorem; ista si omittas, non proinde rudior, sed verecundior manebis & sanctior. Quid, obsecro, eruditionem in fimeto, aut inter cloacas quærimus? Nimis suâpte sponte præceps in vitium ruit natura: quid opus hoc impulsu? Submove has impudicitiæ faces; hæc omnium vitiorum fomenta projice; Arbitros & Madaurenses (nosti quos notem) venenorum officinas, pestes ipsissimas execrare & fuge. Si cælum, si Christum amas, hos nequitiæ magistros oderis. Hîc ego cum Mose, cum Isaiâ, cum Paulo clamo: *Noli contaminare animam tuam, nec tangas quidquam eorum. Pollutum noli tangere. Immundum ne tetigeris.* Has dulciarias sed venenatas nebulas ne liba. Mors latet certissima. Sed Poëtis prioribus jungendi:

Lessius cap. 1. dub. 43. Sylvius act. 52. resp. 11. 1. Cor. c. 6. vers. 17.

P. Papinius Statius, qui Silvarum libros 5. Thebaidos libros 12. Achilleidos libros duos scripsit; à Virgilio, putem, poëtarum optimus est in heroicis, si lectorem habeat intelligentem. *Papinianus, quo rectius scribitur.*

Claudius Claudianus poëta nobilissimus, quem meus in Rhetoricis præceptor, poëtarum ocellum appellare solitus est.

Quintus Horatius Flaccus. De hoc Quintilianus probè judicans: Inter Lyricos, inquit, solus ferè dignus est legi Horatius. Non est quod quis contradicat.

M. Annæus Lucanus poëta insignis, stylo grandis, sed à multis historicus magis audit, quàm poëta.

L. Annæus Seneca in tragœdiis dignus, qui tot habeat interpretes, Lipsium, Delrium, Raderum, alios.

Iuvenalis, Martialis, Catullus, Tibullus, Propertius, optimi poëtæ, sed & pessimi, nisi ab obscœnitatis sordibus sint purgati, quos tibi fragmenta poëtarum veterum exhibebunt. Nil ultrà desideres.

Sed numquid animus est, recentiores etiam legere? In oculis sunt, *Francisci Remondi* orationes & carmina varii generis. *Iacobi Bidermani* Heroica, Elegiæ, Epigrammata; elegantia omnia & lectu digna. De poëtis ista, quorum ego, uti & reliquorum, non censuram (quod absit à me) sed gustulum propinare conor.

His, quos nominavi, poëtis, Lyricos & Satyricos annumerem, inter quos etiam Satyrici solutæ orationis censendi. E priscis Lyricorum princeps, ut dixi, Horatius. E recentibus tres, numero Charitum, mihi præ ceteris & noti, & chari, sunt. I. Vincentius Guinilius, Lucensis, anno 1627. editus Romæ. II. Matthias Casimirus Sarbivius, Polonus, cujus libri tres Lyricorum editi anno 1625. Coloniæ. III. Franciscus Montmorencius, Belga, cujus Cantica & Idyllia sacra secundùm edita anno 1629. Ingolstadii.

Lyricis Satyricum adjungamus. Joannes Barclajus Latinus oppidò scriptor & elegans, Iconem animorum & Argenidem edidit; solutæ orationi ligatam hinc illinc miscuit: tres insuper libros inscripsit Euphormionis Lusinini Satyricon: Hoc scriptum in omnes ferè tam politicos quàm sacros hominum ordines pugnavit; sed accusationibus id urgere, instituti mei non est: sinamus manes quiescere. Hoc risu dignissimum. A Barclaii morte homines simplices & prorsus alæ mentis quædam præfixo ejus nomine obtruserunt edita *(risum teneatis amici,)* ac si literarum hoc ævum, à plumbo nesciret aurum distinguere. *Horatius de Arte Poëticâ, initio.*

In Historiâ.

In Historiâ qui legendi.

C. Salustius primus, si modò ejus libros haberemus, Thucydidi simillimus.

T. Livius, magnitudine, ac majestate operis ante omnes placidus & diffusus, in concionibus maximè disertus, lacteum orationis flumen fundit. Sunt qui vitiosa quædam illi objiciant. Nostrum est ab his discere, non eos judicare.

Corn. Tacitus Historicorum princeps non elegantiâ, sed prudentiâ & judicio, sententiis & præceptis ubertimus; sed viris aptior, quàm pueris.

Q. Curtius, probus legitimúsque historicus, si quisquam. Mira ejus in sermone facilitas, in narratione lepos. Adstrictus idem & profluens, subtilis & clarus, sine curâ accuratus. Verus in judiciis, argutus in sententiis, in orationibus eximiè facundus.

C. Cæsar latinè ac compositè scripsit. Mira in eo styli puritas & perspicuitas, minùs quidem ornamentorum, sed & minùs ineptiarum habet. Nihil in eo affectatum; narratio plana & historico stylo conformis. Simplex in eo & nuda narratio.

Inter recentiores historicos singulariter à I. Lipsio laudantur: *Philip. Cominæus*, cum quovis antiquorum, ut ipse putat, componendus: & *Francisc. Guicciardinus* prudens, peritúsque scriptor. Liceat his duos alios adjungere.

Ioannes Mariana, Latinus reverâ elegánsque historicus de Rebus Hispanicis libros triginta in lucem dedit: *Andreas Brunner*, de Rebus Boicis libros quindecim: inspice, & in utroque styli gravitatem & nitorem admiraberis. Historicorum satis habemus, certè Latinorum. Num & Græcos fontes adire placet.

Thucydides inter eos palmam obtinere creditur. Elocutione totâ gravis & brevis, densus sententiis, sanus judiciis, actiones vitámque dirigens, orationibus & excursibus admirandus.

Polybius judicio & prudentiâ Thucydidi haud impar, multa & præclara libris 40. composuit, quorum pars maxima interiit: ab his *Xenophon, Nicetas Choniates* & *Nicephorus Gregoras* in laudes sunt.

Plutarchus Auctor laudatissimus, diffusâ & planâ scribendi viâ ad Virtutem & Prudentiam ubique ducit. Ingens in eo eruditionis silva lectori nusquam non aperta. Hunc tibi, Faustine, ad comparandam rerum notitiam commendo.

In Oratoriâ.

In oratoriâ qui legendi.

M. Tullius Cicero ad eloquentiam dux certissimus. Ampliori laude hîc abstineo. Nam Tullium nemo rectiùs laudaverit, quam ipse Tullius. Hoc unum addo. Principem hunc oratorem Quintilianus extollens: *Ille*, inquit, *se profecisse sciat, cui Cicero valde placebit.* Subjungo non oratorem, sed philosophum.

Quintil. lib. 10. c. 1. circa finem, mihi p. 596. ubi illustrissima de Ciceronе elogia.

Lucius Annæus Seneca nostris encomiis non eget, à doctissimis viris jam olim exquisitissimè laudatus. Hunc Plinius Major ævo suo eruditionis principem appellat. Dion, omnibus sui ævi Romanis sapientiâ & eruditione præstitisse, asserit. De Senecâ Justus Lipsius: *Placet legi-timis Censoribus ille vir*, inquit, *nec rebus solùm (cui enim non? si placet ipsa virtus) sed phrasi & genere dicendi. Quod aliud ab optimo esse, non infiteor: cui tamen sua venus sit, vel acumine sententiarum, vel frequentiâ & brevitate.* De eodem ille idem Justus: *Annæus Seneca*, inquit, *frequenter mihi in manibus est: ut ego sentio, non sine fructu. Sive enim doctrinam quæras, multa invenio in ritibus priscis recondita: sive sapientiam, Deus bone, quid ad mores & ad vitam scriptum umquam præclarius? Qualis ille, & quàm Romanus ubique animus, quæ tela adversùm casus subministrat, & ipsam mortem? quomodo vitia eripit, inserit virtutes? Fatendum est. In cacumine Olympi moris constitutus, mihi videor, cùm illum lego: supra ventos & procellas, supra omnes res humanas.*

Lipsius l. 1. Elect. c. 10. & c. 26.

Christianos scriptores excipe, quis omnium veterum magis ad virtutem duxit? Magnus vir est, nec suadet, sed ingerit optima, & impellit ad ea, non ducit. Quis ubique ardor, & quàm è pectore verba? Credo post sacras litteras nihil in ullo Orbe, in ullâ linguâ scriptum utilius meliúsque. Semper ille mihi magnus vir apparuit; sed, ut solent verè magna, magis magisque inspectus & tractatus se approbat. Tria sunt, quæ huc me ducunt: Verba, Res, Tractatus. Omnia in eo, jure laudanda. *Verba*, selecta, propria, significantia: imò quæ plus aliquid semper dicunt, quàm dicunt. Qui proprius quidam ejus Genius videtur, ut in parsimoniâ verborum mira ἐνέργεια atque efficacia sit; in brevitate claritas & splendor. Sunt allusiones, imagines, translationes crebræ & pæne continuæ, quæ delectant simul & docent; & in rem animum, atque extra rem mittunt. Est cura, non affectatio; decor, non comptus; tractata oratio, non torta. Est & compositio quædam & viriles numeri: sed ut structuram agnoscas, mollitiem abnuas; & & pugnæ atque arenæ omnia, non delectationi aut scenæ parata. Jam in ipsâ brevitate, & stricto dicendi genere, apparet beata quædam copia; fundit verba, etsi non effundit; fluit, non rapitur; amni similis, torrenti dissimilis; cum impetu, sed sine perturbatione se ferens. Denique ut felices arbores, quarum præcipua dos est fructum ferre, flores & folia tamen habent: sic iste, quem fructûs causâ legimus, & colimus, oblectationem adfert pariter, & Venerem cum Minervâ jungit. Audebo & hoc edere? vel sermonis atque elogii causâ aliquis eum legat: sed absit, & Res magis trahat. *Res*, quam illustrem & sublimem, utilem & salutarem, ubique promit. Omnia ejus scripta, etiam ubi ex professo non videtur agere, quid nisi generosum illud Honestum spirant? quid nisi aliis inspirant; Caput omnis boni fontémque Deum, quàm sæpe, quàm fortiter, inculcat, atque unà ejus Providentiam & nostri curam, potentiam, sapientiam, justitiam, & quidquid tale vel Sacra dicant? illi & Fato nos parêre, & quietos, volentésque sequi, quoties monet? in ordinem redigi, ab ordine hoc rerum, quem ille ab æterno descripsit? Jam Affectus, id est, origines malorum, quis acutiùs aperit, acriùs castigat, adductiùs coërcet? Metum, Spem, Lætitiam, Dolorem, quàm temperat, minuit, tollit? Ipsa vitia asperè ubique invadit & exagitat, Ambitionem, Avaritiam, Libidinem, Luxum, ceteras animorum pestes. Imò hæc tantâ sæpe acrimoniâ, ut modum non tenere dicas, & odio atque irâ (sed, dii boni, honestis) auferri. Denique in unius Virtutis admiratione & commendatione deditus, externa omnia aspernit atque abjicit, & totum illud splendidum, sed fallax, fortunæ regnum conculcat. O pura, & cælo digna mens, & ad cælum alios subducens! miramur te, & sequimur: quisquis cum attentione tamen legit. Etsi quis aliter potest? Tantus ubique vigor & calor est, (ut de *Tractatu* nunc addam) sic omnia animata & spirantia, ut excitari, vel ignava & jacentia ingenia necesse sit, & tepida aut frigida calere, imò non scripta legere, sed verba audire; nec imaginem ejus in libris, sed ipsum hominem oculis sensibúsque usurpare videamur. Addit de Epicteto: Epictetus ævo, non merito posterior Senecâ, & scriptorum pondere, si non numero comparandus, vitâ præponendus. Ille vir totus à se & à Deo, nihil è fortunâ fuit. Origine vilis & inter servos; corpore claudus ac debilis; mente nobilissimus, & inter omnis ævi lumina refulsit. Vita illi emendatissima, & planè ad scitum, quod in ore habebat, *Sustine & Abstine*. Enchiridion ipsius sanè egregium, & moralis philosophiæ velut anima. Nihil in Græcis, aut fallor, tale extat: à duabus illis notis dico, Acrimoniâ & Ardore. Genus styli concisum, fractum, & quod indolem subitarii sermonis habet: sed docta interveniunt sæpe, semper salutaria, & non est, qui bonam mentem magis aut trahat, aut formet. Ego his nihil ausim addere, sed nec demere.

Centuriâ 1. ad Belgas, epist. 16. ubi etiam Senecæ vitam & mores à calumniis defendit, & eâd. Cent. epist. 42. & in Manuductione ad Stoicam philosophiam, lib. 1. dissert. 18. & 19.

Oratores alii recentiores in manibus sunt.

Antonius Muretus.
Joannes Perpinianus.
Franciscus Bencius.
Franciscus Remondus.

In Philosophiâ.

In Philosophiâ qui legendi.

In totam philosophiam commentarios scripserunt *Franciscus Murcia, Antonius Ruvius,* * *Rodericus de Arriagâ, Petrus Hurtadus de Mendozâ.* Ex his ego *Franciscum Murciam* discipulis censeo legendum. Præter hos *Franciscus Suarez* & *Petrus Fonseca* totam philosophiam complexi sunt, in suâ quisque Metaphysicâ. Totam itidem philosophiam, ut audio, commentariis exactissimis illustravit *Christianus Bauman* nondum in lucem datus. Singillatim libros physicorum explicat *Franciscus Toletus*, libros de Generatione *Conimbricenses*, qui & toti philosophiæ lucem attulerunt nobilissimis commentariis. Libros de Animâ insigniter exponit *Hieronymus Dandinus*, Meteora *Libertus Fromondus.*

* Excerptâ Metaphysicâ.

In Mathematicâ.

In Mathematicâ qui legendi. Quæ discenda in Mathesi.

Amplissima est scientia Matheseos. In hac, ut nôris, discenda sunt. 1. Elementa Arithmeticæ. 2. Elementa geometrica Euclidis. 3. Elementa sphærica Theodosii. 4. Geometria practica. 5. Astronomia. 6. Gnomonica.

monica. 7. Optica, quæ dimensiones linearum, superficierum ac corporum complectitur. 8. Calculus triangulorum tam planorum, quàm sphæricorum. 9. Conica Apollonii Pergæi. 10. Algebra, numerorum miracula continens. 11. Geometria sublimior, quæ omnium rerum dimensiones comprehendit, Holometria rectiùs appellanda. 12. Musica Arithmeticæ conjuncta, quæ vocum & sonorum numeros considerat.

Qui sunt duces in Matheſi.

In Matheſi duces sunt *Archimedes Syracusanus*, & *Claudius Ptolemæus*. Ab his *Theon Alexandrinus*, *Pappus Alexandrinus*, *Apollonius Pergæus*, primarii numerantur inter priscos.

Qui in eâ insigniores doctores.

Recentiores, & meo quidem judicio, insigniores Mathematicæ doctores sunt *Ioannes Regimontanus*, & ejus præceptor *Georgius Burbachius*; *Alexander Andersonius* Scotus; *Nicolaus Copernicus*, Borussus, qui annis triginta sex scriptionem de Revolutionibus orbium cœlestium elucubravit *, *Franciscus Maurolicus* Abbas Messanensis, *Petrus Nonius* Lusitanus; *Marinus Ghetaldus* Rausinus, Italus; *Franciscus Vieta* Gallus; *Adrianus Romanus* Germanus; *Christophorus Clavius* Germanus, Bambergensis; *Christophorus Grienberger* Hallensis; *Tycho Brahe* Danus; *Ioannes Keplerus*.

Libr. 6. de Revolutionibus orbium cœlest. ad Paulum III. Pontif. in cujus scripto anno 1540. mortuus. Calumniatur. Vitio Copernicus inita anno 1540.

Non multos nominavi, si scientiæ amplitudinem spectemus.

In Politicâ.

In Politicâ qui legêdi.

Robertus Bellarminus publicavit Orbi tres libros de Officio Principis Christiani, scriptum minimè salebrosum, & longè utilissimum. Huic vino non opus est hederâ.

Iustus Lipsius sex libros Politicorum scripsit, & duos Monitorum ad præcepta politica spectantium. Opus reverâ elaboratissimum. Neque hîc hederam appendetim huic vino.

Ioannes à Chockier Juris utriusque Doctor, & Patricius Leodicensis, sex libris thesaurum dedit Aphorismorum politicorum, in quibus Principum, Consiliariorum, & Aulicorum institutio. Scriptio præcisus erudita & utilis. Non dubitem notum tibi opus Thomæ Aquinatis, de Regimine Principum. Vidisti utique Politicorum libros decem, ab Adamo Contzen scriptos, & libros duos à Carolo Scribanio. Uterque nostri ævi notissimus scriptor.

Matth. c. 18. vers. 16. Ceterorum ingens series est. Hîc *in ore duorum vel trium testium stet omne verbum.*

In Medicâ.

In Medica qui legêdi.

In parte primâ, capite decimo, nominavi Medicos nobiliores, & vero nomine Archiatros, *Christophorum à Vegâ*, *Donatum Antonium ab Altomari*, *Nicolaum Pisonem*, & ad usum hujus ævi *Danielem Sennertum*, qui medicam omnem doctrinam exactissimè censetur tradere. In medicis institutionibus ceteros præcellit brevitate *Gilbertus Iacchæus*.

De valetudine tuendâ & commodiore diætâ ceteris, ni fallor, insigniùs scripserunt *Hieronymus Cardanus*, qui libris quatuor prolixioribus, & *Edmundus Hollingus* Ingolstadii olim professor mihi notissimus, qui illud instituti tam eruditâ, quàm succinctâ scriptione prosecutus est. Utrumque suadeo legendum. Res summi momenti, cura diætæ.

Sed addo in auctarium. Israël Spachius Medicinæ Doctor & Professor, typis in lucem dedit Nomenclatorem Scriptorum Medicorum, hoc est, Elenchum eorum, qui artem Medicam suis scriptis illustrârunt, secundùm locos communes ipsius Medicinæ, cùm duplici Rerum & Auctorum indice. Editus Francofurti anno 1591. Hæc portrò capita quæ oculis subjiciam, singulatim à Spachii Nomenclatore proponuntur: Medicina, paginâ 1. Medicina Chymica, p. 26. Medicina veterinaria, p. 29. Medicina astrologica Iatromathematica, p. 40. Medicus, pag. 41. Physiologica Medicinæ pars, p. 44. Res naturales: Elementa, p. 45. Temperantia, p. 47. Humores, p. 48. Partes, ibid. Anatome, corporis humani dissectio, p. 50. Facultates & earum actiones, p. 57. Calidum & humidum innatum, p. 63. Spiritus, p. 63. Ætas, pag. 64. Homo, pag. 64. ΤΡΙΕΙΝΗ, sanitatis conservatrix, pag. 68. Aër, pag. 73. Cibus, p. 74. potus, pag. 76. Affectus animi, ibid. Somnus & Vigilia, p. 81. Motus & Quies, p. 83. Inanitio, Repletio, ibid. Res præter naturam, Morbus, p. 84. Simiotica signa, pag. 88. Therapeutica Methodus medendi, pag. 97. Diætetice, pag. 147. Pharmaceutice, pag. 148. Herbarum sive stirpium Historica, pag. 173. Chirurgia, pag. 198.

Huic Elencho Spachii jungamus I. Heurnii Ultrajectini Institutiones Medicinæ, unà cum Modo studendi eorum qui Medicinæ suam operam dicerunt. Hæc simul edita Lugduni Batavorum anno 1592.

Institutionibus Heurnii utiliter addentur Petri de Tussignano Compositiones & Remedia ad plerosque omnes affectus morbósque sanandos. Egregius reverâ, & ut vides, compendiosus libellus, cui adjuncta est Summula è libris Mesuæ excerpta. Hæc vulgata typis Lugduni an. 1587. Sed ad Jurisprudentiam transeamus.

In Iurisprudentiâ.

Qui in Jurisprudentiâ, legêdi.

Quinam Jurisprudentiæ studioso præcipuè legendi sint, docet Hermannus Vulteius in Prolegomenis ad duos libros, quos Jurisprudentiam Romanam inscribit. Huic, ni fallor, credes plurium annorum professori.

In Theologiâ.

Theologiam universam meditatis sanè ac copiosis & accuratis commendationibus illustrârunt *Franciscus Suarez*, *Gabriel Vasquez*, *Gregorius de Valentiâ*, *Adamus Tanner*, *Martinus Becanus*, alii. Hanc ipsam, quam vocant Scholasticam, omnem Theologiam ii, quos nominavi, tomis pluribus; at uno complexus est *Alexander Pesantius* Romanus, scriptor vel eo etiam nomine laudabilis, quia brevis. E ceteris hoc quidem tempore *Adamum Tannerum* censuerim lectori fore opportunissimum. His, si placet, *Iacobum Granadum*, Theologum recentem, Hispanum annumera.

& Theologiâ legendi.

Si Theologiæ partes inspiciamus, de Trinitate *Didacus Ruizius*, de Incarnatione *Iosephus Raguſa*, de Sacramentis *Ioannes Prapositus*, & *Ægidius Coninck*, de Matrimonio, optimè omnium, ut videtur, *Thomas Sanchez*, de Jure & Justitiâ *Leonardus Lessius*, de aliis alii disputant.

In Controversiis tradendis, post Robertum Bellarminum exactissimus habetur *Martinus Becanus*.

In Theologiâ morali docendâ, jam omnium optimi censentur, *Martinus Bonacina*, *Vincentius Filliucius*, *Paulus Layman*. Extat synopis eorum, quæ Filliucius tribus tomis docuit. Aliorum sanè Theologorum neminem sperno, neque minùs æstimo, sed mihi notiores & usu familiariores sunt, quos nominavi.

Melioris notæ auctores, ni fallor, à fronte jam nôsti. Agedum & intus illos nosse incipe legendo. FAVTS. Quomodo legam? EVLOG. Numquid non satis dictum hactenus? Excerpendo. Sed quia hîc plusculum documenti expectas, in verba conferam pauciſſima.

CAPVT IX.

Auctores quomodo legendi.

Quomodo legêdi sint auctores: tres assignantur præceptiones.

EVLOG. Hîc ternas pariter præceptiunculas instillo.
1. Lectionem vagam vita.
2. Auctores à capite ad calcem evolve.
3. Non cursim, non perfunctoriè, sed meditatè ac constanter lege.

Lectionem vagam Annæus philosophus damnans: *Vide*, inquit, *ne ista lectio multorum auctorum, & omnis generis volumi-* Senec. ep. 2. mihi p. 388.

voluminum, habeat aliquid vagum & instabile. Certis ingeniis immorari & innutriri oportet, si velis aliquid trahere, quod in animo fideliter sedeat. Nusquam est, qui ubique est. In peregrinatione vitam agentibus hoc evenit, ut multa hospitia habeant, nullas amicitias. Idem accidat necesse est iis, qui nullius se ingenio familiariter applicant, sed omnia cursim & properantes transmittunt. Non prodest cibus, nec corpori accedit, qui statim sumptus emittitur. Nihil æquè sanitatem impedit, quàm remediorum crebra mutatio. Non venit vulnus ad cicatricem, in quo crebrò medicamenta tentantur. Non convalescit planta, quæ sæpe transfertur. Nihil tam utile est, quod in transitu prosit. Fastidientis stomachi est multa degustare: quæ ubi varia sunt & diversa inquinant, non alunt. Probatos itaque semper lege: & si aliquando ad alios devertere libuerit, ad priores redi. Excerpe, quod conquas. Hoc ipse quoque facio.

Cura triplex ad lectionem adferenda. 1. Rei.

Ergo vagè lectio plus laboris habet, quàm utilitatis. Hinc censeam ordinariæ lectioni, haud plures duobus destinandos. Nam, quod ad institutum spectat maximè, cura triplex ad lectionem adferenda. 1. *Rei.* Hîc plurimùm juverit, totius operis argumentum præcipere, mentem & animum Auctoris nosse, inventionem, dispositionem, persuadendi rationes observare, hinc inveniendi, disponendi, probandi modum discere. 2. Cura sit *Verborum, Styli, Sententiarum*. Expende num verba propria sint, an translata; num obsoleta, prisca, peregrina, rara, an usitata, congruentia, venusta. 3. Sit *Numeri*. Non poëtæ tantùm, sed & oratores, scriptoréque alii suos habent numeros, & periodorum flexus. Audias subinde orationem cetera non inelegantem, sed tamen asperam, hiulcam, claudicantem, numeris omnibus destitutam; mox frontem obduces, & nauseabis. Si ergo sit numerosa, & sonorè suavitérque fluens oratio, si aperta & facilis connexio, de imitatione cogita.

2. Verborum, Styli, & Sententiarum.

3. Numeri.

Cùm verò librum lectitare cœperis (quod altera monebat præceptiuncula) illum à capite ad calcem pervolve, nimirum à carceribus ad metas decurre, ab exordio ad epilogum, à principio ad finem rimare scriptionem susceptam: ita quidem, ut ipsam etiam dedicationis epistolam, &, quæ ad lectorem est, non transilias. Hæc enim omnia ad pleniorem & auctoris, & libri cognitionem faciunt.

Tertia præceptiuncula jubet lectionem non esse properantem, non tumultuariam, non præcipitantem, non perfunctoriam. Edendo bolos festinanter ac raptim ingerere, plurimùm nocet; eadem pæne legentis, quæ comedentis est ratio: ægrè digeritur, quod adeò celeriter & præpropere ingeritur; non satis percipitur, quod ita festinè ac cursim legitur. Et sicut properanter te orare, sic nolim & legere. Nonnumquam, dum legis, insiste, & perpende lecta: cùm locus est obscurior, pressiore pede incedendum. Opus festinatum & subitarium, idémque perfectum perquam rarum est. Approperata plerumque imperfecta. Aliqui legunt, ut canes è Nilo bibunt, ideóque non valde proficiunt. Canis festinans cæcos parit catulos. Festina, sed lentè. Cùm nulla verborum & styli habenda est ratio, paullò celerior per paginas volvi potest oculus; at ubi tam verba, quàm res excerpenda, lentior sit lectio necessum est. Nonnumquam eadem secundùm ac tertiùm legere ne pigeat, ut quod notatu dignius, id memoriæ tantò firmiùs inhæreat. Et ipsa, quæ quis conficit Excerpta, aut eorum saltem indices frequentiùs retegendi, ne forsan tuas ipse opes nescias. Et quamvis Philosophus, Medicus, Jurisperitus, Theologus, aliisque bonis artibus addicti, poëtarum, aut historicorum aliquem legant, poterunt tamen & isti, sua quisque studia eâ lectione mirificè locupletare ac promovere. *Non est, quod mireris,* ait Seneca, *ex eâdem materiâ suis quemque studiis apta colligere. In eodem prato bos herbam quærit, canis leporem, ciconia lacertam. Cùm Ciceronis libros de Repub. prehendit hinc philologus aliquis, hinc grammaticus, hinc philosophiæ deditus, alius aliò curam*

Eadem est ratio legentis & comedentis.

Sen. ep. 108. mihi p. 636.

suam mittit. Quilibet, quæ sui sunt fori aut excerpit, aut memoriæ tradit. Portò ignavior aut laboris fugitans, si quid venustius occurrit, vel chartæ unguem infigit, vel versus minio subducit, vel ad libri marginem notas apprimit, vel chartulas pagellis inserit, vel pagellæ apices inflectit, aut discerniculum, aut librarios funiculos immittit: quæ omnia ferè vitiosa, tædium laboris aut ignorantiam excerpendi produnt. Memoria modis melioribus juvanda. FAVST. De memoriâ jam pridem avebam quærere. Quid vetat de ejus adminiculis breve documentum attexere? Obsecro, Eulogi, doce firmiùs meminisse.

Suprà repræhensum part. 1. c. 10.

CAPVT X.

Adjumenta memoriæ.

EVLOG. In tuam solius gratiam id fecero. Sed verbo rem complectar. Excerpere, non meminisse hîc doceo. Quosdam memoriæ magistros rideo, qui nescio quot domunculas ædificant, & in domunculis cellulas, rerúmque imagines multiplicant in infinitum. Eruditum sanè principium ad inducendam phrenêsin. Ad hanc porrò memoriam, quantâ opus est memoriâ? si velimus, Faustine, impendiis minoribus insanire possumus.

Duo memoriæ præsidia præstantissima: *Ordo & Imaginatio:* sic appellem. Si quid eorum, quæ tu ipse scribis, cùm facillimè, tum firmissimè velis memoriæ mandare, quàm ordinatissimè scribe. Princeps memoriæ subsidium ordo. Ordinem negligis? laborem supra modum auges; ægerrimè ingeris, celerrimè elapsura. Ordo, anima memoriæ. Quidquid memoriæ cupis tradere, id priùs in ordinem digere. Incredibile dictu est, quantum hæc una res, *ordo*, reminiscendi facultatem adjuvet: in arenâ vel aquâ scribis, quod absque ordine memoriæ tradis. Nec verò quidquam adeò incompositum, confusum, inordinatum est, quod non in certum ordinem adducat industria.

Duo memoriæ præsidia præstantissima: Ordo & Imaginatio.

Si quis memoriam amiserit, Antonii Mizaldi suasu, cerebro suillo cum nuce unguentariâ * & cinnamomo vescatur, reparandæ memoriæ. Sed ego hæc artificiola non magni facio. Omnium instar mihi ordo est. Gloriatur Erasmus Chiliadum scriptor, se puerum adhuc, Horatium & Terentium totos edidicisse. Prodigium est, quod addo. Josephus Scaliger, quod mea me Excerpta docent, uno & viginti diebus, totum Homerum memoriæ mandavit. Scis geminas esse Homeri partes, Iliadem & Odysseam. Ilias viginti quatuor libros, totidem habet Odyssea. Versuum habet Ilias unum & triginta millia, sexcentos septuaginta (nisi meus me amicus fefellerit malè numerando) haud pauciores reor Odyssea continet. Non injuriâ hîc quæras, num fidem non superet, intra unum & viginti dies supra sexaginta tria millia Græcorum versuum, à viro illo memoriæ commendata. Adjungo grandius. Idem intra quatuor menses, poëtas Græcos omnes edidicit. Obstupescas haud immeritò si legisse, nedum edidicisse dicam. Incipe poëtarum Græcorum vel principes tantùm & notiores numerare: Æschylum, Anacreontem, Alcæum, Aristophanem, Callimachum, Euripidem, Hesiodum, Lycophronem, Musæum, Oppianum, Orpheum, Phocylidem, Pindarum, Sophoclem, Stesichorum, Theocritum, &c. paucos nominavi quorum omnium carmina extant, pleraque omnia ab Henrico Stephano, Aldo Manutio, Joanne Frobenio edita. Cogita jam ceteros, & negabis demum id, quod dixi, fieri potuisse. Sed ego hîc litem non moveo. Memoriam ordine quàm plurimùm juvari ajo.

Mizald. in Appendice ad Centuriam de Rebus memorab.

* *Myristicâ vel odoratâ.*

Ordini appono *Imaginationem* in firmandâ memoriâ adjutricem longè fidissimam. Nôris probè *disponere*, firmè *Imaginari*, & primarium memoriæ artificium jam tenes.

tenes. De *Disponendi* & *Imaginandi* modo nil quære amplius. Hæc nimiùm arcana sunt, quæ si velim, non possim enuntiare. Sit aliquid, de quo liceat dicere cum Ianistâ illo: Hoc palæstræ artificium te non docui. Tu tuo te Marte juvabis. A

Senibus memoriam labare dicunt; at ista, de quâ loquimur, geminis illis præsidiis firmata cum ætate non deficit, sed crescit; quò ætas grandior, hoc illa firmior; senio virescit. Nec enim senectus minùs ordinatè disponere, aut minùs firmè imaginari potest, quàm juventus, & virens ætas. Imò utrumque illud seni expeditius est, quàm juveni. Senex igitur ad illam memoriam plus habet subsidii, quàm juvenis.

De admirandis memoriæ, suprà mentionem fecimus. Res infinitæ dissertationis est. Hîc jubet nos Plato quiescere. Ex Annæo clausulam appono: *Quidquid frequens cogitatio exercet ac renovat, memoriæ numquam subducitur, quæ nihil perdit, nisi ad quod non sæpe respexit.* Memoria Platoni, Mater Musarum & Virtutum; Ciceroni, Rerum omnium thesaurus est. Honoremus hanc matrem, servemus hunc thesaurum. *Scias tamen stultum esse,* Curtio teste, *eorum meminisse, propter quæ tui obliviscaris.* In optimis te memorem præbe: Memento delicti commissi, ut doleas; memento beneficii accepti, ut reddas; memento mortis, ut desinas; memento misericordiæ divinæ, ne desperes; memento justitiæ, ut timeas; æternitatis memento, ut fluxa spernas. Favst. Non importunè misces hæc spiritalia. Sed ego plura velim de Memoriâ. Totis horis è memoriâ dicere, quod Oratorum olim, nunc Concionatorum est, mihi grande quid & difficile videtur. Hîc ergo artificii aliquid singularioris nosse pervelim. Evlog. Actum agis. Jam dixi: Memoriæ vis in *Ordine* & *Imaginatione* consistit. Tibi cetera relinquo. Quia tamen Concionatorum caussam agis, addamus paucula, quæ propriè spectent ad Excerpta concionatoribus profutura. B C

CAPVT XI.

In Dominicos & festos dies symbolæ.

Eloquentiæ princeps in Rhetoricis scribit, Eloquentiam sine sapientiâ esse non posse. Hanc parare non unius res anni est. Industriâ & labore pars magna sapientiæ constat. Eò annotationes & Excerpta, eò laboriosa studiorum sedulitas spectat, ut demum sapere discamus & loqui. Cathedrâ & alto digna dicere, non levem poscit apparatum. In hoc Excerpta numeramus. Incipiat Concionator maturè, cum judicio, solerter excerpere, & numquam illi deerit, quod utiliter dicat. Si quinquaginta, si centum annis dixerit, quod annis pluribus dicat, supererit. Loculos sine fundo, inexhaustam præstat scientiam hæc excerpendi solertia. Concionator lectioni sedulæ intentus, longè plus hebdomade unâ colligit, quàm die unâ expendit. Concionatori præter tres illas *Lemmatum, Adversariorum, Historicorum* classes, *symbolæ*, sic appello, *in omnes Dominicos & festos dies* numquam non ad manum sint. Rem hanc unam omnium non utilissimam solùm, sed necessariam, tot annis expertus sum. Nec artis aut difficultatis quidquam habet *Symbolarum* conficiendarum modus. Hic ipse est, quem oculis monstro paradigmate mechanico. Sume quaterniones chartæ puræ plus minus nonaginta (tot enim ferè Dominici per annum, & festi dies) singulis suos inscribe titulos hoc modo: Si annum ordiri libeat à Domini Jesv natali, quaternioni primo hunc appone titulum:

Eloquentia sine sapientiâ esse non potest.

Concionatori præter tres classes necessariæ sunt symbolæ.

Modus symbolarum conficiendarum.

Nativitas Domini Jesv. *Luc.* 2.

Ita secundo, ita tertio, quarto, quinto; ita deinceps, ita reliquis omnibus suam cuique inscriptionem à Dominico aut festo die sumptam prefiges, prout hîc cernis.

S. Stephanus. Matth. c. 23.
S. Joannes. Matth. c. 21.
SS. Innocentes. Matth. c. 2.
Dominica 1. post Nativit. Domini Jesv. Luc. c. 2.
Circumcisio Domini Jesv. Luc. c. 2.
Epiphania Domini Jesv. Matth. c. 2.
Dominica 1. post Epiphaniam. Luc. c. 2.

Ita & reliquos dies Dominicos & festos dispones. Quòd si annum ordiri placeat à Domini Adventu, pari ratione singulis quaternionibus unum è sequentibus titulis inscribes.

Dominica I. Adventûs. Luc. c. 21.
S. Nicolaus. Matth. c. 25.
Dominica II. Adventûs. Matth. c. 11.
Conceptio Beatissimæ Virginis matris. Matth. c. 1.
Dominica III. Adventûs. Joan. c. 1. &c.

Hac methodo dies anni Dominicos & festos omnes in separatas chartas transferes, ita ut quivis Dominicus aut festus dies unum, aut, si mavis, geminatum habeat quaternionem. Ubi hunc illúmve implevêris, alium atque alios appones. Imò quaterniones nolim esse consutos; satis est in eâdem, aut diversis thecis conjunctos, & funiculis immissos contineri.

Chartam virginem habemus: sed quid illi, dices, inscribendum? Paratâ igitur chartâ, proximum est, huc illuc symbolas conferte. Quâ in re concionator, aut qui aliquando è cathedrâ dicturus, duo hæc observet.

1. Evangelia totius anni norit omnia, & quo die quodvis soleat prælegi, exactè sciat. Ita non difficilè notatu digna in festos & Dominicos dies distribuet, suum cuivis locum assignaturus. Duo concionatori observâda. *Omnia in unâ quaternionis facie perscribi.* *Tunc.*

2. Symbolæ seu materies huc illuc dicto ordine partienda, est omne id, quod non tantùm legerit, sed quod audierit, viderit, ipse cogitaverit, si pro concione convenienter dici posse censuerit. Huc meliora dicta, sententiæ, concionum themata, huc omnigeni conceptus, ut loquimur, & discursus, sensa, præmeditationes, cogitata, huc denique referendum mixtim ac sine ordine, quidquid ad istud, illud, aliúdve Evangelium rectiùs explicandum facere videtur.

Exempli gratiâ, inter legendum fortè occurrit de infante exercitûs duce. Anno 1144. pugnârunt Lovanienses contra Bertoutiorum gentem. Infans princeps Godefridus III. in cunis allatus & ad silicem arborem suspensus. Quæ concio potuit disertior esse hac facie? conjiciunt oculos; manu, qui possunt, tangunt; omnes, ut Numen, suum principem voce & affectu venerantur, & animis inflammatis in hostem eunt. Quoties pedem referre Lovanienses cœperant, flexi ad infantem oculi reprimebant; vagitus, qui interveniebat, & ne sacrum pignus proderent, pro omni exhortatione erat. Cum infantis avo & patre septemdecim justis præliis conflixerunt Bertoutii, quos Lovanienses represserunt. Justus Lipsius in suo Lovanio, l. 2. c. 9. & Carolus Scribanius in Antuerpiæ originibus, cap. Huic affinia sunt. D Balbinus Romæ seditionem non sedasset, nisi infantem Gordianum purpuratum longissimi hominis collo superpositum produxisset ad populum. Capitolinus, pag. 207. de duobus Maximinis. De infante, qui contra regem Assyriorum pugnavit, vide Isaiam cap. 7. De puero nondum quinquenni, & vix loqui gnaro, electo tamen Rhemensi Episcopo, Spondanus ad annum 925. num. 2. Hæc talia certè ad Nativitatem Christi Domini referenda. Favst. Sed historica sunt, & ad illam classem pertinent. Evlog. Jam dixi, nil esse peccati, licet idem in duas trésve diversas classes enotetur. Sed labori vis parcere? In eam igitur classem excerpe, quæ visa fuerit commodior. Sed conficiendas symbolas exemplis monstro brevioribus.

Legis, vel audis, vel meditaris quippiam annotatu dignum de supremo judicio? Hoc igitur lectum, seu auditum, &c. ad Dominicam ultimam post Pentecosten,

aut primam Adventûs refer. Occurrit aliquid legenti de amore in homines, seu charitate proximi? ergo symbolis inscribe, & ad Dominicam 12. post Pentecosten, aut 17. extrahe. Nobile documentum de animi submissione, seu Humilitate, undecumque tandem accipis? Ad Dominicam 10. post Pentecosten pertinet. Præclarum aliquid de Pœnitentia discis? Ad diem D. Magdalenæ spectat. De animi dotibus bene collocandis lectitas? Ad diem D. Nicolai excerpe. Insigniora de Angelis te docet lectio? Ad diem D. Michaëlis enota. Tibi ipsi cogitanti fructuosum concionis thema incidit? Mox eò symbolam ablega, quò pertinere judicaveris. De dandâ inimicis venîâ, dictum, factum, argumentum audis illustrius? Ad Dominicam 21. post Pentecosten exscribe. Notanda quædam de morte legis? Hæc confer, uti symbolam, Dominicæ 15. post Pentecosten. Ita sollicitudinis moderatio, vel contemptus opum, ad Dom. 14. post Pentecosten; Abstinentiæ ac jejunii emolumenta, ad Dom. 1. Quadragesimæ; Christi patientis memoria, ad feriam 1. Paschatis; Futuræ cladis præmeditatio, ad Dom. 6. post Pascha; Frenum Iracundiæ, ad Dom. 5. post Pentecosten; Odium & victoria sui, ad diem D. Laurentii spectat. Ita de ceteris judicandum.

Ante omnia verò videat concionator ne penuriâ laboret thematum, quæ pro suggestu aliis atque aliis diebus erunt explicanda. Ideo hac annotandi curâ ita perfungatur, ut Dominici & festi dies singuli saltem aliquot exhibeant themata suo quæque tempore usurpanda. Verbi gratiâ: Christianum Pascha imminet, dicendum publicè de Christo Resurgente, vel in cælum Ascendente: Quid dicam, inquis, quid proponam thematis? quam Evangelii partem explicabo? Sint igitur in parato themata complura brevissimè annotata, ut delectus sit ex iis, quod commodius videbitur, seligendi. Atque hoc oculis subjicio, quod è meis symbolis in exemplum sumo.

Concionatori curandum ut Dominici & festi dies singuli aliquot exhibeant themata:

Domini Jesv *in cælum Ascensio. Marci c. 16. Actor. c. 1.*

Thematum paradigmata.

Thema 1. Quoties Dominus Jesvs intra Resurrectionis & Ascensionis diem, & quibus sese spectandum præbuerit.

2. Quâ gloriâ Christus Dominus, & quo comitatu ascenderit.

3. De Tempore, Loco, Modo, Testibus Ascensionis Dominicæ.

4. Vestigia Christi impressa rupi.

5. De nube, quæ velut sella regia excepit Christum Dominum ab oculis discipulorum.

6. Dominus Jesvs comparatus aquilæ, quæ sese super omnes cælos suâ virtute evexit.

7. Dictum Angelorum: Viri Galilæi, quid statis aspicientes in cælum?

8. Alterum eorumdem dictum: Hic Jesvs, qui assumptus est à vobis in cælum, sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in cælum.

9. Pastor reducens ovem perditam, summum cælo terræque gaudium creavit.

10. Cur Ecclesia Domini Jesv Ascensionem observatu singulari vocet *Admirabilem*.

11. Effigies Christi in cælo glorioſi.

12. Mons oliveti, principium & finis luctæ Christi. Novem differentiæ inter diem Christi ascendentis, & in horto sudore sanguineo diffluentis.

13. Christus summus Pontifex, in quibus Pontificatum suum ostenderit:

14. Ascensio in cælum ædificanda descensu tartari contemptu terræ, aspectu cæli.

15. Duodecim admiranda Dominicæ Ascensionis.

16. Quomodo per spem ascendendum cum Christo.

17. Acti labores jucundi, Alleluia.

18. Christus cum Samsone collatus, qui ambas portæ fores apprehendit, impositásque humeris in verticem montis portavit.

19. Cur Angeli hoc die apparuerint candidati? Cur non similes triumphatori, cui accinitur: Quare rubrum est indumentum tuum? Isaiæ c. 63. v. 2.

20. Ab ascendente Domino, facta discipulis promissio: Linguis loquentur novis. Marci c. 16. v. 17.

21. Et convescens præcepit eis. Actor. cap. 1. v. 4. Convivia quomodo celebranda.

22. Domini Jesv Ascensio, rerum caducarum despicatio, Ecclesiâ monente: Ipsi quoque mente in cælestibus habitemus.

23. Quomodo Mater Domini Jesv Virgo beatissima hoc mysterium præsens & absens considerârit.

24. Duodecim signa in Domini Jesv ascensione observanda.

25. Acerbissima mors crucis, quàm sublimem Christum fecerit.

26. Quomodo, fidem, spem, charitatem Ascensio nostri Servatoris in nobis excitet.

27. Angeli Tobiam ducentis verba: Tempus est, ut revertar ad eum, qui me misit.

28. Caussæ, cur Christus Dominus Ascensionem suam non diutiùs distulerit.

29. Homo quidam nobilis abiit in regionem longinquam accipere sibi regnum, & reverti. His verbis Christus seipsum depinxit. Luc. c. 19. v. 12.

30. De Apostolorum oculis hac potissimùm die dicendum illud: Beati oculi, qui vident quæ vos videtis, &c. Luc. c. 10. v. 23.

31. Ubique plurima, quemadmodum hac ipsâ die, gaudii & luctûs mixtura.

32. Hac etiam die de ascendente Domino Jesv affirmandum: Et ipse se finxit longiùs ire. Luc. c. 24. v. 28.

33. Christi Domini perseverantia, cum inconstantiâ hominum collata.

34. Domine, quò vadis? Vado parare vobis locum, ut ubi ego sum, & vos sitis. Joan. c. 14. v. 2. & 3.

En concionum themata in annos triginta quatuor parata. Tot simul conciones in promptu mihi sunt, quas annis superioribus ad illa themata formavi. De reliquo Deus providebit. Et plura jam habeo notata, sed tibi nondum monstranda. Cùm ergo quot annis Christi vel nascentis, vel Resurgentis, vel Ascendentis, vel alius quicumque festus dies proximarit, inspiciendæ sunt symbolæ, & è notatis tam thematibus, quàm aliis rebus excerptis eligendum, quidquid aptius visum fuerit ad dicendum. Sed scias, in iis, quæ signavi themata, non appositum esse, prolixitati virandæ, scopum & finem, in quem ea debeant collineare. Exempli gratiâ: Thema primum explicat, Quoties, & quibus intra Resurrectionem & Ascensionem Christus apparuerit. Sed de hoc differere parum foret, nec esset concio, sed sola sermocinatio, nisi accederet cohortatio ad firmissimam fidem, tam de Dominicâ, quàm de nostrâ Resurrectione futurâ, concipiendam. Alterum thema, Ascendentis Christi gloriam proponit. Nihil hoc ad formandos mores, nisi scopus sit, persuadere humanæ gloriæ fugam. Tertium, attributiones & circumstantias Ascensionis Dominicæ declarat. Non satis est hoc scire, nisi dicentis scopus sit, commendare summam submissionem ac reverentiam erga Dei providentiam, quæ omnia in pondere, mensurâ, numero facit. Thema quartum Christi Ascendentis vestigia rupi impressa commonstrat. Quid hoc ad emendationem vitam? Nisi hoc una inculcetur: Imitationem Christi relictam Christianis, ut sequantur vestigia ejus. Ita hæc quatuor, ita triginta cetera, ita alia quæcumque concionum themata certos sibi fines terminósque constituant, eo quidem modo, ut dictio sive concio tota dirigatur ad certum quid persuadendum, è

quo

quo morum aliqua sequatur emendatio. Vanæ, vanissimæ sunt conciones illæ, quæ multum clamoris, parum habent caloris, multùm dissertant, parum persuadent, nec conantur certum aliquid persuadere. De his verè affirmes: Dictio venusta & verbosa, sed ad mores nihil, nemini fructuosa. Dicunt, & non faciunt, sed nec auditores ad faciendum eruditunt. FAVST. Hîc grande quid moves, Eulogi, da veniam, obsecro, interpellanti. Conciones me audire memini quàm plurimas, è quibus mihi visus sum redire doctior, non melior; aliquid eruditionis retuli, nihil caloris, nihil impulsûs sanctioris. Recordor è Senecâ te dicere: *Obsecro vos, cur tam necessariam* Ep. 94. 117. *curam majoribus melioribúsque debitam, in re inutili terimus? Quid mihi profuturum est scire, an aliud sit sapientia, aliud sapere? Potiùs id age, ut mihi viam monstres, quâ ad ista perveniam. Dic mihi quid vitare debeam, quid appetere; quibus animum labantem studiis firmem: quomodo, quæ me ex transverso ferunt agúntque, procul à me repellam; quomodo par esse tot malis possim; doce me. quomodo feram ærumnam sine gemitu meo, felicitatem sine alieno.* Ita nos prorsus virtutis elogia, illustriora sensa, doctas explicationes, cælitum laudes audimus sæpe, ad veram imitationem hominum sanctorum rariùs inflammamur. Scire discimus plerumque, non item facere. EVLOG. Quid ista hîc fabularis? tu concionatores corrigere, juvenis; tu illis leges figere? Serum est hoc loco de his talibus disserere. Nos cathedras & pulpita in mores alios non refingemus. FAVST. Quia tamen, mi optime Eulogi, in sermonem hunc incidimus, quæso te, coronidis loco pauculas leges scribe cathedris. Nullum, arbitror, habebis obstrepentem. Hoc ætati tuæ, hoc cano capiti, hoc experientiæ tot annorum, hoc eruditioni non invidæ, hoc charitati Christianæ convenit, quod & plurimorum vota, sat scio, postulant. Ergo annue, & monitis Ecclesiasten imbue. EVLOG. Non diffiteor, me istud sæpius rogatum. Est tamen quod moram injiciat. Homines lapides, stupores, hebetis ingenii, præceptiones non capiunt; ingenii elati, non admittunt. Nimirum ab aliis doceri velle, humanus genius rarò appetit. Nihilominus & aliorum, & tuis precibus parebo. Non autem legislatorem agam, sed amicissimum seu monitorem, seu suasorem. Paucis monitis complectar, quod hactenus judicavi expedientissimum concionatori. Ne tamen forsan minùs intelligat, distinctis monitis Notas subjiciam.

CAPVT XII.

Ecclesiastæ, atque Concionatori sacro, monita.

I. MONITVM.

Primum monitum. Concionatori sanè necessarium.

Ante omnia unum aliquid & certum sibi sumat Ecclesiastes, quod persuadere velit dictione.

Nota.

HIc cardo rei, hoc totius concionis fundamentum & caput est, quod & primo, & medio, & ultimo loco, quod vel millies dixerim, nec umquam satis inculcaverim. Hoc unum unicè ante omnia concionatori in publicum progressuro ingerendum: Quid persuadere vis dictione? Num Patientiam, num Humilitatem, num Temperantiam, an Charitatem? &c. aut quódnam vitium dissuadere? an vitiorum fontem Superbiam, an Libidinem, aut Gulam, an Avaritiam, aut Socordiam, num Iram, aut Invidiam? Quod Christianæ religionis caput, menti auditorum vis affigere, ut id firmiùs credant? Huc enim momenta rerum & rationes, huc causæ & argumenta omnia sunt dirigenda. Ajunt periti rerum, concionem omnem sic esse componendam, ut ea in syllogismum possit redigi, qui urgendus & persuadendus; in unum & certum aliquid argumenta concionis omnia esse collineanda.

A

B

C

D

Quanti, ah quanti quotidie cathedras conscendunt, omnia præclarè dicunt, plausum ferunt, sed reverà fructum non capiunt, quia hoc unum omittunt; dictione non tantùm nil persuadent (quod sæpe non humanarum virium est) sed nec persuadere contendunt. Bellissimos *Conceptus* & *discursus* in medium ferunt, clamant, brachia jactant, pulpita tundunt, jam pæne triumphant. Cùm dicendi finis est, quærat auditor prudens: Quid dixit, aut quid dicere voluit? Idem in libris reperias (cum veniâ dixerim) in quibus leges rerum plurima, sed quæ ad formandos mores non multùm faciat. Explicationes hîc pulchræ, sermocinationes variæ, digressiones amplæ, invectivæ, sed rariores, verborum & sententiarum exornationes plurimæ; dicuntur & scribuntur omnia præter quàm necessaria & utilia. Nimirum nos sibi fines terminósque multi constituunt, dicere mirabila, numquam audita, auditu grata. Denique in universi laboris præmium sunt solæ illæ vulgi voculæ: Fuit pulchra concio. Tantilla merces pro tantis laboribus!

Tu ergo, si tibi divinus honor est curæ, dic potiùs utilia, dic necessaria. In omni concione (quod probissimè notandum) certum aliquid persuadere nitere; aliquid vitiosi, aut pravæ consuetudinis aut malè exempli abolere ac emendare, virtutis aliquid inserere conare. Huc totis viribus tende, huc arcum dirige, mores instrue, castimoniam doce, patientiam persuade; discant à te facere, quidquid Christianæ legis est. Finis & scopus concionum, si fieri possit, sit semper unus aliquis ad formandos mores præfixus, in hunc unum initio scriptionis omnia dirigantur.

II. Exordia sint brevia, & è dicendis ducta. Thema concionis, quàm clarissimè ac distinctissimè proponatur. Secúdum.

Nota.

Crebræ sunt conciones, quæ longis pugnant prolusionibus, & auditorem ante pugnam fatigant. Quid tu de corpore illo dixeris, cujus caput dimidiam corporis longitudinem exæquat? Quid de illa concione, cujus prolusio dimidium ferè temporis spatium absumit? In exordio capranda est benevolentia. Contrarium facit, qui prolixum exordium struit. Nam auditor Laconicæ dictionis amans, à vestibulo domum æstimans, ingemiscit ac dicit: Longa præfatio, ergo longa concio. Ita ante principii finem, jam tædii plenus desperat, demittitque auriculas, ut iniquæ mentis asellus, cùm gravius dorso subiit onus. Ergo breve sit exordium, & rei quàm maximè accommodatum, ne concionator à piscibus incipiat, finiat cum avibus. Epilogus pari modo sit clarus, brevis, distinctus, & conceptis verbis ad concitandum motum nervosus. *Horat. lib. 1. serm. sat. 9. initio.*

III. Tardè loquatur concionator, nec umquam voces præcipitet. Tertium.

Nota.

Incredibile dictu est, quantopere hæc una res maximè plebem ad audiendum devinciat orator ille gratissimus, qui non præcipitanter disertus. Auditor enim rudior eruditam linguæ volubilitatem neutiquam assequitur, sed nec doctiores tam celeri vocum tumultu volunt obrui. Annæus Seneca facilitatem potiùs verborum, quàm celeritatem probans: Illam ego, inquit, in viro sapiente recipio, non exigo, ut oratio ejus sine impedimento exeat; proferatur tamen, malo, quàm profluat. Cicero quoque noster, à quo Romana eloquentia exivit, gradarius fuit, non cursor, gradu ivit. Summa ergo summarum hæc erit. Tardiloquum te esse jubeo. Præstat igitur unum aliquid probiùs auditoris animo infigere, quàm multa pejùs proferre, & plura cursim dicere, ad oratoris copiam potiùs ostentandam, quàm ad auditoris vitam emendandam. Vanitatis est, dictionem infarcire rerum copiâ, ne scilicet concionator siccus aut jejunus videatur.

IV. Affe-

Quartum. IV. Affectatio, & omnis tùm exterior, quàm interior cavenda est pompa.

Nota.

Orator Evangelicus intentionis sit purissimæ, & ad unius Dei gloriam extollendam erectæ. Quidquid porrò affectatum est, decorum non est, neque placere potest. Propria & usitata placent. Hinc stylus à familiari colloquio alienus, aut plus æquo conquisitus, plerumque displicet. Et expedivalde ut Ecclesiastes subinde in auditoris animum sese insinuet, familiari prorsus dictione, ingenuo candore, & affabili fiduciâ sine omni affectatione ac pompâ. S. Franciscus Xaverius, Societatis concionatores identidem admonebat, ne seipsos prædicarent, sed Christum crucifixum, hoc est, ne quæstionibus subtilibus, aut disputationibus doctrinam vel ingenium suum venditarent, ad auram popularem captandam. Sermonem in rebus moralibus, planis, & ad vulgi captum accommodatis versari; res curiosas, novas, dubias, inauditas à suggestu sacro amandari; ea demum pro concione seri volebat, quæ vulgi etiam imperiti intelligentia potiùs quàm admiratio exciperet. Ideo testimonia sacrarum litterarum non nimiùm acervanda, controversa doctorum non tangenda, sed perspicua & ad mores corrigendos apta judicabat tractanda.

Quintum. V. Suis se auditoribus, loco item & tempori Ecclesiastes accommodet.

Nota.

Hîc artis non est, multa & doctè disserere: artis est ad sensum captúmque præsentium sese attemperare. Nec enim tantùm vitii est non capi, sed etiam ægrè capi: hinc prosopopœiæ *, dialogismi, hypotyposes †, & maximè similitudines non spernendæ. Nervosæ Bibliorum sententiæ librato eorum sensu, quandoque crebriùs repetendæ. Christus id fecit, qui in eâdem concione intra paucos versus, ter istud repetit: *Vbi vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur.* Marci c. 9. v. 44. 46. 48. Hunc concionatorem verè Magistrum artis imitetur Evangelii præco. Qui quidem si divini honoris studio feratur, nullam concionem suâ vel negligentiâ, vel aliâ culpâ omittet. Sanctus Franciscus Xaverius ille Indiarum Apostolus, conciones quàm creberrimas expetebat, ratus ex communi hoc bono multa & magna privata bona promanare. Hinc multùm errant, qui peregrinationis, aut alterius devotionis, ut vocant, prætextu, alióve specioso nomine concionem omittunt, & plebem Christianam suo fraudant pabulo egregii pastores. *Hæc dicit Dominus Deus: Væ pastoribus, qui pascunt semetipsos:* lac comedunt, operiuntur lanis, quod crassum est occidunt, gregem autem Domini non pascunt (conciones raræ, convivia creberrima) quod infirmum est non consolidant, & quod ægrotum non sanant, quod confractum non alligant, quod perierat non quærunt, quod abjectum non reducunt. Verbum divinum sollicitè tractandum; nulla concionum temere omittenda.

* *Personarum ficta introductio, de quâ Cypriani Rhetorica, l. 3. c. 30.*

† *Forma rei sic verbis expressa, ut cerni potiùs videatur, quàm audiri.*

Ezech. c. 34. vers. 2. & seqq.

Sextum. VI. Plurimùm juvat inter dicendum, bis tèrve animum colligere, & omnibus sensibus præsentem esse.

Nota.

Summi hoc momenti est, & concionanti tam utile, quàm necessarium. Sed hæc sensuum collectio, animique præsentia suaderi potiùs potest, quàm quid ea sit, describi satis vel doceri. Hac animi præsentiâ maximè opus est, cùm nervosiùs aliquid urgendum, & in epilogo, ubi concionator totis viribus in id incumbat, ut quod persuasum credit, animis auditorum penitus infigat. Ad eam rem, epilogus cum curâ & studio singulari parandus. Illud jam è Rhetoricâ notum: Firmissimas rationes principio & fine collocandas, ceteram argumentorum turbam in medium conjiciendam, singulis gestum ac vocem attemperandam. Illi porrò concionatores minimè laudandi (quos vocant *Vnisonos*) qui dictionem suam eodem vocis sono ac tenore, quo sunt orsi, ad finem perducunt. Molestum hoc auditori, & ad meliores motus concitandos neutiquam idoneum.

Firmissimæ rationes principio & fine concionis collocãdæ.

VII. Evangelii explicatio aspergi potest eruditione profanæ litteraturæ. Septimum.

Nota.

Aspergi, dico, non perfundi, idque rariùs & modicè. Hoc Apostoli, hoc Patres prisci fecerunt, sed fecerunt parcâ manu. Nec enim vetitum è Plutarcho, Plinio, Æliano, Livio, aliisque talibus, eruditionis priscæ aliquid miscere ad institutum meliùs explicandum. Sed hoc admodum moderatè faciat Ecclesiastes, veluti sacrum irrorans patinæ piper. Historiæ, præsertim notiores, breviùs narrandæ, fabellæ multò parciùs usurpandæ. Facetiæ non facilè in suggestum adferendæ: Adulationes, inutilium narrationes, auxeses, hyperbolæ, exaggerationes nimiæ penitus excludendæ. Laudes sine exceptione, & odiosæ de Sanctorum inter se præstantiâ comparationes, vitandæ. Candidè ac moderatè loqui, tutissimum. Philologia & omnis litteratura profana hîc serviat, non regnet. Omne firmamentum concionatori è sacris paginis petendum. Biblia concionatoria legat, ut si possit etiam ediscat. Idcirco quotidie minimùm duo Bibliorum capita; si per tempus liceat, plura singulari studio evolvat, & inde vel in suas symbolas, vel classes alias excerpat. Medicorum scito, ovum unicum plus præbet alimenti, quàm olla brassicæ referta: ita unica Scripturæ sententiola plus habet succi, quàm mille Aristoteles, Tullii, Demosthenis testimonia. Exanguia sunt, & exucca omnia, quæ nihil habent roboris è voluminibus divinis. Hîc errant sanè multi, qui neglectis aut parcissimè consultis codicibus sacris, per omne genus scriptorum volutantur, & tunc demum, quàm pulcherrimè se dixisse credunt, cùm dictionem attulerint Rhetorum coloribus pictam, sententiis, figuris, historiis insigniter factam.

Paulus ad Titum c. 1.

Persius sat. 6. v. 14.

Omne firmamentum concionatori è sacris paginis petendum.

VIII. Omnis concio concionatori bis sedulò scribenda. Octavum.

Nota.

Ita ajo. Et prima quidem scriptio chartæ mandanda ituratiæ, obviæ, in quam dicendorum materies omnis sine ordine, prout occurrit, mixtim referenda. Ita exordium & epilogus hîc breviter annotandus: ita sententiæ, rationes, argumenta, & quidquid ad proximam concionem struendam pertinet, paucis designandum. Haud aliter atque is necessariò agit, qui domum ædificare cogitat. Nam priùs materiam omnem educendæ domûs, arenam, lateres, calcem, tegulas, saxa, trabes, asseres opportunè in locum unum convehit: dein partitur, segregat, componit, ædificat eo, quem sibi præfinivit, ordine. Ita prorsus Ecclesiastes priùs omnem materiam futuræ concionis separatâ chartâ excipiat, & in eâ ipsâ certis notis ac numeris sibi ordinem præfiniat: hoc primo loco, hoc secundo, hoc tertio, hoc quarto, &c. hoc loco ultimo dicendum: hoc in exordio, istud in epilogo ponendum. Atque hæc prima concionis scriptio est. Altera: Ubi jam omnia unà cum suo ordine erunt notata, quæ ad futuram concionem spectant, concionator chartâ pura incipiet ordinatè ac distinctè scribere, quæ antea in unum cumulum conjecerat. Nec dubium quin quædam è notatis mutaturus, quædam etiam omissurus sit, prout ipsa exegerit structura; ita quod in primâ scriptione confusanea & indigesta moles fuit, in alterâ distinctum & ordinatum erit ædificium: sine primâ nil boni construet secunda.

Separatâ chartâ materia futuræ concionis excipienda, & notis & numeris ordo præfiniendus.

An omnia ad verbũ, an verò solum rerum capita sint perscribenda.

Sed quæras an ad verbum omnia, an rerum capita solùm sint perscribenda? Hoc tui est arbitrii. Sunt, qui de verbo cuncta scribant, quod tironibus non inutile: alii aliter. Hoc omnibus suadendum, ut ea, ubi vis & energia,

energia, vel idiomatis proprietas est, ad verbum studiosè notentur, qui minimè vanus est labor. In ceteris cujusvis ingenium sibi eliget, quod commodissimum videbitur. Hîc, arbitror, via media censenda est tutissima. Hanc ii tenent, qui unâ paginâ rem, de quâ dicturi sunt, exactâ methodo, sed stylo strictiore, & velut summatim complectuntur, quin & verba ad rem ipsam apposita adjungunt. Ita fit, ut liberiore, cùm res postulat, campo possint excurrere, amplificando sermoni & affectus subitario dicendi impetu faciliùs promovere.

IX. Inventum thema mirificè adjuvat bona rei, vel argumentorum ad rem spectantium divisio, scriptioni secundæ præmittenda.

Nota.

Bene divide, & dimidium facti habebis; solerter argumenta dispone, & pæne confectum stabit opus. Venusinus vates subjungit:

Rem tibi Socraticæ poterunt ostendere chartæ,
Verbaque prævisam rem non invita sequentur.

Liceat dicere: Verbaque divisam rem non invita sequentur. Præeuntem rei partitionem omnis & verborum & sententiarum comitatus non difficilè sequitur. Præsidium & lumen ingens tam oratori quàm auditori, *Ordo* & *digestio* rei. Hîc quoque usurpandum illud: Qui bene distinguit, bene docet. *Non est*, inquit Aristoteles, *imperitæ multitudinis bene distinguere.* Laus artificis prima est, erudita rerum discretio. Ordine ac commodâ rerum distributione unicè juvatur memoria. Huic Ecclesiastes concionem suam ita commendabit, ut, quæ publicè dicturus scripsit, ea pridie concionis vesperi memoriâ firmiter comprehendat, manè verò cubitu surgens, pridianum illud depositum à memoriâ exigat.

X. Horam Ecclesiastes perorando non excedat sine gravi causâ.

Nota.

O quoties corrumpitur grati cantûs suavitas, cùm accedit odiosa prolixitas. O quoties in aurem insusurrandum oratori: Bona concio, concio optima, si modò non fuisset nimis longa. Dictionem tuam omnem horulâ, sed strictâ conclude. Intra hos cancellos se continere consultissimum. Rosas licet, & aurum, & gemmas loquaris, si horam transilias, pluribus non placebis; cum fastidio discedent, qui cum fame venerant. Hoc quidem auditorum est vitium (nemo neget) quis autem id satis emendaverit? Quòd si auditoris etiam memoriæ consulendum, non ea fatiganda nimiùm, aut obruenda. Nonnumquam expediens est (non semper) tres horæ partes dicendo non multùm excedere. Concio moderatè brevis, & probè distincta, omnium gratissima. Illa complurium psalmorum inscriptio concionatori sæpius occinenda: In fine ne corrumpas.

XI. Si quid aliis seriò persuadere velit concionator, id prius ipse sibi persuadeat; quod dicit, hoc sentiat.

Nota.

Notissimum illud: *Si vis me flere, dolendum est primùm ipsi tibi.* Tua dicta non penetrabunt alterius animum, nisi priùs penetraverint tuum. Ipse tibi priùs persuadeas, quod ab aliis extorquere cupis. Bene coque, probè meditare, quod tuis appositurus es in alimentum. Summâ vi nitere, proponenda aliis ipse animo prægustare, ac sensibus intimis percipere. Magnum quippe intervallum est inter eum, qui animi viribus non obiter meditata vibrat, & illum, qui hinc illinc conquisita è memoriâ segniter pronuntiat. Indoctæ admodum paupertatis est, si concionaturus è libris Sermonum, Homiliarum, Concionum, Postillarum, omnem suam eruditionem eruat, & consarcinet; mixtura erit parum grata, aut si sit, ad mores tamen emendandos parum erit robusta. Quòd si aliter non possis, hoc ipsum, quod colligis alienum, ruminando fac tuum.

XII. Vitia concionator acriter reprehendat, vitiosorum neminem nominatim perstringat. Duodecimum.

Nota.

Caveat Evangelicus orator, principes, magistratus, præpositos, nominatim aut velut intento in eos digito, perstringere. Nam ejùscemodi objurgatione publicâ magis exasperantur tales, quàm emendantur. Si quid ab eis peccatum est, id tutiùs admonitio secreta & prudens corriget. Imò nec præsentium aliorum, nec absentium quemquam singillatim notabit Ecclesiastes. Non est sacri oratoris, ullum hominem speciatim suggillare ac pungere. Vitia pluribus communia, præsertim usitatiora, acriter reprehendat. Hic tamen etiam acerbitatem vitet, quæ offendere potiùs solet quàm corrigere. Reprehensio commiserationem potiùs ostendat, quàm indignationem, aut cujusquam odium. Hîc sanè non levi brachio agendum Ecclesiastæ. Ad hoc enim à Deo *constitutus est, ut evellat, & destruat, & dissipet, & ædificet, & plantet. Idcirco instet opportunè, importunè, arguat, obsecret, increpet, sed in omni* (quod addit Paulus) *patientiâ & doctrinâ.* Contentiones porrò & pugnas pro suggestu cum aliis concionatoribus studiosè vitet. Universè meminerit, vitia sibi esse flagellanda, non vitiosos.

Evangelicus orator neminem speciatim debet suggillare.

Hier. cap. 1. vers. 10.

2. ad Tim. c. 4. v. 2.

XIII. Ecclesiastes superbiam singulariter, & in aliis, & in seipso primùm oderit. Decimum tertium.

Nota.

Ante omnia humilitati & animi demissioni concionator ita studeat, & in omnibus de seipso tam submissè sentiat, ut modestiam, animique submissionem & oratio & ipse vultus spiret. Orator turgidus, quid nisi mimus aut tragœdus est, ad pompam facundus, in plausum ambitiosus, qui sua omnia eò derivat, ut os populi mereatur, & famam nominque colligat. Quòd si Ecclesiastes animi verè demissi est, nec concionatorum, nec aliorum quemquam despiciet, neminem privatis punctiunculis lædet, moneri se æquo animo feret. Imò ipsemet prudentes homines amicos sibi parabit, à quibus de suarum concionum vitiis admoneri liberè possit, ut ea & agnoscat faciliùs, & citiùs corrigat. Hunc certè concionatorem non virum tantummodò bonum, sed & Christianum verum dicemus, qui se moneri non solùm tolerat, sed desiderat, & suum ipse monitorem instigat. Chrysostomus ab aniculâ eâdem moneri ac corrigi se passus. Humilitas in alto, tam venusta, quàm necessaria.

Ejus oratio modestiam & animi submissionem spirare debet.

XIV. Concionator neminem in concionando imitetur. Decimum quartum.

Nota.

Bonos concionatores frequentiùs audisse plurimùm juvat: eos autem imitari, vim eorum insitam exprimere, nec facilè, nec utile; seipsum imitetur concionator, hoc est, naturæ suæ convenienter dicat. In attibus & scientiis aliis ferè omnibus, imitatio suadetur; hîc non probatur. In hoc dicendi genere ducem habeamus Naturam. Illius est planè hîc aurigari & ducere. Orationis pro suggestu color est optimus, qui nativus. Ergo, ut fert Natura, ita Ecclesiastæ munus imple. Alioquin affectatio se prodet, res fœda, ut dictum, & intolerabilis in Evangelii præcone. Hîc quæras: Quos ergo concionatores leget concionator, si optimos quosque audire nequeat? Biblia leget, & interpretes ad rem meliores. Inter primos videntur numerandi *Sebastianus Barradius* in historiam Evangelicam, tomis quatuor comprehensus. *Cornelius à Lapide*, qui jam in tota ferè Biblia complures tomos edidit. *Franciscus Labata* dedit apparatum concionatorum, tribus tomis. In S. Matthæum singillatim bonus & brevis *Paulus de Palacio*. In S. Lucam *Didacus Stella* optimus. In S. Joannem *Franciscus Toletus*. E concionatoribus meliores videntur isti, *Philippus Diez*, *Thomas Stapletonius* in Dominicos tantùm dies. Quem eâdem methodo, sed forsan non pari gradu secutus, in dies festos

Natura sua sequenda concionatori.

Qui auctores legendi.

festos *Laurentius Beyerlinck*. His jure merito jungendi *Didacus Vega* in Dominicos & festos dies. *Ioannes Osorius*, *Ioannes Raulinus*. Lectionem in his positam juvabunt *Ioannis Buscæi* Viridarium & Panarium, *Philippi Doultremanni* Pædagogus Christianus. Studio paucos nomino, Plures in hac classe numerandos non nego. Sed liber omnium optimus, *Biblia*. Accedat interpretatio meliorum, & propria meditatio. Hæc cathedras faciunt salutariter facundas.

Decimum quintum.

XV. Quod dicis, Fac.

Nota.

Concionatori quod alios monet faciendum.

Saltem conare, quod alios mones verbis, monstrare exemplis. Dictis tuis fac fidem factis tuis; quod doces, exhibe. Alioqui nemo tibi credet. Vox illa omnium te feriet: *Dicit, & non facit.*

Matt. c. 23. vers. 3.

CAPVT XIII.

Epilogus.

Temporis parsimonia.

EVLOG. Habes, Faustine, non quod è toto sit optimum, sed quid mihi esse optimum sit visum. Viris eruditis ego leges non figo. Tibi roganti præceptiones aliquot suggessi. Excerpendi classes aperui. Vis inventis uti? Licet. Vis novas invenire? si potes, & istud licet. In meam excerpendi methodum te jurare non cogo. Hoc unum urgeo, EXCERPE. Hac vel illâ semitâ gradiaris, non anxiè contendo modò ad illam, quam monstro, Musarum ædem pervenias.

Quod apud Satyricum pater filio, hoc ego tibi, hoc omnibus litterarum amantibus inculco: *Scribe, vigila; causas age, perlege rubras majorum leges.* Excerpe, & Nota; selige, ac futuro para. Nunc æstas litteraria est, ingruet hiems, quâ partis utendum erit. Nunc messis est, lege spicas & manipulos. Nunc est vindemia, uvas & racemos collige, & vel minimas temporis particulas in usum tuum rape.

Iuvenal. sat. 1. vers. 19.

O tempus! ô thesaurum non ultrà reperiendum! Fluit assiduè, & nobis effluit, quod unum avariter habere deberemus, & nullâ merce aut pretio permutare. Hoc nihilominus illic otio, istic aleâ, hîc fabulis & conviviolis perdimus: & quantum in valetudine & somno? Quod viximus, ubi est? Infinita est velocitas temporis, quæ magis apparet respicientibus. Punctum est, quod vivimus, sed hoc punctum specie quadam longioris temporis dividimus, & Pueritiam, Adolescentiam, Juventutem, Senectutem facimus. Ah ubi sunt ista? Abierunt prima, & tunc denique computamus, & damnum querimur, cùm abierunt. Utinam vel tardè, non enim serò, incipiamus æstimare & amare tempus, cujus unius honesta est avaritia. Illius brevitas, & nostra nobis fragilitas occurrat: bene ponamus hoc quidquid datur, neque tunc primùm vivere incipiamus, cùm desinendum est.

Temporis vitæ divisio.

Plin. lib. 3. epist. ep. 36. fine, mihi pag. 335.

Plinius Cæcilius temporis parcissimus de seipso: *Venor aliquando*, inquit, *sed non sine pugillaribus, ut quamvis nihil ceperim, nonnihil referam.* Idem in ipso terræ motu (jam suprà dictum memineris) more suo excerpsit.

Valer. lib. 8. cap. 6.

Laudatissimâ temporis avaritiâ laborans Cato Uticensis, sine libro curiam adire non solebat, ut illud temporis, quo senatus coit, fabulis non consumeret, otiosus non persederet. Ita Valerio Maximo teste, codices Græcos lectitabat, dum negotia publica seponi librum juberent.

Valer. lib. 6. cap. 2. Altero & octogesimo anno decessit Plato.

Ea in legendo constantia Platonis fuit, ut Sophronem poëtam Syracusium moriens habuerit capiti suppositum. Ita nec extrema quidem ejus hora agitatione studii vacua fuit.

A Annæus Seneca, si veterum ullus, in tempore studiis impendendo attentissimus: *Eò magis*, inquit, *indignor aliquos ex hoc tempore (quod sufficere nec ad necessaria quidem potest, etiamsi custoditum diligentissimè fuerit) in supervacua partem majorem erogare.* Ex hoc tempore tam angusto & rapido, & nos auferente, quid juvat majorem partem mittere in vanum? Heu irreparabilem temporis jacturam nemo deplorat; re omnium pretiosissimâ luditur. Fallit autem illos, quia res incorporalis est, quia sub oculos non venit, ideóque vilissima æstimatur, imò pæne nullum pretium ejus est. Nemo invenitur, qui pecuniam suam dividere velit; vitam unusquisque quàm multis dividit? hinc somno, hinc desidiæ, hinc voluptati & gulæ. Adstricti sunt in continendo patrimonio; simul ad temporis jacturam ventum est, profusissimi.

Senec. ep. 49. m. p. 466.

Tempus in superflua non erogandum.

O Faustine, Tempori parce magis, quàm auro, magis quàm ullis gemmis. Fila aurea, minimas auri particulas, ramenta tenuissima anxiè colligimus; tot aureas B Temporis, non horas tantùm, sed & dies, & menses sponte perdimus? Insania nimis luculenta, exitiosus planè furor. Abbas Dorotheus, ne quid temporis amitteret, dum corpus cibo reficiebat, librum semper juxta se positum habebat, in quem identidem reflectebat oculos; eumdem ad lectum ponebat, ut quamprimùm se somno potuisset surripere, lectionem inchoaret. Rerum pretiosarum omnium multò pretiosissima, Tempus. Hîc ego tibi & omnibus Siracidæ illud vel millies inclamem: *Fili, conserva Tempus.* Cave vel minimam horulæ partem otiosè umquam transigas; qui nihil agunt, mortui ambulant inter vivos, homines trioboli, pecus ignavum, inertes Lenteli, qui hoc unum nôrunt, Tempus perdere.

Eccli. cap. 4. vers. 23.

Jactura omnium non turpissima solùm, sed & damnosissima est temporis. Ad quam Bernardus altè ingemiscens: *Non advertit insipiens*, ait, *quid amittat. Libet confabulari, ajunt, donec hora prætereat.* Ea nimirum hora, quâ totam æternitatem beatitudinis licet emere. *Non* igitur, C quod Siracides etiam monet, *defrauderis à die bono, & particula boni doni non te prætereat.* Cave fures, sed præcipuè Temporis, qui etsi velint, reddere non possunt, quod abstulerunt. Hinc pæne quivis nostrûm crebriùs jacturam temporis deploret non ignoto metro:

Jactura temporis est damnosissima. *Bern. serm. de triplici custodiâ. Eccli. c. 14. vers. 14.*

Damna fleo rerum, sed plus fleo damna dierum;
Rex poterit rebus succurrere, nemo diebus.

Verissimè dixit Annæus philosophus: *Nemo annos, nemo tot dies optimos restituet, nemo iterum te tibi reddet.* Age sis, Faustine, & incipe; Excerpe & Nota, para tibi supellectilem, quam temporis parsimonia, si velis, mirificè ditabit. Intra non longum tempus sedulitatis tuæ cernes ingentem quæstum. Sed agendum strenuè. Nonnumquam & nocti decerpendum aliquid, legendum, cogitandum, scribendum; lectum, cogitatum, scriptum meminisse repetendum, nullum nec segmen temporis per desidiam abjiciendum, omnes horulæ partes occupandæ, nihil diei à labore vacuum transmittendum. Assiduè D tecum volve, quod Græcis dicitur: Sumptuosissima jactura Tempus. Sed eamus, mensa vocat. Dum imus, ne quid temporis perdamus, unicum quod Annæus præcipit Lucilio, hoc ego tibi cognato meo: Ita fac, mi Faustine, vendica te tibi, & tempus, quod adhuc, aut auferebatur, aut surripiebatur, aut excidebat, collige & serva. Quædam tempora eripiuntur nobis, quædam subducuntur, quædam effluunt. Turpissima est jactura, quæ per negligentiam venit: & si volueris attendere, magna vitæ pars elabitur malè agêtibus *a*, maxima nihil agentibus *b*, tota aliud agentibus *c*. Quem mihi dabis, qui aliquod pretium tempori ponat? qui diem æstimet? Fac ergo, mi Faustine, quod facturum te recipis, omnes horas complectere.

Seneca de brevit. vitæ, cap. 9.

Πολυτελέστατον ἀναλωμα χρόνος.

a *In luxu, libidine, vitiis.*
b *In otio, ignaviâ, somno.*
c *Occupati ubi non oportet. Seneca epist. 1.*

FINIS.

DAVID REX.

CAPVT I.

Davidis ortus & educatio.

GEMINVM Deus in hoc orbe speculum proponit inspiciendum, *Naturam & Scripturã*. Quidquid de Deo notitiæ habemus, id vel è rebus creatis, vel è codicibus divinis haurimus. Res creatæ omnes summam Dei potentiam, bonitatem, sapientiam misericordiam, providentiam, amorem, justitiam Rhetoricâ silenti eloquuntur. Quisquis intuetur cælum, & imminensam illius, tam altitudinem quàm amplitudinem cum animo suo volvat, apertè demum pronuntiat: Hujus palatii architectus sui similem non habet. Ad cognitionem istam è rebus creatis hauriendam Scriptura nos ducit, haustámque illinc notitiam confirmat & stabilit. Eò Paulinę voces spectant: *Videmus nunc per speculum in ænigmate*. Nondum ad infinitum illud divinitatis theatrum considemus, in quo cernamus universa & singula; non deest tamen speculum duplex tam rerum conditarum, quàm sacrarum paginarum, quæ utrimque nos docent ac instruunt. Et quamvis res creatæ nostram inscitiam insigniter erudiant, id tamen paginæ sacræ multò copiosiùs prestant. *Quæcunque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt. Si Mosen & Prophetas non audiunt, neque, si quis ex mortuis resurrexerit, credent.*

Eam ob causam orbis præceptor Christus ad divinos libros ruditatem nostram ablegans: *Scrutamini*, ait *Scripturas*. Hic fundamentum est actionum Christianarum. Hi fons solatii cœlestis, actuosę lucis, solidæ virtutis est. Hic vel vocula volumen æquat, hic nullę verborum inaniæ aut redundantiæ. *Spiritus loquitur mysteria*.

Ajunt Platonem Mosis scriptum, Geneseos librum volutâsse, cúmq, illam rationum exuberantiam scholis familiarem ac notam non reperisset, demum dixisse: Hic homo multa dicit, & pauca probat. Quid ais, mi Plato, digitum oppone ori, hîc ratiúculis non agitur: nec enim decet, ut olla figulum rationes poscat: Deum hominibus facti rationem reddere non moris est. Dei voluntas pro decem millibus rationum est.

Quando igitur in divinarum legum monumentis eruditionis solidissimę medulla, lex vitæ certissima, inde nos scriptionis nostræ seriem petemus. Et quando Annæus sapienter monet, in rem præsentem venias oportet. *Primum, quia homines amplius oculis quàm auribus credunt: deinde quia longum iter est per præcepta, breve & efficax per exempla.*

In prisci ævi exemplis vix illustrius reperiemus, quàm Hebronis & Hierosolymorum Imperatorem David Iessæum. Hic vir, hîc est, qui Cæsaribus, Regibus, Principibus, Dynastis, qui Dominis & servis, opulentis & egenis, summis, infimis, omni hominum ordini facem præfert exactissimæ virtutis. Nævos in eo reperiri non negamus: Habet & sol suas maculas. Nam vitiis nemo sine nascitur; optimus ille est, qui minimis urgetur. Exterse Davidis maculæ nitorem sanctimoniæ non leviter acuerunt. Si non peccantem David cerneremus, certè nec ita pœnitentem haberemus. Peccati dulcedinem acerbitas doloris longè superavit. Vt igitur non solùm in violatâ, sed & post lapsum restauratâ sanctimoniâ quod imitaretur cerneret, Regum optimus David in utróque proponitur illustrissimum exemplar. Cum Tarsensi Paulo Rex iste dixerit: *Omnibus omnia factus sum*. Quem igitur, mi Lector, tibi vis producam? Pastorem pecoris, opilionem? Eum ex arte novit agere David. Militem? Eum tibi, si isto pauperem quidem, sed cordatissimum David. Ducem? do peritissimum, & summè strenuum David. Regis Consiliarium? à prudentiâ & facundiâ celeberrimum adduco David. Servum fidelissimum? Nemo fidelior Davide. Hominem extremâ inopiâ conflictatum? De ipso David fatetur: *Sustulit eum de gregibus ovium, de postfetantes accepit eum.* Hominem contagionis ærumnis confectum? Hic ipse filius Iesse fuit. Magistrum Ethices & Politices doctissimum? E cathedrâ docentem licet audire David. Artificem insignissimum? Ingenio ad artes & scientias David promptissimo fuit. Musicum excellentissimum? à malo genio infestos fidibus tranquillare potuit David. Regem prudentissimum? Regum rex David appellari potuit. Virum secundùm cor Dei? Omnes Dei voluntates fecit David. Prophetam? Plenus sancto Spiritu David, & vaticiniis abundantissimus. Iudęorum optimum? Postremus Iesse filius fuit, è cujus prosapiâ natus Servator Christianum perfectissimum? Ipsius Christi, typus fuerat Rex David. Compendio dicam: imaginem & effigiem virtutis accuratissimam hîc propono regem Hebræum David. De hoc Principe omnis nostra hæc scriptio loquetur. Ad optimos mores formandos nil pulchrius, putem, nec utilius melióve aliquid dictione prosequemur, quàm istud Hebrææ gentis sidus illustrissimum, Regem David. In hoc uno viro & sæculi insolentiam, & virtutum cum vitiis pugnam ac victoriam, gubernationem Dei providentissimam spectabimus. Addo de fine ac ordine scriptionis.

In violatâ & restauratâ sanctimoniâ proponitur ut exemplar. 1. Cor. c. 9. v. 22.

Psal. 77. v. 70.

§. I.

FINIS ad quem hæc tota ferè scriptio collineat, est Davidis admirandus cum divinâ voluntate consensus in quibuscunq; vel turbatissimis rebus. Subinde David videri potuit perdidisse omnia, retinuit tamen semper fiduciam in Deum, & incredibilem cum voluntate primâ conformationem. Virum memorat robustissimum à vegetis decem juvenibus cinctum, humi dejectum, calcibus petitum, unum omnes aut insidendo, aut adversis genibus premendo contundebat, ille nihilominus animi plenus vociferabatur: Non dedo me vobis; resurgam & domabo vos. *Viro forti*, ait Seneca, *id accidere non potest, ut vincatur: nunquam enim succumbet, nunquam renuntiabit, ad ultimum usque diem vitæ stabit paratus, & in hac statione morietur: magna se accepisse præ se ferens, paria voluisse*. Ita David inter ruinas erectissimus, omni fortunâ ibat celsior. Hinc ille voces animosissimæ: *In te, Domine, speravi, non confundar in æternum*. Hinc illæ ad Deum preces: *Memento, Domine, David, & omnis mansuetudinis ejus*. Hieronymus ex Hebræo sic vertit: Memento, Domine, David, & omnis afflictionis ejus. Neque hoc David de ipso, sed Salomon de suo parente, vel piorum cœtus de suo rege pronuntiavit. Has tibi voces, mi Lector, cupio esse familiarissimas in adversis omnibus usurpandas:

Finis scriptionis.

Seneca lib. 5. de Benef. c. 1. mihi pag. 329.

Psal. 30. v. 1.

Psal. 131. v. 1.

pandas: Memento, memento David, & omnis afflictionis, patientiæ, mansuetudinis ejus, memento. Hæ voces sæpius nobis ingeminandæ, ut eæ tantò altiùs infigantur, quantò crebriùs fuerint repetitæ. Atque hic finis nostræ scriptionis est, quam pro re natâ variis præceptionibus ac documentis porrò instruemus.

Et Ordo. Ordo autem is erit maximam partem, qui sacræ ipsius historiæ ac temporis est. Nec verò facilè quadquam à nobis dicetur, quod divini voluminis auctoritate firmari non possit è fastis & Chronico Regum. E quibus in antecessum hæc paucula præmittimus. Rex David annis universè septuaginta vixit, septem & dimidio, Hebronis, triginta tribus Hierosolymorum. Rex fuit, filios novemdecim, unam filiam Thamar educavit, sed disciplinâ non nimiùm strictâ, quod suo tempore patebit. Nunc à cunis ortum Davidis arcessamus.

§. II.

Ejus nativitas. NAtus est David ab orbe condito bis millesimo nongentesimo quinquagesimo anno. Ante natalem Christi millesimo centesimo tertio, Pater Davidis Isai seu, Jesse Ithlehemita, cui septuagesimum jam annum agenti uxor octavum hunc dedit filium.

Pater. Matthæus stirpem Davidis hunc in modum memorat. Booz è Ruth filium tulit Obed, Obedi filius Iesse,

Genealogia. parens Davidis, cujus Booz & Ruth abavus & abavia, homines non tenuium fortunarum fuerunt. Iosephus Græcus scriptor prosapiam hanc deducens: Hæc, inquit, necesse habui de Ruth narrare, volens Dei potentiam ostendere, cui facile est etiam vulgares homines ad amplissimam dignitatem perducere, sicut perduxit Davidem ex mediocribus majoribus oriundum. Altissimus Deus *humilia respicit in cælo & in terrâ, suscitans à terrâ inopem, & de stercore erigens pauperem, ut collocet eum cum principibus, cum principibus populi sui.* Sunt non rarò Domini, qui sibi ducant honori egentiorem servulum ad meliorem fortunam evehere. Deus tam bonus est Dominus, qui ad suum honorem maximè spectare judicet servulos suos in lucem educere. Ita cum vivis agit & mortuis. Quoties vel suorum ossa viliori loco abjecta, honoratissimo locari voluit? Ita beatorum Martyrum Gervasii & Protasii lipsana, quod Ambrosius narrat, sub ignobili cespite depressa, honoratiore conditorio jussit reponi. Atque hoc honoris liberalius impendit vivis. Spretos ab aliis & desertos è sordibus & luctu educit in sublime, & ad honorem extollit. Hic Dei mos est, infima & contemptibilia sibi eligere, & in celsam dignitatis sedem efferre, opiliones in reges, bubulcos in Prophetas, piscatores in Apostolos, telonarios in Evangelistas adsciscere.

Psal.112. v. 6.7. & 8.

Deus servos suos tam vivos quàm mortuos ad celsam dignitatis sedem effert.

Enimverò non infrequenter contingit, cùm herus famulum abjectiorem in majus provehit, mirari multos & quærere: Quid, quæso, huic domino tantopere placere potuit in hoc servo, ut eum ad id honoris extolleret? Liceat hîc idem interrogare: Quid Numen in Davide adeò probavit, ut eum tot centonis millibus prætulerit? Deus sibimet velut gratulatus: *Inveni*, ait, *David filium Iesse, virum secundum cor meum, qui faciet omnes voluntates meas.* In servitiis humanis si quis servorum quàm maximè cupiat se approbare Domino, clam sciscitari solet, quos præcipuè mores dominus ille oderit, quos amet, quis viri genius, quibus potissimùm obsequiis demulceatur: De diversis variè respondetur: Hic quidem à suis eximiam sobrietatem exigit; potulentos & madidos non tolerat: ille non nisi mundos familiam adsciscit: iste scitè ac mundulè vestitos diligit: Hic cumprimis quærit an sibi serviturus, Deo fidelis videatur; si quem audiat concionis fugitantem, vix semel annuatim conscientiam lustrare: Apage, inquit, hoc genus hominis; nolo ser-

Actor. c. 13. v. 22.

A vos pietatis osores. Cur Deo servituri non itidem quærant: Quid Deus singulariter in suis servulis probat? Quis ei præ ceteris placet? Is utique qui divinæ voluntati suam studiosissimè adjungit, illúdque in omnibus vult, quod dominus. Hunc talem Deus diutissimè quæsivit. Tandem non sine gratulatione: Inveni, ait, inveni. Quémnā obsecro? David filium Iesse, inter fratres natu minimum ac postremissimum.

Quid Deus in servis suis probet.

§. III.

Christus sub imagine pastoris & mulieris proponit quales servos velit.

CHristus in evangeliis homines sollicitè aliquid quærentes sub geminâ proponit imagine Pastoris & mulieris: Pastoris qui è centenis ovibus vel unicam amissam, nonaginta novem deserens summâ sedulitate querit: Mulieris, quę unicam è decem drachmis perditam tam avidis oculis vestigat, ut cereum accędat, domum everrat, omnes angulos excutiat: reperta convocat vicinianta ad gaudium: ita Deus, veluti diutissimè quęsiisset: Invēni, ait, quem quærebam. Hic vir ad lubitum nutúmque meum factus, hic servus totum se finget ad meum arbitrium, suam voluntatem in omnibus accōmodabit meæ, faciet omnes voluntates meas, hoc servo nemo mihi magis est ex sententiâ. Quod expendens Chrysostomus: *David sanctissimus*, inquit, *homo secundum cor Dei, quidquid Deus cogitat, gerit; quidquid mente concipit, perficit: David cordi Dei proprium cor jungit, & menti ejus mentem suam annectit.*

Chrys. hom. de David & Goliath.

David per varias calamitates ad sanctimoniæ gradum ascendit.

Sed enim ad hunc sanctimoniæ gradum non suavi aut facili conatu David ascendit. Deus illum reverà non molliter habuit, alias super alias calamitates in illum immisit, rebus eum asperrimis exercuit & duravit, nihilominus David variâ clade dejectus animum non dejecit, quantò magis circum se lababant omnia, tantò ille firmiorē in Deum fiduciā erexit, tantò paratior divinę se voluntati accōmodavit. Atque istud è dissertatione hac primâ discamus: Si Numini servire cupimus, id assiduè quæramus: Quódnam inter obsequia Numinis est præstantissimum? Quo maximè servitio Rex cæli delectatur? Eo utique, ut in rebus omnibus, præcipuè adversis, nostram ipsius voluntati adjungamus, ad omnes illius nutus, David is æmulatione, paratissimi. Qui verò fit, quòd servorum alii alios officiorum solertiâ superare, auctiorem domini gratiam emereri contendant, nos segnes in Dei servitiis nihil ejuscemodi certaminis cogitemus? Vbi spiritûs generositas, quæ non tam aliis gratiam præripere, quàm sibi suam identidem augere desiderat? Augetur autem plurimùm humanæ voluntatis ad divinam conformatione, quæ quantò est perfectior, tantò illustrior est sanctimonia & auctior gratia.

Quodnam inter obsequia quia Numinis est præstantissimum.

CAPVT II.

David in regem ungitur.

TVLLVS Hostilius Romanorum Rex tertius in mapali natus est. Nam, Valerio teste, incunabula Tulli Hostilii agreste tugurium cepit. Nec continuò inde in solium evectus. Ejusdem enim adolescentia in pecore pascendo occupata fuit, validior ætas Romanum Imperium rexit & duplicavit.

Valer. l. 1. c. 4.

David è Bethlehem oriundus.

David è Bethlehem oppido vili oriundus, parentem habuit Isaiæ virum rusticanum, sed agri divitem & copiosum, fratres gregarii milites stipendia fecerunt militiæ. Nihilominus, quia sic visum est Deo, ab origine domóque humili in eam amplitudinem emersit David, ut geminum Israëlis & Iuda regnum obtinuerit, verùm nō uno id anno impetratum. Lentis reverà & nimiùm morosis successibus imperiū Davidis crevit. Et quamvis illum Deus etiámnum juvenem in regem ungi voluerit, ad regnum tamen & ad sceptrum

lentis & morosis successibus imperium obtinuit.

soliúmque

soliùmque non pervenit nisi per luctas & ærumnas maximas. Algere priùs & æstuare, esurire didicit ac sitire. Diadema illi Deus & coronam regiam porrexit, sed cuspidatam & aculeatam; mucrones & muricesque erant pêsandi. Antè sudavit & alsit, quàm regium thronum conscenderet. Fuisset, qui dixisset: Tantis sudoribus laboriosum hoc fastigium non emissem, si tantam ærumnarum seriem secuturam præscissem. At verò David ad omnem Dei nutum paratissimus, non recusavit hac lege regnum accipere, quâ Deo placuit dare. Nos adolescentiam Davidis in pascendis ovibus occupatam silentio prætereuntes ad magis seria progrediemur. Hac igitur dissertatione sub oculos ponemus. Davidem à vate Samuele in regem unctum, sed inter domesticos parietes & modicis cæremoniis, nullo conviviorum & aut ludorum luxu præsentibus parente solùm & fratribus. Vt autem dicenda in compendium conferamus & consulamus memoriæ in singularum dissertationum exordiis, summam capitis in pauculas voces redigemus. Exemplo sit istud proximum: David in regem ungitur.

1 Samuele 16. in regem unctus.

§. I.

Saul finem dedit judiciis & initium regibus.

SAul Hebrææ Reipublicæ velut horizon, finem judicibus, initium dedit Regibus, primus & pessimus rex, repudiatâ illius nequitiâ, prohibitus est Samuel longiore illum luctu prosequi, eodémque jussu divino missus est, ut unum è filiis Isai ungeret in regem: Quis autem ex eo numero, esset eligendus, Samueli ipsi nondum constabat. Eáque propter omnes Isai filios ætatis ordine sibi voluit sisti. Primus adfuit Eliab natu maximus quadraginta vir annorum, pulcher, procerus, imperio dignus. Adjecisset oculos ad illum Samuel, oraculo tamen priùs consulto: *Num*, inquit, *coram Domino est Christus ejus*? Continuò responsum est illi: *Ne respicias vultum ejus, neque altitudinem staturæ ejus, quoniam abjeci eum. Nec juxta intuitum hominis ego judico: homo enim videt ea, quæ parent. Dominus autem intuetur cor.* Quærunt hîc Theologi, num illa Samuelis quæstio interna fuerit, an externa? Internam censent aliqui; alii externam, responso per Angelum dato, ut liquidò scirent Davidis fratres se repulsam passos. Sed rectiùs sentiunt, qui internam fuisse aiunt. Vocatus est ergo secundus natu fratrum Abinadab. Sed responsum est idem quod de priore: *Neque hunc elegit Dominus*. Adductus est ergo tertius, Samma: sed oraculi responsa non variarunt, eadem omnino sententia lata est: *Etiam hunc non elegit Dominus*. Ita quartus filiorum, ita quintus & sextus, ita & septimus, suo quisque ordine accersitus est ad Samuelem. Sed quod de primo, id de reliquis pronuntiatum est: *Non elegit Dominus ex istis* quemquam. Mirabile spectaculum! Vnus ex his fratribus eligendus erat rex, & omnes qui regno videbantur apti, patiebantur repulsam. Ergo Samuel ad Isai versus: Nullúsne, inquit, filiorum tuorum supereſt? Num omnes ad me adducti sunt? Ad quem Isai pater: supereſt, inquit, sed parvulus, & omnium natu minimus, qui pascit oves. Octo filios duásque filias educaverat Isai, sed non æquè omnes probabantur Deo. Ergo Samuel cunctabundum patrem impellens: Actutum, inquit, tuorum filiorum ultimus huc accersatur: nec enim priùs accumbemus mensæ, quàm ille sese hîc stiterit. Bonus Isai parens ingenium octavi filii sanè non noverat, ideo illum contemptim pecori pascendo applicuerat. Hinc & Samueli dixit: *Adhuc reliquus est parvulus, & pascit oves.* Perinde si diceret: Hic quidem à regni negotiis securus est, natu minimus, arte pastorculus, pedo non sceptro aptus. Parvus erat David ad Eliab & fratres ceteros collatus, quibus grandævus parens liberaliùs favebat. Ætate non parvus erat, annum vigesimum agebat. Hic ipse ex agro à pascuis revocandus domum, ut sacro balsamo delibutus rex Hebræus pronuntiaretur. Nec verò priùs epulis accumbere sustinuit Samuel, quàm istud perfecisset: eâ in divinos jussus reverentiâ ferebatur. Accersitus est igitur quum primùm David, juvenis rufus & pulcher aspectu, decorâque facie, oculisque vivacibus & rutilantibus, qui magnæ indolis erant indices, martium quiddam tuebatur. Vbi advenit juvenis hic pastoritius, mox oraculum Samueli dixit: Hic ipse est, quem elegi, hunc unge in regem. Nihil cunctatus Samuel, videntibus & audientibus patre ac fratribus hunc ipsum ceteris abjectiorem oleo perfudit, & designavit regem. Indubiè hos ritus Samuel prævio sermone cõdiit, quo exposuit voluntatem Dei ac providentiam, cui se juvenis totum submisit. Hæc fratres apertissimis oculis spectârunt, sed tamen, quod verosimillimum, hoc divinę voluntatis arcanum non exactè intellexerunt, alioquin eorum aut invidia aut benevolentia malè tacturna id in vulgus sparsisset. Sed neque Samuel Saulis rabiem effugisset, nec Davidem fratres tam acerbè (ut in casteris factum) objurgâssent, si creatum regem liquidò scivissent. Satis videtur certum, hoc Dei consilium nemini, nisi Samueli ac Davidi, & fortassis Isai penitus perspectum fuisse; quibus utique Samuel exposuit, quantis ea familia periculis objiceretur; si Saul illud resciscaret. Admirandam igitur inaugurationem hanc totam Iosephus commemorans: Peracto sacro, inquit, Samuel Iessæum ad epulas unà cum filiis convocat; visóq; natu maximo eximiâ staturâ ac formâ juvene, conjiciebat inde hunc esse regnaturum. Sed hac parte non est assecutus Dei providentiâ. Percontanti enim an hunc juvenem ungere deberet, quem ipse admiratus dignũ ducebat, responsum est: non eadem spectare Deum quæ homines. Tu, inquit, visâ juvenis pulchritudine, jam satis dignum principatu existimas: apud me verò non eximiæ corporis formæ premium est regnum, sed animi virtuti; & cum requiro, qui hac sit perfectè excultus, pietatéque ac justitiâ, obedientiâ & fortitudine animum exornatus. His auditis Propheta jubet Iessæum filios omnes ostendere: moxque & alii quinque adfuerunt. Horum nomina juxta ætatis ordinem sunt hæc: Eliabus, Aminadabus, Samma, Nathanael, Rael, Asamas. His quoque visis, qui nihilo deteriores formâ erant, Propheta rogat Deum, quisnam ex his eligendus esset, & audito quòd nullus, sciscitatur ex Iessæo, num quos præterea liberos habeat. Quo respondente, esse etiam unum nomine Davidem, qui ceram gerat gregum, Propheta jubet, ut confestim vocetur: non enim licitum esse absque illo sacrum epulum celebrari. Qui postquam accitus à patre venit, adolescens colore flavus, & martium quiddam tuens, alioqui liberali specie. Tum Propheta ad patrem versus submissâ voce: Hic est, inquit, quem regnare Deo visum est, & cum dicto accumbit, & proximum sibi adolescentem collocat, ac deinceps patrem cum reliquis filiis. Depromit deinde sacrum oleum, quo delibutum Davidem in aurem admonet, Deum ita velle, ut regnum in populum obtineat: præcipitque ut justitiam colat, & operam det, ne unquam à mandatis Dei discedat. Hoc enim pacto & regnum ejus fore diuturnum, & familiam universam illustre nomen consecuturam. Palæstinos quoque ab illo subigendos, & cum quibuscunque gentibus congressus fuerit, semper victorem rediturum, insignémque inde gloriam tam sibi paraturum, quàm posteris relicturum. Post mandata Samuel domum proficiscitur, simulque Numen deserto Saule ad Davidem commigrat.

1 Samuele 16. v. 6. & seq.

Samuelis quæstio an interna, an externa.

Ibid. v. 8.

Ibid. v. 9.

Ibid. v. 10.

Ibid. v. 11.

David spectantibus patre & fratribus à Samuele ungitur in regem.

Ioseph. l. 6. antiq. Iud. c. 9. p. 186.

Nomina quinque fratrum Davidis.

§. II.

Vnctionis Davidicæ effectus.

1. Spiritus Dei illi datus.

POrrò hanc unctionem suus sequebatur effectus. Et primò quidem, *directus est spiritus Domini à die illâ in David & deinceps*. Quis iste spiritus? Non gratiæ & charitatis, quem ante jam habuit, & ejus jam incrementum accepit. Spiritus hic novus omnigena secum dona detulit, maximè vaticiniorum & fortitudinis. Eapropter rogans Dominum David: *Spiritu principali*, ait, *confirma me*. Eo nimirum spiritu, qui principes regésque deceat: hic spiritus subductis vitiis totum instaurat hominem, timiditatem in generositatem, parcitatem in liberalitatem, pusillanimitatem in magnanimitatem; plebeias virtutes in regias mutat: hic spiritus ad tolerandos labores, subeunda pericula, perferendas ærumnas animat, & vel ruente orbe infractum præstat: hic spiritus mansit in David à die illâ & deinceps reliquo vitæ tempore.

Psal. 50. *v.* 14.

Sed liceat hoc loci quærere: Cur obsecro Saul omni adeò apud Deum gratiâ excidit, ut Samueli diceretur: *Vsquequo tu luges Saul, cùm ego projecerim eum?* Vnde quæso tam gravis contracta est offensa? Ab avaritiâ Saulis, & maximè ab inobedientiâ. Agagum regem Amalecitam captivum habuit, hunc jussu Dei interficiendum servavit, cùm eum speraret grandi auro redimendum, aut certè thesauros in Amalecitide defossos ab eo indicandos; aut illum jam bello exarmatum in triumpho ducendum destinavit; deinde greges optimos Amalecitarum prædam sacrificiis admoveri voluit, turpi partim avaritiâ, partim inobedientiâ. Sed & illud hominis inobedientis, & refractarii grande fuit specimen. Præceperat ei Samuel, ne priùs initium sacrificii faceret, quàm ipse præsens adveniret. Diebus septem expectavit, Samuel non comparuit, dilapsi milites, irruerunt hostes; ita non simplici necessitate, compulsus poterat videri Saul. Ergo principium sacrificiis dari jussit, Samuele nondum præsente. Modò unam alterámve horulam expectâsset, obedientiæ numeros omnes expleisset. O lentam quidem, sed stultam præcipitantiam! Mox Samuel advolans, & inobedientiam gravissimis verbis exprobrans: *Stultè*, inquit, *egisti, nec custodisti mandata Domini Dei tui, quæ præcepit tibi. Quod si non fecisses, jam nunc præparâsset Dominus regnum tuum super Israël in sempiternum. Sed nequaquam regnum tuum ultrà consurget. Quæsivit Dominus sibi virum juxta cor suum, & præcepit ei Dominus, ut esset dux super populum suum, eò quòd non servaveris, quæ præcepit Dominus.* Obstupesco tam exactam postulari obedientiam; Deus non solùm vult fieri, quæ jubet, sed etiam eo modo, eo tempore ac loco, quo jubet. Deus jussit; ergo parendum est, etsi mille rationes avocent. Deus præcepit; ergo nemini fas reluctari, si vel cœlum ruat, vel terra dehiscat. Sed origo Saulis in malum præcipitati ea fuit, quam Samuel illi in os exprobrans: *Nonne*, inquit, *cùm parvulus esses in oculis tuis, caput in Israël factus es?* Perinde si diceret Deus: Ætas tua mihi jam exolevit; fastidio te, tuósque mores turgidos. Hi tales certè homines cerebrosi, sui arbitrii, controversi, fastuosi sunt. Seipsum quivis, suámque conscientiam interroget. Num adhuc parvulus es in tuis oculis, & an ægrè laturus es, talis ab aliis haberi.

1. Reg. c. 16. v. 1.

Saul excidit gratiâ apud Deum propter avaritiam & inobedientiam.

Ejus inobedientiæ specimen.

1. Reg. c. 13. v. 13. & seq.

Præcepta Dei implenda eo modo, tempore, & loco, quo jubet.

1. Reg. c. 15. v. 17.

2. Voluntas Dei.

1. Reg. c. 16. v. 3.

Secundò hîc observandum: Voluntatem suam Deus in uno aliquo declarat, in alio celat. Samueli præcipiens: *Vnges*, inquit, *quemcunque monstravero tibi.* Perinde si in castris præcipiatur annonæ præfecto, commeatum aliò vehere, religiosè tamen sileatur, quò vehendus sit: ita Samueli dictum est: Vnge novum regem, non tamen expressum, quis ille sit. Factum hoc, uti censet Theodoretus, Prophetæ in humilitatem submittendo, qui futurorum aliquid, non tamen simul omnia scivit. Potuisset quidem quærere. Domine, quod novi regis nomen est? ne forsan errem & ungam non designatum. Respondetur: Tu perge, dicam id suo tempore. Idem Abrahamo contigit. Jusserat Deus in victimam sibi offerri filium, idque in monte certo, illius tamen nomen non exprimens: *Super unum montium*, inquit, *quem monstravero tibi. Vere tu es Deus absconditus.* Plurima sunt, quæ præmaturè cùpimus scire, sed ea Deus certo consilio tegit, suo tempore revelanda. Caussarum Deus sat habuit, ut in rebus omnibus, quas Samuelis intelligentia non est assecuta. Hæc autem inter alias videtur fuisse, ut tam Isai pater, quàm fratres hoc ungendi regis consilium non à Samuele, sed à Deo crederent oriri, præsertim cùm divinus vates ex eorum numero ungendum aliquem sciret, nesciret quem Deus destinâsset.

Gen. c. 22. v. 2. Isa. c. 45. v. 15.

Caussa cur Samuel non intelligit quis ungendus esset in regem.

§. III.

3. Judicia Dei.

TErtiò hîc observanda Dei judicia mira, terribilia, mirissima. Samuel Eliabum à statura & vultu probatum illico unxisset in regem. Sed prohibens Deus: *Abjeci eum*, inquit, *ne respicias vultum ejus.* Cur obsecro, mi Deus, abjecisti virum regno tam dignum? Superbus & iracundus fuit. Audiemus suo tempore, quàm acerbè fratrem exceperit in castris. Sed fuerit integer vitæ scelerisque purus, illum Deus peræquè potuisset repudiare, ut sciatur ab uno solóque Deo, ejusque nutibus pendere, conditione humiles simus an sublimes. Tam nihil promeritorum potest jactare, qui Princeps, qui Rex, aut Cæsar nascitur, quàm qui mendicus aut mancipium. Honores Deus & opes, cæteráque vitæ illustriora commoda dignis, indigníque promiscuè dilargitur. Patriarchæ Iacob optimas fertilésque terras, steriliores Esaüo dedit; regionem Sodomitis dedit pinguissimam, alii multò sanctiores iis acceperunt minùs pinguem. Indiscriminatim hæc Deus per orbem spargit, sine ullius injuriâ. Ab omni priùs æternitate decrevit Deus quem velit extollere, quem verò deprimere: quosdam ad res prosperas, quosdam ad miserias pæne continuas destinavit. Nemo hîc suis gratias agat meritis, Deus utilitatibus nostris carere potest. *Quid ergo dicemus*, inquit Paulus, *nunquid iniquitas apud Deum? Absit. Mosi enim dicit: Miserebor cujus misereor, & misericordiam præstabo, cui miserebor. Non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei.* Neminis est dicere: Ego Dominus, & non est alius præter me. Hoc cristas arrogantiæ nostræ dejicit, hoc superbi spiritûs succidit alas, hoc animi demissionem, humilitatem veram facillimè persuaserit. Vix virtutis extimam habemus umbram, & animum extollamus?

Honores & opes Deus largitur, sine ullius injuriâ.

Rom. c. 9. v. 14 & 15.

Et ô quanta humani ac divini judicii differentia! Humanum ideo errat, quàm creberrimè, quia rerum signa tantùm aspicit, quæ nimiùm quantùm plerumque fallunt; Deus autem rem læsam penitissimè perspectam habet: *Homo videt ea, quæ parent, Dominus autem intuetur cor.* Cùm nos hominem exteriùs compositum, comem, humanum, affabilem cernimus, ad virtutis normam factum credimus, sed fallimur crebrimè. Decipit humana facies; verba sunt paululùm certiora signa latentis animi, utroque evidentior index pectoris est actio. Sed & hæc persæpe fallit. Quando igitur animum mentémque hominis inspicere nequaquam possumus, eam ob rem nec possumus judicare ullum hominem. Idcirco Christi monitum est: *Nolite judicare*, perinde si diceret: Nolite errare. Quisquis alterius animum non inspicit, eorum judex esse nequit, quæ animo delitescunt. Deus intuetur cor. Mortalium nulli, nullis diabolis, sed nec ullis Angelis cordis secretum patet. Deus solus & unicus hâc inexploratam, & multò profundissimam specum explorat & scrutatur.

Humanæ ac divini judicii differentia.

1. Reg. c. 16. v. 7.

Matth. c. 7. v. 1.

Quartò

Quartò, *Directus est spiritus Domini in David.* Hic Dei mos est; instrumentis utitur plerumque minùs ad rem idoneis, ut ingenium pateat artificis. Quemadmodum scriba peritissimus sulfuratas sumit tædulas, & iis pingit pulcherrimè: ita Christus suis legibus subjecturus orbem, duodecim piscatores elegit, & orbis impietatem per eos expugnauit. Nimirum hoc agit Deus, ut liquidò sciatur, hæc opera potestatis esse divinæ; & ut fastuosus homo, quo Deus utitur instrumento, nullum sibi arroget nomen magisterii. Nimis modicæ sunt vires nostræ, si suas Deus subtrahit. Ridiculè superbit aquæ bajulus de cibis à se bene coctis, cùm cocum non aliâ re, quàm hauriendâ aquâ juuerit. Deus est, qui coquit, nos viles homunculi aquam apportamus, atque hoc ipsum non nostris viribus. Quod Augustinus eruditè confirmans: *Qui in nobis*, inquit, *victi sumus, in illo vicimus: ergo coronat, quia coronat dona sua, non merita tua.*

Potuisset tergiversari David, & excusando se dicere: Hanc ego sublimitatem nunquam somniavi; opilio sum, oves scio pascere, non homines; ad pedum, non ad diadema & sceptrum natus sum; me tegetes & rude sabanum magis ornant quàm purpura: bonum est mihi sublimia non tentare. Sed respondit Samuel: Tu sine modò, sine, & divinæ voluntati te da: quod cœpit Deus, finiet. Tu tamen nunquam obliviscaris ex humili & vili loco ad istud fastigii divinis te viribus evectum. Certè oblitus non est, qualis fuerit, quantus fastus sit. Hoc ipsum crebriùs sacris carminibus inserens: *Quis sicut Dominus noster*, inquit, *qui in altis habitat, & humilia respicit in cœlo & in terrâ? suscitans à terrâ inopem, & de stercore erigens pauperem: ut collocet eum cum principibus, cum principibus populi sui. Elegit David servum suum, & sustulit eum de gregibus ovium, de post fœtantes accepit eum.* Qualescunque simus, quantacunque patremus, è colluvie ac squalore producimur à Deo. Quod David altâ memoriâque mente reposuit. Et in hunc directus est Domini spiritus. Siquidem illi copiosiorem subministrat gratiam Deus, cui ampliorem provinciam, cui difficiliorem committit præfecturam. Bonus ac liberalis Dominus, qui & officium credit, & unâ vires suggerit officio explendo. Non rarò contingit, ut ei deferatur munus, qui se planè judicat eo indignum, & inhabilem. Huic plerumque rectè suadetur: Sequere vocantem Deum; sustine hoc munus mi homo, & fide Deo. Cùm Deus tibi dederit boves, dabit & præsepe boûm; cùm ingerit labores, sufficiet & vires; cùm imponit onera, addet & subsidia. Hic Domini spiritus non priùs Davidi datus est, quàm jus ad regnum.

Quintò hîc exponendum illud sacri carminis: *Memento Domine David, & omnis mansuetudinis* (omnis afflictionis) *ejus*. Videte obsecro initium hujus regni adversa plurima. Ipse Davidis parens Isai in hac electione filium suffragio non juuisset, imò verò etiam impediisset, si ei liberum fuisset. Contemptim de illo dixit: *Adhuc reliquus est parvulus, & pascit oves.* Perinde si diceret: Nequaquam est ejus auctoritatis, functionis, ætatis, ut cum dignitate sisti possit Prophetæ, in regem ungendus. Et juvenis, & ovium custos est. Idcirco David de seipso: *Adolescentulus sum ego*, inquit, *& contemptus, justificationes tuas non sum oblitus.* Nimirum *ante ruinam exaltatur spiritus*, ante exaltationem deprimitur & incurvatur. Quandocunque Deus paraturus est magna, præmittere solet adversa. A rebus turbidis rectissimè fit gradus ad tranquillas. Ita parentes cum liberis ludunt, Myrensem Præsulem Nicolaum repræsentaturi crepundia donant & pupas, sed unà jungunt & virgas. Ad magna nos evehit Deus, sed plerumque in igneo urentium ærumnarum vehiculo. Dilucidè Christus: *Nemo est*, inquit, *qui reliquerit domum, aut fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut filios, aut agros propter me, & propter Evangelium, qui non accipiet centies tantùm nunc, in tempore hoc, domos, & fratres, & sorores, & matres, & filios, & agros cum persecutionibus.* Grata illa omnia & amœna præter hanc unam appendiculam *cum persecutionibus*. Quid-quid agamus, hæc tristium & lætorum mixtura est admittenda. Omnia, inquit Christus, quæ mei causâ perduntur, reddam centuplicato fenore, adjunctis tamen & persecutionibus. Premunt istæ amicos Dei, non opprimunt. Andreas Cardinalis Ferdinandi Archiducis filius, hoc usus est symbolo: Cucurbitam aquis innatantem curavit pingi, & inscriptionem hanc addidit: *Iactor, non mergor*. Ærumnis variis jactamur! Bono animo; non mergemur. Bonum malúmve corium produnt pluviæ; Bonum malúmve hominem ærumnæ.

Marci c. 10. v. 29. & 30

In nostris actionibus tristium & lætorum mixtura esse debet.

CAPVT III.

David virtutum edit specimina.

MIratur Orbis hodiéque Socratem non à fortunis, sed à scientiis æstimandum. Socratis parens Sophroniscus Statuarius, Phænereta obstetrix. Hi natales Socratis paupertini ac humiles. Non illi tamen obstitit originis humilitas. Nam eò virtute ac sapientiâ peruenit vir iste, ut eum nemo non sapientissimum æstimârit. Philosophis, tam iis, qui superiores ævo fuerunt, quàm qui inferiores, plurimum lucis præluxit. Errores se antecedentium correxit, sequentium sustulit. Illi cælum & terram dimensi, de sideribus, de elementis, de principiis disserebant, seipsos non inspiciebant. De rerum naturis subtilia multa tractabant, definiebant, dividebant, ratiocinabantur, acutissimè concludebant, libros implebant, sapientiam buccis concrepantibus ventilabant. At Socrates dux viæ primus: Quæso vos æbat, potiora priùs curemus, & ab his digressi ingrediamur microcosmum, quilibet seipsum. Ridiculum est de stellis disputare, cæli oculos nosse, seipsum ignorare, ad sua vitia cæcutire. Animi latibula omnium primò excutienda. Atque hinc Valerius maximus hoc encomii assignat Socrati: Animum ab indoctis erroribus obductum in intima conditionis humanæ, & in secessum pectoris repositos affectus scrutari coëgit. Certè si virtutis pretium non aliunde, sed ab ipsâ petamus virtute, optimus vitæ magister fuit. Alii docebant sapere, ille docebat vivere.

Davidis ortus humilis.

Davidis ortus humilis, natales parum clari fuerunt. Sed nihil ei obfuit prosapia rusticana, nihil eum impedivit generis ignobilitas. Tantò clarior effulsit virtus, quantò tenuior erat stemmatis origo. Multò grandius est dignitatem generis, & amplitudinem parentibus dare, quàm ab iis accipere. Quod Chrysostomus observans: *Melius est*, inquit, *ut in te gloriatur parentes, quàm tu in parentibus.* Vnus de multis fuisset Isai, nunquam spectabilis, nunquam inclytus & in Orbe celebris, nisi hoc fuisset auctus filio, qui sapientiâ & & virtute in eam excrevit claritatem, ut multò potiori jure, quàm Socrates, dici potuerit optimus vitæ magister, si virtus per se ipsam æstimetur, non spectata natalium splendore. Et in hanc virtutis palæstram, juvenis hic pastoritius maturè prorsus descendit, jam enim in agris, intérque oves fortitudinis, pietatis, & cum Deo familiaritatis, jam illustrium virtutum edidit specimina, de quo hac dissertatione agemus.

Parentibus tamen generis dignitatem auxit.

Chrysost. in Matth.

§. I.

DAvidi jam quidem in regem uncto, ad caulas tamen redeundum fuit. O qualis rex! pro dia-

demate

demate petasum, pro sceptro pedum, pro purpurâ vilissimam gerit lacernã. Davidem à Samuelis unctione ad pascendas oves excitisse, è fastis regiis certum.

1.Reg.c.16. v.20. Fortitudinis Davidis admiranda experimenta. Chrys.hom. 46.in Gen. 1.Reg.c.17. v.34.& seq.

Saul enim à malo genio vexatus, mandavit Isai: *Mitte ad me David filium tuum, qui est in pascuis.* Hanc David primam habuit suæ virtutis athleticam arenam, hîc fortitudinis admiranda dedit experimenta, quæ cogebatur Sauli recensere. Quod affirmans Chrysostomus: *Diffidit illi rex*, inquit, *quapropter David facinora referre cogitur*, his omnino verbis: *Pascebat servus tuus patris sui gregem, & veniebat leo, vel ursus, & tollebat arietem de medio gregis: & persequebar eos, & percutiebam, eruebámque de ore eorum, & illi consurgebant adversum me, & apprehendebam mentum eorum, & suffocabam, interficiebámque eos. Nam & leonem & ursum interfeci ego servus tuus.* Ex ipso loquendi modo sat constat, non semel tantùm iterúmq; id factum, sed sæpius. Et quàm incredibile hoc Davidis robur? Non canibus, non lupis, sed ursis & leonibus robustissimam animositatem suam objecit, neque has feras lapidibus solùm fugavit, sed duellum cum iis iniit. Et quod mirius, non eas venabulo, non sarissâ, non spiculo, sed inermi manu exarmavit, & confecit. Fortitudo ingens, obstupescenda.

Eccli.c.47. v 2.& 3.

Hanc admiratus Siracides: *Quasi adeps, inquit, separatus à carne, sic David à filiis Israël. Cum leonibus lusit quasi cum agnis, & in ursis similiter fecit sicut in agnis ovium in juventute suâ.* Tam hoc Davidi non difficile, quàm exercitatissimo venatori, qui aprum ioco configit. Hoc potuit spiritus Domini directus in David. Atque hæc Sauli regi fuerant necessariò narranda, alioquin pastoritius ille juvenis ad pugnam cum Goliatho neutiquam fuisset admissus. Hæc verò David jam unctus rex, etiámnum tamen opilionem agens patravit incredibili fortitudine.

Cur hæc fortitudo narranda fuit Sauli.

Davidis pietas & erga Deũ devotio:

Ejus porro pietas & singularis in supremum Numen devotio, in eo sese potissimùm exeruit, quòd non patulæ sub tegmine fagi recubans totos soles inerti otio combusserit, sed sedulum scriptorem, ingeniosum sacrúmque poëtam egerit. Nam psalmorum partem in agris composuit, & eos ipse aut voce assâ, aut citharâ admotâ cecinit. Sicut in urbibus nostratibus phonasci, opifices diversi, pelliones, arcularii, fabri, marsupiarii, linteones inter laborandum fingunt, canúntque, dein festis diebus publico se committunt, & ludos musicos instituunt: ita quæ David in pratis & silvis sacra carmina meditatus sibi suísque ovibus cantabat, ea nunc in templis omnibus cantant Christiani. Quamvis neque tunc quidem silvestris & sacra Davidis musica latuerit. Innotuit hoc canendi studium in aulâ regis & sermone celebratum est. Iure merito. Nec enim aniles fabulas, aut apinas affanias, aut priscorum somnia, aut lasciuas fabulas sibi sumpsit cantandas. Quod sensit, hoc & carmine effinxit, de Deo, & laudibus divinis omnia. Hæc Davidis pietas, & in Deum fuit religio.

Cum Deo familiaritas: 1.Reg.c.16. v.18.

Hinc nata suavis cum Deo familiaritas. Hoc enim laudis in aulâ regis habuit, ut unus aliquis aulicorum diceret regi: *Ecce, vidi filium Isai Bethlehemitam scientem psallere, & fortissimum robore, & virum bellicosum, & prudentem in verbis, & virum pulchrum, & Dominus est cum eo.* Idem laudis obtinuit Ioseph Ægypti prorex: *Gen.c.39. v.2.* *Fuitque Dominus cum eo.* Habuit David sat temporis ad colloquendum cum Deo, & locus mirificè arcana hæc alloquia juvabat: nam cum ovibus loqui non poterat, humanas illic locorum voces non audiebat, ita spiritus Domini cum Angelis eum, & cum Deo loqui docebat. Hinc arcta cum Deo conjunctio, & suavis societas. Nihil in Orbe dulcius præ istâ cum Deo familiaritate. Dulcissima ea est, sed experto. Experire, mi homo, ac gusta, & mecum senties. Homo Deo familiaris nunquam solus est, nunquam extra omne gaudium est. Nam etsi vel in Phalaridis tauro sit, hoc illi tamen erit gaudio, secum habere Deum. Sed ego hîc verbis tempero. Quàm suave, quàm beatum sit Deo familiarem esse, experiri possumus, verbis eloqui non possumus. Hos animi sensus dulcissimos humana facundia nunquam satis describerit. *Gustate & videte, quoniam suavis est Dominus. Appropinquate Deo, & appropinquabit vobis.* *Psal.33.v.9. Iac.c.4.v.8.*

Cui tẽpus & locus favebant.

§. II.

Quemadmodum verò spiritus Domini Davidem suaviter asserit, ita impium Saulem deseruit. Quod fasti regii clarissimè testantur: *Spiritus autem Domini recessit à Saul.* Sauli velut degeneri filio jam repudiato subtraxit Deus spiritum principalem illum regibus necessarium, spiritum sapientiæ ac fortitudinis, concessítque eum Davidi. Ab eo tempore Saul nihil egregii facinoris patravit. Qualis autem rex fuerat, talis & exercitus illius, timidus, imbellis, effeminatus; unici hominis Goliathi vox fugavit omnes. Nimirum totis castris Saul metum infudit. Tanti militiæ dux est. Et rectè dicere solebat Chabrias Atheniensis dux clarissimus: Terribiliorem exercitum esse cervorum duce leone, quàm exercitum leonum duce cervo. A prudentiâ ducis & fortitudine pendet maximam partem eventus belli.

1.Reg.c.16. v 14. Deus subtraxit Sauli spiritum sapientiæ & fortitudinis,

Saul igitur spiritu meliore destitutus, à maligno est occupatus. Ecquis denique malignus hic, & nequam spiritus? Priscorum Patrum sententia est, à malo dæmone fuisse infestum; appellari autem spiritum Domini, quod à Domino sit missus. Quod Gregorius confirmans: *Idem spiritus*, inquit, *& Domini appellatur, & malus: Domini per licentiam justæ potestatis, malus per desiderium malæ voluntatis.* Enimverò palatini famuli Saulis, utcunque oris liberi: *Ecce*, inquiunt, *spiritus Dei malus exagitat te. Iubeat Dominus noster rex, & servi tui, qui coram te sunt, quærent hominem scientem psallere citharâ, ut quando arripuerit te spiritus Domini malus, psallat manu suâ, & leviùs feras.* Quis quæso huic culici dixit musicâ fugari dæmones? Priscis notissimum, animi morbos modis musicis juvari. Multa in hanc rem Plutarchus narrat. Terpander quem comesta ficus suffocavit, seditionem inter Lacedæmonicos concitatam, musicâ sedavit. Thales Cretensis pestem Spartæ grassantem musicâ compressit. Græci deliberationem habituri de rebus maximè seriis cantum Dorium sæpe adhibuerunt. Ab aliis ad alia Phrygius, Asius, Lydius, Gygius est adhibitus. Pythagoras cùm fortè in homines ebrios tibicini adambulantes incidisset, extemplò canere Dorium jussit, quâ cantûs mutatione ita crapulam discusserunt, ut corollas capite detraxerint, ad majorem sese modestiam composituri. Cassiodorus vim musicæ in morbos admirandam oratione uberiori explicat. Quid porrò auxilii & opis musica ferat ad fugandos dæmonas, Franciscus Valesius Philippo II. Hispaniarum regi medicus, in Philosophiâ sacrâ quam scripsit, eruditè docet.

Cur Spiritus malignus in Saule appelletur spiritus Domini. 1.Reg.c.16. v.15. Musicâ dæmones & morbi fugantur. *Valesc.2.8.*

Iessæus David in aulam regiam accitus est, non solùm ut musicus eximius, auditore rege dignus, sed etiam ut poëta & psaltes sacer, qui non suavibus tantùm, sed & doctis pisque modulis laborantem regem refocillaret, quod David eximiè præstitit. Quis sese non optaverit hîc auditorem, qui sacros modulos illos perdius & pernox audiret? profectò David ab aulicis adeò commendatus regi, quàm primùm vocatus est in regiam. Davidis pater Isai, ne quid pateretur officio suo deesse, panibus oneravit asinum, addidit vini lagenam & hœdum, misitque per manum filii sui David Sauli. Hoc ævi more fecit Isai. Tenue quidem istud parúmq; magnificum, sed castris non ingratum

David musicus eximius, refocillat regem.

fuit

Gen.c.43. v.11. fuit donum. Quemadmodum Iacob Ægyptio principi vicem muneris aliquid mellis, resinæ, storacis, stactes, terebinthi & amygdalarũ misit. Sic Artaxerxes aquam è flumine haustã cavis manibus in donum oblatam aureo cratere excepit. David igitur cum muneribus, quæ parentum fortunæ non nimiùm opulentæ submiserant, advenit. Mox placuit novus iste famulus, qui suam operam quàm primùm insigniter probavit, regiúmque morbum fidibus felicissimè mitigavit. Et *dilexit eum* rex *nimis, & factus est ejus armiger.* Sic honestum morbo quæsitum est pallium.

Placétque tæ. 1. Reg.c.16. v.21.

Interim turbârunt Philisthæi, & moverunt arma in Hebræos. Eâ occasione tres Davidis fratres militiæ dederunt nomen sub regiis signis stipendia facturi. Iámque ingravescens bellum missionem impetravit Davidi. Abiit itaque David, & reversus est à Saul, ut pasceret gregem patris sui in Bethlehem. Sed cur famulus tam charus tam citò permissus est domum redire? Iosephus aliquid allegans causæ: Noluit Saul, inquit, in bello tam serio & periculoso videri quærere delicias, & alere fidicines ac citharœdos. Acutiùs hoc dixit Iosephus quàm verius. Res ita habuit. Saul in eo morbo variabilis & morosi prorsus ingenii fuit, hinc juvenem priùs charissimum fastidire cœpit & rejicere. Hunc deinceps lusum Saul cum David lusit assiduè. Nam eum modò vocabat filium, modò ut hostem capitalissimum insectabatur, uti quibusdam dominis lunam pectore gestantibus servi modò aurei, modò argentei, modò vix sunt plumbei. Sat causarum habuit David cur aulâ exiret. Sibi suísque meditationibus inter turbas aulicas non perinde, ut inter oves, & in solitudine vacare poterat: ad illam ergo volens libénsque rediit. Hîc tria singulariùs observanda.

Cur David. dem Saul remissit ad patrem.

B

Tria observanda.

§. III.

1. Honorata humilitas. In David. le Christo Dei filio.

PRimum, Honorata Humilitas. Iessæus David jam rex electus, dictus, jussus, pronuntiatus, & unctus, ad oves tamen pascendas jam secundùm redire cogitur. Quem fata tam rigida non mordeant? Sed videte Christum Dei filium, Orbis Servatorem, Messiam verum non ad suaviora natũ. Vix enim in auras prodiit, mox à rege pediculoso Herode Ascalonitâ in fugam agitur. Perinde si Pater è cælo proclamasset: Mi nate placidè hoc feras. Mei filii non molliter habendi, sed adversis & calamitatibus sunt durandi. Humilibus principiis crescendum ad magna. Hac ego semitâ meos ad paradisum duco, hic meus est mos, hic spiritus meus est. Vivit etiámnum vigétque hic spiritus inter principes, reges, & reginas. Magdalena Ferdinandi I. filia, regina amplissima, quæ regiam Halensem domum sacris legibus & possessionibus condidit, solebat dicere: Sunt in omni statu & ordine probi, improbi, Deus à singulis rationem exiget: mendiculus postremissimus tam nobilem ac pretiosam habet animam, atque Imperator Romanus. Nec à verbis diverterunt facta. Nam illa ipsa inter suas virgines ita se gessit, ac si omnium esset infima. Vilissimam quamq; operam non abhorrens lances eluere, tergere, in horto steriles herbas vellere, sordidas bestiolas ex arboribus decerpere, fila ducere, lanam carpere, pensum facere, herbulas & flores legere, igni eliquare, telas linteas lotas componere. Eadem Serenissima regina dictitabat quandoque, si parendi ratio non obsisteret, & suppeterent vires, velle se etiam panes pinsere, ac pecus curare. Hinc nunquam otiosa, semper aliquid operis, quod Hieronymus monet, factitabat, ne unquam à diabolo inveniretur non occupata. Cùm gravior defuit occupatio, inter suas virgines pomis, pyris, rapis corticem detrahere non erubescebat. In ancillam spontè famulabatur regina. Spiritus Domini compellit ad humilia & abjecta, ideò rex noster, jam sacro balsamo delibutus ad pascendas oves remittitur, ideò jam palatinus citharœdus, jam phonascus aulicus, jam Saulis armiger, ad pecus tamẽ iterum ablegatur: *Reversus est David à Saul, ut pasceret gregem patris sui in Bethlehem.* Nemingm contaminat humilitas & sumit adjectio.

A

In Magdalenã Ferdinandi I. filiã.

1. Reg.c.17. v.15.

2. Dicendi libertas: In famulis Saulis.

Alterum, Dicendi Libertas. Palatini famuli Saulis ore satis libero: *Ecce*, inquiunt, *spiritus Dei malus exagitat te.* Ita sese res habent, rex potentissime, nec enim negari hoc potest, genius malus te torquet. Fuissent, qui blandissimè dixissent, non esse nisi atram bilem, seu paullò graviorem melancholiam, cui facile sit mederi. At aulici isti nil tegunt, nil dissimulant, apertam in os veritatem ingerunt, *Spiritus Dei malus exagitat te.* O mi bone Deus, quantò sanctiùs gubernaretur Orbis, si candidiùs aperiretur veritas. O magni principes, ô reges potentissimi! Non est qui vobis, non est qui puram putam propinet veritatem. Tegunt, fucant, comunt, dissimulant, centum larvis veritatem obvelant vestri laudenses & Placentini: & vos uni alterique hæc monenti non creditis. Obsecro, pensiculatiùs cogitate illud Oraculi: *Egrediar & ero spiritus mendax in ore omnium Prophetarum ejus. Et dixit Dominus: Decipies, & prævalebis egredere, & fac ita.* Et facit ita, etiámnum quotidie. Sed discrimen est hominum veritatem pingentium & palliantium. Putant aliqui veritatem dicere, sed putant tantùm, non dicunt. His mederi difficillimũ. Alii satis notant, quàm veritatem lædant, sed istud sibi, suísque credunt esse utile. At reverà sibi, suísque, aliísque plurimis nocent quàm maximè. Nec enim Deus favere potest animo fallaci. Hos tales Epictetus umbræ confert, quæ suo se corpori ad omnem motum flexúmque accommodat. Hi Protei cœlilia sua fortunæ applicant, & ad omnem illius motum se movent. *Vtcunque est ventus, exin velum vertitur.* His virum unum feminámque sub aspectum pono. Cœcus, qui oculorum diem à Christo recepit, audacter prorsus cum Pharisæis disputavit, quos etiam irretiit, implicavit, convicit veritate. Nam ab iis crebriùs interrogatus: *Dixi vobis jam, inquit, & audistis, quid iterum vultis audire? Nunquid & vos vultis discipuli ejus fieri? In hoc enim mirabile est, quia vos nescitis, unde sit, & aperuit meos oculos: scimus autem, quia peccatores Deus non audit, sed si quis Dei cultor est, & voluntatem ejus facit, hunc exaudit. A sæculo non est auditum, quia quis aperuit oculos cœci nati? Nisi esset hic à Deo, non poterat facere quidquam.* Hæc libertas hominis plebeii & illiterati, quot viros magnos, quot senatores palatinos, quot adulatores aulicos dabit in ruborem, quorum omnium hoc princeps est negotium, larvam aptare veritati quàm formosissimam. His lyncibus multò fuit oculatior ille cœcus, quem Pharisæi quidem eliminârunt è synagogâ, at Christus foràs ejectum humanissimè solatus: *In judicium, inquit, ego in hunc mundum veni: ut qui non vident, videant; & qui vident cæci fiant.*

Discrimen inter homines veritatem pingentes & palliantes.

Pauti dictum.

C

In cœco à Christo curato.

Ioan.c.9.v. 27. & seqq.

D

Ibid.v.39.

Huic viro ex animi sententiâ liberrimè loquenti adstituimus feminam illam, quæ, dum Scribæ ac Pharisæi Christum calumniis lapidarent, ore liberrimo proclamavit: *Beatus venter, qui te portavit, & ubera, quæ suxisti.* Ingens hæc oris libertas fuit, quæ quantò copiosiùs Dominum IESVM prædicavit, tantò refutavit animosiùs Domini IESV calumniatores. Vtrimque laudanda, & ob Christum liberè laudatum, & ob Christum hostes sine formidine perstrictos. O Veritas, quid es, ô bona Veritas! Illa Pilati quæstio: *Quid est Veritas?* adhuc pendet sub judice. Plurimis deforme monstrum est veritas, nam eam centum tegunt centonibus. O bona Veritas, quàm ubique aut malo, aut nullo admitteris hospitio!

In feminâ dum Christus à Scribis & Pharisæis calumniaretur: Luc.c.11. v.27.

Quæ in duobus laudanda.

Ioan.c.18. v.38.

3. Suavis providentia Dei, erga Davidem.

Tertium, Suavis providentia DEI. Voluit Davidem Deus Aulicum aliquamdiu agere in aulâ Saulis, idque ante occupatum regnum, ut ita sensim disceret, qui suo se tempore gerendis rebus applicaret, ut plurimùm sibi conciliaret benevolentiam, ut sciret, quâ parte petissimùm Aulici laborarent, ut per adversa variásque insidias ad sublimitatem regni eluctaretur. Vult nimirum Deus, ut ad solium aureum, sed per gradus ferreos ascendamus. Eundum, ô Christiani, per spinas, ut perveniamus ad rosas. *Memento Domine David, & omnis mansuetudinis, & omnis afflictionis, ejus.* Quòd si David tot tantísq; calamitatibus erat exercendus, ut caducum, mortale regnum, denuò perdendum acquireret: O quantò justiùs nobis asperrima quæque toleranda, ut æternum, immortale, regnum beatissimum assequamur. Ignorat quàm dulce sit esse regem in cælo, qui labores & molestias horret in terrâ. Astrologiæ vaticinium est, si Martius sui principio se lupum gerat, in ovem desinet, & quantò asperior & immitior est hiems, tantò serenior & faventior erit æstas: ita prorsus tantò nobis futurum regnum erit suavius, quantò nunc acerbior est nostra servitus; per miserias & ærumnas ad immortales itur delicias; per vepreta tendimus in paradisum, per lacrymarum vada transitus est ad æterna gaudia. Eia alacriter & animosè; brevissimum est iter, itineris terminus regnum immortale, felicitas nunquam desitura.

Psal. 131. *v.* 1.

Qui labores & molestias horret in terrâ, quàm dulce sit esse regem in cælo ignorat.

CAPVT. IV.

David in Goliathum armatur.

David se ad certamen contra Goliathũ offert.

SVnt qui amiciantur veste quidem vili è panno, corio, telâ, lino gossippino, quia tamen ea vestis ad modulum corporis est valde habilis, cum holoserica non emutarent eam quamvis vilissimam. Nam etsi quis vestem sericam, pictam, attalicam habeat, ea tamen corpori non respondeat, plùs æquo laxior vel C certè strictior, non apta membris, rejicitur. Ideo sæpe molestissimum est deponere vestem obsoletam, non quia pulchra sit & nitida, sed quia commoda. Hinc Tarsensis Paulus appositissimè satisfacit huic quæstioni: Cur, obsecro, tam inviti morimur, cur onus corporis miserabile tam ægrè deponimus? cùm sciamus, & verò etiam credamus millies esse melius, in cælo æternùm vivere, quàm in terrâ assiduè mori? Ad ista Paulus: *Ingemiscimus*, ait, *gravati, eò quòd nolumus expoliari, sed supervestiri.* Assuevimus huic vitæ miseræ, hinc miserias ipsi nostras amamus.

2. *Cor.* 5. *v.* 4.

Cùm audiisset David, uniuersum agmen Hebræum à gigante Philistæo provocari ad pugnam, nec unum aliquem ex omni numero reperiri, qui solus audeat in duellum cum Goliatho congredi; cúmque etiam auditione percepisset, victori præmium ingens sponderi, animosissimè ad hoc certaminis obtulit seipsum. Germanus quidẽ frater Davidem acriter objurgavit, sed & Saul istam animositatem vix pensi habuit, ac cùm David instituisset narrare regi, quibus præliis ursos & leones exarmasset, rex denique assensus: Ergo fortunam, inquit, tentemus; meâ te cataphractâ, meis armis vestiam. Et verò etiam vestiri cœpit David thorace ac loricâ regiâ. Sed cùm incessus & agilitas viderentur impediri hac armaturâ, David eâ rejectâ, subsidium à pastoritiis sibíque usitatis armis petiit. Hoc ergo capite dicemus, quâ ratione David in Goliathum fuerit armatus.

§. I.

BEllo Philisthæo, quod Israëlis populus adversùs idololatras gessit, memorant fasti regii virum A immanis staturæ omnibus incussisse terrorem. Effigiem gigantis hanc proponit sacer historicus: *Et egressus est vir spurius de castris Philistinorum nomine Goliath, de Geth, altitudinis sex cubitorum & palmi: & cassis ærea super caput ejus, & loricâ hamatâ induebatur.* Staturam viri vulgarem pæne altero tanto excessit; insuper valentissimus, miles expertus, audacissimus. Terroris formidandam speciem auxerunt arma ferrea, cassis, lorica, ocreæ, hasta, scutum. Lorica quinque millia siclorum æris habuit. Si minorem sumamus siclum, sive, unciam dimidiam, & uncias duodecim pro librâ, libras ducentas octo & tertiam libræ partem, seu duo ferri centumpondia in unam hanc loricam insumpta dicendum: ferramentum hastę viginti quinque libras ferri æquavit: hastile quasi liciatorium texentium: ipsa quoque tibialia erant ferrea. Hinc æstimanda cetera, hinc conjectandæ vires, quæ tanto pondere fuerunt pares.

1. *Reg.* c. 17. *v.* 5.

Goliathi arma quæ & qualia.

Hæc giganthæa moles tam regi, quàm toti exerci- B tui terrorem maximum incussit; siquidem Goliathus stans clamabat adversùm phalangas Israël, & dicebat eis: *Quare venistis parati ad prælium? Nunquid ego non sum Philistæus, & vos servi Saul?* Si quis unus ex omni numero est ardentioris animi, in arenam prodeat, & conponi mecum sustineat. Si vicerit me, perpetuis tributis serviemus vobis: victus, in servitutem nobis vos tradet. Adsit, qui animo manúque valet. Audiens autem Saul & omnes Israëlitæ sermones Philisthæi hujuscemodi stupebant & metuebant nimis. Ipse autem Goliathus apud suos superbissimè se jactans: *Ego*, inquit, *exprobravi agminibus Israël hodie; date mihi virum, & ineat mecum singulare certamen.* O dedecus & ô Phrygiæ, nec unus unicus est repertus, qui vir esset, qui animo non tremeret, & congredi auderet. Omnium virtus ingentibus promissis evocabatur. Victori statuebatur præmium Virgo regia, Saulis filia in conjugem, immunitas insuper ab omni tributo in omnem victoris familiam. Nec tamen ullus totis quadraginta diebus prodiit, qui cominus iret in gigantem.

Goliathus provocat Iudæos ad duellum.

1. *Reg.* c. 17. *v.* 8.

Ejusdem jactantia.

1. *Reg.* c. 17. *v.* 10.

Interim Isai vir nonaginta duorum annorum filium David in castra misit, ut tribus fratribus panes & polentã, tribuno militari decem caseolos deferret, una etiam videret, quid rerum fratres agerent, ad quę signa sacramento dixissent. Cùm in castra venisset David, jam acies in hostem expedita stabat. Mox David suis sarcinis custodi commendatis, ad loçum pugnę pervolat, & fratribus, quid velit pater, exponit. Dum loquuntur, Goliathus adest. Diffugêre omnes. Miratus David hostis audaciam, & imbellem suorum trepidationem, scisciatari cœpit, quid præmii esset laturus, qui Philisthæum provocantem sterneret? Sermo omnium erat; *Virum qui percusserit eum, ditabit rex divitiis magnis, & filiam suam dabit ei, & domum patris ejus faciet absque tributo in Israël.* Hîc David ingenti animo: Quis iste, inquit, Philistæus est, idolorum cultor, jactator insolentissimus, qui tantos audeat sibi sumere spiritus, & aciem Dei provocare? Hoc audiens maximus natu frater Eliabus, in David effusâ bile: *Quare venisti*, ait, & cur oves pauculas deseruisti? jam pridem mihi nota est superbia tua, & curiosa nequitia; ut videres prælium, accurristi. Cui David, *Quid denique*, ait, *deliqui?* Sed iram fratris declinandum ratus, aliorum circulis se inseruit, & promissis præmiis iterum iterúmque narratis, plenus animo seipsum obtulit ad duellum cum gigante ineundum. Hæc continuò ad regis aures fama detulit. Confestim David regi sistitur, qui animosissimè priora repetens: *Non concidat cor cujusquam in eo*, inquit, *ego seruus tuus vadam, & pugnabo adversùs Philisthæum.* Cui Saul: *Non vales*, ait, *resistere Philisthæo isti, nec pugnare adversùs eum, quia puer es, hic autem vir bellator est ab adolescentiâ suâ.*

David mittitur ad fratres in castra.

Audaciam Goliathi miratur.

1. *Reg.* c. 17. *v.* 25.

Ibid. v. 28.

Vers. 29.

Ad duellũ cum gigante se offert.

Sauli regi sistitur,

1. *Reg.* c. 17. *v.* 32.

Vers. 33.

Hîc

Quâ fortitudine vastidecla-rat. *Iud. c. 36.*

Hîc David coram rege sermonem ingressus percensuit, quâ lacertorum vi leones & ursos confeciſſet. In narrationis epilogum adjiciens: *Erit igitur*, inquit, *& Philisthæus hic unus ex eis. Nunc vadam & auferam opprobrium populi; quoniam quis est iste Philisthæus incircumcisus, qui ausus est maledicere exercitui Dei viventis?* Ille ipse Deus, qui mihi leonis & ursi spolia concessit, hujus etiam Philistææ belluæ cadaver tradet. Rex animi pendens, sed assensus demum: *Vade*, inquit, *& Dominus tecum sit. Iud. v. 38.*

§. II.

Armatur. 1. Reg. c. 17. v. 39.

ALlatâ igitur armaturâ regiâ, David galeam capiti, loricam pectori, gladium femori aptavit. Sed cùm arma juvenem ita stringerent, ut incessum ægriùs moliretur, modestè illa repudians: *Non possum*, inquit, *sic incedere, quia non usum habeo.* Itaque quàm primùm & regem & Saulem exuens, pastorem & David. Arma ejus: baculus, fundæ, & lapides. B dem induit, hoc est, ad nota se arma, baculum, fundam, lapides convertit. In eâm námque rem quinque politissimos silices selegit ex amne, misitque in pastoralem peram, fundâ manum obarmavit. Hâc panoplià David munitus in Goliathum prodiit. Hic triplex illustre documentum.

Triplex documentum.

Quam pro plano humilitas, & quàm præceps superbia.

Prunum; Rex designatus, unctus, jure possidendi regni donatus, in parentis tamen gratiam agasonem agit, & jumentum clitellarium ducit ad fratres. Nam decem panes, cum decem caseis, & modius farinæ * impositi sint asino, quem David ante se egit in castra. Nimirum Deo mirificè placet humilitas, per quam omnes divinos favores adipiscimur.

Decem panes, decem caſei, modius farinæ, quid hæc omnia, quid singula, quibus allusum mysteriis.

Humilitas virtus è veterum philosophorum scholis fuit exclusa.

E veterum philosophorum scholis hæc una virtus excluſissima fuit. Socrates, Plato, Aristoteles nec verbis eam, nec factis docere noverât. De Temperantiâ, de Fortitudine, de Justitiâ sublimiter & eruditè disserunt. de Humilitate minus sciverant, quàm pueri puellæque nostræ. Qui scire cupit, quantum Humilitatis seu submissionis studio profecerit, conscientiam suam interroget, an seipsum contemnere, si ab C aliis contemnatur, æquo animo ferre, promptè ac expeditè se quibuscunque submittere didicerit. Certè bonus cantor, bonus fidicen, bonus organicus cùm cantandum, cùm fidibus aut organis ludendum, non diu deliberant, arte habituque id faciunt: ita David Humilitatis artifex, sui contemptor, parenti obedire, pecus pascere, fratribus servire, commeatum adducere, omnibus se sine tergiversatione submittere didicit: Mementote David, & omnis mansuetudinis, Humilitatis & afflictionis ejus. En an artificium nosse cupiis, quo pastoritius hic juvenis giganteam machinam dejecerit? Humilis fuit: Humilitas Davidis minimè cunctabunda, sed prompta & expedita. Nec mirum Humilitate vinci hominem; ille peritissimus mille artium pugil diabolus Humilitate solâ sternitur potentissimè. Nullos diabolorum exercitus formidet, quem Humilitatis tegit lorica. Testimonio sit, quod memorant. Angelum induerat diabolus, Gabrielem è cælo se mentitus. At ille, cui magnifica hæc species objecta, vir submissi animi: Non dubito, inquit, quin erraveris; ad alium te missum credo, non ad me. Ego Angelorum colloquiis indignus ad principum tantorum præsentiam cogor obmutescere. Mox in auras evanuit personatus hic Gabriel, Humilitatis hujus impatientissimus. Animalia complura solis fugantur odoribus, quos oderunt. Lupi, damæ, ursi pulverem tormentarium ut primùm olfaciunt, mox sese in fugam conjiciunt: scarabæus odorem rosæ non fert. De porcis Lucretius canit: Subus acre venenum est amaracinum unguentum. Amatus Lusitanus, qui Dioscoridem commentariis illustravit, de croco mentionem injiciens: Agaso, inquit, jumentum clitellarium vario aromate onerarat, has merces alio vecturus. Cùm nocturnum hospitium cervical negaret, geminos ille sacculos croco pleros pro culcitrâ subjecit capiti; manè repertus est mortuus. Quod lupis, damis, ursis nitratus est pulvis, quod scarabæo rosa, quod porcis amaracus, quod erat agasoni crocus, hoc diabolo est animus submissus. Nimirum sui despicientia fugat, vincit, expugnat, triumphat diabolum. Aude teipsum seriò despicere, & omnes diabolorum vires elisisti.

Goliath humilitate dejectus.

Eidem dejecit.

§. III.

ALterum; Vox Christi est: Inimici hominis domestici ejus. Vt David adversis nunquam careret, eum germanus frater veluti canis molossicus multúmque incommodisticus invadit, curiositatem & superbiam opprobrat, imò ut nebulonem proclamat, ausus enim in os fratri jam regi objicere: *Ego novi, ait, superbiam tuam, & nequitiam cordis tui*, intus & in cute te novi. Videte obsecro, ut adultus in juniorem sæviat, ut excandescat in innocentem! si ita frater fratrem salutat, quid hostis hosti faciat? *Memento Domine David & omnis mansuetudinis & afflictionis ejus.* Ægerrimè ferimus à propinquis & cognatis nos lædi, quorum obsequiis coli, beneficiis affici par esset. Quis ab amicâ manu vulnera expectat? sed ut Davidis Patientia & Humilitas experimentis omnibus inspiciatur à fratribus etiam utraque exercetur & exagitatur. Ita Deus flagellat omnem filium, quem recipit, etiam morigerum & modestum, etiam mitem & sanctum. Sed nemo frangatur animo. *Nam mala*, inquit Gregorius, *quæ nos premunt, ad Deum ire compellunt.* Eam etiam ob causam Deus hanc vitam molestiis & ærumnis innumeris distinguit, quod Augustinus observat. *Ne viator tendens ad patriam, stabulum amet pro domo suâ.*

2. Patientia necessaria. *Matth. c. 10. v. 36.* *1. Reg. c. 17. v. 28.* *Psal. 131. v. 1.* *Aug. in psal. 46.*

Tertium: Quàm plenus animi David, quantus in eo agendi ardor, quanta in Deum fiducia, quàm impavido pectore dixit: *Dominus, qui eripuit me de manu leonis, & de manu ursi, ipse me liberabit de manu Philisthæi hujus.* Argumentum optimum: Cùm de pauculis tantùm ovibus ageretur, Deus me periculis præsentissimis subduxit, quanto magis jam aderit, dextrámque porriget opitulatricem, cùm de salute totius populi agatur. Ita nos in arcto identidem ratiocinemur: Quoties, mi Deus, arctis in rebus opem mihi attulisti, quantis in periculis protexisti, quàm sapientem, quàm benignam, quàm potentem & insopitam mihi providentiam exhibuisti; paterna manus tua me nunquam deseruit; *ex omni tribulatione eripuisti me.* Quid dubitem ergo ego modicæ fidei? An non promisit Deus? *Quoniam in me speravit, liberabo eum, protegam eum.* Quam Dei pollicitationem Bernardus suaviter expendens: *O dulcissima liberalitas*, inquit, *in se sperantibus non deesse.*

3. In Deũ fiducia. *1. Reg. c. 17. v. 37.* *Psal. 53 v. 9.* *Psal. 90. v. 14.* *Bernard. in hunc psal. serm. 16.*

Quod Paulus Romanis, id ego hic universis voveo: *Deus autem spei repleat vos omni gaudio & pace in credendo, ut abundetis in spe.* Non solùm sperare, sed spe abunda- D re nos præco divinus jubet. Vtcunque res cadant, cælum an terra ruat, vera in Deum fiducia, nec ruere potest, nec fallere. Hac armati superavimus, quidquid hostium ex adverso steterit. Fiducia in Deum inexpugnabilis, invictissima.

Rom. c. 15. v. 13.

CAPVT. V.

David Goliathum invadit & vincit.

Quomodo David Goliath invaserit.

REx Spartanorum Agis, quod Plutarchus memorat, bello strenuus, animo magnus & excelsus, Athenienſium domitor, cùm inaudiſſet quosdam suorum ad hostium multitudinem trepidare: Non quæren-

quærendum est, ait, quot hostium sint, sed ubi sint, ut tantò animosiùs invadantur, quantò illi pertinaciùs resistunt. Cúmque ad Mantineam prælium à ducibus dissuaderetur, quod regis exercitum hostes numero longè vincerent: Pugnandum est, exclamat; cum multis enim pugnet, qui multorum cupit esse dominus.

Quod in castris Saul, milites decèsque universos terruit, hoc juveni animosissimo Davidi, nil penitus terroris injecit. Ceteri militum ducúmque omnes, 1. *Reg.c.17. v.11.* *stupebant ac metuebant nimis*. Vnus unicus David animo ingenti alacerrimus sese obtulit ad duellum. Saul ipse malè metuens huic juveni, & timidissimè ominatus: Mi adolescens, inquit, inaniter hæc cogitamus: puerum virò componere, opilionem militi, temerarium. Hoc tale par pugnantium nimis impar est. Puerum cum gigante congredi risum castris excitat. At verò contrà visus David argumentis non unis, & pænè idem quod Agis rex proclamavit: Non quærendum quàm procerus, altus, robustus provocator sit, sed ubi sit, illuc eundum. Et quando ceterorum nullus singularem pugnam subire audeat: Ego, inquit, Deo duce ibo, & auferam opprobrium populi. Ivit, & quod ore hilari promisit, victrici manu præstitit. Venit, Vidit, Vicit: Goliathum invasit & prostravit. Atque de isto Philisthæi gigantis, & pastoritii juvenis duello, hoc capite disseremus.

§. I.

Repudiat arma regia, ut à Deo pa- tam victoriam ostenderet. 1. *Reg.c.17. v.40.* Thalmutistarum figmentum.

CVm arma regia Saulis plus impedimenti viderentur allatura, quàm præsidii, David ea ingenuè repudians: *Tulit baculum suum, quem semper habebat in manibus*; ut nemini non constaret, potentiæ divinæ victoriam illam esse adscribendam, *Et elegit sibi quinque limpidissimos lapides de torrente, & misit eos in peram pastoralem, quam habebat secum, & fundam manu tulit.* Thalmutistæ hîc imperitè somniant, & fingunt Davidem sibi septem delegisse lapides, & in primo quidem proprium scripsisse nomen, in altero nomen fortissimi, hoc est, Dei, ceteris Abrahami, Isaaci, Iacobi, Mosis, Aaronis inscripta nomina. Logi & fabulæ. Sed sumptum hoc figmentum, è militari ritu ethnicorum, qui scutis, telis, gladiis, hastis inscripserunt quippiam boni ominis causâ. Bello Cimbrico, teste Plutarcho, milites Marii & Catulli ducum nomina insculpserût telis. In clypeo Agamemnonis leoninum caput depictum, cum his vocibus, *Hic pavor hominum*. Cedrenus asserit, plerunque clypeis inscriptum nomen illius urbis quæ bello petebatur, ut si anno millesimo sexcentesimo vigesimo, pilis, bombardis, labaris inscriptum fuisset *Praga*, eo enim anno hæc urbs in Cæsaris potestatem redacta. Sic anno à Virginis partu ducentesimo octavo, Amemnumnas dux, milites scutis jussit inscribere *Amorum*, quandoquidem illa vrbs obsidione fuerat cingenda. Si Iustino credimus, Philippo Macedoni miles oculum excussit telo, cui hoc ipsum fuerat inscriptum: *Elide hostis oculum*. Quòd David quinque lapides sibi sumpserit, certum: quòd aliquid iis inscripserit, incertissimum, & nullis rationibus nixum.

Plutarch. in Mario.

Pausan. l. 5.

David nihil inscripsit lapidibus.

1. *Reg.c.17. v.41.* Goliathi fastus ad duellum euntis.

Ibat autem Philisthæus incedens & appropinquans adversùm David, & armiger ejus ante eum. Non ad pugnam aut duellum, sed ad nuptias & triumphum ipse sibi videbatur ire. Thalmutistæ denuo suas occentant fabulas, aiúntque dixisse Philisthæum: Miselle puer, quid contra leonem prodis? cave sis, salivâ meâ submergeris, si sputo te petam. Nos scriptori sacro credimus, qui Philisthæum ita loquentem sistit. 1. *Reg.c.17. v.43.* *Nunquid ego canis sum, quòd tu venis ad me cum baculo? Veni ad me, & dabo carnes tuas volatilibus cæli, & bestiis terræ. Et maledixit Philisthæus David in Diis suis*, & despexit eum. Ita consuêrunt prisci pessimè precari: Dii te, Deæque perdant, Iupiter te perduit. Dii te infelicitent, enecent. Nos illis non minùs prompti, mox centena fulmina, aut mille pestes, aut decem millia diabolorum in aliorum caput detestamur. Ita Davidem Goliath execrabatur: Dagon Philisthinorum Deus te jugulet: Decreto Palæstinorum Dea te evisceret, exoculet, eradicet. Ad umbras inferas te Baal adigat: Mars tuis carnibus corvos & canes pascat. At verò David tam diris deprecationibus non territus: *Tu venis*, inquit, *ad me cum gladio, & hastâ, & clypeo; ego autem venio ad te in nomine Domini exercituum, Dei agminum Israël, quibus exprobrasti hodie, & dabit te Dominus in manu meâ, & percutiam te, & auferam caput tuum à te, & dabo cadavera castrorum Philisthum hodie volatilibus cæli, & bestiis terræ, ut sciat omnis terra, quia est Deus in Israël.* Sunt qui putent ad hunc congressum à Davide scriptum psalmum centesimum quadragesimum tertium, cujus inscriptio: *Psalmus David adversùs Goliath*; cujus initium est: *Benedictus Dominus Deus meus, qui docet manus meas ad prælium, & digitos meos ad bellum.* Vbi hac velitatione David ad pugnam præluserat, ad arma venit decretoria. Mox enim silicem è perâ rapiens, & fundæ imponens, fundâ priùs rotatâ dexterrimè metam contigit, *Et percussit Philisthæum in fronte, & infixus est lapis in fronte ejus, & cecidit in faciem suam super terram*. HOC HABET. Cúmque spiraret etiámnum gigas jam humi fusus, accurrit David, & moribundum calcans, ingentem ejus gladium eduxit, prostratam belluam interfecit, & caput amputavit. Hic belli finis, qui aliquot documenta suggerit.

Ibid. v.45. & 46. Davidis in Deum cõfidentia.

Ps. 143. v.1.

1. *Reg.c.17. v.49.*

Ex hoc duello alii quot documenta.

§. II.

1. *Reg.c.17. v.40.* I. *VLit baculum suum David, quem semper habebat in manibus.* Quivis hominum se gerat illum, qui est; nec dignior altiórve cupiat videri. Miles, se militem dici, sacerdos se sacerdotem haberi velit. Aurum aurifici, pannus sartori, corium cerdoni, ferrum fabro ferrario, lignum fabro arculario tractandum; suo quilibet se modulo metiatur, ne ipsi dicant alii: Scitur, qui sis. David nil suæ tenuitatis dissimulans, eum se esse professus est, qui erat. Perâ baculóque se armat, perinde ac si omnibus dicat: Pastor sum, inter pecudes educatus sum, miles non sum; mihi pedum sagúmque rusticanum mihi meliùs cõveniunt, quàm gladius inauratus, & catafracta per encaustícen elaborata. Quidquid affectatum, & insititium est, placere non potest. Atqui affectio, seu assumptus agendi, gesticuladi, loquendi modus, rebus pæne omnibus sese insinuat, non tantùm gestibus & sermoni, sed & incessui. Quanti videri volunt in idiomate peregrino diserti? quorum ridicula est ea dicendi ratio assumpta. Theophrastus cùm in foro scrutario Athenis venale quid liceretur, Atticæ linguæ venustatem assumpsit; cui mox anicula nundinatrix: Mi hospes, ait, tam vili non vendo. Sugillabat hominem mulierecula non Athenis natum, Atticas tamen elegantias æmulantem. Ita Favorinus juvenem priscè nimis loquentem increpans: Curtius, inquit, & Fabricius dilucidè sunt locuti, uti eorum æuo mos erat loqui, tu verò verbis uteris tam desitis, ac si cum Evandri matre loquaris. Infestivam habent elegantiam adsciti mores, adscitus lepor, adscitum artificium, adscita gravitas aut subtilitas, adscita urbanitas aut nobilitas, inductus & accersitus sermo: hæc enim non tantùm ridentur, sed & offendunt. De his rectè dicitur: Caligæ pulchræ, sed his pedibus non aptæ, non decoræ; capillus scitè compositus, sed in hoc capite parum venustus. Originem paupertinam nemo erubescat, quod Davidis baculus nos insigniter docet. Virtutis est magnæ, talem videri velle, qualis quisque est.

1. Non dignorem se profiteri quàm sumus.

est. Optima pars Humilitatis non sapere ultra crepidam. Agathocles rex se patre figulo natum, promulgare jussit suam abacum, quam luto & fictilibus oneravit. Decorum est originis suæ meminisse, atque illi se attemperare.

II. Mirabilia sunt Dei judicia, judiciis Mundi plerunque adversantia. Quod Mundo placet, displicet Deo. David fundam baculúmque gestans, utique ab omni Philisthæo exercitu liberalissimè irrisus est. Quid refert? Murmuret Mundus, susurret, instrepat, tonet, explodat, sibilet, stridat, concrepet (stridulum crede anserem garrire) modò Deus, quæ facis, commendet. Nos hac in re omni infante infantiores, stolidissimi sumus: vel Mundi sibilo terremur, mors nobis est rideri; vel despicationis umbram horremus. Vri nos arbitramur, cùm humanis judiciis perstringimur. Opinio vana & puerilis. Cùm enim virtutes ac vitia non plus ex merito æstimentur, quàm ex populari judicio, non mirum si sæpe consuetudo & claritas peccantium culpas nobilitet, actiones pias infamet. David & quotquot Deum respiciunt, hæc vana non curant, non attendunt. Annæo certè necdum felix est, quem populus nondum irriserit. O verè felicem, qui judicia humana novit contemnere, & sustinere divina. Alium agendi, alium bellandi modum habet Deus. *Nova bella elegit Dominus, & portas hostium ipse subvertit.* Baculo & silice, quandóque solis culicibus & muscis totos enervat & fugat exercitus. Pompam quam nos rebus pæne omnibus induimus, in rebus Deus omnibus odit; à judiciis humanis quàm longissimè divertit. Nos ex opinione plurima, quod Tullius dixit, ex veritate sanè pauca judicamus. Atqui nimis ridiculum est, ab opinione hominum, tanquam à filo pendere. Titus Imperator sapienter dicere solebat: Ea quæ falsò de me dicuntur, prorsus negligo. Nemo igitur terreatur opinionibus, judiciis, sermonibus sinistris. A malè sano cerebro contemni & irrideri, judicari, & damnari, laudis est.

§. III.

III. DAvidis ingens in Deum erat fiducia, quam tot illustribus documentis monstrans: *Noverit universa Ecclesia hæc, inquit, quia non in gladio, nec in hastâ salvat Dominus: ipsius enim est bellum, & tradet vos in manus nostras.* Dictum multò illustrissimum omnibus Curiis militaribus adscribendum. Nos abundè militiæ nostræ prospectum credimus, cùm satis militum, satis commeatus, satis pecuniarum in rem præsentem est paratum. Vno Dei nutu hæc difflantur omnia. Nil rerum satis est, ubi nil divinæ opis est. Præsidium bellis à Deo poscendum: spei quàm plurimum in armamentario cælesti ponendum. Ad quod hortatus Daniel: *Quoniam, inquit, non est confusio confidentibus in te.* His monitis abundant volumina divina, præsertim sacra Davidis carmina. Spem & fiduciam David sexcenties millies ingerens: *Beneplacitum est Domino, inquit, super timentes eum, & in iis qui sperant super misericordia ejus.* Quæ luculentissimè Siracides confirmans: *Respicite, inquit, filii nationes hominum, & scitote, quia nullus speravit in Domino, & confusus est. Quis enim permansit in mandatis ejus, & derelictus est? Aut quis invocavit eum, & despexit illum? Quoniam pius & misericors est Deus, & remittit in die tribulationis peccata, & protector est omnibus exquirentibus se in veritate.* Monitum saluberrimum, nunquam satis iterandum. Millies nos Deus hallucinari errare impingere, lædi, corruere sinit, ut demum cum Iobo fateamur: *Ecce non est auxilium mihi in me.* Ad hanc fiduciam in Deum erigendam, plurimùm facit, divinæ Providentiæ notitia, de quo monitum subjungimus.

IV. Quàm admirabilis est Dei Providentia? Goliathus quantùm insultavit Hebræis, quàm minaciter provocavit omnes, quàm pugnaciter ferociit: suis viribus nixus, quàm contumeliosè cunctos irrisit, sed risus in auctorem rediit. Horrorem & fugam incussit Israëlitis vivus, suis mortuus. Præcisum ejus caput per Hebræas urbes ludibrio circumlatum. Ita Dei Providentia cum suorum hostibus solet ludere, ita defendere amicos. Nusquam non deprehendas divinæ Providentiæ luculenta vestigia? Pecensteinius de Cæsarum & Heroum symbolis dissertans: Maximilianus II. Imperator Romanus, inquit, symboli vicem Abrahami dictum habuit: *Deus providebit.* Ita quoties res adversæ obturbabant, illud in solatium usurpare solitus est: *Deus providebit.* Quod Abrahamus Isaaco filio jam in victimam à se destinato dixerat: *Deus providebit.* Et verò etiam providit providentissimus rerum omnium Deus, cùm hircum vepribus implexum succenturiavit humanæ victimæ. Nec nobis aliter rebus vel turbatissimis sentiendum. Providebit Deus, providebit sapientissimè, providebit & amantissimè. *Attingit enim à fine usque ad finem fortiter, & disponit omnia suaviter.* Nil latet, nil fugit oculum omnia cernentem. *Tua, Pater, Providentia ab initio cuncta gubernat. Tu enim fecisti priora, & illa post illa cogitasti; & hoc factum est, quod ipse voluisti. Omnes enim viæ tuæ paratæ sunt, & tua judicia in tua providentia posuisti. Ne ergo dederis os tuum, ut peccare facias carnem tuam, neque dicas coram Angelo: Non est providentia, Ne fortè iratus Deus contra sermones tuos dissipet cuncta opera manuum tuarum.*

Maximiliani Imp. Rom. symbolum. Gen. c. 22. v. 8. Sap. c. 8. v. 1. Ibid. c. 14. v. 3. Iudith c. 9. v. 4. & 5. Eccles. c. 5. v. 5.

V. Quinque sibi lapides selegit David, quorum unicus Philisthæo bello finem dedit.* Bernardus hos seligendi silices ad mores transferens: *Superaturus, inquit, peccatum, sive superbiam, sive luxuriam, seu aliud quodcunque vitium, hos quinque lapides, nunquam non secum ferat.* Et hæc illis indi possunt nomina. Comminatio, Promissio, Dilectio, Imitatio, Oratio, I. *Comminatio.* Validum in scelus telum est: Deus hæc facientibus ignes minatur æternos. Amissæ gratiæ cæliique perditi jactura inexplicabilis est; hanc insuper comitatur æternum supplicium. Et tu adhuc peccare pergis? Quàm multò rectiùs sensit, qui dixit: *Confige timore tuo carnes meas à judiciis enim tuis timui.* II. *Promissio.* Numen legem servantibus, & à se non discentibus voluptates & delicias pollicitus est sempiternas, cur eas voluptatulâ vendam brevissimâ? III. *Dilectio.* Et quomodo tandem volens & sciens offendam eum, qui pro me mortuus est, suáque me morte in vitam asseruit, qui singulis momentis in nos beneficus existit; cujus ope destitutus nec digitulum movero? IV. *Imitatio.* Porrò ii quorum vestigia ducunt ad cælum, quid non fecerunt tulerúntque; quanta passi, quantis certaminibus objecti? David unicus jam rex, quantâ calamitatum & miseriarum varietate concussus, stetit tamen, infracto animo fidelis Deo. Quid ego delicatus miles in umbrâ, morbum simulé, cùm pugnandum est? V. *Oratio.* Si nullus horum lapidum in altum evolet, omnem animi contentionem transfer ad orationem. Mitte hunc lapidem, non aberrabit à fronte Goliathi: Vociferare cum Psalte regio David: *Respice & exaudi me Deus meus: Illumina oculos meos, ne unquam obdormiam in mortem: Auxilium meum à Domino, qui fecit cælum & terram: Deus in adjutorium meum intende.* Ab hoste non sternitur, quem Orationis alæ in altum subvehunt. Quòd si Goliathus jam humi fusus etiámnum vivat, quòd si vitia nondum penitus sint debellata, ex ipsis vitiis sumenda est occasio virtutis. Vivit adhuc iracundia in te, gliscit superbia, furit libido, viget vinolentia? animum ad submissionem instrue: Dic ipse tibi: Quàm ego superbus sum Superi! quàm iracundus! quàm libidinis appetens! quàm gulæ deditus! quàm multis vitiis obnoxius! quàm parum

* Sunt qui dicât tribus lapidibus gigantem hûc petitum, quemadmodum tribus tentationibus à Christo victus est satanas. Ita magister historiæ scholasticæ & Hugo. Sed pace horum dixerim: aberrant à litterâ. 1. Lapis: Commiseratio. Psal. 118. v. 120. 2. Promissio. 3. Dilectio. 4. Imitatio. 5. Oratio. Psal. 12. v. 4. Psal. 120. v. 2. Psal. 69. v. 2. Ad debeletiámnum vivat, quòd si vitia nondum penitus sint landa vitia ex ipsis vitiis sumenda est occasio virtutis.

rum in me solidæ virtutis est! Hac tamen arenâ non excedam; stabo & pugnabo, dum Goliathum penitus debellavero. Hos animos, hoc genus certaminis quærit. Seriò velle vincere, pars maxima est victoriæ.

CAPVT. VI.

David triumphat, & invidetur.

Luctus & gaudium semper se comitatur.

NVLLVM sine sale sacrificium. Calidis frigida, amaris dulcia nusquam non miscentur. Luctus & gaudium contraxerunt conjugium nullis sæculis solvendum.

Candida nullius sine nube dies.

Crus ægrum Socrates fricabat, non sine voluptate, sed mox dolorem sentiens. Quam Natura, inquit, nihil admittit gaudii sine mœrore; nusquam sine felle mel est; sine sale sacrificium; sine absynthio saccarum: amara & dulcia in eâdem semper degunt vicinia. Vbi ignis ibi & fumus. Vbi gaudium, ibi proximus plerumque mœror. Hæc humanæ vitæ ratio est; his vivitur legibus, quas nemini licet. Qui nequit esse pauper, nec dives esse poterit; qui mori nescit, nec quidem sciet vivere; qui invidiam sufferre non valet, nec felicitatem quidem desideret: hæc plerunque conjuncta sunt.

Davidi propter victoriam applaudit populus.

Progressus David adversus Goliathum pugnavit & vicit felicissimè; non arma tantùm, sed & caput ademit adversario. Hanc prædam, hæc spolia opimissima ad regem retulit, non sine ingenti applausu & gratulatione omnium. Iessæus David omnium vocibus extollebatur cælo, in hunc unum faustissimæ precationes omnium ferunt. Hunc juvenem omnes amplexari, fovere, exosculari. Si quà per Hebræas civitates victor exercitus transibat, undique omnes obviam prodire, festivis cantibus excipere, mille argumentis gaudium testari, putare se digito cælum attingere. Regnum Saulis fluebat melle, cui tamen proximum erat fel invidiæ. David ab omnibus jam pæne adorabatur, rex eundem David ob triumphales applausus odiis & invidiâ cœpit urgere. Ita nullum sine sale sacrificium, sine mœrore gaudium, nullus fortunę risus sine lacrimis. David triumphat, sed invidetur. Quod jam explicatiùs trademus.

Inde Saul eum odiis & invidiâ cœpit urgere.

§. I.

Ex victoriâ Davidis Philisthæorum consternatio. 1. Reg. c. 17. v. 51.

GOliatho in terram lapso, & ejus capite præsecto Philisthæus exercitus ita pavore consternatus est, tanquam si omnes unum habuissent jugulum, quod populo Romano Caligula optabat. Hoc uno gigante cæso, cervix omnium videbatur præcisa. Nam *videntes Philisthiim, quod mortuus esset fortissimus eorum, fugerunt*, plurimis in fugâ cæsis. Eleganter dixit Ambrosius: *Vnius fortitudo, facta est universorum victoria.* Quanti est, præsertim in bellis, vel unius hominis erectus & virilis animus. De Lacedæmoniis prodiit Ælianus, in bellis eos sagulis usos puniceis, ne sanguis è vulnere fluens injiceret pavorem. Eam ob caussam Imperatores Romani purpureum vestitum in aciem adferre consuevernnt. Quod de Lucullo memorat Plutarchus, qui Macellum & Pelopidam reprehendit, quòd seipsos cùm exercitûs damno perdiderint.

Salus militum in vitâ ducis consistit.

Salus militum in ducis vitâ consistit. Cùm Asaëlem, ut sacræ paginæ testantur, jugulâsset Abner, cunctorum militum animi ceciderunt. Cùm Holofernem vidua Iuditha ferro trucidâsset, quod pariter litteræ divinæ memorant, *intolerabilis timor & tremor cecidit super eos, & turbati sunt animi eorum valde. Et factus est clamor incomparabilis in medio castrorum eorum, cùmque omnis exercitus decollatum Holofernem audisset, fugit mens, & consilium ab eis, & solo tremore ac metu agitati fugæ præsidium sumunt, ita ut nullus loqueretur cum proximo suo, sed inclinato capite, relictis omnibus evadere festinabant Hebræos, quos armatos super se venire audierant.* Et ô rem mirè prodigiosam! E muribus subitò facti sunt leones. Nam ante cæsum Holofernem Assyrii Hebræos vocârunt mures; eosdem, Imperatore suo jam obtruncato, fugerunt ut leones.

2. Reg. c. 2. v. 23. Iudith c. 14. v. 17. & 18. Ibid. c. 15. v. 1. & 2.

Ita Philisthæi Goliatho ad orcum misso, non tantùm effusissimè fugerunt, sed plurimi eorum interierunt. Si Iosepho, historico Græco, credimus, Philisthæorum triginta millia occisi, sexaginta millia vulnerati sunt. Nam eos Hebræi usque in Geth, & Accaron fugârunt, inde reversi castra spoliârunt. Ioseph. l. 9. Antiquit. c. 11.

Quomodo Saul meroduce quæsiverit: *De quâ stirpe descendit hic adolescens? Interroga, cujus filius sit iste puer.* Incredibilis & sanè turpis oblivio. Vix annus est, cùm David Saulis armigerum egit, suúmque dominum fidium cantu à dæmonis insultu sępius liberavit, & jam oblivioso rex quærit: Quis sit iste juvenis? Hæc absurda quæstio, caussa & occasio fuit Davidis ad regem introducendi. Accersitus igitur David ad Saulem, cum capite Goliathi, quod manu gerebat, se stitit regi. Ad quem rex comiter: *De quâ progenie es*, inquit, *ô adolescens.* Cui promptè David: *Filius*, ait, *servi tui Isai Bethlehemitæ ego sum.* Hic meritò miremur, quomodo Saulem omnis adeò memoria destituerit, ut pugnâ finitâ ex Abnero duce quæsiverit: Quomodo Saul meroduce memoriâ destituitur. 1. Reg. c. 17. v. 55. & 56. Ibid. v. 58.

Porrò prælium tam feliciter clausum triumphus sequebatur illustrissimus. Rex Saul eum Ionathâ cęterisque filiis curru regio sublimem se spectandum dedit. Comitabatur Abner castrorum præfectus & David, pretiosâ veste splendidi, sertis redimiti. Etenim Davidem Ionathas suis & armis & vestimentis ornavit. Hos alii atque alii duces militésque sequebantur palmas & prædam ferentes. Post hos captivi ducebantur. Hinc illinc Heroüm tympana & tubicines concinebant. Goliathi caput inter Saulem & David, quod credibile, conto præferebatur. Nam prisco ritu hostium capita figebantur contis. Ita Ptolemæo factum à Gallis, quod Iustinus memorat. Sic Otho Imperator Pisoni & Galbæ fecit. Triũphus Saulis. Iustin. l. 14. hist. Tacitus l. 17. Annal.

Huic agmini triumphali ex urbibus undequaque obviam prodierunt puellæ Hebrææ, quæ festivis cantibus & choreis salutarent victores. Id enim doctæ erant, in nuptiis epithalamium, in triumphis epinicium, in cladibus epicedium, in funeribus lessum canere. Ita triumphantes Saulem & Davidem hoc cantu exceperunt: *Percussit Saul mille, & David decem millia.* Hæc invidentiæ fuit scaturigo, hæc lerna tot malorum, ab his scintillis odiorum incendium est ortum. Merum mel & rosas sparserat triumphus iste; gaudiis & gratulationibus faustis exsonabant omnia. Repentinos fellis imbres effudit cacodæmon, & omnem diei hilaritatem fœdavit. Applausus & acclamatio populi. 1. Reg. c. 18. v. 8. Inde invidiæ scaturigo.

O bonæ virgines, quàm innocenter peccatis! Veritas parit odium. In castris Saul multa, sed plura prætitit David: Saul manu & consiliis mille jugulavit, David decem millia. Nam certè in uno gigante illo tot millia & plura porrexerunt jugulum, & receperunt ferrum. Qui unam arboris stirpem exscindit, plurimos abscindit ramos. Ita simplices istæ Hebræorum puellæ non errârunt elogio Davidis; imò verò liberaliùs cum laudare potuissent: non solùm enim multa millia hostium in fugam egit, sed & multis millibus suorum vitam servavit, ampliori laude dignissimus. Interea tamen non negamus, ô cantatrices nobilissimæ, cantiunculam vestram aliquâ laborâsse imprudentiâ. Fecissetis sanè rectiùs, si Saulis nomen silussetis. Res nota: Omnis comparatio, etiam inter pares, odiosa: longè autem odiosissima est, quando viliores summis æquantur aut præferuntur. Quantum Omnis comparatio inter pares odiosa: odiosissima cum viliores summis æquantur aut præferuntur.

tum invidiæ concitârunt pauculæ voces illæ: *Constantinus condidit, Cyrus instauravit.* Narrationem confero ad compendium.

Constantinopoli ædificia complura terræmotu collapsa restaurantem manum petebant. Cyrus architectorum princeps, vir laudatissimus, pace & bello insignis, Præfectus aulæ, prætorio, urbi; patritius, consularis, dux belli; quidquid intra urbem movente terrâ prociderat non tam instauravit, quàm sepultum in augustiorem formam excitavit, ex quâ re sicut apud cives magnam gratiam collegit, ita apud Imperatorem Theodosium Iuniorem non mediocriter offendit. Nam cùm Theodosius ludis equestribus, de more præsideret, & populus novâ urbis specie delectatus idemtidem acclamaret: *Constantinus condidit, Cyrus instauravit*, vulneratus his vocibus Imperator, Cyrum non solùm publicatis bonis in ordinem redegit, sed in Clericum attonsum Smyrnam non alio animo misit, quàm uti per speciem quidem pontificatum ibi gereret, reverà autem ut ab improbo populo, qui jam quartum episcopum interfecerat, mactaretur. Speciosum profectò & aulicum stratagema. Hanc verò tragœdiam pauculæ populares illæ voces concitârunt: *Constantinus condidit, Cyrus instauravit.*

Ita famulum regium, juvenem pastoritium præferre regi grande visum est piaculum. Hîc diabolus tam luculentos excitavit ignes, qui adeò convalescebant, ut demum sanguine fuerint restinguendi. Porrò in hoc Saulis triumpho tria sunt paullò pensiculatiùs cogitanda.

Zosim. ad ann. Christi 441.

Tria consideranda in triumpho Saulis

§. II.

I. Saul quæsiit, quis esset David? oblitus certè quem anno priori habuisset armigerum & musicum primarium. Diversæ assignantur caussæ. Cùm autem scriptor divinus rem exiguì, ut vidétur, momenti diligenter ac perquisitè conscripserit, altiùs fodiendum; latet hîc monitum nobilissimum: singularem gratiam nemini sperandam ab ullo mortalium ob impensa obsequia. Memoria beneficiorum labilis, infirma, tenuis, sæpe nulla. Si qua tamen aliquando spirat, quod rarissimum, levis eam omnem offensiuncula dissipat. Fuit qui tam immemori beneficiorum in os diceret: Etiamsi te Romam usque patientissimis humeris deportarem, si tamen non quàm placidissimè deponerem, operam gestationis omnem corrumperem. Nimis quàm facile est, collectam diu gratiâ lætione tenuissimâ effundere. Nemo unquâ apud suos seu majores, seu præsides, sua jactet beneficia, nec quidem mutiat de illis. Optimates & principes nulli famulorum volunt videri esse obstricti. Famulus es? fac quod potes, age fideliter & sedulò, hæc tuo domino debes: officium est, non beneficium; debitum est, non meritum. Homo aulicus pueriliter cogitat suum sibi principem reddere obnoxium benefactis. Saul à maligno genio sæpius est liberatus, Davide fidibus canente, & tamen post elapsos aliquot menses ignorat, à quo beneficium istud acceperit. Sed dicat: Infinita alia mihi cogitanda sunt; tanta varietas & multitudo famulorum memoriam facilè confundit. Non ægrè hoc regi dedero. Sed ob paucula puellaris cantilenæ verba, famuli fidelissimi sanguinem & vitam petere, non memoriæ lapsus, sed perfidi & ingrati animi scelus est. Nullus igitur sua vel obsequia, vel beneficia, principibus, aut dominis, jactet. Asperum hoc exprobrandi genus est. Christus nos ad modestiam erudiens: *Cùm*, inquit, *feceritis omnia, quæ præcepta sunt vobis, dicite: Servi inutiles sumus; quod debuimus facere, fecimus.* Nemo ambitiosè aut anxiè sui memoriam, aut ullius hominis favorem & gratiam aucupetur. *Fallax gratia & vana est pulchritudo.* Divinis favoribus plerunque se indignum gerit, qui humanos tam cupidenter exambit, & æquum peccati supplicium est, ut humanam gratiam perdat, qui divinam non desiderat. Pulchelli homines, quàm sæpè fallimur, qui principibus nos mirè placere credimus, & quæritur: Quis est iste? *Nolite confidere in principibus, in filiis hominum, in quibus non est salus.*

Saul quæsiit quis esset David.

Hujus oblivionis diversæ assignantur causæ.

Luc. c. 17. v. 10.

Prov. c. 31. v. 30.

Psal. 145. v. 2.

II. Alienis semper inimica successibus invidia, demum ipsa suum bibit venenum. Audito rex puellari carmine, irâ & invidiâ in David tumere cœpit. *Non rectis ergo oculis Saul aspiciebat David à die illa & deinceps.* Invidiæ prælusit ira. *Iratus est autem Saul nimis, & displicuit in oculis ejus sermo iste, dixitq.: Dederunt David decem millia, & mihi mille dederunt; quid ei superest nisi solum regnum?* Non defuerunt, putem, homines, politici livoris pleni, qui regi adhiberent faces, res Davidis extenuarent, tectis eum vituperiis calcarent, ut illum amolirentur ab aulâ, ideque specie tuendi regni. Permittit natura sui defensionem, sed prohibet alterius injuriam. Esto se servare voluerit rex impius Saul, cur hominem de se totoque regno quàm optimè meritum & innocentissimum rapit in invidiam? Non rectis oculis Saul aspiciebat David. Ex invidiâ hac natum capitale odium. Quàm nescit Saul regnare? Senecæ cothurnus docet: *Ars prima regni est posse te invidiam pati.* Non minùs verè dicamus: Ars prima est cœnobiorum, aularum, Xenodochiorum scire pati invidiam. Hîc variè, delinquimus: In invidiam vocamur & vocamus, alternâ laboramus invidentiâ. Et licet in invidiam trahi crudele nobis & intolerabile videatur, alios tamen in invidiam trahere tam facile nobis est, quàm facilè vulpes pyrum comest. Invidia vetustissimæ nobilitatis malum est; in aulis, ut aiunt, nascitur; in cœnobiis educatur, in Xenodochiis moritur, reviviscit ubique, sed non proinde cœnobia, aulæ, Xenodochia continuò execranda sunt. Animum Davidis æmulemur, & æmulos omnes superabimus tolerando. Nec enim plus nocebunt, quàm æquissimus rerum arbiter volens permittat. Invideri nonnemini potest, invidere nulli. Invidetur autem commodis, honoribus, felicitatibus alienis. Sed istis David non terretur, qui Deo nititur. Invidus sibi ipse quàm plurimum nocet. Nam *Invidia*, ut Annæus loquitur, *virus est, quo alios spargitis, vos ipsos necatis.* Invidia humanæ mentis Tartarum est. *Nec tamen*, ut Prosperait, *justius quidquam invidiâ, quæ ipsa suum auctorem excruciat & perimit.* Invidiam ferre aut fortis aut felix potest. Is porrò felicissimus est, qui divinæ voluntati ac providentiæ se totum permittit.

2. Alienis semper inimica successibus invidia, suum ipsa bibit venenum. 2. Reg. c. 18. v. 9.

Ibid. v. 8.

Ars prima regni, cœnobiorum, aularum est posse invidiam pati.

§. III.

III. Hoste uno exarmato ad plurium victoriam facilior fit gradus: Goliatho cæso, ita Philisthæi omnes jugulati sunt, perinde si omnium capita in uno Goliathi corpore stetissent. Vti suos quisque patimur manes, ita suo quisque velut nativo & perquam familiari trahimur & implicamur vitio. Hos avaritia ad omnes tenacitatis sordes impellit, illos contaminat libido, istos adurit invidia: sunt plurimi, quos stimulat iracundia, non paucos ambitio ad omne scelus animat; quosdam pusillanimitas fatigat, innumeris dominatur gula; sunt quos sibi mancipet pigritia. Hi nostri sunt Goliathi, cum quibus committimur. Quisque suum noverit hostem, cum quo dies noctésque digladietur. In hunc unum collineemus, adversùs unum hunc vires convertamus omnes. Tu

3. Hoste uno victo ad plurium victoriam facilior fit gradus.

tuam expugna avaritiam, tu tuam doma libidinem, tu gulam frena, tu superbiam debella, iracundiam tu vince, Invidiam tu rerunde, tu pigritiam propelle, quisque suum sternat Goliathum, in hunc unum omnes jaculetur silices: in familiarem hunc & inquilinum hostem machinis omnibus eundum est; hoc debellato robur hostile universum ruet. Tanti est vel unicum familiare vitium probè subegisse; in equilibet seipsum vincat, in quo maximè peccat. Huic victori accinunt beati Genii: Percussit David decem millia. An non qui unicum Absalonem è quercu pendentem triplici conto perfodit, totum ejus exercitum exarmavit? An non qui Sebam populi adversùs David concitatorem occidit, bello finem imposuit? Qui arborem à Daniele visam succidit, annon universas volucres & bestias ab illâ hospitatas fugavit? Ita, mi Christiane, in tui Goliathi frontem commensum dirige lapidem, unicum in te vitium, quod tibi ceteris familiarius, & ideò infensius ac nocentius est, viriliter expugna; & pænè vitiorum verbam vicisti, *Apprehende arma & scutum*, & exsurge in hostium suorum principem: sterne Goliathum, & grandem debellasti exercitum. Non est gloriosa victoria, ubi laboriosa non fuerit pugna.

Ps.34.v.2.

CAPVT VII.

David Ionathæ vestibus amicitur, Saulis lanceâ petitur.

Nil tam commodum quod non habeat sua incommoda.

NATVRA in hominem tam benefica est, quod unâ in in re negat, in aliâ sanè liberaliter compensat. Quibusdam tantò acutiorem dat auditum, quantò visum hebetiorem; sæpè quod viribus subducit, ingenio addit. linguam aliquibus inpromptam, sed intelligentiam largitur expeditam; nonnullis minus formæ, plus prudentiæ concedit; multis memoriam aut ingenium negat, sed eis robur ac lacertos tribuit, quantò scilicet negandis istis contractior, tantò dandis aliis benignior. Idem regionibus ac provinciis evenit; sunt quæ vino careant, sed frumento abundent; sunt quibus abundans vinum est, sed frumenti modicum; sunt quæ metallorum jactent opulentiam, in aliis penuriam fateantur; sunt plurimæ provinciæ, quæ metallis egeant, sed pisce & pecore triumphent. Ita Deus nobiscum agit, hîc erigit, hîc deprimit, solatur & punit, ditat & depauperat, vulnerat, & medetur, redigit in ordinem, & extollit ad summa. Providentissimè miscet hæc omnia Deus. Quod in Naamano est cernere. *Erat vir fortis & dives, sed leprosus.* Nil usquam adeò tam commodum est, quin sua habeat annexa incommoda.

4.Reg.c.5. v.1.

David in aulâ Saulis mixturam amicitiæ & odii expertus est.

Hanc mixturam David in aulâ Saulis nimium quantum expertus est. Ionathas regis filius, Davidem ut animam suam amavit, rex parens eundem voluit occisissimum; Davidi regis filius benevolentiam & fidem summam præstitit, rex Pater Saul malevolentiam & invidiam extremam in hunc ipsum evomuit. Ita Deus solet agere; his mixturis vitam humanam temperat. Eripit & reddit; lætitiâ perfundit & tristitiâ, affligit & reficit, ne nimiùm subsultemus, & velut exhilaratæ pecudes lasciviamus; ne tamen nimiùm dejiciamur animis, mediâ eundum est viâ, & assiduè Deo inhærendum. Hoc artificio usus est David, qui & Ionathæ amorem & Saulis odium velut è manu Dei obviis ulnis accepit. Ionathas tanto Davidis amore arsit, tam intimum illum habuit, ut seipsum exuens juvenem charissimum sui corporis cultu amiciret: Saul porrò David tantis prosecutus est odiis, ut jactâ lanceâ eum petierit, parieti confixurus. De hac amoris & odiorum mixturâ, de hac Ionathæ in Davidem benevolentiâ, & Saulis invidiâ jam disseremus.

Quam velut è manu Dei obviis ulnis accepit.

§. I.

A Congressu cum Goliatho obtentâque victoriâ, & colloquio cum Saule prudenter habito, David in omnium medullis ac visceribus hæsit. *Acceptus erat in oculis universi populi, maximèque in conspectu famulorum Saul.* Ionathas tantâ Davidis charitate flagravit, ut visus sit unus animus duo habitare corpora. *Anima Ionathæ conglutinata est animæ David, diligebat enim eum, quasi animam suam.* Non est arctior in Orbe amicitia, quàm corporis & animi. Huic simillimus fuit amor Ionathæ adversus David. Parentem Saulem & filium Ionatham dissimillimo fuisse ingenio oportet. Pater victoriam & laudem Davidis suam sibi injuriam & ignominiam interpretabatur. Filius triumphum & encomia Davidis haud aliter accipiebat, atque si ad se omnino pertinerent. Neque enim Davidis animam à suâ censebat esse diversam, cùm non minùs in illius corpore, quàm in suo viveret. Atque hîc Platonis dictum valuit: *Amans in proprio corpore mortuus est, vivit in alieno.* Hinc fit, ut qui verè amant, amati incommoda graviter ferant, de suis parum laborent. Sic Arria moritura dixisse fertur non dolere vulnus, quod sibi adacto in pectus ferro intulerat, sed illud forte acerbum, quod sibimet Pætus conjux illaturus esset. Hunc amorem vates Bilbilitanus ita canit:

1.Reg.c.18. v.5.

Davidis & Ionathæ inter se amicitia.

Ibid.v.1.

Saulis & Ionathæ dissimillimum ingenium.

Casta suo gladium cùm traderet Arria Pæto.
Quem de visceribus traxerat ipsa suis.
Si qua fides; vulnus, quod feci, non dolet, inquit,
Sed quod tu facies, hoc mihi Pæte dolet.

Martialis lib.1.Epigramm.14.

Hæc vis est amoris, qui amantis sensus & animum in illius, quem amat, transmittit corpus. Ita Ionathas Davidem tanquam animæ suæ dimidium, & velut alterum se amabat. Hinc amborum animæ in unam coalitæ & conglutinatæ dicuntur.

Porrò rex pater dissimillimi fuit ingenii à filio. Et dubites certè num parentes odium, an filii amor vicerit certando. Huic amori testando Ionathas suam animam, suas delicias paganâ veste tegi noluit. Suis ergo vestibus se spolians in hominem amantissimum eas transtulit usque ad baltheum. *Inierant autem David & Ionathas fœdus.* Quod nonnemo miretur, regem cum pastoritio juvene ignoto, tam facilem inire amicitiam. Verùm ubi se virtus præbet spectandam, illuc jucunda est amori via, nec difficulter sibi homines conciliat amicos, qui amicum habet Deum. Talis erat David, virtute ornatissimus, Deóque conjunctissimus. Quid mirum si homines virtutis & Dei amantes amicitiâ sibi devinxit? Deinde similitudo amorem sibi parit & conjunctionem facillimè; quisque sibi quærit sui similem. Vterque tam Ionathas, quàm David animo generosus, manu strenuus, honesti amans, minimè invidus, veræ religionis propugnator, virtutis ac Dei cultor. Hinc animorum prona consensio. Hinc spoliavit se Ionathas tunicâ suâ, quâ erat indutus. Non tantùm superiores suas vestes Davidi dono dedit, sed & reliquas, ita ut David exuerit pastorem & induerit principem, nec vestes tantùm, sed & arma, gladium, arcum, baltheum à juvene regio accepit. Baltheus militare fuit cingulum; quod ablatum, exauctorati militis erat argumentum. Hoc Christianis militibus probri caussâ sæpe contigit. Balthei pro personæ dignitate, bullis argenteis, aureis, gemmeis insigniebantur. Trebonius Pollio gemmatum baltheum gestavit. Salo-

1.Reg.c.18. v.3.

Qui Deum habet amicum cum non difficulter sibi homines conciliat amicos.

David vestes Ionathæ dono accepit.

nius

nius Æsinii Pollionis filius, qui natus puer continuò risit, auratos constellatósque baltheos sublegisse dicitur. Vetusti planè usûs erant hi Balthei. Nam & Jobus mentionem horum faciens, *Baltheum*, ait, *regum dissoluit, & præcingit fune renes eorum*. Jonathæ regis baltheus ab arte & materiâ utique pretiosus, stellatus gemmisque radians, donum illustrissimum, & inter hæc quidem dona maximum fuit, amoris maximi argumentum, idcirco loco ultimo nominatur.

Job cap. 12. vers. 18.

Potuisset Jonathas donare torquem aut craterem aureum, aut marsupium auro fartum. Nil horum in donum placuit; vestes dare voluit, nec unam tantùm ob caussam. Prima: ut inde David primarii amoris indicium conjectaret, seque sciret perinde Jonathæ præcordiis, quemadmodum vestimentis tegi. Altera: Davidem à Jonathâ plùs amari, quàm Jonathas amaretur à seipso. Tertia: Ut tale favoris eximii monimentum esset, quod Davidis oculis identidem objiceretur. Quarta: Hoc donum jussit ampliora & optima quæque sperari. Quinta: Moras non tulit amor dum munus aliud pararetur, id quod obvium & proximum erat, è vestigio donavit. Sexta: Volebat Jonathas seipsum in Davide, velut in speculo, videre.

4. Caussæ cur Jonathas vestes dare voluerit. Prima. Secunda. Tertia. Quarta. Quinta. Sexta.

Verùm quantò majore Jonathas Davidem complexus est amore, tantò eum graviore Saul prosecutus est odio. Ambitio & invidia artificiosæ prorsus sorores, & ipso pæne diabolo artificiosiores. Saul non tantùm à cacodæmone, sed à geminis his furiis incredibiliter exagitabatur. Nam eò regem impium furiæ illæ impulerunt, ut juvenem nemini non charissimum perimere cogitârit. Erubescebat autem palatinis facinoris id facinoris imperare: aut licet impudentissimus fuerit, nescire tamen non potuit, non facilè quemquam inducendum, ut hoc flagitii designet in tam charo capite. Ergo, inquit, si familiaris desit manus, ego illius carnifex ero. Ne mihi tamen hæc cædes probro, si juguletur insons, hoc stratagematis usurpabo, & configam parieti. Ita factum non mihi, sed insaniæ meæ adscribetur. Facta hæc omnia, sed stratagema non successit; David lanceæ jactum agili corporis flexu declinavit.

Saul David perquirere. Hastela homicidii, quibus Saul nititur David occidere. Primum. Insania.

Saul invidiâ occæcatus, non id Dei providentiam, sed casum & fortunam interpretatus, fatalem hunc lusum denuò lusit. *Tenebatque Saul lanceam, & misit eam, putans quòd configere posset David cum pariete: & declinavit David à facie ejus secundo.* Ita & repetitum quoque facinus successu caruit. Tertium ergo homicidium rex impius moliri statuit, sed certè nec sine speciosо vaframento. Cùm enim cogitatum scelus, bis secus cessisset, videbatur impius rex redire ad se, & dolore, tanquam sibi inscio & invito hasta fuerit elapsa. Sed aliam iterum larvam Saul induens: *Amovit eum à se, & fecit eum tribunum super mille viros.* Pulchrum homicidii mantelum. Chiliarchus constitutus est David, ut periculis objectus tantò citiùs periret. Hoc enim Sauli proniissimum cogitare: David juvenis amans gloriæ, & spartam, quam nactus est in Goliatho, tueri ac ornare volens, ad belli discrimina impigrum se præbebit, & peribit. Nec enim omnibus horis Mars cuique felix est. Occidetur, quo non putaverit die. Interitûs culpam mihi nemo impinget. Sed & hic actus nihil processit. Nam *in omnibus viis suis David prudenter agebat, & Dominus erat cum eo. Vidit itaque Saul, quod prudens esset nimis, & cœpit cavere eum. Omnis autem Israël & Juda diligebat David; ipse enim ingrediebatur & egrediebatur ante eos.* Quartam igitur sanguinariam fallaciam impius rex adhibet. Spondet filiam natu majorem in conjugem, sed eâ lege, quæ raptura sit caput Davidi ante nuptias. Fœdus igitur nuptiarum statuens illud: *Ecce, inquit, filia mea major Merob, ipsam dabo tibi uxorem, tantummodo esto vir fortis, & præliare bella Domini.* Sua-

Secundum. Lusus fatalis. 1. Reg. c. 18. vers. 11. Tertium. Ejus Tribunus. 1. Reg. c. 18. vers. 14. & sqq. Quartum. Sponsio iniqua. 1. Reg. c. 18. vers. 17.

A via verba, sed animus amarissimus, felle plenus. Quod è sequentibus monstratur. *Saul autem reputabat dicens: Non sit manus mea in eo, sed sit super eum manus Philisthinorum.* Perinde si dicat: Dummodo non cadat meo gladio, licet meo consilio. Videte, ut facinorosus princeps mortiferis criminibus nova identidem nectat, & propudiosam faciat scelerum catenam. Ita fieri solet, si quis audeat vel unica letali noxâ Deum lacessere, brevi alias atque alias audebit primis addere. Subtractâ Dei gratiâ in omne nefas ruimus, scelera sceleribus augemus nequissimâ constantiâ. Et qui labi potuimus à nobis ipsis, non ita possumus à lapsu resurgere. Cave primam lethalem culpam, qui metuis multas. Diabolus semel præcipitatum, jam usque & usque & usque in vetitum rapit ludibrio miserabili. Ita Saul homicidia homicidiis jam destinatis cumulavit. Grandiorem natu filiam in conjugem spospondit. Nam à Siris & Hebræis adultiores priùs ceteris nuptum elocari solebant. Conjugium utrimque placuit, nam amor pares aut invenit, aut facit. Nuptiis jam constitutis scelestus rex fidem promissi frangit, & filiam Merob in matrimonium alteri tradit. Ita de facili jusjurandum neglexit, & in fide non stetit. An non istud gravis injuria, turpis contemptus? Hoc certè Samsonem ita exacerbavit, ut vineas, oliveta, segetes incenderit, & Philisthæos mille jugulaverit. Quæsitum, quis hoc fecisset? Dictum est: Samson: & addita caussa. Quia Thamnatæus, qui filiam suam in uxorem illi promiserat, alteri eam tradidit. *Ascenderúntque Philistiim, & combusserunt tam mulierem, quàm Patrem ejus. Quibus Samson insuper minatus. Licet hæc feceritis, inquit, tamen adhuc ex vobis expetam ultionem.* Eandem hanc passus injuriam David, nil tamen spiravit vindictæ. Hîc ego vociferari possim: *Memento Domine David, & omnis mansuetudinis ejus.* Subinde pueriliter queritamur nos affligi. Modicæ sunt sæpe ac delicatæ afflictiones nostræ, si eas conferamus ad serias istas, & permagnas. Virgis nos cædit Deus, sed jam detritis, manu percutit, sed planâ, & parcente. Sunt quos baculis, fustibus, flagris contundit. Verùm si Davidis ærumnas numeretis, vixdum initium earum spectavimus. Atrociora multò sequentur. Vix hactenus prolusum est tetrioribus, quæ sequentur, calamitatibus. Capitales insidiæ Davidi structæ, videri possunt facetiæ & astutiæ aulicæ prout longè acerbiores addentur ærumnæ. Sed hîc triplex instillat David documentum. Agnosce providentiam, cedæ iræ, invidiam aversare.

Subtractio gratiæ quantum malum. Saulis infidelitas erga Davidem. Thamnatæi erga Samsonem. *Iudic. c. 15. v. 6. & 7.* *Psal. 131. vers. 1.* Triplex documentum.

1. Agnosce Dei providentiam. 1. Reg. c. 18. vers. 4.

1. Agnosce Dei providentiam omnis aberrationis experem, quæ mortiferæ Saulis invidiæ, amorem summum Jonathæ conjunxit. *Nam expoliavit se Jonathas tunicâ, quâ erat indutus, & dedit eam David, & reliqua vestimenta sua usque ad gladium & arcum suum, & usque ad Baltheum.* Ut sciret David à Jonathâ se magis amari, quàm seipsum amaret Jonathas, qui Davidem velut alterum se ab omnibus voluit honorari. Non enim sua solùm vestimenta, sed sua etiam arma omnia illa donavit. Ita Deus cum suis agit, unâ manu ferit, ungit alterâ. Quod & natura passim facit facit in rebus conditis. Pampini tuentur botros, ne à sole violentiùs lædantur & putrescant. Idem officii præstant arborum fructibus frondes & folia: pictor qui exteriores ædium parietes expingit, in sole quidem penicillum movet, sed crassum velarium habet, quo solem arceat; subinde vermiculi fructus, oleráque infestant, sed illos aviculæ, aut immitior cæli aura jugulat; ubi sentit natura vulnus, ibi plerumque applicat malagma. Ita Deus mitissimè agit, percutit, & sanat. Hebræum Vatem Jonam in fluctus spargi permisit, sed unà etiam piscem grandem præparavit, qui esse videbatur hostis, & erat Servator; cetum hunc dixisses Jonæ tartarum, & erat tutissimum asylum. *Fidelis Deus est, qui non patitur nos*

Natutæ beneficium erga res conditas. *1. Cor. c. 10. vers. 13.*

tentari supra id, quod possumus; sed facit etiam cum tentatione proventum, ut possimus sustinere. Divinam hanc methodum expertus est David; quem Saul pater extremis odiis insectatus est; hunc filius Jonathas amore ardentissimo complexus est. Et qualis illa Dei fuit providentia? Peritissimi jaculatoris telum David non semel levi corporis flexu declinavit. Cogitârat Saul: Evaserit meus fidicen primâ vice, non evadet alterâ. Evasit certè & alterâ. Quàm & illud luculentum providentiæ divinæ fuit specimen? Omnia Saulis molimina in Davidis cædem vergentia, in ampliorem ei felicitatem ac gloriam cesserunt. Ab his odiis commendatior omnibus & charior effectus est Dauid: *Omnis Israël & Iuda diligebat Dauid.* Cur autem nos non eadem experimur? Genuinam, mi Lector, caussam accipe: Nos Deo non eodem modo fidimus, nec in omnibus, uti David, divinam adoramus providentiam.

Saulis odia in ampliorem Davidi gloriam cesserunt.

1. Reg. c. 18. vers. 16.

II. Cede iræ. Lethalem lanceæ jactum exivit David declinando. Quot jurgia, quàm fœdas lites, quot rerum damna facilè vitaremus, & sciremus submittere nos & declinare furiosos aliorum impetus, iramque alienam molli sermone aut silentio mitigare. Silere potuisse, infinitas composuit rixas: *Sermo,* præsertim *durus, suscitat furorem.* Prudentis est, declinare ictus, & minantibus plagis se subducere, hominem iracundum velis remisque fugere, aut certè non respondere tonanti. Nos sæpe contra facimus, ingerimus nos, & plagis exponimus volentes; uti olim discurrentibus lupercis gravidæ sese offerebant verberandas: ita nos amamus verbera, & volumus cædi; vultum importunum ostendimus, & contra intuemur, audacter in os obsistimus, & certamus vociferando; sic adversarium jam antè concitatum & furentem magis provocamus, nec declinamus ictus, sed excipimus & rependimus cum fenore; in promptu sunt dicta acria & virulenta, quibus injurias non tam arcemus, quàm accendimus: quisquis nos vel minimùm offenderit, acerrimè vindicamus; nullam vel brevissimi quidem errati gratiam facimus, nec verbulo damus veniam. Hoc, ô boni, non est declinare ictus, sed iis se ultro ingerere. Bernardi sensu: *Excusatio perfecta, testimonium conscientiæ.* Quid luctamur & obsistimus? Bona conscientia præclarè plurima silentio refutat.

2. Cede iræ.

Prov. c. 15. vers. 1.

Homo iracundus est fugiendus.

III. Ambitionem & invidiam aversare. Vitia duo nequissima, diaboli veneno plena. Saul Davidem sæpius occisum voluit, & in eam molitionem crebras vitæ ac capiti struxit insidias, quas tamen tam callidâ texit crudelitate, ut ea omnia fieri amore possent videri. Jam verò cogitationes illius pessimæ, cruenta consilia, truculentissimæ machinationes, universo patent Orbi. Ita prorsus quidquid in nos mutuis molimur odiis, supremo judicii die patebit. Apertissima erunt omnibus vel abditissima pectorum secreta. De re præsenti disserens Chrysostomus: *Quem oportebat, inquit, ut benefactorem & Salvatorem agnoscere, eum quærebat interficere. O excellentem insaniam, ô stupores magnitudinem. Sed mente obtenebratus ab invidiâ, perinde atque ab ebrietate, benefactorem, ut hostem spectabat.* David & vitam & regnum servavit Sauli, in hostimentum & gratiam regalem, mors illi paratur. Sic ambitio & invidia, maleficiis compensare beneficia. Ubi duplex hic morbus est ambitionis & invidiæ, uti in Saule fuerat, ibi æger insanire, furere, præcipitare, omnia pessum & in perniciem dare consuevit. Alterius fortuna, lucrum, gloria, successus, ambitioso & invido mœror & mors est.

3. Ambitionem & invidiam aversare.

Chrysost. hom. 46. in c. 21. Genes.

Duplex morbus ambitionis & invidiæ, in Saule.

In Philippo Macedone.

Philippus Macedo, quem Demosthenes cum curâ expingit, tam insignitæ fuit ambitionis, ut quidquid uspiam in ejus regno præclarè gereretur, ipsi fuerit adscribendum: ducibus suis rem fortiter ac strenuè gerentibus magis indignari solebat, quàm ignavis cessatoribus, qui multa corrupissent imbelli metu ac socordiâ. Alexander filius, parenti sæpe non impar hac geminâ peste. Nam, quod Curtius prodit, Alexander hostes vinci voluerat; Antipatrum vicisse; ne tacitus quidem non indignabatur, suæ demptum gloriæ existimans, quidquid accessisset alienæ. Talis profectò ex asse Saul malignus & invidus. Sauli simillimus Assyriorum rex, qui teste Xenophonte, Gobriam in venatum assumpsit, qui se illo peritiorem in equitando credidit. Oblatam sub initium venationis ursam rex telo petiit sed cassò; Gobrias certissimo jaculo feram prostravit. Invidiam rex dissimulavit. Venientem pari modo leonem sagitta regia non læsit, Gobriæ tetigit. Hîc rex secum nescio quid dirum mussitans, lanceam scelliti eripit, eâque transadigit Gobriam. Nimirum invidia cœca, præceps, furiosa est. In Saule id luculentum. Excæcatus, amens furore captus rex, dolet tam feliciter regnum suum Davidis dexterâ servatum, ideóque cupit optimè meritum morte sublatum. Jure terreat, quod Gregorius Nazianzenus dixit: *Invidia non solùm multos, sed & optimos tangit.* De eâdem Chrysostomus: *Invidia,* inquit, *diaboli fumentum, cuncta bene gesta consumit.* Videte, Christiani, & cavete, ab omni vel invidiæ umbrâ. Invidus tam cœco furore agitur, ut sibi primus, & plurimùm noceat. Jonathas & David ideo corde amabant inter se, quia nihil eos adurebat invidiæ. Charitas non æmulatur.

In Alexand. Lio. ejus fr.

In Assyriorum Reg.

Chrysost. hom. 41.

CAPVT VIII.

Despondetur Davidi Michol.

ALEXANDRVM Macedonem ab Annæo Senecâ crebrioribus vituperiis affici, quàm encomiis nemo miretur. Alexander facinora edidit non pauca, quibus ingentes laudes, robore militari partas turpiter corrupit, & extinxit. Inter illa & istud numeramus. Clitum Alexander servum fidissimum, militem animosissimum suâ ipse manu jugulavit. Factum herile non regium. Clitus miles veteranus, & generosus sub Alexandri Patre Philippo fecit stipendia, jam ob virtutis ac fortitudinis famam in laude positus. Alexandro certè servavit vitam, cum Rhosaci manum capiti regio imminentem, ferro amputavit, regem clypeo texit. Cliti soror primos Alexandri annos ad mores, & virtutem formavit aulæ præfecta. At nullius rei facilior quàm beneficiorum oblivio.

Curt. lib. 8. cap. 3.

Alex. Facinus: quo illũ quem extinxerat modò resuscitatum volebat.

In convivio cùm Alexander jam temulentus incaluisset vino, & Clitus Philippum Alexandri patrem paullò intemperantiùs, gestáque in Græcia bella, præsentibus priora præferens commemorasset, rex ebrius & impotens animi & iræ, procurrit in regiæ vestibulum, & vigili excubanti hastâ ablatâ, constitit in aditu, quo necesse erat iis, qui simul cænaverant, egredi. Abierant ceteri, Clitus ultimus sine lumine exibat. Quem rex, quisnam esset, interrogabat. Eminebat etiam in voce, sceleris, quod parabat, atrocitas. Et ille jam non suæ, sed regis iræ immemor: Clitum esse, & de convivio exire respondit; hæc dicentis latus hastâ transfixit, morientisque sanguine aspersus: I nunc, inquit, ad Philippum, & Parmenionem, & Attalum. Malè humanis ingeniis natura consuluit, quòd plerunque non futura, sed transacta perpendimus: quippe rex postquam ira mente decesserat, etiam ebrietate discussâ, magnitudinem facinoris serâ æstimatione perspexit. Videbat tunc immodicâ libertate abusum, sed alioqui egregium bellovirum, &, nisi erubesceret fateri, servatorem sui occisum

Causa cur Clitus ab Alexandro trucidatus.

Facinoris pœnitet Alexandrum.

occisum. Detestabile carnificis ministerium occupaverat rex, verborum licentiam, quæ vino poterat imputari, nefandâ cæde ultus. Manabat toto vestibulo cruor paullò antè convivæ: Vigiles attoniti & stupentibus similes procul stabant, liberiorémque pœnitentiam solitudo exciebat. Ergo hastam ex corpore jacentis evulsam retorsit in semet, jámque admoverat pectori, cùm advolant vigiles, & repugnanti è manibus extorquent, allevatúmque in tabernaculum deferunt. Ille humi prostraverat corpus: gemitu ejulatúque miserabili totâ personante regiâ. Laniare deinde os unguibus, & circumstantes rogare, ne se tanto dedecori superstitem esse paterentur. Inter has preces tota nox extracta est: scrutantémque, num irâ Deorum ad tantum nefas actus esset: subit, anniversarium sacrificium Libero Patri non esse redditum stato tempore. Itaque inter vinum & epulas cæde commissâ, iram Dei fuisse manifestam. Ceterùm magis eo movebatur, quòd omnium amicorum animos videbat attonitos: neminem cum ipso sociare sermonem postea ausurum. Vivendum esse in solitudine, velut feræ bestiæ terrenti alias, alias timenti. Primâ deinde luce, tabernaculo corpus sicut adhuc cruentum erat, jussit inferri: quo posito ante ipsum, lacrymis obortis: Hanc, inquit, nutrici meæ gratiam retuli, cujus duo filii apud Miletum pro meâ gloriâ occubuere: hic, frater, unicum orbitatis solatium, à me inter epulas occisus est. Quò nunc se conferret misera? Omnibus ejus unus supersum, quem solum æquis oculis videre non poterit. Et ego servatorum eorum latro revertar in patriam, ut ne dexteram quidem nutrici sine memoriâ calamitatis ejus offeram? possim? Et cùm finis lacrymis querelisque non fieret, jussu amicorum corpus ablatum est. Rex triduum jacuit inclusus. Quem ut armigeri corporisque custodes ad moriendum obstinatum esse cognoverunt, universi in tabernaculum irrumpunt: diúque precibus ipsorum reluctatum, ægrè vicerunt, ut cibum caperet. Ita Alexander eundem, quem modò occiderat, modò resuscitatum volebat.

De se vindictâ vult capere.

Hanc lusum cum Davide Saul sæpius lusit.

Velut facti pœnitens favorem simulat.

Discrimen inter Davidem & Clitum.

Hunc lusum cum Davide Saul lusit sæpius. Repetitis namque vicibus Davidem lanceâ configere moliebatur. Sed dextra Numinis, volans ferrum semper avertit. Post toties cogitatam cædem, mox iterum velut facti pœnitens favorem simulabat, heu! minimè diuturnum. At verò Clitum inter & Davidem ingens discrimen. Uterque quidem de domino & rege suo præclarè meritus, sed multò præclarissimè David, non de rege solùm, sed de regno universo. Clitus libertate oris procaciore malum sibi accersiit: At verò David furiosum regem nec verbulo læsit; hoc tamen unum agebat Saul, letho dare Davidem. Cùm cruentæ fraudes non è voto succederent, alias ex aliis insidias tam funestas, quàm tectas excogitavit. Ita post iniquissimè negatam Merob filiam natu majorem, Michol ei minorem natu despondere instituit, sed non alio prorsus consilio, quàm ut eum vitâ expelleret. Quod hoc capite tradendum explicatiùs.

§. I.

Promittit Davidi Michol filiam natu minorem conjugem ut velet homicidium. 1. Reg. c. 18. vers. 21.

NEcdum invidia Saulis molliri ullo modo, aut tranquillari potest. Fuit etiámnum in Davidem, cujus hoc maximum erat scelus, insidias evasisse. Negatâ igitur perfidè adultiore filiâ, natu minorem Michol promittit conjugem, eâ tamen conditione, ut priùs centum Philisthæos occidat, quàm hymenæum canat. Non minus crudeli astu has nuptias pollicitus Saul: *Dabo eam illi*, ait, *ut fiat ei in scandalum, & sit super eum manus Philisthinorum*. Finis pessimus, intentio longè depravatissima, sub nuptiarum velo homicidium. Atque ut fraus tantò esset tectior, famulos suos Saul compellans: *Loquimini*, ait, *ad David clam me, dicentes, Ecce places regi, & omnes servi ejus diligunt te. Nunc ergo esto gener regis.* His auditis David, suæ mansuetudinis ac modestiæ neutiquam oblitus: *Num parum*, inquit, *videtur vobis generum esse regis? Ego autem sum vir pauper & tenuis.* Viri rusticani filius, nullarum opum, generis obscuri, sanguinis non regii, & quomodò in regis generum attollar? Sapuit David. Nam qui magnum nomen expetit, perpetuas expetit excubias. Et videte sapientissimi juvenis submissionem. Stirpis erat nobilioris quàm Saul, qui ortum traxit è tribu Benjamin, ob turpissimum scelus pæne jam extinctâ. Et quæ Michol, quis tandem Saul erat? an non parentis sui agasonem egit, & asinas quæsivit? Quid igitur adeò se contrahit David? Modestus erat & animi submissi, alioqui promptè dixisset: Res meas cum Saulis laudibus compono, exæquor illi, aut præferor. Nil horum David mutiit. Nam pudentes & humiles ab origine suâ viliore nunquam oculos abducunt. Et credibile Davidem jam in solium evectum pristinæ conditionis suæ nunquam oblitum. Neque verò alienum aliquid à Davidis ingenio & modestiâ cogitaret, qui crederet antiqui status instrumenta, tanquam prioris fortunæ monimenta ab ipso fuisse conservata, ut cùm regem se videret, pastorem se fuisse meminisset, & cùm ornamenta deliciæque regiæ demulcerent, ad memoriam revocaret silvestrem cibum, cibarium panem, fatuas ficomoros, quas in Thecuano campo vellicârat: item pelles, pedum, saga, petasum, quæ Davidem opilionem tegebant. Hæc illi fastûs erant antidota. Ita & Agathocles, qui ut pristinæ fortunæ semper recordaretur, & patre figulo se natum nunquam non meminisset, abacos non argenteis aureisque vasis onerabat, sed fictilibus, quibus assiduè ad memoriam suæ originis juvandam utebatur.

Ibid. v. 22.

Ibid. v. 23.

Davidis submissio & moderatio.

Pristinæ conditionis semper memor.

Sic & Agathocles.

Modestissimo Davidis responso ad Saulem relato, rex iterum suo nomine renuntiari jubens: *Sic*, inquit, *loquimini ad David: Non habet rex sponsalia necesse, nisi tantùm centum præputia Philisthinorum, ut fiat ultio de inimicis regis*. Humanissima verba, sed parricidalis animus; amicissima frons, sed colubrinum tergum. Nam addit sacer historicus: *Porrò Saul cogitabat tradere David in manus Philisthinorum*. Hîc nemini mirum videatur dotis aliquid exigi à viro. Hebræo more ritúque gentis contrahebant matrimonium coëmptione; vir uxorem, uxor emebat virum: Si solus vir pecuniam expendisset, emisset arrillam; si uxor sola, emisset servum. Ideo conferendi utrimque nummi, aut rerum pretium, agri, vineæ. Oseas sponsam emit tritico, Jacob geminato servitutis septennio, Labani filias Rachelem & Liam coëmit; ita Micholem David coëmit vitæ discrimine; Ecclesiam Christus sanguine. His nuptiarum pollicitis speraverat Saul inescandum David, ut incautus & præferox irruens in hostem, ab hoste opprimeretur. Sed nec iste sanguinarius dolus successit. Et quàm sapienter Deus consilia tam prava evertit, ut in suum ea recedeant auctorem! Sed & Michol fidior fuit marito, quàm parenti. Non multum absimili astu Antiochus Cleopatram filiam junxit Ptolemæo, ut aditum sibi strueret in alienum regnum. Sed Cleopatra maluit Ptolemæi uxor, quàm Antiochi filia videri; in partes conjugis concessit, non patris. In rem locutus Daniel: *Ponet faciem suam*, inquit, *ut veniat ad tenendum universum regnum ejus, & recta faciet cum eo; & filiam feminarum dabit ei, ut evertat illud: & non stabit, nec illius erit*. Idem evenit Sauli, quamvis enim astutissimè vitam & sanguinem Davidis peteret, cruentis tamen ausis excidit. Centum Philisthæorum præputia petiit. Quàm vafer est diabolus! Vix callidiùs Saul dotem postulare potuisset, quàm hoc ipso modo,

Saulis humanissima verba, 1. Reg. c. 18. vers. 25.

Sed parricidalis animus.

Hebræi matrimonium contrahebant coëmptione.

Michol fidior fuit marito, quàm parenti.

Sic & Cleopatra Ptolemæo. Dan. c. 11. v. 17.

qui certam Davidi necem minabatur: præsertim cùm certum designaretur tempus, intra quod Philisthæi centum à Davide jugulandi essent. Cur autem non capita, non aures Philisthæorum Saul petiit? Astu hoc nequissimo fecit, ne falleret David, & fortè obvium quemque Hebræum ad cælum raperet, præcisúmque caput in dotis partem numeraret. Sed hæc tam vafra & sanguinaria regis molimina non terrebant. Nam *post paucos dies surgens David, abiit cum viris, qui sub eo erant, & percussit Philisthiim ducentos viros, & attulit eorum præputia, & annumeravit ea regi, ut esset gener regi. Dedit itaque Saul ei Michol filiam suam uxorem. Et vidit Saul, & intellexit, quòd Dominus esset cum David. Michol autem filia Saul, diligebat eum. Et Saul magis cœpit timere David: factúsque est Saul inimicus David cunctis diebus.*

1. Reg. c. 18. v. 27. & seqq.

§. II.

David impavidus pugnat & affert Sauli dotem petitam.

EN Davidis animum prorsus impavidum. Audet, congreditur, pugnat, vincit, triumphat. Et forsan ad populosam Philisthæorum urbem, cum copiis occultas vias insidens ex insidiis subitò prosiliit, & ducentos Philisthæos mactavit, attulitque, quam Saul petierat dotem. Ita rex non potuit, quin sponsione ac promissis staret, darétque filiam Davidi conjugem. Sed ô quales nuptiæ? capitalis hostis est socer, diadema pridem promissum deest, insidiæ Saulis non cessant. Sed horum nihil metuendum est ei, cui favet Deus. Leo est David; his catellorum latratibus non exterretur. Pugnantem pro se Deum habet: quem hominum formidet?

Hinc invidia Saulis incrementum sumit.

Sed videte, &, quæso, noscite Invidiæ genium, quæ radicibus tam firmis nixa, si sinatur incrementa sumere, in immensum crescit, auctibus quotidianis robustior, demum ut certum lignigenus lapidescit. His incrementis invidia Saulis adolescebat, seipsa quotidie valentior. Tandem, uti avaritia Iudæ, ita invidia regis improbissimi erupit in apertum. *Locutus est Saul ad Ionathan filium suum, & ad omnes servos suos, ut occiderent David.* Hactenus tigris ista, pelliculâ se ovillâ texit, jam larvam ponit, & ex ove fit aper, qui dentes exacuit in lanienam insontis. Hic Ionathas sortem iniquam misertus, hominis multò charissimi, præmonuit David, cautè ageret, & altero die seipsum tutis latebris custodiret, regem denuo meditari cædem innoxio. Se tamen illius causam susceperum. Fecit quod dixit. Captavit igitur occasionem adeundi patris, & mollia fandi tempora. Cùm hilarem, ait Iosephus, ac lubentem offendisset, ausus oratorem agere pro David apud patrem: *Ne*, inquit, *pecces rex in servum tuum David, quia non peccavit tibi, & opera ejus bona sunt tibi valde. Et posuit animam suam in manu suâ, & percussit Philisthæum, & fecit Dominus salutem magnam universo Israëli. Vidisti, & lætatus es. Quare ergo peccas in sanguine innoxio interficiens David, qui est absque culpâ?*

1. Reg. c. 19. v. 1. Sollicitat filium & servos ut occidant David.

Quod Ionathas indicat Davidi. Ibid. v. 4. & 5. & pro eo patrem exorat.

Non sterile fuit hoc patrocinium regii juvenis apud parentem, qui verbis filii mirificè placatus juravit: *Vivit Dominus, quia non occidetur.* Ita Ionathas suum Davidem in pristinum aulicæ dignitatis gradum restituit, modò potuisset etiam in firmum.

1. Reg. c. 19. v. 6.

Ita David illæsus inter medios hostes & in acie victor, domi iterum coactus est subire mortis aleam. Saul rursus à cacodæmone agitatus, atrociter furebat, & ne sceleri deesset arma, lanceam tenebat manu. At David mitigandis furoribus jam notis, fidicinem agebat. *Nisusque est Saul configere David lanceâ in pariete, & declinavit David à facie Saul: lancea autem cassò vulnere perlata est in parietem.* At David fugit, & in suam domum velut in asylum se recepit; eâ saltem nocte securitatem sperans à regis furoribus. At

Tentat Saul lanceâ occidere Davidem.

A sceleri nihil securum satis, aut tutum. Mox enim Saul satellites misit, qui domum Davidis cingerent, ne quis effugio pateret locus, eúmque manè interficerent, ne forsan præsidio tectus fruſtra quereretur per cuniculos, occultúmque ostium elapsus. Hic Michol animum planè masculum induens, nec lamentis domum implens, sed consilium virile dictans conjugi: *Cras*, inquit, *morieris, nisi hac nocte te servaveris.* Vidit enim Michol suas ædes selecti militis coronâ cinctas. Et forsan à Ionathâ clam monita est, sibi súoque conjugi prospiceret, insidias capitales à rege strui.

1. Ibid. v. 11.

Videte providentiam divinam, quæ tentari quidem suos permittit, *sed facit cum tentatione proventum, ut possint sustinere.* Quid porrò David in hac arenâ consilii ceperit, capite sequenti exequemur. Iam coronidis loco, malignè pavida Saulis conscientia, & mansuetudo Davidis patientissima venit considerandæ.

Providentia Dei in tentationibus. 1. Cor. c. 10. v. 13.

§. III.

Saulem timor invadit:

SAul Davidis prudentiam, successus rerum prosperos, & favores divinos indies expressiùs observans, magis cœpit timere David. Vsu quotidiano discimus conscientiam malam à rebus omnibus sibi metuere, & assiduè velut sub carnificis gladio trepidare. Affirmat id sapientia: Frequenter præoccupatur redarguente conscientiâ. *Cùm enim sit timida nequitia, dat testimonium condemnationis: semper enim præsumit sæva perturbata conscientia.* Hinc ingentem sibi malorum numerum credit imminere. Cùm autem conscientiam jam antè sceleribus obrutam, insuper etiam invidia in nefas impellit, magno ea impetu procurrit ad flagitia, & in noxam vertit etiam salubria. Pessimè cum ægroto agitur, cùm medicinæ transeunt in venena. Recreare plurimùm debuisset Saulem prudentia & fortitudo David generi sui. Contrarium evenit. Saul suspicione pessimâ plenus, adversus se geri omnia censebat. Hinc Davidem magis timuit, quàm Philisthæos. Hac de re differens Ambrosius contra Cainum: *Tuum te facinus*, inquit, *non frater accusat. Angusta mentis homo præsentem mortem veretur, perpetuam negligit, & judicium divinum non reformidat, qui trepidat ad humanum; interitum solum corporis deprecatur.* Omnis qui invenerit me, *ait Cain*, occidet me. *Quem times? soli parentes tui in Orbe sunt. Potuit timere feras, potuit & parentes ipsos timere, qui docuit parricidium committere.* Ita Saul hominem fidissimum, famulum obsequentissimum, suum ipse generum sibi obligatissimum tantò magis timuit, quantò eum magis tam Dei, quàm populi gratiâ valere animadvertit. Conscientia bona, juge convivium; Conscientia mala, juge convicium & tormentum. Plus habet quietis pistrinum turbulentissimum, quàm conscientia flagitiis turbata. Invidia neminem sinit quiescere.

Qui recreati debuisset Davidis Prudentiâ. Ambr. l. 2. de Abel & Cain. Gen. c. 4. v. 14.

Quomodo autem David adversùs invidiam ejúsque tot insidias sese muniit? Socer ei offensissimus. Iuratihostes Philisthæi, invidentia insectatrix assidua, nequissima: tot adversarios quomodo debellavit? Mansuetudine Chrysostomo teste, *David post hæc omnia, perseveravit regis curare negotia, próque salute ipsius suscipere pericula & in acie stare, in præliis omnibus, súoque periculo servare trucidatorem suum. Denique nec dictis nec factis contristavit immitem illam bestiam, sed concessit in omnibus, dictóque audiens fuit.* Fecit quod potuit, pro viribus suo munere functus, ceterùm se suáque omnia Deo divinæque voluntati ac providentiæ liberalissimè commisit. Nos quandoque facimus, quod possumus, at cùm res non succedit, indignamur, & animum demittimus, velut spe omni excusâ. Ægyptius rex Pharao, qui Iosephum vinculis exemit, fecit, quod potuit, suis tamen consiliis famem futuram

David mansuetudine invidiam Saulis debellare conatur. Chrysost. hom. 1. de David & Saul.

Se suáque omnia divinæ voluntati committendo.

avertere

avertere non potuisset, potuit Ioseph. Sed hic ipse Ioseph, etsi quod potuit, fecerit, falsam tamen accusationem, carcerem, vincula vitare non potuit. Navarchus, dum potest, clavum tenet; ubi eum vis tempestatis excusserit: Iam, inquit, nos superis commendemus, dum tempestas peragat iram fatorum. Navarchum imitemur; nemo unquam putet suâ diligentiâ se confecturum omnia. Sedulò tuum fac officium; cætera permitte Deo. Est qui nos supra nos, nostráque omnia curet ex alto; huic tuas transcribe curas, ubi tuum curaveris officium. Et nosse cupis, quâ ratione hostium tuorum omnium dominor evadas & victor? Christianâ mansuetudine. His armis, hac panopliâ usus est Iacob adversus Esau, & quadringentos viros in suum caput conductos. Nec Hercules contra duos: quomodo Iacob contra cohortem tantam? Invictâ mansuetudine in suam omnes potestatem redegit. *Et ipse progrediens adoravit pronus in terram septies, donec appropinquaret frater ejus.* Nos quotidiò bis terve proni adoremus, & palmam hosti extorquebimus. Quoties pronus adoravit Iessæus juvenis David? Promiserat illi Saul divitias magnas, & unà filiam; sed fidem sæpius fregit, promissa negavit; David tamen non expostulavit, nec cum rege, nec cum milite regio, sed suum sibi præmium è cælo expectavit. Periculosissimè bis lanceâ petitus, ut pariéti figeretur, post hæc tamen omnia, in aulam accersitus, promptus adest, injurias non queritur, jámque tertium vitæ periculum, letali ferro iterum destinatus adiit. Iure merito vociferamur: *Memento, Domine, David, & omnis mansuetudinis ejus.* Hac tali mansuetudine ac patientiâ, quicquid uspiam est adversorum, superatur. Mansuetudo triumphat.

Iac. Iacob mansuetudine Esau & quadringentos viros in suum potestatem redegit. Gen. c. 33. v. 3.

Exemplo Davidis injuriæ obdurescendo. 1. Reg. c. 31. v. 1.

CAPVT IX.

Afflictissimus David valedicit.

David Saulem fugit,

HIc ferè nobis faciendum, quod Athenis consuetum, ut causas orare inciperent ἄνευ πρόοιμίου. David jactili Saulis hastili jam tertiùm petitus, pro asylo domum suam habuit, in quam confugit. Mox missi milites, qui domum ita cingerent, ne ulla elabendi rimula pateret. Nihilominùs David fugiendi è domo solertiam commentus valedixit Micholi conjugi, & properavit ad Samuelem. Saul ternos nuntios & lictores misit in Naioth, qui ad se pertraherent Davidem, irrito semper conatu. Tandem eò ipse rex contendit, nec tamen comprehendere potuit, quem adeò hostiliter quæsivit. Post ludos tam crudeles ob summam animi bonitatem David sibi passus est persuaderi, ut in aulam rediret. Rediit. Mox iterum turbæ, & ludi priores. Impius Saul gratiam, quam promisit, mox iterum fallacissimè subtraxit, hostémque publicum promulgavit Davidem. Ita Ionathas & David post occultum colloquium mutuis perfusi lacrymis, sibi invicem longum valedixerunt. Atque hic capitis istius primarius erit sermo. Afflictissimus David supremum valedicit.

Micholi conjugi valedicit,

Et Ionathæ.

§. I.

Domum se recipit, & obsidetur.

DAvid eâ nocte, quâ tertiùm lancea volans in eum emissa in suam se domum recepit, nuptiis jam peractis. Sed eam domum regius miles adeò arctè obsedit, ut vix evadendi libertas musculo relinqueretur. Imperatum insuper à rege, ut manè obtruncaretur. Ideo Michol fidelis illi conjunx; *Nisi salvaveris te,* inquit, *hac nocte, cras morieris.* Vnicum fugæ consilium videtur superesse. Sed fuga longè periculosissima erat & difficillima. Itaque remedium morbo periculosius poterat videri. Quomodo enim fu-

1. Reg. c. 19. v. 11. Micholis erga conjugem fidelitas.

giat? Per januam aliquam emittatur? Arctissimè omnes obsessæ sunt. Per fenestram demittatur: Vix fieri potest, ut milites id non audiant: quòd si minimum quid audituri sint, accurrent, comprehendent, ad regem ducent; si repugnet, confodient. Non placet fugere? ergo certa mors. Quid igitur faciat David, quibus consiliis tueatur vitam? Omnia prorsus desperatissima censeri poterant. Iosaphat rex, cùm imparatum geminus exercitus Moab & Ammon urgeret, ad opem ex alto petendam sese erigens: *Deus noster,* inquit, *cùm ignoremus, quid agere debeamus, hoc solum habemus residui, ut oculos nostros dirigamus ad te.* Adfuit vocanti Deus. Vicit Iosaphatus sine pugnâ, hostes in seipsos versi mutuis cædibus debellati: spolia eorum opimissima vix triduo poterant auferri. Cùm ergo humani subsidii jam nihil sperari posset: ad divinum David conversus, ardentissimè Deo commendavit, & psalmum dictante luctu, lacrymis pro sepiâ usus conscripsit istum: *Erue me de inimicis meis, Deus meus, & ab insurgentibus in me libera me. Eripe me de operantibus iniquitatem, & de viris sanguinum salva me. Quia ecce ceperunt animam meam, irruerunt in me fortes, &c.* sacrum hoc carmen, ita claudit: *Quia factus es susceptor meus, & refugium meum in die tribulationis meæ. Adjutor meus tibi psallam, quia Deus susceptor meus es. Deus meus, misericordia mea.*

2. Paral. c. 20. v. 12.

D. David opem à Deo petit.

Psalm. 58.

Quocirca David divinæ se Providentiæ quàm liberalissimè committens audere fugam decrevit. Ergo conjugi amantissimæ Micholi valedicens, providentiâ divinâ duce, mœstissimum iter ingressus est.

Audet se fugæ committere.

Porrò ille abiit, & aufugit, atque salvatus est. At verò Michol conjugi suo fidelissimæ, quò illi plus daretur temporis ad opportunam fugam, Davidis lectum ita iternere aggressa est, ut ipsissimus David crederetur in lecto decumbere. Ingeniosè profectò piam hanc fallaciam commenta, statuam in lecto reposuit, ad cujus caput, ut jacentis hominis cæsariem effingeret, villosam pellem apposuit, & operuit vestimentis. Nuntiatum id regi, prodire domo neminem, eum utique in ædium latebris adhuc delitescere. *Misit* ergo rex *appa[ritores], qui raperent David.* Hic cata mulier ad extrahendas moras excusat mariti morbum, & totam noctem inquietam & insomnem exegisse illum caussatur. Proinde se rogare, ne afflictum magis affligant; nihil esse in morulâ tantillâ periculi, regis voluntati conjugem nec velle, nec posse resistere, qui sciret longas regibus esse manus. Apparitores, qui peragram odioso munere fortè inviti fungebantur, regis filiæ libenter gratificati ad regem redeunt, & Micholis responsum referunt, Davidem ægrotare. Et videri hoc poterat. At rex nihilo placatior, sed jam efferatior, rursum alios misit nuntios, prioribus nequiores cum hoc jussu: *Afferte eum ad me in lecto, ut occidatur.* Salve Saul, frater Caligulæ, qui parentes neci filiorum interesse coëgit; valetudine excusantibus misi lecticam. Mitius hoc: & posset sub Saulis Magisterio proficere Caligula. Saul Davidem non in lecto jussit occidi, ne forsan fingeretur occisus, & ita subduceretur morti, ab iis, qui eum minimè oderant. Deinde Sauli fuisset suave præsentis cædis aspectu immane odium exsaturare, dedecore atque infamiâ etiam propriâ contempta. Redeuntes ergo nuntii, ut omnes domus angulos excutiant, in ipsum Davidis cubiculum irruunt, lustrant, & scrutantur omnia. Quid ô sedula quæris, non curiositas, sed crudelitas! Surrexit non est hîc. Iam pridem alibi est David. Pio conjugis ingenio excessit, evasit, erupit David. Lectum, ô milites, excutite, & pro homine hominis imaginem reperietis. *Et inventum est simulacrum super lectum, & pelles caprarum ad caput ejus.* Videte, ô viri

Micholis ad Davidis fugam opportunam artificium.

Ibid. v. 14. Ad extrahendas moras morbum mariti allegat.

Ibid. v. 15.

1. Reg. c. 19. v. 16.

ligneum Davidem pro vero, si placet, eum ad regem asportare. Quod Iosephus de caprino jecore commentatur, adhibitum illud ad effingendam respirationem, figmentum credimus.

Vbi Saul inaudiit siculneos à se custodes ædibus admotos suúmque hostem periculis subductum, filiam Micholem mox accersens: *Quare*, inquit, *sic illusisti mihi, & dimisisti inimicum meum, ut fugeret?* Illa prudenter subverita, ne patri parum probaretur, quidquid dictura esset, officiosum figmentum excogitans: *Quia*, inquit, *ipse locutus est mihi: dimitte me, aliquin interficiam te.* Ad primum respondit de dimisso conjuge, ad alterum siluit de structâ lecti fallaciâ. Neque furibundus rex pium hunc dolum filiæ notavit. Ita David cruentas regis manus effugit, nec tamen Bethlehemum properavit ad patrem, sed in Ramatha se contulit ad Samuelem cui ordine recensuit, quidquid furor regius in se fuisset machinatus. Samuel hunc & supplicem & exulem à se unctum regem utique proni simo affectu complexus ad omnia fortiter toleranda animavit. Ne autem Davidis fuga per cives proderetur, ambo simul concesserunt in Najoth.

Mira Dei potentia in servum David.

Misit ergo insanus rex lictores, qui illinc extractum David ad se raperent. Sed ô rem admirandam, & ô potentiam numinis! Apparitores subitò fiunt Prophetæ. Cùm enim hi Saulis satellites vidissent cuneum Prophetarum vaticinantium, & Samuelem stantem inter eos, factus est etiam spiritus Domini in illis, & prophetare cœperunt etiam ipsi. Perinde si quis silvam petat confixurus cervum, & avicularum concentu detineretur aut si tigris effera raptis catulis in viâ speculum, vel globum vitreũ inveniat, cursum rapidissimum sistet, & catulos putabit sub vitro latêre. Ita hi Saulis famuli, minarum, & cædis spirantes, ferociâ omni positâ, Prophetarum medii in Prophetas sunt mutati. Vbi hoc infaustâ rescitum est, missi sunt alii nuntii, qui non minùs prioribus laudare Deum, & vaticinari cœpere. Missi sunt tertii, qui & ipsi in Prophetarum societate didicerunt agere Prophetas. Iratissimus Saul, nec satis fidei narratis tribuẽs, in eundem locum celeritate magnâ & ipse etiam contendit, ipsissima tigris. Sed idem ipsi, quod ipsius famulis evenit, Imò antequam eò perveniret: *Factus est etiam super eum spiritus Domini, & ambulabat ingrediens, & prophetabat, usquedum veniret in Najoth in Ramatha.* † *Et expoliavit etiam ipse se vestimentis suis, & prophetavit cum cæteris coram Samuele, & cecinit † nudus tota die illâ & nocte. Vnde & exivit proverbium: Num & Saul inter Prophetas?*

Ibid. v. 17.

Ibid.

1. Reg. c. 19. v. 23. 24.

† *Interpretes cecidit.*

§. II.

Colloquitur David cum Ionathâ opem implorans.

INterea David elapsus illinc ad suum Ionathan confugit, & opem implorans: Quid patravi, ait, obsecro tanti flagitii ut parens tuus viram meam assiduis impetat insidiis? Cui Ionathas: Mi optime David, mihi hoc securus crede, non morieris: quidquid mihi dixeris, id faciam tui amore. Ab his principiis prolixum sanè ingressi sunt colloquium. In eam demum sponsionem conventum est, ut Ionathas diceret: Cras calendæ sunt, & tu in mensâ regiâ detiderabere. Ego animum parentis mei explorabo probè, num aliquid deinceps gratiæ sit sperandum. Hoc unum difficile, ejus rei te certiorem facere: Me solum egredi ad te indecorum, sed & suspectum; famulum mittere, aut cum comitatu venire, periculosum. Hoc igitur age. Die negotioso ad notas te latebras, in agri specum te confer, & illic triduum perdura. Non procul ego tres jaculabor sagittas velut ad scopum me exercens, & ubi pedissequo meo dixero: En sagittæ intra & cis te sunt, adfer eas. Tu, mi David, ad me veni, & crede res bono loco esse. Quòd si servum à pedibus inclamare. En sagittæ ultra & trans te sunt. Tu silentio abi, idque divinæ voluntatis esse cogita. Firmandis dictis addidit Ionathas: *De verbo autem, quod locuti sumus ego & tu sit Dominus inter me & te usque in sempiternum.* Hæc omnia ordine, prout inter eos convenerat, facta. Ipsis Calendis Saul Davidis absentiam à mensâ notavit quidem, sed dissimulavit. Die posteriore Saul à bile jam inflammatior: Cur, inquit, filius Isai non comparet in mensâ nec heri, nec hodie? Cui Ionathas modestè: Mi pater, ait, veniam petiit abeundi Bethlehemum ad solenne sacrificium. Quamprimum rex in fermento totus, & bilem in Ionatham præsentem evomens: Fili matris adulteræ, inquit, num nescire me censes, filium Isai à te amari & foveri in probrum & ignominiam parentũ tuorum? Hoc scito: dum ille viverit, nec te, nec regnum tuum stabiliendum. Ergo quamprimum accersiri eum jube, capitale facinus admisit; moriendum illi est. Ad voces tam tragicas parentis, Ionathas: *Quare morietur*, inquit, quid commisit criminis? Hîc longè gravius Saul excandescens corripuit lanceam confossurus eâ filium. Mox Ionathas impransus è mensâ profugit. Die altero ad condictum locum egressus foras, unà cum cursore falerato. Ad quem: Curre, inquit, & affer sagittas quas jecero. Currente puero, clamavit Ionathas: Ecce ibi est sagitta porrò ultra te ne cuncteris propera. Ita pedissequus collegit jacula, & ea domino suo retulit penitus ignorans, quid arcani eâ re ageretur. Nec superfluum hoc fuit. Sic enim amici comites se ingessissent, aut alius aliquis illic supervenisset, scire nihilo minus potuisset David, quid sibi agendum. Finito brevi hoc lusu Ionathas vernam aulicum cum suis armis à se dimisit. Iámque arbitris omnibus remotis, David è latebris progressus, ter pronus in terram se abjecit, divinámque providentiam, filiúmque regis tertiùm adoravit. Iámque Ionathas & David suavissimis complexibus copulati, mutuis perfusi lacrymis, mutua sibi fixerunt oscula, & vale mœstissimum dixerunt. Liberaliter Davidi Ionathas afflevit, liberaliùs Ionathæ David. Demum Ionathas: Vade in pace, inquit quæcunque inter nos juncti sunt, jurata sunt, firma, fixa, & chalybe scripta sunto in omne ævum. Sic ab invicem divulsi, Ionathas in urbem Gabaa rediit, suum iter prosecutus est David exul. Hîc tria paulò pensiculatiùs cogitanda.

1. Reg. c. 20. v. 25.

Causam absentiæ Davidis Saul inquirit.

Contra Ionathan irascitur.

Reumque Davidem mortis esse dicit.

Ionathas sponsioni cum David de factæ satisfacit.

Se mutuo complectuntur David & Ionathas & valedicunt.

Tria considerandæ:

§. III.

PRimum. Tres ipsas noctes, & pæne totos tres dies in spelæo David latuit. Quis illi hoc locorum prandia, quis cœnas ministravit? Idem illi faciendum fuit, quod adolescenti pagano pauperi, qui aut scholis vacet, omnem secum commeatum diebus aliquot suffecturum è pago in urbem defert: Ita David panis aliquid sinu abdidit, inediam triduanam hac annonâ solaturus: spelæum pro tentorio fuit, spelæi solo pro lecto usus est dux tam illustris, gener regis, jam unctus rex, homo Numini commendatissimus. Hîc videre prorsus est quàm non delicatè suos filios Deus soleat educare. Quot mœroris ac sollicitudinum aculeis hoc triduo pectus Davidis confossum? Cogitavit utique: Quis demum finis ærumnarum? quò fugiam, si desperata sit omnis gratia? nusquam toto regno tutus latitavero: extra Hebræum regnum undique & undique hostes & idolatræ: quid animi mei erit parentibus, & fratribus, totique familiæ, quam hæc tempestas in me sæviens non leviter percellet; quid amantissimæ conjugi meæ fiet? An ulius alius præter Ionathan rerum mearum agere patronum audebit? Hæc cogitationes cor Davidis lancinabant. Quid interim aliud dies noctésque faceret, quàm preces & vota ingeminare, divinæ

1. Tres noctes & pæne tres dies in spelæo David latuisse:

Quis cibũ et ministravit.

Quot sollicitudinũ aculeis pectus ejus confossum.

divinæ se providentiæ committere, quisquis demum successus rerum aut eventus sit, quæcunque vel læta, vel tristia consequantur, fiduciam in Deum nunquam amittere, serenitatem post tempestates expectare.

Hîc iterum opportunissimè vociferari liceat: *Memento Domine David & omnis mansuetudinis ejus*. David veluti cervus canibus, indagine, foveis, venatoribus cinctus, capturam operiebatur. Quod ipsémet altùm ingemiscens fassus est Ionathæ: *Vno tantùm gradu*, inquit, *ego mórsque dividimur*. Tot enim Saul habet cædis meæ ministros, quot subditos, in extremâ sto tegulâ, facillimo nisu me quivis præcipitaverit. Et tamen Deus ab interitu servare me potest. In carceribus olim fame necandis eo loco situque panis ponebatur, ut si panem non arriperent, fame perirent, si eum prendere niterentur, in ima ruerent, & in cultros sese ac murices induerent perituri. Non adeò similes angustiæ stringebant David, ut quicquid eligeret, pessum iret. Et tamen hoc altissimè pectori hærebat fixum: Deus etiámnum ab interitu servare me potest, adjutor meus, protector meus, & liberator meus; adjutor fortissimus.

Alterum. Post tertiam noctem ab eâ, quâ latêre cœperat David, cum sagittis & puero à pedibus in ejus loci viciniam egressus est Ionathas, & sese mittendis jaculis exercuit. Mox puero remisso, ad latitantem in antro amicorum optimum accessit. Hîc David modestiæ ac humilitatis suæ neutiquam oblitus, *surrexit de loco, & cadens pronus in terram, adoravit tertiò*. Quàm humilis, & quàm gravis! Nulla hîc Davidi cogitatio subrepsit, ut suum genus Ionathæ sturpi exæquaret, dicerétque: Par atque una est ratio nostra; rerum gestarum laude non cedo, familiâ inferior non sum, insuper rex unctus sum, ita pares sumus. Cur parens tuus tot meis támque præclaris meritis hæc rependit præmia? Num ideo illi vitam & regnum servavi, ut jugulum meum peteret? perfidiâ tam crudeli, compensat obsequia & fidem? Nil horum. Non indignatur, non provocat, non insultat ulli, nullum contumaciæ, aut superbiæ signum vel minimum edit, sed Ionathan servatorem suum, ut Iosephus loquitur, salutat, & adorat, eique sese abiturum unicè commendat. Insignissimè servavit, quod Siracides jubet: *Quantò magnus es, humilia te in omnibus, & coram Deo invenies gratiam.*

Tertium: Cùm magis ac magis diluculasset, verebatur Ionathas, ne clara dies colloquium arcanum proderet, ita reditum in urbem Gabaa maturare cogitavit. Quando igitur Ionathas & David ultimum vale sibi dicere cogebantur, ingens inter eos obortus est mœror, & luctus lacrymis largissimis accensus. Et videte, quæso, strenuissimos duces duos comploarantes; Ionathas annum ætatis quadragesimum, David vigesimum quartum agebat. Tam autem ardenter & tenerè amârunt, ut illis suavius accidisset mori, quàm ita dividi; *& osculantes se alterutrum, fleverunt pariter, David autem amplius*. Ionathas ætate grandior, & mœrentis consolator, lacrymis plus imperavit, nec eas tamen penitus retinere potuit: *Fleverunt pariter*, ita quidem, ut lacrymæ verba intercluderent. Nam Ionathas orsus est quidem dicere: *Quæcunque juravimus*. Dicta non finiens cœptum sermonem lacrimis abrupit. Fleverunt ergo pariter, David autem liberaliùs, quia annis inferior, & quod etiam hos imbres ciere solet, nullum mali remedium conspexit. Furiosum regem evadere difficillimum. Toto Israëlis regno cedendum fuit; animam labris primoribus gessit; securitatem aliquam, sed nec tutam, nec diuturnam inter idololatras quærere, sed invenire vix potuit. *Memento Domine David, & omnis mansuetudinis.* Iam ærumnarum mare non navigat, sed natat. Hæc tamen omnia, in bonum illius erant cessura. Virtus inter solida matureſcit. Animus valescere plerumque non solet, dum per secunda plus æquo provehitur, adversis inexpertus. Chrysostomi hac de re differentis sapiens oraculum est: *Nihil æque facit animam philosophiâ præditam, atque afflictio*. Dices: Quid denique agam, ut calamitas me non evertat? Chrysostomus rei modum suggerens: *Cogitaveris*, inquit, *ferendum esse, velis nolis; quod tibi illatum est incommodum*. Hac utique præceptione David animum suum sollertissimè imbuit: Perferendum est æquo animo, quidquid in nos immittit Deus. Nos servuli, ipse Dominus est. Fidamus Domino tam sapienti, tam benigno. Tot alii præcesserunt: *Spes illorum immortalitate plena fuit*. Vox illorum in adversis omnibus erat: Quidquid jam tolerandum est, habebit finem; Hoc malum, & hoc, & hoc etiam, & illud, & istud, & demum omnia ad suum venient finem, sequetur æternitas beatissima. Toleremus tenues, breves pluvias, & fidamus cæli Domino; serenitas consequetur, nullis turbanda nubilis, æterna.

CAPVT. X.

David ad Achimelechum fugit.

Fuga Davidis.

OPTIMÈ dixit Democritus: Peregrinatio & exilium frugalitatem vitæ docent. Peregrino, præsertim pauperi, res pretiosa est quadra, panis & hydria fontanæ; scamnum sub tecto sat bonus ei lectus est.

Hæc sui experimenta David sumere debuit. Saul illum tam pertinaci crudelitate persecutus est, ut afflictio exuli pæne nusquam licuerit tutò morari. Ex amplâ domo profugus nec cocus, nec promus condus, nec arca, nec servus ullus sequebatur. Hinc in viâ velut pauper scholasticus mendicabat panem & gladium, ut cœptum iter posset prosequi. In hac Davidis fugâ quinque potissimùm veniunt consideranda. In quâ quinque considerandâ.

Primum est, Arcta fames, quæ mendicitatem jam uncto regi obtulit. Alterum est, Sedulum latendi studium, cùm tamen latêre non licuerit. Tertium, Dei cura in iis, quæ ipsi donantur. Quartum, Deo donare, quàm bonum sit. Quintum, Quàm accuratè David examinatus, antequam panem nactus. Hæc omnia complectitur Davidis, ad Achimelechum fuga, de quâ hoc capite disseremus. Primum. Secùdum. Tertium. Quartum. Quintum.

§. I.

Achimelechum rogat sibi dari panes & arma.

CVm Ionathæ valedixisset David, pedes in fugam se conjecit, velùt extremum mendicabulum, non solùm sine gladio, sed etiam sine perâ, sine baculo, sine pane, sine viatico, sine equis & vehiculo. Ita inermis & famelicus venit Nobem ad Achimelechum sacerdotem, ubi Arca & tabernaculum in stativis erant. Hoc loci David gladium muniendo corpori, panem solandæ fami petiit. Achimelechus non leviter territus & miratus, quid hoc rerum portenderet, Chiliarchum generosissimum, regis generum, sine omni aulico comitatu & armis solum accurrere. David ut turbatum sacerdotem componeret: Negotium est, inquit, conficiendum impatiens moræ, ac secretum, ampliorem comitatum certus locus suppeditabit. Ideo quatuor aut quinque panes ad iter prosequendum rogito.

Achimelechus, ut necessitati sine cunctatione consuleret, annonam Deo consecratam offerens: *Non habeo*, inquit, *laicos panes ad manum, sed tantùm panem sanctum*. Iussu divino singulis sabbatis panes duodecim

1. Reg. c. 21. v. 4.

decim in aureâ mensâ, hinc & hinc seni, ad numerum Israëlis familiarum ponebantur. Atque hi panes, facierum, seu, positionis dicebantur. Hi sabbatho recentes & à furno calidi ponebantur, sabbatho sequenti auferebantur jam sicci, & reponebantur alii. Ablati isi sacerdotum dumtaxat usum cedebant. Levitis non permissum his vesci. Ita lex edicebat: *Levit.c.24. v.9.* *Erúntque Aaron, & filiorum ejus, ut comedant eos in loco sancto.* Singuli panes octo librarum erant. Hominibus plebeis, necessitas horum esum non interdicebat. Eam ob caussam Achimelechus exceptionem, & unà sacros hos panes dare non recusat, aliquid tamen examinis præmittens: *Si mundi sunt pueri*, inquit, *maximè à mulieribus.* Sacerdos reverentiâ in generum regium, de servorum tantùm puritate interrogat, sed David probè intelligens idem de se quæri, non de servis tantùm, sed etiam de se respondit, impedimentum hac in parte fore nullum. Erectus hoc responso Pontifex Hebræus, panes sacros esurientibus concessit. Verosimile datos fuisse quinque, singulis unum. Nam censemus in Davide quatuor servos aut alicubi relictos, aut certè præmissos, ita quidem ut Achimelechum David incomitatus pervenerit; prout è specu solus est digressus. Credibile fidelissimos servorum à Jonatha submissos, qui tutarentur fugientem; aut forsan via ipsa pauculos illi aggregavit. Quia verò David non tantùm famelicus, sed & exarmatus Noben venit, idcircò non tantùm panem, sed & ensem petiit. Oblatus ei gladius Goliathi, quem armis omnibus præferens: *Ibid.v.9.* *Non est huic alter similis, da mihi eum.* Hinc facile est conjectare, quàm robustus David & procerus fuerit, cui arma Saulis proceriſſimi, cui gladius Goliathi convenichant. Ita in armaturam gladio, in viaticum panibus receptis, ulteriori se fugæ mandavit. Hac in fugâ quinque paullò accuratiùs expendenda.

Ante acceptos panes examinatur. *1.Reg.c.21. v.4.*

Ulteriori fugæ se mandat, in quâ quinque expendenda:

Primum, Vehemens Davidis fames non perdices, non phasianos, non meleagridas, non scitamenta & cupedias, sed panem petit in stipem; nec anxiè quærit, num recens sit, an verò aridus & siccus. Illi certè panes jam per octiduum indurverant, famâ tamen gratissimi erant. Rariorem hanc inediam Christus in exemplum trahens: *Matth.c.12. v.3.&4.* *Non*, inquit, *legistis, quid fecerit David, quando esuriit, & cui cum eo erant: quomodo intravit in domum Dei, & panes propositionis comedit, quos non licebat ei edere, neque his, qui cum eo erant, nisi solis sacerdotibus.* Hic Servator discipulos suos cum Davide, ac servis ejus, se cum Achimelecho confert, & legem necessitatis explicat. E dictis facilè constat, quantum hoc itineris accelerârit David, quando sine omni telo & armis tantus miles, tam insignis dux viam confecit longam, quod non tantùm probro, sed & periculo erat, quomodo enim prædonem, aut furarum sustinuisset incursus? sed necessitas legum impatiens urgebat; ideò non videbatur expectandum, dum alius gladius fuit, panes alii adferrentur; quæ obvia erant, in fugæ præsidium judicabat assumenda; pertinax Saulis furor terrebat, si enim triplices nuntios in Naioth misit, quantò magis in Nobe missurus *Psal.51.v.1.* fuit? Severa necessitas impellebat. *Memento Domine David, & omnis mansuetudinis ejus?* Memento David esurientis, anxii, sitientis, aerumnosi, fugientis, sed quò fugiat, ignari. Sed & nos meminerimus panem petere, sed quotidianum, non delicias, non abundantiam, non cupedias. Quod si pater parciùs submini-

1. Vehemes Davidis fames.

Ad exemplum Davidis panem quotidianum debemus petere non delicias.

stret panem, aut includat, cogitent liberi, id à parente fieri, aut quia abusi sint pane, aut ne abutantur, & ejus nimiùm frequenti usu valetudinem corrumpant: annonæ charitatem immittit Deus, aut ut peccantes puniat, aut certè coërceat peccaturos.

Alterum, prudens & cautum latendi studium. Ut fuga tantò foret expeditior, viaticum, arma, famulos, impedimenta omnia reliquit David. Huic autem fugæ apud Achimelechum palliandæ: *Gladium meum*, inquit, *& arma mea non tuli mecum, sermo enim regis urgebat.* Officioso figmento vitam tueri studuit, nec tamen penitus latêre potuit. Nam Doëg Idumæus, Saulis pastorum præfectus, hæc agi vidit, & audiit. & ea nequam susurro apud regem improbum mox effutiit, unde complurium cædes, & mala maxima sunt orta. Terrebatur utique David viri proditoris aspectu, animo præsagiente, hæc omnia ad aures Saulis deferenda, non auditum tamen dixisse David: Quis diabolorum hoc ipso tempore Doëgum advexit? Vtulum omnes infortunii diræ malè perduint. Non has voces sparserat David: Dei providentiam & voluntatem adorans, totum se Deo permisit gubernandum, ut quidquid in se Deus decerneret, sanctissimum haberet. Sciebat exactissimè David, si Deus voluisset Doëgum non intervenire arbitrum, id impediri nutu potuisse. Cùm autem præter omnem expectationem res aliter evenerit, hoc ipsum divinæ voluntatis certissimum argumentum est interpretatus quidquid demum sequeretur mali ex hominis, tam importuni accessu.

2. Prudens & cautum latendi studium. *1.Reg.c.21. v.8.*

David se totum Deo permisit gubernandum.

Ita nos in rebus omnino omnibus geramus: Cum Juda Machabæo principe identidem dicamus: *1.Mach.c.3. v.60.* *Sicut voluntas in cœlo fuerit, sic fiat. Dominus faciat quod bonum est in conspectu suo.* Non importunè hîc aliquis quæsiverit: Eccur hoc toties? totisque libris urgeur & inculcatur? Heliotropii quinque libri hoc ipsum clamant: idem aliæ scriptiones sæpius commendant: nec est ferè, quod crebriùs instilletur, quàm divinæ Providentiæ notitiâ & veneratio, & quæ inde sequitur, cum divinâ voluntate conformatio. Nemo compendiariam docendi rationem miretur: Supremæ Providentiæ cognitio & consensus cum Dei voluntate, fundamentum est solidissimum omnis tranquillitatis & sanctimoniæ. Atque hic noster etiam in hac scriptione finis est, spectandum Orbi proponere Hebræum David, virum secundùm cor Dei, qui fecerit omnes Dei voluntates. Assidua divinæ Providentiæ memoria culcitra est mollissima, cui humanus animus indormiat. Hanc in horto olivifero Christus supponens Petro: *Quomodo ergo*, inquit, *implebuntur scripturæ, quia sic oportet fieri.*

Providentiæ divinæ cognitio & consensus cum Dei voluntate est fundamentum tranquillitatis & sanctimoniæ. *Matth.c.26.v.54.*

Tertium, Cura Dei circa ea, quæ ipsi donantur. Dona voco quæ debita essent dicenda. Cùm enim Deo quippiam donamus, nunquid sua Deo reddimus? Nihilominus attentissimus est Deus ad hæc dona. In testimonium presens venit historia. Voluit Deus sibi panes offerri, sed calidos à furno, & iis thus selectissimum imponi. Ipso sabbatho pinsi debebant à Levitis è farinâ tenerrimâ & candidissimâ, è polline ac flore farinæ. Eximium quid Deus exigit, & plerumque prestantissimum. In ipsis Orbis incunabulis præ Caini sacrificio, longè magis placuerunt Deo Abelis victimæ. Nam Abel optimum *de primogenitis* *Gen.c.4.* *gregis sui, & de adipibus eorum obtulit; Cain autem de fructi-* *v.3.4.* *bus terræ.* Quod Deo datur, sit optimum. Hinc illi valde displicent, qui ætatis florem inter nugas & libidines, fluxis & inanibus studiis consumunt, effetam ac marcidam senectutem, velut nobile donum offerunt Deo, illi tum demum servituri, cùm vires mundi servitiis exhauserint. Ita panes recentes ipsi comedunt, aridos & in saxum pæne durescentes Deo relinquunt. Munus ingratum, quod à manu tam parcâ, tam sordidâ venit.

3. Cura Dei circa ea, quæ ei dantur.

Duodenorum porrò panum istorum numero Deus rudes Iudæos erudiit, quàm fideli memoriâ eorum semper meminisset, quando duodecim Israëlis Tri-

lis Tribus, hi panes numero pares significârunt. Solatium ingens summum est cogitare sæpius: Deus assiduè memor est mei, nec enim obliviscì potest operis quod condidit. Nemo dixerit: *Dereliquit me Dominus, & oblitus est mei. Nunquid enim obliviscì potest mulier infantem suum, ut non misereatur filio uteri sui, & si illa oblita fuerit, ego tamen non obliviscar tui. Ecce in manibus meis descripsi te.* Aspice terebratas Christi manus & pedes, & latus; tam in manibus, quàm in pedibus ac latere tuum nomen descriptum leges.

Isa. c. 49. v. 14. 15. 16.

4. Munera numini oblata perire non posse.

Quartum, Munera numini oblata perire non possunt. Hæc enim vel nobis servantur à bono Numine, vel paullò pòst restituuntur cum amplo fenore. Deo donare, est dona accipere. Non dubitem Davidi fuisse armamentarium spoliis hostium variè auctum, eo tamen tempore Davidi non profuit, sed Sauli; solus Goliathi gladius ob partam victoriam Deo dicatus profuit, nil certè profuturus, si ad ostentationem in pompam fuisset domi servatus. Et videte specimen divinæ providentiæ, quâ disponente factum, ut ille ipse Goliathi gladius in tabernaculo servaretur, alioquin inermi nihil in solitudine præsidii adversus leones, ursos, hostes alios fuisset. Tuâ, ô Deus, providentiâ gubernantur omnia, nec ea vel momento dormit. Nec tamen religioni aut conscientiæ duxit David gladium Deo consecratum pro telo in sui tuitionem, sicut & propositionis panes in famis solatium accipere; necessitate impellente, sacra templorum vasa liquare aut vendere permissum. Ambrosius affirmans: *Melius est,* inquit, *pauperum vitam & fortunas, quàm templorum divitias non temerare.*

B

Ambr. l. 2. offic. c. 28.

5. Achimelechi examen.

Quintum, Achimelechi examen: *Si mundi sunt pueri, maximè à mulieribus.* Alphonsus Tostatus Abulensis, hæc sacerdotis verba expendens: *Quanta,* inquit, *confusio debet esse eorum, qui Dominicum corpus sumunt immundi.* Inter panes propositionis & profanos nihil erat differentiæ, nisi quam fecerat opinio; & tamen solis sacerdotibus, & quidem in loco sacro fas erat eos edere. Quàm igitur purus sit, qui manna verum, mysteria sacrosancta, ipsum Christi corpus, sanguinem, animam, divinitatem venit sumpturus ut cibum, affirmante Christo: *Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus.* Quantò æquiùs hîc quæratur examine rigido: *Si mundi sunt pueri, maximè à mulieribus.* Proprio nomine immundities dicitur libido & impudicitia. Priscæ legis varia fuit, & facilis contractu immundities per lepram, tactum funeris, sepulturam. Has immunditias contrahebant Judæi sæpe sine omni animi noxâ, de harum nullâ quærit Achimelechus, quæ solùm corpus inficiebant: Venereæ sordes & corpus & animum contaminant. Idcirco quilibet convivium cæleste accessurus conscientiam suam interroget, videátque ut ea quàm mundissima sit à carnis spurcitie, quæ utramque hominis partem inquinat. Non enim propositionis panes, sed corpus sanguinémque purissimum Servatoris Christi sumpturus est. Eam ob caussam vociferatur Paulus, & verbis gravissimis monens:

1. Reg. c. 21. vers. 4.

Num. c. 6. vers. 56.

In priscâ lege fuit varia immundities.

1. Cor. c. 11. vers. 27.

Quicunque, ait, *manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini indignè, judicium sibi manducat, non dijudicans corpus Domini.* Ergo epulum Eucharisticum accumbe, si mundus es. Impuris labris hæc ambrosia, hoc nectar libandum non est. Angeli mores indue, & Angelorum panem accipe.

CAPUT XI.

David insanum se simulat.

Scitii indicium

THOMAS Stapletonus optimæ notæ scriptor, res gestas Thomæ Mori, (qui in Aulâ Anglicanâ vir A summus & libellorum magister) stylo prosecutus hæc memorat: Volsæus senator purpuratus in Anglorum regno præpotens senatum coëgerat, è primi nominis optimatibus. In hunc Comites, Barones, & nobilissimæ prosapiæ viri legebantur, penes quos summum fuerat regis imperium. Volsæus illustrissimus senatoribus jam præsentibus explicare instituit, quàm è regni bono foret ex consessu illo unum aliquem eligere, qui personam regis toto regno gereret. * Speraverat autem ambitione immodicâ omnium sententias in se ituras. Nec malè animus præsagiit. Suffragia universorum, si unicum demas, in Volsæum conspiraverant. Ultimus omnium sententiam dixit Morus, non ita pridem in eum senatum cooptatus. Atque hic unus, & solus, quod omnes suaderant faciendum, dissuadere instituit, sed & dicti rationes copiosas adferre, multáque super eâ re disserere. Itaque senatus jam omnis nutare, & satis ostendere, videri sibi, sententias denuò esse perrogandas. Hic Volsæus in fermento totus, & acerbè Moro inequitans: Non, inquit, frontem ducis More, quòd cùm omnium sis novissimus, plus omnibus sapere te censeas? specimen illustre stultitiæ. Cui promptè Morus: Ergo, inquit, gratias Deo maximas agamus, quod Regia Majestas in supremo senatu suo unum tantummodo stultum habeat. Ita deliberatio in aliud tempus dilata; consilium Volsæi rejectum. Et nisi Thomæ Moro pectus pol sapuisset, nunquam certè passus fuisset stultitiæ sese insimulari. Nam primum stulti indicium se sapientem credere. Nec enim quisquam minùs tolerat se stultum haberi, quàm qui stultus est.

Sapientem se credere.

* *Conestabilis.*

Thomæ Mori ad Volsæum pulchra responsio.

Cùm David in Aulâ regis Achis discrimen vitæ præsens persentisceret, amentem ac fatuum se simulavit. Rex hominem mox ab aulâ jussit facessere. Agat Deo gratias Achis, si soles in ipsius aulâ fatuus fuit David. O mi Deus! si omnes fatui & amentes, & quibus non sanum erat sinciput, ab Achis aulâ fuissent amoliendi, brevì vacua luxisset aula; & forsan primus ipse rex Achis debuisset aulâ excedere. Equidem stultitiam admisit insignem tam temere Davidem amovendo. Prudentiæ fuisset percontari & indagare, quidnam tam celebri, tam strenuo duci evenerit, ut ad insaniam redigeretur, an istud mali continuum, an verò invisibidum sit. Nil horum Achis, sed præceps, sed sine investigatione omni hominem sapientissimum à se dimisit, stultus ipse & insanus, qui se sapere credebat pleno pectore. Atque hoc jam explicatiùs trademus, quomodo David insanum se simulârit, & quæ sit sapiens stultitia.

C

David in aulâ regis Achis amentem se simulat, & ejicitur.

§. I.

DAvid Goliathi gladio & pane mendicato jam viaticus, toto Israëlis regno cedendum sibi ratus in exteras terras peregrè abiit, ad Gethæorum regem Achis. Quod Regum fasti, his verbis testantur: *Surrexit itaque David, & fugit in die illâ à facie Saul ad Achis regem Geth.* Quomodo autem à facie Saul fugisse dicitur, cùm jam ante aliquot dies Saulis oculos exierit? Res nota. Ubi rex subditos aut servos habet, ibi & aures, & manus, & oculos. *An nescis longas regibus esse manus?* Apud Persas alii regis *oculi*, regis *aures* alii dicebantur. Hinc priscum illud: Regum multæ sunt aures, multi sunt & oculi. Si David in Israëlis regno substitisset, ubivis in Saulis auribus, & oculis, & manibus fuisset, eam ob caussam in regnum Palæstinum transiit. Certè hîc David spiritum tanquam rem vacuam impendit, hostilem terram ingressus forsan solus sine ullo comite, in quâ non ita pridem ducentos viros jugulaverat. Quod si latere voluit inter Philistæos, profectò fugere debuisset Gethæos, quorum necavit

D

1. Reg. c. 21. vers. 10. David à facie Saul fugisse rectè dicitur. Ovid. in ep. Heroidum ep. Helenæ. Quia regum multæ sunt aures, multi oculi.

volumen

columen Goliathum. Cogitaverit David: Cognati cædem illam ulciscentur mei capitis periculo. Deinde Goliathi gladius utique notissimus à multis sæpe cum admiratione spectatus, hanc fugam prodere potuisset facillimè.

Necessitas Davidem adegit, ut in fugâ consilium caperet desperationis plenum. 1. Reg. c. 20. vers. 8.

Sed Davidem hîc excuset necessitas, quæ non infrequenter eò adigit, ut consilium quis capiat desperationis plenum. Fugit igitur ad Achis, qui Saulem plus timuit quàm Achis, apud quem latitaturum se speravit. Quòd si cadendum esset, maluit hostili dexterâ, quàm irratâ Saulis manu cadere. In eum sensum jam antè dixit Jonathæ: *Si est iniquitas aliqua in me, tu me interfice, & ad patrem tuum ne introducas me.* Deinde Goliathi gladium potuit abscondere. Majoris periculi fuisset ad alios populos Saulis non infensos fugere, inter quos Israëlitarum complures habitabant, quibus nequiisset David esse ignotus. Idcirco ad hostes transiit, & regi Achis se suâque obsequia per optimates tradidit, stipendia, si placeret, sub eo militiæ facturus. Placuit, sed non diu. Mox orti sermones spargebantur: *Nunquid iste est David rex terræ? Nonne huic cantabant per choros dicentes: Percussit Saul mille, & David decem millia? Posuit autem David sermones istos in corde suo, & extimuit valde à facie Achis regis Geth.* Hic rumor inter aulicos crescens David dixit: En etiam hîc proditus es; actum est de tuo capite, nisi Deus in arenâ suggerat consilium. Hoc unum igitur in mentem venit, simulare insaniam, quâ visâ facilè cogitaturi sint aulæ proceres: Hic sanè non ille David est, tam cordatus & prudens, tam acer & bellicosus, totius Hebræi agminis decus, regis gener, non adeò incomitatus juisset ad hostes. Hoc ergo consilium in rem visum est expeditissimum.

De Davide rumor & suspicio. 1. Reg. c. 21. v. 11. & 12.

Unde simulat insaniam. Ibid. v. 14. & 15.

Quocirca simulans insaniam, os fœdè diduxit, oculos huc illuc jecit, ore spumavit, barbam salivâ perpluit, manus in januam impegit, in terram corruit. Viso Achis hoc spectaculo excandescens: *Quare*, inquit, *adduxistis eum ad me? an desunt nobis furiosi, quod introduxistis istum, ut fureret me præsente. Hiccine ingredietur domum meam?* David igitur quamprimùm aulâ ejectus est, quod ipsi optatissimum fuit, nam ita imminentem mortem declinavit; aliò maturâ se fugâ propuit. Ubi præsens hoc periculum evasit, trigesimum tertium psalmum composuit: *Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus ejus in ore meo. Glamaverunt justi, & Dominus exaudivit eos. Iuxta est Dominus iis, qui tribulato sunt corde, & humiles spiritu salvabit. Multæ tribulationes justorum, & de omnibus his liberabit eos Dominus. Redimet Dominus animas servorum suorum, & non delinquent omnes, qui sperant in eo.* Non delinquent, inquit, non quòd noxarum nihil contracturi, sed, non aberrabunt à scopo, non deficient in cursu; quò destinârunt, pervenient, non suis sed Dei viribus freti. Cùm autem necdum persulorum finis ullus concederetur, psalmum quinquagesimum quintum scripsit: *Miserere mei Deus, quoniam conculcavit me homo, totâ die impugnans tribulavit me. Conculcaverunt me inimici mei totâ die, quoniam multi bellantes adversùm me.* Quâ in re identidem ad Deum per preces confugiendum esse docuit. Quòd Deo etiam vota nuncupârit, ex illis verbis liquet. *In me sunt Deus vota tua, quæ reddam. In quacunque die invocavero te, ecce cognovi, quoniam Deus meus es tu. In Deo speravi, non timebo, quid faciat mihi homo.* Omnes in aulâ me amentem & fatuum credunt: non refert; modò Deus sermones meos intelligat. *Memento Domine David, & omnis mansuetudinis ejus.* Ergo David latibuli securi apud Gethæos nihil reperit; quapropter inde in specum Odollæam se recepit, quò etiam parentes ejus, & septem fratres, & quatuor filii, duarum sororum convenerunt. Pater vir nonaginta quatuor annorum, hanc filii sortem non potuit

Aulâ ejicitur & aliò fugit, Deum benedicens. Ps. 33. v. 1. Vers. 18. & 19. Vers. 20. Vers. 13.

Ps. 55. v. 2. & 3. Ibid. v. 12. Ibid. v 10. & 11.

Psal. 131. vers. 1.

A non acerbè sentire ut suam. Nam Saul ipsos etiam parentes Davidis, omnémque familiam ejus variè cœpit exagitare, cùm furiosus rex suùmmet ipse filium nisus sit confodere, ut per mortem filii vitam impetteret serui. Hinc Davidis familia omnis coacta est ædes deserere, & solum vertere, & cum eâ plures alii, quos malignior fortuna profligavit ædibus, ad Davidem veluti ducem desertorum convolârunt. Uti hodiéque fit, cùm quis rixosam nimiùm uxorem, aut æs alienum, & multa habet nomina, cùm filius à patre, servus ab hero, discipulus à magistro, ità inter eos intercedente, discordare incipit, mox inde profugiens nomen dat militiæ: ita ad David *convenerunt omnes, qui erant in angustiâ constituti, & oppressi ære alieno, & amaro animo.* Una salus miseris, nullam sperare salutem. *Et factus est David eorum princeps, fuerúntque cum eo quasi quadringenti viri.*

Desertorum constituitur dux. 1. Reg. c. 22. vers. 2.

B Quæ autem divina Providentia illustrem sese exhibuit, quæ eam regi Achis mentem injecit, ut à fatuis abhorruerit, nec fictam insaniam adhibitâ pervestigatione deprehenderit. Simul etiam eadem divina Providentia Davidi hominum miserorum & obæratorum submisit aliquantillum exercitum. Hi quidem milites non valde laudandi, sed ob eos non videtur dux eorum reprehendendus, qui hos volones ad se ultro concurrentes sub signis habuit: necessitas hîc aurigata est. Cùm enim Saul Davidem tam iniquè insectaretur, coactus est opem quamcunque oblatam non respuere. Necessarii sanè fuerant hi milites ad prædas quotidie comprehendas, duci & eius familiæ alendæ. Nec facile volaticum hoc agmen nisi exercitu grandiore potuit deleri, qui dum scribitur, dum ducitur, hæc velitum cohors fugâ sibi commodissimè potuit consulere. Ita David jam unctus rex pauperrimum militem, aut ducem agere cogebatur.

Illustris Dei providentia erga Davidem in aula regis Achis. Et in missione exercitus.

Sed hîc maximi momenti præceptio instillanda, at C eo ferè modo, quo Christus difficiliora captu tradebat: *Qui potest capere, capiat.* David servavit vitam eâ unâ patientiâ, quâ stultus haberi sustinuit. Quòd si rem ad Ethicæ leges examinemus, cum Ausonio pronuntiabimus: *Stultitiam simulare loco, prudentia summa est.* Id plurimis reverà summè profuit. Lucius Junus Brutus vir oppido sapiens metu Tarquinii stultitiam simulavit. Hic reges exegit, Romam in libertatem asseruit, primus consul in acie excubuit. Illius interitum urbs tota, toto anno luxit. Solon Salaminius, cùm capitale Athenis esset rogare legem de insulâ Salamine asserendâ, habitu lymphatici prodiit, & præconis voce carmina recitavit, quæ suaderent Salaminem gladio repetendam. Persuasit, impetravit. Vlysses ne ad bellum Troianum cogeretur proficisci, amentiam simulans, impares animantes stivæ junxit, littus aravit, salem seminavit. Hi profectò viri persapientes, consultissimi stultos se haberi voluerunt suo bono. Potuerunt dicere, quod Tarsensis Paulus. *Nos stulti.* Sed non potuerunt dicere, quod addidit Paulus: *Nos stulti propter Christum.* Nam *quæ stulta sunt mundi, elegit Deus, ut confundat fortia; & ignobilia mundi & contemptibilia elegit Deus, & ea, quæ non sunt, ut ea, quæ sunt, destrueret.* Hæc eò dicimus, ut Humilitatis apicem & fastigium monstremus. De Humilitate volumina bene magna extant conscripta. Laus illius nimiùm quantùm ampla & copiosa, gradus illius multi & diversi, præceptiones & documenta plurima. Quis hæc omnia legat, quis lecta retineat? Quid ergo breviter summatimque dicemus? Verbo expediam: Optimum Humilitatis compendium ac breviarium est: Non plus seipsum æstimare, quàm stultum. Hæc omnium sapientium vox est. Sapientissimus Ecclesiastes lucu-lentè: *Pretiosior est*, inquit, *sapientiâ & gloriâ, parva ad tempus stultitia.* Notum est illud Annæi Senecæ, de seipso affir-

Matt. c. 19. vers. 12. Stultitiâ David servavit vitâ.

1. ad Cor. c. 4. v. 10. Ibid. c. 1. v. 27. & 28.

Non plus se æstimare quàm stultum, est humilitatis compendium. Eccles. c. 10. v. 1.

affirmantis: *Si quando fatuo delectari volo, non est mihi longè quærendus; me rideo.* Venusini vatis sollers præceptio est: *Misce stultitiam consiliis brevem; dulce est desipere in loco.* Socratis præclarum monitum est, ut sis beatus, te alicui stultum videri sine. Atque hoc compendium, hoc humilitatis fastigium est, seipsum in stultorum tribu censere, nec iniquè ferre, ab aliis albæmentis hominem haberi. Quisquis hac sese cogitatione armaverit, omnes tolerabit injurias, quascunq; concoquet calumnias, omnium hominum arrogantiæ & contumaciæ se submittet. Vitiorum mater superbia non ei nocebit. Non loquimur de simulatâ sanctorum hominum stultitiâ, quâ mundum deceperunt Simon Salus, Paulus Simplex; Marcus Saulus, Salaunus Simplex, Jacobus Tutertinus, alij: sed ferme nobis est de illâ Pauli hortatione: *Si quis videtur inter vos sapiens esse in hoc sæculo, stultus fiat, ut sit sapiens. Sapientia enim hujus mundi stultitia est apud Deum.* Nos stulti vestro & sæculi judicio habemur in hoc mundi theatro, idque propter Christum crucifixum, quem simplici & incultâ dictione prædicamus. *Nos stulti propter Christum*, vos vobis prudentes estis ob doctrinam & eloquentiam, nos verò stulti. Sed objiciat quis: Quomodo mihi hanc persuasionem induam, ut stultum me credam? Deus mihi perspicacem intelligentiam, præ multis, reor, concessit; quî ergo me stultum dicam? Quæso te, mi bone homo, quomodo Salomon sapientissimus omnium, de seipso potuit affirmare: *Stultissimus sum virorum, & sapientia hominum non est mecum. Non didici sapientiam, & non novi scientiam Sanctorum.* Dices fortassis: Erravit Salomon, & stultitiam commisit gravissimam. Nunquámne nos erramus? & nihil unquam stultitiæ committimus? Sunt qui velint hæc verba Salomonis esse jam pœnitentis, & ex idololatriæ & libidinum voragine vocati. Sed potuit etiam ante lapsum ex verâ humilitate, atque animi demissione verissimè pronunciare: stultissimus sum, si me, si mea, si, quæ ex me habeo, si, quæ proprio studio collegi, secluso Deo spectem. Idcirco addit: Sapientia hominum, seu more aliorum hominum parta, non est mecum, non enim meâ industriâ, meóque marte obtinui sapientiam, vel scientiam Sanctorum, qualis solet Prophetis sanctis instillari; sed si quid nactus sum scientiæ, seu humanæ, seu divinæ, id omne didici & accepi à Deo. Deinde, stultissimus sum, inquit, virorum, si conferar cum aliis, qui Dei suique cognitione, saltem actuosâ illâ me longè præcellunt. Rursum si sapientiam meam etiamsi maximam, cum ignorantiâ meâ, vel cum sapientiâ divinâ comparem, cùm illa infinitè ab istâ distet merito me stultum potiùs, quàm sapientem venditabo. Simili ferè modo rogatus aliquando Socrates. Quid sciret? Hoc unum scio, quòd nihil sciam. Quod audiens alius: Imò, ait, ego ne hoc quidem scio. Volebat ergo Salomon primo loco inculcare, veram sapientiam submisso sui sensu, & verâ humilitate scitam esse.

Vir magni nominis in solitudinem contendit, ut Abbatem Mosem videret. Cúmque illum ipsum haberet obvium, quæsivit, quæ viâ duceret ad tugurium Abbatis Mosis? Cui promptè Moses ipse: Quid hoc monstrum, mi Domine, quæris? homo fatuus & hæreticus est. Et cum dicto se proripuit. Vir primarius cognitionem rei certiorem capturus, ad vicinum templum interrogans: Dum, inquit, Abbatem Mosen quæro, ut illius & aspectu & colloquio fruar, occurrit mihi senex, qui virum & fatuum & hæreticum esse affirmabat. Num ita se res habet? Cui præsentes: Quo vultu est, ajunt, ille senex? Ad quæ hospes: Vir longus, & niger, attritis vestibus amictus. Mox alij: Hic ipsissimus est, inquiunt, Moses Abbas, extremus osor inanis gloriæ, qui sanctimoniam tam dextrâ tegit stultitiâ.

Cleanthus, Laërtio teste, appellatus asinus, convicium neutiquam refutans, se parem esse bajulandæ Xenonis sarcinæ affirmabat. Sive quòd Zenoni admodum cutta esset supellex, sive, quòd illius austeritate nihil offenderetur. Sed exemplis non agimus, res liquet. Anno millesimo sexcentesimo decimo nono Coloniæ liber editus ita frontem inscriptus: *Stulta sapientia, seu sapiens stultitia.* Hic liber volvendus ei, qui humilitatis cupit mysteria penetrare. Augustinus unumquemque ad hoc seriò adhortatus. *Dic te stultum*, inquit, *& sapiens eris; sed dic, sed intus dic, quia est, ut dicis.* Nec ullus sibi ipse tam eruditus, sapiens, ingeniosus videatur, ut præceptionem Augustini aspernetur. Quandoquidem Annæus Seneca affirmatissimè dixit: *Nullum magnum ingenium sine mixturâ dementiæ fuit.* Ergo dic te stultum, & sapiens eris. Et quid opus plurium testimoniis? Hoc Pauli apertissimum præceptum est: *Si quis videtur inter vos sapiens esse in hoc sæculo, stultus fiat, ut sit sapiens.* Sed tam potens est arguatrix Momina Philautia*, ut nec Seneca, nec Salomon, nec Augustinus, nec Paulus ulli facilè persuaserint, ut stultum se dicat. Omnes nimium quantum, & nol toto pectore sapimus. Veritas illa de cælo descendit: *Ne sis sapiens apud temetipsum.* Qui sibi ipsi vel obolo uno pretiosior est, quàm stultus, omne sibi pretium detrahit, nec ad humilitatis fundum pertinget unquam. Hæc sapiens stultitia omnes humilitatis leges complectitur. *Qui potest capere, capiat.* David in Achis aulâ hoc uno fatuitatis commento, vitam sibi servavit. Ad cælum, & ad immortales delicias compendiaria prorsus semita est, intelligens fatuitas. *Si quis videtur sapiens esse in hoc sæculo, stultus fiat.*

Saul alioqui fastuosissimus rex, certè tamen fassus: *Apparet enim*, inquit, *quòd stultè egerim, & ignoraverim multa nimis.* Cuivis nostrûm convenit hoc dicere, omnes enim peccamus, *& in multis offendimus omnes.* Ubi autem multum peccati, ibi multum est stultitiæ. Quàm stultum est illud loqui cum Deo, & interim vagari animo, jocari cum catello, garrire cum servo. Atqui tale quid facimus quotidie, cùm precari nos credimus, mente tamen evagamur aliò, & videri nihilominus sapientes. Hinc viri sapientes & sancti se fatuos ultrò proclamârunt.

Davidem igitur, sub fatui schemate, denuo libitinam eludentem expectamus. At necdum discriminum finis.

CAPVT XII.

David summa pericula evadit.

MITHRIDATES rex Ponti, idiomatum & linguarum viginti duorum peritus, ausus & Romanos bellis fatigare, antequam juventutem excederet, compluribus & maximis vitæ periculis objectus est. Tutores illum perferoci equo imposuerunt, in speciem ut jaculari disceret, animo ut vitam ei sine vi adimerent. Sed evasit juvenis. Ubi cruentus dolus non successit, veneno eum tollere tentárunt, sed ea ille antidota oppósuit, ut venena vim suam perdiderint. Veritus autem animosus juvenis, ne post ejusas has insidias aperto Marte pugiones & gladios in se stringerent, simulavit ingens venandi studium: ita quadriennium in silvis & nemoribus transegit, nusquam uno loco diutius nocte unâ moratus. Ita insidias sibi structas vitavit, & in eam sese corporis affectionem duravit, ut par fuerit asperis rebus tolerandis omnibus.

Multo tempore David nihil in urbibus jnveniens asyli, in lucis & antris vitam inopem egit. Nam ex aulâ regis Achis bidui itinere in speluncam Odollam fugit. Inde ad Moabitas in Masphа venit, ubi Moabitarum regi parentes suos aliquando alendos commen-

Conc. 49. 50. — Sirach. l. 4. cap. 28. — Homines libros se æstimare debere. — Cor. c. 3. vers. 19. — Exemplo & hortatione S. Pauli Ap. ibid. c. 4. vers. 10. — Ibid. c. 30. v. 1. & 3. Salomonis error. — Rabbini, Caietan, Abulensis, Hugo & Pineda in præfat. Salomonis, l. 8. c. 1. — Dum. Major in speculo suo Moses Abbas. — Laërt. l. 6. Cleanthi. — S. Augustini. — Aug. in c. 11. Matth. Confit. tibi Pater, &c. — Sen. de tranquil. animi, fine. — 1. Cor. c. 3. vers. 18. — Amor sui ipsius. — Prov. c. 3. vers. 7. — Matth. c. 19. vers. 12. — 1. Cor. c. 3. vers. 18. — 1. Reg. c. 26. vers. 21. — Iac. c. 3. v. 2. — Davidis alia fuga, itinera & pericula.

davit. Ex eo loco, Prophetâ Gad monente, concessit in Judæam in saltum Hareth, inde Ceilam & Ziph abiit. Hinc in deserto Maon sese abdidit, ubi extrema periculorum & summum vitæ discrimen adiit. Sed & hoc periculum amotus est Deus. Quod hoc capite explicabimus.

§. I.

Ejus cura erga parentes, 1. Reg. c. 22. v. 3. & 4.

IN specu Odollâ David inter principes curas habuit, parentes, & imbellem turbam in tuto locare. Hinc regem Moabitarum Saulis hostem submissè rogans: *Maneat oro*, inquit, *Pater meus & mater mea vobiscum, donec sciam, quid faciat mihi Deus. Et reliquit eos ante faciem regis Moab. Manseruntque apud eum cunctis diebus, quibus David fuit in præsidio.* Inde consensu dato, profectus est David in metropolim Maspha, in ejus præsidio collocutus, quò tam ipse, quàm Moabitæ adversùs Saulem forent tutiores. Dum hic cum suis quadringentis aliquot meritibus agit, plures è Judæis palantes milites eò convolârunt augmento commodo, ut sexcentorum fieret phalanx. Dum in præsidio est David, monetur à Prophetâ Gad, ut in terram Juda redeat. Nullæ rationes addi æ monitioni. Visum est enim monitori satis esse, hoc unicum significare: *Noli manere in præsidio: proficiscere & vade in terram Iuda.* Fortassis Moabitarum rex aliquid adversùs David machinari cœpit, ut vel traderetur Sauli, vel occideretur. Idololatris & hominibus impiis fidendum non est. Aut forsan ideo avocatus David, ne illi sexcenti milites idololatriam paullatim combiberent, aut certè ut ipse David graviora passurus, mansuetudinem & patientiam illustriorem exhiberet orbi. Sine causâ nihil fit in terrâ. Sat rationum Deus habuit, sed eas Davidi noluit aperiri. Nec cl. u. Deus facti sui rationem homini solet reddere. Hinc nos permè curiosi non sine noxâ quærimus: Cur hoc, cur istud? Quare me Deus sic affligit? cur adversario meo tantum in me licentiæ permittit? Cur peccata meas toties repetitas non exaudit? Sile lingua improba, quid obstrepis Deo? Qui nos sumus, ut cum Deo disputemus? Dei velle, loco omnium causarum est.

Monetur à Prophetâ in terram Iuda redire, *Ibid. v. 5.*

Monitionis causæ.

David obsequentissimus, quamprimùm audiit: *Proficiscere in terram Iuda*, mox loco se movit in silvam Hareth profectus. Ubi Saul inaudiit, Davidem denuo visum, incensus irâ, oratione acerbissimâ omnem in David bilem egurgitavit. Nam ad aulicum suum famulitium conversus: *Audite me*, inquit, *nunc filij Iemini, nunquid omnibus vobis dabit filius Isai agros & vineas, & universos vos faciet tribunos, & centuriones? quoniam conspirâstis omnes adversùm me, & non est, qui mihi renuntiet, maximè cùm & filius meus fœdus inierit cum filio Isai. Non est qui vicem meam doleat ex vobis, nec qui annuntiet mihi, eò quòd suscitaverit filius meus servum meum adversum me insidiantem mihi usque hodie.* Ego princeps & rex vester è vestrâ tribu, tantum benevolentiæ in vobis non obtineo, quantum fugitivus, & in dominum suum rebellis; quod sanè omni honestati adversatur. Tam speciosa, quàm falsa oratio. Eâ tamen sic moti Saulis famuli, ut Doëgus, qui hactenus siluit, in proditionem eruperit dixeritque, apud Achimelechum in Nobe visum à se David, qui & panes & gladium acceperit à sacerdote. Mox igitur accersitus Achimelech & omnis sacerdotum chorus Noben habitantium. Quos furiosus Saul insuavissimè salutans, & Achimelecho in os continuò exprobrans: *Quare*, inquit, *conjurâstis adversùm me tu & David?* Hostem meum cibis & armis juvisti, ut tantò magis contra me invalesceret improbus insidiator. Cui Achimelechus modestè: Ex omni aulico, inquit, famulitio dominus meus rex non inveniet, arbitror, fideliorem genero suo Davide, qui ad omne regis imperium, paratissimus, vel jubentis nutum attendit. In tam obsequiosâ fidelitate, insidias non putem facilè quemquam suspicari posse. Reverà rex, mihi servo tuo, super hoc negotio nil penitus innotuit. At verò Saul jam pridem violentos ac furentes impetus volutans animo exclamat: *Morte morieris Achimelech, & tu & omnis domus patris tui.* Mox ad satellites conversus: *Convertimini*, ait, *& interficite sacerdotes Domini. Nam manus eorum cum David est, scientes quòd fugisset, & non indicaverunt mihi.* At verò regii stipatores velut statuæ insensiles stabant, nec vel unus omniù admovit capulo manum. Obedire magis oportet Deo quàm hominibus, nulli dominorum obsequendum est, cùm peccatum jubetur. Saul igitur amens furore & Doëgo præcipiens: *Convertere tu*, inquit, *& irrue in sacerdotes. Conversúsque Doëg Idumæus irruit in sacerdotes, & trucidavit in die illâ octoginta quinq; viros vestitos ephod lineo.* Josephus asserit trecentos octoginta quinq; cæsos. Numeravit, ut credibile est, eos, qui cum sacerdotibus venerant, quàm omnes eos, qui ex Achimelechi familiâ sunt occisi. Neque hîc furor regius stetit. Universos insuper qui Noben habitaverant, viros feminásque, ipsos etiam infantes, ipsa etiam jumenta jussit interfici. O invidia! ô vorago quantos glutis! nec satiaris.

Saul in Davidem bilē effundit. *Ibid. v. 7. 8.*

Proditur à Doëgo ab Achimelecho panes & gladium accepisse.

1. Reg. c. 22. vers. 16. *Ibid. v. 17.* Achimelechum & sacerdotes Saul jubet occidi. *Ibid. v. 18.* Omnésque habitatores Nobeni.

Porrò ex Achimelechi familiâ unicus effugit Abiathar, qui cruentam hanc omnem tragœdiam Davidi recensuit. Dum hæc narrantur, tristis adest nuntius, qui Ceilam obsideri, & omnem ejus viciniam à Philistæis vastari narrat. David oraculum per sacerdotem consulit, num Philistæis occurrendum? Solobat Deus respondere sacerdoti, qui haberet indutui Ephod, idque non propter Ephod, sed ex promisso. Responsum est igitur Davidi; Occurrendum est Philistæis, & Ceilam liberandam. Sed inviti erant milites sexcenti, qui causabantur se parum tutos in Judæâ, quantò minùs id sperandum in finibus Philistæis. Eam ob rem oraculum denuo consultum, respondit: *Surge & vade in Ceilam, ego enim tradam Philistæos in manu tuâ.* Divinâ voce mirificè animatus David, Philistæos aggressus, pecore illorum abacto, ipsos pæne ad internecionem cecidit, & Ceilam obsidione liberatam ingressus est. Sed novæ mox turbæ. Saul in exitium generi vigilantissimus, quamprimum audiit urbe clausum: Jam, inquit, capta est hæc avis. Mox omnem vim belli ad Ceilæ obsidionem trahere destinavit. David hoc rescions, oraculum iterum interprete sacerdote interrogavit, an Ceilani se tradituri sint Sauli. Responsum: Tradituri. Continuò David cum sexcentis suis excessit urbe, huc illuc incerto itinere facturus excursiones. Quod ubi Saul intellexit, prædam manibus elapsam, dissimulavit irritos conatus, tanquam aliud bello parâsset, nec Ceilam obsedit. At verò David cum suo milite in tam desertas solitudines delatus est, ut nec panis, sed nec aquę, nec commeatûs quidquam potuerit illuc inferri, sed nec diu uno in loco subsistit. Silvam rupésque Ziph subiens mox hospitem habuit amantissimū Jonatham, qui ad ipsum sedulò revisens, & ad toleranda quævis acerba animans: Ne timeas, ajebat, sævam sed inanem patris mei sedulitatem. Fide Deo, non comprehenderis. Te regem Israëlis sua pronuntiabit dies: Ego à te secundus ero, ita bene spero: neque hoc pater meus ignorat. In eam rem alter cum altero fœdus iniit favente Deo. Et David quidem in nemore permansit, Jonathas domum rediit. Mox autem Ziphæi cives in adulationem projecti, iter susceperunt ad Saulem in Gabaa, & eblandientes ei nuntiârunt: *Nonne ecce David latitat apud nos in locis tutissimis silvæ, in colle Hachila, quæ est ad dexteram deserti? Nunc ergo sicut desideravit anima tua, ut descenderes, descende, nostrum autem erit, ut tradamus eum in manus regis.* Ad quod Saul promptissimè: *Benedicti vos à Domino*, inquit, *quia doluistis vicem meam.* Opium nequam, ô colubrum amabili & picto volu-

A Jonathā revisitur.

Fœdus initum cum eo. Ziphæi cives eum produnt. 1. Reg. c. 23. *Ibid. v. 19. & 20.*

Ibid. v. 22. & 23.

mine tortuosum. Addit Saul: *Abite ergo, oro, & diligentiùs præparate, & curiosiùs agite, & considerate locum, ubi sit pes ejus, vel quis viderit eum ibi, recogitat enim de me, quòd callidè insidier ei. Considerate & videte omnia latibula ejus, in quibus absconditur, & revertimini ad me ad rem certam, ut vadam vobiscum: quòd si etiam in terram se obstruxerit, perscrutabor eum in cunctis millibus Iuda.* Ziphæi accepto imperio reversi velut venatici canes indagârunt omnia. At verò David solitudinem è solitudine mutans, in desertum Maon cum suo milite se recepit. Mox adfuit Saul cum exercitu, & ita cinxit hoc latibulum, ut nulla penitus relicta sit spes evadendi. Inclusus magis & vallatus erat David, quàm in domo suâ. Jam igitur actum est; effugii locus nullus est. Nec efferri quidquam, nec inferri potest. Spes elabendi omnis decollavit. O mi David nimis miserear tui tuorúmque pereuntium, miseremur & collacrymamus. Modus juvandi nullus est. Vos veluti feras Saul[illegible] mine clausit: capti estis ad unum omnes. O bonæ victimæ, jam vobis culter imminet, jam ad macellum & ad aram statis, periistis omnes, regio gladio cadetis. Nec nec ipsa vos salus juverit.

Cingitur David à Saule & eius exercitu.

Liberatur Dei providentiâ.

Sed ô Dei providentiam ab omni æternitate pervigilem, & ô Dei potentiam infinitam! Dum David in omnem horam cruentas Saulis irruptiones metuit, subitò ad regem Saul nuntius pervolat, qui præsentissimum ab hoste periculum indicat, rogánsque & urgens regem: *Festina*, inquit, *& veni, quoniam infuderunt se Philistiim super terram.* Continuò Saul periculis gravissimis coactus ob fidionē cœptam jam jam; ex voto finiendam solvens abiit rebus irritis. Ita David cum suis omnibus jamjam jugulandus, liber & incolumis evasit. Jam unguibus sævi leonis hæserat, jam dentibus lacerandus erat, & tamen ei potentia Numinis libertatem subitam concessit. Considerate hîc, obsecro, admiranda Dei opera, & vigilantissimam momentis omnibus providentiam. Sed hîc ordine stricto documenta paucula expendamus.

Ibid. v. 27.

Quædam expendenda.

1. Obedientia Davidis eximia.

Primum, Obedientia Davidis eximia. Monuerat eum Propheta nondum sat notus, rediret in regnum Juda. Nullas huic monito rationes adjecit. Objicere potuisset David suum suorúmque periculum, si ipse Sauli vicinior, illi à Moabitis remotiores irent. Nil obduxit David, sed obediit promptissimè. *Non enim attendit verus obediens*, Bernardo teste, *quale sit, quod præcipitur. Vir obediens loquetur victorias.*

Ber. de præcep. & dispens. cap. 21. vers. 28.

2. Adulatio unica quid tragœdiarum non excitavit.

Alterum, Adulatio aulica quid tragœdiarum non excitavit? Octoginta quinque sacerdotes occisi, urbs Nobe internecioni data. Doëgus unus assentator regius hanc Camerinam movit. Ita non rarò voces paucúlæ damnum creant in omnem vitam luendam. Dicinus Psaltes attestatur: *Dilexisti omnia verba præcipitationis, lingua dolosa.* Præcepitationis verba sunt, quibus alter alterum fraudulenter trahit in exitium. Addit David: *Propterea Deus destruet te in finem, evellet te & emigrabit te de tabernaculo tuo, & radicem tuam de terrâ viventium.* Impunè non feres venenatos linguæ sævientis morsus. Hoc David omnibus iis occinit, qui adulando, mentiendo, obtrectando, mordendo calumniando alios in exitium conantur præcipitare.

Ps. 51. v. 6.

Ibid. v. 7.

3. Invidiæ fructus multò deterrimi.

Tertium, Invidiæ fructus multò deterrimi. Peccârit sanè Achimelechus, quod neutiquam asserendum: quid illius tota domus, quid tot innoxii sacerdotes, tot cives, tot innocentissimi infantes, quid tota urbs Nobe deliquit? Sed invidia, etsi oculatissima videatur, oculis tamen & auribus caret, inde in omnem rabiem efferata ruit. Sed advertite, obsecro, quî Deus pessimâ Saulis voluntate usus ad puniendos Heli posteros. Divina maledictio in nepotes, abnepotes, & pronepotes nondum fuerat sopita. Considerandaque simul etiam admiranda sacerdotum illorum patientia. A viro

Deus usus est pessimâ voluntate Saulis ad puniendos Heli posteros.

A unico octoginta quinque viri cæduntur, nullus resistit, nullus quiritatur, nullus recusat mori. Hinc à nonnullis martyres censentur. Quis autem perversissimam Saulis nequitiam satis demirabitur? Præceperat illi Deus, ut quidquid esset Amalecitarum, perderet, eorum regem occideret; huic tamen vitæ gratiam fecit, & meliora in prædæ jubentis injuriam servavit: hos verò sacerdotes nec verbulo lædendos, unico, sed nimis quàm crudeli imperio jugulavit omnes, uxores & liberos, aliquot innocentum millia contrucidavit. Vel inde liquet, quid indomitus possit affectus, uti sunt invidia, ambitio, iracundia, luxuria; ubi hæ pestes, & vel harum unica occupârit animum; jam vale cælum, valete superi, vale Deus, salvete inferi. Affectus vitiosus cùm jam sui juris & libertatis est, eò impellit hominem, ut vel in apertos ruat inferos contempto cælo. Nullum horret nefas ambitio, nullum invidia. Saul invidiæ deterrimo affectui obsequentissimus, susque déque habuit, quid vellet, juberet Deus. Tales nos sumus, cum maligno impetu animi abripimur, quodcunque vetitum pro licito interpretamur.

Demiranda Saulis nequitia.

B

Quartum, Mansuetudo Davidis maxima. Cùm enim ei Abiathar sanguinolentam Tragœdiam, tot sacerdotum funera, vacuatam cædibus urbem, narrâsset non ille mox in iras assurgere, bilem evomere, diris devovere, non centum millia diabolorum (quod nos solemus) in auctoris caput detestari: sed seipsum accusans: *Ego*, inquit, *sum reus omnium animarum domûs patris tui.* Reum se proclamat, etsi remotissimam huic cædi ansam præbuerit; idque ignarus secuturæ tempestatis tam cruentæ. Nimirum quod Gregorius dixit: *Bonarum mentium est ibi culpam agnoscere, ubi culpa non est.* Ita David: *Ego, a[illegible]m reus.* Et reus non erat. Quod enim fecit? necessitate adactus fuit. *Memento* igitur *Domine David, & omnis mansuetudinis ejus.* Neque enim injurias suas adversùs Doëgum aliis ultus est armis, quàm oratione & mansuetudine. Eâ namque occasione psalmum scripsit quinquagesimum primum. *Quid gloriaris in malitiâ qui potens es in iniquitate?* Doëgus eò prolapsus est iniquitatis, ut hoc facinore patrato, non ingemuerit, non saccum & cinerem arma pœnitentiæ sumpserit, sed insuper etiam gloriatus fuerit, tanquam fortium virorum opera ediderit. Sed expecta paullulùm, Doëge, & tua tibi veniet dies, non impunè tibi erit tam barbarum & immane facinus: sicut tu Achimelechi familiam trucidasti, ita te tuâmque trucidabunt alii. Sæpiculè pœna scelus quantò tardior comitatur, tantò gravior. Consuevit Deus moram supplicii compensare supplicii augmentis: Serus punit, sed severus. Iusti, Doëge ridebunt te, quòd Saulis potentiâ, tuisque opibus non Deo fretus oppresseris insontes non multo tempore. Tu interibis æternùm. Tuum erit epitaphium: *Ecce homo qui non posuit Deum adjutorem suum, sed speravit in multitudine divitiarum suarum, & prævaluit in vanitate suâ.*

4. Mansuetudo Davidis maxima.

1. Reg. c. 22. vers. 22.

Ps. 131. v. 1.

Ps. 51. v. 3.

C

D

Ps. 51. v. 9.

Quintum, Fiducia in Deum nunquam deponenda seu cælum ruat, seu terra; sive omnia misceantur in horrendum chaos. Summum hujus fiduciæ mysterium est in rebus etiam minimis. Cùm in extremâ staret regulâ David, cùm omnia undique viderentur desperatissima: jam conclusus, jam reti involutus, jam unguibus fixus hærebat, nec effugiendi rimula patebat ulla; subitò Deus adfuit, ostenditque nunquam sibi complures modos deesse, quibus suos in libertatem asserat, in summis periculis, in mediis flammis servare novit illæsos. Undique & undique vallatus erat David; militum jamjam irruptorum gladiis objiciendus. Sed eo ipso tempore, quod credibile, orabat David illud animo volvens: *Ego autem speravi in misericordiâ Dei in æternum, & in sæculum sæculi.* In extremo res apice ver-

5. Fiducia in Deum nunquam deponēda.

Ps. 51. v. 10.

sabatur. Repentè Philistæi irruptionem faciunt, Saul avocatur, exercitus abducitur. Ita David evasit liber, ita conatus Saulis elusi, ita Deus carnificinæ suos subduxit, Fidendum Deo semper. Nec enim unquam tam arctæ res esse possunt, qui fiduciam in Deum excludant. Supremis David angustiis pressus, fidebat tamen Deo, & hunc in modum canebat: *Deus in nomine tuo salvum me fac, & in virtute tuâ judica me. Deus exaudi orationem meam, auribus percipe verba oris mei; quoniam alieni insurrexerunt adversum me, & fortes quæsierunt animam meam, & non proposuerunt Deum ante conspectum suum. Ecce enim Deus adjuvat me, & Dominus susceptor est animæ meæ*, &c. *Quoniam ex omni tribulatione eripuisti me, & super inimicos meos despexit oculus meus.* Porrò in gratiarum actionem cantandum cum Davide: *Anima nostra sicut passer erepta est de laqueo venantium, laqueus contritus est, & nos liberati sumus, Adjutorium nostrum in nomine Domini, qui fecit cælum & terram. Benedictus Dominus qui non dedit nos in captionem dentibus eorum.* Quantumcunque res turbulentæ sint & desperatæ, spes & fiducia in Deum nunquam est abjicienda. Plerumque ubi spei humanæ nihil est, auxilii divini plurimum est. *Qui confidit in Domino, sicut mons Sion, non commovebitur in æternum.* Omnia si perdas, ô Christiane, fiduciam servare memento. Fiducia seu robustior *spes non confundit. Scitote, quia nullus speravit in Domino, & confusus est.* Præclarè dixit Cassiodorus: *Magnæ contra diabolum arma sunt, in suis viribus fiduciam non habere, sed Deum rogare, qui adversarium possit opprimere.* Quotidie pro se quisque animo dicat, *In te Domine speravi, non confundar in æternum.*

Fiducia Davidis in Deo in supremis angustiis: *Ps.53.toto:*

Et gratiarum actio. *Ps.123.v.7.* *Ibid. v.8.* *Ibid.v.6.*

Ps.12.v.1.

Ad Rom.c.5. vers. 5. Eccli. c.2. vers. 11. Cassiod. in Psalmos. Ps.30.v.1.

CAPUT XIII.

Paratissimam David vindictam negligit.

David in ulciscendis injuriis negligens.

THEODOSIUS Imperator interrogatus, quî tandem sermones de se tam sinistros & maledicos, nec facta multò meliora tolerare posset: nec enim justitiæ displiciturum, si homines oris tam improbi è medio tollerentur: Utinam ego possim, inquiebat, vel mortuos ad vitam revocare! Vox Cæsare digna. Nam & Antisthenes dicere solebat: Regium est, cùm feceris bene, audire malè. Quemadmodum etiam prisci Lacones, cùm Rempublicam cuperent incolumem, id Deos rogabant, ut injurias possent perpeti. Existimabant enim, neminem facinus ullum memorabile facturum, qui tolerandis injuriis succumberet.

Inter homines prædicandus mansuetissimus.

Rex David inter omnes profectò reges, imò inter omnes pene homines prædicandus rex mansuetissimus. Injurias concoquere, seipsum frangere, veniam dare hostibus, vindictam substringere noverat exactissimè. Habuit is hostem capitalissimum jam suæ potestatis, obterere eum ut vermiculum potuisset, jugulandi Saulis paratissima erat occasio. Fuerunt imò, qui ad eam cædem impellerent & stimularent. Nec defuit cogitatio: Occidar, si non occidam. Jámque manus injussæ prutiebant ire in Saulis jugulum, & tamen continuit se David contentus particulâ chlamydis abscisâ. O regem verè mansuetissimum. Ita David expeditissimam sui ulciscendi opportunitatem animo ingenti negligit, quod jam explicatiùs trademus.

§. I.

Se in loca tuta confert. Saul eum insequitur.

E Deserto Maon in loca tutissima se David contulit, ubi semitæ tam difficiles, angustæ, præcipites occurrunt, ut solis ibicibus sint apertæ. Ubi verò Saul audiit Davidem è Zyphæo nemore cessisse, tria millia selectissimi militis ad signa convocavit, cùm David vix sexcentos sub signis duceret. Quâ quidem ratione uni adversùs quinque milites pugnandum erat. Sed nec illi sexcenti omnes in familiâ Martis censeri poterant. Nam inermes aliqui, plerique fugitivi, fame exhausti, plures parum animosi. Hinc David in extremo vitæ discrimine versabatur. Dum autem Saul exercitum ducens de viâ nonnihil secessisset alvo citante, ignarus in hoc ipsum spelæum delatus est, ubi David cum sexcentis suis latuerat. Fortè fortunâ hæc specus angustiorem & cœcum præbens aditum, in magnam sese diffundebat amplitudinem. Hinc nulla Sauli oborta suspicio latitantium copiarum. Quâ in re divina se Providentia, tam amantem suorum, quàm vigilantem pro suis, mirissimè ostendit. Nec dubium quin Saul putârit, in illud cavum cælo pluvio pecus agi, nec quemque hostium illic delitescere, cùm proximè viam fuerit. Quòd autem nec viderit, nec audiverit armatas copias in id latebrarum immersas, partim curvum & exercitûs transitionem, partim subita à sole digressio in cassum fecerint.

In spelæum devenit ubi David latebat:

Rabbini more suo hîc mirè nugantur, Davidem à Deo quæsisse, cur in orbe patiatur esse muscas, stultos, araneas? Ad hæc Deum respondisse, non frustrà, sed orbis bono hæc condita, idque usu fore cognitum. De muscis quidem, vel inde id constare ajunt. Cùm Sauli dormienti David poculum & hastam adimeret, inter Abneris pariter dormientis pedes incautum pedem posuit, non facilè retrahendum, nisi excitato Abnere, quod erat tota in se castra concitare, hîc repentè musca id effecit morsu, ut Abner pedes diduceret, ita David, ajunt, evasit indemnis. Stultos & stultitiam usu esse in Achis regis aulâ expertus est David, ubi se stultum simulâsse, unicum vitæ præsidium fuit. Tertiùm paullò aptiùs finxit Rabbinorum deliratio. Davide specum ingresso aditum omnem aranearum telis prætextum, ne recentis latebræ suspicio esset, quod de Felice beato Martyre vetus prodit historiâ, sed mittamus Rabbinorum somnia.

Rabbinorum nugæ de muscis, stultis & araneis.

Incitant milites Davidem, ut jugulet Saulem.

Cùm igitur Saul ad os speluncæ in alvo exonerandâ hæreret, milites Davidem vehementer incitârunt, faceret demum miseriarum finem, & jugularet Saulem; hoc uno sublato, se omnes fore salvos; nil opportunius jam posse fieri; oblatum ultrò tempus non prætermittendum, ergo facinus pucherrimum auderet. His vocibus, sed & suómet impetu concitatus David, tacitus adserpit ad Saulem ut eum occideret, id facere cogitârat, quod ipse fassus: *Cogitavi, ait, ut occiderem te.* Cogitavit, non decrevit. Nam Sauli proximus, repentè facinus patrandum perhorrescens, oram duntaxat chlamydis projectæ abscidit.

1.Reg.c.24. vers. 11.

Orâ chlamydis abscindit.

Vix istud fecerat, continuò percussit cor suum David, veluti reverentiam regi debitam temerâsset; & mox ad suos versus: *Propitius sit mihi Dominus*, inquit, *ne faciam hanc rem.* Deus illum objiciet morti; sua illum dies auferet. Absit à me, ut ego sanguine regio manus meas polluam. At milites Davidis has religiones, & hos conscientiæ metus non capiebant. Quocirca ipsi suas manus huic facinori consecrare paratissimi: Si tu nolis, inquiunt, nos in eum irruemus. Hîc David suum militem modis omnibus coërcere studuit, alioqui rex certò animam ejecisset cum alvo.

Abscissionis pœnitet. *Ibid.v.7.*

Milites coercere studet.

Ubi Saul aliquantulum à specu digressus David in apertum prodiens ex antro vociferari cœpit: *Domine mi rex.* Respiciente Saule, David prono corporis flexu adorans regem: Quare, inquit, verbis obtrectatorum credis? Non insidiatur tibi gener tuus, rex magne, sed insidias patitur. En ipse hodie tuis vidisti oculis, quis meus sit in te animus. Jam in manu meâ eras, *& cogitavi, ut occiderem te, sed pepercit tibi oculus meus.* Dixi & statui nunquam inferre manus meo Domino. Imò vide, pater mi, vide, & propius intuere partem tuæ chlamydis in meâ manu; unâ eâdémque operâ te jugulare potuissem, quâ vestimenti tui limbum præscindere.

Ibid.v.9.

David quis ejus in Saulem animus declarat. *Ibid.v.11.*

De eo vindictam cachere non vult.

dere. Agnosce demum, obsecro, nihil à me hostile cogitari, nullas tibi à me insidias strui, quod tu tamen in me machinaris, idque unum agis, ne ego vivam. *Iudicet Dominus inter me & te, & ulciscatur me Dominus ex te; manus autem mea non sit in te.* Verbo veteri jactatur: *Ab impiis egredietur impietas.* Ego igitur dextram à te meam abstinebo, Dominus vindex omnium est. *Quem persequeris rex Israël, quem persequeris? Canem mortuum persequeris & culicem unum.* Sed ego hanc omnem caussam arbitriis divinis committo, ad Dei nutus me totum fingo & accommodo. Dei tribunal specto. Potens est Deus tuas omnes contra me molitiones retundere. Finierat David, & continuò Saul blandissimè: Fili mi David, ait, agnosco voces tuas. Et mox sonoro vertà turbavit fletu (videte crocodili lachrymas) jamque sermonem cœptum resumens: *Iustior*, inquit, *tu es, quàm ego*, tu enim mala quæ intuli, beneficiis superâsti, tua me virtus triumphat. Hoc insuper hodie addis benevolentiæ, & ingenuè detegis, quam mihi feceris vitæ gratiam. Non diffiteor, in tuam me potestatem Deus tradidit occidendum, & tamen tua mihi pepercit æquanimitas. Quis ille, qui suum inimicum cædi tam opportunum inveniat, & incolumem dimittat? Remuneretur hoc Deus, referátque tibi parem gratiam. (O voces vulpinas!) Et quandoquidem non ignaras sum te Israëlis regem certò futurum, hoc unum te oro, religione jurisjurandi pollicere familiam meam à te non extinguendam, nec nomen meum extirpandum. Neque hoc recusans David jurejurando se Sauli obstrinxit. Ita Saul domum, David in loca concessit tutiora. Noverat quippe David inconstantiam Saulis, & effrænes animi affectiones, quare non minùs cavendum sibi censuit, cùm omnia prolixissimè Saul promitteret, quàm cùm mortem minaretur. Diabolus Saulem rexit, & impulit, quoquo voluit; cum diabolo nullæ inducíæ, pax nulla sanciri potest. Nunquam magis inimicus nocet, quàm cùm blanditur. Joab Amasam inter benevolentiæ signa jugulat, Absalon Amnonem in convivio inter frenum cantus trucidat. Videtur subinde diabolus feriari; fraudes sunt, non feriæ. Nonnunquam vim concitandi ad vetitum remittit, ut resumptis viribus tantò potentior insurgat ad nocendum. Huic veteratori nunquam fidendum. Sed hinc nobis triplex nascitur consideratio.

Ibid. v. 15. *Ibid. v. 15.* Totá caussam Deo committit. Saulis blanda locutio mixta fletu. *Ibid. v. 18.* Oratio Davidem, ne familiam suam exterminet. Nunquam magis nocens, quàm cùm blanditur. Triplex consideratio.

Prima; Inæqualitas ingeniorum, & inde cura vel neglectus æternorum. Saul tria millia selectorum militum eduxit, ad vestigandum servum fidelissimum, cujus omnis noxa fuit, strenua integritas. E diverso David quibuscunque potest modis coërcet suos, ne confodiant hostem capitalem, qui virtutis nihil, hoc unum habuit boni, in regem fuisse unctum. Quod etiam David reveritus: *Non mittam*, inquit, *manum meam in eum, quia Christus domini est.* Quod B. Gregorius observans: *Etiamsi*, ait, *magistratus, aut dominorum quispiam erret, nec faciat, quod æquum est, subditis tamen nequaquam permissum est iis obtrectare. Quia subditorum mentes ab omni se peste obtrectationis abstinentes, præpositorum vitam nullo linguæ gladio percutiunt. Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit, qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt.* Idcirco dixerat David: *Propitius sit mihi Dominus, ne faciam hanc rem*; hoc mihi Deus prohibeassit, ne Christum domini obtruncem. Deo judici relinquendus est. Saul cognito hoc tanto beneficio, eliminare debuisset è pectore, quidquid in eo simultatis latuisset; imò si vel regno cessisset, vitæ servatæ gratiam non exæquasset. Verùm *considera*, inquit Ecclesiastes, *quòd nemo possit corrigere, quem Deus despexerit.* Nónne demum rex Saul post tot luculenta testimonia pro Davide dicta, post tot irritos conatus suos, post tot evidentia innocentiæ David argumenta resipiscere, omnéque odium evomere debuisset? Verùm tam constanter nequam esse solet, quem effectum tyrannis occupavit. Ita si quem ambitio, avaritia, libido, temulentia, invidia, similésque animi pestes corripiunt, haud facilè is eluctatur è luto: posset si vellet; sed qui sibi vim faciant, vix ulli sunt.

1. Reg. c. 24. vers. 7. Prima. Saulis neglectus. *Greg. par. 3. pastor. admonit. 5.* *Ad Rom. c. 13 vers. 2.* *1. Reg. c. 24. vers. 7.* *Eccles. c. 7. vers. 14.*

Et videte mihi Saulem virum summè politicum ad res caducas & fluxas attentissimum, cetera nec pensi habentem. Nil ipsi curæ est, quam facinorum veniam à Deo exoret. Illatum multiplex Davidi damnum quí faciat, solicitus est; hoc unum laborat, ne sua post se familia intercidat. O miser quid proderit tibi, si tuum genus inter Hebræos floreat, & tuus spiritus inter diabolos ardeat? Horum talium politicorum ingens ubique numerus, qui omnes curas & cogitationes conferunt in nugas, somnia & umbras, nihil de futuris, de æternis soliciti: *Vocaverunt nomina sua in terris suis*: Quandoquidem ea non sunt scripta in cælis. Omnia negligit, qui negligit æterna. Et ad res caducas & fluxas attentio. *Ps. 48. v. 12.*

Altera consideratio, Davidis mansuetudo & humilitas. Capitalem hostem compellans David: *Pater mi*, ait, *vide & cognosce.* Ætate Saul pater fuit Davidis, nam annum sexagesimum excesserat, David viginti septem annorum erat. Dein affinitate Saul pater dici poterat, quia socer. Hunc insidiatorem suavissimè affatus: *Pater mi*, ait, *vide.* Et *quem persequeris, rex Israël, quem persequeris? canem mortuum persequeris & culicem unum.* Hebræis vile & exosum animal canis, cane mortuo nil abjectius. Huic sese cõfert David, imò & pulici. Quid agit dominus meus rex, quòd arma moveat, & bellum gerat cum cane mortuo, aut pulice uno. Non id operæ pretium, nec tanti est familia mea, ut adversùs eam bello certet tantus princeps. Miratus hanc modestiam Chrysostomus: *Tanta vis est*, inquit, *actionis se humiliantis, quæ quidem nihil sonat iracundum, nimis minax, ut hostem infensissimum frangat.* Quod & Salomon dixit: *Responsio mollis frangit iram.* Eodem teste: *Sicut fremitus leonis, ita & ira regis.* Nam indignatio regis, nuntij mortis, & vir sapiens placabit eam. David vel eo etiã nomine verè sapiens, quia Saulis iram compressit & lachrymas expressit è silice. *Quid igitur Davide felicius*, ait Chrys. *qui ex homicidâ fecit patrem, ex lupo ovem, qui fornacem iracundiæ multo implevit rore: idq; non verbis solùm, sed & factis, & inclinans se David pronus in terram adoravit.* Summa & mansuetudo & humilitas. His geminis alis in solium evectus est David. Secunda: Davidis mansuetudo & humilitas. *1. Reg. c. 24. vers. 12.* *Ibid. v. 15.* *Prov. c. 19. vers. 12.*

Notus de Regulo apologus. Ferunt inito consilio de rege sibi præficiendo, decretum ab avibus, eam pro regina fore, quæ ceteris celsiùs subvolaret. Regulus inter volucres minima, alis aquilæ se insinuans in ejus scapulis resedit. Evolat ardea, & ceterarum se visui, non item aquilæ subducit. Nam aquila longè sublimiori volatu aëra tranavit, & cùm cerneret nullam avium audere virium periculum ampliùs subire, jam defatigata cœpit descendere. At ecce tibi regulus suâ humilitate illuc provectus à scapulis gestatricis recèns subvolavit, & vicit omnes. Quo stratagemate Basilicum sibi nomen acquisivit. Haud aliter David, pulici & mortuo cani se comparans, eâ humilitate ac mansuetudine in regale solium longè supra Saulem evolavit. Hoc ajo: præeuntem habeamus Deum, sequamur nos; hac tali humilitate ac mansuetudine cuncta penetrabimus. Apologus.

Tertia vindictæ continentia. *Non mihi si centum linguæ sint, oráque centum*, satis explicem hanc Davidis cõtra seipsum pugnam & victoriam. Capitalissimum hostem jam unguibus conclusserat, & tamen illi pepercit; potuisset illum ut musculum aut vermiculum obterere, & tamen ei pepercit. Plurima suadebant cædem, & tamen ei pepercit. Nec suadebant tantùm cædem plurima, sed & impellebant, & pæne cogebant; ipsius scilicet inimici aspectus, cohortatio militum, metus à militibus ne aversantem cædis Davidem tollerent, deinde facinoris patrandi facilitas, præteritorum memoria, Tertia. Davidis contra se ipsum pugna & victoria.

ria, futurorum formido, homicidium à Saule sæpius in Davide tentatum, perpetuæ insidiæ, nulla uspiam locorum securitas. Illa verò cogitatio maximè urgebat; tandem aliquando finem ei miseriis imponeret. Hæc omnia inflammabant, ut auderet quod cogitaret, & tamen ei pepercit. Taceat jam Tullius suum, quem cælo attollit, Julium Cæsarem, qui soles obliviscì injurias, ipsis etiam parcere consuêsset hostibus; eò certè Julij virtus non ascendit, quò Davidis, qui non in se solùm iram omnem vindictæque cupidinem extinxit, sed etiam in suis militibus. *Et confregit David viros suos sermonibus, & non permisit eos, ut consurgerent in Saul.* Nos in vindictam promptissimi, cùm nostras vires ad lædendum imbecilliores animadvertimus, cælum & terram in subsidium vocamus, sanctos imploramus vindices, Acheronta movemus. Contrarium rogat David: *Propitius mihi Dominus sit, ne faciam hanc rem.*

1. Reg. c. 24. vers. 8.

Ibid. v. 7.

Chrysostomus hîc objicienda diluens: *Ne dicas*, inquit, *illum nihil eorum affectuum sensisse; considera, quàm vehementer exasperatus sibi temperârit. Iam cogitaverat Saulem occidere, sed Dei amore continuit se. Hujusmodi sunt Sanctorum animæ, priusquam concidant, resurgunt; priusquam ad peccatum pervâriant, refrenantur; eò quòd sobriæ sint, sempérque vigilent. Hæc non audiamus tantùm, verùm etiam imitemur.*

Chrys. to. 1. ho. de David & Saule.

David est imitandus in remittendis injuriis.

O Christiani, obsecro, amore Domini Iesv veniam date inimicis, sepeliantur injuriæ, cadant odia, deponantur simultates, inimicitiæ omnes extinguantur, placeant amor & concordia. Multò generosius sed & lucrosius est parcere, quàm perdere. Et quamvis tempus locúsque vel maximè invitent ad lædendum hostem, cavete tamen opinemini concessam vobis ulciscendi opportunitatem, sed oblatam potiùs servandi hostis occasionem. Negligimus ea corpore capillatam? in longum ibunt odia, & sub ipsum vitæ finem recrudescent: periculosissimum prorsus est, ne ipsis odiis immoriamur. Quanti fuerunt, qui hærente in extremis labris animâ, jam ad æternitatem ducendi, contumaciissimè tamen veniam negârint hosti. Non ignora cano. Sapricius Sacerdos & Nicephorus civis Antiochenus amici quondam intimi, demum alter ab alterius se familiaritate turpiter disjunxit. Nicephorus sæpiusculè rogavit, qui veniam rogarent. Accessit demum & ipse Sapricium, atque ad illius pedes abjectus per Christi sanguinem & mortem rogavit, faceret culpæ gratiam. Sed semper rejectus est. Ortâ interim in Christianos sevâ tempestate, Sapricius, quidquid tormentorum admovebatur, constantissimè tulit. Tandem duci jussus est. Nicephorus in viâ hominem aggreditur, & ignoscentiam per Christum Iesvm orat; rejicitur. Redit denuo, & idem flexis genibus lachrymisque infusus flagitat, iterum rejicitur. Ita perventum est ad supplicij locum, hîc Sapricius mente titubans, cauſſam interrogat, ob quam perimendus sit? Quia, inquiunt, diis sacrificare noluisti. Ad quod Sapricius: Gladium, inquit, abstinete, & promptè facias, quod clementissimi Cæsares nostri jusserint. Impedem, quem in cælo jam fixerat fœdissimè retrahens, ejurato Deo idolis fecit, & ad inferos se præcipitavit. *Iustus es, Domine, & rectum judicium tuum.* Noluit Sapricius iterum ac sæpius rogatus gratiam offensæ facere: Noluit Deus æquissimè supremam mortis beatæ gratiam, noluit jam paratam martyrij palmam & lauream tribuere. Ignoscere, Saprici, noluisti inimico, nec Deus ignoscet tibi. Pereat, qui seruari non vult; abeat ad inferos, qui spernit cælum; ardeat cum diabolis, qui Deo ignoscentiam jubenti refragatur.

Hosti non deneganda venia. Paradigma

Ps. 118. v. 137.

Christiano nulla simultas aut odium nutriendum. Col. c. 3. v. 8. Ephes. c. 4. vers. 25. Luc. c. 6. vers. 37.

Idcirco, Christiani, quævis potiùs patiamur, quàm ut contra ullum hominem simultatis aliquid aut odij aut amaritudinis animo nutriamus. *Nunc ergo*, inquit Paulus, *deponite vos omnia, iram, indignationem, malitiam: Quoniam sumus invicem membra. Dimittite, & dimittemini.* Non dimittitis? nec Deus dimittet vobis. Certissimum. Malè merenti par erit. Neque hîc curiosiùs scrutemur jure an injuriâ malevolum in nos animum gerant inimici: ut ut sit, nostrum est dicere: ignosco, hanc illi offensam condono, mitto hanc noxam, istud & istud & illud animo indulgeo. Si hoc promptè integréque faciamus, in angustiis licebit cum fiduciâ magnâ succlamare ad Deum: *Memento Domine David, & omnis mansuetudinis ejus.* Te jubente præmiû reposco. Propter te sæpius, mi Deus, hosti meo de corde meo veniam dedi. Et ego nunc delictorum veniam rogo. Nihil est, quod dubitemus, aut metuamus; veniam certò impetrabimus. Chirographum Christi est: *Dimitte, & dimittemini.*

Ps. 131. v. 1.

Luc. c. 6. vers. 37.

CAPVT XIV.

Nabalis injurias David condonat.

David injuriarum immemor.

Lapides arsisse sæpius sacræ profanæque literæ testantur. Plinius Major id asserens: In Lyciâ, inquit, lapides face tacti, ut lignum ardent. Quod Hebræorum Judicum historia confirmat his verbis: *Ascendit ignis de petrâ, & carnes azymósque panes consumpsit.* A morte Samuelis, ævo Davidis non absimilis ortus est ignis, ad quem viri duo, una femina stabat. Virorum unus ligna, situlam resinæ, & folles ferebat manu, animando igni. Eidem extinguendo femina lac & aquam portabat, unáque vasculum, quo aquam & lac effunderet in ignem. Vir alter ea gerebat instrumenta, è quibus difficilè conjecres, sopire voluerit ignem, an excitasse, scilicet siphonem, massam niveam & harpagonem. Siphone ac harpagone tam refici potest ignis, quàm dividi & extingui. Nec nescimus in monte Ætnâ, Solino teste, ignem & nivem amicissimè simul habitare, servatâ utrinque concordiâ. Hæc ego symboli vice præmiserim.

Judic. c. 6. vers. 21.

Nabal homo horridus, impolitus, agrestis, barbarus, oratione ac moribus asper & durus, oris ferrei, homo pæne lapis, de eo certè dictum: *& factus est quasi lapis.* Vir iste inhumanus, hebes, saxeus, ignem excitavit, qui homines & pecudes hausisset, nisi eum prudens femina sopiisset. Primò igitur Nabalem cum lignis, pice, follibus: dein uxorem illius cum aquâ, lacte, ac vasculo describemus. Addemus hîc Davidem cum siphone, massâ niveâ & harpagone. Hic ad Nabalis domum properavit, ut feriret, occideret, mactaret, multum sanguinis funderet; sed in occursum prodeunte Nabalis conjuge, continuit impetum, & restinxit ortum incendium. Hoc igitur capite geminos viros illos Davidem & Nabalem, feminámque prudentissimam Abigailem ita considerabimus, ut à singulis his hominibus præceptionem triplicem hauriamus. Dicendorum summa est: injuriæ Nabalis à Davide condonatæ.

Nabal inhumanus.

1. Reg. c. 25. vers. 37.

§. I.

Samuele Hebræorum judice defuncto, David cum sexcentis suis è silvâ in silvam errabundus commigravit. Ubi autem intellexit in Nabalis ædibus festum diem & convivia agitari ob tondendas oves, decem è suis militibus misit, qui egeno militi sportulas ac stipem peterent, unáque dicerent, se suósque ipsi nihil unquam obfuisse, nihil pecoris abegisse, sed illius potiùs custodem egisse, quare jam necessitati, & fami non negaret opem, sed daret, quidquid manus ejus inveniret. Nabal homo tam fatuus, quàm opulentus, non tantùm eque-stri stipe vacuos, sed contumeliis insuper oneratos dimisit. Non obolum, non miculam suppeditans: *Quis*, inquit, *est David, & quis est filius Isai? Hodie increverunt servi, qui fugiunt dominos suos.* Num ego meis tonsoribus para-

David per dies rogat Nabalem cómeatum

Nabal nemo gat commeatum & cõtumeliis afficit.

1. Reg. c. 25. vers. 10.

paratas escas potúmque auferam, ut viris ignotis dem? Ito, nihil do. His auditis David: Heus, inquit, viri manum admovete capulo. Nabali pereundum est, ita juro, & ejus toti familiæ; omnem domum ejus evertam cædibus, & nec cani quidem parcam. Interim servorum quispiam Abigaili dominæ narrans, quàm inhumaniter & barbarè respondisset herus: Observa domina, inquit, expende viri tui deparcam rusticitatem. Rogaverat David nostrum dominum non grandia, dignus cum suis qui impetraret. Nam viri isti sanè modesti, toto tempore, quo castra nobis vicina habuerunt, nihil unquam de pecore rapuerunt, imò etiam ab omnibus aliorum injuriis nos defenderunt. Quocirca vide quid hac in re agendum, & dum licet, tibi consule. Vir tuus ad finem deduxit nequitiâ suam æquè omnibus asper est, nullius admittit verba. Grande malum imminet huic domui, nisi quis maturiùs ei occurrat. His vocibus Abigail exterrita, nec mora, centos panes, duos cados vini, quinque coctos arietes, quinque modios farinæ, uvæ passæ centum sportulas, ficuum fiscinas ducentas in viam composuit. Hac annonâ oneravit asinos, præcepitque servis, ut maturarent iter, seque præcederent. Confestim ipsâmet etiam asinâ vehens secuta est suos. In occursum properante David, mox è jumento desiliens & ad Davidis pedes accidens, eâ oratione animum iratum mollit, ut David continuò placatus, à destinatis cædibus temperârit. Eo die Nabal hilaritati simul, & ebrietati plurimùm indulgens, nihil periculorum somniavit. Die altero narravit ei uxor, quid in ipsum tempestatis coxisset David: *Et emortuum est cor ejus intrinsecus, & factus est quasi lapis. Cúmque pertransissent decem dies, percussit Dominus Nabal, & mortuus est.* Incendium excitavit vir iste ingens, & auxit lignis, pice, follibus.

Abigail obviat Davidi commeatúque defert.

Orationéque animũ irum Davidis temperat.

1. Reg. c. 25. vers. 37.

Primus igitur è tribus, quem sumpsimus depingendum, est Nabal. Quem facer historicus his encomiis insignit: Vir ejus durus & pessimus, & malitiosus. Durus erat, agrestis, asper, barbarus, præsertim ob ingratum animum. Nabalis servus ingenuè id fassus: Nec unicam, inquit, oviculam, non ungulam, non flocculum ouiculæ perdidimus in horum viciniâ: imò pro muro erant nobis, tam in nocte, quàm in die, omnibus diebus, quibus pavimus apud eos greges. Idem & David asserens: *Verè*, inquit, *frustra servavi omnia, quæ hujus erant in deserto, & non periit quidquam de cunctis, quæ ad eum pertinebant, & reddidit mihi malum pro bono.* O ingrati animi crimen, quàm in orbe liberaliter à diabolo satum copiosè provenis ubique! Quòd si, ait Ambrosius, gratiam homini non referre, simile homicidio est, quantum crimen est non referre Deo? Nec Quintilianus à vero aberrans: *Maximum*, inquit, *omnium vitiorum signum est ingratitudo.* Nabal quia ingratus, ideo tam rudis & inhumanus. Et quamvis depulsam cladem opportunè illi narrârit uxor, ille tamen nec uxori nec Deo gratias egit, nec ullam morum emendationem promisit, verissimus stupor. Ita lignis ignem auxit, sed & picem adjecit immisericordiâ, vir pessimus. Nam etsi nil unquam à Davide commodi habuisset, tamen illi ejúsque militibus ejusdem religionis hominibus, ut Israëlitis, ut egenis, & in extremâ necessitate constitutis misericordiam tribuere, & opem ferre debuisset, præsertim tam modestè petentibus: *Inveniant pueri tui gratiam in oculis tuis.* Sed & immitissimus Nabal, nec multum nec modicum dedit; quidquid petebatur, recusabat, omnis commiserationis expers, verè pessimus & monstrum hominis. Quis enim verò credat, eundem & parcum & prodigum esse posse? Nabal tenacissimus simul & profusissimus homo fuit. Deparcus in eo erat, quòd excubitoribus tam fidis & pauperibus nec vappæ sextarium, nec panem quidem unicum, nec unicum quidem hœdulum dari sustinuerit. Nihilominus decoctor iste sumptus effudit: *Ecce, erat ei convivium in domo ejus quasi convivium regis.* Abigail uxor Nabalis auctoritate suâ inde rapuit quinque jam coctos arietes, nec defectus ullus est notatus. Sed ejuscemodi monstra tellus alit multa. Sunt homines, qui tenacissimi simul sint & profusissimi: tenacissimi cùm egentibus, cùm domesticis, cùm pupillis & viduis dandum; profusissimi, cùm pompæ res agitur, cùm novæ vestes dictandæ, cùm convivia apparanda. Transgressiones hîc ubique plurimæ. Annonæ charitatem querimur, eam interim prælautis conviviis & vestitu insolentissimo nimiùm quantùm augemus & incendimus. Jam plurium annorum bellis premimur & exhaurimur †, nos tamen vestiarios & convivales sumptus non imminuimus, perinde si laudis sit, aut patrimonium in vestem, aut plurimum censûs in conviviums effundere. Minuendus hic luxus, aut certè publicis cladibus multò graviùs feriemur. Sed & maledicentiæ folles inflavit Nabal. Non solùm enim vacuos donis, sed & oneratos conviciis dimisit. Repulsam pati, durum: insuper contumeliis affici multò durius; læsa patientia fit furor. Si negas stipem, non nega humanas voces, amicum vultum: Utrumque negans Nabal, & maledicentiæ folles inflans: *Quis*, inquit, *est David, & quis est filius Isai? hodie increverunt servi, qui fugiunt dominos suos. Tollam ergo panes meos, & aquas meas, & carnes pecorum, quæ occidi tonsoribus meis, & dabo viris, quos nescio, unde sint?* Hoc habent morosi & acerbi homines, qui licet maximè sint monendi, minimè tamen sustinent moneri, imò nec quidem rogari. Nabal veluti rubus aculeatus fuit, quem nemo tangit impunè, filius Belial, *vt nemo posset ei loqui.* Amplam habet familiam Nabal & plurimos colonorum, qui ab ipso minimè degeneres, monitorum impatientes, monitoribus asperi, difficiles & animo intractabili, admonitiones etiam blandas repugnanter ferunt. Ita Nabal linguâ improbâ velut folle incendium excitavit.

Nabalis ingratitudo.

Ob depulsam cladẽ nec Deo, nec uxori gratias agit.

1. Reg. c. 25. vers. 8.

Deparcus.

In conviviis decoctor.

1. Reg. c. 25. vers. 36.

† *Maximè ab an. 1610 ad an. 38.*

In Davidẽ ejúsq; milites maledicentiæ ignem excitat.

1. Reg. c. 25. v. 10. & 11.

Abigail restinxit ignem. Nam aquam & lac suo utrumq; vase attulit. Aquam submissionis & humilitatis affudit huic igni. Nam *procidit coram David super faciem suam, & adoravit super terram, & cecidit ad pedes ejus.* Tam supplici gestu orationem orsa, pene tertio quovis versu Davidem dominum, se ancillã proclamavit. Nec antè verbum prolocuta, quàm sibi benevolentiã sui auditoris concilians: *Loquatúr, obsecro*, ait, *ancilla tua in auribus tuis, & audi verba famulæ tuæ.* Deinde sibi, licet innocenti, culpam impingens: *In me sit domine mi*, ait, *hæc iniquitas.* Itaque vicit perorando, ferè antequam inciperet pugnare. Nullum est incendium, quod aqua submissionis non frenet. *Responsio mollis frangit iram: Sermo durus suscitat furorem.* Quisquis viderit iracundiæ ignem in pectore alieno gliscere, mox submissionis aquam affundat, & ignem sopiet etiam vehementem.

Quem Abigail submissione & humilitate restinguit.

Ibid. v. 23.

Ibid. v. 24.

Ibid.

Pro. c. 15. v. 1

Vas aquæ & lactis prudentia est. Peroravit Abigail perquam prudenter, coloribus Rhetoricæ ac legibus eruditè prorsus usa. Prudentis ac submissæ orationis membra hæc erant. 1. Improbam mariti stultitiam ab optimo rege non esse attendendã ostendit. 2. Divinam laudat providentiam, quæ animosissimũ principem abstinuerit à cæde. 3. Rogat efflictim munus non grande admittere dignetur. 4. Culpam, si quam commiserit, deprecatur. 5. Laudando & optimè precando erudit suavissimè, & dehortatur à cæde: *Quia tu domine mi*, ait, *prælia Domini prælians*, ideo nil unquam crudelitatis & malitiæ reperiebatur in te. Hinc Deus ab omni hoste ubique te proteget, *Eritq; anima domini mei custodita, quasi in fasciculo viventium*, apud Dominum Deum tuum: Vita tua custodietur in numero & congregatione eorum, quos Deus tutelâ singulari vivos & incolumes, adversùs omnem machinationem aut vim

Orationis submissæ Abigailis membra. Primum. Secundum Tertium. Quartum. Quintum.

Ibid. v. 28.

Ibid. v. 29.

hostilem servat. Ita contigit Davidi. Nam innumeris præliis implicitus, & infinitis variorum insidiis appetitus, ope tamen divinâ semper incolumis evasit: Pergit porrò Abigail: *Inimicorum tuorum anima rotabitur, quasi in impetu & circulo funda.* Quicunque tibi & Deo (cui tu militas) adversentur, quantumcumque sibi potentes ac sapientes videantur, quia tamen tutelâ Dei sunt destituti, stabiles nunquam erunt aut securi; sed sicut lapis, vel funda excutitur, aut in fundâ rotatur, & circumagitur, sic impii angore ac turbine perpetuo implicantur, dum in orcum excutiantur. 6. Prædicit à Deo evehendum in regale solium, & tunc ingenti fore solatio sanguinem innoxium non effudisse. 7. Rogat demum, ancillæ suæ infimæ meminerit, cùm plenè rerum potitus fuerit. Oratio prudentissima, plena salis & optimi aromatis. Illud in eâ singulariter observandum: *Erit anima domini mei custodita quasi in fasciculo viventium.* Sicut hortulanus colligit flores, stringitque filo, ne diffluant, ita Deus sanctiores homines plerumque duriùs tractat, & vinculis continentiæ ligat, eos tamen hac ratione servat. At verò homines solutioris, effrenatæ libidinis, impotentis iræ & invidiæ, singularis arrogantiæ, ultionis & vindictæ cupidissimi, nunquam tranquilli agunt, perpetuo velut turbine rotantur, denique velut lapides fundæ impositi, in ignem æternum excutiuntur. Atque hac Abigail prudentiâ velut vasculo submissimam suam eloquentiam propinavit Davidi. Addidit etiam lac liberalitatis, quod plenâ manu effudit in exortum ignem. Nemo Abigailem audiit dicentem: Nostri convivij finem expectabo, & auferam inde reliquias; hîc contenti sunto hi vagi milites. Non ita Abigail; munificè prorsus largita est: duas vini sextas, panes ducentos, quinque coctas oves, quinque farinæ modios, centum fiscellas uvæ passæ, ducentas ficuum corbulas. Hoc tali lacte incendium sopivit, alioqui vix multo sanguine extinguendum. Nimirum, quod Chrysostomus dixit: *Officiorum assiduitate hostes conciliandi sunt. Dare Deo accipere est*, inquit Nazianzenus. Deo autem dat, qui stipem pauperibus non negat.

Tertio loco describendus nobis est David, cujus anceps est aspectus: nam, ut suprà diximus, incendiarium siphonem, massam niveam, & harpagonem fert manu. Sipho vomens oleum, submississima erat obsecratio, quæ militum necessitatè aperiebat; nil certæ stipis præscribebat, non æstimationem incendij indicebat, hoc unum petebat; *Quodcunque invenerit manus tua, da servis tuis*; mendici sumus, nec album, nec atrum panem recusamus. Sed hic ipse Davidis sociorumque tam modestus ac mollis rogatus, jussit convalescere luculentos ignes. Oleum erant Davidis verba, sed quia hominem furibundum offenderunt, in flammam abierunt. Hîc porrò considerandum, quam David castrensem inter suos disciplinam fecerit; Nabali dici jussit ex vero: Ex multis annis salvos faciens tuos, & omnia tua, modicum quid peto. His missi milites addiderunt: *Nunquam pastoribus tuis molesti fuimus, nec aliquando defuit quidquam eis de grege, omni tempore, quo fuerunt nobiscum in Carmelo. Interroga pueros tuos & indicabunt tibi.* Deus! quàm seria hæc militaris disciplina! famelici, egentes, obærati stipendiis carebant, & tamen alieni pecoris nil attingebant. O duces, ô milites, quàm ista nihil ad vestros mores sunt? Vos rapinis & deprædationibus omnia confunditis, amicum etiam pecus abigitis, & nudos spoliatis, pauperrimos reculis omnibus exuitis, & ut cruenta sint spolia, vitam ipsam rapitis. Hæc memoranda sunt facinora vestra.

Verùm & hamâ usus est David, quâ ignem & fovemus, & dissipamus: nam exposito Nabalis durissimo responso, classicum imperans cani; Heus, inquit, milites, *accingatur unusquisque gladio suo. Hæc faciat Deus inimicis David, & hæc addat, si reliquero de omnibus, quæ ad ipsum pertinent usque manè, mingentem ad parietem*: funeribus domum Nabalis opplebimus. Hîc quidem David graviùs deliquit, sed solâ voluntate: decrevit omnes jugulare, sed nemo unus jugulatus est. Pessimè quidem egerat Nabal, sed ejus solius delictum tot cædibus non erat puniendum; nec ullo jure David in tot innoxia capita sævire potuisset. Peccavit igitur, præsertim cùm crimen jurejurando decerneret. Quod Augustinus affirmans: *Iuravit temere*, inquit, *sed non implevit jurationem majore pietate.* E duobus peccatum minus elegit. Ita & Herodes multò rectiùs feciſſet, si scelestum, quo se obstrinxerat, jusjurandum violâsset, quàm quòd viri sanctissimi caput amputari mandârit. Ita & nos improbè juramus in lites & aliorum damna, in negandam hosti veniam, in inferendam alteri calumniam, aut injuriam; & multò improbiùs iusjurandum istud non contemnimus & relinquimus.

Porrò & Massam niveam sed liquatam David, vindictæ veniam, ad hoc incendium attulit. Oratione prudentis fœminæ placatus, omnem iram posuit, omnem ulciscendi cupidinem abjecit, sed eò per notitiam divinæ providentiæ pervenit, cui gratias agens: *Benedictus*, inquit, *Dominus Deus Israël, qui misit hodie te in occursum meum, & benedictum eloquium tuum, & benedicta tu, quæ prohibuisti me hodie, ne irem ad sanguinem, & ulciscerer me manu meâ. Alioquin vivit Dominus Deus Israël, qui prohibuit me, ne malum facerem tibi: nisi citò venisses in occursum mihi, non remansisset Nabal, usque ad lucem mingens ad parietem.*

Ita David Providentiâ Dei luculentam agnoscens, divinæ voluntati suam hactenus adjunxit, ut in eo solo suaviter acquiesceret, quod Dei nutu consilióque gestum cogitavit. Hinc nullæ penitus auditæ super hoc mulieris occursu querelæ. Fuissent, qui dixissent: Quis diabolorum hanc feminarum advexit? turbavit hæc omne nostrum consilium. Nil horum David, sed: Benedictus Deus, benedicta hæc prudens femina, benedictum potens ejus eloquium. Ergo Domine, memento David & omnis mansuetudinis ejus. Irâ exacerbatus venerat David, sed iras mox compressit; acerbam animo ultionem coxerat David, sed à feminâ persuaderi se passus, injurias omnes promptissimè condonavit. Nec invalidæ fuerunt hujus mulieris rationes. Duplici ea usa est argumento. Primum, Talem principem, regis generum, personam publicâ privatas exercere injurias non decet. Aquila non columbulas, non muscas venatur. Hadrianus jam Imperator desiit ultionem ex illo petere, quem infectatus fuerat privatus. Cúmque ille alter occurreret; Evasisti, ait Imperator, necenim mihi ampliùs licet injurias persequi. In eam rem Annæus Seneca insigniter philosophatus: *Proprium est*, inquit, *magnitudinis veræ, non se sentire percussum. Immanis fera latratum canum lenta respexit: sic irritus ingenti scopulo fluctus assultat: qui non irascitur, inconcussus injuriâ perstitit; qui irascitur, motus est. Plus mihi nocitura est ira, quàm injuria. Quid nî plus? illius modus certus est: ista quousque me latura sit, incertum est. Non possum, inquis, pati. Grave est injuriam sustinere. Mentiris. Quis enim injuriam non potest ferre, qui potest iram? Adjice nunc, quòd id agis, ut & iram, & injuriam feras. Quare fers ægri rabiem, & phrenetici verba, puerorum protervas manus? nempe quia videntur nescire, quid faciant. Quid interest, quo quisque vitio fiat imprudens? imprudentia par in omnibus patrocinium est. Illud non venit in dubium, quin se exemerit turbæ, & altiùs steterit, quisquis despexerit latescentes.* Pumiliones illi anguſti & degeneris animi, nil injuriarum possunt concoquere. Spartanâ se nobilitate genitum nemo certiùs probaverit, quàm libenter ac facilè ignoscendo. Secundum; Argumentum oratricis mulieris: Deum habet propitium qui propitius est aliis. Res omnium

Ibid.

Septimum

Quid in hac oratione observandum.

Chryſ. hom. 48. in Gen.

Davidis erga Nabalem obsecratio.

1. Reg. c. 25. verſ. 8.

In milites disciplina.

Ibid. v. 17. 8

In Nabalē indignatio

Ibid. v. 13. & 22.

A

B

C

D

Oratione Abigailis placatur. Deo gratias agit, 1. Reg. c. 25. v. 32. & ſeq.

Suam divinæ voluntati adjungit.

Duplex argumentū quo uſa eſt Abigail. Primum,

Sen. l. 3. de irâ c. 25.

Secundum

nium pulcherrima, addo, & divina, animi moderatio. Nec verò majus est aliquid, nec ferè mirabilius, quàm quòd is, qui multos vicerit, seipsum demum vincat, possitque ignoscere, qui potuit vincere, & incolumes velit esse eos, quos jure velle posset perire.

Moderationis specimen in Athaulpho erga Romanos.

Athaulphus Gothorum rex, qui Alarico in regnum successit, moderationis hac in re illustre dedit specimen. Is Româ post Alarici interitum hostiliter repetitâ, in animo habuit eam receptam funditus evertere, diversóque urbem loco statuere, ac Gothium pro Româ nominare, memoriâ Cæsarum omni abolitâ, ut Athaulphi fama noménque in posteros transmitteretur. Sed Placidæ conjugis suasu adeò est mutatus, ut brevi non hostis, sed amicus urbis, non eversor, sed instaurator sit dictus.

De Philippo Vice-comite rege Alboinsum Siciliæ & Apuliæ rege.

Recentioris est memoriæ, quod adjungo. Alphonsus major Siciliæ & Apuliæ rex, à Genuensibus navali prælio victus, cum fratre ducibúsque non paucis captus, Philippo Vice-comiti traditus (erat tum Genua Vice-comitum) non modò non hostile quippiam ab eo passus, sed amicè & regaliter habitus, amplis muneribus donatus, cum suis omnibus incolumis est dimissus. Pulchrum est reges vincere, sed multò pulchrius est, suis affectibus imperare.

Psal. 91. v. 1.

Rex David tam à suis, quàm ab alienis plurima perpessus, hoc uno semper plurimum excelluit, quia parcere scivit & ignoscere. *Memento Domine David, & omnis mansuetudinis ejus.* Quisquis in se delinquenti facilem condonârit veniam, facilem à Deo impetrabit.

CAPUT XV.

David in summâ desperatione sperat.

Psal. 45. v. 2.

O Deus! verè *refugium nostrum & virtus, verè adjutor in tribulationibus.* David à lapidatione proximè aberat, jam perditus, jam desperatus videbatur, animos tamen resumpsit, & in summâ desperatione, felicissimè speravit. Deus illi refugium & virtus, Deus adjutor fuit. Rem gestam ordine narrabimus.

§. I.

David profugit à Ziphæis.

Ziphæis Davidem nequiter prodentibus, Saul cum tribus millibus selecti militis, nemus obsidione cinxit, in quo David latitabat in colle Hachila.

Fœdifragus rex nihil eorum, quæ promiserat, servavit. Cùm enim vidisset partem sui vestimenti præcisam, ingentibus cælum pollicitationibus onerans, sed & plorans: *Scio*, inquit, *quòd certissimè regnaturus sis, & habiturus in manu tuâ regnum Israël.* Ita magnifica quæque adprompsit. Quàm autem promissis egregiè steterit? Nam neglectâ nihilominus fide Micholem, quæ Davidem conjugem per fenestram demiserat, alteri nuptum locavit, nunc novam orsus tragœdiam. Quis non diabolum citiùs à malo avertendum putet, quàm homines tam nequiter pertinaces? Ergo David in omnem se partem versans, misit è suis, qui castra Saulis explorarent: Suos exploratores secutus ipse David cum Abisai in regium tentorium clam penetravit. Hìc Saulem dormientem & hastam ad caput jacentis fixam reperit. Proximus Sauli Abner, inde alii atque alii in terrâ fusi dormierunt. Hìc Abisai ad David: En, inquit, paratissimam occasionem: Inimicus tuus in manu tuâ est. Sine, confodiam illum. At David reprimens virum: Cave, inquit, hoc feceris: quis enim regem sine noxâ interficiat? Deo hanc in illum potestatem permittamus. Sua illum dies rapiet, aut domi, aut in bello cæsum. Tu hastam regiam & scyphum auferamus. Nonnemo hoc loco quærat: quî tandem fieri potuerit, ut ingressos, & colloquentes nullus dormientium, sed nec excubitorum audierit? Sacer historicus hanc assignat caussam: *Omnes dormiebant, quia sopor Domini irruerat super eos.* Jàm in montis supercilium evaserat David, cum Abnere Imperatorem & castris Præfectum inclamans: Heus vos, inquit, cur regem non custoditis! Unus aliquis è turbâ ingressus est, ut illum jugularet. Capitalem negligentiam admisistis. Videte, ubi sit hasta & scyphus regis. Dùm loquitur, vocem loquentis Saul excipiens: *Nunquid vox hæc tua est*, inquit, *fili mi David?* Ad quem continuò David: *Vox mea est*, ait, *Domine mi rex.* Nunc ergo audi verba servi tui: Si à Deo adversùm me incitaris, volentem habes victimam. Quòd si obtrectatores hanc in me fabam cudant, viderint illi, in quorum terras me ejiciant. Quid turba venatorum perdicem unam insequitur? quid rex Israël pulicem unum quæritat? Hac Davidis oratione Saul motus: *Peccavi*, ait, *revertere fili mi David: nequaquam enim ultra tibi malefaciam, eò quòd pretiosa fuerit anima mea in oculis tuis hodie. Apparet enim, quòd stultè egerim* (vetus cantilena) *& ignoraverim multa nimis.* Ad quæ David: Hastam, inquit, & scyphum regis hinc vestrum aliquis referat. *Dominus retribuet unicuique secundùm justitiam suam & fidem.* Unguibus regem tenui, & dimisi. Sicut autem *magnificata est anima tua hodie in oculis meis, sic magnificetur anima mea in oculis Domini, & liberet me de omni angustiâ.* Saul verò omni Vertumno & Proteo mutabilior, extemporalem pietatem præ se ferens: *Benedictus*, inquit, *tu fili mi David, & quidem faciens facies, & potens poteris.* Ita utrimque discessum est.

1. Reg. c. 26. vers. 12. De negligentia præfectum militiæ increpat.

Ibid. v. 18. Agnoscitur à Saule & peccatū fatetur.

1. Reg. c. 26. vers. 21.

Ibid. v. 23.

Ibid. v. 24.

Ibid. v. 25. A Saule benedicitur.

David crebrâ jam calamitate eruditus, & piscator ictûs sapuit. Noverat is sui soceri turpissimâ inconstantiam, idcirco re deliberatâ statuit redire ad regem Gethæum Achis, à quo non ita pridem demissus fuerat ut stultus. Interea temporis rex omnia exactiùs cognovit. David igitur cum sexcentis regem adit, petiitque habitationem in aliquâ urbium regni. Ipsam metropolin plures ob caussas visum est fugere. Ergo rex Achis Siceleg urbem assignavit David, qui quotidianis excursionibus inde institutis, plurimùm convexit prædæ, cujus meliora obtulit regi. Placuit ea res, præsertim cùm præda eriperetur regis hostibus, quos inter Saul etiam censebatur. Eâ de caussâ petitus est bello, quod ei fatale fuit. In eo autem bello David è suis regi triarios, prætorianos corporis custodes dedit, quæ obsequia summè placuerunt. Sed horribilis hinc orta tempestas. Nam regii cubiculi proceres, & belli duces indignissimè ferebant hominem non suæ religionis ignotum, exteruṁ sibi præferri. Hinc illæ eorum voces, quibus regi in os opprobrârunt: *Quid sibi volunt Hebræi isti? Revertatur vir, & sedeat in loco suo, in quo constituisti eum; & non descendat nobiscum in prælium, & fiat nobis adversarius, cùm præliari cœperimus. Quomodo enim aliter potest placare Dominum suum, nisi in capitibus nostris? Nónne iste est David, cui cantabant in choris, dicentes, Percussit Saul in millibus suis, & David in decem millibus suis?* Hæc magna fuit invidia, sed pretiosa, & bono Davidis à divinâ providentiâ singulariissimè permissa. Anceps hærebat utique David, suósne oppugnaret, an amicos desereret. Deinde nisi hæc invidia illum à regiis copiis amovisset, Amalecitas prædatores insequi non potuisset. Ita hæc invidia Davidi plus boni contulit, quàm omnis regius. Igitur rex Achis procerum suorum invidiâ & nequitiâ compulsus facere, quod minimè volebat, accersito ad se David: *Vivit Dominus*, inquit, *quia rectus es tu in conspectu meo & exitus tuus & introitus tuus mecum est in castris, & non inveni in te quidquam mali ex eâ die quâ venisti ad me usque in diem hanc, sed satrapis non places. Revertere ergo, & vade in pace, & non offendas oculos satraparum Philistæum.* Adversùs hæc obducens David: Quid enim sceleris commisi, ait, ut fidelissimis obsequiis meis diffidas, & à tuis me castris submoveas? Cui Achis: *Scio*, inquit,

David ad regem Achis revertitur.

Habitationem rogat & impetrat.

Excursionibus prædas convehit & cum rege dividit.

Inde bellū regi indicitur.

Procerum & belli ducum in Davidem invidia.

1. Reg. c. 29. v. 3. 4. & seq.

Quâ compulsus rex ad habitationem redire jubet

Ibid. v. 6. 7.

Ibid. v. 9.

quit, *quia bonus es tu in oculis meis sicut Angelus Dei: sed principes Philistinorum dixerunt, Non ascendet nobiscum in prælium.*

Ita, ô reges, ô principes, à vestris gubernamini consiliariis, vestri porrò consiliarij à suis affectibus reguntur & comodis. Satrapis non placet, ergo Spiritui sancto non placet. O non probas Ethicæ leges! Ita David invidiâ excussus cum suis paratissimam fortunam deseruit. *Memento Domine David, & omnis mansuetudinis ejus.* *Ps.131.v.1.*

Urbem Siceleg ab Amalecitis depopulatam invenit & planxit.

Dum apud Achis regem versaretur David, Amalecitæ subito incursu Siceleg urbem deprædati incenderunt; Achinoam & Abigailem uxores David omnésque urbis incolas captivos abduxerunt. David his malis superveniens cum suis, non invenit nisi locum urbis, bustum miserandæ. Videte, obsecro, mitissimum heroëm, clade variâ undique opertum & miserè perditum: Amici & inimici deserunt, Judæi & idololatræ infestant, Saul illum in omnibus latibulis persequitur. Invidia eum ex aulâ regis Achis injecit; apud exteros omnes exosissimus est, meri undique hostes; Siceleg combusta, uxores omnium hinc inde aut abducti, aut occisi. *Cùm ergo venissent David, & viri ejus ad civitatẽ, & invenissent eam succensam igni, & uxores suas, & filios suos, & filias ductas esse captivas, levaverunt David, & populus, qui erat cum eo, voces suas, & planxerunt, donec deficerent in eis lachrymæ.* *1.Reg.c.30. v.3.& 4.*

Ovid. lib. de Ponto.

De hoc planctu illud Nasonis dici potuerit:

Fine carent lachrymæ, nisi cùm stupor obstitit illis,
Et similis morti corpora languor habet.

Lapidibus à populo impetitur. *Ibid.v.4.*

Ad complementum calamitatis unum hoc deerat: *Volebat populus lapidare* David, *quia amara erat anima uniuscujusque viri super filiis suis & filiabus.* Urbis incensæ culpa impingebatur Davidi, quòd omne præsidium inde abduxisset. Quo loco conjunctissima duo perpendenda. 1. *Et contristatus est David valde*, cùm videret jam lapides in se colligi. 2. *Confortatus est David in Domino Deo suo.* Quidquid malorum ingruat, quantumcunque turbulentæ sint res adversæ, CONFORTEMVR, idque in Domino Deo nostro. Ruat cælum, sidat terra; Deus perennat, Deus dexteram porriget. Confortemur in Domino Deo nostro. Hoc David præsidio nixus, interrogavit oraculum, an hostes Amalecitæ sint insequendi. Responsum est, insequendos. Quare nil penitus interponens moræ, cum sexcentis suis fugientẽ hostem cœpit insequi. Ubi ventum est ad torrentem Besor, ducenti milites nimiùm defatigati, substititerunt. En novæ miseriæ; neque tamen animũ contraxit David, sed supra vires quadringentis persecutus iter strenuè virum Ægyptiũ in agro invenit viribus prorsus exhaustum, jam pæne umbram hominis, nam tribus diebus, & tribus noctibus nec cibi quidquam, nec potûs gustaverat. Hunc David allocutus: Cujas es tu, inquit, & quò tendis? Cui Ægyptius, Servus sum, inquit, Amalecitæ, à domino meo hic desertus ob morbum nudiustertius contractum. Mox hominem David cibo potúque jussit reficere. Ubi sibi revixisse visus est, interrogans eum David: Viásne tenes, inquit, num potes meos ad me hostes perducere? Cui Ægyptius: Si per Deum, inquit, mihi juraveris, me nec occidendum, nec hostibus tradendum, quò volueris, te ducam optimâ fide. Nil cunctatus David, testem Deum aduocans jurejurando se constrinxit, & ad hostiles copias perductus est. Et *ecce illi discumbebant super faciem universæ terræ comedentes & bibentes, & quasi festum celebrantes diem, pro cunctâ prædâ & spoliis, quæ ceperant de terrâ Philistiim, & de terrâ Iudâ.* Sed heu extrema gaudij luctus occupat. Nam *percussit eos David à vespere usque ad vesperam alterius diei, & non evasit ex eis quisquam, nisi quadringenti viri adolescentes, qui ascenderant camelos & fugerant.* Hanc tantam stragem quadringenti solùm viri, & quidem ex itinere fessi, ediderunt. Sic omnia recuperata, uxores, liberi, servi, & quidquid spoliorum fuerat abductum; nec unico quidem homine desiderato. Ingentem insuper prædam pecoris ante se egerunt milites trumphali carmine cantantes: *Hæc est præda David.* Ita quem antea lapidibus erant in terram dejecturi, jam cælo evehunt. Hinc liceat discere.

Contristatur, Et in Domino confortatur.

1.Reg.c.30. verf.16.

Percutit Amalecitas.

Ibid.v.17.

Uxores, & quidquid spoliorum fuerat abductum recuperat. Hinc discendum,

I. In manu Dei sita omnia. In manu tuâ, Domine, omnes fines terræ, omnium hominum animæ, omnes divitiæ, omnes victoriæ: Tu, Domine, momento omnia potes vertere. *Facile est enim in oculis tuis subitò honestare pauperem. Subitò, dum non speratur, venit contritio. Subitò cecidit Babylon.* Sapienter dixit Seneca: *Momento mare vertitur; eodem die ubi luserunt navigia, sorbentur.* Esthere in reginam assumptâ omnium Judæorum jugulis laqueus & gladius imminebat. Decretum jam factum, regis annulo signatum ad omnes provincias missum, edictum jam valvis fixum, & universis promulgatum, ut toto Assueri regno, omnes omnino Judæos, senes, pueros, mulieres, parvulos nullo discrimine, uno die occiderent, & bona eorum diriperent. Damnatio capitis certissima. Nil certius omnium Judæorum interitu. Subitò non tantùm facta vitæ gratia, sed Judæis insuper concessum, conversione rerum admirandâ, omnes suos hostes interimere. Ita hîc summus luctus in repentinum gaudium mutavit, lachrymæ in cachinnos triumphales verterunt; ita paullò antè David pæne lapidibus insternebatur, jam cælo extollitur: Amalecitæ risu & gaudiis fluebant, vino se ac epulis sepeliebant. Subitò vertit alea, hostes collectam omnem prædam iterum amittunt, jugulantur omnes, ut oves. Israëlitæ post summam desperationem omnia recipiunt, jam multò quàm antè ditiores. Humana vita mare est, momento vertitur. Nullius spes unquam labascat, Deus gubernat, Deus imperat; fidamus Deo. 1. In manu Dei esse sita omnia. *Eccli.c.11. verf.23. Isa.c.30. verf.13. Hier.c.51. verf.8. Sen.ep.4. med.*

II. Providentia Dei nimis quàm admiranda. Invidia certè Satraparum plus profuit Davidi, quàm magnum auri pondus, nam homines, pecunia, pecudes, cetoráque omnia spolia ab Amalecitis ablata nunquam fuissent recuperata, si David ex aulâ regis non expulisset procerum invidia. Primò quidem intuitu David hanc invidiam sibi commodaturam non vidit, sed ejus commoda demum re ipsâ comperit. Ita nos in plurimis initium videmus, finem & exitum non videmus. Exordium sæpe infelix epilogum habuit felicissimum. Ex omni malo Deus eliquare novit bonum. Paulus affirmatissimè hoc pronuntians: *Scimus*, inquit, *quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.* 2. Providentiam Dei esse admirandã. *Rom.c.8. verf.28.*

III. Fiducia Davidis in Deum summa. *Contristatus est* quidẽ *David valde*, in eas enim angustias adactus est, ut etiam suos jam hostes senserit, & ad extremum pæne calamitatis venerit; Nihilominus *confortatus est David in Domino Deo.* Ibi sæpe maxima spes est, ubi nulla spes est. Quod Ambrosius confirmans: De divinâ misericordiâ, inquit, ampliùs sperandum est, cùm humana præsidia deficiunt. In eam spem erigens Isaias: *Dominus*, inquit, *auxiliator meus, & scio, quoniam non confundar.* Solet Deus creberrimè in extremum necessitatis apicem differre auxilia, ut sciant omnes, quoniam ipse adjutor fortis est. Ita David in suâmet domo cinctus, vix ullam effugij spem habuit, & tamen sciebat, quia non confunderetur: in saltu Maon arctissimè obsessus, jam hostis cassibus hærebat, sciebat tamen, quia non confunderetur; ad Siceleg urbem summa rerum omnium desperatio fuit, at sciebat, quia non confunderetur; in rebus planè arctissimis non frangebatur David animo, quem in Deum semper erectum ferebat. Intrepidus de seipso poterat affirmare; *Scio, quoniam non confundar.* Sed unde hoc sciam? dices. Oraculo cælesti crede: *Spes non confundit.* 3. Fiduciã Davidis in Deũ fuisse summam. *Isa.c.50. verf.7.* *Rom.c.5. verf.5.*

IV. Quis-

IV. Quisquis igitur Dei providentiam agnoscit, & Deo fidit, huic reverà difficile non est suam divinæ voluntati adjungere, ut in eo suavissimè acquiescat, quod Dei nutu consilióque geritur: inde nullas effundit super ullo infortunio querelas, sed quidquid contigerit animo ad tranquillitatem composito excipiet, & quæ ceteros mortalium mœstitiâ lachrymisque turbare solent, ille approbabit. David in hoc genere eximius, divinæ voluntati obsequentissimus, approbato in omnibus Dei consilio, dicebat Saulî: *Si Dominus incitat te adversum me, odoretur sacrificium.* Non ignoro te vitæ meæ insidiari, nec simplici tantùm vice fatale in me telum torsisse: Si hæc Dei sit voluntas, en habes me victimam; paratissimus sum duci, mactari, comburi. Nos omnes, ô Christiani, victimæ sumus; si Deus in nos immittat lanionem, obtrectatorem, æmulum, vexatorem, tyrannum, direptorem, hostem infensissimum. Quod Paulus impensissimè commendans: *Obsecro itaque vos fratres*, inquit, *per misericordiam Dei, ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium vestrum.* In lege priscâ præcipiens Deus: *Offeres*, inquit, *totum arietem incensum super altare; oblatio est Domino, odor suavissimus victimæ Domini.* Voluntas humana est aries ille imponendus ut victima; subjiciendus ignis è providentiæ divinæ notitiâ, & in Deum grandi fiduciâ. Hoc, oblatio est Domino, odor suavissimus. Nil sanè acceptius offerre Deo possumus, quàm nostram ipsi voluntatem, quæ tunc demum gratissima est victima, si se divinæ quàm arctissimè conjunxerit. Idem cum Deo velle, suprema inter mortales felicitas est.

a Suam divinæ voluntati adjungere no est difficile, qui Deo provisa omnia agnoscit & Deo fidit, divinæ voluntati fuit obsequentissimus. *Psal. 24. vers. 19.*

Rom. 12. v. 1.

Exod. c. 29. vers. 18. Voluntas humana ut aries imponendus ut victima.

CAPUT XVI.

David mortem Saulis deplorat.

Nuntius Saulis & Jonathæ Davidi nuntiat.

2. Reg. c. 1. vers. 3.

POST Amalecitas usque ad internecionem cæsos, post recuperatam omnem prædam, nuntius è Gelboanis montibus pervolavit in Siceleg, ciscisâ veste, caput cinere sparsus, toto habitu luctum præ se ferens, ut primo statim occursu sciri potuerit, Nil fausti nuntiandum. Hunc interrogans David: *Unde venis*, inquit, nihilque ex illis locis grati rumoris adfers? At cursorem sine ambagibus: E castris, inquit, ad volo, è populo Hebræo multi cæsi, plurimi fugati, Saul & Jonathas occubuerunt. Saul quidem, cùm ego casu in montem Gelboë venissem, in hastam suam incumbens, ubi vicinos hostes vidit, miserabili me prece compellans: Accede, ait, & cum morte luctantem interfice, ne ludibrio fiam hostibus. Quando igitur ei ampliùs vivere non licebat, parui, & mortuo hoc diadema, & armillam hanc detraxi, atque huc Domino meo attuli regiæ mortis argumentum. Hoc miseri simplicitas in suum narravit exitium. Nam David Hebræo ritu vestem laceransa, fatóque alieno illachrymans, & ad nuntium conversus: Quomodo ausus es, inquit, regem, Christum Domini interficere? Mox uni satellitum jubens; Hunc, inquit, interfice. Ita in conspectu Davidis interfectus est infelix nuntius. His miseriis præmissis, ardore tanto luctum funebrem exorsus est David, perinde si parentes aut liberos charissimos, aut amicos fidelissimos amisisset. Ita hosti infensissimo parentavit. Mi Deus! quàm mirabilia sunt consilia tua! Repentè mutat alea! momento vertitur mare. Rex Hebræus Saul, unà cum filiis uno in prælio vitam, regnum, famam, cælum, omnia perdit: David tot annis jam exul, paullò antè ferè lapidatus, domum redit in triumpho, nihilominus seipsum vicit, & propter occisum hostem seriò luxit, de quo jam disserendum. Argumenta luctûs quinque edidit, & unà incomparabilem suam mansuetudinem David proposuit orbi. Summa igitur hujus capitis est: David obitum Saulis deplorat.

Diadema & armilla defertur.

Nuntium jubet occidi.

Mortem Saulis fleat & hosti infensissimo parentavit.

§. I.

BEatus Ambrosius nec mirari satis nec deprædicare potest hanc Davidis maximam mansuetudinem, qui mortem regis ingratissimi tam seriò deflevit luctu. Improbissimus Saul tot annis dies noctésque, tam variis insidiis fidissimi famuli vitam appetiit: inde coactus fuerat in silvis, montibus & speluncis habitare, imò Judææ finibus excedere, in hostiles terras emigrare, ob continuam insectationem Saulis, quem tamen in infausto, ut merebatur prælio, cecidisse, animo doluit: doloris signa hæc dedit.

Quinque argumenta luctûs Davidis.

I. More suæ gentis vestem conscidit, quod in magno luctu amabat fieri. Nemo audiit Davidem dicere: Deò bene juvante, vir ille nequam interiit, euge, optimè factum. Hanc necem millies est meritus. Agnovit quidem David divinam providentiam, justa Dei judicia, cælestem vindictam, non tamen eâ de re sibi applausit, nec gratulatus est sibi ipse sui hostis interitum.

1. Vestis scissio.

II. Flevit, & alios ad fletum commovit: sunt quidem & gaudiorum lacrymæ, sed hic reverâ non erant. Cogitaverat utique David, non sine animi sensu & miseratione: Eheu, rex miserrimus æternitatem adiit, peccatis coopertus ab infaustâ morte ad mortem æternam transiit, suismet flagitiis immortuus. Hinc mitissimus David, si potuisset, ad vitam revocâsset, vel hunc hostem suum.

2. Ejus fletus, & aliorum ad fletum commotio.

III. Jejunia iniit. *Planxerunt, fleverunt, & jejunaverunt usque ad vesperam, super Saul, & super Ionatham filium ejus.* Ævo priscorum Patrum hoc tale jejunium servabatur, ut ad cœnam usque ciborum abstinentia proferretur; consuetudinem mutavit tempus.

3. Jejunium. *2. Reg. c. 1. vers. 12.*

IV. Epicedium seu carmen lugubre composuit & nè artificiosum, cui epilogum hunc attexuit: *Quomodo ceciderunt fortes in prælio? Oleo super te, frater mi Ionatha, decore nimis & amabilis super amorem mulierum. Sicut mater unicum amat filium; ita ego te diligebam. Quomodo ceciderunt fortes, & perierunt arma bellica?* Poëtis subinde versus intercalares miscet. Ita Catullus in Pelei & Thetidis epithalamio:

4. Carmen lugubre. *Ibid. v. 25. 26. & 27.*

Currite ducentes subtegmina, currite fusi.

Et ad Manlium: Q misero frater adempte mihi! Idem divinus Psaltes observavit psalmo centesimo sexto, in quo sæpius repetit intercalarem hunc versum: *Confiteantur Domino misericordiæ ejus, & mirabilia ejus filiis hominum.* Ita & lessum hunc mortalem distinxit hoc versu: *Quomodo ceciderunt fortes in prælio?*

Psal. 106. v. 8. 15. 31.

V. Cladis nuntium occidi jussit rex David, idque non injuriâ. Putavit hic nuntius, euangelia sibi reddenda lauta, & caput perdidit. Et videte, quàm æqua sint Dei judicia, & quàm Deus nil criminis dimittat impunitum. Ut regis Davidis gratiam exambiret, Saulem à se interfectum mentitus est. Profectò bene sibi cohærentia locutus non est. Ita capite luit mendacium, qui suo se testimonio peremit. Deinde, quia Amalecita erat, pridem interficiendus fuerat. Tertiò Saulî hoc tale roganti parere non debuisset, uti febrienti, quamvis anxiè petenti, frigida non adferenda. Iámque à Saulis morte licuit Davidi regiâ potestate uti, in reum publicè confitentem ferro animadvertere. Ita Saulis obitus Davidi neutiquam bonus & voluptabilis fuit nuntius, non euangelium mors fuit.

5. Nuntii cædes. In quâ apparent æqua Dei judicia. Primò. Secundò. Tertiò.

Ah! quàm longè absumus ab hac tali mansuetudine ac benignitate in hostes! Sunt plurimi, non dubitem, etsi cetera parum liberales, etsi minimè opulenti, aut certè deparci, si tamen audirent sibi nuntiari, hostem suum à Deo punitum, publicè cæsum, eximiam aureorum summam, statim expeditâ hilarique manu numerarent, aut brevi numerandum promitterent. Sunt quippe non pauci, tam vindictæ cupidi, facilè mille philippeos effunderent, dummodo liceret inimici plagis

gis aut injuriis satiari. Hem, quale desiderium, qualis sitis, quàm nec Christi sanguis, pro inimicis etiam fusus satis restinxerit. Rex David Christi patientis, tótque Christianorum Martyrum exempla ad imitationem nondum habuit, & tamen tam mitis & benignus in hostes fuit. Miratus hoc Bernardus: *Quid David mansuetius?* inquit, *qui illius mortem lugebat, qui suam semper sitiebat. Quid benignius, quàm ut ejus molestè ferret* Bern. ser. 1. in Cant. *decessum, qui succedebat in regnum. Ille dixit*: Memento Domine David, & omnis mansuetudinis ejus. *Verè oleo misericordiæ unctus est. Amicis pariter & inimicis, sapientibus & insipientibus debitores sumus, utiles omnibus, humiles in omnibus.* Psal. 131. v. 1.

Nobile amoris Davidis in hostes cõpendium. 2. Reg. c. 1. vers. 14.

Videtur hîc David in exercendo amore hostium, nobile monstrâsse compendium, cùm Amalecitæ diceret: *Quare non timuisti mittere manum tuam, ut occideres Christum Domini?* Saulem non ut hominem mortalem, sed ut unctum à Deo regem respicere debuisses. Idem nobis in plurimis factitandum: Non rem, non B hostes, non nosipsos, non illatum damnum tam anxiè contemplemur, sed Christum Dominum, qui & hostes amari imperans: *Ego autem*, inquit, *dico vobis: Diligite inimicos vestros, benefacite his, qui oderunt vos.* Quid porrò præmij promittis Christe? *Vt sitis filij Patris vestri, qui in cœlis est.* Actum est Christiane, si injuriam attendas, inimicum respicias, damnum expendas, Christum aspice ultorem, judicem, remuneratorem. Paulus patientiam persuasurus, in eundem hunc Christum intendens digitum: *Aspicientes*, inquit, *in auctorem fidei & consummatorem* IESVM. Augustinus Pollentium erudiens docet, fidem non tantùm esse necessariam, ut credamus supernaturalia, sed ut ea etiam, quæ in Christi lege videntur insuavia, aspera, difficilia, fiant jucunda, levia, facilia: nil ei difficile, qui per fidem Christum intuetur malorum vindicem, bonorum munerarium. Matth. c. 5. v. 44. & 45. Ad Hebr. c. 12. v. 2.

Pro pecuniâ in stipẽ datâ se Christus sponsorem exhibet. Matth. c. 25 vers. 40. Luc. c. 10. vers. 16.

Noverat Christus nos insigniter avaros, nil facilè C dare alteri, nisi spe lucri. Ut igitur pecuniam à nobis extorqueret in stipem, seipsum nobis proposuit fide aspiciendum, vadem & sponsorem se dedit, damnum omne in se suscepit hac certissimâ cautione: *Quamdiu uni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis.* Eadem ratione Christus Dominis & magistratui nos obsequi jubens, seipsum statuit intuendum, hac omnino lege: *Qui vos audit, me audit: qui vos spernit, me spernit.* Ita homini paremus, quem ceteroqui sperneremus. Exemplo, quod dicimus, demonstramus. Est in Austriâ vectigalium redemptor, vir acerbi fati, turbidus & iracundus, altercator, insolens, fremebundus in omnes. Quisquis modestiæ amans huic vectigal pendit, id secum cogitat: Non tibi, sed Cæsari. Tibi quidem, nec oboli partem pensitarem, sed quia Cæsaris nomine portorium exeres, do quod exigis: Ità fios in omnibus aspicientes Christum, dicamus: Non tibi, sed Christo. Videt quis inimicum, & expallet, & inffendet: oculos ergo in D Christo figat, dicátque animo: Non tibi, sed Christo gratiam culpæ facio. Videt quis mendiculum ulcerosum, fame confectum, centunculis malè tectum, primo hoc aspectu satur est; sed fide aspiciat Christum, qui omnem in egenos beneficentiam liberalissimè remunerabitur, mox uttàque dabit manu. Atque hoc est, quod ingerit & urget David: *Non timuisti mittere manum in Christum Domini?* Non tibi homo caducus, rex impius, atrox tyrannus, sed Christus Domini fuerat aspiciendus. His sanè fidei oculis non adversarius, non obtrectator, non inimicus, non rerum adversarum impetus est spectandus, sed Christus Dominus. Nos profundi, sed pessimi scrutatores offensarum initia, odiorum radices, injuriarum damna investigamus in nostrum exitium. O vani! quid nostra ipsi mala arcessimus? Christum attendamus, eâ de se certissimi, amorem quem inimico propter Christum impendimus, ipsi impendi Christo. In hunc modum Ambrosius illud divini carminis exponit: *Pone me ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum.* Qui enim ad metam signúmque jaculantur, oculos & manus ad illud ipsum signum collineant, ad quod sagittas. Cælestis sponsus duo exigit: Dilectionem & beneficentiam in hostem: Cor dilectionem, beneficentiam manus suppeditat. Ut neutrum desit, *Pone me ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum.* Ne desigas oculos in inimicum, in ejus atrocia dicta, scelerata facta, ne tuas ipse miserias curiosiùs rimeris; animum oculósque in me ut signum collinea, à me dilectionem recipies & beneficentiam. Cant. c. 8. vers. 6. Christus dilectionẽ & beneficentiam vult exhiberi.

Ephesios Paulus ad ponendam omnem iram promoturus, rationes ne colligans: *Omnis amaritudo*, inquit, *& ira, & indignatio, & clamor, & blasphemia tollatur à vobis cum omni malitiâ. Estote autem invicem benigni, misericordes, donantes invicem, sicut & Deus in Christo donavit vobis. Estote ergo imitatores Dei, sicut filij charissimi.* Principio ejectam è pectore vult Paulus omnem amaritudinem; hæc enim, ut Thomas Aquinas loquitur, radix prima est tot malorum fructuum. Oritur autem illa ex considerateione offensæ: porrò ex amaritudine consurgit irâ, ex hac appetitus vindictæ, inde indignatio respuens omnem excusationem, ex indignatione nascuntur clamores, hinc sermones pessimi. Videte ut Vara sequatur Vibiam. Hîc Paulus imperans: Tollantur, Et quo-inquit, à vobis hæc omnia. Quî fieri possit? *Donantes invicem, sicut & Deus in Christo donavit vobis.* Dei hostes eramus omnes, nec quidquam in nobis fuerat, quod Deum flecteret ad veniam. Ita Dei filius seipsum pro reis substituit, hîc Pater iras remisit, non tot reorum capita attendens, sed insontem filium. Deus in Christo donavit nobis: nos in Christo donemus quibuscunque offendentibus. Ephes. c. 4. v. 31. & 32. Omnis amaritudo è pectore est ejicienda. Ibid. c. 4. vers. 1. Vnde oriatur amaritudo, & quæ eam sequantur. modo tollatur.

In Clarâ-Valle, ut memorant, homo religiosus Paradigm fuit miræ mansuetudinis, qui nunquam iratus, impatiens nunquam est visus. Hic eam ipse legem fixerat, ut pro omnibus illis, à quibuscunque demum offenderetur, saltem Dominicam orationem recitaret, si non vacaret prolixiùs precari. Exemplo tam religioso permoti plures, idem facturos statuerunt, & ista lex etiámnum hodie illic perseverat. Sed cùm hic ipse negotium templi curaturus peregrè mitteretur, nemus transiit, in quo prædones & equum ei & omnes sarcinas rapuerunt. Ille more suo, oculos, id jam doctos, in Christum erigens, submissis genibus precari cæpit pro suis prædatoribus. Dum orat, unus aliquis eorum curiosior redit visurus, quò iret monachus. Cùm autem observaret in preces fusum, rediens ad socios: O socij, ait, monstrum hominis vidi: homo ille injurias precibus remetitur. Verendum ne diabolus nobis grande malum creet per illum; vir ex asse probus videtur; reddamus ille sua. Hîc unus, ut oculis suis fidem faceret, rediit, & cùm lacrymis etiámnum orantem vidit. Mox ei omnia, quæ ablata fuerant, sunt restituta. Gavisus ille plurimùm, non tam de reculis receptis, quàm de prædonibus mutatis. Die quo religiosus vir iste mortuus, alius in remoto cœnobio moribundus, diu à sensibus alienatus, demum ad se rediens narravit illum talem à se visum inter beatos, eodémque die obiit. Dicta cum tempore examussim cõgruebant.

Exemplũ.

In injuriis & obtrectationibus Christus spectandus.

Ita David, ita Numinis amici non offensas, non inimicos, non injurias contemplantur, sed Christum, quem & imitari conantur. Epictetus hac in re optimè philosophatus: *Vnaquæque res*, inquit, *duas habet ansas: unam tolerabilẽ, alteram intolerabilem. Si frater injuriam fecerit, non eâ prehende, quâ facit injuriam, ea enim ejus ansa non est tolerabilis; sed illinc potiùs esse fratrem, esse una educatum.* Sic prehendes eum, quà est tolerabilis. Pari modo dixerim: Qui facie fit aspiciãdus proximus. Vnaquæque enim res habet duas ansas.

rim: Unaquæque res duas habet facies, suavem alteram & jucundam; alteram deformem & horrendam. Si ergo hominem consideraveris vt inimicum, ut obtrectatorem, ut noxium, horrenda & deformis facies offendet aspicientis oculos: Si verò consideràris, ut humanæ naturæ participem, Christi sanguine expiatum, cæli hæredem; suavis & jucunda tibi facies obtinget. Davidem imitemur, & Christos Domini intueamur. Non refert, quem aspicias, sed refert quàm plurimùm, quâ facie quem aspicias.

CAPVT XVII.

Abnerem David luget occisum.

David secundò unguitur & vt promulgatur.

A SAVLIS obitu David consuluit Domino migravit è Siceleg in Hebron. Hieru[illegible] arcem Jebusæi etiamnum tenuerunt. Hebrone rex iterùm est unctus, & promulgatus. Sed adhuc miserrimus rerum status in Hebræâ Republicâ fuit. Nam duo reges in uno regno, duo capita in uno corpore, duo soles in uno cælo malè conveniunt. Post Saulem mortuum, mox Abner militiæ princeps filium Saulis Isbosethum per castra circumduxit ut regem, cui tribus Israëlis undecim adhæserunt, & ut regi suo in omne obsequium jurârunt. Ita regnum miserè convulsum & laceratum. Ita novis David agitabatur ærumnis. Hic duo viri nobis probiùs noscendi: Davidis Imperator bellicus Joab, cujus & cognatus fuit; Abner Saulis dux castrensis; uterque manu & consilio promptus, acer & expetiens, strenuus, uterque in suum dominum severus & rigidus, neuter pius, neuter amans tranquillitatis.

Abneris à Joabo cæsi.

Joabo gemini erant fratres Abisai & Asaël; Asaëlem Abner quamvis non immerentem confodit. Joabus fratris necem ulturus, invidiâ insuper stimulante, Abnerem sui regis nomine evocavit, & inopinantem trucidavit. Cordolium hoc erat Davidi, quis enim illum non suspicatus fuisset hujus cædis auctorem? Ut autem à se David suspicionem hanc amoliretur, funus Abneri nobilissimum instruxit, ipseque eum brevî, sed concinnâ oratione funebri laudavit. Præterea Legatos misit Jabesitis, quos amplissimè ab eo commendavit, quòd spreto vitæ discrimine, Saulis & filiorum regia cadavera pro Philisthæis manibus suspensa occultâ vi rapuerint ad sepulturam, Deo hoc obsequii genus amplissimè remuneraturo. Videte, obsecro, ut David injuriarum omnium immemor suum hostem non ut hostem, sed ut Christum Domini consideràrit, oculos tot cladibus turbatos, lacrymis fatigatos, à malis publicis reflexos ad Deum erexerit, suamque voluntatem ad divinam quàm integerrimè conformàrit, & hostem suum Abnerem luxerit. Hæc isto capite prosequenda.

De quâ se purgat David.

Legatos mittit Jabesitis.

§. I.

Mala à Davide perpessa:

SVnt qui sanguinem spectare horreant, suum è venâ missuri oculos avertant, aut linquente animo deficiant. David sui sanguinis animosus contemptor Hebræum regnum fœdè discerptum reperit; procerum cædes, aliorum proscriptiones, eversam justitiam, corruptam militiam, omnia turbatissima. Sed ille magno constantique animo abductos à tot malis oculos ad Deum erexit. Hinc illæ toties iteratæ voces: *Ad te levavi oculos meos.* Sed inspiciamus brevem ordinem malorum.

1. Exilium decennale.

I. Decennio vitam inopem & vagam prosecutus est exul, in silvis & spelæis, in montibus & ferarum latibulis coactus habitare ut fera, idque inter pericula continua. Tandem Deus insidiatorem & capitalem hostem è medio sustulit. Sed nondum miseriarum finis. Secuta ingens discordia. Duo reges de regno uno litigârunt.

2. Reg. c. 3. vers. 1.

II. *Facta est longa concertatio inter domum David, & inter domum Saulis.* Isbosethus Saulis filius jure hæreditario se regem ferebat; David successionem extinctam, A electionem à Deo institutam opponebat liquidiore jure. Hæc controversia septem annos cum dimidio tenuit. En Deus opulentat suos, sed præmissâ paupertate; honorat suos, sed probris priùs & maledictis atque contumeliis insigniter vexatos.

2. Lis & concertatio de regno.

III. Clades à Philistæis illata, cùm Saul filiique occumberent in acie, nondum obduxit callum, nam *fugit populus ex prælio, & multi corruentes è populo mortui sunt.*

3. Clades à Philistæis illata. 2. Reg. c. 1. vers. 4.

IV. Eductis utriusque partis militibus dixit Abner Joabo: *Surgant pueri, & ludant coram nobis.* Joabo annuente, viginti quatuor, utrimque duodecim, velut ad militare ludicrum progressi decretoriis armis conflixerunt, *apprehensóque unusquisque capite contrarii sui, defixit gladium in latus contrarii, & ceciderunt simul: vocatúmque est nomen loci illius Ager robustorum in Gabaon.* Cruentus & nimiùm crudelis lusus, qui Davidi non potuit non displicuisse.

4. Duellum factum inter milites Joabi & Abneris. 2. Reg. c. 2. vers. 14. Ibid. v. 16.

V. Micholem Saulis filiam, Davidis conjugem, vocante perfido patre alius uxorem duxit. Quantò autem violentius & acerbius est divortium, quantò ardentior erat constantiórque amor conjugum.

5. Conjunctio Micholis conjugis cum alio.

VI. Mors etiam Asaëlis Davidem percutit. Hanc secuta est cædes Abneris, quem dolo interfecit Joab, & suum insuper regem acri aceto perfundens: *Quid fecisti,* ait, *ecce venit Abner ad te, quare dimisisti eum? Et abiit, & recessit. Ignoras Abner filium Ner, quoniam ad hoc venit ad te, ut deciperet te, & sciret exitum tuum, & introitum tuum, & nosset omnia, quæ agis.*

6. Mors Asaëlis & cædes Abneris. 2. Reg. c. 3. v. 24. 25.

VII. Hinc Abneris perfidè cæsi conscius putabatur David; idcirco huic suspicioni amoliendæ plurimùm laborans: *Mundus ego sum,* inquit, *& regnum meum apud Deum usque in sempiternum à sanguine Abner filii Ner, & veniat super caput Ioab, & super omnem domum patris ejus.* Inde ad Joabum ipsum, [illegible] omnem populum conversus: *Scindite,* inquit, *vestimenta vestra, & accingimini saccis, & plangite ante exequias Abner. Porrò rex David sequebatur feretrum,* velut patrem, aut matrem, humaturus. *Cúmque sepelissent Abner in Hebron, levavit rex David vocem suam, & flevit super tumulum Abner; flevit autem & omnis populus. Plangénsque rex, & lugens Abner, ait: Nequaquam ut mori solent ignavi, mortuus est Abner. Manus tuæ ligatæ non sunt, & pedes tui non sunt compedibus aggravati: sed sicut solent cadere coram filiis iniquitatis sic corruisti. Congemináque omnis populus flevit super eum. Cúmque venisset universa multitudo cibum capere cum David, clarâ adhuc die juravit David, dicens: Hæc faciat mihi Deus, & hæc addat, si ante occasum solis gustavero panem, vel aliud quidquam.* Atque hujuscemodi mala principium regni infestârunt. Tam turbato rerum statu nihilominus David legationem mittens ad Jabesitas, eósque plurimùm collaudans: *Benedicti vos à Domino,* inquit, *qui fecistis misericordiam hanc cum domino vestro Saul, & sepelistis eum. Et nunc retribuet vobis quidem Dominus misericordiam & veritatem: sed & ego reddam gratiam, eò quòd feceris verbum istud.* En David Saulem regem & Abnerem castrorum Præfectum, tot annis capitales hostes, sed illum ût Christum Domini, istum ut ejusdem religionis consortem intuitus, in utrumque admirabilem amorem, mansuetudinem incredibilem, argumentis variis exhibuit. *Memento, ô Domine, David, & omnis mansuetudinis ejus.* Idem in adversis à nobis factitandum. Nam miseriæ nostræ, nostrique hostes, non facie illâ, quâ minantur, horrifica, sed eâ, quâ præmium spondent mitibus, sunt aspiciendi. In Christi vultum defigamus oculos. At nos plerumq; hîc erramus largissimè: quidquid oculorum domi habemus, ærumnis & hostibus nostris infigimus. Et quamvis plurimum solatii admoveatur, nos tamen identidem hoc respondeamus: Ego autem aliud cerno, aliud experior. Hinc labyrinthus noxarum. Siracides commonefaciens: *Ne festines,* inquit, *in tempore obductionis. Sustine sustentationes Dei, conjungere Deo, & sustine, ut crescat in novissimo.*

7. Cædis Abneris imputatio. Ibid. v. 28. ad versū 36.

2. Reg. c. 2. v. 5. & 6.

Hostes mirati facie sūt aspiciendi.

Psal. 131. v. 1.

Eccli. cap. 2. in v. 2. & 3.

Vindicta non est præcipitanda.

novissimo vita tua. Ne ergo tempore nubilo præcipita, cùm ira, cùm vindictæ cupido, cùm invidia, similésque animi motiones noctem inducunt rationi, ne festina, obsecro, & quod Basilius monet, da locum cogitationibus sanctis, & averte oculos ab eo, quod illos adeò lædit. *Non possum*, inquit. *Potes, si velis.* Oculos ab injuriis & contumeliis aversos converte in Dominum JESVM, aut in Christum Domini David: *Memento David, & omnis mansuetudinis ejus.*

Psal. 131. vers. 1.

Cervus seipsum præcipitat, quod Pierius docet, dum hostem nimis avidè spectat. Corvus, aut quod alii malunt, aquila ferinam esuriens arenâ se mergit, eâque, quantum potest, implet alas. Multo pulvere armata in cervi caput pervolat, frontem rostro feriens. Cervus cupidè visurus, quis hostium arcem suam incurset oculos pandit, aquila inhiantes oculos arenam excutit, visumque turbat. Hinc fero pavida cursu saltúque se propripere, per avia ruere, nonnunquam ex alto se præcipitare. Ita fit præda hosti. Hoc ergo cervum necat, videre velle quis feriat, & inde cæco ferri cursu. Idem nobis evenit. Aquila vel corvus, homo improbi oris, altercator, turbidus, contumeliosus rostro nos ferit, convitiis efficit, maledictis figit: *Hic niger est, hunc tu Romane caveto.* At nos confestim omnes oculos in hunc unum conjicimus, & tremebundi quærimus: Quis iste nebulo, qui audeat hanc contumeliam in me jacere? quis iste trifurcifer, qui hanc in me fabam cudere non vereatur: faxo sentiat, quid egerit; simili eum lixivio perfundam. Sic iræ ac vindictæ pulvis oculos implet, & fascinat; inde impetum sumimus, & quo nos furor abripit, excurrimus, & calcamus obvia; nec est, qui currentem hanc insaniam sistat. Obnitenti dicimus: Sine me, sic oportet hos tenebriones tractare. Sic ità incitati cæco cursu properamus ad præcipitium. *Ne festines in tempore obductionis:* ne oculos ad corvum, sed ad Christum verte præcipientem: Ego autem dico vobis, diligite inimicos vestros.

Horat. l. 1. serm. sat. 4.

Nec vindictæ pulvere oculi implendi.

Divinus Paulus de amore vero differens: Charitas, inquit, non quærit, quæ sua sunt, non irritatur, non cogitat malum, non enim de ullo mali quid suspicatur; Nam *Charitas*, uti Gregorius loquitur, *malum quod patitur, non considerat*, oculos non suis ærumnis, sed Christo in crucem acto affigit. Causa, ob quam adeò facilè proritamur ad iram, & acerbamur, hæc est: injurias etiam leviores attentissimè consideramus; in inimicos nostros, tanquam eos depicturi, & omnes eorum motus acutissimè observamus. Hinc nostræ tot querelæ, quas de adversariis spargimus. Est homo garrulus; sit. Est obtrectator; sit. Est proditor; sit. Est nequam intus & in cute; sit. Pessimus est trifurcifer; sit. Jam pridem patibulo dignus; sit. Sed quid hoc dicis, ô bone; tu mihi semper hominem peccatis noxium monstras, ego tibi Christum ostendo pro omnium noxis mortuum. Ergo averte oculos tuos, ne videant vanitatem; homo vanitati similis: sine crocitare corvum, tu attende Deum, & injurias animo non iniquo perferes. Non possum, inquis, oculos abducere ab eo, quod mordet, quod dolet. Ostendam te posse. Si te amicissimi viri filiolus lapide secundùm pedem feriat in plateis, num accurres & puerulum humi dejicies, atque pedibus calcabis? Non sanè, sed substringes iram, & coërcebis manum, illud tecum cogitans; Est amici mei & magni viri filius; jactus lapidis dissimulandus ob parentem. Mi puerule, tuus tibi parens bono est, alioquin insignem saltem colaphum abstulisses. Ob temerarium lapidis jactum meruisses plagas, sed parenti tuo parcitur. Idem humanitatis exhibetur, si optimatis servus in domo alienâ vitrum frangat, in facetias spargat, pavimentum collutelet, aut crassè aliud quippiam agat, an eum continuò ædium dominus expellet fuste? Non profectò, sed dissimulantur hæ tales offensæ, non enim servus, aut noxa serui, sed dominus attenditur, qui alit servum illum: & quamvis magni pretii crystallinum frangat, factum tamen excusatur, quando non est difficile servi illius domino damnum hoc sarcire. En, obsecro, quàm facilè possimus, si quidem velimus, iras comprimere, dolorem subticere, damnum spernere; nimirum filio indulgetur ob ejus parentem, servo ignoscitur ob ejus herum, vel cani parcitur ob ejus dominum; cur homo homini non indulgeat, non ignoscat, non parcat ob Deum?

Greg. l. 10. moral. c. 8.

Causa, ob quam ad iram proritamur.

Propter Deum injuriæ perferendæ.

Hoc virtutis compendium David sibi nunquam passus est eripi. Oculos ab eo, qui læserat, ad Deum flectere insignissimè novit. Hinc illæ voces crebriùs repetitæ: *Propitius sit mihi Dominus, ne faciam hanc rem Domino meo Christo Domini.* Ita cùm antro abditus Saulem insidiatorem opportunissimè nactus esset, & ad cædem partim à suis, partim à seipso urgeretur: Hoc, inquit, neutiquam faciam, contineo me, & servo propter dominum parco.

1. Reg. c. 24. vers. 7.

Ab injuriis oculi sunt averrendi.

Si filius matri in domo charissimus moriatur, minuendo luctui, vestes & omnia, quæ filii erant, subtrahenda sunt matri, sed & ipsa horum aspectum fugiat, ne novа identidem lugendi seges succrescat. Contrarium nos facimus, & luctuosi nobis accidit, assiduè sub aspectum protrahimus. Deceptus quis mille florenos perdidit, hoc ita sensui animóque affigit, ut dispendii hujus oblivisci non possit. Quidquid illi solatii affuderis, hoc unum ille recantabit assiduè: Mille florenos perdidi. Atqui hos Deus potest reddere. Florenos mille nequissimus impostor rapuit. Atqui nihilominùs cælo potiri potes. Quis mille mihi reddet florenos? Quanti non rarò principes & reges, totas provincias & regna perdiderunt, damnum tamen tam iniquè non tulerunt. Ille iterum opponet: Mille floreni grandis pecunia, horribilis jactura. Atqui jam curis plurimis supersedere poteris. Amissio mille florenorum cura maxima. Atqui pecunia magnum peccandi illicium. Quid tu de peccatis somnias, modò ego mille florenos reciperem. Quidquid denique huic homini dicatur, mille florenos ille oggeret.

Apologus.

Apologo veteri rem explicamus. Equus in scholam missus est, ut alphabetum & litteras appellare, syllabas ordinare, nomina & voces formare disceret. Sed quidquid dixisset illi Magister, indocilis quadrupes hoc unum assiduè ingeminabat, *Avena.* Huic equo nos simillimi in scholâ Christi, indociles discipuli, verba pessimè formamus. Christus voce præit, jubétque nos sequi, idémque dicere: Diligite inimicos vestros, diligite. Nos autem usque & usque vociferamur: Crucifigite inimicos vestros, crucifigite, occidite. Hoc inde oritur, quia dies noctésque damna & injurias ab aliis illatas fixissimè contemplamur. Christiane, averte hinc oculos tuos, & ad Deum erige. Nos cum Davide precamur quotidiè: *Averte faciem tuam à peccatis meis.* Id Deus facturum se promittit, sed eâ lege. Averte tu priùs faciem tuam ab inimicis tuis. Ignosce tu aliis, si me vis ignoscere tibi.

Dilectio proximi à Christo præcepta.

Ps. 50. v. 11.

Alexander Macedo, quod Josephus narrat, Hierosolyma cum exercitu contendit. Huic Jaddus Pontifex veste pontificiâ indutus, cum candidatâ plebe obviam processit. Rex Alexander hunc prono corporis flexu veneratus adoravit. Syrii reges aliique obstupuerunt, vix credentes, regem mentis sat compotem: Parmenio familiarium regiorum intimus ausus etiam interrogare, cur Hebræum Pontificem tam insueto cultu veneraretur, cùm regem omnes adorent? Cui Alexander: Honorem hunc, inquit, non huic homini, sed Deo exhibui, cui servit Pontifex. Nam etiamnum in Macedoniâ hunc virum hoc habitu secundum quietem vidi, quòd me animaret ad occupandum Persarum regnum. Istius visi, hæc vestis me monet. His dictis Pontificem complexus urbem iniit, in quâ Danielis vaticinium audiit, à Græco Principe occupandam Persiam, se eum esse in-

Alexander Magnus in personâ Jaddi pontificis adoravit Deū.

se interpretatus, jussit petere Judæos, quod vellent. Illi hoc unum petere instituerent, vivere patriis legibus, & ut septimo quovis anno tributorum immunitas daretur. Concessit omnia. Quemadmodum ergo Alexander dixit: Honorem hunc non tam Pontifici, quàm cujus est ille Pontifex, Deo exhibui: Ita nos dicamus in omnibus: Non tibi, sed Deo; Non te, non tua, sed divinam voluntatem respicio.

Ismenias Thebanus ad Persarum regem legatus, Æliano teste, nec populo suo indignum quid facere, nec in Persicos mores delinquere volebat. Docebat eum Tithraustres, qui regi à cubiculis, quo gestu regem adorare mos gentis posceret, Ismenias ne quid in libertatem patriam aut peregrinos ritus peccaret, ubi in cõspectum regis pervenit, annulum permisit accidere digito, ut dum eum prono corporis flexu reciperet, non absimilis esset regem adoranti. Dum ergo se inclinaret: Non tibi, ajebat, sed annulo. Quod Ælianus memorans: Ismeniæ Thebani, ait, sapientissimum & planè Græcum factum silentio præterire non potui. Imitemur quà licet, jubet Christus, jubent à Christo Apostoli, ut non sapienti solùm, sed & insipienti, ut non amico tantùm, sed & inimico nos submittamus, & illum & istum diligamus. Reluctatur natura? Dicamus ergo; Non tibi, sed annulo, hoc est, divinæ voluntati pareo; quæ ab æternis sæculis te mihi virtutis cotem dedit. Dei voluntas ab omni ævo in ævum omne se protendens annulus est nostrarum moderator actionum. Igitur non tibi sed annulo. Ita suis quisque miseriis, suæ se necessitati attemperet, dicátque non tibi, sed annulo. Est, qui mensam accumbat & comedat, non in cibi gratiam, sed ejus, qui cibum apposuit. Quidquid in nos Deus immiserit adversi, tolerandum ac dicendum: Non tibi, sed annulo. Ad divinam me voluntatem conformo, fluxa omnia nec hilum facio. Non tibi, non isti, non rei creatæ ulli, sed annulo, sed Deo, cui servio, hoc præsto. Hoc virtutis compendio usus est David. Ars ista discitur agendo.

In miseriis nostram divinæ voluntati conformare debemus.

CAPVT XVIII.

David Isbosethi sicarios necat.

Isboseth Saulis filius animo fingitur.

SVBLATO Saule Isbosethus Saulis filius in undecim Israëlis tribus rex fuit, regnante David in unicam tribum Juda. Hanc regum & regnorum discordiam excitavit Abner supremus dux Saulis, & topanta militiæ. Sed inter Isbosethum regem & Abnerem discrepatione ortâ, iratus Abner in Davidis partes transiit. Abnere cæso, Isbosethus rex imbellis animo fractus est, & regnum nutare cœpit. Jamque nutans tristis casus evertit. Gemini fratres sub Abneris signis stipendia fecerant *Rechab & Baana*, sed ob noxam militarem è castris proscripti sunt. Hi Abnere interfecto, & Davide jam roborato, ineundam sperârunt gratiam diro facinore. Post meridiem urente Sirio in Isbosethi regis palatium sicis armati subrepserunt. Janitrix dormitârat, aulicos plerósque omnes somnus & somnum sepeliverat. Rex ipse in suo sibi lectulo suaviter meridiabatur. In hujus conclave penetrârunt sicarii, dormientem in lecto confoderunt, caput amputârunt, palatio clam excesserunt, reliquum diei totámque noctem faciendo itinere consumpserunt. Nam, quod Adrichomius censet, ex urbe Manahim in Hebron triginta tribus horis ambulandum. Ergo die altero Isbosethi regis caput attulerunt in Hebron, ubi non tantùm à Davide singularem gratiam inituros, ob felicem nuntium, sed & amplum præmium accepturos sperabant. Contrarium evenit. Nam ad regis Davidis aures admissi capite hostili oblato ita præfati sunt: *Ecce caput Isbosethi filii Saul inimici tui, qui quærebat animam tuam, & dedit Dominus domino meo regi ultionem hodie de Saul, & de semine ejus.* Ad quos David: Nunquid occisi Saul, inquit, interfici jussi, & vos sceleratos sicarios patiar vivere? Vos hominem insontem in suâmet domo, in suómet lectulo latronum more jugulâstis, & à me flagitii præmium speratis? Dabo equidem, sed quod meriti estis. Mox ad præsens satellitium versus: Irruite, inquit, & nefarios interficite. Extemplò factum. Amborum cadavera manibus & pedibus præcisis ad piscinam Hebron suspensa. Isbosethi caput Abneris tumulo inhumatum. O Deus! quàm hîc alia longè ab hominum opinione cernimus! fuisset, qui seriâ æstimatione judicâssent: Ubi rex David sui hostis, & ementiti, atque subditicii regis caput viderit, cor ei gaudio subsultabit, amplissimis præmiis factum remunerabit, utrumque aureo torque induet, officiis aulicis honorabit. Totum alium se gessit rex David, mercedé improbis, quam meruerant, persolvit, ut videres Orbis, quàm non fuerit appetens vindictæ: *Memento nomine David & omnis mansuetudinis ejus.* Huic in hostes animori confirmando, filium Jonathæ Miphiboletum debilem, claudum, deformem juvenem regiæ mensæ admovens: *Miphiboseth*, inquit, *comedet semper panem super mensam meam.* Idque mente optimâ fecit, nam prius interrogârat: *Nunquid supereſt aliquis de domo Saul, ut faciam cum eo misericordiam Dei.* Tam mitis animus Davidem adeò conjunxit Deo, ut unus fuerit amborum spiritus. Atque hinc David etiam in hostes tam suavis ac benevolus extitit. De quo caput hoc differet.

Contra cum Rechab & Baana conspirant.

Dormientem in lecto confodiunt.

Spe præmii ad Davidem caput deferunt.

2. Reg. c. 4. vers. 8.

Quos præmii loco suspendi jubet.

In quo apparuit Davidis in hostes benevolẽtia. *Psal.* 131. *vers.* 1. 2. *Reg. c.* 9. *vers.* 10. *Ibid. v.* 3.

§. I.

ORator Græcus aurei oris, in oratione, quâ docet, quàm periculosum adire spectacula, altiùs provectus: Omnes, inquit, Davidem mihi spectate imaginem mansuetudinis & tranquillitatis: sicut autem ægris oculis panniculus viridis præponitur, sic cùm vicetis hostes vestros etiam per imaginationem tantùm, dolent oculi vestri. Hîc igitur viridem vobis panniculum admoveo, ut quamvis ira & vindicta millies obturbent, tamen non noceant. Ne quis autem mihi dicat, inimicum habeo scelestum, improbum, corruptum, incorrigibilem. Quidquid mihi dixeris, non est tamen Saule deterior. Saul totis pæne octo annis, voluntatem occidendi Davidis millies iteravit, perseverans in malitia. Pro, quot peccata lethalia, etiamsi eum, quem occisum voluit, nunquam occiderit. Quid tu habes contra inimicum tuum conqueri, dic, obsecro, num pecuniam tuam, num domum aut prædia tua, num honorem & famam tuam, num corpus & valetudinem tuam invasit? Si te ad paupertatem redegit, si plagis & verberibus affecit, si contumeliis & injuriis vexavit, at nondum vitam ademit. Ponamus adimere eam sæpius tentârit, tu tamen illum tot beneficiis nondum affeciſti quot David Saulem, qui in hostem etiam mortuum fuit beneficus. At pares sitis, quà omnia tu & David, longè tamen generosius & admirabilius fuit in lege priscâ hosti parcere, quàm in novâ. Quis Davidi Dominicam orationem, & voces illas præivit? *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.* Quis ei parabolam Christi de decem millibus talentis, & duobus servis exposuit? Quis illi Christum inculcavit in cruce clamantem? *Pater dimitte illis.* Quis illi Stephanum monstravit vociferantem, *Domine, ne statuas illis hoc peccatum?* Quis illi tot divinas Christi conciones explicavit? Quis illi Christi præceptum interpretatus: *Diligite inimicos vestros, benefacite his, qui oderunt vos, orate pro calumniantibus vos.* Nil horum audiit, cælesti epulo nunquam interfuit, Dominicum corpus & sanguinem ut cibum & potum nunquam sumpsit. His subsidiis nos omnibus juvamur, tot Christi & Christianorum monitis instruimur, exemplis accendimur. Quapropter inexcusabilis es, ô homo. Auxiliorum istorum David nil habuit, & tamen, inquit Chrysostomus, ad evangelicæ philosophiæ fastigium pervenit

Irato Davidis mansuetudo in exemplum proponitur.

Inimicis etiam mortuis benefaciendum. *Matt. c.* 6. *vers.* 12. *Luc. c.* 23. *vers.* 34. *Act. cap.* 7. *vers.* 60. *Matt. c.* 5. *vers.* 44.

Iis subveniendum esse Christi & Christianorum monitis instruimur.

nit animi moderatione. Illud igitur unum spectemus, non quidem, ne quid mali patiamur ab inimicis, sed ne quid illis mali faciamus.

Propter vindictam Saul omnia perdidit.

Dic enimverò, quid vindictæ cupidissimus Saul sit lucratus? sceptrum, diadema, regnum, victoriam, corpus, animam, famam, omnia perdidit, cum filiis occisus, ad furva regna Proserpinæ migravit æternum Orbi ludibrium: At verò David an non in hodiernum usque diem prædicatur & canitur, illustris in terrâ, illustris in cælo? Sed dicas? Tu si hîc sis, & tam infestum habeas inimicum, idem æquè senties, quod ego. O mi bone, aliud est sentire, aliud sensui nimiùm indulgere. Non nescio, conviciis ab inimico affici, aut in suspicionem abduci, videtur aliquibus omni morte intolerabilius. Age igitur, & istud expendamus. Aliquis tibi maledixit; furem, sacrilegum, adulterum, percussorem, hominem nefarium appellavit. Hoc si verè dicit, corrige, sin falsò, irride. Si tibi conscius es, eorum, quæ objiciuntur, resipisce; si non es, despue, & Christum attende, quia Christus jubet: *Beati estis, cùm maledixerint vobis, & persecuti vos fuerint, & dixerint omne malum adversum vos, mentientes propter me, gaudete & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cælis.*

Propter mansuetudinem in cælo & in terrâ illustris est redditus David.

Matt. c. 5. v. 11. & 12.

Davidis erga Miphibosethum benevolentia.

Porrò Miphibosethum mensæ regiæ semper adhibitum, Chrysostomo instar miraculi est. Quàm enim hoc rarum & inauditum à rege potentissimo hominem caduco, debili, infirmo corpore claudicantem tanti æstimatum, ut eum rex quotidie in oculis gesserit, mensæ suæ semper adhibuerit? Hinc quisquis regiam mensam accubuit, suaviter coactus est cum hoste redire in gratiam. Cùm enim cernerent nepotem Saulis, qui tanta mala patravit adversus Davidem, tantis honoribus decorari, etiamsi feris omnibus fuissent immitiores, pudore tamen ac rubore cum omnibus inimicis redibant in gratiam. Quid illius mensâ sanctius? quam cingebant filii hostis, & illius quidem hostis, qui & vitam adimere conatus est. Quantum horremus illorum liberos parentum, qui nos læserunt? Apage; clamamus, apage infaustam prolem: procul, ô procul mali corvi mala ova: Tametsi non nesciamus hîc vincendi sui materiam esse copiosissimam. Qui enim sub vitæ finem in extremis angustiis amici commodissimi, patroni optimi ac fidelissimi sunt futuri, nisi hostes nostri beneficiis nostris adjuti? Hæc autem illustrissima Davidis exempla non miremur tantùm ut spectatores, sed imitemur etiam ut victores indolis vitiosæ. Atque hanc virtutem suam in suo quisque hoste experiatur. *Ego hæc*, ait Chrysostomus, *identidem moneo: non desinam. Nec quisquam mihi dixerit: Tace, nil promoves. Ego verò non tacebo, sed opportunè importunè necessaria hæc ingeram. Hominis est plantare, Dei est incrementum dare.* Atque hæc quidem è Chrysostomi super hac re disserentis penore deprompta, tantò promptiorem inveniant assensum, quantò illustriorem habent auctorem.

a *Hoc non mihi, sed Chrysostomo credite.*

Sed de eâdem Davidis in hostem benevolentiâ insigniter Augustinus. Hîc singula dicentis verba adnumeremus: Beatus David licet virtutibus multis fuerit exornatus, inquit, nulla tamen actio eum familiariùs Deo conjunxit, quàm dilectio inimicorum suorum. Et in tantum non fuit simulata vel falsa dilectio, ut ipsos etiam adversarios suos fleret, & in illis qui eos occidere præsumpserant, vindicaret. Ipsemet ejus rei testis luculentissimus David: *Si reddidi, ait, retribuentibus mihi mala, decidam meritò ab inimicis meis inanis. Persequatur inimicus animam meam, & comprehendat, & conculcet in terrâ vitam meam, & gloriam meam in pulverem deducat.* Ecce quali maledicto, ait Augustinus, seipsum condemnat, qui de inimicis diligendis Dei præcepta contemnens, odium in corde servare non metuit. Unde considerandum est, quâ fronte, vel quâ conscientiâ versiculum istum ex ore suo proferre poterit, qui inimicis suis mala pro malis retribuit. Per Salomonem quoque Spiritus sanctus clamat, & dicit: *Cùm ceciderit inimicus tuus, ne gaudeas: ne fortè videat Deus, & displiceat illi, & avertat iracundiam suam ab eo,* & utique cum ab illo averterit, ad illum dirigat, qui de inimici ruinâ gaudebat, secundum illud: *Qui ruinâ lætatur alterius, non erit impunitus.* Item: *Homo homini reservat iram, & à Deo quærit medelam?* Et *in hominem similem non habet sibi misericordiam,* &c. *Ipse cùm caro sit, reservat iram, & propitiationem quærit à Deo: quis exorabit pro delictis ipsius?* Dicitur quidem in veteri testamento: *Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum.* Sed qui sano intellectu scripturæ divinæ sensum agnoscere cupit, sententiam istam hoc modo intelligat, ut diligat omnem hominem proximum suum, odio habeat diabolum inimicum suum. Quod etiam in uno homine malo impleri potest. In ipso enim uno qui malus est, & proximum habes & inimicum. Nam quòd homo est, proximus tuus est: quòd malus est, non solùm tuus, sed etiam suus inimicus est: Dilige ergo in eo carnem & animam, hoc est, proximum tuum, quem Deus fecit, & odio habe malitiam, quam ipso consentiente diabolus intromisit. Quod cùm sancto & pio animo feceris, vices cælestis medici agis, odio habens morbum, & diligens ægrotum. Illa porrò vatis regii dira detestatio percellit omnes Christianæ legis de diligendis inimicis contemptores. In veteri testamento legimus, ait Augustinus, itinera eorum, qui injuriam retinent malefacti, in mortem. Job ad interitum hostis, non ausus dicere aut cogitare, Bene. *Si gavisus sum, inquit, ad ruinam ejus, qui me oderat, & exultavi, quòd invenisset eum malum. Non enim dedi ad peccandum guttur meum, ut expèterem maledicens animam ejus.*

A

Prov. cap. 24. v. 17. & 18.

Ibid. c. 17. v. 5.

Eccli. c. 28. v. 3. 4. 5.

Levit. c. 19. vers. 18. & Matt. c. 5. vers. 43.

Diligendus omnis proximus, inimicus ejus diabolus odio habendus.

B

Job c. 31. v. 29. & 30.

Nullum vas argenteum tam est immundum, quin possit purgari, saltem igne. An non ergo stultissimus sit, qui plurimas sordes in argenteo malluio cernens, mox famulo imperet: Excute in aquam hanc peluim, nimis est sordida: Nullo modo id faciendum; hæc talia vasa etiam contusa & fracta sunt pretiosa. Haud aliter nos cum inimicis nostris agimus; ut primum læsi sumus, mox eos ad patibulum, ad rotam, ad Tartarum ablegamus. Nequiter hoc & impiè. Neutiquam sic agendum: homo est, quem sic rejicis, qui animam habet Christi sanguine lotam, quascunque sordes illa contraxerit, igne purgari potest. Hunc ignem Paulus commonstrans: *Si esurierit inimicus tuus,* inquit, *ciba illum, si sitierit, potum da illi, hoc enim faciens, carbones ignis congeres super caput ejus. Noli vinci à malo, sed vince in bono malum.* Augustinus hanc Pauli præceptionem cum curâ explicans: Aliqui sic exponunt, inquit: Ecce cibo inimicum tuum, ut ardeat æternùm. Non ita obsecro, non ita; sed si benefeceris hosti tuo, quantumcunque ille frigidus & torpidus sit, sentiet hos calores, liquescet, & erroris seipsum arguet. Sic argentea vasa non abjicienda, sed igne sunt purganda. Quòd si Deus lege cavit, ne quis inimici sui bovem aut asinum in luto hærescentem transiret ope non commodatâ, quantò minùs homo supremi numinis imago, animantium rex negligendus? Ergo, ego, inquis, omnium sim amicus? Ita sanè omnium, quod vel Catonis anulus persuaserit, cujus illa non ignota inscriptio: Amicus unus, inimicus nullus. Omnes profectò ut unum Christianus amor stringit, & complectitur. Augustinus, quem dixi, hortatu serio ad hunc amorem extimulans: Illud fratres charissimi, ait, cum grandi tremore considerare debemus, quod in psalmo terribiliter Spiritus sanctus dixit: Cùm enim illam cælestem Hierusalem, id est, congregationem omnium Sanctorum, quæ cum Christo est regnatura, ad laudandum Dominum provocaret, cùm dixisset: *Lauda Hierusalem Dominum, Qui posuit fines tuos pacem.* Ergo ut ipsi videtis Hierusalem illa cælestis

C

Imprecari proximo non licet.

Rom. c. 12. vers. 20. 21.

Proximo subsidium dandum.

Psal. 147. v. 1. & 3.

D

Aug. to. 10. serm. 168. Dilectio inimicorum est cum Deo familiaris conjunctio: Psal. 7. v. 5. & 6.

Odium verò præceptorum Dei, contemptio & maledictio.

istis muros de pace constructos habet. Qui enim talem pacem, & talem charitatem habet, ut omnes homines diligat, & pro bonis oret, ut meliores fiant, pro malis supplicet, ut citò se corrigant, de quâ parte voluerit intrare, illius cælestis Hierusalem portas apertas merebitur invenire; qui autem non vult habere talem charitatem, qualem & Christus præcepit, & Apostolus docuit, ex omni parte Hierusalem claussas portas inveniet. Et quia oleum charitatis habere noluit, clausis januis sponsi cum illis fatuis virginibus illam metuendam audiet vocem. *Amen dico vobis, nescio vos* unde scitis. Quomodo enim illis quinque virginibus, quæ charitatis oleum habuerunt, illa cælestis Hierusalem aperiet januas suas, ut intrent in gaudium Domini sui, sic illis è contrario, qui sine charitate vivunt, claudet, & æternâ à se separatione repellet, & videbitur illud quod in Psalmo dicitur de Hierusalem, [illegible] inquit, *confortavit seras portarum tuarum*. Clausis portis, & confirmatis seris, nunquam exiet amicus, nunquam intrare poterit inimicus: quia sicut justus nunquam erit exiturus à gloriâ, ita & peccator nunquam poterit liberari à pœnâ. Et pòst paullò: Unde nimis dolendum est, inquit, quòd cùm illi à charitate Dei nec tormentis poterant separari, nos interdum otiosis fabulis separamur, & nonnunquam ob parvissimum convicium & cujuscunque miseri hominis detractionem ita derelinquimus charitatem, ut non solùm cum eo multis diebus, sed etiam mensibus fortassis & annis nec loqui, nec ad convivium pervenire velimus: & non attendimus, quia dum nos invicem odio habemus, ita muros civitatis Hierusalem contra nos claudimus, ut nullus nobis aditus permaneat, per quem intrare possimus. Et quia civitas illa habitatorem Deum habet, dicente Joanne Evangelistâ, *Deus charitas est*: Qui charitatem habere noluerit, quâ fronte, vel quâ conscientiâ ad Dominum, qui est charitas, præsumit accedere? Hæc omnia, Fratres charissimi, dum vobis paternâ pietate frequenter insinuo, absolvo apud Deum conscientiam meam.

Idem ego hîc cum Augustino vociferor, dum ista sæpius & dictis & scriptis publicis inculco, manus meas lavo, & conscientiam meam absolvo. Odium vel contra ullum hominem retinere, est cælo excidere.

Diligentibus proximum cæleste refertur est,

Non diligentibus claudum. *Matt. c. 25. vers. 12.*

Psal. 147. v. 2.

Aug. loco supra citato.

Qui odit proximum sibi claudit cælum,

1. Joan. c. 4. vers. 8.

CAPVT XIX.

David seipsum triumphat.

David eligitur rex super omnes tribus Israël.

ISBOSETHO è vivis sublato, comitia in urbe Hebron sunt indicta, ad quæ omnes Israëlis Tribus convenerunt; huc senatores, satrapæ, præsides, toparchæ, duces, omnis ordinis magnates, imò & cum ducibus milites confluxerunt, tam grandi numero, ut regum Chronicon testetur, armatorum trecenta quinquaginta septem millia illic fuisse numerata. Ab his omnibus David rex est salutatus. Hæc princeps comitiorum caussa. Consensus omnium maximus. *Omnes*

1. Paral. c. 12. v. 38. *isti viri bellatores expediti ad pugnandum, corde perfecto venerunt in Hebron, ut constituerent regem David super universum Israël: sed & omnes reliqui ex Israël, uno corde erant, ut rex fieret David.* Tandem videmus, inquiebant, hoc divinæ voluntatis esse, cui diu satis restitimus. Hunc sibi virum elegit Deus, quis illi jus constituendi reges eripiat: Per illum reges imperant. Huic supremo regum dominatori & regum regi non ultra refragabimur. Quis David in bellis omnibusque aliis rebus gerendis fuerit, hactenus satis perspeximus.

Convivio triduano excipit suos.

Ita David in urbe Hebron tertiùm rex unctus est. Inaugurationem regis convivium excepit, eo apparatu & convivarum numero, quem nemo crederet, nisi cæli testimonio id sciret. Nam illis trecentis quinquaginta septem millibus virorum David epulum gratuitum triduanum præbuit incredibili apparatu. Nam undequaque commeatus farinæ, ficuum, vini, unæ passæ, olei, carnium ad omnem copiam convehebatur. *Gaudium quippe erat in Israël: fuerùntque ibi apud David tribus diebus comedentes & bibentes.* Sed unde Davidi subitium regni, sumptus tam immensi? Munera ingenti numero allata plurimùm juverunt. His gaudiis expertis nihil cunctatus David ad Solymæam arcem expugnandam copias eduxit. Urbem Hebræi, sed arcem Sion Jebusæi occupabant. Arx ista tam inexpugnabilis visa, ut Jebusæi per ludibrium regi David jusserint dici, meros cæcos & claudos in muris collocandos, ipsum nihilominùs eò non penetraturum. *Non ingredieris hùc,* ajunt, *nisi abstuleris cæcos & claudos.* Perinde si dicerent: Securi sumus, hos etiam custodes oculis & pedibus captos non auferes, muros non transcendes, non subibis arcem. Audax hercle cavillatio, turpis sarcasmus in regem jactus, sed qui in hostes recidit.

Ibid. v. 40.

v. 39.

David Solymæam arcem expugnat.

2. Reg. c. 5. vers. 6.

Ut hanc ludificationem à se amoliretur David, præmia proposuit iis, qui arcis muros conscendissent primi. Joabus imperator exercitûs in muris primus fuit, ars occupata, Jebusæi omnes jugulati. Mox eo loco David regiam domum urbis amplitudine cœpit ædificare, hinc Civitas David est dicta. Siquidem mons Sion cubitos ducentos latus, quadringentos longus, ait Burcardus, urbi commodæ locum potuit præbere. Sed antequam David bellicis apparatibus vires, quas cuperet, sibi pararet, exterisque regnis prævaleseeret; Philisthæi gemino eum bello incursârunt, utroque turpiter victi. Et quia David non ignavus miles domi latebat, sed ipsemet se campo dedit, res memoratu contigit dignissima: Philisthæi ad Bethlehem oppidum, ad specum Odollam Davidi castra posuerat. Hîc labore fessus & æstu siti, appetentesque frigidæ: *O si quis,* inquit, *daret mihi aquam de cisterna Bethlehem.* Mox viri tres robustissimi, quò regi gratificarentur, per castra hostium perruperunt, & desideratam aquam attulerunt. At verò David noluit bibere, sed magis libavit eam Domino. Quâ unâ re illustrius meruit præconium, quàm si centum millia Philisthæorum solus interfecisset. Seipsum triumphavit rex fortissimus. De facinore hoc laudatissimo, sui victoriâ, hîc paullò copiosiùs differendum.

Montis Sionis latitudo & longitudo.

1. Paral. c. 11. v. 17.

De se triumphat David.

§. I.

Ad sui victoriam Christi cohortatio. *Matt. c. 16. v. 24. & Luc. c. 9. vers. 23.*

CHristus suos hortatus ad toleranda adversa omnia, & ad quotidianam suimet victoriam: *Si quis,* inquit, *vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam quotidie, & sequatur me.* Si hanc Domini JESV cohortationem rex David vel semel audiisset, legisseetque, rem magnam feciisset, si hunc aquæ potum tantopere desideratum rejeciisset: quantò autem majorem fecit, qui ea Domini verba nunquam legit, nunquam audiit, quæ nobis millies inculcantur. Sed ut illustrissimum hoc facinus animo avidiùs imprimamus, particulatim illud expendemus.

Ex triumpho Davidis aliquot documenta:

Primum.

I. Cupitam aquam non adferri jussit, nec ut adferretur consensit: sponte cucurrerunt tres generosi milites. Docuit rex David eos, qui ut obsequantur genio, voluptatem, quam appetunt, continuò eam præsentem esse volunt, quidquid ei laboris, molestiarum, sumptuum impendendum, id ipsi non pensi habent. Apud hos nullius pretii sunt divina verba: *Abneget semetipsum, & tollat crucem suam quotidie.* *Luc. c. 9. vers. 23.*

Secùndum. *1. Paral. c. 11. v. 19.*

II. Seipsum David suâmque importunam gulam objurgans: *Absit,* inquit, *ut in conspectu Domini mei hoc faciam.* Quid tu Catillo non satis hîc aquæ habes ad restinguendam sitim? Ita Pescennius Niger, Imperator, milites in Ægypto ignavioris gulæ damnans: Nilum, inquit, habetis, & vinum petitis?

Tertium. *2. Reg. c. 23. vers. 17.*

III. Offensionem & malum inter milites exemplum promptissimè metuens & cavens: *Num,* inquit, *sanguinem hominum istorum, qui profecti sunt, & animarum periculum*

lum bibam? Propitius sit mihi Dominus, ne faciam hoc. Potionem licet vilissimam, máximi tamen æstimavit per tanta pericula, tantâ animositate comparatam. Sapienter dixit Seneca: *Nonnunquam magis nos obligat, qui parva dedit magnificè.*

Senec. l. 1. de Benef. cap. 8.

Quantum.

IV. Noluit biberè. Qui tam ardenti, jam imminenti potum hunc erripuit. Aversatus scil. hoc Creticum, quod sanguine fuisset emptum. Hac insigni abstinentiâ universum exercitum sitire docuit, & sitim vincere. Annibal Dux Pœnus non rarò cùm maximè sitiret, fontem adiit, sed inde nec guttulam hausit, ita non tolerando tantùm, sed torquendo sitim triumphavit. Poëta id jure prædicat.

Silius.

Exercétque sitim spectato fonte recedit.

Quintus.

V. Libavit eam Domino. Sacrificium reverâ Deo gratissimum, vincere seipsum, quod rex David docuit insignitè, quâ verbis, quâ exemplis. Nam acriter sibimet imperavit & corpus & animum domuit, cupiditates fregit, sitim coërcuit, seipsum reprehendit B velut publicè professus, errasse linguam, quæ cupiditatis & gulæ negotium egisset.

Suipsius victoria, virtutibus omnibus ingentia suggerit, decus omnium, nec quidem idololatris ignotum. Q. Curtius Alexander Macedo, quod Quintus Curtius narrat, cum expedito agmine loca deserta Susitanorum intrans, nocturno itinere duxit exercitum. Aquarum penuria priùs desperatione, quàm desiderio bibendi sitim accendit: quæ ubi flagrare cœperunt, haud secus, quàm continenti incendio cuncta torrentur. Caligo deinde immodico terræ fervore excitata, lucem tegit: camporúmque non alia, quàm vasti & profundi æquoris species est. Nocturnum iter tolerabile videbatur, quia rore & matutino frigore corpora levabantur. Ceterùm cum ipsâ luce æstus oritur: omnémque naturalem absorbet humorem siccitas, ora viscerâque penitus uruntur. Itaque primùm animi, deinde corpora defecêre. Pigebat & consistere & progredi. Pauci à C peritis regionis admoniti, præparârant aquam. Hæc paullisper repressit sitim. Deinde crescente æstu, rursùm desiderium humoris accensum est. Ergo quidquid vini, oleíque erat hominibus ingerebatur; tantáque dulcedo bibendi fuit, ut in posterum sitis non timeretur. Graves deinde avidè hausto humore, non sustinere arma, non ingredi poterant: & feliciores videbantur, quos aqua defecerat, cùm ipsi sine modo infusam, vomitu cogerentur egerere. Anxium regem tantis malis circumfusi amici, ut meminisset, orabant animi sui magnitudinem unicum remedium deficientis exercitus esse, cùm ex iis qui præcesserant ad capiendum locum castris, duo occurrunt, utribus aquam gestantes, ut filiis suis, quos in eodem agmine esse, & ægrè pati sitim non ignorabant, occurrerent: qui cùm in regem incidissent, alter ex iis utre resoluto, vas, quod simul ferebat, implet, porrigens regi. Ille percontatus, quibus portarent, filiis ferre cognoscit. Tunc poculo pleno (licut oblatum est) reddito: Nec solus, inquit, bibere sustinco, nec tam exiguum dividere omnibus possum. Vos currite, & liberis vestris, quos propter illos attulistis, date. O factum cælo dignum! modò illud non abfuisset: *Libavit eam Domino.* Necessarium prorsus non solùm, ut quis abneget seipsum, sed etiam ut sequatur Christum: Vbi duo quædam singulariùs notanda.

Quintus Curtius lib. 7.

Duo notanda in sui victoriâ.

1. Charioras sibi subducenda. Exemplo Abrahami. *Gen. 22. vers. 2.*

Primum. Qui seipsum cupit vincere, eâ se parte oppugnet, quâ minimè oppugnari vellet; res sibi charissimas subducere conetur. Ita Deus Abrahami virtutem exercens: *Tolle,* inquit, *filium tuum unigenitum, quem diligis, Isaac.* Facilè Abrahamus trecentas oves, aut etiam tria millia illarum, facilè Ismaëlem, facilè quidvis aliud dedisset. Sed non oves Deus volebat, non boves, non pecudes, non ancillæ filium, non hostiam Isaaci succedaneam, ipsum voluit Isaacum, re- A rum omnium charissimum, filium unigenitum, pignus amantissimum, matris solatium, thesaurum Abrahami summum. Hunc voluit natum dilectissimum. Hunc dando Abrahamus dedit omnia. Ad hanc coticulam solida virtus exploratur.

Cassianus memorat Mutium cum octenni filio in cœnobium religionis caussa se contulisse, ut in eam familiam admitteretur. Ut ergo viri virtus variis experimentis inspiceretur, filius vilissimè vestitus hîc illis colaphis objurgabatur, idque studio in patris conspectu. Fuit ut filius acerbè fleret, abbas puerilibus lacrymis velut indignatus, & mox imperans ipsi patri: In aquas, inquit, puerum frugiperdam abjice. Mutius pater, tanquam sibi à Deo, id imperatum, puerum prehendit mersurus quem genuerat, nisi eâ de re præmoniti retraxissent currentem. Mutii virtus explorari certiùs non potuit, quàm in re omnium charissimâ. Ideo quisquis teipsum cogitas vincere, attende quid diligis, quid horreas. Sunt, qui nihil iniquiùs ferant, quàm ignominiâ notari: Hîc teipsum aggredere, hîc vince, quisquis horres & fugis erubescere. Sunt, qui pecuniam ubicunque demum obviam exosculentur; aliorum genius libidines sectatur. Diversis trahimur desideriis & amoribus: & tum maximè vivimus, cùm animum explemus. Suam ergo quisque affectionem principem jugulare studeat, & eâ se maximè parte conetur vincere, quâ sese maximè sentit vivere.

Mutii.

Videmur nobis quandoque rem maximam feciisse, si aliquot ceræ libras vel tabellam pictam, vel telam pretiosam, vel inauratum calicem, vel vestem sacrificam obtulerimus templo. Liberalitas pia; sed sacrificium pretiosius, sui victoria; suas edomare libidines, habendi cupidinem frenare, laudis appetentiam & insatiabilem gloriam avaritiam coërcere, vindictam substringere, linguæ petulantiam continere, pravas consuetudines amputare, rem sibi charissimam Dei caussâ subtrahere, assuetis saltem aliquamdiu propter Deum carere. Sed hîc plerumque truncí sumus, & canes ad venandum invitissimi: assueta relinquere durum est.

Sui victoria est pretiosum sacrificium.

Paradigma.

Videte regem David, is aquæ, quæ Bethlemi fluit, à puero assuevit, hinc bibendi cupiditas tanta, sed eam generosissimè repressit, & vel licitam ipse sibi voluptatem negavit. Imitemur strenuè, & Christi caussâ frequenter etiam licita nobis subducamus. Gregorius ad hanc tam necessariam industriam instigans: *Solus,* inquit, *in illicitis non cadit, qui se aliquando & à licitis cautè restringit.* Certè affectio, quæ hodie licitæ appetentiæ facit servum, cras faciet illicitæ.

1. In Dapuero vide. *Greg. lib. 5. Moral. c. 8.*

Illustre quid Pelagius Scriptor, Græcus memorat. Pius juvenis servierat religioso seni, qui fœtenti laborabat ulcere. Juvenem perpetuò vellicabat hæc cogitatio diu noctúque molestissima: Abi hinc, abi: quid enim hîc facis? quis fœtores hos ferat? mancipium nimis miserum es. Quòd si denique tu ægrotes ipse, quis tibi serviet? At ille, ut sese fortissimè vinceret; ulcus lauit, defluentem cum tabo liquorem vasculo excepit, & quoties sitiebat, hoc falernum suæ siti propinabat, & inde bibebat. Hinc alia nata est cogitatio: si non vis fugere, saltem non bibe. Mirè Deo placuit tam fortis suique victor animus: sanitatem seni reddidit, suum juveni præmium ingens non negavit.

Pelag. libell. 17. num. 25. 2. In pio quodam juvene.

Atque hæ sunt libationes sanctæ in novâ Christi lege, hoc suave gratúmque sacrificium, vincere seipsum, consuetudinem malè inolitam deserere, rem charam in Dei honorem abdicare. Hoc est gratissimum potum Domino libare, seipsum abnegare, sui odio salutari. Alioqui nostra cum Deo pessimè partimur; ovi vitellum nobis servamus, albumen Deo relinquimus. Conjectori olim quidam detulit, teste Tullio, somniasse se, ovum pendere ex fascia lecti sui cubicularis. Cui conjector: Sub lecto, inquit, defossus est thesaurus;

Se vincere, est gratissimum potum Deo libare.

Cic. l. 2. de divinat.

illic

illic fode & operæ pretium invenies. Fodit, & invenit, auri aliquantum, idque argento circumdatum. Misit conjectori, quantulum visum est de argento. Tum ille: Nihílne de vitello? Idem ex homine quæsierit Deus: Nihílne, mi homo, de vitello mihi tribuis? Itáne tibi nucleum servas? mihi offers putamina, si me amas, teipsum vinces, & vel charissima non negabis. Hoc primum.

1. Actus in sui victoriâ debet esse violentus & heroicus.

Alterum: Actus in sui odio & victoriâ sit generosus, acer, non lentus & segnis, sed violentus & heroicus. Divorum res gestæ testantur, uno nonnunquam generosiore actu diaboli tentantis impetum repressum, ut illecebrosus veterator ad idem eos vitium non ampliùs allectârit. Abisai opportunitatem commodissimam nactus, occidendi Saulis, dixit David; 2. Reg. 26. v. 8. *Nunc ergo perfodiam eum lanceâ in terrâ semel, & secundò opus non erit*: Non dispari ratione potest quis generoso actu unico, tam insigniter se vincere, & gentium sub jugum mittere, ut deinceps non multum laboret in seipso ad rationis obsequium componendo. Credibile prorsus est Davidem ab hac sui victoriâ fuisse summâ cibi potúsque moderatione.

Quæstio est Philosophis, num uno actu acquiri possit habitus? Hanc litem relinquimus scholæ. Nec enim in virtutum officiis, viribus humanis omnia, sed divinis metienda; & solet Deus tam sanctę actioni tantum gratiæ largiri, ut aliæ ab eâ sint facillimæ. Exemplo, quod dicimus, demonstramus. Est qui simplici vice hosti suo benignè faciat; inde hoc illi nunquam factu difficile, Theologorum scito: Plus valet unus actus intensus, quàm mille remissi. Ideircò qui plurimum cupit in sanctis actionibus promovere, & facilem sibi reddere viam virtutis, his principiis ordiri debet, & in iis potissimùm se vincere, in quibus ut plurimum malè vivax est: facilè autem observâbit, quò sui eum amores & cupidines trahant, atque id maximè cavebit; quod autem malignior natura refugit, quod horret, ad illud se maximè impellet, & concitabit. Perinde ut equos eò concitamus, quò minimè volunt. Sunt equi formidolosi & contumaces, qui aut trabem, aut pontem, aut funem dependentem refugiunt; quod ubi strenuus eques advertit, virgâ, flagello, calcaribus ad eum ipsum, quem horret locum, adigit, nec desistit, dum aut concidant, aut pergant. Ita vero nomine Christianus sibi ipsi calcar admovet, perpellit ad ea, quæ natura delicatior aversatur, charissima quæque Domino libat. Nemo fortior, quàm suiipsius victor. Qui hanc artem aut nescit, aut eam exercere negligit, in lyceo virtutis nunquam proficit. Anthiochenus martyr Ignatius: Ego meipsum urgebo, inquit, ut devorer. Ignoscite mihi, filioli; quid mihi prosit, ego scio. Posse sibiipsi imperare virtutis est compendium.

Quomodo via virtutis redditur facilis.

CAPVT XX.

Arcam deducit David, & irridetur.

Cura Davidis erga cultum divinum, & translationem arcæ.

QVAMPRIMVM Davidi licuit stabilem regni sedem figere, principem sibi curam esse voluit, cultum divinum. Idcircò Arcam velut exulem & neglectam ex urbe Gabaa è domo Abinadabi Pontificis Hierosolymam statuit transferri, præsciente tamen & consentiente toto Israëlis populo. Hanc Arcæ transmissionem summis studiis, solennitate celeberrimâ, maximis sumptibus instruxit. In viâ calcitrones boves periculum, aut certè metum lapsús creârunt Arcæ; nutabat plaustrum novum ruituro simillimum. Hîc Oza auxiliarem operam commodaturus admovit manus. Sed Deus adjutori intempestivo iratus, temeritatem ejus morte subitâ punivit.

A Ad ipsam Arcam Oza corruens expiravit. Funere repentino territus David, Arcam deduci jussit in ædes Obededom, quem Deus, ob commodatum hospitium omni rerum opulentiâ ditavit. Acto trimestri Arca in Sionis arcem vecta, singulari ad id domo structâ, in quâ diverteretur, dum templo extrema manus accessisset. Terror ob mortem Ozæ.

Hæc Arcæ transvectio maximâ symphoniæ varietate, admirandâ sacrificiorum multitudine, concursu hominum incredibili, lætissimis tripudiis, expensis planè regiis celebritate summâ, laudatissimâ pietate instituta est. Testatur sacer historicus ad hæc solennia virorum principum, ac nobilium triginta millia, *omnes electos ex Israël* convenisse. Ceteræ plebis Alphonsus Tostatus numerat ducenta viginti quatuor millia: vulgus putem fuisse innumerum. Et quamvis tam immensa hominum multitudo convenerit, singulis tamen panis, carnes assæ, alia opsonia gratuitâ liberalitate distributa, uti dicemus. In hac sacrâ solenni pompâ, sexto quovis passu septem boves, & arietes vel oves septem mactabantur. Sat hominum fuit huic labori, & pecudes tantùm jugulabantur, interim tantisper subsistebant Levitæ. Atque iterum iterúmque sex passus faciebant, ita ut ad sextum quémque passum, victimæ caderent septenæ, idque longa prorsus viâ servabatur è domo Obededom in Arcem Sion. Super omnia verò Davidis ardens in Deum animus eminebat, etenim *saltabat totis viribus ante Dominum*. Sicut autem supplicationem primam subita mors Ozæ, sic alteram hanc irrisus regiæ conjugis aliquantum turbavit. Hinc capitis istius epitome; Arcam transportat David, & irridetur. Quâ in re Davidis gemina virtus elúxit. 1. Optimus in Deum affectus. 2. Laudatissimus sui contemptus. De his jam disserendum. Pompa & concursus populi in transvectione Arcæ. 2. Reg. c. 6. v. 1. Ibid. v. 3. Ibid. v. 14. In translatione arcæ gemina virtus elúxit Davidis.

C

§. I.

I. OPtimus in Deum affectus, *saltabat totis viribus ante Dominum*. Quantum potest, laborat, currit, saltat, pugnat, qui totis viribus serióque amat. Id scilicet quod facit, manibus pedibúsque obnixè facit, ex summis opibus viribúsque usque nititur. Ita David ardentissimos in Deum affectus expromendo, hoc insigniter testatus est, tanquam si diceret: Plus facerem, si plus possem. Quod Bernardus expendens: *David*, inquit, *saltando placuit Deo, non propter saltum, sed propter affectum*. Et ut populus universus cerneret, quàm seriò Deum coleret, regem quasi exuit, induítque levitatem: *Porrò David erat accinctus ephod lineo*. Ephod Hebræis ferè, quod nobis superpellicium, vestis candida, amiculum linteum. Quod verò Michol dixerit, *discooperiens &c.* non ita interpretandum, D ac si David ante Arcam posità omni veste saltârit, cùm Regum Chronicon affirmatè dicat: Porrò David erat indutus stolâ byssinâ; David etiam indutus erat ephod lineo: sed sicut pauperculus ludimagister in pago, aut oppido, cui nigram togam negat inopia, cùm in templo agit, amiculum linteum primis vestibus injecit. Ita David ante Arcam saltans vestitus fuit, sed non regiè. Si nostro hoc ævo rex potentissimus cæleste ferculum cum thuribulo velut diaconus præiret, id spectaculi sacrè plurimi non caperet. Haud aliter mirabantur tunc plerique omnes potentissimum regem, in eam degenerare humilitatem, ut psaltem ageret saltantem, videbant tamen hæc maximæ pietatis esse argumenta, quibus omnium pectora mirificè imbuebantur. Sola Michol Davidis conjunx, tam altum sapiebat, ut sui conjugis factum sinistrè interpretata, diceret per irrisum: *Quàm gloriosus fuit hodie rex Israël, discooperiens se ante ancillas servorum suorum, & nudatus est, quasi si nudetur unus de scurris*. Quan- 1. Optimus in Deum affectus. Ibid. v. 14. Ibid. Vestitus David saltavit ante arcam. Micholis in Davidem exprobratio. 2. Reg. c. 6. v. 20.

ris. Quando nec vestitum regium David habuit, nec incessum. Adhæc & illud accessit: *David percutiebat in organis armigatis.* Appensam ad collum gestans lyram fidicinem agebat, simul & citharam pulsans, cantans, & saltans perinde si dixisset, Non possum Deo satis gratus, satis submissus, satis devotus esse, Deum satis extollere non possum. His in Deum sanctissimis affectibus rex magnus sic arsit, ut Arcam reverentiâ & submissione summâ velut pauperculus è pago scholasticus præiret amiculo lineo, paludamenti vice indutus. Super omnia, quod nemo satis miretur, saltabat totis viribus. Solidæ laudis est, in rei honestæ virtutisque studio omnibus opibus, viribusque elaborare. Hinc pluriens sæpius inculcandum: Totus ora, totus canta, totus labora, totus ausculta, templum aut mensam Dominicam totus frequenta: hoc scilicet imperamus, ad eo, quod agis, nervos omnes contende, in hanc curam totâ mente incumbe. Nimis quàm sæpe hîc delinquimus: oramus, sed non toti, os garrit, sed ab ore lingua divertit; in templis cantamus, sed solâ voce, non totâ mente; laboramus, sed segniter & remissè, non totis viribus; concionem auscultamus, sed aure non utrâque. David saltabat totis viribus, nec enim poterat, quidquid fecisset, suæ devotioni satisfacere. Hinc tantos sumptus fecit regiâ prorsus liberalitate, nec enim publicam eleemosynam egenis, sed aliis singulis viris feminisque largam sportulam, prout regum fasti memorant, divisit. *Et partitus est universæ multitudini Israel, tam viro, quàm mulieri, singulis collyridam panis unam, & assaturam bubulæ carnis unam, & similam frixam oleo.* Hic sumptibus regiis opus, ut ducentis viginti quatuor millibus hominum dari posset collyrida primò, non vulgaris, sed atropitii clibanitæ panis largior quadra, deinde carnis assæ aut lixæ non frustillum, sed segmentum amplum seu offa, tertiò placenta lata seu laganum, aut atrolaganum, quales in xenodochiis coqui solent. Hæc omnia David fecerat suo in Deum affectui testando. Itaque non saltabat tantùm, sed & cantabat, & Deum laudabat, & munera donabat totis viribus.

Ibid. v. 13.

In virtutis studio omnibus viribus elaborandum.

Erga populum Davidis liberalitas.

2. Reg. c. 6. v. 20.

A

B

C

D

§. II.

II. Laudatissimus sui contemptus in hoc rege prædicandus. Hæc virtus tanto laudabilior, quantò difficilior, tantò pulchrior quantò rarior. Prior illa virtus, tam ingens in Deum affectus suaviter exercetur, hæc non sine luctâ in opus prodit; tantis præsertim fastigiis laboriosum est, seipsum abjicere. Itaque hîc David Davidem vicit. Regina Michol, non magnam hîc habet laudem, nam 1. sacram hanc pompam non duxit, cùm aliæ tamen feminæ huic interessent. 2. Elationem præ se tulit, ut regis filia stipatæ plebis congressum everata. 3. Conjugem suum censurâ nimis gravi perstringens, nimis eum & scurris contulit, quasi saltibus absurdis fatuum egisset. Et certè nisi David vir mitissimus fuisset, responsum ferreum dedisset tam facilè non digerendum. *Memento Domine David, & omnis mansuetudinis ejus.*

2. Laudatissimus sui contemptus.

Cur Michol in arcæ translatione nullam habuerit laudem.

Psal. 131. v. 1.

Audite Conjuges, & quicunque alii: asperiora subinde verba sunt glutienda, non continuò faciendus pugnus, intentandus pugio, stringendus gladius. David non tantùm non acri & contortâ oratione, non maledicentiâ, non conviciis usus, sed mansuetissimè & submississimè: *Ludam*, inquit, *& vilior fiam plus quàm factus sum, & ero humilis in oculis meis.* O mea conjux, Deo abundantiùs honorando, meipsum magis præbebo deridendum, præsertim illusoribus ad hoc natis; omnem calcabo fastum in ejus gratiam, qui me extulit ad solium: vestimenta plebeia nec in rege sunt indecora; hæc ego in honorem ejus non abjiciam, qui mihi dedit purpuram: Deo enim placere cupio, non hominibus. Ludam, ô bona domina, ludam, & vilior fiam. Tu ad humanos oculos expendis omnia, sed erras splendidè; alia sunt judicia Dei, alia hominum, illa observanda, hæc spernenda & repudianda. Quò quisque vilior est sibi, hoc pretiosior est Deo. Ero igitur humilis in oculis meis, nec magni me æstimabo, meóque me pede metiar, non gigantæo. Exemplis terreor recentibus, nam etiámnum patris tui Saulis intueor præcipitia; non sequar.

Asperiora verba mansuetudine sunt lenienda.

2. Reg. c. 6. v. 22.

Modestia & submissio (Humilitatem appellamus) ignota ferè virtus idololatris, nota satis Christianis, sed plerumque semitam, quæ ad illam ducit nescium, aut eam inire nolunt. Hæc ad humilitatem semita, sui despicientia est. Virtus tam præclara quàm rara. Nos magni nimiùm nosipsos æstimamus; humiles videri volumus, non viles; pretio nostri nimiùm abripimur. Hinc viles Deo, nobis pretiosi sumus. Atqui nemo ferè humilis dici potest, seipsum animo contemnere nondum didicit.

Humilitas est virtus ignota idololatris.

Contemptus sui velut aurum quod conchulis infundi solet, pretiosum quid, sed perquam exiguum, & paucissimis locis venale. Inter religiosos viros prima hæc quæstio est: Quantum quisque despicientiâ sui profecerit. Ad veræ humilitatis virtutem nunquam perveniet, qui humilitatis fundamentum sui contemptum ignorârit. Sed heu, quàm pauci sunt, qui persuaderi se sinant, ut seipsos spernant. Ohe, satis est, inquiunt, satis si alii nos contemnant, cur ipsi nos abjiciamus in nosmet injurii? repugnat hoc naturæ. Repugnat sanè, sed vitiosæ ex Adamo propagatæ. Hinc illæ lacrymæ, hinc indignissimè fecimus haberi nos despicatui. Nemo nos tangat, ulcus est, quaquà tangimur. Aliter nos homines sancti tam priscæ quàm novæ legis erudiunt. *Ludam*, ait David, *& vilior fiam.* Interpretes horum Bernardus: *Ludam*, inquit, *ut illudar. Bonus ludus, quo Michol irascitur, & Deus delectatur; bonus ludus, qui hominibus quidem ridiculum, sed Angelis pulcherrimum spectaculum præbet; bonus ludus, quo efficimur opprobrium abundantibus & despectio superbis.* Quis iste lusor, quis lyricen, quis saltator iste? Israëlis & Iuda, regni geminati ter unctus rex, nihilominus lusu repetito fieri vult vilior, suiipsius insignissimus contemptor. Nec imitatoribus caruit. Davides hoc viro nomen, Eusebii discipulus, quod Theodoretus cellauerit: narrat, homo in semetipsum durissimus ac severissimus, centum quinquaginta monachis præfectus per annos quadraginta quinque, nunquam visus est ab ullo iratus, sibi semper simillimus. Ad hunc Theodoretus ipse Cyri episcopus revisit sæpius tanquam ad magistrum discipulus: cúmque unà sederent diversis colloquiis attenti, Publius sacerdos antistes *a* Vicarius in colloquentium conclave irruens, & cœnobii patrem atrociter exagitans: Hæc lenitas, inquit, omnibus est detrimento, nec enim modestia sed amentia est. At Davides velut adamantinam habens animam non pungebatur iis, ait Theodoretus, quæ suâ naturâ solent pungere, nec vultum mutavit, nec colorem duxit, nec sermonem turbidè abrupit, sed Publium leniissimè hoc unum rogavit, faceret quæ vellet, modò sineret cœptum sermonem cum præsentibus pertexi, uti necessarium. Certè Davides tam turbulento nugatori tam sedatè nunquam respondisset, nisi didicisset seipsum contemnere.

Contemptus sui est fundamentum humilitatis.

Bern. ep. 87.

In quo exviro nomen, Eusebii discipulus, quod Theodoretus cellauerit:

1. Davides. *Philathæus, sive Theophiles apud Rosweid.*

a Prior.

Turonensis Præsul Martinus sui contemptum & amabat, & tantis studiis ambiebat, ut à suómet ministro sacerdote Brictio superstitionis & amentiæ sæpius damnatus, & fœdis calumniis proscissus, nec minimum iræ signum ederet, honorem læsum patientiâ defenderet, calumnias silentio refutaret. Injurias quippe aliis irrogatas castigabat, suas dissimulabat.

2. Turonensis Præsul Martinus.

labat: Hoc tam raræ virtutis ab unâ sui despicientiâ habuit Martinus.

Laudem ex eâ re parentes maximam adipiscuntur, præsertim si summi ordinis sint, quando liberos sic educant, ut ij sese non æstimare discant. Fuit ut magni principis filiolus puerili lusu vitreum orbiculum frangeret. Citatus ob id ad ferulam: Quid, ait, Princeps sim, & vile vitrum non ausim pertundere, ni priùs licentiam rogem? Hoc dicti mater rescíens: Quid tu puer, inquit, Principem te jactare audes? Fungus es. Et quotiescunque interrogatus fueris, quis sis, me volente ac jubente respondebis semper: Fungus sum. Ab eo tempore complures sæpiculè subornati sunt, qui magnæ aud. rum recreatione quærerent: quis enim es tu? Non aliud parvulo Principe respondente, quàm hoc: Fungus sum. Quod mater filio id sui contemptor sibi occinit perpetuò: Fungus es. Et quisquis ex te quæsierit: Tu quis es? dic cum veteri Poëta: * Caudex, stipes, fungus sum.

Vir doctissimus juxta & facundissimus Innocentius de Angelo, quod prisci Annales memorant, ut æstimationem sui & pretium calcaret, scipsum alliis & cepis oneravit vilissimè vestitus, urbem, in quâ notissimum eruditio fecerat, obivit, nec aliud ambiit, quàm contemni ab omnibus, quando se ipse plus omnibus contemneret. Sui contemptor illud Davidis assiduè usurpat, *Ludam, & vilior fiam.* Quidquid cachinnorum domi vestræ est, ô dicaces sanniones, in me unum expromite, irridete, protervè mihi illudite, omnibus me ignominiis appetite, graviora meipso judice sum meritus; stultitias ingentes & plurimas commisi, cur iniquè feram, hominem temerariè stultum irridiculo haberi? isto vas dignum operculo.

Certa ad Humilitatem via, sui despicientia. Et tantò quis Deo est vilior, quantò sibi pretiosior; tantò autem pretiosior, quantò ipse sibi vilior.

CAPVT XXI.

Prohibetur David ædificare templum.

Arcâ in tabernaculum recèns conditum deductâ, & bellis aliquantulum sopitis, David omni cogitatione curâque in propagandum Dei cultum incubuit, doluitque se domum è Cedro structam habitare, Arcam Dei hospitio non digno diversari. Idcirco Nathanē vatem accersens deliberationem habuit. Consilium struendi templi valde probavit Nathan. David Nathanis authoritate animatus, propè decrevit ædificium sacrum aggredi. At nocte proximâ Deus Nathani suam sententiam aperuit, nollé se à Davide condi templum, sed à Davidis filio. Ne verò Davidi hoc Dei decretum videretur durius, ingentes additæ promissiones: *Fidelis erit domus tua, & regnum tuum usque in sempiternum ante faciem tuam, & thronus tuus erit firmus jugiter.* Mox loco consurgens David ingressus est Arcæ tabernaculum, & precatione prolixâ summas Deo gratias egit, de tantis in se suósque favoribus, rogavitque Deum, ut porrò suus esse Pater non desineret. Hîc illustria quatuor documenta erunt expendenda.

1. Omne gaudium Deus luctu temperat. 2. Ingens ædificandi templi desiderium repressit Deus, & Davidis filium templi architectum elegit. Quâ in re David divinæ voluntati suam insigniter subjunxit. 3. Humanissimam Dei munificentiam Davidi exhibuit, nihilominus eum ad sui contemptum provocavit. 4. Ad Arcam in tabernaculo sitam in divinas se precationes rex optimus effudit. Atque hæc paulò explanatiùs jam tradenda.

I.

I. Omne gaudium Deus miscere luctu assolet. Cælestia solùm & æterna gaudia ab his mixturis sunt immunia. In cæteris ubi mel, ibi fel. Vbi uncia mellis, ibi sæpissimè duæ sunt fellis. Solennis Arcæ pompa duplex lætabile & festos dies peperit, triumphos habuit splendidissimos, merum mel. Sed Deus sat fellis affudit, nam Oza subitâ morte corruit. Ita hoc gaudium sine luctu nequiit finiri, idque in supplicatione primâ. In altera omnia iterum lætitiis & triumphis exultabant: sed neque hic fel defuit. Vix enim David domum rediit cumulatus gaudio, mox eum invasit conjunx, & mediastinum vilissimum fatuæ levitatis arguit, & irrisit. Hinc assentior veteri Iambo.

Domi & foris ægrè quod sit, semper est sati.

In hac mortalitatis valle ubi copiosissimè crescit Absinthites, nemo bibit merum meracum; nullo id pretio comparabile est: nemo gaudiis ex omni parte sinceris fruitur.

Afflictio, indivisa virtutum est comes.

Rectè agis? Non procul erit invidia. Malè agis? In sinu mala conscientia, in tergo hæret Nemesis. Vbi mel, ibi & fel perpetuâ conjugatione.

II. Decreverat David ædificare templum, idque animo finéque optimo. Huic Deus per Nathanem respondens: Nolo, ait, ut tu id facias, tuo hanc filio reservabis curam. Objecerit hîc David: Præclarissima quæque pro divinis honoribus cogitavi agere; non sinor. Sineris, mi David, sed non sineris tuo id arbitrio facere, sed divino. Et ne istud regem gravius affligeret, sententiæ in cælo latę redduntur causæ. 1. *Multum sanguinem effudisti, & plurima bella bellâsti; non poteris ædificare domum nomini meo, tanto effuso sanguine coram me. Filius, qui nascitur tibi, erit vir quietissimus, faciam enim eum requiescere ab omnibus inimicis suis per circuitum, & ob hanc causam Pacificus vocabitur: Pacem & otium dabo in Israël cunctis diebus ejus. Ipse ædificabit domum nomini meo.* 2. Bellatorem te volo, non architectum. Sed etsi jam nova sint bella; non multò pòst erunt, & tibi otium ædificandi non dabunt. 3. Voluntas Dei, cui placuit ita fieri, nec aliter. Potuisset Davidi Deus septennium pacē optimum indulgere, quod templo struendo daret; quanto quidem tempore Salomon structuram eam perfecerat. Sed aliud divinæ voluntati visum est. Voluntas Dei pro sexcentis caussis, pro mille rationibus est. Caussarum satis est, Deum velle, nil ultra quæras. Id quidem Davidi acerbus fuit nuntius, ab ædificio templi se excluſum, quia tamen ita Deo placuit, suam penitissimè ad divinam voluntatem conformavit. Factus sus, quod voluerit Deus, ædificare, non ædificare, ligna, lapides colligere, quos alius componat, in utrumque paratus. Nihilominus David graviter sensit, se animo & votis non posse obsequi, quandoquidem eum Nathan, antequam decretum Dei sciretur, in illis ædificandi cogitationibus plurimùm confirmârat his verbis: Omnia, quæ in corde tuo sunt, fac, Deus enim tecum est. Vestra Majestas magno animo id instituti, quod mente versat, aggrediatur. Res magnæ molis est & opus præclarissimum, quod Deo non poterit non placere.

Placuit certè Deo, Davidem hoc velle, imò eum hoc velle, voluit Deus; noluit tamen, ut ipse ædificaret, sed filio ædificaturo materiam præpararet. Quod certè plurimum afflixisset optimum regem, nisi suam divinæ voluntati perfectissimè afflixisset.

III. Deus in Davidem humanissimus & liberalissimus: *Quòd cogitasti in corde tuo,* inquit, *ædificare nomini meo, benefeciſti,* * *hoc ipsum mente tractans.* Veluti gratias agit Deus famulo suo de operâ sibi non præstitâ, sed præstandâ

1. Omne gaudium Deus miscere luctu assolet.

2. Decretū ædificationis templi à Davide factum.

Caussæ cur David templum non ædificarit: prima. 1. Paral c. 22. v. 8. 9. & 10.

Secunda.

Tertia.

3. Deum in Davidem liberalissimū fuisse. 1. Reg. c. 8. v. 18.

* Hebraicè *gratū feciſti.*

* Terentio.

a Innocentius de Angelo.

a Davide templi ædificatio deliberatur.

Quæ inhibentur, ingentibus promissionibus additis. 2 Reg. c. 7. v. 16.

De quibus gratias agit Deo.

Quatuor documenta.

præstandâ. Ita benignissimus Deus cum suis suaviter solet agere. Quod in psalmis laudans David: *Cum sancto*, inquit, *sanctus eris, & cum viro innocente innocens eris, & cum electo electus eris.* Profectò & cum humano humanus eris, cum liberali liberalis eris. Nimirum nostros mores induit Deus, & quales nos in illum sumus, talis ille in nos est. Verè, quod Paulus dicit, *benignitas & humanitas apparuit Salvatoris nostri Dei.* Liberalissimum in Davidem Deus sic egit, perinde si dixisset: Permittere non soleo, ut mei me famuli liberalitate vincant: tu mihi ædificare volebas domum, sed quæ dirui potest, & diruetur, ita quidem, ut nec lapis super lapidem sit mansurus, at ego ædificabo tibi domum æternam. Quod dilucidè Dei vicem promittens Nathan: *Prædicitq; tibi Dominus*, inquit, *quòd domum faciat tibi Dominus.* Qualem obsecro? *Stabiliam thronum regni ejus usque in sempiternum.* Interea tamen, ne ob hanc humilitatem Dei ac liberalitatem sese efferat David, in memoriam illi revocatur originis vilitas: *Ego te tuli de pascuis sequentem greges.* Cogita quis fueris? opilionem exuisti, me jubente, & induisti regem. Diadema tibi & sceptrum, me donante, gratis obvenerunt. E tantillo tantus evasisti, favente Numine. Ita nobilissimi quique, cujuscunque sint ordinis & dignitatis si abavos, atavos, tritavos, & ad originem familiæ primam revocent gradum, quem invenient: Senecæ id credemus: *Bona mens*, inquit, *omnibus patet: omnes ad hoc sumus nobiles. Nec rejicit quemquam Philosophia, nec elegit: omnibus lucet. Patricius Socrates non fuit: Cleanthes aquam traxit, & rigando hortulo locavit manus: Platonem non accepit nobilem Philosophia, sed fecit. Quid est, quare desperes his te posse fieri parem? Omnes hi majores tui sunt, si te illis geris dignum. Geres autem si hoc protinus tibi persuaseris, à nullo te nobilitate superari. Omnibus nobis totidem ante nos sunt, nullius non origo ultra memoriam jacet. Plato ait: Neminem regem non ex servis esse oriundum, neminem non servum ex regibus. Omnia ista longa varietas miscuit, & sursum deorsum fortuna versavit. Quis ergo generosus? ad virtutem bene à naturâ compositus. Hoc unum est intuendum, alioqui si ad vetera revocas, nemo non inde est, ante quod nihil est. A primo Mundo orti, usque in hoc tempus, perduxit nos ex splendidis sordidisq; alternata series. Non facit nobilem atrium plenum fumosis imaginibus, nemo in nostram gloriam vixit: nec quod ante nos fuit, nostrum est. Animus facit nobilem: cui ex quacunque conditione supra fortunam licet surgere. Puta itaque te non esse equitem Romanum, sed libertinum: potes hoc consequi, ut solus sis liber inter ingenuos. Quomodo? inquis, si mala bonaque non populo auctore distinxeris. Intuendum est, non unde veniant, sed quo eant. Si quid est, quod beatam vitam potest facere, id bonum est suo jure: depravari enim in malum non potest.* Ita hæc dona originis & prosapiæ gratis & dormientibus obveniunt.

Ludovicus XI. Galliarum rex, quod Ecclesiastes notus memorat, in æde summâ Canonicorum, sacris interfuit, audiitque eo manè unum aliquē è Canonicorum cœtu obiisse. Dum in templo est, videt casu in vicino sacello dormientem sacerdotem, huic dici jubet, defuncti mystæ sacerdotium ad ipsum transiturum, ut omni vitâ possit verè dicere, fortunam sibi opimam obvenisse dormienti. Ita Deus è cauliş, è pascuis Davidem ad purpuram, ad solium evexit. Munera Dei sunt gratuita.

IV. Davidis ad Deum precatio affectuum sanctiorum plena fuit. Orationis exordium à sui contemptu ducens: *Quis ego sum, Domine Deus*, inquit, *& quæ domus mea, quia adduxisti me huc usque.* Singularis hic favor est gratia merissima. Tanta nec petere sed nec sperare ausus unquam fuissem, quanta in me unum congessisti beneficia: Quid tibi, mi Deus, in me tantopere placuit, ut me sordibus extractum, eveheres in regale solium? Vt verò monstraret, quàm seriò hęc precaretur, *Ingressus est rex David, & sedit coram Domino.* Perinde rex fecit atque is, cui nuntii venerunt optatissimi, ob quos ad templum properat, & in preces effusus gratias Deo meminit. Ita *rex David sedit coram Domino*, non sellam regiam occupando, sed constantissimè precando. Vatablus quidem, Nemini, ait, sedenti licuit orare, nisi regi. Hîc tamen non istud jus regis, sed diuturna precandi constantia significatur. Vetus erat Verbum: Romanus sedendo vincit. Siquidem gens togata longanimi patientiâ hostes vincere conabatur. Sic Isaias præcipiens: *Descende*, inquit, *sede in pulvere, virgo filia Babylon.* Quo jussu pœnitentia prolixior incitur. Iosephus Hebræus de hac venerabundâ regis sessione ita loquitur: Procidit in faciem David, & status humi more supplicantis adorabat Deum. Exordium itaque à sui contemptu duxit. Meliùs sanè nequiisset exordiri. Huic tali exordio juncta narratio affectuum optimorum referta. Nam in ea decies se servum confitetur, undecies Dei in se dominium extollens: *Domine Deus*, inquit, *Domine Deus meus, Domine exercituum, Deus Israël*, &c. *Incipe ergo, & benedic domui servi tui, ut sit in sempiternum coram te, quia tu, Domine Deus, locutus es, & benedictione tuâ benedicetur domus servi tui in sempiternum.* Capite superiori diximus vicem moniti: *Totus ora.* Id accuratè David præstitit: Totus oravit, omnes precationi vires impendit; effudit omne cor suum coram Deo.

Narrationem secuta est confirmatio, exacta gratiarum actio. Hîc David disertissimus: O mi Deus, inquit, cumulâsti me beneficiis maximis; nunquam me satis exhibere potero gratum, tametsi dies noctésque agendis gratiis impendam: è mille me periculis eruisti, mille me donis immerentem afficisti. Hęc ego verbis nunquam explicavero. *Quid ergo addere poterit adhuc David, ut loquatur ad te?* Hoc solatio est, cor meum medullitus intimè à te penetrari, & hoc me tibi mille modis devinctissimum fatetur servum. Nec enim pro meritis meis vel minimum, sed divinæ benignitati tuæ totum adscribi debet propter verbum tuum, & secundùm cor tuum fecisti magnalia hæc. Ita tibi placuit, ita factum est; meo prorsus immerito, tuus in me favor liberalissimus fuit.

Hoc orationis exordium, hanc narrationem & confirmationem admirandus clausit epilogus iste: *Propterea invenit servus tuus cor suum, ut oraret oratione hac.* Quousque igitur, quęso, excurrendum, ut inveniat quis cor suum? Nil esse potest propinquius. Sunt tamen non pauci, quorum cor totum pæne Orbem pervolet. Hi rarò domi suę sunt, animum suum vix unquam inveniunt. At David: *Invenit cor suum*, inquit, *servus tuus.* Cor Davidis in corde Dei se absconderat, & cor Dei in corde Davidis inveniri poterat. Hoc ajo: Quidquid volebat Deus, & nolebat, hoc David voluit, noluitque. Ideò: inveni, ait, cor meum non in me, nec in meâ voluntate, sed in Deo, divinâque voluntate. Quod Chrysostomus in Davide summi ęstimans: *Propter hoc*, inquit, *omnia diligebat à Domino missa, non de his, quæ fiebant judicans, sed unum solum elaborans, ut in omnibus obediret, & leges ab eo petitas sequeretur.* Beatus, ter beatus, qui cor suum, suámque voluntatem sic perdit in Deo, divináque voluntate, ut ea nusquam, nisi in Deo sint reperienda. Res summi lucri est ita perdere. Immensum divinitatis pelagus omnia infinito fenore sibi commissa reddet.

CA-

Psal. 17. v. 26. & 27.

Ad Tit. c. 3. v. 4.

2. Reg. c. 7. v. 11.

Ibid. v. 13.

In honoribus vilitatis nostræ reminiscendum.

2. Reg. c. 7. v. 8.

Senec. ep. 44.

Animus facit nobilem.

4. Davidis ad Deum precationem affectuum sanctiorum plena fuisse.

2. Reg. c. 7. v. 18.

Ibid.

Isa. c. 47. v. 1.

2. Reg. c. 7. in fine.

Gratias Deo agit David.

2. Reg. c. 7. v. 20.

Ibid. v. 27.

Chrysost. tom. 5. hom. 38. de Humil. & Quiete.

CAPVT XXII.

Legati Davidis ignominiosissimè habentur.

Septem bella adversus David concitata. 1. Philisthæum. 2. Moabitarum.

ARcâ in Sionis arcem deductâ, & perquàm honorificè locatâ, Deus velut in gratiarum actionem diversa septem bella concitavit adversus David. 1. Philisthæum, quo David rex illud obtinuit, ut cùm Hebræi anteà Philisthæis tributa penderent, deinceps vicibus mutatis Philisthæi Hebræis vectigales essent. 2. Moabiticum, quo pariter David palmam retulit. Et percussit Moab & mensus est eos funiculo, coæquans eos terræ, factúsque est Moab David serviens sub tributo. 3. Syrium primum quod gessit contra Adarezer regem quem etiam vicit, captis aut cæsis septem millibus equitum, & viginti millibus peditum. Victoria illustrissima. 4. Ammoniticum Hanone Ammonitarum rege victo. Eduxerat Hanon triginta tria millia armatorum: sed fusi fugatique omnes. 5. Syrium secundum, nam Adarezer nondum satis contusus rediit cum Syriis, Damascenis, Ammonitis. Hoc bello à Davide interfecta sunt octoginta septem millia hostium. Ita expressè sacer Historicus numerat quadraginta millia peditum, & totidem millia equitum, & septem millia curruum. Vnà etiam occisus Adarezeris in militiâ Imperator Sobach. Partâ hac victoriâ David armamentarium & geminas Adarezeris regis civitates invasit, inde arma aurea & pharetias aureas, pondus æris immensum abstulit. Hinc æreum mare, & columnæ, & altare templi fusum. 6. Amalecitanum, nam & Amalecitas subegit. Regum Chronicõ testatur: *Omnia vasa aurea, & argentea, & æneа consecravit rex David Domino, cum argento & auro, quod tulerat ex universis gentibus, tam de Idumæa & Moab & filii Ammon, quàm de Philisthiim & Amalec.* 7. Idumæũ, quo non minùs David, quàm sex prioribus triumphavit. Regum fasti testes: Fecit quoque sibi David nomen, cùm reverteretur captâ Syriâ in valle Salinarum, cæsis decem & octo millibus, & in Gabelem ad viginti tria millia; & posuit in Idumæa custodes, statuitque præsidium & facta est universa Idumæa serviens David. Et servavit * Dominus David in omnibus ad quæcumque profectus est. *Et regnavit David super omnem Israël, faciebat quoque David judicium & justitiam omni populo suo.*

4. Ammoniticum. 5. Syrium secundum. 6. Amalecitanum. 7. Idumæum. * Salutavit in Regum Chronicis.

Ita Deus Hebræum hunc regem bellis fecit felicissimum, ne tamen unquam deesset, quod morderet & affligeret, publicâ Davidem ignominiâ permisit affici. Miserat Legatos David ad regem Ammonitarum Hanonem, qui parentem functum lugebat. Recreando huic luctui, misit Hebræus rex noster Palatinos proceres, qui humanissimè solarentur juvenem patre orbatum. At regis consiliarii hanc humanitatem pessimè interpretati: Venêre, ajunt, non ut solatores, sed ut exploratores. Facilè hoc regi persuasum est. Ideò barbæ Legatis parte mediâ rasæ, talares togæ turpiter præcisæ. Ita cum ignominiâ & dedecore dimissi. E joco tam barbaro bellum ingens exarsit. Hîc explicandum, quantus iste fuerit potentissimi regis irrisus, quibus caussis & unde ortus, quomodo demum repensus.

Miss. legatus David ad regem Ammonitarum.

Exploratores ejiciuntur & cum dedecore dimittuntur.

Vnde maxima fuit regis despicatio.

§. I.

2. Reg. c. 10. v. 5. & 1. Paral. c. 19. v. 4. & 5. Legatus barbæ rasio.

I. MAximam fuisse regii despicationem, vel ex iis verbis liqueat: *Erant enim viri confusi turpiter valde, grandem enim contumeliam sustinuerant: Decalvavit, rasit, & præcidit tunicas eorum.* Convelli barbam, prisci ludibrium summum est visum. Persius adstruit.

A *Idcircò stolidam præbet tibi vellere barbam Iupiter?*

Hinc vetus verbum: Leoni mortuo barbam vellere. Christus hoc ignominiæ à populo suo perferens: *Corpus meum, inquit, dedi percutientibus, & genas meas vellentibus.* De Moabitis Isaias: *Moab ululabit in cunctis capitibus ejus calvitium, & omnis barba radetur.* Inter Hispanos summæ fuit ignominiæ hostis sui barbam prendere: hoc autem minari, inter atrocissimas minas censebatur. Rex Alexander Macedo, teste Plutarcho, ne suis Macedonibus hoc injuriæ inferretur, barbas omnium radi jussit. Germani veteres de homine admodum serio affirmabant: Barbam sibi non sinit pervelli. Si ergo gravis est adspersatio, barbam alienam prendere aut vellere, quanta erit tondere, auferre, & quidem tam turpi modo, ut dimidia tantùm pars barbæ raderetur. Accessit & illud: dimidia pars capitis ad cutem attonsa. Nam decalvavit eos. Ita dimidiam partem veluti canes rasi puerorum sibilis & ludificationibus in plateis regii Legati exponebantur. Cur autem hoc irrisionis genus in Hebræos excogitatum? Quia illi ut fœdum quid & impium horrebant comam aut barbam ad cutem tondere, quando hoc idololatris in luctu & funeribus usitatum. Sed & lex vetus Levitici jubebat: *Neque in rotundam attondebitis comam, neque radetis barbam.* Idcircò Hebræi, hoc ut prodigium abominati, quod Ammonitæ non ignorabant. Accessit illud ignominiæ hujus auctarium, vestes ad umbilicum turpiter acciſæ. Iudæi certè, Legati maximè, & pæne omnes Orientis incolæ talares tunicas gestabant. Atque has juvenis rex ad lumbos ferè præcidi jussit, idque in conspectu aulicorum & civium, ut eos nemo non irridiculo haberet, & exhilaret. † Ita demum, ubi eis tam protervè illusum, dimissi sunt. Contemptus horribilis adversus tam potentem regem. Si quis nostrum in cumulum rapiat, quidquid unquam irrisionis aut contemptûs pertulit, non æquabit vel minimam partem hujus in regem potentissimum excogitati despectûs.

Isa. c. 50. v. 6. Idem c. 15. v. 2. Cur hoc genus irrisionis excogitatum. Levit. c. 19. v. 27. † Non absimilis historia invitâ S. Fulgentii.

Discamus, obsecro, non nimiùm horrere ab aliis contemni. Optimè dixit Plutarchus: Auspicandæ Philosophiæ magnum instrumentum est, Contemptus. Et certè ad submissionem & humilitatem Christianam via est humiliatio, seu, despicatio. Nec seipsum unquàm serio contemnet, qui se ab alio vel levissimè contemni non tolerat. Sapienter dixit Seneca: *Quem quis contemnit, calcat sine dubio, sed transit. Et in acie jacens præteritur; cum stante pugnatur.* Cur, quæso, tot perniciosis miscemur litigiis? Quia contumaciter stamus, & vel minimùm contemni nolumus. Christianæ Philosophiæ omnis expers est, qui à nemine sustinet sperni. Sed hîc porrò quærendum, unde regis tanti contemptus?

Seneca ep. 105. Vnde regis contemptus.

§. II.

II. AMerâ eâque falsâ suspicione, quàm temerarium excepit judicium, istud secuta est calumnia aperta. Exploratores sunt. Quâ in rẽ consiliarii regii geminam admiserunt noxam. 1. Publicum bonum minimè spectârunt, sed suum in Hebræos odium. Neque hoc tantùm, sed & malignum impetum secuti sunt, & quod ille suggerebat, primo furore censuerunt exequendum. Nec cogitârunt fatui, hîc telam exordimur, quam difficilè pertexemus; populis & provinciis luendum erit, quod jam audemus; plectentur Achivi, quod nos deliravimus. Nil horum: Satisfaciendum animo; saturandum odium, sic fiat. Nil sperandum boni. ubi affectus tam pravos extrudit impetus. 2. Non tantùm non bonum publicum, sed nec conscientiam attenderunt: quis eorum quæsiit? An nobis hoc licet facere? An non delinquimus

2. A merâ eaque falsâ suspicione. Duplex consiliariorum regiorum noxa. Prima. Secunda.

quimus in jus omnium populorum, cùm Legati ubique gentium inviolabiles & sacrosancti habeantur? Quicunque Principibus à consiliis sunt, id unicè spectent, ex æquo & bono suadere, affectibus privatis ac commodis longissimè sepositis. Vtilitas publica & conscientia propria, his summè curanda. Sunt, quæ speciem utilitatis publicæ præferant, sed quia eis conscientia refragratur; aliud statuendum. Vbi autem privata spectantur commoda, ibi præsultor & choragus est affectus. Expertus id Roboamus rex, qui senatores juvenes, clavo inexpertos & fatuos secutus, ex uno regno fecit duo, alterumque perdidit. Expertus id Assuerus, qui Amanum maximè dotatum minimè fidelem comperit. Eam ob caussam Esther candidissimè: *Aures principum*, inquit, *simplices, & ex suâ naturâ alios æstimantes callidâ fraude decipiunt.* Quę res & ex veteribus probatur historiis, & ex his, quæ geruntur quotidie, quomodo malis quorundam suggestionibus regum studia depraventur. Expertus hoc & Hanon rex juvenis, in quem illud Ecclesiastæ pronunciatum: *Væ tibi terra, cujus rex puer est.* Nimirum Syracidâ teste; *Qualis rector est civitatis, tales & inhabitantes in eâ. Rex insipiens perdet populum suum.* Quod Hanon tam stupidus, non adeò accusandus, sed quòd tam credulus. Facillimum illi fuisset deprehendere suos stare à partibus, & è vitioso loqui affectu, idcircò alii etiam super eâ re fuissent interrogandi; An æquum sit Legatos tali ignominiâ notare. Nil horum, sed prout dictabat impetus, ita agebatur. Perge igitur, perge, mi puer rex, damno tuo doceberis.

Esther c.16. v.6.

Eccles.c.10. v.16.

Eccli c.10. v.2.3.

Hîc nostrûm quivis videat, quantum sit malum, suspicio & temerarium judicium. De Legatis David temerè dicebatur: Sunt exploratores. Quibus, obsecro, argumentis, quibus indiciis hoc affirmatur? Num id constat, an solis incertissimis spargitur rumoribus? Quòd si hos timetis, legationem admittite, sed gladium circumspicite. Suspicio & temerarium judicium principia rerum pessima, peccatis grandibus nos involvunt. Quanti non dederunt locum timori, aut livori, & dederunt suspicioni. Heli sacerdos cetera non improbus, suspicione tamen & judicio temerario insuper atque calumniâ in Annam feminam sanctam, censor iniquus fuit. Verè quod Itali dicunt, respectus, suspicio, & despectus, evertunt mundum. *

** Sospetti, respetti, è despetti guastano el mondo. Alii, El respetto, el despetto, el sospetto guastano tutto.*

§. III.

III. TEmerarius hic respectus Legatorum, quàm grandi fenore fuit repensus! Regum Chronicon testatur: Videntes autem filii Ammon, quòd injuriam fecissent David, tam Hanon, quàm reliquus populus, miserunt mille talenta argenti, ut conducerent sibi de Mesopotamiâ & de Syriâ Maacha, & de Sobâ currus & equites. Hæc prima peccati pœna, tres auri milliones * ad initium belli uno velut jactu consumpti. Tanti hæc irrisio & ludus stetit. His sumptibus Ammonitæ triginta tria millia militem collegerunt. At David misit Ioabum Imperatorem suum, qui pæne melior seipso, cum Abisai fratre rem præclarè gessit. Neque enim prudenter tantùm, sed etiam contra quàm solebat, religiosè: *Esto vir fortis*, inquit, *& pugnemus pro populo nostro, & civitate Dei nostri: Dominus autem faciet, quod bonum est in conspectu suo.* Ad primum verò congressum Syri sunt fugati. Ammonitæ fugam Syrorum cernentes, mox & ipsi certatim fugere cœperunt. Ita victor rediit Ioabus. Syri resumptis animis velut jam fortiùs acturi, non multo pòst tempore in aciem redierunt cum rege Adarezere, qui castrorum Præfectum habuit Sobachum. Vniversus Syrorum & Ammonitarum exercitus centum & triginta octo millia militum complectebatur, præter septingentos currus, seu septem millia armatorum, qui è curribus pugnabant. Contra hunc tam immensum exercitum David Israëlis populum omnem sub signa evocavit ad prelium, & transmisso Iordane, felicissimè conflixit cum hoste. Nam unico hoc congressu octoginta septem millia virorum è Syris & Ammonitis interfecit, ipso etiam Imperatore Sobacho cæso.

3. Hic contemptus grandi fenore repensus.

** Tricesies centena millia aureorũ.*

2. Reg.c.10. v.12. & 1. Paral.c.19. v.13.

Videte, obsecro, in quantas lacrymas mutatus sit risus! Ita luerunt Ammonitæ irrisum, quo Legatos dimiserant. Tres auri milliones in bellum expensi. Congressu primo omnes in fugam acti, altero supra octoginta millia hominum mactati. An non insigniter puniti? Sed & plura sunt passi, quod suo loco dicemus. Ite nunc consiliarii stulti, & illudite Hebræo regi; in vestrum recidit caput hic lusus.

Hoc certò sciamus; qui alteri illudit, sinum suum conspuit. Isaias clamat: *Væ qui spernis, nónne & ipse sperneris? Cum fatigatus desieris contemnere, contemneris.* Minatur & Salomon: *Parata sunt derisoribus judicia.* Quisque caveat vel ullum hominem contemnere: ultorem nimis robustum & irrisorem sentiet Deum. Quisquis autem cavere cupit hoc vitii genus, cum primis caveat humanæ gentis pestes maximas, suspicionem, temerarium judicium, affectus vitiosos, & similes illis impetus. Qui malè suspicatur, in temerarium judicium facillimè prolabitur; qui temerè judicat, pravos affectus cumulat, hinc impetus furiosi, hinc lerna malorum. Ita diabolus, cum scelerum principi non obsistitur, flagitiorum longissimam nectit catenam. Repeto: Respectus, suspicio, & despectus evertunt Orbem.

Isa.c.33. v.1. Prov.c.19. v.29.

Derisio à Deo punitur.

Quid cavendum ut hoc vitium caveatur.

CAPVT XXIII.

Adulterium David & homicidium patrat.

CVm Augustino hîc exordiar: Dicam ergo, non quod volo, sed quod cogor; dicam non exhortans ad imitationem, sed instruens ad timorem. Post tot illustres victorias David parum civiles egit gratias; à seipso suâque virtute degeneravit turpissimè. Quia verò Deus tam insignis artifex est, ut è plumbo eliquare aurum, è malo possit educere bonum, hic ipse Davidis lapsus plurimùm nobis profuit, quem idcircò Deus voluit Orbi patescere. Rem gestam brevî complectar. David rex à pomeridiano somno in solarium ascendit, otiosus & curiosus obambulando diem fregit. Hîc feminam palatini famuli lavantem vidit. Iudæis assiduæ lavationes in usu erant, plerâque legibus jussæ. Hic autem unicus curiosior in alienum hortum prospectus, in peccata lethalia complura, regem sanctissimum traxit, coram Orbe & Angelis pudefecit. Siquidem è curioso illo oculorum otio ingens nata est tentatio, quam David potuisset, & verò etiam debuisset vincere. Sed heu! tot urbium expugnator, tot gentium victor & domitor, à libidine se vinci passus, fecit quod caro & diabolus suggessit. Vt autem commissum scelus, & quæ sequi solet infamia tegeretur, Vriam rex è bello ad se vocavit eúmque varia per speciem interrogans, hoc unicum laboravit, ut eum ad conveniendam uxorem mitteret. Vrias generosum militem non decere ratus, belli tempore ad conjugis blandimenta divertere, domi suæ pernoctare noluit, sed inter prætoriam cohortem noctes singulas exegit. Rex non desistere, sed urgere hominem & humanissimè monere, rediret domum, uxorem conviseret, quietum tandem somnum domi suæ caperet; insuper è regiâ mensâ misit fercula domi fruenda, imò Vriam ad mensam suam adhibuit eúmque epulis & vino probè sepelivit. Sed Vrias, quid rerum ageretur, ignarus, quantò magis

David adulterium committit.

Ejus causa, otium.

Ad id tegendum astutia & artificium.

magis urgebatur, ut domum rediret, tantò minùs ibat, ne scilicet mollis & ignavus miles aut uxorius haberetur. Vbi rex vidit omnem humanitatis conatum frustra esse, & ita denique patefaciendum scelus, consilium iniit cruentum, epistolium misit Ioabo Imperatori suo, Vriam in aciei fronte collocaret, ubi certissimum immineret periculum. Factum. Vrias è medio sublatus. Hoc imperio David non unum sed plura commisit homicidia. Sed horum nihil curat libido. Atque hic viri tam sancti tam gravis lapsus, complura hoc loco dissertanda suggerit. 1. Cur Deus Davidem ita labi permiserit, ut id omnes scirent. 2. Occasiones lapsûs. 3. Vitiorum catena explicanda. 4. Quid in tali lapsu deterrimum. 5. Quàm grave scelus sit adulterium, hoc capite discendum.

Circa quod quinque differenda:

§. I.

1. Cur Deus ita labi permiserit Davidem, ut id omnes scirent.

I. PErmisit Deus tam sanctum vatem in hæc dedecora incurrere, ut Dei justitia simul, & misericordia in tali viro potentiùs elucerent. *Vniversæ viæ Domini Misericordia & Veritas. Misericordiam & judicium cantabo tibi Domine.* Deinde voluit Deus, ut sciremus è talibus delictis sanctissimos etiam hos viros fuisse non tantùm homines, sed imitabiles; atque ut ejusmodi fœdiores lapsus non solùm averfaremur, sed omnes etiam peccandi occasiones fugeremus. Nam *qui amat periculum, in illo peribit.* Hìc nos Augustinus erudiens: *Non sit delectatio Minorum*, inquit, *lapsus Majorum; sed sit casus majorum, tremor minorum.* Prætereà hìc etiam maximorum columinum ruinis, virorum tam sanctorum flagitiosis casibus erudire nos voluit Deus, ne noxis talibus contractis animum desponderemus, & verum resipiscendi modum disceremus. Duplex præceptio. Augustinus hìc geminam præceptionem instillans: *Audiant*, inquit, *qui non ceciderunt, ut non cadant: audiant, qui ceciderunt, ut surgant.* Peccatum cum desperatione certa mors. Multi cadere volunt cum David, & nolunt surgere cum David. Non ergo cadenti exemplum propositum est, sed, si ceciderís, resurgendi. Attende, ne cadas.

Inis. c. 3. v. 27. Aug. tom. 8. in Pſal. 50.

2. Occasiones lapsus. Ad lapsum tres opportunitates. Prima.

II. Priùs aliquis lapsat, quàm in peccatum penitus corruat. Ad prolapsionem hanc variæ sunt opportunitates. 1. Somnus pomeridianus, præsertim in molli lectulo vocatus. Accidit, ut surgeret David de stratu suo post meridiem. Somnus in stragulo pomeridianus vitiosæ consuetudinis pronubus. Meridiatio corpori valde noxia, ut scholæ medicorum docent: nisi aliud exigat consuetudo, aut regionis ratio. Atque ut cibus & potus extra prandium cenámque sumptus officit, ita somnus non suo tempore admissus incommodat, mollioris animi, & deliciis fracti argumentum. Invitum ab hoc somno vinci non adeò turpe, illum ultro accersere, & ad eum se componere, planè damnandum. 2. Otium, alter ad vitia pronubus: Deambulabat David in solario domûs regiæ & nihil serii meditabatur. Otium Bernardo rimosa navis, quæ ob neglectum nautarum, sensim haurit aquam, & demum mergit. Otium Laurentio Iustiniano, stagnans palus est, plena sordidis bestiolis. Quisquis otiosus est, brevi & vitiosus erit. Iners otium, magister vitiorum felicissimus. Malus esse compendio disces, modò incipias otiosus esse. Davidi proxeneta fuit otium ad flagitium non unum.

Secunda.

Tertia. Chryſ. in Pſal. 50.

3. Oculi curiosi, emissitii ductores ad vitia certissimi. *David vidit mulierem se lavantem.* Hìc Chrysostomus præclarè monet: *Audiant curiosi; aperuit in vano oculos, & suscepit sagittæ ictum. Oculus curiosus potentissima fax tam fœdi incendii. Inverecundi oculi & verecunda mens, magnum in Orbe prodigium, vix uspiam reperiendum.* Nemo dicat pudicum se habere animum, nisi & pudicos, cautos, castos habeat oculos; si oculi vagi, volantes, A emissitii sint, & velut seductæ columbæ columbárium alienum subeant, cor inquietum protinus sequetur. Quod Ezechiel Propheta dixit: *Oculos eorum fornicantes, cor eorum fornicans, & recedens à Deo comitabitur.* Idcirco Iobus: *Pepigi fœdus*, inquit, *cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de Virgine.* Nam quod Clemens Alexandrinus asserit, Visûs, amoris principium est. Eosdem oculorum nævos commonstrans Petrus: *Oculos*, inquit, *habentes plenos adulterii & incessabilis delicti.* Oculos quàm cautissimè custodiat, qui mentem cupit custoditam.

Ezech. 6. v. 9. Iob c. 31. v. 1. 2. Pet. c. 2. v. 14.

3. Vitiorum catena.

III. Mirabilis inter vitia cohæsio, & velut catena. Agmen in Davidem duxit otium. Mox adfuit curiositas humanæ gentis vitium. Hoc insecutum est cordis adulterium. Huic proximum ipsum adulterii flagitium. Insuper Vrias redditus est ebrius. Dein per epistolam infamatus, brevi & occisus. Inde contractum cum adulterâ connubium, hanc denique criminum catenam secuta offensio & exemplum pessimum aulæ, civitati, toti regno proditum. Ab hoc multiplici facinore vitæ est David indurari & lapidescere, & inde non tam Deum, quàm infamiæ fœtorem toto regno spargendum metuere. Hinc in omnem se partem flexit, ut hanc sceleris notam sic aboleret, ne in vulgus emanaret. 1. Vriam vocavit, quasi de rebus bellicis interrogaturus, *Quæsivitq; quàm rectè ageret Ioab & populus, & quomodo administraretur bellum?* Reipsâ, totus in eo erat, ut Vriam domum amandaret. Hinc illæ voces tam humaniter inculcatæ: *Vade in domum tuam, & lava pedes tuos*, quiete ac bonis perfruere. *Secutúsque est eum cibus regius.* At Vrias propositi tenax, & ignarus hoc unum agi, ut domum rediret, inter regium satellitium, legionem Cerethi & Phleti excubavit. At David lenio suavi comitate urgens: *Nunquid non de via venisti?* ait, *quare non descendisti in domum tuam?* Cui Vrias: Supremus Dux belli Dominus meus Joab, & Arca Dei sub pellibus, procul à culcitris, & extra delicias habitant, sed & aliis generosis Ducibus ac militibus terra lectus est, & ego unus cæteris effeminatior ad uxorias delicias secedam, & somnum lecto fulciam? *Per salutem tuam, & per salutem animæ meæ non faciam rem hanc.* O mi Vria, hæc militaris generositas exitio tibi erit! Sed unum adhuc arietem huic viro admovendum censuit David, ut quem sermones blandissimi non potuerunt domum ablegare, saltem expugnarent pocula. Ergo *eum vocavit, ut comederet coram se, & biberet, & inebriavit eum: qui egressus vespere dormivit in strato suo cum servis domini sui, & in domum suam non descendit.* O pravum Davidis consilium! necavit Vriam, antequam necaret, priùs ebrietate, dein gladio. Disertè hìc Augustinus: *Qui alterum cogit, ut se bibendo inebriet*, inquit, *minus malum erat, si carnem ejus gladio vulneraret, quàm animam ejus per ebrietatem necaret.* Sed neque hoc stratagemate Vrias perpelli potuit, ut domum suam ab aulicis excubiis secederet, tametsi plures aliæ causæ ad id eum instigarent. Cogitandum venerat: Quid dicet uxor mariti, odium interpretabitur abnoctationem tam contumacem; me sui oblitum causabitur, cùm ab eâ jam quatuor mensibus absim. Num conjuge penitus insalutatâ redeam in castra? Norunt Superi, quando in Hierusalem simus reversuri: quid verò commilitones dicent, quàm nullus sim paterfamilias, qui rem domesticam tam nihili ducam? Quid dicet socer meus, & mei cognati? His omnibus spretis Vrias rerum inscius à suâ domo abnoctavit constantissimè. Quis hìc, obsecro, non videat sublimiore ista consilio gesta? Quis luculentum Dei judicium in Davidem non reprehendat? Astutior fuit Davide sapientia divina: Deus est, Iobo teste, *qui apprehendit sapientes in astutiâ eorum.* Ergo Deus voluit crimen Davidis

Actus Davidis ut teget peccatum.

Primus. 2. Reg. c. 11. v. 7.

Ibid. v. 8. Secundus.

Tertius. Ibid. v. 10.

Ibid. v. 11.

Quartus.

Ibid. v. 13.

Aug. tom. 10. ſerm. 231. de tempore.

Iob c. 5. v. 13. & 1. ad Cor. 3. v. 19.

non abscondi, sed detegi ac publicari: idque è singulari gratiâ.

Quintus. Quando igitur David frustra omnia tentari animadvertit, Ioabo duci epistolium scripsit his imperiis: 2.Reg.c.11. v.15. *Ponite Uriam ex adverso belli, ubi fortissimum est prælium, & derelinquite eum, ut percussus intereat. Epistolam*, inquit Chrysost. to. 1. in ps. 50. Chrysostomus, *ferebat plenam sanguine*, quidem suo, ita ut coactus fuerit suæ mortis fieri minister. Hac autem epistolâ prius infamatus est miser Urias, quàm necatus. Siquidem Ioabus secum ita cogitaverit. Utique vir iste piaculum grande commisit, sed parcitur honori, morte in illum decretâ generosiore: idem cogitaverint & illi milites, qui jussi eum in extremis periculis non juvare. Vel catenam, quam nexuit David è pluribus flagitiis. Nam penultimus catenæ annulus fuit homicidium, & quidem non unius sed plurium, & multiplex. Nec enim, quod Tostatus observat eâ ratione quibat ab hoste interfici, quin simul plures tollerentur, ex animus hosti cresceret è fugientium pavore. Denique cum adulterâ jungit connubium David, affectu certè non laudando. Nam matrimonia ejuscemodi lege priscâ videntur vetita, quamvis cens. valida jam inita. Ideo Nathan exprobrans: 2.Reg. c.12. v.9. *Et uxorem illius*, inquit, *accepisti in uxorem tibi.* Hanc, obsecro, catenam iterum considerate, & illius annulos numerate: Otium, curiositas, cordis adulterium, ipsa fidei maritalis violatio, ebrietas Vriæ, dehonestamentum, cædes, homicidium plurium, conjugium cum adulterâ, pessimum in toto regno exemplum. Tales catenas nectit faber ab orco: Nullum peccatum solum & incomitatum incedit. In plurimis id observandum. Eam ob rem Isaias clamat: Isa.c.58.v. 6.& 9. *Tunc invocabis, & Dominus exaudiet, si abstuleris de medio tui catenam: Dissolve colligationes impietatis.* Virtutes sibi nexæ sunt; qui unam habet intimè familiarem, omnes habet. Pari modo & vitia sibi mutuis nexibus copulata sunt: qui uno gravius laborat, omnibus laborat. Hæc illa catena est de medio auferenda, hæ colligationes impietatis dissolvendæ.

4. Quid in tali lapsu deterrimũ. IV. Deterrimum in tali lapsu est labendi frequentatio. Cùm scilicet non tantùm semel delinquitur, sed sæpius: cùm quis peccandi assiduitate in eam se consuetudinem abducit, ut difficillimum videatur non peccare. Chrysostomus graviter dehortatus: *Concupisti*, ait, *& peccâsti? si cupis agere pœnitentiam, ne adjicias peccatum super peccatum.* Hanc peccandi consuetudinem Siracides deplorans: Eccli. c.3. v.29. *Cor nequam*, inquit, *gravabitur in doloribus & peccator adjiciet ad peccandum.* Idem c.2. v.1.& c.5. v.5. *Fili peccasti, ne adjicias iterum, sed & de priscis deprecare. Ne adjicias peccatum super peccatum.* Hi profectò periculosissimè vivunt, & palàm ad inferos tendunt, vera diaboli mancipia, qui peccata graviora identidem repetunt: hodie delinquunt, perendie idem liberiùs agunt, idem alterâ, idem tertiâ hebdomade, & quidem audaciùs committunt; ita cum peccatorum numero crescit & peccandi animus. Quisquis es, cave, ne in hanc voraginem descendas, ne adjicias peccatum super peccatum. Peccandi consuetudo res deterrima. Atqui hoc libidini proprium est, nunquam expleri, nunquam satiari. Libido vitium præceps & cœcum, pudorem & prudentiam omnem exterminat. Homo libidinosus velut avidum mare absorbet & glutit omnia, modò suæ obsequatur libidini. Cùm bellicæ cladis nuntius diceret Davidi: 2.Reg.c.11. v.24. *Direxerunt jacula sagittarii ad servos tuos ex muro desuper, mortuique sunt de servis regis, quin etiam servus tuus Urias Hethæus mortuus est:* David hoc nuntio nihil turbatus, factum Ioabi laudavit. Ibid.v.25. Imò suorum occubitum ut rem minutulam æstimans: *Non te frangat res ista*, inquit, *varius eventus est belli, & nunc hunc, nunc illum consumit gladius.* Nemo miretur has voces regis, suorum militum morti parum ingemiscentis: Libido excæcat, efferat, dementat, præcipitat. Hoc Chrysostomus expendens: *In ipsum*, inquit, *peccati barathrum præcipitatus est David, sed citò surrexit.* Adulterium & homicidium non repetiit; nec adjecit peccatum super peccatum.

5. Quàm grave sit adulterii peccatum. V. Adulterii gravitas. Adulterium tam grave peccatum est, ut Iobus pudicâ conscientiâ dixerit: Iob.c.31. v. 9.11.& 12. *Si deceptum est cor meum super muliere, hoc enim nefas est & iniquitas maxima. Ignis est usque ad perditionem devorans, & omnia eradicans genimina.* Homicidium Augustino teste, *adulterii fructus.* Siracides affirmativè pronuntiat: Aug.tom.8. in psal.50. *Omnis homo, qui transgreditur lectum suum, contemnens dicit: Quis me videt? tenebræ circumdant me, & parietes cooperiunt me, & nemo circumspicit me, quem vereor? Delictorum meorum non memorabitur Altissimus. Et non intelligit, quoniam omnia videt oculus illius, quoniam expellit à se timorem Dei hujusmodi hominis timor, & oculi hominum timentium eum, & non cognovit, quoniam oculi Domini multò plus lucidiores sunt super solem, circumspicientes omnes vias hominum & profundum abyssi, & hominum corda intuentes in absconditas partes. Et erit dedecus omnibus, eò quòd non intellexerit timorem Domini. Sic & mulier omnis relinquens virum suum, & statuens hæreditatem ex alieno matrimonio. Primò enim in lege Altissimi incredibilis fuit; secundò virum suum dereliquit; tertiò in adulterio fornicata est: dedecus illius, non delebitur. Adulterium*, inquit Ambrosius, *feris etiam ac barbaris detestabile.* Adulterium vel ipsæ bestiæ detestantur, & inter se acerbè vindicant. Omni ævo hoc flagitium Deus abominatus est. Cùm natura etiámnum leges dictaret ante promulgatum decalogum, adulterii supplicium mors fuit, & quidem mors in flammis subeunda. Hanc sententiam Iudas in Thamar nurum suam dixit: Gen.c.38. v.24. *Producite eam, ut comburatur.* Si sæculo tam rudi adulterium tam seriò punitum, quid faciendum lege clarissimâ jam latâ: *Non mœchaberis?* Hebræis certè legibus etiámnum Christi ævo tam adulteri quàm adulteræ lapidibus obrui jubebantur. Arabes, Parthi, aliæque nationes edictum in adulteros cum pœnâ & judicio perscripserunt & sanxerunt capite. Prisci Saxones tam mœchum, quàm mœcham aut laqueo aut flammis necârunt. E Romanis Imperatoribus aliquot sub pœnâ capitis adulterium vetuerunt.

Adulterii semper Deus est abominatus. Variæ pœnæ in adulteros decretæ. Exod.c.20. v.14.

Nunc locis plurimis connivet virtus blandimentis sopita: adulteria passim committuntur impunè; magistratus cessant, neque hanc reipublicæ pestem pœnis coërcent, aut tantùm levioribus. Gravissimum supplicii genus est, luere marsupio. Ita immanè crescit & roboratur hoc flagitium. Quod Oseas gravissimè questus: *Homicidium*, inquit, *& furtum, & adulterium inundaverunt.* Severas rationes exiget Deus ab iis, qui luem hanc alunt connivendo. In ipsos adulteros jam lata est sententia, & à Paulo promulgata: *Neque fornicarii, neque idolis servientes, neque adulteri regnum Dei possidebunt.* Libanius disertus Philosophus. Vndénam, inquit, putas tam crebra audacter committi adulteria? Nónne ex eo, quod adulteri è judiciis tam facilè absolvantur? Discrimen legum statuens Hieronymus: Aliæ sunt, inquit, leges Cæsarum, aliæ Christi; aliud Papinianus; aliud Deus nobis præcepit. Sic forsan mollior humanarum explicatio, divinarum nimis quàm exacta est: *quoniam qui talia agunt, regnum Dei non consequentur.* Galat.c.5. v.21.

A connivent magistratus adulteriis Deus severas exiget rationes. Osea c.4. v.2. 1.Cor.c.6. v.9.& 11.

Balduinus Flandriæ Toparcha, ex hoc Constantinopolis Imperator, quod Nicetas narrat, tantis odiis prosecutus est adulterii flagitium, ut quâvis hebdomade per præconem bis publicè proclamari jusserit: Ne quis in palatio meo pernoctato, qui alienam conjugem contigerit.

Basilius Seleucus dicta consignans nobili oratione: *Grave malum est*, inquit, *fornicatio, & omnino grave, immortali simile.* Basil. orat. 41. sub finem.

immortali digna cruciatu, hîc enim mille contrahuntur noxæ. Quare hortor vos de hoc morbo libereris, aut templorum adyta ne subeatis. 1. Cor. 6. 15. & seq. *Nescitis*, clamat Paulus, *quoniam corpora vestra membra sunt Christi? Fugite fornicationem. Omne peccatum, quodcunque fecerit homo, extra corpus est; qui autem fornicatur, in corpus suum peccat. Fugite fornicationem.*

CAPVT XXIV.

David pœnitentiam de peccatis agit.

Nathan ad Davidem à Deo mittitur ut medicus.

QVANDO igitur David lethali vulnere non uno seipsum saucium vidit, Nathânem medicum Deus submisit, qui oleô & vino, imò & aceto vulnera curaret. Suaviter exorsus Nathan, ampullam oleariam in affectas partes rorare jussit, mox eas acri aceto perfricans dolores quidem excitavit, sed qui faceret sanitati. Nathan parabolâ usus & imagine: Duo, inquit, in urbe unâ erant à fortunis dissimillimi cives. Alter opulentus, greges ovium, & boum armenta habuit, pecuniis & pecore abundans. Tenuis vitæ alter, & sine censu oviculam aluit unicam, eámque ut filiam educavit, eâdem cum liberis mensâ, eodem pane, ex eâdem patinâ & poculo. Dominentem hanc animantem paterfamilias non minùs, quàm ipsos liberos in sinu fovit. Cùm autem adventor quidam peregrinus ad divitem diverteretur, ille suis ovibus numerosissimis & bobus parcens, ut hospiti convivium strueret, unicam viri pauperis oviculam jugulavit, & inde caput cœnæ statuit suo diversori. Quid tibi, rex optime, videtur de cive hoc tam opulento simul & iniquo? At rex David iracundiâ grandi exardescens: Quisquis hoc fecerit, exclamat, oves quatuor pro unâ reddat, & factum iniquissimum capite luat. Ad quem continuò Nathan: *Tu es ille vir*, inquit, te ipso judice cadis. Et causam hanc omnem à capite arcessens: Nónne, ait, beneficiis te Deus innumeris cumulavit & obruit? A pedo & petaso ad diadema & solium evexit, tot Saulis insidiis subduxit, è periculis tantis eruit, in domum opulentissimam deduxit, Israëlis & Iudæ regnum tradidit, paratus dare plura, meliora. Tu autem, mi rex, hæccine benefactori summo reddis? hæc scelera in conspectu Dei patrare audes, adulterium & homicidium, aliásque illius vicinas culpas admittere non vereris? itáne sciens in malum ruis? Vxorem non tuam polluisti, Vriam Hethæum interfecisti, relictam ab illo viduam tibi conjugem accepisti. Sed paratæ sunt jam delinquenti virgæ; castigabit ferius Pater exorbitantem filium. Cælestis curiæ decretum audi: *Non recedet gladius de domo tuâ usque in sempiternum. Tu enim fecisti absconditè; ego autem faciam verbum istud in conspectu omnis Israël, & in conspectu solis.* Mox David in lugubres voces erumpens: *Peccavi Domino*, inquit: Nec distulit Nathan confitentem reum in spem bonam erigere: *Dominus quoque transtulit peccatum tuum*, ait, *non morieris*. Veruntamen complures aliæ breviores pœnæ te sequentur. Filius tibi nasciturus brevî extinguetur. His auditis David, variis seipsum suppliciis affecit, inediâ, lacrymis, rigore strati: nam terræ indormuit, ut vel hac ratione parvulo servaret vitam, neque enim decretoriam Dei voluntatem intellexerat. At ubi post exactos his rigoribus septenos dies puerulus morte sublatus, rex lotus, unctus, in regem vestitus, ad arcæ tabernaculum properavit, seséque ad divinam voluntatem penitissimè conformavit. Inde lætissimus ad prandium abiit. Cùm id aliqui è familiaribus satrapis mirarentur, & quærerent. Quid hoc ritûs aut moris? Cùm infantulus etiámnum viveret, rex inediâ se afflixit, in terrâ succubuit, lacrymis se proluit, nunc eo mortuo è terrâ surgit, & hilaris mensam accumbit? Ad ista rex: *Propter infantem*, inquit, *dum adhuc viveret, jejunavi & flevi. Dicebam enim: Quis scit, si fortè donet eum mihi Dominus, & vivat infans? Nunc autem quia mortuus est, quare jejuno? Nunquid potero revocare eum amplius? Ego vadam magis ad eum, ille verò non revertetur ad me.* Dum hæc expendimus, tria nobis veniunt disserenda. 1. Quomodo peccati gravitas, & sequentes peccatum pœnæ sint propositæ. 2. Quàm seriò resipuerit rex David, & quæ pœnitentiæ signa ediderit. 3. Quàm integrè voluntati divinæ se attemperârit.

Ibid. v. 22. 23.

Tria expendenda.

§. I.

1. Quomodo peccati gravitas, & sequentes peccatum pœnæ sint propositæ.

QVòd primum attinet; peccati gravitatem Nathan ita statuit ante animum, & ante oculos regis, ut excusationis nil prorsus invenerit. Vide, inquiebat Nathan, ingrati animi crimen. Has rusticani viri filius, tuorum fratrum minimus, pastorculus contemptus, & Deus te in regem extulit. Nunc benefactorem tuum sic ausus es offendere? Has illi gratias rependis? Et quoties Deus vitæ tibi gratiam fecit, quoties Saulis unguibus hærebas captus, morti proximus? tot tantísque periculis subduxit te Deus tuus, Servator tuus, hunc ipsum tu injuriis lacessis? Quot te victoriis, quot beneficiis aliis ornavit? itáne tu respondes beneficiis? hunc eis honorem habes? Agnoscis utique Deum, locis omnibus præsentem, & tamen in illius oculis flagitia patrare gravissima reveritus non es. *Quare contempsisti verbum Domini, ut faceres malum in conspectu ejus?* Homicidium cum adulterio copulâsti. Honestam feminam in sceleris societatem traxisti. fidelem servum hac injuriâ dejectum insuper infamâsti, insuper & necâsti, incredibili totius regni, & omnium hostium offensione. Ergo peccatum non claudus comes sequetur supplicium. Et sicut tu in Vriam innocentem, ita Deus in te nocentem stringet gladium, qui non recedet de domo tuâ usque in sempiternum; bella tibi ex bellis orientur; aliquid quietis non tibi, sed filio tuò dabitur ad struendum templum. Tu conjugem alienam etsi unicam violâsti; idem hoc tuo fiet gynæceo: tollentur uxores tuæ in in oculis tuis. Absalon id audacissimè fecit. Copiosissimum te probrum, idque publicum insequetur. *Tu enim fecisti absconditè, ego autem faciam verbum istud in conspectu omnis Israël.* Porrò infantulus è toro non legitimo natus morietur.

2. Reg. c. 12. v. 9.

Ibid. v. 12.

Videte, quæso, quàm cathartícis medicamentis soleat Deus illorum animum purgare, qui noxiâ intemperantiâ lethalem contraxêre morbum. Hæ pœnæ irrogantur peccatis, talibus piaculis luendæ sunt noxæ. Profectò David ad hoc usque tempus excors, & uxoriis blandimentis captus, decem mensibus, de resipiscentiâ nihil cogitavit, altùm hæsit in sordibus, non quidem eadem repetens, sed nullam agens pœnitentiam. Cùm autem Deus hęc illi in os opprobrari juberet, tandem in semet descendit, reum se proclamavit, & Nathani se curandum subjecit his vocibus: *Peccavi Domino*. Hoc primum,

Ibid. v. 13.

2. Quomodo resipuerit David, & quæ pœnitentiæ signa ediderit.

Alterum, Pœnitentia Davidis seria. *Peccavi*, ait. Virtutum se prodit prima, peccati notitia. Nec peccasse tantùm fatetur, sed *Domino*: E quibus verbis liquet ad peccati notitiam accessisse, verum de peccato dolorem. Est dolor, sed inutilis & imperfectus. Inutilis qui humana tantùm spectat, & peccati damna, sed non æterna considerat; jacturam famæ, nominis, pecuniæ, dignitatis, patriæ, sanitatis, vitæ, sed solùm caducæ. In Saule rege talis dolor. *Peccavi*, ait. Sed mox aliò abreptus, & malè regno suo metuens: *Sed nunc*, inquit, *honora me coram senioribus populi mei, & coram Israël.* Talis & in Antiocho rege fuerat dolor. Ingemiscebat ille tot à se mala Hierosolymis patrata, non ob nu-

Duplex dolor, inutilis, *1. Reg. c. 15. v. 24 & 30.

In Saule fuit dolor inutilis, sic & in Antiocho rege.

minis reverentiam, sed ob morbi & mortis sævitiam. O Christiani, quàm chara, quàm pretiosa, sed & quàm rara est contritio vera! Ille verè dolet, quem seriò peccati pœnitet. Aliis dolor non malus, sed imperfectus, horret gehennam, & cæli tantùm æstimat jacturam, non Numinis offensam. Dolor verus ad sinceram pœnitentiam necessarius, divinam injuriam offensámque considerat; hinc mœror oritur, qui spretam & abjectam Dei gratiam, qui Deum super omnia diligendum, peccatis gravissimè læsum deplorat. Hinc lugubres illæ voces: *Peccavi Domino*, Quas David sæpius ingeminans: *Tibi soli*, ait, *peccavi*. Vriam quidem summis injuriis affeci. Bethsabeam illius conjugem viatiy, quosdam militiæ meis imperiis occidi, multis millibus pessimo exemplo nocui: sed si hæc omnia cum injuriis Deo illatis compono, minuta sunt hæc omnia ad illas maximorum montium moles. Itaque David doluit, non ob sceleris infamiam, non ob vulgi sermones, nec ob filioli mortem, sed ob summi benefactoris offensionem. Eheu cogitabat, tot Dei potitus donis, tot Deo injurias rependi: *Peccavi Domino!*

& imperfectus.

Psal. 50. *v.* 6.

Doloris Davidis argumẽta. Primum. *Psal.* 50. *v.* 3.

Doloris ac pœnitentiæ hujus argumenta fuerunt complura. 1. Psalmus pœnitentiæ scriptus: *Miserere mei Deus secundùm magnam misericordiam tuam.* Hoc lugubre carmen jam omnibus templis personat; tot in eo doloris testimonia, quot psalmi verba. Ita nimirum divinæ sapientiæ placuit, quod Eucherius dixit ut Davidis naufragium sit aliis portus. 2. Nulla hîc excusatio, nulli sceleris prætextus; reprehensionem amaram animo æquissimo admisit, velut vulgaris opifex à magistratu objurgatus. Nec iniquè tulit acerbiores voces illas in os objectas: *Tu es iste vir.* 3. Veniam illis facillimam dedit, à quibus gravissimè læsus est, quales fuerunt nequam Semei, rebellis Absalon, superbus Adonias, præfector Ioabus, complures alii. 4. Voluntarias pœnas ultro suscepit, & commissa crimina in seipso quàm acerrimè vindicavit. Iansenius arbitratur, eum à severâ inediâ & assiduis vigiliis morbum contraxisse: Nec æger ipse hoc negans: *Genua mea*, inquit, *infirmata sunt à jejunio. Laboravi in gemitu meo, lavabo per singulas noctes lectum meum, lacrymis meis stratum meum rigabo.* Gemitibus ac suspiriis fessus non cessabo tamen à memetipso exigere supplicia. Non pauculis tantùm guttis meis stillabunt oculi; perfundam lectum lacrymis & natare * faciam, ut lavari possit his oculorum rivulis. Doctissimus Bellarminus censet, eum aliquam multas noctes suspiriis & lacrymis totas impendisse, non paucas eodem fletu ac gemitu mutilâsse. Mi Deus, quid faciendum illis, qui tot lethalia peccata cumulant, & rident?

Secũdum.

2. *Reg. c.* 12. *v.* 7.

Tertium.

Quartum.

Psal. 108. *v.* 24.

Ps. 6. *v.* 7.

* *Ita Hebraus cõtextus habet.*

5. Lapsus sui oblitus nunquam: *Quoniam*, ait, *iniquitatem meam ego cognosco, & peccatum meum contra me est semper.* Oculis meis assiduè obversatur scelus meum; quocunque me vertero, meam ipse turpitudinem intueor, perpetuæ me cruciant amaritudines. *Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte: Quia cinerem tanquam panem manducabam & potum meum cum fletu miscebam.* Pane sordidissimo, & cineribus largiter conspersò vescebatur, uti faciunt, qui vitam asperitate summâ trahunt. Franciscus Assisias, sui ipse hostis laudatissimus, Bonaventurâ teste, cibaria cocta tempore sanitatis vix admittebat, admissa verò cinere condiebat. Hæc illius erant aromata. 6. Pœnitentia omnium optima, culpas non repetere. Nullum ampliùs David adulterium commisit, hanc grandem noxam non geminavit; sufficerat semel corruisse. Quod peracutè observans Augustinus: *Sed quia*, inquit, *in isto viro immoderatæ hujus libidinis non permansio, sed transitus fuit, propterea etiam à Prophetâ illicitus ille appetitus hospes vocatus est.* Idem sentiens Chrysosto-

Quintum. *Ps.* 50. *v.* 5.

Ps. 41. *v.* 4. *Psal.* 101. *v.* 10.

Sextum,

mus: *Quis*, ait, *iste peregrinus? Concupiscentia. Vt ergo illius ostenderet castitatem, peregrinum nominavit concupiscentiam.* Nec enim unquam anteà, nec postmodum unquam hanc culpam repetiit. Hoc certè determinum est, cùm quis noxam aliquam ita committat, ut eandem iterum iterúmque ac sæpius, tam denique frequenter committat, ut assiduitate assuescat, videatúrque non posse non assiduè facere, quod toties malè fecit. Quod David semel deliquerat, non perfunctorio luctu deplorans: *Peccavi*, ait, *Domino.* Mox Nathan delicti gratiam fecit, dixitque: *Transtulit Dominus peccatum tuum*; quàm mitis Deus! In opulentum civem, qui oviculam rapuerat egeno, sanguinis sententiam dixerat rex, & capite puniri tanquam rerum capitalium præfectus jussit. At ipse cædis & adulterii convictus, ubi binas dixit voculas, mox de reis exemptus est. Tantum, inquit Augustinus, valent tres syllabæ, *Peccavi*. Ita tribus fabis tres auri montes lucrari possumus. Nihilominus è plurimis hominum, ne quidem tres syllabæ ullo modo extorqueri possunt.

Chrys. tom. 1. *in Ps.* 50.

In peccatum semel remissum non est recidendum.

2. *Reg. c.* 12. *v.* 13.

Sed hîc, obsecro, quàm attentissimè considerem-Nullum peccatum remanet inultum apud Deũ. mus, quem Deus juris ordinem servet. Æterni supplicii gratiam fecit, admissam culpam remisit, temporalem tamen pœnam, eámque satis rigidam exegit à Davide. Hic Dei mos est, æqualitate inter culpam & pœnam servatâ. Nam uti capillus minimus suam habet umbram, sic & minima peccata suam habent pœnam. Dixerat quidem Nathan: *Transtulit Dominus peccatum tuum*, dimissa est culpa & æternum illius supplicium, sed non dimissa est temporaria pœna. Longissima malorum series, sed breviorem te sequetur; labes, ignominia, dedecus, seditiones, bella, calamitates variæ te prement, liberorum probra, cædes, stupra te affligent: tres filii jugulabuntur, Amnonem Absalon, Absalonem Ioab, Adoniam Salomon occidet, sed nec aliunde deerunt peccati pœnæ. Videte, quâ ratione Deus debitorum solutionem expediat, & suæ ipse justitiæ satisfaciat. Quod in Davide Augustinus factum, deprehendens: *Vt*, inquit, *& confessus in æternum liberaretur, & afflictus temporaliter probaretur.* Pœnas sempiternas condonat Deus, pœnas temporarias reservat & expetit. Hinc illi stultissimè considerati, & cum ratione insani: Hæc omnia, inquiunt, exomologesi delemus, & unâ fidelia parietes dealbamus plurimos. Ita mei, ita immortalem culpam, sed breviorem pœnam non tollitis. Multa scelera, multa pœnarum genera. Hinc nemo miretur tam varias & crebras hominum afflictiones, ita nomina Deus exigit, dum vivimus, nósque favore singulari punit, ne puniat; punit pauculis momentis, ne puniat æternùm.

Aug. l. 2. *contra Iulianum c.* 67.

Tertium hoc capite sub oculos ponendum, est 3. Quàm integrè vo-luntati divinæ ut-perantur. conformatio ad divinam voluntatem insignissima, quò ferè omnia spectant, quæ de Davide disseremus. Nesciebat David, an decretoria Dei voluntas esset, filiolum recèns natum extingui, ideo dixit: *Quis scit, si forte donet eum mihi Dominus.* Ideò etiam pro vitâ parvuli preces ardentissimas fudit, septem diebus inediâ se maceravit. Iosephus arbitratur eâ hebdomade totâ nil penitus cibi admisisse regem. Ego putem nil cibi cocti gustâsse, sed è bellariis aliquid libi vel panis saccharati, ad vitam solùm sustentandam sumpsisse. Sed & repudiato lecto humi cubuit, & vigiliis se afflixit. Insuper solitarius egit, & vitam incultam, non lotus, non unctus, posito cultu regio, velut captivus sacco vestitus duxit.

2. *Reg. c.* 12. *v.* 22.

Monebant Prisci depillationibus ac gravedini curandæ: Esurias, sitias, vigiles, sic reumata cures.

Rex David, esuriit, sitiit, vigilavit, oravit, jejunavit, sic crimina curavit, vitam tamen infantulo

non,

non servavit: auxilium omne concidit, actum egit; infans mortuus est. Plinius olim: Rem bonam, inquit, fecisti, regule, quòd mortuus sis. Idem ego hîc usurpem? Rem optimam fecisti, mi parvule, quòd mortuus sis. Nam adultior factus, fuisses digitis notatus; dixissent: Hic ille puer, hic ille juvenis est furto conceptus. Et non minùs curvis praviśque moribus, crediderim, fuisset iste parvulus atque alii Davidis filii plerique omnes à parentis sanctimoniâ multùm degeneres. Igitur favoris fuit divini parvulum hunc maturiùs extingui.

David in morte filii adversus Deum non queritur.

Hîc autem David virum se gessit, cùm suam divinæ voluntati perfectissimè subjunxit. Infante mortuo non vanè lamétatus, nec verbulo adversus Deum questus, surrexit totus, unctus, vestem indutus regiam, ingressus est domum Domini, atque sic precatus: Tua, mi Deus, placita & decreta ex toto placent: sorte meâ contentissimus sum; sanctissimam voluntatem tuam obviis ulnis amplector. Tuum velle ac nolle meum est. Filiolum meum te nolente nolim vivere: gratias tibi ago, quod mihi veniam & vitam indulseris, & eâdem bonitate filiolo meo lucem & vitam ademeris. Tuo, Domine, nutu vivimus, ad tuum nos arbitrium totos fingimus & conformamus; moniti te sequimur.

sed gratias agit.

In omnibus calamitatibus semper Deo benedicendum.

Ita nos in omnibus loqui oportet & agere. Sin aliter agimus, & reluctamur, aut inviti nutus divinos sequimur, animi tranquillitatem nunquam consequemur. Exemplo monstramus, quod dicitur: Valetudo morbis omnibus curatur, mors tamen non evitatur. Quisquis es, divinam voluntatem lætus amplectere. Pari modo jactura fit decem aut viginti millium, aut plurium Philippeorum. Non defuit industria cavendo huic dispendio, damnum tamen caveri non potuit. Lava igitur & unge faciem tuam, dic centies, iterúmque centies: Fiat voluntas Dei, fiat, fiat. Aliæ atque aliæ infestant miseriæ, calamitates premunt diversæ? Hoc ipsum assiduè cogitandum:

Jobc.1.v.21. *Sicut Domino placuit, ita factum est*; ita fiat: *Benedictus*
Psal.40.v.14. *Dominus Deus Israël, à sæculo & usque in sæculum*. Hoc est agere hominem secundùm cor Dei, hoc in summis miseriis facit esse beatum.

CAPVT XXV.

David occisum deflet Amnonem filium.

Pœnam exigit Deus à Davide.

IN diversoriis ea est ratio; dum cenant diversitores & potitant, nigram tabellam caupo pererrat cretâ, & rationes scribit, quas sympośio finito exigit. Decoxit hactenus David, tandem Deus adfuit, & rationes exegit. Dictum Davidi: Hoc & hoc condonat tibi Deus, culpam & culpæ pœnam æternam remittit, non item pœnas temporarias; longa te malorum series expectat. Peccati, præmium pœna.

Amnonis erga Thamar sororem amor impurus, unde.

Amnon maximus natu filius Davidis, viginti annorum juvenis, impuro amore insaniens, suam sororem Thamar deperiit. Ignem subdidit diabolus, & unum aliquem è familiaribus Amnonis concitavit hominem sagacem, sed nequam Ionadabum, qui consilium patibulo aut rotâ luendum suggerens: Ita, inquiebat, Domine mi, age; ægrotum te finge, & accessum Patris opperire in lectulo, præsentem roga, illud solatii non neget ægro, jubeátque sorbitiunculam parari à sorore, & fidâ ejus manu porrigi. Annuit non gravatè David Pater, jussitque fieri, quod ægrotus poscceret, licet regiæ virgines summè custodiri solerent. Quis autem hoc furtum suspicaretur à fratre, eóque, ut putabatur, ægro committendum? Patrato jam incestu Amnon sororem multò, graviùs odisse cœpit, quàm anteà amârat; ita blanditiis in feritatem versis conclavi eam ejecit ejulantem, ut tantò faciliùs citiúsque flagitium innotesceret.

David etsi hoc sceleri commissum graviter acceperit, quia tamen Amnon primogenitus erat & charissimus, noluit factum verbiùs castigare. Absalon autem id odii cœpit in fratrem, ut hoc unum cogitârit, qui facinus istud vindicaret. Absalonem paullatim nosse discamus, juvenem varii, insolentis, elati, indomiti ingenii, qui odium adversus fratrem conceptum biennio toto supprimere potuit & tegere. Tandem cùm ejus oves tonderentur, qui dies Hebræis festivissimus erat, convivium regium in villâ suburbanâ parans; astutè ac nequiter tam parentem quàm fratres omnes ad illud invitavit. Negavit principio Pater cum filiis se venturum, ut sumptibus parceretur. Vrsit Absalon, & enixiùs rogavit, cùm tamen minimè vellet adesse Patrem, sed abesse suspicionem. Tandem impetrauit fratres omnes convivas. Interea domi cum servis etsi aliquantulum remittentibus rem componit, & fratris cædem imperans: Attendite, inquit, cùm Amnon frater meus inceperit mero calescere jam madidus, eum signo dato jugulate. Ego sum, qui præcipio vobis, regis filius, jester dominus. Factum ut jusserat, & in mensâ obtruncatus est Amnon. Mox solutum omne convivium; quivis regiorum juvenum mulam insidens Hierosolymam properavit. Fama tamen quantumvis celeres prævertit, nuntiatúmque est regi, omnes ejus filios esse occisos. Hîc tria nobis præcipuè discenda. 1. Amor impurus quàm non sit stabilis & diuturnus, sed sæpe inimicitiarum semen: quâ in re etiam liquebit, quomodo Deus peccata puniat peccatis. 2. Quomodo Absalonis biennio potuerit coërceri odium. 3. Luctus Davidis maximus, quid habuerit solatii.

Absalonis in Amnonem fratrem odium.

& fratricidium.

Tria discenda.

§. I.

1. Amor impurus quàm non sit stabilis & sæpe inimicitiarum semen.

1. IMpurus amor inconstantissimus, homini à fronte formoso sed in draconem desinenti similli-
mus. Amnon sororem Thamar ita deperiit, ut maciem contraxerit. Amor profectò magnus, sed impurus. Hic ignis non à Christo in terram missus, sed à diabolo fulmen ex Orco est. Hic Amnonis amor pessimus, cùm crederetur fore maximus mutavit. Nam flagitio commisso, exosam eam habuit, odio magno nimis, *ita, ut majus esset odium, quo oderat eam, amore quo* 2.Reg.c.13. *antè dilexerat*. Idcircò eam extrudi domo jussit com- v.15.
plosis supra caput manibus publicè lamentantem. Lex certa: Amor malè conciliatus non est diuturnus. Par modò: Connubia sine Deo auspice infelicia. Omnis amicitia, quam non virtus copulat, minimè firma, infamis & vacillans est. Amici parum stabiles sunt, qui potando, helluando, ludendo, furando coëunt amicitiam. Amores malè conciliati, non diuturni. Non ignota herba Helenium è lacrymis Helenæ, aut è quercu, ad quam Helena se suspendit, natum dicitur, & rixas provocare. Amor impurus velut Helenium litis & rixæ seminarium est, dissidia, furores, bella, cruces parit.

Hypanis fluvius, si Herodoto fides, à suo fonte diebus quinque exilis quidem sed dulcis fluit, deinde per quatuor dierum spatium amarissimus est potatu. Talis amor Amnonis fuit, ante commissum scelus mulsum & mera videbatur dulcedo, scelere patrato amaror ingens, aloë Gallica, absynthum merum, chrysulca mordacissima. Quàm verè Tullius: *Amores*, Cicero pro inquit, *& delicia maturè & celeriter defloreścunt; & in* Calio. *omnibus rebus voluptatibus maximis fastidium finitimum*. Spurcus amor & libido, velut Hypanis, aliquamdiu fluit dulcis, sed aqua sequitur marina & salsa. Denique quod in Hebræorum itinere evenit, *ad ultimum* Num.c.34. *salsissimo claudentur mari*. Hunc impurus amor, hunc v.12.

Hypanis fluvii dulcedo & amaritudo.

inconcessa voluptas habet exitum, mare falsissimum, multam & amaram pœnitentiam, quanquam nimiùm seram, desperationem profundissimam. Sic Amnonis amor maximus in summũ mutavit odium. Et hæc adumbratio est hominum ad inferos dejectorum, qui ea, quæ hîc perdite amârunt, detestabuntur æternùm tam peccata, quàm peccatorum causas, socios, illecebras, epulas, merum, Veneres, pecunias, pompas, & omne luxus & luxuriæ choragium. Hæc omnia *ad ultimum salsissimum claudentur mari.*

Amnonis amor est adumbratio hominum ad inferos dejectorum.

II. Absalon potentissimi, sed & sanctissimi viri degener filius, homo fraudulentus, versipellis, simulator, honoris nimiùm quàm appetens, vindictæ cupidissimus. Hinc voces illæ blandiores: *sed nunc soror tace, frater tuus est; neque affligas cor tuum pro hac re.* Intereà cædem animo coquebat. *Porrò non est locutus Absalon ad Amnon nec bonum, nec malum, oderat enim Absalon Amnon.* Sic autem cogitabat hæc vulpes: si odium præmaturè proderem, cavebuntur insidiæ; mentem igitur blandis vocibus, humano vultu tegam, dum pulchri facinoris adsit opportunitas. Ita biennio cruentum odium humanitatis larvâ velavit. Sed non adeò grande mirum hoc fuit; Confessionis & Communionis sacrosanctæ mysteria ignoravit. Inter Christianos mirum & abominandum est, reperiri, qui totis annis intima odia pectore sepulta, aliásque conscientiæ maculas fœdissimas confessione non aboleant, aut nequiter id simulent se facere, non faciant; homines deplorandi, suo exitio læti, in seipsos fraudulenti.

2. Quomodò Absalonis odium potuerit biennio coërceri. 2. *Reg. c.* 13. *v.* 20. *Ibid. v.* 22.

Absalon biennio elapso patrem invitavit ad convivium, non ut compareret, sed ne res suspecta fieret. Hoc egit Absalon, ut paternis oculis fratrem jugulandum subduceret, & in suburbanam villam electaret. Hîc in fratrem humanissimus, deliciarum aut ceremoniarum nil omisit; hilaritatem simulavit, vultum vocémque finxit, poculis invitavit. Sed miser Amnon coactus est suo sanguine respondere. Nam cùm convivæ jam hilarescerent mero, ferverétque epulum, clamor subitò cooritur, & interficitur Amnon. O miserum! ita tumulentus mitteris ad orcum? Nulla hîc mortis, nulla pœnitentiæ cogitatio. Dein Amnon nondum cum sorore, fratre, Deo reconciliatus in immensum æternitatis antrum præceps dejectus est. Hinc Chrysostomus: *Inter quos*, inquit, *stuprator ille sororius aderat.*

Chrysost. l. 3. *de Providentiâ.*

Huic malo causam dedit non levem David, qui *noluit contristare spiritum Amnon filii sui, quoniam diligebat eum, quia primogenitus erat ei.* Ita incestum filii non castigavit, partim amore, partim verecundiâ ductus. Quippe cogitaverat David: Ego ipse sum castigabilis, nam liberis meis pessimo exemplo, nocui; cur exprobrem, quod ipse feci.

2. *Reg. c.* 13. *v.* 21.

Davidis in educatione filiorũ incuria.

Animosum facit innocentia; libertatem adimit sceleris conscientia. In educandis certè liberis rex David vix quidquam laudis obtinuit: regias curas sollertissimè tractavit, liberorum curam nec severam, putem, nec seriam gessit. Hinc nec Absalonem patratâ jam cæde è fugâ reprehendi & in carceres abduci jussit. Cùm enim Absalon ad Ptolemæum regem socerum profugisset, pater eum repetere ut reum non institit. Ingentia quidem luctûs edidit specimina, docuitque hoc facinus sibi neutiquam probari, non immemor tamen, idem à se factum: Uriam mero sopitum, dein fraude occisum. Quocirca filium fratris carnificem non eo quo debuisset conatu insecutus est. En, obsecro, ut Deus peccatis puniat peccata, adulterium incestu, Uriæ cædem Amnonis homicidio, non quòd velit crimina designari, sed ea, quæ designantur permittere, & dirigere ad pœnam, ut peccatum fiat peccati supplicium.

Deus peccatis punit peccata.

Quæritur Deus de contumacia plebis Hebrææ: *Non audivit populus meus vocem meam, & Israël non intendit mihi: & dimisi eos secundùm desideria cordis eorum, ibunt in adinventionibus suis.* Equidem mirabilis isthæc est pœna. Magistratus in hunc quidem virgis, in illum gladio, in istum laqueo, in alios rotâ aut rogo animadvertit: quis unquam furem puniit, ut ulteriùs furetur, latronem ut plures occidat? Sic Deus solet: Ut *qui nocet, noceat adhuc, & qui in sordibus est, sordescat adhuc.* Hinc longè præstat fulmine afflari, quàm in peccatum lethale vel unicum labi. *Dimisi eos*, inquit Deus, *ibunt in adinventionibus suis*: qui lascivire vult, lasciviat, qui obtrectare aliis, obtrectet; qui perire cupit, pereat. Idem affirmat Paulus: *Tradidit illos Deus in desideria cordis eorum, in immunditiam.* Tradidit ipsos pessimis ipsorúmmet affectionibus, quemadmodum olim Romæ leonibus pardis, tigridibus, aliisque feris retradebantur lacerandi, ita Deus hominem tam protervè delinquentem propriis objicit appetitionibus. Et plerumque in quo quis peccat, in eo & punitur.

Psal. 80. *v.* 12. & 13.

Apoc. c. 22. *v.* 11.

Psal. cit.

Ad Rom. c. 1. *v.* 24.

III. Luctus Davidis maximus. Lugebat rex David 1. Nathanis memor vaticinantis: *Suscitabo super te malum de domo tuâ.* 2. Filiæ Thamaris incestum malè dissimulatum deflevit, non malè ratiocinatus: Si Pater puniviſſet incestum, filius non commisisset homicidium. 3. Amnonis filii primogeniti mortem deploravit, mortem eheu sempiternam. Sacer historicus satis id dilucidè significat: *Luxit David filium suum Amnon cunctis diebus.* Omnem vitam occupavit hic luctus, veluti ob hominem æternitate luctuosâ clausum. 4. Luxit ob infamiam, tam apud Hebræum quàm alios populos contractam. Animus malè sibi metuens præsagiebat: omnibus circumcirca nationibus irrisui, & ludibrio, fabula vulgi eris; carmen de te cantabitur; passim dicent: Hebræi Deo scelerum ultore gloriantur, & tanta nihilominus patrant scelera. 5. Subita illa quantumvis falsa fama incredibili mœrore optimum regem perculit. Delatus erat rumor ad aures regias: *Percussit Absalon omnes filios regis, & non remansit ex eis saltem unus. Surrexit itaque rex, & scidit vestimenta sua. Sed & rex & omnes servi ejus fleverunt ploratu magno nimis.* Hæc maximi luctûs sunt argumenta. En quantâ vi irruant supplicia peccati!

3. Luctus Davidis. 1. Causæ. Prima. Secunda. 2. *Reg. c.* 12. *v.* 11. Tertia. 2. *Reg. c.* 13. *v.* 37. Quarta. Quinta. 2. *Reg. c.* 13. *v.* 30. 31. & 36.

Neque solus rex David, & regium cum eo famulitium, sed & omnes filii regis perequè luxerunt. Nam 1. spectatores & testes fuerant cædis, quâ fratrem frater inter epulas peremit. *Intrantes*, inquit historicus, *levaverunt vocem suam, & fleverunt.* Labes fœdissima, incestus in regiâ domo & parricidium. Famam de adulterio & homicidio rex parens vix aliquantulum domuerat, jam recens accedit macula geminati flagitii, dum fratrem incestissimum sicarius frater nõ in acie, sed inter epulas & symphoniam jugulat. Hîc certè causa mœroris plurima. Quid miri aut novi, si acerbitate luctûs contabuisse David. *Memento Domine David, & omnis mansuetudinis ejus*, omnis afflictionis ejus.

Ibid. v. 36.

Psal. 131. *v.* 1.

Chrysostomus tam acerbis afflictissimi regis casibus permotus: Sufficere, inquit, ista poterant, Davidis vitam inter eos numerare, qui semper in luctu, & miseriis vixerunt. Quippe fabulas omnes, omnémque tragœdiam vicerũt regis hujus clades, adeò illi monstrosa, & invicem sibi succedentia domuique suæ contigerunt, cùm clades cladibus succedere semper pergerent. Considera, quæso, Fabulas, inquit Chrysostomus, omnémque tragœdiam Oedipi, Atrei & Thyestæ, Etheoclis & Polynicis hi tragici casus superârunt. Hinc regum fasti asserunt: *Rex & omnes servi ejus fleverunt ploratu magno nimis.*

2. *Reg. c.* 13. *v.* 36.

Quid in luctu tanto solatii? Filia violata, filiorum unus occisus, alius fugitivus, quid hîc solatii? Vnica Dei voluntas. Nam ita secum ratiocinatus est David tanto luctu.

Voluntas Dei fuit solatium Davidi in

David: Ob peccata mea pœnas à me Deus expetit: ille quidem fons puritatis nec libidine delectatur nec cæde, sed quia hæc simul & delicta & delictorum supplicia sunt, Deus me liberorum meorum vitiis punit. Deus hæc fieri permisit ut mihi essent castigationi & supplicio. Quid igitur adversus Deum Deique sanctissimam voluntatem jure conquerar? Hæc omnia & his plura commeritus sum. *Faciat Dominus, quod bonum est in oculis suis.* Nimirum hoc unicum supererat solatium, sed solatium solidissimum & optimum. Vbi vera cum divinâ voluntate conformatio est, ibi nulla adversus Deum querela, nulla cum Deo lucta est. Faciat Dominus, faciat, quod bonum est coram se. Hæc una res malum omne levigat, hoc solatiorum abundè satis instillat. Velle in omnibus, quod vult Deus, homines secundùm cor Dei, filios Dei efficit, cæloque recipit extra cælum.

CAPVT. XXVI.

David ab Absalone regno pellitur.

VETERI dicto: Heroum filii noxæ. Absalon Davidis degener filius jugulato Amnone ad avum regem Gessur Ptolemæum profugit. Triennio hîc exul mansit. Ejus patrocinium Ioabus dux belli ita suscepit, ut per Thecuitidem prudentissimam mulierem apud regem caussam ejus egerit. Hoc unum petebatur, liceret exuli Hierosolymam redire. Impetratum est, sed eâ conditione, ne patris vultum subiret. Hac lege Absalon Hierosolymis biennium exegit, cum patre nunquam locutus. Nec destitit Ioabus aliquid amplioris gratiæ rogare, vellet juberet rex in conspectum venire filium, qui ausum temerarium jam quinquennium luisset. Impetratum est & hoc. Admisit Absalonem parens amplexatus eum & osculatus non sine lacrymis utrinque fusis.

Sed Absalon inquieti, factiosi, versipellis ingenii juvenis, multa movit in aulâ non movenda, suam interim domum equis & curribus magnificè instruxit, cœpitque cogitare, quamvis occultissimè, quibus artibus diadema & sceptrum sibi raperet, & parentem excuteret solio. Vt tantò suaviorem res successum sortiretur, omnes eos, quibus negotii aliquid in aulâ fuit humanissimè nec sine blandis ceremoniis allocutus. Vnde es tu, inquiebat, mi bone, quâ patriâ & domo? quæ tua sunt negotia? Vix ullam in aulâ negotiorum executionem est videre; parens differt & procrastinat: pleraque omnia largitionibus aguntur, libelli supplices supprimuntur; juri & justitiæ cereus nasus affingitur: & utinam ego his malis mederi possim! Hæc nequam juvenis simplicium auribus instillabat, eâque re Patrem tribunalque regium clam trahebat, ut omnium favores sibi colligeret. Sed & aliam stropham commentus, veniam petiit à parente voti caussa peregrinandi in Hebron. Annuit Pater. Hebrone non rem divinam, sed bellicam curavit, militem collegit quoscunque potuit in suas partes traxit. Inter hos etiam numerabatur, qui Davidi à consiliis erat, vir primi nominis Achitophel. Nimirum hæc novitas plurimis placebat, uti plebs est molitionum novarum avidissima. Hinc Absalon magnis indies viribus augescebat. Rex demum in Hebron unctus est, & publicè proclamatum: Regnavit Absalon in Hebron. Mox nuntii ad regem David pervolant: *Toto corde universus Israël sequitur Absalon*; non ex metu, non simulatè, sed seriò & animosè. Rex David non diu cunctatus: *Surgite*, inquit, *fugiamus, neque enim erit nobis effugium à facie Absalon. Festinate egredi, ne forte veniens occupet nos, & impellat super nos ruinam, & percutiat civitatem in ore gladii.* Ita fugam maturabant omnes, tam rex quàm regii famuli, & civium multi. Rex pedes abiit, decem cum conjuges regiæ in domûs custodiam relictæ. In viâ David familiarium quosdam conspicit, quos actis gratiis, unà cum Arcâ domum remisit. Nam quid Deus ex alto in se decrevisset, nondum perspicions: *Si invenero gratiam*, inquit, *in oculis Domini, reducet me. Si autem dixerit mihi: Non places, præsto sum: faciat, quod bonum est coram se.* Interim in tantâ trepidatione præsentissimus sibi rex, jussit certiorem se fieri ex urbe quidquid de hoste resciri posset. Ita ibat itinere hoc pedestri ac tristissimo, incertus quò iret. Ah! quàm mœsta & lugubris supplicatio! Rex annorum pæne septuaginta clivum olivarum scandebat flens, *nudis pedibus incedens & operto capite, sed & omnis populus qui erat cum eo, operto capite ascendebat plorans*, omnésque flebant voce magnâ. Hic quinque dictionis membra nobis explicanda sunt. 1. Vnde hæ turbæ tantæ? quis populum concitavit? 2. Cur tumultuationis medium placuit fuga? 3. Exempla magnorum, quanti facienda? 4. Afflictiones Davidis catenatæ. 5. Conformatio regis cum divinâ voluntate.

Fuga & exilium Absalonis.

Per quinquennium filii fratricidium.

Desceptro & parente solio excutiendo cogitat.

Ad hoc opus artificium primum.

Secundò.

Colligit militem.

In Hebron ungitur in regem & proclamatur. 2. Reg. c. 15. v. 13. Ibid. v. 14.

Quem David fugit.

Quinque explicantur.

Ibid. v. 30.

§. I.

ANNæus verè ac sapienter: *Multorum*, inquit, *quia imbecilla sunt, latent vitia, non minus ausura, cum illis medvires suæ placuerint, quàm illa, quæ jam felicitas aperuit. Instrumenta illis explicandæ nequitiæ desunt: sic tutò serpens etiam pestifera tractatur, dum riget frigore; non desunt tunc illi venena, sed torpent.* Serpenti simillimus erat Absalon, dum exul, inops, multis odiosus, sese continuit; at Hierosolyma revocatus, in conspectum Patris admissus blandos sentire calores, & ita sensim cœpit vomere venenum, & quidem primò omnium, ritu serpentum, in parentem. Prudenter ac sanctè submonens Augustinus: *Multi*, ait, *res adversas timent, res prosperas non timent? Periculosior est res prospera animo, quàm adversa corpori. Prius corrumpit prospera, ut inveniat, quod frangant adversa. Fratres mei adversus felicitatem acriùs vigilandum est; propterea videte, quemadmodum eloquium Dei in nostrâ felicitate tollat nobis securitatem: Seryite, inquit, Domino in timore, & exultate ei cum tremore. In exultatione ut gratias agamus; in tremore ne cadamus. Hoc peccatum non fecit David, cum persecutorem Saulem pateretur. Quando David sanctus Saulem inimicum patiebatur, quando illius persecutionibus agitabatur, quando per diversa fugiebat, ne in manus ejus incideret: non concupiscebat alienam, non adulteratâ uxore occidit virum. Erat in infirmitate tribulationis suæ tantò in Deum intentior, quantò miserior videbatur. Vtile quiddam est tribulatio, utile medici ferramentum, tanquam diaboli tentamentum. Factus est securus devictis hostibus, pressurâ caruit, tumor excrevit.* Sed ad institutum.

Absalon serpenti similis.

Augustin. in psal. 50.

Psal. 2. v. 11.

I. Quæ tanti motûs ac seditionis caussa fuit? Primaria, Deus, qui peccatum peccato, ut superiore capite demonstratum est, & pravâ filii machinatione patris facinora puniens: Ecce, inquit, ego suscitabo super te malum de domo tuâ. Altera caussa, Ambitiosa imperandi libido. Ita secum ratiocinatus Absalon: Ego successor sum Patris: sed quis imperii tam diuturni finem expectet? Iam annis triginta parens imperat, diu satis & nimium quàm satis: det tandem locum successori. Exilio quinquennali me maceravit: hoc ipsum ille gustet, redeat in auctorem sententia, quam tulit. Caussa tertia: Nimia parentis in liberos indulgentia. Peccatorum impunitas, præsertim in hominibus parùm ingenuis parit audaciam. Appositè dixit Chrysostomus: *Semper enim scelera, dum non resecantur, increscunt. Omnia virtutis semina parentes in liberis corrumpunt, quando non primis annis punienda puniunt. Dum in Absalone fratris occisi facinus non vindicatur, in parricidium facinus recidivum iteratur.* Siracides in eam

1. Quæ tanti motus ac seditionis caussa. Prima. Secunda. Tertia.

Chrysost. tom. 1. hom. de Absalone.

Eccli. c. 30. verſ. 9. Quarta.

rem prænonens: *Lacta, inquit, filium tuum, & paventem te faciet, lude cum eo, & contriſtabit te.* Quarta, cœcus populi furor, quem non ratio, ſed ſua vel aliena regit libido. Populo plaudebat Abſalon, ſolus è fratribus reginâ natus, juvenis formoſiſſimus, humaniſſima vulpes, audaciſſimus veterator, promiſſor liberaliſſimus. Ita, quod Chryſoſtomus dixit, unius parricidæ furor, tot millia inſanire compulit. Nimirum noxitas ipſa placuit: Plures enim orientem ſolem, quàm occidentem adorant. Quinta cauſſa tam admirandi motus bellici fuit Achitophel, qui Davidi à ſecretis conſiliis erat, oraculum Hebrææ curiæ. Hic vir civiles has turbas plurimùm promovit. Faciem admovit jam furere paratis. Omnium voces volabant: Si vir iſte ſapientiſſimus harum partium ſit, nil profectò temerè agetur: Coloris aliquid habuerunt hi vulgi ſermones. Sed videte, quæſo, quàm prorſum ſit decipi, præſertim deceptionum amantibus. Achitophel cetera prudentiſſimus hac in re ſtultus fuit. Sed illum ad hoc adegit vindictæ amor, prout in talibus promptiſſimus præſultor eſt diabolus. Bethſabea aſtæ conjugium à Davide vitiata, neptis fuit Achitophelis, hinc ille non tantùm conſpirationis ſocius, ſed forſan & auctor.

Quinta.

2. Cur David his malis remedium à fugâ petiit.

II. Cur David his malis remedium à fugâ petiit? Arx Sion, ſeu, civitas David munitiſſima fuit; à cæcis & claudis propugnari potuiſſet. David ipſe miles cordatiſſimus, exercitatiſſimus, in acie nunquam victus, nunquam fugitivus ex acie, neque tunc militaribus copiis deſtitutus. Sed hîc aliud latuit myſterii. Rex pius facilè intellexit hîc ſibi pugnam non eſſe cum homine, ſed cum ultore Deo, qui Abſaloni filio arma porrexiſſet in patrem; ideo hîc non ducem agere, ſed reum pœnas meritum volebat; nec enim Abſalonis, ſed Dei iram metuebat. Quâ in re maximæ Davidis regis virtutes eluxerunt. 1. Amor in ſubditos, malùit enim non ſine infamiâ fugam capeſſere, quàm urbem periculis objicere. Potuiſſet equidem cum Cerethæis & Pheletæis multo tempore obſidionem tolerare: noluit, ne ſuos cives ad paupertatem redigeret. 2. Submiſſio & humilitas; non pœnas, quas Deus ab ipſo repetebat, promptiſſimè admiſit, eáſque auxit nudis pedibus inceſſit. 3. Patientia & manſuetudo admiranda: Nec voculam edidit minus moderatam & placidam. Quis illum audiit dicentem: Fulmine triſulco pereat, ſicarius hic & latro filius; pereat immanis beſtia, in genitorem tam impia. Nil horum imprecatus David, imò regem vocavit, non parricidam. 4. Fiducia in Deum maxima: Omnia videri poterant perditiſſima, deſperatiſſima; nihilominus David: *Tu autem Domine*, inquit, *ſuſceptor meus es, gloria mea, & exaltans caput. Non timebo millia populi circumdantis me: Exurge, Domine, ſalvum me fac Deus meus. Domini eſt ſalus, & ſuper populum tuum benedictio tua.* Inſcriptio hujus carminis eſt iſta: *Pſalmus David cum fugeret à facie Abſalon filii ſui.* Quantæ hoc fiduciæ fuit in rebus pæne deploratis, de divinâ bonitate ſibi polliceri. *Quia Dominus ſuſcepit me.* Fiducia cum patientiâ inexpugnabilis armatura.

Inde Davidis virtutes eluxerunt. Prima, amor in ſubditos.

2. Submiſſio & humilitas.

3. Patientia & manſuetudo.

4. Fiducia in Deum.

Pſ. 3. v. 4.

Ibid. v. 7. & 9.

Ibid. v. 1.

Ibid. v. 6.

3. Exempla illuſtrium virorum quanti facienda.

III. Exempla illuſtrium virorum ſummi in utrumque momenti ſunt. Reginis delicatiſſimis & liberis tenerrimis, ſine equis, ſine pilentis aut leviticis in fugam ſe pedibus dare, res multò difficillima & pæne impoſſibilis. At cùm viderent reginæ earúmque liberi parentem jam ſenem nudis pedibus fugam capeſſentem, nemo dixit: Non poſſum ſequi. Exempla magnorum occultâ vi cogunt ſequi, & jubent facere viribus vix ſuperabilia. Orator potentiſſimus exemplum, vix unquam non perſuadet. Urias negat licere ſibi in lecto molliter cubare, cùm Imperator Joabus capiti indormiat. Cato milites ſuos ad omnia fecit promptiſſimos, quos ipſe pedes per confragoſa & ardua; per rupes & ſaxa ubique præceſſit.

Ipſe manu, ſua pila gerens præceſſit anheli
Militis ora pedes: monſtrat tolerare labores,
Non jubet.

Vix ita paruiſſent, ſi talia ſub capitis pœna præcepiſſet. Rex David hoc ipſo itinere mœſtiſſimo ad Ethai Gethæum fugæ comitem: *Cur venis*, inquit, *nobiſcum? Revertere & habita cum rege, quia peregrinus es, & egreſſus es de loco tuo. Heri veniſti, & hodie compelleris nobiſcum egredi? Ego autem vadam, quò iturus ſum. Revertere, & reduc tecum fratres tuos, & Dominus faciat tecum miſericordiam, quia oſtendiſti gratiam & fidem.* At verò Ethai exemplo regis motus: *Vivit Dominus*, inquit, *& vivit Dominus meus rex, quoniam in quocunque loco fueris, domine mi rex, ſive in morte, ſive in vitâ, ibi erit ſervus tuus.* Si rex ingrediatur lintrem & familiarium quoſdam in vinâ ſtantes annuente manu invitet ad conſeſſum, quis recuſet? ſi flumen trajiciat, quis ſequi abnuat? ſi montes ſcandat, quis comitari cunctetur? Hæc Chriſtianis potentiſſima ſit ratio, hæc panoplia impenetrabilis, cùm blanditur caro, cùm ſævit diabolus in vetitum impulſurus, pro ſe quiſque dicat: Chriſtum inter flagra, ſpinas, ludibria video; in cruce nudum, vulneratum, doloribus exhauſtum cerno, & ego me voluptatibus mergam? Vivit Dominus, non faciam rem hanc. Bernardus in rem hanc diſertus: *Quid magis indignum, quid deteſtandum amplius, quid gravius puniendum, quàm ut videns Deum cæli, parvulum factum, ultro apponat magnificare ſe homo ſuper terram? Intolerabilis impudentia eſt, ut ubi ſeſe exinanivit majeſtas, vermiculus infletur & intumeſcat.*

2. Reg. 15. v. 19. & 20.

Ibid. v. 21.

Chriſtianorum panoplia eſt Chriſtum inter flagia & ſpinas ſequi.

Bern. ſer. 1. de Nativit. Dom.

IV. Ærumnæ Davidis catenatæ. Jure hoc quidē, nam & ipſe catenam fecerat, & ſcelera ſceleribus colligârat. Tandem divinum imperium urget: Catenam, quam cudiſti, tolera. Et videte, obſecro, egreſſum & ſupplicationem prorſus lugubrem: Rex cum reginis & liberis, flens, nudis pedibus, flente omni populo, velut mendicus cum paupertino grege urbem deſerit, fugam intendit, filio non ciſtæ veſtiariæ, degeneri cedit, nō arcæ pecuniariæ, non regia ſupellex, non amplus commeatus, nullus nec lectorum nec menſarum apparatus ſequitur. In incertum tendunt exules, fugitivi, ſolo Deo nixi. Miratus hanc lacrymabilem pompam Salvianus: Quale ſpectaculum, inquit, cùm tantus & tanti nominis, cunctis regibus altior, mundo major cum ſuis fugeret, in comparatione ſui egeſtuoſus, in comparatione ſui ſolus, fugiens cum metu, cum dedecore, cum luctu, à ſeipſo exulans, pæne jam poſt ſeipſum vivens. Ita Dei judicio à ſe aliter affectus, quocunque ſe vertat David, præſens eſt calamitas. 1. Peccatum in oculis. 2. Offenſus Deus. 3. Filius rebellis. 4. Regnum tot laboribus partum eripitur, & ille quidem, qui eripit, eſt filius. Et quomodo regem affecerit horribilis nuntius de populi clamore in urbe Hebron audito: Vivat rex Abſalon: Pereat rex adulter & homicida, pereat ſenex delirus, regni faſtidium. Quomodo hæc regium cor lancinârint? ſed non eſt ſervus major domino ſuo. Chriſtus audiit: *Crucifige, crucifige. Non hunc, ſed Barrabam.* Et quidem electus populus ita clamabat. Plurimum nobis hi clamores proderunt, ſi eos cum obtrectatorum dictis conferamus, & unà cogitemus: Graviora paſſi ſunt nobis longè ſanctiores. Porrò ſuper illa omnia David per Abiathar ſacerdotem pro more ritúque gentis ex Deo quæſiit: Quò eundum, quid faciendum? Reſponſi nihil redditum. Silentium offenſionis argumentum. Etiámnum Deus noxis prioribus iraſcitur. Sed, ô Domine, an non juſſiſti lugenti David dici: *Tranſtulit Dominus peccatum tuum?* Juſſi & peccatum tranſtuli, ſed nondum peccati pœnam. Nondum tibi, mi David, plenè reconciliatus ſum. Æternas tibi condonavi pœnas, non temporarias, quas inter calamitates iſtas exigo. In his tamen ærumnis omnibus ſumma fuit Davidis cum divinâ voluntate conſenſio ac conformatio, quod quintum dictionis membrum eſt.

4. Ærumnæ Davidis catenatæ.

Catena ſeu ſeries calamitatum Davidis.

Ioan. c. 19. verſ. 6. & cap. 18. verſ. 40.

2. Reg. c. 12. verſ. 13.

V. Inter

1. Conformatio Davidis cum divinâ voluntate. 2. Reg. c. 16. v. 25. & 26.

V. Inter Dei & Davidis voluntatem summus fuit consp[illegible]ratus. Sadoco sacerdoti rex religionum curam commendans: *Reporta*, inquit, *Arcam Dei in urbem. Si invenero gratiam in oculis Domini, reducet me, & ostendet mihi eam, & tabernaculum suum. Si autem dixerit mihi: Non places: præsto sum, faciat, quod bonum est coram se.* Si Dominus Deus dixerit, nolo te regem, nolo te victorem; præsto sum. Si dixerit: exulem, fugitivum te volo, ut tuus filius adversum te faciat, quod fecerat Saul tuus socer; præsto sum. Volo te speluncas & antra petere, mendicato vivere; præsto sum. Volo te quotidianis terreri periculis, & omni horâ irruptionem mortis operiri; præsto sum. Volo te probris omnium & ludibriis tuorum etiam [illegible] præsto sum. Luto & lapidibus, non conviciis solùm & maledictis te peti volo. Uxoribus tuis vitium offerri, omnibus te contumeliis vexari volo; præsto sum Domine, præsto sum. Ego te erutum è sordibus in solium evexi, à pedo & pe- B taso ad sceptrum & diadema extuli, regem ex opilione feci. Nunc iterum in sordes te dejiciam, & pedum & mendicitatem te reducam; præsto sum Domine, præsto sum, facias, quod bonum est coram te. Et ut rex David omni populo probaret se divinis placitis contentissimum, torrente Cedron jam transisso, ascendit *summitatem montis, in quo erat adoraturus Dominum.* Ex illo montis supercilio videre poterat arcem Sion & urbem, & ita eminus valedicere, regnúmque Deo per preces transcribere. Ita totus in infinitâ divinorum judiciorum profunditate acquiescebat: Restituat Deus regnum, non restituat; victoriam concedat, auferat, in utrumque paratus est David, aut illud aut istud divinæ voluntatis decretum amplecti.

Ibid. v. 32.

Elcearii Comitis ad divinam conformatio.

Comes Elcearius, illud sanctitatis archetypon, cùm sævâ maris tempestate jactaretur, fracto jam malo, velis ventorum vi discerptis, ululantibus nautis & desperantibus, unicus orabat Elcearius. Mari aliquantulùm C detumescente, evitato jam naufragio, interrogatus est Elcearius; An non æquè atque alii timuisset vitæ? Ad quos ille: Totum me, inquiebat, divinæ voluntati tradidi, paratus vel aliis salvis mergi. Ita prorsus David, salvo filio, salvis ceteris paratissimus fuit perire.

Hæc voluntatum conformatione Deus vincitur.

Et hæc voluntas cum divinâ tam exactè consentiens, ita Deum vincit & expugnat, vt hominem non possit odisse summa bonitas. Hæc illa voluntas est, quæ hominem summis malis, mediis flammis cinctum, nihilominus reddit beatum. Ita nos comparemus, Christiani, ut in rebus omnibus, tam adversis, quàm prosperis, promptissimè pro se quisque dicat: *Præsto sum, faciat Dominus, quod bonum est coram se.*

Ibid. v. 26.

CAPVT XXVII.

David à Semei conviciis & lapidibus appetitur.

Donum à Sibâ Davidi factum.

VBi David miserrimâ fugâ torrentem Cedron & olivarum clivum transmisisset, advolavit servus Miphiboseth Siba. Hic duos ante se asinos egit ducentis panibus, duabus vini seriis, ficubus & uvulis passis onustos, fugienti regi donum. Quod ut oratione insuper commendaret: Rex vive, inquit, munusculum prorsus exiguum adduco, vinum in viâ deficientibus, jumenta verò ceteris non assequentibus servient; panem, ficus, uvas passas in refectiunculam servorum regis adfero. Cui rex: Ubi hæret Miphiboseth? Ad quæ Siba respondit: Hierosolymis remansit, dixitque: Hodie restituet mihi domus Israël regnum Patris mei. Hic trifur mendacissimus homo, ex asse nequam, in dominum suum mendacium conflavit, Davidem nimis credulum fefellit. David enim auditis Sibæ fucatissimis A verbis, mox sententiam pronuntians: *Tua*, inquit, *sint omnia, quæ fuerunt Miphiboseth.* Inde David ad oppidum Bathurim venit. Hîc obvium habuit salutatorem inexpectatum, hominem scelestissimum Semei, qui suum regem non conviciis solùm & maledictis atrocissimis excepit, sed & luto ac lapidibus petivit. Abisai Joabi frater vepiam à rege petiit, licet et maledico huic jam amputare caput. At æquissimam defensionem rex inhibens: Sinite, ajebat, Deus hoc illi fussit, ut mihi malediceret. Quid ab hostibus expectem, cùm filius meus me oppugnet? Interea non cessabat Semei probris omnibus, maledictisque regem insectari, minuere majestatem. Eodem die Absalon urbem Hierosolymorum cum exercitu velut triumphator ingressus est. Hîc tria nobis dissertanda. 1. Quàm audax fuerit hæc impudentia Semei, legitimum regem tam diris contumeliis tali tempore insectari. 2. Quàm modestissimè tulerit David maledicta Semei. 3. Quàm eximiè in his ipsis injuriis suam cum divinâ voluntate consinxerit.

2. *Reg. c. 16. vers. 4.*

David à Semei maledicitur.

Tria explicantur.

§. I.

VT hujus injuriæ gravitatem investigemus, expendendum probè, quis calumniis fuerit confixus, quis calumniator, quomodo verba fecerit ponderosa lapidibus, quando hoc fecerit. Quis hæc passus? Religiosissimus & mansuetissimus princeps, regum potentissimus David, tertiùm electus & unctus rex, dux fortissimus, quem ea calamitas affligebat, ut vel saxa moverit. Hunc ipsum regem optimum tam fœdo fellis imbre perpluit scelestus & vilis homo. Et quis calumniator iste? Civis & subditus regis, quem rex nec verbis nec factis læsit. 1. Nimis quàm audacter impudens & furiosus fuit Semei, civilium & divinarum legum contemptor, qui regem in os, audiente omni populo, conviciis & contumeliis gravissimis oneravit. Hoc ei impotens sui affectus & vindictæ studium suggessit. Semei cognatus Saulis erat, qui Davidi semper infensissimus. Putavitque homo temerarius & præferox Semei, opportunum esse tempus, quo Davidem, regno jam propè perdito, acerrimè criminari posset. Hinc quidquid fellis domi habuit, in regem, imò in suum ipse caput effudit. Nam post annos sexdecim capite luit, quod hîc linguâ deliquerat. Deliquit autem horrendum in modum. Etenim non solùm regi turpissimè maledixit, sed eum insuper luto & lapidibus appetens: *Egredere*, clamabat, *egredere vir sanguinum, & vir Belial, Reddidit tibi Dominus universum sanguinem domus Saul: quoniam invasisti regnum pro eo, & dedit Dominus regnum in manu Absalon filii tui, & ecce premunt te mala tua, quoniam vir sanguinum es.* Abi in malam maximam crucem tyranne sanguinarie; diu satis subditorum tuorum sanguinem sorbuisti, nunc tuus jure petitur. Adulter es, idcirco prout meruisti, lapidandus es. De tuo corio jam ludetur; par pro pari redditur. regnum iniquè partum tuo filio cedet in spolium. Extrema omnia meritus es. Tandem caussa melior triumphat.

1. Semei audax impudentia erga Davidem regem.

2. *Reg. c. 16. vers. 8.*

Videte, obsecro, quàm hominem pravi affectus excæcent, quàm seducat turpiter vindictæ libido! vir iste centies jusjurandum jurâsset, se vera dicere, cùm omnia fuerint falsissima. Nimirum ita furere solent affectus cæci. Summa fuit injuria, quod ille ritè factum censuit. Quàm nos delicati simus, & pæne nullius patientiæ hoc paradigma monstrat. Cùm enim nos vel obliquus ferit oculus, vel asperius verbulum perstringit, mox injurias vociferamur intolerabiles. Umbræ sunt illæ injuriæ, quas nos ferimus ad Davidis, ad aliorum gravissimas collatæ. Et videte regis nostri patientiam.

Hominem seducit vindictæ libido.

II. Semei maledicta & calumnias rex David modestissimè simul ac mansuetissimè tulit, ad omnes verborum contumelias patientissimus. Sat hominum habuisset, qui os viri nequissimi oppilarent. Abisai manus pruri-

2. Davidis patientia calumnias Semei ferentis.

pruriebant, in conviciatoris cædem. At verò David non tantùm Semei jugulari vetuit, sed ei etiam patrocinatus, & facinus extenuans: *Dimittite eum*, inquit, *ut maledicat, Domino enim præcepit ei, ut malediceret David: & quis est qui audeat dicere, quare sic fecerit? Ecce filius meus, qui egressus est de utero meo, quærit animam meam, quanto magis nunc hic filius Iemini maledicet mihi? Dimittite eum, ut maledicat juxta præceptum Domini.* Opprobrarat Semei regnum Saulis iniquè occupatum. At David pio usus artificio, non verbis Semei respondit, sed Deo se stitit; cum Deo caussam suam pertractans: *Domine Deus meus*, inquit, *si feci istud, si est iniquitas mea in manibus meis. Si reddidi retribuentibus mihi mala: decidam meritò ab inimicis meis inanis.* Mi Deus, si Sauli regnum vi malâ invasi, perdiderim omnia; mei me inimici pessumdent. *Ambulabat itaque David & socii ejus per viam cum eo. Semei autem per jugum montis ex latere, contra illum gradiebatur, maledicens, & mitteus lapides, adversum eum, terramque spargens.* Nihilominus mitissimus David suis illud inculcat: *Dimittite eum, ut maledicat, juxta præceptum Domini.* Quomodo Deus hoc præcepit? Paucis quidquid hîc obscuri in lucem dabo.

2. Reg. c. 16. v. 10. & 11.

David in calumniis cum Deo caussam suam agit. Psal. 7. vers. 4. & 5.

2. Reg. c. 5. vers. 13.

Hæc Semei maledicta, uti omnes injuriæ ac peccata, duo hæc velut utero clausa gerunt, *Culpam* & *Pœnam*. Culpa non præcipitur à Deo, hæc enim voluntatis malitia est, quam aversatur, justo tamen judicio permittit Deus. Quando igitur maledicentia Semei, quæ gravis culpa erat, Davidi fuit acerba pœna, voluit & præcepit Deus, ut David ore tam maledico, linguâ tam impiâ puniretur. Culpam non voluit Deus, sed voluit pœnam. Idem in omnibus omnino injuriis & peccatis videre est. Culpa iis ineſt & pœna. Culpam Deus permisit, non præcipit: nec verò præcipere potest: est enim non ens, seu distortio, fœditas, depravatio turpificati animi & malæ voluntatis. Exemplo rem monstramus. Curvam in chartâ lineam deprehendunt oculi, distortio ipsa & curvamen recti privans, quid rei est? Ita Deus dum permittit culpam, infligit pœnam; maledicentiam Semei non imperavit, per eam tamen irrogavit pœnam Davidi. Et hoc est, quod vociferatur David: *Dimittite eum, ut maledicat juxta præceptum Domini*, qui me noxium non vult impunitum. Idcirco quidquid supplicii de me sumpserit benignus Pater, patientissimè perferam. Chrysostomus hanc patientiam adeò demiratur, ut existimet robustiorem censendam esse tolerantiam Davidis, hæc talia patientis in calamitate, quàm in solio regali considens ea pertulisset. *Nam ubi concidimus*, inquit, *tunc magis nos pungunt acriùsque mordent convicia.* Et videte crudelem diaboli vafritiem, cùm cerneret Absalonis tyrannidem, tranquillè ac leniter à mitissimo parente tolerari, alium in eum immisit adversarium, qui tantam patientiam amarissimis calumniis expugnaret. At nihil agis Acherontice Panurge: rex David eâdem perseverat æquanimitate; maledictis non movetur, convicia publica probrosissima veluti fucus non audit, oviculam rex bellicosissimus induit. Obstupescenda prorsus patientia, submissio & mansuetudo prorsus prodigiosa, vel eo ex capite, quia vindictam non solùm justissimam, sed & paratissimam in promptu habuit: etiámnum rex fuit, quamvis exul; etiámnum jus gladii retinuit, & tamen Abisai gladium, obtrectatoris jugulo jam imminentem coercuit. Et quî tandem iram in statione continere, vindictam substringere, animi commotiones reprimere potuit?

Per Semei maledicta Deus non voluit culpam sed pœnam.

2. Reg. c. 16. vers. 11.

Chrysost. tom. 1. de fide Anna. Patientia Davidis robustior fuit in calamitate quàm in prosperitate.

III. Divinæ voluntati suam iterum integerrimè conjunxit, ut in eo solo suavissimè acquiesceret, quod Dei nutu consilióque gestum sciret. Quando igitur sciverat David, velle Deum, ut sibi malediceretur, hoc ipsum & ille voluit. Hinc voces istæ: *Dimittite eum, ut maledicat.* Voluntati divinæ refragari nequaquam debemus, etiamsi ea calices infundat amariores: finite virum loqui, quæ vult, non ea suâ solùm, sed divinâ loquitur authoritate; Deus illi hoc negotii adversus me commisit.

3. Davidis cum divinâ voluntate conjunctio. loc. cit.

Atque hoc Deo volente velle, nolente nolle, Panoplia est ad omnes injurias æquo animo excipiendas; tranquillè tolerantur omnes afflictiones & pœnæ, si omnium auctor credatur Deus. Sed hîc millies hallucinamur & impingimus; qui fraudes, rapinas, cædes, & quidquid similium malorum est, quâ culpam habent, permittit ea Deus; quâ pœnam inferunt, vult ea Deus & immittit. Videte mihi hominem ægrum, cui pharmacum porrigitur austerum, vehemens, discussorium, quod penetre[illegible]que: hîc æger stomachari & furere, execrari pharmacum, diras omnes pharmacopolæ imprecari. Quàm autem id insipienter & fatuè? Pharmacopola quid deliquit? è præceptione medici, & è chartâ medicamentum composuit: cum medico age, mi æger, hunc accusa, si potes. Omnes injuriæ medicinæ sunt, quia pœnæ sunt; qui injuriam infert, pharmacopola est, potionem exhibet, quàm medicus dictavit, non aliam, non amariorem præbere potest, quàm ei medicus permittat, jubeat. Medicus est Deus, hic medicinas præscribit, dictat, præcipit, in curatione admovendâ pharmacopæus illi subservit. Medici est, moderari omnibus, quæ ad ægri valetudinem sunt, medici est imperare. Hinc illa Davidis verba: *Dominus præcepit ei.* Quod Augustinus meritò commendat his verbis: *Agnoscens culpam suam, amplexus est pœnam suam, quærens gloriam non suam.* Eundem hunc regem deprædicans Bernardus: *Parum est*, inquit, *cùm per seipsum humiliat nos Deus, si tunc libenter accipimus, nisi quando & per alium hoc facit, sapiamus similiter. O verè hominem secundùm cor Dei, qui se ulciscenti potiùs quàm exprobranti succensendum putavit, quæstum existimans maledicta: at ille intendebat, quid in occulto ageret Deus.* Hoc Davidem tam mitem reddidit adversus pessimum nebulonem illum. Agnovit eum divinæ justitiæ instrumentum. His oculis nos adversarios nostros, ut justitiæ divinæ instrumenta intueamur. Hi pharmacopæi nostri varios quidem ingerunt amarores, Rhabarbarum, Aloën, Antimonium miscent. Quid indignamur? ita præscripsit medicus. Nefas autem quærere: Cur hoc, cur istud præscribit? Largiter erravit Abisai, cùm furiosè quæreret: *Quare maledicit canis hic mortuus domino meo regi.* Nam ad istam indignatus David: *Quid mihi*, ait, *& vobis est filii Sarviæ?* Vanè, impiè scisciramur, cur istud illúdve curia cælestis in nos decreverit; facti sui rationem Deus mortalibus non reddit. Stultè impudens sit, qui Deum examinet: Cur modò pluvias, modò grandinem, modò pruinas, modò tempestates alias; jam famem, jam morbos, jam bellum in nos immittat? Ita nec nos in privatis rebus nostris prudenter aut piè interrogabimus: Cur hostis meus tam barbarè me tractat? cur Magistratus nos non juvat? cur paupertas, cur morbi me sibi vendicant? cur ego unus ceteris asperiùs multor? Tolle quæstiones istas, frustra sunt. Ita medicus præscripsit; ipse novit, quid præscribat aut præcipiat; non pharmaca, sed medicum attendamus.

Adversarii ut justitiæ divinæ instrumenta intuendi.

2. Reg. c. 16. vers. 9.

Ibid. v. 10.

Rationem facti sui nô reddit Deus.

Dion Alexandrinus vir eruditus, Stobæo teste, variis probris à quodam lacessitus, nec verbulum reposuit tot cavillis. Ubi domum venit, ad conviciatorem, qui eo usque secutus, se vertens: Gratias ago, inquit, quòd te mihi comitem adjunxeris, sed tuis sermonibus respondere, jam non vacat. Sapienter & ad priscæ philosophiæ ritum.

Sciverat David injurias sibi ab Absalone filio, à Semei subdito inferri, non casu, nec fortuitò, sed videnter, annuente, volente ac jubente Deo, qui quæ ipsius caussâ patimur, immensis præmiis remuneratur. Idcirco David horum non ignarus: *Si fortè*, inquit, *respiciat Domi-*

2. Reg. c. 16. vers. 12.

Dominus afflictionem meam, & reddat mihi Dominus pro maledictione hac. Quidquid igitur, & à quibuscunque patiamur, suspiciamus ad Deum hæc omnia videntem, annuentem, volentem ac jubentem, & respiciet nos Dominus, & reddet nobis bonum. In rebus omnibus cum Davide usque & usque clamemus: Dominus est, *faciat, quod bonum est coram se.*

2. Reg. c. 15. vers. 26.

CAPVT XXVIII.

David interitum Absalonis filii luget.

Concilium bellicum Absalon Hierosolymis cogit. Achitophelis sententia.

CVm David in campestribus deserti moraretur, Absalon Hierosolymis profectus, comitibus concilium illic bellicum coëgit. Achitophel vir longè consultissimus, in hanc ferè sententiam dixit: Non ignotum ulli, quantus miles sit David, & quos secum adduxerit; paucos illos quidem, sed exercitatissimos, leones dixeris bellicosissimos. Cùm igitur bella celeritate constent, dentur mihi duodecim millia militis selecti, hac nocte lassos opprimam ex improviso. Nec erit difficile, regem in nostram potestatem redigere, cæso ipsius milite aut fugato. Consilium fuisset sapientissimum, modò reperisset viros cordatos, qui ausi fuissent sequi. Periisset David, si non consilium Achitophelis sterilisset. Deus id evertit; alioqui

2. Reg. c. 16. vers. 23. *consilium Achitophel, quod dabat in diebus illis, quasi si quis consuleret Deum, sic erat omne consilium Achitophel.*

Achitophelis consilio rejecto, cum Chusai sentiunt.

Longè aliter suasit Chusai, quem Absalon pariter audiri voluit. Ille hunc in modum peroravit: Consilium Achitophelis probare non possum. Pater tuus, ô rex Absalon, vir bellicosissimus est, qui veluti ursa catulis raptis sæviat. Ac forsan foveis ac vallis se munit. Quòd si principio prælii è nostris pauci cadant, ingentem ea res terrorem dabit, mox volabit fama victum Absalonem. Nam omnis populus novit, quantus, & quàm felix bellator sit Pater tuus, & quàm selectum militem secum eduxerit. Hoc igitur agamus, Israëlem universum à Dan usque Bersabee ad signa evocemus. Ita vi summâ irruamus in hostem, quocunque demum loci præsidio latitantem. Ita ad unum omnes trucidabimus. Quòd si alicui urbium se commiserit funibus eam cingemus, & in profluentem his tantis viribus trahemus. Consilium speciosum, sed malum. Assensi sunt autem omnes Chusai, rejecto Achitophelis consilio.

2. Reg. c. 17. vers. 14. Ita *Domini nutu dissipatum est consilium Achitophel utile, ut induceret Dominus super Absalon malum.*

David per exploratores de consilio certior fit.

Hæc omnia nuntiata sunt regi David per exploratores duos Jonathan & Achimaas, qui in viâ declinando periculo in puteum descenderunt, quem cata mulier texit pallio, velut hordeum siccaret. Monitus ergo David Jordanem ante lucem summo mane cum exercitu transmisit. In via Sobi & Bercellai obtulerunt regi frumentum, hordeum, farinam, fabam, cicer, lentem, mel, butyrum, oves & vitulos pingues, tapetia quoque & vasa utensilia obtulerunt, ut fatigatorum fami sitiique aliquid adferrent solatii.

Exercitum disponit & in tres partes dividit.

David igitur cum bono Deo suas in hoste filio vires exploraturus omnem exercitum suum in tres partes divisit, unam Joabo, alteram Abisai ejus fratri, tertiam Ethai Gethæo assignavit, ipsémet in aciem descensurus. At obsistens populus: In tuo, ajebat, unius capite, decem millia computantur. Tu unus quæreris, te perdito perjimus omnes. In urbe potiùs præsidio nobis etis, ut si pugna minùs feliciter succedat, ad te refugiamus. At David non ignarus, neminem in suâ causâ bonum esse judicem, perquàm humaniter & admodum submisse: *Quod vobis,* inquit, *videtur rectum, hoc faciam.* Ducibus autem singulariter præcipiens: *Servate mihi,* ait, *puerum Absalon.* Adeò paternus animus in hoste deterrimo agnovit filium, quem noluit obtruncari. Interim Achitophel immane dolens ob spretum suum consilium, suus ipse carnifex gulam laqueo fregit.

2. Reg. c. 18. vers. 4. Ibid. v. 5.

Jámque gemini exercitus in se ibant, non Hebræi scilùm contra Hebræos, fratres, sed contra patrem filius. Bellum miserabile, in quo & vincere & vinci grave fuit Davidi. Utrimque igitur acie commissâ, brevî numerosissimus Absalonis exercitus, ita turbatus est, ut effusissimè fugerint, viginti millia hominum cæsa sint. *Facta*

Ibid. v. 8. *que est plaga magna, viginti millium, & multò plures erant, quos saltus consumpserat, quàm hi, quos voraverat gladius in illâ die.* Nam in silvâ illâ plurimi à fame, siti, feris, præcipitiis sunt confecti. Absalon & ipse in fugam effusus, subter proceram & admodum umbrosam quercum mulâ vehens, capillis passis, sparsáque cæsarie ramis quernis inhæsit, celerrimè transeunte jumento vacuo. Hoc continuò miles Joabo duci nuntiavit. Qui ad nuntium conversus: *Si vidisti,* ait, *quare non confodisti eum cum terrâ, & ego dedissem tibi decem argenti siclos, & unum baltheum.* Nec quidem mille argenteos acciperem, inquit nuntius, ut regis filium confoderem, quàm enim severè rex imperavit custodiendum Absalonem. Cui Joabus: Ego verò, inquit, te spectante, aggrediar illum. Et cum dicto tribus lanceis in pendulum incurrens, pectus transfodit. Cúmque etiam palpitaret miser, Joabi decem armigeri accurrentes, juvenem miserrimum obtruncarunt. Ita demum Joabus cecinit receptui, non ultra passus sævire ferrum. Absalonem è quercu solutum in propinqui nemoris fossam abjecerunt, ingenti lapidum acervo super eum ingesto. Mox duo nuntii Achimaas & Chusai pervolârunt ad regem, & victoriam nuntiârunt. Mox quæsiit rex, num salvus ageret Absalon? Primus cautè dissimulavit se id scire: Alter, quod res erat, fassus est. Hîc David mœrore maximo perculsus in cenclave superius ascendit, flens, & identidem ingeminans: *Fili mi Absalon, Absalon fili mi, quis mihi tribuat, ut ego moriar pro te, Absalon, fili mi, fili mi Absalon!*

Absalon in quercu pendens tribus lanceis à Joabo confoditur. Ibid. v. 11.

Inde David maximo mœrore percutitur. Ibid. v. 33.

Hîc nobis agendum & de obitu filii, & de luctu Patris. In filii obitu æquissima Dei judicia consideranda; in Patris luctu expendendum, cur tantis lacrymis mortem atrocissimi hostis sit prosecutus.

§. I.

Æquissima sunt Dei judicia, differt pœnam, sed non aufert.

QVàm verum illud priscum? Deus judicat, cùm nemo accusat. Differt subinde pœnam, non aufert; tardioratem supplicii gravitate compensat. Serus nonnunquam venit ultor, sed severus. Absalon occidit fratrem; Deus tacet. Absalon mentitur patri de voto in Hebron perficiendo; Deus tacet. Absalon turbas concitat, seditionem conflat; Deus tacet. Absalon conjuges parentis violat; Deus tacet. Absalon parentem armis oppugnat, ut regno evertat, hîc Deus syngrapham monstrans; Hæc, inquit, & hæc, & hæc etiam fecisti, & tacui.

Chrysostomus in degenerem nunc filium, sævam reverà tigridem facundè excandescens: Parricida, inquit, non lædus, insanit, David lædi nec mitescit. Cessa, cessa, inquam, ne te boni omnes semper exhorreant, ne audaces ex te, quod non noverant, discant. Tandem respice jam scelestissime hostis, jam respice parricida, respice, inquam, usquequaque in te cuncta sunt conversa. Te fugientem arbor excipiet, rami interiment, ligna suspendent. Injuriam patris vindicant ligna, arbor ulciscitur, rami defendunt. Nec cælum, nec terra te recipit, & aura & tellus & aqua te aversantur & excludunt.

Verè Deus judicat, Deus condemnat, cùm nemo accusat. Et quidem pari metitur mensurâ. Hæc Dei sunt judicia, quæ sæpe lenta veniunt, sed tremenda. Diversorum in Absalone vitiorum mixtura fuit. 1. Capilis Absalon usus est ad pompam & fastum, nunc facti sunt ei funes, quibus infelici arbori suspensus est.

Diversorũ vitiorũ in Absalone mixtura. Prima.

Credi-

Credibile est galeam, quo celerior esset fuga, excussam. Cæsariem Absalon semel tantùm quot annis tondebat, ne capillorum mole ninis ùm gravaretur. Id autem quod attonsum fuit, ducentis siclis seu nonaginta philippeis vendebatur, tanti ve pars capilli regii fiebat. Jam verò dicendus est Absalon tot capite gessisse laqueos, quot capillos. Secunda. Amnonem fratrem temulentum ferro trucidatum è mensâ missit ad inferos, nunc à Joabo consobrino eâdem via in idem barathrum missus est, quâ frater præcessit. Tertia. 3. Cor ejus tribus maximè vitiis occupatissimum fuit, ambitione, libidine, vindictæ cupiditate. Eam ob caussam jure meritissimo tribus jaculis confossus interiit. Quarta. 4. Parentis decem conjuges violavit, circo ipse à decem juvenibus, dum ad quercum pendulus palpitaret, fœdè vulneratus & occisus est. Quàm bonus Arithmeticus est Deus, quàm non errat suo calculo, quàm æquam reddit mensuram suo tempore! Quinta. 5. Quia obedientiæ patri præstandam turpissimè abjecit, paratam patris misericordiam usurpare non potuit. Pater eum occidi vetuit, pater ei voluit parci; Deus noluit. Hîc tibi, mi Lector, expendendum relinquo, quantum & quamdiu miser cum arbore sit luctatus, ut illâ se extricaret. Etenim sat multum temporis effluxit, dum pendulum hoc funus Joabo nuntiatur, dum ille cum nuntio sermocinatur, & ad nefastam arborem decurrit. Interim Absaloni miserabile fuit cum arbore luctamen. Ita Deus in hostes suos animadvertit, præsertim qui æternitatis obliti, in omne vetitum ruunt.

Non sine gravi caussâ historicus divinus occisi Absalonis mentionem injiciens: *Porrò Absalon*, inquit, *erexerat sibi, cùm adhuc viveret, titulum qui est in valle regis: dixerat enim: Non habeo filium, & hoc erit monimentum nominis mei. Vocavitq; titulum nomine suo, & appellatur, manus Absalon, usque ad hanc diem.* Videte vanitatem hominis, mausolæum sibi struit, epigraphen componit, nominis æternitatem ambit, sed brevem illam & caducam; veram, & nullis sæculis finiendam perdidit. Sic à trajiciendo annulo, hastâ plurimùm aberravit. Habebat regius hic juvenis exercitum numerosissimum: nam multa millia in patrem armaverat, cùm Pater vix ducentos sub signis numeraret. Sed quid Absalonem miles tam copiosus juvit, illo uti nescientem? Multas in eum præclaras dotes congesserat Natura, sed quid profuerunt illi? Ad æternitatis annulum in equo ei decurrendum fuit; Ah miser equo decidit, Angelis & diabolis Orbique toti ludibrium, cæli medius & terræ pependit; æternitatem quæsiit temporariam, sed & hanc amisit, & unà sempiternam; à furiâ ivit ad inferos. Quàm miserum est, gladium habere bonum, & eò uti nescire, equum habere generosum, & regere illum nescire. Malus jaculator est, qui nec metam tangit, nec vicina metæ; malus eques, qui refigere discum cupit, & ex equo ruit.

2. Reg. c. 18. vers. 18.

Vanitas Absalonis in structurâ monimenti nominis sui.

§. II.

OBitum olim Epaminondæ, quod Plutarchus narrat, Athenienſibus recentem esse militem, sed quid tum posteà? Num flebit Antigenidas, si Tellias novas acquirat tibias? Tellias rudis & paganus tubicen, musicus præstantissimus Antigenidas id scilicet multùm moratur, etsi Tellias novis canat tibiis. Sic & Absalon exercitum ad victoriam opportunissimum contraxit, sed vincere nescit; marmoream æternitatem sibi condidit; sed illam non desituram neglexit. Nimirum vocaverunt nomina sua in terris suis. *Relinquent alienis divitias suas, & sepulchra eorum domus illorum in æternum.* Quantum laborant vanissimi mortales, ut nomen suum reddant immortale! ô immortalitatem morti nimiùm vicinam, ô æternitatem minimè æternam! de celebritate famæ quid nobis polliceri possumus? Cras moriemur, & forsan unà nobiscum, nomen nostrum. Domus nostras, sepulchra nostra usque ad supremam Archangeli tubam habitabimus. Hac ipsâ in re Deus Absalonem puniit insigniter: nam ejus cadaver jussu Joabi in silvam delatum, & in proximam foveam sine cæremoniis ullis, temere abiectum, velut canis mortuus. Hoc demum loco jam sepultus, jure tamen lapidatus est Absalon, prout Deus veteri lege jubet protervum & contumacem parentibus filium à toto populo lapidari. Hîc igitur rex formosissimus, & cum eo illius regnum, hebdomadibus paucis aut diebus durans est sepultum, fama melioris notæ non obtenta, æternitas cælestis perdita. *Vanitas vanitatum, & omnia vanitas.*

Psal. 48. v. 12.

De qua re à Deo punitus.

Deut. c. 21. v. 20. 21.

Eccles. 1. vers. 2.

Christianus Adrichomius de hoc Absalonis extemporali tumulo: Hodiéque, ait, ibi turris & magnus acervus lapidum est, qui quotidie augetur: nam peregrinorum quisque solet lapidem illuc cum imprecatione projicere: Maledictus sit parricida Absalon, & quicunque suos parentes impiè persequuntur, maledicti sint in æternum. Ipsi Turcæ & barbari cum execratione lapides eò jaciunt. Ita Deus judicat, etsi nemo accusat.

Illud Chrysostomi in Absalonem proclamatum, nemo non aliâ mente perpendat, præsertim qui peccato graviori vel unico vivit obnoxius: *Cessa ab isto scelere, cessa, inquam, cessa. Delinquendi finem non facis? Subitò Deus aderit, & in te finem faciet vivendi; tam futurus justus, quàm fuit misericors. Patibulum & carnifex, nunquam non expectant perduelles Dei; imò sceleratæ conscientiæ homo, suus ipse est carnifex, uti fuit Absalon. Cessa igitur ab isto scelere, cessa, cessa, & æternitatem pondera. Vbi patientia Dei & misericordia locum non inveniunt, invenit justitia.*

§. III.

ATque hinc tantus fuit David parentis cæso filio luctus, quem in peccatis mortuum non ignoravit. Codices sacri acerbitatem regii luctûs his verbis describunt: *Contristatus itaque rex ascendit cœnaculum portæ, & flevit, & sic loquebatur vadens: Absalon fili mi, Absalon! Quis mihi tribuat, ut ego moriar pro te, Absalon fili mi, fili mi Absalon!* Sic loquebatur vadens, sicuti quos dolor, aut luctus è loco in locum pellunt. Hîc quæstio prima oritur; Cur Amnonem & Absalonem tam acerbo luctu, non autem filiolum è Bethsabeâ natum prosecutus? imò & lætatus est? Diversissima lugendi fuit ratio: Animum parvuli æternitatis beatissimæ participem futurum, ad quietа sciverat migrare; at verò duos illos filios in sceleribus à morte deprehensos in æternam mortem præcipitatos non ignorârat. Quod Augustinus explicans: *Nam ideo si vinceretur*, inquit, *eum occidi prohibuerat, ut edomito servaretur pœnitendi locus. Et quia non potuit, non orbitatem dolust in ejus interitu, sed quia noverat, in quas pœnas tam impiè adultera & parricidalis anima raperetur. Ita non desperando defleverat virum, spe finitâ flevit occisum.* Idem adstruit & Bernardus: *Planxit meritò David super parricidâ filio, cui perpetuò sciret obstructum exitum de ventre mortis mole criminis. Huic Saulem adjungens: Et quidem inquit, resurgent, sed non ad vitam, ut vivi in morte infelicius moriantur.* Hæc Theodoretus etiam confirmat non absimili dicto: *Tanquam pius luxit eum, qui non poterat amplius curari per pœnitentiam. Nam post mortem plaga peccati est immedicabilis.*

Luget David filium Absaloné, 2. Reg. c. 18. vers. 33.

Cur David acerbiori luctu Amnonem & Absalonem quàm filiolum è Bethsabeâ natum prosecutus.

Aug. de doctr. Christ. l. 3. c. 21. initio. Et contra Gaudentium Donatistam, lib. 1. c. 22. to. 7. Bern. ser. 26. in Cant. fine. Theodoret. q. 26.

Eam deinde ob caussam tam graviter lamentatus est mortem Absalonis David, quia noverat volumen æternitatis immensum, inexplicabile, interminatum; æternitatem ipse meditatus, assiduè annos æternos in mente habuit. Optimè secum ratiocinatus David dixerit: Si ego, mi fili, pro te morerer, vitam perderem non longam, tu perdidisti æternam. Inexhausta, infinita

Psal. 76. v. 6.

æternitas

æternitas parenti optimo tam amaras excussit lacrymas. Non suam hîc pater doluit orbitatem, non filii juventutem, non mortis genus, non sepulchri vilitatem, æternitatis doluit irreparabilem jacturam. Obsecro, Christiani, mœrores & dolores nostros omnes, & quidquid demum in vitâ illætabile videtur, ad hanc amussim quivis sedulò sic examinet: Id, quod doleo, non temporis aut fluxæ rei jactura est, sint licet aliquot centena millia philippeorum hosti tradenda, sit perdendus Orbis universus, sit fortunarum omnium, insuper & capitis periculum adeundum: hoc exiguum, hoc leve, hoc nullum est damnum æternitati collatum. Amissis omnibus, ad beatos nihilominus, & quidem securiùs migrare possumus. At verò peccatis involutum mori, hoc damnum est æternum, hoc nullis sæculis gemendum satis & lugendum. Idem in lucris & rebus secundis sentiendum. Quærendum: Quid hoc lucri, quid hoc gaudii est? breve quid ac temporarium, depereunt ævo omnia. Quid ergo mihi plaudam de his lucris, de his gaudiis? Hodie fortassis fruar, cras ubi hæc erunt? & ubi ego? si lucrum gaudiúmve sit æternum, hoc votis omnibus complectar. Annos æternos in mente habeat, qui veram luctûs & gaudii temperantiam amat.

David æternitatis jacturam doluit in Absalone.

Mortuus in peccatis lugendus est.

CAPVT XXIX.

David famis triennio medetur.

DEMONAX Adriani ævo sapiens Philosophus, summus amicitiæ encomiastes, cùm solaretur hominem, qui filii mortem tam acerbè lugebat, ut solatium omne repudiaret, his eam pollicitis aggressus: Ego, inquit, filium tuum ab inferis revocabo, si tres mihi nominaveris, qui obitum nullius luxerint. Hîc orbatus filio pater huc illuc versare animum, & cogitationem per omnes notas circumferre, nec tamen ullum reperire, quem cognati aut chari funeris luctus non afflârit. Quid igitur, inquit Demonax, teipsum discrucias, quasi novum aliquid evenerit? Impera dolori: parentes liberis orbari, quotidianum est. Cùm Absalonis mortem adeò multis lacrymis defleret rex David, Joabus id grandem luctûs intemperantiam censens, liberrimè in eum, ut dicemus, invectus est, suúmque regem non solatii mulso, sed acri reprehensionis aceto perluit. *Confudisti hodie*, inquit, *vultus omnium servorum tuorum, qui salvam fecerunt animam tuam, & animam filiorum tuorum*, &c. *Diligis odientes te, & odio habes diligentes te: & ostendisti hodie, quia non curas de ducibus tuis, & de servis tuis. Et verè cognovi modò, quia si Absalon viveret, & omnes nos occubuissemus, tunc placeret tibi. Nunc igitur surge, & procede, & alloquens satisfac servis tuis. Iuro enim tibi per Dominum, quòd si non exieris, ne unus quidem remansurus sit tecum nocte hac: & pejus erit hoc tibi, quàm omnia mala, quæ venerunt super te ab adolescentiâ tuâ usque in præsens.*

Joabus redarguit Davidem quòd lugeret mortẽ Absalonis. 2. *Reg. c. 19. v. 5. & seqq.*

Audite reges & Principes solutissimam oris libertatem, quæ una vobis in omnium rerum copiâ deest, sed vestrâ plerunque culpâ. In Aulis veritas, nisi quàm blandissimè accedat, velut rusticana, sordens femina repellitur. Veritatem planam & inornatam venditurus, cautelas & blanditias centum excogitet necesse est, ut merces suas extrudat. Veritatis paullulùm asperioris impatientes nimiùm & inassuetas aures gerimus, quæ tunc maximè vulnerantur, cùm minimè deberent. Nil plerumque minùs sciunt reges, quàm placido tranquilloque animo audire verum. * Pharmacum regibus vitidetur amarissimum ex vero moneri. Cùm igitur magnates haud æquis auribus apertam veritatem audiant, hinc rari aut nulli sunt, qui eam dicant. Utrumque vitiosum, & orbi summè noxium.

Veritas ab aulis repellitur.

* Sat notum in aulis.

Tom. II.

Postquam igitur Joabus hoc oris lixivio regem suum defricuit, rex mitissimus velut famulus palatinus paruit, luctum posuit, & publico se commisit.

Sed gravius priore incendium exarsit: Tribus Israël & Tribus Juda ob regem in urbem comitatum, discordiâ gravissimâ cœperunt contendere. Seba occasione usus, seditionis ducem se gessit, & Israëlem omnem à David rege avertit. Rex igitur Hierosolyma properavit, ut illic feliciùs turbas componeret. Interim Joabus Amasam Absalonis Imperatorem & jàm Davidis ducem, ne nimiùm regiis favoribus cresceret, velut amicissimè salutans interfecit, & suas Abisai fratris copiis conjunxit ad persequendum Seba. Hic ubi cognovit, tantis se viribus peti, in urbem Abelam confugit. Mox eam Joabus obsidione cinxit minisse otiosâ, statim namque militem immisit, qui muros dirueret. Hîc sagax femina cum Joabo è mœnibus collocuta, ad suos inde cives regressa, eò rem deduxit, ut amputatum Sebæ caput per muros projiceretur Joabo. Qui mox obsidione solutâ ad regem rediit Hierosolyma.

Seba seditionem movet.

Persecutionem patitur à Joabo & obsidetur.

Capite truncatur.

At verò Hierosolymis fames & magna charitas annonæ cœpit sævire. Anno demum tertio David oraculum consuluit de causâ mali. Responsum est in causâ esse Saulem & sanguinariam Saulis domum, quæ Gabaonitas impiè occidisset. Hoc David interrogans: Quod vestri, ait, piaculum erit? At illi: De argento, inquiunt, & auro non certamus. Virum, qui attrivit nos, & oppressit iniquè, ita delere debemus, ut ne unus quidem residuus sit de stirpe ejus in cunctis finibus Israël. *Dentur nobis septem viri de filiis ejus, ut crucifigamus eos Domino in Gabaa Saul quondam electi Domini.* Dedit eos rex, quos Gabaonitæ crucifixerunt in monte. Hîc admirandum fratris facinus eluxit. Respha Saulis pellex, coacta est duos filiorum dare attollendos in crucem. At illa rigidum sibi lectulum sub crucibus stravit cilicium, ubi ipsa custos pervigil diu noctúque, nec avibus nec feris permisit, quidquam injuriæ inferre crucifixis, dum è crucibus, annuente David, in tumulos abierunt. Deinde bella è bellis orta. Hîc tria nobis potissimum explicanda. 1. Quantis Davidem Deus calamitatibus & ærumnis exercuerit. 2. Quòd diuturnæ famis, aliorúmque complurium malorum causa fuerit oppressio pauperum. 3. Quantam David mansuetudinem hostibus exhibuerit, ut jure vociferemur: *Memento Domine David, & omnis mansuetudinis ejus.* Summa ferè dictionis, medela famis, quam David reipublicæ adhibuit.

2. *Reg. c. 21. vers. 6.*

Quæ causa famis in Jerusalem.

Tria explicanda cantur.

Psalm. 131. vers. 1.

§. I.

DE David rege jure optimo dixerim illud, quod ad Polybium scripsit Seneca: Nemo magis ex omnibus mortalibus hominem esse se, dum inter mortales erat, sensit. Tamen tot tantósque luctus cepit rerum omnium capacissimum ejus pectus, victórque divus Augustus, non gentium tantummodo externarum, sed etiam dolorum fuit, judicavitque non militandi tantùm disciplinam esse servandam, sed etiam dolendi, omni genere orbitatis vexatus; liberos, nepotes, generos mors ei ademit. Hebræum regem David lacrymabilis prorsus orbitas adeò afflixit, ut inter afflictissimos hominum jure censeri potuerit. Ærumnarum satis habuisset, si hanc unam habuisset. Rex tantus, vir plenus Spiritu sancto, filiorum suorum duos ad inferos rapi videat? Amnon incestuosus in mensâ temulentus subitò interfectus, Absalon non minùs incestuosus, insuper & parricida, dum impia in parentem arma movet, confossus, de Adoniâ dubium. Hæc illum non afflixerint lethali ægrimoniâ? Nemo igitur vel suæ, vel parentum sanctimoniæ fidat; optimi parentes pessimos non rarò liberos educant, præsertim si eos non maturè & pæne in cunis subjiciant disciplinæ. Nemo statûs loci, sociorum sanctitati fidat: *Anima, quæ peccaverit, ipsa morietur.*

1. Quantis Davidem Deus calamitatibus exercuerit

1. In lacrymabili damnatione filiorũ.

Ezech. c. 18. vers. 4.

Nemo graviùs peccans hanc mortem effugiet, tametsi parentes habuerit sanctissimos, aut loco, statu, sociisque vixerit cum sanctissimis. Unusquisque onus suum portabit. Anima, quæ peccaverit, ipsa morietur, non alia. Ingens igitur afflictio filii huic regi, non unum dumtaxat filium procreasse, Tartaro.

1. In populi mœrentis consternatione. 2. Reg. c. 19. vers. 2. Ibid. v. 5. & seqq.

Accessit populi mœrentis consternatio. *Audiit populus: Dolet rex super filio suo,* & versa est victoria in luctum in die illâ omni populo. Hîc Joabus animo prorsus masculo aggressum regem, nec ullam priùs captans benevolentiam audacissimus orator: *Confudisti hodie,* inquit, *vultus omnium servorum tuorum, qui salvam fecerunt animam tuam, & animam filiorum tuorum. Nunc igitur surge, & procede, & eloquens satisfac servis tuis,* &c. *Surrexit ergo rex, & sedit in portâ.* Ad objecta nihil mutiit, edictum suum de Absalone non occidendo violatum non opprobravit, objurgationem amarissimam æquo animo admisit, & verò etiam objurgatori suo obedivit, tanquam non & à subdito, à famulo, sed à parente aut præceptore reprehensus esset. Lugubria vestimenta exuit, vultum ad hilaritatem composuit, ne suum militibus triumphale gaudium corrumperet. Verùm hæc acerrima Joabi reprehensio non mitigavit regis luctum, sed auxit. Dolebat intimè rex tantus ab uno aliquo suorum militum prohiberi filium in peccatis mortuum deflere. Quàm nos ad regem hunc delicati, difficiles, fastidiosi, monitoribus etiam jucundis asperi sumus, nec ferè ullius rei minùs patientes, quàm objurgationis licet amicissimæ.

3. In ambitione duarum tribuũ & seditione tribuũ Israël.

Ærumnas regis David duarum Tribuum auxit ambitio. Cùm enim Tribus Juda audiisset regem Hierosolyma rediturum, mox adfuit ritu veteri regem deducturæ. Rex ut suæ Tribui plusculum gratificaretur, ceteris non expectatis progredi decreverat. Mox sparsus rumor regem iter ingressurum, quod factum. In viâ occurrunt Tribus Israël, & graviter expostulantes de factâ sibi injuriâ: Cur, inquiunt, fratres nostri regem velut furto subductum comitantur soli? Ejusdem nos juris sumus, quos decuisset eâ de re moneri. Acerbiùs his respondit Tribus Juda. Ita non intra verba stetit hæc pugna. Nam Seba nactus opportunitatem nocendi, omnes Tribus Israël à rege avertit. *Et separatus est omnis Israël à David, secutúsque est Seba.* Ita rex nondiâ viâ abundecim Israëlis tribubus est destitutus.

2. Reg. c. 20. vers. 2.

4. In occisione Amasæ.

His malis accessit & istud: Amasa legatus sub Absalone, ad Davidis partes transierat, jámque in eo erat, ut reliquas tribus Davidi adjungeret, & ipse demum substitueretur Joabo. Cui cùm hoc suboleret, fraude ad amicitiæ venustatem compositâ, salutatum blandis cæremoniis Amasam interfecit. Ingens id Davidi mœror fuit. Secuta est famis triennis. Quod Regum fasti

2. Reg. c. 21. vers. 1.

dicunt: *Facta est quoque fames in diebus David tribus annis jugiter.* Hanc diversa quatuor exceperunt bella in Philisthæos mota. In primo periisset David, ni ejus vitam Abisai servâsset. Ita plectitur adulterium, ita scelerum catena solvitur.

§. I.

Ita Deus de viro cetera sibi charissimo meritas pœnas sumpsit. *Memento Domine David, & omnis mansuetudinis,* omnis afflictionis *ejus.* Quàm grande patri supplicium est, amantissimum perdere filium, cúmque æternis ignibus damnatum non nescire. David duos habuit tales filios, quos diabolo genuit. In cælis jam beati hanc cognati sanguinis separationem à nobis nil pensi tus curabimus; Dei justitiam laudabimus: *Lætabitur justus, cùm viderit vindictam, manus suas lavabit in sanguine peccatoris.* At certè dum vivimus, charorum interitum nimium quantum sentimus. Sensit profectò David, & dixit: *Defecit in dolore vita mea, & anni mei in gemitibus.* Summa Orbis mala sustinuit David; est tamen Orbis malum maximorum maximum, quod David non sustinuit. Veteri Trochaico erudimur:

Psal. 131. v. 1.

Psal. 57. v. 11.

Psal. 30. v. 11.

Non ferre infelicitatem, summa est infelicitas.

Malum hoc malorum est: Quod Chrysostomus dilucidissimè affirmans: *Vnum solum,* inquit, *malum est peccare.* Huc igitur, Christiani, huc convolate, & mihi afflictiones vestras, ærumnásque universas enumerate; dicite, quid vos premat, quid angat, quid cruciet, ac torqueat? Etsi narratione hac totum occupetis diem, ego tamen jure pronuntiavero, calamitatem omnium maximam, nondum ad calculum venisse: id enim plerumque omittimus, quod calamitatis fundus est, humanas miserias & calamitates, non posse, non velle, & tamen cogi tolerare [illegible] maximum est. David & potuit & voluit perferre, quæ illi Deus dederat perferenda. De Davide dixerit vetus illud:

Chrysost. hom. 19. in epist. ad Ephes.

Non ferre miserias maximum malorum est.

Animo bene habenti calamitas quævis, levis:
Etiam calamitas calamitatis est solatium.

Mors Absalonis luctum intulit, sed quia bello dedit finem, unà etiam attulit solatium. Facundè ac verè dixit Chrysostomus: *Vnusquisque magnorum virorum, non à requie, non à deliciis, verùm ab afflictione, à tentatione insignes coronas reportárunt.* Quod Gregorius Nazianzenus ad Basilii Magni obitum orator eximiè confirmans: *Plaga,* inquit, *cordatis viris est doctrina.* Peccatum, malum Orbis unicum, lerna malorum omnium est. Unica invidia noxarum planè infinitarum mater est. Joabum in impiam Amasæ cædem impulit invidia. Cogitaverat David Joabum cetera ducem optimum, sed sicarium pessimum, qui & Abnerem occiderat, & Absalonem contra edictum expressissimum confoderat, officio movere, & Amasam ei sufficere. Hoc odoratus est Joab, hinc odium, invidia, cædes. De invidiâ, lue Orbis fœdissimâ Basilius Seleucus verissimè: *Invidia,* inquit, *grave malum est, plenúmque simulationis, ea Orbem terrarum infinitis opplevit malis. De hoc malo quotidie disserimus, & nec hilum proficimus, feris ipsis deteriores evadimus.*

Chrysost. hom. in ep. ad Rom.

Nazian. orat. super morte Basilii Magni.

Invidia noxarum infinitarum est mater.

Basil. Seleuc. orat. 4. sub finem.

Quàm præclarè de hac peste philosophatus Zeno: Nihil, inquit, humanæ invidiæ malo perniciosius accidere potest. Nam invisum parum lædit, sed plurimùm invidentem: uti rubigo ferrum consumit, ita invidia suum auctorem, quem nemo facilè juverit, quia plerunque morbum non fatetur. Chrysostomus omnes invidiæ laudes ad compendium conferens: *Malorum,* inquit, *omnium mater Invidia.*

Quâ nihil perniciosius accidere potest.

Quid verò famem regno Davidis intulit, nisi peccatum, & quidem oppressio pauperum? Gabaonitis Josue datâ fide pollicitus est, non delendos ut gentes ceteras. Quoniam verò id miti dolo impetrárunt, jussi sunt æternis servitiis dare homines, qui aquam & ligna templo ferrent. Majorem horum partem Saul æmulatione immoderatâ oppressit, plurimos occidit. Hinc illorum postulate vim occultam spirantis. *Virum,* inquiunt, *qui attrivit nos, & oppressit inique, in cunctis finibus Israël, ut ne unus quidem residuus sit de stirpe ejus.* Ita Deus patefaciendæ suæ justitiæ in totum Israëlis populum famem immisit. Sed cur plectuntur Achivi, cùm delirant reges? Magistratus & cives, rex & indigenæ regni civile corpus constituunt unum: si malè habeat caput, sentiunt hoc & membra; si rex delinquat, populus id unà luit: nam etsi plerumque innocentes multi cum rege non deliquerint, alia tamen luunt delicta. Sic septem filiis Saul evenit, quos David Gabaonitis tradidit secundùm Dei voluntatem crucifigendos. Idem hîc quæratur: Quid commeruerunt insontes? Satis est, si commeruerit id pater. Non ignoramus Ezechielem dicere: *Filius non portabit iniquitatem patris, & pater non portabit iniquitatem filii.* Sed asserimus id de futuris potissimùm suppliciis & æternis dictum. Deinde filii Saul istud supplicii genus alio fortassis nomine meruerunt. Singularis etiam hîc Dei providentia eluxit, quæ hoc

II. Quòd diuturnæ famis, aliorumque cõplurium malorum caussa fuerit oppressio pauperum.

Ezech. c. 18. vers. 20.

egit,

egit, ut inter Davidis & Saulis posteros & nepotes, gravissima de regno controversia cessaret. Horum autem omnium malorum caussa peccatum. Solum igitur & unicum est malum, peccare.

§. III.

III. Quantum David manſuetudinem hoſtibus exhibuerit.

POrrò quàm placidum & mitem se gessit David in nequissimos hostes? Semei ex asse nebulo, trifurpessimus, cùm cerneret Deum à partibus Davidis stare, eúmque victorem regno iterum potiri, pelli suæ malè metuens, crucis aut rogi theatrum, & in eo se actorem somniavit. Quapropter transito Jordane regi occurrens, & prono eum corpore adorans: *Ne*, inquit, *reputes mihi, Domine mi, inquit autem, neque memineris injuriarum servi tui in die, quâ egressus es, Domine mi rex, de Hierusalem, neque ponas rex in corde tuo. Agnosco enim servus tuus peccatum meum, & idcirco hodie primus veni de omni domo Ioseph, descendiq; in occursum Domini mei regis.* At verò Abisai paratissimus ad Semei ex tempore mactandum. *Nunquid pro his verbis*, ait, *non occidetur Semei? quia maledixit Christo Domini?* Hos impetus coërcens David: *Quid mihi*, ait, *& vobis filii Sarviæ? Cur efficimini mihi hodie in Satan?* Et ad Semei: *Non morieris.* Iuravitq; ei. Decies, mi Semei, pœnam capitis meruisti, sed multò mitissimus rex vitæ tibi gratiam fecit, tantâ cum curâ, ut hominem sibi amicissimum reprimens à justâ cæde dixerit: *Cur efficimini mihi in Sathan?* Quid enim tuâ interest, mi Abisai, si etiam hostibus teterrimis delicti veniam impertiar. Tuum hoc consilium, non amici, sed adversarii, sed satanæ consilium est. Notent hoc homines turbulenti, discordiarum incentores, hostes amicitiæ, quorum hæ voces sunt. Oppone te, defende te, jure tuo utere, turpe est tam facilem esse ad veniam, ignaviæ tribuitur tam festinata ignoscentia. Hi aliis efficiuntur in satanam, fideles satanæ ministri.

Homines discordiarum incentores sunt satanæ ministri.

2 Erga Miphiboſethum.

Erga Miphibosethum verò ita se gessit David, ut seipsum erroris damnârit. Siba Miphibosethi servus, homo vafer, garrulus, nequam, tam blandâ fraude dominum suum accusarat, ut ei David omnes domini facultates permiserit occupandas. Satis hoc quidem præcipitanter, fateor, & rebus nondum discussis. Miphibosethus regi reduci suam ipse caussam exponens: Domine mi rex, inquit, statueram omnino tuum ab urbe discessum comitari, sed quia claudo mihi negatus est pedum usus, dixi Sibæ famulo meo, jumentum mihi sterneret, quo veherer, at ille vel tantillum hoc obsequii recusavit, me insuper caput audacissimum accusavit apud te dominum meum regem, ac si optimam tueretur caussam. *Tu autem, domine mi rex, sicut Angelus Dei es, fac quod placitum est tibi.* E narratione tam ingenuâ satis intellexit David se præcipitando errasse, parte inauditâ alterâ, & errorem ut potuit emendans: *Tu*, inquit, *& Siba dividite possessiones.* Et, quod Tostatus addit, liberaliter compensavit reliquum.

2 Reg. c. 19. vers. 27.

Ibid. v. 29.

Error pessimus est errores cõmissos nolle fateri.

Hic pessimus plurimorum error est commissos errores fateri nolle. Errant subinde judices, errat magistratus, errat herus & hera, & quis non errat? homines sumus erroribus innumeris obnoxii, cùm autem corrigenda est erroris noxa, vix ullus est, qui se fateatur errasse. Hîc omnes dissimulant, tacent, aut excusant, qui errorem candidè fateatur, nemo est, nemo. David dicta revocat, Augustinus scripta retractat, hinc duos retractationum libros confecit, quibus plurima, quæ scripserat, correxit. Bonæ mentis hominem non tam erroris pudet, quàm perseverantiæ in errore.

3. Erga septem filios Saulis suspensos.

Post tam eximium manſuetudinis specimen in Semei & Miphibosetho exhibitum, nec Saulis septem filiis crucifixis clementia Davidis defuit. Postquam enim primis pluviis sunt perfusi, è crucibus eos deponi, & unà cum cadaveribus Saulis, & aliorum trium filiorum, more majorum honorificè in sepulchro Cis jussit sepeliri. Talem in hostes se David gerebat. Unde meritò identidem clamamus: *Memento Domine David, & omnis manſuetudinis*, omnis afflictionis, *eius.* Utrumque hoc, afflictionem & manſuetudinem abundè in eo cernere est. Qui in ærumnis deficere non vult, sæpius hæc duo cogitatè secum expendat. 1. Miseriarum omnium maximam esse, humanas miserias nolle, aut nescire ferre: Unum solum esse malum, peccare. 2. Æquissima Dei voluntas in immittendis mœroribus & calamitatibus, assiduè commeditanda. Quod religionis nostræ fundamentum Gregorius paucis complexus: *Magna*, inquit, *satisfactio percussionis, est justa voluntas conditoris.* In eandem sententiam suaviter deducens Chrysostomus: *Stabiles*, inquit, *estote, & immobiles; nihil enim adeò labefactat, facitq; vacillare, atque existimare se temere affligi & sine caussâ.* Deus ab omni æternitate omnia, quæcunque nobis quocunque modo toleranda sunt, ad extremum usque unguiculum dimensus est, ad perpendiculum exegit omnia. Voluit Deus, & etiamnum vult, ut hoc & hoc, & istud & illud, & tam diu, & ab his, & hoc modo patiamur, prout reipsâ patimur, nos idem, obsecro, velimus. *Quis restitit ei, & pacem habuit?*

Psal. 131. vers. 1.

Duo consideranda ei, qui in ærumnis nõ vult deficere. Primum. Secũdum.

Iob c. 9. v. 4.

CAPVT XXX.

David populum numerare jubet.

Jubet David populum munerari.

BELLIS utrimque jam sopitis vires suas non ignorare voluit rex David. Jussit igitur omnem populum toto regno numerari. Joabus horum intelligens, sed & alii duces id dissuaserunt. Fuit tamen pro ratione voluntas. Hic populi census Deo admodum displicuit. Iratus est Deus, misericordiæ tamen recordatus, & iram magnâ temperans humanitate Gad Prophetam misit, qui regi apertè & in os dixit: Pœnam crimini debes, tu elige aut famem septem annorum, aut bellum trimestre, aut tridui pestem. Optio tibi & potestas eligendi est. Hîc David in arcto constitutus: Difficilis, inquit, est deliberatio; *coarctor nimis, sed melius est, ut incidam in manus Domini (multæ enim misericordiæ ejus sunt) quàm in manus hominum.* Itaque elegit pestem. Mox pestilitas ad divinum arbitrium sæviit, quæ tempore brevissimo septuaginta millia hominum consumpsit. Sæviente peste vidit David, sed & alii viderunt Angelum in aëre stricto gladio imminentem urbi & ferire paratum. Hîc David & unà primores urbis cilicijs amicti omnes corruerunt in terram: inter hos David vociferatus ad Deum: Nónne ego sum, inquit, qui jussi ut numeraretur populus? Ego qui peccavi, ego qui malum feci: iste grex quid commeruit? isti qui oves sunt, quid fecerunt? Dominus Deus meus, vertatur, obsecro, manus tua in me, & in domum patris mei, populus autem tuus non percutiatur. At verò Angelus Prophetam Gad David jussit dicere. Ascenderet porrò, & in aream Ornani Jebusæi aram Deo conderet. Hoc David illico perfecit. Sic Angeli rhomphæa in suam rediit vaginam. Hic tria nobis explicanda. 1. Qualénam hoc delictum jubere populum numerari. Exactissimus calculator est Deus, rationes ad novissimum quadrantem exigit. 2. Supplicium quale fuerit secutum. 3. Quàm illud æquo animo David exceperit.

2. Reg. c. 24. vers. 14.

Quod Deo displicet, & electio pœnæ ei datur.

Elegit pestem.

De quâ septuaginta millia hominum sunt consumpta.

Tria explicantur.

§. I.

I. Qualénam hoc delictum jubere populum numerari.

I. QValénam hoc delictum jubet epopulum numerari? Verissimè dixit Abbas Agathon, & cum eo omnis sapientum senatus: Longè alia sunt Dei, alia hominum judicia. Quis enim verò credidisset hanc populi recensionem esse tam grande peccatum, nisi sciret tam graviter punitum? Num princeps, num rex nesciat, quibus polleat viribus, quem militem possit in aciem producere? Quàm nihil hoc iniqui: Numerate populum, ut sciam numerum ejus. Nos istud vanitatis aliquid, aut curiositatis, nos summum aliquid fastûs

fastûs & supercilii censuissemus. Sed alia Dei, alia hominum sunt judicia. Illud insuper non nesciamus: Hanc qualemcunque animi elationem valde auxit, quòd istud Ioabus ceteriquè duces, ut rem minùs necessariam & maximi sumptûs dissuaserint. At verò David sententiæ tenax, neutiquam hac in re cedere paratus: *Afferte*, inquit, *mihi numerum, ut sciam.* Hoc sanè consilium spiritus divinus non suggessit: nam ut regium chronicon testatur: *Consurrexit satan contra Israël, & incitavit David, ut numeraret Israël.* Hinc perspicuum, quomodo Deus peccata peccatis, ut suprà demonstratum est, puniat, noxas permittat, supplicia & pœnas velit, & ipse à nobis repetat. Nam Fasti regum ita loquuntur: *Et addidit furor Domini irasci contra Israël, commovitq; David in eis dicentem: Vade, numera Israël & Iudam.* Quomodo autem & Dominus & satanas regem ad numerandum populum impulerunt? Observandus loquendi modus à divinis libris usurpari solitus, Deus excæcat, indurat, exûrdat, quando Deus æquissimè sic punit hominem, ut suam illi gratiam subducat. Exemplo rem monstramus: Magistratus alicui non ex debito, sed ex liberalitate ligna gratis præbet pauperi plebeculæ. Hæc insolenter se gerit & obloquitur. Idcirco Magistratus jure merito minatur immorigeræ plebi: si officium facere recusetis, aquam vestram frigefaciemus; quod certè fit, cùm ligna, quæ nemini debebantur, subtrahuntur. Ita Deus excæcat, obdurat, exûrdat, cùm hominem gratiâ, quam illi non debet, privat; cùm auxilia subducit, quæ priùs gratuitâ liberalitate concesserat. Ita Deus elatæ Davidis curiositati gratiam subtraxit, permisitque regem, quod vellet, agere. Ita commovit, ita incitavit ad populum numerandum. Numerate populum. Hoc autem Deus in omni genere delictorum gravius punit, cùm aut in apertissimam legem aliquis deliquit, aut prudentum virorum consilia monitáque spernit sui cerebri homo, cui suum omne placet, qui horis omnibus in suámmet ire sententiam consuevit, & aliorum hortatus aut suasiones pertinaciter contemnere. Hunc talem Deus fecit.

1. Paral. c. 21. v. 2.
Ibid. v. 1.
2. Reg. c. 24. vers. 1.
Quomodo Deus & satanas impulerunt Davidem ad numerandum populum.

Ioabus quidem non imprudenter suadens: *Augeat Dominus*, inquit, *populum suum centuplum, quàm sunt. Nónne, Domine mi rex, omnes servi tui sunt? Quæ re hoc quærit Dominus, quod in peccatum reputetur Israëli? Sed sermo regis magis prævaluit.*

1. Paral. c. 21. v. 3. & 4.

Numeratus est ergo populus, rege ita imperante. Numerus autem conscriptus est iste: In unicâ Tribu Iudâ quingenta millia bellatorum. In ceteris Israëlis tribubus undecies centena millia militum; universè sexdecies centena millia virorum pugnacium sunt censa. Hunc talem numerum scire, & non superbire, rarissimum, vix auditum. *Displicuit autem Deo, quod jussum erat, & percussit Israël.* Vbi nunc assentatores, Placentini, & Laudenses, qui factum excusent, palpum obtrudant, dicántque: Quis tanto regi licere neget, sui populi censum inire, etsi sumptibus in hanc rem opus sit, quid tum posteà? Nunquid non suæ terræ dominus est? An eum tam bardum volumus & stupidum, ut nesciat, quid bellicarum virium habeat? Aliud est esse regem, aliud monachum aut eremitam. Ita, mei palpones, ita glaucoma ob oculos objicite. Nihilominus Deo displicuit, quod jussum erat. Vana gloria, curiositas, arrogantia, nec in rege quidem unquam probanda. Paratum semper his noxis supplicium.

Numerus populi numerati.

Ibid. v. 7.

§. II.

2. Qualénā secutū supplicium.

II. SVpervacaneum populi censum grande secutum est supplicium. Multa millia hominum pestilitate sublata. Hîc, obsecro, consideremus, quanti sit momenti humanæ voluntatis ad divinam conformatio. Nam hujus rei gratiâ Deus iram suam humanitate mitissimâ temperavit, misitque Gad Prophetam, qui eligendi faceret optionem. Sed nunquid non etiam ipse David Propheta fuit, cum quo Deus loqueretur? fuit sanè, sed hîc modo res actâ humano est, veluti si pater filium, à quo graviter offensus, in conspectum non admittat, sed per arbitros cum eo agat, illíque culpam commissam probè explicari jubeat. Ita Deus in aliis quàm plurimis agere consuevit, & nostris sese moribus accommodare. Quia verò David voluntatem suam studiosissimè conatus est divinæ adjungere, Deus illi & suam adjunxit tanquam si explicatissimè dixisset: Quia tu meam voluntatem tam studiosè observas, observabo & ego tuam, quantum mea quidem permittit justitia. Trium tibi datur optio, elige unum, quod volueris ex his, ut faciam tibi; aut septem annis veniet tibi fames in terrâ tuâ, aut tribus mensibus fugies adversarios tuos, & illi te persequentur; aut certè tribus diebus erit pestilentia in terrâ tuâ. Nunc ergo delibera, & vide, quem respondeam ei, qui me misit, sermonem: cogita, quo pœnarum genere velis puniri. Tamdiu profectò Deus supplicii maturitatem inhibuit, dum David, quid hac in re vellet, animum suum aperuit. Veluti si medicus dicat ægroto: Quid horum trium vis? inaurata catapotia, aut potiunculam mediam, aut bolum armenia? Mitissime Deus, quàm suavem agis medicum? Quàm verè de te dictum: *Cùm iratus fueris misericordiæ recordaberis.* Voluntatem timentium te facies.

Deus cum Davide in electione pœnarum humano more agit.

Trium pœnarum fuit ei data optio.

Habacuc. c. 3. v. 1.

Porrò David potestate optionéque factâ eligendi: *Coarctor nimis*, inquit, *sed melius est, ut incidam in manus Domini, quàm in manus hominum. Multæ enim misericordiæ ejus sunt.* Num Susanna & David dissentiunt? Illa melius esse judicavit, Incidere in manus hominum; melius esse judicavit David, incidere in manus Dei. Quid hoc dissensionis est? nihil omnino. Nam cùm mitiores Deus & breviores pœnas à nobis expetit, longè melius est in manus Dei incidere: Cùm autem suppliciis vindicat æternis, cùm flammis cruciat nunquam extinguendis, ah melius multò est, in manus hominum incidere. Si annuisset Susanna operi nefario, in flammeas Dei manus incidisset, ideo dixit: *Melius est mihi absque opere incidere in manus vestras.* At verò David mavult in Dei manus incidere, quia trium dierum pestis, aut trium mensium bellum, aut septem annorum fames, nec quidem punctulum sunt ad æternitatis supplicia. Sed cur potiùs manu divinâ vult castigari, cur plagas à Deo receptas præfert iis, quas humana facit manus: nunquid nil ultra possunt homines, quàm permittat Deus! nil penitus ultra. Quid tamen hîc discriminis sit, ita explicamus. Pater castigat sæpius virgis filium: filius parenti semper refractarius tandem compingitur in carcerem, ubi ferulâ carnificis aut lictoris vapulat, & quamvis Magistratus certum dictet plagarum numerum non excedendum, multò tamen melius est, ferulis patris quàm carnificis cædi. Ita David maluit à Deo ut patre, quàm à Deo ut judice castigari. Deinde in hoc pœnarum delectu, sibimet non pepercit David. Nam si annonæ charitatem & famem elegisset, vix quidquam habuisset sibi ipsi metuere, quando regibus ciborum copia plerumque non deest, dum aliorum plurimi fame moriuntur: Si bellum elegisset, opportunum sibi firmúmque castrum occupare potuisset, dum inter se alii digladiarentur. At verò pestis incertis saltibus huc illuc transit, nemini parcit, etiam reges invadit. Ludovicus Galliarum rex nonus, aliíque viri maximi peste obierunt. Hanc igitur elegit rex optimus, quâ & ipse tolli posset, qui maximè reus esset

2. Reg. c. 24. vers. 14.

An idem sit incidere in manus hominum & incidere in manus Dei.

Dan. c. 13. vers. 13.

David in pœnarum delectu sibi non pepercit.

esset. Pestis igitur brevissimo tempore, atque ut aliqui censent, paucis horis aut dimidio die septuaginta millia hominum interfecit. Cur autem populus luit, quod David peccavit? Cur, quod delirant reges, plectuntur Achivi? Dei mos est, æs alienum apud se contractum cambio dissolvere, pro frumento oleum, pro panno corium, pro vino triticum, pro auro ferrum recipere. Est qui luxuriâ vel injustitiâ, vel aliâ noxâ Deo fit debitor confessi nominis. Hujus solutio nonnunquam annis viginti, triginta & pluribus manet impedita. Tandem iste debitor caussâ involvitur extra suam culpam. Hîc clamantem audias: Insons ego sum, nullam de his rebus culpam commeri. Sit ita, mi homo, sed an non meministi, ante triginta, te in aliud ab isto crimen incurrisse, illius nunc solutio expetitur: Ita Iosephi fratres, non quidem exploratores erant, quod esse arguebantur, sed erant plagiarii, qui fratrem suum furati vendiderunt. Ita populus hic innocens fuerit, quod censum capitum spectat, sed certè innocens non fuit, cùm rebelli Absaloni adhæsit: jam adest ultor à tergo Deus, & suam sibi expetit solutionem. Simul etiam punitur David, qui sibi visus est nescio quàm magnus, sex decies centenis millibus armatorum præpotens rex. Hunc numerum pestilitas etiam minuit.

Eutrop. l. 1. epist. ep. 1. ad Lollium. *Cur populus luit quod David peccavit.*

In his talibus publicis calamitatibus semper admiranda Dei providentia eluxit. Nisi enim Deus fame, bellis, peste purgaret Orbem sæpius, & velut everrere, homo hominem, ut lupus lupum devoraret. Sat ubique hominum est post omnes has clades. Civitatum, Provinciarum, & totius Orbis extersorium ac repurgans medicamentum crebrò pestis fuit. Pestilentiam describit Zonaras, qualis ab Orbe condito, ad hoc ævi, vix unquam fuit. Gallo & Volusiano Imperatoribus pestis ab Æthiopiâ cœpit, Romanas omnes provincias pervasit, annis quindecim duravit, innumeros abstulit, vix ulla tamdiu, tam latè vagata. Sed illa Byzantii ejúsque finibus sub Iustiniano sævior, quæ in dies singulos quinque millia, interdum ipsa decem millia absumpserit: in Africâ maritimâ ducenta millia, apud Vticam triginta millia: sub Michaële Duca, Græco principe, vivi non erant pares sepeliendis mortuis. Ævo Francisci Petrarchæ anno millesimo trecentesimo quinquagesimo nono in Italiâ pestis ita sævit, ut ex mille quibusque hominibus, vix decem supererent. Nihilominus David: *Melius est*, inquit, *ut incidam in manus Domini, quàm in manus hominum*. Pœna omnis temporaria risus & jocus est, ad æternas collata.

Zonaras tom. 2. Tempora in quibus pestis orbem vastavit. *Procop. l. 2. de bello Persico.* *Cruc. l. 5. c. 3.* *1. Reg. c. 24. v. 14.*

§. III.

SVpplicium hoc immissæ pestilentiæ David æquissimo animo tulit. Nam ut reus culpam fassus: *Peccavi valde*, inquit, *in hoc facto, sed precor, Domine, ut transferas iniquitatem servi tui, quia stultè egi nimis*. O insignem pœnitentiam, quæ peperit tam grandem sui despicientiam! Rex sapientissimus seipsum incusans: Egi ut stultus, inquit, ut insanus, qui nullis paret monitis, qui nullis movetur suasionibus: stultè nimis egi. Hoc autem antequam Gad peccati pœnas explicaret, dixit, & noctem illam, ut videtur, traxit insomnem, réque ipsâ quantum doleret, monstravit. Nam cilicio vestitus in terram corruit, cúmque Angelum in aërem sublimem, quem alii plures viderunt, conspiceret, exclamavit: *Ego sum, qui peccavi, & ego iniquè egi: isti qui oves sunt, quid fecerunt? Vertatur, obsecro, manus tua contra me, & contrà domum patris mei*. Tales filii disciplinæ tam amantes cor divini Patris expugnant & vincunt.

ibid. v. 10. *Davidis indignis pœnitentia.* *ibid. v. 17.*

O Christiani, si pœnas animo tam æquo, tam sedato admitteremus, si tam promptè nostram divinæ voluntati subjungeremus, Deo longè chariores filii essemus. Nam hic geminas virtutis actiones illustrissimas rex David exhibendo docet, peccati confessionem, & humanæ cum divinâ voluntate conformationem. Peccati confessio salutis principium. Sed multi eò non possunt adigi, ut hoc unum fateantur, errâsse. Erramus turpiter, & multò turpiùs in errore perseveramus, dum defendimus. Quàm primùm David adulterio commisso dixit: *Peccavi*, mox audiit, *Dominus peccatum tuum transtulit*; ubi hoc loco errorem agnovit, continuò mitem sententiam accepit: *Ascende, & constitue altare Domino*. Ionas facti pœnitens: *Scio enim ego*, inquit, *quoniam propter me tempestas hæc grandis venit: Tollite me, & mittite in mare*. Ingenua confessio mediis fluctibus servavit incolumem. At verò humanæ voluntatis ad divinam conformatio, sanctimoniæ omnis fundamentum est. Nuntiatum est Davidi, nolle Deum hanc noxam dimittere impunitam; noluit & David eam impunè ferre, sed vertatur, obsecro, inquit, manus Domini contra me: ego deliqui, ego castigabilis sum, & solus sum, ego puniar, pœnas irroganti non contradicam.

David duabus actionibus virtutis Deum placavit: Peccati confessione, *2. Reg. c. 12. v. 13.* *2. Reg. c. 24. v. 18.* *Ionæ c. 1. & 2. 12.* & suæ ad divinam voluntatem conformatione.

Hoc loco & illud observandum: Noluit David alieno, quod ajunt, aut furtivo thymiamate Deum placare. Quod Græci dicunt: Θυμιαμάσιν ἀλλοτρίοις τὸ θεῖον σέβεσθαι. Latini: Alienis copiis Deos venerari. Germani: Das leder stehen/vnd die Schuch vmb Gottes Willen geben. Fecit hoc Sylla, qui Mironis opus, simulacrum Liberi ornatissimum Orchomeniis rapuit, & in templo dedicavit. De quo plura Plinius.

Plinius l. 9. ep. 30. & Paeatus in Paneg. ad Theodos.

Emenda erat Ornani area struendo altari. Ornanus & aream & quidquid ad sacrificium erat, liberalissimâ gratuitò munere offerens *Faciat Dominus meus rex, ajebat, quodcunque ei placet: sed & boves do in holocaustum, tribulas in ligna, & triticum in sacrificium. Omnia libens præbebo*. Cui David: *Nequaquam ita fiet*, inquit, *sed argentum dabo, quantum valet, neque enim tibi auferre debeo, & sic offerre Domino holocausta gratuita. Dedit igitur David Ornan pro loco, siclos auri justissimi ponderis sexcentos. Et ædificavit ibi altare Domino, obtulitq; holocausta, & pacifica, & invocavit Dominum, & exaudivit eum in igne de cælo super altare holocausti. Præcepitq; Dominus Angelo, & convertit gladium suum in vaginam.*

Auferre donandi gratiâ, &c. 1. Paral. c. 21. v. 23. & seqq.

Nimirum hæc numen placant, peccari confessio, & nostræ voluntatis ad divinam conformatio. Culpam tollimus, fatendo culpam. Adversa vincit omnia, qui Deo protegente pugnat.

CAPVT XXXI.

Davidem Adoniæ ambitio aliáque adversa exercent.

DOmitis hostibus, partáque pace, non otio & voluptatibus se dedit. Prima & princeps illius cura fuit cultus divinus. Hunc certè regis pietas mirificè auxit. Nam vivo etiámnum Davide numerati sunt Levitæ à viginti annis & suprà, & inventa sunt triginta octo millia virorum, omnes religionibus curandis occupati. Hoc tamen omne pietati regiæ nondum sufficerat. Quia tamen noluit Deus ab illo templum strui, necessariam structuræ apparationem incredibili prorsus industriâ suscepit. Nam 1. secari marmora curavit, & opifices poliendis saxis ingenti numero conduxit. Nec non lapides onychinos, & quasi stibinos, diversorum colorum, omnémque pretiosum lapidem & marmor Parium abundantissimè conquisivit. 2. Ferri plurimum. 3. Æris pondus immensum. 4. Ligna quoque cedrina vix ullo prætio æstiman-

Prima cura Davidis fuit cultus divinus.

Necessaria ad structuram templi præparat.

æstimanda. 5. Argenti & auri thesauros longè maximos collegit. Profectò regum Chronicon testatur centum millia talenta auri, & mille millia talenta argenti in sacrum ædificium apposita. His accesserunt alia millia talenta auri, & septem millia talenta argenti probatissimi. Populus è suo dedit quinque millia talenta auri, & decem millia argenti. Residuum non revocamus ad calculum. Horum omnium summam si colligamus, erunt bis mille, septingenti, quadraginta quinque milliones auri, insuper unum & quinquaginta millia, sexcenti sexaginta sex aurei, seu ducati Hispanici. Si addamus, quod Salomon è thesauris suis in eandem hanc structuram adjecit, dicendum erit tria millia millionum auri, in unius templi ædificium expensa, uti Hieronymus Pradus, & Ioannes Baptista Villalpandus arithmetici, & architecti sanè accurati commonstrant.

Summa expensatũ in ædificatione templi.

Tres arcæ Davidis pecuniariæ. Prima.

Vis auri profusi incredibilis. Europâ totâ hoc ævo tantum auri reperiri non putem. Habuit rex David tres arcas pecuniarias opulentissimas. Prima reditus annuos, tributa, vectigalia, indictiones, census collegit, quamvis in indigenarum nemo gravaretur; uti sub Salomone, & magis sub Roboamo. Alteram aurum ex Ophir navigationibus annuis allatum clausit. Tertia opes è donis & belli spoliis, aurea regis Adarezer scuta, aurea & argentea regis Thou vasa continuit. In hanc illatum est, quidquid viginti bellis, (tot enim gessit) totidémque victoriis opulentiæ comparatum est. Nihilominus hæc regiæ liberalitati visa sunt modica. Nam David modestissimè: Ego, inquit, in paupertate meâ præparavi impensas domûs Domini, parciore sumptu gubernatas aulam, ut liberaliore conderem templum. Et Deo hæc omnia referens accepta: *Domine Deus noster, inquit, omnis hæc copia, quam paravimus, ut ædificaretur domus nomini sancto tuo, de manu tuâ est, & tua sunt omnia.* Primus igitur Davidis labor in divino cultu promovendo fuit ingens ad templum apparatus. Alter, priore magis sacer, divina carmina & hymnos scripsit, sensûs ac pietatis plenos. Ab hac operâ prodiit illa cantio nobilissima: *Diligam te, Domine, fortitudo mea: Dominus firmamentum meum & refugium meum, & liberator meus. Deus meus, adjutor meus, & sperabo in eum. Protector meus, & cornu salutis meæ, & susceptor meus.* Atque hæ jam partâ pace religiosissimæ Davidis occupationes fuerunt. Nec ei Deus longas ab ærumnis ferias concessit. Novæ turbæ novos pepererunt dolores. Adonias maximus natu filius regnum ambiit, quod pater Salomoni natu minori committere cogitârat. Fœda dissensio. Hîc duo nobis expendenda sunt. 1. Quomodo David vir sanctissimus suos tamen liberos parùm sanctè educârit. 2. Iam David annum ætatis septuagesimum, regni quadragesimum egerat, & tamen à gravissimis curis & mœroribus minimè liber fuerat; is his tamen omnibus suam cum divinâ voluntate quàm integerrimè conjunxerat. Hæc nobis exponenda.

1. Paral. c. 29. v. 16.

Psal. 17. v. 2. & 3. quem scripsit de manu omnium inimicorum ereptus.

Novæ turbæ Davidem aggrediuntur.

Vbi duo expendenda:

§. I.

1. Liberos David non educasse optimè.

I. Liberos David non educavit optimè. Adonias viginti quatuor annorum juvenis, Absalonæ, Amnone, & Bethsabeæ filio tribus his fratribus morte sublatis, jam ipse primogenitus jus regni capessendi habuit, liberalissimâ formâ sese omnibus commendavit, parenti charissimus. *Erat autem & ipse*, quod sacer historicus affirmat, *pulcher valde secundus natu post Absalon.* Et sermo ei cum Ioab filio Sarviæ, & Abiathar sacerdote; hi adjuvabant partes Adoniæ, qui sibi videbatur jam manu prendisse regnum. Et auditus est dicere: *Ego regnabo.* In eam rem curruS, & equites, & servos à pedibus, familiam auli-

3. Reg. c. 1. v. 6.

Ibid. v. 5.

A cam grandi numero adscivit. Et quia ambitio non facilè oriatur, sacrificium extra urbem, & unà regium convivium instituit, ad quod omnes fratres suos, uno Salomone omisso invitavit. Aderant & belli duces, nobilissimus convivarum consessus. Sua huic epulo hilaritas non deerat. Denique clamatum: *Vivat rex Adonias.* Dum hæc geruntur, Nathan & Bethsabea apud regem ex compacto gravissimè accusant Adoniam, qui sacrificium & unà convivium lautissimum instituerit, fratres omnes, uno Salomone præterito vocârit, jámque regem se proclamari jusserit, idque inscio parente; cùm tamen regnum Salomoni ex jurejurando pridem sit promissum. Hunc ergo regni subdolum captatorem illico amovendum. Hæc Nathanis & Bethsabeæ conjuncta facundia tam feliciter, quod volebant, regi persuasit, ut continuò Davide Sadoc sacerdoti, Nathani Prophetæ, & militiæ B duci Banaiæ festinatam Salomonis inaugurationem commiserit, jusseritque Salomonem mulæ regiæ imponi, à satellitio regio in Githonis arcem deduci, in regem ungi, tubis cani, regem proclamari; ita regem unctum Hierosolyma reduci, in solium collocari. Omnia hæc ordine facta ad turbandos Adoniæ improbos conatus.

Adonias ad capessendum regnum familiam aulicam comparat.

Ibid. v. 25.

A Nathane & Bethsabea apud regem accusatur.

Unde Salomon inauguratur & in regem ungitur.

Ita mi domine rex, rectè hæc quidem singula, sed lentè satis. Iam pridem ambitiosa Adoniæ molimina notabantur, dudum ea fuissent comprimenda. Audiebatur dicere: *Regnabo.* Cernebatur grandem familiam colligere. *Nec corripuit eum pater suus, dicens, quare hoc fecisti?* Cùm parentes connivent & dissimulant, liberi ludunt & degenerant, Eam ob caussam submonens Chrysostomus: *Nullam*, inquit, *tam corruptam naturam puto esse, si educatio accedat, quin probus fiat. Educemus eos in disciplinâ & admonitione Domini, demus eis exemplum ab ineunte ætate, facientes eos vacare lectioni scripturarum.* Sanè sapienter dixit Plato: *Nulli rei major diligentia adhibenda, quàm filio instituendo.* David nimiâ in Adoniam indulgentiâ peccavit, ita juvenis hujus ambitionem fovit, deditque caussam non levibus malis. Hinc Adonias in eam prolapsus est audaciam, ut dici potuerit: Revixit Absalon.

Ibid. v. 6.

Parentibus cum liberis non connivendum.

Chrys. hom. 2. in epist. ad Tit. & hom. 21. in ep. ad Ephes.

Plato de Sect.

Hîc miror, nec tamen miror Adoniæ stuporem, qui scivit Absaloni fratri regnum affectanti tam malè cessisse, ipsum tam miserè periisse; ausum tamen fuisse sequi, & iisdem hærere vestigiis, regnum affectare, sceptrum & diadema usurpare velle. Nimiùm sanè audax sit, & de Iapeti genere, qui præeuntem cernat in propinquum ruere præcipitium, per eundem tamen callem pergat temerario pede, & periculis se ultro ingerat periturus. Adonias certè germani fratris interitum vidit, secúmque ipse ratiocinari debuit: Frater meus Absalon in his ipsis conatibus audacissimis, quos ego cœpi, tam miserè vitam, regnum, exercitum, fortunas omnes, cælum ipsum perdidit; num hac ipsâ semitâ temere præeuntem sequar? Non me terreant flagitiosæ vestigia ruinæ? Stuporem hunc Adoniæ miror, nam hoc vitiis proprium, solenne, innatum, stupidos, inconsultos, imprudentes, insanos efficere. Hoc duobus maximè vitiis usitatissimum est: Ambitio & Libido, quos nexuerunt, trahunt & impellunt inconsideratos, amentes, cæcos in quasvis turpitudines, in gravissimas injurias, in cædes & quævis dedecora, & omne vetitum. Ambitionis & libidinis proprium est excæcare, inde cœcos protrudere in quodcunque nefas. Ideo Nathan hoc consilii dedit? *Salva animam tuam, filiique tui Salomonis.* Quippe noverat Nathan, quàm cœca, & præceps in scelerum voraginem rueret ambitio, divinas humanásque leges everteret, ideo timuit, ne forsan Adonias Bethsabeæ ac Salomonis vitæ struere insidias. Quot scelesti homines occiderunt suos

Ambitio & libido in omne vitium impellunt.

Ibid. v. 12. Vt dominatum sibi raperent fratres occiderunt:

Ochus rex Persarum, Eutrop. l. 10. Hieron. l. 12. Phraates, Turcica Otomannorum stirps, Abimelechus, Judic. c. 9.

suos fratres, ut sibi raperent dominatum? Ochus Persarum rex, Justino teste, ut liber sine metu regnaret, octoginta fratres occidit. Phraates rex Parthorum, ut suum sibi regnum stabiliret, patrem Herodem & Herodis filios triginta jugulari jussit. Turcica Otomannica stirps, quoties quàm crudeliter fratres velut imperii æmulos mactârit, non ignoramus. Eandem ob caussam Abimelechus cum armato milite paternam domum irruens occidit fratres suos Jeroboal septuaginta viros super lapidem unum. Eandem truculentiam induit rex Joram: nam ut regnum à patre acceptum firmaret, sex fratres suos occidit. Idcirco metuebat Nathan, ne quid tale auderet Adonias in eam rem, ne qua vis afferretur Salomoni, monuit Davidem, qui si maturiùs in filium animadvertisset, mala plurima prævenire potuisset. Nimirum qualis est educatio, tales evadunt liberi. Luculentum id in Bohemis Principibus Wenceslao & Boleslao, qui uno patre matre unâ geniti; Pater Uratislaus princeps optimus. At Wenceslaus ab aviâ Ludmillâ sanctâ feminâ religiosissimè educatus, ita sanctè vixit, ut Otho Imperator Wormatiæ illum duobus Angelis comitatum viderit, & assurrexerit venienti. At Boleslaus flagitium hominis à Brahomirâ muliere nequissimâ educatus eò impietatis pervenit, quò quidem impius & insanus pervenire potest; qui etiam fratrem occidit, quod quidem Brahomiræ suæ in acceptis referat, quæ illum ad hos mores formavit educatione suâ. Rectissimè dixit Seneca: *Educatio maximam diligentiam plurimúmque profuturam desiderat. Facile enim est teneros adhuc animos componere: difficulter reciduntur, quæ nobiscum creverunt.* Turpissimum verò est (quod subindè fit) si mater velit liberos severiore disciplinâ coërcere, pater nolit, sed indulgenter ac molliter educet. Huic idem eveniet, quod Heli sacerdoti cetera bono, sed in filiorum educatione nimiùm remisso. Tam verò ipse, quàm filii à Deo graviter sunt puniti. Educatio diligentiam maximam desiderat.

Educationis bonæ & malæ exemplum in Wenceslao & Boleslao.

Sen. l. 2. de Ira c. 18.

II. Ægrimoniæ, calamitates, & ærumnæ non deseruerunt Davidem in devexâ jam & præcipitatâ ætate: jam annorum erat septuaginta, & tamen etiámnum molestis operosísque negotiis implicatus animo corpóreque multa, graviáque perferebat. Corpus defectis jam viribus & calore plurimùm imminuto exercebat inquilinum frigus, *cúmque operiretur vestibus, non calefiebat.* Senectus quidem à se frigida est, sed hîc singulare quid algorem nativum auxit. Annus septuagesimus aliquibus initium senectutis est, aliis medium, quibusdam finis, uti fuit Davidi. Illi autem plerumque citiùs senescunt, qui à puero plura & graviora perferunt. David à primis annis plurima gravissimáque passus: *Pauper sum ego,* inquit, *& in laboribus à juventute meâ.* Pecoris custos duris necesse est assuescat. Delicias omnes in exilium à se proscribat, æstum, frigus, vigilias, famem, omnes cœli injurias maturè tolerare discat; cornea fibra sit. Talis David, talis & Jacob, qui de seipso: *Die noctúque,* inquit, *æstu urebar & gelu, fugiebátque somnus ab oculis meis.* Et quanta passus David ipsis octo annis, quibus eum Saul veluti feram è silvâ in silvam agitavit. Inter assidua mortis pericula David: *Anima mea,* inquit, *in manibus meis semper.* Ita miserè ut pæne semper moriar. *Super me confirmatus est furor tuus, & omnes fluctus tuos induxisti super me. In me transierunt iræ tuæ, & terrores tui conturbaverunt me. Circumdederunt me sicut aqua; totâ die circumdederunt me simul.* Non stillâ, non lentis pluviis, neque imbribus solùm, sed nimbis & cataractis me obruisti. Afflictiones animi, curæ, sollicitudines, ægrimoniæ, luctus, mœrores cor incredibiliter exedunt. Hinc illud velut rugosum tostúmque pirum redditur. Hujus generis David plurima sustinebat. Hinc lugubres illæ voces: *Circumdederunt me dolores mortis, & torrentes iniquitatis conturbaverunt me. Dolores inferni circumdederunt me, præoccupaverunt me laquei mortis.* Dolores mortis & inferni, morientium sunt angores maximi, qui sudores etiam morientibus movent. Laquei mortis, insidiæ, indagines & tendiculæ, quibus ferarum viæ obsepiuntur, ne evadant. Torrentes iniquitatis, sunt homines nequam, falsi fratres, filii Belial, venatici canes diaboli, quos in agmen proborum concitat. Inter hos mœrores David per annos complures quotidie tabescebat, & pæne diebus singulis moriebatur. Hinc Chrysostomus in compendium multa conferens: Denique ipsius, inquit, adversos casus, mœrorisque caussas diligentiùs enumerare possibile non est. Verùm ex ipsius lamentis & gemitibus possumus conjicere calamitatis magnitudinem, utque justus ille nunquam plangere ac dolere desierit. Exhaustus est David ægrimoniâ & mœroribus; hinc maturum illi senium & senii frigus. Sed hîc prodigium, quod divini codices dilucidè narrant, silentio non involvendum.

Ps. 87. v. 16.

Gen. c. 31. vers. 40.

Ps. al. 118. vers. 109. Ps. 87. v. 8. 17. & 18.

Ps. al. 17. v. 5. & 6.

Qui sint dolores mortis & inferni, Laquei, Torrentes iniquitatis.

Unde David tam maturum senium.

Davidi à senio frigescenti quærebatur per omne regnum virgo formosissima, quæ senili corpori fomentum aliquod caloris daret. Inventa Sunamitis Abisag, quæ regi dies noctésque serviebat. Rex prudentissimus suæ castimoniæ non nimiùm fisus, eam duxit in conjugem. Cum uxoribus pluribus illo ævo matrimonium conjungere non illicitum. Hanc tamen virginem David perinde ut sororem prorsus intactam & inviolatam in maritali toro servavit, quod arcanum meritò divinæ literæ patefaciunt, ut etiam conjugii castitas esset venerationi, & ut inter cetera Davidis elogia numeraretur & istud: Castus David.

David Abisag duxit in uxorem.

Quam ut sororem servavit.

Enimverò immodicum hoc corporis frigus exasperârunt curarum æstus, quos optimo patri superbus filius Adonias creavit. Sed in his omnibus animi corporisque afflictationibus rex sapiens suam semper voluntatem conformavit ad divinam. Quod divini libri testantur: *Et adoravit rex in lectulo suo, insuper & hæc locutus est: Benedictus Dominus Deus Israël.* In lectulum David imbecille senium dejecit, sed & in lectulo virtuti locus est, & maximè huic, de quâ loquimur, conformationis humanæ voluntatis cum divinâ.

In omnibus afflictationibus suam David voluntatem ad divinam conformavit.

3. Reg. c. 1. v. 47. & 48.

Cùm nos doloris lectulus versaverit, cùm aut paupertas, aut despicatio, aut fortunarum jactura fatigaverit, cùm variæ nos calamitates exercuerint, adoremus & dicamus, Mi Deus, prout tu vis, ita & ego volo; Tua voluntas mea voluntas. Insuper & hoc loquamur: *Benedictus Dominus Deus Israël,* tam in rebus adversis, quàm prosperis, tam tristibus, quàm lætis, tam in egestate, quàm in opulentiâ, tam secundâ valetudine, quàm afflictâ. Potentissimum in adversa omnia telum est, velle in omnibus, quod vult Deus.

CAPVT XXXII.

Rex David moritur.

3. Reg. c. 2. vers. 1. 10. & 11.

POst multas rerum ambages denique à cœlesti curiâ decretum hoc mittitur: *Appropinquaverunt dies David, ut moreretur. Dormivit igitur David cum Patribus suis, & sepultus est in civitate David. Dies autem, quibus regnavit David super Israël, quadraginta anni sunt. In Hebron regnavit septem annis: In Hierusalem triginta tribus.*

Jacobus Aragonum rex, ejus nominis octavus cùm gravius ex morbo decumberet, res humanas sepositi, curam animi gessit, majorem natu filium ab exercitu avocavit, testamentum suum coram proceribus prælegi jussit, à lectione seriam orationem ingressus, commendavit filio primum omnium Dei cultum, & res divinas; deinde natu minorem, omne aulicum famulitium, omnésque regni indigenas. Petrus submissis genibus parentis dextram osculatus, recepit se omnia obsequentissimè facturum. Jacobus his peractis, Cister-

Jacobus Aragonum rex in morte ante omnia Dei cultum filio commendat.

sienſis familiæ religioſam veſtem induit, Ventiam conceſſit, reliquum vitæ divinis ſolùm obſequiis conſecraturus.

Salomoni David Dei timorem & cultum commendavit.

David moriturus Salomonem filium regnique optimates accerſens, ad regalem ſanctimoniam graviſſimè regem juvenem exhortatus eſt: cui & paternas religiones, cultum divinum, Dei timorem exactiſſimâ oratione commendavit. Ut hunc ſanctiſſimi regis obitum commendabili ordine non tantùm auribus, ſed etiam quantum fieri poteſt, oculis ingeramus, pyropum anulo aureo clauſum, nigro funiculo appenſum, veluti donum à moriente hoc rege omnibus propono. Quid autem pyropus, quid anulus, quid ater funiculus monitorum inſtillent, hoc capite explicandum.

Obitus Davidis ut pyropus annulo aureo incluſus, & nigro funiculo appenſus proponitur.

§. I.

Niger funiculus memoriâ mortis repræſentat.

SEricus ater funiculus memoriam mortis repræſentat. Funiculus facilè rumpitur, aut celeriter præſecatur. *Omnia ſunt hominum tenui pendentia filo.* Dionyſius Siculus, teſte Tullio, notus rex ab improbis moribus aſſentatorem habuit Damoclem, qui ſui regis potentiſſimam opulentiam, beatiſſimámque vitam cælo attolleret. Hunc Dionyſius menſæ regiæ admovit, ſed in accumbentis caput ſtrictum gladium à ſetâ equinâ appendi juſſit. Damocles impendentem ſibi carnificem aſſiduè limis oculis reſpectans, nihil reperit amœnitatis in tantis lautitiis, neque verò aliud maluit, quàm celerrimè ab his tam periculoſis deliciis abire. Cui Dionyſius: Et hæc, inquit, vita principum & regum eſt. Eruditè Romani ac ſapienter, unam eandémque Deam Nuptiarum & Funerum fecerunt, ſed duplex illi nomen tribuerunt: *Aphrodites*, & *Libitina*. Quo quidem ſignificabant ortum & obitum cognatione propinquiſſimâ conjunctum. Vix naſcimur, imò antequam naſcamur, morti tradimur brevi mactandæ victimæ. Ingreſſus noſter exitúſque ſibi proximi ſunt. Cùm incipimus vivere, ſimul etiam incipimus mori.

Quæ à Davide nobis ingeritur. 3. Reg. c. 2. verſ. 2. Gen. c. 3. verſ. 19.

David moriturus nigrum hunc funiculum, hanc mortis memoriam eximiè nobis ingerens: *Ego*, inquit, *ingredior viam univerſæ terræ*. Nimirum ad primum illud Numinis decretum alluſit: *Donec revertaris in terram, de quâ ſumptus es: quia pulvis es, & in pulverem reverteris.* Hoc ipſum faſſus David: Terra ſum, inquit, & revertar in terram. Titulorum blandimenta nihil jam juvant. Feliciſſimus vocabar & potentiſſimus, & invictiſſimus rex. Felicitas finiit, extincta eſt potentia, victoriæ jam nihil ſperandum. Terra ſum, & ingrediar viam univerſæ terræ. Duo hîc conſideranda.

Duo conſideranda: 1. Hoc uno mortis decreto, omnibus omnino moriendum; humanæ gentis vilitas oſtenditur.

I. Hoc uno mortis decreto ad incredibilem vilitatem humana gens depreſſa eſt, omnibus omnino moriendum. Ab Adamo ad ultimum uſque hominem lex iſta pertingit. Si decem millibus, ſi centum millibus, ſi aliquot millionibus hominum tam acerba lex fuiſſet lata, grave id quidem, ſed tolerabile cenſeretur. At hoc mortis fulmen humanam gentem totam æternitati nemo hîc eximius, nemo non mortis ſtipendiarius. Sub hoc jugum Chriſtus, ſub hoc Chriſti mater, ſub hoc omne hominum genus mittitur. Mors parcit nulli. Series invicta, & nulla mutabilis arte, illigat ac trahit univerſa. Imò certè hoc ipſo momento multa millia hominum & animalium animam variis mortis generibus emittunt. Pulchra hæc contemplatio & vera: Multa millia omnibus momentis naſci, & mori, certum eſt. Hac ipsâ, quâ ſcribimus, aut loquimur horâ, ad tribunal Chriſti multa millia hominum ſiſtuntur judicanda; idem proximâ, idem ſequenti horâ, idem totâ die, noctéque totâ fit: ſic hebdomades, ſic menſes, ſic anni eunt & ſæcula, & idem fit; ſic totum genus humanum per hoc patibulum traducitur. Mors imperat omnibus, mors ducit omnes, idque propter pomum unicum. Incredibilis hæc humanæ gentis, ſed merita ignominia & pœna eſt.

2. Incredibilis ſtupor hominum expendendus.

II. Incredibilis ſimul etiam ſtupor hominum expendendus. Hæc audimus, hæc videmus, de his centies & millies monemur, hæc tamen toties moniti parum curamus; alios mori cernimus; ad ſepulchra mortuos deducimus, ad hypogæa comitamur, ultimum valedicimus, velut non eâdem viâ ſecuturi, tanquam hæc nihil ad nos; imò ſuaviter garrientes & leviter ridentes funera celebramus. Stupor hominum incredibilis; brutis animantibus hac in re ſimillimi ſumus. Subinde grandi numero picæ turres occupant, cùm autem primitus æra concrepant, exterrentur & avolant; at æramentis ſæpius auditis, tandem immotæ perſident, nec ampliùs his terroribus fugantur: Ita nos prorſus memoria mortis & mortuorum aſpectus aliquantulùm ſubinde terrent, ſed non diu durant hi terrores, mox ad malitioſam, priſtinam hilaritatem revolvimur.

§. II.

Mortis memoria à Davide ſemper meditata. 1. Paral. c. 29. v. 15. Job c. 14. v. 1. & 2.

HAnc inſaniam miratus Seneca: *Nunquid hic furor eſt*, inquit, *quòd nemo noſtrûm mortalem ſe cogitat. Nos corpus tam putre ſortiti, nihilominus æterna proponimus, nullâ comenti pecuniâ, nullâ potentiâ.* Nihil ſatis eſt morituris, imò morientibus. Hebetudo animi maxima.

Rex David mortalitatis perpetuos defluxus ſapienter meditatus: *Peregrini ſumus*, inquit, *coram te & advenæ ſicut omnes Patres noſtri. Dies noſtri quaſi umbra ſuper terram, & nulla eſt mora.* Quod Jobus confirmans: *Homo*, inquit, *natus de muliere, brevi vivens tempore, repletur multis miſeriis, qui quaſi flos egreditur & conteritur, & fugit velut umbra.* Uti nullum ſui veſtigium relinquit umbra, ita nec vita noſtra. At, inquis, relinquimus famam, divitias, noſtri memoriam, erudita ſcripta, victuros libros. At hæc omnia umbra ſunt, & umbræ umbra: non bene ſcripſiſſe, ſed bene vixiſſe; non opes, ſed virtutes collegiſſe, olim proderit. Deinde quò largiores umbræ ſunt, hoc celerior noctis adventus: quò ſeniores, eò morti viciniores ſumus; quò diutius vivimus, eò citiùs morimur. Rex noſter David: *Dies mei*, ait, *ſicut umbra declinaverunt.* Additur: *Et nulla eſt mora.* Plurimorum vita dilatio eſt mera & procraſtinatio; aſſiduum illud eb eis audimus: Cras, perendie, alterâ hebdomade, proximo menſe, ſequenti anno. Ita dum differimus & negligimus, elabitur vita, & nulla eſt mora. Noſtra ſæpe conſilia procul jaculamur, & faciendorum ſeriem teximus longiſſimam: ſi iſtud dignitatum, officii, facultatum aſſecutus fuero, hoc ædificium ſtruam, illud opus conficiam, eam mutationem ſuſcipiam, interim vita volat, & nulla eſt mora. Reprehenſus eſt Thales, quòd in re quapiam reſponderit: Nondum eſt tempus. Nos in plurimis rebus, quæ promptam manum admoveri cuperent, lentiſſimum iſtud objicimus: Nondum eſt tempus, nondum, nondum. At brevi ſubrepet horula, quâ ſupremi judicis apparitor dicet: Non ampliùs eſt tempus. *Dies noſtri quaſi umbra ſuper terram. Et nulla eſt mora.* Vivamus hodie, dies craſtina non eſt noſtra. Atque hic eſt niger ille funiculus, ſæpius de die aſpiciendus.

1. Par. c. 29. v. 15. verſ. 15.

§. III.

Pyropus annulo clauſus cor perfectum nobis adumbrat.

PYropus annulo clauſus cor perfectum nobis adumbrat. David Salomoni juveni hanc cordis perfectionem altiſſimè cupiebat impreſſam. Hinc illum variis impellens hortatibus: *Obſerva*, inquit, *ut cuſtodias mandata Domini Dei tui, ut ambules in viis ejus, & præcepta ejus, & judicia & teſtimonia, ſicut ſcriptum eſt in lege Moyſi: ut intelligas univerſa, quæ facis, & quocunque te verteris: ut confirmet Dominus ſermones ſuos, quos locutus eſt de me in veritate, in omni corde ſuo, & in omni animâ ſuâ, non auferetur*

3. Reg. c. 2. v. 3. & 4.

tibi

Orat. David pro Salomone filio.

tibi vir de solio Israël. Deus enim actiones amat, quæ nihil subdoli, fucati, falsi, simulati habeant, & ab omni hypocrisi puræ sint: hoc enim est ambulare in veritate. Quod David filio suo Salomoni enixissimè à Deo petens: *Scio,* inquit, *Deus meus, quòd probes corda, & simplicitatem diligas: Salomoni filio meo da cor perfectum.* Ubi vera & sancta simplicitas, ibi cordis perfectio.

1. Paral. c. 29. v. 17. & 19.

Apologus.

Pica, quod vetus narrat Apologus, interrogavit columbam, quid esset caussæ, quòd ea semper eodem loco collocaret ova, cùm tamen sciret pullos sibi semper surripi: quid igitur caussæ? Cui columba respondit: Sola simplicitas. Si quis perfecti cordis interrogetur, quid caussæ est, quòd Deo in omnibus fidas, dicâsque: Deus providebit, Deus juvabit, Deus diriget; Respondebit ille: Simplicitas; simplex mihi est oculus, ad Deum semper erectus, Deo semper apertus: Scio, Deus meus, scio, quòd simplicitatem diligas.

B

Eum ad servitium Dei perfecto corde præstandum exhortatur.

1. Paral. c. 28. v. 9.

Porrò rex David, postquam pro filio preces Deo allegavit, ad ipsum se filium convertit, & oratione severissimâ illum exhortatus: *Tu autem Salomon fili mi,* ait, *scito Deum patris tui, & servito ei corde perfecto, & animo voluntario. Omnia enim corda scrutatur Dominus, & universas mentium cogitationes intelligit. Si quæsieris eum, invenies: si autem dereliqueris eum, projiciet te in æternum.* Attende Salomon, cui Domino servias, & quàm ille infinitè major te sit, non ei serviendum in speciem; offuciarum, calliditatis, fallaciarum hîc locus nullus est: cordium scrutator Deus est; qui cor sincerum & perfectum quærit; nihil ei dederis, etsi des alia omnia, si hoc non dederis. Oculi Numinis ad usque medullas & selectissima cordis, & cogitationes latentissimas penetrant: nil clausum Deo. Et tamen non difficilè servitur: Quære illum, & invenies. Deseris illum? Et ille te deseret atque projiciet in omnem æternitatem. Ita sub vitæ finem David Salomoni æternitatis mysterium proposuit contemplandum, quò illi potentiùs persuaderet. Numini servitium perfecto corde præstandum.

C

Sen. ep. ult.

Vita beata non est in mutis animalibus.

Philosophus Cordubensis Annæus eximiè de hac tali perfectione philosophatus: Hoc demum, inquit, perfectum est, quòd secundùm universam naturam perfectum est: Universa autem natura rationalis est, cetera possunt in suo genere perfecta esse. In quo non potest beata vita esse, nec id potest, quo beata vita efficitur: beata autem vita bonis efficitur: in muto animali non est, quo bona vita efficitur: ergo in muto animali bonum non est. Mutum animal sensu comprehendit præsentia: præteritorum reminiscitur, cùm id incidit, quo sensus admonetur: tanquam equus reminiscitur viæ, cùm ad initium ejus admotus est. In stabulo quidem nulla viæ quamvis sæpe calcatæ, memoria est. Tertium verò tempus, id est, futurum, ad muta non pertinet. Quomodo ergo potest eorum videri perfecta natura, quibus usus perfecti temporis non est? Tempus enim tribus partibus constat: præterito, præsente, & futuro. Animalibus tantùm quod brevissimum est in transcursu datum, præsens: præteriti rara memoria est, nec unquam revocatur nisi præsentium occursu. Non potest ergo perfectæ naturæ bonum in imperfectâ esse natura. Aut si natura habet, hoc habet, quod habent fata. Nulli vitium est, nisi cui virtus potest esse. Sed ne te diu teneam. Hæc rationalibus solis contingunt, quibus datum est scire, quare, quatenus, quemadmodum. Ita bonum in nullo est, nisi in quo ratio. Quò nunc pertineat ista disputatio, quæris? & quid animo tuo profutura sit? dico, & exercet illum, & acuit, & utique aliquid acturum occupatione honestâ tenet. Prodest autem, & quod moratur ad prava properantem. Sed illud dico: nullo modo prodesse tibi possum magis, quàm si tibi bonum tuum ostendo, si te à multis animalibus separo, si cum Deo pono. Quid, inquam, vires corporis alis & exerces? pecudibus istas majores fe-

In solis rationalibus contingit.

D

A risque natura concessit. Quid excolis formam? cùm omnia feceris, à multis animalibus decore vincêris? Quid capillum ingenti diligentiâ comis? Cùm illum vel effuderis more Parthorum vel Germanorum nodo vinxeris; vel, ut Scythæ solent, sparseris: in quolibet equo densior jactabitur juba, horrebit in leonum cervice formosior. Cùm te ad velocitatem paraveris, par lepusculo non eris. Vis tu, relictis in quibus vinci te necesse est, dum in aliena niteris, ad bonum reverti tuum? Quod hoc est? animus scilicet emendatus ac purus, æmulator Dei, super humana se extollens, nihil extra se sui ponens. Rationale animal es, quod ergo in te bonum est? perfecta ratio. Hanc tu ad summum finem evoca, in quantum potest plurimùm crescere. Tunc beatum te esse judica, cùm tibi ex te gaudium omne nascetur. Cùm in his, quæ homines eripiunt, optant, custodiunt, nihil inveneris, non dico, quod malis, sed quod velis. Brevem tibi formulam dabo, quâ te metiaris, quâ perfectum esse jam sentias. Bonum tunc habebis tuum, cùm intelliges infelicissimos esse felices.

Quis, obsecro, istud arcani huic viro aperuit? sic est, ut dixit; verissimè ratiocinatur. Homines felices affectus habent plerumque alligatos rebus caducis. Divina parum curant, Dei nutus non observant, cor gerunt in mille profanas, steriles, impuras, sordidas curas miserrimè dissipatum.

Ut ergo probè capiamus, quid cor perfectum sit, statuam sumamus ligneam exactissimè sculptam, sed coloribus quos pictor addidit nondum siccis. Hæc quidem perfecta est statua, illi tamen aliquid, & quod sequitur, perfectioni quippiam deest: colores illiti etiamnum madidi tangentis digitum inficiunt; statua nondum est siccata. Ita cor perfectum est, quod ab omni maligniore affectu penitus siccatum est, quod caducis non inhiat, cupidéque vetitum declinat. Non solum igitur cor illud est imperfectum, in quo grave desidet peccatum, sed quod nondum à malignioribus affectibus est liberum: injustitiæ & invidiæ, & luxuriæ pestes utrimque sunt eliminatæ, adhuc tamen pecuniæ amor, honoris, aut voluptatis appetentia viget, virides dictæ ars libidinis scintillæ gliscunt, affectionibus pravis nondum subactis. Est qui veniam delicti tribuat hosti, sed non ex toto, & animo parum sincero. Cor non perfectum. Est qui vulnera conscientiæ detegat, & omne impudicitiæ virus expuat, ingemiscat, doleat, non tamen libidinem & impudicitiam omnem ejuret, non tamen sanctissimè statuat, omnes castimoniæ nævos cavere, omnia pudicitiæ pericula vitare, affectus remanet. Cor non perfectum. Est quem pœniteat censûs iniquè parti, non tamen firmissimè decernat omnes pecuniarias fraudes & iniquos quæstus, & malignum fenus, & injusta mercimonia cavere. Cor non perfectum. Est qui vitia sua deprehendat, & erubescat, vitiorum tamen dulcedini etiamnum succumbat, ad Sodomam cum Lothi conjuge oculos reflectat, ad priores sordes ex intervallo furtivè redeat. Cor non perfectum, etiamnum pravus in eo affectus delitescit. Servite ergo Domino corde perfecto. Cor Deus ab immundis affectionibus purum, cor sincerum & totum petit. Nil dat, qui partem dat. Palbilitanus Vates festivè canit

Quid cor perfectum.

Quid imperfectum dicatur.

Habeas licebit alterum pedem Lada,
Ineptè frustra crure ligneo curres.

Tametsi, ait, pes dexter capreæ videatur, si ligneus sit siniſter, nec celer erit cursus, nec diuturnus: ita prorsus quantúm vis actiones sint optimæ, precationes fundere, stipem erogare, inediam tolerare, hoc pede multum itineris percurritur, nisi pes ligneus impediat, nisi actiones sanctas affectus pravus corrumpat. Servite Domino corde perfecto. Cur David post graviorem etiam lapsum duplicem Deo tamen commendatissimus?

Pravus affectus actiones optimas corrumpit.

mus? cor ei perfectum fuit. Cur Salomon in vitiorum voraginem prolapsus? *Non erat cor ejus perfectum cum Domino Deo suo, sicut cor David patris ejus.* Cor perfectum, animus emendatus ac purus, æmulator Dei super humana se extollens, liber ab omni affectione corruptâ. Cor tale pyropus est, annulo aureo clausus, quem nec homines, nec Angeli, nec diaboli cuiquam possunt eripere: hic pronubus est annulus ad Agni nuptias cælestes; hunc profectò nec ipsa mors ulli rapiet. De annulo perquam pretioso mentionem injiciens Plinius. Extat hodiéque, ait, hujus generis gemma, propter quam ab Antonio proscriptus est Nonius senator; hunc è fortunis suis omnibus abstulit secum annulum, quem certum est, sestertiis viginti millibus æstimatum, seu decies centenis millibus florenorum. Cor perfectum longè illo pretiosior est annulus, ad tribunal Christi perferendus, nam unum hunc nequit mors abripere.

3. Reg. c. 11. vers. 4.

Perfectissimus vir est, qui affectione haud vincitur. Monost. Trochaic.

FINIS.

Ad majorem Dei, B. Mariæ matris, omniúmque Sanctorum gloriam.



INDEX RERVM ET VERBORVM

QVÆ HOC SECVNDO TOMO CONTINENTVR tam accuratus quàm locuples.

Numeri hîc appositi foliorum numeros capitales subjicit & signat.

A.

Abies.

ABietis & Rubi fabulosum sed morale colloquium. f.14.

Abigail.

Abigail quomodo iræ Davidicæ ignem restinxerit. 823
Oratione animum iratum componit. ibid.
Abigailis submissæ orationis membra enarrantur. ibid.
Quid in hac Abigailis oratione sit observandum. 824
Duplex argumentum quo usa est Abigail. ibid.

Abner.

Abnerem occisum luget David. 829
Cædis Abneris imputatio. ibid.

Abraham.

An majus opus patrarit non parcens filio quàm David parcens Semei. 397
Abrahami tentatio disertè explicata. 688
Abraham Calvariæ montem suo sacrificio consecravit. 357
Abrahami decem graves tentationes & examina. 737

Absalon.

Absalon quomodo potuit celare odium suum biennio. 846
Ejus in fratrem odium. 845
Fuga & exilium Absalonis. 846
Per quinquennium luit fratricidium. ibid.
Excutere nititur è parentis manu artificio politico sceptrum. 847
Fugitur in Hebron, militem colligit, & in fugam convertit Patrem. ibid.
Absalon fuit similis serpenti. ibid.
Absalonem instigavit ambitio ad rebellionem. ibid.
Causæ rebellionis ejus in patrem enumerantur. 848
Consilium bellicum Absalonis. 851
Absalon in quercu pendens tribus lanceis confoditur. 851
Absalonis mors fuit patri tristissima. ibid.
Diversorum vitiorum in Absalone mixtura. ibid. & 852
Vanitas Absalonis in structura monumenti nominis sui. 852
Absalonem filium luget David. ibid.
Ejus vanitas & ambitio quomodo fuerit castigata. ibid.
Ratio quare Absalonem magis David luxerit quàm Amnonem. ibid.

Abstinere, Abstinentia.

Abstinent multi, sed sine diverso. 249
Abstinentia animum ad res arduas præparat suscipiendas. 232
Abstinens Meditationi & Orationi idoneus. ibid.
Abstinentia omni ævo laudata. 236
Ea est & conciliatrix somni. 230
Abstinentia curatrix medica febrium & podagri. 227
Abstinentiâ multi facti longævi. 226
Quibus insuper morbis medeatur opportunè & prudens abstinentia & incommodis. 221
Abstinentia plurimorum à vino & carne. 217
Abstinentia quid sit. 213
Abstinere pharmacum optimum. 269
Ea diversis rationibus omnibus suadetur. 549
Videtur multis difficilis dum non creditur saluti conducere. 550
Ab abstinentiâ commendantur plurimi ibidem. ibid.
Abstinentiæ Calendarium sepius inspiciendum. 263
Abstinentiæ limites etiam ægroti non servant. 278
Abstinentia rem familiarem & domesticam auget 231

Vide Jejunium.

Abundantia.

Abundantia plus obfuit Salomoni quàm ei profuit Sapientia. 518

Vide verbo Divitiæ.

Accusatio.

Suimet accusatio salutaris. 50

Acetum.

Acetum cur Christus biberit non verò vinum felle mixtum. 359

Achitophel.

Achitophelis consilia & sententiæ in oppugnando patrem Absalonis. 851
Achitophelis consilium rejicitur. ibid.

Achimelech.

Achimelechum & sacerdotes Saul jubet occidi. 818
E familiâ Achimelechi solus Abiathar effugit. ibid.

Ambitio.

Ambitio duarum tribuum ærumnas David auxit. 854
Ambitio & libido ad omne vitium impellunt. 858
Ambitio sibi æquales aut majores aut interimit. 859

Actio.

Actio in se mala & corrupta verbis bonis & melleis non redditur sancta. 643
In actionibus nostris tristium & lætorum debet esse mixtura. 797

Vide verbo Opus, Virtus, Bonum.

Adam.

Adam quàm timidus fuerit post peccatum. 597
Adami punitio ob transgressum mandatum Dei. 548
In Calvariæ monte creditur sepultus. 357
In Adam omnes moriuntur, in Christo omnes vivificabuntur. 636

Adolescens.

Adolescentes delicatuli parum apti studiis. 20
Variæ noxæ quas ordinariè in scholis committunt. à f.20. usque 24
Adolescentes paulatim à virtute in vitium degenerant. 555

Vide Iuventus.

Adonias.

Familiam comparat aulicam ut regnum occupet. 858

Adversa, Adversitas, Adversarius.

Omnia in mundo suum patiuntur adversarium. 2
Adversa quævis viri fortis non immutant animum. 25
Ad adversa excipienda præmeditatio clypeus adamantinus. 57
Ad adversa quævis excipienda præparandus animus. 56
In adversis à Deo non recedendum. 58
Adversitas beat, plurimos prosperitas damnat. 63
Adversa omnia tolleranda. 485

Vide verbo Calamitas, Afflictio.

Adulator.

Adulator quomodo internoscendus ab amicis. 170

Adulatio.

Adulatio quantas excitet tragœdias. 819

Adulterium.

Adulterio lædunter quatuor homines. 625
Fuit olim multò gravius quàm modò castigatum. ibid.
Adulterij stricta prohibitio in novâ lege. ibid.
Adulterium quàm grave sit peccatum. 842

Semper

Semper Deus illud abominatus fuit. ibid.
& conniventibus adulteria Deus exiget severas rationes. ibid.

Ægrotus.

Ægroto non licet quærere à magis remedium conservandæ, aut restituendæ valetudini. 9
Ægroto nauseant vetitæ voluptates. ibid.
Ægroti Deo montes aureos promittimus. 233
Ægroti qui à jejunio excusentur. 248

Vide verbo Morbus.

Afflictio.

Afflictiones somniantes excitant. 7
Afflictiones mali & boni diversimodè sustinent. 13
Afflictis Deus vicinior. 10
Afflictionibus mederi licet variis remediis & medelis. 22
Afflictus ad duo præcipuè attendat. 20
In afflictionibus fuere quidam hilarissimi animo. 49
Afflicti quò recurrant docent Apostoli inter procellas. 57
Afflictus Deo fiduciter adhæreat & non peribit. ibid.
In summâ afflictione etiam est gaudendum, & est gaudio locus. 527
Ea est Christianæ prudentiæ mater. 658
Quibus fel afflictionis non aperit oculos desperatæ sunt sanitatis. ibidem, & 655.
Afflictio est homini necessaria. 659
Afflictionis calicem nobis propinat Christus. ibid.
Afflictio diversis aperit oculos ita ut seipsos videant. 523
Afflictio prodit & monstrat mundi fallacias. 524
Ea cùm mittitur in summo pretio est habenda. 355
Afflictio est opus clientelare. 472
Afflictorum querelæ. 10
Qui credit firmiter à Deo afflictiones immitti iis non succumbet. 39
Afflictionis utilitates. 35
Afflictio magni facienda. 36
Afflictio magnum bonum. 38
In afflictionibus queri error turpissimus. 43
Afflictiones ferendæ hilariter. 47
Constanter. 49. *Præmeditatè.* 55. *& cum conformatione suæ voluntatis ad Deum.* 59
Afflictiones sunt peccati stipendia. 256

Vide verbo Calamitas, miseria.

Agathocles.

Agathocles fuit memor semper pristinæ conditionis. 809

Agrippæ.

Agrippæ regis ludificatio. 346

Alexander Magnus.

Alexander Lisimachum hastæ cuspide vulnerat: Vulneris sanguinem nemo sistere potuit nisi Alexandri diademate. 319
Alexander quomodo subditorum animos sibi conciliarit. 323

Alphonsus Tostatus.

Alphonsi Tostati celeberrimi scriptoris laus. 746

Amans.

Amanti non est difficile quærere Deum. 561

Amare.

Amare hæc caduca cur non liceat. 23

Amor impurus.

Amor impurus quàm sit instabilis. 845
Amor impurus Amnonis erga Thamar. ibid.
Amor impurus quàm non sit stabilis & sæpe inimicitiarum semen. 845

Ambitio.

Ambitionis tentatio nemini parcit. 704
Remedia contra Ambitionis tentationem. 707
Ambitio est plurimarum cædium causa. 706
Sanctissimos ambitione tentat Diabolus. 705
Ambitionis tentatio totum conturbat & evertit orbem. 706
Ambitio inquietissimum malum. 497
Ambitio & invidia duo pessima mala. 808
Ambitiosorum aliquot historiæ. ibid.

Amicitia, Amicus Dei.

Etiam nos exercent amici. 803
Verus amicus Dei credit omnia & sperat quæ Deus promisit. 486
Amicis Dei solemne est sese divinæ providentiæ committere. 510
Amicitia Dei ambienda nullisque debet dissolvi afflictionibus. 464
Quis sit verus amicus Dei & Christi. 366
Amicitia quævis comparanda pileo & marsupio 537

Vide v. Gratia & v. Dei.

Amor Divinus.

Defectu amoris multa nobis videntur acerba. 358
Omnis amor noster in Christo crucifixo collocandus. 365
Nutrimentum amoris est imminutio cupiditatis. 366
Sola amoris lege Deus stringitur. 365
In mysterio crucis amoris exsuperantia. ibid.

Vide Deus & Christus, tam hoc Indice rerum quàm Catechistico.

Amen.

Amen quid significet. 135

Andreas.

Andreas Apostolus avidissimè voluit pro Christo pati. 39
S. Andreas & alij è cruce concionati fuere. 381

Angelus.

Angeli dicuntur vigiles. 566
Angelus in re medicâ cur Tobiam instruxerit. 630
Cur jusserit servari cor, fel, & jecur capti & exenterati piscis. 631
Angelorum multitudinem cur vocat Lucas exercitum seu militiam. 299
Angeli nuntii pacis. 300

Vide Angelorum cantus in Indice catechistico.

Animal, Animalia.

Classes animalium in arcam deductorum. 476
Quot animalia fuerint arcam ingressa. ibid.
Differentia mundorum & immundorum animalium. ibid.
Duplex animalium genus ab arcâ exclusum. ibid.
Pro animalibus eorum in arcam intulit Noë 477
Animalia carnivora miraculosè in arcâ pasta. ibid.
Cur in persolvendis pœnis etiam animalia hominibus consociantur. 478
Animalia cur jusserit Deus ex arcâ egredi. 493

Anima.

Anima sine corpore judici supremo non sistetur. 435

Animus vagus.

Animum fortem non commutant res adversæ. 25
Animus noster præparandus ad omnes tentationes & quare. 56
Animus firmandus quia est sibi causa vitæ & mortis ibid.
Animi mœror sagitta acuta. 10
Animi vagi excursus. 78
Animi evagatio quid sit in precibus. 72

Vide Distractio.

Apostoli.

Patiebantur pro Christo hilariter. 47
Apostolis geminum à Christo datum promissum nempe os & sapientiam. 66
Apostoli uno omnes ore petierunt Methodum à Christo orandi. 68
Mergendâ naviculâ clausi ad orationem confugiunt. 30
Apostolos suos licet amaverit Christus, ijs tamen non defuerunt tentationes & flagella. 34
Eos quomodo aliquando deduxit Christus ad inferos & reduxit. 676
Apostolorum constantia in prædicatione Christi. 584
Apostolorum aliqui cur fuerint in monte Thabor & non in monte Golgotheo. 408
Præcipua Apostolorum dignitas fuit pro Christo pati. 685
Apostoli quomodo iverint gaudentes à conspectu concilij. 47
Apostoli in periculo existentes rectè suscitarunt Iesum. 114

Aqua.

Aquæ sunt symbolum afflictionis. 35
Cur tanto tempore Deus voluit mundum aquis sepultum. 486
Cur non perspexerit Noëmus ipse num aquæ cessassent. 490
Aquarum incrementi indicia tempore diluvij. 483

Aquila.

Aquila quomodo & quare sinat pullos suos aliquando leniter cadere. 688
Aquilam cum Dipsade pingebant veteres. 106
Aquilarum pennæ aliis avium pennis mistæ eas devorant. ibid.

Arabia.

Arabia primum donum Deo homini dedit. 307

Arabia felix asseritur & quare. 308

Arbor.

Arboribus illis qui fructus suos tenacissimè retinent nos similes sumus. 35
Quæ arbores sint suorum fructuum tenacissimæ. ibid.
Arbor quædam in Indiâ Tristis dicta. 632
Arboris in Vere florentis cum homine comparatio. 612
Arbores vino olim rigatæ. 759
Arbor quædam excavata pro triclinio fuit. ibid.

Arca Noë.

Arca Noë quo anno cœpta fuerit. 466
Quales fuerint cubiti quibus constabat. 467
Quot partes habuerit, seu domicilia. ibid.
In arcâ fuerunt tres contignationes. 468
Arcæ compago fuit à Deo dictata. ibid.
Cur fuerit oblita bitumine. 468
Arca fabricata fuit, ut homines pœnitere inciperent. ibid.
Arcæ fabrica structa fuit ad Caucasum montem. 469
Tempus fabricæ arcæ anni centum. 469
Arcam an solus fecerit Noë cum filiis. 469
Arca ostium habuit unicum, & ostij ejus latitudo. 487
In Arcâ an una tantùm fuerit fenestra. 487
Arca requievit in montibus Armeniæ. 487
Arca fuit monasterium observatum. 487

Ariditas mentis in oratione.

Quæ sit ariditas mentis, & an mala aliquando. 84
Aliquando est pœna peccati, proinde patienter ferenda. 84
Non semper est mala, licet hinc plurimi angantur. 84
Eam perpessi sunt etiam viri sanctissimi. 84
Ariditatem mentis dum patimur non est Deo obmurmurandum. ibidem.

Arius.

Arius luit pœnas malæ seminatæ doctrinæ. 130

Aromata.

Aromata Spartana quæ sint. 229

Ars.

Ars quæstuosissima. 198
Ars Astronomica illusa fuit in apparitione stellæ Domini. 302

Artifex.

Artifices dignoscuntur ex suis artificij notis. 471

Astus.

Astus Phyrnæ, quo exploravit quódnam esset Phidiæ opus præstantissimum. 141

S. Augustinus.

Variè describit Nativitatem Christi & cum eo auctor quasi colloquitur alternatim. à fol. 315. usque 328.
S. P. Augustini reficiendi consuetudo. 550
Eodem tempore quo natus est Pelagius in Scotiâ natus est S. P. Augustinus in Africâ. 577
Librorum S. P. Augustini de Civitate Dei laus. 651
Quando & quâ occasione eos S. P. conscripserit. ibid.
Laus scriptorum S. P. Augustini. 746
Sancti Patris Augustini vigilia & brevis cœna tot nobis reliquit libros. 230

Augustus Cæsar.

Quomodo describi jusserit orbem, de quâ descriptione Euangelista Lucas scribit. 275
Dei filius Augusto Imperatori fuit stipendiarius. 276
Aures Augusti erant delicatissimæ. 94

Avis, Aves.

Pavonis natura, Columbæ, Psittaci, & aliarũ avium descriptio. 760
Luscinię descriptio. 759
Alterius rarę cujusdam avis descriptio. 782

Aula, Aulici.

Aulæ charitas minimè laudanda. 654
In aulâ alter in alterum culpam derivat. 516
Qui libri & Auctores de iis scribant. 757

Aurum.

Aurum est donum regium, ac proinde Christo oblatum. 307
Auri & charitatis inter se connexio. 309
Hoc olim plerumque reges offerebant. 307

B.

Balaam.

CVr non potuit populo Israëli mala imprecari. 405

Babylon.

Babylonici imperij descriptio. 591

Bacchanalia.

Qui Auctores Bacchanaliorum originem describant. 757

Bacilli.

Bacilli in patientiæ gymnasio quid signent. 2

Barasites Imperator.

In caveam inclusus, in quâ est mortuus. 294

Batti Annulus.

Quid significet. 661

Beatitudo.

Beatitudinem speranti omnia facilia. 509
Bellaria, quam offendant valetudinem. 254

Bellum.

Bellum, pestis, fames immittuntur ob peccata. 16
Belli signum in Belgio & Germaniâ futuri fuit cometa admirabilis, & quo anno visa. 690
Bella hæc externa collata bellis spiritualibus, picta tantùm bella sunt. 681
Septem bella adversùs Davidem excitata. 849

Benefacere, Beneficium.

Benefaciendum citò. 164
Beneficium cunctatione redditur imperfectum. ibid.
Beneficia collata injuriis recompensare quàm impium sit. 513

Bethlehem.

Exigua fuit, sed cives habuit præclaros. 276
Bethleem dicta civitas David. 278
Bethleem fuit totius orbis horreum. 279
Interpretatur domus panis, & quàm rectè. ibid.
Superat sanctitate, nobilitate regias omnes civitates. 279
In urbeculâ hac non erat S. Matri Mariæ & Ioseph divertendi locus. ibid.

Vide *in Indice Catechistico*, Nativitas Christi.

Bonum, Bona, Bonitas.

Bonum quadruplex est, quod verè homo bonum suum vocare possit. 143.
Quæ illa quadruplicia bona sint. ibid.
Quæ sint, & vocentur bona castrensia, bona vitæ, status. ibid.
Bonum publicum privato est anteponendum. 194
Bona mundi instabilia. 506
Bonitas Dei non retardatur ab humanâ nequitiâ. 453
Bos, Priscus symbolum laboris. 32

Bucephalus.

Bucephali equi Alexandri Magni & natura & pretium. 44

C.

Cæcus.

CÆcus quis sit. 669
Cæcitas humanæ gentis à primigeniâ culpâ. 523
Cæcus Hierichuntinus prœiit à Christo, quod maximè erat necessarium. 123
Cæcias ventus nubes trahit. 112

Cædes.

Cædes etiam occultissimæ in lucem ab ipsis avibus proferuntur. 532

Calamitas.

Calamitas ignaviam pellit. 7. Fidem auget & excitat, intellectum illustrat. 7. Profectus est augmentum. 8. Manifestatio divinæ potentiæ. 5. Et Deum timere docet, estq; non inimicitiæ, sed pacis signum. 10
Calamitatis publicæ & particularis varia genera. 16
Ex calamitate virtus justi dignoscitur. 28
Calamitas docet orare & mortificari. 30
Calamitate oppressus ad Deum confugiat. 34
Calamitas temperantiam docet. 27. & 28
Calamitas vitæ socia. 28
A calamitatibus si daretur optio omnes vellent esse liberi. 2
Calamitates pati certissima vitæ lex. ibid.

Index Rerum.

Calamitas est causa virtutis. 25
Calamitas prodit quod intus latet. 33
Prudentiam, humilitatem docet calamitas. 32. & 34
Immittitur ut patientiæ nostræ præmium augeatur. 37
Iuvat nos Deus calamitates patienter ferre. 38
Immittuntur nostro bono. ibid.
Calamitatis ventus nemini parcit. 1
Solatur calamitosos, socios habere pœnarum. 27
Calamitas est magistra patientiæ. 28

Calix.

Calix Domini hîc est transiens. 408
In quantum calix Domini sit commendabilis. 39

Campanæ.

In campanæ circulo olim suspensi proceres. 763

Canis.

Cur canis in S. Scripturâ fiat mentio. 629
Mirabile factum cujusdam canis in civitate Bruxellensi. 656
Cantus, cecinêre quidam suaviter ante mortem. 332. & 333.
Caput, Capite præciso membra omnia moriuntur. 478

Carcer.

Carceres quomodo quandoque inhabitent Angeli, diaboli verò cœlum. 505
Carmen, Carmina seu versus sexcentis aureis venditi. 771

Caro.

Carnis domitrices jejunium & abstinentia. 540
Caro domanda rationis & timoris freno. 470

Vide Corpus.

S. Carolus Borromæus.

Quanta ejus fuerit sanctitas etiam ab ipsis vitæ incunabulis. 628

Carolus V. Imperator.

Philippo II. in memoriam sui reliquit moriens cilicium suum & flagrum sanguinolentum. 354
Cassita, apologus de cassitâ. 554
Castimonia, Castimonia colenda summè. 463

Catena.

Catenæ quid significent in gymnasio patientiæ. 2
Catena scelerum fratrum Ioseph. 499
Quæ ea fuerit, & ex quibus sceleribus. ibidem.

Caupo.

Caupones vel tabernas ævum vetus non admisit. 630

Cervical.

Quod olim vocabatur cervical regum. 316

Chimicus.

Qualiter Chimicum quendam eluserit Leo X. Pontifex Max. 772

Choreæ.

Quinam Auctores de choreis scribant. 757

Varia de Christo.

Christus duplex obtinuit præmium. 47
Cur prædixerit discipulis ea quæ passuri erant mala. 58
Cur jusserit nos orare ostio clauso. 72
Non vult nos esse nimiùm solicitos. 74
Dissuadet multa Christus suscipere negotia. 75
Quare mavult reconciliationem fraternam, quàm oblatum munus. 76.
Christus quomodo fuerit expectatio gentium. 272
Cur in tantum amaverit paupertatem. 318
Humanitas Christi est speculum quod homini objicitur. 324
Christus in terram venit, ut linguas hominum confunderet. 272
Mundi destruxit superbiam. ibid.
Quæ sint Christi dapes. 29
Christus cur sit à spiritu ductus in desertum, ut tentaretur. 39
Christus docens ex obviis rebus parabolas desumpsit. 562
Christus & nos quomodo simus omnipotentes. 586
Christus prodigo filio assimilatus. 426
Christi obedientia fuit perfectissima. 428
Christi comitas in loquendo. 646
Pernoctavit sæpius in oratione. 640
Cur velit nos quærere primùm regnum Dei. 657
Ter flevit publicè. 368
Christus in habitu mendici sæpius stipem petiit. 344
Quæsivit prodigum hominem diversis locis. 350
Cur tres tantùm Apostolos admiserit in monte Thabor. 37
In piscinâ cur unum tantùm languentium sanaverit. 36
Christus calicem passionis quomodo nunc Ioanni, nunc Iacobo propinet. 40
Quàm præstans sit illud Christi monitum, In patientiâ vestrâ possidebitis animas vestras. 45
Christus promisit Apostolis suis eloquentiam & sapientiam. 66
Christus septemplici argumento pugnat contra nostram nimiam solicitudinem. 74
Cur reprehenderit Martham. 75
Christus cur laudaverit orationem Publicani. 97
Christus nos docuit orare, idq; sæpius. 101
Christo quàm grata sit hæc oratio, Domine si vis, & quare. 96
Christus est primus seminator. 122
Christus quomodo oraverit. 140
Cur misericordiam ita extollat. 142
Christi de eleemosynâ promissio. 145
Cur mandat thesaurizare in cœlo. 148
Ratio cur induerit sæpius mendici formam. ibid.
Christi liberalitas depicta à Ioanne. 154
Christus cur queratur Iudæos ex templo Patris sui feciss̃e speluncam latronum. 167
Cur jubet nos esse misericordes, ut Pater ejus misericors est. 168
Christus triplici de causâ visibilem se fecit stipem petiturus. 175
Cur incœnatus congressus est cum diabolo. 215
Christus jejunavit ut nos instrueret. 250
Christus sub imagine pastoris proponit quales servos velit. 794
Christus descensurus in prælium mutavit habitum suum. 273
Cur Christus volenti gratæ & non habenti cum proximo pacem, monuerit relinquendum Munus ante altare. 76

Alia plura particularia de Christo, vide in Indice Catechistico latè.

Cilicium.

Cilicij usus antiquissimus. 499

Cinis.

Cineres olim fuêre in honore. 36
Eos jussit asservari & reponi Deus. ibid.
Cygelius, avis marina. 319
Cygnus, Ejus proprietates, & an cantet ante mortem. 396

Cœlum.

In Nativitate Christi resonabat canticis. 325
Quorundam in cœlum aspicientium assiduitas. 452
Tribus clavibus, & quæ ea sint, reseratur. 405
Dum properamus nos ad iter cæleste juvenescendum. 628
Tres ad cœlum apparatus. 628. 629
Cœlum crebrò suspiciendum. 473
Cœlum est nostri certaminis præmium. ibidem.

Cogitatio.

Duplex cogitatio pellens languores. 627
Cogitatio est fons orationis. 83
Quî fieri possit ut cogitationibus non evagemur. ibid.

Colloquia.

Multa, eáque supervacanea causa distractionum. 75

Columba.

Una eadémque columba verisimiliter bis emissa ex arcâ. 490

Comitas, seu, Affabilitas.

Comitas est ars utilissima. 646
Comitas Christi in loquendo. 645
Ea Tito commendatur à Paulo. 646
Comitas est benevolentiæ mater. 647
Commiseratio Christo grata. 355
Compunctio. ea est necessaria devotioni. 369

Concionator, Concio.

Concionator fugiat superbiam. 791
Neminem in concionando imitetur. ibid.
Concionatori natura sua sequenda. ibid.
Ejus concio & oratio modestiam animi spiret & submissionẽ. ibid.
Concionatori qui Auctores legendi. ibid.
Horam non excedat sine gravi causâ. ibidem.
Neminem spectatum sugillet. ibid.
Omnis concio bis scribenda. ibid. & 790

Omne firmamentum concionatori est è sacris paginis petendū. 790
Thema concionis distinctissimè debet proponi. 789
Concionatori omnis affectatio vitanda. 790
Exordia concionis sint brevia, & è dicendis ducta. 789
Concionator tardè loquatur. ibid.
Concionatori curandum, ut singuli dies Festi & Dominici aliquot exhibeant themata. 788
Duo concionatori sedulò observanda. 787
In audiendis concionibus varij hominum status. 465
Quid quemvis impellere debeat ad audiendas conciones. 465
Conciones quare aliquando minùs efficaces. 488

Confessio sacramentalis.

Est præstantissimum alexipharmacum. 510

Conjugium.

Abusus conjugij & quomodo sedulò sint fugiendi. 634

Conscientia.

Bona conscientia maxima est fiducia. 55
Platonis de conscientiâ sententia. 761
Conscientia est examinanda ante somnum. 21
Bona conscientia solidum gaudium. ibidem.
Conscientiæ definitio. 596
Conscientia est impiis hominibus crux, confertur vermi, & quare, est judex incorruptus, redditq; nos peccati memores. ibid.
Conscientiæ morsus sunt veri cruciatus. ibid.
In die judicij omnes eam videbunt. 598
Comparatio inter Salomonis templum & conscientiam. ibid.
Conscientiam custodiunt sancta proposita. 598
Bonâ conscientiâ nihil jucundius. ibid.
Pura conscientia Davidem reddidit animosum, mala timidū. 599
Conscientiæ tranquillitas quomodo obtineatur. ibid.
Non tam in famâ, quàm in conscientiâ reponendus honestatis fructus. ibid.

Consilium, Consiliarij.

Consilium prudens lætos habet exitus. 515
Optimi consilij dotes quæ. ibid.
Consilij sinceritate explorantur confessarij & consiliarij. 516
Quemvis plerumque rectiùs alteri quàm sibi consulere probatur exemplo. ibid.
Fœlix regnum quod bonos alit consiliarios. 518

Constantia.

Constantia coronatur. 50
Constantiæ & perseverantiæ discrimen. 584
Consummatio, ea est perfectio operis. 554

Convicium.

Convicia toleranda nec reddendum convicium pro convicio. 19

Vide Injuria, Proximus, Dilectio proximi.

Convivium.

Conviviorum abusus. 613
Excessus in iis plerumque ferculorum. ibid.
Etiam in ferculorum pretio. 614
Conviviorum prolixitas, & in iis choreæ, chartarum lusus, & aleæ taxantur. ibid.
In conviviis garrulitas, fœdi mores reprehenduntur. ibid.
In splendore conviviorum irridetur Deus. 615
Conviviorum luxum domestici famuli & pauperes luunt. ibid.
Duronius senatu motus, quia legem de coërcendis conviviorum sumptibus abrogasset. ibid.
Prisci ante accubitum schedam dabant ferculorum indicem. 1
Convivium quale celebraverit David. 833

Cor.

Qui sint recto corde, qui distorto. 64
Cor suum quomodo dicat David se invenisse. 72

Corona Christi. vide Christi coronatio, in Indice Catechistico.

Corpus.

Servire corpori est turpissima servitus. 730
Corporis castigatio est munimentum contra tentationes. 730
Corvus, ex arcâ emissus non est reversus in arcam, & quare. 488

Credere, Credulitas.

Quid sit credere, & quæ dicantur credibilia. 586
Stulta credulitas noxæ semper proxima. 505

Crepidæ, Regum & Reginarum quorundam olim aureæ. 316

Crux.

Crux assumenda quotidie patienter. 14
Quisque suam putat esse crucem quotidie ponderosissimam. 15
Nemo sine cruce vivit. ibid.
Crux nostra tanta, quanta à nobis esse putatur. 16
Via crucis est recta via ad beatitudinem. 384
Crux aut hîc aut postea ferenda. 356
Per crucem itur ad cælum. 356
Crux Christi vide Christi crux, in Indice Catechistico.

Culpa.

Ubi culpa, ibi & pœna. 506

Cupiditas.

Cupiditates vicisse summa est victoria. 783

D.

Daniel.

Daniel fuit tutus à leonibus, sed non ab hominibus. 497
Danielis elogia. 547
Legis divinæ fuit observantissimus. ibid.
Cur Danieli Deus solum pulmentum subministrarit. 631
Danielis mira & admiranda visio explicatur. 595
Quibus rationibus Danielis & sociorum temperantia potuisset impugnari. 547
Illustrissima Danielis & sociorum abstinentia. 549
Nabuchodonosoris somniorum fuit interpres. 551
Tria monita desumpta ex verbis Danielis. 552
Tres Danielis socij venerationem idoli aurei recusant. 557
Danielis socij in omnibus rectus creatis Deum quærendū docent. 559
Danielis socij illæsi ab igne miraculo multiplici. 563
Daniel Nabuchodonosori suadet eleemosynas dare. 567
Acerrimè & liberrimè reprehendit Balthasarem regem. 577
Danielis orationis triplex caput. ibidem.
Daniel tres voculas arcanissimas explicat. 579
Satrapum invidiâ exagitatur. 580
Oratio, & orandi studium Danielis. 483
Daniel in leonum cavo illæsus servatur. 585
Danielis æmuli hostes in leonum caveam deiciuntur. 587
Daniel cernit aperiri libros in judicium consessu. 695

Darius.

Darij divitiæ & amor ingens auri. 707
Darius fit Danielis causidicus. 585
Reddit æmulis Danielis talionem. 587
Voluit, ut pares alij reges, haberi Deus. 581
Quomodo consuluerit valetudini. 262

David.

David quantam auri summam congesserit pro ædificio templi. 370
Davidis animus ad Christi calicem bibendum promptus. 410
Quantum thesaurorum rex David templo struendo reliquerit. 771
Davidis nativitas patria & genealogia. 784
Per calamitates ad regnum pervenit. ibid.
Fuit è Bethlehem oriundus. ibid.
Fuit unctus à Samuele in regem spectantibus fratribus. 795
Quinque nomina fratrum Davidis. ibid.
Unctionis ejus effectus. 796
Davidis ortus humilis. 797
Parentibus dignitatem stemmatis auxit. ibid.
Davidis erga Deum pietas, ejúsque egregia fortitudo. 798
Fuit eximius Musicus, & Saulis animum musicâ mitigavit. 798
In David honorata humilitas. 798
Summa Dei in Davidem providentia. 800
Se in certamen cum Goliath offert. ibid.
David mittitur ad fratres in castra. 800
David Sauli regi sistitur. ibid.
Declarat quantâ valeat fortitudine. 801
Davidis armatura describitur. ibid.
Quomodo invaserit Goliath. 801
Resputt arma Saulis. 802
Dum populus acclamat Davidi ob victoriâ Saul odisse incipit. 894
Vestes Ionathæ dono accepit. 806
Pristinæ conditionis semper fuit memor. 809

Pugnat & offert præputia Philisthinorum. 810
Mansuetudine conatur debellare invidiam Saulis. ibid.
Se suáque omnia divinæ voluntati committit. 810.
Micholi conjugi valedicit & Ionathæ. 811
Operto à Deo plcit, & se fugæ committit. ibid.
Mira Dei potentia manifestata in David. 812
Colloquium ejus cum Ionathâ. ibid.
David & Ionathas se invicem amplectuntur. ibid.
Tribus noctibus, totidémque ferè diebus in speleo delituit. ibid.
Quis ei tempore suæ fugæ cibum dederit. ibid.
Rogat ab Abimelech panes, sed antequã recipiat examinatur. 814
Exemplo David panes petendi non delitiæ. ibid.
David se totum divinæ providentiæ committit. ibid.
Amentem se simulat coram facie regis Achis, & fugit. 848
Calamitas reddidit Davidem virtuosum. ibid.
David seipsum judicat. 843
David quæ pœnitentiæ signa ediderit. ibid.
Davidici doloris argumenta. 844
Pœnam Deus exigit à Davide. 845
Non ita exactè Deus sit curam filiorum suorum. 846. & 858
Luctus Davidici causa varia. ibidem.
Catena seu series Davidicæ calamitatis. 848
Quàm patienter Semei maledictum tulerit. 850
In omnibus calumniis cum Deo causam suam egit. ibid.
Patientia Davidis robustior fuit in calamitate quàm prosperitate. ib.
Æternitatis jacturam doluit in Absalone. 853
Quàm mansuetus erga inimicos suos fuerit David. 855
Quale delictum fuit populi enumeratio, & quàm grave. 855 856
Davidi trium pœnarum fuit data optio. 856
David in pœnarum delectu sibi non pepercit. ibid.
Quomodo pœnitens Deum placaverit. 857
Tres arcæ Davidicæ pecuniariæ. 858
Etiam calamitates Davidem in senectute non deseruerunt. 859
Davidi unde tam maturum senium. 859
Abisag David ducit in uxorem, & servat ut sororem. ibid.
Mortis memoria à Davide semper meditata. 860
Orat David pro Salomone filio. 861
Deliciæ, omnino omnes abdicandæ. 468
Desidia, fœcundum desidiæ ingenium. 521

De Deo Opt. Max. varia.

E Dei manibus omnia acceptanda. 451
Ejus in rebus singulis providentia & bonitas. 62
Dei decretum immutabile. ibid.
Divino nutui subjacendum omnibus. ibid.
Deus perfectiùs est in rebus omnibus, quàm anima sit in corpore. 82
Deo perplacet pauperies, hominibus opes placent. 301
Vt Deum colimus, sic & nos visitat. 401
Plura dat, quàm petitur. 403
Quæ geminæ Dei manus. 427
Omnium operum est auctor Deus. 7
Et hic, & postea remunerator. ibid.
Deo nos affligenti nemo obmurmeret. 8
Deus ea eripit primò quæ nobis sunt charissima. 5
Iustè etiam innocentissimum affligit. ibid.
Nihil facit sine causa. 7
Medicum hic sæpe sæpius agit. 9
Emittit indies sagittas afflictionis. 10
Vt pater, non verò ut mater nos instruit. 24. & 25
Deo debemus esse fideles. 27
Cur quævis etiam charissima auferat. 29
Declaravit in proprio filio quomodo suos tractari & haberi in hoc orbe velit. 38
Quomodo Deus omnium malorum possit esse auctor cùm multorum & nos causa simus. 41
Deus rerum vices citò immutat. 44
Quinam dicantur revereri & laudare Deum. 286
Deus quomodo in vincula quasi conjectus Christo nato. 294
An Dei memoria jugiter haberi possit in hac vitâ & quomodo. 666
Dei familiaritas quomodo contrahenda est, quàm ea homini Christiano sit utilis. 667
Quomodo Deus simul flagellet & salvet. 675
Quomodo sese habeat in malo culpæ & pœnæ. ibid.
Paterno modo regit suos. 688
Etiam præmiat actus bonos in hac vitâ. 604
Dei punientis verbera meliora sunt mundi blandimentis. 617
Vt affectus nostros domet agit ut Phrygio, non ut Pictor. 610
Deus est præsens in omni loco. 619
Ejus præsentia omni loco veneranda. 620
Cultus præsentiæ divinæ effectus & utilitas. ibid.
Quare permittat eos tentari quos scit tentationi consensuros. 714
Quandónam Deus sit misericors & quando justus. ibid.
Dei præscientia nemini imponit necessitatem pereundi. 716
Deus est virtus stantibus & pugnantibus refugium. 730
Cur à nobis tam exquisitum [illegible]rum. 470
Deus architectus unicam tantùm suis ædificiis inserit januã. 471
Deo fidendum in omnibus adversis. 472
Minas suas miscet cum benignitate, & quomodo. 473
Edit quidquid naturam & naturæ leges invertit. 529
Etiam humanâ malitiâ utitur ad obtinendum finem suum. 521
Est auctor tam sterilitatis, quàm fertilitatis. 514
In iis qui prudentiâ valent minores noxas severiùs punit. 510
Deus suis nusquam deest. 505
Omnem & totam Remp. suam præmio & supplicio gubernat. 487
Miscet amara dulcibus & quare. 486
Est primus & condus omnium viventium medicus. 477
Deo qui fidunt non facilè cadunt. 557
Honorat amicos suos in hac mundo. 565
Deus omnes actiones & cogitationes examinabit. 580
Opus Dei est superbos dejicere, & humiles exaltare. 567
Deus quomodo rectè appelletur senex. 593
Cur Deo Patri detur vestimentum candidum. 594
Deus cum omnibus non servat eandem temporis rationem. 519
Vult ut juvet, ut & homo pro viribus laboret. 490
Omnia cum Deo incipienda & terminanda. 495
Summum præsidium divinæ providentiæ veneratio. 505
Quomodo pœnituerit Deum fecisse hominem. 459
Dei clementia magna. 460
Deus fieri jussit tria memoratu dignissima. 466
Dei protectio imploranda. 468
Quare & quomodo quærendus in rebus creatis. 560
Pœnarum & malorum omnium est auctor. 536
Deus timendus, non verò diabolus. 737
Variè suos amicos tentat & examinat. 737
Deus est vicinior afflictis. 10
Dum ille punit nos ei subministramus virgam. 41
Cur utatur malorum operâ, ut nos puniat. 42
Nunc solatur, nunc terret etiam amicissimos. 85. & 86
Est ubique. 83
Tria ab iis desiderat, à quibus rogatur, & quæ ea sint. 103
Nos trahit naturaliter, civiliter, & moraliter. 111
Omni tempore paratus est nos audire. 129
Deus offenditur tribus modis. 235
Deus quomodo temperet aquas & pluviam. 35
Deus an sit auctor peccati. 41
Deus etiam per cimices, vespas, culices, ranas, &c. nos humiliat. ibid.
Deus vult cogi precum perseverantiâ. 91
Deus in terrâ Geßen abstulit muscas. 98
Vilissimis sæpe utitur rebus ut ejus scientia eluceat. 643
Deo omnia adscribenda. 643. & 644
Deus ex quibuscunque rebus bona elicit. 651
Deus servos suos abjectos evehit. 794
Quódnam obsequium Deo gratissimum & præstantissimum. 794
Dei judicia. 796
Honores & opes Deus donat sine ullius injuria. 796
Vtitur instrumentis minimè idoneis ut ejus pateat potentia. 797
In Deum nostra fiducia collocanda. 805
Amico nobis Deo facilè reconciliamur inimicis. 806
Dei agnoscenda providentia. 807
Dei providentia in tentationibus. 810
Deo benedicendum in omnibus calamitatibus. 845
Deus peccatis punit peccata. 846
Factorum suorum rationem nunquam reddit Deus. 850

Quomodo Deus excœcet, induret, & quando. 836
Deus in electione pœnarum cum Davide humano modo egit. 836
Dextera, si ea sit offensioni & scandalo abscindenda est. 457

Diabolus.

Diabolus duo celebravit convivia. 419
Maximè insidiatur perseverantiæ. 52
Ante Christi Nativitatem summâ pace regebat orbem. 276
Quomodo Christo nato dicatur mortuus. 294
Semper peccatum committendum extenuat, & Dei misericordiam prædicat. 709
Diabolus totus est staticus & speciosos novit allegare titulos. ibid.
Ferventissimè nostrum intendit exitium. 709
Diaboli semper cavenda & observanda. ibid.
Cur aliquando intermittat tentare. 701
Accuratè affectus & nostras inclinationes disquirit. 712
Diabolus aliquando leo, aliquando formica tantùm. 713
Neminem mordet nisi volentem. 713
Diabolo tantùm permittitur ad mensuram tentare. ibid.
Nulli nocere potest, nisi à Deo præhabitâ potestate. 715
Bonarum actionum intentum dum non potest impedire, quærit vitiare. 717
Duplex ars ad resistendum diabolo. 723
Præcipitium potest suadere diabolus, sed non præcipitare. ibid.
Regnum diaboli carcer ejus est. ibid.
Sæpius ac citiùs vincimur quàm congredimur. 681
A diabolorum insultu nullum nos tempus defendit. ibid.
Cur diabolus dicatur devorare. 682
Omnia loca reddit infesta. ibid.
Aliter diabolus, aliter Deus tentat. 708
Diabolus sine jejunio non facilè vincitur. 731
Oleum & operam perdit, dum tentat laborantem. 729
Ea quæ suadet inaurat. 720
Pugnâ & fugâ vincitur diabolus. 724
Induit ut tentando vincat omnes formas. 726
Propter vigilantiam & solertiam diabolus vocatur tentator. 708
Cur Sethi familiam conatus fuit reddere Deo exosam. 457
Diabolus an possit sine Dei licentiâ quidquam in hominem. 633
Ob quæ peccata Deus permittit ut in hominē grassetur. 633. 634
Casses ejus decipiendi homines. 682
Quæ in luctâ cum diabolo observanda. 682
Cur in nos homines, ita diaboli sint furibundi. 683
Eos maximè tentat, qui eum fugiunt. ibid.
Diaboli gula delicatissima. 684
Sanctioribus & perfectioribus sunt infestiores. ibid.
Cur tentaturus parentes primos serpentis formam induit. 693
Diaboli minæ quomodo æstimandæ. 698
Quisquilius & nucibus quærit mentem hominis expugnare. 699
Diaboli elogia. 700
Diaboli nos fallunt sub specie boni. ibid.
Varia diaboli stratagemata. 701
Melius & feliciùs seminat quàm metit. 702
Monstrat aurum ut laqueos tegat. 704
Dæmonum varia nomina. ibid.
Tentat ambitione & divitiis. 703. & 704
Quosdam vexat conscientiæ angoribus. 707
Tentat subtilissimè. 708
Attemperat sese cujusvis inclinationi. 709
Varij modi tentationum ejus. ibid.
Diaboli potestas est duplex, & quæ ea sit. 634
Diæta, quæ indies sit servanda. 262. & 263
Diocletianus, diram Nicomediæ exercuit tyrannidem. 325

Diogenes.

Diogenes vocabat Oratores ter homines. 71
Ejus responsum interrogatus quid in Philosophiâ didicisset. 58

Diluvium.

Diluvij primum fuit principium multiplicatio flagitiorum. 453
Diluvij tempore quanta erat & fuerit hominū nequitia. 457. 458
Diluvium est hominibus ad cavendam libidinem monumentū. 460
In orbis diluvio secutus est Deus jus belli cum. 478
Quo mense & anno fuerit factum. 481
Duplex aliud metuendum diluvium culparum & pœnarum. 484
Diluvium Deucalionis ævo non fuit. 490
Diluvium quoddam apud Sinas horrendum. 492

Discipulus, Discipuli.

Discipulorum in scholis culpæ. 20
Quamvis Argus sit discipulorum Magister equidem sæpe sæpius decipiatur. ibidem.
Discipuli plurima fingunt, ut è scholis evadant. 22
Discipuli delicati similes sunt vitreis caseo. 20

Discordia.

Discordia olim fuit triplex ante Christum natum. 83
Discordias qui seminat sunt ministri satanæ. 855

Distractio.

Distractio triplex est, & quæ ea sint. 76
Distractionum causa colloquia multa & vana. 75

Divitiæ.

Divitiæ nos omnes dæmon tentat. 703
Divitias quomodo perdere possimus, & non dolere. 23
Variorum summæ divitiæ recitantur. 770

Dolor.

Qui sint dicendi dolores mortis & inferni. 859
Dolor est duplex, utilis & inutilis, & qui illi sint. 843
Verè dolentis de peccatis argumenta quædam evidentia. 844
Dolor non est, nisi de amissione ejus quod amatur. 460
Dolores docent nos Deo submittere. 472
Dolor & voluptas sunt socij individui. 3
Duplex remedium doloris. 654
Dominus, *non est bona res multi in unâ domo Domini.* 782

Domestici.

Cura domesticorum in patrefamilias vigilet. 520
Domesticorum cura gerenda quoad corpus & animam. 477
Domestici ante omnia imbuendi sunt pietate & doctrinâ. ibid.

Dormire.

Dormiendum non quantùm placet, sed quantùm satis est. 74

Duellum.

Ex duello illo celebri Davidis & Goliathi utilia traduntur documenta. 802

Dux.

Quomodo Godefridus dux III. Brabant. infans jacens in cunis exercitum animaverit, & quasi rexerit. 295

E.

Ebrietas.

Ebrietatem Deus sub pœnâ capitis prohibuit. 647
Ebrietatis damna, noxæ. ibid.
Omnes viri sancti ebrietatem summè oderunt. ibid.
Ebrietas est fama fur. 648
Est omnium vitiorum mater ebrietas. ibid.
Ebrietas est via ad alia vitia. ibid.
Est omnium vitiorum periculosissimum. 649
Ebrij, & ebrietatis proprietates. ibid.
Remedia varia contra ebrietatem. 630. & 649
Ebriosorum pessima conditio quæ. 655
Ebrietas hominem transmutat in bestiam. 574
Vitia omnia in lucem prodit, rationem sopit, gentis humani generis opprobrium. 574
Pervulgatum est vitium, & parvi æstimatur. 575
Ebrietas in quæ mala Balthasarem regem deduxerit. ibid.
Ebrietate omnia scelera foventur. 420
Ebrietas mater oblivionis. 511
Ebrietas imperfecta sæpe deterrima. 529
Furor & libido sunt ebrietatis filia. 530
Ebrietas viros multos præclaros occidit. ibidem.
Ebrietas perfecta periculosissima. ibid.
Ebrietas hominem damnat. ibidem.
Ebrietas est comes pessima in alium orbem. ibid.

Ecclesia.

Ecclesia ut Christi tunica inconsutilis. 372
Dos Ecclesiæ non est temeranda. 541
Ecclesia Romana excrevit eleemosynis. 197

Ecclipsis.

Vide in Indice Catechistico *Christi in morte Ecclipsis.*

Index Rerum.

Eleemosyna.

Cur eleemosynam dandam Daniel suaserit Nabuchodonosori. 568
Eleemosynas dare, & in peccatis perseverare nihil prodest. ibid.
Eleemosynæ quare faciendæ. ibid.
Etiam pauper à dandâ eleemosynâ non excusatur. 569
Eleemosyna modica magna expiat peccata. ibid.
Ob eleemosynam decretum divinum in Nabuchodonosor dilatum. 569
Eleemosynæ fructus enarrantur. 623
In dandâ eleemosynâ pauper præoccupandus. ibid.
Cur in die judicij eleemosynæ datæ solius fiet mentio. ibid.
Deus est in eleemosynarios liberalissimus. 673
Pro eleemosynis pauperes preces rependunt. 144
Causæ variæ quare dandæ sint eleemosynæ. 145. & 146
Eleemosyna data pauperi Christo Deo datur. 147
Homines in dandis eleemosynis sunt præparci. ibid.
Qui fiat nos tam raro eleemosynas dare. ibid.
Quòd Christo detur, quæ pauperi penditur eleemosyna, probatur exemplis. 148
Eleemosyna non tam propter pauperes, quàm propter impenentes instituta est. 149
Præceptiones aliquæ divinæ eleemosynam commendantes. ibid.
Eleemosynarum dignitas, & utilitas. à fol. 149. usque 151
Eleemosynæ divitias augent. 151
Probatur variis exemplis eleemosynas nos ditiores facere. 152. 153
Eleemosynas dare non donum sed debitum est. 154
Eleemosynas dare non est consilium, sed præceptum. ibid.
Eleemosynæ maleficas artes retundunt, beneficia posterorum memoriæ tradunt, nomen immortale pariunt. 157. 158
Eleemosynas dare sanctorum omnium fuit studium. 159
Tres modi observandi in dandis eleemosynis. 163. 164. 165
Eleemosynæ dandæ consideratè & humaniter. 166. 167. 168
Eleemosynæ dandæ largiter, hilariter, modestè, & destinato numero. 168. 170. 173
Religio dandi in eleemosynam decimam partem bonorum. 171
Eleemosynæ dandæ sunt è propriis facultatibus & intentione optimâ. à fol. 175. usque 178
Objectiones variæ refelluntur quibus aliqui censent sese excusatos à dandis eleemosynis. 185. 186. 187. 189. usque fol. 192
Quandonam danda sit eleemosyna. 193
E quibus bonis dandæ sint eleemosynæ. 194
Præceptum eleemosynæ obligat sub mortali. 193
Quænam sint eleemosynam impedientia. 194
Quinam possint dare eleemosynam, & è quibus bonis, & quantum dare possint materfamilias, adolescentes. 196. & 197
Eleemosynæ sunt divitibus fructuosæ. 198
Vis admiranda eleemosynarum. 199
Eleemosyna delet peccata. ibid.
Eleemosyna est alter baptismus. ibid.
Eleemosyna est columba argentea, alis aureis instructa. 200
Auget divitias minuendo, cumulat erogando. 206
Eleemosyna optimæ famæ conciliatrix. 201
Eleemosyna maximum in morte solatium. 203
Eleemosyna est simillima semini, & quare. 202
Eleemosyna prædestinatorum & electorum est nota. 203
Eleemosyna est gratiæ conservatrix. ibid.
Eleemosyna ad tribunal Christi nos tuebitur. 204
Eleemosyna à SS. Patribus graviter commendata. 206

Eliseus.

Eliseus fuit Christi nascentis figura. 274

Eloquentia.

Quisque in suâ causâ est eloquens. 531
Eloquentia sine sapientiâ esse non potest. 787
Epistolium trium vocalium ad omnes mittitur. 580
Equus Alexandri Magni neminem, eo excepto, admisit sessorem. 44

Error.

Errantium multitudo nihil patrocinatur errori. 751
Differentia inter errorem & studium. 578
Qui studio, quive errore delinquant exemplo demonstratur. ibid.
Esau quomodo & quando servivit fratri suo. 25
Evæ triplex mendacium. 500

Evagatio mentis.

Evagatio mentis quæ sit dicenda. 72
Quomodo eam pictor quidam expresserit penicillo. ibid.
Evagationum animi origines variæ tam propinquæ quàm remotæ, & quæ illæ sint, latè 73. usque 76
Vide Distractio.
Excerpere, è variis libris varia excerpenda esse commendatur ab omnibus eruditis. 744
Excusatio, plerumque Philautiam olet. 532
Experientia, est magistra docens quanta pati possimus. 8

F.

Fama.

AD famæ defensionem nimiam nos urget diabolus. 728

Fames.

Quæ fuerit causa famis in Ierusalem. 853
Famis causæ peccatum. 525
Variæ regiones, urbes fame quondam pressæ. ibid.
Quanta olim fuerit fames. 16
Fames aperit oculos. 29

Famulus.

Famulus minoris veniit, quàm Dominus. 499

Favor.

Favor, hocce verbum in totâ scripturâ non est notum. 510

Fax.

Fax paupertatem denotat in gymnasio patientiæ. 1

Fel.

Fel & mel nusquam non simul sunt. 522
Fel purgat oculos. ibid.
Fel afflictionis visum restaurat. ibid.

Fides.

Duo fidei Christianæ capita. 510
Fides patienti necessaria. 39
Fidem debemus Christo. 399. & 400
Fides in omni re meritoriâ & devotione præcedere debet. ibid.

Fidelitas.

Ea describitur & laudatur, est q necessaria. 26

Fiducia sui.

Fiducia sui quomodo comprimenda. 514

Fiducia in Deum.

Nostra in Deum fiducia duo respicere debet. 586
In omnibus periculis Deo fidendum. ibid.

Filius, Filij, Filiæ.

Cur dicat S. Scriptura procreatas filias. 454
Filij Dei qui in S. Scripturâ dicantur. 455
Educationis filiorum bona & malæ exemplum. 859
Quomodo verba illa Christi vera sint: Filius non portabit iniquitatem patris sui. 854
Flagella sunt medicamenta. 39

Flagra.

Per flagra intelliguntur afflictiones. 2

Flere, fletus.

Fletus à Christo non vetatur. 355
Magis deflendi qui mala fecerunt, quàm qui ferunt. ibid.

Fortuna.

Fortunæ nemo fidat. 519
S. Francisci erga Christum natum affectus. 301
S. Francisci Xaverij magna & rara in Deum fiducia. 612
Francisci Borgiæ duo mensæ & hospitij designatores. 562

Funus.

Funus sumptuosum abusus magnus. 607

Fustis.

Fustis nodosus cujus rei sit symbolum in schola patientiæ. 2

G.

Gaudium.

DIfferentia inter cœleste & mundi gaudium. 657

Germani.

Germani veteres quomodo olim erudierint suos filios. 52

Gilimiris.

Gilimiris Vandalorum regis captivi factum mirabile. 295

Index Rerum.

Gladiator.

Gladiatoris cujusdam æstus. 772

Gloria.

Pro Dei gloriâ decertandum est homini Christiano. 696

Goliathus.

Goliathi arma quæ & qualia, ejus jactantia, & provocatio ad duellum. 800

Goliathi fastus euntis ad duellum. 802

Goliath humilitate dejectus. 801

Gratia.

Gratiæ subtractio quantum malum. 807

Gratia divina celerrimè acquiritur, humana tardissimè. 510

Gratia divina est stabilis, humana inconstans. ibid.

Gratia divina est illimitata, humana limitata. ibid.

Gratiarum actio.

Gratiæ agendæ Deo etiam in adversis. 58

Gratias in adversis agunt boni, mali murmurant. ibid.

Deo gratias ad omnia usurpandum. 55

A quibus gratiarum actio Deo est gratior & pretiosior. ibid.

In adversis Deo agere gratias summa pietas est. 613

Pro beneficiis divinis gratiæ sunt semper agendæ. 659

In omnibus semper agendæ gratiæ Deo. 612

Gratiarum actio fuit veneratione in veteri testamento. 660

Gratiarum actio est utilis beneficiis obtinendis & necessaria. ibid.

B. Pauli in agendis Deo gratiis assiduitas. 661

Gula.

Quæ sit gula incredula & inassueta. 270

Quanta mala procreet. ibid.

Gulâ devincitur maxima pars orbis. 703

Ad edomandam gulam quædam observanda. ibid.

H.

Hierusalem.

Quot eâ in civitate homines Paschali tempore olim convenerint. 353

Historicus, Historia.

Methodus rectè legendi historias. 777

Historicorum judex quomodo ordinandus. 765

Historiæ variæ quomodo legendæ. 777

Homo.

Homines quidam similes sunt arboribus. 35

Hominis fructus sunt piæ actiones. 37

Homines nequissimi etiam amandi. 45

Homo orationis amans debet esse cæcus, surdus & mutus. 77

Homo Christo posito in præsepio collatus. 289

Omnis homo peractâ vitâ sentit præmium aut supplicium. 402

Triplex hominum genus adumbratur in trinâ societate montis Golgothæi. 404

Homines in rebus animi sunt negligentes. 481

Hominem vitiis assuetum reducere ad virtutem opus difficile. 489

Quivis hominum deflectunt ad deteriora. 556. & 557

Homo est propriè Dei instrumentum. 643

Homo Dei gratiâ spoliatus est miserrimus. 668. & 669

Homo peccato mortali vinctus vinctas habet aures. 669

Homo qui incertam à dæmone tentationem non excutit victus est. 719

Hominem interiorem tria juvant. 631

Homo homini dæmon. 496

Imago hominis ad pejora semper defluentis. 555

Triplex status hominum ad pejora defluentium. ibid.

Homines sunt similes statuæ Nabuchodonosoris. 557

Qui homines veri sunt servi, & quàm multi serviant. 559

Homo quibus temporibus teneatur quærere Deum. 563

Homines dispensatores. 569

Homo quomodo & quando similis sit bestiis. 570

Homo est animal miserrimum, si rationi non obtemperet. ibid.

Quid distinguit hominem à bestiis. 571

Honorari, Honor.

Honorari volunt omnes, contemni nemo. 12

Quanti æstiment homines honorem. ibid.

Honorum insignia gradus aviditas. 778

Honorem ambienti quid agendum. 665.

Horatius.

Horatius Cocles solus Hetruscorum agmen sustinuit. 603

Hortus.

Horti primo homini pro domicilio attributi. 432

Ex horto prodiêre Reges. ibid.

Ex horto S. Paulinus ad Episcopatum pervenit. 433

Hospitalitas.

Hospitalitas priscis usitatissima. 630

Hostis.

Omnia hic suum patiuntur hostem. 2

Cur in medio Israëlitarum erant semper hostes. 7

Hostis est, quisquis ad peccandum invitat. 504

Vno strato hoste facilè sternuntur plures. 605

Hostis & amicus diversimodè tentant. 680

Hostes hominis sunt triplices. 681

Humilitas, Humilis.

Humilitas est fundamentum sanctitatis. 573

Ab humilibus honor Deo quomodo accedat. ibid.

Sine humilitate non congregantur virtutes. 288

Humilitas Christi nati. ibid.

Humiles multi esse volunt solo nomine. 12

Sine humilitate nihil discitur. 35

Humilitas est signum electorum. 328

Humilitas est mater honoris. 538

Humilitas honorata prodigium rarum. ibid.

Humilitas quàm sit grata Deo. 801

Fuit è veterum Philosophorum scholis exclusa. ibid.

Humilitate vincitur dæmon. 801

I.

Iacob Patriarcha.

Iacob paucioribus annis vixit quàm parens aut avus. 543

Iacobi mors describitur. 544

Illustrissimum Iacobi funus. ibid.

Iacob misit filios in Ægyptum ut sibi coëmant frumenta. 520

Cur Deus Iacob tot malis exercuerit. ibid.

Cur Deus non revelaverit Iacobo Iosephum filium esse superstitem. 50

Idola, Idololatria.

Idololatria orbi pæne tota ante Christum dominabatur. 276

Idololatræ non ignorarunt Deum ubique præsentem. 620

Idola Hebræorum fuêre capita vitulorum aurea. 604

Iejunium.

Iejunij encomia rara. 731

Iejunium horret diabolus. ibid.

Iejunans & orans geminas habet alas ipsis ventis agiliores. 732

Iejunium valetudinis pharmacum. 731

Iejunium reprimit carnis nequitias. 214

Iejunium vincit diabolum. 215

Iejunium ab omnibus sanctis verbis & factis commendatissimum. 216

Iejunium non ut res nova commendatur. ibid.

Iejunium valetudinis præsidium. 219

Non est nobilius remedium obtinendæ sanitati iejunio. 220

Quibus morbis medeatur jejunium. 221

Vita aliquorum rigido jejunio producta. 226

Iejunium est somni condimentum. 229

Iejunio & abstinentiâ augentur divitiæ. 231

Orationi semper jejunium additum in priscâ lege. 233

Iejunium noxas delet. 234

Plus pœnarum unico jejunio tollitur, quàm pluribus inferno temporali. 235

Iejunium præstantius oratione & eleemosinâ medicamentum. ibid.

Iejunium est convenientissimum statui pœnitentiæ. 236

Iejunium est juris ac præcepti naturalis. 235

Omnes sancti jejunium coluêre. 238

Qui jejunat, jejunij molestiam tolerare debet. 239

Iejunium moderatum reddit hominem aptum ad omnes functiones. 242

Iejunio virtutes promoventur. 245

Quare sit jejunandum. 246

Index Rerum.

Iejunium est nobile aroma corporis & animæ. 247
Præstat hîc modicùm jejunare, quàm æternùm esurire. 248
A jejunio quinam eximantur. ibid.
Quo fine, quáve intentione jejunandum. 249
Iejunatur diversimodè & abstinetur à fol. 249. usque 250.
Quomodo jejunandum. à fol. 251. usque 252
Iejunij dispensatio non sine gravi causâ petendâ. 251
Qualis & quomodo collatio vespertina sit sumenda in die jejunij. à fol. 252. usque 255
Abusus refectiunculæ vespertinæ. 254
Iejunio valetudo conservatur, vita prolongatur, caro edomatur, cacodæmon vincitur, sensus interni ac externi serenantur, noxæ delentur, peccatorum pœnæ imminuuntur, beneficia à Deo impetrantur, & gratiæ denique magna fit accessio. à fol. 255. usque 256
Iejunium nostrum quomodo differat à priscorum jejunio. à fol. 257. usque 259.
Differentia jejuniorum, & quod sit jejunium leoninum, mammonicum, hypocritum, valetudinarium, rationabile, civile, coactum, antiquum, Ethnicum, melancholicum, superstitiosum, mortuum, à fol. 259. usque 263

Vide plura alia sparsim in libello de Jejunio.

Jejunij Quadragesimalis observatio, vide verbo: *Quadragesima.*

Jesvs venerabile Nomen.

Hoc nomen summè venerandum. 632
Hoc nomine dæmones ab hominibus expelluntur. 633
Est scutum in adversis. ibid.
Cur Christus dicatur & nominetur Jesvs. 375
Quidquid in oculos incurrit de puero Jesv *ad meliorem vitam erudit.* 293
Jesvs *est gratiarum actio in prosperitate reverentialiter pronuntiatum.* 633
Jesvs *nascens, moriens, resurgens, assiduè cogitandus.* 452
Jesvs *Christus crucifixus fuit iris multicolor.* 361

S. Ignatius Societatis Jesv fundator.

Mater S. Ignatium jamjam paritura in stabulum se deferri jussit, & quare. 280
Quantùm suorum subditorum æstimârit valetudinem. 641
Acerrimè semper jussit suos virtutem colere. 553
E rebus creatis etiam minimis occasionem laudandi Deum sumpsit. 562
S. Ignatij pugna & conflictus cum diabolo. 734

Ignis.

Ignis inter elementa maximè eminet. 4
Octo miranda in igne Babylonico 563
In quem injecti fuerunt Danielis socij. 563
Plurimi divorũ in ignem injecti permansêre & evasêre intacti. 565

Ignominia.

Ab omni ignominiâ abhorrent omnes. 12
Ignominia patienter tolerata utilissima. 13

Immunditia.

Ea fuit varia in priscâ lege. 815

Impatientia, Impatiens.

Quale sit vitium, & unde nascatur impatientia. 45
Impatientia malum etiam in se levissimum augetur. 46
Impatientia quorundam latè describitur. 22
Impatiens libertatem indulget felli. 44
Impatientiæ omnis origo & principium. 23
Imperium, *Saturni in declinando imperio sententia.* 778
Impii soli pavere cur debeant. 355

Incestus.

Est hoc vitium summè abominandum. 571
Ab incestu etiam ipsæ abhorruêre bellua. ibid.
Industria vincit omnia & superat. 471

Infans.

Infantes varij ante ætatem debitam loquelâ donati. 319
In solâ urbe Mexico infantes ad 20. millia jugulabantur diabolo. 321
In infantis specie Christus sæpe apparuit. 327
Infelicitas. *Infelicitatis via nulla securior.* 519

Infernus.

Verbum illud Infernus *diversa significat.* 675

Ingratitudo.

Ingratitudinis vitium satis in orbe frequens. 660
Ingratitudo exsicat fontem liberalitatis Dei, ibid.
Ingratorum communes loquelæ. 293
Ingratitudinis detestatio. 418
Ingratitudo omnia interemit beneficia. 494
Ingrati animi quasi ebrietas & oblivio. 511
Animi ingrati specimen fuit pincerna Iosephi Ægyptiaci concaptivus. 512
Ingrati animi paradigma. ibid.

Inimicus.

Inimicis debemus veniam dare. 400
Inimicis veniam dare prodest animo, corpori, famæ & fortunæ. 401
Inimicis venia danda non ficto aut simulato animo, sed ex toto corde. ibid.
Inimici sunt considerandi, ut justitiæ divinæ instrumenta. 850
Inimico veniam dandam quinam Auctores id latè describant. 756

Injuria.

Injuria patienter toleranda. 41
Injuriarum tolerantiam quomodo recompenset Deus. 652
Quidquid injuriarum patimur à Deo est. 633
Optima methodus tolerandi injurias. 609
Injuriæ non solent vindicari ubi lex divina colitur. 536
Injurias patienter & constanter digerere est Christianæ nobilitatis 509

Innocentia.

Innocentia sui cuique optima defensio. 506
Innocentia hoc ævo premitur & opprimitur. 532
Insulæ fortunatæ quæ. 761

Invidia.

Invidia facilè contrahitur. 805
Invidus invidet alienis prosperis successibus. ibid.
Invidiam posse patienter pati ars primaria est Aulæ & monasteriorum. ibid.
Invidia est malum quasi insanabile. 497
Invidus tot habet sui tortores, quot ù, cui invidet, habet laudatores. 497
Invidia Alexandri Maced. in ceteros homines. ibidem.
Invidiam adinvenit diabolus. ibid.
Invidus eum, cui invidet, clariorem facit. 498
Invidia in altum evehit innocentem. ibid.
Invidia luculentum testimonium virtutis. ibid.
Multiplex invidia fuit Catoni summa gloria. ibidem.
Invidus animi sui serra, & ulcus est, & carnifex. ibid.
Invidia est vitium subtilissimum. 581
Invidia est omni bestiâ ferocior. ibid.
Inventum est dæmonis. 582
Invidia invido damnosum, pugnat in Dei leges, refert basiliscũ. ibid.
Invideri est virtutis, invidere est sceleris, ibid.
Invidia noxarum plurimarum mater. 854
Nihil homini pejus potest accidere. ibid.

Joab.

Redarguit Davidem lugentem Absolonem. 853
S. Joannes Baptista, *quam sumpserit occasionem suos mittendi ad Christum.* 637
S. Joannes Euangelista, *cur Aquilæ comparetur.* 280

S. Job.

Iob fuit imago Christi patientis. 421
Iobi amici quosnam repræsentent. 452
Iobi laus, quia inter malos fuit bonus. 463
Iob in adversis omnibus semper ad primam causam aspexit. 609
Iobi ingens constantia. 584

Jonas.

Ionæ magna contra Dei mandatum tergiversatio. 470
Ionas in mari missus fuit Christi figura. 272. & 273

Jonathas.

Amicitia Ionathæ cum Davide. 806
Ionathæ & Saulis dissimile ingenium. 806
Cur Ionathas vestes suas dedit Davidi. 807

S. Joseph,

Index Rerum.

S. Joseph, D. V. Sponsus.

S. Iosepho ter sese Angeli spectandos exhibuerunt. 283
Actiones ejus variæ circa Christum natum. ibid.
Iosephi gaudium viso Christo nato. 284

S. Joseph Patriarcha Ægyptius.

Iosephi fratres quomodo veri fures dicendi. 34. & 35
Iosephi historia jucundissima lectu. 495
Historia Iosephi omni hominum statui aptissima, utilissima, & compendiosissima, moribus plenissima, & sanctis affectibus efficacissima ad persuadendum. 496
Ioseph inter fratres opilio odio habitus. ibid.
Missio Iosephi ad fratres. ibid.
Fratres Iosephi de ejus internecione deliberant; restitit Ruben & venditur. 499
Dei erga Ioseph cura. 501
Ioseph denuo venditur. ibid.
Iosephi castitas ab herâ impetita ibid.
Iosephi periculosissima tentamenta ab herâ. 502
Artes quibus heram tentantem vicit. 503
Ioseph primus Phœnix in Ægypto defensæ castitatis. ibid.
Ioseph apud Dominum suum ab herâ accusatur. 504
Ioseph somnia interpretatur. 509
Cur fuerit in carcere derelictus. 510
Iosephi invicta castimonia. 511
Deo & Hero suo fuit gratissimus. 513
Consilio Ioseph nemo unquam contradixit. 515
Ioseph præficitur toti Ægypto. 517
Quæ fuerit Iosephi conjux. ibid.
Qui fuerint duo Iosephi filij. ibid.
Quæ fuerint causæ honoris exhibiti Iosepho. 517
Cur vocaverit fratres suos exploratores. 521
Mitissima Iosephi in fratres austeritas. 522
Iosephi lachrymæ, affectus. 534
Quomodo errores fratrum texerit. 535
Pænè gratias egit fratribus ob venditionem. ibid.
Quare voluit ut fratres sese dicerent pastores. ibid.
Ioseph habuit cor leoninum & pedes cervorum. 729

Ira.

Ira Dei nullâ vi arcetur. 480
Ira est causa multarum distractionum 76
Ira obest digestioni cibi. 655
Ira frequens abbreviat vitam. 671
Optimum est primum iræ irritamentum spernere. 749
Iræ & iratis cedendum. 808
Iracundus fugiendus. ibid.

Iris.

Tres iridis colores explicantur. 361
Iris latè describitur. 336
Iridis figura Christo collata crucifixo. 337
Isaac filium attactu explorat. 4
Iudas proditor, Vide in Indice Catechistico, Christus à Iudâ proditus.

Iudæi.

Iudæi sumpto agno cantabant Psalmos. 331
Iudæi erant homines timidi. 635
Iudæorum Pontifices quàm fuerint timidi tempore Christi. ibid.

Iudex extremus.

Iudicem extremum qui non vult formidare debet crucifixum amplecti. 546
Oliva & gladius sunt supremi Iudicis insignia. 719

Iudicium.

Iudicij humani ac divini differentia. 796
Iudicia Dei sunt æquissima, pœnam differt sed non aufert. 851
Iugurthæ, misera captivitas. 294
Iuliani Apostatæ, mors instans è cælo conspicitur. 579
Ius duplex est, condignum sive strictum, & mitigatum. 5

Iusti.

Iusti in vitâ pugnant, in morte triumphant. 545
Iusti semper moriuntur in vere. ibid.

Iustitia divina.

Iustitiæ divinæ rigiditas in Christo moriente. 412. & 416
Iustitia & pax sunt duæ sorores. 297
Iustitia divina sic omnia ordinat ut exorto veneno simul & oriatur ejusdem expulsivum Pharmacum. 577

Iustus Lipsius.

Iustus Lipsius, quomodo deperierit ejus Bibliotheca ante omnia illi charissima. 5
Molestissimum susceptum aliquando iter latè descripsit. 541
Catalogus librorum à Iusto Lipsio descriptorum. 742
Laus librorum politicorum ejus. ibid.

L.

Labor.

Laborem qui horret coronam spernit. 800
Lac virgineum præstantissimum. 283

Lachrymæ.

Quæ sit larga lachrymandi materia. 354
Lachrymæ peccata abluunt. 368
Sine Lachrymis nunquam oravit Christus, ut multi opinantur. 368.
Lachrymæ sunt sanguinis gutta è corde. ibid.
Lachrymæ otij & libidinis aliquando detestationem docuerunt. 369
Lachrymatus est Christus ter publicè. 368
Lachrymare cur Christus prohibuerit mulieres eum sequentes ad montem Golgothæ. 368
Post scelera raræ sunt lachrymæ in hominibus. 369
Lachrymarum Christi encomia. 287
Quinam auctores de lachrymis scribant, & variæ plorantium historiæ. 755. & 756
Lætitia sceleris, signum damnationis. 499
Larix, arboris genus incorruptibile. 25

Latro bonus.

Latro bonus delicta sua palam fassus est. 405
Magnæ ejus fidei præclara argumenta. 399
Factus est in cruce Euangelista. ibid.
Solus latro Christum defendit.
Vide plura in Indice Catechistico, v. Iesu Christi cum latrone bono colloquium.

Lectio legere.

Lectorem è libris excerpendi recta methodus. 768
Vide liber.

Leo.

Leonibus objici supplicium Medis commune. 585
Leo, filius Basilij Imp. quomodo captus, declaratus innocens. 295
Leprosi, Euangelici perfecta oratio. 585

Lex.

Qui in legibus facit exceptionem, dat ansam temerandi. 548
Leges divinæ non facilè admittunt communes quasdam excusationes. 549
Lacedæmonij legem tulerunt vindictæ. 398
Legem oblivionis tulerunt Thrasibiles. ibid.
Lex cur olim tradita est inter tonitrua & fulmina. 33
Lex Sueviæ contra duellatores. 323

Liber.

Qui libri legendi jurisprudentiæ quiq; optimi prætyronibus. 767
Libri quidam & Auctores medici commendati. ibid.
Librorum dispositio ad excerpendum. ibid.
Fructus è libris excerptorum. 748. & 747
E libris excerpenda esse lecta, docear exemplo apis & formicæ. 799
Ad lecta è libris rectè excerpenda modi septem. 754
E libris excerpenda lecta docent viri docti. 750
Liber Tobiæ est canonicus & utilissimus. 601
Liber Dei quis sit, & qualis. 405

Libertas spiritus.

Vera libertas spiritus quæ. 558
Libertate verâ spiritus adimplenda cuncta Dei mandata. 558

Libido.

Libido est vitiorum omnium compendium. 624
Cur Deus non statim tradat libidinosos potestati dæmonum. ibid.
Libido est inimicissima sanitati. ibid.
Libido quomodo refrænanda. 594

Libidi-

Libidine non uri & comburi est nota electorum Dei. ibid.
Libido ad nocendum est proclivior. 77
Libido vincit cætera vitia amplitudine, diuturnitate, fœcunditate, 450
Libido curatu est difficillima. ibid.
Libido rapit ad interitum. 463
Quæ sint remedia adversus libidinem. 459
Libido vitium turpissimum Dei est odium, diaboli gaudium. 502
Deus horret hominem libidini ancillantem. 502
Est inemendabilis morbus. ibid.
Libido est idololatriæ supplicium. ibid.
Libido non est amor sed odium. 504
Libido inimicitiarum semen, & est instabilis. 845

Lingua.

Lingua flagellum omnibus commune. 18
Varia linguarum flagella describuntur. ibid.
Solatia varia pro iis qui linguæ flagello excipiuntur. ibid.
Linguæ flagellum patienter ferendum. 19

Lorica.

Lorica quædam nullo telo penetrabilis, & quæ ea sit. 636

Lotio.

Lotio manuum & pedum priscis usitatissima. 329
Lotio pedum observata ab Apostolis. ibid.
Lavit Christi pedes Maria Magdalena. 330

Plura vide *in Indice Catechistico*, in Christi vitâ.

Luctus.

Luctus & gaudium semper sese mutuo comitantur. 804
Etiam in luctu gaudendum, quare & quomodo. 619

Lupus.

Lupum qui videt prior obmutescit. 56

Lymbus.

In quo statu fuerint Patres in lymbo. 276
In lymbo Angelus nuntium tulit Christum natum. 277

M.

Macedonicum Imperium.

Macedonici Imperij descriptio. 592

Tres Magi Sancti.

Tria in his tribus Magis admiranda, & quæ. 302
Magi hi non fuerunt malefici, sed Astronomi. 304
Magna fuit horum Magorum majestas. ibid.
Magi hi an fuerint Reges. ibid.
Vide plura *in Indice Catechistico*, Jesv Christi adoratio à Magis.

Malum, Mali.

Quod sit malum culpæ quódve pœnæ. 41
Cur malorum operâ utatur Deus. 42
Mali homines etiam demerendi obsequiis. 43
Quomodo ij serviant bonis. 25

Manus.

Cur Deus jusserit manum Mosi in signum mittere. 34
Quæ fuerit illa manus quæ scripsit in pariete Balthasare Rege epulante. 576
Manus istius scripturam nemo convivantium legere potuit. ibid.
An idem sit incidere in manus Dei, & in manus hominum. 856

De S. Maria Virg. Mat. varia.

Imago D. V. sanguinem sudavit Sichemij in Belgio. 335
Cur D. V. dicatur Mater misericordiæ. 28
Uterum D. V. ferens pedestris fuit itinerans. 278
Uterum D. V. gestavit sine molestiâ. ibid.
Obedientiæ & modestiæ fuit summa cultrix. ibid.
Fuit constantiâ prædita inenarrabili. 391. 392. & 393
Amor & cultus V. M. suadetur. 409
D. V. obtinet primas partes inter venerandos cœlites. 409
Lascivis B. M. non succurrit. 410
Sine sordibus, sine virginitatis detrimento, suoq; solatio natus fuit illi filius Christus. 281. & 282
Partus Virgineus D. V. fuit restauratio hominum & Angelorum. 283
Est rubus D. V. qui non comburitur. 286
S. Mariæ stantis juxta crucem insignis descriptio, à fol. 391. *usq;* 393
Cur D. V. fuerit in monte Calvariæ, & non in Thabor. 408
D. V. similis fuit Granadillæ flori. 387
Qualibus & quot gladiis fuerit confixa, à fol. 389. *usque* 391
Fides & Virginis amor non sunt extincta in morte filij. 388
Tendit ad supplicium cum filio ignem ferens & gladium. 389
In plenilunio tormentorum mare virgineum doloribus fuit adimpletum, nec tamen impatientia redundavit. 390
B. V. vulnera filij sui jugiter contuebatur. 391
Moriente & patiente filio non murmuravit, nec quæsivit vindictam. ibid.
Gladio Simeonis lentè confixa est. ibid.
Iuxta crucem remansit constans. 391
S. M. Dominicæ Passionis speculum. ibid.
Cur Christus voluerit eam interesse in monte Calvariæ tam luctuoso spectaculo. 409
Consistens ad lignum Crucis fructum vitæ nobis porrexit. ibid.
S. M. fuit legata Ioanni à filio & ratio ejusdem. 408
S. M. obtulit filium suum Deo Patri. 412
Mirantur quidam S. M. non obiisse moriente filio. 427
B. M. primò omnium Christum vidit redivivum. 438
B. M. ultima desiit videre Christum ascendentem. 449
Martini Antonij del Rio Societ. Iesv vitæ ordo, *studium, doctrina, pietas & mors.* 743

Martyr.

Quidam dicunt plures occisos Martyres in lege novâ, quàm in veteri pecudes. 610

Matrimonium.

Contraxerunt Hebræi coëmptione. 609
Matrimonij pacifici turbati historia rara. 774

Medicina.

Medicinæ cur aliquando sumantur sine effectu, rationes variæ. 630
Medicinæ studiosi quædam scienda & observanda. 765
Medicè vivere quid sit. 227

Meditatio.

Meditatio quid sit. 118
De meditatione sæpe mentionem facit David. ibid.
Duo sunt meditandi genera. ibid.
Meditari possunt omnes etiam illiterati. ibid.
Meditationum laus ex historiâ Societ. Iesv. 119
Meditatio hominem inter astra collocat. ibid.
Meditatio apud PP. Societatis vitæ proba, & futuræ sanctitatis. ibid.
Meditatio utilis & necessaria. 120
Meditanda quæ. 121
Meditationis paradigma. 122
In meditatione quæ observanda. 123

Memoria.

Quænam olim dicta fuerit memoria matutina & vespertina. 606
Dei memoria est fundamentum omnis sanctimoniæ. 605
Dei memoriæ varij effectus. ibid.
Memoria Nativitatis Christi Deo grata. 309
Custodes memoriæ sunt excerptæ. 739
Memoriam S. Augustinus tentum, Plato stomachum appellabant. 740
Catalogus priscorum & recentiorum qui fuerint admirandæ memoriæ. ibid.
Memoria stabilienda. 767
Duo memoriæ præsidia. 786

Mensa.

Mensa sobria, mensa sana. 227

Michol.

Micholis erga conjugem Davidem fidelitas. 811
Ejus artificium ut turbò David ministrorum evaderet manus. ibid.
Morbum cur mariti servis Patris sui allegavit. ibid.

Miles.

Salus militum in vitâ ducis. 904

Miseria.

Qui in miseriis non vult deficere à Deo duo consideret. 855
Qui experti miserias sunt, nôrunt miseros rectiùs solari. 27
Miserias non posse ferre maxima est miseria. 854

Misericordia.

Misericordia debet esse actuosa. 142

Index Rerum.

Missa.

Missa sacrificium est Christi patientiæ memoria. 384
Moguntinus Elector, *cur rotam in insignibus protendat.* 538

Molestiæ.

Molestias aliter probi, aliter improbi tolerant. 13
Molestiæ statûs sunt ad instar laqueorum. 15

Monita.

Quibus monitis mundus debuisset resipiscere. 464

Morbus.

Morbi multorum bonorum causa. 9
Morbus magnum munus Dei. ibid.
In morbis non oportet magos consulere. 22
In morbis pollicemur, sani non solvimus. 556
Morbi ab intemperie cibi originem omnes ducunt. 220

Mores.

Morum perfectio duo habet brachia. 46

Mors.

Non est in orbe prædo similis morti. 444
Ab initio mundi fur fuit. 445
Damnatus quidam ad mortem noctis unius spatio incanuit. 335
Mors ubique locorum expectanda. 482
Quàm læto animo plurimi ad mortem properârint. 626
Mortis exhibentur nobis exempla quotidiana & tamen nos aliquando morituros obliviscimur. 629
Mors justorum æterni Paschatis initium. 545
Mors bona omnibus aliis bonis præferenda. ibid.
Mors est miseriarum optandus finis. 580
Mortis septem causæ. 266

Mortificatio.

Mortificatio & oratio jungi debent. 30
Mortificatio necessaria est ad animæ salutem. 309
Mortificationis effectus varij. 30. & 31

Mortui.

Nullus mortuorum ante Christum in vitam rediit. 384
Mortuus in peccatis verè lugendus. 853

Moses.

Moses in flumine expositus fuit figura Christi. 271
A colloquio Dei digrediens faciem velo texit. 272

Mulier.

Mulieres Illyricanæ sunt facillimi partus. 326
Plures etiam aliæ tales in orbe sunt mulieres ibid.
Mulier quædam sanguineas lachrymas profudit in morte viri. 335
Mulieres plurimæ sequebantur Christum ad montem Calvariæ. 354
Mulier Balthasar Regem temulentum instituit de accersendo Daniele. 577
Mulier quæ Christum laudanda, & quibus titulis. 799
Mulier Tyrophenissa dum se catello similem agnoscit, impetrat. 89

Multitudo.

Multitudo populi fugienda, & quare. 491

Mundus, Mundani.

Mundus ante adventum Christi vilis erat urbecula. 322
In mundo omnia sunt permixta. 273
Quâ mundo ætate Christus natus sit. 277
In mundo omnia sunt oblita felle. 658
Mundanorum crux à mundo est vel diabolo. 619
Mundus est terminus à quo, cælestis Patria terminus ad quem. 545
Lex mundi quæ. 491
Mundi cœnum fugiendum. ibid.
Mundus est pessimus ad virtutem dux. ibid.
Mundi ratiocinatio & voces. 603
Mundi triplex defectus, commiserationis, orationis, & castigationis. 239
Mundi amaritiem delibasse prodest. 4

Munus, Munera.

Munera non sunt accipienda, quia libertatem auferunt. 559
Munerum suavis, sed sæpe fallax eloquentia. 528
Munus Deo oblatum perire non potest. 815

Muscæ.

Muscas quomodo quidam habens convivas murmuraverit. 91
Muscis assimilantur cogitationes inquietæ. ibid.
Muscas abstulit Deus à terrâ Gessen. 98

Musica, Musici.

Getæ credunt musicam optatæ pacis esse conciliatricem. 300
Ictus à Phalangio serpente musica sanatur. ibid.
Musica affectus animi inordinatos componit, probatur historiis. ibid.
Musica dæmones & morbos fugat. 768
Flavianus *Præsul musicæ Theodosium Imperatorem expugnavit.* 301
Cur duo, & quæ Musices instrumenta laudat S. Scriptura. 54
Musici qui levia cantant in Ecclesia perstringuntur. 78

Mutus.

Mutus quis verè dicatur. 669

Mydas.

Mydas fuit auri cupidissimus, & Mydæ fabula. 108

N.

Naaman.

Naaman suasione famulorum lavat se & sanatur. 35

Nabuchodonosor.

Nabuchodonosor jubet adorari statuam auream. 557
Nabuchodonosori noluerunt obedire tres Hebræi pueri. ibid.
Nabuchodonosor in feram mutatus est. 571
Nabuchodonosoris gravis lapsus. 572
Vide plura sparsim *in libello, Daniel.*

Nathan.

Nathan mittitur ad David regem. 843
Nathan recenset beneficia Dei, David exhibita. ibid.
Nathan parabolâ usus est ut Davidis peccatum suum indicaret. ibid.
Nathan Adoniam accusat apud Regem. 858

Nativitas, Nascens, Natus Christus.

Nascentis Christi figuræ. 272
Nascentis Christi aliæ imagines. 273
Nativitas Christi cur delata. 277
Nativitas Christi cur non fuerit delata usque ad finem mundi. ibid.

Natura.

Natura rerum nusquam magis quàm in minimis tota est. 781
Naturæ beneficium erga res creatas. 807

Navigium.

Navigij ab Hierone *Rege Siciliæ structi magnitudo.* 469

Necessitas.

Necessitas vertenda in rationem. 655
Quomodo ea vertenda sit in rationem docetur exemplis. ibid.
Varia necessitas pauperum. 193

Negotium.

Multa negotia sunt causa distractionum. 75
Dæmon quos otio non potest, negotiis à Deo avertit. ibid.

Nequitia. *Nequitia hominum divinæ justitiæ est instrumentũ.* 521

Nero.

Nero Christianos insuit pellibus bestiarum. 73
Ninive urbs trium dierum iter complexa est. 235

Nobilitas.

Nobilitas triplex est, & quæ sit. 301. & 602
Nobilitas quæ vera sit. ibid.

Noë.

Noë spe & patientiâ pertulit omnia. 472
Noë cui demandata cura pascendi animalia in Arcâ. 476
Noë in Arcâ opificium. 483
Noë erat pecuarius. 483
Noë in Arcâ solabatur voluntas Dei. ibid.
Diuturna in Arca detentio fuit ei jucunda. 484
Noë solus evasit diluvium cùm suis. ibid.
Noë obedientia in egressu Arcæ. 443
Noë cur etiam injussus holocaustum obtulit. 494
Noë fuit opulentus gratiâ divinâ. 461
Noë Genealogiam unde incipiat Moses. ibid.
Vnde tam justus fuit Noë, cùm ubique tot essent nequitiæ. 462
Noë encomium. ibid.
Noë Arcam ædificans ab omnibus fuit irrisus. 463
Divinis semper paruit imperiis, studuit placare Deum, fuit summè castus. 465
Noë Deus honoravit variis modis. ibid.

Noë fuit orbis concionator. 464
Noë Dei iram per orbem promulgavit. 465
Noë Prometheus ab irrisoribus appellatus, & aliis sibilis notatus. ibidem.
Noë quo anno inceperit arcæ fabricam. 466
Noë obedientia in exequendis Dei mandatis. ibid.
Plura leges sparsim *libello de Diluvio.*

Nolo.

Vnicum illud Nolo *Luciferum talo dejecit.* 670
Serium & cordatum Nolo *parit adversus diabolum victoriam.* 723

O.

Obedientia.

Obedientia rara Christi nati. 289

Oblivio.

Oblivione mundus cœpit ab initio peccare. 513
Obmurmuratio, *dum patimur non est obmurmurandum.* 24

Obscœna.

Obscœna omnia & spurca sedulò fugienda. 484

Obtrectator.

Obtrectatoris verba sint surdâ aure excipienda. 19
Nemo dolere debet ob detrectatoris verba. ibid.

Occasio.

Occasio est actionum anima & rerum gerendarum mater. 522
Occasio est observanda. 637
Merendi occasio observanda. ibid.
Occasionis indoles. 638
Occasio elapsa nunquam redit. ibid.
Occasio est periculosa tentatio. 693. & 694

Oculi.

Oculi sunt claudendi dum oramus, & cur. 77
Oculi sunt duo cordis ostiola. ibid.
Oculorum licentia primum interitus orbis principium. 455
Collyrium quod adhibendum oculis ut sani serventur. 456
Oculi sunt fletus instrumenta. ibid.
Oculi primum moriuntur, vltimi perficiuntur. ibid.
Oculus scandalizans abs se projiciendus. 456
Alipius victus ab oculis. ibid.

Odium.

Odij fraterni triplex fomentum. 496

Olea.

De olea & cucurbita Apologus. 553

Opera.

Opera nostra omnia facienda sunt ad normam. 470
Opus bonum pravus affectus corrumpit. 861
Cujus operâ fabricatus sit vitulus aureus. 113

Opinio.

Magis opinione sæpius laboramus quàm re. 17

Oppressio pauperum.

Oppressio pauperum est causa famis. 859

Oratio.

Oramus dum tribulamur. 30
Orationi locus est omni tempore. 68
Oratio superat eleemosynam & jejunium. ibid.
Oratio est omnium actionum humanarum auxilium. 69
Nemo auderet dicere se perfectè scire orare. ibid.
Oratio est lucrosissima & utilissima. 69. & 70
Oratio fuit ante ævum. ibid.
Oratio est potentior Deo. ibid.
Oratio attenta quid exigat. 71
In oratione evitanda evagatio. ibid.
Orantium diversitas. 72
Orationis puritatem quæ juvent. 75
Orantibus tria observanda. 78
Orationi necessaria est præparatio. 79
Orare maximè serius est labor. ibid.
Qui rectè cupit orare nulli rei creatæ debet adhærere. 80
Oraturo necessaria est peccati contritio. 81
Oraturus faciat propositum firmum. ibid.
Ante orationem divinum auxilium implorandum. 82
Oraturo notanda quædam. 84
Aridtas mentis in oratione non semper est mala. ibid.
Orationis prototypon à Christo nobis relictum. 334
Nihil agendum nisi oratione præviâ. ibid.
Oratio Caroli Borromæi pro obtinendâ triplici gratiâ. 381
Orationem dominicam quàm malè quidam recitent. 21
Oratio sine mortificatione est rosa sine spinis. 30
Ad orationem exhortatio. ibid.
Oratio est contra tentationes dæmonum subsidium. 720
Oratio debet esse omnium rerum Epilogus. 638
Orandum præsertim manè & vesperi. 640
Oratio bona est cum jejunio & eleëmosynâ. à fol. 661. usque 664
Oratio quid sit. 72
Dum oramus etiam actiones nostræ debent esse congruæ orationi. 77
Orantes mente vagâ irridet diabolus. 80
Pro orationis ariditate notanda quædam. 84
Orationis devotio in quo consistat. ibid.
Quot sint orationis partes, & quot sit orationis exordium. 88
Orare est maxima hominis dignitas. 99
Orandum cum periculum est peccandi. 113
Oratio Dominica omnium orationum excellentissima. 132
Vide plura sparsim *in Rhetoricâ cælesti.*
Ostendamus, *civitatis contumax obsidio.* 700

Otium.

Otium est fœdissima pestis nullo loco recipienda. 726
Otiari nunquam est triplex murus adversus tentationes. 728
Otiosum mille diaboli ad mala stimulant, laboriosum unicus. 729
Otium est origo distractionum. 74
Otio cognata sunt duo vitia, quæq; ea sint. ibid.
Favet otio ordo negligens. ibid.
Otiositas omnis fugienda. 367

P.

Pallium.

Pallium cujus rei sit symbolum in scholâ patientiæ. 2

Paradisus.

Paradisus est à Deo plantatus, ut Protoplastæ eo exclusi plus torquerentur. 37
Quatuor mystica Paradisi flumina. 367

Parentes.

Parentes morientes semper cultum Dei filiis suis commendent. 860
Parentes caveant, ne cum liberis nimium conviveant. ibid.
Parentes quomodo educare debeant filios suos, docetur exemplo. 859
Parentum stemma, nec domus, nec pietas sanctificat. 853

Pascha.

Quàm latum Pascha nobis dederit Salvator. 439
Quomodo Pascha sit celebrandum. ibid.
Quod sit primarium Christianorum Pascha. ibid.

Pastor.

Pastores primò ad Christum fuêre vocati. 286
Pastores ad Christi cunas vocati considerandi variè. 285
Pastoris nomen convenit Episcopis, præpositis & Regibus. 539
Pastoris officium est pingue, sed difficile & periculosum. ibid.
Mortales omnes quomodo dicantur veri Pastores. ibid.

Pater.

Patris verbera meliora quàm oscula hostis. 55
Aliter filios Pater, aliter mater tractat & educat. 24
Deus nos alit ut Pater. ibid.

Pati.

Omnia quæ patimur & agimus, brevia sunt. 416
Patiendorum schema decemplex. 1
Patiendum omnino est omnibus. 2
Patiens fortissimus est. 44
Dum quis patitur seipsum accusat. 51
Pro Christo pati summus est honor. 519
Patiendum hilariter. 47
Optimum est pati quod evitare non possumus. 56
Patiendum est cum gratiarum actione. 52
A patiendo norunt sese omnes excusare. 23

Dum patimur sæpe murmuramus. 23

Pati.

Patiuntur plura boni quàm mali, & adduntur rationes. 6.7.8
Patiendo addiscimus quid possimus. 8
Patimur subinde magna & ad minima iracscimur. 14

Patientia.

Patientiæ definitio. 45
Patientiæ vestis & habitus. ibid.
Patientiæ septem elogia. 46
Patientia in omnibus rebus & loco exercenda. ibid.
Patientia centuplicat fœnus. ibid.
Patientiæ laus. 47
Patientiâ tendimus in paradisum. ibid.
Patientiæ discipuli & inter eos discrimen. 60
Quis sit verus discipulus patientiæ. 64
Dentes diaboli patientiâ effringendi. 26

Pauper.

Pauperes sunt diversi generis plurimi. 11
Pauperem qui non exaudit, illum non exaudiet Deus. 93
Pauperes sunt necessarij divitibus. 149
Pauperi quod datur non est donum, sed debitum & mutuum. 153
Pauperes sunt creditores nostri. 155
Pauperes erant Ducis Amadæi canes venatici. 173
Pauperibus convivium & in conviviis adhibendi. ibid.
Pauperes magis necessarij sunt divitibus, quàm divites pauperibus. 189
Pauperes omnibus modis juvandi sunt. 198
Quod pauperi datur, Christo datur. 168
Pauperes sunt divitum liberales Patroni. 208
Bene illi erit qui curam pauperum gerit. 345
Ob pauperes oppressos vastatur Germania. 622

Paupertas.

Paupertas nos cogit ad Deum ire. 11
Paupertas nos à vitiis arcet. ibid.
Quomodo paupertas tanquam res mala impugnetur. 12
Paupertas quæ magna sit ægritudo. 11
Paupertas est in se bona. ibid.
Variæ causæ paupertatis & varij pauperes. ibid.
Paupertatis laus. 12
Paupertas est prima virtus in Christi nativitate conspicienda. 288

Pax.

Pacis tranquillitas colenda. 491
Pacis amatores sunt convivæ cælestes. 492
Pacem Ioseph fratribus imperavit. 536

Peccator.

Quare peccatores de vitio in vitium tendant. 557
Peccator qui gravius nunquam deliquit id semper caveat. ibid.
Peccatores Deus punit, sed moderatissimè. 566
Peccator omni bono animam spoliat. 668
Peccator commisso uno peccato facilè graditur ad plura. 668
Peccator quibus ligetur catenis. 659
Peccatores habent asylum diaboli. 620

Peccatum.

Duo, & quæ ea sint in peccato spectanda. 41
Peccata sunt ad instar nubis impedientis pluviam gratiæ. 94
Peccatum cur efficiatur supplicio æterno. 112
Peccati fœditas piâ explicatione traditur & meditatione. 124
Peccatum est omnium miseriarum causa. 525
Peccatum est infinita in Deum injuria. ibid.
Peccatum est infiniti boni privatio. 526
Mori minus est quàm reum esse peccati. ibid.
Peccatum omne abolet promeritum. ibid.
Peccato mortali obstrictus non facilè potest resurgere. ibid.
Peccatum eripit beatitudinem, estq; fons omnium calamitatum. ibidem.
Omnia mala ad peccatum collata nulla sunt. 526
Majus malum est malum culpæ quam pœnæ. ibid.
Peccatum orbem turbavit. 459
Peccatum turbasse res omnes creatas probatur per sex opera dierum. ibid.
A peccato proveniunt omnes miseriæ. 460
Peccanti omnia sunt spinæ. 479
Peccatum quantum sit malum diluvio monstratur. 482
In omni peccato duo sunt considerandæ. 488
Idem peccatum grave & leve dici potest. ibid.
Peccatum libidinis hominem excæcat. ibid.
Peccatum ex hominibus bestias facit. 489
Peccatum semper expellendum. ibid.
Peccatum unicum hominem reddit miseriorem quàm omnes humanæ miseriæ. ibid.
Quantùm abhorruerit à peccato David. 36
Peccati stipendium mors. 669
Peccatum quovis malo majus. ibid.
Dei odium in peccatum. ibid.
In quovis peccato tria sunt. 134
Peccatum omnimodè cavendum, & quare. 625
Unum peccatum est alterius causa & pœna. 500
Peccati occasiones fugiendæ. 340

Pecunia.

Amore pecuniæ omne scelus patratur. 703
Pecuniæ cupiditas est fœda servitus. 704
Est vehemens & vulgata tentatio pecuniæ. ibid.
Qui nimiùm amat pecuniam est similis aspidi obturanti aures. 92
Pecunia quomodo in cœlo reponatur. 148

Peregrinus.

Peregrini sunt omnes homines in hoc mundo. 541
Septem miseriæ, quibus peregrini sunt expositi. ibid.
Peregrinum solatur conscientia bona. 543
Leges dantur peregrino. ibid.
Peregrinis omnibus necessaria patientia. 643

Persæ.

Cives Persici à rege suo flagellati gratias agebant. 54

Perseverantia.

Perseverantia ubique & in agendo & patiendo est necessaria. 425
Absque perseverantia nulla est victoria. 425
Varia exempla rara perseverantiæ. ibid.
Pperseverantia sola coronatur. 50
Duo ad perseverantiam documenta. 50. & 51

Persicum Imperium.

Persici Imperij descriptio. 591

Pes.

Mos lavandi pedes ante accubitum antiquorum. 329

Petere, Petitio.

Differentia inter petitionem, orationem, & obsecrationem, & gratiarum actionem. 651
Quænam ordinariè à Deo petantur. 109
Quænam à Deo liceat petere. ibid.
Quid sit petere gloriam & gratiam à Deo. 109
Tribus modis res aliqua malè petitur. 117
Deus petenti aliquando cunctando dat, ut constantiam exploret. ibidem.

Pestis.

Quibus temporibus pestis orbem vastaverit. 857
Quanta olim diversis in locis fuerit grassata pestis. 16

S. Petrus.

Cur tam graviter labi permissus sit. 27
Petri negatio fuit Christo acerbissima. 339
Causa ruinæ & negationis Petri. ibid.
Gradus per quos Petrus lapsus est. 340
Petrum monuit aspectus Christi & galli cantus. ibidem.

Phalangius serpens.

Phalangius serpens unico ictu hominem interimit. 300

Phalaridis equus.

Phalaridis equus æneus. 588

Philosophus.

Philosopho quandoque deest scientia. 772

Pietas.

Pietas vitam prolongat. 671
Ob defectum pietatis plurimi moriuntur. ibid.

Pilatus.

Pilatus quomodo laverit manus pronuntiatâ in Christum sententiâ. 351

Ratio Pilati allegata Iudæis, ut Christum dimitterent. 350
Vide plura v. Jesv Christi flagel. Ecce homo, *in Indice Catechistico.*

Piscis.

Piscem volentem invadere Tobiam jussit Angelus exenterari. 629.
Rationes mysticæ hujus exenterationis. ibid.
Quis iste piscis fuerit qui Tobiam invadere voluit. 630
Cur piscem illum totum non assaverit Tobias, sed salierit. ibid.

Pocula.

Varia genera poculorum. 781

Podagra.

Podagræ curatrix abstinentia. 225
Podagram multi patienter sustinuêre. 45

Pœna.

Pœna talionis quæ. 587
Pœna talionis ordinariè castigat Deus. ibid.
Pœna ætatis supremæ, judicium non dilata, est signum misericordiæ. 618

Pœnitentia.

Pœnitentia tanto Deo est gratior, quantò magis voluntaria. 455
Pœnitentia non est procrastinanda. 404
Pœnitentia nulla facta tempore Noë. 472
Quomodo nos Deus ad pœnitentiam exspectet. 473
Pœnitentiæ Hyssopus scelera eluit. 351

Pompa.

Pompa & concursus populi in transvectione arcæ. 835

Pomus.

Pomus admodum frugifera. 205

Potentia divina.

Potentia divina aut juvat, aut deserit in adversis quatuor modis. 402
Vide v. Deus.

Potus, Potator.

Potus abundantior breviorem efficit vitam. 217
Potatorem & obæsum hominem non timebat Iulius Cæsar, sed pallidum & macilentum. 251
Vide v. Vinum.

Præceptum.

Præceptum bene vivendi à Cyro traditum. 238
Præceptum eleëmosynæ, quando & quomodo obligat sub mortali. 193
Præcepta Ecclesiæ non evertuntur impunè. 266

Prædestinatio.

Prædestinationis duplex signum. 68

Præmeditatio.

Præmeditari oportet non solùm quid fiet, sed etiam quid fieri possit. 21
Præmeditatio futurorum est clipeus adamantinus. 57
Adversa non præmeditata contristant. 58

Præmia.

Præmia & supplicia bonis & malis promissa sunt æterna. 423

Præscientia.

Divina præscientia nemini imponit necessitatem peccandi aut pereundi. 716

Præsentia Dei.

Præsentia Dei continet sensus externos ne euagentur dum oratur. 83

Preces, *Vide* v. Oratio.

Præsepe, *Vide in Indice Catechistico,* Christi præsepe.

Principes.

Principes plurimi olim fuêre eleëmosynis dediti. 156

Primogeniti.

Primogeniti prærogativæ. 289

Probatica piscina.

Probatica piscina est effigies mundi. 36
Quare in hac piscinâ unum Deus tantùm sanaverit. ibid.

Procrastinatio.

Procrastinationis damna quomodo veteres depinxerint. 164

Prodigia.

Prodigia varia in Christi natali. 274

Prodigus filius.

Filium prodigum è domo paternâ expulit saturitas, fames verò revocavit. 29

Profectus.

Optima proficiendi ratio est quotidiè in seipsum descendere. 629

Prosperitas.

Humanæ prosperitatis effigies. 509
Prosperitate hujus mundi nihil brevius. 518
Prosperitas est causa lapsûs multorum. ibid.
Prosperitate nihil periculosius. 519
Prosperitatis paradigmata. ibid.
Nulli minus, quàm prosperitati fidendum. ibid.

Providentia humana.

Providentia humana est divinæ providentiæ famula. 514

Providentia Dei.

Divinæ providentiæ ignorantia origo fluctuationum. 630
Divinæ providentiæ omnia sunt subjecta. ibid.
A divinâ providentiâ omnia nobis immittuntur. 652
Providentia Dei etiam in rebus minutissimis observanda. 678
Qui Dei providentiam novit etiam in afflictione placidè dormit. 659.
Dei providentia occulta & profundissima. 86

Proximus.

Proximo nostro debemus esse obsequiosi. 652
Homo proximo suo benefaciens assimilatur Deo. ibidem.
In benefaciendo proximo Angeli nobis sunt exemplo. 652. & 653
Non est mittendus proximus ad alios, dum ipsi per nos benefacere possumus. 654
Deus mandavit unicuique de proximo suo. 653
Hortatur nos Salomon ad benefaciendum proximo. 654
Proximi vita in extremis laborantis pluris æstimanda est, quàm proprius status. 194
Proximo imprecari non licet. 832
Proximo dandum est subsidium. ibid.
Proximum diligentibus cælum reseratur, non verò diligentibus clauditur. ibid.

Prudentia.

Prudentia est dux omnium virtutum. 524

Publicum bonum.

Publicum bonum privato semper anteponendum. 194

Pugna.

In spirituali pugnâ errores qui committi soleant. 697

Pulvis.

Pulchra explicatio horum verborum, Pulvis es, & in pulverem reverteris. 860

Punitio.

Punitio quorundam facta à Deo ob transgressionem mandatorum Dei. 548

Purpura.

Eâ suspensâ ad tentorium Imperatoris erat militibus signum prælij. 346
Vide in Indice Catechistico, Purpura Christi.

Pyropus.

Pyropus annulo clausus cor perfectum adumbrat. 860

Q.

Quadragesimale jejunium.

Quæ quadragintadialis jejunij sit origo & religio. 263
Ab initio nascentis Ecclesiæ fuit observatum. 264
Cur quadraginta diebus jejunandum. 265
Quadragenarius numerus mysticus. 265. & 266
Quadraginta dies diluvij fuerunt figura quadragesimæ. ibid.
Quadragesimale jejunium est totius anni decima. 266

Quadruplex bonum.

Quod homo suum verè vocare potest. 143

Quatuor.

Quatuor absolvunt à jejunij legibus. 248

Quercus.

Quercus & arundinis fabula. 1

Querelæ.
Querelæ pauperum vulgares quæ. 12
Querela vetus cur nempe malis bene & bonis plerumque malè sit. 6
Querelæ vulgares ægrotorum. 10
Querelis ægrotorum respondetur. ibid.

R.

Rabbini.
Rabbinorum commenta de musicis & stultis araneis. 820
Radix.
Radix omnium bonorum liberalitas. 147
Radix omnium malorum cupidit. ibid.
Rapinæ.
Rapinæ palliatæ quæ dicantur. 194. & 195
Rasio barbæ.
Rasio barbæ mirabile olim irrisionis genus, & cur illud aliquando excogitatum. 839
Reditus.
Reditus Davidis in terram Iuda, ejusq; causa. 818
Religio.
Religio illa floret in quâ colitur abstinentia. 231
Religio illa periit, in quâ periit abstinentia. ibid.
Remedium.
Præstans est remedium In camo & freno maxillas eorum constringe.
Res.
Res conditæ sunt vestigiæ Dei. 560
Res creatæ sunt ad instar thuribuli, organi, speculo, libri. 561
Res etiam minimæ uberrimam materiam laudandi Deum suggerunt. 562
Vniversa res conditæ rei præbent notitiam. 595
Res quælibet suum habent commodum & incommodum. 720
Resignatio.
Sui resignatio in manus Dei recta methodus. 405. & 406
Resignatio quid sit. 96. & 97
Resurrectio.
Natura diversimodè docet resurrectionis futuræ fidem. 435
Resurrectio futura docetur ex profanis historiis & sacris, aliisque exemplis. ibid.
Resurrectio à plurimis non creditur. 436
Resurrectio futura assiduè cogitanda. 439
Resurrectionis fides stabilitur. 440
Resurrectionis mysterium summo erit solatio, & quare. 444
Rex.
Regum multæ sunt aures & multi oculi. 815
Regiorum consiliariorum duplex noxa. 839
Rhetorica, Rhetores.
Rhetoricæ laus & encomium. 66
Rhetores pij quinam & insignes fuêre. ibid.
Rhetorica est ars lucrosissima, utilissima, potentissima. ibid.
De forensi Rhetoricâ inter magistrum & discipulum certamen. 68
Rhetorica cælestis quæ. ibid.
Rhetorica cur addiscenda. 69
Romanum Imperium, & Principes Romani.
Romani Imperij lata descriptio, ejus bellica potentia, & quamdiu, & quomodo floruerit. 592. & 593
Diversa fuêre Romanorum insignia. 303
Vrbs Roma bis cincta fuit & aurea domibus Principum Caij & Neronis. 304
Romanorum Principum divitiæ & oblationes aureæ. 307
Romanorum gladiatores. 356
Romani tempore caræ annonæ frumentum sub hastâ vendebant. 371
Romani fuêre victorioſi quamdiu fuêre abstinentes. 231

S.

Saccus.
Saccus cujus rei sit symbolum in gymnasio patientiæ. 2
Saccus apud Iaponas horribile tormentum. 19
Sacco qualiter omnes includamur. ibid.
Sacco inclusi fuere etiam sanctissimi homines. 20
Sacrificium.
Sacrificia Hebræorum feruntur honorata decem miraculis. 81
Cùm sacrificarent Dathan & Abiron cur non sint exauditi. 82
Sagitta.
Animi sagittæ quæ. 1
Sagittarum Dei pharmacum. 11
Sagittæ Dei sunt signa pacis. 10
Sal.
Sal admiscetur omnibus pæne coquendis cibis. 691
Ratio hujus admixtionis mystica. ibid.
Salomon.
Salomon in tranquillitate depauperatus, & quare. 689
Salvator.
Qui fuerint tres Israëlis Salvatores. 327
Sanctitas.
Sanctitatis duo fontes. 642. & 643
Sancti ad omnia sese jejunio præparârunt. 238
Pro sanctitate conservandâ observanda tria media. 225
Sanguis.
Sanguinis varius usus & effectus. 370
Cur non aliter quàm sanguine voluerit propitiari Deus. 371
Vide in Indice Catechistico verbo JESV Christi Sanguis.
Sanitas.
Sanitas est suavissimum vitæ condimentum. 640
A sanitate pendet omnis vitæ voluptas. ibid.
Inter tria petita à Diis à Pythagorâ sanitas præcipuum. ibid.
Cultus divini magna pars pendet à valetudine. 641
Sanitatis bonæ laus. ibid.
Sanitatis ratio describitur, & discutitur. ibid.
Conservandæ sanitatis præcepta. 642
Sanitas thesaurus optimus. 220
Sapientia.
Sapientia ubi reperiatur. 217
Sapientia postulanda est à Deo. 553
Multi sapientiam à Deo obtinuerint. ibid.
Satur.
Satur venter quàm importunis desideriis agitetur. 228
Saul.
Cur in tantum Saul David fuerit persequutus. 807
Saulis infidelitas erga David. ibid.
Promittit filiam suam natu minorem David. 809
Saulis humanissima verba. ibid.
Saulis invidia erga David, unde sumpserit incrementum. 810
Sollicitat servum & filios, uti occidant David. ibid.
Tentat lanceâ occidere Davidem. ibid.
Saul quomodo memoriâ fuerit destitutus. 804
Saulis triumphus describitur devicto Goliath. ibid.
Saul finem judicibus dedit, Regibus initium. 795
Deus quomodo subtraxerit Sauli spiritum sapientiæ & fortitudinis. 798
Cur spiritus malus Saul appelletur Spiritus Domini. ibid.
Quare exciderit Saul gratiâ Dei. 796
Vnctionis Saul effectus. ibid.
Saulis inobedientiæ specimen. ibid.
Saul in Davidem bilem effundit. 859
Demiranda Saulis nequitia. ibid.
Scabellum.
Scabellum Regum suppedaneum quale illud olim fuerit. 316
Scholæ.
In scholis omnibus varia est sors discentium. 1
Scire.
Scire facienda, & non facere, in die judicij multos affliget. 553
S. Scriptura.
In sacrâ scripturâ cur etiam minutissima longâ serie enarrentur, Majora verò videantur omissa. 672. 673
Seba.
Seba seditionem movit, sed à Joab obsessus, caput ejus per murum dejicitur. 853

Secretum.

Secreta quævis omnia in apertum producit tempus. 532
Variæ historiæ & exempla ejusdem argumenti. ibid.

Seditio.

Seditiones unde in Republicâ oriantur. 847. & 848

Semei.

Semei audax impudentia in maledicendo David. 849

Senectus.

Senectutis exordium quod. 248

Sensus exteriores.

Sensus exteriores malè custoditi sunt causa distractionum. 74

Sepultura.

Sepulturæ cura magna fuit apud Hebræos, & ejus curæ ratio. 607

Servus.

Servorum olim facta venditio. 346
Servis nequaquam abutendum. 479

Sertum.

Quid sit, & idve denotet in gymnasio patientiæ sertum stamineum. 1

Sethus.

Sethus quare fuerit vocatus Deus. 455

Siba.

Siba quale donum obtulerit Davidi. 849
Siba magistrum suum mendaciis onerat. ibid.

Simeon.

Grandævus Simeon vaticinatur, & donat Christum Matri. 407

Simia.

Astus insignis cujusdam Simiæ. 773. & 774

Sinapi.

Sinapi est fidei bonæ symbolum. 26

Sion.

Montis Sionis latitudo & longitudo. 833

Sitis.

Quæsitis sit omnium pessima. 41
Sitis excitanda aspiciendi Deum. 421
Sitis excitanda divini honoris. 420
Varia variorum sitis. 417
Vide verbo, Jesv Christi sitis, in Indice Catechistico.

Sobrietas.

Sobrietas est mater longævitatis. 670
Sobrietatem coluere multi, ac proinde longævi. ibid.
Sobrietas est virtutum mater & custos. 682
Sobrietas est mater vigilantiæ ut crapula somni. 718
Vide verbo, Abstinentia, Jejunium.

Societas.

Societas mala secundi orbis interitus principium. 456
Societas mala fugienda tempestivè. ibid.
Societas mala punita in Israële. ibid.

Societas Jesv minima.

Societatis Jesv *minimæ temperantia, obedientia, abstinentia, paupertas, zelositas, aliaq; honorifica elogia ad longum.* 217. & 218

Sol.

Sol verus Christus quomodo dicatur. 271
Plurimi fuêre qui Solem nunquam vidit comedentes. 240

Sollicitudo.

Sollicitudines nimiæ sunt causa distractionum. 74

Somnia.

Somniorum interpetrationem petit Nabuchodonosor ab Ariolis. 551
Varia somniorum genera. ibid.
Quatuor sunt in somniis observanda. ibid.
Fidei nihil tribuendum est somniis ibid.
Somniare sancta est aliquale argumentum sanctitatis. 552
Tres causæ cur Deus arcana sua in somnis pandat. ibid.
Cui nulla placet libido non somniabit unquam à se castimoniæ decreta violari. ibid.
E somniis potest quis cognoscere quantum profecerit aut defecerit. 507
Tutissimum est somnia parvi facere. ibid.
Somnio rectè comparatur humanus favor. 507
Totius hominis vita rectè somnium dixeris. ibid.

Sors.

Sortes omnes nostræ sunt in manu Dei. 609

Speculum.

Speculum duplex naturæ & Scripturæ. 793

Spectaculum.

Spectaculum horrendum orbis pereuntis. 481

Spes.

In hac vitâ inter spem & metum ambulandum. 486

Stabulum.

Stabuli Bethlemitici descriptio. 279
In hoc stabulo Adonidis imago stetit 180. annis. 280
Stabulum hoc exornavit & purgavit Constantinus. 280. & 281

Stare.

Stare vox bellicosis & bello usitatissima. 683

Status.

Status moribus, non mores statu exornantur. 511

Stella.

Stella fuit prænuntia nativitatis Christi. 303
Stella tunc fuit lingua cæli. 302
Non priùs orta cælo quàm Christus in antro. 303
Vide plura in Indice Catechistico verbo, Jesv à Magis adoratio.

Stultitia.

Homines stultos sese existimare deberent. 816. & 817
Stultitia Davidi servavit vitam. ibid.
Non plus se æstimare quàm stultum, est humilitatis compendium. ibidem.
Manifestum signum stultitiæ est sapientem se credere. 815

Sudarium.

Sudarium Christi in ignem conjectum, incombustum evadit. 444

Suggestio.

Initium malæ suggestionis est caput diaboli. 720
Suggestio declarat quis sit spiritus à quo tentamur. 700

Superbia.

Superbia Germaniam inferiorem & superiorem bellis deformat. 567.
Superbia est origo omnis mali. ibid.
Superbia habet ubique Deum capitalem hostem. 572
Superborum cogitationes semper altæ. ibid.
Superbos dejicere solet Deus. 573
Superbus minimo despicatu pæne moritur. ibid.
Superbia est signum reprobationis. 328

Surdus.

Verè surdus quis dicatur. 669

Sybilla.

Sybilla quæ ostenderit Augusto Cæsari in sole virginem puerum brachiis gestantem. 274

T.

Tabernaculum.

Tabernaculum Christi fuit triplicis coloris. 377
Ejusdem tabernaculi pulchra descriptio. 380

Talentum.

Cur ille servus objurgabatur à Domino qui talentum argenti defoderat humi. 589

Talionis lex.

Ius Talionis soli Deo competit. 589
Culpæ minimæ etiam Talionis pœnâ luendæ. ibid.
Talionis lex olim à Deo lata fuit. ibid.
Talionis pœna quæ. 587

Tamerlanus.

Tamerlanus obtentâ Damasco triginta millia hominum in templo concremavit. 325
Tamerlanus quid solitus fuerit facere in obsidionibus. 377

Temperantia.

Insignis & rara veterum temperantia. 527
Temperantia conviviorum nostrorum penitus exstincta. 528
Temperantiâ fugatâ fugantur reliquæ virtutes. 529
Vide verbo, Abstinentia.

Index Rerum.

Templum.

Templum pacis Christo nato fuit collapsum. 274
In templo sæpius sine reverentiâ sunt plurimi. 306
Templum Dianæ exstructum quatuor annis. 472
Templa frequentanda esse docetur. 775
Templa debent exornari. 167
Templis debetur mundities. ibidem.
Templum est propriè domus orationis. 128
Omnis locus templum est, cum exigit necessitas. ibid.

Tempus.

Iactura temporis damnosissima. 792
Temporis jactura irreparabilis. 741
Tempus in superflua non erogandum. 792
Tempus est thesaurorum omnium optimus. 230
Exempla & historiæ plurimorum, qui temporis fuêre observantissimi. 792
Tempus nocturnum & matutinum aptissimum oration. 130. 131
Temporis vitæ divisio. 792

Tenebræ.

Tenebræ sunt summum supplicium, tam animi, quàm tartari. 380.
Tenebris Christus in morte tectus fuit. ibid.
Vide verbo, Ecclipsis, in Ind. Catech.

Tentamentum.

Tentamenta quibus Noë expositus fuit. 584

Tentatio.

Tentamur ob triplicem finem à Deo. 4
Tentatio docet quid quis possit. 26
Tentamur ut fiducia nostra exploretur. 40
Omnis, qui tentatur, non est censendus captivus diaboli. ibid.
Regulæ duodecim in tentationibus observandæ. 737
Tentatio non est peccatum, sed peccati initium. 736
Tentationum victori cælum promittitur. ibid.
Crebra tentationis victoria est prædestinationis argumentum. ibid.
Nulla est tam gravis tentatio, quin volens seriò vincere eam, vincere possit. 733
Tentationes quomodo viri sancti vicerint. 732
Nullus locus liber est à tentatione. 681
Tentationes illecebræ vitandæ. 729
Quò major quis Dei est amicus, eò major est tentatio. 683
Tentationum origines explicandæ. 700
Modus resistendi tentationibus. 684
In tentationibus principiis obstandum. 718
In tentationibus Deo fidendum. 724
Cùm tentamur, agitur de Dei honore, & nostrâ salute. 725
Causæ quare Deus sinat nos variè tentari. 685
Tentatio nos promovet & evehit. 688
Tentatio distinguit virtutem ab inclinatione. 686
Dei & diaboli tentationes diversæ. 712
Cur tentator vocetur diabolus. 708
Dum tentamur à Deo, non conterimur. 686
Tentationes sunt asciæ & secures, quibus homo melior euadit. 685
Omnes, quos Deus possidet, tentat. 687
Tentationibus afflictus graviter non debet objurgari. 693
In tentationibus nos juvat Deus. 691
Tentatio est fidei nostræ probatio. 687
Tentatio fervorem ingerit, dormientes excitat. 689
Tentatio delictorum sordes expugnat. 691
Tentatio est amara, sed sana potio. ibid.
Tentatio sapientiam instillat. ibid.
Tentatio docet notitiam sui. 693
Tentatio docet humilitatem. 694
A tentationibus nusquam securitas. 695
In tentationibus nusquam desperandum. 696
Tentatio in omnibus locis insidias struit. 696
A tentatione nullus est immunis. 697
Tentationes nostræ non omnibus aperiendæ. 698
Tentare est primus labor diaboli. 708
Tentationis genus duplex. 135
Providentia Dei in tentationibus. 810

Testamentum.

Testamentum Christi fuit sanguine scriptum. 380
Testamentum quomodo condendum. 186

Terra.

Terræ fœnus optimum. 540

Thalmutistæ.

Thalmutistarum figmentum. 802

Thomas Morus.

Thomæ Mori elogium. 603
Quomodo in omnibus sese divinæ voluntati subjecerit. 63
Thomæ Mori ad Volsæum pulchra responsio. 815

Thus.

Thure colebantur potissimùm Dij. 308
Thuris usus tam in priscâ, quàm novâ lege. ibid.
Thuris mystica significatio. ibid.

Timor.

Timor vanus signum est stultitiæ. 635
Quis, & quomodo is timendus sit. ibid.
Nulla umbra timenda. ibid.

Titulus.

Titulorum quàm quidam ambitiosi. 778
Varij vanissimorum titulorum recitationes. ibid.

Tobias.

Tobias qualis fuerit, & quo anno natus. 601
Fuit regis Salmanasaris œconomus. ibid.
Tobiæ elogia. 602
Tobias inter impios bonus fuit. 603
Tobiæ officium in aulâ. 605
Fuit liberalis in captivos suæ gentis. ibid.
Ejus pietas erga defunctos, & patientia in cæcitate. 607. 608. & 610.
Tobias quo anno factus fuerit cæcus. 608
Causæ variæ cur Deus ita afflig. permiserit Tobiam. 611
Tobias cur apparaverit convivium. 613
Quomodo instruxerit filium suum. 619
Monuit sedulò cauere ab omni libidine. ibid.
Cur Deus Tobiæ famem non sedaverit, ut quondam sedavit Mosis & Eliæ. 630
Singularis Dei providentia erga Tobiam. ibid.
Tobiam juniorem instruxit Angelus qualiter sese in conjugio gerere deberet. 633
Angelus Tobiam docuit in quos diabolus haberet potestatem. ibid.
Tobias junior uxorem ad orationem cohortatur. 638
Tobiæ junioris comitas in loquendo erga viæ comitem. 644
Tobiæ liberalitas. 664
Vterque Tobias Deo familiarissimus. ibid.
Tobiæ senioris ad virtutem exhortatio. 666
Quam summam obtulerit in mercedem Angelo comiti. 674

Torpedo.

Torpedo quam natura piscis. 164

Tortor.

Tortores vitæ humanæ duæ, Timor & Amor. 55

Tranquillitas.

Tranquillitas vera quæ sit. 672
Varia exempla veræ tranquillitatis. ibidem.

Trangressio.

Transgressionem mandatorum suorum ulciscitur Deus. 548

Tribulatio.

Tribulatio est animæ conservatrix. 3
Tribulatio est Dei donum. 608
Vide verbo, Afflictio.

Tributum.

Qualia veteres, & quàm vana exegerint tributa. 16

Tristitia.

Quò major tristitia est præcedens, eò majus est subsequens gaudium. 432
Tristitia duplex est, & quæ ea sit. 611
Tristitia una est adversùs Deum, alia secundùm Deum. 612

Triumphus.

Triumphi Davidici descriptio, & ex eo desumpta documenta. 833
Triumphus Saulis. 804

Tuba.

Tubæ usus apud Hebræos. 249

Turba.

Turbæ declinandæ, & quare. 455

Turca.

Turcæ vinum non bibunt cùm videntur. 753
Turcæ quomodo jejunent. 261

Tympanum.

Tympanum & organum Deo probantur. 54

Tyrannis.

Tyrannis est Rempublicam administrare ad suum quæstum. 516

V.

Valetudo.

Valetudinis bonæ fundamenta tria. 229
Valetudinis conservandæ optima monita. 278

Velum.

Velum templi olim erat duplex. 382
Vtrum è duobus fuerit scissum moriente Christo. ibidem.
Explicatio scissi veli mystica. 384
Vide verbo, IESVS Christus moriens, *in Indice Catechistico.*

Venefici.

Venefici interficiendi. 157
Quantum mali in Republicâ ii faciant. ibid.
A veneficij malo quatuor modis cavetur. ibid.
Veneficij alexipharmacum est eleemosyna. ibid.

Venia.

Venia hosti non deneganda. 822

Veritas.

Veritas multis est informe monstrum. 799
Veritas à multis palliatur, & à quibus præsertim. ibid.
Veritas aulicis & aulis est odiosa. 853
Veritas aperta amicos conciliat. 515
Adhuc pendet sub Iudice quid sit veritas. 799

Vestis.

Vestium hoc ævo luxus impedit eleemosynam. 194
Vestes suas cur Ionathas dederit Davidi. 806
Vestis bonorum eadem est in hac vitâ. 7
Vestium detractio doloris fuit in Christo maximi. 360
Vide IESV Christi vestium divisio, *in Indice Catechistico.*

Veteres.

Quomodo docuerint per symbola juventutem. 52

Vexatio.

Vexatio dat intellectum. 33. & 37

Victimæ.

Victimæ omnes priscæ legis Christi sanguinem adumbrarunt. 370.

Victoria sui.

Duo notanda in victoriâ sui. 834
Sui victoria est pretiosum sacrificium. ibid.
Se vincere, est gratissimum Deo potum libare. ibidem.
Actus in sui victoriâ debet esse violentus & heroïcus. 835
Ad victoriam sui pulchra exhortatio. 833
Davidis contra seipsum victoria. 821

Vidua.

Vidua Naim cur non sola filium luxerit, sed plures cum illâ. 172

Vigilantia.

Saulis generi in exitium vigilantia. 818

Vilitas.

Vilitatis pristinæ oblivio modestiam & prudentiam graviter lædit. 538.
In honoribus vilitatis nostræ reminiscendum. 838

Vindicta.

Vindicta Dei reverenda & adoranda. 479
Contra vindictam divinam non est effugiendi locus. 480
Vindictæ libido hominem seducit. 849
Mirabilis vindictæ continentia in Davide. 821
Omnis vindictæ amaritudo è pectore ejicienda. 828
Vindicta non est præcipitanda. 830
Vindictæ pulvere oculi nequaquam adimplendi. ibid.
Vindicta spernenda & inimicis etiam mortuis subveniendum. 831.
Propter vindictam Saul omnia perdidit. 832

Vinea Engaddi.

Hæc vinea eâ nocte, quâ Christus natus est, floruit. 274

Vinum.

Vina quædam Hispanica sapidiora sunt trans mare vecta. 51
Vinum myrrhatum quomodo homo Deo propinet. 358
Vinum potiùs homines mergit, quàm homo vinum. 217
Quàm absurdè quidam dicant vinum refrigerare. 222
Vinum aquâ semper diluendum 223
Vino sublimato etiam ipsæ bestiæ moriuntur. 224
Auctor fatetur se vino aquâ diluto ad hos vitæ annos pervenisse, quódque si secus fecisset, jam dudum ante annos plurimos inter mortuos habitasset. 229
A vino notabili noxam trahit stomachus debilis. 222
Vinum aquâ dilutum stomacho debili aptum. ibid.
Vino plures submerguntur, quàm aquis. ibid.
Vinum potens secundùm Cardanum exurit jecur. 223

Vir.

Viri tres, qui in toto orbe non inveniuntur. 466

Virgæ.

Virgæ cujus rei symbola sint in scholâ patientiæ. 1

Virtus.

Quomodo via virtutis facilis reddatur. 835
Virtutes quæ in Davide eluxerunt. 849
Virtus sine adversario manet. 26
Virtutes sine patientiâ sunt nullius pretij. ibid.
Virtutis est dicere, fiat similis ero Altissimo, & quomodo. 289.
Virtutis divisio. 466
Virtutes sunt catenatæ sicut & vitia. 500
Virtus in afflictione est clarior. 504
Omnis locus virtuti est opportunus. 506

Vita.

Vita nostra est morbus perpetuus. 13
Vitæ nostræ enumerantur variæ molestiæ. ibid.
Vita nostra similis est onerariæ navi. 14
Quo discrimine probi & improbi vivant. ibid.
Vita nostra merissima est comœdia. 83
Totâ vitâ discendum est mori. 430
Vita & mors juxta se posita magis elucescunt. 431
Vita hæc vera militia est. 472
Vita nostra emendanda quotidie. 482
Vita humana polo duplici nititur. 518
Omnis vita nostra peregrinatio est. 541
Vitæ nostræ vera effigies. 524
In hac vitâ alter alterius ope indiget. 149
Vita nostra simillima horologio. 125
Vita nostra duos habet tortores. 55
Vita proximi existentis in extremis quanti æstimanda. 194
Vivendi methodus probatissima. 237
Vita beata non est in mutis animalibus. 861
Vita beata est in solis rationabilibus. ibid.

Vitium.

Vitia aliena magis tegenda, quàm propria. 509
Vitia sunt catenata. 499
Quinque lapides colligendi contra vitia, & qui ij sunt. 803
Ad debellanda vitia sumenda occasio virtutis. ibid.
Duo vitia orbem vastant. 212
Vitiorum catena. 841
Tres ad vitia opportunitates. ibid.
Vitia vitiis puniuntur. 846
Vitiorum diversorum in Absolone mixtura. 851

Voluntas.

Nulla voluntas bona quæ divinæ non consentit. 95
Voluntatis conformatio cum divinâ est compendium omnium virtutum. ibid.
Voluntas Dei rebus afflictis medetur. 846

Index Rerum.

Conformatio hæc voluntatis nos inexpugnabiles reddit, & ad omnia promptos. ibid.
Faciendo voluntatem Dei efficimur frater,& ſoror,& Mater Chriſti. 292
Voluntas humana eſt victimandus aries. 827
Quinam ſuam voluntatem vix poſſint divinæ conjungere. ibid.
In omnibus miſeriis voluntatem noſtram debemus divinæ conformare. 831
Voluntas Dei plurimis eſt ſolatium. 846
Conformatio voluntatis ſuæ cum divinâ plurimorum. 849

Voracitas.

Voracitas incredibilis cujuſdam fœminæ. 763
Voracitas Vgocionis. ibid.

Urbs Siceleg.

Vrbs Siceleg ab Amalecitis depopulatur. 826

Urias.

Vrias fuit miniſter ſuæ mortis. 842

Uva.

Quomodo Turcæ uvas conſervent. 753
Vvæ ambulantis deſcriptio. ibid.
Vvarum Rhodiorum magnitudo. 753

Vulpes.

Vulpi quandoque adeſt aſtutia. 772

X.

Xerxes.

Xerxis quinque delitia. 656

Z.

Zephæus.

Zephæi Davidis fuêre proditores. 825

FINIS.

MANET
IN
BIBLIOTHE
CA

P. DREXE
LIUS
T. II
T. VII
II

INDEX PARAGRAPHICVS
OMNIVM OPERVM
REVERENDI PATRIS
HIEREMIÆ DREXELII
SOCIETATIS PRÆSBYTERI
QVÆ TOMO SECVNDO CONTINENTVR.

GYMNASIVM PATIENTIÆ.
PARS PRIMA.
CAPVT PRIMVM.

QVæ pœnarum genera, seu quæ cruces, sint in Gymnasio Patientiæ ferendæ. 1

CAP. II.

Quare discipuli, in hoc gymnasio, tam duriter, & asperè habeantur. 3

CAP. III.

Cur discipulorum aliqui, plus aliis, in hoc gymnasio vexentur. 6

CAP. IIII.

Quinque pœnarum, & afflictionum genera singillatim explicantur. 7

CAP. V.

Alia quinque pœnarum genera singillatim etiam exponuntur. 14

CAP. VI.

Quæ potissimùm culpæ in patientiæ gymnasio cavendæ sint. 20

GYMNASII PATIENTIÆ PARS ALTERA.
CAPVT PRIMVM.

AFflictio docet fortitudinem, & fidelitatem; 24

CAP. II.

Afflictio docet commiserationem, & abstinentiam. 27

CAP. III.

Afflictio docet orationem, & mortificationem. 30

CAP. IV.

Afflictio docet prudentiam, & modestiam. 32

CAP. V.

Afflictio variè utilissima, & plerumque quæ nocent, docent. 35

CAP. VI.

Afflictio, & crux omnis à Deo est, à quocunque demum illa nobis imponatur. 39

GIMNASII PATIENTIÆ. PARS TERTIA.
CAPVT PRIMVM.

AFflictiones sustinendas esse patienter. 44

CAP. II.

Afflictiones subeundas esse hilariter. 47

CAP. III.

Afflictiones perferendas esse constanter. 49

CAP. IV.

Afflictiones tolerandas esse cum gratiarum actione. 52

CAP. V.

Afflictiones aggrediendas esse cum *Præmeditatione.* 55

CAP. VI.

Afflictiones omnes perpetiendas esse cum *Conformatione* humanæ voluntatis ad divinam. 59

Epilogus Dictorum omnium. 64

RHETORICA COELESTIS.
LIBER PRIMVS.

CAP. I.

RHetorica cœlestis quid sit, & quam sit lucrosa, utilis, ac potens. 66

CAP. II.

Rhetoricam cœlestem ab omnibus discendam. 68

CAP. III.

Quale vitium in Rhetoricâ cœlesti sit, animi evagatio. 71

CAP. IV.

Evagationum animi, quænam origines sint remotæ. 73

CAP. V.

Evagationum animi, quænam origines propinquæ. 76

CAP. VI.

Præparationem ad preces necessariam esse, & quæ sit præparatio remota. 79

CAP. VII.

Quæ propinqua sit ad orationem præparatio. 81

CAP. VIII.

Quid mente aridâ oraturus habeat solatii, documenta quinque. 83

CAP. IX.

Alia quatuor documenta de eodem. 86

CAP. X.

Quot sint orationis partes. 88

CAP. XI.

Quæ orationis impedimenta sint, & vitia. 91

CAPVT XII.

Quæ orationis sint adjumenta. 94

CAP. XIII.

Quatuor oraturo monita. 98

CAP. XIV.

Alia quinque monita prioribus connexa. 100

CAP. XV.

Orationis exauditæ signa. 102

RHETORICA COELESTIS.
LIBER SECVNDVS.
CAPVT PRIMVM.

ORationis assiduitas docetur. 104

CAP. VII.

Quâ ratione semper, & assiduè orandum. 106

CAP. III.

Quid in oratione petendum. 108

Index Paragraphicus.

CAP. IV.

Quibus modis per orationem trahamur ad Deum. 111

CAP. V.

Quomodo politius, & ardentius orandum. 113

CAP. VI.

Quomodo aliqui omnia, alii nihil impetrent orando. 115

CAP. VII.

Quid mentis oratio, seu meditatio sit, & quàm ea utilis, ac necessaria. 118

CAPVT VIII.

Quomodo mente orandum, seu meditandum sit. 121

CAP. IX.

Quàm utilis, ac necessaria sit orationis, & mortificationis mixtura. 124

CAP. X.

De orationis loco, ac tempore, de situ corporis inter orandum. 127

CAP. XI.

Quantæ sint efficaciæ, orationes complurium, & publicæ. 131

CAPVT XII.

Epilogus, & compendium dictorum omnium. 135

GAZOPHYLACIVM CHRISTI.

PARS PRIMA.

Cur danda sit Eleemosyna.

CAPVT PRIMVM.

CAusæ & Ordo dicendorum. Introductio ad sequentia. 141

CAP. II.

Quæ verè nostra sint bona, & quis dicendus dare de suo. 142

CAP. III.

Cur dandæ sint eleemosynæ: Causa prima, Dei in nos liberalitas. Altera: Quidquid pauperi datur, Christo datur. 144

CAP. IIII.

Verissimè ipsi Christo dari, quidquid datur pauperi, explicatius traditur. 147

CAP. V.

Eleemosynarum dignitas, pretium, utilitas, docetur. 149

CAP. VI.

Eleemosynæ vel ipsas facultates augent, & in hac etiam vitâ, honestissimum reponunt fœnus. 151

CAP. VII.

Eleemosynas dare non donum, sed debitum; non consilium, sed præceptum est. 154

CAP. VIII.

Eleemosynæ malefícas artes retundunt, beneficia posterorum memoriæ tradunt, nomen immortale parunt. 157

CAP. IX.

Eleemosynas dare, Sanctorum omnium contentissimum fuit studium 159

GAZOPHYLACIVM CHRISTI.

PARS ALTERA.

Quomodo danda sit eleemosyna.

CAP. I.

QVomodo, præsertim quàm exporrecta, celeri expeditâ, manu dandæ sint eleemosynæ. 163

CAP. II.

Eleemosynas consideratè, largiter, & humaniter, dandas. 166

CAP. III.

Eleemosynas hilariter, modestè, destinato numero, dandas. 168

CAP. IV.

Convivium egenis instruendum, Christum convictorem ducendum, & Christo aliquid, omni mensâ seponendum. 172

CAP. V.

Eleemosynas è propriis facultatibus, intentione optimâ dandas: Non egeni meritum, sed miseriam spectandam. 175

CAP. VI.

Ioannes Alexandrinus Pontifex, nobilissimum in dandis eleemosynis exemplar: Pauperum pater. 178

GAZOPHYLACIVM CHRISTI.

PARS TERTIA.

Objectiones, & Excusationes refutantur, Quæstiones explicantur.

CAPVT PRIMVM.

AVaræ tenacitatis, contra eleemosynas objectionibus respondetur. 185

CAP. II.

Alia quæ contra eleemosynas objici solent refelluntur. 188

CAP. III.

Redarguuntur ceteræ adversus eleemosynas objectiones. 190

CAP. IV.

Quæstiones aliquot exponuntur, Quandónam dandæ sint eleemosynæ, Ex quibus bonis, Quid potissimum eleemosynas corrumpat. 192

CAP. V.

Aliæ iterum Quæstiones solvuntur. 195

CAP. VI.

Viginti quinque eleemosynarum fructus, summatim explicantur. 199

CAP. VII.

Epilogus Dictorum omnium. 205

ALOE

Amari sed salubris succi

IEIVNIVM.

LIBER PRIMVS.

Quare Iejunandum.

CAPVT PRIMVM.

INgressus ad Institutum: Quid Abstinentia, Et quædam ejus encomia. 212

CAP. II.

Jejunium reprimit carnis nequitias. 214

CAP. III.

Jejunium sapientum, & Sanctorum hominum dictis, & exemplis commendatissimum; Succinctum Societatis Jesv patrocinium. 216

CAP. IV.

Jejunium valetudinis unicum, & princeps præsidium. 219

CAP. V.

Jejunium medicamentorum omnium medicamentum prorsus opportunissimum. 224

CAP. VI.

Jejunium nobile, ac Spartanum omnis cibi condimentum. 228

CAP. VII.

Jejunium temporis, opum, ac boni nominis grande auctarium. 230

CAP. VIII.

Jejunium piarum exercitationum omnium adjumentum maximum. 232.

CAP.

Index Paragraphicus.

CAPVT IX.

Jejunium satisfactio pro peccatis, expiationis sacrificium. 234

CAPVT X.

Jejunium præsenti hominis statui convenientissimum. 236

CAPVT XI.

Jejunium quotidiano sanctissimorum hominum usu confirmatissimum. 238

CAPVT XII.

Jejunium vitiosæ cupidinis exterminium medicamentum. 242

CAP. XIII.

Jejunium omnigenæ virtutis adjumentum optimum. 244

ALOE
Amari sed salubris succi

IEIVNIVM.
LIBER SECVNDVS.
Quomodo, & quo fructu jejunandum.

CAPVT I.

QVos jejunii leges habeant eximios. 247

CAP. II.

Quo fine jejunandum. 249

CAP. III.

Quomodo reipsa jejunium ineundum. 251

CAP. IV.

Quæ vespertina sit jejunii refectiuncula. 252

CAP. V.

Quænam jejunii emolumenta. 255

CAP. VI.

Quantum à jejuniis priscorum differant nostra, jejunium quomodo sanctificandum. 257

CAP. VII.

Quàm diversa sint jejuniorum genera. 259

CAPVT VIII.

Quæ alia sint jejuniorum discrimina. 261

CAP. IX.

Quæ quadragintadialis jejunii sit origo, & religio. 283

CAP. X.

Quænam singulariter valetudini obsint, vitam extinguant. 207

CAP. XI.

Epilogus dictorum omnium. 269

DELICIÆ GENTIS HVMANÆ
CHRISTVS NASCENS,
Moriens, Resurgens,
Orbis amori propositus.

PARS PRIMA.
CHRISTVS NASCENS.

CAPVT PRIMVM.

DE figuris, & vaticiniis Christi nascentis. 271

SECT. I.

Hebræorum vatum oracula. ibid.

SECT. II.

Nascentis Christi adumbrationes. 272

SECT. III.

Aliæ Nascentis Christi figuræ. ibid.

SECT. IV.

Imago Christi nasciturі Ionas Propheta. ibid.

SECT. V.

Aliæ Christi nascentis imagines & umbræ. 273

SECT. VI.

Complura alia quæ Christi Domini natalem adumbrant. ibid.

SECT. VII.

Cumæę Sibyllæ vaticium. 274

CAPVT II.

De tempore nascentis Christi. 274

SECT. I.

De prodigiis Christi natalem antecedentibus, & comitantibus. ibid.

SECT. II.

De civili, ac politico mundi statu, quo natus Christus. 275

SECT. III.

De eodem mystica expositio. 276

SECT. IV.

De statu mundi, secundum arcanam Dei gubernationem. ibid.

SECT. V.

De statu Sanctorum Patrum in lymbo. ibid.

SECT. VI.

De tempore quo natus est Christus. 277

SECT. VII.

De causis, cur tali tempore sit natus Christus. ibid.

CAP. III.

De loco, quo natus est Christus. 278

SECT. I.

De itinere B.V. Mariæ, & Ioseph in Bethlehem instituto. 278

SECT. II.

De virtutibus Mariæ, & Ioseph in hoc itinere spectandis. ibid.

SECT. III.

De loco primo in quo natus est Christus, seu de civitate Bethlehem. ibid.

SECT. IV.

De loco, altero, in quo natus est Christus, seu de stabulo. 279

SECT. V.

De tertio loco, in quo natus est Christus, seu de præsepi. 280

CAP. IV.

De ipso partu divino, deque Christi Domini Parentibus. 281

SECT. I.

De verbis Lucæ: *& peperit filium suum primogenitum.* ibid.

SECT. II.

De verbis Ioannis: *Et verbum caro factum est.* ibid.

SECT. III.

De gaudio B. Virginis ob Christum natum. 282

SECT. IV.

De officiis Beatissimæ Matris circa filium natum. 283

SECT. V.

De Beati Ioseph actionibus circa Christum natum, & de ejusdem gaudio. 283

CAP. V.

De obsequiis Christo nato delatis. 284

SECT. I.

De sideribus circa Christum natum. ibid.

SECT. II.

De Pastoribus, eorúmque humili conditione. ibid.

Index Paragraphicus.

SECT. III.

De Angeli ad Pastores descensu. 285

SECT. IV.

De hujusmodi affatu Angeli ad pastores. 285

SECT. V.

De pastorum ad præsepe accursu. 286

SECT. VI.

De Pastoribus divinum infantem adorantibus. ibid.

SECT. VII.

De Pastorum à Christo cunabilis reditu. ibid.

CAP. VI.

De ipso Infante divinissimo Christi Domino. 287

SECT. I.

De Christi nati pannis. 287

SECT. II.

De vagitu, & lachrymis Christi. ibid.

SECT. III.

De virtutibus, quas Christus Infans divinus è præsepio docet. 288

SECT. IV.

Homo contemplatur Christum Dominum in præsepi positum, seque cum illo confert. 289

SECT. V.

Christum appellari primogenitum. ibid.

SECT. VI.

De amore Domini JESV, erga homines per ejus nativitatem singulariter elucescente. 290

SECT. VII.

De ingrato hominum animo adversus Christum natum. 291

SECT. VIII.

Admirationes super Christo nato, & de rerum in eo dissimillimarum conjunctione. ibid.

SECT. IX.

De beneplacito æterni Patris in nato sibi filio. 292

SECT. X.

Christi nascentis & morientis; exordii vitæ ac finis comparatio. ibid.

SECT. XI.

Quid maximè à Christi amore avocet. 293

CAPVT VII.

Paradoxon geminum. 294

SECT. I.

Cacodæmon mortuus. ibid.

SECT. II.

Deus in vincula conjectus. ibid.

SECT. III.

De Valeriano, & Bajasitâ vinctis. 294

SECT. IV.

De Leone Basilii filio Imperatoris captivo. 295

SECT. V.

Sapiens victi Gilimiris factum. ibid.

SECT. VI.

Dux infans, in cunis exercitum regit. ibid.

SECT. VII.

Bernardi Clare-vallensis eximius in hunc ducem affectus. 296

CAPVT VIII.

Poëma Natalitium. 296

SECT. I.

Infantis Dei divinitas asserta, & defleta stabuli incommoda. ibid.

CAPVT IX.

De Angelorum ad Christi nascentis cunas cælesti symphoniâ. 298

SECT. I.

De cantico Angelorum, Gloria in altissimis Deo. ibid.

SECT. II.

Gaudia inter mœrores, cantus inter lachrymas. 299

SECT. III.

Novi Orphei è cœlo legati canunt. ibid.

SECT. IV.

Ad Phalangii morsus sanandos, quantum musica profuerit. 301

SECT. V.

Flaviani Præsulis nobilis stratagema, in Theodosio Imperatore per musicam expugnando. ibid.

SECT. VI.

Quid demum cœlestis Angelorum musica nos doceat. 302

SECT. VII.

Divini Francisci circa hæc mysteria singulare studium. ibid.

CAPVT X.

De Nato Christo à Magis quæsito. 302

SECT. I.

Magorum ad Christi nati cunas profectio. ibid.

SECT. II.

Ex quâ regione profecti sunt Magi. ibid.

SECT. III.

De stellâ profectionis istius duce. 302

SECT. IV.

A stellâ, & Magis Hebræam perfidiam esse convictam. 303

SECT. V.

Quod sicut Reges olim, & Imperatores ignis, ita stella hæc Orientis Satrapas præcesserit. ibid.

CAPVT XI.

Quâ veneratione Christum natum adorarint Magi. 304

SECT. I.

Magos qui Christum adorarunt fuisse reges. ibid.

SECT. II.

Hos Reges non fuisse maleficos, sed sapientes Astrologos. Aliquid de Regum palatiis. ibid.

SECT. III.

Hos Reges nullâ loci, aut hominum vilitate ab adorando Christo potuisse absterreri. 305

SECT. IV.

Herodis vulpis flagitiosi doli. 305

SECT. V.

Magorum constantissima religio. 306

CAPVT XII.

De Magorum muneribus, Christo Infanti oblatis. 306

SECT. I.

Tria munera à singulis oblata, & primo de Myrrha. 306

SECT. II.

De Auro. 307

SECT. III.

De Thure. 308

SECT. IV.

Arabia vere felix asseritur. ibid.

SECT. V.

Trium munerum explicatio. ibid.

ΑΝΑΚΕΦΑΛΑΙΩΣΙΣ seu Peroratio. 309

Carmen de Christo in cunis piè desponsato. 310

Appendix de nascente Domino JESV ex S. Augustino. 315

DELI-

Index Paragraphicus.

DELICIARVM gentis humanæ PARS II.

CHRISTVS IESVS. Moriens.

CAPVT PRIMVM.

Christus suorum pedes lavat, & hymno dicto, egreditur in Olivetum. 328

SECT. I.

Mos lavandi pedes ante accubitum, antiquis, & vulgatus. 329

SECT. II.

Quanti æstimandum hoc nobis à Christo propositum humilitatis exemplar. ibid.

SECT. III.

Quid Magdalena, quid omnes homines hic habeant discere. 330

SECT. IV.

Quæstio proponitur, *num Christus, sub ultimæ Cenæ finem cecinerit.* 331

SECT. V.

Cecinisse Christum sententiis Sanctorum Patrum docetur. ibid.

SECT. VI.

Christi amicis, aliquos sub ipsam mortis luctam cantasse. 332

SECT. VII.

Confirmantur dicta, Christus sub cenæ claustulam cantans proponitur. 333

CAPVT II.

Christus moriturus, suæ mortis exordium ab horto ducit. 333

SECT. I.

De oratione Christi in horto. 334

SECT. II.

De sanguineo Christi sudore in horto. 334

SECT. III.

Cur Christus sanguine sudarit. 335

SECT. IV.

Cur sudarit sanguine tam copioso. 336

SECT. V.

Ad Christum sudore sanguineo manantem pii suspiratus. Pluscula de aliis quæ ad rem præsentem. 337

CAPVT III.

Christus moriturus ab Iscariote proditur, à Petro negatur, ab Herode illuditur, à Pilato flagellatur. 337

SECT. I.

Iscariotes Christum prodens. 338

SECT II.

Petrus Christum negans. 339

SECT. III.

Herodes Christum illudens. 340

SECT. IV.

Pilatus Christum flagellans. 341

SECT. V.

Sententia hic certa statuitur, & explicatur. 342

CAPVT IV.

Christus moriturus diademate spineo redimitur, furenti populo sistitur cum Pilati dicto, *Ecce Homo.* 343

SECT I.

Christus ad diversa judicum tribunalia rapitur. 343

SECT. II.

Christus flagellis cæsus, spinis coronatur. 344

SECT. III.

Dominicæ coronæ è spinis contextæ typus, & simulachrum diversum. 345

SECT. IV.

Ejusdem coronæ adumbrationes. 346

SECT. V.

De coccinea Christi veste. ibid

SECT. VI.

Expendiuntur geminæ Pilati voces: *Ecce Homo.* 347

SECT. VII.

Vberiùs explicatur Christus coronati, & ad populum producti spectaculum. 348

CAPVT V.

Christus damnatur mortis à Pilato, & crucifigendus educitur. 350

SECT. I.

Pilatum populus viget ad decretoriam sententiam pronuntiandam. ibid.

SECT. II.

Pilatus Christum mortis supplicio addicit. 351

SECT. III.

Pilatus manus populo inspectante lavat. ibid.

SECT. IV.

Christo ferenda crux imponitur, variæ hujus figuræ. 352

SECT. V.

Simon Cyrenæus Christi crucem portat. 353

SECT. VI.

Veronica Christi vultum linteo abstergit. 354

SECT. VII.

Christus diverso agmine stipatus, Calvariæ rupem moriturus ascendit. 355

CAP. VI.

Christus moriturus vestimentis suis exuitur. 356

SECT. I.

Locus Christi crucifixi tumulo Adami, & sacrificio Abraham initiatus: vinum myrrhatum, potus amarissimus. 357

SECT. II.

De aceto myrrhato, & damnatorum vino. ibid.

SECT. III.

Cur Christus acetum acceperit, vinum myrrhatum recusarit. 358

SECT. IV.

Christus detractis violenter vestimentis, nudissimus cruci adsternitur. 359

SECT. V.

Quid doceat extrema Christi nuditas. 360

CAPVT VII.

Christus moriturus, in cruce clavis configitur. 361

SECT. I.

Christus in jacentem crucem humi dejicitur, aut in erectam quod verius videtur, ascendit. Tres fridis colores explicantur. ibid.

SECT. II.

Cur Christus supplicium crucis elegerit, sex assignantur causæ. 362

SECT. III.

Sex aliæ causæ adjunguntur. 336

SECT. IV.

Christus crucifixus, cum iride in pluribus confertur. 336

SECT. V.

Christi crucifixi dolores. 364

SECT. VI.

Christo crucifixo commiseratio, & amor debetur. 365

CAPVT VIII.

Christus moriturus, gratiæ cælestis quatuor emisit flumina: sudorem, lachrymas, aquam, sanguinem. 367

SECT. I.

De letali sudore Christi. ibid.

Index Paragraphicus.

SECT. II.

De Christi lachrymis. ibid.

SECT. III.

De aquâ è latere Christi profluente. 369

SECT. IV.

De fuso Christi sanguine. ibid.

SECT. V.

Quomodo, & quare fusus hic sanguis. 370

CAPVT IX.

De vestimentis Christi morituri divisis, de titulo ad crucem appenso. 371

SECT. I.

Quæ Christi vestes fuerint divisæ. 371

SECT. II.

Quas ob causas, hæ vestes sorte fuerint divisæ. 372

SECT. III.

Mysteria, & documenta, à divisione harum vestium. 373

SECT. IV.

De crucis titulo, & quare scriptus. 374

SECT. V.

Causæ aliæ scripti ejusdem tituli. 375

SECT. VI.

Singulæ voces tituli breviter expenduntur. ibid.

SECT. VII.

Documenta à scripto hoc titulo. 376

CAPVT X.

De tenebris mortem Christi præcedentibus. 377

SECT. I.

Eam solis obscurationem, & tenebras fuisse prodigiosas. ibid.

SECT. II.

Tam horribilium tenebrarum causæ assignantur. 378

SECT. III.

Diversa ex his tenebris documenta. 379

SECT. IV.

Quæ, durantibus his tenebris, Christus fecerit. 380

CAP. XI.

Moriente Christo scissum templi velum, aperta monumenta, ruptæ petræ, mota terra. 383

SECT. I.

Christo moriente scissum templi velum. ibid.

SECT. II.

Propria scissi veli explicatio. 384

SECT. III.

Christo moriente aperti tumuli. ibid.

SECT. IV.

Moriente Christo terra mota. 385

SECT. V.

Christo moriente petræ fissæ. 386

CAPVT XII.

De Matre Virgine ad crucem filii morituri stante. 387

SECT. I.

Gladius Matris beatissimæ primus, & secundus. 388

SECT. II.

Gladius tertius, & quartus. 389

SECT. III.

Gladius quintus, & sextus. 389

SECT. IV.

Gladius septimus. 390

SECT. V.

Admiranda Matris statio sub cruce, fusiùs exponitur. 391

SECT. VI.

Eadem uberiùs explicantur. 392

SECT. VII.

Ad eandem sub cruce stationem documenta. 393

Ode animæ piæ, ad crucem Christi IESV, impetu divini amoris allisæ, suspipa. 394

DELICIARVM
gentis humanæ
PARS III.
CHRISTVS IESVS
Resurgens.

CAPVT PRIMVM.

Prima Christi morientis cygnea modulatio: *Pater dimitte illis, non enim sciunt, quid faciunt.* 396

SECT. I.

Amor in hostes, figuris priscis explicatur. ibid.

SECT. II.

Virtus longè nobilissima, hosti bene facere. 397

SECT. III.

Precantis Christi, singulæ voces exponuntur. 398

SECT. IV.

Precatio Christi, fidem impetravit Latroni. 399

SECT. V.

Fidem Christo, veniam debemus inimico. ibid.

SECT. VI.

Inimicis ignoscere, corpus, animum, formam, fortunas juvat. 400

SECT. VII.

Exemplo id monstratur. 401

CAPVT II.

Altera Christi morientis cygnea modulatio: *Hodie mecum eris in Paradiso.* 401

SECT. I.

Expenduntur voces: *Hodie mecum eris.* ibid.

SECT. II.

Christi in iis verbis benignitas, latronis felicitas. 403

SECT. III.

Reliqua Christi verba: *in Paradiso* explicantur. ibid.

SECT. IV.

Christus latronum medius, Judicii formam repræsentat. 404

SECT. V.

De primâ paradisi clave. 405

SECT. VI.

De alterâ paradisi clave. ibid.

SECT. VII.

De tertiâ clave paradisi. 406

CAPVT III.

Tertia Christi morientis cygnea modulatio: *Ecce filius tuus.* 406

SECT. I.

Expenduntur verba Domini: *Ecce filius tuus.* 407

SECT. II.

De verbis ejusdem explicatiùs. ibid.

SECT. III.

Cur Mater Domini huic spectaculo interfuerit. 408

SECT. IV.

Expenduntur verba Domini: *Ecce Mater tua.* ibid.

SECT.

Index Paragraphicus.

SECT. V.

Tres præceptiones huc spectantes. 409

SECT. VI.

Tres aliæ præceptiones. 410.

SECT. VII.

Præceptio septima & ultima. ibid.

CAPVT IV.

Quarta morientis cygnea modulatio: *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me.* 411

SECT. I.

Quare derelictus sit Christus. ibid.

SECT. II.

Quomodo derelictus sit Christus. 412

SECT. III.

Exemplis id demonstratur. ibid.

SECT. IV.

Quomodo Christum deseri, nos juverit. 413

SECT. V.

Quinque documenta huc spectantia. 414

SECT. VI.

Quinque alia documenta eodem pertinentia. ibid.

SECT. VII.

Documenta totidem alia, cum modulationi hujus clausulâ. 415

CAPVT V.

Quinta morientis Christi modulatio cygnea: *Sitio.* 416

SECT. I.

Christi morituri sitis, variæ prædictæ. ibid.

SECT. II.

Sitis morituri Christi, cum aliorum siti collata. 417

SECT. III.

Sitis hac gemina documenta. 418

SECT. IV.

Animi sitis in Christo quanta. ibid.

SECT. V.

Christus moriturus, sitienti cervo collatus. 419

SECT VI.

Christi morientis duplex potus. ibid.

SECT. VII.

Quadruplex è dictis præceptio. 420

CAPVT VI.

Sexta Christi morientis cygnea modulatio: *Consummatum est.* 421

SECT. I.

Consummationis hujus parabolæ. ibid.

SECT. II.

Consummationis hujus adumbrantes historiolæ. 422

SECT. III.

Christi consummatio absolutissima nostra, vix ulla perfecta. 423

SECT. IV.

Omnia denique consummantur: Consummatio Christi liberalissima. 423

SECT. V.

Præceptiones geminæ. 424

SECT VI.

Duæ præceptiones aliæ. ibid.

SECT. VII.

Præceptio quinta. 425

CAPVT VII.

Septima Christi morientis cygnea modulatio: *Pater in manus tuas commendo spiritum meum.* 426

SECT. I.

Voces singulæ breviter expensæ. ibid.

SECT. II.

Cur Christus clamore valido expirarit, sex causæ. 427

SECT. III.

Ejusdem in moriente Christo clamoris, aliæ sex causæ. ibid.

SECT. IV.

Christi morientis obedientia longissima, & per omne genus obsequii exercitatissima. 428

SECT. V.

Obedientia morientis Christi patientissima, & perseverantissima. 429

SECT. VI.

Duæ ad rem præceptiones. ibid.

SECT. VII.

Præceptiones ad institutum duæ aliæ. 430

CAPVT VIII.

De beatissimo Christi reviviscentis horto. 431

SECT. I.

Mors, & vita juxta se posita, magis elucescunt. ibid.

SECT. II.

In horto Christus ad vitam redit. 432

SECT. III.

Abdalonymus ex horto ad purpuram, & sceptrum prodit. ibid.

SECT. IV.

Paulinus ab horto in sacrum solium revertitur. 433

SECT. V.

In Christi resurgentis horto, sibilant serpentes, mendacissimi milites. ibid.

CAPVT IX.

De futura mortuorum in vitam revocatione. 434

SECT. I.

Mortuorum in vitam reditus, nec priscis Philosophis ignotus. ibid.

SECT. II.

Mortuos in vitam redituros, variis argumentis docet natura. 435

SECT. III.

Profanis & sacris historiis, noster in vitam reditus affirmatur. 435

SECT. IV.

Geminis singularibus exemplis, dicta firmantur. 436

SECT. V.

Revocationem mortuorum ad vitam, à plurimis non credi. ibid.

CAPVT X.

Christus reviviscens, variè suis se spectandum præbet. 437

SECT. I.

Quo tempore Christus, & an primus omnium resurrexerit. ibid.

SECT. II.

Quibus, quo ordine cernendum se Christum redivivum exhibuerit. 438

SECT. III.

Quàm lætum pascha, Servator nobis omnibus seipsum dederit. 439

SECT. IV.

Laudata vita, resurrectio assiduè cogitata. ibid.

SECT. V.

Resurrectionis fides stabilitur, resurgentis Christi victoria summam attingitur. 440

CAPVT XI.

De Christi reviviscentis triplici victoriâ. 441

SECT. I.

Christus reviviscens vicit elephantum. ibid.

SECT. II.

Christus reviviscens vicit leonem. 442

Index Paragraphicus.

SECT. III.

Christus revivíscens vicit crocodilum. 443

SECT. IV.

Cur Lazarus cum sudario, Christus sine ullo prodierit è tumulo. 444

SECT. V.

Quid mysterii fuerit, moriente Christo tumulos reserari. ibid.

CAPVT XII.

De Christi ascendentis in cælum gloria. 445

SECT. I.

De Christo in cælum ascendente oracula, & vaticinia. ibid

SECT. II.

Christi in cælum ascendentis imagines & umbræ. 446

SECT. III.

Christi in cælum ascendentis potestas, per quindecim prærogativas, & decora illius explicatur. ibid.

SECT. VI.

Quomodo, quot, is præcentibus, ex quo loco Christus in cælum ascenderit. 447

SECT. V.

Quibus de causis Christus in cælum ascenderit. 448

SECT. VI.

Nubes Christo ascendenti obvia, Angelorum ad Apostolos verba, Impressa rupi vestigia. 449

SECT. VII.

Ad parandam cum Christo ascensionem, varii priscorum Patrum hortatus. 451

NOE
ARCHITECTVS ARCÆ
IN DILVVIO NAVARCHVS.

CAPVT PRIMVM.

PRimum diluvii principium, multiplicatio hominum, & flagitiorum. 453

CAP. II.

Alterum diluvii principium, Oculorum licentia, societas pra... 455

CAP. III.

Extrema hominum nequitia, causa diluvii æquissima. 457

CAP. IV.

Quomodo Deum pœnituerit creati hominis. 459

CAP. V.

Noëmus pæne unicus, apud Deum gratiosus. 461

CAP. VI.

Noëmi assiduæ de imminente interitu exhortationes. 464

CAP. VII.

Noëmo Deus dictat Arcam, & de Arcæ amplitudine. 466

CAP. VIII.

Noëmus ædificat Arcam, 468

CAP. IX.

Arcæ janua, & fenestra à Noëmo inserta. 471

CAP. X.

Pecoris, & hominum in Arcam ingressus, Arcæ claustrum. 473

CAP. XI.

Quæ animantes Arcam ingressæ, quale mundarum, & immundarum sit discrimen. 475

CAP. XII.

Cur unà cum homine omne genus animantium, in aquis perierit. 478

CAP. XIII.

Miserabilis tot hominum in diluvio interitus. 480

CAP. XIV.

De Noemi in Arcâ laboribus, & de aquarum incremento. 483

CAP. XV.

Cur Deus diluvio tantùm temporis permiserit? Longanimis patientia Noemi. 485

CAP. XVI.

Quò diluvii aquæ devenerint, quo consilio corvus ex Arcâ emissus fuerit. 847

CAP. XVII.

Quam ob causam, & quoties, ex Arcâ Noemus emiserit columbam. 489

CAP. XVIII.

Noemus ex Arcâ progreditur, & sacrificat Deo. 492

IOSEPH
ÆGYPTI PRO REX
DESCRIPTVS.

CAPVT PRIMVM.

HIstoriæ de Josepho, laus meritissima. 495

CAP. II.

Josephus, fraternâ invidiâ, malo insanabili exercetur. 496

CAP. III.

Vitia esse catenata, Josephi fratres suâ monstrant perfidiâ. 499

CAP. IV.

Quàm grande sit libidinis malum, castissimi Josephi docet exemplum. 501

CAP. V.

Josephus falsò accusatur, & in carcerem mittitur. 504

CAP. VI.

In Josephi carcerem, duo ex aulâ Pharaonis conduntur, omnia humani somnium. 506

CAP. VII.

Josephus somniorum interpres. Humani, & divini favoris, quantum discrimen. 509

CAP. VIII.

Joseph memoriæ encomium, pincernæ oblivioni vituperium deberi, ingratus animus, quàm grave vitium. 511

CAP. IX.

Josephi consilium quàm prudens, maturum, mali affectus expers. Aliquid de malis aularum consiliariis. 514

CAP. X.

Josephus quibus gradibus in tam sublime solium conscenderit: felicitas humana quàm periculosa, brevis, noxia. 517

CAP. XI.

Josephi in fratres mitis austeritas, Dei in homines. Occasio arripienda. 520

CAP. XII.

Josephus sellis aliquid propinat fratribus. Felle oculos purgari, Hic do inspiciendis Mundi nequitiis. 522

CAP. XIII.

Josephus nondum agnitus, suorum fami succurrit. Famis, & omnium malorum causa peccatum. 524

CAP. XIV.

Josephus fratres suos convivio excipit, sed frugali. Conviviorum pudendus luxus. Ebrietas, pæne omnis flagitii compendium, fons noxarum, & malorum omnium. 527

CAP. XV.

Apud Josephum fratrem perorat Judas, & suam fratrúmque culpam fatetur; ita demum omnia in lucem eruuntur: Nihil opertum quod non revelatur. 531

CAP. XVI.

Josephus se noscendum aperit, & injuriis omnibus sepultis, fratres suos amantissimè complectitur. Christiana generositas inimicos, & venia, & beneficiis prosequitur. 534

Josephus

Index Paragraphicus.

CAP. XVII.

Josephus fratres suos instruit, quid Pharaoni regi respondeant: *Omnes dum vivimus pastores sumus.* 537

CAP. XVIII.

Josephi pater cum rege loquitur, & peregrinum se, vitam suam peregrinationem nominat: *Omnes dum cælo absumus peregrini sumus.* 540

CAP. XIX.

Josephi pater moritur, & sepelitur. Moritur demum & Josephus, *Omnes hesterni sumus.*

DANIEL
PROPHETARVM PRINCEPS
DESCRIPTVS.

CAPVT PRIMVM.

Danielis in servando proposito firmitas, & constantia. 547

CAP. II.

Illustrissima Danielis, & sociorum abstinentia. 549

CAP. III.

Daniell Nabuchodonosor rex somnium committit explicandum. Plura de somniis. 551

CAP. IV.

Danielis verbis triplex monitum: 1. Sapientiam à Deo postulandam, 2. In rebus agendis non præcipitandum. 3. Efficienter consummandum. 552

CAP. V.

Statua Nabuchodonosori visa, à Daniele explicata, formandis moribus proponitur. 555

CAP. VI.

Tres Danielis socii, venerationem idoli aurei liberrimè recusant. 557

CAP. VII.

Danielis socii, in rebus creatis omnibus, creatorem quærendum docent. 559

CAP. VIII.

Idem aliorum exemplis illustratur. 561

CAP. IX.

Danielis socii in rogo Babylonico illæsi miraculo multiplici. Quantæ virtutis sit, in igne non ardere. 563

CAP. X.

Daniel alterum Nabuchodonosoris somnium interpretatur, interpretationis summa est: Deus exaltat, Deus dejicit, & humiliat. 565

CAP. XI.

Daniel Nabuchodonosori suader eleemosynas, quod in iis erogandis maximum sit impedimentum. 567

CAP. XII.

Nabuchodonosor, quod ei Daniel prædixerat, in belluam migrat. Peccati proprium est, hominem in bestiam commutare. 570

CAP. XIII.

Nabuchodonosor septennis bellua, uti à Daniele prædictum, indolem humanam recipit. Explicatur illud: *Deus gradientes in superbiâ potest humiliare.* 572

CAP. XIV.

Regi Balthasari temulento Daniel ignotus est: Temulentiæ mala explicantur. 574

CAP. XV.

Rex temulentus Balthasar manum scribentis in pariete cernit, & expavescit, Danielem acciri præcipit. 576

CAP. XVI.

Daniel in Balthasarem regem acerrimè perorans, illud ei singulariter in os objicit: *cùm scires hæc omnia.* 577

CAP. XVII.

Daniel tres voculas arcanissimæ scripturæ explicat. 579

CAP. XVIII.

Daniel satraparum invidiâ exagitatur. Invidia quàm oculatum, subtile, ferox sit malum. 580

CAPVT XIX.

Daniel solenne sibi studium, precandi constantiâ illustri perpetuat. 583

CAP. XX.

Daniel in Leonum cavo illæsus servatur, quia credidit Deo suo. Fiducia in Deum quàm omnibus necessaria. 585

CAP. XXI.

Danielis æmuli hostes in leonum cavea à dejiciuntur, æquissimâ Talionis lege, ac pœnâ, de quâ jam plura. 587

CAP. XXII.

Idem copiosiùs, & confirmatiùs docetur. 589

CAP. XXIII.

Danielis admiranda visio de quatuor diversis bestiis. 591

CAP. XXIV.

Daniel Deum judicem videt, & visum describit. 593

CAP. XXV.

Daniel cernit aperiri libros, in judicium consessu. Hic de malæ conscientiæ supplicio. 595

CAP. XXVI.

De conscientiæ bonæ tranquillitate, ac gaudio. 598

TOBIAS
MORALI DOCTRINA
ILLVSTRATVS.

PARS PRIMA.

CAPVT PRIMVM.

TObias primarii generis vir honoratus. 601

CAP. II.

Tobias inter omnes tribules suos eximius. 602

CAP. III.

Tobias in cogitando Deo assiduus. 604

CAP. IV.

Tobias tam studiosus sepulturæ, quàm patiens cæcitatis. 607

CAP. V.

Tobias in adversis erectissimus. 610

CAP. VI.

Tobias convivator frugalissimus. 613

CAP. VII.

Tobias ad divinam voluntatem formatissimus. 615

CAP. VIII.

Tobias Saræ comprecator in fide firmissimus. 617

CAP. IX.

Tobias præsentiæ divinæ cultor observantissimus. 619

CAP. X.

Tobias eleemosynarum largitor liberalissimus. 621

CAP. XI.

Tobias luxuriæ hostis acerrimus. 624

CAP. XII.

Tobias inter lacrymas jubetur esse lætus. 625

CAP. XIII.

Tobias junior angeli comitantis socius. 628

CAP. XIV.

Tobias junior docentis angeli discipulus. 629

CAP. XV.

Tobias junior ab angelo contra dæmonem instructus. 631

CAP. XVI.

Tobias junior ab angelo matrimonii leges edoctus. 633

CAP. XVII.

Tobias junior in ambiendâ conjuge, quæ septem viros extulit, impavidus. 635

Index Paragraphicus.

CAP. XVIII.

Tobias ad bene agendi occasionem attentissimus. 636

CAPVT XIX.

Tobias junior orationis crebræ studiosissimus. 638

PARS SECVNDA.

CAPVT PRIMVM.

TObias junior sanitatis à Deo impetrandæ cupidissimus. 640

CAP. II.

Tobias junior divinæ gloriæ præco amplissimus. 642

CAP. III.

Tobias junior mansuetæ comitatis plenissimus. 644

CAP. IV.

Tobias pudicæ sobrietatis amantissimus. 647

CAP. V.

Tobias senior, ob moram filii reducis, vehementer anxius. 650

CAP. VI.

Tobias junior Raguelis socerifacultatibus & obsequiis ditatus. 652

CAP. VII.

Tobias senior mœroris nimii præclarus medicus. 654

CAP. VIII.

Tobias junior patentum suorum thesaurus optatissimus. 656

CAP. IX.

Tobias senior cœcus, piscis felle curatus. 658

CAP. X.

Tobias uterque divinis beneficiis mirè gratus. 659

CAP. XI.

Tobias uterque orationi, jejunio, eleemosynæ deditissimus. 661

CAP. XII.

Tobias uterque ad remunerandum, liberali voluntate paratissimus. 665

CAP. XIII.

Tobias uterque cum Deo familiarissimus. 666

CAP. XIV.

Tobias uterque hostis peccati maximus. 668

CAP. XV.

Tobias uterque admodum longævus. 670

CAP. XVI.

Tobias uterque in mercenarium suum munificentissimus. 672

CAP. XVII.

Tobias senior providentiæ, ac justitiæ divinæ scientissimus. 674

CAP. XVIII.

Tobias senior, relapsæ in pejus Ninives, interitum vaticinatus. 677

PALÆSTRA CHRISTIANA

PARS PRIMA.

DE TENTATIONVM NATVRA.

CAPVT PRIMVM.

TOta hominis vita tentatio, & militia. 680

CAP. II.

Tentationes frequenter eò graviores, quò tentati homines sunt sanctiores. 683

CAP. III.

Tentationes amicis Christi neutiquam ignominiosæ. 684

CAP. IV.

Tentationes ostendunt, quàm quisque Deo sit fidelis. 686

CAP. V.

Tentationes industriam acuunt, & fervorem. 689

CAP. VI.

Tentationes animum emaculant, & sapientiam docent. 691

CAP. VII.

Tentationes in sui notitiâ erudiunt, submissum & humilem efficiunt. 693

CAP. VIII.

A tentationibus nemo mortalium securus. 695

CAP. IX.

Tentati hominis, duodecim in spiritali pugnâ stultitiæ. 697

PARS ALTERA.

DE TENTATORIS GENIO.

CAPVT PRIMVM.

TEntatoris genius generatim describitur. 700

CAP. II.

Tentator diabolus Cupedinarium, & Aurificem agit, deliciis, & divitiis fallit. 702

CAP. III.

Tentator diabolus Pileonem agit, ambitione decipit. 704

CAP. IV.

Tentatoris genius, præcipuæ artes, & diversæ tentandæ fallaciæ. 707

CAP. V.

Tentatori vires augent humana infirmitas, & naturales cujusque propensiones. 710

CAP. VI.

Tentator nil potest sine licentiâ, & quomodo Deus nos tentet. 712

CAP. VII.

Tentatorem Deus cur sæpius permittat esse victorem. 714

PARS TERTIA.

DE DIVERSIS RESISTENDI MODIS.

CAPVT PRIMVM.

PRimus in tentatione resistendi modus, *Vigilare.* 716

CAP. II.

Alter resistendi modus, *Principiis obstare.* 718

CAP. III.

Tertius resistendi modus, *Orare.* 720

CAP. IV.

Quartus resistendi modes, *Repugnare.* 723

CAP. V.

Quintus resistendi modus, *Fiduciam omnem in Deo collocare.* 724

CAP. VI.

Sextus resistendi modus, *Tentationum origines explorare.* 726

CAP. VII.

Septimus resistendi modus, *Tentationum illecebras vitare.* 728

CAP. VIII.

Octavus, & nonus resistendi modus, *Corpus castigare, carnem jejuniis macerare.* 730

CAP. IX.

Quomodo diversis suis tentationibus, vel restiterunt, vel cesserint. 732

Epilogus dictorum de tentationibus. 735

AVRI-

Index Paragraphicus.

AVRIFODINA.

Artium, & scientiarum omnium.

PARS PRIMA.

Excerptorum necessitas, seu, Excerpendum esse.

CAPVT PRIMVM.

Quid excerpere, quid excerpta. 739

CAP. II.

Excerptorum necessitas ob memoriæ inconstantiam. 739

CAP. III.

Excerpendum esse testimonio, & exemplo utriusque Plinii, & Aulj Gellii. 741

CAP. IV.

Excerpendum esse testimonio, & exemplo Justi Lipsii. 742

CAP. V.

Excerpendum esse testimonio, & exemplo Martini Delrii. 742

CAP. VI.

Excerpendum esse testimonio, & exemplo Jacobi Pontani. 744

CAP. VII.

Excerpendum esse testimoniis, & exemplis plerorumque omnium Eruditorum. 744

CAP. VIII.

Excerpendum esse testimonio, & exemplo hic differentis Eulogii, Nonnumque complurium. 747

CAP. IX.

Excerpendum esse diversis rationibus docetur. 749

CAP. X.

Objectionibus contra excerpendi sollertiam respondetur. 750

AVRIFODINÆ.

PARS SECVNDA.

Excerptorum methodus, seu, quomodo excerpendum sit.

CAPVT PRIMVM.

INgressus ad sermonem de Excerptorum modo 753

CAP. II.

Leges pauculæ ad excerpendum scriptæ. 755

CAP. III.

Tres exceptorum classes faciendæ, suis cuique assignandus index. 754

CAP. IV.

Lemmata quâ ratione sint facienda. 755

CAP. V.

Lemmatum index, quâ ratione sit disponendus. 757

CAP. VI.

Adversaria quomodo instituenda. 759

CAP. VII.

Adversariorum index, quâ methodo construendus. 761

CAP. VIII.

Historica ad quem modum excerpenda. 762

CAP. IX.

Historicorum index, qui ordinandus. 763

CAP. X.

Qui dictis Excerpendi modis Philosophus, Mathematicus, Medicus, Jurisconsultus, Theologus uti possint. 765

PARS TERTIA.

Excerptorum diversus, seu, multiplex industria excerpendi.

CAPVT PRIMVM.

EXceptæ rei nummariæ: Prima singularis industria. 769

CAP. II.

Altera singularis industria. 772

CAP. III.

Tertia singularis industria. 776

CAP. IV.

Quarta singularis industria. 777

CAP. V.

Quinta singularis industria. 778

CAP. VI.

Sexta singularis industria. 779

CAP. VII.

Septima singularis industria. 780

CAP. VIII.

Auctores quinam legendi. 702

CAP. IX.

Auctores quomodo legendi. 785

CAP. X.

Adjumenta memoriæ. 786

CAP. XI.

In Dominicos & festos dies Symbola. 787

CAP. XII.

Ecclesiastæ atque Concionatori sacro monita. 789

CAP. XIII.

Epilogus, temporis parsimoni... 792

DAVID REX.

CAPVT PRIMVM.

DAvidis ortus & educatio. 793

CAP. II.

David in regem ungitur. 794

CAP. III.

David edit virtutum specimina. 797

CAP. IV.

David in Goliathum armatur. 800

CAP. V.

David Goliathum invadit & devincit. 801

CAP. VI.

David triumphat & invidetur. 804

CAP. VII.

David Jonathæ vestibus amicitur, Saulis lanceæ petitur. 806

CAP. VIII.

Despondetur Davidi Michol. 808

CAP. IX.

Afflictissimus David valedicit. 811

CAP. X.

David ad Achimelecum fugit. 813

CAP. XI.

David insanum se simulat. 815

CAP. XII.

David summa pericula evadit. 817

CAP. XIII.

Paratissimam David vindictam negligit. 820

Nabalis

Index Paragraphicus.

CAP. XIV.

Nabâlis injurias David condonat. 668

CAP. XV.

David in summâ desperatione sperat. 825

CAP. XVI.

David mortem Saulis deplorat. 827

CAP. XVII.

Abnerem David luget occisum. 829

CAP. XVIII.

David Isbosethi sicarios necat. 831

CAP. XIX.

David seipsum triumphat. 833

CAP. XX.

Arcam deducit David & irridetur. 835

CAP. XXI.

Prohibetur David ædificare templum. 837

CAP. XXII.

Legati Davidis ignominiosè habentur. 839

CAP. XXIII.

Adulterium David & homicidium patrat. 840

CAP. XXIV.

David pœnitentiam de peccatis agit. 843

CAP. XXV.

David deflet occisum Amnonem filium. 845

CAP. XXVI.

David ob Absalone regno pellitur. 847

CAP. XXVII.

David à Semei convitiis & lapidibus appetitur. 849

CAP. XXVIII.

David interitum Absalonis filii luget. 851

CAP. XXIX.

David famis triennio medetur. 853

CAP. XXX.

David populum numerare jubet. 855

CAP. XXXI.

Davidem Adoniæ ambitio, aliáque adversa exercent, 857

CAP. XXXII.

Rex David moritur. 859

Finis Indicis Paragraphici.



SECVNDI TOMI

INDEX S. SCRIPTVRÆ MORALIS

Eâdem quâ & in priori Tomo & methodo, & sententiis, & ordine collectus & exornatus, ut Lectori statim pateat quæ ab Auctore ex citatis S. Scripturæ locis Moralitas sit elicita.

Paginalis numeri & hoc secundo Tomo habenda tantummodo est ratio.

Cap. Vers. **EX GENESI.**

Cur serpentinum.

III. 1. *Cur præcepit vobis Deus ut non comederetis ex omni ligno paradisi?* 61

Quid mirum trepidet si nocens?

10. *Vocem tuam audivi in paradiso & timui, eò quòd nudus essem, & abscondi me.* 597

Liber Natalis.

19. *Pulvis es, & in pulverem reverteris.* 538

Quod Deo datur sit optimum.

IV. 3. *De primogenitis gregis sui & de adipibus eorum obtulit.* 814

Oratio vaga, ingrata Deo.

4. *Ad Cain autem & munera eius non respexit.* 97

Senex sponsus.

V. ult. *Noe verò cùm quingentorum esset annorum genuit Sem, Cham, & Iaphet.* 463

Cave Sirenes, ni incantari velis.

vel,

Dum lasciviunt oculi, incalescunt appetitiones.

VI. 2. *Filii Dei videntes filias hominum quòd essent pulchræ, acceperunt sibi uxores, ex omnibus, quas elegerant.* 455

Clepsydra vitæ Peccantium.

3. *Erúntque dies illius centum viginti annorum.* 466

Optima genealogia.

9. *Hæ sunt generationes Noe: Noe vir iustus atque perfectus in generationibus suis.* 461

Vniversalis nequitia.

12. *Omnis quippe caro corruperat viam suam.* 457

Vrbs ambulans.

14. & 15. *Trecentorum cubitorum erit longitudo arcæ quinquaginta cubitorum latitudo, & triginta cubitorum altitudo.* 467

Argumenta vivacissimæ iræ.

VII. 17. *Factúmque est diluvium quadraginta diebus & quadraginta noctibus super terram, & multiplicatæ sunt aquæ, & elevaverunt arcam in sublime à terrâ.* 480

Servit ratio, in regem, tamen data.

VIII. 21. *Sensus & cogitatio humani cordis in malum prona sunt.* 454

Conciliandæ benevolentiæ aptissima methodus.

XVIII. 27. *Loquar ad Dominum meum cùm sim pulvis & cinis.* 71

Perfecta & consummata nequitia.

XIX. 14. *Visus est eis quasi ludens loqui.* 465

Quisque suum exploret & ploret funus.

XXIII. 26. *Sepeli mortuum tuum.* 92

Arma victoriosa.

XXXIII. 3. *Et ipse progrediens adoravit pronus in terram septies donec appropinquaret frater ejus.* 811

Verus Principatus.

XLI. 44. *Absque illius imperio non movebat quisquam manum aut pedem.* 521

Cap. Vers. Vaticinium conscientiæ.

XLII. 21. *Meritò hæc patimur, quia peccavimus in fratrem nostrum, videntes angustiam animæ illius, dum deprecaretur nos, & non audivimus: idcirco venit super nos ista tribulatio.* 522

Intronissus amor, commovet & urit.

XLIII. 26. *Festinavit, quia commota fuerant viscera ejus super fratre suo, & erumpebant lachrymæ & introiens cubiculum flevit.* 528

Oppignoratio summa.

37. *Nisi reduxero & reddidero eum tibi, ero peccati reus in te omni tempore.* 525

Perfectissima Aministia.

XLV. 8. *Ne iratscimini in vis.* 536

Pietas debita Parentibus.

XLVI. 5. *Tulerunt eum cum parvulis & uxoribus suis in plaustris, quæ miserat Pharao ad portandum senem.* 538

Post nubila Phœbus.

30. *Iam lætus moriar, quia vidi faciem tuam.* 538

Iudicia Dei abyssus multa.

XLVIII. 17. *Scio fili mi scio, & iste quidem erit in populos & multiplicabitur, sed frater ejus minor major, erit illo.* 546

Luculentissima hæreditas.

L. 23. *Post mortem meam visitabit vos, & ascendere vos faciet de terrâ istâ ad terram, quam juravit Abraham, Isaac, & Iacob.* 544

EX EXODO.

Da veniam corvis, vexet censura columbas.

I. 16. *Si masculus fuerit interficite illum.* 8

Venefici interficiendi.

XXII. 18. *Veneficos non patieris vivere.* 157

Homo vagus & distractus.

XXVIII. 21. *Impleta est domus illius muscis diversi generis.* 98

Orationis potentia.

XXXII. 10. *Dimitte me ut irascatur furor meus.* 137

Non beneficium, sed supplicium.

24. *Projeci illud in ignem egressúsque est hic vitulus.* 113

EX LEVITICO.

Amara prosunt mellea obsunt.

II. 11. *Omnis oblatio quæ offertur Domino, absque fermento fiet, nec quidquam fermenti ac mellis adolebitur in sacrificio Domino.* 15

EX NVMERO.

Purum & putum murmur.

XIV. 4. *Nónne melius est reverti in Ægyptum? Constituamus nobis ducem & revertamur in Ægyptum.* 635

Spurca societas periculosa.

XVI. 26. *Recedite à tabernaculis hominum impiorum & nolite tangere quæ ad eos pertinent, ne involvamini in peccatis eorum.* 457

Cap. Vers. Retinaculum peccati, memoria præcepti. Fol.

XXII. 18. *Si dederit mihi Balac plenam domum suam argenti & auri, non potero immutare verbum Domini Dei mei.* 548

EX DEVTERONOMIO.

Ibi pedem figimus, ubi noſtram ſtabilimus lucem.

XI. 24. *Omnis locus quem calcaverit pes veſter, veſter erit.* 586

Mundus amariſſimus.

XXXII. 32. *Vva fellis uva eorum, & botrus amariſſimus.* 524

EX IOSVE.

Quod vetitum eſt, nequaquam committendum.

VI. 18. *Cavete ne de vobis, quæ præcepta ſunt vobis, quidpiam contingatis & ſitis prævaricationis rei, & omnia caſtra Iſrael ſub peccato ſint atque turbentur.* 548

Fide, ſed cui, vide.

VIII. 9. *Cùm elevaſſet clypeum ex adverſo civitatis, inſidiæ quæ latebant ſurrexerunt confeſtim, & pergentes ad civitatem cœperunt & ſuccenderunt eam.* 711

EX LIBRO IVDICVM.

Per quæ quis peccat, per hæc & torquetur.

I. 7. *Septuaginta reges amputatis manuum pedumq; ſummitatibus colligebant ſub menſa ciborum reliquias: ſicut feci, ita reddidit mihi Dominus.* 588

EX LIBRO 1. REGVM.

Neceſſitas in rationem verſa.

III. 18. *Dominus eſt, quod bonum eſt in oculis ſuis faciat.* 655

Dum accipis perverti, & perverteris.

VIII. 3. *Declinaverunt poſt avaritiam, acceperunt q; munera, & perverterunt judicium.* 727

Nülla in mundo quies.

XV. 20. *Hèu veniſti, & hodie compellaris egredi.* 542

Ambitio ambit omnes.

30. *Sed nunc honora me coram ſenioribus populi & coram Iſrael.* 12

Acerba ſeparatio.

41. *Siccine ſeparat amara mors.* 388

Plurima tegit Deus ſuo tempore revelanda.

XVI. 3. *Vnges quemcunque monſtravero tibi.* 796

Non forma, ſed ſpectanda mens.

7. *Ne reſpicias vultum eius, neque altitudinem ſtaturæ eius, quoniam abjeci eum: Nec iuxta intuitum hominis ego judico.* 795

Inuſitata ſoloroſa.

XVII. 39. *Non poſſum ſic incedere, quia non uſum habeo.* 801

Paupertinam originem nemo erubeſcat.

40. *Tulit baculum ſuum David quem ſemper habebat in manibus.* 802

Adjudicantur pedo plurimi apti ſceptro.

11. *Adhuc reliquus eſt parvulus & paſcit oves.* 795

Aulici veridici, Aulæ miracula.

14. *Spiritus Dei malus exagitat te.* 799

Quæſitum honeſtum morbo pallium.

21. *Dilexit enim nimis & factus eſt eius armiger.* 799

Etiam immiſſa ſagitta prænuntia quietis.

XX. 21. & 22. *Si dixero puero: Ecce ſagitta intra te ſunt tolle eas: Tu veni ad me, quia & pax tibi eſt, & nihil eſt mali, vivit Dominus.* 10

Regium eſt ignoſcere.

XXIV. 21. *Nunc ſcio, quòd certiſſimè regnaturus ſis, & habiturus in manu tuâ regnum Iſrael.* 400

Cap. Verſ. Patientia læſa fit furor. Fol.

XXV. 22. *Hæc faciat Deus inimicis David, & hæc addat, ſi reliquero de omnibus quæ ad ipſum pertinent uſque mane, mingentem ad parietes.* 478

Rident qui ſupplicia vident.

36. & 38. *Cor Nabal jucundum, cumque pertranſiſſent decem dies percuſſit Dominus Nabal, & mortuus eſt.* 120

Quos ejicit mundus, hos recipit Chriſtus.

XXX. 15. *Puer Ægyptius ego ſum, ſervus viri Amalecitæ: dereliquit autem me Dominus meus, quia ægrotare cœpi nudiuſtertius.* 13

EX LIB. 2. REGVM.

Symbolum Miſericordiæ.

VI. 31. *In ingreſſu oraculi fecit oſtiola de lignis olivarum.* 173

Gravis ſed brevis pœna.

VII. 14. *Ego ero ei in patrem, qui ſi inique aliquid geſſerit, arguam eum in virgâ virorum, & in plagis filiorum hominum.* 14

Perfecta ſui reſignatio.

XV. 25. & 26. *Si invenero gratiam in oculis Domini reducet me, & oſtendet mihi eam, & tabernaculum ſuum. Si autem dixerit mihi, & non places, preſto ſum, faciat quod bonum eſt coram ſe.* 59

Vnius fortitudo quandoque vniverſorum victoria.

XVII. 50. *Videntes Philiſthiim quod mortuus eſſet fortiſſimus eorum fugerunt.* 804

Omnis comparatio odioſa.

XVIII. 7. *Percuſſit Saul mille & David decem millia.* 804

Pulchrum homicidii pretium.

11. *Amovit eum à ſe & fecit eum tribunum ſuper mille viros.* 809

Etiam ſub nuptiarum velo latet homicidium.

21. *Dabo eam illi ut ſiat ei in ſcandalum, & ſit ſuper eum manus Philiſtinorum.* 809

Humaniſſima verba, ſed animus parricidalis.

25. *Sic loquimini ad David, non habet rex ſponſalia neceſſe, niſi tantum centum præputia Philiſtinorum, ut ſiat ultio de inimicis regis.* 809

Infirmior ſexus firmiori ſuccurrit.

XIX. 6. *Cras morieris niſi hac nocte te ſervaveris.*

EX LIB. 3. REGVM.

Dum oras, incurvare.

VIII. 54. *Surrexit de conſpectu altaris Domini, utrumque enim genu in terram fixerat* 588

Vtcunque eſt ventus, ex in velum vertitur.

XXII. 22. *Egrediar & ero ſpiritus mendax in ore omnium prophetarum ejus & dixit Dominus decipies & prævalebis, egredere & fac ita.* 799

Verbum caro factum eſt.

30. *Mutavit habitum ſuum, & ingreſſus eſt bellum.*

EX LIB. 4 REGVM.

Commoda annexa ſua habent incommoda.

IV. 5. *Erat vir fortis & dives, ſed leproſus.* 806

Dei ſagitta nunquam aberrat metâ.

34. *Vir autem tetendit arcum in incertum ſagittam dirigens, & cæſu percuſſit regem Iſrael inter pulmonem & ſtomachum.* 608

EX LIB. 1. PARALIPOM.

Miles ſine gladio, oratio ſine jejunio.

XX. 3. *Rex igitur Joſaphat totum ſe contulit ad rogandum Dominum & prædicavit jejunium univerſo Juda.* 233

Vivere peregrinari eſt.

XXIX. 15. *Peregrini ſumus coram te, & advenæ, ſicut omnes Patres noſtri.* 541

EX LIB. 2. PARALIP.

Deus dum ſpectat, juvat.

XVI. 9. *Oculi Domini contemplantur univerſam terram, & præbent fortitudinem his, qui corde perfecto credunt in eum.* 725

Paucis

Index S. Scripturæ.

Cap.	Vers.		Fol.
		Paucis concessum.	
XXIX.	28.	*In senectute bonâ, & plenus dierum mortuus est.*	267
		EX LIBRO TOBIÆ.	
		Dei memoria, omnis boni causa.	
I.	13.	*Quoniam memor fuit Domini in toto corde suo, dedit illi Deus gratiam in conspectu Salmanasar regis.*	605
		Læta patientia.	
II.	13. & 14.	*Non est contristatus contra Deum, quòd plaga cœcitatis evenerit ei, sed immobilis in timore Dei permansit, agens gratias Deo omnibus diebus vitæ suæ.*	611
		Amat oratio secessum.	
III.	10. & 11.	*Perrexit in superius cubiculum domus suæ, & tribus noctibus non mandicavit, neque bibit, sed in oratione persistens cum lacrymis deprecabatur Deum.*	583
		Principiis obsta.	
IV.	6.	*Cave, ne aliquando peccato consentias.*	505
		Salutare monitum.	
	7.	*Noli avertere faciem tuam ab ullo paupere.*	622
		Si desit pecunia, non desit affectus.	
	9.	*Quomodo poteris, esto misericors.*	622
		Et rara medicina, & rarus effectus.	
VI.	8.	*Cordis ejus particulam si super carbones ponas fumus ejus extricat omne genus dæmoniorum.*	632
		Votum bonum conjugum.	
VIII.	10.	*Et consenescamus ambo pariter sani.*	640
		Oblata casu flecte ad consilium.	
IX.	6.	*Tace & noli turbari: sanus est filius noster, satis fidelis est vir ille cum quo misimus eum.*	655
		Cantilena parentum amantium filios.	
X.	4. & 5.	*Heu me! Heu filii! omnia simul in te uno habentes, te non debuimus dimittere.*	657
		Deo gratias tardum, est pæne nullum.	
XI.	7.	*Vbi introieris domum tuam statim adora Dominum tuum, gratias agens ei.*	660
		Voce & manu.	
XII.	8.	*Bona est oratio cum jejunio & eleemosynâ.*	126
		Virtus sine adversario marcet.	
	13.	*Quia acceptus eras Deo, necesse fuit ut tentatio probaret te.*	5
		Prodigium pæne inauditum.	
XIV.	15.	*Omnem hæreditatem domus Raguelis ipse percepit, vidit que quintam generationem.*	673
		Illustre Elogium.	
	17. & 18.	*Omnis cognatio ejus, & omnis generatio ejus, in bonâ vitâ, & in sanctâ conversatione permansit, ut acceptî essent tam Deo quàm hominibus, & cunctis habitantibus in terrâ.*	674
		Dum mordet, purgat & sanat.	
XV.	14. & 15.	*Sustinuit quasi dimidiam ferè horam, & cepit albugo ex oculis ejus quasi membrana ovi egredi, quam apprehendens Tobias traxit ab oculis ejus, statimque visum recepit.*	659
		EX LIBRO IVDITH.	
		Oratio communis efficacissima.	
VIII.	31. & 32.	*Nihil aliud fiat nisi oratio pro me ad Dominum Deum nostrum.*	132
		EX LIBRO ESTHER.	
		Mutatio repentina.	
VI.	11.	*Hoc honore condignus quemcunque rex voluerit honorare.*	44
		Meditata in alios flagitia ad suam recurrunt originem.	
VII.	10.	*Suspensus est itaque Aman in patibulo, quod paraverat Mardochæo.*	587
		Fallax Aula.	
XVI.	6.	*Aures Principum simplices ex suâ naturâ alios æstimantes callidâ fraude decipitis.*	516

Cap.	Vers.		Fol.
		EX LIBRO IOB.	
		Diaboli potestas limitata.	
II.	6.	*Ecce in manu tuâ ego, verumtamen animam illius serva.*	633
		Nihil fit fortuitò.	
V.	6.	*Nihil in terrâ sine causâ fit.*	675
		Aut pugnandum, aut moriendum.	
VII.	1.	*Militia est vita hominis super terram.*	545
		Magna Fiducia.	
XIII.	15.	*Etiamsi occiderit me, in ipso sperabo.*	724
		Germanum hominis encomium.	
XIV.	2.	*Nunquam in eodem statu permanet.*	555
		Obtrectatiunculis sepelitur dolor, sed non aufertur.	
XVI.	2.	*Audivi frequenter, consolatores onerosi omnes vos estis.*	21
		Timere nescit, qui cœlum pro clypeo gerit.	
XVII.	3.	*Libera me Domine, & pone me juxta te, & cujusvis manus pugnet contra me.*	716
		Expensæ nullæ, census maximi.	
XX.	17.	*Videbit mitis torrentes mellis & butyri.*	647
		Divitiæ purum nihil.	
XXVII.	19.	*Dives cùm dormierit nihil secum auferet, aperiet oculos suos, & nihil inveniet.*	12
		Uror, & non comburor.	
XXVIII.	10.	*In omnibus his non peccavit Iob labiis suis.*	25
		Succedit æstati hiems.	
XXIX.	2. & 3.	*Quis mihi tribuat ut sim juxta menses pristinos, secundùm dies, quibus Deus custodiebat me? Quando splendebat lucerna ejus super caput meum, & ad lumen ejus ambulabam in tenebris.*	87
		Inter corvos cygnus.	
XXX.	19.	*Frater fui draconum, & socius struthionum.*	462
		Divinum irrevocabile verbum.	
XXXIII.	14.	*Semel loquitur Deus, & secundò idipsum non repetit.*	520
		Dei dives armamentaria domus.	
XXXVIII	22. & 23.	*Nunquid ingressus es thesauros nivis, aut thesauros grandinis aspexisti? quæ præparavi in tempus hostis, & in diem pugnæ belli?*	481
		Quod datur, retinet tenaciter.	
XL.	13.	*Ossa ejus velut fistulæ æris, cartilago ejus quasi lamina ferrea.*	702
		EX LIBRO PSALMORVM.	
		Fervens meditatio.	
I.	2.	*Et in lege ejus meditabitur die ac nocte.*	120
		Urbs cœnosa.	
X.	5.	*Inquinatæ sunt viæ illius omni tempore.*	491
		Tentaris? Ora.	
XVII.	30.	*In te eripiar à tentatione, & in Deo meo transgrediar murum.*	707
		In fugâ quandoque salus.	
	34.	*Qui perfecit pedes meos tanquam cervorum.*	729
		Individui comites.	
XX.	10.	*Vniversæ viæ Domini misericordia & veritas.*	714
		Attentio firma.	
	15.	*Oculi mei semper ad Dominum.*	83
		Pulsatur infirmitas, ne superbiret sanctitas.	
XXIX.	7. & 8.	*Ego dixi in abundantiâ meâ: non movebor in æternum. Avertisti faciem tuam à me, & factus sum conturbatus.*	695
		Malis plurimis remedium unicum.	
XXXI.	9.	*In camo & freno maxillas eorum constringe.*	242
		Quò vicinius eò melius.	
XXXIII.	6.	*Accedite ad eum & illuminamini, & facies vestræ non confundentur.*	102

Index S. Scripturæ.

Cap. Vers. — Fol.

Alget virtus, floret vitium.

26. *Multæ tribulationes justorum.* 9

Curiosa vigilia.

21. *Custodit Dominus omnia ossa eorum, unum ex his non conteretur.* 477

Non omnis qui labitur, corruit.

XXXVI. 24. *Cùm ceciderit non collidetur, quoniam Dominus suscipit manum suam.* 715

Etiam quandoque insa surditas medicina.

XXXVII. 14. *Ego autem tanquam surdus non audiebam.* 19

Oratio piè fusa, inflammat suaviter.

XXXVIII 4. *Concaluit cor meum intra me, & in meditatione meâ exardescit ignis.* 121

Ruunt non fulta Deo.

XLIII. 5. *Non enim in arcu meo sperabo, & gladius meus non salvabit me.* 642

Spiritus tristis exsiccat ossa.

XLIV. 6. *Sagittæ tuæ acutæ.* 10

Tribulatis adest Deus.

XLIX. 15. *Invoca me in die tribulationis, & eruam te, & glorificabis me.* 32

Gratissima nummi victima.

L. 9. *Sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum Deus non despiciet.* 495

In utrumque paratus amor.

LVI. 8. *Paratum cor meum Deus, paratum cor meum.* 86

Si amas, dolces.

LXI. 11. *Divitiæ si affluant nolite cor apponere.* 23

Tutò adhærescit.

LXX. 3. *Quoniam firmamentum meum & refugium meum es tu.* 57

Tu deducis ad infernos & reducis.

20. *Quantas ostendisti mihi tribulationes multas, & malas: & conversus vivificasti me: & de abyssis terræ iterum reduxisti me.* 675

Dei decreta etiam subtilissimus nemo penetrat.

LXXII. 16. *Existimabam ut cognoscerem hoc labor est ante me.* 8

Desere, & delectaberis.

LXXVI. 4. *Renuit consolari anima mea, Memor fui Dei, & delectatus sum.* 92

Aureo principio, finis terreus.

Defecit spiritus meus. 555

Turbor, non loquar.

5. *Turbatus sum, & non sum locutus.* 654

Tentant plurimi, obtinent pauci.

LXXXIII 8. *Ibunt de virtute in virtutem.* 621

Cunctatio periculosa.

XCIV. 8. *Hodie si vocem eius audieritis, nolite obdurare corda vestra.* 677

ALIUD.

Præsens Opportunitas in omni re amplectenda.

A plagis sapimus.

CV. 42. *Et tribulaverunt eos inimici eorum, & humiliati sunt sub manibus eorum.* 35

Tutum cambium.

CXI. 9. *Dispersit dedit pauperibus, justitia eius manet in sæculum sæculi.* 148

Perferenda necessariò, perfer Hilariter.

CXV. 13. *Calicem salutaris accipiam, & nomen Domini invocabo.* 47

Orationis assiduitas.

CXVIII. 164. *Septies in die laudem dixi tibi.* 107

Cap. Vers. — Fol.

EX LIB. PROVERB.

Propitium vis Dominum, observans esto famulus.

I. 18.& 19. *Mane consurgent & non invenient me, eò quòd exosam habuerint disciplinam, & timorem Domini non susceperint.* 94

Elemosyna ditat.

III. 9.& 10. *Honora Dominum de substantiâ tuâ, & implebuntur horrea tua saturitate, & vino torcularia tua redundabunt.* 154

Quantò lentior, tantò sterilior.

28. *Ne dicas amico tuo vade & revertere, cras dabo tibi cùm statim possis dare.* 164

Vt quis bene finiat quotidie incipiat.

IV. 18. *Justorum semita quasi lux splendens procedit & crescit usque ad perfectam diem.* 557

Elemosynæ fœnus.

XI. 24. *Anima quæ largiter dat pinguescet, & qui inebriat, ipse quoque inebriabitur.* 674

Aurora rebus omnibus opportuna.

27. *Bene consurgit diluculò qui quærit bona.* 131

Spontanea insania.

XIV. 16. *Sapiens declinat à malo, & timet stultus, transilit, & confidit.* 470

Dei trutina nunquam errat.

XVI. 11. *Judicia Domini pondus & statera.* 580

Securum & tutum mutuum.

XIX. 17. *Fœneratur Domino qui miseretur pauperis, & vicissitudinem reddet ei.* 145

Impatiens, malum suum geminat.

19. *Qui impatiens est sustinebit damnum.* 46

Deliciæ & Ebrietas depauperant.

XXI. 17. *Qui diligit epulas in egestate erit, qui amat vinum & pinguia, non ditabitur.* 648

Oraculum certissimum.

XXII. 9. *Qui pronus est ad misericordiam, benedicetur.* 162

Dum reficit, interficit.

XXIII. 31. *Ne intuearis vinum, &c. Ingreditur blandè, sed in novissimo mordet ut coluber.* 574

Pacis tempore consilia belli tractanda.

XXIV. 6. *Quia cum dispositione initur bellum.* 735

Esto suavis animo afflicto.

11. *Erue eos qui ducuntur ad mortem, & qui trahuntur ad interitum liberare ne cesses.* 692

Pigritia ingeniosa.

XXVI. 13. *Dicit piger, leo est in viâ, & leæna in itineribus.* 522

Impasta caro mansuescit.

20. *Cùm defecerint ligna extinguetur ignis.* 245

Optimum condimentum fames.

XXVII. 7. *Anima saturata calcabit favum, & anima esuriens amarum pro dulci sumet.* 228

Pastoris veri officium.

23. *Diligenter agnosce vultum pecoris tui.* 539

EX LIB. ECCLES.

Cantilena decrepitorum senum.

I. 2. *Vanitas vanitatum, & omnia vanitas.* 657

Mundus absinthii vallis.

II. 23. *Cuncti dies suis doloribus & erumnis pleni sunt.* 360

Quales curæ, talia somnia.

V. 2. *Multas curas sequuntur somnia, & in multis sermonibus invenietur stultitia.* 551

Adversa constringunt, delitiæ enervant.

VII. 3. *Melius est ire ad domum luctus, quàm ad domum convivii.* 31

Cogitationes vagæ, fures solatii.

X. 1. *Muscæ morientes perdunt suavitatem unguenti.* 91

Index S. Scripturæ.

Cap. Vers. EX LIBRO SAPIENTIÆ. Fol.

Capitalis mali Mater invidia.
II. 24. *Invidiâ diaboli mors intravit in orbem terrarum.* 497

Optimum veri amici testimonium.
VIII. 13. *Non habet amaritudinem conversatio illius, nec tædium convictus illius, sed lætitiam & gaudium.* 464

Antiquum sed semper renascens malum.
XIV. 24. *Alius alium per invidiam occidit.* 581

EX LIB. ECCLESIASTICI.

In omnia præmittendus est animus.
II. 1. *Fili accedens ad servitutem Dei sta in justitiâ & timore, & prepara animam tuam ad tentationem.* 21

Differt, sed non aufert.
12. *Quis enim invocavit illum, & despexit eum?* 118

Elemosyna & donum & debitum.
IV. 8. *Declina pauperi sine tristitiâ aurem tuam, & redde debitum tuum.* 156

Quod differtur, non aufertur.
V. 3. *Vindicans vindicabit, altissimus enim patiens est redditor.* 590

Qui nescit se læsum non quærit Chirurgum.
4. *Peccavi & quid mihi accidit triste?* 681

Pacis fabricator.
VI. 5. *Verbum dulce multiplicat amicos, & mitigat inimicos.* 645

Tempestas docet navigii an firma sint latera?
7. *Si possides amicum, in tentatione posside eum, & non facilè credas ei.* 686

Amor pecuniæ mater fœcunda, sed mala.
X. 10. *Nihil est iniquius quàm amare pecuniam, hic enim & animam suam venalem habet.* 709

Si tentationi causam des, culpâ non vacas.
XII. 13. *Quis enim miserebitur incantatori à serpente percusso, & omnibus qui appropiant bestiis.* 736

Si laudas reverere: *nam*
XV. 9. *Non est speciosa laus in ore peccatoris.* 286

Liberum arbitrium.
17. *Apposui tibi aquam & ignem ad quod volueris porrige manum tuam.* 564

Non bene junguntur verbum malum & liberale donum.
XVIII. 15. *Fili, in bonis ne des querelam, & in omni dato ne des tristitiam verbi mali.* 166

Oraturus te præpara.
23. *Ante orationem prepara animam tuam, & noli esse quasi homo qui tentat Deum.* 79

Animi dolor, omnis dolor.
XXV. 17. *Omnis plaga tristitia cordis est.* 10

Generale omnium lingua flagellum.
XXVI. 9. *Flagellum linguæ omnibus communicans.* 18

Res bona multis quandoque mala.
XXVII. 1. *Propter inopiam multi delinquunt.* 11

Inconstans lunaticus.
12. *Stultus ut luna mutatur.* 47

Inimico dones priusquam ores.
XXVIII. 2. *Relinque proximo tuo nocenti te: & tunc deprecanti tibi peccata solventur.* 93

Sanitatis encomium.
XXX. 16. *Non est census super censum salutis corporis.* 641

Perpetua & bene olens fama.
XXXI. 11. *Elemosynas illius enarrabit omnis Ecclesia Sanctorum.* 158

Conciliatrix placidi somni abstinentia.
22. *Quam sufficiens est homini erudito vinum exiguum, & in dormiendo non laborabis ab illo, & non senties dolorem.* 229

In malis sapimus tandem.
XXXIV. 9. *Qui non est tentatus quid scit?* 32

Cap. Vers. Si quid des, da de tuo. Fol.
23. & 24. *Nam: Qui offert sacrificium ex substantiâ pauperum, quasi qui victimat filium in conspectu patris sui.* 176

Multi cibi, Multi morbi.
XXXVII. 32. *In multis enim escis erit infirmitas.* 220

Moderata durant, at pauci credunt.
34. *Qui abstinens est, adjiciet vitam.* 220

Crapula Homicida.
Propter crapulam multi obierunt. 648

Auctor Medicinæ Deus.
XXXVIII. 1. & 4. *A Deo est enim omnis medela. Altissimus creavit de terrâ medicinam, & vir prudens non abhorrebit illam.* 630

EX ISAIA.

Vnum vulnus, integrum corpus.
I. 6. *A plantâ pedis usque ad verticem non erat in eo sanitas.* 417

Tentatio velut spuma caustica noxarum sordes eluit.
25. *Et convertam manum meam ad te, & excoquam ad purum scoriam tuam, & auferam omne stannum tuum.* 685

Multi populi, Multa peccata.
IX. 3. *Multiplicasti gentem & non magnificasti lætitiam.* 453

Dei oblivio, omnis mali origo.
XVII. 10. *Quia oblita es Dei creatoris tui, & fortis adjutoris tui non est recordata: propterea plantabis plantationem infidelem, & germen alienum, obliviscar filiorum tuorum & ego.* 606

Sapientiam nutrit, & alit sobrietas.
XXVIII. 9. *Quem docebit sapientiam, & quem intelligere faciet auditum? ablactatos à lacte avulsos ab uberibus.* 550

Non carpuntur nisi in vere Rosæ.
XXX. 18. *Beati omnes qui exspectant eum.* 487

Vnicum omnium, & vnum Principium.
XLV. 6. *Ego Dominus & non est alter, formans lucem & creans tenebras. Ego Dominus faciens hæc omnia.* 675

Prodigium Amoris.
LIII. 26. *Et pro transgressoribus suis oravit.* 397

Vivacissimus vermis Conscientiæ.
LXVI. ult. *Vermis eorum non morietur.* 596

EX HIEREMIA.

Deum deseruisse, est bonis omnibus excidisse.
II. 13. *Duo mala fecit populus meus, me dereliquerunt fontem aquæ vivæ, & foderunt sibi cisternas, cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas.* 658

Lixivium manus, sed cor non mundat.
22. *Si laveris te Nitro, & multiplicaveris tibi herbam Borith: maculatus es in iniquitate tuâ.* 351

In abundantiâ periclitatur castitas.
V. 7. *Satiavi eos, & mœchati sunt.* 62

Omnia hîc felle lita propter peccatum.
VIII. 14. *Dominus Deus noster silere nos fecit, & potum nobis dedit aquam fellis; peccavimus enim Domino.* 658

Rarò fortunatè & piè.
XXII. 21. *Locutus sum ad te in abundantiâ tuâ, dixisti non audiam.* 518

Vbique Deus.
XXIII. 24. *Si occultabitur vir in absconditis, & ego non videbo eum, dicit Dominus?* 620

Libido morbus pæne incurabilis.
XXX. 12. *Insanabilis fractura tua, pessima plaga tua.* 502

Quæ nocent, docent.
XXXI. 18. *Castigati me & eruditus sum, quasi invenculus indomitus.* 33

Monetâ pari rependitur flagitium.
L. 15. *Sicut fecit facite ei, quoniam Domini ultio est.* 589

Index S. Scripturæ.

Cap. Vers. — Fol.

EX THREN.

Enigma sacrum.

I. 1. *Quomodo sedet sola civitas plena populo.* 571

Peccata, nubes.

III. 44. *Opposuisti nubem tibi ne transeat oratio.* 35

EX EZECHIELE.

E calamitate calamitates nascuntur.

VII. 25. *Conturbatio super conturbationem veniet, & auditus super auditum.* 20

Spongia delens omnia.

XVIII. 24. *Si averterit se justus à justitiâ suâ & fecerit iniquitatem, omnes justitiæ ejus, quas fecerat, non recordabuntur.* 526

EX DANIELE.

Admiranda fiducia.

I. 12. *Tenta nos obsecro servos tuos diebus decem, & contemplare vultus nostros, & vultus puerorum qui vescuntur cibo regio & sicuti videris facies cum servis tuis.* 13. 547

Vera spiritus libertas.

III. 2. *Non oportet nos hac de re respondere tibi.* 558

Epistolarum Triumvocalarum.

V. 6. *Mane, Tekel, Phares,* 580

Prodigium ingens.

VI. 22. *Deus misit Angelum suum & conclusit ora leonum.* 585

Iustum Iudicium.

24. *Tunc jubente rege adducti sunt viri illi qui accusaverunt Danielem & in lacum Leonum missi sunt.* 587

EX OSEA.

Tetigisti, maeres.

IV. 5. *Non dabunt cogitationes suas ut revertantur ad Deum suum, quia spiritus fornicationum in medio eorum.* 624

Labores Mundanorum vani.

VIII. 7. *Culmus stans non est in eo germen, non faciet farinam, quod etsi fecerit alieni comedent eam.* 471

EX IONA.

Mitior lex gratiæ.

III. 7. *Homines & jumenta, juvenes, senes, lactentes & parvuli, pauperes & opulenti, sospites, ægroti non gustent quidquam nec pascantur, & aquam non bibent.* 247

EX HABACVC.

Frequens etiam justorum querela.

I. 3. *Quare respicis contemptores & taces conculcante impio justiorem se.* 6

EX LIB. 1. MACHAB.

Methodus obtinendæ victoriæ.

VIII. 3. *Possederunt omnem locum consilio suo & patientiâ.* 593

EX LIB. 2. MACHAB.

Piscator ictus sapit.

IX. 12. *Justum est subditum esse Deo, & mortalem non paria Deo sentire.* 472

EX MATTHÆO.

In fronte serenitas, in mente feritas.

II. 8. *Ite, interrogate diligenter de puero, & cùm inveneritis, renuntiate mihi, ut & ego veniens adorem eum.* 305

Verum Diaboli nomen.

IV. 3. *Et accedens tentator.* 708

Tentatori occinendum semper.

10. *Vade Satana.* 707

Cap. Vers. — Fol.

Disconveniunt oratio pura & affectio maligna.

V. 24. *Relinque ibi munus tuum ante altare, & vade prius reconciliari fratri tuo.* 76

Non eruendi tantummodo oculi mali, sed & abs te projiciendi.

29. *Si oculus tuus dexter scandalizat te erue eum, & projice abs te.* 456

Mitissimus omnium Deus.

45. *Solem suum oriri facit super justos & injustos.* 634

Oraturus pauca loquere, sed multa precare.

VI. 7. *Orantes nolite multum loqui.* 123

Communis & quotidiana omnium oratio.

11. *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.* 638

Ne sis miser ante tempus.

34. *Crastinus enim dies sollicitus erit sibi ipsi.* 18

Omnibus numeris absoluta Oratio.

VIII. 2. *Domine si vis, potes me mundare.* 96

Tutissimum Asylum.

26. *Domine salva nos, perimus.* 114

Semper in exitium trahit Diabolus.

32. *At illi exeuntes abierunt in porcos. Et ecce impetu abiit totus grex per præceps in mare, & mortui sunt in aquis.* 710

Non umbra gladii, sed gladius formidandus est.

X. 27. *Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem* 28. *non possunt occidere; sed potius timete eum qui potest animam & corpus perdere in gehennam.* 636

Regula sine ullâ exceptione.

38. *Qui non accipit crucem suam & sequitur me, non est me dignus.* 66

Pia vox Iusti Patientis.

XI. 26. *Ita Pater, quoniam sic placitum fuit ante te.* 611

Divitibus datur, Pauperibus semper aufertur.

XIII. 12. *Qui habet dabitur ei & abundabit. Qui autem non habet & quod habet auferetur ab eo.* 147

Otium, Nundinæ Satanæ.

25. *Cùm dormirent homines venit inimicus homo & superseminavit zizania.* 71

Oratio secretum amat.

XIV. 23. *Dimissâ turbâ ascendit in montem solus orare.* 126

Cor omnis malitiæ officina.

XV. 19. *De corde enim exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia, blasphemiæ.* 457

Dum teipsum abnegas, juvaris Deo.

XVI. 24. *Qui vult venire post me abneget semetipsum.* 689

Quæ societas Deo grata?

XVIII. 20. *Ubi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.* 301

Templum vera Domus Orationis.

XXI. 13. *Domus mea domus orationis vocabitur.* 128

Omnes fratres sumus.

XXIII. 8. *Unus est Pater vester qui in cœlis est. Omnes autem* 9. *vos fratres estis.* 155

Rejecta sæpius divinâ clementiâ tandem se subducit.

37. *Jerusalem, Jerusalem, quoties volui congregare filios tuos quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, & noluisti. Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta.* 475

Tristitia solitudinem colit.

XXVI. 36. *Sedete hic donec vadam illuc & orem, & ipse avulsus est ab eis quantum jactus est lapidis.* 334

Ora,

Index S. Scripturæ.

Cap.	Vers.		Fol.
	41.	Ora, vigila ut vincas. *Vigilate & orate ut non intretis in tentationem.*	720
		Correptio fraterna.	
	50.	*Amice ad quid venisti.*	338
		Verus Pœnitens.	
	75.	*Egressus foras flevit amarè.*	340
		Potus amarissimus.	
XXVII.	34.	*Et dederunt ei vinum bibere cum felle mixtum.*	357
		EX MARCO.	
		Quantò major fiducia tantò efficacior Oratio.	
V.	28.	*Si vel vestimentum ejus attigero, salva ero.*	90
		Si credas, impetras.	
IX.	23.	*Omnia possibilia sunt credenti.*	586
		Cum hoste age timoratè & cautè.	
XIV.	44.	*Tenete eum & ducite cautè.*	708
		EX LVCA.	
		Inventus Thesaurus opulentissimus.	
II.	16.	*Et venerunt festinantes, & invenerunt Mariam & Joseph & infantem positum in præsepio.*	286
		Corpore semel, corde sæpius concepit Deum Virgo.	
	19.	*Maria autem conservabat omnia verba hæc.*	283
		Forma & methodus Misericordiæ.	
VI.	36.	*Estote misericordes sicut & pater vester misericors est.*	168
		Da veniam hosti, Monetam pauperi.	
	38.	*Eadem quippe mensurâ quâ mensi fueritis remetietur vobis.*	96
		Primus Agricola Christus.	
VIII.	3.	*Exiit qui seminat seminare semen suum.*	122
		Christianæ salutationis forma.	
IX.	4.	*Intrantes in domum salutate eam dicentes, pax huic domui.*	491
		Sollicitudo nimia mentis turbo.	
X.	41.	*Martha, Martha, turbaris erga plurima, porrò unum est necessarium.*	75
		Perseverantia tandem triumphat.	
XI.	8.	*Si ille perseveraverit pulsans, dico vobis & si non dabit illi surgens eò quòd amicus eius sit, propter importunitatem eius surget & dabit illi panes quotquot habet necessarios.*	91
		Monita ne sperne.	
	28.	*Beati qui audiunt verbum Dei & custodiunt illud.*	466
		Alter Baptismus.	
	41.	*Date elemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis.*	199
		Demum omnia ad solem.	
XII.	2.	*Nihil opertum quod non reveletur, neque absconditum quod non sciatur.*	532
		Prandium regale divitibus inusitatum.	
XIV.	12. 13. 14.	*Cùm facis prandium aut cœnam noli vocare amicos tuos, &c. Sed cùm facis convivium voca pauperes, debiles, claudos, &c. & beatus eris, quia non habent retribuere tibi, retribuetur enim tibi in resurrectione justorum*	172 173
		Civile trahendi genus.	
	23.	*Compelle intrare.*	111
		Quem saturitas expulit fames revocat, æqua commutatio.	
XVI.	25.	*Fili, recordare quia recepisti bona in vitâ tuâ, Lazarus similiter mala, nunc autem hic consolatur, tu verò cruciaris.*	611
		Eadem vita, eadem pœna.	
XVII.	27.	*Edebant & bibebant, uxores ducebant, & dabantur ad nuptias usque in diem, quâ intravit Noe in arcam & venit diluvium & perdidit omnes.*	458
		Tandem simul erumpit Amor.	
XXII.	15.	*Desiderio desideravi hoc Pascha manducare vobiscum.*	111
		Intemperatum vitium ambitio.	
	24.	*Facta est contentio inter eos, quis eorum videretur esse major.*	705

Cap.	Vers.		Fol.
		Malleus aurum, Tentatio virum probat.	
	31.	*Ecce Satanas expetivit vos ut cribraret sicut triticum.*	46
		Victima voluntaria.	
	42.	*Non mea, sed tua voluntas fiat.*	612
		Vestis sanguinea.	
	44.	*Et factus est sudor ejus sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram.*	336
		Innocentis oppressio, amoris redintegratio.	
XXIII.	12.	*Et facti sunt amici Herodes & Pilatus ex ipsa die. Nam antea inimici erant ad invicem.*	341
		Vindicta licita.	
	34.	*Pater dimitte illis, quia nesciunt quid faciunt.*	95
		Suam quisque fabricat crucem.	
	41.	*Nos quidem justè, nam digna factis recipimus.*	24
		Citatissimus & velocissimus evolatus.	
	43.	*Hodie mecum eris in Paradiso.*	402
		EX IOANNE.	
		Christi dapes.	
IV.	34.	*Meus cibus est ut faciam voluntatem ejus, qui misit me, ut perficiam opus ejus.*	29
		Relapsus Lapsu gravior.	
V.	14.	*Ecce sanus factus es, jam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat.*	677
		Victoria sui quomodo obtineatur.	
XII.	25.	*Qui amat animam suam perdet eam. Qui odit animam suam in hoc mundo in vitam æternam custodit eam.*	309
		Vitem non dedecorat Olitoris falcula.	
XV.	2.	*Omnem palmitem qui fert fructum, purgabit eum ut fructum plus afferat.*	686
		Solamen miseris, socios habere pœnarum.	
	20.	*Si me persecuti sint & vos persequentur.*	27
		Si spectet impietas, grande ludibrium; si pietas, grande mysterium.	
XVI.	17.	*Qui bajulans sibi crucem exivit in eum qui dicitur Calvariæ locum.*	352
		Virginea charta Christi.	
	23.	*Amen, Amen dico vobis si quid petieritis Patrem in nomine meo dabit vobis.*	70
		Hæc pendet sub judice lis.	
XVIII.	38.	*Quid est veritas.*	799
		EX ACTIBVS APOST.	
		Prima dignitas.	
V.	41.	*Ibant Apostoli gaudentes à conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine JESV contumeliam pati.*	685
		Via ferè unica & rectissima ad Deum.	
XIV.	21.	*Quoniam per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei.*	356
		Suave jugum Ecclesiæ.	
XV.	28.	*Visum est Spiritui S. & nobis nihil ultra imponere vobis oneris, quàm hæc necessaria, ut abstineatis vos ab immolatis simulacrorum & sanguine & suffocato & fornicatione.*	547
		Iejunium ubique vapulat.	
XXVIII.	22.	*De sectâ hac notum est nobis, quia ubique ei contradicitur.*	260
		EX EPIST. S. PAVLI ad Romanos.	
		Labes originalis, æqua afflictionis causa.	
V.	12.	*Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors.*	5
		Sontium & Insontium subinde par supplicium.	
IX.	15. 16.	*Miserebor cujus miseror, & misericordiam præstabo cujus miserebor. Igitur non volentis neque currentis, sed miserentis est Dei.*	522

Index S. Scripturæ.

Cap. Vers. — Fol.

Libidinari, est velle mosi.

VIII. 13. *Si secundùm carnem vixeritis, moriemini.* 463

E morte vita.

cod. *Si spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis.* 219

Amat quandoque Deus, iratus odit propitius.

28. *Quid oremus sicut oportet, nescimus.* 109

Ars Artium.

XII. 21. *Nolle vinci à malo, sed vincere in bono malum.* 646

EX EPIST. 1. AD COR.

Honesta fuga.

VI. 18. *Fugite fornicationem.* 503

Omnia in mundo glabra & lubrica.

X. 12. *Itaque qui existimat se stare, videat ne cadat.* 695

Comedite quæ apponuntur vobis.

25. *Omne quod in macello venit manducate, nihil interrogantes propter conscientiam.* 547

Non omnia possumus omnes.

XII. 4.5.6 *Divisiones gratiarum sunt, divisiones ministrationum sunt, divisiones operationum sunt.* 652

Charitatis veræ symbola.

XIII. 4. *Charitas patiens est, benigna est, omnia suffert. Omnia sustinet, Charitas nunquam excidit.* 309

Vocula una, volumen in S. Script.

XIV. 2. *Spiritus loquitur mysteria.* 793

Ordo in rebus gerendis exornat.

40. *Omnia honestè & secundùm ordinem fiant.* 641

EX EPIST. 2. AD COR.

Iustorum panis quotidianus.

VI. 4. *In multis tribulationibus, in laboribus, in patientiâ multâ.* 493

Et munificâ manu, & hilari vultu.

IX. 7. *Hilarem datorem diligit Deus.* 173

In plagis sanitas.

XII. 10. *Cùm infirmor tunc potens sum.* 9

EX EPIST. AD GALAT.

Roganti improbè, nega strenuè.

V. 1. *State, & nolite iugo servitutis contineri.* 559

EX EPIST. AD EPHES.

Ebrius sæpius & castus, tamen niger cygnus.

18. *Nolite inebriari vino in quo est luxuria.* 649

EX EPIST. AD PHIL.

Omnia à Deo.

II. 13. *Deus est qui operatur in nobis & velle & perficere pro bonâ voluntate.* 643

Quotidianum Dei tributum, *Deo gratias.*

IV. 6. *In omni oratione & obsecratione petitiones vestræ innotescant apud Deum.* 94

Aliud est non velle, aliud non posse.

13. *Omnia possum in eo qui me confortat.* 23

EX EPIST. AD COLOSS.

Sic refice, ut serviat.

III. 3. *Mortificemus membra nostra, quæ sunt super terram.* 550

Sic suffulta succrescunt.

17. *Omne quodcunque facitis in verbo aut in opere, omnia in nomine Domini* IESV CHRISTI *facite, gratias agentes Deo & Patri per ipsum.* 495

Cap. Vers. — Fol.

EX EPIST. 2. AD TIM.

Post flagella sceptrum.

II. 11. *Si commortui sumus & convivemus, si sustinebimus & conregnabimus.* 676

EX EPIST. AD HEBR.

Quos eadem pressit sors facilius commiserescunt.

II. 17. *Unde debuit per omnia assimiliari fratribus, ut misericors fieret, & fidelis pontifex ad Deum.* 27 & 28

Sapientiam instillat afflictio.

V. 8. *Et quidem cùm esset filius Dei didicit ex iis quæ passus est obedientiam.* 692

Fatale decretum.

IX. 17. *Statutum est hominibus semel mori.* 482

EX EPIST. S. IACOBI.

Pungit & ungit Deus.

I. 12. *Beatus vir qui suffert tentationem, quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ.* 5

Victima placans Deum.

27. *Pupillos & viduas in tribulatione eorum visitare,* 204

Mellea verba, sed infœcunda.

II. 15. *Si frater aut soror nudi sunt & indigeant victu quotidiano, dicit autem aliquis ex vobis ite in pace, calefacimini & saturamini, non dederitis autem eis quæ necessaria sunt corpori, quid proderit?* 172

Lingua, pons versatilis.

III. 10. *Ex ipso ore procedit benedictio & maledictio.* 471

Vbi invidia, ibi omne malum.

16. *Vbi Zelus, & contentio ibi inconstantia, & omne opus pravum.* 582

Sciisse & non fecisse mergit navim.

IV. 17. *Scienti igitur bonum & non facienti peccatum est illi.* 578

EX EPIST. 1. PETRI.

Vigiles cum vigili luctemur.

V. 8. *Sobrii estote & vigilate, quia adversarius vester Diabolus, tanquam leo rugiens, circuit quærens quem devoret.* 682

Nemo læditur nisi à seipso.

III. 13. *Et quis est qui nobis noceat si boni emulatores fuerimus.* 43

EX EPIST. 1. IOANNIS.

Verum propitiatorium IESVS.

II. 2. *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris.* 280

Extremiæ quorundam observandæ ungulæ.

IV. 1. *Charissimi, nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus si ex Deo sint.* 701

EX APOCALYPSI.

Infinitæ Angelorum Myriades.

IV. 4. *Millia millium, & decies millies centena millia assistebant ei.* 594 & 595

Post luctam Possessio.

XXI. 7. *Qui vicerit possidebit hæc.* 473

Priusquam intres, execute à calceis cœnum.

11. *Non intrabit in eam aliquid coinquinatum.* 491

Lex malæ societatis initæ.

XXII. 11. *Qui nocet noceat adhuc, & qui in sordibus est sordescat adhuc.* 491

IN-

INDEX CATECHISTICVS,

SEV

INSTITVTIONIS CHRISTIANÆ BREVE & succinctum compendium ordine Alphabetico congestum:

IN QVO

Præter totam & integram Iesu Christi Salvatoris nostri vitam, per partes accuratè conscriptam, Capitalia insuper fidei mysteria explicantur. Virtutum omnium & Vitiorum definitiones traduntur: eáque denique omnia, quæ Iuventuti Christianæ instituendæ & hæresi extirpandæ sunt necessaria, Historiis, Exemplis, Miraculis, Apologis confirmantur, Quibus suis Parochis, Catechisticis, Patribus familias: Hypodidascalis peraccommodus.

Affabilitas, urbanitas, Comitas verborum & morum, Iuventuti inculcanda.

RVERORVM & adolescentum inconstans est amicitia, rataque concordia. Quare sedulò illis ab ipsis quasi incunabilis inculcanda est morum & verborum comitas: castiganda omnis omnino morositas. Est enim morum & verborum comitas & urbanitas maximum amicitiæ vinculum, ut & ipsa inurbanitas & morositas origo rixarum & convitiorum. Quare & etiam ipsi inter se adolescentes scholares, ipsi inter se fratres & sorores esse mutuo doceantur honore prævenire. Habent & alia hæ virtutes moderatrices, quibus cultores suos exornent, commoda, ergo colendæ. Varia sanctorum exempla quæ recitat Auctor id confirmant, dum hanc verborum & morum affabilitatem & urbanitatem commendat, definit, describit. *folio* 645.

Affabilitatis ex D. Thomâ Aquinate definitio.

Affabilitas, *est quædam specialis virtus secundùm quam inter se homines bene dispònuntur simul conviventes & cùm sit ad alterum secundùm aliquam debiti rationem, est pars justitiæ.* 645

Afflictio cuivis communis.

Totus vitæ nostræ decursus catenata est afflictio, nec ab eâ libera est juventus seu adolescentia; Cùm verò ea facilè nimis afflicta, minimo afflictionis genere, puta verbulo injurioso, levi convitio, minimo parentum aut Magistrorum distorto, aut torvo vultu &c. in impatientiam impellatur. Utilitas ipsa quarumcunque afflictionum, & illis quandoque est proponenda. Proponit autem Auctor hujus doctrinæ breve compendium, seu Historiam. *fol.* 5. 6. *& plura vide diversis foliis in Gymnasio Patientiæ.* Afflicti verò semper doceantur adire Deum, similitudine Echini marini piscis, ut Job, David, fecit. 57

Angelorum obsequia.

Angelorum pueris sæpe sæpius sunt recitanda obsequia & beneficia; sunt enim nostri in omni ætate vigiles, & custodes, Comites in egressu & ingressu, in periculis liberatores. Eo fine lege Exemplum & alia documenta tradita ab Auctore. 630. *Vide insuper in Indice Catechistico Tom* 1. *v. Angelus.*

Ambitionis pervulgatum vitium unà cum ætate succrescens.

Ut hædera arborem, ita Ambitio mentem subrepit, & conscendit humanam, nec minus ut illa frugiferum arboris succum: hæc Dei exsugit & propellit timorem. Diaboli aries est, Bellorum concitatrix. Cædium adinventrix. Magistra perversorum, & inurbanorum morum. Hæc adolescentes etiam juniores docet, torquere quaquaversum caput, gressum fingere, brachia agitare, loquelam inficere, vestiúmque varietatem colere. Detestandum & ab ineunte ætate extirpandum vitium. Ita exempla historiæ variæ, 705. 706. 497. 808.

Ambitionis descriptio.

Ambitio est *inordinatus appetitus honoris, & est, vel quando quis appetit testimonium excellentiæ, quam non habet; vel cùm honorem non refert in Deum, vel in utilitatem aliorum, sed in ipso quiescit. Honor quidem bonum est, sed appetitus boni, si rationi non conregulatur, est vitiosus ut ambitio. Opponitur ea Magnanimitati, quia illa inordinatè, hæc ordinatè vult honorem.*

Amicitia Dei colenda.

Ea est singulariter conservanda & semper ambienda, ac proinde doceatur ipsa juventus, ut ab omni peccato mortali semper abhorreat: Amicitiam enim Dei omne mortale crimen abrumpit. Quanti verò amicitia Dei sit valoris & efficaciæ plurimâ probant exempla recitata. 161

Avaritiæ detestanda.

Detestatio hujus capitalis vitii laudanda est: eoque magis quò ea est major; Radix enim est, omnisque origo, & fomentum vitiorum: Exempla, historiæ, aliáque sacra dogmata id comprobant. Quare minimarum etiam rerum valor pueris, & Iuventuti ceu gur semper: & dandarum eleemosynarum muneri, à teneris addicantur. Detestationis verò amplam satis suggerit materiam Auctor. 206. & 207. & dicta historiis confirmat & exemplis. *Vide ibidem qualiter acerrimè sint pauperum fascinatores puniendi quæque illis imminent mala.*

Avaritiæ descriptio.

Avaritia est *immoderatus amor habendi possessiones ab objecto. Opponitur liberalitati in debito morali, sed in objecto legali opponitur justitiæ. Vt verò opponitur justitiæ est mortale ex genere suo nisi imperfectio actus excusset, sed ut opponitur liberalitati si præferatur charitati est peccatum mortale, sin minus venialeest: vitium autem dicitur capitale, à quo alia oriuntur, ut sunt proditio, fraus, fallacia, perjurium, inquietudo, violentia obduratio.*

Auro utendum, non fruendum.

Aurum ita tenaciter retinere, & custodire, ut & ipsa talis custodia, nos ubivis locorum perturbet, & anxios reddat, est rationabiliter furere. Mirabile rei hujus exemplum refert & histor. Auctor. 644

Vide pecunia.

Bella

Bella, clades, fames, divinæ justitiæ instrumenta.

Duce bellorum, cladium, & famis originem & causis. 16. 17. Sunt & bella alia certè periculosioris aleę, in quibus non pro crumena, sed pro anima decertatur, suntque sibi invicem collata ut res vera & umbra. 681

Beneficiorum divinorum memoria grata Deo, Oblivio ingrata.

Benefica gratiarum divinarum pluvia Hebræorum Synanogam irrorare nunquam destitit; sic sacræ Paginæ quoslvis auctoritate testes veritate exsuperantes, edocent sparsim nec unquam benefica illa fluens petra: nunquam depluens illud manna liberalitatis divinæ æternisans monumentum fluere aut depluere cessarunt, nisi dum horum inter eos jam deperiret memoria. Quare ut solet è silice intimè sublatis ignis collisione educi & provocari, ita gentem illam primæ admissionis amicam, crebris tribulationum ictibus cõtudit, ut ejus acceptorum beneficiorum jam memoria deperdita, tandem & semper foret rediviva: at nunc gratiarum & beneficiorum pluvia in immensum & profundum excrevere diluvium, siquidem Creationis, Gubernationis & Conservationis, aliisq; quibusdam magis corporalibus quàm spiritualibus, quibus cumulata Synagoga vetus fuit, accessit, sine quo nil prosunt reliqua, Redemptionis humanæ ingens beneficium, quo nihil majus arca nla Dei potentialis humano potuit conferre genere. Cuius beneficii memoria homini Christiano, quàvis in ætate, iugiter retinenda: retinetur verò, si iugis accedat gratiarum actio, Mane, vespere, &c. Grati fuere Barbari diis suis, gens, &c. 660. At modò, vt & à principio mundi munus cœpit oblivione peccare, peccat. 513.

Cœlum homini Christiano ut certaminis præmium creberrimè suspiciendum.

Præmii perfecta cognitio, laboris est mitigatio. Quare de cœlesti illius denarii (qui rectè perseveranter operantibus liberali æterno Dei decreto manet) valore, differendum coram juventute ab Hypodidascalis est frequentius. Ne tenera illa ætas flecti facilis, virtutis dum experitur arduum, vel rectè cœpta fastidiat, vel ab iisdem planè deflectat. Quàm multa quotidie ô tenella Ecclesiæ germina in oculis admittimus, effectu sanè non minùs dispari quàm vario. Multa nocent, docent quædam, hæc contristant, illa exhilarant. Sed nullum oculis præstantius cæli theatro spectaculum. Iter namque eò tutissimum habent oculi nec vnquam sine fructu uberi reflectuntur. Quis enim non intimâ obsecro voluptate gestiat, cùm illam Dei sedem Beatorum viridarium & lætam aspicit? 452.

Calamitas.

Sine calamitate neminem vixisse vnquam, obviæ passim docent historiæ; sunt verò immissæ à Deo calamitates qualescunque, eæ in hac vitâ sunt multarum virtutum Magistræ, & vitiorum omnium expurgatrices; effervescentes enim iuveniles motus temperant. 27. & 28. adeòque ipsa calamitas immissa calamitatis est remedium, licétque videatur cauterium vulnus, reverà tamen vulneris est medela. Exempli gratiâ, est inter vos, ô adolescentes, alius forsan luscus, alius altero vel utroque claudus pede, gibbosus alius, vel mutus, vel balbutiens, &c. Illi aliique similes, defectus sunt ad instar Gesticulatorum Bacilli, quibus cordæ insaltantes, ut illi æquilibrium corporis conciliant, ita & petulantiam affectuum animi continent corporis defectus, aliæque calamitates, ac proinde calamitatis calix, à Deo ut & nobis propinatur, sive hi defectus, vel ex infortunio, vel ex ipsa nobis obvenerunt iniuriosâ nativitate, ita & est salutaris. 40. *& passim in Gymnasio Patientiæ. Vide Indicem Rerum verbo eodem.*

Cantilena Musica.

Cantare, & cantillare omnibus fermè in locis iuventuti quasi proprium hoc ævo est; nec cantilenæ ingratæ Deo, modò earum tenor castus sit, & sonoræ voci pietas comes sit: sed raræ tales in orbe adolescentum & puellarum sunt cantilenæ. Nullæ enim censentur sonoræ, nisi simul sint & libidinosæ; ita comprobant eæ, quæ à pertranseuntibus decantari in ipsis officinis & plateis audiuntur. Imò quod pace vestrâ dixerim, ô Musici! Hæc cantionum levitas & vanitas per vos ipsa conscendit templi limina, & quæ olim Musica pietati promovendæ in Ecclesiis fuit decantata; nunc augendæ libidini & vanitati subservit in orbe passim. Adeóne nullæ cantilenæ pulchræ, rari artificii cantiones nullæ, nisi vel leves aut libidinosæ? Primi cantores in novâ lege quinam fuerunt? Quæ verba cecinerunt 299. 300. & 301.

Vulgata Castigationis Divinæ methodus.

Quandoque impatientioris animi ipsa Adolescentia, & quivis passim homines vel offensi, vindictæ statim, & ultionis varia comminiscentur genera, vel etiam non læsi, proximo nescio quas sycophantias sternunt petulci, existimantes sese posse, quod nulli possunt impunè esse petulantes. Eadem enim Deus remetiri mensurâ solet, quâ proximum metimur: iustâ licet plerumque talionis pœnâ. Hinc quod alter alteri sæpè coxit venenum, ipsi vel invito à Deo propinatur absorbendum. O quàm sedulò & frequenter proximorum illis sycophantis, & irrisoribus, & vindictæ cupidis illud aureum Christianæ institutionis dogma ab omnibus Catechistis est inculcandum, & è cathedrâ proclamandum: *Quod tibi non vis fieri alteri ne feceris.* Severa enim Deus ô homo

In te talis erit qualem tegs inserit alter.

Testes innumeri, innumera & millena sunt exempla, Historiæ, *quas leges à fol. 588. usque 590.*

Castimonia, Castitas.

Castitatis virtute Ægypti Prorex factus est *Ioseph.* Nulla enim, ô puellæ & adolescentes, fuit aut erit honorata inventus, quæ castitatis passim fuerit violatrix. Sapientissimè dixit Salomon: *Qui amat cordis munditiam, habebit amicum regem.* Quisquis verò es, qui libidini indulges, valedic colo & morere. Omnes enim animi dotes & gratiæ hoc vno vitio enecantur, & hac vnâ virtute cultâ conservantur tutæ. Vnde mens casta gemma est pretiosissima nullis thesauris æquiparanda. Quare etiam minorennes pueri doceantur (si sibi mutuo præsertim condormiant, quod dum fieri aliter potest, commodiùs, aut sine gravi damno, fieri nunquam aut rarò deberet) à mutuis liberis abstinere contactibus, & à dissimilium sexuum familiari aut occultâ conversatione. Vnde, & ex quibus primordia sua vnà cum ætate sumit succrescens libido. 463. Paradigmata verò insignia castitatis & rara lege 503. *Consule insuper quæ recitat Auctor Tom. I. V. Castitas in Indice rerum & catechistico; præclarè enim ibidem docet castitatis statum, & castimoniæ acquirendæ methodum.*

Descriptio Castitatis.

Castitas, est *virtus quæ concupiscentiam, quæ ad modum pueri frenanda est, castigat, & sic est aliquid secundùm rationem modificatum, in quo consistit ratio virtutis humanæ, est q, in animâ ut in subjecto. Materiam verò habet in corpore, & est habitus voluptatis varius, nec per violentiam auferetur. Ad illam pertinet pudicitia, non ut virtus distincta, sed ut exprimit quandam eius circumstantiam. Pudicitia enim à pudore dicitur, in quo verecundia significatur, proprieque de actibus venereis, in quibus homines maximè verecundantur, ut sunt aspectus impudicus, oscula, tactus, & circa quæ magis est pudicitia; Castitas enim magis est circa ipsam commissionem.*

Caro, Corpus.

Novercari corpori & carni doceantur ab adolescentiâ, quivis homines: vigor enim corporis languor est animi, ac proinde Ecclesia carnem hostem nominat, & quidem primarium; siquidem hostis domesticus multò pessimus est? Duabus verò manibus adolescentiam impugnat caro, Gulâ nempe & Luxuriâ. Vtramque verò ligat & exarmat parca mensa: Parentes igitur, dum tanta instruunt convivia, ab iisdem semper minorennes, quorum oculi semper sunt avidiores, removeant. Ieiunio suos assuescant: vnica enim carnis victoria sanctioris vitæ est fundamentum. Sic docuêre nos varii 215. & 216. *Vide v. Vinum, Ieiunium, & in Primo Auctoris Tom. in Indice tam catechisto quàm Rerum v. Caro, latè enim ibidem docet Auctor, quomodo in carnis castigatione Divi sint imitandi.*

Cæremoniæ.

Cæremoniarum usus in Ecclesiâ ex veteri etiam testamento probatur, & quare etiam ipsis moribundis quædam exhibeantur ab Ecclesiâ, *lege Tom. I. fol. 125. & in Indice Catechistico v. Cæremoniæ Ecclesiasticæ.*

SE-

SEQVITVR

TOTA IESV CHRISTI SALVATORIS NOSTRI VITÂ,

In quâ per partes distributione factâ, Mysteria ea, quæ salutis nostræ & fidei sunt fundamenta, ut sunt Incarnationis, Nativitatis, Passionis, Resurrectionis, Ascensionis Iesu Christi, dilucidè & curiosè satis traduntur.

IESV Christi Nativitas.

IEsv Christi in orbem ingressus verè fuit pacificus. 274
Quo anni tempore, quâ horâ, quâ mundi ætate natus sit. 277
Cur membra ejus fuere involuta pannis. 283
Christo nato quomodo res omnino dissimillimæ conjunctæ sint. 291
Christo nato triplex Iridis color appropriatur. 290
Ingratitudo civium Bethlemiticorum & Consanguineorum erga Christum natum & nasciturum. 291
Nuncius Nativitatis Christi fuit Gabriel Archangelus. 285
Cumeæ Sybillæ vaticinium, de IESV Christi Nativitate. 274
Quæ & qualia Christo nato visa fuêre prodigia. 275
Rationes præcipuæ, cur natus sit, & factus homo. 282
Quàm linteola & fasciolæ, Christi fuere pretiosa. 282
Christi nati prærogativæ primogenituræ. 289
Christus natus nunc rex pacis, & non exercituum, dicitur. 292
Christus natus non abstulit à matre virginitatem. 322
Christus natus terruit Herodem. 325
De Christi lachrymis & vagitu. 287

Angelorum cantus in Christi nativitate, & celebrata gaudia.

Angelorum cantus Christo nato. 283
Cur Christo nato, Angelus non fuit missus ad Augustum Cæsarem. 285
Christo nato, omnes Angeli sese in terram dimiserunt. 298
In Christi nativitate, Angeli pacem publicant. 300
Quid hæc Angelorum musica nos doceat. 301
In nativitate Christi, tantùm Angeli cum luce apparuerunt. 285
Cur dixerit Angelus, *Hodie natus est*, & non *hac nocte*. ibid.
Angelum fuisse missum in Nativitate Christi ad Magos, & ad Patres in lymbo credibile est. ibid.
Cœlum eâ nocte resonabat Angelorum canticis. 325

Accurata IESV Christi præsepis descriptio.

Præsepe Christi fuit lectulus floridus. 290
Præsepe Christi servatur & videtur Romæ. ibid.
De hoc præsepio varia Prophetarum vaticinia. ibid.
De virtutibus, quas Christus infans divinus è præsepio docet. 288
Præsepe Christi figurâ mentis humanæ. 285
Ex quâ materiâ fuerit hoc Christi præsepe. 280
S. Francisci cultus & affectus erga præsepe Christi. 281
Homo Christum contemplatur positum in præsepio. 289

De Pastorum citato accursu ad IESV Christi præsepe.

Pastores ad Christi cunas accurrentes, variè considerandi. 285
Pastores hi fuere primi Christi Apostoli. 286
De Pastorum à Christi cunabilis reditu. ibid.
De Pastorum accursus celeritate & festinatione. 286
Fuerunt Pastores hi primæ admissionis amici. ibid.
Quomodo reversi verè laudantes Deum. ibid.

De Magorum ad Christi præsepe itinere, & stellæ apparitione.

Magorum ad Christi cunas profectio. 302
Ex quâ Orientis parte Palæstinam petiverint. ibid.
Ex Arabiâ felice ad Christum hi tres Magi venerunt. ibid.
Stella illa elusit artem Astronomorum. ibid.
A stellâ hac Hebræorum perfidia fuit convicta. 303
Non prius orta & visa fuit in aëre quàm Christo nato. ibid.
Tria admiranda in his tribus Magis. 302
Magi ex quâ regione sint profecti. ibid.
De stellâ profectionis istius duce. ibid.
Admiranda plurima sunt in hac stellâ. 303
Fuit adorationis Dei monitor. ibid.
Stellâ hæc suo splendore solem superavit. ibid.

De Magorum humili adoratione factâ.

Magi hi, qui Christum natum adorarint, fuerunt reges. 304
Hos Magos nullus humanus timor ab hac Christi adoratione potuit absterrere. 305
Apud Persas triplex fuit Magorum genus. 304
Hi Magi sua diademata cunis Christi subjecêre. ibid.
Magorum constantissima pietas & religio. 305

De Magorum muneribus Christo infanti oblatis, déque eorum mysticâ interpretatione.

A singulis Magis tria munera oblata. 306
Donum Deo-homini triplex oblatum. ibid.
Cur Deo-homini oblatum sit Thus? 308
Thus quid denotet, & significet. ibid.
Quare ab his Magis oblatum sit aurum. 307
Aurum quomodo verè regium semper fuerit donum. ibid
Myrrha quid adumbret. 309
Aurum Charitatis symbolum. ibid.

IESV Christi Salvatoris nostri Pascha, & Cœna, & Lotio humilis pedum discipulorum.

Christo cænanti appropiantur cygni proprietates. 332
Christi in hac cœnâ summa liberalitas. 334
Suos cruciatus in hac cœnâ aspexit ut lætum sacrificium. ibid.
Lotio pedum in hac cœnâ factâ, exemplum inauditum. 329
Angeli, ex hac pedum Apostolorum lotione, quasi profecerunt. 330
Quid ex hac lotione pedum, singulis hominibus sit addiscendum. 330
Num Christus in fine cœnæ cecinerit. 331
Causæ & rationes, quare Christus in ultimâ cœnâ cecinerit. 332
Triplicem cœnam Christus dedit. 338
Christus lavando pedes Apostolorum, veterum consuetudinem servavit. 329
Hac lotione factâ & cœnâ noluerunt ampliùs Angeli adorari. 330

IESV Christi in hortum ingressus, oratio fervens, & sudor sanguineus.

Passionis suæ exordium ab horto duxit Christus. 333
Christus diversos in terris hortos habuit. ibid.
In hoc horto Christus reliquit oraturis prototypon. 334
Hic sudor sanguineus, misericordiam & non vindictam clamavit. 336
Ex hac Christi præviâ, ante passionem, oratione, quid discamus. 314
Quando orationi suæ finem imposuit. ibid.
Christi sanguis fuit amore exactus. 370
Fuit Christi sanguis purissimus, & nobilissimus, & efficacissimus. ibid.
Cur oraturus avulsus est à discipulis. 82
Suspiria animæ piæ ad Christum sanguine manantem. 337
Christus unde sudaverit sanguinem. 335
Christi in horto lucta, & in eâ compositio. 336
Vtrum ille sudor sanguineus illi fuerat naturalis? ibid.
Ex guttis defluentibus sanguinei sudoris nata arbor. ibid.
Hæ guttæ sunt amoris Christi testes. ibid.
Christus cur sanguinem sudarit. 335
Peccata è corpore Christi sanguineum sudorem eliquarunt. ibid.
Sanguis hujus eruptio potuit esse naturalis. 336
Christi sanguis fuit alterum quasi diluvium. 370
Sanguinem Christi adumbrarunt plurimæ victimæ. ibid.
Cur non aliter quàm sanguine propitiari voluit Deus. 371
Amor hic Christi major fuit omni tormentorum passione. 337
Ad hortum, in quo Christus oravit, Apostrophe. ibid.

IESV

Index Catechisticus.

Iesu Christi Salvatoris nostri venditio facta à Iudâ Proditore, & quo pretio.

Christi venditi pretium quale? 770
Quibus modis conatus sit proditorem suum avertere à concepto flagitio? 338
Christi mansuetudo erga suum proditorem. 338
Christus cur Judam elegerit in Apostolum? 339
Quo pretio sit venditus Christus. 338

Iesu Christi Salvatoris nostri negatio facta à Petro.

Negatio Petri acerbior fuit Christo tormentis omnibus & probris. 339
Quorum nos moneat hæc negatio Christi facta à Petro. 340
Causæ ruinæ & tam infamis negationis in Petro. 339
Gradus per quos Petrus in præceps abiit. 340
Petrum monuerunt Christi aspectus & gallus. ibid.

Iesu Christi ignominiosa illusio facta ab Herode.

Herodes Christum illusit coram toto exercitu. 341
Rogavit plurimas à Christo quæstiones, eas tamen ignoramus. ibid.
Quis ille Herodes fuerit, qui Christum sprevit. 340
Quare ad interrogata non responderit Christus? 341
Herodes æstimavit Christum stultum. ibid.
Quâ veste Christum induerit, & remiserit ad Pilatum? ibid.

Iesu Christi acerba flagellatio sanguinea.

Christus fuit nudus alligatus columnæ. 341
Columna qualis quantæque fuerit altitudinis? 342
Flagellatum eum voluit Pilatus, ut liberaretur. 341
Christi flagellati innumeræ plagæ. 342
Christi flagellatio fuit sine modo. 342
Fenes amoris Christum alligarunt columnæ. 343
Christus tribus instrumentis est flagellatus. 342
Putant aliqui Christum flagellatum à viris mille. ibid.

Iesu Christi penetrans coronatio.

Corona Christi, ex quibus spinis fuerit contexta. 344
Typus coronæ dominicæ. 345
Hæc corona Christi fuit dura cervical. ibid.
Quidam ob Christum sic coronatum etiam reges, noluerunt auro coronari. 346
Corona Christi quantas complexa sit spinas? 344
Hæc corona fuit Christi pileus. 345
Plures post Christum sic coronati fuêre martyres. ibid.
Spinæ coronæ Christi fuêre à terrâ generatæ. ibid.
Quid ex hac Christi coronatione Christianus noter. 346

Iesu Christi purpura ludibriosa.

An Christus fuerit vestitus tunicâ & pallio? 346
Purpura hæc fuit Christo nota ludificationis. ibidem.
Quid hæc purpurea vestis designet? 347
Christus sæpius mutavit vestem. 344
Christo hæc fuit injecta purpura summo ludibrio. 346
Unde Tunica illa purpurea dicta fuerit. ibid.
In aulâ Herodis albam, in Pilati purpuream vestem induit. ibid.
Purpurea vestis signum olim pugnæ fuit. 346

Iesus Christus spectandus à populo exhibetur à Pilato.

Cur Pilatus sistat Christum flagellatum spectandum? 347
Hæc verba Pilati à Christiano homine sæpius cogitanda. 349
Hujus spectaculi diversi effectus. ibid.
Alia fuit hîc populi, quàm in nativitate ejus angelorum, audita musica. ibid.
Quare Pilatus usus sit geminâ hac voce, *Ecce homo.* 347
Mystica explicatio harum duarum vocum à fol. 347. usque 348.
Omnis generis homines Christum sic flagellatum, coronatum, purpuratum intueantur. 350

Iesu Christi damnatio & mortis sententia lata à Pilato Iudice, lavante dein manus coram populo.

Quare Pilatus Christum ad mortem damnarit? 351
Rationes Pilati allegatæ Judæis ut Christum dimitterent. 350
Tenor verborum sententiæ mortis Christi. 351
Quæ sit aqua animæ injustitiam eluens? ibid.
Quo loco & quali, Pilatus sententiam ferens mortis Christi, sederit? 349
Lavatio manuum Pilati injustitiam ejus non eluit. 351
Pilatus plurimos tales habet imitatores lotores. 352

Iesu Christi crux ponderosissima.

Crux fuit ara, in quâ Christus summus Pontifex se victimam obtulit. 374
Crux Christi fuit hasta salutis. 371
Per crucem Christus in altum tolli voluit aëri purgando. 336
Christi crux quàm longa fuerit & lata? 356
Crux fuit Christi principatus. 355
Crux Christi plenitudinem mysteriorum continens. 336

Iesu Christi crucis bajulatio molestissima.

Christus non suscepit iter molestius quàm ad Calvariæ montem. 352
Variæ figuræ Christi exeuntis in montem Calvariæ. 353
Simon Cyrenæus non sponte, sed coactè, portavit crucem Domini. 354
Simoni illi fuit famæ perennitas & salus, hæc Christi crucis portatio. ibid.
Quot homines eo tempore, quo Christus Hierosolyma exivit, credantur convenisse. 353
Causæ cur Simon Cyrenæus factus sit cruciger. 353
Solus portavit Simon ille Crucem Domini. 354
Simon ille Christum non noverat. ibid.
Nullus Judæorum voluit Christum à tanto pondere sublevare. 353
Varii ad montem Calvariæ Christi fuere comites. 355

Veronica compatiens Christo lasso obvia.

Quæ illa fuerit mulier, quæ Christo ad montem Calvariæ itineranti linteolum absterforium obtulit? 354
Hócce linteolum modò Romæ custoditur. 354

Iesu Christi crucifigendi denudatio inverecunda, & potûs acetosi myrrathi oblatio.

An Christus crucifigendus planè denudatus fuerit, variæ sunt sententiæ, quæ & referuntur. 359
Vestium detractio in Christo, fuit maximè dolorosa. 360
Christi nuditas, nullius hominis oculos offendit. ibid.
Nuditas Christi, nobis innocentiæ vestem reddidit. ibid.
Potum amarissimum fuisse Christo porrectum consentiunt prisci Patres. 357
Cur Christus palatum suum infecit tam tetro amarore potûs? 458
Cur Christus biberit acetum, non verò vinum felle mixtum? 359
Hujus denudationis figura præcessit in Noëmo. 359
Christus moriturus quatuor exutus est vestibus. 360
Nuditas hæc fuit Christo inexplicabile tormentum. ibid.
Quid hæc extrema Christi nuditas nos doceat? ibid.
Christo acetum datum odio & illusioni augendæ. 357
Quando homo vinum myrrhatum Christo infundat? 358
Causæ, quare Christus vinum myrrathum non biberit. ibid. & 359

Iesu Christi Salvatoris nostri dira Crucifixio.

Christus crucifixus est quatuor clavis. 380
Christum in sublime fuisse crucifixum probatur. 361
Christo crucifixo debetur amor & compassio. 365
Christi crucifixi altare est cor, casto amore consecratum. 366
Quomodo Christus crucifixus fuerit? 301
In hoc crucis mysterio amoris fuit exsuperantia. 365
Christus crucifixus iris multicolor. 361
Ante conscensionem crucis Christus in eâ oravit. ibid.
Cur mortem crucis Christus elegerit? 362
Summa Christi crucifixi obedientia per solem demonstrata. 362
Amor affectuum nostrorum in Christo crucifixo collocandus. 365

Iesu

Index Catechisticus.

Iesu Christi crucifixi emissio sudoris, lacrymarum, aquæ, & sanguinis.

An Christus lætalem moriturus emiserit sudorem? 367
De aquâ è latere Christi profluente. 369
An Christus moriturus lacrymas fuderit? 367
De fuso Christi sanguine in cruce. 369

Iesu Christi in cruce pendentis actiones.

In cruce quid Christus egerit & ejus actiones. 381
Christus inter calumniatores medius, fuit auctor veniæ. 397
Legum à se latarum in cruce pendens, fuit observantissimus. ibid.
E cathedrâ crucis docuit proximo remittendam injuriam. 398
Christus in cruce tulit legem oblivionis. ibid.
Latronum medius, judicii extremi formam & judicis repræsentat. 404
Christi voces ultimæ expenduntur. 426
Cur Christus dixerit se à Deo Patre derelictum? 411
Qui fieri potuit ut à Patre desereretur? 412
Seipsum quomodo Christus deseruit. ibid.
Ejus gloria in morte quasi videbatur concidisse. 416
Christi orantis pro inimicis suis figuræ. 396
Christi campanile quod? 397
In cruce Christus egit personam sacerdotis. 398
Crucifigentium se, dum non potest excusare delictum, saltem extenuat. ibid.
Consummatum est, hoc & boni & mali in fine vitæ clamant. 426
Christi in cruce obedientia fuit perfectissima. 428. usque 430. latè.
Tribus modis Christus fuit à Deo Patre derelictus. 412
Quamdiu pependerit in cruce, quâve horâ crucifixus fuerit? 380

Iesu Christi sitis extrema.

Hæc sitis Jesu Christi prædicta à Sybillâ Erytheâ. 416
Christi crucifixo bis oblatum fuisse potum arbitrantur aliqui. 357
Christo crucifixo ex odio datum acetatum vinum. 357
Cur noluerit vinum myrrhatum bibere? 358

Iesus Christus moriens.

Christi clamoris in morte causæ. 427
Moriente Christo terra mota est, & motus hujus rationes. 386
Moriente Christo scissum est velum templi. 383
Christo moriente aperti sunt tumuli mortuorum, & quare? 384
Christo moriente petræ scissæ sunt. 386
Rationes mysticæ hujus petrarum scissionis. ibid.

Eclypsis visa Iesu Christo moriente.

Eclypsis hujus admirabilis descriptio, & quinque testes. 377
An ea fuerit naturalis, an verò miraculosa? 778
Causæ variæ hujus factæ Eclypsis. ibid. & 379
Actio Christi, tempore harum tenebrarum, fuit silens lacrymatio. 381
Christo moriente Eclypsis fuit in oculis Christi. 377
Talis defectus solis nunquam visus fuit. 378
Ex his visis tenebris diversa desumuntur documenta. 379
Quàm acerbæ fuerint Christo hæ tenebræ. 383

Iesu Christi crucis titulus.

De crucis Christi titulo, & quare sic scriptus fuerit? 374
Cur scripti tituli tenorem noluerit Pilatus immutare? ibid.
Fuit hic titulus scriptus triplici idiomate. 374
Varia documenta è tenore hujus tituli desumpta. ibid.

Iesu Christi vestium divisio.

Quæ Christi vestes fuerunt divisæ? 371
Vestes Christi in mercedem cesserunt militibus crucifixoribus. 372
Tunica Christi inferior se auxit ad staturam corporis. ibid.
Quidam ajunt, Pilatum evocatum ad necem Tunicâ inconsutuli Christi fuisse indutum, & quare. 374
Eusebius fuisse triplices vestes Christi tradit. 371
Divisionis vestium & jactationis sortis causæ. 372
Mysteria quædam eruta è divisione harum vestium. ibid.
An Christus fuerit vestitus tunicâ & pallio. 346

Iesus Christus resurgens.

Christus feretur, statim post mortem, sublatus à militibus. 433
Christus mortuus est ut nos resurgeremus. ibid.
Quâ horâ Christus resurrexerit? 437
Quot horæ interfluxerint à morte ejus ad reditum vitæ? ibid.
Quibus, & quo ordine se cernendum redivivum præbuit Christus? 438
Christus revivisens vicit Elephantem, Leonem, & Crocodilum, & quomodo. 443
Veritas resurrectionis quò magis supprimebatur, eò magis divulgabatur. 434
Christus resurgens in mortem telum regessit. ibid.
Christus primus omnium mortuorum resurrexit. 438
Christi resurgentis celebris victoria. 440
Victoriâ Christi resurgentis quomodo fuerit triplex? 445
Quare Christus sine sudario, Lazarus verò eodem contectus, factus est redivivus. 444

Iesus Christus cælum conscendens.

Christus cælum conscendens aquilæ non absimilis. 443
Christi in cælum ascendentis potestas. 446
Christo in cælum ascendenti fit nubes obvia. 449
Quo vestitu Christus ascenderit? ibid.
Cur Angeli ascendente Christo apparuerint in vestibus albis? 450
Christi in cælum ascendentis variæ imagines & figuræ. 446
Quomodo & quibus præsentibus quôve ex loco conscendit cælum. 447
Causæ quare in cælum ascenderit Christus. 449
Ejus in cælum ascensu, facti sumus cæli cives. ibid.
Christus in cælum ascendens, impressa rupi vestigia reliquit. 450

Iesus Christus rediturus Iudex.

Lege ea fine Tomi I. Catechismum & Indicem rerum, & sparsim libellum Auctoris Tribunalis Christi qui insertus est T. I.

CIBVS.

Cibi laudatur temperantia.

Ingenua Iuventus sæculo nunc vivimus tali, in quo laudantur, sed rarius admittuntur virtutes. Eas enim pæne omnes egimus in exilium, & omnium pæne primam Temperantiam, quâ unâ profligatâ ceterarum proniissima est fuga. Nec enim solùm in leges Magistratus sumptuarias, sed & in numinis audacissimè peccamus, & tamen res verissima est: Multi cibi, multi morbi; longa mensa, brevis vita; oppletio ventris, læsio valetudinis. Utinam priscorum illud omnis homo Christianus meminerit: Quantum adimis escæ, tantum adjicis vitæ. 528. *Vide inferius Convivium abiisus.*

CINIS SACER.

Annualis Ecclesiæ cineris mystica insperso.

Saltantem ante Arcam olim Davidem, Michol, Christianum modò cinere sacro inspersum gerens caput, infesta Ecclesiæ cæremoniis Hæresis ridet & irridet: tanquam si vel omnino novus vel incognitus in Sacris paginis cineris semper fuisset usus. Verum, Pii Adolescentes, nullum hocce novum Matris Ecclesiæ est commentum, quæ nihil comminisci solet, quod non vel ipsa Apostolica traditio, vel Sacer sacræ paginæ tenor non confirmet, fol. 36.

CONCIO SACRA.

Sacræ conciones à juventute frequentandæ sedulò.

Ne, quæso, quis vestrûm somniet vel non magni faciendas conciones, vel nullis etiam se legibus ad eas audiendas adigi. Deus jubet, natura & ratio præcipiunt, & naturalis & divini juris est, Verbis, Oratoribúsve sacris non patientem tantùm, sed & fervidam accomodare aurem. Res enim hæc nimis certa est & ad amussim examinata, nec homini verè sedulo, victum, nec prudenter abstinenti, valetudinem; nec obsequenter audienti verbum Dei defuisse virtutem, ut & eâdem veritate polleat eum, qui conciones sacras cum audire possit, negligat; hominem frugi boniśque moribus esse non posse 465. & 466.

CONFESSIO SACRAMENTALIS.

Sacra Confessio Alexipharmacum delictorum.

Pæne innocens est quem peccasse pœnitet, noxarúmque omnium vera mors integra & dolorosa confessio. Quomodo verò ea fieri debeat, *docebit*

docebit te Ind. Catech. Tom. I. eum ergo consule, ubi & Contritionis methodum præscribo.

Confessionis definitio ex S. P. Augustino: Confessio est *per quam morbus latens spe veniæ aperitur.*

Ad Confessionem requiruntur hæ conditiones sedecim, sed non omnes sunt de essentiâ.

Sit Simplex,	*Frequens,*	*Verecunda,*	*Accelerata,*
Humilis,	*Nuda,*	*Integra,*	*Fortis,*
Pura,	*Discreta,*	*Secreta,*	*Adusans,*
Fidelis,	*Libens,*	*Lacrymabilis,*	*Et parere parata.*

Conscientia.

Conscientiæ vis magna est in utramque partem, ut neque timeant ii, qui nihil admiserunt, & pœnam semper ante oculos versari putant, qui peccaverunt. Hoc animi *ingenui Adolescentes*, judicium bona approbans, mala abhorrens, ex religione, & Dei metu oritur. Pulchrè de eâ Tertullianus: *Potest*, inquit, *obumbrari, quia non est Deus, extingui non potest, quia à Deo est.* De conscientiâ igitur dicturi, pauca juventuti per partitiones instillabimus scitu necessaria. 598.

Conscientiæ definitio.

Conscientia est, *reliqua in homine rectæ rationis scintilla, bonorum malorumque faciendarum Index & Iudex.*

Conscientia, mille testes.

Miser certè, jámque quasi reprobationis suæ est testis, hunc qui contemnit testem: *Nam nullus neque testis tam formidabilis est, neque Iudex tam gravis, quàm conscientia, quæ mentibus cujusque insidet & inhabitat.* Ita Polybius in fragmentis. 596.

Conscientia immortalis vermis.

Æquiparatio certè exacta. Nam uti vermes carnem bubulam, ferinam, aliam, è qua nascuntur, penetrant & consumunt; ita suis ipsa culpis corroditur conscientia. Dein ut diu noctúque hi non facilè fertantur, ita conscientia morsibus assiduis reum convellit, noctem diémque amaroribus inficit. 598.

Conscientia bona & recta.

Conscientia celeris expers inter turbines, fluctus, & procellas, inter irati maris minas, inter omnia periculia, miserias, & calamitates inter adversa omnia, mollissimus est pulvinus; *velut* Bernardus inquit, Lectulus refertus floribus, conscientia bonis recta operibus. 599.

Conscientia curanda, & observanda, non hominum judicia.

Splendor nominis, celebritas famæ, præclara existimatio, honoris amplitudo, dignitatis claritas, memoriæ perennitas, neminem nec sanctum reddunt nec beatum: hæc vitrum, non margaritum, animochrystus, non aurum sunt; hæc scarabæi sunt umbra, at bona eáque sola conscientia beat, estque tranquillitatis templum, & revera cœlum est vel extra cœlum. 600.

Conscientia quando examinanda.

Sanè Christiana dictat ratio priùs per diem offensum placare Deum, quàm ordiri somnum, ut si sopor soclandus sit morti (quod prorsus incertissimum) non ad mortem detrudamur æternam. Magis pecus est quàm homo, qui temere ista negligit, & in plumas se abjicit, cùm sibi Deum nec verbulo conciliarit.

Conscientiæ examinandæ brevis methodus.

Ingenua juventus, Corvum quondam sollicitus nimiùm & anxius in diluvio ex arcâ emisit Noemus, ut vel inde disceret quantum jam aquæ decrevisset diluvium. Nunc vos rogo, ut sæpius rationem vestram advocetis, & sedulò quis vestrûm circumspiciat seipsum, an nempe diluvium illud, virtutum, vitiorum, morum decrescat, augeat, aut sibi simile permaneat. His verò sequentibus interrogationibus hæc animi diluvii fiat indagatio.

Ubi sum? Quibus vel animi periculis irretitus? Res meæ ut sese habent? Hoc an mense, hócce anno an probior sanctiórque evasi, atque prioribus sui? Num aliquid in virtutis stadio promovi, & quantum? an forsan defeci factus deterior? &c. 489.

Aliam magis prolixam methodum examinis conscientiæ vide in Ind. Catech. Tom. I.

Constantia morum & virtutum virtus in juventute rara.

Nulli magis quàm Juventuti prompta paratioráque sunt etiam quævis promissa; at nulla quoque solvendo imparatior ætas. Quoties in castitatis ac pudicitiæ leges ea jurat? & fit nihil. Quoties emendationem vitæ seriam proponit? & fit nihil. Quàm generosi nonnunquam conatus? quàm præclara quandoque fervent cœpta? & demum tamen fit nihil. Vix quis est, de quo illud eximiæ laudis licet profari: Hunc Adolescentem novimus, ubi cœpit, non cessat, dum efficienter finiat quod cœpit. Quidquid operis sumit elaborat, extrema persequitur. Quod revera est indolis divinæ. Nam Deus *attingit à fine usque ad finem fortiter & disponit omnia suaviter.* Hoc igitur, ô juventus, agamus 554. 584. *Vis & decetur Constantia & Perseverantia: discrimen &* 592.

Constantiæ descriptio.

Constantia & perseverantia in fine conveniunt, differunt tamen; Hæc enim persistere facit in bonum contra natam ex diuturnitate actus difficultatem: Illa verò contra difficultatem natam ex quibuscunque omnino aliis impedimentis exterioribus.

Hodiernus conviviorum abusus.

Trochaicò veteri ac vero jactabatur.

Difficile est mediocritati dare operam in conviviis.

Parsimonia & sobrietas raræ alites, prodigia magna inter convivas. Nemo est qui hac in re non velit esse lautus, nemo qui alteri cedere. Hinc conviviorum abusus maximi. In digitos mitto ex his notiores.

Ferculorum multitudo. Ad ostentationem & pompam hic pæne omnia conferuntur, non verò ad necessitatem. 613.

Ferculorum pretium. Id enim quod rarissimum est, quod exquisitissimum in convivii apparatum expetitur, si possent hodierni ævi homines Salamandras & Phœnices ad culinam traherent.

Conviviorum prolixitas. Sæpe enim prandium cœnæ nectitur, aut cœna ad noctis umbilicum ad primam, ad tertiam, ad usque quartam, dici principium, extenditur; ádque preces matutinas, sed temulentas, pervigilatur. 614.

Acroamata. Qualia sunt, Choreæ, & quidem peregrinæ, Belgis ignotæ, ad quas duarum aut trium hebdomarum prolusione sit opus, si concinnè in numerum saltare velis. 614. Lusus chartarum, fœdi clamores.

Exemplum pravum. Ita bellè plerumque isti convivatores: Iste me ferculis tricenis, ille quinquagenis, hic centenis me excepit, num ego me vinci patiar & apponam pauciora? decorum violarem. 615.

C O R.

Quid sit Deum ex toto corde amare orare: *seu,* Quid sit ex toto corde proximo injurias remittere?

Quid, quæso, verum, integrum, & rectum à Deo toties expetitum modò & olim est obsequium? Hoc ipsum pium dogma similitudine quadam si tradidero, tradidero rectiùs. Statuam sumamus ligneam exactissimè sculptam, sed coloribus quos pictor addidit nondum siccis, &c. 861

Quid sit credere, quæque sint credibilia?

Credere est *concepta fiducia ab alterius bonitate ac potentia pendere. Credibilia sunt quæcunque vel ad divinum honorem vel ad nostram salutem sunt: Quæcunque verò Dei voluntati, & gloriæ, aut saluti nostræ adversantur credibilia non sunt dicenda, nec ad fidem referenda infra illam sunt aut eam excedunt.*

Credulitas noxia.

Nimiùm credula semper est iuventus, ac proinde noxæ semper proxima, præcipitantia & cœca sunt nimiæ credulitatis imperia. Sapienter dixit Seneca: *Utrumque vitium est & omnibus credere & nulli.* 505.

D.

DE DEO OPT. MAX.

Interrogationes variæ Theologicæ.

An Deus ubique sit præsens & quomodo.

Admiranda prorsus est inter animum & corpus copulatio, quam Philosophorum scholæ nunquam satis explicarint. Non nescimus totum animum in toto esse corpore, sed & totum in digituli extremo: Deus autem in rebus, quas condidit, perfectiùs præsens existit. Quam Dei præsentiam, ipsa si juventus, & omnes Christiani, profundiore paululùm cogitatione perpenderent, etiam soli, inque ipsis tenebris peccare abhorrerent. 821. Nullæ in templo fabulæ & garrulitates 83. & 620.

An Deus sit Auctor omnium operum.

Ità omnis Theologia loquitur: omnis pœna, omne supplicium, à divinâ denique omnia sunt voluntate; idque, ut scholæ loquuntur, effectivè, positivè. Exemplo doctrina traditur. fol. 536.

An etiam sit Auctor peccati?

Nequaquam. Nam Deus tantùm est auctor, ut res fiat, cùm verò malè fit providentissimus est ordinator. Duo enim sunt in quovis peccato spectanda. Primum est naturalis motus corporis, aut voluntatis, aut simul utriusque: alterum est ipsa legis transgressio. Exempli gratiâ, frater fratrem

fratrem calumniatur. Hic linguæ motus sit Deo adjuvante; nam actio hæc naturalis est, quæ fieri, nisi opitulante Deo, non potest: cùm verò ejusmodi naturalis actio contra Dei legem fit, hoc Deus non vult, nam hoc alterum est ipsissima peccati natura. *Lege* 41.

An Deus videat & noverit omnia?

Affirmativè uno ore respondent omnes, cujus rei manifestissimum est argumentum, quòd abditissima & secretissima, quæ & nullo hominum præsente teste peracta sunt, in apertum tandem aliquando producit, ut exempla plurima docent. *fol.* 532.

Quomodo in hac vitâ possit esse assidua Dei memoria.

Sunt qui id negent, dicántque: Occupationibus variis implicamur, negotiorum pleni sumus, hàc illàc trahimur, quâ igitur ratione jugiter Dei meminisse possumus? Possumus, mi Christiane, possumus, modò velimus; nec enim Deus exigeret, si humanam facultatem excederet. 666.

An familiaritas cum Deo inita non pariat contemptum?

Plebeium forsan, tepide Christiane, illud hîc objeceris: familiaritas parit contemptum. Hic neutiquam absit metus. Hinc exercitatior in Deum amor, reverentia submissior; Hinc, inquam, major sui despicientia, virtutum omnium caput. Quod humani non ferunt mores, fert Dei familiaritas. 667.

An in rebus creatis ulla sint Deitatis vestigia?

Ita doctrinæ sacratioris eruditissimi id docent, quærendúmque prænuntiant Deum in omnibus, quippe qui se & inveniendum in omnibus præbet. Nam creata omnia aut Dei sunt vestigium, aut ferculum, aut thuribulum, aut organum, aut speculum, aut liber. 560. & 561. & 595.

Cur sibi à nobis vult servirì tam exquisitè Deus?

Ut debita in cunctis servetur ordinis connexio, ut & in artibus & opificiis fieri videmus, cùm alia aliis adjumentum subministrant. Typographiam ingredere hic cernes qui formas æneas componat, illic qui sepiam typis illinat, istic qui prælum regat; si eorum unicus sit negligentior, chartæ sordidæ, mendosi libri, characteres & versus fugientes excudunntur. Ita Deus nobiscum paciscitur 470. Recitat Auctor & alias causas.

Cur omnia cum Deo incipienda, & omnia cum Deo finienda sint?

Hoc priscæ Sapientiæ monitum est à Jove principium. & Ecclesiæ quotidianum votum; *Cuncta enim rogat illa nostra oratio & operatio à te semper incipiat & per te cœpta finiatur.* Deus enim non decimas tantummodò, sed & primitias petit, & tam actionum principia, quàm consecratos sibi vult fines; secus qui facit, multùm licet agat, parum facit; quia deest actionum anima. Nec enim illæ formantur, nec vivificantur, quæ Deo non consecrantur. 495. & 471. & 424. 604.

Quodnam inter obsequia numinis sit præstantissimum?

Si quæras quo maximè servitii obsequio rex cæli delectetur? In promptu responsum do: Eò utique: In rebus omnibus præcipuè adversis nostram ipsius voluntati adjungamus. 794.

An iustè Deus permittat affligi, & affligat innocentem?

Quâ hoc æquitate dixerit aliquis: Deus calamitates immittit, non ut noxas puniat, non ut errantes corrigat, non ut virtutem erigat, sed ut potentiam, ut loquuntur Theologi, suam palam faciat. An fas esse censeam alterum devestire ut me vestiam? Respondemus jus duplex statui. Jus strictum sive condignum, & jus mitigatum, cùm nempe quid bonâ fide decernitur. Sint igitur omnes homines Baptistæ, Danielis; moribus integerrimi, nihilominus Deus eos stricto jure punire potest. 5.

Quot modis offendatur Deus, & quibus modis placetur?

Dum in orbe hoc degimus nova quotidie nomina contrahimus, & nisi ea novis quotidie industriis expungamus, in labyrinthum horribilem incidemus, opprimemur ære alieno; denique solvendo non erimus. Tripliciter verò offenditur, superbiâ, avaritiâ, libidine: Placatur verò oratione, eleemosynâ, & jejunio. 235.

Quomodo Deus excæcat, indurat, exurdat.

Observandus loquendi modus à divinis libris usurpari solitus Deus excæcat, indurat, ex urdat, quando Deus æquissimè sic punit hominem, ut suam illi gratiam subducat. Exemplo rem monstramus: Magistratus alicubi non ex debito, sed ex liberalitate ligna gratis præbet pauperi plebeculæ, hæc insolenter se gerit & obloquitur: Idcirco Magistratus jure merito minatur immorigeræ plebi, si officium facere recusetis aquam vestram frigefaciemus: quod certè fit cùm ligna, quæ nemini debebantur, subtrahuntur. Ita Deus, &c. 856.

Cur Deus Pater dicatur senex, cùm Filius & Spiritus sanctus, eiusdem sint æternitatis.

Deus senex & antiquus dierum rectè appellatur; nec enim unquam divinæ quis numerabit senectutis annos: cur verò Deus Pater dicatur senex, non verò reliquæ *SS. Trinit.* personæ, id primò fit propter originis prioritatem, uti Theologorum scholæ loquuntur, deinde quia filius humanam induit naturam. Tertiò hic senex ut sapientissimus Judex contemplandus monstratur. 594.

An Dei Præscientia alicui imponat necessitatem pereundi?

Nullam pereundi legem divina prævisio & præscientia ulli hominum imponit. Vincendum te, damnandum te prævidet Deus, quia pugnare non vis, tentationibus resistere detrectas, eque ipsum damnas: non tamen ideo causa tuæ damnationis divina est prævisio, sed causa divinæ prævisionis tua est damnatio. 717. & 716.

Cur grandævo Iudici vestimentum candidum tribuitur?

Cùm in hoc ævo judicum sæpe animi fœdè sint variegati in partium miserè affectus seducti, nihil quoque candoris habent aut candidi: Color enim aureus apud hos judices gratissimus est, & plerumque is causam habet optimam, qui crumenam in munera largissimam: at supremo judici vestimentum candidum, non verò aureum tribuitur. Candor enim cùm puritatem tum simplicitatem judici summè necessariam adumbrat. 594.

Magna quæstio: Quid est Deus?

Deus ergas est æternitas principii & finis expers, Dei famulitium millia millium & decies centena mille millia innumerabiles Angeli. Sed ponamus Angelorum non esse plures quàm milliones, quàm istud ingens & ægrè incomprehensibilis est numerus. Quid ergo, inquis, est Deus si tot ejus servi? Scitia, at supra intellectum humanum subsumptio, da igitur veniam, optime Lector, ad quæstionem hanc, dum non nisi balbutiendo respondere possimus. Theologiæ Antistes Thomas Aquinas: *Deus est suum esse*, inquit, *sed quidnam sit nos latet*, ut tamen divinæ notitiæ scintillam hauriamus addit: *Deus est ens primum, Ens optimum, Ens necessarium, &c.* 595.

Quæ sint Dei omnipotentis manus?

Illas cæli terræque ac rerum omnium architectonicas artifices venetamur manus, certè si quod in orbe tutum est asylum, hæ manus sunt tutissimum. Gemina verò Deo manus est *Sapientia* & *potentia*, seu intellectus rerum omnium scientissimus, & voluntas omnipotens. His manibus cælum, terrámque claudit. His brachiis quidquid supra cælum est, quidquid infra tartarum est constringit, his manibus architectatur universa. 427.

Deus quàm exactus sit futurus Iudex?

Homo actiones quæ oculis sunt expositæ conderat. Deus voluntatem ipsam, cogitationes intimas, affectus latentissimos, suspiciones abstrusissimas, animum & intentiones universas, amores & cupiditates subtilissimas, ad stateram suam examinabit & examinat, neque tam attendit quantum quàm *ex quanto*. Veritissimè *Theodoretus* dixit: Nil rerum est uspiam, quod Deus non multò quàm exactissimâ perlibratione ponderarit. Nullus artifex ramenta & scobem auream, nullus pharmacopola mediocam potiunculam ullam examinat ad libellam, tam gracilem & certam, quàm Deus universa quæ facit. 580.

Cur Deus homines omnes malos & libidinosos non statim iugulat.

Cur Deus non denuo, cùm tot sint mali homines, sulphure, pice, ignibus pluit? Poëta vetus ab exilio respondet:

Si quoties peccant homines sua fulmina mittat
Iupiter exiguo tempore inermis erit.

At hoc nemo Christianorum nec dixerit, sed nec somniarit quidem. Nam totos licet dies & annos igne pluat Deus, fulmine feriat, sua tamen armamentaria hoc telorum genere non vacuabit, nunquam arma desunt divinæ justitiæ. Quòd verò homines quosvis malos non illico fulmine feriat, aut dæmoni tradat jugulandos; complures sunt causæ 634.

Si Deus velit ut omnia adversa patienter tolleremus, cur morbo, cur incendiis, aliisque obviis malis passim resistimus?

Obvia & familiaris satis interrogatio, cui breve Auctor dat responsum. Primò, quia nescimus quousque progressura sit Dei voluntas, fortassis voluit tantum incendi domum & non comburi, hostem mœnibus imminere non urbe potiri. Addo, cùm resistimus his obviis quibusvis malis, non voluntati resistimus divinæ, sed aut nostræ, aut aliorum culpæ. Ita simili tudine quadam docet Auctor. 424.

An etiam nos tentet Deus & quomodo?

Affirmat quæsitum S. Pagina. Deut. c. 13. sic inquit Moses: *Tentat vos Dominus Deus vester, ut palam fiat utrum diligatis eum an non.* Pari modo tentavit Deus Abraham. At idem & S. Pagina negat, sic enim inquit Jacobus Domini discipulus: *Deus intentator malorum est, ipse autem neminem tentat.* Qui conciliabimus partes tam sibi adversas? lege Auctorem *fol* 708. & 712.

Quomodo Deus à nobis possit glorificari?

Hæc Cyrilli Alexandrini admonitio, modúsque loquendi: *Quærenda*, inquit, *sunt à nobis quæ Deo sunt honorifica.* Quæ tunc Deo glorificatio datur, & fit, dum non quod delectat, nobisque jucundum est, agere studemus, sed illi potiùs suppliciter Deo mentem nostram, omnesque actiones dedicamus. Cùm verò non singulis solùm hebdomadibus, sed & diebus plurima obveniunt, quæ aut mollior natura horret, vel omnino refugit; Tunc exurgat animus, & in Deum sese erigendo grandi spiritu dicat: Coërcere vagos meos in hac occasione sensus, mihi molestum est, ô Deus! sed *propter te* coercebo. His illísve me submittere nimis quàm arduum, *sed propter te.* His ignoscere, injuriæque gratiam facere, difficillimum, certè negotium, *sed propter te*, &c. Omnia igitur in Dei gloriam faciendo honorificatur Deus. 644.

Derisio.

Viti hujus naturam & malitiam describit Auctor *Tom. I.* Verbum igitur ibiidem require in Indicibus nostris, *Derisio, Irrisio, vel de linguâ deridente.* Quibus eidem dictis hic obiter noto & addo: *An possit derisio esse peccatum mortale?* & Resp. Si malum est parvum secundum se, quod in ludum vel risum ponitur, peccatum erit veniale, si verò magnum id sit & ratione potest esse mortale, ut irridere Deum, vel parentes, Magistros, vel viros Justos, aliásque personas hoc orandas vitium certè juventuti familiare satis, proindeque verbis & verberibus castigandum, & è scholis & familiis eliminandum.

Detractio.

Detractionis virus latè & clarè satis pandit Auctor *Tom. I.* eum igitur tam in Indice nostro Catechistico, quam Rerum consule. Hic tantum pauca iisdem annoto & Detractionis vitium describo.

Detractionis definitio & descriptio.

Detractio est *alienæ famæ denigratio per verba.* Dicitur verò aliquis detrahere, non quod de veritate, sed quia de fama minuit, idque vel directè, dum nempe imponit falsum, auget peccatum, revelat occultum, dicitque bonum malâ intentione factum, vel etiam indirectè, cùm scilicet proximi bonum malitiosè vel reticet, vel minuit. Ex quibus si læsio notabilis famæ proximo accedat, in his quæ ad honestatem vitæ pertinent, mortale est peccatum. Gravitate furtum excedit, annexámque simul cum furto restitutionis obligationem habet, & quidem strictissimam: & quamvis adulterio ipsóque homicidio minus sit peccatum, utpote cùm hæc inducant majus nocumentum ex circumstantiis, aliquándo tamen erit majus. Detrahentem verò audiens non sic quasi consentiat detrahentis peccato, sed quia vel ex timore vel verecundiâ vel etiam ex ipsâ negligentiâ non repellat, peccato obstringitur veniali; si tamen corrigere detrahentem ex muneris sui ratione teneatur, mortale esse potest. Utriusque periculosa est alea, Christiani, & detractorum & detrahentium Auditorum.

QVÆSTIONES VARIÆ

De diaboli infernalis vafritie.

Diaboli astus & vafrities, casses, quibus avicularum adinstar in omni ætate, quovis in tempore, quasvis personas decipit & irretit, juventuti & detegenda sunt. Ne incauta illa æras & decipi facilis vitæ suæ primordia gratiora Deo diabolo sacrificet. Nam, *Quæ nimis apparent retia vitat avis.* Hinc & quæstiunculas quasdam quæro, illáemque brevibus respondeo. Plura semper volenti scire integrum erit Auctoris verba legere assignatis numeris requirendo.

Quæ sit diaboli potestas.

Duplex est dæmonum, ingenui Adolescentes, potestas, *Prima* quidem illa maxima quantum apud miseros divinæ justitiæ rigor poscit. *Altera* magna, sed restricta & ad dimensum concessa; pro ut natura aut ipsa Dei permissio sinit. 634. & 713. & 633.

Quomodo verum sit diabolum à Christo esse ligatum.

In cruce cùm expiraret Christus, hic inferorum prætor Angelus Lucifer um catena stricti imperii divini ne uel inde egredi, vel per suos etiam pro libitu nocere posset, ligavit. Quomodo autem, Pii juvenes, ligatus est, cùm ubique tot malorum sit conditor, tot centenis millibus tam graviter noceat? Respondemus trifaucem cerberum hunc latrare, sollicitare, at mordere sanè non posse nisi volentem. Alligationem verò factam à Christo sic definit S. P. Augustinus. *Alligatio diaboli est non permitti exercere totam quam potest tentationem vel vi, vel dolo ad seducendos in partem suam cogendo violenter fraudulenterque fallendo.* Quod ne faceret alligatus est, 723.

Diabolus tentaturus parentes primos cur serpentis formam induit?

Opportuna satis quæstio, nam ea forma terrorem potiùs quàm benevolentiam & amorem conciliat. Cur ergo non columbæ aut cygni candorem induit, ut quod persuasurus venerat persuaderet expeditius? Gregorius Nyssenus sapientiam hic instillans, Disce, ait, qualis te hostis oppugnet: serpens tortuosus, lubricus, exitiosus, igneus, veneno plenus: Tu cautè ac prudenter age, S. P. Augustinus super hac ipsâ quæstione pulchrè disserit, S. Thom. in 2. Distin. 21. q. 1. Art. 1. Vide Auctorem. 693.

Quomodo S. Antonius dæmonibus nomina assignet?

Inter præceptiones, quas suis dedit dæmonum ille horror Magnus Antonius, & hæc erat: Cacodæmones vitia persuadent affinitate virtutum. Sunt enim dæmones quos *Pios* appelles, hi ad templum adigunt, sed suo lucro. Sunt alii *Vigiles*, hi noctu somnium subducunt. Sunt alii *Humani* amicitias hi jungunt colloquiis initio sacris, sed inter eos, quorum mores non usque adeò probati, ita paulatim concordia spiritalis desinit in carneam & animalem. Sunt etiam quos nomines *Illiteratos consultos & Theologos* qui è scholis & legibus pronuntiata recitet: *Fama præponderat emolumento pecuniario. Fama plus est custodienda quàm oculi.*

Quod sit præcipuum maximéque proprium nomen diaboli?

Quemadmodum verò, *Poëtæ* nomen Virgilio, *Oratoris* Tullio, *Philosophi* præ omnibus aliis attribuimus Aristoteli, ita nomen *Tentatoris* ex asse convenit diabolo, allicere, tentare, decipere, illius artes & munia sunt, ac proinde rectissimè hoc nominis Matthæus illi tribuit: *Et accedens*, inquit. *Tentator.* Sinceticea sancta mulier, Pelagio teste, solita erat monere; unumquemque semper armatum adversus dæmones debere incedere, foris enim, inquit, & intus oppugnamur. 708.

Ob quænam peccata Deus det potestatem diabolo ut in hominem licentiùs agat?

Quandoque certè ob ea etiam, quæ videri possunt leviora. S. Gregorius narrat Virginem sacram appetentiâ gulæ ductam in horto, contra leges religiosas, aliquid lactuculæ carpsisse, & omisso crucis signo furtim comedisse, mox à diabolo insessam humi corruisse. Cùm autem Equitius vir sanctus vim adhiberet diabolo, clamavit hospes malignus, ego quid feci, & unà hospitio cessit. Certè vult Deus, ut diabolum etiam pictum, etiam vitro clausum, ipsam etiam diaboli umbram horreamus, & non graviores solùm, sed & leviores quoque noxas caveamus. Sed ut quæsito fiat satis, peccata tetriora ob quæ frequentius cacodæmon in humanum corpus immittitur, hæc ferè numerari solent.

Infidelitas, Hæresis, Sacramentorum contemptus, ingratus animus. fol. 634.

Quomodo agendum dum diabolus varios inducit conscientiæ angores & scrupulos quod tentationis diabolicæ genus in orbe frequens est.

Sunt in orbe plurimæ bonæ mentis homines, quibus cacodæmon adversus Deum & superos teterrimas suggerit cogitationes, quibus conscientia præsertim ex se jam ante pavida, ita terretur ac perturbatur, ut ejusmodi homines rerum suarum trepidi in maximas adducantur angustias; nonnunquam animo tantùm ægri, sed & corpore tabescentes. Nec adeò rarò hoc viris feminisque contingit. Mali verò hujus origo est, initio vulnus istud, alioqui minimè periculosum, non satis detectum. Interea dies noctésque tentatio velut teredo rodit & consumit. Et quod observatum est tum maximè instante tempore orationis, percipiendæ Eucharistiæ, & curandi animi. Cui malo mederi est facile si ægri capiant medentis dicta. Curationis verò methodum, lege in Auctore. *fol.* 707.

Quibus modis vincatur diabolus, sive quomodo ei sit resistendum?

Diversæ & hoc artis est, præsertim duplicis. Sunt vitia quædam molesta, tædiosa, amaroris plena, ut est ira, odium, invidia, &c. Sunt & alia

& alia vitia aut vitiis valde affinia, quæ voluptatis aliquid habent, ut sunt bibere, nugari, ludere, fabulari, choreas ducere, lascivire. Ita & duplicis generis sunt tentationes, quæ ad illa & ista vitia invitant. Tentationes primi generis ad iram, odium, invidiam, & si quæ talia monstra congressu & conflictu pugnando & luctando superanda sunt. Ita S. Bonaventura. Aliæ verò tentationes cùm sint viscosæ, piceæ, solâ fugâ vincendæ sunt. Ita Paulus: *Fugite, inquit, fornicationem*, adversus enim hæc diabolica bellica instrumenta securissimus murus est procul abesse. 722. & 724. eadem doctrinâ traditur Historiâ.

Plura alia lege in Palestrâ Christianâ & in Indice verum.

DISCIPVLI SCHOLARES.

Varia sunt scholarium Discipulorum vitia reprehendenda & sedulò emendanda.

Omnia Scholasticorum vitia recensere infinitum foret. Nec quivis eorum Argus alter foret magister, nunquam tamen eorum deprehenderet astus omnes. Itaque in compendium ea mitto, & in digitos. Octo potissimum in scholis à discipulis culpæ committuntur. Hæ numerantur:

1. *Nescire prælecta.*
2. *Garrire.*
3. *Scriptionis pensum non habere.*
4. *Abesse sine causâ.*
5. *Rixari aut discipulos percutere.*
6. *Pingere, dormire, aut nugas, dum docetur, tractare.*
7. *Simulare morbum.*
8. *Mentiri aut correctum obmurmurare.*

Quas culpas scholares, Auctor in Scholasticis reprehendit & mysticè explicat foliis 21. 22. 23. flectitque ad mores arguendo quosvis homines, qui & ipsi in ipsa Christi schola iisdem laborant vitiis.

DISTRACTIO.

Quid & quotuplex sit distractio?

A Theologis passim statuitur triplex evagatio seu distractio: Invita, Negligens, Voluntaria.

Invita { Sicitur cum orantem aliæ quidem atque aliæ cogitationes turbant, sed invitum & reluctantem.

Negligens. { Cùm quis oscitanter orat & remisso animo cogitationum suarum pessimus est custos.

Voluntaria. { Cùm pæne sola garrit lingua & mens domi non est, sed in omnes orbis partes evagatur. 76. *Vide oratio.*

E.

Ebrietas pervulgatum vitium?

Ebrietas tam pervulgatum est vitium ut aut omnino nullum, aut non tam grande censeatur hoc ævo peccatum atqui Theologorum scholæ asserunt. Quam vulgarem insaniam deploravit suo quondam sæculo S.P. Augustinus Tom. 10. serm. 231. de Temp. *Cùm, inquit, Ebrietatis malum sit tam grave vitium, & Deo odibile, ita per universum mundum in consuetudinem missum est, ut ab illis, qui præcepta Dei cognoscere nolunt, jam nec putetur, nec credatur esse peccatum.* 574.

Variæ ebrietatis definitiones, & Elogia.

Ex S. Hieronymo. { *Ebrietas est humanæ gentis opprobrium.*

Ex S.P. Augustin. { *Ebrietas malorum mater & luxuriæ omnis soror.*

Ex S. Basilio. { *Ebrietas malitiæ mater, virtutis inimica, justitiam ignorat & prudentiam extinguit.*

Ex Seneca. { *Ebrietas est voluntaria insania. Extende in plures dies illum ebrii habitum, nunquid de furore dubitabis? nunc quoque non est minor sed brevior.*

Ex Auctore. { *Ebrietas est omnium vitiorum legio.*

Ebrietas quàm sedulò ab omni hominum genere cavenda.

Non novi illustrius encomii genus, ô Adolesc. quàm apud omnes hoc uno tantum bono audire nomine, Adolescens, vir iste, Dominus ille non potat, non ludit, non amat. Beatus vir qui inventus est sine omni maculâ tali, quòd si harum vel unica cum inficiat, ohe jam fœdam labem suæ asperserit dignitati! Est forsan de quo verè dixeris, non ludit, sed bibulus est & potat; jam grandem sibi maculam inussit. Neque verò morbos illos sonticos quisque in se caveat, sed & in aliis, præsertim si præsit, prohibendo, comminando, objurgando, puniendo quibuscunque demum licuerit modis. 575 & 648.

An hæc quorundam ebriosorum hominum recta sit excusatio: Hic me coëgit.

Fateor, in orbe ratissimè inter frequentia nimis convivia Regis Assuerinon servantur leges. Has enim jam dudum insatiabilis humana gula peremit. Plurimi enim ubique non qui prohibeant; sed qui cogant, urgeántque non semel, variis præfixis & quæsitis titulis vitrum satis capax funditus evacuare, donec tandem curis omnibus, (quæ sunt adinstar cerebri frena,) evacuatis libera mens sese vino jam demergat: idque in gratiam Regis, Consulis, alteriúsve honoratioris personæ. O dementiam! Persona, inquiunt reprehensi, potens me coegit, ut ampliùs biberem. Quid fecissem tali in consortio, talibus legibus obtemperandum est. Itane? S. P. Augustinus. Quid huic subjungit fictæ & consictæ excusationi? O auream sententiam! eriamsi ad hoc tandem deveniretur, & tibi jam dicoretur: Aut bibas aut moreris, melius erat, ut caro tua sobria occideretur, quàm per ebrietatem anima moreretur. 650. Hoc juventuti dogma à teneris inculcandum, nam nimio potu pergitur omnis virtus.

Quæ sit Ebrietas perfecta quæve imperfecta?

Ebrietatem novimus & agnoscimus duplicem, *Perfectam*, quam eam appellamus, quæ omnem omnino usum adimit rationis. *Imperfectam* verò eam dicimus, quâ ratio non quidem integra sopiatur, sed rectus ejus usus adimitur. Vitiosam perfectam concedunt omnes, ast imperfectam è vitiorum enumeratione excludimus, & hilaritatis nomine compellamus, novimúsque commissam culpam honesto nomine purgare. Hinc illæ passim voces, non totus madidus vino me sepelii, vivi quid agerem. Thyrso fateor aliquantulum percussus fui, sed ratione non penitus sopitâ. O cæcitatem! nonnunquam ebrietate ipsa perfecta deterior, hæc est, imperfecta ebrietas. Verè qui ebrius est quidem in statu periculosissimo, pessimo flammis stygiis vicinus est: hoc unum tamen habet boni, quòd interim nil mali patret. At qui semigravis vino vitiis nimium quantum est expositus, fœda cogitat, absurda loquitur, secreta effutit, domesticos nonnunquam stricto insequitur gladio. Estque omnium vitiorum infame ludibrium. 529. & 594.

Per ebrietatem in quo & quàm grandia labatur Iuventus vitia. Vide fol. 648. & in Catechismo Tomi I. V. ebrietas. Vide & in hoc I I. Tomo V. Venum.

Respondendum hic demum occurrit. Ad illud vulgare *Potatorum: Ebrius non peccat cùm bene dormiat*. Resp. Ex parte actus consequentis, quia est involuntarius, excusat à peccato ebrietas; verùm ex parte antecedentis actus seu causæ, si fuit is sine culpâ, ut fieri potest, sequens penitus excusatur à peccato: si verò cùm culpâ non totaliter excusatur sequens, quia est voluntas in priori, sed minuitur sicut & ratio voluntarii, ut & concupiscentia movit peccatum, quia ex infirmitate.

ELEEMOSYNA.

Eleemosynæ Elogia, & descriptio.

Ex S. Hieronymo. { Baptismus alter est. Hoc enim præstat eleemosyna quod baptisma.

Ex S.P. Augustino. { Christiani sacrificium est eleemosyna in pauperem.

Ex S. Chrysostomo. { Eleemosyna pennata est & levis, aureas habens alas, ipsos supra modum delectans Angelos.

Ex S. Gregorio Naz. { Beneficentiæ erga pauperes infinita sunt commoda.

Eleemosyna an sit præceptum?

Eleemosyna præceptum est, ad quod tam lege naturali quàm divinâ astringimur, egentibus ut feramus opem. Quid enim principiis naturæ est convenientius, quàm alienis auxiliari miseriis. Hoc & Dominus mandat. *Omnia enim, inquit, quæcunque vultis ut faciant vobis homines, & vos facite illis.* 155.

Præceptum eleemosynæ an obliget sub mortali?

De bonis simpliciter redundantibus per se danda est eleemosyna, non solùm in extremâ (quod nemo dubitat) sed etiam in gravi necessitate inopi, idque sub mortifero peccato. Suadet hoc præter legem divinam efficax ratio. Cùm enim præceptum eleemosynæ sub letali culpâ ex suo obliget genere, omnem quoque excusationem rejicit, nisi omnino levis subsit materia. Inclementius dicat forsan hæc me scribere in quosvis ditiores, utpote quos sæpe sæpius hæc nostra conclusio faceret reos; at rogo id ipsimet sibi imputent, eóque crebrius stipem impendere assuescant, ne discrimini huic objiciantur. 193. Non enim gratis à Christo dictum est, multos damnatum iri, eò quòd fuerint in pauperes inclementiores. 193.

Quandónam danda eleemosyna?

Theologi hic facem prælucent, assignando facultatum & bonorum discrimen. Sunt enim, inquiunt, bona vitæ, sunt bona status, sunt denique alia utrique supervacanea. Tempora item alia communem, alia gravem, aliam gravissimam, alia demùm extremam inopem necessitatem habent. *Bona vitæ* victum & amictum necessarium subministrant. *Bona status* sunt ampliora, quæ non unam alterámve vestem, non unum alterúmve ferculum admittunt, sed pro status ratione illa & ista numero majore. Quod verò facultatum remanet cum vitæ ac statui satisfactum est inter bona superflua censetur, è quibus supervacaneis bonis tribuenda est, etiam tempore communium ac leviorum necessitatum, eleemosyna in pauperes, idque sub obligatione letalis culpæ. 193.

Materfamilias an dare possit eleemosynam.

Quid juris in dandâ eleemosyna materfamilias habeat, marito non prius consulto, accipe breviter. Ex accidenti, ut loquuntur Theologi, fas est uxori modicum aliquid auctoritate suâ dispensare, cùm id loci consuetudo permittit. Præterea stipem licitè dabit ad avertendum sive corporis sive animi damnum, ut olim Abigail fecisse testantur SS. Paginæ. Deinde, marito etiam repugnante, quantasvis dare eleemosynas de bonis, ut vocant Paraphernalibus. Item de iis, quæ per suam ipsa conquisivit industriam. 195.

An possint Pueri, Puellæ, Adolescentes dare Eleemosynam?

In luce & hæc quæstio erit, si bonorum assignemus discrimen. Sunt enim bona, quæ *Castrensia* sunt, quæ *quasi castrensia*, sunt quæ *adventitia* vocari solent. *Castrense* peculium appellamus quidquid in bello acquiri solet. Præterea tam parentum quàm aliorum dona, quæque & in obsequiis principum comparantur. *Quasi castrense* peculium illud nominamus, quod revera cùm tale non sit, privilegium tamen peculii castrensis sortitur, titulo vel clericatus, vel officii publici, vel regiæ donationis. *Adventitium* verò nominamus, quod filio aliunde aut filiæ, dum parentum bonis non sustentantur, vel industriâ, vel labore, vel fortunâ, & donatione obvenit. Ex quibus omnibus bonis Pueri, Puellæ, & Adolescentes eleemosynas dare possunt. 196.

Admonendi Parentes, ut filiis & filiabus à teneris annis doceant eleemosynas dare.

Fateor, adolescentibus & junioribus pecuniam committere, est feli, ut vulgari ferrur proverbio, laridum aut aruinam, vulpi gallinam, lupo oviculam, credere. Non dissentio. Ergo Adolescentibus nil pecuniæ dandum? Dandum certè, sed cautè, ut scilicet vel indolis experimentum fiat, aut bonis moribus incitamentum accedat. Rectissimè enim fecerint parentes, si crumenulis illis puerilibus, unde panem niveum, unde pomi varium genus, unde merendulas, & cupedias emere possint; hoc ipso nomine æris aliquid committant, ut pauperi petenti obvio dent eleemosynam, sicque ab infantiâ, operibus misericordiæ assuescant. 196.

Eleemosynarum genera sunt duplicia, sùntque septem spiritualia opera misericordiæ; Corporalia totidem. Utra verò horum sint digniora? simpliciter sunt spiritualia. Dignior enim ipso corpore spiritus est, aliquando tamen corporalia his digniora sunt. Effectum verò semper habent, dummodo fine fiunt; ex verâ scilicet charitate in Deum & proximum, spiritualem.

Quod verò pauperi datur Christo datur, varia testantur id exempla 148. Quanta sit eleemosynæ dignitas docetur ex S. Ephrem insigni & raro exemplo. 150. Peccatores ad melioremvitam revocat. 150. Liberat à morte. 151. Præservat à maleficis. 157. Famam perennat. 158. & 159. Fuitque studium dandi Eleemosynas sanctissimis & summis viris commendatissimum à fol. 159. usque 162.

ERROR.

Errare & nunquam errasse velle videri, commune vitium.

Hic mos est plurimorum Adolescentûm commissos errores fateri nolle, errant subinde judices, errat Magistratus, errat Herus & Hera; & quis non errat? Homines sumus erroribus obnoxii, cùm autem corrigenda est erroris noxa, vix ullus est, qui se fatcatur errasse. Non ita viri sancti, non ita S. P. Augustinus. 855.

Errantium multitudo nihil patrocinatur errori.

Argumentum juventuti est dum reprehenditur familiarissimum & usitatissimum: Plurimi hoc faciunt. Filia vicini nostri ita adornata prodit, sed pessimum reveta. Et quid quæso tenera Juventus inde commonstras? An hoc bene fit quod à multis fit? Etratis. Errantium multitudo nihil patrocinatur errori. Nolite eos numerare & enumerare qui à viâ deflectunt, sequimini vel pauciissimos, sed recto calle incedentes. Pythagoræ monitum est: *Per viam publicam non ito*, non ut eam incessu vitemus, sed ut sensu, moribus, & vitâ. 751. Ignavia foret forsan aliquando pulchra, quòd multis ea placeat?

Sanctissimæ Eucharistiæ Sacramentum.

Olim erant *perseverantes in doctrinâ Apostolorum & communicatione fractione panis*. Qui quò magis Ecclesiæ primitivæ mos intepuit (ut observarunt plurimi) eò magis divinus ille ardor spiritus, Charitatis scintillans ignis, sanctitas omnis refrixit. In hoc omnes Cacodæmonis astus desudarunt; impigrè semper sudat, & modò, ut vel à frequenti, vel prorsus ab omni sacratissimæ Eucharistiæ usu plurimos retrahat. Quos, eo ut potiatur fine vel potius victoriâ, non ponit obices? Quæ non fingit impedimenta? quæ non molitur obstacula? nunc fidei ingerit dubia, nunc fucatam suadet, & cheu nimis sæpe persuadet reverentiam, tanquam si major suboriretur in hac sacrâ sumptione gustus, rarius si sumeretur. Modò consuetudinem, modò sermones & decres hominum frequentem usum cavillantium, negotiorum modò molem apponit. Quod si non audiatur, inusitatas suscitat evagationes animi, angores conscientiæ mentémque reddit ab omni cælesti sensu exsuccam. Nunc inimicitias, & alterna inflammat odia. Isti præparationem efficit molestam, difficilem; tædio plenam. Sunt denique, quos nescio religionis prætextu, decipit, ut saltem differant, quod non censent omnino omittendum. Paucula igitur brevi & Catechistico modo hos ut illudamus hostis infernalis astus subjungo. *Tom. I. fol.* 270.

An Eucharistia sit de necessitate salutis?

Quantum ad rem significatam, quæ est unitas corporis mystici Christi, extra quod nulla omnino penitus salus, est de necessitate salutis. Quamvis gratia ejus possit haberi in voto tantùm; licétque non sumatur; non tamen eo est modo de necessitate, ut baptismus.

An in hoc Sacramento sit corpus Christi secundùm veritatem?

Veritas certissima; ea tamen cognoscitur solâ fide, quæ divinæ authoritati innititur. Hæreticum verò est dicere contineri solùm ut in signo, licet non manducetur in modo & specie, ut ab Apostolis, ut loquitur Augustinus, videbatur.

Vtrum post consecrationem remaneat ulla substantia panis & vini?

Remanet nulla, quia fit transsubstantiatio vel conversio. Nam Dominus noster Jesus Christus non est ibi per motum localem; si enim moveretur, cælum in quo est, desereret: transiret omnia media, non terminaretur ad diversa loca, quod esse non potest. Manente item ipsâ substantiâ panis forma non esset vera, dicendúmque foret potius: *Hic est*, quàm *hoc est corpus meum*. Item panis adoraretur latriâ, nec post primam hostiam posset sumi secunda, quia non esset jejunus. Corpus igitur Christi incipit esse de novo per conversionem ipsius substantiæ panis in ipsum, eæque quæ remanent species, sufficiunt ad hujus Sacramenti significationem: per accidentia enim substantiæ cognoscitur natura.

Quando fiat hæc conversio?

Fit hæc conversio in instanti, ita ut ultimum instans prolationis verborum primum sit instans, in quo est Christus. Et tempus non componitur ex instantibus, nec duo dantur instantia, quia intercederet tempus: In mutationibus enim instantaneis simul est fieri & factum esse.

An Christus totus contineatur sub Sacramento?

Est de fide, nam ex vi Sacramenti est corpus, & sanguis, ossa, nervi, &c. quia verba formæ hoc faciunt; per concomitantiam sunt reliqua, ut divinitas, anima Christi; & in triduo, si Apostoli consecrassent non fuisset anima in Sacramento, quia erat separata.

An totus Christus contineatur sub utraque specie hujus Sacramenti?

Totus Christus sub utrâque continetur specie, sed in hostiâ est sanguis per concomitantiam, in calice verò corpus, quia nunc sanguis non est separatus à corpore ut in passione: & sic sub utraque specie ad repræsentandam passionem: & quoad usum, ut detur in cibum & potum; & propter effectum, quia corpus Christi & sanguis est animæ salus.

An liceat quotidie hoc Sacramentum sumere?

Qui esset dispositus devotione & reverentiâ laudabiliter accipiet, sed simpliciter loquendo non est utile omnibus quotidie communicare, nisi quando sunt parati: Fuerunt verò varia præcepta sumendi in primâ Ecclesiâ quotidie: Postea ter in anno, Pentecoste, Natali, Paschate, & addidit Soter Papa etiam in cenâ. Tandem Innocentius III. ut semel in anno saltem; libro tamen de Ecclesiasticis dogmatibus consulitur ut omnibus diebus dominicis.

Quæ requiratur dispositio & præparatio ad hoc Sacramentum?

Ex hoc fonte donorum omnium spiritualium, tantò plus quisque accipit, quantò se capaciorem facit, per bonam dispositionem. Una est sufficiens ad evitationem peccati in communicando, & conservationem & augmentum gratiæ. Altera sit ad gustandam divinam hujus Sacramenti, & acquirendam abundantem gratiam, eandémque & conservandam & multiplicandam. Prima verò dispositio, quæ omnibus necessaria est, aufert impedimenta communionis; qualia sunt, Excommunicatio, peccatum mortale, cibus sumptus post mediam noctem, & hæc de necessitate tollenda. Alia sunt, quæ ex congruentiâ impediunt, sicut distractio mentis, tædium, somnolentia, pollutio inculpabilis, &c. sed devotio fervens facilè tales aufert defectus. Hæc verò prima dispositio requirit humiliratem magnam in communicante ex consideratione tantæ Majestatis & Sanctitatis. Requirit insuper devotionem ex consideratione passionis Christi, ibidem repræsentatæ, & benignitatis ipsius Salvatoris, in se excitando spem & charitatem per ferventes preces. Secunda dispositio, tria requirit ad communionem: *Primum* est amor, qui nascitur ex duplici consideratione Passionis Christi, & beneficii præsentis, cùm viles & sordidas nostras non solùm dignetur subintrare casas, & plagas nostras spirituales non abhorreat; sed præbeat insuper nobis corpus & sanguinem. *Secundum* quod requiritur, est spes & fiducia, quæ ex consideratione divinæ omnipotentiæ exerceri possunt; potens est enim illa facere, & ex ejusdem benignitate, quæ ad dandum paratior est quàm nos ad petendum. *Tertium* est gratiarum actio, pro tantis beneficiis.

Quid requiratur à Christiano homine post communionem?

Post communionem verò etiam tria requiruntur ad conservandos augendósque hujus sacramenti fructus. *Primò*, diligens custodia sensuum, linguæ

linguæ & cogitationum, post tanti hospitis receptionem in domo nostrâ carnea. *Secundum* erit, exhibere diligens obsequium bonarum operationum ex amore factarum Deo. *Tertium* erit aulico Dominum tractare modo, pia scilicet meditando, ferventer orando, petendóque ea, quæ ad nostram proximorúmque salutem sunt necessaria. Folia verò, in quibus Auctor de hoc Vener. Sacram. agit sunt hæc. *à fol.* 269. *usque* 271. *Tom.* 1. *& à fol.* 853. *&* 859. *Tom* 1. *& vide in utroque Indice rerum & catechistico.*

EXAMEN CONSCIENTIÆ. *Vide in Indice catechist. Tom primi.*

Exempla quàm sint efficacia.

Lex mundi est, qui nocet noceat adhuc, & qui in sordibus est sordescat adhuc. Quam plerique legem omnes religiosissimè servant & insignes in nequitiis faciunt progressus. Alter alterum impellit & ad vetita viam comiter præeundo monstrat, exemplis mutuis suavissimè perimus. Sunt qui omnia superbiæ ac avaritiæ præcepta exactissimè doceant; sunt qui ea studiosissimè discant, & sæpe sæpius discipulus superat magistrum. Non desunt hæc quibus artificia sordere incipiant: cuperent ii, in officinis melioribus sudare, sed pudore inertissimo aut consuetudine multâ & præeuntium exemplis vinciuntur. Quid agis ajunt ipsi secum. Tu mundi leges non negrabis. Hoc plerique, omnes faciunt, tu te cæteris sanctiorem ne crede. His artibus hujus vitæ modulo assuevisti, exuere pellem, difficile; hæc sacra non aliter constent. Exosa scilicet unius sapientia est, ubi omnes publicè insaniunt. 491.

F.

In sui nominis & famæ defensione peccatur, concessu & defectu.

Famæ & nominis habenda est omnibus omnino cura, at ea sic moderata oportet; immoderata enim nominis sui cura, nimiáque acris defensio inter consodales, jurgia concitat, & in mala certè non levia ipsos adolescentes impellit. Hinc enim ira, fastus, impatientia, animíque nascitur perturbatio. Dum igitur remedia quæruntur ad tuendam famam non legitima, ut sunt duella, pugnæ, quævis detractiones, minæ, peccatur in defensione nominis sui per excessum. At ut plurimum nimiâ famæ suæ philautiâ laborant, ita & sunt ignavi quidam, & incurii, nimium in hac nominis sui defensione: sunt enim qui nihil penitus curent; quidquid de se dicatur, offensioni sunt, nec adeò pudicè ac sanctè vivunt. Nescio uter horum duorum peccantium pejor sit. 728. *De obligatione illâ restitutionis famæ vide Tom.* 1. *in Indice catech.* v. Fama.

Famulorum qualis habenda cura.

Famulorum aliorúmve domesticorum corpus curare solùm, modica certè nimiúmque exilis est cura, animus etiam curandus. Queruntur non rarò Patres ac Matres familias, Heri & Heræ, de famulorum & ancillarum corruptis moribus, sed ipsi, qui familiam ducunt, in culpâ sunt, qui suos ad templa ad expiandam conscientiam, ádque obeunda sacra tantissimè mittunt. Res dolenda. Vera tamen sunt: Famuli & ancillæ quæ annis integris conciones nullas, nihil eruditionis sacræ, nihil è suggestu accipiant, ut jumenta clitellaria oneribus portandis nata, vivant, subinde Herus & Hera sævùm stomachantur & domesticos fures accusant. Pace omnium dixerim, vos ipsi fures, quos facitis, fovetis, alimoniam parcissimam ingeritis, salarium tenuissimum vix calceis præstinandis præcetis sufficiens; honestè nihilominus vestitos vultis. Ita non docetis, sed pæne furari cogitis, & quomodo fidos vobis eos speratis, qui quàm fidi sint Deo penitus non curatis. 477. 479. & 47.

FIDES.

Fides omnium piarum actionum anima.

Cùm tota religio Christiana in duabus ferè rebus consistat, videlicet in orthodoxâ & catholicâ doctrinâ fidei, & in praxi, sive sanctis quibusdam vitæ actionibus; ita tamen, ut ipsam semper præcedat devotionem fides, fidei augmentandæ sedulò cuivis horum incumbendum est. Fides autem excitatur & crescit, si ea omnia, quæ passus est Christus, quis sibi faciat tanquam præsentissima, velut hodie facta. Quorum omnium sibi fingere imagines, sibique ad arbitrium proponere nequaquam difficile est animo, utpote qui quidquid vult sibi depingat. Igitur Christi crucifixi vulnera osculaturus præcedat fides, Cenotaphia obiturus, præcedat fides, officiis divinis interfuturus, interfit pariter & fides. Exercenda semper fides, & omni actioni piæ jungenda. Nam idem ita monet omnes, Ambrosius, *Fides inexercitata citò languescit & crebris otiosa tentatur incommodis.* 400. & 399.

De actu Fidei.

Credere, verò est *cum assensione cogitare*, scilicet per intellectum cum ejusdem firmâ adhæsione. Quia Deus dixit, Miraculis confirmavit, licet quod credat non videat: & sic omnis dubitatio excluditur, illa namque nulli parti assentitur, & suspicio quæ nascitur, ex levi signo, & denique opinio quæ uni adhæret cum formidine. Hic autem actus fidei actus est intellectus, sed ut determinatur à voluntate.

Credere Deo, in Deum, & Deum, an actus sint fidei distincti? Quis eâ de re dubitet? Intellectus enim fide formatus tripliciter ferri potest in objectum. Si sine voluntate fertur in Deum ut in objectum aliquod materiale *credimus Deo.* Si verò in objectum formale *credimus Deum.* Si ut actus est à voluntate motus, ita ut in Deum per voluntatem ut ultimum finem tendamus, jam credimus *in Deum.*

Quæ sint præcipua fidei capita scitu ab homine Christiano necessaria?

Symbolum fidei, Oratio Dominica, Angelica salutatio, decem mandata Dei, quinque præcepta Ecclesiæ, septem Ecclesiæ Sacramenta, septem peccata mortalia, novem peccata aliena, sex peccata in Spiritum S. Quatuor peccata clamantia in cœlum, tria genera bonorum operum, septem opera misericordiæ tum corporalia, tum spiritualia, Octo Beatitudines, tria Evangelica consilia, & quatuor hominis novissima. Hæc est brevissima Catholicæ Religionis summa, quam hominum Christianorum memoria tenere oporteret. Quæ omnia fidei capita Auctor sparsim explicat his duobus tomis ut patebit Lectori.

Duo fidei Christianæ capita.

Magni momenti certè & alta duo fidei hæc sunt capita: *Prædestinatio, & Reprobatio*, humanæ genti cogitanda. Ab orbis enim ipsis incunabilis hæc mysteria Deus oculis ingessit & animis. Intuemini Abelem & Cainum, quorum ille assumptus, iste rejectus, Isaacum & Ismaelem, Iacob & Esau, Matthiam & Iudam, Christi vaticinium est, *unus assumetur & alter relinquetur.* 511. *Plura de Fide lege in Indice Catechist.* 1. *Tomi.*

G.

Gaudii cælestis & mundani quanta differentia?

INter eam voluptatem quam quis è re caducâ & fluxâ, & quam à Deo haurit immensa nimia est differentia. Hinc guttam unicam cum oceano toto quis rectius compararet, quàm omne mundi gaudium cum gaudio cœli etiam minimo. Res liquet, guttula enim maris & mare totum solo differunt quanto. Nam maris guttulæ ita multiplicari queunt, ut mare fiant: at verò mundi gaudia quantumcunque multiplicentur gaudium cæleste nunquam æquabunt. 656. *In Indice verò alio* v. Sancti, cœlum *require* Sanctorum corporum dotes, sensuum interiorum & exteriorum, futura in cælis gaudia, *sparsim que eo fine lege libellum Auctoris* Cælum.

GRATIA DEI.

Gratiæ divinæ & humanæ differentia, Quæ?

Diversissima hæc duo sunt, humana & divina gratia. Gratia enim divina celerrimè acquiri potest momento unico, precatiuncula unicâ, gemitu ad Deum unico, ardenti suspirio. Etiam & tantum gratiæ conceditur quantum petitur. Insuper stabilis & constans est, nec ullis certis terminis aut angustiis gratia divina concluditur. Alia in aulis est ratio 510. sub ipsum etiam moriendi tempus accessio fieri potest ad gratiam, ut nunquam liceat dicere dum super est vita, plus ultra.

Gratiæ divinæ immensus valor.

Vnica vel guttula divinæ gratiæ pretiosior est quàm totum pelagus humanæ. Rideret forsan non nemo si dicerem, Hæc gutta potabilis auri majoris est pretii quàm centum plaustra vini generosissimi. Ementiens certè conferetur dictum. At si de gratiâ divinâ sit sermo nimis certum est illius vel guttulam longè pretiosiorem esse quàm mille plaustra vini Cretici, Falerni, hoc est, humani favoris maximi. 510.

Gratiæ divinæ subtractio quantum malum?

Subtractâ Dei gratiâ in omne homo nefas statim ruit, scelera sceleribus nuget, nequissimâ semper constantiâ quique labi potuit; à lapsu jam resurgere non potest. Caveat igitur omnis homo primam letalem culpam si metuat multas; subtractâ enim divinâ gratiâ, cujus ipsa prima mortalis labes est expultrix, jam usque & usque, & usque in vetitum semel præcipitatum diabolus ludibrio rapit miserabili. Cujus Idæa fuit olim Saul 807. & 668.

An homo possit scire se esse in gratiâ?

Resp. Negativè simpliciter. Cùm enim principium gratiæ & ejus objectum sit ipse Deus, isque nobis sit ignotus eâ de re certificari non possumus. Certificamur enim aliquâ de re per principiorum cognitionem. Fieri tamen potest ex privilegio, scilicet per divinam revelationem, ut hoc resciamus. Deinde aliqua signa, ut sunt delectari in Deo, fastidire mundum & mundana, non esse sibi peccati conscium, conjecturalem hac de re ingerere possunt homini cognitionem.

Effectus verò gratiæ sunt quinque in nobis. 1. Ut anima sanetur. 2. ut homo bonum velit. 3. ut bonum efficaciter operetur. 4. ut in bono perseveret. 5. ut ad gloriam perveniat.

Gratiæ divisio hæc est ordinaria, in gratum facientem & gratis datam. Prima datur ut homo Deo jungatur & conjungatur. Secunda, ut alter alteri cooperetur, ut ad Deum revocetur. Hoc verò donum dicitur *Gratia gratis data*, quia datur supra facultatem naturæ & supra meritum personæ. Excedit verò dignitate *Gratia gratum faciens*, gratiam gratis datam, utpote cùm hæc immediatè dirigat in ultimum finem. Illa verò ad quædam præparatoria ultimi finis. Gratiam verò in uno esse quàm in alio majorem provenit ex parte subjecti; suscipit enim illud magis & minùs, prout est ipsa à Deo facta præparatio. Quæ gratiarum diversitas exornat varietate Ecclesiam. Verùm ex parte objecti una non est major in uno, quàm in altero; omnes enim ordinantur ad idem, id est, Deum infinitum.

An aliqua gratia gratis data consistat in sermone.

Vt quis efficaciter moneat, doceat, corrigat, loquatur, instruat intellectum, moveat affectum, animum inflectat Auditorum, ut audita adimpleant, opus est ei gratiâ hujus sermonis gratis datâ. Hæc enim sunt hujus gratiæ effectus. Ut enim sic loqui, ut à diversis audiatur ad donum linguarum pertinet, sic & bene & rectè sermocinari ad gratiam. Vide Auctorem hac de re late disputantem discursu satis Latino *Tom. 1. à fol. 672. usque* 674. Perficit quidem Rhetorica sermonem modo naturali, at spiritus ille divinus excellentius & sublimius operatur. An verò hæc gratia sermonis, sapientiæ, scientiæ etiam alteri sexui muliebri, inquam, communis sit? Quid resolvam? Blandi plerique sunt sexus illius sermones & efficaces, affectum Auditorum quidem moventes; sed reverà rationem ipsam ipsumque intellectum obtenebrantes, quam sermonum allicientem blanditiem ipsis subministrat natura, non verò hæc gratia. Sunt tamen mulieres aliquæ hac gratiâ Spir. S. præditæ, non ut loquantur toti Ecclesiæ, sed privatim ad unum vel paucos familiarius loquendo, sic enim illis competit gratia hæc sermonis.

An aliqua sit gratia gratis data ad miracula facienda?

Est & hæc in Ecclesiâ Dei, ut nempe sermo prolatus fiat credibilis & confirmetur. Spiritus enim ille Sanctus sponsæ suæ Ecclesiæ providit tam sapienter quàm sufficienter in his, quæ ad salutem, ut sunt gratiæ gratis datæ, sunt utilia; sicque per supranaturales effectus, id est, miracula, ad aliquam supranaturalem credendorum cognitionem ducitur homo. Miraculorum verò patrandi principium Deus est, non aliqua qualitas habitualis in animâ: ea enim se non extenderet ad omnia supranaturalia quæ fieri possent. Licet autem quædam à dæmone fiant, quæ licet nobis vera sint miracula, reverâ tamen ea miracula non sunt, cum naturalium causarum virtute fiant, vel omnino sint fantastica, quibus ludificatur homo, ut ei videatur aliquid quod revera non est. An verò malus & improbus patrare miraculum possit quis dubitet? si ad confirmationem veritatis fidei, quàm malus etiam prædicat, invocando nomen Christi ea patrare roget.

Gratiarum actio, quid sit?

Ex Auctore. Gratiarum actio prima, nihil aliud est quàm nisi secundi & alterius beneficii suavis petitio.

Gratiarum actio Deo debita, estque grata.

Cur putaris Christiani Deum statim sub ipsâ conditi orbis principia, creationis beneficium, septimo quovis die venerationi esse voluit singulari gratâque ejus diei memoria, ut Moses asserit: his verbis: *Complevitq; Deus die septimo opus suum quod fecerat: & requievit die septimo ab universo opere quod patrarat.* Nisi quòd in sui laboris præmium fervidam gratiarum actionem gratumque animum exigat. Ita similiter gubernationis divinæ ac conservationis beneficium mensibus singulis restaurari jussit. 660.

Gratiarum actio est utilis.

Verbo vereri jactatur ferrum ferro acuitur, simile simili delectatur, donum dono honoratur, obsequium obsequio paratur, beneficium beneficii memoriâ elicitur. Hæc enim mutuis crescunt adminiculis. 660.

Est Sancta.

Ut primùm è letali morbo revaluit, *Rex Ezechias*, amplissimam gratiarum actionem non verbis solùm & scriptis consignavit. *Rex David* gratissimo quoties in Deum ferebatur affectu, præterita accepta beneficia semper ut præsentia decantans. Denique *Christus* ipse absolutissimum virtutis specimen Gratias agendo Deo Patri suo frequentiùs velut vocem præivit. 660.

Est necessaria.

Deus infinitè bonus, & qui bonorum nostrorum non eget, hoc tamen pretium nostræ gratiarum actioni posuit, ut eo quasi pretio beneficia quodammodo exæquemus, & æquale aliquantulâ proportione reddamus æquali. Ita S. P. Aug. 660.

Omnibus Sanctis etiam in adversis familiarissima.

Nihil frequentiùs gentium ille Preco *Paulus* quàm gratiarum actionis exercitium deprædicavit. Nam hoc *Romanis, Corinthiis, Philippensibus, Colossensibus, Thessalonicensibus*, contestè ingerit. Ita ex epistolis patet, quas scripsit. 661. Verum gratias agere etiam ipsis in adversis res maximi est momenti. Quemadmodum enim assæ carnis adeps meliori quàm lixæ est odori, ita & ipsa gratiarum actio longè certè pretiosior ab ipsis, qui diuturni doloris aut mœroris ignibus, velut assantur, proveniens. Vnde & Sanctorum plurimi non humanius quàm canes habiti, instar tamen fidelissimorum canum, quo sæpius cædebantur hoc blandiùs se suo domino applicabant. Aliquos enumero *S. Iacobus, S. Laurentius, S. Theodorus, Rufinus, Aquilejensis, Noëmus, Iob, Tobias.* 53. 54. 56.

Deo gratias.

Homini Christiano nullæ voces crebriùs ingeminandæ sunt quàm hæ ipse: *Deo gratias, Benedictus Deus*, idque non quotidie semel, sed quotidie frequentiùs. Maximè statim atque aliquo nos Deus etiam vel minimo honoravit beneficio: *Deo* enim *gratias* tardum est pæne nullum. Mora, dum agendæ sunt gratiæ, omnisque procrastinatio est nociva. Nam dilatione quavis nimium intepescunt grates, velut ferculum bonum, sed jam frigidum. 660. Hoc igitur unum *Deo gratias* omni homini ad omnia usurpandum. Sed cheu! nos tam indociles sumus, duas ut has voculas lentissimè capiamus. Quàm verò Deus sic gratum hominem colat vicissim docet exemplo. 53.

Vide plura litt. B. V. Beneficiorum divinorum memoria grata Deo.

GVLA, vitium capitale, describitur.

Gulæ tentatio omnium miserrima.

Illud in tentationibus gulæ miserum est, nempe quòd cum eâ quotidie litigandum luctandumque sit cominus. E cæteris plurima licet fugere, & sæpe optimum loricæ genus est, procul abesse. Ast longè alia ratio in gulâ est. Quotidie comedere ac bibere debitumque tamen nunquam excedere, exactâmque semper moderationem servare, nimium difficile. Gulosa namque cupiditas & palliata necessitas tam vicinæ & validæ tentationes sunt, ut ab eis sæpissimè vincantur plurimi. Quòdque plerumque vertigum est, magis tentat & allicit. Ita diebus esurialibus plerumque major sentitur fames, & jejunio verno magis sapiunt carnes. 703.

Gulæ geminæ proprietates: Incredulitas, & Inassuetudo.

Quos semel hoc gulæ jam infecit & circumplectitur virus, quamvis exemplorum, rationum, argumentorum vim irridet, sibique soli sapit gulosus; sic quamvis abstinentiæ cum utilitas tum necessitas millenis quasi scribatur & conscribatur libris, è tot cathedris doceatur indies, exemplis demonstretur, & rationibus & argumentis evincatur. Nihilominus nec libris, nec Cathedris, nec exemplis, nec rationibus, imò nec ipsis experientiis *Incredula* fidit gula. Tam namque malè cautus est sui amor, ut pabulo vel subtracto vel paululum imminuto mox valetudini aliquid decessurum vereatur. 270. Nec minus inassuetudinis aries gulosos quasi propugnat, gulæ suæ licentius ut fiat satis. Assuetudo enim hæc longa non prandere, tactum, sed & cœnare, adeò nos sibi devinctos tenet, ut quisquis jam contrarium suadet, hostis habeatur, vel novæ etiam sectæ promulgator. Sint ista, nam passim dicitur Monachis nos aliter assuevimus. 270.

Gula passim plures, quàm gladius ex orbe tollit.

Vtinam quotidiana quæ efferuntur, hic loquerentur funera; de plurimis namque eorum verissimè dicitur: Hic homo mortuus, & hic & ille, & iste, & iste, & etiam iste, diutius potuisset vivere, si potuisset parciùs edere, aut à potu magis temperare. O quantos, *Ingenima iuventus hoc quasso altum capite*, patinæ & pocula in terram defodiunt! Innumeri possent longiore frui vitâ, si vellent breviorem pati mensam. Ridiculi nos homines, ægrum cum nobis est corpus, vel maligniori auræ, aut habitationi incommodæ, aut fatigationi nimiæ, imò libris & studiis (ut solent delicatuli illi in universitatibus passim studiosi) culpam inveterdicis iniquè impingimus. O cassas inertium causas! Mensam, guttur tuum flagella, mi homo, & aërem flagellare cessa, unà cum libris verâ ubi temperantia exsulque est gula, ibi certa est sanitas. 278.

NOTA.

GVLÆ SPECIES distinguuntur secundum has quinque conditiones: *Præpropere, lautè, nimis, ardenter, studiosè. Præpropere* ad tempus, *lautè* ad cœli substantiam, *nimis* ad quantitatem, *studiosè* ad qualitatem, *ardenter* ad modum spectat.

GVLÆ FILIÆ quinque: Ineptia, scurrilitas, immunditia, multiloquium, & hebetudo mentis circa intelligentiam.

Gula unà cum comite sua libidine maximam orbis partem quotidianis lucris in suum censum redigit. Patet ab enumeratione 703. & alio Auctoris insigni & diserto discursu *fol.* 463.

Gulæ remedia.

Ad edomandam gulam hæc potissimùm iuventus spectet & observet. Edendi enim appetentia in ea cum sit vehemens, plerumque etiam solet esse dum facultas suppetit immoderata.

1. *Tempus.* Ne quid extrà prandium & cœnam libetur sine summa necessitate hoc si continuum.
2. *Modum.* Comedendo scilicet non tuburcinari, bolos non raptim ingerere, & nimiam ad cibos aviditatem coercere.
3. *Mensuram.* Novit enim homo temperans quantum cibi potusve opus sit necessitati ac naturæ ut fiat satis. Quidquid igitur hos terminos egredietur id redundans & nimium censere eoque abstinere. Nam tam insalubre quàm turpe est plus sibi ingerere quàm capiat & stomachi sui non nosse mensuram. 703.

HOMO.

Hominem quid distinguat à Bestiis.

Multa homini cum bestiis sunt communia, ut sunt inter reliqua voluptatum genera, voluptas gustus & tactus; at una homini est concessa notitia, quæ in aliis omninò sublunaribus non reperitur. Nempe Dei, quâque propriè homo ab ipsis jumentis distinguitur. Hæc enim notitia facit hominem, cùm, inquit Lactantius, divinitatis intellectus, quo dis-

serimus

ferimus à belluis, in homine solo reperiatur. Quò igitur in homine major clariorque foret divinitatis, & Dei notitia, eò homo, major homo foret. Quare quisque verus ut sit & magnus homo, conciones, scholas frequentet, Catechisticis intersit admonitionibus, libellos pios consulat, ut hæc in ipso adaugeatur sacra notitia. Vbi enim hæc sola deest, Omnia mores sapiunt ferinos. 571.

Quandónam Homo sit miserrimus.

An forsitan dum ipsa podagra urénsque continua febris quem defixit lecto, vel dum eũ latronis ferina excipit manus? vel forsan dum omnibus aut incendio aut diluvio exuitur? Vin' Christiana Iuventus noviſſe, Mortalium qui miserrimi? Miserrimus ille est, qui desertâ ratione ab humanâ descíscit indole. *Vt enim perfectione susceptâ optimum cunctorum animalium est homo, ita si alienus fiat à lege & à judiciis, pessimum est omnium animalium; itaque impiissimum atque immanissimum est sine virtute ad libidinem cibationemque deterrimum.* A rectâ autem descíscere ratione peccare est. 571. & 668. *Vid. verb.* Peccatum *in hoc Indice.*

Quæ sit ista transmutatio Hominum in bestias?

Moralis hæc est metamorphosis, quæ & Prisci non fuit incognita. Hinc Comicus Adeon ait homines immutarier exámore, ut cognoscas eundem esse cui Mantuanus Vates accinit ad nostrum institutum appositíssimè, sic canens:

Fit pecus omnis amans dum pro ratione libido est,
Judicium nutu temperat omne suo.
Quisquis enim vidit sine lumine mentis & usu,
Fert hominis vultus ingenium que feræ.
Est pecus & fallax hominem mentitur imago, &c.

Veríssimum & illud Tullii dictum: Sunt quidam homines non re sed nomine. Confirmant & hanc miseram Metamorphosim, peccando fieri Sacræ Paginæ, sic David *Psalm.* 48. *v.* 13. *Eccl. c.* 4. *Paul. ad Philipp. c.* 3. 2. *Petri c.* 2. *Apocalyp.* 22. *Luc.* 13. *Matth.* 3. *&c. fol.* 570.

Imago hominis in bestiam peccando transmutati fuit Nabuchodonosor.

Imaginem illam miseram Regis Nabuchodonosoris, cui cor ab humano commutatum, córque ferinum datum fuit, Deus illorum omnium oculis oppositum, qui rapto salutari divini timoris freno scientes in malum ruunt. Nam etsi homo vitiosus cœnum non ut bos comedat, ea tamen in ipso ejus animo intemperies est, ut illicitis sese mergat ut pecudes, *Peccatum homo facit bestiam.* 571.

Homo quomodo propriissimè dicatur Dei instrumentum?

Nihil magis veritati consonum dixerit unquam homo, quam instrumentum sum, animatum quidem sed vile, nisi divina me moveat dextera. Quivis enim hominum in manu supremi illius opificis sunt, quemadmodum malleus & lima in manu fabri, subula in sutoris, rota in figuli, dolabra in arcularii, trulla in cæmentarii, ascia in fabri lignarii, acus & filum in sartoris, infurnibulum in pistoris, penicillum in pictoris, calamus in scribæ manu est. Nam non solum Deus, cuique rei perfectionem & animam adspirat, sed & ipsum velle nostrum ab ipso est. O homo bulla, quæ demum tua ergo est potentia? verbis quidem fateris hoc aliquando, at verbis & factis sæpius negas, hinc illæ turgidæ voces: Hoc meo consilio confectum, hoc meæ debetur industriæ, hoc meis viribus successum habuit felicem. Omnia fatemur quasi nos posse, dum nihil possumus. *Hoc pectori, mi Christiane, altè infige sacrum dogma: Quanti refert infixisse discés tu bono experimento, ita voveo.* 643.

Vide plura de homine in Indicibus rerum utriusque Tomi.

HONOR, HONORVM TITVLI.

Quanta sit hoc ævo Titulorum honoris insolentia.

Ingens revera hac tempestate titulorum est insolentia & confusio; incrementis illi mirandis augent; jam enim imi subsellii viros, & strenuos, & nobiles, ac prænobiles, illustres, perillustres, gratiosos compellamus. Quo demum altitudinis humana titulorum & honorum insaturabilis aviditas pertinget? D. Bernardi ævo licebat dicere Domine Pápa, Tu bone lector de ceteris conjecta, & *consule v.* Ambitio *in hoc nostro indice Institutionis Christianæ.*

Quæ sint Honorum insignia, per quos gradus, & quomodo ad honores nunc ascendatur Honorum, & quanta fuerit aviditas, quámque honorem quidam serio declinarunt brevi & compendioso discursu tradit Auctor. 778.

HOSTIS.

Quínam sint hostes hominis?

Hostes hominis enumerat S. Pagina triplices, imminent enim cervicibus humanis jugiter & assiduè, inundus, caro, Diabolus; ita docet & Auctor *fol.* 680. at quartum, ô Adolescentes, hostium ego genus addidero pace vestrâ; non major est hostis quàm homo homini, dum ad peccandum invitat. Veraciter dixit ille, quisquis ille fuerit, *Homo homini Dæmon*: sed nunquam veracius Dæmonis induit figuram, subitque officium, quàm dum proximum à recto abducit. Incauta verò juventus hac tempestate temporis dum sese sociare arbitratur amicò, sese sæpius consociat hosti. Hostes enim sunt veri, & non amici, petulca vitiosorum adolescentum caterva, qui quosque adscitos sibi consocios, suis cogunt sese subdere legibus. Salutare accipite, Christiani Adolescentes, dogma. Amicum hominem cole, sed usque ad aras; quamdiu nempe nil contra jus fásve, quamdiu nihil, quod rationi aut conscientiæ adversatur, requirit: sin autem (etiamsi sint frater, sóror, Herus, Pater, mater) quidquam postulent ipsum quod summum bonum lædit & conscientiam, hunc nec amicum, nec fratrem, nec sororem, nec Patrem, nec Matrem, vel hilum cúra: His enim vicissim hostis sis, hostes enim veri sunt, qui ad peccandum invitant. 404. & 581.

HVMILITAS.

Quàm ea sit grata Deo, estque signum Electorum.

E veterum, quod mirum videri alicui posset, Philosophorum scholis, hæc una virtus exclusissima fuit. Socrates, Plato, Aristoteles, nec verbis eam nec factis docere noverant. De Temperantiâ, de fortitudine, de Iustitiâ sublimiter & eruditè dissererunt. De Humilitate verò virtutum omnium Magistra & Matre minùs scivêre quàm pueri puellæque nostræ. 801. Rationem reddo unicam: Humilitas Electorum nota est, ut superbia reproborum. 328. & 329.

Humilitate obtinetur Sanctitas & Beatitudo.

Obtinendæ salutis & principium & medium, & finis est humilitas: sine humilitate enim nihil discitur, nihil retinetur, nihil proficitur. 35. sunt que humilitas & sanctitas comites individui. 578.

Humilitate sternitur Leviathan?

Humilitate stravit David Goliath; Humilitate & sternitur & vincitur Goliath infernalis potentissimè. Nullos diabolorum exercitus formidet quem Humilitatis tegit lorica, testimonio sit quod memorant. 801.

Multi humiles videri volunt sine humilitate.

Quàm multi in omni hominum etiam sacro cœtu summissi, ac noto nomine humiles appellari volunt, & summissionem sui despicentiam cane pejus & angue oderunt. Humiliari, contemni, humana superbia omnino refugit, utque Cassianus inquit, volumus humilitatem Christi sine honoris mundani exercere jactura, & Christo cum hominum laude ac favore servire. In scholis (doctrinam exemplis confirmo) fit subinde ut Magister puerum virgas manu tenere, certoque loco stare jubeat, quòd plurimis sæpe grandiùs est supplicium, quàm iisdem species percuti. In religiosorum hominum cœtu Lectorem mensæ unicæ subinde vocula *Repete* plus excruciat, quàm quivis alius disciplinæ rigor, quod luculentæ indicium est superbiæ. 213.

Post Theologicas virtutes & intellectuales & Justitiam legalem ponitur humilitas, ratione finis, quia facit hominem subjectum quantum ad omnia in ordinatione ad finem.

DE IEIVNIO
INTERROGATIONES VARIÆ.

Jejunium an res sit nova, an verò antiqua?

Resp. Neg. Veronensis Antistes ac Martyr Zeno vir perinde Sanctus ac doctus, anno Christiano ducentesimo, Gallieni Imperatoris ævo, non pauca scripsit: Inter genuina & certa viri scripta numeratur, *Sermo de quatuor temporum Iejunio*: ergo ante annos mille quadringentos jam è cathedrâ jejunium à trimestri spatio repetendum promulgatur. 216.

Quid est jejunium.

Respond. Compendio. Abstinentia est substractio ciborum, quæ ratione gubernatur, nomen & dignitatem virtutis obtinet: jejunium verò est actus virtutis abstinentiæ, cùm ad carnis macerationem, & mentis in Deum elevationem, ac culparum expiationẽ assumitur. *Ex D. Th. Aquí. 2. 2. q. 146. ar. 1.*

Abbas Ipricius. Interrogatus is, quid est jejunium? *Resp.* Est frenum adversus peccatum. 213.

Hieronymus. Jejunium non solum est perfecta virtus, sed cæterarum virtutum fundamentum. 246.

Auctor. Jejunium est refectio unius diei una, cibis certi generis exclusis.

Definitionis Auctoris explicatio compendiosa.

An possit prævenire istius refectionis tempus. Olim refectionis illius hora fuit vespera. Ita Augustinus. A cœnâ hac vespertinâ transitum est ad horam pomeridianam tertiam, priscorum nonam, quæ consuetudo viguit ævo D. Tho. Aqui. Denique in horam undecimam sub meridiem, una hæc jejunii refectio, translata est; ita ut lex violari credatur, si sine causâ notabiliter citiùs cœnetur. Navarrus inter grádiores noxas, Auctor inter minores computat. Quod si ergo hospites sint dimittendi, aut destinatum iter urgeat, accelera cœnâ. 251.

Refectio

Refectio hæc unica nō potest esse nisi lauta nec copiosa.

Refectio hæc non nimis potest esse lauta aut copiosa, nam qui uno prandio tantum vorant, quantum tribus vitellis suffecerit, præcepto forsan satisfaciunt, quia semel tantùm edunt, sed præcepti finem neutiquam attingunt. Augustini est sententia: Nihil prodest tota die longum duxisse jejunium, si postea ciborum suavitate vel nimietate anima obruatur. 252.

An non liceat ergo collationē ut vocant sumere.

Certè nullo jure refectiuncula illa licita est: Nam lex non suffragatur. Nam vera jejunii ratio est semel in die comedere, sed solâ, non adeò priscâ, receptâ tamen consuetudine. 253.

Refectiuncula illa qualis & quanta esse possit?

Hîc certè aliquid ægrè certi præscribi potest. Theologi omnes ad loci consuetudinem nos ducunt. Quod si res ad libellam examinanda sit, ajo panem trium aut quatuor unciarum qui ferè crucigero venditur in collatitiam hanc cænulam adhiberi posse. 253. vesci quidem bellariis licet & aliis, dummodo parum scindatur, sed certè non expedit, qui potest capere capiat. 254.

Qui cibi sint vetiti in die jejunii?

Jejunii dies ante omnia excludit carnes & quod carnibus adeò affine, pecudum intestina, ovium pedes, & exta vitulorum, capita omnis generis altilia, & quidquid in carnis consum venit.

Quid de lacte, de ovis, caseo, butyro, &c.

Ajo certum hæc olim fuisse vetita, nam carni valde sunt affinia. Nam in religiosis familiis præsertim caseus & ova, nisi ægris, non permissa. Nunc consuetudini licitæ serviendum. 271.

Quinam sint à jejunio eximiti?

Primò ii, qui ætatis annum 21. primum necdum expleverunt. Mireris forsan non annum 20. potiùs quàm 21. locatum esse terminum; Rationem damus brevem: Ecclesia septenarium triplex attendit, infantis, Adolescentis, Juvenis. Triplici hoc septennio plus cibi permittitur non alendo tantùm, sed & augendo corpori: Monet tamen rectè D. Tho. & una cum illo Theologi, ut quâvis hebdomade bis terve jejunent, ne postea cum jejunandum erit, illis nimis sit durum ac difficile. 248.

Mollibus assuetus loricam ferre recusat,
Cervici inerat ferrea cassis obest.

Secundò Opifices, qui manuariis laboribus familiam alunt, quibus non annumerantur pictores, tonsores, scribæ, sartores; annumerantur verò iis, qui iter pedibus conficiunt, qui equo vehunt, si tamen sit necessarium; nam non oportet abarrhare Deum. 248.

Tertiò infirmi, in quam tribum referuntur prægnantes, puerperæ, nutrices convalescentes, sed & hîc bonâ fide agendum est.

Quartò Impotentes, in quâ classe sunt homines fortunæ tenuis mendici, pauperes, qui victum præparcum aut vagum habent, offam & olus in cœnam & prandium. Ergo etiam cænent, nam bis adeò parcè comesse minus gratum est carni, quàm semel jejunare. 248.

An non liceat petere dispensationem à jejunio.

Petere licet, modò justa adsit petendi causa. 251.

An jejunium sit præceptum.

Est præceptum Dei, naturæ, ac Ecclesiæ. In lege namque priscâ præcepit Deus statis mensibus ac diebus genium fraudare. *Levit.* 16. v. 29. De naturæ præcepto constat inde, quòd quandoque carnis blandimenta, illæ dæmonis suggestiones, illa peccandi pericula urgent, ut modus vix appareat evadendi; Tunc ajunt Theologi naturæ lege obligamur jejuniis similive armaturâ resistere. De præcepto Ecclesiæ nullum est dubium, quia Theologorum omnium effatum est, Quadragesimalis jejunii legem omnibus nationibus omnibúsque sæculis fuisse constitutam.

Plura alia variaq; jejunii exempla v. in libello Auctoris de jejunio.

Nomen Iesv venerabile.

Hoc salutiferum ac venerabile nomen & pectore clausum, & ore promptum homo gerat Christianus. Hoc certè nomen potentissimū quavis in necessitate positis, reverentialiter pronuntiatum, est auxilio præsentissimo. Imò Patres prisci hoc unico pæne nomine Idololatras Dei veri effecêre cultores. 633.

Ingratitudinis detestabile vitium.

Animi ingrati paradigma insigne habet Auctor *fol.* 512. Gratiæ certè beneficia non secutæ beneficiorum omnium fontes exhauriunt: verùm desidia humana, ne dicam malitia, hæc in re sæpe maxima, nullum vitium frequentius quàm ingrati animi. Mille in nos iterumque mille conferuntur beneficia vix gratias de uno referimus. Dixeris, sed forsan dies toti inter gratiarum actiones expendendi? non dico totis diebus submittenda humi genua, attollendas cælo manus, laudes divinas voce decantandas, sed hoc aio crebriùs de die, iteratis vicibus, & quàm potest sæpissimè gratias Deo tribuendas esse his vocibus, Gratias tibi ago Deus, gratias ago, laudabile certè ac debitum Deo exercitium. 660. & 418.

Ingratitudo an sit semper peccatum & quale?

Semper est ingratitudo peccatum, quia virtuti honestatis repugnat, sufficitque sola si non possit voluntas. Opponitur q; gratitudini speciali virtuti, non tamen semper est mortale, Nam beneficium non cognoscere vel non laudare per solam omissionem non est mortale.

Inimico ignoscendum ex toto corde.

Fidem Christo, veniam debemus inimico, & hoc justitiæ Christianæ pars est; non enim dimittendi tantùm potestatem habemus, sed & impositam necessitatem. Præcipientis vox est: *Non dico tibi usque septies, sed usque septuagesies septies*, hoc est, quadringentis nonaginta vicibus, ait *Ambrosius*, ut toties peccanti in die fratri dimitteret quoties ipse peccare non posset. Ne autem, inquit S. P. Augustinus, lingua dicas, Ignosco; & corde differas, vocem tuam audit homo, conscientiam tuam Deus inspicit. Melius est ut non clames ore, & dimittas corde, quàm ut blandus sis ore, corde crudelis. Videte ne recusetis loquentem. Sunt certè qui injuriam hactenus condonent, ut eum non vindicent, sæpe tamen exprobrent; sunt alii, qui quidem sileant, nihilominus manet altâ mente repostum, quod in gratiis illorum est commissum. Indulgentia mala, quia non plena. 401. Observate Christiani, vocem Domini: *De cordibus vestris.* Imperfecta nulla potest esse ignoscentia.

Emolumenta varia è veniâ inimicis datâ. 400. Exempla & historia eorum qui veniâ inimicis dedêre facilè. Inimici nostri considerandi ut Dei instrumenta. 850.

Tolerandi injurias recta methodus.

Malorum pœnalium nihil uspiam est, quod auctorem non habeat Deum, Cur ergo cuncta patienti non excipimus manu? Verum ut in multis, ita & in calamitatum & injuriarum tolerantiâ hallucinamur, dum scilicet causas secundas, ut in scholis loquimur, curiosissimè attendimus; causam verò primam non consideramus. En pulchrum Davidis injuriis lacessiti documentum: *Sinite illum ut maledicat, Dominus enim præcepit ei, ut malediceret David.* Documentum certo multò potentissimum ad sedandum animum adversus omnes injurias, non ut canes in lapidem immissum, sed in immittentem reflectendi oculi: ille autem cùm sit justus vindex Deus, cur in hominem sævimus. 609. 536. 509

Invidia Capitale vitium.

Non erraunt Senarii veteres,

Invidia morbus omnium gravissimus
Felicitas summa invidere nemini.

Verùm labes illa Invidiæ per orbem vulgatissima est, peccatum tamen grande prorsus, atque, ut Chrysostomus sentit, inexcusabile, in Dei leges præcipuè in charitatem acie directâ pugnans, divinum spiritum illiusque gratiam oppugnans; tanquam si Deus in dividendis muneribus suis erraret. In orbe graviora non fuêre mala quàm Adami lapsus & Christi excessus, acerba mors, utrumque ab invidiâ ortum. De primo ipsa Sapientia testatur: *Invidiâ Diaboli mors intravit in orbem terrarum.* De altero Matthæus loquitur: *Sciebat quòd per invidiam tradidissent eum.* Plura vide 498. 581. 497. De invidia enim differere non magnæ est artis, semper enim vel copiosissimè dicenti superest quod dicat. Non immeritò dixit S. P. Augustinus: Duobus malis præest Diabolus, superbiæ & invidiæ.

DEFINITIO INVIDIÆ. *Invidia est dolor ex alieno bono, ex alieno malo gaudium.* Socrati: *Vlcus animæ quod nunquam non supparat.*

Vesuninus Vates,

Invidus alterni mucrescit rebus opimis,
Invidia Siculi non invenêre Tyranni
Tormentum majus.

Germanorum vetus Proverbium,

Invidia in aulis nascitur,
In Monasteriis educatur,
In Xenodochiis moritur.

Apologus de invidiâ ingeniosus.

Fortuna & invidia manibus ligneis sunt colligatæ, veluti duæ vulgati corporis femellæ. *Invidia* nimium oculata, *Fortuna* nihil, quia cæca: Mirabile par mulierum noxarum, sed prudenter unà vinctæ, nam cœca eget oculato duce. 498.

Cùm fortuna perit nec livor ullus erit.

Invidia ex genere suo peccatum est mortale, quia contrariatur charitati in objecto, secus verò si sit primi tantùm motus in sensu; estque vitium capitale & mater harum filiarum, nempe susurrationis, detractionis exultationis in adversis, & afflictionis in prosperis.

Ira vitium Capitale efferum, cui non resistendum, sed cedendum.

Ut conceptum ignem materia lignea sicca non facilè remittit, ita succensa semel irâ mens iracundi nescit silere, nullaque conceptâ ira coërceri potest, Vitium directè rationem oppugnans & vitam. Non sunt enim potestate tatales parcæ majores quàm Temulentia & Iracundia, 671. Quàm rari qui tangi & silere possunt in orbe. 655. Plerique canis iracundi sunt moribus. Quare homini Christiano in omni mutuâ & domesticâ societate iracundo & iræ cedat ni velit tergiversando, tranquillitas ab eo recedat. Prudentis est declinare ictus & minantibus plagis se subducere, & non respondere tonanti. Ar allter jam sese praxis habet plagis nos exponimus volentes, & uti olim discurrentibus lupercis gravidæ sese offerebant verberandas, ita nos amamus verba & cædi volumus, nullo verbulo dantes veniam; hoc, ô Christiani, non est declinare ictus, sed ultra se ingerere. Bernardi sensu bonæ conscientia præclarè plurima silentio refutat.

Ira objectum, Bonum & malum est, terminat enim in vindictam ut bonum, & in inimicum ut in contrarium nocivum, id est malum. Sunt, fel, mania & furor; hæc enim iram augent, excandescentia verò ad primam speciem pertinet.

Ira species. Ira fit ex tristitiâ & desiderio ut ex causis.

Ira origo est vitium capitale, Quia ex ira multa vitia oriri possunt cùm habeat objectum appetibile id est vindictam.

Iræ filiæ sex.

Rixa, Tumor mentis, contumelia, clamor, indignatio, & blasphemia.

Iustitia Christiana in quo consistat?

Morum perfectio, ut aiunt, duo habet brachia, lævum & dextrum: lævum est lætalis noxæ fuga, dextrũ assiduum virtutis studium. Sunt homines orationis multæ, sed non minoris avaritiæ, alii egregiæ liberalitatis, nullius pietatis; alii prudentes, sed impatientes; Alii animosi, sed minus casti. Reperias quosdam utcunque verecundos, nonnihil tamen elatos. Itaque imperfecti, utpote qui altero perfectionis morum carent brachio. Perfectus in nullo deficit. 462.

LABOR.

Quò major est labor, eò majus subsequens præmium.

Ignorat ille quàm dulce sit esse regem in cælo, qui labores & molestias horret in terrâ. Astrologiæ vaticinium est, si Martius sui principio se lupum gerat, in ovem desinet, & quantò asperior & immitior est hiems, tantò serenior & faventior erit æstas: ita prorsus tantò nobis futurum erit regnum suavius, quantò nunc acerbior est nostra servitus. Per labores itur ad delicias, per vepreta tendimus in paradisum, per lacrymarum vada transitus est ad æterna gaudia. Eia Homines Christiani, alacriter & animosè brevissimum est iter, itineris terminus regnum immortale, felicitas nunquam desitura. 800.

LEGERE, LIBRI.

Qui legendi quivis Libri.

Non refert quàm multos, sed quàm bonos quis habeat libros. Lectio certa prodest, varia delectat, qui quò destinavit pervenire vult, unam sequatur viam, non per multas agetur; namque non ire istud, sed errare est. Hactenus Annæus. Sunt in omni hominum genere qui exsuccos, steriles, macros Auctores ament, ubi è dumeto uvulam, è senticeto racemulum, venentur. Imperitia familiaris multis & miseranda. Quis vineam colit, qui non tantumdem lucri speret quantum & sumptuum impendit? Quis librum legat è quo lectionis fructus, laboris impensas non æquet? Duces in quâvis arte assumendi. Adeundi fontes, transeundi rivuli. Ita recentioribus præpone priscos, si abundas tempore illos his junge. Optimi ergo legendi libri & in quavis arte duces, ex quibus quosdam recitat in omni scientiâ *fol.* 782. 783.

LEX, MANDATA DEI, PRÆCEPTVM.

Quanta olim legum observantia apud Priscos, & quanta & quàm levis mandatorum Dei hoc ævo transgressio.

Suillam edere olim quidem vetabatur, non tamen jure illo strictissimo, quo mendacia, furta, adulteria, homicidia, vetantur; nam illa Deus non lege solùm scriptâ, sed etiam naturali ac congenitâ gravissimè vetat; attamen nulla tam constans jam urget mandatorum Dei inter Christianos observatio, quanta olim inter Judæos suillæ carnis esus culta fuit prohibitio. In uno res tota firmatur, Eleazaro sene 538. Exactè novetunt omnes illud divinæ legis, *Non loqueris contra proximum falsum testimonium*, & tamen homines non tantùm mentiuntur, sed & datâ operâ & studio, ut mentiantur agunt; non nesciunt quid septima lex vetet, *Non furaberis*, & tamen passim manum in aliena mittunt & furantur. Integrè callent quid sextâ lege prohibeatur, *Non mœchaberis*, & tamen eo ipso animo domum subeunt ut in vetitum ruant & mœchentur, atque hoc est, quod peccata lætalia nimium quantùm auget. Hæc illa noxarum est enormis gravitas, iniquitas infinita, scire & à dictante conscientiâ audire: Hoc vetitum est, & à Deo vetitum est sub pœnâ mortis æternæ, sub jactura cœli & beatitudinis æternæ, hanc ipsam tamen culpam committere & scienter ruere in malum. 548.

Leges hæ divinæ an admittant excusationem?

Nequaquam, sed ubi quis seipsum legibus solvere, religionibus liberare, & sibimet exceptionem dare incipit, jam actum est. Varias sibi fingit causas temerâdi vetitũ. Gnaviter tandem dicet, non est prohibitum: Nunquid ob rem tam leviculam ad inferos mittar? Ita sanè, mi Homo, vel ob pomum, quia vetitum, cogimur mori. Nemo dixerit pauper sum, debilis sum, immanis apperentia, vehemens me sollicitat tentatio, neque ego sum resistendo, licebit ergo aliquantulum metas vetiti transilire? Neutiquam licebit, nunquam mentiri licet, furari nunquam, pudicitiam temerare, quia vetitum. 549.

Varia Paradig. ultionis divinæ in mandatorum Dei transgressores & contemptores.

Quæ sit libertas vera spiritus?

Libertas vera spiritus est S. P. Augustino *Affectus & amor justitiæ. Nulla autem*, inquit, *est vera libertas, nisi legi æternæ adhæremium. Hæc est libertas nostra cùm isti subdimur veritati.* Hactenus Magnus ille Pater. Hæc libertas liber Baro est qui legem divinam jubentem & prohibentem eò veneratur, ut apud animum suum ita statuat: Hoc Deus à me omni jure exigit, hoc igitur mihi faciendum, hoc cavendum, hoc fugiendum. Fecero illud igitur eâ libertate animi & constantiâ, ut nullus neque hominum, neque diabolorũ, sed nec Angelorum ullus hoc me gradu dimoturus sit.

Vide hujus rei paradigma 558. & talis libertatis vera exempla.

Quàm hæc in terris rara sit libertas exẽplis docetur.

Hi nati liberi sunt servi.

1. Est qui inter Religionis suæ adversarios agat, ne cavillis igitur exsibiletur sua statuit omittere pietatis exercitia. Hic ancillæ filius non est liber Baro, Christianus non est.
2. Est cui rogetur obsequium, sed parum honestum; ne tamen amico in hoc præstando desit diversas sibi fingit blandas rationes, & facit quod petitur, licet legi Dei adversetur. Et hic non est Christianus Baro.
3. Munera quis accipit, cùm tamen sciat sat probè mugera sibi non esse accipienda, accipit tamen, & hinc silet cùm loquendum est, aut loquitur cùm silendum est, aut quod omittendum est facit, neque hic liber est.
4. Est qui mensam opiparã & opulentam accũbat, hic varia sint poculorum certamina in gratiam accumbentium, a convivа Christianæ libertatis oblitus se vino obruit, & hic servus est, nec liber.
5. Sunt qui veritatem probè capiant, sed malè supprimunt silendo, sibique occinunt: Cave ne offendas, ori digitum impone, & horum est extincta libertas. O Christiani non sumus Ancillæ filii, sed liberæ. 558. 559.

Libido, Luxuria, Vitium Capitale pessimum.

Vitium libidinis vulgatissimum est, quod vix ulli hominum ordini, statui, aut ætati parcit. Omnia referta libidinum: Orbique toto labem fœdissimam infert luxuria. Quod Oseas jam olim deplorans, *furtum*, inquit, *& adulterium inundaverunt, sanguis sanguinem tetigit.* Omnia his nequitiis plenissima sunt, & quantum ejusce modi spurcarum nequitiarum supremus dies in aperto ponet, de quo jam nihil constat, quod parientes & tenebræ velant. Vir eruditus quondam dicere solebat: ô Ingenui Adolescentes, Si cerum juvenes ad inferos mittantur, nonaginta novem ob hoc unicum flagitium in flammas præcipitantur. Verisimilis planè conjectura, Libidinis & luxuriæ habe breve compendium ex Auctore. Vitium libidinis pertinacissimum, vulgatissimum vitiorum compendium. 624. & in lege nova prohibitum. 625.

Luxuria vincit vitia omnia amplitudine, diuturnitate, fœcunditate, estque curatu difficillima. 458.

Libido semen est omnis inimicitiæ, rixarum & instabilitatis. 843. *Vide plura in Indice rerum & Indice Catechist. Tom. primi.*

Luxuria est vitium capitale. Quia ex appetitu hujus homo in multa diffluit peccata,

Luxuria species sex. Simplex fornicatio, adulterium, incestus, stuprum, raptus, & vitium contra naturam.

Oscula, tactus, amplexus, an sint peccatum mortale? Ex se non sunt. Fieri enim possunt ob aliquam causam rationabilem, vel necessitatem, vel morem patriæ & absque libidine: sed si fiant propter delectationem luxuriæ, peccata sunt mortalia. Imò aspectus ipse libidinosus peccatum mortale est, licet sit minus quàm tactus, imo consensus in delectationem peccati mortalis, mortale est peccatũ: ergo multa magis oscula sine libidinose infixa.

NOTA.

Monendi sedulò Adolescentes & Puellæ ut ab ipso sui ipsius & mutui cum ipso & nudo conspectu abstineant. Vitium certè Iuventuti præsertim Puellis satis familiare; Nam heu nimis facile Diabolus in tales accipit sui corporis curiosulos potestatem? Motivationem nostram confirmat exemplo horrendo satis B. Prosper. 634. 635.

Libido quomodo vincatur?

1. *Timore Dei*, Nam ubi nulla est numinis reverentia, &c. Ita Tertullianus, Emendatio nulla, ubi nullus metus.
2. *Fugâ maturâ*, Animum invadit ira, resistite; Invidia impugnat, resistite; lacessit pecuniæ amor, resistite; Arrogantia supercilium erigit, resistite; Libido vellicat, fugite.
3. *Consideratione finis*, Prius semper cogitetur quis patrati sceleris futurus finis, & prius expendatur pœna quam committatur noxa. 505.

Matrimonii abusus cavendi.

Non tantùm, quod sedulò notandum est, hoc libidinoso satis ævo fœdiora luxuriæ scelera omni supplicio à Deo vindicantur, sed etiam ipsæ conjugii abusiones gravissimè puniuntur. Cameracensis Præpositus Thomas Cantipratanus horrēda, sed fide digna, narrat, quæ ipse vel oculis hausit, vel auribus. 634. Cavendus sedulò ergo omnis matrimonii abusus, sitque uniusculusque conjugium honorabile.

Matrimonia non turbanda, exemplo probatur pacifici quondam matrimonii ultro S. Mabati. 774.

S. MARIA.

Quibus D. Virgo non succurrat?

Plurimi Adolescentum & Puellarum sunt Sanctissimæ Virginis cultores, & rectè. Cultum hunc commendant, quæ in priori jndice catechistico, & jndice rerum annotavi; hìc aliud annotandum breviter duco scilicet, quòd nemo speret filium se permansurum, cujus Matris, nisi & ipse permaneat amator & cultor puritatis. Pulchra est hæc virgo ut luna, nec amare potest libidinũ sordibus maculatos. Q. Metellus, Valerio teste, Vrbanus Prætor, Vetilio juveni, quòd vitam impuram ageret, bonorum possessionem secundùm testamenti tabulas non dedit, ne aut motes illius approbaret, qui fortunas suas in stabulum contaminatum projecerat, aut ne illi tanquam integro civi jura redderet, qui se ab omni honesto vitæ genere abruperat. Si tantam honestati reverentiam habẽt Idololatræ ut lascivio juveni paternam hæreditatem jure negent, nil profectò hæreditatis speret à Virginum Virgine, qui præmortui pudoris homo & puritatis osor libidine vitam inquinat. Impuros odit & arcet hæc Virgo. Vis igitur Virginem tuo bono colere, cole castitatem. *Vid. fol.* 410. & *plura in Indice Rerum & lege fol. Tom.* 2. 409.

Meditationis pium Exercitium.

Meditationis exercitium si pluribus esset pervulgatum & familiare conjunctiores cum Deo forent homines. Quàm sit illud necessarium breviter trado. Philosophorum stylo. Nihil est volitum quin sit præcognitum. Amare possumus quæ nunquam vidimus, sed non quæ nunquam cognovimus, meditando autem in rerum cognitionem devenimus. 120.

Quid est Meditatio? Est attenta divinorum cogitatio, quæ varios voluntatis affectus miscet. 118.

Quæ necessaria meditationi? Ad meditationem rectè peragendam memoria, intellectus, voluntas, operam necesse est ut conferant.

Quot sunt meditandi genera. Duo sunt meditanda genera. 1. est quod alter alterum docere non potest. 2. quod cujusvis status hominibus expositum est.

Qui sunt meditationis fructus? Meditationis fructus sunt varii, & testimoniis confirmantur. 119 120.

An qui legere non potest, meditari possit? Meditationis exercitium cuivis potest esse familiare, etiam iis qui legere litteras nesciunt. Imò vetula una fervention potuit esse in rebus divinis dum meditari novit, quàm vir doctissimus ferventer orando. 119.

Operæ misericordiæ.

S. P. Augustinus ea facit semini similllima. 202. Sunt onera Christi secundùm D. Bernardum. 409. à nobis portanda ut ille nostra tulit.

Misericordia & Charitas, quomodo distinguantur?

Charitas & misericordia sunt distinctæ virtutes. Amicitiæ portò & Charitas aut pares accipiunt, aut pares faciunt: Misericordia verò excellentiam habet, quâ inferiorem respicit quem sublevat. Charitas hominem *quà bonum*, misericordia *quà miserum* complectitur. Est enim misericors quasi Deus miseri, quem juvat. Quâ quidam in parte charitas excelut inferior misericordiæ cedit, illique dat primas. 204.

MVNDI *insignis descriptio ad longum fol.* 491.

N.

Necessitas vertenda in rationem.

ARs magna est nec minùs necessaria oblata quævis in consilium flectere & necessitatem in rationem vertere. Frequenter in adversis quid animi pars inferior sensilis velit, quámque sese intorqueat, quàm trepidet ac paveat, signis, voce, monstramus, & pandimus; Vtinam & palam faceremus quàm potenter & appetitiones, & motus animales atque sensificos gubernemus! quod sit dum ipsa necessitas in rationem vertitur, & oblata quovis casu acerbo in hilare flectuntur consilium & necessitas, ipsa ancillatur rationi. Sed hac arte pauci insignes, aliquos recitat Auctor *fol.* 655. hujus doctrinæ potentissimos.

Negotiorum confusa moles, nociva piis quibusvis exercitiis.

Suum omnibus Christiani tribuendum est tempus, subindè nimii labores tam noxii quàm nulli sunt. Negotia igitur quævis sic tractanda sunt prout nos divinus Paulus instruit. *Hoc itaque dico fratres, tempus breve est, reliquum est ut qui utuntur hoc mundo tanquam non utuntur, & qui emant tanquam non possidentes.* Homines Christiani ejusmodi πολυπραγμονες & omnia agentes, quod Dominus suæ quondam dixit hospitæ: *Martha, Martha, sollicita es & turbaris circa plurima, porrò unum est necessarium*, finem scilicet sibi præstitutum assequi, & per Dei laudes ad Deum ascendere, cuncta negotia sic sunt homini Christiano tractanda, munia sic obeunda, ut Deo obsequium debitum non subtrahas, & beatam æternitatem perdas. 75.

Nobilitas quotuplex, quæve vera?

In quavis societate humanâ insolescunt eriguntque cristas sanguine non animo, dum eas erigunt nobiles, suosque coëtaneos, vel scholares, vel domesticos despiciunt, tanquam si ipsi de longè meliori luto à Deo forent confecti. Gregorius Nazianzenus triplicem dum statuit nobilitatem, veram unicam tantùm agnoscit. *Primam* suam supernè trahit originem, ad imaginem quippe divinam conditi sumus, omnes, quâ præquè ratione nobiles sumus omnes. *Altera* priscum sanguinem & claros præfert natales; At hæc nobilitas uti suum habet ortum, ita suum nec ignorat occasum. *Tertia*, quam virtus parit & eruditio; vulgatâ enim phrasi dicitur: Homo nobilis est, aut quia ingenii nobilis, judicii maturi, memoriæ excellentis, aut quia benè institutus, optimè moratus, insigniter doctus, eximiè sedatus, attemperare gnarus. Et hæc vera nobilitas est, plusque aliis scire, auctiorem doctrinam comparare, sanctius, ad virtutis leges vivere, hoc verum creat nobilem. 602.

O.

Oblivio.

Oblivionum & ingratorum ubique seges maxima. Homo ipsa certè oblivio, ita sacra pagina. Protoplastus enim noster triplex nomen habet, *Adam, Enos, Homo*. Interrogavit verò quondam Jobus. *Quid est homo ut immaculatus sit?* sed hanc interrogationem Hebræum Idioma sic effert: Quis est Enos? hoc est oblivionum. Quam non claram, experientia quotidiana confirmat, nam hoc etiamnum assiduè agimus, ut oblivionum simus. Eo ipso die, eâ ipsâ horâ, quâ emendationem vitæ spondemus, sponsionis, oblivescimur. Quæ certè oblivio Mater est ingratitudinis & sanctioris vitæ labes maxima. 513.

Oblivionis stirps & familia.

Oblivionis Mater Negligentia.
Oblivionis verò Bacchus est Pater.
Ingratitudinis Parens oblivio. 512.

Obscœna omnia & spurca fugienda.

Quod carnem sapit, Christiani, picis instar adhæret, inquinat, verbis & cogitationibus se miscet, inficitque omnia, unicus subinde nutus oculi venenat hominem. Si orbis olim adversus Deum succlamasset: Cur cælo submergis conditum? Cur regem animantium hominem tam infami damnas supplicio? Cur tam diu benignus non parcis diutiùs? unicum tantùm rationum omnium quod est compendium dedisset responsum, nempe, quia caro est. Sæpe nos libidines nostras speciosò nomine humanæ fragilitatis præteximus, maximamque continentiæ difficultatem objicimus; quæ quidem speciosè dici possunt: Nec enim ius vitiis color decst. Interim vociferantur SS. Pagina rem orbem abolitum, homines extinctos, quia caro fuerunt: summè enim displicet Deo hominem ratione prædirum non ad rationis, sed ad carnis dictamen pleraque omnia factitare. Cave, mi Christiane, ripam fluminis, cave quidquid carnem & libidinem olet, pus est, fœtor est, turpitudo est, cœnum est, certa animi pestis est. 485.

Obscœni Poëtæ non legendi.

P. Ovidius Naso in Elegis primus Poëtarum fælicissimus, qui de seipso fassus: *Quidquid conabar dicere versus erat*. Amatoriam suam aliorúmque poësim procul ab omnibus esse jubet. *Teneros ne tange Poëtas: submoneo dotes impius ipse meas*. Millies hoc inculcandum, ô Præceptores, scholaribus; Doctrinæ præstat quàm verecundiæ jacturam facere. Et quamvis reverà nulla penitus doctrinæ fiat jactura, cum lascivas, seu Poëtarum, seu quoruncunque aliorum, sordes, non lambimus, ista tamen si legant, non doctiorem quemquam facient aut reddent, sed nequiorem; ista si omittant, non proinde rudiores, sed verecundiores, sanctioresque manebunt. Quid obsecro eruditionem in fimeto quærimus? Nimis suapte sponte præceps in vitium ruit natura: Quid opus hoc impulsu? Submovete has impudicitiæ faces; hæc omnia impietatum & vitiorum fomenta jubete è scholis, cubiculis, & ubivis locorum exulare. Arbitros Madaurenses (nostis quos notem) venenorum officinas, pestes ipsissimas execrate, fugite, & fugere jubete. 782. *Vide Tom.* 1. 325.

Obtrectator audiendus aure surdâ.

Quare Christiani sic vos exanimant obtrectatorum verba? cur leniter vel læsi patientiam omnem in furorem vertimus? Sermones obtrectatorum omnes velle refellere, est seipsum operosè lædere. Plerumque enim hæc dicta tanto latiùs serpunt, quantò contentiosiùs refutantur. Si quis igitur nuntiarit: Nemo fidat huic homini, non is est qui putatur esse; hæc atque hæc familiaria sibi habet vitia, foris nitet, & in cute alius est, (Quàm crebra talia sunt in orbe epistolia) sed ad horum tenorem nolite expavescere. Si quis indicaverit quendam tibi maledicere, nec refuta, quæ dicta sunt, sed responde, eum nescisse cetera tua vitia; eum aliquin non illa sola fuisse dicturum. Qui sic sapit, sicque loquitur, hominis Christiani, non scorpionis comprobat se habere genium: Intactus enim scorpio acum virosam continet, contactus caudâ quamprimum ferit: ita plurimi silent non læsi, at si verbulo, hisve simillimisque nuntiis salutentur ignes vomunt & venena ut scorpio. 19.

Occasionis

Index Catechisticus.

Occasionis indoles.

Occasionis indoles hæc est, ut fugiat non illico arrepta; est enim punctulum temporis ad ea quæ conducunt, vel peragenda, vel providenda opportunum. Qui punctum illud temporis non tangit procul à scientiâ, sapientiâ, doctrinâ, & ab ostio cæli per errorem abit. Nam *ingenua juventus*, hæc & hæc illa & ista modò præsens addiscendi occasio, quæ hoc anno, hac ætate, hac hebdomade, hac die, hócque ipso temporis articulo adest, ubi abierit; in omnem æternitatem nunquam redibit. Pittaci è septem sapientibus monitum est: *Nosce tempus.* 638.

OCVLI.

Comprimenda ubique locorum oculorum licentia.

Quanti, ô Adolescentes, & Puellæ Virgines, quanti ab oculis perierunt, his lenonibus ad pudenda tracti flagitia, quot conjuges serò nimis ingemiscunt & plangunt. *Vt vidi, ut perii, ut me malus abstulit error.* Non ignoramus quàm crebrò & alios & nosipsos oculi seduxerint ingenii damno, & tamen oculorum collyria & vela passim rejiciuntur. Oculorum quidem videre est, sed voluntatis est, quæ auriga illorum, habenas adducere. Verùm aurigâ dormitante petulantes & effrenes equi, quà fert impetus, excurrunt. *Clemens Alexandrinus* primas docet oculos fornicationis & adulterii sagittas oculos esse. Nec malè, si enim oculi ad omnem curiositatem pateant, mens quibusvis sordibus adimpletur, & cogitationum pessimarum fit desidiabulum. Eruendi aliquando certè sunt oculi, & hoc non solùm, sed & projiciendi. *Lege* 456. Jobo non satis tutum videbatur non aspicere virginem, sed nec cogitare de virgine necessarium ducebat. Eleganter & religiosè submonet Poëta:

Quid facies, facies Veneris si veneris ante?
Non sedeas, sed eas, ne pereas per eas.

Odium fraternum.

Odii fraterni triplex fomentum, impatientia, superbia, invidia. 456. *Vide verbo injuria, invidia, inimicitia, in Indicibus omnibus utriusque Tomi.*

Oratio.

Ars hæc aurea est lucrosissima, utilissima; Deóque gratissima, hanc quignorat, nescio quid speret? statuam cuivis homini Christiano in cælo locat auream oratio, quæ præfecto diutiùs quàm illa Gorgiæ Leontini ab Athenienfibus posita stabit. Paucula igitur oraturis omnibus circumspectu & observatu necessaria, & in hac nostrâ ex Auctore desumpta doctrinâ, seu institutione Christiana subjungo, & moneo.

Quid est Oratio. Damascenus R. Est mentis in Deum elevatio.
S.P. August. pro mille aliis R. Oratio est ad Deum locutio. 71.

Quid est evagatio in Oratione, seu distractio. R. est mobilitas & inconstantia animi. 74.

Quæ sunt causa Distractionis in oratione? R. Sollicitudines nimiæ, otium, negotium, colloquium, odium fraternum, licetia oculorum, aliorúmque sensuum tam internorum, quàm externorum. *à fol.* 74. *usque* 78.

Quæ conciliant Orationis attentionem? *Consideratio assistentiæ & præsentiæ Dei, & multitudinis Angelorum, & futuræ æternitatis: his enim mens hominis curiosa quasi vincitur, ne evagetur.* 79. & 83.

Ante orationem rectam quæ requirantur? *Oraturus liberum cor habeat, non auro, non hominum ulli agglutinatus; illud enim ipsum, quod ipse ardenter nimis amat, orans sub ipsâ oratione reciret. Deinde priusquam oretur, ponatur & evomatur venenum; cùm enim precatio cum Deo conversatio & collocutio sit, ea proinde inter amicos & familiares fieri debet, & deletam supponere offensam. Non est enim speciosa laus in ore peccatoris. à fol.* 80.

Quando sit orandum præcipuè:
- Mane. *Nam aurora non Musis solùm, sed & beatis genijs, & cælo amica est. Apollonii Thianei præceptio erat advenientè aurorâ cum diis esse versandum. Matutinum namque tempus divinis colloquijs certè aptissimum: Nam corpus omni ex parte ad quævis est, præsertim orationi, habilius. Caput defæcatum, stomachus exoneratus, tempus quietum, animus negotiis vacuus?*
- & vespere. *Hæc enim sibi cohærent, Vara Vibiam sequitur. Quòd si enim mane homo Christianus cogitet orare, priùs vespere semen spargat, & post lustratam conscientiam, piâ, sanctáque cogitatione somnum incipiat.* 131.

Noctu si expergiscatur. *Incredibile enim dictu est, quàm diabolus ad semisopitum hominem sit attentus, quem impuris cogitationibus concipiendis tunc scit aptissimum, quam ob causam quotiescunque noctu expergiscitur. Homo, hoc animum in Deum erigat, hac brevi aliáque simili oratiuncula: Gloria Patri, & Domine Deus, Jesu miserere mei. Pia certè, & non minùs utilis consuetudo, ut & hæc est, quam & suadeo Christianis omnibus colendam, post absolutas preces cubitum concessuri, pii aliquid cogitare instituant, & cogitationi, aut ipsi etiam orationi indormiant, idémque faciant cùm noctu evigilant. Monè verò prima similiter omnium cogitatio sit Dei memoria, alioquin Sathan suggestionibus fœdis mentem præoccupat, diémque reliquum omnem matutino semine corrumpit.* 151

Cùm donum aliquod à Deo accepimus. *Vt Alaudula, quotiescunque aliquid in agro pabuli reperiunt, mox in altum evolant, suavitérque cantillant in laudem & altoris sui præconium. Ita & homo nutritoris Dei alumnus Alaudâ se gratiorem ostendat, modicúmque etiam receptum beneficium aliquâ semper sequatur oratio.* 113.

Cùm ardui aliquid aggredimur. *Suis sic suasit divinissimis exemplis Christus, qui discipulos sibi electuris totam noctem precibus pervigilavit. Certè Christianum est quidquid laboris inchoatur oratione prævenire, vt vicissim actiones nostras inchoandas, aut inchoatas astrando & adjuvando præveniat, & prosequatur Deus.* 113.

Cùm periculum est peccandi. *Hanc salutarem doctrinam passim tradunt Theologi non in ipso solùm corporis periculo, sed & animi ac salutis discrimine, passim esse orandum. Ita Franciscus Suares.* 113. *Ita princeps Theologus Thomas, qui divino & naturali jure sub novi peccati pœnâ nos eo temporis discrimine ad orandum obligat.* 114.

Cùm adversa premunt. *Tutissimum in adversis solum oratio; quod etiam Christiani Iapones docent.* 114. *Quid enim in adversis homo Christianus habet refugii quàm ut oculos suos ad illum dirigat in cujus manu sita sunt omnia. Consiliù hoc Iac. est:* Tristatur aliquis in vobis? oret. 114.

Qualiter, quóve situ corporis orandum. *Deprimendi oculi, genua flectenda, attollendæ manus, tumoris omnis contrahēdæ alæ, induenda personæ supplicis, sedētes Oratores arguit doctissimus Afer Tertullianus Christianorum in oratione mores explicans, & S.P. Augustinus cordis affectū & corporis gestum in oratione conjungit, alterū ab altero mirificè moveri & excitari asserens.* 129.

Quis sit locus Orationi. *In compendium doctrinam hanc redado, solitudo seu cubiculum, ut monet B. Teresa, ibique à turbis remotum orationi est amicum, propriùs tamen orationis locus, templum est, & in ipso templo struenda solitudo, & in mediis turbis turbæ sunt excludendæ. Demum cùm templum commodè adiri non potest locus omnis templum est. Oret igitur in suâ officinâ sartor, in suâ pergulâ mercator, in tabernâ sutor, in ustrinâ faber, in curiâ senator, inter chartas suas bibliopola, ad pluteum litterarum studiosus.* 128.

Quid in oratione petendum. Compendio res tradenda est: Unicum est quod honestissimè ac jure petitura Deo *gloria* & *gratia* Utrumque verò petit qui alterutrum petit? gloriam verè petere dicendus est qui petit aliquid æternum; *gratiam* vero primam, ut eam Theologi, qui læsæ conscientiæ veniam rogat aut gratiæ augmentum poscit, & qui gratiam sic ambit simul etiam gloriam expetit. Cùm enim gratia augetur simul etiam gloria quæ futura supponetur augmentum sumit. Quocirca hæc duo absolutè bona sine ambagibus, sine præfatione, multa sine conditione peti possunt. 109.

Explicatio Dominicarum petitionum.

1. Vult ea *primò*, ut Deus, & Dei potentia, majestas, sapientia, benignitas, providentia, justitia, & misericordia cognoscantur ab omnibus. *Secundo*, Ut Deus ab omnibus timeatur & ametur. *Tertiò*, Ut dignè colatur & laudetur ab omnibus. Id porrò fiet, si Deo ut veraci credant omnes in Deo ut potente & largo speient, Deum ut justum timeant, ut bonum diligant. Sic in orbe toto Dei gloria reluceat, noscatur inter homines Deus qualis sit, atque ita ut meretur colatur, & honoretur.

2. Triplex Dei regnum esse notandum est; *Naturæ, Gratiæ, & Gloriæ. Naturæ* regnum dicimus, quia Deus in omnes res conditas, inque orbem universum dominatur, creans, destruens, ordinans, gubernans omnia. Alterum *Gratiæ*, quod Deus tenet in servis suis, & servi ejus in ipso adversus hostes primarios, mundum, carnem, diabolum. Quod Dei regnum per veram religionem & charitatem administratur. 3. Est regnum *Gloriæ*, beatitas nempe immortalis. Quod regnum est pacatissimum, atque hoc est regnum, quod, ut adveniat, rogamus, ut impleatur beatorum numerus.

3. Tua Domine fiat voluntas, non nostra, non mundi, non carnis, non diaboli, sed tua rectissima & sanctissima. Duplicem Theologi Dei assignant voluntatem, hanc *signi*, illam *Beneplaciti. Signi* est, quâ Deus præcipiendo aut prohibendo significat quid à nobis fieri velit. *Beneplacitii* est, quâ Deus, quod providentiæ suæ decretis ab omni ævo statuit, usquequaque vult fieri. Quæ Dei voluntas semper perficitur. Quia verò hanc *Beneplaciti* amplecti, & illam *signi* præcipientem, aut prohibentem exequi sine numinis ope singulari non possumus; ideo gratiam postulamus ad divinas leges omnes integerrimè observandas, ut nempe Dei voluntas fiat in terrâ sicut in cælo, & mortales, ut angeli, & beati omnes in cælo Dei præceptis pareant, justa sequatur, amplectantur consilia.

4. Hactenus rogavimus quæ gloriæ Patris sunt augendæ, nūc rogamus illa quæ vitæ faciunt ducendæ Uno autem *Panis* nomine, omnia ad tuendam vitam necessaria subsidia petimus, victum, amictum, habitationem, valetudinem, &c. *Quotidianum* petimus cibarium scilicet frugalem, moderatum. Nec solùm panem è furno, sed rem Eucharistiæ, quàm æternum in cælo fruendum. Addimus *hodie*, tam ut significemur aviditatem frænandam esse, & sollicitudinem in crastinum; tum etiam quotidie hanc orationem fundendam esse cùm assiduè à Dei beneficentiâ pendeamus, antiis cæris proculabactis.

5. Post

5. Post bonum quadruplex postulatum, jam triplex malum deprecamur, Peccatum omnium malorum summum est, idcirco ante omnia liberari ab eo cupimus. Nemo autem quantumvis sanctus, sine quotidianis peccatis hanc vitam ducit: in quovis vero peccato tria sunt, *Actus peccati* qui transit; *Macula*, quæ remanet; *pœna*, quæ debetur. Hinc peccatum nominatur *debitum*, Peccatores verò *Debitores*: Tum etiam, quia satisfactionis debitorem se constituit, qui Deo injuriam facit; Deinde cùm unicuique commissa sint naturæ & gratiæ talenta, ii quæ ea negligunt *debitores* sunt, lucri non acquisiti & census non redditi. Quando igitur solvendo non sumus, miseri debitores divinam rectè misericordiam imploramus, quæ debita condonet. Sed æquissimâ conditione, ut qui à majore petit veniam offensionum graviorum, minorum ipse tribuat æquali.

6. Rogamus ne Deus permittat nos ullâ tentatione vinci. Duplex autem tentationis genus est. *Primum* cùm experimentum nostri sumitur, ut ea, quâ præditi sumus, innotescat virtus. Istud hic non refugimus, & hoc tentationis genere Deus nos tentat. *Alterum* tentationis genus est, cùm virtus nostra sic exploratur, ut ea labefactetur, & nos ad peccandum pertrahamur, quâ tentatione nos tentant hostes Dei, quâque ratione ipsa tentatio est ad peccatum sollicitatio, atque hanc deprecamur. Summa ergo petitionis est, ut suis Deus nos auxiliis confirmet erigatque, ne ulli tentationi vel consentiamus decepti, vel cedamus afflicti.

7. Cùm verò innumera sint vitæ nostræ mala, puta tentationes, ærumnæ, afflictiones, calamitates, miseriæ, & quia hæc modò ad peccatum sollicitant, modò virtutem oppugnant, non malè desideramus ab eis liberari; in primis à peccato, quod summum est malum, atque si res ad vivum resecetur, unicum & solum est malum. Deinde à Diaboli & malorum hominum petimus subduci insidiis. A diabolo petimus liberari non solùm ut non superet, sed nec ut infestet. Denique hic rogamus, ut ab omnibus tam corporis quàm animi, tam exterioribus quàm interioribus malis reddamur liberi.

Nota.

Sicut verò præmittitur his petitionibus Præfatio, hæc scilicet *Pater noster, qui es in cælis*, quâ Dei cùm bonitatem, tum potentiam laudamus; *Bonitatem*, dicendo & nominando eum, *Patrem nostrum*, Potentiam addendo, *qui es in cælis*. Additur & Epilogus, sive clausula, *Amen*. Quam clausulam S. Hieronymus Orationis Dominicæ signaculum appellat; Nec est aliud quàm optantis votum, ut ita fiat, quo sinceritatem ardoremque nostri desiderii exprimimus, perinde ac si dicamus, *Tua bonitas Pater* efficere dignetur, ut quod ardentibus votis petimus, impetremus. *Lege à fol.* 152. *usque* 135.

Differentiæ inter Orationem, Obsecrationem, Petitionem, & Gratiarum actionem.

- *Oratio*, est animi ad Deum elevatio, quo quidem modo ad Deum accedimus.
- *Obsecratio*, est quâ precibus nostris vim & pondus ad impetrandum addimus, quod ipsa Dei bonitas est, & promeritorum filii infinitus thesaurus, v. g. dum oramus *Per Nativitatem tuam Iesu*, &c.
- *Petitio*, Est quâ victum, valetudinem, sapientiam, & alias à Deo virtutes petimus.
- *Gratiarum actio* est, quâ nos Deo memores & gratos sistimus ob accepta ab eo beneficia, quæ una res nostras preces plurimùm commendat. 651.

Hinc jam nunc emergat ex dictis omnibus Quæstio unica: Quænam nempe inter infinitas Orationes & precatiunculas optima & excellentissima sit Oratio? Verbo responderi potest, Oratio Dominica omnibus aliis orandi formis præstat, ac proinde schema hoc subjecto latius tantæ Orationis dignitatem & auctoritatem compendio trado:

Oratio Dominica antistat omnibus orationibus,

- *Primò*, *Auctoritate*, ipsa enim eam sapientia & veritas præscripserunt.
- *Secundò*, *Ordine*, Nam primò ea petuntur, quæ Dei gloriam; deinde, illa quæ animi salutem; tertiò, quæ bonum corporis spectant.
- *Tertiò*, *Brevitate*, Nam si rerum petendarum multitudinem & magnitudinem expendas brevior esse non poterat.
- *Quartò*, *Perfectione*, Nam, ut Augustinus loquitur, omnia hæc oratio Dominica continet & concludit oratio: quidquid nempe aliis in omnibus continetur.
- *Quintò*, *Efficacitate*, Deum Patrem utpote nihil magis moverit, quàm oratio filii, nec quisquam melius noverit quàm filius quæ apud Patrem efficacior sit oratio.
- *Sextò*, *Necessitate*, Nam sacra consilia docent non licere homini Christiano orationem Dominicam aut memoriâ nō tenere, aut non intelligere, aut non frequentare.

Plura alia vide sparsim in libello Rhetorica cælesti, ubi dicta & dogmata hac schemate tradita, variis in locis exornantur & confirmantur Historiis, Exemplis, Apologis.

Otium.

Teste S. Ignatio Loiolâ, vitiorum omnium origo. Qui legem hanc auream aureæ suæ inseruit Regulæ. Estque quadragesima quarta. Omnes, inquit, quamdiu corpore bene valent, in spiritualibus vel exterioribus rebus habeant in quo occupentur, ne otium malorum omnium Origo, quoad ejus fieri possit, domi hujus obstræ locum habeat. Cujus Paterni moniti quàm sit S. Societas hoc ævo observans nemo non nescit, & rectè: nam ubi feriæ & cessatio, ubi desidia & iners otium, ibi claudicant omnia, labat disciplina, languent studia, silentium exulat, perstrepunt colloquia, urgent sympofia, somnus imperat, Diabolus triumphat, nusquámque res bene geritur, cùm nihil agitur. 728. Otium, mi Christiane, vita, & multa simul jugulasti vitia.

Otio cognata duo vitia.

Ad otium spectant cognata duo vitia, quorum primum est, *Intemperans somnus*. Quies corporis permittenda quidem, sed moderata; Optatum namque pabulum est pigritiæ in multam lucem stertere: nec præclarum quisquam exspectet aliquis ab homine somni amante. Alterum quod otio favet *Neglectus ordo* & confusio est. In re namque familiari administrandâ non pulchrum tantùm, sed & necessarium suo quævis statò fieri tempore: statæ sint horæ, quibus surgendum, & cubitum eundum, quibus prandendum & cænandum, quibus & laborandum & orandum; ubi ordo verò exulat, subintrat paupertas & miseria, commigrant honor & divitiæ. 74.

P.

PARADISVS.

Quæ sint Paradisi Claves.

Paradisi Claves sunt tres.

1. Accusatio sui.
2. Resignatio sui.
3. Perseverans patientia.

Singula explico suo elogio compendiosè.

Accusatio sui humilis.

Usitatissimum humanæ gentis vitium est, audendo peccatum committere, commissum, negando abscondere, convictum, defendendo excusare. Quid hoc aliud est quàm cœlum sibi obserare, quod non nisi clave humilis accusationis reseratur? A quâ humili etiam accusatione diabolus multos deterret ipsa sola erubescentia. Nam hoc ævo ut & omni semper ævo perierunt, quot pereunt æternùm, solo pudore? Poterant & possunt æternum vivere unâ confessione, à quâ pudor noxius eos abstraxit. *Vide verb. Confessio in utriusque Tomi Indice.*

Resignatio sui.

Altera Paradisi Clavis est resignatio sui in manus Dei ad præmium & supplicium, eóque major hæc est resignatio quò major est fiducia.

Perseverans Patientia.

Chrysostomo enim teste crux ipsa Paradisi clavis, & non nisi crucifixo Paradisus promittitur, qui ergo crucis est socius & Paradisi erit. *Vide à fol.* 404. *usque* 406.

Patientia.

Optimè Prisci { *Vir bonus non quærit quidnam patiatur, sed quàm bene.* *Multa vir trophæa erexit plura sed patientia.*

Patientiâ namque prohibetur Ira, restringuntur animi motus, petulantia manus comprimitur, linguæ venenū eximitur. Tribus ad eam gradibus pervenitur. Primo nomen *Patienter*, alteri *libenter*, tertio *Hilariter*, explico singulos. Primus patientiæ gradus est *Patienter*, seu velle potiùs pati quàm peccare; Ægrotare malle quàm magos consulere. Atque ita qui non murmurat, sed qui miseriis dat manus hic in primo patientiæ gradu consistit. *Libenter* verò cùm quis patitur, id est, cùm ad adversa perferenda prompto est animo, omnique se immisso aptat oneri consistit in secundo. Qui verò *hilariter*, id est, adversis quasi cupit fatigari, eáque cum gratiarum actione velut donum è cælo admittit, ille in tertio & perfectissimo jam consistit gradu. Dicta Sacra Historia Auctor Tom. 1. 841. Vbi & varia referuntur patientiæ exempla.

Actiones

Actiones patientiæ veræ sunt,
- Tolerare injuriam non solùm cùm reus es, sed & innocens.
- Neminem culpare nec se excusare.
- Inimicum non odisse tantùm, sed & amare.
- In omni afflictione se ad Christum convertere.
- Se suáque offerre Deo quotidie.
- Cõinere nõ solũ manus à verberibus, sed & linguã à verbis.
- Non fugere consortium sibi adversantium.
- Sibi concionari; & omnem impatientiam repellere.
- Sentẽtiis se firmare ex S. Scrip. & exemp. Sanct. in afflictione.

Veterum gnomæ Patientiam suadentes:
- Non quid feras sed quemadmodum feras interest.
- Speremus quod volumus, sed quod acciderit feramus.
- Feras, non culpes quod vitari non potest.
- Tantò quis minùs doctus est, quantò quis minùs patiens.
- Melior est conditio patientis injustè, quàm faciẽtis.
- Ille verè patiens est qui adversis conteritur, nec tamen ab animi tranquillitate dimovetur.
- Patientia tam non est in prosperis, quàm fortitudo: non in mollibus, quàm luctus, non in lætis ac jocularibus est.
- Sapientiæ comes est patientia. *Vide* de Patientia *Auctorem Tom.* 1. & 2. v. Patientia *in Indicibus.*

Pastorum officium periculosioris est aleæ.

Ambire Pastoris officium ut præsis vitiosum est, ut verò prosis meritorium planè. Pastoris officium pingue quidem lac, lanam, carnes, & quævis porrigit necessaria; sed difficile, quia rationes severas exigit. Ad quod exhorrebat Marcellus II. Summus Pontifex, anno millesimo quingentesimo quinquagesimo quinto? Intendens enim quanta eum cogeret necessitas Romanam curiam corrigẽdi, & labentem Cleri disciplinam legibus coërcendi, & huic uni faciendæ rei plurima sese opponerent obstacula, mensæ accumbens, eamdemque manu feriens: Non video, aiebat, quomodo, qui culmen hoc altissimum tenent, salvi esse possint. 539

Peccatum.

Nunc demum doceamus, quid demum mali sit peccatum, pessimæque ejus indolis aliquam facere Juventuti omnique homini Christiano demonstrationem. Peccatum igitur mortem animæ adfert certissimam, & ex hominibus bonis, aut etiam ex optimis facit quandoque pessimos & improbissimos, ex Angelis Diabolos. Ipsa Philosophia consocia experientia id comprobat. Omnis mutatio, ut scholæ loquuntur, è contrario fit in contrarium: vinum dulcissimum cum degenerat, in acetum mutatur acerrimum. Homines moratissimi cùm jugum excutiunt nequissimi evadunt. Cùm verò initium sit salutis notitia peccati; hæc subnoto Cbristianæ institutionis dogmata. 488. 489.

Quæ sint peccata mortalia, quæve venialia?

Mortalia habentur illa, quæ ita contraria sunt divinæ vel humanæ propter Deum amicitiæ, ut manifesta ratio dicat veram amicitiam ea non sustinere, sed talis malitiæ esse, propter quæ amicitia justè dissolvatur; cujusmodi sunt furta, homicidia, adulteria, &c. Quod verò ex peccatis levius quàm ut amicitiam dirimere judicetur, avertat ab ea, licet parum, non tamen mortale censendum est; ut est damnum alteri illatum in re parvâ, aut levior proximi læsio. Nec etiam omne illud peccatum mortale censendum est, quod directè præfatæ amicitiæ contrariatur, nisi enim id committatur deliberatione perfectâ plenóque voluntatis consensu mortale esse indicari nequaquam debet, sicut ubi perfecta desit voluntas, perfectum etiam non sit peccatum. Unde fit, ut nulla quantúmvis mala, blasphema, aut obscœna cogitatio, nullusque animi affectus subitò exortus, mortalis dici possit, cui ipsa præsens mentis ratio repugnat. Si tamen hujusmodi subrepens aut incedens cogitatio, motusque irregularis animi pertinacius fortè perseveret, ipsa tamen vigili contradicente ratione, tale vel nullum, vel leve omnino peccatum censendum est. Imò (quod scrupulosis conscientiis sit solatio) fieri interdum potest, ut ex ipsâ tam vigili rationis repugnantiâ pertinacique odio non leve, sed maximum homini Christiano exsurgat & accedat meritum; ut scilicet, quoties talis inimica Deo & rationi cogitatio deprimatur, & homo coronari mereatur. Si verò ratio nonnihil indormitarit, & ita nec plenè consentiat, prorsus etiam non repugnet, difficile jam judicatu erit peccati ipsius qualitas: Sin autem plenius accesserit consensus, gravius omnino, nullo etiam actu consequente, judicandum est peccatum. Hæc enim certissima est regula: *Omnis perfecta voluntas*, sive bona sive mala apud Deum pro facto reputatur. Dicta luculenter subjecta tabella, quod ad rationis consensum attinet, edocet.

Rationis
- *Plenus*
  - *Ad malum consensus peccatum est.*
  - *Dissensus meritum.*
- *Non plenus consensus nec dissensus, incertum quale peccatum.*

Ut verò resciant quilibet, quid nunc porrò plenus sit consensus aut dissensus, hoc brevibus & annoto: Consensus & dissensus plenam semper & integram prærequirit advertentiam, ut quis scilicet jam perfectè attendat, & quid cogitet, quidve divinis contrarietur præceptis; si enim vel non advertas te cogitare, vel non satis advertas illud esse, vel non esse peccatum, quidquid inter hanc plenam considerationem fit, magis pertinet ad subreptionem quàm voluntatem. Consulit enim Deus infirmitati nostræ, nobisque quasdam quasi concedit inducias; ut peccatum plenè

advertamus, & ut rei cogitatæ periculum tam diu nobis non imputetur, quàm diu in eorum quæ cogitamus fumus oblivione.

In omni peccato mortali duo sunt consideranda.

Aversio à Deo & conversio ad rem creatam. Unde cùm resipiscimus necessaria sunt aversio & à re creatâ, & ipsâ ad Deum conversio. 488. Tom. 2. Unde & Theologorum princeps Thomas Aquinas in omni letali peccato duplicem agnovit malitiam: Quarum prima est actus rationi, ejusque regulæ dissentaneus. Altera est injuria irrogata Deo contemptu Dei, quæ malitia nihil aliud est quàm voluntatis à Deo aversio. 188. Tom. 1.

Peccatum Deus infinito odio prosequitur.

Uti lux tenebras, pulchritudo turpitudinem, bonitas malitiam, vita mortem aversantur, sic & sanctitas omnem nequitiam & fœditatem, ut verò Deus sanctitatem animique puritatem infinito amore, ita necessario peccatum odio prosequitur infinito.

Odii signa sunt.
- *Subtractio gratiæ.*
- *Immissio calamitatum.*
- *Ademptio juris cœli.*
- *Pœnitio æterna.* 184. Tom. 1.

Ut autem istius, quo Deus in peccatum fertur, odii magnitudo paulò altiùs in animum admittant Christiani, considerent attentius quantum supplicii æquissimus Judex, vel unico peccato sæpissimè arrogant. Supplicorum aliquorum recito seriem:

Ob Peccatum
- *Lucifer pulsus cælo cum tot millionibus Angelorum.*
- *Orbis terrarum totius aqua sepultus.*
- *Primos parentes paradiso exclusit & posteros.*
- *Sodoma & Gomorrha incendio deleta.*
- *Sichimorum urbs everſa.*
- *Benjamitarum viginti quinque millia interfecta.*
- *Israelitarum verò quadraginta millia.*
- *Heli morte unà cum filiis punitus.*
- *Saul regno privatus & reprobatus.*
- *Nabuchodonosor in bestiam transmutatus.*
- *Ananias & Sapphira subitâ morte correpti.*
- Plura vide 182. Tom. 1.

Peccati effectus venenosi & letales.

Unde reverà non peccabit unquam, quisquis seriâ mente cùm peccati gravitatem tum fœditatem inspexerit, peccatum ex orbe tolle & malum omne sustuleris. Unum enim est atque unicum Orbis verum malum, peterorum omnium malorum seminarium, miseriarum pelagus, & profundissimum suppliciorum abyssus. Rectissimè prorsus Joannes Climacus: Etsi Jordanem stillatim & guttatim lachrymando per oculos educeremus, nunquam tamen pro commissis peccatis satisfacere possemus. *Vide plurima sparsim in Auctore Tomo* 1. & 2. & *consule Indices.* Hic ego qui virus ostendi, remedium commonstro.

Generalia peccatorum remedia:
- Cogitare frequenter
  - *Præsentiam divinæ majestatis, & Angelum.*
  - *Vitæ brevitatem, & incertam mortis horam.*
  - *Futurum judicium, & divinam in eo justitiam.*
  - *Pœnam damnatorum & beatorum felicitatem.*
- *Fugere omnium improborum societatem.*
- *Adjungere se bonis timentibus Deum.*
- *Fugere omnes peccatorum occasiones.*
- Frequens
  - *Auditio verbi Dei.*
  - *S. Scripturæ lectio, & Meditatio.*
  - *Peccatorum confessio.*
  - *Sumptio S. Eucharistiæ.*
  - *Vitæ & passionis Christi commemoratio.*
  - *Oratio cum fiduciâ.*

Lege præsertim de peccato quæ habet Auctor à fol. 524. usque fol. 529.

Sinistra pugna adversus Peccatum.

Impugnatur his modis sinistrè Diabolus & peccatum.
1. Ante pugnam armare se nolle. Sunt enim qui tunc primùm arma corripiunt cùm vulneris dolorem sentiunt.
2. Arma sumere nimis ponderosa. Orare enim perpetuò & nunquam laborare velle, semper jejunare & subitò se iterum cibis farcire, onerosi sunt non defensioni. Qui spiritualium filiarum multarum error est.
3. In ipso conflictu arma projicere. Quod ille facit, qui ipsâ pugnâ sit pusillanimis.
4. Eâ parte, quâ quis impugnatur minùs se munire. Ubi scilicet quis se sentit debiliorem cõvires colligat. Itaque si avaritia eum oppugnet, illo sese vitio ante omnia opponat.
5. Nolle hosti resistere loco opportuno. Ut nempe hostis excludatur urbe arcendus est à portis; sensus ergo externi custodiendi. Væ enim urbi portis si insistat hostis.

6. Oppugnare amicos, inimicos verò applaudere. Voluntati & contumaci judicio proprio stare & spiritualibus Magistris suis non credere, hoc est Amicos oppugnare, inimicis applaudere; & hoc spiritualium filiarum frequens & pervulgatum est vitium.
7. Cum hoste velle congredi, & cominus pugnare, qui eminus est vincendus. Sæpe enim acquirit hostis è vicinia vires. Talis est libidinis tentatio, quæ rectius fugâ quàm conserta manu & collato pede superantur.
8. Hostem jugulare nolle dum parvulus & invalidus est. Tentatio enim antequam invalescat, & priusquam in colubrum grandem excrescat enervanda est.
9. Armis pugnare similibus cùm pugnandum esset contrariis, disparibus armis pugnandum est. Nec odium contra odium, garrulitas contra garrulitatem, convitium adversus convitia reponenda sunt; sed amore odium, garrulitas taciturnitate, convitium faustâ precatione oppugnandum.
10. In eo hoste debellando frustra se fatigare, qui debellari potest sine labore. Melior enim est patiens viro forti, & injuriosis patiendo citiùs vincitur quàm repugnando. Injurius enim igitur quis est tibi, tu ne te fatiga, sed causam tuam Deo committe.
11. Fugiendo velle hostem vincere, qui pugnâ vincendus est tibi. Cujus generis sunt adversa & incommoda omnia. His vera patientia non cedit, nec ea vincit fugiendo, sed ferendo, & pedem cùm illis conferendo.
12. Hostem suum ad suimet exitium & interitum juvare. Sic quis diabolum juvat, cùm ad foveam, Christiane, quò præcipiteris properas. Fovea profunda est meretrix, & puteus angustus aliena.

Arma Christiani militis.
- Repellere statim malas cogitationes; Cogitando: Deũ & Angelos sibi sæpe adesse. Incertum mortis diem. Judicii Dei severitatem. Pœnarum inferni acerbitatem.
- Frequens peccatorum confessio.
- Lectio & meditatio sacræ Scripturæ.
- Frequens ac diligens auditio verbi Dei.
- Frequens oratio potissimùm mentalis.

Hæc sunt Christiani Tironis arma, quibus se in pugnâ spirituali armatum inimico infernali, cæterisque hostibus tuò sistet; ab ineunte tamen ætate usum horum armorum perdiscant.

Pecunia est metropolis omnis malitiæ.

Sapientissimus quondam ita affatus est Bias & quàm veraciter: Amor enim ille nummosus ubi juventutem, & usumquemque Christianum possederit, jam non ab uno, sed à pluribus obsidetur diabolis; audétque jam cuncta ad quæ paulò antè exhorruerat erubescens. Quid sceleris enim non patratur amore pecuniæ? ab hac unâ radice omnis generis vaframenta, impostura, fraudes, injustitiæ pullulant. Quod & sapienter confirmat *Timon*, dum inquit: Duo sunt malorum elementa, inexplebilis nempe opum cupiditas, & gloriæ appetentia. Nec minùs eruditè canit *Venusinus* ac vere:

Perdidit arma, locum virtutis deseruit, qui
Semper in augendâ festinat, & obruitur re.

Subscribi dictis sanctus Pater Augustinus: Extirpa ergo cupiditatem & planta charitatem: sicut enim radix omnium malorum est cupiditas, ita radix omnium bonorum est charitas. S. Chrysostomus: Amor pecuniæ cæcitas animæ. Siracides denique? *Nihil est iniquius quàm amare pecuniam, hic enim & animam suam venalem habet.* Verùm cùm tam vehemens quàm vulgata sit tentatio pecuniæ cupiditas, ea tamen major erit, si in ipsâ juventute non supprimatur. Igitur & hic principiis obstandum. 704. & 92.

Perseverantiam amat in virtute Deus.

Perseverantiam & constantiam in omni honesto amat Deus, utpote quæ virtutis sit perfectio & corona. Res certissima. Omnem tantùm eo fine rerum naturam consideremus: Quid juvat artificium discere, non tamen ita perdiscere, ut artis specimen possis edere? Quid cursurâ certas; si prius consistas quàm ad metam pervenias? Quid patientiæ, quid tolerantiæ, temperantiæ, aliúdve virtutis gymnasium frequentas, si discendi constantiam non cogitas? nihil hic agit, qui in dies compluscula aut hebdomades vel menses sub ferula virtutum triverit, si demum in impatientiam erumpens dicat: Satis diu discipulus fui. Incassum incipiunt, quia cœpta non perficiunt. *Consummatum est* ultima omnium in scholâ virtutum prælectio est, qui hanc non didicit non coronabitur. 50.

Perseverantiæ & constantiæ discrimen.

Theologorum antesignanus Thomas Aquinas inter perseverantiam & constantiam discrimen assignat. Virtus perseverantiæ propriè, inquit, facit persistere hominem in bono contra difficultatem, quæ provenit ex ipsâ diuturnitate actus. Constantia autem facit firmiter persistere in bono contra difficultatem, quæ provenit ex quibuscunque aliis exterioribus impedimentis, quo in genere cum patientiâ maximè convenit. 584.

Pietas.

Hæc omnium virtutum est fundamentum, primáque ac præcipua virtus in scholastico, adeóque in omni homine Christiano, quâ destitutus infeliciter quisque in hoc mundi theatro versabitur. Est enim ea ad omnia utilis, ac proinde Capadocum illud lumen *Basilius Magnus* pueros, ques *Libanio* Sophistæ erudiendos tradiderat pietatem ac ingenuos vivendi mores unà cum litteris doceri demandabat. Et Imperator Justinianus Professoribus quibuscunque, ut primò quidem animas, deinde linguas eruditas fieri procurarent, eruditas præcipere consuevit. Et rectè Auctor noster hoc & hujus ævi Hypodidascalis omnibus occinit cum ipsa Pietas cum litteris ac eruditione ita juncta sit & indiscreta, ut omnino necesse sit non minores fieri in eâ progressus quàm in ipsis litteris profanis & Latini sermonis perceptione, ut eáque schola doctissimorum omnium virorum judicio eruditior judicetur, in quâ non minor sed major Pietatis, quàm eruditionis ratio habetur: Imò si horum, ô Hypodidascali, alterum fortassis desideretur, ut scholas litterarum studiis quidem prodesse Reipublicæ, moribus verò easdem obesse appareat, multò potior vivendi ratio, quàm dicendi elegantia videri debet. Ipsa námque virtus nulla, etsi doctrinâ firmetur, per se tamen ipsa & splender & scintillat. Eruditio verò hac privata comite minimùm prodesse possunt, ac juncta simul immortalem parant perennémque gloriam. Quid quod & ipsa litterarum eruditio absque pietate non facilè cuiquam obtingat. Notissimum illud est, quod divinus ille preco Spirit. S. in S. Script. promulgat: *In malevolam animam non introibit sapientia, neque habitabit in corpore subdito peccatis*, vel certè si idipsum contingat & in magnam tam possessoris sui, quàm Reipublicæ, aliorúmque perniciem. Quò enim disciplina quæque præstantior, eò quoque est pernicioſior improbo si contingat. Qui pluribus, quod manifestum nimis est trado: Pietas ad omnia utilis, sapientiam parat, vitam prolongat, honores creat, ut & impietas initium omnis est ruinæ vitámque abrumpit. 671.

Descriptio Pietatis.

Pietas illa quâ per instinctum Spirit. S. exhibetur cultus Deo ut Patri, donum Spiritus S. est. Donum verò est quædam habitualis animæ dispositio, quâ prompte a Spirit. S. est mobilis. Pietas verò illa ut donum; non solùm exhibet cultum Deo, sed etiam omnibus hominibus etiam propter Deum, unde Sanctos honorat, S. Scripturæ non contradicit, &c.

Præcipitantia vitanda.

Quanti fatentur utrò in maxima se damna incurrisse præcipitando. Hinc crebrò in orbe voces has audias: Me millies pœnituit quod imprudenter dixi. Non est enim sui compos præcipitantia; omnisque festinatio incogitans expers est consilii: hic & veteri fertur proverbio: *Canis festinans cæcos parit catulos*; quique nimium properat serius absolvit. Si res tamen exigat festinationem, festina, sed lentè. Apologo docet id Auctor confirmat Historiâ. 554.

Principiis obstandum.

Manibus pedibúsque resistendum est, ne lupus acheronticus ostiolum vel minimùm, ne vel unam solam rimulam reperiat sibi patentem. Principiis obsta, aut victus es. Cavendum proinde sedulò, ne aliquando quis peccato consentiat: peccatum enim primum januam referat secundo, secundum tertio, tertium quarto, sicque in longum itur & peritur. Hæc Theologorum doctrina est, dum asserunt unum peccatum esse alterius causa, & pœna. 500. 501. *Exempla ibidem, doctrinam hanc testatam lege.*

Promissa Deo & hominibus adimplenda.

Plurimi linguam habent ipsâ actione sublimiorem, seséque promittendo facilè triplici se malo implicant; quorum primum est remorsus conscientiæ, alterum jactura amicitiæ, tertium restitutionis obligatio. Proinde nec Deo nec homini quidquam pollicendum, quod vel non possimus præstare, vel non nisi difficillimè. Promisisti, obligatum te noris, ad tuam fidem liberandam, da illius cartem, si dare nequeas totum quod promisisti. Eorum nos supplicia terreant qui promiserunt quidem, sed promissis non steterunt. *Vide Auctorem Tom. 1. fol. 713.*

Proximus diligendus eiúque obsequendum.

Proximo benefaciendum esse notissimum mandatum Dei est; obsequiosus verò homo, inque alios benignus, pulcherrima numinis effigies est. Nihil, inquit Gregorius Nazianzenus, tam divinum habet homo quàm de aliis bene mereri. Scimúsque neminem sibi nasci, neminem sibi vivere. Orbis ipsius hoc edocet constitutio, eam enim ob causam uni Deus non concessit omnia, nec omnia possumus omnes, ut alter nempe alterius indigeat, uti & provinciæ ac regna subsidiis servantur mutuis prout diversa cælo dona defluunt. Hinc Deus Provinciæ singulariter præ ceteris frumentum, vinum illi, pecus isti, lanam & pannos alteri, huic fructus arborum, illi thesauros montium metalla, isti divitias hortorum aromata, concessit, ut altera alteri provinciæ opem tendat, ab alterâ petat, quod sibi deest. Eádem hac lege societatem humanam optimus pater voluit coalescere. Hinc viri robur corporis & vires, alteri potentiam & imperium, illi sapientiam & ingenium, isti facultates & aurum, alii scientias & artes contulit. *Divisiones gratiarum sunt: Divisiones ministrationum sunt, divisiones operationum sunt.* Quibus omnibus non arbitrio & libitu nostro sed Ecclesiæ ac Reipublicæ bono, 652. & 653. *& in Tomo 1. verbo Dilectio proximi fol. 761.*

Aulæ charitas, seu dilectio proximi imperfectissima, imò nulla.

In aulâ omnes rogantur, & nemo juvat. An verum dicam nolo ut tuo quæras experimento: Aulam enim nullus egreditur indemnis: Omnes enim, paucos si velis excipe, hac in dilectione proximi delinquunt, cùm adeò vel restricti, vel difficiles, vel cunctabundi, vel inofficiosi, vel adjumenti tam parci, vel lenti, aut omnino nullius sint, fateor; subinde charitas, subinde ipsa etiam justitia eos obligat proximo subsidio esse. Non rarò tamen neutrum curant, cujusvis tamen aulicum artificium est negotio proximi civiliter se subducere, & à se in alios atque alios quod ingratum vafrè, sed humaniter amoliri. Nullorum illi creantur amici quàm pileo & marsupio. At illi pileo & verbis si quandoque, rarò tamen aut nunquam, pileo & marsupio, amicos sibi conciliant. O viri hæc charitas non est de corde puro, nec de conscientiâ bonâ, sed de fide fictâ. 654.

Charitatis proximi descriptio.

Quæsivit olim Pilatus: Quid sit veritas? nos hîc, Christiani, quid est charitas? Theologi: *Virtus est*, ajunt, *quâ homo diligit Deum & hominem, sed tam Deum quàm hominem propter Deum.* Est autem dilectio Dei prior ordine præcipiendi, proximi autem dilectio prior est ordine faciendi. Neque enim quæ tibi præciperet dilectionem istam in duobus præceptis, prius tibi commendaret proximum, & postea Deum, sed prius Deum, postea proximum, Ita S. P. Augustinus. Et addit: Tu autem quia Deum non vides, diligendo proximum quem vides, promereris, & purgas oculum ad eum evidenter videndum, quem nondum vides. *Tom. I.* 760.

Amoris in proximum vera praxis.

Amor si verus est
- *Amaritudines omnes, suspiciones, & aversionis scintillas contra proximum gliscentes extinguit.*
- *Omnia optimè interpretatur & excusat.*
- *Opitulatur re, consilio, & manu.*
- *Sententiâ suâ & jure suo non gravatè cedit.*
- *Non debitam tantùm sed & voluntariam opem confert.*
- *Obsequiis certat & prævenit.*
- *Offensas omnes æquo animo tolerat.*
- *Aliorum successibus gaudet.*
- *Pro æmulis preces fundit* Tom. I. 364.
- *Est denique Amor verax efficax & sanctus.*

Providentia Dei origo multarum afflictionum & fluctuationum animi.

Si res ad vivum revocanda & origo nostrarum pæne omnium miseriarum scrutanda sit, eam esse comperiemus, quòd divini illius numinis circa nos providentiam reverâ Christiani non capiamus. Hinc enim omnes vanæ sollicitudines, vani metus, inanis luctus, & plurima perturbatio; adversa gravius sentire nil ex se mali. Hoc humanum est, quod à nobis alienum non putemus, sed turbari, fluctuare, angi, animi discruciari, id verò laudem non habet, hoc denique vitiosum est. Cujus mali divinæ providentiæ ignoratio origo est. Hoc igitur agat omnis Christianus, cum omnia ita divino numini subjecta sint, ut eo invito, vel nesciente, neminem vel catellus allatret, nec musca tangat, nec culex mordeat, & temporales omnes omnino causas ad æternam veritatem refer, subsidio tibi in quibusvis adversis erit hæc relatio; cujus subsidii ignorantia humanas omnes miserias incredibiliter exasperat 650. 651. Quo loco dicta confirmat Historiis & Exemplis.

PVGNA.

Quomodo adversus diabolum pugnandum.

Diabolorum negotium est tentare, boni Christiani est viriliter resistere, & oppugnare. Dum igitur tentamur, & oppugnamur, sedulos æmulemur opifices, cùm eos varius exercet labor, cùm vestiendi aut calceandi exigunt quæ facienda conduxerunt. Ergo, ait Magister, laboremus & satagamus. Ad fores exspectat lucrum certè ad nos ingressurum si fores pandat labor. Amici desidiâ & morâ non sunt fugandi; ergo citiùs surgendum, ad lectum seriùs eundum. En mechanicum ingenium, siquidem frugi sit in rem suam tam catum est, ut opportunitatem augendæ pecuniolæ non sinat elabi vacuam; ita prorsus oppugnatus à diabolo agat ea, cum quovis etiam hoste, sibique occinat: jam pugnandum est, ergo crebrius orandum, parcius prandendum, subinde cenâ abstinendum. Nec enim abit tentator Cerberus dum macellum patet, vigiliis, abstinentiâ, precibus hic canis stygius fugatur. At in hac pugnâ quot non committuntur errores, quidam gladium & hastam ponunt. *vide in pugna peccati.*

PVLVIS.

Pulvis es, & in pulverem reverteris.

Quàm pauci veritati hujus scripturæ consentiunt, & quasi hoc Dei decretum inevitabile, evitabile foret aliquando, vivunt. Duo Auctor in hoc Dei decreto & sententiâ consideranda notat, proponitque homini omni Christiano consideranda. Pulchro & diserto discursu. 860.

R.

Rapinæ ubique plurimæ.

Rapinæ, furta ubique plurimæ, at plures palliatæ & ignotæ quasi quàm detectæ & apertæ. Inter rapinas verò has palliatas speciem honestatis mentientes, cùm tamen revera tales non sunt, plurima veniunt annumeranda: Rapina palliata est domesticos famulos & ancillas ceteramque familiam præparce sordideque nimis alere, pennunculas iis tam tenues dare, ut non numquam vix inde sibi calceos aut vestimentorum aliquid parent, cibos iis non nullò meliores quàm canibus apponere. Hinc domestici ob cibum tam parcum, ob pensiones adeò tenues pessimas docentur artes. Ad eandem classem spectat opificibus mechanicis debitam imminuere mercedulam, rusticos opere gratuito & vecturis imperatis vexare, & nec pane quidem fatigatos reficere. Nec ex eâ classe expunguntur qui frumentum in maligniores annos recondunt, frugum pretium augent, annonam vexant, nihil è suis grahariis nisi summo pretio divendunt. 195.

Relapsus omni lapsu gravior.

Ita prorsus est Christiani. Quisquis enim pœnitentiâ peracta nec cessat iterum iterúmque pœnitenda facere, ita labitur in pristina, ut semper gravius relabatur, profundius mergatur, damnosius invôlvatur, arctius constringatur, dum denique velut ingratus & refractarius à Deo penitus deseratur. Quâ de re ita Theologi: His talibus in pristina semper scelera recidentibus efficacissimum auxilium in gratiæ Deus submisit strat. Si repudient illi & resistant, copiosa illa gratia non redit amplius, sed suis infelices cupiditatibus permittuntur. Ingratis quidem Deus pulsat monitis, sed una est ultima, ô Adolescentes, una, inquam, omnium est postrema aliquando (& quis quæ ea sit novit?) quâ rejectâ, deseruntur illi cunctatores hominum miserrimi. Ac proinde, *Hodie* audite, inclamo, *hodie* (nescitis enim an eam cras sitis audituri) *vocem Domini*.

Tria in relapsu notanda.
1. Omnis relapsus semper est lapsu gravior.
2. Relapsi corriguntur ægriùs.
3. Relapsi à Deo severiùs corriguntur. *L. à fol. 766. usq. 679.*

Res creatæ sunt vestigia Dei, ac proinde in omnibus quærendus Deus.

Liber ac volumen est grande quidquid usquam creatum est, in hoc libro tot characteres, tot syllabæ, tot verba sunt quotquot res conditæ. Optimè dixit *Clemens Alexandrinus*: *Creatio mundi, scriptura Dei.* Mundus Trismegisto quoque fuit liber divinitate plenus, & specimum divinorum. Deus enim revera perfectiùs ac potentiùs est in toto mundo & quavis mundi parte nusquam inclusus, nusquam exclusus quàm anima in corpore. Vermiculus vilissimus, si naturam ipsius spectes, tam est perfectus quàm nobilissimus Angelus. Omnia Deum suum clamitant hæc infera, ac proinde doctrinæ sacratioris eruditissimi docent Deum assiduè in rebus creatis omnibus quærendum. Ita S. P. Augustinus se feciisse fatetur, & plures alii. In quo sacro exercitii tamen genere, utpote quod est eminentioris perfectionis, versatissimus fuit S. P. Ignatius mitissimæ Societatis parens, suósque & esse voluit in eodem occupatissimos, quare & suis hanc fixit legem. In omnibus quærant Deum, eum in omnibus creaturis amando. Quippe noverat vir sapiens, quanti referret supremi hæc solers numinis investigatio. *Lege à fol. 560. usque 563.*

Resurrectionis fides stabilitur.

Ad ingerendam alicui resurrectionis fidem variè Deus in rerum naturis hoc depinxit mysterium. Et ecce arbores post spolia vestiuntur, cœcæ inoculantur, emortuæ in vitam redeunt, in frondes & fructus denuo erumpunt; ita suis redit color floribus, succus & liquor vitibus, anima vitâque plantis omnibus: nec priùs tamen exhibentur ista, quàm absumpta fuerint. Incipiunt cùm desierint, redeunt cum absesserint, & quod amissimus iterum est. Quasi hæc finiantur ut fiant. Ita totus hic revolubilis rerum ordo manifesta est resurrectionis testatio. 440.

Plura vide in Indice Concionatorio in festis Christi.

Rixæ in orbe familiares.

Heu quot in orbe homines sunt non columbæ, sed corvi, Accipitres, milvi oculatissimi, non minus quàm rapacissimi lapidarii falcones, qui semper strictum acinacem rostro ferunt: Quisquis eos tangit acinacem sentit. Hi tales tranquillitatem & pacem animi quam ipsi non habent, in aliis turbant & evertunt. Quidquid loquuntur lapides aut cultros putes, adeò tumultibus, excandescentia, rixis omnia miscent. Homines asperi, altercatores, turbidi, pugnaces, iracundi, litigiosi, litis sartores intractabiles, qui assiduè tumultuantur, currunt, volant, & evaginatum gladium ore semper præferunt. 491.

S.

Sapientiæ donum à Deo postulandum.

Monitum hoc *Iacobi* est: *Si quis vestrûm*, inquit, *indiget sapientiâ, postulet à Deo, qui dat omnibus affluenter & non improperat, & dabitur ei.* Est autem sapientia *cognitio finis & actionum mediarum ad finem assequendum.* Deus verò omnis sapientiæ fons, qui *æterna, prima*, immensa sapientia est. Ex quo fonte tam angeli quàm homines, & res creatæ omnes pro suo quæque modulo & capacitate hauriunt. Ex hoc nati hausit & Salomon, cujus & petitio numini placuit. Hinc jure meritissimò ab eo petenda est. 553. Quam verò varii obtinuerint à Deo sapientiam. *Lege ibidem.*

Index Catechisticus.

Societas prava nociva.

Consuetudo cum impiis, & societas prava, feminarum consortia, res pestilentissima. Cavete, Adolescentes, Sirenes, ni mergi velitis & perire. Exitio discite potiùs alieno quàm proprio. Cavete & improbam quorumcunque malorum hominum, societatem. Non perinde est quibuscum columba volitet. Tersùm speculum vel halitu solo inficitur; ita probus homo, solâ improbi vicinià inquinatur. *Qui tetigerit picem inquinabitur ab eâ, & qui communicaverit superbo, induet superbiam.* Mali mores, contagiosissima lues. Hæc enim indoles vitiorum & vitiosorum est, perire cum multis; at præstat malorum æstuare odio, quàm consortio. Sunt animalcula quæ non sentiuntur cùm mordent, sed cum relicto morsu nocent, pars læsa statim intumescit. Ita & pravi homines occulto blandóque lædunt vulnere, & quod de Basilisco ferunt, solo venenant aspectu, pravique exempli halitu, nimis verum est illud Christi: *Modicum fermentum totam massam corrumpit.* Si dextra sit offensioni abscindenda: idem cum amico faciendum. Melius est enim facere jacturam amicitiæ quàm animæ. *Exempla plurima dogma illud confirmant, lege* 456. 457.

Unicus pravæ vitæ plurimos inficit.

Sicut grex totus in agris
Unius scabie cadit, & porrigine porci;
Vvâque conspectu livorem ducit ab uvâ. Lege Tom. 1. fol. 331. 332.

Somniorum Schema.

Theologis quadruplex somniorum genera sunt.

- Naturalia, — Naturalia sunt, *quæ corporis bonam malámve temperiem, stomachum oppletum aut vacuum sequuntur, ex quibus etiam bona maláque consuetudo dignosci potest. Ita Medicorum Antesignanus Hypocrates in libro quem de somniis conscripsit.*
- Moralia, — Moralia *è cogitatis, dictis, & factis diurnis, proveniunt. Hinc somnia Tullius cogitationum & diurnorum negotiorum reliquias appellat, & Claudianus Poëtarum ocellus ita canit:*

  Omnia quæ sensu volvuntur vota diurno,
  Pectore sopito reddit amica quies.

- A Dæmone multa & — E moribus hæc petuntur somnia. *Diabolus celer & vafer artifex ipsis etiam somniis, si Deus annuat ad peccandum trahit. Hinc Pontium Pilatum somnium uxoris, dum pro Tribunali capitalem jam dum dicturus erat in Christum sententiam. Quærebat enim Diabolus Christi sic necem impedire.*
- A Deo, — *Deus sæpe cum sanctissimis regibus, Prophetis, aliisque sibi amicissimis locutus est in somniis. Patet in Ioseph, Iacob, Laban, Pharaonis pincernâ, Mardochæo, Daniele, Salomone, &c.* 551.

Quæ igitur somnia ex his observanda, sive quibus sit adhibenda ex his fides?

Quantum ad ea quæ sanitatem aut morbos corporis animique spectant de iis sententiam & medelam ferant medici. Quod verò ea concernit, quæ turbant, terrent, ita sunt curanda, ut causæ & fontes, è quibus promanant, amoveantur. Ea demum quæ scientias juvent non videntur omnino negligenda: sunt enim qui somniando versus non solùm totos, sed tota etiam Epigrammata fecerint, sicut & illa quæ ad virtutum officia, ad dandam stipem, ad exercendam sobrietatem, ad amplectendam religionem impellunt. Non igitur omnia falsa & fallacia sunt, cùm in Sacrâ Scripturâ complura fuerint vera, & eventus certos quos exhibuerant fortita. Nolim tamen inde conficias, Christiane, ergo sunt observanda. Usitatæ enim & maximæ fatuitatis est somnio habere fidem, & ut umbris terrentur pueri, ita & à somniis decipiuntur homines nimiùm creduli. Poëtæ monitum est:

Somnia ne cures: Natus mens humana quod optat
Dum vigilat sperat.

Possunt tamen ut corporis affectiones, ita & animæ ex iis deprehendi, etenim quæ cogitamus & agimus interdiu ea somniamus noctu, scilicet amata recurrunt. Unde Aristoteles: Qui instructi, inquit, virtutibus sunt meliora somnia vident, quod etiam vigilantes meliora animadvertant. Qui verò deteriùs animo vel corpore affecti sunt, deteriora concipiunt. Quippe cùm etiam affectio corporis faciat ad somni visionem. E dictis asserimus.

Nota.

Quisquis sibi conscius est se nulli unquam impuriori cogitationi assensum præbuisse, néve ullas unquam libidines sibi placuisse bono sit animo. Non facilè unquam somniabit quod castimonia decreta violet, seu pudicitiæ adversetur. Et quamvis aliud immundioris somnii objiciatur, ille tamen repugnabit & velut vigilans sordes illas conabitur excutere. Ea vis est diuturnæ assuetudinis proba. 552.

Somnus.

Somni lex eadem non potest omnibus præfigi. Sapientum hactenus sententia fuit, septem horarum spatium veram somni mensuram esse homini adulto, & sic heu miseri vix quartam partem vitæ vivimus. Quot igitur horarum somnus permitti possit? ætas & valetudo interroganda est. Hoc interim verissimum est. *Prolixior somnus nec salubris nec honestus.* 74. *Lege & Tom.* 1. *fol.* 73.

Spes.

Quicunque nos eventus rerum turbent, quantumcunque adversæ agitent fortunæ, undequaque nos venti & feri maris fluctus impugnent, mœrores & dolores certatim nos dividant, modò unica fenestella hominis Christiano non obstruatur, salva & integra sunt omnia. Notum Tibulli carmen:

Spes etiam valida solatur compede vinctum,
Crura sonant ferro, sed canit inter opus.

Ergo in spe qui arat, aret. 472. & 473. & 586.

Quæ spes optima.

Spes una omnium bona; una omnium optima est, nempe vitæ æternæ. Hæc vera spes dulcis, verax, felix est, quæque nec sperantem fallit, nec confundit, sed ad optimum provehit animum, interim sperati boni anticipatione lætificat. Dixit quidem Thales sapienter, spe nihil esse in mundo communius: Hanc enim illi habent qui aliud non habent. Mundus enim spe plenissimus est. Sed heu plerumque quod Bernardus dixit, spes illi, quâ scatet misera est, vana est, inutilis, seductoria, & quæ subinde turpitudinis & mœroris non modicum habeat. Quam spem Divinum Plato somnium vigilantium appellavit. Ergo quod Venusinus Vates

Ne te semper inops agitet vexetque cupido;
Ne pavor & rerum mediocriter inutilium spes.

Spes enim quæ non æternam aspirat vitam volatica & fallaciis plena est. 860. Tom. 1. at spes vera titubare nescit, nescit cadere, solatium est laboris, in adversis alit animos

Cui boni spes est futuri præsens non sentit malum.

Ergo speremus non fertiles annos, non marsupia turgentia, non horrea stipata, non distentas nectare cellas, sed cœlum. 860. 861. Tom. 1.

Spes vera inter Desperationem & Præsumptionem mediâ graditur viâ.

Sunt qui in seipsis sperant, in vigiliis, in laboribus, in jejuniis & virtutibus suis: Sunt & qui desperant, considerantes enim suam imbecillitatem obtuuntur à pusillanimitate: Sunt insuper qui sperant in Domino, sed frustra, quia sic de misericordiâ ejus, sibiipsis blandiuntur, ut à peccatis suis non emendentur. *Nullus*, inquit Bernardus, *trium horum sperantium habitat in adjutorio altissimi. Primus enim habitat in meritis suis, secundus in pœnis; tertius in vitiis. Immunda habitatio tertii, anxia secundi, stulta & periculosa primi.* Spes verò vera non nimiùm aut temerè, aut in seipsâ sperat, sed seipsam in Domino fundat; ita subjecta docet tabella.

- *Spei definitio.* — Virtus est divinitus infusa, quâ certâ cum fiduciâ æterna bona exspectantur.
- *Spei objectum.* — *Spei objectum* proprium & speciale est ipsa æterna beatitudo. In beatis enim spes non est, sicut nec fides, cum eorum beatitudo non jam futura, sed præsens sit; nec in damnatis spes ulla est, cùm certi sint æternas pœnas se nunquam evasuros.
- *Spei vera Praxis.*
  - *Spei veræ actio prima est, Expectare* æternum scilicet gaudium.
  - *Vera spes nunquam est sine comite patientia.*
  - *Nunquam Dei misericordiam ita consideret, quin simul cogit justitiam, seu judicium Dei.*
  - *Firmiter agit, suis tamen meritis nihil adscribit.*
  - *Nulli unquam succumbit operi.*

Lege quæ habentur à fol. 859. usque 864. Tom. 1. Et consule utriusque Tomi Indices.

De

Index Catechisticus.

De Notitia Spirituum.

Non parum subinde interest novisse, quònam agamur quandoque spiritu interius, de nostra enim personâ concertant quandoque aeriter, & & spiritus ille nequitiæ; & Spiritus Divini Numinis, de cujus diversorum spirituum notitia agit Bernardus latè. Auctorem consule *fol.* 430.

Malis suggestionibus statim obsistendum.

Mala suggestio caput est diabolici serpentis, juxta mentem S. P. Augustini est, proinde cautè salubriterque sic monet Christianos omnes: Quando incipit Diabolus ille mala suggerere, tunc repelle antequam surgat delectatio, & sequatur consensio, & tunc vitabis caput eius, & apprehendet ille calcaneum tuum, & rectè. Nam Aristotelicum scitum est: Principium, rei maximum esse, quippe quod rei dimidium sit. Si puerulus in ludo litterario Alphabetum & prima litterarum elementa discat, dicatque A. proximum est ut dicat B; dein C. D. indeque ad reliquos Alphabeti characteres transeat. Qui Satanæ Ludimagistro pronuntiavit A. qui dixerit quod suggeris *Admitto*, hic nondum totam quidem combibit malitiam, sed cras aut perendie, alterâ hebdomade alterum sequetur elementum dicetque hic Discipulus B, *Blandior* immissæ suggestioni. Proximum jam est ut audiatur C, *Consentio*, atque hic subsistet, sed ad C & D progredietur quodque ausus est *Cogitare*, non verebitur *Dicere*; brevique transibit ad E, & *Exempla*, quâ gestibus, quâ verbis, pernicioſa edet. Prioribus elementis conjunctum F. hæret quod *Cogitare*, quod *Dicere*, quod gestibus *Exhibere* non erubuimus, id nec *Facere* tandem verecundamur. Nec feriabitur hic Magister infernalis nitotum sui calleant Alphabetum. Proinde, Christiani, *Capite nobis vulpes parvulas quæ demoliuntur vineas. Lege à fol.* 718. *usque* 720.

Superbia vitium nocivum.

Annis illis quibus sua scripsit Auctor & edidit Germaniam superiorem recitat afflictam jam ab anno Christiano 1618. ad annum 1638. inquilinis bellis miserrimè deformatam, imò in merum pæne cadaver expirasse. Annis his quibus hos in Auctorem Indices conscribo. Inferior nostra Germania, minima pars orbis, Brabantia & Flandria, duplici circumcincta hoste Franco & Batavo, Mœrore, luctu, deprædationibus, incendiis, bonorum omnium tam spiritualium quàm temporalium eversionibus, mœsta jacet, tantummodo quasi suspirans: & est facies rerum pæne ubique miserrima. Christiani, unà pariter cum Auctore meo rogo: Quæ tanti origo mali? Superbia, *in ipsa* namque *initium sumpsit hac perditio*. Amicissimo quod dixi & scripsi colloquio probo. Mi Lector, Si quis sapiens, vel Sanctus, vel duos solùm pileos, sed aureos possit in concordiam sinceram ac stabilem componere brevi omne religionis dissidium finiret, fieretque *unum Ovile & unus Pastor*. Sed hactenus ad eam beatitatem nec orbis, nec nostra nec superior Germania pertigit. Quid est impedimento? repeto id unum, id in quo omnis perditio sumit initium. Aurei duo pilei ad hoc temporis non potuerunt à mortalium ullo persuaderi ut alter alteri vel minimum se submitteret, non Francus Hispano; non Batavus Domino suo; non Suecus Imperatori. Non ænigmata loquor res in aperto est. Ex orbe superbiam tolle & hæreses omnes, bella omnia, omnéque malum sustulisti. 567. *In ipsa initium sumpsit omnis perditio.*

Superbiæ descriptio.

Superbia, est appetitus inordinatus propriæ excellentiæ, & est peccatum speciale, sed ut actualis contemptus Dei (quod est non subdi ejus præceptis) est generale. Item ut peccatum speciale est finis hominis, & sic initium omnis peccati, qui quærit propriam excellentiam, sicut Avaritia in executione, quæ præstat omnem commoditatem; dicitur verò à Spiritu S. Initium omnis perditionis & peccatorum, non quod quodlibet peccatum ab eâ oriatur, sed quia quodlibet genus peccati ab eâ possit oriri. D. Gregorius assignat quatuor species superbiæ.

Species Superbiæ,
1. *Existimare sese bonum aliquod à seipso habere.*
2. *Credere sibi datum bonum desuper accepisse suis meritis.*
3. *Iactare sese habere quod verè non habent.*
4. *Despectis aliis, videri velle singulariter habere quod habent.*

Non illepidè & verè dixit Sanctorum quispiam:

Parum valet qui se aliquid valere censet
Nil penitus valet qui se multum valere autumat. 728. *Tom.* 1.

Vide plura sparsim in Auctore, in Indicibus utriusque Tomi, plurima habet conscripta in hujus tam exitialis vitii detestationem. Qualiter verò superbis resistat declarat Historia hoc 2. *Tom. fol.* 574.

Est autem semper peccatum mortale, quia avertit à Deo; sed ex imperfectione actus est veniale.

T.

Talionis pœna punit Deus plerumque.

Quàm nota fuerit omnibus pœna talionis longè & latè describit Auctor *Tom.* 2. *fol.* 589. & 590. quædam hic Proverbia tantùm subjungo, quæ hoc monitum junioribus præsertim instillent. Nam nec ipsæ quidem facetiæ & nequioris notæ sales sine talionis pœnâ sunt, ut pulchra loco citato declaratur historia. Veterum Dicta & Proverbia de talionis pœna hæc sunt:

Hic est gladius quem ipse fecisti
Scorpium Cornix rapuit, sed à suâmet prædâ vulnus & mortem accepit.
Securis è silvâ prodit, sed & redit & arbores succidit.
Sagitta ferit eum à quo emissa est.
Faber gerit compedes quas fecit.
Coccleari, quod ipse fecit, os comburit.
Malitia maximam sui partem bibit.
Consilium malum, res pessima consulenti.
Ipse sua se manu suspendit Achitophel.

Non ergo quemquam vel re minimâ lædamus, sed nec lædere cogitemus, quoniam *Vindex est Dominus*. Optimè Nicetas Choniates. Cùm vindicta divina tot manus & pedes habeat cùm acutissimè omnia perspiciat, & patentibus prædita sit auribus nil obliviscitur, nil inultum præterit. 590.

TEMPERANTIA *Vide* V. Abstinentia.

Templum omni reverentiâ frequentandum.

Quosdam homines, ut experientiâ constat, fermè ut Deos veneramur. Delicatiorem quendam aulicum mihi date, videte quos homini non faci delitias, quomodo dicet, nutet, oscula ferat, manibus ludat, poplites torqueat, sæpe pavimentum genibus pallas aliquot perrepter, & lumbos purpurarum lambat, verenti ore: Videte quàm vultu & gestu benignus, quoties manum suam dissuavietur, domini genibus advolvatur, ne gratiâ excidat. Neque hæc adeò vitupero aut damno. Jam verò quid in templis? quid Deo? plerosque hos tales gonogrâ hîc laborare credas, adeò genibus parcunt, Poplitem humero allidere piaculum, genua curuare nisi illa puluillus, aut simile quid excipiat, nefas. Tolerabilia tamen hæc omnia: at verò cùm Deus adorandus proponitur, cùm preces fundendæ, cùm colloquendum cùm Angelorum rege, quibusnam hîc moribus, quâ attentione res agitur pæne pudet dicere; sunt qui tantisper, finiat dum mystes, barbam instruant, & in leges reducant. *fol.* 306. *Vide plura diversis locis sparsim in utroque Tomo v.* Templum & *Exemplum rarum fol.* 774.

TEMPVS.

Thesaurus temporis, thesaurorum omnium summus.

Nihil in orbe tempore pretiosius. Aurum & gemmæ tempori collatæ viles quisquiliæ sunt. Homo benevolus hominem ditare potest, tempus perditum homini restituere non potest, rapere potest. Thesaurus proinde temporis thesaurorum omnium summus. Innumeri homines cæterà non pessimi, sed ob tempus malè impensum ad tribunal summum pessimè stabunt, ii præsertim, qui tot horas, tot dies, tot hebdomades, tot menses, tot etiam annos, aut nihil agendo, aut malè agendo, veluti per jocum combusserunt. Omnes etiam minimæ temporis particulæ sollicitè colligendæ, uti aurifices auri scobem, aut feminæ, quæ fila ducunt aurea. Si damnatorum alicui aureus orbis terrarum, & oceanus balsamo plenus donaretur, quid putatis hac divitiarum mole, Ingenui Adolescentes, mercari cuperet? Unicam certè horulam, quâ posset impetrare Dei gratiam. Et heu quos homines tot horas, tot dies, stolidissimè comburimus! Tempus inæstimabilis thesaurus. 230.

Velocitas temporis describitur.

Fluit assiduè, & nobis effluit tempus, quod unum avariter habere deberemus, & nullâ mercè, aut permutare pretio. Hoc nihilominus illic otio, istic aleâ, hîc fabulis & conviviolis deperdimus. Et quantum in valetudine aut somno? Quod vivimus ubi est? Infinita est velocitas temporis, quæ magis appareat respicientibus. Punctum est, quod vivimus, sed hoc ipsum punctum specie quâdam longioris temporis dividimus, & pueritiam, adolescentiam, juventutem, senectutem facimus. At ubi sunt ista? abierunt prima, & tunc denique computamus, & damnum queritur cum abierunt. Utinam vel tardè, non enim serò, incipiamus æstimare & amare tempus, cujus unius honesta est avaritia. Illius brevitas & nostra nobis fragilitas occurrat: bene ponamus hoc quidquid datur, neque tunc primum vivere incipiemus cùm desinendum. 792. *Vide plura ibidem pulchra discursu Auctoris.*

Tentatio.

Humana vita militia est, non triumphus, est velitatio, prælium, pugna, conflictus continuus, loco aliquando meliore speranda quies, & victoriæ fructus. Veteranum, audite Christiani, clamantem militem, *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ.* Omnia hîc tentationibus plena. Nec quis hoc miretur, sicut rectè non mirabitur quisquam, si vel molendinum ingrediatur, pulvere se farinario aspergi, vel si officinam ingrediatur coriariam se madefieri, vel sicut nec rectè si fabrum ferrarium ad incudem adeat, fuliginosum vultum, Malleorum ictus reprehenderet. Loci enim nulla sanctitas, nulla sanctorum societas ullum præstat à tentatione immunem. De tentationis igitur quiddi-

cate hæc breviter ex Auctore subjungo, qui plurima ubique sparsim in his duobus voluminibus de Tentatione tradit, nominatim in libello *Palæstra Christiana*. 695.

Quid est Tentatio.

Tentatio est *fidei nostræ ac fidelitatis in Deum probatio*. 687.

Quot modis tentat nos præcipuè diabolus.

Novem modis.
1. *Sub necessitatis velo.*
2. *Attemperando sese cuivis inclinationi.*
3. *Oppugnando eâ parte quâ debilissimus est homo.*
4. *Offerendo occasiones opportunas delinquendi.*
5. *Conando tentatum malis obruere.*
6. *Invadendo ut latro hominem, vel oscitantem imparatum vel semisomnem.*
7. *Suadendo quamlibet bonum, sed ratione temporis vel loci occultè malum.*
8. *Consilii sui adferendo plurimas rationes.*
9. *Extenuando peccatum antequam committatur & misericordiam Dei infinitam depradicando.*

Lege à fol. 708. usque 710.

Quot modis rectè resistitur diaboli tentationibus.

Totidem modis.
Vigilando.
Principiis obstando.
Orando.
Repugnando.
Fiduciam omnem in Deo collocando.
Tentationum origines explorando.
Tentationum illecebras vitando.
Corpus Castigando. Lege à fol. 716. usque 730.
Jejuniis edomando carnem.

Quo fine nos tentet Deus
- *Vt nos probet* — *Vt potentiam suam manifestam faciat.*
- *Vt nos corrigat* — *Vt fiducia nostra exploretur.* 40. fol 4. & 5.
- *Vt nos coronet, &c.*

An tentationes quibus urgemur sint aperiendæ, & quibus?

Aperiendas esse tentationes omnium sapientium est consilium, sed aperiendas cuique, ut solent sibi mutuo eæ puellæ præsertim spirituales aperire, quis sanæ mentis homo unquam dixerit aut suaserit? Veluti duo nebulones Susannæ pudicitiam tentantes, alter alteri suam tentationem pessimè aperuit, nam cœcus cœcum duxit & ita uterque in foveam corruit. Saccus frumentarius nucibus plenus seipsum prodit, animus tentationibus agitatus ægerrimè se continet, quin erumpat, aut certè signis pandat. Tentationes detegere tamen cuivis tentatus aut tentata caveat, nisi prudenti & consultissimo viro, qui conscientias quasvis tractare rectè norit, quo salutari reperto viro necessariò tentatio detegenda est, & consultò, alioqui cor exedunt, & ad pessima quæque impellunt, tam insipienter clausæ. Silentium enim tunc hac in re perniciosissimum est, sicut & tentationes patefacere imprudenti aut obvio cuique nocentissimum. Nam tentatus alium vel turbat, vel simul referendo, & tentat, & seipsum non juvat. 698.

Tentatis igitur tria observanda sedulò.
Tentationes aperiat illico, sed non cuique obvio.
Tentationum multitudinem præmeditetur futuram.
Removeat tentationum fomites, & viriliter agat.
Lege fol. 698. & 699.

TVRBA.

Turbæ declinandæ.

In turbis semper turbæ, inter multos homines vix unquam magna quies. Consultissimum est subinde cum Christo & cum Baptistâ Christi acuendæ pietati in domesticam solitudinem sese recipere, solum agere, res animi curare, cum Deo solo & secum loqui. Id operæ sibi Tertullianus sumens: *Vnicum negotium mihi est*, inquit, *nec aliud nunc, quàm ne curem alia, sed me*. Antisthenes Philosophus interrogatus, quid lucri retulisset è Philosophiâ? Hoc, inquit, posse mecumipso versari & loqui. Multùm revera didicit, qui istud didicit. Quanti sunt, qui nec versari secum norunt, nec loqui turbis & tumultibus sic innutriti, ut cùm coguntur esse soli, pisces sibi esse videantur non tantùm muti, sed extra aquam positi. Optimè Epictetus, *Mali Tragœdi soli canere non possunt, sic quidam non soli deambulare*. Turbas igitur quisque quantum potest declinet, & cum Deo solo discat colloqui solus. 454. & 455.

V.

VALETVDO.

Monita valetudini saluberrima.

Pace Medicorum omnium dixerim princeps optimumque medicamentum est ipsa abstinentia, seu dieta legitima conservandæ valetudini. Non nescio Galenum scripsisse contra Diatritarios qui omnibus ferè ægrotantibus febrientibus præsertim continuò triduanam inediam imperarunt. Non ignoro distillationes falsas, & morbos biliosos inediæ nonnihil esse impatientes, nec ego famem triduanam omnibus præcipiendam suadeo. Sed hoc unum contendo, abstinentiam in omni ferè valetudinis gravitate esse saluberrimam. Hoc & omnes scholæ docent. Nota hoc ingerunt salernæ scita:

Si vis incolumem, si vis te reddere sanum,
Parce mero, cenato parum.

Et ex eodem prodeunt lyceo hæc saluberrima valetudini monita:

Si tibi deficiant medici, medici tibi fiant
Hæc tria, mens hilaris, Requies moderata, dieta.

Hæc namque vitam servant & valetudinem 268. 269.

VENEFICIVM VENEFICI.

Quatuor adversus veneficia remedia.

In Republicâ Christianâ veneficos, sagas, & veneficas, primariâ diaboli mancipia reperiri, nec levi numero, tantum malum est, ut quibusdam videatur incredibile. Sed res loquitur innumera damna segetibus, pecori, & hominibus illata clamant. Remedia igitur adversus has damnosas diaboli technas trado compendiosè.

Ad Veneficia cavenda serventur hæc quatuor.
1. *Dei leges prædicentur ardenter, si enim divinum nomen fugat dæmonem, non minùs lex & opera divina publicè collaudata id virium habebunt.*
2. *Iuramenta, perjuria, execrationes, diræ neutiquam tolerandæ. Nec enim esse alliciendus est canis quem abactum velis; atque deprecationes, diræ, ac perjuria diabolum jam ante promptissimum accersunt.*
3. *Diaboli & omnis plebs acherontica minimè formidanda est. Diffidentiam in Deum talis formido nutrit. Injuria in Deum est diabolum metuere.*
4. *Fatentur Sagæ homini in pauperem sincerè largo nocere se non posse.* 157.

Veritas.

O mi bone Deus, quantò sanctiùs gubernaretur orbis si candidiùs omnibus aperiretur veritas. O magni Principes, ô Reges potentissimi! non est qui vobis, non est qui putam putam propinet vertatem. Tegunt, fucant, comunt, dissimulant, centum larvis veritatem obvelant vestri Laudenses & Placentini: & vos uni alteríque hæc monenti non creditis? Hinc sceptris vestris tantæ subinde inferuntur calamitates. O veritas! Quid es ô bona veritas? Ilia Pilati quæstio est: *Quid est veritas?* sed adhuc sub Judice pendet. Plurimis deforme monstrum est veritas, nam eam centum tegunt centonibus. O bona veritas quàm ubique aut malo, aut nullo admitteris hospitio! 799.

Quæ sit distinctio inter hominem veritatem pingentem & veritatem palliantem?

Sunt aliqui qui putant veritatem dicere, sed putant tantùm, non dicunt. Et hi veritatem pingunt, quibus & mederi difficillimum est. Sunt alii, qui satis notant, quàm veritatem lædant, sed istud sibi suisque credunt esse utile. At reverâ sibi, suisque, aliisque plurimis nocent quàm maximè. Et hi veritatem palliant. Hos tales *Epictetus* umbræ confert, quæ suo se corpori ad omnem motum, flexumque accommodat. Hi Protei consilia sua fortunæ applicant, & ad omnem illius motum se movent. *Vtcunque est ventus exin velum vertitur.* Et tales orbis habet sparsim plurimos. 799.

Nota.

Veritati opponitur mendacium. Mendacium enim formaliter est *dicere falsum animo fallendi*. Magis verò opponitur veritati dicens verum intendens dicere falsum, quàm dicens falsum intendens dicere verum. Non tantùm enim voce, sed signis, nutu, facto fit mendacium.

VICTORIA SVI.

Sui victoria etiam Priscis non fuit incognita Idololatris.

Videmus quandoque nobis rem maximam feciſſe, ſi aliquot ceræ libras, vel tabellam pictam, vel telam pretioſam, vel inauratum calicem, vel veſtem ſacrificam, obtulerimus templo. Liberalitas pia, ſed ſacrificium pretioſius ſui victoria; ſuas, mi Chriſtiane, edomare libidines, habendi frenare cupidinem, laudis appetentiam, & inſatiabilem gloriam, avaritiam coercere, vindictam ſubſtringere, linguæ petulantiam continere, pravas conſuetudines amputare, rem ſibi chariſſimam Dei causâ ſubtrahere, aſſuetis ſaltem aliquando propter Deum carere. Quæ ſui ipſius victoria virtutibus omnibus ingentia ſuggerit. Decus omnium, nec quidem Idololatris ignotum. Alexander Macedo, &c. 834.

Quantum

Quænam in victoriâ sui observanda. — *Duo.*
- *Primum est*, qui seipsum cupit vincere, eâ se parte oppugnet quâ minimè oppugnari vellet, & res sibi charissimas subducat.
- *Secundum*, Actus in sui odio sit generosus, acer, non lentus, non segnis, sed violentus & heroicus. 835.

VINDICTA.

Vindicta non est præcipitanda.

Cervus seipsum præcipitat, quod Pierius docet, dum hostem nimis avidè spectat. Corvus, aut quod alii malunt aquila, ferinam esuriens aream se mergit, eáque quantum potest, implet alas. Multo verò pulvere armata in cervi caput pervolat, frontem rostro feriens. Cervus cupidè visurus, quis hostium arcem suam incurset, oculos pandit, aquila in hiantes oculos arenam excutit visumque turbat. Hoc ergo cervum necat, videre velle qui feriat, & inde cœco ferri cursu. Idem indies evenit. Aquila vel homo improbi oris, altercator, turbidus, contumeliosus rostro quemquam hominum ferit, convitiis afficit, maledictis figit; At ille confestim omnes oculos in hunc unum conjicit, & tremebundus queritur: Quis iste nebulo, qui audeat hanc contumeliam in me jacere? quis iste trifurcifer, qui hanc in me fabam cudere non vereatur? Sic iræ ac vindictæ pulvis oculos implet & fascinat, inde impetum sumimus, & quò nos furor abripit excurrimus, & calcamus obvia. 830.

Quibus gradibus ad vindictam perveniatur.

Primò post offensam consurgit in nobis aliqua amaritudo, quæ ut S. Thomas Aquinas loquitur, radix est omnium malorum fructuum, oritúrque illa ex attentâ nimis offensæ consideratione. Ex amaritudine consurgit ira, ex irâ, dein appetitus vindictæ, ex appetitu vindictæ, indignatio respuens omnem excusationem. Ex indignatione nascuntur denique clamores pessimi & effectus. *Vide plura Tomo* 1. v. Vindicta.

VINUM.

Vini potatio multa, inimica virtuti.

Quisquis, ô mi Christiane, caliculis ducendis studet, in virtutis familiam adscribi non poterit, ni priùs illud ardens bibendi studium pessimámque consuetudinem correxerit. Sacerdos potulentus & homo ebriosus, uterque necessariò vitiosus. Innumeros in vitiorum gurgitem dejecit, tam assidua & maligna sitis. Minùs sitiissent, aut sitim cordatiùs repulissent. Hic ego non ebrietatem in jus voco; ad exactius & severius illa tribunal citanda est, sed illud, ut dixi, assiduum pitissandi studium hujus æri accuso: Hoc juventuti, hoc innumeris hominibus ita nocet, ut eos vel incuriosos & nullius frugis, aut quod pæne idem sæpè vitiosos faciat. Quid enim solidæ sapientiæ aut virtutis aut exactæ industriæ in eo homine reperias, qui omnem in se meliorem indolem frequentioribus poculis expungit. Terra semper madida degenerem prolem, spinas, lolium, ranas educat; homo vix unquam siccus aut oscitantiam, aut quod proximum, parit vitia. Carnem non refrenaverit unquam, qui *Baccho* indies sacrificat & poculis. 217.

Bona & recta an hæc pitissantium illorum sit Excusatio: *Stomachus debilis vino corrigendus generoso.*

Blandiore plerumque gulâ malunt plerique perire, quàm molestiore abstinentiâ sanari. Nimirum calefaciunt stomachum & animum extrudunt. Et ita profectò innumeri quotidie moriuntur, qui suis se beneficiis blandè jugulant, ventriculum ita calefaciunt, ut in tumulo refrigerandus sit. Stomachus vel à naturâ, vel à morbo, vel à senio debilis à vino nobili noxam trahit certissimam: nobilitas vini fractas stomachi vires non tam reficit, quàm opprimit. Qui potest capere capiat. 221. 222.

VIR.

Tres viri non inveniuntur in Orbe.

Primus, qui verè solers, industrius, & diligens sit, victu tamen necessario careat.

Secundus, qui abstinentiâ, & moderatis jejuniis, inedia valetudini obfuerit.

Tertius, qui cùm possit audire conciones, eas tamen non audiat, & tamen homo frugi sit & moribus integris. 466. Res certissima ad amussim examinata: Nec homini verè sedulo victus, nec prudenter abstinenti valetudo, nec obsequenter audienti victus deest.

VIRTUS.

Quomodo facilis sit ad virtutem via?

Quæstio est Philosophi, num uno actu acquiri possit habitus? Quam litem scholæ relinquimus, nec enim in virtutum officiis viribus humanis omnia, sed divinis metienda; & solet Deus tam sanctæ actioni tantum largiri gratiæ, ut aliæ ab eâ facillimæ. Exemplo, quod dicimus & docemus, demonstramus. Est qui simplici vice hosti suo benignè faciat: Inde hoc illi nunquam factu difficile, Theologorum scito. Plus valet actus intensus unus, quàm mille remissi. Idcirco qui sese plurimum in sanctis actionibus promotum, etiam sibi facilem redditam virtutis viam cupit, his debet ordiri principiis, & in iis ut plurimum se vincere, in quibus potissimùm malè vivax est: facilè autem observabit quos sui eum amores & cupidines trahant, atque id cavebit maximè; quod autem malignior natura refugit, quod horret, ad illud se maximè impellit, & concitabit, perinde ut equos eò concitamus, quò minimè volunt. Sunt quandoque qui formidolosi & contumaces, qui ad trabem aut pontem, aut funem dependentem refugiunt; quod ubi strenuus advertit eques, virgâ, flagello, calcaribus, adeum ipsum quem horret locum adigit, nec desistit dum aut concidant, aut pergant. Ita vero nomine Christianus sibi ipsi calcar admovet, propellit ad ea, quæ natura delicatior aversatur, charissima verò quæque Domino libat. Nemo certè fortior quàm suiipsius victor. Qui hanc exercere negligit artem, in lyceo virtutis nunquam proficit. Posse sibiipsi imperare virtutis compendium est. 835.

Omnis locus virtuti opportunus est.

Quemadmodum dici solet etiam in lecto locus est virtuti, nam æger in lecto velut in theatro tam commodè potest exhibere patientiam, quàm sanus in templo; cujus rei & Philo testis est de Josepho Ægypti Prorege loquens in carcere constituto. 506.

Virtus in afflictione clarior.

Eleganter hoc dixit Bernardus. Stellæ, inquit, in nocte lucent, in die latent, sic vera virtus, quæ sæpe in prosperis non apparet, eminet in adversis. Quis Jobi virtutes novisset, nisi eas afflictionis æstus aperuisset? Nervus belli pecunia, Virtutum ærumnæ. 504.

Vita.

Totum cælum quod Astrologi docent, gemino rotatur cardine. Ille, polus Septentrionis, seu Arcticus; iste, polus Antarcticus, seu meridionalis nominatur. Circa geminos hos apices, aiunt, cælum omne vertitur. Humana vita hoc polo duplici Arctico, seu felicitate; & Antarctico, seu infelicitate nititur. Aut homini bene est, aut malè, aut adversæ sunt res, aut secundæ, ac prosperæ, mediocritas prosperitati ferè accedit. Inter hos apices duos humana vita ferè vertitur. Summè autem artis est sese tam adversis quàm prosperis attemperare posse. 518.

VITIUM.

Duo vitia orbem vastant.

Epictetus, teste Gellio, dicere solebat, Orbem universum gemina vastant vitia, multò omnium gravissima ac teterrima, intolerantia & incontinentia. Cùm aut injurias, quæ sunt ferendæ, non ferimus; aut à quibus rebus, vel voluptatibusque nos continere debemus, non continemus. Hoc autem inde provenit cùm dextrum hominis brachium validum nimis & pugnax, & lævum imbelle nimis & invalidum est. Intolerantia est, quæ nihil injuriarum concoquere, adversarum nihil perferre potest; velut sinistrum brachium. Incontinentia velut dextrum brachium nimis bellicosum, & in propriam perniciem prævividum. 212.

Quomodo quis in vitium labatur.

Priùs aliquis lapsat quàm in peccatum penitus corruat, ad hanc prolapsionem variæ sunt opportunitates. Schemate trado quod doceo.

Tria sunt occasio lapsus.
- *Somnus.* — Somnus pomeridianus præsertim in molli lecto vocatus. Est enim in molli stragulo pomeridianus vitiolæ consuetudinis pronubus.
- *Otium.* — Otium alter ad vitia pronubus. Bernardo inde otium dictum rimosa navis, quę ob neglectum nautarum sensim haurit aquam, & demum mergit.
- *Oculi curiosi.* — Oculi curiosi, emissitii ductores ad vitia certissimi. Nemo dicat pudicum se habere animum, nisi & pudicos, cautos, & castos habeat oculos. 841.

Quid in omni vitio sit deterrimum.

Lapsus, mi Christiane, frequentior, cùm scilicet non tantùm semel delinquitur, sed sæpius, cum quis peccandi assiduitate in eam se consuetudinem abducit, ut difficillimum videatur non peccare. Hi namque periculosissimè vivunt, & palam ad inferos tendunt, vera diaboli mancipia, qui peccata graviora identidem repetunt: hodie delinquunt, perendie idem liberius agunt, idem alterâ, idem tertiâ hebdomade, & quidem audaciùs committunt; ita cum peccatorum numero crescit & peccandi animus. Quisquis es cave ne in hanc voraginem descendas, ne adjicias peccatum super peccatum. 842.

Adversus vitia remedia hæc sunt.

S. Bernardus: *Superaturus*, inquit, *peccatum sive superbiam, sive luxuriam, seu aliud quodcunque vitium, hos quinque lapides nunquam non secum ferat.*

Quinque

Quinque lapides contra vitia conferendi:

- *Comminatio* — *Comminatio* Dei, tetrum est in scelus validum, dum nempe firmiter cogitatur, hoc Deus crimen igne punit æterno.
- *Promissio.* — *Promissio*, numen legem servantibus promisit æternas voluptates, cur ergo voluptatulâ vendam brevissimâ?
- *Dilectio.* — *Dilectio*, Quomodo offendam illum, qui pro me mortuus est?
- *Imitatio.* — *Imitatio*, Quanta ii pati sunt, qui cæli obtinent gaudia?
- *Oratio.* — *Oratio*, Omnem animi contentionem ad orationem transfer. 803.

Vivere & mori totâ vitâ discendum est.

Monitum est Senecæ, à quâ profectò scientiâ totius vitæ felicitas dependet. De summâ rerum agitur. In hoc puncto salutis nostræ cardo vertitur. Nullum in omni vitâ graviorem, nullum magis serium laborem habemus. Nunc igitur quisquis es, dum sospes & vivus es, spiritum tuum conditori tuo, sæpius de die commenda. Ad virtuosum hoc exercitium nos quærit quasi manu ducere pia Mater Ecclesia. Nam ea, quod Amalarius Trevirensis exponit, ter potissimùm utitur his vocibus. 1. In sacrâ synaxi porrigendâ, tamquam in mortis horâ Sacerdos effatur: *In manus tuas Domine commendo spiritum meum.* 2. Ad precum horariarum clausulam eædem voces aliquoties repetuntur. Dormientes enim majoribus pluribusque periculis quàm vigilantes subjecti sumus. 3. Ad vitæ finem. Tunc certè cacodæmon hominis calcaneo insidiatur & nihil non agit ut siquà possit moribundum irretiat. 430.

VOLVNTAS.

Ex conformatione verâ voluntatis suæ cum divinâ vera resultat sanctitas.

Ex voluntatis conformitate cum lege æternâ vera Christiani hominis est sanctitas: hoc Theologi omnes uno ore confirmant: Lex autem æterna nihil aliud est, quam ipsa voluntas divina: quidquid enim in specie per omnem sæculorum seriem operatur, hoc simul & semel ab æterno voluit & decrevit. Is autem eximiè perfectus, is, inquam, verè sanctus, cujus voluntas ab eâ prodeuntes actiones æternæ legi, hoc est, menti ac voluntati Dei exactè confirmantur. Nam Dei voluntas cùm reipsa sit eadem cum intellectu divino, & ideo legi æternæ necessariò conformis, cui ex æquo respondet, hinc ipsa pariter mensura est & regula sanctitatis. Et quia hæc conformitas in Deo est infinita, hinc pariter infinita est ejus sanctitas: in homine verò, in quo omnia sunt finita, suos illa limites habet; ita tamen ut semper possit crescere. Hinc tantò sanctior est homo quantò æternæ legi, seu divinæ voluntati est conformior. Res liquidissima. 849. Tom. 1.

Signa ex quibus quis scire potest, num voluntas alicujus sit divinæ conformata.

1. Omnia cupere ad divinæ voluntatis nutum facere, & ideo nihil ordiri nisi ope Dei implorata.
2. Ærumnas non solum non timere, sed ultra apperere.
3. Sua ipsius diffidentia maxima.
4. Maxima in Deum fiducia.
5. Quæque posse concoquere generoso silentio
6. Ardua pro honore Dei aggredi. *Vide Tom. 1. 519.*

Voluntas Dei quæ, quam Christus docuit & fecit.

1. Humilitas in conversatione.
2. Stabilitas in fide.
3. Verecundia in verbis.
4. In factis justitia.
5. In operibus misericordia.
6. In moribus disciplina.
7. Injuriam facere non posse.
8. Factam tolerare.
9. Cum fratribus pacem tenere.
10. Deum toto corde diligere.
11. Amare in illo quod Pater est.
12. Timere quod Deus est.
13. Christo nihil præponere, quia nec nobis ille quidquam præposuit.
14. Charitati ejus inseparabiliter adhærere.
15. Cruci ejus fortiter ac fidenter assistere.
16. Quando de ejus nomine & honore certamen est exhibere in sermone constantiam, quâ confitemur; in quæstione fiduciam, quâ congredimur; in morte perseverantiam, quâ coronamur.

Voluntas igitur nostra est conformanda divinæ in omnibus.

Monitum hoc, mi Lector, pro coronide Catecheseos nostræ do, quod doctissimorum virorum judicio & sententiâ virtutum omnium est compendium, apex, & perfectio. Nam si mihi centum adhuc annis ad Christianam plebem è cathedrâ dicendum foret, hanc ego præceptionem semper unicè instillarem: *In omnibus velis, quod vult Deus.* Nil explicatu, nil & factu melius, nil Deo gratius, quàm hoc velle. 616. Dummodo seriò velimus non velle aliquo lento & frigido, sed fervido, quo virtus ipsa, omneque bonum non quæritur tantum, sed & comprehenditur. Hoc voveo dum finio. 665.

Finis Indicis Catechistici.

AD MAIOREM DEI GLORIAM.

SE-

SECVNDI TOMI
THEMATVM MORALIVM

Tam in omnia solenniora Iesu Christi Salvatoris nostri, ejusdémq; Magnæ Matris, & Virginis Mariæ, necnon Divorum omnium, occurrentia per integrum anni decursum festa, quàm & in singulas Quadragesimales ferias inserta iisdem, prolixâ satis in Dominicam Passionem enarratione,

INDICES LOCVPLETISSIMI;

QVOS

Subsequuntur Themata alia Concionum moralia vel in Prælatorum Ecclesiasticorum infulationibus, vel Religiosorum Professionibus, vel denique in funeralibus, vel prout exegerit Solennitas & temporis ratio, habendarum.

ADMONITIO AVCTORIS INDICVM PRÆVIA.

BENEVOLE LECTOR,

Vt hos nostros secundi hujus Drexeliani voluminis Thematum moralium Indices, & ab omni vel erroris vel falsitatis suspicione, & Te ab omni temporis dispendio vindicem, velim priusquam in hos vestigia inferas, præfixam huic volumini monitoriam attentè perlegas & notanda observes; quia verò in talem assignatum aliquando incides numerum ita absolutum, ut nulla sit Tomi aut libri addita designatio, scito te ad hoc tunc secundum volumen remitti. Vale & fruere.

INDEX PRIMVS

THEMATVM MORALIVM,

In omnia solenniora IESV Christi Salvatoris nostri Festa.

NATIVITAS IESV CHRISTI ADMIRANDA.

Concio prima.

THEMA

Ascendit autem & Ioseph à Galileâ de Civitate Nazareth, in Iudæam civitatem David, &c. ut profiteretur cum Mariâ desponsatâ sibi uxore prægnante.

Morale seu concionis Argumentum.

Non nisi in Betlehem nascitur & videtur Christus.

Exordium.

CONjuges hodiernâ die ambo nobilissimi, utpote è regiâ David familiâ, re tamen tenuissimi. Regina illa, inquam, siderum, fortunarum inops, tempore prorsus incommodo, non sine vicini partus periculo, promptè paret Idololatræ Imperatoris edicto, quod absque dubio nec puerperas, neque puerperio tam vicinas, ad faciendum iter obstringebat: Ultro tamen virgo dicto obtemperat. Rara Obedientia: nec minor horum viatorum conjugum fuit patiētia. Peregrini enim malè nummati largissimam habent materiam exercendæ patientiæ Iter autem hoc è Nazareth in Betlehem non parvum erat, sed ad minimum quatuor dierum, ut facilè constat, habeturque exploratum ex descriptione geographicâ Terræ sanctæ, nam illud Betlehemi oppidum à Nazareth ultra triginta leucas distabat. Senserunt utique hi conjuges se seriò esse pauperes & peregrinos, quibus negatum etiam est hospitium. Sed quorsum, ô boni Conjuges, hoc suscipiendum erat iter? Quorsum, ô Cœlorum Regina, cùm etiam hæc lex te non ligaret? Dicam brevibus, *Audito*. Nullibi nascitur, nec videtur Christus, nullibi gustatur quàm sit suavis quàm in Betlehem Quæ verò sit ista Betlehem, in quâ natus olim Christus, quæve sit illa spiritualis civitatula, quæ conscendenda est, hodie, latiùs pando. 278.

Prosecutio.

Cùm ut S. Leo loquitur, *Auditores*, Salvator noster *qui servi susceperat formam Betlehem prælegit nativitati, Hierusalem passioni*. Comtemplanda parumper hæc parva est civitas. Parvula hæc urbecula civem habuit nobilissimum filium Isai David. Is enim primus diademate ac sceptro eam nobilitavit, ac proinde dicta est Betlehem civitas David, quam & Davidis ex Salomone nepos Roboam novis domibus & muris instauravit. Hac autem Augusteâ indictâ descriptione, in eam quisque civitatem sese contulit, non quæ tribus suæ metropolis, nec in eam, in quâ natus, aut in quâ possessiones habuit, sed in eam quæ caput suæ familiæ fuit. Quia ergo Dominus &c. 278. Si insuper Betlehem vocis Etymon spectemus idem est quod frugifera seu domus panis. 297. Denique Betlehem omnes regias civitates, Metropoles omnes, omnia orbis Imperia nobilitate vincit. De Homeri solo natali septem nobiles Græciæ urbes decertarunt acriter, tanquam omnis earum splendor & fama ab ipsâ Homeri in iis nativitate desumenda foret. At Illustriorem reddidit hanc urbeculam quàm Homeri nativitas Græciæ urbes, hæc hodierna Salvatoris præsentia. 279. Sed de hac Betlehem satis, in eâ semel tantùm natus Christus, alia petenda nobis est Bethleem, eâ scilicet, in quâ non semel, sed iterum atque iterum renascitur. Et quæ, quæso, ista? Ne diutiùs vos suspensos aut curiosos detineam, ea est cor nostrum, anima nostra, conscientia nostra. Si velimus tamen, Nam ea anima, Cor illud, in quo spiritus ille David

non

non imperat, non gerit sceptrum & diadema, sed vehra, vel invidia, vel, quam, spiritus ille pessimus Saul Bethlehemi non meretur nomen. 796. & *vide v. Peccatum.* Cujus animus non est frugifer virtutum, in eo nec nascitur, nec renascitur Salvator. *V. Verbo Virtus.* Si igitur renascentem in se quis vult videre Christum, arripiendæ sunt ei Sacramentales Pœnitentiæ scopæ, sed & videndum sedulò quales arripiantur. Sumpsistis plurimi hodie, ut opinor, hunc nostrum infantem, qui quotidie quasi in manibus Sacerdotum renascitur, quare & eæ manus rectè Bethlehem nominari possunt & domus panis. Sed an ideo in omnibus à quibus sumptus est, est & renatus? si vera præcessit pœnitentia, respondeo affirmativè. Sed qualis debet esse pœnitentia ut sit vera? Si vos estis humiliter, credo peccatores, sed forsitan adhuc delectat peccare? talis, inquit S. P. Augustinus pœnitentia professio est, non emendatio. Accusatur anima, non sanatur, pronuntiatur offensa non tollitur. Pœnitentiam certam non facit nisi odium peccati, & amor. 320.

Peroratio.

Igitur Bethlehemi salutare sedulò servare studeamus qualitates, si quas hodiernâ die obtinuerimus: & ejiciatur spiritus ille malus Saul, sitque pietas & mansuetudo David civis animi nostri, ut & dignetur civis esse cordis nostri Christus, qui ut natus est in Bethlehem, renasci non nisi in eadem quotidie vult. Nunc itaque quicunque iram contra alterum tenet, tantum propter amorem Dei dimittat, & cor suum in Bethlehem obtulit & consecravit.

ALIA.

THEMA.

Factum est autem cùm essent ibi, impleti sunt dies ut pareret.

Concionis Argumentum.

Qui citò dat, bis dat; cur ergo ingens Redemptionis beneficium dilatum?

Exordium.

S. P. Augustinus nunquam non facundissimus, de Nascente tamen Christo facundia singulari copiosius, auru & gemmas locutus est, nec dicendo satiari potuisse viderur. Dictorum ipse testis est: *Nec*, inquit, *satiabar dulcedine mirabili contemplare altitudinem consilii divini super salutem generis humani*, & rectè. Innumera enim eáque admirabilia hic dicenda sunt, semperque supersunt dicenda, igitur velut in compendium confert, & diem hunc solemnem diem Mysteriorum appellat. Quis unquam veraciùs & brevius hac die dicendorum tradere posset, dicenti præconi sacro compendium? cujus S.P. sententiæ veritatem, & dicendorum in Nativitate Christi compendium, etiam compendio videmus. Ita tamen, *Audit.* ut latius deinceps liceat, quod in rem nostram erit, causam dilationis tanti beneficii disquirere.

Prosecutio.

Quanta in hac Christi nativitate, *Auditores*, intellectus noster invenit admiranda, non quæ possit penetrare, sed quæ laudare. Quamvis enim & in hac Nativitate etiam natura partes suas egerit, tamen quæn parum egit. Ex semine maris & fœminæ notum est homines nasci, dum quod prius semen fuerat septem primis horis coagulatur & quasi cucullus serico membranæ ferè imperceptibilis, folliculo sepitur, &c. Non ita infans noster hodiernus, non enim natus est ex semine maris & fœminæ; nec, inquam, ex sanguinibus, sed ex puro sanguine S. Mariæ Virginis. Non ex voluntate carnis, quia dum Virgo mater fieret, mente quidem delectata est, sed voluptate carnis nullatenus læsa. Non enim per temporis succedentes moras in membris ejus facta est ætatis ardore, & medullarum vigore alteratio, aut humorum aliqua translatio, sed quàm primùm liber ille assensus, in momento, in ictu oculi fuit in sanctæ Virginis mente formatus, Deus qui scrutator est cordium, statim hominis & Dei Matrem illam effecit, & hæc subitò in illâ complevit. *Ita verbum caro factum est*, id est, carni inseparabiliter sociatum. Videtis, *Auditores*, quàm breves partes egerit in hac sanctissimâ nativitate natura, subministravit illa materiam, scilicet purissimum S. Matris sanguinem, sed quæ insuper gesta sunt, nullo naturæ communis jure facta sunt. Sed de his aliàs. Sed ô Mundi redemptor cur tanti momenti nativitas tam diu dilata? cur benefica tua manus tam diu remansit contracta? cur ve in ipsâ tantùm mundi provectâ ætate aperta? Nam anno ab orbis primordiis quinquies millesimo nonagesimo nono, ut calculum ponit Baronius. 277. Post diluvium anno bis millesimo nongentesimo quinquagesimo septimo; Româ conditâ septingentesimo quinquagesimo secundo CHRISTVS JESVS verus Dei filius, ex intactâ Virgine Homo natus est in Bethlehem. Sic sextâ chiliade annorum seu ævo sexto ad captivum redimendum hominem Deus tantum in terram venit. *Plura vide* 277 Sed nunquid bis dat, qui citò dat? Cur ergo in tantum distulit Nativitatem suam Deus? an forsitan eo laborat morbo, quo hoc sæculo laborant divites, scilicet *Differre?* Frequentissimæ sunt hæ divitum in orbe voces, cras veni, perendie redi, &c. 164. cunctatione res omnes redduntur imperfectæ, præsertim beneficentia, quæ sæpe tantò est fertilior, quantò lentior & morosior. *Ne dicas*, inquit Salomon, *amico tuo vade, & revertere cras dabo tibi, cùm statim posse dare? Dabo tibi*, vox aurea, vox optima, pauperibus & afflictis gratissima. An ergo, inquam, hoc morbo laboravit etiam Deus in cœlo, quo laborant homines plurimi in terris? Nequaquam. Cur ergo cùm potuerit statim post primum Adami peccatum mittere filium, filium non misit? Cur rectè impleti sunt dies Nativitatis ascendentibus Parentibus in Bethlehem. Causæ variæ. Prima dilationis causa, &c. 277.

Peroratio.

Sapientissimus ergo Deus *bene hodie omnia fecit* ob rationes allatas, & pro coronide addo aliam: Non distulit nasci usque in mundi finem, noluit nasci in ipso orbis principio, sed anno, ut antè dixi: Fuit enim hic Christi adventus quasi medius inter principium mundi & finem, ut ita utrique laboranti partui faciliùs subveniretur. Finio & moneo vos omnes, *Auditores* verbis Esdræ. Cùm dies sit hodie sanctificatus Domino Deo nostro, *nolite lugere, nolite flere, Ite comedite pinguia, bibite mulsum.* Pinguem, inquam, panem Christi, suave mulsum sanguinis Dominici. *Et mittite partes his, qui non præparaverunt.* Mementote pauperum & afflictorum, *Quia sanctus dies Domini est, & nolite contristari.*

ALIA.

THEMA.

Et peperit filium suum primogenitum.

Concionis Argumentum.

Christus verus inter nos fratres homines Primogenitus.

INter Hebræos octo erant prærogativæ primogenitorum, etiam ante Mosis constitutas leges. 1. Primogeniti erat sacerdotè agere. 2. Primogenitus in mensâ primò recumbebat loco, &c. 289. Quas omnes prærogativas à Patre hodiernus Primogenitus noster Christus retulit. De quo B. Paulus, *Qui est*, inquit, *imago Dei invisibilis, Primogenitus omnis creaturæ &c.* 289. sed enumeratione probemus: Sacerdos fuit idque *secundùm ordinem Melchisedech.* In cœnâ primus, ut Magister recubuit, &c. 289. Nos autem Pater æternus, Petro eodem teste, *prædestinavit conformes fieri imaginis filii sui, ut ipse sit primogenitus in multis fratribus.* Quod certè summo nobis est honori, sive æternum Patrem, sive spectemus matrem. Nec hoc nominis Christiani, &c. 290. Quam & dignitatem obstupescens Ioannes; *Videte*, inquit, *qualem charitatem dedit nobis Pater, &c.* 290.

ALIA.

QVid hoc est, *Auditores*, pannis hac nocte involvitur Infans Deus. Quàm operimento vili tegitur, qui omni animantiũ generi providentissima sua, cuique distribuit vestimenta, has plumis, illas lanâ, has pilis, istas aculeis, squamis testis; alias aliâ veste contegit. 287. hic ergo liberalissimus optimus Deus, qui tam animatæ quàm inanimatæ, tam commodè, tam venustè vestit, linteolis tegitur. Nunc obsecro, comparate mihi cùm puero hoc Præsules, Virgines, & puellos adolescentes, &c. & quantam erit inter creatorem & creaturam differentia. 287.

Prosecutio.

Quis Deum antehac esse tam humilem fari potuit aut credere. Dixerat Athenis Paulus, Deus qui fecit mundum & omnia quæ in eo sunt, hic cœli & terræ cùm sit Dominus non in manu factis templis habitat, sed jam eò hoc tam magnifica majestas devenit, ut etiam in stabulo manufacto habitet. Hoc persuasit amor quo ferebatur Redemptor noster, in genus humanum, clamavit quondam *Baruch*, &c. vociferatur Hieremias, &c. Obstupescit Isaias, sed hac nocte, ô Prophetæ stylus! admiranda jam enim facta est rerum conversio. Jam vociferandum, submittite in imum oculos vestros & videte creatorem infantem, Cœli opificem laborantem, deficientem, dolentem, fasciolis strictum. Protoplastis quondam licet etiam peccati reis tunicas pelliceas Deus pro indumentis dedit Dei vero filio non solùm dotatæ nec Schyticæ mustelæ, sed nec ovis nec agni longè vilioris pellis superest. Cur autem in tantum se demiserit illa suprema majestas varii varias adferunt rationes. Inter quas & hæc, nam præcipua est annumeranda, & hæc venit, ut nempe mundi destrueret superbiam ut his mundanis avibus hoc ævo numero plurimis nimis sublime volitantibus accideret alas. 572. O curas hominum quantum in rebus & præsertim in vestibus inanes quam vestium studiosam & industriam concinnitatem docet, quo recto & veraci nunc nomine nostrum præsens nunc appelles sæculum ante diluvii tempus, tempore scilicet Noëtico sæculo appellatur libidinosum; at modernum non minus forsitan libidinosum, magis tamen superbum? Universa enim jam multitudo hominum quid aliud est quàm quædam perfecta & concinna superborum aggregatio, ut enim omnes pene artifices certis dignoscuntur sui artificii notis, omnesque architecti non difficulter ex ipso ædificandi modo, dum scilicet iste operosa hic gracili, &c. sic pictor 471. & ab ipsis etiam suis operibus nomen aliquod sortiuntur: ita ex ipsis mundanorum moribus vestibus mundum non Christianum quis rectè diterit sed superbum nam nulla fert Christi insignia, sed in omnibus superbitur. Fuere olim lúntque modò linteola & fasciolæ Christi magno satis in honore. Has enim fascias donavit Eudoxiæ Imperatrici Hyerosolimorum Antistes Juvenalis, &c. 287, sed gestantur jam tamen panni tarius. O Auditores, scitis

fatis quid infans hac ipsa jam statim natus fecit nocte? Imperito scribæ qui curvos pingit versus. 478. Nempe discipulis & artium tyronibus leges deferimus, normam & regulam præscribimus. Ita & Christus fecit, formulam nempe rerum agendarum præbuit, sed quantum, Ah linea præscriptâ receditur. Pannis tegendum dicit & docet corpus at omnis jam panni substantia versa est in purpuram, byssum, gemmas, aurum, sericum. Edixit quidem Augustissimæ memoriæ Carol. V. ne quis fraudem facerer legi, seu latæ, seu ferendæ circa rem vestiariam. Edita est Augustæ Vindelicorum anno 1548. *f.* 427. *Tom. I.* Quid aliud diceret è Cathedrâ religiosus Ecclesiastes? sed quis legi paret? jam etiam Textores, Cerdones, sartores in totas sibi vestes, holosericum conscindunt, quod viris olim lex tantummodo nobilibus in fimbrias permisit. 424. *Tom. I.* Verissimè dixit Bernardus. In signum positi sunt panni tui Domine Jesu sed in signum cui à multis contradicetur. 427. *Tom. I.*

Epilogus.

Adeòne parum possunt Christi exempla & monita Christiani? 472. *Tom. I.* & 287. *Tom. II.*

ALIA.

THEMA.

Gloria in altissimis Deo, & in terrâ pax hominibus bonæ voluntatis.

Concionis Argumentum.

Hominibus bonæ voluntatis Christus natus pacem; malæ verò & dæmonibus bellum indicit.

Exordium.

SAmueli Bethleem ingresso Seniores Oppidi in occursum ejus prodierunt, dixerúntque: *Pacificúsne ingressus tuus est? ait, pacificus, ad immolandum Domino veni, sanctificamini & venite mecum.* Hodie, *Auditores*, ingressu admirabili venit & Dei filius in Bethleem, & nunquid non idem rogare possumus: Pacificúsne est ingressus tuus, ô præpotens Deus? an venis ut filios ex orbe isto, quemadmodum olim eorum patrem è paradiso, ejicias? An venis sine gladio quem in castris Senacherib strinxisti? An venis sine sulphure & igne, quem in Sodomæam terram effudisti? Et ecce pro Domino respondent interpetres familiæ (nondum enim novit, *Auditores*, loqui infans) Pax in terrâ hominibus bonæ voluntatis; Pacificus ergo est hic Dei in orbem ingressus. In omnibus notanda sunt verba illa angelici cantus: *Hominibus bonæ voluntatis.* Sed de his latius.

Prosecutio.

Pax summa fuit in orbe universo, cùm pacificus iste Salomon Rex Salem, Princeps pacis, in orbem venit. De quo Zacharias vaticinatus. *Et loquetur*, inquit, *pacem in gentibus.* De hoc ipso Beda, Pacatissimo, inquit, tempore nasci voluit pacis amator. Et quid mirum si Halcyone pulsos suos excludente silent venti, tranquillum est æquor; quid mirum si pariente virgine tranquillus est orbis? atque uti ros serenâ tranquillâque nocte sese diffundit, ita Christus tempore tranquillo è virgine nasci voluit. 275. Pax ista tam opulenta Monarchiam Imperatoris Augusti jam annum 42. imperantis decoravit. Cùm igitur Augustus tranquillitate maximâ. 275. Quâ quidem descriptione & censu numerati sunt viginti septem milliones & septuaginta millia virorum bello habilium, pueris, senibus, feminis exceptis. Quâ in re admiranda certè est Dei providentia, quæ rerum & causarum seriem artificio tam admirando convertit. Sed, *Auditores*, pax illa orbis num fuit generalis? nimis certè. Nam non minus avernalis ille princeps diabolus, quàm Cæsar Augustus (ita permittente Deo) imò magis ille quàm iste omnem ferè orbem securitate maximâ & pace regebat. Universi pæne mortales, &c. 276. Patres etiam in lymbo detinebat captivos. 276. Quàm diabolicam pacem, utpote quæ nomen pacis non merebatur, cùm ea injuria esset Deo, turbavit aduentu suo Christus, & homines Deo Angelisque sociavit, ut nempe (cùm legi Augusti obtemperaverit) Christus, ut advertit Thomas Aquinas, & ut vult Orosius, factus est civis Romanus, ita homo hodie civis cæli factus est. Pacificus ergo ingressus ejus vobisque omnibus Auditoribus. Angelorum nunc vice fungens, pacem promulgo deificam, si tamen bonæ sitis voluntatis. Unicuique enim hodie pax amplectenda est. 400. Unicuique remittenda est injuria de corde non ficto. De corde autem fit remissio, cùm remissio ea est integra *Vide verbo Injuria, Dilectio proximi.* Lex est, ait, recens scriptor, &c. 323.

Peroratio.

Quare, *Auditores*, erigamus animos nostros avertendo nos à malo & convertendo ad bonum, damnando vitium, amando Deum, diligendo proximum, impendendo misericordiam miseris, quia & nos ipsi ante hunc Christi adventum miseri fuimus, dimittendo illis, qui in nobis peccant; quia & nos omnes sub peccato fuimus, abjiciendo invidiam, quia per invidiam decepit genus humanum diabolus. Non venit enim Deus in orbem terrarum, nisi tempore pacis: In nobis non vult renasci nisi omnia interiùs exteriúsque, in terris, & in cælis sint pacata. 321. Ergo pacem; *Audit.* sequamur cum omnibus, & cum vitiis nostris non cum fratribus litigemus.

ALIA.

THEMA.

Transeamus usque Bethleem, & videamus hoc verbum quod factum est.

Concionis Argumentum.

Infans mutus, facundus tamen Ecclesiastes.

Exordium.

HOstiensis Antistes *Drogo* de Dominicæ passionis sacramento disserens, sic profatur: *Fecisti mihi Domine de corpore tuo speculum animæ meæ.* Ut scilicet Magister ingeniosus, ut sturno aut psittaco objicit speculum, ponè quod ipse stat, & venem ad avis sonum inflectit, verbáque formet, quo mediante speculo, facilius discit sturnus humana verba imitari, dum illa verba à magistro prolata credit ab alio psittaco, quem in imagine cernit, proferri. Ita igitur *Drogo* fecit Domine &c. Frequenter certè Christus nobis speculo, fuit diversa, repræsentans & objiciens imitanda, sed videndum modò quale sit speculum, sive quid repræsentet nobis humanitas Christi. Hac nocte enim factus est homo. 324.

Prosecutio.

Et verbum æternum latens divina loquitur, divina patrat, ut homines in istud tanquam in speculum intuentes, suique cernentes imaginem, sese jam à terrâ sordibus incipiant erigere. Elephantem in urbe Goâ fuisse memorant, qui annuo illo & solemni furore correptus catenas abrupit & vincula, suúmque furoris non stitit cursum, nisi ad parvi pueruli corpus & præsentiam. 324. Nunc igitur, mi homo, ne bruto velis esse deterior, vitiorum omnium siste cursum, sat datum & impio furori, Ambitionis, Invidiæ, &c. Accede ad præsepe. An parvulum hunc nosti? Conditor tuus, redemptor tuus, benefactor est; attamen homo quem si mentis complexu stringas, tibique ad instar speculi objicias, videbis quid te hominem deceat agere, & è cathedræ præsepio videbis & audies quid infans nondum potens loqui doceat. Quot sese in hoc speculo conspiciendas humanis oculis objiciunt virtutes, quarum prima est ipsa paupertas. Locus enim ipse in quo natus est, ventis omnibus fuit pervius, &c. Hoc ergo stabulum quid aliud fuit, quàm nobile paupertatis palatium? 288. Vix en Christus pedem in orbe posuit, & mox caput Pluti contrivit. Beatus, qui ex hoc speculo didicit non egere multis, qui novit salino tenui contentus vivere. Sed, ô curas hominum inconcinnando vestitu vanissimas? sordent modò vestes nisi sint pretiosæ. Comparate mihi cum Christo nato pannis involuto, Dominum illum, hanc Dominam purpurâ, byssó, gemmis & auro ornatam, ô quàm erunt dissimiles Servus & Dominus! Dominicum & sacrum illud proverbium cui non est notum: *Non est servus major Domino suo.* Attamen contrarium nunc passim fieri, & verum esse mores nostri confirmant; sunt enim jam servi omnes majores Domino. 287. Sed pergamus & curiosiùs speculum hoc in præsepio reclinatum inspiciamus, en dum fundit lacrymas, lacrymas à nobis exigitthæ enim infantis lacrymæ, risus nostri sunt accusatrices. 288. Sed quid adhuc ex hoc præsepis humillimo suggestu doceat, audite: *Nisi conversi fueritis & efficiamini sicut parvulus iste*, certè *non intrabitis in regnum cælorum.* 288.

Peroratio.

Sed jam noli esse, ô homo! animæ tuæ magis quàm soles corpori injurius, speculo commonstranti & docenti maculas corporis obedis, & turpidam faciem purgas; esto & obediens huic sacratissimo humanitatis Christi speculo, incipe mentem & animum tergere quam hoc dum finio, voveo. Rex Macedo Alexander filiolum Darii, victo jam patre, &c. Eadem hac nunc ad vos utor voce, quam vellem ut omnes hac die aliquid è divinâ hac pueri indole hauriant.

ALIA.

THEMA.

Et invenerunt Mariam, & Ioseph, & infantem positum in præsepio.

Concionis argumentum.

Infans debilis, validus tamen Bellator.

Exordium.

CErtamen Christus nascens indixit orbi, expostulationem illam Isaiæ: *Nunquid parum vobis est molestos esse hominibus, quia molesti estis & Deo meo?* Sic SS. PP. explicant, parúmne vobis est certare cum hominibus, cum ipso etiam Deo belligerare vultis? sit ita sanè, *Auditores*, jam nunc vobis spondeo, Deum novo prorsus & inaudito bellandi ritu in aciem prodituru oblaturúmque omnibus certamen admirandum: *Ecce virgo concipiet*, &c. Qui filius quantos faciet progressus docet Propheta: *Quia antequam sciat puer vocare patrem suum & matrem suam auferetur fortitudo Damasci & spolia Samariæ.* Verè Deus concertavit nobiscum ab ipsis mundi incunabilis, at aliter & aliter olim, aliter modò. Latiùs demonstro. 290.

Prosecutio.

Hominem peccaturum partes diversæ trahunt; hinc trahit Deus; trahit hinc diabolus, penes hominem semper stat à quo velit attrahi. Cacodæmon aut filo aut culmo ligat hominem, (nec enim aliter potest) & ostentat quod vel carnem mulceat, vel crumenam augeat, aut certè famam extendat. His filis, his ille culmis quoquò vult pertrahit, quem ligavit, sicque homo vel avaritiæ suæ, vel arrogantiæ satisfaciens, Dei legem, ipsúmque Deum calcat, quòd cùm summæ sit injuriæ, 180. *Tom.* 1. arripuit ipse & Deus statim à mundi principio in hominem arma, bellúmque alter alteri indixit. Homo peccando, Deus feriendo. Bella sanè acerrima, primos Parentes ejecit paradiso, Angelum elegantiæ miraculum Luciferum cælo, Gomorrhæos & Sodomitas igne sulphureo consumit. 181. 182. *Tom.* 2. Et ut Deus non destitit punire, sic nec homo peccare. Quid igitur agit Deus ut in partes suas trahat hominem, nova bella elegit, tandémque portas hostium subvertit. 290. Quomodo igitur in arenam tandem descendit? ut quondam, *Auditores*, Regum fasti produnt fecisse regem Achab, qui aggressurus prælium, *mutavit habitum suum*, sicque *ingressus est ad bellum*. 272. O quanta mutatio! *Et Verbum caro factum est*, non solùm caro, sed & jumentum. 282. aliâ quoque mutatione hac vestium factâ assumpsit arma. Posuit enim Patris sui Saulis arma & pastoralibus sese adversus hominem munivit. Quæ, quæso, Pastorum sunt arma? Pedum, fistula suaviter canens. Nulli pastoribus sunt gladii. Ita ô homo! accede ad hunc infantem nunc liberè, hic nulli in stabulo aut præsepio conditi gladii, sed solus amor; audi quid clamitet, quámque benignâ velitatione orbi pugnam indicat. 290. Quo secundos fecit progressus? Sævientem & iratum patrem sic hic infans amore certando in vincula conjecit, & quasi exarmavit, & cacodæmonem occidit. 294. *lege etiam ea quæ habentur fol.* 292.

Peroratio.

Nunc igitur, *Auditores*, bellatorem hunc amore nobiscum concertantem amplectamur, ducem, inquam, hunc sequamur, non pugnare pigeat adversus quoslibet hujus infantis hostes. Hostes infantis sunt libido, ambitio, ira, invidia, &c. Pugnæ formam dedit strenuus ille Davidicus miles Urias, qui jussus in domum suam abire, jubenti hoc aureum reposuit: *Arca Dei & Israel & Juda habitant in papilionibus, & Dominus meus Ioab, & servi Domini mei super faciem terræ manent, & ego ingrediar domum meam ut comedam & bibam? per salutem tuam*, &c. Hoc Christi miles sibi occinat & appetitibus suis irrationalibus, dum prurimt & tentant, reponat.

ALIA.

THEMA.

Et omnes qui audierant mirati sunt de his, quæ dicta erant à Pastoribus ad ipsos.

Concionis Argumentum.

Quod defuit naturæ supplevit gratia.

Exordium.

NAtus Moyses, cogente Pharaonis imperio, à matre suâ in sicellam scirpeam pice litam compositus & expositus fuit in flumen publicum. Puella regia Pharaonis filia cum ad aquas illas descenderet, &c. 271. Synagoga quoque Christum nascentem exposuit: Nam eum ad pecudum cohabitationem amandavit. Nos, *Auditores*, eum recipiamus & contemplemur paululum, admirandam Nativitatem hujus Infantis, & gloriam hujus unigeniti Patris inspiciamus.

Prosecutio.

Quisquis stabulum hoc, quisquis præsepe adit Christi, quisquis infantem hunc contemplari volet, vadat & montem hunc mysticum unà cum Moyse conscendat, sed calceos suos ante conscensum ponat; nam nemo hic per naturam discere speret, Sacramenta enim hæc ipsa docere non sufficit. Quæris, quomodo in utero Virginis tantus conclusus fuerit 9. mensibus Deus? Interrogationi tuæ interrogatio mea satisfacit. Miserat olim famulum suum Elisæus, ut mortuum puerum ad vitam revocaret à funere. Sed ille frustra tentavit omnia, nec movit se puer. Tandem ipse eò properavit Propheta. 274. Quomodo igitur potuit sese in tantum contrahere propheta? Quod respondeas homo non habes aliud, quàm quod non potuit natura, potuit & supplevit gratia. Quæris rursum, quomodo infans hic natus Matri suæ Virginitatem non abstulerit? reponit S.P. Augustinus; Ipsa, inquit, virtus pr. inviolatæ Matris virginea viscera, &c. 322. Scire forsitan & voles, quomodo res eæ dissimillimæ ita uniantur, ut exclamat Eucherius. 292. iisdem te verbis compello, præsertim si curiosiùs id inquirere coneris, quod Seneca scribit inquirenti sedulo, cur hæc corpora cælestia ita moveantur? Nimis, inquit, nos suspicimus, si digni nobis videmur, propter quos hæc tanta moveantur. Qui hominem censuit indignum cui cælestia corpora famulentur, quid demum diceret ad hæc. 292. Si demum interroges quomodo Deus ita sese potuit humiliare? audi, rem & historiam narro. Agesilaus Rex Spartanus, &c. 321. Majestas namque & amor antea discordes hic concordes fiunt & in unâ sede morantur. 321. Admiranda sanè conversio. Si quæras dum totum inquiris, per quod verbum habitabit in nobis, si forte, ut loquitur S. P. Augustinus, ibi possit esse dicibilis, ubi voluit esse visibilis. 322.

QVÆSTIO MORALIS.

THEMA.

Maria autem conservabat omnia verba hæc, conferens ea in corde suo.

Concionis Argumentum.

Vtrum illa collatio fuerit dubitativa?

QVæstioni satisfacit verbum Evangelistæ dicentis: *Conferebat.* Aliud enim est comparare, aliud inquirere: nam inquirere rationem ad aliquam conclusionem est dubitantis, utrum sit vera an non; sed unum alteri comparare non est dubitare, sed actualiter contemplari, quæ habita sciuntur, sicut si quis per visionem in somnis aliquid vidisset, puta quòd Sacerdos prædicaret: & deinde videret illud expleri, compararet effectum ipsum suæ visioni de neutro dubitando. Hoc autem fieri potest cum maximâ delectatione, tum quia naturale est animæ nostræ conferre. Hinc in picturis & repræsentationibus delectamur dum ista conferimus ad ea, quorum sunt signa. Conferre autem est delectabile cui est naturale, tum quia est naturale desiderium, quod scitur uno modo, puta revelatione, vel per scripturam, vel per alium; tum etiam quia interdum accrescit gaudio quod ipsæ res, de quibus est meditatio, sint valdè delectabiles; quæ omnia in Virgine concurrebant & maximè tertium. Inæstimabile enim prorsus & inenarrabile fuit gaudium. 282. & 283.

De Prodigiis Christi natalem antecedentibus & comitantibus, vide 274. *& plura alia sparsim in libello de Christo nascente, & de Angelorum Musica & cursu ad præsepe.*

DOLOROSA DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI CIRCVMCISIO

Concio prima.

THEMA.

Postquam consummati sunt dies octo, ut circumcideretur puer.

Concionis Argumentum.

Parti læsæ & non alibi applicandum emplastrum.

Exordium.

TRes Israëlis numerantur Servatores, sed heu nimiùm quàm dispares; Moyses, Cyrus, Christus. Ille in flumen depositus, hic feris projectus, iste verò tertius Salvator noster ante octiduum ante feras expositus in viâ publicâ natus; ab omnibus adiri, salutari, aspici, & contrectari facillimus. Nos alios sæpe mores induimus fastu & tumore plenos. 326. Non ita Christus Salvator noster, sed se legi illi pœnali circuncisionis subdit; primúmque fudit sanguinem hodie, sine cujus effusione fieri non poterat remissio & redemptio. Rationem inquisituri sumus effusionis sanguinis hodierni.

Prosecutio.

Cur sanguinis effusionem à Circuncisione Dominus orditi voluit? Venerat curare hic infans languores animarum, qui certè semper sunt & fuêre multiplices, & ab unâ libidine seu incontinentiâ principium ducunt: nam ante diluvium, cùm nullâ scriptâ lege viverent homines, & natura, quamvis lapsa, multo tempore pro lege fuerat, libidinis ardor paulisper excrescens eo furoris præcipitavit homines, ut solus Noë cum tribus filiis in orbe naturæ hac in re finibus contentus inveniretur. 457. Quia igitur primum genus humanum peccavit libidine, Salvator ante omnia incontinentiam docuit esse frenandam, eáque in parte corporis primùm pati voluit, unde primò peccatores naturam suam ex parte collapsam infamare & contaminare cœperunt. Medici ergo hodie & Salvatoris incipit obire munus, qui dum curat infirmum, eâ parte maximè curat, & quâ infimus plurimum laborat. Erat nempe mundus ante adventum Christi veluti vilis urbecula. 322. Et sanguinis peccatum sanguine curat. Jobus de aquila disserens, *pulli ejus*, inquit, *lambent sanguinem*, qui sanguis pullis non tam est alimonia quàm medicina. Et Aristoteles sentit aquilas non bibere, sed ipsis pro potu esse sanguinem prædæ: unde mirabiliter evadunt generosiores. Cum, inquit, Mater, &c. 371. Ita & Christus hodie cælestis ille medicus noverat nondum adesse tempus generalis illius sanguinis effusionis, ne tamen interim Deus Pater in genus humanum sæviret, passus est se in femore quasi vulnerari. Sed, *Auditores*, cur obsecro Deus non aliter propitiari voluit quàm sanguine? diversæ sunt rationes. 371.

Peroratio.

Ergo, *Auditores*, hoc sanguineum hodiernum vinum nobis propinatum, *vinum est germinans Virgines*. Sunt quidam fructus arborum ejus indolis, ut, si sint illibati diutissimè in paleis, vel foliis quasi recentes servari possunt, semel autem delibati, non nisi melle ac saccaro servantur. Nos velut fructus à peccato sæpius libati, non virgineo melle, sed sanguine Iesv servari possumus & reverà, nisi quis, &c. 371.

ALIA.

Index Thematum moralium.

ALIA.

THEMA IDEM.

Concionis Argumentum.

In lege veteri exigebatur Circumcisio corporis, in lege gratiæ post Baptismum Circumcisio mentis.

CVm secundùm Apostoli doctrinam, hodierna hæc Circumcisio Christi in carne interioris hominis designet in mente circumcisionem, sine quâ nemo unquam potuit, poteritve salvari. Circumcisio verò mentis nihil aliud est, quàm legem servare, & innocenter vivere: est enim, ut ejus utar verbis, circumcisio cordis in spiritu, Circumcisio prima, quæ facta olim fuit in corpore nunc abolita est, at circumcisio mentis necessaria est omnibus. Utinam illa hoc ævo viger et, illa enim sufficit ad salutem.

Vide de hac Circumcisione spirituali 285. *Tom.* 1. *Vide etiam verbo* Mortificatio *Tom.* 1. *verbo* Victoria sui *Tom.* 2.

ALIA.

THEMA.

Et vocatum est nomen ejus IESVS.

Concionis Argumentum.

Cultus nominis IESV *suadetur.*

VAriis nominibus Christus fuit olim in veteri testamento honoratus, at in novo uno tantùm nomine, dignitate reliqua omnia superante; idque hodiernâ die, & rectè. Dum enim jam incipiebat redimere, & pro humano genere pati, jure orbis salvator nominabatur, IESVS enim idem est quod Salvator, quod munus quàm fervidè exequutus fuerit Christus, testantur prodigia illa & miracula quæ ab Evangelistis referuntur. 375. Quin imò hoc ipsum solum nomen devotè pronuntiatum, hominem sanat, beat, & ab hoste infernali protegit. Nec enim aliud est sub cælo datum hominibus in quo oporteat nos salvos fieri. O potentissimum nomen! Salvatoris hujus promissum est: *In nomine meo dæmonia ejicient.* 633. Imò Patres Prisci hoc unico pæne argumento usi sunt adversùs Idololatras, teste Tertulliano. Hoc igitur divinum nomen penitissimè pectori insculpendum est, assidueque magnâ reverentiâ, & ingenti fiduciâ, corde & ore versandum. 633. Solum verò hoc nomen sanctissimum IESVS rectè ex impositione & nominis significatione Christo convenit, & quamvis alii etiam homines IESVS vocati fuerint, fuit illud ex solâ impositione, non re: solus enim filius Virginis ex impositione & re dici potest IESVS aut Salvator.

ALIA.

QVÆSTIO MORALIS.

Vtrum Christus debuerit circumcidi.

REs certissima est Christum necessariò non debuisse circumcidi. Nam in eo nulla erat impuritas: Quare, inquit Bernardus, sine ullo vulneris vestigio alligaturam non refugit vulneris. Sed cùm esset infans hic, Messias ille in lege promissus, congruum fuit ut circumcideretur. Primò ut legem adimpleret, cum sæpius in vitâ testatus fuerit se ad hoc venisse. Item quia ex assumptâ carne sub lege jam fuerit, ut communiter Doctores volunt: erat enim ex semine Abrahæ; Abraham verò pro se, & suis circumcisionem in præceptum habuit. Secundò Christus Dominus circumcidi voluit ut impios confunderet aliquando Judæos, ne scilicet eum incircumcisum appellarent. Hoc enim sæpius nequissimi Judæi illi in os objecissent exclamantes, homini incircumciso nullam esse adhibendam fidem. Tertiò, propter circumcisionem ipsam terminandam & baptisma verum de novo Sacramentum instituendum; æquum enim & justum erat eum terminare circuncisionem; qui erat finis circuncisionis & legis, & ejusdem ut vult Paulus consummatio.

Alias si vis conciones hoc Circuncisionis die, Indicem consule Thematum Moralium Primi Tomi & Xenia distribuenda in fine horum Indicum.

SOLENNITAS EPIPHANIÆ, DE NATO CHRITO A MAGIS QVÆSITO.

NAscentis Christi gloria tum demum cœpit splendescere, cùm astrum Magos ex Oriente ad pueruli cunas perduxit. De his Orientis proceribus, eorúmque in Dominum Jesùm religione, Theologus Thomas Aquinas 3. p. q. 36. disertè ac sapienter discurrit. Hunc ego, dum de horum Magorum differere adoratione ut solennitatis ratio exigit intendo, ducem sequar. Dicturus primò de profectione illorum, & itinere in terram tam remotam; dein de submissione illorum & reverentiâ in regem tam ignotum; demum de liberalitate tam largâ & conveniens in novam prolem tam admirandam. Quæ omnia & singula Auctor explicat per sectiones, addit insuper & oblatorum munerum mysticas interpretationes ordine satis concionatorio, ac proinde nihil immuto. *Lege à fol.* 302. *usque* 309.

ALIA.

THEMA.

Et procidentes adoraverunt eum.

Concionis Argumentum.

Dum orandum est, habenda est & ratio situs corporis.

Exordium.

APostoli primæ quidem simplicitatis viri, & à piscatu rudes in Christi contubernium adsciti, aliquoties tamen non levis momenti quæstiones proposuerunt, qualis illa fuit: *Rabbi, quis peccavit, hic aut parentes ejus?* &c. Quæstio gravis & inter Theologos discutienda. Ita Christum super excidio Hierosolimæo, &c. 68. Tandem petiere omnes uno ore: *Domine doce nos orare.* Toties te orantem vidimus, toties ut oraremus hortatus es, voce igitur præi & formulam trade. Hi dinastæ, *Auditores*, nescio quo revelante spiritu orandi & adorandi tradidere formulam insignem. Quid oraturum & adoraturum Deum magis decet quàm supplicem habitum, proinde rectè adoraturi procidentes adoraverunt. Quam orandi methodum utinam practicarent omnes, præsertim quidem commoduli nobiles. Quid intendam reprehendere statim patebit.

Prosecutio.

Apud Assyrios olim & Hebræos, aliasque gentes consuetudinis fuit, ut supplices majorem sui miserationem ad tribunalia excitaturi, in terram sese prosternerent, cinere conspersi, & ad omnium pedes provoluti. Ita humi jacentes & pulvere sordidati supplicarunt Hebræi. 129. Ita & hi Dynastæ, ita & Principes, Reges, Cæsares. Sed nunc adeste modò orbis nostri delicatuli; tres isti purpurati hominem viderunt, Deum quem non viderunt coluerunt, vos pæne contrarium subinde facitis. Quos homines esse scitis fermè ut Deos veneramini, quomodo vos mutuò colitis, & etiamsi subinde morbus ille podagricus pedes vexet, vexantur tamen à vobis pedes, ut non desitis vanis illis mundi cæremoniis. Aliquem ex vobis sistite quas delicias non facit obvio sibi nobili majori, quomodo nictet, nutet, oscula terat manibus ludat, poplites torqueat, sæpe pavimentum genibus passus aliquot percreptet & limbos purpuratum lambet, verenti ore: videte quàm sit vultu & gestu benignus, quoties manum dissuavietur, Domini genibus advolvatur, ne gratia excidat: Nec hæc adeò cum Auctore meo vitupero aut damno, modò quod in stabulo hodie fecere hi Dynastæ, fieret ab unoquoque vestrûm in templis. Sed hîc quid fit Deo modò hoc delicatiori ævo? plerosque hos tales gonogrâ laborare credas, adeò genibus parcunt, poplitem humero allidere, piaculum: genua curvare, nisi illa pulvillus, aut simile quid excipiat, nefas. Hic vestem communiculare timent, & ab humili sese illâ adoratione debitâ quasi excusant, cùm tamen in meretriculæ alicujus obsequium vestes ipsas mero perpluendas tradant. Dicam liberè, non habet Deus modò tales támque pios & edoctos in orandi arte Dynastas, cùm enim Deus adorandus proponitur, cùm fundendæ sunt preces, pæne pudet dicere, &c. 306. O si tales à seipsis in aulis discerent, qui se gererent in templis? Orientales isti Reges si talia non erubuerunt in stabulo, quid facturi fuissent in templo? 306.

Peroratio.

O ergo horum verè sapientum admiranda virtus! O & admiranda vetè adoratio, sed non solâ, dives illa fuit, & in suum Dominum liberalis, ut aliâ concione subsequenti dicemus. Hieronymi ergo monitu obtemperemus: Fixo, inquit, in terram poplite magis quod à Deo poscitur impetratur. Quamvis enim cordis affectus imperet ut exterior corporis gestus sit decens, tamen interior ille per hunc ipsum excitatur, eóque altior erigitur animus, quò majore submissione deprimitur corpus. Æquum igitur est, ut in oratione corpus etiam sui officii meminerit, & quantum poterit ei qui adoratur, reverentiam adhibeat. 129.

ALIA.

THEMA.

Et apertis thesauris obtulerunt ei munera.

Concionis Argumentum.

Non apparebis in conspectu Dei tui vacuus.

Exordium.

IN Evangelico textu, *Audito*, demiror quod alibi in sacris paginis miratus sum cum Simone Cassiano. Miratur ille Evangelistæ scribentis Dei Filii Incarnationem, describendi quasi nimis brevem & compendiosam methodum. Tantummodo enim, inquit, *Et verbum caro factum est.* Alius, *peperit filium suum primogenitum.* Similiter de Christo in crucem acto alius, *& crucifixerunt eum.* Nunquid hæc erant alio magis emphatico sermone describenda? Interim alia minutula, quæque minoris esse momenti videntur, accuratiùs describunt. Quàm accuratè Matthæus describit iter Domini IESV è Bethphage in urbem Hierosolimam, & plura alia minutula, ut & hodierna Christi adoratio à Magis facta. Rationes tradit quidâ

mmatim. Sunt, inquiunt, quàm plurima voluminis divini tam sublimia, ut ea verbis nequeant satis attingi; hinc, inquiunt, Spiritus divinus sæpe factum non facti modum enuntiat. Sed cur hîc, *Auditores*, tam exactam tradit adorationis hujus magorum descriptionem, postquam geniculationem eorum describit, adjungit oblationem, & oblatorum munerum species, habet in se hoc mystica satis arcana. 672.

Prosecutio.

Post delatam reverentiam, post curvata genua, & allegatas preces, hi Principes offerunt munera: ita enim subjungit Evangelista: *Et apertis thesauris*, &c. Non sunt tanti scriptoris inania verba præsertim in re tam seria. Animadverto ad Christum accedentium olim fuisse moris, ut etiam post multa præstita obsequiorum genera, & munera offerrent. Hinc Zachæus, ubi quies fuit data epulis, mensæque remotæ dixit Christo: *Ecce dimidium bonorum meorum pauperibus do, & si quid aliquem defraudavi reddo quadruplum.* Ita & hi Dynastæ muneribus adorationem suam exornant. *Apertis*, inquit, *thesauris*, hoc est, cuncta palam coram Christo expositis, offerunt magis placitura, nempe *aurum, thus, & myrrham*, quibus sub muneribus mysteria latent plurima, quæ tamen hîc evolvere foret superfluum, post tot sacrorum doctorum laudatissimas interpretationes, sed illud hoc loco non involvendum silentio, singuline horum optimatum tria obtulerint munera, an eorum quilibet unum solum? 306. Nunc & nos hos imitemur Magos, & orationes nostras muneribus exornemus, ut verò munera deferamus, aperiendus omnis est thesaurus noster, ut quidquid in illo est, Rex, cui donandum est munus, vel eligat sibi meliora, vel etiam accipiat omnia una cum ipso thesauro. Hominis Christiani thesaurus cor est, quod non votis, non propositis, non suspiriis, ut multi subinde arbitrantur se fecisse Deo, offertur; sed, ut inquit Hipponensis noster præsul: Cor offertur moribus sanctis, cogitationibus, operibus fructuosis. Joannes Zumarraga primus Mexicanæ civitatis Archiepiscopus, &c. 320. & 321. Et cur quæso illud Deo recusaremus infinitis Deo sumus obstricti rationibus, 95. Et quamvis omnes in Arabiâ nati non simus, habemus tamen in ipso cordis thesauro Aroma quovis aromate Arabico melius & dulcius & Deo gratius, nempe gratiarum quædam actio. Sal. &c. Munera insuper numini oblata non pereunt, sed ubere cum fructu ad dantem redeunt. Non dubitem Davidi fuisse armamentarium spoliis hostium variis auctum. 815.

Peroratio.

Thesaurus igitur cordis Deo aperiamus, Deoque nostro hodie munera offeramus; nam etiam ut Dii olim & Deus noster infans muneribus delectatur. Hinc olim primitias decimasque omnium frugum ab omnibus accuratione summâ exegit. 663. Bona autem triplicis usum concessit nobis Deus, animi corporis & facultatum; singuli singulorum partem unam Deo debemus.

ALIA.

THEMA.

Obtulerunt ei aurum, thûs, & myrrham.

Concionis Argumentum.

Deo offerenda munera congruentia, & quæ illa sint.

Exordium.

QVàm, *Auditores*, hæc peridonea fuêre oblata munera, erat salvator infans verus Deus, erat sacerdos summus, erat & justitiæ rex: Deo autem quid congruentius offerre possimus quàm synderisim? quæ nihil aliud est quàm mentis lumen inobliquabile nobis inditum à Deo, per quod mens semper tendit in justum ac rectum, ut Deo juncta permaneat, seu ut planius verbo dicam, intentionem puram. Quemadmodum enim omnia venalia auro maximè appretiari videmus, ita motus intrinsecus animæ rationalis intentio nominatus, totum hominem & ejus opera perficit & metitur. Mathematicis figura rotunda omnium perfectissima est 491. *Tom. I. & lege fol.* 445. Huic verò muneri rectè scilicet oblatæ intentionis addendum aliud est, nempe conscientiæ puritas, quæ per thus designatur. Vidisti unquam, mi Christiane, thus purum igne cremari, fragrans & gratum est illud olfactui, delectat, confortat, lætificat. Vidisti thus impurum è contra ignitis imponi carbonibus, fumus inde egrediens teter est, & quasi piceus, naribus fastidiosus; sic odor bonæ conscientiæ totum hominem lætificat interiùs, exhilarat exteriùs, faciemque venustat. Bernardi verba sunt: *Conscientia bona templum est Salomonis, hortus deliciarum, aula Dei, habitaculum Spiritus S. Liber signatus & clausus, aperiendus in die judicii.* Sed quæ, *Auditores*, inter Salomonis templum & conscientiam æquiparatio. 598. Malæ autem conscientiæ odor contristat, aggravat, & fœdat, iuxta illud Comici:

Nihil est miserius quàm animus hominis conscius. 596.

His demum muneribus myrrha addatur, gratissima est enim Deo ea munerum species, sine quâ reliqua quasi sunt ingrata: myrrha corpus conservat ne vermium fiat domicilium, mortificatio animum ne concupiscentiæ fiat domus. 876. 877. *Tom. I.*

ALIA.

Succincta oblatorum munerum à Magis interpretatiuncula.

THus scientiam, myrrha sui victoriam, Aurum Christianam charitatem adumbrat. Thus eruditioni & scientiæ conferimus: Nascitur enim in inaccessis & altis rupibus. Quid magis arduum quàm solida doctrina, non illa humi serpit, non in imis otii pratis aditur, in alto habitat, spectat sublimia. E thure decimas Deo suo capiebant Sacerdotes Sabæi 308. 309. Myrrhæ verò succus quidquid amaroris habet salubritate compensat. Ulcerosis & tabescentibus membris est ipsa salus. In ipsa etiam cadavera est illi jus summum, ut quæ à putredine servat immunia mirandis viribus. Myrrhæ proprium mederi. Victoria sui myrrha præstantissima. 309. & 834. Aurum olyzum excoctum, Christiana charitas. Quod charitatis pretium confero in verba paucissima. Salomonis oraculum est: *Universa delictà operit charitas.* Nemo autem, quod Chrysostomus dixit, potest amare Deum 309.

Descriptionem Myrrhæ, Auri, Thuris à fol. 306. *usque* 309. *& de stellâ præfectionis istius duce.* 302. *& 303. Consule etiam Tom. I. Themata Moralia.*

IESV CHRISTI RESVRGENTIS SOLENNITAS ET GLORIA.

Concio prima.

THEMA.

Surrexit non est hîc.

Concionis Argumentum.

Si Christus resurrexit, & nos resurgemus.

Exordium.

AQuila cornicum aut psittacorum ipsidiis intercepta pennis se spoliari non vetat, sed occasionem nacta injuriam ulciscitur, & obvium inimicum rostro transfigit. Avis est quam Indi Zebut appellant, hæc & Balænæ os insidet séque grandibus illis faucibus hauriri permittit callido quoque consilio. En, *Audit.* Aquila illa quæ superne sese in has valles ruit, ab Hebræis capta, ligata, laniata, vulsa, trabi affixa, &c. 434. Jam tandem hostem ultum juit, & in mortem telum illud regessit, quod suómet gessit corpore. Revixit servator noster, & capiti nostro vitam spectamus redditam, nobis ut membris speramus reddendam. Sed cùm spes hæc vacillet sæpe, ideo nunc illam confirmatum ibo, & de mortuorum in vitam reditu pauca disseram.

Prosecutio.

Rem magnam adfectas, inquis, & campum ingrederis quem vix pervolet Tertullianus Pegasus. Omnia consentio, & cedo. Sed quis nescit rerum etiam maximarum esse compendia? Reperit & orbis suam Epitomen Romam, Carolo Imperatori annulus fuit, in quo præter indicem, libramenta, rotulas, etiam campanula. Non me, *Auditores*, his artificibus annumero, hoc solùm affirmo, multa dici posse compendio. Generosiorum Leonum exuvias à tineis immunes durare, nec vermium unquam fieri escas, & domicilia naturæ scriptores docent. Quam leonum proprietatem si Salvatori nostro deneges, cur das nomen? Leo ille agnoscitur è stirpe Judâ, qui jam à paucis diebus in prælio satis cruento cecidit, sed ideo ut nos cadentes erigeret. 434. Vt enim vestis aliqua corpúsque madidum in terram vi aut infortunio detrusum non ita seipsum elevat, aut elevatur, quin etiam ex ipsius terræ pulveribus pulveres quosdam sibi adhærentes coëligat. Quàm fuerit madidum hujus nostri generosi leonis corpus, quali fuerit perfusum sudore, testatur hortus ille Gethsemani, quali fuerit perfusus imbre, testatur prætorium Pilati. Quoties in terram detrusum fuerit virgineum illud corpus, fateor non scripsere nobis Evangelistæ: eum tamen sæpius in terram, aut vi detrusum, aut lassum cecidisse quis dubitet? dum etiam alienigenam crucis pondus ferre coëgerint. At nunc prodit, suáque divinâ virtute prodit, & unà adamiticos, nos, inquam, pulverosos simul animat & redivivos facit. Prodit Leo nec quidquam tinearum dentibus in illum juris fuit, integer è marmoreâ tumbâ prodiit, & sacro quasi rugitu orbem hodie à funere revocavit. Mors quidem it per omnes, & vivere non vult, uti rectè Seneca, qui non vult mori. Sed post mortem denuo vita erit & vera vita animabuntur ossa divino flamine & umbræ prodibunt è tumulis. 435. Sed forsitan erit inter Christianos quis etiam senex de horto, Epicurum taxo, qui secum mussitabit: Corpus illud tanta pœnarum ingenia expertum; in quo plura tormenta visa, quàm membra &c. An ædes sic disturbatæ denuo inædificari poterunt? Ne trepida, mi Christiane, Tertullianum adi & audi. 435. Et revera quanta sunt quæ hanc futuram nostram resurrectionem confirmant in orbe, anastasin enim Deus priùs operibus docuit quàm litteris, antè viribus ostendit, quàm verbis. 435.

Epilogus.

Epilogus.

Ergo in causâ tam clarâ nil trepidentes Anastasis, erit omnium mortalium, expergefiemus olim è longo sopore. De tempore nec tango quidem; nemini enim illud notum est, quia nemo fati tabellas legit, sed caput sequentur membra, & decretorio illo die patebunt, cum vilibus tumbis mausolea. Dicta omnia luculentissimè confirmat Paulus cum quo & finio. *Si Christus*, inquit, *non resurrexit, inanis est ergo praedicatio nostra, inanis est & fides vestra*, &c. 436.

ALIA.

THEMA IDEM.

Concionis Argumentum.

Futuram resurrectionem verbis affirmant plurimi, sed factis & vitâ negant.

Exordium.

VEteri fertur proverbio, musica in luctu importuna, narratio res verissima, sed & verissimum quis dicet esse & in musica luctum importunum. Quid dicam, *Auditores*, læta dies hæc est, & victricem manum tuam, ô Domine, laudant omnes pariter, sed an verò mentis gaudio, an forsam veste solùm? compositiores enim jam prodeunt Christiani omnes, & quidquid in arcis illis vestium diutius conclusum fuit, quasi cum Christo è tumulo prodit. Læta, fateor, dies hæc est, sed quæ non pompam vestium solùm requirit, sed & venustiorem, puriorem mentem. Liceat nunc mihi igitur etiam in hac summâ Christi resurgentis gloriâ ingemiscere, & quod sentio liberè profari. Creditis vos omnes resurrecturos in vitam aliam aliquando? dicetis omnes, ut opinor, unâ voce, credimus. Cur ex vobis tamen factis suis hanc futuram resurrectionem plurimi negant? Itane vivitur hoc ævo tanquam alia nobis vita futura superesset? 436.

Prosecutio.

Nemo, qui orbis vivendi methodum illam inspicit curiosiori oculo dixerit fieri posse, nisi mente laboret; sic vivere uti passim vivitur, & aliam dein vitam sperare. In orbe vitium unde mors, non virtus unde vera prodit vita primas tenet. Statua Nabuchodonosoris pæne jam dixeris hominum partem maximam, quod enim promittit subinde pia juventus, succedens adolescentia non persolvit, paulatimque aurum illud innocentiæ vertitur in argentum,, & cum homines sui juris esse incipiunt, malitiam neglectam reddunt cum fœnore, & uno semel commisso peccato, alio sese dein contaminat, tandémque in eodem sunt confirmationes, & ità sensim nequiores evadunt homines. 555. Et omne aurum, argentum perit & desinit in lutum tandem. Verita est libido omnis, & tamen præceptum illud notissimum, *non Mœchaberis*, quoties parvi penditur? 548. An quæso quis Josue in orbe nunc reperire est, de quo scriptura sacra sic inquit: *Sicut præceperat Dominus Mosi servo suo, ita præcepit Moses Josue; & illeuniversa complevit, nec prætermisit de universis mandatis, nec unum quidem verbum, quod jusserat Dominus Mosi.* 548. Ex quâ solâ rectè vivendi methodo vera resurrectio in vitam sperari potest. Hæc ergo verissima sunt. *Qui seminat in carne suâ, de carne & metet corruptionem*? Nihil, inquam, certius, quàm si secundum carnem vixeritis moriemini. *Si* verò cum Christo *commortui sumus & convivemus*: aliter qui futuram credit resurrectionem resurget quidem, sed non immutabitur; aliter qui vivit, fide nunquam prædicatore, resurrectionis opere negat. Dic mihi, Christiane, resurrectionem credis & tamen vindicem animum tuum in proximum non vis continere & frenare, ob illatam injuriam negas veniam, quomodo rectè sinceréque afferis te credere futuram resurrectionem, & tamen sic vivere audes? 282. *Sic que discurre per singula vitia, quæ orbi sunt jam familiaria, ut sunt luxus conviviorum, Choreæ, libidines, Ambitio*, &c. Non sic vivendum, sed ut vixêre quondam qui de secundâ vitâ certi primam illam amittere pro levi habuerunt. 436. At verò qui perituram hanc vitam nimium amat; meliorem, etsi de resurrectione certus sit, tamen ne sperat, transigenda est vita hæc inter timorem & spem. Hinc Job: *Verebar*, inquit, *omnia opera mea*. Spe dein erectus resurrectionis, subjungit: *reposita est hæc spes mea in sinu meo*. Ordo bonus prius vitam suam actúsque omnes ad rectam amussim semper se testatur egisse, ac proinde fundatè sperat. 676.

Epilogus.

Nos igitur, Christiani, qui resurrectionem credimus & speramus, hanc fidem moribus probemus, & verè aliquando in vitam resurgamus. Qualis enim vita, talis mors, qualis mors, talis erit resurrectio. Neque proderit credidisse resurrectionem futuram, eandémque sperare futuram beatam, nam spes illa quæ promissa affectat præmia, & præmittenda detrectat supplicia, vana est. 437. *Vide in Indice Catechistico V. Resurrectio.*

ALIA.

THEMA IDEM si volea

Concionis argumentum.

Non in fermentato, sed in Azymo pane celebrandum Pascha.

Exordium.

EN pastorem interfectum, aviculas dissipatas; en Magistrum crucifixum, & discipulos in latebras coactos, iterum tamen in amplexus mutuos convenire. Perierat Pastor & inventus est, mortuus erat & revivixit. *Itaque epulemur*, inquit Paulus, *non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ*. 439. Lex prisca de pane fermentato &c. Sat diu, ô Christiani, nostra impatientia, fastus, pigritia, invidia, fermenti acorem nostro incoxit pani, nunc Azymos patientiæ exigo hodie à vobis. Epulemur igitur, Pauli voci obtemperemus, sed in Azymis. Quid velim & vero statim.

Prosecutio.

Hic modò non multa, ut mensis, nec menti inferantur fercula, non requiro: ferculorum enim multitudo ut in conviviis sæpe non prosunt, sed obsunt, cum fastidium quasi & nauseam pariant, ita ut convivæ jam dubius reddatur nec resolvere possit quas manu contingere velit patinas. 613. Sed ferculi genus unum exigo, ut epulemur tantò lautiùs, nempe panem Azymum. Varii vario modo hos Paschatis solemne, quod & fuit majoribus in veteri testamento festum, peregerunt. Hebræus rex Josias quod Regum fasti produnt tale celebravit Pascha, cui simile nunquam fuisse historicus sacer textus commemorat: *Præcepit omni populo*, inquit, *facite Phase Domino Deo vestro*, & subjugit, *nec enim factum est Phase tale à diebus Iudicum*, &c. Ævo Ezechiæ regis laudatissimi & filii Israël fecerunt solemnitatem Azymorum, sed parum hoc, dum grandiora præstitit Josias. Rex enim *Iosias dedit omni populo qui ibi inventus fuerat in solemnitate Phase, agnos & hœdos de gregibus*, &c. Magna certè solemnitas & lætitia; at Christiani, uberior nobis est seges lætitiæ, divinus enim Pater unicam nobis oviculam dedit, quæ ad occisionem ducta obmutuit, *& non aperuit os suum*; & alia longè jam dignior est oblatio hodierna, cum hoc enim agnello unico non centum millia taurorum, non ovium decies centena millia, vel minimum comparanda. In hac ergo generis solemnitate nostrum Phase, Phase à Josiâ celebratum non superat, & tamen vereor adhuc & in hac lege gratiæ hanc nos debere dare Josiæ laudem, quam illi dedit S. Scriptura ante adventum Christi. Quid ergo Josias, hic egit? quo in genere solemnisationis festi hujus nos superat? Accuratissimè observandum est quod Regum Chronicon apponit. *Cúmque hæc*, inquit, *fuissent ritè celebrata, egressus est omnis Israël, qui inventus fuerat in urbibus Iudæ, & fregerunt simulachra*, &c. Hoc nempe est pascha veraciter celebrare, simulachra nostra frangenda sunt: sterili enim cultu celebramus Pascha; nisi hæc vitiorum excelsa evertamus funditus. 439.

ALIA.

Triplex mystica revivisentis Christi gloria.

ANte annos circiter octoginta Francofurti foras prodeambulabant animi causâ, & ut lætior iret hic dies geminos falcones emiserunt in auras prædatum. 441. Sanguinariâ sententiâ in Christum prolatâ robusti duo falcones, mors & diabolus, subvolaverunt ad diripiendam prædam, sed uterque hostis turpissimè victus est. Hoc ajo mundum Christus crucifixus, & diabolum & mortem debellavit. De quâ illustrissimâ triplici victoriâ nunc differendum. *Lege à fol.* 441. *usque* 444.

ALIA.

QVÆSTIO MORALIS.

Plurimi resurgunt, sed remanent vincti.

ÆGypti prorex Josephus iconicum Christi simulacrum tam in aliis quàm etiam in ipso. Ab herâ Joseph ne malâ vi teneretur pallium reliquit, ita S. Pagina: *relicto in manu ejus pallio fugit & egressus est foras*. In quæ verba ita *Eusebius Emissenus*: Joseph detinetur à muliere, Christus à morte; Joseph pallio relicto aufugit, Christus linteamina in sepulchro reliquit. Non ita Lazarus prodiens è sepulchro cum sudario: nec istud mysterio vacat, ut brevibus ostendo. Si quando classicus remex exeat sibi aliquid de foro præstinaturus compedum aut catenæ partem pede trahit. Quòd certè argumento est, eum à scalmo & transtris non esse liberum. Ita velit nolit, ad trahendum remum ipsi est redeundum. Ita & Lazarus è tumulo prodit, sed secum institas, sudarium, lodicem mortualem trahit, ut ipse aliique omnes norint adhuc eum spectare ad mortui maris remum: Non ita Christus, ut patet ex applausu Pauli: *Scientes quod Christus resurgens ex mortuis*, &c. 444.

ALIA.

Cum Lazaro multi, pauci cum Christo resurgunt.

QVanta sit dissimilitudo inter Lazari revocationē ad vitam aliorúmque, & inter hodiernam Christi resurrectionem. Quivis enim qui revocantur ad vitam & miraculosè ex mortuis, cum quibus jam eos mortis decretum computarat refuscitantur, remanent tamen ipsius mortis

læda, in Que nam rursus moriendum est. At verò Christus ex mortuis hodie resurgens resurexit non moriturus amplius, ita Paulus ad Rom. c. 6. & hæc talis resurrectio perfectissima est, revocari enim ad vitam, ut Lazarus, quid aliud est quàm bis mori? attamen ô cæcitatem! cum nostrâ quasi sit potestate aut resurgere, cum Christo, aut resuscitari cum Lazaro. Malunt plerique resuscitari quàm resurgere. Dicta explico: Icon resurrectionis & resuscitationis est ipsa peccatoris conversio, utraque enim illa non nisi superna divina fieri potest manu; ut enim ille claves mortis habet ita & gratiæ. Theologiæ & Concilii Tridentini scita sunt: Sine gratiæ justificantis dono neminem à peccato posse resurgere, gratiam primam neminem mereri: Sicut enim eqcaem in altiorem fossam præceps datus emoliri suum lapsum non potest, nisi valide juvetur, ope destitutus, periret. Ita Peccator 526. *Longè*, Auditores, *à peccatoribus salus*, Deus autem licet paucos jam mortuos revocet ad vitam corporalem, plurimos tamen excitare non desinit ad spiritalem, ovémque errantem vi quasi occultâ quadam retinuit & reduxit ad gregem justorum; tripliciter autem Deus trahere dicitur, civiliter, moraliter, & naturaliter. *fol.* 111. Et quamvis trahentis tam benefici numinis impulsu, & voci obtemperemus, & quasi ex sepulchro mortis nostræ resurgamus, vel afflicti vel calamitatibus vel conscientiæ remorsu; attamen non ut Christus, sed ut Lazarus resurgimus, & sudarium ex sepulchro conferimus. Quàm hoc nimis est verum, dum scilicet eadem passim peccandi amamus occasiones.

ALIA.

THEMA.

Scio enim quòd Iesvm, qui crucifixus est, quæritis.

QVÆSTIO MORALIS.

Multi quidem currunt, sed non omnes comprehendunt.

CRediderim, *Auditores*, omnes vos hisce paschalibus quæsituros Jesvm, sic enim jubet Mater Ecclesia, ut ad minimum semel in anno sacram quisque sumat synaxin. Utinam de corde non ficto omnes eum quæratis, non dubito, uti is sese spectandum exhibuit Mariæ Magdalenæ & aliis, sic & sese vobis conspicuum reddet: est enim Deus ille munificus: & quem visitat dummodo eum dispositum invenit, indotatum neminem relinquit. Quæstio verò hic una, hoc Paschali tempore non importunè, sed opportunè à Parochis tractanda: Utrum si aliquis jam quæreret Christum, quod fit communicando, si & contingeret eum idque ex ignorantiâ, sacramentum sumere cum peccato mortali, peccaret mortaliter, sicque Christum quamvis quæreret, certè non inveniret? Non enim in eadem sede bene morantur Deus & peccatum. Hinc peccatum, cum Deum abigat dicitur rectè infiniti boni privativè. 526. Nec fortasse quempiam vestrûm hic scrupulus angat aut ne peccetis breviter respondeo: Ignorantiæ hujus causa duplex esse potest. *Prima* negligentia, quia scilicet homo vel negligit audire sæpiùs, cùm tamen possit, Doctoris aut Concionatoris verbum; unde, & per quos illuminari possit, de malis commissis, & de bonis omissis, vel quia negligit quærere recta consilia, & confessorem peritum, qui eum & eruditat & examinet de prædictis, vel quia quis negligit examinare conscientiam suam sæpius, quod certè faciendum esse docent SS. Patres 21. *& vide verb.* Conscientia *in Tomo primo*. sed impræparatè, intricatè, atque quadam inani levitate & pernitiosa tarditate hoc in fine Quadragesimæ eligit semel facere, quod faciendum est quotidie; sicque cum rarò satis aliquando hunc salutarem conscientiæ librum legerit, ignorat vel omnia peccata vel peccatorum circumstantias, aut speciem immutantes, aut in eadem specie reatum augentes, & consequenter non plenè confitetur, idque ex culpâ suâ. Utinam hoc dogma caperent illi annuales pœnitentes, tantummodo hoc Paschali tempore non ex purâ forsan devotione, sed ex debito & præcepto Christum quærentes, proindéque rarò invenientes. Plurimi enim horum pœnitentium ignorantiâ laborant aut crassâ aut affectatâ. *Secunda* si quis ignorat culpam; nam fieri potest, ut quis rectè satis & sedulò examinatâ conscientiâ, & quæsito satis prudenti confessario, & postquam quantum valuit doluerit de commissis, tamen quandoque remaneat in eo mortalis culpa, cujus omnino non recordatur, vel fortè non plenè contritus est, quæ talis sufficientia excusabilis est, cùm homo de communi lege scire non possit, utrum odio vel amore dignus sit. Si igitur posteriori modo accedat ad communionem, & Christum requirat, non accedit culpabiliter, & Christum invenier. Ordo autem requiro à vobis, vos annuales Pœnitentes ut Christum videre mentis oculo possitis, quæ hic subjungo in gratiam enim Parochorum & vestrûm hæc recito scilicet:

Diligens conscientiæ examinatio, peccatorum contritio, eorum vera confessio, omnis immunditiæ extirpatio, omnis negligentiæ executio, discreta præmeditatio, devota & humilis oratio, charitativa fervensque devotio, quæ omnia, ut patet ex Indice rerum & Catechistico singula singulis suis locis explicat.

Alia vide documenta his assignatis foliis, Christus revivisens variè se suis spectandum præbuit. Vide fol. 438. *Quid insuper mysterii contineat Christo moriente aperta fuisse monumenta fol.* 444. *Num Christus omnium primus ad vitam redierit* 438. *& quo tempore resurrexerit.* 437. *Quomodo in rerum naturis mysterium Resurrectionis depingatur.* 440. *Quomodo spes Resurrectionis solatio sit omnibus hic afflictis.* 444.

SOLENNIS CHRISTI IESV in Cælum ascendentis gloria.

THEMA.

Et Dominus quidem Iesvs postquam locutus est eis, assumptus est in Cælum.

Concionis Argumentum.

Benedictionis usus & ritus commendatur, & describitur Christi ascendentis gloria.

Exordium.

SVum in cælum reditum ab anastasi suâ distulit Salvator ipsos quadraginta dies, quo temporis spatio Christus suorum fidem firmare ac stabilire instituit. Ita testatur D. Leo 447. Dein discipulos Dominicæ resurrectionis fide confirmatos, ad eam ipsam fidem aliis explicandam animans: *euntes enim*, inquit, *in mundum universum prædicate Evangelium omni creaturæ.* Ad quod & docendi munus eruditos ascensionis suæ hodiernæ testes eos adhibere voluit, *Eduxit autem eos foras in Bethaniam.* Non uno, ut quidam volunt, agmine incedentes, sed diversis viis manipulatim exeuntes; quamvis alii aliter sentiant. Quos verò eduxit creduntur fuisse 500. Pervenit verò ubi ad montem Oliveti, cacumen hujus montis ascendit, & inde cœlum conscendit. Quæ porrò inter Christum & Christi matrem & discipulos colloquiorum suavitas fuerit lege 448. Ego modò dicturus sum usum, principaliorem, quare Christus in hac triumphi glorâ, ut Evangelista scribit, cœlum conscenderit, & de usu benedictionis.

Prosecutio.

Hebræus Hercules Samson ingressus Gazam urbem mox Philistæis insidiis cinctus est, at ille, quod Judicum annales memorant, dormivit usque medium noctis, &c. ita & Sampson noster Herculésque gratiæ ultra noctis dormivit medium, tandem æternitatis complexus est portas, jam olim ab ipsâ justitiæ conclusas, & libertatis nostræ sese fecit vindicem; myrrham cum aromatibus messuit moriendo, favum cum felle comedit resurgendo, vinum cum lacte bibit ascendendo. 446. Sed quàm gloriosè quàm triumphanter: *Elevatis*, inquit Lucas, *manibus benedixit eis, & benedicendo recessit ab eis.* Adsint huic & ad hæc animum reflectant qui aut benedictionis vel parentum, vel Sacerdotum in Ecclesiâ fieri solitas, aut omnino contemnunt, vel parvi æstimant. *Benedixit*, inquit Evangelista, sed benedictionis genus non exprimit. Formam verò benedictionis aliqui opinantur fuisse istam: *Pater sancte serva eos in nomine tuo, quos dedisti mihi.* Alii verò istam: *Benedicat vobis Dominus*, &c. Quidquid de eâ re sit, cùm nihil certi habeamus latiùs discurro; sufficit me probasse Benedictionis usum olim fuisse & SS. Patribus familiarem, & Christo hodie, sic Isaac benedixit Jacob, Jacob Nepotibus, *& singulis suis filiis benedictionibus propriis.* Ita Moyses & Aaron sacrificio perfecto benedixerunt populo. Ita, inquam, Christus 448. Dein non subitò raptus ut Elias & Enoch, non furtim sublatus est in altum, sed videntibus illis, & quod triumphum auget, non dubitant plurimi quin Prisci Patres subterraneo lymbi carcere soluti, quique cum Christo è tumulis prodiere, cum eodem immortale corpus induti ascenderint. Nec etiam vocatur in dubium, quin Christo reseratum cœlum sit adeunti, tota cœlestis aula, omnes omnino Angeli in occursum venerint. Sed, *Auditores*, magna sunt hæc, sed quid hæc prosunt nobis? Variæ à quibusdam assignantur causæ, quare Christus in hac triumphi formâ in cœlum redierit. 448. Quibus omnibus compendio libatis hanc arbitror potissimam, ut vel doceret, quanti promeriti sit humilitas, vel ut ad heroicas omnes virtutes exercendas nos animaret, dum tale iis posse promereri nos præmium docet. *Vado* enim, inquit, *parare vobis locum. Et si abiero*, &c. 449. ascendit igitur, ut iter ante nos panderet; per ascensionem enim Domini non solum cœli cives facti sumus, sed etiam cœli adyta penetravimus in Christo. Christi igitur ascensio nostra est gloria, nam *ubi fuerit corpus, illuc congregabuntur & Aquilæ.* 449.

Epilogus.

Ergo animos sursum vocatos hodie à Christo terrena non deprimant, ad æterna jam electos peritura non avocent, viam veritatis ingressos illecebræ nullæ retardent, &c. 449.

Qui plura velit legat à fol. 445. *usque* 453.

ALIA.

THEMA.

Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terrâ.

Concionis Argumentum.

Quindecim prærogativæ Iesu Christi.

Exordium.

OMnis potestas eáque integerrima non restrictè aut parcè præfinita, sed absolutissima & perfectissima, quam naturâ & æternùm habuit ut

ut Deus, dono accepit, ut homo, quâ quidem potestatis auctoritate ac imperio non in corpora tantùm, sed & in animos etiam, & spiritus dominatur. Huic potestati rectiùs explicandæ prærogativas Domini Jesv decoráque quindecim divinissima alto pectore consideranda. Explico & subjungo.

Prosecutio.

Quàm veraciter Christus, inquit, *Data est mihi potestas*. In primis enim Christus est naturalis Dei filius, non extraneus, non adoptivus, ita Paulus. Mirificè dein conceptus, natus, & adoratus. Ob unionem naturæ divinæ cum humanâ omnem divinitatis gratiam sibi naturalem & congenitam habet. Scientiam habet infusam, ita ut actu unico intuitivè, uti Theologorum scholæ loquuntur, & quidditativè per proprias species intelligat omnia præterita, præsentia, futura tam naturalia quàm supernaturalia, meréque possibilia. Voluntatem habet ab omni nubeculâ peccatiimmunissimam, summis virtutibus decoratam, quæ peccare non possit. Solus ille obsequia digna Deo præstitit. Actiones ejus & opera tanti valoris ac pretii sunt, ut hic ipse homo possit contrahere ex justitiâ cum Deo. Insuperabilia superavit, mundum, mortem, diabolum. Caput est omnium hominum & Angelorum, Sacerdos & auctor Sacramentorum, Conditor Ecclesiæ, Princeps, Gubernator totius orbis, instrumentali potentiâ præditus, Idiomatum divinorum particeps. Ejus humanitas adoranda latriæ cultu, quo scilicet Deus afficitur. Objectum denique beatitudinis secundarium est, &, mi Christiane, talem audes offendere Deum? Scitote illum rediturum aliquando hac eâdem formâ, his decoris adornatum; quibus ad immutabilem statum & æternitatis consortium ascendit. 450. at quando, nescimus; at nunc ille modò uniuscujusque vitam numerat, appendit, dividit, &c. sciviſſe hæc omnia & non feciſſe, mille sunt plumbi centumpondia. 580.

ALIA.

THEMA.

Et nubes susceþit eum ab oculis eorum.

Concionis Argumentum.

Interpositio nubis peccati, obstaculum gratiæ divinæ.

Exordium.

VArii variè de hac nube scribunt. Quidam volunt eam fuisse veluti sellam curulem, quam obviam misit Pater filio. Quare eam doctissimus Abulensis sedis adinstar & throni fuisse opinatur. Hæc nubes eximii splendoris indubiè fuit, eo fine submissa, ut ascendentis majestatem suo fulgore vel muta promulgaret, & de spectantium oculis illum amœnissimum solem subduceret. De nube hac differit Chrysostomus [illegible]. Sensim ergo Christus ascendit eò, quò poterant Apostolorum oculi pertingere, dein illum nubes spectatoribus subduxit. Mox instar fulguris Christus dote agilitatis in empyreum sese cælum libravit, ubi supremus cæli terræque Dominus, possessionem omnium nostrûm accepit: ut quod Paulus dixit, *impleret omnia*. At modò quàm diversas ab hac fulgentissimâ cælesti nube nunc è terrâ emittuntur & conflantur nubes, illæ cælestis nubes tantùm corporalem Christi præsentiam in ipsorum Apostolorum utilitatem abstulit, at nubes quas nos conflamus, & ex nobis emittimus auferunt Christi gratiam.

Prosecutio.

Hîc nunc opportunum erit ex S. P. Augustino quærere. Quid est peccatum? rem enim istam suis momentis ponderavit Augustinus: *Quæsivi*, inquit, *quid esset iniquitas, & non inveni substantiam, sed à summâ substantiâ à Deo detortam in infimam voluntatis perversitatem*. Quid igitur est peccatum aut peccare? 124. sed his relictis definitionibus & descriptionibus peccati, audiamus Isaiam vatem Hebræum cassæ orationis cum jam Israëlis scelcribus impingentem. Querebantur Israëlitæ Deum quasi jam factum surdum, nulla enim cælum jam deplueret, & demittebat ad quasvis etiam fucas orationes donaria aut auxilia, quibus idipsum demirantibus vates ait: *Peccata vestra absconderunt faciem ejus à vobis ne exaudiret*. Clarius Hieremias, qui peccata nubis adinstar describit crassissimæ: opposuerunt *nubem, ne transeat*, inquit, *oratio*. Peccatum enim talis nubes est, quæ non solùm à nobis aufert Dei præsentiam, ut hodierna, sed & omnem, quam solet impertiri gratiam. Quàm rectè Vnda nubes crassæ, nũquid ex vliginosâ & palustri terrâ? 94. Nec ex aliâ proveniunt terrâ peccata, nec alibi quàm in palustri corde generantur, attendite quomodo eæ nubes generentur; fit nonnunquam cùm in semet descendit quispiam & instituendæ confessioni conscientiam rimatur, ut copiosos serpentum nidos reperiat, miretúrque, unde tantus lacertulorum exercitus? Ne mireris, mi homo, causam rei facilè pandam: Generandis serpentibus, & malis humoribus crassis nubibus aptus est locus humidus & neglectus. En duplex causa unde mali & venenati humores, Humor loci & negligentia eorum, qui curare deberent fol. 2. si igitur illa in conscientiâ remaneant nubem opponunt cordi, ne particeps gratiæ divinæ fiat: at quantum sit malum gratiæ divinæ carentia, ut subtracto quis dicat? 807. Illa dum caret cordis nostri terra salutari pluviâ nunquam nisi noverit cadere, ruere de peccato in peccatum, ut patet in Saul: dein in ima tandem tendere, nec unquam novit cælum meditari, multò minus conscendere. 807. *De gratia subsistentiæ lege* 856.

Epilogus.

Has ergo nubes festinà dissipet pœnitentia; illa enim adinstar humoris hysopici purgat & eluit. 351.

INDEX SECVNDVS.

THEMATA MORALIA

IN SOLENNIORA DEIPARÆ VIRGINIS MARIÆ FESTA.

In Festo Immaculatæ Conceptionis.

THEMA.

Tota pulchra es.

Morale.

Bona est aqua & pluvia sed mixta quandoque etiam lutum generant.

Exordium.

SAcræ pagina, *Auditores*, ut virtuti & virtutibus quondam deditis nunquam subtrahit laudem aut præmium, sic sanctorum Patriarcharum & Prophetarum suorum, si quas iis gratia divina dedit virtutum excellentias, aut prærogativas, semper stylo suo laudatorio prosequitur. Magnæ autem censet esse laudis, ac proinde non subticendum aliquo vel in loco, aliquâve in urbe, seu consortio multorum pravorum, etiam virtutis se fidelem exhibere cultorem: sic in ipso orbis principio, quo seculo primo *omnis caro corruperat viam suam*, Noëmum extollit & laudat, eò quòd ille tempore illo peccaminoso, quo mundus plenus erat fœtentibus illis hircis, justus remanserit solus. Certè non raræ laudis est inter improbos probè vivere, sese immaculatum ab eorum fœcibus servare. Ea laus debetur & Josepho in Ægypto, Job in terrâ Hus, Loth inter Sodomæos & Gomorrhæos, inter septuaginta duos senatores Josepho ab Arimatheâ, qui omnes in Christi caput pronuntiarant *reus est mortis*. 603 Fateor tales omnes laude dignos, Sed ô Virgo! dum calamus jam noster in tuas excurrit (quas nunquam ad ultimam metam percurret) laudes, quâ laude digna es? Tu Virgo non inter solos primi seculi homines, non in Ægypto sola, &c. sed sola (quâ & in prærogativâ nullam habuit creaturam præcedentem, aut subsequentem sibi similem) ex totâ illâ massâ infectâ adamitico originali pulvere pura & pulchra desumpta es. Hodie igitur, ô Adamatica stirps de radice tam infectâ flos egressus est sine spinis.

Prosecutio.

Ex quo terra illa originalis primorum parentum mixturam illam passa est, quivis Adamum subsequentes posteri (utpote cum ex lumbis ejus omnis formetur posteritas) prodeunt in orbem ut fures solent inusti stigmate infami, ex ipso theatri supplicio, utque triremi remiges suis compedibus onusti: stigma enim adamiticum omnibus hominibus generale est, quantumvis è bonis & justis parentibus prodeunt. Quis negat terram hanc bonam? quis aquæ virtutem non colat? attamen hæc duo si permisceantur non semper geminas, sed quandoque & lutum efficiunt. Boni fuere Abraham & Sara, & tamen ex utriusque copulâ prodiit Isaacus, sed immundus. Similiter tales erant Isaacus & Rebecca, & ex his Jacob, sed lutosus. Probi erant Jacob casta Rachel & ex his gignitur Joseph, sed & immundus. Sæpe vos, Christiani, forsitan scrupulosos eos judicatis qui mutuos aliquando diversi sexus & quidem leves reprehendimus contactus. Audite quid dicam, nolite mirari castis & hoc dari monitum, & frequenter recte occini, nec obstant quòd ambo probi, pii, imò castitatis voto obstricti sint. Bona est pluvia, terra bona est, & tamen in eorum commixtione fit lutum. Vaferrimus certè sensuum omnium tactus est. 355. Tom. 1. In generationibus humanis, ergo ut ad laudes Virginis nostræ veniamus, quorum meminit Evangelium sic semper accidit

MANET IN BIBLIOTHECA PRAEFECTI

cta, solam enim inter hos omnes generationes humanas immaculatam recto. Bonus fuit Joachimus, bona Anna, ô rarum privilegium! & dum junguntur, quod omnibus negatur, fructus ab iis procedit immaculatus; flos de radice earum ascendit, & qualis, *Auditores*, rosa certè sed sine spinis, nullâ criminali sed virginali suffusa pudore cujus rosæ conceptio immaculata facta est anno ab orbe condito 4037. à conditâ urbe Româ anno 736. die 8. Decembris, sed cur rosam magis nominem Mariam V. cùm ipsa scriptura floris non exprimat genus? quis requirat? Non malè quidam Rosam pulcherrimam florum nominant antiquo ut fertur proverbio. Quas enim non raras inter flores odores habet, odore, colore, gustu pollet, & eminet; unicâ tantum affecta conditione, in quâ non Virgini non assimilatur, in eâ nempe quâ est spinosa. Ceterum quidquid laudis de Rosa dixeris Virgini applicaveris eminentius, *lege* 758. Tom. 1. fuit enim castissima Deo gratissima, &c. *Vide libel. Rosarum.*

Epilogus.

Sed forsitan curiosior aliquis ceteris à me requirat antequam finio, num scilicet fomes ille per hoc justitiæ originalis donum, planè fuerit in Virgine extinctus? plurimi enim censent Virginem hoc dono in conceptione ditatam. Cui petitioni subjungo breviter. Ex D. Tho. 1. p. q. 27. art. 1. Justitiæ originalis tres fuere effectus, ut per eam ratio Deo subderetur, rationi verò vires inferiores, & corpus animæ: Virgini verò datum fuit originalis justitiæ donum, non ex vi quidem suæ originis, sed singulari ex privilegio, quoad principuos & quasi effectus formales ejus, qui sunt subdere rationem Deo, & potentias subdere superiores rationi, atque ita per hoc donum fomes exinctus est. Quid pluribus? Flos florum omnium Sanctorum regina Deo gratissima. Illam fidenter, ut quondam plurimi imperatores adeamus ea, nunquam enim frustra aditur. *Exempl. vide in Indice Catechist. Tom. 1.*

ALIA.

THEMA IDEM.

Morale.

In eodem simul non considunt Throno Deus & Diabolus.

Duodecimo Apocalypsis factum est prælium magnum in cælo: Hoc ipsum aliqui notant fuisse prælium, quod olim in cælo empyreo initum est Lucifero devicto. Alii verò de furore in Antichristum ab Ecclesiâ volunt intelligi prælio. Quidquid de eâ re sit dicendum disputationi relinquo, *Auditores*, & subjungo immaculatam quod probet D. V. Conceptionem, si tot tantæque inter Angelicarum legionum agmina contentiones extitere, ut ne Satanas momento quidem temporis suæ sedis fastigium super astra poneret. Quis rectè crediderit Deum ipsum (sine cujus, jam alligatus, licentiâ nil potest Satanas) hinc infernali & capitali suo hosti permisisse, ut vel momento quidem temporis throno illi virgineo, cui ipse novem mensibus erat insessurus, insideret. Nequaquam quis vestrûm sentiat, *Auditores*, ab initio enim mundi acerrimum semper cum peccato gessit bellum. 181. Tom. 1. Cujus & hoc manifesti in peccatum odii signum satis est evidens; quòd ob unicum illud commissum hominem æterno afficiat supplicio. Horrendum est quod in detestationem peccati Ludovicus Blosius pronuntiat. 185. Tom. 1. Et ut totum dicam, Sanctissimæ feminæ Birgittæ patefactum est ab ipsis dæmonibus vociferantibus quantæ sit virulentiæ & malitiæ noxa unica lethalis: Si, inquiunt dæmones infernales, res illa quam præ omnibus diligis, quæ est Virgo, quæ te genuit, & quæ nunquam peccavit, si illa peccasset mortaliter & sine contritione divinâ mortua fuisset, sic diligis justitiam Deus, anima ejus nunquam obtineret cœlum, sed esset nobiscum in inferno. Nimium obstupescenda res. 185. *Tom.* 1. Cujus verò generis peccatum fuerit originale quis non novit? Si igitur aliquando D. V. fuisset hoc originali infecta peccato, potitus fuisset victoria Dæmon, sedisset enim aliquando eodem in throno cum Deo. *Vide etiam fol.* 670. Tom. 2. Vellem, *Auditores*, ut ex nunc quoque cùm Virginis vultis & optatis esse cultores, cùm subinde, quod fit in sacrâ Synaxi, cor vestrum sit Thronus Dei, eodem etiam animo quo Deus & Virgo in peccatum fugere & vos estis. Unumquemque nostrûm Siracides monet pulchrè, quo monito & finio: *Miserere*, inquit, *animæ tuæ placens Deo, & contine & congrega cor tuum. Contine*, quanta scilicet vi potes, & à noxiis abstrahe. *Congrega*, ad salubria teipsum compelle. Thesauriza tibi fundamentum bonum in futurum, *apprehende vitam æternam*. Quod ut faciatis, &c.

Mariam esse cœlum & Thronum Dei vide pulchrè fol. 759. & 760. *Tom.* 1.

ALIA.

Morale.

Cum instat periculum contagionis peccati orandum.

Varii varia temporum assignant discrimina; quibus hominem orationi deditum volunt, omissis aliis, maximè nos orare debere volunt, cùm periculum instat peccandi. Theologi enim passim tradunt non in periculo solùm corporis, sed animi ac salutis, idque tantò magis orandum 113. Quid enim prodest homini centum annis vivere, & universum mundum lucrari, animæ verò detrimentum pati? 114. Quid est quod quidam mirentur nos dicere Virginem Mariam sine peccato Originali conceptam, cùm hujus Theologici præcepti quasi fuerit observantissima, & eodem, quo Virgo cæpit momento vivere, cæpit & orare. Intra enim Matris viscera, teste Chrysostomo, non tantùm rationem, sed & donum habuit orationis. Contestatur idem Bernardinus Senensis dilucidè. Quod attentè consideranti non solùm certum faciet Virginem Deiparam sine peccato mortali conceptam (utpote cùm & filia insuper Orationis fuit) sed & in vivis nunquam peccasse, quod enim donum habuit nascendo, non interrupit moriendo. 785. Tom. 1.

S. Epiphanius Hæresi 79. contra Collyridianos agens de Conceptione Deiparæ ab Angelo parentibus prænuntiata citat Historiam Mariæ & traditiones, & infert Virginem per preces secundum promissionem Patri & Matri factam datam esse orbi.

ALIA.

Morale.

Natura sibi constans sola, sibi similes, sed conjuncta, gratiæ dissimiles producit effectus.

Duo sunt causarum genera philosophica, aliquæ causæ similes semper sibi producunt effectus; sic ignis ignem, homo hominem, brutum brutum generat, aliquæ effectus producunt eminentiores & operationes sibi dissimiles; sic lux calorem, sol aurum & argentum gignit. Tales etiam nominare possumus causas naturam solam, & gratiam & naturam simul junctâ: illa producit, dum sibi soli constat, sibi similes effectus: sic homines peccato infecti passim peccatores gignunt. At gratia ubi sese jungit naturæ jam natura sibi dissimilem producit omnino operationem. Gratia enim naturæ juncta produxit Virginem non jam homini adamitico, sed magis Deo similem. Nihil enim unquam in orbe Deo similius fuit quam Dei Mater. Filii vox fuit & doctrina: *Discite à me quia mitis sum, & humilis corde*. Eadem fuit & Matris Doctrina. *Sic discurre per singulas D. V. virtutes & lege à fol.* 765. *usque* 767. *Tom.* 1.

ALIA.

THEMA.

Una est columba mea.

Morale.

In Hæreticos & quosvis Immaculatæ Conceptionis impugnatores.

Pro coronide Immaculatæ Conceptionis tuæ (ô Virgo!) ego minimus defensor & cultor in hac ipsâ eadem solemnitate, quæ tempore re qua omnia subsequentia per anni circulum festos superat dies tibi dicatos, (Quamvis & Tui assiduus cultor Damascenus Orat. 3. de tuâ gloriosâ *Nativit.* eandem vocet anteambulonem & Mysteriorum Christi præludium quod is quidam dixit, & plures alii cum eo, quia tunc per universam Ecclesiam hæc nondum instituta erat solemnitas) hanc parvam & brevem ad quosvis hujus Virgineæ prærogativæ humiles cultores monitionem & discursum repono. Job, *Auditores*, cui non est cognita fortuna misera, quam in se expertus quasi maligniorem ceteris exclamavit, pereat dies in quâ natus sum, & nox in quâ dictum est conceptus est homo: sed ad rem facit quod inter cetera quævis obviantia infortunia contigit, semper enim ex servis unus evasit, qui mala nuntiaret. Armenta cùm cepissent latrones & mactassent custodes, facti narrationem retulit unus. E cœlo descenderat ignis & oves earúmque pastores absumpsit, adfuit rursum nuntius vnus qui evaserat. Abstulerat Chaldæi camelos, & eorum qui curam habebant occiderunt; ventus vehemens irruerat à regione deserti & dejecit domum, oppressitque filios & filias Jobi, & ecce semper portitor adfuit novorum, qui ex his omnibus semper solus evaserat. Sed tandem Satanas Jobum tot jam vulneribus corpore & animo saucium ad novam lamienam expetivit, & ad linguæ gladium damnavit; uxor enim cognatique omnes, hoc eum gladio petivere, sed notandum est hic non Scripturam subjungere ut aliis subjunxit infortuniis. 756. *Tom.* 1. adfuisse portitorem nuntium, qui diceret hoc illi tandem malum obventurum, adderetque & evasi ego solus: ab hoc enim linguæ flagello nemo liber est, nec quidem quamvis variis dotata à Filio sit prærogativis ipsa Dei Mater, quæ non effutiunt hoc seculo Hæretici in hanc Deiparam. Quantos non habet hostes hoc unicum Immaculatæ conceptionis tuæ festum. Sed ut vulnera Mater accipit, sæpe etiam & vulnera rependit. Qui in altum enim mittit lapidem super caput ejus cadet. Guilielmus Baldesanus fideli narratione tradit, &c. 607. Tom. 1.

Immaculatæ Deiparæ Conceptionis figuræ.

Cant. 4. Virgo paradisus dicitur cælestis Adæ secundo præparatus, sed ut Damascenus inquit, *Ser. 1. de Assumptio*, non patuit serpenti in eo aditus, patuisset verò serpenti, si unquam contraxisset originale peccatum. Unde *Hortus* dicitur rectè *conclusus* à S. Script. *Gen.* 3. Dei promisso

Virgo

Virgo erat conteritura caput serpentis; Caput verò serpentis dicitur originale peccatum: est enim origo & radix aliorum. Non contrivisset ergo caput serpenti, si eo aliquando infecta fuisset. Hujus figura fuit contritionis Iudith. Eodem Dei promisso constat inimicitias posuisse Deum inter diabolum & mulierem. Quod si ergo virgo brevi etiam aliquo momento contraxisset peccatum originale, aliquando verum fuisset dicere, sese vel amicam diabolo vel etiam subditam aliquando fuisse, quod piæ aures perhorrescunt hujus perpetuæ Deiparæ cum tartareo serpente figura fuit thronus Salomonis eburneus. 3. *Reg.* 10. Ebur enim est os Elephantis inimici perpetui serpentis.

Lege plura in Rosis Selectis Marianis sparsim. Dicta verò in hoc festo Conceptionis accommodare facilè etiam poteris Sanctissimæ & purissimæ ejus Nativitati. Nata verò est anno proximo Conceptionis die 8. Septemb.

Devotissima Virginis Mariæ Præsentatio in templo facta die 21. Novemb. cùm duos annos ac totidem menses & dies vitæ tredecim complesset.

THEMA.

In viis justitiæ ambulo.

Morale.

Non multa velle videre nec audire est piè velle vivere.

Exordium.

VErissima devotio est prompta & sedula devotio in Deum, quovis modo colendi, cùm enim animus suavissimâ familiaritate se Deo conjungit, eam induit sollicitudinem ut ad omnia quæ divini honoris sunt promptissimus fiat; singularis etiam talis fuit virgini voluntas, priusquam nata, hinc etiamnum trimula in templum à parentibus deducta, Deóque velut res sua tradita est. Hic beatissima illa virguncula tanquam in remoto inter virgines diu noctúque Deo servit. 779, Tom. 1.

Prosecutio.

Quàm rectè, ô Christiani, spiritus hic sancti Thronus Virgo futura aliquando Deipara, etiam trimula Mundi fugit cænum, confugitque ad ipsam Spirit. S. Metropolim, seséque dedit solitudini sacræ, & in templo ad locum illum sese recipit destinatum religionis causâ mulieribus, nullis enim loquitur ille spiritus, nisi solitariis ad eos ad quam proinde solitudinem Arsenius vitæ suæ navigium velut è mari ad portum appulit. 768. *Tom. 1.* Pleni timarum sumus omnes ac fenestrarum, quas vel optimè claudit solitudo, vel hostem excludit. Quare Justinus Martyr liberè pronuntiat: *Qui vult feliciter vivere, studeat nec videre multa, nec audire.* Sed cùm Virginis festum colamus, eúmque diem quâ virginibus omnibus virginitatis servandæ optimam præbet methodum, ad vos virgines flecto sermonem. Fateor, nemo in maris fluctibus sibi audet polliceri securitatem, magna enim nimis marinorum fluctuum est inconstantia, qui vel etiam minimo ventorum flatu concutimur. Nemo certè in mundi quasi foro inter turbas & negotiosos tumultus sese credat securum; imò sic Martham agere præterquam quod Virgines dedeceat & castitati sit inimica, frequens turbæ præsentia vix ea vita dicenda est. Quod Similii Epitaphium testetur. 769. *Tom. 1.* Quid mundus est mundari cænum. Quisquis certè præsentem mundi statum, vel etiam quis vestrum pressis considerat oculis facilè percipiet, quid in hac fallaci thecâ recondatur. 491. Quare virguncula hęc tempestivè sese ex hac mundi turbâ subduxit, Noëtica certè columba. Nostis Noëticam illam columbam, cùm cerneret aquis extantia loca ubique madida, lutosa, lubrica, ad arcam, exosa has sordes, rediisse: Ita vos Virgines verè si velitis hujus esse virgineæ columbæ imitatrices, sic Martham dum necessitas requirit agite, ut statim in solitas vestras ædes vos sponsus animarum vestrarum videat. Turbas enim ille non amat. 491. Unde Rex sapiens David, quamvis jam fateretur sese ab omni viâ malâ prohibuisse pedes suos, insuper & volatus appetit, ut sic per cœnum nunquam trahat pedes. Difficile enim ut multæ virgines experimento, sed eheu forsitan tristi didicerunt, hanc mundi molam ingredi, & non aspergi nocivo illius fuligine. 491.

ALIA.

THEMA IDEM.

Morale.

Non mali Tragœdi sed viri pii soli canere possunt.

SUnt forsitan, qui potiùs mirentur hanc Virginis continuatam ad annos undecim solitudinem, quàm asserant, eam imitabilem à virginibus, scilicet *Similio* multæ hoc seculo reperiuntur Virgines, quæ in fluctus medios eunt audacter, tanquam catafractæ, & à quovis telorum ictu liberæ & terræ tumultuosam probantes vitam, quotidie cum occupationibus suis luctantur, & vix unquam sibi, rarissimè Deo vivunt: has nunquam suo replet gaudio spiritus ille divinus. Sed dixerit fortassis aliqua: Quomodo hæc solitudo continuata non pareret aliquando fastidium? verum est & pervulgatus error; multi & multæ sicut mali Tragœdi soli canere non possunt, sic nec illi & illæ secum deambulare. Sed en artem, ô Virgines, ut in solitudine nunquam solæ sitis. 769. *Tom. 1.* Nunquam iis temporibus quibus in templo degit sola nostra virguncula fuit, socias enim habuit sibi familiarissimas, Orationem, Meditationem, & contemplationem, ut testatur Albertus Magnus quæ sociæ omne laboris & temporis tædium sublevant. 785. *Tom. 1.* Et ut quondam rei illi in fornacem juvenes missi Babylonicam quartum sibi conscivere, Orando & laudando Deum, comitem; ita & hæ comites virgunculam nostram trimulam reddidit familiarissimam. 785. *Tom. 1.* Porrò discrimen ingens est inter hos comites Orationem, meditationem, & contemplationem. 785. *Tom. 1.* Ne verò vestrûm aliqui aut aliquæ solitudini nondum assuetæ eam se posse colere desperent, sciote sicut & vitia & virtutes quævis & solitudinem gradus habere. Ideo solitudini paulatim assuescendum. 770. *Tom. 1.*

ALIA.

THEMA.

Eruditis interfum cogitationibus.

Morale.

Solitudinis quamodo tollatur tædium.

SOlitudinem mirificè recreat liber cœli aspectus, stellarum etiam sub adultam noctem consideratio; cùm quis ipse sibi dicit: Hæc erit, mi anima, aliquando domus tua, si eâ te dignum gesseris inquilinum. Ita varii solitarii viri practicarunt alleviandæ solitudinis tædio: res enim omnes creatæ sunt ad instar Organi, Thuribuli, speculi, libri, &c. 562.

SANCTISSIMÆ VIRGINIS DEIPARÆ cum Ioſepho Deſponſatio caſta.

THEMA.

Cùm esset desponsata Mater Iesv, Maria, Ioseph.

Morale.

Si vis nubere, nube pari.

Exordium.

AD nubilem ubi Virgo devenit ætatem, anno scilicet decimo quarto ætatis inchoato, circa diem festum Enceniorum mense Decembri à Sacerdotibus est desponsata, sed modo quàm admirabili; cùm enim ea sese sponte suâ obtulisset Deo, virginitatémque suam consecrasset, quare & cum SS. PP. *divinum Donarium* appellant, Sacerdotes communicato eâ inter se de re consilio Domini voluntatem consulentes virgæ divinitus florentis & columbæ, ut ait Hieronymus, in ejus fastigio considentis judicio Josepho spectato & notæ probitatis viro, ex eâdem tribu Judâ eam desponderunt. Ita Germanus in oratione de oblatione Deiparæ: O Nobile connubium! Quis, *bone Lector*, importunè me facere arbitrabitur, si hujus conjugii vel potiùs horum Conjugum laudes his Marianis concionibus interseram?

Prosecutio.

Si hæc tria in matrimonio observata matrimonium exornent, amor, fides, & proles; si lex Matrimonii illa sit beata & melior, si vis nubere, nube pari, &c. Non habuit orbis nobilius par conjugium & conjugium. Qui fuerit in virgine amor erga maritum Ioseph, quæ fides vel ex eo constat, quòd enim velut familiæ caput juverit, & omni reverentiâ persecuta sit. 896. Tom. 1, Christo filio post mœstissimum triduum invento, poterat mater dicere: *Ego & pater tuus*, &c. non ita dixit, quod S. P. N. Augustinus accuratè observat, sed ordinem verborum invertens, *Pater tuus*, inquit, *& ego*. 790. Tom. 1. Nec à conjuge hac tam reverenti & humili dissimilis fuit maritus. Vterum gestabat Domini Mater æterna Virgo, Ioseph quid igitur, an forsitan temerario judicio eam flagellat, qualiter hoc ævo multi solent? Non solùm conjugi conjugem, sed passim se mutuo homines? Si quis paulò lautiore vestitu incedat, &c. 488. Tom. 1. Veraciter S. P. N. Augustinus. *In homine carnali tota regula intelligendi est consuetudo cernendi.* Hinc quàm sæpe pacifica turbantur matrimonia, cujus rei exemplum *leges fol.* 774. Non ita Ioseph homo utpote non carnalis, quia conjugem suam Angelo similiorem noverat quàm homini, in eam sententiam adduci non potuit, ut ab eâ quidquam contra conjugii fas actum crederet. 487. *Tom.* 1. Vnde & Angelo huic Servatoris nutritio ter sese ad minimum spectandos exhibuerunt, & rectè; ut enim illi Virgini sese obsequiosos semper præbuerunt, ita & præbere voluerunt conjugi Ioseph. Huic enim viro longè fidelissimo 283. Sed pergamus & paritatem affectuum animi hujus matrimonii discutiamus. Varia exhibuit Deipara circa Christum natum obsequia, quæ fando satis vix quis explicet. Sed & vide actiones Ioseph circa Christum natum, dixerat Ioseph Angelus, &c. 283.

& 283. Gravisa fuit Mater, ob prolem natam. Illam scilicet, quæ summè hoc matrimonium exornant & breviter. 282. Sed & hoc gaudium Iosepho non defuit. 284. *& lege* 811. & 836.

Epilogus.

Si igitur matrimonium quis vult inire pacificum, si quis, inquam, vestrum velit nubere, pari nubat; & conjuges quique obsequiis, ut hoc par conjugum, præveniant; ita rixæ, aliis in matrimoniis jam fatis familiares, è domo tuâ commigrabunt.

SOLENNIS ANNVNTIATIONIS DEIPARÆ FESTIVITAS

THEMA.

Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco.

Morale.

Omnia fuæt posibilia credenti.

Exordium.

EOdem igitur anno decimo quarto currente die 25. Martii æternum Dei filium de Spiritu Sancto concepit. De alto enim SS. Trinitas legationem ad Virginem misit excellentissimam, quam obivit Archangelus Gabriel, quem Irenæus lib. 4. contra hæreses cap. 25. vocat Archangelum *Demiurgi*, hoc est omnium Opificis, qui & de sublimissimâ Hierarchiâ duabus eminente & sublimiori hujus Hierarchiæ choro & sui chori spiritus eminentissimus. Sic enim decebat, brevi ut ratione in concionis nostræ exordio demonstro, ut nempe ruinæ hominis instauratio corresponderet. Quis enim ruinæ humani generis dedit initium? Fuit proculdubio omnium dæmonum pessimus. Præterea quantò opus est factu difficilius, tantò copiosiora & graviora testimonia ad ejus persuadendam possibilitatem, oportet adhiberi. Hodiernæ namque legationis opus omnem excedit creaturæ virtutem, estque creditu longè facilius mundum esse creatum, quàm creatorem mundi fieri creaturam. Debuit igitur sublimissimæ creaturæ testimonio adstrui. Adjice, quod si gratiam examinemus, nulla unquam gratia major apparuit quàm Deum in utero feminæ hominem fieri. Maximæ verò gratiæ nuntius quis esse posset accommodatior quàm gratissimus. Nulla autem tunc Deo erat creatura gratior, quàm Angelorum hic sui chori eminentissimus. Adde media tantò extremis oportet esse viciniora, quantò illa ab invicem magis distant: Deus & homo extrema, legatione jungenda maximè distant. 291. Nihil verò secundum naturam est Deo propius quius Angelo optimo, qui Christo Domino erat propinquior, nox ut dius secundum gratiam. Excellentissimæ quoque charitatis erat hoc opus. Supremus autem tertiæ Hierarchiæ Angelorum Chorus charitate à Dionysio Areopagitâ præpollere monstratur. Cùm verò hujus legationis effectus à charitate esset, ergo ejus nuntium decuit esse Angelum tertiæ Hierarchiæ omnibus sui chori spiritibus eminentem, ut sic summum charitatis effectum charissima Deo creatura nunciaret. Plures alias rationes omitto, & in laudes D. Virginis hodiernâ die electæ in Dei Matrem excurro. Quæ enim illa, hanc dum excepit legationem, virtutum non orbi dedit specimina? Eluxit namque hodie Virginis fides, cura castitatis, verecundia. *De singulis singulum formo discursum.*

Prosecutio.

Hodiernâ certè legatione suam ultimam perfectionem mundus accepit, quoniam Architectus mundi Dei filius, Patris æterni sapientiæ speculum & imago, suo extremo operi se conjunxit. Nam ut circulus tunc incipit esse perfectus, quando lineæ, quâ concluditur, initium jungitur extremo; ita creaturarum species & varietas impermutabilis, ac certus ordo, quo omnia creata connectuntur & revolvuntur (ut suam aliquam ultimam perfectionem assequeretur) erat certè consentaneum primum increatum principium ultimæ creaturæ sociari. Dei igitur sapientia quæ obliquari non potest, atque cui nihil decidere, nihil adjici possibile est, quæ sibiipsi est rectitudo perennis. Verbum suum quod erat in principio principium, per quod facta sunt omnia, homini, qui teste Mose, omnibus jam creatis ultimus formatus est, per hodiernam legationem sociavit, atque conjunxit, effecitque, ut idem Deus ipse qui esset æternus certo tempore de Virginis utero nasceretur, Deus simul & homo, fieretque principium, finis. Mira, *Auditio*. hæc patravit legatio. Deus factus homo, homini intimè conjunctus, & virgo virginitate illæsâ & illibatâ fit & eligitur Mater Dei. Quam Maternitatis gloriam & dignitatem assecutam quidam asserunt, ob fidem illam, quâ credidit quasi contra spem in spem Angeli verbis juxta illud: *Beata quæ credidisti quoniam perficientur* &c. Nec malè; totius enim nostræ salutis fundamentum fides est, estque summè necessaria. Principio quidem ob immensam, &c. 770. Tom. 1. Quò verò non pertigit ipsa virginis ratio, pertigit ipsa fides? Gedeon & Zacharias ut firmius crederent illustria petiere signa, Virgo nihil horum: credidit tamen altissima mysteria. 770. Tom. 1. Verbo dixero: Beata ô Virgo quæ credidisti quoniam perficientur ea quæ dicta sunt tibi à Domino. Oris divini filii tui dictum est: *Omnia sunt possibilia credenti, si habueritis fidem &c. dicetis monti huic tollere & jacta te in mare, fiet.* Nunquid veritatem experta est Virgo dicti filii, cùm enim ad Angeli postulata responderet submississimè; *Ecce Ancilla*, &c. Mox è cœlo mons montium, mons infinitæ magnitudinis in ditissimum mare, in beatissimæ, inquam, Virginis uterum se dimisit. Hoc opus grande Virginis fides plurimùm juvit. 771. Tom. 1.

Epilogus.

Cum S. P. N. Augustino finio, qui horum extremorum conjunctionem & hominis & Dei, & maternitatis & virginitatis, omnémque virginis beatitatem, fidei Virginis adscribit: Sacratissima Virgo, inquit, beatior fuit per fidem perfectam concipiendo Deum, &c. 770. *Tom.* 1.

ALIA.

THEMA.

Spiritus Sanctus superveniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi.

Morale.

Quæ casta, Deo & superis grata.

Exordium idem præmittatur.

Prosecutio.

MVltum tribuunt alii virginis Sanctissimæ castitati, quæ grata Deo est. Quanti autem virginitatem & castitatem fecerit patet expluribus: Inter quæ illud est præcipuum, quod Theologus Hispanus publicis scriptis Theologiæ decretum his omnino verbis explicat: Beatissima Virgo quæ à suæ immaculatissimâ conceptione usum rationis ad spiritualia habuit, non solum propositum virginitatis, nec solum votum ante filii conceptionem & ante matrimonium, sed etiam in ipso conceptionis instanti, & in utero Matris existens virginitatem suam voto explicito & absoluto consecravit Deo. Ita Jacobus Christo-politanus. *Vide fol.* 787. *&* 788. *& sequentibus Tom.* 1. *& erit tibi formandæ integræ concionis abundans materia.*

ALIA.

THEMA.

Quæ cùm audisset turbata est in sermone ejus.

Morale.

Vera verecundia suas exhorret laudes.

ALii in hac excellentissimâ legatione Virginis notant & docent verecundiam, quo in genere omnes omnino homines & Angelos hæc una virgo superavit, loquebatur, inquit Nicephorus, sine audaciâ, sine risu, sine perturbatione, fastus omnis expers, simplex, & humilitatem præcellentem colens. Ferunt Aristotelis filiam interrogatam, quis ei color in vestem maximè placeret, respondisse: vultus purpuram, quam spectanti exhibemus cùm erubescimus. 886. *Tom.* 1. Verecundiæ autem proprium est, proprias vitare laudes, cujus illustrissima certè dedit in hac legatione exempla Domini Mater *Tom.* 1. 886. *lege omnia à fol.* 885. *usque* 889.

ALIA.

MAnifestissima hæc Deipara semper dedit humilitatis argumenta quæ numero septem offerre possum. *Vide à fol.* 896. *usque* 900. *Tom. primo.*

FESTVM VISITATIONIS DEIPARÆ

THEMA.

Abiit in montana cum festinatione.

Morale

Non bene fit quidquid negligenter fit.

GRavida verò facta de Spiritu Sancto mox ad Elizabetham cognatam visens tribus mensibus apud eandem commorata est, perrexit igitur in Judææ Montana in urbem Hebron, quæ uti Brocardo placet, qui eam viam peregrinando mensus, triginta duabus leucis cum dimidiâ distabat Nazaretho. Quod iter describit Lucas his verbis: *Exurgens*, inquit, *Maria abiit in Montana cum festinatione, &c.* Certè, *Auditores*, quis virginis hujus omnia aliquando semel enarraverit ornamenta gratiarum? Socrates cum per omnem vitam rerum scientiæ incubuisset, se hoc unum professus est, nihil scire. Plato ad particularia descendentibus describenda silentium indixit, quia de illis quid certum afferri possit, credidit ignorari, Aristoteles rerum ultimas differentias nobis monstravit ignotas, & ad sublimiora naturæ mysteria indaganda nos quasi talpas & noctuas æstimavit. Quid si hanc Virginem novissent, in qua & per quæ tot admiranda orbis vidit, quid dicturi fuissent? certè dicebat Isaaci futura sponsa, confisa de aquarum putei abundantiâ tam audacter quàm charitativè: Bibe, & camelis tuis potum tribuam. Ita etiam, *Auditores*, cujus sexui statui instruendis, una sufficit Virginis Deiparæ vita. En quæ rursum hic sese produnt virtutes, Diligentia, fuga Otii, Charitas proximi, Peregrinatio devota,

devota, rursum ergo calamo novum subministrat Evangelista scribendi encomium.

Prosecutio.

Hoc iter ergo è Nazareth in Hebron civitatem, ubi Zacharias habitabat, virgo cælestis alacritate mirâ obiit, siquidem cum festinatione abiit in montana, moras in viâ trahere, notos salutare superfluum cēsebat, festinabat. Quid ad hoc vos virgines, quas morbus loquendi tenet, qui morbus certè vobis periculosissimus est: *Os enim lubricum operatur ruinas, & qui inconsideratus est*, inquit Salomon, *sentiet mala. Lege à fol. 650. usque 653. Tom. 1.* Quàm facilè plurimæ, ubi ædibus suis extulerunt pedem, seriùs fiunt reduces. Dicam verbo: Diligentia plurimis laborum nostrorum deest, negotiamur, agimus, laboramus sed frequenter parum accuratè, ac diligenter; cùm tamen una in rebus diligentia, omnes actiones mirificè commendat, verissimè enim dicitur: Homo diligens & accuratus duos meretur panes, cùm alius deses & marcidus vix dimidium. Considerate, mihi obsecro, veterum pictorum quàm accurata, quàm artificio plena &c. 832. *Tom. 1.* Quod si pictorum quis nunc ita non pingat, executionis forsitan rectè id afferet: Si quid exactius fiat, sunt qui mirentur & laudent, qui verò dignum arti præmium rependat nemo hominum. Quàm hæc vera dicantur non disputem. Hoc asserò: Inter nos & Deum locum non habere, Deus enim operum nostrorum æstimator non solùm est, sed & præmiator. Rectè Thomas à Kempis religiosus ille scriptor: *Multum facit, qui rem benè facit: sine sollicitudine & diligentiâ nunquam acquires virtutes: Homo fervidus & diligens ad omnia est paratus.* Festinat igitur Virgo, rectè, cùm in omnibus sectanda & observanda sit diligentia. 833. *& sequentibus Tom. 1.*

ALIA.

THEMA IDEM.

Morale.

Virgini castæ aut orandum aut laborandum.

Quorsum ad Elizabethę virgo ita festinanter properat domum? Quid ibidem actura? Vultis tribus id verbis edisseram: ut in re domesticâ, cùm jam partui esset vicina cognata ejus, præesset. Poterátne seduliorem & observantiorem hæc Elizabeth ullibi terrarum sibi conquisivisse adjutricem? Audite Ambrosii encomium breve, sed substantiale satis virginis: *Parca erat ad loquendum, studiosa ad legendum, intenta ad operandum.* Si tales, *Auditores*, omnes ancillantes in domibus vestris feminæ essent, quantum vobis & domesticæ rei accresceret? Taciturnitatem ejus jam notam, ut ita loquar, arbitror lippis & tonsoribus: Quòd si enim sermones & dicta hujus numeremus eâ ratione, quâ Christi effata in cruce, septem omnino verba tam filii quàm matris inveniemus. *Primum* à Matre editum verbum charitatis fuit, hodie nempe salutando Elizabeth. *Alterum*, Gratiarum actionis, &c. 768. *Tom. 1.* Scrutare voculas omnes quisquis voles, imò syllabas, quas Virgo beatissima enuntiabat, nihil in eis inane aut vacuum, sterile nihil invenies. Exactissimam tam loquendi quàm tacendi normam videbis. Quàm verò lectioni dedita fuerit annotato, *Cedreno teste*, litteras Hebræas etiamnum superstite Ioachimo patre didicit, linguæ scilicet sacræ mysteria, & illius quam nos veneramur notitiam. Contestantur idipsum plurimi alii SS. PP. Ambrosius, S. P. Augustinus, Ildefonsus, & Andreas Cretensis. Nemo divinam hanc virginem otiosam, aut feriantem unquam fuisse somniet; nam à nonâ diei horâ ad primam facem quotidie libros lectitavit. 828. & 829. *Tom. 1.* Ubi verò ab eâ cessandum erat, intentissima erat operi. Hic quisquam forsitan petierit, quam artem professa fuit virgo? respondeo: *Quæsivit lanam & linum, & operata est consilio manuum suarum.* Hinc constans scriptorum assertio est, inconsutilem Christi togam, quam milites sub cruce scindere verebantur, hujus virginis artificiosa manu elaboratam. Accipe igitur brevem ejus vivendi methodum 782. *Tom. 1.* Et rectè, nam otiosa virgo virginitatem venalem habet: Crederis hoc virgines? sunt enim otium & vitia cognata.

Quàm platanus vivis gaudet, quàm populus undâ,
Et quàm limosâ canna palustris humo,
Tam Venus otia amat. fol. 323. Tom. 1.

ALIA.

THEMA IDEM.

Morale.

Ignis & Amor celari non possunt.

Elizabethæ ergo præfuit domo accuratissimè Virgo, ut enim statim atque lignum siccum concipit ignem, conceptum ignem erumpens flamma prodit. Ita & Virgo illa tam Deo gravida quo ferebatur in proximum amore, celare non potuit: abiit ergo statim ad Elizabetham cognatam anum se longè inferiorem, eidémque trimestri toto famulari non est dedignata. Hodie certè *Virgo panem otiosa non comedit*, fecit quod erga Dominas facere solent ancillæ. Quæ charitas eam è cubiculo in montes, in vias asperas, in ædes alienas traxit. Plurimæ hodiernæ virgines, & puellæ priscorum statuis non sunt dissimiles, quæ sine brachiis & manibus formabantur. Non certè talis fuit virgo, nec charitas, sed amor ejus fuit *verax, efficax, rectus, Sanctus.* Utinam & nos ita proximum amaremus, *lege à fol. 758. usque 764. Tom. 1. & lege Tom. eodem 896.*

Peregrinationum suscipiendarum ratio à D. Virgine tradita fuit olim, fol. 778. Tomo primo.

HVMILIS DEIPARÆ VIRGINIS PVRIFICATIO.

THEMA.

Tulerunt Iesvm in Hierusalem ut sisterent eum Domino sicut scriptum est in lege Domini.

Morale.

Vera est sanctitas perfecta legis observantia.

Exordium.

Anno igitur ætatis suæ decimo quinto inchoato, Bethlemi Christum Domini orbis servatorem peperit, die 25. Decembris à quo partu die Quadragesimo, secundo Februarii Virgo Beatissima Hierosolymis lustranda filium obtulit in templo. *Postquam*, nempe, *impleti sunt dies purgationis ejus secundum legem Mosi*, ut inquit Evangelista. Sed, & Evangelista, ad quid Mariam purgari oportuit? Nùnquid enim illa est hortus conclusus, & fons existens signatus, omnem munditiam proferens, quæque perpetuâ puritate scatere non desiit. Purgari solent sordida, purgantur immunda. Sordidari potest corpus, sordidari potest & anima; sed in hac virgine nihil de labe peccati, nihil de corporis sensu, nihil de membrorum, aliis quod solet in puerperis, intercessit debilitate. Cur, quæso, ergo illa purgatur? Rationem dat Evangelista, *secundum*, inquit, *legem Mosi.* Sicut enim, *Auditores*, sine viro concepit pro legis observantiâ, & suspicionis occasione penitus auferendâ, juxta legem nupsit viro, sicut & filius non pro culpâ ejus tollendâ, aut promerendâ sibi gratiâ circumcisus est, sed ut legem impleret: sic & hæc Mater, & tamen Virgo semper purissima, hodie purgata est, non immunditiæ deponendæ gratiâ, sed secundùm legem Mosi, id est, ùt legis se observatricem demonstraret. Ad nostram igitur doctrinam sapientissimus Deus sponsam suam, quantumlibet immaculatam, dies quadraginta legis purgationis explevit. Sed quænam hinc eruenda doctrina, videamus. Adeste, legis qui estis tam faciles transgressores, vel etiam qui notis tituli, excusationibus, à quovis legis jugo vosipsos excutitis, subintrate scholam Virginis, de his acturi latius, &c.

Prosecutio.

En regalibus induta Esther vestimentis sese sistit in atrio domus regiæ, placet ut iratum regem non verbis tantùm, sed insolito grato tamen cælestibus civibus sacrificio; sed quænam, quæso, hujus Estheris regalia hæc fuêre indumenta. Multa de reginarum vestibus veterum tradunt historiæ: Catharinæ Lusitanorum reginæ soccorum & crepidarum nomine quadringenti aurei pensitabantur, quocirca Franciscus Xaverius tam salsè quàm pie scripsit. 316. Persarum Reginæ Parysatidi regio tota in cingulum fuit attributa. Nam Persidis Reginis, &c. 316. Hæc fuerint regalia illa ornamenta, quibus Esther illa olim ad Assuerum processit eum placatura; non tales fuerunt Estheris hujus gratiæ, aditura hodie templum, atrium supremi Dei suo singulari sacrificio eundem placatura, non habuit beatissima Virgo complures vestiarias arcas, ut plures assolent hodie, magno pauperum præjudicio. 194. Tom. 2. & 865. Tom. 1. Sed ut quidam scribunt Epamenódæ Thebano Principi unica fuit vestis, quæ si fuisset reficienda, domi se continere debuit. O immutatum sed in deterius seculum! Ita Virgini Virginisque unius generis coloris, ut multi putant nativi, fuere vestes. 865. Tom. 1. Sed ut aliâ amicitur corpus veste, aliâ verò longè mens aditura & conventura Deum; ita hodie Virgo vestem assumpsit certè regalem, quæ fuit humilis observantia legum, quâ certè qui veste caret nudus est, pauperrimus est, cælo excludendus est. Sæpius se à lege Mosaicâ observandâ poterat excusare. Vicina partui & Imperatore Augusto Idololatrâ demandante Orbem censeri integrum, quantæ & certè non conflictæ, sed justæ rectè Virgini erant excusationes, quâ se à lege hac exceptam probaret? Quæsierit quis ab eâ: Quid agis Maria, teipsam & infantem periculo exponis? non aliud obtinebit responsum, quàm ita Imperatore jubet. 890. Quæsierit quis vestrûm ab eâ hodie: cum lege purificationis Virgo nullatenus sis comprehensa, utpote cujus puerperium purissimum fuit ac divinissimum, te tamen inter puerperas immundas & à pontifice lustrandas collocas? Pro Virgine respondet Bernardus: Sicut Virginis filius sine ullo vulneris vestigio alligaturam non refugit vulneris? Circumcisionem nimirum, peccati remedium verecundum pariter & austerum; ita & Virgo legem hanc puerperarum à quâ erat libera servare voluit; ut pia etiam opera quæ dicuntur supererogationis nobis commendaret. Quid ais Bernarde, Opera ut supererogatoria commendaret? vix adigi possunt homines hac ætate seculi, ut ea servent, quæ necessariò servanda sunt. Quantæ non passim à lege ab hominibus Christianis tamen proferuntur excusationes. *Lege à fol. 641. usque 644. Tom. 1.* Imò ut jam vix in orbe verè & rectè legi divinæ obedientes inveniantur: Nam hoc verè obedire est, imperium nempe remotis excusationibus toto amplexu recipere. Recepit hoc

modo

modo beatissima Virgo hac indutâ veste, placuit Deo Patri, eundémque placavit. *lege etiam quæ habentur Tom. 2 fol. 470.*

ALIA.

THEMA IDEM.

Morale.

Obedientia, melior quàm victimæ.

Exordium.

HOdiernam, *Auditores*, Virginis puerperæ purissimæ legum observantiam, humilémque obedientiam, ceteras hodie subticens ejus virtutes (nam virgo tota castitas est, tota humilitas est, tota paupertas est, huic rectè de eâ Spiritus S. *Proverb.* 31. 29. *Multæ filiæ congregaverunt divitias, tu supergressa es universas*) summè veneror & miror, ac proinde de hac nobilissimâ virtute obedientiâ pauca dicturus sum.

Prosecutio.

Hodiernâ die requiro, *Auditores*, à vobis veràne est illa laus obedientiæ, quam Hebræus vates quondam promulgavit in castris? O Saul, Saul, *Melior est obedientia quàm victima, & auscultare magis quàm offerre adipem arietum.* Ipsam quam hodiernâ die colimus solemnitatem rectè asserimus Binomiam factam esse; dicitur enim *Purificatio*, quoniam sancta & immaculata Mariæ Virginitas pro suæ fœcunditatis fructu legem purgationis sive purificationis implevit. Dicitur & *Præsentatio* quoniam puer JESVS quadragesimum diem agens nostræ mortalitatis ad legis observantiam in templo est præsentatus, sicque qui legem solvere non venerat, sed adimplere, duas leges olim à Deo traditas & à Mose promulgatas, alteram in sua Matre, alteram in seipso compleviſſe, solemni lætitiâ recolit hodierna Mater Ecclesia. Mirabilis obedientia, sed & admiranda victimæ oblatæ par turturum, aut duos pullos columbarum, & ipse Salvator mundi. Nam qui per Magorum adorationem ac cælorum obsequia verus Deus, per circumcisionem autem verus homo promulgatus est, in hac solemnitate Deum verum esse, verúmque & hominem confirmatur. Victima insignis, quâ orbis nunquam obtulit excellentiorem. Sed nunc igitur ad quæstionem. Ex his victimis quæ fuit Deo gratior? an non liceret dicere & resolvere, grata fuit Mater, gratior Filius, sed gratissima Deo Patri utriusque obedientia. Quid dicam, plurimas Deo offerimus victimas, & hanc unam rarissimè victimamus. Pauci sunt modò in orbe Abrahami, hâc in re paucos habet imitatores, immolatores Mater & Filius, & tamen tam vera & artificiosa est hæc virtus, quòd paucæ victimæ possunt, imò nullæ. Ut plumbi vilitatem, &c. 890. *Tom. 1.*

Epilogus.

Grata Deo igitur castitas, grata abstinentia, &c. sed gratissima obedientia. Hinc ut Turcarum Principes legibus suis subscribunt, aut obediendum aut moriendum. Hoc & ipsum legibus suis quasi subscripsisse videtur Deus: Adamo enim in Paradiso constituto, quid aliud dixit, quàm ô Adam aut obediendum aut moriendum, aut hujus arboris fructum non gusta, aut mortem tolera. Quod S. P. N. Augustinus oculis, ô Christiani, *Auditores*, subjicit, quibus & verbis Sanctissimi Patris finio: Rebelli & ingementi & voluntati recusanti, aliquando parere, rationi, frequenter occine, aut obediendum aut moriendum.

ALIA.

THEMA IDEM.

Morale.

Legis veteris obedientiæ exemplar fuit Abraham, gratiæ verò Deipara Virgo Maria.

ABrahami jactat obedientiam & laudat posteritas ejus Judaica, quæ certè reverà, singula si inspiciantur, magna fuit: si enim Abrahamus aliquando alium in pariete pictum Abrahamum filii cervicibus imminentem vidisset, rem utique laude dignissimam fecisset, prompte ita obediendo. At nullo Abrahamus simili exemplo impellebatur, primus erat, quem imperium tam rigidum premebat. Non uno vulnere, paternũ pectus sauciabatur, &c. 892. Tom. 1. Deus summe, quàm masculæ hæc virtus! Sed jactet illa Judaica posteritas, & quidem rectè, hanc Abrahami obedientiam; habet ipsa posteritas Christiana longè aliud promptioris obedientiæ & resignationis exemplum, & quidem à sexu illo virili multo inferiore perpetratum. Dum nempe pro salute omnium hodie Deo Patri obtulit Filium, aliquando postea re ipsâ à Judæis mactandum, nec inaudiens hæc ipsa verba: *& tuam ipsius animam pertransibit gladius*, tergiversata fuit. Quare consensu omnium Patrem liberè proferimus præstantius & excellentius in lege gratiæ non tantùm, sed nec in lege veteri posse assignari obedientiæ exemplum. Obedientia enim Virginis obedientiam Abrahami & omnium Religiosorum superavit. *Lege à fol. 890. usque 896. Tom. 1. & varias poteris de Obedientiâ formare conciones.*

ALIA.

THEMA IDEM.

Morale.

Charissimum quisque, suo offerat Deo, filium.

NVllus vestrûm, *Auditores*, filium habet quem hodiernâ etiam die unà cum Virgine Matiâ Deo offerat? sed volo ut ea in oblatione legis Mosaicæ respiciatis tenorem, filium aut filiam mihi facilè dabitis, altero aut duobus pedibus claudum. Si quos habetis Miphiboseth offeretis prompto animo, ut sæpe & eosdem sepulchro vix natos destinatis, cæcos, luscos, surdos, gibbosos, sed ii vetabantur sacrificare & sacrificari olim. Quæro vestrum primogenitum, quæro unicum, quæro charissimum hæredem tuum, ut is ereptus mundo à te, Deo lubens obsequio divino dicetur. Sed quid, *Auditores*, hîc timeo, ne surdo narrem fabulam, dum primogenitus petitur à Deo, statim redemptionis lex allegatur. Masculinus autem hominis primogenitus olim redimebatur quinque siclis, at nunc offerendam Deo prolem non redimere solum paratissimi sunt homines quinque siclis, sed suo & filii proprio salutis incommodo. Ut Patriam deserat, & cælum & animum sic muret, Deo jamer parte dicatum, hortantur, blanditias mundi offerunt, ut iisdem tandem inescatus, Dei & propositi sancti obliviscatur. Videte Parentes quid agatis, sæpius enim filii vestri qui gloria familiæ tuæ, & corona benedictionis fuissent, Deo si fuissent dicati: familiarum vestrarum sunt destructores infames. Horrendum est quod refero: In celeberrimâ civitate Lubecensi, &c. 370. & 371. Tom. 1. attamen hæc etsi, & forsitan his majora indies videant parentes in filiis, minus quàm talpæ videntes, cùm primùm filios nostros arctioris vitæ disciplinam in aliquâ religiosâ professione suscipere velle cognoscunt, illos totis viribus retrahere student; quos si revocare non possunt, quasi mortuos lugent amarissimè. O perditissimum ingratitudinis genus! Deus Pater primogenitum suum misit in terram, Mater quem de solo suo sanguine genuit & jam per quadraginta dies sola lactavit, præsertat in templo, prompta dulcissimum filium in manibus relinquere Sacerdotum, Scribarum, & Pharisæorum, à quibus planè noverat eum durissimâ morte necandum. Resipiscite miseri & cæci mortales, ne de Filio Deo dicato sitis solliciti, sed cum eo & pattem offerte substantiæ par turturum, aut duos pullos columbarum, &c. Sed ne putetis me jam solis conjugibus loqui, ad vos ô Virgines utriusque sexus flectit oratio, filios enim & vos habetis & filias, sed sæpe lusceas, & claudas tantum Deo offertis, tollendæ sunt in holocaustum filiæ illæ, quas amatis, videmini vobis quandoque, &c. 834.

SOLEMNE FESTVM ASSVMPT. DEIPARÆ.

THEMA.

Maria optimam partem elegit.

Concionis Argumentum.

Virgo Deipara & in cælis, & in terris, summa.

Exordium.

PRiusquam assumpti thematis veritatem demonstrem, pauca, *Auditores*, præfabor. In hoc res divinæ à terrenis differunt, quod hæ oculo intellectus à longè ut cognoscantur videri volunt; illæ verò à prope & quasi palpabiliter. Quò enim quis ad turrim aut domum aliquam propiùs accedit, eò perfectiorem accipit rei ipsæ cognitionem. Non ita superiora aspicienda sunt corpora, puta solem, lunam, & stellas, nisi aliquando cæcutire voles; & eorum, posito quod possis, intueri claritatem, cognoscere velocitatem. Nunquam tamen Dei essentiam, aut Matris ejus dignitatem consequeris intellectu. Quàm multa hactenus de Virgine, ut patet scripsi, quámque multa & doctiora & subtiliora scripsere alii, quæ certè præclara, eorum dum intueor affectum; parva si matris dignitatem. Quare hodiernâ die dum de Virginis dignitate & gloriâ locuturus sum, Josue monito obtemperavero, noluit ille, ut milites arcæ commeatum ejus jussu præstantes juxta Jordanem prope ad arcam accederent, sed ut inter ipsos & arcam intercederet spatium cubitorum 28. Ut, inquit procul magis videre possitis. A longè igitur discursu nostro Virginis dignitatem, tam eam, quam in terris habuit, quàm quam in cœlo nunc possidet visuri sumus. Optimam enim illa hîc & in supernis, elegit partem.

Prosecutio.

Virgini jam non aliam attribuo laudem, quàm hanc omnino compendiosam, quam describit D. Thom. de Aquino, qui dum in vivis esset sic ra-

sit ratiocinatus est: Potest Deus, cùm possit omnia, & plures cælos plures que mundos illis & cælis & mundis longè pulchriores condere. Tria tamen vix possunt fieri meliora. 798. *Tom.* 1. Hæc igitur una est ex omni humanâ gente electa, omnigenis quæ effulsit virtutibus. Humillima fuit, pauperrima, obedientissima, castissima, ardentissima fuit in Deum affectu. *Vide & consule in Indice rerum 1. Tom. V. S. Maria.* Quare S. Gregorius in 1. Reg. cap. 1. rectè concludit: Meritorum suorum, inquit, vertice super omnes sanctos evexit. Sed quomodo, *Auditores?* ad Angelicam inudite parumper salutationem: Virginem illa Angelica salutatio non docet, nec dicit plenam naturâ, sed gratiâ, utique melior pars est gratia, quàm natura. Excellentia sua & potentia nimium differunt: Natura enim & quævis gratiæ, & favores humani, hic terminum suum habent, durationis, altitudinis, longitudinis; at gratia nullum novit incrementi sui terminum. 510. Quid igitur mirum Gregorium dicere, quòd meritorum suorum? &c. Deinde gratia divina nunquam otiosa est, donec jungatur suo principio. Unde & in immensum in virgine illa; amóq; erga Deum crevit, & non in terris hîc degens, ut Maria Magdalena Christi pedibus, sed intimè juncta fuit. Altare hic in terris fuit, in quo ignis ille semper arsit. 901. & ut omnia verbo dicam dignior illa in terris nec in cælo ulla est pura creatura. Omnia quæ terra & cælo continentur in triplici constituo differentia. Quædam sunt, quæ nec principium nec finem, quædam verò principium habent, non tamen semper finem. Sunt alia denique, principium quæ & finem habent. In primâ differentiâ sunt Deus ejusque attributa. In 2. sunt Angeli omnésque animæ rationales. In 3. sunt bruta, plantæ. Primæ quæ sunt differentiæ vocantur rectè æternæ; secundæ verò æviternæ, 3. temporalia. Horum trium digniora sunt quæ nec principium nec finem habent, in quâ differentiâ virgo nostra collocanda est: ab æterno enim fuit ordinata & electa, ut reverâ verissimum sit de illa, illud Sap. 8. *Generositatem ejus glorificat contubernium Dei.* Ut igitur illa parem non habuit in terris, quippe quæ optimam partem elegit, ut præmium correspondeat virtuti parem in gloriâ, nec habet in cælis. Ubique Virgo optimam partem elegit. Sapientissima est, prudentissima, gloriosissima, potentissima, ad eam igitur confugiamus. Vultis scire priusquam concludam, quam consulgo? Virginem hanc ferventer colamus, quod & altè omnium mentibus infixum volo. Burchardus in descriptione terræ sanctæ & ex eo alii referunt in Ægypto esse hortum Balsami, qui nullum producit fructum nisi irrigetur fonte vicino, in quo Dei Mater puerum Jesvm frequenter lavit, unde per rivos ex illo fonte aquas in hortum derivant. Ita Christiani omnia nostra dicta, facta, proposita nisi favore magnæ illius reginæ imbuantur, marcescunt. Unde Reginam hanc cælestem Damascenus eleganter vocat Almam & vitæ largitricem puellam. Illam igitur adeamus in omni afflictione. *Si enim spiritus ejus potestatem habentis ascendit super nos locum nostrum non dimittemus. Plura qui volet requirat Auctoris libellos dictos Rosa Selectissimarum virtutum Dei Matris.*

INDEX TERTIVS.

IN SINGVLA DIVORVM SOLENNIA.

FESTVM S. ANDREÆ APOSTOLI.

Concio prima.

THEMA.

Ambulans Iesvs juxta mare Galilææ.

Morale, seu Concionis Argumentum.

Occasio, anima & rerum gerendarum Mater.

Exordium.

NOstis, *Auditores*, hodiernâ die vocantem Deum è mari & navi discipulos non aliquo constitisse loco, sed ambulasse? Quid hoc mysterii, *Auditores*, nostis, crediderim, quæ statim post primorum parentum commissum delictum contigêre? Bonus Deus miserrimorum illorum peccantium memor, imò ipsos fugientes & sese abscondentes, & adinstar ferarum (cui per peccatum similis fit homo. 570. *Tom.* 2.) latebras ad Dei præsentiam quæritabant, subintrabat Paradisum ut medicus eos sanaturus, vocabátque Adamum; sed nunquid stans, sedens? non, *Auditores*, sed deambulans. Pertransit Deus vocans cur hoc? Dicturus sum statim.

Prosecutio.

Perambulat Dominus Apostolos vocaturus littus maris, non in eo quiescebat, certè pertransiturus si Apostoli moram traxissent longiorem, & statim vocanti Deo non obtemperassent. Gratia vocationis & quævis Dei gratia, res est pretiosissima 510. & 807. *Tom.* 2. sed nostis etiam quæ ad vitæ humanæ sustentationem sunt necessaria, non omni, sed certis quidem temporibus suis debere colligi, aut cœmi, quorum temporum si non habeatur ratio, rebus quibusdam familiæ domesticæ necessariis destituimur, sic fori dies rectè observatur. Qui equos alunt provide tempus colunt fœni & avenæ. Norunt & hanc temporis observantiam Comœdi, & quasi descriptas gerunt & conferunt in numerum civitatum encœnia & dedicationes, &c. ita etiam in rebus animæ sustentationi necessariis certè ab unoquoque agendum. Nostis temporis velocitatem, 792. Noverunt illam certe Prisci ac proinde dixere occasionem actionum animam & rerum gerendarum Matrem, rectè, *Auditores*, Non semper nascitur fœnum, non germinat arva frumentum. &c. Non semper est occasio merendi, non semper est vocans Deus, si nempe vocantem, ut Apostoli rectè eum audierunt, spernamus aut non observemus Deum. Quod enim Nicephorus de occasione, dixero rectiùs ego de vocante gratiâ Dei: Occasio, ille inquit, ego gratia, Aquila est ad pedes avolans & facilè se capi sinens, Negligis? in altum avolat, vis sequi? idet illa, tam citò non rediturа. In præsens arripiēda ergo. Apostolus Andreas in hoc imitandus. 522. *Tom.* 2. Philippus Bosquier, &c.

Epilogus.

Quare, *Auditores*, cùm Deus per suos sacros ministros subinde petrodentem interiùs conscientiam, per fortunæ ludibria, & inconstantiam, per morbos quasi nos vocitet, sed perambulans ut tunc littus, nunc præsentia divina mundum, Aquilæ ad instar sese frequentius ad pedes nostros sedet quasi, sinitque se capi, si modò in rem nostram vigilemus, dum publicatur: ergo in Ægypto venale frumentum, descendamus unà cum providâ familiâ Jacob, & coëmamus nobis frumentum modò gratiæ: gratiæ enim tempus ut & reliqua tempora non consistit, sed fluit. 522. *To. II.*

ALIA.

THEMA.

Et procedens inde vidit duos alios fratres reficientes retia sua.

Morale, seu Concionis Argumentum.

Extensa in mundo ubique retia.

Exordium.

VEnatorum ubi increscit numerus, multiplicantur & retia, feriscque omnibus [illegible] annis mors imminet præsentissima: quocunque enim sese proripiunt, retia laqueósque offendunt. Ita, *Auditores*, in hac vagâ mundi silvâ venatores plurimi, retia plurima, latebræ nullæ, locus nullus, antrum nullum à retibus liberum. Non ipsum templum, non ipsa sacra ara, non ipsa mensa Domini, non in choro monachus, non monialis conclusa muris, non Anachoreta latitans in antro securus ab his degere potest: laqueorum enim & retium stamus medii, felix certè qui incidit in rete Domini, ut hodie Andreas. Laqueos igitur, & hæc retia, quibus irretitur, quódve sit rete Domini pandamus 582. *Tom. II.*

Prosecutio.

Certissimum est diabolo non deesse retia, quibus infesta reddit & invia omnia, cælum seu aërem, terram & aquam; agit enim aucupem venatorem & piscatorem, & retibus suis semper affigit & infigit proportionatam & congruam affectibus humanis escam, ita quibusdam illecebris oculorum, quosdam auium, hos gulæ, illos luxuriæ, hos lingua, illos vestium pompa, in casses suos perrahit. Quare Hebræus Psaltes exclamat: *Ecce mensurabiles posuisti dies meos.* Ambrosius legit: *Palæstras posuisti dies meos.* 682. *Tom* 2. sed non tam petunt illæ à retibus diabolicis quàm humanis liberari: *Eripe*, inquit, *me Domine ab homine malo.* Est enim homo homini quasi alter dæmon; usque venatores norunt retibus suis induere colores quosdam, nunc viridem, nunc nigros, &c. ita & homines se invicem ut citiùs & certiùs decipiant, Lysandri dolosum observant monitum. Huic cùm quidam probro daret quod pleraque dolo & fraude gereret, respondit subridens. Ubi quis quod vellet non assequitur, leonis exuvias ponat & vulpis induat; duobus enim ut ferè modis à venatoribus capiuntur, ita & homines ab hominibus, nempe vi aut dolo. Ubi ergo leoninum tergum nimis est hispidum illic pellicula vulpina proderit. Hoc nostro ævo in usu habemus passim. Hinc panni mercator, &c. Caupo ut vino dubio ac pendulo gratiam concilier, &c. Alii pro thure lapides, pro cerâ picem, vendunt. Quam verè dixit Tullius: *in animis hominum multæ sunt latebræ, multi recessus.* Antonius Magnus, &c *fol.* 649. & 650. *Tom.* 1. Sed videamus, *Auditores*, quænam mundo seu hominibus retia sint, quibus capiuntur & capiunt. Retia sunt convictus & societas mala, quibus plerumq; capiuntur Adolescentes 332. *Tom.* 1. Verba & colloquia impudica: sunt enim hæc capræ simillima 332. His capiuntur Puellæ plurimæ, deprædantur enim hæc innocentiam virginalem. Munera & pecuniæ, & his consiliarii irretiuntur, cunctique officiales magni & parui, 528. & 554. *Tom.* 2. Nimius famæ amor, & hoc capiuntur viri nobiles. 728. *Tom.* 2. Exempla, quo capiuntur promiscuè vicini & vicinæ. 848. *Tom.* 2. Denique libido rete generalissimum est. 450. *Tom.* 2. & 367. *Tom.* 1. hoc enim delitioso reti capiuntur

pientur omnis generis homines in dies plurimi. Sed, *Auditores*, quid hoc? Rete suum expandit indies Christus & quàm paucos capit: Rete illius est divina sua vox, quibus hodie cepit Andream, &c. Quod verò pauci nunc eâ capiantur, hæc est ratio. 488. *Tom* 2.

Peroratio.

Si ergo medii retium & laqueorum stemus, videndum seriò est cum quibus agamus aut versemur, si quis avicularis ad aucupatoriâ aream convolantes ita moneret, cavete ô simplices, esca vobis offunditur, sed de capite vestro agitur, &c. Si quis Amasæ viro militari dixisset. &c. Christus nos monet, &c. 718. *Tom.* 2.

ALIA.

THEMA.

Illi autem statim relictis retibus, secuti sunt eum.

Morale.

Perfectâ sequela Christi.

Exordium.

VOluntas nostra Chamæleonti simillima est, nam sicut animal calum illud rerum omnium, quibus se applicat aut ab aliis applicatur, colorem induit, præter rubrum & croceum: sic voluntas humana in omnes sese formas transmutat, quibus sese per amorem jungit. Eóque perfectius quò propius. Dicturi igitur sumus in quo consistat perfectior Christi sequela, aut conjunctio. 850. Quæ consistit in retium derelictione. *Tom. I.*

Prosecutio.

Apostolorum primus qui Christum secutus Andreas fuit, primus, inquam, ille, in quo, & præsertim & reliqui excelluerunt, perfectam tradidit Christum sequendi methodum; *relictis*, inquit Evangelista, *retibus secuti sunt eum*. Perfecta, *Auditores*, reverâ sequela. Longè enim alia sunt mundum aliquando mundique retia fugere, & subinde Christum adire, & mundum, absolutè deserere, & Christum sequi. Habuit primitiva Ecclesia plurimos mundi desertores, qui prædia sua deseruere, purpuram abjecere, aurum aliis reliquêre. 799. Tom. I. Qui omnes cum Paulo liberè dicere poterant: *Mihi mundus crucifixus est, & ego mundo*. Quod me mundus odit, & ego odi mundum. 798. Tom. I. at hæc nostra ætas quæ certè adinstar statuæ est Nabuchodonosoris semper in deteriora vergens. 557. plurimos habet qui mundum mundique retia quidem aliquando fugiunt, & Christum sequuntur, sed non omnino deserunt, scilicet ut equus capistro tamen alligatus effugit aliquando manus Domini quo facilè ad stabulum reducetur etiam a quovis obvio, ut captivi è carceribus compedibus onusti. Sic quidam retia sua, compedes, capistra sua, etiamsi Christum quasi sequuntur, retinent. Qualia sunt affectus nostri omnes promiscuè; parum enim prodest, nec ea perfecta Christi sequela censenda est, à peccato ad tempus abstinere, & peccandi affectum retinere, sed hoc est Saulem imitari. 286. Tom. I. Debuerat ille Agagum regem occidere, & tantum carcere damnavit: sic quidam concubinas suas, quidam odia sua, invidiam, superbiam, subinde carcere damnant (dum scilicet confitendum est, aut solemnis aliqua instat devotionis dies) cum capitis damnare deberent. Hoc adire Christum est solummodo, non sequi. Relinquenda sunt omnino affectuum retia. Vultis igitur, *Auditores*, scire quæ sit perfecta Christi sequela, sive verè, quid sit mundum, mundique retia cum Andreâ deserere: Primò rumpendum est vinculum omnis societatis malæ, Cogitatorum, &c. 2. Altum concipiendum odium in mundi pompas. 3. Nullum coacervare autum nimio affectu, &c. *Lege* 805. *Tom. I. & talis Christo grata est sequela.*

ALIA.

THEMA IDEM.

Morale.

Nocet in divin. Procrastinatio.

Exordium.

IN morbis corporis, medelæ quantum obsit procrastinatio versu satis communi ferunt & inculcant medici, sic enim ore uno omnes docent:

Principiis obsta sero medicina paratur,
Cum malè per longas invaluêre moras.

At ut longè præstat anima corpori, ita & magis obest quavis in re divinâ animæ, quæ sola est medicina, omnis procrastinatio. Novi esse, *Auditores*, ut plurimum salutarem illam cantilenam *Fœnitet* ultimam & morti immediatè præmitti, quæ in vitâ frequentius cantanda erat. 570. *Tom I.* Novi nos esse dilatores & procrastinatores, & sæpe dum procrastinamus, procrastinandi negatur tempus. *Continuò*, inquit Evangelista in Apostoli Andreæ & aliorum laudem, *secuti sunt eum*. Non petière valedictionis parentum causâ & componendarum suarum rerum domesticarum tempus, sed *continuò*. De procrastinationis damno acturi sumus.

Prosecutio.

Nihil, vocanti Deo diversimodè, qui nos vocat interius diversis quibusdam secretis impulsibus 546. Tom. I. & exterius diversimodè, 111. Tom. 2. respondemus frequentius, quàm *cras*, & procrastinationis quasi justam verbo vel mente obtrudimus Deo momenti rationem, aut Historiam: Pepercit Deus latroni, ergo & eadem benignitate, cum modò sequi non vacet, non enim ita possum deserere societatem meam, personam istam, alia sunt peragenda negotia, etiam me excepturus est Deus, hanc procrastinationem meam cum exactè sciat, me modò ô Confessarie! ô Concionator! ô Pastor! me modò istis non posse vacare. O cæci ergo mortales, fateor latronum alter jam moriturus unicâ impetrat oratione veniam, sed & alter sine ullâ veniâ damnatus est. Duo tantummodo erant & è tantillo & parvo numero non ambo salvi, sed alter damnatus. Quæ certè nos terrere deberet historia, & abducere ab omni pœnitentiæ procrastinatione, ad procrastinationem, semper alioquin damnosam animat. 404. *Tomo* 2. *& vide* 144. *Tomo I. &* 638. *Tomo secundo.*

Epilogus.

Quàm bene ergo Ambrosius Apostolicos nos vult esse imitatores. *Rapiamus*, inquit, *& festinemus, nam Pascha non manducatur nisi festinanter, Regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud*: rapuit latro bonus, neglexit malus. Rapuit Andreas unà cum sociis, neglexit in Evangelio adolescens. Naviga ergo quisquis es dum tibi flant cælestes Zephyri. 404. Tomo secundo.

ALIA.

Morale.

Pauci crucem suam cum Andreâ Apostolo exosculantur.

QVàm paucos hic patiens Andreas habet hoc ævo imitatores, crucem illam ille amplexus est, mortis quæ erat futuræ instrumentum, in hoc Salvatoris verè discipulus, qui & passurus pro humano genere sic inquit: *Desiderio desideravi hoc Pascha manducare vobiscum. Recita dn verba quibus allocutus est crucē & eandem amplexus est.* Nos verò ut pueri solēt refugere amariores potiones licet salubres, rarò immissam à Deo crucem amplectimur, sed quærimus è domo nostrâ, ut solemus, asportare cineres, sordésque alias, omnibus tanquam rebus inutiles, quærimus in sterquilinium deferre. Imò, ut verbo absolvam, si cementarius aliquis faber muros, ita ædificare crassos, si vulcanus aliquis ostia ferrea cudere talia posset, quæ adversa omnia domo nostrâ excluderent, quàm illi fabri colerentur, quàm citò diteiscerent. Sed quæ est hujus rei ratio? Sanctus Andreas crucem amplectitur, sic & reliqui Martyres mortis suæ instrumenta coluere, & nos quævis non mortis instrumenta, sed amariorem aliquem salubrem tamen potum refugimus: non norunt infantes potionis sumendæ vires salutares, sed eandem apprehendunt ut nocivam sanitati, ita & nos agimus, quisque putat adversa omnia mala crucémque suam esse ponderosissimam. 15. Tom. 2. Magna enim est imaginationis vis in homine & tamen unusquisque crux non major est quàm esse putatur. 16, Estque semper recta ad beatitudinem via. 384. Tomo II.

FESTVM S. NICOLAI.

THEMA.

Domine quinque Talenta tradidisti mihi, ecce alia quinque superlucratus sum.

Concionis Argumentum.

Deus omnia cum fœnore repetiturus est.

Exordium.

NOta est orbi toto Dei liberalitas, unde Veteres hujus divini attributi non ignari, Deos suos & Deorum suorum statuas apertis depingebant manibus, & S. Pagina Dei manus ait esse tornatiles. 159. Tom. II. ipsa denique quotidiana experientia liberalitatem deificam in nos contestatur, olim tantum certis temporibus manna cœlo depluebat, certóque illud destinatóque tempore colligendum erat, alioquin cento certius eo qui ejus erant tempore negligentiores non potiturī: at modò tempore gratiæ hæc pluvia continua est, & dum fluit vita simul & illa ituratur Dei liberalitatis rore quotidiano. Res dico Priscorum, S. Paginæ & experientiæ satis testimonio nota, sed ignoratis forsitan Deum fœneratorem? repetet, repetet concessa cum fœnore etiam quævis, & qui nullum apportat fœnus, qui, inquam, hanc non liberè potest pronuntiare vocem: *Domine quinque*, &c. Non audiet vocē illam, *Euge serve bone*, &c.

DE BONIS NATVRÆ.

Prosecutio.

Varietas concessorum omnium nobis à Deo in tres rectè dividitur classes. In bona nempe naturæ, fortunæ & gratiæ, quorum omnium non tam possessores quàm dispensatores sumus. Nos quidem, sed non rectè, jactanter dicere consuevimus: Hæc mea vestis, hæc mea domus, hi equi mei, hoc meum pecus, &c. Hæc vocum ludibria sunt. 144. Tomo II. Audite Chrysostomum: Idcirco, inquit, risi sæpius testamenta legens, &c. Sed videamus quænam naturæ, quænam fortunæ, quænam denique gratiæ dona sunt, in quibus homines hac ætate insolescunt, & Domino certè, ut S. Nicolaus, non fœnerantur. Nostis in primis inter bona naturæ recenseri formam, & corporis temperiem, in quibus (si quæ altera horum alicui obtigit) quàm gloriantur & insolescunt homines, quàm ea quasi omnibus promulgata volunt! Attalica orbis modo gaudet jactantia. Attalus, &c. 704. Tom. I. Quàm malè Adolescentes, quàm malè

hujus

hujus ævi puellæ talentum hoc exponunt, non eo fœnerantur Domino, sed corpori & Diabolo. Quare veteres censuêre rectè, raram esse concordiæ formam, & pudicitiæ mixturam, & illam rarissimè visam formæ & sapientiæ. Quid intantum faciem fucatis? Vultis scire, bonæ puellæ, quid forma sit, venient dies quo te in speculo non agnoscas, testêsque oculi dicent, aut alius es, aut tibi ipsi dissimillimus. Nimis verum est quod ante dixi Prisorum effatum, luculenta forma vos meliores non reddet, sed sæpissimè in periculum trahet. 704. & 705. To. I. Quàm nullo proinde Sanctis omnibus formæ & corporis cura fuit! 428. & 429. Tom. I. Utinam jam nostræ puellæ, & adolescentes inaudirent. *Descende, sede in pulvere virgo filia Babylon, sede in terrâ*; est enim pars quædam pœnitentiæ concinnitatum & elegantiarum illarum superfluarum contemptus & neglectus. Objicias: Lavarunt se veteres & quidem pii, seséque unxerunt frequentius. Fateor vera dicitis, sed non amasiæ suæ gratiâ: hi aut illæ non proci sui gratiâ, sed Domino talêt. hoc naturæ fœnerati sunt. Lavit se David, sed post fletum. Lavit faciem suam Joseph, sed post lachrimas. Lavit se Judith, &c. 429. Tom. I. Similiter gloriari de viribus corporis, quid aliud est quam Taurina gloria. 705. Scitis vos Adolescentes hac in re qui quandoque, ut & non minus in aliâ estis culpabiles, quid anus quædam Joviniano Imperatori mole corporis excellenti & valido, sed parum intelligenti, dixerit: O quam bonam domum, inquit, hic habet amentia. 705. Tom. I. Ita ex viribus his & formâ corporis gloriari non est fœnerari suo talento Domino. Quomodo ergo fœnerandum est Domino his duobus naturæ talentis? non ambitiosè illas commonstrando. Rex enim Ezechias, &c. 703. Tom. I. sed eodem utimini æstu, quo pictores utuntur, dum laudem suâ ex picturâ ambiunt, illi suam tunc non prædicant picturam; sed ita pingunt, ut pictura suum laudet magistrum. Ita Sanctus Nicolaus, & alii vitâ suâ corporis sui moderato regimine Deum glorificavêrunt. *Narra si voles vitam, de jejunio, abstinentia, ejus pietate, sedatis moribus.*

A L I A.

DE BONIS FORTVNÆ.

ET horum bonorum dispensator non verò possessor fuit optimus D. Nicolaus (*Narra quomodo Pauperibus ipse tribus Puellis subvenerit*) noverat quippe bonus hic & pius Ecclesiæ Præsul quàm optimè Ecclesiastis monitum: *Omni tempore*, clamavit ille sæo seculo, *sint vestimenta tua candida & oleum de capite tuo non deficiat*. Omni, inquit, tempore animi puritatem tuere. Ad cælestes agni nuptias tendis? Precaturus templum accedis? veste niveâ opus: sed hæc puritas animi comitem sibi vult alium, priusquam gratus prodit in conspectum Dei, nempe misericordiam, caput, inquit, proinde tuum, mi Christiane, oleo natet. Sed dicat quis: Quomodo vestes servabuntur mundæ si ex capite in eas defluat oleum? &c. 142. Tom. 2. Sed ut sciatis quam hic misericordiam, à nobis exigat Ecclesiastes, quæve oleo rectè comparetur, notandum est, eam talem non esse, quæ tantummodo verbosa, sed & actuosa est. Verbosa misericordia satis frequens in aulis & domibus divitum, sed actuosa multis ignota. Viget praxis illa juridica, quâ pecunia conteritur, languet misericordiæ praxis, quâ pecunia fœnori divino exponitur. Nicolaus unus praxim hanc calluit, & afflictas puellas patrêmque non verbo solatus est, sed facto, &c. Nostram verò verbosam damnat Oseas. 142. Tom. II. Curta & brevis hæc nostra beneficentia est, speciem habere videtur & formam, sed nervos non habet. Scio vos divites promiscuè hoc oleo carere, statúsque vestri exigentiam allegatis, alendi equi, famuli, &c. Quid dicam? aiunt Hierosolymis portam fuisse parvulam, quæ foramen acus diceretur, &c. Si tamen, ut ad rem respondeam, statum vestrum vultis integrum, & amplum, & superbum famulitium requiratis, S. Nicolai estote imitatores; nam quo & finio dicto, dictum Chrysologi est *Homo misericors tot servos habet, quot nummos*. 142. Tom. 2. & vide Tomo primo 706.

A L I A.

DE BONIS GRATIÆ.

SEd & noctu veniisse oleum suum misericordiæ dispensaturus adfuit Nicolaus: Non solum enim est virtus jactatrix aut miratrix sui, sed miratrix alieni. Ubicunque demum emendatius viderit exemplum, latere vult semper virtuosus. 707. Tom. I. Fundamentum enim veræ virtutis humilitas, nectâta claritas est ulla, quam elatio non obscuret. Quod enim de Eleemosynâ Ecclesiasticus, etiam de quavis virtute tenendum. De Eleemosynâ ita Ecclesiasticus: *Conclude eleemosynam in sinu pauperis*, nemo videat, nemo sciat, sed eam velut furtim, inquit, concludite & insinuate. Rectè, *Auditores*. Scitis quid moniales illæ, utpote viris hac in re curiosiores, quæ flores illos sericos & aureos argentéosve componunt, moneant custodes? ô, inquit, secludantur, aërem non spectent, semper serici enim & aurei coloris aër ipse fur est. Similiter thesaurum dum abdis, alibique in terram fodis, spectatores non advocas: Ita Nicolaus noster. Disputabat olim Plutarchus quonam modo adulator ab amicis internoscendus est, & in eâ disputatione mentionem Argesilaii injicit, &c. Sed illud nonnihil quæstionis habet, &c. 170. *Tom. II. & lege Tom. I. fol. 708. & Auctoris Amussim lib. 2. c. 4. & 5.* Gloriari licet sed in Domino, quod est fœnerari piè.

Epilogus omnium Trium concionum.

Ergo non glorietur sapiens in sapientiâ suâ, & non glorietur fortis in fortitudine suâ, & non glorietur dives in divitiis suis; sed in hoc glorietur qui gloriatur, scire & nosse me, quia ego sum Dominus qui facit misericordiam & judicium & justitiam in terrâ. 705. Tom. I. Ita Hieremias c. 9. v. 23. & 24. Sicque aliquando audituri estis in ipso Juvenii die cum S. Nicolao: *Euge serve bone.*

Alias si velis Conciones in laudem S. Nicolai contexere lege sparsim libellum de Eleemosynâ præsertim foliis 164. 159. 187. & alibi.

Si per quinque talenta intelligas quinque sensus lege à fol. 354. usque 356. Tomo primo.

Festum Conceptionis B. Mariæ Virg. require inter Concionem nostras Marianas.

IN FESTO S. THOMÆ.

Morale.

Incredulos orbis plurimos habet.

Exordium.

LIppis & tonsoribus, ut ita loquar, *Auditores*, sic Thomæ lapsus & incredulitas nota est, ac proinde, quod tamen non rectè Thomas incredulus vocatur. Sed nostis, *Auditores*, quod Mosi olim contigerit; jusserat Deus Mosen è sinu manum producere, quæ omni ex parte statim ubi extracta fuit, visa est leprosa. Jubet iterum Moses eandem in sinum abdere & omnis inde lepra depulsa est. Quæ autem hæc subita mutatio? Num aër corruptus aut aliqua arcana in ira virtus mutationis tam subitæ causa exstitit? cur deinde hoc in fonte, aut ore, aut aliâ in parte corporis non contigit? Procopius Gazæus hunc in modum respondet, &c. 703. Tom. I. Ast ego ex alio, *Auditores*, ad mores vestros certè hac in parte non rectos alludens, dico, hinc dici posse in manu miraculum hocce factû, quia familiariter ordinarie digito, aut manu alienos nostros errores, quam si manum in sinu abderemus aliquando, nos & non alios leprosos videremus. Ad sinum ergo proprium, qui Thomam præsertim incredulum clamatis, vos invito proprium enim si palperis sinum & Thomæ vos similes esse videbitis 703. Tomo primo.

Prosecutio.

Passim omnes jactamus fidem, sed fidei defectu sæpe plurimùm laboramus, fidem ex ore promimus, & plurimi, meliùs & rectiùs certè ista educeretur è corde propriâ fidei dono. Homines conceptissimis sæpe verbis clamamus: Ego Christianus sum, Catholicus, discipulus Domini, ego sacra Catholica ad usque supremum halitum defendam, &c. 772. Tomo 4. Explodatur hæc semel quorundam fides & eum incredulum potius dicemus & rectius quàm fidelem. Quàm verè Lucas & ex ore Domini dixit: *Filius hominis veniens*, &c. Mavult hic mori quàm injuriam non persequi. An fidem an infidelem potius. Audite Augustinum: *Qui credit Deo, debet facere quod audiet & præcipit Deus.* 772. Tom. I. Dein quis credit quam accurata sint judicia Dei, quàm severa ab illis supplicia? Hæc è cathedris toties promulgantur. 191. Tom. I. Fides insuper, quâ æternam vitam prælibamus, quàm somnolenta & desides est. 191. Tom. I. Quam pauci confirmant se credere, licet ore dicant & concionatoribus consentiant, unicum peccatum mortale supremo æterno supplicio luciendum? 190. Tom. I. Quoties ex alto his talibus monemur verbis: *Filii sanctorum sumus*, &c. 190. Tom. I. Ut verbo dicam, multorum bona est confessio, sed confessionem non sequitur emendatio. Velle enim nostrum ac statuere simillimum est ægrotorum invalidis conatibus, &c. 191. Quis insuper credat prosperitatem nocivam? 518. Tom. II. afflictionem necessariam homini. 659. Tom. II. Quis fidit elemosynam dando quemquam ditescere? 506. Tom. II.

Epilogus.

Videtisne, *Auditores*, quàm & nos simus leprosi & increduli, dumque Thomam accusamus, nostram incredulitatem prodimus; in humanis nempe sæpe nimis creduli. 505. Tom. II.

A L I A.

THEMA.

Et Thomas non erat cum eis.

Morale.

Perseverantia coronat & coronatur.

Exordium.

DIverso sese ordine post resurrectionem Christus discipulis manifestavit. 438. at cum discipulis se demum ostendit, iidémque gavisi essent viso Domino, sacer inquit textus, Thomam his non interfuisse gaudiis, adfuit quidé cum illis cum ab Emmaunte reduces illi duo rê testatissimam narrarent, ejus tamen narrationis epilogum non exspectavit, audiendi tædio, aut tam arduæ rei credendæ difficultate victus. Ita Dominum eo die non vidit, quia finem prolixioris historiæ operiri non sustinuit. O Perseverantia ad obtinendum stabilis, te qui colunt vincunt, tu sola coronaris. Latiùs laus hujus virtutis dicenda.

Prosecutio.

Quid mirum lapsum Thomam? Petrus Aldobrandinus purpuratus Romanorum Senator solitus fuit in vivis dum esset dicere: Perseverantia baculus est virtutum, quo nisi virtutes omnes innitantur ruunt & cadunt. Genium, ignoratis voluntatis humanæ, *Auditores*. Hæc ubi virtutis consortium cœpit declinare in vitiorum statim transit amicitiam.

Pectei situm considera &c. 390. *Tom. I.* Exorsus fuit Thomas bene, progressus aliquamdiu, tandem ad extremum collapsus. Geminæ illæ boves ad arcam Domini trahendam junctæ, nec dextrâ, nec levâ declinabant, 390. *Tom. I.*

Epilogus.

Itaque in omni bene beatóque agendo vitæ instituto, constare nos nobis ipsis decet, ut semper iidem simus; imò meliores. Hæc enim vera omnium nostrûm tantùm potest esse gloria cùm Christo dicere posse: *Opus consummavi quod dedisti mihi ut faciam* 291. *Tom. I.*

QVÆSTIO MORALIS.

Ex quo signo conjicere liceat hominem jam lapsum aliquando fuisse pium?

VRget ut hoc declarem potiùs quàm disputem subita hæc, viso Domino, D. Thomæ laudabilis confessio. Nulla enim fuit prævia monitio, nulla Salvatoris reprehensio, & quam legi aliquando in D. Chrysostomo sententiam: *Quemadmodum, ille,* inquit, *præclara illa corporâ etiam in adversâ valetudine multa nobis formæ antecedentis vestigia ostendunt, sic etiam animæ sanctorum & ipsis etiam erratis suæ virtutis signa præseferunt.* Quasi dicat, si ante fuerint orationi dediti etiam in peccato existentes orationes fundent; si eleemosynis & in peccatis facient; si patientes fuerint in morbis, afflictionibus, etiam in lapsu tales erunt. In pœnis peccata sua agnoscentes, quæ tamen in consuetudinariis peccatoribus antea nulli virtuti deditis non apparent: patet in regibus illis duobus Davide & Saule. Saulem punivit Deus, & ecce quæ non edidit impatientiæ signa, hostium multitudine cinctus etiam Acheronta movit, & cucurrit ad artem magicam. Punivit & Davidem per Absalonem, sed quàm prompto & patienti animo excepit afflictionis pœnam. Sic etiam patet in Thomâ & Judâ, ille non rediit sed mansit obstinatus. Unde quàm ficto & furtivo servierit corde Deo patet, nam etiam post monita Christi non resipuit. Nempe pessimus & malus semper fuerat: Thomas verò, etiam solâ visione Dei sine ullis monitis, statim resipuit, & laudabilem fidei confessionem in cœtu Apostolorum edidit. Nec mirum, *Auditores,* sententia vera est Chrysostomi quales antea fuere pii, tales sunt in lapsu. Nota doctrinam hanc experientiâ quotidianâ firmari. Sed nunc videndum qualis ante lapsum fuerit Thomas quàm fidelis, quàm fervidus, &c. *Recita vitam.* Ergo ex moribus licet aliquando lapsi hominis conjicere num peccator malus & consuetudinarius fuerit semper? *Vide Dominicam in Albis Tom. I.*

CONVERSIO ADMIRABILIS S. PAVLI APOSTOLI.

THEMA.

Subitò circumfulsit eum lux de cælo.

Morale.

Non nisi de cælo, conversio peccatoris.

Exordium.

MIraculosam hanc esse & celebrem conversionem quis mortalium ignorat? idque triplici ex ratione, *primò* ratione efficientis, puta Christi, qui ipsum Paulum in actu peccandi existentem, & in proposito persequendi, tam subitò immutavit. *Secundò* ratione dispositionis, scilicet lucis, quæ Paulum ad conversionem disposuit. Fuit enim ea immensa, ut superbum, timore humilitatis prosterneret; fuit cœlica, ut carnalis ejus intelligentia in cælestem mutaretur. *Tertiò* ratione ipsius Pauli, in quo facta est conversio, qui subitò excæcatus, & prostratus, & prædicator veritatis factus est, & vas electionis, qui erat filius perditionis. Miraculosa undequaque ergo conderata fuit; non enim potest peccatoris tanti, fieri, nisi de cælo conversio, &c. De quo latiùs statim.

Prosecutio.

Omnium Theologorum sententia liquet esse, rem omnium difficillimam, hominem assuetum vitiis ad virtutis imperium reducere. Si cum priscis Patribus loquendum est, facilius est mortuum excitare, quàm hominem à consuetudine vitiosâ reducere. Non est demirandum, inquiunt quidam, hominem in peccata labi, utpote qui fragilis est, rebellionémque sentit, & experitur continuam partis inferioris, contra superiorem; sed illud pro miro habent, quod homo æternum etiam qui novit Deum, post peccatum in peccatis quasi mortuus remaneat. Notissimum est Davidicum in peccatum odium: *Facientes,* inquit, *prævaricationes odivi*: & tamen post admissum peccatum integro fermè anno in eodem peccato suo adulterii remansit, nec resurrexisset nisi Nathan Prophetæ vox mortuum quasi eum resuscitasset. Similiter & Petrus lapsus remansit securus inter milites, nec resipuisset, nisi vel galli cantus, auribus ejus insonuisset, vel Christi facies ei fuisset ostensa. Hoc nempe genus corruptionis & impotentiæ naturæ nostræ à peccato primi parentis accepimus; ut sicut ille sese subduxit & abscondit à Deo, nec tamen ante rediit ad Deum quàm vocatus & quæsitus, ita nos quidem à Deo possumus per peccatum avertere, ad illum verò sine speciali gratiâ redire non possumus. Ejusdem etiam rei typus est & fuit Paulus, Veritissima hæc sunt, *Auditores,* & quondam à Christo in terris satis promulgatum: *Nemo,* inquit, *venit* ad Christum *nisi pater traxerit eum.* Paulus ergo cùm ad partes Christi venit deserta Synagogâ Judæorum Patris virtute tactus & attractus est. Traxit enim eum Pater cùm circumfulsit eum lux de cælo, vocavit eum filius cùm quasi cælo detonuit dicens: *Saule, Saule quid me persequeris?* Unde & ipse scribens ad Galatas: *Paulus,* inquit, *Apostolus non ab hominibus, neque per hominem, sed per Iesum Christum & Deum Patrem.* En ut ipsa Trinitas operata fuit in ipsa mundi creatione, ita & in peccatoris justificatione tota occupatur. Quin ipsa ut verius dicam peccatoris justificatio est nova creatio: ut enim ante mundi creationem mundus purus nihil erat, ita peccator in purum nihil peccando convertitur. 124. *Et vide in Indice verbo Peccatum.* Dum ergo justificatur ex nihilo, fit rursum creatura & filius Dei

ALIA.

Morale

Rebelles Pauli plurimi.

MVltas res præclaras gessit quondam fortissimus ille Samson, sed inter reliquas maximè una celebratur à S. Scriptura victoria illa nempe quâ leonem sibi accurrentem in viâ validâ suâ manu prostravit. Magna similiter præstitit David, sed cætera excedit facinora ille percelebris de gigante triumphus. Magna gessit in terris Christus, Magdalenam convertit, Zachæum in numerum filiorum suorum adoptavit, Petrum ad lacrymas excitavit, recénsque demum resuscitatus Thomam instruxit: At horum omnium conversionem licet celebret & agnoscat Ecclesia, nullius tamen indicta est festivitas aut celebritas nisi solius Pauli. Saulus revera gigas erat Goliathæus. Quanam enim non exprobravit Ecclesiæ. *Narra persecutionem ab eo factam.* Leo erat, spirabat enim adversis Christum Christique gregem nil nisi minas, sed quàm acutè, quàm cautè. Duo ad conversionem peccatoris S. P. N. Augustinus ponit necessaria, & prorsus illa eadem quæ adhibita sunt, ut filii qui quondam eramus iræ fieremus Dei. Quomodo putatis, *Auditores,* filii Dei facti sumus? primâ inquit luce mediante. Testis est Evangelista Joannes; sed verba recitemus S. P. nostri: Infideles omnes tenebræ sunt; per fidem autem conversi ad Deum, quadam præmissâ illuminatione lux fiunt, unde & Baptismus illuminatio quædam est. Deinde verbo, sic enim docet Jacob 1. *Voluntariè,* inquit, *genuit nos verbo veritatis, ut simus aliquod initium creaturæ ejus.* Non aliter Paulus hodie factus ex persecutore Christi discipulus & gentium doctor. Leo, ut ante dixi, erat, taurus erat furibundus, quarum bestiarum furiæ solummodo quasi enervantur, oculi eorum si tegantur: nunc circumfulsit eum lux de cælo & lucem illam ipsi abstulit corporalem, auditum deinde verbum: *Saule, Saule,* &c. O Christe hanc tuam laudamus in conversione Pauli benignitatem. Sed nunquid orbis tales & plures habet leones, cur & hos enecat aut vocat ita efficaciter. Quàm multi in orbe sunt qui non nisi in manu validâ revertentur, de quibus Oseas. 624. Quàm multi sunt Dei voluntati rebelles? Vetustas, gigantes fabulata est, &c. 519. *Tom. I.*

Cùm non solùm lux sed etiam divina vox addita fuit ut Paulus converteretur missúsque dein sit à Christo ad Ananiam, necessitatem explica audiendarum concionum & lege Tom I. 774. & 274. & Tom. 2. 465.

ALIA.

THEMA.

Domine quid me vis facere.

Morale.

Christiana & perfecta quæstio Saulis.

Exordium.

EX milite persecutore fit miles Christi, præcipua autem virtus perfecti militis est in sui ducis quasi lingua insedere, aut dextra; ad hujus vel illius imperata promptum esse, hinc fervidus ille quondam & strenuus miles Davidicus sic cecinit: *In capite libri scriptum est de me, ut facerem voluntatem tuam, &c. Deus meus volui & legem tuam in medio cordis mei.* In medio memoriæ, intellectus, voluntatis meæ. Nec alia fuit prima vox Saulis in terrâ hodie erecti, exclamat enim: *Domine quid me vis facere.* Perfectiorem sanè jam creandus Christi miles edere non poterat vocem, nec quis Christianorum magis Christianam, quàm hæc, quæ tua voluntas mi bone Jesu verbo, nutu significa, eo, pareo, facio, quidquid me facere volueris. Huic igitur quæstioni ante omnia nunc respondendum, quâ ratione nimirum Dei voluntas in rebus omnibus sit agnoscenda ac proinde aliquas hic regulas dabimus, per quas divina voluntas facilè poterit explorari.

Prose-

Prosecutio.

Quidquid abducit à Deo &c. Lege à *fol.* 515. *usque* 518. *Tom. I.* Ad explorandam autem divinam voluntatem plurimum valet cum Paulo rogare, *Domine quid me vis facere?* Hic etiam omnium Sanctorum mos fuit in rebus nempe dubiis & perplexis cõfugere ad orationis præsidium uti olim Moses, Aaron ad tabernaculum fœderis, & sicuti cum nubes adeò stipatæ coëunt, ut cælum tonare ac mugire incipiat, campanæ quatiuntur in turribus dissipandis nubibus, ita quotiescunque sol divinæ voluntatis oculis nostris subducitur, ut pæne quid faciendum sit ignoremus, proximum est cælum pulsare precibus. Ita Saulus à subitâ tempestate mediis campis deprehensus, &c. 518. *Tom. I.*

Epilogus.

Cùm verò sic cum Saulo precamur, Deus voluntatis suæ notitiam non negat. Secretis quibusdam impulsibus te ad Ananiam aliquem mittet & adiget; benignus enim est spiritus sapientiæ hujus altissimæ, & omnibus sese quàm liberalissimè impertitur. 518. *Tom. I.*

ALIA.

QVÆSTIO MORALIS.

THEMA.

Cùm sederit filius hominis in sede majestatis suæ, sedebitis & vos super sedes duodecim judicantes duodecim tribus Israël.

Morale.

Vtrum Paulus, ut ipse scribit, sit sessurus cum Christo ad judicandum.

Exordium.

ITa Paulus quasi gloriatur, & quod amplius est Angelos sese iudicaturos Apostoli prædixere. Sed nunquid boni viri Pater omne judicium dedit filio? & talis honorificentia debeturne alteri nisi soli Christo? Sessurus erit Paulus, sessuri erunt & alii in die illâ Judicii extremi: non prout judicare auctoritatem importat propriam, sic enim soli Deo judicare competit, sed prout judicare est sententiam auctoritate alterius latam pronuntiare. Sed notate, *Auditores*, temporis designationem: *Cum sederit*, inquit, noluit ille quemquam hominum in terris proximi sui esse judices, & tamen quos in mundo sunt, qui Judicum subsellia consenduntⁿ! nil magis in orbe frequentius quàm judicare proximorum dicta & facta, eóque sæpe audaciæ progredimur, ut etiam ob aliquot malos Præsules, clericos, religiosos aliquos exleges, totos Prælatorum, & clericorum, & Religiosorum cœtus malos judicemus. Audite hunc judicem futurum Paulum: *Itaque nolite ante tempus judicare quoad usque veniat Dominus.* Lege à *fol.* 484. *usque* 491.

Festum Purificationis D. Virg. require in Indice Concionum D. V.

Festum Cathedræ S. Petri. Require conciones hujus festi ipso festo Apostolorum Petri & Pauli.

IN FESTO S. MATHIÆ APOSTOLI.

THEMA.

Confiteor tibi Pater Domine cæli & terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus, & revelasti ea parvulis.

Morale.

Deus humiles novit & approbat, superbos ignorat.

Exordium.

POstquam Christus, *Auditores*, in die ascensionis videntibus discipulis elevatus est in cælum, omnes statim discipuli reversi sunt Hierosolymam à monte Oliveti, qui situs erat juxta civitatem Hierosolymitanam, sabbathi habens iter, id est, mille passus. Non enim licebat Judæis ultra tale spatium ambulare, & subintrantes cœnaculum Orationem quandam Petrus habuit ad reliquos, quâ declaravit expedire quatenus in locum Judæ proditoris, ut duodenarius rursus eorum esset numerus, aliquem suffigere, quod non fecerunt eligendo, sed sortem mittendo, atque ita, inquit Beda, nondum plenitudo Spirit. S. in Ecclesia effusa erat. Sex verò Diaconi post Pentecosten non sorte, sed electione Apostolorum sunt ordinati, ut & modò in Ecclesiâ sortis nomen est abrogatum. Statuerunt verò duos, Joseph, qui cognominabatur Barsabas, & Mathiam; Quid hoc, *Auditores*, signat, ut quidam notant, Joseph ille fuit cognatus Christi, & tamen illi præponitur Mathias? Mysterium sortis hujus eruamus.

Prosecutio.

Quàm appositè hæc hodie dicta Christi recitantur: *Revelasti*, inquit Christus de Deo Patre suo, *parvulis*, caro & sanguis Christi postponitur & parvulus sive humilis præponitur. Mathias enim interpretatur humilis & parvulus, verissimum est illud Jacobi 4. *Deus humilibus dat gratiam.* Nec hæc sola est doctrina Jacobi, sed & omnium Prophetarum & Apostolorum. De sene religiosissimo narrât qui hebdomades septuaginta per rigidissimam inediam exegit, &c. 899. *Tom. I.* Certè uti navigium sine clavo non gubernari, ita nemo sine humilitate potest beari; sed hic jam nobis quæstio nascitur non facilis. Quid nempe sit humilitas? quâ definitione cognitâ patebit & Mathiæ dignitas, quæque rectè cuilibet nomen humilitatis & propriè obtigerit, & quod mirum est in re omnium nostrâ maximâ vix reperio responsum, quod undequaque satisfaciat. Narrat Climacus, &c. 897. *T. I.* Si verò nunc quis requirat, quinam è numero divorum maximi censendi sint? hoc responsum videtur dandum, qui humillimi. Est enim illa inter virtutes omnes Deo gratissima. Non solùm enim humilitas potens est creare Apostolos. Sed & priscis olim ad Dialecticæ leges tactè dici videtur: Superbia ex Angelo fecit diabolos, ergo humilitas ex diabolo poterit facere Angelos. Quam illationem esse rectam unica confirmat satis historia 2. *Paralip.* cap. 33. Manasses rex impiissimus quem diabolum potius quàm hominem dixisses multa mala operatus est *coram Domino juxta abominationes gentium.* 897. *Tom. I.* Sed nunc videamus quàm ea quæ de humilitate diximus Mathiæ conveniant. *Revita vitam.* Rectè ergo exclamamus: *Conveniunt rebus nomina sæpe suis.*

Epilogus.

Jure ergo merito Theologorum Princeps Thomas Aquinas asserit: *Humilitas est virtutum excellentissima & potissima, Deóque gratissima.* In unâ namque humilitate tota Christianæ vitæ disciplina consistit. Hebræi Sapientis dictum est: *Vbi est humilitas ibi & sapientia.* 900. *Tom. I.*

ALIA.

THEMA.

Discite à me quia mitis sum.

Morale.

Nihil magnum, nisi quod simul & placidum.

Exordium.

LAudabile hoc prisci cujusdam effatum est. *Nihil magnum, &c.* Nam omne quod natura invalidum est, est & querulum, & imbecillia quæque lædi se putant si tangantur. Nec dissentit Christus ipse, qui non aliis quàm mansuetudinis armis & comitatis voluit catafractos suos Apostolos: *Discite*, inquit, *à me*, &c. Neminem Christus unquam ad se venientem repulit, neminem sine beneficio dimisit. Pauperes elegit, humiles & parvulos admisit, tubas docuit, ægrotos visitavit, proditoris osculum non refutavit, & pro ipsis etiam tortoribus demum oravit. Verè rex apum Christus non aculeatissimus, verè Leo, verè mitis & humilis, nec alios voluit esse sui sequaces, quia certè *nihil magnum* ut patebit statim clarius. 766. *Tom. I.*

Prosecutio.

Sapienter Philosophus à Corduba: nullum est, inquit, argumentum magnitudinis certius, quàm nihil posse, quò instigeris, accidere. Ut enim pars superior mundi ordinatior, ac propinquior sideribus, nec in nubem cogitur, nec in tempestatem arripellitur, nec versatur in turbinem, omni tumultu carent, inferiora verò fuminant. Eodem modo animus sublimis, quietus semper, & in statione tranquillâ collocatus, intra se premens, quibus ira contrahitur, modestus & venerabilis est & compositus. Rectè cecinit Lucanus.

Lege Deum, minimas rerum discordia turbat.
Pacem summa tenent.

Unde & sanctorum hominum peculiaris & maximè propria virtus semper fuit mansuetudo, quæ Deo hominem reddit quàm simillimum, *& beati mites quoniam ipsi possidebunt terram.* Moses si beato Dionysio credimus, ideo Deo familiarissimus quia mansuetissimus. Nec aliud est quod Christus Dominus significantiùs jusserit, ut id à se discceremus quàm mitem esse ac humilem. Palladius refert, &c. 766. *Tom. I. Recita omnia consequenter prout scribit Auctor.*

ALIA.

THEMA ET MORALE IDEM.

AD mansuetudinem Christianam seu comitatem exercendam maximorum præceptis & exemplis impellimur. Tarsensis Paulus Neophitas Romanos erudiens: *Obsecro*, inquit, *vos fratres*, &c. Rogat cùm potuisset imperare ejusmodi jussu: Hoc faciendum aut adversarium me vestrum sentietis. Non ita Paulus, non ita Mathias, non ita alii Apostolorum, sed egere precibus, &c. 645. Christus hunc affabilitatis seu comitatis pulcherrimam virtutem & verbis docuit & exemplis divinissimis monstravit. Nam velut ludimagister ludum aperiens, *Discite*, inquit, *quia mitis sum*, &c. Alioquin vitam omnem inter litigia & turbas acturi. Cum apud superbum Pharisæum hominem Christus ageret, &c. Revera hæc una res summi momenti est. Quantæ ubique lites ac discordiæ caverentur, si suavis verborum lenitas & mansuetudo in promptu nobis foret. Austera & aspera verba tam provocant rixas quàm inflammant & alunt &c. Quo tandem modo Moses ultra sexdecim centena millia hominum, rebellem, refractarium, durissimæ cervicis populum gubernare potuisset, nisi hoc oris melle uti voluisset? 445. *Tom. I.* Nimirum suaviloquentia mater benevolentiæ. Nec virtuti huic deest primum, *Beati*, inquit Christus, *mites, quoniam ipsi possidebunt terram.* Sed quomodo hoc verum est, ô Christe, Nunquid Apostoli tui viri altoquin mites ubique locorum sedibus suis pulsi sunt? Ita Paulus, ita Petrus, Mathias, &c. Quomodo igitur promissum tuum verum est? ne desinas quæstioni responsione brevissimâ exponimus promissum. 1. Sunt qui mansuetis ac melliloquis hominibus productiorem vitam promitti asserant. 2. Nemo dignior mansueto possidere terram, &c. Sed nunc objecias, &c. 646. *Tom. II.*

ALIA.

QVÆSTIO MORALIS.

Vtrum Beatus Mathias per virtutem humilitatis, promeruerit ut à Patre cælesti revelaretur, cum assumendum ad Apostolatum.

S. Mathias ad Apostolatum electus est per sortem, ut constat Actuum 1. ergo S. Mathias per virtutem humilitatis non meruit vocari ad Apostolatum. In oppositum facit quod habetur Matth. 11. *Revelasti ea parvulis*, id est, humilibus. Ad argumentum dicitur, negando consequentiam, & ratio est, quia hoc quod sors super Mathiam ceciderit hoc fuit merito virtutum suarum, & maximè merito humilitatis, in quâ excelluit. Ad quæstionem verò respondeo per unam conclusionem quæ talis est. Beatus Mathias meruit provehi ad Apostolatum per virtutem suæ humilitatis charitate informatæ; habetur enim Luc. 14. *Qui se humiliat exaltabitur*, & maximam habemus apud Theologos, justitiam, nempe divinam & humanam requirere, ut merito reddatur præmium, & merces labori, & exaltatio humilitati. Quia ergo Mathias humilis fuit, Deus hac hac exaltatione Apostolicâ eum dignatus est. *Consule nostram concionem primam in hoc festo formatam, & lege fol. 328. & 329. Tom. 2.*

ALIA.

QVÆSTIO MORALIS.

Vtrum divinatio sortium sit licita?

Videntur ea esse licita quæ à Sanctis in S. Scripturâ leguntur observata: sancti verò viri sortibus usi sunt, ergo. &c. Sic enim Mathias sorte ab Apostolis in Apostolatum est electus. In oppositum facit quod habetur in Decretal. 26. Q. 6. Sortes, quibus cuncta vos vestra discriminatis vestris provinciis, quas Patres damnaverunt, nihil aliud quàm divinationes & maleficia decernimus. Quamobrem volumus omnino illas damnari, & ultra inter Christianos nolumus numerari, & ne exerceantur Anathematis interdicto prohibemus. Igitur ad quæstionem respondemus per tres conclusiones breviter. Quarum *Prima* talis est, Sors proprie dicitur, cùm aliquid fit, ut ejus eventu considerato, aliquid occultum innotescat, ut puta cùm accipiuntur festucæ inæquales, & qui habebit breviorem sit talis vel faciat &c. *Secunda* impositio: Sortes quadrupliciter in peccatum incidunt, 1. si absque necessitate ad sortes recurratur. 2. si quis in necessitate absque reverentia Dei sortibus utitur. 3. si divina oracula ad terrena negotia convertantur. 4. si in electionibus Ecclesiasticis, quæ Spiritus Sancti inspiratione fieri debent, aliqui sortibus utantur. *Tertia*, si necessitas immineat, licitum est cum debitâ reverentiâ sortibus divinum judicium implorare, iorteque consultare, quæ fit cùm inquiritur si quid agendum est; quæ fit causâ necessitatis ad sciendum quid faciendum sit, quia aliter nec scripturæ auctoritate vel alio quovis auxilio fieri potest, non est illicitum uti: Per quam propositionem satisfit argumento ad partem negativam facto. Tu verò, mi Christiane, si quando vel res aliqua à te quæritur, vel dum officium requiris, &c. dubitásque an tale dignitatis officium tibi foret salutare, non aliâ quàm tali hac sorte exquire. Primò in talis rei ambiguitate non tantùm quære quid Dei aut Ecclesiæ leges suadeant, aut velint, sed quid iisdem magis aut minùs conforme sit. &c.

Festum Annuntiationis Beatæ Mariæ Virginis, require inter Conciones Marianas nostras.

FESTVM APOSTOLORVM PHILIPPI ET IACOBI.

THEMA.

Non turbetur cor vestrum.

Morale.

Mente generosâ adversa quævis excipienda.

Exordium.

Præscibat Christus omnes tempestates & procellas, quæ Jacobo & Philippo futuræ erant, quare ut terreno & tranquillo animo forent, præmonet ut mente generosa ea omnia excipiant & digerant, his verbis: *Non turbetur cor vestrum*, id est, nolite contristari, aut quovis modo impatientes esse. Notandum autem est priusquam ad conceptum nostrum morale plura dicamus, Theologis duplicem esse tristitiam. *Una* secundum Deum est *quæ pœnitentiam in salutem stabilem operatur*. Hanc etiam sensere Sancti nostri, cùm nempe spoliarentur, cùm ad tormenta raperentur, cùm inopiâ, morbis, doloribus exercerentur. Sentiunt hæc amici Numinis. 611. Sed adversus Deum nil querulæ vocis emiserunt, cor suum semper servaverunt virgineum, ut statim dicam latiùs. *Altera* est tristitia adversus Deum, quæ Deum obliquè ferit. 612. Tom. 2. & hoc non est sanctorum sed impatientium, quales orbis habet modò plurimos.

Prosecutio.

Cassiodorus lib. 7. Variar. scribit de quodam fonte Romano: Currit aqua virgo sub delectatione purissima, quæ ideo sic appellata creditur, quod nullis sordibus polluatur. Nam cùm aliæ pluviarum nimietate terrenâ commixtione violentur, hæc aërem perpetuo serenum, purissimè habens unda metitur. Cui reverâ fonti simillima fuere Sanctorum horum corda. *Narra aliquid de amborum vitâ.* Talis & fuit olim Tobias, Job, ut fileam tot centena millia martyrum, qui quævis adversa & tormenta adinstar struthionis, digessère stomacho, & mente generosâ. Aristoteles, Cælio teste, ob indefessum legendi studium ἀναγνώστης χαλκέντερος est appellatus, quod ferrea haberet viscera, lector infatigabilis, sititor laboris & studiorum inexplebilis. Sunt inter Christianos animi robustioris, qui ferreis pæne visceribus quidquid calamitatis accipiunt mente generosâ & imperturbatâ accipiunt & digerunt. 612. Tom. 2. Sed illorum nunc numerus in orbe valde exiguus, quia impatientes sunt ubique plurimi. Plerique enim homines sunt adinstar arborum, quæ vere florent uberrimè, flos merus, adeò liberaliter totam arborem vestit, &c. Nos haud aliter hiatu ingenti promissores sumus amplissimi. 612. *Tom.* 2. En etiam sancti in adversis quasi cecinere & egere domino gratias, &c sed objicias: Hæc quidem commodè dicuntur, & docentur, sed aliud est dicere, aliud verò facere. 613. *Tom.* 2. sed dabo remedium, ut & in his sanctorum, *Auditores*, possitis esse imitatores. In omni re bonâ & malâ, quæ nobis obvenit duo semper sunt consideranda. 609. *Tom.* 2.

Epilogus.

Nos itidem ergo quomodocunque res succedant bene an malè, feliciter an infeliciter, suaviter an insuaviter, hilariter, an stabiliter, lentè, an dolenter, serenum an sit cælum an nubilum, ad causam illam primam semper aspiciamus, & imperturbatum cor nostrum servabimus. 610. Tom. secundo.

ALIA.

THEMA.

In domo Patris mei mansiones multæ sunt.

Morale.

Laborem lenit spes lucri.

Exordium.

Mirari libet nec immeritò cùm injicitur mentio eorum hominum, quos nunquam expugnavit tristitia. Socrates Philosophus uti serenum & innube cælum, quod totis diebus ridet, semper lætis sibique similis nullis tristitiæ nebulas ostendebat. B. Antonius, Martinus, Iosephus Anchieta, &c. 208 *Tom.* 1. Quânam inquies, id ratione fieri potest, cùm omnia tædiorum, miseriarum, ac calamitatum plena sint? fieri certè id potest, non enim frustra Paulus inquit & monet, *quasi tristes, semper autem gaudentes*. Docet hanc possibilitatem hodie Christus. Apostolos enim suos, etiam inter affutura adversa, jubet esse imperturbato corde, Si quis verò tunc temporis illorum dixisset: quomodo hoc fieri poterit? Non aliter respondisset quàm his verbis: *In domo Patris mei.* q. d. tormenta omnia facilè superabitis, si mercedem cogitetis æternam; laboris enim omne tædium tollit spes præmii.

Prosecutio.

Spes certa cæli thesaurus maximus opimæ spei nihil difficile. Agricola tempestatum vicissitudines, hiemis algores, æstatis calores, patientissimè tolerat, seminat, occat, colit, orat, metit, terit, ventilat. Quò mercatorem una spes lucri non impellit?

Impiger extremos currit mercator ad Indos,
Per mare pauperiem fugiens per saxa, per ignes.

Spes lucri adhibet calcaria, & ad hos cursus provocat mercatorem. Miles in castris quantos labores, & quantò majora subit pericula? 206. *Tom.* 1. Spes ingentia potest cùm adest, præsertim cæli, quam providè Christus discipulis suis ingessit, Hebræus vates Ezechiel quatuor animalia inter se multùm disparia vidit, &c. 208. *Tom.* 1. Sed quomodo bos volare potuit, vel obesa tauri illius moles? dubitationem eximit idem Propheta dum subjungit, & *similitudo super capita animalium firmamenti*, hoc jussit volare bovem. Si igitur nunc quis requirat: Vnde tanta Apostolis in tormentis & in adversis patientia & constantia? respondeo, similitudo super capita eorum firmamenti, beatitudinem illam cælestem animo insculptam habebant, hoc erat quod exhilarabat, animum erigebat, bovi alas affigebat, Isaacides Jacob longè afflictissimus, &c. 208.

Peroratio.

Cùm nobis igitur tædia obrepere, cùm mœror instare, cùm nimiùm nos labor frangere, cùm dolor nimiùm urere videtur? videte requiem quòd sit bona, & terram quòd sit optima, & supponite humerum ad portandum. Ejus rei nos commonet S. P. Augustinus 209. *Tom.* 1. *Quomodo verò memoria cæli quotidiè in nobis sit instauranda, lege à fol. 211. usque 214. 200. Tom.* 1.

ALIA.

ALIA.

THEMA IDEM.

Descriptio magnitudinis cæli.

Magnitudinem & amplitudinem Christus explicans: *In domo Patris mei*, inquit, *mansiones multæ sunt*. Magna prorsus & incredibiliter ampla sit necesse est hæc domus, quæ citatissimo solis cursui immensum pænè spatium præbuit. Aiunt Mathematices & astronomiæ peritissimi solem horâ unicâ percurrere ducenta sexaginta millia milliaria Germanica, quorum quodliber duas requirat horas. 239. Tom. I. *Lege plura à fol.* 238. 240. Non desunt Theologi qui sentiant & censeant in cælo verè domos nobilissimas, amænissima ædificia, & palatia esse magnificentissima, non ad propulsandas aëris molestias, sed ad augendum civitatis illius decorem, cujus olim opinionis fuit Eborensis Academiæ primarius Theologus Ferdinandus Peresius. 240.

QVÆSTIO MORALIS.

Vtrum Christiani omnes debeant esse Martyres ut cælum obtineant?

MArtyrium videtur à nobis exigere Petrus, dum inquit, *Christus passus est pro nobis ut sequamini vestigia ejus*, sed Christus, *Auditores*, Martyrium subiit: igitur & nos tenemur sequi vestigia ejus, & Martyrium subire. Ad quod respondeo quæsitum; compendio. Erramus toto cælo, si cælum obtinendum credimus delicatâ vitâ

Non est è terrâ mollis ad astra via.

E Paradiso nemo in Paradisum transiit, testantur hoc hodierni Apostoli, beatique omnes. Religiosissimi scriptoris Thomæ à Kempis verba novimus: Non est alia via ad vitam nisi via sanctæ crucis, & quotidianæ mortificationis, Martyrio opus est: Ergòne omnes sanguinem fundere ut hodierni patroni nostri? Attendite, *Auditores*, duplex est Martyrium. *Vnum* est corporale, & est ubi sanguis effunditur pro amore Christi, & loquendo de tali Martyrio, dicendum est, quòd absolutè non teneamur tale martyrium tolerare, nisi quandoque nos urgeret necessitas. Necessitas autem esset, si vel negandus esset Christus, vel peccandum mortaliter, vel tolerandum martyrium. In his enim occasionibus omnino potius est quavis morte moriendum. Mori enim minus est quàm reum esse peccati. 526. Tom II. *Aliud* est Martyrium spirituale, quod fit sine sanguinis effusione, quando scilicet quis vincit mundum, nec propter adversa nec prospera ad aliqua illicita consentit. Iracundiam mitigat, libidinem fugat, justitiam custodit, avaritiam contemnit, contumelias patienter fert, inimicum diligit, quod Martyrii genus pro loco & tempore sustinere debemus. Igitur Apostolorum horum possumus esse imitatores sine ferro & flammâ, sic Hierosolimæus Rex David ignem & aquam sine igni & aquâ expertus est. 201. Tom. I.

ALIA.

THEMA IDEM.

Morale.

Pro varietate meritorum erunt præmia Sanctorum.

QVemadmodum varia seminis est fecunditas, hoc quidem centesimo, illud sexagesimo, tricesimo istud fœnore fructúque gaudet, ita prorsus inæqualis in cælo omnium nostrûm erit remuneratio. Apertissimè Christus hoc docet hodie: *In domo*, inquit, *Patris mei*, &c. *Quomodo*, subjungit Tertullianus, *multæ mansiones apud Patrem, si non pro varietate meritorum.* 250. Tom. primo.

ALIA.

Ad illa verba: *Domine ostende nobis Patrem & sufficit nobis*, doce rectè subjunxisse Philippum, Patris Dei dum peteret intuitum, *sufficit nobis*, quia hæc unica visio est primaria, summa, & verissima hominis beatitudo. Ita D. Thomas ingenuè fatetur dicens: Beatitudo creata ex hoc quod est fruitio Dei non potest fieri melior, sicut non potest aliquid melius esse Deo; quidquid enim desiderabile est in quacunque felicitate vel verâ vel falsâ, id omne eminenter in divinâ felicitate continetur. 251. & 253. *& sequentibus foliis. Tom. I.*

IN INVENTIONE S. CRVCIS.

THEMA.

Qui salutem humani generis in ligno Crucis constituisti.

Morale.

Quæsivit Helena Crucem, homines inventam respuunt.

Exordium.

CRucem Isaias rectè principatum appellat; est enim thesaurorum & mysteriorum crux plena: Sed priùsquam, *Auditores*, ad id quod concepi explicandum morale deveniam, parumper laudibus Crucis sanctissimæ inhæreo. Varii varia de hac Crucis quæritate & dignitate scripsêre quidam hanc Crucem Christi assimilant lignis Arcæ Noëticæ, ut enim ea ab aquarum diluvio familiam Noë tutavit, ita & hoc benedictum lignum omne genus humanum ab igneo æternitatis servavit diluvio. Alii assimilant clypeo Josue, quem levavit contra civitatem Hai, nec contraxit manum quam in sublime porrexerat, tenens clipeum. Alii Cytharæ David, &c. *Lege folii 353. columnam primam integram Tom. II.* Fuit verò hæc Crux longitudinis 15. pedum, latitudinis 8. Christo certè ponderosissima. Quibus præhotatis. 356. Tom. II. Venio ad conceptum morale.

Prosecutio.

Abimelech, quod Judicum fasti memorant, audiens viros turris Sichimorum pariter conglobatos ascendit in montem Selmon cum omni populo suo, & arreptâ securi præcidit arboris ramum impositúmque ferens humero, dixit ad socios: *Quod me vidistis facere, citò facite*. Igitur certatim ramos de arboribus præcidentes sequebantur ducem. Cur putatis, *Auditores*, hoc assumpsit armorum genus? cur non clipeum, telum, gladium, &c.? Omnia in figuris genti illi Judaicæ contigere. Verus rex noster Christus jam debellaturus mortem quæ Christi fuit hostis capitalissimus, nec mirum, cùm enim ille se vitam appellarit assiduè: *Ego sum*, inquit, *via, veritas, & vita*; quid novi gravissimis semper odiis mortem & vitam dissidere? Ichneumon quod Plinius memorat, &c. 443. Tom. 2. Ita etiam Christus loricatus & gladiatus adversus mortem processit jùsque mortis abstulit. 443. O acutum & pungentem ligneum crucis gladium! rectè canit Ecclesia: *Qui salutem humani generis in ligno Crucis constituisti*. Præcesit ergo Abimelech noster, sed ubi sunt in mundo modò qui sequantur eodem accincti gladio? Habuit quidem olim Crucifer noster dux Christus subsequentes & concomitantes. Erant nempe milites: sed ah! maligni hi erant comites, comitabantur enim non ut juvarent, & simul pugnarent, sed ut præeuntem illum ducem exsibilarent; quales maximè erant Pharisæi. Alii solâ curiositate. 355. Tom. II. Siquidem etiam magnum inter ipsos Christianos est discrimen. Sunt qui Crucem non Christum quærant, sunt etiam qui Christum quærunt, sed Crucem fugiant. 355. Tom. II. tamen è ligno salus, è calamitatibus gloria 659. Tom. II.

Epilogus.

Sequamur igitur ducem nostrum, & suum quisque arboris ramum humeris imponat, cum suâ, inquam, quisque Cruce præeuntem strenuè comitetur, si quem fortassis Crux nimium premat, non est pondus Crucis, sed defectus amoris. Hæc sanè, ô Christiani, erecta in cælum via est, via ferè unica & tutissima. 356. Tom. II.

Lege Auctoris Gymnasium patientiæ, & formare poteris plures conciones commodè.

In festo Venerabilis Sacramenti require primo Tomo.

FESTVM S. IOANNIS BAPTISTÆ.

THEMA.

Ille erat lucerna ardens & lucens.

Morale.

Raræ sunt lampades in quibus non deficit unquam oleum.

TImantes, ut refert Plinius, sui ævi facilè pictorum Princeps in tabulâ depicturus Cyclopem, Cyclopis corpus dormiens conjunctim pinxit; ita tamen, ut Pollex præemineret integer, tantus quantus erat, juxta quem Satyros quosdam appinxit thyrsis suis eundem dimetientes, quasi subindicaret Cyclopis integrum corpus, in exiguâ quamvis non posset depingere tabellâ, ex unius membri proportione tamen quantitatem ejus colligi posse: ut si quis scire velit quantû ejus fuerit caput, quanta manus? &c. poterit ex quantitate pollicis dimensâ, illud rescire. Adinventionem illam celebro, *Auditores*, dum imitor: Præclara sunt quæ de Joanne Baptistâ conscripsere varii. S. P. Augustinus eum sic laudat: Qui, quis Joanne plus est, non tantùm homo, sed & Deus. S. Bernardus: Joannes ubique majot est, in omnibus singularis, mirabilis super omnes. Et Christus ipse: *Inter natos mulierum non surrexit major Ioanne Baptistâ*. Alii alia edidêre & dedere testimonia. Unam ergo decantavero hodie ei laudem, ex quâ ut Cyclopis magnitudo ex pollice ejus, & sanctitas & dignitas colligi possit.

Prosecutio.

Cyrillus, *Auditores*, loco verbi *Lucerna* legit lampas ardens, cujus oleum fuit Spirit. S. gratiâ, quâ & in materno existens utero fuit repletus, cujus lychnus finis legis & demum lumen ipsa veritas. Adhæreamus Sancti hujus interpretationi. *Erat lucerna* &c. Eæ lampades sunt raræ, si tamen tales inveniantur, quarum flamma & lumen non solùm intra penettalia domus lucet & scintillat, sed & ubicunque transportatur inter quævis etiam spiramina. Si, inquam, tales industria humana conficere posset, passim omnes eas emerent ancillæ, crediderim qui aliquando noctu surgere debent, ut ebrioso, & sicco hori palato subveniant. Quid verò possit humana industria, jam non inquiro. Divina illa bonitas tales quatuor con-

fecit lampades, quæ semel succensæ arsere & luxere semper. Talis fuit lampas humanitatis Christi, S. Mariæ Virginitas, Joannis Baptistæ sanctitas, & Josephi innocentia & justitia. De aliis tribus aliàs, nunc de S. Joanne agamus. Semel, ubi hæc fuit accensa lampas à Christo, in utero ejus materno semper arsit, luxit semper, nullum unquam passa defectum; & quamvis lampades omnes Christianæ mentes dici possint, & quod in utero adhuc existenti illi est collatum, conferatur omnibus in Sacramento Baptismatis, emundatio scilicet ab originali peccato, & collatio gratiæ sanctificantis aut justificatis; hoc tamen illi particulare fuit à Deo datum quod ita natus vixisse fertur, ut illud lumen gratiæ justificantis nunquam passum fuerit defectum. Nostra vero justificatio vel sanctitas collata per baptismum instar fumi paulatim evanescit. Quàm sæpe, *Auditor.* lampas omnium nostrûm extinguitur, & etiamsi ignili sacramentali Pœnitentiæ reaccendatur, rursum minimo exsurgente & flante tentationis vento lumen & lucem & fulgorem amittit. Vultis quantum à Joannis sanctitate distemus scire, videte quales quosdam nostrûm describat Petrus: *Hi sunt*, inquit, *fontes sine aquâ, nebulæ turbinibus exagitatæ.* Quasi dicat: Quidam homines ad instar fontium sunt, sed aquâ carent, ad instar lampadum sunt, sed oleo vacant, &c. *Lege à fol. 677. usque 679. Tom. 2.*

Epilogus.

Igitur dum justificati recedimus, & accensi ab ipso pœnitentiæ Sacramento collatam gratiam & justificationem sedulò custodiamus, in hoc quantum possibile est, et S. Joannis imitatores. Inanes namque sunt lachrymæ, falsâque est pœnitentia, si finis commissi mali, gradus est futuri, 679. *Tom.* 2.

ALIA.

QVÆSTIO MORALIS.

Quomodo S. Ioannes cognoverit Christum existens in utero materno.

QVæritur hoc à quibusdam, *Auditores*, & illam ex parte pro ratione temporis discutiemus. Erit è re nostrâ. Dein eam quam elicituri sumus moralitatem. Si quis sentiat hoc fuisse Joanni donatum per accelerationem usus rationis, non videtur bene & recte id posse dici: Nam quando Deus aliquod alicui concedit donum, illud ab eodem non aufert, nisi ob solum peccatum. Nam uti Phalangius, &c. unico ictu hominem interimit. 600. *Tom. 1.* Itaque solum peccatum est privatio infiniti boni, & mors, & ablatio gratiæ. 526. *Tom. II.* In sancto autem Joanne Baptista nullum fuisse peccatum, omnium Patrum stat testimonio; imò ne quidem cum venialis peccati volunt fuisse reum. Ergo si in eo acceleratus fuerit usus rationis, etiam verum erit dicere, Joannem nunquam fuisse eo privatum. S. Thomas Theologorum princeps dicit Joannem usum rationis habuisse illo momento, aut tempore, quo in utero materno exultavit. Nam Spiritus S. illustratione Dominum præsentem sibi esse cognovit. Nam uti naturaliter fieri non potest, quin ignis suos sibi approximantes calore suo calefaciat, ita non potest esse præsentia Spiritus illius in nobis, quin & fiat communicatio gratiæ. Quare, *Auditores*, sæpe accedite ad mensam illam Eucharisticam, nunquam enim Rex ille Deus, nostrum subintrat tectum, quin & sui relinquat & imprimat vestigium: & prout major præcessit præparatio, eò & major subsequitur gratia. 856. Tom. I. Qui tamen usus rationis, ut volunt plurimi, postea à Joanne subtractus fuit. Cur hoc fecit Dominus? Nullum erat in eo peccatum, & solùm propter peccatum ut antè assumpsimus, concessæ gratiæ auferuntur. Sed notandum est hæc duo esse distinctissima, gratiæ gratis datæ & gratia gratum faciens. Hæc non aufertur ab homine nisi ob peccatum, sed hæ etiam auferuntur promiscuè, sic quandoque à nobis recedit spiritus propheticus, fervens devotio, & subintrat in nos mentis ariditas, &c. etiam sine culpâ. Quare culpandi sunt ii, qui nil pium, puta legere, communicare faciunt, nisi & sapiat & delectet, similes infantibus illis qui confiteri nolunt, nisi eos saccaratos & dotatos imagine remittat Sacerdos. 86. & 87. Tomo primo.

ALIA.

THEMA.

Nequaquam, sed vocabitur Ioannes.

Morale.

Omnia ad normam divinæ voluntatis sunt exequenda.

Exordium.

VOces hæ pessimæ sunt sanctis omnibus semper ignotæ *Nolo, Non volo, Non sic, Nolumus*, & Deo ingratissimæ. Luculenta nimium exempla in oculis sunt. Unicum Luciferi & asseclarum superbum *nolo*, cùm homini Christo nollent se submittere æternis eos flammis addidit. Punit nempe Deus omnem à se aversionem, quomodocunque demum ea, vel quantulacunque ex causâ fiat. Notæ sunt verò & familiares viris sanctis hæ voces: *Dominus est, quod bonum est faciat in oculis ipsius. Non sicut ego volo, sed sicut tu, Fiat voluntas tua.* Cùm enim veracissime Thomas Aquinas dixerit: Omnes actiones cum virtute conjunctas, eâ ratione Deo probari, si eo fiant animo, ut divinæ voluntati obtemperetur, ita ut nullius etiam meriti, &c. 523. *Tom. I.* Hinc omnes sancti maximo incubuere studio, ut cuncta non ad aliam, quàm ad normam divinæ voluntatis exequerentur. Inter quos Elizabetha hodierna nostra puerpera meritò annumeranda est, quæ reclamantibus hac die cognatis omnibus, & eorum spreto consilio, quod erat carnis & sanguinis, Dei voluntatem solam expletam voluit, hinc, inquit, audacter: *Nequaquam, sed vocabitur Ioannes.* Idem nos & in omnibus debere facere docturus sum.

Prosecutio.

Hæc doctrina aurea est, *Auditores*, complectitur enim præceptiones & doctrinas Christianorum, estque omnium virtutum apex & perfectio; proinde hanc à suâ voluit cultam familiâ pia puerpera Joannis Mater. Nec revera cùm in omnibus Deo sint agendæ gratiæ, maximè beneficio aliquo impetrato singulari. 659. *Tom. II.* Non poterat Elizabetha jam facta fœcunda, gratiarum actionum genus, nullumque Deo gratius sacrificium offerre, quàm voluntatis propriæ resignationem. Familiaria fuerunt olim post beneficia tam accepta quàm à Deo impetranda sacrificia, sed nullum hoc resignationis sacrificio præstantius. Quorsum putatis divinum illud numen viros illos priscæ legis Noëmum, Abrahamum, Josephum, tot ærummis ac calamitatibus exercuit? liberales satis erant, sacrificia offerebant, sed unum sacrificii genus volebat ex iis extorquere, cantilenam illam postulabat: *Et tu Domine, Domine fac mecum*, &c. 661. *Tom. II. recita omnia consequenter & verbis Auctoris conclude.*

ALIA.

QVÆSTIO MORALIS.

Quomodo verum sit: Inter natos mulierum non surrexit major Ioanne Baptista?

VErte natus est de muliere Christus & Joannes. De Christo enim sic loquitur Apostolus ad Gal. 4. Natus ex muliere, Christum verò majorem Joanne, Joannis docet testimonium, *cujus*, ait, *non sum dignus corrigeam calceamenti solvere.* Quomodo ergo verum est testimonium Christi de Joanne pronuntiatum, *Auditores*? Ab illâ universalitate nascentium de muliere, excluditur Christus qui Virginis natus fuit. Mulier enim corruptam sonat, femina sexum, quâ prænotatione facta absolutè Joannes noster in natos mulierum major est, non corporis mole, sed sanctitatis decore. Duo sunt sanctitatis fontes primarii, quorum primus est, sibi nihil virtutis aut virium adscribere, quâ in re regium vatem olim fuisse exercitatissimum, hæc verba docent: *Tu es ipse Rex meus, Deus meus, qui mandas salutes Iacob, & in te ventilabimus cornua:* quasi dicat, etsi armamentaria mea omnia sint instructissima, &c. variæ sint meæ vires, sine dextrâ tuâ. Non enim egredieris Deus in virtutibus nostris 642. *Tom. II.* At quantum excelluerit in hac humilitate præcursor noster in lege gratiæ quis non novit? cùm se *vocem* appellarit, qui se præcursorem imò Angelum incarnatum nominare potuisset. Nec aliter quisque nostrûm rectiùs poterit de se dicere, vox sum, Instrumentum Dei sum: ut enim instrumenta à manu artificis, ita à Deo debemus dirigi omnes. Alter sanctitatis fons est Deo adscribere omnia, &c. *lege à fol. 642. usque 643. & accommoda Vitæ & actibus S. Ioannis Baptistæ. Vide etiam Tom. 1. Conciones nostras 2. & 3. Dominica Adventus formatas in laudem ejusdem præcursoris Domini, lege etiam Tom. 1. fol. 275. & invenies ibidem S. Ioannem fuisse Aulicum Herodis, sed non adulatorem qualesin aulis, tam spirituales, quàm sæculares sunt plurimi. & eo fine lege à fol. 589. usque 599. Tom. 1.*

FESTVM APOSTOLORVM PETRI ET PAVLI.

THEMA.

Quem dicunt homines esse filium hominis?

Morale.

Quomodo moderatè tuenda fama.

Exordium.

VEnerat quondam Jesvs Cæsaream Philippi, quæ civitas erat in terminis Judææ; dicta verò Philippi, quia Philippus Herodis filius eam innovavit. Nam antiquitus Lachis dicta fuit. Nominavit autem eam Cæsaream in hoc sese volens gratum præbere Cæsari Tyberio, nam si credamus Josepho antiquo illo historico, Tyberius dedit Philippo huic quartam partem regni sui: aliam etiam alii afferunt causam, & Cæsaream Philippi dictam volunt, ad differentiam alterius Cæsareæ Palæstinæ. At quæstionibus his curiosis omnibus omissis disquiramus quænam ratio habenda sit famæ: plerumque enim in famæ & nominis tutatione vel per excessum, vel per defectum peccatur, Famæ verò rationem habendam esse ex hodierno Christi cum discipulis colloquio patet.

Prosecutio.

Fama inter ea quæ hominî non inhærent bonum ingens; nam uti Isidorus Pelusiota, Bona existimatione melius ac præstantius nihil est, &c. 633. Tom. I. nec imperitè vetus Poëta

Vt fama est homini, exinde solet pecuniam invenire:
Ego si bonam famam mihi servasso, sat ero dives.

Fama bona cuique res pretiosissima est. Cui semel calcatur fama mille mortibus cadit, cura igitur nobis est habenda de bono nomine, hoc enim magis permanet quàm mille thesauri pretiosi, & magni: sed multi famam suam parvi, alii magni nimis æstimant. Itaque in tutando nomine hæc observanda: *Primo* ita vivendum est, ut omnes nos pro bonis habeant. Paulus enim alioquin vir semper humillimus ita scribit: *Christi bonus odor sumus Deo, in iis qui salvi fiunt, & in iis qui pereunt.* q. d. etsi non videatis in me forsitan tantam operationem miraculorum, quantam vidistis

vidistis in aliis, etsi donum prophetiæ non habeam, tamen quamvis boni aut mali sitis, ita vivo, ut nemo possit malè de nobis loqui, sed dicetis statim quomodo hoc quis egerit, qui ita vixerit unquam? Nimis familiare orbi est vitium detractio, & sæpe sæpius surdo maledicitur. 623. & 633. Tom. I. Fateor, *Auditores*, res verissima est, detractio commune præterquam sit vitium, etiam innocenti detrahitur; hinc quod ante monui, secundo hoc monito explico. Ita tenemur nos in conscientiâ gerere, ut nemo rationabiliter, & veraciter de nobis malè possit loqui, ita vitare omnia peccata & scandala ut nullus in nobis meritò scandalisetur, ita docet & explicat primum nostrum monitum alter Apostolus Petrus dum inquit: *nemo vestrum patiatur ut homicida, aut ut fur, aut maledicus, aut alienorum appetitor* si autem ut Christianus non erubescat, q. d. evadere maledicorum linguas hoc pæne impossibile: sed illæ non sunt curandæ. Quàm multa non dicta de Christo, quanta non scommata Petrus & Paulus audiverunt, quantæ bonorũ sunt irrisiones, quid non de Religiosis spargitur? Hi dicuntur avari, illi superbi, &c. quæ omnia nullatenus curanda sunt; satisfacit enim quis præcepto de non acquirendo malo nomine. Quia non das occasionem calumniæ, imò gaudere deberes quod injustè patiaris. Si autem, inquit, ut Christianus non erubescat, in hoc nobis exemplo fuere, hi Apostoli cædebantur virgis tanquam crucis candidati, at illi hanc ignominiam, &c. 685. Tom. II. Hebræi Pontifices & Sacerdotum Principes inter se anxiè disquirebant, quid faciemus hominibus istis? &c. 47. Tom. II. Non ita nos, sed tueri volumus famam, ubi non est læsa plerumque, & quidem mediis illicitis. 728. & 599. *Tomo secundo.*

Epilogus.

Non ita agamus Christiani medium in ratione tuendæ famæ sequamur, non ita famam curemus, ut eam nihil curemus; neque curemus eam immoderatè, examinemus quomodo patiamur an justè vel injustè, immoderata enim nominis sui existimatio in mala non levia impellit. 728. Tom. II.

ALIA.

THEMA.

At illi dixerunt, alii Ioannem Baptistam, alii autem Eliam.

Morale.

In proximi vitupero quidam graculi, in Elogio pisces muti.

Exordium.

Nihil est à veritate vel virtute remotius quàm vulgaris opinio. Illa enim nunc falsa pro veris, nunc vera pro falsis habet. Quid nostro hoc ævo litterarum & inscriptionum tituli non audent, quem non nobilissimum & maximè strenuum, quem non eruditissimum ac jurisconsultissimum faciunt? &c. 707. nam littera non erubescit. Certè vulgus ut facilè & temerariè judicat, ita sæpe sæpius errat. Patet in hodierno Evangelico textu, disquirente enim Salvatore, quid vulgus de se opinionis haberet, quàm ertonea tulerunt judicia! Alii enim illum Hieremiam, alii, &c.

Prosecutio.

Ita est, *Auditores*, nihil passim magis fit quàm nos invicem mutuis judiciis flagellare, neque in eâ tantùm quæ mali speciem præseferunt sententiam proferimus, sed in ea etiam quæ benignam interpretationem non tantùm admittunt, sed & exigunt. Iniqui judices sunt, si vilipendendus aliquis, vilipendimus egregiè; si laudandus, laudamus frigidè. Pauci certè Petri qui proximi dum encomiasten agunt veraciter & liberaliter agunt. Hinc vulgi voces parum curandæ, sed pergamus, Totus orbis hoc vitio temerarii judicii plenus est, & judicibus talibus scatet. 488. & 489. Tom. I. Sed & quàm frequenter errant, quàm sæpe eum existimant Hieremiam, quem Christum vocare deberent, quàm sæpe illos judicant malos; vel superbos, vel avaros, &c. qui boni sunt tamen, humiles, liberales? Nec hoc mirum, humanus enim oculus ad hæc interiora minimè pertingit. 490. Tom. I. Inter quæ hominis interiora maximè incognita est hominis agentis intentio, ex quâ cum culpâ & merita debeant discerni homo facilè decipitur, jámque illum vult & dicit Hieremiam, qui Elias dici deberet, &c. Phinees duos homines, &c. 486. Tom. I. & quæ hæc audacia vestra, ô Christiani, quæ turpior potest esse temeritas, quàm abditissima illa, uti est intentio, quæ nemini unquam præterquam suo Domino satis cognita esse potest, dijudicare? Rectissimè Franciscus Assisias. 490. Tom. I.

ALIA.

THEMA.

Tu es Christus Filius Dei vivi.

Morale.

Vnicuique conscientia Petrus est.

Exordium.

Quàm familiare sit ambitionis vitium hominibus, nemini arbitror incognitum est, hinc ille & quotidianæ curiosæ venationes, expiscationes, & voces: Quid de me ille dixit? quid dicunt homines? explicare illius de me opinionem. O mi Christiane, nunquid si cæcus ducatum cæco præstet ambo in foveam cadent? nulla ad præcipitium via prohior quàm per vulgi vestigia. Vis scire qualis sis & non decipi, Petrum tuum consule, ille non erit tibi adulator, si Hieremias sis, Eliam te non dicet. Si malus non te dicet bonum, non novit enim mulicos mores adulatorios Petrus noster, nec

Astutum vapido servat sub pectore vulpem. 596. & 598. T. I.

Sed vera tibi referet. Quis iste verò, vgtax sit Petrus! dicturi sumus.

Prosecutio.

Gaudent se homines, hominibus passim ostendere, utque vulgò Comœdi illi theatrales semper in alto consistunt, ita sibi & illi aliquod semper confingunt theatrum. Brevibus dico omnes videri volunt, sed laudari

Mens famæ avara ubinoxia est jactantiæ.

Non ita hi Apostoli, non ita Paulus: non audemus, inquit, inferere nos aut comparare quibusdam qui seipsos commendant. 703. Tom. I. Theatralis, inquit, non sum, intra meam ego me periculam contineo. Et rectè Paule, foris enim sunt plurimi, qui de occultis asseveranter quidem, de incertis confidenter judicant. 490. Tom. I. sed frequentiùs errant, nec ullæ talium commendationes proindè æstimandæ Intra cuticulam. Latet is judex, latet ille Petrus, qui re qualis es, & talem absque fuco iudicabit, nempe conscientia, cujus certè testimonium ut Petri hodierna die omnibus aliis Apostolicis præstitit, millenis aliis hominum prævalebit. Optimè ille dixit, qui dixit conscientia mille testes. Quid igitur hominum judicia requiris, & his tanquam certioribus inniteris, ex iisdem teipsum æstimans? Quàm crebrò voces illæ stolidæ emittuntur inter consortia: Quid isti & isti de nobis dicent? in ora hominum abibimus; in fabulas mittemur, in ore & sermone omnium erimus, &c. 598. Tom. 2. O mi Christiane, *Require diligenter in libro Domini & lege* inspice conscientiæ, inquam, librum, ut effugias gehennæ supplicium, & teipsum agnoscas, quamvis enim alii te laudent, dicúntque te Joannem Baptistam, Hieremiam, Eliam, aut unum ex Prophetis; illa tamen te hoc esse neget, quid juvat? Nam gracula est, taciturna nunquam, &c. *Lege à fol. 595. usque 599. Tom. 2. lege Tom 1. fol. 381.*

Epilogus.

Quocirca non quales sumus ab aliis quàm à Petro requiramus. Ut enim à Patre cælesti Petro Apostolo Christi revelata fuit personæ divinæ qualitas, ita & hæc conscientia omnia novit. 600. Tom. 2.

Festum Visitationis B. M. Virg. require in Indice Mariano.

FESTVM MARIÆ MAGDALENÆ.

THEMA.

Et ecce mulier quæ erat in civitate peccatrix.

Morale.

Tantum proficis, quantum tibi ipsi vim intuleris.

Exordium.

Nobilissimum Prisci scriptoris dictum est *Tantum proficis, &c.* est non nemo qui apud semetipsum dicat: Ego precibus, jejuniis vaco, concionesque audio, &c. sed vix quicquam proficio. &c. Quid obsecro causæ est? Vis, mi Christiane, ut tibi candidissimè respondeam? Magdalenæ non sumus, vim nullam nobis inferimus, an nescis illud Domini clarissimum? *A diebus Ioannis Baptistæ regnum cælorum vim patitur*, violentia necessaria est. Si verò Mariæ Magdalenæ vitam compendio tradere velim ut intendo nihil aliud dixero quàm vitam ejus meram fuisse violentiam.

Prosecutio.

Sed ante omnia curiosè ut assumptum probem, *Auditores*, videamus, quid sit violentia. Violentum est, quod contra naturam est. Scimus verò quàm à natura insitum sit adversarium odisse, pecuniam & lucrum amare, laudari ac honorari cupere, &c. Hæc natura nostra corruptior studiosissimè sectatur. Enimvero qui inimicos amat, contemni non metuit, &c. Hic sanè contra naturam agit. 876. Hos taliter & tam salubriter agentes David animat, &c. Nunc verò videamus, dum jam, ut credo, capitis, quænam actio violenta, seu quod violentum sit. Quàm hæc mulier peccatrix ad instar sanè alterius Sampsonis ipsum quasi cælum oppugnarit, in Pharisæi domum, medicum jam cognoverat intrasse, ergo hanc arripere occasionem præsentem statuit, quæ prima ejus fuit virtus & violentia. Est enim occasio observanda homini 637. aliquando enim elapsa nunquam aut redit aut ignoratur an reditura sit. 638. Tom. I. Itaque non prandii aut cenæ finem morata est, sed irruit, ut S. P. Augustinus loquitur, importuna convivio, opportuna beneficio, & pia quasi impudentia sanitatem obtinuit. Dein ad terram se projecit in pedes Domini. En aliud genus violentiæ, capillos solvit, &c. Ubi nunc estis delicatuli Christiani, conscientiæ labes uni patefacere quandoque quantum est vobis supplicium? sed publicè id facere & coram omnibus nunquid omni supplicio acerbius est? 876. Tom. I. Sed nos Magdalenæ non sumus violentæ, ut statim dicam, sed hoc prius præmittendum S. P. Augustini sententiâ,

sententiâ, aliam vitam vivunt bestiæ, aliam homines, aliam Angeli, &c. En, mi Christiane, tui jam arbitrii res est, eligè quam velis vitam, ad omnes non difficilis est transitus. 877. *Tom. I.* Sed violentiâ opus est, Magdalenæ oportet induere hîc personam, sed quid? personam induimus virginis illius regiæ, &c. 876. *Tom. I.*

Epilogus.

Itaque, *Auditores*, violentos nos in aggressu cæli oportet esse, ut dicere quisque possit, *Ego sic curro non quasi in incertum, sic pugno non quasi aërem verberans*, &c.

ALIA.

THEMA.

Lacrymis cæpit rigare pedes.

Morale.

Flere pium est quidem post peccatum, sed inter peccatores perquam est rarum.

Exordium.

ETsi causas plurimas flendi ubique habeamus, vix ullas ridendi, ridere tamen quam flere malumus. Annæus aliter philosophatus: *Cur fleam scio*, inquit, *nempe ob meipsum, nondum reperi cur rideam.* Assidua est unicuique flendi materia. Cur enim in hilaritatem risumque ergo convertamus animos. Ob præterita? jam abierunt illa. Ob futura? nondum adsunt; res planè incertissima. Ob præsentia? ipso transitu sunt, summa rerum omnium inconstantia, & vicina semper omnibus est ruina, &c. 354. & 355. *Tom. II.* Neque verò Christus fletum prohibet, nisi brevem illum & evanidum; nam diuturniorem ac necessarium imperat: *Filiæ*, inquit, *Hierusalem*, &c. Cruciatus suos plangi non vetat, sed causam. Rectè igitur lacrymis cæpit hodierna peccatrix lavare pedes Domini, nobis omnibus peccatoribus exemplum præbens.

Prosecutio.

Non legimus, *Auditores*, multam aut prolixam Magdalenæ petentis veniam orationem, nec ipsis verbis Christum respondisse peccatricis, sed quidquid respondit lacrymis respondit. Nunquid efficacius impetrasset & consultius fecisset, si adinstar Publicani exclamasset: Domine propitius esto mihi Peccatrici? Nequaquam, *Auditores*, nos sensus mutuos non nisi per verba intelligimus, hinc verbis cum hominibus duci rogatur & non solum lacrymis sermocinandum erat, sed cum ipso Deo efficacissimè magis lacrymis quàm verbis. Hoc idioma lacrymabile Deus probè intelligit, hanc linguam Christus placere sibi publicè ostendit. Rem probo, Herodis curiositati quondam & cunctis ejus quæstionibus nunquam respondit, &c. 355. *Tom. II.* At, quod mirum est, noluit Dominus passionem suam flendi materiam, sed causam tantùm passionis asserit esse justam peccatum commissum, *Auditores*, sola est justa ratio flendi. Imò cælum quasi ob peccatum aliquando ploravit. Cum enim sceleratus orbis, &c. 369. *Tom. II.* Cur Magdalena tam ubertim flevit, an forsitan ut olim sine sanguine, nunc etiam post peccatum sine lacrymis non fit remissio? Quid dicam contaminata conscientia oculos Magdalenæ velut spongias expressit, &c. Idem lacrymæ fecêre Davidi, &c. Verum, quod dolendum est, plurima nunc fiunt indies peccata, Magdalenæ plurimæ, publicæ, & occultæ utriusque sexus, sed quàm raræ lacrymæ. 369. *Tom. II.*

Epilogus.

Suam si quisque conscientiam timetur, habebit abundè cum Mariâ Magdalenâ quod defleat. O quoties sævum fodit in homine incendium! & quis tamen illud ullis lacrymis ut Magdalena extinguere molitur? Julius Solinus de Siculo monte ignivomo, &c. 369. *Tom. II.*

Plura de Lacrymis vide in Indicibus rerum utriusque Tom. V. Lacryma.

QVÆSTIO MORALIS.

THEMA IDEM.

Vtrum ad peccati deletionem necessaria sit ipsa contritio.

AD quæstionem hanc respondeo. Cùm peccatum nascatur per actum volendi ad quem sequitur delectatio, per actum nolendi ipsiusmet voluntatis ad quem sequitur tristitia, oportet ut destruatur, sed secundum S. P. Augustinum nihil est magis in potestate hominis quàm ipsa voluntas. Deus autem non requirit ab homine nisi quod in ejus est potestate, hinc Eccli xv. scribitur: *Ante hominem vita & mors, bonum & malum quod placuerit ei, dabitur illi.* Ut igitur illud simpliciter necessarium, sine quo finis ultimus haberi non potest, ut est medicina infirmis, vel apostematis incisio, sine quibus ipsa sanitas haberi non potest; ita ipsa fœlicitas æterna, quæ est finis ultimus humani generis, post peccatum sine contritione recuperari non potest. Quid enim utilius sacramento Baptismi? & tamen in adultis sine contritione non valet: fictè enim baptizatur, qui de peccato non dolet, unde sacramentum & non rem sacramenti suscipit. Insuper Eucharistia necessaria est, ut patet ex Joanne 6. *Nisi*, inquit veritas ipsa, *manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis*, & tamen si quis contritione non præviâ communicaret, judicium sibi manducaret & biberet. Super hæc omnia majus dicere possimus de passione Domini, de quâ Cayphas: *Expedit ut unus homo moriatur pro populo, & non tota gens pereat*, & tamen sine contritione non prodest ea, nam si oppositum crederetur, ita Judam sicut latronem salvari potuisse crederetur. Cùm ergo tantam virtutem habeat ipsa contritio sine eâ non valet profectò ulla confessio; imò sæpius ad salutem ipsa contritio prodest sine confessione ad salutem. Rectè ergo hæc contrita mulier fuit, impetrare dum urget criminum remissionem, ut verò & nos hanc præsticemus divinâ cooperante gratiâ voveo; tres autem sunt ejus actus. 290. *Tom. I.* Et talis noxas delet. 382. *Tom. I. Quomodo plurimi noxas suas defleverint vide fol.* 382 *Tom. I. Quomodo insuper verè Christi pedes lavat in terrâ qui eleemosynam dat pauperi. Vide in Indice rerum Tom. II. & primi. Quanta insuper sit potentia verus amor Vide à fol.* 901. *usque* 906. *Vide insuper in Conversione S. Pauli formatas conciones.*

ALIA.

THEMA.

Remittuntur ei peccata multa, quia dilexit multùm.

Morale.

Amanti nihil difficile.

Vidas Apologum recitans, sol, inquit, & Boreas decertarunt inter se uter expeditius viatorem vestibus spoliaret, &c. 904. *Tom. I.* Quod sol in homine viatore, hoc amor in quovis homine potest. Petrum in Olivarum clivo aspice, senem armavit amor contra exercitum. Sed Petro pæne fortior Magdalena adest, ilia præveniens solem pretiosis unguentis instructa, amore munita, quò tendit obsecro? &c. Sed Mariam Magdalenam verificare illud Bernardi ostendamus, insuper Arcanum grande ille deregens Christi his verbis opus meditabatur illustre & arduum Christus, &c. 904. *Tom. I.* Quàm hoc verbum! En Magdalenam è sordibus & flagitiis erutam & amore in Seraphim mutatam, divinæ charitatis alis sæpius de die in altum subvehitur, & inter cælum & terram quasi lis orta est, cælone an terræ sit assignanda. Cùm elevaretur eam sibi adscribebat cælum velut Angelum, velut è Seraphinis unum; at reclamans terra: Mihi detur, ait, quia mulier est, quia peccatrix est. Quâ in lite velut Judex amor sententiam dixit: jam pridem desiit esse peccatrix mutata in Angelum, quia dilexit multùm. Prò superi! inauditum est hydropicum aquâ satiatum esse, non minùs admirandum est amorem amore impletum dicere satis est, *dilexit multum*. Nil erat difficile amanti. 904. *Tom. I.*

IN FESTO S. IACOBI APOSTOLI.

THEMA.

Nescitis quid petatis.

Morale.

Quod certò nescis tibi expedire, noli ardenter expetere.

Exordium.

MAximus Tyrius è veteri Apologo narrat, regem Phrygiæ Midam auri cupidissimum aliquamdiu fontem è vino fluere jussisse, ad hunc sitibundus venit Satyrus, &c. 108. *Tom. II.* Hic Tyrius placet Apologus inquit, & latens sub eo veritas, quanti enim suum sibi accersunt exicium ardentibus votis & verè nesciunt quid petant.

Prosecutio.

Fit nonnunquam ut quis comparandæ vesti tabernam adeat & pannum petat. Hic sedulus panni negotiator officinam excutiens violaceum, prasinum, venetum multicolorem, &c. Pannum profert ut delectus sit emptori; at emptor coloris negligens, &c. 109. *Tom. II.* Non aliter, ajebat Socrates, orandum est, bonum aliquod & utile petendum. Quidnam autem illud sit, scit ille melius qui dat, quàm qui rogat: nos sæpissimè adinstar hujus Matris & discipulorum quod longè salubrius non impetraremus. Honores ut hæc petiit petis? Scis ipse plurimos tantò gravius cecidisse, quantò ampliùs ascenderunt. Conjugium petis amplum ac nobile? &c. Insignissimè hic Romanus Sapiens philosophatus: Sunt quædam, inquit, nocitura, &c. Cum multis Deus sic agit. Israëlis populus in solitudine importunis precibus carnes postulavit, &c. Petiit Paulus stimulum carnis à se auferri & responsum est illi: *sufficit tibi gratia mea.* Duo Zebedæi filii per matrem quam subornarant, assessionem in regno Christi petierunt, & responsum est: *Nescitis quid petatis.* Quid ergo petendum? Compendio res tradenda est, &c. *Lege à fol.* 108. *usque* 110. *Tom. II.*

Epilogus.

Nemo igitur petendo immodicus sit, immortalia præcipuè petamus & summa, quoniam, ut Ambrosius loquitur, non bonum tantum, sed & opulentum Dominum habemus. 111. *Tom. II.*

ALIA.

Index Thematum moralium.

ALIA.

THEMA IDEM ET MORALE.

SVnt plurimi qui se Dei amicos esse iudicent, & vix tamen eorum quæ petunt impetrant. Respondeo triplici rem omnem explico. *Primum* qui malè rogat quid missi est, si nihil impetrat. Hanc causam Jacobus Apostolus assignat. *Petite*, inquit, *& non accipitis eo quòd malè petatis.* Filii Zebedæi consessum in regno Christi petierunt, non impetrarunt. Ignem de cælo in Samaritanos præcipitari voluerunt, nec istud obtinuerunt, &c. *Recita omnia ex Auctore consequenter à fol.* 116. *usque* 118. *Tom.* 2.

ALIA.

THEMA.

Potestis bibere calicem quem ego bibiturus sum?

Morale.

Calicem mundi bibunt plurimi, Calicem Domini salutarem pauci.

QVantum amaverit hos discipulos Christus ex eo patet, quòd eundem illis propinatum velit calicem, quem ipse bibiturus erat. Sic enim summi favoris argumentum erat cum Hierosolymæus rex David è mensâ suâ famulo Uriæ regias dapes misit, &c. 29. Tom. 2. ita & fine dubio honoris est dum datur nobis è calice Domini bibere, sed quis ille potus regius, quæ dapes illæ Christi quas amicis suis mittit? penuria rerum omnium, nasci, vivere, mori extremâ in paupertate. Domini calix per omnia est commendabilis, non enim eum illi propinavit Judas Iscariotes, Herodes, Pilatus, &c. sed Deus pater. Sed amarum quidem continet potum, sed innumeris profuturus, in hoc enim potu latitabat humanæ gentis reparatio, inferorum expugnatio, &c. Nec ab alio nobis modo ejusmodi Domini calix propinatur, omnia enim nobis adversa à Deo proveniunt. 39. To. 2. Nec potus afflictionis est insalubris, nec est inimicitiæ, sed pacis signum 10. Hinc animosè calicem bibit Jacobus *Narra vitam.* At nos quomodo vivimus? calicem curarum & afflictionum, qui nulla ex parte commendabilis est bibimus libenter, & instar aranearum laboramus. 14. Tom. 1. Imò talis conditionis sumus, ut omnes omnino calamitates calicis Domini bibere recusemus, & tamen nullus beari potest, nisi simul & hunc biberit calicem. 2. Tom. 2. Pavidos enim non admittit cælum. 3. Tom. 2. Ne simus Ephraitæ. 244. Tom. 1.

ALIA.

THEMA.

Sedere autem ad dextram vel sinistram non est meum dare vobis.

Morale.

Imparia in cœlo gaudia, prout impar est in terris laborantium conatus.

DOcent hæc Christi verba in cœlo discrimen esse inter beatorum gaudia. Omnia cæli gaudia Theologi sic distinguunt, &c. 250. To. 1. Quid multis opus est, quid inter nos de hujusmodi controversiamur? *Unusquisque*, inquit Paulus, *propriam mercedem accipiet*, sed labor est impar; ergo & merces: proinde stultè petebant hanc discipuli dextræ sessionem, quæ non debetur nisi qui certaverit. *maximè lege à fol.* 250. *usque* 252. *Tom. primo.*

ALIA.

INdiscreta petitio in ipso dum laboris cursu petitur præmium, quod non nisi post laboris consummatum cursum rectè & justè dari potest. Sudore, sanguine, immortalitatis purpura emenda est 250.

ALIA.

THEMA.

Dic ut sedeant hi duo filii mei, unus ad dexteram, & alius ad sinistram in regno tuo.

Morale.

Ambitionis tentatio, nemini parcit.

NOvi orbis incolæ orientales Æthiopes, aliique sicut quasdam corporis partes, ita & caput solis plumis contegunt. Plumæ illis & vestes & pilei sunt. Suos etiam mundus pileos è discoloribus plumis conficit. Quid enim est ambitio nisi elegans plumarum connexio? &c. Quid honores & dignitates nisi plumulæ per aerem volantes? Hos tamen velut infantes sequimur ardentissimis studiis. Hæc ambitionis tentatio nulli hominum ordini parcit, non Christi amicis, non Apostolis, non ipsis Angelis, in Christi cœnaculum, in ipsum cælum penetravit hæc lues, *Recita omnia & lege folia* 704. 705. 706. *Tom.* 2.

IN FESTO S. LAURENTII.

THEMA.

Igne me examinasti, & non est inventa in me iniquitas.

Morale.

Aliter aliove fine nos Deus, aliter Diabolus & homines tentant.

Exordium.

ÆTerna quos amat sapientia hos probat, exercet, tentat, recognoscit, indurat. Res certa, ex oraculis divinis. Eos autem quibus videtur indulgere, quibus parcere, venturis servat malis. Erratis enim, *Auditores*, si quem judicatis exceptum à tentatione; veniet ad illum diu quietum suâ portio, veniet vel sub ipsum vitæ terminum. Quisquis videtur dimissus esse, dilatus est. De æternâ sapientiâ ita Siracides, &c. 737. Nec novi quidquam, nec miti est hominem omnigenis & perpetuis tentationibus incuriri.

Ausert coronam qui ausert adversarios

Sed inter hos probatos eminet S. Laurentius, examinatus revera severiùs non paupertate, non animi curâ aut dolore, malâ valetudine, aliove incommodo, sed igne, tormento scilicet severiori, nempe eum voluit inter primos sibi amicos adscisscere. Nam alio fine aliisve modis nos tentat Deus & diabolus, ut dicturi sumus.

Prosecutio.

Miramur non solùm, *Auditores*, imò horremus ad historiam martyrii S. Laurentii, forsitan quia ignoramus Dei in rerum dispositione providentiam, amicos enim ille suos per varios anfractus ducit ad portum cælestem. Nunquam tamen quod semper intendit diabolus, vult nocere, decipere, aut perdere. Hirudo admota ægro sugit sanguinem, ut se satiet; at medicus illam admoveri jubet ut ægrum sanet. Chirurgus ferro candente urit ægrum non ut lædat, sed ut læsum meliori valetudini restituat. Ita & tortor ignitâ forcipe hodie Martyrem nostrum jam assarum vertit & invertit, etiam sic jubente & hortante ipso martyre patiente. Ita Deus & diabolus dissimillimè tentant. Ille ad cælum per aspera vocat, iste ad orcum per amœna invitat, sed tentationes suas admirabili providentia & bonitate temperat. Quod omnium solatio promulgat Paulus: *Fidelis*, inquit, *Deus qui non patietur vos tentari supra id quod potestis*. Duodecim Domini Jesv Discipuli, &c. *Lege fol.* 712. & 713. *Tom. II.* Ne miremur ergo, inquit S. P. Augustinus de morte Christi disserens. Permittit Deus, & judicio permittit, permittit & mensurâ, numero, pondere, &c. *facit* nempe *cum tentatione proventum*. Itaque commune est Deo licet diversimodè, nos amicos suos tentare, examinare, probare, sed bono nostro, quare electum populum bellis variis exercens, &c. 713. *Tom.* 2.

Epilogus.

Nos igitur timeamus si quandoque nos Deus levibus quibusdam, ut sunt morbi, vexationesque aliæ corporales, quasi tentet & examinet, *Novit enim Dominus*, teste Petro, *pios de tentatione eripere, iniquos verò in diè judicii reservare cruciandos.*

ALIA.

THEMA IDEM.

Morale.

Ignis auro, virtuti tentatio, fulgorem auget & addit.

Exordium.

MAgnus ille Philosophus Aristoteles. 2. *de Gener.* docet motum solis in obliquo circuli esse causam generationis & corruptionis; si enim directè semper in Hemisphærium nostrum suâ luce ageret, suo ardore in tantum terram desiccaret, ut jam sterilem faceret: unde ad viventium conservationem necessarium est, ut quandoque sol in obliquo resplendeat. Eundem servat motum, ut ita loquar, suprensus ille Sol Deus, quos enim ad salutem ordinat & disponit, non semper illos directè aspicit non illos reddit divites, honoratos, &c. sed respicit eos frequentius in obliquo, finitoque eos tentari, tribulari, affligi. Dicta confirmat S. Laurentii historia, aliorumque Sanctorum vita. Sed quare puratis, *Auditores*, necessarius est ille divinus respectus & aspectus aliquando obliquus? Ut breviter ostendo.

Prosecutio.

Aurum unà cum aliis metallis terra mixtum difficilè & non nisi per ignem dignoscitur & distinguitur; in homine quoque satis aliquando difficile est veram quamvis virtutem, in specie ab indole naturali, & bonâ propensione dignoscere. Dum argentum & aurum in fornace sudant suam nobiliratem oculis non probant, ejusdem cum igne coloris sunt, merus esse ignis videntur; at ubi fornacem exierunt nitorem suum explicant: Ita nos planè dum solatiis & sensibus suavioribus aliis non caremus, &c. 686. Nimirum flores suavius halant contacti, odores non fragrant nisi pruens injecti. Ita Abel quis esse non poterit, quem malitia

Cain

Cain non exercuit. Hinc Deus notos volens orbi facere suos, & amicorum suorum perfectiones & virtutes, eos semper in tentatione possedit. Abrahami fidem & obedientiam celebrat orbis, sed unde orbi innotuit Abrahami fides? Siracides quæstioni respondet: *Abraham in tentatione inventus est fidelis*. Hæc autem tentatio non fuit, sed plures, Hebræi graviores decem numerant. 737. Tom. II. Unde nota Jobi patientia, Josephi castitas, Tobiæ fidelitas, Susannæ innocentia? scilicet ex obliquo respectu & aspectu solis ut terra redditur frugifera, ita per tentationem, & probationem, per tormenta virtus & virtutis possessores orbi innotescunt. 686. Tomo II.

Epilogus.

Fivio, *Auditores*, historiâ, ut dicta omnia in compendium referam. Narrat Valerius Max. Q. Fabium, &c. Ita Deus quos tentari sinit & affligi non contemnit, nec deserit, sed experiri vult, & explorare num sciant hominem Christi jium age? num munere suo ritè fungi? num tentati adversario se norint opponere? idque aliis etiam vult constare. 686.

ALIA.

INvitatus quispiam ad cenam magnam, ut purgaret absentiam: *Juga boum*, ait, *emi quinque, & eo probare illa*? Christus Dominus nos veluti suos boves allocutus: *Tollite*, inquit, *jugum meum super vos*. Quasi dicat; Agite mei boves vos jugo meo aptate, grandi satis pretio, nempe sanguine, vos emi, venio vos hodie probare. Ita egit hodie cum S. Laurentio, ita & agit cum omnibus amicis quos possidet. Notate verbum *Possidet*, Jurisconsultis possessio est quasi pedum positio, locum in quo pedem quis figit & quo lubet deambulat hunc possidet, sic Deus in bonæ mentis homine pedem quasi figit, eumque velut pavimentum calcat, sicque probat & suum facit, patet in S. Laurentio. Latius statim.

Prosecutio.

A Deo quærens Jobus: *Quid est homo, quia magnificas eum*? Hebræa phrasis ita loquitur: Quid est miser homo, ut cæterorum quasi oblitus, hunc unum magnifices? Jámque licea? dicere magnificus cinis. Sed quid Jobe mi, quid magnificare & magnificentiam appellas? hoc reipsâ est deprimere, persequi, affligere, humiliare. Hoc ita si sit certè magnificatus est Laurentius noster hodie. Quis enim ita visitari velit? Si Principum aut magnatum aliquis ex dignatione oculos in famulum conjiciat, ut dicat, videam num me amet? &c. 68. Jacobus omnibus Discipulus ad hilaritatem sanctam nos excitans, &c. Tentatio enim est fidelitatis ac fidei nostræ in Deum probatio. Cum examen instruitur ad Philosophiæ, vel Jurisprudentiæ supremam lauream obtinendam, examinandi juvenes non ut pueruli de Grammaticæ præceptiuncu?is interrogantur, non his quæstiunculis res agitur, &c. 687. sic Abraham, sic Laurentius rigidè est examinatus, nempe pro laureâ Martyrii, *recita omnia consequenter ex Auctore fol.* 686. *&* 687. *Tom. II.*

ALIA.

A *Dicta verba*: Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, *age de mortificatione gravi corporis nostri, & lege eo sine à folio* 874. *usque* 879. *Tom. I. & erit concionum formandarum abundans materia.*

Ad illa vero verba: Qui seminat in benedictionibus de benedictionibus & metet. *age de Eleemosyna*: est enim Eleemosyna messis geminata & rerum omnium incrementum; hoc Paulus paucis complexus est: *Qui administrat*, inquit, *semen seminanti, & panem ad manducandum præstabit & multiplicabit semen vestrum*. Credidit hoc ipsum Laurentius (*refer quomodo ante Martyrium pauperibus distribuerit thesauros omnes sibi commissos*) *& practicavit*. Eleemosyna verò similliima semini est ob multas causas; 1. Semen suo tempore sparsum in eam granorum fœcunditatem crescit, ut illud vix nostris oculis credamus, Eleemosyna expensa nunc, in hac vitâ semen est, in alterâ seges & messis est longè ubertima; 2. semen occultatur glebis, &c. 202. *Tom.* 2. Confirmat S. P. Augustinus dicta, hac sententiâ, &c. ac proinde Eleemosyna fuit sanctorum omnium cura prima & studium, potentissimum adjumentum. 203. *Tom.* 2, *&* 204. *Tomo eodem.*

QVÆSTIO MORALIS.

Virum dare Eleemosynam sit actus virtutis?

REspondeo dare Eleemosynam non esse semper actus virtutis nisi cum debito modo circumstantionatus, sub circumstantiis enim debitis actus est virtutis, vel ut principii scilicet cùm elicitur à virtute, vel ut terminus, scilicet cum datur à non habente habitum virtutis, disponente se tamen per hoc ad virtutem. *Circumstantias requisitas vide v.* Eleemosyna *in Indice rerum.*

Festum Assumptionis Beatæ Mariæ Virg. require in Concionibus Marianis Indice secundo.

FESTVM BARTHOLOMÆI APOSTOLI.

THEMA.

Et erat per noctans in oratione Dei.

Morale.

Omnis actio ab oratione inquanda.

Exordium.

NVlla est actio humana, in qua nos tam distinctè, articulatim & accuratè Doctor cælestis erudierit, atque in oratione: docuit nempe quid orandum, & ubi orandum, & quomodo, & quo fine, quóve animo, quáve causâ sit orandum; ut rectè dixerit Guilielmus Peraldus: Noluit nos negligenter addiscere, quod voluit tam diligenter docere. Ut latius occasione verborum Evangelii hodierni dicturi sumus.

Prosecutio.

Quæstionem si moveas, cur nempe Christus oraverit? asserimus statim ad institutionem nostram. Ludimagister cùm inter pueruios quos docet, litteras appellat & colligit non ex ignorantiâ id facit, sed ut instruat ignorantes. Ita feciſſe Christum docet &c. 101. Tom. 2. Lucas creberrimas has Christi orationes describit, &c. Imitati fuere Christum divi omnes. 100. Tom. 2. Quid verò orandum sit, quomodo, & quóve fiſſe, dicturi sumus aliàs; Nunc verò lubet videre, quando orandum sit, sive quæ Christus pernoctaverit in oratione hodie. Certè Domini exemplo nulla aggrediēda res est, aliter præsertim ardua, res autē erat ardua duodecim Concionatores eligere, qui orbem universum ad Christi signa transferrent, ac proinde electionem hanc orando inchoavit. Hujus defectu pleraque nostra infelicem sortiuntur exitum, Telam sæpius ordimur, sed Deo non consulto. 334. *Tom.* 2. Aliter cæstissima Judith facinus aggressura summè arduum, & multò quàm sexus ferret animosius, Holoferni supremo duci caput amputare meditabatur. 113. *Tom.* 2. sed objicias sunt qui precibus pæne nihil temporis assignent, nec actiones suas oratione inchoent, nihilominus negotia sua dexterrimè perficiant, & rerum suarum successum ad votum habeant. Esto, *Auditores*, nec invidemus: nam subinde Deo sic permittente, &c. 113. *Tom.* 2. *& conclude cum Auctore.*

ALIA.

THEMA.

Pellem pro pelle dabit homo pro animâ suâ.

Morale.

Quàm generosè & diversimodè sancti pro præmio cælesti decertarint.

CHristophorus Colombus, *Auditores*, suoptè ingenio id invenit, ut novum orbem retegeret primus, cùm autem res in magnâ gloriâ simul & invidia esset, ita evenit in convivio quopiam, &c. 200. Tom. 1. *recita consequenter Historiam* ita etiam beatitudo sive cælum gaudet ingeniosis inventoribus.

Inter omnia desiderabilia nihil est hoc novo orbe cæli desiderabilius: sed exposuit Deus, *Auditores*, illud venale. Quærunt quidem aliqui deliçatuli cur cælum suum Deus non det gratis? ad quod do triplex responsum. 217. Nostri igitur causa non gratis penitus cælum dandum est, nam beatitudo nobis tam suavis non accideret, nisi priùs fel gustaremus: post laborem dulce est quies; post famem grata refectio; post bellum jucunda pax. Aiunt eos olim Milites soli dicatos cum sacramentum dicerent coronam à mucrone gladii pendentem accepisse, quo ritu significabant victoriæ & coronæ laudem non aliter quàm ferri cuspide obtinendam. Ita Dei gloria, cœlum, venale est, non auro tantùm, sed & ferro obtinendum. Ita promulgat Paulus: *Non coronabitur nisi qui legitimè certaverit* Audivêre hoc viri sancti. 217. Tom. 1. & Deus bone quam admirandas inivêre pugnas? Quid ii non excogitarunt, utque certius auctiùique cæli præmium obtinerent? Quam novâ mandum arte delusit Alexius, &c. 201. Tom. 1. Hebræorum Vates Isaias. 217. Tom. 1. sed noster Bartholomæus dedit pellem pro animæ suæ obtinendâ gloriâ. Mirabilis adinvento. Solent homines calore nimio æstuantes sua sibi detrahere vestimenta, ita & Bartholomæus Charitate satis fervidâ in Deum æstuans pellem sibi detraxit, & Tyranno non tam dedit quàm ut eâ quasi vestiret Deum, pretiúmque cælo debitum persolveret. Manifestum amoris fuit signum Jonatham, Davidem suis exornasse vestibus. *Vide fol.* 806. *Tom.* 2. potuisset Jonathas donare torquem aut craterem aureum aut marsupium auro fartum, &c. Ita & Apostolus noster non caput, non manum, aut pedem, sed integram dedit corporis pellem, hoc est ardenter amare Deum & cælum. Frigidi cæli amatores, qui rebus caducis magis quàm Deo adhæremus. *Lege & compone Epilogum ex fol.* 220. *Tom* I.

ALIA.

Index Thematum moralium.

ALIA.

THEMA IDEM.

Morale.

Quisque peccaminosam suam exuat pellem.

DIxit ille qui noverat mores hominum, pro vitâ propriâ pellem esse dandam & erogandam. *Pellem*, inquit, *pro pelle dabit homo, pro animâ suâ*, at non solùm pro animâ suâ, sed etiam pro vitâ & spiritu Ecclesiæ pellem offerendam esse ostendit exemplo, Bartholomæus, qui priùs veris Spiritus Sancti fidem edocuerat. Sed (quod velim notent omnes) docet & monet simul nos omnes quam debeamus Spiritum Sanctum, ejúsque gratiam facere. Homo enim ubi eam perdidit sit animal miserrimum. *v. fol.* 571. & 807. *Tom.* 2. ut ergo status ille innocentiæ & justitiæ conservetur ponenda potiùs pellis. O virgines alibi Salvator scandalizantem jubet erui oculum. 456. ast nunc exigo pro tuendâ castitate, etiam integram pellem, si necessitas præsens urgeat. Sed vos, o adolescentes, vos, inquam, libidinosi, utinam pellem istam luxuriosam hodie exueretis? Et mirum est vos hac in re non esse proniores; est enim libido expellens propriè Spiritus Sancti gratiam. Hinc scriptum est Genes. 6. *Non permanebit spiritus meus in homine*. Utinam vos etiam avari poneretis pellem vestram exemplo serpentum, &c. *Die sic consequenter de vitiis reliquis, & consule Indicem rerum & nostrum Catechisticum* 2. *To. & require* v. Libido, Avaritia, Superbia, &c.

Festum Nativitatis Beatæ Mariæ Virginis require in Indice Mariano.

FESTVM S. MATHIÆ.

Require & consule conciones, quas formavimus in Festo S. Andreæ, Conversionis S. Pauli, & Mariæ Magdalenæ, in hoc Divorum Indice.

DEDICATIO S. MICHAELIS.

THEMA.

Angeli eorum semper vident faciem Patris mei.

Exordium.

SEnecæ nil efficacius quondam visum est extirpandis vitiis, quàm viri alicujus gravis præsentiam assiduo cogitatæ sibi proponere. Iisdem, mi homo, verbis te compello, quibus suum Lucilium Seneca: *Accipe*, inquit, *& quidem utilem & salutarem clausulam, quam te affigere animo volo. Aliquis vir bonus*, &c. Magna pars peccatorum tollitur si peccaturis testis assistat, aliquem habeat animus, quem vereatur, cujus auctoritate etiam secretum suum sanctius faciat, &c. Nil verius aut sapientius à calamo hominis non Christiani doceri potuisset. Verùm nos non spectare debemus nec intueri viri alicujus gravioris præsentiam, cùm circumstipati simus non solùm Dei præsentiâ continuâ, sed etiam legatis cælestibus, tanquam quibusdam arbitris & testibus, & quid enim nesciant aut non videant Angeli qui videntem & scientem omnia sciunt vidéntque obtutu perspicacissimo perenni juxta Evangelii verba: *Angeli eorum*? De illis igitur arbitris cælestibus, quorum primarius est Michaël, dicturi sumus, primò de eorum naturâ, formâ, obsequiis in homines, &c. & alia plura.

DE ANGELORVM NATVRA.

COnsiderate in primis, *Auditores*, mirificam in Angelis naturæ excellentiam, ob quam Angelus perfectus homo, Homo verò imperfectus Angelus dici potest, summâ præditi sunt rerum notitiâ, in gratiâ divinâ firmati, amoris divini plenissimi. Hos stellas matitunas rectè dixeris, aut purissimos soles, candidissima lilia; inter quæ cælestis sponsus supra omnem amœnitatem pascitur. Numerus verò eorum tantus est, ut (quod de eo verè Nazianzenus) mundũ novum constituant, qui nostrum numero longissimè superet. Job quidem quærit: *numquid est numerus militum ejus?* Daniel conatur sub calculum vocare. Aliqui Thomæ Aquinatis discipuli eam aiunt fuisse mentem Magistri, ut asserant plures esse Angelos sideribus cœli, avibus aëris, oceani guttulis, arenæ granulis, terræ herbulis & floseulis, &c. Mediolanensis Præsul Ambrosius, &c. Brigitta, &c. Hoc interim, *Auditores*, ne diutiùs huic quæstioni magis curiosæ quàm utili immoremur divinis testimoniis maximè congruum videtur, multò majorem esse numerum Angelorum, quàm hominum? Submittamus ergo curiosi ingenii alas, & scire hoc nostrum, tantisper differamus dum in aliorum Beatorum orbem deveniamus, interea numerosissimam hanc supremæ aulæ turbam veneremur. 305. Tom. 1.

ALIA.

DE ANGELORVM FORMA sive an rectè pingantur à Pictoribus?

FAciem florentissimi Juvenis pencillum illis rectè assignat: Juvenes enim sunt, nec ullum eos senium, aut morbus, aut annorum series corrumpit, forma nostra fragile bonum est; sed eorum, rigis auramis non fœdatur. Duplicem hìc nobis cogitationem inspiret noster in Angelos amor. *Prima* si minimus atque infimus Angelorum omnem humanam formam ita superet, ut illa hac ne quidem conferri velit, &c. quæ erit aliquando gloria tot millionis eorum aliquando intueri? *Secunda*, cura nostra sit quotidie juvenescere, non annis, sed castissimis desideriis, omni die spiritus innovandus est. Cadimus millies, millies resurgamus. 306. Tom. 1. Vestis verò eorum rutilans & plerumque nivei candoris visa est, teste S. P. Augustino. Quidni albam vestem gerant innocentissimi? Aliquando etiam in armis visi sunt. 306. Alas quoque divinis illis spiritibus appingimus, & rectè secundum Dionysium Areopagitam, eò quòd nullam corporis fœcem aut molem patiantur, & eâ amoris dulcedine Deo inhæreat, ac si in aëre penderent voluptate indefessâ. 307. Tom. 1. Gemmas etiam tribuimus Angelis & communiter Principi Angelorum Michaëli sertum cum cruce insignitum imponunt capiti Pictores, & congruè rationi ac litteris divinis. Ezechiel de omnium Angelorum hoc pulcherrimo. *Omnis lapis*, inquit, *pretiosus operimentum tuum*. Et fronte crucem præferunt, quia hanc dierum ultimo velut labarum ac trophæum sui Domini ad Judicii locum subvehent. 307. Tom. 1. Sunt verò depicti excalceati, quod in Dei legatis non est insolitum, excalceati fuere Moses, Elias, Apostoli, &c. 308. Tom. 1. Zonâ eos præcinctos vidit Daniel, quàm bene; sunt enim spiritus castissimi. 308. Tom. 1.

ALIA.

ANGELORVM OFFICIA.

OFficium verò horum cælestium spirituum ferè est quintuplex. Sunt enim *Cantores*, eorum enim munus est cum summâ reverentiâ & amore (quæ duo omnibus oraturis Deum sunt necessaria) Deum semper amare ac laudare. Sunt insuper *Oratores*, preces & vota hominum offerunt Deo, testes sisto ipsos Angelos, è quibus unus aliquis primarius Tobiæ inquit, *Ego obtuli orationem tuam Domino*. Vidit hoc Jacob etiam oculis clausis. Quid enim ille eorum descensus aut ascensus aliud significaret? Sed, *Auditores*, ut rem bene intelligamus, nunquid Angeli dum oblationes nostras Deo offerũt aliquid ei nuntiant, quod antè nesciant? 309. Tom. 1. Sed & alia insuper hujus est ratio, precibus nostris suas jungunt Angeli & hyemem nostrarum orationum igne suo temperant. Ita Hilarius, sed & illud notandum illos non solùm preces, sed & eleemosynas offerre. 309. Tom. 1. *Legati* quoque sunt, idque in summi momenti negotiis. *Protectores* sunt juxta illud David: *Angelis suis mandavit de te*, &c. Denique sunt *& belli Duces*, sine tormentis, sine commeatu, sine copiis pugnant, & copias quantumque maximas leni difflant halitu. Cùm esset Josue, &c. 310. Tom. 1.

ALIA.

ANGELORVM IN HOMINES OFFICIA.

ANgeli varia nobis miseris & afflictis præstant obsequia. Primò nos nascentes in suam fidem recipiunt. Sed ut omnia, *Auditores*, ordine referam beneficia, quæ nobis exhibent, Tobiæ & Raphaelis Angeli iter enarro: *recita omnia consequenter eo ordine quo ea scripsit Auctor à fol.* 310. *usque* 312.

Lege plura si voles pulcherrima à fol. 301. *usque* 321. *Tom.* 1. *& conciones habebis plurimas, & consule Indicem rerum* 2. *Tomi.*

IN FESTO S. LVCÆ.

THEMA.

Qui crucis mortificationem jugiter in suo corpore portavit.

MEdicum fuisse Lucam, patet ex Apostoli verbis: *Salutat enim*, inquit ille, *Lucas Medicus*. Verum non solùm medicus corporalis fuit, sed & spiritalis. Salutiferæ enim ex vitâ ejus desumi possunt informationes, quas compendio scribit Hieronymus, serviens Deo, ait, sine crimine pœnitentiam egit duram, unde dicitur crucis mortificationem in suo corde jugiter gessisse, in qua mortificatione sive pœnitentiâ finaliter perseveravit usque ad annum 84. Ecce, *Auditor*. quàm sanctè cœpit, quàm laboriosè prosecutus fuit, & quàm feliciter consummavit. De hac crucis mortificatione jugiter portandâ dicturi sumus.

Prosecutio.

Duo sunt Christi regna, *primum* quidem ligneum & insuave, sed aureum, *alterum* & gemmeum. De ligneo expresè cecinit Hebræus Psaltes, &c. Justinus Martyr arguit Judæos, quòd voculam illam *à ligno* eraserint. Verè Christus regnavit à ligno, ex altâ trabe jus orbi dixit.

Illum Judæa repudiavit, nos amplectimur; interim tamen sæpiusculè quærimur acerbiorem vitæ sortem, & malis nostris parum temperantem lachrymamur. O Christiani! quid hoc agimus durum etiamnum ligneum Christi regnum? sed ne cadant animi, sequetur gemmeum, *si sustinebimus & conregnabimus*. Subeat memoriam quod Ducibus, Regibus contingit aliquando: In venatum iit Maximilianus II. Imperator sequi jubet, &c. 262. Tom. 1. Idem omnes monendi sunt Christiani, hic in hac vitâ edendum est è ligneis scutellis, ex talibus comedêre sancti omnes & inter hos S. Lucas. *Narra vitam*. Sed nos refugimus has ligneas scutellas, hic volumus in auro & argento semper bacchari. Rogo Christiani, non pudeat præeuntes sequi. Si quis Militum munitissimam simul & opulentissimam urbem occupare possit, suámque facere, alia tamen via non pateat, quàm per illapsum fœraminis quo sordens aqua emittitur. Miles verò dicat, Præfecto non lubet per hunc canalem irrepere, meis ego vestibus parco, quas cœno & madore perderem, &c. 265. Tom. 1. Nunquid militi illi bene & rectè occinerem: Militum ignavissime, ô stultissime omnium mortalium! tu occasionem hanc negligis ut vestibus parcas? O Christiani, nos tales sumus, cælum occupare licet, spolia hic amplissima referre, nemini negatum: sed rependum subinde per foramen arctius, 266. Tom. 1. igitur judicatis parcendum esse vesti, indulgendum corpori? Tu si miles es, &c. 266. Tom. 1.

Epilogus.

Ut hæc altiùs insederint animo, te, mi optime Christiane, extremùm hic alloquor, sed Hieronymi verbis, quapropter moneo, & flens gemensque contestor, ut dum hujus mundi viam curritis non pariter Christum velimus habere & seculum, sed pro brevibus & caducis æterna succedant: & cum quotidie (secundum corpus loquor) præmorimur, in cæteris non nos perpetuos existimemus; ut possimus esse perpetui.

ALIA.

THEMA IDEM.

Morale.

Dii laboribus omnia vendunt.

CVm nostri nobis labores nimium difficiles, cum graves ærumnæ nimium videantur, nobis ipsi & quisque sibi objiciamus: En imbellis miles & Martyr, quàm etiam levia recusas pro Christo pati? non tibi ut pluribus aliis figitur rota præacutis ferramentis, in quo sursum deorsum raptandus irrequieto cruciatu, lacereris. Tantùm crucis mortificationem porta, verbulum unum taciturnus digere, tædiolum hoc non obmurmurans exhauri, hanc molestiam non impatiens perfer, &c. Quid hæres, quid cunctaris, num beatissimo non credis Paulo? *non sunt condignæ passiones hujus temporis*, &c. 254. Tom. 1. Omnes actiones nostræ quantumvis nobis videantur excellentissimæ etiamsi tales essemus vitâ & moribus, ut Evangelista ipse Lucas, si cum immortali præmio componantur, minùs sunt. Quidquid facias, quidquid perferas, cœlum est gratuitum donum, &c. & quanta sine ferro, &c. 254. Tom. 1. vide etiam 35. & 36. Tom. 2.

Ad eadem verba Ecclesiæ necessitatem de re Mortificationis. Ut enim, inquit Clemens Alexandrinus, silvescit vitis & in labruscas degenerat, nisi putetur; sic exorbitat homo nisi flagelletur. Appetentia nostra nunquam non in vetitum ruit, & effreni sæpe pruritu in noxia fertur, &c. Dei jumenta sumus, &c. & ut dicam rem totam, nostra contra nos conscientia testatur. Maxima ex parte nimium vivaces sumus, ardent in nobis cupidines & affectus indomiti, quia crucis mortificationem, ut canis Nilum, parcissimè libamus, juvat nos optimus Deus, &c. 30. & 31. Tom. 2.

IN FESTO SIMONIS ET IVDÆ APOSTOLORVM.

THEMA.

Hæc mando vobis, ut diligatis invicem.

Morale.

Nemo sibi nascitur.

DOminus Jesvs Rex cæli docuit discipulos suos, & totum humanum genus charitatem esse omnium virtutum maximam, sed nec tantùm docuit, sed etiam præcepit, & amorem quidem in homines hac lege imperavit: *Diliges proximum tuum*, &c. 760. Tom. 1. Nec solùm præcepit, sed & exemplum statuit seipsum, &c. Non potes pro alio caput tuum divovere, poteris saltem alterius pedes lavare. Lex una charitatis omnes omnino homines complectitur, præsertim veros Domini discipulos, ut docturi sumus. 760. Tom. 1.

Prosecutio.

Hoc Dei per orbem decretum est & constitutio, ut alter alteri sit adjumento, hinc discipulis suis omnibus omnino, omnes non contulit gratias, sed huic prophetiæ donum, illi eloquentiæ, prout Apostolus Paulus ait: *Divisiones gratiarum sunt, divisiones ministrationum sunt, divisiones operationum sunt*, quibus & utendum non pro libitu suo, sed Ecclesiæ ac proximi sui bono. Hinc ille vetors & nihil homo, non objurgatus tantùm gravissimè, sed & multatus est, qui acceptum à suo Domino talentum argenti defodit humi, &c. 653. Tom. 2. Proborum verò hominum exemplis ad hæc altera obsequia provocamur. Rex David ante regnum, Ambrosio teste, se pro omnibus offerebat, suam cum omnibus æquabat miseriam, partiebatur laborem. Zabulon & Nephtali summis præconiis efferuntur, quòd cum indiceretur bellum per Propheridem Deboram contra ducem Sisaram, relictis suis oppidis, in quibus quietè degebant, relictis suis prolibus, ad subsidium Reipublicæ se obtulerint. Atqui hoc etiam summi est promeriti, sua in omnes, quantum fieri potest, obsequia dispensare. 653. *Tom.* 2. Nihil agis, mi Christiane, si hoc non agis.

Epilogus.

Sicut ergo proximo subvenire signum est discipulatus Christi, ita non est divinæ, sed diabolicæ indolis, nemini precariò auxiliari velle. *Idem Dominus omnium dives in omnes.* Non dives tantùm, sed & liberalissimus in omnes. Hoc Patris divini mores sapit, operam, manúmque omnibus quibuscunque demum licuerit commodare. Hoc prisci, hoc & vetri nostri Salomonis præceptio est. *Hæc mando vobis, ut diligatis vos invicem.* 654. Tom. 2. & 655.

Aliam ad Thema idem lege fol. 832. *Tom.* 2. Omnes profectò ut unum, Christianus amor stringit, & complectitur. S. P. N. Augustinus hortatur serio nos omnes ad hunc amorem exstimulans ait: Illud fratres charissimi cum grandi tremore considerare debemus, quod in Psalmo terribiliter Spiritus S. dixit, *Folio vide notato.*

Ad illa verba: *Mementote sermonis mei, quem ego dixi vobis.* Prædixit hæc Magister ut præcogitarent ea discipuli. Quemadmodum peregrè ituro præmeditanda sunt, quæ in itinere solent contingere, fœda tempestas, viæ fractæ ac difficiles, hospitia egena, caupones fallaces, &c. quæ sanè peregrino tam graves non videbuntur si possit dicere, *Prævidi hæc omnia.* Hæc Christiana philosophia est. Interrogatus Diogenes quid in Philosophiâ didicisset prompte respondit: Prævidere adversa. Accaronitæ à muribus vexati mures aureos fecerunt eósque obtulerunt Deo, & malo remedium repererunt. Ita noster hoc ipsum sanat quod vulnerat, calamitas dum premit, erigit, &c. 58. & 59. *Tom.* 2.

Non est servus major Domino suo. Deus in filio suo abundè declaravit qui ratione servos suos in hoc orbe tractari velit, nam si filium longè charissimum unigenam flagellari sustinuit, quantò minùs famulis aut filiis adoptivis flagra subtrahet? Ah quid negamus? Pueri sumus inquieti, &c. 38. Inter flagellum & sceptrum, omnibus est pertranseundum. 676.

IN FESTO OMNIVM SANCTORVM.

THEMA.

Beati qui habitant, in domo tuâ Domine.

Morale.

Beatitudo est præsentia omnis boni.

Exordium.

HVmana desideria, *Auditores*, ad triplex præcipuè bonum excurrunt. Expetitur id quod decet, quod delectat, quod expedit. Sunt verò inter homines, quos delectatio sic rapit, ut nec honestatem ii curent, nec utilitatem, sunt qui quæstum & utilitatem sic appetant, ut honestum dissimulent & jucundum. Porrò alii tam voluptatis quàm utilitatis negligentiores, honorem solùm avidissimè sectantur. Hæc enim tria in tertis rarissimè conjuncta sunt; in cælo verò conjunctissima. Summa ibi utilitas, summa gloria, summa voluptas. Latiùs hoc confirmabimus.

Prosecutio.

Nihil in hoc terrarum orbe quod non suum habent hostem, & plerumque vicinum, nihil pulchrius, nihil nobilius virtute, illius tamen capitalis hostis est vitium, nunquam non ad latus hæret:

Semper odoriferis proxima spina rosis.

Sic sapientia fatuitatem, sanitas morbum, vita mortem habet proximam. 243. *Tom.* 1. Rex Alexander orbis Monarcha invictus, sed hoc quàm diu? intra duodecim annorum angustias tota hæc stetit felicitas. Militiæ dux Naaman, sed leprosus. Semper enim hic tandem, *extrema gaudii luctus occupat.* Extra cælum nulla sine amarore voluptas. In cælo solummodo vinum ponitur, his aquis non adulteratum. Platoni beatus est is, cui nihil deest boni. Cælestis beatitudo talis sola est. 244. *Tom.* 1. E Theologiæ meditullitio istud pronuntiatum est, nam Theologorum Antistes Thomas de Aquino, hoc beatitudini proprium censet, adjectionem non posse recipere. 230. *Tom.* 1. Omnes enim potentias & sensus nostri congruas habebunt delectationes. 232 *Tom.* 1. Voluptas oculorum, aurium, gustus, tactus, &c. erit ibi maxima. *Vide à fol.* 252. *usque* 260. *Tom.* 1. Quid ergo nos decipit, quid excæcat, quo minus votis omnibus cælum & beatorum omnium societatem ambiamus? dicam paucis. Ephraimitæ plerumque sumus. De his Oseas Vates: *Ephraim*, inquit, *vitula docta diligere triturare.* 244. *Tom.* 1.

Epilogus.

Epilogus.

Non ergo trituram, sed agriculturam amemus; non præsentes, sed futuras voluptates inhiemus; grave illi non erit trahere aratrum, qui seriò speraverit cælum, ubi erit absentia omnis mali, & omnis præsentia boni.

ALIA.

THEMA.

Satiabor cùm apparuerit gloria tua.

Morale.

Sanctorum summa est, cupiditas & saturitas.

Exordium.

DEus in magnâ hac universi totius domo tres habet contignationes seu tristega: Cœlum, terram, & inferos. Hæc autem inter has contignationes differentia est: In terrâ mixta omnia, gaudia suppliciis temperata, mel felli affusum, diei nox, hyems æstati, &c. 244. Tom. I. In inferno purè purissimè mala: in cælo purè purissimè omnia bona. Philosophi tres etiam regiones aëris assignant, quæ tribus illis contignationibus conferri possunt. In unâ inferorum regione tantùm sunt mortui, seu verius æternum morituri. De quibus Hebræus fidicen, *Non mortui*, air; *laudabunt te, Domine, neque omnes qui descendunt in infernum.* In hac mediâ partim vivi, partim mortui, in suprema tantùm vivi. Sed quod mirandum, *Auditores*, ibi penes illos summa est saturitas, & summa cupiditas. Quod ostendo.

Prosecutio.

Amor duplex est, *Auditor. Amicitiæ & concupiscentiæ.* Primus *Amicitiæ* non tam sibi quàm ei quem amat, optima quæque vovet. Alter *concupiscentiæ*, qui sibi benignus est, optátq; eo frui quod desiderat. Utráque hic amor conspecto Deo satiabitur abundantissimè. Beatæ illæ animæ Deum sibi præsentissimum habent, cui quidquid amore amicitiæ optarint, id ei jam adesse cernent. Sapientiam pulchritudinem, &c. At amor concupiscentiæ suavissimè satur, fatebitur iis sese delitiis frui, ut nihil ultra penitus ne quidem optare possit. E quo duplici amore tale redundabit gaudium, &c. 256. *Tom.* 1. Calluit hæc Hierosolymæus Rex David, qui quondam sibi hic in terris existens, quasi fuit congratulatus dicens: *Concaluit cor meum intra me, & in meditatione meâ exardescit ignis.* Jucundissimum fatetur se sentire calorem, ignes persensit suavissimos, sed tamen se saturum nunquam in terrâ professus est, sed oculos suos ad cælum elevans, animæ suæ ignitæ amore Dei, hoc dedit solatium: *Satiabor*, inquit, *cùm apparuerit gloria tua.* Vix capio tanto Principi hanc excidisse vocem, Rex opulentissimus erat, & tamen se esurientem fatetur mendicum. 245. & 246. *Tom. I. Ergo satiabimur cùm apparuerit gloria tua.* Sed forsitan hæc satietas tædio erit? nequaquam, *Auditor.* Apud nos quidem suavissimæ etiam voluptates tandem amarescunt & exspirant; at verò inter Beatos ut D. Gregorius loquitur satiati desiderabimus, & desiderantes satiabimur. In ditiorum ædibus quidquid paupertinæ tribui seponitur, &c. 247. Tom. I.

Epilogus.

Quid ergo nos ignavi ac desides laborem horremus? quid pœnas aversamur? Hæc dulcia non sunt, sed dulcis est laborum merces, immensum patientiæ præmium. Cum D. Francisco vel millies proclamandum: Tanta est gloria quæ nos exspectat ut meritò pœna omnis delectare debeat, satiabimur cum apparuerit gloria Domini.

ALIA.

THEMA.

Fluminis impetus lætificat civitatem Dei.

Morale.

E Dei visione omnis jucunditas Beatorum & gloria.

REfert Isidorus in Idumæâ fluere fontem, quem *Iob* nominant, & quater anno uno, colorem variare; Principio quidem pulverulentus fluit ac turbidus, dein purpuram induit ut sanguinolentus censeri possit, Tertio colorem parasinum. &c. 258. Huic fonti non est absimilis humana vita; Major pars limosa & turbida, nonnunquam sanguine infecta, & cruentis fluctibus, &c. succedit tandem, pellucidissimi fontis Crystallus, *Aqua viva, saliens in vitam æternam*, qui Crystallinus argenteúsque fluvius sanguinolentum turbidúmque rivum extrudit, imò nos in Deum transformat. Mirabilis fons hic est visio Dei, ex quâ quid fluat visuri sumus.

Prosecutio.

Ab æterno illo miraculo divinæ formositatis, quæ prorsus infinita, inæstimabilis, nihil sanè pulchrius aut formosius est animâ beatâ, quæ Deo tam similis, ut non possit esse cùm Deo major similitudo. Sed num hoc satis aut capimus aut credimus? Certè Theologorum illud exploratæ veritatis censendum est, quod illi his verbis enuntiant: Beatitudo est summa & perfectissima communicatio divinitatis, cujus mens Beati est capax. Quemadmodum verò vitreus aquæ caliculus, &c. 258. Tom. I. Momento certè in dignitatem regiam transformabimur, in Deum, visione Dei, ex quâ quæ nescio notitiæ resultabunt & fluent. Primò videbunt & vident beatæ illæ Sanctorum animæ, &c. In summâ videbunt omnia. 258. *Tom. I. lege etiam* 226. *Tom. I.*

Epilogus.

Quæ omnia meritò nos impellant, ut sibi quisque dicat & concionetur: Oculi mei, cor meum, avertite vos ab hominibus, qui periculosa vobis aut noxia ocinunt. *Adhuc modicum aliquantulumque qui venturus est veniet & non tardabit.* Tunc omnis voluptas jam saluberrimè subtracta fœnore millesimo redibit. Elias vates, &c. 258. *Tom. I.*

IN FESTO S. MARTINI.

THEMA.

Facere misericordiam & judicium magis placet Domino quàm victimæ.

Morale.

Nemo Sanctus, nisi & misericors.

Exordium.

MIsericordia ita innata sanctis omnibus censeri potuit, ut eorum soror sem dixerim. Horratur Paulus: *Induite vos ergo sicut electi Dei*, &c. Sancti omnes ex hac familiâ sunt, quæ vix certiore signo noscendam se præbet, quàm quod omnes hujus stemmatis viri, feminæque, viscera misericordiæ habent. Toti nonnunquam familiæ agnatum est litteram caninam R non posse commodè pronuntiare, subinde in vultu, aut oculis, alióve membro ingenitam habent maculam aut hæreditarium morbum. Ita Paulus loquitur electis omnibus ab ortu impressa est hæc nota misericordiæ: Ergo & vos, ô mei Colossenses, &c. Fecit Martinus adhuc Catechumenus quod rogavit Paulus, Totius enim sanctitatis ejus fundamentum & ratio ponitur misericordia pauperi exhibita, &c. 881. *Tom. I.*

Prosecutio.

Misericordiam sanctæ Prædestinationis notam scribit Anselmus: Misericordia, inquit, testabitur vos Dei sapientiâ præcognitos à massâ perdendorum separatos, ad vitam æternam præordinatos, 881. *& lege* 276. *Tom. I.* quare non malè quis asseruerit præclarum illud & celebre misericordiæ opus pauperi in portâ Ambianensi exhibitum extitisse fundamentum, & fuisse principium omnis subsecutæ sanctitatis: subsequens enim B. Martino facta visio idipsum confirmat, & prolata à Christo vox. *Narra ex vitâ ejus*, &c. Sed hic obsecro paulò altius penetremus, quid demum misericordia tam affabile habeat & decorum, ut dicat Sapiens *facere misericordiam*, &c. ut unicam dicamus eleemosynam tantæ sanctitatis in B. Martino causam; unde divinis, inquam, oculis tantopere placeat? Quæ enim alia virtus nisi misericordiæ cognata charitas, adeò rapit Deum atque misericordia? In orbis ultimo conventu judex non explicabit quod Abel primus Martyr & virgo fuerit, &c. 882. *Tom. I.* verè singularissimum quid habet misericordia præ cæteris virtutibus. Quid si probem in illa sanctorum sanctissima, in aureum Dei palatium neminem admitti nisi per oleaginum ostiolum? Nemo sanctus, nemo Beatus, nisi & misericors, & tamen quàm parum aut quàm frigidè colitur illa virtus! Sunt in orbe plurimi in rebus physicis peritissimi: Vinum vix gustant, & ex quâ patriâ sint norunt; Ostrea primo morsu, ex quo lacu sint, deprehendunt, &c. 881. *Tom. I.* Super egenum & pauperem vix intelligunt, in hoc ipsis Ethnicis inferiores. Romæ olim Censores, &c. 882. *Tom. I.*

Peroratio.

Eia ergo, *Auditores*, discite quid sit super egenum & pauperem intelligere, & quàm hoc ipsum incredibiliter numini supremo placeat. Pater meus cælestis, inquit Christus, &c. 882. *Tom. I.* Hic illud jam dixisse satis est, non videri vitam esse perscriptam ullius sancti hominis, qui non singulariter hunc misericordiæ affectum induerit. 984. *Tom. I.*

ALIA.

AD illa verba: *Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit.* *Lege* 444. *Tom. I.*

ALIA.

THEMA.

Quod uni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis.

Morale.

Quidquid pauperi datur, Christo datur.

Exordium.

RAdix, *Auditores, omnium malorum est cupiditas*, dixit Tarsensis Paulus. Quòd si vera Philosophorum enuntiatio; contrariorum nempe eadem esse rationem, liberalitas cupiditati opposita, dicenda erit radix omnium bonorum. Quò illa Christi verba pertinent, &c. 147. *Tom. II. Recita consequenter ex Auctore folio assignato.*

Prosecutio.

Solidissimum liberalitatis sanctæ fundamentum est illud: Quidquid datur pauperi, Christo datur. Ocellus Domini Joannes scripto nos erudiens, *qui habuerit substantiam*, &c. 147. Tom. 2. Concluso hæc bona est. Philosophorum enim placita sunt: *Propter quod unumquodque tale & illud magis tale.* Et qui dat formam dat etiam formæ consequentia. Qui præbet ignem etiam calorem & siccitatem præbet. 147. Tom. 2. Ex alto allocutus est Saulum quondam Deus his verbis, *Saule, Saule, quid me persequeris?* Domine quis tibi nocere potest? in cælo securus es & omni gladio. At mea membra sunt in terrâ, qui ea lædit me lædit. Turonensis Præsul Martinus, &c. cum octodecim annorum esset Typo miles, &c. 147. To. 2. Vnde igitur Eleemosyna parcior? En unus & unicus tam sordidæ tenacitatis causa est, defectus fidei, &c. Quando igitur crassam oculorum fidem tanti ducimus, idcirco Christus toties mendici formam induit, ut vti oculorum testimonio firmaretur, quod docuit Gregorius Magnus, &c. 148. Tom. 2.

Peroratio.

Hæc talia, *Auditores*, Deus frequenter sub aspectum posuit, ut vel oculis nostris fidem hanc ingeraret: *Quod uni ex minimis meis feeistis*, &c.

ALBA.

THEMA IDEM.

Morale.

Nil Deo gratis datur.

IN sacris carminibus Salomonis sponsum cælestem sponsa variè dilaudans: *Manus illius tornatiles*, inquit, *plenæ hyacinthis*, ornatæ gemmis & annulis, qui manum habet plenam, prius manum evacuat, quam aliud eâ recipiat. Exemplo id monstramus, &c. 159. Tom. 2. Hoc scivere Martinus & sancti omnes: exploratum enim erat illis nihil Deo gratis dari. Et quamvis diversa prorsus fuere sanctorum hominum studia. (Inter hos enim ille magis studio ac silentio, iste corporis castigationi impensius vacavit) Orationibus tamen & eleemosynis propensissimè vacarunt omnes. 159. usque 162. Tom. 2.

Vide *Conciones nostras quas formavimus in festo S. Nicolai in hoc Indice.*
In festo Præsentationis D. Virg. vide Conciones nostras Marianas.

IN FESTO S. CATHARINÆ VIRGINIS ET MARTYRIS.

VNius solummodo in integro festorum dierum circulo virginis festa dies internumeratur; nempe Catharinæ tanquam aliquid in hac virgine foret singulare, & aliis quan virginibus si commune, non tamen in tam excellenti gradu. Plures olim in suo gynicæo Assuerus habuit virgines, pulchras quidem omnes, sed unam Esther tamen ex iis selegit. Videamus in quibus Esther nostra Catharina non Assuero, sed summo Regi Christo placuerit, &c. Duo in hac virgine celebro *Castitatem & fortitudinem.* De utraque dicturi sumus, ac primò de castitate.

THEMA.

Simile est regnum cælorum decem Virginibus.

Morale.

Quæ casta, grata.

CAstimonia seu Virginitas triplici se vultu commendat. Alia enim conjugum, alia viduarum, virginum alia, & longè sublimior est pudicitia. S. P. Augustino bona est pudicitia conjugalis, sed melior continentia virginalis. Perpetuum virginitatis florem tueri acriter & viriliter docuit S. Catharina, in cujus castitate complura sunt admiranda, 787. T. 1. Sed cum de castitate hac mihi sermo est, semper mihi Hieronymi dictum in mente est: Quacunque, inquit, virtute polleas, quibuscunque operibus niteas, si cingulo castitatis careas, omnia per terram trahis. Abimelechus sacerdos panem cæremoniâ consecratum, &c. 788. Tom. I. Tanti virtutem hanc unam fecit maximus Propheta. Græcorum Oratorum disertissimus mirabili voto inardescens velut accersito pictore: *Pinge mihi*, ait, *sermonem virginitatis.* Quid hoc ait Chrysostome? Quis Apelles id poterit? sed quæstionem hanc statim in sequenti nostrâ concione tractaturi sumus. Modò lubet in Virginitatis laudem excurrere. Præclarum certè est illud quod Bernardus de hac virtute asserit. Differunt quidem, inquit, inter se homo pudicus & Angelus, sed fœlicitate non virtute &c. Cur ergo Catharinam nostram non Angelicam appellemus, cujus etiam proinde mortuum corpus non humanæ manus sed Angelicæ cumulasse? *Narra historiam.* Prisci etiam Patres de hac castitatis virtute loquuti, majorem omnes uno ore judicarunt esse victoriam virginum, quam Angelorum. 791. Tom. 1. Porrò Catharina nostra, cujus honori hæc dicta sunt, non solùm virgo fuit, sed omnium virginum idea & typus. Videamus ergo in illâ quomodo virginitas & castitas colenda & servanda sit. Primùm quod observandum est Principiis obstare, &c. *applicatio. sunt enim pulchra quæ scribit Auctor de praxi castitatis fol. 791. Tom. 1.*

THEMA.

Certamen forte dedit illi ut vinceret.

Morale.

Inter leonem & libram tuta Virginitas.

QVondam in vivis existens Chrysostomus depictum sibi voluit non imaginem, sed, *Auditores*, sermonem virginitatis. Sermonem scribere, virginitatem muliebri ut solet habitu pingere, fortassis difficile non sit; at virginitatis sermonem picturâ exprimere quis hoc Protogenes, Zeuxis, &c. possit? Attendite, *Auditores*, quod non potuit homo, potuit id Deus, & virginitatis sermonem in cælo pinxit, loco quam fieri potuit patentissimo. Suspicite, & videbitis in Zodiaco, lato illo cæli baltheo, inter Libram & Leonem constitutam virginem. Ipsissimum, inquam, virginitatis sermonem. Quid hoc ponam alibi constitutam virginem videre quàm inter Libram & Leonem? non solùm virgo dicata aut dicanda Deo sibi comitem semper debet habere Leonem, sed & Libram sibi semper comparare debet. Virgo enim continentiæ amans ad Libram pleraque omnia examinet hæc præcipuè. Labores suos, ne otietur, socias & socios suos, ne seducatur; sermones suos, ne in iis excedat; mensam & vestem suam, ne lasciviat; oculos suos, ut custodiat; peccandi occasiones fugiat, imò seipsam ipsam, ut erubescat: nec ausa sit clam facere quod palam offenderet, & curiositatem singulariter oderit. Nam castitas & curiositas nihil unquam inter se habuerunt amicitiæ. Dina Jacobi filia si non fuisset curiosa, non fuisset & rapta, ut Orationes & jejunia frequenter. Intuta enim est pudicitia, si horum desit alterutrum, nimirum virginitas orationis unus amat, quod sine mortificationis prunis nihil odoriferi exhalat. Jussa Domini sunt: *Vigilate & Orate*, facile verò vigilat, qui prompte jejunat. O Virgines præsertim vos Deo dicatæ nusquam non opus est hac trutinâ. Mundanæ virgines symbolis sat multis externis, cujus sint cultores, nempe corporis, hinc penes se sportula calamistra, &c. gestant assiduè, quibus corpus ornent, vel ornatum conservent. Virginis verò Deo dicatæ symbolum sit libra; actus quibus suos trutinet, ne quod postmodum pœniteat, ab eâ perpetretur. Ita olim primævæ Ecclesiæ Virgines, ita Catharina nostra, ad quarum vivendi normam & vestra omnium vita dirigenda est ut casta sit & virginea, sed nil juvat Libra sine Leone: sed quid virgini cum Leone? Audite Chrysostomum: Virgo à bello nunquam cessare potest. Ad institutum facit quod idem Hieronymus Epistol. 140. ad Principiam scribit prisci moris injicies mentionem: *Gentilis*, inquit, *error Deas virgines finxit armatas*, cum scuto & lanceâ, ostensuri sine bello pudicitiam non posse servari. Est enim virginitas cautissimè simul & fortissimè habenda. Videte mihi castissimum Joseph. 789. Tom. 1. Sed quid veteris testamenti requiro historias. Vide Catharinam nostram, &c. *Lege à fol. 787. usque 791.* Ita quoque quæcunque virgo sese Deo consecrat, hæc duo secum ad claustra, vel in cellam, vel in domum suam asportet. Nam licet vobis liceat dicere emisso castitatis voto, ego mundo jam sum mortuus, amodò occasiones illæ non occurrent, iuvenum aspectibus subtracta sum. Ego vobis repono quod quidam Asceta socio suo in curem insusurravit: Diabolus nondum est mortuus. Leonem igitur & Libram colite. 799. Tom. 1. *Plura lege fol. 807. de fortitudine Virgini necessariâ.*

DEDICATIO ECCLESIÆ.

Vide conciones, quas formavimus Feriâ secundâ post Dom. IV. Quadrag. & Dom. IX. post Pentecost.

IN-

INDEX QVARTVS
THEMATVM MORALIVM
IN OMNES FERIAS QVADRAGESIMALES
EXCEPTIS SABBATHINIS.

IN DIE CINERVM.

Concio prima.

THEMA.

Memento homo, quia pulvis es, & in pulverem reverteris.

Concionis Argumentum.

Summa unicuique sit Philosophia, mortis assidua meditatio.

Exordium.

RECTE dixtille, *Auditores*,

Heu heu nos miseros! quàm totus homuncio nil est!

Verè sic est. Sed heu miseriores multò, quò minus agnoscimus esse miseros. Nil est totus homuncio, sed, ausim dicere, tunc aliquid esse incipit, cùm se nil esse cognoscit. O miseri & vani, quid nos? doctrina, fama, fumus. Ipsa pulvis, ista opinio, ista ventus, &c. Vita nostra crescendo decrescit, &c. & quemadmodum clepsydram non extremum stillicidium exhaurit, sed quidquid antè defluxit, sic ultima hora non sola mortem facit, sed sola consummat. Hinc pia & vigil Mater nostra Ecclesia quotannis solenni inspersione cinerum hanc mortis salutarem nobis quærit & conatur ingerere memoriam, & quàm appositè, *Auditores.*

Prosecutio.

Triste hoc carmen nostra nobis mater occinit Ecclesia cùm filiorum capitibus cineres inspergit, monétque mortalitatis: & eo quidem tempore, quo illa plerumque minimè cogitatur. Genium nostri aquilæ, hanc imitatur Ecclesia. Illa cervum prælio aggressura multum pulverem alarũ volutatu collectum excutit in oculos cervi, cornibus media insidens, &c. Sic & illa cernens hominem in vetita ruentem mediâ quasi viâ adoritur, sternitque ferali hoc pulvere. Idem sacerdos facit, &c. Sapuit in hoc Philippus Macedo, &c. Sed & Grues hoc nos docerent. Esto, sit ætas vestra aurea, forma & viribus præstans, &c. Quid ad rem? Vitulus ab Hebræis adoratus aureus quidem fuit, sed in pulverem redactus, &c. Statua Nabuchodonosor, &c. Poma Gomorrhæa, &c. 34. & 35. *Tom.* 1. Sed insuper, nunquid infinitos ad nos mors habet aditus? Quidam, ut memorant, somniavit leoninis faucibus se enecatum, &c. 37. & 38. *Tomo* 1. Uno dico verbo: Mors ubique est, ergo cogitanda semper. 36. & 37. *Tomo primo.*

Peroratio.

Quàm ergo illi sunt dementes, qui ob corporis firmam, juvenémque dispositionem, hoc sibi ratò recitatum Ecclesiæ carmen occinunt. Uti enim venti, cùm vehementissimè flant, effiant, vim suam tunc plerumque celerrimè posituri, cùm plurimùm sævierunt: ita sit dum maximè agunt homines, agunt animam. 34. *Tom.* 1.

ALIA.

THEMA,

& Argumentum Concionis idem.

SI Prisci olim ita attentè quamvis, quotidianâ corpus fatigarent insedia (fuerunt enim non pauci, quos sol nunquam vidit comedentes, *fol.* 240. *Tom.* 2.) mortis tamen memoriam sibi indies studuerint refricare, ut patet in Abrahamo, Maximiliano primo Imp. Austriaco, Carolo Quinto, Augustæ memoriæ, &c. 41. & 42. *Tom.* 1. tanquam potentius omnino memoria mortis, corporis volentis delitiari, frænum. Nonne & nobis qui Bacchanalia vivimus idem & nobis frænum erit necessarium? Ubi igitur estis vos præsertim qui jam alterum pedem sepulchro intulistis, & ad quos ipsa mors, cujus sunt nuntii, & custores, morbi, intellecta quasi nostrâ nequitia, ut quondam Turcicus Imp. cognitâ Assani malitia, fatales literas misit? attamen tanquam surdi ædificia ædificatis, nuptias multiplicatis, &c. Qualia non exstruuntur convivia, quales excogitantur luxus, parsimonia & sobrietas, circumspectus & castus sermo, ratæ nunc in mundo alites. 613. *Tom.* 2. prorsus ut olim ante mundi diluvium Noëmus, qui & justitiæ præco appellatur divinæ, à Petro monemur, &c. & interim, &c. 465. *Tom.* 2. Nunquid & idem sit hodie, Noëmi, præconesque mortis & judicii futuri, sunt Concionatores, &c. 465. *Tom.* 2. Morbi, ut antè dixi, & quotidiana illa quæ spectamus funera. Sed quid interim? Thomas Morus illud Angliæ fidus ne ulla cuiquam ætas liberalius vivendi spatium promitteret, &c. 44. *Tom.* 1. Igitur, *Auditores*, ut unicuique O, inquam, adolescens:

Vt tibi mors felix contingat, vivere disce,
Vt felix possis vivere, disce mori. Tom. I. 44.

Diabolus enim pictor est peritissimus, ad Opticas pingit leges, &c.

ALIA.

THEMA IDEM.

Concionis Argumentum.

Sola sepulchralis domus nostra est.

NVlla domus nostra, *Auditores*, tam verè nostra est, atque sepulchrum: hinc Job: *Scio, quia morti trades me, Vbi constituta est domus omni viventi.* B. Jacoponus vir religiosus, &c. 68. *Tom.* 1. si ergo domum illam, quam non incolimus ut perpetui possessores, sed ut viatores, ita superbè exornemus & illam, in quâ usque ad extremum judicii diem sumus remansuri. Exornatur autem rectè annuâ fundatione Missarum, distributione per singulos annos panum & redituum in pauperes. Attendite, *Audit.* ad ea quæ dicturus sum. Verissimè dixit Plinius junior. 69. *To.* 1. Videritis igitur quomodo & qualiter hoc extremum exornetis sepulchrum, ut dulcis & beata nobis è sepulchro aliquando sit resurrectio.

Plura si de mortis memoriâ velis lege fol. 66. *Tom.* 1. in quo describitur ab Auctore ars moriendi, ut *fol.* 48. *Tom.* 1. ubi docetur hominem esse folium, navim quassam. Si monere vis Auditores tuos ut & mortem frequentiùs cogitent, & ad eam se præparent, doce in omnibus providentiam esse necessariam, in iis tamen maximè, quæ semel tantùm fieri possunt, quæ leges *fol.* 1. *Tom.* 1.

ALIA.

THEMA.

Cùm jejunatis, nolite fieri sicut Hypocritæ tristes.

Morale.

Vt coquentium, sic jejunantium varia sunt genera.

Exordium.

AD jejunium hortatur omnes his verbis Christus, sed pharisiacum inhibet. Est enim jejunium in hoc & aliis bonis operibus simile, quod etiamsi in se & ex se bonum sit, intentione tamen jejunantis, adiaphorum fiat, id est, nunc bonum, nunc malum, ac proinde hæc & alia bona opera, ut sunt Eleemosyna, corporis castigatio, &c. assimilari rectè possunt virgæ Mosi, ut enim multùm intererat, numnam in terram projiceret, an verò in altum à terrâ elevaret; ita & multùm interest quo fine, quáve intentione bona opera exerceamus. 441. *Tom.* 1. Nos omissis aliis de hoc unico nempe jejunio loquemur, & dum varia jejunantium jejunia & mores describturi sumus, quid? qualéve sit jejunium Pharisiacum, quod Christus inhibet, etiam dicturi sumus.

Prosecutio.

Quemadmodum varium prorsus coquendi, ita planè diversum est jejunandi genus. Reperias homines qui peiùs & imperitiùs jejunant, quàm quis unquam coxerit. Quidam Christianorum jejunant, ut lupi vel leones, hi cùm se suo pabulo avariter referserunt aliquot diebus à pastu dicuntur temperare, &c. Alii Mammonico jejunant jejunio, seu nimis avaro. Unum vir doctissimus cognatũ invitârat, præter cæteram ferculorum seriem, quam facilè conjicies, ovum unicum apposuit cum dicto: Heus cognate manum admove, hoc unum sorbeamus intinctibus alternis. O sordes! &c. 259. *Tom.* 2. Sunt & alii Manichaico seu Hæretico jejunio se affligentes. Enoratitæ, & Manichæi, & Marcionitæ vino & carne abstinuerunt, quia hæc impura censuerunt. 260. *Tom.* 2. Est & aliud quod appellare licet Valetudinarium seu, Medicum jejunium, &c. Est & denique Pharisaicum, de quo hodie Christus. Pharisæi enim, ut aliqui hodie, multò majorem rationem ducunt bonæ famę, quàm bonæ rei. 260 *Tom.* 2. Hos omnes, *Auditores*, jejunandi modos Christus detestatur.

Peroratio.

Unicum ergo est, quod placet jejunium, nempe religiosum & verum Ecclesiasticum, ut autem verum ac religiosum sit jejunium, quid faciendum, quid quæso faciunt, qui urbem sibi sumunt oppugnandam? 262. *T.* 2.

ALIA.

Ad ista verba: *Unge caput tuum & faciem tuam lava.* Quod non solet Christus, *Auditores*, modò docet, imò quod alibi inhibet, nunc dum jejunas Christiane, concedit: imò imperat, *Unge*, inquit, in hoc Pharisæis contrarius, rationem inquiramus. Pharisæi cùm jejunium observarent, &c. omissis inter cætera hilaritatis signa interdicebant, ut omnibus testatum facerent, se voluptatum contemptrices luctuoso asperóque jejunio operam dare. *Lege à fol. 474. usque 486. Tom. 1.*

ALIVD.

THEMA.

Amen dico vobis, receperunt mercedem suam.

Morale.

Ob mercedem receptam temporalem denegatur æterna.

QVid hoc rerum, *Auditores*, ergo nullam deinceps post hanc vitam recepturi? res sanè horrenda, attamen vera. Cainum per invidiam, Abiron per superbiam, aliósque ad erebum tendere gravioribus delictis inquinatos quid mirum? At per abstinentiam, per corporis extenuationem, per eleemosynas? Res bis mira, & tamen quotidiana. Quàm multi adinstar Eleazari suâ opprimuntur victoriâ? Quàm multi stultæ avi strophioni sunt similes? 478. *Tom. 1.* Rectè verò dicit Christus de taliter jejunantibus aut bene agentibus: *Receperunt mercedem suam.* Dei enim bonitas & æquitas, quæ nihil virtutis sine præmio transmittit, tales actiones intentione agentium vitiatas, utpote quæ propter Deum non sunt factæ, ob quem solùm fieri debent omnia, licet præmio cælesti post hanc vitam privet, in hac tamen vitâ congruâ remuneratione afficit. Quare ipsa veritas non dicit, eos nullam recepturos mercedem, sed quòd eam in hac vitâ receperint. 479. *To. 1.* Justè verò negaturus est Christus hanc illis cælestem mercedem, cùm eorum opera tantùm sint acta purè naturalia. Ea autem Theologis non sunt meritoria vitæ æternæ, 483. *Tom. 1.* Quare, *Auditores*, dum jam jejunaturi sumus, agamus ut Jephte. *Tom. 1. fol.* 480. *Lege etiam quo fine jejunandum sit. Tomo 2. fol.* 294. & 295.

QVÆSTIO MORALIS.

Vtrum superbo jejunanti valeat jejunium, &, si ei in hoc vel altero peccato existenti ad bona spiritualia & temporalia prosit?

CVi quæstioni, *Auditores*, ut fiat satis, advertendum est hominem in peccato mortali dupliciter existere posse; sive illud peccatum superbiat sit, sive aliud, aut enim sic existens contritus est, & confitendi propositum habet, & sic jejunio, vel alterius boni fructu non caret, aut de superbiâ vel alio peccato nullum habet dolorem, & sic jejunium quoad culpæ satisfactionem & gloriæ adeptionem minimè valet: quia cùm Deus bonorum nostrorum non egeat, si hominem non amat, neque opera ejus acceptat. Hinc Dominus respexit ad Abel, & primum hoc fecit; deinde ad munera ejus; valet tamen secundùm omnes jejunium actum in peccato mortali quoad novem. *Primò*, ad mandati completionem, ad quam quis tenetur, quia observatio jejunii quadragesimalis est sub peccato. 264. & 265. *To. 2. Secundò*, ad gratiæ impetrationem. Nam si Raab meretrix, ut legitur *Iosue* 2. ex opere pietatis tantam gratiam apud Hebræos invenit, quantò magis apud Deum, qui ad sui honorem jejunium facit, & non bona fortunæ, sed bona naturæ fundit? quare orationi semper veteres junxêre jejunium. 253. & 254. *To. 1. Tertiò*, ad pœnæ temporalis diminutionem, ut patet de Achab *Reg.* 4. qui ubi vestimenta sua scidit & jejunavit, Eliæ dictū est: *Quia humiliatus est mei causâ Achab non inducam malum in diebus suis, sed in diebus filij sui.* 256. *Tom. 2. Quartò*, ad bonorum temporalium multiplicationem. 230. Tom. 2. *Plura vide sparsim in libello de Jejunio.*

MONITIO AD PAROCHOS ET HORTATORIA.

CVm jejunium ubique vapulet, & inter virtutes martyr sit, vel enim omnino à quibusdam expellitur tanquam res aliqua nova vel inutilis, vel ab aliquibus si admittatur, ita severè excipitur, ut nunc vel illi pes, vel brachium amputetur, vel etiam omnino illi cor exscindatur. Brachium ei exscindunt & abscindunt, qui vel tempus præveniunt absque legitimâ causâ; pedem verò, qui largam animis sumunt vespertinam, ut vocant, collationem; alii verò, qui denique ei cor exscindunt illi sunt, qui essentialia jejunii non observant, &c. Hinc ne ex ignorantiâ hoc tempore Quadragesimali frequentiùs à subditis peccetur, hæc hac primâ die Quadragesimæ Parochus è cathedrâ quàm utilissimè docuerit. *Primò*, quid sit jejunium, sive quæ sit vera jejunii ratio & essentia? fol. 251. *To. 2. Secundò*, Quâ lege teneamur jejunare, sive cuius præcepti sit? fol. 235. *To. 2. Tertiò* Quomodo prandendum? 252. *Tom. 2. Quartò*, Quæ sumenda sit, & quomodo vespertina refectiuncula? 252. *Tom. 2. Quintò*, Quinam à jejunio eximantur. 247. & 148. *Tom. 2. Sextò*, Quomodo jejunii petenda sit dispensatio.

FERIA V. POST DIEM CINERVM.

THEMA.

Domine, puer meus jacet in domo Paralyticus, & malè torquetur.

Morale.

Seria nunquam est emendatio, ubi deest notitia peccati.

Exordium.

PEccati gravitatem fœdissimam perpauci capiunt, unde quidam, quod dolendum est, in iisdem, veluti in amœnis stagnis natant, & quemadmodum qui sub aquis natant, aquarum molem non sentiunt, extra eas hydria etiam non maxima, eis est oneri; ita, &c. 461. *Tom. 2.* Non est seria unquam emendatio, ubi deest notitia peccati. Hinc peccati fœditatem Paralysi assimilando explicavero.

Prosecutio.

Et ne in longum mea, *Auditor*, excurrat oratio, medicum agere nolo, qui varias Paralysis dant descriptiones. Una hæc præ omnibus erit paralysis morbi gravitatē continens. Homo paraliticus, homo semi-mortuus. Idem de peccato quovis mortali rectè quis dixerit, mortis si duo considerent genera, nempe corporis & animæ; peccato enim commisso superstes licet homo sit corpore, mortuus tamen est spiritu, juxta illud: *Anima quæ peccaverit ipsa morietur.* Vultis ut enumeratione doceam hujus spiritualis Paralysis gravitatem? Paralysis membris omnibus adimit usum. Peccatum omnia creata præterquam turbet in mundo, omnes animæ potentias inficit, & dominum orbis in errores induxit fœdissimos. Primo dierum lux creata est, & lucem nunquid fugavit peccatum? Altero die conditi sunt, &c. 459. *Tom. 2. Et vide plura alia* 526. *Tom. 2. & applica.*

Epilogus.

Quare uti inter morbos corporales Paralysis gravior est; ita inter omnes calamitates non major est quàm peccati, imò, ut dixerim totum, mori minus malum est, quàm reum esse peccati. 526. *Tom. 2. Et legenda habentur* 460. *Tom. 2.* Malum jam nostis. *Ergo lege insuper quæ habentur Tom. 1. à fol.* 180. *usque* 189. & 292. *Tom. 1.*

ALIA.

Morale.

Longè à peccatoribus salus.

AD illa verba: *Accessit eum Centurio*, doce quàm consultò & rectè ad Christum accesserit, ut enim olim Hebræi dicebant Deum habere tres claves, quas nemini committit. Unam ad promendas pluvias, ventos, & alios ejusce modi partus aëris. Aliam, &c. 567. *Tom. 1.* ita & quartam habet, quam Theologi vocant justificationem peccatoris. Deus est qui justificat, & quidem solus. Unde post peccatum Deus accersendus est, ut rectè hic Centurio. Fateor, *Auditores*, multa mala & incommoda peccatum adfert peccanti, sed inter ea vultis scire quódnam malorum omnium, sed pessimum, maximéque periculosum. Paralyticos nos reddit, cadere, ruere in ignem, & aquas possumus, sed non nostris viribus resurgere: imò hac mole jaceret peccator æternùm, ni Deus favore liberali paratus esset dejecto porrigere dexterā, & è cœno extrahere. 526. *T. 1. Ad eadem Ciam verba docere poteris, quantâ sit industriâ quærendus Deus, fol.* 283. *Tomo 2. & qualiter in omnibus ad Deum sit recurrendum.* 46. *Tom. 1.*

ALIA.

Morale.

Deus adest invocatus statim.

AD illa verba: *Ego veniam & curabo eum.* Quàm Deus invocatus, *Audit.* statim adest, & opitulatur: omni enim tempore ad audiendum & opitulandum est paratus. Chrysostomus tam facilem ad divinas aures accessum explicans: hîc, inquit, non assistit miles qui expellat, non satelles qui dicat, non est nunc tempus accedendi, veni postea, &c. 129. *Tom. 1.* Summus Hebræorum sacerdos, &c. 129. To. II. Jacobus Apost. optimè Dei hanc mansuetudinem & liberalitatem, quamvis paucis verbis, comprehendit: *Si quis vestrum*, inquit, *indiget sapientiâ, postulet à Deo qui dat omnibus affluenter, & non improperat.* En verbis pauculis Dei maximas perfectiones. 645. *Tom. 1.* Veruntamen, *Auditores*, hoc & sedulò est observandum, quòd velit nos prius petere, nosmetipsos quasi juvare, priusquam ipse pronus sit ad opitulandum. Si enim Centurio non prius accessisset, hanc Dei vocem benignā & liberalem nunquam audivisset, *Ego veniam.* Quod enim humanis viribus impar est, hoc sibi Deus, perficiendum sumit. 490. *Tom. 11. Vide etiam fol.* 10. *Tomo 2. ubi docetur paucos nunquam victoriosos habere Deum, quàm in arcto constituti aut afflicti.*

ALIA.

Morale.

Quisnam verus sit Centurio.

AD illa verba: *Domine, non sum dignus, ut intres, &c.* Humilitas semper bonæ mentis proprium est insigne, & evidentissima sanctorum, quā dignoscuntur, nota; hinc Guarrici votum tale: *Atque utinam*, &c. 900.

Tom. 1.

Tom. 1. Nullus enim unquam in scholis Philosophorum hac notâ fuit insignitus. Socrates, Plato, Aristoteles nec verbis eam unquam, nec factis docere noverant. 801. *Tom II.* Quàm paucos nunc mundus tales habet Davides vel Centuriones. Quinam sese sic dejiciunt, aut ab alio dejici vel humiliari vellent? Plerumque jam homines bullæ sunt, quæ per aëreum nitidâ globositate volantes se monstrant, &c. 900. *Tom. I.* At contra submissi animi homo, &c. Sed videamus, *Auditor.* ut quis verus dicatur Centurio, id est, humilis, quænam illi sint exercenda & practicanda. *Primò*, verus Centurio nullo modo vult humilis, sed vilis videri. *Secundò*, Non majori tantùm, sed & æquali, sed & inferiori novit cedere, &c. 900. Tom. I. Nec mirum est Deum tam facilem huic Centurioni fuisse, potentissima est enim humilitas, eum enim & diabolum vincit 801. Tomo II.

ALIA.

Morale.

Sine fide impossibile est placere Deo.

AD illa verba: *Amen dico vobis, non inveni tantam fidem in Israël.* Cur, *Auditores*, Salvator non Centurionis humilitatem, sed fidem laudat? utriusque enim jam sufficiens dederat specimen: Humilitatis dicendo, *Domine, non sum dignus*, &c. fidei verò subjungendo, *sed tantùm dic verbo.* rationem do compendio, quia omnis Christianæ vitæ, fides fundamentum est: ubi hæc deest aut vacillat tota ruit structura, &c. 770. & 771. T. I.

ALIA.

THEMA.

Domine, non sum dignus, ut intres sub tectum meum.

Quæstio moralis.

Vtrum ut humilitas est gratissima Deo; ita & ei oppositum vitium superbia sit ingratissima.

PRo cujus quæstionis satisfactione & responso, primò notandum est, duobus modis Deum per peccatum offendi; per conversionem scilicet ad commutabile bonum, quod est velut materiale peccati, & per aversionem ab eo incommutabilis boni, quod est velut formalis & completiva causa delicti; & licet superbia non sit gravissima per conversionem ad commutabile bonum (quia celsitudo, quam inordinatè superbus appetit, ex istâ ratione maximam repugnantiam non habet ad bonum virtutis) tamen ex aversione omnia alia peccata transcendit, idcirco beatus Hieronymus in suo felici transitu dicit, ubi est superbia nihil peius. *De hac duplici malitiâ nempe aversione & conversione lege Auctorem.* 488. *To.* 2. & 188. To. I. *De superbia verò vitio capitali, de quâ pulchrè S. P. N. Aug* Ista mater superbia nescit esse sterilis, ubi fuerit, continuò parit. 199. *Tom.* 2. & 567. *satis diserto & longo discursu ea describitur, eiusque malitia.* Igitur, *Auditores*, suffocate matrem & sustuleritis proles malas omnes &c.

FERIA VI. POST CINERES.

THEMA.

Diligite inimicos vestros.

Exordium.

AIunt, *Auditores*, Iubal & Tubulcain, Lamechi filios fratres germanos, harum artium fuisse inventores, nempe Musices, & cudendi affabrè cuncta opera æris & ferri: sed quod notant Hebræi satis accuratè, ars altera ex arte inventa fuit. Tubalcain dum diversis malleis incudem percuteret, Tubal ex diverso illorum ictuum sono, Musices artem adinvenit, quæ ars postea ipsis fabris fuit adjumento, & quasi mentis dilatatio, levamen laboris, sic alter alteri commodavit. Artis malleatoris cultor est & professor ipse mundus, quid enim passim in orbe vulgatum magis quam percutere, & repercutere? 397. Tom. 2. Nimis enim adhæc in vigore lex Lacedæmonum est, Lacedæmonii, ut Xenophon memorat, &c. 398. & Thrasibuli Atheniensis lex conculcata est, &c. Quam & legem tulit hodie Christus veræ Musices adinventor, nullam dum vult pati inter nos discordiam. Ritè, mi Christiane, nil boni habet ultio, è malo enim pœnæ, facit malum culpæ. 398. Igitur veniam debemus inimico, fidem Christo. Quare de hac lege musicali quædam per partes dicturus sum.

Prosecutio.

Morale.

Emolumenta provenientia è veniâ inimicis datâ.

QVis, *Auditores*, tam fatuus, ut si curtus calceus non respondeat pedi, de pede partem amputet, ut calceus ei habilis fiat? Stultissimum certè est minus malum maiori emendare velle. Aliter tamen non faciunt ii, qui vindicationem quærunt; nam qui iniuriam accipit, malum pœnæ subit, qui vindictam quærit, in malum culpæ incurrit, quod priori longè deterius est. Pœna facit miserum, culpa non tantùm miserum, sed & malum, &c. 398. Tom. 2. Quid, *Auditores*, pluribus urgeo? lex hæc Christi est, quæ nec observatur nisi maximo nostro commodo. *Primò*, enim non velle iram servare, nolle vindicare ipsum juvat corpus. Veteres quandoque Martem ita pingebant: stabat Mars armatus vultu acerbo, &c. Atra nubes iram, pugio inimici odium adumbrat. 400. *Secundò*, inimicis ignoscere juvat animum. Nunquid summi beneficii est à Deo adoptari pro filio? *Tertiò*, famæ ac honori plurimùm conducit, nihil enim honorificentius, quàm ut res creata pro suo modulo assimilet creatorem, cuius natura & ingenium est inimicis benefacere, &c. *Quartò*, fortunas auget, inimicis ignoscere. David nec militem copiosum, nec dives ærarium habuit, penes Saulem, ista erant, &c. 400. Tom. II.

ALIA.

Prosecutio ejusdem Exordij.

Morale.

Non fictè, sed sincerè ignoscendum.

CAtonem, ajunt gestâsse annulum, in quo insculptæ fuerunt istæ voces: *Amicus unus, inimicus nullus.* Qualis, *Auditores*, illatio? sed bona & recta, si in illum, qui nos dilexit gratis, super omnia reflectamus oculum. Quid, mi Christiane, læsus verbulo & verbere vindictam cogitas? cur iram reservas? cur meditaris talionem? Nunquid tibi unus amicus est Deus, ergo etiam si illum pro amico habeas, nulli potes esse inimicus, aut ullus tibi inimicus. Audite Paulum: *Accessistis*, inquit, *ad testamenti novi mediatorem* IESVM, &c. non verò dimittendi tantum potestatem habemus, sed necessitatem; præcipientis vox est: *Diligite inimicos vestros.* Sed forsitan quis dicat, go ignosco inimico meo: sed monet S. P. N. Augustinus: Ne linguâ dicas, ignosco, & corde differas, vocem tuam audit homo, conscientiam tuam Deus inspicit, &c. 401. Tom. Sunt qui injurias hactenus condonent, ut eam non vindicent, sæpe tamen exprobrent. Sunt alii, &c. 401. Tom.

Prosecutio alia ejusdem Exordij.

Morale.

Cur ita difficile hoc Christi præceptum videatur.

IN vindictâ, si alibi simus intemperantes, certè sumus intemperantissimi. Ratio est, quia inimicum non debemus intueri ut inimicum. Quid hoc, dicetis forsitan, *Auditores*? dicam brevi discursu: Panoplia est ad omnes iniurias æquo animo excipiendas, si omnium auctor credatur Deus. Sed hic multies hallucinamur & impingimus, qui fraudes, rapinas, cædes, & quidquid similium malorum est, quà culpam habent, permittit ea Deus; quà pœnam inferunt, vult Deus ea, & immittit. Videte mihi hominê ægrum, cui pharmacum porrigitur, austerum &c. Curiosè quidâ inquirunt, quomodo ita patienter David maledicta illa Semei perferre potuit, &c. hoc Davidem reddidit ita mitem adversùs pessimum nebulonem; agnovit enim justitiæ divinæ instrumentum; iisdem nos oculis adversarium nostrum intueri debemus, &c. 850. & 851. Tom. 2.

Peroratio.

Si quis verò etiamnum, postquam è crucis cathedrâ, & frequentiùs in vitâ Christus docuit inimicis veniam dandam, abnuat inimicis liberalem dare veniam, simillimi ii sunt Basilisco, qui solus inter serpentes nullo carmine devinciri potest, adeò venenatus est. 400. Tom. II.

ALIA.

THEMA IDEM.

Morale.

Ars traditur nobilissima.

QVercelas plurimorum audias; multos habemus inimicos, multorum premimur invidiâ, ab his exagitamur. Vultis nullum inimicum? En trado artem: *Iustus ut palma florebit.* Palma quidem in sublime crescit, & ad nubes sustollit brachia, petitque cælum, &c. Hanc injuriarum felicissimam oblivionem phrasi notandâ exprimens Isaias, &c. Videte dictionis artificium; percutiatur aqua, baculo, hastâ, gladio, injiciantur saxa, &c. Ubi verò est observatio legis divinæ, hîc vindicari non solent iniuriæ. Ars nobilissima, sed quæ sunt præceptiones huius artis, &c. 537. Tom. 2.

ALIA.

AD illa verba: *Attendite ne justitiam vestram faciatis*, &c. *Discurre de vanâ gloriâ.* Sciendum est, quòd apud Judæos utebantur tubis, ut nunc sunt apud Catholicos campanæ: & ut campanis modò utimur ad convocandam plebem, ita apud Iudæos utebantur eadem de causa tubâ. Hypocritæ huiusmodi non faciebant clangorem ad convocandos pauperes, sed magis ad propriam ostentationem, ut patet ex Textu. Sed habent hi Judæi & Pharisæi plurimos imitatores, qui facta sua deprædicant ubique locorum. Non ita agendum, ô Christiani, *Lege à fol.* 474. *usque* 477. To. I. At difficile, inquis, non amare, non sequi gloriam etiam vanam hanc & inanem. Omnibus insidet opinio sui, &c. Et quamvis superbiam detestemur, nostra tamen encomia, sine aurium vulnere non audimus, &c. 477. To. 1. Et certè quod modò vetat, inhibuit & olim. Nunquid sub pœnâ capitis sanxit rem primo intuitu minutam, ne quis scilicet odores divino cultui destinatos usu profano incenderet? 477. Tom. I. & tamen sicut temerariis judiciis, ita inanibus elogiis peccant homines frequentissimè, &c.

In Dominicas Quadragesimales, consule Tomum nostrum Primum.

Index Thematum moralium.

FERIA II. POST DOM. I. QVADR.

THEMA.

Statuet oves quidem à dextris, hœdos autem à sinistris.

Morale.

Vt non metuamus venturum Iudicem, amplectemur Dominum in cruce morientem.

Exordium.

NVnc duo nobis sedulò consideranda, *Auditores*, Metus futuri judicis, & amplexus Christi morientis: nam hic amplexus morientis tollit metum futuri judicis. Suos quondam Josephus filios Manassem & Ephraim ad Jacob parentem duxerat, ut ab avo precatione solenni lustrarentur, &c. Hoc nobis Deus ab orbe condito sub imaginibus diversis proposuit, ut id animo & cogitatione probè comprehenderemus, quæ videlicet futuri judicii futura sit ratio, quàm distinctæ ac dispares duæ partes constituendæ. Massa damnatorum, & chorus Angelorum; hoc certè judicium providus Pater ab orbis incunabulis diverso schemate ingessit, &c. *Recita omnia consequenter ex Auctore*, 546. *Tom.* 2.

Peroratio.

Amplectamur ergo crucifixum Dominum, ne metuamus æquissimum judicem venturum. Jacob moriturus adoravit Dominum ad lectuli caput, & nos Christiani ad lectuli caput convertamur: jacuimus forsitan hactenus in suo quisque lectulo, suis quisque vitiis detinebatur, &c. 546. *Tom.* 2. *Lege etiam* fol. 719. *Tom.* 2. *ubi judicis extremi describuntur insignia.*

ALIA.

THEMA.

Esurivi, & dedistis mihi manducare.

Morale.

Si tu à paupere, Deus à te & vultum suum avertet.

Exordium.

TObiæ verba sunt ad eleemosynam hortantis: *Fiducia magna erit coram summo Deo eleemosyna, omnibus facientibus eam.* Hebræo idiomate munus amplum & bonum redderetur coram sancto. Misericordiæ certè singulare & inæstimabile præmium tam in hac mortali vitâ, quàm in meliore, & immortali persolvendum fatali orbis die, &c. 623, *Tom.* 2.

Prosecutio.

Quid ad has quæstiones sumus responsuri, *Auditor*. jam præmonemur millies iterúmq; millies hæc ipsa eo die interroganda, quin paratus nos studiis summis? Nam certè qui jam avertit vultum suum à paupere, ab eo & ille judex extremus faciem est aversurus, varia est autem mutuorum vultûs aversio à paupere prout est diversa animi affectio. Vultum *primò*, à paupere avertit, qui penuriam hominis non nescit, cùm satis videat quâ necessitate stringatur, sed ne suam illi operam cogatur impendere, aut pecuniam, illum à se ad alium amandat, &c. *Secundò*, faciem suam avertit à paupere, qui eos graviore verbo appellat & asperè tractat, &c. *Tertiò*, faciem avertit, qui debitores ego os aut subditos depauperavos rigidâ vi ad expedienda nomina compellit, &c. 622. *Tom.* 2. Non ita, sed pauper in dandâ eleemosynâ præoccupandus est.

Peroratio.

Ergo certè nusquam magis noxia est parsimonia, quàm in dandâ eleemosynâ, cujus quivis obolus centuplici gaudet lucro. Nemo nihil magis hic perdit, quàm qui nihil vult perdere. 624. *Tom.* 2.

ALIA.

THEMA.

Quod uni feciſtis de his fratribus meis minimis, mihi feciſtis.

Morale.

Verissimè Christo dari, quidquid datur pauperi.

SOlidissimum sanctæ liberalitatis fundamentum est istud: Quidquid datur pauperi, Christo datur. Ocellus Domini Joannes scripto nos erudiens: *Qui habuerit substantiam hujus mundi & clauserit viscera sua ab eo.* &c. liceat hic quærere, num hæc ad Dialecticæ leges proba sit conclusio; nam antecedens de amore in hominem, enthimematis clausula de amore in Deum loquitur, atqui hæc diversa sunt, &c. Unde igitur eleemosyna parcior ubi aqua hæret? Defectum fideliter pandam, nullius est puto, &c. 147. *Tom.* 2.

* *Plures lege Conciones de extremo hoc judicio formatas in Indice primi Tomi Dominica prima Adventus.*

FERIA III. POST DOM. I. QVADR.

THEMA.

Et intravit IESVS in templum Dei, & ejiciebat omnes vendentes & ementes in templo.

Morale.

Proprius orationis locus templum.

Exordium.

IN templo esse non frequens tantùm, sed quotidianum erat Christo Domino, hinc respondit quondam: *Quotidiè apud vos docens in templo*, Christianorum etiam primi Hierosolymis, ut Lucas testatur: *Quotidie perdurantes unanimiter in templo erant*, &c. In summâ templi semper fuit apissimus orationi locus, cùm propter divina mysteria, & alia sanctitatis signa, quæ illic oculos incurrunt, tum etiam ob multorum illic adorantium multitudinem, quæ preces plurium consensu multiplicatas Deo reddit commendatiores, &c. Hinc hodie Dominus cùm essent templo dediti negotiis, ejecit eos, questúsque est domum Patris sui factam speluncam latronum. Certè templis debetur reverentia & honor, pessimè hinc hoc ævo agunt Christiani qui in iisdem garriunt, &c. 128. *Tom.* 2.

Prosecutio.

Quod de templo Christus hodie dat testimonium, non solùm modò, sed & in veteri testamento fuit observatum. Hinc Heliodorus olim inter plagas fassus est: *Eò quòd in loco* (templi) *sit verè Dei quædam virtus.* Nam ipse est qui habitat in cælis, &c. Ideo viri Deo amicissimi Noë, Abraham, &c. altaria aut templa struxerunt. Clemens Romanus asserit Petrum Apost. Antiochiæ plus quàm septem millia hominum Christo adjunxisse, inter hos Theophylus è primatibus urbis palatium suum in templum obtulit, &c. Atqui eo fine struuntur templa, ut in iis precationes tantò melius quantò religiosius fiant & instituantur. Pro sexcentis millibus stat una veritas, ad templum atque orationem invitans: *Domus mea domus orationis vocabitur.* 128. *Tom.* 2. at quoties hæc domus orationis sit spelunca latronum? Non de iis jam loquar, qui ædes ædes squalore ac situ obduci, omnia in pessum ire suaviter sinunt & cernunt, nec ruinosa restaurant, nec collapsa erigunt, imò domesticis usibus profanant: lacus, pas, cæpe, olera sacellis velut penori custodienda tradunt. Quamvis hic & liceat cum Christo rectè vociferari: *Fecistis eam speluncam latronum.* Sunt etiam qui domos habent, &c. 167. *To.* 2. sed alios nomino & taxo latrones, delicatiores illos alloquor. Quid ii coram Dominis suis, ne gratiâ eorum excidant, non faciunt? at transeat, sed quid illi nunc in templo coram Deo, coram Angelorum rege? pæne pudet dicere. 306. *Tom.* 2.

Peroratio.

His divini honoris contemptoribus flagellum Christi proximum est, & certè totas familias malè perisse vidimus, tam qui sacras ædes tutelæ suæ commissas collabi non vetuerunt, quàm qui in iisdem Deo debitam reverentiam non exhibent, 168. *Tom.* 2.

ALIA.

Morale.

Omnia à Deo inchoanda, & terminanda.

AD illa verba: *Et intravit Iesvs in templum*; Cur Iesvs ante omnia civitatê suam ingressus subintrat templum, nimirum ut doceret omnes vitæ nostræ actiones, præsertim principio sui & fine consecrandas Deo esse. Priscæ sapientiæ monitum est, à Iove principium. Deus enim & hoc olim subindicavit, dum non solùm exegit decimas, sed & primitias. Voluit insuper, ut Aaron ad ingressum & egressum sanctuarii campanulis aureis officii sui moneretur. (Umbra quæ fuit præceptio sanctissimæ præceptionis, quæ Dei nos meminisse jubet, ad omne actionis principium & finem.) 495.

ALIA.

THEMA.

Indignati sunt.

Morale.

Aliter Bubo lucem, aliter Aquila, & alites conspiciunt.

SIcut novâ in cœlo apparente stellâ insoliti splendoris ac figuræ omnium sapientum, tum insipientum oculi in illam convertuntur, ut ejus quod tam insolitum præmonstratur, ratio, caussa, & plena cognitio investigatione & scisitatione habeatur. Admirantur enim impii caussam ignorantes, obstupescunt sapientes, non quòd caussas ignorent, sed quòd effectus incertos præsagiat illa & prætendat. Sic nova stella (de qua Spiritus Sanctus: *Orietur stella ex Iacob*) Christo novo splendore, novâ formâ, figurâ novâ in terris apparente, mundus totus commovetur & admiratur; ita per Prophetam pollicitus fuerat Aggæi 2: *Adhuc unicum modicum & commovebo cælum & terram.* Fuit enim admirabilis in splendore divinitatis essentialis & beatitudinis animasticæ, cùm fuerit simul viator & comprehensor, beatus, & passibilis, Deo fruens & pœnas admittens. Admirabilis in formâ, nam *cùm in formâ Dei esset, & æqualis Deo* formam servi accepit,

accepit, & servi forma (ut inquit Leo papa) Dei formam non violavit. Admirabilis tandem in figurâ, nam inauditum in terris Dei figuram, rursus figurari, & figuratum verbum in utero Patris, rursus in ventre Matris carnem figurari. In mystico igitur cælo novæ Ecclesiæ, hodie hæc stellâ apparente, quid mirum si concurrat & commoveatur universa civitas; sed aliter hanc stellam intuiti sunt Pharisæi, aliter populi & infantes. Illi ut bubones lucem, hi verò ut aquila delectati ejus verbis, miraculis, & conversatione. Nec miror hoc tunc factum: nunquid si redux in orbem foret Christus idem fieret? In primis nunc ipsa virtus quomodo tractatur, nunquid ab incunabilis mundi passa est. Historiam omnem Græcam, Latinam, Barbaram, &c. 753. *Tom. I.*

ALIA.

THEMA IDEM.

Morale.

Nullum sine sale sacrificium.

IAm à pluribus sæculis luctus & gaudium contraxerunt conjugium, nullis subsequentibus sæculis solvendum:

Candida nullius it sine nube dies.

Crus ægrum Socrates fricabat non sine voluptate, sed mox dolorem sentiens: Quàm natura, inquit, nihil admittit gaudii sine mœrore, nusquam sine felle mel est, sine sale sacrificium. Ubi iguis, *Auditores*, ibi fumus. Duo rei hujus accipite testimonia, sed quorum unum alterius fuit figura. Goliatho in terram prolapso, &c. 804. *Tom. II.* Porrò prælium tam feliciter elausum triumphus sequebatur illustrissimus, &c. Huic agmini triumphali ex urbibus undequaque obviam prodierunt puellæ, &c. Merum hactenus mel & rosas sparserat triumphus iste, & ecce repentinos fellis imbres effudit tacodæmon. 804. *Tom.* 2. Nunquid & idem hodie & sæpius contigit Christo? Intrabat in templum & expugnabat ibi negotiantium turmam, illis ejectis accesserunt ad eum quasi congratulantes cæci & surdi, &c. Concurrit deinde universa civitas & cantatur & acclamatur ab his, *quis est hic?* Ab illis, *Hosanna filio David.* Nempe alienis semper inimica succedentibus est invidia. 345. *Tom. II.* Crediderim quosdam, ut & hi olim Pharisæi, habere in horto arborem Timonis ut veteri ferebatur proverbio, &c. Bernardus ita de invidis loquitur: *Erraverunt in solitudine*, &c. Rem omnem paucis dixit: Invidi desiderant soli esse docti, soli consulti, soli gratiosi, soli formosi, soli opulenti, verbo, soli soles. 497. *Tom. II.*

FERIA IV. POST DOM. I. QVAD.

THEMA.

Magister volumus à te signum videre.

TRia præcipuè incongrua & absurda sunt in hac petitione Pharisiacâ: *Magister volumus à te signum videre.* Unum in modo petendi, alterum in re petitâ, tertium in tempore petendi. In modo quidem, nam incongruit Magistro, Patri, & Domino dicere volumus. In re petitâ deinde, nam perscrutans scripturas ac SS. Patres repugnantissimum esse reperiet statui *vie & ambulantibus per fidem* videre. In tempore petendi tandem, cùm tunc temporis accesserint ut signa à Domino peterent, quando jam immediatè ante hanc petitionem quatuor miracula ab illo fieri viderant; ejectum scilicet dæmonem esse ab obsesso, & sanatum mutum, surdum, ac cæcum in synagogâ, & tunc tandem accesserunt. Videamus parumper utrum tales Dei tentatores non adhuc modò inveniantur.

Prosecutio.

Eorum ergo petitio à Christo fuit reprehensa, quid mirum, defuit enim petitioni eorum humilitas; omnes enim qui de modo petendi aliquid à Deo scribunt, semper illud instillant, Oratio sit humilis. 88. *T. II.* Aristippus seriæ frontis Philosophus, Laërtio teste, Dionysium regem Siculum pro amico deprecaturus quondam accesserat, &c. Ita & benignissimus Deus exoratu non est difficilis, sed aures habet in pedibus: quantò humiliùs petis, tantò citiùs impetrâs. 89. *Tom. II. Secundò*, erraverunt in re petitâ, nam petierunt quæ nec ad gloriam aut gratiam spectabant, quæ solummodo in petitione spectanda sunt: volebant enim sine merito jam videre, quod cum merito debebant credere. 109. *T. II. Tertiò* in tempore, nam jam satis manifestum habebant eum esse Messiam, ut modò hæretici, qui fidei nostræ mysteria, jam à multis annis miraculis frequentioribus, & solemnioribus miraculis cohonestata & confirmata, indies novis aliis confirmari volunt.

Peroratio.

Brevibus concludo, repulsam rectè patiuntur hi inepti petitores, offa sine liquamine & sine sale, ita oratio sine humilitate ebus planè insulsus & fatuus est. 93. *Tom. II.*

ALIA.

THEMA IDEM.

Morale.

In prosperis homo immoderatior.

QVi divinas scripturas perlustrat facilè animadverterit Deum Judæorum populum adeò carum & prædilectum habuisse, ut non solum in ipsis gratiam magnalia fecerit olim in Ægypto, mirabilia in terrâ Cham, terribilia in mari rubro: verum etiam tot cumulaverit favoribus, ut quasi cæterarum nationum oblitus, tunc suis videretur satisfecisse votis, si populum illum suorum desiderio rum compotem reddidisset. Ex quo factum est, ut populus ille durâ cervice & incircumciso corde Dei benignitate abutens, ita insolescere cœperit, ut cum Deo quasi de paritate concertarit, & novis semper desideriis efficacior evaserit, sicque gentem nimia sternit ubertas, sic arborum rami onere franguntur, &

Luxuriant animi rebus plerumque secundis. 63. *Tom. II.*

Unde olim de gente hac sic questus est, &c. 63. *Tom. II.* Ac ni ut petebat fieret in verba murmurationis, blasphemiæ, & impudentiæ propriperit, nunquam simplici divino promisso acquiescès, nisi signa videret. Patet propositum eò magis quò etiam principales Synagogæ Patriarchæ & Prophetæ post divinas promissiones ad planè credulitatem confirmandam signa à Deo petiisse legimus, non utique ea intentione, ut reliquus incredulus & rebellis populus, sed qui, inquam, ut delicatuli filii in deliciis enutriti ita assuevérant, ita Moses fecit Exod. 4. Abraham Genes. 15. Gedeon & Zacharias 770. *Tom. I.* Qui ergo populus Judaici proprietatem ac naturam tenet, non mirabatur si hodie ille idem ad Christum accedat signa petens. Sed, *Audit.* nunquid & nos non signa petimus implicitè vel implicitè quandoque? dicam: is nummorum tenacissimo viro, da huic pauperi Philippeum unum, & mille recipies, &c. 772. *T. I.*

ALIA.

THEMA IDEM.

Morale.

Triplici modo res aliqua malè petitur.

SEntiunt Theologi omnes omnino preces exaudiri, nec unquam à Deo dimitti vacuam. 118. *T. II.* Sed objicies forsitan quomodo verè sentiunt cum multi sint, qui vix quidquam eorum, quod petunt, impetrant, ut & hodierni petitores, quibus è cælo signum petentibus respondit Christus absolutè negativè. Responso triplici rem omnem explico; Vel enim quod petitur malè petitur, vel quæ malè petuntur, aut bona sunt, aut certè in se mala, vel denique ipsi petitores mali, & gratiâ divinâ vacui sunt, &c. 117. *Tom. II.*

ALIA.

Exordium.

OMnibus omnium hominum statibus in hoc evangelio pro sanandis animi morbis generalia, sed quibusvis propria divina remedia proponuntur. Omnis enim homo infidelis est aut fidelis, & infidelium aut simpliciter est, infidelis, ut ille, qui nunquam fidem recepit, aut secundum quid, ut hæretici, qui à fide exciderunt. Fidelium denique aliqui boni, aliqui semel peccatores, aliqui recidivantes. Pro primis scilicet simpliciter infidelibus proponitur signum Jonæ. 274. & 273. *T. II.* Pro infidelibus secundum quid, adducitur sapientia Salomonis, non enim aliter curari possunt hæretici quàm humiliter audiendo sapientiam Salomonis, Christi nec aliter restituitur homini imago divina. 899. *Tom. I.* Pro fidelibus bonis proponitur *esse matrem, fratrem, sororem Christi, ejus faciendo voluntatem.* Pro iisdem sed peccatoribus, exemplum Ninivitarum, qui pœnitentiam egerunt in prædicatione Jonæ. Ac tandem pro ipsismet sed recidivantibus comminatoria doctrina explicatur. Ex his, *Auditores*, duo latius sumus explicaturi, nempe quomodo Dei voluntati nos conformando, Dei efficiamur matres, sorores, &c. Et de recidivantibus peccatoribus.

THEMA.

Cum immundus spiritus exierit ab hominibus, &c.

Morale.

Frustra est medicina, quàm è vestigio comitatur invaletudo pristina.

Prosecutio.

EA, Ambrosio teste, vera est pœnitentia, quæ totum mutat hominem & ab usque radicibus vitia extirpat: *Renuntiandum*, inquit, &c. 677. Nimirum hoc est mutari totum, ad frugem converti, hoc enim rarum pæne dixerim, ratissimum. Quam ob causam spiritualis medicus in istud omni cogitatione, curáque incubuit, non tantùm ut sanet ægrum & à sceleribus liberum dimittat, sed ut sanato ita prospiciat ne in morbos eosdem recidat. Hoc apertissimè ostendit hodie dicens: *Cùm immundus spiritus.* Satánas sede suâ pulsus non otiatur, dum aliud commodum sibi hospitium indaget, si nullum reperiat in meam, inquit, tabernam veterem me recipiam, lautè illic diversatus sum, *& veniens*, quod Mathæus testatur, *invenit eam vacantem*, &c. Sed neque vacantem tantum & scopis mundatam, sed & ornatam domum invenit hospes ab orco. 678. *T. II. Recita omnia consequenter ex Auctore.*

THEMA.

Index Thematum moralium.

THEMA.

Quicunque fecerit voluntatem Patris mei qui in cælis est, ipse meus frater, & soror, & mater est.

Morale.

Multum facit, qui rem bene facit, optimè facit, si ad normam divinæ voluntatis faciat.

QVid mirum est Christum sic loqui, *Auditores,* cùm humanæ voluntatis cum divinâ confirmatio fastigium & culmen sit Christianæ perfectionis; unde Christiani hominis primarium debet esse studium, exquirere quid velit Deus. 585. *Tom. I.* Mirum dictu est quoties liber de imitando Christo Domino inculcet hoc divinæ humanæque voluntatis connubium, nam post varia præcepta vult præstantissimum, imò compendium omnium traditurus: *Nihil ergo,* inquit, *amatorem tuum,* &c. 581. *Tom. I.* Objicias hic forsan, &c. *Lege* 581. *Tom.* 1. & 538. *Tom. I.*

Epilogus.

Quid ergo tergiversamur? creatæ res omnes divinæ parent voluntati, & hoc (indignum prorsus) detrectet solus homo? Deus propositum sibi finem spectat, & consequitur, &c. 581. *Tom. I.*

FERIA V. I. DOM. QVAD.

Exordium.

IN mystico cælo præsentis Evangelii (per cælum enim Evangelium accipit S. P. Aug. Confes. 13. c. 15.) sol, luna, ac stellæ variè sunt contemplandæ. *Primò* sol Christus, qui egressus à Judaismo quasi à proprio horizonte, secessit in partes Tyri & Sidonis, ad Chananæam illuminandam, calefaciendam, juvandam. *Deinde* luna, quæ est Chananæa ipsa, quæ maculas idololatriæ, & aliorum multorum peccatorum habebat in animâ. Stella *insuper* una maligna Saturnus scilicet dæmon, qui filiam Chananææ hujus vexabat. Stellæ demum aliquot benignæ, scilicet Apostoli, qui bene influunt, pro chananeâ enim Magistrum suum rogant. Quæ omnia diversis concionibus sumus explicaturi.

THEMA.

Egressus Iesus secessit in partes Tyri & Sidonis.

Morale.

Arbor quæ non facit fructum bonum exciditur.

CVr sol ergo Christus à suo recedit horizonte & secedit *in partes Tyri & Sydonis?* in partes, inquam, inimicas Judæis? Tyrus enim & Sydon civitates sitæ erant in terrâ promissionis, prope montem Libani, quas filii Israel debellare totaliter non potuerunt, vultis compendio tradam hujus tam mirabilis & subiti discessus Christi? si arbor hortulano suo non respondeat, si fructus nullos reddat, succiditur. Si ager coloni sui vota non expleat, ut effotum ac defatigatum solum, relinquitur. Tales agri, tales arbores erant Judæi. 660. *Tom. II.* Sed videamus quos exigit, quosque Christus exigat ab homine fructus, non alios quàm continuam gratiarum actionem pro beneficiis acceptis. Deus enim sub ipsa conditi orbis principia, Creationis beneficium, &c. 660. *Tom. II.* Verùm ut hoc fructu caruere arbores Judaicæ, ita modò & Christianæ, ut namque inter arbores quædam summè sunt tenaces. 35. *Tom. II.* Ita & inter mortales sunt plurimi, quorum desidia, ne dicam, malitia hac in re sæpe est maxima. Mille in nos ire unique congeruntur beneficia, & vix gratias de uno referimus, &c. 660. *Tom.* 2. quod quam sit Deo ingratum Christus monstrat, dum ad barbaras secedit gentes, quæ certè Diis suis fuerunt gratissimæ. 661. *Tom. II.*

Epilogus.

Hic ego nunc Christianos omnes appello & inclamo, grati estote, verendum sanè ne in hac re nimis modici simus, neque placet Deo ut ei ad pecuniam numeratam, seu nummo, ut Jurisconsulti loquuntur, semel pro totâ hebdomade, vel mense, sed partibus pro singulis quibuscunque beneficiis gratias agamus. 661. *Tom. II.* Ne à nobis recedat.

THEMA.

Et ecce mulier Chananæa, à finibus illis egressa, clamavit dicens.

Morale.

Misericordia Dei est alta, lata, longa, profunda.

PAulus Apostolus ad benedicendum Deum, linguam solvens: *Benedictus,* inquit, *Deus & Pater Domini nostri Iesu Christi,* cujus benedictionis rationem reddens, causam affert; *Pater misericordiarum & Deus est totius,* inquit, *consolationis,* quasi dicat: hunc laudo, quia multas & magnas agnoscebat Dei misericordias. Quia verò Paulus non misericordiam, sed misericordias Dei nominat, operæ pretium est, nosse misericordiam Dei unam multiplicem dici extrinsecè, terminativè, vel subjectivè, &c. Est enim alta, profunda, & lata. Alta quidem, nam bene David: *Magnificata est usque ad cælos misericordia tua.* Profunda etiam, quia verè ille id est; *Misericordia tua magna super me, & eruisti me ex taberno inferiori.* Longa præterea: *Quia faciens est Dominus misericordiam in millia.* Lata denique, quia misericordiâ Domini plena est terra. Hanc suam divinam misericordiam semper cum hominibus ostendit Deus à mundi primordiis, sed præcipuè post suam incarnationem, cujus & latitudinem declaravit, cùm non solùm Hebræorum, sed etiam gentilium misertus est, adque eos extra Synagogæ angustum aggerem salutem eis allaturus se contulit, ut illum fecisse narrat hodie Evangelista, scilicet à limitibus Judæorum egrediendo, & ad Chananæam gentilem divertendo, quæ se illius favore tumen non præbuit indignam, eum debitis titulis salutans, vocando eum misericordem, dum inquit, *miserere,* quod & confirmat dum subjungit, eum esse filium Davidis. Qualis, *Auditores,* fuit David? vir mitissimus & mansuetus, nec aliis armis ipse familiam Saulis oppugnavit, ut iisdem Christus semper homines. 810. *Tom. II.* Nec mirum, Christus enim rex erat. 882. *Tom. I.* Hæc autem adinstar lunæ, misericordiæ januam rectè petit, nam defectuosa erat, &c. *C. V. in Indice rerum de effectibus peccati si si voles plura.*

Rectè ergo eum nominavit David filium, & misericordem, quia misericordia indigebat. 882. *Tom. I.*

THEMA.

Filia mea malè à dæmonio vexatur.

MORALIS QVÆSTIO.

Quam potestatem dæmon in homines habeat, & quando eam exercet.

NOtum piis Theologis est, diabolum semper Deo chariores torquere & tentare; avernalis enim hic gulo dapes appetit selectas. Inter filios Jacob, &c. 663. *Tom. II.* Res ergo illa non mira est, nam ut pyratæ naves vacuas non oppugnant sed onustas, &c. 683. *Tom. II.* sed quod etiam Idololatras & homines Deo ingratos possideat & vexet malè hoc mirum est. Operæ igitur pretium erit quænam diabolo in homines sit potestas? In primis certissimum est nemini nocere posse, nisi habita à Deo potestate, ut pulchrè docet S. P. N. Augustinus. 715. *Tom. II.* Hæc verò potestas vexandi, aut tentandi, licet aliquando ei concedatur, semper tamen quod secundò notandum est, est limitata. 713. *Tom. II.* Rationes verò cur Deus hoc permittat. 715. *Tom. II.* Sunt tamen aliqua peccata ob quæ perpetrata ei aliquando in hominem conceditur potestas. 633. & 634. Vide etiam 634. & 633. Quæ illius sit potestas semper autem malè vexat, qui à quærit nostrum exitium, quo quid pejus posset intendere? 700.

THEMA.

Dimitte illam, quia clamat post nos.

QVÆSTIO MORALIS.

An nobis liceat Divorum opem implorare?

PRo hac intercesserunt Apostoli Chananæâ, non diffiteor, sed etiam quod Calvinus notat, sed malè, non fuerunt exauditi. Quare & idem hæresiarcha Christianos catholicos arguit, quòd Divorum opem implorent. Necessarium enim est, si ii ad vota nostra attendant, placidissimam illorum quietem turbari, cum alioqui immensissimæ voluptatis suavitate sic absorbeantur ut alio mentem nequeant avocare: hoc primum est cornu, quo Sanctorum cultum impugnant. En aliud: In Christum Salvatorem injurii sumus, si aliis insuper advocationem nostram committamus. Subjungo & tertium. Nullum est in divinis oraculis edictum, quod ab eis opem & tutelam jubeat exposcere. Ergo, &c. singulis his quæstionibus respondet consequenter Auctor. *à fol. 395. usque 397. Tom. I.*

ALIA.

Ad illa verba: *At illa venit & oravit eum dicens,* doce importunitatem, alibi alioquin ingratam, in precibus Deo esse gratissimam; importunitatem enim in precando Deus unicè probat. 657. *Tom. I.*

FERIA VI. DOM. I. QVAD.

THEMA.

Est autem Hierosolymis probatica piscina.

HIerosolymis probatica piscina fuit: Ubi pecudum immolandarum carnes abluebantur, ad stagnum hoc quinque erant porticus, quas omnis generis morbidi, ulcerosi, & deploratæ valetudinis homines ingenti numero complebant, & exspectabant stipem è cælo, quam statotempore tulit Angelus, qui aquam movebat, ut primus qui post aquæ motum descendisset valetudinem reciperet. Variæ adhuc modò tales sunt piscinæ. Piscinæ enim dici possunt mundus, corpus hominis, Infernus, &c, Cuncta confirmo.

Morales

Index Thematum moralium.

Morale.

Piscina est elegans mundi Typus.

Prosecutio.

QVid enim mundus nisi innumerorum ægrotorum diversorium? ut autem tot pessimè affectis hominibus medela fieret, venit magni consilii Angelus, & undas turbavit. Equidem mirandum illud tot Hierosolymis pellucidas, puteales, crystallinas, dulces fluxisse aquas, Deo tamen placuisse in cænosâ, putri, turbiba aquâ, quam varii pecoris lanienâ, quam pili & sanguis occisarum animantium infecerat, valetudinis donum collocare. An non illustrius fuisset miraculum in Jordane potius? &c. 36. *Tom. I. recita omnia consequenter ex Auctore.*

A L I A.

Corpus est piscina, sed fœtida, & putrida.

SI homo accipiatur pro parte minus principali, scilicet corpore, sic corpus est piscina, ut dicit Simon de Cassia lib. 5. de Miracul. Domini Cap. 27. cui quinque assignari possunt porticus quinque sensuum exteriorum, in quibus jacet multitudo languentium, non solum naturali desiderio cognitionis (cum sensus exteriores etiam potentiæ cognitivæ sint) verum etiam quia unusquisque languet in his porticibus Deum illis offendendo: *Lege reliqua in Auctore consequenter à fol.* 354. *usque* 356. *Tom. I.* Hanc piscinam movet Angelus objecti, & sanatur unus sensus, qui vel cognitionem recipit, vel super objectum conveniens à voluntate rectâ ordinatum fertur.

A L I A.

Infernus est piscina, sed nunquam quemquam abluens.

SEcundum quosdam infernus piscina dicitur, cui etiam quinque possint assignari porticus, quinque nempe modorum, quibus damnati torquentur: torquentur enim in corpore pœnâ sensus. 148. *Tom. I.* In anima pœnâ damni. 148. *Tom. I.* In intellectu consideratione objecti disconvenientis, in voluntate tristitiâ maximâ, in memoriâ recordatione præteritorum bonorum jam amissorum. 150. & *diversis locis in libello de Damnat, rogo, consule Indicem rerum V. Infernus. Damnati,* &c. Sed hæc in his porticibus quanta jacet languentium multitudo in dolore & afflictione! Hanc miseram movet piscinam Angelus divini judicii, & sanatur unus non à pœnâ, sed à majori quâ plecti deberet. Deus enim semper citrà condignum punit. *Vide fol.* 188. *Tom. I. &* 526. *Tom. II.*

Piscina, est salutaris pœnitentia.

PIscina dicitur pœnitentia à Gorramo, cui quinque assignari possint porticus quinque considerationum quas facere debent pœnitentes. *Primò* considerent veri pœnitentes peccati reatum. *Lege à fol.* 184. *usque* 184. *Tom. I. Secundò* infallibilitatem divini judicii. 86. & 87. *Tom. I. Tertiò* Opportunitatem loci & temporis pœnitendi. Nam ea in hac vitâ sanabilis, in alterâ cruciabilis est. 144. & 21. *Tom. I. Quartò* ignorantiam, an sit in gratiâ nec ne. *Quintò* incertitudinem diei extremæ. 90. In quibus jacet multitudo magna languentium præ dolore & contritione cordis, hanc piscinam movet Angelus, Christus motu interioris inspirationis 13. *Tom. I.*

Epilogus.

In hac igitur piscinâ nos sæpius abluamus, nam incredibilis est vis tempestivæ pœnitentiæ. 163. *Tom. I.*

A L I A.

Morale.

Relapsus lapsu gravior.

AD illa verba: *Ecce jam sanus factus es, jam amplius noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat.* Sigismundus Imperator quod Æneas Silvius narrat, Theodoricum Colonienſem, &c. 189. *Tom. I.* O varium & commutabile semper humanum propositum! Siracides clamat: *Qui baptisatur à mortuo, & iterum tangit eum, quid proficit lavatio illius.* Post baptisma mortuum tangit, qui culpam post lacrymas repetit, &c. 189. *Tom. I. Lege etiam fol.* 677. *Tom. 2. ubi Auctor assumptum nostrum morale thema, integrâ concione prosequitur.*

Ad illa verba: *Ne deterius tibi contingat*, doce quomodo relapsi ægriùs corrigantur, & à Deo severiùs puniantur, ac proindè Christus hunc hominem rectè monet his verbis, scilicet *ne deterius*, cujus rei nobilissimum est paradigma Pharao, qui clade tam multiplici affectus nunquam non rediit ad ingenium, Saul, &c. Ninivitæ, &c. *Lege à fol.* 678. *usque* 679. *Tom. 2. Sunt hæ conciones integræ & ab Auctore connexæ.*

FERIA II. POST DOM. II. QVAD.

THEMA.

Ego vado & quæretis me, & in peccato vestro moriemini.

IOannem Evangelistam, alium excessum, differentem ab excessu quem Mathæus retulit heri in transfiguratione Domini, hodie referre in suo Evangelio ex eo satis constat: Quòd is heri retulerit excessum charitatis Christi, complendæ in Hierusalem tempore suæ passionis; Joannes verò excessum referat Christi, è limitibus ac terminis synagogæ. Cum enim prævideret Christus illos excessuros limites humanitatis, quærendo etiam post mortem Patris, necem filiorum, Apostolorum scilicet. Insuper & limites bonitatis Dei, perseverando adeò in peccato, ut in illo mori eligerent, ab illis excedit & prænonet. Miser recessus, dum ita recedit.

Prosecutio.

Quod peccatum post hanc vitam causat æternaliter, in ipsâ vitâ, causare incipit temporaliter. Post hanc vitam quid efficit, *Auditores*, peccatum? privat nempe in omnem æternitatem, &c. Nulla enim unquam lex permittet ut Deum damnati videant. 149 *T. I.* Igitur revera damnatus miser est. Inter damnatum igitur & peccatorem vivum, ea tantùm est differentia, quòd certò damnatus novit se æternaliter illâ visione deificâ esse privatum, in vivis verò existens peccator quamvis eâ visione privetur, sperare tamen possit, se eam recuperaturum aliquando. Sed dicet aliquis: quænam quæso hic in terris est Dei visio, nunquid scriptum est: *Non videbit me homo & vivet*? Fateor eâ visione quâ beati Deum vident, in terris non sumus unquam visuri Deum. 210. *Tom. I.* Sed tamen quasi fructu animæ visione Dei, dum gratiâ ejus exornatur, & quasi damnatur dum eâ privatur. O quantum malum est subtractio gratiæ divinæ! illa enim subtracta quid restat quàm damnatio æterna? *In peccato vestro moriemini.* Non tamen eam facit facit Deus pro semper, nisi dum scelera scelcribus nectuntur. Patet in Judaico populo, quem non ita rejecit subitò, sed postquam eum annis pluribus patienter sustinuisset Videte Saulem. 807. Differt enim gratia divina ab humanâ. 510. Ubi tamen scelera scelcribus nectuntur recedit, quam divinæ gratiæ aspernationem damnati maximè deplorant. 163.

Epilogus.

A peccato igitur, *Auditores*, abstineamus, nescimus enim an subtracta per illud gratia, ad nos aliquando iterum sit reversura.

A L I A.

THEMA.

Exordium.

DEus bene agendi occasionem suppeditat semper, restat tantùm, ut Christiane, ut apprehendas, omnia enim hoc in mundo clamitant: *ego vado.* Negexerunt Judæi præsentem, fugientem quidem revocarunt etiam post mortem instantissimis precibus, sed frustra, nescit enim elapsa occasio redire. Hic igitur explicandum occasione oblatâ utendum esse. 637. *Tom. II.*

Prosecutio.

In sacro Salomonis carmine narratur sponsus è cœlo, animæ dilectæ fores adjisse, pulsasse, aditum petisse, at illa morabatur, & deliberabat, lentè moliebatur surgere, & tandem cubitu sustrexit, sed serò nimis, jam enim recesserat sponsus. Hinc illæ dolentis querulæ voces: *pessulum ostii mei aperui dilecto meo, at ille declinaverat atque transierat.* O bona filia, &c. 637. *Tom. II.* Nautæ ut primum favens adspirat ventus, mox navim impellentes clamant, &c. Idem in virtutis studio agendum, &c. Parva momenta sæpe maximas rerum attulerunt mutationes, nocuit differre paratis. 637. *Tom. II.* Sanctissimi quique homines quàm solerter & industriè omnem bene merendi occasionem vestigarunt, inventa quàm accuratè & gnaviter fuit usi! Oblata certè occasio, non repudiata, lucri maximi causa esse solet. Apud inferos maximi erit doloris, desperatissimæ pœnitentiæ, tot optatissimos dies, tot horas, &c. 638. *Tom. II.*

Peroratio.

Quisque igitur dum videt omnia clamare: *Ego vado* præsente, dicat, utar occasione, virtutem præsentem amplectar, elabi non sinam, quod promovet salutem. Quis novit num eadem ipsa divina misericordia recurret? Hodie vocem Domini sequar, &c. 638. *Tom. 2.*

A L I A.

QVÆSTIO MORALIS.

Quódnam peccatum sit, in quo Iudæos morituros Dominus prædicit.

QVia Christus Dominus protestatur hodie Judæos morituros in peccato, idcirco quodnam sit hoc peccatum per antonomasiam, in quo illos morituros Dominus prædicit, & quænam peccata in quibus illos perseveraturos esse affirmat, diligentius perquirendum. Et quoad primum dici potest: peccatum originale, peccatum per antonomasiam vocari posse; nam secundum Scholasticos licet verbum divinum ad omnia peccata diluenda incarnatum sit, præcipuè tamen ad originale peccatum expiandum, in quo peccato illos morituros Dominus affirmat, quoad suos posteros, & successores, legem evangelicam non recepturos, quia Hebræi non recepto baptis-

baptismate, & jam mortiferâ effectâ circumcisione. Habuit enim tria tempora circumcisio, in quo fuit necessaria, & hoc ante Baptismi institutionem. Aliud, in quo fuit utilis, sed non necessaria, & hoc quando pari passu ambulavit cum baptismo, & indifferenter poterat quis ad originale peccatum diluendum, vel circumcidere parvulum, vel baptisare. Ac tandem tertium, quando jam repudiatâ veteri lege & abolitis omnibus legalibus fuit simpliciter mortifera, caruerunt omni remedio ad originale peccatum expiandum, ac proinde meritò illos in originali peccato morituros quoad suos successores & posteros prædicit Dominus.

Peccatum insuper hoc peculiare, ac proprium peccatum odii & rancoris dici potest, non solum quia Spiritus Sanctus charitas est, & odium è diametro charitati opponitur; verum quia familiare erat Hebræis non ignoscere, injurias non condonare, utoriisque facibus agitari. Unde hodie Christus nedum dicit in peccato illos morituros, sed in peccato suo proprio ac peculiari. *Et in peccato vestro*, inquit, *moriemini*. In quo quidem peccato mortui sunt, quia Christo reconciliari noluerunt, & SS. Apostolos persecuti sunt, ut meritò illis dici possit: *Quem Prophetarum non sunt persecuti Patres vestri?* Recte autem addit si dehoc peccato intelligatur utpote Judæis proprio, *Morieriini*; nam eo non dimisso cætera peccata non dimittuntur. Ad justificationem enim non solum cum Deo reconciliatio, sed & cum homine requiritur scriptum enim legimus: *Si offers munus tuum. Vide foliis 76. Tom. II. 282. Tom. I.*

FERIA III. POST DOM. II. QUAD.

IN hoc Evangelio, in quo Christus cathedræ Mosis mentionem facit, notandum & sciendum est (quamvis plurimi concionatores occasione horum verborum, de Sacerdotum, & Sacerdotii dignitate discurrunt) Christum vel excellentiam vel quippiam tale ad sacerdotes pertinens circumloqui noluisse; sed scopum ejus fuisse Scribarum & Pharisæorum peccata redarguere, ut corrigerentur, vel saltem erubescerent pravè agere, jam per Christum secularibus illorum vita manifestata. Patet id per verba Evangelii, quibus de eorum transgressionibus, & defectibus expressa fit mentio. Implicitè autem de eorum dignitate, vel quopiam tali, ut intuenti & Evangelium consideranti clarum esse potest. Vnde Chrysostomus super illa verba: *Omnia opera sua faciunt*, ait, supra Dominus arguerat Scribas & Pharisæos crudelitatis & negligentiæ, consequenter autem arguit eos inanis gloriæ, quæ fecit eos a Deo recedere. Cum verò ad tria potissimum genera horum Scribarum & Pharisæorum, Sacerdotum, ac Prælatorum universa peccata reducantur, nimirum, *quod dicunt & non faciunt, quod omnia opera sua faciant ut videantur ab hominibus*, &c. Quod imponunt, *onera gravia & importabilia in humeros hominum, digito autem suo nolunt ea movere*. De singulis istis erroribus dicturi sumus.

THEMA.

Dicunt & non faciunt.

Morale.

Plurimi sunt vox, & præterea nihil.

Prosecutio.

PRimus error horum Pharisæorum pertinet ad intellectum, qui vel solùm speculativus esse vult, & non practicus, contra naturam & proprietatem sacræ Theologiæ, quam profitentur (est enim illa scientia Theologica practica) & non speculativa solùm, sed conjugi vult cum praxi & exteriori operatione, ut justitiæ erant alæ olim & manus animalium, quæ vidit Ezechiel, & architectonica ac mechanica notitia; & taliter docere, sicque esse doctorem profiteri propriè est hypocritam agere: nam secundum Hieronymum Hypocrita appellatur qui aliud est, & aliud esse simulat, aliud enim opere agit, aliud voce præmendit. D. verò Thomas, Hypocritam docet duos in se defectus pati, scilicet sanctitatis, & suiipsius simulationem, quibus duobus in aliquo concurrentibus (ut scilicet aliquis sanctitatem habere non curet, sed solùm sanctus apparere studeat, sicut accipi contigit in sacrâ scripturâ) ille talis mortaliter peccat. Vnde meritò affirmat idem Hieronymus super Isaiæ 12. in comparatione duorum malorum levius esse apertè peccare, quàm sanctitatem simulare. Sed objiciat, nunquid non melius est solum intus malum hærere, quàm intus & foris? cur ergo Christus hanc pictam linguam toties reprehendit, &c. 655. Drogo Hostiensis Præsul, &c. *Lege à fol. 654. usque 655. Tom. I.*

Epilogus.

Quisquis igitur es, mi Christiane, si docere tibi competat, vitâ & moribus & verbo doce, dictis tuis fac fidem, factis quod doces exhibe: Alioqui nemo tibi credet. Vox illa omnium te feriet, *Dicit & non facit.*

ALIA.

THEMA.

Omnia opera sua faciunt, ut videantur ab hominibus.

Morale.

Communis macula inanis gloria.

Exordium aliud.

MIror, *Auditores*, cur pro sacerdotibus tantùm exponatur hoc evangelium à nonnullis concionatoribus; Moses enim, cujus fit mentio, non fuit tantùm Sacerdos ut Aaron frater ejus, sed belli dux: & Scribas primò Doctores fuisse testatur Hieronymus in Matth. c. 23. Pharisæi licet respectu totius populi religiosi dicerentur, non tamen omnes sacerdotes erant, cùm tres Sectæ, quæ vigebant apud Hebræos, scilicet Pharisæorum, Saducæorum, & Essenorum omnes Religiosi haberentur; non autem omnes sacerdotes. Cur ergo cùm horum omnium mentio fit pro solis sacerdotibus hoc Evangelium exponitur? Dicatur ergo, Principum, Doctorum & Spiritualium quarumcunque Personarum defectus à Domino exprimi, licétque in omnes particulares suos habeant errores, hic plurimis, quod dolendum est, communis est. *Omnia opera sua faciunt*, &c.

Prosecutio.

Omnibus insidet opinio sui & pretium, vivitque etiam in optimis quibusque viris nescio cujus gloriæ aculeus, qui perraro ita in plenum emoritur, ut nulla supersint semina, quæ fota, in herbam & fruticem non exsurgant. Passim, ut olim Pharisæi ad famam & non ad conscientiam laboratur, acerbi multa superantur, & vana gloria nos superat; semper enim in rostrum honorem revolvimur. Verissimè cecinit quisquis ille fuerit:

Gloriæ cupido hominibus exuitur novissima.

Et ubi quæso reperias eos qui laudem omnem averserentur? *lege à fol. 474. usque 480. Tom. I.* Jephte quominus filia prodiret in occursum impedire vix potuit, &c. & hic error spectat ad modum operationis ejusque finem, cum ex vanâ gloriâ operantes non oculos Dei, sed hominum quærunt; quibus placere volunt.

Peroratio.

Quæ cùm ita sint conemur, *Auditores*, quàlescunque etiam simus, tales esse, ut Plinius scribit se vidisse vitem, scilicet sine foliis, vel malum punicam quæ stirpe & non palmite aut ramis fructum tulit. Actiones sanctas occultemus, &c. sed quis est hic & laudabimus eum? Talem vitem & malum punicam recenset Plinius inter prodigia. Talem & tu mihi hominem ostende quem non inanis gloria vexet, & eum inter prodigia retulero, 475. Tom. I. & à fol 703. & 710. Discursus nostro finem imponat Ioannes Sarisb. *Omnia*, inquit ille, quæ ostentationis causâ fiunt, proficiscuntur in mortem. *Lege etiam quæ habentur à fol. 444. usque 447. Tom. I.*

Ad illa verba, *Alligant enim opera gravia & digito*, &c. doce ex hoc patere, quod ille, qui constituit legem aliquam, licet non sit subditus legi, quantum ad hoc quod puniatur per hominem, si contrarium faciat, tamen obligatus est ad legem implendam, & gravius punietur à Deo si contrarium fecerit, quia transgressio ejus gravior est propter scandalum, propter quod dicit Sapiens, *Patere legem* quam tu ipse tuleris, & Extr. de Constit. c. cum omn. dicitur quod quidquid juris in altero statuit, ipse eodem jure uti debet. Patet etiam ex iisdem dictis quod ille, qui statum Ecclesiæ, in generali, seu in speciali, onerant gravibus statutis, sine evidenti necessitate, abuntur suâ potestate, sicut faciebant Scribæ & Pharisæi. *Lege fol. 479. Tom. II. ubi docet Auctor servis & subditis non esse abutendum.*

Ad illa verba, *Quæcunque dixerint vobis*: Doce virtutis obedientiæ necessitatem & utilitatem. Nunquam enim quemquam hominum, imò nec seipsum ab obedientiâ voluit exemptum. Non enim, inquit, quia Domini temporales pædagia apparenter injusta & vectigalia onerosa imponunt subditis, non propter hoc subditi obedire non tenentur, quia Doctores ea quæ dicunt non implent; non propterea, *Auditores*, quæcunque dixerint servare non debent; leges enim divinæ non facilè patiuntur exceptionem. 540. *Tom. II.* De virtute obedientiæ. 890. *Tom. I.*

FERIA IV. POST DOM. II. QUAD.

THEMA.

Filius hominis tradetur Principibus Sacerdotum & Scribis, &c.

Morale.

Quæ sint præcipua Passionis Christi mysteria.

Exordium.

PAssionis Christi acerbitatem, de quâ præcipuè in præsenti Evangelio fit mentio, per quatuor perfectissimè exprimi, ipsamet Christi verba testantur. Quatuor enim hæc enumerat: Traditionem, Illusionem, flagellationem, & crucifixionem. *Tradetur gentibus* ecce primum; *Ad illudendum* ecce secundum; *Ad flagellandum* ecce tertium; *Ad crucifigendum* ecce quartum, de singulis pauca.

Prosecutio.

Prosecutio.

Quamvis sponsus in sponsam suam favores innumeros contulerit, tamen ab eadem sponsâ nil ita celebratur, quàm quod à sponso fuerit deducta in cellam vinariam. *Introduxit*, inquit, *me Rex*, &c. Cant. 2. Qui favor si nudè & litteraliter intelligatur potiùs in dedecus quàm in gloriam sponsæ Dei redundat: dedecet enim sponsas virgines subintrare cellas vinarias, vini enim haustus feminis etiam gentilibus fuit interdictus, ut frequentes historiæ passim referunt. At si mysticè intelligatur tunc in gloriam sponsæ redundat: Sponsa enim à sponso in cellam vinariam censetur introduci, cùm vel divinitatis & humanitatis suæ cognitione eam imbuit, ut vult *Ambros. Serm.* 70. vel cùm illustratur donis Spiritus S. ut vult *Rupertus* 2. *de Glor. Trin. c.* 13. vel cùm præcipit gaudium aliquod spiritus, ut vult *Chrysost. super Matth.* 9. & *Gregor. sup.* 1. *Reg. c.* 1. Vel dum denique passionis Christi secreta percipit fervidâ meditatione & contemplatione, ut *Clemens Alexand.* cujus opinioni nostro deservit proposito. Quid enim sunt hæc quatuor passionis Christi puncta in Evangelio à Christo animarum nostrarum sponso relata coram Apostolis, quàm quasi quædam quatuor dolia vini, ex quibus dum anima bibit, non cerebrum turbatur, sed cor inflammatur. Sed videamus, *Auditores*, cùm de hirsuta Christus expressam facit mentionem, quid acerbitatis in se contineant. *De Traditione* vide quæ Auctor habet: Nefas, inquit, silentio præterire est quod plerique faciunt. 388. Tom. 2. *De illusione.* 340. & 341. Tom. 2. *De flagellatione.* 341. 342. & 343. Tom. 2. *De Crucifixione.* 352. & 353. To. 2.

Peroratio.

In hanc ergo cellam vinariam Passionis Christi vos, *Auditores*, quandoque recipite.

ALIA.

THEMA.

Dic ut sedeant hi duo filii mei, unus ad dexteram tuam, & alius ad sinistram tuam in regno tuo.

Morale.

Pro plumatili pileo ambitionis ubique decertatur.

Exordium.

DIabolus, *Auditores*, subinde Cupedinarium agit, & gulâ tentat, subinde & aurificem: novit enim sua etiam fœdissima inaurare taliter, ut aurum putum puræ sordes videantur. 702. Tom. 2. sed & Pileonem quandoque agit, egitque eum ab ipso mundi exordio: Nam Ambitio cum Lucifero in cœlo, & cum Adam in Paradiso cœpit. Revera Ambitio anus est impudens & importuna satis, quæ ingressa fuit in ipsum Christi cenaculum, & in ipsum cælum, & hodie in ipsum Apostolorum collegium penetravit. Antiqua certè sed heu! nimis munda familiaris lues, conabimur eam describere. 704.

Prosecutio.

Novi Orbis incolæ Orientales, &c. Nil in orbe jam sanctius honorum & dignitatum splendore; hi sunt enim plumatiles pilei, quibus Diabolus suos solet candidatos exornare, quibus plerumque homines falluntur. Tam audax verò & præfidens est infernalis ille tentator (quare nemini mirum videatur Matrem hanc & filios ambitione tentatam) ut vel sanctissimos homines non veritus fuerit aggredi plumarum & ambitionis tentatione. Joanni Baptistæ nunquid plumatilem pileum ambitionis obtulit, &c. Eodem stratagemate aggressus fuit Paulum & Barnabam, imò in ipsum Apostolorum collegium, non hodie tantùm, sed sæpius velut Eridis pomum plumatilem hunc pileum projecit, in medium velut dixisset: Honoratissimus omnium habeto, & ecce *facta est contentio inter eos*, quis eorum videretur esse major? O mei Apostoli, quid ista lis vestra? &c. 704. & 705. Tom. 2. Quàm verè Ambrosius, &c. nunquam non est fœcunda malorum hæc ambitio, patet in Jeroboam, quid ambitio illi non insusurravit? Ut enim sibi suisque regnum stabiliret, &c. *recita consequenter ex Auctore folia assignata.* Sed ut hæc ambitio Apostolicum turbavit collegium, quia reliqui *decem indignati sunt*, ita & jam conturbat pileus ille plumatilis orbem universum. Ab hac una peste quot in provinciis & regnis lachrymæ? quot præclara principum & Electorum comitia hæc sola furia ambitio disturbavit unica? quot jam annis in Europâ fovimus bella, sed sanè miserrima, quæ alternantibus victoriis utramque partem miserè attriverunt, & fortunis exhauserunt pæne omnibus, sic utraque pars vicit & neutra vicit. *Lege à fol.* 704. *usque* 707. *Tom.* 2.

Peroratio.

Vos ergo, Christiani, plumatilem hunc abjicite pileolum Christi monitu. 707.

ALIA.

ADilla eadem verba, *Dic ut hi duo*, &c. supple ut Glossa addit *in hac vitâ*, doce neminem quantumvis senex & bonus, hic sibi sellam quietis debere seligere; laborandum enim est nobis quamdiu superest vita, quare Auctor pulchro discursu reprehendit has multorum voces: Ego jam tam diu decubui, tam diu pœnitentiamegi, tam diu pauper exstiti, cur jam non tandem saner, jam non genio indulgeo, & dives tandem fio, sicque repausem. *fol.* 1. *Tom.* 1.

ALIA.

ADilla verba, *Nescitis quid petatis.* Cur petita negat Christus? Cur non annuit petitioni? fuerit mala? Scire debetis, *Auditores*, aliter Deum agere cum amicis suis electis, aliter cum reprobis. Verum est Israëlis populus in solitudine importunis precibus carnes quondam postulavit, quod quamvis valde Deo displiceret annuit tamen, sed commodo non propitius sed iratus. Idem Populus ævo Judicum Hebræorum regem petiit æque quod & Deo displicuit, sed tamen concessit, non ut beneficium, sed supplicium; sciebat hoc illis non profuturum. Non ita cum amicis agit, sed benignè nostro bono negat, dùm nescimus quid petamus. Qualia certè aliquando non sunt Christianorum vota. 108. & 109. Tom. 2. Quid ergo petendum ne hanc eandem cum hac femina audiamus aliquando reprehensionem.

FERIA V. POST DOM. II. QVAD.

THEMA.

Et induebatur purpurâ & byssо.

Morale.

Levis veste plerumque manis mente.

EN, *Auditores*, quid tanquam una ex principalioribus concausis damnationis hujus referat Evangelista: Tantine flagitii est byssinâ veste amiciri? non vi rapuit, non dolo, quâ purpuram & byssum emeret, ut multi hoc ævo solent, pecuniam, non opifices manupretio fraudavit, nec mercedem famulis negavit de suis loculis, ære suo sibi hæc comparavit; & tamen sepultus est in inferno. 421. To. 1. Horrendum sanè illud Evangelistæ, nec minus illud D. Gregorii? &c. Pauci certè cum Salomone orant, qui victui suo tantum postulabat tribui necessaria, nos enim requirimus nunc superflua. 422. Tom. 1. Quod Divitis Epulonis vitium, luxus scilicet vestium, ita est generale, ut eo inficiantur etiam viti spirituales. Opus foret certè hoc nostro ævo, ut Carolus V. revivisceret. 428. Tom. 1. prudentius certè fecère & gessère se majores nostri. 427. To. 1. Imò Christus ipse, non nisi pannis voluit involui, quare horum delicatulorum tardus non est videndex. 430. Tom. 1. Videtisne, *Auditor.* purpuram excultam straviſse pluribus viam ad sepulchrum infernale, ac proinde bene in enarratione causarum damnationis interseri ab Evangelistâ; plerumque enim leves veste, sunt inanes mente. 431. Tom. 1.

ALIA.

THEMA.

Et epulabatur quotidie splendidè.

Morale.

Gulosus damnationi vicinus.

Exordium.

COntracta cum vitiis familiaritas & consuetudo rerum pessima, mortalem præstringit obtutum ut discerni nequeat, quàm indecorum sit quod torquet, quàm fœdum quod mulcet, quandoque victum, ut nimis angustum & asperum accusamus: gulam deberemus ut nimis capacem & amplam. Vitium enim hoc unicum vitiorum pæne omnium est ingressus, per hoc unum gulæ ostium & libidinis flamma, & torpor ingenii, & irarum ac jurgiorum fervor, ingreditur. Et hæc altera ponitur Damnationis Epulonis divitis concausa. Agmen igitur noxarum gulæ in campum produco.

Prosecutio.

Variè prorsus delinquit gula. Primò quidem cùm nimium cibi potúsque ingeritur, vel reclamante stomacho, qui sæpissimè non inediam queritur, sed nimiam saginam. Sunt autem & stomacho sua verba. 153. Tom. 1. Altera, cibis adeò delicatis pretiosis inhiare, ut necesse sit, omne perscrutari profundum, & conchylia ultimi maris ex ignoto littore eruere. Ultra Phasim capi volunt, quod ambitiosam popinam instruat. Sed noteat velim, illud etiam delicatum ac pretiosum censeri, licet in se vilissimum sit, quod à gulâ plurimùm desideratur. Hinc fieri potest, ut iste gravius delinquat fungis edendis, quàm ille perdice aut Phœnicopteri linguâ. Esau, &c. 153. Tom. 1. Tertia gulæ noxa, symposiis ac conviviis nimium & temporis & nummorum tribuere. Solent subinde liberis parentes vaticinari: Væ tibi puer, ubi in exteras regiones amissus, delitiis, domesticis carebis: quàm insuetus eris laboris & pecuniæ? Haud secus his objiciendum epulonibus: sed pergo. Quartum gulæ vitium, jejuniorum leges temerè violare. Multi hoc ævo jejunos se credunt cum non sunt ebrii, &c. Quintum gulæ crimen, Ebrietas omnium vitiorum periculosissimum. 153. Tom. 1. Certè divites vos Epulones, an non scitis quo loco sit sepultus Patronus vester Dives Epulo? *In inferno*, ubi experitur, quod nunquam unus vestrûm expertus alterius, orbis famem. 154. Tom. 1. & 155. Tom. 1.

Peroratio.

At nos ambitiosissimæ gulæ homines his plerumque par uniter erremur. Dapes & delitias, cœnas & calices sectamur, quidquid de futurâ fame sit. Considerativs, obsecro Christiani, considerativs, &c. 155. Tom. 1.

ALIA.

Morale.

Vestium & conviviorum luxus Eleemosynas impediunt.

AD illa verba : *Cupiens saturari de micis & nemo illi dabat*, Magna certè inhumanitas, sed ea, *Auditores*, unde ? concinnè hoc tibi quærenti respondetur tribus quasi verbis, *Epulabatur quotidiè splendidè*. Stomachus ergo illi erat humidus. Humidus locus ut optus est generationi serpentum, ita lautè saginata caro vitiorum omnium fit mater & nutrix. *fol.* 2. *Tom.* 1. sed & insuper quædam sunt eleemosynam impedientia, quorum primum est ingens & turpiter constans vestium luxus, quocum fuisse infectum quis neget ? Alterum sumptuosa convivia. Tertium rapinæ paliatæ, &c. 194. Tom. 1.

ALIA.

Morale.

Nec in sepulchris quidam quiescunt.

AD illa verba : *Mortuus est autem Dives & sepultus est in inferno*. Apud Flandros dicitur vulgariter, mortuos in sepulchris quiescentes non esse irritandos ; at hoc non fruuntur privilegio quos sepulchrum condit infernale. Cerberi ibi latrantes plurimi. Quæret verò quo terræ loco, hoc sepulchrum situm sit, quánq; ue sit capax, curiosum quamvis sit magis quàm utile, breviter tamen resolvero. Theologi, &c. Mallem ego ut quis vestrûm, *Auditor*. quæritaret industriè, quomodo hoc evasurus sit sepulchrum, néve eò cum hoc divite post mortem deferatur ? horrendum enim nimis est. Cavea Calisithenis, Christierni regis Daniæ, &c. At hæc cavea infernalis arctior & pœnalior est. Evasuri sumus verò eam si in vivis frequenter ob oculos nobis ejus terribilitas versetur. Versari poterit sic. *fol.* 165.

ALIA.

Morale.

Non semper moniti proficimus.

AD illa verba : *Rogo ergo te Pater, &c. Habent Moysen & Prophetas audiant illos*, Justa divitis hujus primâ fronte videtur petitio, At Abrahami verò injusta denegatio. Is enim qui jam pejierat, posteros suos hæredes salvos volebat. Sed rem inspiciamus, dea judicemus. Nota erat satis Abrahamo cælesti horum posterorum & similium cæcitas, altúsque in peccatis somnus. Quod plurimi nostrûm objiciunt, malevolis scilicet, ex hic suspensus est, ille ob tale crimen decollatus est, hoc nobis objicit, & inclamat Ecclesia per suos verbi Dei præcones indies. *fol.* 173. Tom. 1. cur autem horum ita citò quidam obliviscantur ? Rationem reddo hac similitudine : Ut ii faciunt, &c. 171. Tom. 1. Tales erant & posteri hujus divitis ; quamvis enim ut sios modò habeant suos monitores, dormiebant somnum Jonæ, ut & modò quidam donec projiciuntur ili mare æternitatis. Pauci enim sese ante exonerant. 172. Tom. 1. Justè ergo Judex ille objicere poterit quod Daniel Balthasari. 172. Tom. 1. ac proinde præstat, *Auditores*, non concionantes Angelos, non miracula petere, sed nostris credamus monitoribus Ecclesiæ. 172. Tom. 1. *Poteris & his interserere quæ habentur fol.* 175. 179. 190. 191. *Tom.* 1. *& lege quæ habentur.* 154. *Tom.* 1.

FERIA VI. POST DOM. II. QVAD.

THEMA.

Dixit Iesvs discipulis & turbis Iudæorum parabolam hanc.

Morale.

Per sensibilia faciliùs cælestia percipiuntur.

CVr Dominus in parabolis locutus fuerit, varias afferunt rationes sancti Patres. Theophylactus, inquit, ut redderentur auditores attentiores. Hieronymus dicit hoc fuisse familiare Syris & Palæstinis, ut quod per simplex præceptum teneri non potest, per similitudines & exempla teneretur. Chrysostomus, ut eos, inquit, ad interrogandum induceret. Sed S. P. Augustinus ab aliis parum aut nihil discrepans, inquit, Dominum in parabolis locutum fuisse, quia per sensibilia faciliùs cælestia capiuntur. Hinc Christus in parabolis locutus est frequentiùs, eásque desumpsit ex rebus obviis, quæ cernuntur & audiuntur, sic hominem peccatis obnoxium, cum asino in puteum lapso contulit. Quinque panes, &c. 562. Tom. 2. perinde si dixisset, ô Judæi ! toties de meâ personá riquiritis, & ecce omnia quæ vel cernitis, vel auditis, vel tangitis, vel etiam odoramini, & gustatis, ad animum, ad interiora, ad Deum, & sublimia vos manu ducent. Qui noctu cernit faculas cælestes stellas velut in excubiis vigilantes, &c. 562. Tom. 2.

ALIA.

THEMA.

Hic est hæres, venite occidamus eum, & habebimus hæreditatem ejus.

Morale.

Auri dira fames quò non mortalia cogis pectora ?

Exordium.

THeologis duplex est appetitus, concupiscibilis & irascibilis ; pessimi certè ambo suasores, nisi rigidis imperiis coërceantur. Ille voluptates ambit, hic simultates exercet, ingenti hominis damno. Scarabæus quidem est Aquilæ capitalissimus, &c. 205. Tom. 1. En irascibilem appetitum, en capitale odium. Nec minus fuit illud quo ferebantur Judæi in Christum. Sed quantarum sit virium modò videamus prava cupiditas non alicujus lentis eduhi, sed pecuniæ. Omnia, *Auditores*, crediderim me dixisse si illud Pauli protulero : *Radix omnium malorum cupiditas*, uno hoc adscito verbulo Radix omnium, &c. est cupiditas auri, quid non audet auri nimium cupidus ? 205. Tom. 1.

Prosecutio.

Uti vix ullus, *Auditores*, tam senex est, qui non diutiùs vivere desideret ; ita nemo ferè tam dives, qui non esse ditior laboret. Fateor sine pecuniis quasi nulla est vita, & quamvis non extrema, saltem aliqua forsitan stimulat necessitas ; sed sub hoc doloso fictæ quasi necessitatis cinere quantæ tentationes latent, & quàm conquiritur vi & industriâ non quod necesse est, sed superfluum ? Hæc cupiditatis auri lex est : Accipe cum datur, rape quando potes, rapiendæ sunt pecuniæ si eas aliter non liceat parare. Nec mirum, tantarum enim sunt virium omnium omnino cupiditatum tyrannides, admissæ semel. 205. Tom. 1. Motus ergo cupiditatis auri semel intromissi, quid mali non cogitant, & meditantur, & demum perpetrant, patet certè in his agricolis, quos ea invaserat cupiditas : *Venite*, inquiunt, &c. & *habebimus hæreditatem ejus*. Sapientissimè dixit Bias : Studium pecuniæ est Metropolis omnis malitiæ. Quod æquè sapienter confirmans Timon : Duo, inquit, sunt malorum elementa, inexplebilis opum cupiditas, & gloriæ appetentia. Venusinus verè ac rectè :

Perdidit arma, locum virtutis deseruit, qui
Semper in augenda festinat & obruitur re.

Sed audiamus de hac cupiditate à S. P. August. Ambros. Chrysostom. Pecuniæ certè cupiditas firma dum inhæret homini hæc auri spes ; *Hæredes erimus*, omnium malorum lerna. David jam unctus nondum coronatus rex, injurias maximas, &c. 703. & 704. Tom. 2. & lege *de cupiditatibus*, 718. Tom. 2. & 161. Tom 1.

Epilogus.

Quid igitur obsecro te, mi Christiane, quid tantopere amas, quæ amata inquinant, possessa onerant, amissa cruciant. 704. Tom. 2

ALIA.

Morale.

Invidiæ Mater Avaritia.

AD illa eadem verba, Quid mirum, hos agricolas videntes Domini filium, in necem illius statim unanimes conspirasse, avari erant, hæreditatem sperabant, quos verò incessit auri cupiditas nimia laborant & invidia. Unde Proverb. 28. scribitur : *Vir qui festinat ditari, aliis invidet* : tantò enim quisque plus invidet aliis bona præsentia, quantò minus ipse contempserit ea. Et Alanus *de planctu naturæ* dicit : Si quis in torrente divitiarum natat, in hunc omnes suarum detractionum acervos expendit in viâ. Rectè dixit ille quisquis fuerit : Avaritia invidiæ mater. Impossibile enim est, cum avarus quempiam aut divitiis, aut aliis rebus, in quibus omnibus est invidia, magnum & potentem viderit, ipsum illi non invidere. Sed res tota in Evangelicâ historiâ patet : Hic, inquiunt, hæres est, quibus in verbis denotatur Judæos hos agricolas, quibus Dominus dederat legem, bonáque omnia temporalia, semper fuisse anxios & timidos, ne quod possidebant amitterent. 635. Tom. 2. In morbo verò hoc jacuit inquinata Synagoga donec Christum crucifigendo quasi è Synagogâ ejecerunt. Est enim invidia *morbus insanabilis*. 498. & omnium malorum auctrix. In orbene fuere graviora mala quàm Adami lapsus ? &c. 497.

ALIA.

Morale.

Malè perdere, damnare est.

AD illa verba, *Malos malè perdet*. Quid hoc, *Auditores* ? cur addit Evangelista Dominum hos agricolas malos non solùm perditurum, sed malè ? Quid est Malè perdere, éstne malè perdere decapitari, flagellari, uri, comburi, rotis discerpi ? Malè perdi damnari est. Quid autem sit damnati videamus. Damnari est projici in tenebras exteriores. 147. Tom. Flere sine fructu perpetuo. 151. Tom. 1. Fœtorem percipere continuò deterrimum. 156. Tom. 1. Igne cremari inextinguibili. 159. Tom. 1. Continuò rodi à Verme conscientiæ. 161. Tom. 1. Sociari & associati pessimè. 164. Tom. 1. Nunquid sic perdi malè perdi seu damnari est ?

FERIA

Index Thematum moralium.

FERIA II. POST DOM. III. QVAD.

THEMA.

Quanta audivimus facta in Capharnaum, fac & hîc in patriâ tuâ.

ARgumentabantur Pharisæi in Christum hodie, argumento à minori ad majus, dicentes: Sicut fecisti in Capharnaum & non tantùm ibi, sed alibi, fac hîc & in patriâ tuâ. Similitudine verò satis appositâ dicta sua confirmant tanquam rectè prolata: Sicut, inquiunt, verus medicus citiùs & libentiùs seipsum curat, & alios ad se pertinentes, quam extraneos; ita si tu miraculorum sis verus patrator, citius & promptiori animo facies ea inter propinquos tuos, quàm inter extraneos. Sed Dominus consequenter respondit, non dicendo se inter eos non posse facere miracula, sed quòd eorum obesset malitia; & hoc probat duobus sacræ Scripturæ exemplis, viduæ nempe Sareptanæ & Naaman leprosi. Inquirendum igitur quænam hæc Capharnaitarum fuerit malitia, Dei quasi liberalitatem & potestatem vinciens.

Morale.

Ingratitudo præcidit alas liberalitatis divinæ.

Prosecutio.

AD *volandum*, inquit Iob, *avis nata est*. Si tamen alarum ei pennæ præcidantur volatus illi omnino interdicitur. Avem mysticum Christum vocat Isaias 46. *Vocans*, inquit, *ab Oriente avem, & de terrâ longinquâ virum voluntatis meæ. & locutus sum & adducam illud: creavi & faciam illud*: à quo volatu quemadmodum & materiales aves, *Auditores*, non cessavit unquam, nisi quando retardativa impedimenta reperiit, quibus licet non absolutè, tamen pro tempore influxus divinus in nos sistatur. Inter quæ impedimenta retardativa primum locum obtinet, Aspernatio divinæ gratiæ, quâ multi, ut olim Capharnaitæ, laborant. Incredibile videretur, nisi testes loquerentur oculi, quàm in rebus fluxis curandis simus industrii; cùm autem pro cælo, heu quam inertes! Nulla habetur hîc temporis ratio, finimus etiam ablata pertransire, hoc est, quod torquebit inferos. 162, & 163. Tom. 1. Insuper & invidi erant. 581. & quæ videtur esse principalior ratio, quæ volatum hujus avis impedivit, ingrati erant; hujus enim vitii proprietas est exsiccatio fontis liberalitatis Dei. 660. Tom. 2. Ut è contrario gratitudo beneficiorum & liberalitatis divinæ est Mater. Nam quid aliud est gratiarum actio, vel gratitudo, nisi alterius secundi beneficii suavis petitio? 660. Tom. 2.

Epilogus.

Caveamus igitur ne Capharnaitarum simus imitatores, Deus enim quamvis infinitè bonus, hoc tamen pretium gratitudini posuit, ut eo pretio beneficia quodammodò exæquemus, & æquales aliquantulà proportione reddamus æquali. Hinc S. P. Aug. 660. Tom. 2.

ALIA.

Ad illa verba: *Et repleti sunt omnes in Synagogâ irâ*. Inter affectus ira & libido sunt impotentissimi, nec ulla ferè vitia tam concitato impetu quâ datâ portâ, ruunt, &c. Iracundiam Paulus Orosius egregiè depingit. 161. Tom. 1.

ALIA.

Morale.

Homo bestia ferocior.

AD illa verba: *Duxerunt illum usque ad supercilium montis, &c. ut præcipitarent eum*. Quàm verè dixit qui effatus est quondam, ab homine homini quotidianum est periculum. Interrogatus Anacharsides Schyta quid hominibus maximè infestum esset? ipsi, air, sibi ipsis. Patet in his Capharnaitis. Quam sæpe certè historiæ probarunt hæc veterum dicta. Et ut sacris inhæreamus. Erat in aulâ Darii Daniel, cui Darius occupatâ Babylone & Chaldæo imperio, Medis & Persis subjecto, præfecit eum, utpote quem noverat, fidelem, centum viginti satrapis, & tandem universo regno; sed hunc favorem concomitabatur, vel potius subsequebatur oculatissima invidia. 580. 581. Semper tamen interim Danielem suum quoquo modo poterat, tutabatur Darius, dùmque sollicitus erat ne à leonum dentibus discerperetur, discerpebatur ab hominum invidiâ. Sunt quippe invidi omni ferociores bestiis. 581. *Tom. II. & fol.* 582. *Tom. II.*

ALIA.

THEMA.

Ipse autem transiens per medium illorum ibat.

Morale.

Inter iracundos Tace, & noli turbari.

Exordium.

TAnquam repecussam silicem tres scintillas & micantes flammas comperio emittere hodie Christum Dominum, à Nazaræis verè variè impetitum; nempe doctrinæ, operationis, & virtutis. Interrogatus enim cur tot tantáque miracula in Capharnaum patrarit, & tam pauca in Nazareth, respondit, & respondendo, flammam emittit doctrinæ. In ejectione è Synagogâ exagitatus, patientiæ lucem prodit, nihil enim nisi illius sustinentiam in Evangelio leginus. Raptus tandem usque ad montis supercilium ut præceps daretur, virtutis ac divinitatis ex eo flamma prosiliit; transiens enim per medium eorum ibat. Hæc suo postrema urgebimus discursu.

Prosecutio.

Petræ appellatione Christum Dominum in sacris scripturis nominari, patet ex diversis locis, *Deut.* 32. *Exod.* 4. *Psal.* 117. &c. at nomine silicis restrictiùs & pressiùs à generali petræ nomine Christum præfigurari testis est Job cap. 28. dum illum silicem esse affirmat, ad quem Deus extendit manum suam. *Ad silicem extendit manum suam, subvertit*, inquit, *à radicibus montes*, dum silicet eum, ut vult Hieronymus, incarnari voluit Deus Pater. Nec Christo desunt silices proprietates; Nam uti silex percussus silentem & latentem intra se prodit ignem, ita Christus mysticus silex humanis percussus actibus vel bonis vel malis, aut beneficiorum aut pœnarum, aut doctrinæ, aut operationis, aut miraculorum vividos emittit ignes. Testes in promptu sunt Nazaræi. Sed quod notandum est nunquam ullum quamvis graviter sæpe percussus, diversimodè à ludæis, iracundiæ aut impatientiæ prodidit ignem. Quid enim mitius quàm tacens inter murmurantes pertransire & abire? O *Auditores*, quam hoc sit consultè! Inter iracundos non remanendum, non disputandum, sed pertranseundum. Quæ res si in urbe practicaretur, quot jurgia, quàm fœdas lites, quot rerum damna facilè vitaremus. 808. Prudentis est declinare ictus & minantibus plagis exemplo Christi se subducere. 808. Tom. II. David Saulis irati lanceam non resistendo, sed fugiendo evasit. Sed, *Auditores*, dicetis *conceptum sermonem tenere quis potuit?* verbum vetus est tangi & sileri, lædi & non mordere, summæ fortitudinis est. Hoc tamen docet ratio, &c. 655. Tom. II. Hoc practicavit David, Tobias, &c.

Epilogus.

Christi ergo hac in re simus imitatores & inter iracundos constitutus animo tuo occine: *Tace, & noli turbari.* 655. Tom. II.

FERIA III. DOM. III. QVADRAG.

THEMA.

Vade & corripe eum inter te & ipsum solum.

Morale.

Si objurgas, non corrigis.

IN modum experti Chirurgi se gerit hodie in Evangelico textu Christus, circa materiam correptionis fraternæ; si enim ille saucium curet membrum, lenia medicamenta in ipso morbi principio adhibet. Si hoc parum animadvertat prodesse, mordaciora & mordicativa, superimponit; si verò vulnus putrescat, ferrum etiam arripere non recusat. Si tandem desperata sit res, in eam determinationem venit, ut marcidum putridúmque membrum secet, ne putridum, tangens non putridum, putridum faciat, totúmque corpus inficiat. In modum hujus, inquam, Christus se gerere mihi videtur, *Auditor*. Ad corripiendum enim fratrem primò levia medicamenta præcipit: *Vade*, inquit, *& corripe eum*, &c. Secundò severiora his non perficientibus jubet: *Si te non audierit*, &c. Tertiò ferro, atque igne, re in deteriùs vergente manum admovet: *Si illos non audierit dic Ecclesiæ*. Ac tandem desperatâ correptione membrum mystici corporis Ecclesiæ præcidendum mandat: *Si Ecclesiam non audierit*, &c. utique per excommunicationem, quâ metaphoricum membrum à Symbolico Ecclesiæ corpore præciditur, ne alia membra inficiat. Certum est unicuique, mandata est cura de proximo suo, sed quomodo optimè proximus lapsus, curetur audite.

Prosecutio.

Nil quidem optatius est terræ sitienti quàm opportunus imber; si is tamen placidis guttis rorando depluat. Nam si præceps nimbis superne ruat, unóque sese impetu effundat, plus sæpe nocumenti adfert quàm commodi: ita verbum mite velut stilla leniter impluit, suaviter penetrat, multum secundat. Invectivum verò velut grandinans pluvia frequenter non emendat, sed exacerbat. Fateor, utrumque prorsus vitiosum, nihil & omnia reprehendere; nil dissimulare posse, & omnia dissimulare velle, &c. 701. Tom. I. Eruditè Siracides: *Est correctio mendax in irâ contumelioſâ*. Iracundus enim mentitur correctionem; nam objurgare vult, non emendare. Scivêre hoc Ethnici. Nunquid enim illud est Tullii, &c. Monet & reprehensores & correctores proximi Paulus, &c. Quid enim emendet objurgator ille qui aspertimarum objurgationum plaustra exonerat in eum, quem verbis correctum & castigatum cupit? 702. Tom. I. Christi certè in hac arte præceptum est observandum, &c. & rectè addit solum; nam ut moneri & corrigi res à se inamœna est & ingrata: & si accedat, &c. sic etiam plurima quoque commodius dicuntur soli & separatè, quàm coram aliis. Illud enim admonitioni, hoc objurgationi similius habetur, 702. Tom. I. Socrates, &c.

Peroratio.

Cum verò linguæ plures sint objurgantes quàm corrigentes Apostolus Petrus sic instituit eos vel qui planè insontes objurgantur, vel multò acerbiùs quàm commeriti fuissent. 702. Tom. I.

ALIA.

THEMA IDEM.

Morale.

Qui rectè corripit, cor rapit.

COrreptionis fraternæ, de quâ hodie in Evangelio, investiganda est methodus, artis est frenare indomitum equum, silvestrem mansuefacere volucrem, sedemajoris est industriæ hominem jam lapsum & à recto deviantem revocare: fieri autem debet hæc revocatio seu correctio cum mansuetudine & benignitate, licet non expresè habeatur in Evangelio, nisi in Etymo vocabuli *Corripe*, id est, *cor rape*. Habetur tamen in plerisque S. Scripturæ locis & veteris testamenti figuris, unde meritò affirmat David: *Superveniet mansuetudo & corripiemur*, quasi si ipsa non superveniat correptio non sequatur. Igitur in hac correptione observanda est comitas verborum, ut cor proximi rapias. Nam, inquit Siracides: *Verbum dulce multiplicat amicos & mitigat inimicos, & lingua Eucharis* (seu gratiosa) *in bono homine abundat.* Tria dixit Siracides, &c. Tom. II. fol. 645. Tullius olim, &c.

Distinctio inter Arguere monere & corripere.

Arguere propriè superiorum est respectu inferiorum; unde Apostolus ad Titum 3. *Argue, obsecra.* Hujus verò modum reprehensionis explicat in 2. Cap. *Argue*, dum inquit, *cum omni imperio*. Monere verò est inferiorum respectu superiorum; unde Bernardus ad Eugenium Pontificem Max. Moneo te, non arguo. Corripere demum est respectu parium, id circo in Evangelio dicitur: *Si peccaverit, &c.*

ALIA.

Morale.

Sic corripe, ut famæ consulas.

AD illa verba scilicet, *Inter te & ipsum solum*, doce corripere coram aliis, qui proximi delictum nesciunt, non esse corripere, sed detrahere & destruere. Nam si corripiendo, fama illius qui corripitur tollitur, fama verò cum homini unicuique sit pretiosissima, tot ille mortibus cadit, quot novos accipit sui delicti inauditores. 633. Tom. 1. *& Consule Indices utriusque libri v.* Fama.

ALIA.

Ad illa verba: *Non dico tibi usque septies sed septuagesies septies*, Doce inimicis dandam veniam, *& consule conciones nostras formatas feria 6. post diem Cinerum, & Indicem utriusque Tomi v.* Inimicus. Injuria.

FERIA IV. DOM. III. QVADRAG.

THEMA.

Quare & vos transgredimini mandatum Dei.

Morale.

Transgredi mandatum Dei nunquam licet.

ONychini lapidis naturam & proprietatem naturalistæ describentes docent, quoad formam esse similem humano ungui, quoad effectus excitare lites & rixas, non tamen in præsentiâ Sardii nocere posse; quæ omnia Scribis & Pharisæis Apostolos accusantibus convenire satis liquet ex his, quæ in Evangelio narrantur. Quod enim unguis proprietatem in seipsis habuerint patet ex doctrinâ quam satis perniciosè docebant; ut nempe bona filiorum raperent, debere filios familias munera offerre non parentibus egenis, sed Deo, eo scilicet pretextu, quòd Deus primus omnium parens sit cæteris dignior, quæ quidem munera sic oblata in eorum lucra cedebant. Quòd lites & rixas excitent eorundem accusatio & impostura: *Quare discipuli tui transgrediuntur.* Quod denique in iis mala mens, & malus animus fuerit, ita tamen, ut in præsentiâ Sardii Christi nocere non potuerint, patet ex defensione ipsius Christi respondentis, *Quare & vos transgredimini mandatum Dei*, &c. Idem & ego petiturusum hodie à vobis Christiani.

Prosecutio.

In proximi nostri accusationem ferimur proni, crebræ sunt conciones, quæ in avaritiam, in superbiam, in libidinem, &c. disertissimè invehuntur, sed quam paucos reperias qui sibi ipsis hoc oggerant, &c. plerique omnes dicere solemus Ecclesiastes hodie. 381. Tom. I. Aliena scilicet discutientes & propria non inspicientes, similes his Pharisæis. Peto igitur à vobis præsertim qui ita facilè proximum judicatis & accusatis. 489. Tom. 1. *Quare & vos transgredimini*, &c. quo fundamento peccatis cum tanta tamen sit malitia unius peccati, ut ne quidem æternis inferni ignibus possit expiari. 181. Tom. 1. Sed scio vos Adamitas & promptissimas habere in peccatis excusationes, nempe habemus naturam vulneratam, difficultatem observantiæ legis allegamus esse maximam, &c. Nempe seles sumus. 641. Tom. 1. sed quid excusationes hæ prosunt, certè obsunt, ita Bernardus asserit. 643. Tom. 1. Sed ecce totum agmen pro huc excusationum & refuto. Quidam se excusant negando, quidam excusando, alii accusando, alii denique imitando, 643. & 644. Tom. 1. Quid agitis, Christiani, hæc neminem excusant, ab observatione mandatorum Dei. Nemo ergo hoc dixerit: Mandavit enim *Deus mandata sua custodiri nimis.* 548. Tom. 2.

Epilogus.

Ne igitur judex ille supremus aliquando nobis objiciat, quod hodie objicit Judæis & Scribis, *quare transgredimini*, &c. Proponat quisque ut quondam fecit Daniel opes potius, ac facultates omnes, famam, &c. prodigere quàm scienter ruere in vetitum. 549. Tom. 2.

ALIA.

THEMA IDEM.

Morale.

Quidam decimant Mentham, & camelum deglutiunt.

QVàm præposterè Judaica hæc natio Deum colebat, vetita quædam habebant. Non poterant enim in obvios quosque cibos se effundere, non poterant in societatem mensæ cum Idololatris venire. Petrus Cornelii Centurionis domo, &c. deinde leporina & suilla caro ab Hebræorum mensis ex lege arcebantur, &c. sed tamen ad ea jure non tam stricto tenebantur quàm ad furtum, adulterium, homicidium cavendum; in his tamen minutilis fuere semper observantissimi. Susanna, &c. Eleazarus, &c. Interim hi Pharisæi horum imitatores in observantiâ istarum legum, ad quarum observantiam non tam stricto jure tenebantur, violabant legem ad quam stricto jure tenebantur, sicque verum est, quod Salvator illis objicit *Væ vobis*, &c. *qui decimatis mentham*, &c. Ut & hodie quidam scrupulosi, qui terrores conscientiæ nescio quos fovent, & negligunt maxima, integro brachio emplastrum imponunt exulcerati renes suppurent. 380. Tom. 1. divinas enim leges audent audaciter infringere sciunt scriptum: *Non loqueris falsum contra proximum testimonium.* Surdo non detrahes, non facies, & tamen passim faciunt; accedit & his illa infinita iniquitas, &c. 548. Tom. 2. Nemo certè impunè Dei legem unquam est transgressus, &c. 548. Tom. 2.

ALIA.

THEMA.

Populus hic labiis honorat, cor autem eorum longè est à me.

Morale.

Psallendum mente & ore.

Exordium.

SI globus, *Auditores*, in summo monte incipiat ruere præcipitem cursum non sistit, &c. Cor humanum volubili globo simillimum est, nisi Deo altius sese immergat, cadendi ac præcipitandi finem non inveniet. Hinc cum incipimus quandoque cum Deo loqui, quod sit orando, attentè agendum est, ne audiamus aliquando justè hanc eandem correptionem: *Populus hic*, &c. dicturi igitur sumus Evagationum animi origines. 72. Tom. 2.

Prosecutio.

Monitum vetus & optimum est, agenda bene age: Quod hîc cum primis valeat, Vis orare? rectè ora. Non linguam solum, sed & animum ad preces evoca. S. Augustinus id præclarè edocet 73. Tom. 2. Igitur oraturus negotiorum molem excutiat. 75. Colloquia vitet supervacanea, Animi ponat amaritudinem, &c. *Lege à fol. 72. usque 78. Tom. 2.*

FERIA V. DOM. III. QVADRAG.

THEMA.

Tenebatur magnis febribus.

Morale.

Unum peccatum est alterius causa & pœna.

NVia Lucas Medicus Socrus Simonis infirmitatem describens inquit, quod tenebatur magnis febribus non ab re, *Auditores*, puto inquirere, quo modo verum sit, prædictam fœminam multis & his quidem magnis febribus laborasse, nam licet curatio miraculosa fuerit, infirmitas tamen non fuit nisi naturalis. Unde satis curiosum erit investigare quomodo hæc mulier simul & semel multas habuerit febres? utrum verò plures possit corpus habere febres? hoc medicis relinquendum duco. Spiritaliter tamen & mysticè peccator commisso peccato uno plures potest habere febres simul & magnas. Audite quomodo.

Prosecutio.

Quid mirum hoc asserere, *Auditores*, quod experientia quotidiana docet & confirmat, plerumque enim commisso unico peccato mortali plura committimus, & febris febri succedit: impetus enim & furor peccandi non ita sistitur quandoque, sed & ad alia atque alia, & ad graviora proceditur, qui semel ausus est libidinosis cogitationibus assentiri sæpius audebit, scilis scilicet semel gustatâ aruinâ crebriùs redit. Ita Rex David

scelere

scelere adulterii susceptо, mox in homicidii flagitium incidit. Amicis Christi gratulatur Psaltes: *Ibunt*, inquit, *de virtute in virtutem*, sic animæ suæ latrones Deique hostes eunt de vitio in vitium, pluresque accipiunt simul febres & defectus; incipiunt enim statim surdescere, cæcutire. Quæso, *Auditores*, rem illam inspiciamus. Homo letali noxâ vel unicâ, inquam, febri correptus, &c. 668. & 689. Tom. II. Mirabilis, certè est intus vitia cohæsio. Vide Davidem in quod vitiorum agmen duxit eum otium, 841. Tom. II. Deinde quot morbis simul laborarunt Iosephi olim fratres. Tam Philosophorum quàm Theologorum lites, &c. 499. Tom. II. Nimis verum est illud Gregorii: Peccatum, &c. 500. Tom. II.

Epilogus.

Quocirca manibus pedibúsque resistendum, ne lupus Acheronticus ostiolum vel minimum reperiat. Caveamus ne aliquando peccato consentiamus, 501. Tom. II.

ALIA.

ADilla verba, *Socrus autem Simonis*, Mirum est Christum hanc afflixisse; dixerit quis forsitan, cum Christo esset familiaris. Sed scire debemus Deum ob diversas causas hominem affligere. Non enim semper affligit ut castiget, aut corrigat, aut emendet, sed subinde etiam ut potentiam suam ostendat. Si quæras nunc quâ æquitate hoc fiat, quis enim fas esse dixerit alterum spoliare ut me vestire possim? respondeo jus duplex statui *Lege fol. 4. & 5. Tom. II.* Deinde morbi non sunt sagittæ inimicitiæ, sed pacis signa. Nobilissimum illud par amicorum, &c. 10. *Tom. II.* Dein vita nostra sub duobus polis decurrit, felicitatis nempe & adversitatis: sub polo verò adversitatis degunt plerumque amici Dei. 518. & 519. *Tom. II.*

ALIA.

Morale.

Nemo suus, solus sit, sed & alterius.

ADilla verba, *& continuò surgens ministrabat eis*, doce semper post beneficia recepta statim Deo agenda gratias, idque statim, ut hæc Simonis socrus, medico suo statim pendit. Nam omnis vera gratiarum actio procrastinationem odit 660. Tom. II. Sed quid egit videamus, non verbis solummodo grata fuit, sed & opere, nam ministrabat eis, certè quàm hoc erat collatam sanitatem rectè impendere? Sanitas quandoque malum, quandoque bonum. 48. To. I. At sic impensa ministeria scilicet Dei & proximi bonum est. Ad quid enim nati sumus, & convivimus tot numero homines? cur hi divites, hi pauperes, illi docti, illi ignari, hi opifices, illi nobiles, nisi ut alter alteri esset obsequio? quod dum præstatur Deo proximè assimilamur. Ita Gregorius Nazian. Venit enim, ut de se loquitur Christus, non ministrari, sed ministrare. Proinde Rex David ante regnum, teste Ambrosio, sacro omnibus offerebat. Zabulon & Nephtali, &c. *Lege à fol. 652. usque 654. Tom. II.*

FERIA VI. DOM. III. QVAD.

THEMA.

Venit mulier de Samariâ haurire aquam.

Morale.

Morbus libidinis maximo indiget medico.

Exordium.

POtestatem Christi super homines fuisse temporalem & spiritualem, nulli dubium; sed tantùm spiritualem exercuisse patet ab hæreditate, nam fuit oriundus ex semine Jechoniæ, de quo Hieremias: *Scribe virum istum sterilem, virum qui in diebus suis non prosperabitur, nec enim erit de semine ejus vir, qui sedeat super solium David, & potestatem habeat ultra in Iudâ.* Potestatem autem quam Angelus futuram illius dixit Mariæ non temporalem, sed spiritualem fuisse novimus. Patet etiam ab electione, nam cuidam respondit: *O homo! quis me constituit judicem super vos?* Patet quoque a vi bellicâ; nam verum est quod canit Ecclesia: *Non eripit mortalia qui regna dat cælestia.* Patet tandem à facto & re ipsâ, nam in casu adulteræ sibi adductæ nihil agere voluit, quàm jus naturæ interpretari & ore palam profitebatur sese subditum esse: *Veni*, inquit, *non ministrari, sed ministrare.* Spiritualis ergo ejus erat potestas, quam hodie certè in conversione hujus Samaritanæ ostendit; sed quorsum tantis cæremoniis, tam longo colloquio, tanto prævio quasi examine? Dum statim, *Auditores.*

Prosecutio.

Non magis proprio & congruo nuncupari potest homo nomine, quàm *Instrumentum*, animatum quidem, sed tamen vile, nisi à divinâ ipsâ dexterâ moveatur. Nam non solùm Deus cuique rei perfectionem, &c. 643. Tom. II. sed, &c. Vnde dum lapsus est peccator per se resurgere non potest. 489. spirituali igitur opus est potestate. Sed nunc quæritur, *Auditor*, num eadem illâ potestate, quâ verbis paucis universa in ipso mundi primordio creavit, etiam & paucis verbis, vel voce unicâ, imo, inquam, uno intuitu peccatorem non potest à lapsu erigere? Respondeo quidem affirmative, sed nunquam sic hoc filium Dei placuisse, semper pluribus vel cæremoniis, vel verbis usus in hominis justificatione, & præsertim hodie in hac conversione Samaritanæ. Et certè nullibi pluribus, nullibi tam longo & serio colloquio. Vultis scire? libidinis morbo laborabat, qui morbus præ cæteris curatu est difficillimus, ita Chrysostomus. 458. Nec semel tantùm peccaverat, sed pluries: nam jam libidinari in consuedinem deduxerat, ut ipsi Christus improperat, aut subindicat. Magna ergo opus erat potestate scilicet spiritali. Nunquid & hoc jam experimur in multis? contingat libidinem pedem in animo alicujus fixisse, ita firmè hærebit, ut vix avelli queat. 458. Tom. 2.

Peroratio.

O Patres, Matres familiæ! ô Domini & Dominæ! non solùm vos ipsas, sed & omnes vobis commissos ab hac libidinis lue pro viribus custodite, nil in hac re connivete, &c. 459. Tom. 2.

Ad illa verba: *Meus cibus est ut faciam voluntatem.* Doce illud esse perfectionis summum. Et ut olim David hoc meruit elogium, postquam eum Deus quasi dudum quæsisset, ita in novo testamento unus fuit Christus, qui perfectissimè voluntatem exequutus fuit Patris, & ideo se de cælo profiteretur descendisse. 525. Tom. 1.

Ad illa verba *fiet in eo fons lege folio 5. Tom. I.*

FERIA II. DOM. IV. QVAD.

Morale.

Purgationis modus templi spiritualis.

TEmplum Hierosolymitanum profanatum, templum animæ peccatis contaminatum significat, in cujus purgatione sicut tria leguntur nempe res à quibus purgatur, manus quæ purgat, & medium quo purgatur, ita in purgatione templi spiritualis ea à quibus illud purgatur novimus, nimirum peccata. Manus Sacerdotalem quæ purgat, absolvendo est flagellum tribus funiculis compactum, contritione, confessione, & satisfactione. De quibus latiùs.

Prosecutio.

Per os Hieremiæ Prophetæ exprobrans Dominus ingratitudinem suam civitati Jerusalem, & præcipuè quòd impudenter in conspectu cæli non vereretur erectâ cervice, & imperfrictâ fronte Deum, ejúsque præcepta contemnere ait: *In omni colle sublimi, & sub omni ligno frondoso tu prosternebaris meretrix à sæculo, confregisti jugum meum, rupisti vincula mea, & dixisti non serviam.* Et quòd divina beneficia ac si illa non recepisset, oblivioni tradidisset (quod secutus est mali ex oblivione animæ suæ & conscientiæ quærentes conciliare quietem) ejus excusationi occurrit: Quomodo, inquit, dicis, *Non sum polluta, post Baalim non ambulavi.* Vide vias tuas in convalle scito quid feceris, cursor levis explicans vias suas q. d. Quamvis pauca & levia te admisisse facinora (præteritis tuis actibus oblivioni traditis) tibi persuadeas, Hierusalem, tamen si opera quæ operata es in memoriam revocaveris, iniquitatem certè tuam agnoscès, atque ab excusatione linguam compesces: idcirco tu qui fuisti velut cursor levis ad peccata perpetranda, méque offendendum vide vias tuas. Ita vos nunc alloquor, *Auditores*, quibus forsitan intus latens est Hierusalem Divinorum beneficiorum oblivіosa; quo peccato mundus cœpit ab initio peccare. 513. Tom. 2. Excusari non potestis, tamen ubi est conscientia continuò accusans, quæ semper omnium commissorum vos reddit memores; 596. Tom. 2. ut divinæ vindictæ te tempestivè subtrahas; post hanc enim vitam serius erit. 479. Tom. 2. Vide vias tuas, teipsum examina; 301. Tom. 1. Confitere, quod enim crebrò sordescit, sæpius mundandum. 349. Tom. 1. & 492. Tom. 1. Contere & detestare peccatum, 290. 282. & 283. Tom. 1. flagellum pœnitentiæ. *Vide Conciones nostras quas formavimus Dom. IX. post Pentecosten in Indice Tom. 1.*

FERIA III. DOM. IV. QVADRAG.

THEMA.

Moyses dedit vobis legem, & nemo ex vobis facit legem.

Morale.

Quod Christus hodie Pharisæis objicit, rectè pluribus Christianis objici potest.

QVia injucundum credideris fore, *Auditores*, semel saltem in Quadragesimâ singulorum Christianorum depravatos mores, & liberam in agendo vitam redarguere, conabor hoc hodie facere; Evangelio sic exposcente, occasione horum verborum, *Moses dedit*, &c. Nunquid omnibus fidelium statibus facilè idem possit objici? Mutato nomine Mosis in Christum: Nonne Christus vobis dedit leges. Quod proposui facere persequar & prosequar.

Prosecutio.

Omnibus creaturis Deo ad nutum obtemperantibus non solùm mira sed deplorandа res est, solùm hominem non parere, imò divinæ suæ voluntati impudenter contradicere. 519. To. 1. Quis enim est tam absolutæ perfectionis, qui sibi aliquando non teneatur dicere, hanc non servas, quam dedit Christus legem. Nunquid adulterium est lege Christi prohibitum, & tamen quot committuntur? Plinius mentionem injiciens

vel in rege puniti. *Canem locutum*, inquit, *serpentem latrasse in prodigiis accepimus.* Revera nunc opus foret, loquerentur ut canes, &c. 625. *Tom. II.* Libido omnis nunquid prohibita non solùm in priscâ, sed & in novâ lege, & tamen quàm sæpe illa committitur? 625. *Tom. II.* Et quàm vulgatissimum est: Vir eruditus dicere solebat: Si centum juvenes ad inferos mittantur, nonaginta novem ob hoc unicum flagitium in flammas præcipitantur. 614. *Tom II.* Avaritia nunquid lege Christi prohibetur. 205. *Tom. I.* Vestium luxus. 419. & conviviorum. 613. *Tom. II.* &c.

Peroratio.

Timendum certè est hoc, cùm tam frequentes sint diversarum legum Christi transgressores, ne in judicii die objiciat, plurimis, & quidem: Dedi vobis legem & nemo ex vobis fecit legem. Nec queri possumus de legum multitudine, nam ut Lycurgus olim Lacedæmoniis paucas dedit leges. 747. *Tom. I.* Ita & Christus, &c. *Et vide quomodo quidam se excusent se legem vel violare, vel non observare posse.* 486. O ignovas pecudes. *Tom. I.*

ALIA.

THEMA.

Nolite judicare secundùm faciem, sed rectum judicium judicate.

Morale.

Crebrò qui judicat, frequenter & errat.

Exordium.

QVanta humani ac judicii divini differentia? humanum erat quàm creberrimè, quia rerum signa tantùm aspicit, quæ nimium quantùm plerumque fallunt; Deus autem rem læsam penitissimè perspectam habet. *Homo videt ea*, &c. Cùm nos hominem exteriùs compositum, comem, humanum, affabilem cernimus, ad virtutis normam factum credimus; sed fallimur creberrimè. Decipit humana facies, verba sunt paululùm certiora signa latentis animi, utroque evidentior, index pectoris, actio: sed & hæc persæpe fallit. Quando igitur amantus mentémque hominis, &c. 796. *Tom. II.* vos, *nolite judicare*, vel si competat vobis judicare, nolite secundùm faciem judicare, sed *rectum*, &c.

Prosecutio.

Judicum subsellia quisque nunc præsumit conscendere, & quamvis nec Lovanii, nec ullâ in universitate judicandi normam, vel ipsum jus viderint; tam enim quàm fœdum hoc est vitium, tam commune ac usitatum est flagitium. Totus orbis laborat exitiali hac peste. 489. *Tom. I.* Prohibuit Deus in priscâ lege, Sacerdotem de lepra judicium ferre ante diem septimum. Tantæ res moræ fuit in discernendo morbo. &c. Fœderis aream violarunt. &c. & tamen quisque fermè nunc audet temerariè hoc Dei archivum non curioso tantùm oculo, sed improbo judicio revelare, & aliis etiam in spectaculum vel risum proponere. 489. *Tom. I.* Nemo hominum fermè ullius nunc pertransit domum, aut calcat plateam, quin in his judicum subselliis (puta fenestris) plumarum suarum aliquam in tributum deponat. 488. *Tom. I.* Si quis paulò lautiore vestitu, &c. Si quis pravorum sodalium, &c. Quæso, *Auditores*, nolite secundùm faciem judicare, ni velitis errare. Porrò ii qui de omnibus malè sentiunt, & quidquid egeris vitio vertunt, non absimiles sunt cucurbitulæ, &c. 489. *Tom. I.*

Epilogus.

Nunquid ergo hoc vitium olim in lege priscâ Pharisæis proprium, nunc & multis Christianis est commune & familiare. Quàm multi sunt qui sibi omnia ignoscunt & nihil aliis, *Nolite judicare*, &c. 491. *Tom. I.*

Monitio ad Iudices & Consiliarios.

AD illa verba, *Rectum judicium judicate*, aliquando, *Auditores*, in sactâ paginâ plurima ubi sunt admiranda & sacra miratus sum; inter cunctos ministros Pharaonis extoli unius Iosephi placuisse cunctis. *Placuit*, inquit Scriptura, *Pharaoni consilium, & cunctis ministris ejus.* Alii plerumque sunt hoc ævo aulæ mores, si quis præsertim ignotior prorepat, etsi Thales sit, & saniissima consilia suggerat, plurimos tamen sentiet, qui adversentur, qui carpant, qui refellant, &c. 95. *Tom. II.* Et cur mirer? Cur non placuisset, cum omni ex parte erat sanum & beatum? Tale nempe, qualis omnis boni Consiliarii debet esse pronunciata sententia. Erat enim sine affectu malo, nil privatarum rerum miscuit, accusavit neminem, &c. sed voluit ut cederent publicis privata. Personam igitur Iudicis agis publicam? exue privatam. Ingrederis curiam? ad cutiæ limen privatos aut pravos affectus pone. Senator medium se gerat, & neutram in partem inclinet, pro solâ stet æquitate. Malus Senator, malus Iudex est, quisquis partium est, animi enim hominum partibus infecti malè consulunt. Aristoteles & Tullius, &c. 515. *Tom. II.* Insuper sincerum erat, ceram pro cerâ vendidit, picem pro pice, &c. Cave bone Iudex, cavete Consiliarii, vel metu quidquam supprimere, vel ad gratiam ac voluptatem quidquam loqui, *Rectum judicium judicate.* Veræsint omnia, etsi fortasse non læta nec grata futura. Consilii sinceritas Lydius lapis est, &c. 516. *Tomo secundo.*

FERIA IV. POST DOM. IV. QVAD.

THEMA.

Præteriens Iesvs vidit hominem cæcum à Nativitate suâ.

Morale.

Peccatum homines facit cæcos.

DE tribus cæcis occasione hujus cæci, *Auditores*, dicturi sumus, qui spirituali visione carent: Tres enim fuêre quondam cæci, sed tribus etiam modis à Christo illuminati, scilicet verbo, impositione manus, & compositione luti, inunctione, missione ad Siloë, & lotione. Solo verbo sanatus fuit Bartimæus filius Timæi; legitur enim Mar. 10. *Filius Timæi Bartimæus cæcus sedebat juxta viam mendicans*, quem Christus volens illuminare solo hoc verbo usus est: *Vade, fides tua te salvum fecit.* Duo cæci sedentes secus viam manuũ impositione curati sunt. Legitur enim Matth. 20. *Misertus autem eorum* Iesvs, *tetigit oculos eorum, & confestim viderunt.* Cæcus verò hodiernus à nativitate, compositione luti, inunctione, missione ad Siloë, lavatione, &c. sanatus est. Mysticos ergo tres tales en monstro cæcos, diversimodè curandos,

Prosecutio.

Tres peccatores, sive tres peccatorum species, tres istæ cæcitates, sive tres cæci demonstrant. Fateor maxima pars hominum rectè cæca dici potest. Nam hic in orbe plures degunt ut falcones. Falco avis dum sorteo pileo tectos habet oculos, nec picas, nec Anates, nec ardeas infectatur, &c. Non absimilis, &c. 148. Tom. I. Ast tres sunt inter hos omnes cæcos, eminentiores. *Primi* sunt *generis* qui letali aliquo crimine sunt obstricti; homo enim letali noxâ vel unicâ inquinatus planè cæcus, & surdus, & mutus, & à malo quasi dæmone obsessus est, haud aliter quam ille quem Matthæus, Marcus, Lucas memorant Christo adductum. 669. Tom. II. Quare Ludovicus Philippo filio inter præceptiones, &c. & tales illuminantur vel per concionem. 465. Tom. II. vel per lectionem, 341. Tom. I. vel monitionem secretariè, nondum enim in ea peccatorum steterunt, nec in cathedrâ pestilentiæ sederunt. *Secundi generis* ii sunt, qui peccatum peccato addidêrunt, vel idem repetierunt; sunt igitur cæci etiam recidivantes, & hi quia satis à Deo alienati fiunt per repetitos actus peccaminosos, non solo verbo regulariter illuminantur, sed indigent ut tangantur manu Dei, nam relapsi corriguntur ægriùs, &c. 677. Tom. II. *Tertii* verò sunt *generis*, Peccatores consuetudinarii, quos jam ipsa fermè necessitas peccandi urget, quibus sobrios castósque mores commendare est revera colores laudare cæco. Hujus erant farinæ duo nequissimi senes illi, alienæ pudicitiæ subsessores. 150. Tom. I. & tales indigent multis, collyrio, unctione, missione ad Siloë, contritione, confessione, &c. ut hic hodiernus cæcus.

Epilogus.

Non defienda est ergo, corporalis cæcitas, cùm ex illa multæ utilitates cæci possint, & quam plurimùm ad peccati occasiones cavendas conducat; sed defienda est spiritalis cæcitas, quâ peccatores detinentur. Omnis enim malitia excæcat, juxta illud Sap. 2. *Excæcavit eos malitia eorum.* Quæquidem cæcitas una non est, sed multiplex, & una aliâ, ut audivistis, major. Omnium ergo sit hæc oratio: *Domine da ut videam.*

Ad illa verba, *ut manifestentur opera Dei in illo*, vide concionem integram ab Auctore formatam *fol.* 3. & 4. *Tom.* 2. *Et sic, si placet, ordire*: Supremum elementum ignis tantæ nobilitatis & roboris tanti est, ut quidquid comprehendunt suum faciat pannum, corium, ligna, &c. sed da argentum aurum, &c. Itane ignis tam inter res creatas eminet, ut in amplexum non recipiat nisi se dignissima? quid de Deo sentiemus? Malachias, &c. Facit verò illud Deus ordinariè triplici modo, &c. At subinde etiam facit, non ut noxas puniat, aut errantes corrigat, nec ut virtutem erigat, sed ut potentiam suam ostendat: ut de cæco apertè Salvator quærentibus, cur hic cæcus cæcus natus esset, respondit: *Neque hic, neque parentes ejus, sed ut manifestentur opera Dei in illo.* Sed nunquid, bone Iesv, te hac in parte iniquum potuisse dicere? Qua enim æquitate, &c. *Lege fol. assig. sup.*

ALIA.

QVia cæcus, de quo in Evangelio, spiritualem cæcitatem præsefert, de septem cæcis, qui in scripturis referuntur, & septem spirituales cæcitates nobis loquuntur, sermonem habituri sumus. Arrectas, *Auditor.* porrigite aures. Erit, spero, in rem vestram.

Prosecutio.

Cæcorum primus est Isaac, secundus Tobias, tertius Eli, quartus Exercitus Regis Syriæ, quintus Paulus Apostolus, sextus Bartimæus cum aliis duobus cæcis Iericontinis, septimus & ultimus Celidonius cæcus natus. Primus in senectute excæcatus repræsentat avaros, qui in senibus familiares res vitiosè, tenaciter, & affectuosè reservantibus, & sepelientibus, inspiciuntur. Secundus luxuriosos, stercoribus luxuriæ interiori lumine privatos. Tertius invidos, nam sicut Eli videre non poterat lucernam accensam, sic nec isti lucem proximi. Quartus gulosos, qui mare ac terram velut comparato exercitu adversus cuncta animantia, & pisces maris circumeunt.

Quintus

Quintus Iracundos, semper spirantes minarum, ut Paulus. Sextus accedosos, sedentes secus viam mandatorum Dei, alienæ mendicantes, nihil operantes. Septimus superbos, fastum & pompas ab incunabilis trahentes. Curabitur *avarus*, si faciat quod Isaac fecit, & suas quibus debet facultates distribuat, pauperibus scilicet. *Luxuriosus*, si fel jejunii & mortificationis, vel punitionis luxuriosorum super oculos suos libidinosos ponat, vel poni sinat, ut fecit Tobias. *Invidus*, si se humiliet, & lucem alterius dignitatis ferat. *Gulosus*, si faciat id quod exercitus Regis Syriæ fecit, si comedat, inquam, panem & aquam, & Temperantiam colat. Vid. 4. Reg. 6. *Iracundus*, si sanctorum manus sibi imponi procuret, ut Ananias imposuit Paulo, hoc est, si exempla Christi & Sanctorum, qui tam humiles & pacifici fuerunt imitari studeat. *Acediosus*, si de via surgat & Christum sequatur, ut fecit Bartimæus. Curabitur tandem *superbus*, si lutum humanæ vilitatis, memoriam mortis, & sepulchralium fœcum super oculos ponat intellectus. *Hæc omnia dilata* & require in Indicibus utriusque Tomi *Verbo Invidia, Gula, Superbia, Otium, Avaritia*, &c.

FERIA 5. DOM. 4. QVADRAG.

Require conciones nostras quas formavimus Domin. XV. post Pentecosten Tom. I. & lege Prodromum Æternitatis. Et quære in utroque Tomo in Indicibus v. Lachrymæ.

FERIA VI. DOM. IV. QVADRAG.

THEMA.

Erat quidam languens Lazarus.

Morale.

Nemo derepente labitur in profundum.

Exordium.

ILlius, qui à statu justitiæ cadit, atque in deterius prolabitur quotidie, defectionis gradus præsens Evangelium nobis aperit. Primò namque hic Lazarus infirmatus fuit, qui prius sanus fuerat. Dein dormivit; *Lazarus amicus noster dormit*, postea moritur: *Lazarus mortuus est*. Fertur deinde & deponitur in sepulchrum, & sit tandem quatriduanus fœtens. Non subitò ut lapides mergimur, *Auditores*, in profundum, sed gradatim labimur, hinc principiis obstandum, ut latiùs dicturi sumus.

Prosecutio.

Scholastici & præcipuè Thomas 1. p. Sum. q. 23. ex doctrinâ D. P. Augustini inquiunt, quòd sicut circa electos gradatim Dei actus consideramus, scilicet dilectionem, electionem, conscriptionem, prædestinationem, vocationem, justificationis inchoationem, gratiæ auctionem, justitiæ incrementum, & æternæ fælicitatis concessionem; ita & circa Reprobos odium, neglectionem, deletionem, reprobationem, obstinationem, excæcationem, indurationem, & æternam damnationem. Recentiores verò alium in peccatis constituunt ordinem: Concupiscentia, opus peccati, Iteratio ejusdem, consuetudo, despectus, gloriatio, aliorum seductio, obstinatio, præsumptio, & desperatio. Alii aliter. Interim quòd in peccatis sit ordo, & peccantium sint gradus diversi, colligimus ex Evangelio Joannis Lazari peccatoris figuræ mala semper deteriora narrantis; ait enim primò Lazarum infirmari cæpisse; dein, &c. Paulatim sic semper labuntur peccatores. Lapsus est Saul, sed quomodo. 807. To. 2. Lapsus est David, sed quomodo? semper prius aliquis lapsat quàm in peccatum penitus corruat. 840. Tom. 2. ad quam prolapsionem variæ sunt opportunitates. Primò somnus pomeridianus, &c. lapsus est Petrus, quomodo? 340. Tom. 2.

Peroratio.

Itaque principiis obstandum & affectibus incipientibus resistendum, &c. 719. Tom. 2. quia facilius non recipiuntur, quàm exeunt.

ALIA.

Morale.

Dormitur in hac vitâ periculosè.

AD illa verba, *Lazarus amicus noster dormit*, doce, hominibus Christum confitentibus semper vigilandum esse & nunquam in rebus ad salutem pertinentibus oscitanter agendum, quod tamen à pluribus aliter fit. 270. Tom. 1. & 163. Tom. 1. & 22. Tom. 1. & culcitris suis subinde altum indormiunt. Audax certè & temerarium hominum genus. Mirabatur Augustus Imperator, &c. 385. Tom. 1. Quàm verò sic dormire periculosum sit, patet ex multis; tum ratione inimicorum infernalium, qui semper circumeunt & vigilant. 708. Tum ratione viæ è terrâ ad cælum, cui longum iter faciendum est, & breve tempus suppetit, inquit Bonaventura in Diet. salu. c. 27. ad finem, non perveniet nisi continuò ambulet, & quidem cautè *v. verb. Perseverantia & fol.* 202. *Tom. 1.* Tum ratione causæ, cujus sententiam & decisionem apud omnipotentis Dei tribunal inappellabiliter exspectamus. *Vide Tribunal Christi primis duobus foliis.* Non enim Lazaro, *Auditores*, in hac vitâ dormiendum, vigilantia summè necessaria. 716 & 717. *Tom.* 2.

ALIA.

AD illa verba, *Et lachrymatus est* Jesvs, Nostis, *Auditores*, quas Metamorphoses peccatum faciat. 570. *Tom. II.* in bestias hominem transmutat. Mirabilis transmutatio; sed mirabiliores & præclariores sunt transmutationes, quas facit Deus; dum rursùm hominem ex bestiâ in hominem transmutat. 489. *Tom. II.* Fecit autem has metamorphoses diversimodè aliquando loquens peccatoribus per Angelos; quandoque per prophetas, in caligine, horrore, sagittis, enudatis gladiis: at nunc mutat ut nos transmutet. Hæc objecit arma, & ut David, ait: *fulgura in pluviâm fecit.* Psal. 134. cæpit lachrymari dum Lazarum peccatoris figuram resuscitat. Ita nunc nos secretis impulsibus trahit civiliter, &c. *Vide Lachryma in Indice rerum & v. Deus.*

FERIA II. DOM. PASSIONIS.

THEMA.

Si quis sitit veniat ad me & bibat.

Morale.

Vna est sitis Christi & hominum causa, non tamen eadem sitis?

QVàm sitibundis hominibus plenus est sempérque fuit orbis? Nunquid Rex David? Nunquid Salomon? & plurimi alii etiam inter ipsum aurum & gazas fuere pressi siti? Est in mundo auri sitis satis familiaris, est & voluptatum, est & vindictæ, &c. Quam sitim subinflammat, accenditque magis & magis ipse diabolus, & ipse potus. Sitis causa. Aurum auri, argentum argenti, & voluptas percepta voluptatis sitim excitat, & non extinguit. Hinc David dicebat: *Satiabor cùm apparuerit gloria tua.* Sed & sitibundus & siti pressus in terrâ fuit Christus, sed aliâ ille siti, aliâ premuntur mundani. Explico latius.

Prosecutio.

Christum in terris fuisse sisi possum, ex colloquio illo cum Samaritanâ habito, patet clarè. *Mulier*, inquit, *da mihi bibere*. Insuper ubi in montem Golgotha pervenit, detractisque vestibus crucem ascendit, & mox hostibus veniam, &c. has voces proximè secuta illa est, *sitio*, nec illa parva fuit, sed vehementissima; ab uno ad alterum vesperem, &c. 416. Tom. 2. Hinc inter omnia tormenta unicam sitim queritur. Nec illa sitis tantummodo fuit in faucibus, vel tantummodo non fuit naturalis, sed & mystica: majori enim in corde premebatur siti, sed ut aliud sitiebat corde, aliud naturali ore; ita alia fuit & causa sitis naturalis, alia cordis. Sitis naturalis causa facilis fuit, similitudo, perpessio tantorum tormentorum, &c. sed quæ causa cordis sitis? Cur res temporales, quæso, ita sitiunt homines? cur res illicitas ita avidè quærunt? unà nostrum omnium & Christi sitis causa est, utinam foret & una sitis. Mirari quis non immeritò possit cur Christus in divinis libris sæpius conferatur cervo, rationes aliquas do. Cervus sagittâ læsus, dum potest currit tanquam fugâ & cursu excussurus sagittam, & hinc accendit sitim. Ita Christus, &c. Cervus quandoque altiusculam sepem transmissurus saltu seipsum misere configit palo. Ita, &c. 419. Tom. 2 Sed hoc posterius nostro non deservit proposito. Prius quidem docet, unde accendatur sitis, sed non docet sitis originem. Unde in cervo, unde in Christo oritur ergo, *Auditores*, sitis? Cervus est capitalis hostis colubrorum & serpentium, ubi ubi occasio pugnæ, digladiatur & pugnant inter se, ita & Christus pugnavit, &c. 419. Tom. II. Ex esu ergo veneno to serpentis, peccati, in Christo acerba orta sitis. Nunquid ex uno peccato in nobis subaccenditur desiderium alterius, &c. & acquisita temporalia acquirendorum generant in nobis sitim. Vide quàm sitiant etiam ditissimi. *Vide verbo* Avaritia. *Tom. I.* & Peccatum *Tom II. In Indicibus rerum.* Eadem ergo causa sitis, non tamen eadem sitis. Quid sitiebat Christus? redemptionem nostram. 419. *Tom. II.* & 418. Quid nos sitimus uno verbo dixero damnationem, &c. Est enim pessima sitis sitire libidines, honores, opes. Certè illud humanæ nequitiæ testimium est auctarium non peccare tantùm, sed cupere amplius. 421. *Tom. II. Vide etiam in Indice rerum Tom. II. Peccatum & Tom. I.* Cur peccatum æternâ pœnâ mulctetur, &c. Lysimachus, &c.

Peroratio.

O mortales! *Quid tibi vis de viâ Ægypti*, &c. Exspectemus amore Domini Jesv, &c. illam excitemus sitim aspiciendi scilicet Deum.

ALIA.

Morale.

Noctu Iudæi non ferebant lucem.

AD illa verba: *Miserunt Principes & Pharisæi ministros ut apprehenderent* Jesvm. Multi varias causas assignant, quare demum tentaverint Judæi Christum apprehendere. Quidam dicunt ob resuscitatum Lazarum eos fuisse exacerbatos; alii quia videbant, inquiunt, multitudinem populi ad illum deflectere, sicque timidi cogitabant quod ipsis eriperetur regnum. Vultis ut aliam dem? fit quandoque ut noctu lumen inferatur conclavi; in quo complures sunt; sed nullus illorum videri vult. Ille in angulo dormit, iste jam vestes exuit, &c. 647. *Tomo primo.*

Hic status erat orbis, cùm Christus veniret in orbem, sed en clarè priùs propono. Quibus tunc legibus vivebatur? iisdem certè ut modò vivitur, quas dum recito rectè diaboli decalogum numeraveris. 1. *Nihil unquam credas*, &c. 646. & 647. *Tom. I.* His ergo vigentibus legibus venit Christus, & ne instar facis cæpit lucere, & veritatem, ut se vocat, ita & ostendit. Et ecce! Pharisæi nolebant videri, ipse tamen eorum sopitas exteriori formâ & veste sanctitatis sordes detegebat. Hinc clamabant: Tolle lucentem tædam &c. 647. *Tom. I.*

FERIA III. DOM. PASS.

THEMA.

Ambulabat Iesus in Galilæam, non enim volebat in Iudæam deambulare.

Morale.

Quandoque in fugâ salus.

Exordium.

MAgna Christi pietas, magna Pharisæorum impietas, & malitia. En non sufficit illis, trium annorum spatio sexcenta vidisse miracula ut Christum credant verum Messiam, sed multò magis effecti audaces, eidem quærunt inferre mortem: Christus ergo fugit a Judæâ & in Galilæam transit. Quid igitur hæc fugâ Christi nos doceat agedum videamus.

Prosecutio.

Egregia profectò prudentia, & considerandа dexteritas, quàm Michol Saulis filia David maritum servare volens, excogitavit. Ut enim habetur in sacris historiis, cùm misisset Saul milites & lictores ad domum David, jámque regius miles ita arctè eandem obsedisset, ut vix evadendi esset libertas; Michol fidelis illi conjux: *Nisi salvaveris*, inquit, *te hac nocte eras morieris*, quasi diceret: unicum tibi superest salvationis consilium, nempe fugæ. Consentit ergo in fugam David: at verò Michol conjugi suo fidelissima, quo illi plus daretur, &c. 811. *Tom. II.* Ubi ergo Saul inaudiit culpeos a se custodes ædibus admotos, suúmque hostem periculis subductum, filiam Micholem mox accersit, cui inquit, *quare sic illusisti mihi, & dimisisti inimicum meum ut fugeret.* Verùm notate hujus facti mysteria: Saul denotat tyrannos, qui sanctos persequebantur & occidebant, verùm cùm se illos interfecisse arbitrarentur, mortem corpori tantùm inferentes, & non animæ, decepti & illusi sunt. Statua quæ remanserant miracula quæ passim in vivis perpetrarunt, corpora autem veluti gemmæ penes Ecclesiam & fideles remanserunt, anima eorum cælestem gloriam ingressa. Sed ad propositum nos potiùs dicamus, Davidem hic fuisse Christi figuram, Saulem verò Principum & Pharisæorum, qui hesternâ die jusserant illum apprehendi, & hodie denuo quærunt interficere; sed mysticus ille David fugit. Non enim *in Iudæam volebat ambulare*. Statua deinde quæ remansit in lecto vice Davidis, miracula sunt & doctrina Christi, quæ illis certè erant invisa, quia Pharisæi ob ea à populo deridebantur & deserebantur. Sed tu, ô bone Jesu, qui pastor es ovium fugis? à quo defendemur? Respondet Chrysostomus: Christus verbo docuerat discipulos dum persecutionem paterentur in unâ civitate, fugerent in aliam, hodie idem docet exemplo O, *Auditores*, sæpe sæpius in fugâ salus. Petrus, quia fugere noluit ter Christum negavit. 339. Quam multæ filiæ virginitatem servassent illæsam, si fugere voluissent? In malis certè fugiendum est & fugâ quærenda salus. *Tom. 2. & lege 636. Tom. II.*

ALIA.

Morale.

Laboramus, ut videamur.

AD illa verba, *Manifesta te mundo*, doce fugiendam in omnibus operibus vanam gloriam. Quàm multi sunt hoc ævo in quovis statu homines qui & continuò indefessè operantur, sed non tam Dei, ut hi Christi familiares, quam suam quærunt gloriam. Quid laudabilius in homine religioso quam semper esse in actione, & jam rudibus docendis, jam confessionibus excipiendis, jam concionibus habendis, jam ægris instruendis, & assistendis occupari? Sed in has ipsas religiosissimas actiones quàm arcanâ malignitate sese insinuat vanæ gloriæ sinistra intentio! Ascendere ad festum diem Hierosolymam, malum non erat, sed ideo ascendere, ut videamur jam malum erat. Non operosum tantùm, sed & religiosum concionari, ægrotos invisere, confiteri, & communicare frequentius, &c. Sed omnem concionis fructum ab eventu æstimare, &c. 502. *Tom. I. Recita omnia consequenter ex Auctore & lege fol. 501. T. I. Quæ retiam in Indice rerum V.* Vana gloria.

Ad illa etiam verba: *Non enim volebat in Iudæam ambulare*, doce quàm sedulò fugiendas occasiones peccati. 746. *Tom. I.*

Ad illa verba: *Alii autem dicebant non, sed seducit turbas.* Hi, *Auditores*, Pharisæi erant & in aures plebis simplicis Christum ut redderent odiosum & suspectum, pessima, & quidem falsa insusurrabant. Putrida erant Pharisæi membra, quæ nemini non suam putredinem affricabant, vicina omnia, letali toxico inficiebant. Quid agebant, quid conabantur, *Auditores*? nulla Christi verba quæ non in se mala, sed quæ sinistram pati poterant interpretationem sinebant perire, sed ea tollebant, & gestabant, & suo loco & tempore deponebant. *Pessimum*, inquit Seneca, *genus hominum*, 726. *Tom. I.* Sed & horum hominum vilissima est annona; ubique reperiuntur immixti probis, imò & ipsi sæpe probissimi volunt videri, adeò clam fallunt. Davidi Jessæo, &c. 726. *Tom. I.*

FERIA IV. DOM. PASS.

THEMA.

Quousque animas nostras tollis?

Morale.

Invidia invidi tollit animam.

Exordium.

QVi Pharisæorum mores & opera considerat, primo cernit intuitu, quo in Christum ducebantur affectu, semper eos scilicet in exitium Christi fuisse attentissimos, lædere, perdere Christum conabantur, idque nunc clam, nunc apertè attentarunt, sed quàm appositè quasi suffert sibi quærunturr animam, sed non à Christo ut querebantur, sed ab ipsâ invidiâ. Invidia enim possessorem suum animâ spoliat. Ut ostendemus.

Prosecutio.

Christum è medio tollere volebant tanquam animarum suarum furem, qui ipsarum tollere debebant: non est enim fur rapacior invidiâ; tollit enim valetudinem, famam, ipsámque animam. Verissimè dixit Chrysostomus: *sola sibi nocet invidia* quam Chrysostomi assertionem nervosissimo dicto Salomon confirmat: *Putredo ossium*, inquit, *invidia*; ea quippe tam malè afficit corpus, ut ipsa etiam ossa, quæ dura sunt & solida, tabefaciat. Ipse ait Basilius, &c. 582. *Tom. 2.* Rectè quis dixerit, hos Pharisæos, omnésque invidos Basilisco similes. Basiliscus, Solino teste, serpens exitialissimus est in funera terrarum natus, solo aspectu auras inficit, &c. 582. *Tom. 2.* Solent Pastores quercus annosas ignibus cavare, &c. Haud aliter ægrescente ac exeso animo non potest valere corpus, & ut verbo uno totum dixero, bene ille mori non potest, quem toties interficit invidia. Theophylactus, &c. 582. *Tom. 2.* Bene ergo, inquiunt, sed malè Christo: *quousque tollis animas nostras?* licet enim omne peccatum animam tollat spoliétque gratiâ divinâ. 526. *Tom. 2.* hoc tamen invidia sibi habet magis particulare: Ibi enim zelus & contentio, ibi inconstantia & omne opus pravum. *Et lege quæ habentur fol. 498. Tom. I.*

Peroratio.

Pharisæorum ergo non simus imitatores, nec hunc furem ullatenus admittamus. Petri in hoc consilium sequentes: *Deponentes omnem malitiam, & omnem dolum, & simulationes & invidias.* Modum docet, &c. 526. *Tom. 2.*

ALIA.

Morale.

Linguâ plurimi liberales, manibus at parci.

AD illa verba, *Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi.* Ex operibus Dei filius vult se Messiam demonstrare, & per opera ipsa probare; ac si diceret: Scrutamini opera mea, inspicite miracula, & cognoscetis rei petitæ veritatem. Ita certè Christiani ex operibus cognoscuntur; non enim sufficit dicere: Baptisma suscepi, fidem teneo & credo, sed præterea secundum Christi præcepta operari oportet. Sponsa manus sponsi pulchritudinem enarrans dicebat: *Manus ejus tornatiles.* Per manus intelliguntur opera, quæ debent esse in Christiano etiam sphericæ figuræ ac rotundæ, hoc est, nunquam ab operando cessare. Semper autem est necessarium operari, docet illud quod Deus collocavit hominem inter cælum & terram, cælum continuò operatur ac movetur, similiter & terra, &c. 783. *Tom. I.* At quod fit hoc ævo? Omnia verbis volumus satis esse confirmata, & Deo verba damus plurima, opera rara, aut nulla, 714. *Tom. I.* Ipsissimus Judæorum hic genius est, &c.

FERIA V. DOM. PASS.

Vide quas formavimus conciones in festo Mariæ Magdalenæ. Et lege quæ habentur Tom. I. fol. 5. 6. & 7. Et lege 297. Tom. I. docet enim ibidem Auctor quæ sint notanda circa actionem amoris.

FERIA VI. DOM. PASS.

THEMA.

Quid facimus, quia hic homo multa signa facit.

Morale.

Initium stultitiæ, timor vanus.

DE optimo timore dixit Psaltes, *Initium sapientiæ timor Domini.* Vetto & canto: Initium stultitiæ, timor mundi, timor vanus, & fatuus

Judæi.

Judæi certè in hac timidorum classe numerandi: Cùm enim exploratores eorum Chananitidis regione rediissent, terram quidem illam fertilissimam, lacte & melle fluentem, plurimum commendabant, *sed cultores, ajebant, fortissimos* habet & urbes *grandes nimis, atque muratas. Stirpem Enac vidimus ibi.* Ad hos sermones ea plebem trepidatio incessit, ut reditum statim cogitaret in Ægyptum. En plebeculæ stultissimæ vanissimos timores! non enim ista, &c. 635. *Tom.* 2.

Inanis certè metus omnium virtutum remora.

Perversi trepidant, & ad omnia fulgura pallent.

Sic ævo Christi Hebræi Pontifices & Pharisæi totúmque concilibulum trepidabat. Hinc meticulosæ volabant voces illæ: *Quid facimus, hic homo multa signa facit?* Si sinamus hunc virum concionari & opera miranda edere, omnem ad se populum trahet, & nos cum Mose nostro spernemur; neque hanc occasionem negligent Romani, mox adsunt, &c. 635. *Tom.* 2. Semper hoc morbi genere laborarunt. Sedeciæ regi malum, &c. Idem prorsus Danieli & nos homines meticulosi in hoc etiam Pharisiaci, & Judæi, nostram ipsi umbram horremus. In pluribus servus extimescit suum dominum, quandoque magis quàm Deum suum, assentitur hero quà non licet, quà non decet, & ita herum sibi conciliat, Deum à se alienat perversissimo metu. Romanus Præsul Pilatus Tiberium Imperatorem suum metuit, &c. Pecuniæ jacturam in metu ponimus, &c. *Lege à fol. 635. usque 636. Tom. 2. Et erit tibi Concionum materia uberrima.*

ALIA.

THEMA.

Expedit nobis ut unus moriatur homo pro populo.

Morale.

Opus sine rectâ intentione inutile.

OMnis meriti nostri, fundamentum est intentio. Patet in maximi momenti rebus. Intentio baptisat, intentio consecrat, &c. Ea è mille panibus sacerdos in dominicum corpus verbis Domini commutat, quem intentione sibi destinat. Cor initium est vitæ, talis est & vita, quale cor: Homo in pecudem migrat, si ei cor pecudis inseratur, pecus in hominem transit, si ei cor humanum addatur. 447. *T.* 1. Nabuchodonosorem, &c. Talis est intentio, cor scilicet omnium quæ agimus. Considerate hîc mihi obsecro eandem Antentiam in duabus curiis pronuntiatam. In curiâ Hierosolymitanâ, Præside Caiphâ summo Pontifice, &c. 447. *Tom.* 1.

Aliam concionis materiam lege fol. 7. *Tom.* 1.

PASSIO DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI

COMPENDIO EX AVCTORE CONSCRIPTA.

QVæstionem proponens Pharisæis, de seipso Christus, *quid vobis*, inquit, *videtur de Christo cujus filius est?* ad quæstionem hanc variè responsum. Pharisæis hoc unum occurrit dicere, filium esse David, & certè non adeò malè ita clamarunt quondam cæci, ita Chananæa, ita Angelus. Ad quæstionem istam Judæi ceteri responderunt Matiæ & Josephi esse filium, ita illi passim dictitabant. Ad eandem quæstionem longè aliter Petrus. Ad hanc ipsam tandem ipse Pater cælestis responsum de cælo pronuntiavit. Quid, quæso, nos hodiernâ die ad hanc quæstionem, *Auditores*, habemus dicere? An modò {*Ostendatur imago Christi patientis si sit ita concionatori opportunum*} hunc diceretis Christum Regem è Davidicâ stirpe natum? An hunc dicere poterstis, aut ratio suadet, filium Mariæ & Josephi? An Dei filium? Quid vobis videtur de Christo? vin' dicam vobis, cujus ille pro nobis sit factus filius? jam filius ille est Annæ, filius est Caiphæ, Pilati, Herodis filius, ut uno verbo dicam, mortis, Adami filius. Coram matre nudus natus adamita, ut adamita nudus, jam jam moritur in cruce, Augusto regnante tributum solvit, factúsque ejus est tributarius; Pilato verò & imperio imperante mortis sit tributarius. Natus panniculis involvitur, moriturus funibus stringitur, & clavis figitur. Natus lacrymas profudit, nec illas jam moriturus tenuit, sed purpuratas emisit. Infans existens virginis lac bibit, sed moriens fel gustavit. Nato reges ab oriente munera tulêre, moriturum carnifices ludiero insigniunt sceptro, & illudunt; & quem quondam mansueta cinxerunt animalia, nunc circumdant *canes multi & tauri pingues.* Nulli hic Angeli cantantes, *Gloria in excelsis*; at plurimi clamantes: *tolle, tolle, crucifige eum.* 393. Et tandem filius Dei Patris unigenitus, filius virginis, filius sit mortis. Lugubrem hanc historiam, ut temporis jam hæc exigit præsens ratio, enarraturus, distributionis ordinem pono: primóque dicturus ea sum, quæ Christi passionem quasi antecesserunt, quæ ea sunt, quæ Joannes Evangelista ab eo loco ubi dicit: *Ante diem festum Paschæ, usque Ave Rabbi*, sive proditionem à Judâ factam describit. Dein instantiam, sive ipsam passionis & dolorum Christi executionem, & sunt ea quæ scribunt Evangelistæ facta fuisse ab eo loco, ubi Jesum referunt dixisse Judæ: *Osculo filium hominis tradis*, usque illud: *& inclinato capite emisit spiritum*, lateris vulnus & quæ sequuntur depositionem funeris, unctionem, condituram, sepulturam, custodiam, subsequentia passionis nominamus. Non enim dolorem, pœnam, cruciatúmve aliquem afferre potuerunt Domino Salvatori, cujus corpus exanime sentire non potuit læsionem. *De quibus omnibus omnia compendio habe, & tu pro ut tua fert ratio temporis discurre consulendo Auctorem signatis locis.*

Prosecutio.

Christi cena, & pedum discipulorum humillima lotio.

SVperbia initium ruinæ, humilitas verò restaurationis orbis. Surrexit enim à cenâ. 328. à cenâ, inquam, illâ familiari & communi Judæis, in quâ suos quasi valere jussit, dæque proditoris perfidiâ commonefecit. Et quid egit? eandem quam in docendo jam dudum servaverat & observaverat rationem utpote efficaciorem? servat & migraturus ad Patrem, ad persuadendum plus semper valuisse opera, quam verba nemo dubitat. Quis ad luctum provocaturus adstantes, vestes sumpsit lætitiæ? Quis in veste lugubri risit, aut vultus serenitatem prætulit? Quis eructans crapulâ, parsimoniam persuasit adstantibus? Quis inter scorta castos auditores effecit? Marcus Antonius verbis non satis fidens, necem lamentatus Julii Cæsaris, mœsta satis & non minùs accuratâ oratione interiorem illius tunicam sanguine conspersam pro rostris ostendit, sicque quos in suam nondum pertraxerat sententiam, concionem in occisores concitavit, raptis eo animi furore torribus ignitis. Ita & ipse Christus humilitatis, qui jam sæpe fuerat præco, dat & prototypon & exemplum; surgit à cenâ magister, ponit vestimenta sua, genu & caput demittit, discipulorum arripit pedes. En homo parvi fortitan duxisti & ducis sæpius mandatum aliquod divinum aut transgredi, aut certè vel omnium non es minimorum exactus exsequutor. En Deus rituum humanorum, Judæorum, inquam, est observantissimus: fuit enim lotura crurum & pedum veteribus usitatissima, præsertim Judæis, ut rituales chartæ libríque Hebræorum ostendunt, quem ne Christus lavandi ritum, legis novæ licet esset jam auctor & priscæ antiquator, noluit intermittere. 329. cùm inter vetus novúmque sacramentum religionis faceret divortium. Quin & hanc lavandi mutuorum pedum morem, suis & commendavit: *& vos*, inquit, *debetis alter alterius lavare pedes.* Sed jam dixeris, quis forsan, quid ergo hîc novi Christus fecit cùm suorum plantas tinxit, quando id rectè ritie actum factúmque prædicatur? Novum satis & prorsus inusitatum factum. 330. Certè & ipsi Angeli hoc sui conditoris exemplo quasi videntur profecisse, passi enim fuerant cælites illi, ante communis omnium regis Christi in terras adventum, suo se quodam & majori postea honore cedi. Adoravit illos Abraham non refugerunt, eosdem binos & Loth, non interdixerunt. Adoravit Tobias nec Tobiam reprehendit Raphael, at volente idem præstare Joanne prohibitus est. 330. Humile revera factum. Lotis & absterstis discipulorum pedibus Judáque proditore ab hoc obsequio & honore non excluso, (ut disceremus etiam malos nobis beneficiis devincere, ipsíque dum occulti sunt honorem non denegare) nondum posuit amori suo immenso, metam. Ad cenam redit, sed priori illi longè dissimillimam; nam in priori illâ agnum apposuit è macello, in posteriore istâ è cælo supremi regis filium seipsum; nempe magna sunt hæc amoris argumenta, verum plurimorum disertis voluminibus explicata, ad cenæ hujus epilogum pergo satis admirandum: *& Hymno dicto exierunt in montem Oliveti.* Coronidis cenæ fuit gratiarum actio facta Deo Patri, & quæ, quæso, illa gratiarum actio? Hymnus, inquit Evangelista, sed quis ille Hymnus, cantúsne aut musica? Quod epulas comprecatione Christus clausit miri nil aut novi, qui totas noctes precando solebat exigere, sed eum dicere ceciniisse novum videtur, licet revera non sit: nam Judæos solitos canere hymnum Mosis, post agni esum, testatur Maldonatus. Cygnum crediderim fuit æmulatus salvator noster, qui uti veterum scriptorum plures attestantur, funeri suo vicinus, suaviter cantillat. 331. Sed quid hoc rei est, ô Christe! & quî fit quòd cum nunquam riseris, ploraris sæpius, hodie cum morte luctaturus cantes? Cygnum ante Salvatorem dixi, quem Socrates, si Ciceroni fides, ideo putabat cantare moriturum, perinde atque si vaticinetur quantum in morte sit boni. Ita salvatori gaudium ingens hunc cantum expressit; nam imminentes hos cruciatus, non ut cruentam tragœdiam, sed ut lætum sacrificium aspexit. Unde & hæ voces: *Desiderio desideravi hoc Pascha manducare vobiscum.* Alias alii assignant causas. Auctorem consule. 332. & 333. Videte ergo cælestem hunc ducem Christum, milites suos sacro classico animantem. Videte mansuetissimum Davidem ferocientis Saulis furias, cytharâ tranquillantem. Considerate, quæso, & videte ut verus Pythagoras ad nocturnam musicam pæne in mortem obdormiat.

Hæc igitur cùm dixisset Iesus, inquit Evangelista, *cum discipulis suis egressus est trans torrentem Cedron.* Quam appositè, Cedron tristis mœror interpretatur, mox igitur Salvator futurus usque ad mortem tristis, transire non incongruè voluit Torrentem Cedron, ut per torrentis naturam, fluxum nostræ mortalitatis rapidissimum, & per Cedron tristitiarum suarum futurarum inundantiam declararet. Hic porrò torrens vallem Josaphat inter appendices montis Sion & montis Oliveti positam præterlabitur, in quam judicaturus adducet omnes gentes, & super quo monte sedens latus est de genere humano sententiam, pro omnium homi-

num salvare orare ad Patrem, & illic caperetur & ligaretur pro fratribus in formâ servi, ubi ingratos fratres traditurus est tortoribus in formâ regis: *Ubi erat hortus quem introivit ipse & discipuli ejus.* Reparationis igitur nostræ initium sumit ab horto. Diversos habuit Christus hortos, hortus illius mundus est, Ecclesia, anima, quos omnes ut purget hortos, hunc unum ingreditur. 333. Non legendis certè hortibus, quod solent domicellæ, hortos ubi solent subigitrare, sed fundendis precibus. Oravit igitur, & oraturis omnibus ideam seipsum edit, quæsivit enim in hoc ipso horto secretiorem sibi locum, suam ipse servans legem de claudendo ad incundas preces cubili. Deinde tempus nocturnum quod ab omni precum impedimento solet esse liberum orationi suæ constituit: corpus dein inflexit, faciem terræ allisit, nimirum non perfunctorie precaturus. *Positis genibus procidit in faciem suam.* Eandem verò orationem ter repetiit, *Pater mi*, &c. Obedientia scilicet & suæ ad Patris voluntatem conformatione summâ, *non meâ, sed tua voluntas fiat.* Discamus Domine exemplo rem nullam aggredi nisi oratione prævia. Hujus defectu &c. Vide corporis compositionem, an non sæpe ludenti quàm oranti sit similior. 334. Et uti Christus precationem hanc trinam hoc semper Epilogo clausit: *Verumtamen non mea, sed tua*, &c. Eodem prorsus modo, isdem omnino verbis, & nos orationes nostras concipiamus. 335.

Nec Christus jam pæne semimortuus oravit, sed & sudavit, & quidem sanguinem. Quidcale ab ultimâ mundi origine auditum, vel visum? æstus luctantis animi aperuit & laxavit poros perapertos, non ut aqua ut solet, sed sanguis impetu prorumperet. En triste spectaculum Dei filius, geniorum cælestium voluptas, expallescit, submittit genua, procumbit humi, divinum os solo adstruit, cum acerbissimâ morte luctatur, quæ lucta ut & oratio ad tres usque horas perduravit. Totidem & oravit horis & cum morte luctatus est in cruce, nam quamvis nullus hominum mortis dolores sentire, & inter vivos diu subsistere possit, Christus tamen his tribus horis sensit, nec in vitæ esse desiit. 334. Ut igitur Romani veteres uti Plutarchus in Fabio docet coccineam tunicam ad Imperatoris tentorium in hastâ proposuerunt, accendendo militi, ad concipiendam pugnam, & arma paranda, utque intelligerent diem adesse prælii, & pro vitâ & sanguine certandum esse, ita Servatori cùm instaret prælium cruentum, atrox, infandum. 335. Certè qui sanguinem toto corpore tantâ copiâ sudarit invenio neminem, Jacob Patriarcham cerno, Jonam Prophetam video, Paulum concionantem, &c. Sed sine sanguine. Unum hodie Servatorem nostrum conspicio, qui luctetur quasi cum Angelo, sermocinetur cum Deo, tristetur ad mortem, sudet deum & æstuet, idque cum multo sanguine, è quo vitiorum omnium paralysi pharmacum paretur. Sed laxemus aliquantulum sermonem, & videamus, ecquid tandem purpureum hunc sudorem eliquavit è corpore? Nicander, Dioscorides, aliique complures affirmant eum, quem hemorrhois serpens momorderit, undequaque poris & cuticulis sanguinem sudare, & sudando interire. Si vera quæratur causa hujus in Christo sanguinei sudoris, liberè pronuntio: Hemorrhois illum icit. Hemorrhoidi aptissimè peccatum comparo &c. 336. De causâ nunc diximus. Nunc videamus de copiâ.

Ploravisse Christum sæpius scimus nunquam tamen, quàm in hoc Gethsemaneo horto copiosius. Alias oculis tantùm lacrymatus est: at modò lacrymatus fuit humeris, manibus, genibus, omnibúsque membris. Ceterum mirum est quod quidam notant ex Egesippo Apostolorum discipulo, &c. Mirandum planè, si verum. Sunt etiam qui, nescio quâ notitiâ, Dominici sudoris guttas numerent, dicántque effluxisse centenas quinquagenas octonas. Sed incerta hæc mittamus; certum est Christum hic fuisse indutum propriâ purpurâ, & pavimentum pretiosissimis his guttis fuisse depictum. *Et factus est sudor ejus.* Sudor nobis fervorem, sanguis pretium, sanguinis decursus abundantiam significat, &c. O mi bone Jesu, quò tua demum in nos abibit liberalitas? 336. Quid agimus hic, Christiani, quæ animi nostri sunt sensa? videte mihi, obsecro, æterni Patris, &c. 337.

Hac igitur peractâ agoniâ inter utramque naturam adest proditor, cui & procedit obviam ipse immolandus agnus, sed quàm blandâ facie, non ut nos solemus inimicum intueri, non torvis oculis, non gestibus minacibus, sed eâdem quâ illum exceperit benignitate in ipsâ cenâ. Vultis ut latiùs declarem quâ manserit line egerit cum proditore? dicam enumerativè cuncta illi à Christo exhibita beneficia. 1. secum illum toleravit in cœnâ suâ, & quidem ex eâdem paropside, finit illum secum comedere. 2. Non tantum hunc mensæ contubernalem, sed inter primos, & ante Petrum considere fecit. 3. ter distinctè sceleris concepti monuit, sed nomini semper pepercit, &c. 338. Sed nihil effectum, noluit mollescere hoc saxum. 4. in genua ante hunc nebulonem procubuit cæli dominus, &c. 5. Hoc unum restabat, &c. Tandem in ipsomet flagranti scelere dum osculum parricidale dulcis Jesus accipit, sceleratam bellúam suaviter affatus est: *Amice*, inquit, *ad quid venisti?* O durum cor! &c. Ita Deus quotidie nobiscum agit. Sed forsan quæres, Cur obsecro Christus hunc hominem nequam in Apostolum elegit? Mi bone Christiane, &c. 339. Mittamus ergo curiosiores illas quæstiones uti & de pretio, quo cæli, pretium venit hic perfidus. Lis est enim satis magna inter Auctores, hoc interim certo habete, *Auditores*, quòd multi asini & canes, & vasa testea, vitrea pocula, sanguinariam mercedulam hanc exsuperant. Et videamus quænam circa Christum captum acta sunt. 339.

Iudices Christus habuit Annam, Caipham, Herodem, & Pilatum, judices certè iniquissimos: & cecidè in his aulis pessimè acceptus est salvator orbis. In palatio Caiphæ (*Annas* enim *misit eum ligatum ad Caipham Pontificem*) probra, & ludibria, & derisiones multiplices. Sed Christiani proferantur semel accusationum plaustra, & colligamus eorum summam. Primò fanaticus habitus fuit Christus. 341. Quæ omnia probra & verbera Dominus Jesus acerbè sensit, sed acerbius negationem Petri minimè enim sensit mitissimus Dominus ab inimico servo verberari, quàm negari ab amico Petro. Hanc igitur negationem Petri expendamus.

Contigit hæc negatio Petri, ut vult Cyrillus, & alii, in domo Caiphæ inter horam noctis duodecimam & quartam. Dixerat antè Petrus: *Etsi omnes scandalizati fuerint*, &c. 339. Et ecce ab ancillâ interrogatus: *Et tu cum Iesu Nazareno eras: respondet non novi hominem.* Itáne ad temerarium verbulum ruit columna? non nosti Petre, cujus canticantem vestem & radiantem vultum in Thabórea rupe adspexisti? 339. Sed ne ita miremur, en causas tanti lapsus in digitos mitto. 399. 340.

Sed crimine jam in totum admisso, & auditâ galli cantantis voce; *egressus foras flevit amarè.* Et idem Petrus qui offensioni nobis si fuerit peccans, est & documento: scelere enim commisso, nec dimidium quidem diem distulit pœnitentiam. Nam peccatum, &c. 340. Et aulam deserit quique in aulâ peccaverat, extra aulam plorat. Hinc Clemens Romanus de Petro, quoties gallum audivit in genua procidit, & veniam lacrymans petivit. At verò quilibet, Laurentio Justiniano teste, suum gallum domi habet, beatus ille qui dum hunc gallum cantantem audit, pectus tundit, & delictorum veniam petit. 340. Sed domum hanc pessimam Caiphæ deseramus, & videamus quid in Pilati prætorio sit peractum. Nam

Mane autem facto, &c. *Et tradiderunt eum* Pontio Pilato Præsidi, sed Romanus præses sciens genium Judæorum, & quòd per invidiam tradidissent eum, tam periculosæ sese aleæ statim conatus est subducere, quapropter Christum Herodi vinctum transmisit. 340.

Herodes autem viso Iesu gavisus est. Quomodo autem, *Auditores*, gavisus est Herodes cùm Pharisæorum aliqui Christum monuerint, *exi & vade hinc, quia Herodes vult te occidere*, aut ergo animum mutavit Herodes, aut illi hoc confinxerunt. Fuit Herodes, &c. 340. Quæstionibus hic ursit variis Jesum, quæ tamen eæ fuerint nihil de illis certi habemus. Potuerunt hæ tales fuisse, &c. 340. O Herodes fatue! ô Regum curiosissime! &c. Ita Herodes interrogabat eum multis sermonibus. *At ipse nihil respondebat.* Silentii causæ vel nobis notæ complures. Quocirca Herodes non ut Pilatus modestissimi rei silentium miratus, sed hominem censens indoctus dumtaxat doctum, & plebi dilectum, eum cum omni exercitu suo judicavit stultum, *Et illusit indutum veste alba*; quæ certè alba vestis mysteriis est opulenta. 341. *Et remisit eum ad Pilatum.* Inter quæ autem ludibria Christus jam sta candidatus viam ex Herodis aulâ in Prætorium Pilati relegerit, pio lectori considerandum transcribo. Prius quam tamen, ô Christiani, rursum ædes Pilati subintro, hoc, quod scribit, & subjungit Evangelista, notandum duco: *Et facti sunt amici Herodes & Pilatus in ipsa die.* Pilatus homines Galilæos, &c. 341. Quod si igitur Judæus & Idololatra tempore Christi patientis amorem inter sese conciliant, quantò magis Christiani in gratiam Christi passi omnibus sese odiis exuerent. 341.

Reducem verò Christum *Pilatus apprehendit & flagellavit.* Tentaverat enim Pontius Pilatus diversis modis liberare Christum, & cùm horum consiliorum nullum succederet, ut demum miteserent Judæi, jussit insontem flagellari. Ergo virgineus iste homo Dominus Jesus. 341. & 342.

Ergo flagellatus est divinè, fuitque flagellationis istius modus sine modo & lege. Legibus divinis olim ita erat imperatum: *Sin autem eum, qui peccavit, dignum viderint plagis*, &c. 342. Sed lex ista servata fuit ab Hebræis in Paulo, sed neutiquam in Christo; tortores autem flagellantes erant Romani, qui extremè oderant Judæos, incitati verbis & mercede, ne reo illi quidquam parcerent, & laudatissimus ille audiit qui ferociùs & validiùs sæviit. Sunt qui putent flagellatum Dominum à totâ cohorte, putà viris mille. 342. Et quod credibile primis quidem ictibus suffusum sanguinem, dein supremam cutem repetitis toties plagis laceratam, ipsam denique carnem avulsam rivulis purpureis undique defluentibus. Quantus hîc dolor! Beatus Vincentius ossa humani corporis ducenta septuaginta sex asserit è Medicorum sententia, Christum verò ita flagellatum ait, ut cuivis ossium plaga triplex infligeretur. Ita ergo Prætorium Pilati constitutum est amplissimum Theatrum, in quo spectaret Pater æternus, & Angeli.

Flagellis ita acriter exceptum Jesum coronarunt, & ut suos olim matres filios, ut observat Chrysostomus; sed certè noverca illa Synagoga invisa ac mirabili sertò caput hoc benedictum adornavit. Lubet, *Auditores*, parumper piâ meditatione intueri? Indagant aliqui paulò curiosius è quo spinarum genere hoc sertum Christi fuerit conceptum, sunt qui juncos marinos hic usurpatos censent. 344. De aculeorum numero in hac plectili corollâ nil liquet. B. Vincentius spinas septuaginta duas, alii plures numerant. Interim hic aliquis Angelorum discerpere possit majorne fuerit cruciatus hujus dumosi diadematis, an ignominia & ludibrium? certatum prorsus est inter ludibrium & dolorem. Enimvero dicat mihi Christianorum Principum aliquis, quot aureorum daret ei pictori, qui Christi spinis coronati effigiem veram depinxisset? nos, quæso, ipsi in mente nostrâ hoc ectypum depingamus. Figuras hujus coronationis possum dare variás. Sed quid? tam lamentabilem Christi vultum nunquam fingemus, quin minùs vero efformemus. 344. & 345.

Tandem circumdatur purpurâ hic miserè ita coronatus rex. O purpuram ignominiosam & malè ominosam! Plutarchus in Fabio: Pridie inquit, prælii purpura, &c. 346. Hæc porrò Christi purpura quid significat

ficat? 347. Nos interim erigamus oculos in altum ad inventorem hujus vestis & auctorem nostræ salutis. En quid meditatur tandem Pilatus? 346. & 347.

Cùm in omnem hic Judex sese partem versasset, tentassétque omnia, Christo in libertatem asserendo, visum est denique movendis animis, futurum illud efficacissimum, si tam sæviter flagellatus sisteretur turbis ex alto spectandus. In altissimum ergo eum adducit locum, quem Lithostrotos vocant Hebræi, ad quem conscendendum viginti octo erant calcandi gradus, &c. Et paululùm subductâ veste, ut corpus Christi vulneratum conspici posset, illud sensu plenissimum pronuntiavit: *Ecce homo.* 347.

Ecce homo, quamvis similior pecudi, cui pellis detracta.

Ecce homo, num adhuc vobis movendus, &c. *Plures lege interpretationes consequenter in Auctore.*

Hoc certè lamentabile spectaculum, Pilato ipsi honorem, gentium Judæis, triumphum hostibus universis fecit, nobis quid? si homines essemus non sano sensu destituti in amoris guttas diffluereamus, &c. Si Appiniano Quintiliano Tranquillo credimus, populum Romanum in furorem egit prætexta Caii Cæsaris prolata in forum cruenta. At verò nos, &c. 348. & 349.

Postquam igitur Pilatus geminis illis voculis: *Ecce homo*, orationem suam clausit, ignem invidiæ non tantùm non extinxit, sed monstrato sanguine magis accendit. Hìc leones illi adversus agnum rugientes, *Crucifige*, clamant, *crucifige*. Ubi nunc sunt illa novem virorum millia, quos Christus paucis panibus saturavit, qui regem illum proclamare cogitarunt? Nihil auditur patrocinii. Nam quod beatus Lucas refert: *Exclamavit autem universa simul turba, Tolle hunc, & invalescebant voces eorum.* Ah quàm graviter hæ voces charissimi simul & ingratissimi populi, aures Christi & Matris ejus vulnerasse censendum est! 349. Quid nos hoc loco Christiani, num tacebimus? 349. Homini ignem ferenti parcit Leo; Jesus homo, merus amor, ignis merissimus, sed nihil parcunt Leones isti. 350.

Pilatus igitur in vitam necemque Judex Romanus cùm nihil amplius effugii cerneret in ipsam innocentiam aut mortis fulmen vibrare: *Volens populo*, inquit Marcus, *satisfacere, dimisit illis Barabbam.* Quæ, quanta fuerit injuria quis dicet? Hæc interim impiorum voluntas est in nequitiis esse concordes.

Sedit igitur pro Tribunali Romano ritu, alioquin unnotat Ulpianus, irrita censebatur sententia, in loco conspicuo Lithostrotos & Latino idiomate sententiam dictavit. 351. Castissima Susanna jam mortis damnata cùm duceretur lapidum nimbo necanda, &c. Cùm Christus trahitur ad mortem nullus adfuit patronorum, &c. 351. En orbis arbiter, &c.

Porro ubi Pilatus sententiam tulerat injustissimam, ut tamen dilueret culpam, acceptâ aquâ lavit manus coram populo, & sic potiùs Hebræum servavit morem quàm Romanum. Pilate quàm aberras! non lavandæ Judæorum more manus, sed cor. 351.

Interea verò temporis omnia instrumenta ad crucis supplicium properanter collata. Crux ipsa, clavi, funes, mallei, terebræ, forcipes, scalæ, ligones, palæ spongiæ, acetum, vinum myrrhatum, & quidquid ex Romano more ad crucifigendum spectabat. *Quæ omnia consequenter à f. 350. usque 367. uti & crucis latitudinem, ponderositatem, clavorum numerum, crucifixionis modum ex quibus omnibus, Diligens Lector facilè plures numero conficiet conciones. Quæ verò hic à me annotata sunt & collecta in subsidium Lectoris collegi, quia Auctor præterquam in his non servet consecutionem textus, sic & ea sparsim habe. Æqui igitur bonique hic collecta consule, & si placeant fruere.*

THEMATA MORALIA
DE COMMVNI SANCTORVM.
Themata varia moralia in communi Apostolorum.

Ad illa verba, *Fratres jam non estis hospites & advenæ, sed estis cives sanctorum.* Doce ineundam esse ergo cum supernis illis civibus non tantùm sed & cum Deo familiaritatem. Hæc autem familiaritas plurima in se bona habet. Triplici autem modo contrahitur, & hæc fuit praxis Apostolorum & Sanctorum omnium. 666. 667. 668. *Tom.* 2.

Ad illa, *Gaudete & exultate*, &c. Doce hæc duo etiam posse consistere, pati & lætari, si nempe Deus & homo conjungant vires suas. Expertus hoc est David, experti Apostoli omnes, &c. 626. 627. 628. *Tom.* 2.

Ad illa, *Ecce ego mitto vos sicut agnos inter lupos*, doce virtutem mansuetudinis esse potentissimam; hoc enim unico gladio Christus & Apostoli orbem integrum subjugarunt. 644. 645. & 646. *Tom.* 2.

Ad illa, *Gaudete & exultate.* Doce optimè ea, quamvis creditu videatur difficile, consistere posse pati & lætari, si nempe Deus & homo suas vires conjungant. 627. *Tom.* 2. & 625.

Ad illa, *In patientiâ vestrâ, possidebitis animas vestras.* Doce nos eadem, quâ arte Romani universum possederunt orbem, nos aliquandò posse possidere cælum, & certè non aliâ, nempe *consilio & patientiâ.* 593. *T.* 2.

Ad illa, *In hoc cognoscent omnes, quia discipuli mei estis si dilectionem habueritis ad invicem.* Doce dilectionem esse signum discipulorum Christi, invidiam verò & odium diaboli. 582. *Tom.* 2.

Ad illa, *Ego enim dabo vobis os & sapientiam, cui non poterunt resistere*, &c. Doce in ore Apostolorum Dominum posuisse libertatem spiritus, quæ est vera libertas. 552. *Tom.* 2.

Ad illa, *Estote ergo prudentes sicut serpentes.* 452. Tom. I. *Et vide formatas conciones nostras in festo Apostolorum in Indice festorum.*

Themata varia moralia in communi Martyrum.

Ad illa verba, *Sine me nihil potestis facere*, quomodo omnes à Deo pendeamus, universim omnes, ut nempe heri natus infantulus à nutricis vel gerulæ manu. 621. & 620. *Tom.* 2.

Ad illa, *Hoc autem pro certo habet omnis, qui te colit, quòd vita ejus si in probatione fuerit coronabitur.* Doce porrò necesse esse hominem fidelem, & superis carum per varias tribulationes probari, & tentari debere. 618. & 619. *Tom.* 2.

Ad illa, *Qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum.* Doce illum verè manere in Christo & Christum in eo, qui se divinæ conformat voluntati; quæ conformatio apex est omnis perfectionis. 616. *Tom.* 2. Nihil enim illa patiendum aut faciendum excipit.

Ad illa verba, *Sancti sunt, lapidati sunt, in occisione gladii mortui sunt.* Doce de Sanctorum afflictionibus non esse indignandum; Deus enim se gerit ut Phrygio, & non ut pictor. 610. 611. & 612. *Tom.* 2.

Ad illa verba, *Nolite ergo timere, multis passeribus pluris estis vos.* Doce quomodo Deus exigat fiduciam in se firmam; fidenti enim & credenti Deo, omnia sunt possibilia, 586. *Tom.* 2. & *Tom.* I. 101. 170.

Ad illa, *Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus.* Doce vitam justorum ærumnosam, mortem verò pretiosam, & mercedem gloriosam. 544. *Tom.* 2. Omnes enim justi moriuntur in vere. 545. *Tom.* 2.

Ad illa, *Nihil opertum quod non revelabitur.* Doce id fieri in solatium martyrum. 532. *Tom.* 2. & *Tom.* I. 360.

Ad illa, *Qui vult venire post me, abneget semetipsum & sequatur me.* 285. *Tom.* I.

Ad illa, *Qui odit animam suam in hoc mundo*, &c. 343. *Tom.* I. & 201. *Tom.* I.

Ad illa, *Si quis in me non manserit*, &c. 24. & 27. *Tom.* I.

Ad illa, *Quid prodest homini si universum mundum lucretur.* 179. *Tom.* I. Vide festa etiam Laurentii, &c.

Themata Moralia in communi Pontificum Doctorum & Confessorum.

Ad illa verba, *Euge serve bone & fidelis*, &c. Doce non fidelem illum esse servum, qui vult operari, sed qui operatur. 665. *Tom.* 2.

Ad illa, *Respicite quoniam non mihi soli laboravit.* Doce Doctores Ecclesiæ hanc sibi posse vocem usurpare, cùm universus eorum labor & doctrina omnium hominum saluti subservit. 673. *Tom.* 2.

Ad illa, *Vigilate, quia nescitis, quâ horâ Dominus vester.* Doce rectè illos vigilare, qui bene merendi occasiones attentissimè & avidissimè observant. 637. 638. *Tom.* 2. & *Tom.* I. 10. 28. 37. 45. 46.

Ad illa, *Et vos estote parati.* Doce tria in nostro ad cælum itinere nobis necessaria esse: nimirum, ut juvenes, ut splendidi, ut præcincti ad ambulandum parati progrediamur. *à fol.* 628 *usque.* 629.

Ad illa, *Confiteor tibi Pater cæli, quia abscondisti hæc à sapientibus, & revelasti ea parvulis.* Doce humilitatis studium. 573. *Tom.* 2.

Ad illa, *Sint lumbi vestri præcincti.* 308. *Tom.* I.

Ad illa, *Et vos similes hominibus exspectantibus Dominum suum.* 131. *Tom.* I. Vide festa S. Nicolai, Martini, &c.

Themata Moralia varia in communi Virginum.

Ad illa verba, *Hæc est virago sapiens.* Illa verè virgo sapientissima quæ in mediis mundi ignibus novit castitatis florem ab omni igne servare illæsum. 564. *Tom.* 2. Est hæc nota Electorum & filiorum Dei, inter libidinum flammas non incendi.

Ad illa, *Simile est regnum cælorum homini negotiatori quærenti bonas margaritas.* Lege fol. 203. *Tom.* I. Lege fol. 787. *Tom.* I.

Ubi docet Auctor virginitatem sese ostendere in triplici vultu, & quomodo ea sit servanda. Vide in indice verbo *Castitas.* De aureolâ Virginibus debitâ. 250. & 251. *Tom.* I.

INDEX

INDEX QVINTVS
THEMATVM MORALIVM
CONCIONVM ALIQVOT HONORARIARVM,
PRO EXIGENTIA TEMPORIS HABENDARVM,
In infulationibus Archiepiscoporum, Episcoporum, Abbatum, Abbatissarum, alteriúsve Præsulis inauguratione.

THEMA.

Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur à Deo.

Morale.

Præfulgeant suis Petri Vicarii non vestibus tantùm, sed & vitâ tanquam Aaron & moribus.

Exordium.

ELECTVM & assumptum hunc nostrum Candidatum magno Sacræ Communitatis commodo *Auditores*, è piâ multitudine præstantissimorum virorum, ut alterum Aaronem non dubito. Fulsit enim ille hactenus tali virtutum, quali ille quondam resplenduit, vestis gloriâ, & taliter decet fulgere Præsulem. Quâ enim veste exornabatur Aaron exteriùs in corpore, Spiritus S. significatum voluit, quibus virtutibus Præsul omnis, tanquam Aaron è cœtu populi assumptus, debeat resplendescere in mente. Brevi hac nostrâ adhortatiuncula dicta explico.

Prosecutio.

Summi Sacerdotis Aaronis vestis, in quâ divino cultui operabatur, tanti operis & pulchritudinis erat non solum quâ materiâ, & quâ arte, ut omnium Regum & Imperatorum vestis, cum eâ nequaquam conferri possit, &c. 446. Tom. I. Quidquid in hoc genere venusti vel curiosissimus oculus desiderarit, id in unâ hac veste spectare potuit: *Desideria oculorum.* Omnem vel avidissimi oculi cupidinem satiavit hæc vestis. Hoc bonus Deus quo fine voluerit jam recito: Vt scilicet summi sacerdotis ad templum progressus omnium ad se oculos raperet. Eâ etiam de causâ ad hujus vestimenti imum, trecenta sexaginta sex aurea tintinnabula jussit appendi, &c. Interea tamen hujc ipsi summo sacerdoti qui omnium in se oculos convertit, in nemînem oculos licuit emittere, ab omnibus aspiciendus, neminem ipse debuit aspicere, &c. Nobilissimum certè hoc *Præsulis* paradigma, *Auditores*, boni ex asse, præbeat audacter, qui aliis ad instar solis luminibus inferioribus præsit, quidquid castis & piis oculis videre in voto est, videant in Præsule suo. Opulenti exemplum piæ liberalitatis, afflicti & pauperes; patientiæ; iracundi & pugnaces, mansuetudinis, impuri & intemperantes; continentiæ, ignavi & desides, industriæ: sit denique, *Desiderium oculorum Sanctorum.* Sed dum sic (quod utinam faciat quisquis pio hoc potiùs portando oneri, quàm honori præficitur) subditorum suorum oculos, vitæ sanctioris exemplo ad se trahit, ipse suos oculos in sui spectatores, non in carnem & sanguinem, dum in inferiores pia sunt distribuenda obsequia & officia, nequaquam reflectat. Sed in omni sui angustiâ regiminis ad Deum recurrat, quare & huic summo sacerdoti Aaroni frontale erat oculis superaffixum, in quo nomen Dei scriptum erat, 446. Tom. I. Præclarè Laurentius Justinianus: *In cunctis operibus*, inquit, &c. Addit: *Parum prodest ardua tractare negotia, cum Principibus & regibus familiariter conversari*, &c. 414. Tom. I. Certè Christus non alios esse voluit Petri successores, quàm ipsum Petrum. Quem voluit, ut non aliò quàm in ipsum Deum, cúmque solum oculos suos semper dirigeret. Hinc eum ad pontificatum maximum assumpturus sic examinat & alloquitur: *Petre amas me?* q.d. Hoc jam ago, ut tibi meî muneris vicariam operam commendem, meásque oves committam pascendas, at hoc officio fungi & meas partes suscipere non poteris, &c. 453. Tom. I.

Peroratio.

Igitur quisquis Aaronis, quisquis Petri sedibus insidet, inferioribus & subditis sit desiderium oculorum. Attendat interim semper quò suus feratur oculus, quid quærat, an seipsum & prædam è subditis? an verò salutem & bonum subditorum? Advertat, an sum potiùs causam an Reipublicæ agat, &c. *Et nunc Reges intelligite, erudimini qui judicatis terram.* 453. Tom. I.

ALIA.

VIlitatis pristinæ oblivisci, non modestiam, & simplicitatem, sed etiam prudentiam graviter lædit. Revera Regis Agathoclis laudes famámque insigniter auxit, &c. Ita Wiligisum Moguntinum Episcopum, &c. 538. Tom. II. Qui præest verbo sit humanus, facto sit beneficus, sua se pelliculâ contineat, nemini insultet, neque se super alios ullos effetat, & licet à trecentis, aut quadringentis annis suas derivent origines illud tamen semper in ore habeat, & nostri majores tenui censu inter ignobile vulgus stabant. Inter Platonis dicta, &c. 539. Tom. II. En homines incorruptos, & tam excelsi, quàm modesti animi, qui nullum metuebant probrum, nisi vitium. Hos inter eminens Iosephus fuit, &c. Sed quid de illo longam profero historiam. En præsul noster candidatus talis est, &c. 539. Tom. II.

In Pastoris alicujus installatione.

THEMA.

Pastor meus es, & omnem voluntatem meam complebis.

Morale.

Pastoris officium quamvis sit generale, quibusdam tamen est particulare.

Exordium.

NEmo hoc sibi probro ducat, Pastores sumus omnes qui homines sumus. Sunt tamen quibus id nominis est convenientissimum, uti sunt Episcopi, Præpositi, Reges, Principes, Magistratus, Domini, Patresfamilias, quibus oppida, urbes, provinciæ, Regna committuntur. Poëtarum Princeps Homerus Priamum, Agamemnonem, Menelaum Reges ποιμένας id est, Pastores vocat. Doctissimus Philo Regem & Pastorem dissertissimâ dissertatione confert. In divinis paginis, &c. 539. Pastoris certè nomen, nomen dignitatis est, & propriissimè iis convenit, quibus incumbit cura animarum. In quorum numero cum hodiernâ sis die annumerandus, Paucis, quæ sint veri Pastoris munia, edissero, ut voluntatem Dei compleas, quod Pastoris est, ut dixi antè.

Prosecutio.

Ad Pastores omnes præceptio illa pertinet: Pastoris est non se, sed pecus curare. Veteri verbo dicebant Prisci: Lex Pastoris est, amor gregis. Quemadmodum enim Paterfamilias domesticos suos, amore sollicito complectatur necesse est, ita Pastor suas oviculas curabit, & tuebitur. Pastoris officium ignorat, qui sei sum curat. Bernardus ad Archiepiscopum Senonensem. 539. Tom. II. Officium Pastoris, quamvis subinde fortassis pingue, quia lac, lanam, carnes porrigit, pingue sit; difficile tamen est, quia severas exigit rationes. Princeps Pastorum luculenter id testatus est Marcellus II. &c. Hinc illæ numinis minæ: &c. Præsis igitur, *Candidate Pastor*, ut profis, hoc tibi & omnibus documento salubertimo instillat Salomon. *Diligenter*, inquit, *agnosce vultum pecoris tui*, &c. Nam uti pecus mutum nequit pabulum sibi debitum postulare, ita subditi velut oviculæ miserlæ necessitates suas etsi possent; plerumque tamen non audent explicare. Pecus tuum macie pereditur, & id queri non potest. Agnosce, &c. 536. Tom. II. Verùm & tui ipsius sis Pastor bonus, animum & corpus tuum rectè rege, regis dum alios.

Peroratio.

Pastoris igitur descripsimus officium teipsum & tuos custodi, &c. 540. Tom. II.

In investitione aut professione alicujus Religiosi aut Religiosæ.

Vide concionem quam formavi, bone Lector, in festo Virginis Catharinæ ultimam, & omisso nomine Catharinæ, *tu* Sponsi, *aut* Sponsæ *nomen profer, eámque doce, &c.*

ALIA.

ALIA.

THEMA.

Quis ex vobis poterit habitare cum ardoribus sempiternis?

Morale.

Ardua quævis molitur & patitur libenter, hoc qui seriò expendit.

Exordium.

Mirabuntur quidam vestrûm, una forsitan cum Sponsâ nostrâ, cur hæc modò proferam verba. Quid enim hæc verba in præsenti habent congruum. Excusate, *Auditores*, non Sponsam solummodo, sed & vos omnes salutari quadam commonitione compello.

Prosecutio.

Quibusdam sponsa forsan etiam amicorum tuorum, te modò circumstantium, dum teipsam sæculi pertæsa voluntariè quatuor quasi muris, ut passim sæculares mundani loquuntur, concludis, mirum & durum videtur. Quid enim, inquiunt, est aliud quàm dum subintrabis claustrum, viva deferri in sepulchrum? Si cui hoc tam durum videtur, his ego unà cum sponsâ hac occino: *Quis ex vobis poterit habitare*, &c. Pauca verba, interrogatio brevis, sed seria: hoc enim dum quis attentâ mente recogitat, cur plures & plurimæ utriusque sexus Virgines lato & libero spretо mundi campo arcto claustrali sese concludant loco, & omnem illic vitam volentes consumunt? Monasterium est Bavariæ, quod ab S. Altone nomen trahit, &c. 11. *Tom. I.* Vt tu modò factura es. Sed hem, inquient forsan, ut ante dixi, æternâ caveâ sic includi, uno semper loco delitescere, omnem ad parentes & amicos reditum esse præclusum, procul voluptatibus degere, ante mortem sepeliri? horremus nos, præeant alii atque aliæ non sequimur. At dicite vos, quæso, mundi alumnuli, est quod ex vobis sciscitetur Isaias vates, &c. Illud nobis pauculis annis, &c. 11. To. 1. Sed ad te nunc sermo, ô Sponsa, fuge aliquantèr mundi cœnum, non corvus sis, sed Noëtica columba. Hic nunquam in arcam rediit, sed inesecatus carnibus bestiarum putridis, arcæ propitiæque suæ domus fuit oblita, Emissa verò hæc columba, mundi ubi loca aliquamdiu pererrarat, omniáque reperisset madida & fœda, sordes omnes exosa inquinare pedes noluit & reversa est in arcam. Annis jam sexdecim aut circiter mundi pervolasti spatium, & nunquid pressis quasi etiam oculis facilè percepisti, quàm omnia & omnes cœno mersi jacent. In urbibus non paucis justitia planè cerea est, torqueri, flecti, fingi facilis in quancunque partem. Pudicitia passim exulat, &c. Hoc cœno mundus est refertissimus, fuge igitur, fuge dilecta Christi sponsa, en arca non Noëtica, sed Augustini, Francisci, Dominici, &c. has ut salvemini, *Auditores*, fabricaverunt arcas, hic tibi cellulam coëme, cui hæc inferes mobilia. Quid opinaris dilecta, quæ mobilia arbitraris me nominaturum? non pretiosa certè, non curiosa, sed confice tibi duas tubas argenteas, & si quando aliquid grave vel pœnitentiale ferendum occurrerit, has infla, una vocatur *Nunc*, altera *Semper* 12. Hoc ubi peregeris sponsa, adinstar columbæ, ex hac arcâ in supremam evolabis non vacua, sed ramum portans victorialis olivæ. 491. Tom. 2.

In Iubileo alicujus Religiosi vel Sacerdotis, Professionis, aut Sacerdotii, vel Conjugum Matrimonii.

THEMA.

Timor Domini apponet dies, & anni impiorum breviabuntur.

Morale.

Abstinentiâ & pietate producitur vita.

Exordium.

Vita humana est ut homines sint diversissimi sensus, quemadmodum diversissimi sunt vultus. Reperiuntur qui continuò & graviter affligantur, ut pæne succumbendum putent afflictioni. Hunc Egestas, illum morbus, &c. *Tom. I.* ut nonnunquam mortem sibi optent, sic enim miseri finem ærumnis imponendum arbitrantur; contra probi alii & ad omnem Dei voluntatem paratissimi, nec citò mori cupiunt, nec diu vivere, &c. Præter duo hæc hominum genera, pars maxima est quæ longam vitam desiderat, nec ullus ferè tam senex, quin speret & cupiat annum adhuc unum vivere, apud hos nulla fermè satietas est vitæ. Cum igitur ea pars hominum sit maxima, & Deus quibusdam, ut patet in sponso nostro, liberaliter concedat, inquisituri sumus quónam modo vivitur diutissimè, & crediderim non aliis quàm iisdem mediis quibus præsens noster jubilandus obtinuit. 16. *Tom. I.*

Prosecutio.

Claudius Deodatus Basileensis Pontificis medicus, trigeminum volumen edidit Bruntruti, quo fusè ac eruditè docet, quâ demum ratione vita humana ad annos centum viginti quatuor ut producenda. Nobis, *Audit.* non licet esse tam diserris, constrictius egero geminæ vitæ rationes porrecturus, ex quibus longævitas vitæ nascitur, & repletio dierum, quæ justo probóque homini promittitur. Nempe pietas & abstinentia, utraque promulgandæ vitæ, sed hæc aptissima. Affirmatissimè dixit enim Salomon: *Timor Domini apponet dies & anni impiorum breviabuntur.* Legis divinæ jubent & pollicentur, &c. Deus bone, quàm ingentem numerum sacræ Paginæ sub oculos constituunt eorum, qui ob pietatis defectum, quos potuissent annos minimè attigerunt. Obliti sunt legis divinæ, ideo longitudo dierum, & anni vitæ, & pax eis non fuit apposita. Inter eos Saul, Balthasar, Antiochus, &c. 671. Tom. 2. Sed omisso hoc infinito hominum numero, quibus vitam ante finem vitæ rapuit impietas, nos ipsi quantos novimus? Quantos ô Sponse nostis & vos qui suaviter ad annos septuaginta, octoginta, & plures vitam potuissent perducere, &c. Nimis certum est longitudinem & vitæ annos apponit Timor Domini, Pietas. *Moses centum & viginti annorum erat*, &c. David, Tobias. Quid istos? & hunc nostrum Sponsum fecit longævos? Pietas. *Auditores*, natus est Sponsus noster, &c. vixit annos, &c. *Narra Sponsi vitam.* Sed pergamus & ut ad hujus sponsi annos quod plures vovent, ut ante dixi, aliquando pervenire liceat, inquiramus, quid sit pietas? Salomonis est oraculum, &c. Hæc vera pietas est, hæc sincera est lætitia, hæc vita longa. Nam licet quandoque impii diu vivant, non tamen pergunt cum bono profectu timoris Dei in pace, & quamvis aliquando sat citius moriantur obdormiunt tamen in bona senectute. Melior vita bona quàm longa. Satis diu vixit, qui bene vixit. Ille bene senescit, qui piè senescit. Hinc tibi, sponse, congratulor, non quia senuisti, sed quia piè senuisti. 672. Tom. 2. *& lege ea quæ conscribit Auctor fol. 640. 641. & 642. docet enim ibidem virtutis præmium, valetudinem corporis esse discursu satis amplo.*

In die Precum, Tempore belli.

THEMA.

Nihil solliciti sitis, sed in omni oratione, & obsecratione, cum gratiarum actione petitiones vestræ innotescant apud Deum.

Morale.

In pressuris remedium, est attenta Providentiæ divinæ consideratio & oratio.

Verum est, *Auditores*, afflicti sumus, in tribulatione positi sumus, nunc fame? bello nunc, nunc & peste ferimur & premimur, sed quid dicemus? Unde nobis videntur hæc mala? Si res ad vivum revocanda, & origo vestrarum pæne omnium miseriarum scrutanda sit, eam esse comperiemus, quòd divinam providentiam reverà non satis capiamus. Hinc vanæ sollicitudines, vani metus, inanis luctus, & plurima perturbatio, &c. Adversa gravius sentire nihil ex se malí, &c. Istius mali est divinæ providentiæ ignoratio. Huc igitur & oculos & mentem advertite Christiani. Ad divinam providentiam digitum intendo, dein docturus mali remedium Divinæ Prouidentiæ ita omnia sunt subjecta, ut nihil penitus nec minimum quidem ulli hominum evenire possit, quod providentia divina non præviderit, aut noluerit, aut malè permiserit. Invitâ vel nesciente Dei providentiâ neminem vel catellus allatrat, nec musca pangit, nec culex mordet, &c. 650. Tom. 2. Quâ de re clarissimè S. P. Aug. Magna opera Domini exquisita in omnes voluntates ejus ut miro & ineffabili, &c. *recita omnia consequenter, conclude cum Auctore à fol. 650. usque 652. Tom. II. & lege quæ recitat Auctor 786. Tom. II.*

Lege à fol. 113. usque 115. Tom. II. docet enim in iis Auctor quandónam sint preces instituendæ, & inter ceteras causas instituendarum precum ponit hanc, cum adversa premunt. *Et tradit quomodo afflictorum preces sint Deo gratissimæ.*

Lege insuper à fol. 131. usque 133. Tom. II. Tradit his in locis Auctor quanta efficacia sint publicæ preces, cujus rei ignara fuit Iudith, &c. lege insuper Rhetoricam cælestem Auctoris, præsertim libelli Citus epilogum, seu dictorum compendium. Lege quoque à fol. 662. usque 664. Tom. 2.

— Strenæ seu Xenia.

Strenarum dandarum sic breviter suggero ex Auctore materiam, si velis, poteris spargere inter Auditores tuos Rosas, Rosarum verò genera, earúmque proprietates; tradit Auctor viginti, ni fallor, octo ex his dare poteris v.g. Rosam auream Prælatis & curam animarum habentibus, summâ enim eis opus est patientiâ, mansuetudine, charitate, quorum virtutum symbolum est rosa aurea, vel rosam ceream. *V. fol. 758. & 765. Tom. I.* Virginibus Rosam ligneam, illa enim est silentii & solitudinis, quæ est mater & conservatrix, castitatis symbolum. Juvenibus illis nobilibus otiantibus in dies per plateas, Rosam acu pictam. 782. Religiosis Rosam aromaticam, quæ est symbolum orationis & meditationis. Conjugibus Rosam Milesiam, quæ est symbolum diligentiæ. 833. *Tom. I.* Vel Rosam silvestrem, quæ est patientiæ. 841. *& sic consequenter.*

Vel lege eo fine Aurifodinam *fol. 760.* ibi enim Auctor describit & alia Rosarum genera: *Tom. II.* Si verò velis Auditoribus Aves dare, Aquilam superioribus, Superbis illis domicellis Pavonem, Mulieribus garrulis Psittacum, &c. Columbam modestis & castis, *lege Tom. 2. 760.*

Vel

Vel pocula, vel hujusmodi alia. Poteris consulere Indices rerum utriusque Tomi, De libellis similiter, &c. In iis verò distribuendis, bono concionatori opus est judicio. Ut verò Xenia profint non ea sint alia, quàm pia, ut Auctor noster inter reliqua à Concionatoribus observanda rectè monet. 791. Tom. II.

THEMA.

Omnes morimur, & quasi aquæ dilabimur in terram.

Morale.

Mors bona æterni Paschatis initium.

Concio funebris.

EN, Auditores, terræ deposuimus Confratrem nostrum, cujus in imagine clarè jam cernimus, non possessionis esse locum nobis in hoc mundo, sed hospitium: Et certè, ut omne plerumque hospitium non est nisi unius noctis, vel prandii, vel cenæ: Mox enim in hospitiis occinitur, exi hospes, da locum aliis, & quamvis mallet quis nonnunquam in diversoriolo, quamvis incommodo, hærere, & pausare largiùs, tamen illi tandem pergendum est. Ita quoque quâvis uno alteróve die, alter altero diutius paulet, in hoc mundi seu vitæ hospitio, plerique tamen nocte unâ tantùm cenant. Habebat quoq; Iam David Rex filium Absalonem fugientem diversos sibi fidelissimos, inter quos cùm adesset Ethai, ad illum conversus Rex, ait: *Heri venisti & hodie compelleris mobiscum egredi?* Ita plurimi heri venerunt, annis paucis vixerunt. 542. Esto quamvis hic noster, quem jam terræ deposuimus, annis tot fuerit in orbe, multa præclara præclarè obiverit, omnia tamen nec illi, nec hominum quisquam si tempus vitæ, horas singulas, aut annos numeremus ad Dei Calendarium, die toto supervixit, Deo mille anni dies unicus, sunt, affirmat David, &c. 545. Tom. secundo. Ad hujus diei metam proximus accessit Mathusalem, non tamen diem totum, hoc est mille annorum nostratium pervixit. Rosa fuit

Quam modò nascentem rutilus conspexit Eous
Hanc rediens sero vespere vidit obum.

Rosæ sumus omnes. Rosa fuit iste, quem jam terræ commendamus, floruit mane, hoc est ut ante dixi, annis, &c. en vesperi languet. Hesterni sumus, & mane hodie compellimur egredi. 545. Peregrinorum legibus Constricti sumus. Optimè dixit S. P. N. Augustinus: *Quid aliud est vita, quàm cursus ad mortem, &c. perpetuo momentis omnibus velis nolis, progrediendum ad metam mortis.* 542. To. II. Gregorius Nazianzenus de seipso *à tumulo*, ait, *tumulum peto.* Idem in oratione de mortuis, &c. 542. Tom. II. Felix ille, qui hanc peregrinationem bene consummat, ut hic, &c. *narra defuncti laudes.* Certè majus bonum nulli hominum obtingere potest, majórque gratia quàm vitam hanc, piè finire. Quam summam gratiam mereri nunquam possumus de condigno, uti loquuntur scholæ, sed tantùm de congruo; cui autem illa gratia obtingit hujus non mors sed æterni Paschatis est initium. Dicite mihi, *Auditores & Lectores* (diutius enim nec ore nec calamo mihi datur jam loqui) adstatis hic, quidam adinstar gigantum validi & sani sunt, quibusdam honores, divitiæ, &c. & feliciter degitis. Quid est, non dico hujus vel istius pauperis afflicti, sed etiam omnium vestrûm vita nisi, cineralia & soteria? Luctus è luctu nascitur, calamitas calamitatem excipit, &c. 545. Tom. II. vix unquam è toto lati sumus. (*Narra si quas in vitâ defunctus passus est afflictiones.* Tandem vicina mors, Pascha proximum esse denuntiat. Itaque terminus à quo, ut Philosophorum cathedræ loquuntur, mundus est lachrymarum, periculorum, miseriarum omnium plenus. Terminus ad quem cælestis patria. Lubet cum S. P. N. Augustino, in cujus nunc vigilia seu professo manum de tabulâ tollo, finire: *Ecce Pascha, ecce,* inquit Auditores, *transitus. Vade, & quò? de hoc,* subjungit, *de mundo ad patriam.* Quâ fide S. Pater hoc asseris? *Spes membris in capite data est, quod essent illo transeunte sine dubio secutura.* Quid ergo infideles nónne & ipsi transeunt, quia non permanent? *Transeunt & planè ipsi, sed aliud est transire de mundo, aliud est cum mundo. Aliud transire ad Patrem, aliud ad hostem. Nam & Ægyptii transierunt, non enim persequendo mansserunt, non tamen transierunt per mare ad regnum, sed in mari ad interitum.* Transivit ergo Confrater noster, transivit, quò speramus transire omnes, de regno hoc instabili ad fundatissimum regnum, Hoc omnibus, Bone Lector, voveo, precibus vos omnes idem, & mihi vovete, ingratus non ero, dum transitum hunc differri in commodum vestrum rogo. Non enim laborem jam omnem pono, non calamum abjicio, sed parumper sustollo & paratus jubeo. Tu æqui bonique hos labores consule & fruere.

Plures tales conciones si quis formare velit, Auctoris Prodromum mortis, consulat & Indices. v. Mors.

Ad Majorem Dei, Deiparæ, & Theodacti S. P. Augustini gloriam.

Collegii Soc. Jesu Paderborna.



APPROBATIO.

Opera omnia etiam hactenus non visa R. P. Hieremiæ Drexelii, *magni è Societate* IESV *Ecclesiasta, digna sunt ut lucem videant; sunt enim tanto sententiarum pondere ditata, tantisq; sanctorum placitis dotata, ut gloriæ Dei promovendæ ac animarum bono pietatiq; instruendæ multùm deserviant, digna itaque ut tanti magistri opera à Theologis, Parochis, Catechistis, aliisq; tanquam hæresi extirpandæ, pietati fovendæ accommoda legantur. Quare ut posteritati tradantur prælum iteratò videant. Actum Antverpiæ, die 25. Augusti,* 1643.

GASPAR ESTRIX S. T. Licent.
Plebanus, ac Lib. Censor.

COPIA PRIVILEGII SOCIETATIS IESV
pro sacro Romano Imperio.

CVm ex mandato Sacræ Cæsareæ Majestatis, omnibus & singulis Typographis, Bibliopolis, atque aliis quibuscumque librariam negotiationem exercentibus, seriò strictèque inhibeatur, ne quis libros ullos à Societatis nostræ Patribus hactenus editos, aut edendos imposterum, intra sacri Romani Imperii, Regnorumque & Dominiorum Sacræ Cæsareæ Majestatis hæreditariorum fines, simili aliove charactere aut formâ, sive in toto, sive in parte, excudere vel recudere, vel aliò recudendos mittere, aut alibi etiam impressos invehere, vendere, aut distrahere clàm, seu palam, citra supradictorum Patrum consensum ac testimonium audeat vel præsumat; ego ANDREAS IVDOCI, Societatis IESV per Provinciam Flandro-Belgicam Præpositus Provincialis concedo Viduæ & Hæredibus Ioannis Cnobbari facultatem excudendi ad duodecim annos proximos, *R. P. Hieremiæ Drexelii è Societate nostrâ opera omnia duobus voluminibus comprehensa*, & seorsim in singulis libris à diversis Societatis nostræ Præpositis Provincialibus olim approbata. In cujus rei fidem litteras manu meâ subscriptas, & sigillo officii mei munitas dedi, Antverpiæ anno M.DC.XLIII. die 1. Septembris.

ANDREAS IVDOCI.

SVMMA PRIVILEGII

Catholicæ suæ Majestatis Regiæ.

PHILIPPVS *Dei gratia Hispaniarum Indiarumque Rex Catholicus, Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ, Brabantiæ, &c. Serenissimus Belgarum Princeps, diplomate suo sanxit, ne quis* R. P. Hieremiæ Drexelii è Societate IESV, opera omnia, duobus nunc voluminibus comprehensa, & libellis antehac non editis aucta, illustrata Indicibus moralibus locorum S. Scripturæ, capitalium mysteriorum fidei, rerum, & concionum quovis anni tempore habendarum, congestis, & compositis, methodo prorsus aliis auctoribus inusitata, sed Theologis, Parochis, Catechistis, Concionatoribus, pietati fovendæ, impietati amovendæ, firmandæ fidei, extirpandæ hæresi, magis accommoda. Studio ac labore R. P. Petri de Vos Schiedamensis, S. T. L. Eremitæ Augustiniani, Antverpiæ, &c. *Præter Viduæ Cnobbartii Typographi dum viveret Antverpiensis voluntatem, in toto Belgio, intra duodecim annorum spatium, in toto, aut parte seorsum, imprimat, aut alibi impressum, in has Provincias inferat, venalemve exponat, aut habeat. Qui secus faxit confiscatione omnium librorum, & triginta aureorum pro quovis exemplari impresso, illato, aut exposito, persolvendorum, mulctâ punietur utilatiùs patet in litteris datis Bruxellæ, Anno* 1643. 4. *Augusti.*

Signat

Steenhuyse.

MANET
IN
BIBLIOTHE
CA

P. DREXE
LIUS
T. II.
TVII
II


Th I
553a

